UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Jnstitvtiones Morales

In Qvibvs Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1602

urn:nbn:de:hbz:466:1-14077

Visual Library

Th. 597a.

G. VI 6



R. P. IOANNIS

AZORII

LORCITANI, SOCIETATIS IESV Presbyteri Theologi,

INSTITVTIONES MORALES;

IN QVIBVS VNIVERSÆ QVÆSTIONES ad Conscientiam rectè aut pravè factorum pertinentes, breviter tractantur.

Nunc primùm in Germania editæ,

REVERENDISS. & ILLVSTRISS. Præsuli BAMBERGENSI, Sacrique Romani Imperij Principi dicatæ.

PERMISSV SVPERIORVM

IHS

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Antonium Hierat, sub Monocerote.
MDCII
Cum gratia et Privilegio Sacræ Cæsar. Majestat.





CONSCIENTIA BONA

CONSCIENTIA PRAV




FIDES





HAERESIS

B. Theodoriana pars



REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO, Dn. IOANNI PHILIPPO, ELECTO ET CONFIRMATO EPISCOPO BAMBERGENSI, S. R. IMPERII PRINCIPI, &c. DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

CVM omnis omninò Theologia, Reuerendᵐᵉ & Illustrᵐᵉ PRINCEPS summoperè prædicanda ac veneranda sit; tum verò illa potissimũ maiori quodam encomio ac cultu digna videtur, quæ in formanda conscientia, ac componẽdis hominum moribus, vnde moralis dicta est, occupatur. Huius quippe in omnes sese partes latissimè fundit dignitas, vtilitas, necessitas. Dignitas quidem, quia hic nõ agitur de stillicidijs aut latifundijs, nec de rebus leuibus, quæ parum interest, sic an aliter se habeant; sed de possessione & hæreditate vitæ æternæ, quæ tanquã finis & merces conuenientibus rectarum actionũ medijs adeunda à Christo proponitur. Vtilitas verò, quia huius solius præsidio Christianus instruitur, qua ratione actiones suas sic instituat, vt ad æternæ felicitatis brauium aliquando pertingat, atque adeò sic currat, vt comprehendat. Vnde facilè eiusdem cõsequitur ac deriuatur peculiaris necessitas. Neque enim de Metaphysicis subtilitatibus, aut Philosophicis distinctionibus, quæ sine periculo ignorari, & interdum etiam cum laude oppugnari possunt, hic instituitur pertractatio; sed ijs de rebus, sine quibus nemo vel rectè Christianus esse, vel salutem adipisci valet, imò ne ciuilem quidem societatem, & quotidianam consuetudinem rectè tueri.

Hanc autē caſtorum morum doctrinā vt integrā illibatamq; hauriamus, neceſſariò ſunt nobis Chriſtiani Theologi adeundi, qui à Dei filio edocti, reiectis Gentiliū erroribus, puram nobis, & ad Euangelij normā probè exactam morū diſciplinā tradiderunt. Nec ſpreuerunt tamen penitus inuēta Gentilium, ſed quæ rectè & Chriſtianæ fidei cōuenienter ab ijs prolata ſunt; ea ad ſua ſcripta tranſtulerunt, & ab eis tanquam iniuſtis poſſeſſoribus in ſuum vſum vendicarunt. Quòd ſanè B. Auguſtini conſiliū eſt, qui idipſum pulchrè confirmat, exemplo filiorum Iſraël, qui in exitu de Ægypto ſecū Ægyptiorum opes aſportarunt; & compluriū aliorum ſanctorum, qui Gentilium diſciplinis nobiliter fuerunt inſtructi. Quod argumentum quoque in epiſtola ad Magnum Oratorem Vrbis Romæ B. Hieronymus eleganter perſequitur.

Aug. lib. 2. de doctr. christ. cap. 40.

Quanquam verò plurimi hanc ſpartam egregiè adornarint, tamen in tanta copia vt non conueniunt omnia omnibus, ita nec omnes omnium iudicio ſatisfaciunt. In alijs enim offendit obſcuritas, nimiaq; prolixitas, qua omnia ſcholarum more, curioſè atque ſubtiliter perſequuntur, quæ non facilè aſſequi, aut capere poſſunt, qui non ſint in ſcholis multum ac ſtudioſè verſati. In alijs diſplicet breuitas, ac nimis diluta tenuitas, qua res grauiſſimas raptim expediunt, & lectorem vacuum ſæpè dimittunt. Quod conſiderans R. P. IOANNES AZORIVS, è Societate IESV, nō minor Theologus quàm Canoniſta, qui totam pœnè ætatem in huiuſmodi controuerſijs contriuerat, ſectatus eſt medium aliquod temperamentum, & vniuerſam Theologiam de moribus ita pertractare inſtituit,

vt &

vt & ſatisfaceret doctis, & rudioribus ſua ope ſuccurreret. Nã & vulgari ſtylo, ac familiari per quæſtiones docẽdi modo vtitur, nihilq; omninò, ſeruata commodiſſima methodo, prætermittit, quod ſuper hac re à cordatis, imò curioſis etiam hominibus, inquiri poſſit.

Quem cùm à multis ſummoperè deſiderari animaduerterem, meis typis ſubijcere in gratiam Germaniæ noſtræ haud ſum grauatus. Te verò vnum Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Princeps, abſoluto iam operi Patronum cenſui deligendum. Quòd Illuſtriſſimam Celſitudinem tuam ſummis natalium imaginibus ex Nobili GEBSADEL. familia effulgentem, & tantò Præſule dignis moribus ac doctrina conſpicuam, impensè præclaris auctoribus delectari, & ſingulari fauore præter cætera omnia rerum ſacrarum, vt fas eſt, ſtudia proſequi didiciſſem. Quocirca non ambigo, quin acceptus hic noſter conatus Illuſtriſs. Celſitudini Tuæ ſit futurus. Tantùm rogo, vt nos quoque perpetuò Clientum ſuorũ albo adſcribere non grauetur. Ita Illuſtr^mam Celſitudinem T^am noſtro ac totius Germaniæ bono Diuina benignitas diu conſeruet incolumem.

Coloniæ Agrippinæ, ex officina noſtra Typographica, Anno à nato Chriſto Milleſimo ſexcenteſimo ſecundo. die 28. menſis Martij.

Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſit. Tuæ
humillimus cliens

Antonius Hierat, Ciuis &
Bibliopola Colonienſis.

SANCTISSIMO PATRI CLEMENTI OCTAVO SVMMO CATHOLICAE ECCLESIAE PONTIFICI,

IOANNES AZORIVS FOELICITATEM.

NON fuit mihi, Pater Sanctiſſime, diu deliberandum, cuinam primos hoſce libros, quos de Inſtitutionibus Moralibus, non ſine magno ſtudio, opera, & labore conſcripſeram, vetere cõſuetudine, noſtris etiam approbata temporibus, deſtinarem. Debebantur tuo nomini: debebantur Summo Sacerdoti: maximo Catholicæ Eccleſiæ Põtifici, cuius munere & officio, & auctoritate nihil eſt in terris Mirabilius: nihil Illuſtrius: nihil Sanctius: nihil Auguſtius. Iure optimo Chriſtiani hominis, pro Chriſtiano Populo continuata per multos annos literarũ ſtudia, communi Chriſtianorũ Parenti, Magiſtro, & Gubernatori offeruntur. Meritò religioſi hominis, pro iuuandis in Morali ſtudio religioſis hominibus, libenter ſuſcepti, & alacriter tolerati labores, Summo poſt Chriſtum Dominum totius Chriſtianæ religionis Capiti, Paſtori, & Duci dicantur. Hoc tibi, Pater Beatiſſime, filius, quamuis indignus & minimus Societatis IESV, Apoſtolicæ Sedi multis nominibus obligatæ ſummo iure debebat. Hoc tua merita poſtulabant: hoc tua morum integritas, vitæ probitas, officij dignitas Pontificia, Moderatio, Manſuetudo, Clementia, Religio, Pietas, & Sanctitas exigebant. Petri Sedem Apoſtolicã tenes. Speculæ Dominicæ præſides, gregẽ Chriſti Domini paſcis, nauiculã regis, ouile cuſtodis. Vnicã Dei ſponſam, puram, ſynceram, & candidã columbam, videlicet redemptã pretioſo ſanguine Domini Eccleſiam, ſacris fontibus irrigatum, Diuinæ legis ſarculo excultũ, & cæleſtis gratiæ præſidio communitum hortum, & agrum immiſſis falcibus purgas, & tueris incolumen. Sacerdos es magnus, Summus Põtifex, Princeps Antiſtitum, Petri ſucceſſor, Apoſtolorũ hæres, Primatu, vt cũ S. Bernardo loquar, velut alter Abel, gubernatione velut alter Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, Pontificatu, & vnctione tanquã alter Aaron, Auctoritate Moyſes, in iudicando Samuel, in Poteſtate & muneris functione Petrus. Es denique, Pater Maxime, & Optime Summus in terra Chriſti Vicarius, cæli ianitor, Diuinæ voluntatis interpres, Dei nuncius, vitæ Magiſter, Chriſtianorum omnium Pater, ſpiritalis militiæ Dux, hoſtium vltor & vindex, cuius eſt, mores deprauatos corrigere, reſtituere collapſam rectæ vitæ diſciplinam, ſancire leges, decreta cõponere, iura & præcepta viuendi dare. Hæ me, Põtifex optime, cauſæ impulerunt, vt præ cæteris offerre tibi hos qualeſcunque primos mearum lucubrationum fœtus, tanquam laborum & operũ primitias, auderem. Eædem niſi fallor, tuam iſtam Clementiam in faſtigio tam excelſo eminentem mouebunt, vt eos in publicum ſub Auguſti nominis tui patrocinio, tutelaque prodijſſe patiare. Tuum erit, Pater Sanctiſſime, hoc in te meæ obſeruantiæ teſtimonium læto vultu, & affectu paterno, vt cætera ſoles, tuæ auctoritatis præſidio ſuſtinere, nominis ſplendore illuſtrare, & clemẽtiæ benignitate defendere. Accipe igitur, Pater Beatiſſime, munuſculum, multis rationibus debitum, rem quidem nulla ex parte tanta Maieſtate dignam, ſed parem offerentis ſeruuli paruitati. Quod reliquum eſt, Beatitudinem tuam Deus immortalis, ad ſui nominis gloriam, & Eccleſiæ Catholicæ firmamentum quam diutiſſimè tueatur, & ſeruet.

PRAE-

PRÆFATIO AVCTORIS AD LECTOREM.

QVOS de Moralibus Institutionibus libros scripseram, edere incipio: vtinam tam fœlix, tam iucũdum & gratum opus, quàm iustum, quàm pium & omnibus debitum obsequium! Quidam fortassis opinabuntur, hos libros, quos nunc in publicum profero, nondum satis maturos in aspectum, & lucem publicam prodire: cum optimum sit illud Horatij consilium, qui monet, ne præcipitetur editio, sed nonum prematur in annum. At me, vt eos iam emitterem, multa coëgerunt. In primis, quidam opus hoc desiderijs & precibus expetebant: quidam quotidiano ferè conuitio efflagitabant: nonnulli missis ad me literis requirebant: plerique vrgebant: demum ij, quorum iussa recusare iure non potui, suo nomine quasi debitum officium postulabant. Componendis his, & cæteris libris, quos, vt spero, Deo duce, foras propediem dabo, multos, crede mihi, dies, & annos impendi. Nam multum tempus datum est, & legendis auctoribus, qui sunt innumerabiles, & tot, tantarumque rerum veritati inquirendæ, quæ sæpius crassis circumfusa tenebris delitescit. Multa quoque diligentia, & opera posita est, in controuersijs instituti operis propè infiniti, ad certos locos & numeros dilucidè, distinctè, & breuiter redigendis. Est enim longè difficillimum multa in pauca contrahere: & nihil, quod desideretur, omittere: & perspicuitatem cum breuitate coniungere: & quæ post multum laborem inueneris, ad certa artis præcepta reuocare: cum magni iudicij & facultatis esse debeat, qui inuenta aptè & rectè disponit. Feci, quod potui: qui ingenio superent, multos numeres: qui dicendi arte, & sermonis cultu præstẽt, passim inuenies: qui rerum scientia & doctrina excellant, potiores sint alij: qui sua accuratiùs confirment, & aliena subtiliùs confutent, reperies fortasse non paucos: qui ad hæc omnia nonnullam facultatem, licet tenuem & paruam, adiunxerint, sed magnam animi volũtatem & studium, paucos, nisi mea me fallit opinio, nominabis. Memineris in expedienda tanta quæstionum & rerum materia, in perlustrãda tanta opinionum & sententiarum sylua, nunquam offendere, plusquam humanæ fœlicitatis esse. Homo sum, hominis est labi, errare, falli. Si quid temerè, si quid minus cautè dixisse, si quid minus sapienter docuisse videbor, ingenij mei tenuitatem, virium imbecillitatem agnoscam. Syncero animo causam ipsam age: sine contentionis studio, lege, euolue, corrige, vbique memor humanitatis. Fœlicioribus ingenijs, & doctioribus hominibus patefacta semper est via: semper apertus est campus: vbi eruditionem & doctrinam ostentent. Memineris te quamuis magnum alioqui virum ingenio, doctrina, & rerum experientia præstantem, hominem tamen esse, qui dum aliena errata corrigis, dum aliorum scripta coarguis, decipi, & errare facilè possis.

Hos libros inscripsi Institutiones Morales, scriptores veteres imitatus, quorum quidam Diuinas, alij Ciuiles, alij oratorias Institutiones vtiliter posteris tradiderũt. In his ea breuiter complector, quæ Theologi, quæ Canones & Leges, quæ Pontificij, & Ciuilis iuris interpretes, quæ Summistæ literis prodiderunt de ijs, quæ pertinent ad conscientiam rectè aut prauè factorum.

Vniuersam materiam ad quatuor capita reduxi, videlicet ad Decem Diuinæ Legis præcepta, quæ Decalogo continentur, ad septem instituta à Christo

Domino

Domino Sacramenta: ad tres Ecclesiasticas censuras, & alias pœnas, quibus delicta puniuntur, & ad remissiones siue condonationes peccatorum, quas Indulgentias vocamus: demum ad ea, quæ de statu hominum, & de bonorum ac malorum finibus disputantur.

Cæterùm tanquam prima totius operis elementa septem primis libris eo tracto, quæ in Prima Secundæ S. Thomas recto ordine disputauit: nimirum de Actionibus humanis: de honestate & turpitudine humanarum actionum: de Affectibus, quibus ad bonum, aut malum sæpius incitamur: de Habitibus, qui assidua exercitatione comparantur in nobis: de virtutibus vniuersim, quæ nos ad bonum impellunt: de peccatis itidem generatim, quibus leges & iura perfringimus: de Legibus humanis, de Diuina insuper & naturali lege, de quinque Ecclesiæ mandatis, quibus omnibus tanquam regulis actiones hominum diriguntur: in sex alijs Primæ partis libris, de ijs differo, quæ ad Fidem, Spem, Charitatem, religionemque pertinent, de iureiurando itidem, de voto, & de ijs, quæ ad Monachorum, Religiosorumque omnium statum spectant: & ita Primæ parti finem impono.

CLAVDIVS AQVAVIVA, SOCIETATIS IESV PRAEPOSITVS GENERALIS.

Cum tomum hunc primum institutionum Moralium, à P. Ioanne Azorio nostræ Societatis Theologo compositum, quatuor eiusdem Societatis Theologi; quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concessimus, vt typis mandetur, si ita Reuerendissimo D. Vicesgerenti, & Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij placuerit. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus, Romæ viiij. Septembris 1600.

Claudius Aquauiua Soc. IESV Præpositus Generalis.

Imprimatur si videbitur R. P. Magistro Sacri Palatij.
B. Gypsius Prouicesgerens.

Imprimatur.
Fr. Angelus Baronius Venetus, Magister, & Reuerendiss. P.M. Sacri Palatij Socius Ord. Præd.

INDEX CAPITVM HVIVS OPERIS.

Capita Primi Libri sunt XXX.

1 Quid sit Actus Humanus.
2 Quid sit Actio Libera.
3 Quid sit Actio voluntaria.
4 Quando in Iure communi tacens tãquam consentiens habeatur.
5 Quando ex hoc quod quis aliquid facit, consentire tacitè iure videatur.
6 Quando in iure volũtas tametsi longè ante præterita, tacitè permanere videatur.
7 An effectus causam volũtariam consequutus voluntati imputetur tempore, quo in nostra potestate non est.
8 Quando voluntas in Actibus subsequentibus potestate duntaxat permanere intelligatur.
9 Quod vis siue violentia in Actionibus voluntarijs non sit.
10 Quando voluntarium ex toto, vel ex parte, metu tollitur.
11 Quædam aliæ Quæstiones de Metu diluuntur.
12 De Ignorantia, qua voluntarium aufertur.
13 Quarum rerum possit esse in nobis ignorantia probabilis, & iusta, quæ inuincibilis appellatur.
14 Quomodo ignorantia sit iusta peccati excusatio.
15 Quomodo is, qui per ignorãtiam peccat, à pœna legis sit liber.
16 Quomodo peccatum contra Legem humanam per ignorantiã admissum, ex toto, vel ex parte excusetur.
17 Quomodo Affectus animi, scilicet, ira vel cupiditas voluntarium, aut inuoluntarium efficiat.
18 Quomodo circumstantia actus volũtarium aut ex toto, aut ex parte minuat.
19 De Actibus voluntatis, qui eliciti vocantur.
20 De Actu voluntatis elicito, qui dicitur velle.
21 Quanam ratione volũtas sit suarum actionum causa.
22 De Amore actu voluntatis elicito.
23 De Desiderio actu volũtatis Elicito.
24 De Delectatione actu voluntatis Elicito.
25 De intentione siue Proposito, qui est Actus voluntatis Elicitus.
26 De Electione Actu volũtatis Elicito.
27 De Consensu, Actu elicito voluntatis.
28 De vsu, Actu elicito voluntatis.
29 De Consultatione rationis.
30 De imperatis Actibus voluntatis.

Capita Secundi Libri sunt XXI.

1 IN quo consistat Bonitas, aut Prauitas Actus humani.
2 Quo pacto Bonitas aut prauitas Actus humani ex fine deriuetur.
3 An Bonitas vel Prauitas Actus humani ex Circumstantia sumatur.
4 Quando circumstantia tribuat, aut mutet speciem Actus.
5 De Bonitate, & turpitudine Actuum interiorum voluntatis.
6 De Bonitate, & Prauitate Actus exterioris humani.
7 Aliæ quædam de Bonitate, & Prauitate humanorum Actuum Quæstiones diluuntur.
8 De Conscientia errante.
9 De Conscientia opinante: & primum de opinionibus deligendis, quacunq; in re agenda, prima præceptio.
10 Secunda Præceptio.
11 Tertia Præceptio.
12 Quarta Præceptio.
13 Quinta Præceptio.
14 Quinam sint Auctores, Scriptoresue Classici.
15 Sexta Præceptio.
16 De Opinionum delectu in rebus agendis secundum Conscientiam.
17 Quædam aliæ Quæstiones de opinionum delectu dissoluuntur.
18 De Conscientia dubia.
19 Aliæ quædam Quæstiones de Conscientia Dubia diluuntur.

20 De scrupulosa Conscientia.
21 De quibusdam circumstantijs, quæ ad bonitatem actus humani sunt necessariæ.

Capita Tertij Libri sunt XXXVI.

1 QVidnam sit animæ Affectus.
2 Cuius facultatis, & instrumenti actus sint animæ Affectus.
3 De numero Affectuum animæ.
4 De Amore.
5 De causis, & effectibus Amoris.
6 De Fauore.
7 De veneratione, seu reuerentia.
8 De Desiderio.
9 De Spe.
10 De Delectatione.
11 De Risu.
12 De Odio.
13 De Tristitia.
14 De Fletu.
15 De Metu.
16 De Verecundia.
17 De Ira.
18 De Bontate, & prauitate humanorũ Affectuum.
19 In quos cadant animæ Affectus.
20 De Habitibus. Quid sint, & in quibus facultatibus hominis habitus cõparentur.
21 Quomodo Habitus acquirantur.
22 Quomodo Habitus augeantur.
23 De Habituum Diminutione, & interitu.
24 De Varietate & differentia Habituum,
25 De virtutibus vniuersim. Quid sit virtus.
26 Quot sint Virtutes Morales.
27 De Quibusdam, quæ Virtutes non sunt, sed Semiuirtutes.
28 Quo pacto Virtutes Morales acquirantur, & in qua re, & materia obiecta versentur.
29 Quomodo Virtutes Morales connectantur inuicem, augeantur, & amittantur.
30 Quæ virtutes, aliæ sint alijs præstantiores.
31 De Iustitia originali, cum qua Primus homo fuit conditus à Deo.
32 Quædam aliæ quæstiones diluũtur, quæ ad eandem rem pertinent.
33 Quonam modo primus Parens Iustitiam originalem acceperit à Deo.
34 Quot, & quinam fuerint iustitiæ originalis effectus.
35 Quid boni homo creatus cũ solis naturæ viribus præstare potuisset.
36 Quid boni homo Iustitia originali præditus obire, & facere posset.

Capita Quarti Libri sunt XXXIV.

1 QVid sit Peccatum.
2 Quomodo Peccata specie inter se differant.
3 De eo genere Peccati, quod Omissionis, vel Commissionis nominatur.
4 De Peccatis cordis, oris, & operis.
5 De varijs Cogitationis, & Cordis peccatorum generibus.
6 De Morosa Delectatione.
7 De Ceteris Peccatis, quæ in actu voluntatis interiori terminantur.
8 De Peccati differentia, quod veniale, & mortale Theologi passim appellant.
9 Aliæ quædam quæstiones de Peccati venialis, & lethalis differentia diluuntur.
10 Quibus modis Peccata venialia deleantur.
11 Quomodo, & quando venialia peccata ex opere operato deleantur.
12 De septem capitalibus peccatis. Et primum de superbia.
13 De Inani Gloria.
14 De Ambitione.
15 De Auaritia.
16 De Luxuria.
17 De Ira, & Inuidia.
18 De Gula, & Acedia.
19 De Magnitudine, hoc est, grauitate, & leuitate, seu paruitate peccatorũ.
20 Quod aliunde etiam peccata sint alia alijs deteriora.
21 Quanam in animæ parte peccata sedem habeant.
22 De Causis Peccatorum.
23 De Peccato, quod dicitur ex Malitia.
24 De Peccati effectis.
25 De Peccato Originali.
26 In quo sita sit Peccati Originalis vis, ratio, & natura.
27 Argumenta Aduersariorũ diluũtur.

28 Hæreticorum errores de Peccati originis ratione, & natura cõfutantur.
29 Quædam Quæstiones de Peccati originis natura diluuntur.
30 Quomodo Peccatum originale traducatur.
31 Qua in parte animæ inhæreat peccatum originis.
32 Quænã sint Peccati originalis effecta
33 De Peccati originis Pœna.
34 Quomodo Peccatũ originis deleatur.

Cap. Libri Quinti sunt XXX.

1 VNde Lex dicatur, & quid sit.
2 Aliæ Quæstiones de eadem re diluuntur.
3 De promulgatione ad legis substantiam, & rationem necessaria.
4 An oporteat legem vsu recipi, vt ea omnes teneantur.
5 Qualis debeat esse lex.
6 De vi, & potestate legis humanæ.
7 De potestate legis humanæ pœnam in reos constituentis.
8 Aliæ Quæstiones ad eandem rem pertinentes diluuntur.
9 Quibus modis dignosci queat lex cõtinens pœnam ipso iure latam, & ea, quæ continet pœnam sententia iudicis ferendam.
10 Quã potestatem habeat lex humana in actus mentis simpliciter internos.
11 Quinam humanis legibus teneãtur.
12 Quo iure Clerici sint ciuilibus Principum legibus soluti, adstrictiuè.
13 Quædam Laicorum statuta, quibus immunitati Ecclesiasticæ derogatur, discutiuntur.
14 Quo iure causæ quædam siue quæstiones Ecclesiasticæ apud Iudices ciuiles tractari, & iudicari soleant.
15 De relaxatione legis, quæ dispensatio vocatur, qua Princeps aliquos suis legibus soluit.
16 De abrogatione, & interpretatione legis.
17 De consuetudine, quæ vim legis habere dicitur.
18 Quædam aliæ Quæstiones de consuetudine diluuntur.
19 Quædam consuetudines contra ius commune inductæ discutiuntur.
20 Ciuiles aliquas leges Canonico iure abrogatas vel correctas esse.
21 De alijs legibus Ciuilibus Canonico item iure correctis aut sublatis.
22 De priuilegijs.
23 Aliæ Quæstiones de Priuilegijs diluuntur.
24 De Rescriptis Principum.
25 De statutis, siue municipalib. legibus.
26 Aliæ Quæstiones diluuntur de quibusdam statutis Ciuitatum.
27 De verborum significatione.
28 De vi, potestate & effectu cõiunctionis copulatiuæ.
29 De totius iuris Canonici diuisione.
30 De iuris Ciuilis diuisione.

Capita Libri Sexti sunt. LXIV.

1 DE lege naturali.
2 De lege diuina vetere, & noua.
3 De legibus, & Præceptis Hebræo populo in lege veteri datis, primùm generatim, deinde speciatim.
4 Præcepta de Rege eligendo, & creãdo.
5 Præcepta de æquitate, & charitate inter ciues tenenda, & conseruãda.
6 Præcepta de alienationibus, & venditionibus.
7 Præcepta de Mutuo.
8 Præcepta de pignore.
9 Præcepta de locato, & conducto.
10 Præcepta de depositio.
11 De præceptis, ad bella suscipienda, & gerenda pertinentibus,
12 Præcepta de vxoribus ducendis, & nuptijs contrahendis.
13 De eisdem præceptis ad nuptias spectantibus, quædam Quæstiones diluuntur.
14 Leges à Mose latæ de successione ex testamento, vel ab intestato.
15 Præcepta de seruis, & ancillis.
16 Præcepta de parentibus, & filijs.
17 Præcepta circa externos, & peregrinos.
18 Præcepta de iudicijs.
19 Præcepta de diuersis pœnis in improbos constitutis.
20 De septimo quoque anno, qui dicitur annus remissionis.
21 De anno quinquagesimo, quem lex Mosis Iubilæum appellat.
22 De ijs, quæ lege veteri immunda censeantur,

sebantur, & primùm de cibis immundis, siue de ciborum delectu.
23 De hominibus qui in vetere lege immundi censebantur, & de rebus itidem immundis.
24 De Nazaræis.
25 De Sacrificijs.
26 Hostia pro peccato summi Sacerdotis.
27 Hostia pro peccato Principis.
28 Hostia pro peccato populi.
29 Hostia pro peccato priuati hominis.
30 Hostia pro delicto.
31 De diebus sacris & festis apud Iudæos.
32 De Neomenia, siue Calendis.
33 De Paschate.
34 De diebus festis azymorum.
35 De Iudæorum Pentecoste,
36 De die festo Tubarum.
37 De die festo expiationis.
38 De celebritate Tabernaculorum, & de die festo cœtus siue collectæ.
39 De die ignis cælitus dati.
40 De Encæniis.
41 De Sacerdotibus Leuiticis.
42 De Vestibus sacerdotalibus.
43 De Arca Testamenti seu fœderis.
44 De Propitiatorio.
45 De duobus Cherubinis obumbrantibus Propitiatorium.
46 De Altari thymiamatis.
47 De Mensa, & Panibus Propositionis.
48 De Candelabro.
49 De duabus Columnis in porticu templi constitutis.
50 De Mari æneo, quod erat in tẽplo Salomonis, videlicet in atrio sacerdotũ.
51 De Altari holocaustorum.
52 De Salomonis Templo eiusque partibus.
53 De Atrijs ante Templum constitutis.
54 De operarijs, vasis & impensis, quæ factæ sunt in Templi ædificatione.
55 De tempore quo templum Salomonis extructum est ac perfitit.
56 De annis, qui fluxerunt ab excidio templi vsque ad Christi Domini aduentum.
57 De tempore, quod inter egressum Hebræorũ ex Aegypto, duce Mose, intercessit, vsque ad Tẽpli extructionem.
58 De annis, qui inter mundi exordium & templi ædificationem effluxerũt.
59 De præceptis nouæ legis, & Euangelicæ.
60 De quibusdam legibus principalium Rerumpubl. quæ apud Ethnicos floruerunt.
61 Lycurgi leges, quas Lacedæmonijs tulisse fertur teste Plutarcho in vita eius.
62 Leges Regiæ Romanorum.
63 Leges duodecim Tabularum.
64 Leges Romanorum à diuersis Magistratibus latæ.

Cap. Libri septimi sunt, XXX.

De præceptis Ecclesiæ.

1 DE primo Ecclesiæ præcepto quo rem diuinam in diebus festis audire debemus.
2 Quinam præcepto teneantur rem diuinam audiendi.
3 Quid in præcepto audiendi rem diuinam præscribatur.
4 Quibus diebus vi præcepti rem diuinam audire debeamus.
5 De attentione, quæ in re diuina audienda requiritur.
6 Quædam aliæ Quæstiones eadem de re diluuntur.
7 De causis, quib. excusantur qui rem diuinam non audiunt.
8 De secundo Ecclesiæ præcepto, quo statutis certisq; diebus ieiunium obseruare debemus.
9 An ieiuniorum diebus semel tantum comedendum.
10 De genere, & qualitate ciborum quibus in ieiuniorum diebus vti licet.
11 Quota diei hora ieiuniorum temporibus edendum sit.
12 Quibus diebus ex iure communi sit ieiunium seruandum, & primum ieiunij Quadragenarij institutio quænam sit.
13 De ieiunio, quod in peruigilijs Sanctorum Apostolorum suscipitur, & colitur.
14 De ieiunijs, quæ in quatuor anni temporibus seruantur.
15 De ieiunijs, quæ in sabbato, quarta & sexta

sexta feria, & alijs diebus suscipiuntur.
16 De ieiunio, quod in Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, & Aduētu Domini suscipi, & coli solitum est.
17 De causis, quibus aliqui à ieiunij lege eximuntur.
18 Aliæ Quæstiones de eadem re diluūtur.
19 Quam vim habeat consuetudo in ieiunijs, vel obseruādis, vel violandis.
20 De peccatis, quæ ieiuniorum violatione committuntur.
21 Quænam alia in diebus ieiuniorum sint iure Canonico, & Ciuili prohibita
22 De ieiunio, quod ius naturale præscribit.
23 De tertio Ecclesiæ præcepto, nimirum de Decima fructuum parte soluenda.
24 Quinam Decimam soluere lege debeant, ex quibus etiam bonis, vbi & quando persoluendam.
25 Quomodo Decima peti ac exigi debeat.
26 An Decima derogari aut tolli ex toto vel ex parte possit,
27 De primitijs, & oblationibus.
28 De sacra peccatorum Confessione quotannis semel facienda.
29 Quædā aliæ quæstiones de eodē præcepto annuæ confessionis diluuntur.
30 De sacro Domini corpore in Paschate sumendo.

Capita Libri Octaui sunt XXVII.

De primo præcepto decalogi.

1 De his, quæ ad fidem pertinent.
2 De eadem re aliæ Quæstiones soluuntur.
3 De vulgata Latinæ editionis auctoritate.
4 De Diuinis, & Apostolicis Traditionibus.
5 De Fidei articulis credendis.
6 Quædam quæstiones circa ea, quæ quis credere debet, diluuntur.
7 De numero præceptorum Fidei; deque obligatione qua fideles tenentur.
8 De peccatis quæ cōtra Fidem admittuntur.
9 De Hæresi.
10 De pœnis hæreticorum. Et primò de excommunicatione.
11 Quos hæreticos, & quibus in rebus vitare debeamus.
12 De alijs hæreticorum pœnis.
13 De quarta hæreticorum pœna, qua suis dignitatibus, honoribus, publicis officijs, & beneficijs priuati sunt, vel priuari merentur.
14 De relapsis in hæresim.
15 De credentibus, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus hæreticorum.
16 De legentibus, aut retinentibus apud se libros hæreticorum.
17 De imprimentibus, transcribentibus, vel asportantibus aliundè libros hæreticorum.
18 De sacris Apostolicis Inquisitoribus.
19 De absolutione ab hæresi.
20 De Schismaticis.
21 De Apostatis.
22 De obstinata Iudæorum perfidia: & de his qui à Christianis ad Iudæos nefariè & impiè transeunt, vel redeunt.
23 De Saracenis; & his qui à Christianis ad eos transeunt vel redeunt.
24 De Paganis.
25 Quædam aliæ quæstiones de Paganis diluuntur.
26 De cæteris peccatis, quæ cōtra Fidem admittuntur.
27 De peccatis quæ contra Fidei confessionem admittuntur.

Libri Noni Capita sunt, XXXVII.

De Spe, Charitate, & Religione in Deum.

1 QVid de Spe, virtute Theologica, tenendum sit.
2 De peccatis, quæ cōtra Spē cōmittūtur.
3 De charitate in Deum.
4 De peccatis, quæ charitati in Deum aduersantur.
5 De Pietate & Religione in Deum.
6 De cultu & veneratione sacrarum imaginum.
7 Aliæ quæstiones de cultu & veneratione sacrarū imaginū dissoluuntur.
8 De colendis & honorandis sacris Reliquijs Sanctorū in cælo regnantium.

9 Aliæ quædam de eadem re quæstiones soluuntur.
10 Quænam virtus sit Religio, & qui proprij eius actus & officia.
11 De peccatis, quæ contra Religionem committuntur.
12 De peccatis, quæ per Diuinationem patrantur.
13 De Diuinatione per Astra.
14 De Diuinatione, quæ ex elemẽtorum obseruatione ducitur.
15 De Diuinatione, quæ sumitur ex varia volucrum obseruatione.
16 De Diuinatione, quæ ex corporis humani membris & partibus ducitur.
17 De Diuinatione per somnia, quæ Græcè dicitur Onirocritica vel oniromantia.
18 De Diuinatione per Omina.
19 De Diuinatione ostentorum, portentorum, & prodigiorum.
20 De Diuinatione, quæ dicitur ex Mortuorum vmbris & cadaueribus.
21 De Diuinatione, quæ sumitur ex sortibus.
22 De Diuinatione, quæ ex superstitiosis & vanis quibusdam obseruationibus sumitur.
23 De Diuinatione, quæ ex inuocatione Dæmonum petitur.
24 Quædã quæstiones de Diuinatione.
25 Quædam aliæ quæstiones de varijs superstitionibus dissoluuntur.
26 Aliæ quæstiones circa eandem materiam diluuntur.
27 De sacrilegio, quod cõtra Religionem admittitur.
28 De blasphemia.
29 Quid sit oratio, quæ est Religionis actus.
30 Quinam sint à nobis orandi.
31 Pro quibus sit orandum.
32 De Partibus, ex quibus constat Oratio.
33 De Orationis vi & efficacia.
34 De Orationis circunstantijs.
35 De Orationis necessitate.
36 De Conditionibus in Oratione ad impetrandum requisitis.
37 Breuis admodum & simplex Orationis Dominicæ explicatio.

Cap. Decimi Libri sunt, XXXV.

1 DE origine, institutione, & numero Horarum Canonicarum.
2 De septem precibus horarijs, & Canonicis speciatim.
3 A quibusnam preces horariæ sint iure persoluendæ.
4 Aliæ quæstiones de eadem re diluuntur.
5 Clericos sacris ordinibus initiatos ad preces horarias recitandas communi iure compelli.
6 De Religiosis ad Diuinum officium persoluendum adstrictis.
7 De Horarijs precibus Canonicis integrè & perfectè recitandis.
8 De Precibus Canonicis continenter ac sine vlla interruptione recitandis.
9 De tempore, quo preces horariæ persolui debent.
10 De ordine, quo preces horariæ Canonicæ recitari debent.
11 De modo, quo preces horariæ sunt à Clericis persoluendæ.
12 De attentione, quæ in recitandis precibus Canonicis iure communi requiritur.
13 De causis, quæ iustam precationum Canonicarum vacationem, & excusationem dare, queunt.
14 De restitutione fructuum ob Ecclesiasticum officium prætermissum.
15 De ijs, ex quibus constant horariæ preces Diurnæ nocturnæq;.
16 De alijs quibusdam, quæ vnà cum precibus Canonicis recitari consueuerunt.
17 Quidnam sacrificium sit, & quotuplex.
18 De institutione sacrificij Missæ.
19 In qua actione consistat ratio sacrificij Missæ.
20 Missam esse sacrificium propitiatorium simul atque impetratorium.
21 De eadem re aliæ quæstiones diluuntur.
22 Pro quibusnam sacrificium Missæ iure possit offerri.
23 De idoneo, ac legitimo ministro sacrificij Missæ.

24 Quibus diebus sacrosanctum Missæ sacrificium immolare Sacerdotes iure possint & debeant.
25 Quota diei hora sit Missæ sacrificiū faciendum.
26 Quibus in locis sit Missæ sacrificium faciendum.
27 De Altari, in quo sacrosanctum Missæ sacrificium iure fieri debeat.
28 De calice, corporalibus, & cæteris vestibus sacris, quibus vtitur Sacerdos, dum Missæ sacrificiū facit & offert.
29 Aliæ quæstiones ad eandem rem attinentes soluuntur.
30 De Missæ sacrificio in vino & aqua, & per Sacerdotem ieiunum faciendo.
31 De munditia tum mentis, tum corporis ad Missæ sacrificium necessaria.
32 Quædam aliæ quæstiones de Missæ sacrificio diluuntur.
33 De vitijs & erratis quæ in Missa contingunt, quemadmodum ea corrigi & emendari queant.
34 De ijs, quæ in Missa adhiberi solent, cæremonijs & ritibus.
35 De eadem re aliæ quæstiones breuiter diluuntur.

Cap. Libri vndecimi sunt XXIV.

De secundo præcepto Decalogi, Non assumes nomen Domini tui in vanum.

1 QVid nam hoc præcepto imperetur.
2 Quid sit Iusiurandum.
3 De varijs iurisiurandi modis & formis.
4 De Iureiurando, cui videtur veritas aliquo modo deesse.
5 De iureiurando, in quo Iustitia deest.
6 Aliæ quædam de eadē re quæstiones diluuntur.
7 Quando, & quomodo iusiurandū contractus, & conuenta confirmet.
8 Quo pacto iusiurandum, quo quis se alteri obligat, interpretari debeamus.
9 De iurisiurandi relaxatione.
10 De legitima iurisiurandi commutatione.
11 Diluuntur quædam quæstiones de iureiurando, quod in publico iudicio interponi solet.
12 De periurio, & eius deformitate, ac pœnis.
13 De Voto. Quid sit votum, & quidnā ad eius substantiam, & naturam requiratur.
14 De re, & materia voto subiecta.
15 De voti vinculo, & obligatione.
16 De ijs, qui vouere possunt.
17 Quando, & quomodo vota possint irrita reddi.
18 De voti commutatione.
19 De votorum absolutione.
20 De votorum interpretatione.
21 De simplici castitatis, siue continentiæ voto.
22 De simplici Religionis voto.
23 De Religiosorum statu in vniuersum.
24 Qualisnam sit Religiosæ vitæ status.

Cap duodecimi Libri sunt XXIV.

1 DE ingressu in Religionem.
2 De Nouitiorum probatione.
3 Aliæ quæstiones de Nouitijs diluuntur.
4 De Professione Religionis.
5 Aliæ quæstiones de eadem re dissoluuntur.
6 De vi & potestate solennium votorum, quæ in professione approbatæ Religionis emittuntur.
7 Quid potestatis habeat Romanus Pōtifex in solennia vota Religionis.
8 Quo iure bona profitentium Monasticam vitam, transeant in ius & dominium Monasterij.
9 De Religiosorum Peculio.
10 Cuinam acquiratur id, quod Monachus Religionem professus acquirit.
11 An Religiosus sit alicuius iuris capax.
12 De peccatis, quibus violatur Paupertas, aut Castitas solenni Religionis voto promissa.
13 De modis, quibus Religiosus violat obedientiæ votum.
14 De transitu Religiosorum ex vna Religione ad aliam.
15 Aliæ quæstiones ad eandem rem pertinentes soluuntur.

16 De fugitiuis, Eiectis, & apostatis Regularibus.
17 Aliæ quæstiones de eadem re dissoluuntur.
18 De ijs, quæ pertinent ad quoslibet Religiosos.
19 De Monacherum institutis.
20 De Abbate Monachorum Præfecto.
21 De innumerabili Monachorum multitudine.
22 De ordine Canonicorũ Regularium.
23 De mendicantium ordinibus.
24 Aliæ quæstiones eiusdem argumenti diluuntur.

Capita Decimitertij Libri sunt XIV.

1 De certis quibusdam Priuilegijs concessis Religiosorum Mendicantium Ordinibus.
2 Aliæ quæstiones de Mendicantibus ordinibus diluuntur.
3 De Militaribus Religiosorum ordinibus.
4 Aliæ quæstiones de eadem re dissoluuntur.
5 De eisdem Militaribus ordinibus aliæ quæstiones diluuntur.
6 De eisdẽ Militaribus ordinibus certæ aliæ quæstiones tractantur.
7 Nonnulla de Societate Iesu auctoritate Pontificia confirmata ponuntur.
8 De Sacris Virginibus voto Religionis adstrictis, quas Sanctimoniales vocamus.
9 Aliæ quæstiones de sanctimonialibus dissoluuntur.
10 De Abbatissa, quam vocant, & de Sanctimonialium Cœnobijs.
11 Quæ & quot sint approbatæ regulæ Religiosorum ordinum.
12 De continentia & cælibatu Sacerdotum, & aliorum Ministrorum Ecclesiæ.
13 Aliæ quæstiones de eadem re diluuntur.
14 Quædam aliæ quæstiones circa eandem rem.

R. P. IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV;

INSTITVTIONVM Moralium

LIBER PRIMVS.

DE ACTIBVS HVMANIS.

Caput I.

Quid sit actio humana.

ANTEQVAM præceptorũ Decalogi, & Sacramentorũ tractationẽ aggredior, pauca quędã tanquam prima totius operis elementa explicare constitui, quę cęteris à me dicendis maiorem, plenioremq; lucem afferre possint. Ea autem sunt, de actibus humanis, in quibus omnis officij laus, & vituperatio consistit: de eorum bonitate, & prauitate: de cõmunibus animorum affectibus, ex quibus sæpe peccata oriuntur, & quorum vna moderatrix est virtus: de virtutibus, ex quibus bonorum operum fructus existunt: de peccatis generatim, quæ pœnis iure debitis plectuntur: de meritis hominum, quæ suis quoque honoribus, & præmiorum mercedibus compensantur: de legibus demum, quæ benefactis præmia, malefactis supplicia certa constituunt. Quæ omnia ex S. Thoma optimo videlicet harum rerum tradendarum magistro, velut ex fonte puro, & liquido hausta, Deo duce, & auspice, primis septem libris expediam dilucide, & singula, qua potero breuitate perstringam.

Quæritur Primò, quænam sit actio humana? Respondeo, eam esse, quæ ex libera hominis voluntate originem habet: hæc autem actio est, quę ex rationis deliberatione seu mẽtis consultatione progignitur: ita vt actio humana idem penitus sit, quod actio hominis deliberata, siue actio, quæ ex ratione deliberante promanat.

S. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1.

Secundò quæritur, An actio humana eadem sit, quæ actio cõueniens homini, vt homo est. Respondeo, S. Thomam tria de actione humana tradidisse. Primò, eam esse, quæ conuenit homini, quatenus homo est. Secundò, esse eam, cuius homo dominus est. Tertiò, huiusmodi actionem esse, quæ ex libera hominis voluntate proficiscitur. Sed hæc tria inter se non videntur cohærere: non enim videtur esse eadem actio hominis, vt homo est, quæ actio humana, seu libera: Nam prima rei obiectæ cogitatio, quæ in mentem nostram incurrit, & omnem voluntatem antecedit, est actio hominis, vt homo est, quippe quæ non est homini cum belluis communis, & tamen humana actio non est, quia ex libera hominis voluntate non profluit. Deinde in ipsa quoque voluntate sæpe insunt primi quidam motus, & actus omnem rationis deliberationem præcurrentes: qui actus sunt hominis, vt homo est, quoniam sunt hominis proprij. Et tamẽ non sunt actiones humanæ, cum liberi actus non sint. Adde quod ridere, flere, & loqui, sunt actiones hominis, vt homo est, cũ non sint homini cum cæteris animãtibus communes; & tamen actiones humanæ non sunt; cõueniunt enim etiam pueris, & amentibus, in quibus libera actio non est. Accedit item his, quòd in seruis humanæ actiones sunt propriè, quia ex deliberatione rationis agunt, & tamen serui non sunt suarum actionum domini; earum enim ius, & potestatem habent ij, quorum sunt iuri, potestati, & dominio subiecti.

Caiet. 1. 2. q. 1. art. 1. Victoria citat. à Medina 1. 2. q. 1. art. 1.

Ad hæc omnia Caietanus, & iuniores respondent dicẽtes, S. Thomam loquutum esse de actionibus hominis in moribus: in re autem morali actio hominis, vt homo est, ea dicitur, quæ libera est: licet in naturalibus actio hominis, vt homo est, nõ semper sit libera, sed solum hominis propria, per quam à cæteris animantibus omnino distinguitur. Item aiunt, S. Thomam accipere nomine actionis conuenientis homini, vt homo est, eã, quæ tum per naturam, & substantiam, tum per modum, quo fit, est hominis propria: & huiusmodi actionem esse humanam, & liberam: quoniam modus agendi proprius in hominibus est ex ratione, & volũtate. Cæterùm fortassis S. Thomam facilius interpretari possumus, si dicamus, cũ docet, actionem humanam esse, quæ cõuenit homini, vt homo est, perinde esse, ac si dixisset, quæ congruit homini per rationis, & voluntatis facultatem: nam actiones conuenientes homini ex sola intelligendi, ridendi, flendi, & loquendi vi, quamuis solius hominis propriæ sint, non tamen dicuntur esse actiones hominis, vt homo est, quia solum conueniunt homini ex aliqua parte, & facultate certa, licet hominis propria, non ex omni parte: homo enim, vt homo est, id dicitur esse, quod ex toto est, non quod ex parte est: ex toto autem homo est, ex rationis, & voluntatis facultate, non verò ex sola intelligendi, ridendi, flendi, aut loquendi potestate. Quare sequitur, vt rectè

tradiderit S.Thomas, actionē hominis, vt homo est, hoc est, quæ conuenit homini ex toto, non ex parte, esse humanam, & liberam. Eodem pacto primi voluntatis actus, qui rationis deliberationem præcurrunt, quamuis solius hominis sint proprij, non tamen sunt actus hominis, vt homo est: quoniam non conueniunt homini ex toto, sed ex parte, nempe ex voluntate rationem penitus præueniente. Sic etiam ad id, quod obiectum est de seruorum actionibus respondeo, cum S. Thomas docet, eam esse actionem humanam, cuius homo dominus est, non loqui eum de dominio ciuili, quale dominus habet in actiones, opera, & officia serui; sed de dominio naturali, quod quisque habet in suas functiones, & opera ob liberum arbitrium, quæ est facultas rationis, & voluntatis, ex quibus laudari, aut vituperari iure benefacta, & malefacta possunt.

S.Tho.1.2. q.1.art.2.

Tertio Quæritur, An actio humana eadem sit, quæ libera hominis actio? Respondeo, S.Thomam docuisse, idem esse, cum ait, actionem humanam dici cuius homo dominus est. Verum facile quis obijciat; in patria cælesti Beati spiritus clarè intuentur: & diligunt Deum, eiusque aspectu perpetuò fruuntur: & huiusmodi tres actiones sunt propriè humanæ: nec tamen liberæ in Beatis illis mentibus, quoniam necessariò Deum manifestè vident, necessariò diligunt, & eius delectantur obtutu. Respondeo, Cum actionem humanam liberam esse dicimus, loquimur de ijs actionibus humanis, in quibus nos ipsi in hac vita mortali exercemus: tres autem illas, quas in cælo Beati spiritus præstant, liberis huius vitæ actibus ex Dei gratia profectis cōsecuti sunt, quamuis modo eis necessario perfungantur.

Arist. li. 2. Physi. tex. 40.

Quarto Quæritur, An proprium sit hominis propter finem agere? Hoc ideo quæritur, quia Aristoteles apertè docet, naturam agere propter finem. Respondeo, dupliciter contingere posse, vt aliquid propter finem agat: vno modo absque cognitione finis, sed solum in finem ab alio agente cum cognitione directum: quo pacto sagitta emissa dicitur moueri propter finem: non quòd eum sagitta cognoscat: sed is, à quo in finem refertur. Et in eum sensum dixit Aristoteles, naturam omnem propter finem agere, quia à Deo eam in finem referente dirigitur. Altero modo aliquid agit propter finem, quod agit cum cognitione finis. Sed hoc rursus bifariam contingit. Primo cum quispiam agit cum cognitione rei, quæ est finis; non tamen cum cognitione finis, vt finis est. Deinde cum quispiam agit cum agnitione finis, quatenus finis est, hoc est, quatenus est id, cuius gratia aliquid fit. Belluæ agunt propter finem primo modo: nam dum potum, aut cibum capiunt, quia siti, aut fame vexantur, sitim, & famem sensu percipiunt; item ipsum cibum, & potum, cuius desiderio mouentur, sensu cognoscūt, non tamen agunt propter finem secundo modo, quoniam non cognoscūt respectum, & ordinem, quo id, quod est ad finem, tanquam idoneum, & aptum ad eum assequendum refertur.

Solius igitur hominis est propter finem moueri, & agere cum cognitione non solum rei, quæ est finis, sed etiam finis quà finis est; quia cognoscit, & adhibet ea, quæ sunt ad finem quatenus vtilia, & commoda ad eum assequendum, & gratia ipsius finis adipiscendi. Brutæ siquidem animantes solo instinctu, & impulsu naturæ ad ea feruntur, quæ sunt ad finem apta, & idonea; feruntur tamen ad ea solum quia ijs delectantur, & proinde quidquid perquirunt, & sectantur, auidè gratia delectationis exquirunt, & consectantur, cum tamen homo multa cupiat, amet, & amplexetur, vt vtilia ad aliquid aliud consequendum: ita vt, etiamsi illud sit sibi molestū, graue, & acerbum, nihilominus tamen eligat, quia est vtile ad id, quod appetit obtinēdum. qua ratione potionem sibi amaram sumit ægrotus: & dux difficile bellum aggreditur: mercator nauigationem suscipit periculosam: miles strenue, & fortiter pugnat.

Quinto Quæritur, An cuiuscunque actionis humanæ sit aliquis finis vltimus? Nam peccati, quod veniale vocatur, non videtur esse aliquis finis vltimus: nec Deus certe eius peccati finis est, vt manifeste liquet: nec verò res aliqua creata; alioqui enim veniale in crimen, siue peccatum lethale transiret. Respondeo, finem vltimum bifariam dici; vno modo per affirmationem, qui finis est cæteris superior, & id, cuius gratia reliqua fiunt: Altero modo per negationem, qui in nihil aliud refertur, quāuis ipse finis nō sit id, in quod cætera diriguntur. Cuiuscunque igitur actionis humanæ est aliquis finis vltimus: non enim est in infinitum progressus, quoniam sic actio nostra esset inanis & vana: sed nostrarum actionum finis aliquando est vltimus per affirmationem; vt, cum quicquam agimus propter Deum, in quem omnia bona suapte natura referuntur, à quo, vt à fonte plenissimo promanarunt: aliquando verò est finis vltimus tantummodo per negationem. Cum veniale itaque peccatum admittimus, ipsum peccatum quatenus nobis iucundum eligimus, & amplectimur, nec in Deū, aut in aliquid aliud referimus; sed propter ipsum, vt tale est: quia nimirum eo delectamur, admittimus. Nec tamen continuò sequitur, vt omne peccatum sit lethale: potest enim esse leuis, & venialis noxa, vel quia materia est per se exigua, & minima; vel quia rationis deliberatio plena nondum fit, & omni ex parte perfecta.

Sexto Quæritur, An omnium actionum humanarum sit vnus tantum vltimus finis? Respondeo, vltimum finem esse duplicem, Vnum priuatum & specialem; alterum cōmunem & generalem. Actionum igitur humanarum omnium vnus est vltimus finis communis; non tamen priuatus, & specialis. Nam dum aliquid homo agit, etiam dum peccat, vnum cōmune bonum appetit, quod est, vt bene habeat, & omni malo careat: at vero Deum, qui est omnium bonorū finis vltimus specialis, non semper optat, & expetit.

Septimo Quæritur, An actionis humanæ plures fines vltimi esse queant? Respondeo, Si finis vltimus sit per affirmationem, nequeunt esse plures fines vltimi: quia finis, qui refertur in alium eo ipso nō est vltimus: At vero si finis sit per negationem vltimus, possunt esse, & multarum actionum nostrarum, & eiusdem actionis multi fines vltimi; potest enim quis multa peccata committere inter se omnino diuersa, quorum vnum

minime

minime in aliud referatur. Deinde potest quis eodem actu velle, & appetere æque duo peccata distincta, ita vt vnum non velit propter aliud, sed vtrunque propter ipsummet: quia vtroq; æquè, & pariter oblectatur, aut vtrumque tanquam sibi vtile, & iucundum bonum, sed contra leges, & iura concupiscit.

Cap. II.

Quid sit actio libera.

Mag. 2. sen. dist. 25.

QVAERITVR primum, Quid sit actio libera? Respondeo, libertatem, vt ex Magistro sententiarum colligitur, quadrifariam dici. Est enim libertas, qua quis est liber à peccato: altera verò, qua quis liber est à miseria, & pœna: tertia à violentia: quarta à necessitate. libertas, qua quis liber à peccato est, ea est, de qua Apostolus ait: *Vbi spiritus Domini, ibi libertas*: & Christus Dominus Iudæis dixit: *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.* Libertas, qua quis liber est à miseria, est, de qua idem Apostolus ait: *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Liberum à violentia est, quicquid in agendo, vim extrinsecus illatam non patitur. Libertas, qua quis liber est à necessitate, est, cum non ex necessitate naturæ operatur, sed ex rationis, & voluntatis facultate sic agit, vt non agere possit.

2. Cor. 3.

Ioan. 8.

Rom. 8.

Secundo Quæritur, in quibus sit libertas, vnde quis dicitur liber à peccato? Respondeo, eiusmodi libertatem natura sua vni tantum Deo conuenire, quoniam est per naturam bonus. Deinde Christus etiam Dominus, quatenus homo est, omnibus modis absolutam habet libertatem à peccato: nam quamquam vi, & conditione sola naturali humanæ naturæ assumptæ eam non habeat, habet tamen ex propria ratione personæ diuinæ in humana natura subsistentis, & cum ea admirabili nexu & vinculo coniunctæ. Persona enim diuina in quacunque natura subsistat, peccare nequit, quippe quæ ex se ipsa bonitatem habet, & sanctitatem. Tertio Beati spiritus ex vi gratiæ plenissimæ, & beatitudinis, quam Dei beneficio sunt consecuti, peccare non possunt, quoniam eadem ratione Deum necessariò diligunt. Quarto Beatissima Virgo, Apostoli, & confirmati in bono, & gratia diuina, dum in hac vita mortali degũt, peculiari & singulari Dei prouidẽtiæ munere per totum huius vitæ cursum ita suauiter ducuntur & diriguntur, vt à bono nunquam grauiter, vel leuiter peccantes, aut saltem grauiter aberrent & excidant. Huiusmodi autem singulare & eximium diuinæ prouidentiæ donum in eo situm est, vt confirmatus in bono, sic certis quibusdam & peculiaribus diuinæ gratiæ præsidijs præuenientibus, comitantibus & subsequentibus efficacissime dirigatur, vt à recto nunquam deflectat, quamuis liber prorsus semper existat in bonis operibus præstandis, & mandatis quoque diuinis exequendis & obeundis citra vllam violentiam, & necessitatem: nam vbi, & quando, & cui vult Deus, bonam cogitationem, ita opportunam & commodam injcit, vt id velit, quod vult Deus, quamuis possit non velle: & ita aduersus malum cogitationem suggerit, vt id respuat & fugiat, licet possit non fugere. Ad extremum quisquis in hac vita singulari Dei beneficio diuinam gratiam assequitur, à peccato liberatur: quia diuina gratia peccatum omne, siue originis, siue lethale penitus euellit ac tollit, etsi non omnia semper venialia extinguit, & remittit.

Tertio Quæritur, in quibus sit libertas, qua quis liber est à miseria? Respondeo, hac libertate eos frui, qui ad patriam cęlestem iam, & beatitudinem peruenêre: & hac fruebatur etiam primus homo ante peccatum, ita tamen, vt eam amittere potuerit, sicut & reuera amisit. Beati verò cæli incolæ ita liberi sunt à miseria, vt miseri amplius esse non possint.

Quarto Quæritur, quibus insit libertas, qua quis liber est à violentia? Respondeo, Libertatem hanc esse in omnibus ijs, quæ inuitè nõ fiunt, siue ex voluntate, siue ex naturę necessitate libertas ea proficiscatur. Natura enim, dum naturali propensione mouetur, vim non patitur: & voluntas, dum ex cogitatione, aut cum cognitione operatur, sponte sua, & non per vim agit, & tametsi necessario aliquando velit, non cogitur. quoniam si voluntatis est actus, eo ipso est iuxta naturalem voluntatis propensionem effectus. Est enim voluntas ad volendum suæ naturæ conditione procliuis. Ex dictis igitur efficitur, vt triplex, quã descripsimus, libertas dici meritò possit, libertas gratiæ, qua sumus à peccato liberi: libertas gloriæ, quæ omnis miseriæ est expers & nescia: libertas naturæ, quæ à violentia immunis existit.

Quinto Quæritur, quibus insit libertas, qua quidpiam est liberum à necessitate, & in quo consistat? Respondeo, huiusmodi libertatem in hoc esse sitam, vt ea causa dicatur liberè agere, quę positis omnibus in agendo requisitis ita operatur, vt absque vlla varietate, vel mutatione in se, vel in altero facta, possit agere, & non agere. Dicimus primò (omnibus positis seu requisitis ad agendum) quoniam si aliquid eorum desit, causa in agendo non idcirco libera ex se non est, nam si non potest opposita, id ideo est, quia deest aliquid necessarium ad agendum, velut si desit voluntati generale Dei auxilium ad volendum, non potest voluntas velle, quamuis sit suapte natura libera. Dicimus secundò (absque vlla varietate vel mutatione in se, vel in altero facta,) quia in hoc distinguitur causa libera à causa necessaria, quòd causa libera, positis necessarijs ad agendum, & non mutatis ita agit, vt possit non agere etiam absque vlla mutatione in ipsa, vel in alio existente: sic enim liberè volumus, loquimur, & legimus; vt possimus non velle, non loqui, non legere, rebus omnibus eodem modo se habentibus. at vero causa necessaria positis omnibus requisitis ad agendum, si firma & non variata permaneant, ita ex conditione naturali agit, vt non possit non agere, nec possit ab actione desistere. quod si desinat agere, aut oppositum faciat, id ideo est, quia in ijs, quæ sunt necessaria ad agendum aliqua est facta mutatio: aut quia sunt subtracta in totum, vel ex parte: aut quia sunt impedita: aut aliqua alia ratione variata. Sic leuia suæ naturæ conditione sursum ascendunt, grauia deorsum feruntur, aqua

tur, aqua refrigerat, ignis exurit. Sic etiam belluæ, quamuis præeunte cognitione sensus moueantur, necessaria tamen naturæ vi rapiuntur: immo etiam pueri & amentes absque libertate huc, & illuc quodam naturæ impetu feruntur. Huiusmodi libertas dici solet indifferentiæ, contrarietatis, & contradictionis. Indifferentiæ quidem, quia causa in agendo libera non vnum certò ac definitè, sed quod maulit, ac probat suo arbitratu determinat. Contrarietatis verò dicitur, quia causa libera potest ita vnum præstare, vt possit etiam contrarium prosequi: nam potest voluntas rem aliquam amare, & odisse. Contradictionis autem dicitur, quia causa libera potest vnum agere, & potest etiã obire, & exequi quod id ipsum per negationem tollit: potest voluntas amare, potest odisse, potest optare; item potest etiam non amare, non odisse, non optare. Libertas, qua quippiam est liberum à necessitate conuenit hominibus, Angelis, & Deo; est enim hæc libertas propria naturæ intelligentia præditæ.

Sexto Quæritur, quando actio sit libera? Ratio dubitandi est, quia antequam fit, libera non est, quoniam nondum est, & postquam fuit, non est libera, quia præterijt, & modo non est: at vero quando est, non videtur esse libera, nam omne, quod est, quando iam est, necesse est esse. Respondeo, actionem esse liberam quando est, non enim opus est, vt causa sit libera in agendo, vt prius tempore fuerit libera: nam Deus ab æternitate voluit procreatarum rerum bonum, quod nunc habent, & tamen liberè voluit, nec æternitatem vllum tempus anteceſſit, veruntamen in ipsa æternitate ita voluit, vt posset non velle. voluntas itidem primo temporis puncto, quo incipit esse, liberè agere, & mereri quidpiam potest: & is, qui peccat, eo temporis momento, quo perperam agit, potest si velit, non male agere. Quidam Ochamum, Petrum Aliacensem, & Gabrielem damnant, vt temerè & periculosè loquentes, quod dixerint voluntatem in eo temporis puncto, quo agit, potestatem non habere, vt non agat. verum non est, cur viros Catholicos, & doctos calumniemur: docent profecto illi, voluntatem, quo temporis momento vult, vel agit, posse non velle, posse non agere, sed non in hoc libertatem consistere, vt voluntas quo temporis puncto vult, possit simul non velle, ita vt fieri queat, vt voluntas eodem temporis momento velit, & non velit; vt quis simul stet, & sedeat, loquatur pariter, & sileat; horum enim potestas non est, quamuis libere quis velit, stet, loquatur, sedeat, taceat. libertas, inquiunt, consistit in hoc, quòd voluntas quo temporis puncto vnum vult, potest non velle, quamuis si vult, fieri nequeat, vt pariter non velit; alioqui enim fieri posset, vt simul vellet, & non vellet, quod est absurdum: si igitur quidpiam vult, & ponis eam non velle, id erit alio temporis momento, non eodem, quo vult: hæc est illorum auctorum sententia. in 1.d. 38. quæst. 1. Præterea actio non potest dici aut esse libera postquam elapsa est, sed dicetur liberè facta, & liberè elapsa, quia cum facta est, potuit non fieri, & ita potuit non præterijsse. Est igitur actio libera quando fit, tunc enim liberum nobis est facere, aut non facere; quod si facimus, in potestate nostra est non facere: quod si non facimus, facere tamen possumus: nec in potestate nostra est, vt simul faciamus, & non faciamus: hoc etenim non postulat libertatis conditio, aut natura, sed solum, vt cum facimus, omnibus requisitis ad agendum eodem modo se habentibus, possimus non facere. Nihilominus tamen libertas etiam in hoc consistit, vt cum quippiam liberè agimus, possimus ab actione desistere. similiter etiam antequam quippiam agamus, sumus in eo liberi, quòd in nostra potestate sit illud agere, aut non agere: & cum agimus, possumus ab agendo cessare.

Septimo Quæritur, An in animantibus mentis expertibus, vel in pueris & insanis vsu rationis carentibus possit esse actio libera? Respondeo, in his actionem liberam reperiri non posse, quia huiusmodi actio sine rationis & voluntatis facultate esse non potest. Vnde meritò Damascenus ait: Bruta animantia naturam non ducunt, sed à natura ducuntur, ac proinde naturalem affectum comprimere, aut moderari nequeunt, sed naturæ quodam instinctu & impulsu cum primum aliquid appetiuerint, ad actionem feruntur. Contra homo, vtpote ratione præditus, naturam potius ducit, quàm ab ea ducatur, & animalem appetitum cohibet, frenat, & ducit quo vult. Quod si quis obijciat; Nonnunquam refrenantur & coërcentur belluæ à re aliqua prosequenda. Deinde canis duobus sibi cibis obiectis, primo quidem quasi hæsitans aliquantulum subsistit, & deinde vnum arripit, alterum respuit: Præterea ceruum aliquando canis insecutus, & ad biuium delatus, odoratu primum explorat, an ceruus hanc potius, quàm illam viam fugiendo tenuerit; deinde eam carpit qua ceruum fugientem processisse deprehendit. Adde quod apes, araneæ, vermes, formicæ, hirundines plurima mirabili prudentia, & arte conficiunt. Respondeo, In brutis animantibus inesse quidem artis, prudentiæ, & virtutis simulacrum & vmbram, sed non rationem, vt quidam falso opinati sunt. Plutarchus duo opuscula conscripsit, vnum vtra animantium plus rationis habeant, terrestria, an aquatilia: alterum, quod bruta animantia ratione vtantur. & Plinius libr. 8. fatetur bruta intelligentia & ratione prædita. Quod si aliquando actionem intermittunt, id non à ratione, aut libertate proficiscitur, sed aliquo vehementiori affectu deterrita, ab incepto opere reuocantur: Vt si equus pabulum appetat, quod est in prospectu, aut canis escam, memor tamen sit verberum prius inflictorum, quod aliàs simile pabulum, aut cibum ceperit, metu verberationis sibi iterum infligendæ, abstinent à pabulo & esca. Sic memoria præteritæ aduſtionis perpessæ, ob carnes elixas, vel assas clanculum ex igne sublatas, feles ab illis rursus submouendis deterrentur, tametsi fame stimulante cruciantur. Quocunque igitur vehementior sensuum appetitus traxerit, illuc impetu naturæ bruta animalia impelluntur, siue nidos mire construant, siue solicite prolem alant, siue congruentia alimenta præparẽt; siue dominos fideliter insequantur, siue imperantibus pareant. Eodem modo pueri, & insani, in quibus vsus rationis nequaquam e

Damasc. li. 2 Fidei Ortho.

Cap. 1. & 5.

lucet,

lucet, sensu, imaginatione, & appetitu, non autem ratione, & libertate ducuntur. Et bruta quidem animantia commodi cupiditate pertrahuntur: pueri vero, & insani non solum commodi affectione, sed etiam inuidia, æmulatione, pudore, exemplo, laudis & honoris studio, spe præmij, metu pœnæ alliciuntur ad bonum, auocantur, aut etiam deterrentur à turpi.

Octauo Quæritur, In quonam differat libertas, quæ est in actionibus hominis, vel Angeli, ab ea, quæ est in Deo? Respondeo, In homine ante liberum voluntatis delectum præcedere solitam consultationem, quia is multa ignorat. Deus autem cum omnia comperta & perspecta habeat, consultatione non eget ad aliquid agendum: Angelus etiam cum plura perspiciat, quam homo, minori eget consultatione. Præterea libertas, siue hominis, siue Angeli, à Dei libertate distinguitur, eo quod homo, vel Angelus liber est, quia libera voluntate potest in se elicere actum volendi, atque eius oppositum: actus enim quo homo, aut Angelus probat & amat, aut respuit & reijcit aliquid, accidens est à voluntate productum, & in ea vt in sede sibi subiecta receptum, & re ab ea distinctum. At vero Deus non est liber respectu & ordine ad actus oppositos, vel diuersos, quos possit in se producere: in ipso enim velle, est eius substantia, & natura, non accidens. Est tamen Deus liber comparatione & ordine ad res obiectas, quas vult, aut non vult, quarum vnam eligit ac probat; alteram repudiat & reijcit: natura igitur intellectu & ratione prædita est libera respectu & ordine ad actus oppositos & re à se distinctos: Deus vero est liber non quidem relatus ad actus oppositos, & re ipsa à se differentes, sed relatus ad res obiectas & diuersas. Ad hæc cum homo vel Angelus quippiam velle cessat, desinit in se ipso actum re à se distinctum producere: at Deus ex hoc, quod à volendo aliquid desistit, nullum in se actum re ipsa habere desinit, qui antea in ipso fuerit, sed voluntas in eo cessat ordinem & respectum habere ad rem obiectam, quam primum volebat. Actus enim in Deo re ipsa est eius substantia: est enim Deus per suam substantiam rerum omnium notitia, & volũtas, & amor eorum, quæ diligit, vt tamen actus voluntatis diuinæ est, habet respectum & ordinem ad rem obiectam. Deus itaque absolute & simpliciter Deus est, & substantia absque vlla ad aliquid aliud comparatione & respectu; volens tamen non est sine respectu & ordine ad aliquid voluntati oblatum atque propositum. Cum ergo desinit velle, nihil re vera dimittit aut perdit, sed solum desinit ad rem obiectam referri.

Anſel. dialogo de lib. arb. cap. 1.

Nono Quæritur, An peccandi potestas sit pars libertatis? Respondeo, Minime, vt recte tradidit, & probauit B. Anselmus. Nam Deus liber est, & Christus Dominus & Beati cælites libere multa operantur; & tamen Deus, & Christus ratione etiam naturæ humanæ sibi adiunctæ, & Beati illi spiritus peccare non possunt. At vero quamuis peccandi facultas pars libertatis non sit; peccatum tamen libera hominis voluntate committitur. Sequitur ergo, vt si peccatum sit, eo ipso liberum sit: non tamen si quis in potestate sua habet, vt possit agere, & non agere, continuo peccare poterit: est enim vt dixi, in multis libertas ad bonum tantum, non ad malum: id quo modo fieri queat suo loco dicemus. Si roges, Quid sibi velit Anselmus cum docet magis liberos esse, qui peccare nequeunt, quam qui possunt. Respondeo, Apud Anselmum sæpe libertatem accipi non solum pro ea, quæ est libertas, qua quis liber est à violentia, & necessitate; sed etiam pro libertate qua liberi sumus à peccato & miseria: qui ergo peccare non possunt, magis sunt liberi, quia quadruplici libertate præditi, nimirum à violentia, necessitate, peccato, & miseria, vt Deus, Christus, & Beati cælites, sed qui peccare queunt, liberi quidẽ sunt ab omni vi, & necessitate: à peccato, & miseria non item.

Anſel. loco citato.

Decimo Quæritur, An quicquid prece, admonitione, persuasione, vel increpatione geritur, eo ipso libera voluntate fiat? Gregorius Nyssenus, aut potius Nemesius aperte tradit, quod nobis liberæ actiones insint, id admonitiones, increpationes, & orationes ostendere. Cæterùm facilè quis obijciat, pueros, & insanos vsu rationis carentes multa facere admonitionibus, increpationibus, & precibus inuitatos. Respondeo: Reuera admonitiones, obiurgationes ad alium directæ sæpe in eo libertatem ostendunt: verum aliquando non quidem libertatem sed intelligentiam & captum, quo nostros sermones percipere possit, indicant. Ac ita pueros, & amentes admonemus, obiurgamus, reprehendimus, rogamus: quia, tametsi libertate careant, nostros sermones intelligunt, & deinde vel metu pœnæ, vel spe præmij naturaliter pertracti aliquid obeunt & præstant: concedit Victoria pueros, & insanos liberè multa facere, sed sine boni & mali, honesti & turpis perfecta notitia.

Niſſen. li. 7 Philoſ. c. 1.

Cap. III.

Quid sit actio voluntaria.

Primo Quæritur, Quid sit voluntarium? Respondeo: Ex sententia Nyssẽi, & Damasceni, id esse, quod nec vi, nec ignorãtia geritur. Sed quidam calumniantur hanc definitionem, quòd ea per negationẽ sit tradita, & videatur congruere etiam ijs, in quibus nihil est voluntarium. Nam cum leuia ad superiora feruntur, aut deorsum grauia pondere & grauitate mouentur, nec vi vlla, nec ignorantia agitantur, quippe quæ natura non sensu, aut cognitione ducuntur: & tamen motus in his voluntarius non est. Verum isti calumniando, nihil efficiunt. Nam leuia, & grauia, & his similia, licet per vim non moueantur, cum ad loca propria, suapte natura, feruntur; sine cognitione tamen suis motibus cientur. Vnde eorum motus voluntarij non sunt. At quoniam res non exacte per negationem definiuntur; idcirco voluntarium accuratius ijdem Patres definierũt esse id, cuius principium est in agente cum notitia eius, quod geritur: nam eo ipso quod principium est in agente, voluntarium à violento discernitur: & ex hoc, quod quis sciẽs facit aliquid, distinguitur à natura, quæ tametsi ex principio interno agit, non tamen cum notitia eius, quod efficit. Et hoc est, quod in priori definitione dicebatur, per ignorantiam fieri, id est, sine cogni-

Niſſe lib. 5. Philoſ. c. 3. Damaſce. lib. 2. fidei Orthod. c. 24. Ariſt. lib. 3. Ethic. 1.

tione. Voluntarium igitur est quod quisque sciens agit. Sic brutæ animantes aspectu cibi sibi commodi voluntarie feruntur: Insani, & amentes metu pœnæ auocantur ab aliquo: pueri conspecto pomo sese mouent, & vilo leone diffugiunt. At vero in animantibus, cibi concoctio, nutritio, auctio, reciproca spiritus agitatio, quam Medici pulsum appellant, actiones voluntariæ non sunt; sed opera facultatis naturalis, vel vitalis, absque cognitione officia sua obeuntis. Porro signa voluntarij sunt, quod cum bonum futurum præuidemus, desideramus, desideratum assecuti delectamur, & eo priuati contristamur, vel irascimur: & contra, cum malum futurum, vel imminens præsentimus, timemus, & aliquando perhorrescimus, & cum adest mœrore conficimur.

Secundo Quæritur, Quot modis voluntarium diuidatur? Respondeo, Multis: de qua diuisione sigillatim est dicendum. Primo, voluntarium dicitur de re obiecta, & de actu, & de effectu ex actu proficiscenti: Res enim, quam appetitus cum cognitione prosequitur, voluntaria dicitur. Voluntarius item dicitur actus, quo scienter aliquid appetimus. Tum etiam commodum, aut incommodum & damnum ex voluntario actu profectum, voluntarium dicitur: Vt si Caius Titij domum sponte & voluntate exusserit, segetem conculcauerit, seruum occiderit, aut rem aliquam fregerit aut ruperit. Secundo diuiditur voluntarium, ita vt aliud sit, quod fit voluntate propria, vt quod quis sponte sua gerit: aliud voluntate aliena; & hoc multifariam contingit. Primò: Vt si Titius sponte sua transferat consensum suum in Caium, ita vt quod Caius nomine Titij gesserit, voluntate ipsius Titij actum habeatur, & hoc modo mandantis voluntas transfunditur in mandatarium, & voluntas constituentis procuratorem ad omnia vel certa negocia & causas, traducitur in cõstitutum procuratorem: & collegium consensum suum in administratorem: populus vel ciuitas in senatores deriuat atque transmittit. Secundo, Auctoritate Iuris vel Iudicis officio voluntas vnius censetur alterius voluntas, tanquam in ipsum translata. Sic tutorum voluntas est pupillorum, & curatorum consensus est minorum in administratione bonorum. auctoritate etiam Iudicis aliquando prodigo datur administrator, ne res suas prodige dissipet. Tertio, Vnius voluntas reputatur alterius, quia vnus continetur in alio tanquam sub eius potestate, & iure constitutus: hoc modo, infantium, vel perpetuo amentium cum propria voluntas non sit, voluntas parentum habetur voluntas eorum in ijs, quæ pertinent ad salutem ipsorum siue animæ, siue corporis. Vnde filij dum paruuli sunt, immo etiam adulti, perpetuo tamen amentes, voluntate, parentum baptismum suscipiunt. Eodem modo in multis voluntas dominorum existimatur seruorum voluntas. Quarto, quando vnus continetur in alio, & is, qui continet alium ex institutione, vel pacto alterius accipit aliquid sibi, & alteri sub se contento: tunc voluntas continentis censetur eius, qui continetur: vt si Rex, vel Princeps castrum donet, vel priuilegium concedat Titio eo pacto, vt accipiat sibi, & posteris, Titij voluntas ex pacto, vel institutione iudicatur voluntas posterorum: ita vt si priuilegium concessum conseruet, aut perdat, censeatur sibi, & posteris perdere, aut retinere. Et hac ratione peccatum originis est voluntarium in posteris Adæ; nam vt colligitur ex Tridentino Concilio Sess. 5. primus hominum parens, cum iustitiam & sanctitatem institutione Dei accepisset sibi, & posteris conseruandam, aut amittendam, & deinde peccauerit, eam sibi, & posteris perdidit: veluti si non peccasset, eam iustitiam, & sanctitatem vnà cum natura ex Dei institutione, & beneficio transmisisset in posteros, quia tunc eam sibi, & posteris conseruasset. Tertio, Diuiditur voluntarium in id, quod est actu, aut vi & potestate voluntarium: actu quidem, vt cum aliquid explicite volumus: potestate verò, quando ex voluntate priori, aut vi actus voluntarij antecedentis quippiam agimus; veluti si ex actu præcedenti voluntario relictum sit aliquid tanquam affectus ipsius, & ex eo moti quippiam aliud agamus etiam obliti actus antecedentis, erit voluntarium. vt si Titius ex Hispania in Italiam iter faciat voluntate Romam veniendi ad inuisenda limina Apostolorum Petri, & Pauli, in toto itinere, etiam dum prandet, & ad alia diuertit, dicitur voluntarius Romam venire aut pergere. Hac ratione dum quis Sacramenta confert, etiam non aduertens id quod agit, sponte, & voluntate dicitur Sacramenta ministrare, quia ea confert ex voluntate præcedente, qua voluit suum officium præstare, & obire; vel qua ad Sacramenta conferenda voluntarius accessit. Sed roget quis, quamdiu duret voluntatis vis & potestas ad hoc, vt voluntarium censeatur id, quod subsequitur? Quidam putant durare quamdiu prima voluntas non reuocatur. Sed alijs videtur admodum difficile, vt tamdiu perseueret; alioqui enim non solum ad multos dies, & menses; sed etiam ad annos, immo & ad totam vitam permanere dicetur. Quare verius existimant alij eam perseuerare, quamdiu non reuocatur, & manet aliquid relictum ex ea tanquam effectum, ex quo ad aliquid aliud agendum incitamur. Vt cum sacerdos sacrarium petit animo, vt faciat & offerat Missæ sacrificium. deinde nihil animaduertens in sacrario vestibus sacris induitur, in publicum prodit, panem in altari collocat, incipit Missæ sacrificium, & rem sacram operari, inde præsentem panẽ consecrat: hæc omnia sua sponte & voluntate præstat, quia prima voluntas manet in aliquo ex ea effectu relicto. Eodem modo si in sacrario Sacerdoti multæ paruulæ panis particulæ in altari consecrandæ porrigantur, & eas accipiat, vt consecret vnà cum pane ad Missæ Sacrificium parato, si deinde omnes in altari positas consecret non animaduertens actu, omnes creditur voluntarius consecrare. Pari ratione qui recitat preces Horarias, tametsi cogitationibus distrahatur, vltro tamen recitat, quia vi & ratione prioris voluntatis preces & suum munus persoluit: Immo eo ipso, quod initio incipit recitare voluntate suum debitum officium obeundi, omnes preces sua sponte, & voluntate exoluisse perhibetur, quamuis animo in multa dispersò huc, & illuc cogitatione diuagetur, & nihil animaduer-

Genes. 3.

13

animaduertat. Tum etiam eo ipso, quod precationum codicem sumit in manus more solito vltro ad preces recitandas, tota subsecuta recitatio precum habetur voluntaria ex voluntate præcedenti. Verum de hac re, quamdiu scilicet prima voluntas in actibus subsequentibus permanere credatur, latius dicendum inferius est capite octauo. Quarto, diuiditur voluntarium, ita vt aliud sit voluntarium in se, aliud voluntarium in altéro: & hoc siue de re obiecta, siue de effectu loquamur. Res obiecta voluntaria in se dicitur, quam per se voluntas appetit: effectus vero voluntarius in se accipitur, quem voluntas proxima producit; vt si Titius occidat Caium, Caij interitus per se in Titij voluntatem confertur. Obiectum verò tunc est voluntarium in alio, quando voluntas non per se id prosequitur & appetit, sed ex hoc, quod vult aliud. Sic in toto volumus partem, in causa effectum eius necessarium. Item cum volumus id, quod antecedit, volumus etiam quod non aliunde, aut ex accidenti consequitur, sed necessariò ex antecedenti. Tum etiam, cum quippiam volumus, ea quoque, quæ ipsi accedunt, vel coniuncta sunt, vel ipsum comitantur iure dicimur voluisse. Effectus autem iudicatur voluntarius in alio, quando ex hoc, quod quippiam voluntarie facimus, aliquid aliud efficitur. Vt si ex effectu nostro voluntario damnum aliquod in alterum redundet ac recidat: Veluti si ædificium tuum altius attollas, ex quo effectum est, vt vicini tui luminibus officias; aut si opus feceris, vnde pluuia, vel aqua mihi nocuisse videatur. Quinto, diuidi solet voluntarium, vt aliud dicatur directò voluntarium, aliud indirectò. Directò voluntarium est quod per se volumus; indirectò verò, quod cum facere debeamus non facimus, cum tamen id præstare possimus. Ita voluntarium est in Titio, si ratione muneris publici, quo fungitur debeat aliquid prohibere, vel impedire, & id non faciat: sic etiam si te tui peccati non pœniteat, cum tamen te pœnitere oporteret; si non restituas, cum alioqui restituere possis & debeas; si delinquentem non moneas, aut increpes, cum tamen alioqui deberes. Vltimo, voluntarium diuiditur, vt aliud sit voluntarium expresse, aliud tacitè; & id, quod dicitur tacite voluntarium, solet etiam dici Iuris fictione, siue interpretatione rationis voluntarium. Id verò, quod est expresse voluntarium, dicitur vere & re ipsa voluntarium. Quid verò sit tacitè, aut Iuris fictione, aut interpretatione rationis volùtarium, capite sequenti explicabo.

Arist. Nyss. Damasc. S. Thom. locis 5. citatis.

Tertio Quæritur, In quibus nam inueniatur voluntarium? Respondeo, ex Aristotele, Nysseno, Damasceno, & S. Thoma voluntarium conuenire cuicunque rei, quæ præeunte intellectus, aut sensus cognitione aliquid agit & præstat, quia voluntarium est, cuius principium existit in operante cum cognitione eius, quod agitur. Est autem duplex appetitus, qui cognitionem sequitur, voluntas rationis, quæ agit ex cognitione intellectus. Appetitus animalis, qui sensus cognitione dirigitur. Reperitur ergo voluntarium, in Deo, Angelis, hominibus, belluis, pueris, & amentibus; qui licet rationis præscriptum non sequantur, sensu tamen corporis, & imaginatione ducuntur.

Alma. tractatu. Moralium.

Quarto Quæritur, Quomodo se habeant inter se actio libera, & voluntaria? Respondeo, Quanquam Almainus vnà cum alijs de Libero, & Voluntario promiscue loquatur vnum cum altero confundens; liberum tamen à voluntario distinguitur, quoniam latius patet voluntarium, quàm liberum. Nam voluntarium, vt dixi, est in belluis, in pueris, & amentibus: in quibus tamen libertas non est. Voluntarium igitur est, quod à principio interno cum cognitione proficiscitur: at verò liberum est, quod non solum fit à principio innato cum cognitione eius, quod geritur: sed est etiam in potestate agentis, vt fieri, aut non fieri queat.

Scot. Quod lib. q. 16. a. 2. & 3. Gabr. dist. 10 q. 2. a. 1. & 2.

Quinto Quæritur, An in naturis intellectu præditis eadem sit actio libera, quæ voluntaria? Scotus censet in eiusmodi naturis idem esse liberum, quod voluntarium: ita vt libere fieri dicatur, quod voluntate cum cognitione intellectus efficitur. Vnde secundum eum auctorem, Deus etiam cum se ipsum diligit, liberè se diligit: & Pater, & Filius liberè Spiritum sanctum producunt: Beati etiam Spiritus Deum liberè diligunt, & Deus liberè diligit in creaturis, non solum id quo existunt, sed etiam id quod per suam naturam sunt: quoniam secundum eum libertas non distinguitur à necessitate: Et ideo quamuis in prædictorum singulis sit necessitas, est tamen libertas. Sed distinguitur (inquit) libertas solum à violentia, & natura citra cognitionem intellectus agente: & proinde omne quod voluntarie cum cognitione intellectus agitur, etiam si necessario, libere tamen agitur. Cæterùm verius est quod docet S. Thomas, libertatem etiam in naturis quæ sunt intellectus seu rationis participes, distingui non solum ab omni ui, & natura absque cognitione operante, sed etiam à necessitate. Nõ enim Philosophi aut Theologi, id quod necessario fit, fieri liberè docuerùt. Quare verius est, Deum se diligere necessariò non liberè, & necessariò non liberè à Patre & filio Spiritum sanctum profluere, & Deum diligi necessariò, non liberè à Beatis illis mentibus. liberum enim est, quod facere, & non facere possumus.

Thom. prima part. q. 82. art. 2. & 3.

Cap. IIII.

Quando in Iure communi tacens tanquam consentiens habeatur.

MAGNA existit quæstio apud vtriusque Iuris consultos, quando tacens consentire videatur, eo quod in Cap. Qui tacet de Regulis Iuris in 6. aperte dicitur: *Qui tacet; consentire videtur*: & tamen in sequenti Capite subiungitur: *Is qui tacet; non fatetur*; Sed nec vtique negare videtur: & in l. Qui tacet, ff. de Regul. Iuris, habetur: *Qui tacet; non vtique fatetur; sed verum est, eum non negare.* Et quoniam hæc Iuris præceptio ad multa definienda conducit, de ea in præsentia disputabo: de qua multa tradiderunt Bartolus *in l. Quæ dotis, ff. soluto matrimonio*, Baldus,

Abbas,& Felinus *in cap. Nonne. de præsumptionibus.* Dinus & Ioann. Andreas *in cap. Qui tacet.de Regul. Iuris.in 6.*Glossa *in l.Filius familias,§.Inuitus.ff.de Procuratoribus.*& Glossa *in cap. Qui tacet,& cap.Is qui tacet de Regulis Iuris in 6.*Cinus & alij *in l. Inuitus. C. de procuratoribus.*

Primo Quæritur, Quando Iure ciuili,vel canonico communi is,qui tacet,eo ipso quod tacet consentire credatur? Abbas,& Felinus merito aiunt, certam huius rei præceptionem tradi non posse. Vnde ipsi post aliquas regulas constitutas, multos deinde casus excipiunt, & tandem concludunt,pro varietate rerum,personarum, & circunstantiarum ex coniecturis, & signis esse iudicandum. Verum de hac quæstione referam fideliter quicquid in vtroque Iure, tum Ciuili, tum Canonico me legisse memini.

Filij puberes, vel impuberes si præsentes fuerint,nec contradixerint suis parentibus in sponsalibus, vel coniugio consensum præstantibus contrahere dicuntur,*cap.1.§.Porrò,de despons.impuberum.in 6.* tametsi in l. sed quæ patris, ff. de sponsalibus id solum de filia statuatur. Sciendum tamen est in coniugijs contrahendis seruandũ esse decretum Concilij Tridentini vbicunque fuerit promulgatum quod habetur sessio.24. c. 1. de reformat.matrimo.vbi statuitur. *Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarij licentia,& duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit,& huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit.* Sic ibi. quod igitur in præsentia dicimus de filijs in matrimonio contrahendo tacitum consensum præstantibus; intelligendum est locum habere seruato in omnibus prædicto Concilij Tridentini decreto.Dubitatur tamen inter Doctores,an idem sit dicendũ, si alij consanguinei cõsensum præstiterint.Glossa cum Goffredo,& Hostiensi censet idem esse dicendum de cæteris consanguineis; vt si frater patruusue suum assensum præbeat. Sed oppositum est verius, quod communiter docent Canonici Iuris interpretes, & hac in re Glossam reijciunt Ioan.Andreas, Archidiaconus, Petrus Ancharanus,Philippus Francus, Innocentius, Ioan. Imola,Abbas,Felinus,& Couarruuias.

Ioan. And. Archid. Anchara. Francus in c.de despon sat.impuberum in 6 Imola Abbas,Felin. in c.Nonne de præsum. Couar.in apit.in 4. part.2.c. 4.nu 4. Richar.in 4.dist.29. art.1. q. 4. Palud. in 4. dist. 29. q.2. art 3. Sotus in 4. dist.27.q. 1. art 3.

Dubitatur secundo. An si huiusmodi filij taceant,tutore consensum præstante pro consentientibus habeantur.Glossa sentit idẽ esse dicendũ de tutoribus,quod de parentibus.Sic etiam Theologi,Richardus,Paludanus, Sotus. Verùm oppositum Iuris pontificij Doctores communi consensu tradunt hac in re non sufficere nisi parentum consensum, quia hæc est Iuris interpretatio gratia matrimonij,& parentum constituta. Et certe in l.si puellæ, ff. de sponsalibus, aperte statuitur, non posse solos tutores sponsalia constituere,nisi voluntate puellæ facta sint. quare verior est hac in re Iuris canonici consultorum opinio.Tertio Dubitatur, An parentibus consensum præstantibus sufficiat in filijs præsentibus solus tacitus consensus, an verò nutus etiam, vel signa requirantur? Angelus,& Glossa *in cap.Tuæ, de sponsalibus,* videntur nutus, vel signa requirere. Sed verius est quod Syluester, & Couarruuias aiunt, sufficere solum tacitum consensum. Quarto Dubitatur, An sufficiat matris consensus in filio præsente,& tacente? Respondeo, sufficere, vt aiunt Ioan. Andreas,Ancharanus,Philippus: quia lex generatim statuit, parentibus consentientibus: neque enim distinguit de patre.Quinto.Dubitatur, An sit idem dicendum, quando filius est emancipatus? Respondeo,Idem Iuris esse,sic sentiunt Ioan.Andreas,Ancharanus,Philippus,quoniam Ius nihil distinguit. Sexto. Dubitatur, An sit idem Ius,si filius absens, certior tamen postea factus de consensu parentum pro ipso, taceat, vtrum tacens eo ipso ratum habere consensum videatur? Ioan.Andreas,& Philippus negant idem iuris esse. Sed Ancharanus, & Imola affirmant idem iuris esse in absentia,quod in præsentia. Mihi magis placet hæc secunda sententia.

Ang. Matrimonij 2.num.3. Sylues.Verbo. Matrimonium 2. quæst.7. Couar.loco citato.

In patre quo præsente filius familias Decurio creatur, si non contradicit, sufficit tacitus consensus, vt vniuersis muneribus, quæ Decurioni filio iniunguntur, obstringatur quasi fideiussor pro filio, *l.Quoties,ff.Ad municipalem, & de Incolis,& l.1. de filijs familias in libr.* 10. Fideiussor à tutore nominatus si præsens fuerit neque contradixerit, & nomen suum referri in acta publica passus sit,perinde tenetur, atque si iure legitimo stipulatio interposita fuisset. *l. cum ostendimus, §.fideiussores.ff.de fideiussoribus, & nominatoribus, & heredibus tutorum.*

Si passus sim aliquem pro me præsente fideiubere, vel alias interuenire, mandati teneor, *l.si remunerauti, §. si passus,ff. mandati.* Locator horrei, qui cum sciret aurum, argentum, margaritas inferri,passus est, perinde obligatur, ac si expresse consenserit. *l. cum in plures, §. locator, ff. locati.* Si nauta, caupo, stabularius scienter passus sit aliqua inferri in nauim, cauponam, vel stabulum, omnium earum rerum custodiam in se recipit. *l.1.§.vltimo,ff. nautæ, caupones, stabularij.* Hoc tamen verum est in his specialiter ex Iure scripto, non tamen in alijs generatim. Vnde si ego patiar, vt inferas res tuas in domum meam, non sum tibi obligatus, vt eas custodire debeam, *Baldus, Ioan. Andreas,& Felinus.* Insuper si Titius socius meus, vicinus, aut amicus me præsente, vidente, & tacente relinquat librum suum, vestem, vel pecuniam in cubiculo meo, non eo ipso videor consentire, vt depositi tenear, vt docuerunt Cinus, & Ancharanus. Item filia si præsens non contradicit, cum pater agit de dote,pro consentiente habetur. *l.soluto, §.voluntatem,ff. soluto matrimonio.* Item si prope ædificium alienum intra legitimum modum mortuus illatus fuerit, postea eum prohibere non poterit ædificij dominus, quo minus alium mortuum eò inferat, vel monumentum ædificet, si ab initio domino sciente hoc fecerit. *l. si propius, ff. de mortuo inferendo.* Præterea si quis precariò rem ad tempus habeat,finito tempore etiam si ad hoc tempus precariò non rogauerit, possidere tamen precariò videtur, intelligitur enim dominus, cum patitur eum qui precariò rogauit, possidere, rursus precariò concedere. *l.In rebus,§.Item,ff.de precario.*Sic etiam si is, qui ad certum tempus conducit, finito quoque tempore in conductione manet, sciente, & tacente locatore. Intelligitur enim dominus, cum patitur conductorem in fundo esse, ex

Bald.Ioan. Andr. Felin. in locis ante citatis.

Cinus in l. inuitus.C. mandati. Ancharan. in c.licet de procuratoribus in 6.

integro

integro locare. *l. Qui ad certum, ff. Locati.* Item quamuis instrumento non sit comprehensum, quod tibi sit tradita possessio; ipsa tamen rei veritate id consecutus es, si sciente venditore in possessione fuisti. *In l. Minus C. de acquirenda & retinen. possess.* Item si seruus, sciente domino, & non contradicente, in clericum ab Episcopo electus fuerit, ex hoc ipso liber, & ingenuus est. *l. si seruus. C. de Episcopis & clericis, & cap. si seruus, distinct. 54.* Item cum statutum esset in sponsalibus, etiam consensum eorum exigendum, quorum in nuptijs desideratur, subiungitur: Intelligi tamen semper filiæ patrem consentire nisi euidenter dissentiat. *l. in sponsalibus, ff. de sponsalibus.* Præterea ex l. si sine, §. Quod si patientiam. C. Ad senatusc. Velleianum, colligitur rem vxoris ea præsente, & non contradicente posse obligari, ita vt ipsi noceat, hoc est, vt à Velleiano iure excludatur, & eo iuuari nequeat. Sed hoc ideo (vt in ea lege dicitur) constitutum est, quia vxor tacuit, vt creditor deciperetur, qui mutuo suam pecuniam marito dabat. Est igitur hoc speciale in vxore quando præsens patitur, vt maritus rem suam creditori obliget: sed vxor tacet dolosè, vt creditor fallatur. Item in l. Quam Tuberonis, §. sunt quidam, ff. de peculio, dicitur: sunt quidam, qui peculium putant seruum habere non posse nisi concedente domino. Ego autem puto non esse opus concedi à domino peculium seruum habere, sed non adimi, vt habeat. Alia enim causa est peculij liberæ administrationis; nam hæc specialiter concedenda est. Item in l. si seruus communis, ff. de donationibus inter virum & vxorem, decernitur, si ex tribus fratribus vnus vxorem habuisset, & rem communem vxori donasset, ex parte tertia donatio viri non valet, quia est inter virum, & vxorem: ex reliquis autem duabus partibus donatio vim habet, si id sciuerint fratres. Item ex l. sed etsi §. sed etsi proponis, ff. de iudicijs colligitur: si Titius quibusdam clarissimis viris Romę auri vel argenti pondo legauit, licet maior pars matrimonij alibi sit, dummodo Romæ tantum patrimonij sit, vt sufficiat ad legatum, esse præstandum Romæ legatum: quia non est (inquit) lex, verisimile, testatorem, qui voluit honorem habitum his, quibus legatum reliquit, tam modica fidei commissa alibi, quam Romæ præstari. Item, te præsente & tacente, mandaui Titio, vt mutuo tibi daret pecunias: ex hoc ipso tacite obligatus es mihi actione mandati, perinde ac si mihi mandasses, vt ego Titio mandarem. *l. qui patitur, ff. mandati.* Non tamen idem iuris est, si te præsente, & tacente ego vendidi, vel donaui rem tuam. Item, si sciente & tacente vicino, opus faciam, ex quo ei aqua pluuia noceat, non teneor actione aquæ pluuiæ arcendæ, hoc est, non cogor lege opus demoliri, quamuis damnum illatum refarcire debeam. *l. Iubeo, ff. de aqua pluuia arcenda.* Præterea si quis iuxta ædificium suum, sepulchrum vel monumentum fieri passus sit, de damno infecto postea ei cauendum non erit: nec potest agere, vt opus diruatur, quia rem illicitam commisit. *l. qui bona, §. si quis iuxta, ff. de damno infecto.* Item si quis in commune vicinum, vel socium aliquid facere passus sit, non potest agere, vt opus tollat; sed solum, vt damnum resarciat: quia opus prohibere potuit, & non prohibuit, cum poterat prohibere. *l. Sabinus, ff. de communi diuidundo.* Item fundum mihi obligasti iure hypothecæ, vel aliquid aliud mihi pignori dedisti: deinde me sciente, & tacente vendidisti, ex hoc ipso ius hypothecæ vel pignoris videor remisisse, & me in iudicio agentem exceptione repellet emptor. *l. si probaueris. C. de remissione pignoris.* creditor igitur, qui tacite consentit in alienatione hypothecæ, vel pignoris, eo ipso remittit seu perdit ius pignoris. Præterea si rei venditæ nominatim morbus exceptus non sit, talis tamen morbus sit, qui potuit omnibus apparere, veluti cæcus homo vendebatur; aut qui cicatricem euidentem & periculosam habebat, vel in capite, vel in alia parte corporis, ædilitij edicti nomine non tenetur venditor, perinde ac si nominatim morbus exceptus fuisset. *l. quæritur, §. si venditor, ff. de ædilitio edicto.* Item ex l. An in totum, C. De ædificijs priuatis colligitur ruinam domus Magistratibus, aut vicinis scientibus ruinæ periculum, & tacentibus, nec prohibentibus, eo ipso tacito eorum consensu contigisse. & in l. 1. §. scientiam. ff. de tributoria actione decernitur: si seruus contrahat, sciente domino, & tacente, dominus obligatur tributoria actione ex contractu serui. Præterea in ijs, qui ratione publici muneris, quo funguntur, prohibere debent, si scienter non prohibeant, cum possint, tacitus consensus tanquam expressus reputatur. Vnde in l. in omnibus, ff. de noxalibus actionibus statuitur, in omnibus noxalibus actionibus, vbi exigitur scientia domini, sic accipienda est, si, cum prohibere posset, non prohibuit. Et in l. si seruus, ff. de noxalibus actionibus dicitur: si seruus, sciente domino, occidit, in solidum dominum obligat: ipse enim dominus occidisse videtur: si autem nesciente domino occiderit, noxalis est actio. Et in l. scientiam, ff. ad legem Aquiliam statuitur: scientiam sic pro patientia accipimus, vt qui prohibere potuit, teneatur, si non fecerit. Idem habetur in l. 1. ff. si familia furtum fecisse dicatur, & in l. si familia ff. eodem titul. dicitur: si familia seruorum mihi communis cũ Titio fecerit furtum, me inscio, sciente tamen Titio, tenetur Titius nomine singulorum: vnde pro vnoquoque ad pœnam soluendam iure compellitur: sic etiam quicunque corrigere commodè alium, aut impedire peccatum alterius, aut subuenire alteri indigenti lege misericordiæ, vel charitatis potest, & debet, peccat si id nõ præstet, quia tacite consentit. Præterea contumax in respondendo, tanquam consentiens in eo, in quo sibi ipsi incõmodat, & noceat, habetur, cum tacet. Vnde in l. de ætate, §. qui tacuit. ff. de interrogatorijs actionibus dicitur, si quis esset ex parte hæres institutus, & interrogatus à Prætore, an sit hæres, taceat, in ea causa est, vt instituta actione in solidum cõueniatur, quasi negauerit, se hæredem. nam omnino qui non respondet, contumax est. contumaciæ autem pœnam hanc ferre debet, vt in solidum conueniatur, veluti si negasset: quia Prætorem contemnere videtur. Ex quo efficitur, vt Iudex ter admonitus, vt appellationem admittat, si semper taceat tanquam admittens appellationem reputetur. Felinus ex Hostiensi, Glossa, & communi

Felin. in c. Nonne de præsumpt.

opinione.

opinione. Et in cap. si post præstitum de confessis in 6. habetur: Si post præstitum iuramentum veritatis, vel calumniæ reus, vel procurator ipsius oppositionibus sibi ab aduersario factis interrogatus, & iussus à Iudice, respondere, absque rationabili causa nolit, sed contumaciter discedere, ipso iure tanquam confessus censetur. Nempe vt Petrus, Ancharanus, Francus, Gloſſa, Dominicus, Archidiaconus, & Ioann. Andreas interpretantur, in his quæ ipsi incommoda obsunt: in his verò quæ ipsi prosunt, tanquam dissentiens habetur. Ex quo etiam efficitur, vt si quis vocetur, vt consentiat, vel contradicat, & postea præsens taceat, eo ipso consentire credatur. Felinus ex Innocentio, Archidiacono, Federico, & Panormitano. quare si collegium, conuentus, vel communitas congregetur, vt conuocati consentiant, vel dissentiant, qui tacent, consentientes habentur, nisi agatur de alienatione rei Ecclesiasticæ perpetuæ, in qua expressus requiritur consensus. *cap. 1. de his quæ fiunt à Prælatis.* Verum in alienatione rerum Ecclesiasticarum ad tempus, satis est, si collegium præsens non contradicat, *cap. Continebatur, de his, quæ fiunt à Prælatis.* Item in cap. Ephesijs, distinct. 43. dicitur: Pastor, qui increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo occidit. Et in cap. Error. distinct. 83. habetur: Error cui non resistitur, approbatur: & veritas, cum non defenditur, opprimitur. Negligere, cum possis perturbare peruersos, nihil aliud est quàm fouere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Totum hoc caput intelligitur de his qui ratione sui muneris, & officij obire aliquid debent, & id non præstant. Item in cap. si forte distinct. 65. habetur: Si Episcopus ab alijs prouinciæ Episcopis vocatus ad ordinationem Episcopi, venire neglexerit, literis admoneatur: quod si illis acceptis tacuerit, tunc cæteri Episcopi prouinciæ Episcopum ordinent, vt populis satisfaciant.

Felin. in c. Nonne de præsumpt.

Et ex cap. Nonne, de præsumptionibus colligitur. Quando alicui duo crimina obijciuntur, & ad vnum respondet se tuendo, de altero verò omnino tacet id, in quo tacet videtur concedere, & confiteri.

Cap. V.

Quando ex hoc quod quis aliquid faciat, consentire tacitè iure videatur.

PRAECEDENTI capite dixi quando quis eo ipso quod tacet, tanquam consentiens iure communi habeatur: Aliquando in vtroque Iure ciuili, & canonico, hoc ipso quod quis aliquid agit, tacite consentire intelligitur. In cap. Vidua, de Regularibus. quando quis facit scienter habitu Monastico legitime suscepto, actum ex iure, vel more solum Professis conuenientem, tacitè Religionem profiteri, creditur. Item si quis triduo gestet scienter habitum proprium, & distinctum, qui dari profitentibus solet, Religionem tacite profitetur, *Cap. Ad nostram de Regularibus in 6.* Præterea si quis post decimum quartum ætatis annum gestet scienter habitum Nouitijs, & Professis communem, aut non manifesto distinctum per annum integrum, Religionem tacitè profitetur. *Cap. ex parte de Regularibus, & cap. 15. qui. de Regularib. in Sexto, & Clement. eos, de Regul.* Sed hæc, quæ de tacita religionis professione iure communi sunt constituta accipienda, & intelligenda modo sunt iuxta decretum Concilij Tridentini. sess. 25. ca. 15. de regulari, & moniali, vt suo loco dicemus. Item in cap. Diaconus dist. 27. Diaconus, qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit, se in castitate manere non posse, hic non ordinetur; quod si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit cum postea matrimonium desiderauerit, fit alienus à ministerio, & Clero. Ex quo fit, vt inter Doctores dubitetur, an Præfectus eo ipso, quod promouet scienter Titium ad publicum munus, Magistratum, ordines, honorē, vel dignitatem, tollere relaxationis priuilegio, vel absolutionis beneficio videatur impedimenta, & vincula, quibus Titius implicatus est & obstrictus, & à quibus eum soluere iure potest. In qua re communis est opinio, vt colligitur ex Innocentio, & Panormitano, si Præfectus est Princeps, & promouet scienter, eo ipso tacitè legem relaxat: Si vero est Principe inferior, nequaquam ante cognitionem causæ, & absque causa legitima: at verò si causa iusta subsit, & ea etiam sit in iudicio cognita, eo ipso, quod euehit scienter inhabilem, tacitè eū excipere à lege censetur. Quare Episcopus scienter indigno beneficium conferens absque causa legitima, & ante causæ cognitionem, iurè puniendus est: *Gloſſa, Panormitanus, & Ioannes.* Pari modo Episcopus si loquatur cum eo, in quem excommunicationis sententiam tulerat aut si scienter coram se suspensum ab ordinum Officio, quem absoluere poterat, rem diuinam facere permittat, iure puniri potest. Similiter Episcopus si Titium, in quem indulgentiæ beneficium conferre potest ad ordines sacros prouehat sciēter, eo ipso tacitè eum lege soluit ac liberat, si id faciat ex causa legitima, & ea pariter cognita. Sic etiam Abbas, aut Ordini Religiosorū Præfectus subditum mittens sciēter ad Ordines suscipiendos, tacite absolutionis, & relaxationis beneficio vtitur in ijs impedimentis, à quibus soluere ipse potest, si mittat ex causa legitima, & de eiusmodi impedimentis certior factus. Cæterum sunt qui censeant, hæc duo; *Quod causa sit legitima:* & *Quod causa impedimenti sit in iudicio cognita*, requiri in foro tantum exteriori: sed in foro conscientiæ interiori, sufficere si Præfectus, qui est inferior Principe, sciat impedimentum, & ab eo soluere iure possit. Quibus duobus positis tacite in conscientiæ foro ius relaxare perhibetur, quamuis in foro exteriori puniri queat. Item qui subscribit in instrumentis, in actis, in consilijs, eo ipso tanquam consentiens habetur. *l. Fideiussori, §. Pater, ff. de pignoribus & l. sicut, §. Non videtur, ff. Quibus modis pignus, vel hypotheca solvitur.* Verum hoc intelligitur, quando is, qui subscribit, legerit, vel audiuerit ea, quæ subscribit: nam alioqui consentiens minime putatur, *vt aiunt Baldus, Angelus, & Felinus.* Ad ipsum tamen pertinet probare, se neque legisse, nec audisse, quæ subscripsit, *vt tradit Paulus.*

Inno. in C. Præterea de testibus cogen. Panor. in c. cum in cunctis de elect. Bart. in l. Barbarus, ff. de offic. Prætorit. Host. in c. Diuersit de cleri. coniug. Glo. in c. 1. de atat. & qualit. ordin. in 6. Panorm. in c. cum iniunctis de electio. Sylues. Dispens. q. 15. Sylu. verb. Dispensatio q. 15. Sylu. verb. Irregularitas, in fine. & Relig. 3. q. 19. Nauar. in Manuali c. 25. n. 74.

Si Roges, An Principes, vel alij, qui subscribunt in chartis, vel schedulis albis, & vacuis, in quibus nihil est scriptum, eo ipso reputentur ea, quæ postea scribuntur, confirmare? Respondetur, Non reputari, nisi de ijs specialiter fuerint præmoniti. *Baldus, Angelus, & Felinus.* Præterea is, qui sigillo suo instrumentum, vel scripturam signat, eo ipso quę scripta sunt confirmasse videtur. *l. Distrahente, C. De rebus alienis non alienan. & l. Fideiussor, §. Pater, ff. de Pignoribus. Bartolus, & Baldus, & Felin.* Sed sciendum est in l. Distrahente citata, aperte dici: *Si vxor ignorans instrumentum venditionis, quo maritus vendit rem eius, sigillo suo signauerit, scilicet putans, rem locari, non vendi, nihil sibi nocet.* Item in l. Quod si neque, ff. de periculo, & commodo rei venditæ habetur: *Videri autem trabes traditas, quas emptor signasset.* Sensus est, in venditione mercium rem traditam esse, intelligi quandocunque ab emptore signatur quasi sigillo. hoc tamen non habet locum, & vim in mercibus, quæ per degustationem vendi plene, & tradi intelliguntur. Quare in l. 1. ff. de periculo, & commo. rei venditæ dicitur: Si dolia, vel vasa signata sint ab emptore, vina tamen nondum fuerint degustata adhuc periculum esse venditoris. Et licet in ea lege subiungatur, Trebatium sensisse, si dolium signatum fuerit ab emptore, traditum videri; Labeo tamen contra docuisse dicitur; & hoc esse verum: dolium enim vini magis signatur, ne submittatur aliud vinum, quam vt traditum esse videatur. Item in l. Minus, C. De acquirend. & retinen. possessione habetur: Licet instrumento non sit comprehensum, quod tibi tradita sit possessio: ipsa tamen rei veritate id consecutus es, si sciente venditore in possessione fuisti, & in l. Qui in futurum, ff. De Pactis, statuitur: Qui in futurum vsuras à debitore acceperit, tacite pactus videtur, ne intra id tempus sortem petat. Præterea in l. Item quæritur, §. Qui impleto tempore, ff. locati. statuitur. *Qui impleto tempore conductionis remansit in conductione, non solum reconduxisse videtur, sed etiam pignorum videtur durare obligatio.* Cuius legis sensus est: Si conductor finito tempore conductionis remaneat in prædio rustico conducto, eo ipso videtur in annum vna cum pignoribus renouata conductio. Item ex l. Quamuis Bassa C. De vsur. colligitur, vt exponit Salicetus: *Si creditor, cui sunt promissæ maiores vsuræ in casu, quo minores vsuræ promissæ non fuerint solutæ, minores exigat eo tempore, quo maiores petere potuit, sibi ita obest, vt maiores exigere nequeat.* Ex quo colligit Baldus: si Titius ex duabus causulis eiusdem contractus vnam eligat, scilicet, leuiorem, eo ipso videtur renunciasse grauiori. Præterea in Libro vigesimo Digestorum extat Titulus II. In quibus causis tacite pignus, vel hypotheca contrahitur: Et idem Titulus habetur in Codice libr. 8. Ex quibus legibus colligitur sæpe contrahi tacitè Hypothecam ex hoc, quod quis aliquid facit: de qua redicam, cum agam de Pignoribus, & Hypothecis. Item in Clement. 1. de Procuratoribus, habetur: Si Titius absens constitutus à Caio ad causas, vel negocia procurator, scienter recipiat instrumentum, vel literas, in quibus constituitur; nisi officium recuset, tacitè ratum habet. Et tamen in l. Dummodo, ff. De Procuratoribus, dicitur: *Absens procurator dari potest, dummodo certus sit qui dari intelligitur, & is ratum habuerit.* In Clementina igitur citata iure decernitur, vt ratum habere videatur statim atque mandatum susceperit scienter, & non recusauerit. Notandum est, aliquando eum, qui tacet, in Iure nō haberi pro cōsentiente, *in l. Sicut, §. Non videtur, ff. Quibus modis pignus, vel Hypotheca soluitur:* verba hæc sunt: *Non videtur creditor consensisse, si sciente eo rem debitor vendiderit cum ideo passus est venire, quod sciebat vbique pignus sibi durare:* Item in l. si quis, ff. De furtis, habetur: *Si quis cum sciret quid sibi surripi, non prohibuit, non potest furti agere.* & subiungitur: *Immo contrà, si quis scit sibi rapi, & quia non potest prohibere quienit, furti agere potest: at si potuit prohibere, nec prohibuit, nihilominus furti aget.* Quæ lex non videtur sibi constare, quia cum ex diuersis Iurisconsultis accepta fuerit, contrarium statuere videtur, eo quod contraria Iurisconsulti sentire videbantur. Nihilominus tamen lex seipsam explicat. Nam cum ait: *Si potuit prohibere, nec prohibuit, nihilominus furti aget:* loquitur de eo, quem in præsentia furis ad resistendum pudor impedit: vt si patronus liberto quid rapiat. Item in l. Filius familias. §. Inuitus, ff. De procuratoribus, cum dictum esset: Inuitus procurator non solet dari, subiungitur: *Inuitum accipere debemus non eum tantùm, qui contradicit; verum eum quoque, qui consensisse non probatur.* Præterea in l. Qui vas, §. Vetare, ff. De furtis, quoniam constitutum erat furem non esse, qui aliquid inuito domino susceperit, non animo celandi, dicitur: *Vetare autem dominum accipimus etiam eum, qui ignorat, hoc est, eum, qui non consentit.* Item in l. In eo iure, §. Deinde, ff. de ritu nuptiarum, cum statutum esset, ne liberta, quæ patrono nupserat, posset eum dimittere, & alium accipere eo inuito, subiungitur: *Inuitum accipere debemus eum, qui non consentit ad diuortium.* Item in l. Inuitum, ff. De seruitutibus vrbanorum prædiorum, decernitur, *Inuitum in seruitutibus accipere debemus non eum solum, qui contradicit, sed & qui non consentit.* subiungitque: *Ideo & infantem, & furiosum inuitos recte dicimus.* Ex quo efficitur, vt quamuis transeam per prædium tuum, vel stillicidium auertam in tectum, vel aream tuam, vel altius attollam tectum, & tuis luminibus officiam, te sciente, & tacente, seruitus mihi non acquiratur. Pari modo si Titius præsens, & tacens procurator eligitur, pro consentiente nequaquam habetur, *l. Inuitus. C. De Procuratoribus.* Idem Iuris est, si Titius executor testamenti instituatur, aut si in lite, vel causa arbiter, vt ex communi sententia tradit Felinus.

Bal. & Ange. in l. Ita stipulatus, §. Chrysogonus, ff. de verb. oblig. Felin. in c. Quoniam contra, de probationibus. Bal. Ang. Felin. locis ante citatis.

Felin. in c. Nonne de Præsumptionibus.

Cap. VI.

Quando in Iure voluntas tametsi longe ante præterita tacitè permanere videatur.

QVONIAM sæpe accidit, vt dubitemus, num tranfactus prioris voluntatis consensus tacite adhuc perseuerare, an contrà desijsse intelligatur: ideo referam etiam quid in vtroque Iure de hac re sit constitutum.

In l. Certè, ff. De Precario, cū in lege præcedenti statutum esset: *Si quis precario rem ad tēpus haberet,*

& finito tempore possideret, tacite precarium renouari: quia dominus, cum patitur rem precario possideri, tacitè intelligitur eam precariò concedere: subiungitur: *Certè si interim dominus furere cæperit, vel decesserit, precarium non redintegratur.* Hoc ideo constituit lex, quia furiosus, vel defunctus, nisi expressè precarium confirmauerit, non creditur tacite confirmasse. Ergo in furore, vel morte voluntas precedens, etiam non mutata, non intelligitur perseuerare. Item in l. Qui ad certum, ff. Locati, statutum erat, finito tempore conductionis, colono in fundo permanente, fundum ex integro locari: quia eo ipso, quod dominus patitur colonum in fundo esse, intelligitur locationem renouare: subiungitur: *Si interim dominus furere cæperit, vel decesserit, locatio non redintegratur.* Ergo lex insinuat, priorem voluntatem, etiamsi non varietur in furioso, vel mortuo, non permanere. Item in l. si tibi, §. Vnius, ff. de optione, vel electione legata, decernitur hoc modo: *Vnius hominis mihi, & tibi optio data est, quia Titius legauit mihi, vt vnum ex seruis suis optarem, & deinde eodem modo legauit tibi, vt optares, & decessit, & ego postea optaui Caium seruum Titij, & tu quoque postea eundem Caium optasti: Caius est communis virique, mihi, & tibi seruus; nisi ego, cum optassem, mutassem voluntatem, quod si post quam optassem, & antequam tu optares, decessissem, aut furiosus factus essem, non erit seruus communis; quia non videor consentire, qui sentire non possem. Humanius autem erit, vt & in hoc casu, quasi semel electione facta, fiat seruus communis.* Hactenus lex. Ex qua colligitur, priorem voluntatem etiam non mutatam post furorem, aut mortem non permanere. Præterea in l. Inter causas. & l. si quis alicui, §. morte, ff. mandati, & in l. Mãdatum, C. Mãndati, & Instit. De Mandato, §. Non tantum, aperte dicitur, mandatum morte domini finiri. At verò contrarium in alijs legibus videtur constitui. nam in l. Soluto, §. Voluntatem, ff. Soluto Matrimonio, cum statutum esset, filiam, nisi euidenter contradicat, eo ipso consentire, cum pater agit de dote; subiungitur, quasi ex voluntate patrem experiri, si furiosam filiam habeat. *nam vbi non potest per dementiam contradicere, consentire quis meritò creditur.* Hæc in lege. Item in Instit. De Codicillis, §. Non tantum, statuitur, Codicillos siue ante, siue post testamentum factos, ipso Iure tacitè confirmari in testamento, vel precedenti, vel sequenti, si appareat, eum, qui testamentum fecit à voluntate, quam in Codicillis expresserat, non recessisse, licet olim codicilli non valerent nisi testamento expresse confirmarentur. Præterea in cap. A nobis. 2. De sententia excommunicationis, constituitur, vt excommunicatus, in quo signa debitæ pœnitentiæ præcesserant, absoluatur post mortem: quia intelligitur in ea pœnitentiæ voluntate decessisse. Item in Concilio Carthaginen. 3. can. 34. & refertur, de consecr. Dist. 4. cap. Aegrotantes, statutum est, Infirmos, qui pro se respondere nõ possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizandos esse. Ergo Concilium insinuat, voluntatem precedentem, à qua nõ est recessum, in ipsa ægritudine permanere. Item vt colligitur ex c. Paruuli, de consecr. d. 4. Subito obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet. Tandem in cap. Maiores §. vltimo, De Baptismo, & eius effectu constituitur, Dormientes, & amentes, si prius, quam amentiam incurrerent uat dormirent, in contradictione persisterent: quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si sic fuerint baptizati, characterem non suscipiunt. Secus autem si prius Catechumeni extitissent, & habuissent propositum Baptismi. Vnde tales in necessitatis articulo consueuit Ecclesia baptizare. Hactenus constitutio. Quapropter colligit Sotus, si Titius inquit, adultus sciens quid fiat, sinat se baptizari, vngi oleo, confirmari, vel ordinari, eo ipso videtur tacitè consentire. Ne igitur huiusmodi leges sibi contrariæ esse videantur, animaduertendum est in his, in quibus satis est non contradicere, Iura statuere, priorem voluntatem, si quis ab ea non recesserit, permanere in amentia, ebrietate, somno vel ægritudine: In his verò, in quibus necessarius est consensus, eadem Iura constituunt, voluntatem præcedentem non perdurare, etiamsi in ea variatio facta nõ fuerit. Posteriores supra citatæ leges de priori casu loquuntur: priores verò cõstitutiones de posteriori casu oportet intelligi.

Sotus 4. dist. in. 3. q. vn. art. 7.

NB

Cap. VII.

An effectus causam voluntariam consecutus, voluntati imputetur tempore, quo in nostra potestate non est.

SOLET in quæstionem vocari ob multos rerum euentus, An effectus, qui causam voluntariam consequitur, sit voluntati imputandus eo tempore, quo ita ex causa antea data contingit, vt in nostra potestate nõ sit? De qua re agit Altisiodorensis *in Summa lib. 2. Tract. 29. cap. 1. q. 4. & cap. 2. q. 3.* Bonauentura *2. Dist. 22. art. 2. q. 3.* Gab. *2. Dist. 22. q. 2. art. 2. concluſ. 3. & Dist. 41. q. 1. art. 3. Dub. 3.* Almainus *Tract. 1. Moral. cap. 5.* Cordubensis *lib. 2. De Ignorantia q. 18.* Custrus *lib. 2. De lege pœnali cap. 14.* Couarruuias *in Clement. Si Furiosus, De homic. part. 3. initio, num. 4.* S. Thomas *2. 2. q. 150. art. 4. & q. 79. a. 3. ad 3. & 1. 2. q. 71. art. 5.* Marsilius *in 2. q. 21. art. 2. memb. 9. & q. 113. memb. 7.* Maior *in 4. Dist. 17. q. 8. & Dist. 9. q. 2.* Buridanus *lib. 3. Ethico. q. 10.* Sotus *in 4. Dist. 12. q. 1. art. 7.*

In hac quæstione possunt multi casus accidere; veluti si Titius sponte sua incidat in ebrietatem, & postea in ebrietate destitutus vsu rationis, aut multa bona præstet, aut peccata committat, Quæritur, an eiusmodi bona, vel mala in ebrietate admissa in eius voluntatem conferantur. Item culpa sua quis factus est furiosus, vel amens, & in furore, vel amentia delinquit ac peccat in legem, An ea peccata sint in eo voluntaria? Præterea, Titius ventri, & gulę scienter indulget, ex quo postea in somno polluitur. An nocturna pollutio per quietem ex nimio cibo, & potu profecta, sit in eo voluntaria, & peccatum? Mane etiam quis somno se dedit, & cum Missæ sacrificio deberet interesse, vt par erat, cum dies sacer esset, id omittit somno oppressus, An ea præcepti omissio sit vitio, & culpæ tribuenda? Ad hæc, Titius mittit sagittam, vt Caium interimat, ad quẽ priusquam illa perueniat, eum facti pœnitet, & deinde Ca-

NB

ius sa-

ius Sagittæ ictu percussus perit; Quæritur, an Caij cædes Titio, licet pœnitenti, ac dolenti culpæ sit danda. Mãdat item Titius seruo suo vti Caium occidat, quod antequam eueniat, voluntatem Titius reuocat: nihilominus tamen seruus interim Caium interficit, An Caij mors sit in Titij voluntatem referenda etiam eo tempore, quo voluntatem mutauit, & cædem impedire non potuit. Item Titius Caium vulnerat, & vulneratus dies aliquot lecto decumbit; interim Titius dolet Caium vulnerasse, & Caius vulnere perijt, an Caij interitus vna cum vulnere sit voluntate, & culpa Titij subsequutus? Præterea Titius multis negotijs distractus sui debiti muneris obliuiscitur; & ideo officium, quod præstare debebat omittit, an Titius in huiusmodi omissione delinquat.

In hac quæstione duæ sunt opiniones, Prima docet, effectum ex causa voluntaria natum, voluntati minime imputari eo tempore, quo ita ex causa data naturaliter profluit, vt iam amplius in potestate voluntatis non sit. Primo, quia non potest esse voluntarium; quod non est in nostra potestate. Deinde, quia nemo in somno, ebrietate, furore, vel amentia promereri aliquid potest: ergo nec peccare: nam sicut in peccato libertas requiritur, sic etiã in merito. Item quia si ego quippiam mali vellem, & antequam id re ipsa subsequeretur, à voluntate recederem, deinde vero effectus me nolente contingeret, ego peccassem: quod videtur absurdum: fieri enim potest, vt ego ex vera cordis pœnitentia voluntatem deposuerim Dei gratiam consecutus, quam non possum amittere ex effectu contra meam voluntatẽ subsecuto. Accedit his, quod cum dormit quis, vel furiosus, amens, aut ebrius est, ysu rationis amisso, perinde est, ac si infans, vel animal expers rationis fuisset, in quibus peccatum esse non potest; præsertim cum ex opposita ratione conficeretur, vt si Titius culpa sua in morbum incidisset, ex quo præcepta exequi, & præstare non posset, in eo peccata essent omnes præceptorum omissiones: Aut si Titius presbyter lõgum iter confi ciens, codicem precationum sponte sua à se abij ceret; aut amitteret, ac deinde eum facti pœni teret; in eo peccatum esset quęcunque diuini officij omissio postea subsecuta. Immo sequeretur etiam, vt Titius, si prauum peierandi habitum acquisisset, quem postea abijcere conaretur, ex prauo habitu, etiam nolens, aut prorsus ignorans, quod loquitur, peierans assiduè peccasset; quod reuera est absurdum: quia cum quippiam agimus, facimusue sola imaginatione ducti, ex habitibus nec laudamur, nec vituperamur, sed ex actibus humanis ratione, & voluntate libera factis: actus autem ex habitu solo proficiscentes contra voluntatem nostram, voluntarij esse non possunt. Huius opinionis sunt Gabriel, Almainus, Maior, Castrus, Couarruuias, Cordubensis. Secunda opinio ait, effectum causam voluntariam subsecutum, voluntati imputari debere eo etiam tempore, quo in potestate nostra non est. cuius sententiæ sunt Alexander, Altisiodorensis, & S. Thomas, Sotus, & alij iuniores, eamque probant. Primo, quia voluntarium potest esse aliquid in causa, & origine: nam qui vult antecedens, aut causam, eo ipso vult etiam consequens, aut effectum. Item quia omnis actus exterior ex imperio voluntatis, & rationis profectus, solum est voluntarius, vt in causa, in ipso actu voluntatis, & rationis; ergo ad hoc, vt aliquis effectus sit voluntarius, sufficit voluntas antecedens. Adde, quod Aristoteles laudat eos legislatores, ex quorum legibus ebrij duplici pœna plectuntur: tum quia sponte, & culpa sua facti sunt ebrij: tum quia in ebrietate, mala sæpe committunt. Accedit his, quod si Titius verbi gratia dum vigilat, nocturnam in somno pollutionem futuram aut optet, & expectet, aut studiosè curet; dubitari non potest, quin nocturna pollutio postea in somno subsecuta voluntaria sit; siquidem aut optata, aut etiam expectata, quæsita, & attentata contingit. Præterea, quia si Titius contra sui domini mandatum dormiat, totus illius somnus est voluntarius; & tamẽ postquam dormire cœpit, non amplius reliqua somni pars est in eius potestate. Vltimo furiosus, vel ebrius, vel dormiens potest baptismate ablui, confirmari, à peccatis absolui, vngi oleo sacro, ex præcedenti, quam habuerit voluntate, à qua ille ante furorem, somnum, vel ebrietatem nullo modo recesserat.

Arist lib 3 Ethico. c. 5. & lib. 2. Poli. c. 10. in fine.

In hac re sanè magni, & grauis momenti, quæ ad plurima definienda conducit, mihi quædam dicenda sunt: Primum, nullum effectum malum ex quacunque voluntate, vel causa voluntaria proficiscentem voluntati tribui, si per veram pœnitentiam emendata, aut per contrarium animi affectum deposita, derelictaque sit prior voluntas. Hoc docent Sotus, Maior, & alij iuniores. Ratio verò id firma, & efficax comprobat. quia eo ipso, quòd à priori voluntate recedit, iam non ex ea, sed aliunde effectus naturaliter emanat. Velut si Titius Caij seruus se abijciat, & præcipitet in puteum, vel foueam, vnde exire non possit, & eum sui facti pœniteat, in voluntatem eius conferri nec debet, nec potest, quòd domini sui iussa non faciat interim dum in puteo, vel fouea iacet sua sponte prostratus. Pari modo iudicandum est de cæteris similibus; Veluti si Titius spõte, vel culpa sua somno se det; si ebrius, vel furiosus, vel amens factus sit; si denique in ægritudinem, periculum, aut eam vitæ conditionem deuenerit, vt ea præstare nequeat, quæ alioqui eum obire oportebat. In his enim omnibus in Titij voluntatem nequaquam sunt conijcienda aut bona, quæ geruntur, aut mala, quæ patrantur, quandocunque voluntatem priorem mutauit. Consequitur etiam, vt si Titius mandatum, quo iussit Caium interfici, reuocauerit, in ipsius amplius voluntatem conferenda non sit cędes Caij postea subsecuta. Eodem modo si lethali vulnere Caium affecerit, ac deinde doluerit, se eum vulnerasse, & post aliquot interim dies Caius vulnere exanimatus interijt. Deinde mihi videtur longe probabilius, & verius, neminem in somno, ebrietate, furore, vel amentia ex quacunque culpa prouenienti etiam per veram pœnitentiam non sublata, aut per contrariam voluntatem non mutata peccare: quod tradunt Gabriel, Maior, Couarruuias, Castrus, Almainus, Cordubensis quibus supra diximus locis. Ratione id comprobo: non enim peccat quis in eo, quod cauere, & de

Locis supra citatis.

Locis supra citatis.

clinare nõ est in sua potestate; sed nemo in somno, ebrietate, vel amentia, quando rationis compos non est, potest impedire, aut deuitare effectum, etiam si culpa, & voluntate præcedenti somnus, ebrietas, vel amentia contigerit: nec est maior ratio, cur tunc mala potiùs tribuantur voluntati, quàm bona, sed tanquam certum communi sententia receptum est, neminem in somno, ebrietate, vel amentia mereri aliquid posse. Et certè ex Augustino, Ambrosio, Hieronymo, & Origene colligi videtur hæc sententia. ait enim Augustinus, culpandum esse Loth, non quantum incestus in ebrietate admissus, sed quantum ebrietas meretur. Tertiò, dicendum est, in his, in quibus non requiritur consensus, sed satis est non contradicere, vt quis tacitè consentiens habeatur, præcedens voluntas perseuerat in somno, ebrietate, vel amentia, si ante non fuerit per contrariam voluntatem depósita. In ijs verò, in quibus est necessarius consensus, antecedens voluntas non creditur in ebrietate, furore, vel amentia permanere, etiamsi ab ea recessum non fuerit. Ideo in sacramentis recipiendis, quoniam satis est, si voluntas non sit contraria, merito quis in amentia, ebrietate, vel furore ablui sacro baptismatis fonte potest, confirmari, absolui, vngi, vel ordinibus initiari, si horum voluntas præcesserit, nec fuerit mutata. Sic etiam potest absolui ab excommunicatione, ac cæteris Ecclesiasticis censuris, sententijs, & pœnis. at verò ad meritum, culpam siue peccatum necessarius est consensus: quare in amentia, furore, ebrietate, vel somno nemo mereri, aut peccare potest.

Augustl. li. 22. contra Faust. c. 44. & refertur 15. q. 1 cap. in ebriet. Verunt. Ambros. li. de Patriar. Abraha c. 8. & refertur 15. q. 1. c. sanè. Hieron. ad Eusto. De custo. virginitat. Origen in Genes. ho. 3. quos duos auctores citat Couar. loco suprà citato.

Quòd si obijcias, sufficere præcedentem voluntatem, præsertim quando effectus in ebrietate, amentia, vel somno subsequitur, antea optatus, expectatus, aut etiam studiosè conquisitus. Respondeo, tunc temporis meritum, vel culpam totam fuisse in voluntate, & causa præcedenti; id verò, quod postea subsecutum est, esse quidem effectum peccati, non tamen peccatum: fuit autem culpa in causa, quia poterat voluntas, & debebat causam auertere, & summouere, quod tamen non fecit: sed in effectu peccatum non est, quia cùm est subsecutus, in potestate voluntatis non fuit. Quartò, dicendum est, sæpe aliquem incidere in pœnas Iuris humani ob effectum ex culpa enatum, etiamsi quando subsequitur, voluntarius, aut peccatum non sit: vt colligitur ex cap. Si quis. 15. quæst. 1. vbi dicitur, leuiorem pœnitentiam esse imponendam ei, qui insaniens alium occiderit: veluti si Titius telum in clericum iaciat, & mox antequam ad ipsum perueniat, incipiat dolere, incurrit in excommunicationem, cùm postea telo clericus vulneratur. Sic etiam contrahit irregularitatem, si sagitta in alium immissa ipsum interimat. Pari modo nascitur obligatio restituendi damna ex eo effectu creata, quoniam pœnæ non tantùm malefacientibus irrogantur ob voluntatis affectum, sed etiam ob externum effectum inde procreatum. Item, obligatio restituendi damnum, potius oritur ex ipso effectu, quo damnum est alteri illatum, quam ex voluntatis affectu. Meritò igitur Aristoteles sensit, ebrios duplici pœna esse plectendos: tum quia apud homines puniuntur effectus ex peccato profecti. quoniam tametsi peccata non sint, sunt tamen alijs incommodi: tum etiam quia aliquando ebrij rationis vsu non omnino, sed ex parte priuantur. Rogabis, si Titius vulneret Caium, & deinde Caio ex vulnere in lecto decumbente, peccatum suum sacerdoti sacra confessione fateatur, postea verò Caius ob vulnus intereat, debeat ne Titius de integro confiteri, se hominem occidisse, an verò satis ei sit, priùs fuisse confessum, se lethale ei vulnus inflixisse. Similiter si Titius, dum vigilat, optauerit, aut studiosè, & solicitè nocturnam in somno pollutionem subsecuturam curauerit, & mox ante somnum peccati pœnitens confiteatur, se voluntariæ pollutionis causam in somno dedisse, & postea pollutio in somno contingat, num ipso iure compellatur ad confitendum denuò, se in somno ex voluntate antecedente pollutum; an verò sufficiat sola, quam fecerat ante, confessio? Sotus negat, confessionem præcedentem sufficere: ideo nimirum, quia putat cædem hominis, & pollutionem noua confessione explicandam, eo quòd fit cædes, vel pollutio ex culpa præcedenti profecta. Sed contra hoc in primis vim habet argumentum: nam tametsi eiusmodi damnum, & incommodum ex præcedenti voluntate sit natum, peccatum tamen non est, quia Titius priorem voluntatem iam penitus exuerat. Item satis esse videtur, si Titius in priori confessione expresserit, se causam idoneam, & efficacem mortis, & pollutionis præbuisse. Quare dubia est, & incerta hac in re Soti sententia. Alia verò ratio est de actu exteriori, aut de mandato alteri dato, quando à voluntate priori non receditur: tunc enim actus exterior, aut per nos ipsos, aut per mandatarium opere completur, & voluntati tribuitur, cùm deuitari potest, ac debet, & id non fit. atque ideo in confessione est exponendus eo ipso, quòd malus est per se, quoniam rationi rectæ dissentaneus, atque contrarius: & voluntatis obiectum, & terminus, qui in actum mentis internum, vt causa deformitatem, & turpitudinem transfundit.

Sot. in 4. dist. 12. q. 1. ar. 7.

NB

Cap. VIII.

Quando voluntas in actibus subsequentibus potestate duntaxat permanere intelligatur.

Altisiod. in summa li. 2. Tract. 29. cap. 3. quæst. 3.

NON est modũ facilè cognoscere, quo modo, & quamdiu voluntas, quæ præcessit potestate permaneat in actibus subsequentibus, quando illos præstamus nihil actu cogitantes de fine, quem nobis initio proposuimus. Altisiodorensis putat, voluntatem præcedentem in actibus subsequentibus vi, & potestate perdurare, donec per contrarium actum ab ea recedatur, vel temporis decursu ea finiatur. Veluti si Titius animo suo statuerit elargiri eleemosynam pauperibus sibi in via occurrentibus, donec ad certum templum, quò pergit peruenerit: huiusmodi voluntas ipso temporis processu finitur, quia vsque ad certum tempus erat ab initio constituta, & designata. quòd si ad certum tempus non fuisset, in ea Titius perseueraffet, donec per con-

trarium

trarium actum fuisset voluntas prior mutata. Sic etiam tempore definit voluntas, quia ab initio decernit quis, se certo quodam numero bona opera, & virtutis officia obire, quæ non nisi certo tempore præstari queunt. Vt si deliberet Titius decem aureorũ eleemosynam dare decem pauperibus, qui sibi primi omnium occurrerint, huiusmodi voluntas finitur data eleemosyna decem primis pauperibus sibi obuijs. Quæres, quid sit dicendum, si Titius constituit ad certum templum pietatis causa progrediens erogare eleemosynam, studio & gratia charitatis in Deum, quibuscunque, quos in via obuios habuerit, egenis atque mendicis, ac deinde nihil actu cogitans de Deo, det Caio pauperi sibi primum occurrenti, naturali quadam pietate, & commiseratione commotus atque incitatus? Ait Altisiodorensis, huiusmodi actum esse charitatis, & vitæ æternæ præmium Titium promereri, quia quòd ex naturali pietate quadam, & charitate humana proficiscatur, nil impedit, quin etiam diuinæ charitatis impulsu, & imperio; adhuc virtute permanenti geratur. Est enim actus pietatis iuxta, & charitatis: pietatis quidem, actu, & expresse mouentis, charitatis verò vi, & potestate tantùm, non actu imperantis. Quare ex Altisiodorensi licet inferre, vt si Titius nunc sua omnia virtutis, & honestatis officia generaliter dirigat in Dei cultum, honorem, & amorem, vniuersa eius opera deinde ex honestate, & virtutis studio, & causa progenita in Dei cultum, & amorem referãtur, donec Titius priorem voluntatem, & animum per actum contrarium deponat.

Bonau. 2. sent. Dist. 42 1 q. 3. ad vltimũ argum.

Cæterùm Bonauentura docere aliter videtur: Primum enim ait, virtute voluntatem manere, quandocunq; initio operis quod geritur, adfuit; tunc enim licet per horam duret opus, & nihil de voluntate priori cogitetur, omnis pars operis subsecuti fieri virtute voluntatis præcedentis videtur. ait deinde, Quandocunque incipit quis opus, quod refert in Deum, & deinde succedunt alia opera, ita sibi inuicem connexa, vt alia profluant ex alijs, & omnia oriantur ex primo, quoniam secundum, ex quo cætera nascuntur, ex primo proficiscitur; tunc volũtas primi operis virtute permanet in cæteris subsequentibus. Si tamen alia opera fiant, quæ non emanent ex primo; in eis voluntas primi non perfistit, sed oportet voluntatem renouari. Ait præterea idem auctor, non sufficere, si quis initio diei referat generaliter in Deum omnia opera illius diei, mensis, vel anni, ad hoc, vt omnia opera in Deum relata esse dicantur, sed illa solùm opera, quæ proficiscuntur, & oriuntur ex illa prima voluntate diei, mensis, vel anni, in Deum virtute dirigun tur. Tandem cõcludit, si iustus qui deliberat causa, & amore Dei generaliter omnia perficere, postea verò de Deo nihil actu cogitans, aliquid boni præstet amore honestatis, & studio virtutis, tale opus erã in Deum referri virtute, vt si pauperi eleemosynam Titius eroget pio, & bono affectu, videlicet causa honestatis. Additque Religiosum virum, qui statuit Præfecto in omnibus parere, vniuersa, quæ studio virtutis efficit, eo ipso causa & amore Religionis efficere. Gabriel autem docet, trifariam posse aliquid in Deum referri, actu, virtute, & habitu: Actu quidem, cùm de Deo cogitamus, & ob eius cultum, vel amorem aliquid agimus: id verò virtute in Deum referimus, quod est effectus alterius antea in Deum relati operis: tunc autem est effectus, quando secundum non fieret nisi primum præcessisset: Item quando ita se habet, vt si rogaremur, Cur hoc facis? responderemus, quia primum volui; vt puta cum impendimus eleemosynam in vsus pauperis, nihil cogitantes actu de Deo. Si rogati, cur impendis, respondemus, studio Religionis, & charitatis in Deum, hoc satis est, vt eleemosyna propter Deum erogata censeatur. Quãdo vero aliquid ex habitu solùm refertur in primum, quod est sponte, & voluntate factum, non sufficit ad hoc, vt voluntarium sicut primum habeatur. Nam ex habitu aliquando operamur sola imaginatione, non ratione ducti, quoniam dormientes, aut in furore, vel dementia citharœdi, vel cantores cantant, aut digitos, tanquam citharam pulsantes mouent imaginatione, & habitu, quo sunt assueti. Ex quo efficitur, vt si quippiam agamus hoc pacto, non fit actio humana. quippe quæ ex ratione deliberante non fit. vt si Titius preces Horarias recitasset, sola imaginatione, & habitu, officium minimè persoluisset, si eas hoc modò inchoasset, continuasset, & absoluisset. Nam secus esset si sponte sua incepisset, & postea animo citra voluntatem in multa dispersio fuisset cogitatione distractus: quid horum verum sit, suo loco trademus.

Gabriel 2. Dist. 41. art. 1. dub. 2.

Cap. IX.

Quod vis, seu violentia in actionibus voluntariis non sit.

PRIMO quæritur, An possit esse vis in actibus voluntarijs? Respondeo; ex communi omnium sententia, quæ est ex Aristotele accepta, esse non posse. Ratio est, quia vis non solùm cum eo, quod naturaliter fit, sed etiam cum eo, quod voluntarium est, pugnat; violentum enim est, quod est ab externo agente eo, quod mouetur, vel paritur, nullam vim conferente, hoc est, nihil adiuuante. In his verò, quæ naturaliter fiunt, materia, aut res ipsa, quæ patitur, adiumenti aliquid præstat, quia vt minimum actionem adiuuat, eo quòd, vel naturalem propensionem habet ad excipiendum id, quod actione fit, aut quòd apta suaptè natura est, ad patiendum motum extrinsecus impressum. Pari modo in his motibus, & actibus, qui voluntarij sunt, voluntas consensum accommodat expresè, vel tacitè: ideo enim voluntarium aliquid est, quia aliquo modo à voluntate manat, & profluit. In Iure ciuili, Iurisperiti vim definiunt esse maioris rei impetum, qui repelli non potest. *leg. Vis autem, ff. De eo, quod metus causa gestum est.* Quo circa in eodem Iure ciuili extat Titulus De vi, & vi armata, vbi ius continetur, quo iudicis auctoritate subueniatur ei, qui vi deiectus est ex possessione, ad eam recuperandam: veluti cùm quis è solo, vtpotè fundo, vel ædificio vi deijcitur. Idem iuris continetur in Titulo, Vnde vi, qui est Titulus

Arist. 3 Ethicorum cap. vlt.

quartus in lib. viij. Codicis. Item extat alius Titulus, Quod vi, & clam, vbi ius constituitur, quo hi, qui vi, aut clam, aliquid moliuntur, restituere coguntur. est etiam Titulus, ad legem Iuliam, De vi priuata contra eos, qui vi aliquid alteri rapiunt, aut in re aliqua nocent; & alius præterea Titulus ad legem Iuliam, De vi publica, contra eos, qui vi aliquid contra Rempublicam, vel salutem communem agunt, & perpetrant. & in Iure canonico extat Titulus De ijs, quæ vi metúsue causa fiunt. Et in Codice libr. 2. Titulus xx. est De ijs, quæ vi, metúsue causa gesta sunt. Ex dictis perspicitur in donationibus, legatis, testamentis, contractibus, & quasi contractibus, in promissionibus, pactis, & obligationibus, nihil valere, quod per vim gestum esse constiterit.

Secundò, quæritur, quo pacto intelligi debeat, quod dicitur in Regula iuris, l. Inuito, ff. de Regu. Iuris: *Inuito beneficium non datur.* Nam contra huiusmodi Regulam facere omnino videtur, quod excommunicatus etiam inuitus ab excommunicatione absolui potest, & à suspensione, interdicto, & irregularitate. Item pro inuito quis potest appellare. l. Non tantùm, ff. De appellationibus, & rela. vbi statuitur: Si resistit qui damnatus est aduersus prouocantem, nec velit eius appellationem admitti, perire festinans, adhuc puto differendum esse eius supplicium. Item in leg. 1. ff. De liberali causa decernitur, vt si quis ingenuus in seruitute sit, nec velit libertatem, quando commodè potest à seruitute liberari, cum hoc sit in iniuriam parentum, & generis, possint parentes eum etiam inuitum in libertatem vindicare: quod si parentes non fuerint, possint cognati. Et idem iuris conceditur filijs, vt possint parentes etiam inuitos in libertatem asserere, si fuerint in seruitutem redacti. Et in l. Amplius, ff. eodem tit. conceditur militi ius, vt possit litigare pro necessarijs sibi personis, etiam inuitis. Idem tribuitur patrono pro liberto, vxori pro marito, vt ei commodè succurratur.

In hac re dicendum existimo, Regulam Iuris ante citatam veram existere, quia beneficium, & priuilegium est in rem, & ob bonum eius, cui datur. Et ideò inuito non conceditur: nihilominus tamen potest quis inuitus ab excommunicatione solui; ita vt absolutio valeat: tum quia excommunicatio est pœna irrogata, & inflicta ab Ecclesia, & sicut Ecclesia eam constituit, sic etiam potest eam remittere: tum etiam, quia vt excommunicatus tanquam idoneus, & habilis aliquem legis actum, quo ei erat interdictum, præstare queat, potest Ecclesia eum etiam inuitum ad tempus absoluere. & cum suspensio, interdictum, & irregularitas sint pœnæ, & impedimenta ab Ecclesia constituta, potest Ecclesia etiam inuitos, & repugnantes ab huiusmodi pœnis, & impedimentis absoluere; ita vt absolutio vim, & locum habeat. Sic etiam Ius ciuile pro inuito appellationem admittit, ne quis iudicio damnatus sibi noceat appellationem recusans. Et in tuenda libertate concedit ius, vt pro inuitis litigetur, ne seruitus alicuius cedat in iniuriam, & dedecus generis, & aliorum, quorum interest libertas. Eadem ratione iura aliquando prohibent, quominus quis suo iure cedat quando huiusmodi iuris abdicatio alios eiusdem conditionis, & status iniuria afficere videatur.

Tertiò quæritur, An in delictis, & maleficijs, is, qui vi cogitur illa committere, liber sit à peccato: Vt si Titius voluntate dissentiens Idóla colere cogatur; aut si à diuinis, & sacris audiendis, quibus interesse ratione præcepti debet, per vim arceatur: aut si puella virgo per vim stupretur, & illa nec clamet, nec renitatur, cum tamen id facere commode possit? Respondeo, in his omnibus esse animaduertendum, non sufficere voluntate atque animo dissentire; sed oportere etiam ab actu externo, qui sua natura malus est, abstinere, ne in actu externo quis se peccati labe & sorde contaminet. Tunc igitur quis erit immunis à peccato, quando non solùm voluntate repugnabit, sed etiam cæteras corporis facultates omnes, & vires ab actu malo externo submouebit. quod si ipsis etiam membris externis, & facultatibus vis afferatur, nullum erit peccatum, quia nihil sponte, & voluntate geritur. quo fit, vt Titius peccet, tametsi voluntate alioqui dissentiés actu externo idóla veneretur; aut si Christianum, vel Catholicum se esse neget: quoniam licet animo obsistat, volens tamen, actum externum sua natura malum præstat: nempe coram Idólo genu flectit, vel ei thura offert, vel voce Christi fidem abnegat. Si eum tamen vi à sacris audiendis repellas, aut in manu eius thura ponas, & per manum eius offeras Idólo, aut hostias immoles; iustam tunc ille peccati excusationem habet: quia non solùm voluntas eius dissentit, sed etiam corpori vis infertur, vti Gratianus docet 32. quæstione 5. Idem de puella virgine dicendum, aut etiam de quacunque fœmina, cum qua per illatam vim rem quispiam habet: Si enim obniti, & repugnare saltem clamore potest, tunc non satis est, si animo renitatur; sed necesse est clamore insuper, aut alia ratione, qua commode potest, vim illatam depellere, ne in tanto periculo in peccatum consentiat: quod si etiam minimè succedat, quamuis clamitet, aut quippiam aliud conetur, ac tentet, tunc satis est voluntate, & animo dissentire: vt rectè ostendit Gratianus loco paulò ante citato. 32. q. 5.

Quartò quæritur, quo modo violentum voluntario opponatur; Respondeo, hoc modo, quia, si quippiam sponte ac voluntate geritur, id voluntas vult, & approbat: at verò quando vi aliquid agitur, est à principio extrinseco, eo, quod mouetur aut patitur, minimè iuuante. At voluntas cum quippiam vult, eo ipso actum præstat. Obijcies; si quis dormiens ex alto præcipitetur, pulsetur, vratur, torqueatur, secetur, violenter mors, vel absciscio membri in eo contingit; & tamen eius voluntas nihil confert, neque repugnat. Respondeo, huiusmodi mortem, aut absciscionem membri ideo esse violentam, quia non est à natura, sed potius ab externo efficiente contra naturam; & ita animantes aliquando natura pereunt, aliquando vi extrinsecùs illata: natura quidem, cum senio conficiuntur: vi, cum vulnere ex telo inflicto extinguuntur. Item si dormiens quis præcipitetur, vratur, secetur, est

tur, est violentum; quia etiam est contra voluntatem, non actu, sed habitu, quoniam si vigilasset, animo penitus dissensisset, ac recusasset.

Quintò quæritur, An possit voluntas aliquo modo cogi; Respondeo, ex communi omnium sententia, tum Philosophorum, tum Theologorum, voluntatem posse quidem aliquando necessariò moueri ad aliquid appetendum, vel repudiandum; non tamen posse cogi inuitam: quia, si cogeretur, eo ipso vellet simul, & non vellet, id quod & absurdum est, & fieri non potest. Nam si cogitur, ergo inuita vult: si vult inuita, eò ipso, quòd est inuita, non vult, quia cogitur, vt velit: at verò eo ipso, quòd vult, licet inuita, vult; ergo vult simul, & non vult. Animaduertendum tamen est, flecti posse voluntatem magnis precibus, persuasionibus, terroribus, & minis incussis: & tunc voluntas vulgò dicitur trahi, atque adeo compelli: non quia verè, & propriè fit vis, aut verè cogatur; sed quia alioqui voluntas non vellet, nisi hæc, & alia similia adfuissent.

Sextò quæritur, An voluntas cogi possit in suis actibus imperatis. Respondeo, posse: potest enim quis inuitus quippiam videre, audire, gustare, loqui. Item potest loco moueri nolens etiam, & inuitus: huiusmodi enim actus, ministro & comite aliquo corporis membro geruntur: vis autem potest inferri corpori, & eius membris: potest enim manibus, pedibus, naribus, & auribus vis afferri: vt si Titium ligatis pedibus, & manibus pertrahas quò velis. Porrò sunt huiusmodi actus violenti, nõ quidem quatenus ab ipsis naturæ facultatibus efficiuntur; nec enim visus, si cernat, vim patitur, nec auditus cogitur audire, si audiat, sed quatenus fiunt contra volũtatem, quæ cum sit proprius hominis appetitus, est communis omnium membrorum, & facultatum in homine: & quatenus vis infertur membris corporis, quibus vti voluntas prohibetur. Quare cùm quippiã cernere, audire, vel loqui cogimur, violentum est, quia contra voluntatem facultates nostræ, vel membra ad aliquid feruntur, & illata vi pertrahuntur.

Cap. X.

Quando voluntarium ex toto, vel ex parte metu tollitur.

DE hac re agit Aristoteles *lib. 3. Ethicorum cap. 1.* Nyssenus, siue Nemesius *lib. de Homine cap. 1.* Damascenus, *lib. 2. Fidei Orthodoxæ cap. 24.* S. Thomas *in Prima, sec. quæstion. 6. artic. 6.* Extat Titulus 2. libr. 4. Digestorum, de eo, quod metus causa gestum est, & in Codice libr. 2. Titulus XX. est de his, quæ vi, metusue causa gesta sunt. Et lib. 1. Decretalium Titulus XL. est de his, quæ vi metusue causa fiunt. Porrò de hac re tractant Theologi *in 4. dist. 29.* Sotus *ibidem q. 1. art. 2. & 3.* Couarruuias *de Matrim. & sponsalibus, Par. 2. cap. 3. §. 4. & 5.* & Summistæ *in verbo Metus.* Quare tractatio de Metu, ad multa in moribus, & humanis actibus definienda conducit.

Primò quæritur, Quid in iure Metus appellatione accipi debeat? Respondeo. In l. 2. ff. De eo quod metus causa gestum est, decerni, Metum esse instantis periculi, vel futuri causa, mentis trepidationem: non enim periculi remotioris, sed imminentis, vel verisimiliter mox futuri iusta formido est. Sic etiam Philosophi docuerunt, Metum esse animi perturbationem prouenientem ex cogitatione, seu præsensione mali, vel imminentis, vel probabiliter venturi. nam pericula, aduersa, & mala, vel cum instant, vel cum ventura verisimiliter credũtur, animum commouent, perturbant atque deterrent.

Secundò quæritur, Quomodo in iure Metus diuidatur? Respondeo, multis modis. Primò enim alius metus dicitur iustus; alius non iustus. Secundò, alius dicitur probabilis; alius non probabilis. 3. alius dicitur leuis, vel vanus; alius grauis. 4. est alius cadens in constantem virum: alius non cadens. Porrò metus iustus, probabilis, grauis, & cadens in constantem virum est quidem re vnus, & idem; diuersis tamen appellationibus dictus. Dicitur enim iustus, quia eum scripta Iura, & leges excusant, quamuis cõtra ea quidpiam agatur. Probabilis, quia eum eadem Iura, & leges approbant. Grauis, quia est alicuius magni periculi instantis, vel futuri formido. Dicitur cadens in constantem virum, quia est metus, quem etiam habere solent viri constantes, & fortes, licet scripta Iura & leges non seruent; perindè ac si diceres, per huiusmodi metum virum quempiam, scriptum ius omittentem, aut labefactantem, non amittere suæ constantiæ, & fortitudinis meritum, & laudem; aut non desinere aliquẽ esse virum constantem, & fortem, quamuis leges, & scripta iura perrumpat. Huiusmodi autem metus est is, quo aliquis patitur iniuriam minorem, vel iacturam minoris boni, vt vitet iniuriam maiorem, vel in maiori bono detrimentum, & damnum. veluti sustinet Titius infamiam, vel contumeliam, aut sui patrimonij iacturam, ne mortem, & pœnam capitis subire cogatur. Sic etiam proijcit merces in mare, ne passus naufragium intereat: offert peregrinus suas pecunias latroni, veritus vincula, verbera, supplicium, & necem. Pari modo finit se quis interimi, ne aliquod siue lethale, siue veniale peccatum admittat; quia scilicet deterius malum est peccatum, quàm quodcunque aliud corporis incommodum.

Tertiò quæritur, Quænam sint mala, quæ metu iusto, & cadente in cõstantem virum metuuntur? Respondeo, esse multiplicia. Primum est metus mortis corporalis, *C. De ijs quæ vi, metusue causa gesta sunt.* Secũdum, est metus cruciatus corporis, vel abscissionis membri corporalis, *l. si per vim & l. si donationis, C. De ijs, quæ vi, metusue causa gesta sunt, & l. cuiusdam C. de transactionibus.* Tertium, est metus amittendi libertatem propter captiuitatem, vel seruitutem. *l. Isti quidem, ff. De eo, quod metus causa gestum est.* Quartum, est metus verberum, carceris, stupri, quo virginalis integritas violetur, & amittatur. *l. Nec timorem, & l. Qui in carcerem, ff. Quod metus causa gestum est.*

Quartò quæritur, An metus, quo quis timet amittere omnia bona temporalia, sit iustus? Respondeo, esse iuxta communem tum Ciuilis tum Canonici Iuris interpretum, Summistarum, & Theologorum sententiam. Sic enim docent Bartholus, Baldus, Panormitanus, & Couarruuias. Ratio eorum est, quia patrimonium est ne-

Bart. in l. Si ob turpẽ. ff. De cond. ob turpem causam. Bald. in l. 1. in fine. C. De eo,

cessarium ad vitæ conseruationem, & communes vsus.

Quintò quæritur, An si quis timeat amittere maiorem partem bonorum temporalium, metus sit iustus? Respondeo, ex communi sententia eorundem vtriusque Iuris interpretum, esse: quia est metus grauis periculi, & mali. *Cinus, Iason, Gosfredus, Panormitanus, & Couarruuias, & colligi potest ex l. Propter litem, ff. de excusationibus tutorum, & temporibus earum.*

Sextò quæritur, An metus infamiæ, vel dedecoris sit iustus? S. Thom. Duran. Palud. 4. *dist.* 29. aiunt, non esse iustum. Sed Respondeo ex dictis, cum esse iustum; quia meliora bona sunt fama, gloria, & honor, quàm sit patrimoniũ; ergo grauior est metus amittendi aliquid istorum, quàm timor perdendi patrimonium. Et hoc intelligitur (iuxta Syluestrum) quando timemus infamiã Iuris: nam cum facti infamiam formidamus, metus non est iustus: atque hoc proculdubio, S. Thomas, Durandus, Paludanus docuêre dicentes, infamiæ metum iustum non esse: vt, si in delicto deprehensus teneatur inclusus, alligatusue, donec promittat aliquid, ne prodito crimine, & ad iudicem delato, famam amittat, & Iuris infamiam contrahat, iustus est metus.

Septimò quæritur, An metus excommunicationis sit iustus, cadens in constantem virum? Sotus censet non esse. Sed communis est Iuris Pontificij Doctorum opinio, esse iustum. Sic Io. Andreas, Panormi. Felinus, & Couarruuias, qui asserunt hanc sententiam esse communem. Et certè hæc est vera opinio: quia excommunicatio est malum animi; ergo est grauius malum, quàm patrimonij temporalis iactura, & quàm infamia, vel dedecus: Sed metus, quo timemus amittere patrimonium est iustus; ergo & metus excõmunicationis. Sed est animaduertendum, tunc metum excommunicationis esse iustum, quando timetur excõmunicatio iniusta, non iusta, & quando excommunicatio iniusta commode alioqui euitari non potest. vt si Episcopus opibus, gratia & potentia valens, & qui facilè indignari, & sęuire in alios solitus est, comminetur Titio, se in eum sententiam excommunicationis laturum, nisi ei promittat, vel vendat, vel commodato det rem certam, aut nisi beneficium deponat; munere, quo fungitur, se abdicet, alioúe suo iure cedat.

Octauò quæritur, Quid accipi debeat nomine capitalium minarum, cum dicitur in l. Si donationis, C. De ijs quæ ui, metusúe causa gesta sunt, capitales minas efficere metum iustum. Aliqui respondent, debere accipi pro periculo ne caput amittamus, ex quo vita hominis pendet. Sed quia in lege citata capitales minæ post mortis periculum ponuntur; ideo verius est, quod eo loco tradit Accursius, intelligi periculum, quo quis metuit libertatis iacturam, aut timet incurrere in pœnam legis, qua ciuitas amittatur. Nam in Iure Ciuili capitales pœnæ dicuntur mors corporalis, & mors ciuilis, qua perdit aliquis libertatem, vel ciuitatem.

Nonò quæritur, An semper sit iustus metus, qui per mala supradicta incutitur. Respondeo, minimè; sed tunc tantùm esse, quando prædictorum malorum periculum vitari nequit, aut certè non nisi cum difficultate: talem enim metum leges, & Iura iustũ appellant, cui obsisti, aut qui repelli non potest. quare si facilè, & commodè prædicta mala caueri, & declinari queant, metum iustum non afferunt. Item si aliquod prędictorum malorum immineat, vel propriæ personæ, vel filiorũ, aut vxoris, iustum metum efficit, *l. Isti quidem, ff. de eo, quod metus causa gestum est.* solent enim parentes, & mariti pro effectu in liberos, vel vxores magis terreri. Item metus iustus est, cum quis aliquod ex prædictis malis, vel suis, vel sibi impẽdens, vel saltem in minis timet, quando verosimiliter credit post minas consecuturum.

Decimò quæritur, An Metus in Iure aliter diuidatur. Respondeo, vtriusque iuris interpretes Metum diuidere in species quinque. Primus metus est minarum: secundum appellant facti, qui metꝰ oritur ex periculo præsentis mali, aut certè probabiliter proximè futuri. Tertius dicitur potentiæ, qui incutitur subditis à Principe, Magistratu, aut aliqua alia superiore potestate humana. Quartus appellatur reuerentiæ, quo libertus patronum, filius patrem, vxor maritum, Clericus Episcopum, Regularis Præfectũ reueritus timet. Quintus metus est perfidiæ, cum aliquis ad quippiam agẽdum permouetur, quia metuit alicuius perfidiam sibi, vel suis grauiter nocituram. Veluti si quis morbo laborans rogatus à Medico, vt donet, vel vendat ei fundum, inter medendum id faciat ex timore, quem habet, ne medicus sibi medicamenta aduersa suppeditet. *l. Medicus, ff. De variis, & extraordinarijs cognitionibus.* Sed est animaduertendum, metum potentiæ, qui oritur ex solo imperio, vel precibus superioris potestatis, & metum reuerentiæ non inijcere metum iustum, nisi interueniant minæ, vel verbera, *vt docet Bartolus & Glossa, Innocentius, & Panormitanus.* Item, In minis ad hoc vt iustum metum inferant, requiritur, vt is, qui minatur, solitus sit sæuire in eos, quibus est comminatus. *Bar. Glos. Innoc. Panormi. supcitati.*

Vndecimò quæritur, An metus sit iustus, quo aliquis tenetur ex suo præcedenti delicto, aut ob causam iustam antecedentem. Respondeo, leges, & iura, huiusmodi metum pro iusto non habere. Veluti si Titius metu, in quem incidit ob delictum suum, vel ob aliam iustam causam, donet, vel promittat, vel se obliget alteri, valet obligatio: quia metus non est iustus. In l. Si mulier. ff. De eo, quod metus causa gestum est, sic habetur: Si mulier contra Patronum suum ingrata, sciens se ingratam cum de suo statu periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promiserit, ne in seruitutem redigatur, vt ingrata, valet promissio, vel donatio; nec datur in iudicio repetitio eius, quod est donatum, quoniam ipsa sibi hunc metum infert. Item si medicus dicat ægroto periclitanti: Non tibi medebor, nisi promiseris, te ducturum vxorem filiam meam: si promittat ægrotus, absque metu tamen perfidiæ, metu solo, ne destitutus pereat vi morbi, promissio valet. Præterea si fœmina aliqua dicat Titio condemnato ad mortem, vel captiuo apud hostes: Ego te pecunia liberabo, si promiseris, te ducturum me in vxorem, vim habet promissio, si fiat. Item si Iudex dicat iuueni, qui virginem violauit, ob quod flagitium ille condemnari debeat:

Non

quod metꝰ causa. Gloss. & Panorm. in C. Abbas, de ijs, quæ vi, metusue causa fiunt. Couarr. de matrim. et sponsalib. Par. 2. c. 3. §. 4. nu. 18. Panorm. et Couarr. locis citatis, in quibus reliquos referunt.

Sot. in 4. d. 29. q. 1. a. 2 Ioan. And. Feln. Panorm. & Couarru. locis citat. Canonista in c. cũ dilectus, de ijs, quæ vi, metusue causa fiunt. Couarr. de matri. par. 2. c. 3. §. 4. num. 18.

Non te condemnabo, si eam duxeris vxorem, facta promissio valet. Hæc omnia colliguntur ex l. Continet, §. sed vim, ff. De eo, quod metus causa gestum est: idemque docent Sotus, Almainus, Syluester, Angelus, & alij cõmuniter. Immò tradit Couarruuias ex aliorum sententia, quos refert ipse, constituta lege, more, aut Principis, vel Reipublicæ auctoritate confirmata, qua damnati ad mortem ob certa delicta absque pœna liberi dimittuntur, si aliquam meretricem in vxorem accipiant, contractum matrimonium valere: quia huiusmodi metus à nemine ad matrimonium contrahendum infertur, nec in prædictis in iudicio actio datur, qua repetatur, quod donatum est, aut qua promissio, obligatio, vel contractus rescindatur. Sunt tamen alij casus, in quibus in iudicio datur actio, Quod metus causa; nempe vt contractus dissoluatur, licet metus ex præcedenti delicto nascatur; velut si adulter deprehensus in adulterio donet aliquid, vel ꝓmittat, vel sese iurisiurandi religione obstringat, & obliget alteri, ne occidatur ab eo, qui ipsum deprehendit. Item si fur in furto deprehensus promittat certam pecuniæ quantitatem, ne conijciatur in vincula. Pari modo si quis deprehensus in flagitio aliquo donet, vel promittat aliquid, ne prodatur, vel ne accusetur. In his omnibus promissiones, obligationes, vel contractus metu facti, in foro interiori valent; in iudiciali verò actio datur, vt possint rescindi. *leg. Nec timorem, & l. Isti quidem, ff. De eo, quod metus causa gestum est.* Si quæras causam, cur in his casibus leges concedant actionem, qua dissoluantur, quæ metu gesta sunt, & in primis casibus supradictis non concedant; cum tamen in omnibus metus ex delicto præcedenti, vel causa voluntariè data prouenia; Respondeo, diuersam esse rationem in his, atque in prioribus. Nam fur, adulter, & quicunque alius in flagitio deprehensus, ex iure prodi, vel accusari quidem potest; sed quia is, qui accipit pecuniam, vel rem aliam, ne prodat, vel accuset, vel occidat, vel conijciat in carcerem, vel vincula, male accipit, & contra commune bonum; ideo leges concedunt repetitionem pecuniæ acceptæ. Item licet fur, vel adulter deliquerit, iusto tamen metu mortem, vel vincula pertimescit. at verò in prioribus casibus, vt puta in patrono, qui à liberta ingrata accipit pecuniam, ne eam in seruitutem redigat, promissiones, obligationes, & contractus non solùm valent, sed nec rescinduntur in Iudicio: quia pecuniam accipere in huiusmodi casibus, nec est aliqua lege prohibitum, nec bonos mores corrumpit, neque peruertit.

Sotus, Almai. 4. di. 29. Sylu. Angel. in verb. Matrim. Couar. de matrimon. pa. 2. cap. 3. §. 4. nu. 17.

Duodecimò quæritur, An mala metu cadente in constantem virum facta, excusentur in totum, vel ex parte; quod perinde est, ac si quæratur, An culpa careat malum, quod fit ob malum aliud grauius, & deterius euitandum. De hac re S. Thomas *secunda secundæ, q. 125. art. 4. & Caietanus ibidem, & Prima secundæ, q. 96. art. 4.* Sotus *lib. 1. de Iustitia q. 6. art. 4. & in 4. dist. 22. q. 1. art. 4.* Couarruuias *de matrimonio, & sponsalibus, part. 2. cap. 3. §. 4. & 5.* Almainus *Tract. 1. Moralium cap. 3.*

Aristot. 3. ethic. ca. 1. Eustra. ibidem.

Aristoteles aperte ait, nullo metu constantem virum posse aliquid turpe committere; esse tamen aliqua turpia, quæ vir constans metu mortis possit efficere. Quare Eustratius in commentarijs in Aristotelem docet, ob metum mortis incussum à tyranno, posse aliquem non solùm mentiri (nam mendacium, inquit, hic auctor, cuius nomine illa commentaria feruntur, vtilitatis gratia dici iure potest) sed etiam rem habere cum fœmina sibi non nupta, aut cum vxore aliena, vt commode tyrannum interimat, & vt vitam suam, vel parentum, vel filiorum tueatur, & seruet. & probat, quoniam hoc non est absolute malum admittere, sed malum deterius, & grauius deuitare. & Glossa *in leg. penultima. ff. si familia furtum fecisse dicatur*, asserit, seruum facientem aliquod delictum metu, ne interiret, nisi domino imperãti obediens fecisset, non peccare. quam Glossam approbasse videtur Iason de Actionibus. §. si minus, nu. 17. vbi ait. Si tyrannus in carcerem detruserit duos innocentes, & vni imperet, vt trucidet alterum, sin minus, ipsum necandum, occidens alterum non peccat, & Cinus *in l. 1. C. Vnde vi, q. penultima* quærit, Quidam habens vxorem suspectã de adulterio, seruo seu familiari suo imperauit, vt eã occideret, alioquì ipsi mortẽ comminatus: seruus metu mortis interemit, an seruus eam occidendo peccauerit. Concludit nõ peccasse, quia seruus interfecit ne ipse necaretur; vi igitur vim repulit: sicut etiam interimere eum, qui in nos vi, & impetu, armis, & per iniuriam inuadit. Eodem exemplo vtitur Salicetus, idem affirmans *in leg. 1. C. Vnde vi.* id ipsum etiam tradit Bartolus *in leg. Si seruus, ff. De noxalibus actionibus.* Nam in ea lege §. Is qui, aperte dicitur, seruum nihil deliquisse, qui domino iubenti obtemperauit: quam etiã sententiam videtur secutus Io. Anania *in cap. interfecisti. nu. 18. De Homicidio*, vbi ait: Si tyrannus dicat, occidam te, nisi interfeceris Titium, excusatur occidens Titium. Sed certè, vt tradit Panormitanus, huiusmodi ciuilis iuris Doctorum sententia apertè pugnat cum sacris canonibus, cum Aristotele, cum Augustino, & cum recta ratione. Nam in cap. Sacris, De ijs quæ vi, metúsue causa fiunt, dicitur nullo metu esse peccatum mortale committendum: at homicidium ex obiecto, & natura sua est peccatum lethale, & Aristoteles planè docet, turpia, vt furtum, & adulterium, nullo metu esse admittenda; & Augustinus *in lib. de mendacio, & lib. contra mendacium*, latè probat non esse peccandum, vt aliud malum deuitemus. Hoc etiam efficacissimè ratio naturalis ostendit: quia omne lethale peccatum est mors animæ; sed longè peius malum est mors animæ, quam mors corporis; ergo contra rationem est eligere mortem animæ, vt corporis mortem cauere, & deuitare possimus.

Panorm. in cap. Sacris, de ijs, quæ vi, metúue causa fiunt.

Hac igitur in re communis est omnium Theologorum, & Pontificij iuris interpretum opinio, mala, quæ ex sua natura peccata sunt, & idcirco prohibita, nullo metu excusari: quia, quod est per se genere suo malum, semper est peccatum. Quare Eustratius maximè fallitur, sicut etiam ciuilis iuris interpretes, quos in medium paulò ante produxi. Nec pro eis quicquam Aristoteles facit, aut lex supra allegata. Aristoteles enim turpe nõ accipit (vt putauit Eustratius) id, quod est per se, & secũdum animum turpe, hoc est, honestati, & rectæ rationi contrarium; sed quod est opi-

2. Ethic. cap. 1.

nione hominum, aut secũdum corpus turpe, qualia sunt sordida, vilia, & abiecta. Aristotelis ergo sensus est, virum bonum aliquãdo facere, aut pati turpe, id est, sordidum opus, aut vile propter metum, hoc est, vt tyrannum occidat ob se, vel suos liberos conseruandos. Quod si objcias Aristotelem eo loco differentiam constituere, cum ait: Aliquando vir bonus turpe aliquid facit, aut sustinet propter metum. Aliqua tamẽ, inquit, sunt turpissima, quæ nunquam facit, vel patitur, quale est occidere parentes, patriam prodere, fidem perfringere, religionem violare. Ergò significat Aristoteles inter turpia, & inhonesta, aliqua esse leuia, quæ metu excusantur, alia esse grauiora, quę nullo metu à peccato liberãtur. Respondeo, vt dixi, nomine turpis Aristotelem intelligere quicquid virum bonum dedecet; aut quia est vile, & abiectum; aut quia opinione, vel natura sua cum præscripto rectæ rationis, & honestate pugnat. Item lex ante citata rectè accipitur, si intelligamus, seruum nihil deliquisse, qui domino iubenti obtemperauit, nimirum in his, quæ solùm sunt iure scripto prohibita: ita vt in his non sit seruus iure, & legibus puniendus.

Perspicitur ex dictis primò, falsam quoque esse sententiam eorum, qui docent posse quem licite mentiri metu mortis: quoniam tametsi officiosum sit mendacium, quod metu mortis dicitur, mendacium tamen est: at mendacium per se semper rectæ rationi aduersatur. Colligitur deinde ex communi Canonici Iuris interpretum, & Theologorum doctrina, quam tradidit Augustinus *lib. cõtra mendacium, cap.* 8. nullo metu peccatum veniale esse committẽdum, quidquid aliqui scripserint, quia id rectæ rationi repugnat, vt peccatum sit, & tamẽ licitè fiat: nam eo ipso, quod peccatum est, quantumcunque leue veniale sit, est diuina lege prohibitum. Quòd si obijcias, multa, quæ alioqui mala essent, aliquo casu bene fieri, veluti, ensem depositũ domino repetẽti negare, malum est; sic etiam alienum nõ restituere, peccatum est; & tamen si furiosus, vel amens petat, vel si mihi, aut alteri inde interitus immineat, iure denego depositum, aut non reddo alienum: ergò metu mortis possunt mala excusari. Respondeo, Malum in præsentia accipi id, quod per se, & suę naturę conditione ex omnibus suis adiunctis malum est, ensem depositum domino repetenti denegare, nõ est ita per se malum, vt si aliqua circumstantia desit, sit malum: nam sicut bonum id est, quod ratio præscribit, vt fiat quando oportet, & sicut oportet, ita malum est, quod ratio vetat fieri, prout cum suis circumstantijs coniungitur. At ratio non vetat arma deposita furioso domino denegare, cum est meæ, vel alienæ mortis periculum. Cæterùm ei, quod per se mãlum est, sola circumstantia metus incussi iustam excusationem afferre non potest.

Locis supra citatis. Tertiodecimò quæritur, An quæ metu gerun tur sint volũtaria; Respondeo, ex Aristotelis doctrina, quem Nemesius, Damascenus, & S. Thomas sequuntur, esse quidem partim voluntaria, & partim inuoluntaria. Id probat Aristoteles exemplo, quo communiter omnes vtuntur, quando quis naufragium passus, ne vna cũ alijs intereat, suas merces iactat in mare; aut peregrinus pecunias suas latroni offert, ne occidatur ab eo; aut tyranno aliquid dat metu mortis, quam ei cõminatur: Tunc ait Aristoteles, huiusmodi mercium proiectionem esse partim voluntariam, partim inuoluntariam, sed magis tamen voluntariam: tum quia eligitur: at quod eligitur, est magis voluntarium: tum quia voluntarium, immò omnis actio nominatur à fine: at qui profundit merces, id facit, vt vitam suam conseruet: vitæ quoque conseruatio est magis volũtaria, quàm mercium; quia magis vult quisque vitam, quàm merces: Ergò proiectio mercium, vt est ad vitam tuendam necessaria, magis est voluntaria. Item qui proijcit merces, vt se saluum faciat, laudatur. at nemo iure laudatur nisi ob factum voluntarium. Nihilominus tamen ea mercium proiectio est inuoluntaria ex parte; nec enim merces iactasset in mare, si naufragium passus non esset, neque vitæ discrimen incurrisset. Quidam aiunt, esse pro tempore, pro loco, pro occasione data, aut pro conditione posita, voluntariam proiectionem mercium: inuoluntariam verò absolutè, & simpliciter. Id probant, quia absolute si metus mortis abesset, merces non iactarentur in mare, at verò ex metu proijciuntur: ergò ex conditione, & occasione metus proiectio est voluntaria. Alij contra docent proiectionem mercium esse absolutè, & simpliciter voluntariam: inuoluntariam verò ex conditione. Sic S. Thomas & alij Theologi. Sed reuera Aristoteles quod metu geritur, solùm magis voluntarium, quàm inuoluntarium esse planè docuit, & id eius ratio firmè concludit, vt dixi: & ita Nemesius, Damascenus, Eustratius, & alij communiter Aristotelem interpretantur. Quare sequitur, vt quæ metu geruntur, mixta sint; ex parte nimirum voluntaria, ex parte verò inuoluntaria: magis quidem voluntaria, licèt non absolutè; sed pro loco, pro tempore, pro occasione, & conditione voluntaria sint.

Locis supra adductis.

Cap. XI.

Quædam aliæ quæstiones de metu diluuntur.

PRimò quæritur, An mala, quæ metu mortis committuntur contrà legem aliquam humanam, siue ciuilem, siue Canonicam, iustam peccati excusationem habeant. Duæ sunt opiniones. Prima asserit, minimè excusari. Sic Adrianus, Caietanus, & fortè omnes Pontificij Iuris interpretes, vt Ioan. Andreas, Hostiensis, Panormitanus, Ancharanus, Felinus, & alij. Quod probant in primis ex cap. Sacris, De ijs, quæ vi, metusúe causa fiunt; vbi habetur, non excusari, si quis cum excommunicato sermonem, commerciumúe habeat quocunque metu, & redditur ratio: quia nullo metu est mortale peccatum committendum. Deindè quia Princeps, vel Respublica potest aliquid iubere, etiam si sit periculum mortis subeundum, vt planè constat ex militarium ducum imperijs: ergò potest aliquid lege constitui, etiam cum periculo mortis coniunctum. Accedit his, quod aliqui gradus consanguinitatis, & affinitatis sunt sola humana lege prohibiti; & tamẽ, si quis absq; relaxationis Ecclesiasticæ beneficio

Adrian. in 4. q. 3. De claud. in 8. exceptione. Caiet. 1. 2. q. 96. art. 4. Canonista in c. sacris. De ijs, quæ vi metusue causa fiũt.

in huius-

in huiusmodi gradibus matrimonio contracto metu mortis vteretur coniugali copula, procul dubio peccatum lethale committeret. Secunda opinio asserit excusari. Ita passim sentiunt Theologi, *Sot. loco citato* Gabr. 4. *distinct.* 18. *q.* 3. *art.* 3. *dub.* 4. Mai. *distinct.* 14. *quæst.* 4. Almai. & Med. *locis supra cit.* Angel. *excom.* 8. *num.* 18. Sum. confessorum *libr.* 33. *tit.* 33. *quæst.* 165. Asten. *lib.* 7. *tit.* 11. *art.* 1. *quæst.* 1. Rosel. *excom.* 6. *initio.* Sylvest. *excom.* 5. *quæst.* 14. Tabien. *excommu.* 8. *num.* 8. *num.* 9. & 10. & Armil. *excommu.* 59. id probant. Primò quia si quis fame, & extrema inedia laboret, potest cibum quærere inter homines anathemate affectos. Item si quis excommunicationis vinculo obstrictus fame ita premat, vt in extremum vitę discrimen incurrat; possumus ei alimenta subministrare: Item si iter faciamus per prouincias eorũ, qui sunt excommunicationis sententia damnati, possumus ab eis necessaria ad victum accipere; & loquimur de ijs excõmunicatis, quos euitare Ecclesiastica lege debemus: si quis etiam in iudicium vocatus non possit absque periculo mortis se sistere, eo quod ei transeundum sit per medios hostes, vel latrones, nullo iure compellitur ad id faciẽdum cum suæ vitæ detrimento. Ergo præcepta, vel leges humanæ non inducunt obligationem cum mortis periculo. Præterea quia præcepta obseruandi ieiunia, vel dies sacros, & festos, nõ habent vim nos alligandi instante mortis periculo. Postremò, vt Nauarrus vnà cũ alijs ait *in Manu. ca.* 27. *n.* 239. & nos suo loco fusius trademus, qui occulto excommunicationis vinculo tenetur, vel est occulta irregularitate affectus, potest tuta conscientia semel, aut iterum missę sacrificium facere, vt manifestum, vel probabile mortis, aut notabilis infamiæ periculum euadat. Hæc opinio mihi verior videtur, tum propter rationes eius; tum etiam, quia tametsi præcepta, & leges humanæ potestatem habent iubendi aliquid, quod sit cum mortis periculo cõiunctum, ob salutem, & bonum commune seruandum; nõ tamen semper huiusmodi obligationis onus imponunt. Ex quo efficitur, vt militaria Ducum imperia sæpe obligationem inducant cum vitæ discrimine. Sic etiam Episcopus, peruadẽte in plebem peste, potest presbyteris cum mortis periculo imperare, ne ex vrbe discedant, vt necessaria sacramenta pereuntib. subministrẽt. Potest item Respublica, vel Princeps præcipere, ne medici in tanto periculo ciuitatis absint, néue vrbe faciant: & cuibus mandare, vt arma capiant imminenti alicuo graui hostium incursu. Et pluris faciendam existimo S. Thom. in hac parte sententiam, quam multorũ iuris canonici doctorum, qui quodlib. 11. ar. 9. ad 3. & in addi. q. 23. ar. 3. ad. 1. secundam opinionem amplectitur, & exponit id, quod habetur in c. Sacris. fortassis primæ opinionis Auctores nihil aliud docere voluerunt, nisi oportere nos potius necem perpeti, quam Ecclesiæ legem, aut præceptum perfringere, si quis nobis mortẽ minetur, quia vult, vt Ecclesiæ leges, & præcepta contemnamus.

Ad argumenta verò obiecta respondeo. Ad primum quidem in cap. Sacris. ante citato, Idem Pontifex negat metum mortis iustam excusationem afferre; quoniam conuictus, & societas erat cum excommunicato in crimine, ob quod excõmunicationis vinculo cõstrictus tenebatur, quod non est peccatum contra legem humanam; sed naturalem; & quia eiusmodi cum excommunicato commercium erat cum cõtemptu Ecclesiasticæ censuræ: veluti, si tyrannus mihi mortem comminetur, nisi ieiunium soluam; aut nisi carnes prohibitas comedam ob contemptum Ecclesiæ; tunc debeo potius mortem perferre, quã Ecclesiæ præceptum violare: non quia sit præceptũ humanum; sed quia contemptus Ecclesiæ est peccatum, quod cõtra legem naturalem, & diuinam admittitur. Ad secundum Respondeo, posse Rempublicam, & Ecclesiam aliquid iubere cum mortis periculo coniunctum ob salutem communem; non tamen ita seuerè imperat in alijs causis, vt ante iam diximus. Quare res certa non est, quam vt certam tamen, ac indubitatam Caietanus proponit, Si tyrannus aliquis imperet sacerdoti, vt Missæ sacrificium faciat, & offerat sine linteis corporalibus, aut sine libro continente canonem, sine altari, sine lumine, aut sine vestib. sacris: sin minus certo illi esse moriendum. Certè si id iubeat ob Ecclesię contemptum, mors est eligenda, & sustinenda: si verò ob contemptum non faciat, non est obligatio cum vitæ periculo: nam huiusmodi Caietani sententiam duram satis esse ait Nauarrus *in Manuali, cap.* 25. *nu.* 48. certè Caietanus, nihil aliud voluisse videtur, nisi eiusmodi sacerdotem potius mortem pati debere, quã sic iussum sacrificare, quoniam qui id iuberet, præcipere videretur, vt Ecclesiæ canones, leges, præcepta, & iura despicerentur, & idem iuris esse puto, si quis metu mortis imperarer, vt sacerdos Missæ sacrificium faceret coram aliquo qui esset notoriæ excõmunicationis vinculo obstrictus, id enim facere videretur, vt Ecclesię præceptum, & auctoritas negligeretur. Ad tertium Respondeo interim dum gradus consanguinitatis, vel affinitatis prohibiti sunt, nullum esse matrimonium contractum; & ideo accessus ad fœminam est in culpa, & vitio; non enim res cum vxore, sed cum scorto habetur, quod est peccatum non cum lege Ecclesiastica pugnans, sed cum naturali: quocirca nullus metus mortis potest iustam excusationem dare.

Secundò quæritur, An metu mortis cadente in constantem virum mala, quę committuntur contra legem diuinam scriptam, quam nominant positiuam, excusentur? Circa hoc sunt duæ etiam opiniones: nam auctores, qui in quæstione præcedenti primam opinionem secuti sunt, in hac etiam censent nequaquam excusari: immò etiam Ocham, Gabriel, & Maior, qui sequuntur secundam sententiam, in hac idem sentiunt, quod cæteri huius primæ opinionis auctores. Ratio huius sententiæ est, quia maiorem vim habet lex diuina quàm humana: sed quæ fiunt contra legem humanam metu mortis, minimè excusantur; ergo multo minus quæ fiunt contra legem diuinã. Auctores verò secundæ opinionis putant etiam metu mortis excusari, quæ admittuntur contra legem diuinam scriptam, aut solo Dei nutu constitutam.

In hac re Primò dicendum puto, sæpè excusari mala, quæ metu mortis factitantur contra

1. Reg. 21. Matth. 12. Leuit. 24. Deut. 23. 1. Mach. 2. Iosu. 5.

legem diuinam scriptam. Nam Dauid, ne vnà cum suis fame periret, panes propositionis comedit, quod alioqui erat laicis diuina lege interdictum: atque hoc Dauidis factum Christus Dominus minimè condemnat. Mathathias item, exercitu collecto, & instructo, pugnauit contra hostes sabbato, necessitate compulsus. Constat præterea ex sacris literis, Hebræos circumcisionem omisisse toto quadraginta annorum tempore, quo sunt peregrinati per solitudinem, à qua abstinuerunt eam ob causam, ne ingrauescente vulneris dolore in via, aut mortis periculum incurrerent, aut ne cœpto ab itinere tam laborioso, & tam diuturno retardarentur & impedirentur. Deinde quotiescunq; violatio diuinæ legis, aut est cum contemptu fidei, & religionis; aut est cum detrimento, & offensione aliorum; tunc nullus metus mortis excusat: & hac ratione mortem subiere Machabæi illi fratres intrepidi & inuicti, quia ob contemptũ diuinæ legis, ad suillæ, Leuit. 11. Deut. 14. carnis esum impio rege adigebantur. Tertiò, quandocumque ob salutem, & bonum aliorum necesse est præcepta diuinæ legis implere, tunc etiã nullus metus mortis excusationem habet. Et ideo peste sæuiente, aut naufragio, vel bello, vel fame premente nequaquam excusantur episcopi, vel presbyteri si metu mortis greges sibi commissos destituant. Item si vita paruulus periclitetur, nec sit alius, qui possit ei baptisma cõferre, debeo illum sacra baptismatis vnda lustrare, etiamsi alius mihi pernicie m, & interitum comminetur, ne paruulus sine baptismate decedens condemnetur. Quartò, sæpe præcepta diuina obire, & seruare debemus etiam cum periculo mortis, quando id est necessarium remedium ad salutem propriam: veluti si diuinum præceptum confitendi peccata, vel Baptismum suscipiendi instet, suscipere ipso iure cogor, quamuis mihi tyrannus mortem minitetur: quia huiusmodi sacramenta sunt diuinitus instituta, & præcepta, vt necessaria ad salutem sempiternam. Quod si obijcias, metu mortis vrgente satis esse si votum habeamus ea sacramenta sumendi: quia hæc sacramenta vel re, vel voto percepta salutem afferunt; Respondeo, Nobis minime constare nostram cordis pœnitentiam, quæ extra sacramenta est ad salutem necessaria, & ideo cum de ea dubitemus, cogimur sacramẽta suscipere, quæ ex institutione Christi vim habent gratiam conferendi, qua expurgemur à sordibus peccatorum, & ad diuinam amicitiam reuocemur.

Med. 1. 2. q. 6. art. 6. ad finem.

Tertiò quæritur, An metu mortis liberemur ab obligatione bonorum, quæ alioqui iure naturali, vel diuino sancito, & scripto præstare deberemus? Respondẽt aliqui liberari nos, quod probant duplici ratione. Primùm, quia nos metus mortis excusatione iusta defendit, si peccantem non corripiamus, aut si alteri grauiter laboranti non succuramus. Item obligatio restituendi alienum in tempus differtur, si in restituendo mortis periculum incurramus. Iusiurandum itẽ, & votum à nobis emissum nos minimè tenent, & ligant cum periculo mortis, & tamẽ iuris est naturalis vota, & iusiurandum, & cætera promissa persoluere. Sed reuera dicendum est, nos metu mortis ab huiusmodi bonorum obligatione non liberari, quia vt ante dictũ est, huiusmodi leges, iura, & præcepta nos tenent, vbi, quando, & sicut oportet, hoc est positis omnib. circunstantijs adiunctis, quas recta ratio præscribit. Vota autem, & iusiurandum, & cæteræ leges, quę obijciuntur, non alligant nos vi iuris naturalis cum propriæ vitæ discrimine: in ipsa enim iuris naturalis obligatione intelligitur hoc discrimen exceptum. quare nihil est, quod peculiarem quis difficultatem nobis in his præceptis potius, quam in alijs faceſſat, & ingerat.

Quartò quæritur, An votum factum, vel iusiurãdum emissum in naufragio, peste, bello, morbo, vel alijs huius generis periculis, habeat vim nos alligandi, cum metu mortis imminentis iuramus, vel vouemus. Respondeo, ex communi sententia Theologorum, iuris Canonici Doctorum, Summistarum, omnibus huiusmodi votis, & iurisiurãdi vinculis vim inesse, qua obligamus nos Deo: quia non est metus ab homine incussus; sed ex causis naturalibus ordine à Deo constituto agentib. proueniens. Idem iuris est, si votum fiat ex concepto metu Dei, aut metu gehennæ, aut metu neæternã beatitudinem amittamus; hic enim metus diuinitus speciali auxilio nobis immittitur ad hoc, vt virtutis officium præstemus. *Abb. in c. 2. de renunc. & c. 2. De ijs, quæ vi, metúsue causa. Couarr. de matrimonio p. 2. c. 3. §. 4. n. 16. Sylvest. Votum. 2. q. 12. & colligitur ex c. 2. de Regularibus.*

Quintò quæritur, An promissa, vel pacta, vel obligationes, vel contractus metu in virum constantem cadente facti valeant; De hac re tractant Glossa, & Ioan. Andreas, Panormitanus, Ancharanus, Antonius Butrius, & alij canonici iuris interpretes *in cap. Abbas, De ijs, quæ vi, metúsue causa fiunt.* Angelus Syluester, & alij Summistæ *in verbo Metus.* Hostiensis *in summa, Tit. de ijs, quæ vi, metúsve causa fiunt;* Theologi, S. Thomas, Richardus, Scotus, Paludanus, Almainus, Maior, Sotus *in 4. Dist. 29.* Couarruuias *de sponsalibus, & Matrimonio par. 2. cap. 3. §. 5.* Ex quibus auctoribus colligitur octo, vel nouem esse ea, quæ eò quod metu in virum constantem cadente geruntur, sunt ipso iure infirma, & irrita. Primùm est matrimonium metu contractum, *cap. Veniens 2. & cap. Cum locum, & cap. Consideranti, De sponsalibus.* Ac licet Cardinalis asserat, hoc iure non probari; quoniam putat matrimonium metu contractum esse ratum, & firmum; sed auctoritate Ecclesiæ esse rescindendum: verius tamen est quod tradit Panormitanus communi consensu receptus, ex iure plane colligi nullum esse matrimonium, metu vxore suscepta. Hoc enim deducitur ex cap. significauit, de eo qui duxit vxorem, quam corruperat per adulterium, vbi ei, qui metu primum matrimonium contraxerat, conceditur libera facultas ad aliud matrimoniũ transeundi, quę facultas reuera dari non posset, si primum matrimonium metu initum valuisset.

Card. in c. Abbas, de his, quæ vi metúve causa.

Sextò quæritur, Quo iure, num diuino, aut naturali, vel gentium, an solum canonico matrimonium metu contractum sit irritum; Respondeo cõmuni Theologorum cõsensu refutari sententiam quorundam afferentium matrimonium huiusmodi esse ratum, sed ab Ecclesia dissolui;

quo-

quoniam probabiliter credit in eo non fuisse consensum ex parte eius, qui metu coactus matrimonium iniuit. Duæ itaq; circa hoc sunt opiniones. Prima docet esse irritum iure diuino seu gentium & naturali; quia metus pugnat cum natura matrimonij, matrimonium enim ex sua institutione, & natura est perpetuum, & indissolubile: ergo exigit plenam libertatem, quam minuit magna ex parte formido. Sic Scotus, S. Thom. Richard. Gabriel. supplementum. Secunda opinio tradit, matrimonium metu contractum iure tantùm Ecclesiastico irritum esse. Paludanus, Durandus, Maior, Almainus, & Sotus probant triplici ratione. Primò quia quod metu geritur, est simpliciter voluntarium: sed in matrimonio sufficit consensus verbis expressis. Deinde, quia cætera, quæ iure ipso sunt irrita, eo quòd metu gesta sint, solùm sunt irrita iure Ecclesiastico; ergo & matrimonium: Præterea, quia metus quicunque, etiam leuis minuit, & detrahit aliqua ex parte libertatem; & tamen omnes conueniunt, ex leui metu contractum valere: ergo iure Ecclesiastico effectum est, vt nullum sit matrimonium iusto metu celebratum, & initum. Hæc opinio est verior, quam probant & firmant rationes allatæ. Et quia differentia, qua metus distinguitur in leuem, & grauem, ac iustum, vt grauis metus pacta, contractus, & promissiones dissoluat, leuis non item, ex Iure Ecclesiastico nata est: quoniam multa alia sunt, quæ ex metu graui, & iusto geruntur, & nihilominus valent, quia iure Ecclesiastico non dirimuntur. Et profectò primæ opinionis Auctores solum voluisse existimo, iure optimo Ecclesiam, Principem, vel Rempublicã legem statuere posse, quia fiat irritum eiusmodi matrimonium, qualis lex cõdi potest apud paganos, & alios, qui sunt à fide, & Religione Christiana alieni.

Sco. 4. dist. 29. q. 1. ar. 2. S. Tho. Dist 29 q. 1. art. 3. cui sententiæ videtur accedere Rich. 4. d. 29 a. 1. q. 1. & art. 2. Gabr. 3. d 29 q. 1. art. 2. concl. 8. Palud. in 4. d. 29 q. 2. a. 3. Dur. in 4. d. 29. q. 2. Maio. in 4. dist. 29. q. 1. Almai. 4. d. 29. q. 1. a. 3.

Septimò Quæritur etiam inter Doctores, An sponsalia metu iusto facta, sint irrita; In hoc communis est sententia Pontificij iuris interpretum, Summistarum, & Theologorum, esse irrita iure Ecclesiastico; & hoc ob bonum commune coniugij, vt ex perfecta libertate nuptiæ coniungantur.

Secundus Casus, in quo res, quæ metu iusto geritur, ipso iure non valet, est in dote: nam dos, siue promissa, siue soluta, metu in virum constantem cadente, nullam vim habet. *l. Si mulier, §. Si dos. ff. De eo, quod metus causa gestum est.* Tertius Casus est in Iurisdictione: nam Iurisdictio metu collata non transfertur *l. 2. ff. de iudicijs.* Rursus, quando metu prorogatur, non valet prorogatio, *vt in eadem lege.* vnde electio Prælati metu facta vim non habet, *vt in cap. Vbi periculum §. Cæterùm, De electione in 6.* Quartò Nulla est auctoritas tutorum metu extorta. *l. 1. §. vltim. ff. De auctoritate tutorum.* Quintò Nulla est per metum obtenta absolutio ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto. Item nulla est reuocatio huiusmodi censurarum metu facta, *cap. 1. De ijs, quæ vi metusue causa fiunt in 6.* Sextò Testes in testamento metu adhibiti, vel detenti, ipso iure testificandi vi, & auctoritate carent. *l. Qui testamento, ff. De testamento.* Septimò Votum metu factum ipso iure est irritum. cap. Perlatum, De ijs, quæ vi, metusue causa fiunt: quare si quis vi, aut metu mortis adactus, sacris ordinibus initiaretur, aut Religionis institutum profiteretur; castitatis, aut religionis voto minimè teneretur. *Sot. 4. d. 25. q. 1. a. 2. Paluda 4. d. 25. quæst. 3.* Octauò, Cum quis in carcerẽ detruditur, aut detinetur metu in virum fortem cadente, omnis promissio; vel obligatio facta in gratiam eius, qui coniecit in carcerem aut detinet, ipso Iure est irrita. *l. Qui in carcerem ff. De eo, quod metus causa gestum est.* Nonò, Omnis eleemosyna, & quæcunque donatio metu extorta, rata, & firma non est: quia suapte natura postulat donatio, vt gratis, & liberaliter fiat.

Octauò quæritur, An sententia metu lata sit ipso iure irrita. Hostiensis censet, nullam esse sententiam, quæ metu fertur. Sed verius est oppositum, quod communiter docet Glossa, Archidiaconus, Parnormitanus.

Hostien. loco citato. Gloss. & Panormit. locis præcitatis.

Nonò Quæritur, An abdicatio beneficij metu facta valeat; Antonius Butrius sentit, ipso iure non valere, quamuis interueniat superioris consensus. sic etiam quidam alij. Sed verius est, eam ratam esse, & firmam, vt pleriq; docent, Innocentius, Glossa, & Panormitanus, Romanus: vt apud Panormitanũ, qui alios refert, legimus: posse tamen repeti restitutionem actione, Quod metus causa, & fit restitutio in pristinum ius sine noua ipsius beneficij impetratione, licet fuerit titulus amissus, *vt docet Panormitanus.*

Decimò Quæritur, An constitutio Procuratoris ad causas, vel negocia metu extorta ipso iure sit irrita; Hostiẽsis negat, eam ratam esse; sed Panormitanus, Romanus, & alij communi consensu affirmant, valere; posse tamen reuocari actione, Quod met⁹ causa. Couarruuias tamẽ opinionem communem restringit, dicens Constitutionem Procuratoris metu factã ad matrimonium contrahendum, esse irritam. sed hoc nullo iure corroborat.

Vndecimò Quæritur, An electio, qua non certa persona eligitur, sed vna incerta ex certo genere personarum, vt puta ex certo Collegio Canonicorum vel Regularium, si per metum fiat, ipso iure sit irrita. Communis est opinio, quando certa persona eligitur, & electio est metu extorta, eam non valere, quia per electionem iurisdictio confertur, & iurisdictio metu obtenta non valet, vt dixi: At verò quando electores metu non coguntur certam personam, deligire, sed vnam ex certo genere personarum, tunc electionem esse firmam, quia substantia electionis est libera, cùm liberè possit eligi hæc, aut illa persona. Sic Panormitanus communi consensu receptus *in c. cum terra. de elect.* Feli. & alij, quos citat Couarruuias *in 4. p. 2. c. 3. §. 5. n. 8.* Quòd si roges, Quid si electio sit futura inter duos, & metu cogãtur electores alterutrum ex illis eligere? Romanus, quem Couarruuias citat, ait nullam esse electionem. Sed verius est, quod ait Couarruuias, electionem valere: nam sufficit, si inter duos sit futura: eo enim ipso sit libera electio.

Hinc perspicitur, quid sit iudicandum, quando ciuitas exercitu militum obsessa, vel à tyranno compulsa deligit & creat magistratus. Si enim metu cogatur certam personam deligere, electio non valet. Si verò solùm compellatur

vnum ex certo genere personarum eligere, electio est rata & firma. Si tamen quæras an, si Titius metu cogatur vxorem ducere, non quidem certam filiam Caij, sed alteram ex duabus, huiusmodi matrimonium tanquam metu contractum sit irritum, an verò tanquam liberè factum, sicuti de electione simili diximus, vires habeat? Couarruuias sentit, nullum esse huiusmodi matrimonium, quia est per metum extortum, & probat auctoritate Bartholi, Baldi, Decij, Philippi, quos ipse citat. Sed certè sicut ex communi opinione electio metu facta non certæ personæ, sed vnius ex certo genere personarum valet: Sic etiam videtur firmum esse matrimonium, quando metus solum est, vt vxor accipiatur vna de multis filiabus Caij: & ita sentiũt teste Couarruuia, Abbas, Felinus, Imola, Iason, & alij quos refert.

Couar. in 4. p. 2. c. 3. §. 5. nu. 8.

Duodecimò Quæritur, An iusiurandum metu extortum, quo alteri aliquid promittitur, valeat; Respondeo, Ex communi sententia Pontificij iuris Doctorum, & Theologorum, valere: *vt docent Abbas, Archidiaconus, Salicetus, Sylvester, & Angelus, Caietanus, & Sotus, & colligitur ex c. Debitores, c. Si verò. & cap. Verùm. De iureiurando.* Is qui iureiurando promittit latroni pecunias, ne occidatur ab eo, debet iusiurandum seruare, & promissum exoluere, nisi eius absolutionem impetret ab Ecclesia: aut is, cui aliquid est iureiurando promissum, illud remittat. Item qui iureiurando promittit vsurarum solutionem compellitur iurisiurandi religione ad vsuras soluendas, aut debet iurisiurandi relaxationem ab Ecclesia impetrare. Obijcies forsitan; simplex promissio homini metu facta non valet, ergo nec iusiurandum, quod simplicem promissionem confirmat: nam quod vires non habet, non potest iureiurando confirmari. Respondeo, Promissionem iureiurando firmatam esse soluendam, quotiescunque seruari potest absque iactura salutis æternæ, ne fiat iniuria Deo, per quem tanquam per testem iuramus. Nec ex hoc conficitur, vt iusiurandum eam simplicem promissionem metu factam corroboret, quæ nulla sit iure diuino vel naturali, sed eam tantum, quæ iure ciuili vel canonico irrita fit: simplex enim latroni, tyranno, aut vsurario facta promissio iure quidem naturali, aut diuino valet, non enim malum est promittere, aut promissum latroni soluere: nam etsi latro vel vsurarius, qui metum incussit, & pecunias extorsit restituere iure cogitur, ego tamen, qui metu iuraui, solum debeo soluere quod iureiurando promisi, aut iurisiurandi relaxationem obtinere: Iure igitur humano simplex promissio latroni facta rescinditur, & irrita fit; iureiurando firmata non item. Ex quo efficitur, vt in his minime locum habeat Regula Iuris in cap. Accessorium, De Regulis iuris in 6. & in l. Cum principalis. & in l. Nihil dolo, §. Cum principalis, ff. De Regulis iuris, quibus in locis habetur; Id, quod accedit rei, semper sequi conditionem, & naturam principalis. Vt si alicui matrimonij causa committatur, eo ipso committitur etiam causa dotis, quia dos matrimonio accedit, nec sine eo potest consistere. At verò huiusmodi Regula iuris vim, & locum non habet in præsentia: quia simplex promissio, cui iusiurandum accedit, fit homini, & cum metus ab homine inferatur contra bonos mores, in pœnam latronis, tyranni, vel vsurarij iure humano fit irrita, quoniam extorquet eam latro, siue tyrannus turpiter contra bonos mores: attamen iusiurandum, quod accedit simplici promissioni fit Deo; Deus autem iusiurandum sibi delatum nec extorquet, neque accipit turpiter, neque contra bonos mores: & ideo iusiurandum vim habet, quoniam illud Ecclesiastico iure irritum factum non est, licet simplex promissio non valeat, vtpote quæ iure scripto irrita, & inanis effecta est.

Locis supra citatis.

Tertiodecimò Quæritur, An matrimonium per metum initum, & iureiurando confirmatum valeat; Abbas, & alij, quos refert Couarruuias, videntur sentire idem iuris esse de matrimonio per metum contracto, & iurisiurandi vinculo, & nexu munito, quod est de simplici promisso per metum iureiurando confirmato: quare iuxta horum sententiam, sicut peregrinus, qui metu latroni promisit, & iurauit, se pecunias ei daturum, ante absolutionem iurisiurandi ipso iure compellitur ad implendum, quamuis promissum non valeat: sic etiam, qui metu matrimonium iurauit, debet ante relaxationem iusiurandum seruare, quamuis nullam vim matrimonium habeat: Et iuxta hunc sensum interpretantur prædicti auctores id, quod habetur ex Augustino in cap. Inter cætera. 22. quæst. 4. vbi matrimonium metu contractum, sed iureiurando munitum firmum esse, docere videtur Augustinus. Sed communis est omnium Canonici Iuris interpretum, Summistarum, & Theologorum sententia, non solum matrimonium non valere metu, ita vt diximus, contractum, sed nec iurisiurandi religione sic iurantem obstringi. Quare is, qui metu matrimonium iurauit, etiam ante iurisiurandi relaxationem, potest liberè ad secundum matrimonium tranire. Quod si obijcias, Matrimonium esse sacramentum, & Ecclesiam non habere potestatem sacramenta irrita faciendi. Respondeo; licet Scotus, & Richardus doceant, matrimonium huiusmodi esse irritum iure diuino; verius tamen est, quod canonici iuris Doctores, & alij Theologi tradunt, iure solum Ecclesiastico, & ciuili esse inutile, & inane, & Ecclesiam habere ius, & facultatem legem constituendi, qua decernat nulla esse huiusmodi matrimonia. Nam etsi Matrimonium est sacramentum, nihilominus tamen est contractus quidam humanus, & ciuilis ex iure naturali originem habens, & eatenus est Ecclesiæ auctoritati subiectus. Si secundò obijcias, alia sacramenta, vt Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, etiam metu suscepta valere, ergo & Matrimonium. Respondeo, esse diuersam rationem, quia in alijs Ecclesia non habet auctoritatem ad decernendum, vt suscepta non valeant, quoniam ex Christi institutione suam vim habent ex certa materia, & forma conflata, quæ Ecclesia mutare non potest: at Matrimonium non habet vim, nisi sit contractus humanus; Contractus vero humanus firmus non est, nisi iuxta Principum leges, & iura celebretur. Si tertiò obijcias id, quod habetur in cap. Inter cætera 22. quæst. 4. Matrimonium valere metu contractum, sed iureiurando firma-

Scot. 3. dist. 29. q. 1. n. 2. Rich. 4. d. 29. a. 2. q. 1. & Sot. Ledesmius. Victoria eam opinionem probabilẽ esse sentiunt.

tum.

tum. Respondeo, Glossam, & Panormitanum, Sotum, Couarruuiam, & alios variè decretum illud interpretari. Sed mihi probabilius videtur id, quod ait Maior, tempore Augustini, cuius est id, quod in eo capite traditur, aut non esse editam Ecclesiæ constitutionem, qua nulla esse huiusmodi matrimonia institutum est, aut saltem nódum esse more, & vsu receptá. Sed quid si aliquis metu mortis non solum coniugium inire cogatur, sed etiam perficere, & consummare. Respondeo cum Scoto, Richardo, & alijs antiquis Theologis, quidquid dixerint quidam iuniores, eum potius mortem subire debere, quam matrimonium cõsummare, quoniam cum matrimonium sit irritum coitus esset nefarius, at quod per se turpe est, metu mortis licitè non fit.

Decimoquartò quæritur, An idem iuris sit de sponsalibus metu contractis, & iureiurando firmatis, quod diximus esse de matrimonio; Respõdeo, ex communi omnium sententia idem iuris esse.

Decimoquintò quæritur, quid sit dicendum de cæteris pactis, promissionibus, & contractibus metu iusto factis; Respondeo, ea valere tum in foro interiori, tum in foro iudiciali. Venditio igitur, vel èmptio metu facta, iusto tamen pretio, firma est: pari modo permutatio, locatio, inita societas, cõmodatum. At verò in iudicio quando hæc fiunt metu in constantem virum cadente, datur actio, vel exceptio, quæ dicitur, Quod metus causa. Actio quidem post traditionem, & solutionem rei, qua repetitur quod datum, vel solutum est, & qui accepit, reddere cogitur: exceptio verò datur in promissionibus ante traditionem rei, qua is, qui promisit, vel se alteri obligauit, excipit, se id metu fecisse, petitque se ob id liberari ab obligatione fidei datæ, atque promissæ.

Decimosextò quæritur, An, quando aliquid gestum est metu leui in virum constantem non cadẽte, valeat. Iuris ciuilis, & canonici interpretes respondent secundum canones, & leges in vniuersum, quicquid metu leui gestum est, vel datum, aut acceptum, non solum valere, sed etiam in iudicio non rescindi per actionem, vel exceptionem. Quod metus causa, *vt constat ex l. Vani timoris ff. De Regu. Iuris, & l. Metum ff. De eo, quod metus causa.* Sed Syluester, & Angelus, & Theologi communi cõsensu docent in foro interiori vim non habere, id quod donatum est metu leui, quamuis aliæ promissiones, obligationes, & contractus valeant. Eorum ratio est, quia donatio natura sua postulat, vt fiat gratis, & liberaliter: cui liberalitati repugnat metus etiam minimus. quòd si verum est, sequitur, vt remissio debitæ pecuniæ, eleemosynæ elargitio, legatum, vel testamentum rata & firma non sint, si metus etiam leuis intercedat, quia in horum singulis est quædam donatio gratuita, & liberalis. Cæterùm in hac re arbitror distinguendum. In foro enim interiori videndum est, an metus leuis fuerit finis, cuius gratia donatio fiat: an verò causa tantùm impellens, & mouens: tunc est finis, cuius gratia donatio est, quando absolute donatio non fieret, si metus abesset: tunc verò est causa tantùm mouens, & excitans, quando eo metu sublato simpliciter quidem donatio fieret, sed non æquè citò ac facilè: ita vt metus non fuerit causa, qua donaretur aliquid, sed vt citius, & facilius donaretur. Quando igitur metus leuis fuerit finis, cuius causa donatio fit, nulla est in foro interiori donatio: quando verò fuerit causa impellens, aut mouens, donatio vim habet.

Syl. metus. q. 9. & q. 12. Angel. metus. q. 13. & q. 15.

Decimoseptimò quæritur, An, si metus solum sit reuerentiæ, vt vocant, hoc est is, quo aliquis alium reueretur, valeat, quod eo metu factum est, promissum, datum, vel acceptum: vt si patronus accipiat aliquid sibi datum à liberto metu, quo eum reueretur; si filius ob sui patris metum se obligauerit ad soluendum de suo ęs alienum pro patre: si clericus non rescindit ac dirimit abdicationem beneficij, ob reuerentiam aduersus Episcopum: si vxor ob reuerentiam in virum non contradicit venditioni, alienationi, vel abdicationi iuris hypothecæ: si subiectus alteri, ob reuerentiam in ipsum se ad aliquid obstrinxit. Iuris ciuilis, & canonici interpretes generatim docent, quæ huiusmodi metu geruntur, valere, nec in iudicio rescindi actione, vel exceptione, Quod metus causa; nisi vnà cum metu minæ, aut verbera interueniant. Cęterum quicquid sit de foro iudiciali; saltem in foro interiori distinguendum est. Si enim sermo sit de metu, quo quis alium reueretur, qui est in donationibus, tunc si metus sit solum causa impellens, aut mouens, tuta conscientia donationes vim habent, quia metus solum est causa, vt citius & facilius donationes fiant, non tamen, vt simpliciter fiant. Si verò sit causa, qui est finis, nõ sunt in foro interiori ratæ, ac firmæ donationes, quia donatio per se gratis, & liberaliter fieri debet. Cæteri vero contractus, qui donationes non sunt, tuta conscientia valent, siue fiant metu, qui sit causa impellẽs, aut mouens, siue finis, cuius gratia res fit.

Decimooctauò quæritur, An is, qui facit aliquid per metum, consentire censeatur, si postea ex interuallo temporis taceat. Respondeo, ex Innocentio, & Glossa, non censeri consentientem, nisi ex interuallo temporis efficiat aliquid, quo id, quod metu gesserat, firmum, & ratum habere iudicetur, veluti si sponsa, quæ metu nupserat, postea cum viro sponte habitet, & viuat, aut ab ipso debitum exigat, aut reddat petenti.

Innocen. & Glossa locis supra citatis.

Vltimo quęritur, An ea, quę metu exorta sunt, restitui debeant. Respondeo, ex his, quæ hactenus de metu dicta sunt, colligi posse, quid sit de restitutione dicendum. Nam si accepta sint donatione metu facta, restitui tacita conscientia debent; si verò accepta sint vi contractus alterius secundum Dei forum non sunt restituenda, nisi contractus dissoluantur actione, vel exceptione, Quod metus causa: vel Iudicis officio, & auctoritate.

Cap. XII.

De ignorantia, qua voluntarium aufertur.

DOCET Aristoteles, 3. *Ethic. cap. 1.* & post eum Nemesius, Damascenus, & S. Thom. & communiter omnes, tum ciuiles, & canonici Doctores, tum Summistæ, & Theologi, per ignorantiam, aut tolli ex toto, aut minui ex parte vo-

Nyss. lib 5. de homine cap. 1. Damasc. li. 2. de fide Orthod. ca. 24.

& S. Tho. 1.2. q. 6 ar. 8. Theologi. 2. dist. 22 ibi Gabri. qua. 2. Summista in Verb. Ignorantia. S. Tho. 1.2. q. 76.

luntarium: & ideo tractatio de ignorantia est omnino instituto nostro necessaria.

Extat Titulus XXI. libro. 1. in Codice De iuris, & facti ignorantia, & lib. XXII. Digestorum Titulus VI. est de Iuris, & facti ignorantia, & in VI. de Regulis iuris extat regula: Ignorantia facti, non Iuris excusat. Porrò de ignorantia Iuris & facti tradit nonnulla Gratianus. 1. quæst. 4. §. Notandum, & Glossa distinct. 39. in summa. Theologi verò 2. distinct. 22. Bonauen. ibi. a. 2. Richar. a. 2. Scot. quæst. 2. Aegid. quæst. 2. Durand. 2. distinct. 22. quæst. 3. S. Thom. 1.2. quæst. 76. Alexand. part. 2. q. 112. Adria. quol. 4. quæst. 1. ad 2. Cordubensis in suis quæstionibus libr. 2. tractat de ignorantia triginta quæstiones. & Altisiodorensis in summa lib. 2. tract. 29. c. 2. 1. Gabr. 2. dist. 22. q. 1. Almain. Tract. Moral. c. 4.

Primò quæritur, Quot modis ignorantia diuidatur? Respondeo, Multis. Primò quidem diuiditur apud Philosophos, & Theologos ratione notitiæ siue scientiæ, cuius est priuatio: alia enim dicitur ignorantia prauæ dispositionis, alia negationis, alia priuationis. Ignorantia prauæ dispositionis est, cum quis habet errorem intellectus veritati contrarium: tunc enim quia non solùm ignorat, sed etiam errat, dicitur esse prauæ dispositionis, hoc est, malè affectus. Ignorantia verò negationis est, cum quis nò habet notitiam rationis, nec tamen eam habere potest aut debet: & hæc in infantibus ac in perpetuò amentibus existit. Ignorantia priuationis est, cum quis caret notitia alicuius rei, quam nosse potest, ac debet. Priuatio enim est alicuius formæ absentia in re subiecta, quæ potest aut debet ipsam formam habere.

Secundò Diuiditur ignorantia ratione obiectę rei quæ ignoratur. Est enim alia ignorantia Iuris, alia facti. Vt si Titius contractum ineat cum minore, cum prodigo, vel furioso, ignorans cum huiusmodi, & similibus se non posse contractum inire, est ignorantia Iuris: si verò cum huiusmodi contrahat, ignorans solum se contrahere cum minore, cum prodigo, cum furioso, est ignorantia facti. Pari modo si ignorē me habere ius succedendi in bonis Titij cognati mei, est ignorantia Iuris: si verò solum ignorem Titium esse meum cognatum, est ignorantia facti. Item si ignorem consortium excommunicati esse deuitandum, est ignorantia Iuris: si verò tantum ignorem Titium esse excommunicatione affectum, est ignorantia facti. Rursus ignorantia Iuris diuiditur eo modo, quo ipsum ius: alia est enim ignorantia Iuris diuini, quod positiuum vocatur, hoc est ignorantia Iuris diuini scripti, siue positi, & dati, alia Iuris naturalis: alia Iuris humani ciuilis, alia iuris humani canonici: alia qua ignorantur Ordinariorum Constitutiones, quę dicuntur statuta particularia, aut Iura municipalia. Item ignorantia facti est alieni vel proprij; veluti si ignorem Titium testamentum condidisse, aut primò natum fuisse, aut primùm fuisse ingressum in palatium regium, est ignorantia facti alieni. Si verò ignorem me tumm manè officiū diuinum perfoluisse, preces Horarias recitasse, est ignorantia facti proprij. Rursus ignorantia facti, vel est totius, vel circumstantiæ, vel effectus inde profecti.

Tertio Ignorantia diuiditur ex respectu, & ordine ad voluntatem. Alia enim Theologis dicitur inuincibilis, alia vincibilis. Inuincibilis est, cum is, qui laborat ex insciția, adhibita diligentia ad sciendum, aut non potest eam vincere hoc est, eam depellere, aut si quidem possit, non tamen debet. Vt puta Titius templum adiuit die sacro, & festo, quo tępore Parochus dies sacros, & ieiunia populo indicere consueuit, & non indixit, & ideo Titius ignorauit: huiusmodi ignorantia in Titio est inuincibilis, quia studium suum in ea re collocauit: cum templum adierit in quo solēt dies festi, & ieiunia obseruanda per hebdomadam indici. Item Titius cum dubitaret, num vsurarius esset contractus, quem cum Caio inibat, consuluit de ea re viros doctos, & pios, an esset vsurarius: & responsum accepit nō esse vsurarium, cum tamen re vera esset, ignorantiam à se repellere non potuit. Vincibilis verò ignorantia est, quę adhibito studio diligēti, vinci & superari, hoc est, depelli, & abijci potest, & debet: non enim sufficit, si possis eam exuere ac depellere, nisi etiam de ea depellenda teneaeris. Ex quo efficitur, vt ignorantia inuincibilis sit inuoluntaria, quoniam deponi, & excludi, aut non potest, aut non debet; contra verò vincibilis sit voluntaria, quia depelli potest, & debet. Legum, & Canonum interpretes appellant inuincibilem, probabilem, vel iustam ignorantiam: Vincibilem, verò, improbabilem, vel iniustam, eo quod leges, canones, & Iura priorem approbant, posteriorem non item: & quod prior bona fide sine culpa, posterior verò mala fide contrahatur.

Quarto Diuiditur ignorantia, quę dicitur vincibilis in affectatam, & crassam. Affectata est, cū quis de industria, & vltro ignorat aliquid, ne ab agendo, quod vult, retardetur, retrahatur vel impediatur, si sciat: vt puta si Titius scire nollet ieiuniorum tempora, aut dies sacros, vt liberius edendo, & bibendo ventri indulgeret, aut Missæ sacrum omitteret. Crassa verò ignorantia est, cum quis negligenter se gerit in sciendis ijs, quæ alioqui nosse deberet: & quia huiusmodi ignorantia ex desidia nascitur, crassa dicitur; quoniam qui crassi, & pingues sunt, solent esse desides, & pigri: & pari ratione vocatur supina ignorantia, qualis solet esse in his, qui supini iacent, & dormiunt, vt qui nihil curant. Ignorantia affectata est directò, & expresè voluntaria: crassa verò indirectò, & implicitè.

Quintò diuiditur ignorantia ratione peccati, quod admittitur. Alia est enim ignorantia antecedens, alia comitans, alia cōsequens peccatum, quod fit. Antecedens est, cum quis si sciret, non peccaret, & quia ignorat, delinquit: quare meritò dicitur antecedere peccatum, quoniam est causa peccati, quod quis non committeret, si scientiam haberet, sicut absentia nautæ perit nauis, minimè alioqui peritura, si nauta non abfuisset. Ignorantia comitans est, cum quis peccando ignorat, se peccare; sed nihilominus peccasset, tametsi notitiam habuisset. Vt si Titius hostem interimat, ignorans esse hostem suum, quem si cognouisset, libentius occidisset. Vnde ignorantia comitās nec est effectus, nec causa peccati,

quod

quod fit. Ignorantia consequens est, quæ tamquam effectus ex peccato nascitur; qualis ea est ignorantia, in quam quis incidit culpa sua ex ebrietate, furore, vel amentia: nam ebrij, furiosi, vel amentes ex ignorantia laborant. Vel dicitur ignorantia consequens, quoniam consequitur actum voluntatis, vel directò, & expresè, vel implicitè, & indirectò, quæ est peccatum nempe negligentia: Et propterea ignorantia, quæ antedicta est Affectata vel Crassa, est consequens, eò quod voluntatem negligentem scire quod deberet, consequatur. Sicut Antecedens ideo dicitur Antecedens, quia antecedit peccatum, quod fit, aut ipsam voluntatem ex ignorantia peccantem: & Comitans dicta est, quòd comitetur peccatum, quod committitur, aut ipsam voluntatem, quæ ignoranter peccat, licet non per ignorantiam. Aliud enim est, Titium homicidium ignoranter admittere, aliud verò per ignorantiam. Cum Titius ignoranter peccatum admittit, ignorantia in eo non est causa peccati, sed comitatur peccatum, quod perpetrat; at cum per ignorantiam peccat, ignorantia in eo est causa peccati; & ideo dicitur per ignorantiam, aut inscitiam peccare.

Secundò quæritur, quo pacto se habeant inter se supradictæ ignorantiæ diuisiones. Respondeo, Primò Ignorantiam prauæ dispositionis, seu priuationis posse esse Iuris, & facti; quoniam sicut ius, vel factum aliquando ignoramus, sic etiam in Iure, vel facto nonnunquam erramus. Secundò, Ignorantiam siue Iuris, siue facti posse esse vincibilem, aut inuincibilem, vt vocant, hoc est iustam, & probabilem, aut vitiosam & improbabilem, vt statim dicemus. Tertiò, Ignorantiam inuincibilem hoc est probabilem & iustam, siue Iuris, siue facti esse interdum Antecedétem, & aliquando posse esse etiam consequentem, nō tamen Comitantem: quia ignorantia vocata inuincibilis est inuolūtaria, vt potest nonnunq̄ esse ebrietas, furor, vel amentia peccatum consecuta: ergo eiusmodi ignorantia potest esse consequens. Non tamen potest esse comitans, quia ea ignorantia, etsi est causa operis mali, quod fit, quod alioqui non fieret, si scientia non abesset, propriè tamen inuincibilis vocatur, eò quod inuoluntaria sit: at ignorantia comitans, quamuis aliquando inuoluntaria sit, non est tamen causa mali, quod committitur, quia nihilominus fieret, si scientia non deesset. Sequitur ergo, vt ignorantia vocata inuincibilis, sit aliquando antecedens, aliquando consequens, variis appellationibus, & rationibus distincta. Quartò, Non omnis ignorantia antecedens est inuincibilis, hoc est probabilis, & sine culpa iuxta aliquorum sententiam. Nam etiam affectata, vel crassa ignorantia potest dici antecedens, vt præcedit peccatum, quod aliquando ex ignorantia affectata, vel crassa committitur. Mihi tamen affectata vel crassa ignorantia non videtur antecedens, nec inuincibilis. Quintò, Ignorantia vocata vincibilis, est ignorantia secundum aliquos, aliquando antecedens, aliquando autem consequens, & è contrario, ignorantia consequens est vincibilis: quia omnis ignorantia est voluntaria, aut directò & expresè, vt Affectata; aut indirectò, & implicitè, vt Crassa. Sed omnis huiusmodi ignorantia affectata, vel crassa est consequens; ergo omnis ignorantia consequens est vincibilis, quippe quæ aut in se, aut in sua causa potuit vinci, & depelli. Sextò, Ignorantia comitans nec dicitur vincibilis, nec inuincibilis. Non inuincibilis quidem, quia non omninò est inuoluntaria; nō vincibilis verò, quoniam non est penitus voluntaria, qualis est Affectata, aut Crassa. Dicitur tamen ignorantia comitans, vt comes est mali, quod cōmittitur, siue sit inuoluntaria, siue voluntaria. Est igitur voluntaria quidem ignorantia, quia potest eam quis exuere, atq; depellere, si velit: Vincibilis tamen non dicitur, quoniam non est affectata, vel crassa, sed tantum comitatur actum malum, qui fit, & idcirco peculiari nomine dicitur ignorantia comitans: neque enim quis per eam peccat, sed cum ea peccat, aut ea affectus, aut ex ea laborans delinquit.

Tertiò quæritur, An ignorantia sit peccatum. Ratio dubitandi est, quia ignorantia nulli virtuti morum aduersatur, sed solum scientiæ, quæ non est virtus moris. Duæ sunt opiniones. Prima asserit non esse peccatum, sed solum esse causam, & effectum peccati: quam sententiam dicat Aegidius: quia ignorantiam pœnitentia non delet, & tamen omne lethale peccatum tollit, & abolet pœnitentia. Item si Titius verbi gratia hodie ignoret, & cras addiscat, ignorantia deponitur: & tamen absque vlla pœnitentia, ergo non est peccatum per se. Deinde si Titius hodie ignoret, & cras pœnitentia doleat se ignorasse, & nō addiscat, ignorantia eadem in eo permanet, ergo non est per pœnitentiam sublata. Secunda opinio docet, ignorantiam esse peccatum. Primò quia quisque lege, ac præcepto cogitur scire quæ pertinent ad suum officium, & munus, quod suscepit, & inijctum gerit, ergo in eo huiusmodi ignorantia est peccatum. Item quia Christianus adultus nosse debet sententias fidei, & præcepta Decalogi, quoniam ad articulos fidei credendos ipso iure compellitur; at nemo potest credere nisi cognoscens, ac sciens. Præterea debet quæ sunt prohibita deuitare, & quæ sunt imperata, obire & implere; sed hæc præstare nō potest, nisi cognoscat quid sit prohibitum, quidque fugiendum: quid imperatum & quid faciendum: ergo saltem ignorantia rerum credendarum, & agendarum est in vitio, & peccato. Deinde quia distinct. 38. apud Gratianum ignorantia rerum credendarum, & agēdarum dicitur damnabilis, & grauissimè peccare eos qui ignorant credenda, vel agenda. Postremò quia omnes leges, & Iura ciuilia, & Canonica ignorantem condemnant, iuxta illud Pauli: *Si quis ignorat ignorabitur*, & ideo ignorantibus pœnas irrogant. Hæc sententia est vera.

Hāc quæstionem, et sequentem tractat Cordubēsis lib. 2. de Ignorantia. q. 6.

1. Cor. 14.

Itaq; simpliciter in hac re dicendum est, ignorantiam esse aliquādo peccatū. Sed sciendum est, aliquid dupliciter esse peccatum. Primo per se, vt furtum, homicidium, adulterium, & quidquid ratione sui, & non alterius, est præcepto, aut lege prohibitum, siue præceptum sit diuinum, siue humanum, siue naturale. Secundo modo aliquid est peccatum, non ratione sui, sed alterius, nimirum quia est causa, aut occasio proxima, aut probabi-

le peccati periculum: & tunc est peccatum, & damnabile, quia est nobis noxiũ, & periculosum. Res est planè comperta, ignorantiam eorum, quę scire lege, & iure cogimur, esse peccatum, communi consensu Theologos 2. *sent. dist.* 22. docuisse. Sed quæstio est, An sit per se peccatum ignorantia, an verè ratione alterius rei sibi adiunctæ, & annexæ tantummodò. Ignorantiam igitur non esse peccatum primo modo, Altisiodorensis, Alexander, Aegidius, & quidam alij tradiderunt. Idque probant primæ opinionis rationibus allatis: esse tamen peccatum secundo modo, nimirum quatenus est proximum peccati periculum, docent ijdem Altisiodorensis, Alexander, & Aegidius. Nam sicut cognitio eius, quod est credendum, vel eius, quod est euitandum, vel faciendũ, per se meritum aut laudem non habet, sed quatenus sua sponte, & voluntate scit quis, vt credat, vel agat quod oportet; & proinde in huiusmodi cognitione est meritũ, & laus ratione eius, quod credi, aut fieri debet: quoniam cognitio rei credendæ, vel agendæ per se solum accepta, nihil aliud est, quam speculatio quædam rei: sic etiam, inquiunt, credenda, vel agenda nescire, per se peccatum non est, nisi quatenus est nobis periculosa eiusmodi ignorantia; & quatenus causa est, aut non credendi, aut non agendi, quod iure debemus. Item sicut absentia nautæ per se peccatum non est, nisi quatenus naui exitium affert: sic ignorantia peccatum est, vt causa peccati, quod admittitur. Item si Titius Caio imperet, vt pulset æra in alta turri pendentia, si Caius non pulset, peccat, & in eo huiusmodi omissio est per se peccatum, quia domini sui iussum non fecit, cum potuit, ac debuit. Quod verò turrim non conscendat, peccatum quidem est, sed non per se, sed quatenus ex eo, quod turrim non ascendit, æra non pulsat. Ex quo efficitur, inquiunt, vt eò ipso, quòd aliqua credere, & quædam facere, & quædam fugere, & euitare debemus, præcepto quoque, ac lege scire cogamur, quid sit credendum, quid faciendum, quid fugiendum. Ex quo etiam fit, vt præceptum aliquid sciendi, non sit speciale præceptum per se nobis impositum, sed implicitè, & potestate contentum in eo præcepto, quod nos ad aliquid credendum, aut quippiam agendum compellit: nam eodem præcepto, quo quisque cogitur quicquam facere, aut deuitare, compellitur etiam omnes causas, occasiones proximas, & pericula, ne faciat cõtra mandatum præcidere, iuxta illud. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Vnde id, quod ait Gratianus ex Ambrosio, eos, qui ignorant grauissimè peccare, exponunt Altisiodorensis, Alexander, & Aegidius, grauissimè, hoc est, periculosissimè. Mihi tamẽ videtur ignorantia esse per se peccatum, quando est eorum, quæ scire debemus, vt statim exponam.

Quartò quæritur, An ignorantia solum sit peccatum ratione negligentiæ adiunctæ in sciendo, quod nosse præcepto, aut lege debemus, an verò ratione sui? Quidam iuniores putant esse peccatum ratione sui tãtùm, quia est præceptum sciendi, quæ credi, & fieri debent à nobis. Ergo ignorantia credendorum, & agendorum, per se ipsa est peccatum. Exempli causa: Sicut eo ipso, quòd rem diuinam audire, aut ieiunium obseruare nos oportet, sola omissio rei diuinæ, vel ieiunij per se peccatum est: sic etiam eo ipso, quòd præcepto quippiam scire, credere, aut facere compellimur, sola omissio est peccatum per se. Deinde quia negligentia potius est peccatum, eò quòd est causa omittendi aliquid, quod facere, & præstare debemus; ergo negligentia habet rationem peccati ex omissione, & non omissio ex negligentia. Postremò, etiamsi omnis negligentia absit, sola tamẽ eius omissio, quod facere vi præcepti cogimur, si voluntaria sit, est per se peccatum. Ergo sola omissio sciendi, quod scire lege, aut præcepto cogimur, est per se peccatum, quandocunque est voluntaria.

Theologorum, Summistarumque constans, & communis opinio censet, ignorantiam non esse peccatum, nisi ratione adiunctæ negligentiæ. Alexander, Bonauentura, Richardus, Aegidius, Durandus, Caietanus, Marsilius, Gabriel, ita opinantur. Idemque videtur docere S. Thomas. Et re vera ita esse sentiendum, & dicendum, plerique arbitrantur: si tamen negligentiam nõ presse, & anguste, vt putant iuniores, sed fusè, & latè accipiamus. Non enim dubitari potest, inquiunt, quin ignorantia eorum, quæ scire debemus, sit peccatum, si voluntaria sit. Nam ignorantia est in intellectu. Sed nihil, quod est in intellectu, peccati rationem habere potest per se, nisi sit voluntarium. Porrò voluntarium potest esse, vel expresse & directò, aut implicitè, tacitè, & indirectò. Quare si ignorantia sit voluntaria directò, & expresse, peccatum quidem est, quia est voluntaria directò & expresse, qualis est affectata ignorantia; si verò tantùm sit voluntaria implicitè & indirectò, censent, eam esse peccatum ratione negligentiæ adiunctæ. Quod perinde est, ac si diceretur: Quando ignorantia non est directò, & expresse voluntaria, est peccatum ratione negligentiæ in sciendo, quod iure debemus: sicut dubitari non potest, quin omissio eius, quod præstare oportet, sit peccatũ, quando est directò, & expresse voluntaria. Sed si rogentur isti, Quid dicendum, quando est solùm voluntaria implicitè, & indirectò? Respõdent, tunc esse peccatum ratione negligentiæ in præstando, quod facto opus est. quare sicut nulla, inquiunt, omissio est peccatum, nisi sit voluntaria; sic ignorantia, quæ est scientiæ debitæ absentia, peccatum non est, nisi expresse, & directò, aut implicitè sit voluntaria. Quod si obijcias illis; Quando omissio est peccatum, negligentia potius habet peccati rationem ex omissione, quàm omissio ex negligentia: ergo pari ratione negligentia in sciendo, quod scire necesse est, potius habet rationem peccati ex ignorantia, quæ est omissio eius, quod scire debemus, quam ignorantia ex negligentia. Respondent, Primùm, hac in re, Negligentiam dici, omnem voluntatem, siue directam, siue indirectam, per quam ignorantia est voluntaria, ita vt ignorantia ex negligentia culpetur, hoc est quatenus ex voluntate oritur, & profluit. Nam siue de industria velis aliquid ignorare, siue quia ita te geras, ac si velles ignorare, re vera negligis, ac veluti repellis scientiam. Deinde, ideo ignorantiam culpari aiunt, ex negligentia, quia si diligentia adhiberetur ad sciendum, ignorantia in

Loci supra citatis. S. Tho. 2. 2. q. 54.

culpa

culpa non esset. Postremò asserunt: Sicut quæcumque omissio, quoties culpę datur ob causam, vel occasionem proximam præcedentem, ideò culpæ tribuitur, quia negligẽtia præcessit in causa, aut occasione proxima submouenda; sic etiam quia ignorantia in culpa ponitur eò, quod sit culpa peccati, culpæ imputari non potest, nisi ob negligentiam depellendi ignorantiam, quę est causa peccati. Ego tamen existimo, Ignorantiam esse per se peccatum, hoc est, malum rationi contrarium, & nihilominus negligentiam requiri, sine qua culpa non esset: non quòd negligentia sit ratio, qua ignorantia peccatum sit rectæ rationi dissentaneum, sed quòd sine ea culpa esse nõ possit, quoniam ignorantia sine ea voluntaria non est. Nam vt libro 2. dicemus, ad omnem culpam voluntarium requiritur: Sed multa sunt per se peccata, hoc est rationi, & legi contraria, quia per se à ratione dissident, atque dissentiunt, vt furtum, homicidium, adulterium. Sic etiam omissio præcepti vel legis, quam seruare deberemus, est per se peccatum, sed non sine voluntate culpa est. Pari ratione ignorantia rerum fidei, vel Decalogi, vel aliorum, quæ scire, aut nosse nos oportet, est per se peccatum, quia à recta ratione dissentit: sed tamen, nisi voluntaria aliquo modo esset huiusmodi ignorantia, in culpa non esset. Sicut igitur in naturalibus causa, & ratio cur ignis exurat, est calor, sed nisi ignis esset ligno vicinus, lignum nõ exureret; ita in moribus etiam, ignorantia eorum, quę nosse debemus, per se suapte natura est rationi dissentanea, & proinde mala in moribus: sed requiritur voluntas tãquam id, sine quo culpam non haberet. Quare communem opinionem docentem, ignorantiam esse peccatum ratione negligentiæ, & non ratione sui, puto in hoc sensu quem dixi, intelligi oportere: nimirum ignorantiam eius, quod scire nos oportet ex voluntate culpam cõtrahere, sed malam esse ad rationem relatam, quia cum recta ratione pugnat.

Quintò quæritur, An ignorantia sit peccatum specie distinctum à cæteris peccatis; Ratio dubitandi est, quia imprudentia est quædam ignorantia, & nihilominus est peccatum specie distinctum à cæteris, vtpotè prudentiæ, quæ est virtus specialis, contrarium: Item infidelitas cum sit error intellectus in rebus fidei, est quędam ignorantia, quia omnis error est ignorantia prauæ dispositionis: sed infidelitas est speciale peccatum fidei contrarium. Respondent quidam, ignorantiam non esse speciale peccatum, sed generale, quia vt ante dixi, putant ignorãtiam esse peccatum, quia sit occasio, periculum, & causa peccati, sed omne periculũ peccati, in ea specie peccati reponitur, cuius est causa & periculum: scilicet occasio, & causa iurandi, non est peccatum specie distinctum à furto; sed est ipsummet furtũ inchoatum tantum in sua causa, & periculo. Et pari ratione in cæteris causis, & periculis peccatorum est iudicandum. Cõsequitur ergo vt ignorantia credendorum pertineat ad peccata fidei contraria, & aduersa: ita vt huiusmodi ignorantia sit infidelitas quædam in causa & periculo inchoata. Et ignorantia agendorum spectat ad eam peccati speciem, ad quam pertinet peccatũ, quod in facto & actione consistit. Ex quo efficitur, vt si Titius per ignorantiam in hæresim incidat, aut furtum, vel adulterium admittat, non sint in eo duo peccata, vnum quidem quòd sit hæresis, furtum, vel adulterium: alterum, quod sit ignorantia fidei, aut furti, vel adulterij, sed vnum peccatum tantummodo, nimirum hęresis, furtum, vel adulterium: & sufficit si hoc vnum peccatũ sacra confessione sacerdoti Titius aperiat. Sicut si idem Titius sacrum, ad quod audiendum lege, & iure cõpellebatur, omittat, quia voluit, aut venari, aut piscari, vnum tantum est peccatum, nempe omissio sacri, quoniam venatio, aut piscatus, vel aucupium solum, fuit causa omittendi sacrum, & mala, non ratione sui, sed extrinsecùs duntaxat, quia fuit causa mali. Sic etiam ignorantia, quæ fuit causa hæresis, furti, vel adulterij, fuit extrinsecùs mala, quia causa peccati.

Ego tamen, vt paulò ante dixi, existimo, ignorantiam esse per se peccatum aliquando; qualis est ignorantia credendorum, aut agendorum. at nihilominus si quis per ignorantiam peccet, vnũ peccatum admittit, vt si occidat, furetur, peieret, aut detrahat, vel aliquid contra fidẽ credat, quia tunc ignorantia causa peccati est, nimirum homicidij, furti, periurij, detractionis, vel hæresis. tunc verò ignorantia est speciale delictum, non quando est causa aliorum peccatorum, sed quando est per se seorsum ab alijs peccatis seiuncta: vt quando quis ignorat res fidei, Decalogi præcepta, aut ea, quæ ratione sui muneris nosse debet. Animaduertendum etenim est, Titium eo ipso peccasse, quòd venationi, piscatui, vel aucupio se dederit cum occasione omittendi rem diuinã. quare licet postea casu acciderit, vt sacrum audiret, confiteri eum oportet, non quidem se omisisse sacrum, sed causam præbuisse, & occasionem illud omittendi. Ita, si Titius culpa sua ignoret res, quas credere, aut agere præcepto cogitur, tametsi nunquam hæresim admittat, debet nihilominus confiteri, non quidem se aliquid contrà fidem credidisse, vel contra legem sibi seruandam admisisse, sed ignorasse ea, quæ credere, aut agere debebat, ac periculum subijsse per suam negligentiam, ex quo crederet aliquid cum fide pugnans, aut etiam periculum vnde cõtra leges, & iura delinqueret.

Ad obiecta verò non est difficile respondere. Nos enim (quod primo loco obijciebatur) dicimus, Imprudentiam esse speciale peccatum, quia est speciali virtuti contrarium: & quoniam sicut prudentia præscribit, & præcipit quid agendum, & quid vitandum: sic imprudentia suadet, & monet agendum quod non oportet; & fugiendum quod erat alioqui faciendum. At si quis per imprudentiam agat, aut omittat, quod deuitare, aut facere deberet, non duo peccata committit, quoniam imprudentia tunc est peccati causa, nec est ab alijs peccatis seiuncta. Idem penitus de ignorantia dicẽdum. nam cum est ab alijs peccatis semota, & auulsa, est per se, & speciale peccatum: cum tamen est coniuncta cum cęteris, vt illorum causa, non est per se speciale peccatum. Vt secundum diluamus obiectum, Infidelitatem dicimus esse speciale peccatum, quia est assensus contra fidem: Fides autem est specialis virtus: at igno-

rantia nequaquam est contra specialem aliquam virtutem, quando est causa peccati, & coniuncta cum cæteris peccatis, licet quando est per se à reliquis secreta, & abiuncta, sit speciale peccatum. Obijcies nunquam esse ignorantiam certæ & speciali virtuti morali contrariam. Ergo nunquam est speciale peccatum. Respondeo, Ad peccatum satis esse, si sit contra specialem rectam rationem; quamuis non alicui peculiari virtuti morali aduersetur: & ignorantia quando est per se ab alijs peccatis seiuncta, cum recta speciali ratione pugnat, nimirum cum ea, quæ præscribit, vt quisque sciat res fidei, Decalogi præcepta, & ea, quæ ad sua munia pertinent.

Cap. XIII.

Quarum rerum possit esse in nobis ignorantia probabilis & iusta, quæ inuincibilis appellatur.

Hanc quæstionē disputat Cordubēsis li. 2. de ignorantia. q. 4.

PRIMO quæritur, An rerum, que sunt Iuris naturalis, possit esse ignorantia probabilis, & iusta. Quod perinde est, ac si quæreretur, An ignorantia Iuris naturalis liberum reddat ignorantem à culpa; Ratio dubitandi est, quia Glossa *Distinct. 38. in summa, & 1. quæst. 4. capit. vltim.* ait huiusmodi ignorantiam neminem à peccato defendere, & cap. Ignorantia De Regul. Iuris in 6. dicitur Ignorantia facti, non autem Iuris excusare. Item ius naturale est, quod naturalis ratio per se nota, iuxta illud Pauli: *Gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Respondeo, Ea, quæ sunt Iuris naturalis, aliquando esse per se nota, ita vt non ex alijs, sed ex ipsis comperta, & explorata cuique reddantur, qualia sunt; Bonum est amplectendum: Malum fugiendum: Caste viuendum: Nulli nocendum: Quod tibi non vis, alteri ne feceris: Vnicuique suum ius tribuendum; & horum ignorantia probabilis, & iusta in nullum hominem cadere potest. Alia verò non sunt per se nota, sed facillimè ex per se notis colliguntur, qualia sunt præcepta Decalogi: & horum licet possit esse ignorantia probabilis ad tempus breuissimum, non tamen diu, quia eo ipso quod ex per se notis euidenter conficiuntur, absque magno negotio innotescunt: at interim dum ea quis ex per se notis concludit, potest bona fide, & sine culpa ignorare, sed diu non potest ea ignorantia laborare, aut in ea permanere, quia facilè positis per se notis inferuntur. Ex quo efficitur, vt vero simile non sit quod Bardesanes, & Eusebius, & alij historici tradiderunt, apud aliquas gentes furta licuisse, apud alias adulteria, apud alias stupra, & promiscua coniugia, & homicidia: hęc enim facilè ex per se notis cōcluduntur tamquam mala. Existimo tamen hæc, & alia similia apud certas nationes fuisse permissa, vel impunita: ita vt auctores horum scelerum impunè permitterentur, non quòd hæc existimarentur honesta, bona, & licita, sed quòd huiusmodi peccata minimè pœnis debitis punirentur, vel ob gentis illius ignauiam, aut malitiā, aut ob alia grauiora mala vitanda, aut ob propria tuenda, conseruandaque commoda. Alia item sunt Iuris naturalis, aut iuri naturali contraria, & aduersa, quæ licet positis ijs, quæ per se manifesta, notaque sunt, inducantur, haud tamen ita facilè, & perspicuè inferuntur. Talia mala sunt ex mutuo vsuram, & lucrum exigere. proprias iniurias vlcisci: plures vxores habere, repudiare legitimā, furari ad succurrendum egenis, furripere aliquid hostibus, tyrannum occidere priuata auctoritate sine iudicis sententia, ad scortum accedere, mentiri propter salutem alterius, vel ob malum grauius & deterius cauendum, vel ob bonum commune seruandum: carnibus humanis vesci; metu mortis mali aliquid committere, sororem in vxorem accipere. negari non potest, quin horum, & similium cadere in aliquos possit ignorantia probabilis, & iusta. nam non solum ethnici, nec solum indocti, sed Christiani homines etiā, & docti horū nonnulla iure naturali licita esse arbitrantur. Cassianus certè, Origenes, & Plato, putauerūt licere aliquando vti mēdacio ob maius malum deuitandum, aut bonum tuendum, & conseruandum. Durandus, & alij tradiderūt, simplicem cum scorto congressum, aut multitudinem vxorum, aut repudium legitimæ vxoris, non esse iure naturali, sed tātum diuino prohibita. Item huiusmodi mala licet ex principijs per se notis naturali ratione ducantur, dubitari nō potest, quin sit opus magna rationis intelligentia in his argumento, & ratione colligendis; ergo potest quis ea bona fide ignorare. Est tamen animaduertendum, apud Christianos ignorantiam probabilem huiusmodi malorum rarissimam esse, aut nullam ferè: quia apud Christianum populū est frequens diuini verbi enunciatio, vitiorum reprehensio, honestatis, & virtutis commendatio, bonorum prædicatio, quibus scorta, mendacia, fraudes, insidiæ, vsuræ, multitudo vxorum, & repudium, passim cōdemnantur, vt per se mala, & fugienda. Potest tamen esse ignorātia probabilis apud vulgares, & rudes homines, putantes licere mendacium leue, aut officiosum, propter cōmunem salutem, & magnum aliquod bonū aliorum retinendum, & tuendum.

Cassia. tol. 17. a. c. 17. vsque ad. 21. Orig. li. 6. Stroma. Plato. lib. 3 de Repub.

Rom. 2.

Exo. 20.

Hanc sententiā habet Cordubensis li. 2. de ignorātia. qua. 4. propositi. 1.

Bardesanes apud Eusebium. lib. 6. Præparat. Euan. Gen. 8.

Secundò quæritur, An possit esse ignorantia probabilis & iusta eorum, quæ sunt iure diuino scripto, quod positiuū appellant, constituta; Duæ sunt opiniones. Prima ait, quandocunque ius diuinum est necessarium ad salutem, non posse eius in aliquem cadere ignorantiam eiusmodi à peccato, & vitio defendentem. Ita videntur sentire antiqui Theologi Hugo Sancti Victoris, Guilielmus Parisiensis, & Altisiodorensis, quos posteā secuti sunt Gerson, Conradus, Adrianus, & Gabriel. Probant illi primò. Quia sine eo, quod est necessarium ad salutem, nulli potest salus contingere: at si ignorantia probabilis posset esse iuris diuini ad salutem æternam necessarij, tunc absq; remedio ad vitam sempiternam necessario posset quis salutem adipisci: siquidem ignorantia probabilis, & iusta, quatenus talis est, absque peccato contingit. Deinde quoniam si quis ignorantiam iuris diuini necessarij ad salutem bona fide haberet, aut faceret id, quod debet ad sciendum, aut non faceret: si non faceret, tunc ignorantia in eo non esset probabilis, sed culpæ, & vitio tribuenda: si faceret, tunc Deus aut per seipsum interiùs mentem illustraret, aut mini-

Hug. Guli. Alti. Ger. cita. Adri. quodlib. 4 sic Conr q. vlt. de contract. Gab. 2. d. 22. q. 2 art 3. dub. 1.

sterio

sterio Angeli, vel hominis eum docuisset. Deus enim in his, quæ sunt ad salutem necessaria, nunquam deest facienti, quod in sua est potestate. Secunda opinio ait, posse contingere ignorantiam probabilem, & iustam eorũ, quę iure diuino sunt instituta ad salutem necessaria, vt fidei, Baptismi, & aliorum sacramentorum. Hæc sententia clare colligitur ex S. Thoma, estque communi Theologorum consensu recepta, & quam probat, & firmat efficax ratio. Quoniam pleræque sunt modo gentes, apud quas Christi Domini Euangelium nondum est promulgatum, & Christus ait: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Et Paulus; *Fides*, inquit, *ex auditu*; & paulò pòst: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?*

S. Tho. 2. 2 q. 10. a. 2. et p. 3. q. 69. a. 4. ad 2. Ioan. 15. Rom. 10.

In hac re dicendum existimo. Primò posse esse ignorãtiam probabilem Iuris diuini non necessarij ad salutem. in hoc omnes cõueniunt. Secundò posse bona fide sine vlla culpa contingere ignorantiam necessariorum ad salutem: quia ignorantia talis est, quæ depelli, & deponi, aut nõ potest, aut certè non debet; sed qui nihil vnquam audiuit de iure diuino necessario ad salutẽ, ignorantiam huiusmodi exuere, & excludere non potest; ergo in eo est ignorantia bona fide. Item facta promulgatione Euãgelij die Pentecostes Hierosolymis, cœpit Christi Euangelium vim legis habere necessariæ ad salutem; sed Iudæi, qui eo die Hierosolymis aberant, bona fide ignorabant Euãgelium Christi, quippe qui nihil antea audierant; ergo etiam nunc potest esse probabilis, & iusta ignorantia Euangelij in his hominibus, qui nihil penitùs audierunt.

Ad ea verò quæ obiecta sunt; Respondeo. Ad primum, dupliciter aliquid esse necessarium ad salutem: Vno modo tanquam remedium diuinitùs institutum, quod tamen præceptum non est, quoniam id Deus ipse facit, qualis est prædestinatio, specialis Dei vocatio, gratia, & auxilium, & alia similia; & sine his siue bona, siue mala fide ignorentur, nulli potest salus contingere. Secundo modo aliquid est necessarium ad salutem tanquam remedium simul, & præceptum nobis diuinitùs datum, qualia sunt aliqua præcepta fidei, & sacramẽtorum, & sine his potest quis salutem adipisci, quia eo ipso quod præceptum, vel legem quis ignorat probabiliter, & iustè, liber est à violatione præcepti, vel legis. Nemo enim peccat in eo, quod bona fide ignorat: nam ignorantia probabilis & iusta voluntaria non est. Dixi, aliqua præcepta fidei, quoniam ad salutem necessaria simpliciter est fides supernaturalis, hoc est fides, qua aliquod obiectum supernaturale diuinitùs patefactum, & ostensum credatur: neque enim per solam legis naturalis cognitionem, & obseruationem potest salus vlli contingere. & licet Deus sit, qui arcana fidei supernaturalia reuelat, homo tamen ea diuinitùs patefacta credere præcepto diuino cogitur: & ea potest speciali, & supernaturali Dei auxilio, tum ex parte intellectus, tum voluntatis motus, & adiutus credere; homo igitur potest aliqua fidei mysteria bona fide ignorare, non tamen omnia: nam si aliquid supernaturale diuinitùs patefactum credit, in eo virtute & implicitè credit reliqua fidei arcana, quæ probabiliter ignorat: secus est de eo, qui nihil supernaturale credit. Ad secundum respondeo: vt ignorantia cum mala fide, & in culpa sit, necesse est, vt negligentia præcedat in sciendo id, quod est necessarium scire: at verò in his, qui nihil de fide, & sacramẽtis audierunt, huiusmodi negligentia non est. Quod si obijcias; Is qui ignorat necessaria ad salutem, aut facit, quod potest, aut non facit: si non faciat, ex negligentia peccat; si faciat, diuinitùs ad omne virtutis officium instruetur. Respondeo, sufficere si faciamus, quod debemus facere: item si sciamus, quod scire nos oportet. Sed is, qui de fide, & Sacramentis nihil penitus audiuit, licet possit diligentiam, & studium conferre ad sciẽdum, quod ignorat, non tamen debet, quia nullum in eo prudentiæ iudicium est, quod præscribat in ea re oportere eum diligentiam adhibere. Si secundo obijcias; Is qui ignorat necessaria ad salutem, aut est in peccato, aut non est. Si sit in peccato, eo ipso nõ facit quod debet; Si verò nõ sit, facit, quidquid oportet facere ad salutem, & proinde mens eius est diuinitùs illustrata in ijs, quæ sunt necessaria ad salutem. Respondeo, Hominem huiusmodi probabiliter ignorãtem posse, & cum peccato, & absque peccato esse. Si sit cum peccato, eo ipso non facit, quod debuit, vt à peccato expurgaretur; nec tamen inde consequitur, vt non fecerit, quod eum oportuit facere ad sciendum, quod ignorat; non enim debuit peccatum per pœnitentiam expiare, vt ignorantiam à se repelleret; quare tametsi est in peccato, non tamen culpæ tribuitur ignorantia, qua laborat. Sicut si Iudæus sese voto adstrinxisset adeundi Hierosolymam die Pentecostes, si votum emissum persoluisset, Christi Euangelium, & fidem audiuisset. Fingamus tamen, eum die Pentecostes Hierosolymam non adisse, consequitur, vt peccauerit, votum factum non soluens, non tamen peccauit ignorans Euangelium Christi, nam Hierosolymam adire quidem debebat, quia adire voti religione cogebatur, non tamen ad eundum iure compellebatur, vt ignorantiam exueret. Sic etiam ethnicus, qui probabiliter, & iustè Christi Euangelium ignorat, est quidem cum peccato, eo quod aliquid aliud contra legem naturalem sibi notam admiserit, & debet studium, & diligentiam in eo ponere, vt peccatum per veram pœnitentiam extinguat, & deleat, alioqui ob peccatum, cuius eum non pœniter, condemnabitur: non tamen debet huiusmodi diligentiam præstare, vt ignorantiam, qua laborat, expellat; nec ob huiusmodi ignorantiam damnabitur. Item fieri potest vt huiusmodi ethnicus per veram cordis pœnitentiam peccatũ abiecerit, ac proinde in peccato non sit, quod secundo loco ante cõcessi; & tamen laboret adhuc bona fide ignorantia baptismatis, & Euãgelij, & nostræ Christianæ religionis. quare per pœnitentiam non omnis Iuris diuini necessarij ad salutem ignorantia remouetur, & pellitur. Si obijcias, is igitur homo poterit salutem assequi sine eo, quod est remedium ad salutem necessarium. Respondeo nemini posse salutem contingere sine remedio necessario re, vel saltem voto explicitè, vel implicitè suscepto: is ergo ho

mo gratiam, & iustitiã poterit adipisci, voto saltem implicito præstandi id, quod est remedium ad salutem obtinendam; nam si aliquid supernaturale sibi diuinitus patefactum credit explicitè, hoc enim, vt paulò ante iam dixi, necessariũ simpliciter est ad salutem, alia fidei mysteria etiam ad salutem necessaria vi diuini præcepti, credit virtute & implicitè; & hoc sufficit ad salutem: nec enim oportet omnia explicitè credere, vt suo loco fusius explicabo.

Tertiò quæritur, An possit esse probabilis, & iusta ignorantia Iuris humani; Respondeo, ex communi sententia vtriusque Iuris interpretum, & Theologorum, posse bona fide probabiliter ignorari statuta, quæ sunt Ordinariorum specialesque priuatę; constitutiones, & iura municipalia, quæ sunt etiam speciales constitutiones editæ à Republica, vel Cõmunitate. Totus controuersiæ status est de legibus, & constitutionibus Principum, quæ pertinent ad Ius commune, Ciuile, vel Canonicum, quarum non videtur esse ignorãtia probabilis. nam cap. Ignorantia, de Regulis Iuris in 6. dicitur: Ignorantia facti, non iuris excusat. & in l. cõstitutiones, C. de Iuris, & facti ignorantia habetur: Constitutiones Principum, nec ignorare quempiam, nec dissimulare permittimus: & in l. leges sacratissimæ, C. de legibus, & constitutionibus dicitur, Leges sacratissimæ, quæ cõstringunt hominũ vitas, intelligi ab omnibus debent: vt vniuersi, præscripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur.

In hac quæstione, dicendum arbitror. Primò in foro animæ interiori dubitari non posse, quin aliquando sit probabilis, & iusta ignorantia Iuris humani communis: quia, vt ante iam diximus, Iuris naturalis, & diuini scripti, potest in aliquo esse bona fide ignorantia: ergo in pluribus hominibus potest cõtingere probabilis, & iusta ignorantia Iuris humani. Secundò in foro iudiciali post publicam, & solennem promulgationem legis, & constitutionis communis, nõ admittitur ignorantia probabilis, quæ reum defendat, & liberet à pœna legis; & hoc est quod dicitur in legibus ante citatis. Nam in huiusmodi foro admittitur iusta, & probabilis ignorãtia facti, & ignorantia statutorum, & iurium municipalium; non tamen ignorantia legum, & constitutionum Principum, quoniam huiusmodi constitutiones solent publico, & solenni ritu, ac voce præconis in curia Principum promulgari, & postea ex coniecturis, & signis agitur contrà quoslibet reos; & ideo Iuris ciuilis, & Canonici Doctores facti, & statui ignorantiam probabilem concedunt, hoc est, inuincibilem, quam probabilem appellãt, eo, quòd eam iura, & leges permittant, & probent: Iuris verò communis non admittunt ignorantiã probabilem, hoc est, inuincibilem, quia eam leges, & iura non approbant.

Cap. XIV.

Quomodo ignorantia sit iusta peccati excusatio.

PRIMO quæritur, An ignorantia non solùm bona fide, sed etiam mala contracta, vtpotè crassa, & affectata peccatum excusetur; Respondeo, Apud omnes rem esse cõpertam probabili, & iusta ignorantia, siue Iuris, siue facti, culpã excusari. Verùm dubiæ quæstionis est, an quod fit ex ignorantia crassa, & affectata, sit etiam aliqua ex parte à culpa liberum. Duæ sunt opiniones. Prima asserit, quod factum est ex eiusmodi ignorantia, liberum esse ex parte à peccato. Et probat, quia omnis ignorantia, etiam crassa, & affectata minuit aliqua ex parte voluntarium, quoniam, quatenus ex ignorantia quippiam agitur, eo ipso minus scienter fit. Deindè, quia Paulus Apostolus fatetur se veniam consecutum, quoniam per ignorantiam fuerat Ecclesiam persecutus; & tamen videtur in eo fuisse ignorantia crassa, & supina, hoc est, cum peccato coniuncta, eo quòd in persequendo Ecclesiam Christi putabat se obsequium Deo præstare; & id faciebat studio, & causa religionis paternæ & auitæ in suis ciuibus conseruandæ. Secunda opinio ait, peccatum per ignorãtiam probabilem factum, in totum excusari; at verò commissum per ignorantiam affectatam nulla ratione minui: & quod ex ignorantia crassa committitur non ex toto, sed ex parte excusari. Quoniam quod ex ignorantia affectata fit, est omni ex parte voluntarium; cum ignorantia affectata, voluntaria sit directò, & expressè. Item quod per ignorantiam crassam admittitur, bona ex parte voluntarium est, cum ignorantia crassa implicitè, & indirectò voluntaria sit. Præterea quod per ignorantiam probabilem fit, est omnino inuolũtarium, ergo peccatum per ignorantiam affectatam admissum non minuitur, sed augetur, & quod per ignorantiam crassam committitur, nõ ex toto, sed ex parte minuitur: quod verò per ignorantiam iustam, & probabilem fit, in totum iustam excusationem habet. Hæc est communis opinio Theologorum, & Summistarum. In qua quæstione mihi videtur esse probabile, quod prima sententia docet, scilicet peccatum per ignorantiam affectatam admissum, etiam minui quadam ex parte, tametsi alia quadam ex parte augeatur. Primum probo, quoniam quicquid per ignorãtiam admittitur, eo ipso minus voluntariè fit, quàm si scienter admitteretur: quod enim scienter fit, in seipso, & per seipsum voluntarium est; sed quod per ignorantiam etiam affectatam agitur, solùm est voluntarium in causa, eo quod nolumus diligentiam adhibere ad sciendum, quod nos facere oportet. Item quia dubitari non potest, quin adulterium scienter perpetratum, sit magis voluntarium, quàm adulterium per ignorantiam affectatam admissum: nam primum adulterium directò, & per se est voluntarium, at secundum est voluntarium indirectò, & in causa sua, nempè ob negligentiam de industria, & voluntate affectatam. Item primum adulterium tale est, vt quatenus scienter, sponte, & voluntate factum, non potuerit nõ esse adulterium: at verò secundum, solum est adulterium temerarium, & periculosum: nam eo ipso quod Titius accessit ad fœminam, & nihil curauit, obseruauitúe, essetné illa aliena vxor an sua, cum tamen dubitasset, in consideratè, & temere accessit, ac proinde adulteriũ temerarium, & periculosum admisit: nã tale fuit, vt quamuis potuerit non esse ad alienam vxorem accessus, potuerit

quoque

1. Timot. 1.

Gal. 1.

quoque esse ad sibi sanguine coniunctam, vel voto castitatis adstrictam fœminam. Titius enim cum temere rem habuit cum fœmina, sicut accidit, vt accederet ad alienam vxorem, sic etiam potuit accidere, vt ad suam accederet, ad quam si accessisset, adulterium quidem affectu, & voluntate, non opere, & re ipsa commisisset, & ideo nihilominus peccasset, eo quod fuit temerarius, & periculosus accessus. & eadem ratione, quia temerè egit, fieri potuit, vt, aut incestus, aut sacrilegij crimen admitteret. Denique hoc idem patet in alijs multis exemplis: vt si Titius per negligẽtiam, & ignorantiam affectatam sagittam proijciat, & hominem configat, & necet, est homicidium temerariũ, & periculosum, non directò voluntarium: & qua ratione occidit hominem, potuit quoque casu contingere, vt non interfecisset hominem, sed belluam; & potuit etiam accidere vt patrem, vel Principem, vel Clericum necaret. ita etiam si Titius ineat cum Caio contractũ per negligentiam, & ignorantiam affectatam. cum dubitasset enim, an contractus vsuræ labe inficeretur, de industria nihil voluit inquirere, contractus est temerarius, & periculosus: neque enim Titius vsurę crimen admisit directò, & per se voluntarium, sed quoniam temerè, & periculosè contraxit. Pari ratione sacerdos volens rem diuinam facère, & dubitans, sit nec ne interdictus locus, sit ne altare consecratum, an nõ, & per negligentiam, & ignorantiam affectatã, nihil prorsus de his curat, temerè, & periculosè agit absq; dubio, & proinde minus voluntariè delinquit, quàm si scienter in templo interdicto, vel altari non consecrato Missę sacrificium offerret. Secundo dixi huiusmodi peccati deformitatem per ignorantiam affectatam admissi ex alia parte augeri: quia vt ex productis in medium paulò ante exemplis plane constat, adulterium per ignorantiam affectatam admissum, non solùm est adulterium, sed etiam temerarium, & periculosum; & ideo etiam si Titius ad fœminam accedẽs opere, & reipsa adulterium non commisisset, peccasset nihilominus, quia temerè, & periculosè accessit: qua ratione potuit etiam grauis, & deterius crimen admittere. Quapropter ex hac causa grauius deliquit; cum tamen adulterium scienter, & sponte, ac voluntate cõmissum, solùm sit adulterium absque vlla alia temeritate, & periculo ne grauius, & deterius malum perpetrasset.

Secundò quæritur, An ignorantia probabilis, & iusta semper ex toto peccatũ excuset; Respondeo ex communi sentẽtia Theologorum, & Summistarum, aliquando ex toto, aliquando ex parte ignorantiam eiusmodi dare iustam peccati excusationem; si peccatũ quod fit, ex toto ignoretur, hoc est, si ea omnia adiuncta ignorentur, quæ actum circumstant, in totum excusatur. Vt si Titius patrem suum cædat, pulset, vel necet, ignorans esse patrem suum, sciens tamen esse hominem, homicida quidem est, parricida non item. Si clericum occidat, ignorans esse clericum, videns tamen esse hominem, homicida est, non tamen sacrilegus: Si cognoscat fœminam cognatam, sciens esse alienam vxorem, non tamen cognatam, adulterium admittit, non tamen incestum; sic de alijs similibus iudicandum.

Tertiò quæritur, An ignorantia probabilis originem habens ex culpa, vel causa voluntaria, peccatum excuset ex toto, vel ex parte. Vt puta Titius sponte sua, vel culpa factus est ebrius, furiosus, vel amens, ac deinde in ebrietate, furore, vel amentia, vsu rationis omninò carens, occidit hominem. Quæritur, An huiusmodi homicidiũ sit minus peccatum eo ipso, quod fuerit in ebrietate commissum? Duæ sunt opiniones, Prima asserit, peccata in ebrietate, furore, vel amentia admissa, excusari ex parte, non tamen ex toto, quando ebrietas, vel amentia ex culpa, vel causa voluntaria suam ducit originem; Si tamen orta sit sine vlla culpa ex causa voluntaria priori, in totum excusari. Hæc opinio est multorum Theologorum, & Summistarum; quam probant in primis, quoniam licet ebrietas, vel amẽtia omninò vsum rationis ademerit, fuit tamen voluntaria in culpa, vel causa præcedenti, & eatenus peccata commissa fuerunt etiam voluntaria. Deinde quia voluntas prior non est ante ebrietatem, vel amentiam reuocata, ergo in ebrietate, vel amẽtia permanet. Item quia ebrietas, vel amẽtia est effectus præcedentis voluntatis, & peccata sunt effectus ebrietatis, vel amentiæ, ergo sunt etiam effectus antecedentem voluntatem consecuti. Præterea quia teste Aristotele, ebrius meritò duplici pœna iure, & lege punitur. Secũda opinio ait, huiusmodi peccata in ebrietate, vel amentia facta absque omni vsu rationis in totum excusari, etiamsi ebrietas, vel amentia ex culpa, vel causa voluntaria nascatur, hoc est ea per se peccata non esse, nisi in causa, & origine, in qua præuisa, & voluntaria fuerunt. Probat hoc, quia peccatum non est, nisi sit voluntarium, sed voluntarium absque vsu rationis nullum esse potest. Item quia nihil refert, an ebrietas, vel amentia ex culpa, vel causa volũtaria oriatur an non: quia effectus aliquam causam subsecutus, non potest culpæ tribui, nisi in potestate nostra sit, vt ex causa data non existat; alioqui enim solùm causam naturaliter consequetur. Et suprà ostendimus, culpæ non imputari effectum ex aliqua causa voluntaria natum, si, quando sequitur, impediri non potest. Accedit quòd homicidium in ebrietate commissum, solùm est voluntarium ob causam, qua quis sponte, vel culpa sua factus est ebrius: sed ea causa in qua præuisum est verisimiliter homicidium futurum, solùm est in vitio, & culpa indirectò, nam directò quidem voluntaria est ebrietas, indirectò verò homicidium, quia causa temerè, & periculosè data est. Hæc opinio videtur mihi, cum priori posse facilè conciliari. In primis si voluntas ebrietatis, vel insaniæ priusquam ebrius, vel amens, & furiosus effectus sit quis, per cordis pœnitentiam reuocetur, tunc mala in ebrietate commissa in totum liberantur à culpa, quia non oriuntur ex priori voluntate tanquam effectus, cum ab ea sit omninò recessum, sed naturaliter, hoc est, absque vllo rationis iudicio in ebrietate, vel amentia committuntur. Secundò etiamsi voluntas ebrietatis, vel dementiæ, non sit per pœnitentiam deposita, atq; mutata, mala ab ebrio, amẽte, & furioso facta, per seipsa in culpa, & vitio non sunt. nam aliam deformitatem non habent præter eam, quam ex causa sua, & origi-

De hac quæst. fusè & latè Cordub. lib. 2. de ignor. q. 18.

Auctores citat Cordub. loco citato.

Arist. lib. 3 Ethi. c. 5.

ne traxe-

ne traxerunt, eo quod solum in causa voluntaria fuerunt, ac proinde causa eo ipso, quod voluntaria exitit, fuit causa ebrietatis, vel insaniæ non qualiscunq;, sed temerariæ, & periculosæ: sponte potest quis dupliciter in ebrietatem, vel amentiam deuenire, aut cum occasione mala plurima committendi, aut sine ea: prior illa vtpotè noxia, & periculosa peior est, atque deterior, posterior verò per seipsam est in culpa, & vitio: nã ebrietas etiamsi omni mali periculo careat per se mala est, rectæ rationi dissentanea, vt suo loco postea docebo. Mala igitur in priori cõmissa culpæ, & vitio tribuuntur, quia ex causa sua, & origine voluntaria sunt. Argumenta verò primæ opinionis solum inferunt mala in ebrietate voluntaria facta in totum iustam peccati excusationẽ habere. quoniam non in seipsis peccata sunt, sed ex sua causa, & origine: & hoc idem est, quod auctores secundæ sententiæ docere voluerunt.

Hanc quæstionẽ tractat Corduben. lib. 2. de igno. q. 19. ex Almaino, & Angesto in Moralibus. S. Tho. 1. 2. q. 76. a. 2. & q. 6. a. 8. Arist. lib. 3 Ethi. c. 1.

Quartò quæritur, Num ignorantia probabilis, & iusta comitans det peccati excusationem. Veluti si Titius bona fide putans se belluam occidere, nihilominus Caium aduersarium interficiat, ignorans esse Caium, & esse hominem quem tamen si cognouisset, libenter occidisset: Quæritur modo, An huiusmodi homicidium excusationem habeat, eo quod per ignorantiam comitantẽ bona fide factum sit. Duæ sunt opiniones, Vna est S. Thomæ planè asserentis tale homicidium nõ excusari. Probat quia ignorantia comitans non facit inuoluntarium, vt rectè Aristoteles ostendit, siquidem is, qui per ignorantiam comitãtem male agit, nec dolore, nec pœnitentia solet affici, cũ postea factum rescierit, immò potius delectatur. Deinde quia ignorantia comitans non est causa mali quod fit, cum etiam fieret, si scientia adesset: ergo nõ potest peccatum excusari. Ea enim ignorantia excusat, ex qua peccatum fit, quod non fieret, si scientia non deesset. Præterea quia vnà cum ignorantia comitante est deprauatus animi affectus, quo ignorans cupit aduersarium occidere: ergo ignorantia comitans cum huiusmodi affectum non remoueat, & pellat, excusare homicidium non potest. Secunda opinio censet peccatum per ignorantiam comitantem probabilem admissum in totum excusari. Quod probat in primis, quia per ignorantiam comitantem actus licet non fiat inuoluntarius, fit tamen nõ voluntarius: id quod etiam S. Thomas & Aristoteles docuerunt: sed peccato non solum inuoluntarium repugnat, sed etiam non voluntarium, nam voluntarium debet esse peccatum: ergo si per ignorantiam comitantem volũtarium aufertur, peccatum remanere nõ potest. Item peccatum quod in opere externo consistit, est imperio voluntatis admissum: sed actum externum, qui per ignorantiam comitantem fit, voluntas imperare nequit, quoniam non imperat nisi ex præscripto rationis, quod cum huiusmodi ignorantia esse non potest. Accedit itidem quod ignorantia comitans non est causa operis mali, quod fit, vt etiam S. Thomas, & Aristoteles fatentur: ergo sicut eo ipso, quod non est causa, non accusat, & damnat malum quod fit: sic pari ratione excusat, quoniam eo ipso quod non accusat, videtur excusare, siquidem eatenus non accusat, quatenus ignorantia nõ est voluntaria, nec est causa mali, quod ab ignorante committitur.

Sic Alma. tract. 1. mo ra. cap. 4. Corduben. cum Angesto.

In hac controuersia, Primò, Mihi videtur, Titium per ignorantiam comitantem probabilem, & iustam, Caij inimici sui cædem admittentem, quem belluam esse existimauit, quadrifariam habere se posse. Primò, vt putauerit bona fide esse belluam, sed permanens in pristino affectu, quo iamdiu Caij perniciem, & interitum concupiuit, licet modo nihil de eo cogitet; & tũc peccatum nõ est in opere externo, quo Caium occidit, quoniam huiusmodi actus ortum non habet ex prauo illo Titij affectu, & ex præpostera ac peruersa volũtate. nam alioqui omnia studia, & opera infidelium, peccata fuissent, siquidẽ eorum operum semper est comes prauus animi affectus, quo se simulacris, & falsis dijs, ac dæmonibus tradiderũt. Secundo modo Titius potest se habere, ita vt cum occidit Caium, putãs probabiliter esse belluam, voluntatem habeat interficiendi quemcunq; in suo prospectu habet, tametsi distinctè non nouit esse Caium inimicum suum; tunc si hac animi voluntate sagittam proijciat, homicida est, quia voluntariè Caium interimit, eo ipso quod generaliter in voluntate habet eum occidere, quem ante oculos positum videt, siue sit homo, siue sit bellua: & de hoc quæstio præsens non intelligitur. Tertiò modo se potest habere Titius, si, cum occidit Caium, quem credit esse belluam, memor sit sui inimici, & occidat Caium existimãs esse belluam, volens tamen suum inimicum Caium necare, putat enim se fortassis decipi, & eum quem cernit, licet credat esse belluam, forsitan esse inimicum suum Caium, & tunc Titius etiam est homicida affectu, & voluntate, quia quamuis nõ Caium, sed belluam interficeret, homicidium volũtarium affectu committeret; nam ageret contra conscientiam, & prauo animi affectu: perinde ac si idem Titius vxorem suam cognouisset, quam tamen existimauisset esse alienam, aut quam vellet esse vxorem alterius, non suam, voluntate, & animo adulter esset: & de hoc etiam nihil in præsentia disputamus.

Quartò modo potest se Titius habere, ita vt bona fide probabiliter existimet se belluam occidere, & nõ Caium, expressim tamen cogitet de Caio inimico suo, & oderit eum, illius necem & interitum optans. Sed huiusmodi cogitatio, & affectus animi prauus tantùm comitatur actum externum, quo Caius occiditur, nec quicquam mouet, nec incitat Titium ad sagittam emittendam. Et de hoc intelligitur præsens quæstio: & mihi videtur homicidium in totũ excusari, quia actus externus non habet originem ex prauo voluntatis imperio, sed solum ex voluntate belluam occidendi, quæ voluntas mala non est, licet comitem habeat malum animi affectum. Aristoteles verò, & S. Thomas, cum aiunt huiusmodi ignorãtiam comitantem non excusare homicidiũ quod fit, intelligunt eo sensu, nempè non excusare eo quòd malum animi affectũ non excludat, & pellat è mente, quod est verum, sed nihilominus in actu externo homicidium non confistit.

Quintò quæritur, An ignorãtia probabili non solum malum à culpa, & peccato excusetur, sed etiam opus, quod fit, sit bonum, & laude, ac præmio di-

mio dignum, quatenus per ignorantiam iustam bona fide factum. Respondeo, Posse contingere, vt huiusmodi actus non solum sit ab omni culpa liber, sed etiam bonus, laudabilis & meritum habens apud Deum; veluti si Titius accedat ad vxorem alienam, quam tamen probabiliter, & iustè existimat esse suam, non solum nõ peccat, sed fieri potest, vt benè secundum virtutem, & honestatem agat, quia sua existimatione accessus est rectæ rationi consentaneus; accedit enim suo iudicio ad propriam vxorem gratia, & studio, sobolem procreandi. Pari ratione fieri potest, vt sit actus præmio dignus apud Deum, vt si accedat studio, & causa charitatis in Deũ, sic Almainus *tract. 1. Mor. c. 4. ad finem contra Martinum, & Angest. in mor. lib. c. 7. &* 8. Cordub. *lib. 2. de ignor. q. 23.* sic Dur. *2. d. 3. q. 1.* Obijcies, Huiusmodi accessus est ad vxorem alienam, & proinde iustitiæ legibus aduersus, ergo bonus esse non potest, siquidem deest obiecta res, & materia debita. Respondeo, In actionibus humanis bonitatem, & prauitatem non solum respondere obiectæ rei, & materiæ per se sumptæ, sed etiam aliquando secundum rationis existimationem: & tunc actio humana non est intrinsecus, & per se bona, vel mala, sed extrinsecus, & ex accidenti ob bonam rationis existimationem. Ex quo efficitur, vt possit quis esse hæreticus credens sententiam fidei; vt si Titius credat Isaac esse filiũ Abrahæ, putans tamen Ecclesiam, aut scripturam aliter docere, est hæreticus affectu, quia sua existimatione, & opinione credit id, quod cum Ecclesiæ doctrina, & scriptura pugnat. Et è contrario potest quis in fide manere, cum tamen aliquid falsi credat, quod sit à fide alienum: veluti si Titius rusticus credat Angelos esse colore affectos, crassa materia coniunctos, terrenis, concretisq; corporibus immixtos: quia hoc docentem Parochum audiuit, & putat ita Ecclesiam docere. Pari ratione potest Titius esse adulter, nempè voluntate, & affectu, si contra suæ conscientię præscriptum accedat ad propriam vxorem, ratus esse alienam, & è contrario potest bene agere, si per probabilem & iustam rationis ignorantiam ad alienam accedat. Nihil igitur impedit, quominus materia, quæ re ipsa est indebita, fiat debita extrinsecus ob existimationem rationis ex probabili ignorantia profectã; & materia alioqui per seipsam debita, fiat indebita extrinsecus ob conscientiam probabiliter errantem.

De hac quæstione Cai. 1. 2. q. 76. art. 4. Cordub. li. 2. de ignor. q. 24.

Sextò quæritur, An peccata per ignorantiam facta, sint eiusdem speciei, cuius essent, si scienter cõmitterentur? Veluti si Titius per ignorantiam hominem interimat, & Caius quoq;: sed sciẽter, quęritur, An Titius sit etiã homicida, sicut & Caius. Respondeo, Rem esse planè compertam, si Titius occidat ex ignorantia bona fide, homicidam non esse: quia vt diximus, in totum probabilis & iusta ignorantia peccatum excusat. Quæstio igitur est de peccatis ex ignorantia mala fide cõtracta admissis, siue ea sit affectata, siue crassa. In qua controuersia ex communi sententia dicẽdum est, esse eiusdem speciei, quando peccata ex ignorantia iuris naturalis mala fide fiunt. Quod vt intelligamus, sciendum est, esse aliqua peccata, quæ in opere externo consistunt, & in eo perficiuntur, vt est homicidium, furtum, adulterium, stuprum, Et hæc siue scienter, siue ex ignorantia voluntaria, & vitiosa admittantur, in eadem specie reponũtur. Quod si obijcias, homicidium ex ignorantia, licet voluntaria alioqui, & praua admissum, non esse directò, & per se voluntarium, quale est homicidium cum scienter admittitur: ac proinde non ad eandem speciẽ pertinere; Respondeo, In his peccatis, quæ sunt per se mala, & quibus proximè ius naturale violatur, & quorum deformitas in opere exteriore cõsistit, sufficere voluntarium siue directò, siue indirectò; & voluntarium siue per se, siue per aliud, quia obiectum externum per seipsum malum est, vtpotè rectæ rationi contrarium: & hanc prauitatem, quam per se habet, transmittit in voluntatem, licet ipsa voluntas per se directò non velit rem obiectã, quatenus rectæ rationi, aut Dei legi inimicam, & aduersam. Homo enim cum peccat, nollet opus malum, quod facit, esse rationi cõtrarium; nam peccatum vult, approbat, & appetit, vt sibi vtile, & commodum, vel iucundum; & fur qui furripit rem sacram, nollet esse sacram, sed eam tamẽ, vt sibi vtilẽ furripit. In his igitur omnibus, & similibus, quia deformitas actus est in ipso opere externo quod fit, sufficit, si indirectò, aut in alio, aut per aliud sit voluntaria. Alia verò sunt peccata, quorum prauitas, aut in actu voluntatis interno consistit, aut saltem pendet ex proposito voluntatis expresso, & speciali, qualia sunt odium, contemptus, ira, superbia, inuidia, ambitio: hæc enim actu voluntatis interno cõplentur; & ideo speciale voluntatis propositum requirunt. Porrò scandalum, hæresis, nõ obedientis animi crimen, licet in opere exteriore versentur, pendent tamẽ ex speciali voluntatis proposito. Non enim, qui ieiunium soluit, continuò non obedientis animi crimen admittit, & tamen continuò eo ipso est intemperans: nam intemperans est statim, atque ieiunium violat; edit enim quando, aut quod non debet: sed nõ obediens tunc est, quando ieiunium soluit eo animi affectu, vt præcipientis Ecclesiæ voluntatem, ius, legemq; perfringat: eadem ratione, si Titius coram alijs publicè peccet, aut alijs peccandi consilium det, imperetque rem malam, non propterea statim ille speciale scandalum admittit: nam si hæc agat ob proprium commodum, aut voluptatem, speciale scãdalum non committit; si tamen hæc fecerit specialiter ea animi voluntate, vt alij peccent, & gratiæ diuinæ iacturam faciant, tunc in speciale scandalum incurrit. In huiusmodi igitur peccatis, quæ suæ naturæ conditione speciale voluntatis propositum postulant, non sufficit voluntarium qualecunq;, sed requiritur voluntarium directò, & per se. Quandocunque igitur sunt per se mala, hoc est iure naturali prohibita opera externa, tunc per ignorantiam vitiosam admissa, eandem speciem habent, quam scienter facta. Obijcies, Peccatum est voluntarium, ergo si non est per se voluntarium, non est per se peccatum: sed malum per ignorantiam mala fide commissum non est per se voluntarium, ergo non potest esse per se peccatum, & proinde ad aliam speciem reuocatur. Respondeo, Voluntarium requiri necessariò in omni peccato; sed species peccatorum non accipiuntur à voluntario, sed ab re obiecta, quæ est

rectæ rationi contraria: sufficit enim si voluntariũ adsit, siue indirecto, siue per se, siue per aliud. species verò peccati talis est, qualis est deformitas operis externi quod fit, quatenus est rectæ rationi dissentaneum. Postremò obijcies, Omne lethale peccatum est mors animæ, quia gratiam diuinam adimit, in qua animæ vita consistit, ergo quicunque peccato lethali se obstringit, est suæ animæ homicida, si ad peccatam sufficit qualecunque voluntarium. Item omne peccatum iniustitiæ contra alterum admissum, erit peccatum odij in alterum, si sufficit ad peccatum odij, velle quomodocunque malum alicui. Respondeo, Nullum esse homicidam suæ animæ, nisi speciali voluntatis proposito velit suæ animæ interitum; & ideò nõ quicunque se lethali peccato commaculat, cõtinuò est suæ animæ homicida. Spirituale enim homicidium specialem, & expressam voluntatem requirit, & postulat, hanc tamen homicidium corporale non poscit, ad quod sufficit, si alteri qualicunque voluntate corporis vitam eripias. Item non omne peccatum iniustitiæ, est peccatum odij in alterum, quia per iniustitiam inferimus malum alteri, sed aliquãdo ex ira, hoc est, ex cupiditate vindictę: aliquando ex inuidia, qua secundis & prosperis rebus alterius tristamur, etiamsi nihil prorsus nobis officiant: aliquando ex odio, quando cupimus alicui malum propter ipsum, non ob aliud, nisi quia persona eius per se nobis displiceat, quod est velle ne persona alterius, quia nobis non placet, fit in rerum natura. Optare igitur, aut inferre interitum alteri, non semper est speciale odium, quoniam specialem voluntatem deposcit, vt sit speciale peccatum.

Septimò quæritur, An in ijs quæ sunt iuris scripti diuini, vel humani, peccata ex ignorantia voluntaria mala fide commissa, in eadem specie reponantur, in qua essent alioqui, si sciẽter fierent? *Caiet. 1. 2. q. 76. ar. 4.* Caietanus censet aliam esse rationem in his peccatis, quàm sit in ijs, quibus ius naturale cõuellitur, de quibus dixi quæstione præcedenti. Sed reuera longè verius est, quod docet Cordubensis, *Cordub. li. 2. de ignor. q. 24. prop. 3. Medina 1. 2. q. 76. art. 4.* & alij iuniores, eandem prorsus esse rationem in vtrisque peccatis, quare peccata contra ius scriptum, quod positiuũ vocatur, admissa, ex voluntaria ignorantia, eiusdem sunt speciei, cuius sunt peccata scienter facta, quia in his etiam peccatis sufficit, si voluntarium adsit, siue directò, siue indirectò. Nam intemperans est, qui ex ignorantia iuris voluntaria Ecclesiæ ieiunium violat. Item ius religionis transgreditur, qui mala fide ex ignorantia iuris rem diuinam facit in templo interdicto, aut loco non sacro, aut sine vestibus legitima auctoritate sacratis, aut sine lumine. Contrà religionem item delinquit, qui ex ignorãtia voluntaria iuris diuini scripti, integram confessionem suorum peccatorum non facit, vel sacratũ Domini corpus, lethalis peccati conscius suscipit. Item sacrilegus homicida est, qui clericum occidit, sciens esse clericum, ignorans tamẽ mala fide legem Ecclesiæ id prohibentem. Iniustus item est, & ad restituendum Ecclesiæ lege compellitur, qui per ignorantiam voluntariam decimam fructuum partem Ecclesiæ debitam surripit, vsurpat, detinet.

Octauò quæritur, An peccata admissa ex ignorantia facti voluntaria, sint in eadem specie collocanda, in qua collocarentur, si scienter fierent. Caietanus & Cordubensis existimant non in eadem specie cõstitui; & ideo aliam esse rationem in peccatis, quæ ex ignorantia facti sponte contracta fiunt, aliam in peccatis quæ ex ignorantia voluntaria Iuris admittuntur. Quare si Titius ex ignorantia mala fide sagittam emittens Caium occidat, cẽsent prædicti auctores huiusmodi peccatum non esse homicidium, sed tantùm temerarium, & periculosum sagittæ iactũ, & ob cædem Caij subsecutam paulò maiorem prauitatem sortitum, quàm si vel nihil detrimenti sequeretur, vel saltem aliud minus incommodum accidisset, & sic de cæteris similibus iudicandum. Sed certè lõgè verius est, huius generis peccata etiam eandem speciem habere, quam haberent, si scienter admitterentur, quia sufficit etiam in his peccatis, si voluntarium, siue directò, siue indirectò adsit. quare vere est homicida Titius, qui temere ex ignorantia voluntaria sagittam proijcit, & Caium interimit: & verus est incestus eius, qui ex ignorantia, mala fide ad cognatam accedit: & fur est sacrilegus, qui ex ignorantia voluntaria rem sacram surripit; atq; ita de reliquis eiusdem generis dicendum. Nam etsi causa, aut periculum verisimile peccati absque opere ipso subsequuto, in ea speciẽ nõ reponitur verè, & propriè per se, in qua est ipsum peccatum: quando tamen re ipsa peccatum consequitur, propriè in ea specie reponitur malum quod fit: periculum, & occasio furti ad furtum pertinet: periculum periurij, ad periurium, solum vt causa, & periculum, siue occasio furti, vel periurij. furtum tamẽ quod causam sponte, & voluntate datam consequitur verè, & propriè furtum est.

Nonò quæritur, An error in fide ex ignorantia voluntaria, & vitiosa admissus, sit eiusdem speciei, ac si scienter admitteretur? Veluti si Titius negligentia affectata, vel crassa res fidei ignoret; & per eam ignorãtiam aliquid sentiat, quod cum fide pugnet, animo tamen parato ad correctionem, hoc est, ad credẽdum oppositum, si illud Ecclesia teneat, ac sentiat. Sotus putat huiusmodi errorem esse verè hæresim, & proinde Titium esse hæreticum, & incidere in pœnas à Iure hæreticis irrogatas. *Sot. 4. d. 22 q. 2. ar. 3.* Probat id, quia generaliter omne peccatum ex ignorantia voluntaria commissum, in ea specie reponitur, ad quam pertineret, si scienter fieret. Sed mihi multo verius videtur, quod tradiderunt Syluester, Canus, Cordubensis, & alij iuniores, huiusmodi errorem non esse hæresim, nec Titium esse vere hæreticum. Canus quidem *lib. 12. de locis Theolog. c. 9. ad 3.* Syluest. *hæresis. 1. q. 1.* Et Cordub. *lib. 1. q. 18. §. 7.* fatentur non esse hæreticum eum, qui errat in fide per ignorantiam supinam & crassam: & quidam alij recentiores idem sentiunt, & docent de eo, qui errat per ignorantiam affectatam, quia alia est ratio in hæresi, alia in alijs peccatis: nam hæresis per se & natura sua pertinaciam postulat: pertinacia autem non est, nisi adsit in intellectu cognitio eorum, quæ sunt fidei, & in volũtate electio, qua quis velit adhærere ijs, quæ nouit fidei esse contraria, aut saltem qua nolit Ecclesiæ rem fidei definienti assentiri. *Banñet. 2. 2. q. 11. a. 2. Arago. 2. 2. q. 11. art. 1.*

sentiri. Quandocunque igitur est ignorantia rerum credendarum, licet vitiosa, crassa alioqui, vel affectata, error in fide est, non tamen hæresis, si sit animus paratus ad correctionem, & emendationem erroris. Hæresis igitur est ex numero eorum peccatorum, quæ, vt paulò ante iam dixi, in mente, & animo perficiuntur, & specialem, & expressam voluntatis electionem, & propositum deposcunt.

Caiet. 1. 2. q. 76. ar. 4. Cordu. lib. 2. de ignor. q. 24.

Decimò quæritur, An quando ignorantia est probabilis, & iusta, orta tamen ex culpa, vel causa voluntaria, qualis est sæpenumero ebrietas, vel insania, quæ prorsus hominem vsu rationis spoliat, peccata per huiusmodi ignorãtiam commissa, sint eiusdem speciei, tunc quando in ebrietate, vel amentia, vel somno committuntur, cuius sunt scienter admissa. Duæ sunt opiniones. Prima asserit esse eiusdem speciei. Hæc opinio eo innititur argumento, quod mala opera eiusmodi ab ebrijs, vel insanis commissa, peccata non sunt solum in causa, & origine, sed etiam quando in ebrietate, vel insania admittuntur: quare cum peccata sint, in eadem specie reponi debent, cuius essent, si scienter fierent; saltem sint peccata, quibus proximè ius naturale violatur. Ratio huius opinionis est, quia huiusmodi mala opera sunt voluntaria, nõ quidem per se, sed per aliud, nimirum per causam suam, à qua originem ducunt. Secunda opinio ait, non esse eiusdem speciei. Et hæc sententia id fundamenti, ac præsidij habet, quod ignorãtia probabili huiusmodi mala excusantur, & solum sunt peccata in causa, & origine, quam consequuntur. Sic Caietanus, & Cordubensis; existimant enim non esse peccata, quando fiunt, sed in sua causa, & principio peccati rationem habuisse, ac tunc non eandem speciem mali sortita, quam haberent, si scienter admitterentur, sed solum fuisse peccata quòd sint actus temere, & cum periculo aliorum facti. Hęc opinio mihi partim probatur, partim non item:

Caiet. & Cordub. loci præallegati.

placet quidem in eo quod ait, non esse peccata nisi in causa, & origine, vt suprà demonstratum est, quoniam huius generis mala nullam aliam deformitatẽ habent præter eam, quam ex suo principio, origine, & causa cõtraxerunt: ea enim causa data, postea huiusmodi mala naturaliter consecuta sunt, & solum sunt effecta peccati, non autem peccata: si quidem in potestate ebrij, vel insani non fuit, vt euitarentur, & ideo causa, & origo istiusmodi malorum fuit voluntas prior, quæ eo ipso quod dicta mala probabiliter subsequtura præuidit, fuit temeraria, & periculosa. Hinc est, vt ebrietas voluntaria non solum damnetur, vt ebrietas sed etiam vt temeraria, & periculosa, & noxia: in quo peccatum esset, etiamsi præuisa mala casu aliquo non contigissent. Falsum tamen est, quod docet secunda opinio, hæc peccata non esse eiusdem speciei. Nam vt suprà dixi, etsi causa, & periculum homicidij non est homicidium verè, & propriè: periurij periculum non est periurium directò, & expresè, si re ipsa periurium non sequatur, sed solum in causa: attamen quando homicidium, furtum, vel periurium ex causa, vel periculo voluntario re ipsa existit, verè, & propriè homicidium, furtum, vel periurium est, quoniam sufficit si in causa, & principio sit voluntarium: non enim requiritur, vt sit voluntarium directò, & per se, quemadmodũ hactenus ostendi contra Caietanum. Veluti si Titius sciẽter sagittam emittens, vel venenum porrigens, Caium interimat, homicida est verè, & propriè, licet solum voluntarium sit homicidium in causa, affectu, & animo. Quod si casu aliquo impedita mors Caij non esset consecuta, re homicida nõ fuisset: sed sagittæ iactus temerarius, & periculosus; veneni item subministratio periculosa, & maligna. at vero vt prædixi, causa, & periculum peccati in eadem specie peccati reponitur, in qua esset ipsum peccatum, si re consecutum fuisset: ac nihil obstat, si non sequatur casu impeditum. sicut voluntas furandi, licet casu impedita, non compleatur, eiusdem speciei est, cuius est furtum: sic iactus sagittæ temerarius cum periculo necis alterius præuiso, licet non optato, in specie homicidij reponitur, tametsi homicidium nunquam contingat.

Cap. XV.

Quomodo is, qui per ignorantiam peccat, à pœna legis sit liber.

PRIMO quæritur, An qui ex ignorantia, mala fide peccat contra legem diuinam, vel naturalem, ignorans tamẽ omninò pœnam ipsius legis, sit liber ab ea. Respondeo, Primò, Rem esse compertam, Titium bona fide, & probabiliter ignorantem ius diuinum, vel naturale non peccare, quia id non sponte, & voluntate, agit, & proindè liberũ esse ab omni pœna legis, non obtemperantibus irrogata. Secundò, Si Titius sciens legem diuinam, vel naturalem, ignarus tamẽ pœnæ Iure diuino, vel naturali debitæ peccato delinquat, huiusmodi pœnæ subeundæ subijcitur, quare quicunq;, etiam Gentiles, qui ius diuinum, vel naturale perrumpunt, quamuis inferorũ pœnas ignorent, eo ipso sunt æternis supplicijs obligati, & obnoxij: quoniam obligatio hæc non oritur ex consensu Gentilium contra leges, & iura peccantium, sed ex potestate Dei, qui tales pœnas peccantibus iure constituit. Deinde quicunque scienter ius diuinum, vel naturale perfringit eo ipso spontè sese obstringit Deo legislatori ad pœnam peccato debitam luendam. Nam eo ipso, quod scienter leges, & iura cõtemnimus, cognoscim⁹ nos oportere eas pœnas perferre, quas peccata promerentur, quamuis ignoremus distinctè, & præcisè eas futuras esse perpetuas. Præterea quicunq; scienter delinquit, sponte sua & voluntate consentit in causa, ob quam pœna peccato debetur: quia peccatum est causa, ob quam malefacta puniuntur. Constat ex dictis Titium, ex ignorantia volũtaria contra ius diuinum, vel naturale peccantem, obstrictum & obligatum manere ad pœnam æternam apud inferos sustinendam, quamuis eam ignoret: quia is qui peccat ex ignorantia eiusmodi, sponte & voluntate delinquit, vt ex prædictis apertè concluditur.

Secundò quæritur, An si Titius sciens ius diuinum, vel naturale, peccet, ignorans pœnam Iure ciuili irrogatam ijs, qui ius diuinum, vel naturale conuellunt, sit Iuris ciuilis pœnæ subiectus; Respondeo, Rem esse certam huiusmodi culpæ

reum subiectum manere etiam pœnis iure ciuili constituris in eos, qui Ius naturale contemnunt. Sic enim fures suspenduntur ob furtum, homicidæ gladio necantur, hæretici igni exuruntur, alij relegantur, alij bonorum publicatione, & confiscatione damnantur: quia sufficit si is, qui peccat, nouerit, opus quod facit, cum iure diuino, vel naturali pugnare, & se leges ipsas ac iura labefactare: pœnæ enim licet iure ciuili irrogentur, non ex consensu peccantium pendent, sed auctoritate Principis imponuntur, ne delicta maneant impunita, & ne boni vexentur à sontibus, vt improbi, & facinorosi deterreantur à vitijs, ac vt omnes in officio contineantur.

Tertiò quæritur, An si quis contra ius diuinum, vel naturale delinquat scienter, vel per ignorantiam culpa sua, vel mala fide contractam, sed ignorans ius Canonicum afficiens excommunicatione omnes, qui non obtemperant, incidat in excommunicationem iure illo Canonico constitutam; Respondeo, Duas esse in hac controuersia opiniones, tum inter iuris Canonici interpretes, tum inter Theologos. Prima asserit quandocunque ius Canonicum commune prohibet aliquid alioqui iure diuino, vel naturali damnatum, si quis peccet sciens ius diuinũ, vel naturale, quamuis bona fide ignorans ius Canonicum excõmunicationem constituens, eum incurrere in excommunicationem. Verbi Gratia; Titius scienter vulnerauit Caium clericum, ignorans tamen bona fide ius Canonicum excommunicatione puniens clericorum percussores, licet nouerit Caium esse clericum siue hominem, incidit in excommunicationem iure irrogatam. Et idem aiunt huius opinionis auctores esse dicendum in cæteris similibus. Veluti si quispiam scienter, vel ex ignorantia voluntaria furtum rei sacræ committat, & ignoret bona fide ius Canonicum fures rerum sacrarum excommunicatione afficiens, nihilominus excommunicationem contrahit. Sic sentiunt inter Theologos, Scotus, Gabriel, Adrianus Maior, Cordubensis: inter Canonici iuris consultos Glossa, Ioan. Andreas, Ancharanus, & Imola, Couarruuias: & inter iuris ciuilis interpretes. Bartolus, Baldus, Cynus, Socinus, Iason: inter Summistas Rosella. Probant in primis, quia qui scienter, aut vltro ius diuinum, vel naturale contemnit, sponte se subijcit pœnæ Principis, vt quæstione superiori iam dixi de pœnis iuris ciuilis: hac enim ratione fures, & homicidæ iuris ciuilis pœna debita puniuntur. Deinde quia pœnæ, quas male agentibus leges irrogant, non sunt ex consensu peccantiũ, sed sunt auctoritate Principum constitutæ. Item quia quicunque delinquit, se obligat legislatori, ac se legis pœnæ submittit, & subijcit, quam culpa promeretur: sed peccata lethalia contra ius diuinum, vel naturale commissa quamcunque pœnam etiam excommunicationis merentur. Postremò quia contra ius diuinum, vel naturale peccantes alijs pœnis Ecclesiasticis tenentur obstricti, vtpotè irregularitatis, depositionis, degradationis, infamiæ, priuationis officij, amissionis beneficij, confiscationis bonorum: licet huiusmodi pœnæ, & Ecclesiasticæ leges, quibus irrogatur bona fide absque culpa ignorentur. Secunda opinio ait, huiusmodi reos sine vlla culpa ignorantes ius commune Canonicum prohibens, quod alioqui scitur diuino, vel naturali iure damnatum, non incidere in excommunicationem iuris. Sic inter Theologos sentiunt Sotus, Ledesmus, Castrus, Angelus, Antoninus, Syluester, Tabiensis: inter Canonici iuris interpretes Antoninum Panormi. Philipp. Felinum, & alios citat Couarr. *in c. Alma mater. de sent. excommun. in 6. p. 1. §. 10. num. 8. & seq.* & Adrian. *4. q. 3. de claui §. sed magis dubium in 7. exceptione, & hoc etiam sentit Naua. in Manual. c. 27. num. 16. & sequen.* Atque hæc opinio est magis æquo, & bono consentanea, licet prior forsan magis cũ iure congruat. Quare hæc posterior videtur eligenda cum sit æquior, ac mitior. Et non leui ratione probetur. Is enim, qui peccat sciens ius diuinum, vel naturale, ignorans tamen bona fide ius Canonicum, agit quidem contra Dei, aut contra rectæ rationis, & naturæ legem, non tamen facit cõtra Ecclesiam, cum Ecclesiæ ius, & legem ignoret: sed excõmunicatio constituitur in eos, qui Ecclesiæ non parent. Item durum est dicere, Titium scienter clerico vulnus infligentem, ignorantem tamen ius Ecclesiæ interdicentis, ne clerici pulsentur, percutiantur, vulnerentur, in excommunicationem incurrere. Item si Titius rem sacram scienter furetur, ignorans tamen sine culpa ius & legem, siue canonem Ecclesiæ rei sacræ furtũ interdicentis, non videtur in excommunicationem incidere, siquidem contra ius Ecclesię non facit, nec canonem Ecclesiæ violat, quamuis in legem naturæ delinquat.

Ad ea verò quæ principio obiecta sunt; Respõdeo, esse specialem rationem in pœna excommunicationis, quæ non est in alijs pœnis; quoniam excommunicatio constituitur in eos, qui non obtemperant Ecclesiæ decretis ac legibus: sed is qui huiusmodi iura, & leges iuste, & probabiliter ignorat, contra ea facere nõ censetur. At verò cæteræ pœnæ specialem huiusmodi contemptum, aut contumaciam non postulant, sed sola Principis potestate irrogantur, & proinde sola auctoritate Principis iuris diuini, vel naturalis neglectio, & violatio, pœna debita videlicet exilio, carcere, verberibus, fustibus, aut etiã morte multatur. Si obijcias in cap. Vt animarum, de constitutionibus in 6. aperte dici. *Vt animarum periculis obuietur sententijs per statuta quorumcunque Ordinariorum ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Ex quibus verbis colligi, videtur à contrario sensu ligari, & affici ignorãtes sententijs, & pœnis iuris Canonici communis, etiam quando ignorantia est iusta, & probabilis ipsius iuris Canonici, si alioqui id, quod fit, scitur iure diuino, vel naturali esse prohibitum. Hoc argumẽto plerique primæ opinionis auctores, vt Glossa, & Ioan. Andreas, Bartolus, Ancharanus, Imola, Adrianus, Maior, Rosella, Cordubensis, & alij, quos partim citat Couarr. *in c. alma mater. de sentent. excom. in 6. p. 1. §. 10. nu. 8. & 12.* & partim citat ipse Cordubensis *de ignorantia. q. 27. prop. 1. post tertiam rationem*, permoti sunt ad asserendum, non esse idem de iure communi, quod de statutis Ordinariorum: ita vt cum ius commune excommunicationis pœnam constituit ob delictum iure diuino, aut naturali alioqui damnatum, ignorantes

Scot. 4. d. 6 q. 8. ar. 1. Gab. 4. d 6 q. 2. art. 3. dub. 8. Adrian. 4. de claui. q. 7. §. sed magis dubiũ. Maior. 4. d. 18. qua. 4. Dried. quẽ citat Couarru. in c. alma mater. p. 1. §. 10. nu. 11. Cordu. lib. 2. que. 27. Glossa. Io. Andr. Anchar. Imo. quos partim citat Adrianus, partim Couarruuias locis citat. & Bart.

Baldus, Cynus So. cin. Iason quos refert Couar. tandem Rosel. la. ignorantia in additio. concl. 3. hanc putat vt tutiorẽ victo de excom. nu. 8. Sot. 4. d. 22. q. 1. a. 2 casu. 4. prop. 3. Ledes. 4. p. 2. q. 24. ar. 6. Cast. lib. 2. de legib. pœna. c. 14 Angel. excommun. 7 casu vlt. n. 3. Anton. p. 3. tit. 24 c. 32 ad finẽ. Silu. ignorantia. q. 8 vers. 3. Tabien. excõmun. 7. n. 2

rantes etiam bona fide ius Canonicum, excommunicationem contrahant, & ad hoc sufficere iuris diuini, vel naturalis notitiam. Si verò sint statuta Ordinariorum, in excommunicationem nequaquam incidere, qui ius diuinum, vel naturale perfringit, si statuta eiusmodi sine vlla culpa nesciat. Probant hoc. Primo, Quia in iure argumẽtum à sensu contrario ductum vim habet; sed in cap. citato, Vt animarum, specialiter constituitur de statutis Ordinariorum, ergo ius commune non est eo capite abrogatum. Deinde si ius commune in ea capitis prædicti constitutione comprehenderetur, frustra esset expressum per statuta quorumcunq; Ordinariorum. breuius dici potuisset sententijs cuiuscunque iuris, aut legis nolumus ligari ignorantes. Item quia est specialis ratio in statutis Ordinariorum, quæ cum plurima sint, & passim edantur, ac frequenter occurrant, multorum absque dubio conscientias obstringerent; & ideo huic tanto periculo Pontifex sua auctoritate, & lege consuluit. At vero canones, leges, & iura communia, nec tam multa cõduntur, nec passim se nobis obijciunt: nec tam frequenter iuste, & probabiliter ignorantur. Ceterum his nihil obstantibus dicimus, in pœna excommunicationis, Interdicti, & Suspẽsionis, quæ fertur ob contumaciam, aut contemptum, nõ autem ob infamiam, pœnam, vel animi, aut corporis vitium, idem esse iuris, siue sit lex Canonica communis puniens delictum alioqui diuino vel naturali iure damnatum, siue sit statutum Ordinariorum, quia in vtroq; est eadem ratio: & prædictæ pœnæ non tantum diuinę legis, vel naturalis, sed etiam Canonicæ, & Ecclesiasticæ contemptum, & hominis cõtumaciam non obtemperantis decretis Ecclesiæ requirunt. At cum ignorantia iusta, & probabili, non stat huiusmodi contumacia, vel Ecclesiæ iniqua contemptio: siquidem eius lex bona fide ignoratur, licet ius diuinũ, vel naturale sit notum.

Ad obiecta verò ex cap. Vt animarum; Respondeo, Argumentum à contrario sensu ductum in iure non semper esse firmum, & certum; præsertim si ex ipso iure contrarium colligatur, aut si specialis ratio oppositum prorsus ostendat. Ad secundum respondeo, Male Syluestrum, & quosdam alios, qui nostram sententiam sequuntur asserere, in cap. citato, Vt animarum, appellatione Ordinariorum etiam intelligi ipsum Summum Pontificem, qui est conditor iuris Canonici communis: quia, inquiunt, etiam Romanus Pontifex est Ordinarius Iudex. Sed verè falluntur in hoc: nam Ordinarius in iure non accipitur nisi is, qui in certa Ciuitate, Prouincia, vel loco iurisdictionem certis limitibus cõtentam, & veluti quibusdam cancellis circumscriptam habet: & potestatem exercet: at Romanus Põtifex in omnes prouincias, & loca in tota Christianorum ditione, & imperio cõstituta ius habet, & auctoritatẽ. Quare meo iudicio in cap. citato. Vt animarum, &c. Speciale ius est cõstitutum, ne statutis pœnis Ordinariorũ ignorantes teneantur obstricti. Et constitutio intelligi debet non quidem de pœnis excommunicationis, Suspensionis, aut Interdicti: quia vt ante iam dixi, his nõ afficiuntur, qui contra ius Canonicum commune per iustam, & probabilem ignorantiam aliquid faciunt, ac proinde in hac parte statutum à iure communi non distat: sed intelligitur de cęteris pœnis, quæ solent statutis Ordinariorum peccantibus irrogari. Ad tertium respondeo. Pœnam excommunicationis non contrahere ignorantes statutum Ordinariorum pœnale, propterea quod excommunicatio specialiter hominis contumaciam, vel legis contemptionem requirit. *c. nemo Episcoporum. 11. q. 3. & c. sacro. de sen. excom.* quæ ratio locum etiam habet in quocunque iure communi pœnali Canonico, dummodo sine culpa, bona fide nesciatur.

Quartò quæritur, An, quando statutum Ordinarij excõmunicationis pœnam in malefactum alioqui diuino, vel naturali iure prohibitum constituit, ea afficiatur is, qui scienter peccat in ius diuinum, vel naturale, Ordinarij statutum probabiliter ignorans? Duæ sunt opiniones. Prima docet, eum in excõmunicationem incurrere. Sic sentiunt quidam ex ijs, qui generaliter existimant peccantem in ius diuinum, vel naturale pœnas contrahere iure humano scripto irrogatas, delictis ipso iure diuino, vel naturali dãnatis, quamuis ius humanum probabiliter ignoretur. Sic enim in vniuersum censet glossa, Scotus, Bartolus, Baldus, Cynus, Socinus, Couarruuias, Iason; non tamen idem censent inter Theologos, Adrianus, Driedonius, Cordubensis, Maior; inter Canonici iuris consultos, Ancharanus, & Imola. Secunda opinio tradit, non incidere in excommunicationẽ. Sic Ioan. Andreas, Geminianus, Antonius, Philippus, Panormitanus, & Felinus; Inter Summistas, Angelus, Syluester, Rosella, Tabiensis, Nauarrus; Inter Theologos Sotus, Ledesmus, & Victoria. Quæ quidem opinio verior mihi videtur, nec solum cum æquo, & bono magis cõuenit, sed iuri etiam ipsi magis est cõsentanea. Quoniam in cap. Vt animarum, apertè definitur, pœnas constitutas statutis Ordinariorum, non afficere eos; qui probabiliter ignorant. Vbi constitutio nihil distinguit, sed vniuersè, ac generatim decernit. Immò statim subiungit, statuto pœnali Episcopi, quo in omnes, qui furtum cõmiserint, excommunicationis sententia fertur, ac pronunciatur, non teneri subditos furtum extra ipsius Episcopi diœcesim admittentes. Ex quibus verbis colligitur, in eo capite agi de statutis pœnalibus Ordinariorum puniẽtibus furtum, quod alioqui diuino, & naturali iure prohibetur. Nec mihi probatur sententia Couarruuiæ dicentis, præfatam Constitutionẽ in duas partes esse distinguendam, quarum prior generalis est, definiens statutum Episcopi minimè ligare ignorantes, si probabili, & iusta ignorantia laborauerint: in hac parte nequaquam, inquit ille, ponit Pontifex exemplum in furto alioqui naturali, & diuino iure damnato. Ex quo efficitur, ait vt hęc pars sit generaliter intelligenda; posterior verò pars, vbi subijcitur exemplum de statuto Episcopi, furtum alioqui diuino, & naturali iure prohibitum pœna mulctantis, non agit de ignorantibus, sed de hominibus non subiectis Episcopo extra diœcesim furãtibus, qui nec tenentur pœnali Episcopi statuto, nec vllo modo statuti pœna afficiũtur. Hæc sententia, inquam, Couarruuiæ tanquam absque fundamẽto solido, ac firmo tradita, meo iudicio

Couar in c. alma mater, de sent. excom. in 6 p. 1. §. 10. n. 8. & seq. vbi reli. quos citat.

merito confutatur: quia apertè constitutio loqui videtur in vtraque parte de statuto Episcopi furum excõmunicatione mulctantis. Quare si quæras generaliter an prædicto capite Constitutio solũ debeat intelligi de statutis Ordinariorum pœnalibus punientibus aliquid nõ alioqui communi iure prohibitum; Respondeo, vt paulò ante iam dixi, in hac re duas esse opiniones; vna ait, in prædicto capite non comprehendi pœnalia Episcoporum statuta punientia factum alioqui cõmuni iure damnatũ; quapropter iuxta hanc sententiam, statutis Ordinariorum pœnalibus puniri possunt, & debent ignorantes ea probabiliter, si scienter deliquerint in ius diuinum, vel naturale: nam constitutio solum habet locum in statutis punientibus factum nullo communi iure prohibitum. Altera opinio censet cõstitutionem intelligi generatim, ita vt eius sensus sit, quandocunque sunt statuta Ordinariorum pœnalia punientia aliquod factum siue alioqui communi & vetere, siue nullo antiquiori iure damnatum, ea nõ tenent, ac ligant ignorantes illa sine culpa bona fide; & qui ea violauerint, si peccatum fuerit contra ius diuinum, vel naturale, non sunt statuti pœna puniendi. Atq; hæc est verior opinio, quia constitutio nihil distinguit, sed generaliter tantum decernit, statutis Ordinariorum pœnalibus nequaquam ligari ignorantes, nisi quãdo eorum ignorantia fuerit affectata, vel crassa.

Sextò quæritur, An peccantes ex ignorãtia voluntaria, & vitiosa, scilicet affectata, vel crassa in ius Canonicum excommunicationem cõstituens in eos, qui nõ obtemperant, incidant in ipsam excommunicationem? Quæstionem mouet, quod sententia excommunicationis non fertur in aliquem, nisi ob eius contumaciam, aut legis, iurisq; contemptum: Sed hominis contumacia, aut legis contemptio non est, nisi malum quis faciat speciali volũtate, & studio violandi Superioris præceptum, aut causa despiciendi id, quod lege imperatur, quæ voluntas, esse non potest, nisi ex certa scientia. Respondeo, Rem esse planam, ad excommunicationem sufficere, si peccatum sit ex ignorantia mala fide contracta, videlicet affectata, vel crassa contra ius canonicũ admissum. Nam in cap. Vt animarum, ante citato aperte habetur; Statutis Ordinariorum (& multo maiori ratione legibus communibus) ligari, & teneri ignorantes, si ignorantia fuerit affectata, vel crassa. Et hoc ipsum ratio demonstrat, quia ignorãtia affectata, & crassa in iure est lata culpa, & negligentia: sed lata culpa cum dolo æquatur in iure. dolus autem, aut est expressus, & specialis, qui dicitur verus, aut est tacitus, & implicit⁹, qui iurisdictione dolus habetur, qualis in eo, qui peccat ex ignorantia affectata, vel crassa. Item contumacia alicuius, vel legis contemptio, aut est expressa, & hæc cõtinet certam legis, aut præcepti notitiam: aut est tacita, & implicita, & hæc est in eo, qui ex ignorãtia affectata, vel crassa præceptum infringit, aut legem. Excommunicationis autem pœna, quæ delictis iure ipso irrogatur, expressum, & specialem legis contemptum, aut hominis contumaciam non postulat, sed tacitam, & implicitam tantummodo requirit.

Septimò quæritur, An qui delinquit in ius canonicum ex ignorantia probabili, & iusta ipsius iuris, incidat in alias pœnas eo iure constitutas, vtpotè in pœnas, quas vocant irregularitatis, depositionis, degradationis, amissionis beneficij, & officij, publicationis, siue confiscationis bonorũ. Respondeo, ex communi sententia iuris Canonici Doctorum, & Theologorũ, & Summistarum, pœna irregularitatis affici etiam ignorantes bona fide, quãdo irregularitas contrahitur ob defectum, vt aiunt sacramenti. Vt si quis per ignorantiam corruptam fœminam in matrimonium ducat, vel adulteram vxorem suam cognoscat, est digamus, & irregularis. Item quando irregularitas contrahitur ob vitium natalium, ob defectum ætatis, vel ob vitium, aut morbum corporis, vel animæ, vel ob defectum idoneæ, & conuenientis literaturæ, vel libertatis, vel lenitatis. nam ex his singulis irregularitas contracta nõ tam vere pœna est, quam impedimentum Canonicum, quo ij, qui sunt his vitijs affecti, à sacris ordinibus arcentur, & ab eorum ministerio excluduntur. Idem iuris est quãdo quis irregularitate ob infamiam afficitur. Cæterum aliquando etiam irregularitatem sustinet quis ob delictum, quamuis ignoret probabiliter sine culpa ius canonicum irregularitatem constituens. Vt si quis sciens se excommunicationis maioris sententia, & vinculo constrictum, pœna Interdicti, vel Suspensionis affectum, sacrum ordinem suscipiat, irregularitatem contrahit, etiamsi probabiliter ignoret, irregularitate affici eos, qui sic sacris initiantur ordinibus: vt colligitur ex cap. Cum illorũ, De sentẽtia excom. Vbi rogatus Pontifex de quibusdam, qui cum scirent se esse excõmunicatione maiori ligatos, ordines suscepere; Respondet, si id scienter egerint, perpetuò deponi debere: Si verò factum ignorauerint, quia sui delicti memores nõ fuerint, vel ius nescierint, quo Ecclesia excõmunicatos ab ordinibus repellit, cum illis dispenset. Hęc ibi. Si ergo iuris relaxatione indigebant, in pœnam proculdubio irregularitatis incurrerant. Nec mihi probatur quod tradit Sotus, Pontificem ibi loqui de ignorãtia probabili, & iusta, de hac enim nulla poterat esse dubitatio, nec op⁹ erat Pontificem consulere. Irregularitas igitur, quia est impedimentum canonicum, contrahitur etiamsi adsit ignorantia bona fide iuris eam constituentis. Idem iuris est, si quis sciens se maiori excommunicatione teneri, aut esse suspensum, vel interdictum, rem diuinam fecerit: fit enim irregularis, licet probabiliter ignoret, tales affici irregularitate. Item si quis sciens se esse salutari baptismate renatum, iterum baptismatis vnda lustretur, aut scienter baptismum ministret alteri, qui est baptismate ablutus, incidit in irregularitatem, quamuis sine culpa, bona fide ignoret irregularitatem contrahi. De his omnibus suo loco plenius, ac fusius disseremus. Item si sit pœna legis, vt contractus rescindantur, vel alia pacta, & conuenta similia dissoluantur aut sint irrita, & inania, eam pœnam etiam ignorantes probabiliter sustinere iure coguntur. Idem iuris est, si lex pœnam irrogat, qua statuitur, ne quis faciat suos certę rei fructus, vel ne sibi beneficium, officium, administrationẽúe Ecclesiasticã, aut aliam similem facultatem iuris possit acquirere.

Sot. 4. d. 25. art. 3.

Cap. XVI.

Quomodo peccatum contra legem humanam per ignorantiam admissum ex toto, vel ex parte excusetur.

PRIMO quæritur, Quomodo intelligatur Regula iuris in 6. Ignorantia facti non iuris excusat. Respondeo, Primò, in foro iudiciali, facta publice & solenni ritu promulgatione legis, & legitimo à promulgata lege tempore elapso non valere ignorantiam iuris; cum tamen facti ignorantia excusationem habeat. at in foro conscientiæ approbatur, & habetur accepta ignorantia non solum facti, sed etiam iuris, & fides habetur reo verisimiliter dicenti, se ius aut factum probabiliter bona fide nescisse. Quare Regula citata iuris habet locum in foro iudiciali tãtummodo: & id quidem in pœnis, & damnis deuitandis, in iucris acquirendis, in impensis soluendis, aut retinendis.

Secundò quæritur, An aliquando ignorantia iuris in foro iudiciali iustam excusationem habeat. Respondeo habere aliquando, cum legitimè probatur. Probatur autem legitimè, Primò in re dubia, si reus iuret se iuste, & probabiliter ignorasse, *cap. Cum in tua, Qui matrimonium accusare possunt. Sic Glossa, Panormitanus ibidem, & cæteri.* Secundo, Si reus legitimè probet absentiam, hoc est, se abfuisse à Prouincia, vel loco, quando facta est promulgatio legis, cap. Cum in tua, ante citato. Tertio, Si probet reus legitimum impedimentum, vt puta se grauiter, & periculosè ægrotasse, vel furiosum, aut amentem fuisse tempore, quo facta est legis promulgatio. Quarto, Si reus vnum testem producat, qui iureiurando confirmet, ipsum legem latam bona fide ignorasse. Sed animaduertendũ est hac in re iurisiurandi vim tolli, si contrariæ coniecturæ probabiles appareant. Item si contra iusiurandum faciat præsumptio iuris, sic vulgo vocata, vt docet Nauarrus ex Bart. Item admittitur ignorantia iuris, quando ius est obscurum, ambiguum, vel dubium. Item quando vsus iuris creber, ac frequens nõ est. Item si reus probet id se fecisse auctoritate alicuius magni, aut classici Doctoris, vt ait Nauarrus. Item admittitur ignorantia iuris in certo hominum genere, in militibus nempe, in rusticis, in mulieribus, in minoribus, quod attinet ad ius sibi aliquid comparandi, vt si aliquid sibi debitum nõ petierint, non acquisierint, nõ sumpserint: quia ius, aut factum ignorauerint. *l. regula. ff. de iur. & fact. igno. & l. ne passim. C. de iur. & fact. ignoran.*

Nauar. to. 1. consilio. de constit. cons. 1. n. 7. Nauar. to. 1. consilio. de his quæ 21. met. cõs. 3. num. 11. Nauar. to. 1. consilio. de vsur. cõsil. 20. nu 7 Nauar. to. 1. consilio. de constit. cons. 1. n. 2.

Tertiò quæritur, Quo pacto obliuio in rebus agendis, & peccatis vitandis ad ignorantiam redigatur; Respondeo, Idem esse dicendum de obliuione, quod est de ignorantia dictum. Potest enim obliuio dupliciter accidere, aut culpa, & vitio ob negligentiam affectatã, vel crassam in memoria retinendo id, quod oportet: & hæc peccatum non excusat: Aut potest, accidere absq; vlla culpa, veluti si quis penitus immemor sit iuris, vel facti, ita vt nulla cogitatio in mentem veniat eo tempore, quo iuri, vel præcepto obtemperare deberet: & huiusmodi obliuio iustam dat peccati excusationem. Quare ex obliuione iuris, vel facti probabili & iusta, vel voluntaria & vitiosa, vsu venit interdum, vt quis sacrum die festo non audiat: ieiunium ab Ecclesia indictum soluat, ac violet: aliquod aliud officiũ, & munus sibi commissum, & creditum prætermittat.

Quartò quæritur, An inconsiderantia ad ignorantiam etiam reuocetur, veluti cum quis, alioqui iuris scientiã habens, cõtra ius inconsideratè delinquit. Respondeo, etiam ad ignorantiam inconsiderantiam reduci: quare inconsiderantia quoque potest esse, vel iuris, vel facti culpam habens, vel omni culpa vacans. Culpam habet, cum oritur ex negligentia affectata, vel crassa in considerando id, quod fieri, vel deuitari oporteret: culpa vero vacat, quæ accidit ex obliuione quadã subito contingenti, vel ex aliquo negotio, aut casu mentem repente præter spem, & opinionem omnium distrahenti. Occurrunt enim nobis interdum subitæ cogitationes, quæ animum in varia dispergunt, & priora mentis cogitata aliud alio facile dissipantur.

Quintò quæritur, Quo pacto discerni queat, an sit in nobis iusta, & probabilis ignorantia iuris, vel facti; Respondeo, Primò, Si generaliter loquamur, & non de ijs, qui certo muneri obeundo sunt addicti, & destinati, ignorantia est probabilis, & iusta, si homo dum incipit aliquid factitare, nihil prorsus dubitet de eo, quod fieri, oportet. Item si nulla penitus in ipsius mẽtem cogitatio incurrat, debeat secus facere, nec ne: quoniam quotiescunque nobis opus aggredientibus nulla dubitatio, aut cogitatio rei aliter faciendæ obijcitur, & offertur, ignorãtia est inuolũtaria siquidem nemo potest ignorantiam exuere, atq; deponere, nisi prius credat, putet, suspicetúrue se ignorare, aut saltem nisi prius ambigat de eo, quod fieri oportet, aut licet: tunc enim incipiet dubitare, an debeat operam, studium, & diligentiã conferre ad sciendum, num id, quod facere, tentat, & ingreditur, fieri fas sit, ac liceat. Deinde si quis specialiter ad obeundum certum munus, & officium, statuto, lege, mãdatóue superioris compulsus sit, ignorantia excusari nõ potest, quin saltem dubiter, aut cogitet de his, quæ ad illud munꝰ generaliter, aut specialiter pertinere videantur: nã cuiuscunq; muneris, & officij quædam sunt partes, & obligationes cõmunes, quædam vero speciales. Communes, compertæ statim debent esse ei, cui munus, & officiũ mandato, vel lege, & iure committitur: speciales licet non statim notæ omnes, & perspectæ sint; cura tamen studio, & diligẽtia disci, & sciri debent. Quare cui Reipublicæ, vel Principis auctoritate munus defertur, & officij onus imponitur, in primis eum oportet exquirere, quæ, & quot sint illius muneris onera, quæ leges, quæ iura, ac interim si communia officij onera, nota & perspecta sint, & diligentia adhibeatur in cæteris specialibus addiscendis, & animus paratus sit ad dubitandum de eo, quod fieri aut deuitari debet, & ad inquirendum id, quod oportet, quodq; fas est, aut consulendũ peritiores, seu versatos, & satis exercitatos in eo munere, & officio præstando, ignorantia si qua erit, probabilis & iusta, seu inuoluntaria iure censebitur.

Sextò quæritur, Quantam diligentiam adhi-

bere debeat quisque: vt ignorantiam deponat,& exuat; Respondeo, Si quis certo munere, & officio fungatur,oportet eum addiscere, nosseq; ea, quæ generatim,& frequenter ad suum munus,& officium pertinent: qua diligentia & studio in ea re collocatis,ignorantia erit probabilis,& iusta, etiamsi adhuc in animo refideat. Item si nobis aliquod aggredientibus opus,dubitatio, aut cogitatio offeratur de eo quod oporteat in ea re nos facere,consulere debemus viros bonos, & doctos, vt iuxta eorum consilium factitemus. Deinde si quis ab homine fide digno audierit,se ad hoc,vel illud faciendum,vel vitandum iure compelli,debet operam & diligentiam in eo ponere,vt sciat, quibus nam legibus,& obligationibus teneatur. Præterea si quis consilium docti & boni viri secutus,quippiam agat, quamuis erratum fuerit in facto,excusatur; nam eo ipso quod ex tali consilio id fecerit, prudenter, ac benè fecisse, censebitur. Postremò in hanc rem, satis est,si ea cura, & diligentia humana conferatur, quæ in re alioqui graui,& necessaria collocari,& adhiberi solet.

Cap. XVII.

Quomodo affectus animi scilicet ira, vel cupiditas voluntarium,aut inuoluntarium efficiat.

PRIMO quæritur, An perturbatio animi,qui est affectus animalis, qualis est ira, vel cupiditas, faciat voluntarium, aut potius inuoluntarium? Plotinus,Platonici,& Cyrenaici philosophi senserunt, Iram & cupiditatem inuoluntarium facere: Immò Plato videtur docuisse, quæ ex ira,& cupiditate fiunt,esse inuoluntaria. Plato dixit,honesta, & bona sponte, turpia & mala inuiti facimus. Ego illum sic interpretor: virtutem esse naturæ hominis consentaneam, vitium contra naturam hominis: nam virtus cum ratione cõgruit; vitium & peccatum cum ratione pugnat. Peccatum,quo peccatum est, teste Augustino. *lib.3.de lib.arbi.c. 13.* contra naturam est, S.Tho. *1.2.q.71.a.2.* idem docet Aristoteles *lib.3. Ethi.cap.1.* aperte tradit hæc non esse inuoluntaria, sed voluntaria. Quod probat. Primò, quia pueri,& belluæ multa ex ira,& cupiditate faciunt: & tamen volũtarium est in belluis, & pueris. Deinde,quia in multis,quæ ex ira,& cupiditate efficimus,iure laudamur: Vt si quis ex ira tyrannum necauerit: aut studio pietatis patriam egregiè, ac feliciter defenderit. Item ob multa quæ ex ira,& cupiditate facimus, meritò vituperamur; veluti si turpè quippiam cõtra ius fasque committimus. Accedit quod ira,vel cupiditate incitati sæpe multa factitamus, & postea dolore, & pœnitentia afficimur. Postremò quia quædam sunt quæ oportet nos appetere,vt sanitatem,disciplinam, communem patriæ salutem: & quędam sunt ob quæ irasci debemus, veluti contra tyrannum, contra hostem,contra latrones,piratas, & patriæ proditores. Quare S.Thomas rectè in hoc Aristotelem secutus,ostendit, quæ ex ira, vel cupiditate fiunt, magis esse voluntaria, quam inuoluntaria. Quibus verbis nõ significat,ira vel cupiditate voluntarium augeri,vt quidã falso interpretantur: sed solùm docet,quod Aristoteles ante tradiderat,ea quæ ex ira,vel cupiditate factitantur,non esse inuoluntaria,sed voluntaria.

S.Tho.12. q.6 a.7.& q.77.a.6. & 7.

Secundò quæritur,An ira,vel cupiditas voluntarium aliqua ex parte muniat? Ratio dubitandi est,quia quamuis ea,quæ ex ira, vel cupiditate fiant voluntaria sint, minus tamen libera sunt, & liberum est idem, quod voluntarium in naturis ratione præditis, ergo minus voluntaria sunt, quàm si absque vlla ira,& cupiditate fierent. Hæc quæstio plurimum conducit ad sciendum,an quę ex infirmitate naturæ,vel animi fiunt,minus mala sint, & an sint venia, misericordia, & absolutione digna. S. Thomas docuit quandocunq; ira, vel cupiditas voluntatem præcedit,tunc quæ ira, vel cupiditate gerũtur, minus esse voluntaria; & propterea minora,ac leuiora esse peccata: quandocunque verò ira, vel cupiditas voluntatem consequitur,tum quæ ex ira, vel cupiditate fiunt, non esse minus voluntaria. Sed re vera, negari non potest,ea,quæ fiunt ex ira,vel cupiditate tanquam ex causa, sine qua alioqui non fierent, esse minus voluntaria,hoc est,minus libera; quapropter ira,vel cupiditas quæ est causa eius,quod fit, aliqua ex parte voluntarium, quod est liberum, minuit. Minus enim peccat qui fœminæ alicuius pulchritudine illectus concupiscit, quàm qui deformem puellam appetit. & minus proculdubio peccat, qui maximi præmij spe incitatus turpe quippiam admittit, quàm qui nulla spe lucri contra ius, fasq; delinquit. Ira enim, defideriũ, spes, voluptas, cupiditas, rationem sæpe præueniunt, perturbant, & ad se voluntatem flectunt, & mouent. Et huiusmodi peccatum est, quod Scholastici passim appellant peccatum ex naturæ infirmitate commissum. Si obijcias, Quæstione præcedenti ex Aristotele,& S.Thoma,docuisse nos,ea, quæ ex ira, & cupiditate fiunt,nõ esse inuoluntaria;quomodo igitur nũc dicimus, ira vel cupiditate voluntariũ aliqua ex parte diminui; Respondeo. Aristotelem & S.Thomam docuisse,quæ hac ratione fiunt, non esse inuoluntaria, contra Platonem,& Cyrenaicos,qui dicebant, ea esse inuoluntaria: nec vnquã Aristoteles,& S.Thomas tradiderũt quæ ex ira,vel cupiditate factitantur,magis esse voluntaria,quã si absq; ira, vel cupiditate fierent: sed magis esse voluntaria,quã inuoluntaria: quorũ vtrumq; est verum. Nam inuoluntaria non sunt, cum omnis vis siue violentia, metus,& ignorantia absint, quæ faciunt inuoluntarium. Sunt ergo voluntaria, quia sponte, & voluntate geruntur, porrò sunt minus libera, & volũtaria, nempe in natura intelligentiæ, & rationis compote,quàm si absq; ira,& cupiditate fierent, quoniam ira,& cupiditas quadam ex parte rationem anteuertunt,cõmouent, alliciunt, & frequenter impellunt: quod autem ex minori rationis consultatione,& deliberatione geritur,minus est voluntarium,& liberum. Hinc fit,vt peccata ex ira, vel cupiditate commissa aliqua ex parte venia,& misericordia sint digna, vtpotè leuiora, & idcirco mitiori pœna mulctanda,ac leuiori supplicio vindicãda. Hinc etiã fit; vt si quis promissa voto, vel iureiurando firmata ex ira, vel cupiditate faciat,indulgentiã Principis,ac voti, & iurisiurãdi relaxationem, & absolutionem facilius, & libe-

riùs

rius impetret: vt est communis canonici iuris interpretum, & Theologorum opinio.

Cap. XVIII.

Quomodo circunstantia actus, voluntarium aut ex toto, aut ex parte minuat.

Angel. circunstantia.

PRIMO quæritur, Quidnam nomine circunstãtiæ actus accipiatur; Respondeo cum Angelo, Circunstantiam dici rem, quæ circunstat actum quasi extrinsecus consideratam. Porrò à voce circunstantia non abstinemus, quoniam ea vsi sunt Quintilianus, & Gellius. Hic enim ait. Ostendit exitium de loci importunitate, & hostium circunstantia. Ille verò sic inquit, Hoc genus argumentorum sanè dicamus ex circunstantia. Præterea circunstantiæ in iure variant omnia, vt inde æquitas colligatur: & sunt septem. Causa, qua re aliquid factum sit. Persona: quis, & cum quo fecerit. Locus, vbi factum sit. Tempus, quãdo factum sit. Quantitas: magnúmne, & graue, an paruum, & leue sit factum. Qualitas: quomodo factum sit. Euentus: an metu, vi, errore, dolo, culpa, casúue factum sit. Circunstantiæ itidem sunt notę rerum, & personarum communes, & externæ, ex quibus iuris definitio nõ solùm in delictorum pœnis, verum etiam in omnibus contractibus, & humanarum functionum negotijs ducitur, ex quibus ius ipsum, vel intenditur, vel remittitur.

Quint. lib. 5. c. 10. Gel. lib. 3. ca. 7.

Secundo quæritur, An circunstantia humanæ actionis sit accidens actus; Respondeo, Omnium esse sententiam, circunstantiam esse accidens humani actus, non solùm quatenus actus accipitur secundum substantiam naturalem, qua constat, sed etiam quatenus sumitur secundum rationem moralem, quam habet: hoc est, non solùm quatenus quidam actus naturalis est, sed etiam vt est actus moralis, nimirum actus rationi, quæ est norma, & regula morum, consentaneus, aut dissentaneus, qui ex libera hominis voluntate existit. Sed hanc quæstionem plenius dissoluam. lib. 2. c. 4. q. 4.

Tertiò quæritur, Quot sint circunstantiæ actionis humanæ; Respondeo, Circunstantias humanorum actuum considerari, & tractari à Rhetoricis, Theologis, Iurisconsultis, & Aristotele. Rhetores quidem circunstantias expendunt ad laudandum, vel vituperandum factum: ad exaggerandum, vel minuendum id, de quo dicant ad suadendum vel dissuadendum. Nam circunstantiæ quæstionem, & controuersiam circunstant. Iurisconsulti in l. aut facta, ff. De pœnis, circunstantias considerant, vt delicta grauius, leuiusúe puniantur. Scholastici Theologi, vt humanorum actuum bonitatem, vel prauitatem maiorem, minoremúe discernant. Aristoteles verò de circunstantijs disseruit, vt ostenderet, quo pacto ex circũstantijs voluntarium ex toto, vel ex parte tolleretur, & hac ratione nos in præsentia circunstantias accipimus. Theologi itaq; communiter septem circunstantias enumerant hoc carmine comprehensas.

Aristt. li. 3. eth. ca. 1.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.

Explicemus singulas. Prima circunstantia est, *Quis.* Hæc autem nõ significat personam efficientem, quoniam persona agens ad actionis substantiam pertinet, sed significat personæ qualitatem, statum vel conditionem: veluti si sit voti religione, vel iurisiurandi vinculo quis adstrictus, aut liber. Item si sit matrimonij nexu vinctus, & colligatus, aut solutus: si Clericus aut laicus. Et persona duplicem habet respectũ, præsertim in delictis, pœnis, & malis tum eius, qui fecit, tũ eius, qui passus est: aliter enim, *vt habetur in l. Aut facta, ff. De pœnis citata.* puniuntur ex eisdem facinoribus serui atq; liberi; & aliter qui quippiã in dominũ aut parentem est ausus, ac is qui in extraneum: aliter qui in magistratum, atque is qui in priuatũ. In personę quoque consideratione ratio habetur ætatis.

Secunda Circunstantia. *Quid.* Non accipitur ipsius actionis res obiecta: hoc enim ad actus siue operationis substantiam spectat; verum rei obiectæ quantias. vnde furti magnitudo vel paruitas est circunstantia, Quid: & ideo in prædicta Lege, Aut facta, dicitur: Quantitas discernit furem ab abigeo: nam qui vnam suem surripuerit, vt fur coercebitur: qui gregem, vt abigeus. Cæteræ circunstantiæ supradictæ per se patent: nec egent explicatione.

Animaduertendum est, Iurisconsultos ex circunstantijs delictorum grauitatem aut leuitatem expẽdere solere; & proinde diuersas delicti pœnas, leges, & iura constituunt. Cõsiderant autem septem circunstantias; quæ habentur in l, Aut facta. ff. De pœnis, nimirum Causam, Personã, Locum, Tempus, Qualitatem, Quantitatem, Euentũ: Causam, vt in verberibus, quæ à magistro vel parẽte illata impunita sunt, quoniã emendationis, nõ iniuriæ gratia adhiberi solent. Puniuntur, cũ quis per iram ab extraneo pulsatus est. Personam expendunt, vt ante dixi, & tum eius scilicet, qui fecit, tum eius, qui passus est, statum & conditionem perspiciunt, atque perpendunt. Locus facit, vt idem vel furtum vel sacrilegium sit, & capitis pœna, aut minori supplicio luatur. Tempus discernit furem diurnum à nocturno. Qualitas facit, vt factum sit grauius vel leuius: vt furta manifesta à non manifestis discernantur, expilationes item & latrocinia à furtis. Quantitas discernit eo modo, quem ante dixi. Euentus spectatur, vt si casu quis alium occiderit, segetes incenderit. Atque hæc sufficiant de ijs, quę actum circunstant secundum Theologos, & Iurisconsultos acceptis.

Quartò quæritur, An res actum humanum circunstans, ex Aristotelis sententia, voluntarium tollat, aut minuat. Respondeo, secundum Aristotelẽ res circunstantes actũ sex esse, nempe: Quis, Quid, Circa quid, Quo instrumẽto, Cuius gratia, Quomodo. Quod ad primam attinet, *Quis*, Apud Aristotelem significat personam quæ est actionis auctor, atque principium; non autem personæ qualitatem, vel conditionem: nam secundum eundem, persona agens cum se ignorare nõ possit, inuoluntarium non facit. quod si persona ex Aristotelis sententia, alicuius hominis conditionem significaret, posset persona seipsam ignorare, & ex hac parte in actione humana volun.

Aristt. li 3. eth. c. 1.

tarium minueret: potest enim quis voti nexu, & vinculo adstrictus, bona fide obliuisci sui voti, cum peccat. Nihilominus tamen apud Aristotelē nomine personæ, possumus intelligere ipsam hominis conditionem, quæ frequenter ipsi agenti solet esse notissima.

Secunda Circunstantia, *Quid*. Apud Aristotelem, sicut & apud Theologos, ipsius rei obiectæ qualitatem vel quantitatem, significat, vt constat ex eiusdem Aristotelis exemplo. Excusarunt enim Iudices Aeschylum poëtam, qui arcana Cereris patefecit: eo quod ignorauerit esse arcana. Quare secundum Aristotelem hæc circunstantia potest incognita esse alicui, & eatenus voluntarium minuere.

Tertia Circūstantia in Aristotele est, *Circa quid*. Veluti si quis ignorans Titium patrem suum, occidat eum putans esse Caium inimicum suum, inuoluntarium est parricidium, licet voluntarium sit homicidium. Huius igitur circunstantiæ appellatione intelligit Aristoteles qualitatem, & conditionem materiæ, in qua tanquam in re obiecta actio humana versatur: quamuis Theologi intellexerint in Aristotele huiusmodi nomine, Circa quid, locum ac tempus. Quare secundum Aristotelem hæc circunstantia potest per ignorantiam latere, & eatenus voluntarium ex parte minuere.

Quarta Circunstantia in Aristotele est, *Quo instrumento*, vt si quis alium hasta percusserit, quam putauit mucrone, & ferro carere, & ita occidit: Item si quis alium lapidem iecerit putās esse pumicem, vel aliquid leuius. hæc igitur instrumenti circunstantia potest ignorari, & proinde inuoluntarium reddere.

Quinta Circunstantia est, *Cuius gratia*. Intelligit Aristoteles huius circunstantiæ nomine, euētum ipsius actionis: vt si quis alium meote exturbatū iecet, aut vulneret, vt sanet eum, & tamē occidat. Hæc etiam circunstantia per ignorantiam latere potest, & solet; & voluntariū ex parte detrahere.

Sexta Circunstantia est, *Quomodo*. Qua etiam Aristoteles intelligit vel modū actionis, vel euentum ipsam actionem consecutum: Vt si duo inter se pugnent, & vnus alterum vehementius, quam putauit, aut voluit, percusserit. Et hæc etiam circunstantia ignota facienti esse potest, & eatenus voluntarium tollere.

Quintò quæritur, Qua ratione tractatio de circunstantijs ad actus humanos conducat. Respondeo conducere in multis. Primò ad discernendū quando circunstantiæ tribuant, aut mutent speciam actus humani. Nam qui presbyterum occidit, peccatum admittit duplici deformitate infectum, homicidij scilicet, & sacrilegij: Item qui contra votum castitatis emissum cum fœmina rem habet, dupliciter peccat, & contra religionem, cuius actus est votum, & contra castitatem: Pari ratione qui rem sacram furipit, & furtū, & sacrilegium committit. Quæ verò circunstantiæ mutent speciem actuum humanorum, dicemus inferius. Secundò, circunstantiæ conferunt ad multa in commercijs, & contractibus humanis discernenda. Ex circunstantijs enim contractus aliquando non consistunt, eo quod sint ex aliqua circunstantia inuoluntarij, quippe quæ fuit in ipso contractu ignota. Quare in l. si ego. ff. de reb. creditis si certum petatur dicitur: *Si ego pecuniam tibi quasi donaturus dedero, tu quasi mutuo accipias, nec donatio est, nec mutuum.* Ratio legis est, quoniam ex certa causa nempè iure donationis, ego volui ad te pecuniæ meæ dominium pertinere: quæ causa non subsistit, quia tu quasi mutuo eam accepisti. Item ibidem: *Si ego quasi deponens tibi dedero, tu quasi mutuum accipias, nec depositum, nec mutuum est.* Idem iuris est, vt ibidem dicitur, si tu mihi quasi mutuo pecuniam dederis. ego quasi commodatum acceperim. Item ex. l. In venditionibus, ff. De contrahen. emptio. colligitur: *Si ego vendo, tu vero credis me tibi donare, nec venditio est, nec donatio.* Item ibidem habetur: *Si erratum fuerit in corpore rei emptæ, venditionem non valere.* Vt si ego me fundum emere Cornelianum putarem, tu mihi te vendere Sempronianum putasti, nō est emptio, quia in corpore dissensimus. Item si ego me seruum Caium emere, tu Pamphilum seruum te vendere putasti, emptio non constat, quia est in corpore dissensum. Item si erratum sit in substantia, siue materia rei emptæ, emptio non subsistit, vt si pro vino acetum veneat. quoniam licet Marcellus Iurisconsultus, vt in l. citata habetur, putauerit emptionem valere, quia acetum & vinum nec substantia, nec materia differunt, sed solum qualitate: verius tamen est quod tradidit Vlpianus, emptionem non consistere: si ab initio tamen vinum erat & postea acuit, venditio subsistit: quoniam in commercijs aliquando non substantia aut materia consideratur, sed vsus humanus, quem res ipsæ emptæ præstant: vinum autem, & acetum, quamuis substantia & materia non differant, ad diuersos tamen vsus adhibentur. Item si æs pro auro, aut plumbum pro argento veneat, nulla est venditio. *l. Qui tamen, in fine, & l. In venditionibus, in fine, ff. De contrahen. emption.* Sed dubitatio est, si quis mensam argento vel auro coopertam mihi ignoranti pro solido argento vel auro vendiderit imprudens, an valeat emptio; Respondet Iulianus Iurisconsultus *in l. Cum ab eo. ff. De contrahen. emptione.* nullam esse emptionem, & pecuniam eo nomine datam condici posse. at verò Vlpianus iurisconsult. *in l. Quid tamen, ff. De contrahen. emptione* ait; si inauratum aliquid sit, licet ego aureum putem, venditionem constare, etiā si magna ex parte id sit æneum. Qua in re isti duo Iurisconsulti sibi aduersari videntur: quam antinomiam, id est, legum repugnantiam in hunc modum ciuilis Iuris interpretes soluunt. Si inauratum sit aliquid, quod sit materia penitus diuersum veluti lignum, vitrum, lapis; tunc si pro auro vendatur, venditionem non valere: & hoc esse quod dixit Iulianus de mensa inaurata pro solido auro vendita. Cum verò inauratum est aliquid ex genere metallorū, tunc si pro auro veneat æs, vel plumbum inauratum, venditionem constare, quia non est materia penitus diuersa sed cognata; & hoc esse quod voluit Vlpianus. At enim nimia est hæc Iurisconsultorum subtilitas, & in foro conscientiæ puto venditionem non consistere, si inauratum pro solido auro venierit, siue sit æs, vel plumbū, siue sit lignum, vel vitrum, quia non est in materia consensum.

Porrò in venditionibus emptionem non vitiat, si in nomine tantùm erretur: quoniam vt in eadem lege ante citata, In venditionibus, planè habetur, si in nomine dissentiamus, verũ de corpore constet, nulla dubitatio est, quin valeat emptio, nihil enim facit error nominis cum de corpore constat. Item si solum erratur in qualitate rei emptæ, emptio consistit, dicitur enim in l. Aliter, ff. De contrahen. emptio. Si aurum quidem fuerit deterius, quam emptor existimaret, emptionem valere. Quapropter in l. Alioqui, ff. de contrahen. emptio. subiungitur: *Si ego me virginem emere putarem, cum esse: iam mulier, emptio valebit: quia non est in sexu erratum. Si tamen cum ego mulierem venderem, tu puerum emere existimasti, quia in sexu error est, nulla emptio.* Animaduertendum est non semper locum habere, præsertim in foro conscientiæ, id, quod Iurisperiti docẽt, nimirum emptionem constare, si solum erretur in qualitate rei emptę, quoniam reuera aliquando nulla est emptio, etiam quãdo solum est error in qualitate, propterea quod aliquando emitur non solùm propter substantiam eius, sed etiam propter qualitates, quas habet. emuntur enim res, vt vsus habent apud homines: vsus autem sæpe pendent ex qualitatibus mercium, vt cernere est in pãnis, & in serico, & in alijs mercibus. Si obijcias contra propositã, aliquando emptorem esse cœcum vel minus peritum mercium discernendarum, tunc huiusmodi emptores cum non videant, aut non satis probe cognoscant, quod emitur, non videntur in corpus consentire. Respondeo. Si error non sit in corpore, eos verè consentire, quia tacita conditione emunt, si in corpore non erretur: & proinde si erratum sit in corpore, nec cœcus, nec minus peritus emptor consentire censetur. Ex dictis intelligitur, si ego lapidem precioſum vẽdidi, quem talem esse ignoraui, nullam esse venditionem, quia erratum est in substantia. Si tamẽ sciens esse lapidem pretiosum, vendidi Titio hosti meo, cui non vendidissem si hostem eum cognouissem, emptio valet: quia huiusmodi error nihil facit ad substantiam emptionis. Si quæras, Quid si non sit consensum in pretio; Respondeo ex l. Si decem, ff. locati, vbi habetur. *Si decem tibi fundum locauero, tu autem existimas quinque te conducere, nihil agitur.* sensus legis est, huiusmodi locationem aut rescindi debere, aut saltem conductorẽ compellendum esse ad augendam mercedem locati fundi, ita vt iusta sit. In eadem lege subiungitur; *Si ego minoris me locare sensero, tu pluris te conducere, vtique non pluris erit conductio, quàm quanti ego putaui.* Præterea in matrimonio, quod est quidam contractus inter virum & vxorem, pari ratione est iudicandum. Nam si in persona erratur, matrimonium nõ subsistit, vt si tu cum putares te accipere Catharinã, accepisti Semproniam. Si tamen solum erretur in qualitate personæ, matrimoniũ constat, vt si duxisti ignobilem vel pauperem, cũ tamẽ existimares esse nobilem vel diuitem. Obijcies, Si quis ducat ancillam, quàm tamen putauit esse liberam, matrimonium non valet, & tamen solum erratur in qualitate personæ. Item si quis accipiat fœminam ineptam ad coeundũ, & ad generandum prolem, matrimonium non consistit, & tamen solum est error in qualitate personæ. Respondeo, Huiusmodi matrimonium valere, si solum iuris naturalis ratio haberetur: at vero nulla sunt hæc matrimonia, quia ius humanum constituit eadem non valere. *cap. Ad nostram, de coniugio seruo. cap. Si quis liber. cap. Si quis ingenuus. c. Si fœmina 29. q. 1. & cap. Laudabilem. ca. consultationi De frigidis, & maleficis.*

Item si quis alteri eleemosynam eroget ad indigentiam subleuandam putans esse pauperem, cum tamen diues sit, donatio non valet, & qui accipit restituere debet eleemosynam acceptam: quoniam licet sit error in qualitate personæ, huiusmodi tamen qualitas in eleemosyna ad substantiam pertiner, quia eleemosyna datur ad miseriam, & inopiam indigentis subleuandam: Vbi verò quis ab omni miseria, & inopia liber est, alius eleemosynam ei præstare, lege & iure non cogitur: sicut si quippiam sit datum ob causam, ea minimè subsecuta, non subsistit donatio. Pari ratione lucrum, quod ex mutuo per vsuram accipitur, debet restitui, quia acceptum est tanquam donatum ab eo, qui mutuum accepit. At donatio debet esse simpliciter libera, cui repugnat qualiscunque metus, & qualiscunque vis, præsertim cũ ex mutuo lucrum accipi iure non possit. Sed qui promittit vsuram, non nisi necessitate compulsus eam pollicetur, & soluit. Item qui alteri gratis, & liberaliter alimenta præbet in vitæ subsidium, vt habeat vnde viuat, aliqui minimè præstiturus, si nosset ipsi alimenta aliunde suppetere, donatio non valet, quia per ignorantiam data sunt alimenta; & proinde donatio eatenus est inuoluntaria. Si roges, Quid si Episcopus conferat Ecclesiasticum beneficium Clerico, quem putauit esse pauperem & sanctum, quia pauperta tem, & vitæ sanctitatem huiusmodi Clericus simulauit. Respondeo; Si Clericus alioqui idoneus est ad functionem, & munus, quod beneficium requirit, & postulat, beneficij adeptionem valere, quia nõ est erratum in ijs, quæ ad substantiam impetrationis siue adeptionis spectant. si tamen non sit idoneus, adeptio non est rata, & firma; tũ quia clericus diues sit, & fictæ simulatæque sanctitatis, sed quia beneficio est indignus: & caret his dotibus, quas beneficium postulat.

Item si hospitalis domus erigatur, & in ea certa quædam alimenta constituta, & relicta sint ad alẽdos certæ nationis, prouinciæ, vel loci pauperes; veluti ad alendos Italos. Hispanus verò vel Gallus alioqui pauper fingens se esse Italum, alatur, ac sustentetur, cogendus est restituere impẽsas in alimentis factas, quia in huiusmodi alimẽtis erratum quidem est in qualitate, sed quæ pertinet ad substantiam; quoniam alimẽta non sunt relicta nisi ad pauperes Italos sustentandos.

Cap. XIX.

De actibus voluntatis qui eliciti vocantur.

PRIMO quæritur, Quisnam actus elicitus voluntatis vocetur. Respõdeo, Duos esse voluntatis actus, vnum quem Theologi passim appellãt elicitum, alterum quem dicunt imperatũ. Elicitus vocatur, qui fit à voluntate proximè, & per se ipsam, & qui excipitur tanquam in sede

sua in

sua in ipsa voluntate, à qua proximè producitur, veluti sunt hęc, velle, amare sperare, concupiscere, nolle, odisse. Dicitur elicitus, quia in ipsa voluntatis potestate contentum, & latentem quasi foras educimus: res quum primum voluntati præ se ferens boni faciem, & formam obijcitur, eam excitat, mouet, allicit, & flectit, ac veluti impulsu quodam elicit ex ea sui appetitionem: sic ex silice tritu ferri ignita flamma, & corporum conflictu sonus elicitur: actus igitur elicitus voluntatis, proximè ex ipsa voluntate paritur & quasi gignitur ex bono. Imperatus verò actus est, qui fit à voluntate ministerio & opera alterius facultatis, quæ eum actum proximè gignit. Quare actus imperatus non excipitur, neque inhæret in voluntate, sed in ea facultate à qua proximè producitur, & trãsit interdum in materiam aliquam externam. Tales actus sunt credere, intelligere, videre, audire, loqui, comedere, deambulare, saltare, canere, verberare, occidere, quotiescunque motu, & imperio voluntatis actitantur, aut factitantur.

Secundò quæritur, Quot sint actus eliciti voluntatis. Respondeo, Sex esse in vniuersum, nimirum velle, intendere, frui, eligere, consentire & vti: quorum actuum numerum S. Thomas commodè inducit, & colligit. Nam bonum, quod voluntati solet offerri, duplex est: aut finis, ad quem adspirare contendimus: aut id, quod nos ducit ad finem: quare bonum appeti bifariam contingit. Primò bonum, quod est finis, qui propter se appetitur tanquam iucundum vel honestum: secundò bonum, quod est vtile ad finem assequẽdum. Rursus bonum, quod est finis, potest trifariam experi. Primò simpliciter, vt est quid iucundum, vel honestum, quod per se & propter se voluntati placet, ac libet: & hac ratione velle, qui est actus voluntatis versatur in bono: quod statim atque voluntati obijcitur, eam solet allicere: ita vt id voluntas approbet ac sequatur. Secundò modo bonum appetitur propter ipsum, & cuius gratia alia expetuntur, ita vt sit finis & terminus eorum, & habeat rationem finis, quem dixerũt Philosophi, esse id, cuius gratia aliquid fit: & tunc amatur, & appetitur tanquam finis, per aliquid aliud obtinendus. Et hoc est finem intendere, qui est secũdus actus voluntatis. Tertiò potest appeti, approbari, & amari bonum, prout in eo voluntas conquiescit, vt in vltimo fine obtento, ex quo voluptatem vt fructum delibat, & capit, & hic actus dicitur fruitio.

S. Tho. 1. 2. q. 8. & seq.

Secundò accipitur bonum, vt est quid vtile ad bonum aliud adipiscendum: & circa huiusmodi bonum versantur tres actus voluntatis, eligere, consentire, & vti. electio est rei alicuius acceptæ ex rationis consultatione: vt cõducit ad finẽ propositum cõsequendum. Consensus, est actus, quo voluntas ratam & acceptam habet, siue quo approbat sententiam rationis consultatione, & deliberatione conclusam. Vsus verò est actus, quo voluntas aliquid adhibet ad aliud assequendum. Nam vti, est quippiam ascisere ad aliquid adipiscendum: quare vsus semper est eius quod ducit ad finem.

Tertiò quæritur, Quomodo ad hos sex actus, quos enumerauimus, cæteri voluntatis actus reducantur, veluti Amor, Delectatio, Spes, Desiderium, Gaudium. Respondeo, Hosce omnes actus in sex primis comprehendi. Nam Amor, aut est beneuolentiæ, aut concupiscentiæ. Vterque est velle quoddam, quoniam Amare nihil aliud est, nisi velle bonum alicui: quod si velimus ei bonum propter ipsum, est amor qui dicitur beneuolentiæ seu amicitiæ. Si verò causa nostri, vel alterius quempiã amemus, est amor, qui dicitur cupiditatis, siue concupiscentiæ. Desideriũ item, in actu intentionis continetur: nam sæpè ad id, quod in votis habemus, aspirare, & peruenire conamur, quod est finem intendere. Porrò spes est desiderium rei cum fiducia consequendæ. Delectatio insuper ad fruitionem reuocatur, quoniam bonum, quod habetur, oblectat. Et quatenus iucũde, & suauiter boni aliquid percipimus, eo læti perfruimur. Præterea Gaudium ad fruitionem redigitur: & cum nihil sit re à Delectatione distinctum, & delectatio sit quædam fruitio, sequitur, vt gaudere sit perfrui.

Cap. XX.

De actu voluntatis elicito, qui dicitur velle.

PRIMO quæritur, Quisnam actus sit voluntatis, qui dicitur velle? Respondeo, esse actũ, qui est veluti primus quidam ad bonum progressus: exit enim voluntas obuiam bono venienti, vt id complectatur, vnde nascitur, vt optet se cũ illo coniungere, quantum fieri possit, vt hoc modo fit illi bonum, & bene illi sit. contra nolle est veluti quidam voluntatis à malo recessus: ad primùm enim mali conspectum, illud voluntas auersatur, respuit, & defugit, ne se illi applicet, quo fiat ei malum. Sunt igitur duo voluntatis primi actus contrarij, approbatio, & amplexus boni venientis in cognitionem mentis: & reprobatio ac depulsio mali incurrentis in animum, ex his duobus actibus tanquam ex fontibus cæteri veluti riuuli deriuantur.

Secundò quæritur, An velle sit tantum finis. Respondeo, finem dupliciter accipi, vno modo vt est bonum, quod voluntas appetit propter ipsum? quale est iucundum, & honestum: nam honesta propter virtutem ipsam expetimus; & iucunda item propter ipsa, eo quòd illa nos placide oblectent. Et hoc modo velle est finis, sic enim volumus sanari, bene habere, vincere, honorari, ditari, beatè viuere. Altero modo accipitur Finis, strictius ac pressius: nempe magis propriè, vt est bonum, quod propter ipsum appetitur, & cuius gratia cætera appetuntur: quo pacto se habẽt sanitas, & medicina salutaris, quoniam medicinam optamus atque diligimus propter sanitatẽ: & sanitatem propter ipsam vt iucundam, & vt rem medicinæ munere & præsidio obtinendam. Quando finis hoc modo concupiscitur, tunc est finis propriè, ac proinde intentio est actus quo finis, tanquam finis appetitur, cuius gratia aliquid fit. Electio verò est rerum vtilium ad finem: & ideo eligere, intendere & velle distinguuntur: quia finem volumus, aut intendimus; bona verò, quæ sunt vtilia ad finem consequendũ, eligimus.

S. Tho. 1. 2. q. 8. art. 2.

Tertiò

Tertiò quæritur, An velle aliquando sit eorum quæ fieri nō possunt; & quæ Philosophi, & Theologi impossibilia vocant. Respondeo, ex Aristotelis doctrina, Velle, & Eligere, in multis distingui, sed præsertim in hoc, volumus aliquando, quæ esse, vel fieri non possunt; non tamen eligimus nisi ea quæ fieri queunt. Volumus enim, inquit ille, non mori, nunquam tamen eligimus nō mori. Idem penitus ex Aristotele docuere Nyssenus, & Damascenus: Ratio huius est, quia non eligimus nisi id, quod est vtile ad finem consequendum: cum primùm nouimus finem non posse nos assequi, ab eligendo desistimus; at verò Velle est circa finem: finis autem, vt antè iam dixi, aliquādo est bonum iucundum vel honestum, quod propter se placet: & ideo quia sæpe intelligentia, & cogitatione percipimus aliquid boni, quod reuera voluntatem delectatione afficit, id volumus: & licet id fieri nequeat, nihilominus tamen volumus tamquam bonum, eo quod absolutè, & per se cognitum delectat. Cogitat quis verbi gratia, se esse Angelum, & delectatur: cogitat se in auem mutatum volare per aera, se nemini subijci, se nunquam moriturum: se nullius rei indigere, & inde delectatione capit. Quæres an velle sit aliquando eorum, quę simpliciter esse aut fieri, nequeunt: an verò tantum eorum, quę solum esse, aut fieri non possunt ex accidenti, eo quod iam ante præterierint. Caietanus & alij communiter tradiderunt, velle nunquam esse eorum, quæ simpliciter sunt impossibilia: quare is, quem sui peccati commissi pœniter, vellet nō peccasse, quod simpliciter, inquiunt, non est impossibile, sed ex accidenti, quia actus peccati cōmissi præterijt: mater, cuius filius est mortuus, vellet vitam filij, quæ non est simpliciter impossibilis, sed solum ex accidenti, quoniam ea cum amissa fuerit, esse iam desijt. Pari ratione Dæmones odio Deum habentes, vellent Deum non esse, non quidem absolutè, sed ex accidenti, quia vellent, ne flagitia vindicaret, ne delicta puniret. Sed secundum alios, Arist. Nyssen. & Damasc. locis ante citatis, absolutè docent velle aliquando esse eorum, quæ fieri non possunt: vbi nihil distinguunt, immò exemplo rem confirmant, quod locum habet in eo, quod simpliciter impossibile vocant. Quia volumus, inquiunt, non mori. Sic sentiunt *Scot. 2. d. 6. q. 1. §. Respondeo. Gab. 2. d. 6. q. 1. ar. 3. dub. 2.* Main. 2. d. 6. q. 1. Item Caietani distinctio nihil facit ad rem: quia sicut appetimus, quæ sunt ex accidenti impossibilia, eo quod ea cogitamus, vt bona, quæ per se delectant, sic etiam possumus appetere ea, quæ simpliciter sunt impossibilia, quia ea possumus aliquando ratione, & intelligentia concipere, quatenus simpliciter per se voluntatem oblectant. omnis enim boni iucundi ratio absolutè cognita siue sit boni, quod fieri potest, siue boni, quod fieri non potest, voluntatem mouere, & allicere solet. Si secundò Roges, An appetitio boni impossibilis sit solùm conditionalis (vt aiunt) quidam actus, an verò absolutus. Quidam censent solùm esse actum cōditione affectum, vtpote qui explicatur cum cōditione. v. g. vellem non mori Sic Capr. *2. dis. 4. q. 1. art. 3. ad argumenta contra 2. conclus.* Sotus *4. dis. 14. quæst. 2. ar. 1. ad 3. dist. 17. quæst. 2. art. 1. ad 2.* Ferrar. *libr. 3. contra Gent. cap. 109.* At iuxta aliorum sententiam Aristoteles simpliciter & absolutè docet, nos impossibilia aliquando velle. Nam quando bonum iucundum vt iucūdum, aut honestum, quatenus honestum per se est, mētis cogitatione percipitur, absolutè possumus illud appetere: omnis enim facultas animantium simpliciter formæ, & elicit actum circa rem obiectam sibi propositam, & oblatam. Quæres tertiò, An voluntas possit appetere impossibile, quando ratio vt tale illud cognoscit, ac perspicit. Quidam opinantur ex Aristotele colligi, etiam tunc posse nos velle, & appetere impossibile: quia alioqui si tantum velle possumus impossibile, vt possibile iudicatum, etiam possumus impossibile eligere, si ratio putauerit id esse possibile: & tamē Aristoteles planè docuit posse nos velle impossibile, eligere nō item. Dicendum igitur breuiter existimo: cum voluntas fertur ad aliquid siue simpliciter, siue ex accidenti, siue per se, siue ex alio impossibile: tūc quamuis ratio cognoscat id esse impossibile, apprehendit tamen & concipit simplici notitia, nihil affirmando, aut negando, tanquam bonum iucūdum, quia absolutè perspicit, & animaduertit in eo rationem boni iucundi, & grati; immò nouit etiam id esse bonum in aliquo, vt quando volumus non mori, licet cognoscamus in nobis esse, aut fieri non posse, percipimus tamen absolutè & simpliciter tanquam bonum suaue, & iucundum; immò etiam id esse bonum in Angelis & Deo: & proinde cum intellectus percipiat absolutè id bonum, quod per se simpliciter delectat, quamuis simul etiam videat id esse impossibile, voluntas simpliciter vult & approbat bonū vt iucundum sibi propositum & ostensum. Obijcies id, quod non est, nec vlla ratione existere in rerum natura aut fieri potest, velle & appetere nequimus, nisi habeat rationem rei alicuius subsistentis; alioqui enim res fictas possemus appetere; sed quod cognoscimus esse impossibile, nouimus id esse fictum, ergo nō possumus illud appetere. Respondeo, Nos velle nō posse quod nouimus esse fictum: nihilominus tamen quandocunque cognoscimus, aliquid esse nobis impossibile, sed mente & ratione concipimus tanquam bonum, gratum & iucundum, & animaduertimus id per se absolutè esse bonum, & iucundum, immò in alijs esse bonum, quale est non mori in Deo, & Angelis, & in volucribus volare per aera, eiusmodi impossibile velle, & approbare simplici quadam voluntate possumus, quia simul cognoscimus id impossibile quidem esse in nobis, at per se absolutè esse quid possibile bonum, & iucundum, & tanquam iucundum & gratum simplici notitia & cogitatione, nihil affirmādo aut negando percipimus.

Quartò quæritur, An possit esse in voluntate peccatum cum aliquid impossibile volumus, & approbamus. Respondeo, Posse: nam contingere potest interdum, vt aliquid, quod contra fas & omne ius est, sit impossibile, & nihilominus quia tanquam bonū iucundū absolutè concipitur, id velit quis & approbet. Veluti si quis intellectu percipiat se nulla lege, & iure cōstringi, non subijci imperio, aut legi rationis, vel Dei, & voluntariā capiat delectationē ex eo, animaduertens id esse ma-

Ari. 3 eth. c. 2. Nysse. li. 5. de Homine c. 4. Damasc. lib. 2. fidei orthodox. cap. 22.

Caiet. 3. p. q. 63. ar. 3. & p. 1. q. 63 ar. 3. Sotus 4. d. 14. q. 2. art. 1. ad 3 & d. 17. q. 2. a. 1. ad 2. Adrian. in 4. q. 1. de pœni. §. sed dubium videtur. Alexand. p. 4. q. 12. mi. a. 2. §. consequenter quæritur de alia parte definitionis.

Ferrar. li. 3. contra Gen. c. 109.

esse malum, & rectæ rationi contrarium. Pari modo, si quis cogitans de re aliqua turpi, sibi tamen impossibili, sciens & volens de ea lætaretur: aut qui item adulterium, furtum, homicidium impossibile, secum mētis cogitatione reuolueret, ac volens sese in eo oblectaret, proculdubio contra leges, & iura delinqueret.

Quintò quæritur, An voluntas non solùm bonum, sed etiam malum velle possit, & similiter an bonum æquè ac malum auersari, & respuere queat. Constat inter omnes, voluntatem interdū velle quod malum est, & quod bonum est repudiare, quia malum voluntati aliquando se offert, vt faciem & speciem boni habens: ac proinde voluntas id appetit, & amplectitur quatenus bonum iudicatur, & bonum itidem aliquando mali imaginem & similitudinem refert, & idcirco voluntas id auersatur & respuit.

Quod igitur in quæstionē vertitur, est, An voluntas malum, qua malum est à ratione iudicatum, possit velle, approbare & amplecti: & bonum vt bonum est, odisse & abijcere. Quidam probabile existimauerunt, malum sic posse appeti, & bonum repudiari. Sed certè longè verius est, quòd omnium ferè consentiens opinio tradidit, neque posse voluntatem malum velle & appetere, nec bonum nolle & odisse. Nam hæc est voluntatis vis & natura, vt sit ad bonum propensa: vnaquæque enim hominis facultas in re aliqua certa, tanquam in materia sibi propria versatur, ergo voluntas quoq; ad certum fertur, tanquam ad proprium obiectum & finem. Sicut ergo ratio & intelligentia falsi non est, sed tantum veri, sic voluntas tantùm est boni, non mali.

At obijciunt in primis, Aliquando quis ex animi malitia & improbitate delinquit: ergo malum, vt præ se fert prauitatem, amplectitur. Respondeo. Non dici peccatum ex malitia contractum, quia malum quà malum est appetatur, sed quia scienter, & absque vlla animi infirmitate vel habitu deprauato, vel appetitus perturbatione incitante committitur. Si dicas, Quo pacto scienter voluntas malum admittit, si id vult quatenus bonum: nam si in malum tendit, vt faciem & speciem boni tenet, non malitia, sed errore delinquere dicetur. Respondeo, ex malitia peccatum commissum dici, non quòd malum quà malum velit voluntas, sed quod scienter nullo alio extrinsecus incitante in id feratur, quod est lege ac iure prohibitum. At tunc licet animaduertat per rationem illud contra fas iusq; esse, vult tamen & amat vt sibi iucundum, aut vtile: peccatum verò dicitur errore contractum, quia est per ignorantiam susceptum, quale non est quod malitia committitur. Deinde obijciunt, voluntatem esse omnino liberam, ergo potest bonum odisse, & malum velle. Respondeo, Voluntatem ideo liberam esse, quia à nullo certo bono necessitate trahitur: quicquid enim boni prosequitur: potest non prosequi, si velit. Quo circa à cæteris hominis facultatibus maximè differt: nam reliquæ quadam naturæ necessitate ad res sibi obiectas feruntur: ratio enim non solùm adhorret à falsò, sed etiam oblato sibi vero necessario assentitur: at voluntas quamuis malum velle non possit, obiectum sibi bonum potest, si velit, non amare. Postremò obijciunt, posse voluntatem oblato sibi quocunque bono, mereri & peccare, ergo potest & bonum refutare, & nolle. Respondeo, Inde posse peccare, quia in quacunque re sibi obiecta offert sese illi triplex ratio boni, Honesti, Iucundi, & Vtilis. ac propterea neglecto reiecto. que honesto, contra fas iusq; omne, potest iucundum vel vtile prosequi.

Sextò quæritur, An voluntas à ratione moueatur: inter omnes conuenit, eam à ratione moueri, & impelli tanquam ab offerente, & proponēte bonum: voluntas per se nihil lucis habet, ac proinde ratio est lux & dux eius. Mouet igitur ratio voluntatem tanquam consultrix, magistra atque præceptrix excitando, instigando, suadendo, dirigendo, docēdo, & monendo meliora. Sed venit in dubium, An rei obiectæ notitia moueat voluntatem vt causa efficiens, an vero potius vt finis. Sunt duæ opiniones, vna est, mouere instar causę efficientis, siquidem causa efficiens est, qua posita, effectus consequitur: sed boni oblati notitia posita, voluntas suum actum producit. Deinde variata rei obiectæ notitia, variantur quoq; voluntatis actus: sicut etiam pro varietate cognitionis à sensibus profectæ, variantur pariter animalis appetitus affectus. Altera opinio est, potius instar finis notitiam rationis mouere: quæ sententia longè probabilior videtur: nam ratio mouet (vt dixi) voluntatem excitando, suadēdo, monendo, & dirigendo: quod præstat, quia rem voluntati obijcit, ac offert, ergo notitia nihil aliud est, quàm rationis actus, quo res volūtati proponitur, vt si velit, approbet illam, & amet; sin minus improbet & respuat: bonum enim quod extra nos est, ratio intra seipsam concipit, & sic cō ceptum voluntati ostendit & obijcit; ac proinde ipsum bonum tanquam finis voluntatem mouet, ratio verò tāquam dux, & magistra ad finem voluntatem ducens ac dirigens. Ergo notitia est, per quam ratio dirigendo mouet voluntatem: ipsa autem voluntatis circa rem per notitiam rationis ostensam & oblatam sibi, suum actum parit atque producit. Et quamuis Philosophi dicti tent, rei obiectæ notitiam actum voluntatis efficere, potius metaphoricè & figuratè, quam propriè loquuntur. Et actus voluntatis variari quidem solent pro varietate notitiæ: sed illud non fit, nisi primò ipsius rei obiectæ extra nos existētis ratio, & natura varietur: quemadmodum amor, desiderium & delectatio actus sunt voluntatis omnino distincti, non quia bonum, in quo versantur, diuerso modo ratio cōcipiat, sed quia desiderium est boni futuri, quod nondum possidetur. Delectatio verò est in bono, quod iam habetur. Amor verò est boni tū præsentis, tum absentis, tum possessi, tum expectati.

Septimò quæritur, An fieri possit, vt in aliquid voluntas feratur ratione non cognitum. Constat inter omnes tam Philosophos, quàm Theologos, per naturam id fieri non posse, cum sit ratio tanquā dux & magistra voluntati à natura data. Sed quæstio est, An saltem Dei potestate id fieri queat; de qua fusius capite statim sequenti tractabo. Non defuere Theologi, qui id affirmauerint: immò sunt quidam qui doceant aliquando mentem rerum cœlestium & diuinarum studiosam ad tā-

tum

tum Dei amorem prouehi, vt in eo multa diligat, & amet per rationem nec ostensa nec cognita. Alij tamen quamuis hoc non expresse fateantur, contendunt tamen fieri à Deo posse, vt voluntas bonum, quod ratio nullo modo cognoscit, amet & prosequatur. Et hi quidem non concedunt voluntatem posse bonum velle, & amplecti sibi non cognitum, sed docent vicem & locum rationis, bonum voluntati subijcientis atq; monstrantis, Deum supplere posse. Voluntas, inquiunt, per se cæca est, ac proinde magisterio & ductu alterius indiget, quem ratio suapte natura voluntati præstat: suprà naturam autem Deus munus & officium, quo ratio fungitur supplere potest: & tunc voluntas fertur in bonum sibi per Deum, non autem per rationem oblatum. Deus enim per seipsum rerum notitias méti ingenerare potest. Mihi verò hæc subtiliter & acute quidem dici videntur, sed non verè. Si enim voluntas, quia per se cæca est, bonum incognitum amare non potest, conficitur inde, vt non nisi à ratione sibi propositum bonum velle queat, eo quod propositum esse voluntati non possit, nisi cognitum, & cognitum esse nequit nisi per rationem: est enim cognitio siue notitia actus vitæ à ratione productus, & sicut velle, & nolle, qui sunt voluntatis actus, fieri nulla ratione possunt nisi à voluntate: sic etiam intelligere, & sentire non nisi à ratione, intelligentia vel sensu gigni & produci queunt: neque enim dicitur aliquis rem intelligere quia eius notitiam habeat ab externo principio solummodo genitam atque susceptam, sed quia in se ipse illius notitiam parit, & editam in se excipit & retinet.

Octauò quæritur, An voluntas ab appetitu sensus moueatur. Respõdeo, Trifariam ab eo voluntatem moueri posse. Aut enim appetitus animalis imaginationem excitat, & deinde imaginatio rationem, & ratio voluntatem: Aut primò appetitus corpus ipsum afficit, vt sæpe solet: mox verò corpore sic aut aliter affecto, ratio res, quæ extra nos sunt varie concipit: quisque enim, vt est ipse affectus, sic solet de rebus iudicare: postea verò ratio quod iudicat subijcit voluntati: Aut tertiò appetitus vehementer commotus, ad se flectit ac trahit quodammodo volũtatem, cùm sint vires inter se quodam naturæ nexu & vinculo colligatæ.

Nonò quæritur, An voluntas humana à bonis vel malis Angelis moueri queat. Respondeo, Posse, non quod Angeli actum voluntatis efficiant, sed quod rationi aliquid obijciant, & suggerant, siue proximè per se ipsos, siue ministerio sensuũ; deinde ratio rem sibi cognitam voluntati subijcit. Possunt igitur Angeli per nostri corporis affectionem, vel sensum vel mentis rationem mouere voluntatem: ac proinde mouẽt tantummodo instigando, suadendo, mouendo, suggerendo quod volunt.

Decimò quæritur, An voluntas humana à cælo & astris moueri queat. Respondeo, Minimè nisi primò corpus ipsum afficiant: aliter enim cœlum, & astra ad voluntatem nostram aspirare non possunt. varijs tamen corpus nostrum afficiunt qualitatibus, quibus quisquis fuerit affectus, sic aut aliter iudicat, ac proinde varium rationis iudicium varius in voluntate actus consequitur,

Vndecimò quæritur, An voluntas à seipsa solummodò vt à causa efficiẽte moueatur, an verò etiam à Deo. Respondet S. Thomas à se aliquando moueri, aliquando verò à Deo. Cum finem, inquit, vult, appetit, & amat, non à seipsa, sed à Deo efficienter mouetur. Rursus, cum incipit aliquid velle, à Deo mouetur, non à se. Cum autem fertur in id, quod nos ducit in finem, seipsam mouet. Hæc S. Thomas: sanè verissima, quamuis difficultate non careant, quidam enim opinantur voluntatem ideo non à seipsa moueri sed à Deo, quia actum ipsa vt causa efficiens non pariat, & producat, sed à Deo factum, & impressum in se ipsa excipiat, conseruet, atque sustentet. quę sententia ab alijs merito refutatur, quoniam actus voluntarius nec esse, nec dici potest, quin sit à volũtate productus: est enim actus vitæ, ac proinde naturæ & formæ, & à vi, & principio interno profectus. Alij verò dixerũt voluntatem tunc non à se ipsa moueri, cum libere non mouetur, sed quadam naturæ necessitate. Cæterùm neque hoc cæteris probatur: nam S. Thomas perspicuè tradit voluntatem minimè à se ipsa moueri, cum incipit quippiam velle, & cum finem sibi propositum vult, & approbat; at non semper cum incipimus aliquid velle, aut cum finem nobis oblatum appetimus, necessariò volumus: nam possumus non velle. Ideo alij senserunt voluntatem nõ à se moueri, cum motibus, quos Theologi primò primos appellant, cietur & agitatur, qui hisce motibus naturaliter subijcitur: cum verò reliquis motibus huc illucque fertur, & ducitur, se ipsa mouet, quia non naturaliter, sed libere eos tanquam suos actus producit. & à Deo moueri voluntatem, aiunt, quia Deus per se ipsum eam excitat, flectit, ac mouet. Sed certè S. Thomas nihil hic de primis, ac subitis motibus dixit: ac generatim docuit, voluntatem incipientem aliquid velle, à Deo externo principio moueri: & appellatione finis non solùm summum & vltimum finem communem accepit; sed vniuersum quemcunq; finem. Quare longè verius est voluntatem tunc à se ipsa moueri, cum ex alia priori voluntate mouetur, hoc est, ex alterius boni approbatione, & appetitione: & hinc fit, vt tunc voluntas se mouere dicatur, cum quippiam ex rationis cõsultatione vult & appetit: nec enim ratio consultat, nisi de ijs de quibus vult voluntas. Rursus cum ex appetitione finis propositi voluntas venit in id, quod ducit ad finem, se ipsam dicitur mouere. Præterea cum voluntas à Deo externo principio mouetur, nõ propterea id fit, quia semper Deus proximè per se ipsum absque aliarum causarum naturalium aut supernaturalium ministerio & opera, vel menti cogitationem ingeneret, vel voluntati rei cupiditatem & amorem instillet; sed quia tanquam naturæ auctor & conditor voluntati dedit principium motionis. quapropter prima bona cogitatio, & appetitio, cum nõ ex alia priori voluntate promanet, ac surgat, in ipsum Deum tanquam auctorẽ refertur. Quare Philosophus rectè ac sapienter dixit, in volũtatibus deueniri aliquando ad primam bonã cogitationem ab externo principio, non à voluntate suam

S. Tho. 1. 2. q. 111. a. 2. & q. 9. artic 6. & clarius ar. 4.

De his omnibus Cai. Contra. Medi. 1. 2. q. 111. ar. 2.

Arist. li. 7. Mora. c. 18 ad Eude.

te suam originem habentem. Nam si ab ipsa voluntate esset, tunc nõ prima cogitatio, aut primus amor, & cupiditas diceretur. Hinc igitur fit id, quod verè tradidit S. Thomas, vt cum volũtas incipit aliquid velle, non à se, sed à Deo moueatur: quod locum habet siue illud sit naturæ, siue gratiæ bonum: & rursus in eo voluntas mouetur à Deo non solùm tanquam auctore gratiæ, & supernaturalium bonorum, sed etiam tanquam à naturæ conditore, & bonorum naturalium largitore. Deinde cum voluntas fertur in finem, siue summum & vltimum, siue alium quemcunque, communem & generalem, siue priuatum & specialem, à Deo dicitur cieri; quia tunc non ex priori voluntate & appetitione se ipsam mouet voluntas, nec de fine consultat, sed mouetur à Deo, qui primam bonam cogitationem iniecit.

S. Tho. 1.2 q.10. ar.1.

Duodecimò quæritur, An voluntas ad aliquid naturaliter & necessario moueatur. Affirmat S. Thomas. Quod si quæras, Quænam sint huiusmodi bona, ad quæ voluntas naturaliter & necessario fertur. Respondeo, Esse fidem extremũ, & vltimum communem, quod est hominem in omnibus se bene habere, & omni malo carere: hoc enim vniuersi naturaliter appetimus. Rursus naturaliter voluntas esse, ac viuere, intelligere, ac scire desiderat. Animaduertendum est eodem modo esse accipiendum hoc, quo illud Aristotelis, omnis homo naturaliter scire desiderat: nec enim Philosophus eo loco significat, desiderium scientiæ non esse actum voluntatis elicitum: nec rursus vult, vt semper scientiæ appetitionem, & desiderium elicitum habeamus: nec item, vt necessario, non libere scire velimus: sed significat scientiæ desiderium esse voluntatis actũ ipsius naturæ consentaneum & conuenientem, quia est cupiditas rei homini maximè congruentis. Sic etiam naturaliter voluntas sui conseruationem desiderat, non quod actu eam semper affectet, sed quod omnis natura suopte ingenio se tueri, & conseruare conatur: nec si actum eliciat, potest sui conseruẽtionem odisse, nisi decepta eã respuat tanquam mali speciem, & imaginem referentem.

Decimotertiò quæritur, An sit certum & speciale aliquod bonum, ad quod voluntas necessario trahatur, ita vt non possit non trahi. Respondeo, Nullum esse in hac vita mortali bonũ, quod huiusmodi necessitate ad se voluntatem rapiat & attrahat: quia in quocunque speciali bono, quod ratio voluntati proponit, species aliqua mali semper obijcitur: eo quod quamuis magnũ, eximium, & excellens sit, in eo saltem imago & facies ardui, operosi & difficilis cernitur. Porrò rei obiectæ difficultatem ac laborem recusat & defugit voluntas. Item quamuis in bonis voluntati propositis nulla mali species cerneretur, nihilominus ipsa voluntas cum suapte natura libera sit, potest oblatum sibi bonum nõ velle, quamuis nolle & odisse aliquando non possit.

Dur. 2. d. 24. q. 3.

Decimoquartò quæritur, An voluntati primò insit libertas. Decepti sunt quidam, rati libertatem primò quidem inesse rationi, quàm voluntati; cum tamen nulla sit in ratione libertas, nisi ex libero voluntatis impulsu. Est igitur volũtas prima libera facultas, quę suo nutu & arbitrio libere vult quicquid amat & appetit: ac cæteras hominis facultates sibi subiectas suo arbitratu mouet, & impellit, quo vult. At verò negari non potest, quin in ipsa ratione insit prima quædam libertatis origo & initium, nõ quod ratio ante voluntatem sit libera, cum quicquid agit, ex naturæ necessitate agat; sed quia cum bonum voluntati subijcit, & offert, triplicem in eo boni faciem & imaginem ostendit, videlicet honesti, iucundi, & vtilis. Ex quo fit vt voluntas in id, quod vult sese conferat, interdum honestum iucundo, & vtili anteponens; interdum iucundum vel vtile, honesto posthabito, amplexata.

Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 4. Anselm. de concor. præs. & li. arbi. cap. 1. Boet. lib. 5. de consola. prosa vltima. Aug. de præd. & gratia. c. 15.

Decimoquintò quæritur, Quomodo cum Dei præuisione & prescientia volũtatis libertas consistat, siquidem Dei cognitio falli non potest: ergo si Deus prænouit & præuidit futurum esse voluntatis consensum, consequens est, vt sit certo futurus. Respondeo, Quemadmodum cum te video legentem, disputantem, vel currentem, meus aspectus nihil prorsus de tuo libero cursu vel disputatione detrahit: eo quod meus aspectus ideo est verus, quia tu legis, disputas, aut loqueris: nec quia ego te video legentem aut disputantem, id circo tu legis, aut disputas, sed quia vis: sic æterna Dei præuisio, qua liberum voluntatis consensum futurum prænouit, nihil minuit aut lædit libertatem arbitrij. etenim nuda Dei cognitio, rei visæ nullam necessitatem affert, sed est notitia rei sicuti in seipsa est. Vnde veteres illi Patres Iustin. *quæst.* 58. Origen. *lib. 7. in Epist. ad Rom. cap.* S. Hieronym. *in c. 2. Ezech. c. 26. Isai. rem. c. 16. Isai. dialog. 3. contra Pelagianos.* Chrysost. *hom.* 80. *in Matth.* August. *lib. 5. de ciuit. cap. 10. & lib. de prædest. & gratia. c. 5.* Cyrill. *lib. 9. In Ioan. c. 10.* Damasc. *in dialog. aduersus Manichæos.* Leo. *serm. 16.* non ideo inquiunt, quia Deus præuidit scandala futura, sunt futura, sed potius quia ventura sunt scandala præsciuit & lõgè ante prędixit. Sunt enim futura tã certo & euidenter Deo nota & perspecta, quàm præsentia. Nec tamen inde colligas Deum futura prænosse, quia sint futura, neque enim Deus scientiam suam sicut nos à rebus accepit, sed ex se & per se ipse natura sua rerum omnium futurarũ certam præsentionem habet. Et ideo diximus, quæ sunt futura prænouit, non quia futura sint, sed quia per se ipsam est prima & summa cuiuscunq; veritatis notitia. Ergo si verum est vt quippiam sit futurũ, eo ipso ex omni æternitate est Deo notum atque perspectum.

Decimosextò quæritur, quomodo cum æterna diuinæ voluntatis præfinitione, qua futura bona præfiniuit salua sit humanæ voluntatis libertas: Nam voluntas diuina est efficacissima cui nihil potest obsistere. Ergo si quippiam præfiniuit, necesse est vt eueniat, ac proinde cum humanæ voluntatis consensum in bonis præfinierit, non potest non fore. Hanc quæstionem infra commodius diluemus: in præsentia dixisse sufficiat, Deum sic nostrum in bonis consensum præfinisse vt suo loco & tempore ita opportunam & commodam bonam cogitationem inijciat, vt id velimus & sequamur, quod Deus nos sequuturos præfiniuit: licet possimus non sequi. Sic itidem opportunis & accommodatis auxilijs voluntatem excitat ac mouet, vt ipsius Dei ductum homo libere sequatur, de hac re alio in loco fusius disputabo.

Decimoseptimò quæritur, Qua ratione cum diuina actione qua simul nobiscũ agit Deus, consistat libertas humanę voluntatis. Res enim creata non agit nisi vt à Deo mouetur, & ab eo in sua actione pendet: rursus nõ agit nisi vt Dei instrumentum, ergo voluntas humana vt à Deo mota, non potest non moueri, ac proinde non potest non agere. Quidam arbitrantur Deum cum rebus creatis operari, quia prius saltem natura, origine, & causa eas præueniat, excitet, & moueat, ita vt prius in ipsis motum quẽdam & impulsum imprimat, & deinde ipsæ motæ & impulsæ agant. Et nihilominus libera, inquiunt, voluntas relinquitur, quia motus ille Dei & impulsus excipitur in ipsa pro ratione & modo ipsiusmet voluntatis. Et quia voluntas est libera, motum illum sibi diuinitus impressum excipit libere. Alij contra opinantur Deum operantem cum causis secundis nullum ante earum actionem motũ, & impulsum imprimere, sed simul cum ipsis cõuenire ad effectum producendum: ita vt Deus & causa secunda simul, & proximè effectum præstent & nec Deus prius quàm secunda causa effectum attingat, nec hæc prius quàm Deus. Et hoc modo asserunt isti Deum cum humana voluntate liberè consentiente operari, ita vt Deus & voluntas simul consensum efficiant. Animaduertendum est receptissimum esse, Deum ante liberum voluntatis consensum multa in nobis sine nobis efficere, hoc est, absque vllo nostro libero cõsensu: sic in mente cogitationes bonas immittit, & in voluntate motus quosdam bonos ingenerat & excitat. Verùm de ijs auxilijs, quibus Deus humanam voluntatem præuenit, in præsentia non agimus, sed de eo auxilio, quo Deus cum voluntate consentiente libere in bonis operatur, quem generalem Dei concursum siue specialem, scholæ Theologorum appellant. Notandũ item est, dubitari non posse quin Deus sit causa prior cæteris perfectione, & dignitate: quia dignior atque præstantior, & duratione, cum Deus sit per se ipsum æternus, & origine, cum ex se & per se ipse existat: & auctoritate, cum summam habeat in omnes res potestatem, imperium & ius: & necessitate, cũ sine ipso nulla alia causa quippiam possit efficere: ipse verò per se absque ministerio & opera causarum præstare queat, quod nunc ministerio & opera aliarum causarum facit. His annotatis quidam Theologi iuniores docẽt voluntatis libertatem omnino saluam, & integram esse cum ipsa operatione Dei, quoniam hęc tempore non antecedit voluntatis actionem, sed comitatur eam: ita vt Deus & voluntas simul veluti conspirent, atque cõueniant ad vnam & eandem actionem & effectum: voluntas quidem suo nutu & arbitratu, Deus verò cum illa operans. Obijcies, Voluntas non agit nisi vt mouetur, & pendet à Deo in agendo, item non agit, nisi vt Dei instrumentum, hoc est, vt causa mota à Deo, igitur à Deo præueniente excipit motum, & principium motionis. Respondent ijdem, agit vt mota, & vt pendens à Deo, agit itidem, vt Dei instrumentum quia agit vt causa secunda. Item quia voluntas nihil boni præstare potest sine Deo cum ipsa operante, cum tamen sine voluntate Deus efficiat sæpe quàm plurima, dicitur instrumentũ Dei, quia sine eo nihil boni potest, & cũ eo facit quidquid boni præstat. At quia nutu suo, & arbitratu agit cum suum munus & officium obit, dicitur liberum instrumentum. Sed quoniam tota hæc quæstio pendet ex multis alijs, ideo alio in loco commodius tractabitur.

Cap. XXI.

Quanam ratione voluntas sit suarum actionum causa.

PRIMO quæritur, An creata voluntas sit suarum actionum causa efficiens. Respõdeo, negari non posse quin voluntas sit suarum actionum efficiens causa: alioqui enim vt Damascenus *lib. 2. Ortho. fidei. ca. 26. & ca. 27.* & cæteri Patres concludunt euidenter, nec laus, nec vituperatio in voluntatis actionibus esset, nec præmium vllũ benefactis daretur, nec malefactis supplicium constitueretur. Nam voluntas libera non esset, si suos actus ipsa non gigneret, sed tantùm aliunde factos exciperet in se. Amare igitur, aut velle, nõ est solùm, voluntatem actum amandi aut volendi recipere, & habere, sed etiam gignere & elicere. Itaque cum quippiam volumus, & actum volendi producimus, & productum in nobis excipimus, & habemus, & voluntas eo actu à se genito, & in se recepto ad propositum bonum sua se sponte conuertit. An verò potius in agendo, quàm in patiendo ac recipiendo hoc quod est velle, cõsistat, quæstionis est dubiæ inter aliquos. Mihi tamen magis arridet eorum sententia, qui putant in agẽdo consistere: ita vt velle, sit potius volendi actum elicere ac gignere, quàm genitum ac productum excipere & habere. Nec item voluntas cum quippiam vult, ad materiam externam, extra se suum actum transmittit; vt ignis cũ lignum exurit, suam in lignum actionem transfundit. Dices, Idem actu & potestate simul esse non potest; at si voluntas volendo agit, necesse est vt actu sit quatenus agit: quod si itidem volendo patitur, ergo simul etiam est potestate. Dein de ab vno eodemque principio, multa & diuersa proficisci nequeunt; qua igitur ratione ab vna voluntate tam varij actus oriuntur? Postremò, si causa nunc quippiam efficiat quod ante non faciebat, necesse est, vt aliqua motio antecedat: vt in singulis causis agentibus cernimus: ergo non potest voluntas aliquid nunc velle, quod antea nolebat, nisi motio præcedat, qua ipsa voluntas extrinsecus mutetur. Verùm ad hæc omnia, & singula respondeo, aut nihil omnino concludere; aut tantummodò locum habere in his, quæ necessitate naturæ quippiam efficiunt, & natura ac corpore constant, & per motum agunt. In ijs enim quæ voluntariè & liberè fiunt, voluntas & valet ad volendum, & ad suum proprium actum excipiendum: nam suum actum, quem gignit, excipit. In ipsis etiam naturalibus rebus aqua extrinsecus calefacta, se ad pristinum frigus, & suæ conditionis & naturæ statum reducit: quandiu enim aqua est, formam suam seruat & retinet, qua veluti principio suas vires amissas recuperat, ac ita per suam formam actu aqua est, & potestate frigida: & ideo quatenus actu aqua, agit, ac se se paulatim ad primum suæ naturæ statum

Gabr. 2. d. 37. quæst. 1. Mar. 1. d. 1. q. 6. Burl. lib 3. Eth. q. 2.

refert ac reuocat; & ex eo quod est potestate frigida, fit actu frigida. Angelus se loco mouet, anima item ratione prædita, & corporis vinculo & nexu soluta, ex vno se in alium locum confert. Sic voluntas, actu est voluntas, & quatenus actu talis, agere ac velle potest, & eadem simul potest in se suum actum excipere, quia eo ipso quod voluntas est, & valet ad gignendum, & ad excipiêdum suum actum; quia velle, vt Paulò ante iam dixi, est volendi actum elicere, & excipere: ergo voluntas & agit, & patitur: præsertim cum sæpe voluntas ex appetitione vnius, ad expetêdum alterũ moueatur, & ex fine sibi proposito sese trãsferat ad ea, quæ nos ducunt in finem. Item in causa naturali siue corporea, siue spirituali non contingit; vt nũc quippiam efficiat, vel agat, quod antea nõ faciebat, vel agebat, quin sit prius aliquid mutatum, aut impedimentum submotum: quoniam positis omnibus necessariò ad agendum requisitis, causa naturalis agit necessariò. At in causa quæ sua sponte, & voluntate agit, quamuis sint posita omnia, quæ illa causa ad agendum requirit ac postulat, potest suo nutu & arbitratu agere & non agere; & potest hoc aut illud efficere, & potest sic vel aliter operari. In hoc enim voluntas & actio libera naturali causa & actione distinguitur.

Gab. Mai. Burid. locis citatis.

Secundò quæritur, An creata voluntas sit tota causa efficiens suarum actionum. Non quærimus modò, an citra Dei auxilium, eiusmodi voluntas possit suos actus efficere, de hoc enim statim dicemus; sed an præter illud commune Dei auxilium, aliqua alia causa creata, cum voluntate conspiret ad actum volendi gignendum. Constat inter omnes, cogitationẽ bonam vel malam, simul cum voluntate cõiungi ad rem eam appetendam vel respuendam: nec enim voluntas potest incognitum velle, vt docet Aug. sicut enim appetitus animalis sequitur sensum, nec potest ad aliquid moueri quin sit sensu perceptũ: sic appetitus hominis intelligẽtia & ratione ducitur, & ad quodcunque se conferat, id necesse est fit ratione conceptum: vtrum verò notitia tanquam causa efficiens cum voluntate conspiret ad volendi actum producẽdum, dissensio est inter auctores: de qua quæstione nos suo loco iam diximus. Opponat aliquis, sæpe nos ardentius amare rem, quam remissius tamen cognoscimus & cogitamus: ergo poterit cogitatio ita remitti, vt prius ex toto finiatur ac desinat, quàm actus voluntatis. Respondeo nihil inde effici, quia quãdiu voluntas quippiam vult, necesse est, vt de eo cogitatio duret ac maneat, & statim, vt rei obiectæ cognitio perit, voluntatis actus euanescit. Nec inde fit, vt quò quippiam feruẽtius amamus, magis illud cognoscamus: potest enim voluntas rem minus cognitam magis amare, quia vult; sed nequit rem penitus ignotam diligere: potest quis pauciora de re quapiam cogitans plus amare, quam alter plura cognoscens de eadẽ re obiecta: quia in illo pauciora quę cogitat, iucũdiora vel vtiliora apparẽt.

S. Aug. lib. 10. de Tri. ca. 1. & 2.

Secundò quis obijciat aliquando voluntatem præcipere vt intellect⁹ exquirat id, quod nescit, & vt inquirat id, cuius est animus penitus oblitus: multa itidem scire cupimus, quæ nescimus. Ad hæc respondeo: sicuti cum reminiscimur, ex vno quod est nobis notum, in cognitionem eius, cuius sumus obliti, deuenimus: sic voluntas, cum quippiam scire studet, mouet rationem, vt ex aliqua re nota, aliam perquirat. Sic cum vocẽ audis, qua quid significatur, ignoras; vocẽ ipsam cognoscis quam aure percipis, & rei alicuius esse signũ intelligis: sed quia, cuius sit signũ nescis, id scire desideras, sic virũ bonũ, cuius faciem nunq̃ vidimus, amamus, q̃a virtutes eius audiuimus; & nos ad aliquid amandũ, laudantium & prędicantium accendit auctoritas. sępe ex auditis vel lectis reb. studia discernentiũ excitantur. Postremò aliquis dicat, fieri posse vt Deus actum voluntatis cõseruet sine vllo actu rationis, cũ sint actus à se inuicẽ numero & re distincti. Respondeo: sicut volũtatis actus absq; actu intellect⁹ naturaliter gigni non potest, ita nec naturaliter conseruari. Vtrum verò potestate diuina aliter fieri queat, dubiũ est. Nam quidam Theologi id fieri posse contendunt; alij verò negant. Quicquid sit, certè si Deus conseruaret, per eum actũ voluntas nihil veller, quia nihil sibi haberet obiectũ: sicut si Deus sine re visa cõseruaret in oculo visionem quatenus qualitas quędã est, nihil per eã oculos videret. Dices, quid ni poterit Deus voluntati bonũ ostendere & obijcere, & cum ea simul cõspirare ad illud volendum, absq; hoc quod ratio huiusmodi bonum cognoscat & offerat voluntati? Respondemus, nos de eo loqui, quod per naturam fieri potest, per quam bonum obijci, & offerri voluntati non potest nisi ratione perspectum; & negamus etiã simpliciter aliqua potestate fieri posse, vt voluntas velit aliquid, nisi id ratio cognouerit: quoniam voluntatis obiectũ est bonum, q̃ ratio perspicit.

Tertiò quæritur, An vnico temporis momẽto possit voluntas suũ actũ elicere. Respondeo: quãuis olim inter Philosophos dubitatũ fuerit an res aliqua fieri queat vno temporis puncto; id tamen negari nulla ratione potest: nã multa fiunt vnico temporis momento, vt lumẽ in aere, visio in oculo, & alia similia. Aristoteles quoq;, visio, inquit, quouis in tempore perfecta est: nihil.n. ipsi deest, quod postea factum, speciẽ ipsius perficiat: quasi dicat, Tota fit simul, & nõ per partes cum tempore aut motu. Quare ibidem docet, delectationem totam simul fieri posse, & non per partes. Ex quo fit, vt vno tẽporis pũcto mereri, aut peccare possit volũtas; vt si de bono quod honestum est, gaudeat, vel id amet & appetat, aut de eo quod perperam egit, doleat, aut quæ turpia sunt, odio prosequatur; vel contra, si in eo quod turpe est, tanquam vtili & iucundo oblectetur, aut id concupiscat & diligat,

Mai. loco sup. cit. Almai. q. de libertate volũtatis, vbi citat Scotũ Gregorium, Ockamum. Arist. l. 10. Ethic. c. 4.

Quartò quæritur, An volũtatis actus esse queat tantummodò ad vnum tẽporis punctum. Respõdeo, dissensionem esse inter Philosophos, an res aliqua possit subsistere ad vnicum tãtùm temporis momentum. Ego magis eorum sententiã probo, qui id affirmant: sicut etiã existit ipsum tẽporis punctum. Et tunc res illa inciperet per primũ esse, & desineret per vltimum esse: ita vt verũ esset dicere, nunc res est, & ante hoc proximè non fuit, & nunc est, proximè verò post hoc non erit; quare non sequitur, vt res illa eodẽ puncto temporis sit, & non sit. Dices, cum est, desinit; ergo cũ est, nõ subsistit. Respondeo, rem desinere, non so-

Med. 22. q. 10. art. 4.

lùm cum

lùm cum per motum progreditur, ita vt amplius non sit; sed etiam quæ cum nunc sit, proximè post hoc non erit: sicut res dicitur nunc incipere quia nunc est, & proximè ante nõ fuit. Nam sic etiam desinunt, & incipiunt ipsamet tẽporis momenta. At inquies; si res potest ad solum temporis momentum existere, sequitur vt eam Deus reparare queat in proximo temporis momento, quod est absurdum; cum duo tẽporis puncta sibi proxima esse queant. Respondeo, ex hypothesi, si res tantummodo ad vnum temporis punctũ existat, nequit reparari in proximo temporis momento; sicut vnum temporis punctum existit ad vnũ momentum, & tamen non sequitur proximè post ipsum aliud temporis punctum, sed tempus: ita etiam, ex hypothesi, si Deus vnum Angelum creauerit subito temporis momento, nõ poterit alius Angelus creari in puncto temporis proximè post primum sequenti, sed creabitur in alio momẽto distanti & remoto à primo. Nihilominus tamen quemcunq; actum bonũ voluntatis, quatenus qualitas quædã est, potest Deus simpliciter quocunq; temporis puncto reparare, sicut potest Angelum in nihilum redactum, iterum creare quocunque momento: quia fieri põt vt reparetur in momento, quod sit totius alicuius tẽporis finis & terminus. Oppones, id quod durat, necesse est, vt ad tẽpus quamuis breue & exiguum, stet & maneat: id enim durat, quod cum motu, & in tempore subsistit. Ergo nihil pôt ad punctũ temporis existere. Respõdeo, nominis esse quæstionẽ, non rei, An q̃ ad vnũ temporis momentũ subsistit, durare, stare, manere, & conseruari dicatur: eo quod hæc id significare videantur, quod ad aliquam temporis moram est; ita vt quamuis res quæ durat, manet, stat, & cõseruatur, per se successione careat, quia tota simul, non per partes est, nihilominus tamẽ subsistat ad tempus; quod quia cum motu est, non totum simul, sed per partium successionem existit: verùm quicquid sit de hoc, nemo sanè negauerit, quin aliquid ad punctum temporis subsistat, siue durare, siue non durare dicatur.

Mai. Medi. locis citatis.

Quintò quæritur, An vno tẽporis puncto productus voluntatis actus, ad tẽpus postea cõtinuari possit, vt si quis quippiã amet, vel odio habeat. Respondeo, non esse dubitandum quin hoc fieri queat: & ideo potest quis ad tempus amando mereri, vel odio aliquid habẽdo peccare. Obijcies, id si detur, inde fieri, hominẽ infinitum posse mereri præmiũ, aut pœnã. Vt si fingamus ad breuem temporis morã, ad quadrãtem videlicet horæ, in bono, vel malo voluntatis actu persistere, cum in quauis temporis parte sint infinita momenta: fit, vt si in quouis tẽporis pũcto homo mereretur, ad illius temporis finem & exitum infinitè mereatur. Sed negamus, aliquid inde concludi. Nam si ponamus semel in primo horæ puncto certum aliquid per actum voluntatis hominem meruisse, fieri nequit vt tãtundem mereatur in puncto horæ proximo; sed solũ in tempore proximè sequẽti: quia post primũ punctũ horę non sequitur proximè aliud punctum, sed tempus; & ideo in tẽpore erit secundũ hominis meritũ, quod potest esse minus, vel maius, vel æquale primo. Sed quantũcunq; sit etiam exiguum (nec .n. est meritum minimum; quo aliud minus esse nequeat) potest infinitè diuidi; ac ita meritum hominis in toto illo tempore tale est, vt prius minor pars illius, substiterit, & prior minor & minor: ac proinde sequitur, vt ad finem totius temporis non sit infinitũ meritum volũtatis, quamuis toto eo tempore interruptum nõ fuerit. Quoniã etiamsi voluntas in primo horæ puncto certum quid meruerit, & meritũ continuauerit, postea ad quadrantem horæ, in primo tamẽ puncto meruit, in proximo verò mereri tantundem non potest, sed in tempore proximè sequenti; quia proximè nõ punctum, sed tempus consequitur; & in eo tempore voluntas aut meretur tantundem, quantũ meruit in primo puncto, vel minus, vel maius præmium: sicut etiã in naturalibus, si accretio vel diminutio formæ, vel qualitatis cõtinuo fiat per partes minores, & maiores, fit cum motu & tempore, sicut etiam incipit ac desinit; si verò interruptio fiat, fieri poterit per minimas partes, quæ esse possint, siue per partes æquales, siue maiores.

Sextò quęritur, An Deus cum voluntate creata cõspiret ad bonos eius actus tanquam causa proxima, an potius tanquã remota, quamuis alioqui principalis: & generatim quæri potest an Deus omnium effectuũ, qui à causis creatis proficiscũtur, proxima causa sit; Ratio quæstionis est, quia videtur esse remota causa, nõ proxima; siquidem Ecclesiast. 15. dicitur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Adiecit mandata, & præcepta sua. *Si volueris mandata seruare:* Appositi tibi aquã & ignẽ: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors: bonũ & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. B. quoque Aug. *sic Deus,* inquit, *res quas cõdidit, administrat, vt eas agere proprios motus sinat.* Anselm. item; *Deus facit omnes actiones, & omnes motus; quia ipse facit res, à quibus, ex quibus, & in quibus fiunt: & nulla res habet vllam potestatem volendi, aut faciendi, nisi ipso dante.* Idẽ rursus: *Non Deus qui prædestinat, facit voluntatem cogẽdo aut resistendo voluntati, sed in suo esse dimittendo.* Respondeo, Deũ esse causam omnino proximam omnium effectuum, qui à creata voluntate, vel natura fiunt. Et in hac parte meritò quidẽ ab omnibus Theologis refellitur Durã. si sententia in 2. sent. vbi, ne fateri cogeretur, peccata in Deum, vt auctorẽ refelli, dicere maluit, Deum eorum operum etiam bonorum, quæ à creata voluntate fiunt, non esse proximam causam; sed solum dare volũtati naturam, vim & potestatem agendi, & eam pariter conseruare: & voluntatem ipsam per vim suam proximè datam, & conseruatam à Deo suos actus, siue rectos, siue prauos elicere, & gignere. De malis actibus suo loco dicemus, de bonis in præsentia.

S. Aug. li. 7. de ciuit. Dei ca. 30. Anselm. in lib. de concor. præsc. Dei cum lib. ar. propè finem. Ansel. de concor. præ destin. Dei cum li. ar. cap. 1. Dur. in 2. dist. 1. q. 5.

Quod vt clarius intelligatur, animaduertendũ est, causam dici proximã multis modis. Primò cõparatione effectus: talis est quæ producit effectũ, & nihil aliud eo effectu prius. vnde cũ ignis alterum ignẽ procreat, non est hoc modo causa proxima: nam prius quàm lignũ sibi subiectum in ignem cõuertat, illud exurit ac siccat. Altero modo dicitur causa proxima ratione ipsius causæ, quæ ita gignit effectũ, vt inter ipsam, & affectum nulla alia causa sit interiecta, quam faciat, & ex qua tota & sola generetur & existat effectus: & hoc modo auus non est causa proxima nepotis; sed remota, auus. n. gignit patrẽ, & pater sine auo filiũ

procreat. Tertiò modo dicitur causa proxima, quæ loco & situ corporis interiecti, ab effectu nō distat: & hoc modo rex cū per suos magistratus, & administros Rempublicam gubernat, non est causa proxima gubernationis, nec talis est, cum dominus opera serui vel famuli quippiā efficit; nec artifex, qui instrumētis adhibitis aliquid facit; nec tu cū brachio & manu baculum moues, & aquā baculo; nec sol, qui lumine, & suo ad nos accessu, & recessu multa in terra gignit & procreat. Quartò modo dicitur causa proxima, quæ efficit aliqua sua vi & potestate, nō aliena; & talis non est seruus cum ex pecunia, & iussu Domini eleemosynā indigenti porrigit, nec tales sunt Regum, & Principum administri, qui regia potestate Rempublicam administrant.

His positis Deus siuè cum creata voluntate ad actus liberos, siue cum natura ad necessarios effectus cōspiret, modis omnibus est causa proxima omnium effectuum, qui fiunt. Nam in primis vt aliquid faciat, non necessariò quicquam aliud efficit, quod sit prius illo effectu quem facit: neq; .n. indiget, sicut ars & natura, re aliqua, quam operi præmittat. Secundò, inter ipsum & effectum quē præstat, non est interiecta creata aliqua causa, quæ sola sine Deo faciat per vim suam & facultatem datam, & conseruatam ab ipso. Nam vt statim subijciam, non solùm natura & facultas agendi est à Deo, sed etiam omnis motio & omnis actio; eo quod motio, & actio aliquid re ipsa est, at sine Deo nihil existit aut est. Item si motio & actio sine Deo esset, Deus ipse omnipotens non esset, nam à creata causa aliquid existeret, quod à Deo non fieret. Tertiò Deus est omnium effectuum causa proxima, ita vt nulla alia causa inter ipsum, & effectum subsistat cui soli proximè adsit Deus, & ab effectu, loco, & situ corporis interiecti distet, nihil enim est, à quo Deus loco distet: est enim vbique, & in omnibus per se ipse præsens. Et cum motio, & actio cuiuscunque causæ creatæ sit reuera aliquid, vt dixi: necesse est vt ipsi motioni & actioni proximè & per se sit Deus ipse præsens.

Ex his etiam perspicitur, Deum esse omnium, quæ fiunt, proximam causam vi & potestate, quoniam natura & vi sua non aliena virtute agit: alioqui enim nec esset prima omnium causa, nec infinitæ virtutis, nec omnipotēs. Per se ipse agit, & non aliunde motus ac pendens, quoniam ex se, & per se ipse subsistit. Et cū in Scriptura dicitur, *Eccles. 15.* hominem esse relictū in manu consilij sui; id propterea dicitur, q.a data est homini rationis & intelligentiæ vis, qua agenda, & fugienda perspicere queat; & voluntas qua sponte sua possit eligere & sequi quod malit: sed sine Deo operante cum homine, nec ratio perspicit, nec voluntas eligit: Neq; enim homini datæ sunt istæ facultates, vt per ipsas sine Deo quippiā agat vel faciat, sed vt cum eo agat & efficiat. Et hoc est quod Augustinus, & Ansel. docere voluerunt, facultates ac vires agendi esse creatas à Deo, quib⁹ res suas functiones & opera exequuntur & præstant; sed non sine Deo. Dices, Deum ministerio & opera rerum creatarum facere quæ in mundo fiunt, ergo non est causa proxima eorum effectuum: & S. Tho. 1.p. q.103.a.6. docet, Deum gubernare quædam medijs alijs causis. Respondeò, solùm argumento confici, Deum nō solùm per se præstare quæ fiunt, sed sua sponte & voluntate vti rerum creatarum naturis, viribus & facultatibus ad faciendum quod per se ipse, si vellet, facere posset. Dedit quidem rebus ipsis vires, quibus, dum manent, & conseruantur à Deo, possunt; sed nō quibus faciant sine eo cum ipsis agēte: Dati sunt homini oculi, & vis siue facultas, qua cernere queat, & tamen nō cernit in tenebris sine lumine: datum est animantib⁹ quò possint viuere, & tamen sine alimentis non viuūt. Aliud igitur est te habere quo possis, aliud te habere quo facias; multis datur primum, secūdum non item: vt tradit Aug. *in lib. de corr. & gra. ca. 11. & 12.* in operibus pietatis, gratiæ, & salutis; sed idem iuris est in operibus ciuilibus.

Septimò quæritur, An Deus agens cum causis creatis, dici possit tota causa effectus, an nō. Gab. Ocham, Gregorius, & alij ingenuè fatētur, Deum esse causam partialem, vt ipsi vocant, & nō totatem: hoc est, quidē perfectam causam, & quæ totum effectum, non partem producat; sed non esse totam causam effectus, quia nō sine causa creata, sed vna cum ea producit effectū. Alijs tamen hæc sententia nō placet, qui sentiunt & Deū esse totā causam, & ipsam pariter causam secundā esse totam, sed vtramq; causam esse totā sui generis & ordinis. Sciendū est, causam posse dici totā multis modis. Primo, cōparatione effectus, & talis est ea, quæ totum effectū producit, & non partē ipsius: v.g. multi ligna portant, & in vnū locum coaceruant, ex quibus fit lignorum cōgeries: singuli suam partē detulerunt, ac proinde nullus eorum est tota causa. Sic quidam vnam societatem contrahentes, operā, industriam, artem, & pecuniā in cōmune conferunt, suam quisq; partem. Secundo modo dicitur causa aliqua tota, nō quidem comparatione effectus; sed ipsius causæ, quia etsi totū præstat effectū, non tamen nisi cū alia causa coniuncta, quarum neutra per se satis esset: vt cū duo simul nauem trahunt, è terra simul idem pondus attollunt, vel simul trabem deferunt. Tertiò modo dicitur tota causa, quæ sine alia eiusdē generis gignit effectū, quamuis nō sine eā alteri⁹ generis. Sic interdum quatuor genera causarum ad eundē effectum coeunt, materia, forma, efficiens, & finis. Quartò modo causa dicitur tota, quæ sine alia eiusdem ordinis parit effectum, quamuis non sine alia alterius ordinis causa. Talis est secundū Arist. equus, qui vna cum sole gignit equum. Gab. itaq; & alij cum ipso Arist. docēt, Deum causam totam non esse eorum, quæ per naturam, vel per voluntatem creatam efficiuntur, quia non Deus solus per se, sed per naturam & voluntatem facit: totam .n. causam appellant, eam quæ sola per se effectum progignit: quare nec Deus, nec humana voluntas, tota est humanarū actionum causa, eo quod nec Deus eas per se, nec sine Deo humana voluntas producat. Cęteri verò dicunt Deū & simul ipsam humanam voluntatem totā esse causam; quia etiamsi Deus nō sine homine, & homo nō sine Deo effectum faciat, homo tamen quamcunq; aliam eiusdem generis, & ordinis causam excludit, & Deus vnà cum eo sine alia tamen eiusdem generis, & ordinis causa conspirat; & ideo vterq; est sui generis, & ordinis tota causa.

Gabr. 2.d. 1.q.2.ar.1. notab 2. et d. 37. q.1. a.1.ad arg. De tertia via. & quinta via. Greg. 1.d.45.q.1. ar.1.concl. 3.

Bonau. in 1 dist. 38. a. 1. q. 1.

Bonau. *in 1. sent.* de causa futurorum euentuum loquens; futurum, inquit, in triplici differentia est: quoddam, cuius Deus est tota causa: vt sunt illa quæ creantur: Quoddam, cuius creatura aut voluntas est tota causa, vt sunt defectus, & peccata: Quoddã, cuius Deus, & creatura simul sunt causa, vt sunt opera naturalia, & moralia, quia Deus creaturæ cooperatur: sic ille. Quicquid sit, negandum non est, Deum cum natura vel humana voluntate operãtem, esse totam causam; nec dicendum est, causam talẽ esse qualis est is, qui vnà cũ alio nauem trahit, vel trabem defert, vel pondus attollit: quia in his, quamuis duo se inuicem iuuent, nec vnus sine altero faciat effectum; neuter tamen alteri efficiendi vim & facultatẽ præstat, vel alterum mouet ad faciendum, vel alteri causa est vt faciat: vterq; cum altero facit. At Deus naturæ & voluntati ad agendum vel faciendum vim & potestatem præbet, & facit vt ipsa natura vel voluntas agat vel faciat, quæ alioqui nihil faceret per sese, quamuis agendi & faciendi vim & facultatem datam & conseruatam haberet. Deus itidem quamuis sine natura & voluntate, opera, & functiones earum non præstet, & per se tamen ipse citra naturam, & voluntatem posset præstare si vellet. Atq; hinc quoq; efficitur, vt quamuis vnus sine altero pondus per se attollere, vel trabem deferre nequeat, tentare tamẽ & conari per se possit. At voluntas humana, vel quæcunq; alia natura creata nihil sine Deo tentare conariue potest. Deniq; in duobus simul nauem trahentibus, vel trabem aut pondus deferentibus, ordo nõ est, quo vnus moueatur ab altero: at inter Deum & volũtatem siue naturam necessarius est ordo: ita vt natura, vel voluntas nihil planè efficiat, nihil possit sine Deo, nec res aliqua creata cogitari singiuè potest, quæ sine Deo quippiam agat vel efficiat, tum quia nihil est creatũ quòd à Deo & subsistendi, & mouendi, & agẽdi principium, & vim non habeat: tum etiam quia Deus ipse est omnipotens, & ideo sicut nihil est verũ, quod eius scientiã latere possit; sic nulla est res, nulla actio, nulla motio, quæ eius potestatem effugiat. vnde Au-

Aug lib. 7. de ciu. c. 29

gustinus præclare: *Illum Deum colimus*, inquit, *qui naturis à se creatis & subsistendi, & mouendi initia, progressus, finesq; cõstituit.* Objicies: si Deus tota est causa eorum quæ fiunt, ergo causæ creatæ, siue naturales, & necessariæ, siue voluntariæ & liberæ nihil agunt. Respondeo, nihil argumento concludi: quia Deus licet sine natura, & voluntate posset opera præstare, non tamen præstat: voluit enim vt ipsæ etiam creatæ causæ per vires sibi vnà cum naturis inditas efficerent, ac proinde non solus Deus per se, sed vna cum ipsis agit, certo tamen inter Deum & ipsas ordine, vt dixi. Insistes, ergo Deus & causæ creatæ vel vna, vel duplici actione operantur: quod vtrumq; falsum est. Non vna, quia nõ vna agẽdi facultate: nõ duplici, quia vnus tantùm est effectus: sicut cum nauis vna trahitur à multis, vel pondus simul à pluribus defertur. Respondeo, actionem posse dupliciter accipi, aut ratione effectus, aut ratione principij & potestatis agendi. quod attinet ad effectum, vna potest dici actio, quia vnum est quod fit, non plura; quod verò ad principium & vim agendi spectat, duæ possunt dici actiones; quia duo sunt principia agẽdi, & à duobus principijs actio manat ac surgit: Cæterùm actionem primo modo frequentius solemus accipere.

Octauò quæritur, An Deus quando cum natura vel voluntate operatur, ipsam moueat & applicet ad agendum: S. Thomas apertè sic ait: *Deus non solùm dat formas rebus, sed etiam conseruat eas, & applicat ad agendum, & est finis omnium actionum.* Ibidem etiam: *Deus*, inquit, *non solùm mouet & applicat formas rerum, & virtutes earum ad agẽdum, vt artifex, sed etiam dat & conseruat.* Quibusdam difficilis admodum videtur hæc S. Thomæ sententia, videlicet quod Deus moueat, & applicet ad faciendum causas à se creatas. Nam cum ignis, inquiunt, materiam sibi obiectam exurit, immotus comburit; quod si ad exurẽdum moueretur, & applicaretur à Deo, nõ nisi in se mutatus exureret. at re ipsa nihil excipit in se, cum lignum exurit. Deinde si Deus ignem ad vrendum, & aquam moueret ad refrigerandum, cum ille vrit, & hæc refrigerat. Deus ipse non esset causa proxima, eo quod non ageret nisi mouendo ignem ad vrendum, & aquam ad refrigerandum: prius enim Deus in ignem, vel aquam motum imprimeret, quàm vna cum igne vreret, & cum aqua refrigeraret: ac proinde causarum creatarum effectus non sic à Deo prouenirent, quin alij effectus anteirent. Accedit quod ignis ad vrendum, nullo alio motu & applicatione indiget, nisi Deo vnà cum ipso ad vrendum agente: nam in se ignis vrendi vim habet, dum ea manet, pendet, & conseruatur à Deo: ergo si ei ligna aptè disposita subijcias, sine alio motu vret; alioqui enim si motu indiget, satis virium à Deo non habuit ad vrendum, siquidem motu sibi impresso redditur efficacior. Id quoque probant testimonio Theologorũ; è quibus Gabriel ait: *causa secunda non ita mouetur à prima, quasi prima aliquid de nouo causet, vel influat in voluntate, quo voluntas velit, sed quia producit volũtatem liberam, ponens actum suum in sua potestate.* Et alibi docet, inter Deum agentem cum causa secunda, non esse alium ordinem, nisi perfectionis, illimitationis, & necessitatis; eo quod Deus, inquit, sit causa perfectior, & illimitatior, & sine quo nullo modo effectus à causa secunda fieri possit. Item Gregorius Ariminensis: *Prima causa, & causa secunda siue ordine in agendo conueniunt, hoc sensu, quod vna non agit mediante alia, nec tamen à causis; quia secundum ordinẽ Diuinæ prouidentiæ conuenerunt, quæ ab æterno statuit, vt approximatis rebus, quibus inditurus erat causales virtutes alijs quas facturus erat, horum effectuum susceptiuas, ipse ad coagendũ concurreret.* & Scotus ait, *causam secundã agere in virtute alterius, non est recipere tunc aliquid ab illo altero; sed tantùm habere ordinẽ inferiorem ad illud alterum agens in suo ordine simul.* Et paulò pòst: *Ex hoc patet quod causæ primæ in causam secundã propriè dictam, quando simul agunt, non est influentia noua, quæ sit creatio alicuius inhærẽtis causæ secũdæ, sed influẽtia ibi est determinatus ordo istarum causarũ in agendo effectũ cõmunẽ.* Hæc ille. Sic etiã Dionys. Cist. 2. d. 25.

S. Tho. 1. p. q. 105. ar. 5. ad 3.

Gabr. 2. d. 3. q. 1. ar. 1. ℊ. Ad secundum in eadem via.

Idem 2. d. 1. q. 1. art 3. dub. 5. ad 2 Greg. 1. d. 45. q. 1. a. 1. post 3. conclusionem.

Sco. in 4. d. 2. q. 1. ad vltimum.

Cæterùm mihi videtur verissima S. Tho. sententia; eam enim planè videtur Augustinus tradere *lib. 3. de Trinit. c. 3. 4. 5. & 6.* nam c. 4. ait: *Nihil sit visibiliter, & sensibiliter, quod non de interiori, inuisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum in ista totius creaturæ*

Genes.1.

amplissima quadam, immensaq; republica. Et paulò pòst: *cum hæc omnia Deus operetur, mouens prius inuisibilia ministrorum, siue animos hominum, siue cunctorum spirituum sibi subditas seruitutes.* Et cap.5. *Quis ea facit quæ in terra gignuntur, nisi qui dixit, vt hæc terra produceret, & in eodem verbo suo, quo creauit, regit, atque agit.* sic ille. Deinde inter primam causam agentem, & secundam est ordo, quo vna necessario pendet ab altera: ergo secunda non agit, nisi à prima ad agendum mota, & applicata. *Aduertendum*, inquit Almainus, tract.1.Moral.cap.1. *est, quod causa prima non solum causa effectus productí à causa secunda, sed etiam est causa, vt causa secunda producat talem effectum. v.g. cum voluntas agit volitionem, non solum Deus est causa volitionis, seu etiam est causa quare voluntas illam producit volitionem.* hæc ille. Ideo enim dici videtur causa secunda, quia mouetur à prima; alioqui enim solum esset causa cum primâ, sicut cum simul duo trabem portant, vbi quia vnus ad portandum non mouetur, & applicatur ab altero, dici non potest causa secunda alteri comparata, sed est simul cum altero causa. At verò Deus non sic agit cum causa secunda. verbi gratia, Deus & ignis lignum exurunt, non præcisè tanquam duo nauem trahentes. quod ex multis perspici potest. Primò, cum duo simul nauim trahunt, vnus non facit vt alter trahat, sed simul cum altero trahit, & ideo ad trahendum non mouet, & applicat alterum: sed Deus non solum cum igne vrit, sed etiam facit, vt ignis vrat: quia sicut ignis non subsistit, nisi Deo volente & faciente vt subsistat; sic non vrit, non mouet, non efficit, nisi Deus velit & faciat, vt vrat, moueat, efficiat. Secundò cum duo simul nauem trahunt, vno deficiente, alter non potest trahere, nisi in eo virtus duplicetur, ita vt suppleatur efficacitas alterius. Cæterùm cùm Deus & ignis vrunt, etiam si ignis in totum deficeret, non egeret ad vrendum aliqua virtute supplente efficacitatem ignis, tanquam causæ ad vrendum simpliciter necessariæ, quia nulla causa deesset ad id penitus necessaria; sed solum ea, quam Deus cum rerum naturas instituit, & earum ordine seruato operatur, voluit, vt secum ad vrendum conueniret, qui est ignis. Tertiò, vt rectè cum Petro Aliacensi Gabriel ait, plus facit Deus producendo cum causa secunda aliquem effectum, quàm si eundem per se ipse sine causa secunda præstaret; quia cum facit cum causa secunda, ipse non solum producit effectum, sed etiam facit vt causa secunda cum eo efficiat, quod in duobus nauem trahentibus non contingit. Cum ignis vrit, aqua refrigerat, non nisi volente Deo, & decernente vt ignis vrat, & aqua refrigeret, ille vrit, & hæc refrigerat: alioqui enim ignis vreret, & aqua refrigeraret solùm id sciente & permittente Deo, non autem volente, quod certe dici non potest. Obijcies; ignis cum vrit, in se nihil excipit. immotus enim vrit, ergo Deus eum ad vrendum minimè mouet, & applicat; eo enim ipso vim aliquam; & virtutem imprimeret. Respondeo, in hoc causas secundas ab instrumẽtis artificum distingui, quòd instrumenta artifex mouet, & in eis nullam vim, & virtutem aliam nisi motionem imprimit, & idcirco instrumenta immota nihil efficiunt: at causæ secundæ, cum sunt institutæ, vires & facultates naturæ suæ accommodatas acceperunt, quibus possent, non quibus facerent sine Deo, & ita cum faciunt, non faciunt nisi Deo volente, & decernente vt faciant. Cum creatus est ignis, datum est illi quo posset vrere: deinde cum vrit vult, & facit Deus vt vrat: nullam virtutem denuo recipit, quà possit, nihilominus non vrit nisi Deo ante volente vt vrat, & motum excipit, quo vrat, & præcedit Dei voluntas, vt vrat: quare cum vrit, hoc habet, quoniam Deus vult, & volendo facit vt ignis vrat. Ignis igitur immotus vrit, quia nullam vim denuò aut virtutem excipit qua possit; sed nihilominus vrit, & hoc ipsum quod vrit, & vrendo efficit, habet, quia Deus vult vt vrat, & faciat; sed nunquid quando ignis vrit, mouet eum Deus ad vrendum? Mouet quidem non quia vim, virtutem, formamue vllam denuò imprimat; sed motionẽ, qua Deus mouet, & ignis mouetur; neque enim fieri potest vt Deus ignẽ moueat ad agendum, & ignis non moueatur. Quid est, dices, ignem ad vrendum moueri? Respondeo nihil aliud esse nisi Deum vti igne ad vrendum. nam Deus sine igne vrere potest: at ignem adhibet ad vrendum; sed quid est Deum igne vti, vel ignem adhibere ad vrendum? Respondeo Deum igne vti ad vrendum, est ignem mouere ad vrendum, quia vult vt vrat, & volendo motionem in igne imprimit, qua vna cum Deo vrit ignis, motus ab ipso Deo ad vrendum. Causæ igitur secundæ à Deo ipso mouentur & applicantur ad suas functiones, & opera: quoniam Deus in ipsis motionem imprimit, & ideo mouendo facit, vt causa secunda faciat; quoniam vult, decernit, ac mouet vt faciat. Et hoc est quod dixit S. Thomas, mouet & applicat causas secundas ad agendum. Dices; Quid est hoc quod dicitur: Deus facit, vt ignis faciat? Respõdeo; nihil aliud, nisi Deum velle vt ignis vrat ea vi, & facultate quã initio accepit: sic etiam Deus vult vt tu hoc, aut illud velis, vult vt sic, & non aliter loquaris: vult vt hoc loco, & tempore disputes. vnde cum Deus naturas instituit, vires agendi, vel faciendi tribuit, & ideo natura quæque cum facultate sibi à Deo data, & conseruata potest, sed nunquam ager, aut faciet, nisi Deus velit vt agat, aut efficiat. cum igitur Deus facit vt natura faciat, nõ nouam tribuit facultatem & vim qua possit, nec formam vllam qua in se natura mutetur; sed vult vt faciat. Deum esse causam alicuius, ait Almainus, non est, nisi Deum velle, vt illud fit, vel fiat. Hoc autem fit, quia cum ignis lignum vrit, Deus non solũ cum igne facit calorem, quo lignum exuritur; sed etiam facit ipsam actionem, qua lignum comburitur ab igne: hoc autem esse non potest, nisi Deus pariter faciat, vt ignis vrat. Nam quemadmodum actio, qua lignum exuritur, quia in se ipsa boni aliquid est, nequit esse nisi Deo volente, & faciente vt ipsum lignum vratur, sic etiam actio, qua ignis vrit, cum in se bona sit, non est, nec esse potest, nisi Deo volente, & faciente vt ignis vrat: Nam quicquid boni fit, non nisi Deo volente fit; & quicquid boni aliquis vult aut facit, non vult aut facit nisi Deo volente vt velit aut faciat. Et secus est, quando actio ex parte eius quod patitur, bona est; ex parte verò eius quod facit, peccatum est, vt cum martyr iussu tyranni

Gab. 4.d.1 q.1.a.1.nota.3. & Ruardus super ar.7. de lib. arbit. contra Lutetum.

Alma. tra. 1. Mora. c.1

pulsatur

pulsatur ac cæditur, ex parte martyris bona est pulsatio qua afficitur, & quicquid boni in ea est, Dei munus, beneficium, & opus est; ex parte verò tyranni, vel carnificis martyrem verberantis, mala est, & Deus non vult, nec facit, vt tyrannus perperam agat, & inique martyrē pulset ac verberet. Obijcies, satis esse ad generale auxilium, quo prima causa cum secunda operatur, si prima causa sponte sua cum secunda producat totum id, quod fit, videlicet actionem & effectum in materia susceptum: nec opus est vt causam secundam, ad agēdum moueat & applicet. nam in peccatis, quæ perperam committuntur, cum voluntate humana Deus etiam operatur id, quod fit, & est, & tamen Deus ipse non facit, aut vult vt quis peccet, nec voluntatem ad peccandum flectit aut mouet. Respondeo, quod Deus velit & faciat vt nos bona velimus, & faciamus, & quod nō velit, aut faciat vt nos peccemus, differentia nō solùm prouenit ex parte Dei, cuius potestas nec crescit nec minuitur, ita vt maior minorúe sit, sed ex ipsa etiam natura, & conditione eorum quæ fiunt. nam bonorum, non malefactorum, Deus est auctor primùs: peccata etenim non facit ipse, aut vult, sed permittit longe ante prænoscens. Et id eo quod Deus alioqui omnipotens non velit, aut non faciat peccata, licet cum voluntate peccante operetur id, quod in peccato re ipsa est & fit, propterea est, quia peccatum fieri non potest Deo volente, & faciente vt quis peccet: at bona quæ natura facit vel voluntas, fieri nequeunt nisi volente & faciente Deo, vt ipsa voluntas vel natura faciat. Hæc enim rerum, quæ fiunt, conditio est, vt aliæ sint quas volumus, & facimus, præcognoscente quidem, & permittente Deo, sed non volente & faciente vt faciamus: aliæ verò sunt, quas volumus & facimus Deo volente, & faciente vt efficiamus. quemadmodum non est in Deo minor voluntas siue potestas, quàm scientia: hæc enim & illa æquè est infinita & immensa: & tamen non omnia, quę Deus cognoscit, vult, aut decernit, & facit vt faciamus, nam peccata nouit, & tamen non vult, nec statuit vt faciamus. *In bonis operibus*, inquit Anselmus, lib. de concor. præscien. Dei cum lib. arbitrio prope finem, *Deus facit quod sunt, & quod bona sunt: in malis verò facit id, quod sunt, sed non quod mala sunt.* Nec ex dictis colligitur, contingentes & fortuitos euentus ex natura rerum tolli. nam in natura sunt multæ causæ, quæ & impediri queunt, & re ipsa impediuntur interdum Deo volente, & faciente, vt hæc vel illa causa hanc vel illam impediat: nec tamen Deus seipsum impedit, quia id euenit, quod ipse voluit; vt eueniret: Creatæ causæ sese aliquando impediūt, Deo nihil est fortuitum, sed naturæ, vel voluntati creatæ, quæ nec omnia præfiniunt, nec omnia præuidit antequam eueniant, quibus si fortuito aliquid accidit, Deus ipse decernit. Nec in hac parte contra S. Th. sententiam, quam verissimam puto, Scotus, Gregor. Gabriel, & Dionys. supra citati aliquid dixerunt, quoniam solùm locis ante productis docent, effectum non prius à Deo quàm à causa secunda produci: quod aliū sensum habet, vt constat ex dictis. Si dicas, Ignis sua natura vrit, voluntas suo arbitratu deligit, ergo non solùm habet sua natura ignis quo possit vrere, sed etiam habet quo vrat, & voluntas quo velit & eligat. Respondeo, ignis, dum eius natura, & vis vrendi manet & conseruatur à Deo, habet eo ipso naturaliter quo possit vrere, non tamen eo ipso habet quo vrat, alioqui semper vreret. nam sicut naturam & vim vrendi non habet nisi Deus det & conseruet, sic nec vrit, nisi Deus velit vt vrat. Pari ratione homo, dum natura eius manet, & conseruatur à Deo, liberum habet arbitrium, si mentis sit compos, quo possit velle & eligere bonum, sed non eo ipso vult & eligit, nisi velit Deus vt velit, & eligat.

Cap. XXII.

De amore actu voluntatis elicito.

PRIMO quæritur, Quidnam sit amor in voluntate. Respondeo, esse actum, quo voluntas vult alicui bonum intelligentia vel ratione perceptum, ac iudicatum. est enim primus voluntatis actus quo res bona per rationem oblata voluntati placet, grata & accepta habetur: quæ boni approbatio confirmata amor est, & veluti quidam corroboratus in animo voluntatis complexus. Quare odisse nihil aliud est nisi velle alicui malum. Ex quo efficitur, vt Deus cuncta, quæ facit, amet, quia amare, est velle alicui bonū: sed Deus nihil cōdit ac procreat, quin tribuat ipsi bonum, nam faciens res, causa est vt res ipsæ sint; & hoc quod est rem esse, est aliquid boni: ideo Deus siue faciens siue conseruans res, amat eas, quoniam fecit vt essent, ac seruat eas, ne in nihilum, ex quo ipso auctore, fluxerunt, penitus relabantur. Solum verò peccatum odit Deus, quia vult, vt peccatum non sit; ipsos verò peccatores partim odio habet, & partim amat: diligit quidem eos, quatenus naturam & reliquas omnes naturæ cōditiones habent: vult enim vt homines sint, sensu, ratione, voluntate, & arbitrio vigeant, & præstent; odio vero habet eos vt peccatores. non enim homines vel Angelos vult, vt peccatorum sordibus inquinatos. *S. Tho 1.2. q.26. et Gabriel. 3.d. 27.q.1.a.1.*

Secundò quæritur, Quotuplex sit Amor in voluntate; Respondeo, esse duplicē, nimirum amorem amicitiæ, qui dicitur etiam amor beneuolētiæ, & amorem concupiscentiæ. Amor amicitiæ vel beneuolentiæ est, quo volumus bonum alicui propter ipsum, hoc est, non quia ex eo vtilitas aliqua nobis obueniat: & hoc amore diligimus Deum & amicos, cum eos charitate complectimur absque vllo nostri commodi respectu. Amor vero concupiscentiæ est, quo volumus bonum alicui non propter ipsummet; sed propter nos, hoc est, quia ex eo aliqua in nos ipsos vtilitas manet, ac deriuetur; veluti cum Petrum diligimus propter ipsum quia bonus est, dicitur amor amicitiæ vel beneuolentiæ: cum verò Petro cupimus bonam valetudinem, dignitatem, honorem, artes, diuitias, est amor concupiscentiæ erga valetudinem, artes vel diuitias. quare amor amicitiæ per se directò fertur in personam, quæ propter se nobis placet, quia bona est: amor verò concupiscentiæ per se directò refertur ad ea bona, quæ optamus ei, quem beneuolentiæ amore prosequimur. Animaduertendum est amorem amicitiæ in præsentia non ideo *S. Tho 1.2. q.26. ar.4. Gabr. 3.d. 27.q.1.a.1.*

dici,

dici, quia referatur ad alterum, qui tãquam amicus nos viciſſim amet; ſed quia huiuſmodi amore alium diligimus propter ipſum. Dicitur itaque amor amicitiæ, quia amicus amore complectitur alterum, eo quod in ſe bonus ſit, ita vt eum amet propter ipſum: amici enim ſeſe amore proſequuntur ob beneuolentiam, non ob propria commoda. Et accipimus modo amicitiam, quæ in honeſtate conſiſtit.

Efficitur ex dictis, vt inimicos & peccatores, cum eos charitate diligimus, amemus amore amicitiæ, hoc eſt, beneuolentiæ, quamuis ipſi nos viciſſim non ament. Item licet amicitia non ſit niſi ad alterum, nos tamen ipſos charitate vel amore amicitiæ, hoc eſt, beneuolentiæ diligimus, quia propter nos amamus nos ipſos. Sequitur etiam vt honeſtatem & virtutes non amore amicitiæ, ſed amore tantum cõcupiſcentiæ diligamus: honeſtati enim & virtutibus volumus bonum, id eſt, cupimus, vt ſint propter nos ipſos, quoniam ſunt bona commoda & vtilia nobis. Si obijcias Ariſtotelem & Philoſophos cõmuniter docuiſſe honeſtatem, & virtutes eſſe bona, quæ propter ſe expetuntur; ergo amore amicitiæ diliguntur. Reſpõdeo, eos auctores intelligi in hunc modũ: honeſtas & virtus expetuntur propter ſe, quia non propter aliud concupitum iucundum vel vtile bonum in quod referantur, diliguntur. Nihilominus tamen appetuntur propter aliud bonum, quod amore amicitiæ diligimus, hoc eſt, propter nos ipſos: ſeipſum quiſque charitate complectitur.

Gabr. 3. d. 27. q. 1. ar. 1. nota. 6.

Tertiò quæritur, Vndenam vnus amor ſit altero maior, ſiue ſit amor amicitiæ, ſiue cõcupiſcentiæ; Reſpondeo, Si amor amicitiæ cũ amore concupiſcentiæ conferatur, eſt maior & melior eo, & natura, cauſa, & origine prior: quoniam amor concupiſcentiæ ex amore beneuolentię manat, ac pendet: & in ipſo tanquam fine ſuo terminatur. Si verò duos amores amicitiæ inter ſe comparemus, vnus eſt maior altero, vel quia intenſior actus eſt, & vehementior; vel quia vni homini maius bonum, quam alteri volumus; vel quia plura bona vni quam alteri cupimus; vel quia vnus amor firmior eſt, aut feruentior, aut tenerior altero: aut demum quia amore vnius, & non alterius libenter plura bona facimus, vel mala ſuſtinemus. Ex quo efficitur, vt licet charitate Deum, & hominẽ propter ipſos diligamus, nimirum quia Deus per ipſum bonus eſt, & intrinſecus, & natura ſua, homo verò beneficio diuinæ gratiæ, & charitatis & actione atque officio virtutis: ipſum tamen Deum magis amamus, quia ei præſtantiora, maiora & plura bona volumus, & cupimus. Volumus enim eum eſſe Deum, omnipotentem, æternum, immenſum, infinitum, & cætera bona habere, quæ in eo eſſe vel ratio naturalis oſtẽdit, vel fides Chriſtiana profitetur. Et eiuſdem charitatis ſtudio impulſi inducimur ad hoc, vt plura pro Deo difficilia, & dura patiamur, ita vt ſi in Deum, vel in hominem amorem deponere cogeremur, potius amorem in hominem quàm in Deũ aut negligere, aut etiam exuere deberemus. Illud firmiꝰ amamus, à cuius amore difficilius auellimur: vnde magis Deum, quam quodcunq. aliud procreatum bonũ amare debemus: ſic etiam finẽ magis diligimus, quã id, quod ducit ad finem: parentes quã amicos: notos & familiares, quã extraneos & ignotos: id item, quod firmius amamꝰ, anteponimus alteri, quod minus firmè diligimus: huius enim facilius quam illius amorẽ deponimus. vnde fit vt vno eodemq; actu duo ſimul amemus, & tamen vnũ magis quã alterum diligamus, quoniam vnum firmius, quam alterũ amamus, & vni potiora pluraq; bona quam alteri exoptamus. Porrò ſurgit amor ex iudicio pulchri aut boni, qui deinde ipſum iudicium confirmat: eſt amor primus voluntatis motus reliquorum motuum dominator, moderator, ductor & rector: eſt motus incitatiſſimus initio: animi arbitrio facilè ſumitur; ſed nõ facilè deponitur: ſenſim illabitur; ſed ingreſſus diu & firmè animo inhæreſcit, nec facilè diſcedit etiamſi alas habere fingatur.

Cap. XXIII.

De deſiderio, actu voluntatis elicito.

PRIMO quæritur, Quid ſit deſiderium in voluntate. Reſpondeo, eſſe actũ voluntatis, quo bonum futurum, & expectatum tanquam nobis conueniens, & cõmodum volumus: quamuis deſiderium cupiditas ſit aſſequendi bonum, ſi abſit, & cõſeruandi ſi adeſt: Et diſtinguitur deſiderium ab amore, quia amor eſt boni tum præſentis, tum abſentis, Deſideriũ verò ſolum eſt boni abſentis, vel expectati, vel futuri; nõ enim ea deſideramus quæ habemus. Item amor eſt tum perſonæ tum rei, & duplex nimirum, vel beneuolentię & amicitiæ; vel cupiditatis, & concupiſcentiæ: amore amicitiæ diligimus Petrum aut Paulum propter ipſum; amore concupiſcentiæ res Petri, Pauliue amamus. At verò deſiderium omne eſt amor concupiſcentiæ non beneuolentiæ: & per ſe directò eſt rei; optamus enim diuitias, decus, famã, gloriam, artes, virtutes, dignitatum & honorum gradus, valetudinem, potẽtiam, imperium nobis vel noſtris. Perſonæ verò eſt, quatenus eam nobis cupimus tanquam bonum nobis cõueniens & commodum. Sic enim deſideramus præſentiã amici, vt eum videamus, vel cũ eo colloquamur, vel vt boni aliquid ex eiꝰ aſpectu vel ſermone capiamꝰ. *S. Tho. 1. 2. q. 40. ar. 1.*

Secundò quæritur, Quonam pacto ſpes à deſiderio diſtinguatur in voluntate. Reſpondeo, commune eſſe ſpei cum deſiderio, quod ſit boni futuri, & abſentis. nam teſte Apoſtolo, Quod habetur, non ſperatur: *Quod enim videt quis, inquit, quid ſperat?* Item, ſicut deſiderium eſt rei vt nobis conuenientis & commodæ, ſic etiam ſpes. Vnde charitate Deum diligimus propter ipſum, ſpe verò cupimus Deum tanquam bonum nobis conueniens. At verò ſpes à deſiderio ſecernitur, quod ſpes eſt boni futuri & abſentis cũ certa quadam fiducia conſequendi, & poſſidendi, quam fiduciam deſiderium non addit. Eſt igitur ſpes veluti quædam cupiditatis & deſiderij forma videlicet fiducia aſſequendi bonum optatum. quomodo verò ſpes in appetitu ſenſus à deſiderio differat, & qua ratione in voluntate ſit virtus, ſuis locis explicabo. *S. Tho. 1. 2. q. 40. ar. 1.* *Rom. 8.*

Tertiò quæritur, An deſiderium, & ſpes ſint

boni

boni à nobis seiuncti, an verò tantùm boni nobis coniuncti. Durandus censet, spem (& idem pro culdubio dicere cogitur de desiderio) non esse simpliciter Dei, sed Dei tanquam visi: quasi dicat, spei actu sperare nos videre Deum, non autem sperare ipsum Deum. Sic (inquit) non speramus cibum vel potum, sed speramus edere aut bibere. Verùm certe nimis subtiliter in hac parte Durandus disputat: & dum hæc docet, non considerat spem virtutem esse Theologicam: porrò virtus Theologica circa Deum tanquam proximum obiectum, & materiam versatur. Non igitur solus Dei conspectus, quæ est actio nostra, obiectum est spei, sed etiam Deus ipse quatenus est bonum nostrum. Item Aristotele teste. 2. *de anima text.* 28. Sitis est appetitus frigidi & humidi, & fames est appetitus calidi, & sicci: cum ergo sitimus, vinum, aut aquam optamus; cum fame laboramus, escam appetimus. Item sæpe alijs optamus valetudinem & sanitatem. Quare meritò communi consensu Durandus refellitur, vt videre est apud Caietan. 2. 2. *q.* 17. *art.* 5. Argen. 1. *d.* 1. *q.* 1. *art.* 2. Ocham, & Gabriel. 1. *d.* 1. *q.* 4. *ar.* 2. Marsi. 1. *q.* 4. *art.* 2. Dicendum igitur est, spei obiectum esse rem & adeptionem rei, non tanquam duo obiecta, sed tanquam vnum obiectum integrum, quod est assecutio & possessio rei: assecutio verò fit interueniente aliqua functione, & operatione nostra; sicut in patria cælesti beati spiritus claro aspectu & grato obtutu Deum adipiscuntur & possident.

Dur. 1. d. 1. q. 2.

Cap. XXIIII.

De delectatione, actu voluntatis elicito.

PRIMO quæritur, Quidnam sit delectatio in voluntate. Arbitratur Scot. 3. *d.* 15. *q.* 1. §. *Aliter potest dici* & 4. *dist.* 49. *q.* 7. Bassolis. 1. *dist.* 1. *q.* 2. Delectationem, dolorem & tristitiam in voluntate, non esse actus elicitos, sed esse formas, vel qualitates, quibus voluntas afficitur; atque ideo non esse operationes, sed affectus & passiones genitas ab obiecto cogitatione percepto tãquam incommodo, vel tanquam commodo & cõuenienti naturæ. Sed Scotum argumentum manifeste coarguit; quia alioqui in delectatione, dolore vel tristitia nulla esset laus vel vituperatio, nullũ meritum aut peccatum: & tamen multæ delectationes, & tristitiæ sunt laude aut vituperatione dignæ, & in multis rerum casibus delectationibus, & mœroribus, ac luctibus meremur, aut peccamus: veluti cum in actione, & officio virtutis & studio bonorum operum delectamur: & ob peccata turpiter admissa contristati dolemus atque lugemus. Item Scoti opinio communi Theologorum consensione refutatur à Caietano, Gregorio, Ochamo, Gabriele, Durando, Conrado, & alijs. Ergo delectatio vel tristitia non solùm est perpessio in nobis ab obiecto producta. Ocham 1. *d.* 1. *q.* 3. *ar.* 1. Gabriel. 1. *d.* 1. *q.* 3. *art.* 2. *concl.* 2. & Maior 1. *d.* 1. *q.* 20. censent delectationem esse actum quidem voluntatis, sed qui necessario amorem boni præsentis tanquam effectus consequitur, & ideo secundum hanc opinionem, in delectatione, & tristitia erit laus vel vituperatio, meritũ aut peccatum; quatenus amor boni præsentis vel mali, ex quo oblectatio exoritur & surgit, potest esse in laude vel vituperatione, in merito vel peccato. Aristot. *lib.* 10. *ethic. c.* 4. & 5. & *lib.* 7. *c.* 12. latè probat delectationem non esse operationem, sed comitem actionis tanquam eius perfectionem, ornatum, & pulchritudinem: nec comitem esse cuiuscunque actionis, sed eius duntaxat, quæ est sensus vel rationis, quatenus facultas rectè affecta operatur circa obiectum suum bonum, & maximè perfectum ac pulchrum. Non enim delectatur visus quaruncunq; rerum aspectu, sed quando vna cum oculo corporis est bene affectus, & cernit colorem pulchrum, & se bene habentem. Sic etiam idem docet de gustatu, odoratu, & tactu, & idem prorsus est de voluntate. Quidam putant delectationem, vel tristitiam esse comitem cuiuscunq; operationis in quacunque facultate cognoscente: aiunt enim visum rectè affectum cernentem pulchra delectari; pari ratione gustatum & tactum, & cæteros sensus oblectari, vel contristari, ac dolere. Sed eos ratio manifesta redarguit: quia delectatio vel tristitia non est facultatis cognoscentis, sed facultatis ex rei cognitione quidpiam appetentis aut repudiantis: & verissimè docet Anselmus, Bonauentura, Richardus, & Argentina, solùm appetitum delectari. Gregorius putat delectationẽ esse amorẽ, quamuis non omnem amorem delectationem esse fateatur; sed eum planè argumentum conuincit, quia multa amamus, siue diligimus, quibus tamẽ non delectamur. Item Dæmones optant, & incitant homines ad peccandum, quorum suasione & impulsu aliquando contra fas, leges & iura perrumpunt, & tamen Dæmones lapsu hominũ non delectantur, quoniam delectatio cum summa eorum tristitia, & dolore esse non potest. Item tristitia non est odium: nam superni & beati ciues patriæ cælestis odio habent peccata; nec tamen ob id tristitia, mœrore, doloreue afficiuntur; ergo delectatio non est amor. amorem Gregorius accipit latè; vt sit amare idem, quod velle: amor idem quod voluntas. In hac igitur controuersia constat in primis delectationem in voluntate esse actum ex amore boni præsentis, quod habetur, exortum: & tristitiam esse actum profectum ex odio mali præsentis, quod inuiti patimur, & fugimus. Differt igitur delectatio ab amore, & desiderio: quod amor est boni tũm præsentis, tum absentis, tum rei, tum personæ: Desiderium verò, est boni futuri, expectati, vel absentis: Delectatio verò est boni præsentis, quod habetur. & per se directò est rei; indirectò verò personæ, quatenus eius præsentia, aspectu, aut sermone oblectamur atque gaudemus. Ex quo efficitur, vt tristitia delectationi contraria, sit mali præsentis quatenus nobis incommodi: Et sicut delectatio manat, & fluit ex amore boni præsentis, & nobiscum coniuncti; sic dolor siue tristitia nascitur ex odio mali præsentis, quod nos afficit ac tangit: timor verò est mali futuri & expectati, aut nobis verisimiliter imminentis. Non enim remotiora pericula aut mala, sed præsentia, quæ instant, aut probabiliter creduntur ventura formidamus. Obijcies; sæpe delectamur aut contristamur ob bonum, aut malum, quod nobis nõ inest. Respondeo, Ideo nos delectari vel contristari, & mœ-

q. 1. *vers.* 7. *Contra.* 1 2. *q.* 31. *art.* 1. *ad* 1. & *q.* 32. *a* 1. *Maior.* 1. *d.* 1. *q.* 2. & *Ver.* 1. *con. Gent. c.* 90. *Maior* 1. *d.* 1. *q.* 20.

Anſel. lib. de concep. Virgi. c. 4. *Bonau* 1. *d.* 1. *ar.* 2. *q.* 1. *ad* 1, *Richa.* 1. *d* 1 *ar.* 2. *q.* 1. *ad* 3. *et Argen.* 1. *d.* 1. *q.* 1. *ar.* 2, *Greg* 1. *d.* 1 *q.* 2. *ar.* 2. *concluſ.* 2.

Caiet. 1. 2. *q.* 31. *art.* 4. & 1. *par. q.* 64. *a.* 3. & *Greg.* 1. *d.* 1. *q.* 1. *ar.* 2. *concl.* 1. *Ocham* 1. *d.* 1. *q.* 3. *ar.* 1. *Gab.* 1. *d.* 1. *q.* 3 *art.* 2. *concl.* 1. *Duran.* 1. *d.* 1.

rere,

rere, quia cogitamus bonum, vel malum nobis ineſſe, licet non inſit. præterita bona, dum memoria repetuntur, ſolent oblectare: & futurum bonum, dum ſperatur, delectat: quod eſt dicere oblectari nos memoria, & cogitatione boni præteriti, & ſpe futurorum bonorum. Animaduertendum eſt, id eſſe verum, quod Ariſtoteles docuit delectationem non capi niſi facultas ſit bene affecta, & niſi obiectum ſit pulchrum, & nobis maximè conueniens: & propterea nos triſtitia afficimur vel ex hoc, quod ſimus male affecti, quales ſunt ægri, & malè valentes; vel ex hoc, quod res obiecta eſt nobis incommoda, & noxia. Cęterùm de delectatione lib. 3. fuſius agemus.

Secundò quæritur, Quidnam ſit actus fruendi in voluntate. Reſpondeo, Actum fruendi ad delectationem pertinere. Sed eſt animaduertendum, aliquos Theologos Sot. *in 4. d. 49. q. 1. art. vlt.* docuiſſe, frui eſſe actum rationis, eo quod Aug. *lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 32. 33. lib. de moribus Eccleſ. cap. 3.* aliquando tradiderit, frui aliqua re, eſſe eam videre: & frui eſſe præſto habere quod amas. Sed re vera actus fruendi ad voluntatem ſpectat, vt eſt cõſentiens Theologorum opinio: & Auguſtinus frui dixit eſſe videre, non quia putauerit eſſe videre ſecundum naturam ſuam, ſed ſecundum cauſam & originem, quia ex hoc quod videmus aliquid, eo fruimur, & ſæpe res non per naturas earum, ſed per cauſas explicamus, & definimus. Itẽ Scotus exiſtimat frui eſſe amare rem præſentem, eo quod Auguſtinus doceat frui, eſſe amore inhærere alicui rei propter ipſam. Sed verius eſt quod S. Tho. 1. 2. q. 11. art. 1. & communiter cæteri Theologi tradiderunt, frui eſſe delectari ſuauiter & iucunde: vt ex Auguſtino alijs in locis facilè & manifeſtè colligitur. Item animaduertendum eſt, Theologos Auguſtinum ſecutos accepiſſe actum fruendi aliter, atq; apud Philoſophos accipitur. Auguſtinus enim in voluntate duos actus diſtinguit, actum fruendi, & vtendi: actum fruendi docet eſſe erga bonum, quod tanquam vltimus finis omnium expetitur, ita vt propter ipſum cætera omnia appetantur, ipſum verò non referatur in aliud. Quare, ait Auguſtin. *loco præcitato, & lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 33.* ſolo Deo nobis eſſe fruendũ, quia Deus propter ſe ipſum expeti debet; at cætera propter ipſum: actum verò vtendi idem Auguſtinus affirmat eſſe circa bonum, quod propter vltimum finem optatur: & propterea docet procreatis rebus, & bonis vti nos debere, non frui, quia nullum bonum creatum eſt, quod poſſit tanquam vltimus finis hominis deſiderari, & expeti. Ex quo colligit Auguſtinus peccatum eſſe, ſi bonis creatis fruamur, aut ſi Deo vtamur, quoniam rectus voluntatis ordo in vtroque peruertitur: & ob id ipſis etiam virtutibus frui nõ poſſumus, ſed vti. quamuis virtutes dicantur expeti & amari propter ſe: ſed hoc intelligitur, non quod amentur vt vltimus finis ſimpliciter; ſed ob id, quod eæ non expetantur propter aliud minus bonum concupitum. Item propterea ea quod tanquam bona iucunda & pulchra per ſe, & honeſta diligantur, vt docet Magiſter. At verò apud Philoſophos, actus fruendi eſt quædam delectationis ſpecies; ita vt ſit quædam delectatio, quatenus cũ iucunditate & ſuauitate percipitur tanquam fructus dulciſſimus, qui ex arbore cum voluptate colligitur. Sicut igitur ſpes eſt deſiderium cum certa fiducia aſſequendi id, quod optatur; ſic actus fruẽdi eſt delectatio cum certa ſuauitate percepta: & ſicut delectatio eſt finis, & bonum, quod propter ſe expetitur & amatur: ſic actus fruendi eſt finis, non eius, quod eſt ad finem, & eſt finis vt propter ſe concupiti & amati: quale eſt bonum, iucundum, pulchrum vel honeſtum.

Ric. 1. d. 1. a. 2. q. 1. Bonau. 1. d. 1. ar. 2. q. 2. Duran. q. 1 Ocham. et Gabriel. q. 3. Argent. 1 d. 1. q. 1. ar. 2. Scot. 1. d. 1. q. 3. Gre. 1. d. 1. q. 2. art. 3. Aug. lib. 1. de doctri. Chriſt. c. 3. 4. & 5. & ex eo Magiſt. 1. d. 1.

Aug. li. 83. queſt. q. 30.

Magiſt. 1. d. 1.

Cap. XXV.

De intentione ſiue propoſito, qui eſt actus voluntatis elicitus.

De intentione S. Tho. 1. 2. q. 12. Bonau. 2. d. 38. a. 2 q. 1. & 2. Richar. 2. d. 38. a. 3. q. 1. 2. 3, Duran. 2. d. 38 q. 2. Gabr. & Greg. 2. d. 38. q. 1.

PRIMO quæritur, Quid ſit actus intentio in volũtate. Reſpondeo, eſſe actum quo voluntas fertur in bonum tanquam in terminum, & finem aliorũ, quæ appetuntur propter ipſum: quandocunque enim volũtas appetit bonum vt finem, & terminum obtinendum per aliqua, quę ducunt ad finem, dicitur finem illum intendere. nam intẽdere, proprie eſt velle per aliquid in aliud peruenire: intentionem Cicero propoſitum dicit, ſed vtar hoc nomine intẽtio, vt Philoſophorum, & Theologorum more clarius loquar.

Secundò quæritur, Intentio quot modis accipiatur à Theologis. Reſpondeo, accipi bifariam: Primò vt latè patet, & eſt actus, quo voluntas quippiam vult: nam eo ipſo tẽdit in ipſum, quod vult: & hoc modo omnis actus voluntatis dicitur intentio. Secundo modo accipitur vt eſt actus quo voluntas appetit finẽ, vt per aliqua aſſequendum, tunc enim vult ad finem ſibi propoſitũ per aliqua peruenire, & ita accipitur in præſentia.

Bonau. loco citato.

Tertiò quæritur, An intẽtio ſit actus ſolius voluntatis. Bonauẽtura videtur aſſerere eſſe actum voluntatis, & rationis, cæteri docent eſſe actum ſolius voluntatis. Sed reſpondeo, ſubſtantia & re ipſa eſſe actum voluntatis, ſed origine & cauſa eſſe actum rationis, quoniam eſt actus voluntatis ex intellectu dirigente, & referente ad finem, vt per aliqua idonea, & accommodata remedia cõſequendum.

Quartò quæritur, quare Matth. 6. intentio in rebus agendis dicitur oculus, & lumen: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quàm erunt?* Gloſſa exponit oculum, & lumen, id eſt, intentionẽ. Reſpondeo, eatenus dici lumen, & oculũ, quatenus ex intẽtione finis dirigitur electio eorum, quæ nos ducunt ad finem, vt inferius explicabo.

Quintò quæritur, quænam mentis, ſiue rationis cognitio præcedat actũ intentionis; Reſpondeo, Commune eſſe omnium actuum voluntatis, vt ſequantur poſt aliquam mentis, & rationis notitiam, vt præcedentem, & dirigentem ipſam voluntatem; Voluntas enim non fertur, niſi in rem cognitam rationis intelligentia iudicatam: intentionem igitur voluntatis præcedit cognitio, & iudicium, quo perſpicitur bonum tanquam finis, & terminus per ea, quæ nos ducunt ad finem, obtinendus, hoc eſt præcedit notitia rationis, quę oſtendit finem, & alia in ipſum relata. Quare in hoc actu intentionis, finis habet perfectam ratio-

nem fi-

nem finis, hoc est, causæ quæ mouet, vt finis iuxta placita Philosophorum: nam perfecta ratio finis est, vt sit id, cuius gratia aliquid fit, aut propter quod alia appetuntur. In actibus autem simplicibus voluntatis, qui sunt velle, amare, delectari, frui, nõ habet perfectam rationem finis bonum, quod amatur, quia solum in hisce actibus bonum dicitur finis, eo quod appetitur propter se, veluti cum bonum iucundum, pulchrum, vel honestum amore prosequimur: licet nihil aliud ad ipsum relatum appetamus.

Sextò quæritur, An possit quis simul plures fines intendere; Respondeo, rem esse plane compertam, posse nos simul plures fines intendere, quando vnus ex illis, vel suaptè natura fertur in alterum, vel saltem à nobis appetitur propter alium finem. vt si quis optet obitum Titij, vt eius hæreditatem obtineat: Est enim naturæ ordo inter fines talis, vt vnus sit suaptè natura superior altero. Præterea etiam quando fines sunt omninò inter se diuersi, vt vnus non sit propter alterum, possumus nos simul æque eos fines intendere, ita vt vnum non referamus in alium: potest enim quis quippiam agere, vt æque Titio, & Caio placeat, vel vt Petri, & Ioannis æqualiter beneuolentiam sibi conciliet. Ex quo efficitur, vt possit quis detestari lethale peccatum, quatenus cum recta ratione pugnat; quatenus diuinæ legi aduersatur; Deum ipsum offendit: & sempiternæ fœlicitatis detrimentum adfert: & supplicium meretur æternum: simul enim omnes huiusmodi fines ratione cogniti possunt voluntatem nostram permouere, vt nostrorum nos peccatorum pœniteat. Sic etiam amor in Deum excitat, & impellit nos, vt peccata & scelera detestemur. Pari ratione quis aliquando appetit beneficium, aut pensionem Ecclesiasticam, dignitatem, aut aliam officij administrationem, tum vt Deo inseruiat, & communi Ecclesiæ, & Christianæ reipublicæ saluti consulat: tum vt habeat vnde se, & suos alere, & sustentare commodè possit.

Septimò quæritur, An sit idem re actus, intentio finis, & electio eius, quod ducit ad finem. Sunt tres opiniones. Prima habet semper esse duos actus re distinctos, quandocunq; vnum volumus, vel intendimus propter alterum, quia tunc appetitio vnius est causa appetitionis alterius; sed causa, & effectus semper re distinguuntur inter se; ergo vbicunque sunt duo actus, quorum vnus est causa efficiens, & alter est effectus, necessario re ipsa differunt. Ita Gregor. *1. d.1. quæst.1. art.2.* Marsil. *1. quæst. 4. ar.1. dub. 2.* Secunda opinio docet, intentionẽ finis, & electionem, eorũ quæ sunt ad finem consequendum, semper esse eundem re, & numero actum. Sicut, inquiunt, in motu quo quis ex vno loco recedens accedit ad alium: vbi recessus ex vno loco, & accessus ad alium, sunt re vnus, & idem motus. Item sicut quando vnum, & idem superna loca sua leuitate petit, & vi deinde deorsum tractum descendit, ascensus, & descensus sunt vna, & eadem res sursum tendens, & postea deorsum delata: sic etiam cum quis finem intendit, vt per aliqua vtilia remedia obtinendum, & cum deinde ea vtilia eligit ad finem consequẽdum, idem est actus re, quo ex fine sibi proposito, & optato ad ea deuenit, quæ vt apta, & idonea delegit, & ex rebus delectis ad finem tandem adspirat, ac peruenit. Tertia opinio tradit aliquando intentionem, & electionem esse eundem re, & numero actum; aliquando verò esse diuersos actus: hoc probant Ocham, & Gabriel. *1. d.1. quæst.1. art.3. dub.2. & 2. d.38. quæst.1. artic.3. dub.2.* Mai. *1. d.1. quæst.10.* quia aliquando ea quæ sunt ad finem, eligimus, nõ quidem ex appetitione finis excitati, & moti, sed solum ex ipsa finis bonitate impulsi; ita vt vnus prorsus sit actus, quo ea quæ sunt ad finem volumus ob bonitatem finis, non autem ob eius appetitionem: volumus medicinam, vt vtilem ad sanitatem consequendam, volumus eleemosynæ largitionem, vt charitati congruentem. Sicut enim finis appetitio potest nos permouere ad eligenda quę referuntur ad finem, sic etiam bonitas finis sæpe nos allicit, & mouet ad amplectenda, quæ ducunt ad finem: nam quæcunque res voluntati obiecta tanquam bona, & conueniens, potest nos excitare, & impellere ad appetendum, & sicut ratio voluntati potest offerre finem, verbi gratia sanitatem, vt medicinæ vel deambulationis remedio obtinendam: sic voluntas vno actu potest velle, & intendere sanitatem, vt hoc, aut illo remedio comparandam. Aliquando verò appetimus ea, quæ nos ad finem dirigunt, moti & impulsi ex appetitione ipsius finis: & tunc sunt in nobis duo actus: vnus, qui est appetitio finis, alter qui est appetitio eorũ, quæ diriguntur ad finem: & prior actus præcedit, & est causa, & origo secundi. Sed cum appetimus, quæ referuntur ad finem ex bonitate finis incitati, tũc non sunt duæ appetitiones: eo quod nulla antecedit appetitio finis, sed solum bonitas finis allicions gignit, ac parit in nobis appetitionem eorum, quæ ducunt ad finem: pari enim ratione bonitas rei iucundæ, gratæ, pulchræ, vel honestę, inuitat, allicit, mouet, & impellit voluntatem: & in ea ingenerat appetitionem, & amorem sui. Fatemur igitur cum Gregorio Ariminensi, quotiescunque appetimus, quæ diliguntur ad finem ex appetitione, & amore finis, esse duos actus re distinctos, quorum vnus est causa efficiens alterius: at verò dubitari non potest, quin aliquando sit vnus actus, quo appetimus, quæ referuntur ad finem moti solummodo ex bonitate finis: eadem ratione cum quis peccatum odio habet propter Deum, potest esse vnus actus odij, & possunt etiam esse duo actus: vnus, qui sit odium peccati, & alter, qui sit amor in Deum. Si enim peccatum detestemur solummodo moti ex bonitate Dei, qui peccatis offenditur, tunc vnus tamen est actus, nimirum odium, vel detestatio peccati ob offensum Deum animo, & voluntate susceptа: vnus actus est simplex, quo detestor peccatum, vt Dei charitati contrarium, vt Deum ipsum offendit: licet duo sint actus, quum detestor peccatum, quia Deum, quem per peccatum offendi, diligo. Sic vnus est actus, quo volo, & appeto medicinam, vt vtile, & commodum remedium ad sanitatem consequendam: quamuis duo sint actus, cum medicinam volo, & eligo, quia sanitatem concupisco. Sic vnus actus est causa alterius, videlicet appetitio finis causa est electionis eius, quod nos ducit ad finem: illic verò solum bonitas finis est causa, ob quam eligimus,

Medina. 1. 2 q.12.a.4 & q.8.a.3.

S.Tho.1.2. q.8.a.3. & q.12.ar.4. Bonau.2. d.38.dub. 4 circa textũ. Richard.2.d. 38.a.3.q.4 Dur.2.d. 38.q.3 1.d. 1.q.1 ar. 3. post solutionem argumentorum contra 4. concl. Caiet. Copra.

mus, quod est vtile ad finem assequendum.

Ad id verò quod dicebatur in secunda opinione, recessum ex vno loco, & accessum ad alium, semper esse vnum, & eundem motum. Respõdeo, rem ex vno loco recedentem, & accedentem ad alium, esse quidem eandem; sed accessum tamen, & recessum esse duos motus, quia sunt ad fines, & terminos distinctos. Idem dicimus de ascensu, & descensu eiusdem rei. Sic etiam ortus rei vnius est interitus alterius, vt Philosophi tradiderunt, nihilominus tamen sunt mutationes diuersæ. Obijcies; Appetitio eius, quod ducit ad finem suapte natura continet finem: rursus appetitio finis, vt per aliquid obtinendi, includit necessario id, per quod ipsum assequimur: ergo appetitio eius, quod refertur ad finem, semper est finis: & è cõtrario appetitio finis semper est eius, quod ad finem dirigitur. Respondeo, finem, & id, quod ducit ad finem ad se inuicẽ referri: & ideo quandocunque id, quod est aptum ad finem, appetitur; vel appetitur ob bonitatem finis, vel ob appetitionem, & amorem eiusdem finis, & ita vno, vel duobus actibus: pari ratione cum appetitur finis, vt per aliquid obtinendus, in huiusmodi appetitione necessarium est id, per quod finem consequimur, tanquam vtile ad assequendum finem, includi; non tamen appetitio eius semper in ea continetur, vt actus ab intentione distinctus. ex his omnibus perspicitur id esse verum, quod Ocham, Gabriel, & Maior, & alij tradiderunt, eundem actum esse posse amorem, & odium comparatione diuersorum, vt amor Dei, & odium peccati propter Deum. item eodem actu, posse nos duo diligere, vnum plusquam aliud, vt cum diligimus Deum, & proximum propter Deum, finem, & id, quod nos ducit ad finem, parentem magis quam amicum, quoniam licet idem actus simul intensior, & remissior esse non possit, possumus tamen vnum firmius amare, quam aliud, quia difficilius ab amore vnius, quam alterius auellimur: quod minus amamus eius amorem facilius deponimus. item cum duo simul amamus, vnum magis, quam aliud diligimus, quia ei potiora, & plura bona cupimus, vt Deo plura, & maiora bona volumus, quam proximo. Sic eodem actu, simul plura peccata detestamur, & vnum magis, quam aliud: quia vnum est alio deterius, & peius.

Cap. XXV.

De electione actu voluntatis elicito.

De electione S. Tho. 1.2.q.13. Nyssen. lib. 5.c.24. Damasce. lib. 2.c.25. fid. Orthodo. Arist. lib. 6 Ethi. c.2.

PRIMO quæritur, An electio sit actus elicitus in voluntate; Aristoteles aliquando vt rem dubiam reliquisse videtur, vtpotè qui dixerit, electionem esse, aut intellectum appetentem, aut appetitum intelligentem: Sed alibi tamen plane statuit, electionem esse actũ voluntatis, non qualemcunque, sed ex consultatione, & deliberatione rationis, & quia electio natura sua requirit consultationem rationis, ex qua proficiscitur: ideo Aristoteles dixit, electionem esse, aut appetitum intelligentem, aut intellectum appetentem: hoc est, aut rationem consultantem, aut appetitum intelligentem: quod est dicere, voluntatem ex consultatione rationis exortam. Animaduertendum tamen primò est, nos cum finem assequi studemus statim inquirere ea, quæ sunt vtilia ad finem assequendum, & in hac inquisitione consultamus, quid sit vtile, vel magis vtile ad finem optatum, ac deinde iudicamus quid sit vtilius cæteris, vel quid vtile. Et postquam iudicatum est, voluntas eligit inter plura vtilia id, quod vtilius iudicatur. Ex quo efficitur, vt electio in nobis duplicem respectum, & ordinem habeat, vnum ad finem, quoniam ex fine mouemur ad eligendum, quod conducit ad finem; alterum ad remedia inquisita iam, & inuenta, tanquam ad finem vtilia, & conducibilia, quibus comparatur, & præfertur id, quod eligitur, vt vtilius ad finem assequendum. Et ideo electio Græce dicta est prohæresis quasi præelectio, qua vnum alijs inter multa vtilia anteponitur. Cum enim plura sint inuenta remedia, electio est approbatio vnius, cæteris neglectis, & reiectis. *Richa 1. d. 1. ar. 1. q. 4.*

Secundò, Animaduertendum est, Electionem trifariam accipi solere. Primò, vt est actus, quo absolute, & simpliciter inter plura vnum amamus cæteris relictis etiam sine vlla consultatione priori, & huiusmodi electio conuenit Deo, qui inter multa vnum vult, & approbat alijs posthabitis, & omissis; & hæc voluntas dicitur electio. Quia tamen Deus omnia nouit, consultatione non vtitur ad eligendum: nos verò quia multa ignoramus, ideo eligimus perquirendo, consultando, & iudicãdo, & propterea Damasc. inquit, *lib. 2. de fide ortho. c. 22.* in Deo voluntatem quidem dicimus, at electionem propriè non dicimus, neque enim deliberat Deus: ignorantis quippè est consilium inire: sic ille. Secundo modo electio accipitur, vt est actus, quo quippiam volumus, ita tamen, vt id possimus non velle; Et propterea liberè volumus: & eatenus dicimur id bonum, quod volumus, eligere, quia cum alioqui possemus velle, & non velle, volumus tamen: & hæc libertas sufficit ad cuiuscunque peccati, vel meriti rationẽ, tametsi nulla alia adsit rationis consultatio. nam sufficit integra rei oblatæ notitia, qua potestas nobis est eam appetẽdi, vel respuendi. Tertiò modo accipitur electio, vt est actus quo voluntas sibi obiectis, atque propositis duobus bonis iucundis, vel duobus honestis, vel vno iucundo, & altero honesto, vnum vult & appetit, altero posthabito, & neglecto absque vlla alia consultatione: atque hæc etiam libertas sufficit ad peccati, vel meriti rationem in nostris actionibus ponendam.

Secundo quæritur, An electio possit esse finis, an verò solummodo sit eorum, quæ referuntur ad finem. Respondeo, Aristotelem apertè docere, electionem ab actu volendi, & intendendi differre. nam velle, & intendere sunt finis: Velle quidem est finis, vt per se, & absolutè boni; & proindè est boni, vel iucundi, vel honesti, quoniam iucunda, & honesta propter seipsa appetuntur: Intendere verò, est finis non simpliciter, sed tanquam boni per aliquid obtinendi, quare est finis tanquam boni, cuius gratia alia expetuntur: Electio verò semper est boni tanquam vtilis ad finem consequendum. Velle igitur, & intendere, sunt bonorum, quæ iucunda, vel honesta re ipsa, vel hominum existimatione, & opinione sunt, *Aristo. lib. Ethic. 3. c. 2. Nysse. & Damasc. & S. Tho. locis citat.*

Electio verò tantùm est bonorum vtilium. Ex quo efficitur, vt velle, & intendere sint absq; consultatione, eligere verò non nisi ex consultatione rationis. Nam vt rectè docet Aristoteles, nulla est consultatio de fine: nec enim medicus consultat, an sanare debeat, nec dux, & imperator belli, an vincere oporteat, nec Orator an persuadere, nec ciuis an ciuitatem tueri conueniat, nec mercator an lucrifaciendum sit; nec itidem prudens consultat, an sit castè viuendum, an iustè agendum, an fortiter pugnandum. Sed tota consultatio est, an ad sanitatem, vel victoriam obtinendam, vel ad persuadendum, vel castè, & iustè viuendũ. hæc an illa bona sint amplectenda: hoc an aliud remedium adhibendum.

Arist. lib. 3 Ethi. c. 3.

Tertiò quæritur, An electio sit tantum eorum, quæ esse, aut fieri possunt? Aristoteles plane docuit, electionem ab actu volendi distingui, quod sæpè volumus, quæ fieri nequeunt, non tamen eligimus, quæ esse non possunt. Nam statim, atque cognoscimus finem nos assequi non posse, ab eligendo desistimus: at verò cũ quippiam animaduertimus in nostra potestate non esse, vt sit, vel fiat, sed absolutè, & per se tanquam bonum iucundum intelligentia, & mentis cogitatione cõcipimus, id volumus, & appetimus: eo quod nos per se delectat, & tamen nihil adhibemus tanquam remedium ad id assequendum.

Arist. lib 3 Eth c 2. et Nysse. Damascen. S. Thom. locis citatis.

Quartò quæritur, An electio sit tantum eorum, quæ per nosipsos geruntur; Constat etiam Aristotelem tradidisse hoc inter electionem, & actum volendi distare, quod volumus sæpè ea, quæ per nos non aguntur, & ea quæ ad nos minimè pertinent: at verò non eligimus, nisi quæ per nosipsos fieri debent, aut ad nos aliqua ratione spectant: Cupimus enim, & volumus, vt Petrus amicus noster ex carcere, vel ex mortis periculis, vel ex tyranni alicuius, aut hostium manibus liber euadat, non tamen hoc eligimus. Volumus Titium in pugna, vel lite, vel ludo, vel palæstra victorem esse, non tamen id eligimus. Sed inter plura, quæ possunt conducere ad liberationem Petri, illud vnum eligimus, quod est in nostra potestate situm. Si obijcias, Possumus eligere tanquam vtile ad liberationem Petri preces Pauli, nimirum, vt Paulus suis precibus patrocinium Petro ferat. Respondeo, Nos non eligere preces Pauli, nisi simul etiam eligamus non loqui cum Paulo, & ab eo enixè petere vti pro Petro deprecetur. Quotiescunque igitur quippiam eligimus, vel id est in nostra potestate, vel aliquid in eo est quod sit in nostra potestate constitutum. Secundo, Obijcies: In Republica aliquando eligimus viros ad magistratus, & administrationes officiorum publicas; ergo non semper electio est eorum, quæ per nos geruntur. Respondeo, Semper in eiusmodi viris eligendis est aliquid, quod per nos agimus, & id eligimus: nã eligimus suffragiũ nostrũ ferre Petro, & nõ Paulo. Tertio, Obijcies, Ij, qui sunt à consilijs regũ, & Principũ, sæpè consultant de ijs, quæ ad ipsos Principes pertinent, & parẽtes de ijs, quę ad filios; & amici de ijs, quę ad amicos spectant. Respondeo, Hæc & similia, ideo in electionem, & consultationem veniunt, quia ad nos aliquo modo attinere iudicantur.

Arist. lib 3 Ethi c. 2. Nyssen. & Damasce. & S. Tho. locis citat.

Quintò quæritur, An in sola electione libertas sit. Respondeo, Si electio propriè, strictè, & presè accipiatur, quatenus ex rationis consultatione, & deliberatione fit, non solum in ea esse libertatem: nam Deus liberè amat bona, quæ extra se vult: & tamen non ex consultatione diligit, aut eligit. Item duobus bonis iucundis propositis, aut duobus honestis, aut vno iucundo, & altero honesto, liberè possumus vnum velle, & amplecti, alterum respuere, & abijcere: Item vno iucundo, vel honesto nobis ablato, liberè possumus id velle, aut nolle absque vlla consultatione. Quare sequitur, vt non semper libertas in electione solùm propriè accepta consistat.

Sextò quæritur, An ex duabus rebus obiectis æque bonis liberè possit voluntas alterutram eligere; Duæ sunt opiniones; vna docet liberam penitus esse voluntatem ad alteram, quam maluerit, deligendam. a Secunda opinio tradit ad neutram posse voluntatem moueri, quæ ambæ sunt æque bonæ; & proindè vna non efficacius mouet, quàm altera. b

In hac quæstione animaduertendum est, posse hoc dupliciter contingere. Primò, vt duo sint obiecta bona, vel iucũda, vel honesta, siue vnum iucundum, & alterum honestum: & tunc id appetit voluntas, quod efficacius allicit, & mouet. quod si ambo æqualiter permoueant, neutrum voluntas prosequitur, donec ratio in altero maiorem boni rationem perspiciat, ac iudicet; quoniam voluntas ad bonum tanquam ad proprium obiectum se flectit, ac mouet: ita vt liberè ab eo bono moueatur, quod efficacius allicit, ac trahit. Secundo modo potest accidere, vt duo obiecta bona appareant æque, & pariter vtilia ad finem, in quem respicimus, consequendum: & tunc voluntas neutrum eligit: quia huiusmodi electio non fit, nisi ex consultatione rationis: consultatio autem non est inter ea, quæ creduntur æqualiter vtilia. Ideo enim cõsultamus, vt iudicemus quid inter multa magis conducat ad finem, quem adipiscendum curamus. Quare quamdiu duo videntur æquè vtilia ad finem, nec consultatio, nec electio fit, sed rursus ratio ex integro inquirit, & consultat, sit ne aliquid aliud vtilius: & tunc inter multa id, quod opinamur cæteris vtilius eligimus, ad eam rem quam appetimus obtinẽdam. Quapropter mihi magis secunda opinio probatur. nam voluntas nostra seipsa mouet ad bonum excitata, & illecta rei bonitate: at quando duo videntur æque bona, non magis vnum, quam alterum allicit, ac mouet voluntatem, ergo non magis ad vnum, quam ad alterum mouetur voluntas. Dices, ea est libera, ac proinde, vt se esse sui iuris atque mãcipij declaret, vnum sequetur, alterum respuet. Respondeo, esse quidem liberam, quoniam vtrumque suo nutu, & arbitratu potest, si velit, æque repellere, & dum ambo æque bona iudicantur, vel neutrum amplectetur, vel in alterutro aliquam boni maiorem rationem exquirit, qua ad illud se conuertat: reliqua quæ obijci possunt quæstione proximè sequenti diluemus.

a *Sic Henr. quodl. 1. 2. 16. Rich. 2. d. 38. a. 2. q. 4. ad 4. Ma. 2. d. 38 q. 1. & probãt ex August. lib. de ciui. 12. c. 6 et ex libertate voluntatis.*

b *Ita sentit Greg. 2. d. 42. 43. q. 1. ars. 2. ad 1. Conrad. 1. 2. q. 13. a. 6. Medi. 1. 2. q. 13 a. 6. et sic videtur sensisse. S. Thom 1. 2. q. 13. art. 6.*

Septimò quæritur, An duobus obiectis propositis, quorum vnum sit minus bonum altero, possit voluntas liberè eligere, vel appetere, quod minus bonum est maiori post habito, & reiecto. De

Prima opinio est eorum auctorum, quos ante citaui quæstione superiori.

hoc sunt etiam duæ opiniones. Vna affirmat. Sed longè probabilior, & verior altera quibusdam videtur, quæ docet nõ posse minus bonum appeti, vel eligi. Et hoc ratione euidenti putant huiusmodi doctores se cõcludere: nam minus bonum cum maiore collatum habet rationem mali, at voluntas malum qua malum est, non potest appetere, vel eligere: Itẽ si de appetitione loquamur, qua vel bonum iucundum, vel honestum propter ipsum volumus, nõ potest voluntas, quod minus bonũ apparet, velle, & appetere: quia maius bonum vehementius excitat, mouet, & impellit voluntatem. Si verò de electione tractemus, multo minus potest voluntas inferius bonum deligere, quia electio non est, nisi ex consultatione rationis; consultatio verò non fit, nisi facta collatione inter multa, vt eligatur, quod vtilius cæteris creditur. Quare cum duo sunt, quorum vnum est altero minus vtile, nec consultamus, nec eligimus, sed ratio iterũ incipit inquirere, an sit aliud vtilius, vel vtrum inter duo vtilia aliqua ratio inueniatur, qua vnum sit vtilius altero, & tunc eligitur, quod magis salutare, & quod vtilius iudicatur. Hæc de opinionibus Philosophorum, & Theologorum. Est igitur quæstionis dubiæ, & incertæ, an fieri queat, vt duobus bonis sese voluntati offerẽtibus, quod minus est, velit, aut diligat voluntas eo contempto, & posthabito quod maius videtur. Nec quæritur in præsentia an minus bonum velle, vel eligere possimus, qua bonum iudicatur: nam constat minora bona nos sæpè deligere, quatenus vtiliora, aut iucũdiora, & aptiora arbitramur: sed inquiritur, an minus bonum, qua minus est, velle, aut eligere possit voluntas. Mihi verius apparet id eam non posse, quamuis oppositum verosimile esse videatur. nam malum qua malum est, voluntas velle non potest: at minus bonum cum maiore collatum mali faciem, & speciem habet: ergò vt minus iudicatum nequit voluntas amplecti. Obijcies, minus bonum etiam qua minus est, non omni bonitate denudatur, & vacat, ac proinde malum non est: ergo qui dicit voluntatem minus bonum eligere, aut velle, non continuò sequitur, vt malum velle fateatur. Respondeo, In minori bono duo contineri, & quod bonum est, & quod altero inferius est: qua bonum est potest volũtas id simpliciter velle, quia non cum altero maiore comparatur, at qua minus iudicatur, cum altero confertur, & tunc voluntatem mouere non potest, tum quia eatenus malum esse censetur, tum quia quod maius est vehemẽtius mouet, & allicit. Vrgebis: Bonum non ex necessitate attrahit voluntatem: ergo licet maius bonum in præsentia minoris per se maiorem efficacitatem habeat ad voluntatem permouendam, voluntas tamen cum libera sit, ab eo non trahitur. Respondeo, Non diffiteri nos voluntatem tunc esse omninò liberam, sed libertas in eo consistit, vt quamuis duo sint oblata bona, vnum maius altero, voluntas nutu suo, & arbitratu possit vtrumq; relinquere, & nihilominus si alterutrũ velit, aut eligat, quod maius est, minore posthabito complectetur. Obijcies Tertio, experiẽtia docemur multis propositis, ostensisque bonis, etiamsi efficax, & valida ratio vnum aliquod probet, ac suadeat, si quid tamen aliud

Opinio secunda est eorũ quos citaui in 2. opinione quæstionis præcedentis.

faciem aliquã boni præ se ferat quamuis tenuissimam, in hoc se voluntatẽ flectere, ad hoc se applicare, & adiungere, & vel ex sola suspiciuncula hoc adsciscere, alia reijcere. Sæpè etiam quo se voluntas ostendat sui iuris esse, omnia spernit, ac respuit, non aliter, ac princeps, qui ne videatur à quoquam regi, & alterius consilio duci salutaria omnia monita repudiat, & sit illud: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione libido: & hoc statuit esse sibi bonum, vt libertatem suam cuncti cognoscant: hoc enim princeps aliquando pluris facit, quàm consilia omnia præsenti rerum, & negotiorum statui, & cõditioni commoda. Adolescentes etiam nonnulli, vt se liberos esse declarent, nec cuiusquam imperijs, & iussis parere, omnia parentum, præceptorum, & amicorum vtiliora, & meliora monentium fastidiosè, & contumaciter aspernantur. Respondeo, His experimentis non probari voluntatem velle, vel eligere, quod minus est bonum cum maiore collatum; sed vtrunque deserere, & interim quod minus est aliquam maioris boni speciem voluntati obijcit: & tunc voluntas eo se flectit, ac mouet. Obijcies quartò, Deus nõ semper facit, aut vult quod melius est, nam posset res meliores efficere. Respondeo, aliam esse rationem in Deo, atque in nobis: quoniam Deus non agit ex consultatione rationis, nec mouetur ex bonitate rerum, sed propter bonitatem suam ex seipso, & mutu suo agit, aut vult quæ extra ipsum existunt, & ideò nec semper, quod maius bonum est, vult, nec efficit, sed id quod sibi gratum, & acceptũ est: nos verò quidpiam eligimus, ac volumus ex eius bonitate moti, & incitati.

Octauò quæritur, An data, & posita efficaci intentione finis, & vno tantum vtili bono ad finem assequendum per rationem iudicato, voluntas necessariò eligat eiusmodi bonum; Respondeo, Aut voluntas in finis intẽtione persistit, aut non: Si secundum dederis, certum est & exploratum, eam non eligere ex necessitate: quia bonum vtile non nisi ad finem assequendum eligitur: ergo si ab intentione finis voluntas recesserit, nulla fit electio. Si autem voluntas in eadem finis intentione perseueret, necessariò eligit bonum vtile ad finem consequendum, si tantum vnicum appareat, quoniam nulla ratio mali in eo cernitur, ob quam respuatur.

At forsitan obijcies; Si bonum, quod est vnicum remedium ad finem assequendum, ex necessitate eligatur, nulla erit meriti, aut peccati ratio in eo eligendo. Respondeo, Ad meritum, vel peccatum electionis sufficere, si fit libertas simpliciter, quamuis sit ex conditione necessitas: & quando in efficaci finis intentione persistimus, & vnicum tãtum est remedium necessarium ad finem, ex conditione solummodo necessitas est illud eligendi, non simpliciter, siquidem liberè possumus ab intentione finis recedere: quod si eam non mutemus, ipsi nobis necessitatem imponimus eligendi. Quare si id quod eligitur sit per se bonum, erit in eo eligendo meritum distinctum ab eo, quod est in intentione, & proposito voluntatis: veluti si sit intentio honorandi, colendi, & amandi Deum, & propterea eligamus, vel in Religionem ingressum, vel perpetuum castitatis vo-

tum, erit

tum, erit duplex ratio meriti, quia id quod est ad finem delectum, habet etiam per se bonitatem. Pari ratione si fuerit mala intentio finis, & deindè ex necessitate remedium, quod vnicum appareat, eligatur, erit nouum peccatū, si id per se quoque malum sit. Illustremus rem exemplo. Si quis in adulterium animum conijciat, & ob id furtum eligat: vt habeat pecunias, quibus adulterium admittat, est etiam peccatum in electione furti, siquidem cum furtum malum esse ratione naturali constet, oporteret eo ipso adulterij voluntatem deponere. Quandocunque verò in remedio, quod eligitur, non est per se bonitas, vel vitiositas, non est noua meriti, vel peccati ratio, veluti cum Titius ad necem Caij arma capit; domo egreditur, rus petit, & obuiam Caio procedit. Secūdò obijcies; Sæpè experimur nos, etiamsi sanitatem optemus, non eligere absciſſionem membri, quando constat huiusmodi remedium esse necessarium ad sanitatē, eo quod difficilem membri amputationem existimamus. Respondeo, Quandocunque à membri præcisione desistimus, eo ipso à finis intentione recedimus, & hoc semper in nobis contingit, quandocunq; id, quod est necessarium ad finem, difficile, laboriosum, molestum, vel arduum iudicatur: tunc enim rei difficultate, acerbitate, vel molestia deterriti, finis voluntatem exuimus atque mutamus: in qua si perseueremus, eius, quod est necessarium ad finem, difficultatem, molestiam, & magnitudinem superamus. Hac enim ratione ægrotus sumit cibum, aut potionem licet amaram; & dux belli se infert in discrimina alioqui grauissima, & multa alia periculosa, acerba, & aduersa libēti animo sustinemus. Tertiò obijcies, Solū Deus ex necessitate potest nostram voluntatem mouere: ergo nullum est procreatum bonum, quod ex necessitate appetamus. Respondeo, In patria cælesti Deus Angelis, & hominibus manifestè perspectus & cognitus, in quo nulla potest mali ratio apparere, volūtatem beatorum spirituum ad se diligendum necessario trahit: & hac necessitate ad aliquod procreatum bonum amandum nunquam mouemur: nihilominus tamen ex conditione aliquando creatum bonum necessario appetimus, & amamus: & huiusmodi necessitatem fatemur esse, cum ex efficaci proposito, & intētione finis id eligimus, quod est necessarium ad finem propositum consequendum.

Dama. lib. 2. de fide ortho. c. 22

Nonò quæritur, An Deus ex electione operetur. Respondeo, Ex Damasceno in Deo non esse electionem propriè, & expresè sumptam, quia non agit ex consultatione rationis, quippe qui nihil ignorat, aut dubitat; at in eo esse electionem tantum latè, & generatim acceptam, prout est actus, quo voluntas inter multa vnum præ alio diligit, ac amat. In Angelis verò est propriè, & strictè electio, in quibus est consultatio, licet ex vno in aliud ratiocinando non transeat.

Cap. XXVI.

De consensu, actu elicito voluntatis.

De consensu tractat S. Thom. 1. 2. q. 15.

PRIMO quæritur, Quid sit cōsensus. Respondeo, Consensum esse actum, quo voluntas approbat, tāquam sibi placentem, sententiam consultatione rationis iudicatam. Nam vt rectè docet Bonauentura: consensus est concordia voluntatis, & rationis ad aliquid faciendum. Ex quo efficitur, vt in belluis, pueris, & amentibus, in quibus nulla est consultatio, consensus quoque non fit, licet sit voluntarium in eis. Ex quo item fit, vt consensus pressius, & proprius tantum sit eorum, quæ sunt ad finem; non autem finis, quia, vt dixi, consensus propriè consequitur consultationem rationis: de fine autem non consultamus, sed de his, quæ ad finem conducunt.

Bonau. 2. d. 28. ar. 2. q. 2.

Secundò quæritur, Quot modis consensus accipiatur. Respondeo, Trifariam accipi. Primò, vt est actus, quo volūtas duobus sibi obiectis bonis, iucundis, vel honestis, vel vno iucundo, & altero honesto, in vnum liberè consentiens fertur, altero neglecto. Secundò modo accipitur, quatenus est actus, quo voluntas bonum sibi obiectum liberè appetit, cum alioqui, vel posset non appetere, vel posset respuere. Tertiò modo accipitur strictius, & proprius, vt est actus, quo voluntas appetit bonum rationis consultatione iudicatum: eiusmodi enim actus est veluti approbatio eius, quod ratio consultando definiuit, atque concluſit. Quocunq; modo accipiatur consensus, est libera voluntatis actio, in qua meritum, aut peccatum esse possit: quoniam licet in primo, aut secundo consensu, cōsultatio rationis nequaquam interueniat: est tamen libertas, qua potest volūtas vnum appetere inter plura bona iucunda, vel honesta sibi oblata; aut saltem ita potest vnum sibi obiectum bonum velle, & amplecti, vt etiam id non velle, & prosequi liberè possit.

Cap. XXVII.

De vsu, actu elicito voluntatis.

De vsu tractant Theologi. 1. d. 1. Bonau. 1. d. 2. ar. 1. q. 1. Richard. a. 1. q. 1. Durand. q. 3. Marsi. q. 4 a. 3. Ochā, & Gabr. 1. d. 1. q. 1. Argent. 1. d. 1. q. 4. & 5. Thom. 1. 2. q. 16.

PRIMO quæritur, Quid sit vsus voluntatis; Respondeo, Inter omnes conuenire. Vti, esse actum voluntatis; & propterea solum congruere his, qui voluntate sunt præditi, eo quod vsus sit actus, quo voluntas aliquid adsciſcit tanquam idoneum, & aptum ad id quod appetit assequendum. Vti re aliqua, est eam adhibere ad debitum suum finem: & Abuti re, est eam assumere ad finem suæ naturæ, & conditioni contrarium. Ex quo fit, vt vsus sit in ijs bonis, quę sunt vtilia ad finem obtinendum. quare Vti etiam, sicut eligere non est finis, sed eorum quæ referuntur ad finem: Ita vt Vti sit ex intentione finis, & consultatione rationis aliquid accommodare ad finem adipiſcendum.

Secundò quæritur, Quo pacto Vti strictè, & propriè apud Theologos accipiatur; Respondeo, Communiter Theologos Augustinum *lib. 83. quæst. 30. & lib. 10. de Trinit. c. 1.* secutos inter Vti, & Frui ponere discrimen: quod Frui, sit in bono desiderato, & obtento, cum delectatione suauiter, & iucundè acquiescere: ita tamē, vt eiusmodi bonum sit finis simpliciter vltimus, in quem vniuersa referātur, & ipsum in nihil aliud dirigatur; & proinde solo Deo nobis esse perfruendum: Vti verò, sit actus quo voluntas aliquid boni adhibet ad aliud consequēdum; & propterea rebus procreatis, non autem Deo esse nobis vtendum. Nos verò dicamus, Frui, esse, delectari suauiter, & iucundè

in bono quocunque, quod propter se appetitur, siue sit simpliciter summum, & vltimum, & cuius gratia cætera omnia appetantur, siue sit iucundum, & suaue bonum, siue honestum, & pulchrum. Nam cum primum nobis iucunda bona, vel honesta obiecta sunt, statim oblectant: & voluntas in ipsis conquiescit, & hoc est bonis perfrui: Vti vero est aliquid vltro, & liberè ascisscere propter aliud cõsequendum. Quapropter statim, atque voluntas ex consultatione rationis aliquid, quod est ad finẽ aptum, & accommodatum eligit, eo vtitur, vt finẽ optatum commodè consequatur.

S. Tho. 1.2. q.16. ar. 4. & ad 1. & ad 3. Rich. 1. d. 1. a. 1. q. 4. Caieta. Conr. Medi. 1. 2. q. 16 ar. 4.

Tertiò quæritur, An in humanis nostris actionibus Vsus sit actus voluntatis re ab electione distinctus. S. Thomas apertè docet in nobis, cum quippiam agimus, primùm esse intentionem finis; mox electionem eius, quod ad finẽ vtile iudicatur; & deindè vsum, id est, alium voluntatis actum, quo voluntas adhibet cæteras corporis facultates ad faciendũ id, quod est à nobis electum. Veluti pedibus vtitur ad incessum, videlicet ad progrediendum, & perueniendum, quo vult: vtitur oculis ad videndum, auribus ad audiendum; hoc est mouet, & excitat aspiciendi vim & facultatem, & oculos ipsos ad intuendum id, quod appetit, & aures ad audiendum. Cæterùm alij tradiderunt non esse necessarium ponere huiusmodi actum ab electione distinctũ, sed sufficere efficacem electionem eius, quod est vtile ad finem consequendum, quoniam eiusmodi electionem consequitur necessario actus, & motus facultatum exequentium: siquidem omnes corporis vires, quæ rationi, & voluntati ex necessitate naturæ subijciuntur, statim vt adest efficax voluntatis electio, ex conditione, & necessitate sese applicant ad faciendum, quod electum est, non aliunde impeditæ. Sed certè S. Thomas admodum probabiliter docet, Vsum in humanis actibus esse actum ab electione diuersum; electio etenim ad duo refertur, nempè & ad finem, & ad id cui præfertur consilio, & iudicio rationis id, quod eligitur: sed vsus tantùm comparatur, & confertur cum fine, ad quem assequẽdum assumitur id, quo vtimur, vt rectè docuit Richardus. Non enim est cur negemus, facta efficaci electione eius, quod est ratione iudicatum vtile ad finem, voluntatem sese applicare ad id exequendum, & opere complendum: hoc autem nihil aliud est, nisi vti cæteris corporis facultatibus à natura datis ad id, quod volumus, officium obeundum. Vti verò facultatibus, nihil aliud est, nisi voluntatem sese ad opus accingentem, cæteras facultates ad id exequendum applicare & accommodare. Quicquid verò de ijs opinionibus sit, certum est, vsum ab electione distingui in his, quæ agimus ministerio, & opera alicuius instrumenti extrinsecus adhibiti, quod dicitur instrumẽtum seiunctum. Nam cum quippiam exurere volumus, igne admouemus, quod est igne vti ad exurendum: pari ratione machinas adhibemus ad deijciendos parietes, & socios nobis adsciscimus, & adiungimus tanquam administros ad aliquid faciẽdum: sic vtimur calamo ad scribendum penicillo ad pingendum, culcello ad scindendum.

Colligi videtur ex Almaino tract. 3. Mor. c. 2.

Richa. 1. d. 1. a. 1. q. 4.

Cap. XXVIII.

De consultatione rationis.

De consultatione agit Arist. li. 3. Ethic. ca. 3.

PRIMO quæritur, Quidnam sit consultatio in humanis actionibus. Respondeo, Esse inquisitionem in re dubia facienda. Dicimus, *inquisitionem*, quoniã inquisitio latius patet, quàm consultatio: nam in speculandis rebus etiam est inquisitio, propterea quod aliquando quippiam est dubium: & inquirimus ad sciẽdum: immò etiam inquiritur in reos, & improbos, quo eorum facta planè cognoscantur, ac vt puniantur pro meritis ipsorum, nec absoluantur. Cùm igitur inquisitio fit in re agenda alioqui dubia, est consultatio. Dicimus, in re dubia: quia quãdo res est planè comperta, nulla est inquisitio, aut consultatio. Inquisitio est excogitatio rationis, aut rei alterius vtilis ad sciendum, vel ad agendum. Constat igitur consultatio ex inquisitione, & consilio in re dubia facienda: nam consilium est rei faciendæ, vel non faciendæ excogitata sententia.

Secundò quæritur, An consultatio sit actus rationis an voluntatis; Respondeo, Re, & substantia esse actum rationis; causa verò, & origine voluntatis. Sicut enim electio est actus voluntatis ex iudicio rationis tãquam ex origine profectus; sic etiam consultatio est actus intellectus ex proposito, & intentione voluntatis in finem tãquam ex principio surgens; nam voluntas primò in finem mentis oculos conijcit, ipsum appetit, ac vult, & per aliquod vtile remedium curat obtinendum. Ex hac intentione finis ratio mouetur ad consultandum de eo, quod est vtile ad finem assequendum: consultatione facta iudicat ratio quid sit vtile, aut inter multa, quid reliquis vtilẽ ad finem adipiscendum, & tunc fit electio in voluntate. Ex his intelligitur meritò passim dici electionem fieri ex cõsultatione, vel ordinatione, vel deliberatione rationis: hæc enim tria idem penitus significant. Ordinatio rationis est, cum mens quippiam cognoscit, & iudicat relatum ad aliud; & ante electionem ratio id perspicit, & discernit, quod cõducit ad finem. Deliberatio rationis dicitur eo ipso, quod mens iudicando decernit hoc vel illud esse vtile ad finem commodè consequendum.

Caiet. 1. 2. q. 14. ar. 1. Medi. 1. 2. q. 14. ar. 1.

Tertiò quæritur, An consultatio solum in rationis inquisitione consistat, an verò etiam in iudicio? Caietanus docet consultationem ex inquisitione, & iudicio constare. Alij vero putant consultationem in sola inquisitione consistere, quandoquidem consultatio nihil aliud est, nisi inquisitio eius, quod est ad finẽ vtile in re dubia facienda. Et certè hoc est probabilius, & verius.

Arist. lib. 3 Ethi. c. 3.

Quartò quæritur, An tantum consultemus ea, quæ diriguntur ad finem? Aristoteles satis manifestè docet nos nequaquam consulere de fine, vt sæpè iam dixi: quare non consultamus de bono iucundo, vel honesto; hoc enim bonum sui gratia appetitur, non alterius: at in consultationem ac deliberationem cadit id, quod ad aliud consequendum vtile apparet: consultamus enim de vtili. Nihilominus tamen consultari, ac deliberari solet, vtrum hoc, aut illud sit honestum, an turpe: & duobus propositis honestis, Vti ũ sit honestius: item vtrum hoc sit iucundum, an molestũ. & inju-

cundum,

cundum,& duobus iucundis oblatis,vtrum sit iucundius. V. G. consultatio est, an in tanto cibo, aut potione sit temperantia, sit iucunditas. At verò tunc non consultatur de fine absolutè: sed de fine ad certam materiam contracto, & deducto, vt Aristoteles tradidit.

Quintò quæritur, An in vniuersum libera actio consultationem requirat? Quidam arbitrantur in hominibus non esse liberam actionem sine consultatione rationis: in Deo tamen esse plenissimam libertatem absque vlla consultatione. Sed dicendum existimo etiam in nobis esse liberas actiones absque consultatione. Nam libera actio tripliciter potest contingere: Primò cum duo, aut plura bona, vel iucunda, vel honesta; aut cum vnum iucundum, alterum verò honestum voluntati offeruntur: & tunc voluntas libere vnum velle & amare potest cæteris reiectis: in hoc enim libertas est, cum plura bona voluntati offerantur; & hæc sufficit ad meritum, vel peccatum: & tamen non est consultatio, quia non consultamus, deliberamúsue nisi de bono ad finem vtili. Secundò modo libertas est, cum vnum tantum, vel iucundum, & suaue bonum, vel honestum voluntati obijcitur, quod voluntas velle, & non velle, aut nolle potest: nam eatenus est libertas ad plura, quatenus voluntas bonum sibi propositum potest amplecti, aut non amplecti. Hæc etiam libertas quamuis sine consultatione sit, ad meritum, vel peccatum sufficit. Tertiò libertas est in ijs, quæ consultatione rationis eligimus ad finem vtiliter consequendum.

Sextò quæritur, An possit voluntas ad quippiam appetendum moueri ex sola rei obiectæ cogitatione, & notitia simplici? Duæ sunt opiniones, Vna docet non posse, quia Aristoteles aperte tradit non moueri appetitum, nisi mens siue ratio opinetur, & iudicet, hoc est, nisi quippiam affirmet, aut neget: Altera tradit aliquando voluntatem ex simplici rationis notitia promoueri ad aliquid appetendum, quia non minùs voluntas potest à ratione moueri, & impelli, cuius cósilio regitur, quam appetitus animalis sensu: sed animantes ad bonum feruntur, & malum auerfantur, & fugiunt ex sola imaginatione simplici, siquidem nihil affirmant; aut negant: non enim belluæ enunciationes affirmando, aut negando componunt, & formant, vt quidam falsò arbitrantur. In hac quæstione dicendum est, voluntatem ex simplici mentis notitia posse moueri ad aliquid appetendum vel repudiandum. Animaduertendum est simplicem rationis notitiam posse duplicem esse: vna est, qua mens intelligendo concipit rerum imagines, & res ipsas tãtummodò, vt veras percipit, non vt bonas. Et hęc simplex rei notitia voluntatem ad faciendũ non mouet. Altera vero notitia est, qua mens siue ratio cognoscit, ac perspicit aliquid, vt bonum homini conueniens, & commodum, nempè vt iucundum, vel honestum, vel vtile, & huiusmodi notitia quamuis sit simplex, hoc est, quæ nihil affirmet, aut neget, non est absq; iudicio rationis, & hæc sine vlla enunciatione sufficit ad voluntatem permouendam, vt aliquid appetat, tanquam sibi conueniens, vel aliquid respuat tanquam sibi perniciosum, & noxium; quoniam omnis facultas appetens sese confert in rem sibi obiectam tanquam in finem suæ naturæ congruentem, sed bonum cogitatione perceptum, vt boni rationem siue speciem habet, est voluntatis obiectum, ergo statim atq; est voluntati propositum, & iudicatum, vt bonum, voluntas illud velle, & prosequi amore potest: ac ita beatæ illæ mentes, & spiritus in patria cœlesti vnico simplici aspectu sicut cognoscunt, ac iudicant Deum trinum, & vnum, sic etiam intuentur, vt bonum; & ideo summo quo possunt amore amplectuntur: & quoniam cognoscunt Deum, vt supremum omnium rerum dominum, & principem, eum reuerentur, & colunt. Quare Aristoteles, S. Thomas, & alij tum Philosophi, tum etiam Theologi cum communiter tradunt per simplicem rei obiectæ notitiam voluntatem non moueri, notitiam accipiunt pro ea, qua simplices, & nudæ rerum veritates cogitantur, & cognoscuntur: quod nos etiam confitemur: non autem intelligunt eam notitiam qua quippiam perspicitur, & iudicatur, vt bonum honestum, vtile, vel iucundum.

Arist. li. 2. de anima, tex. 134. et lib 3. de anima, tex. 46.

Sic Medina 1. 2. q. 9 ar. 1. propè finem, ex S. Th. 1. 2. q. 9. a. 1. ad 2. & 2. d. 24. qua 2. art. 1.

Sic Marsi. 2. q. 16. a. 1. in suppl. 1. & 2.

Cap. XXIX.

De imperatis actibus voluntatis.

HACTENVS explicuimus actiones elicitas voluntatis: reliquum est, vt nonnihil de imperatis actibus disseramus.

Primò quæritur, An imperare sit actus voluntatis, an potius rationis? Duæ sunt opiniones. Prima vult esse actum voluntatis. Ita videntur sentire Anselmus, & Bonauentura, atque id aperte tradunt Scotus, Henricus, Ocham, Durandus, Almaynus, & Medina. Id probant in primis: quia voluntas est veluti domina, regina, & imperatrix omnium humanarum facultatum: nam ipsa omnes mouet, & impellit, quo vult, & ad id, quod vult, & ipsa est omnium suprema. Deinde quia actus imperandi semper est cum vi impellente, & cogente: at ratio non cogit, non impellit ad opus, sed voluntas. Item quia voluntas omnes hominis facultates adhibet, & applicat ad sua munera, & officia obeunda: & ipsa est quæ omnibus facultatibus vtitur tanquam ad ministris. Postremò quoniam ad imperium pertinent duo illi actus nimirum, Fac, vel, Ne facias: at huiusmodi actus non possunt esse rationis, sed voluntatis mouentis, & impellentis ad agendum. Secunda opinio tradit, imperium esse actum rationis. Sic aperte sentiunt S. Thom. 1. 2. *quæst. 17. art. 1. & ibi Cajet.* Conrad. Medi. Sot. *libr. 1. de Iust. quæst. 1. art. 1.* Richard. 3. *distinct. 33. art. 2. quæstione 6. ad 3.* & probant, quia teste Aristotele, Prudentiæ est propriè præcipere, non solùm exquirere, iudicare: Sed Prudentia est rationis, igitur hæc imperat, non voluntas. Item ad actum imperandi spectat dirigere, & præscribere quid sit agendum, & quid euitandum. Item imperantis est denunciare alteri, quid oporteat eum facere. Sed denunciare nõ est voluntatis, sed rationis. Ad hæc, imperare, & obedire ad se inuicẽ referũtur;

Anselm. lib. de concep Virg. ca. 4. Bona. 3. d. 17. a. 1 q. 1. n. 12. Hen. quod l. 9. q. 6. Scot 3. d. 36. q. 1. n. 2. Dur. 2. d. 24. q. 2 & d. 37. q. 2. Alm. trac. 3. moral. c. 2. Medi. de pœnit. tract. 6. q. 2. de oratione. Mai. 3. d. 37. qu. 7. Castrus li. 1 de legepœn. ca. 1. Gabr. 2. d. 39. q. 1. hr. 2. nota 3.

sed obedire, est rationis: nam cætera animantia rationis expertia non parent, sed ex necessitate, & conditione naturæ cientur: ergo imperare etiam est rationis. Postremò, lex est norma, regula, & recta ratio rerum agendarum, ergo lex est rationis actus; sed legis est imperare. Nyssenus siue Nemesius sæpè dicit, imperium esse rationis.

In hac controuersia, Primò compertum est, tria ad actum imperandi pertinere; vnum est ordinem agendorum præscribere. Alterum denunciare subditis, quid sit faciendum: tertium est ad agendum alterum mouere, & impellere; non enim omnis, qui alterum mouet, denunciat, nec ordinem rerum agendarum præscribit: nec omnis qui denunciat aliquid factitandum, ordinat: constat inter omnes, ordinare res agẽdas esse rationis dirigentis: & denunciare pariter esse rationis, ratio enim intelligendo loquitur; mouere autem voluntatis esse. Prima opinio affirmat, actum imperandi esse, impellere alterum ad opus præscribendo, & denunciando ei, quod est facturus; & propterea esse actum voluntatis mouentis ad opus ex denunciatione, & præscripto rationis. Secunda opinio docet, imperium esse præscriptum, & denunciationem rationis ex motu, & impulsu voluntatis profectam. Et hæc opinio mihi videtur probabilior, quotiescunque loquimur de imperio vnius hominis in alterum; cuiusmodi sunt leges, & constitutiones Principum, & aliorum Magistratuum edicta, & quorumcunque Ducum, & Præfectorum imperia.

Secundò quæritur, An in humanis actionibus præter actum eligendi, necessario poni debeat alius actus imperandi, quo ratio præscribat, & denunciet cæteris hominis facultatibus ex impulsu voluntatis quid fieri oporteat. S. Thomas aperte docet actum imperandi necessario esse ponendum ab electione distinctum, & post electionem consequentem, quia postquam facta est electio eius, quod est vtile ad finem, ratio imperat, id est, ex voluntatis impulsu præscribit, & denunciat esse agendum, vel faciendum, quod est electum, ac deinde aliæ facultates id exequũtur. Almainus verò, & Adrianus docent in actionibus humanis necessarium non esse huiusmodi imperium post electionem. Et hæc sententia quibusdam iunioribus magis probatur: Sed parum refert, hanc aut illam sententiam sequamur; quoniam S. Thom. solum docere voluit post electionem sequi imperium rationis in hũc modum. Voluntas vtitur reliquis facultatibus, hoc est, applicat eas ad id exequendum, quod eligimus, sed non applicat, nisi ductu, & imperio rationis, quod licet electionem anteceſſerit, manet tamen adhuc post electionem. Primò, quia denunciatio rationis non est nisi ad eos, qui auscultare, & auscultando, & intelligendo parere possunt: at post electionem, cæteræ hominis facultates ex necessitate naturæ rationi subiectæ sua munera, & officia exequuntur. Deinde teste Aristotele, Prudentiæ est præcipere: Sed Prudentia necessaria est ad eligendum: ergo Prudentiæ præceptum (quod secundum Aristotelem nihil aliud est, nisi rectæ rationis præscriptum, quo iudicatur, & decernitur, quid fieri oporteat ad finem consequendum) electionem omninò antecedit, ac proinde ante, non post electionem, imperium rationis existit. Item ex Aristotelis sententia virtutes morales non gignuntur, nisi ex præcepto Prudentiæ, & propterea virtus moralis est, qua eligimus id quod est vtile ad finem; at prudentia quatenus prudentia cõstituit, id quod ad rectè eligendum conducit: ergo præceptum Prudentiæ semper est ante actum virtutis, cuius est bonum eligere, rationis consilio, & iudicio definitum. Ex quo efficitur, vt cum Aristoteles docet, Prudentiæ esse, præcipere, non sit intelligendum, esse actum rationis, vel Prudentiæ, quo mens verbis imperatiui modi præcipiat, aut vetet, Fac, vel, Ne facias; sed esse actum quo ratio prudenter iudicat, præscribit, & decernit, quò sit eundum, vnde recedendum, hoc esse faciendum, illud cauendum, & fugiendum, vt conuenienter virtuti operemur: & huiusmodi rectæ rationis iudicium, ductum, & decretum appellat Aristoteles Prudentiæ præceptum siue præscriptum. Obijcies, Aristotelem ponere tres actus, quos Prudentia requirit, & postulat, nimirum inquirere quod est vtile ad finem, & hunc actum ait ad εὐβουλίαν, id est, bonam inquisitionem pertinere: & iudicare, & hunc actum spectare ad σύνεσιν id est, ad vim, & facultatem iudicandi: & præcipere, & hunc actum ait proprium esse Prudentiæ. Respondeo, eo loco Aristotelem actus Prudentiæ posuisse vnum quidem, qui est bona inquisitio, & inuestigatio eorum, quæ ducunt, & dirigunt ad finem, & ita εὐβουλίαν esse actum Prudentiæ: alterum verò quod est rectum iudicium, quo prudenter iudicamus de ijs, quæ sunt ad finem vtilia; & hoc appellat præceptum Prudentiæ. Præter hos duos Prudentiæ actus ponit etiam Aristoteles alios habitus, vel actus ad Prudentiam necessarios, inter quos est σύνεσις quæ latinè est sagacitas, & perspicacia, quæ ponitur ab Aristotele tanquam habitus ad Prudentiam requisitus, quo possumus rectè iudicare de eo, quod per Prudentiam studiosè inquisiuimus, & consultauimus diligenter. Pari ratione γνώμην ponit Aristoteles tanquam habitum ad Prudentiam maximè necessarium, quo quis potest secundum bonum, & æquum sentẽtiam ferrè de eo, quod prudenter inquisiuit, & inquirendo decreuit: γνώμη enim Græcè idem est, quod latinè sententia.

Tertiò quæritur, Quo pacto vulgariter actus voluntatis dicantur esse imperati, vel non imperati, si imperium non est actus voluntatis. Respõdeo, Actus vsitate dici imperatos, aut non imperatos voluntatis, quoniam fiunt motu, & impulsu voluntatis ex consilio, iudicio, & deliberatione rationis: Quare imperium, à quo actus imperati voluntatis dicuntur, nihil est aliud, nisi motus, & impulsus voluntatis ex consilio, iudicio, & præscripto rationis ad aliquid agendum, vel faciendum.

Quartò quæritur, Qui actus, & motus in homine voluntatis, & rationis imperio subijciantur: quod est quærere, quænam hominis facultates, & vires pareant, & obtemperent. Aristoteles docet duas esse in homine vires, vnam quę rationi obsequatur, & rationis consilio, & iudicio

diriga-

S. Tho. 1. 2. q. 17. art. 3. ad. 1.

Alma. tract. 3. moral. c. 3. Adri. quodl. 4. a. 1. Ma. 3. d. 33. q. 7.

Arist. lib. Ethic. 6. c. 8. 9. & 10.

Arist. li. 1. Ethi. c. 13.

dirigatur; alteram quæ rationi non obediat, nec possit rationis consilio gubernari. Facultas namque concupiscendi, vel irascendi rationi interdum auscultat, cuius consilium, & ductum aliquando sectatur: at verò naturalis facultas hominis, quæ est vis nutriendi, augendi, generandi, rationi non paret. Item alio in loco docet Aristoteles mentem, siue rationem imperare facultati appetendi principatu politico; corpori verò principatu despotico. Vult dicere, Mens, & ratio suo consilio, & iudicio gubernat vim appetentē, veluti Rex ciues sibi subiectos, qui non necessitate, sed sponte, & voluntate scienter obtemperant: at verò corpus moderatur, & regit, sicut dominus seruum sibi obligatum, qui necessitate, non libera voluntate, eius mandata & iussa semper facessit. Primum igitur, vt omnes voluntatis actus imperatos enumeremus: actus voluntatis potest esse imperatus ab alio actu voluntatis, atque ita voluntas sibi imperat aliquando, hoc est, ex vno actu sese mouet, & applicat ad aliud volendum; & hoc modo nos ex amore, vel timore, vel religione in Deum excitati ad peccata detestāda permouemur, ac propterea peccatorum detestatio est actus imperatus ab amore in Deum. Secundò actus rationis potest esse imperatus à voluntate, hoc est, ex motu, & impulsu voluntatis. Hac ratione actus credendi est quidem actus elicitus rationis, sed imperatus à voluntate, quoniam proficiscitur ex pio affectu, & impulsu voluntatis, quo qui credit, suum præstat assensum. Quandocunque autem mens, vel ratio rei euidentia conuicta assentitur, non subijcitur spontaneo, & libero voluntatis imperio: quādo verò solum est ratio probabilis rei dubiæ faciens fidem, tunc noster assensus pendet ex pio voluntatis impulsu, & affectu, quia ratio, & argumentum probabile nequaquam nos euidenter, & manifesto conuincit. Tertio, Actus facultatis concupiscentis, vel irascentis possunt esse imperati, licet interdum omne voluntatis, & rationis imperium ante cedat. Quare imperio hoc est motu, & impulsu voluntatis possumus aliquando irasci, contristari, dolere, timere, desiderare, delectari, & amare. Quartò, Actus virium sentientium possunt esse imperati: possumus enim ex motu voluntatis, & rationis consilio, & iudicio cernere, gustare, audire, loqui, odorari, tangere. Quintò, Actus facultatis animalis loco mouentis possunt esse imperati. Vis loco mouens in animantibus generatim est, qua alia progrediuntur, alia natant, alia volant, alia humi serpunt. In hominibus verò est vis incedendi, & propterea incessus hominis, imperio voluntatis subijcitur: potest etiam homo imperio mentis aliud corpus impellere, vel circumferre, vel proijcere, vel ad se trahere, aut alio deferre, & portare, quæ sunt quædam species motus in loco, vel circa locum. Actus verò in homine, qui imperio voluntatis, & rationis non parent, pertinent ad vires, quas Philosophi, & Medici, naturales & vitales appellant. Vis naturalis, est facultas nutriendi, & augendi; quæ quatuor alias sibi habet tanquam administras, quæ sunt; Vis attrahendi, retinendi, concoquendi, & expellendi. Primum enim attrahitur cibus, attractus retinetur; retentus concoquitur; & quod ex concoctione abundat, expellitur. Est item naturalis facultas, vis generandi. Harum virium actiones non sunt rationis imperio subiectæ, quia ex conditione, & necessitate naturæ mouentur, & sua munera, & officia naturaliter præstant, in somno absque voluntate semen emittimus, & innata est animantibus naturalis cocundi, & generandi cupiditas. Vitalis facultas est duplex, vna, quæ in motu spiritus per arterias consistit, quem motum Medici pulsum appellant: Et huiusmodi actus imperium rationis non sequitur. Altera est respirandi facultas, qua spiritum ex pulmone emittimus, ne nimium cor incalescat, & nouum attrahimus, vt cor refrigeretur. Huius facultatis actionem non esse voluntariam Aristoteles tradit. Nyssenus naturalem esse dicit: nam in somno etiam respiramus. Medici quidam imperio voluntatis subiectam esse arbitrantur, atque id experientia, & ratione confirmant. Nam multi, vt diutius sub aquis immorentur, ad tempus spiritum comprimunt. Nonnulli etiam, vt sibi ipsis mortem consciscerent, diu à respirando sese continuerunt: denique sponte sua potest quis respirare, & non respirare, quamuis diu respiratione repressa suffocatus intereat. Obijcies, Nihil cogitantes respiramus. Respondent, hoc minimè impedire, quin respiratio possit esse voluntaria: nam & aliquando nihil cogitantes incedimus, loquimur, aspicimus; & tamen incedere, loqui, & aspicere sunt aliquando voluntaria. Postremò sunt duo alij appetitus, qui imperio rationis non parent, nisi ob materiam sponte, & voluntate subtractā, nempè sitis, & fames. Sitis est cupiditas teste Aristotele, frigidi, & humidi videlicet potionis. Fames verò est cupiditas calidi, & sicci, nimirū cibi; huiusmodi cupiditates naturæ necessitate, & conditione excitantur, & surgunt: potest tamen quis vltro sese ab esca potuque abstinere, ac proinde sitim, ac famem suo nutu, & arbitratu perpeti. Rationi quoque non auscultant, nec obtemperant voluntati quidam naturales motus, & impetus, qui ex affecto corpore excitati nascuntur: vt mœror, & luctus in morbo ex atra bili premēte: gestiens lætitia ex liquido, & puro sanguine, quo solet esse cor circumfusum: offensio ex plaga accepta: sternutamēta ex aliquo in nares coniecto, vel immisso, sudor ex agitatione corporis vehementi. Hi & alij huius generis motus ita sunt celeres, ac rapidi, vt ante rationis iudicium præcurrant, ac præuolent.

Arist. li. 1. Politico. cap. 3.

Arist. lib. 8 Phys. tex. 31. Nyssen. lib. citato. c. 19.

Arist. lib. 2 de Anima tex. 28.

Nyssen. lib. 4. Philoso. c. 8. et c. 18. Nyssen. lib. citat. c. 15. Nyssen. lib. citato. ca. 17.

LIBRI PRIMI FINIS.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIB. II.

DE BONITATE ET PRAUITATE Humanarum actionum.

CAPVT PRIMVM.

In quo consistat Bonitas, aut Prauitas actus humani.

S. Tho. 1.2 q.18. art.1. Duran. 2. q.18. q.1.

PRIMO quæritur, Quidnam sit Bonitas, siue honestas, & quid Prauitas humanæ actionis. Respondeo, Actum humanum ex eo esse bonum, quòd sit cum recta ratione congruens; aut saltem ex eo, quòd iuxta Prudentiæ præscriptum existimetur rectæ rationi consentaneus. Malus verò actus est, eo quòd sit rectæ rationi contrarius, aut iuxta Prudentiæ præceptum talis esse ratione iudicetur.

S. Th. 1. 2. q. 21. art 1. 2. 3. & 4.

Secundò quæritur, An sit idem actus liber qui bonus laudabilis, & qui vulgari, & quotidiano sermone dicitur meritorius? hoc est actus, quo quis præmium promeretur. Respondeo, Hæc omnia esse proprietates, & conditiones actus ob varios respectus, & ordines quos habet actus humanus, cum diuersis simpliciter comparatus. Primò actus est liber ob originem, quam trahit ex libera voluntate, consilio, & iudicio, ac ductu rationis, vel saltem suo nutu, & arbitratu operante. Secundò actus est bonus ob respectum, quem habet ad rectam rationem, quæ est regula humanorum actuum. Nam actus eatenus est bonus, quatenus est suæ regulæ, nimirum rectæ rationi congruens. Tertiò actus humanus est laudabilis ob ordinem ad dignam commendationem, quatenus est laude, & commendatione dignus: sicut vituperabilis actus est, quia reprehensione sit dignus. Humanus actus præmium meretur, qui ideo dicitur vulgò meritorius, quatenus ad remunerationem, & remunerantem refertur: nempè quatenus est præmio dignus: sicuti actui malo pœna debetur, quem idcirco demeritorium vocant, quatenus est pœna, & supplicio dignus. Et animaduertendum est, actum præmium mereri, quamuis sine præmio in perpetuum maneret, quia sufficit si actus sit per se præmio dignus, nimirum talis cui præmium debeatur. Veluti actus etiam est laudabilis, qui est commendatione, & laude dignus, licet nunquam in perpetuum vllis laudibus prædicetur. Pari ratione è contrario actus mali mulctam, & pœnam merentur, quia per se sunt cruciatu, & supplicio digni, etiamsi omni pœna in æternum carerent. possent enim crimina impunita manere, licet pœnam promereantur; & sunt vituperabiles actus, tametsi nulla vnquam reprehensione improbentur. Porrò vt actus sit bonus, vel malus in moribus, laudabilis, vel vituperabilis, & vt pœnam, vel præmium mereatur, opus est, vt sit voluntarius, & liber, quamuis libertas in actu diuersum respectum, & ordinem habeat ab eo, quem bonitas, vel meritum habet. Aliunde ergo actus est voluntarius, & liber, & aliunde est bonus, & laudabilis, & pœna, vel præmio dignus.

Dura. 2. d. 38. q. 1.

Tertiò quæritur, Quo pacto bonitas naturæ differat à bonitate moris in actibus. Respondeo, Bonum in quodam respectu, ordine & comparatione consistere, sicut etiam verum rationis. Quemadmodum enim intelligentia siue ratio est vera, quatenus intelligendo cum re ipsa consentit, & congruit, eo quod eam intelligit, sicut est: sic etiam Bonum nihil aliud est, nisi id, quod est rei certæ conueniens. Calor enim est malum aquæ, quia non est aquæ conueniens, & est bonum ignis, quoniam est igni congruens, & commodus. Quare bonitas naturalis distinguitur à bonitate morali: quòd bonum naturæ est id, quod conuenit rebus, prout naturam habent, hoc est, quod rei cuiusque naturæ congruit; veluti bonum est aquæ frigere, & refrigerare. Contra bonum est ignis calefacere, & exurere. Omnes igitur naturæ conditiones, & proprietates dicuntur esse bona naturæ. At bonum moris dicitur id, quod est rectæ rationi consentaneum: Sicuti Deum amare, reuereri, & colere; castè viuere, & reddere cuique quod suum est, sunt bona moris, quia rectæ rationi congruunt. His verò contraria sunt mala moris, quia sunt rectæ rationi inimica, & aduersa. Idem igitur est bonum moris, quod bonum rationis; sicuti bonũ naturæ est idem, quod bonum rei; & idcirco interest plurimùm inter bonum moris, & bonum naturæ; nam bonum naturæ, cum sit bonum rei, necessariò debet cum reipsa congruere, nec sufficit, si solùm congruere existimatione, & opinione credatur: at verò bonum moris est bonum rationis, & idcirco sufficit si rectę rationi cõsentaneum prudentis iudicio existimetur. Vt si Titius accedat ad vxorem alienam, bona fide putans esse coniugem suam, accessus est bonus bonitate moris, qui est iuxta rectæ rationis præscriptum, & proinde cum recta ratione conueniens.

Quartò quæritur, An bonitas moris, vel prauitas sit solus respectus, & ordo ad rationem. Respondeo, Sicut bonitas, naturæ non est sola alicuius rei cum natura collatio, sic & bonitas moris in actibus humanis non est solus respectus ad rectam rationem: nam vt veritas in actu rationis re ipsa est assensus mentis, siue rationis cum re ipsa consentiens; assensus autem est quædam qualitas menti siue rationi insidens, respectum, & ordinem habens ad rem cum qua congruit: Sic etiam bonitas naturæ est quædam qualitas, conditio, vel proprietas, vel secundum substantiam, vel secũdum accidens cum ipsa rei natura cõcordans: & bonitas moris re ipsa est actus voluntarius, ac liber rectæ rationi cõsentaneus, ac proinde bonitas moris cũ respectu, & ordine ad

rectam

rectam rationem est: Sed non est solus ille respectus, & ordo ad rationem; pari modo prauitas in actibus moralibus non est solus respectus, sed est vel actus voluntarius, & liber rectæ rationi contrarius, vel est omissio eius, quod facere deberemus; vt mentiri, odio alterum habere, rem diuinam lege mandatam, aut ieiunium ab Ecclesia indictum negligere, sunt actus cum recta ratione pugnantes.

Quintò quæritur, An prima bonitas moralis in actibus humanis ex re obiecta pendeat. Respondeo, rem esse compertam apud omnes, huiusmodi primam bonitatem sumi ab obiecto: ideo enim velle credere, quæ sunt à Deo prædicta, est bonum, quia credere Deo aliquid dicenti est bonum. Item velle Deum colere, & reuereri, vel amare, est bonũ, quia cultus, reuerentia, vel amor in Deum est bonus: & rursum cultus, vel reuerentia, vel amor in Deum est bonus, quia Deus cultu, reuerentia, & amore est dignus: quoniam hæc ipsi omni iure debentur. Item velle mentiri, furari, vel occidere, ideo est malum, quia mentiri, furari, vel occidere est malum: & huiusmodi bonitas, vel prauitas, quæ ex obiecto in actum deriuatur, est omnium prima, & tanquam prima, & maximè generalis ad certam speciem trahitur per alias bonitates, quæ à fine, & circunstantijs ducuntur, non quidem, vt genus per differentias constituentes species, sed vt substantia rei per accidentia; quæ accedunt, & adueniunt: & hæc bonitas dicitur à Theologis Bonitas ex genere, hoc est, Bonitas ex specie, & natura actus, accepto genere pro specie, & natura. Obijcies; Si quis voluntatem habeat generatim rectè viuendi, aut nunquam peccandi, est quidam actus bonus, & tamen ab obiecto non sumit speciem, quia obiectum est quid commune, quod non potest speciem peculiarem nostræ actioni præstare. Eodem modo si Titius velit malè viuere, & peccare, est malus actus, & tamen obiectum, quod est commune, speciem actui præbere non potest. Respondeo, Cum dicimus ab obiecto speciem accipi in actibus, non significamus actum esse eiusdem speciei, cuius est res obiecta, cum possit obiectum esse commune, & nihilominus actum esse in certa specie constitutum: sed significamus, speciem actus duci, & peti ab ordine, & respectu ad obiectum: & quãuis obiectum sit commune, ordo & respectus ad illud est specialis, eo quod specialiter distinguitur ab ijs, quæ ad obiectum speciale referuntur. Verbi gratia in naturalibus notitia, qua cognosco ens vniuersum, & generatim acceptum est notitia quædam specialis, siquidem est vna numero, & singularis, & tamen obiectum est, commune. Cæterum notitia entis est specialis, quia distinguitur ex ordine, & respectu ad ens à cæteris notitijs, quibus cognosco aliquod ens speciale. Notitia, qua cognosco animal generatim acceptum, est specialis, quoniam specialiter distincta ex ordine ad suum obiectum à cæteris notitijs, quibus percipio aliquod speciale animal. Item aspectus, vel visio albi, nigri, & rubri, est specialiter distincta à visione albi solummodò, quia in priori visione videtur communiter tria; in posteriori verò cernitur solummodo candidum. Idem in moribus contingit: nam voluntas rectè viuendi, aut nunquam peccandi, aut malè agendi, est specialis; quamuis obiecta sint communia, quoniam respectus, & ordo ad huiusmodi communia est specialis, specialiter distinctus à cæteris actibus, quibus volumus aut peculiare bonum, aut speciale malum. Si quæras cuius virtutis, aut vitij sint huiusmodi actus: Velle bene viuere, aut velle malè, & perperam facere. Respondeo, Priorem actum ad synderesim pertinere, quæ est recta ratio vniuersè præscribens esse bene viuendum, & huiusmodi præscriptum sequitur bona voluntas studiosa, & cupida bonæ vitæ; & voluntas perperam faciendi est contra synderesim, & ideo mala, quia rectæ rationi contraria: quamuis nulli speciali virtuti morali aduersetur.

Cap. II.

Quo pacto bonitas, aut prauitas actus humani ex fine deriuetur.

PRIMO quæritur, An bonitas, vel deformitas actus ex fine ducatur. Respondeo, Certum esse apud omnes Theologos, post primam bonitatem, vel deformitatem, quæ ab obiecta re deriuatur, actum exteriorem sumere secundam bonitatem suam, aut prauitatem à fine, quem sibi voluntas constituit. Veluti si Titius interimat Caium, vt omnia bona eius surripiat, actus eiusmodi primam prauitatem habet ex obiecto; & hac ratione est homicidium Caij, at verò ex fine furandi bona Caij, quem finem sibi Titius præstituit, idem actus furti speciem naturamque ducit, ac sumit: quod si actus exterior ratione suæ obiectæ materiæ, in qua versatur, sit medius, & indifferens, totam suam bonitatem, vel prauitatem sumit à fine. *S. Tho. 1. 2. q. 18. art. 4 Dur. 2. d. 38. q. 1.*

Sed est controuersia in hac re, An finis relatus ad internum voluntatis actum, tribuat ei primam bonitatem, vel prauitatem, an verò secundam? Quæstionem mouet, quia finis si ad internum voluntatis actum referatur, est proprium eius obiectum, ergo bonitas, vel deformitas à fine sumpta in actibus voluntatis internis est prima tanquam ab obiecto proprio deriuata. Duæ sunt opiniones, Prima distinguit in hunc modum. Vel actus voluntatis internus est intentio, vel electio: Si intentio, tunc bonitas, vel deformitas à fine ducta est prima, & tota, quia finis est proprium obiectum intentionis, ergo bonitas, vel prauitas ex fine orta, & profecta descendit ab obiecto, ac proinde est prima: at verò si actus interior voluntatis est electio, tunc bonitas, vel deformitas electionis sumpta ex fine, nec est prima, nec tota, sed secunda, quia obiectum electionis non est finis, sed id quod est vtile ad finem: ergo electio à suo proprio obiecto accipit primam bonitatem, & secundam à fine. Sit exemplum: cum Titius respiciens, vt finem sibi propositum, claritatem in Deum, eligit largitionem eleemosynæ in pauperum vsus, tunc intentio ex obiecto est actus charitatis, in quo actu *S. Tho. 1. 2. q. 18. art. 6.* *Medi. 1. 2. q. 18. ar. 4. & 6.*

Deus

Deus est finis, & obiectum; electio verò ex obiecto proprio est actus misericordiæ: & hęc est prima bonitas in electione, qua Titius eleemosynã deligit; ex fine verò constituto est actus charitatis quæ est secunda bonitas nata ex fine tanquam ex circunstantia electionis, non autem tanquam ex obiecto. Quando verò id, quod eligitur ad finem consequendum, per se bonum non est, tunc electio totam ex fine bonitatem habet: vt cum ægrotus sumit potionem amaram. Si verò sermo sit de actu externo: aut in eo nulla est per se bonitas, vel prauitas, quia est actus medius, & indifferens per se: & hic primam bonitatem, vel deformitatem sumit à fine: aut in eo est bonitas, vel prauitas ex obiecto proprio, & proxima materia, in qua versatur, & hæc est prima bonitas vel deformitas actus exterioris, altera verò ex fine manans, ac surgens, semper est secunda; quia actus exterior habens suum proprium obiectum & materiam, in qua terminatur, quando obiectũ est per se bonum, eo ipso sumit ab eo bonitatem: & proinde bonitas ex fine deriuata, tunc est in actu exteriori secunda, quoniam finis habet rationem circunstantię, non obiecti, eo quod actus exterior natura sua in nihil aliud refertur, præterquam in suũ obiectum; & propterea solummodo consilio, & ductu rationis, & voluntatis impulsu refertur in eum finem, quem voluntas sibi proponit. Hęc ferè prima est opinio. Altera verò docet in omni actu interiori voluntatis, siue sit intentio, siue electio, bonitatem à fine acceptam esse primam, & integram, quia in omni huiusmodi actu finis est proprium, & totum obiectum; ergo toto, vel prima bonitas à fine profecta, ex obiecto videtur existere, & proinde prima appellatur: ita vt ea bonitas, vel deformitas, quam habet id, quod eligitur ad finem, si sit per se honestum, & bonum, vel turpe, sit secunda, eo quod sit ex circunstantia sumpta, non ex obiecto. In alio verò cum prima opinione cõsentit, nempè, actus exterioris bonitatem à fine sumptam, esse secundam; & primam esse eam, quæ ab obiecto proprio, & proximo deriuatur. Veluti, homicidium a Titio commissum causa adulterij perpetrandi, est ex obiecto homicidium, quæ est prima in hoc actu exteriori deformitas, sed ex fine est adulterium, quæ est secũda prauitas actionis. Certè hæc secunda opinio est longe probabilior, & verior. Ita vt bonitas, vel prauitas eius, quod est ad finẽ, vel tota penitus à fine, vel saltem prima deriuetur. Nam si loquamur de actibus voluntatis interioribus, qui in fine, vt in materia versantur, cuiusmodi sunt actus appetendi, volendi, optandi, amandi, fruendi, intendendi: qui actus terminãtur in aliquo obiecto, iucundo, vel honesto: tunc bonitas in huiusmodi actibus eadem prorsus est, siue ex fine, siue ex obiecto sumpta: quia ipsum iucundum, vel honestum, cum propter se appetatur, & ametur, & est obiectum, & est finis. Si verò sermo sit de actibus interioribus voluntatis, qui versantur circa id, quod est vtile ad finẽ, quales sunt Electio, Consensus, & Vsus: tunc etiam in huiusmodi actibus tota, & prima bonitas, vel deformitas, ex fine deriuatur, ac pẽdet, tanquam ex obiecto proprio nata, & accepta: quoniam cum quippiam eligitur, vt est vtile ad finem assequẽdum, quatenus eligitur, vt relatum ad finem, non habet per se bonitatem, quia non habet aliam, nisi vt est vtile; quod planum est, & manifestum in ægroto, qui potionem amaram sumit recuperandæ valetudinis gratia: sicut etiam cum sæpè nos alia difficilia, ardua, & acerba sustinemus, & facimus, solùm quatenus vtilia sunt ad finem, quem respicimus consequendum, continẽt bonitatem, nisi id, quod est ad finem appetamus propter ipsum, vt est per se bonum, honestum, vel iucundum: Sed tunc non illud eligimus, sed potius intendimus, quamuis hæc intentio imperetur ab altera; & proinde sunt actus imperatus, & imperans: de quibus statim dicemus. Ergo quod eligitur, vt vtile, eligitur propter bonitatem finis; & proinde bonitas electionis prima ponitur in fine proposito, & optato. Nec refert si id quod eligitur, aliunde sit bonum, quia hoc ex accidenti conuenit ei, quod eligitur. Causa exempli: Gratia, & studio charitatis in Deum, eligit Titius largitionem eleemosynæ, electio eleemosynæ, vt electio est, primam, ac totam bonitatem sumit ex amore in Deum, & proinde huiusmodi electio re ipsa est charitatis op⁹, & officium; at verò quia aliunde per se habet bonitatẽ propriam, ex qua est actus misericordię; ideò huiusmodi bonitas est secunda in electione, non quidem vt est electio, sed vt intentio: nam electioni, vt electio est, ex accidenti conuenit omnis bonitas aliunde exorta, & profecta, præterquam à fine. Nam quod est, & ducit ad finem, aut appetitur gratia sui, vt est per se bonum, honestũ, vel iucundum, & tunc intenditur, non eligitur: sicut cum ęgrotus vult medicinam non solùm, vt remedium vtile ad sanitatem, sed etiam vt dulcem, & suauem, & iucundam per se: Aut appetitur gratia finis, & tunc eligitur, non intenditur, quoniam eligitur, vt vtile, & commodum ad finem consequendum, & ideo eligitur non gratia sui, sed alterius, ex quo bonitatem accipit. Dices, Quando id quod ducit ad finem, est etiam per se bonum, videlicet honestum, vel iucundum, appetitur propter se simul, & propter aliud. Sed contra; ergo tunc eligitur simul, & intenditur: Eligitur quidem non ob suam bonitatem quam per se habet, sed ob bonitatem finis, ad quã est vtile; intenditur verò, quoniam est per se bonum, honestum, vel iucundum: & propterea S. Thomas in vniuersum docet, in actibus interioribus voluntatis, bonitatem ex fine sumptam ab obiecto pẽdere, ac proinde primam esse, nihilque inter Intentionem, & Electionem distinguit. Nam cum id quod est per se bonum, eligitur ad finem, parum aut nihil refert, sit per se bonum, nẽcne; nam etiam si bonum per se non esset, eligeretur tamẽ; si esset ad finem vtile, & commodum. Accedit igitur ei bonitas aliunde proueniens. Veruntamen fortassis quæstio hæc est nominis, non rei. Nam video secũdam opinionem cum prima posse facilè conciliari, nec enim prima negare contendit bonitatem eius, quod eligitur, vt vtile ad finem, totam à fine deduci; sed docet in actu, qui est electio, quando id, quod eligitur, non solùm est vtile ad finem, sed etiam per se bonum, duplicem esse bonitatem, vnam sumptam à fine, & cõuenientem electioni, vt electio est; alteram per

se con-

Caiet. & Corr. 1. 2. q. 18. a. 6. et videtur esse S. Tho. 1. 2. q. 18. a. 6. legẽdus est Caiet. 1. 2. q. 18. ar. 4.

S. Tho. 1. 2 q. 18. ar. 6.

se conuenientem electioni, non vt electio, sed vt intētio est, quam bonitatem habet per se, id quod eligitur.

Secundò quæritur, An idem sit dicendum de actibus interioribus, quorum vnus refertur ad alterum tanquam imperatus actus, ad eum, cuius imperio fit: quod dicitur de actu exteriore, & interiore, quorum exterior ex interioris imperio ad alium finem dirigitur. Veluti si Titius habeat duos actus, vnum, qui sit charitatis in Deum, alterum, quo velit Deo pro suis peccatis satisfacere Deum precando, ieiunia colendo, & seruādo, eleemosynas largiendo: quæ est voluntas agendi pœnitentiam: ita vt impulsu, & imperio charitatis, nimirum, quia amat Deum, velit pro peccatis sua culpa contractis satisfacere, velit ieiunium seruare, Deum precari: Quæritur an in Titio voluntas satisfaciendi pro peccatis admissis, aut voluntas suscipiendi ieiunia, aut Deum precādi sumat secundam bonitatem ab actu charitatis, ex cuius imperio pendet. Caietanus ait, in his actibus esse eandem rationem, quæ est in actu exteriore imperato, & interiore, à quo imperatur exterior: fatetur enim secundam in actu interiore imperato bonitatem à fine sumi, quem voluntatis imperium constituit: sicuti actus exterior secundam bonitatem habet à fine, quem interior præstituit. Et prima bonitas actus interni imperati in voluntate, non sumitur à fine actus qui imperat, sed à proprio, & proximo obiecto ipsius actus imperati, qui in hoc se habet sicut actus exterior. Alij verò Caietanum oppugnant asserentes non esse idem dicendum de actu imperato, quod dicitur de actu exteriore, qui fit imperio voluntatis. aiunt enim, in actibus voluntatis internis primam, ac totam bonitatem, aut prauitatem actus imperati sumi à proprio obiecto, & fine proximo, & non à fine alicuius alterius actus. Probant non eandem esse rationem de actu interiore imperato, quæ est de exteriore, quia exterior non est per se intrinsecus voluntarius, & liber, sed extrinsecus per actum voluntatis; at actus interior licet sit imperatus, est per se, & intrinsecus voluntarius, ergo à proprio obiecto, & fine proximo habet primam, & integram bonitatem, aut deformitatem; actus verò exterior cum sit voluntarius per actum internum, cuius imperio fit, necessariò per eum accipit bonitatem, aut prauitatem à fine, quem actus interior constituit. Et quia actus interior quamuis sit imperatus, est tamen completus, & perfectus per seipsum, quippe qui est per se voluntarius, & liber, & habet suum proprium obiectum, & finem; ideo per seipsum est actus humanus bonus, vel malus, vel indifferens: at actus exterior non est actus humanus per seipsum perfectus, sed per actum voluntatis, cuius imperio fit, & proinde ab eo sumit bonitatem, vel prauitatem non quidem primam, sed secundam. Nam actus interni voluntatis imperans, & imperatus, per se sunt duo actus distincti in genere naturæ, & non solùm moris: at actus exterior in genere naturę sæpè est vnus, & idem, quamuis in genere moris extrinseco voluntatis imperio mutato, & variato fine, modo sit bonus, modo malus: Vt si in templum eas gratia furandi, deinde mutato fine eas causa rem sacram audiendi. Et ideo actus internus, qui imperatur, & is qui imperat interior, distincti, completi, & perfecti in duplici specie moris reponuntur: nam vterque ex proprio obiecto, & fine proximo suam speciem, & formam habet tanquam actus voluntarius & liber, virtutis, vel vitij. Porrò alijs videtur, in his actibus primam bonitatem, aut deformitatem à fine descendere, quem dat actui imperato interno ille, qui imperat, ita vt sit eadem ratio de his actibus, quæ est de actibus voluntatis internis, qui versantur in eo, quod ducit ad finem, vel etiam, qui terminantur in ipso fine: in quibus vt ante iam dixi, prima bonitas, aut turpitudo habetur ex fine, quem sibi proponit voluntas, vel intendens in illum, vt eligens aliquod remedium ad consequendum. Quod probant, quia actus imperatus voluntatis, licet per se habeat proprium obiectum, & finem; nihilominus tamen motu, & imperio voluntatis & rationis refertur ad eum finem, quem ipsi voluntas imperando præstituit: Et propterea sicut ex electione prima bonitas, aut prauitas actus ex fine proposito tanquam ex proprio obiecto deriuatur; & prima bonitas, aut deformitas est illa in vniuersum, quæ à cuiusque actus obiecto pendet: sic etiam quando sunt duo actus voluntatis, vnus, qui imperat, alter imperatus, si actus qui imperatur, habet bonitatem ex obiecto, ea est ita propria, vt conueniat ei per se, citra vllum voluntatis imperium: & ideo nec deriuatur, nec pendet ex fine, quem constituit is actus, qui imperat: at bonitas, vel deformitas quam habet actus imperatus quatenus imperatur, descendit ex fine, quem constituit is actus, qui imperat. Vt puta, si actus charitatis sit, cuius imperio, & impulsu est voluntas satisfaciendi Deo pro peccatis, vel voluntas sperandi vitam æternam, vel ieiunium seruandi, vel precandi Deum; tunc erit ea voluntas actus charitatis, quamuis per se sit pœnitentiæ, vel spei, vel abstinentiæ, vel religionis. Contra verò, si actus pœnitentiæ, vel spei sit, cuius imperio actus charitatis elicitur, tunc erit actus pœnitentię, vel spei, licet per se actus sit charitatis.

Caiet. 1. 2. q. 18. ar. 6.

Hæc controuersia mihi videtur potius quæstio nominis quàm rei. In primis dubitari non potest, quin actus internus voluntatis, qui imperatur ab alio interno voluntatis actu, sæpe sit honestus, vel turpis duplici ex parte, & causa, aut per se, aut ex actu, cuius imperio fit. Sit exemplum. Quia Deum diligo, impero mihi ipse, vt velim pauperis miseriam subleuare; indigentis misereri per se bonum est: nam cum recta ratione conuenit; item pauperis misereri, quia Deum diligo, qui monet vt miserear, habet bonitatē ex charitatis imperio, & impulsu: ergo subuenire indigenti est bonum, quia per se est opus misericordiæ, & est itidem bonum, quia fit studio charitatis. Martyrium est opus fortitudinis, & est opus, & officium charitatis: fortium est mala perpeti, & vitæ periculum adire, causa communis salutis: at charitatis est pro Deo sanguinem, & vitam fundere. Ait igitur Caietanus: *Sicut actus exterior per voluntatem refertur in alium finem præter eum, quem habet per se, sic actus voluntatis in-*

ternus in alium finem dirigitur per voluntatem sibi alium finem proponentem: vnde fit, vt actus imperatus eum finem attingat, quem respicit voluntas dum imperat. Hoc docuit Caietanus, vt S. Thomam exponeret, dicentem: *Ordinari ad talem finem, etsi accidat exteriori actui, non tamen accidit actui interiori voluntatis, qui comparatur ad exteriorem, sicut formale ad materiale.* Sic ille. Cum ergo Caietanus ait eandem esse rationem de actu imperato, comparato cum actu, cuius imperio fit, quæ est de actu exteriori collato cum interiori, per quem denuo in aliquem finem refertur: non loquitur generatim de actu exteriori, qui voluntarius, & liber non est citra voluntatis actum internum: neque enim furari, est opus humanum, nisi scienter, & spontè fureris: at actus imperatus voluntatis internus, est actus humanus, etiamsi citra alium internum voluntatis actum imperantem existeret: nam ex imperio alterius actus habet, vt in alium finem denuò referatur: sed non habet, vt sit voluntarius, & liber, quia cum sit actus voluntatis internus citra alium actum voluntatis, à voluntate ipsa, non per alium actum habet, vt sit voluntarius. Quare Caietanus comparat solum exteriorem actum cum interiori, per quem denuo in finem refertur, & ex quo denuo est voluntarius, & liber, cum antea esset voluntarius, & suum proprium obiectum, & finem haberet. Rem exemplo declaro: Dat quis eleemosynam Petro indigenti, vt eius inopiam subleuet, facit officium misericordiæ; sed dat etiam amore, & charitate Dei: tunc opus exterius habet bonitatem secundam à fine quem charitas constituit. Sic etiam, inquit Caietanus, voluntas dandi eleemosynam indigenti, si imperetur ab alia voluntate Deum diligenti, habet primam bonitatem ab obiecto proprio: est enim studiosa voluntas misericordiæ, & accipit aliam bonitatem à fine, quem charitas proponit, & cuius imperio exiſtit voluntas eleemosynam erogandi. Ac propterea quod S. Thomas ait, actum externum in finem dirigi, & referri per actum voluntatis internum: intelligitur de eo actu externo, qui cum sit voluntarius, & in sua propria materia obiecta versetur, & proprium finem respiciat, denuò per alium actum voluntatis internum, in finem dirigitur; & ideo dixit accidere, vt actus exterior in finem per interiorem dirigatur. Et cum subijcit S. Thomas, non accidere, vt actus interior per alium in finem referatur; locum habet, vt rectè ait Caietanus, in eo actu voluntatis tantum, cuius est alium dirigere, & ad aliud referre: nam voluntas & sibi, & alijs hominis facultatibus imperare potest: & suos actus, sicut etiam aliarum facultatum functiones & opera, potest denuò in aliquem finem referre.

S. Th. 1. ar. q. 18. ar. 6.

Tertiò quæritur, An cum supradictis conſentiat id, quod Aristoteles tradit, eũ, qui lucri gratia adulterium admittit accepta pecunia, magis esse iniustum, quam intemperantem; sed adulterum, qui pecunias dat, & ob id damno afficitur, esse potius intemperantem, quam iniustum. Respondeo, in his Aristotelem cum antedictis conuenire, nimirum in actibus voluntatis internis bonitatem, vel deformitatem primam à fine tanquam ab obiecto deriuari; esse verò secundã bonitatem, vel prauitatem, eam, quæ ab obiecto electionis manat, ac fluit; quia est à circunstantia sumpta: nam vt ante iam dixi, intentioni quã tibi finem constituis, accedit bonitas, aut deformitas eius, quod est, & ducit ad finem; quoniam siue sit res per se bona, aut mala, eligitur, vt vtilis ad finem consequendum, quæ intentioni finis accedit: quamuis si adulterium sumatur, vt actus etiam interior imperatus à cupiditate lucri, tunc primam prauitatem ab obiecto suo sumat, secũdam à fine, eo quod accidit adulterio, vt voluntatis cupidæ imperio & impulsu ad lucrum referatur. Et ideo is, qui lucri gratia adulterium admittit pecuniam accipiens, hoc est, lucri causa, siue cupiditate pecuniæ, potius est, inquit Aristoteles, iniustus, quàm intemperans, quia ex fine sibi proposito est iniustus; proinde hæc est prima deformitas in actu voluntatis: Sed qui cupiditate, & causa adulterij pecunias dat, & damnum sustinet; intemperans, inquit Aristoteles, est, non iniustus, eo quod finem sibi propositum habet intemperantiam, non iniustitiam, hoc est, non cupiditatem lucri ex adulterio. Fortè roges, quo pacto dicat Aristoteles esse iniustum, qui lucri gratia est adulter accepta pecunia; cum lucri cupiditas non sit iniustitia, sed auaritia. Respondeo, lucri nomine, & appellatione Aristotelem accipere id quod aduersus iustitiæ leges vsurpatur, ac debet secundum leges, ac iura restitui: veluti, si pluris vendas merces quàm valeant: nam id, quod amplius iusto pretio lucri fecisti, lucrũ quidem est tibi, sed contra iustitiam: & secundum leges ciuiles, iuxta quarum præscriptum Aristoteles eo loco determinat, pecunia ex adulterio comparata turpe lucrum censetur: & adulter qui pecunias accipit, restituere cogitur criminis condemnatus. Secundò rogabis, quomodo dicat Aristoteles huiusmodi hominem esse iniustum, non adulterum. Respondeo Aristotelem non negare; eum esse adulterum, & intemperantem, sed potius esse iniustum, quia prima prauitas actus ex fine descendens est iniustitia. Pari ratione cum ait: Si quis sit prodigus dissipator bonorum suorum propter adulterium, eum potius esse intemperantem, quàm prodigum, nempè quia est intemperans ex fine optato, atque proposito.

Aristl. li. 5. Ethic. c. 2.

Cap. III.

An bonitas, vel prauitas actus ex circunstantijs sumatur.

PRIMO quæritur, An actus bonitatem, vel prauitatem suam ex circunstantijs accipiat. Respondeo. Inter omnes constare, actum esse bonum, vel malum ex circunstantia: Vt si Titius è loco sacro rem furatus sit, est furtum sacrilegũ: item si clericum interimat, est homicidium sacrilegum: si rem habeat cum consanguinea, vel cognata, cum fœmina voti religione consecrata, est congressus incestus, vel sacrilegus. Verum quæstio est, an cum circunstantias tribuit actibus speciem boni, vel mali, tranſeat in naturam, & conditionem obiecti. Quidam opinantur semper in obiectum transire, si loquamur de

S. Th. 1. 2. q. 18. art. 3.

Ockam quodlib. 3.

actibus

q.11. Gab. q.d.23.q 1. a.1. Caiet. 1.2 qu.18. art.10.

actibus voluntatis internis: si vero sermo sit de actibus exterioribus, non transire in obiectum, sed circumstantiam manere. Id probant, quia voluntas omne id habet tanquam obiectum, ad quod volendo se flectit, ac mouet. at verò non est eadem ratio in actu exteriori, qui semper habet proprium obiectum proximum, in quo tanquam in sua materia versatur, & voluntatis affectu, motu, & impulsu trahitur ad eas circunstantias, quæ tanquam accidentia actum exteriorem comitantur, vel antecedunt, vel consequuntur: Exemplum sit: Si Titius rem ex loco sacro surripiat, voluntas eius tanquam in obiectum fertur in totum hoc, quod est res aliena ex loco sacro: at vero in ipso furto exteriori obiectum solummodò est res aliena, locus autem sacer est circũstantia imperio voluntatis adiecta. Sed alij quidam arbitrantur absolutè, & simpliciter, ac per se circunstantiam in obiectum non semper, sed frequentius transire etiam in actibus voluntatis internis, si circunstantias sumamus vti sunt accidentia, sine quibus actus interiores voluntatis etiam in genere moris constitui, & reponi queũt. Non enim, inquiunt, negari potest, quin locus sit circunstantia, si hac ratione sumatur. Item dubitari non potest, quin qualitas hominis agentis, siue facientis, nimirum quod sit voto adstrictus, aut solutus omni vinculo is, qui libidinosè peccat, sit circunstantia, hoc est, accidens actus voluntatis interni. Item conditio, & qualitas eius, contra quẽ peccatur, aut rei conditio, in qua peccatur, negari non potest, quin sit circunstantia actus humani voluntarij. Vt si quis velit clericum occidere, aut cum puella virgine Deo consecrata, aut cum cognata rem habere, aut si quis velit rem sacram furari. Quod si illis objicias, Omnes circunstantiæ actus interni sunt voluntariæ; ergo transeunt in conditionem obiecti. Respondent, voluntarias quidem esse, sed tanquam circunstantias, hoc est, tanquam accidentia actus, non tanquam obiecta. Si secundo objicias, Circunstantia sæpe dat speciem boni, vel mali actibus; ergo transit in naturam obiecti: nam species in actibus humanis ab obiecto descendit. Respondent, Ab obiecto exoriri speciem actus: quia bonitas, aut prauitas ab obiecto accepta prima est, bonitas vero, aut deformitas prima præbet speciem actibus, quia ante huiusmodi bonitatẽ, vel deformitatem actus in specie moris constitutus non erat, sed solùm in genere naturæ. Cæterum bonitas, aut prauitas ex circunstantia deriuata non est prima; & idcirco speciem non tribuit secundum substantiam, sed tantum secundum accidens, quoniam accedit actui iam ante in genere moris constituto: quomodo si Titius rem alienam ex loco sacro furetur, actus huiusmodi secundum substantiam in specie furti reponitur, quoniam est prima deformitas ab obiecto profecta: speciẽ vero sacrilegij sumit, ac trahit à loco sacro solummodò secundũ accidẽs, eo quod huiusmodi prauitas, ac deformitas à circũstantia manat, ac surgit, quæ conuenit actui iam prius in genere, & specie moris repositio ex obiecto furti. Species igitur boni, & mali in actib. humanis nata, & accepta ex circunstantijs, est secũdũ accidens: at species actus ab obiecto deducta est secundum substantiam. Mihi vero videtur, circũstantias in actibus voluntatis internis semper, vel magna ex parte in obiectum transire, quoniam sunt voluntariæ, vnde ad voluntatem relatæ, aut sunt obiectum, aut saltem obiecti voluntarij pars, vt inferius dicam: voluntas enim cum vult opus exterius, vult id totum, quod est in illo, ergo omnis circunstantia exterioris operis, quod vt obiectum sibi voluntas habet, ad actum voluntatis relata, transit in obiecti naturam.

Secundò quæritur, An circũstantia, quæ transmittit in actum primam bonitatem, aut turpitudinem, transeat in naturam, & conditionem obiecti; veluti cum actus qui alioqui esset ex re obiecta bonus, aut saltem medius, & indifferens, fit malus propter malum finem adiectum: qualis est elargitio eleemosynæ studio, & causa laudis, & gloriæ inanis, vel hoc quod est arma capere, domo egredi, rus petere ob inferendã necem alteri: in huiusmodi actibus deformitas à circunstantia finis sumpta, prima censetur. modò quæritur, an eiusmodi circunstantia migret in naturam obiecti. Duæ sunt opiniones, Prima negat in obiectum transire, quia passim dicere solemus actum esse ab obiecto bonum, vel indifferentem, & ex fine fieri malum: ergo significamus deformitatem à fine sumptam, ex circunstantia deriuari. Ita Conradus. Secunda opinio affirmat, huiusmodi bonitatem in obiecti naturam, & substantiam abire: eo quod est prima. Sic Caietanus, vt eum quidam interpretantur, quod plerique putant probabilius, & verius, quoniam quandocunque est prima bonitas, vel deformitas actus, per eam, ipsum opus, quod fit, in specie moris collocatur: nam si ante eam actus speciem moris haberet, esset quoque actus bonus, vel malus in moribus: ergo prima bonitas, vel turpitudo vndecunque ducatur, eo ipso quod est prima, tribuit speciem actui in genere moris: quippe quæ non conuenit actui iam ante in specie moris constituto: Sed bonitas, vel deformitas dans speciem actui, semper ab obiecto sumitur: ergo circũstantia speciem constituens, & tribuens primam bonitatem, circunstantiæ rationem retinere nõ potest: quoniam circunstantia est accidens conueniẽs actui in genere, & specie moris iam ante repositio. Objicies, Quando actus solum fit malus ob malum finem adiectum, est bonus, vel saltem indifferens ex obiecto; ergo prima deformitas quamuis sit prima, ex circunstantia existit, & non ex obiecto. Respondent, Quando quis erogat eleemosynam, aut sacris interest ob inanem gloriam, in totum actus est malus, vt dicam inferius: & ideo falsum est, quod assumitur, huiusmodi actum ex obiecto bonitatem, vel indifferentiam habere. Secundò objicies, Communem esse sententiam, in actibus exterioribus finem ex proposito voluntatis adiectum, circunstantiæ rationem habere; ergo cum Titius eleemosynam ob inanem gloriam largitur, actus exterior eleemosynæ solum est malus ex circunstantia. Respondent, Quandocunque actus exterior habet proprium obiectum, à quo sumit honestatem aut turpitudinem, tunc huiusmodi actum exteriorem ex fine voluntatis proposito, tanquam ex circunstantia secundam bonitatem, aut deformitatem

Conr. t. 2. q.18.ar.4. Caiet.t. 2. q.18.ar.10.

mitatem accipere, quia tunc finis voluntatis accedit actui, primam ex obiecto proprio & proximo honestatem, aut fœlicitatem habenti: vt ante iam dixi. At verò quando actus exterior ex obiecta materia bonus est, vel saltem medius, & indifferens, tunc finis ex proposito voluntatis adiectus, turpitudinem habens, non præbet actui secũdam deformitatem, sed primam, immò totam, quoniam actus nullam per se prauitatem habebat: & nihilominus actus ille verè, & est, & dicitur turpis, & malus ex fine siue circunstantia, & honestus, & bonus ex obiecta materia, vel saltem medius, & indifferens: talis est actus, cum eleemosynam erogas, vel Dei verbum annuncias inanis gloriæ studio, & cupiditate. Item cum iudex sontes secundum leges, & iura, sed odio, vel ira condemnat. Quare prima opinio etiam est vera, quoniam loquitur de actu exteriori, cuius substantia non variatur, circunstantia mutata, vt dicam inferius.

Conr. 1. 2. q. 18. a. 10.

Tertiò quæritur, An circũstantia, quæ dat primam bonitatem, aut deformitatem actui, tribuat semper distinctam à priori? Conradus existimat aliquando tribuere distinctam: aliquando tamẽ dare bonitatem, vel deformitatem intra priorẽ speciem contentam: quod probat ratione sumpta à peccatis luxuriæ. Nam in adulterio, inquit, incestu, stupro, raptu, ex circũstant js prima quidem deformitas augetur; sed intra priorem luxuriæ speciem retenta, eo quod omnia huiusmodi peccata secundum turpitudinem, & fœditatẽ quam habent, sunt species sub luxuriæ genere comprehensę. Sed probabilius alijs videtur, quotiescunque circunstantia addit specialem bonitatem, vel deformitatem, esse eam speciè à priori distinctã: nec enim fieri potest, vt actus in specie infima, & vltima constitutus, rursus ad aliam speciem eiusdẽ generis trahatur; alioqui enim vltima species alia inferior & posterior esset, quod est absurdum. Actus igitur speciem vltimam sortitus, trahitur secundum accidens ad speciem alterius generis ratione circunstantiæ sibi denuo accedentis. Et falsum est quod Conradus ait, peccata luxuriæ ex circunstantijs in eadem specie secundum turpitudinem augeri vel differre. Nam in adulterio est duplex obscœnitas specie & genere diuersa: Vna est luxuriæ quatenus adulter accedit ad fœminam sibi non nuptam; est verò prauitas iniustitiæ quatenus adulter violat matrimonij fidem, & rem habet cum vxore aliena; eo enim ipsó ius suum alteri eripitur, atque detrahitur. Item in incestu est duplex turpitudo & fœditas, vna est luxuriæ, quia cognoscit quis eã, quæ sibi nupta non est, & est alia, qua pietas cognatis & propinquis debita violatur. In stupro item & raptu, & est deformitas luxuriæ, quia rẽ habet quis cum ea, quæ ipsi ante non nupsit, & est iniustitia, eo quod parentum iuri derogatur contra ipsorum voluntatem puella virgine corrupta vel rapta. Coitu item sacrilego contrahitur duplex turpitudo & deformitas specie & genere distincta, vna luxuriæ quia rem habet quis cũ fœmina sibi minimè in matrimonium collocata, & altera cõtra religionem, quatenus est coitus vel in loco sacro, vel cum puella Deo consecrata.

Quartò quæritur, An aliquis actus ita sit bonus, vt ob malum finem nequeat fieri malus: Et è contrario, Vtrum aliquis actus ita sit malus, vt ob bonum finem fieri bonus non possit. Respondeo, rem esse planè compertam, actum malum fieri posse bonum; & è conuerso, & hoc quidem extrinsecus ob conscientiam bona fide errantẽ: nam vt inferius explicabo, peccatum est, si quis agat contra conscientiam, vt si quis per errorem vel ignorantiam existimet, quod bonum est, esse malum, vel è contrario. Item si quid sit bonum vel malum, non quidem natura sua, sed quia est lege humana imperatum siue prohibitum: tunc variata & mutata lege vel præcepto, actus ex bono fieri potest malus extrinsecus. vt si antea lex vel præceptum datum non sit, & fiat actus, est bonus; deinde est malus quatenus cõtra legem, præceptumúe factus. Rursus ex malo fit bonus sublato præcepto vel lege abrogata. Item conuenit inter omnes, posse actus bonitatem vel prauitatem mutari, si aliqua actus circunstantia varietur. Exempli causa hominem interficere malum est; sed si is, qui iniquè in alterum irruit, vt necet illum, interimatur, nõ est malum: furari malum est: sed si quis extrema egestate pressus, aliquid ex bonis alterius sibi capiat, vt suam vitam tueatur, non est malum: malum est, depositum non reddere, sed si domino furioso arma deposita denegentur, malum non est. Pari ratione si quis vel alienum capiat & occupet, vel sibi retineat: iussu Dei, malum non est: pauperis inopiam subleuare bonum est; sed si id facias ob inanem gloriam, malum est. In his omnibus eodem præcepto permanente, ob mutatam tamen circunstantiam obiecti, actus, qui fit, bonitatem suam, aut deformitatem amittit. Quare cum ex voluntate, vel iussu Dei quippiam fit cõtra aliquod præceptum Decalogi, peccatum non est, nec tamen idcirco legem Deus relaxat aut soluit, sed sola fit mutatio circunstantiæ. Nam Deus, cum sit Dominus vitæ & necis, & omnium bonorum, potuit Abrahæ imperare, vt filium suum Isaac ipsi immolaret: & Hebræis, ne mutuo accepta Aegyptijs redderet: & Oseæ vt accederet ad fœminam libidinosam, & intemperantem meretricijs quæstibus expositam, quoniam vel eos Deus coniugio copulauit absque eorum consensibus, cum fieri possit coniugium Deo autore cõiugum supplente consensum, & tradente vtriúe ius, & potestatem in corpus alterius: Vel denique eos legitimo matrimonio coniunxit interuenientibus eorum consensibus: potuit enim Deus subito vtriusq; voluntatem mutare, & consensum mutuum elicere. His & similibus casibus exceptis, multi sunt actus ita mali, vt non possint fieri boni ob qualemcunque finem bonum, veluti, mentiri, & odio habere Deum, ob nullum finem bonũ possunt fieri bona, quoniam finis adiectus nec mutat eorum obiectum, nec finem proprium, nec circũstantias: & ideo his omnibus manentibus, huiusmodi actus mali permanent. Contra verò sunt alij actus ita boni, vt mali esse non possint ob finem malum adiunctum: veluti, diligere Deum, quod est charitatis opus & officium, non fit malus actus ob lucrum vel inanis gloriæ cupiditatem, quia huiusmodi finis non mutat eius obiectum, aut finem proprium aut circunstantias: Et

Gen. 22. Exod. 12. Osea. 1.

propterea

propterea quãdiu manet actus charitatis, est bonus, quoniam diligitur Deus propter ipsum. Objicies, Potest quis quippiã diligere æquè propter duos fines, ergo poterit Deum diligere propter ipsum & propter inane lucrum vel falsæ laudis, & gloriæ studium. Respondeo, si in huiusmodi dilectione æquè duos, quos dixim⁹, fines sibi proponat, ac velit, tunc vnus tantum est actus, qui nõ est charitatis, sed malus, quoniam actus quo æquè duos fines optamus, bonum scilicet & malum, in totum inficitur ab eo fine, qui malus est, hoc autẽ non est actum charitatis fieri malum ob malum finem adiectum, sed actum esse malum quo Deus simul & aliquid vanum, & inane æquè diligãtur. Actus igitur charitatis quo Deus diligitur propter ipsum, non fit malus extrinsecus ob malum finem ex proposito voluntatis adiectum; opus tamen exterius, cum sit vnum & idem, potest esse aliquãdo charitatis in Deum vel hominem, interdum verò malus ob malum finem. Veluti si Titius in Caium beneficium cõferat propter Deum, mox vero propter inane lucrum, vel ob id quippiam obscœnum: actus enim exterior, motu, impulsu & imperio voluntatis potest in bonum, vel malum finem referri: & tunc si actus exterior habet obiectum proprium, ex eo bonus vel malus, vel medius & indifferẽs existit, & ex fine adiecto totam siue primam, vel aliam bonitatem aut deformitatem tanquam ex circunstantia sumit: vt si Titius furetur propter adulterium. Si verò actus exterior ex suo proprio fine, & obiecto non sit opus specialis virtutis aut vitij, tũc ex fine adiuncto specialem honestatem, aut vitiositatem accipiet: quemadmodum alteri benefacere, potest esse actus charitatis, misericordiæ, liberalitatis, iustitiæ: item potest etiam esse actus vitij, nimirum quo quis effuse & prodige viuit, vel inanem gloriam concupiscit, aut turpe lucrum affectat, pro varietate diuersæ voluntatis in finem.

Quintò quæritur, An actus volũtatis interior ita sit actus virtutis, vt vitij esse non possit. quod perinde est, ac si quæramus, An actus voluntatis interior ita sit per se bonus, vt malus fieri & esse nequeat, Respondeo, ex his quæ hactenus diximus, colligi, interdum voluntatis actum re ipsa mutari, si aliqua circunstantia mutetur? quoniam id, quod circunstantiæ rationem habet, comparatione actus externi, transit in partem obiecti, comparatione actus interni voluntatis. Exemplum sit: si quis furetur rem in loco sacro, comparatione furti locus est circunstantia: at comparatione voluntatis, est pars obiecti, quoniam vult furari rem in loco sacro. Sic etiam, si quis furetur rem sacram, comparatione furti, circunstantia est quod res furtiua sit sacra; sed respectu voluntatis, pars est obiecti, quoniam vult rem sacram furari, & idem de cæteris circunstantijs est dicẽdum. Vnde fit, vt item actus externus possit esse virtutis & vitij, quoniam circũstantia mutata, idem re ipsa actus manet, & modo virtutis est opus, modo vitij. Sicut si pugnes egregiè causa virtutis, aut gloriæ cupiditate & studio: at verò actus voluntatis internus, si est virtutis actus, necesse est, vt sit per se bonus, quoniam est gratia honestatis: si verò fine mutato, idem velis quod antea, nõ est idem voluntatis actus, siquidem obiectum mutasti. Si igitur factus est malus, non idem, sed alius est actus. Hoc igitur interest inter actum voluntatis internum, & externum, quod externus ex bono fit malus, etiamsi idem re ipsa maneat: nam circunstantia, quæ est accidens actus, mutatur; at verò internus, per se est bonus, aut per se malus, nec idem ex bono transit in malum, eo quod mutatur obiectum, mutata parte obiecti: qua mutatione facta idem actus voluntatis non manet.

Cap. IIII.

Quando circunstantia tribuat aut mutet speciem actus.

PRIMO quæritur, An circunstantia vt mutet speciem actus debeat esse per se, & directò & expresse voluntaria. Quæstio inde mouetur; quia id, vnde virtutis aut vitij species accipitur, opus est, vt sit voluntarium per se & directo; quoniam actus virtutis aut vitij non sumunt speciem nisi ab obiecto. Ex altera verò parte videtur ratione probari, circunstantiam non debere esse per se, & directo voluntariam: tum quia peccatum est quandocunque quippiam agitur contra legem Dei, etiamsi is, qui peccat, per se & directò voluntatem non habeat contra Dei legem agendi: tum quia actus est malus quotiescunque rectæ rationi est dissentaneus, quamuis agens nõ velit huiusmodi actum quatenus rectæ rationi cõtrarium. Hanc quæstionem multis in locis Caietanus proposuit, sed nunquam meo iudicio, plenè dissoluit; sed tandem ille confitetur se in hac quæstione soluenda malle discipulum esse quam doctorem, quoniam, inquit, docere nec me nec alios noui. *Caiet. 1. 2. q. 72. a. 9. & 1 2. q. 73. a. 8. & 1. 2. q. 76. a 4. & 2. 2. q. 33. a. 2. ad 3.*

Nos verò, vt eam diluamus, prius animaduertendum arbitramur, esse quosdam actus exteriores siue bonos siue malos, qui speciale voluntatis propositum requirunt, quoniam in huiusmodi proposito, & intentione voluntatis consistũt, & perficiuntur. Exempli causa, specialis obediẽtia à cæteris virtutibus distincta non est, nisi imperantis legem aut præceptum serues ea speciali voluntate, vt iubenti pareas: sic etiam specialis, vt vulgo vocatur, inobedientia non est, nisi præceptum violes eo animo & mente, vt contra imperata facias. Pari ratione non es alteri de te bene merito gratus, nisi acceptum beneficium compenses eo animi proposito, vt gratias benefacienti agas vel referas: sic etiam è contrario, ingratus non es, nisi beneficium acceptum deneges animo ingrato. Aliàs verò sunt exteriora opera, quorum bonitas aut deformitas specialem animi voluntatem non postulat, eo quod in obiecto & materia exteriori consistit; quale est homicidium, adulterium, furtũ, sacrilegium, & similia; quorum operũ prauitas in obiecto exteriori consummatur, in quo sita est. In hac igitur quæstione duæ sint præceptiones certæ. Prima est; Quandocunque opera exteriora peccata talia sunt, quæ specialem animi voluntatẽ requirant, in qua perficiuntur, necesse est, speciali voluntatis proposito, & directò esse voluntaria, vt actibus specialẽ turpitudinem tribuant; velut, si quis ieiunium ab Ecclesia indictum, prætermittat, aut sacris

quibus intereſſe, lege Eccleſiæ compellitur non adſit, is contra temperantiam vel religionẽ peccat, non tamen ſemper ſpeciale hominis non obedientis crimen admittit. Item qui in alterum de ſe bene meritum, peccat, nõ eſt ſemper ingratus: nec item qui opere vel exemplo ſuo, occaſionem peccandi alteri præbet; aut qui verbo vel cõſilio alterum ad peccandum inducit, ſpeciale ſcandali peccatum committit; niſi ea voluntate & animo fecerit, vt ille peccet; quoniam ſcandalum, vt ſpeciale peccatum ſit, huiuſmodi ſpecialem animi voluntatem depoſcit: Eodem modo is cuius cauſa alter in lethale crimen incurrit, non eſt propterea homicida ſpiritualis alterius, quoniã id non facit ſpecialiter, vt ille alter Dei gratiam & charitatem amittat. Pari ratione cætera peccata, quæ in actu exteriori conſiſtunt, vt ſint ſpecialiter peccata ex odio in alterum, ex contemptu, ex inuidia, ex ira, ex ſuperbia, ſpecialem animi voluntatem, & propoſitum poſtulãt. Quare in his omnibus peccatis, vt circunſtantia ſpecialem deformitatem præſtet, debet eſſe per ſe, & directò voluntaria.

Altera præceptio eſt: Peccata, quorum prauitas in actu exteriori proprium obiectum, & materiam habenti conſiſtit, nõ requirunt ſpecialem voluntatem, vt ſpecialia peccata ſint. Ex quo efficitur vt eiuſmodi peccatis circunſtantia, licet ſolummodò ſit indirectò & non per ſe voluntaria, ſpecialẽ det actui deformitatem: veluti ſi Titius furetur eo animo, vt adulterium committat, verè fur eſt, quamuis furtum non velit per ſe & directò; ſed propter adulterium. Item ſi Caium occidat vt eius bona diripiat vel eius vxorem accipiat, verè eſt homicida, etiam ſi occidat cauſa, & ſtudio furti committendi aut explendæ libidinis gratia. Item ſi quis furandi voluntate rem alienam, quã nouit eſſe ſacram vel in loco ſacro depoſitam aſſeruatam ſiue relictam, clam ſibi capiat, verè eſt fur ſacrilegus, quamuis nollet rem alienam eſſe ſacram, vel in loco ſacro aſſeruari. Item ſi Titius occidat Caium, ſciens eſſe Clericũ, quem tamen nollet eſſe clericum, verè eſt homicida ſacrilegus. Si quis item libidinis gratia, cum fœmina ſibi ſanguine cõiuncta ſcienter coierit, verè inceſtum admittit, quamuis nollet eſſe conſanguineam, & ſibi cognatam & propinquam: Et ſi quis contra votum caſtitatis Deo nuncupatum cum ſcorto rem habeat, coitus eſt cõtra religionem ſacrilegus, etiamſi per ſe & directò luxurię, & libidinis gratia peccet.

Ex his perſpicitur. Primò ad peccatum ſufficere ſi quis ſcienter agat contra legem Dei, vel rectam rationẽ, licet ſolius voluptatis, & delectationis gratia opus efficiat, nec velit opus per ſe & directò vt diuinæ legi vel rectæ rationi cõtrarium. Secũdò verum eſſe, quod docet S. Thomas, peccata à conuerſione in obiectum ſpeciem ſumere; non ab auerſione, qua ob admiſſum peccatum nos ipſi auertimus, & alienamus à Deo: cuius rei rationem reddit, quia conuerſio, inquit, in obiectum eſt per ſe & directò voluntaria, non autem auerſio: & peccatorum ſpecies ſunt ab eo, quod eſt per ſe & directò voluntarium. Hæc omnia ſunt vera iuxta duas paulò ante traditas præceptiones: quoniã auerti & diſiungi à Deo, quod eſt gratiam & charitatem amittere, ſpeciale peccatum eſſe non poteſt, niſi eo ſpeciali animo & voluntate faciamus, vt contra gratiam, & charitatem peccamus. Sufficit autem ad ſpeciale peccatum conuerti ad obiectum, quod eſt per ſe malum, ſiue id mali per ſe & directò, ſiue indirectò, implicitè & tacitè velimus.

S. Th. 1. 2. q. 2. art. 1.

Secundò quæritur, Quænam circunſtantia poſſit tribuere ſpeciem peccati? Reſpondeo, ex ſeptem circunſtantijs, quas Theologi enumerant hoc carmine comprehenſas.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.

Prima Circunſtantia, *Quis*, quæ eſt qualitas & conditio operantis, poteſt præſtare ſpeciem actui ſiue in bonis ſiue in malis, ſi fuerit homo voto, iureiurandoue adſtrictus. Item ſi ratione muneris & officij ſui ad aliquid faciendum, impediendum, vel euitandum ſe alteri obſtrinxerit; aut ſi ſpeciali lege, præcepto, iureue alio aliquid exequi, & obedire cogatur. Ex quo fit, vt qui ratione publicę adminiſtrationis furta & homicidia impedire debet, ſequuta damna ob negligentiam ſuam reſarcire & compenſare eum oporteat, licet alter, qui officio tali non fungitur, ad reſtituendum compellendus non ſit.

Secunda Circunſtantia, *Quid*, quæ eſt qualitas, conditio, aut quantitas obiecti, aut materiæ, in qua actus verſatur, tribuit ſpeciem actui, ſi ſit is, in quem peccatur, perſona ſacra & religioſa, ſi ſit ſanguine coniuncta, aut ſit publica: Item ſi res in qua peccatur, ſit ſacra. Ex quo efficitur, vt ſi quis parentem occidat, ſit parricida, quia agit contra pietatem parentibus debitam: & qui Clericum interimit, ſit homicida ſacrilegus, & qui rem ſacram furatur, ſacrilegus fur. Sequitur etiam vt ſicut obiectum dat ſpeciem actui, ſic etiam numero multiplicatum, multiplicet peccati numerum, non ſpeciem. Vt ſi quis vno voluntatis actu velit tres homines necare, aut ſi vno teli iactu tres occidat, aut vno ictu tres clericos percutiat & vulneret. Si quis vno mentis actu velit tria adulteria, vel tria periuria, aut velit tria ieiunia ab Eccleſia indicta ſoluere: aut tria ſacra prætermittere, quibus intereſſe debet, perinde peccat, ac ſi tria numero eiuſmodi peccata committat. Et idem de cæteris iudicandum: quia ſicut res obiecta ſpeciem præbet, ſic quoque numerum dat. Secundo ſequitur, vt ſi quis velit, & optet ſimul vel æquè duo aut tria peccata ſpecie ex obiectis diſtincta, peccarũ admittat in duplici, vel triplici ſpecie conſtitutum: vt ſi Titius vnica & ſimplici voluntate velit homicidium, furtum & adulterium, tota huiuſmodi voluntas licet ſit vna, habet triplicem deformitatem, & turpitudinem ſpecie & ratione diſtinctam.

Tertia Circunſtantia, *Vbi*, qui eſt locus, tribuit ſpeciem aliquando furti: vt ſi res profana in loco ſacro depoſita aſſeruatauè ſurripiatur, eſt furtum ſacrilegum: Aliquando luxuriæ, vt ſi quis cum fœmina rem habeat in loco ſacro, eſt luxuria ſacrilega: Aliquando ex hoc, quod reus ad Eccleſiam cõfugiens ab ea extrahitur, ſumit ſpeciem peccatum: quoniam contra immunitatem Eccleſię peccatur. In his omnibus locus ſacer dat ſpeciem peccato, quia vel polluitur & violatur ſanctitas templi, aut agitur contra venerationem

vel immunitatem loco sacro debitam. nam templa consecrantur, vt in eis tanquam in locis sanctis res diuina fiat, & vt fontes in certis delictorum generibus eorum sanctitate tanquam propugnaculo protegantur, vt tuti sint, nec inde a uelli sine piaculo possint. At verò si quis peieret in loco sacro, vel alium conuitijs afficiat, non est speciale peccatum ex eo quod vel periurus sit, vel contumeliosus in alterum in loco sacro.

Quarta Circunstantia est: *Quibus auxilijs*, Vt puta si Titius Christianus & Catholicus vtatur auxilio Turcarum, vel Hæreticorum, vel Paganorum. Item si quis ad peccandum socios & administros adsciscat sibi; tunc enim est causa, cuius motu, impulsu, consilio, hortatu, ductu, imperio, & auctoritate cæteri peccant: Item ad hanc circunstantiam reducitur omne id, quod quis eligit tanquam vtile ad finem, quem sibi constituit, assequendum: vt si homicidium eligat propter adulterium; furtum ad eleemosynam porrigendam; mendacium ad seruandam vitam alterius, vel ad se tuendum. Ex his intelligitur quando huiusmodi circunstantia speciem nostris actibus præbeat.

Quinta Circunstantia, Cur, Est finis voluntate operantis adiectus; vt si quis cupiditate turpis lucri aliquid perperam faciat; eleemosynam eroget propter inanem gloriam; si furetur propter adulterium; adulterium enim non est proprius finis furti; sed voluntate efficientis accedit. Quare quatenus furtum eligitur ad adulterium assequendum, est circunstantia. Quibus auxilijs, vt ante dixi: quatenus verò adulterium est, id cuius gratia furtum admittitur, est circunstantia finis. Ex quo planè constat, quando huiusmodi circunstantia speciem nostris actibus afferat.

Sexta Circunstantia est. *Quomodo*, qui est modus quidam actioni veluti si quis occidat alterum dolo, fraude, proditione, insidijs, vel pecunijs ad id acceptis; item si quis occidat de industria, aut casu; si quis peccet scienter, aut per ignorantiam; si quis alienam rem surripiat clam, aut manifestè: alteri detrahat aperte vel occultè: si quis lædat per iniuriam vel absq; ea; si Titius quippiam agat cum detrimento vicini, aut secus. Nunquam autem huiusmodi circunstantia speciem actibus præstat, nisi modus ad substantiam actionis quadam ex parte pertineat. Sic enim differt furtum à rapina: nam furtum, est rei alienæ vsurpatio inscio domino; at rapina est domino sciente & renitente.

Vltima Circunstantia est, Quando, quod est tempus in quo actio fit: Ex qua circunstantia leges distinguunt furem diurnum à nocturno. Vtrum verò peccata eo ipso quod fiant sacro & festo tempore, sint deteriora, aut nouam speciem accipiant, dicemus loco suo in explicatione tertij præcepti Decalogi.

Tertiò quæritur, An actus possit esse in genere moris indifferens, hoc est, qui nec sit bonus nec malus, nec vllius virtutis officium, nec vitij opus nec rectæ rationi cõsentaneus, nec dissentaneus: S. Thomas, & cæteri Theologi planè docent, esse actus ex obiecto vel specie indifferentes. Verùm tota controuersia est, an possit esse actus medius, & indifferens singularis, qui sit vnus à cæteris numero distinctus: duæ sunt opiniones, Prima docet esse non posse: ita opinantur S. Thomas, & omnes eius discipuli, Capreolus, Conradus, Caietanus, & alij: sic etiam Albertus, AEgidius, Richardus, Durandus, Gregorius, & Maior. Id probãt, quia opus quod facimus, aut propter rectam rationem facimus, aut secus. Si propter rectam rationem, est bonus; si minus est malus, quia eo ipso quod homo est recta ratione præditus, debet agere secundum rectam rationem: alioqui perperam, quia contra naturam suam facit, quippe qui natura & ratione abuti videatur. Deinde verum otiosum est malum, siquidem de eo sumus rationem reddituri: at otiosum verbum est, teste Gregorio *homil. 6. in Euangelia*, quod non est iuxta necessitatem, aut quod vacat debita vtilitate; aut, teste Basilio *in Moralib. reg. 25. c. 2. & in regulis breuior. interrogat. & responsione 23.* Gregor. *hom. 5. in Euangelia.* otiosum verbum est, quod in bonum vsum non dicitur: ergo otiosum opus est, quod caret vel necessitate, vel vtilitate debita, aut quod in bonum finem non refertur. Denique si actus essent medij, & indifferentes, posset ex ipsis frequenter repetitis habitus indifferens generari: sed in moribus habitus medios, & indifferentes Philosophi neq uaquam posuerunt. Secunda opinio affirmat actus posse esse indifferentes. Ita sentiunt Bonauent. *2. d. 41. art. 1. q. 3.* Scot. *2. d. 41. q. 1. & quodl. 18. ar. 1.* Gabriel. *2. d. 41. q. 1. ar. 2. concluſ. 1.* Almai. *tract. 1. moral. c. 14. dub. 2.* Eorum rationes sunt. Primò quia si quis eleemosynam dederit absq; vllo studio & amore honestatis, non est actus virtutis: quia, teste Aristotele, ad virtutem requiritur vt actus fiat, primò scienter: secundò ex electione: tertiò ob honestatem: nec dicendum est huiusmodi actũ esse malum, quoniam non fit alicuius mali gratia, sed tantùm ex quadam naturali commiseratione in alterum, ergo est actus medius & indifferens. Item quia potest quis sæuiente frigore, confricare manus ob solum naturæ commodum, scilicet vt frigus naturæ cõtrarium depellat: Si quis itidem natum aut aluum purget solum, gratia se molestia leuandi, actus est indifferẽs. Potest item quis deambulare, aut rus exire, res rusticas inuisere, tantum reficiendi animi, & naturæ causa; si quis item, teste Bonauentura alterum salutet vrbanè, aut alicuius inopiam subleuet sola miseratione motus, huiusmodi actus nec sunt boni, quia non fiunt ob honestatem; nec sunt mali quia cum recta ratione non pugnant, ergo medij sunt & indifferentes. Certè in quæstione hac nec est efficax ratio, quæ primam opinionem cõcludat, nec quæ secundam ita confirmet, vt primam prorsus oporteat deserere, vt quidam existimant. Et inter Patres Hieronymus apertè confitetur esse aliquos actus medios & indifferẽtes. *Quæ es* (inquit) *sunt deambulare, confricare manus aut barbam, proijcere purgamenta naribus, aluum exonerare.* Augustinus verò omnes prorsus actus indifferentes videtur excludere. Prior, inquit, Bonauentura, sententia vitam nostram astringit, & contrahit; posterior verò remittit & laxat. Primùm igitur conuenit inter omnes, actus omni rationis deliberatione vacantes, nec bonos esse nec malos in moribus: verùm de his præsens quæstio non est, quia non sunt actus in genere moris constituti,

S. Tho. 1. 2. q. 18 art. 8. et 9. Alber. 2. d. 40 ar. 4. Aegid. 2. d. 40 q. 2 a 3 Richa. 2. d. 40 ar. 2. q. 3. Dur. 2 d 40 q. 1. Grego. 2 d. 38. quæst. 1. Mai. 2. d. 41. q. 3. Capr. 2. d. 40 q 1. Cai set Contra. Medin. 1. 2 q. 18. art. 8. & 9. Matth. 12.

Hiero. epiſt. 11. quæ eſt ad Aug. Aug. in li. contra Iul. præſertim lib. 4. c. 3.

cum careant deliberatione rationis, siue qua genus moris nulla ratione consistit. Secundò dubitari, non potest: quin bonus sit actus, quo quippiam facimus ad tuendum & conseruandum ius, & vitam nostram aut nostrorum: nam vitã tueri est rectę rationi consentaneum, & nos ad id omnino propensos auctor naturæ procreauit, immò res vnaquæque instinctu naturæ sibi nocitura aspernatur, refutat, ac defugit. De his igitur actibus præsens quæstio non intelligitur. Tertiò Dubitari etiam nequit, quin opus sit malum, si otiosum sit, hoc est, quod necessitate vel vtilitate debita caret. Ideo enim dicitur otiosus quis, quia negotio necessario vel vtili & debito vacat. Ergo pari ratione otiosum est opus, quod sine debita necessitate vel vtilitate geritur. Tota igitur controuersia in eo posita est, an actus ex rationis deliberatione facti, solum propter nostra vitæ commoda, hoc est, ad recreandam tantummodo cum quadam delectatione naturam sine alia necessitate, vel vtilitate debita, sint actus indifferẽtes. nam si fiant ob necessitatem, vel vtilitatem debitam nostram, vel aliorum, tunc actus boni sunt, quia rectæ rationi conuenit, vt indigentem subleuemus. Prima igitur opinio docet, prædictos actus esse otiosos, & proinde malos, si solum fiant, sine vllo vitæ & naturæ commodo. Secunda verò opinio tradit esse indifferẽtes, quia finis quod est naturæ commodum, nec est bonus, nec malus: nec homo, quatenus homo est, lege vlla compellitur ad operandum ob honestum finem dummodo nihil agat contra rectæ rationis iura, siue leges debitas honestatis. Et profectò, inquiũt huius opinionis auctores opus factum ob naturæ vtilitatem, non videtur esse actus virtutis: Virtus enim in arduo & difficili versatur; at opus quod fit ob iucunda naturæ commoda, non est arduum aut difficile: nam ad huiusmodi bonum brutæ etiam animantes sunt sua natura procliues. Mihi prior sententia videtur esse probabilior, & verior: nam actus bonus est quum fit aliquid vt naturæ vtile, & salutare; quoniã bonum est respuere, & declinare, quæ naturæ nocent, sequi & amplecti, quæ sunt naturæ grata, & iucunda: quare bonum est si manus confrices, vt frigus naturæ contrarium & inimicum depellas: si nasum aut aluum purges, vt te omni molestia liberes, si naturali quadam commiseratione motus alteri benefacias, indigentiam alterius subleues, alterum vrbane salutes, humaniter excipias: si adipiscendi, augendi, & retinendi commodi causa quippiã efficias. nec requiritur ad bonitatem horum & aliorum similium, vt fiant studio & causa certæ alicuius virtutis & honestatis: satis est, si fiant gratia eius, quod est nostræ naturæ cõmodum, & vitãdi eius, quod naturæ molestiã adfert, hic enim finis rationi est consentaneus. Et quum obijcitur, quo pacto fieri possit, vt actus aliquis in specie sit medius & indifferens, & non vt indiuiduus: nihil enim in genere & specie reponitur, quod indiuiduum certum & definitum non sit. Respondeo, Actum dici per speciem suam & naturam indifferentem; quia ex re obiecta in qua versatur, nec bonitatem, nec prauitatem trahat, non quia sit in specie aliqua, & genere constitutus, & indiuiduus nõ sit: quemadmodum ergo homo per se natura sua non est affectus colore, ex accidentibus tamen, quæ habet vt indiuiduus, candidus est aut ater, sic actus quidam per se & natura sua nec sunt boni, nec mali, sed ex circunstantijs, cũ quibus sociantur, tales existunt & nõ indifferentes.

Quartò quæritur, An omnis circunstantia actus exterioris relata ad actum voluntatis internum transeat in obiectum. Quæstio non intelligitur de ijs adiunctis, quæ ipsum volũtatis actum comitantur, aut consequuntur: vt cũ Titius vehementer irascitur, dolet, aut tristatur, aut cum ardenter quippiam amat vel ódio habet, sed de ijs, quæ actum exteriorem, quem obiectum sibi & propositum voluntas habet, comitantur, antecedunt, vel consequuntur, & denique circunstant: nec enim dubitari potest, esse modum actus interni cum tepidè, remissè & frigidè quippiam amas, cum feruenter diligis, aut vehementer doles; sed merito dubitatur, an cũ vis in loco sacro rem cum fœmina habere, vel rem loco sacro depositam & asseruatam furari, locus sacer, sicut est circunstantia furti quod fit; sic etiam sit circunstantia malæ voluntatis. Quidam existimant circunstantias omnes operis externi relatas ad voluntatem, qua opus externum volumus, in obiectum aut partem obiecti transire; quod probant primò, quia omnes circumstantiæ sunt voluntariæ; ergo voluntatis actus in omnibus terminatur. Secundò, quia voluntas habet vt obiectum sibi propositum ipsum opus externum: ergo eo ipso vult quidquid antecedit, comitatur, consequitur & circũstat opus: vt si velis furari rem sacrã, vel magnam pecuniæ quantitatem, vel in loco sacro rem depositam surripere vel clericum occidere, vel quippiam ob inanem gloriam efficere, tua voluntas tanquam partem obiecti habet finem, & quamtitatem furti, & qualitatem ac conditionem eius, contra quem peccas, aut cum quo turpiter & perperam facis, & locum ac tempus, & quamcunq; aliam circunstantiam operis, quod implere desideras. Alij verò negant omnem circunstantiam operis externi in obiectum abire ad volũtatem relatam, quoniam etiam si finis, locus, tempus, quantitas, & qualitas, ac modus & cõditio vel rei, in qua opus externũ versatur, vel eius, cõtra quem, vel cum quo peccatur, migret in obiectum, vel saltem obiecti partem; at hoc non videtur locum habere in conditione, & qualitate eius, qui agit vel facit: vt si Titius voti vel iurisiurãdi religione deuinctus velit quippiam facere, in quo voti vel iurisiurandi vinculum soluitur, non videtur tanquam obiectum habere suæ personæ conditionem: finge eum iurasse nunquam se amplius furaturũ, deinde velle furari; furtum sibi vt obiectum proponit, non iurisiurandi violationem. Mihi probabilior prima opinio videtur: eam tamen sic intelligo: omnis circũstantia operis externi, quod voluntas concupiscit, eo ipso, quo est voluntati nota, aut nõta esse debet, est voluntaria directò & expressim, aut saltem indirectò & implicitè; & propterea est obiectum [illegible] obiecti, quod sibi propositum voluntas [illegible]: nam voluntaria esse nõ potest, nisi ad eam [illegible] vel implicite voluntas feratur: sed [illegible] voluntatis est id, in quo voluntas ipsa versatur, terminaturúe. Nec obest, si dixeris velle

Ocham, quodl. li 3. q. 16. Gab. 3. d. 23. q. 1. a. 1. Cai. 1. 2. q. 18. art. 10.

voluntatem

voluntatem opus exterius vt obiectum, sed quæ ipsum opus circunstant, velle vt obiecti cõditiones adiunctas: nam eo ipso quo voluntas vult operis adiunctas conditiones, habet eas vt sui obiecti partes: id, quod volumus nostræ est voluntatis obiectum: ergo si volumus operis circunstantias, in eas tanquã in obiecta vel obiecti partes ferimur. itẽ si aliqua circunstantia operis nos per iustam & probabilem ignorantiam bona fide latet, voluntaria non est; quia in obiectum voluntatis non cadit: ergo si est voluntati nota, in obiectum transit non quidem primarium sed secundarium. Et is, qui voti vel iurisiurandi vinculo obstrictus delinquit contra votum vel iusiurandum, nõ solùm vult opus exterius, in quo peccat; sed etiam vult sui voti vel iurisiurãdi violationem; nam si sui voti vel iurisiurandi memor & conscius peccat, eo ipso vult contra iusiurandum vel votum quippiam efficere. Quibusdam hæc quæstio videtur esse non rei sed nominis: quoniam quidquid sequamur, dicere oportet circunstantias operis voluntarias esse; siue quia in obiecta transeant, siue quia obiecti conditiones sint. Si dicas, cur dicuntur circunstantiæ, si sunt voluntatis obiecta. Respondeo cum Ochamo & Gabriele esse circunstantias actuum exteriorum, qui sunt actus cuiuscunq; alterius facultatis præterquam voluntatis, sed ipsius volũtatis sunt obiecta secundaria. Circunstantia enim actus est id, quod ad substantiam actus non pertinet, & quo variato nõ variatur actus: vt si speculeris, disputes, vel deambules modò ob honestatem & virtutem, modò ob inanem gloriã, idem actus permanet. At si velis pœnitentiam agere nunc metu gehennæ, nunc amore Dei, substantia actus mutatur, hoc est, non permanet idem voluntatis actus. ergo finis est circunstantia actus exterioris quia cum mutatur, actum exteriorem non variat, sed non est circunstantia voluntatis, quoniam si mutatur, variat omnino voluntatis actum.

Cap. V.

De bonitate, & turpitudine actuum interiorum voluntatis.

PRIMO quæritur, An bonum & malum sint differentiæ secundum substantiam actuum interiorum voluntatis: ita vt eius actus bonus interior semper sit per rationem, & substantiam ab actu malo distinctus. Duæ sunt opiniones: prima tradit esse differentias secundum substantiam actuum interiorum voluntatis; esse verò differentias secundum accidens actuum exteriorum, hoc est, aliarum viriũ aut facultatum. Ita sensit Conradus, Capreolus, & Ferrarienſis, & huius sententiæ S. Thomam fuisse contendit. Probant, quia actus eatenus est in genere moris, quatenus est voluntarius & liber: ergo si actus quatenus est voluntarius, mutatur, eo ipso per naturam, & substantiam in totum variatur. Sed actus voluntatis interior de bono in malum mutari non potest nisi quatenus liber & voluntarius existit, ergo in sua natura & substantia mutatur, si ex bono transit in malum. At verò actus exterior quia extrinsecus solùm est voluntarius ob imperium voluntatis & rationis; ideo potest idem in sua natura & substantia permanere, quamuis voluntatis imperium mutetur; vt planè constat in eo, qui deambulat ob honestatem: & deinde mutata voluntate & animo in deambulatione perseuerat ob malum finem sibi propositum. Secunda opinio docet bonum & malum tum actuum exteriorum, tum interiorum, voluntatis esse secundum accidens differentias. Ita sentiunt Bonauentura, Durandus, Caietanus, Maior & alij. Hæc opinio quibusdam iunioribus verior apparet: quod probant. Primò quia verum & falsum duntaxat assensum intellectus secundum accidens distinguunt: nam Socrate sedente, assensus meus, quo assentior, Socrates sedet, est verus: Socrate verò stante, si permaneam in eodem iudicio, & sententia, qua credo Socratem sedere, assensus est falsus; & ita docuit Aristoteles, orationem esse veram aut falsam sola mutatione rei obiectæ. ergo bonum & malum solùm etiam secundum accidens actum voluntatis distinguunt: quoniam sicut verum & falsum in respectu, & ordine ad rem obiectam consistunt, ita bonum & malum in comparatione cum ipsa ratione; & sicut potest res obiecta mutari absque vlla mutatione assensus: sic etiam potest nostra ratio variari absque vlla varietate in actu voluntatis facta. Deinde idem actus voluntatis aliquando primò non est malus, quia nihil ratio ante considerat, & animaduertit; & deinde incipit esse malus, quia continuatur iam considerante & animaduertente ratione. Item fieri, potest: vt quis in actu voluntatis persistat, etiam post Principis vel Prætoris & Magistratus interdictum, per ignorantiam vel obliuionem, mala fide contractam & susceptam. proinde ante legem auctoritate Principis latam, erat bonus cum nulla lege vetaretur; post interdictum verò Principis quod latet per ignorationem, vel obliuionem crassam incipit esse malus: ergo actus voluntatis sola accessione præcepti vel legis, potest ex bono fieri malus. Si Titius (v.g.) vult feria quinta ante mediã noctem carnibus vesci, & deinde post mediam noctem exactam, id ipse sua culpa ignorans, in eadem voluntate persistit, in eo actus voluntatis ex bono fit malus. Item cum presbyter vult in æde sacra rem diuinam facere, & deinde Superiore id prohibente, in eadem voluntate perseuerat, ex bona in malam transit voluntas. Postremò genus moris naturæ accedit; sicut etiam ars naturę iam ante constitutæ, tanquam quidam adhibitus ornatus adiungitur: sed vna eademque materia artificis ingenio, & opera potest diuersas species & formas artis suscipere: ergo vnus & idem naturæ act⁹ potest in genere moris diuersas species secundum bonum & malum habere, quoniã tum ars, tum etiam genus moris sunt naturæ accidentia, at naturæ substantiam accidentia mutare non possunt. Mihi verò prior sententia multo magis arridet, quoniã variato obiecto substantia & natura actus mutatur, cũ ab obiecta re actus speciẽ suam, naturã & substantiam sumat; sed volũtatis obiectum est bonum, honestum, iucundum, vel vtile, à ratione propositũ: at ratio proponit & offert bonum, voluntati suis circunstantijs determinatum. ergo quandocunq; actus voluntatis interior ex bono fit malus, mutatur eius obiectum

Bona. 2. d. 41. a. 1. q 2. Dur. 2. dist. 40. q. 3. Caie. 1. 2. q. 19. art. 1. & q. 20. art. 6. Maior. 1. d. 17. q. 8. Medi. 1. 2. q. 19. art. 1.

Contra. 1. 2. q. 19. art. 1. c. 2. d. 40. q 1. ar 1. Ferrarien. li 3. con. gen. c. 10. Ocham & Gabr. 2. d. 41. q. 1. a. 2. Richa. 2. d. 40. ar. 2. q 1. Alma. tract. 1. Moral. c. 6.

ex toto vel ex parte, quia mutatur aut finis, aut alia circunstantia. Finis est præcipuum voluntatis obiectum, alia quæcunque circunstantia est saltem pars rei obiectæ voluntati, vt patet in subiectis exemplis: si vis sacrificare in loco non debito, aut tempore non legitimo, locum & tempus tua voluntas respicit: si vis edere & vesci loco nõ debito, aut vti pecunia vetita per legem Principis nunc positam, voluntas tua tendit in id totum, quod ratio scienter, vel per ignorãtiam aut obliuionem vitiosam, & mala fide contractam proponit, quoniam mutatur obiectum. Pari quoque modo actus volũtatis interior ex bono transit in malum, eo quod ratio bona fide mihi ostendat vt bonum, quod reuera est malum, modo verò mala fide idem proponit vt bonum; ac proinde voluntas modo peccat, sed eius actus est omnino in natura sua & substantia mutatus, quoniã voluntatis prior actus terminatur in alio obiecto, videlicet in eo, quod ratio vt ex omni parte bonũ ostendebat: at nunc terminatur in eo, quod ratio, vt ex aliqua parte malum proponit: non enim voluntas in obiectum fertur vt est in rebus ipsis, sed vt est à ratione propositum: quare mutato iudicio rationis, volũtatis obiectum mutatur: & eo variato, voluntatis actus idem permanere non potest; secus verò est in assensu rationis, qui ex vero fit falsus sola mutatione rei. nam cum tu iudicas Socratem sedere, eo surgente & stante: ideo tuum iudiciũ est falsum, quod erat ante verum, quia mutato Socrate in tuo iudicio, quo antea iudicabas Socratem sedere, persistis, & idcirco falleris sola mutatione Socratis. Verùm igitur & falsum, accidentia sunt iudicij tui ad rem quæ extra te est, relata: at bonum & malum non sunt semper accidentia actus voluntatis interni, sed externi, scilicet actus alterius facultatis, quàm voluntatis.

Secundò quæritur, An actus volũtatis interior lapsu temporis possit esse bonus & malus? Duæ sunt opiniones: Prima docet, proprium esse actus exterioris vt processu & cursu temporis bonus & malus possit esse, quia potest ad tempus continuari, & eo tempore voluntas mutari potest ob finem bonum vel malum oblatum. At verò interior actus voluntatis si primùm est bonus, & deinde incipit esse malus, hoc non potest accidere nisi mutato volũtatis obiecto, quo variato, actus voluntatis secundum substantiam mutatur. Sic sentit Conradus. Secunda opinio censet eundem voluntatis actum progressu temporis ex bono in malum transire, posse. Est opinio Durandi, Caietani, & Maioris, quæ verior videtur quibusdam alijs, non mihi, quod probant. Nam, vt dixi, actus voluntatis potest esse circa aliquod obiectum minimè aduertente ratione turpitudinem eius: potest quoque accidere, vt idem actus in voluntate permaneat intellectu ei obiectæ deformitatem considerante: & tunc huiusmodi actus voluntatis erit idem secundum substantiam, & tamen initio non erat malus; & postea malus euadit. Item vt paulò ante iam dixi si Titius feria quinta ante mediam noctẽ habeat in animo carnes edere, non est mala voluntas, & potest contingere, vt in eadem voluntate perseueret post mediam noctem per ignorantiam sua culpa susceptam, putãs nondum mediam noctem fluxisse: & tunc decursu temporis voluntas Titij facta est mala. Deinde vt etiam iam dixi si Titius presbyter velit in templo sacris non interdicto rem diuinam facere, & interim dum in hac voluntate persistit, templũ interdicitur sacris id Titio culpa sua ignorante, tunc voluntas Titij cum ante esset bona, facta est mala. Pari ratione Titio continuante voluntatem efficiendi aliquid, potest, accidere, vt superioris præceptum accedat, quo id fieri vetetur Titio tale ignorãte sua culpa præceptum. Sed in his non mihi videtur eadem voluntas permanere, quia variatur obiectum, vel obiecti pars, in quod fertur voluntas, vt hactenus dixi.

Tertiò quæritur, An bonitas actuũ interiorum quos elicit voluntas solùm à re obiecta sumatur. Duæ sunt opiniones. Prima docet solummodo ab obiecto & non à circunstantijs deriuari: quoniam actus interior voluntatis nullam circunstantiam habet, cum circunstantiæ nequaquam comitentur actum interiorem, sed exteriorem tantummodo, vti planè constat in circunstantijs quæ sequuntur, nimirum *Cur, Quid, Vbi, & Quando*: nam locus & tempus & quantitas obiecti, & conditio & qualitas vel eius cui peccando nocemus vel eius, qui peccat, vel rei & materiæ in qua peccatum versatur, & finis propositus, sub voluntatis obiectum cadunt: quoniam si velis rem è loco sacro furari, tua voluntas omnino fertur tanquam in obiectum, in rem & locum sacrum: quare licet circunstantiæ ad actum exteriorem relatæ, vel ad obiecta inter sese, circunstantiarum rationem habeant, relatæ tamen ad actum interiorem voluntatis, obiecti conditionem accipiunt. Ita S. Thomas, Durandus, Ocham, & Gabriel videntur sensisse. Secunda opinio tradit etiam in actibus interioribus voluntatis bonitatem, aut deformitatem non solùm ab obiecto, sed etiam à circunstantijs deduci. Hasce duas opiniones facili negotio sibi inuicem cõciliari posse nonnulli, fallo, vt mihi videtur, existimant: aiunt enim Circunstantiam dupliciter accipi. Primò modo vt est accidens conueniens rei, sine quo potest actus in genere & specie moris consistere. Veluti si Titius velit rem è loco sacro surripere, locus sacer accidẽs est huiusmodi voluntatis, siquidem potest esse sola furandi cupiditas. Secundò modo potest circunstantia sumi, quatenus cõditio quædam, quæ actum comitata circunstat. Si circunstantia primo modo consideretur, tunc circunstantiæ sicut sunt accidentia actus exterioris, sine quibus potest actus exterior omnino constare, sic etiam possunt esse accidentia actus interioris, sine quibus posset etiam interior actus esse. At verò si circunstantia secundo sumatur, tunc aliquæ circunstantiæ sunt actus exterioris, non autem interioris: nam dubitari, inquiunt, nõ potest quin locus & tẽpus actum exteriorem tanquam circunstantiæ comitentur. sunt enim quædam conditiones quæ actum exteriorem circunstant; at verò ad voluntatem relata locus & tempus in obiecti conditionem transeunt; non enim actum interiorem circunstant, sed potius vna cum obiecto in actum voluntatis cadunt. Quare locus & tempus actus exterioris circũstantiæ sunt: actus

verò

Conra. 1. 2. q. 19. art. 1. & q. 20. ar. 6. Dur. Caiet. Maior locis ante citatis.

S. Tho. 1. 2. q. 19. art. 2. Dur. 2. dis. 38. q. 1. n. 8. Ocham 3. d. 10. q. 1. et quod. 7. q. 16. Gab. 2. d. 41. q. 1. a 2. in proba. 4. conclus. & 3. d. 23. q. 1. art. 1.

verò interioris sint obiecti quædam conditiones & partes. Item circunstantia finis in actu interiori verè obiecti rationem habet, cum tamen actus exterioris solùm sit circunstantia. Insuper quantitas obiecti quæ est circunstantia, Quid. vt quod furtum sit magnum vel paruum, actus exterioris circunstantia est: verùm interioris, est obiecti pars & conditio. Ad hæc qualitas eius, qui peccato læditur, vel qualitas materiæ, in qua peccatur, in actu interiori, obiecti rationem habet, cum in actum voluntatis incurrat, licet in actu exterioris solùm rationem circunstantiæ retineat. Quare nullo modo, inquiunt, videtur dubitandum, quin circunstantia hominis agentis etiam in actu interiori voluntatis possit propriè circunstantiæ rationem habere. Vt si Titius voto castitatis adstrictus velit explendæ libidinis gratia cum scortorem habere. Item tempus etiam in actu interiori potest aliquando solùm habere vim circunstantiæ, vt si Titius amet aliquid quando aliud amare lege & iure debet, & amore eius, quod diligit, ab alio, quod amare oportebat sese alienat, ac seuocat, quamuis hic potius in non amando, quod alioqui amare iure & lege cogitur, peccet. Hęc tamen mihi minimè probantur, & prior opinio verior videtur; quoniam circunstantia ad actum interiorem voluntatis relata, vel est obiectū prę cipuū, vt est finis, vel saltem est rei obiectæ pars, cuiusmodi sunt reliquæ circunstantiæ, cum enim vis furari rem in loco sacro asseruatam, aut in die festo laborare, locus & tempus sunt tuæ voluntatis obiecta ex parte. Item circunstantia est accidens humani actus, qua mutata, vel accedente vel recedente actus idem omnino permanet, vt cum vis speculari, orare, videre, audire, loqui, ingredi modo causa Dei, modo studio inanis gloriæ, actus exterior qui est alterius facultatis, non volūtatis, idem re ipsa manet, licet finis mutetur voluntatis imperio: at ipse voluntatis actus interior omnino mutatur, quoniam variatur obiectum, qui est finis: locus igitur, tempus, finis & aliæ circunstantiæ quum ad actum exteriorem referuntur sunt accidentia, & eum non mutant, quia is actus, cū sit alterius facultatis suum proprium obiectum habet, vnde suam naturam sumit, vt patet in prædictis actibus, vt voluntatis actibus, at voluntatis actus interior refertur ad finem & alias circunstantias vt ad sua obiecta ex toto vel ex parte, sed obiecto variato mutatur etiam actus, qui circa obiectum versatur, vnde substantiam habet.

Quartò quæritur, An bonitas actuum interiorum quos producit voluntas à recta ratione pendeat. Respondeo, rem esse planè compertam pendere: quoniam obiectum voluntatis est bonum vtà ratione propositum, ergo bonitas voluntatis pendet à ratione rem bonam offerente, & monstrante. Item aliquando obiectum est malum, & tamen voluntas est bona, solùm quia ratio huiusmodi obiectum vt bonum proponit iuxta rectum prudētiæ præscriptum: & hoc est quod ante iam dixi, actum esse bonum, quia est cum recta ratione congruens, aut quia prudenter talis esse iudicatur. Verum tota quæstio in eo sita est, quænam recta ratio dicatur, hoc est, Quidnam ratio postulet, vt recta sit in iudicādo. De hoc multa Doctores tradidere. Sed rē ipsam breuiter expediā: tunc recta ratio dicitur, quando in iudicando quid sit faciendum, quid fugiendū, est prudēs, ac sapiens: tunc verò est prudens, quando cura & diligentia ad rem agendam collata, quæ pro viribus potest adhiberi, habet rationem probabilem, quæ moueat ad agendum. Veluti cū Titius accedit ad fœminam sibi minimè matrimonio coniunctā, quia bona fide in ea re diligentia collocata putat probabiliter, esse vxorem suam, tunc huiusmodi accessus est bonus, quia cum recta ratione cōgruit, licet fœmina illa sit vxor aliena. Pari ratione cū dubitarem, vestis, quam possideo, esset mea nec ne, posita opera & studio in domino eius conquirendo, probabiliter iudicaui esse meam, nullum est in retinendo peccatum, licet vestis sit aliena, quia retinendi actus est rectæ rationi consentaneus iuxta vulgatissimam regulam in dubijs, vel pari alioqui causa melior est conditio possidētis, & idem est de cæteris similibus iudicandū. Quæres, quid sit id, quod Aristoteles docet, veritatem in rebus agendis, esse appetitui recto consentaneam. Ex quo S. Thomas colligit in agēdis aut faciendis veritatem sumi ex eo, quod sit appetitui recto conueniens. Respondeo, Aristotelem eo loco docere, In speculationibus bonum & malum, nihil aliud esse nisi veri & falsi cognitionem: at verò in actionibus, inquit, veritas est, quæ cū recto appetitu congruit, hoc est, actio ideo est bona vel mala, quia electio (quam ibi rectum appetitum appellat Aristoteles) est recta vel prana: ex bona enim electione actio bona proficiscitur: aut sensus Aristotelis est: In rebus agendis electionem esse bonam, quæ est rectæ rationi cōsentanea. Si enim rectum est voluntatis propositum, quæ intentio vocatur, recta quoque est consultatio & electio. Nō igitur eo loco Philosophus docet rationem esse rectam ex respectu, & ordine ad appetitum rectum in rebus agendis, sed solùm actionem esse rectam, quia cum recta ratione cōsentiat: aut electionem esse bonam, quia sit recto voluntatis proposito consentanea ex intentione. sequitur ergo, vt recta ratio sit, veluti paulò ante iam dixi, ea, quæ adhibita diligentia, per prudentiā ex probabili ratione iudicat, ac decernit quid sit agendum, quid fugiendum. Secundò si roges, Quo pacto Aristoteles intelligatur, cum ait, In virtutis opere requiri: Primò, vt quis scienter agat, non per ignorantiam vel errorem. Secundò, vt ex electione operetur, non casu, aut violenter. Tertiò, vt propter honestatem vel rectam rationem faciat. Ex quibus Scotus, Ocham, & Gabriel colligunt, non esse opus virtutis, si Titius eleemosynam eroget, nisi ea ratione dederit, quia recta ratio, hoc est prudentia præscribit eam esse indigentibus porrigendam. Sed si hoc verū esset, certè rustici aut alij plebei, & vulgares homines rarò virtutis officium præstarēt, quia rarò operantur, aut quippiam efficiunt ea animi voluntate, quòd id, recta ratio præcipiat. Aristotelis eo loco sens° est, In opere virtutis requiri, vt tametsi quis habeat sibi propositum bonum vtile, iucundum, honestum, probet & sequatur honestum, vtili & iucundo posthabito & neglecto: atque hoc est agere studio, & gratia honestatis, & virtutis, aut propter honestatem. Quæres, An si Titio sola

Arist. lib. 6 Ethi. c. 2. S. Tho. 1. 2. q. 57. art. 5. ad 3.

Scot. 2. dist. 41. q. 1. Gabr. 2. d. 41. q. 1. ar. 2. in prob. concl. 4 & 3. d. 23. q. 1. a. 2 Ocham citatur à Gabriele.

ratio honesti offeratur,& eam sibi obiectam amplexetur,& eligat,sit virtutis actus. Respondeo: Quandocunque quis perspicit rationem honesti, & per huiusmodi notitiam ad honestum cognitum vt tale,se flectit,& mouet,eiusmodi actus est virtutis opus & officium: quia fit gratia virtutis.

S.Tho.1.2. q.19.art.7. Bonau.2.d 2.ar.1. Richar.2.d. 40.a.1 q.1. Alma.tra. 2.moral.c. 1.Medi.12. q.9.art.7.

Quintò quæritur, An quandocunque electio est mala,intentio quoque mala sit? Quod est quærere, An bonitas electionis ex bona intentione promanet? Veluti si quis furetur, vt eleemosynã eroget: An sicut est mala electio furti, intentio quoque dandi eleemosynam sit mala? Almainus & quidam alij distinguunt: Quando intentio est efficax,nec est nisi vnum, quod possit eligi, & id est malum, tunc sicut electio est mala, ita etiam intentio,quoniã eo ipso quod malum est id,quod eligi potest ad finem assequendum, ab eligendo desistere oportet; si vnicum tantùm est id, quod eligi debet. Si verò duo sint,ex quibus fieri possit electio,& vnum sit bonum,alterum malum,tunc ex electione mala nõ fœdatur intentio: Vt si quis ex proprijs bonis vel ex alienis furto sublatis,eleemosynam præstare possit,non continuò commaculatur intentio,si ex alienis bonis & nõ proprijs eligendo dare constituit. Id probant: quia electio eius,quod ad finem refertur, non est circunstantia intentionis, ergo mala electio intentionem non inficit. Item, quia Titius eleemosynam largiri decernens habet duo, quorum alterum eligere potest.Nam habet propria,& aliena bona: & potest largiri ex proprijs, & non ex alienis, ergo eo ipso quod statuit dare ex alienis, deprauatur electio non autem intentio. Insuper quia electio est veluti quædam cõclusio ex intentione deducta: at veritas principiorum falsitate conclusionis non tollitur,ergo nec bonitas intentionis prauitate electionis polluitur. Sed verior est sententia,quam sequi videntur Bonauentura, Richardus & Gabriel,in vniuersum,si electio est mala intentionem quoque prauam esse.Ratio huius est,quia intentio est voluntas finis obtinendi per aliquid, quod ducit ad finem: ergo in intentione finis est voluntas eius, quod est vtile ad finem: sed si id quod ad finem dirigit, sit malum, necesse est, vt sit etiam mala voluntas eius, quod refertur ad finem,& proinde mala quoque intentio,quia est voluntas finem malis modis,artibus, & auxilijs cõsequendi. Deindè quia electio eius, quod est ad finem, ad intentionem relata, est veluti circunstantia, Quibus auxilijs: quoniam est id,per quod peruenitur ad finem: at ex mala circunstantia opus corrumpitur, ergo ex mala electione deprauatur intentio. Sed est animaduertendum, intentionem finis posse dupliciter accidere, vno modo si Titius finem velit & apperat, & ea,quæ ducunt ad finem,generatim tãtummodo velit non autem explicitè,& distinctè & tunc potest esse bona intentio, nec inficitur, si postea mala fiat electio, quoniam intentione generaliter præcedenti non fuit definitè voluntarium aliquod malum eorum, quæ diriguntur ad finem. Altero modo potest contingere,vt Titius finem optet, & sibi proponat vt obtinendum distincte per id,quod est malum,& eiusmodi electione mala maculatur intẽtio. Ex quo efficitur, vt si Titius propria,& aliena bona habeat, & cõstituat elargiri eleemosynam,& definitè non statuat dare ex bonis alienis, quamuis postea ex alienis præstet, non inquinetur prior intentio, quia fuit finis, vt per aliquid generatim obtinendi.

Locis sup. citatis.

Sextò quæritur, An mutato fine intentionis mutetur electio reipsa,ita vt eadem non maneat. Duæ sunt opiniones, vna eorum, qui affirmant, eandem electionem manere, quamuis voluntatis finis propositus mutetur. Id probat primò, quia idem in cæteris humanis actibus contingit; vt si Titius ad sacram ædem se conferat studio pietatis & charitatis in Deum,& deinde finem mutet, & eat sui cõmodi gratia, quamuis finis mutetur: idem tamen iter conficit Titius. Pari ratione si quis primò Deum oret causa religionis, deinde verò studio humanæ gloriæ captandæ; precatio est eadem,quamuis finis voluntatis mutatur. Secundò, quia si Titius velit pauperi eleemosynam dare, primo quidem causa Dei, deinde verò ob inanem gloriam, voluntatem dandi eleemosynam non mutat,sed finem duntaxat; ergo electio non variatur. Tertiò si Titius velit Caio eleemosynam porrigere,vt eius inopiam subleuet,actus est misericordiæ. Deinde si in eodem actu perseueret,amore Dei,prior actus non definit esse misericordiæ,sed incipit esse charitatis officium;ac proinde opus est in duplici virtute repositum: quemadmodum si primò videas colorẽ album, & deinde simul etiam videas nigrum, non desinis videre album, sed incipis nigrum cernere vnà cum albo: ergo non mutatur electio, qua eleemosynam volo, vt indigenti subueniam, si simul etiam eandem velim causa Dei. Secunda opinio negat, eandem electionem re ipsa manere variato fine intentionis: quæ quidem opinio magis mihi probatur, quoniam quandocunque mutatur obiectum, idem actus permanere non potest,siquidem actus circa rem obiectam versatur; at finis,est ratio, qua id, quod ducit ad finem eligitur; ergo mutato fine,variatur ratio,qua eligitur id,quod est ad finem,vnde fit,vt electio mutetur,quoniam non manet eadem ratio eligendi.

Ad argumenta verò obiecta respondeo, ad primùm non esse idem iuris de cæteris actibus,qui à voluntate imperantur,quod est de electione, vel de elicitis voluntatis actibus. nam actus aliarum facultatum à voluntate imperati, sua habent obiecta,in quibus versantur,& ideo quamdiu ea obiecta non mutantur, manent reipsa ijdem actus, quamuis voluntas finem sibi propositum mutet; is enim finis extrinsecùs accedit. nihil igitur mirum est, si eadem sit precatio, eadem peregrinatio, quamuis modò causa Dei, modò gratia tui commodi Deum preceris, vel peregrineris. At verò sermo est de electione; quoniã si tibi propositum finem mutes, omnino recedis à ratione, qua antè eligebas: variata verò eligendi ratione, eadem electio manere non potest. Ad secundum respondeo; cum primùm vis eleemosynam largiri studio virtutis,deinde ob inanẽ gloriam,electio tota mutatur,quoniã licet eadẽ res eligatur, videlicet eleemosynæ largitio,non est tamen eadem ratio eligendi: electio verò non idcirco est eadem, quia idem eligimus, sed quia eadem ratione eligimus, quod est ad finem. Nam in ipsis quoque scientijs non est eadem scientia, si ratio

sciendi

sciendi varietur, quamuis idem sciatur: nec est eadem saltem specie & ratione fides, si idem credamus humano testimonio, aut diuino permoti, cum sit non eadem, sed diuersa ratio credendi.

Ad tertium, cum quis vult eleemosynam dare, vt indigēti succurrat, eligit quidem officium misericordiæ; deinde cum eandem eleemosynam vult amore Dei, res electa est eadem, electio non item; quoniam non manet eadem ratio eligendi: & quamuis qui vult opus misericordiæ non mutet speciem virtutis, mutat tamē numerum: nam modò vult aliud officium misericordiæ propter Deum: nec idem iuris est de Titio primò vidente colore album, & deinde vnà cum eo vidente nigrum: tunc enim in Titio prior visio mutata non est, quoniam perseuerat Titius in videndo albo; & ideo obiecto manente, idem actus vidēdi permanet, solùm Titius incipit videre nigrum cum albo; sed non cernit album per nigrum. Secus est in electione, quoniā Titius priº elegerat id, quod est ad finem causa Dei, siue virtutis; deinde verò eligit eandem rem, sed per rationem diuersam, videlicet ob finem alium sibi propositum: ergo non eligit idem, quòd antea, per eandem eligendi rationem.

Ex dictis perspicitur, quid sit dicendum cū quæritur, an sit idem odium peccati, cum quis id detestatur, amore Dei, vel metu gehennæ, vel spe cælestis beatitudinis, vel odio turpitudinis, vel timore dedecoris, & infamiæ, vel cupiditate alicuius commodi terreni, & caduci: odium enim distinguitur pro varietate finis, cuius gratia peccatum detestamur. Hinc etiam fit, vt lōgè verior sit eorum opinio, qui censent, attritionem hoc est, actū quo dolemus de peccato metu gehennæ, vel odio turpitudinis, vel spe præmij cælestis, non transire in cōtritionem, qui est dolor de peccato, amore Dei, quoniam non est idem obiectum contritionis, quod attritionis. Peccatum quidem est idem, de quo per attritionem, vel contritionē dolemus, sed non est eadem ratio dolendi, si doleas metu gehennę, vel amore Dei: quamuis verum sit quod Theologi tradiderūt, pœnitentē, ex attrito aliquando fieri contritum per sacramenta, quoniam hoc nō est, attritionem in contritionē transire, sed pœnitentem ex peccatore per sacramenta fieri iustum: & dolor, de peccato metu gehennæ, si duret post sacramentum receptum, incipit gratia & charitate formari, & perfici.

Septimò quæritur, An è contrario mutetur intentio finis, si varietur electio eius, quod est ad finem. Sunt etiam duæ opiniones; quidā enim negant, affirmant alij. Mihi verius apparet, penitus intentionē mutari re ipsa electione variata: quoniam intentio nō est qualiscunq; voluntas, qua finem appetimus; sed qua finē volumus, his vel illis auxilijs, instrumētis, & remedijs consequendum, vnde ipsa intētione finis, volumus quoq; id, quod est vtile ad finem: ergo si mutetur quod est ad finem, nō potest eadē finis intentio manere, quamuis perseueremus in eodem fine volendo: v.g. Titius alienas pecunias impendere vult; vt eleemosynā det, & deinde non vult alienas, sed proprias insumere, vt eundem finem assequatur; intentio Titij est omnino mutata, quia est mutata electio; nam priori intentione volebat Titius eleemosynam erogare ex bonis proprijs, ergo pars obiecti est penitus mutata; ac proinde eadem intentio manere non potest.

Octauò quæritur, An bona intentio finis minuat malæ electionis deformitatem: Veluti si Titius furetur, vt det eleemosynam, aut mentiatur, vt vitam seruet innocentis; Quæritur an minus peccet, quàm si ob malum finē furaretur aut mentiretur. Almainus ait, quosdam sensisse, nō minus peccare: quia si ex bono fine tupitudo & fœditas electionis decresceret; ee meliori fine magis remitti deberet; ergo ex optimo fine in totum prauitas tolleretur; quod tamē dici non potest. Item quia finis bonus nihil boni malæ electioni præstat, ergo nō potest minuere eius deformitatem. Veluti in naturalibᵃ aquæ frigus minui, & remitti non potest, nisi aqua aliquid caloris excipiat. Deinde quia teste August. *in c. Forte. 14. q. 5.* Qui furatur, & dat pauperibus, magis peccatum auget, quàm minuat, vel excusat. Nam si totū, inquit, tribuat pauperib. quod abstulerat, potiùs addit peccatum quàm minuit. Sed vera sententia est, bono fine intētionis, minui malæ electionis prauitatē, vt ipse Almainus, Maior, & cōsentiens multorum opinio docet: & id colligitur apertè ex Augustinus, *in libris cōtra mendacium*, in quibus manifesto tradit, mentiri quidem ob finem bonum esse peccatum, sed esse minus quàm mentiri ob malum finem.

Alma. tra. 1. mor. c. 12

Ma. 2. d. 24. q. 4. & 5.

Ad obiecta verò Respondeo: Ad primum, Nullo modo sequi, vt, si finis sit optimus, turpitudo malæ electionis ex toto auferatur: quia bonus finis prauitatē electionis non minuit aliquid boni ei cōferendo, sed solùm minuit extrinsecus, quia summouet malum finem, qui si adesset, peior & deterior esset electio. Et eodem modo ad secundum respondeo, In naturalibus nō remitti qualitatem contrariā, nisi per aliquid contrariæ qualitatis susceptum; at in moribus minuitur deformitas electionis solùm ex eo, quod per bonum finem voluntati obiectum, malus finis detrahitur, quo peior redderetur intentio. Ad tertium ex Augustino Respondeo, peccatum augeri, si res furto sublata detur pauperibus, quia qui dat, hoc ipso alienum distrahit, & consumit; in quo etiam est peccatum: quia dat, & impendit non sua, sed aliena; & quæ abstulerat, restituere domino, nō pauperibus erogare, debebat: & loquitur Augustinus de pauperibus, qui communes & solitas necessitates patiuntur.

Nonò queritur, An quando actus æquè ex duobus finibus existit, quorum neuter refertur ad alterū, possit esse simul bonus & malus; bonus quidem ex bono fine, malus verò ex malo. Vtputa si Titius templum adeat, & sacris interfit precationis gratia, & inanis gloriæ studio & cupiditate, Quæritur inquam, an hic actus Titij sit bonus simul & malus? Respondeo, Si duo fines sint æque propositi, bonus & malus, etiamsi neuter referatur ad alterum, in totum actus est malus. Ratio huius est, quia actus secundùm substantiam est vnus tantummodo, & ex vno bono fine bonus esse nō potest, quoniam bonum ex integra causa existit: & cum malum ex peculiari quocunq; vitio oriatur, sequitur vt huiusmodi actus in totum sit

malus: nam ad turpitudinē & prauitatem actus, sufficit si vnus tantum finis sit malus: quoniam ad bonitatem eius integra causa requiritur. Et proinde quando actus æquè duos fines habet, necesse est vtrumque esse bonum vt actus sit bonus. Si igitur vnus finis est malus, ex toto, non ex parte malus est actus. Animaduertēdum est, si actus sit bonus ob finem proprium bonum, ad quem refertur, minimè corrumpi, si postea malus finis accesserit, quia huiusmodi accessu nequaquā actus suū bonum finem amittit. Ex quo efficitur, vt actus vel officium charitatis, vel alicuius alterius virtutis opus ab honestatem factum, & cōtinuatum, non inquinetur, si ob inanem gloriam, & laudem absoluatur; quoniam inanis gloria finem charitatis, aut virtutis non submouet: sine autem proprio virtutis retento actus ipse continuatur, qualis antea cœperat. Nec obstat, si homo faciēs charitatis vel virtutis officium, simul quoq; vanam laudem, & gloriam, vt finem sibi propositum cōcupiscat: actus etenim charitatis aliquando cum veniali peccato simul existit, & cōtinuatur: cum quis simul præstat opus & officium charitatis siue virtutis, & ex alia parte inanis gloriæ desiderio & cupiditate maculatur: actus enim charitatis, aut virtutis, si verè charitatis aut virtutis op⁹ & officium est, peccatum esse, non potest. Ne intelligas eundem actum esse bonum simul, ac malum. Sed sic intellige, duos esse actus re, & substātia, vel ratione morali diuersos, cum quis aliquid facit amore Dei, vel studio inanis gloriæ. vt colligitur ex S. Thom. 1. 2. q. 20. art. 6. Dur. 2. d. 40. q. 3. Almai. tract. 1. Mor. c. 12. Medina 1. 2. q. 20. art. 6. versic. Et pro argumento maiori.

Cap. VI.

De bonitate & prauitate actus exterioris.

S. Tho. 1. 2. q. 20. art. 1.

PRIMO quæritur, An actus exterior sit per se & intrinsecus bon⁹ aut malus? Quod est quærere, An bonitas aut turpitudo moris solùm conueniat actui interiori voluntatis per se, an verò etiam actui exteriori: Et nomine quidem actus exterioris, intelligitur omnis actus cuiuscunque alterius facultatis à voluntate distinctæ. De hoc tres sunt opiniones; Prima docet bonitatem aut vitiositatem moris solùm actui interiori voluntatis per se, & intrinsecus conuenire; in actu verò exteriori solùm intrinsecus existere, nimirum vel tanquam in causa, vel tanquam in effectu. verbi gratia cupiditas furandi est per se, & intrinsecus mala: furtum verò si accipiatur vt obiectum voluntatis, est malum tanquam causa & origo malæ voluntatis: Si verò accipiatur, vt est actus à voluntate perductus in opus, furtum est malum tanquam effectus & signum malæ voluntatis. Sicuti in naturalibus animal est per se sanum, quia sanitatem habet: medicina verò est sana tanquam causa sanitatis: vrina autem est sana tanquam effectus, & nota sanitatis. Sic opinantur, Durandus, Ocham, Gabriel, Almainus, Scotus, Richardus, & Bonauentura. Id probant quia actus non habent bonitatem, aut prauitatem moris nisi q ratenus est voluntarius & liber: at actus exterior non est per se & intrinsecus voluntarius, & liber; sed solùm extrinsecus per actum voluntatis: ergo non est per se & intrinsecus bonus aut malus. Secunda opinio distinguit actus exteriores & ait; si sint intellectus vel appetitus sensus, possunt esse intrinsecus & per se boni aut mali, Si verò sint aliarum virium exequentium id, quod appetit & eligit voluntas, solummodo possunt esse intrinsecus boni aut mali. Ratio huius sententiæ est, quia putat liberum aliqua ex parte inesse per se & intrinsecus actibus intellectus vel appetitus sensus; nullam verò libertatem habere actus aliarum exequentium facultatum. Tertia sententia affirmat actus exteriores, qui sunt boni vel mali ex obiecto & circunstantijs, esse per se & intrinsecus bonos aut malos. Sic mihi videntur sentire S. Thom. 1. 2. q. 20. art. 1. Caietan. 1. 2. q. 20. ar. 1. & 2. & hæc sententia est probabilior: quoniam bonitas aut deformitas moris non solùm sumitur ex respectu & ordine, quem habet actus exterior ad voluntatem; sed etiam ex eo, quem habet ad rationem; quando actus ex obiecto, materia, & circunstantijs consideratur. Quoniam si actus per se est rectæ rationi consentaneus; per se & intrinsecus eo ipso bonus existit: & è contrario, actus rectæ rationi dissentaneus est per se malus: Sed actus exterior furandi vt est rationis obiectum, est rectæ rationi contrarius, ergo per se est intrinsecus malus, & actus caste viuendi, aut reddendi cuiq;, quod suum est, cum recta ratione congruit. ergo est per se bonus. Quod vt plenius intelligas, animaduerte quod tradit. S. Tho. 1. 2. q. 20. art. 1. 2. & 3. opus exterius dupliciter accipi posse: aut enim accipitur vt rationis obiectum, aut quatenus in facto cōsistit: primo modo est bonum vel malum rationis, quia vel est rationi cōsentaneū, vel dissentaneū, etiam antequam fiat, immò siue fiat, siue nō fiat: secundo modo non est bonū, vel malum, nisi quia nostra sponte & voluntate factum.

Dur. 2. dist. 42. q. 1. Ochā, quodl. 1. q. 20. Gabri. 2. d. 42 q. 1. Almain. 3. mor. c. 18. Scot. quodl. 18. a. 2 Richa. 2. d. 42. ar. 1. q. 1. Bon. 2. d. 42. ar. 1. q. 1.

Ad id verò, quod prima opinio obijcit, Respō deo, Voluntarium & liberum requiri quidem ad genus moris; quando in facto cōsistit; ideo enim actus belluarum, amentium vel infantium non sunt in genere moris constituti, quia voluntarij & liberi non sunt; sed bonitas & prauitas moris non solum sunt ex comparatione cum voluntate vel libertate, sed ex respectu & ordine ad rationem cuius nimirum opus exterius est obiectum antequam fiat. Actus igitur, cum primum est humanus in facto, videlicet voluntarius & liber, reponitur in genere moris: Distinguitur verò specie in bonum & malum, eo quod cum recta ratione conuenit, aut pugnat tanquam rationis obiectum. Et falsum est, quod secunda opinio existimat, in actibus intellectus vel appetitus sensus, liberum aliqua ex parte inesse per se & intrinsecus, quoniam liberum est per se in actibus voluntatis tantummodo.

Secundò quæritur, Num prauitas prius sit in actu interiori voluntatis, à quo deinde in actum exteriorem deriuatur, an potius contra prius insit actui exteriori, postea verò in interiorem transmittatur. Duæ sunt opiniones, Prima docet, omnē turpitudinem & fœditatē moris prius esse in actu interiori voluntatis, & inde in actū exteriorem transfundi. Est hæc sententia Bonauenturæ,

Richardi,

Locis sup. citatis.

Richardi, Durandi, Gabriel. Ocham, & Almaini, quæ nititur ratione paulò ante in medium adducta in quæstione præcedenti. Secunda opinio distinguit: Aut actus exterior est malus ex obiecto & circunstantijs, aut ex fine voluntatis optato & proposito. Si sit malus ex obiecto & circunstantijs, tunc prauitas primùm ineſt actui exteriori, & postea cõuenit actui interiori voluntatis: quoniam exterior cum interiore suam communicat deformitatem. Si verò sit malus ex fine voluntatis adiecto, deformitas primò ineſt interiori, secundò actui exteriori voluntatis. tunc enim interior ad exteriorem suam prauitatem traducit. Et hæc opinio est verior, quàm habet. S. Tho. 1.2. q. 20. art. 2. Primò quoniam velle furari ideo est malum, quia furari est malum. Item quia vt ostendimus quæstione superiori, actus exterior malus ex obiecto, & circunstantijs per se & intrinsecus est malus, quia est rectæ rationi dissentaneus, ergo furari prius natura malum est, quàm velle furari; nam opus exterius, antequam velis efficere, est malum ex obiecto, materia & circũstantijs, quia rationi contrarium existit. At verò quando actus est malus ex fine voluntatis concupito amato & proposito, tunc deformitas prius ineſt in actu voluntatis, quia intentio volũtatis est ab huiusmodi fine mala; & talem deformitatem actus exterior habere non potest, nisi ex intentione voluntatis: cuiusmodi est factitare quidpiã ob inanem gloriam, vel ob inuidiam, vel ob vindictam, contemptum, odium, superbiam, semper in his & similibus actib. exterioribus, deformitas finis propositi & spectati ineſt ob intẽtionem voluntatis; nam intentio ex fine voluntatis mala, suam prauitatem ad actum exteriorem transmittit.

Animaduertendum est Primò. Quando actus exterior est malus ex obiecto & circunstantijs, & deformitas dicitur prius ipsi conuenire, quàm actui volũtatis, intelligitur de actu exteriori sumpto cum respectu & ordine ad rationem cogitatione rem apprehendentem, videlicet quatenus est rationis obiectum: quod perinde est ac si diceretur; Actus exterior prout relatus ipsa cogitatione mentis ad rationem est malus, quandocũq; est rectæ rationi dissentiens. Quando verò actus exterior accipitur prout est re ipsa deductus in opus, tunc prius est prauitas & turpitudo in actu interiori quàm in exteriori, quia actus interior est causa exterioris, & proinde natura & origine prior existit: non tamen sequitur, vt deformitas ex actu interiori ad exteriorem emanet, sed solum vt deformitas, quæ primò fuit in actu exteriori relato ipsa animi & mentis cogitatione ad rationem, per actũ interiorẽ veluti per causam, deriuetur & transeat in actum exteriorem tanquam in opus à volũtate vltro & sponte factum.

Secundò Animaduertendum est, cum dicimus deformitatem ex fine proposito voluntatis prius interiori actui conuenire, quàm exteriori; intelligimus quando voluntas tanquam finem concupiscit, & sibi proponit aliquid, quod in ipso voluntatis actu interiori perficitur. Veluti cum finem sibi constituit voluntas inanẽ gloriam, vindictam, odium, inuidiam, contemptum, iram, superbiam, & similia; hæc enim omnia in voluntate complentur.

Tertiò quæritur, An idem sit dicendum, quando voluntas sibi prẽstituit tanquam finem, actum exteriorem malum: qualis actus est, cum quis furatur, vt cum scorto rem habeat; vel occidit alterum, vt adulterium committat; Quæritur inquam, an etiam in huiusmodi actibus prius deformitas, quæ sumitur ex fine, conueniat actui interiori quàm exteriori: sicuti diximus de prauitate, quæ deriuatur ex fine, qui in ipsa volũtate perficitur. Respondeo, eandem esse rationem: quoniam cum quis furatur, vt turpe quid faciat; deformitas luxuriosæ libidinis nõ potest furto conuenire nisi ex intentione, vel electione voluntatis: furtum enim ex suo obiecto & alijs circunstantijs, non habet huiusmodi prauitatem, ergo eam accipit à voluntate. Differt tamen huiusmodi finis turpitudo à deformitate finis, quæ in voluntate completur; quod ea deformitas cum sit finis, qui in actu exteriore consistit, intentionem voluntatis ideo reddit malã, & turpem, quia obscęna & luxuriosa libido, ad quam voluntas spectat, est mala. At verò intentio inanis glorię, ideo est mala, nõ quia aliquis actus exterior sit malus, sed quia ipsa cupiditas inanis gloriæ est per se mala. Atque idem est dicendum de cæteris intentionibus quæ in ipso interno voluntatis opere consummantur.

Quartò quæritur, An sicut turpitudo & prauitas actuum qui ex obiecto & circunstantijs sunt mali, prius ineſt in actu exteriori, quàm in interiori; sic etiam bonitas actuum ex obiecto & circunstantijs accepta, prius actui exteriori conueniat, quàm interiori. Ratio dubitandi est, quia actus exterior non est bonus, nisi fiat studio & causa ipsius honestatis: nam idem actus exterior, nimirum benefacere alteri, fieri potest vel gratia nostræ vtilitatis & commodi, vel delectationis, vel honestatis. Quod autem fiat studio & causa honestatis, habet ex affectu & intentione voluntatis: ergo bonitatem moris habet ex voluntate: quoniam si fieret tãtummodo vel ob cõmodum, & emolumẽtum, vel ob delectationem nostram, bonitate moris caderet. Quidam existimant etiam in actibus exterioribus, qui ex obiecto & circunstantijs sunt boni, conuenire prius actui exteriori bonitatem quàm interiori: quoniam velle castè viuere, aut fortiter agere, est bonum, & cum recta ratione cõgruens. Item domino depositum reddere bonum est, quia est rectæ rationi consentaneum; ergo sicut deformitas ex obiecto & circunstantijs prius est in actu exteriori, quam in interiori, sic etiam bonitas. Alijs probabilius videtur oppositum, eo quod actus exterior quamuis sit obiecti boni, nõ continuo est per se bonus, nisi existat etiam ex bono voluntatis affectu atq; proposito; ex fine enim malo optato, & proposito sæpe corrumpitur: ergo bonitas, prius ineſt in actu voluntatis interno, quam in externo: & actus exterior per se malus, cum sit rationi contrarius prius in se deformitatem habet quam voluntas. Ad obiectum verò Respõdent, ad bonum opus virtutis requiri bonum volũtatis affectum, cum tamẽ actus exterior sæpe malus ante malam voluntatem existat, si quidem bona finis propositi voluntas actum exteriorem, qui est ex re, & materia obiecta malus, bonum non reddit: vt con-

stat si Titius furari velit, vt habeat, vnde eleemosynam indigẽtibus det, etiamsi bonũ sit Titij propositum, furtum est malum; quia per se cum ratione pugnat: ergo prius furtum est malum, quoniam rationi aduersum, quàm voluntas furandi sit mala. At exterior actus alioqui ex obiecto bonus, ex malo voluntatis proposito sæpius inficitur: vt si Titius depositum reddat, iustum quidem faciet, non tamen consequens est, vt iuste faciat. Mihi magis prior sententia probatur: neq; enim video diuersam esse rationem.

Quintò quæritur, An quando actus interior versatur circa actum exteriorem tanquã materiam, & rem sibi obiectam, sint duo peccata actus interior, & exterior; an verò vnũ peccatum solum modo: quod est quærere, An voluntas furandi & furtum sint duo peccata, an verò vnum; Duę sunt opiniones, vna docet esse duo peccata, & hæc est Scoti putantis vtrunq; actum interiorem & exteriorem esse in se ipso & per se & intrinsecus malum. Ocham verò, Gregor. & Gabriel quãuis existiment interiorem actum duntaxat esse per se & intrinsecus malum, aiunt tamen esse duo peccata, quia sunt duo actus interior scilicet & exterior. Altera opinio asseuerat esse vnum tantum peccatum, sententia est S. Thom. 1.2.q.20.art.3. Bonau. 2.d.42.a.1.q.1. Richar. 2.d.42.ar.1.q.1.nu.6. & videtur verior opinio. quia actus interior, & exterior vnum solùm humanum actum constituunt. Item quia actus interior & exterior sunt vnus actus voluntarius & liber, ergo cum non sit nisi vna voluntas, non potest esse nisi vnum peccatum. Et eadẽ ratione electio, & intentio licet sint duo actus in genere naturæ, sunt tamẽ vnus duntaxat humanus actus in genere moris. Pari ratione actus imperatus, & imperãs, in genere naturæ sunt duo, in genere autem moris sunt vnus tantùm humanus actus. Postremò quoniam vt docet S. Tho. 1.2.q.20.ar.3.ad 3. quando aliquid ab vno deriuatur ad alterum per analogiam, & proportionẽ, tunc est vnum tantùm numero; vt sanum quod est in corpore animalis, transfertur ad medicinam, & & vrinam, & ideo est vna sanitas, quam in se habet animal, quamq; dat cibus vel medicina, & significat vrina. Sic vna tantùm est bonitas, vel deformitas in actu interiori & exteriori, quoniam per analogiam quandam ab vno tranfit ad alterum: si enim opus exterius sumas vt est rationis obiectum, est per se bonum vel malum, quia cum ratione consentit, vel dissentit: & inde actus voluntatis est bonus vel malus, quoniam est obiecti boni vel mali, hoc est rationi cõsentanei vel dissentanei. Si sumas vt re ipsa in facto consistit, est bonum vel malum, quia bonæ vel malæ voluntatis effectus & signum. Obijcies, Animal, medicina & vrina sunt tria sana, licet sanitas sit vna tantùm, soli animali tanquam forma & accidens inhærens, cæteris verò intrinsecus: ergo similiter actus interior & exterior sunt duo peccata, quãuis prauitas sit tantùm vna per se vt forma actui interiori cõueniens. Respondeo, Actum interiorem & exteriorem non solùm ideo esse vnũ peccatum, quia sit vna deformitas in vno per se & intrinsecus, sed etiam quia huiusmodi duo actus vnam actionem humanam voluntariam, & liberam constituunt: at verò animal, vrina & medicina sunt tria sana, licet sit vna sanitas, quia sunt tres subiectæ res. Iterum Obijcies, etiam actus interior & exterior sunt duo actus. Respondeo, esse quidem duos actus, sed rãquam partes vnius actionis humanæ: at verò animal, vrina & medicina sunt tres res, & nõ tanquam partes totius, sed tanquam materia subiecta, causa efficiens & indicium sanitatis. Si è contrario Quæras, an actus vnus, in quo sunt duæ prauitates specie distinctæ, sint vnum peccatum, an verò duo. veluti cum furtum est sacrilegum, aut coitus incestus, aut sacrilegum homicidium & similia. Respondeo, esse vnum peccatum, sed duplici turpitudine & deformitate affectum & maculatũ, quale est, si Titius calleat duas vel tres artes, disciplinasue specie diuersas, & dicitur vnus artifex, doctor & magister: quia quandocunque forma est accidens rei per suam substantiam iam antea constitutæ conueniens, non multiplicat rem, in qua vt in sede sibi subiecta insidet; tametsi ipsa specie multipliciter & è contrario; licet ipsa sit vna numero; si tamen res subiectæ, quibus inhærer, sint plures numero, etiam formæ multæ pariter esse dicuntur. Quare vnus est artifex, licet præditus multis artibus specie distinctus: vnum est peccatum, si sit vnus actus, licet multis prauitatib⁹ specie diuersis infectus. è contrario verò si vnus numero calor in duobus inesset hominibus, non vnum, sed duo calida dicerentur.

Sextò quæritur, An actus exterior actui interiori coniunctus augeat eius bonitatem, aut prauitatem, hoc est, an actus interior vnà cum exteriori sociatus eo ipso fiat peior aut melior: quod perinde est, ac si quæratur, an quando efficax est voluntas furandi, nec furatur, propterea quod omnis furandi occasio erepta sit, tam mala cẽsetur, quàm est voluntas, quæ oblata occasione furandi, furtum admittit. Duplex est opinio; vna docens per actum exteriorem bonitatem aut prauitatem in actu interiori voluntatis augeri, quæ innititur auctoritate Scoti, & Glossæ & Augustini. nam Gloss. in c. Si cui etiam d. 1. de pœnit. plus peccare ait eum, qui peruenit ad opus: & August. inquit, mala voluntate vel sola, quisque miser efficitur, miserior potestate qua desiderĩ malæ voluntatis impletur: & loquitur de miseria culpæ. Deinde quia nos hactenus ostendimus actum exteriorem intrinsecus & per se esse bonũ; vel malum, ergo voluntas melior aut deterior efficitur eo ipso, quòd opere desiderium impletur. Accedit, quod Titius quamuis efficacem habeat voluntatem necem sustinendi pro Christo non est tamen nec dicitur martyr, nisi pro Christo interimatur. Postremò idem probari potest, quia inter errores Petri Abailardi numeratur tertiusdecimus error in hunc modum: *Nos verò dicimus, quod sola voluntas à Deo in perpetuum remuneratur, siue in bonis siue in malis: nec propter opera peior vel melior efficitur quis, nisi fortè dum operatur, eius voluntas augeatur.* Secunda opinio docet actui interiori ex actu exteriori nihil bonitatis, aut deformitatis accedere. Sic S. Tho. 1.2.q.20.ar.4. Bonau. 2.d.42.ar.1.q.1. Rich. 2.d.42.ar.1.q.2.& d.40.art.1.q.4. Dur. 2.d.42.q.1.nu.8. & 9. Gregor. 2.d.42.q.1.concluſ.5.6.& 7. Gabriel. 2.d.42.q.1.art.2.concluſ.2. & hæc opin. est verior: & colligitur ex Aug. lib.1.de lib.arbit.c.3. qui ait, nõ minus

Sco. quodl. 18.ar.3. Ochã quodl. 1.q.10. Gre. 2.d.42.q.1. concl.5. & 6. Gabr. 2. dist.42.q.1. ad calcem.

Sco. quodl. 18.ar.3. Aug. li. 1. de Trie. c.

reum

reum esse cum, qui cupit, & si potestas daretur, exequeretur, quàm in ipso facto deprehendatur. Et in alio loco docet volũtate bona & mala meriti Deum bona aut mala merita. Gregor. idem quoque tradit his verbis: *Exteriora nostræ Domino quamlibet parua sufficiunt; cor namque & non substantiam pensat, nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur.* & id, quod nomine Hier. passim fertur, *In martyre voluntas vnde mors nascitur, coronatur.* Hugo S. Victoris, *Non est*, ait, *inæquale meritum, si æqua sit voluntas.* Bern. item: *Quid plenius*, inquit, *quàm quòd voluntas pro facto reputatur, vbi factum necessitas excludit.* Idem ratione probatur: quia eadem est bonitas aut deformitas in actu interiori. Præterea cũ inuiti & coacti quippiam efficimus, nihil meriti aut præmij in nostris operibus amittimus: ergo etiamsi desit actus exterior, dummodo voluntas fuerit efficax & perfecta, nihil bonitatis aut prauitatis amittit, insuper Hugo sic ait lib. 2. de sacr. p. 14. c. 6. *Opus requiritur, vt ipso opere voluntas augeatur*; & subijcit. *Effectus opere nutritur, vt crescat, & amplior fit: possunt esse voluntate pares, qui facultate sunt impares. Multum dedit Zachæus, qui dives erat, & multum habebat: vidua illa, quæ duo minuta misit, parum habuit, tamen tantum dedit, quantum Zachæus: minores facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat: si attendas, quæ dederunt, diuersa inuenies, si attendas vnde dederunt, paria inuenies.* Sic ille. Animaduertendum est huiusmodi opinionem intelligi, quando voluntas est efficax: tunc autem esset efficax & perfecta, quando re ipsa exequeretur opus, si exequendi commoda & opportuna offeretur occasio: nam ea volũtas efficax non est, quæ data occasione opus exequendi & complendi, id non præstat ac perficit. Præterea sciendum est voluntatis etiam efficacis bonitatem aut deformitatem ex actu exteriori augeri per accidens, nimirum eo quod voluntas est diuturnior ratione actus exterioris, in quo perseuerat. Item aliquando actus exteriores sunt per se iucundi & grati, vel molesti & laborioſi, & ideo solent voluntatem vel magis allicere, incitare, impellere, intendere: aut contra reuocare, & alienare, retardare, reflectere, atque remittere, & eatenus augent vel minuunt voluntatẽ. Postremò annotandum est, antè dictam opinionem intelligi de bonitate aut prauitate, quam habent actus per se, non autem de ea, quam habent aliunde sumptam. Quare per sacramenta re ipsa suscepta plus gratiæ & charitatis percipitur, quàm si ea voto tantùm & desiderio sumerentur. Pari ratione irregularitas, excõmunicatio, & alię pœnę Canonicæ, & Ciuiles contrahuntur ob factum exterius, & iam cõsummatum, non autem ob solam animi voluntatem, quia leges factis pœnas irrogant, non voluntatibus. Item restituere quis lege, & ipso iure compellitur eo, quod facto & opere alteri nocuerit, non autem solo animo & voluntate: nam restitutio debetur vel ob iniuriam, vel ob damnum illatum alteri, vel ob alienum retentum, sola tamen voluntate alteri minimè nocemus: nec æs alienum contrahimus. Sic etiam Deus muneribus, & beneficijs quibusdam gratuitis remunerat benefacta, sed non voluntates; veluti ob factum Martyres, Doctores, & Virgines diuinitus Aureolis donantur; & Ecclesia Indulgentias, id est, condonationes & remissiones peccatorum factis, & operibus externis, non autẽ voluntatibus concedit. Ad obiecta verò Respondeo: ad primum, ideo Augustinũ dixisse, Miseriorem esse qui mala voluntate cõsequitur id, quod appetit: non quia ex actu exteriori plus deformitatis, & prauitatis accedat, sed quia voluntas solet actu exteriori vel replicari, & iterari, vel approbari, & confirmari, ac maiori tempore perseuerare. Ad secũdum; licet actus exterior sit per se & intrinsecus bonus vel malus; non tamen habet aliam, atq; interior, bonitatem aut prauitatem. Ad tertiũ respondet Gregorius Ariminensis, non cõnumerari inter errores Abailardi prædictum errorem: vt cõstat ex S. Bernard. *epist.* 188. & 192. error illius erat, Non esse peiorẽ aliquem propter opera siue interna siue externa, vt ait Gregorius. Ex quo errore inferebat, adulterum vel furem non esse peiorem, quam si furtum vel adulterium non faceret voluntate vel opere.

Ang. epist. 45 quæ est ad Deogratias q. 4. Greg. hom. 3. in Euan.

Hugo. de sacra. lib. 2 p. 14. c. 6. Ber. epi. 77 quæ est ad Hugonem S. Victoris.

Cap. VII.

Aliæ quædam de bonitate & prauitate humanorum actuum quæstiones diluuntur.

PRIMO quæritur, Quomodo in actibus humanis distinguantur hæc quinq; Bonũ: Rectum: Studiosum: Laudabile: & Meritum. Et contra in malis actibus quo pacto differãt hæc etiam quinque: Malum: Peccatum. Culpa. Vituperabile & Demeritum, quod sic Theologi vocant. Respondeo, Bonum latius patere, quàm Rectum, studiosum, laudabile & meritum: quoniam Bonum dicitur tum de rebus; tum de actibus: & dicitur de personis, & habitibus; cũ tamen cætera propriè solùm de actibus dicãtur. Item Bonum & rectum dicuntur de bonis naturæ, artis & moris; cætera verò de bonis moris propriè dicuntur tantũmodo. Rursus rectum differt ab studioso, quia latius patet: nam rectum dicitur de actibus & naturæ, & artis & moris. Omnis enim actus vt est cũ sua regula naturæ, artis, vel moris conueniens, dicitur rectus: sed studiosus non est, nisi vt factus ex alicuius virtutis electione, & rectæ rationi, quæ est regula morum, consentaneus. Præterea idem actus in moribus, qui est rectus & studiosus, est etiam laudabilis, & meritum vel meritorius, vt passim vocatur, ob alias rationes, nimirum laudabilis, vt est commendatione, & laude dignus. Meritum est, vt est præmio vel stipendio, & mercede dignum, hoc est, quod vel apud Rempublicam vel Principem vel Deum, vel alium, quippiam promeretur.

Pari ratione in malis latiũ funditur malũ quàm peccatũ vel culpa: quia malũ dicitur de personis, reb. habitibus & actibus: Peccatũ verò & culpa solũ de actibus. Item peccatũ amplius patet, quã culpa: Peccatũ enim dicitur de actib. naturæ, artis, & moris, quatenus à recta regula dissentiunt: at verò culpa nõ dicitur nisi de actibus moris qui sunt voluntarij & liberi. Actus autem qui est culpa, dicitur vituperabilis; culpa quidẽ, quia est libera voluntate factus; vituperabilis verò, quoniã vituperatione, & reprehensione dignus est. Et hic idẽ actus dicitur vulgò demeritum siue demeritorius, quatenus pœnã & suppliciũ promeretur.

Secundò quæritur, An bonitas vel prauitas actus pendeat ex lege æterna Dei imperante bonum, & malum vetante. Quod est quærere, An actus humani sint boni vel mali, eo quod vel cum lege Dei æterna consentiant, vel pugnent. Quidam existimant bonitatem vel deformitatem humanorum actuũ ita ex lege Dei ærerna pendere, vt si ex hypothesi lex æterna non esset, actus nec boni, nec mali fuissent. Addunt alij; si quis contra rectam rationem egisset, penitus tamen ignorans legem Dei æternam, non peccasset. Mihi tamen videtur animaduertendum, actus aut esse bonos vel malos per se & natura sua: cuiusmodi sunt ea opera, quæ iure naturali vel imperantur, vel damnantur; vt mendaciũ, furtum, homicidium, adulterium, in malis; in bonis verò castè viuere, depositum reddere, Deum colere & venerari, parentes reuereri: in promissis fidem seruare. Alij verò actus sunt boni vel mali, non per se & natura sua, sed quia aliqua lege humana præcipiuntur vel vetantur: Alij item nõ sunt per se boni vel mali, sed eo quod aliqua lege Diuina scripta, positaúe, sunt imperati vel prohibiti: quales sunt actus quibus aliqua sacramenta suscipiuntur, aut alijs conferuntur; actus tales fuerunt multi quos olim lex diuina scripta præcepit aut vetuit. Actus igitur iure naturali boni vel mali sunt per se tales, quia per se rectæ rationi consentanei vel dissentanei. Quare sicut in naturalibus, quamuis si ex hypothesi Deum nõ esse fingeres, verùm esset dicere, hominẽ esse animal, esse substantiam, esse corporeum; quia hæc ad naturã hominis pertinent, & Deus rerũ naturas non mutat: sic etiam in moribus quamuis Deum non esse quis ex hypothesi fingat, aut mentis cogitatione concipiat, nihilominus malum est mentiri, furari: & bonum est reuereri parentes, depositũ reddere, caste viuere, quia hæc ad naturam actuũ spectant, eorumq; natura est vt cũ recta ratione conueniant vel pugnẽt. Et quia quicquid est rectæ rationi consentaneum, vel aduersum, est legi diuinæ congruens, vel contrarium, quæ lex diuina est ipse Deus, qui per naturam est recta ratio, lex & regula agendorum; ideo bonitas aut prauitas actuũ dicitur à lege æterna dependere. Sicut enim actus bonus vel malus respectum & ordinem habet ad rectam rationem, sic etiam ad legem Dei æternam. Cæteri verò actus, qui non sunt per se boni vel mali, sed quatenus lege humana vel diuina prohibiti vel imperati, extante lege sunt boni vel mali, quia rectæ rationi sunt consentanei vel contrarij, quamdiu lex viget: ea verò abrogata & sublata, non sunt amplius boni vel mali. Ex quo efficitur, vt si is scienter agat contra rectam rationem, quamuis penitus ignoret legem Dei æternam, verè peccatum admittat, quia facit opus rectæ rationi contrarium: Præterea consequitur vt nulla potestate ius naturæ solui, tolli, & deleri queat, quia (vt diximus) rerum naturæ mutari non possunt. Hinc etiam perspicitur, ideo aliquid dici iuris naturalis, quia naturalis recta ratio præscribit id ita esse faciendum aut fugiendum; ita vt si omittatur, aut violetur, labefacteturúe, contra rectam naturalem rationem sit omissio vel factum. Id vero dicitur esse solum consilium, quia etiamsi omittatur, non est contra rectam rationem omissio. Hinc etiam perspicitur id quod Arist. docet *lib. 5. Ethic. ca. 7.* dupliciter aliquid esse bonum: aut enim est bonum per se & natura sua, aut est bonũ lege posita siue dato præcepto. Quod est per se bonum, vbiq; bonum est; & quia sua natura bonum, ideo lex imperat; vt fiat: quod est secundo modo bonum, vim habet vbi & quãdo lex præcipit. Sic etiam aliquid aut est per se malum, & propterea lege interdictum: aut est malum solummodo; quia lege siue præcepto vetitum, & proinde vbi lex prohibet, aut præceptum vetat, est euitandum. Postremò sciendum est legẽ non solum intelligi eam, qua constituitur aliquid in hunc modũ, Fac; aut Ne facias hoc aut illud, sed etiam qua fugienda vel agenda iudicantur: videlicet, Ius suum est cuique tribuendum, nulli nocendum, castè viuendum, depositum reddendum Greg. *2. d. 35. q. 1. art. 2.* Gabriel. *2. d. 35. q. 1. art. 1.*

Cap. VIII.

De conscientia errante.

ANimaduertendum est, actum humanũ tunc esse bonum vel malum, quando est rectæ conscientiæ congruens, vel contrarius: immò aliquando esse bonũ, etiamsi cum errante conscientia consentiat: & malum si à conscientia errante dissentiat. Et ideo tractandum nobis est de conscientia errante. Secundò de conscientia opinante. Tertiò de conscientia dubitante. Quartò de conscientia scrupulosa. De cõscientia agunt Theologi *in 2. d. 39.* Cordubensis edidit tractatum diuisum in 14. quæst. qui est in lib. 3. suarũ quæstionũ.

Primò quæritur, Quid sit conscientia: Respondeo, secundum aliquos conscientiam ad voluntatem pertinere, at secũdum alios ad vim & facultatem rationis, & hoc est verius. est enim conscientia animi quædam ratio, vis & lex, à qua & de recte factis, & malefactis admonemur: est in homine veluti quædam rectæ rationis scintilla bonorum malorumq; facinorũ index & iudex. Sed adhuc inter hos est controuersia, an sit habitus rationis, an actus. Quidam, nempe Sco. Bonau. Dur. putant esse habitũ in ratione existentẽ. Sed iuxta S. Thomã, Gabriel. Cordub. & alios, conscientia est actus rationis, & hoc est longè probabilius. In præsentia igitur: conscientia nihil aliud est nisi actus rationis, quo ipsa præscribit, quid sit agendum, quid fugiendum: item quid sit bonum, quid malum, quid fas sit, ac liceat; quid nõ liceat: Item quid sit ratione præcepti præstandum, quid vi legis cauendum, & respuendum. Conscientiæ enim est testificari, accusare, increpare, arguere, præscribere, monere, suadere, stimulare, & hinc fit vt conscientia esse dicatur violatę legis, & rectę rationis tristis quędam cogitatio, & morsus: qui infixus homini viuit, quamdiu ille, nec vi nec fraude extinguitur: conscientia itidẽ dicitur esse affectuũ corrector, & animæ pædagogus; flagrũ post peccatũ: quia perfecto demũ scelere magnitudo eius intelligitur. Frænũ ante peccatũ, quia infixa nobis eã rem auersatur quã lex vel natura damnauit, conscientia est malefactorum testis, immò & tortor. vrit enim, cædit & verberat animũ: vnde mala cõscientia etiã in solitudine anxia & sollicita est, neq; vigilijs, neq; quietib. sedari potest.

Secundò

Secundò quæritur, Quid sit conscientia errans? Respondeo, esse actum rationis, quo illa præscribit aliquid esse bonum, aut vi & ratione præcepti faciendum; cum tamen malum sit, aut saltem cum debitum & imperatum non sit. Et è contrario præscribit aliquid esse malum, aut vi & imperio legis vitandum, cum tamen bonum sit: aut nulla lege interdictum: vt si quis putet esse mentiendum aut furandum ad vitam alterius seruandam & tuendam.

Tertiò quæritur, An peccatum sit agere contra conscientiam errantem: Glossa *in cap. Omnes. 28. quæst. 1.* recenset quorundam sententiam asserentium nõ esse peccatum, si alioqui imperatum vel vetitum sit id, quod cõscientia suadet ac monet: quia malum est quod cõscientia errans præscribit; ergo non est peccatum contra conscientiam errantem facere in re alioqui imperata, vel vetita: vt si conscientia errans præciperet esse furandum, depositum non esse reddendum, fidem datam esse violandam, peccatum non esset si contra eam ageretur. vnde inquiunt, rectè & sapienter dixit Cicero viro bono fixum in omni vita est, transuersum vnguem à recta conscientia non discedere: à recta dixit, non ab errante. Sed communis omnium Doctorum sententia est, esse peccatum facere contra errantem conscientiam: quod ratione concluditur: quia quippiam quod fieri oportet agere debemus vt est à ratione propositum: ergo si conscientia bona fide errans aliquid proponat, vt agendum vel vitandum, id nos oportet facere aut vitare. Et hoc tanquam certum ponitur in cap. Omnes 28. q.1. cap. per tuas 2. de Simonia. cap. Per litteras, de restitutione Spoliato. cap. 93 Quoniam omne, De præscriptionibus. Sicut enim si Titius despiceret Caium, militem priuatum, putans regem esse non militem: regem ipsum non militem despexisse meritò crederetur. Sic etiam si quis conscientiam errantem contemnat, est diuinæ legis contemptor; quoniam conscientia, lex diuina reputatur. Idem colligitur ex Paulo dicente ad Roman. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* vbi loquitur Apostolus de ijs, qui in discernendis & comedendis cibis conscientiam minimè sequebantur. Ac licet August. *lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 3.* Fulgen. *lib. de incarnat. & gratia Christi. cap. 24.* Prosper. *in epist. ad Rusi. de gratia & lib. arbit.* huiusmodi Pauli locum interpretentur de fide, qua credimus & Christiani sumus: Communis tamen Patrum sensus est de fide, id est, de conscientia. *Omne quod non est ex fide* (hoc est, id quod iuxta conscientiam aliquid mandantem non fit,) *peccatum est.* Origenes, Chrisostomus, Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus. Et reuera hæc videtur esse mens Apostoli in eo loco, vt ex antecedentibus & consequentibus planè legenti cuiq; constabit.

Quartò quæritur, An facere contra conscientiam errantem sit peculiare peccatum in certa quadam specie constitutum contra speciale præceptum: Respondeo, non esse, sed in specie certa constitui pro varietate præcepti; contra quod conscientia errans existimet se peccare: veluti si quispiam cõscientia errante putet sibi esse hodie ieiunium seruãdum, intemperans est, si ieiunium soluat: si credat oportere serè Diuinam audire, contra religionem peccat, si rei sacræ & Diuinæ non adsit: si existimet esse furandum, vt pauperi indigenti eleemosynã largiatur, nisi furetur cõtra misericordiã delinquit. Itẽ si credat esse mentiendum vt vitam seruet innocentis, homicida est, nisi mentiatur. Item de cæteris iudicandum.

Quintò quæritur, An sit lethale, an veniale peccatum contra conscientiam errantem agere: Respondeo, Interdum esse lethale, interdum veniale peccatum, pro varietate materiæ grauis & magnæ, vel leuis & paruæ, in qua conscientia errat, & pro varietate iudicij, quo aliquid suadẽdo vel monendo aberrat à lege. Potest enim accidere, vt conscientia existimet aliquid esse veniale peccatum, & quatenus tale vitandum, licet alioqui sit materia grauis: item potest existimare aliquid esse lethale crimen & quatenus tale cauendum, & fugiendum, cum tamen res sit alioqui leuis vel media & indifferens. *Cord. q. 4. Medi. t. 2. q. 19. ar. 6.*

Sextò quæritur, Quid dicendum, si conscientia errando præscribat generatim aliquid esse malum siue peccatum, & non determinatè & distinctè lethale aut veniale: nec definitè contra hoc vel illud præceptum, vel contra hanc vel illam speciem virtutis: an tunc contra conscientiam agere, sit lethale peccatum, & ad certam peccati speciem pertineat. Respondeo ad primã partem quæstionis propositæ, esse lethale delictum, quia se exponit cõscientia graui periculo magni peccati. Quemadmodum enim si Titius in animo habuisset peccare, & male agere in vniuersum, & hoc animo & voluntate in peccatum incidisset, eius peccatũ fuisset lethale, propterea quod ex huiusmodi affectu, & voluntate in periculum incurrisset grauis peccati, quamuis casu veniale tantùm peccatum alioqui admisisset. Ita etiam si quis ageret contra conscientiam per errorẽ monentem in vniuersum aliquid esse peccatum, & non distinctè ac speciatim lethale vel veniale, absque dubio grauiter peccaret, quia secundum suæ conscientiæ æstimationem, subiret periculum lethalis peccati. Ad secundum: sicut si Titius vellet vniuersim, & generatim peccare, aut malè viuere, in eo speciale esset peccatum contra synderesim, quæ vniuersè præscribit, esse bene agendum & bene viuendum: ita si conscientia per errorẽ suadeat aut præcipiat aliquid esse faciendum, aut penitus vitandum, vel aliquid esse peccatum vel malum, & contra eam agatur, erit peccatum contra synderesim, non cõtra aliquam certam speciem virtutis: ad peccatum enim sufficit, si quippiam fiat, quod à recta ratione dissentiat.

Septimò quæritur, An si quis faciat contra rectam rationem nõ errantem, peccatum duarum deformitatum admittat; Veluti si Titius Caium vel alium interficiat scienter contra conscientiam præscribentem homicidium esse peccatum. Quidam putarunt esse duas prauitates in omni peccatõ, quod contra rectam & veram conscientiam admittitur; sed probabilius alijs videtur, vnam tantum esse peccati deformitatem, nempe contra eam specialem virtutem, cui peccatũ aduersatur: quoniam recta, & vera conscientia eadẽ penitus ratione præscribit peccatũ esse vitandum, quia

Quos citat Cord. q. 4.

S. Th. 1. 2. q. 19. art. 5. Cord. q. 4. dub. 1. Medin. 1 2. q. 19. ad 6. dub. 4.

dum, quia virtus præcipit, idem peccatum esse fugiendum. Vna enim & eadem ratio est, qua iustitia monet ac præcipit nemini esse nocendum, & qua conscientia recta & vera suadet & imperat ne alteri noceatur. At verò vbicunque eadem ratione aliquid imperatur aut prohibetur, vna est legis siue præcepti ratio, licet plures sint, qui prohibeant, vel imperent.

Octauò quæritur, An conscientia errans vim habeat nos sibi obligadi, hoc est, vt eam sequi & iuxta ipsius præscriptum agere debeamus; Duæ sunt opiniones. Prima asseuerat non habere vim obligandi, sed ligandi: ait enim obligari & ligari plurimùm inter se differre: quando namque conscientia obligat, non solùm peccatur, si contra eam agitur, sed etiam iuxta eius præscriptum facere nos oportet: at verò quando conscientia ligat & non obligat, tunc si contra eam agatur, peccatum quidem admittitur, non tamen secundum eam agere debemus, quoniã possumus huiusmodi conscientiam errantem deponere. Et ideo ligamur, quia si contra eam facimus, peccamus: itidem si iuxta eam agimus, hoc est, eam sequimur, etiam delinquimus. Atque hoc est quempiam esse ligatum & non obligatum: ligatũ quidem, quia siue iuxta conscientiam, siue contra eã agat, peccato: non obligatum verò, quia licet cõtra conscientiam errantem facere non possit aut debeat, nulla tamen lege & iure cogitur eam sequi, quoniam cuiq; licet eam relinquere: Sic Dur. 2. d. 39. q. 5. num. 7. Greg. 2. d. 39. q. 1. ar. 2. Almai. tract. 1. mor. c. 5. ad calcem. Alex. p. 2. q. 120. nu. 3. ar. 1. immò et iam S. Tho. 1. 2. q. 19. ar. 1. videtur idem docere; nunquam enim ait conscientiam errantem obligare, sed ligare. Secunda opinio docet cõscientiam errantem non solùm ligare; sed etiam obligare, & idẽ esse in hac re obligare & ligare. Mihi probabilius videtur quod alij distinguendo respondent cõscientiam errantem aut ex errore vitioso oriatur, aut probabili, & iusto proficisci. Si ex vitioso oriatur, tunc conscientia errans non habet vim obligandi, sed ligandi: & in hoc casu non est idẽ obligari quod ligari: quod hac ratione conficitur, quoniam si conscientia erret & error sit vitiosus, hoc est, mala fide susceptus, quãdiu ea permanet, contra eam absque peccato agere nõ possum⁹ & proinde quasi obstricti & ligati tenemur ne contra eam faciamus; nec tamẽ eam sequi debemus, qui cum ex errore vitioso manet, & surgat, vim obligandi non habet, quoniam error est voluntarius, & idcirco eum deponere & abijcere nos oportet. ergo siue contra huiusmodi conscientiam errantem factitemus, siue eam sequamur, peccamus; nec tamẽ sequitur vt simpliciter ex necessitate peccemus, quia licet nobis eam cõscientiam exuere, & proinde absolutè etiam fas est contra eam non agere cum relinqui & deponi iure possit. Et in huiusmodi casu verũ est, quod ait prima opinio, conscientiam errantem ligare, non obligare. Si verò conscientia erret, & error probabilis & iustus sit, hoc est bona fide contractus, tunc habet vim obligandi: & idem est in casu proposito ligari, quod obligari; quoniam impediti & quasi vinculo cõstricti sumus, ne contra eam facere iure possimus: & eam sequi lege cõpellimur: nec tamẽ eam sequendo delinquimus, quia error est bona fide probabilis & iustus, & proinde absque voluntate nostra creatus in animo, qui eo ipso quod bona fide sine vitio & culpa est, depelli ratione non potest. Et in hoc casu locum habet, quod secunda opinio tradit. Quæres, Quare quando cõscientia labitur decepta errore voluntario & vitioso, peccatur cum contra eã quidpiam agitur, & nihilominus tamen si quis eã sequatur, & secundùm eam agat, non eo ipso bene agere iudicatur. Respondeo, Ad operis bonitatem semper requiri integram causam, in malis autem sufficere qualiscunque circunstantiæ vitium peculiare & singulare. Vt igitur bonum sit agere secundum conscientiam errantem voluntariè, & vitiosè, oportet existimationem conscientiæ bonam esse & cum recta ratione congruẽtem: at verò quando mala fide, & proinde spõte & voluntate cõscientia errat, eiusmodi existimatio bona esse non potest, qualis esset si bona fide erraret. Agere autem contra conscientiam vitiosam mala fide errantem, ideo est malum, quia eo ipso quod est error volũtarius & vitiosus, potest deponi ac ratione depelli, qui quandiu non abijcitur spõte ac voluntate nostra permanet: eo verò permanente, malum est contra conscientiam errantem agere, quoniam agitur contra id, quod conscientia monet, præscribit, ac præcipit.

Cord. q. 4. dub. 9. Medin. 1. 2. q. 19. a. 6. Gabr. 2. d. 39. qu 1. art. 3. dub. vlti. prope finẽ.

Nonò quæritur, An peccatum sit grauius, facere contra conscientiam mala fide errantem quam eam in operando sequi? Quidam putarunt maius esse peccatum sequi conscientiam vitiosè errantem, quàm agere contra eam: Quoniam inquiunt, grauius peccatur, cum superioris potestatis præceptum, quàm cum inferioris negligitur ac violatur. Sed cum in malis conscientiam mala fide errantem sequimur, Dei, & rectæ rationis legem, malum quod fit, prohibentem perfringimus, & nostræ cõscientiæ quæ est longè inferioris auctoritatis, præceptum exsequimur. Verùm probabilius apparet quod Durandus, & Almainus tradiderunt, in hoc certam regulam constitui non posse: aliquando enim accidere potest, vt grauius sit agere contra huiusmodi conscientiam errantem, quàm ipsam audire. Veluti, si Titius putet esse mentiendum ad seruandam vitam alterius: nisi mentiatur, grauiter peccat, quoniam homicidę in se culpam admittit; Si verò mentiatur, solùm peccat officiosum mendacium dicendo, & vitam alterius conseruat. Aliquando verò est minus peccatum facere contra conscientiam vitiosè errantem, quam eius præscripto parere. Vt si Titius existimet, non furari ob eleemosynam pauperibus erogandam, esse quidem peccatum, sed tantum veniale: tunc si Titius furetur, peccati lethalis sese culpa deuincit, & tamen si non furetur, tantùm veniali noxa tenetur obstrictus. Quare in hac quæstione est de grauitate peccati iudicandum pro qualitate rei efficiendæ vel omittendæ, quam conscientia mala fide errans præscribit, ac præcipit,

Bosso. 2. d. 38. q. 1. a. 3.

Du. Alm. Cord. Medina loco sup. cit.

Decimò quæritur, An conscientia errans nos arctiori vinculo obstringat quam Præfecti, siue superioris hominis præceptum: Bonauentura sensit maiorẽ obligandi vim habere Superioris præceptum: quia possumus, & aliquando debemus

Bona. 2. d. 39. ar. 1. q. 3. ad vlti.

conscien-

Alex. p. 2. qu. 100. m. 3. art. 2. S. Tho. 2. d. 39. q 1. art. vlt. ad 3. Medi. 1. 2. q 19. ar. 6.

conſcientiam, errantem deponere ob Præfecti præceptum ſeruandum. At S. Thomas, & alij docent arctius non alligari conſcientiæ errantis præcepto quàm Superioris præcepto, quoniam obligatio ex conſcientia errante exiſtens ac ſurgés, iuris eſt naturalis, quo iure facere nos oportet prout noſtra ratio præſcribit agendũ aliquid aut fugiendum. Exiſtimo dum conſcientia errans permanet errore non abiecto, maiorem nos ſibi obligandi vim habere, quàm Superioris præceptum. fas tamen eſt conſcientiæ errorem ad Superioris nutum, & voluntatem iuſtam depellere: quia poſſumus idem ſentire quod ille; & proinde conſilio aut præcepto ipſius noſtrum errorem exuere, quo depoſito amplius cõſcientia nos ſibi non obligat, ſed Superioris præceptum datum.

Cord. q. 4. citata ſuperius. Medi. 1. 2. q 19. ar. 6.

Vndecimò quæritur, An præceptum non agendi contra conſcientiam errantem, indulgentiæ diuinæ beneficio relaxari, & abrogari iure poſſit: Quidam ſentiunt poſſe. At verius eſt quod alij tradiderunt, non poſſe, quia eſt iuris naturalis præceptum & lex, à qua nullius indulgentia, & auctoritate poteſt quis ſolui & eximi.

Medi. 1. 2. q 19. ar. 6.

Duodecimò quæritur, An ſi Titius per conſcientiam erret, ita tamen vt eius error non ſemper actu in iudicando permaneat, ſed habitu tantùm, peccet quotieſcunque factitat contra conſcientiam non actu in iudicando errantem, ſed habitu in animo infixam. Quod eſt quærere, an peccatum ſit facere contra conſcientiam errantem nõ actu, ſed habitu; vt ſi Titius per errorem perſuadeat ſibi peccatum eſſe, operam dare magiſtro, & doctori Scholaſticæ Theologiæ, quo quidem errore nondum abiecto, operam & ſtudium conferat in Scholaſticam Theologiam, prorſus immemor ſuæ conſcientiæ errantis. Quidam cenſent Titium peccare, quandiu conſcientia errans antiqua non eſt reuocata; quare ſatis eſſe, inquiunt, ad peccatum, ſi contra conſcientiam errantem antiquam, & adhuc habitu non actu manentem quiſpiam operetur. Verius tamen videtur, quod alij ſentiunt, non eſſe peccatum: alioqui enim in ethnicis hominib⁹ omnia peccata impietatis, & infidelitatis culpa macularentur, quia in ipſis infidelis, & impia voluntas & conſcientia errans habitu perſeuerat. Deinde vniuerſa eorũ opera in vitio eſſent & culpa, propterea quòd ipſi habitu ſemper in praui animi affectu, & voluntate perſiſtunt. Non ergo ſufficit ſi conſcientia errans habitu tantùm ſtet ac permaneat in animo, ita vt ab ea nunquã per actum contrarium receſſerimus: verum requiritur præterea ad peccatum, vt contra conſcientiam actu per errorem iudicantem quippiam factitemus.

Tertiodecimò quæritur, An actus per conſcientiam bona fide ſine peccato errantem, factus non ſolùm culpa careat, ſed etiam ſit bonus. Teſte Almaino. *tract. 1. Moral. cap. 4. Martinus. quæſt. 1. de ebrietate ad 9.* ſentit ejuſmodi actum, qui alioqui eſt malus ex obiecto, ob ignorantiam bona fide ſine peccato contractam, excuſari quidem à culpa & vitio, ſed bonum non eſſe. Idem cenſet Angeſtus, vt teſtatur Cordub. *q. 23. de ignorantia*, quod probant; quia non eſt actus virtutis, eo quod circa malum obiectum verſetur, vt ſi quis rem alienam ſibi ſumat, bona fide putans eſſe ſuam: ſi accedat ad vxorem alterius, ratus bona fide ad ſuã accedere. Oppoſitum tamen docent Almainus, & Cordubenſis: Fortaſſis quæſtio eſt nominis nõ rei: nam Martinus, & Angeſtus nihil aliud videtur docere, niſi huiuſmodi actum, nõ eſſe bonum per ſe, & natura ſua, quia circa materiam malam verſatur, non negant eſſe bonum actum ex accidenti, hoc eſt, non negant eſſe bonum exiſtimatione, & opinione rationis, & conſcientiæ bona fide peccato errantis.

Cap. IX.

De conſcientia opinante, & primum de opinionibus deligendis quacunque in re agenda.

ANTEQVAM ad eam quæſtionem venio, An licet cuiquam contra propriam opinionem facere, pauca quædam breuiter diſputabo de opinionum delectu, præſertim in rebus agendis. Porrò de opinionibus deligendis poſſumus diſputare dupliciter, nimirum aut in foro exteriori conſcientiæ, aut in foro interiori, Primum expediam, Quænam opinio ſit in foro exteriore amplectenda: Secundò loco explicabo, quæ opinio ſit in foro conſcientiæ alijs præferẽda. In foro exteriore verſantur, Iudex in iudicando, & ferendo ſententiam: Aduocatus in patrocinio ſuſcipiendo, & cauſis defendendis: Doctor in docendo: Qui conſulitur, in conſilio dando. Medicus in medendo. Porrò in hoc opere opinionem accipio latè, vt eſt eadem, quæ ſententia alicuius viri Catholici, quamuis errorem contineat, aut curſu temporis ſit damnata, aut communiter reiecta.

Quod igitur attinet ad forũ exterius, id à Summiſtis per multas regulas explicatur, vt videre eſt apud Angelum, Sylueſtrum, Roſellam, Tabienſem, Armillam, & Nauarrum. Nos verò vt totam rem paucis perſtringamus, certas quaſdam prçceptiones, & regulas ſuis exemplis confirmatas in medium proferemus.

Nauar. in Manual. c. 27. n. 285. & ſeq. Cæteri auctores in ver. opinio.

Prima Præceptio.

QVOTIESCVNQVE ſententia, aut definitio Fidei verbis apertis manifeſta eſt, tunc quicquid Doctores alioqui grauiſſimi tradiderint, opinio quę huiuſmodi ſententia, vel definitione Fidei videtur inniti & fulciri, aut quę ei maximè accedit, eſt omninò tãquam certa, & vera, quorumcunque Doctorum ſententia poſthabita, tenenda. Hoc patet exemplis. Ex Concilio Tridẽtino *ſeſſ. 7. c. 1.* planè colligitur omnia Sacramẽta eſſe à Chriſto Domino inſtituta. Quare reijcienda eſt ſententia Alexandri, & Bonauenturę docentium, Confirmationis ſacramentum non eſſe à Chriſto, ſed à Spiritu ſancto per Apoſtolos, vel per Eccleſiam in Concilio Meldenſi inſtitutum. Item *ſeſſ. 14.* Concilij Tridentini can. 1. habetur, Extremam vnctionem eſſe à Chriſto inſtitutam; ac proinde refellitur ſententia Hugonis ſancti Victoris *li. 2. de ſacra. pa. 2. c. 2. Magiſ. 4. d. 23. c. 1. Bonau. 4. d. 23. rt. 1. quæſt. 2.* aſſerendum auctoritate

Alex. 4. p. q. 9. mem. 1. Bonau. 4. d. 7. a. 1. quæſt. 1.

Christi, vel Spiritus sancti instinctu, & afflatu Apostolos extremam Vnctionem instituisse. Item sessione 24. eiusdem Concilij Tridentini capit. 1, statuitur, Matrimonium esse verè, & propriè Sacramentum, & gratiam conferre: quare nihil auctoritatis habet, quod Hostien. *in sum. tit. cap. sacram. non iteran. num. 7.* Alexand. *part. 2. q. 167. num. 4. art. 1. ad 2.* Duran. *4. d. 26. q. 3.* Gloss. *1. q. 1. cap. Quicquid inuisibilis.* tradiderunt, per Matrimonium gratiam non dari. Item sessione 14. c. 5. dicitur sacram peccatorum cõfessionem esse à Christo Domino institutã, & traditam: quicquid secus dixerint Alex. *4. p. q. 18. nu. 3. art. 2.* Bonau. *4. d. 17. art. 1. q. 3.* & Gloss. *de Pœnit. q. 5. cap. In pœnitentia.* Panor. *in c. omnis vtriusque de pœnit. & remissionibus* affirmantes eam auctoritate Christi, ab Apostolis, vel auctoritate Spiritus sancti vniuersalis Ecclesiæ traditione, aut Concilij generalis decreto, & lege sancitam. Itẽ eadem sessione cap. 1. dicitur, Confessionem huiusmodi esse institutam Ioan. 20. illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Quare nihil est, quod eorum sententiam sequamur, qui aut hoc diffitentur, aut in dubitationem vocant, aut confessionem ex alijs Scripturæ locis colligendam curant hoc Ioannis testimonio tam claro, & certo posthabito, & neglecto. Item in Concilio Florentino in decreto Fidei sub Eugenio Quarto dicitur, Panem triticeum esse materiam Eucharistiæ. Propterea reijcitur sententia Alberti quam Argentina, & Gabriel sequuntur, Eucharistiæ materiam esse panem ex quocunque frumento confectum, dummodo, inquiunt, frumẽti appellatione quicquid aristas supernè procreat intelligatur. Immò addit Gabriel, temerarium esse definire, triticeum panem esse necessariam Eucharistiæ materiam. Item Exod. 25. apertè dicitur, Deum imperasse, vt propitiatorium in arca Domini ex auro purissimo fieret: & cap. 37. fertur Moses fecisse propitiatorium sicuti ei Dominus præceperat. Quare nihil auctoritatis habent codices, S. Thom. *1. 2. quæst. 102. art. 4. ad 6.* fortassis vitiati, & corrupti, aut scriptorum negligentia & incuria, aut lapsu memoriæ in S. Thoma, dicentes, propitiatorium fuisse tabulam quandam lapideam. Dixi, Codices S. Thomæ, quoniam probabile mihi nequaquam videtur, id S. Thomam docuisse, aut credidisse: nam super Epistolam Pauli ad Hebr. 9. lect. 1. sic ait, *inter duas autem alas, quibus tangebant se videlicet Cherubim, erat tabula aurea eiusdem longitudinis, & latitudinis, cuius arca scilicet duorum cubitorum in longitudine, cubiti & semis in latitudine: & erat supereminens, quæ dicebatur propitiatorium.* Hæc S. Thomas in eo loco. Hoc tene, & ne codicum. *1. 2. quæst. 102. ar. 4. ad 6.* lectione fallaris. Item ex Euangelistis satis clarè perspicitur, Christum Dominum in extrema cœna sub specie panis, & vini suum corpus, & sanguinem confecrasse verbis illis. *Hoc est corpus meum: & Hic est calix sanguinis mei.* Quare meritò confutatur opinio Innocentij Tertij asserentis non constare ex sacris literis, an verbis, an verò solo facto Christus Dominus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum confecerit. Immò putat eum sine vllis verbis sola voluntate, & nutu suo per actionem, quam voluit, confecrasse. Sic ait: ipse virtute diuina confecit, & deinde formã expressit, qua posteri conficerent. In Concilio item Florentino in Decreto Fidei sub Eugenio Quarto dicitur, materiam confirmationis esse chrisma ex oleo, & balsamo confectum. Quare vt existimo, nihil auctoritatis habet, quod docuerunt Caiet. *2. part. quæst. 72. art. 3.* Sot. *4. dist. 7. quæst. 1. art. 1.* Vict. *in sum. sacra. de confirm. num. 40.* & Ledes. *in 4. part. 1. quæst. 13. art. 2. dub. 3.* Nau. *in Manual. cap. 22. num. 8.* afferentes balsamum non esse ex necessitate materiæ; sed Ecclesiæ præcepto in sacramento confirmationis adhibendum: quamuis testentur illi auctores communem Theologorum, & canonici iuris interpretum opinionem oppositam esse tutiorem. Nec obstat quod in eodem Concilio decernitur, materiam in consecratione Eucharistiæ esse vinum, cui tamen aqua debeat adiungi; cum tamen aqua non sit necessitate sacramenti, sed Ecclesiæ præcepto apponenda. ergo eodem modo, inquiunt, interpretandum est decretum Concilij, materiam confirmationis esse Chrisma ex oleo, & balsamo confectum. Ita vt Concilium his verbis sacramenti materiam assignauerit, tum eam, quæ necessitate sacramenti, tum eam, quæ præcepto Ecclesiæ adhibetur: Nihil, inquam, obstat, hoc argumentum, quia Concilium non eodem modò loquitur: nam vbi Eucharistiæ materiam proponit, ait eam esse vinum ex vite, additque præterea: *cui aqua debeat adiungi*, quæ verba ex instituto Concilium addidit, vt explicaret aquam non necessitate Sacramenti, sed Ecclesiæ præcepto vino admiscri: At verò vbi materiam Confirmationis tradit, non ait esse oleum, cui debeat apponi, & adiungi balsamum, sed esse Chrisma ex oleo, balsamoq; confectum. Ne tamen tantæ doctrinæ, & auctoritatis magistros, quos dixi, facilè damnes: nam fortassis nihil aliud dicere voluerunt, nisi materiam confirmationis non esse balsamum illud verum, & legitimum, quod in Palæstina nasci fertur: eo quod ad sacramenti substãtiam satis esse videatur balsamum, quod ex India ad nos affertur: quamuis possit Ecclesia præcipere, ne hoc genere balsami, sed priori in conferendo Sacramento, vel Chrismate consecrando vtantur Episcopi. Concilium itidem Tridentinum sessio. 14. cap. 1. de extrema Vnctione finit, materiam eius esse oleum ab Episcopo benedictum. Quapropter refutanda est eorum opinio qui censent, ad extremæ Vnctionis materiam Ecclesiæ præcepto, non necessitate sacramenti requiri oleum ab Episcopo consecratum; & firmum, ac ratum esse sacramentum, si oleo communi, vsitato, & profano, aut saltem à sacerdote simplici consecrato ægrotus vngatur.

Animaduertẽdum est, in hac præceptione prima, Theologos interdum aliqua docuisse ante compertam Ecclesiæ definitionem, siue ante fidei decretum editum: & tunc huiusmodi Doctores damnandi quidé minimè sunt, eorum tamen sententiæ penitus improbandæ: vt exemplis ante positis constat. Ita. S. Thomas docuit, irregularitatem contrahere eum, qui occidit alterum in se irruentem, etiã si illum occiderit ad propriã suam vitam tuendam. Et tamen post S. Thomam in Clem. Si furiosus, de homicidio, definitum est, eum irregularitate non affici. Item nonnulli ex. sanct. Thoma asseueranter docent, votum solen-

ne, quod

Albert. 4. d. 12. art 3. Argent. 4. d. 11. q. 1. a. 7. Gabr. in can. Missa lect. 35.

Innoc. lib. 4. mysterio rum Missa c. 6. quam opinionem sequi maluit Catharinus in q. quibus ver

bis conficit Christus Eucharistiæ Sacramentum.

S. Th. 1. 2. q. 64. ar. 7. ad 3.

Idem 2. 2. q. 185. ar.

ne,quod in professione Regulares emittunt,consistere in quadam consecratione,seu formula spiritali ad Deum pertinenti, quæ ex Apostolorum institutione, & iure diuino, non autem statuto Ecclesiæ adhibetur: & tamẽ post.S.Thomam Bonifacius Octauus *in cap.1. De Voto,& Voti redempt.in 6.* aperte decernit, huiusmodi voti solennitatem, siue celebritatem,esse Ecclesię instituto introductam. Sic enim ait: Voti solennitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inuenta. Nec tamen puto.S.Thomam vnquam docuisse, quod aliqui eius discipuli contendunt, voti solennitatem esse iure diuino institutam; solùm dixit; in quadam formula consistere, quæ Apostolorum institutione adhiberi solet.At non omnis Apostolorum institutio, diuini iuris est: aliqua enim Apostoli constituerunt,vt Ecclesiarum Antistites ad commodiorem Christianę reipublicę administrationem. Item alij ex S.Thoma similiter apertè videtur docuisse,non esse perfectiorem paupertatem qua quis rerum omnium tùm communi,tùm priuato dominio, & proprietate se abdicat, quàm eam,qua tantùm se abdicat suis rebus priuatim, non communiter. Et tamen Nicolaus IIII. post. S.Thomam *in Constitutione quæ incipit: Exijt,qui seminat,in Sexto,de Verbo. Significa.* manifestò constituere videtur, esse arctiorem, perfectiorem, & sanctiorem paupertatem, qua quis tùm commune, tùm priuatum à se abijcit dominiũ rerum, quàm eam,qua alter tantùm priuato exuit se rerum dominio. Verba enim Pontificis eo, quem diximus, loco sic habent: *Christus Dominus, & viam perfectionis exercuit,& extulit, & imperfectorum infirmas semitas non damnauit: Sic infirmorum personam suscepit in loculis.* Et postea subiungit: *Egit namque Christus,& docuit opera perfectionis; egit etiam infirma, vt patet in fuga & loculis.* Et paulò ante dixerat, paupertatem nihil habentium cõmuniter aut priuatim, esse viam perfectionis,quam Christus verbo docuit, & exemplo firmauit.Ego quidem existimo.S.Thomę sententiam nequaquam cum Romani Pontificis decreto in hac parte pugnare: quoniam Pontifex solùm definit; paupertatem Religiosorũ nihil proprium habentium priuatim,& cõmuniter arctiorem,sanctiorem,& perfectiorem esse,quam eam, qua Religiosi priuatim nõ communiter se rerum dominio abdicarint, ita vt aliquid communiter possideant,quod sit in ipsius Religionis bonis, & quasi patrimonio.Hoc certe.S.Thomas non negauit,nec negare vlla ratione potuit: sed solùm docuit, Christianæ vitæ perfectionem in charitate consistere,non in paupertate: quia paupertatem eligimus,vt ad vitæ perfectionem aspiremus:paupertas viam munit ad perfectionem vitæ,non est ipsa vitæ perfectio: & ideo quo quis maiori est charitate prędituS,eo est perfectior,non quo pauperior est, perfectior habetur. Hinc colligit S. Thomas, Religionem non esse perfectiorem, eo quòd sit pauperior,quia licet minus arctam paupertatem sequatur, potest aliunde, nimirum ex vitæ & instituti sui fine,esse perfectior.

Idem 2.2. q.88.ar.7. & 11.

Ioan.13.

Deinde est anima duertẽdum, quæstiones physicas,& ad speculationem tantùm pertinentes, à practicis quas vocant, & ijs quæ in actione versantur, debere secerni. Verbi gratia: Apud doctores sunt opiniones. An aqua quæ ex herbis, vi caloris elicitur,sit eiusdem speciei,cuius est aqua naturalis. Sed quicquid sit de his opinionibus,quæ in speculatione consistunt, & apud Philosophos tractantur, pro certo est habendum, nullum esse baptismum collatũ in aqua ex herbis vi artis expressa;quia materia Baptismi,est aqua naturalis. Item, inter Philosophos est controuersia,num vinum ex fructibus arborum effectum,sit eiusdem speciei,cuius est vinum ex vite; alijs asserentibus esse eiusdem speciei, alijs verò negantibus. Verùm quicquid sit de ijs opinionibus,certum,& compertum est,materiam Eucharistiæ in vini consecratione esse vinum ex vite. Item Philosophos in quæstionem, & dubitationem vertunt, an vinum album, & rubrum ex vite,sint diuersæ speciei, ob diuersas vires, & qualitates,quibus huiusmodi vina affecta sunt.Cęterùm siue hoc,siue illud in re Physica teneatur;tãquam certum, & exploratum sequi debemus, ad materiam Eucharistiæ, nihil prorsus referre, sit vinum album, an rubrum, dummodo sit vinum ex vite. Præterea, quæstio est physica,an balsamum, quod ex India in Europam adfertur, sit eiusdem speciei, cuius est balsamum, quod ad nos ex Iudæa vel ex Palæstina aduehitur. Attamen hisce opinionibus posthabitis, videtur Sacramẽtum Confirmationis posse cõferri in balsamo ex India allato: nam licet quidam existiment illud balsamum non esse verum,& legitimum; alij tamen melius sentiunt, esse quidem verum balsamum,sed alterius tamen speciei, atq; illud quod in Palæstina nascitur. Ad Sacramentũ verò Confirmationis sufficit verum balsamũ, quamuis sit alterius speciei,& naturæ. Quid enim,si balsamũ non species infima,sed genus sit, sicut aliquorum est opinio canes specie differre? ita vt canis non species vltima, sed genus sit certum quorundam animantium. Quæstio insuper inter Philosophos agitata est, an gelu,nix,glacies,grando,& pruina specie inter se differant, ob diuersas vires, proprietates, & effectus. Verum quicquid de istiusmodi controuersia sit, non est dubitandum,valere Baptismum in aqua naturali ministratum,siue aqua sit ex flumine,fonte,puteo,mari;siue ex pluuia è cœlo decidenti; siue sit ex gelu, glacie, grãdine, niue, & pruina solis calore dissoluta, quia omnes huiusmodi aquæ sunt naturales, non arte factæ. Res item dubia est inter Philosophos, & Medicos, possit Eunuchus necnè vtroque testiculo carens rem habere cum fœmina, & semen emittere;alijs affirmantibus, alijs verò negantib⁹. Ex quo sit, vt inter Theologos quæstio disputetur,an Eunuchus sit idoneus ad matrimoniũ contrahendum. Et alij quidem docent eum esse idoneum, quia licet semẽ emittere nequeat, rem tamen habere cum fœmina potest. Alij verò omninò negant esse idoneum, eo quod aptus ad seminandum non sit: quæ opinio longè verior videtur.Sed quicquid Auctores hactenus scripserint, Sixtus. V. Pontifex Romanus anno salutis humanæ. 1587. die 27. Iunij diplomate pontificio in hunc modum constituit: Committimus fraternitati tuæ, & mandamus, vt coniugia per dictos, & alios quoscunq; Eunuchos,& spadones vtroq; teste carentes,cum quibuslibet mulieribus defectum prædictum, siue ignorantibus, siue etiam

Ita sentit Nauarr.in suis consilijs pa.1. de Sac. Vnct. consil. 1. num.1.

Sot.4. d.3. q.1. ar.4.

Posse coire & semen emittere ait Auicẽ. na, quem citat Angelus verbo Matrimonium 5. impedimẽ. to 16. n.11.

Glossa in lib. Si serua 6.spadoni ff. de iuredor. Alc. in d.spadonum.ff. de verb. sing.

Glossa in cap. si quis 32. qua. 7. Turrecrē. 33. qu. 3. in summ. q. 2. num. 11.

scientibus contrahi prohibeat, eosque ad matrimonia quomodocunque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, & tam locorum Ordinarijs, ne huiusmodi coniunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas; quàm eos etiam qui sic de facto contraxerint, separari cures: & matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita, & inualida esse decernas. Eos etiam qui sic iam de facto contraxerunt, si apparet, illos non vt castè simul viuant contraxisse, sed actibus carnalibus, & libidinosis operam dare, simuluè in vno eodemuè lecto cum prædictis mulieribus dormire conuincantur, omninò similiter separari cures. Sic Pontifex, qui ad Nuncium suum Apostolicum in Hispania commorantem diploma misit. Item inter Philosophos, & Medicos controuersia est, num sanguis sit pars animalis viuens & animata. Quidam enim affirmant, alij diffirentur. Enimuerò quicquid sit de hac controuersia, certissimum, & verissimum est in Theologia, sanguinem in Christo esse assumptū ad hypostasis, & personæ diuinę vnitatem: quamuis Richardus, Durandus, Gabriel, & Abulensis id negare videantur. Sed fortassis intelligunt, aliquem sanguinem Christi Domini effusum in terris cum passus est mortem, non fuisse resumptum, cum surrexit à mortuis, quia non fuerat cum diuinitate coniunctus. Quicquid sit, illud est exploratum, & certum, quod definit Synodus Tridentina his verbis: *Statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem sub panis, & vini specie vnà cum ipsius anima, & diuinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtroque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur.* Sic ibi. Et licet in quæstionem vocetur, num sanguis animalis sit viuens, & animatus: pro certo tamen apud Philosophos & Medicos habetur, partem esse necessariam ad constitutionem & vitam animalis; ac ideò tanquam talis in Christo, est hypostasi, & personæ diuinæ coniunctus. Res est controuersa, & dubia, an oleum ex iunipero, vel lino, vel amygdalis, vel pisce Balæna expressum, siue collectum, sit verè, & propriè oleum, & an sit eiusdem naturæ, cuius est oleum oliuarum: Sed siue hoc, siue illud in quæstione physica dicamus, cōstat inter omnes Chrisma, Confirmationis materiam, esse debere ex oleo oliuarum. Postremò, omnes ferè Philosophi Linum à Cannabi specie distinguunt & aiunt, Linum esse herbam notissimam, quæ in lanæ mollitiem contusa, netur in vsum vestium intimarum. Plinius ait Cannabim esse fruticem, & in lanæ quoque mollitiem contundi, & neri in vsum chordarum, funium, retium, & vestium. Et tamen id quod statutum est. c. Consulto. de Consec. Dist. 1. Vt sacrificium altaris non in serico pāno, aut in tincto quis faciat, sed in puro lino. Tabiensis, & Armilla sic interpretantur, vt appellatione Lini Cannabim etiam intelligant. immò Plinius ex gossipio Lina Xylina confici testatur.

Richar. 3. d. 2. art. 2. q. 1. ad 1. Duran. in 4. d. 10. q. 1. nu. 19 Gabri in can. Missa Lec. 53. Abule. in Parado. cap. 40. Syno. Triden. in Sess. 13. cap. 3.

Plin. li. 19. ca. 1. & lib. 20. cap. 23.

Tab. Miss. quæst. 9. Arm. Miss. a. nu. 6.

Cap. X.

Secunda Præceptio.

INTER duas opiniones ea est præferenda, quæ in legis, & iuris sensu, & intelligentia magis innititur, aut quæ consuetudine, & vsu recepto magis comprobatur.

Primò est animaduertendum, contra legem diuinam, vel naturalem conscientias hominum ligandi vim non habere humanam consuetudinem, vt est res comperta apud omnes.

Secundò, Consuetudinem humanam receptā, & approbatam habere vim, & auctoritatem legis, & proinde vim obstringendi conscientias, & ex toto, vel ex parte leges humanas, ciuiles, siue canonicas abrogandi.

Tertio, Consuetudinem tunc haberi tanquam receptam & approbatam, quā so tacito quodam totius Reipublicæ, vel maioris partis consensu est confirmata: tunc autem censetur tacitus huiusmodi consensus adesse, quando cōsuetudo nota est, & cum eam negligentes qui pœnis debitis puniri commodè possent, permittuntur impunè: aut quando totus populus màioruè pars legē latam non seruant. Item consuetudo etiam contra canones vsu recepta, & approbata existimatur, quādo legitima præscriptione temporis munita, & confirmata est: de quibus omnibus dicam in quinto libro, in quo de legib⁹ disputabo. Hinc est, vt multa in ieiuniorum diebus sint consuetudine abrogata: multa ex officijs clericorum Ecclesiasticis detracta: multa contra canones, & leges inducta. His præmissis, ex dicta Regula perspicitur quid sit dicendum cum controuersia esse soleat in multis, num in eadem Ecclesia, verbi gratia, possit quis simul dignitatem, vt vocant, & canonicatum habere; alijs asserentibus non posse, quoniam plura beneficia, & præsertim sub eodem tecto, hoc est, in eadem Ecclesia simul quempiam habere, non solùm est iure canonico interdictum, sed etiam naturali damnatum; alijs contra affirmantibus posse, eo quod sit vsu, & cōsuetudine receptum. Iuxta propositam igitur Regulam secundam verius apparet, id posse tuta conscientia fieri, vbicunque fuerit in more positum, vti est in Gallia, Hispania, & Germania. Obijcies, Consuetudinem vim nullam habere contra legem naturalem. At iure naturali damnatum esse videtur, vt quis plura beneficia, quorum alterum sufficit ad vitam, simul habeat. Respondeo, Non semper iure naturali esse damnatum aliquem plura beneficia simul possidere, nisi quādo sine iusta causa id fit: neq; enim ratio naturalis prohibet in vniuersum quempiam in eadē Ecclesia dignitatem simul, & Canonicatum habere, vt inferius docebo. Item valet consuetudo, qua ijs, qui beneficia simplicia possident, si Canonicatus, aut Portiones non sint, à suis Ecclesijs absint, & per alios in sui locum substitutos inseruiant, quamuis communi canonico iure in Ecclesijs, in quibus clerici beneficia habēt, commorari debeant, vt per se ipsi suum munus, & officium exsequantur. Præterea ob hanc regulam mihi admodum displicet ex parte opinio Soti, asserētis, Sanctos cœli ciues qui sunt fœlicitatem, & vitā

Sot. 4. dist. 45. q. 3. ar. 2. ad fin.

æternam

æternam adepti, non orare pro ijs, quorum errata leuia, & pœnæ criminũ igne purgatorio mũdantur: nam vſus, & mos Eccleſiæ oppoſitũ docet; precari etenim Eccleſia eos ſanctos cœli ciues, ſolet hoc modo: Sancte Michael ora pro eo: Sancte Petre ora pro eo: Sancte Paule ora pro eo. S. Tho. 4. d. 45. q. 3. art. 3. ad 6. Concedit quidem Sanctos cœli incolas orare pro ijs, quorum peccata igne purgatorio expiantur, ſed orare impetrando non ſatisfaciendo pro ipſis more viuentium, qui ſuis precibus pro mortuis ſatisfaciũt, & hoc puto Sotum docere voluiſſe. Nam eo loco ille ſui magiſtri. S. Thomę ſententiam exponebat, vnde nihil aliud ſignificare voluit, niſi id ipſum, quod S. Thomas docuerat, eos non more viuentium ſatisfaciendo, ſed impetrando orare. Item omnes ferè Summiſtæ docent in die natali Domini tria Miſſarum ſacrificia, quæ iure communi de more offeruntur, non eſſe noctu ante lucem diurnam facienda. Angelus, Roſella, Sylueſter, Tabienſis, Aſtenſis, Armilla, Nauarrus. Cæterùm ſi huiuſmodi opinionem ſequeremur, damnare oporteret ſacerdotes, qui ea nocte de more in prouincia, vel patria, vel regione cõmuniter recepto. ante lucem diurnam, ter aut ſaltem bis ſacris operantur. Quare huic nihil obſtat opinio, quæ tradit tria illa Miſſarum ſacrificia fieri ante lucem poſſe, quia hoc eſt more poſitum. Nec impedit quod obijcitur ex Gloſſa in ca. Conſuluiſti, de celebrat. Miſſarum, & in cap. Nocte. de conſec. diſt. 1. ea tria ſacrificia ita fieri, & offerri debere, vt primum ſtatim poſt mediam noctem, ſecundũ in aurora, tertium exorto iam ſole offeratur: nã facilè reſpõdetur hoc eſſe ex vetere Eccleſiarum more, & communi iure, cui tamen videtur eſſe derogatum per conſuetudinem vſu receptam. Ex quo efficitur, vt mos, & ius antiquum nouæ conſuetudini cedat, vbicunque ea fuerit vtentium moribus approbata. Non ſecus in dubium etiam reuocant Doctores, an Parochus poſſit indulgentiæ beneficio facultatem dare ſibi ſubdito, ne die conſtituto ab Eccleſia ieiunium ſeruet, aut vt opus ſeruile in die feſto, & ſacro faciat, quibuſdam aſſerentibus penes Parochum hoc iuris, & auctoritatis non eſſe, ſed ſolùm penes Epiſcopum; ea vna ratione permotis, quod per indulgentiam legem communem relaxare, aut aliquem ab ea ſoluere, eſt actus iuriſdictionis ad forum exterius pertinentis, quam Parochus nõ habet; alijs verò affirmantibus poſſe Parochum id beneficij conferre, quia hoc eſt conſuetudine receptum: at conſuetudine, aut præſcriptione poteſt quis iuriſdictionem acquirere: & horum opinio videtur mihi longè probabilior, ac verior. Sed eſt animaduertendum id licere Parochis facere in eo caſu, in quo id poſſet Epiſcopus, & cum ad eum facilis nõ pateret acceſſus, & ad tempus, non in perpetuum: nam ob hanc difficultatem ad tempus Epiſcopũ adeundi, videtur conſuetudine eſſe introductum, vt id officij genus Parochus præſtare poſſit. Præterea quidam aiunt iure communi omnes ordines Eccleſiaſticos, etiam minores eſſe per temporum interualla conferẽdos, ita duo pluresue eodem die dari nequeant: quoniam in cap. in ſingulis, & c. quicunque. d. 77. conſtitutum eſt, vt per temporum interſtitia cõferantur, quod ſynodus Tridentina renouauit Seſſ. 23. cap. 11. de reformat. Alij tamen ſentiunt quatuor Minores eodem die ab Epiſcopo poſſe tutò etiam iure communi conferri. Sic Gloſſa *in cap. de eo. de temporibus, ordina, verb. minores, & c. cum. ff. de eo qui ordinem furtiuè.* Sic etiam Goffredus quẽ citat Sylueſt. *Ordo. 2. quæſtio. 7.* Sed ſiue iure communi id vetitum ſit, ſiue ſecus, ſaltem vt docent Innocentius, Hoſtienſis, Ioannes Andreas, & Abbas. *c. de eo. de tempo. ordin.* id tuta conſcientia facere poteſt Epiſcopus, quando canon Concilij Tridentini de interſtitijs ſeruandis, iuſta de cauſa, & legitima relaxatur; & quia hoc eſt more, & conſuetudine receptum. Et certè vbicunque id fuerit in more poſitum poſt Concilium Tridentinũ dubitandum non eſt, quin eodem die tradi, & dari queant. Ius enim commune poteſt hac in re conſuetudine abrogari, & idem dicendum eſt de conſuetudine ſi recepta fuerit, vt eodem die prima clericorum tonſura, & quatuor minores ordines conferantur, vt teſtatur Sylu. *Ordo. 2. q. 7.* Inter Doctores quoque in controuerſiam vocatur, An damnatis ad mortem poſſit iuſte Euchariſtia denegari, qua in re quæſtio alia admiſcetur, An extremo vitæ tempore Euchariſtiam ſuſcipere diuino, an tantum canonico iure cogamur. Duæ enim circa hoc ſunt opiniones, vna eorum qui aſſerunt, ſolùm eam percipi oportere Eccleſiaſtico præcepto. & eſt Alexandri, Sancti Thomæ, Bonauenturæ, Gabrielis, Sylueſtri, & aliorum. Altera opinio eſt affirmantium eam ſumere iuris diuini præcepto quemque debere. Sic dur. *4. d. 9. quæſt. 2. numer. 7.* Petrus Sot. *de inſtitut. Sacer. tract. de Eucha. lect. 9.* Dominicus Sotus *4. d. 12. quæſt. 1. art. 11.* Victo. *in ſum. de ſacra. num. 85.* Ex his opinionibus factum eſt, vt quidã docuerint damnatis ad mortem Euchariſtiam nulla conſuetudine denegari poſſe; quod ſenſit Sotus, quia eam iuris diuini præcepto percipere nos oportet. Sed contrà ius diuinum nullæ conſuetudo humana vim habet, ergo nuſquam poteſt conſuetudine introduci, ad mortem damnato Euchariſtia denegetur. Alij verò exiſtimant, huiuſmodi conſuetudinem vbicunque ea fuerit recepta, & approbata, corruptelam non eſſe, ſed tuta conſcientia tanquam vim habentem poſſe ſeruari: quia ſæpè vſu venit, vt reus ob delicti atrocitatem ſit allegandus ad palum, vel gladio iugulandus, vel igni exurendus, nec poſſit commodè mortis pœna in aliud tempus differri, & Euchariſtiam conferre ei, qui ſtatim patibulo affigi, vel igne cremari debet, non videtur vlla ratione nocere. Profectò quicquid opinentur auctores in hac materia, non eſt facilè conſuetudo, vbi recepta fuerit condemnanda, nec iuri diuino videtur eſſe contraria, vt ſuo loco dicemus; nec item tam facili negotio Euchariſtia videtur eſſe damnatis ad mortem deneganda. Non enim arbitror cõſuetudinem eſſe introductam, vt facilè in quibuſcunque delictis, & criminibus damnati ad mortem hoc tam ſalutari ſacramento priuarentur: Sed potius videtur eſſe nimia Iudicum hac in parte ſeueritas, abuſu potiùs, quàm iuſto ac pio more firmata. Docet Nauar. *tom. 2. conſil. titu. de pœniten. & rem. conſil. 16. quæſtion. 2. numero 12.* damnato ad mortem ieiuno iure poſſe Euchariſtiam miniſtrari ante quatuor,

Nauarr. in Man. c. 25. nu 87. vbi citat alios.

Teſtatur Sot. 4. d. 12. q. 1. a. 11.

vel tres horas, immò etiam ante vnam horam. Ego seruandum existimo, quod Pius V. in hac parte constituisse fertur. Pari ratione amplectenda est sententia asserentium, in ieiuniorum diebus fas nobis esse capere refectiunculam vesperti-nam, quamuis eam somni gratia sumere necesse non sit, eo quod consuetudine receptum est ea in vniuersum vti, tametsi ad somnum capiendũ illa non egeamus: & sicut mos, & vsus communis eã generaliter introduxit in omnib⁹ ieiuniorũ die-bus; sic etiam in more positum est, vt refectiun-culam paulò maiorem solito sumamus in peru-gilio Natalis Domini. Eodem pacto probanda est Soti, & Maioris opinio dicentium, cuique sa-cerdoti fas esse sacrificium facere priuatim in die cœnę Domini, itidem etiam in sabbato, quod proximè Pascha antecedit, legitimo superioris consensu. Sot. *4. d. 13. q. 2. art. 2. ad 2.* ait, in Sabbato sancto consensu superioris potest licitè Sacer-dos sacrificare priuatim. *Mai. 4. d. 12. q. 5. §. dubita-tur.* in die, inquit Parasceues sacrificari non po-test: quælibet alia dies apta est ad sacrificium fa-ciendum: nam licet quidam opinentur id fieri iure non posse, quia tamen consuetudo est alicu-bi recepta, vt etiam eo die post Missæ sacrificium publica, & solenni celebritate, & ritu factum, priuatim sacerdos superioris consensu, & iusta aliqua de causa id exigente rem diuinam faciat, non est condemnanda vbicunque fuerit vsu re-cepta. Ex his perspicuum etiam est, quid dici pos-sit ad eam quæstionem, An vectigal siue gabel-lam, vt vulgò vocant, liceat exigere ex rebus, quæ sunt ad vitæ vsus necessariæ. Nam si Sum-mistas consulamus, omnium ferè est consentiens opinio, id nõ licere, quia apertè iure ciuili com-muni interdictum sit. Cæterùm consuetudine receptum est, vt in multis prouinciis, aut oppi-dis, & locis ex huiusmodi rebus, quæ nobis sunt vsui, certa aliqua pensio exigatur, & soluatur. Aliquorum item est opinio. Ecclesiarum Antisti-tes, & alios Principes peccare, si concedant in locis sibi subiectis, vt Iudæi vsuras à Christianis exigant, & accipiant. Si statuta condant, vt vsu-ræ Iudæis à Christianis promissæ soluantur, aut ne solutæ repetãtur in iudicio: quia iure natura-li, & diuino & Canonico in Cle. 1. de vsur. dam nantur: ita opinantur Sylvest. *vsura. 9. quæstio. 22.* Angel. *vsura. 2. quæst. 14.* Armi. *vsura. num. 54.* Alij contra, nimirum Bart. Paulus, Ancha. Alex. Imo lensis, quos citant Sylvester, & Angelus in Cle. 1. de Vsuris, excommunicatio fertur in Princi-pes, Dominos, & Respublicas, statuta vsuras ap probantia, aut permittentia condentes, putant eos in hac parte minimè peccare, si solùm impu-nè permittant. Nam aliud est statuta condere ap-probantia, vel permittentia vsuras, vt iure con-cessas, nimirum præcipiendo, vt vsuræ tanquam iustè soluantur, aut impediendo ne solutæ resti-tuantur: nam hæc omnia naturali, & diuino iu-re prohibentur, nec vlla consuetudine abrogari queunt. Aliud verò est statuto decernere, ne Iu-dæi immoderatas vsuras exigant, vt ipsi itidem certam quantitatem vsuræ, & non ea maiorem exposcant, vel accipiant, & hoc est, quod alicubi Iudæis Principes permittunt; nec videtur esse an-tedicta Clementina damnatum, vt Sylvester, ex Laurentio Rudolpho & Panormitano tradidit. Item aliud est pœnis non plectere Iudæos ac-cipientes vsuras, Aliud verò est constituere le-gem qua vsuræ approbentur, vel aliqua ratione concedi videantur: hoc enim est naturali iure damnatum. Illud verò damnandum non est vbi-cunque fuerit vsu receptum ad euitandum gra-uius malum, vel aliquod bonum inde prouentu-rum, tuendum, vt docet Iulius Clarius *lib. 5. recep. sentent. in practi. crimin. verbo. vsura num. 7.* Præterea licet in Clemẽtina paulò ante producta cautum sit, ne leges, aut statuta ponantur, quibus impe-retur, vt qui Iudæis vsuras promiserũt, eas solue-re in iudicio cogantur, aut ne solutæ repetantur officio, & auctoritate Iudicis. consuetudo tamẽ vsu recepta valet alicubi, qua hæc duo permit-tuntur, hæc enim Clementinarum iure damnan-tur, sed non iure naturali, aut diuino: & contra Clementinæ ius, consuetudo vim habet, vt suo loco dicemus; neque enim per se malum est pro-missum exoluere: non igitur pecco, iure omni scripto remoto, si tibi præcipiam, vt vsuras, quas te soluturum ante promiseras, soluas: nam Ec-clesia iubet te soluere vsuras, si iureiurando pro-miseris, te eas soluturum: vult enim, vt vel iurĩ-iurandi relaxationem obtineas, vel quod iurasti persoluas. Sylvester tamen Angelus, & Armilla locis citatis hæc statuta condemnant tanquã iuri naturali, & diuino contraria: & id verum est si statuta concedant vsuras tanquam iure, & tuta cõscientia permissas. Sed de hac re suo loco tra-ctabo. Item quidam putauerunt nulla ratione esse permittendum meretricibus in certa vrbis, vel oppidi parte habitare, vel ipsis domum lo-care: & tamen consuetudine vbique locorum vi-demus receptum vtrumque permitti. Vnde non est facile condemnandum, id quod Maior *in 4. d. 15. q. 35.* & Nauarrus *Manua. ca. 17. nu. 195.* tradidere: neque enim domus locatur eis, vt peccent, & me-retricium quæstum acquirant, sed vt habeant do-micilium, in quo habitent: nam quisque vt suam vitam sustentet, indiget victu, vestitu, & habita-tione, quarum rerum præsidio viuimus.

Sylu. vsura. 9 q. 22. ita quoque Angel. v. sura. 2. q. 14.

Alexand. de Neno. consil. 100. num 9. & nu. 13. & consil. 101. num. 14.

Cap. XI.

Tertia Præceptio.

QVotiescunque res est, quæ apud ciuilis, aut canonici iuris interpretes dicitur Pœnalis, vel quæ ad odia non fauores spectat, tunc inter duas, pluresq; opiniones ea est amplectenda, quæ est benignior, & mitior, iuxta Regulam iuris, quę habet: *Pœnæ, & odia sunt restringenda.* Hæc Regula patebit exemplis. Est opinio quorundam fas non esse assurgere excommunicato ad nos accedenti, caput aperire, submittere, aut alio corporis mo-tu beneuolentiam ostendere, qua eum benignè, & comiter excipiamus, etiam absque vllo ser-mone. ita opinantur Sylvest. *excommunicatio. 5. nu. 3.* Rosel. *excommunicatio. 8. numer. 30.* Nauarr. *in Ma-nua. cap. 27. num. 20.* immò Sylvester & Nauarrus testantur hanc esse communem sententiam, & citant Innocentium. Imolam, Directo. & Cardi. *Clem. vltim. de sent. excommun.* ita quoque Armil. *ex-communicatio. numer. 41.* Aiunt enim illi, signa esse vice verborum, quare cum prohibeamur eos al-

loqui,

loqui, aut verbis salutare, est quoq; interdictum ne nutu vel alio corporis motu cum eis vnà versemur, aliqua rerum communione vtamur. Alij verò arbitrantur hoc, nullo esse iure damnatum, quia licet in alijs rebus nutus, & signa verborum vicem habeant, & suppleant, in hac tamen re, in qua de pœna excommunicatorum agitur, restringenda videntur verba legis pœnam irrogantis, ac in mitiorem partem interpretanda. Et proinde verbum Vale, quo salutatio interdicitur, strictè accipiendum esse censent. Et certè hæc opinio est admodum probabilis, quamuis prima cum iure scripto magis conuenire videatur. Hanc secundam sequuntur, *Sot. 4. d. 22. quæst. 1. art. 4.* Mai. *4. d. 18. quæst. 2.* Tab. *excommunicat. 8. nu. 5.* Anton. *part. 2. tit. 25. cap. 2.* Ange. *excommun. 8. nu. 4.* & Palac. *4. d. 18. disput. 3.* Item inter auctores in controuersiam vocatur, An excommunicati ita sint sacramentorum perceptione priuati, vt si susceperint ea, nullo modo rata, & firma sint, & excommunicati à sacramentis penitus arceantur tanquam ad ea inepti: an verò tantum à sacramentis summoueantur; ita vt si ea perceperint, peccent quidem, sed vera sacramenta suscipiant. Quidam enim opinantur esse primò modo priuatos: contra alij putant solùm esse exclusos secundò modo. Ac tota quidem controuersia sita est in sacra absolutione, qua pœnitens à peccatis absoluitur. Nam si primo modo excommunicatus à sacramentis remouetur, sequitur vt nulla sit absolutio; cum quis prorsus ignorans se esse excommunicatum, vel penitus excommunicationis oblitus, sacerdotis ministerio à peccatis, antequam ab excommunicatione, absoluitur: Ita vt sacram peccatorum confessionem repetere, & absolutionem percipere debeat, obtenta prius absolutione, qua ab excommunicationis vinculo, & sententia soluatur. Ita opinantur Richar. *4. d. 18. art. 9. q. 4.* Palu. *4. d. 18. q. 6. art. 3.* Gab. *4. d. 17. q. 1. art. 3. dub. 2.* Adria. *4. q. 1. de Matrimo. & quæst. 3. de Clauib.* Sylues. *Confessio sacramentalis. num. 8.* Tabien. *Confessor. 2. q. 24. & absolutio. 1. q. 10.* Rosel. *Confessor. 1. nu. 10.* Ant. *par. 3. tit. 14. ca. 18. §. 4.* Sotus *4. d. 22. q. 1. ar. 1.* Ledesm. *4. part. 2. q. 28. art. 1.* vbi ait esse hanc sententiam communem, & tutiorem. Si verò solum secundo modo à sacramentis prohibetur excommunicatus, tunc valet absolutio, nec eam iterum impetrare lege vlla, & iure compellitur. quare iuxta prædictam tertiam Regulam cum sint duæ opiniones, & in pœna versentur, videtur secunda opinio tanquam benignior præferêda primæ: quam secundam, vt mitiorem sequuntur, Caiet. in sum. verbo absolutionis impedimẽta, & verb. confessionis iteratio. Nauarr. *in Manua. ca. 9. nu. 4. & de Pœnit. d. 5. c. 1. §. fratres, nu. 45. & 50.* Couar. *in ca. Alma mater. de sent. excommu. in 6. par. §. 6. num. 7.* Medin. *de Confessione, q. 18.* Armil. *absolutio. num. 5. & confessio. num. 11.* Ange. *confessio. 5. §. 10. qui citat Monaldum.* Supplem. *confessor. 1. §. 4.* Medin. *in sua instructione confes. lib. 1. cap. 11. §. 3.* Item quidam censent fas non esse in Missæ sacrificio, dum submissa voce tacitè viuorum, & mortuorum fit commemoratio, pro excommunicatis orare; aiunt enim sacerdotem in Missæ sacrificio offerendo, Ecclesię ministrum agere: & proinde pro excommunicatis, pro quibus Ecclesia non orat, precari iure nõ posse: hanc sequuntur Sotus *4. d. 22. q. 1. art. 1.* Ledesm. *4. part. 2. q. 23. art. 3.* Alij verò existimant id facere sacerdoti licere; dummodo non Ecclesiæ, sed suo tantùm nomine precetur. Et certè quia hæ opiniones de re ad pœnam pertinenti tractant, posterior sententia tanquam mitior est amplectenda: quam tuentur Syl. *Excommunicatio. 1. §. 2.* & Missa. *1. §. 8. versic. 4.* Couar. *cap. Alma mater de sent. excomm. in 6. part. 1. §. 6. nu. 4.* Nauarr. *in cap. Quando de consec. d. 1. notab. 19. nu. 71. vbi citat Syluestrum.* Sic etiam sum. confess. *lib. 3. tit. 33. q. 159.* Ange. *Missa. nu. 51.* Tabi. *excommunica. 1. num. 5.* In quæstionem item vertitur, an irregularitatem contrahat, qui alteri digitũ abscinderit; quibusdam asserentibus eum in irregularitatem incidere; quippe qui alterum mutilauerit; cum digitus sit pars corporis, & proprio officio, ac ministerio fungatur: digitis enim scribimus, depingimus, sculpimus, & instrumenta musica pulsamus, & alia pleraque facimus humanæ vitæ perutilia; alijs verò negantibus, ob eam rationẽ, quod digitus in iure, corporis pars non censetur, sed potiùs alterius partis nimirum manus particula. Primam sententiam sequitur Caie. *2. 2. q. 65. art. 1.* Secundam sequuntur plerique, & eam communem esse testatur Couarr. *in Clem. si furiosus de homici. par. 3. initium. num. 8. versic. ab eadem radice.* Certè quæstio est de re pœnali, & proinde cum sint duæ opiniones, secunda est benignior: & digitum in iure membri nomine non accipi, docet ex Bartolo, & alijs Abbas, *in ca. cum illorum, de sent. excommu. num. 8.* Item sunt qui sentiant eum pœna irregularitatis affici, qui membrum alterius ita debilitat, vt efficiat inutilem, & ineptum ad ministerium suum, & vsum ordinariũ, quamuis non amputauerit, ita opinati sunt Abbas *in cap. cum illorum, de sent. excommun. numer. 8.* Sylues. *homicidium. 3. q. 3. versicu. tertium, si membrum.* Angel. *homicidium. 5 num. 5.* Rosel. *homicidium 4. num. 19.* Tabien. *irregularitas. 3. q. 26.* Armilla. *irregularitas. num. 64.* Sunt contra alij, qui id negent: quoniam in iure is irregularitatem contrahit, qui membrum alterius truncat, & amputat, non autem qui tantùm debilitat. Res ad pœnam pertinet, & iura apertè constituunt, nullum in irregularitatem incurrere, nisi id fuerit iure expressum. Et propterea secunda opinio hac in re mihi magis probatur, quam magis probant Couar. *in Clem. si furiosus, de homicidio par. 3. initium. num. 8.* Nauar. *in Manual. ca. 27. nu. 206.* & ipse Abbas sibi contrarius *in cap. 1. qui clerici, vel vouen.* Nam in iure videlicet in Cle. si furiosus, de homic. habetur per disiunctionem, qui occiderit, vel mutilauerit. Si obijcias quod dicitur in c. accusasti, de accusatio. debilitatus est, & in c. quicunque 23. q. vltim. vel membris debilitauerit. Respondeo, cum glossa in c. accusasti citato, canones debilitatum membris accipere pro mutilato: nam ibi glossa debilitatum interpretatur mutilatum membris. Præterea multi putarunt eum in irregularitatem incidere, qui homicidium nomine suo factum ab altero ratum, & gratum habuerit, ita Nicolaus Plouius, & alij quos citat Couar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 1. nu. 4.* contra verò alij negarunt, dummodo nihil operæ contulerit ad homicidium committendum: quæ opinio in re pœnali mitior est. Obijcies, In excommunicatione ratihabitionem

mandato æquiparari, pari in ratione m irregularitate. Respondeo, plurimum interesse inter excõmunicationem, & irregularitatem, quoniam ex iure res est comperta excommunicatione obstringi non solùm mandantem, sed etiam eum, qui suo nomine homicidium illatum, aut vulnus infixum clerico, ratum habuerit: at verò in iure apertè constitutum est nullam irregularitatem contrahi, nisi sit iure expressa. Secundam sententiam sequuntur Gloss. Speculat. vt citat, & sequitur Couar. loco citato. Præterea quidam opinantur, eum in irregularitatem incurrere, qui scienter iterat Sacramentum Ordinis, aut Confirmationis; sicut irregularitate afficiuntur ij, qui Baptismum repetunt, vel conferendo, vel suscipiẽdo, quod crediderunt Archi. c.1.d.88. Richar. 4.d.7. ar.6.q.1. Gloss. *in ca. dictum, de consecr. d.5.* Anton. *par.3. tit.28.c.5.§.3.* Mai. 4.d.7.q.1.ad finem. Nauar. *in Manu. c.27.nu.247.* Alij verò negant. quia solum iure expressum est, irregularitatem contrahere eos, qui iterant Baptismum: quæ opinio tanquam in re pœnali, vt benignior, videtur esse amplectenda, nisi obstet consuetudo: Nauarrus enim testatur hanc sententiam esse magis iuri consentaneam, sed primam magis esse vsu receptam. Primam ferè omnes Canonici iuris interpretes sequuntur. Secundam Theologi magis probant, Scot. 4.d.7. p.5. Palu. 4.d.7.q.2. Sot. 4.d.7.q.1.ar.5. vbi ait secundam proculdubio veram esse. Item est quorundam sententia irregularitate ebrium obstringi, qui alium occiderit, vel mutilauerit in ebrietate omnem vsum rationis adimente, sed sponte susceptа: quia in Clementina, si furiosus, De homicidio, solùm excipitur ab irregularitatis pœna infans, aut dormiens, aut amens, si absque vsu vllo rationis alterum interficiat: non autem excipit ebrium Clementina, quem tamẽ facilè potuisset excipere, si voluisset; ita opinantur Cardinalis, Imola, Zenzelinus, Villadiegus. Sylu. quos refert Coua. *in Clem. si furiosus, de homic. p.2. initium.n.* 3. Contra verò alij negant vllam contrahi irregularitatem, quando quis sine culpa, dolo alterius factus est ebrius, ita Marianus Sozinus, & alii quos citat, & sequitur Couarruuias loco citato. Quod probant, quia idem est iuris de ebrio, quod de amente, infante, & dormiente: Siquidem isti excipiuntur, eo quod absque vsu rationis occidant: Sed ebrium etiam ponimus absque vsu rationis, & citra culpam in causa, vnde ebrietas extitit, interficere: ergo idem est de ebrio iudicandum. Cum igitur in materia pœnali opiniones versentur, & altera earum sit mitior, videtur magis probanda. Similiter est aliquorum opinio, quando leges pœnam his verbis delinquentibus irrogant; Priuamus officio, Dignitate, vel beneficio, aut sit ipso iure priuatus; contra statim pœnam in foro conscientiæ ante vllam criminis condemnationem: ita vt Beneficiarius nõ solùm fructus beneficij non faciat suos, sed etiam beneficio, officio, aut Dignitate se abdicare debeat. Alij vero putant huiusmodi pœnam in foro conscientiæ ante iudicis sententiam non afficere delinquentes, ita vt antequam condemnentur, officium, vel beneficium deponere nullo iure cogãtur. Probant, quia leges cum pœnam constituũt hisce verbis, Priuamus, vel, Ipso iure sit priuatus, hoc sensu accipiuntur, vt statim, atque lata fuerit iudicis sententia in reos, ea retrotrahatur ad diẽ commissi criminis, & fontes ab ea die iure beneficij, officij, vel Dignitatis priuẽtur: quæ materia cũ pœnalis sit, & prima sententia paulò rigidior, & seuerior fuerit, videtur illi posterior anteponenda. In multis casibus, cum quis est ipso iure beneficio priuatus, statim potest eius beneficium impetrari, tanquam vacans, vt suo loco docebo. Item quidam existimant: si Iudex in Caium sententiam ferat his verbis: *Suspendo te ab officio, vel beneficio*; ratam, & firmam esse. Contra alij opinãtur huiusmodi sententiã non subsistere, quia eo ipso, quod per disiunctionem fertur, est incerta; nescitur enim à quo suspẽdat, ab officio ne an à beneficio: & sententia qua in fontes animaduertimus, debet esse certa, ac nota nocentibus; quæ opinio in re pœnali est benignior, ac proinde probabilior. Hanc sententiam sequitur Sylu. *suspensio. q.5. versi. si iterum suspensio*: nam ex. l. hæc sentent. C. de senten. quæ sine cer. quanti. habetur, non esse à iudice sententiam proferendam sine certa quantitate. Obijcies, Si presbyter in sacra peccatorum confessione pœnitenti pœnam constituat, vt triduo ieiunium suscipiat, vel preces horarias reciter, rata est huiusmodi sentẽtia. Item si quis ita voueret, Si hoc vel illud mihi cõtigerit, promitto per triduum ieiunium seruaturum, vel preces horarias recitaturum: ergo eadem ratione si Iudex sententiam hanc tulerit: Suspendo te ab officio, vel beneficio, valet. Respondeo, Plurimum distare inter hæc, quoniam presbyter qui audit confessiones peccatorum, & per disiunctionem ieiunium, vel preces iniungit, liberam pœnitenti optionem relinquit, vt quam maluerit partẽ, eligat. Item quando quis cum disiunctione vouet, sese voco adstringit, ita vt facere debeat id, quod ipse postea maluerit: at verò Iudex ferendo sentẽtiam his verbis: Suspendo te ab officio, vel beneficio, nõ videtur liberæ nocentis voluntati relinquere, vt quam magis ipse probauerit, pœnã exoluat; quare cum certò neutram irroget, sententia manet in totum incerta, & propterea irrita censetur.

Animaduertendum est, ex hac Regula, esse exceptionem iure expressam. Nam cap. Si quem, De sententia excommunic. dicitur: *Si quis excommunicatur à Iudice his verbis, Excommunico te, vel si Iudex dicat, Nemo faciat hoc sub pœna excommunicationis, intelligitur de excommunicatione maiori, non minori*; & tamẽ iuxta tertiam nostram Regulam deberet intelligi, de excommunicatione minori; quia in pœnis, & odijs pars mitior est accipienda. Quare Regula nostra locum habet, quando contrarium Canones, Leges, & iura non exprimunt.

Cap. XII.

Quarta Præceptio.

QVANDO in cæteris duæ opiniones sunt pares, (pares intelligo in numero autorum, quamuis non in pondere & momento rationum) sed altera earum est tutior, ea vt plurimum est anteferenda: id quod ex subiectis parebit exemplis. Plerique opinantur, Eunuchum nõ posse matrimonium contrahere: alij verò (vt ante iam dixi) affirmant posse, & matrimonium

valere,

valere, si cum fœmina eius vitium sciente contraxerit; licet si cõtrahat cum ignorante nullum sit canonico iure matrimonium. Quamuis hæ duæ opiniones in cæteris essent pares, tutius est Eunuchum non contrahere: hæc pars est eligenda, præsertim antequam sit matrimonium contractum etiam semota declaratione Sixti Quinti, de qua supra. Item multi arbitrantur, circunstantias peccatorum speciem non mutantes, quãuis alioqui deformitatem eorum grauiter augẽtes, non esse in sacramento Pœnitentiæ necessario explicandas: Nau. *de pœnit. d. 5. in principio. nu. 6. vbi citat alios.* Contra alij affirmant, esse in confessione exprimendas, licet in cæteris pares essent opiniones, quia tamen tutius est eas confiteri, & exprimere, ideò hæc pars vt tutior videtur præferenda, quam sequitur Sot. vna cum alijs 4. *d. 18. q. 2. a. 4.* Est etiam multorum opinio, sacram absolutionem per literas, & nuntium datam valere; ita opinantur Cai. *in sum. confessio. in condit. 11.* Victo. *de Sacram. tract. a. de confessio. nu. 171.* Sot. *4. d. 18. q. 2. ar. 6.* Angel. *confessio. 1. nu. 32.* Rosel. *confessio. 1. nu. 8.* Ledes. *4. p. 2. q. 28. ar. 3.* Canus. *relect. de pœnit. p. 5. vers. alterum quod in eodem quintum argumentum.* Cæterum quidam alij putant vim habere absolutionem in absente collatam: id censent Palu. *4. d. 17. q. 2. a. 1. in 3. definitione magistrali. & d. 3 q. 2. a. 2.* Anto. *p. 3. tit. 17. c. 12. & c. 21. §. 3.* Sylu. *confessio. 1. q. 15. & confessio. 3. in principio.* Medi. *de confessio. q. 15.* Nau. *in Manual. c. 21. n. 36.* Petrus Sot. *de confess. lect. 11.* Palu. *4. d. 17. disput. vlt.* quia tamẽ tutior est opinio prima, immò quia ea sola meo iudicio tuta est, vt suo loco ostendam, quæ negat ratam, & firmã esse, ea est eligenda, ne pœnitens periculo exponatur in absolutione per nuncium recepta confisus, & ne sacrilegij periculum absoluens Sacerdos incurrat. Hinc etiam fit simili quadam ratione, vt longè probabilior sit eorum opinio, qui censent cognationem spiritualem nõ contrahere regem, vel principem, qui per procuratorem, vel nuncium, vel mãdatarium tenet, aut suscipit aliquem in baptismo, quam sententiam sequuti sunt Archidiaconus, Ioan. Andreas, Ancharanus, Dominicus, Francus: quos refert, & sequitur Nauarrus, & sic etiam Baldus, Henricus, Præpositus, Federicus, Romanus, quos citat, & approbat Couarruuias: sic quoque Syluester, Sotus, Ledesmus, quamuis Cardinalis, Marsilius, Abbas, & Felinus oppositum docere videantur: nam huiusmodi cognationes spirituales per Canones institutæ restringi potius quàm laxari debent. Præterea multi censent in suscipiendis Ordinibus ad Sacramenti substantiam non necessario pertinere, vt qui promouetur ad Ordines, manu tangat materiam sibi in ipsis Ordinibus porrectam, sed tantum, vt eam ab Episcopo in medium productam cernat. Aliorum verò est sententia ad eam necessario requiri, vt materia ab Episcopo porrigatur, & tangatur ab eo, qui ad Ordines eligitur. primam sententiã tenuerunt, Bona. *4. d. 24. p. 2. a. 1. q. 4.* Alb. *4. d. 24. a. 38. ad 2.* Sot. *4. d. 24. q. 1. a. 2.* Vict. *de sacr. ord.* Led. *4. p. 2. q. 36. a. 3.* Armi. *ord. n. 4.* Tab. *ord. 2. n. 1.* Secundam opinionẽ sequuntur, Palu. *4. d. 24. q. 1. a. 1.* Anto. *p. 3. tit. 14. c. 16.* Ange. *ordo. 1. nu. 8.* Rosel. *ordo. 2. n. 1.* Sylu. *ord. 2. q. 5. vers. 3.* Asten. *in sum. lib. 6. par. 2. tit. 1. art. 5. q. 3.* Cai. *tom. suorum opusculorum tract. 11. ad finem, & tract. 26.* quoniam igitur huiusmodi opiniones sunt pares in cæteris, & alioqui tutius est, vt qui initiatur Ordinibus materiam tangat; ideo hæc opinio videtur anteponenda. Est item multorum opinio, esse iure naturali damnatum, vt quis simul habeat plura beneficia etiam simplicia, quorum vnum ad honestam, & commodam vitæ sustentationem sufficit; & propterea iustam causam requiri, vt quis Pontificiæ indulgentiæ priuilegio simul plura possideat: alioqui nullam esse in foro conscientiæ indulgentiam; hanc sentẽtiam tuetur Abbas *in repetit. ad caput. extirpandæ, §. qui verò. de præb. nu. 27.* & probat eam aliorum testimonio. Alij verò existimant non esse naturali, aut diuino, sed solùm canonico iure vetitum, plura huiusmodi beneficia simul quempiam habere; & idcirco si plura Pontificiæ indulgentiæ beneficia etiã sine iusta causa quis simul habeat, indulgentiam in foro conscientiæ valere, licet in ea petenda, aut conferenda peccetur: eò quod iuris canonici relaxatio vim habeat in foro conscientiæ, quamuis peccet Pontifex in ipso iure relaxando absque causa iusta, & legitima; ita opinantur Inno. Goffre. Io. Andr. & alij quos citat, & sequitur Card. *in clem. gratiæ. de rescrip. nu. 12.* Sed cum hæc sit minus tuta sententia, illa prior videtur mihi magis probanda. Sunt qui etiam opinentur, Parochos, & Episcopos in suis Ecclesijs, quibus præsunt, commorari diuino iure non cogi: sed solùm ad id canonica lege compelli; & proinde indulgentiam Romani Pontificis auctoritate obtentam, etiam sine iusta causa, in foro conscientiæ ratam, & firmam esse, quia solius iuris Canonici est relaxatio. Sed post Concilium Tridentinum, id tenendum est, quod decernit Sess. 23. de reformat. cap. 1. Cathar. in opusc. de resident. & Albinian. *in tract. de residen.* sunt opinati. Alij contra putant, vt Caiet. *2. 2. q. 185. a. 5.* dicentes iure diuino, Parochos, & Episcopos residere debere; & propterea in foro conscientiæ nullam esse indulgentiam absque iusta causa impetratam: quæ sententia, quia tutior est, videtur suadenda. Item multi censent præceptum eleemosynam erogandi vim solùm habere, quando pauper necessitate extrema, aut quasi extrema laborat, non autem si graui tãtùm aliqua necessitate vexetur, quam sententiam sequuti sunt, Abbas, Antoninus, & alij quos citat Couarr. *lib. 3. variar. resolut. c. 14. nu. 5.* Contra alij existimant eiusmodi præcepto etiam nos tunc teneri, quando pauper ad iolam grauem indigentiam deuenit, quod vt rectè ait Couarruuias plerique senserunt, quæ sentẽtia tutior cum sit, meritò est præferenda. Insuper est quorundam opinio eleemosynæ erogandæ præceptum impleri, si simpliciter, & omnino indigenti pecuniam mutuam demus, quod senserunt Adria. quodl. *1. a. 2.* Nauar. *in Man. c. 17. num. 61.* Couar. *in regula peccatum. p. 2. §. 1. num. 4.* Aliorum verò est sententia, quando pauper simpliciter indiget, ita vt nec hic, nec alibi quicquam habeat, vndè possit sibi succurrere, & habendi in futurum spe omni careat, eleemosynæ largiendæ præcepto minimè satisfieri mutuũ aliquid dando, nisi gratis, & liberaliter donemus id, quo simpliciter indiget ad suæ vitæ vsum necessarium; quæ opinio, vt tutior est, eligenda. Quam docuerunt Medi. *tract. de eleemosyna. q. 6.* Sot.

Nau. to. 2. consil. de cogna. spir. consi. 2. nu. 7. Con. in epitom. p. 2. cap. 6. §. 4. nu. 7. Sylu. maprim. 8. q. 1. vers. 14. Sotus 4. d. 42. q. 1. ar. 2. Ledes. 4. p. 2. q. 38. a. 2. ad finẽ.

lib.4.de iusti.q.7.art.1.ad 4. Mai.*4.d.15.q.7.§. vt autem clare vide.a.* Ledesm.*4.p.2.q.15. art.3.* Quorundam est opinio nullum peccatum admittere eum, qui minus idoneum eligit ad beneficium Ecclesiasticum digniori posthabito: Contra alij oppositum docuerunt, hoc tanquam tutius tenendum. quid quid senserint glossa,& alij,quos citat Couarru *in regula peccatum.p.2.§.7.nu.3.*

Quæritur,An inter opiniones semper tutiorẽ sequi debeamus? Quidam existimant oportere nos sequi sempet tutiorem, tum quia iure consti tutũ est, vt in dubijs id quod tutius est teneamus. c.inuenis de sponſ.&in c.si quis de pœnit.d.7.dicitur,quod certum est teneatur, dimittatur quod est incertum;tum etiam, quia opinio est assensus, non certus,& firmus,sed cum formidine,qua putamus partem oppositam eius, quod opinamur, veram esse. Cæterùm verius est, non semper inter opiniones debere nos eligere tutiorem, vt ex subiunctis exemplis constabit. Nam multi senserunt pœnitẽtiæ præcepto nos compelli in diebus festis,& sacris ad detestationem,& dolorem peccatorum habendum; alij verò negarunt. Et certè prior opinio tutior est; & tamen posteriorem eligere tuta conscientia possumus.Quorundam sententia est,debere nos peccatorum nostrorum confessionem facere statim, vt est nobis oblata opportunitas, quod tutius quidem est,sed tutò oppositam aliorum sententiam amplectimur. Item multorum fuit opinio, admissum in die festo peccatum,temporis circunstantiam habere in sacra peccatorum confessione necessariò exprimenda: Alij tamen oppositum tenent: ac licet prior opinio sit tutior, eam tamen sequi iure non cogimur. Senserunt etiam nonnulli nefas esse ex mutuo ratione lucri cessantis quidpiam exigere, vel accipere; affirmarunt alij id licere. Et tutius quidem primum est, sed ad id tamen amplectendum nullo iure compellimur. Est item aliquorum sententia promissionem iureiurãdo firmatam, licet in re alioqui leui, adeo vim obligandi habere, vt lethale peccatum sit talis iurisiurandi violatio: Contra verò alij tradiderunt, solùm venialem committi culpam in tali iureiurando frangendo,quod quamuis minùs tutum sit,tutò sequi possumus. Fuit S.Thomæ,& aliorum quoq; sententia posse iudicem tuta conscientia pœna legis,etiam si capitalis sit, cõdemnare eum,quem ipse Iudex priuatim quidem nouit esse innocentem,sed secundùm ea,quę sunt in iudicio allegata, & probata reum mortis, cum tamen Scotus, Adrianus, Panormitanus, & alij quos refert Couarruuias loco citato aperte tradiderint nullo modo licere Iudici, capitali supplicio in eũ animaduertere, quotiescunq; ei priuatim nota fuerit innocentia: quæ opinio licet tutior quidem sit, attamen sine vllo peccato relinquitur: nam liberum nobis est priorem sententiam,& sequi,& iuxta eam agere salua animi cõscientia. Plerique item censent nulli licere pro suis rebus defendendis furẽ præsertim diurnum occidere,quãuis liceat nobis eũ,qui in nos irruit interficere pro vita nostra tuenda. Hanc sententiam sequuntur Glossa.& Abbas, Anania, Felinus & alij quos refert,*Couarr.in Clem.si furiosus.de homic. par.3.§.1.num.6.* At contra alij sentiunt, etiam pro rebus nostris ad vitæ vsus necessarijs seruandis fas esse furem perimere; quod etsi minùs tutum sit, est tamen tuta conscientia liberum, alteram partem amplecti,quam defendunt *Caiet.2.2. q.64. artic.7.* Sylu.*excommunicatio.6.§.6.vers.9.* Sot.*lib.5.de iust.q.1.artic.8.* Couarr.*loco citato,* quam sententiam intelligunt locũ & vim habere in rebus,quę sunt alicuius momenti,&quę aliter defendi nequeunt contra vim furis, nisi illum occidamus. Ego tamen eam interpretor in hunc modum; iure possumus furem interimere per vim rapientem bona nostra,quæ sunt vitæ simpliciter necessaria,& aliter ea tueri nequimus, nisi raptorem occidamus: tunc enim vitam nostram contra vim defendimus; quam tueri licet. Vt quando equus, quem habes,est tibi necessarius ad vitã fuga conseruandam: aut arma ad te protegendum: aut pane simpliciter indiges,ne fame pereas. Alioqui illud est tenendum, quod ait Aug. lib.1.de lib.arbit.c.5. quomodo peccato sunt liberi, qui pro ijs rebus,quas contemni oportet,humana cędepolluti sunt? Præterea est quorundam opinio, nefas esse,si quis sit iustè condemnatus, vt in carcere moriatur, manere in carcere, quando liber ei patet aditus ad fugiendum. Ita nefas esse panem, aut cibum oblatum respuere,quamuis quis sit iure condemnatus ad carcerem perpetuum, vt ibi fame pereat. Alij vero contra existimarunt licere ei cibum oblatum refutare,repudiare,ab eo se abstinere, & in carcere manere ad satisfaciendum iustæ Iudicis sententiæ, quæ eum perpetuò carceri mancipauit.Priorem sententiam sequuntur Cai.2.2.*q.69.ar.4.* Victo.*relect.de homic.num.28.* Cordub.*lib.1.q.36.* Castr.*lib.2.de lege pœna.cap.8.* Couar.*lib.1.var.resol.cap.2.num.10.* Posteriorem tuentur Sot.*lib.5.de iust.q.6.art.4.* Mai.*4.d.15.q.22.* Ange. *fugere num.1.ad finem.* Salon.*2.2.q.69.art.4.contron.4,* Sed quamuis prior opinio sit tutior,ei tamen minimè cogimur adhærere. Item multi docuere, Lucrum partum ludo legibus interdicto in foro conscientiæ esse restituendum: Contra alij tradiderunt illud non debere restitui: Et sanè licet prius sit tutius, potest quis tamen id lucri in foro conscientiæ tutò retinere. Quando scilicet ludus legibus solum vetatur, non tamen is, qui lucratur, sit inhabilis ad retinendum sibi lucrum ludo acquisitum. Quoniam licet priorem sequãtur, Bonau. *4.d.15.par.2.ar.2.q.1.* Palu.*4.d.15.q.3.ar.5.* Richar.*4.d.15.art.1.q.8.* Gabr.*4.d.15.q.13.art.1.nota.4.* Angel.*ludus. quæst.7.* Posteriorem tamen tuentur Alexan.Adria.Castr.Sot.quos refert, & sequitur Salon.*2.2.q.61. tract.de dominio. q.5.* ita etiam senserunt Cãi.Mai.Medi.vt citat,& defendit Couar.*in regul.peccatum.p.2.§.4.nu.4.* Aliquorum est quoque sententia, ad rectè suscipiendum Baptismum,vel Pœnitentiæ sacramentum, eum peccatorum dolorem requiri quam vocant contritionem scitam,& cognitam: vel saltem eum dolorem,quæ attritio appellatur, quæque existimetur bona fide esse contritio.Ita videtur docere Nauar.*in Manua.c.1.n.36.* Cuius oppositum alij opinantes dixerunt sufficere solam attritionem: etiamsi peccator eam attritionem esse cognoscat, dummodò tamen talis sit,quæ omnem peccandi voluntatẽ, & prauum affectum excludat:qualis est peccatorum dolor cõceptus metu gehẽnæ, aut desiderio,

S.Th.2.2. q.67.ar.2. et alij quos citat, & sequitur Couar.lib. 2.var. resolu.cap.1. nu.1.& 3.

& studio vitæ æternæ, aut odio turpitudinis peccatorum ex Spiritus sancti dono cum spe veniæ impetrandæ; hoc tradit Canus: de pœnit. part. 5. versi. Deindè etiam attritio efficax. Primum non est dubitandum tutius esse: tamē secundum suadere, & eligere possumus citra vllum animæ periculum. Et videtur pro ea sententia facere, quod dicitur in Concil. Trid. sess. 14. cap. 4.

Ad obiecta verò in principio. Respondeo, Iure esse cōstitutum, vt in rebus dubijs, quod tutius, & certius est, teneamus, quod generaliter verum est. Nusquam tamen in iure habetur, vt inter opiniones tutiorem sequamur: non enim idem est iuris de dubijs, quod de opinionibus. Nam qui dubitat, neutri parti assensum præstat, qui verò opinatur, vni tantum parti assentitur, quamuis non sine aliqua formidine. Quare is, qui dubitat, nisi dubitationem deponat, & exuat, non potest agere contra dubiam conscientiam: quia quamcunque partem sequatur, se exponit peccati periculo, eo ipso quod facit contra conscientiam dubitantem, vt inferius dicemus. Ad secundū Respondeo; Quādo quis opinatur, licet vi opinionis certò, & firmè non adhæreat parti, quam opinatur, nulli periculo peccati se objicit: quoniam in opinionibus, quę sunt probabiles, licet eam sequi, quam malumus. Et propterea vi huius principij extrinseci, nimirum inter probabiles opiniones licere hanc, aut illam eligere, in eligendo nullū peccatū admittimus: nam quāuis minus tutā, minus certā, & firmā eligamus eligimus tamē id q; licet facere, & quod est nobis iure concessum.

Cap. XIII.

Quinta Præceptio.

VTplurimùm communis opinio Doctorum in rebus agendis est anteponenda. Hanc Regulam intelligimus locum habere, quando nulla ex quatuor supradictis præceptionibus locum habuerit. Et quoniā res agenda, aut potest ad materiam Legalem, aut Canonicam, aut Theologicam pertinere: Communem opinionem accipimus iuxta subiectam rei cuiusq; materiam. Quare si materia est Theologica, communis opinio intelligitur, quæ communi Theologorum consensu fuerit recepta. Si materia sit legalis, communis opinio censetur, quam communis iuris Ciuilis interpretum consensus approbarit. Si materia sit Canonica, cōmunis opinio habetur, quæ communi iuris Canonici Doctorum sensu confirmatur. Illustremus rem exemplis. Communis Theologorum est opinio; Baptismū in hanc formam susceptum: Ego te Baptizo in nomine Genitoris, Geniti & procedentis ab vtroque; vel in hanc formam: Ego te baptizo in nomine Christi, non valere: quæ opinio est omniò eligenda. Licet Caietanus cum quibusdam alijs affirmauerit Baptismum sic collatum, ratum, & firmū esse: præsertim cum communis Theologorum opinio sit etiam in hac controuersia tutior. Theologorum, præsertim veterum est communis sententia, quatuor minores Ordines esse verè sacramenta, & characterem imprimere, gratiamque suscipientibus dare: & ea mihi videtur præferenda eorum sententiæ, quæ nostro tempore oppositum tradiderunt. Quidam Theologi opinantur Ordines sacros per solam impositionem manuum, & verba Episcopi sine vlla traditione instrumentorum sacrorum conferri: quia eos sic Apostoli conferebant, quando nullus erat Euangeliorum liber, qui Diacono traderetur, & Græci eos ita conferre perhibentur. Constans tamen est omnium ferè Theologorum, & Canonici iuris interpretum, & Summistarum sententia, eos Ordines nullo modo dari, & suscipi absque sacrorum instrumentorum porrectione: hæc est tenenda.

Petrus Sotus de inst. sace. tract. de Sacram. ord. lect. 5. Ositus in confes. fid. Catho. de Sacram. ordin. ca. 50. & 53.

Primo quæritur, Quo pacto communis opinio discerni, & internosci queat. Respondeo, Sæpè vsu venire, vt res sit penitus dubia, quoniam auctores aliquando aiunt hanc vel illam opinionem esse communem; cum tamen alij scribant communem esse contrariam. Veluti si simplex presbyter cum concubina rem habuerit; Dubitatur, cum agitur de iuris pœnis, quibus delicta plectuntur, num ea copula censeri debeat tanquam simplex cōgressus viri omni vinculo soluti, cum fœmina etiam ab omni vinculo libera: an verò tanquam sacrilegium: an potius tanquam incestus. Quod si voluerimus nosse, quæ sit in hac quęstione cōmunis opinio, prorsus est difficile, eo quod auctores inter se dissentiant. Iulius Clarius tradit esse communem opinionem, dictum cōgressum esse incestum. Sed alij eodem teste docuerunt tanquam communem sententiam esse sacrilegium. Rursus alij tanquam communem scripserunt esse simplicem, vt vocāt, fornicationem, ac vt talem esse puniendam. Idem Iulius Clarius scribit esse communem sententiam, posito statuto, vt quilibet publicè relegatū, & proscriptum, quem Bannitum appellant, occidere possit impunè: immò etiam suum patrem proscriptum necare: ius esse cuique id facere; & tamen prædictus auctor eo loco ait alios asserere tanquam communem sententiam, nemini licere id facere, etiam posito statuto prædicto. Idem auctor ibidem tradit communem esse opinionem, posito prædicto statuto ius esse publicè proscripto sese defendendo occidere eum, qui in ipsum irruerit ad eum interimendum. Alij verò tradunt esse communem sententiam nefas esse, si publicè proscriptus sui tuendi causa illum occidat: Sicut nefas esset, si reus ad mortem damnatus se defenderet à Iudicum ministris, eosq; interficeret: nunquam enim bellum potest esse ex vtraq; parte iustum. Idem auctor scribit esse communem opinionem, posito prædicto statuto, licere cuiq; priuato, publicè proscriptum, vel per proditionem, vel per insidias, & fraudes, & acceptis ad id pecunijs necare. Alij verò tradidere tanquam communem opinionem nefas esse, his modis, & artibus trucidare.

Clar. lib 5. recep. sent. §. fornicatio. nu. 16.

Clar. lib 5. recep. sent. §. homicid. nu. 46. Clar. ibid. num. 53.

Clar. ibid. nu. 67.

Quando igitur scriptores ita dissentiunt, vt alij affirment hanc vel illam opinionem esse communem, alij verò, oppositam; tunc si ex lege, vel ex more, & consuetudine recepta nihil certi elici possit, tutior pars est eligenda. Siquidem communis opinio facilè internosci non potest. Deindè nonnunquam etiam communis opinio discerni non potest, cum sæpè contingat; vt sententia quæ olim erat recepta communi consensu, modo non sit. Et tunc, tempora sunt

Sot. 4. d. 3. q. 1. a. 1.

Cai. 3. q. 60. ar. 5.

2. Tho. Bonau. Rich. cum Magistr. 4. d. 24.

distinguenda, & scriptores studiosè, diligenter, & attentè legendi. Nam vsu venit non rarò, vt scriptores doceant hanc, vel illam sententiam esse communem, vt in Theologia dicere solent Bonauentura, Richardus, Henricus, Aegidius, Durandus: In iure Pontificio, & Canonico, Glossa, Ioan. Andreas, Abbas, Felinus; In iure Ciuili Decius, Salicetus, Iason; & tamen intelligendum est eos auctores loqui iuxta tempora, in quibus ipsi scribebant. Quare videndum est, an qui postea successere scriptores, eam ne opinionem, an aliam habuerint: quoniam frequenter accidit, vt quæ opinio paucis ab hinc annis in vsu non erat, modò communi consensione recipiatur. Insuper est animaduertendum, habendam esse rationem prouinciarum, nationum, & gentium: nam solet etiã euenire, vt quæ opinio in vna prouincia, natione, vel gente communis est, in alia recepta non sit. In Gallia enim aliquę opiniones communi consensu docentur, quę tamen in Hispania, vel Italia ferè ab omnibus refutantur, & improbantur. Veluti, Crucem nõn esse colendam honore, & veneratione latriæ, sed alio inferiori cultu, nonnulli scriptores in Germania, & Gallia tradiderunt: at in Hispania communi consensu docetur Cruci cultum, & honorem latriæ deferendum. Si roges, An communis opinio existimari, & intelligi debeat ex numero, an potius ex auctoritate opinantium. Respondeo, vt plurimum ex numero, & auctoritate opinantium esse iudicandum, non autem ex solo numero auctorum: nam opinionem aliquam plurimi vnum alium auctorem sectati docuerunt more ouium, vel volucrum, quæ plures vnam præeuntem secutæ eandem viam arripiunt, vt tradit Nauarrus, Decius, Alexander. Et sciendum est inter Theologos esse aliquos, qui certarum partium factionis, vel sectæ dicũtur, eo quòd certi auctores doctrinæ sint addicti, tanquam iurati in verba magistri; inter religiosorum familias videas scriptores omnibus certi doctoris, & fortassis non immeritò sententijs alligatos, vt ei quasi consecrati esse videãtur. Quidam S. Thomæ, alij sese Scoto addixerunt cui tanquam ad saxum adhærescunt; alij item sicut Gabriël, & plerique Nominalium Ochamo. Quare Thomistæ (vt vocare consueuerunt) vnà cum S. Thoma cõnumerari debent; Scotistæ cum Scoto, Gabriël, & alij ferè Nominales cũ Ochamo. Alij verò auctores nullarum partium sunt, vt Henricus Gandauensis, Alexander, Albertus, Bonauentura, Richardus, Aegidius, Gregorius, Durandus, & Adrianus. Aliquando verò communis opinio ex numero opinantium existimatur; quando vt docent Ioan. Andreas, & Nauarrus eum sequutus, pauci sunt, qui vnam opinionem sequuntur, si cum ijs, qui sentire contrarium, conferantur. Si secundò quæras, quinam, & quot numero auctores opinionem aliquam communem constituant. Respondeo ex Nauarro, oportere eos auctores esse classicos, hoc est, quorum auctoritas in Scholis sit approbata. Item oportere eos esse plures: non enim vnus tantùm, aut alter ad communem opinionem sufficit. Verbi gratia, si septẽ, aut sex ex instituto quæstionem aliquam tractent; & quinque eorum vnum opinentur, vno aut altero contrarium docente, communis est opinio ea, quam quinque vnanimi consensu tradiderunt. Præterea animaduertendum est, posse nonnunquam vnius auctoris sententiã multorum, & maiorum opinioni præferri, iuxta id, quod dicitur *in l. Deo auctore, C. de vetere iure enucleando*, cuius hæc ibi verba habentur: Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius, & æquius est iudicatote; cum possit vnius forsan, & deterioris sententia multos, & maiores aliqua in parte superare. Sic ibi. Vt si sententia vnius meliori, subtiliori, ac firmiori ratione comprobetur. Nam in cap. C. appellamus, De Ferijs, cũ duæ essent propositæ opiniones, posterior electa est. Cuius rei ratio subiungitur: Quia meliori, inquit Pontifex, & subtiliori ratione nitebatur. Porrò qui sint in iure Ciuili, aut Canonico pertractando; aut in re Theologica disputanda; aut in enucleandis criminibus, quos conscientiæ casus vocant, auctores classici; operæpretium faciam, si hoc loco summa qua potero perspicuitate, & breuitate perscripsero.

Nauarr. in Manua. c. 27. nu. 189

Nauar. loco citato. Decius cõs. 494. Alexa. cõs. 202. lib. 7. nu. 6.

Ioan. And. in cap. 1. de const. Nauar. loco citato. Nauar. ibidem, id est, cap. 27. Manualis num. 189.

Cap. XIIII.

Quinam sint Auctores, Scriptoresue Classici.

QVoniam in deligendis opinionibus ea habetur sententia probabilis, quæ Classici Scriptoris, auctoritate testimonio comprobatur: ideò in hoc capite visum est mihi auctores classicos recensere. Tales autem habentur ij, quorum auctoritate tanquam probabili, Scholæ frequenter vti solent; nam vt constat ex Gellio. lib. 19. c. 8. Scriptores alij sunt Classici, alij Proletarij. Classici sunt, quos sæpè lectitamus, & assiduè euoluimus, & eorum testimonio frequenter vtimur: cæteri tanquam viliores Proletarij habentur. Auctores porrò Classici approbati, alij sunt in re Theologica, alij in Canonica, & Pontificia; alij in Ciuili, & legali. Alij in casibus, quos vocant conscientiæ definiendis, quique Summistæ vulgò appellãtur. Inter Auctores item huiusmodi alij scripserunt ab anno Domini 1140. quo tempore floruit Petrus Lombardus, qui dictus est Magister sententiarum, vsque ad annũ Domini 1300. quos quidẽ in prima classe reponimus. Alij sunt secundæ Classis, qui scripserunt ab eodem anno Domini. 1300. vsque ad annum 1400. Tertię Classis sunt, qui floruerunt ab anno Domini 1400. vsque ad annum 1500. In quarta Classe numeramus eos, qui scripserũt ab anno 1500. vsq; ad nostram ætatem: nam Classes ipsas distinguimus pro varietate temporũ, in quibus Auctores vixerunt, nõ pro ipsorum scriptorũ auctoritate, & dignitate.

Primæ Classis Theologi.

1130 Floruit. Hugo sancti Victoris Saxo.
1140 Petrus Lombardus vulgò dictus Magister sententiarum.
1150 Richardus sancti Victoris.
1216 Gulielmus Episcopus Parisiẽsis Aluern⁹.
1200 Gulielmus Altisiodorensis Episcopus.
1240 Alexander Alensis Anglus, Franciscanus.
1240 Albertus Magnus Teutonicus, Dominicanus.
1270 S. Thomas Italus Dominicanus.

1270 S. Bona-

1270 S.Bonauentura Italus,Franciſcanus.
1280 Aegidius Romanꝰ,Auguſtinianę familię.
1280 Petrus Tarantaſius Italus Dominicanus, & poſtea Pontifex Roman. Innocentius Quintus.
1290 Henricus Gandauenſis,Flander.
1290 Richardus cognomento de Media villa, Anglus,Franciſcanus.

Secundæ Claſſis Theologi.

1300 Ioannes Duns Scotus,Franciſcanus.
1317 Petrus Aureoli Italus,Franciſcanus.
1320 Gulielmus Okam Anglus,Franciſcanus.
1324 Auguſtinus Triumphus cognomento de Ancona,Auguſtinianus.
1320 Aluarus Pelagius,Hiſpanus,Franciſcanꝰ.
1300 Durandus cognomento de Sancto Portiano,Italus,Dominicanus.
1350 Petrus Paludanus Gallus Dominicanus.
1310 Gregorius Ariminenſis,Auguſtinianus.
1350 Thomas Argentinas Auguſtinianus.
1350 Ioannes Bacconius Anglus,Carmelitanꝰ.
1390 Marſilius cognomẽto de Inguen,Anglus.

Tertiæ Claſſis.

1415 Ioannes Capreolus Toloſanus, Dominicanus.
1415 Alphonſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis,Hiſpanus.
1420 Ioannes Gerſon,Gallus.
1420 Thomas Waldẽſis Anglus, Carmelitanꝰ.
1460 Dionyſius Riccel, Teutonicus, Carthuſianus.
1490 Conradus Summehart,Teutonicus.
1490 Gabriël Biel, Teutonicus.

Quartæ Claſſis.

1510 Ioannes Maior Scotus.
1515 Iacobus Almainus,Gallus.
1515 Thomas cognomento de Vio Caietanus Dominicanus.
1516 Adrianus Flander poſtea Romanus Pontifex.
1540 Franciſcus Victoria Hiſpanus, Dominicanus.
1550 Dominicus Sotus Hiſpanus, Dominicanus.
1550 Melchior Canus Hiſpanus, Dominicanꝰ.
1555 Martinus Ledeſmus Hiſpanus, Dominicanus.
1550 Petrus Sotus Hiſpanus,Dominicanus.
1550 Ioannes Viguerius Granatenſis,Dominicanus.
1550 Ioannes Medina complutenſis Theologiæ Doctor,Hiſpanus.
1550 Alphonſus à Caſtro Hiſpanꝰ,Frãciſcanus.
1560 Antonius Cordubenſis Hiſpanus, Franciſcanus.

Præter hos ſunt quidam alij, quos ego tantam auctoritatem habere iudico, quantam habent ij, quorum ſententijs adhæſerunt; aut quanti ponderis, & momenti ſunt rationes, & argumenta, quibus vtuntur in ſuis opinionibus comprobandis: quos etiam aliquando,cũ opus fuerit,citabo.

Sunt itidem alij Theologi, quorum auctoritate ſcholæ Theologorum interdum vtuntur; cuiuſmodi ſunt.

Franciſcus Maironis, Franciſcanus.
Adam Godam,Anglus.
Ioannes Baſſolis.
Rupertus Olchot, Anglus, Dominicanus.
Herueus Brito,Dominicanus.
Richardꝰ Rodolphus,dictus Armachanꝰ.
Henricus Oyta Teutonicus.
Gulielmus de Rubione,Franciſcanus.
Petrus de Aliaco,Flander.
Andreas cognomento de Caſtro.
Ioannes cognomento de Neapoli.
Gothifredus cognomento de fontibus.
Dionyſius Ciſtercienſis.
Franciſcus Lichetus, Brixiẽſis, Frãciſcanꝰ.

Iuris Canonici Interpretes.

Primæ Claſſis.

1245 Floruit.Innocentius Quartus Pater Iuris.
1255 Henricus de Seguſia, vulgò dictus Hoſtienſis,fons,& ſplendor Iuris.
1271 Gulielmus Durandus,vulgò Speculator,

Secundæ Claſſis.

1300 Guido de Bayſio, vulgò Archidiaconus magnæ auctoritatis vir.
1340 Ioannes Andreæ filius, Bononienſis, lucerna Iuris.
1340 Federicus Senenſis.
1340 Paulus cognomento de Leazaris.
1340 Oldradus cognomento de Laude.
1354 Lapus de Caſtellione, Patritius Florentinus.
1340 Lapus Abbas S.Miniati.
1355 Ioannes Calderinus Bononienſis.
1374 Ioannes de Lignano,Bononienſis.
1383 AEgidius de Bellamera.
1390 Henricus Boich,Leonenſis.
1350 Bonifacius cognomento de Vitalinis.

Tertiæ Claſſis.

1442 Dominicus de ſancto Geminiano.
1494 Ioannes Antonius de ſancto Gregorio, vulgò Præpoſitus, Cardinalis poſtea Alexandrinus.
1408 Petrus de Ancharano,Bononienſis.
1408 Antonius de Butrio,Bononienſis.
1410 Gaſpar Calderinus,Bononienſis.
1430 Ioannes de Imola.
1416 Franciſcus de Zabarellis,Peruſinus,Cardinalis.
1434 Ludouicus Pontanus,vulgò Romanus.
1434 Nicolaus de Tudeſchis, vulgò Abbas, & Panormitanus,lucerna Iuris.
1434 Ioannes de Turrecremata,Hiſpanus, Dominicanus,poſtea Cardinalis.
1466 Andreas Siculus,vulgò Barbatius.

Quartæ Claſſis.

1502 Felinus Sandeus.
1504 Ioannes Selua Gallus, Lemouicenſis.
1518 Petrus Paulus Pariſius, Coſentinus, poſtea Cardinalis.
1550 Auguſtinus Berous,Bononienſis.
1515 Rochus Curtius,Patauinus.
1550 Petrus Rebuffus,Gallus.
1560 Didacus Couarruuias,Hiſpanus.
1506 Antonius Burgos,Hiſpanus.

1518 Ludouicus Gometius Hiſpanus, poſtea Epiſcopus Sarnenſis.
1530 Fortunius Garzia, Hiſpanus.
1560 Martinus Nauarrus, Hiſpanus.

Iuris Ciuilis Interpretes.

Primæ Claſſis.

1550 Poſt Irnerium Romanarũ legum inſtauratorem, quem idcircò Iuris Ciuilis interpretes, lucernam Iuris appellãt, & poſt Hugolinum, Bulgarũ, Placentinum, Ioannem, Boſianum.
1200 Azo Bononienſis.
1200 Rofredus Beneuentanus.
1227 Accurſius Florentinus auctor Gloſſæ in vniuerſum ius Ciuile.
1256 Ioannes de Blanaſco Burgundus.
1260 Odofredus Beneuentanus.
1271 Iacobus de Bellouiſo.

Secundæ Claſſis.

1300 Dynus Mugellanus.
1300 Petrus de Bellápertica Burgundus.
1300 Iacobus de Arena Parmenſis.
1300 Martinus de Sulmanis.
1300 Gaufredus de Trano.
1300 Richardus de Malumbris Cremonenſis.
1320 Oldradus de Ponte Laudenſis.
1305 Iacobus de Rauani.
1300 Nicolaus de Malumbra.
1320 Rainerius Arſendus de Foroliuij.
1320 Iacobus Buttigarius.
1330 Signorolus de Homodeis Mediolanenſis.
1335 Cynus Piſtorienſis.
1350 Bartolus de Saxo Ferrato.
1350 Ioannes Fabri Gallus.
1350 Albericus Bergamenſis.
1350 Andreas de Iſſernia, Neapolitanus.
1350 Nicolaus Spinellus Neapolitanus.

Tertiæ Claſſis.

1400 Baldus de Vbaldis, Perufinus.
1423 Nellus ſancti Geminiani, Florentinus.
1400 Angelus de Vbaldis, Perufinus.
1400 Petrus de Vbaldis, Perufinus.
1404 Franciſcus de Ramponibus, Bononienſis.
1408 Bartholomæus de Saliceto, Bononienſis.
1420 Benedictus de Plombino.
1430 Raphaël Fulgoſius, Placentinus.
1430 Raphaël Cumanus, Comenſis.
1434 Florianus à S. Petro, Bononienſis.
1434 Paulus de Caſtro.
1442 Guido Papæ, Gallus.
1442 Matthæus Matthæſilanus.
1440 Martinus Laudenſis.
1466 Martinus Cæpolla Veronenſis.
1461 Franciſcus de Accoltis.
1470 Angelus de Aretio.
1470 Marianus Socinus Senior Senenſis.
1470 Ioannes Bertachinus, Firmianus.
1482 Franciſcus Curtius Senior.
1470 Alexander de Imola.
1498 Iaſon Maynus Mediolanenſis.
1499 Ludouicus Bologninus Bononienſis.
1489 Antonius Corſetus Siculus.
1498 Flo Bartholomæus Bologninus, Bononiẽſis.
1498 ruit. Bartholomæus Socinus, Senenſis.

Quartæ Claſſis.

1500 Lancellottus Decius, Mediolanenſis.
1302 Philippus Decius, Mediolanenſis.
1502 Paulus de Citadinis, Mediolanenſis.
1502 Vincẽtius Herculanus, Friſius, Perufinus.
1510 Thomas Parpalea, Taurinenſis.
1513 Ioannes Crotus.
1519 Ioannes Franciſcus Ripa.
1519 Rupertus Maranta, Venuſinus.
1520 Paulus Orianus Brixienſis.
1520 Carolus Ruinus, Rhegienſis.
1524 Hippolytus Marſilius, Bononienſis.
1523 Ioannes Franciſcus Purpuratus.
1520 Vdalricus Zaſius.
1530 Ludouicus Gozadrinus.
1530 Franciſcus Curtius Iunior, Patauinus.
1546 Hieronymus Cagnolus, Vercellenſis.
1533 Ioannes Antonius Rubeus, Alexãdrinus.
1540 Andreas Alciatus, Mediolanenſis.
1512 Andreas Gammarus, Bononienſis.
1520 Andreas Tyraquellus, Gallus.
1530 Nicolaus Boërius, Gallus.
1540 Bartholomæus Caſſaneus.
1540 Aymon Crauetta, Gallus.
1546 Ioannes Corafius, Toloſanus.
1550 Franciſcus Connanus, Gallus.
1540 Arias Pinellus, Hiſpanus.
1550 Emmanuël Coſta, Hiſpanus.
1550 Antonius Gomezius, Hiſpanus.
1540 Fortunius Garcia, Hiſpanus.
1550 Hugo Donellus, Gallus.
1540 Ioachimus Minſinger, Germanus.

Summiſtæ. Primæ Claſſis.

1260 Azonis Bononienſis, Summa.
1555 Henrici vulgò, Hoſtienſis.
1260 Raimundi de Penna Forti, Dominicani.
1290 Ioannes de Friburgo Dominicani, quæ dicitur Summa Confeſſorum.
1261 Hugonis Barchinonenſis Dominicani.
1270 Vlrici Argentinatis, Dominicani.
1280 Goffredi Tranenſis Summa.

Secundæ Claſſis.

1317 Monaldi Franciſcani Summa.
1317 Aſtenſis Franciſcani, dicta Aſteſana.
1320 Bartholomæi de Sancto Cõcordio, Piſani Dominicani, quæ dicitur Piſana.

Tertiæ Claſſis.

1414 Rainerij Piſani, Dominicani Summa, quę inſcribitur Pantheologia.
1440 Petri Caſuel Frãciſcani Directoriũ iuris.
1435 Ioannis Nider, Dominicani Præceptorium.
1443 S. Bernardini Senenſis, Franciſcani.
1454 Nicolai Auſmo Franciſcani Supplementum.
1484 Pacifici Nouarienſis, Franciſcani, dicta Pacifica.
1484 Ioannis Baptiſtæ de Salis Franciſcani, quæ vulgò dicitur Roſella, aut Baptiſtiniana.
1454 S. Antonini Dominicani, vulgò dicta, Defecerunt. Eiuſdem alia Summa Theologię in quatuor partes diuiſa.

1460 Henri-

1460 Henrici de Herp, Franciscani Aureum speculum.

Quartæ Classis.

1515 Siluestri Dominicani Summa, quæ dicitur Siluestrina.

1516 Ioannis Tabiensis Dominicani, quę dicitur Tabiena.

15 Bartholomæi Fumi Dominicani, quæ dicitur Aurea Armilla.

1515 Thomæ de Vio Caietani, Dominicani.

1560 Manuale Nauarri.

Ego verò in vniuerso hoc opere ex Theologis quidem antiquioribus potissimùm vtar testimonijs Alexandri Halensis, S. Thomæ, Henrici Gandauensis, Richárdi de Media Villa, Paludani, Gabrielis: nam cæteri pauca de moribus attigerũt, cætera quæ ad speculationem attinent, potiùs persequentibus Caietani, Adriani, Dominici Soti, Ioannis Medinæ Complutensis, Ioannis Maioris, Iacobi Almaini, Antonij Cordubensis, Martini Ledesmij; hi siquidem auctores plura quam cæteri de Moribus tradiderunt. Ex Canonici Iuris interpretibus præter glossam crebrius vtar testimonijs Innocentij Quarti, Hostiensis, Ioannis Andreę, Archidiaconi, Abbatis Panormitani. Ex Iunioribus Felini, Couarruuiæ, Nauarri. Ex Iuris ciuilis Interpretibus sępius proferam testimonia Glossæ in primis, Bartoli, Baldi, Angeli, Alberici, & Pauli de Castro. Ex Iunioribus verò, Decij, Alexandri, Iasonis, Sozimi, Alciati. Summistas verò potissimum adhibebo ad sententias confirmandas, Astensem, Summam Confessorum, Angelum, Auctorem Roselle, S. Antoninum, Siluestrum, Tabiensem, Caietanum, Auctorem Armillæ, & Nauarrum.

Animaduertendum est, plures ex Theologis de certis quibusdam rebus ad Mores pertinentibus opuscula conscripsisse quamplurima. Ex iuris item Canonici, & Ciuilis interpretibus multi varios edidere tractatus: nam alij Consilia, alij Singularia, alij Repetitiones, alij Lecturas, vt vocãt, alij Practicas Criminales, Ciuiles, siue Canonicas, alij Dictionaria Iuris, alij Decisiones euulgarunt: quorum omnium auctorum, vbi opus fuerit, testimonia in medium adducam, vt vel mea confirmem, vel aliena confutem.

Cap. XV.

Sexta Præceptio.

QVando plures sunt opiniones in cæteris omnibus pares, (pares intelligo, in numero, vel testimonio, vel auctoritate Doctorum) ea est eligenda, quæ magis religioni, pietati, & iuri fauet. Et in causis ad Matrimonium pertinentibus, ea quæ matrimonio, præsertim antea contracto suffragatur. In materia de voto, Iureiurando, Vltima voluntate testatoris, quę his conueniens est; sic etiam ea, quæ magis patrocinatur pupillis, viduis, peregrinis, & alijs huiusmodi, quæ miserabiles personæ in iure dicuntur. Quare iuxta hanc regulam, amplectenda est sententia dicentium vnam tantùm esse Magdalenam, de qua in quatuor Euangelijs sermo est, licèt aliqui ex Patribus tradiderint duas fuisse, immò, vt quidam alij, etiam tres, vnã Galilæam, & publicam in Ciuitate peccatricem, de qua apud Lucam. 7. Secundam item Galilæam Christi Domini beneficio liberatam à septem dęmonibus, à quibus vexabatur oppressa. Tertiam honestæ vitæ, Marthæ, & Lazari sororẽ. Sed cum prima opinio magis cum officio Ecclesiastico congruat, est meritò præferenda. Præterea quidam ex Patribus senserunt Ioseph um B. Virginis Deiparæ sponsum aliam ante eam vxorem habuisse, ex qua filios suscepe rit, qui in Euangelijs Fratres Domini appellãtur. Cæterùm quia magis est pia sententia asserentiũ Ioseph um tantùm vnam vxorem nimirum B. Virginem habuisse; meritò communi Theologorum sensu est recepta. ita etiam communi ferè consensu scriptorum olim traditũ fuit, Annam B. Virginis parerem tribus viris nupsisse, ex quibus tres filias habuerit Mariæ nomine appellatas. Nostra tamen ętate anteponi videtur sententia dicentium, eam tantùm viro Ioachimo fuisse cõiugio copulatam ex quo in senectute ferè Deiparam genuerit: & certè illam historiam de duabus sororibus Deiparæ Virginis, & filiabus Annæ non probat S. Thom. *in comment. ad Galat. c. 1. lect. 5. & eam reijciunt, Cani. lib. 1. de B. Maria. cap. 4. propè finem, & Ianse. Ioan. 19 c. 143. concordiæ Euangel.* Nec obstat, quod Ioan. 19. legitur soror Matris Domini iuxta crucem stetisse: quam materteram Domini glossa ordinaria vocat Galat. 1. nam soror vocabatur Deiparæ, quia ei erat affinitate coniuncta. Præterea inter Theologos. Scot. 3. d. 19. & 20. q. 1. & 4. d. 15. q. 1. Dur. 3. d. 20 q. 2. & 4. d. 15. q. 1. Gab. & Almai. eisdem locis. Medi. codi. de pœnitent. tractat. 3. de satisfact. q. 1. docuere Christi Domini satisfactionem, qua peccatorum nostrorum debitum exoluit, perfectę ex omni parte iustitiæ rationem non habuisse: at verò S. Thomas asseruit fuisse in ea perfectæ iusticiæ rationem: quæ certè opinio, vt magis pia, quippè quę magis Christi Domini dignitatẽ, merita, & satisfactionem commendat, meo iudicio alteri illi debet anteponi: vt nunc in scholis Theologorum meritò præfertur. Insuper controuersia est inter Theologos: An Christus Dõinus quatenus homo est, fuerit summus in temporalibus totius mundi Rex, & Dominus, quibusdam affirmantibus, alijs verò negantibus. Sed certè mihi verior ea opinio semper visa est, quam sequitur S. Thomas *opusc. 20. de regimin. princip. à cap. 12. vsq; ad cap. 15.* quæ affirmat eum fuisse regem, & dominum, non quidem vsu, & actu, quoniam eo sponte sese abdicauit, vt summæ paupertatis hominibus pręberet exemplum, ac vt rerum humanarum despectionem, & contemptionem doceret: benè autẽ iure, potestate, & habitu, quia huiusmodi ius, & potestarem eo ipso habuit, quòd fuit mundi Redemptor, & Iudex viuorum, & mortuorũ diuinitus constitutus. Sicut enim Deus quatenus Mũdi opifex, & rerum omnium conditor, earumq; conseruator, iure est totius orbis terrarum Dominator, & Rex: Sic etiam Christus ea ratione quia est vniuersi mundi Redemptor, iure suo, & potestate est totius mundi Rex, & Dominus. Et quia tale ius, & potestatem non habuit electione hominum, aut institutione, & iure humano, sed diuinitus, quatenꝰ à Patre est mundi Redemptor constitutus. Ideò ipse dixit; Regnum meum non est de hoc mundo, quasi diceret; Non sum Rex electus voluntate,

Luc. 8. Mar. 15.

Euseb. lib. 2. Eccl. histo. c. 1. Hila. can. 1. in Matt. Ambros. in lib. de institut. Virg. ca. 6. Epiph. lib. 2. cõtra hæres. 51. & 78. quã opinionem reijcit Hiero. lib. contra Helui. &c. 13. in Mat.

aut in-

aut institutione humana, quales sunt huius mundi Principes. Atque hæc opinio magis pietatem fouet, ac promouet, quippe quę magis Christi Domini dignitatem, & maiestatem, decet. Præterea licet, Scot. 4. d. 15. q. 1. a. 4. Gabriel. 4. d. 16. q. 2. a. 3. dub. 3. Dur. 4. d. 21. q. 2. & d. 16. q. 2. & d. 15. q. 2. & d. 15. q. 2. Medi. *codi. de pœnit. tracta. 3. de satisfact. q. 3.* Mai. 4. d. 15. q. 1. existimauerint, dimissa per pœnitentiam culpa, posse quempiã satisfacere ex iustitia pro pœna temporali debita, tametsi peccato lethali infectum: immò posse etiam apud inferos pro pœna temporali Deo satisfieri: maioris tamen ponderis est eorum sententia, qui docent cum S. Tho. *p. 3. q. 87. artic. 4. & 4. d. 16. & d. 21. q. 2.* nec apud inferos, nec in hac vita cum peccato lethali esse vllã satisfactionem acceptam Deo pro pœna temporali debita peccatis post dimissam culpam. hæc enim opinio magis videtur cũ pietate congruere cum nulla videatur esse satisfactio Deo accepta, nisi Christi Domini meritis innixa, & Christi merita, iustitiæ lege non communicentur cum his, qui sunt lethali peccato inquinati. Item aliqui ex Scholasticis Theologis putarunt hominẽ iustum non satisfacere Deo ex iustitia pro alio iusto ad pœnam temporalem illius soluendam; sed huiusmodi satisfactionem tantùm per impetrationem alteri iusto prodesse: Et eam impetrationem misericordiæ, & liberalitatis diuinæ tantùm auxilio, nõ iustitię legibus fulciri. Cæterùm eligenda est, vt magis pia, sententia dicentium, iustum pro alio iusto satisfacere ex iustitia ad pœnam temporalem, quam debebat exoluendam. Item S. Thomas *p. 1. q. 95. a. 4.* veteres Theologos sui temporis aliquando secutus videtur docuisse, vt eum quidam discipuli interpretari contendunt, quantitatem meriti apud Deum in nostris bonis operibus, æstimari quantitate charitatis, & gratię, ex qua nostra opera proficiscuntur: & huiusmodi charitatis quantitati respondere præmium, quod vocant substantiale in patria conferendum. Ex quantitate verò boni operis, quæ pendet ex magnitudine rei obiectæ, vel difficultate, aut bonitate operis non augeri meritum, nec magis præmium substantiale in patria deberi, sed tantùm accidentarium, quod vocant gaudium, & præmium. At verò quia magis pia est oppositа sententia, quam cæteri, & ipse etiam S. Thomas alibi sequuntur, eligenda est. Ego verò S. Thom. *1. par. q. 95. ar. 4.* sic intelligo: tantum est meriti in opere externo, quod ex bona voluntate existit, ac surgit, quantum est meriti in ipso voluntatis actu interno, qui est operis externi causa, & origo: hoc est, opus externum non auget meritum voluntatis, nisi voluntas pariter augeatur, crescit enim, & fit amplior voluntas, quia se ad opus fundit, ac porrigit: & quia continuatur, dum sese amplius extendit. Bern. quoque *de interio. domo. c. 8.* docet totum meritum in voluntate est, quantum vis, tantum mereris: quantum crescit voluntas tua, tantum crescit meritum tuum. & Hug. *de sacram. lib. 2. p. 14. c. 8.* non pensat Deus quantum datur, sed ex quanto datur: si æqualis in duobus voluntas habeatur, differens meritum non est. Opinantur etiam quidam, S. Thomã docuisse eum, qui per pœnitentiam resurgens à peccato in minorem charitatem restituitur, cum qua ex hac vita decedit, consecuturum in patria præmium, quod est vita æterna in clara Dei visione consistens iuxta charitatis quantitatem, quam habet cum è viuis excedit; propter opera verò in prima charitate facta, quam per peccatum amiserat, recepturum solum gaudium, & præmium maius accidẽtarium, vt vocant; quod est dicere, bona charitatis opera, & merita per peccatũ amissa, tametsi per pœnitentiam recuperentur, & reuiuiscant, non compensari in integrum præmio quod est vita æterna, & clara Dei visio. Alij contra tradiderunt talia opera in regno cælesti vita æterna, & clarã Dei visione tanquam debito prẽmio donari. Profectò hæc opinio magis est pietati consentanea, & ideò præferenda: nec S. Thom. vnquam oppositum docuit, in lib. 7. cũ de gratia diuina agam, fusius explicabo. Præterea Sotus, Cordubensis, & alij quidã opinantur non esse iuris diuini, vt summus totius Ecclesiæ Pontifex sit quoq; Vrbis Romæ Episcopus, hoc est, summũ in toto terrarum orbe Pontificatum non esse cum Romano Episcopatu diuino iure coniunctum, sed facto ipso, hoc est, morte S. Petri in vrbe Martyrio coronati. contra alij oppositum docent, Turrecrem. *c. rogamus. 24. q. 1. & in sum. lib. 2. c. 36.* Caiet. *to. 1. tract. 3. de Roma. Pontif. instit. c. 13.* quorum opinio est meo iudicio eligenda; quia magis cum ipso Canonico iure cõuenit; eam enim mihi videntur Romanorũ Pontificum decreta, & iura tradidisse. Anacletus *in c. Sacrosancta Dist. 22. Marcellus primus in c. Rogamus 24. q. 1. Iulius Primus. c. Dudum. 3. q. 6. Innocentius Tertius in. c. Per venerabilem, qui filij sunt legitimi. Nicolaus in c. Fundamenta. de elect. in 6. Constantinus Imperator in c. Constantinus, Dist. 96.* Sunt item qui doceant, iustũ actibus, & operibus charitatis remissis, vitam æternam mereri, non tamen nouum vitæ æternæ gradum, & incrementum, sed pristinum nouo iure, & nomine. ita quidam S. Thom. discipuli, qui id ex eo colligere volunt, quod docet. *2. d. 27. q. 1. art. 5. ad 2. & ex Conr. 1. 2. q. 114. ar. 8. ad 3.* sed nihil tale vnquam S. Thomas docuit. Cæterùm maiorem præ se fert pietatem opinio eorũ qui asserunt eos actus charitatis remissos nouum vitæ æternæ incrementũ, & gradum promereri. Docuerunt etiam nonulli ex Scholasticis. *Conr. 1. 2. q. 114. art. 8. Bannes. 2. 2. q. 24. ar. 6. dub. 2. conclus. 4. ex c. 4. d. 14. q. 2. art. 3. ad argumenta Scoti contra 2. conclusionem,* actus charitatis remissos minimè charitatem augere, ac in perpetuum cælesti debito sibi præmio, quæ est vita æterna & clara visio carituros, si iustus absq; maiori, & feruentiori charitatis actu ex hac vita decesserit. Verùm magis pium est credere, & asserere eos actus charitatis in cælesti patria debitum sibi præmiũ habituros, etiamsi charitatis habitus actibus remissis in hac vita non creuerit, & licet iustus antequam mortem obierit, nunquam in actum feruentiorem eruperit.

Animaduertendum tamen est, non ideò semper opinionem esse eligendã, quia magis pia esse videatur: nam in hoc non sufficit sola pietatis species, si ratio, vel maior auctoritas repugnet. Quare licet pium appareat credere habitum gratiæ in Christo Domino esse qualitatem, & habitum magnitudine infinitum; nequaquam id tamen sentiendum existimo, quia cum ratione pugnat aliquid procreatum esse quantitate, aut qua-

litate

Medi. de satisfact. q. 5. & de oratione. q. 19. ad finem. Cordub. li. 5. q. 5. ad 8. Sot. 4. d. 19 q. 2. art. 4. ad finem.

S. Tho. 3. p. q. 89. art. 5. ad 3.

S. Tho p. 3. q 88. art. 5. ad 3.

Sot. 4. d. 2. 4. q. 2. a 5. prope finẽ. Cordub. li. 4. q. 1 propos. 8. dub. 1

litate infinitum. Item pium videtur asserere, Deum quia est per seipsum substantia infinitus, & immensus actu extra mundum existere in illis infinitis spatijs, quæ sola mentis cogitatione percurrimus: quod quia rationi aduersari videtur, non est meo iudicio, admodum certum, & verum, & cum Theologorum communi sententia pugnat Scot. *1.d.quæst.1.Bonauent.art.2.q.1.Richar.art. 1.q.4.Dur.q.1.Capreo.q.1.art.3.ad.4. Aureoli.* licet Mai. *1.d.37.q.2.* & alij esse actu Deum extra cælum arbitrentur, quam sententiam errorem esse dicit sed immeritò Aquarius *lib.1.Metaphysic. dilucida.4.* Docent quidem Patres Hilarius *lib.1.de Trin.Hiero. Isai.66.August.lib.1.confess.cap.2.& 3.Nazian.oratione.2. de Theologia,Dionys.de diui.nomin.c.1.Aug.lib.11.de ciuit. c.5.* Deum esse in omnibus, & extra omnia, forinsecus, & intrinsecus, sed profectò nihil aliud dicere volunt, nisi Deum mundo à se procreato non concludi, quoniam est immensus, & infinitus, nullo loco circunscribi, nullo spatio definiri, determinari vè potest; & ideo est extra mundum, quia non concluditur mundo; eminet inter omnia, quia superat vniuersa. Quod verò extra mundum actu non sit, non est, quia per seipse immensus non sit, sed quia extra mundum actu nihil est. Sicut etiam Deus omnipotens est, & tamen quod esse non potest, ab eo fieri nequit. Atque hæc quidem nobis de delectu opinionum in foro exteriori, & ad docendum, iudicandum, patrocinandum, & concludendum in causis, & litibus dicta sufficiant.

Cap. XVI.

De opinionum delectu in rebus agendis in foro Conscientiæ.

REstat vt nunc breuiter explicemus, quę opinio sit in foro Conscientiæ deligenda.

Primò quæritur, An Regulę, seu Præceptiones traditæ à capite. 9. vsque ad 13. sint etiam in foro conscientiæ obseruandæ. Respondeo, Regulas priores tres, capite scilicet nono, decimo, & vndecimo traditas, etiam in foro Conscientiæ esse seruandas; quia in vtroque foro locum, & vim habent, vt ex ipsis plane constat.

Secundò quæritur, An in foro cõscientiæ semper oporteat eligere opinionem tutiorem. Caietanus in summa, verbo, Opinionis vsus, respondet his verbis: In operãdis nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cuiuscunque assumere, vt regulam operis: quoniam eo ipso quod operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguę, quia opinio omnis ambigua est, vtpotè cum formidine alterius partis. Et quia præsupponitur, quòd non eligatur tutior pars; consequens est, vt operatio committatur regulæ ambiguæ ad casum peccati, ac per hoc exponatur periculo peccandi: quòd constat esse illicitum. Hæc Caietanus quę sequutus auctor Armillæ, sic ait: Vbi sunt opiniones, semper tutior pars est eligenda. Et Almainus *tract.3.Moral.cap.18. & tract.1.c.14.* apertè tradit, non sufficere ad bonitatem actus assensum opinatem, quia opinio semper habet formidinem partis oppositæ. Ergo, inquit, is qui in agẽdo opinione sola ducitur, se exponit periculo peccati. Idem S. Thomas sensisse videtur; nam cũ quæreret, Vtrum peccet habens plura beneficia, eo quod sint de hac re opiniones. Respondet in hunc modum: Si is qui possidet plura beneficia secundum opinionem iustificantem, habet conscientiam de contrario, peccat contra conscientiam, quamuis non contra legem. Si non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic si tali dubio manente habet plures præbendas, se periculo committit: & tunc proculdubio peccat magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem; quod si in nullam dubitationem inducitur, non peccat. Hæc S. Thomas. Nec Alexander dissentit: Quæritur, inquiens, de illo, qui dubitat de aliquo contractu, Vtrum sit simonia an non, eo quod, quidam Doctores dicũt esse Simoniam; & quidam alij negãt. Quid ergo sit facturus, cum ignorer? Respondet ei esse abstinendum ab huiusmodi contractu, ne se committat discrimini. Melius enim est, vt incidat in damnum temporale, quam in spirituale. Idem prorsus docet Adrianus. Quare horum omnium est aperta sententia, in agendo, quando sunt opiniones, tutiorem partem esse eligendam; alioqui se obijceret quis peccati periculo; quia opinio semper habet dubitationem admixtã: & in dubijs, id quod tutius est, semper est amplectendum, iuxta iuris Regulam. Et animaduertendum est, hanc sententiam intelligi eo modo, quo eam explicat Caietanus. Opinio enim debet accipi propriè, & strictè, vt est cum formidine, & dubitatione partis oppositæ, qualis plerumque solet esse opinio. Si tamẽ quis ita opinetur, vt nullam dubitationem habeat, qualis solet esse certitudo moralis, veluti cum opinamur, Constantinopolim esse in rerum natura, nihil prorsus ea de re dubitãtes: tunc in agendo potest opinionem etiam minus tutam sequi, quia ei certò, & citra vllam dubitationem adhæret. Et hoc æque accidit viris peritis, ac etiam imperitis: periti quidem examinatis opinionum rationibus, cognoscentes earum pondera, & momenta, firmioribusque ac melioribus rationibus moti, & innixi, certò absque vlla ambiguitate vni opinioni solent accedere, & ita in agendo eam possunt eligere. Experientia certè didicimus, ita hominum aliquos suis opinionibus adhęresce re, ac si saxo alligarentur; & perinde, ac si eas certa, & euidenti ratione concluderent. Rudes verò, & imperiti, consultis viris bonis & doctis, solent in agendo eorum consilio duci, rati, certò & absque vlla dubitatione, in hoc se bene factitare. Porrò ad bene agendum satis est, si certum assensum omnem dubitationem remouentem habeamus, quamuis res euidenter nobis perspecta non sit. Hæc igitur prima opinio duo continet, vt eã quidam explicant. Primùm est, Quando opiniones sunt æquè probabiles certæ, & tutæ, posse vnumquemque in agendo, quam maluerit eligere: sicut si duo essent æquè beneficio Ecclesiastico digni; vel æquè ad publicam administrationem idonei, possum ego quem illorum maluero, meo suffragio eligere: ita si duæ sint opiniones æquè probabiles & tutæ, licet mihi earum, quam magis probauero, vnam amplecti. Alterum est: Si altera opinio sit tutior, etiamsi fuerit minus probabilis,

Alex.p.2. q.12.de ignor.m.8. casu vltimo.

Adrianus quodl.2.a.1.

Hæc quæstio tractatur Medi. 1.2.q.19.a. 6.prope fi. & Carmelit.de cons. scient.q.9. Mai.4.q.2 ex probl.

S.Thom. quodl.7. q.13.

babilis, eam in agendo nos sequi debere. Est alia secunda opinio, quę affirmat tutò nobis licere in agendo opinionem minus tutam eligere, quando est probabilior: quando verò sunt opiniones æquè probabiles tutiorem nos sequi oportere. Ita sentire videntur Cordubensis, Medina, & Maior: docent enim fas esse probabiliorem sequi opinionem, quamuis minus tutam.

Cordub. de consci. q. 9. & Medin. 1. 2. q. 19. a. 6. Maior. 4. q. 2. in prolog. conclus. 3.

Vt in hac re certi aliquid statuam: Primò est animaduertendum, tutiorem opinionē dici eam, quæ censet id, de quo quæstio est, esse peccatum: Minùs tutam dici eam, quæ ait nō esse peccatum. Verbi gratia, est controuersia, an peccatum sit eligere minus dignum ad beneficia, vel publicas administrationes digniori neglecto: tutior opinio dicitur esse ea, quæ credit esse peccatum; quia digniorem eligentes peccatum vitamus: Minùs tuta dicitur esse, quæ existimat nō esse peccatum: quia si eam secuti, prætermisso digniori, minus dignum eligamus, peccati periculo nos ipsos obijciamus. Tutior igitur est opinio, quæ omne peccati periculum declinet, vel in qua tenenda nullum peccatum admittitur. Deindè animaduertendum est, aliquando duas opiniones tales esse, vt quamcunque sequamur, in peccati discrimen incidamus; Verbi gratia, est opinio, quæ censet iudicem peccare, si quem ipse nouit innocentem, sed iuxta allegata, & probata in iudicio reum criminis conuictum, non condemnet; & est alia opinio, quę putat peccatum admittere, si eum condemnet: Certè tunc ambæ opiniones sunt æquè tutæ, quia quamcunque sequamur, vel peccati periculum incurrimus, vel sumus à peccato omnino liberi, iustam excusationem habentes: quare solùm videndum est vtra illarum sit probabilior. Insuper animaduertendum est, posse nos rei alicui assentiri, vel ex principijs eius proprijs, & internis; aut ex principijs communibus, & extrinsecus assumptis. Si assentiamur ex causis rei, vel ex proprijs eius effectibus, vel ex proprijs affectionibus, aut alijs quæ sunt cum re ipsa connexa: tunc assentimur rei ex proprijs principijs & internis: si assentiamur verò solo testimonio, & auctoritate dicentium, vel argumentis, rationibus, coniecturis, vel signis tantùm probabilibus permoti, tunc assentimur ex principijs communibus, & extrinsecus adhibitis. Nam testimonia dicentium, extrinsecus petūtur, & argumenta probabilia communia tantùm sunt, non propria; quoniam vtramque quęstionis partem probabilem conficiunt. Postremò est animaduertendum, posse nos duos assensus de eadem re simul contrarios habere; vnum ex principijs proprijs, & cum re ipsa coniunctis: alterum ex principijs communibus, & extrinsecus accedentibus. Exempli gratia putat quis se peccare, si ex mutuo commodum exigat, & accipiat ratione lucri cessantis, ponam⁹ eum ita sentire ob rationes, quas putat esse ex mutui natura deductas, & nihilominus credit, se nihil mali committere id emolumenti est mutuo petendo. quia nouit esse opinionem cōmunem maximè probabilem, asserentem nullum in ea re cōmitti peccatum; hic ex diuersis principijs diuersa concludit; part ratione aliquando contingit, vt quis dubitet an res, quā possidet sit sua, an aliena: an eam restituere debeat, an verò sibi retinere tuta cōscientia possit: & nihilominus ex alio principio aliundè sumpto, iure potest rem eam sibi retinere: quia in rebus ad iustitiam pertinentibus melior est conditio possidētis. Ex hoc igitur principio extrinsecus sumpto motus, ac ductus existimat, non debere se rē, quam possidet, restituere; ex alijs verò principijs dubitat, an sibi liceat retinere.

His igitur positis, Si opinio minus tuta, est probabilior aut certior, eam in agendo nobis sequi licet vt aiunt Cordubēsis, & Maior. Probabilior autem vel certior dicitur ea, quæ firmiori, & meliori ratione fulcitur. Id illustro exemplis in medium productis. Si loquamur secundum ius tantùm naturale, remoto omni iure Pontificio, quod nunc est. Opinio est dicentium nobis non licere, emere census in perpetuum vel ad tempus cōstitutos; & tamen licet nobis in agendo sequi opinionem, asserentium nullum admitti peccatum in emptione eiusmodi censuum: & prior nihilominus opinio tutior est, sed minus probabilis. Extant nunc Pontificiæ constitutiones id approbantes, Martini V. Calisti III Nicolai V. Pij V. Itē quamuis quidam opinentur, data opportunitate confitendi peccata lethalia, vi & ratione præcepti diuini nos ad ea confitenda compelli: licet tamen nobis eam opinionē eligere, quæ oppositum omnino docet; cum tamen minus sit tuta, sed certè probabilior. Est quorúdam opinio, quem libet de suis peccatis dolere oportere in diebus Dominicis: contra alij oppositum opinantur. Tutius est primum, & tamen omnes secundam sententiam docemus & sequimur. Item quidam existimant, si quis in die festo lethali peccato se deuincit, eū temporis circunstantiam confiteri debere. Alij oppositum tradiderunt: & licet prior opinio sit tutior, secundam amplectimur maiori probabilitate firmatam. Item quorundam opinio docet, si prætermisso digniori minus dignum ad Ecclesiastica beneficia, vel administrationes publicas eligamus, oportere nos digniori posthabito restituere: & tamen licet nobis eam opinionem eligere, quæ omnino negat aliquid ei restituendū, quæ minus quidem tuta est, sed tamē probabilior plerisque videtur. Deinde, si opinio minus tuta, fuerit communis; nobis licet eam in agendo sectari. Id patet tum exemplus iam ante allatis. tum quia opinio eo ipso quod est communis, est probabilior. Item quando opiniones sunt æquè probabiles. Videlicet ex numero, vel testimonio, siue auctoritate Doctorum, quamuis non ex pondere & momento rationum, iure possumus minus tutam in agendo præferre: immò etiam si quæ minus tuta est, minus probabilis habeatur, vt statim dicam. Hoc licet auctores nō tradiderint, ratione tamen efficaci concluditur, quia id bene agitur, quod prudenter geritur: sed qui aliorum consilio ducitur, prudenter agit: ergo qui in agendo opinionem Doctorum probabilem sequitur, prudenter rem gerit. Deinde potest quis ex rationibus à re ipsa sumptis certò iudicare hoc esse sibi cauendum; & ex principijs communibus, vel extrinsecus petitis certò itē existimare, hoc esse sibi faciendum. Sicuti vlu venit, vt quis ex principijs rei motus, putet esse sibi hodie ieiunium seruandum, ex consilio tamen, aut præcepto Superioris

credit

ris credit se se nullo modo ieiunium hodiernum susci-pere cogi. Sic etiam quamuis Titius, ex princi-pijs à re sumptis putet, fas non esse iter in die festo facere, quia tamen nouit esse probabilem multorum sententiam, tutò iter fieri in die festo, putat ex opinione probabili hoc sentientium, si-bi licere in die festo iter conficere. Accedit his, quòd communis opinio, item & probabilior, quamuis minus tuta sit, vt ante iam dixi, potest e-ligi absque vllo peccato: ergo quando opi-niones sunt æquè probabiles, aut altera mi-nus probabilis, potest alterutra deligi: quia quãdocunque opinio est probabilis, temeritatis vel imprudentiæ crimẽ effugimus, si eam sequamur. Id enim dicitur temere fieri, quod absque ratio-ne & causa probabili geritur. Nec in vllum item peccati periculum incidimus. si hoc enim esset, e-tiam quando opinionem communem, sed minus tutam eligimus, peccati periculũ incurreremus.

Duo possunt obijci, Vnum est Regula iuris, qua dicitur, Tutiorem partem esse eligendam, c. iuue-nis. de sponsa. Sed respondeo, eam Regulam iuris intelligi in dubijs, non autem in opinionibus: qui enim opinatur, vni quæstionis parti assentitur, & ideo dubius nõ est. Deinde potest obijci; Qui mi-nus probabilem, aut minus tutam opinionem e-ligit, se periculo peccati committit, quia opinio semper habet dubitationem admixtam partis op-positæ. Respondeo, eum, qui probabili opinione ductus quidpiam agit, nullum peccati periculum subire: quia quãuis pars opposita esset vera, pec-catum in agendo deuitat, eo quod ex probabili opinione operatur. Quemadmodum is qui consi-lio boni & periti viri aliquid efficit, prudenter & bene agit, quamuis re ipsa malum sit id, quod eligit.

Tertiò quæritur, An in foro conscientiæ opi-nio probabilior eligi ac præferri debeat, si alio qui opiniones sint æquè tutæ. quia si probabilior sit, quę minus tuta est, iam dixi eam posse tutò de-ligi eo ipso quòd sit probabilior. Quæritur ergo an probabiliorem oporteat eligere, quando sunt æquè tutæ; Maior. Cordubẽsis & Medina viden-tur asserere, tunc debere nos eam eligere, quia si probabilior sit, minus peccati periculum habet; & sicut peccati periculum declinare debemus, i-ta & oportet nos deterioris & grauioris peccati periculum deuitare & minus eligere, si vtrunq; fugere, & cauere nequeamus. Cęterùm ex antedi-ctis colligi videtur, frequenter quidem probabi-liorem opinionem esse eligendã: item si ex prin-cipijs à re sumptis moueamur, probabiliorem o-pinionem præferri oportere. Et hoc probat ar-gumentum adductum: sed ex principijs commu-nibus vel externis iuris possumus minus proba-bilem sententiam eligere, quoniam hac in re suf-ficit si opinio probabilis sit: sicut in agendo pos-sumus aliorum consilio duci, quandocunq; illud veri similitudine & probabilitate munitur.

Quartò quæritur, An communis opinio sit eli-genda, quando alioqui opiniones æquè sunt extra omne peccati periculum: Si quidem antè dixi-mus fas esse communem eligere, quamuis sit mi-nus tuta. Respondet Maior, communem opinio-nem esse tunc temporis præferendam; tum quia est probabilior: tum quia in crimen imprudentiæ, & emeritatis videmur incidere, si communi opinione posthabita, alteram deligamus. Verun-tamen licèt frequenter communis opinio eligen-da esse videatur, peccatum tamen non est, minus communem eligere; tum quia tutior esse potest, tum etiam quia aliquando minus communis opi-nio, firmiori & meliori ratione fulta sustinetur: & in opinionibus, nõ sententiæ numerantur, sed ponderantur. Præterea ex principijs communi-bus vel extrinsecus assumptis (vt sæpe iam mõ-nui) iuste possumus iudicare hoc esse nobis agen dum; ergo in hac re satis est ad omni peccati pe-riculum euitandum, si opinionem probabilem, licet minus communem sequamur.

Quintò quæritur, An eo ipso, quòd plures v-num aliquid sentiant, ea sententia in foro con-scientiæ tanquam probabilior opinio sit iudican da. Respondeo non semper pro tali esse haben-dam; quoniam non bene res se habere videntur, vbi suffragiorum numerus, non pondus eorum vel momentum examinatur. nam sępe vsu venit, *Exod. 23.* vt in suffragijs ferendis maior pars meliorẽ vin-cat; & ob multitudinem opinantium, varijs affe-ctibus agitata ad peiorem frequenter inclinet. Quare Dominus in veteri lege præcepit, in iudi-cando, plurimorũ (aut turbæ, vt ex Hebræo com-modè, verti potest) sententiæ non acquiescęs, vt à vero deuies. Obijcies forsitan, id quod ex Isido-ro refertur *in cap. Placuit. d. 16. his verbis: Canones qui dicuntur Apostolorum præferuntur cæteris concilijs, quo-niam licet à quibusdam dicantur apocryphi, plures tamen eos receperunt.* Et *in c. In Canonicis, d. 19. ex Augustino di-citur: In illis scripturis, quæ non ab omnibus recipiuntur, præponendas esse eas, quas plures grauioresque recipiunt, his, quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ admittunt.* Respondeo, frequentius probabiliorem opinio-nem haberi eam, quæ maiori opinantium nume-ro comprobetur: aliquando tamen numerum sentientium, grauitas aliorum vincit, ac superat.

Sextò quæritur, An in foro conscientiæ liceat aliquando contra communem opinionem vnius tantùm classici auctoris sententiam tenere: Re-spondeo, id passim aut crebrò non licere; ali-quando tamen vitio & culpæ dandum non est, si eam singularem opinionem sequamur: nam con-tingit interdũ, vt contra cõmunem vnius Classi-ci Doctoris opinio firmiori meliorique fundamento nitatur. Ponamus exemplum: Commu-nis opinio est, Beneficium Ecclesiasticum quam-uis tenue & exiguum, nos vinculo iuris obstrin-gere, ita vt totum diuinum officium persoluere debeamus: cõtra quam opinionem sensit & scri-psit Sotus ea ratione ductus, quòd Beneficium *Sotus li. 10 de iust. q. 5. a. 3. cõcl. 2.* propter officium confertur: Ergo si tenue est & exiguum, nulli subijcit obligationi possessorem, qua preces horarias recitare cogatur. Et certè quibusdam valde probabile videtur quòd Sotus ait; quod sanè si quispiam sequeretur, non con-demnarem. Præterea communis est opinio, pec-catum lethale contrahere, si quis Mi atutinis pre-cibus non peroratis, & absq; iusta & debita cau-sa faciat Missæ sacrificium. Contra quam senten-tiam. Sot. *lib. 10. de iusti. q. 5. art. 4. concluſ. 2. & in 4. dist. 13. q. 2. art. 2.* ad finem scripsit, negans lethale in ea re peccatum inesse; eo quod tale quippiam nec ex iure colligatur, nec ex vsu & more, nec ratio-

ne efficaciter comprobetur: quia non omnes consuetudines tanti sunt ponderis & momenti, vt violatores earum tanquam reos peccati lethalis condemnent. Negari non potest, quin Soti sententia sit mediocriter probabilis, nec facile & citò condemnanda, nisi vbi Episcoporum constitutiones sanciuerint, ne quis Matutinarum precum non absoluto penso rem diuinam faciat. Insuper vt exemplo quorundam vtar, est omnium ferè communis sententia, constitutiones Pontificias, quas Bullas vulgò nominant, si in curia Romana promulgentur, omnes vbique locorum tenere, ita vt vniuersi eas obseruare debeant. Contra quam opinionem scripsit Sotus, probans eas vbique terrarum vim obligandi non habere, nisi in singulis prouincijs Antistitum opera & cura denuncientur. Et Sotum secuti sunt alij, & id ipsum ante Sotum tradiderant Angelus, & quidam alij; sanè mihi in hac re opinio cõmunis semper visa est nõ solùm tutior, sed verior etiam & certior, & in agendo amplectenda. Veruntamen aliquos nonnunquam audiui dicentes, dubitari non posse, quin opinio Soti aliqua probabilitate innitatur; quippe quæ non ipsius duntaxat Classici alioqui auctoris; sed Angeli quoque & quorundam aliorum auctoritate & testimonio munitur. Ex quo efficitur, inquiunt, vt si quis eam fuerit in agendo secutus, in foro conscientię nullum temeritatis, aut imprudẽtiæ crimen incurrat. Cęterùm aliter ego dicendum existimo: si quis Soti in hac parte sententiam sequatur, iustam excusationem non habet; quia vt suo loco fusius explicabo, probabilis opinio Soti non est, nisi quando pontificiæ constitutiones vsu receptæ non sunt, quamuis alioqui in Romana Curia publicè promulgatæ. Item communis est Theologorum opinio, Missæ sacrificium certi, ac finiti esse fructus & põderis, ac proinde pro pluribus oblatum, minus singulis prodesse, quàm si pro vno tantùm offerretur: At Caiet. *tom. 2. opusculorum tract. 3. q. 2.* & quidam alij, de quibus Herueus *quodl. 10. q. 13.* censent nõ esse certæ, & finitę efficaciæ per se, sed infinitę; finiri tamen eam in ijs pro quibus offertur & ipsi non offerunt; sola Christi Domini voluntate; in ijs verò pro quibus offertur; & ipsi sunt offerentes finiri pro maiori, minoriue eorum studio & affectu; & quando pro his offertur etiamsi pro multis offeratur non minus singulis prodesse, quam si pro vno tantùm offerretur. Mihi semper verior est visa prima sententia; sed vt aliqui sentiunt, Caietani opinio sua probabilitate non caret, vt suo loco explicabo. Insuper cõmunis omnium opinio sentit irregularitate affici, si quis vt innocẽtem parentem, vxorem aut filium, immò etiam cognatum, vicinum, amicum, aut etiam extraneum defendat ab iniqua morte, occiderit eum, qui per iniuriam in aliquem ipsorum irruit: at Couarruuias Fortunium secutus probabiliter censuit in nullam irregularitatem incurrere. Item constans est omnium sententia irregularitatem contrahere, si quis occiderit furem, vt res suas tueatur & seruet: Couarruuias oppositum tradit; certè in vtraque quæstione eum, qui vt probabilem sententiam Couarruuiæ sequeretur, non damnarem. Et idem dicendum de Clerico, qui ne patria euerteretur ab hostibus, aut ne exercitus Christianorum deleretur, aut ne Rex, vel princeps necaretur, hostem occideret cõmunis opinio sentit eum in irregularitatem labi, at Couarruuias putat oppositum esse valde probabile. quamuis contra eum facere videatur, quod respondet Pontifex in c. Petitio, de Homici. Animaduertendum tamen est, quando vnus, vel duo, vel tres classici Doctores cõtra communem sententiam opinantur, non continuò esse adhærendum; quia tres, quatuorúe sint: videndum enim est an post eos etiã alij plures scripserint; qui eos communi consensu refellant, & opinionem communem amplius corroborẽt, tunc certe in agendo, non est contra communem opinionem sentiendum. V. G. cõtra communem sensit Sotus, eum, qui Simoniæ crimen cõmittens, temporale commodum acceperit, nulla obligatione compelli ad id pauperibus restituendum, vel Ecclesiæ ante iudicis sententiam, sed ei, à quo accepit: at post Sotum alij scripserunt, & eius opinionem cõmuni consensu refutarunt. Quare non est in agendo contra communem, Soti opinio tenenda. Item contra communem docuit Sotus. *lib. 5. de iust. q. 3. a. 3. ad 2.* cuius sententiam sequuti sunt Ledesm. *4. p. 2. q. 24. q. 1. art. 5. Merca. c. 15. de restitut. Salon. 2. 2. q. 66. a. 5. controuer. 1.* & *Petrus Nauar. lib. 4. de restit. c. 2. nu. 75. probabilem putat, Medi. lib. 1. in sua instructi. c. 14. §. 43.* rem alienam inuentam non comperante domino, diligentia adhibita posse sibi inuentorem retinere, nec esse in pauperũ vsus erogandam: sed post Sotum alij scripserunt quorum plures eum confutant: videndum est, an sit opinioni Soti contra communem accedendum; quoniã nonnulli scripserunt eam esse probabilem sententiam, quamuis alijs nequaquam probatur. Præterea contra communem scripsit. Nauar. *in Manu. c. 27. nu. 34.* & *35.* & *de pœni. d. 6. c. 1. §. laboret. n. 10.* & *11.* & ante ipsum alij quos citat. Couar. *in c. alma mater. de sent. excom. in 6. p. 2. §. 2. nu. 7.* quotquot sunt notorij excommunicati, aut publici denũciati, esse omnino euitandos: & tamen ante & post Nauarrum scriptores plerique docent solùm duo excõmunicatorum genera esse deuitanda, nimirũ qui sunt notorij Clericorum percussores, aut qui sunt publicè nominatim denunciati. Vnde opinione Nauarri neglecta, communis sententia est tenenda. Item contra communem omnium sententiam docuit fas esse Titio, qui Caio debet centum aureos ad certum tempus soluendos redimere ac emere minoris, si eos anticipata pecunia redimat, qui ante Nauarrum, & qui post eum scripsere oppositum tradiderunt. Similiter contra communem sententiam sensit Can. *lib. 8. de locis Theol. c. 5. ad 3.* Matrimoniũ sine Sacerdote ministro coniuges copulante contractum non esse verè, & propriè sacramentum. Item contra communem pariter, Cai. *in. opus. to. 1. tract. 12. q. 1.* scripsit Matrimonium inter absentes per literas procuratoreſq; initum non esse verè & propriè sacramentum. Sic itidem contra communem opinionem scribit Canus Romanũ Pontificem in approbandis Religiosis ordinibus labi & errare posse. Gregorius itidem Ariminensis cum communi Theologorum sententia pugnat, paruulos, sine baptismo decedentes perpetuo igne torqueri docens.

Sot. lib. de iust. 1. q. 1. art. 4. Medin 1. 2. q. 90. art. 4. Angel. lex. q. 12.

Sot. li. 9. de iust. q. 8. a. 1

Nauarr. in Man. c. 17. n. 231. 232.

Can. lib. 8. de loc. c. 5. q. 3. prope finem. Grego. 2. d. 30. q. 3.

Cou. clem. si furiosus de hom. p. 3. §. 1. nu. 5.

Cap. XVII.

Quædam aliæ quæstiones de opinionum delectu dissoluuntur.

PRIMO quæritur, An opinio probabilior existimetur, ita vt meritò præferri debeat, eo quod sit Antiquorum sententia, & altera sit recentiorum, siue id sit inter Canonici, siue Ciuilis iuris interpretes, siue Theologos. Respondeo, Quando reuerà opiniones sunt pares, sæpe Antiquorum opinio, iuniorum sententiæ præfertur, non tamè lege, aut ratione efficaci compellimur ad eam semper anteferendam: nam vsu aliquando venit, vt recentior opinio firmiori, & meliori ratione confirmetur. Sit exemplum: Theologorum, & Pontificij iuris Doctorum veterum opinio fuit, debere nos in foro conscientiæ restituere lucrum partum ex ludo lege humana interdicto & damnato; at cõmunis est iuniorũ Theologorum, & Canonici iuris interpretũ opinio, id lucrum in foro conscientiæ nõ esse restituendũ: quæ opinio profectò amplectẽda esse videtur vt probabilior atq; solidior, eo sensu, quo dixi superiùs, cap. 12.

Secundò quæritur, An quando Scholasticorum Theologorum communis opinio pugnat cũ communi veterum patrum sententia, Patres sint Scholasticis Theologis præferendi. Quòd ego sciam, nulla est cõmunis omnium Scholasticorũ Theologorum opinio, quę communi omnium Patrum sententiæ repugnet. Non diffiteor tamen aliquorum patrum sententias cum communi Scholasticorũ opinione pugnare. Exempli gratia; quidam patres crediderunt, paruulos qui sine Baptismate discedunt, igne perpetuo cruciari: at constans est omnium Scholasticorum (vno dempto Gregorio Ariminensi) opinio, eos talem pœnam non perpeti. Item ex Patribus non pauci in ea fuere sententia, vt dixerint Angelos esse corporeos; & tamen cõmunis Scholasticorum opinio tradit eos corporis esse, & materię expertes. Item videntur sentire nonnulli patres, Augustinus *lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12.* Ambrosius *in c. 4. Epistolæ ad Ephes. ad finem*, Chrysost. *in hom. 62. in Matth. cap. 18.* Hilarius *in Matth. can. 18. ad finem*, Theophylactus, & Euthymius *in Matth. 18.* & alij, quos citat Magister *in 4. dist. 22.* & Gratianus, *de Pœnit. dist. 4. cap. constat.* & *c. Reuertar. c. qui diuini*; peccata semel à Deo dimissa ob sequens peccatũ redire, qui patres videtur esse Euangelica parabola permoti de eo seruo, à quo, quia conserui sui debitoris misertus nõ fuit, Dominus repetiuit omne debitum, quod ante dimiserat. Sed vna est omnium Scholasticorum sententia, peccata semel per pœnitentiam dimissa non reuerti ob sequens peccatum: quia sine pœnitentia sunt dona Dei, & quia Deus cum peccata per gratiam delet, simpliciter & absolutè dimittit, nõ sub conditione: & quod semel est extinctum, non reuiuiscit. Nulla est repugnantia, quòd Deus pœnam æternam peccato debitã sub conditione dimittat; nimirum si peccator in peccatum non recidat. Sic enim apud Romanos olim iure ciuili seruus manumittebatur, dummodo tamen domino non esset in futurum ingratus; alioqui in pristinam seruitutem recidebat. Sic etiam interdum aliquis excommunicationis vinculo soluitur ad certum tempus, ea conditione, vt illo tempore transacto, in priorem excommunicationem relabatur. Eodem modo, reus maiestatis, iussu Regis vel Principis potest à crimine absolui, ita tamen, vt si crimen aliquod admiserit, pœnas luat læsæ maiestatis. Potuisset igitur Deus sub conditione peccata dimittere, sed absolutè & simpliciter ea condonat, pœnam æternam in temporalem commutando. Item Patres, Augustinus, Hieronymus, Prosper, Fulgentius, Gregorius, Beda, vt quidam arbitrantur, licet ego aliter sentiam, quod libro septimo explicabo; videntur docere, nihil boni, etiam quod ad mores spectat, posse naturæ suæ viribus liberum arbitrium, sine speciali & gratuito Dei munere: at communis Scholasticorum sententia tradit, posse quidem præstare multa opera honesta, quamuis non ardua & difficilia, vel ad longum tempus. Insuper plerique Patrum senserunt, Iosephum B. Virginis Deiparæ sponsum, ex alia vxore filios genuisse, qui in Euangelio fratres Domini vocantur, Epiphan. *hæresi. 78.* Euseb. *lib. 2. Eccleſiast. hist. ca. 1.* Hilar. *can. 1. in Matth.* Ambros. *Gal. 1.* Theophylact. *Matth. 23. & 27. Ioan. 19.* Euthym. *Matth. 12. & 27. & Ioan. 19.* Oecume. *Actuum. 2.* Sed communi est Scholasticorum cõsensu receptum, eum non nisi B. Virginem sponsam, & coniugem habuisse, S. Thom. *Galat. 1. lectio. 5.* Hugo S. Victoris. *q. 5. in Epistol. ad Galat.* Rupert. *lib. 1. de gloria filij hominis in Matth.* Beda *Matth. 6. Ioan. 2. Luc. 8.* Ansel. *Matth. 12.* Bernard. *sermo. 2. in illa verba. Missus est.* Præterea, omnes ferè patres voluerunt Lucam in recensenda Christi generatione cum Matthæo conuenire, quòd hic commemorauerit genitores Iosephi naturales, ille verò legales, eo quod Matthath duos filios habuerit Iacob & Eli; mortuo verò Eli sine prole, eius vxorem relictam duxit secundùm legem frater Iacob, qui ex ea genuit Iosephũ sponsum Virginis: & ita Iosephus fuit filius naturalis ipsius Iacob, fuit verò filius legalis ipsius Eli: ita Africanus *in epist. ad Aristidem.* Iustin. *q. 131.* Hieron. Ansel. Beda *Matth. 1.* Damasc. *lib. 4. fi. Orth. cap. 15.* Euseb. *lib. 1. hist. Eccles. cap. 6.* Anib. *in Lucam. c. 3.* At verò quidam Scholasticorum Lucam cum Matthæo conciliare contendunt, dicentes, Lucam Christi primogenitores per B. Virginem perduxisse vsq; ad Christum; Matthæum verò per Iosephum sponsum Virginis.

Tertiò quæritur, An sit habenda probabilior opinio, ita vt anteponi debeat ob eam causam, quòd hæc sit Theologorum sententia; illa verò Canonici, vel Ciuilis iuris interpretum. Exempli causa, Pontificij iuris consulti cõmuni consensu opinantur in creandis & eligendis Episcopis, Canonici iuris peritum Theologo præferri debere tanquam digniorem, & magis idoneum: Contrà verò Theologi omnes existimãt Theologum Iurisconsulto esse aptiorem & digniorem, & idcirco anteponendum. Quæritur an Theologorum opinio Canonici aut Ciuilis iuris interpretum sententiæ sit præponenda, quando aliter sentiunt atque illi. Respondeo, In re Theologica opinionem Theologorum omnino esse iuris prudẽtium sententiæ præferendam. Item cum agitur de foro conscientię, Theologi Iurisconsultis præferri iure debent, præsertim iuris ciuilis peritis. Nam Iurisconsulti potiùs tractant res, quatenus ad forum

Fulg. li. de fide ad Petrum. c. 27

Matth. 19.

Rom. 11.

Luc. 3. Matth. 1.

Sot. 4. d. 30 q. 2. art. 1. Can. lib. 11 de locis. c. 5 Cani. de Deipa. lib. 1. c. 3. Cai. Iansc. Mat. 1.

iudiciale pertinent: in re tamen iuris Canonici, quales sunt censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ, aliquando Pontificij iuris interpretũ opinio, Theologorum sententiæ præponitur. Solent enim illi Iuris Canonici esse peritiores quàm hi. Item in re legali & ad forum exterius spectanti, frequentiùs etiam legum interpretes Theologis meritò antepouuntur. fere semper tamen in quæstionibus, in quibus disputatur, an hoc an illud sit iuris diuini; an hoc liceat, necne: Theologorum opinio, est Canonici iuris peritorum sententiæ anteferẽda. Illustremus exemplis quod diximus. Docent Pontificij iuris interpretes omnes etiã nunc, decimas præsertim prædiales solui oportere iure diuino: Contra verò Theologi sentiũt eas solùm Pontificio & Canonico iure deberi. Alex. *p.* 3.*q.*51.*m.*3. S. Thom. 2.2.*q.*87.*art.*1. Henric. *quodl.* 4. *q.* 28. Silu. *Decima.q.*3. & 4. Angel. *Decima.nu.*2. Item iuris Canonici consulti communi consensu dicunt primam Tonsuram, & episcopatum esse Ordines à cæteris Ordinibus distinctos, & proinde esse nouem Ecclesiasticos Ordines: Contra verò Theologi communi consensione tradunt septem esse tantùm Ordines, à quibus primam Tonsuram, & Episcopatum excludunt. Qua quidem in re magis probabilis videtur Theologorum sententia, quàm Pontificij iuris interpretum. Item Canonici iuris doctores passim opinantur teste Couarr. *in reg. peccatum. p.* 2. *§.* 11. *nu.* 3. ius diuinum & etiã naturale Romani Pontificis auctoritate posse relaxari, remitti, mutari, immò & abrogari: at Theologi communi consensu docent oppositũ; quamuis in voto & iureiurando veram opinionem illorum esse fateatur. Insuper omnes ferè canonici iuris doctores opinãtur votum solo animi, & voluntatis proposito sine vlla promissione perfici: contra Theologi opinantur. Item communis est illorum opinio, ex incestu cum propria consanguinea oriri impedimentum ad matrimoniũ contrahendum cum quacunque alia fœmina. cuius oppositum Theologi sentiunt, illi Canones & iura citant *ex c. si duo.* 35. *q.* 6. & *ex c. vlt.* 35. *q.* 8. *ex c. de incestis.* 36. *q.* 3. *c. si quis viduam.* 32. *q.* 7. & ita opinantur Nau. *in Man. c.* 22. *nu.* 74. & 75. & ita sensisse Panormitanum, Præpositum & alios testatur. Sic etiam Ang. *incestus. nu.* 5. Theologi verò rationes, & argumenta proponunt quibus oppositam sententiam probare contendunt. Sot. 4. *d.* 37. *q.* 1. *ar.* 2. Anton. *p.* 3. *tit.* 1. *c.* 16. *§.* 4. Silu. *matrimon.* 7. *impedim. vlt.* In his certè duobus, Canonici iuris cõsultorum opinio forsan est verior & magis iuri, & consuetudini conueniens. Animaduertẽdum itidẽ est, aliquando Theologos iuris Canonici Doctoribus videri quidem sed reuera tamen non esse cõtrarios. Exempli gratia: Innocentius, c. 1. de Baptismo & eius effectu à ceteris communi consensu receptus, docet Ecclesiam posse, materias & formas sacramentorum mutare: cõtra Theologi censent, eas ab Ecclesia mutari nõ posse, vtpote à Christo Domino institutas; sed certè nulla est in re ipsa dissensio: quoniam Innocentius & cæteri tantummodo docent, materias & formas sacramentorũ posse Ecclesiæ auctoritate mutari, dũmodo idem sensus retineatur, quamuis verba vel addantur, vel detrahantur, vel in alia mutentur: veluti si Ecclesia constituat, vt in forma Absolutionis pœnitentiam Sacerdotes dicant, remitto vel condono tibi peccata tua. Sic potest, inquit, Innocentius, Latina Ecclesia in Baptismo conferendo, vti forma Græcorum, videlicet, Baptizo, vel Baptizetur seruus Christi nomine Patris, &c. quia hæc etiam est vera forma Baptismi: nam Græci ea vtentes verùm Baptismum administrant: Non tamen potest Ecclesia, inquit, idem Innocentius, nouas formas vel materias sacramentorum inducere. Hoc idem Theologi admittunt, ac proinde non dissident re, sed verbo duntaxat. Similiter Innocentius, & cæteri tradunt, posse Ecclesiam Ius diuinum mutare: contrà Theologi passim docent id Ecclesiam non posse; quoniam Inferior potestas nequit Superioris iussa conuellere, aut aliqua ex parte mutare. Verùm Innocentius, & alij ius diuinum latius accipiũt quã Theologi. nam Ius diuinum appellant quicquid in sacris litteris continetur, ac proinde iuris esse diuini testantur sabbati cultum atque obseruantiam; quod tamen sabbatum in diei Dominici obseruationem mutauit Ecclesia. Simili ratione diuini iuris est: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; & tamen potest Ecclesiæ auctoritate fieri, vt in quibusdam casibus necessariũ sit plurium testimonium. Eadem ratione, inquiunt, iuris diuini est, ne homicida vel digamus ad Ordines promoueatur, quoniam in Epistolis Pauli, ab ordinibus homicidæ, & digami repelluntur: & tamen Ecclesiæ auctoritate tales homines possunt ordinibus initiari: At Theologi strictius & pressius ius diuinum accipiunt, videlicet, pro eo quod Christus Dominus instituit; vel ex his quæ ipse fieri iussit, certò, & euidenter colligitur, cuiusmodi sunt Fidei præcepta & Sacramentorum; at hæc mutare Ecclesia nequit, nec enim nouam Fidem condere, vel alia sacramenta instituere potest. Idem præterea Innocentius dicto cap. 1. De Baptismo, & eius effectu, communi consensu à cæteris approbatus ait, non valere Baptismum administratũ à Latino ministro sub forma qua Græci vtuntur, si credit eam non esse veram formam Baptismi. Adrianus in 4. quæst. 11. de Baptismo ait hunc esse Innocẽtij errorem. Sotus verò dicit nullam probabilitatem habere huiusmodi Innocentij sententiam. At enim difficile est credere, Innocentium à cæteris communiter receptum in re tam manifesta erasse. Non enim Adrianus, Sotus & alij intellexerunt quod docuit Innocentius, id solùm dicens, si Latinus minister veram Baptismi formam pronunciet, qualis est ea qua Græci vti solent, cum alioqui credat eam non esse veram formam, & quia hoc credit, vult vti ea forma, ne baptizet, eo quod habeat in animo Baptismum non conferre, tunc Baptismum non confert; non quia vera forma vsus non fuerit, sed quia noluerit baptizare; ac proinde Baptismus non valuit intentionis, & voluntatis in ministro defectu, non formæ: est enim necessariam ad verum Sacramentum, vt minister voluntatem habeat faciendi, quòd facit Ecclesia, cum Sacramenta administrat.

Dem. 13.

1. Tim. 3. & Tit. 1.

Sot. in 4. d. 3. q. 1. ar. 3.

Quartò quæritur, An discipulus iure possit sui magistri, & præceptoris sententiam sequi, ita vt eam secutus, probabiliter sentire cẽseatur. Respondeo, Posse, hoc enim colligitur ex Abbate,

Innocen-

Innocentio, & Syluestro. Nam probabile est teste Aristotele, quod omnibus, aut pluribus, aut cuiq; suę artis perito videtur. & Cicero: officium est, inquit, quod ita factum est, vt eius facti probabilis ratio reddi possit. Et idem dicendum est de eo, qui operam nauat legendis auctoribus, vt doctrinam sibi comparet: qui si quam legerit, apud probatum quempiam auctorem sententiam, sequatur, probabiliter opinari meritò creditur: & proinde tum hic tum discipulus suum magistrum secutus à temeritatis crimine liber est.

Henricus quodlib. 4. q. 33. Con. de contra. q. 106. con. clus. 2.

Quintò quæritur, An sit eadem ratio in his omnibus de homine rudi, & imperito, quæ est de perito, & docto viro? Respondent Henricus, & Conradus non esse eandem rationem. Nam si vir sit peritus, & doctus debet opinionum rationes & pondera examinare & excutere, vt prudenter agat: si verò rudis sit & imperitus, eius non est opinionum fundamenta discutere: quare vt prudenter factiret, satis est si boni & docti viri consilium & opinionem sequatur.

Sextò quæritur, Quid sit dicendum, quando vir bonus & doctus contra communem opinionem nullum classicum, & probatum auctorẽ habet, nihilominus tamen habet rationem manifestam & firmam; an probabiliter sentire dicetur, si contra communem opinionem senserit vrgenti aliqua & firma ratione permotus? Respondeo, In foro conscientię non est cur temere & imprudenter agere videatur, siquidem probabilem, ac iustam rationem & causam sequitur. Animaduertendum est, in quæstionibus rerum agendarum aliquando cõtingere, vt eæ ex instituto vel à nullo auctore tractẽtur, vel ab vno solo. Si de ijs nemo disputauerit; tunc vir doctus eam partem potest eligere, quæ ex rationibus sibi probabilis visa fuerit: Si verò eas vnus tantùm tractauerit, etiam tũc temporis doctus & peritus probabili ratione suffultus potest contra eum auctorem opinari. V. G. Nauarr⁹ docet peccare lethaliter Christianos captiuos in triremibus Turcarum, vel Saracenorum in remigando cõtra Christianos metu mortis. quæ sententia licet probabilis sit, vir tamẽ doctus potest contra eam probabiliter sentire. Nam aliud prorsus est quando huiusmodi Christiani captiui iubẽtur alios Christianos occidere, aut cõtra eos pugnare: hæc enim duo sunt per se mala, quia Turcarum & Sarracenorum contra Christianos bellum iniustum est, & proinde etiam metu mortis nõ potest quis aut Christianos occidere, aut cõtra eos in huiusmodi bello pugnare. Aliud verò est, quando Christiani captiui, vel remigant vel alia opera seruorum siue captiuorum metu mortis præstare coguntur: hoc enim non est per se malum, cum nihil aliud sit, nisi dominorum iussa perficere in officio, quo antea fungebantur, obeundo; quod officium ex se indifferens est, nimirum remigare: onera, & sarcinas asportare; arma deferre; scalas & machinas ad muros admouere.

Nauarr. in Man. cap. 27. nu. 63. fine. ita quoũdam de Iudæis. nota 2.

Septimò quæritur, An cuiq; liceat in foro conscientiæ probabilem aliorum sequi sententiam contra propriam opinionem. Titius v. g. probabiliter opinatur in articulo mortis se non posse sacram à peccatis absolutionem conferre ei, qui nullum speciale peccatum exprimẽdo, signa tantum confessionis, pœnitentiæ, & doloris sui vultu generatim ostendit. Quæritur an Titius cõtra suam propriam eiusmodi opinionem tuta conscientia possit, iam iam moriturum Caium à peccatis absoluere, secutus probabilem quorundam sentẽtiam asserentium posse tunc temporis tutò absolutionem à peccatis concedi. Ita enim opinatur Cordub. *de indulgen. q. 39. in opin. 3.* Sed oppositam sententiam tuetur Sot. *4. d. 18. quæst. 2. ar. 5.* Abul. *in* Math. *c. 16. q. 79.* Item Titius existimat probabiliter nullam esse peccatorum confessionem informem; ac proinde iterare se debere confessionem antea factam Quæritur an possit tutò ab huiusmodi confessione informi repetenda desistere, secutus S. Thomæ, & aliorum probabilem sententiam, docentium ratam esse peccatorum confessionem informem, nec esse vi & ratione præcepti repetendam. Ita n. opinantur discipuli S. Th. vt constat ex Soto. *4. d. 18. q. 3. art. 2. & 3.* ipsum. S. Thom. sequuti. *4. d. 17. q. 3. art. 4.* licet oppositum sentiat Maior. *4. d. 17. q. 3. & q. 9.* vna cũ alijs multis. Duæ sũt opiniones. Prima est Adriani & Cordubensis, dicentium non licere alicui contra propriam opinionem probabili aliorum sententiæ in agendo adhærere. Ratio eorum est, quia nemini ius est contra conscientiam agere: sed qui contra propriam opinionem, aliorum sententiam sequeretur, ageret proculdubio, inquiunt, contra conscientiam. Secunda opinio est quorundam docentium id cuiq; integrum esse facere. Probant, quia cuique fas est, probabile consilium alterius sequi contra proprium: ergo contra propriam sententiam cuique licet sequi aliorum opinionem. Deinde cuique licitum est communem opinionem eligere, vel saltem tutiorem vel probabiliorem: ergo si Titij propria opinio fuerit minùs tuta vel minùs probabilis, aut contra communem; absque dubio ius ipsi erit contra suam ipsius opinionem, sententiæ aliorum accedere. Item subito licet Superioris opinionem sequi contra propriam, quando præcepto sui superioris compellitur ad id faciendum, cuius oppositum ipse opinatur. Item si ego probabiliter putem hominem è longinquo à me visum esse Titium; cõtra verò alij, qui mecum vnà sunt, sentiant non esse Titium, possum prudenter contra meam opinionem, aliorum sententiæ assentiri, vel quia plures sunt, vel quia puto eos certiùs ac perspicacius remota cernere; ergo possum etiam in alijs prudenter contra meam sententiam, aliorum opinionem amplecti. Hæc opinio est probabilior & verior. Et certè prima nihil cum hac sententia pugnat. Nam Adrianus & Cordub. solũ docuisse videntur, nemini licere contra propriam sententiam aliorum opinioni adhærere, dum iudicat id sibi minimè licere facere. At inquies, Nemini ius est contra propriam conscientiam agere. Fateor id esse verum, quando conscientia est absque vlla dubitatione: vt quando est de re euidẽti, aut certa ex fidei diuinæ infusę lumine: aut cum iudicat fas sibi non esse aliorum opinionẽ sequi contra propriam sententiam. Obijcies, secundo, Duo assensus contrarij de eadem re simul in eodem esse nõ possunt, ergo Titius non potest contra propriam opinionem in aliorum sententiam venire: nam vel propriam deponit, & tunc contra pro-

Adrianus quodlib. 2. puncto. 3. Cordub. 3. sua. quæstionum. lib. q. 49.

priam non agit;aut non deponit,& tunc duos assensus contrarios habebit. Propter hoc argumẽtum, quidam aiunt oportere nos propriam opinionem exuere, si aliorum sentẽtiam sequamur. Sed profectò opus non est, vt propriam nos opinionem deseramus,nec inde cõtinuò fit,vt simul de eodem sint duo assensus oppositi, quia Titius propriam opinionẽ habet ex rationibus & principijs à re ipsa sumptis,ex quibus iudicat hoc sibi non licere facere; at verò ex principijs communibus, vel extrinsecùs ductis, videlicet ex aliorũ probabili consilio,vel sententia(quam sequi cuique licet) existimat hoc se posse tuta conscientia facere, & hoc esse sibi faciendum.

Octauò quæritur, An aliquando in foro conscientię liceat alicui contra suam certam,& euidentem scientiam aliorum probabilem opinionem sequi. Ratio dubitandi est propter iudicem: cui aliquando constat certò,& euidenter Titium esse innocentem;cum tamen ex testibus in forum & iudiciũ productis Titius sit reus criminis conuict⁹. Quæritur an Iudex tunc tẽporis tutò possit probabilem.S.Thomæ. 2.2.*quæst.67. artic.2.*& aliorum sententiam secutus, Titium condemnare; & ponamus criminalem esse causam,in qua agatur de Titij fama, honore vel vita.Tres sunt opiniones. Prima negat posse tutò Iudicem cõdemnationis sententiam ferre contra Titium,aut absoluere contra acta publica; sed debere causam ad Iudicem superiorem deferre, coram quo ipse testificetur Titij innocentiam; vel debere publicum Iudicis officium deponere, quo depositò Titij innocentiam suo testimonio confirmet & comprobet; aut debere prorogare sententiam. Ita opinantur Panormit.*in cap.Pastoralis. §.quia verò.num.7.De offic. Iudic.delegat.*Adrian.*quodl.2. punct. 3.ad 5.* Cæterùm quæstio non plenè diluitur,quia controuersia non est de Iudice, qui commodè potest se magistratu abdicare, aut Titium ad superiorem iudicem mittere,apud quem eius innocentiam testificari queat,aut causam differre:sed tota quęstionis lis in eo versatur;An tuta conscientia, Titius innocẽs cõdemnari queat cũ Iudex est supremus Princeps, & absque magna offensione populi Titius conuictus maleficij absolui nõ potest: vel quando inferior est Iudex, qui neque Titium ad Superiorem mittere,nec officio cedere, nec causam differre potest; quia populus instat & vrget, vti Titius condemnetur: quem si absoluat Iudex,non paruam populi offensionem creabit. Secunda opinio quam habent Calderi. *in cap.Pastoralis. §.quia vero.de offic.iudic.dele.*Ange.*& Imo.in.l.à Diuo Pio.ff.de sent.& re iudi.*Ange.*Iudicare. num.7.*Rosel.*Iudex.1.quæst.18.* docet absolutè,Iudici nefas esse Titium condemnare, fas tamen esse absoluere contra publica acta, si neque causam prorogare, nec ad superiorẽ deferre potest, nec se publico munere abdicare: quia nemini licet contra suam certam & euidentem scientiam agere. Deinde quia ius gentium iuri naturali derogare non potest; sed iuris gentium est, vt iudicia secundùm acta publica fiant: Iuris verò naturalis est,vt innocẽtem à morte liberemus. Tertia opinio ait, integrum esse Iudici Titium damnare.Sic S.Tho.2.2.*q.67.art.2.& q.64. art.6.ad* 3.Alex. *part 3.quæst.40.mem.6.art.2.* Caiet.2.2.*q.67.articu.2.* Couarr.Sylvest.*verb.Iudex.2.quæst.5.vbi citat Innoc.* Ioan.Andr.Card. Bart. *Glossa, & Archidiac.Sic etiam* Richar.*quodl.3.quæst.25.*Maior.*4.d.33.quæstio.30. quæ est.4.de Iustitia.*Anton.*par.3.tit.9.cap.2. §.6.* qui omnes sentiunt nunquam iudici fas esse cõtra suam conscientiam agere, sed fas esse agere in iudicio cõtra id, quod ipse priuatim extra iudicium certò nouit: & hæc sententia est verior: quia commune bonũ priuato præferri debet: ergo ne populus in offensionem incurrat, Iudici licet innocentem Titium condemnare criminis in iudicio conuictum.

Ad obiecta verò Respondeo, Ad Primum quidem, in eo casu Iudici licere probabilem opinionem contra suam certam scientiam amplecti, quia certa Iudicis scientia est priuata tantùm nõ publica, quæ ex publicis in iudicio actis ortum ducit: & Titius ex allegatis & probatis in iudicio est cõuictus,quam publicam scientiam iudex sequi debet ad cõmunem pacem & salutem seruandam,quæ priuato cõmodo naturali iure præponitur. Ad secundum:Sicut iure gentium bella, captiuitates & seruitutes sunt introducta, nihilominus tamen iure belli pueri, & alij insontes captiui abducti in seruitutem rediguntur, immò etiam necantur ob communem Reipublicæ salutem, cum aliter tranquillitas pax & salus communis conseruari nequeat: Sic etiam iure gentiũ inductum est,vt in iudicijs,ex ijs, quæ allegantur & probantur sententia pronuncietur: & hoc iure introducto bonum commune postulat: vt innocens condemnetur interdum. Nec mirum est: nam etiam vsucapiones & præscriptiones iure gentium sunt constitutæ: vnde efficitur, vt quis absque vlla culpa & peccato rem suam amittat, nimirum ad commune bonum tuẽdum; vt sic innumerę lites dirimantur ac finiantur,& vt pax& tranquillitas Reipublicæ vbique seruetur. *Loco citato.*

Nonò quæritur,An subdito liceat contra propriam opinionem sententiæ, & præcepto Superioris accedere. Adrianus putat non licere, quia nefas est agere contra conscientiam. Sed verius est quod tradit Cordubẽsis,id licere facere; quia vt ex dictis perspicitur,cuique integrum est,contra propriam opinionem in aliorum probabilẽ sententiam ire: Et animaduertendum est,vt subditus Superiori iubenti obedire & parere debeat, opus esse,vt iudicet Superioris sententiam esse probabilem: sicut etiam necesse est, vt existimet sibi ius esse iuxta Superioris sententiam agere; nam alioqui contra conscientiam delinquet: & hoc est reuera, quod Adrianus docere contendit. *Adr. quod lib.2.ar.3. Cord. li.3. suarum quæstionum.q.9.*

Decimò quæritur,An sacerdos qui pœnitentium confessiones audit,iure possit contra propriã sententiam probabili pœnitentis opinioni adhęrere. Ponamus duas esse inter auctores opiniones probabiles,& pœnitẽs vnam sequatur, presbyter verò eius confessionem excipiens oppositam teneat; Quæritur an tuta conscientia possit contra propriam, sequi & amplecti pœnitentis opinionem.Adrianus.*in 4.q.5.de confes.dub.7.§. Decundò*: docet tria. Primum est: si pœnitentis opinio est cum alterius damno, Presbyter eum à tali opinione debet auertere, si speret sua monitione se aliquid profuturũ. Alterum est:si talem

spem

spem non habeat, potest tutò presbyter contra propriam opinionem in pœnitentis sententiam venire, & eum a peccatis absoluere. Tertium est: si pœnitentis opinio non sit cum damno alterius quippe cum non agatur de re alteri restituenda: tunc iure potest presbyter eius opinionem contra propriã amplecti. Antoninus vero, Syluester & Conradus aliter respondent, distinguentes; Aut presbyter, qui confessiones pœnitentium audit, est ordinarius, qualis est Parochus, qui suorum confessiones excipere ratione sui muneris, & officii debet: aut solum alterius mandato & commissione confessiones audit, quales sunt cæteri presbyteri legitime approbati. Si sit ordinarius, contra propriam opinionem sententiæ pœnitentis probabili accedere potest, ac debet. Si verò sola commissione alterius confessionis pœnitentiam audit, nullo iure compellitur pœnitentium opinionẽ contra propriam habere. Tertia opinio est aliorum distinguentium sic. Aut presbyter suo officio functus, aut commissione alterius audit confessiones: & rursus opinio pœnitentis aut est cum damno alterius, nimirum de re alteri restituenda; aut est absque vllo alterius detrimento. Si presbyter, inquiunt, ratione sui muneris & officij confessiones audit, potest & debet contra propriam opinionem pœnitẽtis probabili sententiæ adhærere, siue ea sit cum damno alterius; siue non. Si verò mandato & commissione alterius tantùm audiat, & opinio pœnitentis sit cum damno alterius, non potest eius sententiam sequi: si autem sit absque damno, potest & debet sententiæ pœnitentis accedere. Quarta opinio est Sot. *in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad 5. Nauar. in Manu. c. 26. nu. 4. & in c. si quis autem. De pœnit. d. 7. nu. 68. Ang. confessio. 4. nu. 2.* in vniuersum asserentium integrũ esse presbytero contra propriam, pœnitẽtis sententiam tenere. Et hæc est verior opinio; quia cum pœnitentis sententia sit probabilis, imprudenter aut temerè presbyter non agit, si eam contra propriam sequatur. Ex quo efficitur, vt tunc temporis presbyter debeat pœnitentem absoluere, cum eius confessionem audiuerit: nam eo ipso pœnitens iure absolutionem petit. Immò etiam Parochus compellitur ad pœnitentis confessionem audiendam, tametsi nouerit pœnitentem aliam opinionem probabilem habere, atque ipse habet; quoniam Parochus ratione sui muneris & officij cogitur eorum, quorum curam habet, confessiones audire; quando id iusta causa petunt: iusta autem causa est, cum peccator resipiscens diuinam gratiam sibi conciliare, desiderat, & ob id studet Sacerdoti sua crimina confiteri. Ea verè distinctio de presbytero, vel officio & auctoritate sua, vel commissione cõfessiones excipienti, nihil impedit: quia is, qui mandato & commissione alterius audit, potest quidem pœnitentis confessionem non audire: in quo à Parocho plurimum differt; si tamen audierit, iure nõ potest absolutionem pœnitenti denegare. Ea item distinctio de pœnitentis opinione, quando est cum alterius damno, vel absq; eo, nihil etiam obstat: quia is, qui confessiones pœnitentium audit, eorum saluti prospicere debet: & sicut pœnitens probabilem opinionem secutus potest tuta conscientia rem alienam sibi retinere, nec ad restituendũ vlla lege cõpellitur: sic & confessionis auditor presbyter iure nõ cogitur pœnitẽti præcipere, vt rẽ alteri restituat, quam ipse bona fide possidet, quia melior est conditio possidentis.

Ante 3 p. tit. 12. c. 20 §. 2. Syluest. cas. 14. 17. Conrad. q. vlt. de contra. tract. 7.

Medina in trac. de cõfess. q. de cõfess. simulata iter. §. sequitur tam.

Vndecimò quæritur, An in morbis curandis, in quibus est graue mortis periculũ, Medicus tutiorem, vel communiorem, vel probabiliorem opinionem sequi debeat, vbi sunt duæ opiniones aduersæ, sed probabiles. Animaduertendum est, posse hoc duobus modis contingere. Primò quãdo sunt inter Theologos opiniones, quarum vna affirmat posse Medicũ ægroto hanc vel illã medicinã porrigere: & altera negat. Deinde quãdo inter Medicos sunt duæ opiniones quarũ vna asseuerat hoc remedium esse ægroto salutare; altera contrà, illud docet esse lethale. Quæritur modò an Medicus contra propriam opinionem tuta conscientia possit aliorum probabilem sententiam secutus, medicinam grauiter ægrotãti præbere, cum tamen ipse existimet eam esse lethiferam. Respõdeo, Manifestũ esse iure non posse Medicum remedium ægroto adhibere, quãdo dubitat an sit ei profuturum, an nociturũ: quia in dubijs tutior & certior pars est eligenda. Quæres, Quid agendum, si de remedio dubitetur, an sit salutare; & aliunde certò constet ægrotum moriturum, si nullum ei adhibeatur remediũ. Respondeo, Si tunc temporis ægrotus moriatur, in Medicum culpa conijci iure non potest, quia non ipse sed morbus ægroto vitam eripit: nam interdum ægroti non vitio & culpa Medici, sed vi morbi pereunt. At verò si medicus medicinã præberet, de qua dubitat ipse, sit necne ei salutaris, exponeret periculo vitam ægroti. Deinde perspicuum etiam est, quando sunt opiniones probabiles sibi contrariæ, estque aliud remedium certum: tunc nefas esse Medico certo remedio posthabito ægrotãtibus secundùm probabiles opiniones mederi. Est enim regula iuris: certum est tenendum & dimittendum in certum. Insuper etiam est pro certo habendum: Medicum peccare, si remedijs nihil probabilitatis habentibus vtatur solùm, vt experiatur, an ea sint salutaria, an noxia: huiusmodi enim experimenta solent esse cum graui ęgrotantium periculo coniuncta. Tota igitur controuersia in eo est, quando sunt contrariæ opiniones, an liceat Medico contra propriam opinionem, ex probabili aliorum sententia medicinam ægroto porrigere. Ad quam respondeo, si aliorũ opinio sit communis, vel tutior, vel probabilior, ius esse Medico id facere; quia tunc imprudenter non agit, nec vlla iniuria damnouè ægrotum afficit. Item si aliorum opinio sit probabilis quidem, licet nec tutior, nec probabilior, nec communis, etiam Medico integrum est eam opinionem in curando sequi: quia quod ex probabili ratione & causa fit, imprudentia & temeritate vacat; & proinde Medicus nullum in ea re peccatum admittit.

De hac quæstione. Syluc. Medicus q. 4. & Angel. Medicus. nu. 20. Innoc. in cap. tuanos, De Homicid.

Duodecimò quæritur, An aduocatus in alicuius patrocinio suscipiendo possit litem & causam defendere contra propriam opinionem, aliorum probabilem sententiam secutus. Hæc quæstio sicut præcedens etiam in duobus potest locũ habere. Primò quando inter Theologos sunt duę opiniones & vna affirmat, posse iure aduocatum

hanc vel illam causam & litem tueri: altera verò negat. Secundo quando inter ipsos Iurisconsultos sunt duæ opiniones, vna affirmat in hac causa & lite tuenda ius esse: altera verò diffitetur. Quæritur ergo an in his tutò possit aduocatus causam defendere contra propriam opinionem, aliorum probabili sententię adhærens. Hac in re conuenit inter omnes nõ posse causam suscipere & agere, quãdo certum in lite est aduersarij ius: quia bellum nequit esse ex vtraq; parte iustum. Deinde certum est contra Sotum, Aduocatum posse tuta conscientia causam tueri quando dubium est ius aduersarij. Ita docent Syluest. *Aduocatus.q.*10. Antonin. *part.*2.*tit.*1.*cap.*8.*§.*19. Armi. *Aduocatus.num.*10. Nauarr. *in Manual.cap.*25.*nume.*28. Et id probatur, quia Aduocatus nullam sententiam fert, sed tantùm rationes, testimonia & iura pro cliente contra aduersarium coram Iudice proponit; & Iudicis est, ijs qui litigant auditis, sententiam pronunciare. Ergo Aduocatus dummodo falsa scienter testimonia vel iura non citer, dubiam litem tueri iure potest. Caput igitur huius quæstionis est, quando de æquitate & iure causæ ac litis sunt opiniones contrariæ. In quo Sotus sicut etiam in præcedenti distinguit: aut causa est, inquit, criminalis, qualis est ea, in qua agitur de vita, vel honore, vel fama vel libertate, vel possessione officij ac muneris, vel beneficij Ecclesiastici: aut est ciuilis & parui momenti. Si causa criminalis sit, debet tutiorem, vel probabiliorem partem tueri & defendere. Si verò ciuilis & leuis sit causa, ad id nulla lege & iure compellitur. Cæterùm ex ijs, quæ antè iam dixi, constat posse tutò Aduocatum etiam in criminalibus causam contra propriam opinionem suscipere & protegere, dummodo probabilem aliorum sententiam sequatur. Nam vt sæpe dixi: prudenter agit is, qui quidpiam gerit verisimili & probabili causa & ratione permotus. In dubijs inquies, tutior pars est tenenda. Respondeo, quãdo sunt opiniones probabiles, qui vnam in agendo sequitur, dubius non est: quia non dubitat sibi ius esse probabili aliorum adhærere sententiæ. Immò vt prædixi liceret Aduocato, tametsi causa esset dubia, patrocinium suscipere: ex Syluestro, Antonino, Armilla, Nauarro locis præcitatis. Item dices: Melior est conditio possidentis: ergo si aduersarius est in possessione rei, nequit Aduocatus contra eum causam suo patrocinio tueri. Respondeo, Aduocatum dum alicuius patrocinium suscipit sententiam non ferre; ac proinde aduersario de rei possessione nihil detrahere; sed tantum iura & testimonia proferre & citare. Iudex enim est qui litigantem à rei possessione sua sententia deijcit. Pari modò respondeo ad id, quod objcitur, Neminem in dubijs esse condemnandum; id locum habere, tum in Iudice, cuius est rem huic parti vel illi per sententiam addicere: tum etiam in nobis, quando dubitamus, ita vt neutri quæstionis parti assentiamur: quod locum non habet quando probabiliter hoc vel illud sentimus; vel quando solùm ambigimus de iure causæ & litis; non autem dubitamus sit necne quis patrocinio defendendus.

*Sot. li.*5.*de iust. q.*8. *art.*3.

Cap. XVIII.

De conscientia dubia.

PRIMO quæritur, Quid sit conscientia dubia: Respondeo esse eam, quæ in quæstione, de qua agitur, neutri parti assentitur. Verbi gratia, vocatur in quæstionẽ an liceat Titio ius, quod Caius habet ad centum nummos aureos exigendos à Seio, minoris emere, quando neutri huius quæstionis parti per assensum adhæremus, dubij de quæstione sumus.

Secundò quæritur, Quot modis possit accidere conscientia dubia. Respondeo, Tot modis posse quot sunt genera quæstionum. Porrò duo sunt quæstionum genera: aut enim quæstio est rerum agendarum, aut speculandarum: illa actionis: hæc speculationis quæstio dicitur. Illa est gratia operandi; hęc gratia sciendi. Sit exemplum. Quæstio est de re agenda, an pridie Pentecostes sit ieiunium seruandum. Quæstio verò est de re speculanda, An Mundus potuerit ab omni æternitate potestate Diuina produci. Rursus sicut quæstio potest esse iuris vel facti, sic etiam dubitare possumus aut de iure, aut de facto. De iure dubitam⁹, cum ambigimus, an nobis liceat in die festo iter facere; an testamentum minus solenne sit ratum & firmum: De facto verò hæsitamus: cum ambigimus, an quis votum fecerit: an iurauerit: an occiderit: an vim intulerit. Item sicut quæstio duplex potest esse: aut de re generatim accepta, aut speciatim; sic etiam dubitari potest, aut de re generaliter sumpta, vt si in vniuersum dubitemus, an leges quæ dicuntur pœnales, vim habeant alligandi conscientias, ita vt earum violatores se se peccato obstringant: speciatim verò ambigimus, cum dubitamus: an hæc vel illa lex pœnalis nos teneat. Et animaduertendum est, aliquas esse quæstiones & dubitationes quæ tametsi ad speculationem pertinere videantur, potiùs tamẽ ad actionem spectant, vt cum quæritur aut dubitatur an hoc sit malum an bonum; sit peccatum necne: hæc enim potius operandi gratia quàm sciendi quęruntur. Nam idem est quærere an hoc sit peccatum, quod est, an hoc sit fugiendum, sit cauendum.

Tertiò quęritur, An nobis liceat agere contra dubiam conscientiam? Respondeo ex communi omnium sententia non licere; vt docent Adrianus, Syluester, Cordubensis, Nauarrus, Angelus & alij. Id probatur in primis, quia Apostolus ad Romanos cap. 14. ait: Quod non est ex fide, peccatũ est: sed qui dubitat, neutri quæstionis parti assentitur: ergo ex fide non operatur. Deinde quia dubius animus si quippiam agat, sese peccati periculo committit. Accedit quòd contra amicitiæ legem agit quis, si id faciat, de quo dubitat, an sit amico gratum, an contra: ergo contra legem charitatis in Deum facit is, qui cum dubium animum habeat nihilominus operatur. Postremò quia act⁹ ad sui bonitatem, rectam cognitionem rei agendæ requirit & postulat.

Ad quæst. 2.*a.*2. *Syl. Dubium.* 9.2. *Cord. libr.*3. *q.*5. *Ange. Dubium.* 2.2. *Medi.t.*2. *q.*19. *ar.*6. *dub.*4. *Nauar. de pœnit. d.*7. *c.* si quis autem.

Quartò quæritur, An quando dubius est animus, tutior pars sit eligenda. Respondeo esse Regulam iuris in c. Significasti. 2. & in c. Ad audientiam. & in cap. Petitio. De Homicidio c. Iuuenis,

De sponsalibus. In dubijs tutiorem partem esse eligendam. Quæres, quæ pars tutior censeatur in quæstionibus & dubitationibus rerum agendarum; Respõdeo, eam esse, in qua eligenda certum est nullum inesse peccatum. Præterea ea etiam pars est tutior, in qua tenenda minus & leuius peccatum est, si neutra quæstionis pars absq; peccato suscipi & sustineri queat.

Quintò quæritur, Quid sit dicendum: quando alter cõiugum dubium animum habet de matrimonio, eo quod cœperit ambigere an prior coniux viuat, aut dubitare cœperit: Sit nec ne matrimonium, quod contraxit, irritum ob occultũ impedimẽtum consanguinitatis, vel affinitatis: aut eo quod idoneus & legitimus ad matrimonium consensus defuerit. Respondeo, de hac re apertã esse in iure Canonico definitionem. Nam in cap. Dominus, De secundis nuptijs, &c. Inquisitionis. De sent. excom. statutum est, huiusmodi coniugẽ posse debitum alteri petenti reddere. non tamen petere, quandiu dubiam conscientiam habuerit. Verùm hæc iuris definitio magnum certè plerisque negocium facessit. Primò, quia ex Regula iuris paulò ante citata: In dubijs tutior pars est amplectenda. ergo coniux dubius de matrimonio, sicut debitum iustè petere nequit, sic nec reddere potest; quia siue petendo, siue reddendo, seipsum obijcit peccati periculo. Deinde si dubitatio sit de matrimonio, an fuerit contractum superstite priori coniuge, in reddendo debito periculum est, ne vnus coniux iniustitiæ crimen contra alterum superstitem coniugẽ committat. Adde quod in pari causa iustitiæ, melior est conditio possidentis. Ergo coniux quamuis dubiam habeat cõscientiam, sicut potest debitum reddere, ita & exigere; quia est in legitima possessione coniugij. Propter hæc & similia argumẽta variè sunt inter auctores sententiæ in sensu supradicti iuris Canonici explicando. Prima opinio est Adriani asserẽtis huiusmodi coniugem oportere examinare dubitationis rationes, & diligẽtiam adhibere in rei veritate disquirenda. Vnde antequam examinet & diligentiam conferat ad rem ipsam sciendam, nec potest debitum reddere, nec exigere: & discussis rationibus, & diligentia in ea re posita, aut dubitationem exuit, & tunc potest debitũ soluere & petere; aut semper adhuc est dubio animo, & suspenso, & sic nec potest petere, nec reddere. Et probat ex prædicta Regula iuris, in dubijs tutiorem partem esse eligendam: denique concludit Adrianus, definitionem iuris in c. Dominus. & in c. Inquisitioni, solùm in foro exteriori vim, & locum habere. Sed certè definitio Pontificum his in locis in foro interiori conscientię locum habet; quia est ad scrupulum animi depellendum: quare Adriani sententia communi omnium consensione refellitur. Secunda opinio est Soti docentis, prædictam iuris definitionem intelligi, de cõiuge dubium animum habente ante omnem diligentiam adhibitam, qui tunc temporis etiam in foro conscientiæ, potest debitum reddere, non tamen petere: post collocatam verò in ea re diligentiam, si coniux dubio adhuc sit animo, tunc inquit, & reddere & petere potest. At profectò huiusmodi Soti sensum meritò Cordu. *lib. 3. quæst. suarum. q. 8.* refutat. Nam Pontifices generatim loquuntur de coniuge dubium animum habente, & ratio ipsa efficaciter probat idem iuris esse de coniuge qui post adhibitam diligentiam dubio est animo, quod de coniuge qui ante vllam diligentiam ad eam rem collatam dubius, incertus ac suspensus animo pendet. & ratio Soti in vtroque locum habet, quia coniux est in legitima possessione coniugij, & in pari iustitiæ causa melior est conditio possidentis. Tertia opinio est Palud. *in 4. dist. 36. q. 2. art. 3.* asserentis eiusmodi coniugem hæsitantem nec posse reddere, nec petere debitũ, eo quod in dubijs tutior pars sit amplectenda: sed ex præcepto Ecclesiæ posse reddere, quamuis non petere. Et hoc sensu putat intelligi debere definitionem Pontificum in cap. inquisitioni, videlicet vt coniux, dum ambigit de matrimonio, debitum reddat, sed nõ exigat: quia ita præcipit Ecclesia in his locis paulò ante citatis. Cæterùm huiusmodi Paludani sententiam meritò cæteri reijciunt, quia Ecclesia statuere nequit, vt id, quod sua natura malum est, bene fiat: ergo ante Ecclesiæ præceptum, vel malum erat debitum reddere & non exigere, vel bonum erat: Si malum per se erat, ergo ob Ecclesiæ præceptum non fit bonum: Si vero bonum erat, ergo Ecclesiæ præcepto opus non est. Quarta igitur sententia est vera, quam communi consensu auctores sequuntur. Couar. *de matrim. par. 2. cap. 3. §. 2. n. 7.* Nauarr. *in Manua. c. 27. nu. 288.* Cordub. *lib. 3. q. 8. Idem* Nauarr. *in cap. Si quis. De pœnit. dist. 8. numer. 101.* *Medina de restit. q. 12.* Bartholom. *Medi. 1. 2. q. 19. art. 6.* Sylu. *Matrimonium. 6. q. 8.* Ang. *Matrim. 9. n. 4.* *Armil. Matrim. n. 45.* Coniugem dubium animum habentem, in foro conscientiæ posse debitum reddere, non tamen petere, vt habet prædicta Pontificum definitio, quę Regulæ illi supradictę innititur: In dubijs tutior pars est eligenda. Vt. n. superius indicaui, tutior pars est, quæ certò omne peccatum declinat, aut quãdo neutra quæstionis pars absq; peccato deligi potest, quæ minus leuiusq; peccatũ eligit, tutior est, quoniam inter duo mala minus est eligendum, vt constat ex. c. duo mala. & c. nerui. d. 13. non quod eligẽdo id, quod minus malum est, peccet, qui eligit: peccatum. n. eligere nobis nunquam licet: sed quòd nobis inter duo mala positis, lex quæ prohibet, quod minùs malum est, definit nos obligare, vt quod grauius & deterius est malum, deuitemus. Rursus quando duo præcepta, vel duo iuris vincula simul seruari nequeũt, maius præceptũ, quod arctioris est vinculi, seruandum est. Quotiescunq; igitur dubius est coniugis animus de matrimonio, tunc in debito exigendo, se obijcit periculo peccati cõtra castitatem, & ideo petere debitũ iure nequit. In reddendo enim cõiux simplicis libidinis periculum incurrit, negãdo verò infert se in iniustitiæ periculum: nam fortassis violabit fidem in matrimonio dãtam, & denegabit ius alteri coniugi debitum. Quare cum sint duo mali pericula, aut enim faciet contra castitatem, aut contra iustitiam, & arctioris præcepti & iuris sit vis iustitiæ, quã castitatis, iure debet arctius præceptum seruare, & grauioris peccati periculũ cauere: ac proinde sequitur, vt possit cõiux, ac debeat debitũ reddere. nam vt in conc. Tolet. 8. habetur, & refertur. d. 13. ca. duo mala. Duo mala licet omnino cautissimè

sint præ-

Adquadl. 2. art. 1.

Soto in 4. d. 27. q. 1. art. 3. & li. 4. de Iust. q. 2. ar. 4.

sint præcauenda, tamen si periculi necessitas vnũ ex his perpetrare compulerit, id debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligare. & c. nerui. eadem d. ex Gregorio legimus. Si omnino nullus fine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligantur, quia & qui murorum vndique ambitu ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, vbi breuior murus inuenitur. hęc ibi, & cum quis quod minus malum est, deligit, ne quod deterius est, faciat, peccatum nõ facit, quoniam minoris præcepti vinculo non tenetur.

Ad obiecta verò in principio, Respondeo, In dubijs tutiorem partem esse præferendam: sed quandiu cõiugis dubius est animus de Matrimonio, tutior est pars in reddendo debitum, quàm in denegando: tunc enim coniux in reddendo, deterioris peccati periculum euitat, vt dixi. Ad secundum Respondeo, quando dubitatio est de matrimonio an fuerit contractum superstite priori coniuge, ius habet coniux soluendi debitum ob aliam Regulam iuris (de qua inferius dicam) In pari iustitiæ causa melior est conditio possidentis. Cum igitur Matrimonium sit bona fide contractum, & causa sit par, præsentis & prioris coniugis, cum iusta sit dubitatio, præsens coniux est in legitima possessione coniugij, & proinde melior est eius conditio, & tuto potest persoluere debitum. Tertium argumentum diluitur: licet coniux in legitima sit possessione connubij, non continuò tamen sequitur, vt iure possit debitum exigere, quia in exigendo simplicis contra castitatem libidinis periculũ subit: & se à debiti petitione abstinendo, nullum ius amittit: possessionem enim coniugij non perdit, nec sibi in vlla re nocet: ergo ea obligatione iuris tenetur, qua tutiorẽ in dubijs partẽ deligere & sequi debem°.

Sextò Queritur, Quid sit dicendum, quando vterque coniux dubio est animo de matrimonio, quia ambigit, an in eo insit impedimẽtum occultũ; vtrum tunc temporis alter coniugũ reddere debitum petenti debeat? Respondeo, Definitionem Pontificum in cap. Dominus, & c. Inquisitioni, in tali casu minimè locum habere: quia si vterque coniux dubiam conscientiam habet, de impedimento coniugij, ius petendi debitum, ob animum dubium amittit. Cum igitur neuter iure debitum possit exigere, alter ab obligatione reddendi liber ac solutus est: & cum ad debitum soluendum minimè compellatur; sequitur vt neque id reddere iure possit, quia alter ius petendi non habet: & proinde etiám in reddendo luxuriæ, & libidinis periculũ incurrit; eo quod, qui in eo casu reddit, liber à peccato esse nõ potest, cum non reddat, vt suum alteri ius tribuat. hæc enim ratio vim non habet, quando qui petit, de impedimento coniugij dubitat. Definitio ergo Pontificum locum habet, quando vnus tantùm coniugũm dubio est animo, tunc enim alter cum bona fide debitum petat, suo iure spoliari & priuari non potest.

Septimò quæritur, Quid sit dicendum, quando Titius mala fide matrimonium contraxit: hoc est, cum de occulto matrimonij impedimento dubitans ad nuptias transiuit, an matrimonio cõtracto iure possit alteri cõiugi debitum soluere? Respondet Sotus tuta conscientia non posse, quia mala fide est in possessione coniugij: possidenti autem, mala fides nihil suffragatur. Vnde inquit, Pontificum definitionem in decretis ante citatis non esse de huiusmodi coniuge intelligendã. Sed reuera ex cap. Dominus, cõtrarium elicitur; quia in eo cap. sermo est de eo qui, cum dubio animo esset, matrimonium contraxerat, & de eo statuitur, debere reddere, non autem posse petere. Et ratio manifestè Sotum conuincit: quia cum alter bona fide matrimonium inierit, in legitima est matrimonij possessione, ergo debitum petendi ius habet, & proinde alter licet dubio sit animo, contra ius fasque denegat: non enim eius dubitatio, vel mala fides dubium animum, quo matrimonium inijt, alteri bonam fidem habenti nocere potest, nec debet. Si tamen vterque mala fide se matrimonio coniunxerit cum de impedimento dubitaret, iure pẽtendi debitum caret: & ideo tunc neuter aut exigere, aut reddere tuta conscientia potest.

Sot. loco citato.

Cord. lib. 3. quæst. suæ. q. 1.

Cap. XIX.

Aliæ quædam quæstiones de dubia Conscientia diluuntur.

PRIMO quæritur, An Titius, qui per ignorantiam duxit ancillam in matrimonium, bona fide putans esse liberam, deinde processu temporis incipit ambigere ancilla sit necne, ad reddendum debitum petenti compellatur. nam certum est, petenti debitum posse tuta conscientia reddere, quia licitum est illi matrimonum denuo confirmare: quoniã etiamsi ancillam esse rescierit, potest si velit eam vxorẽ ducere, & ita in matrimonio habere. Caput igitur quæstionis est, an dum animo est dubio, debeat petenti debitũ reddere iuxta definitionem Pontificum in iure superiùs allegatam: Respondeo ex communi omniũ sententia, in 44. distinct. 36. nullo iure compelli ad debitum reddendum: quoniam etsi vxor ancilla debitum bona fide petat, id tamen est cum magno detrimento viri, eo quod vir per ignorantiam cum ea matrimonium contraxerat. Quòd si cum ambigit de seruitute vxoris, debitum ei soluere iure cogeretur, tunc temporis ancillam in matrimonium ducere deberet, id quod in magnum cederet Titij detrimentum. Definitio ergo Pontificum locum tantùm habet in cõiuge, qui dubio animo est de matrimonij impedimento absque suo magno huiusmodi incommodo. Cordubenses tamen & alij putant etiam tunc temporis, Titium iure compelli ad debitũ petenti reddendum: ratio eorum est, quia potest id soluere absque vllo suo detrimento: veluti si reddat non voluntate iterum contrahendi, vel ratum habendi matrimonium ante contractum, sed solùm in animo habẽs reddere id, quod in tali dubio, vxori debet; tunc enim & absq; peccato ad vxorem accedit, & nullum sibi detrimentũ infert, quemadmodum si duo se matrimonio per ignorantiam copulauerint, in quo sit impedimentum occultum, sublato deinde impedimento, non eo ipso quod matrimonio ante inito vtantur, id confirmant, & ratum habent; quia vtuntur eo, bona fide putantes sicut antea, matrimonium esse legitimum: probabilis est opinio.

Secundò

Secundò quæritur, Quid sit dicendum quando alter coniux de impedimento matrimonij incipit dubio esse animo, & matrimonium consummatum non est, sed tantùm ratum; num in eo casu vir dubitans compellatur ad debitum petenti vxori soluendum? Et ponamus eos adhuc esse intra spacium duorum mensium, quod est ab Ecclesia constitutum, vt alteruter coniugum possit, si velit, ad meliorem Religionis statum conuolare. Respondeo, Prædictum coniugem minimè cogêdum debitum reddere: ex quo efficitur vt intra id temporis, nec soluere, nec exigere debitum possit. Nam debitum vxori denegando, iniuriam nõ facit, & ex altera parte periculum est, ne luxuriæ & libidinis peccatum in reddendo committat: ergo tuta conscientia non potest reddere. At post elapsum duorum mensium tempus, dum anceps animi est de impedimento coniugij, petere quidem debitum non potest, petenti autẽ vxori reddere, aut Religionis institutum confestim suscipere iure compellitur.

Tertiò quæritur, quid sit dicendum in casu; cum Titius per ignorantiam matrimonium contraxit, in quo fuit impedimentum, quod Canones, & iura vocant frigiditatis aut maleficij, & processu temporis incipit dubitare de tali impedimento: an iuxta Pontificum definitionem supra allegatam, debitum petenti reddere debeat; & an possit etiam exigere? Respondeo, etiamsi vterque dubitet de tali impedimento, & reddendi debitum & petendi ius habet, quoniam illud impedimentum matrimonium non dirimit, nisi perpetuum sit, & ideo vterque coniugum iure potest matrimonio vti, vt experiatur, num impedimentum sit perpetuum, an ad tempus: experiri autem nõ potest nisi ipso matrimonio vtatur. Et quoniam tempus ex rei natura ad id experiendum, definitum non est: Ecclesia suo decreto constituit, vt sit triennium. cap. laudabilem. & ca. litterę. de frigi. & malefi. quo elapso, si impedimentum durat, Ecclesia matrimonium dissoluit, hoc est, iudicat nullum fuisse cõiugium propter perpetuam naturæ imbecillitatem, quę in iure frigiditas appellatur.

Quartò quæritur, Quid sit dicendum, quando alter coniugum dubium animum habet de impedimento occulto matrimonij ante contracti, an debeat huiusmodi dubitationem alteri coniugũ bonam fidem habenti declarare & detegere, ne debitum petat? Respondeo, ad id nullo iure compelli, quia alter coniux bonam fidem habet: & plerunque ex eiusmodi declaratione plura, aut deteriora mala nascũtur, nec vlla solet esse spes futuræ vtilitatis.

Quintò quæritur, Quid sit iudicandum in casu, cum Titius fundum bona fide hactenus possederit; modo incipit hæsitare suus ne sit an alienus: num quia dubio est animo, fundum debeat restituere: an verò iure possit illum sibi retinere? quoniam in dubijs tutior pars est eligenda: ergo fundum debet Titius restituere: nam in restituendo, certum est nullum peccatum inesse; cum tamen in retinendo periculum sit, ne crimen iniustitiæ committat. Tres sunt opiniones. Vna est Adriani dicentis Titium compelli ad diligentiam adhibendam: qua adhibita, si adhuc in dubio animo perstiterit, tunc debere fundum restituere: verũ tamen ante diligentiam in ea re positam, posse Titium sibi retinere, quoniam tanquam custos depositarius suè potest quis turò rem alienam possidere. Probat Adrianus ex Regula iuris, Tutius in dubijs esse eligendum. Secunda opinio est Soti *in 4. lib. de Iust. quæst. 5. art. vlt. propè finem.* Titium in dubio permanẽtem oportere dimidiam fundi partem restituere; id probare contendit, quia ratione dubitationis æqualè est ius Titij, & alterius: ergo si Titius dubitat, an fundus, quem possidet, sit suus, an Caij, parte sibi retenta, debet alteram dimidiam Caio reddere. Quemadmodum cum dubitat quis, an res, quam restituere debet, sit Caij, an Seij, diuidi inter Caium, & Seium ea res debet: ita etiamsi Titius ambigat, an res à se possessa sit sua, an Titij, eam cum Caio partiri debet. Tertia opinio est Medinæ *de restitu. quæ. 17. §. licet tamen.* Sylvest. *Præscriptio. 1. quæst. 3.* Cordub. *lib. 3. quæst. 8. ad primam rationem.* Couarr. *in Regula Possessor parte 2. §. 7. numer. 4.* asserentium tutò posse Titium fundum sibi retinere: & hæc opinio est verior; quia in dubia & pari causa iustitiæ, melior est conditio possidentis. Quare Regula iuris, videlicet, Tutior pars est eligenda, locum non habet in causa iustitiæ, quando est dubia, & ex vtraque parte æqualis, & penes vnum est rei possessio.

Sextò quæritur, An Titius, habens dubium animum sit sua, necne res, quam possidet, ea possit vti; ita vt ipsam tuta conscientia alienare queat: Duæ sunt opiniones, Prima est Cordubensis, eam nec alienare posse, nec etiam ad proprios vsus assumere. Id probat primo ex l. Alienationis, ff. de verborum significat. Ex qua colligitur, eum, qui vsu capere nequit, alienare non posse; sed Titius rem de qua dubitat, sit sua, nec ne, vsucapere non potest, ergo nec alienare. Deinde quia si alienet, vel ad suos vsus adhibeat, seipsum in peccati periculum conijcit: nam forte rem alienam cõsumet quod est cum detrimento alterius. Item quia coniux dubitans de impedimento matrimonij occulto, licet sit in legitima coniugij possessione, vti matrimonio debitum petendo non potest: ergo nec Titius potest vti re à se possessa, dum ambigit, sit sua, necne. Secunda opinio est aliorum docentium iure posse Titium re huiusmodi vti, dummodo eo animo sit, vt si postea rei dominum compererit, eam illi reddat, vel pretium eius, vel rem aliam, quæ tantidem æstimetur. Hæc opinio est verior: nulla enim ratione cogitur talis possessor à rei vsu abstinere: nam sicut rei legitima possessio concedit ius eam retinendi, sic etiam dat ius vtendi ea, dummodo in animo possessor habeat domino comparenti plenè satisfacere. Quare si res sit, quæ vsu consumitur, qualia sunt vinũ, oleum & cætera, quæ in iure dicuntur functionem habere, potest Titius ea vti, & eam in quos voluerit vsus impendere: & postea de domino rei certior factus, reddet ipsi aliam eiusdem generis, & functionis. Si verò res sit, quæ vsu non consumitur; potest Titius eam vendere, distrahere, alienare, dummodo & emptorem de sua, quam habet, dubitatione moneat, & eo animo sit, vt vero domino comparenti tantundem, quanti res valet, restituat. Ex quo fit, vt

ne de Præscriptio. §. Hoc supposito. & quodlib. 2. ad 2. confirma. Argu. 8.

Adrian. in 4. de restit. in quæstio-

si dubium sit, res ne Titij sit, an Caij, neutro possessionem habente, rem inter vtrunque diuidi oporteat, siquidem æquale est ius vtriusque. Deinde efficitur etiam, vt si Titius certò cognoscat rē à se possessam esse alienam, & ambigat, num sit Titij, an potius Caij, eam diuidere debeat inter Titium & Caium. Postremò fit, vt si Titius rem possideat, quam rescierit esse alienam, ignoret tamen prorsus cuius sit, debeat eam in pauperum vsus erogando restituere.

Ad obiecta Cordub. Respondeo ad Primum. in l. Alienationis, solùm dici, Alienationis verbum etiam vsucapionem continet. Nam latiùs patet alienatio, quàm vsucapio; & vsucapio est quędam alienationis pars: & proinde non inde efficitur, vt qui alienare potest, possit & vsucapere: sicut non rectè quis colligeret, est animal, ergo est homo; est virtus, ergo est fortitudo; quia latiùs patet animal, quàm homo; virtus, quàm fortitudo, & ideo non rectè concluditur, potest quis alienare, ergo potest vsucapere. Nec item rectè colligitur, non potest quis vsucapere, ergo non potest alienare: sicut non bene concluderes, non est homo, ergo non est animal: non est fortitudo, ergo non est virtus: quare licet rem alienam, cum dubio sum animo, sit aliena necne, vsucapere iure nequeam, possum tamen, vt dixi, alienare. Ad secundum, Respondeo nullum damnum rei domino inferri, siquidem Titius, cum rē à se possessa vtitur, eo animo est, vt domino, quādo is comparuerit, plenè satisfaciat. At tertium Respōdeo, non esse idem iuris de matrimonij, quòd de rei possessæ vsu. Nā coniux dubitans de occulto coniugij impedimento, ex parte potest matrimonio vti, ex parte verò non potest, quia potest reddere debitum petenti coniugi, vt grauius peccati periculum declinet ac vitet, ne contra fidem & ius alterius coniugis faciat: nequit verò debitum exigere nè se cōijciat in libidinis, & luxuriæ periculum, & ideo ab vsu petendi sese continere debet.

Septimò quæritur, Quid sit respondendum quando Titius filius familias hæsitauerit, sit ne legitimus, an spurius: num iure possit cum alijs legitimis fratribus hæreditatem paternam adire? Ratio dubitandi ex vna parte est, quia Melior habetur conditio possidentis, sed Titius filius censetur legitimus, ergo iure potest hæres esse, & vnà cum fratribus paterna bona partiri. Rursus in dubijs potius est pro matrimonio sententia pronuncianda, ergo Titius filius legitimus est iudicandus. Ex altera parte periculum est, ne contra iustitiam alios fratres legitimos integra hæreditate spoliet ac priuet. Respondeo, Titium posse pura conscientia hæreditatem paternam adire, quoniam etiamsi hoc cum aliorum fratrum detrimento esse videatur; Titius tamen in dubio legitimus filius censeri, & haberi debet: & in causis ambiguis, nempe quādo partium iura sunt dubia & obscura, sententia est potius pro reo, quàm pro actore proferenda.

Octauò quæritur, Quid dicendum, quum certò constat Caium esse filium spurium, & Titius & Seius dubitant vter ipsorum sit pater Caij. An Titius, an potius Seius paterno iure & officio alimenta Caio suppeditare cogatur. Respōdeo, vtrunque, Titium, inquam, & Seium compelli ad Caium alendum & sustentandum, ita vt si vterq; id præstare commodè possit, inter vtrunque sit alimentorum onus diuidendum: si alter verò aut non possit, quia sit egestate & penuria oppressus, aut nolit, tunc alter in totum debet Caio alimenta præbere.

Nonò quæritur, Quid sit respondendum si ponamus Titium subditum, cuius Præfectus superior sit Caius, Titiusq; dubitet de re aliqua faciēda, an accedente Caij Superioris præcepto, possit tutò facere rem sibi imperatam; Duæ sunt opiniones. Prima est Adriani negātis Titium id posse facere, nisi dubiam cōscientiam deponat, quia nemini licet, contra propriam cōscientiam operari, nec potest Superior contrarium præcipere. Secunda opinio est Sylvest. *obedientia, q. 2.* Angel. *obedientia. nu. 6.* Palud. *4. dist. 19. q. 4. nu. 7.* Sot. *in lib. de ratione tegen. & detegendi secretum. mem. 3. q. 2.* & omnium communi consensione recepta, posse Titium in re dubia superioris præcepto parere, & id quidem ea ratione probant: quia superior est in legitima possessione, ergo subditus in re dubia obtemperare debet, ne se exponat peccati periculo. nam forsitan detrahet aliquid de iure & potestate Superioris, ac ne admittat crimen, quo obedientiam Superiori debitam deneget. Enimuerò dicendum est subditum in re dubia obedire debere, quia quamuis ex principijs à re sumptis dubium animum habeat, ex principijs tamē communibus & extrinsecis, vt rem planè compertam habet, sibi licere in re dubia sui præfecti imperio parere: sicut in re dubia cuique ius est probabile boni & periti viri consilium amplecti, & probabili aliorum opinioni adhærere. Adrianus verò solùm docere voluit, minimè licere Superioris præcepto obedire contra propriam cōscientiam dubitantem, videlicet quando quis ambigit; liceat sibi necne Superioris præcepto parere in eo, de quo dubitat, num id peccatum sit: in hoc enim cæteri conueniunt, tunc esse dubium animum deponendum. Ex quo perspicitur posse nos in multis rerum euentis dubitationum molestijs liberari. Exempli gratia, Titius subditus morbo laborans ambigit, an sit sibi ieiunium seruandum, an debeat ab esu carnium abstinere, officium Ecclesiasticum persoluere, rem diuinam audire; id faciat, quòd iusserit Superior. Pari ratione miles iure potest suo Principi, Regi, Duci vel Reipublicæ in bello obedire, cum dubitat, sit ne Principis bellum, quod aduersus alterū gerit, iustum: quoniam in his, & id genus alijs subditus, dummodo probabile Superioris præceptum sit, non est cur dubitet, sibi licere, suo Superiori parere. Quæres, Quid de militibus exteris mercede ad bellū conductis, vel alia de causa vocatis. Respondeo non esse idem iuris de illis, quod de subditis: nihilominus tamen si de iure belli hæsitent, & aliunde nouerint Principem à quo sunt conducti & vocati, virum esse pium & bonum, & qui bellum nisi iustum suscipere non soleat; tunc milites illi tuta conscientia possunt probabiliter putare Principem iure bellum alteri inferre: Id etiam facere illis est integrum, quando ex probabili aliorum consilio ad id faciendum adducti permouentur.

Adr. quod. 2. puncto. 2. ad 2.

Decimò quæritur, An Titius ſi dubio ſit animo, an votum Deo fecerit, an quidpiam iurauerit, an promiſerit, an cum alio ineundo contractum cõſenſerit, debeat tanquam tutiorem partem amplexus exiſtimare ſe votum feciſſe, iuraſſe, promiſiſſe aut in contractu conſenſiſſe. Sotus putat in his non eſſe Regulam iuris tenendam, quæ ait Tutiorem partem eligi oportere, ſed aliam qua dicitur, Meliorem eſſe conditionem poſſidentis. Et quia quiſque eſt ſuæ libertatis poſſeſſor cum hæſitat, an quippiam vouerit, iurauerit, promiſeritiuè, tutò iudicare poteſt ſe non vouiſſe, neque iuraſſe, aut promiſiſſe. At profecto longè verius eſt, quod alij tradiderunt, in his & alijs huiuſmodi, tutiorem partem eſſe eligendam. Et cum tutius ſit, vt quis putet, ſe nouiſſe vel iuraſſe, vel in contractu conſenſiſſe, ſeruanda ſunt hæc omnia: alioqui peccati periculum ſibi creat. nam forte aut votum, aut iuſiurandum aut fidem in contractu datam violabit. Nec in his locum habet dicta Regula Iuris: Melior eſt conditio poſſidẽtis: hæc enim Regula locum habet in re & materia iuſtitiæ alioqui pari & ambigua. Ex quo fit vt ſi Titius dubitet homicidium, ne an aliud crimen admiſerit in quod ſit iure conſtituta excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum vel Irregularitas, debeat tutiorem partem ſecutus ſe à diuinis officijs continere.

Sot. lib. 7. de iuſt. q. 3. a. 2. pau. ſo poſt conclu. 4. Medin. in inſtru. confe. lib. 1. c. 14. §. 7. Ange. Votum. 1. nu. 12. Sylueſ. Votum. 2. verſicu 4. Secundum Archi. in c. a. non ſolum. 23. quæſt. 8.

Vndecimò quæritur, Quid ſit dicendum, ſi Titius iuris dubitationem habeat, nimirum an hoc, an illud crimen in iure excommunicatione, ſuſpenſione, an irregularitate afficiatur? Reſpondeo, Regulam iuris eſſe ſeruandam: odia & pœnæ ſunt reſtringẽdæ, & in his locũ habet id, quod habetur in cap. Is qui, De ſenten. excommu. in 6. Nullum eſſe irregularem cenſendum niſi in iure exprimatur. Quare in pœnis & odijs fidem non facit argumẽtum à pari, vel ſimili ſumptum: pœnæ enim & odia vnius delicti, ad aliud ſimile minimè trahuntur: licet in ijs, quæ ad commodum, & bonum ſingulorum ſpectant, locum & vim tenere poſſit argumentum à pari vel ſimili ductũ; ita vt quod eſt de vno in iure ſtatutum, ad aliud ſimile protendatur.

Duodecimò quæritur, Quid dicendũ ſit, quando Titius dubio & ancipiti animo eſt de iure, videlicet an hæc, an illa lex excommunicationem, ſuſpẽſionem vel irregularitatem conſtituens homines teneat ac liget; quia ambigit, an ea lex ſit vſu recepta. Reſpondeo: Cum materia ſit in odijs vel pœnis, Titius in foro conſcientiæ poteſt eam partem amplecti, quæ negat legem vſu eſſe receptam. Et idem iuris eſt ſi inter auctores ſint probabiles ſententiæ, quibuſdam affirmantibus eam eſſe vſu receptam, alijs contra negantibus. poteſt enim quis ſententiæ negantium adhærere tuta & ſalua conſcientia.

Tertiodecimò quæritur, An poſſit Titius cum generatim dubitat, liceat necne in die feſto iter facere, ſpeciatim certò opinari, fas eſſe ſibi, in hoc aut illo die feſto iter facere: Caietanus *in. 1. 2. q. 19. art. 5. & Nauarr. de pœnit. d. 7. cap. Si quis autem. nu. 62.* & alij in vniuerſum docent poſſe aliquem dubitare generaliter de re aliqua facienda, & nihilominus ſpecialiter certò credere rem in hoc aut illo caſu ſe poſſe tuta cõſcientia facere. Cordubenſis tamen lib. 3. ſuarum quæſtionum. q. 8. nititur hanc ſententiã conuellere ea ratione, quòd particularis cõcluſio ex generali colligitur: ergo ſi Titius hæſitat generatim, an liceat in die feſto iter conficere, neceſſariò etiam ambigit, an poſſit in hoc die feſto iter facere. Attamen prima opinio verior mihi videtur; quia intelligitur iuxta ea, quæ hactenus diximus, poſſe aliquem de re facienda dubitare ex principijs ab ipſa re ſumptis, & nihil prorſus ambigere de eadem re facienda, ex principijs communibus, vel extrinſecùs petitis & ductis. Quare poteſt Titius dubio eſſe animo ex principijs acceptis à re generatim, an liceat in die ſacro iter in locum aliquem habere; & tamẽ certò & indubitato credere, ſibi licere hoc die ſacro ſolenni id facere; quia de hoc die poſſunt eſſe probabiles ſentẽtiæ, quæ oppoſitum docent: rurſus poteſt eſſe probabile boni, & periti viri conſilium, licere hoc die feſto iter ſuſcipere: Inſuper quia Titius nouit alios bonos, & doctos viros hoc die ſacro iter facientes. Ex quo efficitur; vt quamuis rudis & imperitus quiſpiam ſit, poſſit aliter atque ex Parocho, Magiſtro vel concionatore accepit, aliquid factitare. Sit exemplũ: Titius ruſticus cõcionantem Parochum audiuit, ſignificantemque hoc aut illud facere nefas eſſe, incipit dubitare liceat necne ſibi id facere, cũ ante crediderit id licere. Quamuis igitur modo hęſitare cœperit, poteſt iure cõtrarium agere; quia poteſt probabiliter exiſtimare Parochum forſitã eſſe deceptum, aut certè ex probabili aliorum conſilio oppoſitam ſententiam amplecti.

Cap. XX.

De ſcrupuloſa conſcientia.

PRIMO quæritur, Quæ ſit ſcrupuloſa conſcientia. Reſpondeo, ſcrupulum eſſe in anima ſollicitudinem, ſuſpicionem, & dubitationẽ hominis conſcientiam pungentem & cruciantem inſtar lapilli exigui in calceo latentis, qui pedem lædit, & vexat. Scrupuloſus igitur animus eſt, qui in quæſtione ad actionem pertinente vni parti adhæret, ſed motus ex leuibus duntaxat coniecturis, vel argumentis. Et ſcrupuloſus animus aliquando vni parti quæſtionis aſſentitur, ſed de parte oppoſita dubitat; an ea potius ſit vera, & an partem eam, cui per aſſenſum adhæret, ſibi liceat ſequi: aliquando in vtraque parte quæſtionis hæſitat non ſine moleſtia.

Secundò quæritur, Quid diſtet inter conſcientiam ſcrupuloſam & dubiam. Reſpondeo, Intereſſe plurimum. Nam qui dubio animo eſt, neutri quæſtionis parti ſuum præſtat aſſenſum; at ſcrupuloſa conſcientia, vni parti quæſtionis per aſſenſum accedit, verũ de parte oppoſita dubitat, an ea ſit verior; ac rurſus ita vni parti aſſentitur, vt leuiter vel ab aſſenſu recedat: vel incipiat dubitare. Inſuper dubia conſcientia propter probabiles vtriuſque partis rationes ambigit: at vero ſcrupuloſus animus propter leuiuſcula quæq; argumenta hæſitat, immò aliquando abſque vlla ratione dubitat.

Tertiò quæritur, Quomodo ſcrupuloſus animus dignoſcatur; Reſpondeo, eo quod in re vna

pluribusuè sæpissimè absque argumento probabili dubitat, & est animo suspenso. Deinde eo quod frequenter leui ex causa motus in dubitationem res quascunque vocare consueuit.

Quartò quæritur, Quot modis scrupuli contingant. Respondeo, Scrupulos ad duo potissimũ capita reuocari. Nam scrupulosus aliquãdo quis est in discutiendis, & internoscendis peccatis ante commissis: aut in suis operibus examinandis; velut cũ scrupulis quis angitur, an integrè, ac vti oportebat, sua peccata Sacerdoti fuerit confessus; an peccato consenserit: an quidpiam vouerit, an aliquid se facturum iurauerit: an suum officium ritè fecerit: an hoc aut illud omiserit. Aliquando verò scrupulosus quis est in peccatis in futurum cauendis, vt cum dubitat passim, an hoc, an illud sibi liceat facere. Aliquando scrupulosi vexantur, dubitantes anxiè, an sint aliqua excommunicatione, suspensione vel irregularitate adstricti, & affecti. Aliqui scrupulis vrgentur, eo quod ambigant, an votum faciant in omnibus ijs, quæ se facere decernunt; & an sint charitate & gratia Dei præditi: & num in bono vitæ statu sint, an malo: vnde misere discrutiantur.

Quintò quæritur, Ex quibus causis scrupuli oriantur. Respondeo, Ex multis ac varijs. Nam aliquando dæmone suggerente scrupuli injiciuntur animis: Aliquando ex imbecillitate capitis nascuntur: Aliquando ex mala corporis constitutione, ex animi infirmitate, ex inscitia, ex hominum scrupulosorum consortio & familiaritate existunt. Demum aliquando nonnulli ob pœnam peccati alicuius, vel ob salutem, & maius bonum ipsorum diuina voluntate scrupulis quibusdam diuexantur, exercentur ac probantur.

Sextò quæritur, Quibus modis scrupuli ex cõscientia eximantur. Respondeo, Multis & diuersis; sed inter alia his etiam. Primò quidem si scrupulosus præcepto sui Superioris obtẽperet. Quidam (vt fertur) sancti Bernardi discipulus scrupulis adeo premebatur miser, vt sacrum facere non auderet: fecit tandem ille, obedire volens sancto Bernardo sibi dicenti: Vade & mea fide confisus, sacrifica: quòd postquam fecit, ab scrupulis deinceps liber, & solutus penitus euasit. Secundò modò: si scrupulosus boni & periti hominis consilio ducatur; & regatur, non suo iudicio sensuque proprio vt plurimum fallaci. Vnde scrupuloso cuidam amicus post obitum occurrisse perhibetur, à quò, cum de ijs, quibus angebatur scrupulis sententiam rogaret, responsum accepit: vade, & consule bonos & doctos, & in eorum consilijs, & monitionibus acquiesce. Tertiò si scrupulosus suos scrupulos frequenter deponat, & abijciat, aliorum consilium secutus. Quartò modo si quis contra suos scrupulos sæpe factitet, probabili aliqua ratione permotus. Denique si in omnibus ei Sacerdoti, cui de more sua peccata confitetur, fidem habeat, ac pareat.

Gerson. pa. 2. tract. de prapar. ad Missã consider. 3. Sylvest. de scrup. n. 3.

Septimò quæritur, Quibus remedijs vti poterit, qui scrupulosi hominis confessiones audire consueuit, ad pacandam eius conscientiam, & vt eius animum tranquillet. Respondeo vltra spiritualia multa alia remedia, hæc etiam adhibeat. Primò eum admoneat, vti nullum esse lethale peccatum existimet, nisi esse, certò cognouerit. Secundò eum moneat, vt aliorum bonorum hominum consilijs & sententijs acquiescat. Tertiò frequenter, ac vt plurimum non admittat eius dubitationes, nec ad se dubitandi, & interrogandi gratia eum accurrentem excipiat, sed excludat hominem & amandet, & si opus sit etiam verbis ad id appositis & accommodatis absterreat. Quartò non permittat eum vllo modo de scrupulis, & dubijs confiteri: imperet autem ei, vt tantùm ea, quæ manifestè peccata esse cognouerit, confiteatur; alioqui certè nunquam ex animo eius scrupulos euellet. Postremò scrupulosi hominis dubitationes semper in mitiorem, & meliorem partem accipiat, ac interpretetur: dubia enim in meliorem partem accipienda sunt, cap. estote. de regulis iuris. & in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minùs iustum est, quam tutum. leg. proximè. ff. de his quæ in testam. delen. Multa alia de scrupulosis hominibus curandis legi possunt apud Sylvestrum de scrupulis, & de scrupulosis: vbi multa habet ex Gersone, & alijs accepta.

Cap. XXI.

De quibusdam circunstantijs quæ ad bonitatem actus humani sunt necessariæ.

PRIMO quæritur, An vt opus humanum sit bonum in moribus, necesse sit, vt expresè vel implicitè fiat causa Dei. Duæ sunt opiniones. Prima est Ariminensis, qui docet esse necessarium, vt fiat propter Deum. Ait enim, vt opus sit bonum in moribus, hoc est, ex obiecto & materia, fine & omnibus circunstantijs, oportere, vt actu vel saltem virtute, & ratione alicuius actus prioris referatur in Deum, ita vt sit & dicatur verè opus factum propter Deum. Et proinde vult hanc circunstantiam, quam diximus, esse vnam ex debitis & requisitis, quæ si desit, actus quidem erit bonus ex obiecto genere, vel natura sua; malus tamen eo quod non fiat propter Deum, cuius causa fieri debet, eo scilicet tempore, quo eiusmodi circunstantia in actu requiritur. Quod si actui non debetur, tunc actus nec erit bonus, nec malus: non quidem bonus, quia non fit causa Dei, quod actus bonitas desiderat, ac postulat; non malus quia non deest huiusmodi circunstantia, quando adesse deberet: erit tamen actus indifferens. Huius generis, inquit, opera sunt, honorare parentes, depositum reddere, miseriam indigentis subleuare, non quidem causa Dei facta, sed solo pietatis studio. Hæc ex Gregorio, qui idcirco hanc sententiam est secutus; quia Augustinus & alij, Patres contra Pelagium sæpe docent opera non esse bona nisi fiant causa Dei, studio pietatis, religionis, & amoris in ipsum. Altera opinio est communi Theologorum consensu approbata, vt opus aliquod sit bonum in morib⁹ sufficere, si fiat studio, & causa honestatis: ita vt si ex obiecto fine, & circunstantijs sit honestum dicatur & sit simpliciter bonum

Arimin. 2. d. 26. q. 1. ar. 3. ad argu.

Ochan. 1. dist. 1. q. 1. Gab. 2. d. 1. q. 1. & 2. dist. 28. q. 1. Sot. lib. 1. de nat. & gra. ca. 20. & 21.

in mori-

in moribus. Atq; hæc opinio vera est & probanda. Nam quicquid fit gratia & studio virtutis, hoc ipso sua natura refertur in Deum tanquam in finem totius honestatis & virtutis. Non ergo oportet vt actu vel ratione alicuius actus prioris in Deum referatur. Neque verò dici potest actum studio & causa honestatis factũ esse indifferentem, cum sit virtutis & rectæ rationis officium & opus. Si tamen actus alioqui bonus, & honestus ex obiecto, fieret causa & studio laudis humanæ, honoris, gloriæ, vel famæ, virtutis non esset, sed potiùs vanus, aut saltem indifferens: nã honestas dignius & maius bonũ est humana laude, honore gloria & fama. Non igitur honestas propter laudem hominum, honorem, vel gloriã appetitur, sed cõtra potius hæc propter honestatem optare, & amare nos oportet. Item bonum opus honestatis gratia factũ, hoc ipso fit propter Deum: Deus enim est primum, & summum bonum: ergo cætera honesta & bona, hoc ipso quòd sunt honesta, in ipsum referuntur tanquam in auctorem virtutis & honestatis. Si tamen opus honestum studio laudis vel gloriæ humanæ fiat, nõ continuò fit propter Deum: laus enim, gloria, & fama sunt bona media & indifferentia, quibus bene & malè vti possumus.

Secundò quæritur, An voluntas nostra, vt bona sit, debeat cũm Dei voluntate consentire, ita vt velit id, quod Deus: & an hoc ipso quod à Dei voluntate dissentit, sit mala? De qua controuersia Theologi tractarunt primò sententiarum partim dist. 48. partim verò 46. Gab. *in Cano. Missæ. lect. 68.* Cordub. *lib. 1. q. 51.*

Ad huius quæstionis maiorem intelligentiam animaduertẽdum est in primis, voluntatem Dei aliquando esse actum, quo Deus vult aliquid fieri, aut non fieri; qui actus est ipsamet substantia Dei, cum respectu tamen & ordine ad rem quam vult: & hanc voluntatem Theologi appellant beneplacitum. Aliquando verò voluntas Dei dicitur id, quod vult ipse Deus fieri: id enim dicitur voluntas Dei, non quod sit actus in Deo, sed quod sit signum eius, quod vult Deus, vt fiat in rebus ipsis. Sic enim signa iræ dicuntur ira; signa amoris, amor; Et testamẽtum dicitur vltima testatoris voluntas. Et ideo Theologi appellant hanc voluntatem signi, aut quòd reuera sit signum alicuius actus in Deo, aut quòd significet id, quod oportet nos facere; vel fugere vt ipsi placeamus. Porrò quinq; signa huius diuinæ volũtatis Theologi constituunt, videlicet Præceptum, Prohibitionem, Consilium, Opus, Permissionem: quod est dicere voluntatem Dei esse id, quod præcipit, prohibet, consulit, facit aut permittit. Rursus voluntas, quam Beneplaciti Theologi appellãt, vel est antecedens vel consequens. Antecedentem vocant, qua Deus dat aliquid nobis, vt aliud consequamur, paratus nobiscum agere & operari, si id consequi velimus. Consequentem dicunt, qua Deus dat id, quo re ipsa finem adipiscimur; & proinde aiunt voluntate antecedenti, non tamen cõsequenti velle Deum vt omnes salui fiant, quia omnibus remedia & auxilia præstat idonea & apta, quibus possint salutem assequi sempiternam, quamuis ad eam non omnes aspirent, atque perueniant. Verùm Damascenus aliter voluntatem antecedentẽ, & consequentem discernit. Voluntas, inquit, antecedens est, quã Deus ex se ipso habet, non ex causa nostra: hoc est, cũ Deus absolutè sine nostro consensu quippiam agit, vt cum nobis naturam & naturæ vires ac facultates liberaliter donat: cum nos vocat & excitat ante consensum: ita leges & præcepta tulit, & dedit sine nobis. Consequens, inquit, voluntas est, quam Deus non ex se, sed ex nostra causa habet, hoc est, propter nostrum consensum: vt cum punit delicta, cũ sontes & improbos malis & calamitatibus coercet, & pœnis debitis punit: aut hominũ meritis & benefactis ex ipsius gratia profectis iustum præmium reddit. Deinde animaduertẽdum est posse voluntatem nostram cum diuina consentire, vel in volendo quod Deus vult, aut in volendo sicut Deus vult aut, volendo ob finem propter quem Deus vult, aut volendo id, quod Deus vult nos velle. His igitur positis res est cõperta apud omnes, voluntatẽ nostram in aliquo cum voluntate diuina debere cõgruere, quia diuina est superior & prior, est itidem regula & lex cuiuscunque creatæ voluntatis: voluntas autem diuina cum nullam habeat superiorẽ & priorem, per se ipsam est iusta, recta & bona. Item etiam conuenit apud omnes, in præceptis Dei debere nos cum voluntate diuina consentire: In præceptis quidem, quibus aliquid fieri imperatur, conuenire debemus in hoc, vt non velimus vnquam contrarium, nec velimus omittere, quod nos præstare, & implere oportet: in ijs verò quæ facere prohibemur, vt nũquam velimus contrarium, hoc est ne velimus facere, quod lex diuina prohibet. Insuper etiam exploratum est nullo nos præcepto aut lege cõpelli ad consentiendũ cum diuina voluntate in consilijs, dummodo tamen ea nè contemnamus tanquam vilia, & parui momenti.

Tota controuersia in eo versatur, an vt voluntas sit bona, necesse sit, vt consentiat in ijs, quę voluntate Dei definite fiunt: nã in ijs quæ solo Dei permissu contingunt, non oportet nos consentire, cuiusmodi sunt peccata. Cum igitur eueniunt vrbium incendia, deuastationes agrorum, interitus animalium, bella, captiuitates, seruitutes, morbi & pestes hominum, calamitates nostrorum, temporum sterilitates, & id generis mala, Quæritur an voluntas nostra sit mala, si hæc & similia nolit? Duæ sunt opiniones. Prima tradit voluntatem nostram minimè compelli lege, aut præcepto ad hæc mala volenda, dummodo contra Deum horum malorũ auctorem non se ægrè, & molestè gerat. Ita Alexander, S. Thomas & Durandus, vt testantur Cordubensis & Gabriel locis citatis. Docent enim voluntatem nostrã non debere cum volũtate diuina congruere in rebus ipsis, quas Deus vult; quia nulla est lex aut præceptum Dei, vt voluntas nostra eas res velit. Secunda opinio docet, In huiusmodi malis oportere voluntatem nostram cum diuina conuenire, si aliquem actum habeat: alioqui si nolit, esse malam. Sic Gregorius, Ocham, Gabriel, Maior & alij vt refert Cordubensis. Probant hoc; Huiusmodi, inquiunt, mala definitè vult Deus, & eo ipso quòd definitè contingunt, compertum est nobis ea Deum velle: ergo nos iure non possumus ea nolle; hoc est, nequimus velle, vt ea mala

S. Th. 2 p. q. 19. a. 12. & Dur. 1. d. 41. q. 3. Richar. 1. d. 41. ar. 3. q. 1. Gabr. 2. d. 46. q. 1. et in can. Missæ. lect. 68. 2. Tim. 2. Damascen. lib. 2. Fidei orth. cap. 24.

non sint, non accidant: nam alioqui, si nobis licet ea mala refutare, possemus optare, orare & impedire ne eueniãt, quod nihil aliud esset, nisi velle Dei voluntati resistere. Certè videtur probabile posse nos recusare & deprecari huiusmodi mala etiam deliberata ratione, quoniam ea sunt naturæ molesta, aduersa & noxia; at id, quod est nostræ naturæ noxium & malum, quatenus tale, possumus detestari, odio habere, defugere. Nec in hoc tamen contra Dei voluntatem quippiam agimus: nam Deus ipse vult, vt naturæ malum quatenus eiusmodi est, fugiamus, & odio habeamus. Sic Christus Dominus necẽ, vt naturæ malam & infestam, etiam recta ratione recusabat & deprecabatur. Sic Beatissima Virgo iure nolebat seu refutabat Filij mortem vt naturæ contrariam & inimicam. Sic Filius sui patris interitum etiam alioqui certum & indubitatum, iure auersatur, respuit & odit vt naturæ aduersum atque contrarium. At verò in his omnibus malis voluntas nostra debet cum diuina cõgruere, quatenus sunt res definitæ à Deo ad rectum, & iustum finẽ directæ & relatæ. Falsum igitur est quod Secundæ opinionis auctores docent, ideo posse nos diligentiam adhibere, vt vrbis incendium restinguatur, vt pestes & morbi depellãtur, quia ignota sit nobis Dei voluntas: quamuis enim notum sit Deum velle calamitates, & aduersa omnia & mala, quæ patimur; rectè tamen velle possumus & optare ea ne contingant, quia ea recusamus, & deprecamur, quatenus naturę aduersantur & officiunt: & Deus ipse vult, vt quatenus talia ea detestemur, & respuamus: malum enim vt malum, odio habemus, aspernamur, sed non vt bonum, quod descendit à Deo, immò volumus eiusmodi mala eadem ratione, qua Deus, nempe vt sunt iustæ improborum hominum pœnæ, & vt per patientiam, vitam æternam promereamur: sicut filius odit necem patris sui etiam debitam tanquã sibi malam & noxiam, & nihilominus eam vult tanquam meritam & iustam.

Matth. 26

De hac q. S. Tho. de verit. q. 23 ar. 8. ad 2. Corduben. libr. 1. q. 51. Ban. 2. 2. q. 22. ar. 1. dub. 2. Greg. 1. d. 48. quæst. 1.

Tertiò quæritur, An si Deus patefecerit Titio suam æternam damnationem, possit Titius eam recusare, & ab eo petere ne condemnetur. Hanc quæstionem tractant Scholastici in primo, Distinctione vltima. Sed variè respondent. Dicendum existimo, Non solùm posse Titium eam refutare, si credat sententiam Dei esse comminatoriam, vt passim Theologi cõfitentur, sed etiam quando nouerit Deum definitè statuisse, vt ipse condemnetur: quia cum Deus statuit definitè Titij condemnationem, non statuit absque præuiso consensu eius in peccato lethali ad extremum vitæ finem, & proinde non statuit sine Titij consensu præcognito. Et ideo cum Titio diuinitus est patefactum, condemnaberis, perinde est, ac si Deus ipsi nũciauerit: Præuideo te in fine & exitu vitæ peccaturum: quo præuiso statui vt condemneris. Sicut cum Christus Dominus prædixit Petro: Ter me negabis, idem erat ac si dixisset, Præuideo te negaturum ter, meum te esse discipulũ. Ex quo fit, vt facilè responderi possit ad multa, quæ Theologi in hac materia rogare solẽt, nimirum an Titius, cui est sua damnatio patefacta diuinitus, debeat bene viuere, & naturalis legis præcepta seruare. Dicendũ enim est eum id facitare debere: quia id, quod per se bonum est, & quatenus tale imperatum, recta ratio iubet fieri, & vetat id, quod per se malum est. Titius igitur etiam tunc temporis deberet depositum reddere, illata damna resarcire, Deum colere & reuereri; parentes honorare, furtum, homicidium, adulterium, sacrilegium deuitare. Item sicut Petrus postquam ei prædictum est à Domino: Ter me negabis, adhuc lege cogebatur non negare se eius discipulum esse, qui se à peccato continere debebat: nam Deus etiamsi prædixerat; non tamen sine ipsius Petri consensus prænotione simpliciter & absolutè permisit, vt ipse Petrus id negaret: & ideo solùm prædixerat, quod erat euenturum ex libero Petri consensu. Sic etiam cum Deus prædicit Titio, eum fore condemnandum, prænunciat solummodo, quod est futurum in vltimo fine vitæ ex libero eius consensu: nunquam tamen absolutè voluit, vt Titius condemnetur ante præuisum in vltimo ipsius vitę fine peccatum mortiferum. Secundò rogant Theologi, Vtrum Titius possit & debeat vitam æternam sperare & Dei opem implorare ad eam consequendã. Respõdent nonnulli eum solui, & eximi à lege & præcepto amplius vitam æternam sperandi, diuinamque opem ad id inuocandi: quod probant auctoritate Aug. *lib. 21. de ciuit. c. 24.* dicentes: Denique si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, vt qui sint reprobi etiam nosset: non magis pro illis oraret, quam pro illis qui sunt ad inferos damnati: sed quia de nullo certa est, orat pro omnib⁹ hominibus. Deinde quia ij, qui sunt ad perpetuas pœnas cõdemnati, suam salutem desperando, nõ peccant vt docet S. Thom. 2. 2. q. 20. *ar. 1. ad 3.* Verùm profectò dicere cõuenit eum sperare, & inuocare Dei opem posse, & etiam debere: quod hac vnica ratione conficitur. Quia nunquam Deus ita absolutè definiuit condemnationem Titij, vt non præsenserit atque præuiderit futurum eius consensum. At diuina futurorum præuisio non impedit, quin possimus nos curam & diligentiam in id conferre, ne eueniant ea, quæ ex libero nostræ volũtatis cõsensu futura esse præuidẽtur, ac prænũciantur. Secus verò est de ijs, qui sunt perpetuo supplicio damnati: quoniam certa Dei lege sunt extra salutis viam positi, & omni fidei & spei auxilio destituti: & ideo Augustinus dixit pro illis Ecclesiam non orare.

Bannez. 2. q. 22. ar. dub. 2. Greg. 1. d. 48. q. 1. Cordub. loco citato.

Quartò quæritur, Quid dici oporteat, si Deus patefaciat alicui vrbem esse venturam in manus hostium, an is possit & debeat remedia adhibere, ne id malum contingat. Respondeo eadem propemodum ratione. Quotiescunque Deus prænunciat mali aliquid futurum, quod tamen ex libera nostra voluntate pendeat: tunc possumus & debemus ei malo obuiam ire. Si tamẽ Deus prædixerit aliquid futurum, quod nullo modo in hominis arbitrio ac volũtate consistat, sed tantùm positum sit in causis naturalibus: tunc quando nobis constiterit id esse diuinitus prænunciatum: nec velle nec impedire debem⁹, ne illud eueniat. Ratio huius est, quia illud cum pendeat à voluntate hominis, nũquam Deus absolutè constituit, vt eueniat citra hominis consensum ac voluntatem. Hoc verò posterius cum solùm existat & surgat à causis naturalibus, Deus definitè voluit,

vt acci-

vt accidat absque hominis voluntate. Et ideo ne contingat, impedire iure nō possumus: hoc enim esset velle resistere absolutæ & definitæ Dei voluntati, quando nobis illa constiterit. Nam si nihil de ea sciamus, iure possumus remedium adhibere, ne etiam hoc malum eueniat.

Ex his patet responsum ad quæstionem supra positam de vrbe in hostiles manus ventura. Est enim hoc malum diuinitus prouisum, & prænunciatum tanquam futurum ex malis ac peruersis hominum voluntatibus, quas nos impedire optimo iure & possumus, & debemus.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER III.

De Affectibus animæ Habitibus & Virtutibus.

PRimo loco de Animæ affectibus, quę passiones vulgò vocantur. Secundò de Habitibus. Tertiò de Virtutibus. Quartò de Originali primi hominis iustitia hoc præsenti libro Deo duce breuiter disputabo.

CAPVT PRIMVM.

Quidnam sit animæ affectus.

PRIMO quæritur, Quibus nominibus animi affectus appellari soleant. Gerson edidit tractatū, in quo agit breuiter clarè, & distinctè de affectibus animorum, cui titulus est de passionibus in part. 3. suorum operum. Respondeo, Apud Ciceronem, perturbationes animi vocari: quia contemplando, & agendo, animam perturbant. Ab alijs verò dicuntur animi motus, affectus, affectiones, & perpessiones; eo quòd huiusmodi motibus soleant animantes commoueri, affici, & aliquid etiā perpeti. Vndè Augustinus ait: Animi motus, quos Græci πάθη, nostri autem quidā, sicut Cicero, perturbationes; quidam affectiones, vel affectus; quidā verò sicut Apuleius de Græco expressiùs passiones vocant: quia exprimit passionis nomen commotionem animi, & corporis. Hæc Augustinus. Rogabis forsitan, cur nos de his animi affectibus in præsentia differamus. Respōdemus; De affectibus animorum aliter Rhetores agere: aliter verò Philosophos. Rhetores quidem de his loquuntur, vt doceant, quomodo sit Oratori dicendum ad auditorum animos in hortando, suadendo, accusando, defendēdo per mouēdos. At Philosophi, qui de moribus tractant, de affectibus differunt, vt ostendant, qua ratione virturibus praui animi affectus curentur, & corrigantur. Circa eosdem affectus Philosophi naturales versantur gratia sciendi eorum naturam, principia, causas, proprietates, & effecta. Nos igitur de his meritò in præsenti loco tractare instituimus: quia indè sæpius vitia, & peccata nascuntur. Sunt enim veluti funiculi quidam, quibus ad hoc, vel illud quasi vincti quodammodo aliquando homines trahuntur. sunt veluti quidam igniculi, quibus inflammamur, & accendimur; stimuli, qui nos frequenter pungunt, & angunt; sunt veluti nerui, quos aliquando contrahimus, aliquando porrigimus; venti, quibus noster animus tanquam mare procellosum perpetuò exagitatur; claui denique, quibus miser homo cōfigitur: & nubes, quibus mens, & ratio obscuratur. Expedit, vt horum affectuum origines, causas, & effecta cognoscamus, & remedia, quibus curantur, perspecta habeamus.

Secundò quæritur, Quanam ratione affectus in animantibus generentur. Respondeo: primùm omnium, Res quæ corporis sensibus obijcitur, sub Imaginationem venit. Secundò, imaginandi facultas eam percipit, vt talem, vel talem: hoc est vt veram, vel falsam eo modo, quo in sensibus externis, vel internis, verum aut falsum esse potest. Tertiò, vt bonam, vel malam, siue vt iucundā, aut molestam, salutarem item, aut noxiam. Quartò, imaginandi vis, cum percipit rem, vt veram, aut falsam, appetitum nequaquam excitat; Nec item cum primum apprehendit vt bonam, vel malam absolutè: sed statim vt eam cognoscit, ac percipit vt bonam, vel malam nobis, vel rebus nostris, appetitum mouet, & excitat. Quintò, appetitus ab imaginatione excitatus rem sibi obiectā, vel approbat, & appetit; vel improbat, & respuit, hoc est, vult, vel non vult. Sextò consequitur cōtinuò in animantibus commotio spirituum vitalium, qui per arterias ex corde in totum corpus diffun dūtur; & sanguis qui ex iecore per venas ad omnes, & singulas corporis partes delatus emanat: quibus duobus motis, cor, & præcordia, & omnia corporis mēbra, ipsum deniq; corpus cōmouentur. Hæc enim omnia, aut frigescūt, aut calescūt; aut contrahuntur, aut dilatantur: & indè animal quò vult, membra flectit, contorquet, porrigit, contrahit. Ex quo efficitur, vt plurimi in corpore effectus, & motus consequantur. nam cor cupiditate, & lætitia sese dilatat, ac fundit: mœrore, & tristitia contrahitur; metu refrigescit, ac tremit; ira incalescit, & feruet; inuidia item corpus tabescit; pudorem rubor consequitur; terrorem pallor, tremor, & dentium crepitus comitantur dolorē, in suspiria, gemitus & lamenta prorumpimus: Amantis sermo est mollis, ac tener; irati acer, & vehemens. In ira vox est atrox, aspera, densa, & respiratione crebra; in metu verò contracta, & remissa.

Tertiò quæritur, Quidnam sint affectus animi, an sint opiniones, & iudicia; an motus, an actus, an perpessiones? Siquidem hæc omnia, vt iam explicuimus, in affectibus comperiuntur. Respondeo ex Nysseno; Motum esse transitum alicuius ex vno in aliud: vt cum quippiam ex loco in locum transfertur, aut impellitur; quamuis secundum Aristotelem, & Peripateticos motus sit progressio

Cic. Tusc. 4. Quinti. lib. 6 Inst. ora. c. 6. vocat affectus. Senec. li. de ira. Affectuum vocat. Gell. li. 19. Noctiū Attic. c. 12. Motus animi. Macro. in somnii Scipio. lib. 2. cap. 16. Aug. lib. 9. de ciuitate Dei cap. 4.

Nysseñ. lib. 4. Philoso. c. 8. Arist. lib 3. Phys. c. 1. & 2.

greſſio formæ alicuius imperfectæ ad ſuam perfectionem. Vnde in motu ſemper eſt receſſus ab vno, & acceſſus ad aliud; & ideò cum aliquid fit ex calido frigidum, in qualitate mouetur; cum ex paruo magnum, in quantitate. Actus verò generatim acceptus, quo quippiam operamur, vel efficimus, eſt alicuius facultatis animi, vel corporis functio. Actus ſunt cognoſcere, videre, guſtare, appetere, loqui, ſaltare, & ædificare. Paſſio verò eſt, qua aliquid certa qualitate permouetur. Vndè propriè paſſiones corporis dicuntur, vt cũ morbis, vulneribus, verberibus, cruciatibus, doloribus, inciſionibus, exulcerationib⁹ corpus afficitur. Pari modo cum animus ſuis morbis, & ægritudinibus commouetur, eę dicuntur paſſiones animi. Modò igitur quæſtio eſt, an affectus animi ſit cognitio, & iudicium, quo res obiecta tãquam bona, vel mala iudicatur; an verò actus, quo appetitus approbat, vel repudiat bonum, vel malum ſibi oblatum; an potiùs ſit motus, & perpeſſio, qua cor vnà cum corpore afficitur, commouetur, & patitur? Stoici, teſte Cicerone, Affectus animi definiebant eſſe iudicia, & opiniones. Vndè aiebant, Dolorem, eſſe opinionem mali præſentis: Metum opinionem mali futuri, & expectati: Lætitiam opinionem boni præſentis: Cupiditatem, opinionem boni futuri, & nondum poſſeſſi. Peripatetici verò, affectus aliquando, aiunt, eſſe actus appetitus, aliquando verò animi perpeſſiones. Vera autem ſententia hæc eſt, Affectum animi eſſe actum appetitus, qui ſequitur cognitionem, ſiue iudicium rationis, vel ſenſus, & corporis commotionem generat. Non itaq; affectus animi eſt paſſio corporis, ſed act⁹ appetitus cum paſſione corporis coniunctus, aut cauſa paſſionis efficiens. Nec eſt opinio, vel iudicium facultatis cognoſcẽtis, ſed eſt actus appetitus cognitionem, & iudicium conſequens. Stoici affectus, animi iudicia, & opiniones eſſe definierũt, eos per cauſas, & origines, vndè proximè exiſtunt, explicuerunt: ſed exactius Peripatetici appetit⁹ actus, & motus eſſe dixerunt affectus, eos per formã definientes.

Cic. Tuſc. 4. & Gale. lib. 4. de decretis Hippocratis & Platonis.

Cap. II.

Cuius facultatis, & inſtrumenti actus ſint animæ affectus.

PRIMO quæritur, Cuiuſnam facultatis actus ſint animi affectus, ſint ne voluntatis rationem ſequentis, an verò appetitus animalis, qui ſenſu regitur. Reſpõdeo, eſſe actus appetitus, qui ſenſus cognitionem, & iudicium ſequitur: quia licet appetitus rationem ſæpè præcurrat, poteſt tamen ratione dirigi, & temperari. Atque hęc eſt Ariſtotelis ſententia, quam Theologi communi conſenſu approbarunt. & ideò huiuſmodi affectus dicuntur animales, & imaginandi actũ proximè cõſequuntur. Quare fames, & ſitis inter affectus animæ non computantur, quoniam licet fames, ſit cupiditas ſicci, & calidi; & ſitis, appetitus frigidi, & humidi: mentis tamen cognitionem præueniunt, nec poſſunt rationis imperio gubernari; & idcircò naturalis ſunt facultatis. Obijcies, Parua animalia, cuiuſmodi ſunt vermes, formicæ, muſcæ, culices, & id genus alia imaginandi vi carent, tamen appetitu ſunt prædita, & ſuis quoque affectibus mouentur, & viuunt. Reſpõdeo, Nullum eſſe animal, quamuis exiguũ, quod imaginãdi facultate, vel ſenſu aliquo interno vacet. licet in eo eiuſmodi vis ſit etiam parua, & exigua. Vnde fit, vt hæc animalia tacta ſtatim contrahantur, aut dilatẽtur, aut aliquo modo ſeſe flectant, & contorqueant: eo quod cũ primùm tanguntur, dolore, aut delectatione afficiuntur, & eorum tactum appetitus comitatur.

Ariſt. 1. Ethic. ca. 13. Plutar. opuſc. de virtutib. moralib.

Nyſſen. lib. 4. ca. 8. & Damaſce. lib. 2. c. 12.

Secundò quæritur, Cuiuſnam inſtrumenti actus ſint affectus animi; nam omnis corporalis animantium actus alicuius eſt facultatis, & inſtrumenti. Plato videtur facultati appetẽti duo corporis inſtrumenta tribuiſſe. Nam vim concupiſcentem tanquam in ſede ponit in iecore, iraſcentem in corde. Idem etiam ex Platone docuere Nyſſenus, & Galenus, eo quod ſpiritus ex corde proficiſcuntur, & in ira plurimum eſt ſpiritus. Ex iecore verò ſanguis exoritur, & in ſanguine, ac iecore viget cupiditas. Medici, vt ait Lactantius *lib. diuin. inſti. 6. c. 15.* docent, lætitiam eſſe in ſplene, iram in felle, metum in corde, cupiditatem in iecore. Hoc idem innuit Gloſſa *in cap. 1. Ezechiel. & Gabr. 2. d. 39. q. 1. a. 1. notab. 3.* Scotus ait diuerſa eſſe inſtrumẽta; ſed quæ ſint illa minimè expreſſit; exiſtimo eum intelligere cor, iecur, & ſplenem, ſic etiam Henric. *quodl. 8. q. 15.* Theologi quidam potiùs videtur ſenſiſſe facultatis appetentis cor eſſe inſtrumentum, quia cor eſt primum, quod animi affectibus potiſſimum commouetur; vt patet in ira, cupiditate, metu, lætitia, & dolore, qui triſtitia dicitur. S. Thomas planè tradidit inſtrumẽtum potiſſimum harum affectionum animi eſſe cor; quanquam quibuſdam magis probatur medicorum opinio, Platonis, & Nyſſeni; mihi tamen magis placet, S. Thomæ ſententia: nam etſi quidã affectus in iecore, alij in ſplene, alij in felle dominari videntur, ſed omnes in corde ſedem habent; item omnes incipiunt in iecore, ſed perficiuntur in corde.

Nyſſen. lib. 4. Philoſc. & Galen. li. 4. de decre. Hippo. & Platon.

Scot 3. diſt. 34. q. 1. a. 1.

S. Tho. 1. 2. q. 84. ar. 2.

Tertiò quæritur, An iraſcendi, & concupiſcendi facultas ſubiecto, & re diſtinguantur, an verò ſolum ratione? nam duas eſſe, & aliquo modo differre, apertè docent Nyſſenus & Damaſcenus locis citatis. Duæ ſunt opiniones. Prima docet ſolum ratione diſtingui, quoniam animantium vires & facultates ex re obiecta, & ſubiecto & inſtrumento diſtinguuntur, & differunt: at cor eſt ſubiectum proximum, & inſtrumentum huiuſmodi facultatum; ergo ex ſubiecto, & inſtrumẽto non differunt. Scot. & Gabr. 2. *diſt. 16. a. 1.* cenſent vires ab anima, & inter ſe, ſola ratione differre, niſi inſtrumento ſecernantur. Henric. *quodl. 8. q. 15.* appetitum iraſcentem, & concupiſcentem ſola ratione diſtinguit. Quia res obiecta, ſola ratione ſeiungitur, quoniã vt eſt bona, iucunda, vel ſalutaris, concupiſcitur; vt verò eadem eſt difficilis, & ardua, ad iraſcendi facultatem ſpectat. Ergo ex re obiecta dictæ facultates non differunt. Secũda opinio tradit re eiuſmodi facultates diſtingui, & ſeparari, eo quod ex re obiecta differant. Nam obiectum facultatis concupiſcentis eſt bonum abſolutè; iraſcentis verò eſt bonum arduũ, atque difficile. Deinde quia eæ facultates inter ſeſe officio diſtant: nam vis concupiſcens eſt à natura tributa, vt ſingula animalia ea, quæ ſunt

S. Tho. 1. 2. q. 23. art. 1. Richa. 3. d. 25. a. 1. q. 3. Bonau. 3. d. 26. a. 2. q. 4.

vtilia,

vtilia,& salutaria, ac sibi profutura appetant,& consectentur: facultas verò irascendi data est,vt contrarijs obsistant: vndè hæc vis est quasi conseruatrix,tutrix,propugnatrix, & vltrix facultatis concupiscentis. Accedit quod cætera naturalia,cuiusmodi grauia sunt,& leuia,distinctis qualitatibus mouentur, & agunt: nam leuitate, vel pondere ad sua loca feruntur: Sed calore, & frigore agunt,& pugnant cum suis contrarijs. Cæterùm in hac re,etsi multum nõ refert, hanc,aut illam opinionem sequamur. Si quis tamen diceret inter concupiscentem vim, & irascentẽ duntaxat rationis, & nominis discrimen esse nõ rei; ita vt eadem facultas appetendi, diuersis nominibus,ex actibus,& officijs vocetur, tum concupiscens,tum irascens; non continuò videretur penitus improbandum eodem modo censerem de appetitu sensus,quo de appetitu rationis;sicut enim in voluntate,qui est appetitus rationem sequens,sola ratione,&nomine differunt irascens, & concupiscens vis, sic in appetitu sensus; sicut etiam Bonum absolutè sumptum,& vt habet aliquid ardui,& difficilis ratione tantùm: & nomine distinguitur & quemadmodum res naturalis eadem vi, & qualitate agit & obsistit contrarijs: negari tamen non potest, quin vis concupiscendi,& irascendi, quamuis iuxta horum, vel illorum sententiam sit vna, multis vtatur omninò diuersis corporis membris, & instrumentis in suis actibus,& officijs obeundis. Nam in ira, vtitur potissimum corde, & felle, & spiritibus à corde in totum corpus diffusis: in concupiscendo verò,vtitur præcipuè iecore; in lætitia, splene; in metu, corde: quemadmodum sitis potissimum viget in bile flaua, & fames in atra bile. Quare, teste Nysseno,datũ est à natura iecur, molle memorum, ad molles ac teneros amoris, desiderij, & cupiditatis motus suscipiendos: Cor datum est validius, duriusq; ad vehementes iræ motus, & impetus sustinendos: splen abundat crasso,& melancholico succo; fel verò calido, & amaro humore; & fel fugit, & haurit ex splene, & trahit ad se sanguinem,& humorem amarum; quapropter in splene residet & humor dulcis,in quo lætitia ponitur; in felle verò est sanguis amarus, & humor, in quo viget ira. Sed quidquid dicant alij, puto has facultates concupiscendi inquam, & irascendi, vires esse re distinctas ex obiecto, instrumentis,officio,munere, & functione.

Gabr. 3.d. 26.q.1.a.3. dub.1.

Nyssen. lib. 4. de Philosophia.

Quartò quæritur, Quid interfit inter Bonum absolutè,quod est obiectum facultatis concupiscẽtis,& Bonum difficile,& arduum,quod est obiectum irascentis facultatis. Respondeo,De hoc esse duas opiniones: Prima dicit, Bonum facultatis concupiscentis esse id, quod ad corpus pertinet,tum absens, tum præsens, qualia sunt bona iucunda,quæ in sensus incurrunt: Bonum verò irascẽtis esse id,quod absens est potiùs,quàm præsens,id quoque, quod potiùs animo, quàm sensu percipitur: hæc autem sunt lucrum, imperium, potentia,dignitas,victoria, vindicta, honor,gloria,fama,præmium,diuitiæ,& id genus alia:quia cum hæ facultates inter se differant, necesse est, vt earum obiecta inter se quoque distinguantur. Secunda opinio docet,obiectum concupiscentis esse Bonum absolutè, & simpliciter; Irascentis verò obiectum esse Bonum, vt est magnum, difficile,& arduum; propterea quod sit quadam cum difficultate id consequendi coniunctum. Nam Amor,Desideriũ,& Delectatio, qui sunt affectus appetitus concupiscentis, sunt absolutè. & simpliciter bonorum: Spes,autem. quæ est affectio appetitus irascentis, non est, nisi cum quadam fiducia adipiscendi aliquid arduum: Item & audacia non est, nisi ad ea, quæ factu difficilia sunt, vt ad pericula, ad bella, ad terribilia: Metus est mali expectati,& quod non facilè superatur,diffidentia: Desperatio est ægritudo sine vlla rerum expectatione meliorum. Ira similiter appetit aliquid,sed non nisi vindictam,quæ sua difficultate non caret. Et hæc est communis sententia Philosophorum, & Theologorũ, cui ego magis accedo: quanquam videam aliquos, qui sicut vim cõcupiscentem sola ratione ab irascente seiungi arbitrantur, sic etiam existimant obiectum concupiscentis ratione tantùm ab obiecto irascentis distingui.

S.Tho. 1.p. q.81 art.2.

Hen.quodlib 8.q.15. Scot.4. dist. 14.q.1.

Cap. III.

De numero affectuum Animæ.

PRIMO quæritur, Quot sint animæ affectus. Respondeo, Licet quidam senserint eos esse innumeros. Alij verò tantùm duos; Delectationem,& Tristitiam. Alij esse decem, alij nouem, alij octo, alij septem: tres tamen sunt celebriores sententiæ, vna asserentium esse quatuor animæ affectus, nempè Cupiditatem, & Lætitiam, Metum,& Tristitiam. Hæc olim fuit communis Stoicorum, Academicorum, & Peripateticorum sententia, quam habet Cicero quarta Tusculana. Fuit etiam Lactantij, Nysseni, Augustini, Prosperi, Hieronymi,& Damasceni. Quare secũdum hanc sententiam scripsit Boëtius primo libro de Consolatione,metro vltimo.

Gaudia pelle.
Pelle timorem.
Spemque fugato.
Nec dolor adsit.
Nubila mens est.
Vinctaque frenis.
Hæc vbi regnant?

& Poëta dixit.lib.6.Aeneid.

Hinc metuunt, cupiuntq; dolent,gaudentque nec auras,&c. Secunda sententia octo tradit esse animi affectus quatuor in appetitu concupiscendi, totidem in appetitu irascendi: videlicet Desiderium,& Fugam;Delectationem,& Tristitiam in concupiscente appetitu,Spem, & Desperationem,Timorem,& Audaciã in irascente; nam bonum, aut est futurum, aut non; si est futurum gignit Desiderium; si est præsens habetur,delectat: malum si est futurum parit metum. si præsens gignit Irã,quæ est vindictæ cupiditas,& mali,quod patimur repellendi libido: Spes verò est boni futuri,& ardui desiderium,cum fiducia assequendi. Audacia est mali futuri,ardui,cum fiducia repellendi. Tertia opinio docet esse vndecim affectus animæ,Amorem, & Odium, Desiderium, & Fugam,Delectationem, & Tristitiam; & has sex animi perturbationes vult esse in facultate concupiscentiæ: Spem, & desperationem, Timorem, & Audaciam, & Iram, quos quinque

Lact.a. lib. 6.diu. inst. c.16.Nyss. lib.4.de homic cap 8. Aug.lib.de ciu.14.c.8. & 9.et lib. 9.c 4. Prosper.lib.3. de vit.contemp.c.31. Hieron.in Zach 1 ad finem.Damas. lib.2. fid.ortho. c.12.

affectus

affectus in facultate irascente constituit. Ita docet S. Thomas, Richardus, & alij. Quibusdam prima opinio videtur admodum probabilis. Nam quatuor affectuum prædictorum numerus, rectè colligitur ex ipsis rebus obiectis: nam quæ obijciuntur appetitui, aut sunt bona, aut mala. Ex bonis duo nascuntur affectus, ex malis item duo. Rursus tum bona, tum mala, aut sunt præsentia, aut futura. Bonorum præsentium est Lætitia, siue Delectatio: futurorũ est Cupiditas, siue Desiderium; Malorum præsentium est Tristitia, siue Dolor; futurorum verò est Metus, siue Timor. Nam simul ac obiecta est res bona, ad eam adipiscendam illecti, & inflammati natura impellimur, natura ducimur; cum verò bonum concupitum adeptus est quis, naturali propensione præ lætitia effertur, & gestit. Mala præterea, quæ futura expectata, & venientia metuuntur, eadem cum instant, Dolorem, & Tristitiam efficiunt, & pariũt. Lætitia gignit profusam hilaritatem, & risum: Metus, recessum, fugam, & desperationem: Tristitia odium, cruciatum, fletum, & gemitum: Cupiditas effrẽatam appetẽtiam, spem, & audaciam. Quòd si quæras ab eis Amor, & Odium ad quemnam affectum animi reducantur. Respondent, Amorem ad cupiditatem siue Desideriũ, & ad Delectationẽ reuocari. Nam si Amor est boni præsentis, erit Delectatio; si futuri, Cupiditas, vel Desiderium. Pari ratione odium ad Tristitiam reduci, & ad Metum: quoniam si sit mali præsentis erit Tristitia; si futuri, Metus. Si secundò roges, Spes, Desperatio, Audacia, & Ira ad quem affectum rediguntur? Respondent, Spem Ad Desiderium, quoniam desiderium boni futuri cum fiducia consequendi est spes: Desperatio verò est tristitia, vel metus sine vlla rerum expectatione meliorum. Ira item cum sit vindictæ cupiditas, partim ad Tristitiam, partim ad Desiderium refertur. Audacia verò est spei quidam effectus. Sic illi philosophantur. Cæterùm non video, cur Amor ad desiderium, & delectationem reuocetur, Odium verò ad Metum, & Tristitiam; nec enim Amor boni præsentis, & quod habetur, est delectatio, sed delectationem gignit, ac parit: nec Amor boni futuri est Desiderium, sed parit Desiderium: amor enim est boni per se, & absolutè siue præsentis, siue absentis, quia bonum eo ipso, quo bonum, appetitui oblatum placet: sic etiam Odium est mali, siue præsentis, siue futuri, sed per se, & absolutè, quoniam malum, qua malum est, statim vt est nobis obiectum displicet: Spes verò, Desperatio, Timor, Audacia, & ira quamuis sint bonorum, aut malorũ præsentium, aut futurorũ, sunt tamen eorum, quæ magna, & ardua apparẽt. Non ergo sunt desiderium, fuga, & tristitia. Vndè quia cum pluribus sentiendum, & loquẽdum est; sentẽtia tertia, quæ est opinio Sancti Thomæ, ac aliorum communis mihi magis probatur; & vndecim affectuum prædictorum numerus hunc in modum colligitur. Primò res obiecta, si bona sit, statim excitat in nobis sui Amorem, quo res vt bona, & grata per sese appetitui placet, ac libet. Secundò ex hoc quod res obiecta, vt bona placet, ad eam adipiscendam, si absens sit, Cupiditate, & Desiderio mouemur. Tertiò ex hoc, quod est bona concupita, & obtenta, Delectatio-

S. Tho. 1. 2. q. 23. ar. 4. Richa. 3. d. 26. a. 1. q. 3.

S. Tho. 1. 2. q. 23. ar. 4. Richa. 3. d. 26 a. 1. q. 3.

nem parit. Contrarij his tribus affectibus sunt, Odium, Detestatio, & Tristitia. Porrò si res obiecta bona quidem, sed magna, difficilis, & ardua sit & futura, & quæ possit obtineri, excitat in nobis Spem; si mala futura, & expectata, incutit Timorem: Si verò præsens sit, contra eam indignamur, & eam à nobis conamur expellere, & gignitur in nobis Ira. Spei autem, & Timori opponuntur Desperatio, & Audacia. Ac ita vndecim perturbationes animi colliguntur.

Secundò quæritur; Quænam partes vnicuique affectui subijciantur? Cicero Tusculana quarta sequutus Stoicos ponentes quatuor præcipuos affectus, absque methodo, & arte vniuscuiusque affectus partes subiectas enumerat, & suis definitionibus explicat. Sed certè in ijs partibus enumerandis multa confundit, dum effectus passionum cum ipsismet passionibus permiscet. Melius ergò cum Nysseno, Damasceno, & S. Thoma dicamus. Si quatuor illi affectus præcipui, quos Stoici posuerunt, generatim sumantur vt cõprehendunt vtriusque appetitus perturbationes circa bonum, vel malum, absolutum, vel cõtractum; præsens vel futurũ: partes tristitia subiectas habet Misericordiam, Inuidiam, Acidiam, Angustiam, quibus possumus adiungere Pœnitentiam, Aemulationem, Iram, vel Indignationem, & Zelotypiam. Partes cupiditati subiectæ sunt, Desiderium, Spes, Audacia, Odium, Amor, & Desperatio. Partes Timori subiectæ, sunt variæ Metus species: Sicut etiam partes Lætitiæ, sunt variæ species Delectationis: de quibus singulis dicemus inferius.

Cap. IIII.

De Amore.

Aristot. 1. Rhet. ca. 4.

PRIMO quæritur, Quid sit Amor: Respondeo ex Aristotele (cuius sententia communi consensu recepta est) actum esse, quo quis vult alicui bonum, nimirum sibi, aut alteri.

Secundò quæritur, Quot modis Amor diuidi soleat. Respondeo, à Philosophis, & Theologis, Primò diuidi in Amorem, quem dicunt complacentiæ, & ego simplicem appello, & Amorem, quem vocant Desiderij. Amor complacentiæ is est, quo quis sibi bonum obiectum, vt acceptum & gratum sibi, habet, & approbat, nempè cum bonum, vel suum, vel alterius ipsi placet, ac libet. Quæres, An Amor huiusce modi sit boni præsentis, & eius quod habetur: an verò futuri, & eius quod expectatur. Respondent aliqui propriè esse boni præsentis, ita tamen, vt aliquando sit boni futuri, & expectati: Sed quatenus id iã inre, spes vel potestate quodammodo possidetur. Mihi tamen probabilius videtur, hunc Amorem esse boni simpliciter per se, quia res obiecta vt bona, statim per se nobis probatur, & placet. Amor desiderij, est actus, quo quis sibi, aut alteri vult bonum absens, futurum, & expectatum: quare huiusmodi amor nihil aliud est, nisi desiderium; quod si sit cum quadam fiducia consequendi, & cum rei magnitudine, & difficultate coniuncta, est spes. Secundo, Amor sumi solet, aut pro voluntatis affectu, aut pro amoris effectu: illum vocant amorem affectiuum, hunc effectiuum: Affectiuus amor, est actus appetitus elicitus, quo

quis

quis sibi, vel alteri vult bonum. Effectiuus amor, est actus, quo quis hominem amatum beneficio afficit, siue verbo, siue opere; cū quis de altero bene meretur. Vndè omnis nostra in alium beneficētia dicitur, Amor, hoc est, amoris effectus. Causæ enim nomen non rarò ad effecta transfertur; ita vt causæ nomine vocetur effectus. Tertio, Diuiditur Amor in amorem amicitiæ, & concupiscentiæ. Amor amicitiæ est, quo quis vult alicui bonum propter ipsum absque vllo suo emolumento, & ideò talis amor dicitur etiam beneuolentiæ. Amor concupiscentiæ est, quo quis vult bonum alicui, sed gratia sui proprij commodi, quod sibi ex eo prouenturum credit, ac iudicat.

Tertiò quæritur, An Amor sit actus re an sola ratione à Desiderio, & Delectatione distinctus? Duæ sunt opiniones, vt aiunt Durandus, & Buridanus. Prima docet, non re, sed tantùm ratione differre, quoniam Desideriū, & Delectatio sunt duæ species Amoris; ita vt Amor genus sit sub se continens Desiderium, & Delectationem: & Desiderium sit amor boni futuri, & expectati, Delectatio verò sit amor boni præsentis, quod habetur; Amor verò, vt genus latius patens, sit voluntas boni, siue præsentis, siue absentis. Probant primò, quia in naturalib⁹ appetitus naturæ duobus solùm actibus, & motibus constat, & totus absoluitur. Graue enim, & leue, vel ad locum, quem nondum habet, motu fertur; aut in loco & fine obtento conquiescit: ergo pari modo animalis appetitus duobus actibus totum suum progressum absoluit, ac perficit. Item testibus Nysseno, Damasceno, Augustino, Cicerone, & Stoicis, Amor non videtur poni affectus à Desiderio, & Delectatione seiunctus: immò Augustinus omnes quatuor affectus per amorem definit. Cupiditas, inquit, est amor inhians bonum, quod non habemus: Lætitia est amor fruens bono, quod habetur: Metus est amor fugiens malum venturum. Tristitia, amor nolens malum, quod habemus. Accedit his, quod amare non est, nisi velle alicui bonum: Sed hoc nihil aliud est, nisi cupere, vt is, cui bonum volumus, consequatur bonum, quod non habet; vel optare vt fruatur bono, quod habet. Demum Amor, est actus, quo bonum obiectum nobis placet: Sed hoc idem esse videtur, quod actus, quo nos bonum oblectat, aut actus quo bonum ipsum sui in nobis desiderium excitat. Secunda opinio censet, Amorem distingui re à Desiderio, & Delectatione, ita vt sit tertius quidam actus voluntatis, desiderio, & delectatione re ipsa non solum ratione prior. Hæc opinio est communi consensu recepta; & probari solet triplici ratione. Primò, quia natura in cęteris rebus primò indidit propensionem ad finem, inde motum ad finem adipiscendum, & tandem in fine obtento quietem. Sic etiam in animantibus primò imprimit amorem, qui est pondus, & propensio ad rem amatam: deindè desiderium, quo amans in rem amatam sese flectit, ac mouet; postremò delectationem in re amata, cum illa adest, & habetur. Deindè quia Amor est boni simpliciter per se, siue præsentis, siue futuri; Desiderium verò est tantùm boni futuri, & expectati: Delectatio autem est tantùm de bono præsenti, quod tenetur. Postremò quia amor amicitiæ non est desiderium, neque delectatio.

In hac re, etsi quibusdam vtraque opinio probabilis videtur, & licet appareant rationes, in quibus ambæ innituntur, probabiles; arbitror tamen omninò cum pluribus sentiendum: quare de Amore loquendum est, perindè ac de tertio actu appetitus re à desiderio, & delectatione distincto: nam primùm res bona nobis obiecta placet, & gignitur amor in nobis: deindè post amorem, rem amatam, si abest, habere cupimus, postremò cum adest, in ea oblectamur. Augustinus verò quatuor præcipuos animorum affectus per amorem definiit tanquam per originem, & causam, vnde oriuntur, non per formam, qua sunt. Et quamuis Cicero, Stoicos sequutus, & Nyssenus etiam ac Damascenus quatuor præcipuas animi perturbationes connumerent, nec inter eas amorem recenseant: nihil refert, quoniam non tam exactè, & distinctè de amore tractarunt, quàm postea cæteri Philosophi & Theologi.

Quartò quæritur, An Amor re obtenta finiatur, & desinat? Duæ sunt opiniones. Prima tradit finiri, & probat primo, quia Amor nihil aliud est, nisi Desiderium, cum amare sit velle bonum alicui: Sed hoc idem prorsus est, quod alicui bonum optare, vel gratia sui, qui est amor beneuolentię, & amicitiæ; vel causa nostri commodi, qui est amor concupiscentiæ. Rursus Amor, est veluti pondus, & propensio in rem amatam; sed Desiderium cum sit motus in bonum, verè, & propriè est propensio. Item res naturalis suum finem adepta quiescit, nec amplius mouetur; pari modo cum res augentur, & crescunt, perfecto incremento cessant à motu, ergò nostri appetitus amor penitus desinit, cum rem amatam consequimur. Adde, quod omnis actio completur, & absoluitur assequuta suum finem, & terminum. Secunda opinio docet non finiri. Primò, quia charitas in cęlesti patria permanet. Deindè quia amor est boni simpliciter, per se, & proindè & est boni præsentis, & futuri. Item quia amicus cum præsens adest, amatur. Cum Amor, vt paulò ante dixi, iuxta quorundam sententiam sit genus sub se continens duas species sibi subiectas, Desiderium, & Delectationem, secūdum rationem iuxta eam opinionem re obtenta non desinit; quia siue desideremus, siue delectemur, in vtroq; semper est ratio amoris eadē genere, non tamen specie: Sicut in equo, & homine est ratio animalis eadem genere, specie non item. Ex quo efficitur, inquiunt, vt in re acquisita, & parta, verè amor, qui est desidenium terminetur ac desinat, perduret tamen amor, qui est re ipsa delectatio, aut saltem cum delectatione coniunctus. Sed ante iam dixi, amorem esse tertium actum re à desiderio, & delectatione distinctum: & ideò non desinit amor, etiam cum bonum adest, & habetur; quoniam non est boni futuri, & expectati, sed est absolutè, & simpliciter boni, quod cum primum nobis obijcitur, & offertur, placet: at bonum etiam cum adest, & possidetur placet: etiam si illius desiderium amplius non sit: bonum primum omnium hoc habet, vt cum appetitu conueniat, & proindè placeat.

Quintò queritur, An amor re à desiderio differat?

Duæ

Dur. 3. d. 27. q. 1. & Buri. lib. 7. Ethi. q. 29.

Nyssen. de homine li. 4. c. 7. & 9. Dama. lib. 2. fid. orth. c. 12. & Cicer. 3. & 4. Tuscul. Augu. lib. 14. de ciui. cap. 7.

Duæ sunt opiniones. Prima censet re minimè distingui, quod probat rationibus paulò ante allatis. Quod si obijcias nos amare bona præsentia, quorum tamen desiderium non est; rursus in cælo charitatem manere, vbi tamen, diuinarum cælestiumque rerum, quę iam habentur, desiderium ampliùs non est. Respõdet amari præsentia, propterea quod cupimus in posterum, à boni amati præsentia non auelli, nõ disiungi. Optamus item vt res amata, quæ præsens adest, in posterum ea bona habeat, quibus eam præditam esse gaudemus: & propterea amor etiam, postquam rem sumus adepti, permanet, quia durat adhuc desiderium, quo volumus, vt res ea bene se in posterum semper habeat. Hæc opinio nihil aliud vult, nisi amorem, & desiderium differre tanquam genus, & speciem, non vt duos actus re distinctos, ita vt amor latius sese fundat, ac pandat, quippè qui sit aliquando boni præsentis, quod habetur; desiderium verò sit amor quidam contractior, & restrictior, videlicet amor boni futuri, quod expectatur: Sicut velle quoq;, & desiderare non sunt duo actus re ipsa, sed ratione diuersi, & discreti, vt genus, & species. nam quicunque desiderat, vult; sed non quicunque vult, desiderat: est enim voluntas etiam absentium bonorum, & præsentium; desiderium nõ nisi bonorum, quæ absunt, & expectãtur. Secunda opinio est asserentium amorem esse actũ appetitus re ipsa à desiderio distinctum; & hęc est probabilior, ac verior, vt facilè colligitur ex ijs, quæ hactenus dixi: nam amor est absolute, & simpliciter boni, quod nobis cum primum offertur, & cõueniens apparet, placet: desiderium verò est boni futuri cupiditas.

Sextò quæritur, An Amor boni præsentis sit re idem quod delectatio? Duplex est opinio, nam quidam putant talem amorem re à delectatione minimè differre: quia sicut amor (inquiunt) boni futuri, & expectati, est re idem quod desideriũ; sic etiam amor boni præsentis quod habetur, re nequaquam à delectatione secernitur. Si illis obijcias; Christus Dominus, & Beatissima Virgo etiam, cum magnopere contristabantur, & dolebant, amabant: rursus Dæmones amant lapsus, & casus nostros, nec tamen delectantur: item se ipsos amant, & nulla delectatione afficiuntur: ad hæc beati illi cæli habitatores, odio habẽt, & detestantur maximè peccata; & tamen non contristantur: Ergò sicut odium mali præsentis, non est tristitia, sic amor boni præsentis delectatio non est. Respondent, amorem boni præsentis re nequaquam à delectatione distingui; at verò amorem boni futuri aliquando simul nobis inesse cũ delectatione alterius boni præsentis. Ac ideo Dæmones lapsus casusque nostros amant, id est, desiderant; & deindè cum labimur, & à bono aberramus, minimè delectantur: Sed neque amant casus nostros præsentes, sed cupiunt, vt frequenter è bono decidamus, & iterum, ac sæpius in posterum peccemus. Beati item spiritus cæli incolæ, odio habent peccata amicorum, quia cupiũt; vt in ipsis ampliùs huiusmodi peccata non sint, hoc est, optant, vt per pœnitentiam expiata penitùs deleantur: & ideò tale odium non est tristitia, sed est actus, quo volunt, & cupiunt malum ijs peccatis, quibus amici sese deuinxerunt, quia cupiunt, vt ea peccata ampliùs non sint. Secunda opinio tradit, Amorem boni præsentis re, non solùm ratione à delectatione seiungi. Hæc est opinio communis: ac licet prior quibusdam probabilis esse videatur, vt ante iam dixi, est tamen cum pluribus sentiendum; ac ideò de amore loquendum non secus, ac si re à delectatione differat. Nam etsi prima opinio nihil aliud contendit, nisi amorem latiùs patere, quàm delectationem, ita vt delectatio sit amor contractior, sicut est etiam restrictior voluntas, nimirum amor, & voluntas boni præsentis quod habetur; amor verò latiùs, & fusiùs pateat, vt genus, vt sit boni tum absentis, tum præsentis: nihilominus tamen longè verior mihi secũda opinio videtur, vt amor sit re à delectatione distinctus: amor est absolutè, & simpliciter boni: bonum absolutè cum appetitu conuenit, & ita statim, vt est nobis oblatum placet, vt conueniens: at delectatio est de bono, quod habetur, quod quia habetur, cùm antea optatum esset, cum quadam suauitate percipitur, vt fructus captus ex arbore.

Septimò quæritur, An Amor sit omnium affectuum primus. Respondeo: Siue amor sit actus, & affectus re à desiderio, & delectatione distinctus, siue sola ratione, vt genus à formis sub se cõtentis, est omnium affectuum in animantibus primus; nam amor est boni, ergò sicut bonũ priùs est malo, sic affectus bonorũ sunt natura, & origine priores affectibus malorum. Rursus res bona statim atque est appetitui obiecta, excitat amorem, & desiderium sui: ad primum boni conspectum appetitus allicitur, excitatur, mouetur, ita vt bono venienti quasi obuiam exire videatur, vt id complectatur. Et sicut canes domino suo saltibus, nutibus, ac motibus alijs adulantur, sic appetitus bono sibi obiecto confestim arridet, & applaudit.

Octauò quæritur, An omnis in anima affectus sit amor? Quæstionem mouet, quia Augustinus, vt ante iam monui, omnes quatuor animæ affectus, Cupiditatem, Lætitiam, Metum, & Tristitiam, per Amorem definiuit. Item amor, est quædam cupiditas; sed in omni affectu quædam cupiditas inest. Nam metus, cupiditas esse dicitur, qua optamus, ne malum futurum nobis contingat: Tristitia est cupiditas, qua volumus, vt malum, quod adest remoueatur, & absit à nobis. Respondeo, Affectus qui sunt circa mala, non esse amores, vel cupiditates: non enim tristitia est delectatio, vel cupiditas; nec odium, amor; nec metus, desiderium, vel spes. Affectus itidem, qui in bono versantur, non sunt cupiditates propriè, nisi cupiditatis nomen latè, & fusè sumatur, vt significat quemcunque appetitus actum, qui dicitur appetitio, siue voluntas; qui verò affectus in malo consistunt, non sunt amores, sed sunt amoribus oppositi. Augustinus verò per amorem tanquam per causam, & originem omnes affectus definiuit; non autem quòd omnis affectus ratione sua, & natura sit amor: Sæpè res definimus per causas, ex quibus oriuntur, non per formas, ex quibus habent, vt sint.

(∴)

Aug. lib. 14. de ciu. Dei. c. 7.

De cau-

Cap. V.

De causis, & effectibus Amoris.

PRIMO quæritur, Quæ res amorem gignãt, & excitent. Respondeo, In vniuersum quicquid est bonum, sui amorem in animis ingenerat. Speciatim verò quæ sunt vtilia, commoda, & salutaria amare solemus: Item quæ iucunda, suauia, grata, & placida: quæ itidem honesta, quæ pulchra, quæ sunt nobis similia: insuper quæ nobis aliquo nexu, & vinculo necessitudinis coniuncta. Postremò eos, à quibus accepimus beneficia, vel accepturos nos esse speramus: vndè benemeritos de nobis, vel de nostris, amore prosequimur.

S.Tho.1.2. q.27. Secundò quæritur, Qui sint amoris effectus? Sanctus Thomas plurimos enumerat, sed inter eos quatuor potissimum. Primò, Amor, si res amata habeatur, cor & animum voluptate quadam emollit; ita vt animus mollis, tener, & flexibilis effectus, facilè sequatur, quò ducitur. Vndè amore rei amatæ præcordia, & viscera liquescunt, animus fit paratus, promptus & expeditus ad officia, & obsequia in eum quem amat: hinc amantis prompta obedientia in his omnibus, quæ ad eum, quem amat, spectant: hinc amans sese dedit, addicit, & obstringit officijs eius, quem amat. Item si res amata sit præsens, parit Amor lætitiã: & hanc pleraque alia effecta comitantur. Deindè si res amata absit, gignit Amor in amante tristitiam ob rei amatæ absentiam, quæ dicitur languor animi: hæc enim tristitia reddit animum amantis sollicitum, & anxium: generat quoq; inflammatum, accensum, & vehemens desiderium rem amatam, quæ nondum adest, videndi, & consequendi, & hoc desiderium vocatur feruor. Demum in præsentia rei amatæ cor se dilatat, pandit, ac porrigit, quasi velit, & cupiat intrà se rem amatam excipere, & complecti.

S.Tho.1.2. q.28.a.1. Præterea idem S. Thomas alios quatuor amoris effectus recenset. Amor (inquit) voluntates, & animos amantium coniungit, & copulat & ideò generat amicitias, concordiam, pacem: Ex quo efficitur, vt amor sit maximè liberalis, omnia enim bona, cũ amico, & persona amata communicat: omnia cordis arcanã, & occulta amico pandit, & aperit. Deindè (ait S. Thomas) gignit amor aliquando extasim: porrò extasis est mentis, & excessus, quo animus quasi extra se abiens totus in re amata inhæresci, ac figitur, nihil de se cogitat, sibi non prospicit, vt amico consulat: vnde amor cæcus depingitur. Quidam ad insperatum amicorum cõspectum mente excessisse memorantur. Hinc illa Prouerbia: Animus amantis magis est, vbi amat, quàm vbi animat. Item & illud, Amans viuit, vbi non est: moritur vbi est. Item illud; Amicus alter ego. & illud, Amicus dimidium animæ meæ. Ad hæc Amor gignit zelum: zelus autem est actus, quo quis indignatur, aut contristatur, eo quòd alius potiatur bono, quod ipse cõcupierit. Insuper optat amãs in amatum mutari: cupit pro amico mori; ardet, vritur æstuat; modò feruet, modò friget, nescit loco cõsistere. Item Amor premit, cruciat, exagitat, stimulat, & vrget. Vltimò his addo, Amorem esse mollem, ac tenerum, lenem, mitem, dulcem; naturæ calidæ, & humidæ, aëreæ, & sanguineæ, teste eodem sancto Thoma. Et hinc est, vt amorem ij, qui sunt calidi facilè concipiant: tum etiam loco, tempore, & alijs calidis facilius amor excitatur. Sed plerique calidorum leuibus de causis amorem deponunt; partim, quia facilè offendi solent; partim quod subeunt affectus alij velut spinæ, qui amorem præfocent ira, inuidia, arrogantia, superbia: partim quod facilè transeunt ad alios amores, qui priores excutiunt. Quod si sanguis sit tenuis, & spiritus rari, extinguitur amor veluti leui motu flamma in leui materia concepta. Sin verò sit materia densior, & firmior, nec facile mutationibus cedens; tunc amor validissimè dominatur semel accensus. minùs offenduntur temperati, & sanguinei, amorem diutiùs, & fideliùs conseruant: priores sunt veluti stupę, hi verò sicuti ligna; impetus quidem in illis maior est, in his perseuerantia. Frigidi lentiùs amãt, & segniùs. Sed in eis si semel amor inualuerit, amant firmiùs, & constantiùs.

Cap. VI.

De Fauore.

PRroximus amori fauor est, qui ex boni alicuius iudicio nascitur. Et est quædam beneuolentia; ita vt nullus sit amor absque fauore: fauor autem esse aliquis sine amore possit: Nam interdum alicui, quem nõ amamus, cupimus benefactum: fauor cum amore fortior est, & diuturnior; sine illo breuior, & leuior: Et sicut fauere linguis, est vocibus benè precari, sic fauere animo est bene optare, & cupere: simplicibus & innocẽtibus fauemus: pueris fauetur ab omnibus; immò mutis etiam animantibus in ea ætate fauemus: lupis enim, & leonibus paruulis, & vulpeculis parcimus, atq; blãdimur. Causæ omnes, quę ad amorem, ad fauorem quoque valent; fauemus illi, de quo benè sentimus, & quem dignum re aliqua bona censemus. Oritur etiam fauor ex misericordia, vt cũ quis est ab alio iniuria affectus, qua dignus non est, cupimus id detrimenti, alia in re si fieri queat, resarciri. Fauor cum non est amore fultus, leuissimis de causis tollitur: quod iudiciũ de dignitate temere est, & exigua de causa susceptum, leuissimè quoque deponitur. Eo citiũ fauor subtrahitur, quò in eo ineſt aliquid, vel damni, vel periculi, vel molestiæ. Cui pretio inducti fauemus, huic vel persoluto pretio tãquam sublata causa fauere definimus, vel non persoluto indignamur. Si cui odio vel inuidia alterius fauemus, recedenti illo animi motu langueſcit fauor.

Cap. VII.

De Veneratione, seu Reuerentia.

VEneratio oritur, ac surgit ex iudicio, quo magnum, & excelsum bonum in alio esse cognoscimus; & quod bonum nobis non nocet, nam si nocere, aut nociturũ iudicemus, illud metuimus, non veneramur. Habet nihilominus omnis veneratio aliquid metus, seu potius pudoris admistum; est enim veluti animi compressio, & cõtractio ex cogitatione magnitudinis bonæ, aut certè nobis innoxiæ. Posita est veneratio in con-

sideratione,& collatione magnitudinis cum exiguitate nostra; & sicut ex reputatione, & existimatione sui ipsius dilatatur animus, ita ex cogitatione alienæ magnitudinis comprimitur, atq; contrahitur. Qui alterũ reueretur, sese submittit ac subijcit, eius magnitudinem admiratus, quippè venerationi admiratio coniungitur: quæ non admiramur, ea neque reueremur. Porrò varia apud varias gentes sunt honoris, & venerationis signa: apud nos quidem poplitem flectere, genu ponere, caput demittere, se deijcere ad pedes alterius, procumbere, osculari manum vel pedem, assurgere venienti, caput aperire, quod est Græco, & Romano more seruitutis indicium, sicut pileus libertatis; loco & via cedere, assectari, deducere, reducere, quibus fatemur illum esse nobis potiorem: silentium, quo vel audientiam damus, vel timemus reprehensionem: sermo, quo illius dignitatem, & magnitudinem declaramus; bonos diligimus, ac dignitate, auctoritate, potentia, virtute, sapiẽtia, viribus, ætate præstantes veneramur, & colimus. Verba, & facta grauia, virilia, constantia, sublimia sine vanitate, & manifesta arrogantia magnitudinem decent, & ideo tuentur, & conseruant venerationem: contra eluãt verba, & facta puerilia, muliebria, scurrilia, lasciua, leuia, vana, incõstantia, demissa, abiecta, hæc enim ab excellentia, cui honor, & veneratio defertur penitùs abhorrent. Fastidiosa, arrogantia, iactabunda, iracunda, minacia venerationem similiter diminuunt; Non benè cõueniunt, nec in vna sede morantur, dixit quidã Poëta, maiestas, & amor; nimirum amor officij sui, & dignitatis oblitus blanditur, arridet, precatur, nugatur, ineptit, sese deijcit, inter quæ veneratio prorsus eliditur: tollitur enim veneratio, eius excellentiæ opinione sublata, vndè fuerat orta, & profecta.

Cap. VIII.

De Desiderio.

S. Tho. 1. 2. q. 30.

PRIMO quæritur, An Desiderium sit eadem animi affectio, quæ cupiditas, & libido. Respondeo, Esse eandem. Nam libido quamuis frequẽtius in deteriorem partem capi soleat, ex Augustino tamen, Cicerone & alijs scriptoribus nouimus aliquando esse generale nomen omnis cupiditatis. Ira enim dicitur vlciscendi libido: Auaritia, libido habendi pecuniam: Peruicacia, libido quomodocunque vincendi: Iactantia, libido gloriandi. Licet item nomen libidinis sit multarum rerum; tamen cum libido dicitur, neque cuius rei libido sit, exprimitur, non alia accipi solet, præterquam ea, qua obscœnę corporis partes excitantur, & commouentur.

Augu. & Cicero locis supra citatis.

Secundò quæritur, Cuius boni sit Desiderium. Respondeo, versari circa bonum futurum vndè desiderium est boni futuri, & expectati, quo quis sibi, vel alteri bonum futurum optat, & cupit.

S. Tho. 1. 2. q. 40. ar. 1.

Tertiò quæritur, Quid interfit inter Desiderium, & Spem. Respondeo ex S. Thoma. Desiderium, esse affectum animi re ab spe distinctum, eo quod Spes, sit affectus facultatis irascẽtis; & proindè spes est cupiditas boni difficilis, & ardui: at Desiderium est boni simpliciter, vel saltem boni ad corporis sensus pertinẽtis; spes verò boni futuri magni, & sublimis, quod magis ad animum, quàm ad corpꝰ spectat: cuiusmodi sunt victoria, honor, gloria, fama, nominis æstimatio, imperiũ, potentia, dignitas, lucrum, præmium, & similia. Gabriel verò & alij aiunt spem esse Desiderij effectum: nam Desideriũ boni futuri, gignit Spem consequendi illud; & Spes parit audaciam. Probabile quibusdam videtur Desiderium, & Spem sola ratione secerni. Desideriũ si sit cum fiducia consequendi, est Spes, siue sit boni ardui, & difficilis, siue cuiuscunque alterius: siue item sit boni ad sensum, & corpus, siue ad animũ pertinẽtis. Quare vt ipsis placet, Spes, & Desiderium sunt re idem affectus; Sed Spes habet fiduciã de bono futuro conceptam; & spes est veluti quædam desiderij forma: nam speramus euenturum, quod cupimus: speramus optata. Cæterùm mihi magis S. Thomæ sententia probatur: Desideriũ est boni futuri, & expectati, non magni, & ardui cupiditas. Spes verò est boni futuri magni, & ardui expectatio, cuiusmodi est spes vindictæ, victoriæ, honoris, & gloriæ, famæ, dignitatis, potentiæ, lucri. Porrò quinam sint desiderij, vel cupiditatis effectus, capite sequenti explicabo.

Gabr. 3. d. 26. q. 1. a. 3. dub. 1.

Quartò quæritur, Quot sint partes Desiderio, & cupiditati subiectæ? Philosophi cõmuni consensione recepti docẽt, cupiditatum alias esse naturales, quæ scilicet à natura nobis insunt; vti est cupiditas potus, & cibi, appetitus procreandi, & educandi prolem: Alias verò esse animales, quales sunt eæ, quæ ad corporis sensus pertinent: Alias esse animi siue rationis, vt sunt, quę animo, & rationi conueniunt, videlicet cupiditas honoris, victoriæ, dignitatis, glorię, laudis, potentię, & famæ, Desiderium sciendi, studium & appetitus honestatis, & virtutis. Porrò species Cupiditatis sunt multę pro varietate rerum, quę appetuntur.

Ambitio, quę est Cupiditas rerũ magnarum, honorũ, imperij, dominatus, potentiæ, dignitatum.

Superbia, quæ est Cupiditas propriæ excellentiæ, & eminentiæ cum despectione aliorum.

Iactantia est Cupiditas glorię, ex qua nascitur, vt quis immodicè sese efferat. Augustinus. *lib. de ciuit. 14. cap. 15. ad finem.*

Auaritia est Cupiditas pecuniæ, lucri, & diuitiarum. Augustinus ibidem.

Arrogantia est Cupiditas, qua affectamus, quæ non deberemus, ex qua fit, vt plus æquo nobis tribuamus.

Pertinacia, est Cupiditas vincendi in re, de qua cõtentio est; accipitur tamen aliquando, & in bonam partem, pro constantia, & firmitate: Sic dicitur virtus pertinax, labor, studium pertinax, id est, constans, & firmum.

Peruicacia, est cupiditas quomodocunq; vincẽdi: vndè peruicax est cõtentiosus, nulli cedens, perseuerans cũ quadam vi. Augustinus loco citato.

Proteruia, est cupiditas quemuis lacessendi.

Procacitas, cupiditas lacessens, & prouocans ad libidinosa.

Petulantia, cupiditas cum lasciuia immodica ad quoduis vitium.

Curiositas, cupiditas sciẽdi lapsus & errata aliorũ: ità sciẽdi quæ ad nos nihil attinent. *Sunt*, inquit Aug. lib. de ciui. 14. c. 15. *multæ, variæq; libidines, quarũ nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædã verò*

non ha-

non habent. Quis enim facilè dixerit, quid vocetur libido dominandi, quam tamen plurimum valere in tyrannorum animis etiam ciuilia bella teſtantur. Sic ille.

Cap. IX.

De Spe.

SPes euidentiam ſcientiæ non habet, ſed opinionis cõiecturam, vel probabilem, vel poſſibilem, quod ſæpè factum eſt ſimile, quod aliquando acciderit: quod in pari, vel ſimili idem euenerit; quod aliqua ratione, & cauſa fieri debet; quod par eſt, vt fiat; quod credibile eſt futurum in hoc, ab hoc, hoc tempore, hoc loco, hoc negocio; quod promiſſum eſt nobis. Nihil eſt tam leue, tam minutum, tam procul remotum, tam alienum, ad quod animus facilè excitatus non adhæreſcat. Adeo leuis eſt ſpes, obſcura, cœca, ambigua, incerta, exigua, tenuis & vana. Iucundiſſima eſt ſpei perſuaſio, & vitæ in primis neceſſaria inter tot humanæ vitæ miſerias, calamitates, res duras, & intolerabiles. Si ſpes abſit, ſine ſapore ſunt omnia: nihil tam acerbum, quod ſpes vna conditum non reddat. Prudenter in tabula Pandoræ de pixide fictum eſt, effuſis rebus omnibus ac perditis, ſpem in fundo reſediſſe; voluit Deus, vt ſpes leuiſſimis de cauſis naſcatur, & ſurgat, quæ homines in malis ſuſtentat, conſolatur, & recreat. Sapienter quoque Poëtæ finxerunt, in cælum fidem, iuſtitiam, pietatem, pacem euolaſſe, ſolam ſpem in terris hominibus relictam. Multa ſibi promittunt inania, qui ſpe ducuntur: mobiles ſunt miſerorum ſpes: fallaces humanæ ſpes; in medio curſu rerum ſæpiùs præciduntur. infringuntur, & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur, quàm portum conſpicere potuerint. Spes paſcit exules, ſuſtentat agricolas, ægrotos, captiuos, vinctos in carcere, naufragos. Spes eſt vigilantium ſomnium, miſerorum extremum, & commune ſolatium; inſperata ſæpè contingunt; dulcis eſt ſpes.

Quæſtio eſt inter Theologos, an actus ille, quo nunc beatæ hominum mẽtes ſuorum corporum futuram vitam, & gloriam ſempiternam expectant, & cupiunt, ſit verè ac propriè ſpes, an potius deſiderium. Item an in Chriſto Domino actus, quo olim ſui corporis immortalitatem & gloriam cæleſtem expectabat, & optabat, fuerit propriè ſpes, an verò deſiderium duntaxat. Durandus *in 3. Diſtinct. 26. quæſt. 3.* & Caietanus *parte 3. q. 7. art. 4.* Spem negant propriè eſſe, aut fuiſſe, ſed deſiderium; eo quod ſpes non ſit, niſi boni magni, & ardui expectatio: at beatis hominum mentibus cæleſtem animæ gloriam, & felicitatem adeptis arduum, & difficilè non eſt ſuorum corporum gloriam adipiſci, cum certò nouerint ſe eam conſecuturos tempore certo, ac definito diuino nutu. S. Thomas *3. part. quæſt. 7. art. 4.* ſic ait: *Chriſtus Dominus virtutem ſpei non habuit, habuit tamen ſpem reſpectu aliquorum, quæ nondum erat adeptus.* Et ibidem: *Ad primum*, inquit, *quædam alia ſperauit nondum habita, ſicut dictum eſt.* Quicquid ſit, nam quæſtio nominis, non rei videtur eſſe, negari nõ poteſt, quin illæ beatæ hominum mentes multa futura bona, quæ nondum habent, ſed certò nouerunt eſſe futura, expectent, & optent: Chriſtus Dominus, dum inter homines verſabatur, multa quoq; bona certò futura expectauit, qui quidem actus, etſi virtutis ſpei officiũ non fuerit, aut non ſit in beatis hominum ſpiritibus, fuit tamen in illo, & eſt in his futuri boni expectatio, nec opꝰ eſt, vt ſit virtutis ſpei. Charitas mouet, & incitat beatos illos cęli habitatores, vt multa nobis, & ſibi bona precentur, optent, & expectent. Porrò ſpei opponitur deſperatio, quæ diffidentia abſque vlla expectatione rerum meliorum eſt.

Cap. X.

De Delectatione.

PRIMO quæritur, quid interſit inter delectationem, gaudium, lætitiam, exultationem, & voluptatem. Reſpondeo, Gaudium, potiùs ad animum, & ad rationis appetitum pertinere: Delectationem verò, frequentius eſſe affectum appetitus, qui ſenſum ſequitur: Lætitiam autem, eſſe delectationis effectum: propriè enim eſt cordis dilatatio ex delectatione profecta: Exultatio, eſt delectationis effectus, quia eſt quidam membrorum & corporis motus delectationis indicium, & effectus. Voluptas verò quãuis in malam partem aliquando accipiatur, generale tamen eſt nomen omnis delectationis.

Secundò quæritur, An delectatio ſit motus? Ariſtoteles *1. Rhetor. cap. 10. ad finem*, ſic ait: *Supponatur igitur à nobis, voluptatem eſſe quendam animi motum.* Sed *1. Ethic. cap. 4.* contra quoſdam, qui docebant, delectationem in motu conſiſtere, eo quod delectamur edendo, potando, ſaltando, equitando, pulſando cytharam, currẽdo, ludendo; tribus rationibus probat non eſſe motum. Primò, quia motus fit in tempore, at delectatio vno temporis momẽto ex aliqua operatione percipitur, vt verbi gratia, contemplatione rei alicuius. Secundò, quia motꝰ eſt gratia finis, ad quem res mota progreditur: ſed voluptas, eſt operationis finis, & terminus. Tertiò, quia motus in ſucceſſione conſiſtit, non totus ſimul eſt, ſed pars eius poſt partem ſuccedit; at voluptas tota eſt ſimul, nec vna pars eius alteri ſuccedit. Et hæc eſt vera ſententia. Nam motus accipitur tripliciter. Primò, vt eſt progreſſio formæ imperfectæ ad perfectionem, vel mobilis corporis ex vno loco ad alium; & hic motus fit in tempore, & in ſucceſſione partis poſt partem conſiſtit; neque enim poteſt totus ſimul eſſe. Et talem motum negat Ariſtoteles eſſe voluptatem. Secundò, motus accipitur, vt eſt trãſitus alicuius ex vno in aliud, etiamſi ſubitò contingat; poteſt enim vno temporis momento res aliqua in aliam mutari; & hic motus, potiùs dicitur mutatio. Nec delectatio eſt talis motus, quoniam non eſt tranſitus alicuius ex vno in aliud, ſed operationem conſequitur. Tertiò, motus ſumitur, vt eſt aliquid à ſua cauſa efficienti continuè pendens, & manans: & ita conſeruatio rei, præſentia ſuæ cauſæ, vndè fit, indigentis, dicitur hac ratione motus. Sic lumen pendet in aere è præſentia corporis lucidi: imago rei viſæ in ſpeculo, è quo veluti refiliens in oculum recurrit, ac recidit. Sic viſio pendet à re, quæ videtur; & hoc modo dixit Ariſtoteles *primo Rhetorico. cap. 10.* Delectationem eſſe quendam animi motum;

fluit enim ac pendet ex re, quæ nos per operationem delectat. Item motum consequitur sæpè delectatio; & ideò delectatio dici potest motus, videlicet in causa, & origine; sed non semper motum comitatur, quoniam operationem, sed non motum consequitur.

Tertiò quæritur, An delectatio sit aliqua generatio. Respondet Aristoteles *lib.10.Ethi.ca.4.& lib.7.cap.13.* non esse generationem, quia generatio fit in tempore, & est, qua aliquid ab eo, quod potestate tantum est, in actum deducitur. Hoc similiter dixit Aristoteles cõtra eos, qui docuerant delectationem in generatione consistere, hoc est, in aliqua mutatione, qua aliquid fit; vt cũ quis disciplinam, vel artem addiscit, domum extruit, pingit, sculpit, describit. Sciendum est, apud Aristotelem, Generationem dupliciter accipi. Primò vt est mutatio, qua vna substantia ex interitu alterius producitur, & incipit esse; & hæc fit vnico temporis puncto. Secundò, prout est quædam mutatio, qua aliquid, quod ante nõ erat, incipit esse, siue accidens sit, siue substantia: Et hoc modo extructio domus dicitur generatio; & cum aliquid depingitur, cum ars, vel disciplina addiscitur, dicitur generari, hoc est, fieri: & hæc generatio fit in tempore. Negat igitur Aristoteles, delectationem esse generationem, quia cum subitò ex operatione tota simul capiatur, nõ est generatio, quæ cum tempore fit. Et quãuis prior illa generatio, quam dixi esse ortum substantiæ, subitò fiat; talis tamen delectatio nõ est, quoniam voluptas operationem consequitur, at generatio substantiam ex eo, quod est potestate, in actum deducit.

Quartò quæritur, An delectatio careat opposito? Aristoteles *lib.7.Ethic.cap.13.* docet felicitatem esse operationem præstantissimam omni malo vacantem; hæc autem est voluptas. Sed *lib.10.Eth. cap.4.* non vult esse operationem, sed operationis comitem, finem, terminũ, & quasi fructum. Certè Aristot. non negat esse appetitus actum, sed negat esse operationem eam, quam ipsa delectatio consequitur. Verbi gratia cum videndo, contemplando, odorando, audiendo, tangendo, edendo, potando, equitando, canendo, citharam pulsando, saltando, delectamur, voluptas non est aliqua ex his operationibus, sed actus appetitus, quo in illis operationibus delectamur. Cùm verò delectatio aliqua dicitur operatio, vocatur talis in causa, & origine.

Quintò quæritur, An delectatio sit qualitas? De hoc nihil expressim Aristoteles: sed Buridanus *lib.7.Ethic.quæst.30.* ait esse qualitatem. Meo iudicio, delectatio nomine actionis significatur: sed reipsa videtur esse qualitas, continuè tamen fluens, & pendens ab appetitu, & re, quæ nos per operationem delectat: ita vt delectari in re aliqua, nihil aliud sit, nisi appetitum in se gignere qualitatem quandam ex re iucunda pendentem. Sed quæstionis est dubiæ, an delectari, potiùs sit appetitum in se huiusmodi qualitatem elicere, an verò illam in se habere; nam similis quæstio est de notitia cuiuscunque facultatis cognoscentis. Omnes enim conueniunt, esse qualitatem nomine actionis significatam, quæ dicitur cognitio, fluentem ex ipsa facultate cognoscente, & re cognita: ab obiecto enim, & facultate paritur notitia. Vtrùm verò cognoscere potiùs consistat in hoc, quòd facultas ab obiecto excitata gignat, & eliciat eam qualitatem, an verò potiùs in hoc, quòd eam in se excipiat, & habeat, dissentiunt à seipsis tum Philosophi, tum Theologi. Nam quidam volunt potiùs consistere in eo, quòd facultas eam qualitatem in se recipiat, & habeat; ac proindè cognoscere, potiùs in patiendo poni debere, quàm in agendo. Et eadem ratione multo magis, inquiunt, delectari consistit in hoc, quòd appetitus qualitatem, quę est voluptas, in se excipiat, & habeat: & delectari, sit quoddam pati, magis quàm agere. Contrà alij volunt, cognoscere potissimè situm esse in hoc, quòd facultas gignat, & eliciat notitiam, quæ dicitur qualitas. Et pari ratione, delectari, in eo præcipuè esse, quòd appetitus eliciat in se eam qualitatem, quæ dicitur voluptas; ac proindè tam cognoscere, quàm velle, potiùs in agendo, quàm patiendo constare.

Sextò quęritur, An delectatio, tota simul fit, an verò per partes comparetur? quod perindè est, ac si quæreretur, an fiat cum tempore? Aristoteles *lib.10.Ethic.cap.4.* apertè negat esse cum tempore: ideò enim nõ vult eam esse motum, vel generationem. Animaduertendum est, delectationes appetitus quæ ducitur sensu, in facultate corporea, qualis est ipse appetitus, sedem habere; ac proindè esse accidẽtia, quæ ratione subiectæ rei, cui insunt, diuisionem partium admittunt; quales non sunt voluptates mentis, quę sunt spirituales. Rursus, delectationes appetitus cum intendi, ac remitti queant, partes etiam habent intensionis, ac remissionis. Hinc cum tempore delectatio intendi, ac remitti potest ob id, quòd res, quæ delectat, magis minusque iucunda fit; proindè magis, minusue cum appetitu conueniens; vel eo quod sit appetitui vicinior, vel ab eo remotior; vel cum eo magis minusue congrat, propterea quod corpus nostrum mutationem aliquam recipit: nam cum frigemus, calidis delectamur; contra frigidis, cum æstuamus. Sic etiã lumen, quamuis cum tempore non fiat, intendi tamen, ac remitti potest ob eam causam, quòd corpus lucidum magis minusue lucidũ fit, aut magis minusue propinquum corpori, quod illuminatur; aut quia corpus, quod lumen excipit, magis minusue perspicuum clarumq; redditur. De his igitur partibus quæstio minimè intelligitur.

Aristotelis ergò sententia est: Quemadmodum lumen in aere, vnico temporis momento totum producitur, & tantum, quantum corpus lucidum producere, & tantum quantùm aër perspicuus excipere potest: sic etiam delectatio, sicut & visio in oculo simul tota gignitur, & tanta quanta potest in appetitu produci, & quantam potest res iucunda generare. Non igitur per partes, aut cum tempore delectatio producitur, quamuis cũ tempore intendatur, & remittatur in nobis. Aliqua enim sæpè nos primùm vehementer delectant, quæ paulatim postea deficiunt, immò etiam vertuntur in tædium.

Septimò quęritur, An delectatio operationem perficiat? Aristoteles *lib.10.Ethic.cap.4.* docet perficere, quia eam conseruat, continuat, confirmat, ac roborat: etenim meditando, discendo, legendo, docẽdo, disputando delectamur, & oblectat;

diutiùs

diutiùs in his actionibus perseueramus: operamur ardentius, ac firmius, & quasi ad denuo appetendum promptius incitamur. Est igitur voluptas, causa, cur diuturnior, firmior, ac vehementior sit operatio: nam qui cãtus, & iocosa verba cũ delectatione audit, aut qui ludos spectat, diutiùs in his persistit.

Octauò quæritur, Quomodo voluptas perficiat operationem. Respondet Aristoteles, *loco citato*, inquiens: Non perficit, vt forma materiam, quia forma in materiam præparatam inducitur. Item, quia delectatio non est semper in eadem facultate, in qua inest operatio: Nec perficit, vt habitus, quia habitus, extrinsecus accedit: Nec perficit, vt causa efficiens, quoniam hæc id, quod efficitur, de potestate in actum deducit, & suo effectu prior est, at voluptas operationem consequitur: Nec perficit, vt res obiecta sensum, quia hæc sensum, qui ante iam fuerat, excitat, & mouet. Sed perficit, inquit Philosophus, operationem voluptas, vt finis superueniens, vt terminus in quo operatio terminatur, vt fructus & partus; vt venustas denique florem ætatis. Obijcies; Quod prius est, à posteriore non perficitur; sed operatio est prior delectatione. Item, operatio est delectatione præstantior. Præterea, operatio est gratia sui ipsius, ergo non habet voluptatem, vt finem. Respondeo, operationem non perfici delectatione tanquam re aliqua nobiliori, & priori, sed tanquam eo, quod ipsam operationem reddit diuturniorem, firmiorem, & vehementiorem, & tanquam quod alteri accedit, & superuenit: id enim quod additur, quamuis exiguum, dicitur perficere rem, cui adiungitur.

Nonò quæritur, Quam operationem delectatio perficiat, an nostram duntaxat, an etiam eam, quæ extra nos est? Ratio dubitandi est, quoniam sæpè delectamur operatione quæ extra nos est: nam tranquillo, & sedato mari, illuminato aëre, qui ante nubibus tegebatur, & hyeme tepefacto cubiculo, vel lecto, & æstate refrigerato potu delectamur. Item non sola operatione, sed rebus ipsis delectamur: delectat enim nos ignis, dum frigemus; cibus, cum esurimus, & cum sitimus, potus. Respondeo, bona ipsa nobis minimè delectationem afferre, nisi facta sint nostra; ac nostra non sunt, nisi nobiscum aliqua operatione coniuncta. Delectamur igne, quia alget corpus nostrum, & accedens ad ignem calefit: Ita cibo, & potu delectamur, quia edimus, ac bibimus. Quare quandocunque nos aliorum actio delectat, semper nobis aliqua operatione sensus, vel mentis coniungitur, qua illud bonum, vt nostrum existimamus. Sic ludorum aspectus, nouarum rerum auditio, sedatum mare, illustratæ tenebræ, nobis sunt bona iucunda, quia sensum nostrum, vel mentem voluptate perfundunt: Nullum igitur bonum delectat appetitum, nisi priùs mens, vel sensus, illud tanquam bonum sibi conueniens, & commodum percipiat. Vndè delectatio quamuis ex aliorum operatione capiatur, eam non perficit, sed nostram, qua sensus, vel mens eam, vt suum bonum iucundum apprehendit, ac percipit. Sic etiam delectamur, quòd alij nos colant, venerentur, suspiciant, admirentur: quòd ab alijs amemur, laudemur, honoremur; quia nimirum amari, & honorari, vt bonum nostrum percipimus.

Decimò quæritur, An delectatio sit tantùm de bono, quod habetur. Respondeo cum Aristotele delectari nos sæpè spe futurorum, & recordatione præteritorum. Sed hoc ideò est, quia speramus nos assecuturos bonum, quod diligimus, & quia recordamur eorum, quibus quondam potiti fuimus. Delectamur igitur, quòd bonum aliquod assequemur, & quod in bonis aliquando fuimus. Id, inquit Aristoteles, quod cum aderat, voluptatem pariebat, cum in mentem venit, oblectat: nec solùm, quæ cum aderant, voluptatem afferebant, sed etiam quæ dolorem. Delectamur enim, quòd pericula effugimus: quòd labores, & molestias superauimus, quòd morbos euasimus, denique; quòd ex infinitis malis emersimus, eo quòd iucundum est malo carere, quod aliquando pertulimus. Spes futurorum, vel iuris, & potestatis aliquid nobis affert, vel fiduciam præbet assequendi: recordatio præteritorum ea nobis quasi præsentia facit. Hinc etiam ira voluptatem affert, quia qui iratus est, sperat se vindicaturum iniuriam. Eodem planè modo cupiditates, & desideria consequitur voluptas. Qui febri laborat, vel siti premitur, aut fame vexatur, ex altera parte gaudet, se bibisse, vel comedisse: & cum sperat se potum, vel cibum sumpturum. Qui itidem se vicissim amant absentes, cum sibi inuicem scribunt, seseque humaniter, & officiosè cõsalutant, lætantur; quia vnus alterum veluti præsentem alloquitur.

Arist. lib. 1 Rhetorico. cap. 11.

Vndecimò quæritur, Quomodo delectatio mœrorem, luctum, & fletum aliquando comitetur. Id Aristoteles declarat *primo libro Rhetoricorum cap. 11.* quoniam tristor, quod mali aliquid inuitus patiar: sed gaudeo, quia spero me illud malum aliquando euasurum. Tristor etiam, quod careo bono, quod opto: sed lætor sperans me illud assecuturum. Ita quoque pœnitentia, qua peccatorum nos pœnitet, contristat: sed in ipsa pœnitentia gaudemus, quia eam nobis salutarem, & vtilem iudicamus.

Duodecimò quæritur, An delectatio sit aliquando de alienis bonis. Respondeo, non esse, nisi ea bona ad nos aliqua ratione pertineant. Sic bonis filiorum, vxorum, parentum, & amicorum singuli delectantur, quia illorum bona vt sua cogitant, & ad se deriuant. Qui alterum amat etiam absentem, delectatur cum cogitat eum bene se habere: tristatur, cum audit, eum male valere. Ita gaudemus, cum noti, & amici ad honorum, & dignitatum gradus, & titulos euehuntur, quia nimirum eorũ bona, nostra esse arbitramur; & indè emolumentum aliquod speramus.

Decimotertiò quæritur, An delectatio sit amor? Quidam affirmãt, delectationem esse amorem boni, quod habetur; quoniam ei, qui amat, placet res amata: at is delectatur in aliquo, cui gratum est id, de quo delectatur. Item omnis actus appetitus in bono, vel est desiderium futuri, vel delectatio de præsenti. Præterea, amor vel est concupiscentiæ, vel amicitiæ: sed omnis huiusmodi amor videtur esse delectatio. Attamen negari non potest, quin Amor sit actus à delectatione distinctus, nam Amor, est boni tum præsentis,

tum absentis; Delectatio verò non est nisi de bono præsenti, aut de futuro, vel præterito per spē, vel memoriam præsenti facto. Item amo amicum præsentem, & dum cogito illum male valere, tristor; ergo dum cogitans illum bene habere, delector, reuera amor meus in amicum, differt à delectatione, quia in amore perseuero, & dum tristor, putans eum malè valere: & dum delector cogitans illum bene habere. Amplius, Amor est boni per se absolutè, & simpliciter sumpti; delectatio non item. Postremò, Amor versatur etiam vniuersè circa ipsa genera bonorum: amamus enim omnes castos, iustos, sapientes, fortes; at delectatio nō est de ipsis generibus bonorum, sed de singulis.

Decimoquartò quæritur, An operatio fit propter delectationem consequentem, an potiùs delectatio fit propter operationem quam cōsequitur? Ratio dubitandi est, quia operationem perficit delectatio, ergo operatio est propter delectationem. Deindè operationem cōsequitur delectatio vt finis, vt fructus, & terminus: ergo est vltimum bonum, quod appetitur. Respondeo ex communi omnium sententia, operationem non esse propter delectationem: alioqui enim felicitas, quæ in optima hominis operatione consistit, propter delectationem esset. Contemplatio item, aliæque similes operationes sunt gratia sui, non voluptatis. Accedit, quod cibum, & potum sumimus, non vt delectemur, sed vt alamur, & viuamus. Immò etiam in coniugali complexu voluptatem natura constituit ad sobolis procreationem. Ad obiectum verò argumentum respondeo, voluptatem nō dici operationis finem, & terminum, quia natura operationem in voluptatem referat; sed quia voluptas operationi accedit, & superuenit; & proindè est vltimū, quod operationi adiungitur: eam autem adiunxit natura, vt ipsa operatio diuturnior, constantior, & vehementior redderetur.

Decimoquintò quæritur, Quæ delectationes apud Aristotelem. 1. *Rhetorico. cap.* 11. appellentur Naturales, Rationales, & præter naturam. Respondeo, Naturales dici, quæ pertinent ad naturam tuendam, & conseruandam; cuiusmodi sunt quæ captantur ex cibo, potu, & his quæ ad generationem prolis diriguntur: Naturaliter etiam post defatigationem quiescendo delectamur: ac proindè naturales quoque dicuntur delectationes, quę ex lecto, & habitatione, & vestitu necessario captantur. Delectationes rationales vocantur, quæ sunt hominis propriæ, vt quæ oriuntur ex hostium nostrorum victoria, ex lucro, honore, fama, gloria, dignitate, potentia, studio, & officio virtutis, ex doctrina, scientia, & arte. Præter naturam delectationes dicuntur, quæ ex aliqua deprauata corporis parte, vel sensu nascuntur; quidam enim delectantur esu carbonis, terræ, & aliarum rerum similium. Sicut enim ægrotantibus amara sunt dulcia ob vitiatum, & corruptum gustum; sic quibusdam res alioqui per se gustu ingratæ placent, & sapiunt ob corpus male affectū. Idem accidit in ipsis venereis, & libidinosis delectationibus: quædā enim earum dicūtur præter naturam, cuiusmodi sunt nefaria, & auersa libido, hominis cum bestia concubitus, & aliæ similes delectationes execrandæ, & detestabiles, quæ vel nominatæ pudicas & honestas aures offendunt.

Decimosextò quæritur, Quæ partes sint delectationi subiectæ. Respōdeo ex Philosophorum, & Theologorum sententia, alias delectationes esse naturales, quæ sunt de bonis ad naturam pertinentibus, qualis est voluptas, quæ capitur ex cibo, potu, coitu; sic defatigati quiescendo delectamur: alias esse animales, quæ corporis sensibus percipiuntur, inter quas præcipuæ sunt, quæ oriuntur ex tactu, gustatu, odoratu, auditu; alias verò esse delectationes rationis, quæ sunt de bonis ad mentem, seu rationem spectantibus: vt cum quis delectationē capit ex honore, gloria, fama, excellentia, dignitate, imperio, potentia, opibus, victoria, lucro, contemplatione rerum, officio, & actione studiosa.

Decimoseptimò quæritur, Quænam causæ, & effectus sint delectationis. Respondeo, vt supra dixi, quia nonnulli arbitrantur, Amorem boni futuri esse eundem affectum, quod desiderium dicimus, & Amorem boni præsentis, quod habetur, re ipsa esse delectationem; idcircò putant eiusdem causas, & effectus desiderium habere, quos habet Amor boni futuri, & expectati: & pari ratione easdem causas, & effectus habere delectationē, quos habet Amor boni præsentis, quo quis potitur. Sed quidquid dicatur, certè delectatione ficuti & amore cor se dilatat, ac fundit, & desiderio sese porrigit: Nihilominꝰ delectatio, vt prædixi, gigni solet ex spe; quia cū boni aliquid spe habemus, quasi aliquo modo adepti, eo delectamur. Præterea lætitia, seu delectatio, affectus est mollis, tener, dulcis; est naturæ calidæ, & humidæ; ac proindè aëreæ, & sanguineæ. Lætitiam in splene sedem habere Medici docent: nam splen succos crassos, & melancholicos in iecore genitos ad se attrahit, quorum parte subtilissima cum se aluerit, quod supereſt proprio quodam meatu ad ventriculū remittit. Qui molli, & tenero corde sunt, facilè lætantur, vt pueri, iuuenes, adolescentes, bene valentes, & qui in otio versantur. Porrò lætitia calore suo sanguinem purgat, valetudinem roborat, colorem florentem, nitidum, gratum, & pulchrum inducit. apud Macrobium *lib. 6. Saturnalio. cap.* 11. quærit Seruius, qui gaudent cur rubescunt. Respondet Disarius Philosophus, gaudium, inquiens, extrinsecùs contingit: ad hoc animoso occursu natura festinat, quam sanguis comitando, quasi alacritate integritatis suę compotem tingit cutem, & indè similis color enascitur. Sic ille.

Cap. XI.

De Risu.

Delectatio, seu lætitia parit risum, risus autem affectus non est, sed eius effectus, videlicet motus, primum in parte oris, mox in oculis, deindè in tota hominis facie ex cordis dilatatione profectus; nascitur autem risus ex noua & recenti lætitia cordis, ex re insperata, & inopinata. Aliquando tamē vehemens cogitatio risum impedit, adimit, prohibet; quare viri sapientes, prudentes, graues, maximè experti, assuefacti his vel

illis

illis rebus rarius ridere solent, excitatur risus ex casibus innoxijs quidem, sed fœdis, ex dictis fatuis, scurrilibus, ex interpretationibus, vel rogationibus absurdis, responsis acutè detortis in alium sensum, quàm quem postulabant rogata: ex imitatione per verba, quæ est genus quoddã mimicæ repræsentationis; gesticulationibus, deformitate dicti, vel facti. Ij sunt ad risum proni, in quibus flaua bilis redundat: eo quod ex immodico calore facilè cor exporrigitur. Et qui pituita, aut atra bili abundant, aut infestantur, sunt ad risum lenti, & tardi ob frigoris tarditatem. Corde delitijs mollefacto magni, & crebri risus oriuntur, vt vino, lusibus, amoribus, fabellis festiuis, concentu, lasciuia, & id genus alijs.

Cap. XII.

De Odio.

S. Th. 1.2. q. 29. PRIMO quæritur, Quid sit Odium. Respõdeo, Odium Amori aduersari; quare sicuti Amor, est actus, quo quis sibi, vel alteri bonum vult, & optat; sic odiũ, nihil aliud est nisi actus, quo quis sibi, vel alteri malum vult sine aliquo suo commodo, & emolumento. Nam cũ alteri irascimur, malum ei cupimus: Sed ira non est odium, quia irasci, est malum alteri velle ob emolumentũ nostrum, nimirum vindictam, qua iniuriam acceptã vlciscimur. Item inuidere alteri, non est propriè eum odisse: nam inuidere, est tristari de bono alterius, quo ipse careas, quod habere cupias, sed non possis; cum tamen alioqui sis ei similis, vel æqualis; Odisse verò alterum, est ei malum velle, nec ob aliud omninò, nisi quia persona alterius nobis displiceat. Odiũ igitur, est actus, quo quis sibi, vel alteri malum vult sine proprij emolumenti causa.

Arist. li 2. Rhet. c. 4. S. Th. 1. 2. q. 29. Secundò quæritur, Cuius obiecti sit odium. Respondeo, Odium esse tum personę, tum rei; sicut & Amor, personæ est & rei. Odium personæ, est actus, quo personæ alterius malum volumus, solùm quia ipsa persona nobis sit infensa; quod si ei malum velimus ob aliquod nostrum emolumentum, odium personæ non est. Odium verò rei, est actus, quo alicui rei malum volumus propter ipsam, non quia nobis aliqua ratione noceat, aut quia rebus nostris damno sit, sed quia ea per se nobis displicet, & odiosa est, tanquam res per se contraria, & inimica nobis. Vnde qui odio rem habet, cupit interitum, & exitium eius. Inter ipsa animalia existunt odia, & inimicitiæ, quia quædam illorum persequuntur alia, vt sibi aduersa, & inimica. Rectè igitur Cicero *Tusculana quarta* definiuit, Maleuolentiam esse ex malo alterius sine emolumento suo. Caietanus, Odium personæ, vocat odium inimicitiæ: Odium rei, appellat odium abominationis. Ego verò odium personæ intelligo actũ, quo personæ malum volumus, nõnisi quia persona alterius nobis displiceat: & odium rei accipio actum, quo rei alicui malum cupimus, quia ea per se nobis non placeat. Ex quo efficitur, vt multis modis possit quis alterius necem optare, ex odio, scilicet, inuidia, ira, indignatione, metu, iustitia. Ex odio appetit, cum optat non ob aliud, nisi quia ei persona alterius displicet per se; & ideò cupit, ne eiusmodi persona in hac rerum vniuersitate sit. Ex inuidia verò optat alterius mortem, quia tristatur rebus eius secundis, & prosperis etiamsi nihil officiant, & propterea, ne eiusmodi felicitate potiatur, quæ est ei odiosa, & infensa, cupit interitum illius. Ex ira autem, quatenus cupit illi mortem, quòd sit ab eo iniuria læsus. Ex indignatione, quia contristatur bonis alterius, eo quod ea indignus habeat, vel indignè ea administret. Ex metu verò, quia existimat alterum sibi nociturum. Ex iustitia autem, quia putat alterum reum esse mortis, eo quod capitale crimen admiserit. Sequitur item, vt aliquando quis optet mortem alterius, non quidem odio personæ, sed odio rei alicuius. Verbi gratia, mater optat mortem filiarum, propterea quod eas vel ob inopiam, vel ob deformitatem in matrimonium collocare, vt vellet, non potest, aut quia causa earũ persuadet sibi se à marito contemni, & durè tractari. Pari modo quis seipsum interimit, non odio quidem suæ personæ, sed odio rei: nam odio habet aduersa, & mala quæ sustinet, aut quia tyranni potentiam, & iram pertimescit, aut quia tristatur ex detrimẽto, & iactura suorum bonorum, aut quia de sua salute, & vita penitus desperat, frustratus omni spe, & exspectatione rerum meliorum. Dæmones scilicet, & homines improbi sempiternis gehennæ supplicijs destinati odio habent Deum, & seipsos, nõ quia persona Dei, aut propria ipsorum persona per se simpliciter displiceat, sed odio pœnarum, quas velint, nolint, sustinere cogũtur; & idcircò nec Deum punire, nec ipsi tantam pœnarum acerbitatem, quantam ferunt miseri, perferre vellent.

Tertiò quæritur, Quæ sint, quæ odio habemus rerum obiecta. Respondeo, Odio nos habere deformia, iniucunda, molesta, turpia; quæ item fastidium generant; omnia item naturæ inimica, & aduersa; præterea, vt ante iam dixi, odio habemus tum personas, tum res: ad hæc odio habentur nõ solùm singularia, sed etiam ipsa genera personarum, vel rerum: Odiosum enim nobis est vniuersum genus latronum, proditorum, sicariorum, maleficorum, item omne genus turpitudinis.

Quartò quæritur, Cui affectui odium opponatur. Respondeo, Directo & per se opponi Amori: nam Amor est boni per se, & simpliciter, odium verò mali per se, & absolutè. Sed animaduertendum est, Amorem vt ante diximus, iuxta quorundam sententiam, esse genus sub se continens Desiderium futuri boni, & delectationem de bono præsenti: Odium igitur cum Amori opponatur, sequitur iuxta eorum sententiam, vt sit genus sub se complectens duos affectus circa mala contrarios Desiderio, & delectationi; ita vt sicut Desiderium est amor boni futuri, & expectati, & Delectatio est amor ex bono præsenti cum quadam suauitate, & voluptate perceptus: Sic etiam odium aliquando sit actus, quo cupimus ne malum futurum quod imminet contingat; aliquando verò sit actus, quo cupimus, vt malum quod adest, & contristat nos, penitus abesset. Longè verius est odium esse mali per se, & absolutè, sicut amor est simpliciter, & per se boni.

Cai. 1. 2. q. 29. ar. 1.

Cap. XIII.

De Triſtitia.

S. Tho. 1. 2. q 35. art. 2.

PRIMO quæritur, An Triſtitia ſit idem animi affectus qui Dolor. Reſpondeo, Stoicos nomine doloris intellexiſſe omnẽ triſtitiam; quam Cicero *quarta Tuſculana* ægritudinem vocat; & deindè dolorem tanquam partem ægritudinis ſubijcit. Reuera, Triſtitia non tam latè patet, quam Dolor: nam dolor & dicitur de animo, & de corpore; Triſtitia verò ſolùm de animo dicitur. Dolet enim, non tamen triſtatur corpus, ſed animus: dolemus, cum nobis membrum inciditur, cũ corpus ſecatur, cum cædimur, cum torquemur, cum vulneramur, cum pes noſter offenditur. In præſenti tamẽ triſtitiam latè capimus pro omni tum animi, tum corporis dolore, qui etiam mœror, aut mœſtitia vocatur.

Secundò quæritur, In quo obiecto triſtitia verſetur. Reſpondeo, In malo, quod inuiti patimur, vel in nobis ipſis, vel in rebus noſtris. Ex quo fit, vt Triſtitia ſit affectus delectationi oppoſitus: Nam Delectatio, eſt de bono concupito, & quo potimur, ac fruimur. Triſtitia verò eſt de malo, quod cum timeremus, euenit. Triſtitia affectus eſt terreſtris, frigidus, & aridus, & durus, & in atra bile conſiſtens.

S. Tho. 1. 2. 35. a. 8. Nyſſen lib. 4. Philoſ. c. 12. Damaſc. lib. 2 fid. orthod. c. 14.

Tertiò quæritur, Quæ & quot ſint ſpecies Triſtitiæ? S. Thomas ex Nyſſeno, & Damaſceno quatuor Triſtitiæ ſpecies commemorat, Inuidiam, Miſericordiam, Angorem, & Accidiam; quibus commodè poſſumus adiungere alias tres, quatuorũe ſpecies, Aemulationem nempe, Indignationem, Zelotypiam, & Pœnitentiam, & Impatientiam: de quibus ſigillatim pauca dicemus, vt omnes affectus animi recto, & diſtincto ordine cognoſcantur.

Ariſt. lib. 2 Rhet. c. 10. Cic. Tuſc. 4. Nyſſe. li. 4. Philoſ. c. 12. Damaſ. lib. 2 fidei orth. c. 14.

Inuidia igitur, eſt triſtitia ex proſperitate alterius, quæ nihil inuidenti nocet. Nam ſi quis doleat rebus ſecũdis alterius, quia ab eo iniuria affectus ſit, non inuidet, ſed iraſcitur: Si doleat de proſperitate alterius, quia ab eo ſibi aliquid mali timeat, non eſt inuidia, ſed metus. Si doleat, quia alter proſperitate potiatur indignus, vel indignè ſeſe in rebus proſperis gerat, non eſt inuidia, ſed indignatio. Si doleat, quia alius bonis potiatur, quæ ipſe concupierat, nec eſt aſſecutus, potiùs eſt Aemulatio, quam Inuidia. Si doleat; quia alterius perſona ipſi diſpliceat, Odium eſt, non Inuidia.

Ariſt. lib. 2 Rheto. c. 9. Cic. Tuſc. 4. Nyſſe. li. 4. Philoſ. c. 12. Damaſ. lib. 2. fidei orth. c. 14.

Miſericordia, eſt triſtitia, teſte Ariſtotele, Cicerone, & Nyſſeno, ex miſeria, & malis alterius indignè, & immeritò laborantis: cum caſum, conditionem, & incommoda aliena deploramus. Nam ſi dignè, & meritò mala ſuſtineat, vicem eius haud miſeramur; nemo enim mentis compos ad parricidæ, tyranni, aut proditoris ſupplicium, quod merentur, miſericordia commouetur. Ex quo fit, vt maximè miſereamur euẽtum, & vicem eorum, qui imbecilli, & infirmi ſunt ad aliquid agendum, vel ſuſtinendum, cuiuſmodi ſunt infantes, mente capti, pueri, viduæ ſui viri, & omni humano præſidio deſtitutæ; ægroti, inopes, & egeni, ſimplices, itidem ij, qui ex magna rerũ proſperitate, qua olim perfruebãtur, deturbati, deiectiq; ſunt. Item qui in mala inopinata miſerè deuenerunt. Porrò mala, ob quæ vicem, & conditionem alicuius miſeremur, ſunt morbi, mors, fames, ſitis, tormenta, plagæ, ſpoliatio, captiuitas, ſeruitus; miſeremur itidẽ deformes, mãcos, tardos, rudes, & ſtultos; indigni ſunt malis opinione noſtra boni viri, & qui rectè ſuo munere, & officio perfuncti creduntur: tum etiam qui malis ſunt impares, vt mulieres, ſenes, ægri, delicati: item & ij, quibus non licuit bonis ſuis frui: vt cum magni ingenij vir in medio ſtudiorum ſuorum curſu tollitur è viuis.

Nyſſen. & Damaſce. locis citat.

Accidia Græcis dicta eſt ἀκηδία, & propriè eſt dolor acerbus, qui ita premit animum, vt nihil boni ei agere libeat: quam ſemper comitantur tædium mentis, ſatietas & faſtidium, torpor, pigritia, ignauia, inertia, & ſomniculoſa deſidia.

Nyſſen. & Damaſce. locis citat.

Anxietas teſte Cicerone *quarta Tuſculana*, eſt triſtitia premens, & ſollicitans; qualem patiuntur ij, qui ſunt in magnis periculis, & qui cum alio periculoſè luctantur, & decertant. Item & ij, qui morbo ingraueſcente iam iam morituri, acerbè ſolicitantur, & vehementius anguntur, vnde vulgò dicta eſt Agonia mortis.

Nyſſen. & Damaſce. locis citat. Ariſt. li. 2. Rhetor. ca. 11.

Aemulatio dupliciter accipi ſolet: eſt enim, & in laude, & in vitio nomen. Laudis eſt, quando Aemulatio nihil aliud eſt, niſi imitatio virtutis, qua videmus alios præditos, nos verò carere: vitium verò eſt, quando triſtatur quis, eo quòd bonum quod concupierit, alius obtineat, ipſe careat.

Zelotypia eſt triſtitia, eo quòd alter quoque fruatur forma, quam ille ipſe concupiuerit. Nam vt nomen ipſum ſonat, Zelotypia eſt zelus de forma: ea eſt triſtitia, vel metus, ne is, quem nos nollemus, forma aliqua potiatur: id verò dupliciter, vel vt nos fruamur ſoli, vel vt is fruatur ſolus, quem ipſi volumus: nam & de liberis, & ſororibus, & de matribus, & pupillis, & curæ noſtræ concreditis tangimur Zelotypia, non vt nos illarum forma fruamur, ſed vt ipſæ ſolùm ſua forma potiantur: animantes quædam Zelotypia tanguntur, vt cygni, columbi, galli, tauri. creſcit, & decreſcit Zelotypia ex perſonis, locis, temporibus, negotijs. gignit in animo Zelotypia anxietates, curas, ſolicitudines per dies, ac noctes, & ſuſpiciones innumeras: tranſit aliquando in odium, & rabiem.

Ariſt. li. 2. Rheto. 9.

Indignatio verò eſt triſtitia, propterea quòd alter bonis potiatur indignus, aut ea adminiſtret indignè. Græcis dicitur zelus: Sicut miſericordię eſt dolere, quòd quis immeritò mala ſuſtineat, ſic zeli, vel indignationis eſt moleſtè ferre, quòd quis indignus bonis potiatur: pungimur, offendimur, indignamur, quòd indignus, vel expetit bona, vel quod grauius eſt, adipiſcitur. Succenſet ſibi quis, cum indignum ſe atque imparem negotio iudicat, & indignatur ſibi ipſe, quòd illud expetierit, ambierit, acceperit. Stomachamur, ſi quis ſupra vires, aut meritum ſuũ aliquid aggreditur: velut magiſtratum, honores, decus, certamen cum potiore; indignatio plurimùm viget, & inualeſcit in ſuperbo, qui vt ſe maximis bonis cenſet digniſſimum, ſic alios omnes, vel mediocribus bonis impares, & indignos.

Pœnitentia, eſt triſtitia, qua quis dolet ob aliquid à ſe malè geſtũ, vel prętermiſſum. Gell. li. 17.

cap. 1. docet pœnitere propriè dici in rebus voluntarijs; cum quæ ipsi fecimus, vel diximus, aut quæ de nostra voluntate, nostro què consilio facta sunt, ea nobis postea incipiunt displicere, sententiamq; in ijs nostram permutamus: neminem pœnitet, quòd natus sit, quòd mortalis sit, quòd ex offenso fortè vulnerato; corpore dolorem sentiat, aut quòd deformi natus sit corpore.

Impatientia est tristitia animi nullius laboris, doloris, fastidij, & molestiæ patiens.

Quartò quæritur, Quæ sint causæ, & effecta Tristitiæ. Respondeo, Tristitiã nasci ex malo præsenti, quod inuiti toleramus: Item ex amissione boni concupiti: Vnde expletis, & finitis epulis, conuiuijs, iocis, ludis, spectaculis, & exactis diebus festis, & lætis, contristari solemus. Præterea Tristitia cum sit affectus frigidæ, & siccæ naturæ quasi terrestris, viget in frigidis, & siccis temporibus, ac locis, Autumno, Hieme, nocte, in hominibus bili atra abundantibus; refrigerat cerebũ, & somnum inducit; hebetat ingenium; obscurat, & turbat mentis rationem; amat loca obscura; odit frequentiam hominum: parit luctum, qui est Tristitia, ex eius, qui charus fuerit, interitu acerbo. Tristitiam comitantur Mœror, qui est tristitia flebilis: Aerumna, quæ est tristitia laboriosa, & diuturna: Dolor, qui torquet, & cruciat: Lamentatio, quæ est cum eiulatu: Solicitudo, quæ est cum cogitatione: Molestia, quæ est tristitia permanens: Afflictatio; quæ est cum vexatione corporis: Desperatio, quæ est sine vlla rerum expectatione meliorum.

Cap. XIV.

De Fletu.

Fletvs non est affectus animi, sicuti nec risus, sed est tristitiæ, seu mœroris effectus. Nam parit tristitia fletum, suspiria, & gemitus, & incessum lentum, vultus pallorem, & capitis demissionem. Porrò fletus est humor ex cerebri calore per oculos defluens: vnde exiccato nimium cerebro lacrymę minimè profluunt: vt in ira, in diuturno, & longo mœrore, quo solet cor exiccari, vt in melancholicis. Cùm tamen cor molle est, & tenerum, & cerebrum humectatum, tunc facilè lacrymæ delabuntur, & defluunt: vt videre est in pueris, fœminis, ægrotis, & ebrijs. Quare ex commiseratione alieni mali, ex amore, & cupiditate fruendi concupitis, solent etiam facilè lacrymæ profundi. Existunt sæpè ex vento valido, & fumo. Item cum quid videmus, vel legimus, vel recordamur piè, sancte, officiosè dictũ, aut factum à quopiam, & eo magis, si is, qui fecit, aut dixit, periculum, aut damnum sustinuit. Tributus est homini fletus quo suum dolorem testaretur, & ostenderet, vt alios in sui miserationem, & ad opem ferendam citiùs, & vehemẽtius permoueret. Lacrymæ itidem in quibusdã; qui sunt tenero corde, ac molli facilè profluunt, in alijs tardius. Facilè tamen, & citò lacrimæ exarescũt.

Cap. XV.

De Metu.

Arist. li. 2. Rhetor. c. 5.

Primo quæritur, Quid sit Metus? Respondeo ex Aristotelis, & Damasceni doctrina, Nyssẽni item, & Sancti Thomæ, metum, esse affectum animi, quo nolumus malum futurũ, quod nobis, vel nostris impendet, quodque adeo graue videtur, vt facilè superari non possit.

Damasce. lib. 2. fidei ortho. c. 15. Nyss. lib. 4. Philo. c. 14 Cic. Tusc. 4. S. Tho. 1. 2. q. 41.

Secundò quæritur, Cuiusnam rei tanquam materiæ obiectæ sit Metus? Respõdeo, esse malũ: nam bona non metuuntur, sed optantur. Deinde metus est mali futuri: nam mala præsentia non metu conturbant animum, sed tristitia, & mœrore conficiunt. Item est mali futuri appropinquantis, & impendentis; nam pericula, & mala longè posita non formidamus. Demum est mali, quod lædere, vel contristare potest; sed cui obsisti facilè nequit, non enim timemus mala, quæ sine difficultate declinare, cauere, impedire, vel vincere possumus. Vnde quò quis maior, superior, & potentior est, minùs terrore concutitur, minùs formidine perturbatur.

Tertiò quæritur, Quænam & quot sint partes metui, & timori subiectæ? Cicero subijcit metui pigritiã, qui est metus consequentis laboris: Terrorem, qui est metus concutiens: Timorem, qui est metus mali appropinquantis: Pauorem, qui est metus animum perturbans, & quasi loco mouens: Exanimationem, qui est metus pauoris comes, & quo animus quasi deficit; Conturbationẽ, qui est Metus excutiens animo cogitata: Formidinem, qui est metus permanens.

Sed Nyssen. *li. 4. Philo. c. 14.* Damasc. *lib. 2. fid. orth. ca. 15.* S. Tho. *1. 2. q. 41. a. 4.* sex Metus species enumerant; videlicet Segnitiem, Verecundiam, Pudorem, Stuporem, Terrorem, Angorem.

Segnities siue Pigritia est metus consequentis in agendo laboris, cũ quis metuit aggredi opus, eo quòd difficilè, & laboriosum existimet. Hinc opera sæpè differimus, ita, vt difficultate, & labore victi succumbamus. Ex Pigritia, desidia, ignauia, negligentia, inertia, & mollities enascuntur.

Socordia, est metus consequentis laboris in consulendo, meditando, & prospiciendo quid opus sit facto.

Verecundia, est metus admittendi aliquid turpe, ne id cum cognitum fuerit, dedecore, aut infamia afficiat auctorem. Alij definiunt esse metũ iustæ reprehensionis, quia verecundia aliquando est rectè facti. Alij verò esse metum ignominiæ, aut infamiæ ob turpe, vel aliud factũ contrahendę. Porrò verecundia est affectus bonus animi ingenui, & modesti, & qui deceat maximè adolescentes, & iuuenes. Est enim veluti frænum, quo animus ob ætatis florem & sanguinis, & cupiditatis feruorem æstuans à malis committendis abducitur: quare iuuentutem continet in officio, ne præceps in vitia prolabatur, ad quæ grauiter libidines impellunt. De hoc affectu statim pauca subijciam inferiùs.

Pudor, qui à quibusdam Erubescentia dicitur, est metus post turpe aliquid factũ, quo quis mali anteacti cõscius, timet ex eo dedecus, infamiam, conuicium sibi illatum iri; hic etiam affectus est bonus, quia à lapsu animum erigit, ac ne iterum in eum relabatur, solicitè cauet, & ne in consuetudinem abeat, defendit: Sed maiori laude, & commendatione digna est verecundia, quæ ne omninò turpè quid admittatur, prohibet. Sæ-

pè tamen vnus affectus pro altero ponitur: multum in ijs pudor valet, qui honoris sunt cupidi.

Stupor, est metus ingens ex vehementi, subita, & inopinata cogitatione mali profectus, sensum adimens: stupida enim membra dicuntur, quibus est sensus ex toto ereptus, aut aliqua ex parte detractus.

Terror, est metus concutiens, qui solet ab aliquo incuti ob comminationem mali infligendi, vel ob difficultatem, & grauitatem maximam sustinendi.

Angor, qui dicitur etiam Agonia, est timor animum solicitans, & vexans ob malum extrinsecum iam iam perferendum, cui resistere facilè non possumus. Veluti cum quis in futuro certamine, aut in quocunque alio periculo graui, & difficili tolerando, quod deuitare, subterfugere, & depellere ægrè potest, exagitatur, premitur, & extimescit: vnde & agonia laborare dicitur. Apud Lucam de Christo Domino legimus, quod factus in agonia prolixius orabat: cuius agoniæ fuit tanta vis, quam ipse sponte susceptit, ac pertulit, vt sanguineum in eo sudorem exprimeret. Quidam definiunt esse timorem casus incerti, miseri, & calamitosi: quoniam cum incertus est rei exitus, & veremur in ea re aliquem successum infelicem & miserum, agonia premimur, ac diuexamur. *Luc. 22.*

Quartò quæritur, Quinam sint effectus Timoris. Respondeo, Metu contrahi, & debilitari cor, ad cuius opem, & subsidium, calorem superiorũ partium ei natura submittit, atque suppeditat. Vt enim in obsessa, & trepidante ciuitate omnes ad Principem confugiunt: sic corde metu perterrito, & consternato, omnia corporis calorem ei examinato subministrant: & cum superior calor non sufficit, etiam inferiorem natura, mirabili prouidentia, eò rapit, & trahit. Apud Macrobium *lib. 7. Saturnalio, ca. 11.* quæstio tractatur, cur qui metuunt, pallescunt. Et respondet Disarius Philosophus; natura cum quid de extrinsecus contingentibus pertimescit, in altum tota demergitur, sicut nos quoque cum metuimus, latebras & loca nos occultantia perquirimus: ergo tota descẽdens, vt lateat, trahit secum sanguinem, quo velut curru semper vehitur, hoc demerso humor dilutior cuti remanet, & inde pallescit. Vnde metum consequitur pallor, frigus, & tremor, præsertim verò pectoris, & manuum, vox est exilis, ac tremit, lingua titubat, & dentes etiam aliquando concrepant, capilli inhorrescunt frigore compressi, aluus laxatur, & soluitur. Nam calor, si descendat deserto corde, ventrem soluit. Apud eundem Macrobium ibidem dicebat Disarius, laxamentum ventris comitatur timorem, quia masculi, quibus claudebantur retrimentorum meatus, fugientis introrsum animæ virtute deserti laxant vincula, quibus retrimenta vsq; ad digestionis opportunitatem continebatur. Sicut timentes tremunt, quia virtus animæ introrsum fugiens nervos relinquit, quibus tenebatur fortitudo membrorum, & inde saltu timoris agitãtur. Hæc ille. Eandem causam Aristotelem reddidisse in problematis testatur Gellius, *li. 19. c. 14.* Qui crasso sunt sanguine, & multo, & calido circa cor, fecuro sunt animo, & audaci. Qui parum caloris, & sanguinis habẽt circa cor, ignaui sunt; ideo qui proportione sanguinis magno sunt corde, natura sua sunt meticulosi, vt lepores. Qui itidem felle carent vnde sanguis accendi possit, timidi sunt, vt columbi, & cerui. Quum facies in metu rubescit, argumentum est animi degeneris; cum verò expallescit, signum strenui, & fortis: eo quòd natura cor, submissis illi vndique subsidijs caloris & sanguinis, corroborat. Metus item mentem perturbat, cogitationes confundit; vnde metu perterriti consilio, & sapientia destituuntur: suspiciones gignit: meticulosi omnes suspicioſi sunt, omniaq; augent in maius: nec vnquam tantùm est periculum; quantum sibi fingunt.

Quintò quæritur, An timori opponatur audacia. Aristoteles, *lib. 2. Retho. c. 5.* docet audaciam esse timori contrariam: quoniam metus est mali futuri, & exspectati, & quod non facilè superatur diffidentia; sed audacia est fidentia, per quam magnis, & periculosis in rebus multum ipse animus fiduciæ certa cum spe incommoda, & pericula superandi concipit; vnde fit, vt quò minus quis expertus est, sit audacior, eo quòd minus incommoda, & pericula reformidet; ex altera parte experti, sed in periculis sæpè victores, solent esse audaciores, quia putant se victoriam, sicut aliàs sæpè, adepturos: exercitati in re aliqua, item qui viribus, qui opibus, qui amicorum copia, qui potentia valent, sunt audaciores, quia minus metuunt. Animantes magni cordis minùs audent; contra parui cordis magis audent, teste Arist. *li. 3. c. 4. de parti. animal.* quia quę magni cordis sunt, minus calent, & ideò magis timent; vnde *problem. 4. lection. 27.* ait animantes magni pulmonis sanguinei audaciores sunt, quia plus caloris habent, veteri prouerbio; Audaces fortuna iuuat: quia periclitandæ sunt vires, oportet experiri, & tentare, vt non simus veluti cochleæ, quę perpetuò latent intra testas; est dictum prouerbium in timidos.

Cap. XVI.

De Verecundia.

De Verecundia agit S. Tho. 2. 2. q. 144 ex Arist. lib. 4. Eth. ca. vlt & lib 2. ca 7. & li. 3. c 8. & libr. 2. Rhetor. cap. 6.

PRIMO quæritur, Quid sit propriè Verecundia, & an à pudore aliqua ratione distinguatur. Respondeo, Verecundiam propriè esse metũ dedecoris, siue iustæ reprehensionis. Quidam à pudore ita volunt esse distinctam, quòd pudor sit animi sibi male consci ob delictum perpetratũ: verecundia verò sit, ingenui, & modesti hominis iustam reprehensionem metuentis: Ita vt pudor sit metus dedecoris ob turpe aliquod factum: verecundia verò, metus infamiæ, & dedecoris ob factum aliquod, quod hominum existimatione turpe habetur, quamuis reuera tale non sit. Vt si ingenuus, & modestus vir suis vestibus spoliatus, & nudus in forum, vel theatrum exire cogatur, hominum cœtu inspectante. Verum quicquid sit, hæc duo nomina sæpè confunduntur. Verecundia igitur est metus dedecoris, vel ob aliquid turpiter admissum, vel quod opinione hominum turpe censetur.

Secundò quæritur, an Verecundia sit virtus, an potius affectus animi. Arist. *4. Eth. c. vlt. & 2. Ethic. ca. 7.* planè docet non esse virtutem, sed affectum animi: & id quinque rationibus concluditur. 4.

Ethic.cap.vlt. Primò à definitione, quia nullus metus est virtus. Sed verecundia est metus dedecoris. Secundò à tempore, quia virtus conuenit hominibus cuiuscunque ætatis: sed verecundia senibus non conuenit. Tertiò à contrario, quia virtus solum cadit in bonos; at verecundia cadit etiam in malos. Quartò à proprio, quia virtus per se laudem meretur; at verecundia nō nisi in pueris, & adolescentibus. Postremo à subiecto: quia omnis virtus est voluntaria; at verecundia non item: nam metu dedecoris subitò verecūdamur, & erubescimus.

Obijcies Philosophum. 3. *Ethicorum. cap.* 8. dicētem, Verecundiam esse virtutem. ait enim, fortes esse, qui dura perferūt ob honestatem, & virtutem, & tales esse, qui metu dedecoris, aut spe, & studio honoris fortiter agunt. Deinde Seneca *li.1. Epist.11. ad Lucilium* videtur verecundiam facere virtutem; Ambrosius quoque *lib.1. De officiis cap.18.* ait pulchram virtutem esse verecundiam, quam multis laudibus ibidem extollit. Cicero, *in Partitio.* virtutum omnium custodem verecundiā appellat: idem in *libr.1. de finibus bonorum, & malorum,* ait, Sine ea nihil rectum, nihil honestum esse posse. Nihilominus Aristotelis sententia in hac parte est verissima, Verecundiam non esse virtutem: quoniam licet sit actus, quo fugimus id, quod est turpe, vel quod turpis speciem habet, vel quod hominum iudicio turpe existimatur: id tamē fugimus metu dedecoris, & infamię. At virtutis officium non est, nisi cum bona facimus, aut mala deuitamus studio, & amore honestatis, & odio turpitudinis: nam qui metu infamiæ, vel dedecoris malum declinat, non fugiet id turpe, quod dedecore, & infamia auctorem non afficit. Neque verò sibi ipsi est Aristoteles contrarius. Nam cū 3. *Ethico.ca.*8. Verecundiam virtutem vocat, latiùs virtutis nomen accepit, vt ibi Eustratius annotauit, pro actu, vel habitu laudabili. Laus enim etsi simpliciter, & per se virtuti debeatur, ex accidēti tamē bonis etiam affectibus tribuitur. Eodem modo Seneca, Cicero, & Ambrosius virtutis nomen verecundiæ dederunt.

Secundò objcies, Verecundiam in mediocritate quadam inter duos animi affectus consistere, vt docet Aristoteles *lib.4. Ethic.cap.vlt.* Sed hoc proprium est virtuti. Respondeo, quosdam etiam esse animorū affectus inter duos alios oppositos consistentes; talisque est Verecundia, cui opponitur Impudentia. Impudens est, qui nullo dedecoris, vel infamiæ metu à turpi deterretur. Verecūdo item opponitur pauidus, qualis est is, qui vmbram etiam dedecoris timet, ita vt leuissimis de causis erubescat.

Tertiò quæritur, An in bonos & in senes quoque cadat verecundia. Arist. *lib.4. Ethic.cap.vlt.* negat aut seni, aut magnanimo, forti, & probo viro verecundiam cōuenire. Certè aut verecundia sumitur prout est metus dedecoris, & ignominiæ ob turpe factum, vt sumit Arist. & ita senibus, aut studiosis, & probis viris non conuenit, quia non decet eos turpe aliquid committere. Et hinc est, vt in his verecūdia sit vituperabilis potiùs quàm laudabilis. Nam cum senex, vel vir studiosus turpiter quippiam facit, argumētum est malitiæ altiùs infixæ, ita vt non ex infirmitate ignorantiaue deliquisse videatur: Aut verecundia sumitur vt est metu infamiæ, vel dedecoris ob aliquod factum, quod reuera turpe non est, sed sola hominū existimatione turpe iudicatur, & hæc verecundia in senes, viros probos, & ingenuos cadit.

Quartò quæritur, cur puerorum & adolescentū verecundia in laude ponatur. Respondeo quia est futuræ probitatis indicium; & quia ignorantia quadam, & infirmitate naturę turpiter facere creduntur. Vnde Socrates Xenophontem probū iuuenē laudauit, quod purpura virtutis, hoc est, verecundia malas tinxerat. & Diogenes cuidam puero, cui⁹ genas purpureus color infecerat præ verecundia, dixit, Macte virtutis puer, macte: nā, hic est color virtutis.

Quintò quæritur, cur timorem sequatur pallor externus, & verecundiam rubor, cum tamen verecundia sit metus. est enim pudor iustæ reprehensionis timor. Respondeo præ timore mali impendētis spirit⁹ ad ipsum cor natura detrudit, & contrahit, tanquam ad arcem in qua se tueantur, & quam conseruent incolumem, & proinde vultus spiritibus destitutus palleſcit: contra tamen, quia verecūdia est metus dedecoris, vel iustæ reprehensionis, spiritus ad faciem aduolant, vt eam à dedecore defendant ac protegant. Hanc quæstionem in Problematis teste Gellio *lib.19.ca.6.* Aristoteles proposuit, & verè dixit, quod accideret diffuso sanguine aut contracto, sed cur ita fieret nō dixit. Eandem quæstionem optimè soluit Macro. *lib.7. Saturna.c.11.* natura, inquit, pudore tacta sanguinē ante se pro velamento diffundit & obtendit, vt videmus quemq; erubescentem manū sibi, ante faciem frequēter opponere quia iustam reprehensionem, & inde opprobrium & dedecus timet.

Vltimò quæritur, An verecundia ex alterius malis aliquando contingat. Respondeo ex malis vxorum, filiorum, & amicorum aliquando oriri, quia ea mala nostra putamus, & ducimus.

Cap. XVII.

De Ira.

PRIMO quæritur, Quid sit Ira. Respondeo, à Nysseno definiri, esse sanguinis feruorem in corde ex euaporatione, & turbatione fellis proficiscentem. Aristoteles verò & Cicero eam definiunt esse cupiditatem puniendi, & vlciscendi eum, à quo sumus iniuria læsi. Vnde irascimur, eo quòd putamus ab alio iniuria nos affici: vel despici & contemni. Et propterea ait Nyssenus, irā esse mixtum affectum non simplicem. Constat.n. ex dolore, & tristitia iniuriæ acceptæ, & cupiditate cum spe, & fiducia vlciscēdi, in qua vindicta sumpta, postea delectatur tanquā in re concupita & obtenta. Seneca tres libros de ira conscripsit, in quibus Stoicorum sententiam sequutus est.

Nyss. lib.4. Phil.ca.13.

Arist. li.2. Rhet.o.c.2.

Secundò quæritur, Quid discriminis sit inter Iram, & Odium. Respondeo, magnum esse discrimen inter hos duos affectus. Nam per iram volumus alicui malū, quia nobis iniuriam intulerit, quam cupimus vindicare: per Odium verò optamus alicui malum, etiamsi nulla ab eo iniuria sim⁹ affecti, sed solū quia nobis per se ipse displiceat; vel quia nobis aduersetur; vel deniq; quòd is per se malus, & improbus sit. Odio.n. habemus

S. Th.1.2. q.46. a.2. & 3.

improbos ob id solùm quod tales sint, tametsi nobis nulla in re noceant, aut incommodent. Præterea per odium volumus alteri malum, vtpotè exilium, carcerem, mortem, vt ei malum est: per iram verò cupimus alteri malum, vt punit ac vindicat iniuriam acceptam. Vnde qui odit alterum, contentus est, si ille malum sustineat: at iratus nunquam quiescit, donec alter nouerit se malum ferre, & eo ipso contristetur & doleat.

S. Th. 1.2. q.46. a.2. Tertiò quæritur, In qua re tanquam materia sibi obiecta ira versetur. Respondeo, In malo alterius, nimirum in pœna & vindicta iniuriæ illatæ, quam iratus habet vt bonum sibi; Is verò, cui irascimur, eam sustinet vt sibi grauem, molestam & malam.

Quartò quæritur, Quot sint partes tanquam species iræ: Respondeo, tres colligi ex Aristot. *libr. 2. Rethor. cap.2.* Nyss. *libr.4. Philoso. cap.13.* Damascen. *lib.2.fide.ortho.cap.16.* S.Thom.1.2.q.46.ar.8. Arist.4. *Eth.c.5.* Excandescentiam, quæ est ira breuis; Iram, quæ est diuturna; Furorem, quæ est ira inueterata, quæ non quiescit nec finitur, donec vindicta potiatur.

Arist.li 4 Eth.cap.5. Quintò quæritur, Qui affectus sit iræ contrarius. Respondeo, Lenitatem, Mansuetudinem, & Clementiam. Lenitas & Mansuetudo est erga omnes: Clementia potiùs est Principum & dominorum erga eos, qui sunt suæ potestati subiecti. Hic affectus est bonus, & laudi datur: quia non plus pœnarum sumit, quàm ratio patiatur, & postulet. Verùm huic affectui solet etiam esse contrarius & aduersus præter iram alius, nimirum Crudelitas, qua plus pœnæ quis repetit ab alio, quàm sit promeritus. Sæuitia & Feritas, qua instar belluarum in alium sæuimus, atroces pœnas ab eo repetentes. *Arist.li.4. Eth.cap.5.* Arist.*lib.4.Eth.c.5.* & S.Tho. 1.2.q.23. *artic.3.* docent Iræ nihil esse contrarium, quoniam ira generatur in nobis ex malo aliquo, quod nos offendit, aut lædit: quòd si vlcisci cupimus, vt illud quasi repellere videamur, irascimur, si verò malo succumbimus, quasi victi & superati, tristamur & dolemus: non irascimur, quia non speramus illud malum nos propulsaturos, at tristitia & dolor, iræ nequaquam opponitur: supereſt ergo vt iræ tantum opponatur id, quo à motu cessamus atque desistimus, videlicet Lenitas, Mansuetudo, Clementia: non motus, quo vel contra malum pugnemus, vel malum odio habeamus, vel ob malum tristemur, vel in bono obtento delectemur.

Lact. li. de ira Dei. cap.5. Sextò quæritur, Qui sint effectus Iræ. Respondeo, Iram calidæ esse & siccæ naturæ; vnde est ignea, fellea, ardens, vehemens, furiosa & violenta, per quam oculi ardescunt, vox tremit, lingua titubat, & vultus alternis maculatur coloribus: nunc enim suffuso rubore facies accenditur, nunc pallore albescit. Præterea ex Ira cum non cohibetur innumera damna & mala, cuiusmodi sunt odia, dissidia, inimicitiæ, simultates, lites, rixæ, contentiones, iurgia, cædes, & bella nascuntur. *Senec. li.1. de ira. c.2.* Hęc ait Lactantius ex Seneca, vrbes subuertit, populos delet, prouincias deuastat, imperia demolitur. Basilius homiliam de Ira scriptam reliquit.

Cap. XVIII.

De bonitate & prauitate humanorum affectuum.

PRIMO quæritur, An affectus animi sint per se boni an praui. Respondeo, Perspicuum esse ex Cicerone, Seneca, Plutarcho & Augustino, Stoicos sensisse omnes affectus animi esse prauos, & vitiosos, vt aduersos scilicet, inimicosq; rectæ rationi hominis. Stoici nihil numerabant in bonis, nisi quod honestum esset: nihil in malis, nisi quod turpe: cætera media & indifferentia esse docebant. Affectus itaque in malis ponebant hisce rationibus. Primò quia sunt morbi & ægritudines animi. Secundò quia rationem perturbant, & iustum eius imperium recusant, detrectant, deserunt. Tertiò quia debent virtute corrigi & temperari, ergo sunt mali. Quartò quia inuidia, auaritia, ambitio, iactantia, superbia, accidia, pigritia, inanis gloria, crudelitas, socordia sunt affectus animi, & tamen culpa non vacant. Quintò quia cum ratione pugnant. Sextò quia mansuetudo, lenitas & clementia cõmendantur, & tamen sunt iræ aduersæ & contrariæ; ergo ita est affectus sua natura malus. At Peripateticorum, & Academicorũ sententia fuit, Affectus animi quando immodici sunt atque rationi aduersantur, malos esse & culpæ imputari, & ideo tales debere virtute regi, cohiberi & sedari: Quando verò sunt temperati non esse malos, neque culpę dari. Probant hoc illi. Primò quia misericordia, verecundia, pudor, æmulatio virtutis pœnitẽtia, sunt affectus animi, & boni: itidem mansuetudo & lenitas sunt affectus laudabiles. Deinde quia amor, odium, desiderium, ira, non semper affectus sunt mali; odio enim habemus proditores, latrones, sacrilegos, homicidas, calumniatores, periuros, & id genus homines, & in culpa nõ sumus. hosti insuper & tyranno irascimur, nec ideo culpamur. Ad hæc bonos, & de nobis benemeritos amamus: honesta item expetimus absque vllo vitio. Postremò affectus sunt naturæ initi & innati, ergo mali non sunt.

In hac re tota huiusmodi Philosophorum lis & cõtentio fuit de nomine potiùs quàm re. Stoici enim motus rationẽ præcurrentes quibus primo rerum obiectarum occursu mouemur, & afficimur motus quidem naturales vocabant; affectus vel affectiones non item. Rursus motus animi rationis præscripto temperatos, non appellabant animi affectus, veluti Cupiditatẽ, Lætitiam, Mœrorem vel Metum, sed actus voluntatis & affectus rationis bonos: nimirum pro cupiditate voluntatem; pro lætitia gaudium, pro metu cautionem. Perturbationes igitur vel affectus vocabant eos actus, quibus contra rationem quis cupiebat, lætabatur, metuebat, aut contristabatur. At verò Peripatetici & Academici, nõ solùm vocabant Affectus animi eos, quos recta ratio experitur sibi aduersos & contrarios, sed etiam ipsos animi motus, qui natura rationem præueniunt; eos item, quos ratio reprimit, moderatur & temperat. Et certè Peripatetici, & Academici, melius loquebantur quàm Stoici, quia non est cur inficiemur animi motus, qui imaginationem sequuntur & rationẽ antecedunt, esse affectus; siquidem

sunt animales motus, cum cognitione sensus, & corpus immutant & afficiunt, & tamen vt rationem præcurrunt, praui non sunt. Item motus animi ratione tẽperati verè & propriè affectus sunt; quippe qui sunt animales motus sensus & rationis cognitionem sequẽres, commouentesq; corpus, & mali non sunt. Adde quòd in brutis animantibus, vt statim dicemus, sunt animales affectus, qui tamen non sunt rationi contrarij & aduersi.

Secundò quæritur, An affectus animi cadant in virum sapientem, id est prudentem & bonum? Stoici sentiebant non cadere; quia vt prædixi, putabant omnes affectus esse rationi aduersos, & proinde malos; at in virũm sapientem vitia non cadunt. Item quia sapiens, id est, vir prudens & bonus, animo valet recto & sano; sed affectꝰ sunt animi morbi & ægritudines: non tamen negabant Stoici (vt rectè ex Gellio docet Augustinus) sapienti cõuenire motus animi, qui subito ex cogitatione ad primã rerum obiectarum speciem ante omnem rationis vsum imprimuntur. Vnde fatebantur sapientem virum, si aliquid formidabile accidisset, animo paulisper moueri, contrahi & pallescere: sed hunc motum vocabant (vt dixi) naturalem, non tamen motum hominis, aut affectum, quia nihil in eo mens & arbitrium hominis operabatur. Sed verior fuit sententia Peripateticorum, & Academicorum, sapienti verè & propriè affectus animi conuenire: quæ sententia ex dictis paulò ante concluditur.

Aug. li. 9. de ciu. c. 4.

Tertiò quæritur, An affectus animi possint penitus euelli? Constat Stoicos sensisse non solùm funditus posse tolli, sed etiam debere prorsus extirpari. Probabant hoc, quia sunt praui, & vir sapiens, id est, prudens & bonus debet vitio carere. At verò Peripateticorum, & Academicorũ sententia fuit, Affectus animi nec debere, nec posse radicitus excindi; bene tamen amputari & minui, cum possint ac debeant recta ratione frenari, cohiberi, & temperari, vt rectum mentis imperium sequantur, non præcedant. Atque hæc est sententia verissima, quam sancti Patres & Theologi communi consensu receptam tradiderunt. Aug. *lib. 9. de ciuit. c. 4. & lib. 14. c. 9.* S. Tho. *1. 2. q. 24. ar. 2.* Prosper. *lib. 3. de vit. contemp. c. 34.*

Senec. li. 1. de ira. c. 3.

Quartò quæritur, An affectus animi belluis insint? Respondeo; Vt ex Seneca constat, Stoici dicebant, Affectus animi solùm hominibus conuenire, non belluis: sed in belluis tamen inesse motus quosdã naturales, videlicet impetus affectibus similes. Sunt enim leones feri, canes ad rabiem propensi, lepores & cerui quasi meticulosi; aliæ animantes sunt quasi lasciuæ, aliæ feroces. Probabãt, quia affectus sunt virtutum, & vitiorũ materia; sed bellua non est virtutis vel vitij capax. Deinde quia in belluam ira non cadit: nam ignoscere & parcere nec nouit nec potest; quod possint irati: at in quem ira non cadit, nequeunt quoque alij affectus cadere. Postremò quia metus est mali futuri, sed bellua, futura non percipit, ergo affectibus, qui circa futurum versantur, caret. Sed Peripateticorum, & Academicorum fuit sententia, belluis etiam Affectus animi congruere, quam vnanimi consensu Theologorum Schola cõprobauit; & ex supradictis efficaciter colligitur; viget in leone & gallo audacia; in tigride, & apro ira; in porco, hirco, passere libido & voluptas; in fele, Bubone, noctua tristitia; in cane adulatio; in equo quasi superbia; timor in lepore, ceruo, & oue; in vulpe & serpente callliditas. Animaduertendum tamen est, multò plures affectus hominibus quàm belluis cõuenire. Brutis animantibus insunt quatuor affectus communes & præcipui: nam cupiunt, metuunt, delectantur, & contristantur. Sed hominibus conueniunt alij, qui sunt ipsorum proprij, cuiusmodi sunt cupiditates eorum, quę non sensu, sed animo percipiũtur, vt cupiditas laudis, honoris, glorię, dignitatis, imperij, potentiæ, famæ, lucri, pecunię, opũ, præmij. Sunt etiam proprij hominum affectus, misericordia, inuidia, verecundia, pudor, pœnitentia, ambitio, iactantia: quoniam huiusce modi affectus in materia versantur, quam belluæ cognoscere nequeunt; neque enim prosperitatem, vel miseriam alterius, neq; ignominiam vel dedecus vel infamiam, neque omnino aliquid turpe percipiunt.

Quintò quæritur, An affectus omnes sint ex obiecto & materia in qua versantur, mali an boni? Respondeo, Ex illis aliquos esse bonos, qui in laude ponuntur, vt sunt Misericordia, Verecundia, Pudor, Pœnitentia, Lenitas, Clementia, Parsimonia: Alios esse prauos, qui in vitijs numerantur; tales sunt Inuidia, Accidia, Ambitio, Auaritia, Iactantia, Superbia, Crudelitas, Impatientia, Pigritia. Alios item ex obiecto & materia indifferentes, scilicet Amorem, Odium, Desiderium, Spem, Metum, Irã, Tristitiam, Aemulationem, Indignationem, Delectationem. Nam sicut odisse bonos malum est, sic odio habere fontes & improbos, bonum est: amare aut cupere turpia, malum est; sed bona diligere & appetere bonum est. Pari ratione irasci bonis, iniquum est; sed ira sci contra proditores & tyrannos bonum est.

S. Th. 1. 2. q. 25. ar. 4.

Sextò quæritur, An quattuor Affectus animi communes & præcipui vt cupiditas, Delectatio, Metus & Dolor, non solùm insint in facultate concupiscente, sed etiam in irascente? Duæ sunt opiniones. Vna tradit timorem solum esse facultatis irascentis, & alios tres affectus tantùm esse concupiscentis: quia timor est mali ardui, & difficilis, in quo vis irascendi versatur. Cæteri verò tres affectus sunt absolutè boni vel mali, quod est obiectum concupiscentis facultatis. Altera opinio docet, omnes quattuor affectus esse vtriusque facultatis communes, circa materias tamen & obiecta diuersa. Nam facultas irascendi suum proprium obiectum, quod est potiùs absens, quã præsens, & arduum cum difficultate adipiscendi coniunctum, vel quod est bonum aut malũ, quod magis animo quàm sensu percipitur, amat & appetit tanquam sibi conueniens, & commodum, & in eo obtento delectatur: contra verò malum, quod cum difficultate declinatur, metuit, refugit, ac respuit; & contristatur, si aduenerit. Verbi gratia, facultas irascẽs amat & optat vindictam, quam consequuta oblectatur; metuit item iniuriam, ignominiam, infamiã, quibus acceptis mœrore conficitur. Sed prior sententia est communis, & est annotandum omnes animi affectus terminari & finiri in delectatione vel dolore, &

omnes ab amore suum ortum habere. S. Tho. 1. 2. q. 25. art. 4.

S. Tho. 1. 2. q. 60. ar. 5.

Septimò quæritur, Quibus virtutibus Affectus animi corrigantur, ac temperentur? Respondeo, Temperantia & alijs virtutibus ei subiectis & cum ea coniunctis; cuiusmodi sunt sobrietas, pudicitia, castitas, emendari & reprimi delectationes, quæ gustu & tactu percipiuntur; & proinde moderatur temperantia desideria, cupiditates, amores, tristitias, & odia rerum ad gustũ & tactũ pertinentium. Fortitudine coercentur, & corriguntur timores, audaciæ, & temeritates in periculis, & rebus formidabilibus subeundis; cuius generis sunt exilia, carceres, verbera, vulnera, cruciatus, tormenta, & mors ipsa. Magnanimitate reprimuntur cupiditates rerum magnarum, vt sunt cupiditas honorum, dignitatum, imperandi libido & dominandi. Magnificentia verò cohibet appetitus immodicos habendi, & augendi rem familiarem & domesticam: temperat item sumptus, & impensas nimias in bonis administrandis. Clementia certum modum imponit in pœnis delinquentium repetendis. Mansuetudine temperantur iræ: Patientia verò fastidia & dolores, qui sentiũtur ex difficultate, aut diuturnitate bene operandi. Liberalitas frænat immodicos appetitus habendi pecunias, lucrum, & opes. Charitate, quæ est humanitas siue benignitas, corriguntur odia & inuidiæ in alios. Hospitalitas præscribit modum in excipiẽdis aduenis, peregrinis & alijs hospitibus, ijsque humaniter & amicè tractandis. Misericordia præcipit quo pacto sit egenis, & miseris succurrendum. Prudentia secundũ aliquos corrigit homines in consilijs præcipites, in iudicijs incõsideratos, in propositis inconstantes, & leues: sed hæc potiùs sunt rationis vitia, quàm animi affectus. S. Thom. 2. 2. q. 53. ar. 5. veritas fidem seruat in promissis, cõmercijs & contractibus, in verbis modum adhibet comitas, affabilitasq; sermonis. Præterea si Temperãtia, Fortitudo, & Iustitia, accipiantur vt sunt generales quidam virtutum modi, & conditiones, siue vt sunt communes Virtutes, Temperantia moderatur & reprimit animum in ijs omnibus, quæ sensus & corpus delectant: Fortitudo in ijs omnibus, quæ tristitia afficiunt, vt molesta & aduersa: Iustitia in ijs omnibus, quæ sunt ad alterum. tunc tamen quælibet non est vna simplex virtus, sed est collectio multarum virtutum, vt dicam inferius.

Cap. XIX.

In quos cadant animi Affectus.

Lactan. in libr. de Ira Dei.

PRIMVM quæritur, An affectus animi Deo conueniant? contra Stoicos omnino negantes in Deum affectus animi cadere Lactantius multipliciter probat Deo congruere misericordiam, qua hominum miserias subleuat: gratiam & benignitatem, qua omnes beneficijs innumeris afficit: Clementiam & Lenitatem, qua culpas condonat, & pœnas mitigat: & iram, qua meritò improbis irascitur, delinquentes corrigit & malefacta coërcet, ac punit. Sed communis est omnium Theologorum sentẽtia, affectus animi, qui sunt appetitus sensus, Deo conuenire non posse, vt planè perspicuum est, & proinde in Deo non sunt motus, quibus affectus ad appetitum sensus pertinentes solent nostra corpora immutare, & afficere. Deinde affectus rationis, qui sunt ex obiecto & materia mali, Deo congruere nequeunt, id quod per se satis est manifestum. Affectus itidem appetitus rationis, hoc est voluntatis, qui ex obiecto & materia aliquid imperfecti cõtinent, in Deum nequeunt cadere, neque enim Deus potest timere, & proinde nec contristari. Pari modò pœnitentia, verecundia, aut pudor vel æmulatio virtutis in Deum quadrare nõ possunt. At verò alij actus volũtatis affectibus similes Deo congruunt: amat enim Deus bonos, odit improbos, cupit salutem omnium, gaudet benefactis, delicta plectit, ac vindicat; pœnitentibus ignoscit, & parcit supplicibus, fert opẽ miseris, liberalis est, & munificus erga omnes, nocentes pœnis addicit, & subijcit: iustorum hominum benefacta, & merita præmijs compensat.

Matth. 26 Matth. 4. Ioan. 19. S. Tho. 3. q. 15. ar. 3.

Secundò quæritur, An fuerint in Christo Domino affectus animi? Ratio dubitandi est, quia ex Sacris litteris cõstat eum doluisse, timuisse, mœstum fuisse, lætatum fuisse, & cupijsse; sicut etiam legitur esurijsse & sitijsse: Respõdeo, ex communi omnium Theologorum sententia, in Christo fuisse affectus, sed non eodem modo, quo in nobis insunt. Primò enim Christus Dominus eos animi affectus nõ habuit vt peccato per originem à primis parentibus contractos, vt nos habemus. Deinde nõ fuerunt in eo affectus vt ex conditione, & infirmitate naturæ rationem præuertunt. Insuper non fuerunt ij, quatenus rationis imperium detrectant, & recusant, nec vt deserunt, neque vt rationem victam ad se pertrahunt, quod in nobis aliquando contingit; præterea non fuerunt in eo, vt suis motibus subitis ante omnem rationis vsum corpus afficiunt, & immutant. Ad hæc nec fuerunt in eo affectus, qui sunt ex obiecto & materia mali, vt inuidia, auaritia, ambitio, iactantia, arrogantia. Postremò in eo fuerunt affectus ratione temperati, & menti obsequentes, & voluntariè susceptι. Sicut enim esuriebat, & sitiebat quando & quomodo volebat; sic etiam timuit, doluit, mœstus fuit, expauit, fleuit, irat⁹ est, turbatus & gauisus quando & quomodo voluit. verum, inquit, Augustinus. *lib. de ciui. 14. ca. 9. Christus Dominus hos motus animi certæ dispensationis gratia; ita cum voluit, suscepit animo humano, vt cum voluit, factus est homo. & paulò inferius, habemus ergo eas animi affectiones, ex humanæ conditionis infirmitate, non ita Dominus Iesus, cuius & infirmitas fuit ex potestate.* Sic ille. In manu igitur Domini nostri erant eius affectus, laxabat eos vel contrahebat suo nutu, & arbitratu. Negat Hieronymus *Matth. 5. & 26. & epist. ad Eustochium de custodia virginit.* in Christo Domino fuisse passiones: vocat Hieronymus passiones quatenus sunt animi perturbationes, quæ rationem & voluntatem præcurrunt, non quatenus sunt motus animi recta ratione, & voluntate temperati: pari ratione cum Hilarius. *libr. 10. de Trinit. & in Psalm. 53. & 68.* inficiari videtur vllum sensus, & corporis dolorem Christum Dominum fuisse perpessum, dolorem accipit eum, quem conditione naturæ etiam inuiti patimur, non eum, quem sponte no-

ſtra ſuſcipimus, ac toleramus: & ſicut fames ac ſitis in eo vera erat, licet volũtaria, ſic verus quoque fuit dolor, metus & mœror, ſed voluntarius.

Tertiò quæritur, An beatis patriæ cœleſtis incolis Affectus conueniant. Reſpondeo cum Auguſtino. *lib. de ciui. 14. c. 9.* affectiones eſſe huius vitæ, non illius, quam futuram ſperamus & ſæpe etiam inuiti illis cedimus: ac proinde conſtat, in ſpiritus beatos eos affectus non conuenire, qui ſunt ex obiecto & materia mali, quia cum eorum ſtatu & conditione pugnant. Deinde Beati ſpiritus metu rei formidabilis, periculoſæ, ſæuæ vel aſperæ, & triſtitia nequaquam afficiuntur, quia etiam eorum felicitati & beatitudini repugnãt. Item Beati illi cœli habitatores habẽt voluntatis actus ſimiles affectibus appetitus ſenſus: amãt enim bonos, & honeſta; oderunt improbos, ac turpia: egenis & miſeris opem afferunt. Eſt tamẽ apud Theologos peculiaris Quæſtio, An Beatis illis mentibus inſit verus timor Dei, an verò ſolùm timor Dei, vt eſt pietas quædam & reuerẽtia, qua Deum ſupplici & religioſo animo colũt, & reuerentur. Veruntamen nihil eſt de hac quæſtione cur in præſentia dicamus, poſtea in proprio loco diſputaturi.

Aug. lib. 9. de ciu. c. 6. Quartò quæritur, An Angeli habeant Affect⁹; Reſpõdeo, Eos omnino carere affectibus, & motibus qui ad appetitum ſenſus ſpectãt, quòd planè liquet. Deinde affectus appetitus rationis, hoc eſt, voluntatis, conueniunt Angelis: poſſunt enim inuidere, amare, cupere, odiſſe, gaudere, contriſtari, iraſci, ſuperbire, ambitione & inani gloria permoueri. Et ſermo eſt de Angelis, non vt beati & felices, aut æterno iam ſupplicio damnati, & ſua culpa deprauati ſunt: ſed vt conſiderantur à nobis abſolutè ex eo, quod habent naturæ ſuæ conditione.

S. Tho. p. 1. q. 91. ar. 2. ex Aug. li. de ciu. 14. c. 10 Occa. 26 Gli. de corrept. & gratia c. 11 & Theolog. 12. d. 29. Quintò quæritur, An in primis noſtris parentibus ante lapſum fuerint affectus? Reſpondeo ex communi omnium Theologorum ſentẽtia, quam à Patribus acceperunt, in eis non fuiſſe affectus, qui in malo verſantur; nec affectus, vt nimij ſunt & immodici; nec vt rationem præueniunt, aut recuſant, aut deſerunt, aut ad ſe renitentem pertrahunt: neque vt ſubitis motibus corpus perturbant, & commouent, quia ſunt in gratia, & ſanctitate, Dei beneficio conditi, magna prudentia & ſapientia præditi & ornati, diuinis ſingularis prouidentiæ præſidijs muniti & inſtructi: quorum omnium auxilio omnes animi affectus in debito virtutis officio continebant: ita vt motus etiam arcerent, & auerterent à ſe, quibus corpora noſtra, ex rebus imaginatione ſubita perceptis, aut conceptis, coloris & ſanguinis mutationem patiuntur.

S. Th. 1. 2. q. 83. art. 3. & 2. Sextò quæritur, An affectus inſint in nobis ex peccato primorum parentum contracti, an verò ex ipſa naturæ noſtrę cõſtitutione ſuſcepti? quod eſt quærere, An affectus ſint nobis innati, & inſiti tanquam naturales effectus, an verò ſint primi peccati pœna? Reſpondeo, Philoſophos, vt qui peccatum originis ignorauerunt, docuiſſe, affectus eſſe naturales, hoc eſt, naturæ noſtræ conditiones. Nos tamen fide diuina illuſtrati, idem de affectibus credimus quod de morbis corporis. ſicut enim morbi corporis ex parte naturales ſunt, quia natura noſtra ex ſua conſtitutione eſt morbis obnoxia, nihilominus tamen ſunt primi peccati pœna; quoniam ſi primus homo ſeruata lege Dei, in gratia & ſanctitate, in qua fuerat diuinitus procreatus, ſeſe continuiſſet, naturam liberam à morbis, & ægritudinibus, qualem acceperat ſibi ac poſteris, beneficio ipſius Dei, non autem humanæ naturæ conſtitutione in omnes poſteros traduxiſſet; quia tamen peccatum admiſit, naturam gratiæ & ſanctitatis munere deſtitutam, & proinde morbis obſtrictam in poſteros tranſmiſit. Ita quoque ſi liber à peccato perſiſteret, naturam liberam ab affectibus cum ratione pugnãtibus in poſteritatem omnem transfunderet: Vèrùm quoniam peccato infectam naturam propagatione cum poſteris communicauit, trãſmiſit quoq; eam affectibus rationi obnitentibus ſubiectam. Poſtremò ſciendum eſt affectibus appetitus animalis, totidẽ in voluntate ſimiles affectiones reſpõdere: nam voluntas, ſua bona amat præſentia vel abſentia, odit contraria, expetit & optat habere bonum, quod amat, & non habet, in adepto dèlectatur, ſperat quoque, metuit, deſperat, deteſtatur, iraſcitur, triſtatur, & dolet. eos autem volũtatis motus ratio temperat, moderatur, ſedat, componit, excitat, confirmat, prout expedire perſpexerit.

Cap. XX.

De habitibus, Quid ſint & in quibus facultatibus hominis habitus comparentur.

PRIMO quæritur, Quid ſit habitus: Reſpondeo, Tria eſſe in anima ex Ariſtotelis ſententia communi Theologorum conſenſu recepta, affectus nempe, Facultates & Habitus. De affectibus hactenus diximus: reliquum eſt, vt de habitibus pauca dicamus. *Ariſt. li. 2. Ethi. ca 5.*

Animaduertendum eſt, facultatem animæ eſſe vim & partem, qua anima certum actum, certam functionem, & opus ſuum præſtat. Et quando animæ facultas ſuo officio fungi non poteſt niſi alicuius corporei inſtrumenti præſidio, eiuſmodi facultas dicitur corporalis; cuius generis ſunt vires ſenſuum. Ea vero facultas ſpiritualis eſt, quæ ſuam poteſtatem exercet; & ſui muneris functionem & opus facit ſine vllo inſtrumenti adminiculo, vt eſt intellectus ſiue mens & voluntas. Porrò quanquam facultas animæ ſecundum probabilem quorundam Theologorum ſententiam, re ab anima non differt, ſed ratione, ita vt facultas animæ ſit eadem res, quæ anima: Diſtinguuntur tamen facultates animæ inter ſeſe, vel inſtrumento, quo vtuntur, vel officio, quod obeunt, & præſtant, vel obiecto & materia, in qua verſantur, & propterea anima iuxta eorum ſententiam, quatenus verum cognoſcit, & percipit, eſt intelligendi facultas; quatenus verò bonum iam cognitum amat, & appetit, eſt voluntas: vt ſuſceptas vel conceptas rerum imagines conſeruat, & retinet, eſt Memoria: Denique vt per oculos quippiam videt, vel per aures ſonos percipit, eſt videndi vel audiendi facultas. Habitus verò eſt quædam qualitas extrinſecùs accedens, & in

ipsa animæ facultate inhærens: animæ facultas dat homini, vt simpliciter possit operari, sed habitus non præstat ei, vt simpliciter possit agere siue facere, sed vt certo modo suos actus & opera exequi, & obire queat. Habitus igitur est qualitas comparata, & acquisita ex repetitis frequenter actibus facultatis animalis, quæ assuescit: quę qualitas post facultatis actum permanet, & ad actus similes his, ex quibus genita est, mouet. Dicitur *acquisita ex actibus*, quia solùm sermo est de his habitibus, qui nostris actibus efficiuntur, non de his, qui Dei beneficio infusi accipiuntur. Dicitur, ex actibus facultatis animalis: quia ex actibus facultatis absque vlla cognitione operantis habitus minimè comparantur. Dicitur quæ assuescit, quia sensus externi in suis obeundis muneribus non assuefiunt, & ideo habitus operando non efficiunt, non gignunt.

Secundò quæritur, Cuius rei gratia habitus sit necessarius? Siquidem facultas potest simpliciter absque habitu sua opera præstare, & officio suo fungi. Respondeo, Habitum esse, vt facultas facilè, promptè, & expeditè suos actus & functiones exequatur. Per facultatem sumus habiles, apti & idonei ad agẽdum: per habitum verò prompti & parati: per facultatem multa possumus, sed per habitum absque difficultate & molestia operamur. Item per facultatem sumus robusti & valentes effecti, sumus nati ad varia opera; sed per habitum, ad certum genus operis sumus accommodati, & expediti. Præterea per facultatem sumus ad agendum idonei & appositi, sed inconstantes & leues; per habitum firmamur, & roboramur: quicunq; enim ex habitu quippiam agit, id firmè & constanter efficit; quoniam ad id faciendum est exercitatus, est assuetus.

Tertiò quæritur, An habitus vna cum facultate totam actus substantiam efficiat, an verò sola facultas per se actus substantiam, & habitus modum tantùm producat? Duplex est opinio, Prima ait, Habitum nec esse ad substãtiam actus, nec ad vehementiorem actum producẽdum, sed hæc duo à sola facultate præstari: habitum verò solum tribuere, vt actus facilè, expeditè & constanter fiat. Huius sentẽtiæ est Dur. 3. *d.* 23. *q.* 2. & 3. Sed ante ipsum idem sensisse videtur Scot. 1. *d.* 17. *q.* 2. Secunda opinio docet, totam substantiam actus, & à facultate & ab habitu proficisci: ita opinantur S. Tho. 1. 2. *q.* 49. *a.* 3. & Cai. *eo loco*. Ocham. *quodl.* 3. *q.* 20. & 21. Gabr. 3 *d.* 23. *q.* 1. *art.* 1. Almai. *tract.* 1. *Mora. cap.* 20. Maior. 3. *d.* 23. *q.* 4. quę sententia est communis & vera: Nam modus actus non est aliquid re distinctum ab actu: si ergo modus actus a habitu fit; consequitur vt substãtia actus ab habitu producatur: facultas enim & habitus sunt duæ causæ inter se coniunctæ ad actum præstandum. Ita tamen sunt inuicem connexæ & copulatæ, vt facultas per se absque habitu possit suum actum & officium obire, vnà tamen cum habitu id præstat facilè, promptè & firmius. Habitus verò eius est naturæ & conditionis, vt quamuis ingens magnitudine sit, nunquam absque facultate actum producere queat. Obijcies; Actus vitæ, cuiusmodi sunt intelligere, cupere, amare, velle, ideo vitæ sunt, & dicuntur, quia à principio intrinseco oriuntur; sed habitus est extrinsecum principium, ergo a sola facultate actus vitæ nascuntur. Respondeo, Ad actum vitæ requiri quidem principium internum & innatum: non tamen opus esse vt omne principium sit intrinsecũ: nam actus etiam vitę fieri nequeunt absq; Dei auxilio, quod tamen extrinsecum est.

Quartò quæritur, In qua facultate animæ, vt in subiecto habitus insit? In quare sunt sequẽtes controuersiæ, Prima, An in aliquo corporis mẽbro ponendus sit habitus: Secunda An in brutis animantibus: Tertia An in aliquo sensu externo: Quarta An in sensibus internis: Quinta An in appetitu rationis circa proprium voluntatis bonũ honestum. Tota huius rei controuersia in eo fita est, vtrum habitus in ea facultate constitui debeat, quæ non est ad vnum tantùm, sed ad multa & varia opera propensa. Duæ sunt opiniones. Prima tradit eam facultatem habitu egere, quæ potest benè vel malè operari: in ea verò, quæ non est æquè ad bonum & malum, nullum habitum poni: ex quo huius auctores sententiæ inferunt, in corpore, aut in corporis membris, & sensibus externis nullum habitum inesse. Rursus voluntatem ad proprium bonum honestũ propensam, habitum non acquirere. Verùm contra hanc opinionem alij putant se multa valide concludere: quia Intellectus ad assentiendum primis principijs est natura propensus, & tamen Aristoteles in eo habitum circa prima principia cõstituit. Deinde experiẽtia apertè indicat habitus esse in facultatibus sensuum, quæ tamen corporis vires sunt: nam vsu & exercitatione facultates eiusmodi faciliùs, promptius & constantius operantur. Item voluntas licet ad bonum in vniuersum sit per naturam procliuis, & proinde habitu non egeat, vt velit, & appetat bonum generatim acceptum, vel beatitudinem simpliciter amet, seu vt se diligat; non est tamen ad bonum honestum ita naturaliter prona. Secunda opinio docet habitũ collocari in omni facultate animali, quę assiduitate & consuetudine redditur promptior & expeditior ad agendum: & hæc opinio quibusdam magis ad veritatem videtur accedere: ita Scot. 3. *d.* 33. *q.* 1. *ad* 3. Ocha. *quodlib.* 3. *q.* 17. *quodlib.* 2. *quæst.* 10. & *in* 3. *quæst.* 10. & *quæst.* 11. Gabr. 3. *d.* 23. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. Almain. *tract.* 1. *Mora. cap.* 17. Mai. 3. *d.* 23. *quæst.* 2. immò etiam Dur. 3. *d.* 23 *quæst.* 1. *ad* 1. Ex quo deducũt: Habitus poni debere in corpore & corporis membris. Cytharœdi enim, inquiunt, vsu & exercitatione experiũtur manus promptiores: textores quoq; & saltatores assiduè texendo, & saltando pedes manusq; habent expeditiores: pari modo scriptorum & pictorum manus redduntur faciliores scribendi & pingendi assiduitate: lingua etiã, si quis frequenter peieret, assuescit periurijs. Deinde inferunt in sensib⁹ internis vsu, & assuetudine habitus comparari: Nam imaginandi vis, & memorandi promptior efficitur. In sensib⁹ tamen externis habitus non acquiritur, quia huiusmodi sensus nũquam experimur assiduitate reddi prõptiores, eo quod nihil percipiant, nisi præsens adsit id, quod sentiunt: sensus tamen interni rerũ absentium imagines effingunt & concipiũt. Colligunt itidẽ in mẽte, & intellectu habit⁹ esse, quia frequẽti vsu assuefacta mens faciliùs, expediti⁹ & hi mi⁹ intelligit, recordat⁹ & appetit. Præterea sen-

terea sentiunt, in appetitu sensus etiam habitus inesse, quia crebrò operando assuescit, & fit ad aliquid appetendum vel respuendum promptior, & expeditior: eadem ratione appetitus rationis, assiduitate agendi sibi varios artium, & disciplinarum habitus comparat. Postremò docent, in appetitu rationis inesse etiam habitus virtutum circa proprium bonũ honestum: nam voluntas frequenti vsu temperanter & fortiter agendi, fit expeditior & exercitatior. Similiter censent, etiam in brutis animantibus habitus acquiri: nam vsu & exercitatione progredi, redire, se in altum attollere, saltare: immò etiam certos sonos, & voces edere assuescunt, faciliusq; deinde & constantius operantur, vt satis superque, inquiunt, experientia demonstrat. Hæc illi. Vt exactè has opiniones intelligamus, sciendum est, Scotum & eum secutos Durandum, Ocham, Gabrielem, Almainum, & Maiorem locis supracitatis habitus posuisse in corpore, hoc est, in membris corporis, in brutis animantibus, in sensibus internis, in intellectu, in vtroque appetitu tum rationis, tum sensus: solùm negasse in virib⁹ ex necessitate naturæ facientibus, & in sensibus externis: quia generatim habitum constituunt in omni facultate, & parte corporis, quæ assuefieri potest, eo quod assuetudine, & exercitatione fit expeditior, & promptior ad agendum: item assuetudine & exercitatione fit, vt deinde etiam in subitis, & repentinis casibus operemur; quod est argumentũ, & signum habitus assuetudine comparati. Cæterùm S. Tho. negat vllos esse habitus in membris, aut externis sensibus corporis, quia naturaliter mentis imperio parent, & ab anima naturaliter mouentur. Nullos quoq; in belluis verè, & propriè habitus, nisi quadam ex parte constituit ac ponit: bene tamen in sensibus hominum internis ad facilè recordandum, cogitandum, & imaginãdum, & in sensibus belluarum internis, quibus ipsæ belluæ cõsuetudine facilè recordantur multarum rerum, multa discũt, multa factitant, quamuis nullo voluntatis imperio, vt homines hisce quasi habitibus vtantur: in illis enim manent impressæ non solùm rerum absentium imagines, sed etiam quædam qualitates, quæ sunt actionum præteritarum simulacra, quibus recordantur belluę, se hoc vel illud iter sæpius fecisse, se verbere vel fuste percussa frequenter fuisse: sic vel aliter membra corporis agitasse, saltasse, cucurrisse. In intellectu similiter ponit S. Thomas habitus ad facilè & expeditè cognoscendum, in voluntate ad volendum, & amandum facilè & promptè bonũ alterius: negat tamen vllum esse in ea habitum ad volendum, & amandum id, ad quod est naturaliter ꝓpensa; veluti ad se diligẽdum, tuendum & cõseruandum; ad appetendum bonum generatim acceptum, vel ad amandã beatitudinem vniuersè sumptam; nec enim indigemus habitu, quo velimus esse felices, hoc est, nos bene in omnibus habere, & malo carere. Et ita non potuit habitum S. Doctor, in voluntate ad odio habẽdum, & respuendum malum vniuersum acceptum, & miseriam generaliter quoque sumptam: natura etenim nolumus esse miseri. Ponit itidem habitus in appetitu sensus ad retinendos, & tẽperandos animi affectus, qui in eo dominantur & vigent. Et hæc tota opinio est multò probabilior & verior. Nec enim est, quòd habitum ponamus in manu citharœdi, pictoris vel scriptoris assuefacta pulsare instrumẽta musica, pingere vel scribere, aut in pede textoris, vel saltatoris, aut in lingua assueta mendacijs, periurijs & cantibus. Hæc enim membra menti ipsi naturaliter obediunt: & quamuis linguam, & manum assuetam esse dicamus; nihil tamẽ aliud dicere volumus, nisi hominem assuetum esse sermoni, cantui, vel saltationi, quia se & membra corporis in ijs & alijs similibus diu exercuerit: & propterea in animo & internis eius sensibus habitum, exercitatione comparauerit, quo facilè & promptè corp⁹, & eius membra quò vult, mouet & agitat, contorquet, flectit, & ducit, eaq;, cum menti naturaliter pareant, facilè & expeditè mouentur. Dices, si pictori, aut saltatori, aut textori alia man⁹ vel pes daretur, nõ ita facilè & expeditè saltaret, pingeret, texeret; ergo in manu vel pede eius exercitato habitus est comparatus. Item si Deus alicui subitò habitum ad pingendum, saltandum, texendum infunderet, non facilè & promptè saltaret aut pingeret, vel texeret, ergo non ob aliud, nisi quia manus, vel pes habitum nõ haberet. Respondeo, non esse huius causam, quòd manus, vel pes habitum comparet: sed causam esse, quòd homo artè pingendi, texendi, saltandi, pulsandi cytharam, scribendi sic vel aliter, loquendi, cantãdi, acquisierit in animo non quomodocunq;, sed ex actibus sæpius repetitis, quibus frequenter sui corporis hæc & non alia mẽbra exercuerit: ergo in manu habitus non est. Et hinc etiam est, vt sic assuefacti homines, in subitis, & repentinis facilè operentur, quia ex habitu in animo cõparato factitant. Pari ratione dormientes, somniantes, in amentiam & furorem acti, multa sæpius actitãt, de quibus nihil ante cogitauerant, quia rerũ absentium imagines in animo conseruant & retinent; quæ sic vel aliter compositæ, hoc vel illud referunt, & præter animi cogitationem homines mouentur. Eadem quoq; ratione cytharœdus etiam in tenebris recto ordine cytharã pulsat, non quia in manu, sed quia in animo habitum tenet, quo rectum ordinem in pulsando seruat, & manum mouet. Negare tamen non possumus, quin assiduo labore, & exercitatione membra corporis ad cursum, ad motum, ad actionem expeditiora reddantur, nõ quia habitus comparauerint, sed qualitates corporales, cuiusmodi sunt calor & siccitas, & aliæ similes, quæ magis iuuant ad actionem & motum, quàm frigus & humor & alia huiusmodi, quibus solent membra corporis torpere, retardari, & impediri: fiunt enim corpora nostra exercitatione ficciora, firmiora, & validiora: nam motu recalescũt. Sed inquies, quid de belluis dicendum, quæ longa cõsuetudine facilè & expeditè saltant, cantant, & humanas voces referunt, & alia multa promptè & expeditè factitant, & cõsuetudine domantur & mansuetæ reddũtur. Respondeo, eas artem non acquirere, vt solent homines comparare; sed in eorum sensib⁹ internis imprimuntur rerum absentium, & actionũ etiam præteritarum imagines, quæ diuturna consuetudine, & exercitatione conseruatę, facilè sese sensibus offerunt, & referunt ea, quorũ

S. Th. 1. 2. q. 50. art. 1. S. Th. 1. 2. q. 51. art. 3. ad 2.

similitudinem gerunt, ac propterea hisce rerum imaginibus excitatæ belluæ facilè, & expeditè multa factitant. Sic etiam insani, amentes & pueri quibusdam rebus assueti citò mouentur, manent enim rerum, & præteritarum actionum simulacra & imagines, quibus facilè recordantur, se sic vel aliter actitasse, factitasseue, indeque facilè ad motus ferûtur. sic aliquis assuefactus quotidiè summo mane è lecto surgere, citò ac promptè surgit. Non igitur est cur Scotus, & alij arbitrentur, habitus in membris esse ponendos, quia assueti facilè ac promptè etiam in repentinis casibus factitemus: assuetudine enim & exercitatione comparatur habitus, sed in ea facultate, quæ capax sua natura est; cuiusmodi membra, & externi sensus humani corporis non sunt. In cæteris verò, quæ habituum capacia non sunt, rerum absentium & actionum præteritarum imagines, & simulacra gigni, & imprimi possunt, quæ ad motus plurimùm iuuant. In hominis igitur animo est habitus, quo facilè & promptè corp⁹ mouet, non in corpore, quod animo naturaliter pareat.

Cap. XXI.

Quomodo habitus acquirantur.

AN aliqui habitus per naturam sint in ijs, in quibus insunt. Tota ratio dubitandi est de habitu primorum principiorum, quem Aristoteles ponit in mente, *secundo libro Posteriorum.ca.vlt.* Respondeo nullum habitum esse innatum & insitum: quia habitus, vt ante iam dixi, in hoc à facultate distinguitur, quòd facultas est ingenita naturæ; habitus verò vsu ac exercitatione comparatur. Item si habitus per naturam esset, simpliciter vim agendi præberet, quod est proprium facultatis. Postremò, habitus est, quo facultas animæ ad agendum habilis aptaq; redditur: sed hoc non fit, nisi vsu & cõsuetudine frequenti. In præsentia verò habitum non accipimus fusè & latè, sed pressè & strictè: nam habitus etiam passim vocãtur valetudo, pulchritudo, robur & vis corporis homini à natura data. De habitu principiorum, qui dicitur intellectus, est peculiaris controuersia, an sit acquisitus, an innatus. Durandus ait, habitum primorum principiorum esse ipsam vim & facultatem naturæ ad assentiendum primis principijs per se naturaliter notis: habitum verò aliorum principiorum, quæ prima nõ sunt esse generatum in nobis ex primis principijs. Richar. 3. d. 23. *art.* 1. q. 2. per habitum primorum principiorum intelligit ipsam intelligendi vim, & facultatem, quam etiam sententiam Sotus. *lib.* 1. *de iust.* q. 4. a. 1. videtur sequutus. Scot⁹, teste Almaino *tract.* 1. *Mora.ca.* 17. nullum ponit in mente habitum primorum principiorũ, eo quòd intellectus naturaliter primis principijs præstat assensum, vnde habitum principiorum quem Aristoteles posuit, intelligit esse habitum, quo assentimur ijs principijs, quæ ex primis per se notis certa demonstratione colliguntur. Caietanus putat, habitum primorum principiorũ, naturaliter gigni ex actu quo primis principijs assentimur. Nam statim vt eiusmodi principijs assensum præbem⁹, pullulat in nobis huiusmodi habitus. Alij verò existimant, esse cum intellectu ab Auctore naturæ nobis inditum, Sicut enim, inquiunt, in Angelis sunt ab Auctore naturæ rerum imagines acceptæ, & disciplinarum naturalium habitus inditi: sic etiam in nobis intellectus à suo Cõditore habitum primorum principiorum accepit. Et hinc est, vt primis principijs tum ad speculationem, tum ad actionem pertinentibus subitò assentiamur: huiusmodi sunt, omne totum est maius sua parte: quodlibet est, vel non est: si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanẽt sunt æqualia: omne bonum est amplectendum, malum est fugiendũ.

Cæterùm Aristoteles *2. libro Posteriorum cap. vlt.* planè docere videtur, habitum primorum principiorum esse ponẽdum, & distinctum à vi, & facultate intelligendi; & ab eo habitu, quo assentimur ijs, quæ ex primis principijs cõcludendo cognoscimus. Item habitum primorum principiorum non esse naturæ innatum, & insitũ, eo quod vt ibidem tradit, inductione singularia colligẽdo, eum habitum comparamus, vnde fit, vt ab habitu artis, & disciplinæ omnino differat: nam disciplinam siue doctrinã, siue scientiam ex primis principijs per se notis demõstratione cõficimus: at habitum primorum principiorum, non demõstratione, sed inductione, & singulariũ enumeratione comparamus. Et alibi docet intellectũ nostrum esse tanquam tabulam rasam, in qua nihil est depictum. Non igitur est cum natura acceptus habitus primorum principiorum, sed inductione acquisitus. Est quidem data homini naturalis facultas, qua primis principijs, non ex alijs principijs assentitur, sed experientia, qua singularia sub communi principio contenta percipit. Sed dices: natura, quæ nõ nisi vnum facere potest, habitu non indiget, nec enim grauia, vt deorsum ferantur, aut leuia vt sublime petant, egent habitu: nec ignis, vt exurat, vel aqua, vt refrigeret: at intellect⁹ naturaliter primis principijs assentitur, ergo habitu non eget. Deinde intellectus assiduè se exercens in assentiendo primis principijs, nequaquam fit expeditior, & promptior; ergo nullum omnino habitum acquirit. Respondeo, habitum principiorum non dare intellectui vim, qua assentiatur, sed facultatem, qua facilè, promptè, & expeditè inductione singularia numeret, & commune principium concludat, & ei præstet assensum, hoc enim assiduitate, & exercitatione concludendo ex singularibus comparamus.

Secundò quæritur; An ex vno actu habitus cõparetur. sunt duæ opiniones, vna negat vllũ habitum vno tantum actu acquiri, præter habitum disciplinæ siue scientiæ, qui vna demonstratione generatur in nobis, eo quod demonstratio intellectum penitus conuincat: ac propterea conuictus intellectus statim conclusioni ex primis principijs necessariò & euidenter cõfectæ assensum præstet. Altera opinio affirmat, quemcunque habitum ex vno actu produci; quia quilibet actus etiam primus, quippiam efficit: sed non aliud nisi habitum. verùm certè vt Aristoteles dixit, vna hirundo nõ facit ver, sic nec vna dies beatum, nec vnus actus fortem vel temperãtem. Habitus item assiduitate & labore comparantur, ergo non fiunt nisi ex actibus identidè repetitis. Accedit, q⁹ vis, & facultas non redditur expeditior,

Dur. 2. d. 24. q. 1. & in 3. d. 33. q. 1. ad 2.

Cai. t. 2. q. 51. art. 1.

Arist. li. 3. de ani. t. 4.

S. Th. 1. 2. q. 51. art. 3.

Gabr. 3. d. 23. q. 2. ar. dub. 4. Almai. 3. d. 23. q. 2. ar. 3. Dur. 2. d. 17. qu. 1.

& prom-

Ma.3. dist. 23.q.3. Hēri.quodl.5. q.16. 1. Ethic. 7.

& promptior nisi assidua exercitatione. Hæ duæ opiniones conciliari facile queunt. Prima enim opinio habitum vocat, generatim qualitatem ex actibus productam, mouētem nos ad actus similes his, ex quibus est cōparata. Et ita per primum actum incipit habitus acquiri; totus enim habitus per partes, nō simul comparatur, & gignitur. Secunda opinio habitum intelligit qualitatem generatam in nobis, qua facilè, promptè & expeditè facimus actus similes his, ex quibus est genita. hæc enim qualitas nonnisi ex actibus frequenter iteratis efficitur; illa verò potest vno tantum actu comparari. Sic enim habitus scientiæ, vnico duntaxat actu generatur in nobis; & habitus virtutum moralium, non nisi ex multis actibus generantur, artes similiter longo labore & assiduitate, & exercitatione comparantur: immò ipse habitus scientiæ, vt reddit hominem expeditum, & promptum ad colligendam conclusionem ex principijs, vnde conficitur, consuetudinem colligendi requirit: nam consuetudine & exercitatione facile, & promptè ratiocinamur, & expedite concludimus ex vno aliud colligentes: hoc enim præstat etiam habitus scientiæ; sicut ars vsu & exercitatione comparatur, sic & ipsa recta ratio ratiocinandi, & demonstrandi confirmatur ex actibus sæpius repetitis.

Tertiò quæritur, An cum habitus in nobis acquiritur ex multis actibus frequenti exercitatione replicatis, incipiat statim per primum actum fieri & acquiri? Duæ quoque sunt opiniones: vna est negantium, per primum actum, habitum gigni; sed tantùm vim & facultatem præparari, & aptari ad hoc, vt frequenter actibus repetitis, habitum sibi comparet ato; suscipiat, sicut vna aut altera pluuiæ gutta lapidem nō cauat, sed ad hoc accommodat, vt vltima, vi & potestate priorum guttarum lapidem excauet.

S. Tho. discipula. 1.2. q.51. art.3.

Altera opinio affirmat, in vniuersum per quēcunque actum, etiam primum, ex parte habitum acquiri, & deinde actibus iteratis habitum ante acquisitum augeri, roborari, firmari & perfici: ita vt ab initio per partes cū tempore comparetur: habet enim habitus magnitudinem quandam, & ideo per primum actum incipit, deinde crescit, & tandem confirmatur. Ita sentiunt Henri. Duran. Gabriel. Almai. Maior *in locis supra citatis quæst. superiori.* Vtraque sententia à quibusdam hunc in modum conciliatur. nam prima habitum sumit, vt est qualitas quædam, qua facultas redditur expeditior, & promptior ad eliciendos actus similes his, ex quibus est facta; hæc enim qualitas per primum actum non fit, sed assiduitate & exercitatione. Secunda opinio, habitum intelligit qualitatem mouentem hominem ad producendos actus ijs similes, ex quibus est initio genita. Ipse verò aliter dicendum existimo; habitum scilicet, quo prompti ac expediti reddimur ad aliquid efficiendum, per partes acquiri, quoniam intensione est maior & minor; & quilibet actus habitum ex parte producit, qui tandem augetur, ac propterea per primum actum generatur in nobis habitus, sed imperfectus: postea verò repetitis actibus perficitur: & tunc habitu corroborato, & perfecto, redditur facultas habilior & aptior ad agendum. Non enim reddimur prompti, & expediti ad operandum habitu imperfecto, sed frequenti actuum exercitatione perfecto. habitus enim doctrinæ, vel disciplinæ quamuis vno actu comparetur non reddit hominem expeditum, & promptum ad ratiocinandum, nisi consuetudine & exercitatione roboretur.

Quartò quæritur, An habitus hominē moueat ad præstandos actus similes his, ex quibus est genitus. Respondeo ex Aristotelis sententia cōmuni consensu recepta, mouere: vt nos experientia docet: Obijcies, sit puella virgo inuita, vel nescia, vel sponte corrupta, sese semper inclinat ad actus castitatis eliciēdos, quemadmodum etiam antea; & tamen amplius in ea actus virginitatis nō sunt, quamuis sint castitatis. Pari ratione Monachus, vel Religiosus quicunque ieiunijs assuetus, & postea in morbum lapsus, ex habitu mouetur ad ieiunium, quod in eo ægrotante actus temperantiæ aliquando non est. Dives itidem liberalis, & magnificus ad inopiam inuitè vel voluntariè redactus, vel Religionem professus, ex habitu incitatur ad pecuniam liberaliter dādam, & magnificè impendendam: qui actus liberalitatis & magnificentiæ non sunt, cum in eo culpa vacare non possint. Respondeo, cum Maiori. 3. distinct. 23. q. 5. per habitum sese hominem inclinare ad actus eiusdem speciei, cuius fuerunt actus, ex quibus est habitus cōparatus, sed quod sint eiusdem speciei actus antecedentes, & consequentes habitum, hoc ideo est, quia omnes in eodem obiecto & materia versantur; ac propterea eorum actuū substantia & natura est eiusdem speciei; quamuis quod ad genus morum spectat, sit ratio diuersa: actus enim priores fuerant in genere moris virginitatis temperantiæ, liberalitatis & magnificentiæ: cum tamen posteriores tales non sint; eo quod sit facta mutatio, ex accedenti ratione personæ agentis aliter se habentis: at verò quod attinet ad substantiam & naturam actuum sunt actus eiusdem speciei, hoc est eiusdem naturæ & substantiæ. Secundò obijcies; habitus principiorum mouet hominem ad assentiendum conclusionibus inde deductis. Respondeo mouere quidem proximè ad assentiendum principijs: remotè verò conclusionibus ex principijs confectis. Tertiò obijcies: actus, quo id, quod est ad finem eligimus, solùm mouet hominem ad eligendum, ergo habitus ex huiusmodi actibus repetitis comparatus, nō mouet ad producendos actus, qui terminentur in fine. Respondeo, actus virtutum, quibus quæ sunt ad finem eligimus, pendent ex fine, qui est ratio, qua quippiam eligimus: & propterea habitus studiosus semper mouet hominē ad eligendum, quod est vtile ad finem consequendum. Ex his perspicitur actus, ex quibus habitus comparatur, esse similes his, qui postea ex actu proficiscuntur, hoc est, eiusdem speciei: quia in eadem obiecta materia versantur, & ad eundem finem referuntur; & eidem regulæ, & rationi inituntur. Nec obstat si primi actus fiant sola vi facultatis; cum tamen sequentes ex facultate & habitu producantur. Nam quod facultas per habitum promptè, & expeditè facit, potest per se ipsa, quamuis non ita facilè præstare.

Alma tra. 1.c.21. Mai. 3.d.23. q.5. Arist.l.b 2. Ethic.ca.1. & 2.

Quintò quæritur, An ex actibus in appetitu sensus frequenter repetitis, habitus comparetur.

Ocham. quodl. 2. q. 16. Gab. 3 d. 23 q. 1. a 3. du. 1. propoſit. 3.

Ocham, & eum ſequutus Gabriel probabile putarunt, nullum habitum gigni in appetitu ſenſus, quamuis frequẽter in actibus nos ipſos exercea mus, quod probant: quia appetitus ſenſus natu raliter mouetur; alioqui enim etiam in belluis habitus gigneretur. Secundò, quia ſic, vel aliter facilè, & expeditè appetitus ſenſus nos mouet, & inuitat prout eſt corpus his, vel illis qualitatibus affectum: Nam ſi calore abundet, facilè ad libidinem excitatur; contra verò ſi frigeat. Item qui abundant ſanguine, vel atra bile, vel flaua, vel phlegmate pro varietate humoris, ad hæc vel illa mouentur. Denique, poſt nimium cibum, ac potum, vel inediam, facilè ad certa quædam opera nos ipſi inclinamus & flectimus: tandem, curſu, motu, & exercitatione recaleſcimus: contra verò otio, & deſidia frigemus, inertia torpemus, medicamentis itidem his, vel illis ſumptis, ſic, vel aliter, corpus afficitur, & appetitus ſenſus facilè excitatur. Conſtans eſt omnium ſententia, in appetitu ſenſus humani, habitus exercitatione comparari: nam in eo humani affectus ſæpè dominantur: & deinde labore & aſſiduitate minuuntur, refrænantur, & cohibentur: itidem ſenſus internus habet rerũ abſentium imagines, ac proinde his vel illis rebus aſſueſcit; ſecus verò eſt de ſenſibus externis, qui non niſi res præſentes percipiunt, & ideo non aſſueſcunt. Non inficiamur, corpus ſic vel aliter affectum ad hæc vel illa incitari prout magis minuſúe incaleſcit, aut friget. Cæterùm negandum non eſt, quin habitus generẽtur in appetitu ſenſus: ſiquidem facultas, quæ ſua natura capax eſt habitus, ſi aſſueſcat aliquid facere, habitum ſibi comparat: nam pari ratione, in memoria, phantaſia, intellectu, & voluntate habitus acquiruntur. Belluę verò in appetitu ſenſus habitus non comparant, ſicut nec artes in ſenſibus internis, ſed rerum abſentium imagines & ſimulachra; quæ ipſis poſtea frequẽter occurrunt, ex quibus facilè mouentur: habitus enim ſunt qualitates, quibus vti poſſumus, cum volumus, quod in belluis locum non habet.

Sextò quæritur, An ex actibus habituũ infuſorum frequenter repetitis, generetur in nobis aliquis habitus, qui in nobis dicitur acquiſitus. V. G. ſunt quattuor habitus diuinitus infuſi, fides, ſpes, charitas, pœnitentia: quæſtio eſt, an actibus fidei ſępius iteratis habitus comparetur? Duas opiniones inuenio, vna eſt S. Tho. 1. 2. q. 51. a. 4. ad. 3. negantis ex actibus habitus infuſi vllum habitũ gigni; ſed priorem roborari, cõfirmari, & perfici: quod probat: nã actus virtutis infuſæ, aut generant habitum eiuſdem ſpeciei, aut diuerſę. Non primum; quoniam habitus infuſus talis eſt, vt per naturam fieri non poſſit: ſed acquiſitus habitus per naturã fieri poteſt: Non ſecundũ, quia habitus fit ex actibus eiuſdem ſpeciei. Deinde actus virtutis infuſę ſunt ſupernaturales, eo quòd per naturam fieri nequeunt, ergo habitum gignunt naturalẽ, vel ſupernaturalem: non naturalem, quia ille non eſſet eiuſdem ſpeciei, cuius ſunt actus, ex quibus comparatur: nõ ſupernaturalem, quia alioqui ex actibus noſtris non fieret, & acquiſitus habitus non eſſet. Tertiò, quia actus fidei eſt, quo credim⁹ aliquid, quia dictũ à Deo: act⁹ ſpei, quo ſperamus bona cęleſtia, & diuina, videlicet bona gratię, & gloriæ quatenus promiſſa nobis à Deo, & ab eo ſingulari beneficio habenda: actus charitatis, quo amamus Deum, vel aliquem alium propter ipſum Deum, hoc eſt, cui volumus bona diuina, aut ipſam gratiam, & gloriam ex ipſo Deo, & propter ipſum Deum: nam modus charitatis pertinẽt ad ſubſtãtiam ipſius actus charitatis: & actus pœnitentiæ eſt, quo peccatum commiſſum deteſtamur ob amorem, & charitatem Dei: at ex his actibus habitus acquiſitus fieri non poteſt, quoniam aut per illum habitum ſimiles actus produceremus, aut ſecus: ſi ſimiles, ergo in hæretico eſſet actus, quo crederet aliquid quia dictũ à Deo: & in eo, qui deſperat, eſſet actus, quo ſperaret aliquid quia promiſſum à Deo: & in peccatore eſſet actus charitatis, quo ſe vel alterum, & Deum diligeret ex ipſo & propter ipſum Deum, & eſſet actus pœnitẽtię, quo de peccato doleret ob amorem Dei, quæ ſingula ſunt abſurda: Non diſſimiles, quia vt ſæpè iam dixi, habitus nõ gignit actus niſi ſimiles ijs, ex quibus eſt genitus. Altera opinio eſt Scot. 3. d. 23. q. 1. a. 1. Henric. *quodl.* 5. q. 23. Dur. 1. d. 17. q. 10. *nu.* 21. Ocham, & Gabr. 3. d. 23. q. 1. Marſ. 3. q. 14. a. 1. Almai. 3. d. 23. q. 3. & *tract.* 2. *Moral.* c. 3. Maior. 3. d. 23. q. 3. §. *ad tertium.* B. Thom. videlicet, ex actibus habituum infuſorum habitum generari, qui eſt & dicitur habitus acquiſitus. Id probant experientia, & ratione: nam Hæreticus poſt amiſſam fidẽ infuſam, facilè, & expeditè credit, veros eſſe cæteros fidei articulos, in quibus ipſe non errat: facilè quoque & promptè, ſperat ſe conſecuturum bona cæleſtia, quæ antea, dum erat catholicus, ſperabat. Is itidem, qui in lethale peccatum lapſus charitatem amiſit, experitur ſe habilem, & promptum ad Deum amandum. Secundò quia fieri nõ poteſt, vt quis ſe in alicuius virtutis actibus ſæpius exerceat, quin habitum ſibi comparet: nam frequẽs exercitatio ſponte & voluntate ſuſcepta, reddit hominem expeditum, & promptum ad producendos actus ſimiles ijs, in quibus ſeſe diu exercuit. Tertiò quia habitus ſupernaturalis non impedit, quin homo ſe in voluntarijs actibus exerceat; ſed voluntarij actus frequenter repetiti neſſariò generant habitum, quo promptiores efficimur ad agendum. Certè hæ duæ opiniones conciliari queunt. vnde Richard. 4. *d.* 14. *art.* 4. *q.* 1. vtramque opinionem eſſe probabilem exiſtimauit. Quidam hunc in modum conciliant, dicentes, actus habituum infuſorum, quod ad eorum ſubſtantiam ſpectat, eſſe eiuſdem ſpeciei, cuius ſunt actus habituum acquiſitorum in eodem obiecto, & materia verſantes, & ſolùm differre modo, quòd videlicet illi ſunt ſupernaturales actus, hi verò naturales, hoc eſt, illi actus ſunt ex habitu ſupernaturali, ſiue ſupernaturali Dei auxilio facti; hi verò ex habitu acquiſito, ſiue auxilio Dei generali & communi; ſicut, inquiunt, quæ ſunt natura, vel arte facta, vt calor vel candor, ſubſtantia nõ differunt, ſed modo. Item ſicut furtum & homicidium per ignorantiam, vel amentiam, vel ſomnum commiſſa, ſubſtantia non diſtinguuntur ab homicidio, & furto ſciẽter, & voluntariè perpetratis: quamuis moraliter diſtinguantur; hæc enim ſunt in vitio & culpa, illa non item. Actus igitur habituum infuſorum cũ eiuſdem ſint ſubſtantiæ, cuius ſunt actus habituum

acquiſito-

acquisitorum, gignunt habitus acquisitos, nō quatenus sunt actus supernaturales, hoc est non quatenus fiunt ex habitu, vel auxilio Dei supernaturali, sed quatenus sunt eiusdem substantiæ, cuius sunt actus habituum acquisitorum: quemadmodum ex statua lignea potest generari lignum, nō vt est arte facta, sed quatenus lignea est: & ideo prima opinio cum negat, ex actibus habituū infusorum vllum habitum generari, vera est; quia nō generatur ex illis, quatenus sunt supernaturales ex supernaturali habitu, vel auxilio facti. & hoc optimè concludunt argumenta à S. Thom. proposita. Secunda verò opinio docet ex prædictis actibus habitum comparari, quia de his actibus loquitur, quatenus substantia nō differunt ab actibus habituum acquisitorum. Sed quia maximè dubium est, an actus huiusmodi substantia differant de quo statim dicā; ideo has opiniones conciliādas aliter existimo. Quapropter est animaduertendum, actus habituum infusorum, formam, & rationem habere, qua sunt quidā actus, & sunt etiam rationis, vel voluntatis opera: hoc enim commune habent actus naturales, & supernaturales, quamuis propriam rationem habeant, qua specie à se inuicem distinguantur, quatenus sunt naturales, vel supernaturales. Et quemadmodum huiusmodi actᵘˢ, siue naturales, siue supernaturales sint, ex ea ratione, qua sunt actus à nobis facti, generant simulachra quædam, & imagines, quibus recordamur nos credidisse, sperasse, amasse, & per pœnitentiam de peccato doluisse: sic etiam, ea forma, & ratione, qua sunt actus voluntarij, & à nobis sæpius reperiti, generant habitus quosdam, quibus prompti, & expediti reddimur ad credendum, ad sperandum, diligendum, & per pœnitentiam de peccato dolēdum. Quapropter iuxta primam S. Thom. sententiam, actus huiusmodi ex propria ratione, quam habent, vt sint supernaturales, nullum habitum generare queunt: sed iuxta secundam opinionem ex ea forma, & ratione, qua sunt actus voluntarij, & diu ac frequenter iterati, habitum gignunt, & pariunt: nam propria eorum ratio, qua sunt supernaturales actus, non impedit quo minus id faciant, quod ex communi ratione efficere queunt: nec enim sæpius repeti possunt, quin habitum pariant; non quidem ad supernaturaliter, sed ad voluntariè tantum, & simpliciter credendum, sperandum, diligendum Deum, & de peccatis vtcunque dolendum. Ad id verò, quod est in principio quæstionis obiectum respondeo: ex actibus habituum infusorum sæpius replicatis, habitum generari naturalem non supernaturalem; quia non fit ex eiusmodi actibus, quatenus sunt actus supernaturales, sed quatenus frequenter repetuntur: nam facultas in actibus supernaturalibus sese diu & sæpius exercens redditur expeditior & prōptior ad agendum: non quidem quod reddatur expeditior ad supernaturaliter operandum, hoc enim habet non ex vsu, & exercitatione, sed ex habitu ipso, vel auxilio supernaturali: sed eo quod sæpius credit, sæpius sperat, sæpius diligit Deum, & sæpius ob amorem Dei peccatum detestatur, fit habilis, expedita, & prompta ad credendum sperandum, diligendum Deum, & ad dolendum de peccatis, vsu & exercitatione: vnde hæreticus credit ea, in quibus non errat, non quidem ex habitu fidei infuso, sed ex assuetudine, & habitu, quem sæpius ante credendo cōparauit: nec credit ea, quia Deus dicit, sed quia est assuetus credere. Quomodo, inquies, actus, qui est supernaturalis potest naturalem habitum generare? Scotus, Durandus, Ocham, Gabriel, & cæteri respondent, posse; quia actus, V.G. credendi res fidei, naturalis, & supernaturalis, reipsa & substantia non differunt, sed modo & ratione, eo ꝙ naturalis sit per naturā, sine habitu vel auxilio Dei supernaturali: supernaturalis verò actus nō est, nisi fiat ex supernaturali habitu, vel auxilio Dei: & quemadmodū statua lignea lignum generat, nō vt est arte facta, sed vt est natura lignū, sic actus credendi, non vt est ex supernaturali principio videlicet habitu infuso, vel auxilio Dei, sed vt est actus rationis, & voluntatis sæpius iteratus, generat habitum non supernaturalē, qui vim naturæ superat, sed naturalem, qui ipso vsu & exercitatione credendi comparatur. Verum quidquid sit in hac re & difficultate, qua quæritur; naturalis actus & supernaturalis credendi differantne re, & substantia, an modo, ratione úe, videtur dicendum per actum credendi etiam ex supernaturali habitu, vel auxilio Dei profectum, si sæpius iteratur, hominem assuescere: at assuefieri non potest, quin fiat magis habilis & promptus ad credendū: nam si frequenter credidero, facilè recordor, me sæpius credidisse; facile veniunt mihi in mentem imagines rerū, quas identidem credidi. Si frequenter Deum ipsum amaui, subito recordor me id sæpius actitasse, & quia in ea re sum exercitatus, facilè me ipse inclino ad amandum. Eodem modo ad cætera, quæ sunt obiecta, respondeo.

Septimò quæritur, An actus habituū infusorum sint eiusdem substātiæ, cuius sunt actus habituum acquisitorum circa eādem obiectam materiam? Duæ sunt opiniones, prima affirmat esse eiusdem substantiæ, & solùm specie differre, modo, & ratione, videlicet quòd illi fiant ex habitu, vel auxilio supernaturali diuino; hi verò per vim naturæ, & commune Dei auxilium: & hæc opinio non solùm est Scot. 4. *dist.* 14. q. 2. Almai. 4. *dist.* 14. q. 2. Gabr. 3. *dist.* 27. q. 1. & 4. *dist.* 14. q. 1. *art.* 2. *concluſ.* 5. & *art.* 3. *dub.* 2. *vbi citat Ochamum, & Petrum Aliacensem.* & aliorum, Scoto adhærentium, sed etiam est discipulorum Sancti Thomæ, Palud. 4. *distinct.* 14. *quæst.* 1. *Cap.* 1. *dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad argumenta Aureoli*, Cai. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 4. Medin. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 4. *dub.* 2. *vers. ad argumenta respondendum est.* quanquam hic sibi contrarius esse videatur. 1. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *dub.* 2. Ait enim Sotus, *lib.* 1. *De Natura, & Gratia. cap.* 22. nullus prorsus est actus vnus singularis in vero iusto, cuius similis quantum ad substantiam esse non possit in eo, qui est extra gratiam Dei. & lib. 2. de natura, & gratia. cap. 14. propè finem docet in hunc modum, quemcunq; actum potest habere ille qui est in gratia, potest etiam quātum ad substantiam operis elicere peccator ex puris naturalibus. Immò aiunt huius sententiæ esse Sanctum Thomam, qui *secunda secundæ, quæst.* 171. *art.* 2. *ad* 3. ait, Omne donum gratiæ hominem eleuat ad aliquid, quod est supra naturam humanam, quod potest esse dupliciter, vno modo quātum ad substantiam actus, sicut miracula facere, & cognoscere

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

scere occulta, & incerta diuinæ sapientiæ: & ad hos actus non datur homini donum gratiæ habituale. Alio modo est aliquid supra naturam humanam, quantùm ad modum actus, non autem quantum ad substantiam ipsius, sicut deligere Deum, & cognoscere eum in speculo creaturarum, & ad hos datur donum gratiæ habituale. In tertio sententiarum *distinct. 26. quæst. 2.* ait: Nulla virtus est vera virtus sine gratia, nec ipsa charitas: vbi, vt ait Sotus, significat actum esse posse charitatis, quòd ad substantiam attinet absq; gratia. Et idcirco absque modo charitatis. Probant igitur prædictos actus substantia non differre, sed modo, & ratione siue specie, quia testimonio humano potest quis credere ea omnia, quæ fide diuina credimus: potest enim Caius Titium docere, Deum esse vnum & trinum, & cætera, quæ fide Catholica profitemur: & Titius cum credat Caium esse veracem, ei fidem habet. Et ideo eius testimonio motus credit vera esse, quæ fides Catholica tradit. Pari ratione potest sperare consecuturum se bona cælestia, & diuina, videlicet bona gratiæ & gloriæ, quia credit Caio, dicenti ea bona esse expectanda, & posse ea nos consequi. Tertiò, quia Titius fidem habet Caio dicenti, Deum vnum & trinum gratiæ & gloriæ largitorem, esse præ cæteris bonis diligendum, bonis omnibus amorem Dei anteponit Titius. Itidem vi naturæ, & rectæ rationis cognoscere potest Deum esse summum bonum, & honestum: ergo poterit eius amorem rebus omnibus anteferre; simili etiam ratione Caio dicenti, Deum peccatis nostris offendi, & oportere, vt doleamus, quia ipsum offendimus, credit Titius, & ideo de peccatis perperam factis dolet. Hi actus sunt naturales; quia in coniectura, & ratione humana innituntur, & tamen sunt eiusdem substantiç, cuius sunt actus habituum infusorum. nam in eadem obiecta materia versantur, quamuis modo & specie differant, eo quod supernaturales actus testimonio diuino, & auxilio supernaturali fulciantur, & fiant; sed naturales testimonio coniectura, & ratione humana. Probabilis est hæc opinio, & multorum auctoritate suffulta: & pro ea faciunt argumenta non infirma: primum, si fingamus Iudæum paulo ante quàm nasceretur Christus, elicientem hunc assensum, Christus nascetur, & continuantem eundem assensum nato iam Christo, idem esset actus continuatus, & ante natum Christum erat actus fidei diuinæ, post natum non item. Secundò potest quis continuare actum credendi, primum ob finem bonum, post, ob malum finem: ergo pari ratione continuare potest primum ob diuinum testimonium, post, ob humanum. Tertiò actus substantia non mutatur ob causam efficientem externam: ergo nec actus fidei ob testimonium dicentis. Cæterùm mihi huiusmodi actus substantia inter se differre videntur; quamuis putem contrariam sententiam esse probabilem, de qua re alio in loco tractabo, & argumenta contraria dissoluam: sufficit in præsentia dixisse huiusmodi actus inter se substantia distare. Nam in primis aliquid credere, quia à Deo, vel quia dictum ab homine, non videtur esse eiusdem substantiæ actus, eo quod ratio credendi est specie, & substantia diuersa: & propterea, quod testimonio credis humano, falsum esse potest; quod verò, auctoritate diuina, non item. Præterea dolor per quem peccatum detestamur amore Dei, vel studio, & causa cuiuscunque alterius boni & commodi creati, non est eiusdem substantiæ actus, quoniam idem obiectum non est. Nam vt superiore libro docuimus, electio omnino mutatur, pro varietate huius vel illius finis propositi. Vnde etiam fit, vt sperare bona cælestia & diuina, qualia sunt gratiæ & gloriæ, vt promissa à Deo & singulari eius ope & auxilio obtinenda, vel sperare eadem ex aliqua coniectura, & ratione humana, idem actus non sint; quia non est idem obiectum. Pariter quoque Deum amare ex ipso, & propter ipsum tanquam amicum nostrum amore beneuolentiæ in communicatione bonorum gratiæ & gloriæ, subnixo, vel amare ex aliqua ratione humana, & gratia alterius boni & commodi, non est idem actus. Sed Titius qui Caij testimonio & auctoritate ductus credit, quæ sunt fidei diuinæ, ratione diuina non credit. Item qui sperat bona gratiæ & gloriæ, vt à Caio sibi patefacta, & denunciata, non sperat ea vt sunt diuinitus promissa, & vt Dei auxilio consequenda. Similiter etiam Deum, vt amicum amare ex ipso & propter ipsum, & causa alterius cuiuscunque boni, & commodi, non est eiusdem substantiæ actus, quia diuersum est obiectum. Insuper dolere de peccato amore Dei, vel alia quacunque de causa, non est idem actus, quoniam obiecta differunt. Tandem quicquid sit de his opinionibus, id vnum constat eos actus ratione & specie distingui, & eum, qui credit res fidei non testimonio diuino ductus, sed humana duntaxat coniectura & auctoritate permotus, nequaquam implere præceptum de rebus fidei credendis: nam præcepta fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ non seruantur à nobis, nisi eo modo seruentur, quo voluit Deus, videlicet, nisi credamus testimonio ducti diuino, & speremus bona cælestia tanquam diuinitus promissa, & Dei auxilio obtinenda, & Deum vt amicũ nostrum diligamus ex ipso, & propter ipsum, & de peccatis doleamus amore & charitate Dei. Nam modus, quo tales actus fiunt, ex peculiari scilicet, & supernaturali Dei auxilio, vel habitu infuso antecedente ipsos actus, vel saltem consequente, pertinet ad ipsam substantiam præceptorum, vt suo loco fusius explicabo.

Cap. XXII.

Quomodo Habitus augeantur.

PRIMO quæritur, An habitus augeatur? Constans est omnium opinio, habitus in seipsis incrementa suscipere & habere, ita vt non solùm generentur, sed etiam perficiantur. Ac de infusis quidem habitibus id constat: nam Apostoli petebant à Domino, Adauge nobis fidem, & Christus dixit Petro, Modice fidei quare dubitasti? & Apostolus, vt charitas, inquit, magis ac magis abundet, in scientia, & in omni sensu: & teste Augustino: Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici: & Ecclesia Deum

Luc. 17. Matth. 14. Philip. 1. Aug. tract. in epist. Ia.

precatur:

precatur: Da nobis fidei, spei & charitatis augmentum. De acquisitis habitibus id etiam est omnibus compertum, eos duplex incrementum habere: Aut enim perficiuntur, & confirmantur in eo, in quo insunt; aut ideo crescunt, quia ad plura obiecta sese protendunt ac fundunt: vnus enim perfectiore habitu potest modo eandem rem scire, quam antea priùs perfectè callebat; aut potest scire plura quàm antea. Sed an hoc posterius ex eodem simplici habitu disciplinę sciat, an secus, magna est dissensio inter Auctores, de qua postea suo loco.

Sic Durle. Godefred. sic etiã Durã. 1.d.17 q.1.art.3. ad Scoto, & Greg. et alijs 1.d.17 refelli.

Secundò quæritur, Quomodo habitus augeatur? Tres sunt opiniones: prima docet, in omni habitus acquisiti incremento, nouam partem habitus gigni, & priorem interire. Sed hæc opinio communi est consensu, & meritò reiecta: nam infusus etiam habitus augetur, & tamen nulla pars prior abijcitur aut desinit. Cum item ex paruo fit habitus maior & amplior, non est necesse, vt pars aliqua prior intereat, satis est si accedat noua pars. Secunda opinio est. S. Thom. *1. 2. quæst. 52. art. 2. & 2. 2. q. 24. art. 5.* Aegid. *quodlib. 2. quæst. 14.* docentium cum habitus augetur, nullam partem nouam acquiri, vel accedere, nullam priorem absumi & perire, sed ipsum habitum in eo, in quo inest, magis firmari & hærere. Probant: quia docet Aristoteles *quarto libro Physico.* aliquid fieri magis calidum, non accessione calidi: sicut, inquit, fit circulus maior non accessione circuli: Et alibi tradit, rerum naturas esse sicut species numeri, quæ penitus mutantur, si quippiam addideris, vel detraxeris. Item si habitus augeretur accessione partis, aut ea pars esset numero eadem, quæ prior, aut diuersa: non diuersa, quia ex duabus partibus numero distinctis vnus habitus fieri non potest; & similiter, quia duo accidentia solo numero distincta in eodem inesse nõ possunt: non eadem, quia denuo non gigneretur, denuo non accederet. Postremò ea pars à priori differre numero non potest, quoniam vnum accidens numero ab alio accidenti distingui nequit, nisi per ordinem ad diuersas materias, in quibus sint; at pars illa noua in eadem penitus materia subiecta recipitur, in qua prior insidet; ergo à priori differre non potest. Tertia sententia est Scot. *1. dist. 17. quæst. 3.* & Henrici *quodlib. 5. quæst. 16.* Gregor. *1. dist. 17. quæst. 4. art. 1.* Gabr. *1. d. 17. quæst. 4.* & reliquorum omnium Theologorum, asserentium, in habituum accretione nouam partem generari, & priori accedere, & cum ea coniungi; & inde habitum fieri maiorem & ampliorem; easque partes vnum habitum constituere non tanquam potentiam, & actum, nec continuatione, extensione, colligationeúe vlla, sed intensione, quia sunt partes eiusdem habitus intensioris in eadem subiectæ materiæ parte inhærentes. Id probant, primò, quia intelligi non potest, habitum fieri maiorem, firmiorem, robustiorem & perfectiorem, quin aliquid acquirat. Item cum habitus augetur, noua actione crescit, ergo incrementum non suscipit, nisi aliquid acquirat: nam actio in aliquo terminatur, ergo noua actio in nouo termino. Profecto quamuis Sanctus Thomas, ad hæc facile respondere queat, videlicet actiones, aliquando non terminari in re aliqua, quæ per actionem fiat, sed in nouo modo quo res sic, vel aliter se habet: eo quòd res aliqua corporea sic soleat, etiam variè figurari: probabilius tamen videtur, habitum firmiorem, perfectiorem, intensioremúe non fieri, nisi quia noua pars gignitur, & cum priori coniungitur. Aristoteles verò cum negauit, magis calidum fieri accessione calidi, nihil aliud significauit, nisi nouam materiam, & substantiam calidam non accedere: non autem negauit nouam partem caloris produci: Et nullam partem materiæ fieri denuò calidam, quæ non fuerit antea calida: & cum docuit rerum naturas esse sicut species numerorum, locutus est de naturis rerum, quæ species constituunt, non quæ individua: hæc enim si accidentia sint, maiora, minoraque fiunt, & intenduntur ac remittuntur. Et cum quæritur, aut noua pars habitus, quæ accidit à priori numero distinguitur, aut secus. Respondeo, distingui, quia noua actione fit: sed facta & cum priori coniuncta, facit cum ea vnum habitum magnitudine scilicet intensionis.

Tertiò queritur, An actus faciat habitus incrementum? Respondeo, aut habitus est acquisitus, aut diuinitus infusus. Si acquisitus, tunc actus est causa efficiens incrementi: nam quemadmodum actus, vt causa efficiens habitum gignit: sic etiam auget, confirmat, & perficit. Si à Deo infusus sit habitus, tunc noster actus non est causa efficiens incrementi, quia sicut initio Deus, vt causa efficiens facit & infundit habitum, sic conseruat, auget, & perficit. Cæterùm noster actus aliquando meretur incrementum habitus infusi, aliquando verò non meretur: sed præparat hominem, vt habitus augeatur. Verbi Gratia, In homine iusto Dei gratia prædito, actus charitatis, fidei, spei, aut pœnitentiæ, cum sint gratia formati, merentur eorum habituum incrementum: in peccatore verò, in quo manent fides & spes, charitatis forma & vita priuatæ, augeri possunt, quia potest peccator actus fidei, & spei maiores & vehementiores, & intensiores elicere, qui actus cum sint peccatoris Dei gratia carentis, non merentur, sed sunt debitæ, & legitimæ præparationes, quibus ipsi habitus augentur. Deus enim constituit, vt statim atque actus fidei, vel spei fuerit intensior, habitus incrementum suscipiant, auctiores, & maiores effecti. quidam fatentur etiam in peccatore habitum fidei, vel spei augeri merito hominis feruentiorem actum producentis: sed existimo eos meritum accipere ipsam hominis præparationem, quà fidei, vel spei actum maiorem habitu producit peccator. habitus verò pœnitentiæ, quia núquam sine charitate est, non crescit nisi in homine iusto. Et ideo actus pœnitentiæ non solùm est tanquam debita, & legitima hominis præparatio ad consequendum incrementum, sed etiam illud promeretur, quia est actus qui ex impulsu, & imperio charitatis existit.

Med. 1. 2. q. 51. art. 2. dub. 2.

Quartò quæritur, An quilibet actus augeat habitum? Respondeo: aut habitus est acquisitus, aut infusus. Si acquisitus, tunc opinio est Sancti Thomæ intensiores actus augere habitum: æquales verò præparare hominem ad hoc, vt tandem habitus augeatur; remissiores autem, nec

S. Tho. 1. 2. q. 52. art. 3.

augere,

augere, nec ad incremẽtum, sed potius ad interitum præparare. Hoc vltimum probant ex Aristotele, *secundo Ethic. cap. 2.* vbi docet; sicut corporis vires, & valetudo paruo labore & exercitatione modica minuuntur, sic etiam habitus. Scoti verò, Henrici, Durandi, Gabrielis, & cęterorum Theologorum sententia est, habitum acquisitum augeri quocunque actu etiam remissiori; quia quilibet actus facit partem habitus. Item quia quisque operando fit exercitatior: ergo expeditior & promptior. Quidã hasce duas opiniones in hunc modũ conciliare contendunt: nam Sanctus Thomas (inquiunt) habitum intelligit, qualitatem frequenti vsu, & exercitatione comparatam, & qua redditur homo promptior ad agendum: hæc qualitas non nisi multis actibus repetitis expeditiorem facit hominem ad operandum: quoniam supra diximus, nec vno, nec quolibet actu vim nostram agendi effici promptiorem. Scotus verò & alij, habitum accipiunt qualitatem genitam ex nostris actibus, qua mouemur ad producendos alios actus similes his, ex quibus est acquisita: Et hæc qualitas vno actu generatur, & deinde singulis actibus perficitur. Mihi verò non videntur hæ duæ opiniones posse facilè conciliari. Præterea cum Sanctus Thomas ait remissiores actus ad interitum habituum, non ad incrementũ præparare, non hoc ideo dicit, quia actus remissior per se ad habitus interitum faciat, sed ex accidenti. Cum enim negligẽtius & remissius operamur, minus contrarijs habitibus & affectibus obsistimus, ac propterea obrepunt, & valent affectus contrarij, quibus validioribus effectis, paulatim habitus euanescit. Infusuum habitum si sit charitatis, opinio est S. Thomæ, quæ fuit etiam Scoti, Durandi, & veterum Scholasticorum, intensioribus actibus statim augeri, remissioribus verò, aut æqualibus, promereri quidem hominem iustum Dei gratia prędituum incrementum, sed non statim id consequi; sed cum feruentiorem, maiorem, intensiorem actum præstat, aut saltem in altera vita, cum primum è viuis excesserit. V. G. si Titius habeat charitatis habitum quattuor partium magnitudine intẽsum, & faciat actũ vnum, vel alterum remissum vnius tantum partis magnitudinem habentem, non confestim auget habitum, sed meretur nouum incrementum gloriæ & gratiæ: quod in hac vita consequetur si actum intensiorem eliciat. Vt si faciat opus intensius quinq; vel sex partes magnitudinis habens, quod si in hac vita nunquã actum feruentiorem, & intensiorem præstiterit; consequetur in altera vita incrementum, quod actu promeruit intensiore. Gabriel, verò, Almainus, Maior, Medina, & alij docent, quolibet actu charitatis remissiori statim habitum gratiæ, & charitatis augeri. De habitibus verò fidei, & spei, qui insunt in peccatore informes, nihil expressim dixerunt an geanturne remissioribus actibus, an solùm intensioribus: existimo id eos dicturos fuisse, quod de habitu gratiæ dixerunt, quamuis peculiari argumento & ratione moti id de habitu gratiæ dixerint, eo quod gratia sit ius consequendi gloriam, & quodlibet etiam remissiori actu charitatis iustus mereatur gloriæ incrementum: ac proinde fiat acceptus ad maiorem gloriam, ergo non nisi cum maiori iure: sed ius gloriam consequendi, est gratia. De hac re suo loco fusius agemus: interim hæc sufficiant, probabiliorem esse S. Thomæ sententiam communi cõsensu Theologorum receptam. Cuius rei hæc est ratio, quia habitus gratiæ, & charitatis in hac vita datur, & augetur vt forma: in altera verò datur vt præmium meritorum, & vt stipendium, & merces laborum: quare in altera vita tantundẽ gloriæ datur, quantum meritum & laboris in hac vita præcesserit; vt referat vnusquisque prout gessit in corpore suo, & metant singuli prout seminauerunt. Sed quia forma maior minorúe in materiam inducitur pro maiori minoriúe præparatione eius, cui ineſt; hinc est, vt in hac vita habit⁹ gratiæ & charitatis non crescat statim, vt actus remissior existit, quia huiusmodi actus non est debita, & idonea hominis præparatio ad incrementum. Deinde, habitus gratiæ, & charitatis cum initio diuinitus infunditur, datur maior aut minor, pro maiori, minoriúe hominis ad eum præparatione: ergo deinde non augetur, ita vt amplior, & perfectior euadat, nisi fuerit intensior, & maior hominis præparatio. Postremò, quia in peccatore Christiano, in quo manent sine charitate habitus fidei, & spei, augeri queunt, sed non nisi intensioribus actibus fidei, & spei, eo quod in peccatore eiusmodi informes habitus merito nostro minimè augeantur, sed nostris actibus tanquam legitimis, & idoneis præparationibus, quales nõ sunt nisi intensiores actus. Objcies, sufficere, si ex parte hominis meritum præcedat: quoniam incrementum charitatis actus noster nõ facit, sed meretur: at quilibet actus charitatis meretur incrementum, ergo illud statim assequitur. Verum est, meretur quidem, sed statim nõ assequitur, donec sit idonea, & legitima hominis ad incrementum præparatio. Deinde objcies; Quolibet actu etiam remissiori, iustus gloriam cælestem promeretur, ergo fit acceptus Deo ad ampliorem cumulationemq; gloriã, ac proinde ius ad pleniorem gloriam habet: sed gratia est ius ad gloriam, ergo eo ipso habet maiorẽ gratiam. Respõdeo: per actus remissiores charitatis acquirim⁹ ius ad gloriam, tanquã ad præmium meritorũ, & mercedẽ laborum; sed per habitum gratiæ, ceu filij adoptiõnis effecti consequimur ius ad gloriam tanquam ad hæreditatem; ac proinde non est necesse, vt quò plura sunt hominis iusti merita, hoc ipso statim consequantur maiorem habitum gratiæ: sicut enim faciunt; vt sibi plenior gloria debeatur, quam tamen minimè continuò assequuntur: sic etiam faciunt; vt sibi debeatur gratię incrementum, suo tamen tempore non statim obtinẽdum. Quæres, an actus noster intensior augeat habitum ea tantùm magnitudine qua excedit, an verò potiùs tota ea magnitudine, qua constat actus? Gabriel, Almainus, & Maior censent, incrementum habitus infusi fieri tota ea magnitudine, quam habet actus intensior, eo quod huiusmodi actibus iustus promeretur incremẽtum habitus: sed per totum actum meretur vti habitus augeatur; ergo non auget solùm ex magnitudine, quæ habitum excedit, sed etiam, ex tota quam habet quantitate. Deinde gloria respondet merito, & toti eius magnitudini; ergo respondet etiam gra-

Sco. Henr. Gabr. locis cit. Duran. 1. d. 17. q. 8.

Gab. 1. dist. 17. q. 4. a. 3. dub. 2. & d. 14. q. 3. a. 3. dub. 3. dist. mai. tract. 2. Moral. to. Maior. d. 17. q. 4.

tia &

tia & charitas. Sed probabilius est, quod Thomas, Scotus, & cæteri Scholastici tradiderunt, intensiori actu habitum gratiæ, & charitatis augeri; non quidem ex tota magnitudine, qua constat actus, sed ex ea, quæ habitum gratiæ vincit & superat, quia ex ea parte est debita præparatio ad incrementum. Item quia in peccatore, in quo remanent informes habitus fidei & spei, crescunt quidem illi duo habitus infusi, sed solùm intensioribus actibus, & tanta magnitudine, quanta est in actibus, vt intensiores sunt. Nec idem iuris est de gloria cælesti, quę respondet & datur toti magnitudini meritorum, quod est de habitu gratiæ & charitatis in hac vita, quæ datur, vt forma quæ respondet debitæ, & legitimæ hominis præparationi: at idonea præparatio, actus noster non est, nisi ex ea parte, qua est habitu intensior, superior, & maior: quare in altero sæculo dabitur incrementum gloriæ respondens toti magnitudini actus: nam etiam cum opus charitatis est melius vel maiori bonitate rei obiectæ, vel difficultate ipsius operis, vel continuatione maiori, cumulatiorem gloriam promeremur; & tamen non statim in hac vita, ampliorem habitum gratiæ consequimur. Si secundò roges, cum iustus plures charitatis actus remissiores facit, quandonam consequetur incrementum? Respondet Sanctus Thomas; tunc, quando feruentiorem actum produxerit. Exempli causa; Titius habet gratiã quatuor partium magnitudine intensam, facit actus quatuor, quorum singuli sunt remissiores, vnius tantùm partis magnitudinem habentes: si deinde fecerit actum intensiorem quinque partes habentem, consequetur vnam partem respondentem intensioni actus, & alteram partem respondentem vni actui remisso: quod si fecerit actum sex partibus intensum, recipiet quatuor partes intensionis; duas quidem debitas intensioni actus, alias verò duas, quæ debentur duobus actibus remissis. Si fecerit actum septem partibus intensum, recipiet tres intensioni actus respondentes, & tres alios qui debentur tribus alijs remissis. Si fecerit actum intensum octo partium magnitudine, assequetur octo partes; quattuor respõdentes intensioni actus, & quattuor alias quæ quattuor alijs remissis actibus debebantur. Cætera fusius suo loco dicentur.

S.Th.2.2. q.24.ar.6. ad.1.

Cap. XXIII.

De Habituum diminutione, & interitu.

PRIMO quæritur, An habitus diminuantur? Respondeo: aut habitus est acquisitus, aut infusus. Si acquisitus, decrescit, & diminuitur paulatim actibus contrarijs: eo quod actus oppositi, habitum priori contrarium gignunt: vnde tantum de habitu priori diminuitur, quantum contrarius habitus proficit: & quo maior habitus cõtrarius generatur, eo ex maiori parte prior habitus decrescit. Verbi Gratia, Titius habitũ temperantiæ comparauit, deinde intemperanter sæpius agit: sensim habitum intemperantiæ repetitis actibus acquirit, vnde fit, vt habitus temperantiæ paulatim quoque minuatur: nam eo ipso quo fit amplior habitus intemperantiæ, fit minor habitus temperantiæ: quare habitus acquisitus minuitur proximè per habitũ paulatim crescentem, tanquam per formam contrariam; remotè verò minuitur per actº oppositos, veluti per causam efficientem, ex qua sensim habitus contrarius comparatur. Si sit habitus infusus, non minuitur, sed vel totus conseruatur, vel totus amittitur. Et ratio est, quia habitus infusos nostri actus non faciunt, sed vel merentur eorum incrementum, vel interitum. Exempli causa habitus charitatis lethali peccato totus amittitur; venialì verò non minuitur quidem: si enim minueretur, paulatim euanesceret, donec penitus tolleretur, quoniam sicut primum veniale peccatum ex parte minueret, sic secundum, tertium, & quæ sequerentur, donec tandem venialia peccata repetita totam charitatem extinguerent: vt si primum veniale peccatum centesimã videlicet partem charitatis auferret, centum veniales noxæ totam charitatem delerent. Quod quidem hic dici nequit, quoniam iustus tametsi venialiter delinquat, à Dei gratia & charitate non excidit. Pari quoque ratione habitus fidei, & spei, siue informes illi sint, siue charitate formati, non minuuntur: nam quamdiu contra fidem, vel spem lethale peccatum non facimus, eos habitus non amittimus. Quod si contra fidem, vel spem lethaliter peccemus, his habitibº ex toto priuamur: venialeS verò culpæ huiusmodi habitus non minuunt; alioqui enim si eos habitus per partes minuerẽt, tandem ex toto abolerent. Quæres, cur cum habitus infusi augeantur, non etiam minuantur? nam omnis forma vt potest augeri, & perfici; ita minui & decrescere. Respondeo, habitus infusos natura sua posse diminui, quoniam magnitudinis, hoc est, intensionis partes habent, sed non minuuntur. nam vel à Deo vel à nobis minuerentur: non à Deo, quia eos non tollit, aut minuit, nisi culpa nostra mereatur, vt eos Deus tollat, aut minuat: sed cum lethaliter peccamus contra habitum infusum, non minuimus, sed ex toto ipsum habitum amittimus: & cum venialem culpam contrahimus, non minuimus habitum infusum; nam si minueremus cõsequens esset, vt paulatim venialiter peccando habitum ex totò amitteremus: quod dici non potest. ergo quamuis habitus infusus per se minui possit, non minuitur, sed vel ex toto amittitur, vel conseruatur, vel augetur & crescit. Item nostris actibus habitus infusi non fiunt, aut producuntur; sed fiunt & infunduntur à Deo. Nostri verò actus, vel merentur eorum incrementum, vel nos ita præparant, vt ampliores habitus consequamur. Et hinc est, vt à solo Deo conseruentur tanquam à causa efficiente; à nobis verò vel tanquam merentibus incremẽtum, vel tanquam idoneè, & legitimè præparantibus animum. Ergo postquam sunt diuinitus infusi, vel conseruantur, vel augentur, vel penitus amittuntur; nunquam autem minuuntur. At, inquies, noster actus sicut meretur infusi habitus amissionem, sic etiam meretur diminutionem. Contra hoc est argumentum quod modo proposui: nam noster actus, vel est venialis, aut lethalis culpa. Si venialis, eos habitus non minuit, sic enim sæpius repetita leuia delicta, eos tandem penitus extingueret, cum secundum ve-

niale peccatum possit tantundem auferre, quantum primum : & omne finitum si per partes æquales minuatur, tandem absumitur in totum, quod est falsum. Si verò lethalis culpa fuerit directè contra habitum infusum cõmissa, eum tollit, non minuit. At venialia peccata, inquies, feruorem minuunt charitatis : sed feruor charitatis est charitas ; sicut feruor caloris est calor. Respondeo primo, feruorem charitatis, nõ esse magnitudinem, vel intensionem ipsius habitus ; sed frequentem vsum, & exercitationem charitatis. vnde peccata venialia habitum charitatis non minuunt, sed frequentem eius vsum impediunt. Rursus oppones ; feruor charitatis, est aliquid ipsius charitatis : ergo si minuitur feruor, eo ipso aliquid charitatis minuetur. Respondeo, feruorem charitatis in hac parte esse aliquid charitatis, non quod sit in ipso habitu charitatis, sed quod ab eo, vt à causa manet & effluat : minuit enim veniale peccatum feruorem charitatis non detrahendo, sed potius apponendo impedimentum, quo charitas impeditur, ne suo officio fungatur. Pari fermè ratione, Sãctus Thomas, inquit, 1.2. *quæst.* 85. *art.* 2. quodlibet peccatum minuit bonum naturæ, non subtrahendo, sed impediendo, quo minus natura hominis bene operetur. Respondeo ; Deinde, peccata venialia, non minuere aliquid quod sit in habitu charitatis : feruor enim charitatis, quem venialia peccata diminuũt, non est magnitudo, vel intensio habitus, sed est actus, & frequens charitatis vsus & exercitatio. Venialis igitur culpa minuit feruorem charitatis, hoc est, actum & vsum ; non habitum, quoniam eo ipso, quo quis venialiter peccat, impeditur ; ne se in actibus charitatis exerceat, in quibus alioqui, si vellet sese posset exercere. & quo sæpius venialiter delinquimus, eo sæpius impedimur ab actuum, & officiorum charitatis vsu & exercitatione. Ergo singula venialia errata singulos actus charitatis impediunt & tollunt, & multa multos. Insistes adhuc inquiens, Iustus, qui vno peccato veniali tenetur, minus charus est Deo, quàm iustus omni culpa veniali liber, ergo venialis nõxa charitatem minuit. Respondeo, non esse minus carum Deo, hoc est, non minus iuris ad gloriam habere, nec esse ad minorem gloriam acceptum ; sed esse minus charum, hoc est, eum fecisse opus, vnde gratus non est : nam veniale peccatum Deo displicet, sed de charitatis habitu nihil diminuit. Postremò obijcies ; si veniale peccatum feruorem charitatis minuit, ergo partem tollit, & proinde venialia peccata totum feruorẽ charitatis per partes auferent, & proinde charitas sine vllo prorsus feruore remanebit : quod videtur incõmodum. nam si totus omnino feruor charitatis semel extingueretur, sequẽtia peccata venialia nihil minuerent : & tamen semper omne veniale peccatum minuit, & quo grauius est, eo magis minuit ; & quo sæpius admittitur, eo etiam magis imminuit feruorem charitatis. Respõdeo, feruorẽ charitatis, vt paulò ante dixi, in hac parte non esse aliquid in habitu charitatis, sed esse actũ : & propterea quamdiu iustus venialiter peccat, tamdiu ab actibus charitatis desistit ; nam eo ipso, quòd peccat, se in actibus charitatis non exercet, & teste sancto Doctore, cum aliquid minuit alterum, non subtrahendo, sed impediendo, ne suum officium faciat, quamuis semper minuat per partes æquales, vel maiores, nunquam tamen totum auferet ; sicut peccata semper minuunt bonum naturæ, & quo plura sunt, aut deteriora, magis minuunt, sed nunquam tamen totum absumunt. S. Tho. 1.2. q. 85. art. 2.

Secundò quæritur, An habitus interimi, & deleri queant ? Respondet Gabr. 3. *dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 6. habitum acquisitum, per habitum contrarium expelli & extingui ; per actus verò contrarios nõ nisi remotè. Nam actus generat habitum ; habitus verò contrarium sibi habitum delet. Sicut igitur actus cõtrarij sibi inuicem repugnant, & vicissim se perimunt ; sic etiam habitus : actus verò cum habitu contrario consistere potest. Exemplum sit : Titius habitũ temperantiæ frequenti vsu & exercitatione comparauit, deinde incipit intemperate viuere : actus intemperãtiæ non statim temperantiæ habitum extinguunt, sed paulatim minuunt, & tandem totum abijciunt & interimunt. Sed dicẽdum est absolutè cum Maiore 3. *dist.* 23. *q.* 7. & Almai. *tract.* 1. *Moral.* 1. 18. habitum acquisitum vi actus contrarij perire, non quidem ita, vt vi vnius actus contrarij pereat ex toto, sed ex parte : nam vnus actus gignit ex parte habitum, & ex parte tollit habitum contrarium, quippe qui minuit habitum sibi aduersum, & oppositum. Habitus ergo acquisitus, & per actus contrarios, & per habitum oppositum deletur ; per actus quidem contrarios tanquam per causam efficientem, à qua paulatim minuitur, donec totus euanescat, & pereat : per habitum verò oppositum, tanquam per formam sibi aduersam atque contrariam.

Tertiò quæritur, Quomodò habitus infusus amittatur vel auferatur ; hoc est, An tollatur per actus cõtrarios tanquam per causam efficientem siue contrariam. S. Thomas perspicuè tradit, habitum charitatis per lethale peccatũ excludi, & deleri non solùm tanquam per id, quo meremur, vt charitas auferatur à nobis, sed etiam effectiuè, vt eius verbis vtar. nam peccatũ, ait, lethale non solùm meritoriè, sed etiam effectiuè, charitatem expellit ac tollit, hoc est, non solùm merito, sed etiam vi sua & cõditione cum charitate pugnat ; & iccirco excludit illam. Ratio est, quia charitas est amicitia hominis ad Deum, qua Dei amorem rebus omnib⁹ anteponimus : sed qui lethale peccatum admittit, amorem boni creati vtilis vel iucundi, Dei amori præponit ; ergo lethale peccatum vi, & natura sua, Dei charitati aduersatur, & proinde per se, & conditione sua Dei amicitiam, hominisque dissoluit. De cæteris habitibus infusis nihil expressim Sanctus Thomas docuit : videlicet, An fidei, & spei habitus infusi deleantur per actus contrarios tanquam per causam efficientem, seu potiùs tãquam per formam vi sua & natura contrariam, an verò solùm tanquam per id, quod fidei amissionem, & interitum meretur. Videtur, iuxta Sancti Thomæ sententiam idem quoq; dici debere de ijs habitibus, quod dicitur de habitu charitatis ; hoc est, hæresim hominis, nõ solùm mereri amissionem & interitum fidei, sed etiam fidẽ ipsam vi sua & cõditione auferre & extinguere : quia quẽadmodum

lethale

li. 7. de hac opinione tractabo.

lethale peccatum est charitati contrarium, & propterea delet eam; sic etiam abnegare aliquid, quod est dictum à Deo, cum fide pugnat, quæ credit vera esse, quæ dicuntur à Deo. Scotus, Henricus, Ocham. Durandus, Gabriel, & Almainus, solùm aiunt lethale peccatum hominis mereri iacturam, & interitum charitatis, non autem facere. Immò generatim docent, per actus nostros, habitus infusos nõ tolli tanquam per causam efficientem siue formam vi, & natura sua contrariam, sed tanquam per id, quo mereamur, vt auferantur à nobis: hæresis (inquiunt) fidem, desperatio spem, non per se vi sua, sed merito depellit ex animo. Id probant, quia huiusmodi habitus sunt supernaturales, & à solo Deo fiunt, pendent, & conseruantur, ergo nihil est naturale, quod eos tollat ac deleat. hoc argumentum vires habet, & firmamentum mea sententia magnum. Deinde si quis bona fide per ignorantiam erraret in fide, habitum fidei non amitteret: ergo error in fide non est per se fidei contrarius, sed ratione culpæ. Similiter qui bona fide id faceret, quod alioqui est per se malum, à Dei charitate non excideret: ergo lethale peccatum ex substantia, quam habet, charitatem non tollit. Tertiò, quia peccata, habitus infusos solùm expellunt quatenus sunt actus voluntarij, & mala fide facti: ergo natura sua nõ pugnant cum charitate. Accedit his, quod multa sunt, quæ nõ quia sint per se mala, sed quia posita aliqua lege prohibentur, peccata sunt: ergo ea per se charitatem non tollunt, sed quia posita lege sunt vetita ac mala. Postremò cum quis omittit aliquod præceptum, quod alioqui seruare deberet, lethaliter peccat: ergo habitum charitatis amittit; & tamen nullum facit actum, sed solùm omittit quem facere Ecclesiæ lege compellitur. Mihi sententia S. Thomæ in hac parte probatur. nam si hæresis non vi, & ratione sua, qua cum fide pugnat, sed tantùm merito habitum fidei tollit, cur odium Dei, cur maledictum coniectum in Deum, fidem & spem non adimunt; cum deteriora & peiora peccata sint? cur alia peccata grauissima quoque fidem non auferunt? quale esset si quis populum in errorem fidei contrarium adduceret, nihil ipse credens contra fidem. non voluit S. Thom. docere, peccatum lethale charitati aduersari, ex ipsa re, & substantia quam habet, sed quatenus peccatum est dictum, factum, aut concupitum, vel omissum contra legem, & charitatem Dei, & sicut peccatum accipit. S. Thomas, non vt res quædam est, & actus quidam, sed vt Diuinæ legi aduersatur, siue sit actus, siue actus debiti omissio: Sic etiam sumit habitum charitatis non solùm, vt est quidam habitus, & qualitas absoluta in mentem siue animum infusa, sed pariter vt reddit hominem amantem, & amicum Dei: hæc enim duo secum inuicem pugnant; videlicet, vt sponte tua cunctis rebus Dei amorem, & amicitiam anteponas, & è contrario, vt alicuius alterius boni vtilis, vel iucundi amorem Dei amori, & amicitiæ præferas. Hæc igitur duo, inquit, S. Thomas, tanquam sibi contraria, se impediunt, ac tollunt. Pari quoque ratione secum inuicem aduersantur hęc duo: scilicet, vt credas verum esse, quod fides Catholica profitetur, quia dictum à Deo; & vt dubites vel abneges scienter ac voluntariè aliquid, quod est dictum à Deo; ac propterea hæc duo se tollunt vt contraria, non ex re ipsa & substantia quam habent, sed vt sunt actus sponte nostra facti: & hoc fortassis cæteri Theologi docere voluerunt, cum dixerunt, lethale peccatum ratione naturæ, rei & substantiæ, quam habet, nequaquam cum charitate, vt est absoluta quędam qualitas mentis seu animæ pugnare. quod etiam S. Thomas ingenuè fatebitur. Nihilominus tamen lethale peccatum, quod est dictum, concupitum, factum vel omissum scienter, & voluntariè contra legem Dei simul cum charitate, hoc est, cum Dei amicitia esse non potest. nec voluit itidem S. Thomas, per lethalis peccati substantiam tanquam per causam efficientem siue formam contrariam habitum charitatis extingui; sed solùm docuit, quod dixi, peccatum lethale, quia tale est, cum charitate, vt est hominis & Dei amicitia, pugnare, & propterea cum peccato lethali habitum charitatis simul esse non posse, eo quod sibi aduersentur. Vnde nihil refert, si peccatum in omissione consistat, & omissio actus non sit. nam etiam charitati, hoc est, amicitiæ cum Deo initæ, qualis est hominis Dei gratia prædita repugnat, vt aliquid prætermittas, quod alioqui facere debebas, sic etiam multa alia peccata ideo mala sunt, quia ea lex prohibet, quorum actuum substantia, & natura, cum per se mala non sit, minimè pugnat cum charitate, & tamen eo ipso, quod peccata lethalia sunt, charitati hoc est Dei amicitiæ aduersantur. similiter quoque si lex vetat, quo minus quis armatus incedat, aut hoc vel illo vestimento indutus, aut in certo loco stet, vel iaceat, peccatum est, si contra fiat: & tamen armatum vel vestitum esse, stare, vel iacere, actus non sunt, & nihilominus hæc, quatenus peccata sunt, cum charitate, & Dei amicitia simul esse nõ possunt. Pari ratione hæresis, quod attinet ad substantiam actus, cum fidei habitu non pugnat: vnde in amente & insano, vel in homine per ignorantiam iustam & probabilem in fide errante esse potest assensus fidei contrarius cum ipso habitu fidei: nec item habitus fidei vt est absoluta quędam animæ qualitas cum hæresi re ipsa, & substantia pugnat, sed hæresis, vt est voluntarius error in fide, & fides, vt est id, quo credimus, quod est dictum à Deo, secum inuicem pugnant: nec enim fieri potest, vt credas quæ dicuntur à Deo, & neges vel dubites scienter, quæ reuelantur à Deo.

Quartò quæritur, An habitus acquisitus intereat solùm eo quod ab opere cessamus. Duæ sunt opiniones: prima affirmat, sæpe habitum perire, si ab agendo cessemus, quia teste Aristotele scientiam non solùm error, aut deceptio delet, sed etiam oblivio, & alibi docet: Magnæ amicitię diuturno silentio dissoluuntur. Postremò, quia sicut multa alia non conseruantur, nisi præsente causa, à qua sunt effecta, vt lumen in aëre, visio in oculo, sic etiam habitus, quamuis conseruantur ad tempus sine actibus, ex quibus sunt geniti, diu tamen conseruari non possunt, vt nos id experientia docet. Altera opinio est S. Thomæ negantis habitus acquisitos sola operis intermissione ab oleri, & extingui, nisi fiant actus contrarij. Et

Gab. 3. dis. 33 q. 1. a. 3. dub. 6. Almai. tract. 1. Mor. c. 18

S. Tho. 1. 2. q. 53. art. 3. Hen. quod.

hæc opinio est verior, quam etiam sequitur Henricus, & Maior: accidentia enim non pereunt, nisi expulsa à contrario, aut causæ conseruantis recessu & absentia; aut interitu rei subiectæ, in qua sedem habent; sed habitus non intereunt ratione subiectæ materiæ, cui insunt. siquidem anima, & eius facultas perseuerant, nec intereunt conseruantis causæ recessu, quoniam actus licet maximè iuuat, & faciat ad habitum tuēdum, non est tamen simpliciter necessarius ad conseruandum, alioqui enim dormientes habitum amitteremus. Non igitur extinguitur habit⁹ ex eo quod ab opere, & actione desistimus, sed amittitur ex accidenti, scilicet operis vacatione, eo quod nimio otio contrarij habitus geniti ex actibus oppositis, in animum paulatim irrepunt, & habitus antè iam comparatos minuunt & expellunt. Aristoteles verò, cum ait, scientiam obliuione deleri, loquitur de actu scientiæ, non habitu, aut id propterea dixit, quia errorem scientiæ contrarium obliuio frequenter inducit. Pari ratione aliquando amicitia silentio dirimitur, quoniam silentium solet amicitiæ impedimenta afferre quamplurima.

lib. 5. q. 18. Ma. 3. dist. 23. q. 7.

S. Tho. 1. 2. q. 53. art. 1. Alma. tra. 2. Mor. c. 18.

Quintò quæritur, An habitus primorum principiorum aliquando pereat. S. Thomas negat, quia primis principijs per se notis, assensum naturaliter præstamus. Almainus verò affirmat, hunc quoque habitum interdum extingui, si diu ab opere cessemus: sed reuera solùm docere voluit Almainus, posse interire habitum genitum in nobis, quo assuefacti sumus prima principia inductione, vel exemplo per singularia colligere. nam exercitatione, & labore reddimur etiam prompti, & expediti ad colligenda ex singularibus prima principia. At verò S. Thomas meritò dixit habitum primorum principiorum nūquam deleri, quia eorū imagines, & simulacra memoria perpetuò retinemus, nec primis principijs aliquid est contrarium, cui assentiamur; & ideo habitus primorum principiorum vi habitus contrarij perire non potest.

Sextò quæritur, An habitus acquisitus vi vnius actus contrarij deleri, & perire queat? Respondeo, habitus morales, qui consuetudine, & exercitatione comparantur, per vnum actum contrarium nunquam interimi, eo quod sicut frequenti vsu multis actibus repetitis gignuntur; sic etiam contrarij habitus non nisi ex multis actibus sæpius iteratis generantur. At verò habitus disciplinarum, quos vocant habitus scientiarum, possunt multipliciter accipi. Aut enim considerantur ex parte imaginum & simulachrorum, quibus rerum scitarum recordamur; & hac ratione per vnum actum contrarium, videlicet errorem, aboleri queunt: quemadmodum enim vna ratiocinatio scientiam sic acceptam gignit, sic altera contraria parit errorem: aut accipiuntur quatenus sunt habitus quidam, quibus frequenti vsu comparatis expediti & prompti sumus effecti ad ratiocinandum, & conclusiones ex suis principijs aptè, & ritè colligendas. Et tunc habitus disciplinarum non vi vnius tantùm actus contrarij, sed multorum, qui sæpius repetuntur intereunt.

Cap. XXIIII.

De varietate, & differentia habituum.

PRIMO quæritur, An sint aliqui habitus diuinitus infusi. Respōdeo ex communi omnium Theologorum sententia esse, quoniam tametsi olim dubitabatur, an paruulis, qui salutari Baptismate abluuntur; statim vna cum gratia habitus virtutum diuinitus infunderentur, an verò tunc temporis, cum rationis compotes sunt: quibusdam negantibus in Baptismate infundi, quoniam essent habitus infusi otiosi toto tempore, quo durat ætas infantum; alijs verò contra affirmantibus eos infundi, cum primum paruuli baptisma suscipiunt, sed constans fuit semper Theologorū opinio, his, qui sunt adultæ ætatis, habitus infundi fidei, spei, & charitatis, & pœnitentiæ. Id est tamen animaduertēdum, quod Caietanus annotauit, habitus infusos esse duplices: alij enim sunt infusi per se, alij ex accidenti. Infusi per se dicuntur, quia aliter in nobis esse non possunt, nisi diuinitus infundantur. Alij verò sunt infusi ex accidenti, qui aliter haberi possunt. Sed Deus eos voluit liberaliter infundere. Sic primo hominum parenti habitus disciplinarum, & artium, Deus tribuit beneficio singulari. An verò sint aliquæ virtutes morales, quæ sint per se infusæ ab acquisitis specie distinctæ, suo loco inferius explicabo.

S. Tho. 1. 2. q. 51. art. 4.

Cai. 1. 2. q. 51. art. 4.

Secundò quæritur, An habitus infusus natura, & substantia differat ab acquisito. Respondeo, vel habitus est infusus per se, vel secus. Si primò, non solum specie, sed natura etiam, & substantia distinguitur, quia est supernaturalis per se, ac ideo fieri per naturam non potest: Sed acquisitus, est per se naturalis, & qui naturæ viribus comparari potest. Si verò sit habitus infusus, ex accidenti duntaxat, ab acquisito specie non differt, quoniam quod diuinitus infundatur, habitui accidit, qui alioqui per naturam potuit comparari. Sicut primus homo à Deo factus, eiusdem fuit speciei, cuius cæteri homines naturaliter procreati: & visus hominis cæco diuinitus restitutus, specie non differt à visu per naturam dato: nec vinum, quod Christus Dominus in nuptijs mirabiliter effecit, à vino, quod natura gignit, aliud, & diuersum specie fuit. Quæres an habitus per se infusus ab acquisito specie differat, tanquam in obiecta re, & materia, in qua vterque versatur, diuersam rationem habens. Vtar exemplo; habitu fidei infuso credimus esse vera, quæ fides Catholica profitetur, quæ etiam humana fide credere possumus: Quæritur an in eo obiecto quod creditur, re ipsa sit aliqua ratio diuersa, qua huiusmodi duo habitus specie distinguantur? Quidam negant, dicentes, habitum infusum, & acquisitum solum distingui per externa principia, vnde fiunt, & existunt, videlicet, quod infusus fiat à Deo, acquisitus à nobis, quod probant, quia in re ipsa obiecta nulla est ratio intrinseca, in qua vterque habitus terminari non possit. Verbi gratia nulla est in Deo veritatis ratio, quæ si diuinitus patefacta innotescat, non possit credi auctoritate diuina, & humano item testimonio probabiliter: nulla est bonitas, quæ diuinitus reuelata non queat sperari, & amari: tum

S. Tho. 1. 2. q. 63. art. 4.

Ioan. 2.

spe, &

ſpe, & charitate humana, tum ſpe, & charitate diuina: nihil reuera peccato conuenit, quod non poſſit odio haberi pœnitentia ſupernaturali, & naturali, ſi diuino teſtimonio id innotuerit: quæ ſententia alijs falſa penitus videtur. Etenim tales habitus in re obiecta verſantur: quæ licet ex ſubſtantia, quam habet, ſit eadem, attamen ratione diſtinguitur: ratio enim, qua habitus in aliqua materia verſantur, eos omninò diſtinguit. Mathematicus enim, & Phyſicus aliquando eaſdem concluſiones ratiocinando colligunt, ſed non eiſdē principijs: id concedet prima opinio; ſed dicet principia ex quibus Mathematicus, & Phyſicus concludūt, ſumuntur intrinſecus ex ijs, quæ rei inſunt. At in fide, ſpe, & charitate, & pœnitentia, ratio, qua habitus infuſus, ab acquiſito ſpecie diſtinguitur ex parte rei obiectæ, ſumitur ex principijs extrinſecis, videlicet ex auctoritate dicentis, promittentis, vel mouentis ad diligendum Deum, & peccatum deteſtandum. Quidquid ſit, mihi magis prima ſententia arridet, quoniam ratio ipſa credendi, ſperandi, diligendi eſt omninò diuerſa: nam habitu fidei infuſæ credimus veros eſſe articulos fidei, ſed vt dictos à Deo, quamuis teſtimonio fideūe humana poſſim⁹ eoſdem fidei articulos credere veros eſſe, ſed vt dictos ab homine, non à Deo; ergo ratio credendi eſt omninò diuerſa. Sic etiam habitu diuinitus infuſo ſperamus bona cæleſtia, illa videlicet, quæ ſunt gratiæ, & gloriæ; ſed vt nobis diuinitus promiſſa, & ſingulari Dei gratia obtinenda: At ſpe humana, & acquiſita poſſumus eadem bona ſperare, ſed vt humana aliqua ratione, & teſtimonio promiſſa, vel conſuetudine, qua ea bona ſperare conſueuimus. Pari quoque ratione; charitate infuſa Deum diligimus, ſed ex ipſo, & propter ipſum, & tāquam amicum amicitia quadam, quæ in cæleſtium, & diuinorum bonorum communicatione conſiſtit, & cæteros, quos charitate proſequimur, etiam amamus tanquam amicos, qui nobiſcum in eadem bonorum communicatione conueniunt, vel conuenire poſſunt. Ipſe enim Deus voluit, vt eos ſic amaremus, & charitatem nobis impertit, qua diligimus, quicquid amamus infuſa charitate: at verò charitate humana Deum, vel alios diligimus gratia alicuius alterius boni, & commodi naturalis, videlicet cauſa honeſtatis, & virtutis moralis, vel aſſuetudine & vſu, quo ipſos diligere ſolemus. Similiter etiam habitu pœnitentiæ infuſę de peccatis ſponte noſtra factis dolemus, ſed ob amorem, & charitatem Dei, & ſpem veniæ obtinendæ. At pœnitentia naturali de peccato dolemus ob rationem aliquam naturalem, odio videlicet turpitudinis, amore honeſtatis, vel metu alicuius incommodi, puta dedecoris, infamiæ, & aliorum huiuſmodi malorum. Cæterùm de hac quæſtione alijs in locis plenius, & fuſius diſputabo. Nam prima opinio ſolùm contendit, in materia, & re obiecta horum habituum nō eſſe aliquid intrinſecum, quod diſtinguat habitus; ſed ſolū extrinſecum, nimirum, quia credimus, ſperamus, diligimus, ſed teſtimonio, promiſſione, vel auxilio diuino, vel humana auctoritate, coniecturaq; probabili, ſiue naturali ratione: de qua re dicam inferius ſuis in locis.

Tertiò quæritur, An tum habitus acquiſitus, tum etiam infuſus ſit vna ſimplex qualitas? Inter omnes conſtat, habitum infuſum erga obiecta omnia, in quibus verſatur, eſſe vnum habitum ſolum, & vnam ſimplicem qualitatem: ita vt vnus ſit ſimplex habitus Fidei, quo credimus ea, quæ ſunt Fidei: & vnus ſimplex habitus ſpei, quo ſperamus quicquid boni nobis Deus ipſe promiſit. Similiter etiam habitus charitatis; quo Deum, nos ipſos, & corpus noſtrum, & proximum diligimus, eſt vnus ſimplex habitus tantùm. Vnus itidem eſt habitus Pœnitentiæ, quo de omni peccato ſponte noſtra commiſſo dolemus ob amorem Dei. Quamuis igitur res obiectę, in quibus huiuſmodi habitus verſantur, ſpecie differant, vnus tamen eſt habitus, quia vt ſuperiori quæſtione iam dixi, ratio, qua habitus in ipſis rebus obiectis terminatur, eſt vna duntaxat; & quia habitus infuſi ex actibus non comparantur, ſed infunduntur à Deo. Nam etiam quælibet animæ facultas eſt vna ſimplex qualitas, quia eſt à natura data, non ex actibus genita. Tota cōtrouerſia eſt in habitu acquiſito, An ſit etiam vnus, & idem. Duæ ſunt opiniones, vna eſt aſſerentium, non eſſe vnum habitum ſolum, ſed tot eſſe habitus ſimplices, quot ſunt obiecta ſpecie diſtincta. Sic Okam, Gregorius, Gabriel, Aureolus, Almainus, & alij. Id probant, primò, quia huiuſmodi acquiſiti habitus noſtris actibus comparantur: Sed actus noſtri ſpecie diſtinguūtur, ergo & habitus actibus comparati. Nam habitus non generantur, niſi ex actibus eiuſdem ſpeciei, nec mouent facultates ad producendos, & eliciendos actus, niſi ſimiles ijs, ex quibus ſunt geniti. Gratia exempli: In vna diſciplina, vel arte ſunt multi habit⁹ ſimplices, quia res cognitæ ſpecie differunt. Pari ratione ad Fortitudinem, Temperantiam, Iuſtitiam, & Prudentiam multæ res ſpecie diuerſæ pertinent: ergo ex actibus ſpecie diuerſis vnus habitus ſimplex artis, vel diſciplinæ, fortitudinis, temperantiæ, prudentiæ, vel iuſtitiæ acquiri non poteſt. Deindè, ſæpè contingit, vt quis ſe frequenter exerceat in certa materia fortitudinis, & non in alia, ergo habitum acquirit, quo promptior efficitur ad ſe in illa materia exercendum. Poſtremò, quia aliquando vſu venit, vt quis in certa quapiam materia erret, & non in alia eiuſdem diſciplinæ, vel artis, & certam rem ante iam ſcitam obliuioni tradat, aliam verò non item: & habitus circa vnam materiam maior efficitur frequenti vſu, & exercitatione, cum tamen circa aliam materiam eiuſdem artis, diſciplinæ, & virtutis minimè augeatur. Dices; Quomodo ergò dicitur vna diſciplina, vna ars, vna Prudentia, Fortitudo, Tēperantia, Iuſtitia. Reſpondent, non eſſe vnam diſciplinam, artem vel virtutem, quia ſit vnus ſimplex habitus, ſed quia multi habitus inter ſe vnum ordinem habent, & ad vnum finem referuntur, vel quia diuerſas affectiones de vna, eademque ſubiecta re, demonſtratione cōcludunt; vel eandem affectionem multis ſpecie diuerſis rebus probāt conuenire. Ita vt diſciplinæ, artis, vel virtutis nomen ſit collectionis, & ordinis multorum habituum; quemadmodum populus, ciuitas, exercitus ſunt vnum, ſed non ſimpliciter, ſed collectione, & ordine. Ita etiam numerus, eſt plurium vnitatum

Ochā. q 8. prol. Greg. q 3. prolo. a. 2. Gabr. q. 8. Aure. q. 4. pro. Al main. tract. a. 2. mor. cap. 3.

nitatum collectio. Eodem modo, Disciplina, siue Scientia, est multorum habituum inter se ordinem habentium complexio. Altera est sententia S. Thomæ, Henrici, & aliorum veterum Theologorum, docentium, quamlibet scientiam, artem, disciplinam, & virtutē esse simplicem habitum, quoniam etsi res obiectæ specie distinguantur; habent tamen vnam rationem, qua ad eandem disciplinam, siue scientiam, & virtutem spectant. Ratio verò, qua quis in vna aliqua materia scientiæ, artis, vel virtutis versatus est, non in alia, non arguit diuersos esse habitus, sed diuersas tantum rerum imagines, quibus recordatur, sic vel aliter concluſisse, egisse, fecisseue. Et hinc etiam est, vt vnius materiæ recordemur non alterius: in vna re fallamur, non in alia: in vna prompti simus, & expediti, in alia minimè. Vtraque opinio est probabilis; nec alterutra potest efficaci ratione, & argumento confutari.

S. Tho. 1.2. q. 54. art. 4 Henricus quodl. 9. q. 4.

Quartò quæritur, An habitus infusus moueat ad actus specie diuersos. Respondeo, eundem habitum infusum versari quidem in rebus obiectis substantia, & specie diuersis, sed vna tamen ratione. Nam quæ eodem habitu fidei diuinæ credimus, specie inter se differunt; sed ea omnia credimus auctoritate diuina, sic etiam eodem habitu spei speramꝰ multa, sed vt nobis diuinitꝰ promissa, & peculiari Dei auxilio obtinenda. Pariter quoque eodem habitu charitatis Deum, nos ipsos, & proximum diligimus, sed ratio diligendi est vna, videlicet amicitia Diuina, ex qua, & propter quam nos, & proximum amamus. Vltimo eodem habitu pœnitentiæ, peccata specie diuersa detestamur; quia odio habemus ob amorem, & charitatem Dei. at verò habitus acquisitus specie distinguitur pro varietate obiectorum specie differentium. Ratio vtriusque est, quia habitus infusus minimè ex nostris actibus comparatur, sed diuinitus infunditur. Vndè quemadmodum est vna facultas, quæ circa diuersa obiecta versatur, eo quod ea facultas est à natura data, nō nostris actibus acquisita: natura verò facultatem specie non variat, quia dat vnam, quæ sub vna ratione ad diuersa obiecta terminetur. Sic etiam Deus dat vnum habitum infusum, qui sub vna ratione ad obiecta moueat diuersa. Sed habitus acquisitus, quia nostris actibus comparatur, & habitus non mouet ad actus, nisi similes his, ex quibus est genitus; ideo in vna disciplina, scientia, arte, & virtute sunt multi habitus acquisiti specie diuersi.

Ocham. Greg. Aureol. Gabr. Almai. loc. cit. in superiori quæst.

Quintò quæritur, An in eadem animi facultate multi habitus insint. Respondeo, conuenire inter omnes; multos habitus inhærere. Veruntamen est necesse rationem reddere, cur sit eadem animo facultas, & tamen habitus specie distinguantur. siquidem facultates, & habitus ex obiectis differunt, in quibus versantur. Respondeo, facultatem animi, superiori quadā ratione circa obiecta versari. Verbi gratia, In vno intellectu sunt multæ disciplinæ & artes: nam intellectus sua obiecta percipit tanquam vera, quæ est vna ratio superior: at disciplinæ, & artes in vna specie communi conuenire non possunt; quia ex diuersis principijs ratiocinatione, vel alio modo concluduntur. Sic etiam vna est voluntas, quia id omne, quod appetit, tanquam bonum appetit. Sed in ea facultate sunt diuersæ virtutes, videlicet Spes, & Charitas, quia spe appetimus Deum tanquam bonum nostrum: Charitate verò diligimus propter ipsum.

Sextò quæritur, An habitus rectè distinguantur in bonos, & malos: & an sint vlli eorum indifferentes. Respondeo, infusos habitus, esse bonos; acquisitos verò, alios esse bonos, alios malos. Boni sunt habitus, qui ex bonis actibus comparantur, & ad bonos actus mouent; contra verò, mali habitus sunt, qui ex malis. Vndè fit, vt habitus non dicatur bonus, & malus, quia in eo insit culpa, sed quia ex bonis, vel malis actibus generetur, & ad benè, vel malè faciendum moueat. Et morales habitus nequaquam sunt indifferentes, quoniam actus sæpius iterati, ex quibus gignuntur, licet aliquando per se indifferentes esse possint; vt tamen sunt hi vel illi actus, indifferentes nō sunt: At habitus disciplinarum & artium per se nec boni, nec mali sunt. Immò, iuxta multorum sententiam, habitus quicunque ponuntur in appetitu sensus, medij & indifferentes per se censentur: actus verò bonos, vel malos producunt, vt impulsu voluntatis eis ad bonum, vel malum vtimur.

Septimò quæritur, An habitus, ex obiectis distinguantur inter se. Constat inter omnes, distingui: sed id locum habet, cum obiecta nō sumuntur ex substātia, quam habent, sed ex ratione, qua pertinent, & referuntur ad habitus. Sic enim habitus fidei diuinæ, & fidei humanæ specie differunt, quamuis idem obiectum verum esse hac, & illa fide aliquando credamus.

Octauò quæritur, An ex venialibus peccatis sæpius repetitis, habitus generetur. Respondeo, Cum venialia peccata talia sunt, vt in certa aliqua materia versentur: quæ venialia ex certo genere dicuntur, si frequenter iterentur, habitum pariunt, nec enim dubitari potest, quin assuetus nugis, mendacijs iocosis, vel ociosis verbis habitum acquirat, quo promptior, & expeditior sit ad similia mendacia, vel verba, vel nugas. Quæres, an ex peccatis, quæ ideo venialia sunt, & leuia, quia sine perfecta hominis deliberatione committuntur, habitus comparetur: Respondeo, ex eiusmodi actibus, vt in certa materia versantur, habitus generari; qui non tenent eundem modum, quem actus facti ex perfecta hominis deliberatione habent; nam habitus acquiritur ex actibus sæpiùs geminatis, quatenus sunt, non quidem modo, sed substantia tales. Substantia enim actus facit ad habitum generandum, non modus. Vndè eiusmodi habitꝰ, quo quis, Verbi gratia, assuetus est furtis exiguis, cum absolutè, & simpliciter mouet & incitat ad furandum.

Cap. XXV.

De Virtutibus vniuersim: Quid sit Virtus.

PRIMO quæritur, Quotuplex sit virtus. Respondeo, Apud Philosophos duplices constituti virtutes, alias mentis & rationis, cuiusmodi sunt disciplinæ, & artes: alias verò moris, quales sunt illæ, quæ Cardinales dicuntur, Prudentia,

dentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia. Præter has sunt tres virtutes Theologicæ, quas ex sacris literis didicimus, Fides, Spes, Charitas. est etiam Pœnitentia virtus diuinitus infusa: quatenus in ijs, quos suorum peccatorum pœnitet, vt oportet, consequitur charitatem. Virtutes mentis, rationem & intelligentiam perficiunt, & illustrant, & magna ex parte sunt gratia sciendi, non agendi, aut efficiendi; de quibus nihil est in præsentia differendum: at omnes virtutes moris sunt causa operandi, & Morales vocantur, tum quia assuetudine comparantur, conseruantur, & roborantur, tum quia rectos vitæ mores tanquam rem obiectam, & materiam, in qua versantur, habent; & de his virtutibus est pertractandum. Hæ autem à Theologicis differunt. Primò obiecto, materia & fine: nam Theologicarum obiectum, finis, & materia proxima est Deus; at Moralium est res ratione recta præscripta. Obijcies, Obedientia, Pietas, & Religio in Deum, sunt virtutes ad mores pertinentes, & tamen Deum habent, vt obiectum; vt & pœnitentia, qua Deo pro peccatis sponte commissis, satisfacimus. Respondeo, Prædictas virtutes non versari circa Deum tanquam proprium obiectum: nam religionis obiectum est cultus, qui Deo tribuitur: Pietatis, honor & reuerentia, quæ Deo defertur: Obedientiæ, obsequium quod Deo præstamus, & quo ei tanquam Domino paremus: Pœnitentiæ verò officium est opus, quo Deo pro peccatis, charitatis impulsu & imperio satisfacimus. Deindè differunt, quod Theologicæ virtutes regulæ diuinæ innitũtur: nam Fides credit res, prout sunt à Deo patefaciente prædictæ: Spes vitam æternã, diuinam gratiam, & alia bona, quibus ad præmia cælestia peruenitur, expectat, prout sunt diuinitus promissa. Charitas Deum, vt amicum nostrum propter ipsum diligit, & cæteros omnes amat, vti Deus ipse voluit, tanquam amicos diuinæ gratiæ, & æternæ felicitatis compotes. At verò virtutes morales recta ratione, & prudentia tanquam regula diriguntur, vt Aristoteles tradidit. *lib. 2. Ethic. c. 6.*

Secundò quæritur, Quid sit virtus Moralis. Respondeo teste Aristot. *6. Ethic. cap. vltim.* Socrates, quem Stoici in hac parte sequuti sunt, omnem virtutem definiuit esse scientiam: prudentiam quidem rationem, siue scientiam rectè eligendi: fortitudinem, scientiam aduersa, acerba, & mala strenuè perferendi: temperantiam, scientiam moderatè fruendi delitijs, & voluptatibus: iustitiam scientiam ius suum cuique tribuendi; partim, inquit Aristoteles, errauit Socrates, partim quod verum est, dixit: peccauit, quod dixit, virtutem esse rationem, siue scientiam rectè agendi, siue viuendi: in eo vero non errauit, quod ad virtutem, scientiam requiri docuit, quia licet virtus scientia nõ sit, sine scientia tamẽ, hoc est siue prudentia esse non potest: certè Socrates virtutem moris definiuit non per formam, sed per causam, originem, & regulam suam: ita enim multa sæpè Philosophi definiunt: ira est quidam sanguinis ascensus in cor: linea quædam puncti in longum diductio. Sic prudentia non est forma, sed origo, norma & regula virtutis. Aristoteles *lib. 2. Ethic. cap. 6.* initio definit, Virtutem esse quæ eum, cuius est, bonum, & opus etiam eius bonum reddit. Sunt quidam opinati, virtutem moralem hoc loco ab Aristotele definiri: Sed hoc falsum esse ex ipsomet Aristotele planè constat, qui subiunctis statim exemplis definitionem probauit. Nam oculi, inquit, virtus ea est, quæ oculum ad intuendum reddit idoneum: & equi virtus est, quæ ipsum facit aptum ad cursum. Ergò in eo loco Aristoteles Virtutem in vniuersum acceptam definiuit, quatenus partes subiectas habet, tum virtutes moris, tum mentis, & naturæ. Præterea alibi Aristoteles Virtutem definiuit esse dispositionem perfecti ad primum; quasi dixerit, esse qualitatem id, cuius est, perficientem ad optimum actum præstandum. Cæterùm in eo loco Aristoteles tantùm abest, vt virtutem moralem solam definierit, vt etiam Habitus generatim definitionem tradiderit, vt apertè constat ex adhibitis exemplis de valetudine, pulchritudine, & robore; qui sunt habitus corporis fusiùs, & latiùs accepti. Augustinus, aut saltem ex eo Theologi Virtutem definiunt esse bonam qualitatem mentis, qua rectè vtimur, & qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Sed vt rectè animaduertit. S. Thom. *1. 2. q. 55. art. 4.* & Gabr. *3. d. 33. q. 1. ar. 3. dub. 2.* hęc definitio est solùm virtutis diuinitus infusæ, non moralis, quæ vsu, & consuetudine comparatur. Immò, vt existimo, eo loco Augustinus vsum virtutis gratis infusæ definiuit, non habitum: nam ibi virtutem Augustinus vocauit, quam alijs in locis gratiam operantem appellat, quo nomine intelligit omnia diuina auxilia, quibus solet Deus ante omnẽ voluntatis consensum nos præuenire, vocare, & excitare; & idcirco dixit: *quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Definitio igitur virtutis moralis acquisitæ, est ab Aristotele tradita *lib. 2. Ethic. cap. 6.* vbi ait, Virtutem esse habitum, quo possumus eligere bonum in mediocritate consistens, prout recta sapientis, id est, prudentis ratio præscribit. Ait esse, habitum quia virtus nec est ipsa animæ facultas, quoniam virtus acquiritur, facultas autem est naturæ insita: nec est affectus animi, quia affectus virtute corriguntur: nec est actus, quia virtus, etiam cum ab opere desistitur, in animo permanet. Dicitur, *possumus bonum eligere*, quia virtus tota in eligẽdo consistit: nam virtutum semina siue germina, ipsa naturæ vis nobis indidit, inseruit, & impressit; quoniam Synderesis est, quæ præscribit castè esse viuendum; pro patria fortiter pugnandum; suum cuique ius tribuendum, neque de his consultamus, aut inquirimus, neque ea eligimus, sed ea duntaxat, quæ ad hæc adipiscenda cõducunt, & iuuant. Rectè igitur Aristoteles virtutem ait esse habitum, quo possumus eligere bonũ in mediocritate constitutum. Dixit, *in mediocritate*, quia omnis virtus moralis, quæ in animi perturbationibus cohibendis versatur, ordinem & modum constituit inter duos affectus animi, alterum nimium, & immodicum, alterum verò exiguum, & minimum, vt inferius ostendemus. Dixit, *prout Sapiens præscribit*; quia modus certus, quem in affectibus eligit virtus, recto prudẽtiæ iudicio definitur. Est igitur virtus habit⁹ bonus, animi iudicio, & electione susceptus, in mediocritate cõsistens; sic ratione rectus, vt prudẽs præscripserit.

Arist. li. 7. Physi. tex. 17.

Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. 19. & Theologi 3. d. 33. & 23.

Est habitus non infusus à Deo, non à natura insitus; sed vsu, & exercitatione comparatus: non malus, sed bonus: non corporis, sed mentis: non temeritate, nō casu, non vi, sed iudicio, consilio, sponte, & voluntate susceptus: non in excessu, aut defectu, sed in medio tam vitiorum, quàm affectuum constitutus. Non perturbatione, sed ratione, & prudentia directus, hoc est, non vt quispiam sibi, sed vt prudens cuiquę agendi modum, & circunstantias præscripserit. Augustin. *li. 1. de morib. Ecclesiæ. cap. 15.* omnem virtutem Cardinalem, dixit esse amorem; temperantiam amorem, quo quis se integrum, & incorruptū Deo seruat: fortitudinem, amorem, omnia propter Deum facilè perferentem: iustitiam, cæteris propter Deum sua tribuentem; virtus amor est, nō quidem quod amor sit virtutis forma, sed causa, & origo.

Tertiò quæritur, In qua animi facultate tanquam in subiecto virtus inhæreat. Duæ sunt opiniones, Vna docet ex quattuor virtutibus moralibus, Prudentiam esse in intellectu, Iustitiam in appetitu rationis, scilicet voluntate, Temperantiam, & fortitudinem, in appetitu sensus. Temperantiam quidem in appetitu concupiscendi, Fortitudinē verò in appetitu irascendi; ita S. Thomas *1. 2. q. 56. art. 4. 5. & 6. & 2. 2. q. 53. art. 4.* Durand. *3. dist. 33. art. 4.* Hernæus *quodlib. 4. quæst. 12. & tract. de virtut. quæst. 4.* Immò tradit Durandus hanc esse opinionem communem. Ratio opinionis est, quia iustitia est ad alterum, voluntas autem non est ad bonum alterius sua natura propēsa, & ideo habitu virtutis eget, quo ad bonum alterius se inclinet, ac flectat. In appetitu verò sensus concupiscendi, & irascendi, affectus animi dominantur, qui debent virtutibus reprimi, & temperari; & propterea in eo appetitu Temperantia, & Fortitudo reponuntur: affectibus verò perdomitis, voluntas virtute nō eget ad bonum fortitudinis, & temperantiæ eligendum; quia ad huiusmodi bonum, cum sit cuiusq; proprium, voluntas prona est sua natura, & habitus non sunt necessarij, vbi facultas est naturaliter ad aliquid procliuis. Deinde, quia Aristoteles. 1. libr. Ethic. cap. 13. ait Temperantiam, & fortitudinem esse in parte animæ rationis experte: at appetitus sensus est talis. Ibidem docet Arist. has duas virtutes esse in appetitu irascendi, & concupiscendi: Sed hæ differentiæ sunt appetitus sensus, non appetitus rationis. Secunda opinio tradit duplices esse habitus morales ad virtutem moralem pertinētes. Alios in appetitu sensus ad cohibendos, & coercendos affectus; Alios vero in appetitu mentis, ad bonum rationis, quod Prudentia præscribit, eligendum: & habitus, qui in appetitu sensus ponuntur, non esse per se virtutes, quoniam appetitus sensus, cuius sunt habitus, circa honestū minimè versatur. Ex quo efficitur; vt eius habitus sint medij, & indifferentes, ex electione tamen voluntatis, & rectæ rationis præscripto ad bonū honestum mouent, & trahunt appetitum sensus; & ea ratione extrinsecus eiusmodi habitus sunt virtutes, vt scilicet à voluntate, & recta ratione ad bonum honestum referuntur. Habitus verò, qui sunt in voluntate, propriè, & per se sunt virtutes: quia voluntatis est rectæ rationis bonum eligere. Hæc igitur opinio docet, Fortitudinis, vt est virtus, duos esse habitus, vnum in appetitu sensus irascendi, reprimentem affectus circa molesta, ardua, & periculosa; ne videlicet appetitus sit, vel nimium audax, vel nimium timidus: alterum in voluntate ad bonum in materia fortitudinis eligendum. Pari ratione in temperantia insunt duo habitus; vnus in appetitu sensus, qui moderatur affectus in ijs, quæ sensum, & corpus oblectant; ne appetitus, vel nimium cōcupiscat, vel plus æquo, quæ bona sunt fastidiat, & respuat: alter in voluntate, quo voluntas bonū in materia temperantiæ à recta ratione præscriptum eligit. Sic Bonauentura, Richardus, Hēricus, Scotus, Ocham, Gabriel, Buridanus, Almainus, Maior. Hæc opinio plerisque magis probatur. Primò, quia omnis virtus moralis habet affectus, quos corrigat, ac temperet, ergo necesse est, vt in appetitu rationis, vel sensus habitus acquiratur, qui possit eos affectus moderari. Item omnis virtus moralis in bono rationis eligendo versatur; ergò necesse est, vt in voluntate, cuius est eligere, habitus etiam comparetur, quo facilè, promptè, & constanter fieri possit electio. Deinde omnis virtus, vt rectè suo officio fungatur, postulat facultatem animæ rectè affectam: sed omnis virtus circa electiones, & operationes, & circa affectus occupatur, nimirum vt hos cohibeat, & corrigat: illas verò expeditè, promptè, & facilè eliciat, & præstet; ergò ad virtutis officium requiritur, vt vtraq; facultas tum appetitus sensus, tum rationis sit benè affecta. Accedit, quod voluntas licet sit naturaliter propensa ad beatitudinem, & ad bonum generatim acceptum: non tamen est ad hoc, vel illud bonum honestū naturaliter inclinata: ergo eget habitu non solùm iustitiæ, sed etiam fortitudinis, & temperantiæ, vt facilè, expeditè, promptè, & satis firmè, bonum rationis in harum virtutum materia possit eligere. Obijcies, Aristotelem dixisse absolutè, Fortitudinem, & temperantiam esse partes animæ ratione vacantis: Respondent. Non esse negandum in appetitu sensus, quem eo loco Aristoteles partem rationis expertem appellat, habitus acquiri fortitudinis, & temperantiæ: sed præter hos habitus aiunt, etiam alios generari ad rectè eligendum; qui duplices habitus totam fortitudinis, & temperantiæ rationem constituunt, vt ante probauimus. Certè Aug. *lib. de Trin. 12. c. 24. & lib. 9. de ciu. c. 5. & 6.* virtutes in ea parte animæ ponit, in qua est sapientia: nec puto S. Thomam inficiari, fortitudinem, & temperantiam quatenus virtutes completæ sunt, in voluntate constitui; sed solùm docere in appetitu sensus habitus esse, quibus eius affectus corrigūtur, & difficultas vincitur ac superatur: quæ si in appetitu non esset, voluntas ad fortiter, & temperatè agendum esset habilior.

Bonau. 3. d. 33. a. 1. q. 3. Richar. 3. d. 33. a. 2. q. 1. Henricus quæst. 4. qua. 22. Sco 3. d. 33. q. 1. Ochā. 3. q. 10. Gabri 3. d. 33. q. 1. art. 2. concl. 3. & 4. Almai. in Moral. tract. 3 ca. 6. Burid. li. 1. Ethic. q. 22. Maior 3. d. 36. q. 1. & 2.

Quartò quæritur, An virtutes morales in angelis insint. Arist. *lib. 10. Ethic. cap. 8.* manifestè negat in Dijs, quos Angelos intelligit, virtutes quattuor morales inhærere: neque enim Angeli commutant, depositā reddunt, commercia tractant: neq; pericula subeunt, nec nummos habent quos dent, quos liberaliter impendant: nec libidines coercent, quibus carent. Certè dubitari non potest, quin careant virtutibus moralibus, vt cōtractis ad materiam affectuum, & perturbationum,

quibus

quibus assiduè appetitus sensus agitatur: item carent Angeli ijs habitibus virtutum moraliũ, quibus appetitus sensus ducitur ac regitur, & in officio continetur: sed non video, cur Angeli iusti non sint, liberales non sint, religiosi & pij non sint: nam licet pecunias, & commercia non tractent, multa in nos beneficia liberaliter conferunt: cuique, quod suum est, tribuunt: pericula, fateor, nõ subeunt, delitias, sensus non cohibent, at summum, & primum bonum omnibus anteponunt, ante omnia eligũt, ipsi firmissimè adhærent, eo delectantur, quod est formæ non materiæ in fortitudine, & temperantia, Deum vt supremum dominum agnoscunt, cui se sponte subijciunt.

Cap. XXVI.

Quot sint virtutes morales.

PRIMO quæritur, Quot numero virtutes Morales oporteat constitui? Respondeo, licet quidam innumeras esse tradiderint, alij verò vnã tantùm, alij quattuor; Aristoteles tamẽ vndecim videtur constituisse, videlicet Temperantiam, Liberalitatem, Magnificentiam, Magnanimitatem, Fortitudinem, Iustitiam, Mansuetudinem, Gratiam, Humanitatem siue Affabilitatem, Vrbanitatem, Integritatem.

Arist. li. 4. Ethic. c 8. & li 2. c. 7 S. Th. 1. 2. q. 60. ar. 5.

Animaduertendum est ex communi Philosophorum, & Theologorum consensu, quattuor esse præcipuas virtutes morales, quæ Cardinales vulgò nominantur, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam: quarum numerus ex parte facultatum animæ, quas afficiunt, apertè colligitur; Nam virtus, aut est in mente, & ratione, quæ cum quadam animi solertia quid in rebus agendis tenere, & sequi debeamus, perspicit, & hæc est Prudentia: Aut est in appetitu rationis, quæ alteri tribuit, quod suum est, & hæc est Iustitia: Aut est in appetitu irascendi, ne per vim lædamus alterum; & vt ardua, & magna, & molesta libenter, & promptè suscipiamus; ne quis rei difficultate deterritus officium recuset, aut deserat, & hæc est Fortitudo: Aut est in appetitu concupiscendi, vt quisque in appetendis voluptatibus modum, & ordinem seruet, & hæc est Temperantia. Idem numerus virtutum moralium ex officio virtutis rectè deducitur. Nam vt Cicero docet, omne vitæ humanæ officium ex quattuor partibus oritur: Aut ex ea, qua quis quid in rebus agendis verum, quid faciendum, quid fugiendum perspicit: Aut ex ea, quæ in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique, & in rerum contractarum fide seruanda versatur: Aut ex ea, quæ in animi excelsi, & inuicti magnitudine, & robore consistit: Aut ex ea, quæ in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, modo, & ordine constituta est. Præterea ratione affectuum, qui virtutibus corriguntur, idem quattuor virtutum numerus comprobatur. Nam vt supra dixi, Affectus animi præcipui sunt quattuor, Cupiditas, Voluptas, Metus, & Dolor. Cupiditates, & voluptates, quę sensus, & corpus oblectant, emendat, & corrigit temperantia. Metus, & dolores, qui nos molestia, & tristitia afficiunt; refrænat, & temperat fortitudo. Prudentia verò præstat, ne simus in agendo inconstantes, leues, temerarij, & præcipites: inconstantia enim, est, qua quis facilè cõsilium mutat: Temeritas verò est, qua quis facilè nullo adhibito consilio credit: præceps verò est is, qui sine consideratione, ac modo quippiam agit: studium, & amorem, ac cupiditatem lucri, & pecuniæ compescit liberalitas; vt iustitia, æquum in commercijs, & cõtractibus ordinem reneat: & fortitudo est veluti columna ciuitatis, aut domus; temperantia veluti frænum, & habena affectuum, seu morum; prudentia est veluti norma, & regula rationis; iustitia est veluti trutina æquitatis. Hoc veluti quadrigarum curru, vita hominis sapienter, & rectè vehitur, ad finem rationi congruentem.

Cic. de offic. lib. 1.

Secundò quæritur, Quare dictæ sint virtutes Cardinales. Respõdeo, Propterea quod sint principales: nam cardinalis idem est, quod principalis: hæ quatuor virtutes sunt tanquam aliarum omnium fontes & cardines; & vt fores circa cardines vertuntur, sic omnes vitæ honestæ rationes, & officia in illis versantur, & vniuersa boni operis structura in ipsis innititur. Vnde Ambrosius hasce quatuor virtutes cardinales Gregorius principales appellat. De his quatuor virtutibus primarijs multa Philosophi tradiderunt, multa quoque Patres; Ambrosius, Gregorius, Augustinus: de his Bernardus *sermon. 22. in cantica*, & Prosper. *in lib. 3. de vit. contem. ca. 18. Quaternarium*, inquit, *numerum perfectioni sacratum penè nullus ignorat. Siquidem totus orbis, Oriente, & Occidente, Aquilone, & Meridie quatuor determinari partibus siue angulis inuenitur; & ipse Adam qui est humani generis pater, vel generale nomen, quod dicitur homo quatuor literis explicatur. Corpus quoque quatuor elementis extructum, quaternarij numeri continet Sacramentum: ipsius etiam animæ quatuor sunt affectiones. Sed & quatuor flumina, quæ de paradiso fonte procedunt: quatuor quoque Euangelia; Ezech. 1. diuini currus rotæ quatuor, & animalia, & eorum alæ quatuor & facies.* Sic ille. Iob 1. quatuor angulis domus Iob sustentabatur. Exod. 28. in Rationali summi Sacerdotis quatuor erant ordines lapidum pretiosorum. Exod. 25. per vectes immissos in quatuor circulos aureos, arca fœderis asportabatur. Et Zachar. 1. quatuor fabri sunt contra quatuor cornua; hoc est contra quatuor potentias mundi.

Ambr. li. 5. in Lucã in illa verba: Descendit cũ illis, & stetit in loco campestri. Grego. homil. 3. in Ezechielẽ.

Tertiò quæritur, Quo pacto cæteræ omnes virtutes morales ad has quatuor reuocentur? Respondeo, Ad eas cæteras virtutes reduci: vel quia sunt quædam partes, & species ipsis subiectæ; vel quia affinitatem aliquam, & cognationem cum ipsis habent. Vnde Cicero iustitiæ sex partes enumerat; religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem. Macrobius verò septem partes iustitiæ ponit, innocentiam, amicitiam, concordiam, pietatem, religionem, affectum, & humanitatem. Sed vt recto ordine partes iustitiæ subiectas ostendamus, est animaduertendum iustitiæ subijci eas virtutes, quæ sunt ad alterum; cuiusmodi sunt;

Cicer. lib 2. de inuent. Macrob. li. 1. in somnium Scipio. cap. 8.

Religio, quæ cultum, & honorem Deo tribuit. Pietas, quæ patriæ, parentibus, & propinquis honorem debitum præstat. Obseruãtia, qua cæteros

homines

homines dignitate præstantes reueremur. Obedientia, qua maiorum & præfectorum iussis, & imperijs obtemperamus. Fides, qua in promissis, pactis, & conuentis veritatem seruamus. Veritas, qua in cęteris omnibus mendacia deuitamus. Gratia, qua grato animo sumus erga eos, qui sunt de nobis benemeriti. Liberalitas, qua liberaliter & gratis pecunias nostras cum alijs communicamus: quæque in pecunijs quærendis, atq; erogandis modum imponit. Benignitas, quæ dicitur Humanitas, vel Charitas, qua beneficia in aliũ conferimus absque vllo emolumento nostro, sed solummodò propter ipsum, quia bonꝰ est, vel quia ipsius persona nobis placet. Vindicatio, quæ delicta, & malefacta pro meritis coërcet, & punit. Clementia, quæ in pœnis delinquentium repetendis, certum modum tenet, ac seruat. Distributio, quæ pro singulorum meritis honores, dignitates, & cætera communia beneficia, & publicas administrationes conuenienter distribuit. Misericordia, qua miseriam, & indigentiam alienam subleuamus. Hospitalitas, qua hospites, præsertim aduenas, & peregrinos benignè, & amanter excipimus.

Fortitudinis Cicero quattuor partes enumerat, magnificentiam, fiduciam, patientiam, & perseuerantiam. Macrobius septem, magnanimitatem, fiduciam, seueritatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, firmitatem. Dicere possumus ad fortitudinẽ eas virtutes redigi, quę quandam animo magnitudinem præstant, vel in aduersis, molestis, acerbis, & malis subeundis, & sustinendis; vel in aggrediẽdis periculis, vel in arduis suscipiendis, vel in bonis nostris impendendis, vel in honoribus, & dignitatibus contemnẽdis. Sunt igitur fortitudinis partes fiducia ad aggrediendum, & sustinendum: Magnificentia in pecunijs abundanter expendendis, & in sumptibus faciendis. Magnanimitas ad arduas, & excelsas rerum administrationes suscipiendas; in quibus sunt honores, & dignitates, imperia, & principatus. Patientia, siue tolerantia, in superandis rerum difficultatibus, quæ molestiam, fastidium, & dolorem solent adferre. Perseuerantia in victoria curę, solicitudinis, & molestiæ, quam temporis diuturnitas parit.

Temperantiæ partes sunt eæ virtutes, quæ cupiditates, voluptates, dolores sensuum, & corporis corrigunt. Eæ item quæ iras emolliunt, & mitigant, cuiusmodi sunt abstinentia, quæ est in cibis; sobrietas, quę est in potionibus: Castitas, cuius est luxuriam repellere; & huic virtuti subijciuntur castitas coniugum, viduarum, & virginũ; & eorum, qui cælibem vitam agunt. Pudicitia, quæ voluptates in osculis, amplexibus, & tactibus refrænat: Clementia, quæ ordinem, & modũ præscribit in pœnis infligendis, & sumendis; hæc enim virtus, vt est ad bonũ alterius, iustitię subijcitur: vt verò cohibet affectum, ad temperantiam pertinet. Mansuetudo, quę iras temperat: Modestia, quæ in vultu, incessu, gestu, & alijs corporis motibus rectum ordinem seruat: Vrbanitas, quæ in verbis, & sermonibus rectæ rationis modum constituit.

Prudentiæ verò tres species constituũtur, vna, quam Monasticam passim vocant, sed latinum commune nomen retinuit, & Prudentia appellatur, quæ est ad propriam cuiusque vitam optimè dirigendam: Oeconomica, latinè domestica, quæ est ad rectam familiæ gubernationem: Politica Græcis, Latinis ciuilis, quę tota in communi Reipublicæ salute tuenda, & administranda versatur: quæ item in duas distribuitur, vna est, quæ in legibus ferendis, & magistratibus eligendis, & constituendis consistit; altera in parendo legibus, & magistratibus, ac præfectis. Constat autem prudentia memoria præteritorum, intelligentia præsentium, & prouidentia futurorum, circumspectione, vigilantia, solertia, perspicacia, cautione, bona remediorum, & eorum, quæ ducunt ad finem inquisitione, consultatione, iudicio, & in bene exequendo, vel præscribendo constantia, & firmitate.

Quartò quæritur, Quænam virtutes dicantur Euangelicæ. Respondeo, eas, quæ ex Christi Domini admonitionibus, & consilijs colliguntur; quæ sunt potissimum sex. Paupertas spiritus, quæ in rerum caducarum contemptione, & despectione consistit, qua quis sponte, & ex animo se suis bonis abdicat, vt Christi vestigijs insistat: quæ ad temperantiam potest reuocari. Secunda est castitas virginum, qua corporis integritas seruatur, aut firmo animi proposito, aut etiam ex facto voto suscepta. Tertia, est obedientia, præsertim religiosa, qua quis seipsum abnegans voluntatem suam alienæ voluntati subijcit, & mancipat, vt amore Christi maiorum suorum iussa exequatur. Quarta est humilitas, qua animum nostrum moderamur, ne alta, & ardua prosequatur: quæ ad magnanimitatem redigi potest. Quinta est Pœnitentia, qua pro peccato admisso satisfacimus Deo, nos ipsos certis quibusdam pœnis punientes, vt Deum nobis infensum, & iratum placemus, & iniuriam ipsi illatam, iusto, & debito dolore ex charitate suscepto compensemus. Sexta est simplicitas, quæ & ipsa potest ad temperantiam reduci: nam in quadam morum, & vitæ sinceritate consistit, & qua sumus iuxta rectæ rationis præscriptum, in omnibus faciles, & benigni. *Matthæ.*

Quintò quæritur, An quatuor virtutes Cardinales specie differãt, an verò potiùs sint vna virtus modis quattuor, siue quatuor officijs, siue functionibus distincta? hoc est, An diuisio virtutis in quattuor Cardinales sit generis in species partitio, an verò potiùs eiusdem virtutis in quattuor modus, siue accidentia. Quidam olim senserunt vnam esse virtutem, quattuor officia obeuntem: sicut vna est Solis lux, quæ vrit, illuminat, excicat; vna mens hominis, quæ recordatur præteritorum, intelligit præsentia, futuraque prouidet, & bona expetit, & diligit. Id probant Ambrosij testimonio dicentis: *Est ergo individuum sapientiæ, atque iustitiæ cõtubernium, sed vulgi vsu diuiditur; vna quædam forma virtutum sit nobis communis opinionis gratia quadripartita facta diuisio:* & Gregorij auctoritate, qui ait: *Vna itaque sine alijs, aut nulla est virtus, aut imperfecta: quia neque prudentia vera est, quæ iusta, temperans, & fortis non est; nec temperantia, quæ fortis, iusta, & prudens non est: nec fortitudo integra, quæ prudens, & iusta, & temperans non est: nec vera iustitia, quæ prudens, temperans, & fortis nõ est.* Aristoteles in omni virtute *Ambr. lib. 2. offic. c. 2.* *Greg. lib. 22. Mor. cap. 1.* *Arist. l. 6. Ethic. c. 4.*

requirit,

requirit, vt sit prudens; vt sit constans, & fortis; vt sit moderata, & temperans; vt rectum in omnibus ordinem tenens, cuique tribuat, quod illi debetur. Accedit his, quod vna virtus hominem simpliciter bonũ non reddit, nisi fuerit prudens, fortis, temperans, & iusta. Ergo quattuor primariæ virtutes potiùs sunt quattuor vnius virtutis modi quidam & conditiones, quàm species vni generi subiectæ. Postremò, vna disciplina versatur in multis rebus specie distinctis: sic etiam vna animi facultas; sic quoque vna fides est multarũ rerum specie diuersarum; ergo vna est virtus, quamuis in multis rebus specie diuersis occupetur. Cæterùm constans est Philosophorum, & Theologorũ opinio, quattuor virtutes primarias specie, & natura differre. Nam habitus ex rebus obiectis distinguuntur. Dubitari non potest, prudentiam saltem specie, à tribus illis secerni; cum prudentia in mente, & ratione sedem habeat, reliquæ tres in appetitu. Ambrosius verò, Gregorius, & Aristoteles soùm dicere voluerunt, eas esse sibi inuicem colligatas; non tamen esse vnam virtutem, cum in rebus genere, & specie diuersis versentur.

Sextò quæritur, An quelibet virtus moralis sit simplex habitus, an verò habitus ex multis habitibus tanquam partibus constitutus? Duæ sunt opiniones; prima docet, omnem virtutem siue rationis, siue moris, siue acquisitam, siue infusam, esse simplicem habitum: quia omnis virtus est alicuius obiecti, & materiæ. Et quamuis ad vnam virtutem diuersæ materiæ, & res obiectæ pertineant; earum tamen omnium vna est ratio, quam in illis virtus considerat, & tractat: Veluti Temperantia in multis materijs, & rebus obiectis versatur; omnia tamen, vt ad Temperantiam spectant, vnius videntur esse rationis. Secunda opinio tradit, omnem quidem virtutem infusam esse simplicem habitũ, cuiusmodi sunt Fides, Spes, Charitas, & Pœnitentia: omnem vero virtutem siue rationis, siue moris acquisitam, esse habitum ex multis habitibus tanquam partibus cõflatum, atque compositum. Probant, quia vnaquæque virtus ex diuersis actibus specie distinctis, pro varietate obiectæ rei, & materiæ comparatur. Deinde, quia sicut Titius potest rem vnam scire, & in re alia eiusdem disciplinæ siue scientiæ errare, vt apertè experientia indicat: sic etiam potest sese in vna temperantiæ materia, & non in altera exercere. Accedit, quod ipsa experientia docemur, nos facilè, constanter, expeditè, & prõptè in certa vnius virtutis materia assiduè confirmari, & roborari; cum tamẽ in alia eiusdem virtutis obiecta re habitus decrescat minuaturque. Hæc opinio multis iunioribus magis probatur, quoniam reuera virtus cũ sit habitus acquisitus, nostris actibus comparatur; actus verò re obiecta, & materia distinguuntur. Ex qua sententia perspicitur, virtutem in multorũ habituum collectione consistere, & virtutis nomen esse collectionis; sicut, numerus est collectio vnitatum, & figura linearum, exercitus militum, sub eodem Duce, seu Imperatore pugnantium, & populus multorum hominum sub eisdem legibus, & moribus humaniter viuentium: ita quoque virtus est collectio multorum habituum ad idem obiectæ rei, & materiæ genus pertinentium. Ex dictis etiam intelligitur, aliam esse rationem de virtutibus infusis, quas non actibus nostris comparamus, & acquirimus; & propterea quæ liber infusa virtus est simplex habitus diuinitus infusus, quamuis ad diuersa obiecta, & materias referatur: non enim pro varietate obiecti, vel materię secernitur; sicut nec animæ facultas, quamuis vna sit, & simplex, quia est à natura insita, & accepta, ad diuersa obiecta sese protendit, ac fundit, nec tamen eorum varietate distinguitur. Sicut enim vna animę vis, & facultas multa diuersorum habituum obiecta, vna quadam altiori, & superiori ratione complectitur, sic vnus simplex habitus infusus ad multas diuersorum actuum res obiectas, & materias refertur. De hac quæstione iam ante tractaui.

Septimò quæritur, An singulæ aliæ virtutes præter quattuor primarias natura, & specie distinguantur? Crediderim multas alias differre, sed non omnes: vt patebit cum de singulis disputabo; nunc enim de virtutibus generatim & vniuersè tracto. Magnificentia, & liberalitas in eadem voluntate ponuntur, idem obiectum habẽt, videlicet pecuniam; eadem extrema, prodigum, & auarum: nisi quod inter magnificum, & liberalem hoc intereſt, quod ille in magnis pecuniæ sumptibus, hic tamen in paruis cernitur liberalis: idem existimo de modestia, si cum magnanimitate in honoribus: de temperantia, si cum continẽtia in voluptatibus: de mansuetudine, si cum comitate in affectu animi conferatur: quemadmodum ergo vnus idemq; homo nunc magistratus publicam personam in summa dignitate, nũc priuati hominis personam in mediocritate sustinet; sic vna eademque virtus aliquando magis splendescit, vt magnificentia; aliquando minus, vt liberalitas.

Cap. XXVII.

De quibusdam, quæ virtutes non sunt, sed semiuirtutes.

PRIMO quæritur, An misericordia sit virtus? Respondeo, Aristotelem eam inter affectus animæ collocasse. Cicero item Stoicos secutus docuit misericordiam esse affectionem, & malam: sed in oratione pro Q. ligario, cum de Cæsaris laude diceret, virtutem appellat, vt August. annotauit *lib. 9. de ciui. c. 5.* Lacta. *lib. 5. diui. inst. ca. 14.* Stoicos reprehendit, quod misericordiam virtutem esse negauerint. Idem misericordiam intelligit beneficentiam. At Theologi docent esse virtutem. Sed animaduertendum est, Misericordiam posse dupliciter accipi: Vno modo vt est animæ affectus, & tunc non est virtus, quia virtus est habitus eligendi bonum, studio & causa honestatis, hoc est, rectę rationis pręscripto, quod in honestate versatur: At verò Misericordia, quæ est affectus animi, est dolor & tristitia ex aduersis rebꝰ alterius, ab impulsu, & instinctu naturæ ducens initiũ. Quare licet sit affectus bonus, & laudabilis, quia dolere ob res aduersas alteriꝰ bonũ est, virtus tamen esse non potest, quandiu ex solo naturæ impulsu & motu existit, ac surgit. Stoici

Arist. li. 2. Rheto. c. 8. Cic. Tus. 4

verò Mi-

verò Misericordiam malum affectum putarunt esse, quia opinabãtur omnes animæ perturbationes esse nimias, & immodicas; & proinde rectæ rationi inimicas, & aduersas. Secundo modo Misericordia accipitur, vt est vis, & voluntas subueniendi inopiæ, & indigentiæ alterius, studio & gratia honestatis: Est enim actus rectæ rationi consentaneus, dolere, & tristari rebus aduersis alterius, & eius egestatẽ, & inopiam subleuare, dummodò ex recta animi electione fiat; & tunc dubitari non potest, quin Misericordia sit virtus specialis, & à cæteris virtutibus distincta, vt quidam opinantur; vel vt alij, eadem virtus, quæ est charitas. De qua re alio in loco dicemus.

Secundò quæritur, An verecundia sit virtus? De hac quæstione disputaui supra hoc eodem libro, cap. 16. Aristoteles planè duobus in locis docet non esse virtutem *lib. 4. Ethic. cap. vltim. & lib. 2. cap. 7.* quod & ipsum S. Thomas. *p. 3. q. 85. art. 1. ad 2. & 2. 2. q. 144. ar. 1.* tradidit Aristotelem secutus. Sed alio tamen in loco idem Aristoteles apertè testatur esse virtutem. ait enim *lib. 3. Ethic. c. 8.* esse quandam fortitudinem, quæ metu ignominiæ, aut studio honoris, aut turpitudinis euitandę gratia pericula subit. Et subiungit, huiusmodi fortitudinẽ ob virtutem esse; videlicet ob verecundiam, vel ob studiũ honoris, vel ob causam fugiendi, quod turpe est.

In hac re dicẽdum existimo id, quod supra iam dixi: Verecundiam, aliquando esse affectum animi, qui est metus ignominiæ, & dedecoris ob factum, quod re ipsa, vel saltem opinione hominũ turpe iudicatur; pleraque enim hominum more, & instituto turpia censentur: veluti si vir in foro comederet, aut quid aliud, quod ciuis dignitatem dedeceret, publicè faceret. Cum autem verecundia est affectus, tunc ex naturæ impulsu existit, & proinde virtus non est, tametsi bonus, & laudabilis affectus sit. Aliquando verecundia, est actus voluntatis, quo quis sponte, & voluntariè timet ignominiam ob turpe factum. siue hoc, siue illo modo sumatur verecundia, nunquam est virtus, vt rectè Aristoteles existimauit. Primò, quia virtus turpe factum non admittit; at verecundia est vna cum turpi facto. Deinde quia virtus bonum eligit studio, & causa honestatis: at verecundia aliquando quidem sese à turpi continet, sed metu probri, & dedecoris. Postremò, quia virtus nõ solùm hominem à turpi auocat, & auertit; sed etiam ad bonum præstandum impellit, ac mouet; at verecundia solum est veluti frænum adhibitum, quo homines à turpi abducuntur. Obijcies, Pœnitentiam esse virtutem, vt Theologi communi consensu docent; & tamen Pœnitentia non est nisi de peccato, quod ante fuerit admissum. Respondeo, longè diuersam esse rationem: quia Pœnitentia peccatum tollit, & abijcit: & tamen verecundia turpe secum admittit, nec repellit; cum tamen Pœnitentia non solùm conetur peccatum depellere, sed etiam deleat, & extinguat. Deinde, Pœnitentia (quod est in virtute præcipuum) bonam voluntatis electionem efficit, quia per eam non solùm malefacti nos pœnitet, sed etiam statuimus in futurum peccata deuitare: nam Pœnitentia etiam est voluntas peccatum in futurum cauendi, & fugiendi, ne Deus offendatur. Postremò pœnitentia odio peccatum habet ob amorem Dei, & detestationem turpitudinis, at verecundia metu dedecoris, & non studio honestatis.

Tertiò quęritur, An indignatio, quæ dicitur zelus, sit virtus. Respondeo, Aristotelem asserere, Indignationem esse affectum animi, qui est dolor ex eo, quod alius res suas vel administret indignè, vel ex eo, quod rebus bonis potiatur indignus: quem affectum, zelum passim vocant; qui virtus non est, quoniam ex motu, & impulsu naturę manat, ac surgit, qui si nimius, & immodicus fuerit, virtute est temperandus. Est tamẽ affectus ex obiecto, & materia bonus & laudabilis. Idem est penitus dicendum de affectu animi, qui dicitur æmulatio virtutis. *Arist. lib. 2. Rhetor. c. 9.*

Quartò quæritur, An continentia, aut tolerantia sit virtus? Aristoteles postquam de singulis virtutibus moralibus disputauit, de continentia, & tolerantia tractat toto septimo libro Ethicorum, vbi ostendit continentiam, & tolerantiam non esse virtutes. Animaduertendum est aliquando continentiam accipi, quatenus idem est, quod castitas, quæ libidinis sensum compescit, ac reprimit, & tunc virtus est: Aliquando continentia sumitur vt est eadem, quæ temperãtia, & tunc etiam est virtus. Tertio autem modo accipitur, vt est habitus, quo bonum, & rectum in delectationibus eligimus, sed cum interna pugna sensuum, videlicet cum immodicis contra rectam rationem affectibus obsistentibus: & hoc modo Aristoteles continentiam à temperãtia distinguit: nam temperans bonum eligit promptè, constanter, & hilariter absque affectibus contra rectam rationem reluctantibus, eo quod temperantia, voluptatibus, & cupiditatibus dominatur, quas assiduitate bonorum operum superauit, ac vicit. Continens verò is est, qui, quod bonum est in delectationibus eligit, ac tenet, sed cum pugna affectuum rectæ rationi obnitentium. Vndè continentia est habitus, qui circa sensuum, & corporis voluptates animi affectus rectæ rationi subiectos nondum habet: & de hoc habitu est quæstio, an sit virtus. Præterea est etiam sciendum tolerantiam aliquando esse eandem, quæ est Patientia, vel Fortitudo: & tunc tolerantia est virtus Patientiæ, vel Fortitudinis: Aliquando verò tolerantia est habitus, quo bonum in medijs doloribus eligimus. Sed hic habitus à patientia, & fortitudine differt, quod in patiente, vel forti affectus dolorum sunt domiti, & subiecti rationi; at verò in tolerante, dolores adhuc deuicti nõ sunt; & ideò etiam de hoc habitu est quęstio, an sit virtus. Docet igitur Aristoteles hos habitus virtutes non esse, quia virtus cum affectibus immodicis non consistit. at cõtinens, vel tolerans, nimijs affectibus vrgetur, ac premitur. Deinde, quia virtus bonum eligit hilariter, facilè, promptè & expeditè, sed continens, & tolerans eligit quidem bonum rationis, sed cum pugna affectuum rectæ rationi resistentium. Teste Richard. *3. d. 33. art. 1. q. 1. ad 1.* Stephanus Episcopus Parisiensis anathematis sententiam in eos tulit, qui docebant continentiam non esse virtutem: continentiam accipiebat ipsam temperantiam, vel castitatem. S. Tho. *Arist. lib. 7. Ethic. c. 2.*

2.2.q.155. art.1. cum Aristotele docet continenti am ea ratione, qua Aristoteles sumpsit, non esse perfectam virtutem, sed bonum, & laudabilem habitum. Sic etiam Richard. 3 d.33.art.5.q.4. Quæres, Quid intersit inter intemperantem, & incontinentem. Respóde o, Sicut temperans est, qui bonum eligit absque affectibus cum recta ratione pugnantibus; Continens verò bonum eligit in media pugna renitentium affectuum: Sic è conuerso, intemperans est, qui in delectationibus cõsentit etiam consensu, & imperio rationis facilè, & promptè ad delectationes permotæ; at verò incõtinens est, qui delectationes sectatur, sed recta ratione contra eas monente, & obluctante. Temperans igitur, & continens conueniunt in hoc, quod vterq; habet rectum rationis præscriptum, & modum in voluptatibus tenet: sed differunt, quia temperans modum, & ordinem seruat, & habet absque interna pugna sensuum, & rationis; at continens cum pugna sensuum, appetitus, & affectuum rationi aduersantium. Intemperans verò, & incontinens conueniunt in hoc, quod vterque sensuum, & corporis delectationibus indulget, & obsequitur: differunt tamẽ quod incontinens succumbit affectibus, recta ratione obnitente; & ideo quamuis voluptatibus consentiat contristatur, & dolet ob rectam rationem contradicentem: at verò intemperans, voluptatibus cedit absque interna rectæ rationis pugna; & idcirco victus affectibus in turpia prolabitur: gaudetq; potiùs quàm doleat; nam facilè, libenter, & promptè ad affectus sensuum eius ratio permouetur.

Quintò quæritur, An continentia sit habitus re à temperãtia distinctus; tolerantia item à fortitudine, siue patientia? Duæ sunt opiniones, Prima tradit esse habitum re diuersum: quia temperantia est absque interna appetitus concupiscentis pugna cum recta ratione, quoniam est cum voluptatibus sensuum, & corporis repressis, & ad mediocritatem reuocatis: Continentia verò est cum pugna sensuum, & rationis, mentis, & corporis, quoniam est cum voluptatibus rationi obsistentibus; & idem est de tolerantia, & fortitudine. Secunda opinio docet continentiam non esse habitum re à temperantia distinctum, nec tolerantiam à fortitudine, quia habitus temperantię cum incipit acquiri, antequam vires, & robur accipiat, & confirmatus delectationes moderetur, est & dicitur continentia: postea verò vsu, & assiduitate corroboratus, deuictis affectibus immodicis est & dicitur temperantia. Ita vt continentia nihil aliud sit, nisi habitus temperantiæ inchoatus, & imperfectus; temperantia verò sit idem habitus, cum est confirmatus, consummatus iam & perfectus. Et idem dicitur de habitu tolerantiæ, & fortitudinis siue patientiæ, cum enim incipit habitus fortitudinis comparari contra dolores, tristitias, & metus, tunc est, & dicitur tolerantia, nondum affectibus domitis, & superatis: cum verò robustior factus est habitus affectibus immodicis repressis, & deuictis, est, & dicitur fortitudo. Hæc opinio verior mihi videtur.

Sextò quæritur, In qua animæ facultate, vt in subiecto, continentia, & tolerantia reponantur? Duæ sunt opiniones, Prima docet hosce duos habitus in voluntate sedem habere. Primò, quia in ea parte animæ poni debent, quæ sensuum affectibus resistit, & repugnat: at voluntas, sensuum affectibus aduersatur. Deinde, quia huiusmodi habitus in appetitu sensus nequeunt inesse, quoniam in eo appetitu cupiditates, & affectus dominãtur. Postremò, quia hi duo habitus sunt necessarij, ne appetitus rationis in pugna sensuum interna affectibus victus succumbat; ergò debent in appetitu rationis reponi. Ego profecto non dubito, quin continentia in voluntate insit, siue sit alius habitus in appetitu ponendus, siue secus, vt prædictæ rationes, & argumenta concludunt. Secunda opinio tradit continentiam esse duplicem habitum, vnum, qui in appetitu sensus inhæreat, alterum, qui insit in voluntate: & hæc opinio est etiam probabilis: quia continentia non est habitus re à temperantia distinctus: ergo in eadem facultate inhæret, in qua temperantia. Vt autem superius iam docui, temperãtia est duplex habitus, vnus in appetitu rationis, alter in appetitu sensus. Item incontinentia ex parte, est in appetitu sensus, vnde affectus immodici existunt, insultant, dominãtur: & ex parte est in voluntate, quæ affectibus incitata consentit: Ergo continentia partim est in appetitu sensus, partim in volũtate. Insuper continens voluptatibus obnititur, ergo eius voluntas habitu eget ad resistẽdum affectibus. Continens item affectibus succumbit, contristatur, & dolet ob lapsum, ergo continentia ex parte quoque in appetitu sensus sedem habet.

Septimò quæritur, An amicitia sit virtus? Aristoteles *per totum librum 8. & 9. Ethicorum* de amicitia disseruit; & initio statim docet eam esse virtutem, aut non sine virtute: hoc est, aut virtutem esse, aut virtutis effectũ. Quidam opinantur non esse virtutem, quia inter virtutes eam Aristoteles minimè connumerauit. Alij contra sentiunt esse virtutem, & iustitiæ subiectam tanquam partem, quia est ad alterum. Mihi probabilior videtur eorum opinio, qui dicunt eam esse charitatem: non quidem virtutem Theologicam diuinitus infusam, sed partem eius charitatis, quæ à Philosophis benignitas, vel humanitas appellatur: quoniam per amicitiam amicum amore prosequimur, & beneficijs afficimus propter ipsum, quia bonus est, & quia nobis placet tanquam acceptus & charus, quod est charitatis officium. Interest tamen inter amicitiam, & charitatem: quia charitas est amor beneuolentiæ ad omnes, etiam ad eos, qui nos vicissim minimè diligunt; at verò amicitia est amor beneuolentiæ ad amicos tantùm, & propterea amicitia est pars charitati subiecta. Loquimur autem de amicitia, quæ bono honesto innititur, nõ autem de ea, quę tota in bono iucundo, pulchro, vel vtili consistit; hæc enim amicitia leges veræ, & propriæ amicitiæ non habet. Porrò amicitia amicis, sicut charitas omnibus tria præstat, beneuolentiam, concordiam, & beneficentiam. Beneuolentia, est amor voluntatis internus, quo alterũ propter ipsum amamus. Concordia, est animorum, & voluntatum consensus. Beneficẽtia, est beneficiorum collocatio, quibus alterum verbo, aut re, & opere iuuamus.

S.Th. 2.2. q.155.ar.3. & Caie.1. 2.q.56. ar. 6. Richa.3. d.33.art.5. quæst.4.

Burid. lib. 7. Ethic. q.3.

Cap. XXVIII.

Quo pacto virtutes morales acquirantur, & in quare, & materia obiecta versentur.

PRIMO quæritur, In qua materia, & re obiecta virtus moralis versetur? Sunt duæ opiniones. Prima docet, iustitiam circa actiones, operationesue, non autem circa animi affectus versari: Fortitudinem verò, & temperantiam totam in affectibus occupari. Ita S. Thom. 1.2. *quæst.* 60. *artic.* 3. & 4. & 2.2. *quæst.* 58. *articul.* 9. Richard. 3. *dist.* 33. *articul.* 3. *quæst.* 3. Durand. 3. *distinct.* 33. *quæst.* 5. Bonauen. 3. *distinct.* 33. *articul.* 1. *quæstio.* 4. & Bassolis 3. *distinct.* 33. *quæst.* 3. *articul.* 1. Probant, quia iustitiæ, est distribuere bona omnia pro cuiusque meritis, aut debitis pœnis delicta punire, aut in commercijs, & contractibus ius suum cuique reddere, quæ tria actiones sunt: Nec vllos iustitia affectus coercet, & comprimit. At verò fortitudo tota versatur in cohibendis affectibus appetitus irascentis, videlicet audacia, & timore, spe, & desperatione, & temperantia in moderandis appetitus concupiscētijs, desiderijs, voluptatibus, doloribus, atque molestijs: Ita vt vtriusque affectus, siue obiectum sit mediocritas in affectibus constituta. Secunda opinio tradit, omnem virtutem moralem, etiam iustitiam, circa animi affectus versari: Omnem item virtutem moralem etiam temperantiam, & fortitudinem, habere actiones sibi obiectas tanquam materias. Sic Burida. *lib.* 5. *Ethic. quæstio.* 1. & *libr.* 2. *quæst.* 9. Martin. *quæstion.* 1. *de fortitudine.* Almain. *in moralibus tract.* 3. *cap.* 5. idque probant. Primò, quia Aristoteles in vniuersum ait omnem virtutem moralem circa voluptates, & dolores versari, hoc est, circa ea, quæ delectationem, & tristitiam pariunt. *Arist. li. 2. Ethic. c. 3.* Deindè, quia etiam iustitia suos habet affectus, quos debeat temperare, scilicet amorem, desiderium, & delectationem lucri, spem, metum, & tristitiam in quærendo, & amittendo lucro. Nam si huiusmodi affectus dominentur, in distributionibus bonorum, aut alieni restitutionibus, aut in commercijs, & contractibus, fieri bene electio non poterit. Hæc igitur opinio secunda docet generatim, omnem virtutem moralem circa actiones, & circa affectus animi versari. Circa affectus quidem, vt eos ad rationis mediocritatem reducat; circa operationes verò, quia omnis virtus est habitus eligendi bonum rationis: ergo omnis virtus facit rectam voluntatis electionem. Item, quia sicuti iustitiæ, est alienum restituere, distribuere præmia meritis, delicta punire, ius suum cuique tribuere; sic etiam fortitudinis est aggredi, pugnare, defendere, pati, sustinere sicut oportet: & temperantiæ, est ieiunium seruare, comedere, bibere; prout ratio præscribit: quæ sunt veræ actiones. *Arist. li. 5. Ethic. c. 4.* Præterea, quia Aristoteles in vniuersum docet, virtutis potius esse bene agere, quàm benè pati, aut turpè non facere. Hæc opinio probabilis quibusdam videtur, si sic intelligatur, fortitudinem, & temperantiam magis in affectibus, quàm in actionibus occupari; contra verò iustitiam potius in actionibus versari, quàm in affectibus comprimendis. Non est profectò, quod opiniones communi omnium consensione receptas suo loco moueamus. Fortitudo, & temperantia habitus sunt, qui appetitus nimios, & immodicos affectus moderantur, & temperant, sunt etiam habitus, quibus voluntas post sedatos appetitus affectus, bonum eligit, & operatur: nec hoc Aristoteles, aut sanctus Thomas inficiantur. Contra verò iustitia habitus est, qui in actionibus, & operationibus ad alterum versatur, videlicet iustitia bona communia distribuit, merita remunerat, malefacta punit, ac vindicat, cuique ius suum tribuit: quod si in hæc appetitus affectus irrepserit, non per iustitiam, sed per alias virtutes corriguntur, crudelem clementia temperat, iratum mansuetudo mitigat, auarum, & tenacem ac restrictum liberalitas moderatur: prodigum, & profusum frugalitas: Si quis itidem castus non sit, non sit temperans, non sit fortis, liberalis, iustus quoq; non erit, & leges, ac iura perfringet, & quemadmodū actus est fortitudinis velle patriam tueri, etiam cum nihil cogitatur de affectibus: & actus temperantiæ est velle ieiuniū colere etiam, vbi nulla est cogitatio de affectibus: Sic iustitiæ actus est in commercijs æquum, & iustum seruare: at pecuniæ, & lucri amorem, & cupiditatem liberalitas temperat.

Secundò quæritur, Qua ratione virtutes morum acquirantur in nobis? Respondeo, Primò, Aristotelem docuisse nequaquam per naturam existere. In hoc enim à facultatibus differunt, quæ sunt natura nobis innatæ, & insitæ: Virtutes verò sunt habitus nostra diligentia comparati. Deindè, tradit Aristoteles, virtutes morales more, & assuetudine acquiri: hoc enim interest inter eas, & virtutes rationis, quòd hæ doctrina, disciplina, aut multa experientia comparantur, cuiusmodi sunt artes, & scientiæ: at virtutes moris assuetudine, & more acquiruntur: mos verò ab experientia differt, quod experientia est tum alienarum actionum, tum propriarum obseruatio: mos verò, & assuetudo non in alienis factis consistit, sed est propriarum actionum exercitatio. Nec dictis obstat, quod virtutes, naturales homini dicantur: sunt enim naturales, quoniam rationi consentaneæ: sicut vitia sunt contra naturam, quia contra rationem: est etiam virtus naturalis, quia sunt homini indita semina, & principia virtutum: sic intelligitur id, quod ait Bernar. de vita solit. ad fratres de mōte Dei; nullum vitium naturale est, virtus verò omnis naturalis est; nam alibi lib. 2. de considera. ad Eugenium. cap. 11. ait, virtutes non natura, sed vsus facit. *Arist. li. 2. Ethic. c. 1.* *Arist. li. 2. Ethic. c. 1.*

Tertiò quæritur, An prudentia sit virtus moris, an verò potius rationis? Respondeo, esse virtutem partim rationis, partim moris: nam ab Aristotele inter habitus, & virtutes rationis numeratur. Item, quia prudentia non est virtus appetitus; & tamen Aristoteles virtutes moris in appetitu constituit. Insuper, quia prudentia acquiritur doctrina, disciplina, & experientia; quibus modis docet Aristoteles virtutes rationis comparari. Postremò, quia prudentia non versatur in temperandis appetitus affectibus, in quibus ait Aristoteles virtutes moris occupari: Nihilomi-

nus ta-

nus tamen prudentia solet merito virtus moralis vocari, quippe quæ dirigit omnes virtutes morales, & versatur in materia etiam, quæ ad mores pertinet; præscribit enim quid sit agendum, & quid fugiendum.

Quartò quæritur, An sint virtutes morales infusæ ab acquisitis re, & specie distinctæ? Duę sunt opiniones, vna est S. Thomę docentis præter quatuor præcipuas virtutes morales acquisitas, esse alias quatuor morales infusas re, & specie diuersas; atque huiusmodi morales infusas semper esse comites charitatis, & proinde vna cum charitate quocunque peccato lethali amitti, & pariter cum charitate diuinitus infundi: nec eas actibus nostris acquiri, augeri, conseruari. Probat autem has virtutes esse, quoniam acquisitæ hominem perficiunt circa bonum rationis, & finem hominis naturalem; & ratione humana tanquam regula innituntur: at infusæ hominem exornanti, perficiunt, & dirigunt ad bonum, & finem supernaturalem, & rationibus diuinis tanquam regulis fulciuntur. Verbi gratia, temperantia acquisita moderatur appetitum rationis, vt modus rationis seruetur, & vt viuatur, prout naturalis finis hominis postulat: At verò temperantia infusa, in appetitus voluptatibus mediocritatem quærit, seruat, ac tenet, vt caro spiritui subijciatur, vt menti corpus obediat, vt diuinis legibus pareat voluntas humana, vt cœlestis, & æternæ vitæ præmia consequatur. Secunda opinio tradit, huiusmodi virtutes morales siue infusas, non dari: ita opinantur Henricus, Scotus, Ocham, Durandus, Argentina, Gabriel. Hæc sententia à S. Thomæ opinione differt, quod S. Thomas docet esse virtutes morales ab adquisitis natura, & specie distinctas, indiuiduas comites charitatis: at cęteri Theologi, fatentur dari virtutes morales infusas, sed eiusdem naturæ, & rationis, cuius sunt morales adquisitæ: nam pueri, & alij, qui nondum virtutes morales vsu, & exercitatione compararunt, cum sacro baptismo abluuntur, Dei munere accipiunt vna cum charitate virtutes morales, quas alij assiduitate, & consuetudine adepti sunt: quibus deinde non priuantur ob lethale peccatum, licet charitatem amittant: qui verò virtutibus moralibus prædíti ad baptismum accedũt, Theologicas diuinitus infusas consequuntur, nõ morales: & quod virtutes morales hominem ad Deum finẽ supernaturalem dirigant, & ad eum humana opera, & studia referant, habent non vi, & natura sua, sed charitatis imperio, & impulsu. Ratio eorum est, quia nec ex scripturis, nec ex patribus, nec ex Ecclesiæ definitione, nec ratione vlla efficaci virtutes morales infusas ab adquisitis natura, & specie diuersas cõstituere cogimur, quoniam sufficiunt virtutes acquisitæ morales, quæ extrinseco fidei diuinæ, & charitatis impulsu, & motu ad finem vltimum supernaturalem dirigũtur; ita vt fides, & charitas virtutibus morum acquisitis præstent, quo suas actiones, & officia ad finem supernaturalem, & alterius vitæ commoda dirigant, & referãt. Porrò licet opinio S. Thomæ tanquam admodum probabilis haberi debeat; posterior tamen sententia non est tanquam temeraria refellenda, vt nonnulli tradiderunt; si quidem multorum Theologorum, quos iam ante citauimus, grauissimo testimonio comprobatur. Nec horum auctorum opinio negat simpliciter virtutes morales interdum diuinitus dari, & infundi, & eatenus esse dona Dei, solùm negat esse virtutes morales infusas specie, natura, & substantia ab acquisitis distinctas; ponit virtutes morales non ex genere suo infusas, sed ex accidenti.

Quintò quæritur, An omnis virtus moralis in mediocritate rationis consistat? Duæ sunt opiniones. Prima est S. Thom. 2.2. q. 59. art. 10. Richard. dist. 33. art. 2. 3. quæst. 4. & videtur esse Aristot. lib. 2. Ethic. cap. 6. 7. & 8. omnem virtutem moralem esse constitutam in medio, quod est inter duo extrema, nempè inter nimium, & parum: sed hoc interesse inter iustitiam, & alias morales virtutes, quod iustitia consistit in medio, inter nimium scilicet, & parum rei, non rationis: Fortitudo verò & temperantia in medio inter nimium, & parum rationis, non rei. Porrò medium rei est idem apud omnes; medium verò rationis non item, quia in quadam proportione, habita personarum ratione consistit. Verbi gratia inter decem & duo, sex sunt medium rei, quia ab extremis æque distant: vt planè constat. Iustitia igitur consistit in medio rei, quia tantum debes soluere, quantum accepisti; & non amplius, aut minus: Item totidem oportet, te reddere, quot debes, vt iustitiæ æquitatem serues. At verò temperantia non est in medio rei, sed rationis constituta: non enim quantum Titius ex cibo, & potu sumit, tantundem Caius capere debet; nec si Titius iuxta fortitudinis regulam fugere pericula, & aduersa, & mala debet; ideo Caius eadẽ mala iuxta prudentiæ præscriptum vitabit: quoniam quod est medium debitæ rationis in vno, non est in alio. Secunda opinio ait, omnem virtutem moralem etiam iustitiam, in medio rationis consistere. Sic Burida. lib. 5. Ethic. quæst. 13. Maior. 3. dist. 36. quæst. 9. conclus. 3. Probant hoc, quia teste Aristotele generatim virtus est habitus eligendi quod in mediocritate consistit, quatenus prudentiæ ratio determinat. Deindè, quia iustitia, quæ in bonorum distributionibus versatur, semper in bonis communibus diuidendis rationem personarum habet, & cuique distribuit pro varietate dignitatis. Item, quia in benefactis compensandis, & remunerandis meritis, iustitia quoque ponderat personarum rationem. Præterea, in refarciendis iniurijs, & damnis, & puniendis delinquentium erratis, Iustitia semper attendit, quis læserit, & offenderit; quis item læsus fuerit, & offensus: & quo modo quis læserit, sciens, an ignorans, occultè, an manifestè, per vim, an secus, per insidias, & fraudes necne. Postremò, etiam in commercijs, & cõtractibus, vt puta in venditionibus, emptionibusque pretia variantur habita ratione personarum. Nam vni possum ego vendere rem meam minoris, quam alteri, quia amicus meus, vel vicinus, aut propinquus est: & ob copiam, vel paucitatem emptorum, vel venditorum, solet pretium mercium crescere, vel minui. Præterea, eadem res pro varietate locorum, vel emptorum, vel pecuniæ, vel indigentiæ humanæ, pluris minorisue æstimari, ac vendi solet. In hac igitur controuersia prima opinio, vt cõmuni cõsensu Theologorũ recepta tenenda est: iuxta quam arbitror

3. Th. 1. 2. q. 63. ar. 3. & 4. Bonau. 3. d. 33. art. 1. q. 1. Richar. 3. d. 33. art. 1. quæst. 2.

Henricus quodl. 6. q. 12. Scot. 3. d. 26. q. 1. artic. 3. Ocham 4. q. 3. Dur. 3. d. 33. q. 6. Argen. d. 33. q. 1. artic. 1. Gabr. 4. d. 14. 1. a. 2. concl. 7. & 8.

Medi. 1. 2. q. 61. art. 3.

dicendum, omnem virtutem moralem in mediocritate consistere, non quod sit ea mediocritas inter duos habitus vitiosos, hanc enim aliquæ virtutes tantùm habent, non omnes. Exempli causa, liberalitati duo extrema vitia opponuntur, Auaritia, quæ minus dat, quam oportet. Prodigi vitium, qui plus dat, quam decet: iustitiæ tamen verum tantum vitium aduersatur iniustitiæ. Deindè, mediocritas virtutis moralis est modus inter nimium, & parum, hoc est, inter conditiones, & circunstantias, quæ conueniunt fini, & rectæ rationi, scilicet vbi oportet, quantum, quando, & quomodo oportet. Præterea mediocritas virtutis moralis, semper est certus quidam modus, & ordo præscripto rationis in affectibus animi, vel actionibus constitutus: Nam vt supra dixi, omnis virtus moralis in affectibus, vel actionibus versatur. Cum ergo virtus moralis sit habitus eligẽdi, prout sapiens decernit, in mediocritate actionum, vel affectuum cõsistit. Perspicitur ex dictis, vt omnis virtus moralis, in medio rationis quadam ex parte subsistat, licet hoc sit iustitiæ proprium, vt etiam medium rei habeat, vt prima opinio tradidit ex Arist. 3. *lib. Ethic. c. 6.* Virtus consistit in medio rationis, videlicet, quam dirigit: in medio affectionis, quam supprimit: in medio vitiositatis, quam extinguit, & tollit: est enim virtus, norma, & regula rationis, habena affectionis, vitiorum fuga: est itidem virtus qua mediocritatem certam eligimus, vt prudentiæ regula, & norma definit: nihilominus tamẽ, iustitiæ medium est rei, non rationis: quale est medium fortitudinis, & temperantiæ: quoniam medium, in quo iustitia consistit, idem est apud omnes: at fortitudinis, & temperantiæ medium non est idem omnibus: nam quod vni ex cibo, vel potu est nimium vel parum, alteri tale non est: in quo vnus est audax, vel timidus, alter non est. Sed qui mutuo decem debet, vel ex empto, vel conducto, vel furto, totidem soluere iusta lege compellitur: quamuis rerum pretia multis de causis sæpè varientur: nec huic obstat, quod in distributionibus bonorum communium, & in pœnis delictorum & scelerum, personarum merita expendantur, quoniam ad rem ipsam faciunt, quam augent, vel minuunt, non ad animi affectum: sic etiam maior est iniuria, si principem offendas, quam si priuatũ hominẽ: grauius delinquis, & maiorem pœnam mereris, si scienter, quam si per errorem pecces.

Cap. XXIX.

Quomodo virtutes morales connectantur inuicem, augeantur, & amittantur.

PRIMO quæritur, An virtutes morales sint sibi inuicem connexæ? Sensus quæstionis est, An ita sint inter se coniunctæ, vt qui vnam habet, eo ipso omnibus alijs sit præditus; & qui vna caret, nullam habeat. Duæ sunt opiniones Theologorum. Prima est S. Tho. 1.2. *q. 65. a. 1.* asserentis; virtutes morales esse inter se copulatas, nõ quidem vt habitus sunt boni, & laudabiles, sed vt virtutis rationem habent. Primo, quia castus si fortis non sit, metu mortis contra temperantiam aget: Item si iustus non sit, spe pecuniæ, aut cupiditate lucri, præmij, munerumue, victus succumbet. Deindè, quia teste Aristotele *in lib. 6. Ethic. c. 10. cap. 8. c. 17. & lib. 2. Ethic. c. 6.* omnis virtus moralis est cum prudentia colligata; sed prudentia est cum cæteris virtutibus coniuncta, ergo omnes virtutes inter se communi prudẽtiæ nexu, & vinculo copulantur. Accedit, quod hoc Philosophi docuerũt, Stoici, Aristoteles, Cicero, Seneca, Plutarchus, sancti quoq; Patres idem tradiderunt. ait enim Ambrosius *lib. 5. in Lucam* super illa verba: Beati pauperes spiritu, *& lib. 2. offic. c. 9. connexæ igitur sibi sunt concatenataq; virtutes, vt qui vnam habeat, plures habere videatur.* Et Hieronymus *in Isaiam ca. 5. 6. Virtutes*, inquit, *inuicem se sequuntur, & sibi hærẽt, ita vt qui vnam habuerit omnes habeat, & qui vna caruerit, cunctis careat.* Gregorius quoque scribit *ho. 3. in Ezec. lib. 1. mor. c. 39. Virtutes primas* (intelligit cardinales) *esse connexas.* Alio in loco testatur: *Nulla virtus est, si alijs virtutibus mixta non sit.* Item alibi nullas ait esse virtutes, si cum prudentia non coniungantur. Rursus alibi *lib. 21. mora. ca. 3. hom. 22. in Ezech. Vna*, inquit, *virtus sine alia, vel nulla est omnino, vel minima, vicissim sua coniunctione fulciuntur.* Idem apertè docet Augustinus *libr. 6. de Trin. c. 4.* quem refert Magister *in 3. sententiarum dist. 36.* Et Bernardus *de consid. ad Eugen. c. 6.* ait: *Aduertere tibi est suauissimum quendam cõcentum, complexumq; virtutum, atque alteram ex altera pendere*, & Gregorius *li. 22. mora. ca. 1.* multis verbis ostendit virtutes quatuor principales, esse sibi inuicem colligatas; vnde factum est, vt Henri. *quodl. 5. q. 17.* & Medina 1.2. *q. 65. artic. 1.* dixerint; hanc esse sanctorum Patrum sententiam, & omnium Philosophorum. Secunda opinio tradit, non esse inter se connexas, quatenus habit⁹, aut virtutes sunt, proprias res obiectas, & materias habentes; licet consocientur, vt virtutes sunt perfectæ, & heroicæ. Virtus enim potest dupliciter sumi. Primò, vt est habitus facilè, expeditè, & hilariter eligẽdi bonum studio, & gratia honestatis in propria materia, & re sibi obiecta: & hoc modo virtutes morales non sunt inter se iunctæ, & catenatæ: nam vnus potest in vna virtute esse satis versatus, non item in alia. Experientia ostendit aliquos esse fortes, & strenuos belli duces, aut milites; & tamen esse intemperantes: Item aliquos sese diu exercuisse in officijs, & actionibus vnius, & non alterius virtutis: item quosdam esse aptiores, & promptiores ad opera, & functiones vnius virtutis, quàm alterius: præterea aliquos instrumenta habere ad studia, & actiones vnius virtutis, non alterius. Sunt multi pauperes, casti, & temperantes, qui tamen instrumentis carent liberalitatis, & magnificentiæ. Sunt aliqui à pueritia educati, & instituti in officijs vnius virtutis, & non alterius. Secundo modo, virtus potest accipi, vt est habitus eligendi bonum in certa materia, & re obiecta; ob communem tamen honestatis rationem, & animo parato contra omnem appetitus affectum, etiam contra timorem cuiuscunque rei aduersæ, & contra metum mortis, contra omnes sensuum, & corporis voluptates, & dolores, omni lucro, pretio, munere, & commodo contempto. Et hoc modo virtus est perfecta, & heroica; & virtutes morales sunt inter se copulatæ: non enim poterit quis hoc modo esse temperans, nisi fortis sit, & iustus: nec fortis, nisi sit iustus, & tem-

Arist. li. 1. Ethic. c. 13 Cic. Tusc. 2. & 1.

Lib. 2. moral. ca. 1.

perans.

perans. Hanc sententiam hoc modo explicatam, sequuntur Scotus, Richardus, Bonauentura, Henricus, Ocham, Argentina, Gabriel, Almainus, & Maior, atque hæc sententia à S. Thomæ opinione non dissidet, quidquid alij dicant; hoc enim modo sancti Patres, & ipse etiam S. Thom. virtutes inuicem connexas esse voluerunt. Profectò Hieronymus, cũ pro Pelagianis diceretur: legimus; Qui vnam habuerit, omnes videtur habere virtutes, Respondet, Participatione, non proprietate: & tamen hoc quod legisse te dicis, vbi scriptũ sit, nescio. Et cum diceretur pro Pelagianis, Ignoras hanc Philosophorũ esse sententiam? Respondit Hieronymus: sed non Apostolorum; neque enim mihi curæ est, quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat, & Augustinus *in epist. 29. quæ est ad Hieronymum*, videtur docere Philosophorum esse sententiam, non autem sacrarum literarum, vel Apostolorum, virtutes morales omnes sibi inuicem cohærere, & sociari; & posse hominem vnam habere; quin aliam habeat. Denique quattuor virtutes principales sunt connexę, quatenus sunt quattuor generales conditiones virtutis: omnis enim virtus, bonum in propria re obiecta & materia eligit sapienter, constanter, & firme, modestè, & rectè; primum est prudentiæ: secundum fortitudinis: tertium temperantiæ: quartũ iustitiæ: item cum virtutes morales consociatæ esse dicuntur, id tantum locum habet iuxta Philosophos in quattuor primarijs virtutibus, quæ ad communem cuiusque vitam spectant, non in cæteris, quæ propriæ sunt singulorum. Non igitur est Aristotelis, Philosophorum, & sanctorum Patrum opinio, virtutes etiam quattuor principales esse simpliciter, & absolutè copulatas; sed eo modo quem dixi, & in hoc omnes Theologi etiam cum S. Thoma consentiunt.

Scot. Rich. Bonau. Ocham. Argen. Gabr. Alma. Mar. 3. d. 36. Henricus quodl. 3. q. 17. Burid. li. 6. Ethic. q. 21. Hieron. in Dialog. 1. contra Pelag.

Secundò quæritur, An quælibet virtus moralis sit cum prudentia necessario connexa? Aristoteles planè docet, omnem virtutem moralem cum prudentia coniungi: quia virtus, inquit, moralis non eligit, nisi ex recto prudentiæ præscripto. Hanc Aristotelis sententiam omnes Theologi communi consensu, approbarunt; & animaduertendum est, virtutem moralem, si prout in facto, vel opere consistit, capiatur, connecti cùm prudentiæ actu, opere, & officio: neque enim virtutis moralis actio, vel officium consistere potest, nisi etiam prudentia suo actu, & munere fungatur. Est enim actus prudentiæ origine, & causa prior vt qui dirigit cuiuscunque virtutis functiones. Si item virtus moralis in habitu consistat, nequit esse sine habitu prudentiæ, quia sicut actibus virtus moralis acquiritur, sic etiam habitus prudentiæ suis actibus comparatur. Ergo si actus virtutis moralis habitum efficiunt, & eiusmodi actus fieri nequeunt sine actibus prudẽtiæ: Sequitur, vt cum habitus virtutis moralis acquiritur, habitus quoque prudentiæ comparetur: & quando habitus virtutis moralis contrarijs actibus expellitur, habitus quoque prudentiæ pariter excussus, actibus imprudentiæ contrarijs delearur.

Aristot. li. 6. Ethic. c. 13. S. Th. 1. 2. qu. ar. 4. Gabr. The ologi 3. d. 36.

Tertiò quæritur, An prudentia necessario sit cũ virtute morali coniuncta; ita vt qui habet prudentiam, habeat quoque omnem virtutem moralem? Duæ sunt opiniones. Prima affirmat esse necessario connexam. Primò, quia id Aristoteles manifestè tradidit. Deinde, quia prudens nemo esse potest, nisi sit in rebus agendis bene affectus, atque compositus: sed talis esse nullo modo potest, nisi virtute morali sit præditus; ergo prudẽtia natura sua virtutẽ moralem requirit. Postremò, quia prudentiæ præscriptum verum esse non potest, nisi appetitus sit rectus: quia qualis vnusquisque est, talis ei res agenda, & finis apparet: sed appetitus rectus esse non potest, nisi sit virtute morali exornatus, & cultus. Secunda opinio docet, prudentiam necessariò non esse cum virtute morali copulatam: ita opinantur Scot. 3. *d. 36. quæst. 1. ar. 2.* Ocham. *3. q. 12. & quodlib. 3. q. 6.* Gabr. *3. d. 36. q. 1. art. 2. part. 2. concl. 3. & art. 3. dub. 3.* & Buri. *libr. 6. Ethic. q. 21.* quod probant. Primò, quia prudentia, causa & origine est virtute morali prior, ergo prius acquiritur: alioqui enim si cum virtute morali necessario cõiungeretur, aut virtus moralis esset ea prior, aut sine virtute morali comparari non posset. Item, quia prudentia est virtus rationis, ergo doctrina, disciplina, & experientia potest acquiri: Sed virtus moralis more, & consuetudine comparatur: at doctrina, disciplina, vel experientia potest nobis contingere ante morem, & assuetudinem. Insuper, quia experientia indicat posse nos iudicare prudenter, hoc aut illud esse agendum, aut fugiendum absque hoc, quod appetitus agat, aut prosequatur, aut fugiat, & vitet: ergo ex actibus rationis assiduè repetitis, sine hoc quod appetitus quippiam agat, potest commodè habitus prudẽtię comparari: nam moralis virtus sine electione voluntatis nũquam acquiritur, & tamen ex iudicio rectę rationis, quod nulla electio consequatur, acquiri potest prudẽtia absque virtute morali, quæ in electione consistit. Hæc opinio parũ, aut nihil à prima discrepat, quoniam prudentiam accipit multò latiùs, quàm primæ opinionis auctores, qui prudentiam intelligunt precisè, & strictè, vt est recta ratio rerum agendarum in peculiari, & singulari materia iudicans, atque præcipiens conuenienter recto appetitui: quia reuera electionem voluntatis præcedit iudicium rationis: nec iudicium rationis ex necessitate, voluntatis electio subsequitur; siquidem sæpè benè iudicamus, nec tamen eligimus, facimus, aut operamur. Ad rectæ autem rationis iudicium sufficit appetitum esse per synderesin benè affectum absque vlla alia virtute morali: Synderesis enim est, quæ præscribit honestè esse viuendum, castè agendum, fortiter pro patria pugnandum, cuiq; suum ius tribuendum. Item ad prudẽtiæ præscriptum sufficit, si doctrina, disciplina, institutione, & experientia benè simus in rebus agendis affecti. Experientia enim ostendit, iratum dulci, ac blando sermone placari, & beneficijs hominum animos, & voluntates conciliari, etiamsi nos mansuetudine, & gratia careamus. Aristoteles verò cùm docet, prudentiam cum virtutibus moralibus sociari, & coniungi, eam accipit latius, & fusius, quã nos in præsentia, nempè vt etiam synderesin continet, & omnem rectam rerum agendarum rationem: siue generaliter præscribentem, benè agendum: siue specialiter monentem in hac, aut illa re, &

materia, hoc loco, & tempore nobis obiecta, sic & non aliter agendum esse: prudentia igitur hac ratione sumpta cum morali virtute connectitur, vt docuit S. Thomas loco citato Aristotelem sequutus.

Sic S. Tho. 1.2.q.66. art.3 ad 3. & q.19.a. 3.ad.2.

Quartò quæritur, An prudentia virtuti morali finem præstituat? Duæ sunt opiniones. Prima affirmat, quia (teste Aristotele) virtus moralis est habitus eligendi bonum in mediocritate consistens, prout Sapiens decernit. Item quia prudentia in iudicando, virtus moralis in eligendo versatur: & virtus moralis eligit, quod prudentia iudicauit, & proinde prudentia dicitur lux, magistra, præceptrix, & quasi auriga virtutum moralium. Secunda opinio docet, finem virtutis moralis non à prudentia, sed à synderesi proponi, & deinde, virtutem moralem eiusmodi finem à synderesi acceptum, prudentiæ tribuere: ita videtur docere S. Thom. 1.2.q.58.ar.3.& 4.& 5.& 2.2.q.47. *articul.6.* Probat; quia antequam prudentia iudicet in hac, aut illa materia esse mediocritatem rationis, oportet appetitum esse bene affectum, atque compositum in materia temperantiæ, fortitudinis, & iustitiæ: quia alioqui si appetitus nõ sit rectus, malè ratio iudicabit: nã eo modo, quo sumus affecti, de agẽdis iudicamus. Hæc quæstio, Cai.1.2.q.58.ar.4. visa est obscura, & difficilis: sed certè prima opinio mihi probabilior videtur, & eius rationes sunt firmiores. Animaduertendum est, finem communem, videlicet, castè esse agendum, fortiter pugnandum, iustè viuendum, à synderesi, non autẽ à virtute morali prudentiæ proponi: hoc verò fine communi à synderesi constituto, prudentia ea perquirit, & de ijs consultat, iudicat, & præcipit, in quibus specialiter, & singulariter castitatis, fortitudinis, & iustitiæ officium reperitur: & hic est finis specialis, & singularis in mediocritate consistens, quem prudentia virtuti morali præstituit: priorem autem finem communem non prudentia, sed synderesis virtuti morali præstat: cum autem synderesis sit etiam recta ratio rerum agendarum, appellatione prudentiæ, iuxta Aristotelis sententiam, continetur; & ideo Aristoteles simpliciter, & generatim docuit finem virtuti morali à prudentia præstitui. Cæterum quoniam virtus moralis affectus refrænat, appetitum rectè componit, & corrigit, inde est, vt rationis iudicium plurimum in bonis iuuet, & ideò eatenus dicitur finem prudentiæ dare, prudens enim bene de agendis consultat, iudicat, & præceptum dat, quia benè est affectus, atque compositus.

Quintò quæritur, An qui est in vna materia, & officio virtutis prudens, sit quoque in alijs materijs, & officijs virtutũ prudentia præditus? Duæ sunt opiniones, Prima ait eum esse in omnibus prudentem. Probat primo, quia circa res agendas non est, nisi vna prudentia. Deinde, qui vnam virtutem moralem habet, cæteras quoque habet: ergo si prudens est quis in vno officio virtutis, prudens quoque est in cæteris. Secunda opinio asserit, sæpenumerò aliquem esse prudentem in vno officio virtutum, qui nõ sit in alijs: quæ sententia mihi magis probatur. Primo, quia experiẽtia apertè indicat aliquos esse maximè prudẽtes in re militari, qui sunt alioqui imprudentes in alijs: alios esse prudentes in Reipublicæ administratione, non in alijs: aliquos etiam esse prudentes in certa quadam materia, quia in ea sunt probe instituti, educati, satis experti, diu versati, & tamen in alijs rebus non sunt. Item quia licet circa res agendas dicatur esse vna prudentia, quod multi inficiantur; ea tamen, vt supra diximus, se habet quemadmodũ alius habitus acquisitus disciplinæ, vel artis; ergo sicuti quicunq; alius habitus acquisitus, non est simplex habitus, sed ex multis tanquam partibus constitutus, ita vnius materiæ, & rei obiectæ vnus est habitus prudentiæ, cum alterius materiæ sit alius.

Sic aliqui S. Thom. discipuli.

Sic Sco. Ocham, Gabri. Burid.

locis citatis.

Sextò quæritur, An virtutes morales sine fide diuina esse possint? Duæ sunt opiniones. Prima negat, tum quia teste Paulo, *Omne quod nõ est ex fide peccatum est*, & alibi, *Sine fide impossibile est placere Deo.* tum quia Augustinus contra Iulianum apertè demonstrat, nullas esse sine fide virtutes; Gregorius item nullas ait esse virtutes, nulla bona, si in fide non connectantur: Idem planè tradit Bernardus. *Virtutes veras*, inquit, *non habuere mundi sapientes sine Christo.* Beda *in lib. de subst an.* & Prosper. *ad excerpta Genuen. responsione 3.* & 8. fundamentum omnium virtutum est fides, & in Concilio Arausicano *can. 17.* dicitur: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinẽ Christianorum Christi charitas facit*: quæ concilij sententia sumpta est ex Augustino *lib. de patien. c.17.* ergo virtutes morales sine fide Christi, mundanæ cupiditates, non virtutes sunt; & Hieron. *in epist. ad Gala. ca.3.* illis verbis iustus ex fide viuit; *Faciamus & nos*, inquit, *aliquid simile huic, quod dicitur, iustus ex fide viuit, & dicamus: Castus ex fide viuit, sapiens ex fide viuit, fortis ex fide viuit, & à cæteris virtutum partibus, vicinam sententiam proferamus aduersum eos, qui in Christum non credentes fortes, & sapientes, temperantes se putant esse vel iustos, vt sciant, nullum absque Christo viuere, sine quo omnis virtus in vitio est.* Secunda opinio docet veras virtutes morales posse sine fide Christi consistere, id quod plane videtur concedere Hieronymus *apud Matthæum cap.22.* vbi ait; *inter ipsos quoque Ethnicos est diuersitas infinita, cum sciamus alios esse proclines ad vitia & ruentes ad mala, alios ob honestatem morum, virtutibus deditos.* Atque hæc opinio minimè cum sanctorum Patrũ sententia pugnat. Primò, quia virtus moralis est ad bonum eligendum ex prudentiæ præscripto, non fidei. Deinde, quia ad virtutem moralem sufficit, si quis studio & gratia honestatis operetur. Postremò, quia Gentilis absque vlla fide Christi, fidem datam alteri, & promissa seruat in commercijs, & contractibus humanis, reddit depositum domino, restituit alienum, de se bene merenti gratias agit, & indigenti eleemosynam tribuit. Item Paulus ait: *Gentes naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt*; & Græcos reprehendit, qui cum cognouissent Deum, non eum glorificauerunt. Augustinus verò, Hieronymus, Gregorius, Prosper, & Bernardus, negant in Ethnicis veras virtutes fuisse, quia steriles erant, & absque cœlesti, & æterno præmio, & fructu; & plerunq; studio, & gratia humanæ laudis, honoris, vel gloriæ; & quia qui fidem non habent, charitate quoque vacant, quæ sine fide in hac vita esse non potest: at vera virtus quæ hominem simpliciter, & omni ex parte bonum reddat, & ad finem simpliciter vltimum explicitè dirigat, se-

Roma. 14. Hebr. 11. Aug li 4. contra Iulian. cap. 3. Greg lib 2. mora. c.33. Berna. ser. mon 23. in cant.

Rom. 2. Rom. 4.

cundum

cundum Auguſt. Fulgentium, Bedam, & Proſperum ſine charitate eſſe non poteſt, vt ſtatim dicemus. Hi patres contra Pelagium, & Iulianum diſputabant: qui errore decepti docebant, poſſe liberum arbitrium per vim, & naturam ſuam acceptam à Deo, ſine vllo alio auxilio gratuito, virtutes morales comparare, & aſſequi, quibus vitam æternam promereretur, & eas ex ethnicis aliquos adeptos fuiſſe. Contra illi patres tradiderunt in ethnicis ſine fide, & charitate viuentibus, nullas virtutes fuiſſe, quibus mererentur vitam æternam, ſed eas fuiſſe ſteriles, & infructuoſas, & ſtudio potius honoris humani, & gloriæ, quàm Dei amore comparatas.

Ad id verò quod ex Apoſtolo opponebatur, ſcilicet; *Omne quod nõ eſt ex fide, peccatum eſt.* Reſpondeo, vt præmonui, non ibi eſſe ſermonem Apoſtolo de fide diuina (quamuis id Auguſtinus, Proſper, atque Fulgentius aſſeruerint) ſed de fide, quæ eſt recta conſcientia. Ita vt ſententia Pauli ſit: Quod ex conſcientia non fit, peccatum eſt; vt explicant Origenes, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius, vt alio in loco iam dixi.

Septimò quæritur, An virtutes morales ſint cum charitate connexæ; ita vt nemo qui charitate caret, & peccator eſt, poſſit virtutes morales habere. Duæ ſunt opiniones. Prima affirmat eas neceſſariò cum charitate copulari, ita vt in peccatore nullæ veræ virtutes morales inſint. Fatentur tamen huius ſententiæ auctores habitus virtutum, quatenus habitus ſunt, poſſe ſine charitate conſiſtere, & eos eſſe bonos, atque laudabiles, ſed ſine charitate in peccatore veram virtutis rationem non habere. Probant primò, quia virtus moralis eum, cuius eſt, bonũ reddit, & eius opus bonum; ſed qui peccator eſt, bonus non eſt; ergo in peccatore nulla eſt verè virtus moralis. Item quia peccator eo ipſo, quod eſt à fine ſupernaturali alienus, eſt quoque à naturali hominis fine auerſus, quia peccatum lethale non ſolùm eſt contra finem, & rectam rationẽ ſupernaturalem, ſed etiam contra rectam naturalẽ rationem, ſed virtus dirigit, & perficit hominem ad naturalem hominis finem, ergo peccator nullã habet virtutem moralem. Inſuper quia Apoſtolus ait, *Si diſtribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Sapien. 8. dicitur, *Sobrietatem, & prudentiam docet (ſermo eſt de diuina ſapientia) & iuſtitiam, & virtutem; quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus*, ergo nulla eſt virtus moralis ſine vera Dei ſapientia, & ſapientia Dei non eſt ſine charitate. Itẽ Auguſtinus quod ante dixerat Philoſophos vera pietate non præditos luce virtutis fulſiſſe, retractat. Et alio in loco ait: *Vera pudicitia in eo non eſt, cuius animus à Deo fornicatur.* Docet igitur hæc opinio, in peccatore ſine charitate veras virtutes morales non eſſe, eſſe tamen habitus bonos, atque laudabiles, vel cum charitate in homine iuſto ante acquiſitos, & vna cum peccato lethali permanentes; vel poſt lethale peccatum bonorum operum moralium vſu, & aſſuetudine comparatos. Docet item, ſi homo abſq; vllo peccato, & charitate, puram, & integram naturam haberet, in eo poſſent reperiri virtutes morales, quoniam hominem ad naturalem eius finem dirigerent, quod in peccatore non præſtant. Secunda opinio docet poſſe in peccatore veras eſſe virtutes morales; quamuis non ſint tam perfectæ virtutes, quàm ſunt eæ, quę cum charitate ſociantur. Primò, quia charitas extrinſeca forma eſt virtutum moralium, & ſolum eis præſtat, quo ad vitam dirigantur æternam: quòd autem ſint veræ virtutes, habent ex hoc, quod eligunt bonum rationis in mediocritate conſiſtens ex prudentiæ præſcripto. Deinde, quia in peccatore manent Syndereſis, recta ratio, & Prudentia: Sed ex his poteſt quiſq; honeſtatis officio fungi, ex quo virtus moralis acquiritur. Præterea quia ſi in peccatore poſſunt eſſe habitus moralium virtutum boni & laudabiles, non eſt, cur in eo veras eſſe virtutes morales negemus, quia non eſt neceſſe, vt virtus moralis reddat hominem ſimpliciter bonum circa finem ſupernaturalem, ſed ſolum requiritur ad virtutem moralem, vt ſit habitus eligendi bonum in mediocritate conſiſtens, prout Sapiens definit, ac præcipit. Item virtus moralis reddit hominem bonum in eo genere, quod ipſi cõuenit, nimirum in genere moris, & in actione, & officio honeſtatis. Hæc opinio eſt vera, nec cũ patrum ſententia pugnat. Nam Auguſtinus, Proſper, Beda, & Fulgentius, cum diſputant contra Pelagianos, veras eſſe virtutes ſine charitate negant, primo quidem quia ſunt ſine fructu, & præmio ſempiterno, hoc eſt ſteriles, & infructuoſæ; & ideò etiam Apoſtolus dixit, nihil bona opera ſine charitate nobis prodeſſe; ſecundò, quia virtutes quamuis magnæ, ſine charitate hominem ſimpliciter, & omni ex parte bonum non reddunt, nec ipſum ad finem ſimpliciter vltimum explicitè referunt; tertiò, quia patres contra Pelagium diſputabant, qui in hac re ſequutus eſt Stoicorum errorem impium, & ſtultum. Stoici enim, quibus Seneca acceſſit *epiſt.* 41. dicebant; dari à Deo imperia, opes, vires corporis, pulchritudinem, vitam, ſalutem, ſed non virtutes, non bonam mentem, & voluntatem, ſed ſibi quemque ſuis viribus, per naturam datam à Deo comparare. *Perſeueras*, inquit, Seneca, ire *ad bonam mentem: quam ſtultum eſt optare, cum poſſis à te impetrare: non ſunt ad cælum eleuandæ manus, nec exorandus ædituus, vt nos ad aures ſimulachri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat*; vnde Horatius impie quoque dixit.

Hæc ſatis eſt orare Deum, qui donat, & auſert,
Dei vitam, dei opes: æquum mi animum ipſe parabo.

Quare Auguſtinus, Hieronymus, Proſper, Fulgentius, Beda, contra Pelagianos docent nõ poſſe hominem veras virtutes acquirere per ſolas naturæ vires, ſine auxilio gratuito Dei mouentis, & iuuantis hominem ad bonum cogitandum, volendum, & perficiendum; hoc auxilium ipſi Patres contra Pelagium, gratiam Dei vocant, non quod ſit habitus gratiæ, vel charitatis, vel aliquod aliud ſupernaturale donum, ſed quod ſit adminiculum Dei gratuitum, hoc eſt ſine hominis merito datum, nam Pelagius ſufficere dicebat ad benè volendum, & agendum, ſolam naturam initio datam à Deo, & conſeruatam aſſiduè, quodcunq; aliud auxilium etiam quod Theologi cõmune, & generale vocãt, neceſſariũ eſſe negabat, vt latius *lib. ſeptimo* ex Auguſtino, & alijs patribus oſtendã. Bern. *in lib. de modo bene viuen. ſerm. 3. homo*, inquit,

S Tho. 1. 2. q. 65. a. 2. et 22. q. 23. a. 7 & Cai. 1 2. q. 65. a. 2

Quidam Theologi vocant.

1. Cor. 13.

Aug. lib. 2. Retract. cap. 2. Aug. lib. 4. cont. Iulia. cap. 3.

nihil boni habet propriam, & paulò inferius, *sine gratia Dei præueniente, comitante, & cooperante nihil boni possumus facere; gratia Dei præuenit, vt velimus bonum: comitatur vt bonum incipiamus: cooperatur vt bonum perficiamus; ergo à Deo datur nobis bonum velle, incipere, & perficere: igitur à Deo dantur nobis virtutes: vitia verò & peccata oriuntur ex nobis*: & Prosper de vit. contempla. c. 18. *virtutes à Deo sunt*.

Sene. epist. 66.

Octauò quæritur, An virtutes morum possint augeri? Stoicorum fuit opinio eas augeri nō posse: Opinabantur enim virtutem aut non esse, aut esse summam & perfectam, & cum cæteris omnibus cohærentem. Sed communi Philosophorum, & nostrorum Theologorum consensu meritò Stoici redarguuntur. Virtutes enim sunt habitus, qui more, & assuetudine acquirūtur, nutriuntur, corroborantur, augentur, & experientia indicat nos vsu, & more in officio virtutum robustiores effici, & euadere: *habet*, inquit Greg. hom. 15. in Ezech. *omnis virtus exordium, progressum, & perfectionem.*

Quidam iuniores.

Nonò quæritur, An omnes virtutes morales æque augeantur? Duę sunt opiniones. Prima affirmat quatuor Cardinales æqualiter augeri, & roborari; ita vt vna crescente, crescant pariter aliæ virtutes. Primo, quia omnes sunt cum prudentia coniunctæ, ergo nulla potest augeri, quin crescat quoque prudentia; sed prudentia aucta, cæteræ quoque virtutes augentur. Item quia omnes virtutes morales sunt inter se inuicem coniunctæ, ergo si vna earum crescat, cæteras augeri necesse est. Insuper, quia id apertè Augustinus docet, cum ait virtutes, quæ sunt in animo humano, quamuis alio, & alio modo singulæ intelligantur, nullo tamen modo separari ad inuicem, vt quicunq; fuerint æquales, Verbi gratia, in fortitudine, æquales sint in prudentia, iustitia, & temperantia. Si enim dixeris æquales esse istos in fortitudine; sed illum præstare prudentia, sequitur vt huius fortitudo minus prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sint, quia est illius fortitudo prudentior; atque ita de cæteris virtutibus inuenies, si omnes eadem consideratione percurras. Docet igitur hæc opinio omnes virtutes morales æqualiter crescere, vt rationem virtutis, nō tamen vt rationem habitus boni, & laudabilis habēt, ficut sunt inter se, & cum prudentia, vt virtutes connexæ, non tamen vt habitus. Secunda opinio, virtutes morales ait, non æqualiter augeri, cum id experientia apertè demonstret: nam sæpè vsu venit, vt quis in vnius virtutis, & non alterius officijs actionibusq; versetur. Nec primæ opinionis argumenta de connexione virtutum, momenti, & ponderis quidquam habēt; quoniam superius iam docui, quo pacto quatuor virtutes sibi inuicē cohæreant. Nec est quod quispiam Augustinum in præsentia nobis obijciat asserentem, virtutes morales æqualiter augeri: ipse enim alibi testatur nō esse virtutes inter se coniunctas; loquitur ergò solum de quatuor virtutibus primarijs, vel quatenus sunt generales omnium virtutum modi, & conditiones, vel quatenus sunt in omni materia perfectę. Si de cæteris virtutibus loquamur, ex scripturis plane colligimus, aliquos commendari tanquàm incertæ cuiusdam virtutis studio, & operibus exercitatos; alios verò laudari tanquam in alterius virtutis officijs magis versatos.

Aug. lib. 6. de trin. c. 4

De hac quæstione. S. Tho. 1. 2. q. 66. a. 2.

Quis enim neget alios præstitisse hospitalitate, alios obediētia, alios mansuetudine, patiētia, alios castitate, alios deniq; alijs virtutibus excelluisse?

Decimò quæritur, An virtutes morum in hac vita finiantur? hanc quæstionem tractat August. *lib. 14. de trin. c. 9.* S. Tho. 1. 2. *q. 67. a. 1.* Respondeo, Finiri virtutum moralium in hac vita functiones, & officia, quibus refrænantur, & cohibētur perturbationes animorum; quia cum hac vita affectus animi terminantur, & desinunt, in quibus temperādis virtus moralis consistit. Item cōmercia, & contractus, in quibus iustitia versatur, præsentis tantum vitæ sunt, non æternæ. Item in futura vita nemo alterius ope, liberalitate, & magnificentia indigebit: nullæ erunt in ea vita rei alienę, aut damni restitutiones, nullę iniuriarum actiones, nullæ satisfactiones, compensationes nullæ; quoniam ibi nemo alienum surripiet, nemo alterum damno lædet, nemo iniuria afficiet. Permanebunt tamen virtutes morales tanquam certa ornamēta animorum, vt est cōmunis Theologorum sententia: & permanebunt etiam teste Augustino, prudētia sine vllo iam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum, iustitia sine subleuatione miserię alienę. Sed Deū omnibus præponent, ei firmissime adhærebunt, ei subdentur, eo perfruentur: nam licet in beata altera vita non maneat, quod est materiæ in virtute morali, videlicet affectuum, & perturbationum compressio; manet tamen quod est formæ, videlicet summum, & primum bonum cæteris præferre, ipsum firmissime tenere, eo perfrui, de eo gaudere, ipsi, quę debentur, obsequia præstare, rectæ rationi parere; quæ recta sunt, æqua & iusta exequi, & obire.

Cap. XXX.

Quæ virtutes aliæ sint alijs præstantiores.

S. Tho. 1. 2. q. 66. a. 4.

PRIMO quæritur, An rationis virtutes dignitate, & excellentia virtutibus moris antecellant? Duæ sunt opiniones, vna affirmat eas antecellere duabus præcipuè rationibus, tum ratione subiecti, cui insunt; inhærēt enim rationi, quæ est potior facultas, quàm appetitus; tum ratione rei obiectę, & materiæ, quia in speculatione veri versantur; at ratio veri est cōmunior, & magis à materia remota, quàm ratio boni. Altera opinio, quā sequuntur Sco. 3. *d.* 33. *q.* 1. Gab. 1. *d.* 33. *q.* 1. *a.* 3. *dub.* 1. Maior. 3. *d.* 33. *q.* 32. quæ est quinta de iustitia, docet virtutes morales esse potiores. Primò, quia reddunt hominem simpliciter bonum, quod tamen virtutes rationis nō præstant, cuiusmodi sunt disciplinæ, & artes. Deinde, quia virtutes morales in honestate versantur; at virtutes rationis in totū occupatæ sunt in bono vtili, iucundo, pulchro, laudabili, honorabili; sed inter huiusmodi bona potissimum est bonū honestum. Præterea, quia præstantior est rectè viuendi voluntas, & regula, quā præbent virtutes morales, quàm notitia, & scientia veri. Postremò, quia virtutum moralium habitus sunt simpliciter virtutes; at verò habitus virtutū rationis, quales sunt disciplinæ, & artes, nō sunt absolutè, simpliciter & ex toto virtutes,

sed ex

sed ex parte, nempe virtutes rationis. Absurdum itidem est dicere, artes infimas, cuiusmodi sunt mechanicę, ex eo quod sint artes & virtutes rationis, præcellere virtutibus morum. Hæc opinio meo quidem iudicio cum prima facilè conciliatur: nam virtus moralis ad rectè viuendum vtilior est, sed virtus rationis, qualis est disciplina, nobilior est dignitate rationis, quæ volûtate præstantior, & nobilior facultas habetur.

Secundò quæritur, An prudentia alijs virtutibus moralibus præstet? Duplex est opinio, vna asserit eam esse præstantiorem. Primò, quia est in ratione, quæ est nobilior facultas voluntate. Deindè, quia est lux, dux, magistra, moderatrix, regina, & imperatrix omnium virtutũ moralium. Item quia finem omni virtuti morali præstituit, ex quo est regula, & norma, qua virtutes morales diriguntur; ita quidam S. Thomæ discipuli. Altera opinio affirmat virtutem moralem prudentię antecedere. Ratio eius opinionis est, quia melius est bene agere, quàm nosse, & scire bene agendi officium; & præstat velle benè viuere, etiamsi ignoretur, quêadmodum id fieri oporteat, quam scire, & nosse bonam vitam, absque hoc, quod bene viuatur. Item peius est male agere, & viuere; quam bonam vitam nescire, & tamen benè viuere. Deindè, quia ex hoc, quod prudentia dirigat omnes virtutes morales, non indè fit, vt præcellat cæteris: nam fides spem quoque, & charitatem dirigit, nec tamen est charitate dignior, atq; præstãtior. Item philosophia moralis virtutes etiam dirigit, quibus tamen minimè excellit. Præterea omnis cognitio, quæ ad actionem refertur, eam dirigit, nec tamen actione nobilior est, quoniam tota eiusmodi cognitio est gratia actionis; proindè actio tanquã finis cognitioni præstat. Has duas opiniones ego sic concilio; vtiliores, & fructuosiores sunt virtutes morales, virtute rationis; sed virtus rationis præstat, & eminet mẽtis, cui inest, nobilitate & dignitate: Et hoc est, quod prima opinio tuetur; nec enim dubitari potest, quin prudentia cæteris præstet rationis, cui insidet, dignitate, & nobilitate veri boni, quod perspicit, iudicat, & præcipit.

Ad obiecta verò ex vtraque parte respondeo, prudentia est lux virtutum moralium: id autem ex eo tãtùm est, quod illas dirigat; at vt dixi, non est ad rectè viuendum vtilius dirigere vitã, quàm velle benè viuere: nam philosophia quoque moralis dirigit virtutes, nec tamẽ est idcirco vtilior, & melior: Non semper ex subiecto ducitur nobilitas accidentis: sæpè enim vsu venit, vt in subiectis vilioribus accidẽtia perfectiora inhæreãt, vt exempli causa, lux inest carboni, ac flammę incensæ: candor niui, & cygno; cum tamen homines non sint lucidi, nec ita candidi. Cæterùm virtutis nobilitas simpliciter sumitur ex maiori obiectæ rei amplificatione, & altiori, ac superiori ratione. Prudentia sese fundit, ac porrigit ad omnia virtutum moralium obiecta, & id quidem superiori quadam, & altiori ratione: nimirum perspicit, quid in quaque materia habeat rationem veri, quod sequi, & amplecti debeamus, ne deseramus bonæ vitæ institutum.

Tertiò quæritur, An inter tres alias virtutes cardinales, iustitia sit præstantissima? Respondeo, ex communi Philosophorum, & Theologorum sententia, iustitiam inter omnes, primas partes habere. Primò ex obiecto, materia, & officio, quia est ad bonum alterius, quod est difficile, & arduum, cum simus ad propria commoda nostra propensi. Item nostra bona cum alijs communicare est quid diuinum: Vndè iustitia non sibi soli nata est, sed alijs etiam. Deindè ex effectis, quia iustitia concordiam, pacem, & societatem inter homines tuetur, & seruat. Insuper iustitia est necessaria in omni loco, omni tempore, & quocunque statu hominum: nulla enim societas humana, violata iustitia, diu conseruari potest. Est item necessaria in familiæ, ciuitatis, & totius orbis terrarum communi salute, & bono tuendo: quæ tres societates sunt præcipuè, & naturali iure, & gentium constitutæ. Præterea iustitia conseruat res, facultates, honorem, gloriam, & vitam aliorum, quæ sunt potissima hominum bona: accedit his, quod iustitia, est virtus propria Regum, & principum; vndè videtur esse virtutum omnium domina, & regina: hæc vna leges sanciuit, reges, & magistratus creauit, ciuitates constituit; ab hac vna, viri boni appellantur; hæc benefacta remunerat, peccata punit; honorum titulos, dignitatum gradus, & officiorum partes ęquo ordine, pro cuiusque meritis distribuit. Vltimò ex dignitate, & multitudine virtutum, quæ iustitiæ subiectæ, & annexæ sunt. nam sunt plures, ac longe præstantiores, quas enumerauimus cap. 26. huius libri, quæst. 3. Obijcies, Fortitudo versatur in materia magis difficili, & laboriosa, velut in periculis vitæ subeundis. Respondeo; ex hoc capite virtutis dignitatem non pendere; quia alioqui iustitiæ bonum est magis per se necessarium, & salutare. Item si pax conseruetur, bella & mortis pericula remota, & sublata conquiescent. Deindè obijcies, fortitudinis esse pro patria, pro legibus, pro Deo mortem subire, quod est nobilissimum vlrtutis officium. Respondeo, hanc nobilitatem officij aliunde proficisci, videlicet vel ex charitate in Deum, vel ex religione, vel ex pietate in patriam, vel denique ex dignitate personæ, pro qua mortem fortiter sustinemus. Nec item nobilitas virtutis per se ex actus perfectione concluditur, sed ex materia, & re obiecta, & hanc nobiliorem iustitia habet, quàm fortitudo. Tertiò Obijcies, iusto pretio vendere pisciculos, passerculos, oleraue non est preciosior actus, quàm fortiter pugnare. Respondeo, virtutem non eo esse inferiorem, quia opera præstet aliquando infima: nam nobilitas virtutis per se ex re obiecta, non ex actibus pendet.

Quartò quæritur, An iustitia nõ solùm præstet duabus alijs virtutibus moralibus, fortitudinis (inquam) & temperantię; sed etiam quibuscunq; alijs virtutibus morum? Ratio dubitandi est, quia Iustitiæ antecellere videntur Religio, Obedientia, Humilitas, Misericordia, Liberalitas, Magnificentia, Magnanimitas, Patientia. S. Thomas, 2.2. q. 30. art. 4. docet Misericordiã esse omnium virtutum moralium præstantissimam. quæst. 81. art. 6. inter virtutes morales, principatum Religioni tribuit: quæst. 104. art. 3. videtur virtutum moralium, obediẽtiæ deferre primatum: quæst. 161. art. 5. videtur Humilitatem cæteris virtutibus mora-

libus an-

libus anteferre. Dicendum est, Iustitiam ex obiecto & materia per se cæteris omnibus virtutibus esse digniorem: nihilominus tamen, aliquæ illarum aliunde præcipuum quid habent, vnde Iustitiæ antecellant & præstent. Verbi gratia; Religio, ratione personæ, cui cultum & honorem debitum defert, Iustitiæ anteponitur: nam Deo tribuit honorem. Pari ratione obedientia & misericordia, possunt Iustitiæ præferri ratione personæ, cui obedimus, vel cuius miseriâ subleuamus: vtputa si Regi imperanti obtẽperemus, vel Principi in periculo constituto opem feramus: ita, si pro communi patriæ salute mortem oppetamus. Liberalitas, item Magnificẽtia, Humilitas, Magnanimitas & Patientia addunt quidem aliquid magnum & præcipuum, in quo Iustitiæ præcellant; sed eas tamen virtutes ex obiecto, per se, Iustitia vincit, ac superat dignitate. Porrò de singularum virtutum laudibus, commendatione, præstantia & dignitate suis locis, cum de singulis agam, plenius tractabo.

Quintò quæritur, An præter virtutes morales, rationis, & theologicas, sint dona Spiritus sancti, habitus infusi re ab hisce omnibus distincti? Duæ sunt opiniones, vna asserentium, dona Spiritus sancti esse habitus, re à virtutibus morum, rationis, & theologicis distinctos: atque hæc fuit veterum Scholasticorum Theologorum opinio. Alber. 3. d. 34. S. Thom. *ibidem. & 1. 2. q. 68. art. 1.* Bonau. Richard. Henric. *quodl. 4. q. 23.* Argent. 3. d. 34. *q. 1. nn. 1. & 2.* qui moti sunt hac potissimum ratione: quia virtutes Theologicæ circa finem hominis supernaturalem versantur, vt huiusmodi finis cognoscatur, appetatur, & propter se diligatur; at virtutes rationis dirigunt hominem in rebus naturalibus cognoscẽdis, & virtutes morales, in agendo iuxta naturale rectæ rationis præscriptum: ergo indiget homo alijs habitibus diuinitus infusis, quibus facilè, promptè & hilariter dirigatur, in bene viuendo iuxta regulas diuinas. Homo enim in benè agendo interdum à naturali ratione sibi indita; interdum à Spiritu sancto supra naturam mouetur; & proinde; vt vtriusque impulsum & motum, perfectè & expeditè sequatur, duobus eget habitibus. Secunda opinio eorũ est, qui docent dona Spiritus sancti, esse quidem habitus diuinitus infusos, sed sola ratione non re distinctos à septem virtutibus, tribus Theologicis, & quatuor Cardinalibus; ita vt nomine consilij, quod est vnum ex donis Spiritu sancti, prudentia intelligatur; & in timore, temperantia; in Pietate, iustitia; Fortitudo verò suo nomine exprimitur; appellatione verò scientiæ, fides; & nomine intellectus charitas intelligitur, quæ sine spe esse non potest. Hæc sententia fuit Scoti, quã postea secuti sunt alij Theologi, Ocham, Gabriel, Almainus, Maior & alij, qui vnanimi cõsensu docent septem virtutes, & septem dona Spiritus sancti, quæ ex Esaiæ. ca. 11. colliguntur & octo Beatitudines, & quæ Matth. 5. habentur, eosdẽ habitus intelligi, sed ratione distinctos. Ita vt dicantur dona, quia infunduntur & dantur à Deo; virtutes verò quia ornant, & dirigunt animum in bonæ vitæ officijs; Beatitudines porrò, quia spe, iure & merito nos beatos efficiunt, quatenus bonis actibus vitam promeremur æternam. Ex quibus omnibus, duodecim Spiritus sancti fructus percipiuntur, de quibus ad Galatas. 5. Qui fructus sunt delectationes quædã & gaudia ex virtutum officijs & actionibus, suauiter percepta. Certè Gregorius dona Spiritus sancti re à septem virtutibus distinguere videtur: nam *lib. 1. Mora. c. 28.* docet, Spiritus sancti dona significari typicè in septem filijs Iob. & tres virtutes Theologicas in tribus filiabus, & *lib. 2. Moral. c. 36.* distinguit eadem septem dona quatuor virtutibus moralibus, quas dicit significari in quatuor angulis domus Iob: at verò Ambrosius, quem Magister *in 3. dist. 34.* citat. hæc dona, septem virtutes esse docet, proinde re non videtur à septem virtutibus dona Spiritus sancti seiungere. Mihi certè prior opinio cum sua ratione magis probatur; quam si quis sequi velit, dicere etiam debet dona Spiritus sancti, esse habitus vna cum charitate diuinitus infusos, & perpetuo vinculo copulatos, qui cum ea conferuntur, subsistunt, conseruantur: & pariter cum ea ob quodcunque lethale peccatum amittuntur. Ac sicut tres virtutes Theologicæ, naturę viribus comparari, & consistere, conseruari & augeri nequeunt; sic etiam dona Spiritus sancti, quia sunt habitus supernaturales, & à virtutibus acquisitis re, & specie differentes, sola naturæ vi, nec acquiri, nec augeri, nec conseruari queunt; sed gratuito & peculiari Dei munere conferuntur, confirmantur, augentur. At verò secundæ opinionis auctores sentiunt, tria dona Spiritus sancti, quæ sunt habitus trium virtutum Theologicarum, esse habitus infusos, & alterius speciei, atq; sunt habitus acquisiti, & ab eis re ipsa distinctos. quatuor verò reliqua dona, esse habitus quatuor virtutum Cardinalium; & proinde, aliquando diuinitus infundi, sed non semper: quia licet Dei munere nonnunquam vnà cum Charitate conferantur, non tamen sunt Habitus cum ea necessario connexi: & cum sint eiusdem speciei, cuius sunt virtutes Cardinales acquisitæ, possunt nostris actibus comparari, augeri, & conseruari: sicut si Dei munere disciplina humana, vel ars alicui conferatur, quæ naturę vi posset acquiri, esset eiusdem speciei, cuius fuisset acquisita, ac posset deinde humanis actibus cõseruari, augeri, & perfici. Deus enim interdum tribuit, quod alioqui magno studio, & diligentia potest aliquis adipisci, cuiusmodi est donum aliquarum linguarum. vt paulò ante iam dixi. Mihi prior sententia verior apparet. reliquum erat, vt aliqua generatim, & vniuersè de virtutibus Theologicis dicerem, sed alio in loco, de hac re cõmodius disputabo.

Sco. Ochã. Gabr. Almai. 3. dist. 34.

Cap. XXX.

De Iustitia originali.

Primum hominem à Deo conditum fuisse Cum iustitia originali.

QVoniam Iustitia originalis singulari admodum fuit diuinæ gratiæ beneficium, in primum hominum parentem collatum, breuiter intuendum & explicãdum puto, quod, quale, quantunque donum illud fuerit, vt appareat, quid boni homo tanto munere exornatus ac prædituspræstare potuerit.

Et primò

Et primò quidem omnium illud quæri à Theologis solet, Quid appellatione Iustitiæ originalis intelligatur? Respondeo, intelligi Iustitiam totius hominis, qua scilicet corpus omni ex parte subditum, recto animæ nutu, & imperio regebatur: sensus & vires inferiores rationi & mẽti, & deniq; mens ipsa, tota plenè & perfectè pro huius vitæ statu & conditione, Deo auctori suo & Domino subiectæ parebant: Ex qua re nomen accepit Iustitia originalis. Erat quidem Iustitia, hoc est iuxta aliquorum sententiam, coaceruata omnium virtutum cõmunitas, peculiari Dei prouidentia, & protectione mirabiliter vndiq; munita, & multis beneficijs & opibus ornata, & exculta: vel iuxta aliorum placitum, gratia diuinitus data, quæ totum hominem in officio & Dei amore continebat. Originalis verò quia primo generis humani parenti concessa, & quia pariter cũ ipsa natura in prima sua institutione susceptа: Immò quia erat in posteros ipsius quoq; Dei munere transfundenda.

Secundò quæritur, An ex sanctis Patribus deducatur primum hominem à Deo accepisse Iustitiam originalem? Respondeo, ex Patribus colligi, quæ sequuntur. Irenæus *lib.3.contra Hæreses. cap.* 37. ita scribit: *Eam quam habuit Adam ab Spiritu sanctitatis stolam, per peccatum amisit.* Tertulianus *libro de Patientia cap.5. Adam*, inquit, *innocens erat, & Deo de proximo amicus.* Cyprianus sermone De Patientia, *Adam in mortem cecidit, nec acceptam diuinitus gratiam patientia custode seruauit.* Athanasius in oratione contra Idola: *Primam hominem, aiunt Scripturæ principio, liberioris fiduciæ mentem erga Deum habuisse, & cum sanctis conuersatum fuisse in contemplatione intelligibilium.* Nazianzenus oratione quarta in sanctum Pascha, & carmine. 6. de anima: *Simplex erat & innocens homo spiritus & caro: spiritus per gratiam, & caro propter superbiam.* Basilius *hom.10. in Genesim, & in Psalmum.* 48. dum explicat illa verba: *Homo cum in honore, &c.* multa tradit de honore & dignitate primi hominis: & homil. Quod Deus non est auctor malorum ait: *Erat aliquando Adam in sublimi non loco sed arbitrio, quando sua tim anima sumpta in cælum lætus aspexit, & eum vehementer amans à quo beneficium tantum, & æternæ vitæ fruitionem acceperat, & æquè cum Angelis regnare ac viuere, & diuinæ vocis participẽ esse.* Ambrosius lib. 6. Hexameron. cap. 7. *Adam creatus fuerat secundum imaginem Dei, secundum quam habebat in se gratiam enitentem & splendorem pietatis.* Idem epist. 41. quæ est ad Sabinum. *Solus erat Adam, & non est prævaricatus, quia mens eius adhærebat Deo.* In Psalmum quoque. 118. Sermone 55. super illum Versiculum: *Miserere mei secundum verbum tuum, Dominus fecit hominem*, inquit, *secundum animam ad imaginem suam, id est rationalem, iustum, pudicum,* &c. Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum non longè à principio: *Primi parentes in Paradiso absque vlla macula Virgines, Dei consortio fruebantur.* Chrysostomus homil. 16. in Genesim expendens illud: *vt cognouerunt quod nudi essent. Nudati*, inquit, *propter peccatum supernæ gratiæ amictu.* & paulò infrà: *Mandati prævaricatio vestem illam nouam & admirabilem gloriæ, & supernam beneuolentiam sustulit.* Epiphanius libr.2. tom.1. hæresi 1. *Adam erat simplex & innocens.* Cyrillus Alexandrinus in Thesau. super Ioannem lib.10. cap. 11. *Adam denudatus data sibi gratia propter inobedientiam est.* Et in Dialogo de Trinit. lib.6. ait: *Humana natura à principio vbertim accepit, vt particeps esset diuini spiritus, & per sanctificationem ad Dei effigiem formaretur.* Augustinus libr. 14. de Ciuitate Dei. cap. 11. & cap. 26. *viuebat*, inquit, *homo secundum Deum in Paradiso.* & cap. 10. ait: *Amor eorum* (Adæ scilicet & Euæ) *erat imperturbatus in Deum*: libro item. 6. de Genes. ad literam. cap. 27. & 28. tradit, hominem per peccatum amisisse stolam primam quæ aut erat ipsa iustitia, vnde lapsus est, aut indumentum corporeæ immortalitatis. Libro de Corrept. & gratia cap. 11. docet, primũ hominem gratiam & quidem magnam accepisse, & habuisse corpus, & vires inferiores plenè in omnibus subiectas animæ & rationi. Damascenus lib. 2. fidei orthodoxæ. ca. 12. ait: *Creauit Deus hominem innocentem, rectum, probum, omni virtutum genere exornatum, omnibus bonis ornatum.* Hæc ex Patribus.

Tertiò quæritur, An ex sacris literis tanquam ex proprio loco, & fonte, Iustitia originalis primi hominis erui, & deduci queat? Respondeo ex scripturis colligi ea, quæ subijciã. Ecclesiastes 7. dicitur: *Solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum*: quo testimonio vtuntur Theologi, & pleriq; Patrum ad rem propositam declarãdam, Ecclesiastici. 17. *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum, & secundum se vestiuit virtute.* vbi verba illa (secundum se) possunt referri, vel ad hominem, vel ad Deum. Si ad hominem referantur, sensus erit: Vestiuit eum virtute, id est, robore & viribus, prout congruebat hominis naturæ; si verò ad Deum referantur, hoc significant: vestiuit eum robore, & fortitudine (secũdum se) id est, vt decebat ipsum Deum bonorum omnium cõditorem & largitorem. Virtus autem hoc loco videtur significare virtutem moris vitio oppositam; potius tamen designat robur & fortitudinem, tum corporis, tum animæ, vt constat ex Græca litera, vbi nõ ponitur ἀρετὴ, quę est virtus moris, sed ἰσχὺς, quę vox significat robur & fortitudinem. Et multa in eo capite Sapiens de honore & dignitate hominis, eximia sanè & præclara pertractat. Item Sapientiæ 10. habetur: *Qui primus formatus est pater orbis terrarum* (sermo est de Adamo primo homine) *cum solus esset creatus, custodiuit & eduxit illum e delicto suo; & dedit illi virtutem continendi omnia.* sensus est: Dei sapientia custodiuit primum parentem antequam peccaret, & post lapsum eripuit illum è peccato suo: & dedit illi virtutem, id est, potestatem continendi omnia, quod est dicere, habendi imperium & dominatũ in omnia: nam verbum Græcum κρατεῖν, licet frequenter significet tenere: sæpè tamen idem valet, quod habere imperium & dominatum in alium. Præterea Genes. primo cum dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, nonnulli ex Patribus, imaginem referunt ad bona naturæ, eo quod fuerit homo creatus rationis compos, & arbitrio liber, & omnium rerum corporalium dux & Imperator; Similitudinem verò pertinere putant ad dona gratiæ, quòd homo conditus fuerit cum virtutibus, & donis gratiæ, vt posset, & studeret Deum ipsum imitari vitæ studijs & officijs. Et ita hunc scripturæ locum interpretantur Origenes *libr. 3. De Principijs. cap. 6.* Basilius, *homil. 10. in Genesim.* Ambrosius. *libr. 6. Hexameron. cap. 7.* & S.

Genes. 1.

Genes. 1.

Nyssenus

Nyssenus *homil. de creatione hominis cap. 4. & 5.* Eucherius *in Genesim.* Damascenus *lib. 2. fidei orthodoxæ. cap. 12.* Rupertus *lib. 2. de Trinitate & operibus eius. c. 3.* Magister *in 2. distin. 16.* S. Thomas, *1. parte. q. 93. art. 4.* Alij verò Patres opinantur vnum, & idem significari nomine imaginis & similitudinis, more Scripturæ ad maiorē emphasim. Ita Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus. Hebræi enim cum rei copiam, & abundantiam significare volunt, geminare solent vocabulum. Vt hęc sententia eius loci possit esse: faciamus hominem nobis quàm simillimum. Et reuera factus est homo, in multis Deo conditori suo similis, tum in naturæ, & corporis dotibus, tum in ipsis animę virtutibus. Quidam illud ad Ephes. 4. *Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*, ad eandem, quam dixi, intelligentiam accommodant. At verò Ambrosius (si tamen ille auctor eius operis in Paulum est) nouum hominem exponit Christum, quasi id velit Apostolus: talem vitam traducite, qualis decet hominem per baptisma in Christo renatum. Hieronymus eodem quoque modo interpretatur. Alij verò id, (secundum Deum) explicant, ita vt sensus sit de primo homine, quem nouum appellat Apostolus, quia factus est Deo similis. Præterea, ad idem ipsum comprobandum, ea item Apostoli verba ad Coloss. 2. non inepta esse iudicant: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Verùm huius loci sensus est hic literæ congruentior: Deponite vetus vitæ genus, & viuite vt decet homines per Christum renatos *in agnitionem eius, Dei scilicet.* Hebraismus est, idem significans, quod, per agnitionem Dei, quasi dicat; vt decet hominem renatū in Christo per veram Dei cognitionem.

Quartò quæritur, An iustitia originalis fuerit donum vltra naturæ vires, & dotes à Deo susceptum? Fuit quorundam sententia, Iustitiam originalem nil aliud fuisse nisi integram ipsam hominis naturam, absque vlla peccati labe, & macula, ac sine vlla virtute morum: verùm cum solis naturæ facultatibus ac dotibus, diuinitus institutam. Id quod conantur illi ostendere quadruplici ratione. Primò, quia hoc ipso, quod homo conditus est absque vllo peccato, & virtute moris, est integer, innocens & rectus: sed scriptura & Patres nihil aliud aiunt, nisi, hominē esse creatum integrum, simplicem, & rectum. Et quamuis dicant fuisse iustum, innocentem, & cum virtutibus; hoc ideo dicunt, vt doceant creatum fuisse cum naturæ dotibus sanis & integris, quas appellant virtutes, & eas quidem rectas, simplices & puras, tanquam omni peccato liberas. Secundò, quia pugna inter carnem & spiritum, corpus & animam, sensum & mentem est pœna & effectus peccati, ergo homo nisi peccato esset infectꝰ, huiusmodi pugnā careret. Tertiò, quia homo cū solis naturæ viribus reuerā miser non esset; idem iuxta rectū rationis præscriptum viueret; intenderet quoque in aliquem vltimum finem, & felicitatem naturalem, cuius gratia bene ageret, ergo esset quod spectat ad id, quod est naturæ debitum, beatus & fælix. Postremò, quoniā Clemens Alexandrinus conditum, ait, fuisse non cum virtute, sed cum propensione ad virtutem. Fulgētius verò scribit creatum hominem natura bonum. Prosper in epistola de libero arbitrio, ad Ruffinū ait: *Amissa naturali innocentia homo exul ac perditus ambulabat sine via*, & Augustinus lib. de correct. & gratia cap. 10. & 11. ait: *Deus sic ordinauit Angelorum & hominum vitam vt prius in eis ostenderit, quid posset liberum arbitrium: deinde, quid posset suæ gratiæ beneficium.* At communis est omnium Theologorum opinio, Iustitiam originalem fuisse virtutem homini vltra naturæ vires, facultates & dotes diuina liberalitate collatam: ita docent S. Thom. *1. p. q. 95. a. 1.* Bonauent. *2. d. 29. a. 1. q. 2.* Richard. *d. 30. a. 3. q. 2.* Henric. *quodl. 6. q. 5. & in quodl. 2. q. 11.* Scot. *2. d. 29. q. 1.* Dur. *2. d. 20. q. 5.* Gabr. *2. d. 30. q. 1. a. 3. dub. 4.* Argentina. *2. d. 28 q. 1. art. 3.* Marsil. *2. d. 29. q. 1. art. 2.* Aegid. *2. d. 29. q. 1. art. 2. dub. 3. 4. & 7.* Mai. *2. d. 30. q. 1. concluf. 3. & 4.* & extat constitutio Pij Quinti, & Gregorij XIII. qua certæ quædam Doctoris Louaniensis propositiones damnātur, inter quas vna est: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis eius conditio.* Secunda propositio: *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine Iustitia originali, & naturali.* Hæc propositio colligitur ex prima. Tertia est: *Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium diuinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. Item, absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali & gratuito, supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, vt fide, spe & charitate Deum supernaturaliter coleret.* Quarta Propositio: *A vanis & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia; hominem ab initio sic constitutum, vt per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus & in Dei filium adoptatus.* Quæ propositiones meritò damnatæ sunt tanquam temerariæ: non solum enim communi scholasticorum sententiæ aduersantur, sed etiam sanctorum veterum Patrum doctrinæ planè repugnant, qui, vti nos supra retulimus, apertè tradiderunt, primum hominem accepisse à Deo gratiæ dona & virtutes, & cum eo fuisse amicitia, societate, beneuolētiaq; coniunctū; harum propositionum Author nomine iustitiæ originalis nihil aliud intelligebat nisi naturam hominis vel angeli creatam à Deo, omni peccato solutam & liberam: vt eo ipso natura, ratione seu intelligentia prædita iustitiam originalē habeat, quo creatur à Deo omnis peccati expers. In quo maximè errabat. Ad obiecta verò Respondeo; ad primum, naturam humanam conditam absque peccato, esse quidem sanam & integram, non tamen per id cum Deo amicitiæ, & beneuolentiæ vinculo sociatam: quod sancti Patres vno ore testantur. Ad secundum Respondeo, pugnam inter sensum & mentem, carnem & animam esse quidem naturalem homini, & nihilominus effectum & pœnam peccati; & proinde etiamsi primus homo non delinqueret, eam pugnam pateretur, nisi iustitiæ originalis beneficiū & donum susciperet. Est verò effectus & pœna peccati eiusmodi pugna, quoniam nisi homo peccaret, iustitiam originalem, quam gratuito Dei munere acceperat, retineret, quæ eam pugnam & litem dirimebat. Ad tertium: Nihil certi scire possumus de felicitate, quam homo posset adipisci, si cum

Clem. li. 2. Strom.

solis

solis naturæ dotibus crearetur, certò tamen credimus Patrum & Theologorum grauissima auctoritate permoti, primum hominem gratuitum & supernaturale originalis iustitiæ donum, susceptisse; quoniam constat eum per peccatum supernæ gratiæ amictu, & diuinæ beneuolentiæ munere denudatum. Objicies; homo si esset suæ naturæ relictus, non esset auersus, nec alienus à Deo, quia omni peccato careret, ergo hoc ipso esset ad Deum conuersus. Respondeo, hominem ex naturæ conditione, nec esse à Deo auersum, nec conuersum ad Deum conuersione, aut auersione supernaturali morali, quæ est iustitia, vel iniustitia; habere autem quandam conuersionem naturalem, quia omnis natura cum est sana & integra, suo fini naturali coniungitur, scilicet conuersione naturali: habere item quandam auersionem à gratia & amicitia diuina: quæ auersio non est gratiæ priuatio, sed sola negatio, quia non est absentia & vacuitas formæ, quæ inesse deberet. Secundò Objicies; homo sua natura miser non est, ergo cum solis naturæ dotibus esset beatus felicitate naturali. Respondeo, eum non esse miserum miseria moris, quæ est peccatum; sed nec esse beatum beatitudine morali, quæ iustitiam & bonitatem moris requirit: habere tamen naturam cum solis viribus, & dotibus naturaliter debitis. Tertiò Objicies; homo cum sola natura conditus; si virtutis moralis officium præstaret, placeret Deo, cui etiam esset acceptum & gratum bonum opus, quod faceret. Respondeo, naturam hominis absque peccato gratam esse & acceptam Deo; sola tamen naturæ, non supernaturali aliqua bonitate, & bonum opus virtutis moralis quod præstitisset homo, fuisset quidem Deo acceptum tanquam bonum morale, quod quatenus tale, laudem & commendationem meretur; sed non fuisset acceptum tanquam vita æterna, Dei beneuolentia, amicitia, & societate, aut aliquo supernaturali præmio dignum. Quæres postremo, vnde colligatur originalem iustitiam fuisse donum gratuitum, & supernaturale naturæ hominis adiectum. Respondeo, quæstionem esse facti, an primus homo ante lapsum aliquid vltra naturam acceperit, & proinde ad eius definitionem satis esse communem Theologorum, & Patrum cõsensum; qui ex scripturis acceperunt, vt supra docuimus, primum hominem à Deo iustitiam, & sanctitatem habuisse.

Quintò quæritur, An iustitia originalis fuerit habitus, an actus? Vt quæstionem diluam, priùs animaduertendum existimo aliquid fieri à Deo in homine dupliciter, primo quidem modo ministerio habituum, qui supra naturam infunduntur in animos, & inhærent homini: sic credimus, speramus, & diligimus Deum virtutum Theologicarum præsidio. Secundo modo, singulari quodam auxilio & beneficio, quo Deus cum homine peculiariter operatur. Id quod facit homo primo modo, agit per formam sibi inhærentem: quod facit secundo modo agit vnà cum Deo sibi assistente, & cum eo operante. Quæstionis itaque propositæ sensus est: an effectus iustitiæ originalis essent in homine à Deo per aliquem habitum inhærentem. Communis est omnium Theologorum opinio, iustitiam originalem fuisse habitum homini insidentem. Quæ sententia ex Patribus facile colligitur. Docent enim primum hominem ante lapsum fuisse iustum, etiam dum nihil operabatur: ergo eius iustitia non erat actus sed habitus. Objicies, aliquos fuisse iustitiæ originalis effectus, qui per habitum residentem in homine præstari non potuerint. corpus enim hominis (gratia exempli) erat animæ plenè subiectum, ita vt nec dolere, nec defatigari, nec fame, vel siti premi posset, nec tentari; & diuexari morbis, nec molestijs vllis & incommodis affici. Similiter sensus & vires corporis erant integræ, ita vt pati non possent vim extrinsecus irrumpentem, nimirum belluæ, hominis, dæmonis, vel cuiuscunque alterius similis causæ: posset itidem homo teste Augustino *lib. de corrept. & gratia. cap. 11.* si vellet, non mori: posset non peccare: posset non cadere, & non deficere à bono si vellet. Respondeo, negari nõ posse, quin fuerint multi effectus quos homo singulari Dei prouidentia, & munere, tunc temporis præstabat. nec enim omnes ab habitu solo profluebant; erat tamen iustitia originalis habitus quidam, cui præsto erant Dei auxilia singularia, quibus homo omnem vim extrinsecus accedentem propulsabat: quibusque eximia quadam Dei prouidentia protegebatur. Appellatione autem Iustitiæ originalis intelliguntur pariter habitus iustitiæ infusus homini, & quæ diximus singularia diuinæ protectionis præsidia. Secundò Objicis; aliquando appellationes rerum & personarum sunt ab aliquo, quod non inest; sed à iure quod nobis conuenit; veluti quis vsufructuarius vocatur, qui ius habet vtendi & fruendi re aliena salua eius substantia. Pensionarius, qui ius habet exigendi pensionem ex alieno beneficio Ecclesiastico. Beneficiarius, qui iure suo percipit redditus & fructus ex bonis Ecclesiæ: ergo pari modo poterat Adamus esse & nominari iustus ex eo solo, quod haberet ius Dei munere, & beneficio acceptum, vt vna cum eo Deus ipse operaretur, dum homo in primo naturæ statu permaneret. Respondeo, in iure siue Ciuili, siue Canonico multas esse nominum appellationes sumptas à iure, quod penes aliquem inest: at verò in moribus iustus, bonus, aut sanctus nemo dicitur nisi à iustitia bonitate, & sanctitate inhærenti. Tertiò oppones Clementem Alexandrinum *lib. 6. Stromatum prope medium*, qui cum quæreret, an homo sit creatus perfectus; respondet ipse non esse talem creatum, quia conditus est (inquit) aptus ad virtutem: ergo nõ cum virtute, sed cum propensione ad eam: Fulgentius ait hominem procreatum natura bonum. Respondeo, horum Patrum esse sententiam, hominem creatum absque vllo peccato naturam sanam, & integram accepisse, propensam, & aptam ad virtutes & honestatis officia: quod verum est etiamsi cum iustitia gratia, & virtutib° fuerit procreatus & conditus. Virtus enim & est animæ sanitas, & integritas, & simul est quædam ad bene agendum procliuitas. est item virtus nomen habitus, & actionis: acceperat homo habitum virtutis, quo ad bene agendum erat propensus.

Cap. XXXII.

Quædam aliæ quæstiones diluuntur quæ ad eandem rem pertinent.

PRIMO quæritur, An iustitia originalis fuerit habitus naturalis, an supernaturalis: obseruandum est, eum habitum esse propriè & dici supernaturalem, qui naturæ vi, & facultate fieri, comparariuè nequit; & proinde talem esse, qui solo Dei beneficio & munere supra naturam in hominis mentem infunditur: ille verò habitus est naturalis, qui naturæ viribus acquiritur, vel saltem acquiri potest: nam quamuis Deus certo cuidam homini rerum naturalium disciplinas & artes, aut moralium virtutum habitus infundat: sunt tamen illi habitus naturales, quia naturæ viribus posset eorum substantia comparari. Henricus sensit iustitiã originalẽ re, & natura sua esse quendam habitum naturalem tributum homini, & simul gratiæ diuinę coniunctum: sicut (inquit) linea est recta, & rectum, aliquid est lineæ naturaliter conueniens, sic homo erat rectus, & integer: at illa integritas, ac bonitas, nihil aliud erat, nisi habitus quidam naturæ consentaneus. Quam sententiam meritò oppugnauit Scotus: tum quia inde fieret, vt per peccatũ aliquid naturale amiserit homo, siquidem est iustitia originali denudatus, & ea erat habitus, & qualitas naturalis: tũ quia iustitia originalis præstabat effectus, qui naturæ viribus esse non poterant: quoniam corpus animæ subijciebat, sensus appetitum, ac vires inferiores rationi, & menti obedientes reddebat, continebat totum hominẽ in obsequio Dei: communis itaque est Scholasticorũ opinio, iustitiam originalem fuisse habitum supernaturalem. Sic apertè tradiderunt S. Thomas, Richardus, Scotus, Durandus, Marsilius, Gabriel, Maior, & alij. Obijcies; sæpe à Theologis vocari habitum iustitiæ originalis, naturalem. Respondeo, ideo talem appellari trib⁹ de causis; primò, quia fuit singulare Dei beneficium pariter cum natura susceptum. Deinde, quia erat cum natura in posteros transmittendum, si in ea primus homo perstitisset. Postremò, quia appetitum sensus rationi subdebat, quod opus est naturæ hominis consentaneum.

Henricus quodl. 6. q. 11.

Sco. 2. d. 29 q. 1. Bass. 2. dist. 29. q. 1. art. 1.

Lucis sup. cit. in q. 4.

Secundò quæritur, An iustitia originalis fuerit vnus tantum habitus, an plures; ita vt illi habitus per collectionem vna iustitia originalis appellentur. Duæ sunt opiniones: vna docet, fuisse plures habitus, qui singulas hominis facultates perficerent, vt expeditè, & commodè suis officijs fungerentur. Ita Marsil. 2. *quæst.* 19. *art.* 3. *post.* 5. *concl.* Maio. 2. *dist.* 30. *q.* 1. ita nunc etiam sentiunt quidam iuniores in scholis quam opinionem vt probabilem reliquit Scot. 2. *dist.* 29. *quæst.* 1. & Gabr. 2. *dist.* 30. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 3. & Basso. 2. *d.* 29. *q.* 1. *ar.* 1. Horum vnicum illud est fundamentum non debile, quia iustitia originalis hominem omni ex parte perfectum reddebat, ergo eius vires & facultates erant bonis & rectis habitibus affectæ: alioqui enim si sola voluntas erat habitu perfecta, no fuerat totus homo vndequaque bene compositus. Item, sicut voluntas indigebat habitu, vt perfectè & commodè dominaretur, imperaretque sensibus; sic etiam sensus ipsi egebant habitu, quo facilè & promptè rationi parerent. Præterea, appetitus sensus erat plenè rationi subiectus, ergo habitu refrænabatur, ne rationis imperium præcurreret, perturbaret, subterfugeret, aut recusaret. Quidam verisimile admodum putant, iustitiam originalem nõ fuisse vnum habitum simplicem, sed omnium virtutum collectionem, quæ dicta est iustitia originalis: eo quod tota illa virtutum communio hominem in honesti, & boni officio continebat, prout suę primæ institutioni cõgruebat. Et sicut Deus primum hominem perfecta rerum naturalium scientia repleuerat, vt doctorem ac magistrum omnium; sic etiam plena virtutum omnium honestate exornauit, tãquam optimum cæterorum parentem ac ducem. Iustitia itaque (secundum hanc sententiam) erat virtutum omnium in vnum collecta cõmunio. Altera opinio tradit iustitiam originalem, fuisse vnum re & substantia habitum in parte animæ superiori insidentem. Sic Alber. 2. *d.* 31. *ar.* 3. *ad* 5. S. Thom. 1. 2. *q.* 83. *art.* 2. *ad* 2. Bonau. Aegid. Richard. Dur. 2. *dist.* 29. & 30. & alij, quibus non pauci postea accessere, quorum sententiam ipse libentius amplector. Etenim præter gratiam adoptionis, & charitatem, & dona Spiritus sancti, & virtutes morum infusas, quæ diuinitus conferuntur eum ad finem, vt quis fit iustus, rectus, sanctus, diuinæque consors naturæ: nulli alij habitus requiruntur, vt quæstione proximè sequenti apparebit: ergo iustitia originalis, aut erat omnium virtutum collectio, & communio, aut quod verius puto, ipsa gratia adoptionis vt coniuncta & copulata virtutibus, & sulta, atque munita singularibus diuinæ prouidentiæ præsidijs. At iustitia, inquies, originalis, reddebat totum hominem omnibus suis partibus absolutum, atque perfectum. Respondeo, Ad id satis fuisse gratiam adoptionis charitate, fide, donis Spiritus sancti, & virtutibus moralibus infusis ornatam. Obijcies deinde; Appetitus sensus, cum ratione frequẽter & assiduè pugnat, & certat: ergo ad eam litem & pugnam componendam, indigebant ambæ hominis facultates habitibus. Respondeo, infusa fuisse Spiritus sancti dona, & reliquas virtutes morales, quibus appetitus sensus in officio continebatur. Demum oppones. Hæc omnia non satis fuisse ad primum hominis statum, quia cum quis baptismate renascitur, aut per pœnitentiæ Sacramentum diuinæ amicitiæ restituitur, recuperat sibi ope Dei gratiam, charitatem, dona Spiritus sancti, & virtutes morales infusas; & tamen ad iustitiam originalem non redit. Respondeo, reuera appellatione iustitiæ originalis, non solùm intelligi gratiam adoptionis, quę sibi coniuncta habebat dona Spiritus sancti & virtutes morales infusas, sed etiam singularia, vt ante iam dixi, diuinæ protectionis auxilia, quibus homo ab omni malo, tum culpæ, tum pœnæ, siue intrinsecus, siue extrinsecus irruente defendebatur: & propterea homo quamuis à peccato diuina gratia mundetur, iustitiæ tamen originali minimè restituitur: quia illa singularia diuinæ protectionis præsidia non recuperat; consequuturus ea, cũ ad patriam cælestem admissus, in felici illo Beatorum spiritũ domicilio cõstituetur, vt supernę vrbis ciuis & incola.

Tertiò quæritur, An iustitia originalis fuerit habitus re à gratia adoptionis distinctus? Tres sunt Theologorum sententiæ: Prima affirmat, atque hæc videtur fuisse communis. Ita enim docent Alexand. *p.2.q.90.m.1.a.1.* Bonau. *2.d.29.ar.2.q.2.* Aegid. *2.dist.29.q.1.a.2.* Dur. *2.d.20.q.5.* Marsil. *2.d.13.a.4.concluſ.4.* Gabr. *d.29.q.1.a.3.dub.2.* & Maio. *2.d.30.q.1.* & alij. Aiunt isti, primo homini duos habitus fuisse infusos, Gratiã scilicet adoptionis, quæ eum Deo gratum, acceptum & amicum reddebat, quæque ei ius ad hæreditatem cælestem tribuebat; & habitum iustitiæ, quo homo iustus & rectus fiebat, vt ipsa recta ratio requirebat. Gratia itaq; ad finem supernaturalem hominem reuocabat: iustitia verò ad finem tantùm naturalem recto naturæ ordine dirigebat. Gratiæ item præsidio, opera homo præstabat vita æterna, vt debita mercede & præmio digna: iustitiæ verò originalis auxilio, solùm operabatur bene, iuxta naturale rectæ rationis præscriptum. Quod si eis opponas; ad hoc secundum officium obeundum, sufficere potuisse solas virtutes morales, quas fuerat à Deo homo consequutus. Respondent, non satis fuisse ad id exequendum in perpetuum: vnde iustitia originalis conferebatur, vt perpetuò rectæ rationis præscriptionem, & ductum homo sequeretur, id quod virtutes morales non tribuunt: aut, quod secundum hanc opinionem probabilius existimo, iustitia originalis erat virtutum moralium collecta, & copulata societas, non autem simplex habitus re, & subsiantia à virtutibus distinctus. Erat itidem virtutum moralium communio non qualiscunque, sed peculiari & eximia diuinæ prouidentiæ cura subnixa, qua homo in honesto, æquo & bono mirabiliter continebatur, ac propterea donum erat supernaturale. Secunda opinio, iustitiam ait originalem, non fuisse habitum à gratia adoptionis diuersum. Ita Sotus & quidam alij S. Thomæ discipuli; quorum sententia eo nititur fundamento, quod iustitia originalis fuerit gratia adoptionis, sed non præcisè talis, quale iusti nunc temporis per Baptisma, vel pœnitentiam recuperant, sed quatenus ea Dei munere præsto sibi habebat diuinæ prouidentiæ, & protectionis auxilia, quibus omne malum repellebat. Tertia sententia est Caietani, & aliorum asserentium, iustitiam originalem fuisse quidem habitum re, à gratia distinctum; sed qui haberet eam, tanquam comitem indiuiduam semper coniunctam. Vnde hæc opinio differt à prima, quod hæc nunquam ponit iustitiam originalem re à gratia seiunctam; at illa docet non solùm posse re à gratia secerni ac diuelli, sed etiam fuisse in primo homine distinctam & separatam. Mihi tamen secunda opinio magis arridet: nam tota iustitiæ originalis ratio, & natura completur, si concipiamus cogitatione mentis hominem cum gratia adoptionis, vna cum donis Spiritus sancti, & virtutibus moralibus infusis constitutum, & ex pacto seu potius institutione Dei adeo singulari prouidentia gubernatum, ac rectum, vt nullo posset malo perturbari, si in eo iustitiæ officio sese contineret, nec ab eo vnquam propria voluntate aberraret, deflecteretue. Homo item in eo vitæ statu & conditione, ministerio opeq; virtutum moralium erat bene compositus circa bonum rationis, & proinde circa finem naturæ debitum: & dono gratiæ erat bene affectus circa finem supernaturalem, & mirabili Dei ipsum protegentis beneficio ab omnibus malis, quæ possent extrinsecus occurrere, arcebatur: ergo præter tria hæc, quid opus est alium habitum homini datum esse confingere?

Quartò quæritur, An primus homo ante lapsum, adoptionis gratiam acceperit? Duæ fuerũt olim inter Theologos sententiæ; vna affirmabat nunquam ante peccatum habuisse illum gratiam adoptionis, sed tantum iustitiam rationi naturali congruentem, quam dicunt fuisse gratiam, hoc est donum gratuitum, peculiare & supernaturale, & ideo à patribus vocari iustitiam gratiam, integritatem, sanitatem, & sanctitatem naturæ: quod si primam in perseuerantia, & virtute tentationem superasset, statim Dei beneficio eum gratiam fore consecuturum. Ita Marsilius, Argentina, & ante eos Aegidius. Idque probant ex Augustino, *libro Quæstionum Noui & veteris testamenti, q* 123. vbi ait, Adamum non habuisse ante peccatum, Spiritum sanctum: & Magister in secundo, distinct. 24. tributum esse ait homini auxilium in sua creatione, quo stare poterat, sed nõ quo proficere posset, id est, mereri, quod Magister accepisse se putat ex Augustino, cuius multa ad id testimonia producit, idem etiam probãt ex Hugone, *in summa sententiarum tract. 4. cap. 7.* & hic Auctor citat Augustinum *lib. de correptione, & gratia. cap. 11.* Probant item ex Augustino. *lib. 11. de ciuitate Dei, cap. 12.* vbi inquit: *quantum pertinet ad delectationem præsentis boni, beatior erat primus homo in Paradiso, quam quilibet iustus in hac infirmitate mortalis: quantum verò ad ipsem futuri boni, beatior est quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis, cui non opinione, sed certa veritate manifestum est, fine fine se habiturum societatem Angelorum, omni molestia carentem, in participatione summi boni, in qua erat iste homo sui casus incertus in magna illa fœlicitate Paradisi.* Hæc ille: ergo secundum Augustinum, primus homo ipsem patriæ cælestis non habebat, ac proinde nec gratiam. Altera opinio fuit semper cõmuni Scholasticorum consensu recepta, primum hominem ante lapsum iustitiam, & gratiam adoptionis accepisse. Hoc tradiderunt Altisio. *in sum. lib. 4. tract. vlt. c. vlt.* Alexand. *2.p.q.9.m.2.a.1.* Alber. *2.d.29.art.1.* S. Thom. *1.p.q.95.art.1* Bonau. *2.d.29.art. 2.q.2.* Richard. *2.d.29.art.1.q.1.* Scot. *2.d.32.q.4.* Dur. *2.d.4.q.1.* Gabr. *2.d.29.q.1.* & Mai. *2.dist.4.q.1.* In hac quæstione prior sententia post editum cõcilium Tridentinum, temeritate, periculo, & errore non caret; quoniam sess. 5. can. 1. de peccato originali, statuit in hunc modum: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, sanctitatem & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, anathema sit.* Quod si sanctitatem acceperat primus homo, ergo gratiam adoptionis. Item de Pœnit. dist. 2. cap. Tolle, §. Adam, Gratianus per aliquot capita ex Augustino, & Ambrosio desumpta concludit, primum hominem in charitate fuisse constitutum, quam ob peccatum amisit. Præterea, multis veterũ Patrum testimonijs supra productis ostẽdimus, Adamũ, ob peccatũ fuisse diuinæ gratiæ munere denudatum ac bene uolentiæ & charitatis amictu & dono priuatum.

Sot. lib. 1. de natu. & gratiæ. c. 5. Zumel 1 p. q 95. a. 1.

Cæt. 1. p. q 95. ar. 1.

Marſ. 2. q. 16. a. 6. cõc. 2. Argen. 2 d. 29. q. 1. a. 3 conc. 2. & d. 4. q. 1. ar. 2. conc. 1. Aeg. 2. d. 29. q. 1. a. 2 & d 4. q. 1. a. 3. dub. 7.

Ad obiecta verò Respondeo; Ad primum, Augustinum vel eius operis Auctorem, non enim puto esse Augustinum vt Louanienses rectè annotarunt in ea quæstione, docere quosdam ex Patribus animi simplicitate tradidisse, Adamum ante peccatum habuisse Spiritum sanctum: quod ibi ille Auctor refutat & improbat: & meritò; nam reuera Patres illi docebant, Adamum habuisse Spiritum sanctum more fidelium ac piorum hominum, quibus per baptismum renatis confertur, quod proinde erat ac si dicerent, habuisse Spiritum sanctum ea gratiæ plenitudine, & abundantia, quam renati in baptismo suscipiunt; & proinde eos esse cõsecutos statim cæleste regnum post obitum: quæ est propria noui testamenti, & legis gratia. Vnde is Auctor in eo loco docet generatim veteris testamenti Patres quamuis iustos & sanctos, ad inferos descendisse; cum tamen iusti modo ex hac vita decedentes, cum plena peccatorum satisfactione, ad cęlestẽ patriam, & Beatorum spirituum gaudia conuolent. Potiùs itaq; Auctor, de primo homine post peccatũ gratiam adepto, sermonem habet, quàm de eo recto, & integro ante lapsum creato. Sic piè, & benignè eum Auctorem S. Thom. 1.p.q.95.art.1.ad 2. interpretatur. nec arbitror vt quidam censent, eum Auctorem in hac parte nõ fuisse catholicum; quoniam quamuis in eo opusculo in multis ab Augustino dissentiat, immo etiam erret, quod Louanienses obseruarunt; in hac tamen parte mitius & benignius explicari potest, quod dicit: nec existimo, eum auctorem, Hieronymo & Augustino esse antiquiorem, sed iuniorem. Ad Magistrum, & Hugonem Respondeo, eos fortassis in prima opinione fuisse: Augustinus autem *in lib. de correptione, & gratia cap.11.* solùm ait accepisse gratiam Adamum, qua posset in bono permanere, si vellet; non tamen eam gratiam, vt vellet in bono permanere, quod est dicere, Adamum accepisse gratiam, qua posset in bono perseuerare; non tamen eam, qua perseueraret; cum tamen modo multi iustorum accipiant gratię beneficium, non solùm quo possint perseuerare, sed quo perseuerent. Magister verò & Hugo aliter, ac Augustinus loquuntur, cum aiunt accepisse gratiam Adamum, qua stare posset, non qua posset proficere, hoc est, non qua posset vitam æternam promereri. Augustinus solùm dixit; accepit primus homo, quo posset non peccare, si vellet; quò posset non mori; quo posset non cadere & non deficere à bono: sed non accepit, quo non peccaret, quo non caderet; non accepit, quo perseueraret. Quicquid sit, Magister & Hugo id solùm tradidere, primum hominem in sua prima creatione, gratiam minimè accepisse; non tamen negarunt eam ante casum habuisse: id enim aperte Magister affirmat in secund. distinct. 29.

Quintò quæritur, An primus homo fuerit cum iustitia originali, & gratia procreatus? Duæ sunt opiniones, Prima docet ante lapsum fuisse duos primi hominis status, primum quidem, quando fuit à Deo creatus, & tunc solam naturam accepit suis viribus, & dotibus ornatam: secundum, quando postea accepit gratiam & charitatem; ita opinantur Alexand. *p.2.q.90.m.1.ar.1.* Alber. *in sum. p.2.tract.14.q.90.m.1.2.& 3.* Bonau. *2.d.29.art.2.q.2.* Richard. *2.d.29.a.1.q.1.* Bassol. *2.d.29.q.1.a.2.* & Glossa *de Pœnit. dist.2.cap. Tolle.* ait, hanc opinionem esse celebriorem. Et est animaduertendum huius opinionis Auctores, cum dicunt primum hominem cum solis naturæ dotibus, & facultatibus fuisse conditum, minimè inficiari esse quoq; cum iustitia originali creatum: sed eiusmodi iustitiã, gratiam quidem gratis datam appellant, sed naturalem; quia naturæ hominis congruebat, eo quod erat virtus rationi admodum consentanea, eamque ad finem tantummodo naturalem dirigebat, hoc enim expressè docent Argent. *2.d.29.q.1.ar.3.* Marsil. *2.q.16.a.6.concl.2.* Aegid. *2.d.29.q.1.a.2.* Secunda opinio affirmat primum hominem esse cum iustitia, & gratia cõditum: sic S. Tho. *1.p.q.95.ar.3.* Dur. *2.d.4.q.2.* Mai. *2.d.4.q.1.* Porrò Scotus, & Gabriel, vtram que opinionem vt probabilem amplectuntur. Ipse tamen secundæ sententiæ magis assentior: nam ex testimonijs veterum Patrum, quæ suprà commemorani, colligi videtur hominem esse creatum ita rectum, vt iustitiam haberet apud Deum: quæ iustitia sine gratia adoptionis esse non potest. Obijcies, Augustinum *lib. de correptione & gratia cap.10. & 11.* dicentem: *Deus sic ordinauit Angelorum, & hominum vitam, vt prius in eis ostenderit, quid posset liberum arbitriũ: deinde quid posset suæ gratiæ beneficium.* Ergo secundum Augustinum non est homo cum gratia creatus. Item Magister *in secundo dist.24.* & Hugo *in summa sententiarum tract.3.cap.6.* tradiderunt primum hominem in sua creatione accepisse, quo stare posset, non quo posset proficere: quod est dicere, accepisse Adamũ iustitiam originalem, gratiam non item. Respondeo de Augustino, eum, alijs in locis, quos ante produxi, sensisse primum hominem esse cum gratia procreatum: quid itidem significare voluerit, cum dixit Deus sic ordinauit Angelorum & hominum vitam, vt prius in eis ostenderit, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, planè liquet: nam eius mens fuit, accepisse Angelos & hominem Dei auxilium, quo per liberum arbitrium in bono stare potuissent, & omne peccatum vitare, sed in peccatũ lapsos, per liberum arbitrium postea surgere non potuisse, sine gratia ipsius Dei, naturam sanante: item habuisse eos Dei auxilium, quo possent, si vellent, non peccare, vt deinde acciperent gratiam consummatam videlicet gloriam sempiternam, qua nunquam amplius possent peccare. De Magistro verò, & Hugone non oportet nos esse solicitos; videntur enim sententiam secuti, Adam esse quidem cũ iustitia originali, sed sine adoptionis gratia cõditum: & certè ex Augustini locis quib⁹ Magister mouetur ansam non paruam acceperunt.

Sextò quæritur, An primus homo sibi & cæteris iustitiam originalem acceperit? quod est quærere, An acceperit transfundendam quoq; in posteros? vel quod alij quærunt, An posteri, si Adamus iustitiam originalem conseruasset, nati in ea fuissent? Conuenit inter Theologos sibi & posteris accepisse. Alexand. *1 p.q.89.m.1.ar.1.* S. Thom. *1.p.q.100.art.1.* Aegid. *2.d.20.q.1.ar.4.* Richard. *2.d.29.q.3.a.2.* Scot. *2.d.20.q.1.* Dur. *d.20.q.5.* Gabr. *2.d.20.q.1.a.2.concl.2.* Marsil. *2.q.13.art.1.* Mai. *2.d.20.q.1.* Bassol. *2.d.20.q.1.a.2.* & alij. Vnus tamen est Hugo qui *lib. de sacramentis Par.6.cap.23. & 24.* tradidit, Adamum

Scot. 2. d. 32. q. 4. ad arg. 4. & Gabr. 2. d. 29. q. 1. a. 1. dub. 2. & 4. q. 1. a. 2.

ante

ante peccatum generaturum fuisse filios sine peccato quidem, sed non paternæ iustitiæ hæredes: quem Auctorem S. Thom. & Alexander mitius interpretatur. Sed reuera Hugo videtur sensisse, cum iustitia originali filios Adæ minimè nascituros fuisse. Obseruandum porrò est, originalem iustitiam in posteros minimè fuisse transmittendam vi seminis, aut naturæ, sed beneficio & munere conditoris, qui eam primo parenti concesserat in filios deriuandam. Nam erat donum gratuitum, & proinde vi naturæ traduci non poterat. Si roges, an hæc Theologorum sententia, veterum Patrum doctrina innitatur? Respondeo, eam perspicuè Anselmum tradidisse. *lib. de conceptu Virginali & peccato originali. cap. 1. ad finem, & c. 2. 10. & 14. & in libro cur Deus homo c. 18.* immò Gregorius *lib. 4. Moralium cap. 36.* amplius quiddam apertè docet; primum parentem, si in bono perseueraret, susceperum solùm ex vxore eos, qui sunt ad cæleste regnum electi: ita enim ait; Si parentem primum, inquit, nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se gehennæ filios generaret, sed illi qui nunc per redemptionem seruandi sunt, solùm ab illo electi nascerentur. Augustin. *lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 10.* ait, permanente in Paradiso primi hominis felicitate, donec per illam benedictionem, qua dictum est, crescite & multiplicamini, prædestinatorum sanctorum numerus compleretur. Deniq; Tridentina Synodus sess. 5. de peccato originali can. 2. definit: *Si quis Adæ prænaricationem sibi soli, & nō illius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eam perdidisse: anathema sit.* Ex quo deducitur Adamum, etiam suæ soboli iustitiam accepisse: nam sibi eam & posteris amisit: ergo acceperat traducendam in sobolem; alioquin enim eam tantummodo accepisset, vt singulare personæ donum. Consequitur quoq; malè Albertum Pighium Carpensem dixisse, hoc esse quidem Theologorum dogma, sed non verum: & probabile tantùm ob Theologorum testimonium, sine ratione tamen assertum. Parcendum est viro & docto & pio, & ante Synodum Tridētinam scribēti. Enim verò illi satis esse debuerat, vel vnius Anselmi auctoritas, vel argumentum à posteriori sumptum: Nam peccatum originis ex Adamo transiuit in posteros: ergo est priuatio iustitiæ originalis, quæ in posteros transire debuerat. Præterea animaduertendum est, S. Thomam, & alios, prædictam sententiam alio argumento colligere: videlicet, accidentia speciei, & naturæ ipsam consequuntur, sed iustitia originalis erat accidens naturæ humanæ: ergo traduci vna cum natura debebat in posteros: quam rationem infirmat, & diluit Durandus. *Quoniam tantum*, inquit, *locum habet in accidentibus naturalibus non gratuitis.* Attamen quidquid velit Durandus, ratio optimè concludit ex hypothesi: Cum enim Deus hominem condiderit cum iustitia originali deriuanda in progeniem, rectè cōficitur, iustitiam originalem fuisse accidēs speciei & naturæ, id est, totius generis humani, non quidem vi ipsius naturæ, qualia sunt accidentia naturalia, sed dono & munere conditoris.

Septimò quæritur, An posteri essent accepturi vnà cum natura, & iustitia originali gratiam adoptionis, ita vt iusti & sancti nascerentur? Duæ sunt opiniones, vna generandos quidem ait cum iustitia originali, sed sine gratia: est Alexandri opinio & Richardi, nec aliam certè arbitror fuisse eorum Theologorum, qui, vt supra iam dixi, rati sunt iustitiam originalem & gratiā, fuisse duos habitus re distinctos, & primum sine secundo accepisse in sua creatione primum parentem. Vnde iuxta horum Theologorum sententiam, iustitia originalis erat donum toti generi humano in primo parente concessum: at verò gratia adoptionis erat personæ solius donum; & ideo illud in ipsa creatione simul cum natura susceperit primus homo, sed hoc accepit postea, ante lapsum suo proprio actu, tanquam præparatione debita bene & conuenienter aptatus. Præterea gratia erat donum, quod per cordis pœnitentiam recuperari poterat, si amitti contingeret: vt reuera recuperauit Adamus, vt ex libro Sapientię colligitur. At iustitia originalis per pœnitentiam minimè restitui, aut recuperari in hac vita potest. Hanc sententiam post Concil. Trident. Catholicus nulla ratione tenere potest: quia sess. 5. in Decreto de peccato Originali sic ait: Si quis Adæ prænaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam, à Deo sanctitatē & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam, eum perdidisse, anathema sit. Altera opinio, posteros nascituros tradit cum iustitia originali, & gratia. Ita S. Thom. *1. p. q. 100. a. 1. ad 2.* Dur. *2. d. 20. q. 5. ar. 3. ad 1.* & alij: quibus ipse quoque libentius accedo. Et certè verba cōcilij Tridentini mirificè pro hac sententia faciunt, quæ sic habent: *& acceptam sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli & non nobis perdidisse,* &c. Ergo non obscure insinuat sancta synodus, vtrumque donum, gratiam scilicet & iustitiam, sibi & nobis Adamū perdidisse: vtrunque igitur erat beneficium toti naturæ in primo parente tributum, & proinde vtrumque trāsiturum in posteros: non quidem, quod gratia vi aut merito naturæ redundatura esset in posteros, *nam si gratia est, hoc ipso gratis confertur, teste Apostolo,* sed institutione, vti ante iam dixi, & beneficio conditoris. Præsertim cum supra dictum sit, iustitiam originalem, & gratiam esse re vnum, & eundem habitum, ac sola ratione differre.

Octauò quæritur, An ante peccatum procreandi essent Adæ posteri in iustitia originali confirmati? Duplex est opinio: Prima id affirmat, fore; est Anselmi lib. 1. cur Deus homo, ca. 18. vbi ait: *In illa iustitia in qua erant, si vicissent, vt tentati non peccarent, ita confirmarentur cum omni propagine sua, vt vltra peccare non possent: quemadmodum quia victi peccauerunt, sic infirmati sunt, vt quātum in ipsis est, sine peccato esse non possint. Quis enim audeat dicere, plus valere iniustitiam ad alliciendum in seruitutem hominem in prima persuasione sibi consentientem, quam valeret iustitia ad confirmandum eam in libertate, sibi in eadem prima tentatione adhærentem? sicut ergo tota natura victa est in primo parēte peccante; ita tota vicisset in eo si non peccaret.* Hæc Anselmus, cuius sententiam sequuntur Gabr. *2. d. 20. q. 1. ar. 2. concl. 2.* Mai. *2. d. 20. q. 1. §. circa hanc quæstionem.* Secunda verò opinio negat: hanc tenent Alexand. *p. 2. q. 89. m. 1. art. 3.* S. Thom. *1. p. q. 100. art. 2.* Scot. *2. d. 20. q. 1.* Dur. *2. d. 20. q. 5.* Richard. *2. d. 20. art. 2. q. 5.* Marsil. *2. q. 13. art. 4. concl. 4. & 5.* & Basso *2. d. 20. q. 1. a. 1.* Et quidam iu-

Alex. p. 2. q. 89 m. 1. a 2. Richa. 2. d. 29. art. 1. q. 1. ad 2.

Sapien. 10.

Genes. 1.

Alb. Pigh. in controu. de pecc. origi.

Dur. 2. dist. 20. q. 5. n. 7.

Medi.t. 2. q. 81. art. 5. dub. 2.

iam iuniores nō verentur asserere, primam opinionem inanem esse, & friuolam, cum S.Thom. tradiderit fieri non potuisse, vt confirmati ederentur in lucem.

Sed est animaduertendum, confirmationem alicuius hominis in bono posse dupliciter contingere; vno modo ex vi certi doni, quod in homine inhæreat; & talis est confirmatio Beatorum spirituum in patria cælesti: nam vi & ratione visionis beatæ, amplius nullo modo in perpetuum peccare possunt: & hæc confirmatio ita est propria beatorum cæli incolarum, vt viatorum esse non possit: Et de hac intelligendus est S.Tho. negans fieri potuisse, vt confirmati nascerentur cum iustitia originali; quia viatores nequaquam beati erant procreandi. Altero potest confirmatio contingere ex peculiari ope & auxilio Dei, quo assistit alicui, facitq; ne vnquā erret, aut peccet: præcidit enim omnem peccandi ansam; depellit, ac remouet omnia malorum irritamenta; immittit cogitationem bonam, mouet & excitat voluntatis affectum ad bonum, nec tollit aut minuit libertatem hominis potestatem agendi. Atque hæc confirmatio in bono potest esse viatorum; & de hac intelligeeda est prima opinio, quæ cū fuerit Anselmi, immeritò sanè vt inanis, & friuola à iuniorib⁹ notatur. Et Gregor. *lib. 4. Moralium*, vt supra iam dixi. *cap. 36.* aliud quid simile insinuat his verbis: *Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret: sed ij, qui nunc per redemptionem saluandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.* quod videtur Gregorius sumpsisse ex Aug.

Genes. 1.

gust. qui lib. 14. *de ciuit. c. 10.* ait. *Permanente in Paradiso primi hominis felicitate, donec per illam benedictionem quæ dictum est: crescite & multiplicamini, prædestinatorum sanctorum numerus compleretur.* Nihilominus tamen mihi magis secunda opinio probatur, quam Augustinus videtur tenuisse; primo enim libro Retractationum. c. 13. ait: *essem ergo istæ cognationes, atq; affinitates, si nullus delinqueret, & nullus moreretur.* & li. 14. de ciuit. Dei, c. 10. inquit: *Si nec illi primi parentes malum in posteros transirent, nec quisquam ex stirpe eorum iniquitatem committeret.* Quibus locis videtur Augustinus tanquam verum ponere, eos potuisse delinquere.

Nonò quæritur, An inter Deum, & primū hominem intercesserit pactum de iustitia originali, & gratia cōmunicanda cum posteris, si in ea ipse homo constitisset. Basso. 2. *dist.* 30. *q.* 1. *art.* 3. & Marsi. 2. *q.* 19. *art.* 2. *ad finem*, tradiderunt, ex pacto Dei, iustitiæ donum originalis redundaturum in posteros. Ambrosius Catharinus affirmat huiusmodi pactum inter Deum, & hominē intercessisse. Sot. *lib. 1. de nat. & gra. cap.* 3. ait esse cōfictum, quia id nec ex sacris literis, nec ex Patribus, nec ex Theologis colligi potest. Albertus Pighi. *in opus. de pecc. originis*, non solùm negat tale pactum fuisse, sed etiam esse potuisse inficiatur: Quoniam manifestè (inquit) pugnat cum ratione naturali. Quomodo enim potuit primus homo posteros nondum conceptos, & natos pacto, & lege obligare? Dicendum itaque existimo nullum pactum expressum intercessisse: ad hoc enim affirmandum, nec ratione, nec auctoritate, probabiliter Patrum, aut Theologorum testimonio compellimur, implicitum tamen & tacitum fuisse pactum videtur,

Cathar in opu. de pecato origi. cap. 7. & in Gen. cap. 3.

quod nihil aliud fuit, nisi ipsa primi hominis institutio. Deus enim primum parentem iustitia originali exornauit, ita tamen vt voluerit eam iustitiam esse donum in totum genus humanum, in suo primo parente collatum: Et hanc institutionem nonnullis Theologorum pactum placuit appellare.

Decimò quæritur, An si primus parēs primam contra perseuerantiam, & virtutem tentationem superasset, confirmandus esset postea in iustitia originali & gratia? Duæ sunt opiniones: Prima affirmat fore cōfirmandum: ita opinantur, Scot. 2. *dist.* 20. *quæst.* 1. Basso. 2. *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. quod probabile esse aliquando tradidit S. Thomas. Secunda opinio negat, estque etiam S. Thom. 1. *p. q.* 100. *a.* 2. *ad* 4. qui id alio in loco apertè negauit. Scotus intellexit de confirmatione in bono, quam supra iam dixi posse viatoribus conuenire. S. Thomas verò, de ea videtur intellexisse, quæ propria est eorum, qui sunt cælestem patriam consequuti: si de priori loquamur, probabile est, quod affirmauit Scotus: veruntamen ex scripturis, aut Patribus nihil certi elici potest: Idem aiunt Scotus, & Bassolis de posteris Adę, eos nimirum fore tētandos, qui si primam contra virtutem tentationem vincerent, eos tunc in bono confirmatum iri.

S. Tho. 2. 20. q. 2. ar. 3. ad 1.

Cap. XXXIII.

Quonam modo primus parens iustitiam originalem acceperit à Deo.

PRIMO quæritur, An iustitia originalis fuerit in primum parentem collata ex meritis Christi Domini? Quidam nostra ætate mordicus tuentur: filium Dei, carnem humanam suscepturum fore, tametsi primus homo lapsus in peccatum non esset: quam sententiam si quis tenere voluerit, facilè defendere potest, omnem gratiam, & iustitiam ab orbe terrarum condito esse tributam hominibus ex meritis Christi, ita vt ex ipso tanquam primo capite, & fonte omnes acceperint. Verum si quis Sancti Thomæ opinionem sequatur (quam ego probabiliorem existimo) filium Dei, nequaquam cum humana carne venturum, si primus homo minimè deliquisset, egrè aut vix tueri potest, iustitiæ originalis, & gratiæ donum concessum Adamo ante peccatum. ex meritis Christi fuisse. Atq; hoc sensêre Sot. *lib. 1. de nat. & gratia. cap. 6.* Gabr. 2. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 2. *concluſ.* 2. Medin. *part.* 3. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 4. & *quæst.* 24. *art.* 3. Immò idem ipsum arbitror fuisse opinatos Alexand. *part.* 2. *quæst.* 91. *m.* 2. *artic.* 1. *§.* 4. Bonauent. *distinct.* 29. *art.* 3. *quæst.* 2. Aegid. 2. *dist.* 29. *quæst.* 1. *artic.* 2. *dub.* 7. Richard. 2. *dist.* 29. *art.* 2. *quæst.* 1. qui manifestè tradiderunt merita hominis primo instituti, non habuisse tantam efficacitatem, quantam habuerunt merita iustorum post lapsum Adæ, quia illa non erant ex Christi Domini meritis, ex quibus tamen hæc vim suam habuerunt. Et Auctor librorum Hypognosticon, *libro tertio, paulo post initium* ait: *Quid opus erat Deo, si status integer naturæ humanæ permaneret, carnem nostram suscipere?*

S. Tho. 3. q. 1. art. 3.

Ambrosius *de Incarnationis Dominicæ sacramento*

cap. 6.

ca.6. *Didicisti igitur, quando sacrificium de nostro obtulit. Nam quæ erat causa Incarnationis, nisi vt caro quæ peccauerat per se, redimeretur?*

Philip. 2. Augustinus *libr.1.de Peccatorum meritis & remissionibus: Quibus appareat Dominum nostrum Iesum Christum, non ob aliam causam in carne venisse, ac forma serui acceptâ factum obedientem vsque ad mortem Crucis, nisi vt facta dispensatione misericordissimæ gratiæ, omnes quibus tanquam membris in suo corpore constitutis, caput est, ad capessendum regnum cælorum viuificaret, saluos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret.* Et *cap. 27. eiusdem libri* id concludit multis testimonijs in medium productis.

Idem Augustinus explanans Psalm.68. eumque versiculum: Infixus sum in limo profundi: *Deus, inquit, fecit hominem, substantiam fecit, atq; vtinam maneret in eo, quod Deus fecit. Sed peruersitatem fecit homo: venit filius Dei ad limum profundi, & infixus est. Sermone.8. de verbis Apostoli; Si homo non periisset, filius hominis non venisset: perierat homo, venit Deus homo. Et infra* ait: *Alia causa non fuit quare veniret in mundum, nisi peccatores saluos facere.* 1. Tim. 1. Item *sermon.9. de verbis Apostoli: Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere: tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ.*

Gen. 1. Leo *sermone tertio, de Pentecoste: Si enim homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ naturæ honore mansisset, neque diabolica fraude deceptus à lege sibi posita deuiasset, Creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem, neque æqualis Deo Patri Filius Deus formam serui, & similitudinem carnis peccati assumeret.*

Athanasius *sermone 3. contra Arianos: cur filium Dei* (inquit) *oportuit carnem gestare? Necessitas quippe, indigentiaque hominum anterior est quam illius natiuitas: qua sublata, carnem non induisset.* Et mox ex scripturis colligit venisse in mundum, vt saluum faceret hominem, qui perierat.

Nazianzenus *oratione quarta de Theologia: Quæ causa naturæ humanæ susceptæ, quàm nostra gratia, & nostra salus?*

Bernardus *in sermone de Vigilia Natiuitatis: Quare filius Dei factus est homo, nisi vt homines faceret filios Dei?* Item. *Propter peccatum filius Dei venit,* vt ex scripturis perspicuè constat, Matthæi quidem. *ca.18.* & Lucę. 19. dicitur: *Venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.* Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Matth. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Paulus quoque *ad Galat. 4. Misit Deus filium suum factum ex muliere, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* 1. Tim. 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Nec verò firma, & solida ratione caret hæc sententia. Nam si filius Dei non erat cum carne venturus, ergo totus ille primi hominis status integer mansisset ex vi diuini decreti, quo illum ante constituerat. Merita item Christi sunt merita redemptoris: at peccato & lapsu Adæ sublato, saluaque eius innocentia, & integritate naturæ, quanam redemptione, & reparatione genus humanum egusset? sed tota primi hominis institutio fuit ante peccatum, ergo ante reparationem, & redemptionem præuisam.

At enim contra hæc, multa obijci possunt: Primum ex Hugone *libro primo de Sacramentis parte octaua, capitulo vndecimo,* vbi ait: *Omnem gratiam ab initio mundi collatam hominibus, acceptam fuisse ex meritis Christi.* Respondeo, Hugonem, vt annotauit Aegidius, eius opinionis fuisse (quam supra refutauimus) primum hominem antequam peccaret, gratiam minimè accepisse, vt mirum non sit, id dixisse Hugonem: aut fortassis dixit, ab initio mundi; hoc est, à lapsu primi hominis, qui contigit initio mundi. Secundò, obijciunt sanctum Thomam, qui ait Christum Dominum habuisse gratiam tanquam vniuersale principium in genere iustorum, & alio in loco ait, eum habuisse gratiam, vt vniuersale principium gratificationis in humana natura. Respondeo, satis esse, si dicamus Christum habuisse, tanquam generale principium totius gratiæ, de qua scripturæ loquuntur. Scripturæ verò gratiam Christi apertè prædicant, fuisse gratiam redemptoris, & proinde omnis gratia post lapsum Adæ in homines collata Christo referenda est accepta, tanquam vindici ac totius humanæ libertatis assertori. Tertiò, obijcitur: Gloria cœlestis, quâ primus homo nunc fruitur, est ex meritis Christi: sed ea respondet meritis, & beneficijs Adæ ante lapsum eius, quæ per pœnitentiam reuixerunt: ergo eiusmodi merita fuerunt etiam per Christum; Respondeo, Merita Adæ, quæ fuerunt ante peccatum, vt postea reparata & restituta per pœnitentiam, vim suam & efficacitatem habuisse à Christo, & eiusmodi meritis recuperatis respondet in patria cœlesti, fœlicitas quam adeptus est Adam: at verò eadem merita absolutè, & simpliciter, quòd attinet ad eorũ substantiam, accepta, non fuerunt ex Christo: quod est dicere, Pœnitentia Adæ orta est ex Christi meritis, & proinde reparatio meritorum, quæ per peccatum erant amissa: at verò quod ante peccatum primus homo meruerit, non fuit per Christum, quoniam meruit ex gratia adoptionis, quam Dei beneficio susceperat. Quòd si vrgeas; Prima gratia quam Adamus accepit ante peccatum, erat prædestinationis effectus: ergo fuit ex meritis Christi. Respondeo, Christum Dominum esse quidem prædestinatorum omnium primum, idque Synodus Tridentina definit *sessione. 6. cap.7.* quotquot enim homines sunt prædestinati, ex Christi Domini meritis prædestinationem acceperunt: at prima gratia Adæ ante peccatum, licet fuerit effectus cuiusdam prouidentiæ diuinæ singularis, non tamen prædestinationis ipsius: nam si in eo vitæ statu, & conditione mansisset, vnà cum alijs iustis aliunde prædestinatus fuisset, quàm ex meritis Christi. Quarto, obijcitur illud Apostoli ad Ephes. 1. *Benedictus* (inquit) *Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo.* Item ad Colos. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra: & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum:* Ioann. 1. *Plenum gratiæ & veritatis; & de plenitudine eius nos omnes accepimus:* Respondeo, Scripturas sæpè intelligi, & explicari debere per alias scripturas: & quia

S. Tho. 3. p. q.7. art.9. & art. 11. S. Tho. 3. p. q.7. art.11.

in alijs locis, vt dixi, perspicuè legimus gratiam Christi, fuisse redemptoris & reparatoris, ideo cum scripturæ aiunt à Christo nos esse repletos omni benedictione spirituali, intelligendum est de nobis omnibus per primum Adæ peccatum lapsis: Item Christus vt homo, omnium prædestinatorum est primus, nec vllus est nisi meritis ipsius prædestinatus, etiam Adamus ipse: reconciliauit item omnia Christus, quia nimirum lapsum genus humanum erexit, mundum peccato perditum reparauit. Quintò, quidam arguunt: Primus homo ante lapsum Christi venturi fidem habuit: nã *Genes.*2. dixit: *hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* quod Apostolus *Ephe.*5. interpretatur, de Christo, & Ecclesia sponsa cum illo coniuncta. Respondeo. Primum hominem iustitiam, & gratiam accepisse per fidem, spem, & charitatem in Deum, postea verò habuisse fidem Christi venturi: nam est illi Christi aduentus diuinitus patefactus, nõ tamen sui peccati casus. Sexto, arguunt ex S. Thoma, qui *secunda secundæ quæst.*2. *artic.*7. ait Adamum habuisse fidem in Christum, vt in suæ glorię consummatorem: ergo habuit fidem in eum, vt Auctorem suæ iustitiæ, & gratiæ: nam gratia est ius gloriam consequendi. Respondeo, hoc ideo dixisse S. Thomam, quia Adamus non erat gloriam consequuturus nisi per Christum: at verò gratia quæcunque sit illa, est ius consequendi gloriam tametsi non sit per Christum accepta. Adam igitur ante lapsum habuit gratiam, & non per Christum, & proinde habuit ius adeundi gloriam sine Christo: sed postea cognouit, & verè credidit se adepturum gloriam per Christum, quia per ipsum recuperaturus erat gratiam ob peccatum amissam, in qua deinde per Christi merita perseueraturus erat. Septimò, obijciunt: Quod est honoris & dignitatis, tribuendum est Christo Domino, ergo gratia innocentiæ primo homini data, accepta referenda est Christo. Respondeo, tribuendum Christo quicquid est dignitatis, dummodo rationi naturali euidenter non repugnet aut scripturis: at in scripturis, vti ante iam dixi, gratia Christi est redemptionis, reparationis, reconciliationis; ergo omnis gratia post primum peccatum generi humano concessa, per Christum est, non alia ante peccatum.

Secundò quæritur, An Adamus acceperit iustitiam originalem per proprium voluntatis actũ, ad eam sese præparando? Theologi, qui sentiunt primum hominem in sua creatione iustitiam originalem, sine gratia adoptionis accepisse, postea verò gratiam: videntur significare eum iustitiam originalem sine vlla ad eam præparatione accepisse; gratiam verò sua ipsius præparatione, quia illam simul cum natura susceperit, hanc verò nonnisi sponte sua consentiendo. At verò qui cum sanct. Thoma sentiunt, iustitiam originalem non fuisse habitum re, & substantia à gratia distinctum, pariter docent primum hominem iustitiam simul, & gratiam per propriam præparationem accepisse, non sine illa. Discipuli nihilominus sanct. Thomæ in hac controuersia secum ipsi dissentiunt, dum quidam eorum opinantur Adamum, sine vllo proprio consensu, & actu suscepisse, id quod tradidit Sotus; alij verò censent per propriam præparationem accepisse, quorum quidem opinio sancti Thomæ doctrinæ magis accedit, quippe qui manifestè docet primum hominem accepisse gratiam consentiendo, quod est operando per actus fidei, spei, & charitatis vnà cum Deo eam infundente, & hoc magis approbo: nam primus homo iustitiam, & gratiam adeptus est, non in modum parvulorum, qui baptismate abluti gratia, & charitate donantur: sed adultorum more, qui consentientes, ad diuinam gratiam, iustitiam, & amicitiam per cordis pœnitentiam restituuntur. Quæres, qui fieri potuerit vt primò creationis momento, Adamus simul naturam, iustitiam & gratiam susceperit, & quòd amplius est, eodem planè temporis puncto actus fidei, spei, & charitatis ediderit: res enim priùs natura subsistunt, quàm operentur. Respondeo, hæc omnia vno, & eodem temporis momento fieri potuisse; neque enim vlla est repugnantia, si simul cum natura, iustitia, & gratia conferantur, & res, quæ vno temporis articulo agunt, possunt eodem quoque temporis puncto, quo incipiunt esse, operari: sol enim & astra primo suæ creationis momento terras suo lumine compleuerunt: & satis est, si res priùs natura, & causa existant, quàm operentur. Obijcies deinde; Primus homo nequiuit liberè consentire, nisi præcedente rationis consultatione; consultatio autem præterquam in tempore non fit. Respondeo, consultare nos in rebus dubijs, non autem in perspicuis & certis. Vnde, primo creationis momento, primus parens consultatione minimè indiguit; quia id, in quod mentem, & animum intendit, Deus vt certum proposuit. Totus igitur status atque progressus primi hominis in creatione, si non temporis, sed naturæ ordo spectetur, ita se habuit: Priùs ille naturam cum suis omnibus viribus, facultatibus, & dotibus suscepit: Deinde, Conditori Deo per peculiarem suam opem & supernaturalem vocanti, & excitanti, sponte, & liberè consensit, & ita gratiam consecutus est.

Tertiò quæritur, Quanam in animæ parte & facultate primus parens iustitiam originalem acceperit. Quattuor sunt opiniones. Prima est eorum, qui (vt prædixi) senserunt, iustitiam originalem non fuisse re, & substantia vnum habitum, sed omnium virtutum collectionem; & proinde fuisse in multis hominis facultatibus, in quibus virtutes reponuntur, scilicet in ratione, voluntate, & appetitu sensus; quam opinionem supra diximus à quibusdam iudicari probabilem. Secunda opinio est Durandi asserẽtis partim in appetitu sensus fuisse, partim in voluntate. Videtur enim constituere duos habitus, qui ad iustitiam originalem pertinebant, vnum in voluntate, suo imperio mouentem hominem: alterum in appetitu sensus, ductum rationis, & mentis sequenti: ita vt iustitia originalis fuerit duorum habituum complexio. Tertia sententia est Scoti iustitiam originalem in voluntate ponentis: quia putauit esse vnum habitum infusum, quo operaretur homo, quod iustum est, & æquũ iuxta rationis præscriptum. Postrema sententia est sancti Thomæ 1.2.*q.*83. *art.*2. *ad* 2. Alber. 2. *dist.*31. *art.*3. *ad* 5. dicentium, iustitiam originalem in ipsa animæ substantia fuisse, quoniam rati sunt gratiam, & iustitiam

origina-

S. Tho. 3. q. 90. a. 2. ad 3.

Alex. p. 2. q. 90. m. 1. a. 1. & Bona. 2. d. 29 ar. 2. q. 2.

Dur. 2. dist. 29. q. 2. n. 4.

Scot. 2. dist. 29. q. 1.

Sot. li. 1. de nat. et gra. cap. 3.

originalem esse vnum, & eundem habitum, gratiam autem ipsi in anima constituunt, quamuis alij in certa aliqua animę parte, & facultate. Nos verò cum S. Thoma, & Alberto sentimus: nam supra tradidimus, iustitiam originalem, nō esse habitum à gratia re, & substantia diuersum, & hoc cum S. Thoma docuimus. Septimo verò libro cū eodem S. Thoma docebimus, gratiam esse habitū re, à charitate distinctum, & in ipsa anima inhærentem; & proinde si iustitia originalis est idem habitus qui gratia, & gratia in anima sedem habet: consequitur vt iustitia originalis fuerit habitus in anima constitutus, nec mirum hoc est: nā iustitia originalis, fuit donum naturæ datum, ac proinde fuit in ipsa animæ natura repositū: Quāuis dicere quis posset, non fuisse naturæ donum, ideo quod in ipsa animę natura fuerit exceptum, sed quod fuerit toti generi humano in primo parente diuina liberalitate concessum. Deinde, iustitia originalis reddebat totum hominem iustū & rectum: ergo in ipsa animæ substantia sedem habebat. Video posse facilè responderi, iustitiam originalem fuisse habitum ad iustè beneque operandum, & proinde in voluntate constitutū, quæ est iustè & benè agendi facultas: & ita probabilis est Scoti sententia, iustitiam, in voluntate ponentis: sed mihi magis sententia S. Thomæ probatur.

Quartò quæritur, An per quodcunque lethale peccatum iustitia originalis, sicut & gratia foret amittenda? Ambrosius Catharinus asserit, Primò, iustitiam originalem fore solùm amittēdam per esum fructus arboris interdictum: at verò gratiam quocunque lethali crimine perdendam. Secundò, Euam ante esum veriti fructus voluntate, & affectu peccasse, & gratiam amisisse, sed non statim iustitiam originalem: *quia* (inquit) *ante Adæ peccatum non erubuit*. Tertiò, pari ratione, Adamum prius affectu, quam opere peccasse, & ante esum fructus gratiam quidem, non tamen iustitiam originalem perdidisse, non enim erubuit; donec fructum comedit. Quartò, inquit Catharinus, idem futurum fuisse in quibuscunq; posteris, si Adamus iustitiam originalem conseruasset, nam qui ex posteris eius deliquisset, eum gratiā amissurum, non iustitiam originalem. Hæc Catharinus, & ante eum Lyranus in Gen. *cap.* 3. tradiderat, Euam ante peccatum Adæ amisisse gratiam, non iustitiam originalem. Hoc idem Abulen. *in* 3 *cap. Gen. q.* 97. immò Burgensis docet fuisse esum fructus interdictum, non autem cupiditatem, & voluntatem edēdi. Sed hæc omnia pugnant cum communi Scholasticorum doctrina, vt rectè Maior annotauit. Nam etsi Theologi inter se dissentiunt: quibusdam opinantibus iustitiam originalem, & gratiam esse duos habitus, re, & substantia diuersos, & iustitiam prius esse collatam, quā gratiam, alijs verò asserentibus fuisse vnum, & eundem habitum, aut saltem duos, ita tamen, vt iustitia fuerit cum gratia coniuncta, & connexa, tanquam cum causa & principio, ex quo promanabat: omnes tamen conueniunt in hoc, quòd lethale peccatum qualecunque sit, sicut cum gratia pugnat, quam tollit, sic etiam cum iustitia originali: quoniam status hominis cum iustitia originali, est status in innocentia, & integritate naturæ. Innocentiæ verò status is est; cum quis nunquam peccauit, & in integra, quam semel accepit, natura perseuerat; innocēs est, qui nunquam cecidit. Quare quemadmodum fieri nequit, vt virgo, quæ est corrupta, in virginitate permaneat: sic esse non potest, vt qui semel deliquerit, perseueret in innocentia: & vt virgo corrupta potest per veram cordis pœnitentiam, mentis castitatem recuperare, non tamē virgineam corporis integritatem: sic innocens, qui per peccatum innocentiam amisit potest quidem per veram cordis pœnitentiam, postea Dei beneficio, ad diuinam gratiam, cum cæteris virtutibus comitibus charitatis restitui, non tamen ad innocentiam. Nec in hac vita morali amplius originalis iustitia, quæ Deo hominis mentem plenè subijcit, recuperatur, quoniam vt supra tradidimus, licèt ea fuerit idem habitus re, & substantia, qui gratia, id tamen erat, quatenus cum iustitia originali coniungebatur omnium virtutum chorus, & comitatus, & singularis Dei prouidentia, protectio, atq; custodia ad bonum prosequendum, repellendumque malum. Quòd si Eua, & Adamus dum erant innocentes & integri; nihil de nuditate sua erubuerint, id factum diuino consilio est, nimirum vt eorum obedientia probaretur. hoc idem Maior, & Caietanus prodidēre. Obijcies; scripturam solùm ob esum fructus, tanquam pœnam, mortem proposuisse: ergo non quocunque peccato lethali iustitia originalis erat amittenda. Respondeo, ex supradictis, mortis commination̄e fuisse explicatam, quoniam Deus fructum arboris interdixerat homini; nihilominus tamen quodcunque lethale peccatum, quod fecisset Adam, mortem ei, & interitum corporis allaturum foret.

Quintò quæritur, An gratia Adæ cum iustitia originali data, eum redderet filium Dei, adoptione. Aliquorum fuit opinio, iustos veteris testamenti homines, non fuisse filios Dei adoptione, quoniam hoc videtur esse proprium gratiæ Euangelicæ: nam Ioan. 1. dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, & 1. Ioann. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus*: ad Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterū in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater*; & Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit* DEVS *filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt adoptionem filiorum reciperemus*; & paulò pòst: *Misit* DEVS *spiritum Filij sui in corda vestra clamantem Abba, Pater. Itaque iam non est seruus, sed filius*.

Attamen dubitari nulla ratione potest, nec debet, quin iusti veteris testamenti homines, filij Dei, & fuerint verè, & nominati sint: nam gratia, hoc ipso, quòd talis est, cum Deo hominem charitate, & amore coniungit, & copulat; tribuit ius ad gloriam & hæreditatem cœlestem, & proinde diuinæ naturę consortem eum reddit, & bonorum cælestium hæredem. Præterea ad Rom. 9. de illis dicitur. *Quorum est adoptio filiorum*, & Isai. 1. de tota Israelitica gente, *filios enutriui, & exaltaui*; & in Exodo. *Filius meus primogenitus Israel*; & in Psalmo, de magistratibus ac cæteris principibus, qui terras ac plebes sibi commissas gubernant, tanquam DEI vice fungentes dicitur: *Ego*

Mai. 2. dist. 30. q. 1. & Cai. in Genes. ca 3.

Catharin. in Gen. ca. 3. Gen. 2.

Burgen. in additionibus ad Ly. ca 3. in Gen. Mai. 2. dist. 30. q. 1.

Exod. 4. Psalm. 82.

tur: *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* Paulus item ad Galat. 4. *Quamo tempore* (inquit) *hæres parvulus est, nihil differt à seruo, &c.* ad Rom. 8. de omnibus iustis ad cœlestem gloriam electis, in vniuersum ait: *Quos præscivit & prædestinauit, &c.* Objicies; primò, Cur ergo lex vetus vocatur lex timoris, lex seruorum, non autem filiorum? Respondeo, dictam esse legem timoris, quia cum lata est, populum metu perculit, & pœnas in reos constituit. Pari ratione, dicta est lex seruorum, quia metu pœnæ magis quàm charitate seruabatur, nec vi & substantia sua gratiam, & charitatem conferebat: lex verò Euangelica, est, & dicitur lex amoris, quia per eam Spiritus sanctus, qui est fons & origo gratiæ, & charitatis nobis datur, per quem ex charitate seruatur. Dicitur quoque lex filiorum, quia per eam gratia, & charitas conseruetur, quâ tamen lex vetus non præstabat, sed significabat. Deinde, objicies; Veteres Patres Chrysostomum, Cyrillum, Ambrosium, & alios tradidisse, iustos veteris testamenti homines, non fuisse filios veritate, & re ipsa, sed typo, & figurâ. Sic Chrysostom. *ad Rom. 8. in illa verba, in quo clamamus Abba.* Oecumen. *ibidem.* Theophylact. *Ioann. 1.* Illis verbis, *qui non ex sanguinibus.* Cyrill. *in Ioann. lib. 1. cap. 14.* Ambros. *Galat. 4.* in illa verba, *quoniam autem estis filij Dei.* Respondeo, id ideo sanctos Patres docuisse, quò significarent, eos iustos, ex vi, & substantia scriptæ legis gratiam non suscepisse, sed ex fide, & meritis Christi. Demum oppones, in nouo testamento sæpe dici Christum Dominum dedisse credentibus, vt filij Dei sint. Item Christum Dominum sacramenta instituisse, inter quæ, Baptisma regenerat homines; tum tamen scripta lex nullum habuerit regenerationis sacramentum; Respondeo, Christum regni cælestis ianuam patefecisse, & proinde per ipsum modò patere ad hæreditatem cœlestem aditum, qui erat ob peccatum penitus interclusus. Dedit itaque potestatem, vt filij Dei sint, qui credunt in ipsum viua fide per charitatem operante, quoniam iusti nunc decedentes, in hæreditatem, & regnum cœleste, soluti corporibus recipiuntur; cum tamen olim non in cœlum post mortem euolarent, sed imis terræ locis detinerentur inclusi vsque ad aduentum Christi, qui inde eos tandem erutos liberaret. Præterea lex Euangelica constat Regenerationis sacramento, quia Baptisma Christi Domini institutione vim habet, qua homines renascãtur in Christo; at verò ante Christũ nullum fuit sacramentum quod eiusmodi virtutem haberet, quia priscę legis & antiquæ sacramenta, & sacrificia nequaquam vi, & substantia sua, sed ratione fidei in Christum venturum iustitiam, & gratiam conferebant, & proinde homines renascebantur non aliquo illius legis sacramento, sed meritis Christi participatis per fidem quam illi in sacramentis typicè, & adumbratè profitebantur.

Ioan. 1.

Cap. XXXIV.

Quot & quinam fuerint iustitiæ originalis effectus.

Dur. 2. dis. 29. q. 2.

PRIMO quæritur, An primus homo simul cum iustitia originali omnes virtutes acceperit? Durandus negat omnes virtutes morum accepisse, quoniam eæ (inquit) aut versantur in malis purgandis, & depellendis, aut in affectibus refrenandis, & coercendis: sed in eo vitæ statu nulla mala fuerant propulsanda, cum à malis omnibus primus homo immunis esset & liber: nec fuerant affectus animi cohibẽdi, cum nullis planę foret obnoxius. Quare solum iuxta Durandũ, cum iustitia originali susceptę sunt virtutes Theologicæ, & morales, quæ non versantur in malis fugandis, vel in animæ perturbationibus reprimendis, sed in cæteris vitæ humanæ officiis, & actionibus. S. Thomas apertè docet Adamum, cum iustitia originali susceptisse omnium virtutũ moralium habitus: cuius sententia communi Scholasticorum consensu recipitur. Augustinus *in concione ad Catechumenos, contra Iudæos, Paganos & Arianos,* & refertur de Pœnitentia *distinct. 1. ca. Deinceps,* ait: *Cum dæmon videret hominem à Deo factum ex limo terræ ad imaginẽ eius, pudicitia ornatum, temperantia compositum, charitate circundatum, &c.* Damascenus item *libro 2. Fidei orthodoxæ ca. 12.* tradit hominem esse factum à Deo omni virtutum genere exornatum: Præterea Augustinus, Prosper, Fulgentius ac cæteri Patres planè docẽt esse conditum hominem rectum, iustum, sanum, & integrum, quique posset, si vellet, omne bonum præstare. Quare dicere oportet cum iustitia originali collatas esse in Adamum progenitorem nostrum Theologicas virtutes, dona Spiritus sancti, & virtutes morales: Et proinde eum habuisse plenam rerum agẽdarum scientiam, facultatem, & virtutem. Objicies, Pœnitentiam esse virtutem moralem, nec eam accepisse primum parentem, quoniam pœnitentia est odium, & detestatio admissi peccati cum animo, & voluntate satisfaciendi pro iniuria facta Deo: S. Thom. *1. part. quæst. 95. ar. 3.* & Rich. *4. distinct. 14. art. 3 quæstio. 2.* censent Adamum etiam habitum pœnitentię, & misericordię, non tamen actum accepisse, quoniam etsi non peccauerit, prænouerat tamen Deus futurum eius peccatum, & genus humanum mala & miserias contractũrum: vnde si innocentiæ statum semper conseruasset, opera pœnitentiæ, misericordiæ, & patientiæ, non fecisset, quia mali non essent, quæ pateretur, sed quoniam potuit peccatum admittere, & ob id in miserias incurrere & pœnas, ideo habuit virtutes, pœnitentiam, misericordiam, & patientiam. Sed Almainus *4. distinct. 14. quæst. on. 2. ad finem,* putat se hoc fundamentum fortiter euertere; quoniam si præuidebatur Adam peccaturus, præuidebatur quoque eo peccato pœnitentiam amissurus: quorsum igitur ea virtus conferretur, quę erat per peccatum amittenda? Respondent quidam, cæteras quoq; virtutes, quæ vocantur infusæ morales, peccato fuisse deperditas: sed vrget Almainus sita est: excidit quidem homo ab ijs virtutibus, quæ sunt perpetuæ charitatis, & gratiæ comites: sed illæ datæ sunt, quia gratiam in quocunque iusto consequuntur, neque sunt ad peccatum expiandum, sed ad iustum & sanctum hominem reddendum: At verò pœnitentia non est absolutè, & simpliciter cuiuscunque iusti, sed hominis duntaxat suum peccatum admissum detestãtis & plangentis, & pro eo satisfacere volentis legitimè, & ab eo, per charitatem consci

S. Tho. 1. 2. q. 95. art. 3. Albert. in sum. pa. 2. tract. 14. q. 90. m. 4. Alex. p. 2. q. 90. m. 2. ar. 2. §. 2.

entiam

entiam mundantis, quare non est virtus ad statum innocentiæ pertinens. Sed quidquid dicat Almainus, fuit pœnitentiæ habitus in Adamo, quia talis erat à Deo creatus, vt peccare posset, & per pœnitentiæ actum à peccato surgere: ergo accepit, quo posset de peccato, quod poterat admittere, per pœnitentiam legitimè dolere; nec refert, quod pœnitentiæ virtutem peccando amisit, quoniam pœnitentiæ habitus datur homini, qui peccare potest, vt habeat, quo possit odio peccatum prosequi, in quod potest incidere: & sic etiam paruulis baptismate ablutis, vnà cum alijs virtutibus pœnitētia datur, vt habeant virtutem, qua detestari queant peccatum, quod possunt admittere: & quamuis peccando vnà cũ charitate infusam pœnitentiam amittant, quam acceperunt, ac proinde ille pœnitentiæ habitus actum suum producere nequeat, cum per lethale peccatum intereat; alius tamen habitus pœnitentiæ eiusdem speciei & rationis, potest in eis gignere legitimum pœnitentiæ actum, vt rectè docuit Richard. 4. *distinction. 14. articul. 3. quæstion.* 2. Quòd si itidem ab innocentibus, vt multi opinantur, veniale peccatum potest ante lethale committi, tunc per eundem habitum pœnitentiæ, quem acceperunt, & nondum perdiderunt, possunt de peccato veniali dolere, vt idē Rhicardus testatur. Deinde obijcies, in eo statu felicissimo nulla erat futura miseria, ergo nec vlla misericordia; nulli futuri erant mortis metus, terrores, ac pericula, ergo nec patientia, nec perseuerantia: nulla libidinis illecebra, ergo nec castitas, nec temperantia. Respondeo, ideo datas eiusmodi virtutes, vt per eas ea mala procul submouerentur, fugarentur & penitus impedirentur. virtutes enim non solùm malos animi affectus moderantur, & corrigunt, sed etiam præcauent, & impediunt, ne surrepant, & irruant. Et quia oportebat primum hominem esse plenè, & integrè sanum ac rectè compositum; idcirco decuit eum esse omnibus hisce virtutibus ornatum, atque munitum.

Secundò quæritur, Quomodo intelligatur plena, & perfecta primi hominis tranquillitas, qui fuit alius iustitiæ originalis effectus. Theologi respondent; primum parentem nullis animi affectibus fuisse obnoxium: vnde iustitia originalis subijciebat plenè appetitum, & sensus menti, & corpus animæ. Sed quæstio est, qua ratione id fieret, vndeque manaret hæc perfecta tranquillitas, ita vt nulla esset inter mentem & carnem, inter rationem & sensum pugna. Scot. 2. *distinctio. 29. quæstion.* 1. tanquam probabile reliquit dicens, id dupliciter potuisse contingere; vno modo, ita vt caro nihil cõtra Mentem, ac Spiritum concupisceret, & proinde nunquam immodicè cuperet, doleret, timeret, aut lætaretur: Altero modo, ita vt quamuis caro contra voluntatem, & rationem quippiam appeteret, & prosequeretur, voluntas tamen immota intra rationis meras persistens minimè traheretur ad subitas, & repentinas sensus, & appetitus cupiditates; quare licet caro doleret & tristaretur, voluntas tamen gauderet, & lætaretur. Sed longè probabilius alij opinantur, eam tranquillitatem contigisse primo modo: nam reuera si caro contra spiritum concupiscceret, eo ipso doleret, timeret, tristaretur, angeretur, ac alijs id genus affectibus, & perturbationibus vexaretur, & proinde homo esset hisce malis subiectus; at id planè pugnat cum Augustino alijsque patribus: *gratia Dei*, inquit Augustinus *libro quarto, contra Iulianum capit. vltimo magna ibi erat, vbi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat. & libr. 14. de ciuitat. cap. 10. quàm igitur fœlices erant primi homines, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis, tam fœlix vniuersa*, &c. sic Augustin. Præterea, licet carne hæc mala, perferente, fieri posset Dei munere & beneficio, vt voluntas nihil mali sentiret, sese in officio continendo; nihilominus tamen totus homo nondum esset plenè, & perfectè secretus, & liber à malis, & proinde nec perfectè sanus & integer.

Tertiò quæritur, quo pacto per iustitiam originalem fieri poterat, vt homo eo malo careret, quod extrinsecus potuisset accidere, illatum à Dæmone, vel ab homine, vel per causas naturaliter agentes inuectum: fieri enim poterat, vt horrificus sonus, vel teter aliquis odor, vel quippiam aspectu terribile in sensus incurreret; quibus rebus obiectis sensus non possent non commoueri ac proinde appetitus non posset non perturbari. Respondeo: sicut primi parentis corpus erat immortale, nimirum quod posset non mori, si peccatum caueret: & hæc immortalitas corporis partim ex fructu arboris vitæ, partim ex singulari Angelorum custodia, partim ex peculiari Dei protectione, partim denique ex proprio ipsius hominis studio, & cura pendebat: Sic etiam, quod eius sensus, & vires nihil paterentur extrinsecus, id ex custodio Angelorum, ex circumspecta & accurata consideratione ipsius hominis, & denique ex singulari, & eximio diuinæ protectionis beneficio, & munere fiebat; iustitia itaque originalis hominem ex parte corporis reddebat solutum ac vacuum ab omni morbo, corruptione, & malo: ex parte verò animæ, liberum prorsus ab omni ægritudine & perturbatione. Sed quemadmodum illum primum effectum eiusmodi iustitia præstabat, non solùm per intrinseca suscepta dona, sed etiam per extrinseca diuinæ prouidentiæ præsidia: ita & hoc secundum officium eadem iustitia originalis per intrinseca beneficia, & per extrinsecam Dei protectionem & curam explebat. At dices; si iustitia originalis in his, quæ diximus, præstandis, extrinseco Dei indigebat auxilio: ergo ea bona per seipsam non efficiebat. Respondeo: quamdiu homo in iustitia originali constitisset, eiusmodi auxilia Dei extrinseca fuissent homini data, non quidem ex conditione sola naturæ, sed institutione, & beneficio diuino, & quasi pacto quodam: nam talem hominem creauerat Deus, vt si datam sibi iustitiam retineret, & seruaret saluam & integram, prædicta auxilia sibi quasi debita semper in promptu haberet, quibus ab omni malo alienus, & liber esset.

(:)

nat. et gra. c. 5. propè finem.

Thom. 2. d. 29. ex August. lib. de corr. et gra. 12. & c. 26 & libr. de corrept. et. 11.

Can. 1. par. q. 94. ar. 2. sect. 2. de

Cap. XXXV.

Quid boni homo creatus cum solis naturæ viribus præstare potuisset.

Caiet. 1.2. q.109. a.2. Sot. li 1. de natu. & gra. ca.3. & 4. Medi. 1.2. q.109.

VT propositam quæstionẽ diluam, animaduertendum existimo, posse, iuxta aliquorum sententiam, sex hominis status mentis cogitatione concipi: Primus status est quo concipitur homo cum solis naturæ viribus, & dotibus. Secundus quo homo consideratur cum his omnibus, quæ sunt rationi consentanea: Tertius, cum cogitatur homo, vt iustitia originali præditus: Quartus, vt peccato originis infectus: Quintus, vt gratiæ diuinæ post lapsum restitutus: Sextus, vt fœlicitate iam cœlesti donatus. Sed quia nihil ad præsens institutum nostrũ postremus hic status facit: rursus, quia secundus parum aut nihil à tertio distinguitur, ideo satis erit, si quatuor tãtùm hominis status, his duobus prætermissis, mẽtis cogitatione comprehendamus, videlicet, aut cum solis naturæ dotibus ac viribus: aut cum iustitia originali: aut cum peccato originis: aut denique cum gratia post peccatum iam sublatum & extinctum. Tum postea inferiùs docebimus, quid boni possit homo peccato corrupt⁹ efficere: quid item boni in gratiam Dei reuocatus. Quare in præsentia explicandum nobis est, quid boni potuerit homo originali iustitia donatus; & quid item boni posset homo, qui cum solis ac puris naturæ viribus conderetur. Deinde sciendum est secundum Augustinum, Prosperum atq; Fulgentium, contra Pelagianam hæresin disputantes, vt septimo libro docebo, auxilium Dei gratuitum, vel gratiam dici latè: quia gratis, hoc est, citra hominis meritum datur: & hoc modo etiam cõmune, & generale auxilium Dei datum homini ad bonum cogitandum, volendum, & faciendum dicitur latius, non pressius & strictiùs gratia, vel donum gratuitum Dei. Pelagius enim vt constat ex Hieronymo. *dialog. 1. contra Pelagia. & epistola ad Ctesiphontem,* & ex Aug. *lib. de gratia Christi. cap. 3. 4. & 5.* solùm gratiam Dei vocabat naturam hominis gratis acceptam à Deo cum omnibus naturæ facultatibus, aut legem ipsam Dei patefactam hominibus; & hominem dicebat per suam naturam absque alio quocunque Dei auxilio posse omne bonum: ac propterea Augustinus, Hieronymus, Prósper, Fulgentius & Beda docent præter naturam adhuc hominem indigere Dei auxilio, ad bonum cogitandum, volendum, & faciendum: & illud auxilium vocant gratiam Dei siue gratuitum donum, hoc est, auxilium datum à Deo gratis sine merito hominis, quia cum natura, quandiu conseruatur à Deo, habet homo, quo possit bonum præstare, sed non habet, quo cogitet, velit, ac faciat bonum nisi moueatur, & iuuetur à Deo. Scholastici Theologi hoc auxilium datum homini ad bonum moris cogitandum, volendum, & faciendum appellant commune, & generale Dei auxilium, quia omnibus tum malis, tum bonis hominibus dari solet: & ad omnia opera bona tum naturę, tũ moris; sed nihilominus S. Tho. 2. d. 28. q. 1. a. 1. ad 1. ait *gratia aliquãdo latè dicitur ipsemet Deus gratis dãs, & hoc modo intelligitur illud Christi Domini, sine me nihil potestis facere, hoc est, sine me vobis gratis dante, quo bonum faciatis: quasi diceret sine me vobiscum operante.* Altisio. *in sum. li. 2. tract. 11. c. 1. q. 4. Gratia,* inquit, *dicitur latè id, quod gratis datur à Deo, & hoc modo nullum bonum possumus sine gratia Dei, iuxta illud sine me nihil potestis facere.* Bonau. 2. d. 28. a. 2. q. 3. ad 1. *gene rale Dei auxilium,* ait, *dici Dei influentiam gratuitam, per quam cætera conseruat, vt cõpleant operationes suas: & sic intelligitur illud Ioa. 14. sine me nihil potestis facere,* sic ille. Insuper auxilium latissimè sumptũ, vt dixi, est vel speciale, vel commune & generale. Speciale vocant Theologi, quod quibusdam hominibus, non omnibus confertur: & quod datur ad quædã opera non ad omnia: cuiusmodi est, quod dat Deus homini ad præstanda opera gratiæ, vel fidei: siue ad ea, quæ dirigunt ad vitam æternam: siue quæ præparant mentem hominis ad gratiam suscipiendam: quamuis inter Theologos, quidam speciale dicant auxilium, quod homini confertur ad quodcunque bonum moris siue virtutis volendum & faciendũ: ita enim docent Gregorius Ariminensis, Maior & quidam alij iuniores, vt fusius libro septimo explicabo. Hi etenim huiusmodi auxiliũ ideo speciale appellant: quia non est tam generale, quàm est illud, quo Deus cum homine facit opera mala, non quatenus mala sunt, sed quatenus quidam actus sunt: nam facit cum homine bona non solùm, vt bona sunt, sed vt actus sunt; facit quòd bona sint & quòd sint: at cum homine facit mala, quòd sunt, non quòd mala sunt. Quidquid sit de horum Theologorum sententia, de qua libro septimo tractabo, in præsentia satis sit dicere, speciale Dei auxilium etiam vocari quod datur à Deo, ad semper vel diu honestè ac bene viuendum, ad opera ardua & difficilia virtutis facienda: ad magnas & vehementes tentationes vincendas. Præterea auxilium Dei est vel naturale, vel supernaturale. Naturale vocatur, quod datur homini ad faciendum bonum conuenienter naturæ & rationi. Supernaturale verò quod homini confertur ad ea opera præstanda quæ supernaturalia sunt, siue, quæ vim & facultatem naturæ superant. Postremò, duplex est Dei auxilium ad bene agendum necessarium, mouens siue præueniens, & adiuuans siue comitans. Mouens auxilium siue præueniens quod ad intellectum spectat, est cogitatio, qua bonum oblatum cognoscimus, & quicquid ante consensum hominus allicit, inuitat, flectit & mouet hominem ad bonum monendo, docendo, dirigendo: Quod verò ad voluntatem attinet, est motus quo Deus voluntatem mouet, vt bonum velimus, quamuis simpliciter possimus, aut id non velle, aut oppositum velle; siue id efficiat Deus per seipsum suo nutu & arbitratu; siue opera & actione alicuius causæ secundæ naturalis vel liberæ; siue ministerio causæ supernaturalis. Adiuuans siue comitans auxilium est, quo Deus cum homine iam excitato & moto, operatur in volendo & perficiendo bono, siue id bonũ sit honestatis & moris, siue gratiæ: & vtrumque auxilium vocatur, vt dixi, gratia, ideo quòd gratis, & liberaliter detur, hoc est sine vllo hominis merito: & speciale, eo quòd quibusdam non omnibus conferatur, aut quia ad quędam opera, non ad omnia detur, vt speciale sit dictum, quia non consuetum atque commune.

Ioan. 1. 14.

Greg. 2. d. 28. q. 1. a. 1. & 2. Ma. 2. d. 28. q. 1.

Primò

Primò itaque quæritur, Quid boni posset homo præstare, qui cum solis naturæ dotibus ac viribus crearetur à Deo. Quidam putauêre, illum hominem id omne boni posse perficere, quod poterat homo iustitia originali præditus: quia iustitia originalis, inquiunt, nihil aliud fuit, nisi naturalis hominis conditio sana, pura & integra ab omni peccati cõtagione libera. Quòd si illis opponas, indigeret tunc ille homo auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum; Respondent, egeret quidem; sed eiusmodi auxilia tunc temporis præsto essent homini: nam hoc ipso, quòd esset talis institutus, nimirum à peccato solutus, & vacuus, & cum sanis & incorruptis naturæ viribus, iuuaretur à Deo in benè agendo auxilijs mouentibus & subsequentibus: quæ tunc essent homini quasi debita beneficia; non quidem vi & cõditione naturæ, sed institutione, & quasi promissione diuina, qua homo esset purus, sanus, & integer creatus. Verùm communis est omnium Scholasticorum sententia, iustitiam originalem fuisse virtutem vltra naturales facultates homini datam, & proinde fuisse gratuitum & supernaturale Dei donum, & beneficium, ad bonum semper factitandum, & malum fugiendum. Ex quo illud efficitur, vt non quicquid boni poterat homo iustitia originali præditus, id posset cum solis naturæ viribus procreatus. Nam iustitia originali donatus poterat, videlicet per auxilium Dei, ipsi iustitiæ originali consentaneum sensus, & omnes carnis illecebras comprimere, superare, & vincere tentationes, omne virtutis officium diu facere, omne malum cauere, & declinare, vt infra apparebit: quæ quidem omnia solis alioqui naturæ viribus, & per auxilium commune, & naturale, hoc est naturæ consentaneum nequaquam posset, nisi Dei motus, & adiutus auxilio gratuito, speciali, & supernaturali præueniente, & adiuuante.

Secundò quæritur, An status hominis cum solis naturæ viribus conditi, differat à statu hominis peccato originis corrupti? Nec quæritur modò an absolutè, & simpliciter hi status inter se distent: nam alter eorum est peccato liber, alter verò minimè: sed, an possit homo corruptus omne bonum præstare, quod posset alioqui purus, & integer. Qui opinantur iustitiam originalem fuisse naturalem hominis conditionem secretam, & liberam ab omni peccato, docere videntur, plurimùm esse discriminis inter eos duos hominis status: quoniam homini hoc ipso, quod est peccato maculatus, non ampliùs præstò sunt auxilia Dei mouẽtis, & adiuuantis ad officium virtutis, quæ tamen homini puro, & integro non deessent: & proinde homo peccato infectus sine Dei auxilio gratis, & liberaliter dato nihil boni potest efficere; cum id tamen posset homo purus, & sanus. Non quod ex naturalibus, vel internis naturæ principijs, conditionibus & viribus aliquid sit per peccatum detractum; hæc enim post peccatum extincta, aut sublata, aut læsa non sunt, sed integra manent: verùm quòd auxilium Dei mouens, & adiuuans ad bene agendum requisitum ante peccatum, præstò esset quasi debitum hominis ex ipsa institutione, qua purus & integer esset à Deo procreatus: at post peccatum sæpè denegatur, sæpè subtrahitur, & proinde quibus confertur, gratis & liberaliter datur, hoc est, sine vllis hominum meritis, immò potiùs indignis, & malè merentibus: & propterea est in illis beneficium gratiæ; Sic illi. Caietanus, Sotus, & alij Iuniores censent, nihil re differre, sed tantùm ratione, hos duos hominis status. Quemadmodum, inquiunt, homo nudus, & spoliatus idem sunt, ratione tamen distinguuntur: quia quòd nudus vestibus careat, nec culpa, nec pœna peccati est; quòd verò careat spoliatus, aut est peccatum, aut peccati pœna. Sic etiam homo ante, & post lapsum idem prorsus est, ratione tamen diuersus, quoniam antè peccatum, quòd bono aliquo careat, nec est culpa nec pœna; post verò, aut est peccatum, aut pœna peccati. Ex quo deducere videntur, nihil boni posse hominem purum præstare, quod non possit homo peccato vitiatus: quare sicut ille non posset efficere id, quod pertinet ad gratiam, & vitam æternam sine gratuito, & supernaturali Dei munere, ita nec hic. Ac quemadmodum ille posset præstare, quę sunt honestatis, & virtutis, & iuris naturalis, absque auxilio Dei gratuito, & peculiari, motus tamen & adiutus naturali, & communi, quod conditis rerum naturis respondet, & cum ipsis pariter congruit: sic etiam hic. Quemadmodum etiam hic pugna sensus, & rationis vexatur, ita & ille premeretur pugna carnis & mentis, & corporis incommodis lęderetur; quam ad pugnam dirimendam, vterque homo indiget auxilio Dei gratuito & peculiari, ac supernaturali. Hęc sententia non omninò alijs probatur, multis de causis. Primò enim, inquiunt, dubitari non potest, quin teneatur aliquo præcepto homo peccato corruptus, quo præcepto, & lege homo purus solutus esset: nam qui est peccato infectus, si illud propria voluntate contraxit, per legitimam pœnitentiam expiare lege compellitur: si verò aliena voluntate susceperit, ab eo liberari non potest sine gratia, naturam sanante, & sine remedio ad id diuinitus instituto. At verò homo purus, ab his omnibus liber esset, quia omni prorsus peccato careret. Postremò, id probant auctoritate Scoti. 2. *dist.* 29. *q.* 1. *ad* 3. vbi ait in hunc modum: *ad tertium dico quod existens in puris naturalibus non est æqualis ei, qui peccauit existens in iustitia, non quia iste habeat aliquã eurnitatem quam ille non habet, sed quia iste debitor est iustitiæ originalis, quam accepit: ille non: ideo iste est reus, ille non: & si neutri conferatur visio Dei, vni tamen est carentia visionis pœna, alij non est: reus enim priuatur ea propter reatum peccati, alter vero, priuatur ea ex conditione naturæ*, hæc ille. Cæterùm Sotus, Caietanus, & alij id non negabunt: nam præceptum de peccato per pœnitentiam detestando, peccatoribus solis, non innocentibus datum est. Deinde obijciunt, dicentes eam sententiam Soti, & Caietani, minimè cum Augustini, Prosperi atque Fulgentij sententia conuenire, quia planè & perspicuè passim contra Pelagianos tradiderunt, hominem peccato maculatum, esse infirmum & debilem: hominem verò purum non esse infirmum, & ægrotum: & infirmum hominem non posse id omne, quod potest sanus, & integer. Quemadmodum item ægrotus indiget medici opera, & auxilio, quo non eget sanus, ita etiam homo in peccatum

Caiet. 1 2. q. 109. a. 1. & Sot. li. 1. de nat. & gra. c. 3 & 4. Med. 1. 2. q 109.

lapsus indiget Christi ope, & gratia, vt sanetur, cum tamen hac non indigeat homo purus: & docent Theologi, cum Magistro, 2. *dist.* 35. & S. Thom. 1. 2. *q.* 85. *ar.* 1. & 3. hominem per peccatum corruptum, & esse gratuitis bonis spoliatum, & in naturalibus vulneratum ac læsum: Longè itaq; probabilius esse opinantur, hominem peccato vitiatum auxilio egere gratuito, & peculiari Dei mouentis, & adiuuantis ad quodcunque bonum honestatis & virtutis, quia ei tum auxilium mouês: tum adiuuans commune, minimè semper præstò est: quòd si quibusdam datur; gratis & liberaliter datur; cum nec personæ, nec naturæ debeatur: non personæ, quia non est laboris & operis merces, & stipendium; nõ naturæ, quoniam non omnes homines studiosè, & benè operantur; & tamen omnes intelligunt, sentiunt, appetunt, mouentur, nutriuntur, augentur, & crescunt: sicut omnis ignis exurit, & omnis aqua refrigerat. At verò homo purus, ex debitis & datis naturæ beneficijs, & conditionibus haberet, quo posset bene & honestè operari, & ex altera parte præsto illi fuisset Dei auxilium mouens, & adiuuans, quod tunc non esset omnino gratuitum, hoc est, indigno & malè merenti collatum, sed esset naturæ institutioni, quasi ex pacto debitum beneficium, hoc est conueniens, ac in eo statu hominis consuetum & ordinarium. Verùntamen nec vera sunt, quæ dicunt, nec quidquam contra Sotum, & Caietanum concludunt, quoniam facilè respondebunt in homine lapso esse infirmitatem, tanquam peccati pœnam, & effectum, in homine verò puro futuram infirmitatem non peccati pœnam, sed naturæ conditionem: & homo lapsus non potest diu bene operari, & omne bonum facere, ob infirmam naturæ conditionem: & in vtroque homine Dei auxilium mouentis & adiuuantis ad bonum virtutis, esset gratuitum, hoc est sine vllis hominis meritis concessum. Quidquid sit, certè Sotus, & Caietanus, negare non possunt aliquod esse iuris naturalis præceptum, quod homo purus, & sanus posset implere, cum tamen homo lapsus non possit: posset homo purus Deũ plusquam omnia diligere amore naturali, hoc est, vt naturæ auctorem, & finem per auxilium gratuitum quidem, sed naturale, hoc est naturæ & rationi consentaneum, non supernatuale, vt dicam inferius: at homo peccato corruptus nequit huiusmodi amore Deum diligere per solum auxilium naturale sine gratia Dei naturam sanante: eo quòd peccatum quamdiu non deletur, impedit quominus peccator Deum diligat plusquam omnia etiam amore naturali: item sicut hoc præceptum homo lapsus, sine gratia Dei naturam sanante implere non potest, sic nec omnia iuris naturalis præcepta, quia in omnibus illud includitur: at purus homo eo ipso, quo posset Deum diligere plusquam omnia amore naturali absque gratia sanante naturam, posset vniuersa iuris naturalis præcepta complere, quoniam qui diligit Deum pluiquam omnia amore naturali, vniuersam legem naturalem obseruat.

Tertiò quæritur, An homo cum solis naturæ viribus procreatus, pugnam carnis & spiritus, sensus & Mentis pateretur: nam ex vna parte, videtur eiusmodi pugna hominem caritum, quoniam est peccati pœna & effectus: ergo si homo purus esset, ei carnis sensus infesti, & inimici nõ essent. Ex altera parte videtur non defuturam fuisse eiusmodi luctam, quippe quæ ex ipsa natura hominis, & conditione descendit. Siquidẽ homo constat sensu & mẽte, carne & spiritu: caro autẽ & sensus suapte natura feruntur in ea, quæ sunt sibi vtilia, commoda, & iucunda: quæ sanè res sæpenumero rationi aduersantur, quia turpes ac malæ sua natura sunt, vel lege interdictæ. Quibusdam visum est eam pugnam nõ esse futuram, si homo purus absque gratia, & peccato crearetur à Deo: non quòd tam incestinum, & domesticum bellum sola per naturam hominis conditio præcideret, & deleret: sed quòd puræ, & nudæ hominis naturæ, præstò esset diuinum auxilium, quo ea pugna, & contentio dirimeretur, quod quidem illi eo argumento conficiunt, quòd totum hoc malum sit ex peccato contractum, tanquam pœna. Cæterùm vera est eorum Theologorum sententia, qui asseueranter dicunt, in eo homine id plusquam ciuile bellum futurum, quoniam ex ipsis hominis principijs ortum habet. Ita docent Marsil. 2. *quæstion.* 18. *quæstio.* 1. Sotus *libr.* 1. *de nat. & grat. cap.* 3. Cãie. 1. 2. *quæst.* 109. *artic.* 1. Medin. 1. 2. *quæst.* 109. *artic.* 1. & ante eos Scot. 2. *dist.* 29. *quæst.* 1. *ad* 1. Nec tamen quippiam obstat, quod sit ex peccato susceptum. Siquidem homo est cum iustitia originali conditus, quæ eam litem, & contentionem diuina ope, & munere componebat, & sedabat: & proinde iustitia per peccatum deperdita, pugna, quæ alioqui naturalis est hominis conditio, facta est pœna peccati: quemadmodum etiam mors corporis, peccatum subsecuta est tanquam primi peccati pœna, & effectus, & tamen mors quoque ex naturali hominis conditione contingeret: esset igitur ea pugna in eo homine non peccati pœna, & effectus, sed naturæ conditio. Illi verò primi auctores respondent, idem esse dicendum de huiusmodi pugna, quod de morte corporis: aiunt enim, vtramque ex naturali hominis conditione prouenire; & proinde non posse hominem per naturam solutum, & liberum esse à morte, aut pugna: vtrumque verò esse Dei donum, & beneficium collatum in hominem in prima sua institutione; Et proindè si purus, & solutus ab omni peccato cum solis naturæ dotibus permaneret, alienus, inquiunt, proculdubio tunc esset, & à pugna, & à morte; non quidem ex ipsa naturæ conditione, sed Dei dono, & munere, debito quidem, hoc est conuenienti, non naturæ per se, sed institutioni diuinæ, qua talis est homo creatus, vt posset, si vellet, ex sibi datis, & concessis à Deo præsidijs non peccare, & proindè non mori, nec infestis, & aduersis corporis sensibus oppugnari: nam eo ipso, quo poterat non peccare, poterat quoque non mori. Et propterea censent, mortem corporis, & pugnam sensuum cum ratione absolutè, & simpliciter esse pœnam peccati; quia licet ex naturę conditione conueniant homini, quatenus tamen ab omni vitio, & peccato purus, & vacuus conderetur, hisce malis careret; ergò per peccatum, in ea mala, & miserias incurrit. Sed quonam pacto homo, qui est à Deo conditus, ex sibi collatis au-

Teste Marsil. 2. q. 18. ar. 1. & ita sensit Hen. quodlib. 8. q. 11.

Sic Henr. quodlib. 8. q. 11

xilijs posset si vellet, se cõtra mortem & pugnam tueri? Respondent illi, hoc ideo esse, quia posset ex donis, & beneficijs acceptis benè semper agere, & ex auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum, honestè ac benè viuere, quod auxilium esset hominis institutioni debitum, hoc est conueniens: ac propterea si se in eo virtutis officio contineret homo: tunc absque morte ad cœlestem patriam, & vitam æternam per Dei gratiam transiret, cum qua nec mors, nec pugna carnis cũ mente esse potest. Ergò iustitia, dices, originalis supernaturale donum non fuit, siquidem ex puris naturæ dotibus homo nullam inter sensum, & mentem pugnam sentiret, mortem corporis non subiret. Respondet Henri. *quodli. 6. q. 11.* originalẽ iustitiam supernaturale donum fuisse, quia dabat homini, quo posset, non peccare, quo posset in bono accepto permanere, si vellet, in quo si perseueraret, naturaliter indè fieret, vt non moreretur, quia esset naturæ hominis debitum, vt viueret quandiu peccati expers est. Sed quidquid sentiat Henricus dicendum existimo; absolutè & simpliciter, homo etiamsi crearetur purus, sanus, & ab omni peccato vacuus, & liber, non posset morte corporis, & pugna sensus cum mente carere fine diuino beneficio, & munere gratuito speciali, & supernaturali: neque enim illud donum est naturæ debitum, nec ex vi vlla naturali contingere potuit.

Theologi in 2. d. 23.

Quartò quæritur, An voluntas rationis particeps possit à Deo creari, quæ per naturam suam peccare nequeat? Sancti Patres perspicuè tradiderunt, non posse naturam vllam esse, quæ sine Dei auxilio gratis, & liberaliter dato omne peccatum vitare, & cauere queat. Anselmus certè in *libro 2. Cur Deus homo cap. 10. Creatura*, inquit, *iustitiam à se habere non potest* (deindè subiungit.) *Homo ille Deus erit, qui omne bonum, quod habebit, à se habebit.* Rursus cum discipulus quæreret, cur tales non fecerit Deus Angelos, & duos primos parentes, vt peccare non possent? Respondet: *Quia non potuit*, inquit, *nec debuit, vt vnusquisque eorum esset, idem ipse, qui Deus.* Augustinus item *libro aduersus Maximinum 3. c. 12. Cuicunque creaturæ rationali præstatur, vt peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ, ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cuiusquam gratia, sed natura, nec potuit nec potest aliqua conuersione mutari, nec potuit, nec poterit aliqua mutatione peccare.* Hieronymus *in Dialogo primo aduersus Pelagianos: sine peccato*, inquit, *esse perpetuò, diuinæ salutis est potestatis.* Idem *in epist. ad Damasum de filio prodigo*, propè finẽ ait: *solus est Deus, in quem peccatum non cadit: cæteri, cum sine liberi arbitrij, in vtranque partem possint suam flectere voluntatem.* Damascenus *libr. 2. fid. orth. cap. 12.* ait: *fecit Deus hominem sine peccati labe, & contagione: sed peccati capacem, nemo enim præter Deum extra peccandi aleam est.* Item cum de Angelis loqueretur, docet eos natura ita comparatos, vt ad malum ægrè moueri, non tamen omninò, vt non moueri possint: nõ à natura, sed ab Spiritu sancto habent sanctitatem, nec eorum naturæ, sed gratiæ tribuendum est, quod bono semper adhæreant. Nunc verò ea iam conditione esse, vt ne vnquam quidem moueri, & inflecti queant: quòd tamen non eorum naturæ, sed gratiæ, eique, qua Deo vnicè bono adhærent, constantiæ tribuitur. Demum Basil. *in Psalm. 32.* explicans illa verba: *verbo Domini cœli firmati sunt.* Nazian. *oratione 44. quæ est in sanctam Pentecosten* planè scripserunt, Angelos non esse sua natura sanctos, & iustos, sed Dei gratia. & Ambrosius *libr. 1. cap. 1. in Lucam* ait, *ita nec ab initio immaculata humanæ enim hoc impossibile est naturæ sed per Dei gratiam est.* Hæc Patres.

Damasc. lib. 2. orth. fid. cap. 3.

Inter scholasticos verò tres video opiniones. Prima est asserentium, non posse fieri, nec creari voluntatem rationis participem, & liberam in tanta perfectione, vt sit per naturam absque gratia Dei sancta, & iusta: quam sententiam defendunt veteres Theologi S. Thom. *part. 1. quæst. 63. ar. 1. & 2. dist. 23. q. 1. ar. 1.* Richar. *in 2. d. 23. ar. 1. q. 1.* Aegid. *2. d. 23. q. 1. ar. 1.* Argen. *2. d. 23. q. 1. ar. 4.* Bonau. *2. d. 24. a. 1.* eamque & ipse Scotus approbat *in 2. d. 23. q. 1. versi. Dico igitur ad quæstionem, ob Patrum tamen testimonia.* Eo verò in primis fundamento nituntur huius sententiæ Doctores, quoniam omnis substantia creata, si per se consideretur, & est ex nihilo, & in nihilũ, ex quo condita est, recideret, nisi conseruaretur, & teneretur à Deo: ergo nisi fuerit excitata diuinitus, & adiuta, ab omni peccato declinare non potest. Præterea, nulla potest esse voluntas creata, quæ sit sibi bene agendi norma, & regula. Item, omnis voluntas creata est libera, & potest in vtranque partem flecti, & moueri, ergo auxilio indiget Dei gratis, & liberaliter præuenientis, mouentis, & adiuuantis, vt se potiùs in hanc partem bonam, quàm in malam inflectat. Secunda opinio docet, posse voluntatem creari, quæ necessario bonum velit, & amet, ac proindè, quæ per naturam suam peccare nequeat: estque Gabrielis, Maioris, & aliorum; quam sententiam illi his colligunt argumentis. In primis, quemadmodum intellectus circa prima principia, tum rerum agendarum, tum speculandarum errare non potest: sic etiam posset Deus voluntatẽ creare, quæ ex naturæ necessitate semper bonum appeteret, & prosequeretur. Præterea sicut non possumus velle esse miseri, aut nolle esse beati; ita posset creari voluntas, quæ semper vellet ex suæ naturę conditione bonum, & semper malum respueret. Huc accedit, quod appetitus sensus natura sua sensum sequitur; posset ergò fieri appetitus rationis, qui semper per naturam suam ratione duceretur, ita vt semper bene iuxta rectæ rationis præscriptum factitaret. Deniq; nihil repugnat, quin possit creari voluntas, quæ per naturam habeat plenam benè agendi notitiam, secundum quam necessariò operetur. Tertia sententia est Durandi, distinguentis, posse quidem voluntatem à Deo creari, quæ vi suæ naturæ peccare nequeat in naturæ bonis, non tamen in bonis fidei, & gratiæ, quæ supra naturam sunt: idem videntur sensisse *Cap. 2. d. 22. quæst. 1. artic. 3. ad 1.* Cai. *1. par. quæst. 63. artic. 1.* & S. Thom. *de mal. quæst. 16. articu. 3.* Vtrunque Durandus concludit hoc argumento: quia potest, inquit, condi voluntas, quæ circa naturalia plenè perspiciat, quid sit agendũ, quid fugiendum, & quæ ad rationis, & naturæ bonum necessariò feratur: at verò fidei, & gratiæ bona, per naturam nec cognosci, nec præstari queunt. Sunt qui dicant scholasticos harum duarum opinionum auctores, cum Patribus supra citatis pugnare.

Galv. 2. d. 22. q. 1. a 2 Maio. 2. d. 23. q. 2. cõclus 5 Holcho. 2. d. 2. q. 1.

Dura. 2. d. 23. q. 1. n. 8.

Inter has opiniones prima est amplectenda. Quod vt pleniùs,& apertiùs ostendam, animadvertẽdum puto, non sufficere, si respondeas cum secundæ, vel tertiæ opinionis auctoribus, Patres solùm locutos esse de naturis creatis, non autem de ijs, quæ creari possunt: nam apertè docent, id nequaquam posse fieri. Item, nunquam peccare manifestè testantur Patres, non esse naturæ, sed gratiæ Dei: at quod solius est gratiæ diuinæ, nemini potest per naturam conuenire. Quare ad primam sententiam perspicuè, & planè intelligendam sciendum est, Patres cum scholasticis nõ admodum dissidere. Nam Patres appellatione naturæ accipiunt liberam voluntatem creatam, & conseruatam à Deo cum solis internis principijs,& viribus, & carentem omni extrinseco auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum agendum,& gratiam Dei vocant omne auxilium, quo voluntas,præterquam quod est creata,& cõseruata,indiget,vt velit, & faciat bonũ:nam creata, & conseruata à Deo adhuc indiget Deo mouente,& adiuuante ad bonum volendum,& faciendum,quod auxilium,vocant Dei gratiam, hoc est gratis & liberaliter sine vllo merito hominis datum. & ideò aiunt nullam voluntatem creari posse,quę per naturam suam omne peccatum deuitare queat: hoc est, quæ præter beneficium, & gratiam creationis,qua crearetur,& conseruaretur à Deo,non indigeat etiam gratuito alio auxilio Dei mouẽtis, & adiuuãtis ad bonum agendũ, & malum vitandum: quod verissimum est. Scholastici verò nomine naturæ intelligunt voluntatem creatam non solũ internis facultatibus præditam, sed Dei auxilio generali, & consueto ad agendum subnixam, & ad bonum se necessariò non liberè mouentem. Et propterea,docent,posse voluntatem procreari ad bonum naturaliter propensam, quæ Dei communi auxilio,eius conditioni,& institutioni consentaneo, & conuenienti, posset ab omni peccato libera, & immunis esse. Sicut,inquiunt,similiter Patres tradiderunt, nihil posse creari, quod sit per naturam suam immortale,sed per gratiam Dei: quoniam nihil fieri potest, quod etiam postquam creatum fuerit, per seipsum, ita sit,vt Deo gratis conseruante nõ egeat. Quemadmodum enim quod factum est, aut fieri potest,non à seipso habet,aut habere potest, vt sit: ita etiam nisi Deus illud conseruaret, prorsus esse desineret;sicut nec inciperet esse, nisi à Deo fieret. Quod si illis objicias, Angelos,& multa alia à Theologis,& Philosophis appellari res suapte natura ab interitu alienas;cum tamen naturalia cætera fint propè innumera,in quo interitus cadat. Respondent, esse quidem res quasdam,quæ tum ex principijs internis interire queunt,tum vi aduersa, & contraria agentis naturalis extrinseci,cuiusmodi sunt res naturales ex cõtrarijs compositæ: alias verò esse, quæ nequeunt ex principijs internis perire; quæ idcirco dicuntur per naturam suam ab interitu secretę,& liberæ, vt sunt Angeli, & animæ rationis participes. Cæterùm non ita sunt immortales per naturam suam,vel per se, vt Deo conseruante non egeant, à quo quidem, nutu, & arbitratu suo in nihilum redigi possunt. Si illis rursus opponas, debitum esse huiusmodi naturis auxilium,quo conseruentur,ex quo semel extiterunt. Respondent,esse debitum quidem tale auxilium,non tamen naturæ, & conditioni ipsarum intrinsecè, sed institutioni ac legi Dei,qua tales voluit condere,vt perpetuò permanerent,ac nunquam deficerent: & propterea quod perpetuò durent, ac duraturæ sint, nequaquam sine Deo ex eorum natura, & cõditione prouenit,sed ex lege,& institutione Dei,qui voluit, vt inciperent aliquando, ac vt nunquam, durante, & constante primæ institutionis, & naturæ ordine, desinerent esse; nihil enim quod est procreatum à Deo,potest per naturam suam,vel per se sine Deo ipso conseruante consistere. Pari modo,inquiunt,nulla voluntas potest creari,quę non egeat Deo, & mouente,& adiuuante ad bonum,præsertim si ad bonum,& malum libera relinquatur. Imò etiamsi crearetur ad bonum necessariò propẽsa,& erga bonum benè, & optimè affecta, indigeret adhuc & mouente,& adiuuante Deo ad bonum perspiciendum, volendum, & prosequendum: nulla enim voluntas est, aut esse potest creata,quę in bene agendo non egeat Deo, vel per seipsum, vel per alias causas naturales, aut supernaturales,& bonum proponente,& offerente, & volente, vt fiat, & ad illud iuuante. At inquies, hoc solùm pertinet ad auxilium Dei generale, quem Theologi concursum Dei consuetum, & communem appellant,naturis, & rebus creatis consentaneum,& conueniens. Respõdent; siue appelles generalem concursum, siue specialem, hoc vnum esse verum, extrinsecum Dei auxilium non esse ex naturalibus,& internis rei principijs, & conditionibus,nec ipsis simpliciter, & absolutè ex debito reddi, sed esse ex voluntate Dei,& soli eius institutioni,legi,& ordini à se constituto, iure conueniens. Potest enim Deus voluntatem creare, ita vt statuat eam semper suo auxilio ad bonum mouere, & adiuuare. Deindè objicies, non esse opus, vti Deus per seipsum bonum proponat, & offerat voluntati; siquidem potest id ministerio causarum secundarum naturalium efficere:at quod opere, & ministerio huiusmodi causarum fit, id naturaliter fieri perhibetur. Respõdent,hoc nihil referre,quia siue per seipsum Deus,siue per alios administros, & causas id præstet, diuini est muneris & prouidentiæ,qua sic omnia gubernantur,& dirigũtur, vt id fiat, quod voluit, atque constituit, vt fieret. Ex quo efficitur, vt Scholastici Theologi prædicti cum Patribus hac in parte non pugnent, vt quidam calumniantur,& verum sit,fieri nõ posse voluntatem à Deo,quæ siue per habitum,siue per formam aliam inhærentem ita sit in bono confirmata,vt nullo amplius indigeat auxilio Dei mouentis,& adiuuantis ad bonum: quoniam quicunque habitus, & forma creata in agendo; indiget Deo volente,vt agat,& adiuuante,& vnà cum ea operante. Ex dictis etiam perspicitur,quamcunq; voluntatem, etiamsi quasi ad manum sibi habeat ad bene agendum,auxilia Dei præuenientia, siue mouentia, egere nihilominus auxilio Dei adiuuante,& vnà cum ea operante. Si roges, qua ratione fieri queat per diuinam gratiam,vt voluntas creata peccare non possit. Respondeo,præter voluntatem humanam Christi Domini, quæ per admirabilem cum verbo diuino coniunctionem

fingu

singulariter habuit, vt peccare non posset; & præter voluntatem beatorũ spirituum, & mentium, quæ per beatitudinem habent, vt amplius peccare non possint, creata voluntas per diuinam gratiam, & opem habere potest, vt peccare nequeat; si Deus ita ad bonum semper moueat, & iuuet, vt voluntas bonum necessario velit, & faciat, & in malis deneget, & subtrahat suam operationem, qua solet cum hominibus operari actus malos, non vt malos, sed vt actus.

S. Tho. 1. d 23. 1. a. 1. Bonau. 2. d. 28. a. 1 q. 1. Aegid. 2. d. 23. q. 1. a. 1. Rubio. 2. d. 23. a. 1 q. 1.

Ex quibus omnibus manifestum est, rectè concludere eos veteres Theologos, qui probant, ideò liberam voluntatem creatam non esse, per naturam à peccato solutam, ac liberam, quia hoc ipso quod creata est, cum sit ex nihilo condita, per se deficere potest: hæc enim ratio (quamuis eam quidam oppugnent) firma est in hunc modum: Sicuti res creata, nisi conseruetur à Deo, desinit esse, ac proindè præter beneficium creationis, indiget auxilio Dei conseruantis; sic libera voluntas creata, etiam dum conseruatur à Deo, in volendo, & agendo deficiet, & aberrabit à recto; nisi moueatur, & iuuetur ad bonum à Deo: Et ideo præter beneficium creationis, & conseruationis, quo accepit, vt existeret, & perpetuò accipit, vt sit, indiget alio auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum: nam quemadmodum nihil sumus, nisi Deo dante, & conseruante, vt simus; sic nihil boni cogitamus, volumus, aut facimus. Omnis enim natura, omnis actio, omnis motio hoc ipso, quòd bona est, habet à Deo, & quòd sit, & quòd bona sit. Patres communi consensu docent; nullam posse voluntatem creari, quæ per suam naturam habeat, vt peccare non possit. In triplici sensu locum habet eiusmodi communis Patrum sententia. Primo, quia nulla potest creari voluntas, quæ si ad bona fidei, & gratiæ, & finem supernaturalem destinetur, per naturam habeat, vt in illis deficere peccando non possit: quod est dicere: non potest creari voluntas, quæ si habuerit præcepta fidei, spei, charitatis, & alia ordinis supernaturalis, talis naturæ sit, vt per seipsam in illis bonis stare semper queat. Secundo non potest creari voluntas, quæ si habuerit præcepta positiua Dei etiam, quæ ordinem naturalem non superent, illa semper per naturam suam sine gratia Dei seruare, & implere valeat. Fingamus à Deo creari Angelum cum solis naturæ dotibus, is posset à Deo habere multa mandata, quæ nec sint iuris naturalis, nec ordinis supernaturalis, hoc est, quæ non sint fidei, & gratiæ, vt si ei præciperet Deus; Custodias hunc, vel illum hominem; Hunc vel illum locum, vel hoc, aut illud corpus ad certum tempus loco moueas. Hæc & alia similia mandata Dei, non posset ille Angelus per solam naturam suam semper præstare, & implere. Posset Deus non solùm ei hæc, sed alia multa plura mãdata dare, ita vt Angelus plus se, quam fas est, diligendo, posset illa prætermittere: & proinde contra illa præcepta peccare. Et hoc est, quod Theologi multi Scholastici dicunt. Omnis voluntas creata, quia eo ipso, quo creata est, superiorem Deum habet, cuius legi, & imperio subijcitur, talis est suapte natura, vt per seipsam in omnibus superioris Dei impositis præceptis semper se conseruare, & continere non possit. Tertio, Nulla voluntas creari potest, quæ etiamsi iuris naturalis tantum præcepta haberet, per suam naturam solam sine auxilio generali DEI mouentis, iuuantis, & cooperantis posset illa complere.

Cum his non pugnant ea, quæ tradiderunt S. Thom. *de Malo. quæst. 16. art. 3. & art. 2. ad 5. & ad 17.* & Duran. *2. dist. 23. quæst. 1. num. 8. cap. 2. dist. 22. quæstion. 1. artic. 3. ad 1.* Caietan. *1. part. quæst. 68. articul. 1. versiculo. Circa consequentiam*, docentes, posse creari voluntatem rationalem siue intellectualem, quæ peccare non possit in ijs, quæ sunt legis, siue iuris naturalis. Nec pugnant, quæ docuerunt Ocham, & Gabr. *2. distinct. 23. quæst. 1. art. 2.* Maio. *2. distinct. 23. quæst. 2. conclus. 5.* Holchot. *2. distinct. 23. quæst. 2.* videlicet, posse creari voluntatem, quę necessario bonum iuris naturalis velit, & amet, & proinde circa illud bonum non possit per naturam suam peccare.

Quintò quæritur, An homo cum solis naturæ dotibus procreatus, posset per naturam suã promereri vitam æternam? Quidam sensêre, eum posse, duplici ratione permoti. Primùm, quia putant hominem per omne opus honestè factum, studio & amore faciendi, quod lex ipsa, & recta ratio iubet, vitam æternã mereri, nisi fuerit peccati labe & sordibus inquinatus: sicut per omnè lethale peccatum, sempiternum supplicium promeretur. Altera ratio est: Si homo absque peccato, & gratia esset, per naturam posset benè, & honestè operari: & tunc, inquiunt, vita æterna esset simpliciter merces, & iustitia; non gratia debita bonis operibus ex gratia adoptionis profectis: nũc enim est quidem merces bonorum operum, sed non nisi in iustis hominibus per gratiam Dei à peccato sanatis.

Cæterùm hæc sententia Pelagianismum sapere videtur. Pelagius enim docebat liberum arbitrium per naturam suam posse præstare, & bona opera virtutis ac moris, & vitam æternam promereri. Contra quem multis, ijsque firmissimis scripturarum testimonijs, & rationibus Hieronymus, Augustinus, Prosper, Fulgentius, & Beda cõprobarunt, vt libro septimo docebo; fieri nõ posse, vt per bona opera vitam æternam promereamur, nisi facta sint ex gratia Dei. Alij verò existimarunt, hominem per omne quidem opus virtutis, quod facit, vt rectæ rationi, & legi pareat, vitam sempiternam mereri, sed Dei auxilio indigere; tale tamen, inquiunt, diuinum auxilium homini præstò semper esset, vt debitum, si absque peccato cum solis naturæ conditionibus crearetur: putarunt enim illi ob primi parentis peccatum, hoc auxilium homini denegari, & subtrahi, & gratuito conferri ijs, quibus confertur. Verùm huius quoque sententiæ vtrunque fundamentum communi Theologorum consensu conuellitur. Neque enim honestum opus, quod facimus, vt rectæ rationi, & legi obediamus, si Dei gratia carea mus, vita æterna dignum est: neque auxilium Dei ad honestè, & benè semper vsque ad exitum, & finem vitæ operandum, soli hominis naturæ, & conditioni debetur, cum non sit aliquid intrinsecum, quod ad naturalem hominis conditionem pertineat. Ideò alij dixerunt, per omne opus ho-

nestum, hominem vitam sempiternam promereri, & requirere Dei auxilium; veruntamen illud non soli, & puræ hominis naturæ deberi, vt ipsi naturæ conueniens, sed institutioni, ac legi Dei; quod perindè est, ac si dixissent: si homo cum solis naturæ facultatibus cõderetur, posset quidem nõ per solam naturam, sed per Dei auxilium honestè operari, quo vitam mereretur æternã, atq; hoc auxilium prẽsto homini esset tanquam debitum, aut conueniens, non quidem humanæ naturæ, sed diuinæ institutioni, legi, & ordini, quoniam pœna est peccati, quod id homini denegetur: & ex altera parte diuina promissio est, vt qui legem, siue mandata Dei seruat, vitam æternã consequatur. At verò certa est Theologorum sententia, ad vitam sempiternam promerendam requiri in homine, siue in Angelo gratiam adoptionis, sine qua opera bona quamuis studio, & causa colendæ virtutis, & legis seruandæ fiant, vita perpetua, & cœlesti hæreditate digna non sunt, tametsi aliquid temporarium promereri queant. Nam vitam æternam promisit Deus facientibus quidem ipsius mandata, sed ex gratia & charitate, *sine qua* teste Paulo, *etiam si quis corpus suum tradiderit, ita vt ardeat, vel dederit cuncta quæ habet, nihil prodest*: quod ex scripturis facilè, & perspicuè Patres, & Theologi collegerunt. 1. Cor. 13.

Sextò quæritur, An homo solis cum naturę dotibus procreatus ea posset, quæ sunt Fidei arcana credere, & sperare? Respondeo, Pelagianos tradidisse, esse quidem Dei gratiam quòd creati simus, quòd liberum habeamus arbitrium: quam gratiam illi, Gratiam creationis appellabant: esse itidem gratiam Dei, quòd nobis sint Fidei arcana patefacta, quam vocabant gratiam fidei, & reuelationis, & doctrinæ: cæterùm quòd reuelata credamus, & speremus, nequaquam esse diuinæ gratiæ, sed naturæ. *Hoc enim* (aiebant) *potest liberum arbitrium præstare per naturæ vires, vna cum ipsa natura à Deo accepta siue alio quocunque auxilio Dei mouentis, & adiuuantis voluntatem ad credendum & sperandum.* At enim Augustinus *tract. 5. & tract. 8 in Ioann.* Hieron. *dialog. 1. contra Pelag. & in epist. ad Ctesiphontem.* Prosper. *in Epist. ad Demetriadem, quæ est apud Ambrosium 84.* Fulgen. *libr. de incar. & gratia Christi, cap. 24.* Concil. Arausi. *Can. 9. & can. 22.* ex scripturis luculenter & apertè deduxerunt, hæc bona nequaquã posse per naturam suam liberum arbitrium, nisi Dei ope speciali, & supernaturali, sic enim eos intellexisse puto, excitatum & adiutum: etiam si homo nullo crimine teneretur obstrictus. Ita vt non solùm sit diuini muneris & gratiæ, mysteria & arcana Fidei homini vel Angelo patefacere, sed etiã sit diuini, & supernaturalis auxilij, quòd intellectus reuelatis à Deo rebus assensum præstet. Neque enim per Fidem assentitur nisi quatenus ea dicuntur à Deo: at nemo credere aliquid, vt dictum à Deo potest, nisi diuino testimonio intellectus moueatur: nec intellectus diuino testimonio motus credit, nisi voluntas quoque ipsa peculiari & supernaturali Dei auxilio excitata, moueatur ad credendum: Sic etiam homo bona æterna & cœlestia, vt diuinitus promissa, & DEI auxilio obtinenda sperare nequit, nisi Dei supernaturali auxilio motus, & adiutus.

Quidam tamen aiunt: Posset homo eiusmodi bona si cum solis naturæ viribus conderetur, nõ quidem per naturam solam, sed Dei mouentis, & adiuuantis ope & auxilio fultus, quòd tunc ipsi hominis conditioni puræ & integrę omni peccato carenti daretur vt debitum; vel, vt alij dicũt, quòd Dei institutioni, qua hominem procrearet, debitum esset. Nunc enim, ob primi parentis delictum, indigno, & malè merẽti gratis datur. Sed prior sententia est omnino tenenda & amplectẽda. Nam auxilium diuinum ad credendum, & sperandum, supernaturale est, nec datur ex merito, siue ex debito.

Septimò quæritur, Num homo si cum solis naturæ dotibus crearetur, posset sola naturæ vi & facultate honestè operari, ac viuere? Pelagiani dixẽrunt; Posse, si sic conderetur; Ita vt diuinæ quidem gratiæ esset, quòd libera voluntate & arbitrio præditi essemus; verùm, quòd honestè & studiosè ageremus, naturæ esset nostræ, non gratiæ diuinæ; hoc est, non gratuiti Dei auxilij & muneris, videlicet sine merito hominis dati. Pelagius enim, vt dicam inferius in septimo libro, cum de gratia diuina tractabo; præter alia, in hoc etiam errauit, liberum arbitrium dicens, dum conseruatur à Deo, posse bonum virtutis, sine alio quocunque auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum. Cæterùm præcitati patres euidentibus scripturæ testimonijs concluserunt, nihil bonæ inditam sibi naturam liberũ arbitrium posse nisi DEI auxilio motum, adiutum, & fultum. Nam Christus dixit: *Sine me nihil potestis facere*; & Paulus, *Quid habes quod non accepisti?* iterumque, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis*; & alibi, *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*; & Iacobus, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, &c.* Ioannes item, *sine ipso factum est nihil.* Quibus omnibus scripturarum testimonijs Pelagius conuincitur, præter naturam humanam acceptam à Deo, quam ille Creationis gratiam vocabat, hominem indigere auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum; quod auxilium Hieronymus, Augustinus, Prosper, & Fulgentius & Beda gratuitum vocant, hoc est, sine vllo merito hominis datum à Deo, siue sit ad opera bona supernaturalia, siue ad opera honesta rationi & naturæ consentanea. Quanquam inter Scholasticos Theologos, quidam illud auxilium Dei commune, & generale vocent: tum quia datur omnibus probis & improbis, Christianis & Paganis: tum quia datur ad bona opera naturæ, & rationi consentanea. Alij vero vt Gregorius, & Capreolus, & Maior speciale illud appellare maluerunt; quia distinctum ab eo quo Deus cum homine facit actum malum, non vt malum, sed vt actum. Omnes tamen contra Pelagium conueniunt; illud auxilium necessarium ad benè cogitandum, benè volendum, benè operandum; & esse gratuitum auxilium, hoc est, sine vllo hominis merito dari, nec esse supernaturale, quia datur ad opera naturæ, & rationi consentanea, non supernaturalia. De qua re fusiùs libro septimo disputabo. Ioann. 15. 1. Cor. 4. 2. Cor. 3. Act. 17. Iacob. 1. Ioann. 1.

Octauò quæritur, An homo absq; peccato, gratia, & iustitia cõditus, posset per solas naturæ vires omne peccatum deuitare? Pelagiani quoque

docebant

docebant: Si sic homo crearetur à Deo, posset per naturam quidem ab omni peccato declinare, quòd est contra honestatem, & legis siue iuris naturalis præcepta; ea verò peccata, quæ sunt contra Fidei mandata, posset per solam naturam cauere, si gratia Dei semel forent Fidei mysteria patefacta. Verùm & hoc Pelagianum dogma egregiè est à Patribus, & Concilijs confutatum. Quidam ita respondent, posset tunc temporis homo omne peccatum vitare, non quidem sola naturæ facultate & præsidio, sed Dei peculiari auxilio, quod quidem auxilium, vt fatentur, conditioni hominis deberetur, si pura, si peccati expers crearetur, si absque omni peccato consisteret; nunc verò ob peccatum primi parentis, merito denegatur. Aut (sicut tradiderunt alij) hoc diuinum auxilium ad omne peccatum declinandum, naturæ quidem hominis puræ non deberetur, verùm ipsi institutioni diuinæ, si purus homo, & integer, cum solis naturæ viribus conderetur. At communis Theologorum sententia docet; esse gratuiti muneris, & auxilij diuini, hoc est, sine vllo ipsius hominis merito collati, quòd homo cum solis naturæ viribus ac dotibus posset omne peccatum defugere; ad hoc enim egeret, & Dei mouentis & adiuuantis beneficio, quo agenda perspiceret, cogitaret, vellet, ac faceret, & fugienda cognosceret, odisset, atque respueret; hoc est, non posset per solam naturam sine Deo gratis mouente, & adiuuante ad bonum: tunc enim solum haberet homo gratiam creationis, si nullum aliud præterea Dei auxilium acciperet. Sed dubiæ quæstionis est, an posset per auxilium diuinum gratuitum quidem sed commune & naturale, hoc est naturæ hominis cõsentaneum, non super naturale. Respondeo vt ex quæstionibus statim sequentibus cõstabit; posset, dummodo tum nullum iuris supernaturalis præceptum haberet, sed tantùm iuris naturalis: at verò illud auxiliũ, speciale potiùs, quàm generale iuxta quosdam fuisset, quoniam quibusdam, gratis, non omnibus daretur hominibus, videlicet non ijs, qui contra leges & iura facerent: & esset distinctum ab eo per quod Deus cum homine facit opus malum, non quatenus malum, sed vt opus quoddam est.

Nonò quæritur, An homo cum solis naturæ dotibus creatus, posset per auxilium diuinum humanæ naturæ respondens, Deum plusquam omnia diligere? Respondeo: non posset diligere Deum, vt est charitatis obiectum, hoc est, supernaturali amore amicitiæ constitutæ in communicatione bonorũ cælestium, & æternorum, quæ per gratiam adoptionis assequimur; hic enim amor nequaquam consistere potest cum aliquo, quod sit Dei amicitiæ contrarium; & fidem, & spem requirit, & sine gratia adoptionis non est; quare per naturam, & auxilium commune, & generale diuinum, naturæ humanę conueniens esse non potest. Posset tamen ille homo, vt docent Richard. 2. d. 3. ar. 7. q. 1. Henric. quodl. 4. q. 11. Marsil. 2. q. 18. a. 2. concl. 1. item Richard. 2. d. 28. a. 1. q. 1. Medin. 1. 2. q. 109. a. 3. versic. de dilection. Dei naturali. concl. 2. Deum ante, & plusquã omnia diligere amore quodam naturali: hoc est, posset per naturam, & Dei auxilium, quamuis gratuitum, naturæ tamen consentaneum, absque alio supernaturali adminiculo gratiæ additæ naturalibus, diligere Deum super omnia, vt naturæ, & bonorum naturalium auctorem, & finem: hic enim actus est ipsi rectæ rationi hominis conueniens, & consentaneus. Quapropter posset ille homo cognoscere Deum esse omnium bonorum naturalium auctorem, & finem, esse primum ac summum bonum; ac ideo ante, & plusquam omnia alia bona diligendum, & amandum propter ipsum, quia non ipse Deus propter alia, sed alia propter ipsum sint bona. Et cum in eo homine nulla esset peccati labes, nihil impediret, quominus ille Deum super omnia amore naturali diligeret: nam se sicut cætera omnia, in Deum ipsum referre posset, vt in naturæ auctorem, & finem, & in illius amorem. Cæterùm, quamquam auxilium diuinum ad id datum supernaturale non esset, quum daretur ad faciendum opus naturæ hominis consentaneum, speciale tamẽ potiùs, quàm generale esset, quoniam quibusdam hominibus non omnibus daretur, & ab eo differret, per quod homo facit mala, non vt mala, sed vt actus quidam sunt.

Decimò quæritur, An homo cum solis naturæ viribus conditus, posset per naturam, & Dei commune auxilium, naturale quidem, hoc est, ipsi naturæ hominis consentaneum, sed gratuitò, & liberaliter datum, iuris naturalis præcepta seruare? Respondeo, posset: nam posset, vt dixi, Deum vt naturæ auctorem, & finem, plusquam omnia diligere. Sed hic amor esse nequit sine obseruatione omnium præceptorum iuris naturalis: sicut charitatis amor supernaturalis non est, nisi cum obseruatione totius legis tum naturalis, tum supernaturalis. Nam charitas est plenitudo legis, *Rom. 13.* & qui Deum amat vt amicum, vult ei in omnibus placere. Qui itidem Deum amat ante, & plusquam omnia, eum omnibus anteponit: nihil igitur vult, quod ipsi aduersetur: nihil, quod sit, ipsius mandatis, & legi omnino contrarium.

Vndecimò quæritur, An ille homo posset in officio honestatis, & virtutis vsque ad exitum vitæ perseuerare, per solam naturam, & generale Dei auxilium ipsi naturæ conueniens? Respondeo, Non posset sine alio, præter generale, & commune, si gulari auxilio, & gratuito munere Dei, eum semper in virtutis officio continentis. Nam homo etiam originali iustitia præditus, teste Augustino, indiguit speciali Dei auxilio ad perseuerandum: & nunc quoq; iustus sine peculiari Dei munere in bono gratiæ nõ perseuerat: ergò multò minùs ille in officio virtutis perseueraret. Denique in bono vsque ad vitæ finem perseuerantia est peculiare Dei donum. Nam quemadmodum cum quis in Dei gratia perseuerat, accipit speciale Dei donum supernaturale, præter illud gratiæ munus, quod ab initio diuinitus accepit: ita etiam cum quis perseuerat in honesto virtutis moralis officio, accipit speciale Dei donum naturę hominis consentaneum, præter illud virtutis, quod initio habuit. Nam quidam accipiunt, quo benè viam incipiant, nõ quo perseuerent: alij verò, quo non solùm benè inchoent, sed etiã quo benè progrediantur, immò etiã quo benè proficiant ad tẽpus: sed non accipiunt, quò benè perfistant vsque ad extremũ vitæ. Præterea natura dum conserua- *Aug. lib. de corrept. & gratia c. 11 & l. b. 14. de ciu. c. 27 & in Enchiri. c. 106 & in Conci. Arausi. cano. 19.*

tur à Deo integra sine labe peccati, habet, quo benè possit: sed non habet, quo benè agat, nisi auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum. Sicut is, qui habet oculos sanos, habet quo possit colores aspicere, sed non aspiciet sine lumine: qui item benè corpore valet, habet quo possit viuere, sed sine alimentis extrinsecus assumptis non viuet. Natura verò communi auxilio Dei mota, & adiuta ad bonum, eo ipso accipit, quo benè operetur, non tamen eo ipso accipit, quo benè perseueret: nam si acciperet, vtique perseueraret: sed non omnes in bono perseuerant vsque ad vltimũ vitæ finem. Dices, homo ille posset post vnum, aut alterum virtutis officium mori, & ita breui vitam absoluere; & tamen ad bonum per breue tempus non indiget homo singulari Dei auxilio præter generale, & consuetum ipsi naturæ conueniens. Respondeo: quamuis homo ad breuissimum tempus viuat in bono honestatis, donum accipit, & habet à Deo, vt in bono ad extremum vsque vitæ perseueret: quoniam generale auxilium Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum rectæ rationi conueniens, solùm dat homini, quo hoc, aut illud bonum faciat, non quo perseueret. Ergò quòd in bono diem claudat extremum, peculiare est Dei donum, & munus.

Duodecimò quæritur, An ille homo diu se in officio virtutis contineret per solam naturam, & generale auxilium Dei, naturæ, & rationi conueniens? Minimè: nam teste S. Thoma, iustus homo nunc à peccato liber, diu sibi ab omni peccato lethali nõ temperat sine alio peculiari auxilio Dei mouentis, & adiuuantis uaturam ad benè diu operandum: ergò multò minùs ille homo id ipsum præstaret. Nam sicut cum semel, aut iterum benè operamur, id non facimus per solam naturam acceptam, & conseruatam à Deo sine communi auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad agendum conuenienter naturæ: sic etiam cum diu benè factitamus, accipimus peculiare quidem, sed naturale auxilium Dei mouentis, & adiuuantis ad diu factitandum conuenienter rectæ rationi: multi enim accipiunt, & habent, quo benè semel, aut iterum agant, & tamen non eo ipso habent, quo diu benè factitent, alioqui enim hoc ipso se diu in virtutis officio continerent.

S. Tho. 1. 2. q. 109. a. 9.

Decimotertiò quæritur, An si homo cum solis naturæ viribus procreatus lethale peccatum admitteret, posset per naturam, & generale auxilium Dei naturæ conueniens illud peccatum per pœnitentiam expiare? Minimè, quia pœnitentia, per quam lethale peccatum deletur, non est sine charitate: neque enim pœnitentia peccatum extinguit, nisi Dei amore nos peccasse pœniteat: nullus de peccato dolor acceptus est Deo sine ipsius Dei charitate: nulla pro peccato, hoc est, culpa vel pœna culpæ debita satisfactio Deo est grata sine munere charitatis: at homo ille non posset charitatis officium præstare per naturam, & commune auxilium Dei, naturæ cõueniens. Posset quidem detestari peccatum odio turpitudinis quia generali Dei auxilio cognosceret turpe esse peccatum, cum iure naturali, & cum honesto virtutis officio pugnans: Sed hoc nõ sufficit ad peccati veniam consequendam. Immò quamuis quis fidei diuinæ præsidio, & spe cælesti suffultus possit odio habere peccatum metu gehennæ, & desiderio beatitudinis æternæ, cum spe etiam veniæ: non tamen hoc satis esset ad peccatum extra sacramenta delẽdum sine amore, & charitate Dei: nec per naturam, & generale auxilium Dei ipsi naturæ cõueniens, fidem habere, aut spem veniæ, aut felicitatis æternæ, ille homo consequi posset. Porrò, vt ait Apostolus, *sine fide impossibile est placere Deo.* Obijcies, Posset ille homo per naturam, & commune auxilium Dei naturæ conueniens de peccato dolere odio turpitudinis, ergò posset se à peccato, quod perperam admisit, auertere. Respondeo, Per huiusmodi dolorem homo ille deponeret voluntatem peccandi, sed peccatum admissum minimè expiaret: neque enim peccatum deletur, nisi de eo doleamus amore Dei, quem per peccatum offendimus, nec sufficit ad peccatum eluendum qualiscunque peccati detestatio, nisi grata, & accepta sit Deo, at Deo grata esse non potest, nisi ex Dei amore, & charitate existat. Dices, Posset ille homo in peccatum lapsus culpam detestari amore Dei super omnia naturali, licet non amore supernaturalis charitatis. Respondeo, Non posset ille homo peccato corruptus, Deum diligere plusquam omnia amore naturali, sine gratia naturam sanante: quoniam sicut supernaturalis amor charitatis simul esse non potest cũ peccato aliquo Dei amicitiæ cõtrario: sic naturalis amor Dei super omnia, omne quod est rectæ rationi, & honestati, & iuri naturali contrarium excludit: nam si diligis Deum ante, & plusquam omnia, vt omnium bonorum naturalium auctorem, & finem, eo ipso Deum cuicunq; alteri bono creato vtili, iucũdo, & honesto præponis, & teipsum, & omnia alia bona creata in Dei amorem refers. Sed qui peccato lethali tenetur obstrictus, aliquid contraxit, quod cum ipso Dei amore super omnia pugnat, quoniam per peccatum lethale se homo à Deo alienat, & auertit: ergo, nisi à peccato mundetur, Deum super omnia diligere nequit. At, post peccatum, inquies, hominis natura est adhuc integra; nam peccatum naturalia non tollit. Ergo si homo ante peccatum integer, & sanus, potest Deum diligere super omnia amore naturali, per naturæ vires, & generale auxilium Dei naturæ respondens; poterit etiam amare post peccatum; alioqui enim Deus denegaret homini, quod ipsius naturæ debetur. Respondeo, Per peccatum nihil homini detrahi, quod ex eius natura promanet: sed impedimentum inferri, quo minus possit officium obire suæ naturæ conueniens; sicut aër nubibus contectus non naturam ex toto, vel ex parte deperdit, sed impeditur, quo minùs id præstare queat, quod ipsius naturæ conuenit; aliud enim est ex toto, vel ex parte naturam auferri, aliud impediri naturam, ne aliquid valeat efficere, quod ipsi est consentaneum. Ergo peccator, inquies, præstare non potest omne id bonum naturale, quod posset alioqui integer, & sanus. Fateor: sed hoc non propterea est, quia aliquid ei peccatum ex naturæ principijs detraxerit, sed quia attulit impedimentum, ne id boni facere queat. Est enim homo per peccatum impeditus; est infirmus: nec Deus peccatori denegat aliquid, quod ipsius naturæ debeatur, sed homo ipse sese

Hebr. 11.

per pec-

per peccatum, quod sua sponte contraxit, impediuit. quo minus suum officium obire, & exequi possit. Quare si Deus illi homini in peccatum lapso, pœnitentiæ, & gratiæ donum dedisset, vtiq; gratis, non debitum dedisset: Si denegasset, iure id denegasset.

Paluda. 4. d 16. q. 1. a. 1. ad finem.

Decimoquartò quæritur, An si homo cum solis naturæ viribus conditus in veniale peccatum incideret, posset per naturam, & generale Dei auxilium naturale, pro eo peccato legitimè satisfacere? Respondeo (quicquid dicat Paludanus) nõ posse, quoniam nulla hominis satisfactio pro culpa, vel pro pœna culpæ debita, accepta, & grata Deo est, nisi ipse homo, qui soluit, quod debet, sit Deo acceptus, & gratus. Est enim satisfactio, iustitiæ officium: sed inter hominem, & Deum iustitia non est, nisi Dei gratia præcedat. Quid si homo ille, de veniali noxa doleret? Respondeo, Dolor ille non esset legitima, & idonea satisfactio pro veniali delicto, quia esset hominis Dei gratia carentis. Potest, inquies, homo gratia non præditus, bona huius vitæ temporalia per virtutis honesta opera, & officia promereri. Romanis enim dicitur Deus terrarum imperium dedisse, vt multorum eorũ bonorum operum præmium, ergo posset etiam ille homo per virtutis opera venialium peccatorum remissionem obtinere. Respondeo, non esse idem iuris: nam si Deus peccatoribus bona temporalia det, gratis dat, non ex iustitia, & dignitate bonorum operum moralium quæ sine Dei gratia factitantur. Cæterùm nos negamus posse hominem delicti, quamuis leuis, sine gratia Dei veniam ex iustitia, & dignitate bonorum operum moralium promereri: Posset quidam Deus illum hominem culpæ venialis reum pœna non afficere: sed nihilominus sicut esset culpæ reus, ita etiam esset pœnæ debitor. Dices; ergo illi homini non posset venialis noxa dimitti sine gratia diuinitus infusa: cum tamen sæpè in hominibus iustis, nunc culpa venialis sine gratia denuo infusa, eluatur. Respondeo, in hominibus iustis necesse nõ est gratiam infundi ad peccata venialia delenda, quoniam cum sint iusti Dei gratia præditi, pro culpis venialibus possunt legitimè satisfacere: at is, qui Dei gratia caret, non potest, quia caret gratia, quàm legitima pro culpa veniali satisfactio requirit. Vt enim culpa venialis pœna æterna non punitur per se, sed ex accidenti, quatenus qui soluit pœnam, soluit sine gratia Dei, & proindè soluendo non satisfacit, vt debet; sic etiam venialis culpæ remissio per se gratiæ infusiouem non postulat, sed ex accidenti, quatenus is, qui venialem culpã admisit, aut est sine gratia Dei, aut lethali peccato tenetur obstrictus.

Decimoquintò quæritur, Quænam officia virtutum pro Deo, posset ille homo facere, & obire per naturam, & naturale Dei auxilium consuetum, & generale, si cum solis naturæ dotibus conseruaretur? Respondeo, Posset Deo, vt supremo omnium rerum naturalium domino, cultum, & honorem debitum deferre, quam Latriam Theologi vocant: posset ei, vt summo Principi obedire, ei vota facere, sacrificia offerre: posset ipsum orare, ab eo precibus, votis, & sacrificijs opem, & auxilium implorare, bona petere: ei gratias agere, & habere, tanquam bonorum omnium naturalium auctori. Hæc enim singula, & alia similia naturali rectæ rationis luce cognoscere, & cõmuni, ac generali Dei auxilio rationi consentaneo præstare, & exequi posset.

Cap. XXXV.

Quid boni homo iustitia originali præditus obire, & facere posset.

PRIMO quæritur, An homo cum originali iustitia, vel integritate naturæ conditus, posset per seipsum omne bonum honestatis, & virtutis efficere? Sanctus Thomas satis perspicuè docet potuisse: & proindè sequitur, vt potuerit omne honestum agendum, & omne malum fugiendum cognoscere. Nam homo est iustus, & integer procreatus, ergo accepit ea, quibus posset, si vellet, agenda, & fugienda perspicere, & bona præstare, ac mala deuitare. Animaduertendum tamen est, hominem in eo primo vitæ statu, quo est à Deo procreatus, potuisse quidem hæc, quæ diximus, at non per solam naturam suam datam, & cõseruatam à Deo, sed auxilio Dei & mouentis, & adiuuantis ad bonum operandum: prædicta item non potuisse per sola dona iustitiæ originalis infusa, & accepta, sine Dei mouentis, & adiuuantis, & vnà cum homine operantis, præsidio. Nam Augustinus, & ex Augustino Arausicanũ concilium, manifestè tradiderunt, etiam in eo statu indiguisse hominem auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum agendum.

S. Tho 1. 2. q. 109. a. 2.

Aug in Enchir. c 106. Arausicã. concil. can. 19.

Vt hoc exactiùs intelligamus, sciendum est, Pelagium, vt in multis alijs, ita in hoc etiam grauiter errasse, quòd opinabatur liberum arbitrium per naturam suam datam, & conseruatam à Deo, sine alio auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum faciendum posse quodcunque virtutis officium obire. Vndè Hieronymus contra Pelagianos disputans concludit: *In singulis rebus quas gerimus, indigere nos Dei adiutorio, etiam cum calamum temperamus ad scribendum, & temperatum pumice terimus, manumque aptamus literis, cum tacemus, cum loquimur, sedemus, stamus, ambulamus, currimus, comedimus, ieiunamus, flemus, ridemus, & cætera huiusmodi, nisi Deus iuuerit, non possumus.* Et Concilium Arausicanum: *Natura,* inquit, *humana etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret.* Et Augustinus *lib. de ciuit. 14. ca. 27. nam sicut in hac carne viuere sine adiumento alimentorum non possumus, non autem in ea viuere in potestate est, quod faciunt, qui seipsos necant: sic benè viuere sine adiutorio Dei etiam in paradiso non erat in potestate, erat autem in potestate malè viuere.* Idem *in Enchi. cap. 106. & lib. de corrept. & gratia c. 11.* Idem quoque Concilium Arausicanum *can. 26.* ex Augustin. *lib. 2. de cont. duas epist. Pelagia. c. 8. Multa in homine bona fiunt, quæ non fecit homo: nulla verò facit homo bona, quæ nõ Deus præstat, vt faciat homo.* Rursus *can. 9. ex sententijs Prosper. cap. 22. Diuini est muneris, cum rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Iterum idem *can. 22. ex August. tract. 5. in Ioan. Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum. Si quis autem homo habet veritatem, atque iustitiam, ex illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi gutta quibusdam irrorati, non*

Hiero. dialogo. 1. aduersus Pelagianos, & in epist. ad Ctesiphontem.

Concil. Arausic. c. 19 ex August. epist. 106.

deficiamus

Ioan.1.

deficiamus in via. Ipse quoque Augustinus *tract.81. in Ioannem. Siue parum,* inquit, *siue multum, siue illo fieri non potest, siue quo nihil fieri potest.* Concedebat igitur Pelagius vnam gratiam teste Augustino *libr.1. de gratia Christi c.2.3.& 4.* videlicet creationis, hoc est, liberum arbitrium esse datum à Deo, sed dicebat illud; dum conseruatur à Deo posse omne bonum per naturam suam sine alio auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum præstandum.

Secundò quæritur, An homo cum iustitia originali creatus, ea præcepta implere posset, quæ sunt fidei, & spei. S. Thomas cum veteribus scholasticis apertè docet, huiusmodi officia obire in eo statu hominem non potuisse: nam veteres illi Theologi censent iustitiam originalem fuisse habitum re, à gratia, fide, spe, & charitate distinctum, & priùs hominem iustitiâ originalem accepisse, quàm gratiam; & proindè vi iustitiæ originalis solùm potuisse ea præcepta seruare, quæ rectâ ratio naturalis præscribit. Et quamquam S. Thomas putauerit, iustitiam originalẽ, aut fuisse vnum, & eundem habitum, qui est gratia, aut cum ea saltem necessariò connexum, & in prima hominis creatione simul cum natura susceptum: nihilominus tamẽ, quia eos habitus ratione distinguit, docet pariter cum cæteris Theologis, hominem non potuisse complere, & exequi præcepta, quæ sunt fidei, & spei siue virtutis infusæ per acceptum iustitię originalis beneficium, & donum; sed solùm potuisse honestatis, & virtutis moralis officia. Hæc Scholastici. Augustinus verò, Prosper, & Fulgentius manifestè docent (vt in septimo libro dicam) hominem in prima illa naturæ integritate, & iustitia potuisse implere præcepta, quæ sunt fidei, & spei. Nec tamen ob id arbitror, Scholasticos cum his patribus pugnare: Augustinus enim appellatione iustitiæ, & virtutis originalis intelligit dona omnium virtutum moralium, & theologicarum supernaturalium, quibus homo vndique ornatus præstare poterat omne bonum naturę, moris, & gratiæ, quamuis indigebat auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonũ perspiciendum, volendum, & faciendum: acceperat enim dona quibus posset, sed semper egebat auxilio Dei, quo faceret, quo vellet, quo perspiceret. Scholastici verò Theologi nomine iustitiæ originalis intelligunt habitum homini inhærentem, re, aut saltem ratione à virtutibus Theologicis distinctum: & ideo quatenus re, vel ratione diuersus, non dabat homini facultatem, & vim, qua posset præcepta virtutum theologicarum implere. Vera igitur est sententia Augustini, & reliquorum Patrum, hominem in prima naturæ innocentia, præcepta, quæ sunt fidei, & spei, seruare potuisse, non quidem per naturæ vires, & facultates, & auxilium commune Dei mouẽtis, & adiuuantis ad bonum naturæ, vel moris, hoc est, vtile, vel iucũdum, vel honestum: sed per gratuita, & supernaturalia dona virtutum theologicarum, & auxilium Dei mouẽtis, & adiuuantis: gratuitum, quidem, & supernaturale, sed cum ipsis habitibus, & actibus supernaturalibus virtutum Theologicarum conueniens. Sicut enim natura hominis, quæ datur, & conseruatur à Deo, indiget auxilio ipsius Dei mouentis, & adiuuantis, vt faciat bonũ, quia natura data, & conseruata à Deo, habet quidem, quo possit bonum sibi conueniens: sed nõ habet quo faciat, nisi moueatur, & iuuetur à Deo per auxiliũ naturæ conueniẽs: sic etiã habitus supernaturalis dat homini, quo possit supernaturalia opera præstare: sed non dat, quo ea præstet sine supernaturali auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum fidei, vel gratiæ.

S.Tho.1.2. q.109 a.2. Alex.p.2. q.90.m.1. a.1. Bonau. 2.d.29.a.1 q.2. Aegid. 2.d.29.q.1. art.2.

Tertiò quæritur, An homo cum iustitia originali conditus, posset Deum propter ipsum, ante, & plusquam omnia, aut quod idem est, super omnia diligere? S. Thomas, & quidam alij scholastici distinguunt hunc in modum: Potest Deus propter se diligi, vel vt est naturæ auctor, & finis: vel, vt est gratiæ, & gloriæ obiectum, & causa. Priori modo potuit homo Deum propter ipsum amore, non quidem per solas naturæ vires absq; naturali auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad morale bonum rectæ rationis præstandum, sed per naturam adiutam huiusmodi auxilio Dei communi, & consueto: Non tamen potuit homo Deum secundo modo acceptum diligere. Augustinus tamen, & alij supra citati patres inter hæc nihil distinguunt: sed absolutè, & simpliciter testantur potuisse Deum propter se, & super omnia ab homine diligi. Sed facilè Scholastici cum Augustino conciliantur. Nam Augustinus primum hominem in naturæ integritate constitutum sem per accipit, vt singulari Dei beneficio virtutibus moralibus, & theologicis infusis ornatum. Scholastici verò accipiunt eundem hominem, vt solo habitu iustitiæ rectæ rationi consentaneo, re, vel ratione ab habitu gratiæ distincto præditum, & naturali itidem communi, & consueto Dei auxilio gubernatum, & rectum. *S.Tho.1.2. q.109.a.4.*

Cæterùm quidam S. Thomæ sententiam confutant, qua distinguit Amorem, quo Deum super omnia diligimus, in amorẽ, quo ipsum amamus, vt auctorem, & finem naturæ, & in amorem, quo eundem Deum diligimus, vt gratię, & gloriæ obiectum, & causam. Aiunt enim hanc amoris differentiam esse Patribus ignotam: Item, vtrumque amorem posse naturalẽ esse: nam solùm est differentia in intellectu, quoniam Deus, vt est auctor, & finis naturæ, cognoscitur naturæ lumine: at, vt est obiectum, & finis gratiæ, & gloriæ, cognoscitur lumine fidei; sed in voluntate nulla est differentia: nam voluntas sicut potest diligere Deum cognitum, vt vnum, iustum, bonum, sapientem: sic poterit diligere cognitum per fidem, vt trinum, vt datorem gratiæ, & gloriæ. Item si quis credat Titio dicenti Deum esse trinum, & vnum, & largitorem gratiæ, & gloriæ, poterit ipsum amare. Dicendum existimo, amorem, quo Deum super omnia diligimus, esse duplicem, vnum, qui est actus naturalis, hoc est, qui fieri possit per naturã, & Dei auxiliũ naturale; talis est amor, quo diligimus Deum, vt summum, & maximum bonum, vt auctorem, & datorem omniũ bonorum naturalium: hoc enim ratio naturalis cognoscit, & voluntas, si sit in statu naturæ integræ, potest amare: nam potest velle Deo plura, & potiora bona, quàm cuicunque alteri: & hoc est, quod docet S. Thomas. Alter est amor supernaturalis, hoc est, qui fieri non potest, nisi auxilio Dei supernaturali, tum in intellectu, tum in voluntate:

& hic amor est charitatis virtutis theologicę: neque enim fit, nisi ab habitu charitatis diuinitus infuso, aut saltem non fit, nisi auxilio Dei supernaturali, & nunquam est sine habitu gratiæ, & charitatis, fidei, & spei: & hunc amorem appellat S. Thom. 1.2. q. 100. a. 10. ad 3. amorem Dei, vt est obiectum beatitudinis; quibus verbis voluit eũ amorem vocare supernaturalem, & quo diligimus omnem Dei bonitatem, quam ex se, & in seipso habet, & diligimus propter ipsum Deum, non causa alterius commodi: & diligimus super omnia, non solùm, quia ipsi Deo potiora, & plura bona, quàm cuicũq; alteri volumus: sed quia modo etiam, & actu supernaturali volumus, videlicet per ipsum charitatis habitum, vel saltem per auxilium Dei supernaturale. Nam vt ait S. Thomas, modus diligẽdi pertinet ad actum, & præceptum charitatis; scilicet, vt Deũ diligamus ex ipsa gratia, & charitate Dei, & diligamus, vt amicum nostrum amore beneuolentiæ in charitate, & gratia constitutæ.

S. Tho. 1.2. q. 100. a. 10 & 2.2. q. 44. art. 1. ad 1.

Quartò quæritur, An homo in eo iustitiæ originalis statu posset omne Dei præceptum, & legẽ seruare? S. Thomas, & Scholastici respondent distinguentes. Aut præcepta sumuntur solùm secundum substantiam operum, & ita potuisse hominem solo communi, & naturali Dei auxilio adiutum complere: Aut accipiuntur, vt referuntur ad Dei charitatem, gratiam, & gloriam, & ita ea minimè exequi, & obire potuisse absq; supernaturali Dei auxilio, & sine habitu gratiæ, & charitatis antecedente, vel saltem comitante, & consequente eiusmodi actum. Augustinus tamen, & alij Patres nihil distinguunt, sed absolutè, & simpliciter fatentur hominem ante peccatum omnem Dei legem implere potuisse: quod quidem ideo tradunt illi, quia accipiunt hominem, non quidem, vt habentem solummodo vim suam, & facultatem naturæ, communi & naturali Dei auxilio suffultam, sed vt singulari, naturali, & supernaturali omnium virtutũ moralium, & theologicarum munere vndiq; vallatum, & septum: qua in re idem quoq; Scholastici tradiderunt.

S. Tho. 1.2. q. 109. a. 4.

Quintò quæritur, An homo cum iustitia originali creatus posset cælestem, & æternam vitam promereri? Sanctus Thomas cum tota Theologorum schola eodem modo respondet, nequiuisse hominem per accepta solius iustitiæ originalis dona, sed per gratiam beneficio, & dono Dei adiectam, & coniunctam iustitiæ originali. Augustinus tamen simpliciter concedit, id boni potuisse hominem, nõ quidem per naturam, sed per iustitiam, & integritatem naturæ; quoniam illius nomine, vt dixi, intelligit, omnia gratuita dona, tum quæ per naturales, & morales, tum quæ per supernaturales virtutes conferuntur ad omne bonum præstandum, quibus fuit, cum integer adhuc, & innocens esset homo, vndequaque munitus. Sed quæstionis est dubiæ, an primo homini cum iustitia originali creato, vita æterna esset tantùm merces, & non gratia, an verò esset, & merces, & gratia sicut nunc vtrunq; est. Quidam affirmant tantùm futuram vitam æternam mercedem bonorum operum, sicut fuit angelis bonis, idque colligunt ex August. *lib. de correct. & gratia, cap. 11.* sic dicente: *Primus homo, quia noluit permanere, profectò eius culpa fuit; cuius meritũ fuisset, si permanere voluisset. Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per liberũ idem arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt,* & eodẽ libro c. 10. loquens de statu primi hominis ante lapsum, *in quo statu,* inquit, *recte, ac sine vitio, si per ipsum liberũ arbitriũ manere voluisset, profectò sine vllo mortis, & infelicitatis experimento accepisset illam, merito huiusmodi permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati, id est, vt cadere non posset vlterius, & hoc certissimè sciret.* Ergò secundum Augustinum primus homo, si non cecidisset, meritus fuisset per liberum arbitrium vitã æternam, sicut boni Angeli per liberum arbitrium meruerũt. Verùm profectò vita æterna, & nobis, & primo homini, & Angelis fuit, & est gratia, & merces laboris & boni operis; est etiam gratia adoptionis, & reparationis. Merces quidem, quia redditur bonis operibus Dei charitate, & gratia factis; gratia verò, quia primum datur gratia nobis in hac vita, qua à peccato sanamur, & filij Dei adoptamur, vt bona opera faciamus, & promereamur vitam æternam. Augustinus verò solùm docet, in primo homine futuram esse mercedem bonorum operum, & non gratiam reparationis, quia ei data quidẽ fuit gratia, qua mereretur, sed non qua repararetur, & sanaretur à lapsu; siquidem nondum ceciderat: at nobis vita æterna, & est merces laboris, & est gratia reparationis; quia primùm data est nobis gratia, qua repararemur, & sanaremur à peccato, & deindè mereremur. Primus homo cum creatus est, vel saltẽ ante lapsum; factus est iustus, & Deo carus, cum ante iustus non esset; non tamen ex peccatore factus est iustus: nos autem iusti, & cari Deo reddimur, cum antea mali, & impij simus. De hac re suo loco latiùs tractabo.

Sextò quæritur, An homo ante lapsum posset seipse ad diuinam gratiam præparare? S. Thomas, & Scholastici respondent, nec per naturam cum cõmuni, & consueto Dei auxilio conuenienti, & respondenti naturæ id potuisse, nec per iustitiam originalẽ accepta cum omnibus præsidijs, & auxilijs cum ipsa congruentibus, sed solùm per speciale gratuitũ, & supernaturale Dei beneficium, ac donum; quoniam iustitia originalis erat habitus re, aut saltem ratione à gratia, & charitate distinctus: & ideò qua talis, solùm dabat homini facultatẽ, & vim, qua posset omne bonũ naturæ, & rectæ rationi naturali cõueniens, præstare. Augustinus tamen, & alij patres dicerent hominem id potuisse præstare; quoniam iustitiæ originalis nomine intelligunt virtutes, dona, & omnia singularia Dei auxilia ad omne bonũ naturę, moris, & gratiæ cogitandum, volendum, & faciendum.

Septimò quæritur, An homo cum iustitia originali creatus posset sine alia gratia Dei in bono perseuerare? Augustinus *lib. de correct. & gratia cap. 10. 11. 12. & lib. de bono perseue. cap. 7.* manifestè tradit, potuisse: ratio est, quia poterat non peccare, si voluisset, & omne Dei præceptum seruare. Hoc intelligitur in eum sensum, quem idẽ tradit Augustinus, *quia acceperat homo quo posset perseuerare, quãuis non accepit, quo perseueraret; nam si id habuisset, perseueraret.* Nihilominus tamen ad se ipse in bono conseruandum, & proindè ad non peccandum,

Aug. lib. de correct. & gra. cap. 11.

quod

quod est in bono perseuerare, indigebat Deo mouente, adiuuante que ad bonum agendum. Quare in concilio Arausicano dicitur: *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adiuuante seruaret. Vnde cum sine gratia Dei salutem non posset custodire, quàm accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?* Hæc ibi Concilium, desumpta penè ad verbum ex Augustino. Qui quidem etiam ipse docet, primum hominem, & Angelum in sua prima institutione accepisse gratiã, qua possent in bono perseuerare: at vt in bono permanerent, indiguisse auxilio gratiæ, sine quo id omninò non possent: *istam gratiam*, inquit, *non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus, sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tum per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quem reliquit in libero eius arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotente Deo.* Sic ille: constat hominem, nec Angelos qui peccarunt, accepisse Dei gratiam, qua perseuerarẽt. *In quo differt*, inquit Augustinus, *gratia per Christum in multos collata, à gratia primi hominis, & Angelorum, qui ceciderunt, quoniam per Christum multis est datum non solùm, quo possint perseuerare, sed etiam quo perseuerent: at verò primus homo, & Angelus acceperunt, quo possent perseuerare, sed non quo perseuerarent.* Ratio huius est, quia vt sæpè iam dixi, quemadmodum natura data à Deo, dum conseruatur ab eo, vim habet, qua potest id, quod cũ ipsius naturæ conditione conuenit, nihilominùs tamen non habet, quo id faciat, nisi moueatur, & iuuetur à Deo, videlicet, nisi moueatur auxilio diuino cum ipsius naturæ conditione congruenti: ita quicunque habitus supernaturalis diuinitus infusus, dum conseruatur à Deo, dat homini, quo possit opus supernaturale facere; nam habitus est, quo possumus, sed non eo ipso dat homini, quo op⁹ supernaturale cogitet, velit, & faciat; & ideo adhuc indiget homo auxilio Dei mouentis, & adiuuantis, quo perspiciat, cogitet, velit, & faciat opus supernaturale: & hoc auxilium est supernaturale, nimirum tale, quale est opus, ad quod faciendum datur, & qualis est habitus, qui tribuit homini supernaturalem vim, & facultatẽ. Primus igitur homo acceperat beneficio Dei virtutes, & dona, quibus dum in eo statu innocentiæ conseruabatur à Deo, poterat in bono perseuerare: sed nõ eo ipso accepit, quo perseuerasset: nam adhuc indigebat auxilio Dei, quo perspiceret, vellet, & faceret bonum vsque in vitę finem: quod non accepit, quia in bono sua culpa nõ perstitit nam qꝫ peccando ceciderit, nõ id voluntate Dei, sed sua sponte fecit, & ideo priùs ipse Deum deseruit, quàm desereretur ab eo. Idem quoque fuit de Angelis, qui à Dei charitate, amicitia, & gratia exciderunt: hi enim acceperant virtutes, & dona, & auxilia, quibus potuissent, nisi sponte sua peccare maluissent, in bono perseuerare: sed non acceperunt, quo perseuerassent. Boni tamen Angeli, & habuerunt, quo perseuerare possent, & quo perseuerarunt. Si roges, quid est, quod Aug. ait *lib. de corrept. & gratia cap. 11.* primus homo, vt bonum reciperet, & haberet, gratia nõ egebat, quia nondum perdiderat: & *c. 7. in lib. de bono perseue.* dicit de primo homine, fuisse in eius potestate per liberum arbitrium, ne caderet, post casum verò hominis voluit Deus, vt ad gratiam pertineat, quod homo accedat ad eum, & vt ad gratiã quoq; pertineat, quod homo non recedat ab eo. Respondeo Augustini sententiam esse, primum hominem, quia bonum à Deo acceperat, & habuerat, non eguisse gratiæ adminiculo, vt reciperet bonũ, quia illud bonum acceperat, & nondum amiserat, at indiguisse, ait, gratiæ auxilio, vt in eo bono, quod acceperat, permaneret; post casum verò hominis, indiget & gratię auxilio, vt ad Deum accedat, seu redeat, & indiget etiam gratiæ adminiculo, ne recedat à Deo, & cum ait primum hominẽ per liberum arbitrium potuisse non cadere; ideò dicit, quoniam vt ibidem docet primus homo hæc tria habuit: per liberum arbitriũ potuit non peccare, potuit non mori, potuit nõ deserere Deum, siue bonum, quod acceperat: vult dicere Augustinus, vt hæc tria posset, non egebat alio gratiæ adminiculo, quia iam acceperat, vt tria illa posset, & nondum perdiderat: sed non vult Augustinus hominem non eguisse gratiæ auxilio, vt non peccaret, non moreretur, non desereret Deum.

Conc. Arausic. Can. 19. ex Aug. epist. 106.

B. Aug. lib. de corrept. & gratia cap. 11.

Octauò quæritur, An primus homo potuerit omne peccatum tum lethale, tum veniale vitare viribus originalis iustitiæ? Respondeo, potuisse, nõ quidem per solam naturam, vt falso Pelagius putabat; immò nec etiam per naturam, solo auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum naturali munitã, sed per acceptas vnà cum iustitia originali virtutes, & dona supernaturalia; quoniam, vt dixi, poterat in bono perseuerare. Vndè primus ille hominis status, in hoc à nostro statu distinguitur, quod primus homo acceperat singulares virtutes, & dona, quibus posset omne peccatum, etiã veniale cauere: immò accepit etiam auxilium Dei mouentis, & adiuuantis, quo omne veniale ante lapsum deuitauit: at verò in præsenti mortalis vitæ statu, nullus etiam iustus potest omne veniale delictum vitare sine singulari Dei beneficio, & auxilio, quoniam id non potest per solam naturam, nec per naturã naturali Dei mouentis, & adiuuantis auxilio subnixam, vt constat; nec id etiam potest per virtutes, & habitus diuinitus infusos, & commune auxilium supernaturale Dei mouentis, & adiuuantis hominem conuenienter habitibus acceptis, hoc est, ad opus supernaturale prædictis habitibus infusis cõsentaneum: quon. â virtutes, & habitus supernaturales infusi dant homini, quo à peccati labe seruetur, & quo possit lethalia peccata in posterũ deuitare, sed nõ dant, quo possit omnia venialia declinare. Eadem ratione commune supernaturale auxilium Dei prędictis habitibus infusis consentaneum dat homini, quo à peccato surgat, & quo lethalia peccata deuitet, sed non dat, quo omnia venialia peccata declinet: quoniam est auxilium cũ habitibus supernaturalibus infusis cõgruens, & illis respondens. Quare sicut habitus huiusmodi nõ dant, quo possit homo omnia venialia peccata defugere; ita nec tale auxilium, dat homini, quo omnia venialia peccata deuitet: & ideo eget homo iustus alio auxilio speciali præter supernaturale commune, & cõsuetum, quo possit vniuersa delicta venialia cauere.

Nonò

Nonò quæritur, An primi hominis ante lapsum merita efficaciora essent, quàm sint merita iustorum hominum post lapsum? Respondeo, ex communi Theologorum sententia, hæc esse efficaciora, quam illa, ea ratione, qua hæc Christi Domini meritis innituntur: hoc est tot, ac tantis benefactis, quibus labores, & tandem mortem acerbissimam crucis, pro nobis patienter sustinuit.

Theologi in 4. d. 29. Sic Bonau. 2. d. 29. a. 3 q. 2. Richa. 2. d. 29. a 2 q. 1. & 2. Gabr. 2. d. 29. q. 1. a. 2 concluſ. 2.

Sed dubiæ quæstionis est primum, an in eo statu hominis ante lapsum, iusti amplius mererentur ex æquali gratia, quam iusti post lapsum primi hominis mereantur. Respondeo, cum Bonauentura, Richardo, & Gabriele, plus mereri nunc iustos, quàm tunc mererentur; quoniam longè maior est modo in iustis ad bonum difficultas ob pugnam domesticam carnis, & mentis; ergo maior, & glorioſior est victoria, triumphus, & corona: item in statu naturæ lapsæ sunt, & fuerunt quarundam virtutum insignium eximia, & egregia opera, quæ tunc non fuissent in iustis, cuiusmodi est patientia, & perseuerantia Martyrum, Euangelica religiosorum hominum paupertas, obedientia, & castitas, aspera, seuera, & dura Monachorum vita, rigida multorum pœnitentia, & alia similia virtutum officia: at ex altera parte, tunc in iustis promptior, & expeditior esset voluntas ad bonum, esset constantior, robustior, & firmior, & eatenus iustorum merita augerentur.

Dubiæ itidem quæstionis est, an tunc iustis copiosior, & abundantior gratia daretur, non est quæstio an plures iusti futuri essent in eo naturæ integræ statu, quàm in statu naturæ peccato corruptæ: nec est quæstio, an aliquis tunc esset futurus iustus cum maiori gratia, quàm sint modo alii qui iusti, sed quæstio est, si status naturæ integræ cum statu naturæ lapsę comparetur, an tunc plura, & maiora gratiæ munera darentur, quàm nunc dantur? nam ex vna parte videtur gratia, tunc abundantior, & amplior futura, quia promptius, & expeditius, & ardentius præpararentur homines ad gratiam excipiendam, cum pauciores, & longè minoribus impedimentis implicarentur, ex altera parte, vt docent Bonauentura, Richardus, & Gabriel, cumulatior gratia videtur, nunc à Deo conferri, quia maiori gratiæ auxilio indigemus, & Deus in necessarijs non deest; verisimile itidem est, Deum ex casu primi hominis maius, & amplius bonũ elicuisse, quam esset illud futurum bonum, si nullus hominis lapsus contigisset; conuenit inter omnes gratiam, quæ datur iustis ex tot, ac tantis Christi Domini meritis vberiorem longè fuisse, sed de hac gratia quæstio non est: sed præcisè de gratia, vt decet statum naturæ integræ, & naturæ lapsæ.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER IIII.

De Peccatis.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Peccatum.

PRIMO omnium quęritur, quodnam sit discrimen inter vitium, peccatum, & culpam? Respondeo, Vitium à peccato, & culpa distingui in eo, quod vitium, & in habitibus, & in actibus virtuti contrarijs: at peccatum, & culpa, solum in actibus consistunt. In præsentia autem, peccatum accipimus, prout est id, vndè quis est, & dicitur peccans; non autem quatenus est id, à quo quis est, & nominatur peccator post actum culpæ præteritum. Deindè, inter peccatum, & culpam hoc interest: quòd peccatum latiùs patet, quàm culpa: Peccatum enim est tum in actibus naturæ, & artis, tum in actibus rationis, & moris. Peccatũ enim, est actus, qui à iusta, & debitâ regula dissentit, ac deficit: Porrò in ijs, quę natura constant operibus, regula est natura: in ijs, quæ arte efficiuntur, ars: in moribus verò, est ratio. Quare monstra, quæ in natura gignuntur, Aristoteles appellat peccata naturæ; ipsos quoque artifices sæpè dicimus contra artem multa peccasse. At verò culpa, solùm in actibus moris, & rationis, voluntarijs, & liberis, est: qui quidem, eo quod contra rectam rationem voluntariè, & liberè fiunt, culpæ tribuũtur & pœnæ. In præsenti, peccatũ accipitur, vt est in actibus rationis, & moris. Ex quo efficitur vt omnis culpa sit peccatum, omne peccatum vitium: non autem è contrario, omne vitium peccatum; nec omne peccatum culpa: quare vitium est, quia habitus est, vel actus virtuti contrarius; Peccatum verò, quia actus à recta regula discrepans. Culpa, actus voluntarius, & liber à recta ratione dissentiens.

Rich. d. 21. ar. 2. q. 3.

Arist. lib. 2 Physic. tex. 82.

Secundò quæritur, Quo pacto peccatum definiatur? Respondeo, Peccatum aliter ab Augustino, aliter ab Ambrosio definiri. Augustinus quidem *peccatum* definit *esse, dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*: Ambrosius verò, *Peccatum* dicit *transgressionem diuinæ legis, & inobedientiam cælestium mandatorum.* Animaduertendum est, appellatione legis Dei æternæ, vel diuinę, vel mandati cælestis intelligi posse rectam rationem: ita vt peccatum, sit actus contra rectam rationem factus, vel omissus. Cum autem ratio diuina sit per suam naturam recta: Sequitur, vt quicquid est rectæ rationi contrarium, sit diuinæ rationi aduersum,

Magist. 3. d. 35. S. Tho. 1. 2. q. 71. a. 6.

Augu. lib. 22. contr. Faust. cap. 27.

Ambr. lib. de Paradiso cap. 8.

sum, & inimicum. Quare etiamsi ex hypothesi impossibili Deus non esset, vel ratio diuina esset per se recta, & non diuina; vel nihil imperaret, aut prohiberet per legem scriptam, aut positam, & constitutam nutu suo; nihilominus omnis actus contra rectam rationem admissus, hoc ipso esset peccatum, quod is rectæ rationi esset aduersus. Vt enim in naturalibus res, quæ sunt per se veræ, vt homo est animal rationis compos, equus est substantia, sunt semper veræ, siue Deum esse, siue non esse, mentis cogitatione concipias, aut fingas: sic in moribus, quod est per se peccatum, & malum, ideo est tale, quia rectæ rationi aduersatur, siue Deum esse in rerum natura, siue non esse omninò tu cogites. Porrò quia peccatum, quatenus tale, cum recta ratione similiter pugnat, sequitur, vt à diuina quoque ratione dissentiat, quæ est per suam naturam recta; & proinde etiam à diuina, vel æterna, vel cælesti lege dissideat, quæ per se quoque est recta ratio. Ambrosius enim per cæleste mandatum, nil aliud intelligit, nisi diuinam legem, hoc est, rectam rationem diuinam. Possumus etiam appellatione legis æternæ, vel cælestis mandati, accipere propriè diuinum præceptum, quòd est à Deo constitutum; nam omne peccatum, siue fit contra ius, & legem naturalem, siue contra ius humanum, est contra legem Dei: non quidem quia fit contra ius diuinum supernaturale, sed quia Deus iubet legi naturali, & humanæ parere: & proindè quicquid à iure naturali, vel humano dissidet, à Dei quoq; lege, & ordine dissentit, & discrepat.

Secundò est animaduertendum appellatione dicti, facti, vel concupiti, nequaquam intelligere Augustinum rem, quæ concupiscitur, aut quę verbo exprimitur, dicitur, aut fit: non enim peccatum est vxor, vel pecunia aliena, quæ appetitur: nec peccatum est vas aureum, vel argenteum, quod in die festo elaboratur: sed actum intelligit Augustinus, quo aliquid concupiscimus, dicimus, aut facimus. Ita vt peccatum, sit actus, quem aut concupiscendo, aut dicendo, aut faciendo quippiam, contra rectam rationem elicimus. Imò actum etiam latè accipere oportet: nam armatum, aut vestitum esse, quiescere, stare, in lecto iacere, peccata esse possunt; vt si quis contra legem, ius, aut præceptum armatus incedat, si quiescat, stet, aut in lecto iaceat; & tamen actus propriè non sunt.

S. Tho. 1.2. q. 71. a. 2 et Aug. lib de spiritu, & litera c. 28.

Tertiò animaduertere conuenit, dicti, facti, vel concupiti nomine, voluisse Augustinum tria peccatorum genera complecti; nimirum peccata cordis, oris, & operis: quare vt paucis peccatum definiam, dicendum arbitror, esse Actum contra rectam rationem admissum. Sed, actum, necesse est latius accipere, quàm frequenter accipi soleat: scilicet, vt comprehendat etiam omissionem debiti actus contra rectam rationem. Ex quo efficitur, vt peccare, sit quippiam agere, vel omittere contra rectam rationem: & peccatum sit contra rectam rationem actus, vel omissio. At inquies. Is, qui legem humanam iustam violat, hoc ipso peccat, quòd contra legem agit: ergò peccatum non solùm contra rectam rationem, sed etiam contra legem humanam committitur. Respondeo, legem humanam, qua ratione iusta est, cum recta ratione congruere: nam hoc ipso quod est iusta, est rectæ rationi consentanea; & proindè qui contra legem humanam peccat, contra rectam rationem agit. Deindè obijcies; Qui violat præcepta iuris diuini supernaturalis, qualia sunt fidei, & sacramentorum mandata; & qui delinquit contra virtutes infusas, vti cõtra spem, fidem, & charitatem, verè peccat, nec tamen agit contra rectam rationem, quoniam recta ratio, est naturalis mens hominis, quæ naturaliter præscribit, quid sit agendum, quidue fugiendum: sed naturalis hominis ratio nihil eorum, quæ sunt, vel virtutis infusæ, vel iuris diuini supernaturalis præscribit, aut iubet, quia ea minimè cognoscit, ac perspicit. Respondeo rectam rationem non intelligi solùm mentem hominis naturaliter aliquid præcipiętem, sed absolutè quamcunque rectam rationem imperantem, vel prohibentem: talis autem est ratio diuina, aliquid siue naturale, siue supernaturale præcipiens: ea enim est ratio per se iusta, & recta. Item positis diuinis Fidei, & Sacramentorum præceptis, immò quibuscunque alijs Dei mandatis, recta ratio absolutè, siue sit hominis, siue Angeli, siue cuiuscunque alterius, modò ea recta sit, præcipit illa esse obseruanda. Tertiò dices, Quid si Deus nihil iuberet, nihil vetaret? Respondeo, Siue Deus imperet aliquid, siue non imperet, atque prohibeat, peccatum nihilominus est contra rectam rationem, nam hæc est peccati vis, ratio & natura: Sicut siue Deus agat, siue non agat, calor, vt calor est, aquæ malũ est; ita quoque licet Deus nihil vetaret, vel etiamsi Deus in rebus, aut in natura non esset, vel quamuis homo non esset, peccatum esset malum rationis, hoc est, rationi contrarium.

Tertiò quæritur, Qua ratione peccatum omne dicatur esse contra naturam? Respondeo, Sicut in naturalibus, Malum dicitur id, quod est naturæ contrarium, & incommodum; ita enim calorem dicimus esse malum aquæ, quia est aquæ aduersus & inimicus: sic etiam in moribus, dicimus aliquid esse malum, quia est rectæ rationi contrarium. Et quia recta hominis ratio, quæ agenda, & fugienda definit, est natura hominis: ideo, cum dicimus, peccatum esse contra naturam, perindè est, ac si dicamus, Peccatum esse contra rectam rationem: nam recta ratio est natura hominis, Angeli, & substantiæ intelligentia præditæ: & omnis virtus, quæcunque sit ea, dicitur esse secundùm naturam, non quòd naturaliter eam ratio præscribat, sed quòd sit rectæ rationi consentanea. Quædam verò peccata peculiariter esse dicuntur contra naturam, quia sunt contra naturalem hominis vsum: cuiusmodi sunt certa quædam detestabilia, & maximè execranda libidinis, & luxuriæ crimina; vel quia sunt contra totam naturæ propensionem, quale est hominem conscíscere sibi mortem. Omnis enim res naturaliter seipsam tuetur, & homo ex omni parte, qua est, naturaliter seipsum defendit, atque conseruat. Sed *quæret* aliquis, quomodo sint contra naturam ea peccata quę tantummodò contra leges humanas perperam committuntur? Respondeo, Esse contra naturam, hoc est, contra rectam rationem,

quæ

quæ est natura hominis, & esse contra naturam, non quidem per se, sed quia lege humana interdicta; non enim sunt per se mala, sed quia sunt lege, & scripto iure damnata: & propterea quatenus sunt lege vetita, cum ratione dissentiunt.

S. Tho. 1.2. q. 71. art. 6. ad 5. Cai. ibidem.

Quartò quæritur, An peccatum hoc ipso, quòd est contra rectam rationem, Deum offendat? Respondeo, Peccatum, quatenus tale est, rectam rationem offendere, quia est ipsi inimicum, & aduersum: quatenus verò rectam rationem offendit, necessariò cum diuina ratione pugnare, quæ per suam naturam est recta: ergò peccatum, quatenus tale est, Deum offendit. Deus enim peccatis offenditur, quia ipsi peccata displicent: & hinc est, vt Deus peccatibus irascatur; & velit eorum scelera debitis, & iustis pœnis vlcisci, & punire. Objcies, Philosophos nouisse peccatum esse contra rationem, non tamen nouisse Deum peccatis offendi. Respondeo, nihil obstare, quo minùs peccatum quatenus tale est per se, in offensa sit apud Deum; quoniam cum res aliqua per se, hoc est, per suam substantiam, ad multa ordinem habet, potest cognosci vnus ordo absque ordine ad aliud; sicut res naturales cognosci queunt, vt naturales sunt, tametsi non cognoscantur, vt sunt creaturæ: sic peccatum, vt est contra rationem cognosci potest, licet non cognoscatur ea ratione, vt est contra Deum. Nihil etiam refert, is qui peccat, nouerit necne Deum offendi peccato: vel in eo sit necne gratia, vel charitas Dei infusa, aut diuinitus accepta: siquidem qui peccat, scit se contra rectam rationem agere, & hoc ipso agit contra Deum, & contra id omne, quod nos cum Deo ipso coniungit, & copulat. Pari ratione sequitur, vt peccatum quatenus tale est, modò sit graue, Dei hominisque amicitiam dissoluat, ac dirimat: & proindè gratiæ, & charitati diuinæ sua ratione aduersetur, eamque tollat. Ratio huius est, quia peccatum est cõtra rectam rationem, ergò contra amicitiam, & gratiã Dei, quæ est per se recta ratio, & omnis boni regula, & norma.

Quintò quæritur, An peccatum per se, hoc est ratione sua cum graue sit, hominem auertat, & alienet à Deo? Respondeo, Auertere: quoniam sicut per se est rationi inimicum, & aduersum, sic etiam est Deo cõtrarium, qui est per seipsum recta ratio. *Quæres*, An per se hoc est ratione sua etiam Dei gratiæ, & charitati aduersetur? Respondeo aduersari, quoniam amicitiam diutnam dirimit, ac tollit; quod si gratia non esset, nihil obstaret, quoniam peccatum cum graue est, meretur Dei iram, & odium. *Rogabis* an peccatum quoque per se, cum graue est, hominem eius auctorem pœnis æternis subijciat? Respondeo, maximè, hoc tamen sensu, quòd eas promeretur, potest enim Deus pœnas meritas de peccato non sumere.

Sextò quæritur, An peccatum sit per se alicuius boni debiti priuatio? quod est quærere, An peccati ratio per se consistat in re aliqua, & natura, an potiùs in aliqua priuatione, & absentia boni, & quæstio locum habet in peccato quod committendo, non quod omittendo quis facit. In qua quæstione sanè difficili, & obscura, duę sunt sententiæ, quæ mihi minimè probantur: prior est Caietani asserentis, malum simpliciter, cuius generis sunt mors, cæcitas, surditas, tenebræ, in sola priuatione ratione sua consistere, aut in sola negatione, vt non ens, nihil, chimæra, & cætera ficta res quæcunque sint: at verò malum, inquit, moris ratione sua & natura, non in priuatione, sed in re aliqua consistit. Ait enim Caietanus, in peccato, quod est malum moris, tria contineri, primum, Actum in genere naturæ: Secundum, priuationem boni, & recti, quod deberet actus habere: Tertiùm, inquit, est, res quædam media absoluta, videlicet qualitas inter illa duo prædicta, & in hac re media, & absoluta inter actum, & priuationem censet Caietanus fieri totam rationem peccati, quod est malum moris; quoniam actus in genere naturæ, est veluti res, & materia subiecta, nec malum moris est: priuatio verò consequitur rem, quæ est malum moris: ergo in priuatione nequit ratio peccati cõsistere: quare necessario ratio peccati constituta est in re quadam absoluta, quæ inter actum, & priuationem intercedit. Hæc Caietanus de ratione peccati sentit, & docet: quæ sententia, aut est eadem omninò cum vltima, quam in medium proferemus; aut certè est, nisi in eum sensum accipiatur, quẽ mox explicabo, falsa, & improbabilis, quamuis quibusdam videatur absurda, & temeraria. Nam ex ea, inquiunt, colligitur esse rem aliquam absolutam per se malã, & Deum vel non esse auctorem, & causam alicuius rei, vel certè esse auctorẽ peccati, quoniam media illa absoluta res, siue qualitas inter actum, & priuationem, est res quædam secundum Caietanum absoluta, scilicet qualitas per se mala in genere moris; ergò illius Deus, vel est causa, vel non est: si hoc secundum, Deus igitur non est causa omnis rei absolutæ. Si primum, ergò Deus est causa peccati. Cæterùm Caietanus putat suam sententiam esse S. Thomæ doctrinam *lib. 3. contra gent. cap. 9. & 1.2. q. 18. a. 5. ad 2. & 2.2. q. 10. a. 5. ad 1. & p. 1. q. 48. a. 1. ad 2.* Ego tamen id verum esse non puto, nisi Caietani sententiam mitius, & benignius in aliũ sensum trahamus, vt inferiùs declarabo. Secunda opinio docet peccati rationem ex duobus, & in duobus consistere; ex re inquam, vel ex actu, & priuatione. Hãc colligit ex S. Thoma *1.2. quæst. 71. art. 6.* Ferrar. *3. contra Gent. cap. 9.* Sed hoc dici non potest: nihil enim ratione, & natura sua consistere potest ex his duobus, nimirum re, & priuatione. Priuatio enim rem sequitur, non constituit: quare, aut ratio alicuius est sola priuatio, cuiusmodi est ratio mortis, cæcitatis, tenebrarum; aut negatio, vt nó entis, chimæræ, aut tragelaphi; aut est res aliqua, vt caloris, frigoris: nisi dixeris peccatum esse priuationem boni in aliquo actu consistentem, quod prædictis locis S. Thomas manifestò tradidit, vt statim explicabo.

q. 18. art. 5. sic Medina 1.2. q. 71. a. 6. vbi ait Canum quoque cũ Caietano ex parte sensisse.

His igitur sententijs explosis, duæ sunt opiniones; prima, communi ferè Theologorum cõsensu est recepta, quam docuerũt Altisio. *lib. 2. tract. 7. c. 1. & tract. 14. c. 1.* Alex. *p. 2. q. 94. m. 1. & q. 97. m. 1.* Bona. *2. d. 34. a. 2. q. 3.* Richar. *2. d. 34. a. 1. q. 1. & d. 35. art. 1. q. 1.* Henric. *quodl. 1. q. 25.* Scot. *2. d. 34. 35. 36. 37. ß. istæ quæstiones.* Dur. *2. d. 25. q. 2.* Ocham, *quodl. 3. q. 6. & q. 14.* Gabr. *2. d. 35. q. 1. a. 2.* Almai. *tract. 3. mor. c. 17.* & Marsil. *2. q. 21. art. 1.* Peccati rationem sola priuatione compleri, ex hoc quod peccatum sit alicuius boni & recti, quod deberet cum ratione congruere,

Cai 1.2. q. 71. ar. 6. &

priuatio. Augustinus, & alij Patres passim docuerunt, Peccatum in negatione, seu priuatione consistere; & ideò sine Deo fieri; quia alioqui aliquid esset, quod sine Deo fieret, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil: peccatum enim absque Deo sit, ergò nihil est. Deindè, quia omne quod est, hoc ipso quod est, bonum etiam est: Si igitur malum est, ideo est, quia recto caret, quod deberet habere. Accedit his, quòd statim, atque aliquid concipitur mentis cogitatione recto carere, quod deberet habere, intelligitur esse malum, ante non item. Hæc sententia est sumpta ex Patribus. Dionys. *lib. de diuin. nom. cap. 4. August. de Manichæ. moribus cap. 5. 6. 7. & 8. & in illud Ioan. 1. Sine ipso factum est nihil*, & Leo. *epist. 93. ad Toribium cap. 6.* Anselm. *de caus. diab. cap. 8. 9. 10. 11. & 15. & 16. & de concept. Virg. cap. 4. 5. & 6.* Secunda opinio, peccati rationem, ait, totam in re sine priuatione perfici, ex hoc quòd peccatum sit actus rectæ rationi contrarius: idque probat multis argumentis. Primò, quia odium Dei, mendacium, & alij actus per se mali, peccata non sunt ob id, quòd careant recto, quod deberent habere: nihil enim recti habere queunt, cum sint per se mali: ergò ideo sunt peccata, quia sunt actus cum recta ratione pugnantes. Deindè, vni virtuti multa vitia, & peccata opponuntur. Iustitia enim (exempli gratia) est vna specie virtus; & tamen iniustitiæ peccata sunt multa, homicidium, adulterium, detractio, contumelia, furtum: Item liberalitas, vna est virtus; & tamen vitia opposita sunt duo: Auarus enim, & prodigus, liberali opponuntur: Castitas item, vna virtus est, & tamen multa vitia, & peccata sunt luxuriæ, & libidinis vni castitati, & pudicitiæ inimica, & aduersa, nempè cum Scorto congressus, adulterium, incestus, stuprum, & alia his coniuncta. Ergò eiusmodi vitia, & peccata non sunt priuationes boni, vnius enim boni vnica tantùm priuatio est. Ergo ideo sunt tot peccata virtuti contraria, quia sunt multi actus in vnius virtutis subiecta re & materia, rectæ rationi contrarij: aliter enim cum recta ratione pugnat, qui alteri vitam adimit, atque is, qui honori, aut famæ alienæ detrahit, aut alienum surripit, aut rem cum aliena habet vxore. Item quia habitus vitiosus omninò est virtuti contrarius: at duo habitus contrarij absque vlla priuatione sibi inuicem aduersantur: quemadmodum etiam in physicis, calidum, & frigidum; siccum, & humidum sunt inter se contraria: ergo etiam duo actus virtutis, & vitij, cum sibi inuicem aduersentur, absque priuatione sunt. Postremò, quoniam omnis priuatio in re aliqua, vt in subiecta materia inhæret: at in actibus, qui sunt per se mali, cuiusmodi sunt odium Dei, & mendacium, furtum, homicidium, adulterium, detractio; res subiecta non est; non enim esse potest ipse actus, nec voluntas, nec homo, vt certum, & compertum est: voluntas enim, aut homo peccare dicitur, peccatum non item. Hæc opinio meo iudicio est eadem, quæ Caietani, non tamen eo sensu, quem insinuasse Caietanus videtur: quoniam non censet cum Caietano peccati rationem consistere in qualitate, formula, siue re aliqua absoluta, quæ sit per se mala, sed in respectu, & ordine rationi contrario, qui consequitur actum humanum, vt scienter, & voluntariè ac liberè contra rationem ab homine fit, non autè vt fit à Deo, quia homo, non Deus contra ius, fas, & rationem agit. Aliud verò est dicere peccatum sua ratione consistere non in aliquo absoluto, quod sit per se malum, sed in quodam ordine, & respectu rationi contrario, qui consequitur actionem humanam, non vt profectam à Deo, sed vt productam ab homine; aliud verò est, dicere peccati rationem consistere in aliquo absoluto, quod est per se malum. Hoc secundum videtur Caietanus docere, nisi mitiùs interpretemur: illud primum censet secunda sententia, quam dixi.

In hac controuersia prima opinio semper fuit communi Theologorum consensu comprobata: nec ita firmæ, & validæ ad eam conuellendam rationes adhibentur, vt dissolui nequeant: licet quidam existiment efficacibus eam argumentis confutari; quare cum adeò sit inter Theologos communis, non est, cur quispiam meritò putet eam improbabilem esse. Quòd si eam sequi malimus, tunc iuxta aliquorum sententiam dicere oportet, actus, qui sunt per suam naturam mali (cuiusmodi sunt odium Dei, & mendacium, & id genus alij, vt sæpè iam diximus) ideò esse peccata, non quia bono & recto careant, quo præditi deberent esse, quatenus tales actus sunt in certa specie repositi: nam vt tales sunt, nihil recti, aut boni habere possunt in se; sed quia vt constituuntur in genere actus humani, & voluntarij, recti, & boni deberent esse, cum tamen sint mali. In naturalibus enim aliqua etiam dicuntur priuari forma sibi debita, non quidem vt specie talia sunt, sed vt certo genere constant. nam talpæ ex tota sua specie visu, & oculis priuatæ esse dicuntur; quia saltem ea ratione, qua sunt animalia, deberent esse aspectu præditæ, quem tamen non habere perhibentur. Item licet voluntas lege, aut præcepto aliquo non compellatur ad Deum nunc diligendum, aut amandum Titium: hoc ipso tamen quòd operatur, conuenienter rationi deberet agere, & ideo peccat odio habendo Deum, aut Titio inuidendo: quia actus eius hoc ipso, quòd est voluntarius, & liber, deberet esse rectæ rationi consentaneus: Ergò est malus, quoniam caret recto, quod deberet habere, vt actus voluntarius, & liber est. Insuper, actus ideo malus est, quoniam caret respectu, & ordine cum recta ratione, & Dei lege conueniente: sicut actus bonus est, qui cum recta ratione, & Dei lege congruit. Præterea, vni virtuti multa peccata specie distincta opponuntur, non simpliciter, vt sunt vnius virtutis priuationes: hac enim ratione cum forma sit vnius speciei, eius priuationes specie differre non queunt, sed quatenus sunt priuationes alicuius boni specie distincti, & rationi debiti. Verbi gratia, iustitiæ est vna tantùm species; adulterium tamen, homicidium, detractio, contumelia, furtum, sunt peccata iniustitiæ specie diuersa: nam licet iustitia sit vna tantummodo, iniustitia tamen in species diuiditur, eo quod iniustitia, priuatio quidem iustitiæ est, sed cum damno, & iniuria alteri illata: quæ varia est ex hoc, quod versatur in re, & materia specie diuersa. Adulterium enim in materia luxuriæ, & libidinis caret bonitate debita, quia est con-

gressus

greſſus cum fœmina, quæ eſt vxor aliena, cum damno, & iniuria alterius coniugis: Homicidium eſt actus, quo alteri homini vitam eripimus: Detractio eſt, qua famæ alienæ; contumelia verò, qua honori proximi nocemus: Furtum, quo rem alienã ſurripimus. Omne igitur peccatum, qua tale eſt, priuatio eſt, vel certi actus, qui fieri deberet, cuiuſmodi eſt omiſſio, vel materiæ, vel obiecti, vel circunſtantiæ debitæ, vt actus alioqui ex obiecto, & materia bonus, factus tamen in loco, vel tempore interdicto, vel modo vetito; vel ob finem malum, vel ab homine, qui id operis facere prohibetur, vel denique eſt priuatio ordinis, & conuenientiæ rationis: Sicut enim actus bonus eſt, qui fit conuenienter rationi, ſic actus malus eſt, qui caret conuenientia rationis, cum tamen eo ipſo, quod actus humanus eſt, congruenter rationi, & Dei legi fieri deberet. Mihi communis Theologorum prædicta ſententia probatur; eam ſic intelligo, actus bonus ideo eſt bonus; quia eſt rationi conſentaneus, nec bonitas in eo eſt qualitas, vel res aliqua accedens, ſed eſt ordo, & conuenientia rationis: ſicut enim actus intellectus eſt verus, quia conuenit cum re, de qua quidpiam affirmamus, vel negamus, ſic etiam actus voluntatis eſt bonus, quia cum recta ratione conuenit: actus igitur malus eſt, qui caret ordine, & conuenientia rationis: vndè peccatum, quia actus eſt, in re aliqua, & materia verſatur, at quia malus eſt, vacat ordine, & conuenientia rationis, ſed in certa aliqua materia, & re obiecta, in qua actus ipſe terminatur. Non igitur communis Theologorum ſententia intelligit peccatum vniuersè eſſe priuationem certæ virtutis, aut actus debiti, ſed boni, quod rectæ rationi debetur, hoc eſt reſpectus, & ordinis rectæ rationi, & legi Dei conſentanei; & propterea, licet virtus ſit vnius tantùm formæ, peccata tamen ei oppoſita poſſunt ſpecie differre ob varias circunſtantias loci, temporis, modi, perſonæ, finis, materiæ, & rei ſubiectæ. Ita vt peccatum omne, ſit actus carens recto, quod deberet habere: eo quòd careat, vel debito obiecto, materia, modo, fine, vel alia circunſtantia. Denique eo quòd careat reſpectu, & ordine, cum recta ratione, & Dei lege congruente, vel quòd careat ordine, & conuenientia rationis, quam habere deberet: omnis enim actio humana, vt humana eſt liberè facta, conuenienter rationi fieri debet, ergò ſi non fit, caret conuenientia rationis debita. Obijcies in hunc modum, Actio mala, vt humana eſt, rationem generis tantùm habet, at ſic accepta non caret aliquo ſibi debito, ſiquidem totam generis rationem habet, eſt enim actio voluntaria liberè facta, cui rationis conuenientia non debetur, eo quòd actio, vt humana eſt, generatim accipitur, nec potiùs eſt bona, quàm mala. Reſpõdeo, actum humanum, in bonum, & malum non diuidi, vt genus in ſpecies, ſed potiùs diſtingui per habitum, & priuationem; nam actus vt humanus eſt, debet conuenienter rationi fieri, ac proindè cum non fit congruenter rationi, caret ordine, & conuenientia rationis, quam habere debet. Si quæras, quando actus ſunt per ſe mali, cuiuſmodi ſunt odium Dei, mendacium, furtum, homicidium, vbi nam hæreat, & inſit priuatio, Reſpondeo, priuationem in actibus malis non ſemper eſſe abſentiam alicuius formæ abſolutæ, qualis priuatio eſt in naturalibus, cuiuſmodi eſt cæcitas, ſurditas, mors, tenebræ. Sed eſſe priuationem alicuius ad alterum relati, nimirum ordinis, & conuenientiæ rationis, & habet hanc actus malus, eo ipſo quod actus humanus eſt à lege Dei, & recta ratione diſſentiens: nam homo quatenus ſponte ſua, & voluntate agit, conuenienter rationi, ac proindè legi Dei debet agere, & idcircò actus per ſe mali carent ordine, & conuenientia rationis, vt liberè ab homine fiunt; ab efficiente enim actus mali inquinantur, qui ab alio facti non macularentur. neque enim mendacium, qua actus eſt, vel quatenus eſt, malus eſt, ſed quatenus vacat ordine, & conuenientia rationis: nam omne, quod eſt, hoc ipſo quòd eſt, bonum eſt, ſed quia malum rationis eſt, caret ordine, & conuenientia rationis; & ideò peccatũ eſt. quo modo verò hæc duo cohæreant inter ſe, videlicet peccati rationem in priuatione cõſiſtere, & nihilominus peccata ſpecie per obiecta diſtingui, & patet ex dictis, & inferius, cum de peccatorum diſtinctione tractabo, commodius exponam. Secunda opinio quibuſdam videtur probabilis, & quæ non minus facilè, quàm prima defendi, & intelligi poteſt. Sed non eo modo, quem in Caietano ſuperius confutaui. Etenim peccatum, eſt actus, vel omiſſio debiti actus contra rectam rationem, quęcunq; ſit illa, ſiue naturalis, naturaliter aliquid agendum, vel fugiendum præſcribens; ſiue humana lege, & inſtitutione principum, iuſtè aliquid præcipiens, aut vetans; ſiue diuina, & ſupernaturalis. Ratio igitur peccati completur, ac perficitur in ea ratione, qua actus voluntarius, & liber, eſt rectæ rationi cõtrarius: quemadmodum enim bonum moris cõſiſtit in hoc, quòd ſit actus cum recta ratione conientiens: ſic malum rationis, quod eſt peccatum, conſiſtit in hoc, quod cum recta ratione pugnet. Neque, inquiunt, hinc èfficitur; vt peccatum ſit à Deo: quoniam ſicut actus, iuxta primam opinionem ex omni parte, qua res, & actus eſt, à Deo dicitur eſſe, & fieri; quia omne, quod eſt, à Deo habet, vt ſit; nihilominus tamen, vt eſt ordine, & conuenientia rectæ rationis ſibi debita priuatus, non eſt à Deo, ſed ab homine peccante: ita etiam idem actus peccati, vt eſt cum reſpectu, & ordine rectæ rationi contrarius, non eſt à Deo, ſed ab homine: nam licet Deus eo ipſo, quòd eſt auctor rerum omnium, ſit quoque cauſa reſpectus, & ordinis boni, qui rem aliquam conſequitur, non tamen continuò fit, vt ſicut eſt cauſa operis, vt actus quidam eſt, ſit etiam cauſa ordinis, & reſpectus, quem actus malus habet rationi contrarium. Deus enim contra rectam rationem non agit; cum tamẽ homo, dum peccat, rectæ rationi aduerſetur, ac propterea reſpectus, & ordo rationi cõtrarius ſequitur actum, vt ſit ab homine, non vt ſit à Deo. Et fortaſſe hoc idem dicere voluit Caietanus ſecundum ſuam illam opinionem ſuperius à me cõfutatam, ſi ad benigniorem ſenſum trahamus. Hæc enim opinio ſecunda non docet in actu malo, ſiue peccato tria eſſe, ſed tantum duo: ſcilicet rem ipſam, quæ eſt peccatum, hoc eſt actũ hominis, quatenus actus quidam eſt: & reſpectum, & ordinẽ cum ratione pugnantem:

ait igitur hæc opinio peccati rationem consistere in eo respectu & ordine, qui est rationi cõtrarius. At Caietanus in peccato tria esse affirmat: primũ, inquit, habet peccatum, quòd sit quidam actus in genere naturæ, habet etiam, quòd careat recto, quòd habere deberet, in quo priuatio consistit: item habet quòd sit quiddam medium inter actum in genere naturæ positum, & priuationem: quoniam antequam priuationem vllam cogitemus, actus habet peccati rationem. Et hoc est quod superius dixi esse absurdũ, & iuxta aliquorum sententiam temerarium: si tamen velit Caietanus peccati rationem consistere in actu, non quatenus est actus quidam, sed quatenus est cum respectu, & ordine dissentaneo, siue contrario rationi, tunc cum secunda sententia cõuenit, quam licet ego non probem, temerariam tamen esse non credo.

Septimò quæritur, An sint aliqui actus, ita per se mali, vt nulla ratione benè fieri queant, & ita mali, vt remoto etiam quocunque Dei præcepto, peccata sint: an verò omne peccatũ, ideò sit peccatum, quia Dei præcepto repugnet. Sed hanc quæstionem inferiùs expediam.

Cap. II.

Quomodo peccata specie inter se differant.

Aug. lib. 12 de ciuit. c. 6. & lib. 2. de libe. arbit. c. 18. et. 20.

PRIMO quæritur, An id verum sit, quod communis Theologorum schola tradit; In omni peccato præsertim lethali esse auersionẽ à Deo, & cõuersionem ad creaturam. Augustinus enim, à quo deindè acceperunt Theologi *secundo sententiarum dist. 35. Malum*, inquit, *est auersio voluntatis ab incommutabili bono ad mutabilia bona*; quod tamen non videtur verum in vniuersum. Nam in odio Dei nulla videtur inesse conuersio ad creaturam: & in odio, maleuolentia, & inuidentia in proximũ, nulla inest auersio à Deo. Non enim peccatum omne contra Deum proximè fit, cum multa etiam contra hominem committãtur. Respondet Scot. *dist. 35. q. 1. §. ex ista solut.* & Gabr. *2. d. 36. q. 1. art. 3. dub. 1.* Posse nos dupliciter auerti à Deo; vel expressè, & explicitè, vel tacitè, & implicitè: Expressè quidem, & explicitè auertimur per actum contrariũ & aduersum fidei, spei, vel charitati: vel cum actum fidei, spei, vel charitatis omittimus, cũ credere alioqui, sperare, vel amare deberemus. Implicitè verò, & tacitè à Deo auertimur, hoc ipso, quòd à re necessaria ad salutẽ æternam, nos ipsi auertimus, & auocamus. Sicut hoc ipso (exempli gratia) quòd ægrotus sese abducit, & abstrahit à cibo, vel potu necessario ad salutem corporis adipiscendã, deflectit, & aberrat à fine, qui est corporis sanitas. Eodem prorsus modo, cum quis à re necessaria ad salutem æternam auertitur, hoc ipso à Deo, qui vltimus finis hominis est, se ipse alienat, & separat. Inde fit, vt in omni peccato lethali sit auersio à Deo implicita tantùm non explicita: nam quisquis grauiter peccat, agit contra

Matth 19. præcepta Dei: at Christus Dominus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata.* Omne igitur graue peccatum contra aliquid est, quod sit ad gloriam cælestem consequendam necessarium. Item omne peccatum lethale nos seiungit, & diuellit à gratia, & charitate Dei, ergò nos quoque auertit à Deo, qui noster est finis, cũ quo nos gratia, & charitas coniungit, & copulat. *Quæres*, qua ratione in omni peccato fit cõuersio ad creaturam; id enim non videtur locum habere in peccato, quo quis odio habet Deum, aut peccatorum veniam, & vitam æternã desperat. Respondeo, Hominẽ, quando grauiter peccat, nequaquam intendere in malum, quatenus malum est, sed quatenus vtile sibi, vel iucundum, quod tamen nouit esse rectæ rationi contrarium: & proindè dicitur ad creaturam conuerti, quia peccãdo, vtilitatem, & delectationem suam in eo, quod perperam facit, quærit & amat. Item qui peccat, sese conuertit ad actum aliquem, quò à gratia Dei, & charitate excidit, & propterea hoc ipso, sese abducit, & auertit à Deo.

Secundò quæritur, Quomodo peccatũ in Theologorũ Schola dicatur hominem vulnerare in naturalibus; cum tamen Dionysius aperte tradiderit, in Angelis post peccatum naturalia omnia integra permansisse. Respondent, Alex. *p. 2. q. 95. in 2.* S. Tho. *1. 2. q. 85. a. 1. & 2.* & cæteri omnes *in 2. dist. 35.* commune esse Theologorum axioma, per peccatum hominẽ in naturalibus vulnerari: quod vnde acceperint, mihi planè nõ constat. Putant quidã, id eos ex Beda, alij ex Glossa sumpsisse; quamuis ij auctores non id adeo perspicuè, & clarè docuerint. Sed quicquid sit de illius sententiæ Auctore, negandum non est, id proditum à Magistro sententiarum fuisse, quem omnes postea sunt secuti. Glossa *in c. Luc. 11. Peccata vulnerant* (inquit) *quia humanæ naturæ integritas violatur.* Augustinus item *in Enchiridio. c. 11.* sic ait: *Animorum vitia, naturalium sunt priuationes bonorum.*

Dion. c. 4. de Diuin. nominib.

Sensus itaque eius axiomatis Theologici est, non quod aliquid ex naturalibus, vel proprijs principijs, aut conditionibus naturæ, sit ex toto, vel ex parte detractum: atque hoc voluit Dionysius, naturalia dicens mansisse integra in Angelis post peccatum. Nec item quod per actum malum aliquid fit in homine genitum, aut inuectum in animum, quod post actum permaneat: nam etsi ex peccatis frequenter repetitis habitus vitiosi comparentur, non tamen peccatum semper prauum generat habitum, sed quia, vt Scot. *2. d. 35. quæst. 1. §. ex ista solut. in fine.* Gabr. *2. dist. incl. 37. q. 1. art. 3. dubio 3.* docent, per peccatum homo fit minus habilis, & idoneus ad bonum rectæ rationis vsum. Vt enim corpus accepto vulnere, minus expeditum, & aptum est ad suas functiones obeundas, ita & animus per peccatum admissum est minus idoneus, & habilis ad benè, & honestè viuendum. Per peccatum igitur impeditur extrinsecus homo, ne rectæ rationis officium præstet: & quò sæpius peccat, eo magis à virtutis, & honestatis officio recedit: Immo ipsum peccatum, quia est rationi contrarium, hoc ipso est hominis naturæ aduersum, & proindè vulnus.

Sco. & Gabriel, locis paulo ante citatis.

Tertiò quæritur, An peccata specie distinguãtur per virtutes, quibus opponũtur, specie diuersas? Respõdeo, Minimè: quãuis Scot[us], & Gabriel, distingui fateantur per virtutes oppositas, quod probant tum auctoritate B. Aug. *lib. 12. de ciui. c. 8.* tũ ratione: quia peccatũ natura sua in recti priuatione cõsistit, ergo peccata specie ab se inuicẽ distãt, cum sint priuationes boni, & recti specie diuersi,

nimirum,

nimirum, quia carent diuersis circunstantijs rectæ rationi debitis. Præterea, quia in peccato actus & conuersio ad obiectum se habent vt materia; at priuatio & auersio est veluti forma; sed species rei à forma existit, ac surgit. Nihilominus tamen probabilis etiam est opposita sententia multis de causis. Primum enim iustitia est vnius formæ, & speciei: at iustitiæ peccata, sunt multa specie diuersa, vt superiùs iam dixi. Deindè, aliquando peccatum non est certæ alicui virtuti contrarium: non enim peccatum ideo dicitur, quòd sit virtuti vniuersim aduersũ, sed quòd cum recta ratione pugnet, quę est quid maius, excellentiusque virtute: quòd subiectis patebit exemplis. Voluntas, qua quis vult generatim malè viuere, & malè agere, certum est peccatum, non tamen contra certam aliquam virtutem, sed cõtra Syndereſim, vel rectam rationem, quæ præscribit, ac præcipit esse benè viuendum: nec enim certa aliqua virtus ponitur ad bonum vniuersè prosequendum, aut ad malum generatim fugiendum, quia ad hęc sumus naturaliter propensi per syndereſim, quæ est quippiam, vt paulò ante dixi, virtute maius; nec ad id habitu indigemus. Item, cum quis sibi mortem conscisit, non semper ex odio, ira, vel meliorum rerum desperatione se interficit: aliquando enim ex bono alioqui voluntatis affectu, videlicet nè in posterum peccet, ac Diuinam maiestatem offendat, aut ne corporis integritatem amittat, aut ne in Tyranni alicuius, vel hostis potestatem deueniat, sibi mortẽ affert. At verò quacunque causa ex prædictis sese interimat, nisi ad id diuinitus incitetur, graue absque dubio peccatum admittit, quia id per se rectæ rationi repugnat. Non enim humana ratio tantùm naturaliter præcipit, vti suam quisq; vitam defendat, & seruet, sed omnibus etiam animantibus immò rebus vniuersis, est à natura insitum vt seipsas tueantur, & protegant & contrarijs obsistant. Nec est vlla in homine specialis virtus ad se tuendum, & cõseruandum; quoniam quisque ex omni parte, qua est, naturali propensione ducitur ad sese tuendum: ideo ad se diligẽdum habitu non indiget. Postremò, quia Liberalitas est virtus specie tantùm vna; at liberali, Auarus, & Prodigus opponuntur, ac proinde Auari, & Prodigi peccata specie distincta, vni liberalitati aduersantur. si quis vellet Scoti opinioni adhærere, facilè posset hæc argumenta diluere: nam appellatione virtutũ intelligit ille Auctor non habitus studiosos vitijs oppositos, sed circũstantias varias rectæ rationi consentaneas, quarum priuationes sunt peccata, pro ipsarum circunstantiarum varietate diuersa.

Quartò quæritur, An peccata per obiectas res, distinguantur specie? Respondeo cum S. Thom. 1.2. *quæst. 72. articul. 1.* cuius sententiam vno ore eius discipuli sequuntur, distingui per obiecta: sic enim illi loquuntur. Peccata etenim sunt actus; at actus per res obiectas specie inter se distant. Sed est animaduertẽdum, obiecta accipi debere cum respectu & ordine, quo sunt rectæ rationi contraria: sæpè enim accidit, vt obiecta quatenus certæ res sunt, specie differant, nec tamen habeant cum recta ratione repugnantiam specie diuersam. V. G. si quispiam edendo carnes, vel pisces, intemperans sit, carnes quidem vel pisces, specie distinguuntur, vt res sunt; non ita tamen differunt, vt rectæ rationi aduersantur. Sic etiam hominem occidere, vel iugulando, vel suffocando, vel igni exurendo, vel lapidibus obruendo, vel cruci affigendo, vel alijs modis, actus sunt specie diuersi, & tamen homicidium est vnius rationis. Et hoc est, quod dici solet, obiecta in genere moris non differre interdum specie; cum tamen in genere rei, siue naturæ inter se inuicem distent. Et è contrario (exempli gratia) si centum aureos surripias clanculum ac inscio domino: aut per vim & iniuriam illatam rapias, & tibi vsurpes: in genere rei siue naturæ nulla est specie distinctio: at in genere moris sunt duo peccata specie diuersa, Rapina, & Furtum; quia per vim, aut clanculum, alienum occupare non eodem modo cum recta ratione dissentit. *Quæres*; quo pacto hæc duo inter se conueniant; Peccatum sua ratione & naturâ in priuatione consistere, vt superius ostendi; & peccata specie differre per res sibi obiectas? Ob id Scotus, (quod paulò ante iam dixi) tradit peccata, vt priuationes, distingui per varias circunstantias rectę rationi congruentes, quarum sunt priuationes: & profectò, cum peccatum in priuatione consistat, probabilissimè loqui videtur. Nihilominus tamen S. Thomam quidam sequuti respondent: peccata consistere in priuatione, vel debitæ materiæ, & rei obiectę, vel debiti finis, vel circunstantiæ, & proinde peccata specie distingui non vt priuationes, sed quia sunt actus, qui versantur circa res obiectas rationi contrarias, licet omne peccatum sit priuatio. Cæterùm hoc alijs minimè probatur: nam si peccatum generatim acceptum, in priuatione suapte natura consistit, necesse est, vt eo ipso quò vnum peccatum ab alio specie distinguitur, diuersam specie priuationem contineat: ita vt quot sunt peccata specie distincta, totidem sint priuationes bonorum. Responderi facilè potest, peccatum esse actum ordine, & conuenientia rationis carentem, vnde peccata sunt etiam specie diuersa, vt priuationes, quoniam carent rationis ordine, & conuenientia in rebus obiectis specie distinctis. V. G. furtum & homicidium, odium Dei, & mendacium sunt peccata specie diuersa, quia carent ordine, & conuenientia rationis in re, & materia specie distincta; & ideo. S. Thom. peccata merito per res obiectas distinxit, quoniam actus sunt.

Quintò quæritur, An peccata specie distinguãtur per præcepta quibus vetantur? Scot. 2. d. 37. q. 1. Gabr. 2. d. 35. q. 1. artic. 3. videntur docere, ea peccata specie differre, quæ contra diuersa virtutum præcepta committuntur. Verùm S. Thom. 1.2. q. 71 *art. 6. ad 2.* Alexand. *part. 2. quæst. 115. in 2.* apertè tradunt, peccata inter sese non ideo specie distare, quod sint contra diuersa præcepta: nam distincta sunt Decalogi mandata: Non furaberis. Non concupisces rem proximi tui; & tamen furtum, cupiditasue furandi sunt eiusdem speciei. Diuersa item sunt præcepta Decalogi hæc: Non mœchaberis, & Non concupisces vxorem proximi tui: sed Adulterium, & voluntas id perpetrandi ad eandem speciẽ omnino referũtur. Præterea diuersa præcepta sunt hæc; Non furaberis, & Restitues

rem alienam; & tamen furari, & Rem alienam non restituere, sunt peccata eiusdem speciei, vtpotè contra iustitiam alteri debitam. Hęc opinio magis accedit ad veritatem: neque enim peccata ex præceptis distinguuntur, nisi quatenus præcepta certam, & specialem cum recta ratione repugnantiã habent. Quò fit, vt peccata præcisè inter se inuicem specie distent, quia specialiter sunt rectæ rationi contraria, siue diuersis præceptis, siue vno & eodẽ vetentur: & propterea peccata, quæ contra diuersas specie virtutes admittuntur, specie differunt, quia specialiter cum recta ratione dissentiunt, & pugnant. Quare si quis voto Castitatis adstrictus, cum aliena vxore rem habeat, peccatum in triplici specie constitutũ committit: vnum quidem luxuriæ siue libidinis, quia rem habet cum fœmina sibi non nupta; alterum iniustitiæ, quia ad vxorem alienam accedit: tertium Religionis violatę, cuius actus est votũ Deo nuncupatum. Pari ratione, qui ex odio occidit alterum, duplex peccatum admittit specie distinctum; primum est odij, quod est contra charitatem; secundum iniustitiæ, quia alteri homini vitam adimit tantopere charam & iucundam cuique. Ex his omnibus licet intelligere, posse aliquod peccatum esse eiusdem speciei quanquam alioqui sit lege naturali damnatum, & diuina, & humana interdictum, quia tum diuina, tum humana lex potest id prohibere eadem ratione qua lex naturalis vetat, & damnat. Exemplum horum, quæ diximus, esto: lex naturalis prohibet furtum simplex, quia est speciale peccatum certam cum recta ratione repugnantiam habens: est enim rei alienæ inuito domino vsurpatio, quæ hoc ipso à ratione dissentanea est. Interdicit quoque idem furtum Diuina lex scripta; id etiam vetant leges humanæ: sed non propterea furtum specie distinguitur, quia licet sint tria præcepta, eadem tamen ratione furtum condemnant, & prohibent.

Nauar. in Manua. ca. 11. nu. 4

Sextò quæritur, An quando duo numero præcepta vno actu violantur, insint in eiusmodi actu duæ peccati prauitates, an vna tantummodo? Nauarrus in vniuersum ait esse duas peccati turpitudines, numero in genere moris distinctas, & debere in sacra peccatorum confessione detegi: vtputà, si inciderit anniuersaria celebritas Sancti Matthię in diem Dominicam, aut peruigilium Sancti Matthęi, in ieiunium Quatuor temporum, & Titius, vel ieiunium in peruigilio Apostoli, vel rem diuinam omisit in die Dominica, peccatum duplicis deformitatis admittit. At enim hęc sententia mihi minimè probatur. Nec enim in eiusmodi omissione, duo peccata esse possunt, eo quod duobus præceptis aduersentur: nam vt ante iam dixi, peccata specie non differunt ex sola distinctione præceptorum, quia leges specie diuersæ possunt eadem ratione, certũ aliquod peccatum prohibere: ergo pari modo ex hoc, quod præcepta sint numero distincta, non ideo fit, vt peccata numero differant, cum diuersa alioqui numero præcepta certum peccati genus eadem penitus ratione inhibere queant. Præcipit Ecclesia, vt in die sanctis Apostolis sacro, & in Dominico item die res diuina audiatur, & ab opere seruili abstineatur, id iubet tanquam opus, & officium religionis Deo debitæ. Indicit præterea ieiunium in quatuor anni temporibus, & in sacris Apostolorum peruigilijs, sed id tanquam actum Virtutis Temperantiæ. Ex opinione quoque Nauarri multa colligerentur, quæ minimè videntur probanda. In primis qui beneficium habens Ecclesiasticum, & sacris ordinibus initiatus recitare Diuini officij preces omitteret, duo profectò iuxta eam sententiam peccata committeret, & ratione beneficij, & ratione sacri Ordinis; nam his duabus de causis est præceptum, & lex, pensum Diuini officij persoluendi. Deindè, qui tria quattuoruè iustæ, ac legitimæ Pontificiæ indulgẽtiæ priuilegio, beneficia Ecclesiastica haberet, & officium diuinum prætermitteret, tria ille quattuoruè peccata simul faceret: quia quodlibet Ecclesiasticum beneficium per se, recitandi preces Horarias, legem, & præceptum continet. Presbyter item grauis alicuius criminis cõscius Missæ sacrificium faciens & offerens, lethale triplex peccatum incurreret: namque ille præcepto compellitur ad dignè consecrandum, & ad dignè offerendum, & ad dignè itidem corpus Domini sumendum, & edendum quod consecrauit & obtulit: quæ tria præcepta violat, rem diuinam faciendo: quod sanè videtur absurdum. Præterea, qui votum semel tantùm Deo nuncupatum centies confirmaret, quotiescunque contra illud ageret, peccatum centum maculis affectum committeret: quia centies votum confirmando, toties sese Deo obligauit. Titius insuper præceptũ sibi à tribus Præfectis, quibus est subiectus, datum violando, crimen admitteret triplici deformitate maculatum. Postremò, Titius Religionem professus, & sacris ordinibus initiatus, si contra castitatem delinqueret, dupliciter peccaret, quia ageret contra votum in professione Religionis, & sacrorum ordinum susceptione factum. Peccata igitur sicut specie non differunt per præcepta, nisi quando certam & specie diuersam cum recta ratione repugnantiam habent, sic etiam non possunt numero distingui, nisi sint actus qui numero ab eadem ratione dissentiant: quod quidem minimè cernitur in eo actu, qui vnus est numero contra diuersa numero præcepta certam peccati speciem eadem ratione prohibentia. Inde fit, vt si Collegij alicuius Præfectus, vel Academiæ Rector, scholasticis, vel collegis sibi subiectis aliquid præcipiat ratione iurisiurandi præstiti & adhibiti, quod alioqui sit, vel lege diuina, vel naturali imperatum, duplicis fœditatis peccatum admittant Scholastici, si Præfecti, vel Rectoris præceptum negligant. Nam contra iusiurandum agere, est speciale peccatum, virtuti, religioni, cuius actus & officium est iusiurandum, manifestè contrarium; & peculiare aliud peccatum est agere contra legem naturalem, vel diuinam, quã ponimus à Scholasticis etiam illis, vel collegis fuisse violatam. Pari ratione si Religiosi cuiuspiam ordinis Præpositus virtute sanctæ obediẽtiæ aliquid præcipiat sibi subdito iure alioqui naturali vel diuino damnatũ, dupliciter peccabit ille Religiosus id præceptum non seruans, tum quia votum violat, tum quia contra legẽ naturalem vel diuinam facit. Ex quo fit, vt Religiosus sexta feria, in quam incidit peruigilium sancti Mat-

cti Matthæi, ieiuniũ violans, duplici peccati prauitate seſe obſtringat, ſi eo die vi voti, vel inſtituti ſui profeſſione ieiunium ſeruare debeat cũ etiam id ſuſcipere, & colere Eccleſiæ præcepto ſeu lege cogatur.

Septimò quæritur, An peccata contra legem naturæ commiſſa, ſpecie diſtinguantur ab ijs, quæ cõtra legem diuinam, vel humanam admittuntur? vt commodiùs propoſitæ quæſtioni reſpondeam, annotandum puto, ea eſſe legis naturæ, quæ ratio naturaliter præſcribit: cuius generis ſunt omnia præcepta Decalogi: Ea verò eſſe legis Diuinæ, quæ Deus proximè præcipit vel vetat, cum tamen rationem naturalem fugiant, lateantque, & huiuſmodi ſunt præcepta Fidei & ſacramentorum, atque hæc quidem ad legem Diuinam, ſed ſupernaturalem ſpectant: ea item quæ Deus proximè per ſeipſum iubet, aut prohibet, quæ tamen ratio naturalis, nec præcipit, nec vetat legis diuinæ ſunt, & talia erant præcepta in lege veteri ſcripta, quæ ad cæremonias, & iudicia pertinebant: Ea autem ſunt legis humanæ, quæ voluntate, & inſtitutione hominum præcipiuntur; cum tamen ea nec lex naturæ, nec diuina imperet aut vetet: & tunc peccata contra tres huiuſmodi leges cõmiſſa inter ſeſe ſpecie diſtinguuntur, eo quòd certam & peculiarem cum recta ratione repugnantiam contineant. Nam quæ lege naturæ damnantur, rectę rationi planè contraria ſunt: quæ verò lege humana imperantur, in certa aliqua virtutis materia, & officio reponuntur. Exempli gratia: Præcipit Eccleſia vt decima pars fructuum, qui quotannis colliguntur, ſuis miniſtris ſoluatur, hoc ipſo decimam ſoluere, eſt actus iuſtitiæ, ita vt eam denegare, ſit furtũ: imperat item lex ciuilis vt Principi tributa pendantur; & proinde in reddendis ijs, eſt officium iuſtitiæ, in detrahẽdis eſt peccatum furti. Ab Eccleſia indicuntur ieiunia, quibus indictis ieiuniũ ſeruare, eſt actus Temperantiæ; illud verò negligere, intemperantiæ. Item ob ſanctitatem loco ſacro debitam, præcipit Eccleſia, ne templa polluantur, voluntaria aut ſanguinis effuſione, aut emiſſione ſeminis: propterea ſi contra fiat, ſpeciale peccatum committitur, & contra ſpecialem religionis virtutem, cuius eſt ſacra religioſè, & ſanctè tractare: eadem ratione, quia prohibet Eccleſia, ne ad templa ſalutis cauſa confugientes homines, extrahantur ad carceres; ideo ſi ſecus fiat, ſpeciale peccatum admittitur contra immunitatem Eccleſiarum. Ita etiam lex diuina multa iubet aut vetat, quæ hoc ipſo in aliquo debito virtutis officio conſtituuntur, quamuis alioqui eſſent per ſe media, & indifferentia. Multa item vouemus, vel iuramus quæ ante libera erant, ſed vi voti vel iuriſiurandi ſunt debita religionis officia. Colligitur ex dictis, in ijs, quæ lege humana imperantur, cum alioqui eſſent indifferentia, animaduertendum eſſe, in qua virtutis materia, & officio ea reponantur: inde enim patebit quale peccatum ſit legis humanæ violatio, ſiue contemptio.

S. Th. 1.2. q.72. ar.3.

Octauò quæritur, An peccata per cauſas, ex quibus oriuntur, & proficiſcuntur, vt quædam effecta, ſpecie diſtinguantur? Reſpondeo, minimè diſtingui, nam peccata ex materia, vel obiecta re, vel ex fine, ſpecie, & ratione differunt, nó ex cauſis efficientibus vel mouentibus. Quoniam homicidium cum ſit vnum & idem, poteſt oriri ex ſuperbia, contemptu, ira, odio, inuidia, ac ſimilibus alijs. Item cũ quis ſibi ipſi manus infert violentas, ſemper vnius ſpecialis rationis peccatum admittit, videlicet contra rectam rationem, quæ naturaliter præſcribit, & præcipit cuique, vti ſeipſum tueatur & ſeruet: quo modo etiam vniuerſæ res naturali propenſione ſeſe conſeruant, & ijs, quæ ſibi aduerſantur, obſiſtunt, & tamen multos videmus, qui ſeipſos interimant, ex varijs affectibus, quibus ducuntur, aliquando bonis, aliquando malis, ex ira, ex timore malorum, metu Tyranni vel hoſtium, denique ex deſperatione rerum meliorum. Animaduertendum eſt, ex communi Theologorum ſententia, tres eſſe generales peccatorum cauſſas veluti fontes & origines. Peccata enim aut ex ignorãtia, aut ex infirmitate, & fragilitate naturę, aut ex malitia cõmittuntur. Ex ignorantia quidem, cum quis ideo peccat, quia ignorat: de ignorantia verò, ante ſuo loco iam dixi. Ex infirmitate naturæ delinquit quis, cum aliqua animi affectione impulſus, & motus contra rectam rationem agit. Omnis enim animi perturbatio & affectus, dicitur naturæ infirmitas: ſuo item loco de animi affectibus diſputaui. Ex malitia dicitur is peccare, qui praua voluntatis electione nulla ignorantia deluſus, nec vlla ſenſuum affectione incitatus, & motus, leges & iura perfringit. Quare is, qui ex infirmitate labitur, animaduertit ſe contra honeſtatem, & officium agere, ſed aliquo ſenſuum affectu impulſus, & illectus, bonum vtile vel iocundum honeſtati, & rectæ rationi anteponit, ſicut qui per ignorantiam delinquit, vtile vel iucundum amplectitur, honeſto per ignorantiam poſthabito: qui verò ex malitia peccat, vtile vel iucundũ honeſtate neglecta proſequitur, nulla perturbatione animi incitatus nec per ignorãtiam deceptus. Hinc fit, vt non ideò ex malitia quis diuinam legem infringere, & violare dicatur, quòd malum vt mali faciem habet, eligat: nemo enim malum quatenus malum, affectat, amat, aut eligit, ſed quod abſque vlla ignorantia, vel affectu incitante, atque impellente, malum vt ſibi vtile, vel iucundum, poſtpoſita ſcienter honeſti ratione velit, ac proſequatur. At dices cum Ariſtotele: *omnis peccans eſt ignorans.* Reſpondeo, ſenſum Philoſophi eſſe, omnes, qui peccant eſſe ignorantes, nimirum eos in eligendo, & operando aberrare, quoniam perperam eligunt & operantur. In eandem ſententiam dixit ſapiens: errant, qui operantur malum. Error autem in hoc conſiſtit, quòd animaduertens quis aliquid eſſe turpe, & rectæ rationi aduerſum, ac lege interdictum, id nihilominus appetit, probat, eligit, efficitque: nam id amat vt ſibi vtile & commodum, vel iucundum, honeſtati præferens vtilitatem, vel iucunditatẽ, vel voluptatem.

Ariſt. li 3. Ethi. ca.1.

Prouer. 14.

S. Th. 1.2. q.72. ar.4.

Nonò quæritur, An peccata ſint ſpecie diuerſa, ex eo, quòd committũtur in Deum, vel in proximum, vel ex hoc, quod quis in ſeipſum peccat? Reſpondeo, ea peccata contra Deum fieri, quæ per ſe proximè pugnant cum ijs virtutibus, quarum obiecta res, ſiue materia, finis & regula

eſt Deus:

est Deus: cuiusmodi sunt, quæ contra fidem, spem & charitatem admittuntur. Ea peccata contra proximum fiunt, quibus lædítur & violatur iustitia alteri debita. Tunc verò quis in seipsum delinquit, cum aliquid agit contra debitum temperantiæ, aut fortitudinis officium, vel contra rectam naturæ propensionem, qua nos ipsos, & nostra tueri & curare debemus. Ex quo fit, vt quę diximus tria peccatorum genera sint specie distincta, quia certo & peculiari modo à recta ratione discordent. Dices, Omne peccatum quo quis in seipsum, vel in proximum delinquit, contra Deum esse. Respondeo, esse quidem contra Deum, non tamen specialiter & directè, sed generaliter, qua ratione omne peccatum dicitur admitti cótra Deum. Animaduertere oportet, omne peccatum cótra nos ipsos, vel contra proximum admissum, etiam esse posse speciale peccatum contra Deum, nimirum si id fiat eo speciali affectu, & animo vt contra Deum peccetur, & offendatur Deus: tunc enim qui peccat, agit specialiter contra charitatem in Deum. Pari etiam modo, quamuis in omni peccato contra proximum admisso fit ratio generalis, quà proximus offenditur, erit tamen speciale peccatum contra proximum, si ea voluntate & animo fiat, vt proximus offensus in re aliqua lædatur, aut malè afficiatur. tunc enim specialiter peccatur contra charitatẽ & beneuolentiam proximo debitam, cum quippiam agitur, vt malè se Proximus habeat: cum quis delinquit, vt alteri noceat.

Cap. III.

De eo genere peccati quod omissionis vel commissionis nominatur.

S. Th. 1. 2. q. 72. ar. 2.

PRIMO quæritur, An peccatum omissionis specie differat ab eo, quod dicitur commissionis? Respondet S. Thomas, hęc duo peccata minimè inter se inuicem specie distare: Probat, quia contra eandem virtutem peccat, qui indictum ab Ecclesia ieiunium prætermittit, & is qui comedit, cum alioqui ieiunium suscipere, & seruare lege cogatur. Vnum etiam & idem peccatum est eius, qui non restituit alienum, & eius qui alienũ surripit. Quare concludit, prædicta peccata specie cõuenire, quando in eadem materia subiecta versantur; differre verò, quando in diuersa rei obiectæ materia consistunt. Peccata enim omissionis fiunt contra ea præcepta, quibus aliquid facere iubemur; Commissionis verò, contra iura & leges, quibus aliquid facere prohibemur. At enim exempla duo à S. Thoma proposita, id quod vult non videntur concludere: quia ieiunij præceptum, quamuis voce videatur in affirmatione consistere, sensu tamẽ negationem continet: nam ieiunium seruare, nihil aliud est, nisi, Non comedere; & proinde in comedendo est violatio præcepti, quod in affirmatione consistit; quodque est peccatum commissionis. Pari ratione præceptum restituendi voce quidem affirmationem habet, sed sententia tamen, etiam negatione constat, nempe, Alienum non retinere; & proinde qui non restituit, commissionis peccatum admittit, quia retinet alienum, quod est contemnere, & violare præceptum per negationem datum, ne alienum retineas. Quare peccata omissionis, vel commissionis si propriè & verè talia sint, possunt etiam specie distingui in eadem materia subiecta. Vt si quis in die festo omittat rem diuinam audire, vel rem Diuinam faciat, aut res sacras tractet indignè: aliud enim est Missæ sacrificio non interesse, siue non audire rem diuinam, aliud mali quidpiam committere contra religionem Missæ sacrificio debitam. Sic etiam aliud est, simpliciter indigenti non subuenire, quod cum ipsa misericordia pugnat, aliud verò ipsum occidere quod iustitiæ aduersatur, & eius leges labefactat, ac rumpit. Aliud item de te bene merito gratias non agere, aliud illi obstare & officere: verùm quod docet S. Thomas, hæc duo genera peccatorum, quę in omittendo vel committendo consistunt, specie non differre, negari non potest, quia aliquando non differunt, & id exempla à S. Thoma proposita cõcludunt: nam ieiunij seruandi præceptum, & restituendi alienum in affirmatione quadam ex parte consistit, iubemur enim alienum suo Domino reddere, & ieiunia ab ecclesia indicta seruare.

Secundò quæritur, An commissionis & omissionis peccatum sit peccatum speciale? S. Thomas vno quidem loco docet esse generale in ijs omnibus, quæ contra præcepta admittuntur vel omittuntur; alio verò loco tradit esse speciale: attamẽ in eo sibi ipsi S. Thomas nõ aduersatur: quoniam si quis aliquid lege vetitum, agat speciali voluntate & studio contra legem agendi, speciale peccatum commissionis admittit, quando verò specialis huiusmodi volũtas deest, generale est peccatum commissionis. Quando quis item præceptum omittit ea voluntate, affectu, & animo, vt quod sibi imperatum est, prætermittat, speciale peccatum omissionis incurrit, alioqui generale est peccatum omissionis. S. Tho. 1. 2. q. 72. ar. 2.

Tertiò quæritur, An peccatum omissionis possit esse absque vllo actu? Duæ sunt opiniones: Prima negat esse posse. Quam tribuunt. S. Thom. 1. 2. q. 71. art. 5. Alex. p. 2. q. 113. m. 10. ad 2. Bonau. d. 35. ad dubium 1. circa textum. Henr. quodl. 12. q. 24. Gabr. 2. d. 41. q. 1. art. 3. dub. 3. Secunda affirmat esse posse, est hæc opinio Richard. 2. d. 35. art. 1. q. 1. & quodl. 1. q. 22. Dur. 2. d. 36. q. 2. Ocha. 3. q. 10. ad dub. 1. Marsil. 2. q. 21. artic. 2. concinj. 4. Almai. tract. 3. Mor. cap. 25. Adrian. 4. q. 3. de Euchar. quæ incipit: vlterius videndum est. Maio. 4. d. 42. q. 1. Probant primo quia voluntas potest ab omni suo actu desistere. Deindè, quia omne peccatum omissionis simul esset commissionis crimen: Adhæc, quia aliquando contingit, vt actus omissionis peccato coniunctus sit per se bonus. Accedit his, quod omissio ex actu sibi coniuncto vel liberè, vel necessariò proficiscitur. Si necessariò, ergo in omissione peccatum non erit, sed in actu, ex quo surgit, ac manat omissio: Si liberè, ergo in omni omissione erit duplex peccatum, videlicet vnum in opere, quod fit, alterũ in ipsa omissione.

Enimuerò prima sententia verior videtur multis, quam sic confirmant, quoniam si omissio est exterior, qualis est omissio sacri audiendi in die festo, esse non potest nisi ex eo, quod fit alia actio exterior, qua impeditur auditio rei sacræ, & diuinæ. Si verò omissio est in intellectu, similiter

non est,

non est, nisi quia mens in alia re intelligenda occupatur. Pari ratione in volũtate ideo quis omittit aliquid velle, quia vult aliud, quo impeditur. Mihi tamen verisimilius est, in actu interno saltem voluntatis posse cõtingere peccatum omissionis sine vllo prorsus actu; vt si Titius tempore, quo vi legis, aut præcepti Deum amare deberet, aut certum quid velle iuberetur, suspensam voluntatẽ teneret, peccaret sine vllo actu. Et S. Thomam solùm duo docere puto, vnum, peccatum omissionis sua ratione, & natura, sine actu concipi, & intelligi: nam ideo omittendo peccas, quia non facis, quòd debes, non facis, quod facere lege, & præcepto cogeris: alterum, peccatum omissionis, re ipsa nõ fieri, nisi vel aliquid agamus, vel saltem in aliquo immoti perseueremus, quo impedimur, ne debitum præstemus officium. Quare Respondeo, posse cogitatione totã peccati omissionis rationem concipi absque vllo actu, in quo omnes consentiunt, re tamen ipsa, absque vllo prorsus actu rarissimè peccatum omissionis esse posse, saltem illud peccatum, quod in alicuius actus exterioris debiti omissione consistit. Prauitas enim omissionis tota in eo concipitur, quòd cogitatione intelligimus aliquid non fieri à nobis, quod tamen fieri deberet. Immò actus, qui est causa, & origo omissionis, ideo est malus, quia ipsa omissio est mala: at verò in re, omissio sine vllo actu rarò esse potest, quoniam nunquam aliquid omittimus, nisi quia aliud agimus, vel facimus, ex quo debitum officium prætermittimus. Veluti cum omittit quis in die festo, Missæ sacrificio interesse, quia diu certo in loco, qui longè à templo aberat, scienter & vltrò demoratur, aut quia diutius in lecto iacet, aut pila vel alea ludit. Vnde si tempore, quo quis incedere aut iter facere deberet, quiesceret, vel sederet, aut quando loquendi lege ac præcepto teneretur, sileret, quies aut silentium in præsentia appellatione actus accipitur. Si peccatum, inquies, omissionis semper est cum actu permistum: nõ ergo iure potest peccatum omissionis vocari. Respondeo, peccatum omissionis ideo esse & vocari, non quia omni actu vt causa careat, sed quia ob illum actum adiunctum, quidam alius actus ex lege debitus prætermittitur. Item, actus cum omissione coniunctus, quique est causa ipsius, siue sit per se malus, siue bonus, siue medius, & indifferens, omissionis deformitate corrumpitur. est exemplum: Titius vult in die festo sacrum omittere, aut tempore, quo sacrum audire deberet, spõte sua ludit, dormit, venatur, piscatur: ludendi, dormiendi, venãdi, vel piscandi voluntas, est peccatum: quia licet sit actus, ob eam tamen voluntatem tanquam ob causam, sacrum relinquitur. Præterea, finge Titium quo tempore sacrum deberet audire, literarum studijs operam dare, quo studio impeditur, quò minus sacrum audiret: tunc actus eiusmodi alioqui per se bonus, vel indifferẽs, ex malæ omissionis inficitur prauitate. Deindè, obijcies: Aliquando præceptum omittitur absque vllo actu, vt si Titius eo tempore, quo erat sacrum auditurus, in lecto decumberet nihil aliud agendo; in lecto enim iacere, nõ est actus. Respondeo, nomine actus accipi id omne, quod lege vel præcepto imperari, aut vetari potest, cuiusmodi sunt stare, sedere, iacere, quiescere, armatum, vestitum esse. Postremò obijcies, saltem omissionem internam esse posse absq; vllo actu; velut si Titius, quo tempore Deum amare deberet, suspensam voluntatem teneret, ita vt non amaret, tunc esset absque vllo actu omissio. Respondeo, hoc esse potissimum secundæ sententiæ argumentum, & præsertim de omissione interna voluntatis; at verò, vt ante iam monui, appellatione actus accipimus, id omne, quod lege vel præcepto imperari, vel interdici potest, & tale est animum suspensum tenere tempore, quo quis diligere aliquem deberet. Sicut si quis tempore, quo iter sibi faciendum esset, loco quiesceret; aut quando locuturus ratione sui muneris esset, taceret: aut aliter respondeo ad eum modum, quem supra indicaui, posse nonnunquam omissionem esse sine vllo actu, qui propriè sit actus.

Quartò quæritur, Quandonã omissionis peccatum fieri dicatur? an scilicet fiat eo tempore, quo quis se periculo exponit, aut causam præbet, qua debitum officium omittit, an verò eo tempore, quo ad aliquid faciendum præcepto compellitur: explico rem. Titius omittit sacrum in die festo, quia sponte & sciẽter se somno dedit, nulla sacri audiendi habita ratione: Quæritur an in peccatum omissionis inciderit tunc, cum somnũ cœpit, an vero cum eo dormiente res diuina facta est, quam audire lege cogebatur. Duas opiniones inuenio, vna docet, nunquã omissionis peccatum esse, nisi eo tempore, quo præceptum in affirmatione consistens prætermittitur: ita opinari videntur. S. Tho. *2.2.q.79.ar.3.ad 2.* Altis. *li.2.sum. tract.29.c.2.q.3.* Marsi. *2.q.21.ar.2.in 1.opinione.& 2.* Altera ait tunc fieri, quando causa datur omissionis. Hanc sententiam sequuntur Alexand. *part.2. quæst.113.m.7.* Richard. *4.d.9.articul.2. quæst.3.* Adria. *4.quæst.10.3.de Euchar. quæ incipit, Vlterius videndum est ad 7.arg.* Gabr. *2. dist.22. quæst.2. artic.2. post 3.conclus.* Quidam verò hasce duas sententias conciliare nituntur hac distinctione: peccatum omissionis, inquiunt, potest dupliciter contrahi, vel affectu & voluntate, vel re ipsa: Affectu quidem cõmittitur, cũ causa datur omittendi præceptum: Re verò contrahitur, cum eo tempore, quo præceptum seruari deberet, omittitur. Ac primam opinionẽ locum habere volũt in peccato omissionis, quod affectu solo, & voluntate committitur; secũdam verò in omissione, quæ re ipsa & facto contingit. Cæterum mihi magis probatur aliorum opinio has duas sententias aliter conciliantium. Est enim animaduertendum, omissionem posse dupliciter accidere, vno modo, cũ præceptum prætermittimus, quando alioqui id seruare commodè possemus: ita vt in nostra potestate sit vtrumque, tum omittere, tum seruare præceptum, & tunc omissio, peccato & culpæ tribuitur eo tempore, quo re, & facto nostro voluntario contingit, quia eam impedire, & deuitare possumus, & debemus. Altero modo, omissio interdum accidit, ita vt solùm sit in nostra potestate causa: non item omissio: velut si quis scienter sua sponte, & voluntate se somno dedat, cum periculum est, ne rẽ diuinã audiat, ac deinde eo dormiente, res Diuina fit: tunc eiusmodi omissio sine culpa est, quãdo causa fuit data non audiendi sacrũ: nam eo tẽ-

pore,

pore, quo præceptum erat opere implendum, in dormientis potestate non erat id seruare; & propterea omissio tunc temporis, culpę dari non potest, & solùm est effectus naturaliter ex causa data profectus. Effectus autem naturaliter ex causa quamuis alioqui voluntaria natus & existens, in culpa non est, nisi ob causam vltro datam. Alioqui enim qui alicui venenũ porrexisset, cõtinuò peccasset toto eo tempore, quo propinatum venenum suum effectum præstitisset. Qui item ex immodico cibo, vel potu in morbum incideret, toto eo tempore delinquere diceretur, quo cibus vel potus concoqueretur in corpore: quæ certè incommoda, & absurda videtur. At, inquies, aliquando vsu venit, vt qui manè somnum cæperit cum periculo, quominus suum debitum officium præstet, excitatus à somno id non omittat: ergo nondum est re, & facto peccatum omissionis admissum. Respondeo, parum aut nihil referre, si post causam datã postea omissio casu aliquo impediatur: præcessit enim omissionis culpa in causa, siue deinde omissio subsecuta sit, siue impedita: prima opinio intelligitur primo modo, secũda verò secundo.

Quintò quæritur, An actus coniunctus omissioni sit peccatum? Durand. *2.d.36.q.2.nu.6.* ait aliquando esse bonum; cuiusmodi est ægrotum inuisere eo tempore, quo sacrum in die festo esset audiendum; Marsil. Richard. Almai. Gabr. Henric. *locis ante citatis*, censent esse peccatum commissionis; & proinde in omni omissione, in qua est actus, qui est eius causa, esse duplex peccatum, vnum commissionis, omissionis alterum. S. Thom. *de malo.q.2.art.1.ad.7.* in vniuersum asserit, actum, qui est causa omissionis esse malum, quoniam ipsa omissione cuius est causa, polluitur. Alij verò distinguunt dicentes, actum, qui est causa omissionis esse semper peccatum: nec tamen commissionis, sed præcise omissionis, quoniã non est per se peccatum, sed causa peccati, & prauitate omissionis inficitur: actum verò, qui non est causa omissionis; sed solùm comes, non semper esse malum. Porrò actus ille dicitur causa omissionis, ex quo nascitur omissio, etiamsi aliunde existeret omissio illa absque eo actu, satis enim est, si ex illo actu nunc oriatur, quamuis etiam simul ex alio actu fluat ac manet, actus verò est comes tantùm omissionis, quãdo nullo modo ex eo pẽdet omissio, quod verum est, & hoc claret exemplo: statuit quis non audire sacrum in die festo, eiusmodi voluntas est mala, quia est causa omittendi sacrum; si postea autem cum id statuerit, velit non esse otiosus domi suæ, vbi manet tempore, quo erat sacrum auditurus, & ideo vel literis det operam, vel preces ad Deum fundat, vel ęgrotum inuisat, nequaquam peccat in his actibus, quoniam non sunt causæ omissionis, sed comites: alioqui enim toto tempore omissionis continenter peccasset: rursus alioqui pariter deliquisset, legem, vel prẹceptum aut officium aliud implendo tẽpore, quo præceptum omittit. Hoc tamen locũ habet, quando actus, qui est omissionis comes, non est talis, vt sufficiat ad impediendum præceptum, quòd prætermittitur. Vt si Titius lege, vel præcepto ad persoluendum diuinum officium compulsus, codicem precationum in mare proijceret, aut tempore, quo sacrum deberet audire, alio se conferret: tunc enim etiamsi Titius hæc vel alia similia efficeret, postquam firmo animo decreuit officium omittere Diuinum, aut sacrum non audire, peccaret denuò precum Horariarũ libellum abijciendo, aut se aliò conferendo, eo quod denuò sese impedit, quo minus officij Diuini pensũ persoluat, aut Missæ sacro interfit. Idem iuris est in eo, qui post votum castitatis Deo factum, vxorem ducit & in eo, qui rem, quam furto subripuit, vẽdit & alienat: nam eo ipso ille sese impedit, quo minus votum exoluat, & hic quominus rem furto sublatam restituat.

Medi 1.2. q.71.art.5.

Sextò quęritur, An vt omissio sit voluntaria indirectè, necesse sit, vt aliquid facere possimus & debeamus? S. Thom. ad omissionem indirectè voluntariam duo videtur requirere. Primò vt possimus. Secundò vt debeamus vi, & ratione præcepti aliquid operari. Nam si absit præceptum, & lex, non sufficit potestas, quia culpæ minimè tribuitur quicquid impedire possumus, licet nõ impediamus, cum ad impediẽdum nulla lege compellimur; ita etiam Deus peccata non impedit cũ tamen alioqui, si vellet, posset. Almainus verò in omissione voluntaria solũ postulat, vt possimus, & scienter non faciamus: quod probat. Primò, quia non statim atq; aliquid est voluntarium, vitio & culpæ datur: ergo non ideo, quod omissio est voluntaria, culpam habet. Deindè, qui nulla lege, nulloque præcepto cogitur suscipere, & seruare ieiunium, potest si velit, & à cibo abstinere, & ventri indulgere: si sponte & voluntate sua ieiunium negligat, in eo est ieiunij omissio voluntaria, & tamen ab omni culpa, & peccato libera; ergo ad omissionem voluntariam minimè requiritur, vt sit præceptum, ac lex aliquid faciendi. Quidam discipuli. S. Thom. eius doctrinam ab Almaini calumnijs in hac parte defendunt, in hunc modum dicentes. S. Thomam de peccato omissionis non loqui, sed de effectu, qui omissionẽ consequitur: & vt effectus omissionem consecutus nobis vitio tribuatur, opus esse, inquiunt, vt possimus, & debeamus aliquid facere; alioqui effectus vitio verti, & dari non potest, vt subiectis patebit exemplis. Si nauis periclitetur, & nauta & miles possint commodè subuenire, nautæ eius periculum negligẽti, culpæ datur nauis exitium, militi non item, non ob aliud certè, nisi quia nautæ erat, periclitanti naui subsidium ferre, nõ militis. Item ædituo vitio, & culpæ tribuitur, quod templi fores non clauserit, ex quo furtum est in templo commissum: & tamen si priuatus quispiã templum minimè clauderet, quòd cõmodè posset, haud meritò culparetur. Præterea peccata, quæ fiunt, nec debent, nec possunt in Deum conijci, & tamen eius permissu contingunt: quę, quoniam impedire ea nequaquã debet, quamuis possit, si velit, in eum referri nequeunt. Cæterũ meo iudicio Almainus non est S. Thomæ mentem assequutus: nam S. Thomas nunquam negauit omissionem esse voluntariam, quando quidpiam scienter, & sponte prętermittimus, etiam si id facere nullo præcepto cogamur, tũc enim omissio est expressim voluntaria per se, de qua S. Thomas non loquitur, sed de omissione, quæ est indirectè, & implicitè voluntaria; hæc enim cum non

S. Th. 1.2. q.6. ar.3.

Almain. tract. 1. Moral. cap. 1.

sit vo-

sit voluntaria, reipsa per actum voluntatis expressum, requirit omnino, vt sit solum voluntaria indirectè, & implicitè: leges autem, canones & iura voluntariam non habent aut iudicant omissionem, nisi cum quis alioqui præcepto, vel lege compellitur ad aliquid faciendum: sicut eũ qui tacet, consentire dicimus, quũ alioqui loqui deberet: quamuis reipsa, neq; consentiat, neque dissentiat, nam consentit tacita quadam voluntate, quia tacentem pro consentiente, & loquente habemus, quum loqui deberet.

Septimò quæritur, An in sacra peccatorũ confessione explicari debeant ij actus, qui sunt cum peccato omissionis coniuncti, an verò satis sit, solam omissionem confiteri. Quidam senserunt narrari debere eos actus, qui sunt omissionis causa. Cæterum probabilius existimo, nulla nos ad id lege compelli. Nam vel actus sunt per se alioqui boni, aut indifferentes, aut mali: si boni aut indifferentes, ipsa omissionis prauitate extrinsecùs corrumpuntur, & inquinantur, & ideo satis est in confessione exprimere omissionem. Rem declaro: Titius tempore, quo sacrum audire debebat, equitauit, vel dormiuit, vel lusit, vel literis operam dedit, hæc non necesse est in confessione explicare, quia non sunt mala, nisi ex omissionis peccato, quo inter confitendum patefacto tota culpa detegitur. Si verò actus sint alioqui mali debet pœnitens eos confessario referre, non quidem propter omissionis peccatum, sed quia sunt per se mali atque vitiosi: vt si tempore, quo sacrum audire deberes, furtum admitteres.

Octauò quæritur, An grauitas peccati in omissionibus existat, ac pendeat ex bonitate actus, qui prætermittitur? Respondeo, pendere, quoniam omissio est priuatio actus, qui fieri deberet. *Si quæras*, an actus, qui est causa omissionis, ex eo quod sit bonus vel melior, minuat omissionis deformitatem, V. G. Titius sacrum omisit, quia ægrotum inuisit; Caius verò prætermisit, quia lusit, an Titius minus peccauerit quam Caius. Quidam respondent, minus peccasse. Sed *dicendum est*, reuera non minui omissionis deformitatem: tum quia alioqui ex bonitate actus posset ex toto auferri prauitas omissionis: tum quia macula, & fœditate omissionis polluitur actus, quãuis sit alioqui bonus: sicut etiam electio, ex mala finis voluntate maculatur atque corrumpitur. *Si secundo roges*, an omissio, quę est explicitè voluntaria, sit grauior ea, quæ tantum est tacite, & implicite voluntaria? Vtar exemplo: Titius in die festo rem sacram, & diuinam omittit, quia non vult Missę sacrificio interesse, & rem diuinam audire: Caius verò omittit, quia alijs rebus implicatur, & rem sacram audiendam non curat. *Respondeo*, Titium per se grauius delinquere, quia omissio in eo est explicite voluntaria. Si tamen Caius animaduertat se alijs rebus impediri, & ob hoc rem sacram omittere, & scienter nihil curet rem diuinam audiendam, tunc æque grauiter peccat ac Titius, quia æqualiter scit, & nihilominus alijs se implicat rebus, & Missæ sacrificium re ipsa & facto prætermittit ac negligit.

Cap. IV.

De peccatis cordis, oris & operis.

PRIMO quæritur, Quomodo accipi debeat eã diuisio atque distinctio peccatorum, qua alia dicuntur esse cordis, alia oris, alia operis? Respondeo, hæc peccata accipi posse dupliciter: vno modo, vt singula sunt per se perfecta: & tunc peccata cordis dicuntur ea, quæ in ipsa voluntate, siue ratione complentur, qualia sunt odium Dei, vel proximi, hæresis, inuidia, ira, superbia, contemptus, auaritia, ambitio, iudicium temerarium. Ea verò peccata oris sunt, quæ in sermone cõsistunt, & in eo cõsummantur, cuiusmodi sunt detractio, mendacium, periurium, falsum testimonium, conuitium, maledictum coniectum in Deum vel eos, quos in sanctorum numerum Ecclesia retulit. Porrò ea peccata dicuntur esse operis, quæ opere perficiuntur, vt furtum, latrocinium, homicidium, veneficium, proditio patriæ, adulterium, stuprum, ad scortum accessus, incestus, rapina. Altero modo hęc peccata possunt accipi, quatenus peccata cordis vel oris sunt veluti quidam progressus ad opus. Peccatũ enim, quod consistit in opere, ortum habet ex corde, & tunc voluntas & cupiditas furandi vel occidẽdi alterum, dicitur Peccatum cordis siue cogitationis, quia est furtum vel homicidium affectu, vel voluntate susceptum. Pari ratione, alteri furtum, homicidium vel adulterium suadere, est peccatum oris: & tunc peccata cordis vel oris sunt veluti initia & origines, fontes vel causæ eorũ peccatorũ, quæ opere consummantur: immò opus ipsum est obiectum, finis, & materia cogitationis, locutionisque, siue sermonis.

S. Th. 1.2. q.72.ar.7.

Matth. 15.

Secundò quæritur, An prædicta peccatorum genera sint inter se specie, & natura distincta? Respõdeo, specie differre peccata, quæ in voluntate ipsa consummantur ab ijs, quæ verbo aut opere complentur: quoniam quandocunque talia sunt, re obiecta & materia differunt. Nam ambitio, superbia, contemptus, odium, ira, inuidia, hæresis, quę sunt peccata cordis, specie distinguũtur à contumelia, detractione, conuitio, maledicto, periurio, mendacio, quæ verbo perficiuntur, & à furto, adulterio, homicidio, quæ in opere, & facto consistunt. Quandocunque verò peccata cordis vel oris respectum, & ordinem habent ad opus, quia sunt causæ, & origines malefactorum siue malorum operum, tunc peccata cordis, vel oris, à peccatis operis specie non differunt, vt voluntas, cupiditas, & desiderium furandi eiusdem speciei est, cuius est furtum: & persuadere alteri adulterium, in eadem specie, in qua adulterium, reponitur.

Tertiò quæritur, Quo pacto peccata cogitationis multiplicentur specie, vel numero? Respondeo, specie multiplicari ex diuersitate obiecti, siue materiæ specie distinctæ, tametsi vnus numero sit voluntatis actus; veluti si Titius velit Caiũ occidere, & vniuersa eius bona surripere, etsi vnus est voluntatis affectus, sunt duę tamen peccati prauitates specie diuersæ. Deinde, ex obiecto & fine, specie, & ratione diuersis, peccatum cogitationis specie distinguitur: quemadmodum si Ti-

tius velit furari, vt habeat, quod donet meretrici. Item, quando in obiecto, & materia sunt simul duæ contra rectam rationem prauitates, peccatū cordis est etiam specie diuersum, quale est, si Titius velit rem sacram furari, aut post votum castitatis Deo nuncupatum cum scorto rem habere, clericum occidere, vel in templo alterum necare: Numero verò multiplicantur peccata cordis etiam ex parte obiecti siue materiæ, licet vnus alioqui voluntatis sit actus: vti est voluntas mala habēs respectum, & ordinem ad duo obiecta numero distincta. Quemadmodum enim actus inter se specie distant, per obiecta specie diuersa, ita etiam ex obiectis numero distinguuntur: Quomodo si Titius eodem actu velit occidere tres homines; aut tria furta committere, est triplex peccatum, siue furti, siue homicidij. Eadem ratio est de peccatis omissionis; vt si quis vna voluntate velit Missæ sacrificio abesse tribus diebus festis, aut trium dierum indicta ieiunia prætermittere, aut tria vota, quibus tenetur adstrictus, violare. Ex his omnibus intelligi potest, quantæ prauitatis sit volūtas, qua quis vult necem omnium hominum, aut qua vult omittere indicta in tota Quadragesima ieiunia. Obseruandum autem est, obiecta debere esse integra per se, ita vt vnum nō sit pars alterius, nec omnia tanquam partes, totū aliquod constituant: tunc enim non sunt obiecta numero diuersa. Hinc quoque perspicue intelligitur, quid dicendum sit de eo, quod quærit, & tractat Nauarrus, *An si Titius velit occidere Caium cum tota eius familia, duo tantum peccata homicidij committat voluntatis affectu, an verò tot homicidia numero, quot sunt homines in familia.* Ait ille non esse tot homicidia, quot sunt homines; quia tota, inquit, familia in iure, vna persona reputatur. *leg. 1. ff. si familia furtum fecisse dicatur.* Deindè, quia familia est multarum personarum collectio; sicut domus est quoddam totum ex multis rebus tanquam ex partibus constitutum. Quare si quis vellet domum comburere, vel omnes certæ alicuius Bibliothecæ libros furto surripere, aut tritici ingētem aceruum, aut magnū aliquem aureorum cumulum furari, aut ouium totum gregem, vel totum boum, aut equorum armentum abigere, vnum tantùm peccatum admittere diceretur. Verùm enimuerò hæc Nauarri opinio mihi non omni ex parte placet. Primùm, quia vt dixi, Peccata numero distinguūtur ex obiectis: ergo si quis velit sex, vel septem certę familię viros occidere, tot numero homicidia volūtate committit, quot sunt viri, vel homines. Præterea, fingamus, in familia Caij esse Clericū, neque id ignorare Titium, cum vult & machinatur familiæ totius interitum, certè negari nō potest, eiusmodi affectum, & voluntatem ea ratione, qua fertur in personam Clerici esse sacrilegā. Accedit his, quod singuli familiæ homines, sunt integra per se obiecta homicidij, & ideo tot necesse est, vt sint homicidia, quot sunt homines occisi. Nec argumenta Nauarri vllam vim habent. Domus enim est quoddam totū ex multis rebus, tanquam partibus constans; personæ verò familiæ quamuis iuris fictione dicantur vnam personam, videlicet fictam efficere; non tamen verè, & re ipsa dici possunt vna persona. Idem dicendum de eo, qui vult omnes Bibliothecæ libros surripere, aut ingentem tritici cumulum furari, aut gregem ouium, vel porcorum abigere, quod dixi de eo, qui vellet domum totam exurere: in his enim omnibus vnum tantum peccatum est, quia oues vel porci vnum gregem, & plures boues vnū armentum, & plures libri vnam Bibliothecam, & plures nummi vnum cumulum efficiunt: peccatum igitur in his singulis est vnum quamuis eo grauius, & maius, quo materia peccati maior est.

Nauar. in Manual. c. 6. n. 38.

Quartò quæritur, An peccata voluntatis interna temporis interruptione multiplicentur: Vt si Titius velit Caium occidere, & deinde dormit, vel nihil de Caij cæde cogitat ad alia distractus, & postea expergefactus, vel ad seipsum reuersus, iterum vult, & optat interitum Caij, Quæritur an sint duo numero peccata, an verò vnum tantummodo? Duæ sunt opiniones: Vna docet, peccata voluntatis in vniuersum temporis interruptione multiplicari. Hoc apertè videntur docuisse S. Thom. *2. dist. 42. quæst. 1. art. 1.* Armil. *Peccatum. nu. 4.* Tab. *Peccatum 1. quæst. 8.* Mai. *4. d. 15. quæst. 29. §. ex qua definitione* Antoni. *part. 2. Tit. 5. cap. 1. §. 10.* Cui sententiæ plurimum fauet & ratio: quia ad vnitatem motus, & actus requiritur vnitas temporis. Nam si quispiam apertis oculis cernat, & deinde non videat, ac post paululùm temporis iterum cernat, erunt duo actus: alioqui enim quod semel interijt, idem per naturā rediret, quod fieri nequaquam potest. Ergo duæ sunt voluntates numero distinctæ, si quippiam volo, ac deinde cesso, & post moram temporis iterum volo. Deindè, quia dubitari non potest, quin sint duo numero peccata, si Titius odio Caium habeat, vel ei inuideat, ac deindè ab eo actu desistat, intervalloque temporis elapso odium renouet, aut inuidiam reuocet. Postremò, quemadmodum peccata externa semel admissa, si iterentur, verè fiunt plura, & augentur numero; eodem modo & peccata, quæ voluntatis affectu consummantur, toties multiplicantur, quoties interiectu temporis repetuntur. Altera opinio tradit peccata cordis interna multiplicari, quando, postquam sunt per contrariam voluntatem interrupta, replicantur. Exemplum est: Si Titius postquam necem, & interitum Caij concupiuit, ac decreuit animo, ab ea voluntate per pœnitentiam recessit, & iterum deindè concupierit, erunt duo numero peccata, si tamen priorem voluntatem non exuat, ac deponat, ac interim dormiat, vel nihil de nece Caij cogitās negociatur, & postea iterum Caij cædem exoptet, vnum erit peccatum, quia prior voluntas licet non actu, habitu tamen permanet; & ideo secunda voluntas accedens priorem non multiplicat, sed confirmat. Sicut (inquit Caietanus) lumen denuo productum, & prior accedens auget antiquum, non autem facit aliud. Ita sentiunt Caiet. *opusculorum tom. 1. tract. 31. qui est responsionum 17. responsione 15. ad 2. dubitationem.* Nauarr. *in Manu. cap. 6. num. 16. & de pœnit. dist. 5. cap. consideret. num. 42. & sequentibus.* quanquam Caietanum, Nauarrus ex parte tantùm sequitur: fatetur enim peccata, si sint ex ijs, quæ in voluntate complētur, verè fieri plura solo temporis interiectu, cuiusmodi sunt odium, superbia, inuidia, hęresis, delectatio morosa, iudicium temerarium, ambitio: ea verò, quæ facto vel verbo perficiuntur, cuiusmodi est defide-

rium,

rium, cupiditas & voluntas mali aliquid perpetrandi, non multiplicari sola temporis interruptione, nisi prior etiam voluntas mutetur. Probant Caietanus, & Nauarrus suam sententiam simili exemplo: si quis enim lõgum iter faciat voluntate, & studio certæ cuiusdam rei faciundæ, toto tempore, quo durat iter susceptum, permanere quoque prior voluntas videtur, quæ licet millies in itinere repetatur, & redintegretur, confirmari dicitur, multiplicari non item. Quibusdam recentioribus prima opinio magis arridet multis de causis. Tum, quia peccata quæ in voluntate complentur, verè fiunt multa, cum lapsu temporis replicantur, vt rectè dixit Nauarrus: tum etiam quia in vniuersum actus voluntatis, si ad aliquod tempus esse desinat, idem numero non redit, sed similis: manet autem aliquãdo voluntas in aliquo eius effectu, vt cum ex voluntate, & studio aliquid faciendi iter suscipimus. Cum autem volũtas in effectu suo persistit, tam diu perdurat, quamdiu permanet effectus. Et huiusmodi voluntas dicitur confirmari, quoties effectus, licet plurimi sibi inuicem connexi, & coniuncti succedunt: ego tamen existimo prædictas duas opiniones facilè conciliari posse in hunc modum; id est, peccata, quæ in voluntate perficiuntur, cursu temporis multiplicãtur, cum iterantur: quod dixit Nauarrus, & hoc Caietanus non negauit; Secundo voluntas aliquid faciendi vel omittendi, quæ facto completur vel omissione, quandocunque habet effectum, quem facit, quamuis multiplicetur, effectu eodem manente, non continet tot merita, vel peccata, quot repetitiones, & hoc est, quod docere voluit Caietanus: vt si longam peregrinationem sponte suscipias, & in itinere voluntatem sæpius replices: vnum est tuum meritum in vna longa peregrinatione; sic etiam si vnum quid fureris, & dum furaris, volũtatem repetis, vnum est furtum; quia voluntas furandi in furto completur, & ideo mala est, quia furtum est malum, parum refert, fureris ex vna voluntate, an ex voluntate sæpius iterata, & hoc etiam dicet prima opinio. Ex his omnibus intelligi potest, quid respõdere oporteat ei quæstioni, qua quæritur, quo pacto huiusmodi malæ voluntates sint in confessione sacerdoti explicãdæ quando sunt peccata numero distincta: nam cum peccatorum numerus exprimi debeat, multiplicatam voluntatem sacerdoti in confessione oportet exponere: sed quia sæpe vsu venit, vt difficilè sit tot volũtates repetitas memoria retinere; ideo satis est pœnitenti, quæ interceſſit, temporis moram; & diuturnitatem declarare, si id adijciat, se voluntatis affectum toto eo temporis spatio sæpius iterasse.

Quintò quæritur, quando & quo modo peccata, quę sermone complentur, numero augeantur? Respondeo, specie fieri multa, & augeri numero, quando verbum seu sermo dirigitur, & refertur ad obiecta specie diuersa, veluti si Titius contumeliosè Caium compellet hęreticum, latronem, adulterum, tria peccata contumeliæ committit specie distincta. Præterea, si vnus homo hæresim, maledictum in Deum, & falsum testimonium dixerit, tria erunt peccata. Item si sermo terminetur in obiecto vno quidem, sed duplici prauitate corrupto, erit etiam in duplici specie: vt si alterũ per cõtumeliam appelles rerum sacrarum furẽ. QVAERES, an numero plura fiant hæc peccata, si vno iræ impetu per iniuriam quis cõpellet alterum ter, aut quater latronem: item si quis maledixerit Deo, & certo alicui sancto, an sint duo peccata numero distincta, an vnum solummodo? Nauarrus videtur docere, non multiplicari numero peccata, si bis, aut ter eodem continenter sermone aliquem compellaueris furem: nec augeri numero conuitia, vel maledicta pro numero eorum, quibus obijciuntur. Vt si quis, inquit, maledicat simul Deo, & duodecim Apostolis, nõ erit nisi duplex maledictum in Deum, & Apostolos. Sed quidam Nauarrum oppugnant: non est, inquiunt, cur qui vno sermonis impetu ter mentitur, vel peierat, vel maledicit, tria peccata non committat, si is etiam, qui alium contumeliosè latronem, & hæreticum, proditorem, & sicariũ appellat, tria vel quattuor peccata perpetrat. Itẽ non est maior ratio, cur qui vno ictu occidit tres homines, tribus se peccatis obstringat, quàm is, qui vno sermone maledicit Deo, S. Petro & S. Paulo: quoniam sicut trium hominum cædes ex obiectis numero diuersis distinguitur, licet sit vno ictu patrata; sic etiam maledictum in Deum, S. Petrum, & Paulum coniectum, per obiecta numero distincta seiungitur, quamuis quis simul tribus maledicat. Ex quo etiam efficitur, vt si quis maledictũ in Deum, & in duodecim Apostolos conferat, tot criminum culpam contrahat, quot sunt personæ sanctæ, quibus obiecerit maledictum. Quòd & ratione & argumento conficere nituntur, quia hęc peccata verbo complentur: ergo sicut si ter mentiatis, tria peccata committis, quoniam singula suo verbo consummantur, ita etiam si ter quempiam latronem dixeris, tria erunt peccata, quia vnumquodque illorum est eodem verbo, ter tamen repetito consummatum. Præterea, si cum primùm eum latronem nominasti, semel peccasti: ergo etiam cum secundò, & tertiò contumeliam repetisti: non enim est maior ratio de primo, quàm de secundo, & tertio. Ego verò in hac parte cum Nauarro, in vno conuenio, in altero dissentio: conuenio quidem in hoc, quod existimo, si quis ter, vel quater, vel sæpius cõtinuato sermone alterum latronem compellet, vnum esse peccatũ cõtumeliæ, quia vna est pugna, rixa, contentio vel lis, & tres illi actus, licet sint mali; sunt tamen partes vnius pugnæ, rixæ, contentionis vel litis: ita etiam si quis cum altero dimicet, & eum ter, vel quater pugno percutiat, aut vulneret, vnum est peccatum, quia vna est pugna, cuius sunt partes vulnera. sic etiam si quis vnũ post alterum librum surripiat & totam Bibliothecam expilet, vnum est furtum, licet deterius, quo plures libri surripiuntur: pari ratione si quis alterũ verberet centies, aut millies continuato opere, vna est verberatio, sed eo grauior, quo sæpius alter verberatur: item furatur quis rem vnam, sed eam dum defert, sæpe deponit, & sæpe resumit, immò dum defert, alius ei furatur, & eam ipse mox recuperat, & deportat, quousque ad locum destinatum peruenit, vnum est furtum, quia non est completum, donec in loco destinato reponit. In altero verò à Nauarro dissentio, quod puto

Nauar. in Man. c. 6. n. 17. & 18.

plura esse peccata, si quis vno sermone in Deum, & plures sanctos homines maledicta conijciat, qui plures cõtumelia afficit, sicut si vno ictu vulneraret, vel occideret plures. Ex his perspicitur non à verò abesse Gloss. *d.31.q.2.* dicentem: *qui vno impetu in iudicio ter appellauit, semel appellasse cẽsetur.* Itẽ *in l.cum quæstio, C. De legatis, §. sed & alia,* dicitur: *qui eandem rem cuipiam in testamento bis, aut ter leguit, perindè est, ac si semel legauerit.* Quidam, de quibus paulò ante iã dixi, respondere contendunt non semper argumẽtum vim habere in foro conscientiæ, ex hoc; quod locũ, & vim habeat in foro exteriori, vbi quod attinet ad sententiam ferendam, pro eodẽ iudicatur semel aut sæpius, vno impetu aut cõtinuato actu iudicem alium appellasse: & pro eodem, si quis alteri eandem rẽ semel aut sæpius eodem testamẽto legauerit. Quod verò ad culpã spectat in foro conscientiæ, non est, inquiunt, idẽ, si quis alterum semel latronẽ appellet, ac si bis, repetito & continuato sermone: sicut non est idem semel mentiri vel peierare, vel falsum testimonium dicere, quod bis teruè cõtinuato sermone: quia secundum mendacium, vel periurium, vel maledictum in alium, suam habet per se prauitatem, nec eam accipit à primo. Cæterùm quidquid illi dicant, prædicta Glossa in vtroque foro locum habet, quia si vno continuato sermone ter, vel quater mentior, vel peiero in eadem re, & materia subiecta, vnum peccatum censetur, quia tria mendacia, siue tria periuria, sunt vnius continuati sermonis partes, & sermo in vltimo mendacio siue periurio perficitur.

Sextò quæritur, Quo pacto peccata, quæ opere consummantur, specie vel numero fiant multa? Respõdeo, compertum esse, ea ex obiectis specie diuersis numero augeri, veluti adulterium, furtũ, homicidium. Itẽ, ex obiecto plures specie distinctas prauitates habente, vt furtum rei sacræ, vel si quis voto castitatis adstrictus cum scorto rem habeat: Item ex obiecto & fine specie diuersis: vt si Titius Caium interimat, vt sibi bona eius vsurpet. Deindè, hæc peccata plura numero fiunt, tametsi vnus sit actus, modo respectum, & ordinem habeat ad obiecta numero differentia, sed cõtra rectam rationem; vt si Titius vno teli iactu duos simul homines occidat. Præterea, cum hæc peccata facto consummentur, tot sunt numero, quot actus sunt vnus post alterum: quemadmodum si quispiam bis teruè subinde fœminam sibi nõ nuptam cognoscat: nam post consummatum primũ actum, qui sequitur est omnino alius & diuersus sua per se turpitudine malus atque vitiosus. Quæres, an Titius si tria adulteria, vel tres simplices fornicationes admittat cum tribus fœminis rem habens, explicare in confessione peccatorum debeat se rem habuisse cum tribus fœminis seu nuptis seu matrimonio solutis; an verò satis sit fateri se tria adulteria, vel tres fornicationes admisisse? Ratio dubitandi est, quia fornicatio, vel adulterium potest ter cum eadem fœmina cõmitti, aut ter cum tribus fœminis. Respondeo nihil referre, modo numerus fornicationum, vel adulteriorum exprimatur, sit eadẽ fœmina, an diuersa. quoniam fornicationis, vel adulterij deformitas non habet diuersam cum recta ratione repugnãtiam ex hoc, quod sit cum eadem, vel diuersis fœminis, eiusdem tamen status, & conditionis. Docent Maior. 4.d.17.q.4. & Nauarr. in Man. c.16.n.5. *tam grauiter peccare eum, qui decies cum eadem fœmina rẽ habet, quam eum, qui decies cum decem fœminis eiusdẽ conditionis, & status rem habet.* At, inquies, qui decẽ fœminas cognoscit, causa est, vt decẽ fœminæ peccent, quod locum non habet in eo, qui decies ad eandem fœminam accedit. Respondeo hunc esse causam, vt eadem fœmina decies peccet, sicut ille decem fœminas ad peccandum induxit. Item cum dicimus tam grauiter peccare, qui decies cũ eadem fœmina rem habet, quam qui decies cum decem fœminis, id intelligimus locum habere, si in cæteris sint pares: vt sicut decẽ fœminas ad libidinem inuitat hic, sic ille inuitat decies eãdem fœminam ad luxuriæ peccatũ. Secundò Quæres: An actus, qui præcedunt, comitantur, vel consequuntur peccata, sint delicta numero distincta, quales sunt multi actus, qui vnũ, & idem luxuriæ peccatũ præcedere, comitari & consequi solent. Respondeo, aliquando actus tales per se esse malos, aliquãdo indifferentes. Exempli causa, Titius arma capit ad Caium interficiendum, domo exit, & dum rure eum quæritat, fata aliena graui cum proximi detrimento cõculcat: arma capere, domo egredi, & rus petere, actus sunt per se indifferentes, & ideo sunt mãli dũtaxat extrinsecùs ob finem malum animo conceptum, cædem nempe Caij: atq; huius generis actus minimè necesse est inter confitendum explicare, cum careant prauitate ab ea, quæ est finis destinati, & optati nempè cædis, diuersa. At verò alienæ segetis conculcatio est per se mala, specialiter à recta ratione dissidẽs, quare est aliud peccatum specie diuersum, ac propterea necessariò in confessione sacerdoti narrandum: eodem modo de peccatis luxuriæ iudicandum est. Nam idem libidinis crimen opere perpetratum solent præcedere, comitari, vel cõsequi multi alij actus aliquando per se medij, & indifferẽtes, aliquando ex se obscœni & turpes: certum & exploratum est, indifferentes in confessione peccatorum minimè declarari, & patefieri oportere: qui verò actus sunt per se turpes, & vitiosi, vere sunt peccata, & iuxta aliquorum sentẽtiam numero distincta ab eo peccato, quod in turpi cum fœmina cõgressu consummatur: talia sunt verba obscœna; osculaue, amplexus vel tactus impudici, & proinde in confessione, inquiunt, referri & exponi debent cum sint alia peccata. Sed quòd ij actus ferè plerunque intelliguntur vnà cum ipso concubitu in confessione explicato; ideo aiunt, nõ est necesse vt per se singulatim exprimantur: is enim, qui pœnitentis cõfessionẽ excipit, eos actus simul audisse videtur vna cum ipso concubitu audito. Hoc enim idem accidit in omnibus alijs peccatis: vt si sacerdos alteri confiteatur, cui notus est, non cogitur fateri se esse sacerdotem, cum se accusat de castitate à se grauiter violata: tunc enim circunstantiam personæ explicare non est necesse, neque ob aliud, nisi quia ea nota est ei, qui eius confessionem excipit; & quia cum se fatetur contra castitatẽ peccasse, hoc ipso intelligitur esse peccatũ sacerdotis, qui seruãdę castitatis voto tenetur obstrictus: ego tamen aliter existimo, videlicet oscula, amplexus, verba & tactus obscœni & impudici, qui

antecedunt, comitantur vel consequuntur turpem congressum, nisi aliunde specie differant à concubitu, numero non distinguuntur, quoniam sunt partes ipsius concubitus, initia, vel complementa, vel causæ, sicut cum quis vulnerando occidit alterum, vulnerare malum est, sed vnum est peccatum, quoniam vulnus est causa necis: si alium vulneres, & post temporis interuallum ille pereat ex vulnere, sufficit si confitearis illum à te fuisse interemptum. Pari ratione te obiecisti periculo adulterij, & ideo cõmisisti, vnum est peccatum, quoniam periculum licèt malum sit, at in hoc casu est tantùm causa adulterij: vnde colligo rectè Iurisconsultos, videlicet Bartolum, Ioannem Andreæ, & alios, quos omnes citat ac sequitur Nauar. *de pœnit. dist. 5. cap. consideret. num. 46. & sequentibus, & in Man. c. 6. num. 17. & 18.* cum, qui per totam noctem ludit, cum pluribus contra legem id prohibentem, semel tantùm lusisse videri. Item qui contra legem verantem ne aliquis secum ducat plures tribus famulis, duxerit viginti, perindè est ac si vnum tantùm famulum ducat, vltra legis præscriptum. Si quis etiam tribus vulneribus continenter inflictis clericum percutiat, in vnam duntaxat excommunicationem incurrit. Præterea si quis rem alienam surripiat, quã cum in domum suam deferret, furatus est alius, & postea ipse recuperat, vnum tantummodo furtum admisisse iudicatur; & tamen recuperando rem furtiuam, iterauit furtum. Adhæc, in c. Cum pro causa, de sententia excommunicationis, tanquam certum ponitur, in vnam duntaxat excommunicationem eum incurrisse, qui clericum in dormitorio verberauit, & verberando traxit per claustrum: ergo peccata exteriora numero non multiplicantur; quamuis continenter repetantur, quandocunque sunt initia, complementa, causæ, vel partes alicuius alterius peccati, in quo connectuntur, vel terminantur.

Cap. V.

De varijs cogitationis, & cordis peccatorum generibus.

HActenus sæpè dixi, esse certa quædam peccatorum genera, quæ interiore voluntate complentur: ideo hoc loco de his singulis peccatorum formis quàm breuiter ac succincte fieri poterit, disputabo.

Primò quæritur, quo pacto peccata interno voluntatis affectu committantur? Respondeo, id multis ac varijs modis contingere. Quod vt plenius percipiatur, animaduertere hoc oportet, res primò quidem in corporis sensus incurrunt: quæ res sensibus perceptæ ipsum appetitum animalem deindè, vel sui desiderio excitant, & permouent, vel quadam voluptate, & suauitate deliniunt. Mox è sensibus transuolant ad imaginandi, cogitandi & memorandi vim & facultatem: vnde rerum memoria, imaginatione, seu cogitatione quippiam concupiscimus, optamus, aut in aliquo delectamur: Tandem res in mentem veniunt, atque eius intelligentia conceptæ, in appetitu rationis, quæ est voluntas, sui desiderium excitant, vel sua iucunditate suauitateque delectant. Quare peccata, quæ interius animo, & voluntate admittuntur, vel ad desideria, vel ad delectationes pertinent. Sub desiderio & cupiditate malorum, comprehendimus amorem, voluntatem, intentionem & electionem cuiuscunque mali: & proinde odium etiam tanquam amori contrarium: sub delectatione verò complectimur gaudium & lætitiam, quam quidam alij fruitionem appellant, & quamcunque tristitiam siue dolorem, qui delectationi aduersatur. Secundò est animaduertendum, Desiderium esse actũ, quæ est voluntas mali aliquid faciendi ex deliberatione rationis. Vnde desiderium est cupiditas perueniendi ad opus. V. G. desiderium furãdi est voluntas complendi furtum: desiderium necandi hunc vel illum est voluntas perficiendi homicidium. Delectatio verò potest esse peccatum, tum ea, quę capitur ex re, tum ea, quę ex recordatione præteritorum, vel ex cogitatione futurorum, vel ex imaginatione eorum, quæ licèt facta fuerint, aut fieri possint, aut etiã fieri nequeant, tanquam præsentia fingimus atque mente concipimus. Delectamur igitur aspectu, sermone, auditione, gustatu, odoratu, & tactu rei. Item imaginatione multarum rerum, & deniq; ipsa etiam rationis, & mentis cogitatione. Porrò delectatio in hoc à desiderio differt, quod desiderium est voluntas complendi siue perueniendi ad opus externum; delectatio verò, & potest ad opus referri, quia spe & desiderio mali aliquid faciendi delectamur: & potest etiam vniuersa compleri absque ordine, & respectu ad opus: vt si quis rei turpis cogitatione delectetur absque omni prorsus voluntate, & cupiditate turpe aliquid exterius faciendi: sæpè enim vsu venit, vt rerum inanium, quæ fieri non possunt, cogitatione oblectemur: sicut etiam sæpe fictis, & commentitijs fabulis delectamur.

Secundò quæritur, An subiti voluntatis motus, qui omnem rationis vsum præcurrunt, sint peccata? de hac quæstione tractant Altis. *li. 2. tract. 2. cap. 1. & 2.* Alex. *p. 2. q. 108. m. 2. & seq.* S. Tho. *q. 7. de malo ar. 7. ad 8. & 2. d. 24. q. 3. a. 2. & d. 21. q. 1. a. 2. ad vlt. & 3. p. q. 41. art. 1. ad 3.* & Dur. *2. d. 21. q. 1.* & alij multi. Duas in hac re inuenio opiniones. Prima est, quæ docet esse peccata eos motus, qui imaginationẽ, qua res absentes concipimus, consequuntur: at omni culpa vacare eos hominis motus, qui volũtatem & rationem præueniant, sensus tamẽ corporis externos, hoc est subitam rei sensibus obiectæ notitiam, aut rei præsentis repentinam cogitationem, aut vitalis, siue altricis facultatis naturalis actiones comitantur, aut subsequũtur. Hæc fuit aliquorum ex antiquis Theologorum sententia: qui ea ratione nitebantur, quod motus, qui imaginationem rei absentis consequuntur, licèt rationis vsum anteuertant, possunt tamen ab ea impediri; hæc enim si sollicitè, attente, & diligẽter inuigilet, imaginationem in officio continet, ne turpe quid absens fingat, aut cogitet: quod si non faciat, causam dat motuum, qui imaginationem cõsequuntur: & ideo eiusmodi motus ipsius rationis & voluntatis culpa existere, & in animũ obrepere dicuntur. Licet enim per se, & directò non sint voluntarij, indirectò tamen, & in sua origine & causa antecedenti voluntarij sunt, possent enim per rationẽ impediri, & repelli: At verò subiti

rò subiti ac repentini motus, qui sensus corporis consequuntur, & imaginationē præuertunt, quales paulò ante descripsi, liberi prorsus à culpa sunt, quia non sicut imaginationem, ita sensum, aut vitalem, & altricē vim, & facultatem potest ratio prœuenire, cum res ipsę extrinsecùs nostros in sensus incurrāt, nec in nostra situm sit potestate, quin rebus visis, vel auditis permoueamur. Et hæc fuit veterum Scholasticorum opinio, Altisiodorensis, Alexandri, Alberti, sancti Thomæ, Bonauenturæ, quos etiam secutus est Durandus, qui quidem inde deduxerūt omnem sensuum titillationem esse peccatum. Ex quo efficitur, vt prædicta opinio longè absit à Lutheranorum, & Caluinistarum hæresi, qui persuadere conantur, omnem motum malum & vitiosum, licet voluntarius non sit, esse peccatum, satisque esse ad peccati rationem, si sit motus in natura mentis & intelligentię participe, contra rectam rationē ex peccato originem trahens, tanquam effectus ex causa. Et proindè colligunt, omnes concupiscentiæ nostræ motus contra rationem surgentes, quamuis subitos & repentinos, esse peccata, & pœnam promerēri: iniustis tamen hominibus eos motus beneficio Dei minimè culpæ imputari. Quorum sententia licèt aliqua ex parte cum Henrici opinione consentiat, vt alibi dicam, præterquā quod cum Fidei decretis, & doctrina pugnat; Philosophiæ quoque ipsi, & rectæ Rationi aduersatur, secūdum quam nihil in moribus peccati rationem habet, quod voluntarium non sit: qua de re, cum de Peccato originis agam, fusiùs disputabo. Secunda opinio tradit eos motus, quos Theologorum Schola primò primos appellat siue sensum corporis, aut naturalium virium actiones, siue imaginationem tum præsentium, tum absentium rerum consequentes, omni culpa carere, quoniam Rationis vsum omnino præcurrunt: quæ sententia communi est Theologorum consensu recepta; ita enim opinantur. Richar. 2. *d.* 21. *art.* 2. *q.* 3. Scot. 2. *d.* 42. *ad tertiam quæst.* Lyran. *Matth.* 5. Almain. *tract.* 3. *Moral. cap.* 24. Nider. *in* 9. *Præcept. Decalogi. c.* 4. Cordub. *lib.* 2. *quæstio.* 23. *dub.* 9. Angest. *cap.* 6. *Moral.* Et meritò quidem, quia ante omnem Rationis vsum nihil volūtarium esse potest; quippe voluntarium necessariò est cū cognitione rei: ergo vbi nulla est mentis siue rationis cognitio, voluntarium esse non potest. Porrò licet ratio sæpè imaginationem prœuenire, & corrigere queat, nō tamen semper potest: nā multę imaginationes prę teruolāt, nec ratio potest ita esse peruigil ac prudens, vt omnes aduertere, & præcauere queat: præsertim cum ea, quæ subito in sensus incurrūt, repente quoque in imaginationem irrepant, & influant, ita vt citius in eam illabantur, quam ratio possit aduertere. Quare motus, qui imaginationem consequuntur, aut omnem rationis vsum prœueniunt, aut tantùm perfectam quidem rationis deliberationem præcurrūt, sed imperfectam sequuntur: si omnem deliberationem rationis prœueniunt, culpa vacant: si non omnem deliberationem anteuertunt, sed tantùm perfectam & plenam, ita vt imperfectam aliquā deliberationem mentis consequantur, in culpa sunt, nō quidem lethali, sed veniali. Verùm obijcies, primam opinionē non intelligi de ijs motibus qui in sensus pariter, & imaginandi vim ex improuiso obrepunt: sed de ijs motibus, qui solam imaginationem consequuntur. Contra hoc est argumentum, quia tales quoque motus aliquando ex imaginatione subita oriuntur, ita vt mentis cogitatione prœuideri nequeant: & omnē rationis considerationem præcurrant. Existimo verò Theologos veteres primæ opinionis Auctores, appellatione motuum imaginationem consequentiū, intellexisse hominis motus, qui imperfectam & semiplenā rationis intelligentiam, & deliberationem consequuntur, & ideo dixerunt eiusmodi motus in culpa esse: quia sunt voluntarij & liberi, non quidem plenè & perfectè, sed aliqua ex parte imperfectè.

Tertiò queritur, An motus qui vocātur à Theologis secundo primi, in culpa & vitio sint: & primo primi omni culpa vacent? Constat apud omnes Theologos motus primò primos culpæ non dari; cum tamen secundò primi in culpa esse dicātur. Verùm, qui sint primò primi motus, & qui secundò primi, non eodem modo explicant Auctores. Nam veteres illi Theologi, quos, dixi, primam opinionem docuisse, motus primò primos appellant, qui non solùm Rationem, sed etiam imaginationem prœuenūt; quales sunt ij, qui sensus corporis, aut vim naturalem, aut vitalem siue altricem facultatem consequuntur, aut improuisum inopinatum ac subitum rei præsentis incursum: cuius generis sunt fitis, fames, libidinum titillatio, voluptatum illecebræ, & quædam blā dimenta, quæ nobis natura gignit. Secundò primos vocant eos motus, qui imaginationem rerum absentium consequuntur, rationem tamen præcurrunt; eò quòd motus huiusmodi cum sint imaginatione tanquam causa, & origine, vnde manant, & surgunt, posteriores, motus primo primi dici nequeunt: ac proinde sunt secundo primi. Illi autem, qui omnem imaginationis motum prœueniunt, primò primi nominantur: quoniam sunt omnium motuum primi. Et ideo dicunt, motus secundo primos culpam habere, sed venialem duntaxat. Lethalis enim culpa ante omnem animi deliberationem nulla esse potest: quia tamen eos motus cauere, & impedire, ne existant, ratio potest, cui imaginatio rerum absentium subijcitur, ideo culpa veniali non vacant: at primo primos omni aiunt vitio & culpa carere, quia naturaliter ad sensus affluunt, & naturaliter in animum illabuntur: ita vt per rationem prœuideri, impediri, & auerti non possint.

Communi sanè Theologorum consensu recepti est, motus primo primos esse & dici eos, qui omnem rationis vsum prœuertunt siue sensum corporis, siue imaginationem subitò consecuti, & ideo voluntarij esse nequeunt. Motus verò secundò primi vocātur, quotquot plenam quidem mentis deliberationem anteuertunt, sed aliquā tulum tamen rationis vsum consequuntur: quo efficitur, vt præcaueri ac repelli queant: quia tamē sunt ante plenā, & perfectam deliberationē, nequaquam grauia peccata, sed leuia esse iudicātur, videlicet venialia; non quidem ex leuitate materię, sed ex imperfecto rationis vsu, consilio, & deliberatione. QVAERES, an motus in appetitu

Scot. Alm. Nider. Lyra. Cordub. & alij supradicti Auctores.

petitu sensus secūdò primi sint peccata omissionis, an verò commissionis? Scotus, & Almainus eos motus peccata omissionis appellāt, quoniam ideo peccata sunt, quia ratio cum posset, eos motus non præuidet, non præcauet, non repellit. At Henricus & alij supra memorati sentiūt esse peccata commissionis: & hoc est verius, quia sunt actus mali, quamuis re vera deformitatē nullam haberent absque tacito, & implicito mentis consensu, qui non obstat, quo minus eiusmodi motus sint quidam actus, non omissiones.

Quartò quæritur, An in ipsa mente & ratione ac voluntate sint etiam motus, & actus primò primi, & secundò primi? Causam dubitandi præbet, quòd fieri nequeat, vt in ratione motus existant & surgant, qui omnem mentis vsum & deliberationem præcurrant: nam actus rationis hoc ipso, quod est talis, vsum rationis consequitur: ante omnem item rationis actum, imaginationis & sensus motus existit, ergo nullus rationis actus potest esse motus primò primus. Hoc argumento permoti nonnulli, senserunt in ratione non esse talium motuum differentiam statuendam. At verius tradiderunt alij, reperiri quoque in ratione huiusmodi motus repentinos ac subitos. Non enim negari potest, quin aliquando res obiectæ rationi, ipsam naturaliter excitent, alliciāt, & permoueant, & aliquādo imperfectè: quare in odio, maleuolentia, superbia, inuidia, ira, ambitione, contemptu, inani gloria, nonnunquam leuiter sōlùm peccatur, quoniā res obiecta aliquando tanquam iucunda, vel vtilis & cōmoda primo mentis aspectu sese offert, & voluntatem delectat, antequam ratio eam turpē esse & malam animaduertat: & proinde si res vt iucunda, vel vtilis, & commoda, & corpori salutaris, nō autem vt turpis, & mala, delectatione nos afficit, naturalis est voluntatis actus, quo naturaliter iucundum vel vtile bonum, quatenus est bonum, placet, & cum fit actus circa iucundū quidem, vel vtile, sed ante omnem prorsus honesti, & turpis notitiā est primò primus omni culpa carens: deindè cum incipit aliquantula apparere turpitudinis notitia, non tamen perfecta; si tunc quoque res turpis, & vetita voluntati placeat, actus erit venialis culpa; quia cum adest turpitudinis cognitio, statim res turpis auerti, & repudiari debet, cum is actus circa obiectum malum versetur. Hinc etiam est, vt in ijs quoq; quæ sunt contra Fidem, possit quis grauiter, & leuiter peccare: potest enim sententiam fidei cōtrariam tanquam veram subito credere, antequam cum Ecclesiæ, vel fidei catholicæ sensu eam dissidere, & pugnare cognoscat, animaduertat, vel cogitet: & tunc actus est liber à culpa. Si verò incipiat esse cognitio aliquantula non plena, & perfecta, qua deprehendat eam dissentire, & discrepare ab Ecclesiæ decretis, veniale tunc peccatum erit, sicut lethale post plenam mentis notitiam, & deliberationem. Idem etiam potest accidere cum de rebus fidei dubitamus: nam possunt esse subitæ, & repentinæ dubitationes, quæ naturaliter in mentem obrepant: & possunt esse aliquando cū imperfecta animi deliberatione. idem iuris est in motibus iræ superbiæ, inuidiæ, odij, inanis gloriæ, & alijs similibus.

Quintò quæritur, Quibus modis delectatio, quæ morosa vocatur, circa obiectum malum contingat: Animaduertendū est, delectationem, dici morosam, nō ob temporis moram, licet ab ea nomen acceperit, sed eo quod ex plena animi deliberatione descendat: ita vt delectatio morosa sit eadem, quæ delectatio deliberata. Et quoniam deliberatio rationis vno temporis momento fieri, & esse potest, ideo delectatio morosa, tota potest in temporis puncto consistere. Res enim voluntati obiecta vno temporis puncto potest nobis placere, & nos sua iucunditate perfundere. Secundo, scire conuenit, delectationem semper generari ex eo, quòd res aliqua iucunda cum appetitu per operationem coniungitur: operatio autem potest esse multiplex; quare aspectu rerū, auditione, narratione, & sermone, gustatu, odoratu, & tactu obiectamur: item apprehensione & possessione rei: sic etiam, cum res veluti præsentes animi cogitatione fingimus, immo cum multa ficta, quæ esse aut fieri nequeunt, mente concipimus. Porrò delectatio cum mētis cogitatione capitur, potest tripliciter percipi: Aut enim primo ex re ipsa cogitata capitur: & tunc res est obiectum, & materia delectationis, cogitatio verò nō est obiectum, sed operatio, per quam res cum appetitu coniungitur: quo modo sæpe per aspectū, gustatum, auditum, odoratum, vel tactum copulatur. Secundo modo, interdum delectatio ex cogitatione percipitur: & tunc cogitatio, licet in re aliqua externa versatur, est tamen obiectum, & materia delectationis, ita vt nos ipsa rei cogitatio vel recordatio delectet: quod solet accidere ijs, qui imagines in tabella depictas aspiciunt: aliquando enim delectantur rebus in imagine adumbratis, & effictis, aliquando verò ipsis rerum imaginibus, eas enim contemplantur vt pulchrè in tabella descriptas, ita vt placeat earum imaginum conueniens & apta pictura. Sic etiam delectamur aliquando, quia res mentis cogitatione concepta tanquam pulchra, & nobis iucūda placet; Aliquando verò ex eo, quod ipsa rei cogitatio, tanquam iucunda quædā conceptio nobis est grata, vt solet esse ijs, qui dicturi, disputaturi, vel concionem habituri sunt, cōtra res obscœnas, & turpes; quibus nimirū res ipsæ obscœnæ displicent, at verò placent cogitationes conceptę. Tertio modo potest delectatio euenire, eo quod ex desiderio, spe, studio boni iucundi, vel vtilis, & cōmodi capiatur: & tunc huiusmodi delectatio cum appetitu coniungitur per voluntatem, & actum perueniendi ad opus externum, cum tamen primæ duæ delectationes ante dictæ, sint absque volūtate operis cōplendi; & propterea hæc postrema delectatio coniuncta copulataq; est cum voluntate opus perficiendi; & ideo sequitur cupiditatis & desiderij naturam.

Cap. VI.

De delectatione morosa.

PRIMO quæritur, An delectatio morosa circa obiectum malū sit peccatum? Tres in hac re inuenio sententias. Prima est quā refert S. Thomas, non esse peccatum, modo sit absque studio, & voluntate malè faciendi, & absque omni occasione cōsentiendi in opus, & factū malum. quam sententiam Cordubensis *lib. 1. quæstionum, quæst. 23. dub. 11.* *S. Tho. 1. 2. q. 74. ar. 8.*

dub.11. Martino adscribit, & ait eam esse probabilem, licet minus tutam, & publicè minimè docendam. At reuera Martinus q.3. *de luxuria ad 17. argumentum, vbi hanc quæstionem attigit*, eam peccatum esse planè fatetur; ita tamen, vt dicat, non esse facilè condemnandum eum, qui cogitatione mala delectatur. Prima hæc sententia potest probari dupliciter. Primò, auctoritate Christi Domini: *Matth.5.* *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad cõcupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* & in nono ac decimo *Exod.20.* præceptis Decalogi solùm dicitur: *Non concupisces vxorem, vel rem proximi tui.* ergo cupiditas, & voluntas mali perpetrandi est peccatum, nõ tamen sola delectatio, quę de malo cogitato percipitur. Deinde, exemplo probatur: quoniam potest quis de bello iniquo apud se cogitãs, animo fingere, se ducem esse & imperatorem, exercitum per varia loca traijcientem, contra hostes strenuè pugnantem, mirifice sese defendentem: in qua delectatione non videtur facilè peccati condemnandus. Præterea, non videtur peccare, qui solo aspectu ludi, vel duelli aut spectaculi lege aliqua interdicti oblectatur. Postremò, non peccat, qui tempore, quo ieiunium seruare præcepto compellitur, de esu carnium cogitans in eo sese delectat. Secunda opinio distinguit in hunc modum: aut res, inquit, cogitata per se mala est, qualia sunt, quæ iure naturali damnantur: aut solùm est mala, quia lege aliqua scripta prohibetur, vti esus carnium certis quibusdam anni temporibus interdictus, ludi & spectacula, quæ lex humana vetat. Si res igitur sit per se mala, tunc delectatio, quæ ex ea capitur, est peccatum, quia cum res sit per suam naturam mala, rectæ rationi repugnat, & proindè delectatio ex ea re capta est mala. nã quicquid delectat, hoc ipso placet, & approbatur; at peccatum est, approbare, & gratum & acceptum habere id, quod malum ac turpe esse, cognoscitur. Si verò res lege tantummodo scripta vitetur; tunc delectatio, quæ ex ea re absolutè, simpliciter, & per se cogitata percipitur, nullum est peccatum, modò nõ delectemur eiusmodi re, quatenus lege interdicta. Fiet, quod dico exemplo perspicuum. Titius in ieiuniorũ temporibus cogitans de esu carnium absolutè & per se delectatur in eo, non tamen vt lege interdicto, ac minimè peccat. Confirmant hoc multiplici ratione. Primò, quia delectatio cogitationem consequitur, sed cogitatio est circa esum carnium absolutè per se sumptum; at esus carnium per se nõ est malus: ergo huiusmodi delectatio nõ est circa obiectum malum. Item, quia sicut intellectus, vel ratio, quæ sunt re coniuncta, potest cogitatione seiungere, & vnum absque alio concipere; sic etiam voluntas potest, quæ sunt re ipsa connexa secernere, & vnum sine altero velle: ergo potest in esu carnium absolutè, & per se cogitato delectari, non quatenus est lege interdictus: sed quatenus carnium vsus simpliciter iucundus, aut vtilis cogitatur. Deindè, quia alioquin peccarent, quotquot delectantur aspectu simplici ludi vel spectaculi, humanis legibus damnati. Accedit his, quod leges humanæ multa opera externa vetant, & proinde voluntatem ea faciendi, & delectationem, quæ capitur ex ijs, vt sunt lege interdicta, non tamen condemnant delectationem absque vllo studio, & volũtate operis complendi: non enim leges humanæ, actus mentis internos imperant, aut prohibent; nisi ea ratione, qua referuntur, & diriguntur ad opus. Tertia opinio, absolutè docet, omnem delectationem circa obiectum malum, esse peccatum. Hæc opinio est cõmuni Theologorum consensu approbata, & recepta: Illud tamen animaduertendum puto, eam intelligi de delectatione, qua quis delectatur in malo, vt malum est: nam in malis sæpè, potest aliquid boni cogitatione apprehendi, ita vt voluntas oblectetur in ea boni ratione cogitata. Explico me: Titius ex equo, iumento vel curru decidit, & casu grauiter vulneratur, aut lædit: quia casus ille ex equo, iumento, vel curru fuit ridiculus, risum excitat, & lætitiam: tunc is, qui lætatur & ridet, nequaquam delectatur de malo, neque enim oblectatur de vulnere, aut membri incõmodo, aut corporis offensione, verùm de modo ridiculo, quo ille decidit. Ad eũdem modum, cum narrantur furta quædam, fraudes, & insidiæ mirabili dexteritate & artificio paratæ, & instructæ ad nocendum ridere consueuimus, & dulcem quandam animo voluptatem percipere: quæ enim noua & insolita, quæ mira, & subtilia sunt, ea ferè natura sua pariunt voluptatem. Similiter aspectu ludi, vel spectaculi non boni, duelli item & belli iniqui, delectamur, quòd subtiliter, & ingeniosè aliquid agatur, quòd fortiter & strenuè pugnetur, quòd arma resplendeant, lituus personet, tuba clangat. Hæc omnia docte, & verè Caietanus annotauit.

Caietanus sum. delectatio mirosa.

In hac igitur quæstione, prima sententia videtur esse temeraria, quia est contra communem omnium Theologorum sententiam. Altisiod *lib.2. tract.28. cap.4. quæst.2.* Alexan. *part.2. quæst.109. m.11.* S. Thom. *1.2. quæst.74. art.* S. Bonau. *2. dist.24. part.2. art. 2. q.2.* Richard. *2. dist.24. art. 4. q.4.* Scot. *2. dist.44. q. 1. §. sequitur secundum.* Duran. *2. d.24. q.6.* & Gabr. *4. dist.15. q.13. art.3. dub.2.* Mai. *2. dist.42. quæst.18.* Antoni. *2. part. tit.1. cap.4. §.1.* Angel. Syuest. Tabien. Armill. Caietan. *verbo cogitatio, & verbo delectatio.* & Nauar. *cap.16. nu.9.* videtur quoque esse contra Patrum doctrinam: scilicet contra Chrysost. *hom.17. in Matth.* Hilari. *in Matth. cano.4.* August. *lib.12. de Trinit. cap.12.* Gregor. *lib.21. Mora. cap.3.* Isidor. *qui citatur 22. quæst. 7. cap. non solum.* & Bernar. *de interio. domo cap.40.* Videtur etiam cum ratione pugnare: Etenim res mala, vt mala est in moribus, cum recta ratione discordat & pugnat: ergo voluntati rectæ displicere debet: at voluntas, quæ ea delectatur; eam approbat, & tanquam sibi gratam & acceptam habet; ergo hoc ipso peccat. Secunda verò opinio, non est, quod distinguat ea, quæ sunt ex lege interdicta, ab ijs, quæ sunt per se mala: quoniam si is, qui delectatur cogitans de esu carnium absolutè & per se, non autem vt est certis temporibus interdictus, non peccat, ideo est, quia delectationem nõ capit ex re mala, quatenus mala, nam esus carnium per se malus non est, sed medius & indifferens. At verò idem iuris est in ijs, quæ sunt per se mala, quoniam si in ijs, aliqua boni ratio potest mentis cogitatione concipi, & voluntas in ea, vt bona est, delectetur, peccatum non contrahit, vt in exemplis, supra allatis dixi, idemque in multis alijs elucescit. nam etiamsi bellum sit

iniustum,

iniustum, si quis tamen cogitatione se fingat ducem decoris armis indutum, strenuè exercitum ductantem per loca ardua, & inaccessa sine periculo aut damno, arte & industria singulari, non videtur lethaliter peccare (meo iudicio) sese ijs rebus animo confictis oblectando, dummodo ex ea parte, qua bellum est inique susceptum, aut ex vulneribus, cædibus, incendijs, & id genus malis, delectationem non capiat. Pari ratione non erit semper peccatum in eo, qui delectatur aspectu duelli, ludi, aut spectaculi publice exhibiti, quo solent animi recreandi gratia, agitari feræ cum multorum hominũ interdum interitu vel damno. Qui præterea animo se fingit locupletem, magnos quotidie sumptus facientem, plurima gratis, & liberaliter donantem, cum tamen alioqui reuera sit pauper, & voto voluntariæ paupertatis adstrictus, in eo non videtur peccare lethaliter. Quare tertia opinio eo modo, quẽ explicuimus, meritò est amplectenda.

Secundò quæritur, num Delectatio morosa sit lethalis culpa, an venialis, pro varietate materię grauis, vel leuis in qua versatur? Quidam existimant Delectationis morosæ, quæ in culpa, & in vitio est, deformitatem nequaquam respondere magnitudini vel exiguitati materiæ: quia (secundum eos) materia prauitatẽ, quam habet, in delectationẽ minimè transfundit. Sic videtur sentire Ledesmius *p.1. in 4.q.21.a.7.* sic Cordub. *in lib.2. quæstionum.q.30.dub.1.* Ratio eorum est, quia inter delectationẽ morosam, & voluntatem faciendi opus, hoc interest: quòd voluntas totã suam turpitudinem sumit ab opere externo, quod tanquam obiectum sibi propositum habet, quia est voluntas perueniendi ad opus: At verò Delectatio morosa, cum omni voluntate careat opus complendi, per se in ipsa voluntate finitur, ac consummatur: non enim est veluti quidã gradus, & transitus ad opus externum, ergo per se deformitatis grauitatem vel leuitatem habet, nõ autem ex obiecto & materia. Deindè, si per vim quispiam adigeretur ad libidinem externam, aut si virgo inuita violaretur, & tamen interius delectaretur, peccatũ sese delectando susciperet, cum alioqui actus libidinis exterior vacaret omni culpa, vtpotè violẽtus: Ergo morosa delectatio per se, & ex se habet prauitatem. Adhæc, aliquando in obiecta re, & materia externa nulla turpitudo, nulla deformitas inest, & tamẽ delectatio, quæ inde capitur, est mala. Vt si quis peruigil oblectaretur, quod se in somno polluisset, aut quod dormiẽs, vel ebrius, vel mente captus aliquẽ occidisset, aut quod peierasset. Verùm enimuerò cõmuni Theologorum consensu receptum est, vt videre est apud Duran. Richard. Caiet. Antoni. Gabr. Angel. Sylvest. Armil. Nauarr. locis citatis, delectationis morosæ grauitatem, vel leuitatem ex materia magna, vel parua æstimari: ita vt si materia sit leuis, delectatio sit venialis, lethalis verò, si grauis. Id quod ratio ex his, quæ hactenus dixi, satis ostẽdit: quia obiectum, quatenus malũ in moribus, cum sit rectæ rationi dissentaneum, à voluntate approbari, & gratum atque acceptum haberi, iure non potest: ergo voluntas sese delectando in malis, vt mala sunt, & grauius leuiusue peccat, quo subiecta materia grauior aut leuior est.

Ad obiecta verò non magni operis est respondere: & ad primùm respondeo, delectationem morosam esse quidem peccatum, quod in sola voluntate completur; nihilominus tamen illa obiectum habet suum: omnis enim delectatio de aliquo obiecto, & materia capitur, in qua terminatur, licet in actum exteriorem non tendat, siue ad opus non veniat voluntas, quæ solum delectatur interius. Quare sicut odiũ est peccatum, quod consummatur in mente, non quia obiecto careat (hoc enim fieri non potest) sed quia in sola voluntate perficitur, citra vllum opus externum: ita etiam delectatio morosa est peccatum, quod interius in voluntate completur, non quidem sine obiecto, & materia, sed absq; vllo actu exteriori. Sufficit autem, si obiectum, quatenus malum est, voluntati placeat, & ipsam delectet; nam hoc ipso peccat voluntas. Ad secundum argumentum respondeo: sicut Magistratus secundum leges, reum criminis morte puniens, in actu externo, quem præstat, non peccat; si tamen ex odio, vindictæ, vel ira eum pœna plectat alioqui iusta, & debita, delinquit interius, & grauiter, quia odium, inuidia, vel ira in obiecto malo versatur: eodem modo, si quis cũ scorto rem habeat inuitus, interius tamẽ sponte oblectetur, quãuis in actu exteriori liber non sit, in delectatione tamen morosa peccat, quia hoc ipso, quod sponte delectatur, quamuis rem turpem faciat inuitus, libidinem, & luxuriam interius, non autem exterius sibi gratam, & acceptam habet. Ad tertium argumentum pari modo respondeo; delectationem morosam in eo homine vitio, & culpæ tribui, non eo, quòd ille se in somno polluerit, sed eo quod voluntaria delectatione in pollutionem vt in obiectum & finem intendat: veluti si bellua Titium occideret, & Caius ea nece sese oblectaret, actus quidem exterior, vt à bellua proficiscitur, culpa vacaret, delectatio tamen Caij, esset in vitio, quia necem Titij, vt rem sibi gratam & acceptam haberet.

Tertiò quæritur, An morosa delectatio speciẽ suã sumat à varietate materiæ sibi subiectæ? Rem declaro; in opere luxuriæ tanquam genere, multæ species continentur; fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium: Quæritur modò an delectationes morosæ, quæ capiuntur ex re turpi, & obscœna, inter sese specie distent, sicut etiam opera libidinis externæ? Quidam opinantur delectationis morosæ species non sumi ex varietate operis externi, sed sui obiecti, quod opus externum non est, cum delectatio ad actum exteriorem non referatur, immo potius tota in voluntate consummetur. Quod his probant argumentis. Nam actus externus aliquando est bonus, & tamen delectatio morosa est mala: interdum enim vsuuenit; vt Titius rem cum propria vxore habens, sese delectet cogitans de vxore aliena. Item, quia inter species luxuriæ quædam sunt proprie contra iustitiam, vt adulterium, stuprum, & raptus: quædam contra pietatem, & reuerentiam debitam ijs, qui sunt sanguine, & cognatione coniuncti, vti est incestus; quædam contra religionẽ, vt sacrilegium. At in delectatione morosa nulla apparet talis varietas: non enim si quis delectationem capiat ex cogitatione

concubi

concubitus cum vxore aliena, quam adamat, aut cum stuprata virgine, aut cum puella rapta parentibus, aut cum fœmina sibi propinqua, aut voto castitatis adstricta, iustitiam violat, pietatem aut religionem. Accedit, quòd delectatio morosa non est gradus, & progressus ad opus externũ, vti est voluntas, & cupiditas faciendi. Ergo tametsi voluntas, & affectus, qui dirigitur ad opus, specie est diuersus, pro varietate operis, quod est eius finis & terminus, non tamen delectatio morosa, quæ vnico voluntatis actu terminatur: non in opere externo. At verò communis est Theologorum sententia, Antoni. *parte secunda, tit. 5. cap. 1. §. 6.* Nauarr. *in Manual. cap. 16. num. 9. & c. 6. num. 8.* Angel. & Syluest. *locis citatis*, & Sot. *4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. post septimam conclusionem*, Tabien. *cogitatio morosa, num. 1.* Caietan. *secunda secundæ quæstione 154. artic. 4. ad 2.* delectationes morosas pro varietate operis externi specie ab se inuicem seiungi: fortassis prima opinio à secunda verbis tantùm, non re ipsa dissentit. Quod vt maiori explicationis luce declarem, animaduertendum arbitror, dubitare neminem, prauum voluntatis affectum, qui ad opus tanquam finem, & terminum refertur, specie differre pro diuersitate operis, in quod, vt in finem dirigitur, quare sicut varię sunt luxuriæ species, sic etiam voluntas, & cupiditas luxuriæ distinguitur specie, & quale fuerit luxurię opus externum, talis quoque erit voluntas, & desiderium luxuriæ atque libidinis. At verò delectatio morosa in re, & materia libidinis, à voluntate, & affectu differt, quòd voluntas, & cupiditas libidinis semper est eiusdem speciei, cuius est libido, & semper habet eandem, qua libido exterior inficitur, prauitatem. At delectatio morosa licet speciem, & turpitudinem sumat ab obiecto; non semper tamẽ totam speciem, maculam, & fœditatem externę luxuriæ, & libidinis habet: exterior libido semper omnem suam speciem deformitatemque, in voluntatem & desiderium operis transfundit; cum tamen non semper in delectationem morosam transmittat. Pono exemplum: Si Titius habeat rem cum vxore aliena, vel cum fœmina sibi sanguine coniuncta, vel cum puella virgine Deo sacra, adulterium, incestum, vel sacrilegium cõmittit, ad quod satis est, si norit esse vxorem alienam, vel propinquam, vel sacram, etiamsi nollet esse alienam, propinquam, vel sacram: huius enim generis circunstantiæ cum sint in ipso opere, separari, & seiungi nequeunt re ipsa; & proindè ad luxuriæ fœditatem sufficit earum notitia, ex qua fit, vt Titius hoc ipso, quod vult, & appetit opus, velit quoque eiusmodi circunstantias. Sic etiam si idem Titius velit, & optet rem habere cum fœmina, quam nouit esse vxorem alterius, vel affinem sibi, vel Deo voto facto addictam, tota eius cupiditas est adulterij, incestus, vel sacrilegij, quia est veluti progressus quidam & motus ad incestum, adulterium, vel sacrilegium. At verò si delectetur Titius in cogitatione complexus cum vxore aliena, quam talem verè nouit esse, non suam, non hoc ipso, quod nouit esse alienam, delectationem morosam capit ex adulterio; potest enim Titius delectari in cogitato congressu, non vt est cum vxore aliena, sed absolutè, vt est cum fœmina sibi non nupta: delectatio enim terminatur in fœmina, prout est in cogitatione Titij; at prout est in cogitatione Titij, nõ est vxor aliena, sed absolutè tantùm omni vinculo soluta; & proindè delectatio solũmodo tunc habet speciem, & deformitatem libidinis, & luxuriæ simplicis, quia talis nimirum est res cogitata, in quam Titius delectatione fertur. Si tamen de ea delectetur, vt cogitatione apprehenditur tanquam vxor alterius, vel fœmina sibi propinqua, & cognata, aut quæ Deo vouerit virginitatem, tunc delectatio habet rationem adulterij, incestus, vel sacrilegij. Quare si generatim loquamur; sicut delectatio morosa, in vitio & culpa habet grauitatem, vel leuitatem, ex varietate materiæ grandis vel paruæ; ita etiam sumit speciem ab obiecto & materia; ita tamen vt obiectum tunc omnem suã speciem, & prauitatem in delectationem morosam deriuet, quando delectatio ex re obiecta capitur, vt cogitata ex omni malo, quod habet in se. Si enim res cogitetur, vt ex parte tantùm mala, non ex toto, turpitudinem ex parte, nõ ex toto transmittet in delectationem. Nam pari ratione superius iam dixi; non eo, quod res est mala, delectationem esse malam, quia potest delectatio terminari in aliqua boni ratione, quæ inest in re mala; ad eundem modum, licet res mala duabus tribusue prauitatib' sit infecta, potest nihilominus delectatio vnius tantũmodo esse deformitatis, quoniam ad vnam duntaxat cogitatione conceptam turpitudinem, refertur.

Quartò quæritur, num delectatio, quæ versatur in cogitatione, qua res mala cogitatur, hoc ipso sit mala? Hactenus dixi de delectatione, quæ versatur, & finitur in re mala, sed nobiscum mentis cogitatione coniuncta, hoc est, de delectatione, quæ ex re mala cogitata capitur: siue de delectatione, cuius obiectum est malum; ita vt cogitatio solùm sit operatio, per quam nobiscum res exterior mala coniungitur: Nunc verò dicere oportet de delectatione, cuius obiectum est cogitatio, qua rem malam cogitamus. In qua re, non est tanta controuersia, aut difficultas, quippe inter omnes conuenit, huiusmodi delectationem, aliquando esse bonam, aliquando immundam, & malam; aliquando vanam & inutilem, aliquando indifferentem. Delectatio bona est, quãdo Titius disputaturus, docturus, concionaturusue delectatur absq; vllo peccati periculo, de argumentis, rationibus subtiliter, & acutè excogitatis, & inuentis contra res turpes & obscœnas. Vana & inutilis est delectatio, si Titio eiusmodi cogitationes vanè, & inutiliter sine iusta, & probabili causa placeant. Mala porrò delectatio tunc erit, quando in hisce cogitationibus delectatio fuerit cum periculo peccati, vtpotè vel consensus in opus, vel delectationis morosæ in re mala.

Quintò quæritur, An vt delectatio morosa, sit in vitio & culpa lethali, sufficiat eam esse implicitè, tacitè, & indirectò voluntariam, an verò etiam oporteat, vt sit voluntaria explicitè seu expresse, & directò. Hunc cõsensum appellant Doctores expressum; illum autem, tacitum, & interpretatiuum. Exempli causa, in appetitu sensus, vel in sensum ipsum irrepit, & influit certa quædam delectatio ex cogitatione turpi, & immunda: vo-

luntas

luntas verò (etiamsi eam delectationem in sensu ratio animaduertat) nec reprimit, nec auertit, cum tamen possit, nec acceptam habet, sed solam permittit, ac sinit appetitum sensus in ea delectatione persistere: Quæritur, an quia non refrænat, compescit, & repellit voluntas, cum tamen possit, eo ipso grauiter peccet.

Quòd ad hanc rem pertinet, vno ore fatentur omnes, lethali culpę tribuendum, quando imminet probabile periculum expressi consensus in eam delectationem: nam statim atque tale periculum præuidetur, debet voluntas se conuertere ad eam comprimendam: ita quoq; si periculum impendeat consensus in opus immundum, & turpe. Illud etiam omnes concedunt, voluntatem grauiter delinquere, quotiescunq; talis delectatio est tacitè, & implicitè voluntaria. Nam licet teste Bonau. *in 2.d.24.art.4.q.2.* aliqui senserint ad lethale peccatum contrahendum in delectatione morosa, non sufficere tacitum consensum, sed requiri etiam expressum: Ipse tamen Bonauentura, *in eo loco*, & Richardus, *in 2.d.24.art.4.q.4.* & cæteri Scholastici Theologi vnanimi consensu docuère; satis esse tacitum, implicitumq; consensum. Tunc verò est talis consensus, cum voluntas non solùm potest delectationem cohibere & auertere, sed etiam debet. VERVM QVAESTIO EST, an hoc ipso, quod ratio animaduertit talem inesse delectationem in appetitu sensus, debeat eam reprimere, arcere, & propellere? Illud quoque certò constat, non esse voluntatem in culpa, cum eam delectationem non depellit, & supprimit, quando non debet, tametsi possit. His positis, sunt duæ opiniones; vna docet non esse tacitum, aut implicitum consensum ex hoc solo, quod voluntas delectationem non repudiet, & auertat, cum id tamen possit: & proindè culpæ, & vitio non dari saltè lethali, quando voluntas eam non coërcet, respuit, & eijcit, dummodo absit omne probabile periculum expressi consensus in eam. Quare iuxta hanc opinionem, excitata in appetitu sensus, vel sensu delectatione turpi & obscœna, si ea voluntati placeat, erit lethale peccatum: si minimè, tunc aut ratio animaduertit, instare periculum consensus expressi in eam, & tunc illam comprimere, & repudiare voluntas debet; alioqui contrahit culpam lethalem: Aut ratio nequaquam animaduertit periculũ imminere consensus, quia reuera abest omne periculum: tunc voluntas eam non respuens, & auertens delectationem, peccat quidem, sed non grauiter. In hac sententia videntur esse Angel. *cogitatio.n.2.* Syluest. *Delectatio.q.1.uers.4.propè finem.* Tabien. *Cogitatio morosa.q.6.propè finem.* Caietan. *in sum. Delectatio morosa, ſ.magna tamen.* Armil. *cogitatio.nu.3.* Nauarr. *in Manu. cap.11.nu.12.13. uers. quarium vt absque rationabili causa.* Ratio eorum ad id probandum est, quia si nullum periculum impendeat, vel consensus expressi in delectationem, vel in opus exterius, nulla lege compellitur voluntas ad eam cohibendam vel depellendam, licet in sua potestate sit eam cohibere, & auertere; quoniam ex multis causis, potest eiusmodi delectationem in corporis sensu relinquere, ita vt tuta conscientia permittat appetitũ sensus, vel sensum in ea delectatione perseuerare; quod probant exemplo non absimili. Nam ob id, quod quispiam, cum à Dæmone, vel ab alio hoste tentatur eius probitas & virtus, tentationem non repellit, cum potest commodè, tacitè vel implicitè in eam consentire nequaquam videtur: non enim statim atque potest, eam propulsare, auertere, & abijcere debet, modò omne periculum cõsensus in eam, vel in opus exterius, declinet, ac vitet. Accedit his, quod Bernardus ait: *cap. 40. de interiori domo:* cogitatio immunda mentem non inquinat, cum pulsat, nisi cum hanc sibi per delectationem subiugat. Altera opinio docet lethaliter aliquem delinquere non reprimendo, & repellendo eiusmodi delectationem, & hoc ipso, inesse illi tacitum implicitumúe consensum voluntatis, dum eam non respuit & auertit, cum possit: quia ex eo, quod eam potest voluntas repellere, lege compellitur ad id faciendum: & ni faciat, tacitum illi præbet assensum. Deindè, quia naturaliter fit, vt appetitu sensus vel sensu sese in aliquo oblectante, simul quoque voluntas spõte sua delectetur, nisi repugnet & obsistat: Ergo si ratio animaduertat, & voluntas eum appetitum non coërceat, cohibeat, & reprimat, eo ipso vnà cũ appetitu animali mens proculdubio sponte, & liberè delectabitur: ergo si mentem cogitatio immunda pulset, voluntas debet eam refrænare & auertere.

Vt propositam cõtrouersiam magis explicem, notandum puto, aliquas esse causas, ob quas delectationem in appetitu sensus, vel sensu excitatam ac surgentem possimus ablq; culpa non propulsare, & eijcere. Eæ sunt in primis cum oritur eiusmodi delectatio, ex sacris peccatorum confessionibus audiẽdis; aut ex cogitatione, vel lectione rerum turpium, & obscœnarum, disputandi, docendi, vel concionandi gratia susceptа, aut ex itinere, quod equo facimus: Aut ex aspectu fœminæ, aut sermone cum ea habito, honesto tamẽ, necessario aut vtili ipsi vel nobis; in his enim nullo iure compellimur ad causas earũ delectationum in sensus & animum illabentium remouendas. Porrò nobis in causa ipsa alioqui iusta, & honesta insistentibus, & immorantibus, delectatio pmanet, quæ sicut ea ex causa existit, ac nascitur; sic ea quoq; retenta, & præsente conseruatur, & durat. Pari ratione (vt mihi quidem videtur) si quis vir probus, ac timens Deum fatigetur, & laboret in ea delectatione repellenda, & cogitatione auertenda, & nihilominus eam adhuc permanere videat, & sentiat, non peccat illam amplius reprimendam, & propulsandã non curans: satis enim est, si in eam non consentiat expresè: nec si deinceps talem ille delectationem abijcere non studeat, lethalis se culpę crimine obstringit. Si quis item expertus sit delectationem, eo magis roborari, & inualescere, quo ei magis obnititur, & obsistit, & aliquando eã minui ex parte, immò etiam ex toto desinere, cum negligitur: Tunc, mea quoque sententia, si nihil, aut minimum de ea laboret, dummodo non præbeat assensum, non est ille reus lethalis criminis. & de his casibus, & alijs similibus existimo loquutos fuisse primæ opinionis auctores. At verò cum nulla iusta, debita, & legitima, aut rationabilis subest causa, ex qua delectatio in sensum, aut appetitum irrepens oriatur, probabilior mihi videtur opinio,

Nau.c.11. n.12.& 13.

docens

docens tacitè, & implicitè eum consentire, qui non repellit, & auertit, cum possit, eam delectationem: quoniam delectatio turpis, & obscœna, vel quacunque alia ratione mala, & vitiosa per se allicit & trahit appetitum, & animum: ergò si ratio animaduertat, & voluntas commodè eam possit exuere, & deponere, hoc ipso ad eam reprimendam, & exterminandam iure compellitur. *Quæres*, quid dicendum, cum causa delectationis iusta subest, & delectatio potest facilè repelli, causa vndè enascitur adhuc permanente, neque abiecta, neque relicta, an tunc eiusmodi delectationem eijcere, atq; depellere à nobis debeamus? vt exemplo explicem; finge dum pœnitentium confessiones excipis, posse te facili negocio obscœnam delectationem arcere, & fugare absque hoc, quod ab audiendis peccatorum confessionibus cesses; an debeas immundam cogitationem, & delectationem sensus auertere. Respondeo, meo quidem iudicio nos ad id faciendum recta ratione compelli, & ea est, quia vtrumque possumus minimo labore, & facili negocio: quoniam & causa alioqui iusta, & legitima non deseritur, & delectatio facilè excluditur causa adhuc non prætermissa: ergò debemus delectationem repellere; siquidem causam iustam, & ex qua delectatio existit, ac surgit, omittere nō cogimur: ea igitur retenta, delectatio deponi, arceri, & fugari debet, si facilè potest.

Sextò quæritur, An vidua cogitando de actu coniugali prçterito, si eo delectetur, grauiter delinquat? Duæ sunt opiniones, vna negat esse huiusmodi delectationem per se lethalem, modò vidua extra omnem occasionem sit sese sponte, & volùtariè polluendi, aut consentiendi in maritalem complexum, quo nunc vti nō potest. Hoc tradunt Palud. *4.d.9.q.3.concluſ.1.* Angel. *cogitatio.nu.2.* Rosel. *delectatio.nu.3.* Caietan. *in opuſculis to.1.tract.14.dub.2.* Medin. *1.2.q.74.a.8.* Armill. *delectatio.nu.3.* Prima ratio eorum est: quia delectatio in bono, vel malo talis est, qualis & operatio, quam sequitur: sed actus coniugalis præteritus fuit bonus, & delectatio est de eo actu, qui præterijt, ergo est bona. Deindè, quia delectari, est gratum, & acceptum aliquid habere; at vidua iure potest complexum coniugalem præteritum habere gratum, & acceptum sibi. Item, quia memoria præteritarum rerum bonarum, quamuis nos delectet, sine culpa est. Præterea, argumentum sumunt ab exemplo iudicis, qui citra omnem culpam delectari potest, quod improbos morte punierit, atque damnauerit: id etenim potest tuta conscientia alijs enarrare, gratumq; sibi, & acceptum id operis habere. Secunda opinio affirmat grauiter viduam peccare de coniugali congressu præterito cum delectatione cogitantem, quod sic conantur ostendere: quia licet cogitatio sit de maritali cōplexu, qui iam tranſijt, iusto nimirum, & legitimo; delectatio tamē est de virili cōgressu, quem vidua cogitatione nunc concipit, vt præsentem; ita videntur sentire Silvest. *delectatio q.3.* Tabien. *cogitatio q.7.* Nauar. *in Manua.c.16.nu.10.* Cordubens. *in suis quæstionibus lib.1.q.23.dub.12.*

Cæterùm in hac quæstione nō videtur esse magna difficultas. Est enim eiusmodi delectatio in viduis peccatum ex suo genere graue: nam si vidua maritalem complexum mentis cogitatione concipit tanquam præsentem, ita vt coniugalis amplexus, oscula, & tactus præteritos animo suo fingat, ac secum cogitando voluat, & ea animi cogitatione excitet delectationem in appetitu, vel sensu, tunc si in eam consentiat, proculdubio lethali culpa mentem, & animum commaculat, tametsi nullum aliud consensus, vel peccati periculū sibi creet. Quoniam licet actus præteriti coniugales de ipsa inter coniuges boni fuerint, iusti, & honesti; cum tamen illi tanquam præsentes animo concipiuntur ab ijs, qui matrimonio soluti iam sunt, si voluntatem, & animum sua iucunditate, & delectatione deliniant, culpa non carent: quoniam eiusmodi delectatio est de actu, qui in eo, qui delectatur, amplius coniugalis non est. Omnis autem delectatio ex viri, & feminæ complexu percepta extra legitimum coniugium, libidinosa, & venerea est; & propterea mala, & vitiosa; eam solummodo excusat maritalis congressus. Si item ex memoria actus coniugalis, qui præterijt, oriatur, & surgat in appetitu, vel sensu delectatio, quam sua sponte vidua acceptam habeat, & sibi gratam, culpa etiam non vacat: licet nullius alterius peccati periculum vidua incurrat. At verò si vidua solùm ratum, & firmum, aut etiam gratum, & acceptum habeat actum coniugalem priſtinum, ex quo olim delectationem percepit: tunc nullam culpam suscipit, nullum peccatum contrahit: & in hoc prima opinio locum habet: quæ dicit eam non peccare; quia solùm placet ei actus, qui tranſijt, & fuit bonus, atque legitimꝰ, & tota delectatio ex actu bono fuit ante percepta. Et hoc est, quod dicere voluit Caietanus; quem alij iuniores supra citati sequuntur, delectari eo actu, solummodo esse, eum gratum, & acceptū habere, scilicet quod fuerit. Objicies, complexus coniugalis est bonus, ergo delectatio, quæ capitur ex eo cogitato, est bona, siquidem ex obiecto bono percipitur. Respondeo, solùm argumento concludi bonam esse delectationem, quæ ex maritali congressu, dum re ipsa est, percipitur; non tamen eam, quæ capitur ex eo, dum cogitatur: actus enim coniugalis nō ex eo, quod cogitatione mentis cōcipitur, subsistit. Delectatio igitur capta ex actu coniugali cogitato, extra matrimoniū percipitur, & proinde ex obiecto malo: actus etenim coniugalis, qui re ipsa subsistit, bonus est per se, atq; iure ipso diuino, & naturali concessus: Sed qui tantùm cogitatur, & re vera non est; & dum cogitatur, voluntatem, & animum oblectat, malum obiectum est, quoniam hoc ipso, quod delectatio est de actu coniugali tantummodò cogitato, extra coniugium percipitur. Aliud verò est de oblectatione, quæ capitur ex iusta, & debita nocentū hominū pœna, & vindicta, siue dum fontes auctoritate publica puniūtur, siue dum eorum pœnas meritas cogitamus: ea enim delectatio ex obiecto bono percipitur: quare merito iudex delectatur, quod reos, nimirum meritis pœnis affecerit; quod in fontes animaduerterit: hoc enim nihil aliud est, nisi gaudere bona, & in opere, ac obiecto bono delectari.

Septimò quæritur, An eadem ratio sit de eo, qui cogitat de futuro coniugio, eaque cogitatione, sua sponte delectatur? Respondeo, eandem

esse.

esse. Sic etiam Cordub. *lib.1.q.23.dub.13.* licet Medina Victoriam sequutus tradiderit non esse peccatum. Sit exemplum; Matrimonio soluti optant nuptias inter se contrahere, qui interim cogitant, gaudentq; de cõplexu coniugali futuro, delectantur desiderio, & spe futuri cõiugij: an peccent isti, quamuis extra omne periculum sint alicuius alterius peccati, si cogitatio sit de actu coniugali, quatenus eum animo præsentem concipiunt: finge Titium desiderantem nuptias cum Sempronia contrahere, & interim cogitantem maritalem cum ea futurum congressum. Titius id cogitat, delectatur, perindè ac si iam cum Sempronia, cuius nuptias concupiscit, rem haberet, quæritur, num peccet Titius, cum de eo futuro complexu delectatur. Cordub. *lib. 1. quæst.23.dub. 13.* censet peccare, quoniam delectatur extra coniugium de maritali congressu. Medin. *1.2. quæst.74 art.8.* negat Titium peccatum admittere, quia solùm delectatur spe, & desiderio futuri coniugij, & in futuro cõiugali complexu. Mihi magis probatur Cordubensis opinio: tunc enim delectatio capitur ex obiecto malo, quia est de congressu coniugali, qui non subsistit in re, verum sola mentis cogitatione confingitur, & in culpa est delectatio, quæ sponte percipitur ex maritali complexu cogitato, non facto, conficto, non vero. Quare delinquere videtur Titius, si delectatio oriatur in appetitu, vel sensu, & in eam ipse consentiat, vel certè periculum consensus incurrat. Nec excusatur ex eo, quod delectatio veniat ex desiderio, & spe futuri coniugij: peccatum enim non est coniugiũ optare, aut sperare, & concupiscere actus, qui coniugium expectatum consequentur: vel desiderare delectationem, quæ prouenit ex coniugio futuro, & expectato: Sed peccatum est, consentire in delectationem præsentem, quæ in sensum, vel appetitum irrepit, & influit ex desiderio, & spe eius, quod sequetur, optati coniugij.

Octauò quæritur, An coniuges, qui loco, & tempore prępediti maritali congressu vti nequeunt, peccent graviter si de coniugali complexu futuro, vel præterito cogitent, & delectentur? Respondeo, In his eandem propemodum, licet paulò minorem esse controuersiam: quia reuera etsi sunt coniuges, non tamen ex cogitatione bonam delectationẽ capiunt, quoniam nõ de maritali congressu, qui re subsistat, sed qui tantùm animo cogitatur, & fingitur; & proindè extra matrimonium oblectantur in eo, quod matrimonium consequitur, quod vt dixi, malum est, etiamsi omne periculum alicuius alterius peccati abesse videatur: secus est de delectatione, quàm coniuges, siue sponsi capiunt ex osculis, amplexibus, & tactibus, quibus inuicem vtuntur, tanquam mutuæ beneuolentiæ, & amoris indicijs, & inuitamentis: His enim actibus iure, & tuta conscientia coniuges vtuntur: & ideo delectatio, quam ex ipsis percipiunt, mala non est.

Sic etiam Nau. c. 16. nu. 10.

Nouò quæritur, An lethali crimine teneatur is, qui delectatur peccatis à se per ignorantiam, violentiam, somnum, ebrietatem, amentiam admissis. Vt rem explicem vtor exemplis. Titius in ebrietate, vel amentia peierauit, vel occidit alterum, vel in somno se polluit, aut per ignorãtiam mali aliquid fecit; Quæritur an lethaliter delinquat hisce malis sese delectando, postea eorum recordatus, dum vigilat, aut cum ad pristinam mentem redit, aut cum rei notitiam habet? Duplex est opinio, vna docet eum peccare graviter. Primò, quia licet hæc mala in somno, amentia, ebrietate, vel ignorantia voluntaria non fuerint, & ideò sint à culpa libera; at si postea eorum recordatur, dum vigilat, vel dum sobrius est, vel cum ad sanam mentem redit, vel dum ignorantia amplius non laborat, & sponte sua delectatur, quòd ea mala fecerit, tunc incipit ea mala scienter velle, & propterea tunc temporis peccat. Deindè, quia peccaret is, qui ea mala vellet committere in ebrietate, amentia, somno, vel per ignorantiam. Postremò, ille quoque delinqueret, qui delectaretur, quod bellua Caium occiderit, & deuorauerit, aut quod quis amens peieret, aut quod per ignorãtiam quis falsum testimoniũ dicat, vel quòd sententiã iniquã ferat. Sic Palud. *4. d.9.q.3.a.1.* Adrian. *4. quæstione, quæ incipit, Quia dictum est, quod somnus de Eucharistia, & quodl.10.a.2.* Sot. *4.d. 12.q.1.a.7.* Cordub. *in suis quæst. lib.2.q.30.* Altera opinio contendit nõ peccare eum graviter, quia delectatur opere, vel effectu, qui culpa, & vitio vacat, & delectatio talis est, qualis & actio, quam consequitur. Ego tamẽ priori opinioni tanquam veriori magis assentior: quàm firmis rationibus Adrianus comprobauit. Alioqui enim non peccaret puella optans, vt quis eam inuitam, & reluctantem violet: neque hospes, qui maritum inuitaret ad rem habendam cum aliena vxore, quam tamen per inscitiam putaret maritus esse suam. Peccat item is, qui suasione, vel prece monet amentem ad necem hominis, vt etiam is, qui ignorantiam inuitat ad peierandum: ille quoque, qui dum vigilat, curat sese postea in somno polluendum. Ratio horum omnium est, quia factum exterius liberum est à culpa, cum illud excusat ignorantia, amentia, ebrietas, somnus, siue violentia: At verò delectatio interior culpa non caret, cum nullam ignorantiæ excusationem habeat, nec vim patiatur vllam; ac proindè tota illa delectatio est voluntaria; cumque in obiecto malo versetur, eo ipso est mala. Cum verò obijcitur: factum exterius est bonum, quia ob ignorantiam culpa caret; ergò delectatio, quæ ex benefacto capitur, vacat omni vitio, & peccato. Respondeo, factum exterius bonitatem suam, quam ex accidenti habet, cum illud à peccato excusat ignorantia, non transfere in delectationem, quia voluntatis delectatio per ignorãtiam non capitur, sed scienter ex re alioqui mala: quemadmodum si presbyter sciens nõ esse panem, vel vinum consecratum, populo ignoranti exhiberet, atq; proponeret, vt tanquam verum Christi corpus, & sanguinem veneraretur, & coleret, graviter proculdubio peccaret, quia eius voluntas cum certa notitia rei, malum pro bono in publico poneret; & tamen populus inscienter panem, aut vinum veneraudo, & colendo nequaquam peccaret. Factum igitur ob ignorantiam, circa materiam bonam versatur, quia res alioqui mala, bona fide putatur recta, & honesta, ab omniq; fraudis, & fallaciæ suspicione semota: at verò voluntas, quæ sciens rem esse malam, in eam intendit,

eamque proponit, eo ipso vult malum, vel in malo delectatur, vel ad malum alios inuitat, & allicit, & propterea delinquit.

Decimò quæritur, An si quis delectaretur ijs rebus, quæ malæ sunt, ea tamen conditione, nisi essent malæ, esset lethalis culpæ reus? velut si delectaretur furto, vel homicidio, nisi esset iure damnatum? Ratio dubitādi est, quia cum panem communem, & profanum, tanquam sacrum veneraremur per errorem bona fide sub tacita, vel expressa conditione, si panis sit consecratus, peccatum non esset, quia per ignorantiam id faceremus. Haud absimili ratione docēt passim omnes, extra culpam eum hominem esse, qui tribuit honorem, & cultum dæmoni simulanti se angelum lucis: quia ei cultum defert ea conditione, si sit bonus Angelus, alioqui id minimè facturus: ergo eadem ratione si Titius delectaretur re mala sub conditione, si mala non esset, non peccaret.

Adr. quodlib. 10. a. 2. Adrianus rectè probauit eum grauiter peccare; quotiescunque voluptatem capit ex ijs rebus, quę sunt per se malæ, quales sunt, quæ iure naturali damnantur: docetque esse idem iuris de eo, qui optat, ne furtum sit malum: quoniam cupere ne mala sint, quæ naturale ius prohibet, ac damnat, nil aliud est, quàm velle, vt rerum naturæ mutentur: nam quæ iure naturali sunt vetita, vt diximus, sunt per se, & suapte natura mala; at velle, & optare, vt rerum naturæ mutentur, est contra rectam rationem. Ita scienter etiam velle aliquam delectationem in furto sub conditione, nisi malum esset, omninò est contra rectam rationem, quia hoc ipso, quod quis scit furtum esse per se malum, nec iustè optare potest, ne sit malum, nec tanquam gratum, & acceptum habere, ne esset malum. Alia verò ratio est (vt idem tradit Adrianus) de ijs, quæ solùm sunt ex lege scripta, non autem per se, & sua natura mala; quæ idcircò optare quis potest, ne mala sint, cum hoc non sit, nisi cupere, & velle, ne lege vetentur: simul quoque optare, ne huiusmodi lex sit: & proindè non peccat, si hisce rebus delectetur, modò delectatio non sit de ijs rebus, quatenus sunt lege interdictæ: tunc enim delectatio non percipitur ex ijs ea ratione, qua malæ sunt, sed vt sunt absolutè, & simpliciter res quædam bonæ.

Ad obiecta verò respondeo; cum panem profanum veneramur, & colimus, aut dæmonem reueremur minimè culpamur, quia bona fide credimus panem esse consecratum, vel dæmonem esse Angelum bonum: quæ dum ipsi ignoramus, tacita conditio merito nos defendit, & excusat à culpa, alioqui nō item, cum rem ipsam nouimus. Et ideo cum perspicuū sit ea esse per se mala, quæ ius naturæ prohibuit, nihil nos à peccato, & culpa liberat adiecta conditio. Eadem ratio videtur esse (vti ex Caietano, quem sequitur etiam Armilla, colligitur) de ijs, quæ solùm sunt mala ex aliqua circunstantia. Explicabo rem; Titius non peccat, optans certam feminam in vxorem ducere, & ideo desiderat, cum ea rem habere, si foret vxor sua: quia licet sit matrimonio solutus, cupit tamen coniugalem complexum. Addit etiam Caietanus eum quoque hominem non peccare, qui vellet, & desideraret delectationem ex congressu cum femina sibi non nupta, sub conditione si esset vxor sua: quamuis (vt idem Caietanus affirmat) peccatum sit delectatio, quæ capitur ex cogitato coniugali complexu, quoniam alia est ratio de desiderio, atq; de delectatione: quia cum conditione iure possumus quippiam optare; & proindè Titij desiderium refertur, non absolutè, & simpliciter, sed sub conditione ad maritalem congressum; at verò cum delectatio capitur ex coniugali complexu cogitato, vel ficto, non facto, & vero, absque conditione, capitur absolutè, & simpliciter; & ideo est mala, cum circa malum obiectum versetur, vt ante iam dixi.

Vndecimò quæritur, An lethalis sit delectatio morosa, quæ capitur ex cogitatis osculis, amplexibus, & tactibus impudicis, ac libidinosis? Respondeo, esse lethalem, quando tactus, & oscula sunt libidinosa, qualia solent esse, quæ gratia, studio, vel desiderio luxuriæ, & libidinis fiunt; ea item oscula, & tactus, quibus partes corporis naturaliter ad coniugalem complexum procreatæ contrectantur: in his enim partibus, ac membris sensus est voluptatis: Sed cum ea sit à natura propter maritalem congressum, & sobolis procreationem instituta; contra rectam rationem sunt oscula, amplexus, & tactus in hisce corporis mēbris generationi naturaliter destinatis, tametsi ad solam delectationem sensus capiendam, citra omne periculum alicuius alterius luxuriæ, vel libidinis dirigantur.

Præcipua ergo quæstio est, an delectatio, quæ capitur ex osculis, amplexibus, & tactibus in cæteris corporis partibus, sit impudica, & libidinosa hoc ipso, quod quis osculatur, amplectitur, cōtrectat tantummodo gratia voluptatis, quæ in sensu, ex ipso osculo, amplexu, vel tactu existit, ac surgit: nam si talis pariter quoque delectatio morosa, quæ percipitur ex cogitatione eiusmodi actuum, lethali culpa animum commaculat. Caietanus existimat similes actus esse impudicos, quotiescunque aliquis facit eos studio & amore voluptatis illius, quæ inde in sensum irrepit, etiā omni alio prauo voluntatis affectu semoto, & peccandi occasione secluſa; ex quo etiam colligit, delectationem morosam ex talium actuum cogitatione perceptam, esse impudicam; & proindè grauem, & lethalem culpam. Qua de re fusius dicam Deo adiuuante in explanatione sexti decalogi præcepti, vbi explicabo quidnam peccati insit in osculis, amplexibus, & tactibus, quibus aliquis vtitur gratia solius delectationis, quę ex illis in ipso sensu excitatur.

Cai. 2. 2. 154. a. 2.

Duodecimò quæritur, An delectatio, quæ capitur ex aspectu fœminæ pulchrę, & venustæ, omni alio affectu vitioso, vel peccati illecebra semota, culpa lethalis sit? Caietanus non obscurè docet interesse plurimum inter delectationem, quę in tactum incurrit, & eam, quæ in alios corporis sensus illabitur, quod delectatio voluntaria, quę ex tactu existit, ac manat, hoc ipso, sit impudica, & libidinosa, quia eam natura constituit propter coniugalem complexum, & sobolis procreationem: & proindè extra coniugium eam velle, & optare, est luxuriosus affectus: at verò delectatio, quæ ex operatione aliorum sensuum capitur voluntariè, non est eo ipso impudica, eam enim natura non indidit propter congressum

Caietanus opusc. tract. 14. dub. 3. & in sum. impudicitia peccatum.

coniuga-

coniugalem, vel prolem, & proindè per se non est grauius, & mortifera, sed leuis, & venialis tantummodo culpa, tanquam vana, otiosa, vel inutilis voluptas, de qua tamen differentia loco citato disseremus. QVAERES, quid verò dicendum sit de delectatione, quæ capitur ex aspectu rei turpis, & obscœnæ, vel ex auditione, narratione, vel lectione lasciuæ, immundæ, & inhonestæ rei? Respondeo, huiusmodi delectationes frequèter esse cum probabili periculo voluntariæ immũditiæ, vel consensus expressi in opus luxuriosum, & libidinosum. Deindè, aliquando etiam accidit, vt vel in appetitu sensus, vel in appetitu rationis aliæ delectationes morosæ oriantur, excitentur, incalescãt. In quibus omnibus graue peccatum, vel eius certè periculum inesse mihi videtur. Si tamẽ sola capiatur delectatio sensus ex aspectu, auditione, narratione, vel lectione rerũ turpium citra periculum alterius peccati, non erit lethalis culpa, sed venialis: quod ex Caietano aliisque colligitur.

Ex his omnibus deducitur inter delectationem, & consensum, & desiderium plurimum distare: quia consensus, & desiderium, siue voluntas efficax referuntur ad opus externum, tanquam progressus quidam, & motus ad terminum; at verò delectatio, quam vocant simplicem complacentiam, ad opus exterius minimè refertur, sed solùm est simplex quidam voluntatis affectus, quo res obiecta tanquam iucunda placet, & grata, & accepta habetur. Atque hæc quidem de morosa delectatione, quàm potui clarè, distinctè, & breuiter disputaui.

Cap. VII.

De cæteris peccatis, quæ in actu voluntatis interiori terminantur.

PRIMO quæritur, Quænam sint alia peccata, quę interius consummantur, siue absq; opere exteriori, siue vna cum eo fiant? Respondeo, multa esse huiusmodi peccata, quę discernere aliquãtulum est difficile. Inter hæc est superbię crimen, quod ab ambitione, arrogantia, quæ præsumptio vulgò nominatur, inani gloria, auaritia, & contemptione distinguitur. Nam superbia, est immoderata propriæ excellentiæ cupiditas: Ambitio verò, est immodica honorum, imperiorum, dignitatum, & potẽtiæ cupido: Arrogantia seu præsumptio, est nimia publicarum administrationum; officiorumúe, quæ vires exuperant, cupiditas. Inanis gloria, immodicus laudis, gloriæ, ac famæ appetitus: Auaritia, nimia præter modum pecuniarum, & diuitiarum libido. Contemptio verò, est deprauata voluntas cum aliorum despectione. Superbus igitur immoderatè propriam excellentiam affectat: vndè hoc ipso, vult alijs non subijci: sicut è contrario, qui vere corde, & animo humili, & dimisso est, vult, & amat cæteris esse subiectus. Quo fit, vt, quemadmodum in omni peccato potest esse crimen obedientiæ contrarium, & potest esse contemptio, siue neglectio: sic etiã in omni peccato superbia sit, quia in omni peccato inuenitur diuinę legis violatio. Et propterea vniuersè, & latè sumpta superbia, est mortiferum quodcunque peccatum, quoniam cum lethale crimen admittitur, diuina lex contemnitur, & perrumpitur, cui non vult is, qui peccat, subijci, & obsequi. Porrò hæc tria crimina, superbia inquam, contemptio, & inobedientia quam vocant specialem, habent differentiam inter se, & specialia sunt peccata. Explicemus singula: Cum quis agit, & peccat in legem eo animo, ne imperanti pareat, est speciale inobedientiæ crimen. Si ideò delinquat, vt legem despiciat, vel legislatorem contemnat, est peccatum contemptionis. Si autem legem quis perfringat, quia non vult alteri subesse, tunc superbiæ crimen incurrit. Ergo inobediens legem dissoluit, labefactat, ac violat: quia nollet sibi præceptum dari: contemnens, quia vellet præcepti neglectionem, & despicientiam: superbus, quia cupit nulli subijci, ac ita cæteris excellere: Ambitiosus, imperia, dignitates, & quicquid potentia valet, ac præstat, appetit. Auarus, bona, quæ dicuntur externa, quæque Ethnici Philosophi fortunæ bona appellarunt, pecunias, dico, diuitias, lucra, atque emolumenta terrena concupiscit. Qui verò arrogantiæ, quam præsumptionem dicunt, crimine tenetur, immoderatè administrationes rerum publicarum suis humeris, ac viribus, longè superiores, affectat. Inanis gloriæ cupidus amat laudari ab hominibus, & clarus haberi. Porrò in his tripliciter potest accidere, vt quis peccet nempe aut appetendo, aut acquirendo, aut retinendo, & conseruando. Peccat enim qui indignè hæc concupiscit, quærit, aut retinet: qui etiam in his appetendis, comparandis, vel retinendis, vtitur malis artibus, ac modis iniquis: præterea cum hæc ipsa in malum finem refert, ac dirigit. Cum itaque excellentiam, honorem, laudem, gloriam & sui nominis claritatem quis appetit, aut quærit ex rebus malis, vanis, vel falsis, malè agit; vt clarius patebit, cum de capitalibus peccatis inferius disputabo.

Sunt & alia peccata interna, quæ non facilè dignosci queunt, videlicet, odium, inuidia, ira. Inter quæ hoc interest; quod is, qui odit alterum, vult illi malum sine aliquo suo commodo, ex eo solùm, quod ei displicet eius persona: quo fit, vt in quocunque peccato, quod est contra bonum alterius, dicatur odium inesse, sed generaliter acceptum. Quod vt plenius intelligi queat, est animaduertendum, odium, esse actum, quo malum alteri volumus, quatenus est ei malum: Et quoniam quoties in alterum peccamus, ei aliquo modo nocemus, in eo peccato inest odium, sed latè, & generaliter sumptum, nempè quatenus ei malum inferimus: Speciale tamen peccatum odij non est, nisi cum alteri incommodamus ob id, quod ei malum volumus, ex eo, quòd nobis eius persona sit odiosa, & infensa, & sine vllo alio nostro emolumento. Quare quandocunque re ipsa alterum lædimus, prius in eo peccato inest speciale aliquod iniustitiæ crimen, quã odium. Nam si famæ alienæ derogamus, est detractio: si probro alterum afficimus, contumelia: Si vitam alicui adimimus, homicidium: Si bona surripimus, furtum. Et sic de cæteris iudicandum. Hoc autem ipso, quod iniustitiæ crimen est, odium quoq; generaliter censetur. Specialis verò odij prauitas tunc accedit, cum aliquid horum malorum infe-

cimus alteri, quia eius personæ ob id, quòd nobis illa displiceat, malum optamus. Inuidiæ crimen est, cum ex alienis bonis, quibus caremus ipsi, mœrore conficimur. Differt igitur inuidus à maleuolo, tum quòd non vult quidem malum alteri, sed tristatur, quod bonis, quę ipse non habet, ille potiatur: Maleuolus verò hoc ipso, quòd odio habet alterum, vult malum illi: tum etiam quia inuidus ideò tristatur de alienis bonis, quia ipse caret illis: at verò maleuolus propterea malum vult alteri; quia eius persona sibi nõ placet. Porrò ira ab odio & inuidia hoc differt, quòd sit immoderata vindictæ cupiditas: quare ex ira malum alteri volumus, quia vlcisci de eo cupimus, quòd nos iniuria, & dedecore affecerit, vel damno illato læserit. Præterea, scandali quoque peccatum voluntate completur, quo alteri iacturam boni spiritualis, & animi ruinam optamus. Nam etsi monitores, suasores, auctoresue sumus, vt alter diuinã gratiam, & spiritualia bona ex parte, vel ex toto amittat, in speciale nihilominus peccatum scandali non incurrimus, nisi causam eo affectu, & animo præbeamus, vt ab eiusmodi bonis excidat; aliquando enim verbo, consilio, hortatu, suasione, exemplo, factoue tuo alter peccat, sed tu id non fecisti, vt ille peccaret, sed in tuum emolumentum, & commodum intendens causa alieni peccati fuisti, in scandalum generaliter non specialiter acceptum incidisti, vti suo loco clarius explicabo.

Secundò quæritur, Quo pacto hæc quæ diximus interiora peccata specie differant ab ijs, quę in desiderio, vel delectatione circa eandem materiam subiectam versantur. Respondeo, ex ijs, quæ dixi, id facilè deduci. Nam cum quis necem hominis concupiscit, affectus est iniustitiæ, est enim eiusdem speciei, cuius homicidium: neque huiusmodi desiderium est specialiter odium, sicut nec homicidiũ, nisi cum necem hominis optamus, eo quod nobis eius persona displiceat. Cũ item cogitando de interitu alicuius hominis delectamur, etiam talis delectatio deprauata iniustitiæ voluntas est, quo modo & homicidium, est iniustitiæ crimen: nam per istiusmodi delectationem, nobis homicidium placet, ergò est eiusdem speciei, cuius homicidium: homicidium enim, & quodcunque aliud iniustitiæ crimen, aut est iniustitiæ peccatum facto, & opere, aut affectu, & voluntate. Nec delectatio, qua de alterius nece delectamur, erit specialiter odium, nisi ea ratione delectemur, qua eius personã habeamus infensam. Ita etiam, si alienæ famæ nocere velimus, affectus erit eiusdem speciei, cuius est detractio: quemadmodum etsi cogitando de alienæ famæ detractione delectemur, talis erit in specie voluptas, qualis & detractio. In vniuersum igitur, prauũ desiderium, & morosa delectatio sunt eiusdem speciei peccata, cuius sunt obiecta circa quæ versantur, & quibus terminantur.

S. Tho. 1. 2. q. 72. ar. 7. Tertiò quæritur, An peccata specie distinguãtur per excessum, vel defectum circa eãdem virtutem? Respõdet S. Thomas specie distingui: veluti prodigi, vel auari peccatum, meticulosi hominis fuga, & audacis temeritas. Excessum autẽ, & defectum accipit sanctus Doctor ex respectu, & ordine ad obiectum virtutis, eo quod contra rectam rationẽ, ex materia virtuti subiecta plus æquo quispiam sumat, aut minus quàm debeat: vt ex cibo, vel potu, honoribus, præmijs, diuitijs, pecunijs, oneribus, commodis, & lucris. Et hoc modo distinguit etiam idem S. Thomas alio in loco infidelitatis species, vt in primo præcepto decalogi docebo.

Quartò quæritur, An peccata inter sese specie differant per circumstantias specie diuersas? Respondet S. Thomas specie distingui, quandocunque circunstantia specialem habet cum ratione repugnantiam. Explicemus hæc singula suis exemplis. In materia luxuriæ sunt peccata specie diuersa ob circunstantias specie differentes, quæ specialiter rectæ rationi aduersantur. Nam luxuriæ peccatum est, cum quis rem habet cum femina sibi non nupta, quæ si fuerit vxor aliena, adulterium erit: Si virgo inuitè corrupta, stuprum: si puella per vim parentibus erepta, raptus: Si Deo dicata, sacrilegium: si aliqua sanguinis cognatione coniuncta, incestus: si omni vinculo soluta, fornicatio. Atque ita de cæteris peccatorum formis in alia quacunque materia iudicandum. In quibus peccatis si specialis rectæ rationis repugnantia sit, specialis quoque peccati differentia erit. S. Tho. 1. 2. q. 72. ar. 3.

Cap. VIII.

De peccati differentia, quod, veniale, & mortale Theologi passim appellant.

Primo quæritur, An peccati venialis, & lethalis distinctio, solũ è Theologorum Scholasticorum doctrina deducta, & accepta sit? Respondeo, Veniale aliquando dici ex causa, quando facilius veniam cõsequitur, quia ex certa causa committitur, cuiusmodi est delictum, quod ex infirmitate naturæ, aut per obliuionem, imprudentiam, & ignorantiam fit: Aliquando ex euentu, quod veniam adeptũ sit, vt omne lethale, quod est diuinitus dimissum. Et hoc modo accipit Ambrosius, cum ait lib. de Para. cap. 14. *Omne peccatum per pœnitentiam fieri veniale.* At verò in præsentia veniale non sumitur his modis, sed vt est peccatum, quod à Deo venia data, remittitur ob materiæ leuitatem, vel ob imperfectum opus, quod ex plena animi deliberatione effectum non est. Veniale dicitur quasi venia dignum, quod sit exiguum, & leue erratum, parua noxa; aut potius, quod venia dimitti soleat semper in iustis.

Quidam nostræ tempestatis hæretici non dubitarunt asserere, hanc peccati diuisionem, in veniale scilicet, & lethale ex Patrum veterum doctrina non colligi, verùm esse tantùm Theologorum Scholasticorum inuentum. At enim illi certè magnopere hallucinantur: Namque apud Augustinum non rarò peccata legimus modica, minuta, quotidiana, parua, atque minima. *lib. de ciuitate Dei 21. c. 27.* ait B. Augustinus: *Si enim minima peccata, sine quibus non est etiam vita iustorum.* Et paulò ante dixerat: *Peccata sine quibus nec vos estis, & propter hæc docet Dominus, dicere semper iustos: Dimitte nobis debita nostra.* Idem *sermone de sanctis 41.* capitalia peccata enumerat plurima, deinde minuta multa, quæ ait igne purgatorio mundari; *sine quibus*, inquit, *nullus* Matth. 6.

sanctorum esse potuit, aut esse poterit. In lib. de bono coniuga. c. 6. *coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiscentiæ satiandæ causa, venialem culpam habet; adulterium verò lethalem,* & ca. 9. ait. *Qui bonis, quæ propter aliud necessaria sunt, non ad hoc, propter quod instituta sunt, vtitur, peccat aliàs venialiter, aliàs damnabiliter.* Ab eodem item Augustino, & alijs Patribus antiquis peccata distingui videmus, partim quidem in leuia, partim in grauia: neq; fingi potest, per leuia, Patres intelligere lethalia crimina alijs leuiora; quia leuia appellant ea, propter quæ quotidie dicimus: Dimitte nobis debita nostra, & de quibus dixit Ioannes: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est:* Ergò de venialibus peccatis ista sunt dicta. Gregorius etiam *lib. 4. dialogorum cap. 39.* apertè docet esse quædam peccata, quæ post hanc vitam condonantur; at post obitum hominis, culpæ veniales duntaxat, nõ lethales dimittuntur, & abolentur. Præterea, apertè colligitur hæc peccatorum distinctio ex Concil. Trident. *sess. 6. cap. 11.* & Conci. Mileui. *can. 6. 7. & 8.*

1. Ioan. 1.

Secundò quæritur, An ex sacris literis colligi possit omne peccatum esse lethale? Hæretici contendunt ex sacris literis deduci, peccatum omne lethale esse, nullum veniale: indè arguẽtes, quia Paulus ait: *Stipendia peccati mors;* & apud Ezechielem Dominus; *Anima,* inquit, *quæ peccauerit ipsa morietur;* Iacobus item Apostolus; *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem;* & Ioannes: *Qui facit peccatum, ex diabolo est;* rursus: *Qui natus est ex Deo peccatum non facit:* præterea; *Os, quod mentitur, occidit animam;* & *perdes omnes, qui loquuntur mendacium;* &, *Qui offendit in vno factus est omnium reus;* &, *Maledictus qui non permanserit in sermonibus legis huius & eos opere non perfecerit,* & ad Rom. 2. *Quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Et tamen si leue, & veniale aliquod peccatum esset, id esset mendacium, præsertim iocosum, & Basil. in regulis breuio. q. 4. *Quis est, qui peccatum vllum cuiuscunque modi illud sit, leue audeat appellare, cum asseruerit Apostolus, qui per transgressionem Deum inhonoras?* & q. 293. ait. Differentiam maiorum, & minorum peccatorum nusquam in nouo Testamento reperiri, siquidem vna est Domini sentẽtia, Qui facit peccatum, seruus est peccati. Sed certè negari nõ potest, ex scripturis colligi, aliqua esse leuia, & venialia peccata. Etenim Ioannes ait: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est:* At Apostoli, & iusti homines lethali peccato carent. Iacobus quoque; *In multis,* inquit, *offendimus omnes;* & Salomon: *In multiloquio non deerit peccatum:* Quę quidem scripturæ testimonia de lethali crimine intelligi nequeunt; verè autem de minutioribus, & leuioribꝰ peccatis, in quæ sæpenumerò labimur. Paulus etiam Episcopum instituẽs, eum docet talẽ esse oportere, qui sit sine crimine: at licet quis liber ab omni crimine sit, graui scilicet, & lethali, non tamen à modicis, & leuibus peccatis. Vndè Gregorius, *in hac vita,* inquit, *multi sine crimine, sed nullus sine peccato est.* Obiecta verò ex scripturis in contrarium, in peccato duntaxat graui, & lethifero locum habent; non autem in omni genera. tum culpa, atque delicto: & eodem modo loquutus est Basilius, quo scriptura.

Rom. 6. Ezech. 19. Iacob. 1. 1. Ioan. 3. Ibidem. Sapient. 1. Psal. 5. Iacob. 2.

2. Ioan. 1.

Iacob. 3. Prouer. 10.

1. Timot. 3.

Greg. lib. 21. moral. cap. 9.

Tertiò quæritur, An veniale peccatum sit contra legem Dei? Nostri temporis Hæretici Theologos Scholasticos calũniantur, eo quod doceant veniale peccatum non esse contra, sed præter legem Dei: quod, inquiunt, est absurdum; quia peccatum, quatenus tale est, definitur ab Augustino, dictum, vel factum, vel cõcupitum contra legem Dei æternam; sed venialis culpa est peccatũ, ergò est contra legem Dei. Deindè, quia omne peccatum est contra rectã rationem: Sed quicquid est contra rectam rationem, est contra legẽ Dei. Ad extremum, præcepto decalogi: Non furtum facies; non solùm graue, & magnum furtum, sed etiam paruum, & leue damnatur: & mendacium officiosum etiam perexiguum, ac leuiculum, hoc ipso, quod est mendacium, legẽ est interdictum.

Aug. li. 22. contr. Faustum c. 27.

Exod. 20.

Olim longè ante Lutheranã hæresim, Durandus quoq; inter Theologos tradidit, venialem noxam non solùm esse præter, sed etiã contra legem Dei. Equidem negare nõ possumus veteres Theologos, Altisio. *in sum. lib. 2. tract. 28.* Alex. *p. 2. q. 108. m. 6.* Alb. *p. 2. tract. 18. q. 115.* S. Tho. *1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. & 2. d. 42. a. 4. ad 4.* Bonau. *2. d. 42. a. 2. q. 2.* Aegid. *2. d. 42. q. 1. a. 3. ad 1.* Richard. *2. d. 42. a. 2. q. 2.* & alios docuisse veniale delictum non esse contra, sed præter legem Dei. Sed nihilominus Hæretici, more suo, perperam eos criminãtur. Nam Christus Dominus satis perspicuè dixit cuidam adolescenti: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata;* & tamen si quis absq; vlla grauiore, & lethali culpa decedat, in gratia, & charitate Dei huius vitæ curriculũ absoluit; nemo autem Dei gratiã nanciscitur, nisi omnia Dei mandata seruet, ac impleat; potest igitur quispiã Dei gratiam, & charitatẽ habere, quamuis venialì peccato teneatur. Ergo qui peccato veniali tenetur, si fuerit gratia Dei, & charitate præditus, vniuersa Dei mandata exequitur, & complet; Ex quo fit, vt culpa venialis aliqua ratione contra legem Dei non sit: siquidem iustus omnem Dei legem seruat, & tamen non continuò omni veniali peccato caret.

Dura. 2. d. 42. q. 6.

Matth. 19.

Dicendum igitur est, vt docuerunt Dur. *2. d. 42 q. 6.* Caie. *1. 2. q. 72. a. 5.* Vega *super Cõcil. Triden. de iustificat. lib. 14. c. 13.* & Mai. *2. d. 42. q. 8. ſ. circa hanc.* Veniale peccatum esse quidem contra legem Dei, quia reuera lex Dei cum sit iusta, & recta ratio prohibet & grauia, & leuia peccata: id quod argumẽta aduersariorum comprobarunt: at verò veniale non est contra specialẽ Dei legẽ de eius amicitia comparanda, & conseruanda: nec est contra speciale præceptũ de diuina eiusdẽ amicitia nunquã violanda, ac dissoluenda: est enim vnicũ, & maximũ Dei mandatum, vt nihil faciamus, quod eius amicitiã, & charitatem dirimat tanquam cum ea pugnans. Et ideo Paulus ait Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio.* & rursus: *Qui diligit proximum, legem impleuit.* 1. Io. 2. *Si quis dixerit, quia diligo Deũ, & mandata eius non seruat, mẽdax est:* ergo mutuo se cõsequuntur diligere Deũ, & mãdata eius seruare. Veniale ergo peccatũ diuinæ amicitiæ, & charitati nõ aduersatur, quemadmodũ graue, & mortiferũ. Et in hunc sensum veteres Theologi tradidêre, veniale non esse contra legẽ Dei, quia eius amicitiã, & charitatẽ, neq; euertit, neq; dissoluit: esse tamẽ præter legẽ Dei, quia seruata, & retẽta Dei gratia, & Dei amicitia interdũ illud admittimꝰ, & hoc ipso impedimur ac retardamur à feruẽtibꝰ charitatis officijs.

Conc. Triden. sess. 6. cap. 11.

Ex his perspicitur, impudèter, ac temere Hæreticos reprehendere Concilij Tridentini decretũ, quo dicitur, posse iustos seruare mandata Dei, & tamẽ aliquando cadere in peccata venialia. Hinc cõstat, immeritò ab eisdẽ reprehẽdi Theol. Altisi. *in sum. li. 2. tract. 27. c. 2. q. 3.* Alex. *p. 2. q. 18. m. 6.* Bon. *2. d. 42. a. 2. q. 1.* cũ tradunt veniale peccatũ nõ esse lege prohibitũ, sed cohibitũ. Nã piè eos interpretari oportet, vt ex eorũ scripturis manifestè liquet. Legẽ enim Dei prohibentẽ, accipiũt eã, cui⁹ violatio hominẽ gratia nudatũ auertit, & alienat à Deo.

Quartò quæritur, An veniale delictum sit verè, propriè, & simpliciter peccatum. S. Thomas *1. 2. q. 88. art. 1.* docet, diuisionem peccati in veniale, & lethale, esse analogi in ea, quæ in vna ratione peccati æqualiter communi non conueniunt; & proindè lethale esse propriè, & simpliciter peccatum, veniale non item, quod idem ante S. Thomam Altisiodorensis, & Albertus *locis citatis* tradiderant, & post S. Thomam Aegid. *2. d. 42. q. 1. a. 3. ad 1.* Caie. *1. 2. q. 88. a. 1.* Sed Durãdus *in 2. d. 42. q. 16.* diuisionem peccati in lethale, & veniale, docet esse generis in species, & propterea tũ veniale, tum lethale esse propriè, & simpliciter peccatũ, quia vtrũq; est Dei lege interdictũ; quamuis vnũ sit altero grauius. Profectò negari nõ potest, quin scripturę veniale dicant absolutè, & simpliciter absque vlla adiectione peccatum, vt compertum est ex testimonijs *in secunda quæstione* productis. Ioannis quoq; 20. ait Christus Apostolis: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, & reliq. at si solum leuioribus peccatis teneretur quis, posset nihilominus post sacram delictorum confessionẽ verè absolui. Verè igitur, & propriè peccata sunt veniales culpæ. Nec tamen propterea Altisiodorẽsis, Albertus, & S. Thomas reprehensionem merentur oppositum indicãtes: quia licet veniale absolutè, & simpliciter sit peccatũ, ratio tamen peccati maior est lethali culpa: & aliquando analoga esse dicuntur ea, quę licet simpliciter in vna aliqua ratione conueniant, inæqualiter tamen sibi communem eiusmodi rationem participant.

Quintò quæritur, An in culpa veniali, sit offensa apud Deum. S. Bonau. *2. d. 42. art. 2. q. 2. ad vlt.* negat peccato veniali Deum offendi: *Quia non offenditur*, inquit, *nisi quando contemnitur*; sed veniale non est contemptus Dei. Vega *super Concil. Trident. lib. 14. cap. 13.* scriptum reliquit, hoc quamuis à magno alioqui viro, esse incautè dictum; quia veniale peccatum verè displicet Deo, & proindè ipsum offendit. Et certè Iacobus apertè dixit: *Iacob. 3.* *In multis offendimus omnes*: quod de venialibus culpis dictum est. Scot. *4. d. 21. q. 1.* Veniale peccatum dicit esse Dei offensam. S. Thom. peccatum veniale ait displicere Deo, sed non displicere personam peccantem, quia gratiam Dei retinet. Capreolus docet Deum offendi peccato veniali, sed non offendi in peccantem, quia Deus punit, & odio habet ipsum peccatum veniale, at non peccantem. Hæc omnia piè interpretari conuenit: quoniam peccato dicitur Deus offendi, eo quod ipsi displicet: & quia displicet, id punit, & damnat: sicut etiam dicitur peccatis irasci, quia ea vlciscitur, & vindicat. Quia igitur Deus veniale dictum meritis pœnis plectit, & quia ipsi id peccati displicet, eo offenditur; & quoniam illud etiam vindicat, ei irasci quoque dicitur. Eodem modo Deus odio habet peccatũ veniale, quoniam vult debita pœna mulctare, & vlcisci, ita etiam in peccãtem, ob delictum veniale, pœna temporali animaduertit, & ideo ei quoque dici potest iratus, & offensus, non vt homo est, aut Dei amicus; sed quia venialem culpam admisit. Piè itaque interpretari Bonauenturam rationi cõgruit; quo modo etiam eundem, & veteres Scholasticos benignè interpretamur, cũ docent, veniale peccatum non esse contra legem Dei, aut Dei lege non prohiberi.

Sextò quæritur, An veniale peccatum sit contra amicitiam Dei? Ratio dubitandi indè existit, quod culpa venialis Deum offendit, ipsique displicet. Item veniale peccatum Deus vetat, reprobat, punit, ac vindicat tanquam malum; ergò est contra amicitiam Dei. Huic quæstioni respondeo, Veniale peccatum nõ esse contra amicitiam Dei, hoc est, amicitiam hominis cum Deo non dirimere, neque dissoluere: nam gratiam, & charitatem non tollit: non tamen negari potest, quin venialis culpa displiceat Deo. Item venialis culpa cum sit verè, & propriè peccatum, & malum in moribus, Deus verè illud improbat, ac prohibet, iustis quoque, & debitis subijcit pœnis.

Septimò quæritur, An etiam in veniali peccato sit auersio à Deo, & conuersio ad creaturam? S. Bonauentura eumque secutus Argentina distinguunt; ita vt dicant, veniale peccatum non alienare, & auertere hominem à Deo, hoc est, non adimere gratiam, charitatem, & necessaria salutis æternæ subsidia; esse tamen actum quendam, qui verè displicet Deo, quique in Deum referri non potest; & proindè actus est alienus, & auersus à Deo, quamuis hominem non abstrahat, & auellat à Dei coniunctione, societate, & amicitia. Item venialis culpa non conuertit hominem ita ad bonum creatum, vt in eo vltimum finem ponat, qui peccat, constituat: is enim, qui veniale peccatum facit, eo est animo, & affectu, vt gratiam Dei, & charitatem rebus cæteris anteponat: nihilominus tamen ipse venialis peccati actus, est quædam conuersio ad creatum bonum iucundum, vel vtile, non honestum.

Bonau. 2. d. 42. a. 2. q. 1. Argent. 2. d. 42. q. 1. a. 2. concl. 2.

Octauò quæritur, An veniale peccatum sit macula quædam mentis. S. Thom. *1. 2. q. 86. ar. 1. & 2. & q. 109. art. 7.* videtur tanquam proprium effectum peccati mortiferi, maculam constituere: quia *macula*, inquit, *nihil aliud est, nisi priuatio gratiæ, quæ est animi nitor, & cultus.* Alexand. *p. 4. q. 15. m. 3. ar. 3. §. 4.* ait: *Veniale peccatum esse naturam suam maculam, & tenebras.* Bonauent. *2. d. 42. a. 2. q. 1.* & Argent. *2. d. 42. q. 1. ar. 2. concl. 1. ad 2.* distinguunt maculam. Aut enim inquiunt, est priuatio gratiæ, quę est mentis mundicia, & decor; & tunc venialis culpa macula non est, nec inducit maculam in animum: aut macula dicitur actus carens bonitate, & honestate, quam actio hominis voluntaria debet habere: & tunc venialis culpa hoc ipso, quòd malum in moribus est, & Deo displicet, macula censetur.

Dicendum igitur breuiter puto, lethale peccatum maculam mẽti importare, & afferre, quæ est priuatio gratiæ quam excludit ab anima, aut saltem excluderet, si eã reperiret, quæ gratia hominem mundat, & ornat interius: & hoc modo

veniale

veniale delictum macula non est: at verò actus omnis per se malus, per se quoq; macula est, quia est actio quę iam recto, ac debito fine, & rationis ordine, & conuenientia carens, & hoc ipso mentem polluit; ac maculat; mens enim operis mali deformitate inquinatur: actu tamen, non habitu, hoc est, maculatur actu malo, non priuatione gratię modum habitus habente ex peccato relicta.

Nonò quæritur, An qui peccati venialis reus est, sit, aut dici queat peccator? Respondeo in sacris literis peccatores dici eos, qui lethali aliquo peccato tenentur: hi enim passim vocantur iniqui, immundi, iniusti, transgressores, præuaricatores fœ; de quibus Paulus scribens Corinthijs: *Nescitis*, inquit, *quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* 1. Cor. 6.
Dauid etiam: *Odisti omnes, qui operantur mendacium;* Psalm. 6.
Sapiens item: *Odio sunt impius, & impietas eius.* Sap. 10.
At verò qui peccatis venialibus obstricti solummodò sunt, peccatores minimè dicuntur: nam Apostolis Christus Dominus dixit: *Vos mundi estis*; cum tamen nō omni culpa veniali carerent. Item qui gratiam adoptionis habent, filij Dei in scripturis vocantur, & tamen qui sunt Deo grati, & amici, peccatores neque sunt, neque nominantur. Ioan. 15.

Cap. IX.

Aliæ quædam quæstiones de peccati venialis, & lethalis differentia diluuntur.

PRIMO quæritur, An veniale peccatum à lethali differat in eo, quod lethale versetur in ijs, quæ sunt circa finem; Veniale verò in ijs, quæ referuntur ad finem. S. Thomas 1.2.q.88. *art.1.* docet veniale peccatum committi contra ea, quæ diriguntur ad finem, lethale verò contra finem. At Scot. 2. *dist.21.q.1.* hanc differentiam refutat, ac reijcit, asserens primùm, contra virtutes Theologicas, quæ proximè circa vltimum finem versantur, venialia peccata aliquando committi; existunt enim quidam subiti infidelitatis motus, odij, & desperationis, qui nec plenè, & perfectè liberi sunt, nec omni rationis deliberatione carēt. Deindè, quia furtum, adulterium, homicidium, detractio, sunt peccata lethalia, & tamen contra bonum hominis perpetrantur: ergò non omne peccatum graue admittitur in his, quæ circa vltimum finem tanquam materiam subiectam versantur. Attamen S. Thomæ doctrinam mitius cōuenit interpretari: proculdubio enim illud indicare voluit, peccatum veniale non separare, & abstrahere hominem à Deo qui est vltimus finis, eo quod peccato veniali gratia, & charitas Dei non amittitur: auertere tamen ab his, quæ in Deum vt in finem referuntur: quoniam peccatum veniale nos auocat, & abducit ab opere, & officio charitatis, quo ad Deum progredimur; non autem à gratia, amicitia, & consortio Dei. Lethale verò nos à Dei gratia, & charitate disiungit; & proindè nos separat, & diuellit à Deo, qui est summum bonū, & vltimus finis noster: Nam id, quod nos auertit ab aliquo, quod est necessarium ad finem vltimum consequendum, nos quoque auertit, & abstrahit à fine. Non igitur eo spectauit sanctus Doctor, vt doceret veniale peccatum aduersus eas virtutes committi, quæ bonum hominis tanquam obiectum, & materiam habēt; & lethale contra eas virtutes, quæ circa Deum proximè versantur: hunc enim sensum meritò oppugnauit Scotus: Sed illud tātùm S. Thomas innuit, veniale peccatum impedire, & auertere hominem ab actu charitatis, quem posset alioqui præstare, & quo promoueretur ad finem; lethale verò planè hominem deijcere à gratia, & charitate Dei; & proindè seiungere, & alienare à Deo, qui est hominis vltimus finis.

Secundò quæritur, An veniale à lethali in eo distet, quòd hoc fit contra præceptum Dei, illud verò contra consilium? Scot. 2. *distinct.21. quæstion.1.* & Gabr. 2. *dist.22. quæstio.1. artic.3. dub.1.* docent hoc esse discrimen inter hæc duo peccata. Sed hanc differentiam alij penitus reijciunt, primum, quia venialis culpa est verè, & propriè peccatum; at nemo peccat, si Dei consilia prætermittat, modò non illa despiciat, atque contemnat: quod luce clarius est: nam lex & præceptum Dei prohibet mentiri, nugari, otio indulgere, inutilia cogitare, tempus vanè terere, aut loqui res vanas, & inutiles; cum tamē sæpè in his leuiter peccetur. Postremò, veniale hominem subijcit pœnis debitis, at qui consilia tantùm omittit, nullis ob id pœnis addicitur. Ita contra Scotum, & Gabrielem Vega *super Concil. Trid. lib.14.c.12.*

Enimuerò, vt nos Sanct. Thomam, Alexandrum, & Bonauenturam benignè hac in parte explicuimus, ita etiam mitius Scotum explicare possumus. Nam præceptum pro eo accepisse videtur, cuius obseruatio est necessaria ad salutem æternam consequendam: & quicquid hoc modo necessarium non est, Consilium Scotus appellauit: Non autem quod ille putauerit in omittendo consilio delinqui: Verùm quod lethale dixerit situm esse in eo, quod quippiam efficimus contra ea, quæ sunt ad vitam æternam necessaria; venialis autem culpa sit in his solùm, quæ nos à gloria cœlesti consequenda impediunt, & remorantur. Is enim, qui contra præceptum facit, sese auertit ab eo, quod est necessarium ad salutem æternam consequendam: is verò, qui leuiora peccata, scilicet venialia committit, non deficit ab aliquo, quod sit necessarium ad Dei gratiam, charitatem, & amicitiam conseruandam.

Tertiò quęritur, An veniale peccatum à lethali distinguatur in eo, quòd hoc per se pœnam æternam, illud verò vi, & natura quidem sua pœnam quoque perpetuam mereatur, sed Dei misericordia, temporaria tantùm pœna mulctetur? Gerson *par.3. tract. de vita spiritua. animæ. lect.1. coroll.1.* in ea fuit sententia, vt dixerit, omne veniale peccatum dignum esse pœna æterna; ex sola tamen Dei misericordia, à lethali distingui in eo, quod hominem temporariæ pœnæ subijciat, cum alioqui pœnis æternis esset obnoxium. Gersonem sequi videtur Almain, *tract.3. moral. cap.20.* Suam sententiam probat Gerson multiplici ratione. Primò, quia veniales culpas Deus gratuito cōdonat, ergò potest eas perpetuis pœnis damnare. Deindè, veniale magis est voluntarium, quàm originis peccatum, ergò & grauius; at hoc perpetua

pœnâ punitur, ergo & illud. Item, omne peccatum Deum offendit, ergo ea ratione est infinitæ prauitatis: nam eò offensa est grauior, quò maior est dignitas eius qui offenditur. Præterea, si veniale sit cũ peccato originis, aut cum lethali coniunctum, cum quibus peccatis quispiam decedat, perpetuò apud inferos supplicio plectetur: ergò veniale pœna quoque æterna dignum est. Postremò, omne malum pœnæ longè inferius, & minus est quouis etiam minimo peccato veniali. Nulla item culpa venialis est committenda pro cuiusquam hominis etiam innocentis vita, atque salute conseruanda: ergò est infinitæ deformitatis.

Petrus Sotus de iust. sacerd. tract. de peccatorum discrim. lect. 6 propè finem. Vega li. 14 in Concil. Trident. c. 15. & 16. Medi. t. 2. q. 88. ar. 1.

Verùm enimuerò hanc Gersonis sententiam Theologi recentiores refutarunt, & sunt qui eam etiam cõdemnent tanquam plus æquo fauentem recentibus Hæreticis, docẽtibus omne peccatum vi, & natura sua esse mortiferum, diuinæ autem gratiæ beneficio aliud pœnæ æternæ subijci, aliud temporariæ. Immò quidam eorum dicere non dubitarunt, Gersonis opinionem accedere Stoicorum sententiæ omnia peccata æqualia esse dicentium, quia si omnia æternam pœnam merentur, ergo omnia sunt paria. Quod certè illi aucto res malè contra Gersonẽ inferendo concludunt, cum vnum peccatum acerbiùs, & grauiùs, quàm alterum mulctari, & puniri queat, vt ipse quoque Gerson indicauit.

Communis ergò iuniorum Theologorum sententia est, venialem culpam per se, & propriè à lethali distingui, quod non æternam, vt hæc, sed temporariam tãtummodò mereatur pœnam, & supplicium: atq; hæc sententia est verissima, neque ab ea recedendum vllo modo: Primò, quoniam Deus rerum naturas non mutat; at si veniale per se supplicio dignum esset æterno, & Dei benignitate temporali pœna puniretur, rei naturam profectò quadam ex parte, & ratione mutare videretur. Deindè, negari non potest, venialia peccata esse, vel ex paruitate materiæ, vel ex actu imperfecto leuia, atque modica, cuiusmodi sunt verbum otiosum, nugæ, mendacium iocosum, risus immoderatior, rei furtum exiguæ, inutilis & vana mẽtis cogitatio, ac similes animi lapsus minimè graues: ergò veniale per se perpetuo supplicio dignum non est. Accedit, quòd Deus propior est ad miserendum, quàm ad puniendum, igitur verisimile non est, vt peccata, quæ sunt per se leuia pœnis damnet, ac vindicet sempiternis. Postremò, veniale delictum non tollit gratiam, & charitatem, nec Dei amicitiam dirimit; ergò non reddit hominem inimicum Deo; & proinde manet semper cum charitate, & gratia, qua expiari, & deleri potest. Nec est cur Gersonis nos argumenta deterreant, aut conturbent: nam ea nullius firmamenti sunt ad oppositum comprobandum. Quoniam licet veniale peccatum sit per se leue, nunquam tamen, nisi liberaliter Deo ignoscente remittitur. Obijcit tamen ille: Ergo perpetuò maneret, nisi gratuito illud beneficio, Deus delinquentibus condonaret. Respondeo, peccatum veniale non deleri, nisi pœna quoq; temporaria ei debita ex toto, vel ex parte remittatur, ita vt vel tota tollatur, vel in minorem muletur. Is igitur, qui eiusmodi culpam admisit, aut in ea actu, & affectu persistit, aut ab ea cessat omnino, si perseueret, tunc tãdiu pœnæ temporariæ obnoxius est, quãdiu in actu, & affectu malo perdurat; quòd si semper in eò persistat, meritò in perpetuũ punitur ex accidenti, quia semper peccat. Si autem ab actu desistat, aut est iustus, aut impius, aut est homo, quem fingere animo possum⁹, creatum à Deo cum solis naturæ viribus, ac dotibus. Si sit iustus, pœnam temporariam iustè, ac legitimè soluit, ac luit, vel in hac vita, vel altera, culpa simul ipsi condonatur. Si impius, perpetuas culpæ venialis pœnas exoluet, non quia eas talis culpa mereatur, sed quia pœnæ temporariæ solutionem nunquam iusta, & debita satisfactione compensat. Is enim, qui Deo inimicus est, quamuis pœnas sustineat, nunquam tamen iustè, ac debitè satisfacit: quoniam nostra satisfactio pro peccatis apud Deum iusta, ac debita non est, nisi ei sit grata, & accepta, sed accepta Deo non est sine gratia, & charitate. Pari ratione, si homo cum solis naturę viribus, extra gratiam, pro culpa veniali multa pateretur, nunquam iustam, ac debitam pœnam temporariam persoluere: & proindè quamuis perpetuò puniretur, nunquam satisfaceret, quoniam esset pœnæ solutio absque gratia, & charitate Dei; & proindè ei minimè grata, & accepta, ergo non iusta, ac debita: per. indè enim esset, ac si nihil pœnarum daret. Et hoc forsan voluit docere Gerson: nam benignius, & mitiùs eius mentem interpretari possumus, nimirum veniale peccatum, nisi quia est ab homine iusto Dei gratia, & charitate prædito comissum, perpetuò puniretur: nec tamen inde conficitur, vt paria peccata esse censeat, quoniam licet omnia in perpetuum puniantur; quia tamen vnum grauius, & deterius alio est, vnum duriùs, & acerbiùs punitur, quàm aliud, vt ante iam monui.

Quartò quæritur, An veniale à lethali differat specie, quando vtrumq; circa eandem rem obiectam, & materiam versatur. Respondeo, minimè, quoniam paruum, & magnum in eadem obiecta re, & materia, speciem non mutant. Obijcies, lethale peccatum est mors animæ, auertitq; hominem à Deo, nosq́ue ab eius gratia, & charitate disiungit; eo quòd Dei, & hominis amicitiam dissoluat: sed horum nihil peccato veniali inest, ergo specie distinguuntur. Respondeo, ex eo solum deduci, pœnas peccato veniali, & lethali debitas specie esse diuersas, non tamẽ actus peccatorum. QVAERES, quonam igitur pacto hæc duo peccata, vt actus sunt, inter se inuicem distant? Respondeo, lethale crimen esse actum grauiter cum recta ratione; veniale verò actum leuiter cum eadem ratione pugnantem.

Quintò quæritur, In quo venialis culpę deformitas consistat, quando peccatum veniale omissione, vel facto committitur. Quidam existimant consistere in hoc, quòd is, qui peccat, eo ipso est obnoxius, & subiectus pœnæ temporali. At hæc ratio meritò ab alijs refellitur: quia pri⁹ natura, causa, & origine est culpa, qua se quispiã obstringit, quàm reatus pœnæ, cui ob culpam is, qui peccat, subijcitur. Aiunt alij, in eo sitam esse venialẽ culpam, quod temporali supplicio sit digna. Verum & hoc eadem ratione cõuellitur: nam ex eo,

quòd

quòd culpa venialis à recta ratione dissentit, iu re pœnam meretur, propterea quod quicquid rationem offendit, pœna dignum est, ita vt secundùm æquitatis, & iustitiæ leges puniri, & vindicari debeat.

Dicendum igitur existimo: quandocunq; veniale peccatum pro actu, vel omissione sumitur, quo quis peccat, nihil aliud esse, nisi actum vel omissionem leuiter rectæ rationi aduersanté. Omne enim peccatum, quod in actu consistit, est actio voluntaria à ratione discrepans: quæ si magnopere cum recta ratione pugnet, lethalis; si parum, venialis est culpa; ob quam is, qui peccat pœnæ temporali addictus, subiectusque est: vt ea pœna dignus.

Sextò quæritur, quidnam in homine maneat, cuius causa dicatur esse in peccato veniali post actum peccati præteritum. Ratio dubitandi est, quoniam qui semel in veniale peccatum est lapsus, tamdiu in eo permanere creditur, quamdiu id non est à Deo liberaliter dimissum; & tamen post actum culpæ transactum, nihil est in homine. Respondeo, minimè satisfacere eum qui dixerit (quemadmodum & superius ostendi) post actum culpæ transeuntem, hoc vnum tantummodo manere, hominem scilicet pœnæ temporali esse subiectum. Non enim ideo, quòd est pœnæ addictus, dicitur esse in peccato; sed potius contra, quia est in peccato, & culpa, est pœnę obnoxius: & quia peccato tenetur, pœnæ quoque reus, & debitor est. Eam ob causam sunt, qui opinentur, post actum culpæ præteritum, hominem dici esse in peccato veniali, quia peccatum admisit, quod nondum est diuinitus condonatum; ac proinde ob respectum rationis ad actum culpæ, qui præterijt, nondum Dei beneficio remissum, dici esse in peccato veniali: multa enim talia esse dicuntur ob respectum, & ordinem ad actum, qui amplius non est. Exemplum do: Titius mutuò accepit pecuniam à Caio: ea postea consumpta, dicitur debitor Caij, Caius verò creditor Titij; in quibus nihil remanet, nisi ratio dati, & accepti. Dices, in Caio esse ius exigendi pecuniam à Titio; in Titio verò obligationem, qua pecuniam soluere debet. At contra est argumentum, quia eiusmodi ius, nihil aliud est, nisi quidam vt aiunt, respectus, & ordo rationis, quo Titius est debitor, Caius verò creditor. Idem, inquiunt, planè accidit in præsenti controuersia: Nam qui peccato veniali tenetur, quamdiu eius culpa non tollitur, dicitur esse in peccato veniali, ob respectum, & ordinem, quem habet ad peccatum præteritum, necdum dimissum. Ex quo, inquiunt, intelligitur, aliud esse, Titium esse in peccato veniali; aliud, Titium debitorem esse pœnæ temporalis: potest enim Deus culpam dimittere pœna non ex toto dimissa, quamuis in minorem, & breuiorem mutata. In hoc igitur, quod Titius in peccato veniali esse dicitur, duo pariter continentur: & quòd Titius veniale peccatum admiserit, nec illud se commississe doluerit; & quòd nondum sit diuinitus sublatum; tamdiu autem venialis culpa non condonatur, quamdiu temporalis pœna non remittitur ex toto, vel ex parte: non quòd remissio pœnæ sit condonatio culpæ, sed quòd simul vna cum pœna in totum remissa, aut in minorem, & breuiorem mutata ipsa culpa condonatur: non enim relaxatur pœna, nisi cum eam homo luit, & soluit: at non est iusta, & debita solutio pœnæ, nisi cum eam Deus gratam, & acceptam habet. Ego tamen aliter arbitror dicendum, quod vt clariùs explicem, sciendum puto, tria esse peccatorum genera. Primũ est originale, & hoc est priuario iustitiæ; id est, gratiæ debitæ, sed non per propriam voluntatem contracta, solum per voluntatem primi parentis suscepta: & ideo huiusmodi peccatum inducit in homine priuationem, & absentiam gratiæ debitæ, à qua dicitur, & est quis peccator, & dicitur esse in peccato videlicet originali. Secundum genus peccati est lethale, quod post actum præteritum relinquit in homine auersionem à Deo, maculam siue priuationem gratiæ debitæ, propria voluntate contractam, & conuersionem ad bonum creatum iucundum, vel vtile, & non honestum, in quo voluntas inhæret, & permanet, quandiu non mutatur per actum contrarium acceptum, & gratum Deo. Tertium genus peccati est veniale, ex quo nõ fit in homine priuatio gratiæ, sed relinquitur quędam conuersio ad bonum creatum, in quo voluntas malè inhæret quasi habitu tandiu, quandiu per aliquem dolorem, & actum pœnitentiæ ipsi Deo gratum, & acceptum non se auertit: manet igitur in homine post actũ peccati venialis præteritum voluntas, peccato, quod semel admisit, inhærens quasi in habitu, & in hoc culpa venialis consistit post actum præteritum.

Septimò queritur, Quot modis veniale peccatum contingat in homine? id est quærere, quotuplex sit veniale peccatũ? Respondeo, esse triplex; Vnum, quod veniale ex genere appellant, illud nimirum, quod ex obiecta re & materia graue non est, sed leue; vti verbum otiosum, iocosum mendacium, vana, & inutilis cogitatio, risus solutior & immodicus, nugæ, & his similia. Alterum, quod veniale dicitur ex leuitate materiæ, vt rei minimæ furtum; parentibus nummulos, sodalibus ligulas, aut globulos, & aciculas furari; simile illud quoque, obuios non salutare. Tertium, veniale ex imperfectione actus appellatur. In his duobus postremis id, quod alioqui lethale esset ex natura sua, fit exiguitate materiæ veniale. huius generis sunt leuissimum furtum, exiguum conuitium, percussio parua. quod aliàs item lethale foret, si ex plena animi deliberatione fieret, veniale peccatum est, si absque perfecta fiat animi deliberatione. Tales esse solent subiti, nec plenè deliberati impietatis, odij, desperationis, inuidiæ, & superbiæ actus: talia itidem imperfecta libidinis desideria. Cuiusmodi venialia sæpe contingunt in interioribus animi actibus, & in motibus nostri appetitus animalis, cum eos Ratio, vt posset, & deberet, non coercet, & reprimit.

Octauò quæritur, Vndè cognosci queant peccata, quæ ex genere suo venialia esse dicuntur? Respondeo, venialia ob leuitatem materiæ, imperfectionemue actꝰ facilè dignosci posse ex eo, quod materię exiguitas, aut imperfectio actꝰ absque magno negotio discernitur. Attamen difficilè admodum est certam aliquam formulam prę-

scribere,

scribere, ad dignoscenda peccata, quę sunt ex suo genere, & natura venialia. Qua in re nulla alia, meo quidem iudicio, regula certior, ac melior constitui potest, quàm ea, quæ communi consensu à Theologis adhibetur: nimirum, ea esse venialia peccata, quę charitatem Dei, aut hominis grauiter non lædunt; alioqui lethalia ex suo genere erunt, non venialia. Hinc apparet, peccata quæ contra aliquam virtutem Theologicam, fidem, spem, vel charitatem committuntur, ex genere suo esse lethalia: Secundò, eiusdem quoque generis esse peccata, quæ fiunt contra iustitiam hominis, vel cótra charitatem, aut religionem Deo debitam: Ea item peccata, quæ ad luxuriam, & incontinentiam spectant, vel ad rei bonæ, præsertim imperatæ contemptum. Quartò, peccata quæ quis committit solùm contra bonum suum, magna ex parte sunt venialia ex genere suo; veluti cum quis peccat in vanè, & inutiliter cogitando, concupiscendo, se oblectando, immoderatè ridendo, cachinnú tollendo, respondendo impatientius, tempus otio conterendo, loquendo quátum, & quando libet, nugando, otiosè agédo, sua bona malè administrando, aut prodigè dissipando, aut auarè retinendo, intemperanter comedêdo, bibendo, vt cum quis citra sitim potat, delicatioribus epulis ventriculum distendit; in cultu etiam, & vestitu immoderato, noxas, & delicta sua oscitanter confitendo, negligenter preces horarias recitando, se ingenio, memoria, viribus, & forma corporis omnibus alijs præferendo, ac similibus plerisque.

Nonò quæritur, An veniale peccatum possit transire in lethale? quod est quærere, An actus, qui per se venialis tantùm est culpa, nulla alia lege, vel præcepto accedente, possit esse lethalis? Respondeo, rem esse compertam, actum, qui est venialis culpa, eo quòd non plena animi deliberatione fiat, in lethalem conuerti, si plenè deliberâte ratione permaneat circa idem obiectum, & materiam malam alioqui grauem: veluti si quis ante plenam animi deliberationem, alicuius hominis necem concupierit, & plenè deindè animaduertente ratione in eodem desiderio maligno sciens, ac volens perseuerauerit. Illud etiam est certum, actus imperatos, quales sunt exteriores, quibus inest culpa venialis, in lethale crimen definere ex eo, quòd continuentur ob finem mutatum, & maximè malum; Veluti si Titius templum adierit studio, & desiderio inanis gloriæ duntaxat; ac deindè fine mutato, solùm iter prosequatur, vt Caium interimat, vel aliquid in templo surripiat: actus enim exterior idem numero perseuerat, licet finis ex voluntatis affectu mutetur.

Quæstio igitur est de actibus voluntatis interioribus, qui dicuntur eliciti, an actus, cui inest culpa venialis, possit in lethale crimen transire. Duæ sunt opiniones; Vna affirmat posse: & probat, quia quando actus voluntatis ex obiecto, & materia est indifferens, potest ex fine diuerso primum culpa venialis esse, deindè lethalis. Exemplum adhibeo huiusmodi; vt si Titius, summo mane surgens velit templum petere ob inanem gloriam; postea verò eadem in voluntate persistens mutet finem, videlicet Caij nečem exoptans: tùc licet sit finis propositi mutatio, nulla tamen est variatio in actu, quo Titius vult templum adire, & quo, modò ad hunc, modò ad illum finem refertur. Sic Almain. *tract. 3. mor. cap. 21.* Altera opinio negat, quæ est Gabr. *3. dist. 23. quæst. 1. art.* & Ocham. *quodlib. 3. quæst. 15.* item Gab. *4. dist. in. 16. quæst. 5. art. 3. dub. 4.* quamuis hunc auctorem putet Almainus pro se facere. Atque hæc opinio est vera: quia actus voluntatis interior omninò re ipsa, natura, & substantia mutatur variato fine, vel aliqua circunstantia actus. Nam actus voluntatis substantiam, & speciem suam sumit, & habet ab obiecto: Sed actus voluntatis interior in finem sibi propositum refertur tanquam in obiectum, & ipsam circunstantiam, quando est directò voluntaria, respicit similiter tanquam partem obiecti; ergo mutato fine, vel circunstantia, interior voluntatis actus idem re ipsa, natura, & substantia perseuerare non potest. Et proindè Titius primú volens templum adire ob inanem gloriam, & deindè ob cædem Caij, vel ob furtum, in eadem re vera voluntate non permanet: actus verò exterior, finis mutatione nequaquam variatur, quoniam, vt secundo libro tradidimus, opus exterius per se, proprium obiectum, & materiam habet, ad finem verò refertur extrinsecùs à voluntate, quæ alium finem sibi proponit, & actus exterioris substantiam non mutat.

Decimò quæritur, An veniale peccatú in lethale desinat ex eo, quòd nouum præceptum Dei, hominisúe accedat? Exempli caussa, Titi⁹ vult loqui otiosè, vel iocosè mentiri: Quæritur, an hic actus transeat in lethalem culpam, si Titius in eo perseueret accedente Dei, vel superioris præcepto, quod prohibet, ne eum actum prosequatur, néue perficiat. Almainus, Dionysium Cistercienſem secutus, sensit eiusmodi venialem culpam in lethalem deuenire ratione præcepti noui, quod accessit. At certè, vt verum fatear, vterque falli videtur. Nam is actus ex leuitate materiæ, venialis tantùm est culpa: accedente autem nouo Dei mandato, vel humano imperio, materia minimè mutatur, ergo leuis semper censetur: & ob id non lethalem, sed duplicem venialis delicti habere poterit deformitatem: tum quia est contra ius naturale, tum quia contra præceptum Dei, vel hominis, qui id operis vetat: modò ne Titius in eo actu permaneat ob contemptum hominis, vel Dei, vel præcepti denuò dati, & accepti; tunc enim venialis culpa in lethalem iure ipso conuertitur. Animaduertere tamen, oportet, esse in controuersia positum, an votum de re minima Deo factum, tantam vim obligandi conscientiam habeat, vt eius violatio sit mortifera: adeo vt peccatum, quod veniale ex genere suo tantùm esset, euadat ratione voti mortiferum, & graue. Verùm hac de re suo loco dicetur, cum de voto tractabitur. Item, quæstio solet esse, An mendacium alioqui leue, fiat lethale ex eo, quòd in sacra peccatorum confessione, quæ coram sacerdote fit, vel in publico iudicio coram ciuili iudice, & magistratu, profertur; de qua etiam quæstione alibi opportunius agetur. Interim illud sciendum est; exploratum apud omnes esse, mẽdacium etiam leuissimum, fieri grauissimum, si iureiurando confirmetur, vt proprio loco dicetur:

Alm. tr. 3. mo. ca. 21.

cetur: quoniam Deo grauem iniuriam irrogas, dum ipsum in testem mendacij etiam leuissimi accersis.

Vndecimò quæritur, An veniale mutetur in lethale ex eo, quòd frequenti quodam vsu, & cõsuetudine committitur? Fuêre, qui id senserint auctoritate Augustini permoti; qui, vt refertur dist.25.cap. *Vnum orarium*, ait: *Ebrietas si nimia sit, crimen est.* Rursus: *Qui ex consuetudine contra legem delinquit, hoc ipso ex legis contemptu peccat.* Sed communis Doctorum sententia est, in lethale peccatum minimè transire: quod expressè Scot.3.d.29.q.1. Gab. 4.d.16.q.5.ar.3.dub.5. Almain.tract.3.moral.c.21. tradiderunt. Ratio id concludit manifestò, quoniam actus replicati sunt eiusdem speciei, cuius est primus, ergo eiusdem deformitatis. Auctoritas verò illa, allata de ebrietate, siue sit Augustini, siue Gratiani, nihil concludit contra nos. Nec enim in ea dicitur, ebrietatem esse mortiferam ex eo, quòd sit assidua; sed significat esse crimen connumerandum inter ea, de quibus Apostolus meminit dicens, eum, qui in Episcopum eligitur, debere esse sine crimine. Est tamen animaduertendũ, aliquando veniale mutari in lethale ex vsu, & consuetudine frequenti, non præcisè quidem ob frequentiam actuum, sed ob periculum peccati grauissimi, in quod nonnunquam ex ipsa consuetudine, Deo permittente, homines incurrunt: nec frequentia, & consuetudo venialium est propriè contemptus legis, vel præcepti; sed affert secum, & creat interdum, vt dixi periculum cõcemptus: at qui amat periculum, peribit in illo.

Duodecimò quæritur, An venialia peccata hoc ipso, quòd multiplicantur, vnum aliquod lethale efficiant? Glossa, *in cap. Tres sunt, dist.1. de pœnit.* videtur innuere, posse efficere: sicut multæ, inquit, aquæ guttæ in flumen euadunt, domum dejciunt: multa grana aceruum grandẽ constituunt, sic generatim, multæ res paruæ vnam grandem componunt. Item, quia Augustinus (vt in eo cap. refertur) ait: *Peccata quamuis parua, aliquando crebrò subrepunt, quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & opprimẽt, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur, aut paulatim subrepens aqua in seminam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat nauem, & submergat.* Ergo significare videtur Augustinus his verbis, multis marinis fluctibus paruis simul irruentibus, nauem perindè obrui, & submergi, atque si vna graui procella opprimeretur. Alibi quoque videlicet in libr. de decem chordis cap.11. *Morsus*, inquit, *vnus vel alter homini exitium non affert; sed si examen apum, vel agmen pulicum pungentium est, lethale erit. Et ita peccata venialia quamquam singula non sunt mortifera, agmen tamen eorum est lethale.* Postea subiungit: *Modica peccata attendite, quia modica sunt, & cauete quia plura sunt. Nam humana natura minutissimis etiam bestijs interimi potest: & arenæ minutissimæ sunt; si tamen multæ in nauem mittantur, eam ita possunt mergere, vt pereat.* Tandem concludit: *Peccata quidem quotidiana, cuiusmodi sunt verbum durum, vel otiosum, immoderatus risus, nugæ vanæ, quotidiana sunt, sed tamen peccata, & non leuia, quia plura: & quia quotidiana, & plurima, timenda est ruina multitudinis, est non magnitudinis.* Hæc Augustinus: Præterea, si famulus suo domino surripiat singulis bus assem, post vel sub exitũ anni mortiferè proculdubio delinquet, ob multitudinem assiũ quos per partes furto abstulit. Non secus, ac si quis ex vinea aliena per multos dies vnum racemum furaretur, quemadmodum itidem si Titius ad annũ promisisset, se singulis diebus pro alicui Collegio Sodalium in eleemosynam vnum assem daturum, promissione neglecta, lethalem maculam contraxisset. His tamen nihil obstantibus, vera est sententia S.Thom.1.2.*quæst.*88.*artic.*4. Alexand. *p.4.q.15.mor.3.artic.1.§.* Richard. *4.dist.16.art.2.quæst.2. ad finem*: communi consensu recepta, venialia peccata quantumcunque aucta, & multiplicata, nunquam in lethalem culpam transire: quia vti iam dixi, actus repetiti sunt eiusdem speciei, cuius fuit primus: nec propterea quod collecti simul sint, & aggregati, naturam mutant, & variant.

Ad obiecta verò respondeo, ad primum quidem, Glossam non expressè docere, venialia peccata, hoc ipso, quòd plura sunt, vnum grande peccatum efficere, sed innuere, in peccatis paruis, & leuibus sæpè tamen ieeratis subrepere aliquando præcepti, legisue contemptum; saltem imminere contemptus periculum. Ob quæ Augustinus etiam in eo, quem recensui libello de decem chordis, meritò docet modica peccata esse fugienda. Ad illud verò de furtis Respondeo, in eis inesse lethalem noxam, nõ ideò, quòd multa furta vnum grande constituant, sed quia re aliena per minimas partes furtim sublata tãdem graue damnum domino infertur, vt dicam, cũ de furto tractabo. In præsentia dixisse sufficiat venialia peccata, quamuis multiplicentur non efficere lethales; sed aliquando venialium peccatorum materia est talis, vt per partes minutas maior effecta lethalis peccati materia fit: quoniam facta sit grauis: vt si mille asses fureris millies, furto vnius assis repetito. Similiter si Titium leuiter percutias, & toties leuiter, vt multis leuiusculis ictibus eum grauiter lædas. Si ex dolio parum vini effundas, & ita subindè parum effundas, vt totum vinum exhaurias: pariter promisisti, te pauperibus quotidie vnum assem erogaturum, mille nunc debes, quia millies denegasti. Secus est, quando materia per partes non crescit, quia singula peccata per se integram materiam, & obiectum habent, vt mẽdacia, otiosa verba, leues nugæ, risus immoderatior: sermo inurbanus, absurdus sonus, intempestiuus incessus.

Decimotertiò quæritur, An veniale peccatum in mortiferum vertatur ex eo, quòd nobis placeat, hoc est, quia ex certa rationis deliberatione peccamus. Ratio huius dubitationis est, quoniam distinctione 25. cap. Vnum orarium, tanquam ex Augustino profertur, nullum peccatum adeò veniale esse, quod mortale non fiat, dum placet. Respondeo, venialem culpam, quæ ex genere, obiecto, & materia, vt potè leui, & modica peccatum est, in lethalem nequaquam mutari: quoniam quamuis ex plena rationis deliberatione committatur, veniale tamen delictum tantùm est ob obiecti, & materiæ leuitatem. S.Thom. 1.2.*quæst.* 88.*articul.*4. Alexand.*part.*4.*quæst.*15.*mora.*3 *art.*1.§.1. Richar.4.*dist.*16.*art.*2.*q.*2.*ad finem*, Gab.4.*dist.*16.*q.*5. *art.*3 *dub.*6.

Id verò,

Augustin. in epist. 108. quæ est ad Seleuciamum.

Id verò, quòd ex Augustino opponitur, licet potius videatur esse desumptũ ex Glossa, quam vocant, ordinaria *ca.11.epist.1.ad Corinthios super illa verba: Reus erit corporis, & sanguinis Domini*, vbi ait: *Nullum peccatum veniale est, quod, dum placet, non sit mortale: Si verò displiceat, nullum iudicatur*: intelligi debet, vel de peccato, quod solùm ob imperfectam rationis deliberationem veniale est, & in lethale definit, dum placet, accedente plena animi deliberatione, quæ ante perfecta nondum erat: vel in vniuersum intelligitur de omni peccato veniali, quod dum placet, nimirum quatenus Deum offendit, cũ Dei, aut legis, præceptiue despectione fit mortiferum: & proindè venialis erit culpa, si leuis fuerit obiecti materia, quamuis plena deliberatione nobis placeat; lethalis verò, si ex contemptione præcepti, vel legis approbetur.

Decimoquartò quæritur, An veniale in lethale transeat ex dignitate eius, qui veniale peccatum admittit. Fuêre, qui putauerint, venialia etiam ex materia, & obiecto modica, cuiusmodi sunt verba otiosa, seu duriuscula, iocosa mendacia, nimij risus, ac vani, lethalia euadere in viris alioqui perfectioris vitæ statum professis; cui sententiæ videntur subscripsisse Bonauent. *2.dist. 21.art.3.quæst.1.* Richard. *2.dist.21.art.3.quæst.1.* Dicendum tamen existimo id verum non esse: quia dignitas, vel sanctitas eius, qui peccat, auget quidem peccati grauitatẽ; non tamen adeo, vt quod veniale est, in lethale transire faciat, cum materia, & obiectum sint leuia: aut cum plena, & perfecta desit rationis deliberatio.

Decimoquintò quæritur, An veniale efficiatur lethale ex eo, quòd ex contemptu legis, vel præcepti committitur? Respondeo, ex communi omnium consensu, lethale euadere: quia licet materia sit alioqui tenuis, ac parua, qualis est in iocoso mendacio, aut verbo otioso: contemptus tamen præcepti, vel legis ea prohibentis, est grauis. Quare Christi Domini consilia, quibus nos sibi minimè obstrinxit, de quibus præcepta non dedit, ex contemptu prætermittere, etiam est grauissimum peccatum: licet enim in omittendo consilio nulla sit culpa, in contemnendo tamen, peccatum est non paruum: nam hoc ipso, quòd Dei consilium, lex, vel præceptum contemnitur, Deus ipse despicitur, qui consilium dedit, aut præceptum posuit, aut legem tulit. Illud tamen scire oportet, aliquos tradidisse eum hominem ex contemptu contra legem, vel præceptum facere, qui ex vsu, & consuetudine contra legem delinquit. Cæterùm fallũtur isti: peccatum enim contemptus in voluntate interius perficitur non autem in opere, quod exterius fit. Quocirca contemptus legis, vel præcepti non est, nisi eo animo, & voluntate quis peccet, vt lex, vel præceptum contemnat; & proindè quamuis frequenter quis contra præceptum, vel legem faciat, nunquam ex contemptu peccare videtur, nisi cum ex voluntate perperam facit eo animo, vt legem, vel præceptum despiciat.

Decimosextò quæritur, An veniale peccatum ex parte charitatem minuat? Nulli dubium est, veniali peccato non amitti habitum charitatis. Quidam tamen senserunt minui ex parte; quorum sententia, Theologorum communi consensu meritò confutatur. Ratio Theologorum est, quia quicquid ex parte aliud remittit, cum eo pugnat tanquam cõtrarium, & paulatim, ac sensim ita minuit, vt tandem ex toto auferat, ac tollat; ergo si venialis culpa habitum charitatis remittit ex parte, multiplicatis venialibus peccatis, poterit eiusmodi habitus totus euelli: non enim est maior ratio, cur prima culpa venialis diminuat ex parte charitatem, cæteræ verò subsequẽtes ex parte, etiam illam nõ remittant. Communis ergo est omnium sententia, peccatis venialibus nõ minui habitum charitatis, sed feruorem. QVAESTIO tamen est, quo pacto feruor charitatis minuatur. Nam appellatione eiusmodi feruoris, vel intelligimus habitus magnitudinem, quam intensionem appellant: vel qualitatem, & intensionem actus; at veniale peccatum ex habitu charitatis nihil detrahit omnino, & cũ veniali potest simul, vt feruentissimus etiam charitatis actus consistere. Respondeo, veniali peccato non ideo feruorem minui charitatis, quia vel habitũ, vel actum ex parte remittat, sed quia hominem charitate præditum ex parte retardet, aut impediat, ne charitatis opus, & officium exequatur; quod posset alioqui præstare, si peccatum veniale non admitteret: tunc enim charitatem feruere dicimus, cum opus suum, & officium præstat, & implet, quod debet. Ergo, per contrarium, charitas tepere, aut refrigescere meritò dicitur, cum à suo munere obeundo desistit, ac cessat. Objicies, venialia peccata feruorem minuunt charitatis: Sed feruor charitatis est charitas, sicut feruor caloris est calor; ergo, minuunt charitatem. Respondeo, feruorem charitatis non esse magnitudinem, vel intensionẽ ipsius habitus, sed esse frequentem vsum, & exercitationem charitatis, vndè peccata venialia habitum charitatis non minuunt, sed frequentem eius vsum impediunt. Secundo objicies; si veniale peccatum feruorẽ charitatis minuit, ergo partem tollit, ac propterea venialia peccata totum feruorem charitatis per partes auferent, & charitas sine vllo penitus feruore remanebit, quod videtur incommodum. Respondeo, vt ante iam dixi, feruorem charitatis, in hac parte, non esse aliquid in habitu charitatis, sed vsum, & actum: & ideo quandiu iustus venialiter delinquit, tandiu ab actibus charitatis desistit: nam eo ipso, actum charitatis non facit, & teste S. Thom. *1.2.quæst.85.art.2.* cum aliquid minuit alterum, non aliquid subtrahendo, sed impediendo, ne suo officio fungatur, quamuis semper minuat, nunquam tamen totum aufert.

Cap. X.

Quibus modis peccata venialia deleantur.

ANtequàm propositam quæstionem explicem, alteram illam prius expedire constituì: An culpa venialis potuerit simul consistere cum prima Angeli vel hominis integritate, & innocentia, in qua fuerant Dei munere, & beneficio procreati. In qua re cõstat inter omnes Theologos, simul cum ea Angeli, vel hominis innocẽtia nequaquam potuisse consistere venialem no-

xam, &

xam,& culpam ex imperfecto actu. Id ratio docet,ac probat;quia eiusmodi venialia errata sunt motus quidam, plena animi deliberatione carentes,qui ex surreptione,ac infirmitate naturæ existunt,& surgunt; at in prima illa Angeli,vel hominis institutione, nulla erat naturæ infirmitas, nulla fragilitas: in homine enim dum mens, & ratio Deo per gratiam adhærebat,omnis quoque inferior pars plenè erat rationi subiecta. In Angelo itidem voluntas rectam rationem sequebatur,interim,dum gratiam diuinam,& amicitiam mens non deserebat. Quocirca nec in homine appetitus sensus, suis motibus contra rationem irruebat, nec in voluntate Angeli subiti,ac repentini motus peccati venialis,etiã minimi, rectam rationem præuertebant.

Caput igitur controuersiæ est; An in illo primi hominis,Angeliúe statu,potuerit venialis culpa contingere ex leuitate materiæ, tametsi plena cum animi deliberatione contracta. De hoc sunt duæ opiniones; Prima affirmat potuisse: quam sequuntur Scot.2.d.21.q.1.Gabr.2.d.22.q.1.a.3.dub.2. Basso.2.d.21.q.1.a.1.Almai.*in mora.tract.3.cap.*22.Dionys.2.d.21.q.1.Mai.2.d.21.q.2.Alens. *in sum. lib.2.tract.* 10.*ca.3.q.vlt.*Probant id multis rationibus: In primis,arctius,& perfectius hominem cum Deo gratia,charitasque coniungit, quàm primi hominis, vel Angeli iustitia: sed in viris quantacunq; gratia,& charitate præditis,immò etiam in his, qui sunt in gratia confirmati, quales olim Apostoli fuêre,potest venialis culpa contingere. Deindè, quoniam alioqui tum venialis, tum lethalis casus primam illam hominis iustitiam, & integritatem euerteret,ac deleret, quod falsum est. Accedit his, quòd primus homo,in ea vitæ cõditione,liber penitus erat in benè, vel malè agendo: poterat ergo leuiter delinquere, vel otiosè loquendo,vel mentiendo iocosè,vel vxorem, ac filios,& seipsum,plusquam par erat,diligendo.Ad hæc, fructus arboris potuit interdici; ita vt eius vsus culpa tantummodo veniali mentem,& animum macularet, hominemque temporariæ pœnæ subijceret. Postremò, quia saltem in partem superiorem,qualis ratio, & voluntas est, potuissent irrepere subiti infidelitatis, desperationis, odij, inuidiæ,iræ,& superbiæ motus. Secunda opinio negat potuisse. Eam tuentur S. Thom.1.2. *quæst.*89.*art.*3.Bonauent.2.d.21.*art.*3.q.1.Durand.2.d. 21.q.4. Aegid.2.d.21.q.1. Argen.2.d.21.q.1.*art.*1. Alexand.*p.*2.*q.*103.*m.*6.Richard.2.d.21.*art.*3.q.1.Richardus verò qui vtramque opinionem existimat esse probabilẽ,huic posteriori potius accedit. Quod sic concludunt. Omne peccatum est miseria; sed homo in eo vitæ statu felicissimo, alienus ab omni prorsus miseria fuisset. Deindè, peccatum cum innocentia, & integritate naturæ pugnat: innocens enim, & integer dicitur, qui non cecidit. Quicunque item peccat, reus fit, & debitor pœnæ; at ille vitæ status liber erat ab omni pœna. Amplius, omne peccatum eget pœnitentia, qua expiari,& deleri queat; at pœnitentia dolorem habet, & tristitiam adiunctam; ergò cum ea vitæ cõditione omnis peccati pœnitentia pugnabat. Præterea, alioqui potuisset in primo homine ex peccatis venialibus frequentius iteratis gigni habitus peccandi; at ea ratio vitæ hominis ab omni procliuitate ad malum procul ab erat. Ad extremum, quemadmodum in ea fœlicitate,hominis corpus,omni vitio,& infirmitate carebat, ita animus quoque liber erat ab omni ægritudine: Omne autem peccatum est quædam animi ægritudo. Quæ profectò rationes magni sunt momẽti, & ponderis,& quæ hanc sententiam probabiliorem faciant. Scotus eas eludere conatur duplici argumento. Primùm enim ait, statum innocentię non fuisse tantæ perfectionis, vt dici posset modis omnibus absolutus,in quem lapsus venialis non caderet,sed fuisse talem tantummodo, qui omne lethale crimen prorsus excluderet.Deindè,leuẽ,& venialem noxam,si quã incurrisset homo, non eguisse ad sui expiationẽ, & purgationem pœnitentia: potuisset enim,Deo id volente, certo aliquo charitatis actu elui, atque mundari. Veruntamen hæc Scoti responsio, nequaquam omnem animo dubitationis scrupulum adimit; ea enim, vel vnica ratio contra eum firma, & efficax est: quòd status innocentiæ erat ab omni prorsus miseria, & pœna solutus ac liber: at omne peccatum quatenus tale,miseria animi est,& per se debitę pœnę subiectum,quamuis Deus aliundè posset, si vellet, pro sua sapientia, & bonitate, pœnam delinquenti remittere, & condonare. Quare is status vitæ fœlicissimus,venialem casum nullum admittebat, quippè qui nec Dei gratiam excludit, nec eius amicitiam dissoluit, ac delet. Dum igitur primus homo integer, & innocens, ita vt fuerat à Deo conditus permanebat, nullius minimi peccati capax esse poterat. Modo verò iusti homines in venialia sæpenumerò labuntur, quia licet Dei gratia sint præditi, primam tamen illam iustitiam non habent, quæ omni tum corporis, tum animi miseria, & pœna vacabat. Scire tamen conuenit, Bonauenturam, & Richardum locis supra citatis, eo vti argumento ad probandam prædictam sententiam, quoniam in eo naturæ statu, peccatum, quod alioqui veniale esse potuisset, lethale foret, aut quia ex Dei contemptu,aut quia in statu tantæ gratiæ plenitudine, & vitæ perfectione constante committeretur. Sed huiusmodi argumentum infirmum est: quia, vt dixi, peccatum, quod ex leuitate materiæ, vel imperfecto actu paruum est, in lethale non transit ob eius qui peccat dignitatem, perfectionem, & sanctitatem.

Genes.2.

Secundò quæritur, Quidnam dum peccatum veniale remittitur,deleatur in homine? Duæ sũt opiniones: vna,reatum tolli, ait, siue pœnam ex toto,vel ex parte, cui erat peccator addictus: ita vt remissio peccati venialis nihil aliud re ipsa sit,nisi condonatio pœnæ temporalis ex toto,vel ex parte. Hoc videntur asserere Gabr.*distinct.*16. *quæst.*5.*art.*1.Almain.4.*dist.*21.*quæst.*1. Maior.4.*dist.* 21.*quæst.*1.Medin.*de pœnit.tract.*1.*quæst.*7. his ce rationibus adducti. Primùm, quia transeunte actu peccati venialis,nihil manet, nisi pœnæ debitio. Deindè, venialis culpa non relinquit maculam in mente, quæ est priuatio gratiæ: ergo licet in peccati lethalis remissione gratia infundatur, qua priuatio eius excluditur; in veniali tamen delendo, nec gratia inducitur, nec aliqua priuatio reijcitur. Altera opinio tradit remissionem

peccati venialis non esse condonationem pœnæ debitæ, nec ex eo veniale remitti, quòd pœna, quam meretur, ex toto relaxetur, vel ex parte. Huius sententiæ fuit sanct. Thomas, eiusque discipuli, Scotum magnoperè reprehendentes, qui docuerit, peccatum tolli, esse idem, quod reatum auferri. Nam Scot. 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. docet esse probabile, quum peccatum veniale dimittitur, pœnam solummodò temporalem condonari: sed tandem magis accedit oppositæ sententiæ, *quoniam ex patribus*, inquit, *constat, aliud esse culpam deleri, aliud pœnam culpæ debitam remitti.* At S. Thomæ discipuli secundam sententiam comprobant. In primis, quia potest remitti culpa non remissa ex toto pœna. Deindè, è contrario, potest pœna condonari non remissa culpa. Præterea etiam, quia non ex eo, quòd quis pœnæ est subiectus, aut quia debitor est pœnę, dicitur esse in peccato veniali: quoniam prius origine, & causa Titius est in culpa, quàm sit in reatu, & debitione pœnæ. Postremò, nemo potest dici esse in peccato ex eo, quòd iustæ, & debitæ pœnæ subijcitur. At certè si Scotus, & alij eius sectatores rectè explicẽtur, nihil erit causæ, quare reprehendantur. Primùm enim dicere volunt, post actum peccati venialis præteritum, nihil re ipsa in homine manere. Deindè, ob hominis culpam venialem admissam, esse in Deo voluntatem puniendi, quæ voluntas dicitur etiam ira, & iustitia Dei, hominemque, vti eiusmodi voluntatis obiectum, esse pœnę debitorem: quæ pœna soluitur, ac luitur saltem ex parte, cum venialis culpa deletur: nam eo ipso, quo culpa venialis dimittitur, pœna eius in minorem, & breuiorẽ mutatur. Nolunt tamen illi, hominem dici peccatorem, aut esse in peccato à debitione pœnę, quem ipsi reatum appellant, sed ab actu culpæ præterito, qui tandiu Deo volente, eiusque iustitia exigente, subiectus pœnæ manet, quamdiu culpa perseuerat in anima: & tandiu perseuerat, quandiu voluntas se à peccato, quod sua sponte voluit, per aliquam pœnitentiam non auertit, & reuocat. Neque verò, remitti pœnam, volunt illi, esse idem, quòd culpam deleri: nam dimissa culpa veniali, pœna postea temporalis soluitur, & igne purgatorio pœnæ venialium peccatorum expiantur, quorum sæpè in hac vita fuit culpa dimissa; sed nũquam, inquiunt, Deus venialem culpam delet, quin aliquid de pœna etiam minuat, ac detrahat pro sua misericordia: aliquando enim totam pœnam condonat, aliquando in minorem, & breuiorem commutat. Rogabis; Quid ergò est, noxæ venialis culpam deleri? Respondent, actum culpæ venialis præteritum, non ampliùs obiectum esse diuinæ iræ, & iustitię, vt pœna merita dignum; quamuis hoc non fiat sine aliquo actu ipsius hominis, quo dolet expresè, vel tacitè se peccasse, & quo priorem voluntatem, qua sponte deliquit, deponit, ac mutat, & quo se ad peccati veniam diuinitus impetrandam idoneè, & legitimè præparat: neq; enim fit peccati venialis remissio, sola extrinseca volũtate Dei nõ imputantis homini culpam, sed fit gratuito quodam Dei beneficio, homine per aliquam pœnitentiam explicitam, vel implicitam resipiscente, & pristinam voluntatẽ, qua peccato adhæsit, mutante: nam per huiusmodi actum homo se auertit à culpa, quam sua sponte commiserat.

Tertiò quæritur, An remissio culpæ venialis, sit diuinæ gratiæ iustificantis effectus. Item, an fit ex gratuito Dei beneficio, hoc est, ex auxilio Dei, speciali, & supernaturali; an verò per naturã fieri possit? Aiunt nonnulli, Scotum, Durandum, Gabrielem, Almainum, & Maiorem asserere, venialem noxam per naturam posse tolli, hoc est, per actus liberi arbitrij solis naturæ viribus elicitos: quorum sententiam, vt temerariam damnant. Verùm prædicti auctores id nequaquam docent. Solùm hoc illi affirmãt, transeunte actu peccati venialis, re nihil manere in homine, nisi pœnæ reatum, & posse peccatorem Dei gratia vacuum plenè, atq; integrè pro venialibus erratis satisfacere: immò & apud inferos idem posse concedunt: & addunt, venialem noxam per qualecumque opus pœnitentiæ, vel charitatis expiari, & elui. Quæ singula per se licet falsa sint, vt statim docebo, nunquam tamen ñ, quos nominaui, auctores asseruere peccatum veniale deleri absque gratuito, & speciali Dei munere per solas naturæ vires, & generale Dei auxilium cum natura conueniens. *Petrus Scot. de Sacram. Pœnit. lect. 18.*

Ex communi igitur Theologorum sententia dicẽdum arbitror, primò, venialis remissionem peccati, gratum, & supernaturale esse beneficium Dei: id, quod facilè colligi potest ex Concilio Mileuitano *canone* 5. 6. 7. & 8. & *ex* Araufícano 2. *canon.* 14. & 22. Omnis enim miseriæ liberatio est Christi Domini donum, beneficium, & munus: item Deum quotidie precamur: Dimitte nobis debita nostra; quia quotidie in veniales culpas incurrimus. Remissio insuper peccati venialis ad gloriam cælestem adipiscendam conducit, & iuuat; at quicquid hominem promouet ad vitam æternam, gratuitum, & speciale Dei donum est. nihil itidem homo potest per seipsum præstare, quod peccati veniam mereatur. Præterea, veniale peccatum Deum offendit, & hoc ipso, Deus irascitur. Irasci enim Deum, est eum velle peccatum punire, & vlcisci. At per solas naturæ arbitrij nostri vires, solo Dei generali auxilio adiutas, Deum nobis placare non possumus: ipse igitur Deus peccantibus, & malè merentibus liberaliter ignoscit. Remissio ergo peccati venialis non solùm est gratuitum, & speciale Dei beneficium, sed etiam est diuinæ gratiæ iustificantis effectus, hoc est, nemini extra gratiam Dei constituto peccatum veniale dimittitur, vt statim probabo. QVAERES, Quid dicendum sit, si homo aliquis cum solis naturæ conditionibus crearetur, & veniale peccatum admitteret? Respondeo; Non posset homo ille peccatum exuere, nisi Deus hoc illi gratuitò condonaret. Potest quidem homo in peccatum per seipsum cadere; at surgere per seipsum à peccato non potest. Immò si in prima sui institutione homo venialem culpam, & noxam contraxisset, nisi Deus pro sua misericordia deleuisset, nunquam contractum peccatum eluere, & abstergere potuisset. Sed obijcies; Ergo veniale peccatum, Deo illud non remittente, perpetuò manebit, & pœnam proinde merebitur sempiternam. Respondeo, absque dubio, nisi Dei beneficio condonetur, duraturum per-

petuò,

petuò, & pœna ob id perpetua puniendum: non quod veniale per se æterno sit dignum supplicio; quoniam per se, Dei gratiam, & charitatem non aufert, & proindè non tollit principium, quo possit homo pro illo idoneè, & legitimè satisfacere: sed ex eo, quòd quandiù non remittit Deus, tandiu homo in culpa est: quæ culpa dum permanet, debita pœna punitur. Veniale itaque solum temporariæ pœnæ subiectum est, modò semel culpa diluatur, aut gratia adsit, qua possit elui, & expiari. Paluda. *in 4. dist. 18. quæst. 1. articu. 1.* docet, si homo solùm peccato veniali, & originali teneretur obstrictus, posset viribus naturalibus Deum diligere super omnia, & per eum actum reformare voluntatem, quam per peccatum veniale deformasset; & posset gratus esse Deo, tum ad bona, & commoda naturalia, tum etiam ad pœnam sensus deuitandam, licet gratus non esset ad gloriam cæleſtem assequendam, & effugiendam pœnam damni peccato originali debitam. Hæc ille; sed falsò, vt in alijs locis ostendi. Neque enim peccator per naturam potest Deum plusquã omnia diligere, aut idoneè, & legitimè, vt debet, de peccato contracto dolere.

Quartò quæritur, An veniale delictum remitti queat homini, diuina gratia, & charitate carenti? quod est quærere, an homini in peccatum lethale, & veniale lapso, possit veniale sine lethali condonari? Duæ sunt opiniones præcipuæ: vna affirmat posse, quam sequuntur Scot. *4. dist. 21. quæstion. 1.* Durand. *4. distinct. 16. quæst. 2.* Gabr. *4. distinct. 18. quæstio. 5. articul. 3. dub. 2.* Almain. *4. distinct. 21. quæst. 1.* Maior. *4. distinct. 21. quæst. 1.* Medin. *de pœnit. tract. 3. quæst. 2.* Id probant multiplici ratione. Nam in primis, peccator potest bona temporaria mereri, ergo etiam mereri potest pœnæ temporariæ debitæ veniali peccato remissionem: Sed omni pœna culpę venialis soluta, culpa quoque ipsa aboletur. Deindè, vsu venit interdum, vt iustus leuiter delinquat, & postea ea culpa dimittatur, pœna non ex toto relaxata; qui si deindè grauiter peccet, poterit plenè satisfacere pro pœna culpę veniali debita, & ante casum non soluta: ea enim pœna est temporaria. Præterea, si quis cum peccato lethali, ac veniali ex hac vita discederet, haud dubiè de vtroque in perpetuum puniretur: quod videtur absurdum, cum veniale sumptum per se, temporariam solummodò pœnam mereatur. Item, peccatori multa alia beneficia diuinitus conferuntur, in quibus potissimùm numerantur fides, spes, & auxilia specialia ad multa bona præstanda, ergo potest etiam peccator à Deo impetrare auxilium, quo peccatum veniale per pœnitentiam eluat, & expiet. Postremò, remissio peccati venialis fit absque vlla infusione gratiæ;, ergò potest peccatori venialis culpa dimitti. Altera opinio oppositum affirmat: quæ fuit veterum Scholasticorum sententia, Alexand. *par. 4. quæst. 15. m. 3. articul. 3. §. 4.* Albert. *4. dist. 21. artic. 9.* S. Thom. *part. 3. quæst. 87. artic. 4.* Bonauent. *4. distinct. 21. articul. 5. quæst. 1.* Richard. *4. dist. 21. ar. 2. quæst. 3. & d. 16. ar. 5. q. 2.* qui omnes vnica ea ratione mouetur, quòd nemo culpam exuere, & deponere possit, nisi per idoneam, & legitimã satisfactionem: at talis apud Deum satisfactio hominis esse non potest, nisi ipsi Deo sit grata, & accepta, quæ in peccatore nequit esse, cum sit Dei inimicus. Præterea, satisfactio pro culpa, quam peccator exhibet, vel ex iustitia remissionẽ culpæ venialis meretur, vel ex gratuito Dei beneficio. Non ex iustitia, quæ peccatoris ad Deum nulla potest esse; non ex gratuito Dei munere, quia talis minimè datur, nisi Deo sit grata, & accepta. Item, quia alioqui apud inferos, damnatis hominibus venialia possent peccata dimitti, quod dici posse tutò non videtur, quoniam cum eiusmodi reprobis, & damnatis Christus Dominus sua merita non communicat; & tamen veniales culpæ sine Christi merito non abolentur. Ad hæc argumenta, Scotus, Gabriel, & Durandus respondent, duplicem aientes esse satisfactionem; Vnam qua vitam æternã promeremur, quæq; iratum Deum homini reconciliat, & placat; Alteram quæ tantummodò pœnam debitam soluit: qua soluta, culpam quoque delet, ac tollit: Vnde peccator licet primam satisfactionem præstare nequeat, secundam tamen potest. Sed certe magis pia videtur secunda sententia, & proindè mihi quoque magis arridet: quoniã nulla culpa contracta pòt sine Deo gratis, & liberaliter remittente deleri. Is enim, qui Deo inimicus est, ipsi satisfacere nõ potest, nisi eam satisfactionem Deus ipse acceptam, & gratam habeat: nam eam satisfactionem Deo peccator debet, sed debitum Deo non soluitur, nisi ipse sit nostra solutione contentus. Item, satisfactio est debiti solutio, ergo iustitiæ actus inter debitorem, & creditorem, inter offensum, & eum, qui offendit; sed inter hominẽ, & Deum nulla est iustitia, nisi in nobis sit gratia, per quam Deus se nobis, quodammodo obstringit, & obligat: potest verò peccator à Deo impetrare commoda, & bona temporalia huius vitę, sed non veniam peccatorum leuiorum promereri sine gratia Dei, quia nequit pro ipsis idoneè, & legitimè satisfacere.

Quintò quæritur, An veniale cum lethali peccato coniunctum perpetuo apud inferos supplicio puniatur? Triplex est sententia, Prima est Scot. *4. d. 21. q. 1.* Gabr. *4. d. 18. a. 3. dub. 2.* Mai. *4. d. 21. q. 1.* Almai. *4. d. 21. q. & tract. 3. mora. c. 23.* in vniuersum asserentium, etiam apud inferos peccatum veniale dimitti, eo vnico argumento, quod veniali per se, pœna solùm temporaria debetur; qua persoluta eluitur, & tollitur culpa: ac licet Deus posset pœnam non tamen culpam condonare; facto tamen, cum ex toto Deus pœnam peccati venialis relaxat, culpam quoque similiter delet. Obijcies, veniale peccatum cum mortifero coniunctum, ex accidenti perpetua pœna, & supplicio puniri. Contra vrget Scotus; quia veniale per se temporaria solùm dignum est pœna, & Deus procliuior est ad ignoscendum, quàm ad puniendum. Præterea, Deus alioqui maiores pœnas repeteret, ac sumeret, quàm venialis culpa mereretur. Secunda opinio est veterum Scholasticorum. Altisiod. *lib. 2. tract. 18. c. 4. q. 3.* Alexand. *p. 4. q. 15. m. 3. a. 3.* Alber. *4. d. 21. ar. 8. & in sum. p. 2. tract. 18. m. 4. ar. 4.* S. Thom. *4. d. 21. q. 1. a. 2. ad 4. q. 3.* & *1. 2. q. 87. art. 5. ad 2. & 3.* Bonau. *4. d. 21. a. 1. q. 1. ad finem.* Richard. *4. d. 21. a. 1. q. 3.* nullam esse apud inferos peccati venialis remissionem: quod duplici potissimum argumento probare contendunt. Primum est, quia nulla est

apud inferos redemptio. At respõdet Scotus, nullam esse redemptionem, scilicet qua indè liberẽtur. Verùm contra Scotum instant alij ea ratione: quia saltem apud inferos ex parte minuerentur, & relaxarẽtur pœnę, quod sine meritis Christi fieri non potest: sua autẽ merita Christus Dominus minimè cum damnatis voluit esse communia. Item, possemus orare, & sacrificia offerre pro ijs, qui sunt ad inferos dãnati, & ipsis possent indulgentiæ pontificiæ prodesse. Hoc argumento quidam vtuntur, & eo euidentissimè Scotum, & alios cõuinci putant, sed profectò falluntur: nam Scotus, & alij solùm docent apud inferos damnatos posse pro suis peccatis venialibus satisfacere; non item nos pro ipsis, quoniam sunt extra communionem sanctorum. Alterum argumentum est: quod damnatis hoc ipso, quòd sunt tales, Dei nempè capitales hostes, summoque eum odio prosequẽtes, specialia auxilia denegantur, quibus possit eos suorum malefactorum pœnitere: at quamdiu quis in culpa est, tamdiu pœnæ reus, & debitor est. Tertia opinio est Durand. 4. d. 21. q. 2. ita distinguentis: Aut quis, inquit, cum lethali peccato decedit, & cum obligatione, qua debeat soluere pœnã temporariam venialis culpæ, iam ante in hac vita dimissæ; & hic apud inferos ad tempus, nõ in perpetuum pœnas luet. Aut decedit cum mortifera, & veniali culpa dum viueret non dimissa, & hic, vtriusque culpæ pœnas æternas sustinebit. Vtrunque probat Durandus: primum quidem, quia culpa veniali dimissa, pœna temporaria omni ex parte soluitur patiente, & perferente criminis reo pœnam, quam debet: tunc enim de eo debitæ pœnæ sumuntur ad tempus. Secundum ita confirmat: quia quamdiù quis in culpa perseuerat, iustæ pœnæ subijcitur. Et in hoc Durandus ab Scoto dissentit. Et certè contra Scotum est magnum argumentum. Nam si in hac vita venialis culpa dimissa non esset, postea apud inferos, cum semper in damnatis permaneat, perpetuum supplicium promereretur. Quanquam Gabriel, Almainus, & Maior fatentur apud inferos venialem culpam remitti, non quia peccator bonum aliquod opus efficiat, sed quia pœnam temporariam quam debet, sustinet, & exoluit. Ex quo iam argumentum illud diluitur, quo obijciebatur veniali per se pœnam duntaxat temporariam deberi: hoc enim verum est, quia veniale peccatum per se gratiam, & charitatem non adimit, qua potest aliquis pro eo idoneè, & legitimè satisfacere Deo: Secus verò est ex accidenti: nam si homo sit extra Dei gratiam, & charitatem, non habet, vndè pro culpa veniali, aut pro eius pœna legitimè satisfaciat; & ideò quamuis pœnam sustineat, nunquam tamen soluit, quod debet, quia non soluit, vt Dei lex, & iustitia postulat. Et ideo siue in hac vita culpa veniali dimissa, siue ante non remissa, pœna superest soluenda. Mihi certè in hac controuersia secunda opinio veterum Scholasticorum videtur magis pietati, rationique congruere; vel ob id solum, quòd remissio pœnæ, quam venialе meretur, etiam post culpam dimissam, non videtur vlli concedi citra Christi Domini merita, quæ damnatis minimè Deus impertit. Sine gratia item Dei, idonea, & legitima pro peccatis satisfactio non redditur, ergò licet, quæ debetur, pœna non sit æterna; quia tamen iusta, apta, & conuenienti satisfactione non soluitur, nunquam finitur, nunquam extinguitur, & definit; neque enim creditori debitor, aut offenso is, qui offendit, satisfacit, nisi secundum leges, & iura satisfaciat: at nulla hominis satisfactio apud Deum idonea, & legitima habetur, nisi fuerit ipsi grata, & accepta.

Sextò quæritur, An veniale peccatum cum peccato originis coniunctum, perpetua post hanc vitam pœna plectatur? S. Thomas, & Alexander, Bonauentura, Richardus locis supra citatis, negant posse quempiam decedere cum solo veniali, & originali, eo adducti argumento, quod puer cum primum vsus rationis sit compos, aut conuertitur ad bonum rationis, aut non: Siquidem, tunc speciali Dei auxilio iuuatur, & gratiam sibi diuinam conciliat, qua ab originali mundatur: Sin minus, lethale peccatum contrahit, quia Dei præceptum violat, quo tunc temporis vnusquisque compellitur ad bonum rationis diligẽdum. Hoc argumento vtitur S. Thom. 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 6. & *de malo quæst.* 5. *articul.* 2. *ad* 8. At enim eo tempore, vnumquemque hominem ad bonum rationis præstandum peculiari præcepto, & rationis lege cõpelli, pauci Theologi tradiderunt. Palu. 4. *dist.* 16. *quæst.* 1. *art.* 1. admittit, posse aliquem cum solo veniali, & originali decedere; addit tamen ex liberali Dei benignitate post exitum animæ à corpore, huiusmodi veniale dimissum iri per aliquem bonum actum, quem potest homo naturæ viribꝰ elicere. Verùm hæc absque ratione probabili dici videntur. Tum, quia nihil certi est de ea liberalitate Dei, quam Paludanus futuram diuinat: tum etiam, quia, vt prænonui, venialis culpa maior est, quàm vt solis naturę viribus deleri queat. Sotus 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *ar.* 4. & eum sequutus Ledes. 4. *part.* 1. *quæst.* 28. *art.* 4. veniale concedit post hanc vitam cum solo originali: docet tamen perpetuo supplicio puniendum, sed ex accidenti, quia tunc decedẽs semper manet in culpa, & proinde semper debitam pœnam luit. Probabilius meo iudicio hic auctor, quàm Paludanus de hac re loquitur. Quibusdam, veluti etiam Durando 4. *dist.* 21. *quæstion.* 2. *ad* 1. non videtur probabile, huiusmodi hominem cum cæteris damnatorum punitum iri, qui infelices, & miseri sunt obstinatę voluntatis & animi, Deum perpetuo odio habent, in ipsum irascuntur, maledicta semper conijciunt, denique ipsius leges, & præcepta contemnunt: quæ res de eo homine cum solo originali, & veniali mortuo vix credi possunt. Quare, inquiunt, aut alibi perpetua pœna, & leuiori mulctabitur; aut certè (quod ego magis approbo) nũquam bonitas diuina patietur, quemquam cum solo veniali simul, & originali ex hac vita decedere, cum in altero seculo cõstituta sint diuinitus loca, in quæ benè, vel malè merentes recipiantur: inter quæ locus ille, quem dixi, minimè reponitur, & numeratur.

Septimò quæritur, An ad remissionem culpæ venialis sit diuinæ gratiæ infusio necessaria. Sunt qui censeant esse necessariam: At communis est Theologorũ opinio eam non requiri, quia veniale peccatum sine lethali iustis hominibus condo-

natur;

natur; & infusio gratiæ solùm est ad lethalis culpæ remissionem necessaria. Sanctus verò Bonauentura, Sanctus Thomas, Alexander, & Albertus solùm docuerunt gratiam gratum facientem esse necessariam, vt venialia remittantur, quod est dicere; Quando veniale est vna cum lethali crimine coniunctum, nunquam veniale sine lethali remitti: & hoc negandum non est, verum enim est, vt ante probauimus: at quando venialia sine mortiferis sunt, remitti, & deleri queunt sine gratiæ infusione, nisi quispiam velit in peccati venialis remissione, non esse primæ gratiæ infusionem, sed secundæ, quę est gratiæ incremẽtum: qua de re statim dicemus.

Octauò quæritur, An quandocunque extra sacramenta, prima gratia adoptionis infunditur, venialia peccata deleantur? S. Thom. *part. 3. quæst. 87. articul. 2.* ait quandocunque de nouo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur. Sic ille ea ratione: quia tunc temporis, primæ gratiæ infusio non est absque legitimo pœnitentiæ actu, quæ dicitur contritio, qua quis ob amorem Dei, dolet se peccasse, & statuit nunquam amplius peccare, ac vult Deo pro peccatis satisfacere, vt eius gratiam sibi conciliet malefactorum venia impetrata: sed hic actus omnem peccandi voluntatem excludit: ergo omne veniale peccatum expurgat. Alij negant, inde probantes, quòd potest quis primam adoptionis gratiam adipisci, vel per sacramenta, vel per proprium actum, & debitam animi ad sacramenta suscipienda præparationem, & siue hoc, siue illo modo assequatur, potest in peccati venialis studio, desiderio, & voluntate manere, ita vt vel eo delectetur, vel id committere desideret, & decernat. Et contritio expellit quidem omnem peccati grauioris voluntatem, non tamen leuis, seu venialis. Cæterùm S. Thomas non loquitur de eo, qui à lethalium criminum labe per primam iustificationem abstergitur cum peccati venialis studio, desiderio & cupiditate, sed de eo, qui cum in gratiam, & iustitiam restituitur, explicitè, vel implicitè omnem culpæ venialis voluntatem deponit, & abijcit, cui quidem homini omne veniale remitti, Sanct. Thomas arbitratur: quod est valde probabile.

Nono quæritur, An quandocunq; veniale peccatum per proprium actum remittitur, amplior gratia conferatur? Sectatores S. Thomæ negant cum ipso S. Thoma, inde comprobantes, quod actibus charitatis remissioribus gratia nequaquã augetur: at venialis culpa potest per remissiores charitatis actus deleri: ergo non est necesse, vt venialis peccati remissio sit semper cum incremento gratiæ: quam sententiam puto esse S. Thomæ, & veram. Cæterùm cum prædicti Auctores ea ratione, & sententia innitantur, qua putant minus intensis charitatis actibus gratiam nequaquam augeri: ideo hoc alijs minimè probatur: quoniam vt suo loco inferius docebo iuxta aliorum probabilem sententiam, quocunque charitatis actu etiã remissiore, gratia statim augetur, ac proinde quandocunque per proprium charitatis actum veniale dimittitur, gratiæ quoq; incrementum confertur. Atq; hoc proculdubio, ni fallor, est quòd superius nonnulli tradiderunt, remissionem nempe peccati venialis semper esse cum gratiæ infusione coniunctam, non quidem primæ, sed secundæ. At verò lib. 7. vbi de gratia diuina tractabo, S. Thomæ, & aliorum veterum sententiam probabo, gratiam & charitatem actibus tantùm feruentioribus, quos intensiores appellant, crescere, ac proindè existimo actib⁹ charitatis remissioribus aliquando culpas veniales remitti sine gratiæ incremento.

Decimò quæritur, An quando venialis culpa per proprium actum deletur, actus pœnitentiæ requiratur? Inter omnes conuenit, actum pœnitentiæ esse necessarium. Pœnitentiæ verò actum non omnes eodem modo accipiunt. Alij. n. quemcunque charitatis actum appellant pœnitẽtiam, non quidem expressam, sed implicitam, & tacitã. Alij vero pœnitentiam requirunt expressam: & ideo in præsentia quæritur, an veniale peccatum in homine iusto per quemcunq; charitatis actum elicitum, vel imperatum deleatur. Scot. *4. d. 21. q. 1.* quem alij sequuntur, præsertim Gab. 4. *dist. 16. q. 5. artic. 2. conclus. 4.* censet esse probabile, ad venialis expiationem culpæ, sufficere qualecunque opus charitatis; quia plus boni & meriti habet in se quilibet charitatis actus, quã mali insit in veniali peccato. Præterea, actio quæcumque charitatis cum Deo nos perfectè coniungit, ergo hoc ipso venialem culpam expellit; non existimo Scotum generatim, omnem charitatis accepisse, sed eum duntaxat, quem homo iustus refert, ac dirigit ad remissionem peccatorũ venialium obtinendam: hunc enim actum appellat pœnitentiam implicitam. Probabilius esse alij opinantur, non quocunq; charitatis opere veniale delictum auferri, quando id proprio actu dimittitur: quia bonum opus quatenus tale, voluntatem peccati venialis non tollit, ergo cum eo peccato minimè pugnat. Culpa verò venialis eo actu expiari, & condonari videtur, qui ei aduersatur: nisi respondere Scotus velit, non se loqui de veniali quod actu placet, sed de eo, cuius, post actum præteritum voluntatem exuimus: tunc enim ad veniale, à cuius voluntate desistimus, auferendum sufficit qualecũque charitatis officium. Scotus item respondere potest, nostris actibus veniale peccatum non tolli vi, & natura ipsorũ, vt inferius dicam, sed tanquam præparationibus Dei institutione requisitis, ad venialem culpam delendam: talem autem esse quemcunque charitatis actum, nec ad hanc remissionem requiri actum peccato veniali contrarium. Sed quicquid velit Scotus probabilior est sententia S. Tho. *p. 3. q. 87. art. 1.* ad venialis culpæ remissionem requiri, tanquam debitam animi præparationem, eum charitatis actum, qui, si culpa venialis occurreret, omnem eius voluntatem, & studiũ depelleret: non quòd in eiusmodi actu lateat aliqua cõditio ex futuro pẽdens, nam ob tales conditiones, nec laudamur, nec vituperamur, & proindè nec benè, nec malè meremur, sed quòd talis sit actus charitatis aliquando, vt in se eam vim & potestatem habeat implicitam, per quam detestamur veniale delictũ nostra spõte commissum, quando in mẽtem cogitationemque venit: tunc enim actus eiusmodi charitatis peccato veniali repugnat, & eius studium, desiderium, & voluntatem excludit.

Vndecimò quæritur, An per actum feruidum charitatis in Deum, peccata venialia deleantur? Durandus *in 4. dist. 16. quæst. 2. nu. 9.* negat, per actus charitatis in Deum feruentiores peccata venialia expiari, cui assentitur Sotus *in 4. dist. 15. q. 2. ar. 1.* Id vterq; probat, quia feruentissimus charitatis actus potest simul cum veniali peccato consistere: quia aliquando vsu venit, vt is, qui feruidè Deum amat, habeat veniale peccatum, in quo delectatur, vel quod admittere decernit: nam à viris etiam integerrimæ, & sanctissimæ vitæ peccata aliqua venialia committuntur. Sed videtur Sotus à suo Magistro in hac parte discedere. Profectò S. Thom. *in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. ad quæstiunculam 2. ad secundum, ad primum* sic ait: *Feruor charitatis consumit, vel aliqua, vel omnia peccata venialia, etiam sine memoria, & cogitatione illorum, quia eo ipso continet displicentiam aliquorum, vel omnium. Nam ei qui feruidè Deum amat, eo ipso displicet omne id, quod tum à Dei amore retardat, & q. 7. de malo, art. 11.* ait: *veniale, quantum ad culpam remittitur per feruorem charitatis, mortale verò per gratiæ infusionem.* Et paulò inferiùs *sufficit*, inquit, *ad remissionem venialium quantùm ad culpam, & fortassis etiam quantum ad pœnam, si sit intensa dilectio in Deum.* Sic etiam Richardus *in 4. dist. 16. artic. 5. q. 1. ad 2.* Ledesmius *in 4. part. 1. q. 28. art. 1. dub. 2.* Tabienfis *verbo aqua q. 2.* Has duas opiniones quidâ conciliare contendunt: ita vt prima tantummodo neget dimitti venialia peccata, per actũ feruentiorem charitatis, qui virtute non continet tantùm odium venialiũ culparum, vt si ea memoriæ occurrissent, detestaretur, & execraretur ea: & secunda affirmet per actũ charitatis feruidum, venialia peccata deleri, quando ita est feruidus, vt virtute cõtineat dolorem de omnibus venialibus delictis: Et ita tota quæstio eo reuocabitur, an per actum charitatis eo ipso, quòd est feruens, omnia venialia peccata condonentur. Durandus, & Sotus negant, nec S. Thom. locis supra citatis videtur oppositum tradidisse, dicens per huiusmodi actum, vel aliqua, vel omnia deleri: ergo non semper omnia expiãtur, sed ea dũtaxat, quorum odium feruidus charitatis actus contineat virtute. Sed hoc idem est, quod Durandus, & Sotus affirmant. Alij & fortassis verius sentiunt omnino Durandum, & Sotum, cum S. Thoma in hac parte pugnare: eò quòd S. Thomas docere voluerit per actum charitatis feruentem venialia peccata dimitti, dummodo ea voluntari nostræ nõ placeant, ita vt eiusmodi actus charitatis, sit lege Dei, certa, idonea, & debita præparatio mentis ad venialium peccatorũ remissionem impetrandam, & sit meritum, quo eam remissionem promeremur. Hinc facilè argumenta soluuntur. Nam si objcias, fieri potest, vt sit feruentissimus charitatis actus, & nihilominus, vt is, qui ita diligit, aliqua veniali noxa oblectetur, vel eam committere statuat, ergo actus charitatis feruentior cũ delicto veniali non pugnat: Respondeo, si dixeris, per actum charitatis feruidum venialia peccata expiari, quatenus eorum detestationem virtute continet, vt Durandus, & Sotus aiebant: tunc dicas per actum charitatis feruidum, solum ea delicta venialia deleri, desquibus vir iustus dolet explicitè, vel implicitè, virtute vel actu. Si verò aliorum sententiam sequaris, videlicet, per actum feruidum charitatis omnia venialia peccata diuinitus condonari, non quia feruidus charitatis actus cum veniali peccato pugnet: sed quia Deus feruidũ charitatis actum certa lege acceptum, & gratum habeat ad noxarum venialium remissionem cõcedendam: tunc dicas ea tantùm venialia delicta cõdonari, quorum obicem vehemẽs charitatis actus in iusto homine non inuenit: obicem autem inuenit, cum iustus feruidè Deũ amans in aliquo veniali peccato cũ voluptate versatur, vel id facere constituit. Si secundò opponas, feruidus charitatis actus non est delicto veniali contrarius: ergo nõ cõtinet virtute pœnitentiam, qua de peccato veniali doleamus. Respõdeo, per huiusmodi actum tolli veniale peccatum, nõ quidem tanquam per causam efficientem, sed tanquam per debitam, & idoneam præparationem hominis, & tanquam per meritum: ergo satis est, si talis actus sit legitima præparatio cordis ad veniam leuiorũ culparum impetrandam: satis est quoque, si quis per eum actum promereatur hanc veniam: at reuera talis est huiusmodi actus, nam qui feruidè Deum diligit, meretur, vt sibi peccatum veniale diuinitus cõdonetur, quod remoratur duntaxat hominem à feruore charitatis in Deũ, & eo ipso, quòd aliquis actus, est iusta, & debita præparatio mentis ad remissionem leuioris culpæ obtinendam, implicitè, vel virtute continet pœnitentiam, si eo actu vtamur, vt idonea, & debita præparatione, & vt remedio ad veniam peccati assequẽdam adhibito: nobis etenim sic præparatis Deus statim certa lege factus propitius, culpam venialẽ remittit. Rogabis, quemnam actum charitatis in hac parte, appellemus feruidum. Respondet Ledesmius *p. 1. 4. q. 28. ar. 1. dub. 2.* talem actum esse, quo quis interius vult ex animo placere Deo in omnibus, aut quo vult omnia Dei mandata seruare, aut quo vult non offendere Deum vlla in re, aut actum, quo ipsi displicet omne peccatũ, aut quo statuit se deinceps singula peccata deuitare, aut se in omnibus emendare. Mihi hoc quidem eius dictum probatur. Nam in singulis hisce actibus explicitè, vel implicitè continetur noxarum venialium detestatio; sed præter hos actus, videtur sufficere, si sit actus charitatis intensus, vt dixit S. Thomas *De Malo. quæst. 7. articul. 11.* Non est ignorandum, actum charitatis dupliciter feruidum dici, & esse posse, videlicet extensione, aut intensione. Extensione est feruidus, qui sese fundit, & extendit ad plura, vt cum volo Deo in omnibus placere, eius omnia mandata seruare, meam omnem vitam corrigere. Intensione est feruidus, vt cum volo, & gaudeo vehementer tantam, & talem in Deo bonitatem esse, quantam, & qualem ipsum habere, mentis cogitatione, & fidei actu considero. Et feruor charitatis dicitur per metaphoram instar caloris: sicut enim caloris feruor talis ac tantus est, vt eo aqua igne subiecto ebulliat, ac proinde multa excoquat, & absumat; sic charitas suis actibus igne Spiritus sancti suppositus, diuinitus accenditur, & tunc quasi ebulliendo erumpit, & venialia peccata eluit, & extinguit: aliquando per peccatorum odium, quod gignit; aliquando per dolorem, quo de peccatis tristatur; aliquando per desiderium, quo vitæ emendationẽ sibi, vt finẽ proponit; aliquando per mentis

propo-

propositum, quo iustus habet in animo omnia diuina legis mandata seruare: aliquādo per actum egregium, quo vir iustus de Dei bonitate cogitās, gaudet, quod Deus sit, & habeat in se, quicquid est, & possidet, hoc est, quòd sit omnipotens, sapiens, immensus, iustus, bonus, quòd ametur, & religiosè colatur ab omnibus: quòd sint ipsi vniuersa subiecta, in quæ supremum dominatum, & imperium habeat.

Duodecimò quæritur, An veniale peccatum possit sine pœnitentia deleri. Respondet S. Thomas *tertia part. q. 87. art. 1.* sæpe deleri sine pœnitentia, quæ est sacramentum: at non sine pœnitētia, quæ est virtus. Sciendum est, inter omnes conuenire, non dimitti veniale peccatum, per aliquid, dum voluntati ipsum peccatum placet, ac libet. Item constat etiam inter omnes, non remitti sine actu pœnitentiæ explicito, vel implicito, hoc est, sine actu, quo peccatū veniale, quod nostra sponte contraximus, nobis aliqua ratione displiceat. Sed dubię quęstionis est, an sit necessarius expressus actus pœnitentiæ, quo de veniali noxa, quam admisimus, doleamus; an sufficiat actus tantùm implicitæ pœnitentiæ. Durandus, *in 4. d. 16. q. 2. n. 9. & d. 21. q. 1. ad finem*, videtur requirere explicitum actum pœnitentiæ, sed communis est Theologorum opinio, implicitum sufficere. ita docent Bonauent. 4. d. 21. ar. 1. q. 2. Richard. 4. d. 16. ar. 5. q. 1. Scot. 4. d. 21. q. 1. Palud. 4. d. 16. q. 1. a. 1. & 2. Gabr. 4. d. 16. q. 5. a. 1. nota. 2. & 3. Cai. p. 3. q. 87. a. 1. Sot. 4. d. 15. a. 1. Atque id quidem ratione concluditur: nam ad peccatum veniale tollendum, solùm necessarius est actus, quo voluntatem in peccato veniali, actu, vel habitu inhærētem mutemus: ergo sufficit qualiscunque actus, per quem ab ea voluntate recedamus spe, & causa veniæ impetrandæ. At, inquies, per venialem noxam rectæ rationis ordinem voluntas deformauit: ergo necesse est, vt per alium actum, illum ordinem voluntas reformet, & corrigat. Item, per veniale peccatum rectum ordinem sponte nostra transiliuimus: sed qui certos terminos, & fines transilit, necesse est ad eos reuertatur. Item, quùm veniale peccatum admittimus, in eo voluntatem nostram constituimus, ergo oportet, vt eam inde remoueamus: sed id non facimus, quousque per actum voluntatis contrarium ab ea voluntate recedamus. Respondeo, his argumentis solùm cōcludi, esse necessarium non solùm ab actu culpæ venialis cessare, sed etiam aliquem actum facere, quo voluntatem priorem deponamus: at voluntatem priorem in peccato veniali manentem abijcimus, cùm opus aliquod præstamus, per quod Deo nos ipsi subijcimus, causa veniæ consequendæ. nam eo ipso, quo aliquid facimus, id tanquam remedium adhibētes ad veniam impetrandam à Deo, volumus, vt veniale peccatum in nobis amplius non sit: ergo eo ipso voluntatem, qua illud vltro contraximus, per alium actum mutamus.

Tertiodecimò quæritur, An sufficiat ad peccatum veniale delendum, actus pœnitentiæ, qui dicitur Attritio; hoc est, dolor de peccato conceptus metu gehennæ, vel spe gloriæ cæleſtis, vel odio turpitudinis, quæ est in peccato cum spe veniæ consequendæ. Quidam negant hunc sufficere dolorem, eo quòd talis dolor cum veniali peccato simul consistere queat: sed hæc ratio parum firmamenti, & virium habet, nō enim quærimus an deleatur per attritionem venialis culpa, dum ea nobis placet: nam hæc nec per ipsa sacramenta aboletur, quoniam placet, etiā dum sacramenta suscipimus, ac proinde remissioni culpæ venialis obicem ponimus: sed id solùm quæritur: an per attritionem prædictam in homine iusto remittatur veniale delictū, quod fuerat ante commissum, & iam amplius voluntati non placet. Sotus respondet, deleri per huiusmodi dolorē, cum is à charitate imperatur. Mihi hoc probatur, sed nondum Sotus quæstionem plenè dissoluit, quoniam non accipit attritionem per se, sed vt à charitatis actu profectam. Et tunc dicere quis posset, venialem noxam expiari, & auferri per actū charitatis ad attritionem hominem mouentem, non autem præcisè per ipsam attritionem. Et hoc est, quod quærimus. Quare dicēdum est cum Bonau. Scoto, & Gabriele, locis supra citatis, sufficere in viro iusto ipsam attritionem, ad illud omne peccatum veniale tollēdum, à quo voluntas ipsa per huiusmodi dolorem recedit: quia est actus pœnitentiæ, quamuis imperfectæ, quo voluntatem, in peccato veniali quasi habitu manentem deponimus. Item, licet attritio non sit dolor de peccato veniali, Dei amore susceptus, est tamen metu gehennæ, vel spe præmij sempiterni, vel odio turpitudinis, vel amore virtutis conceptus: qui cum sit actus hominis iusti, & Dei gratia prædiți, promeretur apud Deum venialis culpæ remissionē, & est ad eam idonea, & debita præparatio.

Ledes. 4. d. 28. a. 1. du. 20.

Sot. 4. d. 15. q. 2. ar. 1.

Quartòdecimò quæritur, An ad venialis delicti remissionē sufficiat dolor de peccato veniali metu ignominiæ, vel alicuius incommodi temporalis, vel spe honoris, famæ vel alterius cuiusuis humani præmij susceptus. Respondeo, minimè: nam S. Thom. *in 3. part. q. 87. art. 1.* sic ait. *Vnde sequitur, quòd requiratur aliqua virtualis displicentia, puta, cum aliquis hoc modo fertur secundùm affectum in Deum, & res diuinas, vt quicquid sibi occurreret, quod eum à motu in Deum retardaret, displiceret ei.* Hæc ille. Item, dolor de peccato metu dedecoris, vel spe honoris, vel studio, & amore humanæ gloriæ, per se est actus indifferens: nam dedecus, ignominia, & infamia, & alia huiusmodi incommoda temporalia, nō sunt mala, & turpia per se. Honor itidem, fama, & gloria, & similia humana commoda non sunt bona, & honesta per se: nec referuntur in Deum, nisi impulsu, & imperio charitatis; ac proindè non sufficit dolor de peccato metu horum malorū, aut spe, & amore huiusmodi bonorum. At dices: per hunc dolorem voluntatem in peccato, acquiescentem mutamus: at supra diximus sufficere qualemcunque pœnitentiæ actum, quo veniale peccatum nobis incipiat displicere, ergo sufficit huiusmodi dolor. Respondeo, debere esse actum, quo peccatum nobis displiceat spe, & causa veniæ consequendæ à Deo. Sed quando metu huiusmodi malorum, vel spe, & studio talium bonorum de peccato veniali dolemus, non tristamur spe, & gratia veniæ impetrandæ. Nec dolor hic per se Deum vt finem habet; at dolor de peccato conceptus metu gehennæ, vel spe cæleſtium bonorum, vel amore virtutis, vel odio turpitudinis per se, nisi mala alia circum

stantia polluatur, in Deum vt vltimum finem refertur: Et ideo hic dolor spe, & studio veniæ obtinendæ susceptus sufficit.

Decimoquintò quæritur, An sufficiat quicunque dolor idoneus & legitimus, sed remissus & paruus? Respondeo, ad veniale peccatum auferendum, in quo spontaneo actu voluntatis adhæresimus, non sufficit quicunq; actus, etiamsi fuerit vera contritio intensa, & vehemens; quoniam culpa venialis non tollitur, dum volùtati placet. nam fieri non potest, vt peccatum deleatur, & nihilominus in voluntate permaneat: & quamdiu peccatum placet, in voluntate permanet: & in hoc omnes conueniunt, vt constat ex S. Tho. *p.3.q.87.a.1.* Palud. *4.d.16.q.1.a.1.* Gabr. *4.d.16.q.5.ar.2.concluſ.1.* Sot. *4.d.15.q.2.art.1.* Quare ad delendum aliquod veniale peccatum, quod in mente, & cogitationem venit, sufficit contritio, etiam remissa, & parua, qua nobis illud displiceat ob spem veniæ obtinendæ. Item, si nos generatim pœniteat omnium delictorũ venialium, quamuis nullum speciatim nobis cogitantibus occurrat, sufficit contritio, tametsi fuerit remissior, ad omniũ peccatorum venialium de quibus vniuersè dolemus, culpam abolendam.

Petrus Sotus de inst. sacer. lect. 18. de pœnit.

Decimosextò quæritur, An iustus per contritionem mereatur peccati venialis remissionem: quod perinde est, ac si quæreretur, an culpa venialis, ratione cõtritionis in homine iusto remittatur ex merito, & ex debito. Quidam videntur negare iustos mereri ex dignitate operis, vel satisfactionis remissionem peccati venialis: atque id probant ex concilio Mileuitano, Arausicano, vsu Ecclesiæ, auctoritate Augustini, & S. Thomæ, vt ipsi citant. Sed constans est opinio Theologorum, in hoc veniale peccatum à lethali differre, quòd lethale nõ remittitur per contritionem ex debito, aut ex vllo hominis merito; quia contritio solùm est vltima hominis præparatio, quam Deus requirit in nobis ad peccatum per gratiam auferendum: sed contritio nõ tantùm hominem præparat ad remissionem culpæ venialis, sed etiam iustus per eam meretur remissionẽ eiusdem. Et id videntur apertè docuisse S. Thom. *p.3.q.87.a.3.ad 3.* Scot. *4.d.21.q.1.* Palud. *4.d.16.q.1.ar.2.concluſ.2.* Durand. *4.d.21.q.1.& d.16.q.2.* Gabr. *4.d.16.q.5.ar.2.concluſ.4.* Atque idem ratio ipsa cogit fateri: quoniam iustus per actus pœnitentiæ, & charitatis satisfacit Deo pro tota pœna temporali, quæ peccato veniali debetur, & non solùm pro tota pœna, sed etiam pro culpa: nam per eam satisfactionem, pœnam delet simul, & culpam, ergo ex iustitia, & dignitate operis per contritionem iustus culpæ venialis remissionem promeretur. Item, per contritionem iustus gratiæ incrementũ meretur: ergo & veniam leuiorum peccatorum. Accedit, quòd per actus pœnitentiæ, & charitatis vi tam promeretur æternam: ergo meretur quoque vt tollantur ea omnia, quibus à consequenda gloria cælesti impeditur. Qui enim finem vltimum meretur, ea etiam mereri potest quibus ad illum peruenitur, nisi fuerit prima gratia, aut principium meriti, aut perseuerantiæ donum. Sed culpæ veniales impediunt quominus vitam sempiternam consequamur: ergo qui meretur vitam æternam, meretur quoq; peccatorum venialium remissionem. Postremò, contritio quatenus gratia, & charitate formatur, magis nos ex iustitia, & dignitate operis, posita Dei lege, & promissione cum Deo ipso coniungit, & diuinæ amicitiæ restituit, quam nos à Deo culpa venialis auertat, quæ simul cũ charitate consistit: ergo magis Deo contritio placet, quàm ipsi peccatum veniale displiceat, siquidem per contritionem vitam æternam certa Dei lege meremur, & tamen culpæ veniali solùm per se tantum temporalis pœna debetur.

Ad ea verò, quæ obijci possent; Respondeo, S. Thom. *3.p.q.87.art.4.* solùm docere, remissionem culpę venialis fieri nõ posse in homine à Dei gratia, & charitate alieno, non negare in iustis fieri per contritionem ex iustitia, & dignitate operis lege Dei constituta. Item solùm docet remissionem peccati venialis nõ fieri, per solam naturam sine gratuito Dei beneficio. Sed hoc nõ impedit, quin iustus viator per contritionem, culpæ venialis remissionem mereatur: nam tota remissio est gratuita in origine, & causa, quæ est in homine iusto: is enim non promeretur veniam leuiorum culparum per contritionem, nisi vt gratia, & charitate formatam. Quare sicut Paulus ad Romanos ait, gratiam esse vitam æternam, quia nobis confertur ex merito quidem, & debito, & benefactis nostris, sed quæ non per naturam, sed per gratiam habemus: sic etiam gratia Dei est remissio peccati venialis in sua causa, & origine, videlicet in gratia Dei, non in ipsa sola hominis natura. Eodem modo intelligitur illud ex conc. Mileuit. Arausica. ex Augustino, & vsu Ecclesiæ, quo Deum oramus, Dimitte nobis debita nostra, quod locum habet in peccatis venialibus, hoc solùm probat extra gratiam, remissionem peccati venialis non esse. Item, sine gratuito Dei munere nos præstare non posse per naturam, & commune auxilium, quod naturæ datur, actum, quo peccata venialia deleãtur, & ideo quotidie iusti precantur, vt detur eis auxilium, quo faciant opera, quibus ex iustitia, & dignitate, culpæ venialis remissionem, sicut etiam vitam æternam, & incrementum gratiæ mereantur.

Decimoseptimò quæritur, An iustus per contritionem, non solùm veluti per legitimam, & idoneam mentis præparationem impetret, & mereatur ex iustitia, & dignitate operis, peccatorum venialium remissionem, sed etiam vi, naturæ, & efficacitate ipsius operis, eam remissionem efficiat. Hanc quæstionem expressim tractauit Palu. *4.diſt.16.q.1.art.2.concluſ.2.* Animaduertendum est, idem non esse, mereri aliquid, quod illud efficere: nam vnus meretur præmiũ, & alter præmium confert tanquam ipsius Auctor; sic etiam nos meremur vitam æternam, & gratiæ incrementum, & tamen Deus solus efficit gratiam in nobis, & vitam æternam largitur. Item, non est idem, materiam præparare ad aliquam formam excipiendam, quod formam in materiam inducere: nam vi naturalium causarum, præparatur corpus ad animam rationis participem recipiendam, & tamen solus Deus eam creando, in corpus infundit, & inducit: sic etiam homo suis actibus supernaturali Dei auxilio factis præparatur, ad excipiendos habitus infusos, & supernaturales, Deus

tamen

tamen solus efficit,& infundit. Quæritur ergo, an iustus per contritionem solùm præparetur ad remissionem peccati venialis obtinendam, & eam ex iustitia, & dignitatem operis mereatur. an verò eam etiã efficiat: an potiùs Deus solus sit, qui peccati venialis remissionem faciat. Ait Paludanus loco citato, esse hac de re duas opiniones; vnam, quæ affirmat, iustum per contritionem non solùm mereri, sed etiam efficere peccati venialis remissionem, eo quòd contritio sit actus vi, & natura sua peccato veniali contrarius. Altera opinio docet, nullum per contritionem præparare se, & mereri leuiorum culparum veniam, non eam efficere. Huic sententiæ Paludanus magis accedit: & eam solam veram existimo. Nam Scripturæ passim affirmant, solius Dei esse remittere peccata, & Gloss. *ad Rom.* 4. testatur id generatim dici, & locum habere in omnibus peccatis: ergo etiam in venialibus. Item, peccatum non remittitur, nisi Deo facto nobis propitio, & placato: sed ipse Deus sese nobis propitium, & placatum reddit, quia desinit nobis malum velle. His accedit, quòd in scripturis Deus dicitur peccata remittere, nobis ea non imputare, ea tegere, eorum oblitisci. Adde, quod 1. *Ioan.* 2. dicitur de Christo. *Ipse est propitiatio, & hostia oblata patri pro omnibus peccatis nostris.* Et ex Paulo *ad Hebr.* 9. colligitur. Non sine sanguine ipsius effuso, placuisse Deo quemquam sibi reconciliare. Postremò, quia alioqui sequeretur, veniale peccatum deleri per contritionem etiam in homine ante Dei gratiã infusam: si quidem tollitur, vt docet opposita sententia, vi, & natura ipsius contritionis, quatenus est quidam actus peccato veniali contrarius. Quare longè verius est, per huiusmodi actum remitti; tãquam per legitimam præparationem mentis, quam sua lege Deus requirit à nobis, vt leuiorum culparum veniã consequamur: & tanquam per actum, quo peccati venialis remissionem promeremur, quia est actus gratia formatus, & Deo acceptus, & gratus ad vitam æternam, & ad noxam venialem delendam.

Cap. XI.

Quomodo, & quando venialia peccata, ex opere operato deleantur.

HActenus explicui breuiter, & dilucidè, vt potui, quemadmodum proprijs nostris actibus venialia expientur, quod Theologi appellare solent, ex opere operãtis: Reliquum est iam, vt exponam quando nam ex opere operato, vt ijdem loquuntur, auferantur. Tunc ex opere operato (vt hoc obiter attingam) peccatum deletur, cùm vi alicuius signi, vel remedij ad id instituti remittitur.

Primò quæritur, An ex opere operato per omnia sacramenta tollantur venialia delicta? Respondent nõnulli, tolli quidem per Baptismum, per Pœnitentiam, & Eucharistiam; per reliqua sacramenta non item: quod ea ratione probare contendunt: Baptismus enim est regenerationis sacramentum, quod omnem culpam delet ac pœnã: Pœnitentia vero, est lapsi hominis reparatio: Eucharistia, est iustorum hominum alimentum. Verùm S. Thom. 3. *part. q.* 87. *art.* 3. apertè tradit in vniuersum per sacramẽta venialis culpas auferri, quod longè verius est: hoc enim de extrema Vnctione negari non potest, quod fatetur S. Tho. *p.* 3. *q.* 87. *art.* 3. cum sit sacramentum ad delendas peccatorum reliquias institutum, vt patet ex Iacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, &c. Et si in peccatis fuerit, remittentur ei:* Idem docet expressim. S. Thom. de Eucharistia. 3. *p.q.* 87. *art.* 3. Idem & de cæteris sacramentis dicendum puto, quoniã licet ea ad peculiares fines, & effectus sint à Christo Domino instituta, hoc tamen commune habent, vt sint certa quædam, & salutaria peccatorum remedia, & spiritales medicinæ: & per eorum singula sæpe etiam prima gratia confertur, qua lethalia peccata penitus extinguuntur. Obijcies, interdum euenire, vt qui suscipit sacramentum, peccati venialis studio, & voluntate teneatur. Respondeo, hoc argumẽtum æquè in omnibus sacramẽtis locum habere: nullum quippe sacramentũ, etiam Baptismus id peccatum veniale delet, in cuius desiderio, & voluntate homo perstitit. Immò nec ipsa quoque prima adoptionis gratia eiusmodi peccatum expellit: nam ea peccati voluntas impedit, ne sacramentum, aut gratia culpam aboleat: Quare sacramenta, ea duntaxat venialia videntur delere & eijcere, quorum desiderium & voluntas est omninò deposita. Item, cum per sacramenta peccata dilui dicimus, intelligimus, dummodo is, qui ad sacramenta accedit, idoneè & legitimè præparatus accedat, alioqui onim impedit, vt sacramentũ, quod potest, efficiat. V. G. si venialibus tantum delictis tenearis, & sine vllo penitus dolore confitearis, impedis, ne sacramẽtum faciat, quod potest: quoniam sacramentum pœnitentiæ constat materia, quæ in tribus pœnitentis operibus consistit, confessione, contritione, & satisfactione. Pari ratione si vnum tantùm peccatum veniale, quod habes, confitearis sine vllo prorsus dolore, veniam, & gratiam non consequeris, quia confessio peccatorum requirit dolorem. Deindè, obijcies; sacramentum cum peccato veniali nequaquam pugnat, vti nec prima adoptionis gratia: ergo neque illud tollit. Respondeo, cum peccata venialia nostris proprijs actibus eluuntur, tunc tales debent esse actus, quibus homo peccati venialis studium, & desiderium abijciat, quibusque voluntas, & animus mutetur: non eo quidem, quòd vi sua, & potestate peccata expient, & deleant: sed quòd talem in nobis Deus præparationem postulet ad peccati veniam consequendam. At verò quòd venialis culpæ per sacramenta deleantur, indè profectò est, quòd Deus sacramenta constituit tanquam signa, remedia, atque instrumenta, quibus vtitur ad peccata tollenda. Quare mirum nõ est, si ea cum peccato veniali non pugnent tanquam causæ physicæ, & naturales inter se inuicem contrariæ, sed tanquam signa quædam, & instrumentariæ causæ, à Christo Domino institutæ ad culparum venialium remissionem.

Secundò quæritur, An sacramenta per se ipsa deleant venialis culpas, siue peccata, an verò per motum, & actum pœnitentiç, quem in suscipientibus excitant, & gignunt. Fuêre, qui senserint generatim peccata, siue lethalia, siue etiam venialia non tolli per sacramenta proximè, sed per

actum

actum pœnitentiæ,quem in nobis ingenerant sacramenta ritè susceptà.Et quemadmodum lethalia,inquiunt, per sacramentum pœnitentiæ non tolluntur per se ac proximè, sed quia sacramentum tanquam certum Dei signum, & instrumentum generat motum, & actum veræ & perfectæ pœnitentiæ, quo deindè actu mortifera peccata delentur; sic etiam per sacramenta eluuntur veniales culpæ,non quidem per se, & proximè; sed tanquam per certa quædam Dei signa, & causas instrumẽtarias,quibus actus pœnitentiæ,& charitatis in susciptientibus excitatur, qui actus postea veniales culpas conuellit. Hæc sententia nata est ex ea,de qua paulò ante dixi, lethale peccatum vi contritionis auferri, & veniale delictum deleri nostris pœnitentiæ actibus vi,& natura ipsorum, non tanquam præparationibus ad id diuinitus institutis. Enimuerò hæc opinio nullum videtur firmum ac solidũ habere fundamentum. Mirum enim est,eorum,qui sacramenta sumunt, adhuc neminem experiri ac persentiscere in se eiusmodi pœnitentiæ actum , & motum. Veriùs ergo ac melius alij respondent, sacramenta per se,& proximè tanquàm signa, remedia & instrumenta diuinæ bonitatis venialia peccata delere, cum eam ad rem sint diuinitus instituta.

Tertiò quæritur, quænã sit iusta ac debita præparatio in nobis requisita ad venialium remissionem vi ac ministerio sacramentorum cõsequendam? Dubitatio inde oritur,quia vel attritio omnem peccati voluntatem excludens requiritur, vel contritio,& tunc potius per talem actum veniam consequimur,quàm vi sacramenti: vel nullus actus est necessarius nisi ipsa sacramenti susceptio, & ita sacramenti susceptivirtute omnia venialia tolluntur; adeo,vt nunquam quis sacramenta percipiat,quin ab omnibus venialibus mũ detur.Opinio est quorundam;debitam satis,& idoneam esse præparationem, quandocunq; quis deposito,& abiecto peccati venialis desiderio,ad sacramentum accesserit. Mihi tamen magis probatur eorum sententia, qui requiri volunt eum actum in homine, quo sacramentum susciperevelit,vt remediũ diuinitus constitutũ ad venialium culparum suarũ remissionem; volo dicere, vt ad sacramentum accedat,studio,desiderio,& voluntate vtendi sacramento tãquam remedio ad peccata venialia tollenda: & loquor in præsentia de eo, qui alioqui debitam attritionem, vel contritionem habens,qua dolet de lethalibus peccatis, ad confessionem accedit animo, & voluntate,vt per eam cõfessionem venialia quoq; peccata ipsi remittantur: vel de eo, qui accedit legitimè dolens de vno peccato veniali, vt cætera omnia per confessionem auferantur:nam alioqui sacra peccatorum confessio necessaria parte careret, nimirum debita cõtritione: ergo hoc legitimo dolore posito,per confessionẽ, possunt cætera venialia peccata deleri, si sacra confessione vtamur,vt remedio ad peccatorum remissionem cõsequendam. Ac proindè qui alioqui legitimè contritus, vel attritus confitetur, veniam leuiorum culparum obtinebit,si confiteatur vtens cõfessione, vt remedio ad peccata auferenda, tunc enim est in eo pœnitentia implicita,quamuis non explicita: nec est in eo vllus obex sacramenti.

Quartò quæritur, An per ea, quæ sacramentalia Theologi vocant, veniales culpæ deleantur ex ipsorum opere, an ex opere hominis iusti ipsis vtentis: Exempli gratia, An per aquam lustralem & sacrã,quam benedictam dicimus, peccatum veniale tollatur ipsa actione, per quam aqua illa aspergimur, an verò per actum nostræ pœnitentiæ,quem cõcipimus ob detestationem,& odium peccati,& per quem aqua perfundimur.Duę sunt opiniones, altera negat peccata auferri opere eiusmodi sacramentalium : sic opinantur Palud. *4.d.16.q.1.a.2.concl.4.* & *d.1.q.2.art.2.concl.2.*Sylvest. *verbo aqua benedicta.q.1.*Ange.*q.2.*Tabien.*n.4.*Gabr. *4.d.16.q.5.art.3.dub.3.*Abulen.*4.Reg.ca.2.q.39.*Petrus Sot.*tract.de pœnit.sacrament. lect.19.* Mari. *4.d.23.q.92.* & eam sententiam tribuunt Theologis antiquioribus.Alexand.*p.4.q.15.m.3.a.4. §.2.* S.Thom.*p.3.q. 87.a.3.*Bonau.*4.d.21.p.1.a.1.q.2.*Richard. *4.d.16.ar.5. q.1.ad 2.*Vnico argumento hi Auctores mouentur, quia veniale delictũ saltem lege cõmuni,& consueta, non tollitur absque actu pœnitentiæ, quo nos peccasse dolemus: oportet enim,vt voluntatem, qua peccato sponte adhæsimus, mutemus; sed hæc sacra opera, & officia pietatis per seipsa sine actu pœnitentiæ voluntatem nostram à peccato non abstrahunt, siquidem non sunt peccato veniali contraria. Nam sæpe quis sacra aspergitur aqua nihil de peccatis venialibus cogitans, immò eis interdum se oblectans: ergo huiusmodi opera per se ipsa culpas non delent. Deindè,si eiusmodi aqua per seipsam peccata venialia aboleret,sequeretur, vt quis ea respersus nihil penitus animaduertens, immò etiam dormiens, aut mortuus à culpis venialibus purgaretur. Altera opinio affirmat,quam sequuntur.Sot.*14.d.5.q.2.a. 3.*Can.*relect.de sacramentis. part.1.ad 6.* & *lib.12.de locis Theolog.c.13.ad 9.*Walden.*tom.3.de sacramentalib.tit.4. cap.68.*Ledesm.*4.1.p.q.28.art.3.dub.3.*quæ & mihi magis probatur. nam inter opiniones ea est præferenda, quæ magis pietati fauet, dummodo nihil cum recta ratione pugnare videatur: sed hæc talis est, ergo est tenenda. Annotare tamen oportet, aquæ sacræ posse duplicem vsum esse: aut enim eam adhibemus ad communes vsus, videlicet,ad purgandas corporis sordes,aut ea vtimur, vt sacra, & instituta ab Ecclesia ad veniam leuiorum culparum assequendam, & hic vsus est religiosus,& sanctus,non profanus: & nihilominus est vsus ipsius aquæ. Cum igitur secunda opinio docet per eas res, quæ sacramentales dicuntur, peccata venialia extingui, opus ipsarum rerum accipit, quatenus est vsus quidã sacer, per quem his rebus vtimur, vt remedijs ad remissionem peccatorum venialium obtinendam. Hoc posito, secunda opinio probatur decreto Alexandri 1.quod habetur *de conse.distinct.111.cap.Aquam.* vbi legimus, *aquam sale conspersam in populis benedicimus, vt ea cunctis aspersi sanctificentur, & purificentur.*Et postea: *Si enim cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat, atque mundabat,multo magis aqua sale conspersa populum sanctificat, & mundat: & si sale aspersa per Elisæum propheram, sterilitas aquæ sanata est, quanto magis diuinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum: & inquinatos sanctificat, & purgat.* Sic ibi. Et Ecclesia ipsa, quãdo precationib⁹ adhibitis cõsecrat aquã sale mixtã,ait: *vt sit sumentib. salus mẽtis,& corporis.*Solet

quidam

quidam respondere, in hoc decreto peccata sumi pro pœnis, quæ venialibus noxis debentur. Sed hi facilè refutantur, quoniam ipsis verbis Alexandri, & Ecclesiæ conuincentur; cum non solùm dicat, peccata per aquam auferri, sed eos, qui aspergũtur aqua, sanctificari, mundari, purgari: quæ verba non de pœnis, sed de culpis intelligenda sunt. Alij respondent, per hæc, quę sacramentalia dicuntur, venialis noxas aboleri, quatenus mentem excitant in nobis ad pœnitentiæ actum, & odium peccatorum, quo illa expiantur; & ideo nõ ex ipsorum sacramentalium opere, sed nostro actu peccata delentur. Cæterùm his primùm opponimus, quod in decreto pontificio dicitur: *si cinis vitulæ aspersus sanctificabat, multò magis aqua sanctificat nos ea aspersos.* Deinde, *si Propheta Eliseus sale in aqua immisso, sterilitatem aquarum sustulit, multo magis aqua sale commixta, diuinis precibus adhibitis, curat sterilitatem animarum*; at cinere vitulæ aspersi ab immundicijs legalibus purgabantur, & sale velut instrumento Eliseus aquas sanauit; ergo per aquam nos à peccatis mũdamur. Secundò, si aqua, & reliqua sacramenta, peccata solùm extinguunt, quia nos ad pœnitentiæ actum excitant: cur nouem, aut decem tantùm sacramentalia numerantur, cum sint innumera, quæ nos ad huiusmodi actum incitare, & mouere queant? Respondent Gabriel, & Abulensis, nouem, aut decem tantum referri, quia ea potissima sunt, quibus ad odium peccatorum venialium excitamur, & inuitamur: & quia cætera ad hæc parua reuocantur. At illi profectò falli videntur, tum quia alia non desunt efficaciora remedia, cuiusmodi sunt actus pœnitentiæ expressæ, opus feruidum charitatis, sacrificium Missæ: tum quia reliqua cum sint innumera, & maximè ab his diuersa, non videntur posse commodè ad hæc pauciora restringi, & contrahi. Alij respondent, per hæc, venialis culpas dimitti, quoniam qui his sacramentalibus vtuntur, certa Dei lege mouentur ad peccatorum venialium odium, nisi ipsi impediant, quo minus excitentur, & moueantur: & proindè sacramentalia non proximè per seipsa, sed per pœnitentiæ actum, quem illa certò in nobis ingenerant, maculam abluunt peccatorum. Sed certè non minus difficile est creditu, hanc legem esse diuinitus constitutam, vt semper pœnitentiæ actum è nobis eliciant, quàm opere ipsorum sacramentalium peccata mundari. Accedit, quòd ea lex nusquam extat, nec vnquam experimur illum pœnitentiæ actum in nobis.

Ad argumenta primæ opinionis respondeo, non inficior, quin antiquiores Theologi, Alexander, Bonauentura, S. Thomas, Richardus, locis citatis apertè doceant, per sacramentalia venialis culpas deleri, & non sine actu pœnitentiæ: sed existimo eos solùm docere, in vsu sacramentalium oportere, vt adsit actus pœnitẽtiæ, alioqui peccata non remittuntur: sed actum pœnitentiæ implicitum, non explicitum intelligunt; hic autem adest, quoties sacramentalibus vtimur tanquam remedijs ad peccata venialia abolenda. Ad secundum respondeo quidem, venialem culpam tolli non posse, nisi hominis voluntas à peccato, cui hæserat, auellatur: sed nego, per sacramentalia, à peccato voluntatem nos non reuocare, nisi simul illud expressim detestemur. Nam cum sacramentalia adhibemus, vt remedia ad leuiorum culparum veniam assequendam, eo ipso, peccata venialia tacitè, & implicitè detestamur, & odio habemus, quoniam nolumus, ea amplius in nobis esse, & hoc sufficit.

Tertiò argumentabãtur supra citati doctores: Si culpas sacramentalia delerent per se ipsa, inde fieret, vt qui nihil de peccatis cogitans, aut etiam dormiens aspergeretur aqua, eo ipso, peccatorum veniam obtineret. Respondeo, nihil concludi, quoniam qui ad sacramentalia non accedit, tanquam ad remedia ab ecclesia instituta contra venialis culpas, is vtitur aqua ad vsum communem, & profanum, nõ sacrum: ac proinde suscipit sacramentalia, sine vllo pœnitentiæ actu explicito, & implicito.

Quartò obijciunt primæ opinionis Auctores. Si opus est, vt vtantur sacramentalibus, tanquam remedijs ad peccata delenda, ergo non conditione, & vi sua culpas extinguũt: sed per actum nostrum, quo ipsa nobis applicamus. Respondemus vsum, quo sacramentalia adhibemus, vt remedia ad peccata expianda, non distingui in hac parte ab opere ipsorum sacramentalium: Et hic vsus tanquam idonea præparatio requiritur, vt nos à peccatis mundemur: causa enim efficiens, & instrumentalis postulat in materia debitam præparationem, vt in eam formam inducat. Pari quoque ratione sacramenta, quibus inest vis gratiam conferendi, eam non efficiunt, nisi qui ipsa suscipiunt, legitimè præparati accedant. Nec itidem venialis culpas tollunt, nisi ea sumãtur, tanquam remedia ad venialia peccata delenda.

Quintò, obijciunt: Si per sacramentalia datur venia peccatorum, ergo sunt sacramenta, non sacramẽtalia. Negamus, quod infertur: quia sacramenta primam gratiam adoptionis conferunt; sacramentalia nõ item: sed tantùm remissionem leuiorum culparum. Insistes: in Decreto Alexandri suprà citato habetur: inquinatos per aquam sanctificari, & mundari, ergo gratia, quæ est sanctitas confertur. Respondeo, iustos homines culpa veniali tanquã labecula inquinari, licet à gratia non decidant; quoniam ipsa culpa, quamuis minima, quidam actus est à recta ratione & Dei lege dissentiens, ac proindè ij, quibus peccatum veniale condonatur, labe mundantur, & sanctificantur; quemadmodum enim ipsum veniale peccatum est labes, quamuis leuissima, sic remissio peccati est quædam sanctificatio, licet non prima illa, qua impius redditur iustus: Si vrgeas, in eodem decreto Alexandri contineri, aqua domus, & loca nostra esse aspergẽda. Ecclesia itidem eadem aqua mortuos aspergit: ergo non est ad peccata venialia tollenda. Respondeo; Aquæ lustralis esse multos effectus, vt ex eodem Alexandri decreto, & precationibus, quibus eam consecrat Ecclesia, patet. inter alios sunt duo: Vnus est, quo Dæmones arcet à nobis; alter, quo nos mundat à culpis. Loca igitur, & corpora mortuorum aqua perfundimus, vt Dæmones abigamus, & vt fugati loca nostra, & mortuorum corpora omni oppugnatione libera relinquant.

Sextò, obijcitur: solus Deus peccata remittit, at sacramentalia sunt ab Ecclesia instituta:

ergo

ergo vim non habent, vlla peccata delendi. Ecclesiæ enim potestas data non est, vt instituat remedia ad peccata tollenda, alioqui posset Papa legem statuere, vt quicunque hoc vel illud fecerit, leuiorum culparum veniam consequatur. In hoc argumento controuersia est, vnde habeat Ecclesia facultatem, qua remedia constituat ad remissionem venialium peccatorum assequendam. Ad quam respondeo, ex eisdem verbis habere, ex quibus habet auctoritatem à Christo, qua possit extra sacramenta concedere condonationes peccatorum, quas indulgentias vocamus; videlicet ex illis verbis Ioan. 20. *Accipite Spiritũ sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retineritis, retenta sunt.* Obijcies, hæc dixisse Christum vt suæ Ecclesiæ daret ius, & auctoritatẽ, qua posset per sacramentum pœnitentiæ à peccatis absoluere, non autem, qua posset extra sacramentum. Respõdeo, generatim esse dictum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & habere Ecclesiam potestatem remittendi lethalia quidem peccata per sacramentum pœnitentiæ; venialia verò, siue per idem sacramentum, siue absque eo: nam qui totum dicit nihil excludit. Accedit, quòd Ecclesia his verbis accepit à Christo potestatem pœnas culpis debitas remittendi extra sacramentum: ergo non est, cur negemus accepisse quoque facultatem condonandi veniales noxas extra sacramentum, siquidem non sunt materia necessariò subiecta sacramento pœnitentiæ. Vrgebis etiam, Christum simul dixisse, *quorum remiseritis peccata, remittũtur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt eis*; ergo locutus est tantùm de peccatis lethalibus, à quibus nemo liberatur, nisi per sacramentum pœnitentię re, aut saltem voto susceptum. Et propterea si lethalia crimina retineat Ecclesia, hoc est, si ab eis non soluat, vel re ipsa, vel saltem voluntate, Deus non remittit. At venialibus peccatis etiamsi Ecclesia absolutionem deneget, Deus interdum remissionem concedit. Et ideo potest quisque eorum veniam adipisci, etiamsi nolit illa sacramento pœnitentiæ per sacram cõfessionem subijcere. Respondeo, in præfatis verbis generalem quidem Christi Domini sententiam contineri, sed intelligendam de peccatis lethalibus, & venialibus iuxta eorum conditionem, & naturam: nam lethalia sunt materia necessaria confessionis, ita vt remitti nequeãt nisi illa, vel re ipsa, vel saltem voluntate, & voto pœnitens confiteatur; venialia verò sunt vera quidem materia confessionis, sed voluntaria tantùm, non tamen necessaria: ita vt si illa confiteri velimus, possimus verè per sacramentum absolui: si autem confiteri nolimus, eorum veniam obtinere possimus absque vllo sacramento, re, vel voto susceptо, per actum pœnitẽtiæ internæ, vel charitatis, vel per aliqua remedia ab Ecclesia instituta. Condonantur enim iustis hominibus veniales culpæ, vel ipsorum hominum, vel Ecclesiæ merito. Nam quemadmodum cum Ecclesia condonationes peccatorum concedit, quas vocamus indulgentias, merita Christi Domini, & sanctorum hominum triumphantium in cælis nobis impertit & applicat, quibus pœnæ peccatorum nostrorum soluuntur; ita & per sacramẽtalia communicat nobiscum, & Christi Domini, & sua merita, quibus veniales noxæ eluantur. Vt enim pœnæ ex peccatis relictæ, & culpis debitę ingressum iustorum in cæleſtem patriam remorãtur, quamuis non in perpetuum prohibeant; sic etiam leuiores culpæ iustos retardant, quo minus statim in cælum euolent; sed non in perpetuum impediunt, in hoc enim, aut in altero sæculo, penitus expiantur. Accepit igitur Ecclesia potestatem à Christo, quia peccata venialia sine vllo sacramẽto dimitteret, & ideo accepit etiã auctoritatem, vt posset instituere remedia, quibus illa penitus tollerentur. Nec inde tamen conficitur, vt possit Papa legem suo arbitratu ferre, vt qui hoc vel illud quocunque modo fecerit, ab omni culpa veniali soluatur: nisi ea lex talis sit, vt piũ aliquod charitatis, pœnitentiæ, vel religionis officium præcipiat, hoc enim est quod tradidit. S. Thom. p. 3. q. 87. art. 3. scilicet veniales culpas deleri non posse nisi per opera virtutum, videlicet charitatis, pietatis, pœnitentiæ, religionis, quibus quis se Deo, vel rebus diuinis subijcit, quæ ad cultum, & honorem diuinum quoquo modo referantur: tunc enim huiusmodi remedijs Ecclesiæ auctoritate institutis veretur iustus ad sua peccata venialia penitus eluenda: Non secus ac modo lustrali vnda perfunditur eandem ob causam.

Quintò quæritur, quot numero sint sacramentalia, quibus venialia expiari solent? Respondeo, cum Glossa *in 6. præmio, in ver. benedictionem*, & Hostiensi, esse nouem, quæ sunt, oratio Dominica, pia & religiosa percussio pectoris, Generalis peccatorum confessio, largitio eleemosynæ, Pontificia, seu Episcopalis precatio, qua Episcopus solemni ritu, & cæremonia signo Crucis adhibito, populo bona, & fœlicia precatur, quam benedictionem vocam, ieiunium religiosè susceptum, venerabilis eucharistiæ perceptio, vnctio sacra, & aqua lustralis, quę dicitur benedicta: ex nouem hisce sacramentalibus, quatuor prima non sunt ab Ecclesia instituta. *Hoſt. in c. omnis de pœn. & miſſam.*

Circa precationem Dominicam animaduertendum est, eius meminisse Augustinum, non vno in loco, sed multis; *videlicet in Epist. 108. ad Seleuciam, in lib. 50. Homil. in vlt. c. 3. lib. de Pœnitentię medicina cap. 2. & in Enchiridio. cap. 71.* Concilium quoque Toletanum, *4. cap. 9. Item, de pœni. d. 3. c. de quotidianis.* Percussionis pectoris, piæ, & religiosæ meminit idem Augustinus *in epistola ad Seleuciam prædicta. Item, sit mentio de pœni. dist. 1. c. tres sunt autem actiones.*

Confessionis generalis peccatorum licet nulla reperiatur apud Patres mentio, ad probandum venialia eius virtute deleri, veteres tamen Scholastici, S. Thomas, Albertus, Bonauentura, Richardus, & alij *in 4. dist. 21.* id communiter tradiderũt. Hostiensis. *in c. omnis. de pœn.* Glossa, *loco citato.*

De eleemosyna, quòd prosit ad peccatorum veniam promerendam, tradit Augustinus *in Enchiridio. cap. 72. & 73.* Item, *tract. 12. in Ioannem*, vbi idem dicit de remissione iniuriarum, & generatim id ipsum etiam tribuit operibus misericordiæ, & ieiunio. Et *dist. 1. de Pœnitentia cap. Medicina, & c. Medicamentem, & c. Quamobrem*, ex Ambrosio, Hieronymo, & Chrysostomo testimonia proferuntur, in quibus apertè traditur nos operibus misericordiæ pro peccatis Deo satisfacere. & cap. sanè cauendum. de pœnit. d. 3. ex Augustino.

De Bene-

De Benedictione (quam vocant) Pontificia, seu Episcopali, iure Canonico nullus extat Canon, nec vlla in Patribus traditio. Cõmuniter tamen Scholastici Theologi. 4. d. 16. & Hostiẽsis, & Glossa docent per eam venialia deleri: quamuis Palud. 4. d. 16. q. 1. art. 2. citet caput. Dictum est, & cap. Maledicam, cap. intra. cap. Benedictio. 1. quæst. 1. in quibus tamen locis, nihil certi hac de re expresse traditur.

Precationem fusam in templis siue in sacris Aedibus, nonnulli Theologi addiderunt: nihil etiam scriptum reperitur in Iure Canonico, & tamen aliqui Scholastici, id etiam tradidere.

De sacra Vnctione habetur integrè titulus in iure Canonico, licet nihil expressim de venia peccatorum dicatur.

De venerabili Eucharistia piè, & religiosè percepta, habetur. cap. cũ omne, de consecra. d. 2.

De ieunio, pietatis, & pœnitentiæ, ac religionis studio, & gratia susceptо, legimus. cap. sanè cauendum. de pœnitent. dist. 3.

Aliqui addunt etiam panem sacrum, quem benedictum vocamus, de quo nihil certi habeo ex antiquis patribus: nonnulla in epist. 31. quæ est Paulini, ad Augustinum, *tom. 2. operum Augustini*, & *epistola 34. quæ est Augustini, ad Paulinum*, & apud Augustinum *lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiss. cap. 26.* legimus, videlicet, Panem sacrare consueuisse Ecclesiam pro Catechumenis: quia enim ab Eucharistia arcebantur, loco eius panis à Parocho inuocatione Dei, crucis signo, & alijs cęremonijs ac ritibus adhibitis sacratus in omnes Catechumenos distribuebatur. Postea verò cœpit etiam mos in Ecclesia introduci, vt panis singulis quibusq; diebus Dominicis, à Parocho sacratus, certa precationis formula subministraretur fidelibus, de quo Pane Thomas Waldensis *de sacramentalibus. tom. 3. tit. 23. cap. 167. & 168.*

De aqua lustrali, quam dicimus benedictam, extat Alexandri Primi epistola prima, *quæ refertur de Pœnitentia, dist. 3. cap. Aquam*, vbi apertè dicitur Aquam benedici, & sacrari, in sanctificationem, & purificationem fidelium: eamque comparat cæremonijs legis antiquæ, quæ coinquinatos emundabat à maculis contractis.

Sextò quæritur, An vnum veniale possit absq; alio seorsim dimitti? Respondeo, liquido constare, remitti posse. hoc enim discrimẽ est inter mortiferum, & veniale peccatum, quod lethalia omnia simul delentur, quia per gratiam infusam tollunt: hæc autem cum quocunque crimine lethali pugnat, & proindè simul vniuersa depellit, & ejcit; veniale autem ad sui expurgationem minimè eget gratia infusa. Illud etiam pro certo statuendum, sæpe vnum veniale sine alio dimitti: vsu enim venit non rarò, vt quis de vno, non de alio agnatur, ac doleat; & statuat vnum cauere, non aliud. ROGABIS, an si quis de omnibus doleat, vel omnia deinceps constituat, per eiusmodi actus omnia venialia expientur? Respondeo, expiari omnia. At oppones, ergo iustus poterit ad tempus omni prorsus veniali carere, & verè, si omni peccato liberũ esse, affirmare: is igitur minimè egebit ea precatione: Dimitte nobis debita nostra. Respondent nõnulli, iustum hominem breui temporis morula posse omni veniali culpa vacare, & nihilominus neminem, licet ad tempus breuissimum, planè omnis peccati venialis expertem, absque mendacio, hoc est, absq; omni mendacij periculo, posse dicere, se sine peccato esse. Atque huc referendum esse dictum illud Apostoli Ioannis: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Eorum tamen sententiæ ego minimè assentior: non enim definitio, vel traditio Ecclesiæ in hoc solũ modò cõsistit, quòd iusto. um nullus per omnem vitæ cursum, aut certè ad longum tempus possit omni veniali carere, sine peculiari Dei munere, & beneficio, sed nec ad breuissimum etiam temporis momentum. Nam quòd quis nullo peccati vinculo teneatur, id diuinæ gratię dono tribuendum est. Sicut enim, cum quis sacro baptismate abluitur, ab omni peccati labe mundatur, quodque ad modicum tempus se in ea animi mũdicie, & sanctitate conseruet, in diuinam est gratiam referendum, in quam ipsum quoque Baptismа refertur: ita etiam si quis de omnibus venialibus admissis verè doleat, omnia quidem per eiusmodi dolorem expiabit; sed non solum is dolor, diuinæ gratię donum est, sed etiam ipsa vitæ sanctimonia ad breue temporis spatium, ab omni labe peccati aliena, singulare est Dei munus. Illud est verissimum, quod Ioannes affirmauit: Neminem posse dicere, Peccatum nõ habeo, quia aut veniale aliquod habet, aut non: si nullum, indè profectò est, quia id dimittit, & cõdonat Deus suæ gratiæ beneficio singulari, aut quia iustũ hominem, ita dirigit, ita suis auxilijs gubernat, ac mouet, vt venialia peccata cauear, deuitet ac fugiat. si verò habet aliquod peccatũ, soluta est omnis dubitatio. Hoc enim voluit Ioannes dicere, nec posse nos omni peccato carere sine Dei gratia, nec sine ea vnquam posse iustum verè dicere, se esse sine omni peccato.

Septimò quæritur, An cũ venialia peccata per sacramenta deleatur, vnum sine alio tollatur? Respondeo: quandocunq; sacramentũ aliquod sumitur, & homini suscipienti placet aliquod veniale delictũ cui voluntate adhæresci, cum tamẽ de alio peccato doleat; tunc sacramento deletur veniale, quod displicet, alio, q; placet, remanente. Si tamen omnia displiceant, tunc vniuersa expurgat ac tollit sacramentum. Quæstio tamẽ est, quãdo nullum affectu vel actu placet, nec tamen de omnibus dolor concipitur, an tunc omnia sacramẽtum aboleat? Respondeo; si Baptismus sit, vniuersa delet, quia omnem culpã soluit, & pœnam: & idem existimo de extrema vnctione, & de sacramẽto Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, eo modo, quo supra explicani. De cæteris verò sacramentis minus certum est: fortassis enim venialia delent pro varietate præparationis, qua suscipiuntur; sicut etiam pœnam relaxant, siue remittũt pro varia susciptentium præparatione.

Octauò quæritur, An venialia peccata post hãc vitam in homine iusto deleantur. Fuit vetus quorundam opinio id negantium, ita videntur sensisse Hugo, S. Victoris. *lib. 2. de sac. p. 15. c. 13.* Alex. *p. 4. q. 15. m. 3. a. 3. §. 5.* ea ratione quòd in alio sæculo nullũ est meritum hominis, nec vlla satisfactio: at cui pę venialis remissio, sine vllo hominis meritò, & satisfactione non est. Quare cum quis decedit è

vita, aut dolet se peccasse, aut nõ dolet. Si quidem dolet, tunc à venialibus liberatur; si nõ dolet, hoc ipso, lethale peccatum admittit, quia beatitudinem suã remoratur. Sed meritò hæc opinio communi omniũ consensu confutatur: nam frequenti vsu venit, vt quis penitus oblitus cum peccato veniali decedat. Deindè, nullo argumento cõuincitur, esse lethale crimẽ eius hominis, qui venialis culpæ memor, & conscius ex hac vita migrat absq; dolore vllo. Alexander censuit similiter omnia venialia extremo huius vitę tempore deleri. Cæterùm eadem ratione, hæc sententia refellitur: Tum quia sine argumẽto probabili dici videtur, venialia vniuersa pariter cum vita finiri, & deleri, siquidem potest accidere, vt nulla tunc temporis adsit venialium detestatio: tum etiam quia interdum contingit aliquem hominẽ hinc decedere cũ peccati venialis desiderio, & voluntate. Nec est firmum Alexandri perfugium dicentis eiusmodi affectum, & propositum tũc temporis esse lethale crimen: aut merita hominis in ante acta vita, venialium remissionem sub vltimum vitæ exitum impetrare, & assequi, cum nulla id ratio persuadeat. Standũ igitur est cõmuni Theologorum sententiæ, aliqua venialia post hanc vitam auferri: tum quòd ad culpam: tum quòd ad pœnam attinet: ita S. Tho. Bonau. Richard. Scot. Palud. Gabr. Dur. 4. d. 21. Atq; hæc sententia videtur apertè colligi ex Aug. Greg. Isid. Beda. Ansel. Ruperto, Mag. sentent. & Gratiano, qui ex verbis Christi apud Matth. c. 12. colligũt esse aliquot peccata, quæ in alio sæculo remittuntur, cum dixerit esse quædam quæ neq; in hoc sæculo neq; in futuro deleantur, Greg. 4. dial. c. 39. perspicuè docet leuiores, & minores culpas post obitum condonari: nec est, quod dicas ipsum loqui de peccatis lethalibus leuioribus: quoniam ibi exempla ponit venialium peccatorum: *sicut*, inquit, *est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa, vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt*. Aug. *lib. 21. de ciuit. Dei. c. 26.* ait de illis, qui ædificant lignum, fœnũ, stipulam, de quibus Apost. *1. Cor. 3.* loquebatur, *inuenient ignem tribulationis transitoriæ, cremabilia ædificia, quæ secum portauerunt homines, cremantem*. Et apertè Aug. *lib. 6. cõtra Iul. c. 5. & li. 21. de ciu. c. 24.* & Greg. *lib. cit.* Beda. Glossa. Ansel. Ruper. Magist. sent. 4. d. 31. Gratia. d. 25. c. *qualis hinc.* de peccatis venialib⁹ interpretãtur locum illum Matth. 12. quo dixit Christus esse peccata, quæ nec in hoc sæculo, nec in altero remittuntur. Nam quamuis scripturæ phrasis ea possit esse, quòd nec in hoc sęculo, nec in futuro tollantur, perindè ac si diceretur, nunquam dimittẽtur: negari tamen non potest, quin Patres hũc locum intellexerint eo modo, quo diximus: nam si nullum peccatum in altero sæculo remittitur, nõ dixisset Christus esse aliquod quod nec hic, nec illic dimittitur: sicut nõ bene diceret quis, vxorem nõ ducam, nec in hac vita, nec in altera: quoniam in altera vxor non ducitur. Ratio quoq; hoc idem ostendit: siquidem potest quispiam decedere cum peccati venialis desiderio, vel eius penitus immemor, præsertim in tot tantisq; moribundi hominis angustijs, & difficultatibus. Nec satis fit dicendo, diuinæ esse prouidentiæ, ne id ita contingat; hoc enim ratione probabili caret, & Patrũ auctoritate. Sed obijciũt Hugo, & Alex. Primo, quia teste Dama. li. 2. de fid. ort. c. 4. *quod est in Angelis casus, est in hominib. mors*: sed Angelus post casum, à nullo peccato liberatur: ergo nec homo post obitũ. Secundo, Gloss. in illud. 1. Io. 5. *est peccatũ ad mortem*, ait, *quod in hac vita nõ corripitur, frustra post mortẽ eius venia postulatur*. Tertio, ex Aug. habetur. c. tempus. 13. q. 2. *omne hic meritũ cõparatur, quo possit post release quispiam, aut grauari*. Quarto, quia post hãc vitã locꝰ pœnitẽtiæ, aut meritorũ nõ est, quoniã amplius homo in via, & peregrinatione nõ est. Quinto, quoniã facilꝰ homo in peccatũ labitur, quã à peccato surgit, sed post mortẽ iustꝰ amplius peccare nequit, ergo nec à peccato liberari. Ad hæc omnia respondeo Damas. Gloss. & Aug. intelligere post mortẽ locũ pœnitẽtiæ in peccatis læthalibꝰ non esse: item in altera vita non esse meritũ, quo vel vitæ æternæ, vel gratiæ incrementũ mereamur, aut pœnę æternæ remissionẽ impetremꝰ, nihilominus tamẽ esse remissionem peccatorum venialium. Item, facilius labimur in peccatum, quàm surgamus ab eo, quoniam surgere nemo potest nisi per gratiam Dei, & peccatum est ex nobis, sed iustus post mortem confirmatur in bono, ita vt amplius peccare non possit: & quia est in gratia, per actum charitatis obtinet remissionem peccati venialis.

Nonò quæritur, quo pacto venialia iustorũ hominũ delicta in futuro sæculo remittãtur? Causã dubitãda dedit, quòd post exitũ animæ à corpore nec vllũ est meritum hominis neq; satisfactio: at culpa venialis absq; hominis merito, vel satisfactione iusta, & debita nõ tollitur. Tres sunt Theologorũ sententię. Prima docet venialia in futuro sæculo cõdonari propter merita hominis in ante acta vita: ꝙ est dicere, iustos per charitatis, & pœnitẽtiæ opera, quæ dum viuerẽt effecerũt, promeruisse, vt veniales culpæ statim post obitũ remitterẽtur, videlicet in primo tẽporis momẽto, quo eorũ anima corpore soluta trãsit ad ignẽ purgatoriũ: licèt certo tempore pœnas debitas persoluãt: sic Sco. 4. d. 21. q. 1. Hoc tamẽ ratione vlla nõ cõprobat. hoc docuit, vt defenderet venialia peccata non dimitti sine merito hominis in hac vita, quũ in altera homo nequeat promereri. Secunda opinio est Gab. Alma. & Mai. 4. d. 21. afferentiũ peccati venialis remissionẽ esse pœnæ tẽporalis, ex toto vel ex parte relaxationẽ: & ideo in altero sęculo venialis noxa dimittitur: quia hominis iusti anima corpore soluta in igne purgatorio detenta, ab omni pœna culpę debita liberatur: sed falsum est ꝙ isti ponũt, in remissione culpæ venialis solũ pœnã temporariã cõdonari. Tertia sententia est S. Th. 4. d. 21. q. 1. a. 3. *ad 1.* & *ad 4.* culpas veniales iustorũ hominũ in altero sæculo remitti merito boni operis, quo ipsorũ anima corporis vinculis liberata, & ad ignẽ purgatoriũ trãslata diligit Deũ, & de suis peccatis dolet, & pœnã patienter iustinet, sic Sot. 4. d. 19. q. 3. a. 3. *ad finẽ*. Cai. 2. 2. q. 12. 4. a. 4. *ad 2.* fensit anima primo tẽporis momẽto, quo à corporis vinculis soluitur, nec esse omnino extra hanc vitã, cum adhuc sit in termino, & fine vitæ, nec esse omni peccãdi potestate liberã, & ob eam causam bene & malè mereri posse. Sed certè hęc sententia probari nulla ratione potest, quia terminꝰ vitæ, aut est extrinsecꝰ, aut intrinsecꝰ: si de extrinseco Cai. loquatur, tũc talis terminꝰ est primũ momentum

alterius

alterius ſęculi intrinſecum, in quo anima eſt iam corpore exuta, & ſic meriti, & ſatisfactionis capax non eſt: at terminus intrinſecus huius vitæ eſſe non poteſt, quia res naturales per terminum intrinſecum, eſſe non definunt. Quare exiſtimo dicendum venialia, per charitatis actum primo ſtatim alterius ſæculi initio deleri, & extingui, & pœnam deindè paulatim relaxari, & ſolui. Ad argumentũ verò reſpondeo in altero ſeculo nullum eſſe meritũ hominis, nimirum quo cæleſtem gloriã mereatur: nam ille charitatis actus, quem dixi, culpæ quidem venialis remiſſionem teſte S. Thom. promeretur, nouum verò beatitudinis gradum non item. Similiter in alio ſæculo nulla eſt culpæ ſatisfactio, ſcilicet, quę tanquam debita, & legitima præparatio primam gratiam conciliet, noſque Dei amicitiæ reſtituat, quæque beatitudinem, aut eius incremẽtum promereatur: bene tamen poteſt pro culpa leuiori eſſe ſatisfactio, quia venialia delicta nobis diuinitus condonentur.

Cap. XII.

De ſeptem capitalibus peccatis: De ſuperbia.

AGendum nobis nunc eſt de ea peccatorum diſtinctione, qua peccata in ſeptem capitalia diuidi ſolent, de qua re Alex. *p.2.q.135.m.1.&* 2. S. Tho. *1.2.q.84.art.4.* Nauar. in Man. *cap.23.*

Primò quæritur, quam ob cauſam peccata omnia, in ſeptem potiſſimum capitalia diſtribuantur; cùm pleraque alia ſint, quæ ad ea ſeptem minimè reuocari queant? Reſpondeo, Septem capitalia peccata, non ideo dici, quòd ſint cæterorum omnium cauſæ, & origines; ſed quia vnumquodque illorum ſit multorum aliorum caput, & cauſa. Ac licet apud Apoſtolum Ioannem habeatur, *omne quod in mundo eſt, aut concupiſcentiam carnis eſſe, aut concupiſcentiam oculorum, aut ſuperbiam vitæ*: vbi tria præcipua peccatorum genera ponuntur, videlicet Superbia, Auaritia, & Libido, eo quòd cęteris frequentiora, & vſitatiora ſint in hominum vita: Nihilominus tamen ſtatuendum eſt è communi Theologorum doctrina, ſeptem eſſe capitalia crimina, ſcilicet, Superbiam, Auaritiam, Luxuriam, Iram, Gulam, Inuidiam, & Accidiam, de quorum ſingulis breuiter, & dilucidè eo, quem poſui, ordine, eſt mihi in præſentia differendum, vt ita facilè quandonam ea lethalia ſint, quando venialia, internoſci queat. 1. Ioan. 2.

Secundò quæritur, quot modis Superbia accipi ſoleat? Reſpondeo, ex Greg. *lib.31. Mora. cap.31.* S. Tho. *2.2.q.162.ar.1.&* 8. & Nauar. in Man. *c.23.* Alex. *p.2.q.136.m.1.2.&* 3. Primò eam ſumi latius, prout eſt voluntas violandi legem ſiue præceptum: & tunc omne peccatum eſt ſuperbia, quia eſt alicuius præcepti ſeu legis violatio. Dicitur autem omne peccatum, Superbia, quia aliquid commune habet, quod eſt ſuperbiæ proprium. Superbus enim propriam excellentiam cõcupiſcit, & quærit, ac ideo vult, & amat excellere, ac eminere cæteris; & propterea vellet, quantum poteſt, nemini ſubijci. Omnis autẽ, qui peccat, hoc ipſo, quòd legem perrumpit, & præceptum perfringit, vellet nulli legi, aut præcepto ſubeſſe: facto ſaltem, licet nõ affectu. Deindè, accipitur Superbia preſſius, & ſtrictius, quatenus ſcilicet eſt quædam legis, & præcepti contemptio; quod etiam ſolet eſſe ſuperborum, qui cum propriam excellentiam appetant, cæteros homines deſpiciunt, vt ſeipſos extollant, & efferant. Tertio modo, accipitur ſuperbia adhuc reſtrictius, prout eſt immoderata propriæ excellentiæ cupiditas, ſed in quacunque re ſiue materia. Sic ſuperbi dicuntur, qui amant cæteris eſſe, & haberi ſuperiores in doctrina, diſciplina, arte, ingenio, facultate, poteſtate, adminiſtratione quarumcunque rerum: ac tales ſolẽt eſſe alijs omnibus odioſi, & infenſi. Tandem Superbia ſumitur proprie; eo, inquam, modo, vt eſt immodica propriæ excellentiæ cupido in honoribus, ſiue ijs in rebus, quibus honor, & reuerentia debetur. Quo fit, vt Superbia ſit accepta à cæteris peccatis, quæ cùm ea affinitatem habent, diſtinguatur, Nam ſuperbus, vt talis, propriam excellentiam concupiſcit in his, quæ reuerẽtia, & honore ſunt digna; honos autem, & reuerentia debetur ijs, qui ætate, ſapientia, dignitate, poteſtate, auctoritate, vel virtute præſtant.

Tertiò quæritur, An ad rationem ſuperbiæ pertineat Dei aliorumue deſpectio, atq; contemptus? Cai. *2.2.q.162.a.2.&* *in ſum. ſuperbia*, id videtur affirmaſſe. At enim ſuperbus ſolet quidem Deum cæteroſq; deſpicere, ad rationẽ tamen ſuperbiæ, non attinet contemptus, & diuerſæ peccatorum formæ ſunt ſuperbia, & contemptus: vt teſtatur Nau. *c.23.n.6.* ſuperb⁹ enim, perſonæ ſuæ excellentiam in honoribus affectat; contemptus autẽ eſt deprauatus animi affectus, quo quis alios ſpernit, infra ſe ducit, ac pro nihilo putat, & æſtimat.

Quartò quæritur, cuinam virtuti ſuperbia opponatur? Reſpondeo, cum S. Tho. *2.2.q.162.a.2.ad* 3. Alex. *p.2.q.136.m.11.* Humilitati, ac magnanimitati. Humilis enim eſt, qui ſeſe alijs ſubijcere amat, & ſtudet, iuxta rectæ rationis præſcriptum: vnde etiam ſe pari, & æquali inferiorem prębet, prout ratio poſtulat. Humilis item ſe à magnis rebus, & excelſis gerendis abſtinet, quãtum poteſt: primatum omnem, & excellẽtiam recuſat, & fugit. Magnanimus autem eſt qui magna quidem, & excelſa amat, & appetit: ſed iuxta rectæ rationis, & prudentiæ regulas: quare licet magnitudinem, principatum, & excelſitatem optet; nõ eo tamen animo, vt propriam excellentiam quærat, ſed vt magnas res adminiſtret ac gerat eo modo, quem recta ratio homini à natura inſita, vel etiam lex ipſa diuina ſuadet, ac præcipit.

Quintò quæritur, quandonam ſuperbia lethalem culpam inducat? Reſpondeo, cum S. Tho. *2.2.q.162.a.5.* Alex. *2.p.q.136.m.5.* Nau. *c.23.n.8.* tunc, quando quis appetit propriam excellentiam immeritam, aut ſuis meritis maiorem, aut malis artibus, hoc eſt, modis minimè debitis, videlicet contra ius omne, & fas, lege vel præcepto violato, aut cùm damno, & detrimento notabili aliorũ. Item, quando propriam excellẽtiam concupiſcit, captat, aut quærit ex re falſa, vel vera, ſed mala: vel bona quidem, at in malum finem relata. Eſt verò veniale peccatum, Superbia, quando caret plena, & perfecta animi deliberatione, cuiuſmodi ſunt ſubiti animi motus, quibus præſtãtiam propriam quis affectat: item, quando res in qua primatum, & excellentiam appetimus, parua eſt, & exigua.

Sextò quæritur, quot & quæ sint Superbiæ filiæ, hoc est, species siue partes? Respondeo cum Greg. *lib.23.Mor.c.7.* S.Tho.2.2.*q.*162.*a.*4. Alex.2.*p.q.*136.*m.*10. Nau.*c.*23.*n.*7. quatuor. Prima est: qua quis putat bona, quæ habet, à se habere, non aliunde, siue ea sint naturæ siue gratiæ bona: nam & naturę quidem bona siue sint animi, siue corporis, siue externa, Dei dona sunt. Quoniam quicquid boni in nobis ineſt, id omne referendum est acceptum vni Deo bonorum omnium fonti, & auctori. Altera filia superbiæ est, cùm quis agnoscit quidem bona, quæ habet, se à Deo accepisse, sed tanquam suis meritis digna, & debita. Tertia est, cùm quis sibi assumit, ac tribuit bona, quæ habet, aut maiora, quàm habet. Quarta, cum quis alios cõtemnit, aut non vult cuiquam subijci. Est tamen animaduertendum, superbiam propriè nõ esse iudicium rationis, quia superbia in actu voluntatis cõsistit, supradicta autem mentis iudicia dicuntur superbiæ filiæ, quia ex inflato, & superbo voluntatis affectu mens tenebris offusis obscuratur, & talia iudicia fingit, ac formæ.

Cap. XIII.

De inani gloria.

AD superbiam rediguntur deprauati voluntatis affectus, quibus magnum quiddam, & excelsum immodicè concupiscimus: & talis animi affectio, inanis gloria est, atque Vana gloria nominatur.

Primùm itaque quæritur, in quo consistat inanis gloriæ peccatum? Respondeo, cum S.Thom. 2.2.*q.*132.*a.*1. Alexand.2.*p.q.*137.*m.*1. Nauar.*c.*23.*nu.*9. in eo, quòd sit immoderata gloriæ, laudis, famæ, vel sui ipsi⁹ existimationis libido. Nam fama, nominis celebritas, laus, & gloria, mala quidem per se non sunt, nec per se bona, sed media tantùm, & indifferentia: cùm tamen ea captamus, aut captare cupimus, vel ab ijs rebus, quę laudem non promerentur, vel ab ijs personis, à quib⁹ laus, & cõmendatio nostra expectanda non est, vel malis artibus, & modis iure vetitis, vel ob finem malum, vana sunt. Quo fit, vt qui virtutis officium præstat eo animo, vt humanam laudem aucupetur, inanis gloriæ vitium contrahat. Virtus enim ipsa per se quidem laude est, & commẽdatione dignissima: sed eam à Deo solo, & nõ ab hominibus quærere, & expectare debemus. Præterea, virtus laude humana longè maius, & præstantius bonum est, & per se laudem habet: ergo virtutem in humanam laudem tanquam in finem referre, vanum est & inane.

Secundò queritur, quando Inanis gloria lethalis sit? Respondeo, cum S.Tho.2.2.*q.*132.*a.*3. Alex.*p.*2.*q.*137.*m.*2. Nauar.*c.*23.*nu.*10. esse tunc, quando optatur, aut quæritur ex re valde mala, aut malis artibus, aut ad malum finem relata. Ex quo etiã efficitur, vt sciri possit, quando ea venialis sit; sæpe enim irrepunt, & influunt in animum subiti quidam motus, quibus laudẽ, & gloriam humanam auidè concupiscimus, quos reprimere, ac frænare negligimus.

Tertiò quæritur, An laudem, & gloriam humanam captare sit malum? Respondent. S.Tho. Alexand. & Nauar. locis cit. esse, si solam hominũ laudem, vel gloriam aucupemur. Apostolus aiebat: *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Gloſſa item Matth.6. *Laus hominum* (inquit) *appeti non debet*, nimirum sola. Laus enim, & gloria, vt sit rationi congruens, expectari debet ab ijs, à quibus oportet: sicut etiam appetenda est in rebus, in quibus expeti debet: à solis autem hominibus, qui labi, decipi, & falli, & alios item fallere, ac decipere possunt, nequaquam est laus, & gloria quærenda, vel expectãda. Poterit autem citra vllum vitium humana laus amari, & appeti, quando non sola, sed propter Dei honorem, & hominum salutem expetitur.

Quartò queritur, An ob virtutum officia, & opera liceat humanam laudem, & gloriam exquirere? Dubitatio indè oritur, quia virtutis opus per se laudem, honorem, & gloriam promeretur. Item, Matth.5. dicitur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Apostolus quoq; *Prouidẽtes*, inquit, *bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Sapiens etiam nos admonet, vt curã boni nominis habeamus. quin & multi sapientes, & probi viri studio laudis, & honoris plurima præclare gesserunt; vnde ille: *Hanc* (inquit) *alit artes, & omnes ad studia accenditur gloria.* Respondeo, Christum Matth.6. monuisse nos. Nam *attendite*, inquit, *ne iustitiã vestram faciatis coram hominibus*; vt videamini ab eis: ac postea subiungit de inanis gloriæ cupidis; *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Virtus itaq; amanda, & colenda est propter se, honestas enim per se est expetenda. Et cum objicitur; laude & cõmendatione est digna: Respondeo, Verum est; & cum ita sit, virtus proinde est colenda, quia per se laudabilis, & honorabilis, nõ eo quidem, vt ob eam fas sit humanam laudem, & gloriã venari, sed vt studiosè, & bene agatur, cùm virtuti & honestati laus, & gloria debeatur; eam autẽ expectare debemus à Deo, apud quem virtus, & honestas certam habet laudem, & commendationem, iuxta illud Apostoli de Iudæo, *qui verè est circumcisus corde, in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Quintò quæritur, quotnam sint, & dicantur filiæ Inanis gloriæ? Respondeo ex Greg. *lib.31.Mor. c.31.* S.Tho.2.2.*q.*132.*a.*4. Alex.*p.*2.*q.*137.*m.*10. Nauar. *c.*23.*n.*10. esse septem, & propterea à quibusdã inanis gloria pro capitali vitio ponitur, Superbia excluſa: aiunt enim illi, superbiã inter capitalia crimina numerandam non esse, quia est omnium fons, & origo peccatorum, vt docet Greg. *li.31.Moral.c.*31. Cõmunis tamen opinio superbiam inter capitalia peccata recenset, & ad eam potius inanem gloriã, & filias eius reuocat. Sunt itaq; inanis gloriæ filiæ septẽ hæ, quæ sequũtur, teſt. Greg. *loco cit.* Iactantia, Nouitatum, vel Nouarum rerum cupido, Hypocrisis, Pertinacia, Discordia, Cõtentio, Inobedientia: hæc enim omnia sunt quidam immoderati voluntatis affectus, quibus homo præter modum propriam excellentiam affectat factis, & verbis.

Iactãtia est qua q;s immodicè se extollit, & effert. Qui si se laudet ob rẽ malè factã, falsam, vanã vel inutilẽ, peccat: quòd si cũ graui hominis detrimẽto, lethalis erit culpa. Velut si se aliqua in arte, administratione, vel disciplina peritũ & expertũ prædicet, cùm tamẽ sit ignarus, rudis, & ineptus.

Cupidi-

Gal.1.

Nau.c.23. n.9. Cai. 2.q.11.a.1. cum Gloſſ. ſeru. hic.

Cupiditas nouitatũ, aut rerum nouarum, cum nimia est, & immoderata, culpã habet lethalem quidem, quando graui damno quemquam afficit, aut finis deprauatus exquiritur: venialem verò, quando est de re vana, inutili, & leui. Qui igitur noua ciborum, epularum, vestium, ludorũ, spectaculorum, & similium rerum genera in ciuitates inuehunt, qui rerum nouarum inuenta, sine causa introducunt, in vitio, & culpa sunt. Qui item nouas opiniones in scholas inducunt, meritò notantur, & arguuntur.

Hypocrisis, est vitiũ, quo, quis factis vitæ integritatem & sanctimoniam fingit, ac simulat, cupiens, & studens bonus haberi, & prædicari.

Pertinacia, vitium est, quo quis suo iudicio adhærens, aliorum sententiæ non cedit. is enim dicitur Pertinax, qui suæ sententiç, & iudicij nimium est tenax: quare pertinacia, volũtas est, & studium, vincendi in eo, quod quis sentit, & iudicat.

Discordia, est, qua quis suæ voluntati adhęrescens, alienæ voluntati minimè consentit.

Contentio, qua quis cũ alio ptinaciter decertat.

Inobedientia, est vitium, quo quis imperata facere recusat, ac refugit. Quæ aliquando generale crimen est, aliquando speciale a reliquis distinctum. Generale est, cùm leges, & iura perfringimus, cum contra iussa, & præcepta delinquimus: speciale verò, cùm eo animi affectu peccamus, vt iussa, & imperata violemus: ad inobedientiam enim, vt talis sit, voluntas, & amor non parendi superioris imperio requiritur.

Annotandum est, in his tunc lethalem culpam inesse, cùm Proximo graue damnum infertur, aut grande aliquod imminet peccati periculum, aut cùm in deprauatum finem animum, & mentẽ intendimus. Deindè, sciendum est, aliqua ex his, quę diximus, interdum ex alijs peccatis oriri, talis est Contentio, Pertinacia, & Discordia, quæ vitia sępe ortum habent ex Ira. Præterea, sæpiùs in finem alium malũ diriguntur, velut Hypocrisis, & Iactantia ob lucrum comparãdum. At verò siue ex alijs peccatis enascantur, siue in alium finem referãtur, semper ex suo genere, & natura sunt species Inanis gloriæ, quoniam quiddam superbiæ proprium retinent sibi, nimirum propriæ glorię, & excellentiæ studium, & amorem.

Cap. XIV.

De Ambitione.

PRIMO quæritur, In quonam consistat Ambitionis prauitas? Respõdeo, cũ S. Tho. 22. q. 131. Alex. 2. p. q. 141. m. 7. in eo, quòd sit immodicus honoris, potẽtię, vel dignitatis appetitus. cupit Ambitiosus honores, dignitates, imperia, publicas rerum administrationes, dominatus, & alios honorificos titulos, & gradus. Ex quo fit, vt Ambitiosus à superbo differat, quòd hic cæteris omnibus excellere cupit, ac studet, & proinde nemini subijci; ille verò proprium honorem, & dignitatẽ, potentiam & dominatum affectat. Distinguitur etiam Ambitiosus ab inanis gloriæ cupido, quòd ille ad potẽtiam, imperium, dominatum aspirat auidè, hic verò amat honorari, & clarus haberi. Quò fit, vt in appetendis beneficijs Ecclesiasticis; aut in publicarum rerũ administrationibus possit quis diuersis rationibus in superbiã, ambitionem, inanem gloriam, auaritiam, & arrogantiam incurrere. Si enim prædicta concupiscat, vt alijs excellat, est superbus: si vt potentia, & dominatu valeat, ambitiosus: si laudem, & gloriam humanã aucupatur, gloriæ cupidus: si lucrum appetit, Auarus: Arrogans verò est, cùm vltra vires suas publica officia, & administrationes affectat, & cupidè consectatur.

Secundò quæritur, Quando Ambitio sit lęthifera? Respondeo, eodẽ modo esse de Ambitione dicẽdum, quo de inani gloria diximus. Nam si quis ex re mala, vana, inutili, falsaúe honorem aut dignitatẽ concupiscat, peccat: item, si malis artib⁹, ac modis contra ius, & fas ea sibi comparet; si ad malũ finẽ dirigat, si indignè ea retineat. Indignè aũt videtur acquirere, vel retinere is, qui cõtra legem naturalẽ, diuinã, vel humanã sibi ea cõparauerit, vel ante quæsita retinuerit. Idem planè est dicendũ de Arrogantia, quã præsumptionẽ appellant, peccat enim, qui cum sit rudis, imperitus, inexpertus, aliqua alia ratione minimè idoneus, rerum publicarum administrationes appetit, vel assumit sibi, vel suscipit etiam oblatas.

Cap. XV.

De Auaritia.

PRIMO quæritur, Cui virtuti Auaritia se opponat? Respondeo, cùm S. Tho. 2. 2. q. 118. art. 3. Alex. 2. p. q. 141. m. 8. Nau. c. 23. nu. 69. Liberalitati, & Iustitiæ: nam Iustitiæ est, tribuere cuiq; quod suũ est: Auarus aũt, aliquãdo etiã quod alienũ est, sibi retinet, vsurpat, & occupat. Liberalis viri est ex suis bonis alteri gratis aliquid dare, eo affectu, & animo, vt donet, conuenienter tamen rectę rationi, nimirũ ijs, quib⁹ æquũ est, & sicut oportet; Auarus verò suorum bonorũ nimiũ est tenax: quò fit, vt ad restituendum cõpelli debeat, quãdo contra iustitiam peccat, nõ autem si contra liberalitatem agat. nam quando agit contra liberalitatẽ, solum sua alteri denegat; quando verò cõtra Iustitiã, alteri eripit, quod suũ est, aut quod est alienum, sibi retinet.

Secũdò quæritur, In qua materia & re obiecta versetur Auaritia? Respondet S. Tho. 22. q 118. a. 2. & 3. Alex. 2. p. q. 141. m. 1. in pecunijs, & diuitijs præter modum acquirendis, augendis, conseruandis, & retinendis: vnde auaritia opponitur liberalitati. Est itaque Auaritia, nil aliud nisi immodica lucri cupiditas; lucrum autem maxima ex parte in re pecuniaria consistit, & ex ea comparatur.

Tertiò quæritur, Quot & quænã sint Auaritiæ filiæ? Respondeo, ex Greg. *lib. 31. Mor. c. 31.* S. Tho. 2. 2. q. 118. a. 8. Nau. c. 23. n. 72. Alex. p. 2. q. 141. m. 1. & q. 144 m. 5. esse sex vitia, quorum caput, & origo est Auaritia, videlicet, Duritiam cordis, & Immisericordiam, qua necessaria ad vitæ vsus inopi denegantus; Nimiam mentis sollicitudinem, diuitiæ namque auari animum sollicitant, & angunt, earumq; curę velut spinæ pungunt, & cruciant. Tertia filia Auaritiæ, est violentia, quæ sæpe alijs infertur. Quarta est Perfidia, qua fides in promissis, pactis, conuentis, & rebus creditis frangitur atque violatur. Quinta, Periurium. Sexta, Fraus, & Dolus, qui in negocijs contrahendis sæpenumero intercedit. Et quamuis huiusmodi vitia ex alijs oriantur, frequentius tamen ex Auaritia enascuntur.

Ex dictis cernere est, quando Auaritia sit lethalis. Tunc enim est, quando ea infert alteri graue detrimentum, & damnum.

Cap. XVI.

De Luxuria.

PRIMO quæritur, Quare Luxuria dicatur capitale vitium? Respondeo, cùm S.Tho. 2.2.q. 153.a.4. Alex. 2.p.q.143.m.1. Naua.c.23.n.112. non ideo dici: quia sex vel septem, sub se species habeat, de quibus in sexto Decalogi præcepto differendum erit, sed quia aliqua vitia tâquam filias quasdam gignat, ac procreet; quæ iuxta B. Greg. *lib.31. Mora. c.31.* S.Th. 2.2.q.153 a.5. Alex. *p.2.q.144.m.7.* Nau. *c.23. n.113.* sunt octo: Cæcitas mentis, Præcipitatio rationis, Inconsiderantia, Inconstantia, Immodicus amor sui, Nimius huius sæculi amor, Horror futuri, Odium Dei: quæ omnia ex alijs quoque vitijs licet pullulent, sæpius tamen solent esse luxuriæ partus.

Secundò quæritur, quid sit luxuria, vt est capitale vitium? Respõdeo, immoderatam esse rerum libidinosarum cupidinẽ, quę in eo consistit, quòd sit extra legitimũ coniugium. S.Th. 2.2.q.153. *art.4.* Alex. 2.p.q.113.m.3.& 6. Quo verò pacto luxuria sit in nostris factis, dictis, vel affectibus, in eodem sexto Decalogi Præcepto latè explicabo.

Cap. XVII.

De Ira, & Inuidia.

PRIMO quæritur, Quid sit Ira, vt est capitale vitium? Respondent. S.Tho. 2.2.q.158. *a.1.* & *a.* 2.& *a.6.* Alexan. *p.2.q.139.m.1.* Nau. *c.23 n.115.* neq; quam esse animi affectum, sed depraua tum habitum vel actum, quo præter modum iniuriæ acceptę vindictã appetimus: quare mansuetudini, clemẽtię, rectęq; ac debitę vindicationi aduersatur.

Secundò quæritur, quot sint Iræ species? Respondeo cum Greg. *lib.31. Mora. c.31.* S.Tho. 2.2.q.158. *a.7.* Alex. 2.p.q.144.m.3. Nau. *c.23.nn.115.* septem, quæ sunt Indignatio, Tumor, Clamor, Blasphemia, Cõtumelia, Opprobrium, & Rixa. Addunt quidam his quatuor alias, nempe Maledictum, Seditionem, Bellum, & Vindictam, sed prioribus septem concluduntur.

Tertiò quæritur, quando Ira sit culpa mortifera? Respondeo, cum S.Tho. 2.2.q.158.a.3. Alex. *p.2. q.139.m.5.6.* & 8. Nau. *c.23.n.115.116.* & *117.* ad hoc requiri primò plenam animi deliberationem: Deindè, vt ira fit absq; iusta causa, & legitima; alioqui enim peccatum non est. Postremò, vt sit in re graui, quæ non parũ habeat momẽti, & ponderis.

Quartò quæritur, Cui virtuti opponatur inuidia? Respondent. S.Tho. 2.2.q.36.a.1.& 2. Alex. 2.p. q.13.m.8. Nau. *c.23.nu.118.* Charitati, quæ gaudet bonis alterius. Non tamen ita opponitur, vt sit vitiũ Charitati contrarium; tale enim est odium: sed opponitur charitatis effectui. Charitas enim lætitiam parit, qua delectamur alienis bonis: Inuidia verò est huic lætitiæ contraria: tristatur enim prosperitate aliena, qua ipsi nos caremus, quo fit, vt Inuidia sæpe sit lethalis; quia cum charitate pugnat, quæ rebus secundis alterius delectatur.

Quintò quæritur, Quare Inuidia inter capitalia vitia numeretur? Respondeo, cùm Greg. *lib.31. Mora. c.31.* S.Thom. 2.2.q.36.a.4. Alex. 2.p.q.144.m.2. Nau. *c.23.nn.118.* Ideò, quòd gignit quinq; alia vitia tanquã filias, Odium (inquam) Detractionẽ, Susurrationem, Lætitiam de rebus aduersis, & Tristitiam de secundis rebus alienis: quæ omnia ex suo genere, & obiecto lethalia sunt crimina; venialia verò, vel ob materiæ paruitatẽ, vel ob imperfectionem actus.

Cap. XVIII.

De Gula & Accidia.

PRIMO quæritur, in quo Gula, vt est capitale vitium, consistat? Respondeo, cum S.Tho. 2. 2.q.148.a.1.& 2.& *a.5.* ex Gre. *lib.30. Mora. c.27.* Alex. 2.p.q.142.m.1. Nau. *c.23.n.119.* in cibis, & potib⁹, quibus auidè vltra modum vtimur; quare Gula Temperantiæ, & Sobrietati aduersatur.

Secundò quæritur, quot sint Gulæ partes? Respondeo, ex S.Greg. *lib.31. c.31.* & S.Th. 2.2.q.148. *a.6.* Gulam ob id esse capitale vitium, quòd pariat alia quinque vitia. Hebetudinem mentis, immoderatam lætitiam, Multiloquium, Scurrilitatem, & Spurcitiam, quæ ex alijs quoque peccatis nascuntur, sed frequentius ex Gula.

Tertiò quæritur, An sint aliquæ veræ, & propriæ species Gulæ? Respondeo, S.Tho. 2.2.q.148.a. 3. Alex. 2.p.q.142.m.6. Nau. *c.23.n.119.* Alex. *p.2.q.144. m.6.* quinque species enumerasse sequenti versiculo contentas.

Præpropere: Laetè: Nimis: Ardenter: Studiosè.

Videlicet, Ante tempus edere, vel potare: Nimis festinãter vel auide: aut nimio apparatu vel sumptu. Alij verò hæc quinque non species Gulæ, sed modos quosdam appellant, in quibus non est lethalis culpa ex genere suo, sed venialis duntaxat: de quibus, & de alijs contra Temperantiam, & Sobrietatem peccatis dicetur cùm de Ieiunio tractabitur.

Quartò quæritur, quid sit Accidia, vt est capitale vitium? Respondeo, cum S.Tho. 2.2.q.35.a.1. & 2. Cassi. *lib.10. de instit. cœno. in principio.* & *lib.9.* Alexan. *p.2.q.140.* Nau. *c.23.nu.124.* esse vitium, quo quis fastidit res diuinas & spirituales. Vnde S. Tho. Accidiam docet esse Tristitiam de rebus diuinis: sed propriè consistit Accidia in quodam animi tædio rerum diuinarum: quo fit, vt Accidia etiam Charitati repugnet: quia aduersatur alacritati, iucunditati, & lætitiæ de rebus diuinis, qua Charitas piorum hominum animos perfundit, & complet.

Quintò quæritur, An Accidia sit idem, quod Pigritia? Respondeo, ex S.Tho. 2.2.q.35. *art.1.* Alex. 2.p.q.140.m.6. Nau. *c.23.n.124.* Græcis Accidiam esse anxietatem, tristitiam, mœrorẽ, quo quis conficitur: pigritiam, esse ignauiam, & defidiam, qua quis officium deserit. In præsentia tamen pro tristitia sumitur. Nam pigritia res diuinas, aut bonas refugit, & auersatur vt laboriosas, difficiles aut molestas: piger enim timet in agendo laborem, difficultatem, aut molestiam. At verò Accidia res ipsas diuinas, vel bonas fastidio quodam aspernatur, ac respuit, nulla etiã laboris, difficultatis, aut molestię habita ratione. Vnde Accidia si Latina vox esset, videri posset nomẽ accepisse ab Acore, eo quòd res bonas, & salutares velut acidę

nobis

nobis videantur: ita vt sicut, res, quæ acescunt, fastidimus, & auersamur, sic etiã res bonas, veluti acescentes cum tædio quodam respuamus, & refutemus.

Sextò quæritur, Quot sint Accidiæ filiæ? Respõdeo, ex Greg. *lib.31.Mora.ca.21.* Isido. *lib.2. de sum.bon.* S.Thom. *2.2.q.35.ar.4.* Alex. *par.2.q.144.m.4.* Nana. *ca.23.n.125.* esse quinque, Desperationem, Pusillanimitatem, Torporem animi, Rancorem, & Euagationem mentis: quæ omnia ex genere suo lethalia sunt, quia aduersantur plurimũ charitati.

Cap. XIX.

De magnitudine, & paruitate peccatorum.

S.Tho.1.2. q.73.art.1.

HActenus explicui modum, quo peccata inter se distinguuntur: reliquum est, vt exponam, quæ peccata sint alia alijs grauiora, quæ leuiora.

Primò quæritur, An peccata vniuersa sint sibi inuicem connexa? Respondeo, non esse: neque enim qui cõtra vnum aliquod præceptum delinquit, contra alia omnia peccat. Solùm huic rei illud videtur obstare, quod Iacobus Apostolus ait: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*: quæ sententia non paruum quibusdam negotium facessit: quo pacto omniũ præceptorum reus sit, qui vnum tantum præceptum violauit. Non enim quisquis fur est, idem homicida, periurus, aut adulter est. Quidã exponunt esse reum omnium, ratione beatitudinis cœlestis amissæ, quia eam admittit perindè, ac si contra omnia præcepta deliquisset. Alij, ratione gratiæ, & charitatis, quæ quocunque graui crimine amittitur. Augustinus, & Beda explicant: Qui offenderit in vno, hoc est in præcipuo charitatis præcepto, quæ est plenitudo legis, est omnium reus, quia illud præceptum violauit, in quo pendẽt omnia. Alij eadem verba intelligunt de ingrati animi vitio. Alij verò exponunt sic: factus est omnium reus, quia legis vniuersitatem, inquiunt, quam implere oportebat, non seruauit. Alij demum ratione pœnæ, quam Theologi appellant Damni, interpretantur; quia quicunque in vno offenderit, ab omni iure hæreditatis cælestis excluditur. Sed reuera germana videtur esse sentẽtia Apostoli, quam alij tradiderunt: quam vt plenius, & clarius explicem, animaduertendum puto, Primis Ecclesiæ nascentis temporibus fuisse hæreticam quorundam sententiam, putantium quocunq; lethali crimine Deum minimè offendi; nisi cum quis vniuersam legem perfregisset, aut contra charitatem in Deum peccauisset. Leuia item peccata aiebãt, esse charitatis officium erga homines, etiam sæpius denegare, & deserere. Vnde quidam peccata interiora, non esse peccata arbitrabantur. Contra quos Dominus pronunciauit, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Ita etiam alij censebant vnum, aut alterum legis præceptum dissoluere, non esse graue peccatum, quo Deus offenderetur, nisi omnia legis mandata violarentur: nec omne peccatum esse iniquitatem: nec vllum esse facinus, aut crimen hominis, qui charitatis officium erga alium hominem prætermitteret. Contra quos scripserunt Iacobus, & Ioan. Apost. vt meritò Iacobus dixerit: *Qui totam legem seruauerit; in vno autem offenderit, factus est omnium reus*, quod idem valet, ac si dixisset; Falli, ac decipi, qui putant, eos solùm esse reos legis, qui omnia legis præcepta conuellerent: qui enim in vno offenderit, reus erit legis: sicut etiam est reus, qui contra ius, & legem omnium peccauerit. Et ideo subiungit Apostolus: *Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit & Non occides. Quòd si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis*: quasi dicat; Deus, qui legem tulit, non solùm offenditur, quando tota lex violatur, hoc est, quãdo ex toto perfringitur, sed etiam quando contra aliquod vnum præceptum delinquitur: hoc est quando lex ex parte soluitur, quoniam qui vniuersam legem condidit, singula quoque eius præcepta constituit. Aduersus eos quoq; scripsit Ioannes dicẽs: *Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas*: quasi diceret, qui peccatum facit, etiam iniquè facit, quoniam peccatum est iniquitas, & subijcit: *Qui non facit peccatum, ex Deo est*: rursus, *qui non diligit fratrem suum, in tenebris est.* QVAERES, an vitia, qui sunt habitus deprauati, inter se inuicem iuncta, copulataq; sint? cuius quæstionis causa est, quòd virtutes inter sese connectuntur omnes, atque colligantur: ergo & vitia omnia vnà cum Imprudentia debent esse mutuò sociata, & colligata. Respondeo, non esse: sæpe enim contingit, vt quis certo alicui vitio assuescat, & non alijs. Nec virtutes omnes copulantur, & cohærent, vt tertio libro demonstraui.

Exod. 20.

1.Ioann 3.

Secundò quæritur, An peccata omnia sint paria? Cicero *in tertio Paradoxo* docet Stoicorum fuisse sententiam, æqualia esse peccata; & August. *tom. 6. de Hæresib. hæresi. 82.* tradidit Iouinianum sensisse cum Stoicis, Peccata esse paria. Verum enimuerò non solùm absurda, & ridicula, quippe quæ cum omni sensu generis humani pugnat, sed hæretica etiam hæc sententia est. Ait enim Pilato Christus, *qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Nec contra hæc illud multum valet ex Stoicis assertum; id quidem, in quo peccatur, aliud alio maius esse, aut minus, sed peccatum vnum esse, hoc inquam, nihil obstat: nam reuera peccatũ est, quatenus rationi contrarium: vnum verò grauius, quia magis rationi aduersatur, quàm aliud. quis enim neget magis contra rectam rationem agere, & peccare cum, qui parentem, aut domesticum, aut principem virũ necauerit, quàm qui ignotum hominem, extraneum, aut priuatum? Quis item nisi mẽtis inops inficiari audeat, odiũ, & maledictum coniectum in Deum peius esse, quàm maledictum in hominem, aut quàm odium eius & malenolentia? quis furtum mille aureorum, dicat minus esse furto aureorum centũ pauciorúmue? At obijciunt Stoici ad suę opinationis patrocinium: Peccatum consistit in priuatione debitæ rationis, sed priuationes aliæ alijs maiores, aut minores non sunt: nõ enim rectè quis dixerit, magis mortuum esse, qui multis ab hinc annis decesserit, quã qui tertio ab hinc die: nec minor est gubernatoris insciția & negligẽtia, si naue periclitari sinat nimio auri, argẽtiue põdere,

S.Tho.1.2. q.73.ar.2.

Iacob. 2.

Rom. 13. Matth. 22

Matth. 5.

quàm si immodica arenæ, vel salis grauitate. Ité, si peccare est rectæ rationis metam transilire, ad augendâ in transeundo culpâ, nihil refert, quàm longè progrediaris, cùm iam semel trãsieris. Respondeo ad hæc omnia, ea facilè dilui: asserimus enim peccatum nõ esse solam formæ debitæ priuationem, qualia sunt mors, cæcitas, tenebræ, & his similia pleraque; sed etiam esse actum contra rectam rationem factum, vel debiti operis omissionem. Grauius igitur peccatur, cùm magis contra rectam rationem agitur, aut cùm magis debitum officiũ deseritur, & negligitur, aut cùm maius præceptum prætermittitur. Nec verò similia dici possunt: Rectæ rationis metas transilire, aut certi loci lineas transgredi, & rectæ rationis normam, & regulam præterire. Nam in transiliendis lineis, tota culpa sæpenumero existit, nec semper grauius peccat, qui cum semel transierit, longius procedit; at verò quò magis metas rationis prætergredimur, eo magis delinquimus, quia peccatum est contra rationem agere. Deindè obijcies; Pœna peccatis debita, quæ Damni vocatur, est vna, nec maior nec minor, ergo peccata sunt æqualia. Fuêre, qui senserint, nõ solùm pœnam sensus malè agentibus debitam inæqualem esse, sed pœnam etiam Damni; quia cùm peccata non sunt æqualia, pœnæ etiam nequeunt esse pares: præsertim cum quisque ea Dei visione, & aspectu priuetur quem obtineret, si benè mereretur. Sed dicendum existimo, pœnam damni esse æqualem, quæ est perpetua hæreditatis, & regni cælestis priuatio, & sicut peccati macula in eo est sita, vt sit priuatio gratiæ, nec vlla ratio habetur, quãta sit gratiæ portio, à qua quis exciderit, maior ne an minor; sicut non est maior, aut minor cæcitas ex eo, quòd maior, aut minor aspectus oculorum sit amissus; ita nec maior etiam, aut minor pœna dãni esse potest, quòd maior, aut minor futura esset clara Dei visio, & cælestis hæreditatis adeptio. Postremò obijcies, peccatum ideo esse malum, quia est priuatio recti, ac debiti ordinis: & priuatio maior, aut minor non est. Respondet S. Th. 1.2.q.73.art.3. Richard. 2.dist.42.ar.4.q.2. Peccatum non esse priuationem ex toto formam remouentem, sed ex parte: priuationes autem, quæ ex parte tantùm formas excludunt, alias alijs maiores esse, aut minores. Et probat, peccatum nequaquam ex toto rectum rationis ordinem auferre ex Aristotel. *lib.4.Ethic.cap.5.* dicente, *Malum si ex toto malum esset, seipsum perderet.* Quo loco S. Thomas peccatum accepit ex parte auersionis. nam lethale crimen, nos auertit à Deo, & ab eius societate, gratia, & amicitia ex toto disiungit, atque diuellit. Verùm, quemadmodum peccata ex conuersione ad obiecta, vnà cum S. Thoma specie distinguimus: eodem modo peccata ex obiectis inæqualia fatemur. Item, leuia & venialia delicta alia alijs maiora, minoraue sunt, & tamen nec nos gratia spoliant, nec à Deo separant. Certè negari non potest, multa esse peccata, quibus omni ex parte rationis ordo euertatur, cuiusmodi sunt odium, mendacium, homicidium, furtum, periurium, adulterium: sunt enim actus per se mali. Nec item Aristoteles in eo loco significat, peccatum non esse malum ex toto: tantummodo docet, eum, qui præter modum irascitur, ideo nimis irasci, quia irascitur, quibus non conuenit, & quando, & quomodo non debet, citiùs nimirum, aut diutiùs quàm par esset. Non tamen (inquit) ita, vt eidem iræ omnes excessus insint, non enim id potest: nam malum etiam se ipsum perdit, & si integrum sit, intolerabile euadit. Quod idem est, ac si dixisset: si eidem iræ omnes excessus inessent, vnus alterum euerteret, quoniam sunt sibi contrarij, & aduersi. Verbi causa, Qui citiùs irasci solet, citius quoque placari consueuit: vnde qui citiùs irascitur, hoc ipso, citiùs iram deponit. Item, si in eundem iratum hominem omnes iræ excessus caderent, essent intolerabiles. Malus item nõ solùm alijs, sed etiam sibi ipsi nocet, quia sibi contrarius. Si itaque immodicè iratus omnes iræ excessus haberet, contra se ipsum quoque irasceretur, & sibi noceret, & sibi quoque intolerabilis esset. Ad obiectum itaque argumentum respondeo, Peccatum nõ esse solam debiti ordinis priuationem, sed actum contra debitum rationis ordinẽ: & quo act⁹ magis à recta ratione dissentit, eo grauius est peccatum, & magis rectum ac debitum rationis ordinem peruertit.

Tertiò quæritur, An peccata alia alijs grauiora, & deteriora sint ex obiecto? Respondeo, esse, & ob eam causam peccata per se proximè cõtra Deum esse maiora his, quæ contra homines admittuntur: & peccata contra præcepta primæ tabulæ Decalogi, esse grauiora ijs, quibus violantur præcepta secundæ tabulæ. S. Tho. 2. q. 73. ar. 9.

Quartò quæritur, An peccata sint grauiora quo maiori virtuti õpponuntur? Respondeo, esse, sed nomine virtutis accipere oportet: tum virtutem, tum id, quod est virture maius, qualis est synderesis, & recta naturæ propensio, & amor erga se ipsum: quò enim virtus, vel rectæ rationis præscriptum est maius, eo grauius est peccatũ, quod cum virtute pugnat, vel à recto dissident rationis præscripto. Obijcies, simplex cum scorto cõgressus, qui dicitur simplex fornicatio, est peccatum furto maius: at furtum iustitiæ aduersatur, & fornicatio castitati, & tamẽ iustitia est castitate nobilior, & præstantior virtus. Item, odium proximi charitati repugnat; impietas pietati siue religioni, & infidelitas fidei; at peius est infidelitatis, & impietatis crimen quàm odium proximi, & tamen charitas est virtus fide, & pietate maior, & dignior. Ampliùs, in rebus naturalibus, visus potior, & nobilior sensus est tactu; & tamẽ tactu cãrere multò peiùs est, quã aspectu oculorum priuari; ergo peccata non sunt inde grauiora, quòd maiori virtuti aduersantur. Respondeo, non semper maiora esse peccata, quę sunt præstãtiori virtuti contraria: quia grauitas, vel leuitas peccatorum potest etiam aliunde proficisci, vt in fornicatione, & furto videre est: nam licet furtum iustitiæ repugnet, & fornicatio castitati, est tamen fornicatio peior furto, quia est contra sobolem, & bonum prolis, quæ ex fornicatione nata malè educatur, & instituitur. Pari ratione, infidelitas siue impietas cẽsetur peior odio: nã qui sunt à Dei fide, & religione alieni, ab spe quoq;, & charitate procul absunt: hæc enim absq; veri Dei fide, & religione esse nõ possunt, & propterea infideles, & impij in multis peccatis, & criminibus tenentur; sed qui proximum odio prosequitur, non continuò

tinuò fide,& ſpe caret. Cum itaque peccata grauiora aut leuiora reputantur ex eo, quòd pugnēt cum maiori, minoriuè virtute, id tunc accidit, quando in reliquis ſunt paria. Et idcirco etiam in naturalibus, non ideò quòd viſus ſit tactu nobilior, peior eſt priuatio viſus, quàm tactus: quoniam ſtatim atque animal tactu vacat, expers vitæ eſt, non tamen, quia viſus amittitur, ideo animal vita caret. Vni item virtuti aliquando multa crimina opponuntur, vt iuſtitiæ plura iniuſtitiæ vitia: quare tunc peccatorum inæqualitas, non ex vna virtute, cui aduerſantur, exoritur, ſed ex varijs obiectis,& circunſtantijs.

S.Tho.1.2. q.73. ar.6. Quartò quæritur, An peccata ſint alia alijs deteriora ex eo, quòd ex cauſa maiori, vel minori proficiſcantur? Reſpondeo, modò in cæteris ſit æqualitas, eſſe grauiora. Nam peiùs, & grauiùs peccat, qui ex induſtria, & dedita opera delinquit, quàm qui per ignorantiam: peiùs item agit, qui ſcienter,& ſponte peccat, quam qui metu ad actus, aut violentia compulſus. Præterea, minus eſt flagitium, quod vehementi animi perturbatione committitur; quàm quod nullo ſenſus,& appetitus impulſu. Eadem ratione, & maiora ſunt crimina, quæ finis peioris gratia perpetrantur.

S.Tho.1.2. q.73.art.7. Quintò quæritur, An peccata ſint maiora ex eo etiam capite, quòd ex circunſtantijs deterioribus oriantur? Reſpondeo, eſſe: quod tripliciter contingit. Primo modo, quia vni, & non alteri peccato circunſtantia accedit: vt ſi Titius & Caius adulterium admittant, & Titius ſit voto caſtitatis adſtrictus; Caius verò ſolutus. Secundo modo; quando crimē plurium concurſu circunſtantiarum augetur: & ſic parricidium, teſte Ciceronе *in Paradoxo* 3. peius eſt ſimplici homicidio. *Quòd parētem*, inquit, *necare, eſt eum occidere, qui te genuit, qui aluit, qui inſtituit, & erudiuit, qui in domo, & republica collocauit.* Quibus verbis non ſignificat in parricidio tot ineſſe prauitates, quot ſunt prædictæ circunſtantiæ: ſed parricidium ideo maioris eſſe deformitatis, quoniam iuſtitia, & pietas in parentem violatur: quæ duo meritò ponderauit ex eo, quòd parens filium gignit, educat, inſtituit, informat, & in domo, ac republica collocat. Tertio modo: quando circunſtantia maior eſt ex magnitudine materiæ; vt ſi quis furto ſurripiat ingens auri, argentiuè pondus, alius verò multò minus.

Cap. XX.

Quòd aliunde etiam peccata ſint alia alijs deteriora.

S.Tho.1.2. q.73. ar.3. PRIMO quæritur, An peccatorum magnitudo ex damno, & detrimento illato augeatur? S.Thom. reſpondet augeri, ſed diſtinguit in hunc modum. *Si damnum eſt præuiſum, & voluntarium, auget directè per ſe; ſi verò ſit præuiſum tantùm, nō tamen voluntarium, auget quidem, ſed indirectè. Si autem neque voluntarium ſit, neque præuiſum, tunc aut ex accidenti ſubſequitur, aut per ſe directò. Si primo modo, non auget, licet pœnæ iure humano irrogatis ſubijciatur; vt ſi quis rei illicitæ dabat operam, contrahit irregularitate ex homicidio, illud opus, quamuis ſine culpa, conſecuto. Si verò ſecundo modo, tunc auget magnitudinem peccati.* Hæc ferè S.Thom. At contra has S.Tho. regulas eſt argumentum. Qui alterum incitat ad libidinem, & luxuriam, nocet ei grauiſſimè, cauſa enim eſt, vt gratiam, & charitatem amittat: & tamen deterius eſt hominem occidere, quàm fœminam ad libidinem, & luxuriam allicere. Item, qui publico verbo, vel facto alios ad peccādum inuitat, & mouet, damno maximo eos afficit, & tamen grauius peccat homicida. Ergo peccatorum magnitudo, ex damno non pender. Caietanus, & alij S.Thom. diſcipuli valde in his argumentis diluendis laborant. Sed horum ſententijs omiſſis, dicēdum arbitror, nō ſemper damnum illatum nouā peccati ſpeciē adferre. Quodvt planius intelligam⁹, animaduertere oportet quædam peccata opere exteriori, alia verò interiore duntaxat voluntatis affectu, & actu compleri. Quæ exteriùs perficiuntur, ea nouam prauitatem ſuſcipiunt, quæ operi exteriori ineſt, ſiue ſit voluntaria directò per ſe, ſiue indirectò tacitè, & implicitè. Et propterea homicidium eſt ſacrilegium, ſi quis clericum occiderit ſcienter, aut per ignorantiā craſſam, etiamſi nollet eum eſſe clericum. Furtum quoque eſt ſacrilegiū, ſi quis ſciēter rem ſacram ſurripiat, quamuis nollet eſſe ſacram. Et in his peccatis ſocum habet id, quod tradidit S.Thomas, peccati prauitatem augeri ex damno, quo alteri ſcienter, & vltro nocemus. Ea verò peccata, quæ terminantur, ac perficiuntur interius, non omnem prauitatem, & ſpeciem ab opere ſumunt externo, niſi directò per ſe voluntaria ſint. Quapropter qui alterum attrahit ad libidinem atque luxuriam, haud ſe ſcandali ſcelere obſtringit; niſi eo animo id fecerit, vt peccet ille: nec qui publico ſuo verbo, vel facto alios ad peccandum incitat, ſcādali peccatum admittit, niſi eo animi affectu coram alijs deliquerit, vt illi ad peccandum moueantur.

Ad obiecta itaque reſpondeo: grauiùs homicidam peccare, quàm eum, qui ad luxuriam, & libidinem alium inuitat, ac mouet: is enim in ſcandali crimen non incurrit, qui allicit ad peccandū alium libidinis explendę gratia, non vt ille à Dei gratia, & charitate excidat peccando. At inquies; Qui conſilio, ſuaſione, prece, aut imperio, aut ſuo facto alterum ad furandum permouet, & ſimul cum eo furtum committit, reus eſt tū furti, quod ipſe perpetrat, tum eius peccati, quod alius admittit ipſius cōſilio, ſuaſione, hortatu, prece, iuſſu, vel facto. Reſpondeo, eum duplici furto numero diſtincto teneri, vt rectè argumento probatur: at verò ſi quis facto ſuo, aut verbo alium ad furandum alliciat, & moueat; non ſe peculiari ſcandali delicto, ſed furto duntaxat ſuo facto, vel verbo commiſſo commaculat: quia ſcandalum ſpecialem requirit voluntatis affectum, quo quiſpiam velit peccatum alienum, & alienæ gratiæ iacturam, vt ſuo loco fuſiùs dicetur. Ex dictis apparet, non augeri peccati grauitatē ex eo, quòd quiſque clam lethalem culpam contrahit, & animæ ſuæ affert interitum, quo à gratia, & charitate excidit: hanc enim animæ mortem per ſe directò non vult: quāuis ſi directò per ſe veller, tunc peccati deformitas augeretur.

Secundò quæritur, An is, qui directò & per ſe, verbo, vel facto alterum permouet ad mortem S.Th. 1.2. q.73.art.8.

ſpiritua-

spiritualem animæ, grauius peccet, quàm is, qui alteri mortem corporis infert? Duæ sunt opiniones, prima est Caietani 1.2. *quæst.* 73. *ar.* 8. asserentis eum grauius peccare, quia multò peior est mors animæ, quàm corporis: ergo si vtraque per se directò inferatur, grauius peccatum erit mors animæ, quàm corporis. Secunda opinio est aliorum, qui asserunt magis peccare eũ, qui vitam corporis adimit: tũ, quia est integra causa mortis, cum tamen is, qui suo consilio vel hortatu, vel facto alium allicit ad peccandum, non sit auctor ex toto alieni peccati, sed ex parte: tum etiam, quia vita corporis semel erepta restitui non potest; at verò gratia, & charitas amissa potest recuperari. Sed certè probabilior est Caietani sententia, quã eius ratio, & argumentum comprobat. Nec verò rationes secundæ opinionis quicquam efficere videntur: alioqui enim grauius esset homicidium, quàm crimen, quo quis populum à Christi fide, & religione alienaret. Item, maius esset homicidium, quàm odium Dei, infidelitas, hæresis, desperatio: quia per hæc peccata à gratia decidimus, in quam tamẽ per pœnitentiam redire possumus, & tamen vitam corporis semel ademptam nec recuperare, nec reparare amissam possumus.

S. Tho. 1.2. q. 73. ar. 8. Tertiò quæritur, An qui alterũ directò, & per se ad veniale peccatum permouit, grauius peccauerit, quàm qui alium interfecit? Quæstionẽ mouet, quòd veniale delictum maius est malum, quã quodcunque malum pœnæ: ergo maius est damnum quempiam ad veniale peccatum permouere, quàm vitam corporis auferre. Respõdeo, eum qui homicidium patrauit, hoc ipso, lethale crimẽ contraxisse; at verò, qui alium hominem in venialem culpam induxit, non hoc ipso, in lethale crimen videtur incurrisse; nam solùm se obligauit eo delicto, in quod alter ex eius consilio, & impulsu prolapsus est.

S. Tho. 1.2. q. 73. art. 8. Quartò quæritur, Quo pacto damnum alterius hominis præuisum, non tamen voluntarium augeat indirectò peccati deformitatẽ? Nam si præuisum, & cogitatum est, hoc ipso, est voluntariũ, si ex peccato enascatur. Sæpius autem admonui, in ijs peccatis, quæ exterius complentur, ex circunstantia etiam indirectò voluntaria, speciem desumi: ergo ex ea quoque peccati grauitas augetur. S. Th. planè docuit præuisum ac cogitatum damnũ, & non voluntarium augere peccati grauitatem indirectò: vtputa, *si quis*, inquit, *ad furandũ, vel occidendum domo egressus, aliena fata conculcet, id tamen nolens per se, & directò.* In hac re negari non potest, quin huiusmodi persona, & furti, vel homicidij cõmissi, & cõculcatæ segetis crimine teneatur, & ad hoc sufficit, si conculcatio segetis indirectò sit voluntaria: nam circunstantia indirectò voluntaria, tribuit actibus humanis bonitatem, vel prauitatem. Quòd autem S. Thomas, damnum ait conculcatæ segetis augere indirectò furti, vel homicidij commissi prauitatem; ideo dixit, quia Titius furtum, vel homicidium volebat, non autem segetis conculcationem: ea enim solùm fuit voluntaria in causa, non per se, & proindè indirectò, id est, ex eiusmodi cõculcatione indirectò voluntaria, maior effecta est furti, vel homicidij prauitas. Non tamẽ inde efficitur, vt neget S. Thomas, in facto Titij ineſſe peccatum furti, vel homicidij, & peccatum conculcatæ segetis.

S. Tho. 1.2. q. 73. art. 8. Quintò quæritur, An damnum, quod casu ex peccato alicuius exiſtit, ac surgit, neq; præuisum, neq; voluntarium, irrogatis iure scripto pœnis subijciatur, absque hoc quòd culpæ detur? S. Thomas docet id verum esse; nam ex iure Canonico irregularitas sæpè cõtrahitur ex hoc, quòd mors alicuius hominis cõtigerit ex facto, quo quis rei vetitæ operam dabat, etiamsi neque voluntaria fuerit, neque præuisa, sed casu tantùm consecuta. Verùm hæc res nõ est huius loci: ea enim ad materiam de irregularitate referenda est, vbi hoc breuiter, & luculenter tractandum est.

Ibidem. Sextò quæritur, An damnum neque præuisum quidem neque voluntarium, natum tamen per se ex nostri peccati actu, augeat directò, & per se criminis prauitatem? S. Thomas ait, augere: quod probat hoc exemplo: Vt si quis peccet publicè coram alijs, ita vt suo facto ad peccandum alios inuiter, & alliciat. Quod ad hanc quæstionem attinet, negari etiam non potest, quin id detrimenti consecutum, criminis turpitudinem augeat: verũ id sanè est difficilè, quo modo, secundum B. Thomam, augeat directò, & per se, cum neque voluntarium sit, neque præuisum. Nihilominus tamen dicimus sufficere, si ex nostro malefacto oriatur, & manet, hoc enim ipso videtur præuisum, & voluntarium. Quod autem sanctus Doctor asserit, nec esse voluntarium, neque præuisum: intelligitur non esse in se, sed in alio voluntarium; nimirum in nostro malefacto. Obijcies: Ergò Titius, qui publicè coram alijs delinquit, & suo facto eos ad peccandũ impellit, scandali crimine contaminatur. Negamus id sequi: neque enim peccat Titius eo animo, vt faciat eos delinquere, & à Dei gratia decidere: neque S. Thomas voluit id esse scandalum; sed Titium duplici crimine obligari: & eo, quòd ipse per se perpetrat: & eo, ad quod suo facto alios incitat, & mouet: ita vt si ipse furetur, & suo facto alios ad furandum alliciat, duplicis furti scelere sese obstringat, & polluat.

S. Th. 1.2. q. 73. ar. 9. Septimò quæritur, An crimina eò sint grauiora, quò maior, aut dignior est is, in quem peccatur? Respondet S. Thomas, esse: quod dupliciter contingit: primò, quando personæ dignitas, aut conditio distinctam tribuit peccato speciem. Et hac ratione parricidium peius est simplici homicidio: illo enim pietas propinquis debita, hoc verò iustitia, non pietas violatur. Item, cædes clerici non solùm est simplex, sed sacrilegum etiam homicidium: & hoc modo in peccatis luxuriæ insunt circunstantiæ speciem mutantes. Secundo modo, dignitas personæ offensæ auget quidem criminis grauitatem, nouam tamen peccato speciem non præstat. Vt, si quis hominem innocentẽ, iussum vel sanctum, vel illustrem, & inclytum trucidet, aut vulneret, aut pulset, & verberet.

S. Th. 1.2. q. 73. ar. Octauò quæritur, An ex dignitate eius, qui delinquit, peccati grauitas augeatur? Respondet S. Thomas augeri: quod etiam potest accidere dupliciter; Vno modo, vt personæ conditio nouam peccati speciem constituat; veluti si persona sit voto adstricta, aut matrimonio coniuncta; &

contra

contra matrimonij, aut voti leges, & iura faciat: aut si speciali lege, vel præcepto teneatur, quales sunt religiosi, vel clerici in multis, non in omnibus, in quibus delinquunt. Altero modo, personæ conditio nouam peccato speciem non dat, auget tamen criminis prauitatem. Vt si amicus amicum lædat: si quis de se benè meritos offendat, si vir probus, & sanctus peccet, si religiosus superbiat, maledicat alicui, si mentiatur. QVAERES, an ex hoc capite omne peccatum eo ipso, quòd est à Christiano homine commissum, sit deterius, & peius, quàm si ab Ethnico, & Pagano committeretur. Respondet S. Thomas, esse grauius, licet eiusdem speciei crimen sit. Obijcies, alio in loco eum docere; si religiosus, & alius, qui est à religione solutus, & liber, in idem peccati genus incurrerit, minùs religiosum peccare, quàm laicum. Respondeo, negari non posse, quin religiosi hominis peccatum magna ex parte sit grauius, quatenus vel ex maiori legis, vel præcepti contemptu, aut cum aliorum offensione, aut ex pleniori rei agendæ scientia, vel ex maiori negligentia committitur: Nihilominus tamen verè S. Thomas affirmauit religiosum ex alia parte minùs peccare, quia minus liberè, & voluntariè delinquit: nimirum quia aut occasione incitatus, aut perturbatione animi commotus labitur, & peccat. Item, minùs voluntariè peccat vir religiosus, quia renitente, & obluctante ratione, quod non debet malum facit; cùm tamen laici liberiùs peccare soleant minùs obsistente, & repugnante ratione. Ex quo etiam fit, vt religiosi homines in peccatum lapsi citiùs, & faciliùs resipiscant, & ad saniorem mentem redeant; cùm tamen laici diutiùs mente obstinata in peccatis persistant, eò quòd maiori voluntatis affectu malis inhæreant.

S. Th. 2. 2. q. 10. art. 3. ad 3. S. Th. 2. 2. q. 186. a. 10

Cap. XXI.

Quanam in animæ parte peccata sedem habeant.

PRIMO quæritur, An omne peccatum in voluntate tanquam in subiecto, quod appellãt, inhæreat? Respondet S. Thom. 1. 2. q. 74. *art.* 1. omne peccatum in voluntate inesse. probat, quia omne peccatum est voluntarium: sed omnis voluntarius actus sedem habet in volũtate, cum sit actio immanens, quæ in ea animi facultate tanquam in subiecto excipitur, ac manet, à qua fit. Obijcies; hæresis est peccatum, & tamen non in voluntate, sed in ratione inhæret, quippè quæ est assensus, vel error intellectus contrarius fidei. Vitia item, & virtutes sedem habent in appetitu sensus, vti temperantia, & fortitudo, hisque vitia contraria; sed habitus, & actus in eadem animi facultate reponuntur. Ad hæc, in sermone, & locutione, verberatione, & percussione, qua quempiam vulneramus, cædimus, pulsamus, peccatum ineft, & tamen non sunt actus immanentes, quia in externam materiam transeunt. Conradus, & alij S. Thomæ discipuli, aiunt S. Thomam non sentire omne peccatum sedem habere in voluntate, cùm doceat multa peccata in alijs animę facultatibus inhærere, sed solùm omne peccatum esse in voluntate, non vt in subiecto, sed vt in principio, & causa, cui tribuitur, & imputatur. Sed S. Thomæ aduersantur: qui docent, peccatum ideo esse in voluntate, quia omne peccatum est voluntarium, & actio immanens. Quare cum Caietano respondemus ad hæc omnia, concedendo peccata in alijs quoque animæ facultatibus inesse, vt statim ostendemus: at nihilominus omne peccatum in voluntate, etiam vt in subiecto inhærere; quia nequit esse peccatum nisi voluntarium; sed volũtarium nihil est, nisi quia voluntas id velit, aut non impediat, cùm tamen possit, & debeat impedire. Quare fatemur hæresin quidem inesse in intellectu, & ratione; cæterùm hoc ipso, quod hæresis est peccatum, necessario est error contra fidem voluntarius, & liber: ergò, vt error in ratione reponitur: vt verò voluntarius, & liber, in voluntate. Eodem modo, peccata contraria virtuti temperantiæ, vel fortitudini, sedem quidem habent in appetitu sensus; verùm, quia actus sunt voluntarij, in voluntate quoque hærent, & insident. Pari ratione, sermo, locutio, verberatio, percussio, quamuis ex parte transeant in externam materiam; hoc ipso tamen, quòd sunt peccata, sunt necessariò voluntaria, quare in voluntate itidem collocantur.

Secundò quæritur, An peccata insint quoque in cæteris hominis facultatibus? Respondet S. Thom. 1. 2. *quæst.* 74. *articul.* 2. inesse: quod perspicuè colligitur ex paulò antè dictis. Nam virtutes, & vitia in cæteris etiam facultatibus reponuntur, vt fides, hæresis, imprudentia, in ratione: Fortitudo, temperantia, abstinentia, sobrietas, castitas, mansuetudo, clementia, ira, tristitia, inuidia, in appetitu sensus. QVAERES, quomodo hæc duo sibi cohæreant; Omne peccatum inhærere in voluntate, & tamen multa inesse quoque in alijs facultatibus? Sed facilis est responsio, vt docet Caiet. 1. 2. *quæst.* 74. *artic.* 1. hæc sibi constare: quia omne peccatum, quatenus voluntarium, residet in voluntate; at quatenus est actus quidam ratione suæ substantiæ, sedem quoque habet in alijs hominis facultatibus, vt puta hæresis, cum sit error in fide, per substantiam suam actus est intellectus; sed quia voluntarius, inhæret itidem in voluntate. Ad eundem modum, intemperantiæ actus, ratione suæ substantiæ insidet in appetitu sensus; sed quatenus voluntarius, inest quoq; in voluntate. In hoc enim Caietanum sequi possumus, ita S. Thomam explicantem: nisi potiùs sequi velimus Cõradum, & alios S. Thomæ discipulos asserentes, non omnia peccata in voluntate, vt in subiecto inhærere, sed aliqua in alijs hominis viribus inesse; omnia tamen in voluntate, vt in originem, & causam conferri: ita vt omne peccatum sit voluntatis tanquam causæ, vnde existit, ac pendet. Ex his perspicitur, in ratione hærere peccata duplicia, videlicet ignorantiam eorum, quę scire, & nosse, lege aliqua, vel præcepto compellimur; & hæresim, & cætera, quæ contra Fidem crimina admittuntur, quoniam Fides est in ratione; in appetitu verò sensus reponuntur peccata temperantiæ, & fortitudini contraria: quia fortitudo, & temperantia in eo appetitu residere dicuntur.

Medi. 1. 2. q. 74. ar. 1. ad finem.

Tertiò quæritur, An in sensib⁹ externis, & mẽbris corporis peccata inhæreant? S. Th. 1. 2. q. 74. *art.* 2. *ad* 3.

art.2.ad 3. concedit quidem in intellectu,& appetitu sensus inesse peccata, negat tamen in externis sensibus,& membris corporis. Quidam putant,non sibi S.Thomam constare: quia qua ratione in appetitu sensus, & intellectu peccata reponuntur, poni quoq; in sensibus debent;omnes enim huiusmodi facultates, à voluntate mouentur,quamquã per se sunt libertatis expertes.Præterea, sicut error intellectus, quatenus voluntarius, sæpè vitio, & culpæ tribuitur; sic etiam inaspectu,sermone, auditione voluntaria frequenter inest peccatum. Ad hæc,exteriores actus sunt sensuum,& membrorum functiones,&opera,vt furtum, homicidium,percussio,adulteriũ,detractio: qui tamen actus vitiosi sunt,& praui suaptè natura. Dices; actus quidem exteriores transire in externã materiam; sed peccata esse ipsos actus immanentes. Sic Caiet.Conrad.1.2.q.74.ar.1.& 2. & Medi. & alij S.Thomæ discipuli; nihilominus hoc facilè refellitur: dicimus enim actus immanentes, esse peccata, & eatenus esse peccata,quatenus sunt actiones voluntariæ rationi cõtrariæ; sed idem etiam conuenit actibus exterioribus, quippè qui sunt voluntarij actus, quatenus peccata. Præterea, S.Thomas videtur secũ pugnare: nam alibi, nimirum 1.2.q.81.ar.1. aperte fatetur actus membrorum exteriorum aliquãdo esse peccata lethalia certè diffiteri nõ possumus, in actibus externis peccata inesse eadem ratione, qua sunt in actibus intellectus,&appetitus sensus,videlicet quatenus actus voluntarij sunt. At verò S.Thomas (vt alij quidam interpretantur) ideo negauit in membris peccata inhærere, quia in vniuersum iam ante tradiderat, nimirũ 1.2.q.56.ar. 4. & 5. habitus studiosos,vel vitiosos in sensibus externis, & in membris minimè inesse: & quia habitus, & actus in eadem hominis facultate sedem habent, idcircò inficiatur S. Doctor in externis sensibus,& membris peccata residere,hoc est,habituum vitiosorum actus: cùm igitur ait S. Thomas, in corporis membris,& sensibus externis non esse peccata,nihil aliud dicere voluit,nisi in ipsis non esse vitia:nam vitia pro peccatis,& peccata pro vitijs sæpius ponuntur. Alij intelligunt S.Thomæ sententiam in hunc modum, non quòd neget S. Thomas in corporis membris, & sensibus externis esse actiones, quæ peccato tribuantur & culpæ,quatenus à voluntate existunt, & pendent: sed quòd neget vlla esse peccata eo modo, quo esse possunt in ratione,& sensibus internis,vel appetitu sensus? nam in his facultatib⁹ solent esse peccata venialia,quæ præueniunt plenam,& perfectam rationis,&voluntaris deliberationem,quamuis imperfectam sequantur:at in membris corporis,& sensibus externis nõ solent esse talia peccata: quia vt ait S.Tho.1.2.q.74.ar.2. ad 3. membra corporis, & sensus externi nõ sunt principia actionum: hoc est non se mouent, non se excitant ad agendum sine animo, à quo naturaliter mouentur, & cui naturaliter parent. Nobis tamen (quicquid de S.Thomæ sententia iudicare velis) probabilius videtur, in sensibus, & membris aliquando peccata inhærere: multi enim sunt sensuum actus immanentes, vt degustare,videre,audire,odorari,qui actus, vt ex voluntatis imperio,& impulsu fiunt,peccato,& crimini dantur. Deindè, quamuis membrorum actus sæpè transeant in materiam externam, coniunguntur tamen cum motu, qui membris inest: neque enim locutio fit absque motu linguæ,nec homicidium,aut furtum absque motu manuum. Insuper,vt supra docuimus, peccatum non semper est actus propriè acceptus, sed quicquid se habet instar actus,quod legibus imperari,aut interdici potest, laudari, vituperariue: cuius generis sunt stare,sedere,seu quiescere,armatum,vestitũ esse, in foro commorari,in lecto iacere; hæc enim singula præcipi, aut vetari queunt, & propterea in laude, aut vituperatione consistunt, & tamen actus non sunt.

Quartò quæritur, An in actibus reliquarum facultatũ sint peccata per se,& intrinsecè, an verò solum extrinsecè, & per aliud? ita vt in sola voluntate sint per se,& intrinsecè peccata. Duæ videntur esse opiniones: Prima est Scot.2.d.42.q. 4.art.2.§.ad primum.Duran.2.d.42.q.1.art.1.Ocham, 3.q.10.& quodl.1.q.20.Gabr.2.d.42.q.1.art.1.& 2. Almai.tract.3.mor.c.18.Bonau.2.d.42.a.1.q.1.Richard.2. d.42.a.1.q.1.Mai.2.d.42.q.1.peccata propriè, & per se, ac vt ipsi loquuntur, formaliter solummodò esse in actu volũtatis interiori, extrinsecus verò in actibus reliquarum facultatum: qui actus non sunt peccata per se,sed per actum voluntatis, per quem sunt voluntarij, & liberi: quod hac vnica ratione conantur ostendere.Peccatum est voluntarium, & in genere moris constitutum; at solus actus voluntatis interior est per se voluntarius, & liber; cæteri verò sunt extrinsecus voluntarij, & per voluntatem in genere moris repositi, sine voluntate enim actus quicunque sit ille,genus solùm naturæ,non moris habet: ergo solus voluntatis actus interior est per se malus, reliqui verò extrinsecus per internum actum sunt mali. Secunda sententia docet actus externos,qui ex materia,& re obiecta, in qua versantur, sunt mali,si accipiantur, quatenus sunt rationis obiecta, esse malos per se; hoc est, ante voluntatem, ex se, & in se prauitatem habere,non ab ipsa voluntate: si verò sumantur, vt sunt facti, siue vt in facto consistunt,non sunt priùs mali,quàm voluntas sit mala: vndè sicut à voluntate mala fiunt, sic per malam voluntatem mali sunt. At verò omnes actus externi,qui mali non sunt ex materia, & re obiecta,sed ex malo voluntatis affectu, & proposito, quomodocunque considerentur, non sunt mali per se,sed per malum voluntatis, & mentis propositum: vt si quis inopi eleemosynam porrigat ob inanem gloriam,prius volũtas est mala,quam largitio pecuniæ,& ex ipso voluntatis malo affectu opus est malum, non ex materia, & re obiecta: at si quis furetur, peieret, mentiatur, quamuis actus ipsi, vt sunt facti, à mala voluntate sint, furtum tamen,periurium,mendacium,vt sunt rationis obiecta, per se mala sunt, non à malo voluntatis studio, & affectu; quoniam ante voluntatis actum sunt obiecta rationi dissentanea: ex se, & per se sunt obiecta cum recta ratione pugnantia,& indè est,vt malam voluntatem efficiat. Sic S.Thom.1.2.q.20.a.1.& 2.& de malo q.2.artic.3. Hæc opinio mihi magis probatur: tum quia voluntas (verbi gratia) furandi,ideò est mala, quia malum est furari, non autem è contrario; tum

etiam

etiam quia periurium, mẽdacium, furtum, homicidium, detractio, contumelia, adulterium per se ipsa à recta ratione dissentiunt, ergo per se sunt mala; nam malum in moribus est, quod à ratione discrepat, & cum ea pugnat. Objicies; Peccatum non est, nisi voluntarium: at voluntarium nihil est, nisi per actum voluntatis internum. Respondeo, peccata esse quidem actus voluntarios, & liberos: Rationem item voluntarij, & liberi requiri ad actus morales quatenus fiunt, sine qua in genere moris nequaquam essent; non tamen vt rationem, per quam sint in moribus mali: ac propterea in belluis, pueris, & amentibus, actus moris locum non habent, quia liberè non agunt: At verò, quòd actus voluntarius, & liber sit malus in moribus, indè est, quod à recta ratione dissideat, non autem ideò dissidet, quia sit voluntarius, & liber, sed quia circa obiectum rationi contrarium versatur. Nam quemadmodum ignis suo calore exurit, & suo pondere, ac leuitate superna loca petit; sed nec in sublime fertur, nisi impedimento semoto, nec vrit, nisi ligno, quod exuritur, propinquo: sic actus, qui fit, est malus in moribus, sed non nisi voluntarius, & liber. At si opus malum sumatur, vt rationis obiectum, nõ est malum, quia voluntarium: nam ante voluntatem est rationis obiectum, & rectæ rationi contrarium: ergò ante voluntatem est malum obiectum rationis. Si adhuc vrgeas: actus rectæ rationis est bonus, quia voluntarius, & liber, alioqui enim non esset laude, & præmio dignus; ergò actus malus non est, nisi voluntarius, & liber sit. Respondeo; in actibus, qui fiunt, requiri omnino voluntariũ, & liberum, vt laudem, præmium, vel pœnam mereantur, item, vt sint in laude, vel culpa; at quatenus opera sunt rationis obiecta, voluntatem non postulant, vt sint mala, quoniam ante omnem voluntatem, furtum, homicidium, adulterium, periurium, mendacium, vt sunt rationis obiecta, à recta ratione discordant, & dissident: ergò eo ipso sunt mala: nam malum in moribus est, quod cũ recta ratione pugnat. Ex quo efficitur primò, vt actus, qui fiunt, in quibus ratio liberi non est; culpa, peccato, omnique moris deformitate careant. Deindè, vt actus liberè facti, in culpa, & vitio sint ex eo, quòd à rationis præscripto recedant. Rursus objicies; Genus moris primò constituitur per rationem voluntarij, & liberi: Bonum autem, & malum sunt differentiæ moris; ergo per rationẽ quoq; voluntarij, & liberi constituuntur in specie boni, & mali. Respondeo, in obiectis, genus moris non constitui per rationem voluntarij, & liberi: requiritur quidem libertas in actibus, qui fiunt, ad genus moris; actus enim, qui vi, & facultate sola naturæ fiunt citra respectum, & ordinẽ ad rationem, tantummodò sunt naturales: Constituitur tamen genus moris in obiectis per ordinem ad rationem, actus enim, qui rationi objiciuntur, per se, eo ipso in genere moris sunt, quatenus rationi consentanei, aut dissentanei, medij, & indifferentes ex obiecto: Omnis autem actus, qui in genere moris reponitur, necessariò est voluntarius, & liber, cùm fit: licet non indè genus moris ducat, aut saltẽ rationem boni, mali, vel indifferentis, vt objicitur rationi, sed quia per se cum ratione consentit, vel pugnat.

Quintò quæritur, An in appetitu sensus peccata inhæreant lethalia, quem appetitum Theologi frequenter sensualitatem appellant? quod est quærere: an possit in sensualitate lethale peccatum inesse? S. Thom. 1.2.q.74.ar.4. veteres scholasticos secutus, de venialib⁹ peccatis id concessit, de lethalibus negauit: venialia scilicet in sensualitate, inquit, possunt inhærere, lethalia solũ in ratione, & voluntate sedem habere queunt. Quæ sententia, & cognitu, & explicatu sanè per quàm difficilis est. Aut enim peccatũ accipitur, vt est quidam actus per substantiam suam, & naturã, & hoc modo potest esse in appetitu sensus, vt apertè liquet: aut vt est quippiam voluntariũ, & liberum, & tunc, & veniale, & lethale est in voluntate, & ratione, cum omne peccatum sit voluntarium, & ex aliqua mẽtis deliberatione proficiscatur. Caiet. 1.2. *quæst.* 74. *art.* 4. vt S. Thomæ sententiam tueretur, nouam aliam, sed non verã excogitauit; nimirum, appetitum sensus in homine per se, absque vllo rationis, & volũtatis actu, hoc est, sine consensu explicito, aut implicito esse libertatis participem, sed exiguæ, tantæ scilicet, quæ sufficiat ad leue, & veniale delictum, ad lethale non item, quod plenam animi deliberationem requirit. Id autem probat eo argumento; quòd sensus interni in hominibus, hoc ipso, quòd sunt cum intelligentia, & ratione connexi, & cõiuncti, functiones aliquas obeunt, quas belluæ præstare, & exequi nequeunt: Et ita, inquit, sensus interior aliquando ratiocinatur in homine circa singularia. Quæ sententia communi cæterorum Theologorum cõsensu reijcitur. Et meritò sanè: quia ex Augustino *libr. 1. retract. cap. 13. & lib. 3. de lib. arbit. cap. 17. & 18.* & philosophia morali aperte cõstat, nullum esse peccatum, quin sit voluntarium. Deindè, si vera esset Caietani sententia, omnes in appetitu sensus, act⁹, qui versantur in malo, & in eo, quod turpe est, essent peccata: possent etiam homines dormiẽtes peccare, quia appetitus sensus solutus est somno, licet ratio sit oppressa. Conrad. 1.2. *quæst.* 74. *art.* 4. vt prædictam S. Thomæ sententiam retineret, docuit ad lethale peccatum necessarium esse expressum voluntatis consensum; & proindè rationis & voluntatis actum: ad veniale verò sufficere implicitum, & tacitum cõsensum, qui sine vllo actu rationis, & voluntatis esse potest. Sed hoc fundamentum planè infirmũ, & falsum est: quia in lethali quoque crimine implicitus, & tacitus sufficit voluntatis consensus. Dur. 2. *d.* 24. *q.* 5. Medi. & alij iuniores 1.2. *quæst.* 74. *art.* 4. & Cordub. *lib. 1. suarum quæstionum q.* 23. aiunt, appetitum sensus dupliciter accipi, vno modo sumitur, vt præuenit plenam rationis deliberationem, & tunc appellatur sensualitas: ita vt ea nihil aliud sit, nisi appetitus sensus perfectam animi deliberationem præcurrẽs. Altero modo, vt plenum rationis ductũ sequitur, & ita vocatur appetitus sensus, nõ sensualitas: quò fit, vt omne lethale crimen sit in ratione, & voluntate; quia absque plena animi deliberatione non committitur: Veniale verò possit inhærere in sensualitate, quæ plenam mentis deliberationem anteuertit, & proindè leuiter, non grauiter potest delinquere. In appetitu tamen sensus possunt esse actus, qui sint venialia, & lethalia pec-

Mag. 2. d. 24. & ibi Theologi.

cata, quippe qui ex plena animi deliberatione aliquando operantur. Quorum sententia quibusdam non placet, quia cum S. Thomæ, & veterum Theolorum mente sentiunt non conuenire: nam S. Thom. *p. 3. q. 18. art. 2. & 1. p. q. 81. art. 1.* planè, & manifestè refragatur in Christo Domino fuisse sensualitatem, in quo tamen appetitus sensus rationem sequebatur, non anteibat. Præterea, veteres scholastici ideò negant in sensualitate lethale peccatum esse posse, quoniam auertit à fine, à Deo; & rationis est, vel in finem quippiam dirigere, aut ab eo abducere. Vnde opinantur sententiã S. Thomæ, & aliorum veterum scholasticorum esse, veniale peccatum non auertere hominem à Deo, cum eius amicitiam nõ dirimat, nec gratiam tollat: sed lethale alienat hominem à Deo, quia ab eius amicitia, & societate disiungit, & propterea lethale insidet in ratione, & voluntate, quibus mortem, & interitum spiritualem affert. Veniale verò potest quidem rationi, & voluntati inesse, in quibus sæpè existunt, & pullulant subiti, & repentini superbiæ, inuidiæ, ambitionis, inanis gloriæ, impietatis, iræ, & odij motus: ineſt tamen sensualitati, in qua inhærent quoque actus inuidiæ, iræ, & cupiditatis: qui actus licet, quatenus vitiosi, voluntarij sint, & proindè non absque ratione, & voluntate fiant: verè tamen per substantiam suam, actus, sunt appetitus sensus: lethale autem nequit esse in sensualitate, id est, appetitu sensus, non quòd actus lethalis culpæ non sit sæpè actus eius appetitus, sed quòd lethale crimen mors est, & interitus animæ, & proindè rationẽ, & voluntatem auertit, & alienat à Deo. Veniale autem, cuius actus est in appetitu sensus, in ratione, & voluntate non ponitur: non quia quatenus est voluntarium peccatum ad rationem, & voluntatem non spectet, sed quia mortem, & interitum gratiæ non infert menti; & proindè eã à Deo non auellit, & abstrahit, cùm tamẽ appetitum sensus à recto, & bono dimouear. Et hæc quidem illi, vt S. Thomæ sententiam exponant. Fortassis sententia S. Thomæ consistit in his. Primò, lethale peccatum, quamuis aliquando sit actus, qui re ipsa sit in appetitu sensus, vt in subiecto, cui ineſt, semper tamẽ est rationis, & voluntatis tanquam mouentis, vel saltem non reprimentis appetitum sensus: quoniam lethale peccatum non fit, nisi mens ipsa expressè, vel tacitè consentiat: vndè menti tanquam mouenti, aut non refrenanti appetitum sensus lethalis culpa tribuitur, potiùs quàm appetitui sensus. Secundò, veniale peccatũ sæpè est in appetitu sensus præueniente plenam mentis deliberationem, & sequẽti semiplenam, & imperfectam rationem: vnde huiusmodi peccatum potiùs in appetitum sensus, quàm in mentem conijcitur: & potiùs est peccatum appetitus, quàm mentis: quia non mens huiusmodi peccatum facere plenè deliberat, sed appetitus seipse mouet ad id, quod turpe, & malum est, perfectam quidem mentis deliberationem præcurrens, sed imperfectam rationem sequens. Quare S. Thom. *1. 2. quæstion. 74. artic. 3. ad 3.* ait; *illud, quod homo facit sine deliberatione rationis, non perfectè ipse facit; quia nihil operatur ibi id, quod est principale in homine: vnde non est perfectè actus humanus: per consequens non potest esse perfectè actus virtutis, vel peccati, sed aliquid imperfectum in genere horum: vndè talis motus sensualitatis rationem præuenientis, est peccatum veniale, quod est quiddam imperfectum in genere peccati*; sic ille. Hinc etiam est, vt idem S. Thomas *1. 2. quæst. 74. art. 2. ad 3.* negauerit, peccata esse in membris, aut sensibus externis: *quia membra*, inquit, *corporis non sunt principia actuum, sed solùm organa: vndè & comparãtur ad animam mouentem, sicut seruus, qui agitur, & non agit: potentiæ autem appetitiuæ interiores, comparantur ad rationem quasi liberæ, quia agunt quodammodo, & aguntur.* Sic ibi. significat S. Thomas, appetitum sensus aliquando perfectam mentis deliberationem præcurrere, & ideò aliquando in ea esse venialia peccata, quæ homo ex plena deliberatione non facit, & ideò potius dicuntur esse peccata appetitus, quàm mentis: at cùm membra corporis, & sensus externi feruntur ad malum, in culpa est mens ipsa potius, quàm corporis membrum, aut sensus, quia membrum, aut sensus corporis non se mouet, sed mouetur ab animo.

Sextò quæritur, An omne lethale peccatum insit in parte, siue ratione superiori? Augustinus *lib. 12. de Trinitate cap. 12. 13. & 14.* duas partes distinguit in anima, superiorem, & inferiorem. Superiorem vocat, quæ æterna contemplatur, & perspicit, aut de temporalibus secundùm æterna diiudicat; Inferiorem verò, quæ temporalia tantummodò cogitat, & curat. Porrò partis inferioris nomine, non intelligit solùm partem sensus, sed totam mentem ratione, & voluntate constantem, temporalibus tamen intentam. Ex qua Augustini doctrina S. Thomas *1. 2. q. 74. art. 4. & 5.* & Theologi cum Mag. *in 2. d. 24.* collegerunt, omne lethale peccatum sedem habere in parte superiori: quia lethaliter non peccatur, nisi cùm æterna Dei regula directò, vel indirectò deseritur; quia peccatum est dictum, factum, vel concupitum cõtra legem Dei. Quare sicut omne peccatum, quatenus est voluntarium, insidet in voluntate; sic omne lethale crimen, cum sit legis æternæ violatio, in parte residet superiori, licet actus, qui est lethalis, per substantiam suam insit in parte inferiori. Obijcies, Ethnicus homo, aut Christianus rusticus, & ignarus, sæpè lethaliter delinquit, nihil cogitãs de æterna Dei lege, quam deserit, & violat, ergò lethale non semper ineſt parti superiori. Respondeo, Omne lethale peccatum committi cum notitia honestatis, & rectæ rationis, quæ deseritur, ac negligitur: non enim potest esse peccatum, nisi cum scienter contra rationem, & legem admittitur. Omnis autem à lege, & iure declinatio, est hoc ipso à regula æterna aberratio: quia si volumus bona æterna adipisci, oportet nos ipsos in officio virtutis continere. Vt ergo qui, quod est necessarium ad finem deserit, respuit ve, eo ipso, à fine deflectit; ita qui grauiter neglecta lege, & recta ratione delinquit, in eo, sese abducit, & auertit à Deo. Lethale igitur omne crimen explicitè, aut implicitè est à regulis æternis aberratio, & proindè insidet in parte superiori, cuius est, vel æterna perspicere, vel illa deserere, atque contemnere.

Septimò quæritur, An peccatum, quod est consensus in delectationem, in hoc differat ab eo, quod est consensus in opus, quod hoc sit in parte superiori, illud verò in parte inferiori. S. Thom.

1.2.q.74.a.6.& 7. Augustinum secutus hęc peccata ita distinguit, quod consensus in delectationē ad rationem inferiorem pertineat, ad superiorem verò consensus in opus, quæ sententia est magna difficultate implicata. Nam consensus in delectationem sæpè est lethalis, at lethale crimen ad rationem superiorem diximus pertinere. Præterea, multa sunt delectationis morosæ peccata, quæ interiùs tantummodò perficiuntur, veluti superbia, inanis gloria, odium, ambitio, ira, inuidia; ergò huiusmodi peccata solū parti inhærent superiori. Caietanus respondet; ideò consensum in delectationem spectare ad partem superiorē, quia suaptè natura ad opus refertur, & dirigitur, consensus verò in opus non refertur in aliud: superioris autem partis est dirigere, non dirigi; cōtra verò inferioris dirigi, non dirigere. Sed certè hoc fundamentum positum à Caietano alijs non placet: quia multa sunt malefacta, quæ minimè in seipsis finiuntur, & desinunt, sed in aliud referuntur, pleræq; item delectationes internæ sunt, quæ in seipsis terminantur, & complentur, vt diximus. Alij videntur intelligere nomine delectationis solùm veniale peccatum. Sed Augustinus etiam de lethali, & mortifera delectatione loquitur, cùm eam dicit ad partem inferiorem pertinere: ait enim propter eam hominem totum damnari, nisi Christi gratia remittatur. Quare nec est, quòd multum laboremus hac in parte de Augustini sententia: nec item est, quòd Caietani interpretationem facilè refutemus. Nam Augustinus docere voluit, cùm opere, & facto ipso delinquimus, tria esse, sicut in primo nostri parentis Adæ peccato, tria fuerunt: fuit in illo serpens suggerens malum: fuit mulier malum viro proponens: fuit vir in peccatum consentiens: sic cum facto ipso peccamus, sæpè vsu venit, vt sit sensus carnis, obijciens illecebras voluptatis, & blandimenta corruptæ libidinis: & sit appetitus animalis, mentem ipsam voluptate deliniens, & allicies: & sit mens ipsa, quæ in opus consentit. Ergò verum est, quod ait Caietanus: Augustinum scilicet, & S. Thom. locutos fuisse de peccato, quod ex cogitatione, & sensu, & delectatione ad opus peruenit: incipit ex sensu suggerēte malum, continuatur in appetitu voluptate quadam hominem inuitante ad opus, & tandem completur in opere, quia mens ipsa consentit. Non loquuntur Augustinus, & S. Thomas de ijs delectationibus, quæ interiùs cōsummantur in mente, sed de ijs, quibus peruenitur ad opus, in quo tota peccati culpa completur; & ipsum opus non refertur in aliud.

Cap. XXII.

De causis peccatorum.

ANimaduertendum est, multas esse peccatorum causas, alias quidem intrinsecas, vt vocant, ex parte hominis, alias extrinsecas. Inter intrinsecas autem causas censentur ignorantia, animi perturbatio, metus, ira, cupiditas; de quib⁹ suo loco disputatum est: item mala voluntatis electio, & habitus vitiosus, de quibus nonnihil attingam. Inter extrinsecas verò sunt res, quæ nobis obiectæ in sensus incurrunt, peccatorum occasiones innumeræ, impulsus dæmonū mala suggerentium: de quibus nihil attinet disputare. At quia Deus peccati auctor nequaquam est, & tamen sine eo actio, quæ est peccatum, non fit, quo iudice, & vindice peccata puniuntur; item quia accidit, vt peccatum vnum sit pœna alterius; ideò diligenter explicare oportet, quo pacto Deus peccati causa, & auctor non sit.

Primò igitur quæri solet, An Deus aliquo modo causa peccati dici queat? Mag. 2. *dist.* 37. ait esse quorundam opinionem, peccatum, quatenus actio est, à Deo non esse, sed ab homine, vel diabolo. S. Thom. 2. *d.* 37. *quæst.* 2. *ar.* 2. & Aegid. 2. *d.* 37. *q.* 1. *a.* 2. docent eam sententiam esse errori proximam, immò errorem cōtinere; vnde ea opinio communi Theologorum consensu reijcitur 2. *dist.* 37. nam sicut quidquid est, sine Deo fieri, aut esse non potest, eo quòd Deus est prima omnium causa, primum bonum, sic etiam cū Deus sit primus actus, primum agens, primum mouens, nullus actus, nulla actio, nulla motio esse potest, quæ non sit à Deo. Durand. 2. *dist.* 1. *quæst.* 5. & 2. *dist.* 37. *quæst.* 1. Aureo. 2. *dist.* 37. *quæst.* 1. senserunt Deum cum causis secūdis non agere proximè, sed remotè, nam eas conseruat, & finit operari, & efficere per vires ipsis datas, cum fuerunt à Deo initio procreatæ. At hæc opinio, vt errorem etiam in fide continēs communi Theologorum consensu refellitur. Tota huius rei controuersia in eo sita est, cur peccatum in hominem conferatur, in Deum non item: cum tamen Deus, & homo ipsum opus efficiant, cui est priuatio coniuncta, per quam actus bonitate debita, & conuenienti rationis ordine carer. Quidam ingenuè fatentur, Deum non quidem peccare, sed esse, & mali operis auctorem, & boni: quia quodcunque opus, licet malum sit, actus quidam est, & actus hoc ipso quod est, sine Deo fieri non potest. Quod autem Deus non peccet, indè est, quod peccatum non fiat eius suasione, impulsu, consilio, vel iussu. Sed adhuc argumentum vrget: nam hoc non sufficit, eo quòd cū peccantibus oportet etiam nos non operari, aut cōsentire, ne peccemus. Scotus respondet Deum auctorem peccati non esse, quia nullis legibus tenetur; & ideò non debet actum, qui malus est deuitare, homo verò debet. Sed nodum difficultatis plenè non soluit: quoniam peccatum sæpè est actus per se malus: ergò fieri bene etiam à Deo nequit. Gabr. Ocham, Maior. & alij respondent, Deum facere actum, qui malus est, sed non peccare; & dici posse Deum esse causam peccati, at non peccare, quoniam peccare nō est idem, quod facere actum, qui malus est, sed facere actum malum malè. Deus autem non facit malè, sed homo. Cæterùm dici non potest, Deum esse causam peccati, quoniam peccatum, vt peccatum est, cōtra rectam rationem, & Deum est; sed Deus non facit actum malum, vt malus est, licet faciat actū, quatenus actus est; qua ratione, mali rationem non habet. Sotus ait, Deum non esse causam peccati, quia non facit actum malum, vt causa moralis, videlicet suadendo, præcipiendo, consilium dando, sed vt causa naturalis. Sed contra vrget argumētum, quoniam Deus extra seipsum quidquid facit, sponte sua facit, & hoc sufficit, vt quis peccare queat, si scienter, & libere operetur. Ca-

Sot. apud Medinam 1.2.q.79. art.2.

Canus apud Medinam 1. 2. q. 79. a. 2.

nus ait, rationem peccati non esse rationem rei, sed intellectus, nõ placet. Inter Scholasticos igitur hæc controuersia exagitata, varijs modis diluitur, quibus prætermissis breuiter dicendum existimo, nihil fieri à Deo, nisi sit à Deo volente: Deus enim non nisi per voluntatem quicquam in rebus efficit: actum verò peccati, quatenus peccatum, non quatenus actio quædam est, Deus voluntate (quam vocant) antecedenti non vult, nec enim suadet vllo modo, vel iubet fieri peccatum, nec consilium dat, vt fiat, nec naturam rationis compotem cõdidit, aut vires, facultates, auxiliaúe vlla præstat ad peccandum, nec vllum hominem sua opera præuenit, hoc est, nemini suggerit cogitationem malam, vt delinquat; sed contra potius omnem actum malum prohibet, ac ne fiat, apta, & idonea subsidia confert. Solùm igitur operatur cum homine peccante, at ea Dei operatio non est, qua, qui peccat incitetur, vel moueatur ad peccandum, sed est operatio hominis conditæ naturæ conueniens: res enim institutæ, & diuinitus procreatæ, nihil prorsus efficerent, nisi Deo cum ipsis operante. Quo fit, vt actus peccati, non quatenus actus quidam est, hoc enim modo nõ mali, sed potius boni rationem habet, sed quatenus peccatum est conuenienti, & debito rationis ordine vacans, permittente Deo fiat, non tamen volente. At, inquies; Non permittit; nisi volens. Respondeo, permittere quidem Deum volentem eò, quòd vult permittere peccatum hominis, sed peccatum haud velle; & propterea magnum discrimen est inter operationem diuinam, qua cum hominibus operatur in bonis, & inter operationem eius, qua operatur in malis. Operatur enim in bonis volens, vt ea sint, & fiant, non solùm, vt actus sunt, sed etiam, vt bona sunt, & ad ea commodum, & opportunum auxilium dat, ac mouet, flectitque voluntatem, & facit, vt velit: at verò operatur in malis, vna cum homine peccante faciens actum, vt actus est, non tamen volens, aut faciens actum, vt malus est: Et idcircò peccatum in peccantem ipsum, vt in auctorem confertur, in Deum non item: quoniam is, qui peccat, eo ipso perperam, & malè vult actum, vult enim contra rectam rationem: Deus eundem actum vult, & facit, sed non malè, quia non contra legem, aut rectam rationem.

Opponesi. Homo cùm peccat, non vult peccatum, vt malum, quia nemo malum, vt malum velle potest, nec malum, vt malum appeti potest; ergò homo, cùm peccat, etiam malum ipsum vult, vt bonum est. Respondeo, ideò hominem peccare, quia vult, quod turpe, & malum est, licet id velit, vt sibi vtile, vel iucundum: & ideò vult, quod est contra legem, & rectam rationem, quamuis id velit, vt sibi vtile, vel iucundum: Deus verò cùm facit actum malum cùm homine peccante, non vult, aut facit, quod est turpe, vt sibi vtile, vel iucundum: sed solùm facit vnà cum homine actum malum, vt actus est, ac proindè illum malè non facit, aut vult. homo, cùm peccat, vult, & facit turpè, non vt malum est, sed vt est sibi iucundum, vel vtile, vult tamen, & facit turpiter, & malè, quia contra rationem, & conscientiam: Deus verò vult, & facit cum homine, sed non malè; quia non contra rationem, eò quòd tantùm vult, & facit actum, vt actus est, qui ea ratione sine Deo fieri nequit.

Obijcies 2. Sunt quidam actus per se, hoc est, sua natura mali, cuiusmodi sunt odium Dei, mẽdacium, ergò huiusmodi actus fieri bene nõ possunt etiam à Deo, nihil enim fieri potest sine sua natura: alioqui enim homo fieri posset, & non ratione præditus. Respondent aliqui, nullum actum ita esse moraliter per se malum, quin fieri benè queat: nam quicunque actus per se malus, actus quidam est, & hoc ipso, quòd actus est, mali rationẽ nõ habet, sed ideò est per se malus, quia non est malus eò, quòd lex aliqua scripta, vel posita ipsum prohibeat; sed quia talis est, vt nemo præter Deum possit eum benè sciẽter facere, aut velle, quia si scienter, & sponte voluerit, aut fecerit, eo ipso volet, aut faciet cõtra conscientiam, aut rectam rationem. Sed certè actus per se malus ideò est, quia bonus esse non potest. Quare aliter dicẽdum existimo odium Dei, vt odium est, mendacium, quatenus mẽdacium, furtum, vt furtum, homicidium, vt homicidium est, nunquam, aut à nemine fieri potest benè: sed Deus non facit odium, vt odium, sed vt est quidam actus. & vt actus est, boni rationem habet, nõ mali, boni, inquam naturalis, nõ mali moralis: homo verò facit odium Dei, vt odium est, & non vt actus quidam est. Similiter, Deus non facit mendacium, vt mendacium est, furtum, vt furtum, aut homicidium, quatenus homicidium; sed quatenus actus quidam est. homo verò est auctor mendacij, furti, & homicidij, ideò homo est auctor peccati, siue mali moralis, nõ Deus. Tertiò obijcies, si quis scienter operaretur cum altero peccante, vnà cũ eo delinquere diceretur, etiamsi nollet actũ peccati, nec consilio suo, suasione, imperio, vel prece peccatum alter committeret: Cur ergò Deus cùm volens operetur cum peccantibus, auctor peccati non est? Propter huius argumenti vim quidam affirmant, in Deum nequaquam peccatum posse conferri ob id, quòd cum peccantibus operetur tanquam causa naturalis, non moralis: peccatum autem quatenus tale, non in causas naturales, sed in morales referendum est, quippè quæ consilio, hortatu, iussu, prece, vel impulsu suo mouent ad agendũ. Cæterùm non videtur hoc responsum omnẽ argumenti vim labefactare, quoniam Deus voluntariè, & liberè extra seipsum operatur, non naturaliter, hoc est, non ex necessitate naturæ: & ingenuè fatemur peccata referri non posse in causas ex conditione naturæ necessariò operantes: ad peccandum enim conspirant intellectus quidem cognoscendo, & res, quæ obijcitur, mouendo, habitus vitiosus reddendo habilem voluntatem, & animum, quæ suis viribus consociatis agendo non peccat, cùm naturaliter agant, vel faciant; at verò Deus liberè cum peccante homine operatur; cur igitur, si quis liberè operaretur cum peccãte, delinqueret, & non Deus? Respondent Deum non esse causam moralem consilio, hortatu, mandato, impulsu, vel auctoritate ad peccandum mouẽtem. Contra hoc vrget adhuc argumentum: quia quilibet alius peccaret, etiamsi solùm cum peccante operaretur nihil suadendo, præcipiendo, regando, auxiliando, vel impellendo. Respondent, Deu

non esse

non esse auctorem peccati, quia peccatum nulli tanquam auctori est tribuendum, nisi talis sit in agendo causa, vt possit à recto deflectere. At enim hoc est, quod in argumento quæritur, cur potius homo, qui cum peccante operatur, à recto deficiat, quàm Deus: nam hoc ipso, quòd Deus cum peccantibus operatur, videtur à recta ratione recedere. Respondent, hominem cum peccante operatem delinquere, & à recto aberrare, quia legibus rectæ rationis in agendo subijcitur, quibus operari prohibetur cum altero peccante; at Deus in natura subsistit omnibus legibus soluta; ipse enim est per se recta ratio, lex, & bonitas. Aliud quippiam, meo iudicio, addi oportet, vndè argumento plenè satisfiat, Deum nempe tantummodo cum peccante operari, quæ quidem operatio omni vitio, & culpa vacat, eò quòd Deus est prima omnium causa, sine cuius operatione nihil omnino naturæ ab eo conditæ, & institutæ facere queũt. Inter naturas autem, hominem ratione, & libero arbitrio præditum procreauit, ac sicut reliquas finit iuxta conditiones, ac vires sibi datas agere, & propterea ipsis suam operationem non subtrahit, ita etiam naturam rationis, & libertatis cõpotem permittit agere iuxta voluntatem, & arbitratum suum: alioqui enim aut operationem suam denegare, aut liberum arbitrium necessitate quadam cogere deberet. Melius autem Deus iudicauit sinere in vniuersum, vt naturæ omnes iuxta facultates, & vires sibi inditas operentur, quàm suam operationem subducere. Quo fit, vt liberum arbitrium in suis actionibus, vt præmij, & laudis capax est, sit etiam pœnæ, ac vituperationi obnoxium. Ex quo etiam perspicitur, magnum esse discrimen inter hominem operantem cum eo, qui peccat, & Deum ipsum: nam homo cum peccante operatur, cum posset, & deberet non operari: eius enim operatio non est peccanti ad agendum debita; at verò operatio diuina, ex ipsa prima rerum institutione, est omni creatæ causę agenti necessaria, & debita. Posset quidem Deus non operari, & proindè voluntariè, & liberè operatur: Verùm id agit iuxta modum naturis iam institutis debitum.

Sed quæstionis est dubię, an peccatum, vt actus quidam est, fiat à Deo, non solùm cum homine faciente illum actum, sed etiam mouente hominẽ ad ipsum actum. Grego. 2. *dist.* 34. *q.* 1. *art.* 3. quem sequitur Cap. 2. *d.* 28. *q.* 1. *ar.* 3. *ad* 12. sentit Deum facere quidem cum homine actum malum, sed non incitare, aut mouere hominem ad actum malũ: hoc enim dicere est impium, nemo enim Deo mouente peccat, aut fit deterior. Medi. 1. 2. *q.* 109. *art.* 2. *ad finem*, Capreolum in hac parte reprobat, ait enim rem esse certissimam voluntatem hominis nihil posse velle boni, aut mali, nisi priùs moueatur à Deo ad operandum, sicut calamus nihil potest efficere, nisi priùs à scriptore moueatur ad efficiendum. Sed nihil est, quod in Grego. aut in Capreolo reprehendat Medina: quoniam solùm docuerunt Deum aliter in bonis operari cum homine, aliter in malis: nam bona facit cum homine, non solùm quòd sunt, sed etiam quòd bona sunt, & mouet hominem ad bona, nõ solùm quatenus sunt, sed quatenus bona sunt, & ideo homo fit Deo auctore bonus, & melior; at in malis Deus facit cum homine, quòd sunt: nõ quòd mala sunt: mouet hominem ad mala, quatenus bona quædam sunt, sed non quatenus mala sunt: & propterea homo non fit Deo auctore malus, aut peior. Non igitur mouet Deus hominem ad peccatum: sicut nec facit cum homine peccatum, quoniam peccatum mali rationem habet, & Deus eam deformitatem, & turpitudinem, nec facit cum homine, nec mouet hominem ad faciẽdum, sed facit cum homine actum malum, quatenus actus quidam est, & boni naturalis rationem habet: ac propterea non mouet hominem ad malum, sed ad bonum. Si quæras, an Deus voluntate antecedenti velit peccatum, vt actus quidam est, an solum voluntate consequenti. Bonauen. 2. *q.* 37. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad vltimum*, ait Deum velle bona, voluntate antecedenti; mala verò, solùm voluntate consequenti, quia de malis nullum præceptum, aut consilium dedit: item, quia quod ad ipsum pertinet, mala non faceret cum homine, nisi ipse homo faceret: item, per seipsum sæpè hominem mouet ad bona, ad mala verò nõ nisi per causas secundas, cum quibus ipse operatur. Henr. quodlib. 1. q. 6. *flectitur*, inquit, *voluntas ad bonum per seipsam; non excludendo primum motorem dirigentem omne agens tum naturale, tum liberum: flectitur verò ad malum omnino per seipsum solam.* Hæc ille, flectitur, inquit, ad malum per seipsam solam, hoc est, ad malum, vt malum est: item per seipsam solam, hoc est, sine voluntate Dei antecedenti. idem penitus docet Mai. 2. *distinct.* 37. *quæst.* 2. Aegid. 2. *dist.* 37. *quæst.* 1. Argen. *ibidem.*

Secundò quæritur, An Deus præfiniat peccata? Præfinire, est ante statuere, atque decernere, quid sit in rebus agendum. Sunt tres opiniones, quarũ Prima docet, Deum nullum opus liberum præfinisse, sed tantùm quicquid ex necessitate naturæ fit, ita vt omnes naturales causas ad suos effectus destinauerit, liberas verò in suo arbitratu reliquerit; quamuis cum ipsis operetur. Quod probat auctoritate Damasceni *libr.* 2. *de fide orthodoxa cap.* 30. dicentis, *Deum omnia quidem prænosse, non tamen præfinire.* Ac subdit rationem: *Peccatum enim admitti non vult, nec virtuti vim affert: quare*, inquit, *prænoscit quidem Deus, sed non præfinit, quæ sunt in liberi arbitrij potestate.* Huius sententiæ fundamentum est, quia si ea, quę sunt in liberi arbitrij potestate præfinisset Deus, libertatem sustulisset. Diuinum enim decretum est efficacissimum, cui resisti non potest. Si enim concesseris posito semel diuino decreto, liberum arbitrium posse contrarium efficere, necesse erit, vt fatearis posse diuinam voluntatem impediri, variari, mutari, tolli. Rursus, in nostra potestate non est diuinum decretum ponere, quia Deus per seipsum sine nobis omnia præfiniuit. Ergò si iam ab æternitate positam impedire, aut mutare non possumus, sequitur, vt ex necessitate operemur: hoc autem dici non potest, ergò Deus non omnia præfiniuit. Secunda opinio concedit, Deum omnia bona siue naturalia, siue libera præfinisse, sed non peccata. Et certè Augustinus, Prosper, & Fulgentius locis infra citandis videntur id magna ex parte docuisse. Sentiunt enim contra Pelagianos, Deum prædestinasse quidem hominũ benefacta, & merita, non tamen peccata. Iuxta hanc itaque posterio-

rem sententiam præfinitio diuina nihil de libertate voluntatis detrahit: quamuis enim eius patroni fateantur Deum benefacta liberi arbitrij præfiniſſe, malefacta tamen ideo inficiantur præfiniſſe, non quia præfinitio diuina noſtri arbitrij libertatem tollat, aut minuat, ſed quia ad malum, nullum præueniens auxilium præſtat, hoc eſt, nemini malam cogitationem ſuggerit, cum tamen ad omnia benefacta opem ferat, hoc eſt, bonam cogitationem inſtillet. Tertia opinio in vniuerſum ait, Deum præfiniſſe benefacta, & malefacta hominum. Benefacta quidem omni ex parte, qua ſunt; malefacta verò, quatenꝰ ſunt quidam liberi arbitrij actus, nõ tamen quatenus à recta ratione diſſentiunt, aut debita bonitate carẽt: quia vt actus ſunt, reipſa exiſtunt, fiunt, & conſeruantur, & ideò boni rationem habent. Id probant vnica ratione, quia diuina voluntas omnium rerum eſt prima cauſa, ſine qua nihil eſt, aut fit, ſiue ſit natura, ſiue res, ſiue actio, ſiue motio: ergò ab æternitate voluit, vt eſſet omnis res, natura, motio, actio, quæ proceſſu temporis fit. Inter has opiniones quidam pauci iuniores Theologi primam tuentur, vt liberi arbitrij vim, & facultatem in agendo liberam defendant: ſed fortaſſis, vt voluntatem noſtram liberam faciant, faciunt ſacrilegam, dum negant Deum libera noſtra opera bona prꝛfinire. Fortè nihil aliud ſignificare volunt, niſi Deum non præfinire eo modo, quo prꝛfinit effectus cauſſarum neceſſariò & naturaliter agentium. Alij itidem recentiores ſecũdam ſententiam acriter tuentur, ne Deum peccati auctorem faciant, & ne cum Caluiniſtis, & Luteranis ſentire videantur, dicentibus Deum in nobis peccata facere, & ſicut facit etiam ipſemet bona noſtra opera. Exiſtimo autem autores tertiæ ſententiæ nihil cum Caluiniſtis & Luteranis ſapere: quia non eo ſenſu, quo iſti hæretici, dicunt, Deũ prꝛfinire peccata, quatenus actus ſunt. Alij verò tertiæ ſententiæ ita adhærent, vt aſſerant cæteros cum Pelagianis ſentire, dum negant actus noſtros etiam malos non præfiniri à Deo, vt actus reipſa ſunt. Alijs videtur tertiam ſententiam, neſcio quid abſurdi, & incommodi habere, quòd malefacta nimirum præfiniat Deus, quoniam indè colligi videtur, voluntate, ac decreto Dei mala, & peccata fieri; at is ante ſtatuere, & deliberare aliquid videtur, qui finem conſtituit, & ea, quæ conducunt ad aſſequendum finem, deſtinat, ac dirigit: Sed Deus nullum peccatum proponit, vt finem, in quem intendamus, & quem actione veluti curſu petamus, nec aliquid adhibet, vt aliquis peccati actum eliciat; ſed tantùm cum ijs, qui peccant, operatur. Nec obſtat, ſi dicas, præfiniſſe quidem Deum actum peccati, vt actus eſt, ſed non vt rectæ rationi contrarius, aut debita bonitate priuatus; quia obijciunt alij hoc idem de eo, qui peccat, dicere oportere. Qui enim peccat, tantummodò ante decernit facere actum, qui malus eſt, & ſolùm vult actum, qui eſt peccatum: neque enim vult, quæ eſt in actu malo cum recta ratione repugnantiam, nec debitæ bonitatis priuationem: hæc enim, cum in quodam reſpectu, & ordine conſiſtant, per ſe, & directò non ſunt voluntaria, ſed conſequuntur actum, qui eſt peccatum. Prima item opinio neſcio quid bonis operibus ac potiſſimum gratiæ diuinæ, & Deo omnipotenti derogare videtur. Verùm de hac ipſa opinione ſatis ſuperq; noſtro quidem iudicio dicemus, cum de gratia diſputabimus. In præſentia ſolùm contra tertiam, & ſecundam opinionem argumenta proponemus, vt clariùs intelligamus, in quo ſita ſit huiuſce rei difficultas. Contra tertiam, videtur omnino, à Deo malefacta præfinita minimè fuiſſe: nam prꝛfinire, vt prædixi, eſt ante ſtatuere, quid ſis in quibuſque rebus acturus, quid vitaturus; at Deus, ſicut quia omnium præſcientiam habet; ideò quid ſit in quaque re futurum, ex omni eternitate certò prænouit; ſic quia omnia prouidet; idcirco ſuo conſilio, & nutu ex æternitate de ſingulis conſtituit, quid ſuo tempore ſit facturus, quid refutaturus. At de peccatis quidem decreuit ea non facere, & propterea fieri prohibuit, ac vetuit. Præfinire item, eſt anteuelle quid ſit agendum; at Deus nunquam voluit, vt mali quicquam fieret. Ampliùs, præfinire, eſt ante aliquid decernere de fine propoſito aſſequendo, & de commodis, & idoneis remedijs ad eum conſequendum opportunè adhibendis; Deus verò nunquam peccatum, vt finem præſtituit, nec quippiam adhibet, proponit, aut offert, quo quis peccet. Ad hæc, cum quis peccat, Deus non ſuadet, non prꝛcipit, non excitat, non impellit, non conſilium dat, vt faciat actum, qui eſt peccatum; ergò nõ præfiniuit malefacta. De bonis ideò longè ante ſtatuiſſe dicitur, qa decreuit ad ea ſuadere, hortari, monere, excitare, & impellere. Obijcies S. Thomam *1.par.q.25.ar.5.ad 1.* aſſerentem fieri non poſſe, vt aliqua faciat Deus, quæ nõ præſciuerit, & præordinauerit facere: quia ipſum facere ſubditur præſciẽtiꝛ, & præordinationi ipſius. Reſpõdent cæteri, nihil fieri, quod non prænouerit Deus, non quia decreuerit omnia facere, quia malum ſiue peccatum nõ facit; ſed quia conſtituerit cum rebus ſingulis operari. Et negamus, inquiunt, eſſe à Deo præfinita mala eo pacto, quo ſunt bona diuinitus conſtituta: nam in bonis ſtatuit non ſolùm operari cum naturis, aut voluntatibus benè agentibus, ſed etiam eas ad id commodis auxilijs præuenire; at verò in malis ſolùm conſtituit per mittere ſpõte ſua, vt quis peccet, & ſolùm decreuit, operari cum voluntate malè operante, non tamen eam ad malum excitare, aut præuenienti aliquo ſuo auxilio præparare. Deindè, ſi obijcias; peccatum eſt actus, & ea ratione eſt quædam res; at quicquid rationem, & vim habet rei, ſubijcitur diuinæ voluntati, quæ poteſt efficere nutu ſuo, & arbitratu quicquid poteſt eſſe. Reſpondent cæteri, peccatum eſſe actum quidem, ſed cum ratione pugnantem; actus verò rationi aduerſos, & inimicos Deus non vult, & ideò ex æternitate eos nequaquam præfiniuit. Auctores verò tertiæ ſententiæ ita colligunt: quia Deus eſt ipſum primum, quod eſt, ideò nihil eſt, quod ab eo non ſit; ſic quia eſt primus actus, primum agens, primum mouens; ideò ſine ipſo eſſe non poteſt vllus actus, vlla actio, vlla motio; ergò peccatum, vt eſt quædam actio, ſine eo eſſe, aut fieri nõ poteſt, ſed Deus extra ſeipſum nihil facit, niſi ab æternitate voluerit, vt id certo tempore fieret. Item, peccatũ, vt actio eſt, mali ra-

tionem

tionem nō habet, sed boni: nam si homo peierando, occidendo peccat, amens tamen, siue furiosus vel dormiens peierando, vel occidendo non peccat; ergò idem est naturaliter actus, qui in vno est moraliter bonꝰ, in altero malus; & ideo odio peccatum, vt actio est, Deus nō habet, nihil enim odio habet eorum, quæ facit: sicut Deus non odio habet naturam hominis, licet in eo, odio habeat iniquitatem. Item, sicut opus bonū est a Deo, non solùm, vt actio est, sed vt bona actio est; eo quod Deus, sicut est primum agens, sine quo nulla actio est, sic etiam est primum bonum, sine quo nullum bonum est: ita etiam peccatum quatenus actio est, sine Deo non fit, at quatenus malum est, à Deo non est. Quidquid sit de hisce opinionibus, quæ fortassis si benignius, & mitius explicentur, secum non pugnant; quamuis verbo inter se plurimum distare videantur, nihil in præsentia definio, sed solùm ostendo, quid viri alioqui Catholici, & docti sentiant, quid doceant, quid dicant, & quid in singulis eorum sententijs difficilè appareat. Aliorum esto iudicium. Ego quidem primam opinionē in eum sensum accipio, in quem existimo eam accepisse Damascenum, cùm dixit, *Deum prænoscere omnia, sed non præfinire omnia*: id dixit Damascenus contra Manichæos, qui omnia dicebant fatali quadā necessitate euenire: & ita cuncta ex suis causis esse decreta, vt suis quæque temporibus necessariò contingant: & proindè liberum arbitrium è medio iuxta Manichæorum hæresim tollebatur: ita Sanctus Thomas 1.p.quæst.23. art.1.ad 1. Damascenum explicuit. Secunda sententia solùm contendit, Deum opera hominum, quæ mala sunt, nunquam voluisse voluntate antecedenti, ita vt Deus nec præceptum, nec consilium de peccato det, nec malam cogitationem suggerat. Tertia opinio tantùm docet, opus, quod malum est, vt actio quædam est, boni naturalis rationem habere, & eatenus fieri à Deo, quatenus est actio, & motio.

In hac itaque controuersia concludo cum Augustino lib. 1. de prædestinatione Sanctorum c. 10. *Prædestinatio est, quæ sine præscientia esse non potest; at potest esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus: præscire autem potest etiam ea, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata*; & cum Fulgentio lib. 1. ad Monimum capite 24. *Deus omnia hominum opera, siue bona, siue mala præsciuit: sed sola bona prædestinauit, quæ se in suis gratiæ facturum esse præsciuit.* Item eodem capite. *Non omnia prædestinauit, quæ præsciuit, quamuis omnia prædestinata præsciuerit. Præsciuit enim voluntates hominum bonas, & malas; prædestinauit autem non malas, sed solas bonas.* cap. 26. *Quod daturum se præsciuit, in æterna bonitatis dispositione prædestinauit: ipsa est enim prædestinatio Dei, sempiterna nempè dispositio futuri operis Dei: in iniquis autem punitus est, quòd vt essent mali non dedit, nec eos ad iniquitatem aliquam prædestinauit, quia vt iniqua vellent, hoc eis daturus ipse non fuit.* Idem docet c. 17. 19. & 20. Prosper ad obiectiones Vincentianas in respons. 10. *Cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem est: adulteria enim coniugatarum, & corruptelas virginum non instituere nouit Deus, sed dānare, nec disponere, sed punire. Non ergò casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei, aut excitauit, aut suasit, aut impulit.* Idem in responsione 11. *Nihil ergo malorum negociorum prædestinauit Deus, vt fierent, nec animam turpiter, & malè victuram ad hoc, vt taliter viueret, præparauit, sed talem futuram non ignorauit, ac de tali iustè se iudicaturum esse præscinit: atque ita ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.* Idem quoque tradit in respons. 12. 13. 14. 15. Auctor librorum Hypognosticon *libro sex tò statim post initium*, ait. *Prædestinatio quippe à præuidendo, & præueniendo, vel præordinando futurum aliquid, dicitur. Deus quicquid, antequam fit, præscit, prædestinat; & propterea prædestinat, quia quale futurum sit, præscit. Sed non omne, quod præscit, prædestinat: mala enim tantùm præscit, & nō prædestinat; bona verò, & præscit, & prædestinat. Quod ergò bonū est, præscientia prædestinat; hoc est, priusquam sit in re, præordinat; hoc enim cùm ex ipso auctore cœperit, ordinat, & disponit.* idipsum asserit auctor Augustini nomine prænotatus, *in responsione ad articulos sibi falsò impositos, art. 10. 11. 13. 14.* Et Anselmus *in lib. de concordia præscientiæ, & prædestinationis Dei cum libero arbitrio cap. 2.* Certè hi omnes Patres videntur sensisse, nihil boni posse nos facere sine Deo præueniente, & adiuuante: hoc est, sine Deo bonam cogitationem suggerēte, & sine Deo faciente, vt velit voluntas bonum, quod Deus ipse suggessit: sine Deo incipiente bonum, quod facimus, & sine Deo perficiente nobiscum bonum, quod cœpit: at peccata facit homo sine Deo malam cogitationem dante, & sine Deo perficiente malum, quod ipse cœperit: neque enim cum quis peccat, in eo perficit Deus vllum malum, quod cœperit.

Ex quibus omnibus multi colligunt, Deum peccata non præfinire; quia voluntate antecedenti non voluit, vt quis vnquam peccet, nec statuit Deus præuenire hominis voluntatem ad malum, quia nunquam decreuit malam cogitationem suggerere. Colligunt etiam bona ideò præfiniri à Deo, quia cum fiunt, Dei voluntate antecedente, & præueniente geruntur, Deo hominem mouēte, & instillante bonam cogitationem, quam per se ipsum, vel alios suggerit, & idonea, & commoda auxilia ferente, ac deindè hominem opportunis auxilijs excitatum, & motum adiuuante ad bonum cogitandum, volēdum, & faciendum. At verò peccata quia nō fiunt Deo auctore, nec fiunt Deo volente, vt fiant, ideò Deus ea prohibuit, non voluit, vt fierent. *Benefacta*, inquiunt, *præfiniuntur à Deo, malefacta non item: quoniam illa fiunt à Deo hominem præueniente, & adiuuante, & faciente, vt fiant; tum quatenus sunt, tum quatenus bona sunt. Hæc verò sunt ab homine, Deo quidem faciente, & volente voluntate consequenti, non antecedenti, vt fiant, etiam quatenus actus sunt.* Obijcies, sæpè peccata fieri, aut consilio, & suasione Dæmonum, aut hominum prece, & hortatu, aut impulsu rerum in sensus naturaliter incurrentium, aut incitante appetitus illecebra: Sed Deus cum his omnibus causis agentibus operatur, ergò sicut hæc singula hominem peccantem præueniunt, ita etiam Deus. Respondent: quæ mouent hominem peccantem, naturaliter agere, aut liberè: quæ verò naturaliter agunt non efficiunt, vt hominem ad peccandum impellant, & incitent, sed vi, & conditione suæ naturæ agunt, & Deus cum illis operatur, quia

debita est rebus ratione primæ creationis diuina operatio: & rursus res naturaliter agentes benè, non malè agunt: homo verò sua voluntate perversa rebus malè vtitur, ac malè vtendo peccat. Quæ verò liberè mouent ad peccandum, vt dæmones, & improbi, ac perditi homines, ad malũ alios impellunt, & deprauata sua voluntate mouent, non autem Deo auctore. Deus enim cum illis operatur duntaxat, sicut etiam cum ijs, qui peccato consentiunt: non tamen hos, aut illos impellit, & mouet ad malum faciendum, vel ad malè suadendum. Objcies; Aliquando Deus quædam ante hominem proponit, ex quibus mouetur homo ad peccandum. Respondeo, ea esse tantùm bona, quæ Deus proponit, aut offert, sed homo eis malè vtitur & sua sponte, & volũtate peccat; sic miraculis, & prodigijs tot, ac tantis à Deo editis, obstinatior nihilominus in malo erat Pharao. Non igitur Deus mala proponit, sed bona quibus homo malè vtitur.

Victoria in relect. de homic. n. 2 Medin. 1. 2 q. 74. ar. 2. ad 5.

Tertiò quæritur, An habitus vitiosus sit à Deo tanquam causa? Quidam arbitrantur in Deum, nec peccata vlla, nec habitus vitiosos posse conferri: tum quia habitus vitiosus nostris malis actibus comparatur, tum etiam quia habitus vitiosus vi sua, & natura mouet ad malum: voluntatem item, & animum sæpè flectit ad praua. Concedunt quidem habitus vitiosos, vt habitus sunt, esse à Deo; negãt tamẽ esse à Deo, vt vitiosi sunt: nam vt habitus sunt, boni naturalis rationem habent, non mali moralis. Quorum sententiam nos etiam probamus. Cæterùm non est eadem prorsus ratio de actibus, quæ de habitibus vitiosis: quia peccatum in moribus, est actus voluntarius, & liber, qui à ratione dissentit, ac dissidet; & proindè culpæ tribuitur, & pœna debita vindicatur: at verò habitus vitiosus non est actus, nec rationis, & voluntatis imperio subijcitur. Homo enim à peccatis mundatus, & diuinę gratiæ restitutus, vitiosos adhuc habitus retinet, nec propterea culpatur, nec plectitur. Quare habitus vitiosus prauitatem moris non habet in se, quam habet opus malũ; sed actus, quibus acquiritur mali sunt: nec tamen quia est causa mala, continuò sequitur, vt ipse habitus ex malis actibus cõparatus sit malũ moris. Ex adulterio enim suscepta proles mala non est: Nec item ideò culpandus est habitus, quia procliuem, & propensum hominem reddat ad malum; ea enim in habitu propensio non est aliquis actus, sed est ipsa habitus substantia, natura, atque conditio: & peccatum in eo est, quòd voluntas sua sponte consentiens, habitus propensionem sequatur, non in eo, quòd habitus ex naturæ suæ conditione eam promptè, & facilè moueat; quia tamen malus habitus quędam qualitas animæ est, & eius facultatibus inhærens, licet culpa vacans, ex malis tamen actibus genita, & ad malum rationis mouens, & incitans, quatenus ex malis actibus comparata, qua ratione in belluis, pueris, & insanis non reperitur, qui agendo non peccant: ideò Deus per seipsum proximè habitum vitiosum creare non potest; nam vt vitiosus est, ex malis actibus comparatur. Item, vitiosus habitus ad malum mouet, idcircò à Deo proximè non fit: quanquam in habitu peccatum non est, quod ad malum moueat, ad suum enim effectum, & actum naturaliter impellit; non autem suasione, consilio, prece, vel iussu libero: at Deus quidem cum causis nutnaliter agentibus operatur, & eas vult iuxta suæ naturæ conditionẽ factitare: non tamen per se ipse facit aliquid, quod moueat ad malum.

Quartò quæritur, An error rationis hoc est falsus intellectus assensus, ex bona fide omni vitio, & culpa carens in Deum, vt in auctorem, & causam referri queat. Simili quoque ratione dicendum existimo, errorem in Deum, vt auctorẽ falsi conijciendum non esse: quoniam Deus per seipsum errare nõ facit; nec errorem immittit: nam licet alia sit ratio de mendacio, & quocunque alio peccato, atque de errore à culpa libero, & immuni. Deus tamen per seipsum nos errare non facit; sed causæ secundæ liberè, vel naturaliter operantes nos in errorem inducunt, cum quibus tamen Deus ipse operatur. Mendacium quidem est actus rationi contrarius; & ideò in Deum nec cadere vllo modo, nec conijci potest: At verò error sine culpa, est tantummodo falsus rationis assensus, qui sicut à causis liberè, vel naturaliter agentibus existit, sic à Deo non quidem proximè, sed cum ipsis causis operante. Objcies, indè concludi, Deum fallere, & decipere: nam si est causa erroris, quo intellectus labitur, & errat, inde fit, vt eiusmodi intellectum errantem Deus ipse fallat. Errare enim sensum, vel intellectum, est labi, falli, & decipi. Respondeo, Deum non esse causam doli, & fraudis, hæc enim sunt mala, quia rectę rationi contraria, at error qui omni culpa caret, fraus & dolus non est, cum peccatum non sit, & naturaliter eueniat. Deus igitur fallere nequit, hoc est, testificari falsum, non potest, nec suo testimonio, auctoritate, suasione, consilio, imperio falsum cõfirmare: operatur tamen cum causis, quæ naturaliter errorem, & falsum assensum in nobis ingenerant, & voluit causas naturales iuxta vim suam, & conditionem actitare, cum tamen nunquam voluerit, vt quispiam peccet, nunquam voluerit, vt perperam faciat: non igitur Deus per se ipsum in errorem quempiam inducit: Sed cum causis naturaliter in errorem inducentibus operatur.

Quintò quæritur, An peccatum quod est pœna alterius peccati, sit à Deo tanquam auctore. Cai. *lib. 2. Reg. c. 12. in illa verba, ego suscitabo super te malum, & 2. Reg. c. 16.* (quem alij etiam sequuntur) ingenuè fatetur, eiusmodi peccatũ esse à Deo, quia est pœna alterius delicti, & proindè est iustitiæ peccatorum vindicatricis effectus. Deus enim quosdam in reprobum sensum tradidisse perhibetur, quia peccauerant; itemque alios excæcasse: dicitur quoque 2. Reg. 16. Dominus præcepisse Semei, vt malediceret Dauidi: *& cap. 12. eiusdem libri* ait Dominus ad Dauidem, *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tui, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius.* Sed certè Augustinus *lib. de prædesti. sanctor. 10.* non concedit peccata, etiam quæ sunt aliorum pœnæ, à Deo fieri; eius enim hæc sunt verba: *Etsi sunt quædam, quæ ita peccata sunt, vt pœnæ etiam peccatorum sint: Vndè dictum est: Tradidit illos Deus in reprobum sensum: non ibi peccatum Dei est, sed iudicium.* Mihi itaque videtur dicendum, nequaquam Deum esse

Rom. 1.

Rom. 1.

auctorem

auctorem peccatorum, licet illa sint aliorum pœnæ, quoniam peccatum à recta ratione, & proindè à diuina lege discordat, ac discrepat: at intelligi, nequit, Deum esse auctorem, & causam eius, quod cum recta ratione pugnat, & à diuina lege dissentit, licet malefacta condemnet, ac pœnis meritis subijciat: hoc enim est iustitiæ diuinæ præuisa peccata deputantis, & destinantis ad pœnas; peccatum verò est hominis, qui à recto, & æquo aberrat, & deficit. Notandum est, quædam esse crimina, quæ pœna aliqua suos auctores afficiunt, nimirum dedecore, ignominia, infamia, dolore, tristitia, cruciatu, anxietate, metu, ac interdum etiam amissione libertatis, liberorum interitu, rei familiaris spoliatione, honoris, & famæ iactura, & huiusmodi pœnarũ, & malorum cum Deus est causa, quemadmodũ reuera esse potest, dicitur esse causa eorum peccatorum, quibus tales pœnæ debentur, & quæ prædicta incommoda, & damna pariũt. Quare in Deum propriè nequit maledictũ conijci, quod Semei in Dauidem peccando conferebat, quod verò Simei maledicta essent Dauidi dedecori, ignominiæ, tristitiæ, & dolori, Deus causa erat. Pari ratione quòd Absalon sui patris vxores violasset peccatum erat ipsius Absalonis, non Dei: quòd verò parens Dauid ignominiam, & dedecus, ac tantæ calamitatis, & mali dolorẽ sentiret, & sui peccati pœnam debitam sustineret, Deus faciebat. Ex quo licet nobis colligere, ea, quæ pœnæ solam rationem habent, in Deum esse referenda, non autem quæ culpæ, & peccati, cum hæc diuinæ bonitati repugnent. Deindè, animaduertendum est, sacrarum esse literarum phrasim, qua ea, quæ solo Dei permissu fiunt, ipsi Deo, ac si ipse fecisset, attribui solent; atque hoc modo ex scriptura constat, quosdam à Deo traditos fuisse in reprobum sensum, alios excæcatos, alios deceptos, & seductos. Imò in peccatis etiam vtitur interdum scriptura sacra, modò imperandi, cum de Deo loquitur, ac si malum quod quis facit, ipsius Dei iussu, & auctoritate faceret. Legimus Christum Dominum dixisse Iudæ proditori; *Quod facis, fac citiùs*, quem tamen infelix ille, Iudæis tradendum, tunc temporis curabat. Fac citiùs, ac si diceret, Permitto, id sceleris quam citissimè facias, nihil obsto, nihil impedio. Licet hæc verba per ironiam dicta esse, intelligi possint. Et in libris Regum, *Deus ad malum spiritum dixisse perhibetur: Egredere, & fac ita, & tamen dixerat, Decipies, & præualebis.*

Ioan. 3. Matth. 26

3 Reg. 22.

Cap. XXIII.

De peccato, quod dicitur ex malitia.

Thom. 2. d. 42. S. Tho. 1. 2. q. 78.

THeologi communi consensu tradiderunt, quædam peccata ex malitia committi, alia ex affectu appetitus, alia demũ per ignorantiam.

Primò Quæritur, Quodnam peccatum dicatur fieri ex malitia? Scot. 2. d. 43. q. 2. esse probabile, censet, malum, quatenus malum est, posse appeti, & deligi; & propterea peccatum ex malitia esse, cum quis malum, vt malũ est, eligit. Sed meritò hæc Scoti sententia, quamuis Ochamo, Gabrieli, & alijs 2. d. 43. probabilis esse videatur, aliorum melius iudicantium communi consensu refellitur. Nam quicquid appetit voluntas, appetit, amat, & eligit, vt bonum sibi, videlicet, vt vtile, vel iucundum est, & proindè communem sibi propositum finem semper habet, bonum nimirum in vniuersum, aut beatitudinem generatim, quod est bonum habere, & carere malo: ita vt ipsi quoq; qui peccant, in finem bonum intendant generatim acceptum: peccando enim volunt bonum habere, & malo carere, quod est beatitudo vniuersè sumpta: at deficiunt, & aberrant à vera beatitudine, quæ in Deo, vt in primo, & summo bono speciatim consistit. Præterea, peccando bonum sibi iucundum, vel vtile conflectantur; sed ideò peccant, quia ab honesto deflectunt; hoc est, posthabito honesto, vtile, & iucundum perperam prosequuntur. S. Thomas 1. 2. *quæst. 72. artic. 2.* peccatũ ex malitia vocat, cum quis scienter malum eligit, non quod per se directò, vt contendit Scotus, appetat, & velit malum, sed quia vult, vt bonum sibi vtile, vel iucundum, sciens tamen esse turpe, & ratione, ac lege damnatum. Bonau. 2. *distinct.* 43. *articul.* 2. *quæstion.* 1. & Durand. 2. *quæst.* 43. *quæst.* 1. meritò adiungunt, peccatum ex malitia esse, cum quis scienter malum eligit, neque ex aliqua animi perturbatione incitatus. Non enim sufficit ad peccatum ex malitia (quod dixit S. Thomas) malum scienter eligere; sed necessarium est quoque, ne appetitu instigante malum eligat voluntas: nam alioqui peccatum ex malitia erit quidem distinctum ab eo, quod per ignorantiam contrahitur, non tamen ab eo, quod ex animi affectu, seu perturbatione committitur.

Secundò quæritur, An peccatum quod fit ex habitu, dicatur fieri ex malitia? S. Tho. 1. 2. *q.* 78. *art.* 2. aperte fatetur esse ex malitia, siue id fiat ex habitu in appetitu sensus, siue ex habitu in appetitu rationis inhærente. Probat hac ratione: Habitus mouet volũtatem, aut per extrinsecus causas, aut per ipsammet voluntatem: sed quoquo modo id fiat, voluntas neque per ignorantiã mouetur, nec ab vllo appetitus affectu pertrahitur; ergò per se ipsam incitata, & commota delinquit. Hinc fit, vt quis malo habitu affectus possit ex ignorantia, aut perturbatione peccare, etiamsi non ex malitia delinquat: nimirum cum Titius habens vitiosum habitum, quidpiam perperam facit; sed non motus ex habitu, sed vel perturbatione inuitatus, vel ignoratione deceptus.

Tertiò quæritur, An qui ex malitia peccat, ex habitu quoque peccet? Negat S. Thomas 1. *quæstion.* 78. *articul.* 3. & meritò: potest enim plerunque fieri, vt quis citra vllum habitum scienter eligat malũ, nulla animi perturbatione commotus, nullo affectu sensus, & carnis impulsus.

Quartò quæritur, An qui ex mala naturæ conditione, aut deprauato corporis morbo peccat, videatur peccare ex malitia? S. Thom. 1. 2. *q.* 78. *ar.* 3. videtur id concedere. Sed non apertè id docet: quia solent hæc in naturam verti, & proindè videtur voluntas à seipsa mota, & impulsa, delinquere. Probabilius meo iudicio est, eiusmodi peccata fieri ex perturbatione animi, quia morbus corpus immutat, quo mutato varijs motib⁹ appetitus afficitur, ac deindè volũtas pro huiusmodi motuum varietate huc illucq; ducitur. Pari quoque ratione praua conditio naturæ solet corpus, & appetitum sensus variè afficere, & proindè vo-

luntatem

luntatem quoque mouere,& flectere. Cernere est pueros libenter vescētes carbonibus, cinere, terra,& alijs similibus, in quibus deprauata humorū infirmitas dominatur. Ex quibus omnibus intelligitur, id peccati ex affectione, & perturbatione animi fieri, quod perturbationis dominantis impulsu committitur. Quod tripliciter potest accidere: vno modo, quando perturbatio mentem,& rationem distrahit, ita vt non perspiciat, quid fieri oporteret: altero modo, quando perturbatio corpus afficit, & proindè voluntatem varijs corporis affectionibus exagitatam allicit, ducit, & torquet, & mouet ad se. Tertio modo, quando appetitus sensus ita viget, & valet, vt ad se moueat, & flectat quodammodo voluntatem aliquando obluctantem, aliquando sua sponte obsequentem.

Quintò quæritur, An possit esse in voluntate peccatum absque vllo errore mentis, siue rationis? quod est quærere, An voluntas possit malum eligere contra rationem perfectè, ac plenè scientem, quid agere oporteat? Fuit communis veterum Theologorum sententia; quandocunq; quis sponte sua,& voluntate delinquit, aliquem in eo præcedere, non quidem tempore, sed natura errorem intellectus, ita vt nisi erret ratio, voluntas peccare nequeat. Sic S.Tho.1.2.q.77.art.2. Gotifre. *quodl.5.q.1.2.quodl.8.q.16.* Henr. *quodl.10.q.10. & q.13.* quam sequuti sunt postea Dura.2.d.39.q.1. Adrian. *quodl.4.q.1.a.1.* Burida. *lib.7. Ethic.q.7.* sic omnes S. Thomæ discipuli, Cai. Conra. Medi. 1.2.q.77.art.2. At enim difficilè explicatu est, quisnam sit ille rationis error, quem mala voluntatis electio consequitur. Quidam facile se expediūt dicentes, errorem intellectus non ad speculationem, sed ad praxim,& actionem pertinere: ita vt perfectè,& plenè ratio perspiciat, quicquid est speculationis, actionis non item; & propterea ante quamcunque malam electionem præire rationis errorem, quo ratio iudicat hoc loco, & tempore, hoc aut illud malum esse amplectēdum, vel appetendum, honesto posthabito. Alij verò, Scot.3.d.36.q.1.a.2. Ocham,3.q.12. & *quodl.4.q.6.* Gabr.3.d.36.q.1.a.2.p.2.*concl.*3. putant tale rationis iudicium minimè in intellectu præcedere, eo quòd huiusmodi iudicium sine errore contra fidem esse nō possit. Fides enim non solùm generatim præscribit, omne turpe esse deuitandū, sed etiā speciatim hoc, & hoc turpe esse fugiendum. Deindè, iudicante recta ratione, hoc aut illud non esse faciendum, voluntas aut potest facere, aut non potest facere; si potest, ergò nihil errante ratione, voluntas potest malum eligere; si non potest, ergò voluntas libera in eligendo non est, si quidem actum suum in sua potestate non habet. Adde his, quòd extant hac de re tres articuli Parisienses, quorū primus est: *Stante scientia in vniuersali, & particulari, voluntas non potest oppositum eligere.* Error. Vel, *existente maiori in actu, & minori in actu in Syllogismo, voluntas non potest oppositum velle.* Error. Secundus articulus; *Si recta ratio est, recta quoque voluntas est.* Error. Tertius: *existente voluntate in vltima dispositione, homo non potest oppositum velle.* Error. Qui articuli videntur esse editi contra sententiam prædictorū veterum Theologorum S. Thomæ, Gotifredi, Henrici, qui omnes apertè docent contra rectam rationem perfectè,& plenè scientem generatim, & speciatim quid sit agendum, non posse voluntatem malum eligere. Caietanus, Conradus, & alij aiunt contra iudicium rationis, quod in consultatione, & consilio consistit, posse voluntatem malum appetere, & eligere; non tamen contra rationis præceptum, quo ratio voluntati denunciat: Hoc facias, illud ne facias: In quo actu nihil affirmatur, nihil negatur; & proindè nullus est in fide error, & tamen est error rationis. Alijs non placet huiusmodi sententia, eo quod putant rationis præceptum esse, non posse absque enunciatione aliquid aiente, aut negante.

Tota hæc controuersia videtur facilè expediri posse, si animaduertamus, posse voluntatem aliquid velle, appetere, eligere, prosequi absque vlla rationis enunciatione, vt iam ante annotaui; siquidem puerorum, amentium,& belluarum appetitus ad aliquid prosequendum, vel respuendum mouetur; & tamen eorum sensus enunciationes non format. Satis enim est, vt voluntas in aliquid feratur, si ratio id proponat tanquam bonum, vtile, iucundum, vel honestum, etiamsi nihil affirmet. Quare ex his duo conficiuntur, quæ tanquam certa mihi videntur: Vnum est; nullum peccatum esse voluntatis, quin antecedat rationis error. Alterum est, eiusmodi errorem non esse in fide, alioqui enim, quoties aliquis delinquit, contra Fidem faceret. Est igitur error rationis absque vlla enunciatione, & proindè in Fide intellectus non errat; sed quia voluntati ratio proponit malum, quatenus maius bonum, vtile, scilicet vel iucundum, quam sit honestum. Nam in re voluntati propositā ratio ipsa tres boni rationes obijcit, videlicet vtilis, iucundi, & honesti: at rationem vtilis, vel iucundi efficacius ponit ante oculos; & idcircò tanquam maius bonum; voluntas verò ex hypothesi si velit, ad maius bonum fertur, ac ducitur. Neque enim potest, quod minus bonum apparet, eligere, ac prosequi maiori bono neglecto, licet nutu suo possit, nec minus, nec maius bonum amplecti. Et ideò peccatur, quoniam vtile, vel iucundum efficacius mouens eligitur honesto posthabito. Quod autem vtile, vel iucundum vehementius alliciat, & moueat, indè est, quòd non omnia æqualiter ratio perspiciat: & propterea aliquantula interuenit inconsiderantia. Error autem est absq; vlla enunciatione, cum ratio vtile, vel iucundum proponit ex maiori vi, & efficacia, quàm honestum. Ac proindè verissimum est nunquam voluntatem in eligendo peccare, quin ratio erret in proponendo. Verum item est, peccantem ideo contra conscientiam agere, & id prosequi, quod est lege interdictum, quia vtile, vel iucundum eligit honesto postposito. Et quò magis perspicitur turpe, & malum, quod fit, eo maior est conscientiæ accusatio. Nec item sequitur, vt in ratione duo iudicia contraria antecedant voluntatem malè eligentem: nam etiamsi demus rationem iudicando affirmare, vel negare, vnum tamen est iudicium, quo iudicat, hoc esse turpe, siue non faciendum, siue lege vetitum; alterum est iudicium, hoc nempe, idem obiectum corpori, vel sensibus minus vtile, & minus iucundum esse: quæ duo iudicia de eadem re obiecta contraria

non

non sunt, quamuis diuersa: nam verbi gratia furtum, vel verbum otiosum, ratio non solùm dicit, esse malum, esse turpe, esse vitandum: sed etiam proponit illud voluntati, vt corpori, vel sensibus male affectis tanquam vtilius, vel iucundius, & tunc voluntas eligit, quod vtilius, & iucundius est corpori, vel sensibus, honesto contempto.

Cap. XXIV.

De peccati effectis.

INTER peccati effectus Theologi recensent maculam, reatum, & pœnam: de quibus est breuiter differendum.

Primò quæritur, Quidnã appellatione maculæ accipiant Theologi? Respondeo, quemadmodum in rebus corporalibus priuatio inducta rem priuat forma sibi debita, vt cæcitas priuat oculos aspectu, & proindè priuat etiam re obiecta, & fine quoque debito; cæcus enim priuatus est luce, colore, & omni eo fine, quem propositum sibi aspectus, si adesset, haberet: Ita etiam lethale crimen priuationem quandam affert, qua quis gratia, & charitate nudatur, & eo ipso, peccatum hominem à Deo disiungit, & auertit, qui est finis sibi congruens. Et quia gratia est quidam nitor, splendor, & decor animæ, priuatio eius meritò macula nuncupatur.

Secundò quæritur, Num si homo cum solis naturæ dotibus, ac viribus à Deo procrearetur, & deindè laberetur in peccatum, vllam in animo maculam contraheret: nam macula vti dixi diuinæ est gratiæ priuatio, sed tunc peccatum hominem nulla orbaret gratia, quam non acceperat. Respondeo, parum aut nihil referre, acceperit quis gratiam necne, quoniam lethale crimen diuinæ gratiæ aduersatur, eamque aut vi, & efficacitate sua, aut saltem meritò excludit, vbi est, & excluderet, si inueniret inductam. Quemadmodum etiam hoc ipso, quod est lethale peccatum, hominem à Dei amicitia diuellit; quia quicquid est rationi contrarium, à Dei amicitia, & charitate dissentit, & propterea illam dissoluit, ac dirimit: etiamsi nulla hominis cum Deo amicitia præcesserit. Ex dictis etiam perspicitur, quo pacto post primum peccatum, secundum, & tertium, quamuis lethale quoq; sit, gratiam quidem non tollit, quia erat per primum sublata, secundum tamen, vel tertium eam penitus repelleret, nisi esset per primum expulsa.

Tertiò quæritur, An aliquis desistẽs, & cessans ab actu, qui est peccatum, sit adhuc, & dicatur peccator ob maculam in animo susceptam, & adhuc remanentẽ? Tres inuenio opiniones; prima censet peccatorem esse, & nominari non ob aliquid, quod re ipsa in homine post actum malum permanet, quoniam nihil manet præterquam habitus vitiosus: ob habitus verò peccatores non dicimur, quippè qui per gratiam adoptionis minimè excluduntur: sed ideo dici peccatorem vult ea opinio, quia in Deo est actus, quo ipsum debitis supplicijs addicit, & subijcit ob id, quod peccatum admiserit. Homo igitur quatenus est obiectum diuinæ voluntatis perpetuum supplicium ob crimen patratum irrogantis, dicitur & est verè peccator. Hæc fuit sententia Scot. 4. *d.*14. *q.*1. *a.* 1. *vers. dico ergo.* Ocham, 4. *q.* 8. & 9. Gabr. 4. *d.*14 *q.*1. *a.*1. *nota.*2. Almai. 4. *d.*14. *q.*1. quam tamen S. Thomæ discipuli communi consensu refellunt. Sensit ille post præteritũ malũ actum reuera nihil in homine manere, à quo & sit, ac nominetur peccator, sed tantùm respectum rationis, quo est homo obiectum diuinæ voluntatis in eos, qui perperam faciunt, pœnam debitam cõstituentis, & quatenus eiusmodi respectus, & ordo reuera est cum damno, & detrimento hominis, per metaphoram macula nominatur: quatenus verò refertur ad pœnam, quã culpa meretur, reatus: Et quatenus terminatur in pœna ob culpæ vindictam, offensa. Deũ enim peccatis offendi, nihil iuxta hanc Scoti sententiam aliud est, nisi velle malefactum debitis pœnis vlcisci. Attamen hæc opinio, ideò ab alijs reijcitur, quia diuinæ voluntatis actus, cuius peccator ipse est obiectum, est iustitię opus, & officium: fieri autem non potest, vt quis peccator esse dicatur ab actu, & officio diuinæ iustitię. Deindè, in peccatore Scotus nihil aliud remanere putat, nisi reatum; at reatus tantummodò est cuiusdam obligationis vinculum, quo peccator est pœnis obnoxius, quæ tamen obligatio peccatorem minimè constituit, sed reum, & debitorẽ pœnæ. Nam qui peccauit, pœnæ certæ Dei lege subijcitur. At Scotus his facilè respondet, non dici peccatorẽ à solo reatu, sed ex eo, quod Deus eum subijciat pœnis ob maleficiũ perpetratum; ita vt peccator sit quis, quia pœnis sit ob suũ malefactũ obnoxius, vbi & est respectus, & ordo ad pœnã, cui subijcitur, & ad delictũ, quod fecit: quaquam Ochamus, & Gabriel volunt dici peccatorẽ non à respectu rationis, quo homo est diuinæ voluntatis obiectum, sed à peccato præterito: multa enim nominari solent ab actibus transactis, etiamsi nihil deindè reuera permaneat in ipsis. Exemplum sit. Titius à Caio pecuniã mutuam accepit: Titius dicitur debitor, & Caius creditor, quia vterque cum altero contraxit, & vnus dedit, alter accepit mutuam pecuniam. Similiter dicitur aliquis peccator, non ob aliud, nisi quia peccauit, & nõdum est ei peccatum remissum. Obijcies, ergò perpetuo peccator appellari poterit, si semel deliquerit, quoniam in perpetuum verum erit dicere eum peccasse: Respondent illi, non dici peccatorem ob actum transactum simpliciter, sed ob culpam ex actu præterito contractum, & nõdum diuinitus remissam, & per contrariam voluntatẽ Dei beneficio, & munere, reuocatam. Et hæc fuit Scoti, & aliorum sententia, quæ non videtur improbabilis, quamuis à Soto, Caietano, & alijs S. Thomæ discipulis acriter improbetur. Nam secundum Scotũ in peccatore duo respectus insunt, vnus quidem ad actum præteritum, quo quis deliquit, ratione cuius, in culpa esse dicitur, & proindè peccator: alter ad Deum destinantem hominem ad pœnas, & volentem punire eo, quod deliquerit, qua ratione dicitur debitor, & reus pœnæ. Alijs tamen sicut & mihi magis arridet veterum Scholasticorum opinio dicentium, post actũ malum in homine maculã manere, quæ est diuinę gratiæ priuatio, à qua peccator quis nominatur, & est: ita vt peccator sit ideo, quia per peccatũ se diuina gratia denudauit. Iuxta hãc pariter sentẽtiam in peccatore duo continentur, videlicet,

absentia,

absentia, siue vacuitas gratiæ, & quod ea sit ob malefactum, siue peccatum contracta.

His quædam objicit Scotus. Indè, inquit, fieret, vt cætera peccata post primum, nullam maculam inducerent, quippè quæ gratiã non tollunt, quam primum peccatum excluserat. Respondeo, reuera gratiam depellerent, nisi ea per primum peccatum sublata esset. Vndè, omne lethale crimen, aut meritò, aut sua vi, & conditione hominem diuina gratia, & charitate spoliat, ac nudat. Deindè objicit, fieret, inquit, vt vniuersa peccata sint eiusdem speciei, quia sunt diuinæ gratiæ priuationes, quæ non nisi per formas, & habitus distinguuntur: sed gratia est vna, ergò peccata inter se minimè differunt. Respondeo, nihil argumento cõcludi: nam peccatum post malum actum præteritum, licet sit diuinæ gratiæ priuatio, est tamen voluntaria, hoc est, eius, qui peccat, voluntate susceptа, non naturaliter contracta. Et proindè quamuis naturales priuationes per formas, & habitus duntaxat specie distinguantur; peccata tamen specie differunt, quia per actus voluntarios specie diuersos contrahuntur. Tertiò objicit, sequeretur, ait, peccatores alios alijs non esse peiores, & deteriores, cum priuatio gratiæ non sit maior in vno peccatore, quàm in alio. Respondeo eiusmodi priuationem esse proprio hominis actu susceptam, vt dixi, quia est propria eius voluntate contracta: in vno autem homine peiori, & deteriori voluntate contrahitur, quam in alio, cò, quòd aut pluribus malefactis, aut deterioribus suscipitur, sicut vmbra maior, minorue est eo quòd maius minusue corpus opacum sit interiectum. Sic respondet S. Thomas *1.2. quæst. 86. art. 1. ad 3.* Quartò opponit, si homo absque gratia, & iustitia condirus peccaret; cessans deindè ab actu, verè esset, & diceretur peccator, & tamen gratiam non amitteret, quia nullam acceperat. Respondeo, peccatum lethale per se gratiæ priuationem mereri: satis igitur est, si in eo hominis statu, & conditione peccatum per se gratiam depelleret, si ea in homine adesset. Est enim lethale crimen merito, aut vi, & conditione sua gratiæ aduersum, atque contrarium. Quintò Scotus argumentatur: Gratiam solus Deus efficit, confert, infundit, & conseruat, ergò eam peccatum non tollit, sed solùm mrretur qui peccat, vt sibi auferatur. Respondeo, posse quidem gratiam absque peccato hominis diuinitus auferri, & tunc absentia gratiæ in homine priuatio non esset, sed sola negatio, qualis fuisset, si Deus hominem sine gratia procreasset: at verò crimen gratiam expellit meritò, aut conditione, & vi sua, vt formam sibi contrariam; & talis absentia gratiæ est voluntaria quædam priuatio, per quam scilicet aliquis caret forma, quam habere debuisset.

Quartò quæritur, An lethale peccatum vi, & natura sua gratiam expellat, an verò solùm mereatur, vt Deus gratiam tollat? quod est quærere, an vi, & conditione sua eam eijciat, tanquam formam sibi aduersam, atque contrariam; an verò meritò duntaxat. Duas video Theologorum opiniones; prima affirmat solùm merito, non autem vi, & natura sua crimen gratiam excludere. Sic senserunt Henric. *quodl. 5. q. 23.* Scot. *3. dist. 23. q. 1. ad argumenta*, Ocham, *quodl. 3. q. 17.* Durand. *1. dist. 17. q. 10. num. 15.* Gabr. *1. dist. 17. q. 4. art. 3. dub. 3. propos. 3. & in 2. d. 35. q. 1. art. 1. conclus. 2.* Almai. *tract. 2. moral. c. 5.* tribus, vel quatuor adducti argumentis. Primò, quia gratia est forma, & habitus supernaturalis diuinitus infusus, & in animo conseruatus; ergò solus Deus potest gratiam tollere. Vis enim, & facultas naturæ ea, quæ supra naturam sunt, attingere non potest, ergò neque ea delere. Deindè quia ea, quæ se vicissim naturaliter expellunt, ac perimunt, semper se eijciunt, ac pellunt: etiamsi per ignorantiam in eodem homine ponantur; vt frigus, & calor; lumen, & tenebræ. At verò non ita se habent peccatum, & gratia: nam si quis ex ignorantia errauerit in fide, gratiam non amittit; ergo error in fide non est vi, & natura sua gratiæ contrarius. Adde his quod multa sunt peccata, non quia per se mala sunt, sed quia humana lege prohibentur: ergo eiusmodi peccata per se gratiam auferre non possunt. Postremò, in omissione sæpè peccatum admittitur, & tamen omissio non videtur, nisi meritò gratiam excludere; hæc opinio admodum probabilis quibusdam hoc tempore videtur. Secũda docet, peccatum lethale non tantùm meritò, sed vi, & natura sua gratiam expellere. Ita S. Thomas videtur sentire *2. 2. q. 24. art. 10.* cuius ea vnica est ratio, efficax quidem ad id conuincendum, quoniam peccatum per se, & directò est gratiæ contrarium: nam gratia reddit hominem dignum amicitia, & consortio diuino, Deo item gratum, charum, & acceptum: Peccatum verò hominem alienat prorsus, & auertit à Deo, & proindè facit eum indignum amicitia, & charitate diuina. Hæc autem duo secum inuicem pugnant. dignum, & indignum esse amicitia, coniunctione, & societate diuina: item, esse gratum, & charum Deo, & simul alienum, & auersum ab eo. Et gratia est efficacis diuinæ dilectionis effectus; ergò lethale peccatum vi, conditione, & ratione sua Dei, & hominis amicitiam dissoluit, ac dirimit: nam contraria se inuicem pellunt. Hæc sententia mihi probatur, de qua libro septimo fusius disputabo: interim dicere sufficiat, peccatum in præsentia sumi, nõ solùm pro actu, qui est malus, sed pro eo, quod cum recta ratione, & lege diuina pugnat, siue in opere, siue in sermone, siue in omissione, siue in aliquo alio cõsistat, quod Dei legi aduersetur. Item accipitur, vt est malum in moribus, ac proindè, vt est malum rationis, hoc est scienter, & voluntariè contra rectam rationem admissum: & non quatenus est aliquid naturaliter factum; nam amens rationis vsu carens facit quidem malum, sed non malè: facit id, quod est peccatum, sed non peccat: qui per ignorantiam probabilem, & iustam errat in fide, assentitur ei, quod est contra fidem, sed in crimen hæresis non incidit, quia nec voluntariè, nec scienter contra fidem credit; ergò res, quæ est peccatum cum gratia, & charitate non pugnat, pugnat tamen, vt peccati rationem habet: & hoc modo peccatum accipit S. Thomas: quamuis Scotus acceperit primo modo. Quare ad obiecta respondeo; Ad primum quidem, fateor, gratiam esse formam, & habitum supernaturalem, quia nulla vi, & facultate naturæ fieri potest: nego tamen eam, nihil posse habere sibi contrariũ. Nam quatenus est habitus quidam reddens hominem

dignum

dignum Dei beneuolentia, amicitia, & consortio diuino, & regno cælesti, non autem præcisè absolutè, & simpliciter, quatenus est supernaturalis quædam animæ qualitas, ornans & perficiens mentem, vi, conditione, & ratione sua, habet tanquam sibi aduersum, atque contrariũ lethale peccatum, quod hominem reddit tantis Dei muneribus, ac donis indignum. Nihil igitur mirum est, si gratia, quæ à solo Deo fit, & infunditur, peccati intereat prauitate, vtpotè sibi contraria, tanquam priuatione opposita, quandocunque sumitur gratia, vt reddit hominem Deo charum. Nam quòd substantias, quæ à solo Deo procreatæ conseruantur, nulla naturæ vis, & facultas perdere possit, inde profectò est, quia nihil habent sibi contrarium, cuius vi intercidere, & perire queant. Ad secundum respondeo: gratiam habere aliquid contrarium, quod eam naturaliter excludat; nimirum peccatum, quod per se diuinam amicitiam soluit, ac dirimit, qua sublata, tollitur necessariò gratia, quæ reddit hominem Deo gratum, & charum: pugnat autem ex natura rei gratia, non quidem cum re ipsa, & substantia, quæ peccatum est, sed cum ratione peccati, videlicet quatenus scienter, & sponte quis lethaliter peccat: nam eo ipso contra Dei amicitiam facit: quòd si peccatum voluntarium non sit, res quædam erit, peccatum tamen non erit; ac proindè error in fide ex ignorantia proueniens, gratiam non delet, aut perdit, quia non est peccatum. Ad vltimum respondeo. Quamuis omissio non sit actus, est tamen voluntaria expressè, vel tacitè contra Dei præceptum & legem: & ita hoc sufficit ad gratiam tollendam; nam vt antè iam dixi, peccatum, non qua est res aliqua, sed quia est peccatum, gratiæ inimicum & aduersum est, & proindè vt peccatum est, non quatenus res aliqua, gratiam expellit, ac delet. Et hinc etiam soluitur, id, quod est obiectum. multa, fateor, esse peccata, quæ non sunt per se mala, sed quia aliqua lege scripta vetantur: vndè non eorum substantia cum gratia pugnat, sed quatenus peccati rationem habent, pugnant cum gratia, & charitate, non vt gratia simpliciter est qualitas supernaturalis, sed vt facit hominem Deo gratũ, charũ, & amicum: vt septimo libro explicabo.

Quintò Quæritur, An lethale peccatum vi, & natura sua expellat reliquos habitus infusos virtutum, & donorum, qui semper charitatem comitantur, sicut gratiam expellit, & charitatem? S. Thomas vnà cum gratia, & charitate cẽset infundi virtutes morales ad communem iustorum hominum vitam necessarias, dona etiam Spiritus sancti. Quam opinionem si sequamur, sentire quoque cum S. Thoma oportet; lethali peccato dona Spiritus sancti, & infusas virtutes morales excludi: non quidem quòd omne crimen virtutibus moralibus infusis, aut donis Spiritus sancti, vi, & natura sua aduersetur, sed eò, quòd omnes eiusmodi habitus infusi gratiã, & charitatem comitentur, & cum ea nexu quodam, & vinculo contingantur. Quare hoc ipso, quòd lethale peccatum vi, & ratione sua hominem gratia spoliat, & orbat, cæteris quoque habitibus moralibus infusis, & Spiritus sancti donis denudat, ac priuat. Scot. Gabr. & alij videntur docere. Spiritus sancti donis peccatorem priuari, non eò, quòd lethale peccatũ vi, & substantia, siue natura sua pugnet cum eiusmodi donis: sed eò, quòd is, qui lethaliter peccat, ea dona, quatenus cum gratia, & charitate sociantur, suo merito amittat.

Sextò Quæritur, An sicut lethale crimen natura sua gratiam, & charitatem excludit, ita etiam peccatum Fidei, Spei ue contrarium, ipsum fidei, vel spei habitum infusum, & supernaturalem vi, & conditione sua depellat? Quæstionem mouet, quòd, quemadmodum omne lethale peccatum est gratiæ contrarium, & propterea vi sua eam eijcit, sic etiam hæresis est fidei contraria; ergò vi, & ratione sua fidem excludit. Est vna opinio, fidei, vel spei habitum per peccata contraria sua natura expelli; alioqui enim si tãtùm ob meritum hominis expelleretur, alijs etiam peccatis fides posset amitti. Si quis enim totum populum aliquem in errorem fidei contrarium induceret, cùm tamen ipse non contra fidem crederet, ac sentiret, fidem mereretur amittere, quam tamen non amittit: ergò fides non amittitur ex merito, sed ex natura peccati contra fidem admissi; & idem, inquiunt, sentiẽdum est de habitu spei. Si quis enim aliquos in desperationem adduceret, spei habitum mereretur amittere, quem tamen non amittit, nisi propriam salutem desperet: ergò spei habitus non ob meritum, sed ob naturam, & rationem peccati contrarij depellitur. At multorum fuit Theologorum sententia habitum fidei, vel spei per hæresim, vel desperationem tolli, non quidem vi, & natura sua, sed ob meritum peccantis: nam alioqui, inquiunt, si quis per ignorantiam probabilem, & iustam quidpiam contra fidem absque vlla culpa credidisset, habitum fidei amisisset; quod est absurdum. Accedit, inquiunt, quod credere aliquid contra fidem, vi, & natura sua pugnat quidem cum actu fidei; & ideo naturaliter fidei actum extinguit, sed non pugnat cum habitu fidei, qui supernaturalis est, & à solo Deo pendet, efficitur, & cõseruatur; contraria igitur sunt, rem aliquam fidei credere, & non credere, quare simul esse non possunt: non autem pugnant naturaliter fidelem esse per habitum diuinitus infusum, & rem aliquam fidei non credere, hæc opinio fuit Scot. 3. d. 23. *quæst.* 1. *ad argumenta.* Hen. *quodl.* 5. *q.* 23. Ocham *quodl.* 3. *quæst.* 7. Dur. 1. *d.* 17. *quæst.* 10 *num.* 15. & Gab. 1. *d.* 17. *quæst.* 4. *a.* 3. *dub.* 3. *propos.* 3. & 2. *d.* 35. *quæst.* 1. *a.* 1. *conclu.* 3 Almai. *tract.* 2. *mor. c.* 5. Mihi tamen magis prima opinio probatur, eam tamen sic intelligo: primùm, hæresis suapte natura pugnat cum fide, & desperatio cum spe, quatenus hæresis est assensus, quo quis scienter, & sponte credit aliquid fidei contrarium, neque enim error in fide susceptus per ignorantiam probabilem & iustam, absque vlla culpa fidem tollit: neque desperatio inuoluntaria habitum spei, quoniam hæresis, & desperatio fidei, & spei contraria sunt, quatenus peccati rationem habent, non quatenus actus sunt naturaliter facti. Et hoc puto Scotũ, & alios Theologos docere voluisse, videlicet non tolli habitum fidei per errorem cõtrarium ex natura rei,

hoc est, per errorem fidei contrarium naturaliter, non voluntariè susceptum. At S. Tho. conuenienter ijs, quæ docet 2. 2. *quæst.* 24. *a.* 10. dicit tolli per voluntarium errorem fidei contrarium, non solùm ob meritum peccati, sed etiam ob repugnantiam, quæ est inter fidem & hæresim, vt fidei & hæresis rationem habent; alioqui enim cùm sint alia deteriora, & grauiora crimina, quàm hæresis, cur fidem non auferunt? Deindè, animaduertendum est hoc, quotiescunque certum aliquod in fide dogma scienter & voluntariè negatur, aut in dubitationem vertitur, eo ipso, totam rationem credendi negari, quoniam fide creditur, quicquid creditur ob testimonium diuinum. Si ergò vnum aliquid, quod sit diuinitùs patefactum, & dictum neges; hoc ipso, totam fidei rationem euertis. Si enim Deus, prima veritas & summa nos fallit, aut fallitur, quod fieri non potest, in cæteris quoque nutabit eius auctoritas. Quare eadé ratione, qua Deo in ré vna fidé habemus, in reliquis quoque omnibus habere necesse est. Idem prorsus de spe dicendum: quicquid enim speramus, idcircò speramus, quia est nobis diuinitùs promissum, ergò qua ratione vnum speramus, cætera quoque diuinitùs promissa sperare debemus: quòd si vnum eorum, vel minimum desperaueris, totam spei rationem tollis. Deus enim in reddendis promissis æquè est fidelis & verax: non igitur vnum sperare licet, aliud desperare. Primò obijcies: actus cum habitu non pugnat, sed cum actu: ergò in fide error simul esse potest cum habitu fidei. Respondeo: actum cum actu proximè pugnare, sed remotè cum habitu. Secundò obijcies: habitus fidei est supernaturalis, à solo Deo efficitur, pendet, & conseruatur: sed actus hæresis est naturalis: ergò non sunt contrarij. Respondeo: actus naturalis non pugnat cum supernaturali, quatenus vnus est naturalis, alter supernaturalis, sed quatenus habitus fidei mouet ad credendum, & hæresis dissentit à fide. Tertiò obijcies: hæresis efficiendo non potest expellere habitum fidei, qui à solo Deo pendet, & conseruatur. Respondeo: siue efficiat siue non efficiat, hoc vnum contendo, per hæresim fidem expelli, non solùm ob meritum hæresis, sed etiam ob repugnantiam. Quartò obijcies: fides potest infundi in hominem habitum hæresis habentem quum de suo peccato dolet. Respondeo: solùm in præsentia dicitur per hæresim tolli fidé tanquá per formam contrariá, quando peccatum est, non negatur posse infundi habitum fidei, & simul esse cũ habitu hæresis in hæretico recès per legitimam pœnitentiam conuerso, quoniam habitus fidei, nõ cum habitu hæresis, sed cũ actu pugnat: vndè fit, vt non possit consueta lege Dei habitus fidei infundi in hominé, qui dissentit scienter & spõtè ab ijs, quæ sunt fidei; dixi consueta lege Dei, quoniam Deus absolutè etiam potest facere, vt cætera cótraria sint simul in eodem, quamuis ex natura rei esse non possint: calor enim & frigus, Deo id faciente, in eodem simul esse queunt.

Septimò Quæritur, Quibusnam pœnis, & malis lethale peccatum hominem afficiat? Respondeo: primò, hominé gratia, & charitate lethale crimen spoliat, ratione cuius macula in animo contrahitur. Hac item ratione peccatum hominem à Deo alienat, & auertit: quia gratia è contrario hominem, in quo est, cum Deo societate quadá & amicitia coniungit, vnumq; quodammodo cum eo efficit. Hac eadem ratione peccatum hominem à debito suo fine abstrahit, quia nos disiungit à Deo, qui noster est finis. Præterea, hoc ipso, quòd lethali crimine præceptum aliquod violamus ad salutem, & vitam æternam necessarium, à fine deficimus; quia deflectimus ab aliquo, quod est ad finem consequendum necessarium. Secundò, lethale crimen hominem ab hæreditate cælesti excludit, & huiusmodi malum Theologi appellãt pœnam damni: est enim æternæ felicitatis amissio. Tertiò, hominem mãcipat æternis supplicijs; quæ pœna sensus ab eisdem Theologis nominatur: quæ pro qualitate criminis maior est & minor. Quartò, anteactæ vitæ merita abrumpit, ac veluti intercidit: nam impedit, ne ipsis cælestis gloria, & hæreditas reddatur: quam pœnam Theologi hunc in modum explicare solent; lethale crimen, inquiunt, antecedentia quidem hominis merita non extinguit; sed quasi sopita, atque obruta reddit: Id autem ideò docent, vt ostendant eadem merita per pœnitentiam, & gratiam reuiuiscere, instar arborum & fruticum, qui hyeme quidem non intereunt, sed veluti languescunt, & vere nouo reuiirescere incipiunt, ac reflorescere. Item, vt differentiam constituant, inter merita præcedentia, & opera bona moralia peccatoris: nam hæc, vtpotè mortua, & extincta, nequaquam per pœnitentiam, vt illa, reuiuiscunt, nec redeunt amplius.

Octauò Quæritur, An sicut pœna sensus est inæqualis, sic & pœna damni inæqualis sit? Cõuenit inter omnes esse æqualem per se, aliundè tamen esse inæqualem: inæqualitatem tamen diuersis modis constituunt, & explicant. Quidam enim ideò inæqualem esse arbitrãtur, quia delicitatis amissione vnus magis tristatur, ac dolet, quàm alter, prout grauiùs, aut leuiùs peccauit. Sic Abulen. *in Matth. ca.* 25. *quæst.* 640. Soc. *in* 4. *d.* 50. *quæst.* 1. *a.* 4. & ante eos Rica. 4. *d.* 50. *a.* 5. *quæ vi.* Hæc tamen tristitia dicitur, inquiũt, pœna damni, non sensus, quoniam eam parit, ac gignit æternæ hæreditatis amissio, non ignis, qui torquet & discruciat improbos, perpetuis supplicijs damnatos. Cæterùm hoc solùm probare videtur pœnam sensus esse inæqualem, non damni: nam tristitia, quæ concipitur ex æternæ felicitatis iactura, pœna est sensus, non damni, quæ in eo solùm consistit, vt perpetuò quis careat cælesti hæreditate. Alij verò pœnam damni inæqualem esse volunt, non quidem per se, nec ob æternam felicitatem amissam, sed vt ordinem, & respectum habentem tantummodo ad peccata: pœna enim per se peccato debetur; quo igitur maius, & deterius peccatum, eò grauiore & acerbiori pœna suum afficit auctorem: nam alioqui si quis cælesti præmio sine vlla prorsus culpa careret, pœnam non lueret; pœna etenim non est, nisi ob culpam admissam, ita opinantur Alma. *tract.* 3. *moral. c.* 29. *ad finem*, & *Supple.* Gabr. 4. *d.* 50. *quæst.* 2. *a.* 2. *propos.* 4. Hi similiter auctores pœnam damni non sensus mœrorem appellant,

quem

quem inducit peccati præteriti recordatio, non autem ignis perpetuus: pœnam verò apud inferos eam sensus esse fatentur, quam ignis parit, ac affert. Verùm hoc solùm argumento probatur, pœnam sensus maiorem, aut minorem deberi maiori, aut minori peccato; non tamen pœnam damni oportere esse inæqualem: quia hoc ipso, quòd quis habere sibi videtur plus iuris ad boni aliquid, ad quod aspirat, consequendum, magis dolet, & angitur, cùm se eo bono deiectum, ac deturbatum videt, & animaduertit ab omni spe eius potiundi decidisse. Vt si quis ius ad regnum haberet, & sua culpa illud amitteret. & proindè tantò magis quisque affligitur, & discruciatur de æternæ beatitudinis iactura, quantò plus iuris, & meritorum habebat ad eam. Ergò consentiunt omnes, pœnam sensus in damnatis hominibus inæqualem, ac imparem esse; quoniam tristitia & dolor, pœna est animum discrucians, & torquens, siue eam ignis ingeneret, siue peccati præteriti recordatio, siue æternæ felicitatis amissio, siue iuris ad cæleste regnum consequendum iactura: Pœna verò damni in eo solùm consistit, quòd quis cælesti felicitate careat, quam poterat, & debebat habere. Priuatio verò eiusdem formæ, vna altera maior, aut minor non est, etiamsi forma, quæ posset, ac deberet inesse magnitudinem, aut paruitatem haberet: quemadmodum enim cæcus vnus alio magis, aut minus cæcus non est, quia vnus aspectum acutiorem, acriorem, & perspicaciorem, alius verò hebetiorem, & tardiorem amiserit: hic vnus non est maior peccator, aut minor, eò, quòd à maiore, amplioreue Dei gratia per peccatum exciderit: nec vnus item magis æterna beatitudine caret, quòd maius ad eam ius aliquando obtinuerit; sed quia magis affligitur quisq;, vel eo, quòd animaduertat, se à maiori iure excidisse, vel grauiùs, & deteriùs peccasse. Apud inferos igitur pœna sensus est vna per se maior aut minor alia; pœna damni per se non item, quatenus in sola priuatione consistit, sed quatenus ex maiori, minoriue causa soluitur: sicut vmbra maior, minorue est ex maiore, minoreue corpore opaco interiecto: pari ratione. S. Tho. 1 2. *quæst.* 86. *a.* 1. *ad.* 3. docet peccata esse alia alijs deteriora & grauiora, & proindemaculam animæ, quæ est priuatio gratiæ aliam alia esse maiorem minoremue, quia macula, inquit, non est sola priuatio gratiæ; sed quatenus est per peccatum grauius, aut leuius, tãquam per causam inducta. Et Maior 4. *d.* 50. *quæst.* 2. *concl.* 2. ait; *pœna damni non vt est sola præmij, siue gloriæ cælestis priuatio, sed vt est priuatio cum mœrore, & tristitia ob grauius, vel leuius peccatum admissum, grauior, leuior esse.*

Nonò Quæritur, An posit esse peccatum, quod nulla vnquam pœna sensus sit puniendum? Respondeo: iuxta legem diuinitus institutam in rebus, nullum esse, aut esse posse peccatũ, propria hominis volũtate contractum, quod aliqua pœna sensus nõ puniatur. Almain. *tract.* 3. *moral. c.* 15. At verò præter rerũ solitã legem, & ordinẽ esse potest peccatum, de quo nulla vnquam sensus pœna sumatur; nihil enim impedit, quo minùs Deus à peccatore pœnas non repetat. Nam lege sua peccata punit: at verò peccatum, quamuis Dei nutu impunitum perpetuò maneret, nihilominus tamẽ esset supplicio dignum. Peccatum igitur, quatenus peccatum est, pœnam, aut perpetuam, aut temporalem meretur. Item peccato, vt peccatum est, pœna debetur, nec peccatum esse potest, quod non sit pœna dignum. At verò, quòd pœna perpetuò, vel ad tempus puniatur, id postulant diuinæ iustitiæ leges in sontes, & perditos constitutæ.

Decimò Quæritur, An posit esse peccatum, quod nec lethale, nec veniale sit? Quidam affirmant esse posse. Almain. *tract.* 3. *moral. c.* 15. testatur Martinum, & Durandũ sensisse, id fieri posse, si absolutè, & simpliciter loquamur, præter rerum ordinem ac legem, eò quòd posit Deus peccatum aliquod nec perpetua, nec temporaria pœna punire. Sed reuera, aut lethale, & veniale peccatum vocamus, quod pœna sensus perpetuo, vel ad tempus punitur: aut quod pœna perpetua, vel temporaria dignum est. Si primo modo lethale & veniale peccatum sumamus: potest quidem esse peccatum, semota Dei lege, quæ est constituta, quod nulla vnquam pœna, vel æterna, vel temporaria sit puniendum: at verò si secundo modo accipiamus; non potest esse peccatum propria hominis voluntate commissum, quod non sit lethale, aut veniale, hoc est, quod non vel pœnam æternam, vel temporariam mereatur. Peccatum enim est, vel graue, vel leue: Si graue, dignum est supplicio sempiterno: si leue, pœnam temporariam promeretur. Peccatum itidem, aut hominem à Dei gratia & charitate disiungit, quippe quod est diuinæ amicitiæ inimicum & aduersum; & huic perpetua pœna debetur: aut Dei gratiam & charitatem non delet; & hoc temporariam pœnam meretur.

Vndecimò Quæritur, An actus aliquis voluntarius, ac liber ita per se malus sit, vt nullo modo carere deformitate queat? Sunt, qui censeãt nullum esse humanum actum per se malum, ac peccatum, qui ab omni prauitate denudari non possit; sic quidam iuniores. Immo Almain. *tract.* 3. *moral. cap.* 15. ait ita sensisse Martinũ, Durãdum, & alios, quos ibi citat; Fatentur quidem actus alios esse lege naturali damnatos, alios scripta lege diuina, vel humana interdictos: & illos esse per se malos, non quia non possint non esse mali, sed quia ante omnem legem scriptam sunt mali; hos verò non esse malos per se, sed tantummodo malos, quia lege scripta vetantur. Cæterùm aiunt, eos etiam actus qui sunt iure ac lege naturali damnati, non esse ita per se malos, vt omni prauitate spoliari non possint; quod vnica ratione conuincere conantur. Nam omne peccatum ideo est peccatum, quia diuina lege vetitum: ergo si Deus legem deleat, ac tollat, peccatum non est: vtputa homicidium, adulterium furtum, detractio, periurium, falsum testimonium, ac mendaciũ, sunt peccata, & per se mala, quia legi naturali contraria. Sed finge, non esse Dei præceptum, quod hæc fieri prohibeat, tunc peccata nõ erunt: at Deus, quicquid iubet, aut vetat, suo nutu & arbitratu iubet, ac vetat: ergo fieri potest, vt nihil iubeat, nihil prohibeat. Sed longè verior est eorum sententia, qui docent peccata iuri naturali contraria, ita esse per se

mala, vt omni deformitate carere non possint, nimirum, odium Dei, mẽdacium, periurium, &c. cætera huiusmodi, non possunt non esse mala. *Greg. 2. dist. 35. quæst. 1. a. 2.* Gab. *2. d. 35. quæst. 1. ar. 1. nota 1.* Almain. *tract. 3. Moral. cap. 16.* qui vt hanc sententiam tueantur, & proposito aliorum argumento respondeant, docent Dei præceptum posse dupliciter accipi, aut verbis Imperatiui modi conceptum & datum; aut verbis Indicatiui modi: Verbi Gratia; mendacium, odium, Dei periurium, dupliciter vetari queunt: Vno modo sic, Ne mentiaris, ne odio habeas Deum, ne peieres. Aut sic, Non est mentiendum, siue mentiri nõ licet: Nõ est peierãdum, siue peierare, nefas est: si primo modo præceptum sumatur, omnia, inquiunt, præcepta etiam legis naturalis, sunt nutu Dei posita, quoniã Deus, quicquid extra seipsum vult, liberè vult. At verò si secundo modo præceptum accipias, Iuris naturalis præcepta, non sunt à Deo nobis liberè data, quoniam necessariò verum est: furari nefas est: peierare, mentiri, non licet: immo etiamsi, ex hypothesi, Deum in rerum natura non esse fingeres, nihilominus esset verum, Mentiri non licet: & peccatum, inquiunt, quo ius naturale perstringitur, nõ est peccatum præcisè, quia interdictum Dei præcepto verbis Imperatiui modi dato, sed quia pugnat cum præcepto Dei per modum Indicatiuum posito. Sed certè, quicquid sit de hac distinctione præcepti, negari non potest furtum, homicidium, adulterium, odium Dei, periurium, mendacium, & id genus alia, ita esse per se mala, vt non possint non esse mala: ita Almai. *tract. 3. Moral. cap. 16.* & ait sic sensisse S. Tho. Bonaventuram, Ochamum, & alios. Nam quemadmodum in his, quæ in natura consistunt, aliqua ita sunt per se vera, vt non possint non esse vera: neque enim vlla ratione, & potestate fieri potest, vt homo non sit animal, non sit corpus, non sit substantia, quoniam hæc ad hominis naturam spectãt, nec rerum naturæ mutari queunt, vt aliud quippiam sint, quàm illud, quod sunt, vel vt non sint id, quod sunt. Sic etiam in moribus, quæ sunt per se mala, hanc naturam & rationem habent, vt per id, quod sunt, sint rationi contraria, & aduersa. Adulterium, siue homicidium, nec esse, nec intelligi potest, quod non sit rationi contrarium. Sicut enim calor esse non potest, quin sit aquæ inimicus, aduersus, & noxius; sic nec mendacium esse potest, neque periurium, quod non sit rationi dissentaneum. Et hoc est, quod Gregorius, Almainus, & alij docuerunt. Semper esse verum dicere; Mentiri, peierare, furari non licet: ratio enim si recta est, præscribit non esse peierãdum. Dices, ergo furtum ideo est malum, quia ratio præscribit, non esse furandum; cum tamen ideo ratio præscribat, non esse furandum, quia furari est malum. Certè hæc duo se inuicem consequũtur, Furari esse malum, & rationem præscribere non esse furandum: & mutuò se ponunt, ac inferunt: sicut si patrem dicas, intelligis simul & filium, quia pater non est, nisi filij pater: & è contrario filius non est, nisi patris filius; sic etiam si furtum dicas: simul etiam dicis rationi inimicum, & aduersum, quoniam furtum nõ est nisi malum rationis. Similiter si ratio præscribit, non esse furãdum, sequitur, vt furtum sit malum. Et idem iuris est in ceteris, quæ sunt per se mala, eò, quòd cum naturali iure pugnent. Sciendum tamen est prædicta peccata esse per se mala: ita vt bene fieri nequeant ab homine scienter, & sponte operante in materia, & re obiecta ex suo genere, & circunstantijs mala: nam alioqui extrema necessitate oppressus, re aliena iure vtitur, vt suam vitam conseruet: & bello iusto etiam innocentes, vnà cum alijs iure necantur, & fontes auctoritate publica, sine peccato occiduntur, & iussu Dei vitæ, & necis habentis imperium potest innocens absque vllo peccato iugulari.

Controuersia est inter auctores, an quod est per se malum, saltem à Deo solo, sine homine fieri queat? Verbi Gratia: an odium Dei possit Deus per se facere: nam si id fecerit, malum non erit. Verum lis hæc, & controuersia ad nostram quæstionem non pertinet: nam in præsentia solùm est quæstio, an Adulterium, homicidium, furtum voluntariè, & liberè ab homine fieri queant, ita vt mala non sint: & dicimus, fieri non posse, vt mala non sint. Si obijcias, si nullum sit datum Dei præceptum de non furando, furtum malum non erit. Respondeo: sicut furtum esse nõ potest, quin cum ratione pugnet; sic nec ratio recta esse nequit, quæ non præscribat, non esse furandum. Diuina autem ratio per se ipsam est recta, ac proindè non potest non præscribere, furari esse malum, aut furari non licere: est enim ratio recta cum rei natura consentanea. at furtũ per se est malum, ergò recta ratio omninò præscribit furtum esse malum, esse fugiendum, esse vitandum: siue præceptum scripto detur, aut lex promulgetur de non furando, siue secus, furtum semper est malum rationis, semper suapte natura rectæ rationi contrarium.

De peccato originali.

Hactenus ea explicui peccatorum genera, quæ in aliqua actione consistunt, quæque propria hominum voluntate contrahuntur. Superest iam, vt breuiter disputem de Peccato originis, quod singulis hominibus innatum est, eo quòd ab Adamo primo parente, in omne genus humanum communi seminis propagatione peruaserit; ita vt in vnoquoque hominum à primo ortu suo, atque conceptu sit vnà cum ipsa natura susceptum.

Cap. XXV.

Peccatum originis clarè, & euidenter ex scripturis, Patribus, & decretis Ecclesiæ colligi.

PRimò quæritur; An peccatum originis euidenter ex sacris litteris colligatur? In concilio Tridentino, sessione 5. *de Pecc. orig. cap. 3.* definitum est, peccatum originis esse in posteros à primo parẽte per propagationem traductum; quod olim fuerat contra Pelagianos decretum in cõcilio Mileuitano, Carthaginensi, & Arausicano 2. quam fidei definitionem concilia collegerunt, ex Paulo *ad Rom. 5.* vbi ait. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum;*

mors

mors; & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. In hac igitur Ecclesiæ definitione tria continentur: Primùm est, prædictum Apostoli locum nõ esse intelligendum de alio, quàm de peccato originis à primo genitore Adamo, in totam suam progeniem transmisso, propagatione, non imitatione. Ita concilium Tridentinum, Mileuitanum, Carthaginense, & Arausicanum. Hoc autem ideo definitum est, quia Pelagiani Apostolum interpretabantur de omni peccato transfuso à primo parente in genus humanum, non quidem propagatione, sed imitatione, exemplo, doctrina, & occasione; ac si Paulus indicare voluerit, factos esse posteros Adæ peccatores; quia prauum sui primi parentis exemplum imitantur, vt filij solent parentum exempla sectari, & discipuli magistrorum vestigijs insistere: Et quemadmodum multi occasione accepta ex aliorum peccatis, mala sæpe committunt.

Secundò definitum est: Pauli sententiam esse, per peccatum Adæ non solùm mortem corporalem, & alias huius vitæ pœnas, in omne genus humanũ permanasse, sed etiam verè, & propriè peccatum, quod est mors animæ. Ita concilium Tridentinum, & Arausicanum: quod itidem est contra Pelagianos decretum, qui contendebant posteros Adæ contraxisse quidem mortem corporis; cæteraque huius vitæ mala, & pœnas, quæ in sacris litteris nonnunquam peccata nominantur, ac ideo concedebant, ex primo parente contrahi quidem peccatum, id est, peccati pœnam, non autem quod est verè & propriè peccatum.

Tertiò constitutum est, Mortis nomine apud Paulum prædicto in loco intelligi debere mortem corporis, quam Deus fuerat Adæ comminatus. Gen. 2. illis verbis: *Quacunque hora comederis ex eo, morte morieris.* Sic concilia Tridentinum, Mileuitanum, Carthaginense, & Arausicanum. Quod similiter statutum est aduersus Pelagium aientem, eam comminationem Domini de morte propter peccatum sustinenda, intelligi de morte spirituali animæ, non autem corporis naturali. Docebat enim Pelagius, siue peccaret Adam siue non, eum & omnes eius posteros fore morituros: quia *mors*, aiebat, *est conditio naturæ, non pœna, & effectus peccati.* Hoc ille concludebat ex ipsa interminatione diuina. *In quacunque hora comederis, morte morieris*: nec tamen statim Adam est mortuus, ergo talis comminatio ad mortem animæ, non corporis, pertinebat: cum primùm enim comedit ex fructu arboris sibi interdicto, gratiam diuinitùs acceptam amisit, ac ita in animæ mortem incurrit: At enim Pelagius scripturæ phrasim, & hebraismum minimè didicerat: scriptura enim futuro tempore frequenter vtitur pro eo, quod fieri solet, debet, aut potest, & è contrario, quo modo vsurpauit Dominus cum dixit: *Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt*: indicare volens, homicidas mereri, vt gladio pereant. Eodem illud pertinet Prophetæ; *Sacerdotes peccata populi mei comedent*: significat enim, sacerdotes viuere solẽt, ac debent ex victimis pro peccatis à populo oblatis; nec non & illud; *os habent, & non loquentur: pedes habent, & non ambulabunt*, cuius loci sensus est: os quidem, & pedes habent, loqui tamen, & incedere nequeunt, aut non solent. In eandem igitur sententiam accipienda est comminatoria illa Domini vox ad Adamum: *Morte morieris*; id est, Reus eris mortis, aut morti obnoxius.

Secundò Quæritur, An ex prædicto Apostoli loco peccatum originis necessaria consecutione concludatur? Pelagiani negabant: sed certè ex ipso Apostoli contextu satis apertè colligitur peccatum originis, vt tergiuersari Pelagius, nisi temerè, & impudenter non posit: Primò ex illa particula: (*Per vnum hominem peccatum intrauit*) Nam si de transitu peccati, per imitationem loqueretur Apostolus, certè dicere debuerat, Per diabolum peccatum in hunc mundum intrasse: nam Sap. 2. dicitur: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Deinde ex Verbo (*Mors*) quam proponit Apostolus, vt comitem peccati: sed mors pertransijt in omnes, etiam infantes, qui primum parentem peccando nequaquam imitantur, ergo & peccatum. Item, ex illis verbis: *In quo omnes peccauerunt* siue intelligas, In quo, id est, in primo peccato, siue, In quo, id est, in primo parente omnes peccauerunt: sed infantes non peccauerunt imitando, ergo ideo, quia contraxerunt peccatum communi propagatione concepti, & nati. Præterea, ex illa particula: *Nam iudicium ex vno in condemnationem*, tanquam id vellet insinuare: Ex vno delicto condemnatum est genus humanum, quoniam in omnem posteritatem vnus Adamus peccatum simul cum natura transmisit. Postremò ex illa sententia: *Regnauit mors etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* ergo regnauit etiam in omnes infantes: nec alio sensu Apostolum hisce omnibus in locis interpretati sunt Patres Augustino iuniores; Primasius nempe, Sedulius, Prosper, Fulgentius, Leo, Gregorius, Beda, Anselmus, Bernardus & alij.

Tertiò Quæritur, An ex alijs scripturæ locis peccatum originis apertè constet? Certè alter scripturæ locus est in Psalmo quinquagesimo. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea*, quo loco communi consensu vtuntur Patres ad peccatum originis comprobandum, Cyprianus, Origenes, Hilarius, Nazianzenus, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Cyrillus, Leo, Fulgentius, Ruffinus, Cassiodorus, Beda. QVAERES; cur Dauid dixit numero multitudinis, [*in iniquitatibus & peccatis*] cum peccatum originis sit vnum, non plura? Respondet Leo *epist. 86.* Primò, in illo vno peccato multa commisisse primum parentem, videlicet superbiam, sacrilegium, homicidium, furtum, auaritiam. Secundò ait, peccatis parentum etiam filios adstrictos teneri. Hæc autem sumpsisse videtur Leo, ex Augustini doctrina *in Enchiridio. cap.* 45. 46. 47. Nihilominus respondeo: in Hebræa littera vtrobique dici in singulari numero, *in peccato: in iniquitate.* Septuaginta verò interpretes verterunt in numerum multitudinis, & fortassis eum numerum pro singulari vsurpârunt: Hebræi enim cum significare volunt vnum aliquid ex pluribus, numero multitudinis vtuntur Gen. 13. *Moratus dicitur Lot, in oppidis iuxta Iordanẽ*: videlicet in vno ex illis

oppidis. Ionæ *primo. Descendit* (Ionas) *ad interiora nauis*; intellige, ad vnum ex interioribus. Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros* id est vnum ex presbyteris. Cautè igitur legendus est Euthymius qui eum Psalmi versiculum ad alium sensum traxit. *Natus sum* (inquit) *ex nuptijs, quæ per peccatum intrauerunt vnà cum concupiscentia carnis.* Secutus est hic auctor (vt videtur) aliorum Græcorum sententiam dicentium: Si Adam perseuerasset in prima iustitia, non erant futuræ nuptiæ, nec per nuptias procreatio sobolis: ita senserunt Nisse nus *de creation. hominis. cap.* 18. Damas. *lib. 2. de fide ortho. cap.* 30. & *lib. 4. cap.* 25. Chrysost. *hom.* 18. *in gene.* Procopi. *ca. 4. in gen.* Quæ sententia ab alijs Patribus meritò est reiecta. ab Aug. *lib. 9. super Genesim ad litteram. a. cap.* 3. *vsque ad cap.* 11. & *lib.* 14. *de ciui. cap.* 26 & *lib. 1. Retract. cap.* 10 & *cap.* 19. S. Tho. 1 *p. quæst.* 89. & Mag. 2. *dist.* 20 Dauid igitur in eo loco veniam suæ peccati precabatur, eò quòd quadam naturæ fragilitate peccasset; & ideo dicebat: Ecce enim sumus in peccato nati, & concepti; & propterea ad peccandum proclines.

Tertius scripturæ locus est apud Iob: *cap.* 14 vbi latina lectio habet: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Septuaginta verterunt: *Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vita vnius diei super terram*; qua lectione vtuntur passim veteres Patres ad inferendum ex scripturis peccatum originis, Dionysius Areopag. Origenes, Cyprianus, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Fulgentius, Cassiodorus. Obijcies; editionem Septuaginta modo vim & auctoritatem non habere in Ecclesia, quæ vulgatam editionem latinam, vt autenticam approbauit. Respondeo, Ecclesiam hanc approbâsse quidem, ita tamen vt illam minimè reprobauerit, quam citauit aliquando Christus Dominus, citârunt Apostoli, quáque vsa est Ecclesia per quingentos, & eo amplius annos, præterquam quod in his locis, quibus communi consensu Patres vtuntur auctoritatem non amisit suam. Deinde obijcies, Iustinum martyrem in *opusculo. 146. Quæstionum, quæst.* 88. scriptum reliquisse, illud ex Iob, quo dicebatur, Neminem quamuis illi vnius diei vita fuerit super terram, immunem esse à peccato, nullo modo ad infantes accommodari posse. Nam vita (inquit) quæ in Græco dicitur βιὸς, in eo loco Iob, pro conuersatione, & consuetudine viuendi sumitur: quasi Iob dicere voluerit: Nemo mundus à sorde, etiam paruulus, cuius conuersatio fuerit vnius diei super terram. Respondeo auctorem illius opusculi, non esse Iustinum martyrem, nam *quæst.* 82. & 86. *citat* Origenem, qui tamen fuit Iustino posterior: & *quæst.* 115. profert Irenæũ martyrẽ Episcopum Lugdunensem, qui vel fuit Iustino aliquanto iunior, vel saltem æqualis. Non igitur eum auctorẽ hac in parte approbamus, aut sequimur.

Postremus locus habetur in Epist. Pauli, ad Ephes. 2. (*Eramus, inquit, natura filij iræ, sicut & cæteri:*) quem tamen locum non æquè firmum indicamus, atque præcedentes ad peccatum originis comprobandum: quippe cuius duo extant apud Patres sensus: primus; *Eramus filij iræ*, id est, vindictæ, & supplicio obnoxij. (*natura*) id est, origine & natiuitate per peccatum corrupta. Sic Augustinus *libro* 13. *de Trinitate cap.* 12. quem secuti sunt postea Primasius, Beda, Anselmus, S. Thomas, & sic forè explanant hunc locum, Hieronymus, & Sedulius: (*Natura*) id est, ab adolescentia nostra, Alter sensus eorum Patrum est, qui verbum (*Natura*) accipiunt pro aduerbio reuera, vel prorsus & omninò, vt hoc velit Apostolus: omnes eramus reuera obnoxij vindictæ, & supplicio, eò quod iram Dei prouocauimus. Hunc sensum agnouerunt Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Theodoretus.

Illo præterea argumento vtuntur frequenter Patres ad peccatum originis concludendum, sumpto ex communi traditione Ecclesiæ, quæ sacro ac salutari baptismate abluit infantes in remissionem peccatorum: qua traditione, & consuetudine vsa est semper Ecclesia à primis Apostolorum temporibus: nam profecto falluntur quidam nostri temporis Hæretici aientes paruulorum baptismum cœpisse tempore Origenis: cuius tamen baptismi meminit Dionysius Areopagita, *capite vltimo, de Ecclesiastica Hierarchia.* Clemens Romanus, *lib. 6. Constitutionum Apostolicarum cap.* 11. Irenæus *lib. 2. cap.* 39. Tertullianus *lib. de Anima cap.* 39. Cyprianus *lib. 3. epistola. 8. quæ est ad Fidum.* Origines *homil. 8. in Leuiticum, & ad Rom. 6. super illa verba: Vetus homo noster: quibus locis ait esse Apostolicam traditionem*, Ambrosius *lib. 2. de Abraham cap. vltimo.* Cyrillus *Catechesi mystagogica.* Nazianzenus in *oratione in sanctam lauacrum*, Basilius *in exhortatione ad Baptisma*, Chrysostomus *ad Neophitos, & in Psalmum* 14. Hieronymus *Dialogo. 3. contra Pelagium ad finem*; Augustinus *lib. 3. de Genesi ad litteram cap.* 23. *lib.* 4. *contra Donatistas cap.* 24. Quod si obijcias cum Pelagio, infantes debere salutaris aquæ sacramento initiari, vt in Ecclesiæ societatem coptentur, & Christo insiti inter filios Dei censeantur; vt ad regnum cælestè admittantur tanquam filij Dei per gratiam adoptionis ad hæreditatem paternam, sed non vt aliquius peccati remissionem consequantur. Habent quidem paruuli (aliquis alius opponet) solam naturam à peccato, & gratia liberam, sed fidei sacramento imbuuntur, vt armis Christi muniãtur contra diabolicos incursus. Insuper obijciet alius, si infantibus Baptismatis sacramentum confertur, vt à peccato originis expiẽtur; cur dicit Ecclesia eos sacro baptismatis fonte ablui in remissionem peccatorum: siquidem vno tantùm peccato originis tenentur obstricti? His omnibus respondeo, in Ecclesia semper esse creditum baptismum in remissionem peccatorum suscipi, quia ex Paulo ad Romanos 6. apertè colligitur, baptismate nos consecrari in morte Christi, & in eius resurrectione: ita vt baptismus sit sacrum symbolum mortis, & sepulturæ Christi: vt sicut ille mortuus est vita temporali depositâ, sic etiam ipsa immersione aquæ, profitemur, mori quoque nos peccatis veteris hominis extincti, & obruti: deinde emersione ex aqua profitemur nos vuà cũ Christo resurgere in nouitate vitæ, porrò baptismus cõfertur in remissionem peccatorum, quia vbicumque sunt multa crimina, expurgat & delet omnia: cùm vero vnum tantùm est, id emundat, & eluit.

Con-

Contra hæc omnia opponet aliquis, multos ex Patribus prædictum Pauli locum intellexisse de peccato Adæ in posteros deriuato imitatione duntaxat, & exemplo, non propagatione seminis. In his sunt Oecumenius *ad Rom. 5. explicans illa verba Apostoli, Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi. In omnes*, inquit, *primi parentis peccatum pertransijt imitatione, & doctrina*: Et postea subiungit: *Mortem contraximus, quia omnes peccauimus iuxta similitudinem illius.* Photius item Patriarcha Constantinopolitanus, *apud Oecumenium in eum locum Pauli: Ex Adam initium peccati*, scribens: *Quia nos*, inquit, *sumpta occasione peccamus.* Theodoretus quoque *in eandem Apostoli sententiam ad Romanos 5. & Dauidis illam in Psalmo 30. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, &c. docet, mortem & pœnas ad omne genus humanum transisse, peccatum verò occasione. Idem auctor *in Epitome diuinorum decretorũ c 13. tradit* multos sanctorũ vixisse iuxta legẽ, & præscriptionẽ naturę, nec fuisse obnoxios peccato Adæ. Euthym. *in Panoplia lib. 2. c. 22.* asserit peccato primo parentis morbos, & mortẽ cœpisse, supplicia aũt æterna non primæ transgressioni esse constituta, sed singulis hominibus, qui se peccato obstrinxêre, Arnobius *in Psalmum quinquagesimum super id, Ecce enim in iniquitatibus*, &c. *Is autem*, inquit, *qui nascitur, sententiam Adæ habet, peccatum verò suum non habet.* Hieronymus *in explanatione epistolæ, ad Romanos* expendens illud (*Per vnum hominem*) *Peccatum* ait, *intrauit exemplo, & forma, dum ita peccant, & similiter moriuntur.* Id etiam quod sequitur; *In quo omnes peccauerunt*, ita explicat: *Exemplo Adæ peccant*; & cùm dicit Paulus per peccatum mortem intrasse, ait intellexisse Paulum mortem animæ, iuxta illud Ezechielis: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur*, & ad Romanos septimo *sine lege peccatum mortuum erat*, & cæt. *Insanum*, inquit, *qui de Adam aiunt per traducem ad nos venire peccatum.* Ambrosius *in commentarijs, ad Romæ. quinto, illa verbis. Per vnum hominem*, scribit: *Mors est dissolutio corporis*, ac subdit: *Est alia mors quæ dicitur secunda, in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, sed eius occasione proprijs peccatis accersimus.* Chrysostomus *hom. decima, vndecima, duodecima, & decimatertia, in Epistolam ad Romanos*, docet intrasse mortem, & effectus peccati, & affectus malos per peccatum primi parentis, & ex eo peccatores omnes esse constitutos, id est, addictos & obnoxios morti, & alijs pœnis corporis. Idem colligitur *ex homilia trigesima nona, in primam ad Corinth. cap. decimo quinto, in illud: Sicut in Adam omnes moriuntur. & homilia 17. in caput sextum, eiusdem epistolæ, & homil. vigesima quarta, in Epistolam ad Ephesios, super illuma verba capitis sexti.* Theophylactus *item dum interpretatur verba Apostoli ad Romanos 5. Per vnum hominẽ peccatũ, &c.* eodẽ modo loquitur quo Chrys.

Respondeo ad hæc omnia, in primis, non oportere nos laborare in defendendis, vel interpretandis Oecumenio, Photio, Theodoreto, Euthymio, Theophylacto, & Arnobio. Si quis autem velit eos mitius ac beniguius interpretari, id ei facere licebit, vt volet, ac poterit. De Hieronymo verò dicimus, Commentarios illos, qui nomine ipsius circumferuntur in epistolam ad Romanos, nequaquam ipsius esse, vt multi viri dicti nostra ætate probârunt. Et certè Hieronymus alijs in locis apertè confitetur, & agnoscit peccatum originis; quòd egregiè conuincit Augustinus *libro 2. contra Iulianum capite 2.* necnon id quoque certò argumento deprehenditur ex ijs, quæ scripsit *in caput tertium Ionæ prophetæ*, vbi hoc peccatum ex scripturis deducit: & *in Dialogo tertio contra Pelagianos* probat, primum auctoritate B. Cypriani, deinde traditione totius Ecclesiæ in Baptismate paruulorum in remissionem peccatorum. Accedit his, quòd illud verbum (insaniunt) non videtur, tanti Doctoris modestiæ, aut grauitati conuenire. Quod ad Ambrosium attinet; dubitari, non potest, agnouisse eum, aperteque docuisse peccatum originis: quod ex multis hinc inde congestis Ambrosij testimonijs concludit Augustinus *libro 2. contra Iulianum cap. 2.* Meritò tamen ambigere quis possit, an sint ipsius Commentarij in Epistolas Pauli, nomine Ambrosij prænotati. Verum quisquis auctor eorum commentariorum fuerit, is certe ad *Rom. 5* paulò ante verba superius obiecta, illa inquam: Per vnum hominem, &c. apertè ait: *In quo*, id est, in Adamo, *omnes peccauerunt. Manifestum est in ipso omnes peccasse quasi in massa: ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes sub peccato generauit, ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex ipso sumus omnes.* Hæc ille. Porrò Chrysostomum Iulianus Pelagij discipulus aiebat cum Pelagio sensisse, nullum esse peccatum originis. Augustinus *libro secundo contra Iulianum capite secundo*, multis verbis Chrysostomum defendit ab Iuliani calumnijs, & piè interpretatur eos locos, quos ex eo Iulianus produxerat. Nostra tempestate quidam Monachus *in annotationibus super Chrysostomum*, à Concilio tamen Tridentino damnatis, tribuit Chrysostomo idem, quod olim Iulianus tribuerat. Iacobus Faber Episcopus Viennensi. *in Apologia suorum Commentariorum in Paulum*, ait, peccatum originis Chrysostomo nihil aliud esse, quàm obligationem humani generis ad mortem, & ad alias pœnas corporis. Certè non est, cur minus modesti & pij simus in Chrysostomum, tantum videlicet Ecclesiæ Catholicæ lumen, quam fuerit Augustinus, qui commodè ac benignè eius mentem, & sententiam est interpretatus. Præsertim, cùm *Homil. 40. in prior. ad Corinth. epistol.* idem dicat apertè Chrysostomus: *In regenerationis lauacro mentem gratia tangit, hinc radicale peccatum euellit.* Vbi, radicale peccatum, quod Baptismus extinguit, videtur intellexisse, quòd est à radice, & origine contractum. Animaduertendum est in primo tomo operum Chrysostomi contineri sermones quosdam in certa quædam capita Geneseos, qui non creduntur esse ipsius: inter eos vnus est ille, qui inscribitur, de Adam & Eua, cuius initium est: Deus institutor Mundi, in quo aperta fit mentio de peccato originis. Sed videtur totus ille sermo compilatus ex operibus Augustini, præsertim verò ex certis quibusdam capitibus libri de Ecclesiasticis dogmatibus, qui tribuitur Augustino.

Secundò obijcitur contra ea quæ diximus, eo quòd in prædicto Pauli loco quædam dicuntur, quæ minùs congruenter de peccato originis intelligi queunt. Primò, Origenes, & Ambrosius, tametsi locum Apostoli ex parte interpretentur de peccato originis, bonam tamen eius partem exponunt de peccato imitatione transmisso. Secundò disident omnino à nostra vulgata editione: nam vbi latina habet: *Mors regnauit ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* ipsi per affirmationem legunt [*in eos, qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.*] Tertiò, bis Paulus dixit, *multos*, non autem *omnes*, *vnius*, inquit, *delicti peccatores constituti sunt multi*, & mox. *Per vnius inobedientiam mortui sunt multi.* videtur ergo loqui Apostolus de peccato per imitationē traducto: nam peccatum originis, si detur, omnes infecit, & interitum omnibus attulit. Quartò, Paulus dixit apertè gratiam Christi in plures abundasse quàm peccatum Adæ: at si Adam suum peccatum in omnes effudit, num in plures potuit gratia Christi abundare? Quintò, similitudo Pauli non videtur peccato originis posse accommodari, sed peccato imitatione transfuso. Sicut enim per Christum non omnes gratiam, & iustitiam accipiunt, sed qui ipsum imitantur vitæ moribus; sic non omnes sunt per Adam peccatores, & mortui, sed ipsius in peccando imitatores. Sextò, si peccatum Adæ etiam non peccantibus, nimirum paruulis nocuit: ergo iustitia Christi prodesse quoque debuit non credentibus. Septimò Paulus 1. *ad Corinth.* 15. solùm ait: [*Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*] vbi mortem per Adamum inuectam in mundum ait. non peccatum; ac ita resurrectionem hominum per Christum futuram. Ad extremum Ecclesiastici 25. solùm dicitur; à muliere factum esse initium peccati, & per illam omnes nos mori; quasi dicat illam primùm cœpisse peccare, & ex ea deinde introductam esse moriendi necessitatem.

Adhæc omnia suo ordine respondeo. Ad primum negare non possumus, in Græcis codicibus olim fuisse variam lectionem, vti Ambrosius, & Origenes, annotârunt, & Augustinus similiter. *Epist.* 89. *& lib.* 1. *de peccatorum meritis, & remiss. cap.* 11. Et quamquam Ambrosius, & Origines, lectionem per affirmationem præferunt. *Regnauit mors ab Adam in eos, qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Augustinus tamen anteponit lectionem per negationem: *etiam in eos qui non peccauerãt* & certè ipsi etiam Græci per negationem legunt sicut & nos, Chrysostomus, Theodoretus, Photius, Theophylactus, Oecumenius. Præterea, ad secundum respondeo: licet Ambrosius, & Origenes, magna ex Parte Paulum interpretentur de peccato imitationis: ea tamen verba: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit.* vsque ad ea, *in quo omnes peccauerunt*, de peccato originis explanant, sicuti & concilia, ac cæteri Patres. Solùm igitur Origenes, & Ambrosius, ab Augustino, & reliquis dissident, quòd cætera Pauli verba illi interpretantur de peccato imitationis, hi verò de peccato originis communi propagatione transmisso. Quare S. Tomas, in Paulum meritò dixit, ea verba: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit.* vsque ad eum locum: *In quo omnes peccauerunt*, solùm intelligi de peccato originis; cætera verò posse intelligi, tum de peccato originis, tum de peccato imitationis. Ad tertium respondeo, Paulum interdum dicere, *omnes*, interdum, *multos*: sed vt rectè adnotârunt Ambrosius, Augustinus, & Chrysostomus, promiscuè videtur Apostolus vsus vtroque verbo, & multos appellat omnes; & oēs vocat multos, quia multos intelligit totam hominum, multitudinem, aut generis humani vniuersitatem. Ad quartum respondeo, cum Paulus dicit in plures abundasse gratiam Christi, vt Chrysostomus ac cæteri Græcorum annotârunt, plures sumpsit pro multis, est enim græcismus, quo nomina comparatiua solent pro positiuis frequenter vsurpari. Sensus itaque verborum Pauli est hic, gratia Christi abundauit multo magis, quàm peccatum Adæ: nam licet Christus non mundauerit plures, quàm Adam corruperit, plura tamen bona attulit Christus, quàm mala humano generi Adam intulerit: Item, iustitia, & meritum Christi maiorem vim habuit per se ad homines per gratiam seruandos, quam habuerit peccatum Adæ, ad eos corrumpendos. Ad quintum respondeo; in hoc Pauli similitudinem consistere: Vt sicut peccatum Adami in omnes [nimirum communi propagatione genitos] peruasit, ita vt si alij essent aliundè procreati, peccatum Adæ minimè contraherent, vt postea apparebit; sic iustitia Christi permanat in omnes nempe renatos in ipso. Est tamen aliquid discriminis: quòd alij homines non sunt, qui ex Adamo genus propagatione non ducant; cum tamen sint aliqui, qui non renascantur in Christo, semper tamen est verissima similitudo: sicut peccatum Adæ derivatum est ad omnes, qui ab eo procreantur, sic iustitia Christi transijt in omnes qui in ipso renascuntur. sicut enim ad peccatum originis contrahendum, necesse est, vt generentur ab Adamo, sic ad participandam iustitiam Christi, oportet, vt renascantur per Christum. Ad sextum, quod Pelagius magni faciebat, respondeo: peccatum Adæ nocuisse non peccantibus, nimirum paruulis, quia sunt ab eo generatione propagati: Acceperat enim Adam iustitiam, & gratiam sibi & suis posteris: qui deindè diuinam legem sibi impositam violando, eâdem gratiam atque iustitiam sibi quoque, & posteris amisit: at verò Christi iustitia nequaquam prodest nisi his, qui renascuntur in eo, non autem renascuntur extra baptismum adulti, nisi voto ipsius baptismi, & fide viua, quæ per dilectionem operatur, ipsi adhæreant, & adiungantur; infantes verò, nisi salutari baptismatis vnda abluti mundentur. Ad septimum respondeo. Quando Paulus Corinthijs scribit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo, & reliq* loquitur de communi omnium resurrectione futura per Christum, sicut communis mors omnium hominum est per Adamum inducta. Ergo cum ait: (*omnes viuificabuntur* (non solùm id dicit de vita gratiæ, ad quam non omnes resurgent, sed etiam de vita corporis. *Omnes enim* (ait Christus Dominus) *qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei; & qui audierint, viuent.*

Omne

Omnes ergò per Christum iudicem suscitabuntur ad corporis vitam, quam in Adamo genus humanum perdiderat: & improbi ad supplicium æternum damnati, secunda morte interibunt, quæ est gehennæ pœna; boni verò ad cælestem hæreditatem admissi, secunda vita donabuntur, quæ est perpetua in cælesti patria felicitas. Hæc est de eo Pauli loco, quem attulimus, Theodoreti, Theophilacti, Anselmi, & S. Thomæ sententia. Cùm verò opponit aduersarius. Apostolum ibi solum de morte corporis per Adæ peccatum in orbem terrarum inuecta meminisse; Respondeo in loco Paulum minimè sermonem habuisse de peccato Adæ, & de iustitia Christi; de quibus tamen fuit sermo ad Rom. 5. Solùm igitur cum Corinthijs Paulus agebat de generali resurrectione futura, quam colligit ille futuram ex Christi resurrectione. Ad vltimũ cõcedimus verum esse, per Euam peccatum cœpisse, & per Adamum: negamus tamen vna eademque ratione, sed diuersa. Per Euam quidem peccatum cœpit, tanquam per fœminam suggerentem, & incitantem; per Adamum verò, tanquam per causam & originem: quod vtrumque diuina scriptura diuersis locis non obscurè indicauit.

Ex his omnibus licet animaduertere, perperam Erasmum in annotationibus suis in Paulum tradidisse prædictum locum Apostoli, si respiciamus proprietatem sermonis, seriem contextus, & continuationem lectionis, potiùs intelligi debere de peccato imitationis, quàm originis: quod probat ille, quia vbi latinè dicitur. *Per vnum hominẽ*, Græcè habetur, Δι' ἑνὸς ἀνθρώπου quod potiùs significat, Propter vnum hominem Sed reuera fallitur, quia præpositio græca διὰ non minus significat per, quã propter, Deinde, opponit Erasmus, cùm dicitur; *In quo omnes peccauerunt*, in Græco haberi, Ἐν ᾧ πάντες ἥμαρτον, id est, in quantum, vel quatenus omnes peccauerunt; non autem, ἐν ᾧ, id est, in quo. Respondeo: Græcam præpositionem ἐν aliquando etiam significare in. Et notandum Augustinum dixisse illud (in quo) referri posse, vel ad hominem, vel ad peccatum. Verùm ex Græco textu constat, referri potiùs debere ad hominem, quia in Græco præcesserat vox ἁμαρτία, id est, peccatum, quod tamen est fœminini generis. Postremò obijcit ille, non constare continuationem sermonis, si de peccato originis Apostolus intelligatur. *Vnde ait*, inquit, *Paulus intulit. Propterea, sicut per vnum hominem.* Respondeo, intulisse ex ijs, quæ præmiserat, omnes esse sub peccato, & egere gloria Dei. Præterea ex eo: (Si cùm adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per ipsum) & reliq.

CAPVT XXVI.

In quo sita sit peccati originalis vis, ratio, & natura.

PRimò quæritur, in quo sita sit peccati originis ratio? R. Augustini tempore, & Scholasticorum ætate semper difficiles explicatus habuit controuersia de peccati originalis ratione, & natura. Apud Theologos fuerunt quædam opiniones falsæ, & inter Hæreticos quædam sententiæ longè a fide alienæ. Prima fuit Theologorum sententia asserentium esse morbidam qualitatem in anima genitã ab alia qualitate morbida corporis siue carnis. Ponit enim hæc opinio duas morbidas qualitates vnam in carne, quæ cõmuni seminis propagatione genus, & originẽ ducit ab Adamo, in cuius itidem carne fuit alia genita, vel à venenato flatu serpentis, vel ab esca sibi interdicta, perindè ac si fructus ille venenatus extiterit. Corpus itaque Adæ infectum, genuit posteros secundum carnem infectos morbida qualitate: sed hanc carnis qualitatem non esse peccatum, cuius caro capax non est, esse tamen aliam morbidam qualitatem in anima generatam ab ea, quæ est in carne, & hanc esse propriè peccatum originis. ita Henric, *quodli. primo quæstione* 21 Ocham. *quodl. 2. quæst. 11. & quodl. 1. quæst.* 21. Gregorius 2. *dist.* 30. *quæst.* 2. Gabr. 2. *dist.* 30. *quæst.* 1. *a.* 1. & 13. Magist. 2. *d.* 31. Alexan. *p.* 2. *quæst.* 105 *mem.* 4. dicentes animam infici ex carne, sicut liquor cum infunditur in vasculum immundum, indè polluitur atq; corrumpitur, quod ex Augustino hausisse videntur dicente *lib. 4 hypognosti. post initiũ, vel nõ longè ab initio. Sicut nunc in peccatore flatu pestifero serpentis venenum infligitur. & per illud mori compellitur; sic tunc fraudifero flatu diaboli venenosa, & pestifera libido inflicta est, & per illa peccatum & mors.* Et cõtra Pelagium disputans, aliquando ait) *de nupt. & concup. cap.* 25. peccatum originis esse affectionem quandam malæ qualitatis, qualis est languor. *non enim*, inquit, *substantialiter manet sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis sicut languor.* Alibi *contra Iulianum lib.* 5 *ca.* 9. scribit animam in carne vitiari, sicut liquor mundus in vase polluto vitiatur, & alibi ait, animam ex carne peccatum contrahere. Et *lib.* 1. *de bapt. parun. cap.* 9. ait, *occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ, tabificauit in se omnes de sua stirpe venturos, & lib.* 6. *contra Iulian. cap* 7. 8. 9. & 10. sæpè dicit peccatum originis non esse substãtiam, sed qualitatem seu affectionem malam. Sed hæc opinio quamuis in Augustino fundamentum habere videatur, communi tamen Theologorum consensu iam pridem è scholis est eiecta, & exposa; Primùm, quia difficilè explicari, aut defendi potest, quomodo, & à quo hæc qualitas sit genita in carne primi parentis. Deindè, est etiam perdifficile explicatu, quo pacto anima, quæ spiritualis est, inici queat tactu carnis corporisue; & qua ratione qualitas carnis, quæ tota est corporalis, gignat in anima, quæ spiritus est, qualitatem spiritalem. Præterea, vix intelligi potest, illam qualitatem non fieri maiorem, aut minorem, nunquamq; interire, cum ea tamen sit qualitas corporalis. Demùm, quia quæcunque de peccato originis dicuntur, commodè & dilucidè percipi, ac defendi queunt absque huiusmodi qualitate morbida. Sicut enim indomita bellua ruptis vinculis sæuit vehementiùs, aut nauis amisso gubernaculo hac & illac procellis agitata trahitur: sic homo amissa originali iustitia, in totum corruptus, innumeris sensus & appetitus affectibus concutitur, commouetur, perturbatur, iactatur.

Secunda sententia docet peccatum originis esse reatum, quo propter primi parentis peccatum, genus humanum cogitur pœnam perferre, exclusum à regno cælesti in perpetuum, nisi illud Dei gratia remittatur, sic Alcisiodoren *in sum. lib. 2. tract. 28. cap. 2.* Dur. *2. dist. 30. quæst. 2.* & 3. Maior. *2. dist. 31. quæst. 1. ar. 1.* Et probant ex Augustino, qui multis in locis contra Pelagium videtur docuisse peccatum originis esse reatum; nimirum. *lib. Re tract. ca. 13.* & *1. lib. de peccat. merit. & remiss. ca. 39.* & *lib. 2. cap. 4.* item. *lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 26.* & 32. quibus locis docet peccatum originis remitti, quando reatus dimittitur: tandiu verò manere quandiu manet reatus pœnę: & post baptismum manere quidem concupiscentiam actu, sed non reatu, & tunc peccatum auferri. Ambrosius Catharinus, *in opusc. de pecc. origin.* ait huiusmodi sententiam esse errorem, quia reatus nō est culpa, aut peccatū propriè, sed est obligatio, qua quis ob peccatum se Deo obstrinxit ad pœnam debitam persoluendam. Deindè, reatus boni rationem habet, & ad iustitiam pertinet: nam qui peccant, hoc ipso se obligant Deo ad pœnas, pro peccatis luendas. Præterea, paruulus reus est pœnæ, ergo aliquo peccato tenetur, aut nullo: Si nullo, igitur addictus, & subiectus est pœnæ sine culpa, quod est absurdum; si aliquo, ergo prior est in paruulo ratio peccati, quam reatus. Ad extremum, per leges diuinitùs latas pœnis subijcimur, quia deliquimus, ergo peccatum, non in eo consistere potest, quòd quis sit pœnis obnoxius. Cæterùm Magister in *2. dist. 30.* cum dixisset hanc esse aliquorum Doctorum sententiam, eam minimè damnauit. Et certè quamuis tàm seuerè condemnanda non sit, quia reatus dicitur cum reatus culpæ, tum reatus, pœnæ; Vt constat ex Augustin. *lib. 1. retract. cap. 15.* & Soto. *lib. 1. de nat. & grat. cap. 9.* Cordub. *in quæst. 10. lib. 1 post. opinionem 6. dub. 1. Versic. Nam nota.* Peccatum originis, est quidē reatus, sed culpæ communi tamen Doctorum consensu refellitur. Et Catharinus meritò damnauit prædictam sententiam, si ea reatum accepit pro reatu pœnæ, non culpæ.

Tertia opinio est asserentium originis peccatum esse concupiscentiam mali, sic Hugo sancti Victoris *in Tomo 3. de sacramentis Christianæ fidei lib. 1. par. 7. cap. 27.* & 28. & Magister *in 2. dist. in.* 30. cuius sententiæ videtur Augustin. fuisse multis in locis contra Pelagianos disputans, *præsertim in lib. 1. de pecc. mer. c. 16. lib. 2. de nup. & concup. cap. 25. lib. 5. contra Iulian. cap. 3.* & *Lib. 1 retract. ca. 15.* ait *concupiscentia est reatus originalis peccati.* Animaduertere tamē debemus, dupliciter in nobis concupiscentiam accipi; vno modo, vt est quædam propensio ad malum, ex parte inferiorum facultatum appetitus, & sensus: & hanc concupiscentiam horum opinio, vult potiùs esse pœnam, quam peccatum; quippè quæ est cupiditas corporis; & corpus peccati capax non est. Altero modo sumitur cōcupiscentia prout est ad malum propensio, ex parte voluntatis & mentis, & hanc aiunt esse peccatum originis. Peccatum enim in voluntate sedem habet, & huiusmodi concupiscentia est aliquid mali, quòd voluntati, & menti inhæret; quo tamen carere deberet. Quam sententiam multis argumentis refellunt Pighi *in opusc. de pec orig.* Cathar. *in opusc. de pec. origin.* Sotus. *lib. 1. de Nat & Gratia cap. 8.* & *9.* Primò quia concupiscentia est naturalis, & esset in homine, qui cum solis naturæ viribus, & dotibus conderetur. Deindè, quia post Baptismum manet in homine, & tamē peccatum originis per salutarem Baptismatis aquam penitus aboletur. Accedit, quòd concupiscentia solum habet rationem pœnæ, non culpæ. Postremò, quia peccatum omne est actus, nimirum dictum, factum vel concupitum contra rationem: sed concupiscentia nō est actus, sed quędam tantùm ad malum procliuitas: quæ est quædam naturæ conditio, & primi peccati pœna, & effectus, non tamen peccatum, & culpa: hoc postremum argumentum infirmum est: nec cætera magnam vim habent.

Quarta opinio, peccatum originis, ait esse priuationem iustitiæ originalis. Sic Anselmus *lib. 1. de conceptu Virginali cap. 22. 26. 27.* & 28. Ex quo sumpserunt Scholastici, Scotus, Ocham, Bassolis, Gabriel, & Maior, *in 2. dist. 30.* & 31. & Marsil. 2 q 19 a 3. *dub. 2. proposit. 4.* & 5. Eam tamen refellunt Catharinus, & Sotus, multis argumētis, quorum aliqua satis firma non sunt. Primò, quia per lacrum Baptisma nequaquam restituitur iustitia originalis; & tamē peccatum originale per Baptismum eluitur, ergo consistere non potest in eo, quòd in paruulis post baptismum permanet in illis iustitiæ originalis priuatio perseuerat. Deinde, si quis sola natura præditus à Deo procrearetur, careret illa originali iustitia, & tamē peccato originis non esset infectus. Adde, quòd ipsa iustitiæ originalis absentia, pœnæ rationem habet, non peccati. Deus enim ob delictum Adæ posteros iustitia originali priuauit, orbauitque dato munere. Adhæc, quia priuatio iustitiæ originalis non est actus contra rationem, ergo non est peccatum, quòd est dictum concupitum, vel factum contra legem Dei. Postremò, huiusmodi priuatio non fuit in Adamo voluntaria: voluit quidem ille fructu sibi interdicto vesci; sed nec in se, nec in posteris voluit priuationem iustitiæ. Gen. 3

Quinta opinio est asserentium peccatum originis ratione formæ esse priuationem iustitiæ originalis, ratione materiæ esse concupiscentiam. Sic S Tho. 1. 2 *quæst. 82. ar. 3.* Albertus *2. distin. 30.* & 31. Alex. *p. 2. quæst. 105. m. 2. a. 3.* Bonauentura Aegid. & Ricard. *2. dist. 30.* & 31. quæ opinio simul coniungit tertiam, & quartam sententias; & proindè eam Catharinus oppugnat eisdem argumentis, quibus tertiam, & quartam oppugnārat.

Sextam sententiam Catharinus in scolam Theologorum inuexit: peccatum videlicet originis esse idem illud peccatum, quod Adamus admisit: quod ideo dicitur, originis, quia id commisit Adam qui fuit origo & caput totius generis humani: posteros verò esse & dici peccatores ab illo actu peccati, quod fecit Adam. Cui sententiæ videtur etiam accedere Albertus Pighius *in opusculo de peccato originali.* Sed certè præterquam quòd noua est, & à Catharino excogitata, cum decretis concilij Tridentini videtur pugnare: nam consilium definit, hoc peccatum vnum origine propagatione,

non

non imitatione transfusum ineſſe vnicuiq; proprium: quod ideo dicit, quia licet ſit vnum ſecundum originem, multiplicatur tamen in ſingulis hominibus, propterea, quod quiſque contrahit ſuum peccatum, quod in ipſo inhæret. Præterea, hæc opinio occaſionem præbere poteſt hæreticis ſui erroris defendendi, quo pertinaciter ſentiunt, nos iuſtos fieri, non per iuſtitiam nobis inhærentem, ſed ſolùm extrinſecùs, per iuſtitiam Chriſti nobis imputatam. Deindè iuxta Catharinum, peccatores eſſemus ac diceremur extrinſecùs, ob peccatum Adæ nobis imputatum. Adhæc, non niſi abſurdè dicitur, quemquam peccatorem eſſe ſolùm ob peccatum, quod eſt in alio, & non ob aliquid quo ipſe teneatur obſtrictus, & quod in ipſo inſit & hæreat: alioqui enim ſi nihil eſt in paruulis vnde ſint verè, & nominentur peccatores, nihil erit, quod ſacrum Baptiſma deleat, ac tollat.

Septima opinio eſt, quam Sot. *lib. 1. de nat. & grat. cap. 8. & 9.* & alij modò in ſcolis Theologorum tuentur, *Peccatum*, inquit Sotus, *originis eſt quidem iuſtitiæ originalis priuatio, non tamen quomodocunque, ſed vt ſpoliat & orbat hominem gratia, quæ illum cum Deo ſocietate & amicitia copulabat.* Obſeruãdum eſt, iuſtitiam originalem eſſe donum ſupernaturale, quod mẽtem hominis perfectè, & plenè Deo conditori ſuo per gratiam ſubijcit, cuius munere, & officio omnes hominis facultates Rationi, & corpus Animæ parent, & obſequuntur. Peccatum itaque originis, eſt priuatio iuſtitię originalis, non prout rectum ordinem in corpore, & ſenſibus conſeruabat, ſed prout mentem, & animam cum Deo amicitiæ fœdere, & vinculo cõiungebat. Peccatum enim in corpore, & ſenſibus minimè infidet, ſed in mente, & animo, in quo gratia Iuſtitiæ originalis reſidebat, & propterea iuſtitiæ priuatio, in mente habet rationem peccati, in corpore verò, & ſenſibus habet rationem pœnæ, peccati non item. Hæc de opinionibus Catholicorum. Inter quas hæc poſtremo loco poſita, & declarata mihi valde probatur, quã exiſtimo fuiſſe Beati Anſelmi, Scoti, Ochami, Marſilij, & Maioris, vt in quarta opinione indicaui. Nec enim hæc differt à quarta ſententia, niſi in eo, quòd plenius, & exactiùs explicat rationem, & naturam peccati originis. Quod vt faciliorem habeat intelligentiam, noſſe oportet. Iuſtitiam originalem accepiſſe Adamum ſibi & poſteris, ac proinde ſibi quoque ac poſteris perdidiſſe peccando. *Eſt igitur peccatum originis priuatio iuſtitiæ originalis debitæ, communi ſanguinis propagatione ab Adamo deriuata.* Dicitur priuatio, quia nõ eſt ſola negatio, ſiue abſentia iuſtitiæ, qualis eſſet, ſi homo cum ſolis, & integris naturæ conditionibus procrearetur à Deo. Debitæ, quia ſi Deus iuſtitiã originalem homini abſque vlla illius culpa abſtuliſſet, nõ fuiſſet vllũ in homine peccatũ, propterea quòd non careret iuſtitia ſibi debita: non enim homo debet habere iuſtitiam, quam, Deus ſuo arbitrio, & volũtate tollit. Debitę itẽ vt explicetur, priuationem iuſtitiæ eſſe voluntariam, quam iuſtitiam ſi Adam conſeruaſſet, poſteri quoque eius ſuſcepturi erant: & proindè iuſtitiæ priuationem Adam ſua voluntate, & culpa contraxit & contractam effudit in poſteros, qui iuſtitiam deberent vnà cum natura ab Adamo Dei inſtitutione ſuſcipere: at iuſtitia per peccatum amiſſa, priuatio ipſius ſimul eſt cum natura ſuſcepta; ergo per generationem traducta. In Adamo itaque poſt præteritum actum, quo ipſe peccauit, fuit quidem priuatio iuſtitiæ debitæ; ſed non erat originale peccatum, quia eam ipſe propria voluntate contraxerat: at verò poſteri per originem, & communem propagationem ſuſcipiunt.

His vtcumque explicatis, poſtremam ſententiam vnica ratione confirmo. Peccatum originis, neceſſe eſt, vt ſit aliquid, quod ex Adamo redundârit in poſteros: at nihil aliud poteſt eſſe niſi iuſtitiæ originalis priuatio, non enim eſt in primis, vti antè iam dixi, morbida qualitas, nec reatus pœnæ, nec concupiſcentia, nec ille actus malus, quo peccauit Adam: ergo eſt priuatio iuſtitiæ originalis debitæ: hæc enim poſt actum illum malum in Adamo permanſit, & ex eo eſt in poſteros tranſmiſſa. Et cum peccatum originis non ſit priuatio iuſtitiæ originalis, quatenus rectum ordinem tenebat, & ſeruabat in corpore, & ſenſibus: aut quatenus erat donum iuſtitiæ re à gratia & Dei charitate diſtinctum; ſequitur vt ſit priuatio iuſtitiæ originalis, quatenus erat idem donum, quod gratia, aut ſaltem neceſſariò cum Dei gratia coniunctum, quæ cum Deo mẽtem hominis charitatis, & amicitiæ nexu & vinculo ſociabat. Hinc eſt, vt ſicut iuſtitia originalis hominem reddebat iuſtum, rectum, gratum, & amicum Deo, ſic priuatio iuſtitiæ originalis debitæ faciat homines auerſos, & alienos à Deo, peccatores, & inimicos Dei. Et quoniam eiuſmodi priuatio, reſtituto per ſacrum Baptiſma diuinæ gratiæ dono, omnino deletur, ideo ſacro Baptiſmate ablutis hominibus, peccatum originis penitus condonatur atque remittitur.

Cap. XXVII.

Argumenta aduerſariorum diluuntur.

QVæritur, quo pacto argumenta aduerſariorum diluantur? Primùm obijcitur: Per Baptiſmũ peccatũ origins aboletur, & tollitur, nec tamẽ reſtituitur originalis iuſtitia, ergo poſt Baptiſmũ manet iuſtitię originalis priuatio, & proinde ea nõ poteſt eſſe vera ratio peccati originis. Hoc argumẽto Sotus, Catharin⁹, alijq; couicti, ſenſerũt, vt nos quoq; ſentim⁹, peccatum originis nõ eſſe priuationẽ iuſtitiæ originalis, ſed gratiæ. At veteres Scolaſtici Scotus, Ricardus, Bonauẽtura, Aegidius, Durandus, reſpõdẽt priuationẽ iuſtitiæ originalis per Baptiſma tolli, quatenus eſt priuatio iuſtitię debitę, manere tamẽ quaten⁹ eſt quædã negatio iuſtitiæ, quia poſt Baptiſmum ampliùs homo nõ debet iuſtitiam originalem habere, licet eã neq; recuperet, neque habeat; & tamen ante Baptiſmum illam habere debebat. QVAERES, Vnde ergo ſit, vt abſentia iuſtitiæ ante Baptiſmum ſit priuatio iuſtitiæ debitæ, ac poſt Baptiſmum nequaquam ſit priuatio, ſed ſola negatio? ſiquidem abſentia formæ in re apta ad formam recipiendam eſt priuatio. In naturalibus, inquiũt, priuatio ſolùm eſt abſentia formæ in re, quæ poteſt illam habere,

& non

& non habet: at in moribus priuatio non est sola absentia formæ, quæ potest ineſſe, & nõ ineſt, ſed debitæ: alioqui enim homo cum ſola natura, abſque vllo alio Dei munere procreatus cenſeretur priuatus iuſtitia, & gratia. Secundò obijcies; Per Baptiſmum minimè reſtituitur originalis iuſtitia, ergo abſentia eius, etiam vt eſt priuatio, per Baptiſmum minimè tollitur. Reſpondent. Iuſtitiam quidem originalem non reſtitui, ſed gratiam, & charitatem, qua recuperata, non amplius homo debet iuſtitiam originalem habere. Ante Baptiſmum verò ideo eſt homo iuſtitia originali priuatus, quia illam deberet habere, vel gratiam. Tertiò oppones; Nulla formæ priuatio excluditur niſi per formam ſibi oppoſitam, ergo priuatio iuſtitiæ originalis nũquam abijcitur, niſi iuſtitia originali reſtituta. Reſpondent, in naturalibus priuationem non auferri, niſi per formam oppoſitam; at verò in moribus non eadem eſt ratio, quoniam priuatio iuſtitiæ ideo eſt peccatum, quia eſt priuatio iuſtitiæ debitæ, ſed qui eſt reſtitutus in gratiam, non amplius debet iuſtitiam habere. Et hæc dicta ſint iuxta mentem Scoti, Ricardi, Bonauenturæ, & veterum Theologorum, qui putârunt iuſtitiam originalem fuiſſe habitum ſupernaturalem, & re à gratia diuerſum. Nos verò arbitramur iuſtitiam originalem, & gratiam fuiſſe vnum, & eundem habitum: niſi quod illa prima hominis iuſtitia inſtitutione diuina, ſibi coniuncta habebat extrinſeca Dei auxilia, quibus mentem, & animum Deo plenè ſubijciebat, ſenſus quoque, & omnes inferiores vires Rationi, & totum corpus animæ: quos effectus gratia adoptionis modò non præſtat, ſed ſolùm primum illum atque præcipuum, quo mens hominis cum Deo charitatis, & amicitiæ fœdere, coniungit, & proinde ſi grata, & accepta habetur, diuinæ naturæ conſors atque particeps effecta. Quocirca ad argumentum reſpondeo, per Baptiſmum peccatum originis remitti, nec reſtitui omnes iuſtitiæ originalis effectus; quia peccatum non eſt priuatio iuſtitiæ, quæ omnes malos motus impediat; recuperatur autem gratia, quæ mentem hominis Deo perfectè ſubmittebat, & cuius priuatio alienat, & auertit hominem à Deo. Reſtituitur itaque per Baptiſmum iuſtitia originalis, prout erat gratia, quæ cum Deo hominem amicitiæ vinculo copulabat.

Secundò obijcitur: Priuatio iuſtitiæ originalis ſolùm habet rationem pœnæ; ergo non eſt peccatum originis. Deus enim ob peccatum Adæ iuſtitiam originalem ſuſtulit, quippe quæ erat habitus ſupernaturalis, quem Deus homini cõferebat, & conſeruabat in eo. Item, huiuſmodi priuatio eſt effectus peccati Adæ; ergo non peccatum Adæ; Præterea peccatum eſt culpa, quæ eſt actus voluntatis: at priuatio iuſtitiæ originalis non eſt actus; ergo non eſt peccatum. Inſuper, omne peccatum eſt contemptio, & violatio legis; at priuatio iuſtitiæ originalis non eſt contemptio legis, nec enim paruulus ea infectus vllam legem perfringit, vel deſpicit. Denique, in Adamo & Eua, fuit priuatio iuſtitiæ originalis, nec tamen fuit in illis peccatum originis. In nobis item, quo pacto poteſt aliquid habere ratio nem peccati, quod in illis peccatum non erat, ſed in illis priuatio iuſtitiæ originalis non erat peccatum, ſed effectus, & pœna peccati. Ad hæc omnia reſpondeo, iuſtitiam originalem re ipſa fuiſſe habitum gratiæ, vti ſupra ſæpe dixi, & licet habitus gratiæ poſsit à Deo tolli, & auferri nihilominus tamen per lethale peccatum, tanquam per aliquid ſibi contrarium expellitur. Vnde primo parenti nequaquam Deus, ſed peccatum abſtulit iuſtitiam originalem, & non ſolùm Adamo, ſed ſuis etiam poſteris. Deindè priuatio iuſtitiæ originalis fuit quidem in Adamo, & Eua, ſed propria ipſorum voluntate contracta: & propterea in illis nõ habebat rationem peccati originis, ſed peccati, quod actuale Theologi appellant, in quod quiſque per proprium actum incurrit: In paruulis verò huiuſmodi priuatio non propria, ſed aliena voluntate per originem, & propagationem contrahitur. Præterea, priuatio iuſtitiæ originalis in Adamo non erat peccatum, vnde quis verè eſt, & cenſetur peccans (ab actu enim dum permanet, tales nominamur, & ſumus) ſed erat peccatum, vnde quis verè eſt, & habetur peccator poſt actum malum præteritum. Quo fit, vt ex Adamo poſteri propagati naſcantur peccatores, id eſt, peccato infecti, iuſtitia originali debita ſpoliati, & orbati. Item, priuatio iuſtitiæ originalis in Adamo erat effectus peccati, id eſt, effectus malefacti, quo ille peccauit Dei lege neglecta, verè tamen, & propriè erat peccatum, vnde quis poſt actum malum, eſt & nominatur peccator. Et proindè in paruulis etiam priuatio iuſtitiæ originalis, ſi referatur ad opus malum, quod Adam peccando fecit, effectus eius eſt, quippe quæ ex eo actu in genus humanũ permanauit, nihilominus tamen per ſe ipſam eſt peccatum in paruulis innatum, vnde peccatores verè ſunt, & nominantur: quoniam huiuſmodi priuatio iuſtitiæ originalis verè, & propriè eſt mors animæ, auerſio à Deo, gratiæ & charitatis excluſio, à lege & iuſtitia declinatio, non quòd fit actus, ſed quòd inſtar habitus permaneat.

Tertiò obijcitur: Si homo cum ſolis naturæ dotibus cõderetur à Deo, poſteros omni iuſtitia & gratia priuatos generaret, ergo tametſi ille non peccaſſet, filios procreaſſet peccato originis infectos, quod cum abſurdum ſit, ſequitur, vt peccatum originis non ſit priuatio iuſtitiæ originalis. Reſpondeo: vt hoc demus, non inde tamen conſici, in illis fore peccatum originis, quia tunc abſentia gratiæ, & iuſtitiæ non eſſet priuatio, ſed ſola negatio, vt ſæpè dixi: homo enim non deberet iuſtitiam, & gratiam habere, cum ea, non vi, & conditione naturæ, ſed Dei beneficio, & munere accipiatur. Cum ergo eam Deus non conferret, homo illam habere non poterat.

Quartò obijcitur; Si homo abſq; gratia, & iuſtitia crearetur, peccare poſſet, & tunc peccatũ etiam in ſuos poſteros traduceret; in quibus tamen nulla eſſet iuſtitiæ originalis priuatio, & tamen in eis eſſet peccatum originis propagatione ſuſceptum. Reſpondeo, dupliciter fieri potuiſſe id, quod in argumento ponitur. Primo modo ita vt Deus hominẽ conderet eo pacto, & conditione, vt ſi primam tẽtationẽ ſuperaret, ſibi & poſteris

gratiam

gratiam,& iustitiam acciperet:sin minus, sibi & posteris amitteret:tunc si peccasset,peccatum originis redundasset in posteros,quod fuisset priuatio iustitiæ originalis debitæ: Et cum obijciturriustitiam & gratiam ex hypothesi homo non acceperat ergo priuatione non transmississet in posteros: Respondeo, priuationem non solùm esse formæ antè acceptæ,sed etiam illius,quæ alioqui inesse deberet: nam aliter nullus esset à primo ortu cœcus: tunc igitur ex hypothesi verè esset in posteris priuatio iustitiæ originalis debitæ, quia si homo non peccasset, sed potiùs primam tentationem deuicisset, posteri omnes nascendo,iustitiam & gratiam suscipissent.Secundo modo potuit accidere, vt primus homo absque gratia, & iustitia crearetur, & sine vllo pacto,& lege eam sibi,& posteris susciendi;& tùc si peccaret, peccatum suum minimè deduceret in posteros, quia sibi tantùm,& non posteris suo peccato noceret, & per illud sibi duntaxat gratiam, & iustitiam amitteret, aut conferendam impediret.

Quintò obijcitur: Priuatio iustitiæ originalis in paruulis solùm est extrinsecùs voluntaria, quia fuit in Adamo voluntaria,ex quo originem traxerunt: ergo solùm est peccatum extrinsecùs existens: Præterea, Adam cum deliquit,nonvoluit se,aut posteros iustitia priuare, sed solùm edere fructum, quo ipsi fuerat diuinitus interdictum. Respondeo, postea esse tractandum, quo pacto peccatum originis sit voluntarium:modò satis est dicere cum Aug.*lib.1. Retract. cap 12. & 15 & lib.3.contra Iulia.cap.5.* ad peccatum originis, vt tale sit,sufficere voluntatē capitis,ex quo omnes homines genus ducunt : voluntas verò primi hominis non est posterorum ex vi, & conditione naturæ, alioqui enim omnis voluntas parentum semper esset voluntas filiorum ante adultam ætate;sed ex institutione, & pacto Dei,quoniam Deus Adamum cum iustitia,& gratia considerat, ita tamen vt iustitiam sibi,& posteris haberet;quam si conseruaret, eam retineret sibi, & posteris. Vnde effectum est, vt illam per peccatum amittendo sibi quoque, & posteris amiserit. Insuper etiam vt priuatio iustitiæ originalis esset voluntaria in Adamo, necesse non erat, vt eam per se,& directò vellet:sufficiebat enim, si cum nosset eam sibi & posteris diuinitus collatam,voluntariè peccasset:peccando enim, sibi & posteris iustitiam spontè sua, & voluntate amittebat.

Ad ea verò quæ ex B.Augusti.pro prima,secunda, & ex tertia opinionibus afferebantur, respondeo : nusquam Augustinum docuisse, Adamum esse infectum ex flatu pestifero serpentis, aut ex venenato cibo :auctorem tamen opusculi Hypognosticon , quod nomine Augustini circumfertur, id solummodo significasse,ex quo prima opinio morbidâ qualitatem inuexit in scholam Theologorum.Præterea,nusquam Augustinus dixit,peccatum originis esse Reatum pœnæ: Sed docuit tunc remitti,& deleri peccatum,cum reatus pœnæ æternæ remittitur: quod verissimū est: nam vna cum remissione culpæ, remittitur pœna æterna, temporaria non item. Insuper negari non potest iæpè Augustinum tradidisse,peccatum originis esse concupiscentiam : Verumtamen id docuit contra Pelagium,qui asserebat, cōcupiscentiam,quæ nobis inest, esse naturæ cōditionem , at Augustinus meritò ex scripturis hoc eius dogma confutauit, passim docens esse malum & peccatum, non conditionem naturæ, quia id intendebat Augustinus contra Pelagianos, vt fateri cogerentur concupiscentiam esse pœnam,& effectum peccati; non naturæ conditionem: quia nisi Adam peccasset, concupiscentia non esset effrænata illa, & indomita, qualis nunc est: non itidem esset tot, & tantorum peccatorum causa & origo.

Cap. XXVIII.

Hæreticorum errores de peccati originis ratione,& natura confutantur.

QVæritur,quinam fuerint Hæreticorum errores in peccato originis? Zuinglius Lutheri discipulus cum suis asseclis, asserit peccatum originis esse mortem corporis, & obligationem,qua totum genus humanum ob peccatum Adæ miserias corporis perferre compellitur.Cōtra quos Tridentina Synodus *sess.5.de peccato orig. can.2.* definiuit: *Si quis dicat inquinatum primum hominem per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum , quod est mors animæ ; anathema sit.* quod idem priùs fuerat constitutum in concilio Arausicano secundo.

Secundus error Caluinistarum, & Lutheranorum est, sentientium peccatum originis esse totius hominis corruptionem,ita vt quicquid in eo est,voluntate,& anima vsque ad carnē,sit peccato inquinatum. Vnde argumentātur, Omne id,quod sit ab homine esse peccatū, licet in renatis baptismate, aut pœnitentia renouatis à Deo, non imputetur ad culpam. Aiunt item hanc hominis corruptionem non esse aliquod accidens, quod homini accesserit, sed esse totam ipsius naturam,& substantiam corruptam : & Scholasticos Theologos reprehendunt eo, quòd dixerint peccatum originis esse priuationem iustitiæ originalis debitæ, quā posteri Adæ malè affecti nascuntur,putant enim illi in hac re Theologos peccati originis prauitatem magna ex parte minuisse, quòd tantùm dicant esse boni priuationem,cum tamen sit fons,& scaturigo perpetua erumpentium aquarum corruptarum , & veluti fornax accensa scintillas, & flammas teterrimas semper emittens. Quorum error facilè conuellitur. nam per huiusmodi totius hominis corruptionem ab ipsis confictam, vel intelligunt corruptionem aliquam positiuam,vt passim in scholis vocare solent , vel priuatiuam. Si primum dederint, id nequit fieri,nisi per accessum certæ cuiusdam formæ:de qua tunc quærimus ex ipsis;vel ea est substantia,vel accidens:si substantia,ergo tota hominis natura est,quòd attinet ad substantiam mutata, quod dicere,stultum est : si accidens, ergo incidunt, velint nolint,in opinionem Catholicorum ponentium qualitatē morbidam,quæ meritò est reiecta Si autem secūdum dederint, esse videlicet corruptionem priuatiuam,id fieri non potuit,nisi fuerit,vel corruptio

substantiæ hominis ex toto, vel ex parte: & tunc sequitur, per peccatum fuisse aliquid homini detractum ex eius substantia, quod similiter fatuum est affirmare. Vel corruptio accidentis, quod fuerat in homine: & tunc, velint quoque ac nolint, delabuntur in opinionem Theologorum dicentium peccatum originis esse priuationem iustitiæ, quam Adamus sibi & posteris acceperat.

Tertius error est aliorum aientium peccatum originis esse in paruulis propensionem voluntatis ad malum in habitu, non actu: ex qua fit, vt paruuli quandiu in eis est peccatum originis, vsu rationis accedente legi Dei repugnent. Ad quem errorem profligandum valet idem argumentum, quod paulò ante protulimus.

Quartus error est aliorum Lutheranorum asserétium peccatum originis consistere in praui desiderijs, quibus homo inuitus tenetur: quæ volunt esse peccata illo Domini præcepto damnata, Non concupisces: ita vt omnes concupiscentiæ motus sint vera legis contemptio: Ratio eorum est, quia quæcumque fit in mente, & voluntate à recta ratione, & lege aberratio, est peccatum, siue sit in habitu siue in actu, siue voluntaria, siue inuoluntaria. Quorum dogma non solùm cum Patribus, & scripturis pugnat, sed cum tota quoque philosophia, & ratione: Nunquam enim est hactenus auditum peccatum esse inuoluntarium, & mereri nos pœnam ex eò, quòd inuiti, & coacti facimus patimuruè, & motus omnem prorsus rationem præcurrentes esse peccata. Nec est quòd nobis obijciant Paulum concupiscentiam peccatum vocantem, & dicentem etiam; *Quod nolo malum, hoc ago*; peccatum enim appellat concupiscentiam, quia est pœna, & effectus peccati, & quia ad malum hominem incitat, ac mouet. Et eodem modò motus, qui rationem præcurrunt, quosque inuiti sustinemus, malos vocat, quia ex malo descendunt, hoc est, ex peccato, quod ex Adamo contraximus: & quia ad malum nos alliciunt, flectunt, ac mouent.

Cap. XXIX.

Quædam quæstiones de peccati originis natura diluuntur.

PRimò Quæritur, An peccatum originis sit culpa? Quidam iuniores putant non esse, sed esse tamen peccatum, iniquitatem, iniustitiam: aiunt enim inter Peccatum, & culpam, hoc esse discriminis, quod omnis culpa est peccatum, non tamen è contrario: peccatum enim potest esse sine culpa, & proindè sunt peccata contra artem, & naturam; velut si quispiam barbarè loquatur ignoratione grammaticæ, vel absurdè canat inscitia musicæ, vel à via deflectat, & proindè ab eo loco, quem cursu petit. Peccatum itaque est omnis à certa regula, & norma declinatio, siue ea regula sit naturæ, siue artis, siue rationis & moris. Iniquitas verò est omnis ab æquitate aberratio. Iniustitia, est à iusto, & rectò auersio: at verò culpa, est actus nimirū, dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei. Vnde colligunt, peccatum originis esse quidem peccatum, iniquitatem, & iniustitiam, quoniam in eo est aliqua à iustitia, æquitate, & lege declinatio; non tamen esse culpam, quia non est actus, sed priuatio iustitiæ singulis hominibus ab Adamo propagatis innata. Sed quicquid isti dicant, difiteri non possunt apud Patres peccatum originis dici etiam culpam originalem. Sic enim Gregorius appellat *libro nono Moralium capitulo 16. & homil. 39. in Euangelia*; sic Augustinus *in Psalmum 50. explicans illa verba: Ecce in iniquitatibus concepta sum*; Sic auctor opusculi Hypognosticon *libro secundo, propè finem*, sic Prosper *ad obiectiones Vincentianas, in Responsione quarta*; sic etiam Glossa *super Exodum capitulo 13. ibi Primogenitum asini.* &c. Sic denique Magister sententiarum *in secundo distinctione. 30.* Sic ibidem Theologi. Animaduertendum itaque est Peccatum latiùs patère quàm culpam: quia peccatum, est tum in operibus naturæ, & artis, tum in actionibus rationis, & moris. Culpa verò solùm est in actibus rationis, & moris. Si tamen peccatum presiùs sumatur, prout est in actibus moris, tunc peccatum, & culpa secundum Patres pro eodem videntur accipi: nam & ipsum Peccatum originis, culpam originalem appellant. Ergo sicut peccatum in moribus aliquando vocatur id, vnde quis est, & dicitur peccans, & tunc est actus à regula rationis discrepans; aliquando verò id, vnde quis est, & nominatur peccator; & tunc non est actus, sed aliquid ex actu relictum, siue id sit priuatio gratiæ, siue respectus quidam, & ordo ad actum præteritum, nec à nobis per pœnitentiam reuocatum, nec diuinitus per gratiam dimissum: Sic etiam culpa potest accipi dupliciter; vno modo, vt est actus voluntarius & liber, qui vitio tribuitur; & tunc peccatum originis non est culpa. Altero modo, vt est id, vnde quempiam post actum malum præteritum dicimus esse, & manere in culpa; & hoc modò peccatum originis verè est culpa. Vt enim paruulos non dicimus peccantes, sed nasci verè peccatores, vere infectos, & corruptos peccato, quod in ortu suo, & conceptu contrahunt, sic etiam eos non culpamus, quod peccauerint, aut malè fecerint: sed cum culpa concipi, generari, & in lucem edi, ac in culpa verè esset planè confitemur, & à culpa originali mundari, cum sacro baptismatè abluuntur.

Secundò Quæritur, An peccatum originis sit verè, & propriè peccatum? Duran. *secundo distinct. 30. quæst. 1. num. 6.* videtur docuisse non esse propriè peccatum, quia non est propriè voluntarium. Est enim solùm voluntarium voluntate capitis, & originis. Item, quia potiùs videtur habere rationem pœnæ quam culpæ. Alij affirmant eodem modo esse peccatum, quo est voluntarium; & quia est voluntarium in alio, videlicet sola voluntate primi parentis, ideo extrinsecùs, videlicet in alio esse peccatum. Alij verò senserunt esse quidem verè, & propriè peccatum, sed ad peccatum non requiri voluntarium, quia satis est si sit à iustitia, & lege declinatio, in natura rationis & mentis participe. Verùm hæc omnia communi Theologorum consensu refutantur, vt constat apud Magist. *in 2. d. 30. 31. 32.* Peccatum itaque originis absolutè, & simpliciter est peccatum: sic enim id appellant concilia, & Patres contra Pelagianos. Præterea, priuatio iustitiæ originalis, quæ debuerat in posteros

primi

quæ debuerat in posteris primi parentis inesse, verè & propriè est peccatum, cum sit mors, qua mens ipsa est à iustitia, gratia, & lege Dei aliena: Dei amicitia, & charitate nudata, & proindè pœnis debitis subiecta.

Tertiò Quæritur, An peccatum originis sit peccatum verè, simpliciter, & propriè, an tantùm per Analogiam, & similitudinem? Capreolus *in 2. distinct. 30. quæst. 1. a. 3.* vult esse peccatum alia ratione, qua lethale, aut veniale: tum qui non est voluntarium, vt veniale, vel lethale; tum quia non est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei. Ricardus *2. dist. 32. a. 3. quæst. 2.* planè confitetur esse per Analogiam peccatum, quia vi & conditione sua habet respectum, & ordinem ad peccatum, quod admisit Adamus.

Quòd ad quæstionem hanc attinet, illud in primis videtur esse compertum, & indubitatum, peccatum originis nó vocari peccatum per Analogiam, instar eorum, quæ hac ratione talia esse perhibentur: nimirum extrinsecùs propter aliud, ad quod referuntur, sicut vrina, esca, & medicina appellantur sana, nó quia in seipsis sanitatem habeant, sed extrinsecùs quia sanitatem, quæ est in animante, indicant, vel efficiunt, vel tuentur, & seruant: peccatum enim originis per se est verè peccatum, cum sit priuatio iustitiæ originalis, qua homo præditus esse deberet: illud etiam oportet affirmare, peccatum originis non vocari peccatum per Analogiam seu modum eorum, quæ per similitudinem talia nominantur, propterea quòd ad ea alterius rei nomen per metaphoram, & quandam similitudinem transferatur; sic homo pictus appellatur homo: sic prata cum virescunt, & florent, dicuntur ridere. Si enim peccatum originis hac ratione solùm diceretur peccatum, pœna & effectus peccati potiùs esset, quàm peccatum; haud secus quàm pictura, vel scriptura vocatur manus pictoris, vel scriptoris, quia est eius effectus. Peccatum igitur originis verè, & re ipsa non per similitudinem, non per metaphoram est peccatum, sed propriè; nimirum priuatio iustitiæ debitæ. Tertiò, ex his omnibus hucusque explicatis manifestè perspicitur, peccatum originis esse absolutè, & simpliciter peccatum, si peccatum non accipiatur pro actu, vnde peccantes nominamur, & sumus; sed pro auersione à lege Dei, & iustitia, vnde quis dicitur, & est peccator, & alienus à Deo, etiam post opus malum transactum. sic enim paruuli verè in peccato concepti, & nati sunt, & verè peccatores sunt auersi, & alieni à Deo. Postremò colligitur, peccatum originis quodammodo per Analogiam peccatum dici, quia cætera peccata venialia, vel lethalia peccata sunt sine vllo respectu, & ordine ad aliud peccatum; at verò peccatum originis rationem peccati non habet, nisi cum respectu, & ordine ad peccatum, quod Adamus admisit: Si enim homo gratia, & iustitia careret, absque vllo respectu, & ordine ad actum malum præteritum, esset quidem absque iustitia, & gratia Dei: vacaret tamen culpa, & peccato, quia careret priuatione ex opere malo contracta, & careret priuatione eius, quam debuisset habere, iustitiæ.

Quartò Quæritur, An peccatum originis sit habitus? S. Tho. *1. 2. quæst. 82. a. 1.* obscurè docet, esse habitum: & proindè inter eius discipulos est cõtrouersia, vtrum voluerit esse habitum positiuum, an priuatiuum, vt vocant. Caietanus *1 2. q. 82. a. 1. ad dub. 2.* contendit iuxta S. Thomæ mentem esse habitum positiuum. At Capreolus *2. dist. 30. quæst. 1. ar. 2. conclu. 3* priuatiuum. Certè si iuxta S. Thomam peccatum originis est habitus positiuus, necesse est, vt S. Thomas incidat in eam Theologorum sententiam, qui id peccati sentiunt esse morbidam qualitatem. Probabilius ergo est, dicere sancti Doctoris mentem fuisse, Peccatum originis ratione formæ esse habitum priuatiuum, hoc est, priuationem iustitiæ originalis, quæ homini inesse debuerat: quæ priuatio vocatur habitus, quia in ea cessante actu homo permanet, quoniam in modum habitus durat etiam post actum: Ratione verò materiæ, esse habitum positiuum, non quidem, qui homini accesserit, aut fuerit natura, & propagatione comparatus, sed qui sit ipsa hominis concupiscentia, quæ instar habitus perdurat etiam cum ab omni actu cessamus, quæ nihil aliud est nisi hominis propensio ad malum, id est, ipse appetitus ad malum procliuis, & primi parentis peccato corruptus: non quòd concupiscentia per se peccatum sit, sed pœna peccati, & quæ ad peccatum nos incitet, alliciat, & moueat.

Quintò Quæritur, An in peccato originis, sicut in lethali, vel veniali, sit aliquid quod se habeat, vt materia, & aliquid quod formæ ratione obtineat? S Thom. *1 2. quæst. 82. a. 3.* Bonau. *2. dist 30. a. 2. quæst. 5.* Ricar. *2. dist. 32 a. 1. quæst. 1.* Alex *p. 2. q. 105. m. 2. a. 3.* & alij veteres Theologi Scholastici docuerunt esse, nimirum concupiscentiam materiam, formam vero priuationem iustitiæ originalis. Et concupiscentiam accipiunt tantùm propensionem voluntatis ad malum, non autem eam, quæ est in appetitu corporis, & sensibus. Alij verò vtramque propensionem ad malum, tum voluntatis, tum Appetitus corporis, & sensus intelligunt. Sed certè nihil oportet in peccato originis laborare de materia & forma distinguenda, quoniam huiusmodi peccatum non est actus, in modum cæterorum peccatorum, debita bonitate priuatus, aut contra rationem admissus, sed solùm est priuatio iustitiæ originalis, quæ debebat vnà cum natura in Adami posteros deriuari.

Sextò Quæritur, An in peccato originis sicut in lethali, sint illa duo, conuersio ad bonum creaturæ, & Auersio à Deo? Quidam tradunt etiam hæc duo in peccato originis distingui debere. Capr. *2. dist. 30. quæst. 1. & 2. ad argumenta.* Dur. cõtra *conclu. 3.* hæc duo ponit in peccato originali. At Alex. *p. 2. quæst. 105. m. 2. ar. 3.* in peccato originis, hæc duo non distinguit. Profectò nulla ratio efficax, & firma cogit nos affirmare, id, quod Capreolus asserit, quoniam peccatum originis est priuatio iustitiæ originalis, & hoc ipso est auersio à Deo, quæ in modum habitus homini inhæret: nec tamé dicendum est, quod quidam aiunt, esse quidem auersionem à Deo fine supernaturali, non tamen à fine naturali: peccatum enim originis, & est à gratia auersio, & à recta ratione

aberratio actu, vel habitu. At si dicas concupiscentiam in peccato originis habere rationem materiæ, priuationem verò gratiæ, rationem formæ; tunc in peccato originis assignari potest conuersio & auersio, vt docent Alex. *par. 2. quæst 105. m. 2. ar. 2.* S. Tho. *1. 2. quæst. 81. art. 1.* Dur. *2. distin. 30. quæstio. 2.* Alber. *2. distinct. 30. art. 1. pro tertia via. ad tertio.*

Septimò Quæritur, quo pacto peccatum originis sit voluntarium? Hoc ideo quæritur, quia peccatum nullum est sine voluntario. Pelagiani hæretici plurimum Augustinum, & catholicos vrgebant ac premebant, hinc & indè concludentes nullum esse peccatum originis in posteris Adæ: quia quicquid asseratur esse peccatum originis, voluntarium esse non potest, cum id posteri solùm nascendo contrahant. Nostra verò tempestate Martinus Kemnitius hæreticus, dicere est ausus, nihil esse in hac parte de philosophia curandum, quæ ad rationem peccati voluntarium requirit & de volũtarijs actionibus, & hominis officijs solummodo loquitur, sed sentire & dicere nos oportere de peccato originis ex his, quæ per scripturas, & Dei legem cognita, & perspecta habemus, in quibus omnis, quæ est in mente, & voluntate, siue in natura rationis compote, auersio à norma diuinæ legis, est peccatum, siue sit voluntarium, siue inuoluntarium, siue actus, siue habitus.

Theologi quibusdam exemplis adhibitis ostendunt, quo pacto peccatum originis sit voluntarium. In primis Sanctus Thomas, *1. 2. quæst. 81. ar. 1.* ad id declarandum tribus exemplis vtitur. Primum ex membris, & partibus corporis sumit: *Quemadmodum*, inquit, *partes collegij, vel Communitatis alicuius dicuntur voluntariè id facere, quod facit is, qui est toti collegio Præfectus: ita homines, qui vna cum Adamo sunt veluti quædam communitas, & corpus, reputantur id fecisse, quod fecit Adamus.* Hoc tamen exemplum minùs videtur esse ad rem accommodatum, quia collegæ in Præfectum suam voluntatem expresè, vel tacitè transtulêre: At verò posteri Adæ nondum nati, nequaquam potuere in Adamum suam voluntatem transferre. Secundum exemplum Sancti Doctoris tale est: *Sicut ex auctoritate Porphyrij, participatione speciei omnes homines sunt vnus homo; sic participatione voluntatis Adæ voluntates omnium hominum fuerunt vna voluntas; & proindè, quòd fuit in Adamo voluntarium, in posteris quoque voluntarium censetur.* Hoc item exemplum non videtur rem propositam satis idoneè, & firmè cõcludere: quia teste Porphyrio, omnes quidem homines sunt vnus homo, sed communione speciei, sicut communione generis, omnes animantes vnum animal: non tamen inde conficitur, vt voluntate Adæ, omnium hominum voluntates fuerint vna & eadem: quoniam illa ab his numero secernitur, & differt. Tertium exemplum: *sicuti cum quis peccat, ministerio linguæ, vel manus malè loquendo, vel percutiendo, voluntas totius hominis reputatur voluntas ipsius manus, vel linguæ; sic etiam voluntas Adæ habetur pro voluntate omnium hominum quia omnes homines, vnum corpus efficiunt.* At enim multa in hoc exemplo continenter, quæ potiùs obesse negocio, quàm prodesse videantur. In primis, lingua, & manus propriam non habent voluntatem, sed voluntas totius est voluntas partis: at posteri Adæ suis quique propriis voluntatibus constant. Deindè, cur in primo peccato Adæ, & non in cæteris posteri peccasse dicuntur? Siquidem quodcumque hominis peccatum ministerio manus admissum, manui quoque crimini, & culpæ datur. Præterea, cur cæterorum parentum peccata non contrahimus? siquidem & ab illis, & ab Adamo naturam humanam nascendo suscepimus, in quibus tanquam in origine continebamur. Adhæc, cum quis manu, vel lingua, abutitur, manum ipsam, vel linguam ad peccandum mouet; sed Adamus posteros nondum natos quanam ratione potuit ad peccandum mouere? hæc tria à S. Thoma exempla proposita, si in bonum sensum interpretemur, non malè præsenti negotio conueniunt: nam primus parens sibi, & posteris iustitiam, & gratiam diuinitus accepit, vnde eam sibi, & posteris conseruasset, si à diuina lege non aberrasset, quare peccando sibi, & posteris amisit. Dei igitur institutione totum genus humanum in Adamo, vt in capite, quod sibi, & posteris gratiam acceperat, continebatur, & sicut in illo gratiam acceperat, sic in illo etiam gratiam amisit, & ideo vi huius institutionis diuinæ, totum genus humanum in Adamo erat velut vnum corpus, vna communitas, velut vnus homo.

Quartum exemplum adfertur ab Anselmo, ex quo Theologi communiter accepêre; hoc nempe: *Veluti si rex quispiam infimæ conditionis hominem non meritis illius, sed propria tantum liberalitate, & munificentia impulsus, summis opibus, & honoribus efficeret, ea lege & pacto, vt omnia bona, sibi & posteris acciperet, & haberet; is verò deinde in regem delinqueret, ob quod delictum maiestatis læsæ, quicquid bonorum, & honorum acceperat, amitteret, eius quoque posteri, & nascerentur, & viverent hiscē bonis & regijs muneribus spoliati, & orbati.* In quibus vtique posteris tantorum bonorum priuatio, voluntaria esset, non quidem voluntate propria, sed paterna. Hoc exemplum mirè quadrat proposito. Id verò vt commodiùs, & plenius intelligamus, animaduertere oportet, in paruulis recens natis peccatum originis, non esse voluntarium, voluntate propria: & hoc Augustinus *libro primo Retractationum capite 12. & 15.* apertè tradit: immo *libro 1. de peccatorum meritis & remissionibus capite 17.* refellit quosdam aientes, peccatum originis esse voluntarium voluntate propria paruulorum contractum. *Non* (inquit) *est sic de sensibus humanis desperandum, vt illud nobis persuadeant.* Animaduertendum quoque est, quando quippiam est voluntarium in nobis voluntate aliena, id posse multis modis accidere: Primò, quia in alium voluntatem, & consensum nostrum expresè transtulimus. Sic quod procurator agit, voluntarium censetur in eo, qui eum ad sua negocia gerenda procuratorem delegit. Secundo modo auctoritate legis, voluntas vnius reputatur voluntas alterius: ita voluntas tutoris habetur pro voluntate pupilli, & voluntas magistratuum, & Senatorum pro voluntate plebis. Tertiò, voluntas vnius existimatur voluntas alterius pacto, conuentione, vel institutione rei alicuius: & hoc modo in exemplo Anselmi, & Theologorum superiùs allato, voluntas

Anselm. de concor. tripart. cap. 27.

patris centietur voluntas filij: hoc item modo voluntas Adami fuit voluntas omnium posterorum: accepit enim Dei beneficio, & munere, non vi, & conditione naturæ, iustitiam & gratiam eo pacto, & institutione, vt si in officio manens conseruaret eam, transmitteret, & deriuaret in posteros. Ex quo liquet, vt, sicut eam sibi, & posteris voluntariè susceperat, vt conseruatam communicaret cum illis, ita voluntariè peccando, sibi & posteris amiserit. Neque verò quicquam refert omnino, interceſſerit nec ne pactum explicitum. Quidam enim arbitrantur interceſsisse. Alij verò diffitentur. Basso 2. *diſt.* 30. *quæſt.* 1. *ar.* 3. & Marsi. 2. *diſt.* 19. *ar.* 2 *ad finem.* Cath. *in opuſc. de pecca. orig. cap.* 7. *& in gen. cap.* 3. affirmant. Scot. *lib. de nat. & grat. cap.* 3. Pighi. *in opuſc. de peccat. orig.* negant. Satis est si dicamus primum hominem ita esse procreatum à Deo, vt ipsa institutione iustitiam, & gratiam sibi & filijs nascituris susceperit, & talis institutio diuina non immeritò pactum vocatur, non quidem explicitum & expressum, sed implicitum & tacitum.

Obijcies, adhuc rem ipsam exemplo proposito non plenè explicari: quia ex eo solùm colligitur, filios Adæ contraxisse pœnam, peccatum non item: quemadmodum in exemplo B. Anselmi, & Theologorum, amissio munerum regalium in filijs illius propositi hominis, quem reum læsæ maiestatis mentis cogitatione fingimus, non esset culpa, sed pœna. Respondeo, exemplum non adferri, vt priuationem iustitiæ originalis probemus esse peccatum: sed solùm, vt ostendamus, esse voluntariam in posteris tacitè, & implicitè: quod enim priuatio iustitiæ originalis, si concedatur aliquo modo voluntaria, peccatum sit, aliundè constat, quam exemplo. Fatemur itaque amissionem regalium donorum esse tantùm pœnam, non culpam: id tamen ideo est, quia non est priuatio alicuius iustitiæ siue virtutis moralis, sed iactura tantùm bonorum temporalium: at verò voluntaria priuatio iustitiæ originalis debitæ, eo ipso est peccatum, quia est declinatio à recto, & auersio à Deo, aberratio à lege, & recta ratione, denique non alicuius boni temporalis, aut naturalis, sed diuinæ gratiæ iactura & amissio, quæ verè est mors animæ. Ex quo etiam efficitur, vt mors corporis, & cæteræ carnis miseriæ, quæ mala ex peccato contraximus, pœnæ, & non culpæ rationem habeant, quia iacturæ sunt, & priuationes bonorum pertinentium ad corpus, & naturam ipsam, non ad mentem, & mores, non ad iustitiam & sanctitatem.

Ex his etiam intelligitur, meritò in quadam cõstitutione Põtificia edita à Pio V. & Gregorio XIII. condemnari duas propositiones Louaniensis cuiusdam Doctoris: Primam affirmantem: *ad rationem peccati non pertinet voluntarium: nec definitum quæstio est, sed causa & originis, an omne peccatum debeat esse voluntarium.* Secunda erat illa: *Peccatum originis habet rationem peccati sine relatione, & respectu ad voluntatem, à qua originem trahit.* SI ROGES, an dici rectè possit in Adamo peccasse posteros eius? Respondeo, verbum Peccandi in scripturis, & proindè in Patribus, & Theologis dupliciter accipi. Primò, vt significat idem, quod malum opus facere: Secundò, vt valet idem, quod, Peccatum contrahere. Si priori modo sumatur: posteri non propriè in Adamo peccárunt, quia nondum nati non potuerunt opus malum facere: quòd si aliquando Adæ posteros legimus in illo, vt parente comedisse ex fructu interdicto, & sic legem Dei perfregisse, locutio est secundum causam, & originem accipienda: Comederunt enim in alio, nimirum in suo capite, & parente Adamo: nam effectus in sua quidem causa esse perhibetur, sed virtute & potestate. Si secundo modo accipiatur, posteri reuera in Adamo peccárunt, id est, in eo, & ex eo peccatum originis contraxerunt. Ita etiam legimus posteritatem Adæ in eo concidisse, quia ipse sibi, & posteris gratiæ, & iustitiæ iacturam attulit.

Cap. XXX.

Quomodo peccatum originis traducatur.

PRimò Quæritur, qua ratione peccatum originis transfundatur in posteros ex Adamo communi lege naturæ procreatos? Pelagiani olim Augustinum aliosque Catholicos hac de re disputando vexabant: rogabat enim Pelagius: teste Augustino *libro secundo de Nuptijs, & concupiscentia cap.* 27. *&* 28. per quas rimas hoc peccatum originis latenter intrasset? Respondit Augustinus: *cum habeat ianuam apertissimam, rogas per quas rimas sit ingressum? Paulus ait ad Romanos* 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit.* Certè Pelagianorum ratio, quæ quæstionem mouebat, ea erat: Anima à solo Deo creatur in corpore: Deus autem peccati auctor non est, ergò eam mundam, & ab omni peccato liberam in corpus infundit; nec potest ex corpore maculari, tum quia est spiritalis, spiritus autem tactu corporis nequaquam polluitur, tum quia peccatum in corpore sedem non habet. Nec potuit anima peccatum ex Adamo hominum progenitore contrahere, quia ex Adamo corpus tantùm, nõ animam suscipimus. Potuit igitur morbus, & labes corporis ex Adamo contrahi, non animæ macula. Hoc erat totum Pelagiani dogmatis fundamentum. Augustinus in explicanda Animæ origine & proinde peccati originalis in posteros traductione sæpenumero angebatur: Quare *tertio libro de libero arbitrio cap.* 21. *&* 22. quatuor opiniones de Animæ origine enumerat, quibus minimè subscribit. Deindè, Orosium virum Hispanum ad B. Hieronymum misit, vti ab eo quid de hac quæstione sentiret, ediscceret, vt constat *ex epist.* 28. *ad Hieronymum.* Præterea, *li.* 10. *de Geneſi ad litteram cap* 3. *& sequentibus, & libro* 7. *per aliquot capita* eandem tractat quæstionem; quatuor libros de Anima scripsit ad Renatum. Tandem *libro primo Retractat. cap.* 1. adhuc se nescire fatetur, an nouæ Animæ quotidie fiant à Deo per creationem in corpore, an verò aliquo alio modo veniant in corpora. Sed quicquid de hac re Augustinus dubitauerit, dogma est Theologorum communi consensu receptum, quotidiè nouas animas hominum à Deo creari in corporibus: & Hieron. *in Apologia prima, & secunda contra Ruffinum* videtur asserere,

hanc esse Ecclesiast. senten. Idem ait, Damasc. *lib. 2. Fidei orth. capite* 12. Gennadius *in libro de Ecclesiast. dogmatibus cap.* 14. qui liber falsò Augustino tribuitur, Tertullianus malè audiuit, eo quòd docuerit animas hominum generatione traductas in corpora venire; quòd annotauit B. August. *in libro contra hæreses, num.* 86. & 81. idem *contra Luciferianos* animaduertit Hieronym. quoque, Tertullianus & Luciferianos accusat eo nomine, vt videre est in epist. 47. Hoc igitur tanquam certum, & indubitatum haberi oportet nouas animas hominum quotidie à Deo creari, & infundi corporibus.

Quo concesso vrget Pelagianorum argumentum, Quomodo peccatum originis in Adami posteros transmittatur, & vndè anima in corpore polluatur: In qua re Augustinus variè videtur esse locutus. Aliquando docet peccatum traduci per concupiscentiam, & libidinem, & videtur insinuare libidinem esse peccatum. Alias verò ait, Adamum suo peccato omnes posteros corrupisse. Interdum, inquit, malum concupiscentiæ, esse affectionem quandam malæ qualitatis, instar languoris. Ex quibus constat secundum Augustinum, concupiscentiam in nobis esse veluti morbidam quandam qualitatem, per quam peccatum transit in animam. Magister *in secundo dist.* 31. ait cum Augustino *libro 4. contra Iulianum cap.* 4. & 9. animam ex carne inquinari, & infici, sicut liquor infusus in vasculum immundum ex eo maculatur, atque corrumpitur, Idem quoque tradunt Alex. *p. 2. quæst.* 105. *m.* 4. & Henri. *quodl.* 1. *quæst.* 21. Alber. 2. *dist.* 30. *ar.* 1. *pro quarta via ad.* 1. ex quibus opinio de morbida qualitate fuit in scholas inuecta.

Cæterùm his omnibus prætermissis, res sic se habet, vt rectè explicuit Dur. 2. *distinct.* 31. *quæst.* 1. *num.* 8. & 9. Homo generat hominem, non quòd ipse faciat animam, sed quòd creatam à Deo coniungat cum corpore naturaliter ad eam suscipiendam aptè & conuenienter affecto, & præparato. Quemadmodum si quis candore ab alio facto parietem afficeret, verè, & propriè parietem album redderet, non quòd faciat ille candorem, aut parietem, sed quod in parietem candorem inducat. Vndè efficitur, vt quicquid naturaliter esset instrumentum ad generandum hominem, hoc est, naturam humanam traducendam, vel ad animam creatam à Deo cum corpore copulandam, esset quoque instrumentum beneficio, & munere Dei, ad transmittendam iustitiam originalem diuinitùs Adæ collatam, seam ille conseruaret acceptam sibi, & posteris: quia sicuti qui traducit naturam, traducit quoque omnes naturæ dotes, vires, & facultates, ac conditiones; sic etiam qui tanquam instrumentum naturam transmitteret, tanquam instrumentum etiam iustitiam originalem transfunderet. Nisi quòd naturalia accidentia traducuntur vi, & conditione naturæ: iustitia verò originalis transmittenda erat non ex vi naturæ, sed beneficio conditoris. Sic etiam eo ipso, quòd Adam iustitiam originalem amisit, eam sibi, & posteris perdidit, & proindè traduxit in omnes posteros naturam humanam iustitia originali nudatam, quam suscipere debuerant: quod est dicere, Adam homo genuit homines, qui si iustus permansisset, iustos quoque procreasset: peccator effectus generauit peccatores, non quòd animam Adamus generando traducat, vel impertiat; immò etiam si corpus nec transmitteret, nec nobiscum communicaret, verè, & propriè priuationem iustitiæ originalis in posteros deduceret ex eo solùm, quòd naturam humanam traduceret, & hominem generaret, animam cum corpore coniungendo; quia sicut iustitiam originalem acceperat Adam sibi & posteris, sic peccato suo sibi, & posteris illã deperdidit, & proindè generando hominem, non potuit eum, nisi peccatorem gignere, & copulando animam cum corpore, non potuit, nisi animam iustitia originali priuatam corpori copulare.

Cùm ergò quæritur, quid sit illud, quo peccatum originis traducitur? Respondeo, esse id, quo natura humana ex Adamo deriuatur in posteros, quod nihil aliud est nisi semen ex Adamo cõmuni generationis lege susceptum.

Ex his omnibus intelligitur manifestè, cur Christus Dominus peccatum originis contrahere nequiuerit: nimirum quia in vtero Virginis conceptus est Spiritus sancti virtute. Suscepit enim naturam humanam, sed non communi generationis, & naturæ lege ex Adamo propagatam. Obijcies, Christum Dominum fuisse filium Dauidis, & Abrahæ, & proindè filium Adami. Respondeo, fuisse quidem filium illorum, quoniam Filius Dei naturam humanam sibi mirabiliter coniunxit susceptam ex Beatissima virgine, quæ genus, & originem ex Adamo traxerat, & proindè carnem Christus Dominus ex Adamo deductam suscepit: sed non communi seminis propagatione transfusam. Insistes: Quid igitur Augustinus toties per concupiscentiam, & libidinem inculcat in posteros peccatum originis ex Adamo traduci? Respõdeo, nequaquam fuisse mentem, & sententiam Augustini, semper inter coniuges libidinem esse peccatum, licet id nonnulli existiment insinuasse Augustinum: sed sensum eius esse: si Adam in iustitia originali perstitisset, ex eo homines propagatum iri absq; vlla carnis libidine, quę esset peccatum, aut, pœna peccati, aut ad malum inuitans, sed quæ esset quædam naturæ conditio. Nunc verò in natura peccato corrupta, libido carnis licet non sit peccatum in coniugibus, non tamen est sola naturæ conditio, sed est etiam pœna peccati. Augustinus itaque concupiscentiam ideo frequenter appellat malum, & peccatum, quia contra Pelagianos disputabat, aientes eam solùm esse conditionem naturę, non peccatum: nec effectum, nec pœnam peccati: Augustinus autem docet semper esse peccatum: quia vel est malum in se, vt cùm ei assensum nostra sponte præstamus, vel peccati pœna ex culpa primi parentis contracta. Quare si homo solam naturam accepisset humanam, in eo esset concupiscentia, & libido carnis, pugnantis & sensus, corporis & animæ: verumtamen vt naturæ conditio, non peccati pœna, & effectus, vti nunc est.

Secundò Quæritur, An cætera peccata primi parentis, quæ fecisset, transmitterẽtur in posteros? S. Tho. 1. 2. *q.* 81. *ar.* 3. & cæteri Theologi com-

muni consensu tradiderunt, ea transmissum nõ iri: quod idem apertè Anselmus tradiderat. Sed in huius reddenda ratione, quæstio est, cur primum potiùs peccatum tranimissum est, cætera non item. Ijdem Theologi respondent primum peccatum fuisse naturæ, cætera verò personæ, non naturæ. At viget adhuc quæstio, cur potius primum fuerit peccatum naturæ, quàm cætera? nam si ideò fuit naturæ, quia omnes in Adamo peccante continebamur, pariter etiam eramus in eo, si iterum peccaret. Verius ergò fuerit dicere, rationem huius rei ex ipsa primi hominis institutione sumi oportere. Est enim procreatus à Deo cum iustitia originali, quam beneficio, & munere diuino acceperat sibi, ac posteris: & proindè quodcunque primum peccatum lethale eã iustitiã ab eo, ac tota posteritate depelleret. Postea verò Adamus Dei gratiam, charitatem, & amicitiam per pœnitentiam recuperauit sibi, nõ posteris: quocirca si gratiam recuperatam secundo peccato amisisset, sibi duntaxat, nõ posteris amisisset. Immò, si secũdò peccaret antequam in diuinam gratiam rediret, peccatum eiusmodi illi soli noceret, non posteris, quia secundum peccatum esset quidem contra legem, & gratiam Dei, non tamen contra gratiam, aut iustitiam, quam sibi, ac posteris accepisset. Hinc perspicitur, quem sensum habeat id, quod Theologi docuerunt primum Adæ peccatum fuisse naturæ: non enim significare volunt naturam humanam peccasse, nec enim natura peccare, aut mereri potest, sed homo. Nec item sensus est, posteros nondum conceptos, & natos voluntate propria deliquisse, aut contraxisse peccatum. Sed ideò fuit naturæ, quia eo peccato iustitiam originalem non solùm Adamus, sed posteri quoque amiserunt, quia eam acceperat Adam sibi, & posteris: quo etiam modo iustitia originalis erat naturæ donum, non quòd esset naturæ conditio, tanquam accidens naturam hominis consequẽs: sed quòd beneficio, & dono Dei foret in posteros, cum ipsa natura pariter transmittenda. Deindè etiam constat, primum Adæ peccatum non esse traductũ in posteros ex eo solùm, quòd fuit eius fructus interdicti, sed quia fuit primum: nã qualecunque aliud lethale crimen perpetrasset Adamus, in suos quoq; posteros deriuasset: quia per qualemcumque lethalem culpam, ille iustitiam originalem sibi, & posteris amisisset. Obijcies ex scriptura, dictum illi fuisse; *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris*; ergò Deus mortem est comminatus, si comedisset fructum arboris interdictum. Respondeo, illis verbis declarasse Deum vim & naturam iustitiæ, & gratiæ, quam in Adamum contulerat: & quia præcepto dato, vesci primos parentes ex arboris fructu vetuerat, ideò lethalis criminis admissi pœnam, in ea præcepti violatione expressit. Iustitia tamen, & gratia diuinitùs accepta, quocunque lethali crimine perderetur, quia cũ eo in vniuersũ pugnabat; amissa aũt gratia, nõ solùm Adæ, sed toti posteritati amitteretur; & hoc ipso mors corporis in totũ genus humanũ esset pariter peruasura.

Gen. 2.

Tertiò Quæritur, Cur proximorum parentum peccata non fuerint in posteros traducta quemadmodum crimen primi parentis? Respondeo, ex his quæ proximè dixi rationem constare: continebamur quidem nos in proximis etiam post Adamum parentibus: Sed illi gratiæ donum sibi tantùm, non nobis acceperant, & proindè sibi, non nobis amiserũt. Et hæc est Theologorũ sententia, dicentium proximorũ parentum peccata fuisse personarũ, non naturæ. Adæ verò peccatũ fuisse non solùm personæ, sed etiam naturæ, vt ait S. Thomas 1.2. *quæst.* 81. *ar.* 2.

Quartò Quæritur, An omne peccatum non solùm suum auctorem inficiat, sed etiam posteros? Respondeo, in Pontificia constitutione, quam suprà memoraui Pij V. & Gregorij XIII. cõdemnari propositionem, qua Doctor quidam Louaniensis asserebat, crimen eius esse conditionis, vt suum auctorem, & omnes posteros eodẽ modo inficere possit, quo infecit primũ Adæ peccatũ: quæ sententia meritò est cõdemnata, quia generatim proponitur quo modo catholicũ sensum nequit admittere: eã enim oporteret distinguere. Nam si quisquam eo pacto & lege accepisset à Deo gratiam, vt sibi & suis posteris eam, in officio virtutis sese continendo, conseruaret: & postea scelus admitteret, eã sibi, & posteris deperderet, & peccatum deriuaret in posteros; non tamen inde fit in vniuersum, vt crimen omne eius sit naturæ, vt suum auctorem, & posteros pariter contaminet: quandocunque enim gratiam diuinam quis accipit sibi, & non posteris, tunc suo crimine sibi nocet, non posteris: & proindè scelus in ipso manens nequaquam redundat in posteros. Sed oppones, Peccator cum sit gratia Dei orbatus, non potest nisi peccatores sui similes filios generare. Respondeo, si peccator gratiam sibi tantùm accipiat, gignet quidem filios gratia vacuos: verum quod illi gratia careant, nullum est ipsorum peccatum, quia non priuantur gratia vlla, quę in ipsis inesse deberet, & proindè absentia gratiæ in ijs propriè esset negatio, non autem priuatio.

Quintò Quæritur, An si quis diuinitùs ex humana carne ab Adamo decerpta procreretur, contraheret peccatũ originis? Henr. *quodl.* 1. *q.* 21. fuit opinio, si quis talis formaretur homo ex quauis particula Adami, vel hominis ab eo naturaliter propagati, peccato originis eũ fore maculandũ. Id ille probat argumẽto ducto à simili: Si quis, inquit, formaretur ex parte hominis lepra infecti, leprã pariter, & ipse cõtraheret: ergò homo ex homine per peccatũ originis corrupto formatº, necesse est vt sit ipse quoq; corruptus, & infectº. Ex quo concludebat ille, posse quidẽ virtute diuina hominẽ fieri ex Adami particula liberum prorsus, & purũ ab originali labe peccati: ita tamẽ vt Dei potestate, ea particula prius ab omni macula, & contagione peccati mundaretur: quẽadmodum ne ex homine lepra infecto, lepræ vitium trahatur, necesse est, vt priùs fiat mundus à lepra. Verùm hæc tota Henrici opinatio de peccato originis, in illa sua Morbida qualitate in Scholas inuecta innitebatur.

Verius igitur cum S. Tho. 1.2. *quæst.* 81. *a.* 4. Ricar. 2. *distinct.* 31. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. Dur. 2. *distinct.* 31. *quæst.* 2. Marsil. 2. *quæst.* 19. *dist.* 3. *paulo ante finem.* Gab. 2. *d.* 30. *q.* 1 *a.* 2. *concl.* 1. dicendũ existimo huiusmodi hominem, quẽ cogitatione finximus nullo originis

peccato infectum iri: quia longè diuersa ratio est de homine, qui è corpore lepra infecto effingeretur: in eo enim lepra esset infirmitas, & qualitas corporis, quæ in particula ex eo tracta, & excerpta ad formandum hominem permaneret, sed peccatum originis non est morbida corporis qualitas, sed est animæ vitium, quod communi seminis propagatione transmittitur. Ex quo illud etiam perspicitur, si Eua ex Adæ latere formaretur post peccatum, eam peccatum originis minimè contracturam, quia non esset ex Adamo seminis propagatione progenita.

Sextò Quæritur, quo pacto is, qui sacro Baptismate à peccato originis mundatur, traducat in filios peccatum originis, quod ipse non habet? Respondeo, fuisse Pelagianorum argumentum, vt ex Augustino colligitur *lib.3. de peccatorum meritis, & remissionib. cap. S. Peccatum originis* (illi aiebant) *nemo potest in alium deducere, quod ipse non habet; sed renatus in Christo non habet illud*, ergò in posteros minimè transmittit. Augustinus autem eo loco respondet. *Sicuti* inquit, *circumcisus generat non circumcisum, & triticum purgatum à palea, gignit triticum cum palea: sic mirum non est, quòd baptismate renatus in Christo, generat hominem peccato originis infectum*. Et libro primo de Nuptijs & concupiscentia cap. 19. ait: *Sicut ex semine oleastri, non nascitur nisi oleaster; ex semine tamen oliuæ gignitur aliquando oliua, aliquando oleaster: sic ex Adamo peccatore non nisi peccator: sed ex parente iusto peccator quoque, non iustus generatur*. Vrgebat Pelagius: cur sicut ex oliua non semper oleaster, sed oliua aliquando nascitur, ex iusto nunquam iustus, sed semper peccator? *lib. 6. contra Iulianum cap.3.* ait: August. vt huic argumento respondeat: *Ex homine cæco nascitur, homo oculatus, ergo dat homo, quod non habet*: & proindè nihil est mirum si iustus peccatorem gignat. S. Tho. 1.2. *quæst. 81. art.3 ad 2.* aliter huic argumento respondet: ait enim per Baptismum & pœnitentiam peccatum originis condonari, & remitti, ita vt culpa, & reatus tollatur; sed manere concupiscentiam cartis: & quia per hanc homines procreantur, ideo peccatores nascuntur. At enimuerò sua adhuc argumento vis inest, cur ex iusto homine, in quo peccati culpa sublata carnis permanet concupiscentia, non generatur filius mundus quidem à peccato, quamuis carnis concupiscentia pressus? Simpliciùs itaque, & faciliùs responderi potest hoc ipso, quòd Adamus iustitiam, & gratiam sibi accepit, & posteris, factum esse vt sibi, & posteris in vniuersum amiserit. Deindè verò, cum Dei beneficio, & gratia à peccato originis expiatus accepit gratiam, & sui peccati remissionem ac veniam sibi soli & non filijs accepit, & ideo in eos sui peccati remissionem minimè transmisit. Hinc efficitur, vt qui ex Adamo originem trahunt, eo ipso sine iustitia, & gratia nascantur, naturam habentes à proximis, qui eos genuêre parentibus alioqui iustis, sine vlla peccati remissione, quia peccati veniam ipsi parentes sibi, & non posteris acceperunt.

Septimò Quæritur, An si aliquis ex posteris Adæ peccaret, ipso Adamo non peccante, gigneret filios peccatores? Duæ sunt opiniones: vna est asserentium, si ita esset; eos nascituros cum peccato originis: ita docuerrnt. S. Tho. *de malquæst.5. ar.4. ad* S. Scot. *2. distin. 32. quæst.1. ad argumenta vlt. quæstionis.* Contra. 1.2. *quæst. 81 ar.2. quia*, inquiunt, *si Adamus in iustitia permaneret, eam derinaret in posteros; & quia amisit traduxit peccatum*: Ergo si eo non peccante Cainus delinqueret, in filios à se procreatos peccatum effunderet, quia Cainus: sicut Adamus iustitiam sibi, & posteris accepisset: ergo sicut retentam in filios transmisisset, sic etiam deperditam. Altera opinio docet filios Caini, absque vllo peccato originis procreandos. Sic opinantur Dur. 2. *distinct. 33. quæst. 1. num. 9.* Med. 1.2. *quæst 81. ar. 5.* quia solus Adamus iustitiam, & gratiam, accepit sibi posterisque suis: & proindè si Cainus illam perdidisset, sibi tantùm, & non soboli nocuisset. Nihil in hac re certi ex scripturis, aut Patribus colligi potest: nisi quod prior opinio maiori est Theologorum auctoritate firmata; posteriorem tamen magis probo: quoniam si iustus ex Adamo filius nasceretur, quamuis iustitiam retinuisset, peccante postea patre, eam in prolem à se genitam minimè deduxisset, vt sequenti proximè quæstione dicetur: ergo nec peccatum proximi genitoris redundasset in filios, si Adamus iustitiam conseruasset acceptam. vnde parentes peccatores tunc iustos filios procreassent, sicut nunc ex iustis parentibus peccatores filij nascuntur.

Octauò Quæritur, An si Adam iustus post aliquot filios genitos peccauisset, suo peccato illis ante progenitis nocuisset: ita vt si Adamus iustitiam originalem perdidisset, ipsi quoque pariter perdituri essent. Ambrosius Catharinus *in opusc. de peccato originali capite 8.* distinguit, eos dicens iustitiam quidem originalem amissuros, sed non gratiam adoptionis. Iustitia enim originalis, & gratia erant duo habitus, re penitus à se inuicem distincti: & Adamus acceperat iustitiam transmittendam in posteros, Gratiam verò adoptionis solùm sibi non posteris acceperat.

Longè tamen verius est, quòd Durandus affirmat *2. dist. 33. quæst. 1. num. 7.* eos nec iustitiam, nec gratiam amissuros: quod etiam videtur posse colligi ex Augustino *super Psalmum 84. in illum versiculum: Auerte iram tuam à nobis*; Vbi sic habet: *ea peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes nati: filijs: nam filij iam nati ad se pertinent, & parentes quoque ad se ipsos: & quicquid accidit ipsi Adæ, secutum est etiam nos, quia eramus in Adamo, quando peccauit.* Hæc ille, & Gratianus *24. quæst. 3. §. Quòd autem ad finem* ait: *Peccato Adæ ideo omnes teneri dicuntur, quia nondum aliquis ex illo materialiter fuerat proseminatus.* Ex quibus verbis videtur colligi, si quis esset ante lapsum Adæ progenitus, eum iustitiam originalem nequaquam amissurum. Ratio quoque id videtur persuadere. Adultus enim, qui iustus, & amicus est Dei, iustitiam & amicitiam diuinam non amittit inuitus. Deindè, qui Deo carus est, voluntatem habet seruandi, & implendi omnia diuinæ legis præcepta, ergo absurdum est dicere eum tali affectu, & voluntate præditum, à Dei gratia, iustitia, & amicitia decidere. Obijcies; quid si illi adulti non essent, sed paruuli nondum rationis compotes effecti?

Respondeo,

Respondeo, eos quoque iustitiam minimè amissuros: quoniam ex scripturis, & Patribus solùm didicimus peccatum originis communi seminis propagatione in posteros transfundi, eò quòd nati & concepti, iustitiæ originalis priuationem vnà cum natura susciperent: ergò filij ante lapsum geniti, iustitiam originalem nequaquam amitterent.

At contrà hæc nobis obijcies: Primò, Adam accepit iustitiam sibi ac toti generi humano, ergò quocunque tempore per peccatum illam amisisset, sibi quoque ac toti generi amisisset; sed filij ante lapsum geniti ad genus Adæ pertinebant, ergò. Respondeo, Adamum accepisse iustitiam transmittendam quidem dono Dei in omnem sobolem, sed ex eo communi seminis propagatione venturam; & proindè non in filios ante iam natos.

Secundò oppones: Si filij iam nati ante peccatum iustitiam retinuissent post Adæ peccatum, eam quoque in suos posteros traduxissent, quia eam beneficio quidem Dei, sed per Adamum acceperant, & proindè sibi & posteris. Respondeo, eam iustitiam post Adæ peccatum non fuerant transmissuri, quia eorum posteri, licet ab eis proximè generarentur, nihilominus tamen essent veri posteri Adæ, & ab eo proseminati: quare licet ex proximis progenitoribus peccatum originis minimè contraxissent: per generationem tamen ab Adamo peccatore iam facto naturaliter propagati suscepissent. Ad id verò quod secundo loco obijciebatur, progenitores eorum proximos iustitiam accepisse sibi, ac posteris Respondeo, post Adæ peccatum eos retenturos fore, quam acceperant iustitiam sibi, & non soboli: Vnde quando iustitiam accepissent transmittendam in posteros, id quidem esset Adamo eam retinente qui eam traduceret per eos: ipse verò Adamo per peccatum amittente, in filijs iam genitis iustitia desineret esse commune totius generis donum, & esset in illis personæ priuilegium, & beneficium.

Tertiò obijcies: Si Rex concessisset militi certum donum, ac munus ea conditione, vt si in officio manssisset, illud sibi, & posteris habuisset; sin minus, sibi, & suæ posteritati perdidisset: tunc huiusmodi milite ab rege deficiente, beneficium, & donum acceptum non solùm posteri generandi amisissent, sed etiam filij ante progeniti. Respondeo, exemplum ex humanis ductum non semper locum habere in diuinis: quia amissio regalis muneris in militem collati tantummodo potest pœnæ rationem habere; ac proindè filij quicunque ob paternum crimen possunt eo priuari: at verò priuatio iustitiæ originalis non est pœna, sed culpa. Deus autem neminem odio habet, vt à se alienum, & auersum, & sibi inimicum propter alienum peccatum tantummodo extrinsecum.

Quartò oppones: Iustitia originalis, & gratia erant duo habitus re distincti: ergò licet gratia semel accepta, non nisi propria voluntate amittatur, iustitia tamen originalis potest amitti per alienam voluntatem. Respondeo, fuisse quidem multorum Theologorum sententiam, iustitiam originalem, & gratiam esse habitus inter se ipsa diuersos. Nos tamen probabiliorem existimamus eã, quæ tradit esse re vnũ, & eundem habitum ratione distinctũ; & proindè quodcunq; lethale crimen sicut gratiã, ita iustitiam originalem tollere, atq; delere. Ex quibus intelligi potest, quid sit dicendum in ea quæstione, An solo Adamo peccante, Eua nullum peccatum admittens esset iustitiam originalem amissura per peccatum ipsius Adæ? Ambrosius Catharinus affirmat, eam amissuram fuisse iustitiam originalem, sed non gratiam, quia data est Adæ iustitia eo pacto, vt cæteri omnes ex illo, & per illum eam acceptam haberent; sed dicendum existimo, Euam neque gratiam, neque iustitiam originalem amissuram; quod idem dixi de filijs ex Adamo ante peccatum progenitis.

Nonò Quæritur, An si Eua peccaret, & non Adamus peccatum originis posteros quoque foret consecuturum. Respondeo minimè, ex Anselmo *libro de peccato originis cap. 6.* ex quo hausisse videntur S. Tho. 1.2. *quæst.* 81. *ar.* 5. Alexan *p.* 1. *quæst.* 105. *mor.* 3. *ar.* 2. Dur. 2. *distin.* 31. *quæst.* 2. & alij, quia Adamus, non Eua iustitiam sibi, ac posteris acceperat. Eua enim eam habuit, vt sibi propriam, & peculiarem, non communem.

Alex p. 2. q. 105. m. 3. ar. 1. ad finem.

Decimò Quæritur, An si solus peccaret Adam peccatum eius ad posteros quoque pertineret? Respondeo, Maximè, quia ipse Adamus, vt fons, & origo iustitiam acceperat sibi, & posteris, & proindè sibi, & posteris retinuisset, vel amisisset, etiam si solus ipse, non Eua peccauisset.

Cap. XXXI.

Qua in parte Animæ inhæreat peccatum originis.

QVæritur, Vbinam insit, vt in re subiecta peccatum originis? Tres sunt opiniones: prima asserentium inhærere in ipsa animæ substantia. Sic opinantur Alber. 2. *dist.* 30 *ar.* 4. *ad* 5. S. Tho. 1.2. *quæst.* 83. *ar.* 2. Aegid 2. *dist.* 31. *q.* 2. *ar* 1. Argen. 2 *distin.* 31. *quæst.* 1. *ar.* 4. Ratio eorum est: quia putant iustitiam originalem in ipsa substantia animæ sedem habuisse; & peccatum originis est priuatio iustitiæ: sed forma, & eius priuatio in eadem facultate insident. Secunda opinio docet peccatum originis inesse in Appetitu sensus. Ita Durandus sentit 2. *dist.* 20. *quæst.* 5. *nn.* 4. quia iustitiam originalem ponit in appetitu sensus, cuius effectus primus erat subijcere appetitũ sensus rationi, & Deo. Tertia opinio, peccatum originis in voluntate constituit. Est Scot. 2 *dist.* 32. *quæst.* 1. *versf quo ad primum.* Bonau. 2. *dist.* 31. *ar.* 1. *quæst.* 2. quam putat probabiliorem Ricardus 2. *dist.* 31 *ar.* 1 *quæst.* 1. cui etiam quidam nunc iuniores accedunt; tu si malueris, eam sequere: id probare conatur Scotus, quoniam peccatum, inquit, originis est priuatio iustitiæ originalis: sed iustitia re erat idem habitus, qui gratia; gratia autem non est habitus re à charitate distinctus: sed charitas in voluntate reponitur, ergò & gratia, & iustitia originalis, & proindè eius quoque priuatio, quod est peccatum originis. Oppones; Peccatum originis est peccatum naturæ, quia iustitia originalis erat naturæ donum: ergò vtrumque pariter est in substantia animæ

Respondet Scotus, iustitiam originalem fuisse naturę donum, non quia esset in natura, aut quia esset naturalis aut naturæ conditio, sed quia collatum Adæ in commune bonum totius generis humani, & proindè in omnes homines Dei beneficio, & munere transiturum. Eodem sensu peccatum originis vocatur peccatum naturæ; non quia proximè insit in natura, sed quia est peccatum, quo Adam sibi, & omnibus hominibus à se propagandis iustitiam perdidit originalem. Secundò oppones: Peccatum originis totam animam polluit, & inficit, non vnam aliquam eius partẽ commaculat: ergò ineſt in ipsa animæ substantia. Respondet Scotus, sicut gratia, & charitas inhærens in voluntate totam animam reddit gratam, & acceptam Deo; ita etiam priuatio gratiæ, & charitatis, licet proximè in voluntate resideat, totam animam alienat, & auertit à Deo, & proindè totam contaminat. Sed certè cum peccatum originis sit gratiæ priuatio, & gratia à charitate distincta, in ipsa anima sedem habeat, rectè colligit S. Thomas in anima esse peccatum originis, quamuis cætera peccata in voluntate ponantur, quia nõ sunt gratiæ priuationes, sed actus rectæ rationi contrarij.

Cap. XXXII.

Quænam sint peccati originis effecta.

PRimò Quæritur, Quot, & qui sint peccati originis effectus? Respondeo, eos ad tria potissimum quatuorùe capita reuocari posse. Primus eius effectus est pugna, qua sensus cum ratione, seu mente, caro cum spiritu, corpus cum anima colluctantur: quam pugnam Apostolus explicuit multis in locis, vti cum eam appellauit legem carnis, legem peccati, legem membrorum, concupiscentiam, & veterem hominem. Theologi verò fomitem peccati, & sensualitatem passim appellant. Hæc autem pugna in tribus præcipuè consistit. Primùm, in eo, quòd tum appetitus sensus, tum rationis propensus est ad malum: Deindè, quod ad bonum tardus ac piger: Postremò, quòd ratio sæpe est ignara æqui, & boni. Secundus effectus peccati originalis sunt animæ perturbationes, quas Theologi animales passiones nominare solent, quæ mentem hominis perturbant, & commouent, rationem sæpe præcurrunt, & aliquando obsistentem quodammodo ad se flectunt. De quibus animi affectibus tertio libro à nobis pro instituti nostri ratione fusè disputatum est. Tertius effectus: Omnes corporis morbi, & ægritudines, miseriæque innumeræ, è quibus sunt dolores, fames, sitis, lassitudo: Animaduertendum est, hæc omnia partim esse naturæ ipsius conditiones: constat enim homo ex contrarijs, item ex sensu & ratione. Vndè homo si cum solis naturæ dotibus procrearetur, hisce malis foret obnoxius ex ipsa conditione naturæ: partim verò sunt peccati effecta, quia primus homo ex quo omnes sati, procreatique sumus, Dei beneficio iustitiam, & sanctitatem acceperat, quæ totum hominem in officio continebat; quæque, si eam Adamus conseruaret, deriuaretur in posteros: quare ea deperdita, quæ superiùs mala commemoraui, in hominem irruperunt. Mala itaque, quæ alioqui ex conditione naturæ hominem consecutura, sed iustitiæ originalis beneficio repressa erant, tanto Dei munere deperdito, totum genus humanum inũdârunt. Lutherani plures alios peccati effectus enumerant, vt ignorantiam Dei, contemptum, blasphemiam, inobedientiam, odium, diffidentiam, desperationem, ac similia non pauca; Verùm illi profectò magnopere allucinantur. Nam horum appellatione si intelligant actus, & motus subitò erumpentes, tunc erunt perturbationes, & affectus animi: si verò actus plena animi deliberatione elicitos accipiant, tunc sunt lethalia crimina, propria voluntate contracta.

Secundò Quæritur, An mors corporis ita sit peccati originis effectus, vt in omnes sit peruasura? Olim inter Patres duæ fuêre sententiæ: Quidam enim senserunt, eos omnes, quos in extremo ad Iudicium aduentu Christus Dominus viuos reperiet, non esse morituros, sed in nubibus obuiam processuros Christo venienti, & proindè transituros citra mortem vllam, ex hoc statu mortali ad immortalem Beatorum cœli habitatorum vitam, omnis corruptionis atque miseriæ expertem. Hoc autem illi probare nitebantur auctoritate scripturę, ea inquam, quę habetur *in prima ad Thessalonicenses capite 4.* vbi dicitur: *Nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera.* Vbi Paulus se annumerat hominibus tunc temporis victuris: non quòd ipse victurus esset vsque ad nouissimum mundi diem, sed more scripturæ loquitur, quo vsus etiam Dominus noster dixit: *Quem occidistis inter templum, & altare,* & tamen non illi, quos tunc Christus alloquebatur Iudæi, sed eorum parentes occiderunt. Ita dictum est, ab eodem Apostolo: *nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio.* Illud quoque Pauli testimonium ad idem comprobandum adferebant illius opinionis auctores, quod est in prima ad Corinthios cap. 15. vbi quod latina lectio habet: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur,* Græci codices legunt: *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur.* quasi diceret Apostolus: Non sumus omnes morituri, omnes tamen transituri ex hoc statu mortali, ad statum vitæ immortalis. Tertium eorum argumentum erat, quia credimus Christum venturum ad iudicandum viuos, & mortuos; ergo aliqui sunt viui futuri, quando Christus ad iudicandum aduenier, eosque viuos deprehendet. Hæc opinio fuit Chrysostomi *homil. 41. in primam ad Corinth. capite 15.* Theodoreti, Theophylacti, Epiphanij *libro 2. Tomo 1. Hæresi 64. propè finem,* vbi exponit illud primæ ad Thessalonicenses 4 (Rapiemur cum illis) *tanquam rapitur,* inquit, *non moritur*: Tertulliani item, *libro de Resurrectione carnis, capite 42. libro quinto aduersus Marcionem, capite decimo.* Hieronymus idem tenet *in epistola ad Marcellam, quæ incipit: Magnis nos prouocas quæstionibus, quæstione tertia.* Auctor Commentariorum nomine Ambrosij 1. *Corinth. 15.* ait: *omnes resurgemus, qui in aduentu Domini mortui inuenientur: non omnes immutabuntur, qui in corpore sunt reperti, quia sancti soli beatitudinis gloriam consequentur:* Augustinus *libro secundo de peccatorum meritis, & remissionibus*

ca.33.& in libro de octo Dulcitij quæstionibus quæstione 3. idemque sensisse Theodorum, Appollinarium, Diodorum scribit Hieronymus *in epistola ad Minerium, & Alexandrum*; quam sententiam nostris temporibus sequi maluerunt Erasmus, Faber, Caietanus, Isidorus Clarius, in *epist. primam ad Corinth.cap.15.*

Secunda opinio fuit aliorum Patrum, eos omnes morituros, tam celeri tamen obitu, vt statim, vitæ redditi Christo Domino venienti sint obuiam processuri: hanc sequitur Augustinus *libro 20. de ciuitate Dei, capite 20. & libro secundo Retractationum capite 34.* Auctor etiam Commentariorum in Epistolas B.Pauli, qui Ambrosij nomine prænotantur, *in explicatione quarti capitis epistolæ prioris ad Thessalonicenses*, cæteri quoque qui post Augustini tempora scripserunt, Primasius (inquam) Beda, Sedulius, Anselmus *1.ad Corinth. 15. & 1.ad Thessalonicen. 4.* Hieronymus itidem *in epistola citata ad Minerium, & Alexandrum*, refert ita sensisse Didymum, Alexandrum, & Achatium. Eandem sententiam amplexati sunt Scholastici doctores *in 4.distinctione 43.* Albertus, S. Thomas, Bonauentura, Ricardus, Scotus, Durandus. Probant id quoque multiplici diuinarum litterarum testimonio; primum inde; *statutum est omnibus hominibus semel mori: post hoc autem Iudicium.* Deindè ex illis verbis: *In Adam omnes moriuntur*; & alibi; *In omnes homines mors pertransijt.* Eodem pertinet illud Psalmi: *Quis est homo, qui viuit, & non videbit mortem?* Paulus quoque *prædicto capite 15. prioris ad Corinth.* loquens de semine; *Non viuificatur*, inquit, *nisi prius moriatur.* Denique in Symbolo Athanasij confitemur omnes resurrecturos in suis corporibus: Resurrectio autem non est nisi eorum qui per mortem ceciderunt.

In hac veterum Patrum discordia sanè graui componenda, & concilianda, illud priùs obseruatione dignum existimo, in eo, quem proximè posui loco, *primæ, inquam, ad Corinth. 15.* Tres fuisse lectiones, vt notauit B. Hieronymus *in Epistola ad Minerium & Alexandrum.* Prima fuit hæc: *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*, quam frequenter vsurpant latini codices, item Tertullianus, Ruffinus in expositione Symboli, Auctor Commentariorum in epistolas B.Pauli, sub Ambrosij nomine, Augustinus atque Fulgentius. Secunda lectio ea erat: *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur*: quam lectionem habent Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Origenes, Auctor quæstionum 146. quæ tribuuntur sancto martyri Iustino: Eandem habent biblia quoque Syriaca, & Græci ferè omnes codices. Tetia lectio. *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*: Hac lectione vsi sunt olim Didymus, Alexander, & Achatius teste Hieronymo, eamque modo habent biblia Complutensia, & Pagninus in sua versione. Sed hæc lectio nihil differt à prima, quæ est nostra vulgata latina.

Deindè obseruandum est, Ambrosium, Catharinum, & Sotum, seueros nimis, & acres fuisse censores primæ opinionis. nam Catharinus *1. Cor. 15.* non est veritus dicere Græcam lectionem falsam esse, & periculosam, nec posse nisi proteruè sustineri. Præterea, Chrysostomum fuisse deceptum, nec exactiùs rem considerasse. *Sotus* vero *4.dist. 45. quæst.2. ar. 4.* saltem ait, post Concilium Tridentinum, quod vulgatam latinam editionem approbauit, primam opinionem non carere aliquantula temeritate; quia cum vulgata editione latina minimè cohærere potest. Catharinus sanè de B.Chrysostomo, tanto videlicet Ecclesiæ Christi doctore modestiùs loqui debuerat. Nec prima opinio ceu falsa, & periculosa damnanda est, quam sequuntur tot, ac tanti Patres, quos supra memoraui, & Hieronymus eâ, quam retuli superiùs, *ad Minerium, & Alexandrum*, epistola, relinquit vtranque lectionem lectoris arbitrio, vt eligat, quam maluerit. Auctor quoq; libri de Ecclesiasticis dogmatibus in alterutra contineri negat aliquid hæreticum. Augustinus Catholicos esse, inquit, qui hanc vel illam sequuntur, *& lib.2. Retractationum cap.33.* minimè retractat, quod ante docuerat secutus primam opinionem, sed rem totam ait diligentius explicandam, & tractandam, Magister etiam neutram est ausus improbare, aut damnare: demum S. Thomas vtramque docet esse probabilem.

Postremò est animaduertendum, Græcam lectionem. *primo ad Corinth.15 Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur*, si sensus cum vulgata lectione conuenire nequeat esse omninò relinquendam: si tamen possit conuenire, tunc nec esse respuendam; neque primam opinionem damnandam: & licet Sotus, & Catharinus putauerint eam non posse cohærere: nobis tamen contra videtur, verbis quidem differre, sed non sensu à latina lectione in hunc modum: *Non omnes dormiemus*, id est, *Non omnes moriemur.* nam scriptura non rarò mortem somnum appellat: *Sed nihilominus omnes immutabimur*: hoc est, resurgemus; ita tamen vt hæc resurrectio latè sumatur pro eo, quod est de statu vitæ mortalis ad statum immortalem transire siue morte intercedente, siue non inueniente morte. Latina verò editio quæ habet: *Non omnes immutabimur*; eam immutationem appellat transitum ad vitam cœlestem, & gloriam sempiternam, quæ erit tantùm iustorum. Cum autem Græci codices legunt: *omnes immutabimur*, alio sensu immutationem acceperunt, pro transitu videlicet ex hoc statu mortali ad immortalem; & proinde vtraque lectio resurrectionem generalem futuram confitetur, sed diuersa ratione. Nam latina lectio habet, eam esse futuram interueniente morte; Græca verò eam futuram insinuat absque morte omnium generali, sed solo transitu aliquorum à mortali vita ad immortalè. Hinc efficitur, vt sola sit differentia circa mortem, an scilicet sit omnium communis futura, an non: quæ res sita est in opinione. Possunt etiam ambæ lectiones conciliari aliter; ita vt sensus Græcæ lectionis sit: *Non omnes dormiemus*: quasi dicat. Ij qui viui reperientur in extremo mundi interitu, quamuis sint morituri, non tamen dormituri, hoc est non tradetur sepulturæ, nec in ea resoluetur in cineres, & putredinè, sicut mortui, qui iam pridem dormierũt, sed vel in ardentissima terrarũ omniũ deflagratione, quæ absumet, & depascet omnè hũc

mandum

mundum, vel in ipso raptu subitò interibunt, & rursus breui reuiuiscent, ac resurgent, & viui rapientur in aera, vt occurrãt Domino venienti. Quare prima opinio nihil habet temeritatis, vel periculi contra fidem: nam si opponas scripturæ testimonia, quibus generatim asseritur omnes morituros. Respondebitur, si quippiam de hominibus scriptura aliquando generaliter tradit, id esse intelligendum iuxta aliud eiusdem scripturæ testimonium, aliquos excipiens: ita vt significet omnes morituros, nisi quos Domino seruari, ac superstites esse placuerit. Et quoniam *in priori ad Thessal.* 4. Paulus videtur aliquos excipere, ideò probabiliter opinantur, qui eos excipiunt

Gen.7.& 8. Gen.7. 1. Pet.3.

At verò longè nobis solidior videtur esse secunda sententia. Nam difficilè creditu est aliquos superstites, & viuos futuros post tristem adeò, ac lugubrem totius huius mundi conflagrationem. Quemadmodum enim olim omnes generali aquarum inundatione perierunt: Sic vniuerso deflagrante orbe terrarum, omnes homines ardore flammarum vndique sæuientium arrepti consumentur. Objicies: sicut olim octo iusti salui euaserunt ex aquis diluuij; ita etiam iusti. qui tunc viui reperientur erepti saluabuntur ex flammis cõmunis orbis incendij. Respõdeo, aquis intactos, & incolumes octo homines euasisse; sed Dei beneficio, & munere; at verò à generali terrarũ omnium deflagratione, nisi miraculum interueniat, seruabitur nullus. Verùm de miraculo huiusmodi nihil certi habere, nisi diuinando possumus. Deindè objicies verba Apostoli; *Nos qui viuimus, qui relinquimur*, &c. Respondeo, nequaquam significare Apostolum illis verbis eos non morituros; sed aut acerbissimo, quo terræ concident, igne extinguendos, aut ipso raptu defunctos statim ad vitam redituros, ac si mortui non essent, & Domino venienti paulo post obuiã processuros: ita vt qui iam præmortui fuerant, ad Vitam eo tempore reuocati, eos qui vna cum mundo ardoribus deflagrante peribunt, viuos reperturi sint. Et propterea iusti, qui tunc erunt, si quid ex peccatorum sordibus purgandum contraxerint, eo terrarum incẽdio, aut breuissima in raptu morte expiabunt. Augustinus, Auctor commentariorum in Pauli epistolas Ambrosij nomẽ præ se ferens. Oecumenius, Beda, Anselmus perspicuis verbis docent eos in ipso raptu citissimè morituros, & statim vitæ redditos, ad immortalem statum transituros. Postremò objicies, in symbolo profiteri nos credere, viuos & mortuos iudicandos, ergò non omnes tunc erunt vita defuncti. Nonnulli respondent, mortuorum vocabulo intelligi peccatores, & viuorum nomine iustos: verum satis impropriè Quare simpliciùs, & apertiùs interpretari possumus iudicandos mortuos, eos scilicet, qui ante iudicium mortui fuerant: & viuos, id est, qui viui tunc inuenientur tempore iudicij futuri appetente, hoc est, sub Christi Domini ad iudicandum aduentum.

Tertiò Quæritur, An sicut proximorum parentum peccata, non trãseunt in posteros, quod attinet ad culpam, ita etiam quod pertinet ad pœnam? Quæstionem hanc pariunt duo scripturarum testimonia, quæ videntur secum ipsa pugnare. Nam Ezechiel 18. propheta planè contendit ostendere, neminem puniri, nisi propter culpam suam; *Anima*, inquit, *quæ peccauerit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris*: At verò Exodi 20. & Deut. 5. dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Quæstionem hanc tractauit Augustinus *in Enchiridio cap. 46. & 47.* at ferè insolutam reliquit: eo tamen magis accedit vt doceat, aliquando puniri filios propter parentum delicta, quod idem multis alijs in locis tradit *lib. quæst. super vetus testam. quæst. 24. in Deuteron. & q. 7. super Iosue, & lib. 6. contra Iulia. cap. 4. & super Psal. 84. in versiculum: Auerte iram tuam à nobis. Psalm. 105. vers. vlt. Peccauimus cum patribus nostris. Psal. 8. vers. In memoriam redeat iniquitas.* Idem sensit etiam Leo *epist. 86.* & desumpsit ad verbum ex Augustino. Ita Gratianus *24. quæst. 3. §. Quod autem, & c. si habes. & 1. quæst. 4. §. Item peccato*, immo id communi consensu Theologi tradiderunt. S. Tho. *1. 2. quæst. 81. art. 2. ad 1.* Bonau. *2. d. 23. art. 1. quæst. 1.* Alber. *d. 23.* Aegid. *quæst. 1. ar. 2.* Ricar. *art. 1. quæst. 2.* Dur. *quæst. 1.* Argen. *quæst. 1. ar. 4* Gabr. *quæst. 1. ar. 2.* quorum omnium sententia est, filios etiam innocentes aliquando puniri pœna corporali, vel temporali propter parentum peccata, non tamen æterna, vel spirituali. Et propterea Ezechielis testimonium explanant, ita vt dicant filios non portaturos peccatum patris, ideſt, pœnam spiritalem, vel æternam patri debitam. Exodi verò locum illum interpretantur, filios videlicet aliquando puniri, vel ad tempus, vel pœna corporis ob parentum flagitia. Totum hoc hauserunt Theologi ex Aug. *epist. 75.* Hæc tamen conciliatio aliis non admodum placet. Tum quia toto capite Ezechielis 18. sermo prophetæ est de pœna temporali, & corporali: reprehendit enim eo loco Iudæos captiuos in Babylonem abductos à Nabuchodonosore, eo quòd conquererentur de Domino dicentes; *Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*, quasi dicerẽt: Nos captiui misera seruitute premimur propter nostrorum parentum crimina; ipsi deliquerunt, nos eorum pœnas miseri sustinere, & perferre compellimur. Quibus Propheta respondet eos esse abductos in captiuitatem, & in seruitutem redactos propter sua ipsorum peccata, quæ ibi enumerat, non autem propter suorum parentum crimina. Tum etiam quia testimonium Exod. 20. manifestè loquitur de filijs tertiæ, & quartæ generationis peccata parentum imitantibus, vt ex ipso literæ contextu, serieque sermonis planum est. Nec aliter B. Gregor. *lib. 15. moral. capite 22.* Crysost. *hom. 77. in 23. cap. Matthæi.* Auguſt. *in quæstionibus super Deuteron. quæst. 42.* hunc locum exponunt.

In hac igitur controuersia probabile mihi videtur, si sermo sit de pœna propriè sumpta, qua Deus culpam punit, & vindicat, ex scripturis nos minimè compelli ad asserendum filios innocentes plecti aliqua pœna, siue æterna siue temporaria, spiritali siue corporali ob culpam parentũ; nec ob solũ suorum parentum crimen eos grauius puniri, quam ipsi mereantur hoc .n. ex loco Ezechielis citato colligitur, vbi Propheta ita generaliter ait, vt insinuet vnũquemq;

ob

ob culpam suam debitis pœnis affici; & Apostolus *ad Gal.6.* generatim quoque docet vnumquemque onus suum portaturum. Verùm in hanc sententiam quædam obijci possunt: Primum, testimonium productum Exod.20. & Deuteron.5. vbi ob peccata parentum filij dicuntur pœnas luere vsque ad tertiam, & quartã generationem: quod cum allato Ezechielis testimonio videtur pugnare. Respondeo, sensum eius loci esse: Deum non solùm semel, & iterum, sed etiam tertiò, & quartò pœnas sumere consueuisse de ijs, qui vsque ad tertiam, & quartam generationem, parentũ malos mores imitantur, tanquam diceret, nõ semel, aut iterum, sed etiam sæpiùs puniam improbos. Vel sensus est, pepercissem vtique filiorum peccatis, si semel, aut iterum etiam imitati parentes peccauissent: sed cum tertiò, & quartò parẽtum scelera suorum imitentur; id est, cum adeo obstinato animo peccent, & eorum peccata sint inueterata, debitas pœnas repetam. Cum itaque parentum peccatum tamdiu perseueret in filijs, vt imitatione, & exemplo vsque ad tertiam, & quartam generationem protẽdatur, vltionem meam non amplius differam. Deindè obijcitur: multis exemplis scripturarum constat, filios ob culpas parentum pœnas temporarias pertulisse. Legimus enim Genes.10. infantes incendio sodomitico perijsse, Genes. 7. infantes vna cum adultis generali aquarum inundatione fuisse submersos. Exod. 9. Aegyptiorũ primogeniti (& verosimile est aliquos eorũ infantes fuisse) interempti sunt ab Angelo percutiente ob peccatum regis, & parentum recusantiũ dimittere populũ Dei. Num. 16. tota familia Core, Dathan, & Abiron, ob principum seditionem cõtra Mosen interijt. 1.Reg. 15. ob peccatum Amalecitarũ paruuli iussu Dei sunt interfecti. Iosue 17. ob peccatum Acham imperauit Dominus, vt domus eius etiam cum paruulis
2.Reg.21. tota penitus deleretur. 2.Reg.12. cõstat filium Dauidis mortem obijsse propter homicidium, & adulterium patris. 1.Reg.4. propter peccatum filiorum Heli, victus est populus Dei, magnaque clade affectus à Philisthæis 2. Reg. 24. ob peccatum
2.Reg.21. regis Dauidis populus peste infectus diminutus est. 3. Reg. 14. Ieroboam ob peccatum suum in familia punitur. Similiter 3.Reg.16. Baasa rex Israelis, & 2.Reg.12. Propheta dixit Dauidi: *Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum*: Item posteri Achab ob peccatum eius pœnas dederunt. Genes. 9. Cham peccante in patrem suum Noe, maledictus est filius eius Chanaam. 4.Reg.5. Giezi peccante, lepra eius transmittitur ad posteros. Malach. 1. Odium Dei in Esau transijt ad filios. Matth. 24. ait Dominus Iudæis: *Donec veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram*; & ca. 27. dixerunt Iudæi Pilato; *sanguis eius super nos, & super filios nostros*, Psalmo quoque 108. dicitur; *In memoriam redeat iniquitas patrum eius.*

Verùm ad omnia hæc respondeti potest, paruulos aliquando morte perijsse, mors illorum tamen corporalis fuit pœna communis omnium hominum ex peccato originis cõtracta; adultos verò extinctos fuisse, vel communi hominũ morte, si innocentes erant; si nocentes verò, suorum peccatorum pœnas luisse per mortem inflictam. Obijcies, ex allatis exemplis planè deduci sæpius parentes in suis filijs puniri, immò ipsæ scripturę ita loquuntur. Respondeo, fontes à Deo aliquando puniri, non solùm in seipsis; sed etiã in rebus suis: solet enim Deus greges, & armenta dispergere, fruges absumere, possessiones exurere, vrbes delere, prouincias, & regna vastare propter regum, aut dominorum facinora: nam, eo ipso, quòd res alicui⁹ damno, calamitate pereunt, maxima ille tristitia, dolore, & pœna conficitur. Nocentum itaque hominum, atq; improborum res, & bona dissipat, & perdit Deus, vti eorum dominos propter ipsorum flagitia mœrore, & tristitia afficiat: ita etiã aliquando, vt parentes doleant, & contristentur acerbo filiorum interitu, aut alio casu aduerso, & calamitoso rapiuntur filij, extinguuntur, trucidantur, & mors eorum est communis hominum pœna ex peccato originis contracta, & est quoque parentũ pœna ob peccatum suum. Deindè obijcies; Aliquando paruuli, qui è medio tolluntur, sunt à peccato originis mundati, ergò illi nequaquam moriuntur propter peccatum originis. Respondeo, peccati culpam condonari à Deo, nõ tamen remitti omnem pœnam temporariam, sed æternam: hæc enim simul cum culpa aboletur, illa verò durat, ac permanet, vt sit probatio, & exercitatio virtutis, & proindè instrumentum benè merendi. Postremò obijcies, si testimonium *Exod.20. & Deuter.5.* intelligitur de tertia, & quarta generatione eorum, qui parẽtum peccata imitãtur, ergò quid opus erat addere hęc verba, *in tertiam, & quartam generationem?* nam si posteri ex eo, quòd prauum, ac peruersum suorũ parentum exemplum sequuntur, puniuntur; etiam dici poterat, vel etiam debebat; visitans peccata vsque ad cẽtesimam, vel millesimam generationem. Augustinus *q.4. super Deuter. citata* respondet, tria, & quatuor efficere numerum septenarium, qui in scripturis sæpè pro multis vsurpatur: & proindè sensum esse: *In tertiam, & quartam generationem*, id est, in multas generationes. Cæterùm potest etiam responderi, esse ibi scripturæ phrasim, quæ insinuet non solùm semel & iterum, sed tertiò, & quartò filios peccãtes puniri diuinitus; quemadmodum Amos 1. & 2. sæpè repetitur hæc phrasis: *Super tribus sceleribus, & super quartum nõ conuertã eum*; id est, non parcam, nec tamen ijs in locis explicantur tria illa scelera, cùm quartum alioqui exprimatur; quare verisimile est esse Hebraismum, vt hoc significetur illis Domini verbis: *Si ter tantùm peccassent, ignouissem vtique; sed cùm quater quoque delinquant, nõ parcam, sed vlciscar scelera eorũ.* In Exodo itaq; aptè, & conuenienter dicitur: *In tertiam, & quartam generationem*: tum quia patres non solent, vt plurimum nisi ad quartam generationem viuere, & proindè vsque ad quartam generationem dolore, ac tristitia affici ex suorum filiorum calamitatibus, & malis: tum etiam quia posteri vsq; ad quartam generationem solent ad peccatũ induci, & moueri prauo parentum suorum exemplo.

Cap. XXXIII.

De peccati originis pœna.

HOc loco ponamus oportet, ob primũ Adæ peccatum genus humanum multis pœnis affici, ac puniri, inter quas eæ sunt omnium com-

munes, rerum agendarum ignorantia, benè agendi difficultas, hoc est, ad malum procliuitas, & ad bonum prosequendum tarditas, Mors corporis, pugna carnis, & mentis. Nam homo si naturæ integritatem, in qua fuerat institutus à Deo, conseruaret, nec mortis subijceretur imperio, nec vllis sensuum vexaretur affectibus.

Primò itaque quæritur, An paruuli sine baptismo decedentes pœnam ignis æternam sustineant? Augustin. *de fide ad Petrum cap. 27. serm. 13. & 14. de verbis Apostoli, & 5. libro Hypognosticon* tradidit, nullum esse locum medium inter dextram, & sinistram, sed omnes aut à sinistris Christi futuros, aut à dextris in generali Dei iudicio: & eos, qui à dextris erunt, vna cum Angelis ad cælestem hereditatem admittendos; detrudendos verò in ignem æternum, qui à sinistris, vt perpetuis gehennæ supplicijs torqueãtur. Eidem assensit Fulgen. *de incarnat. & gratia Christi cap. 14. & 30.* Gregor. *lib. 9. moral. cap. 16.* videtur eidem etiam sententiæ subscripsisse. Ea enim verba Iob explanans, quæ sunt in cap. 9. eius libri: (Multiplicabit vulnera mea etiam sine causa,) ita scribit: *Et hic paruuli ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perueniunt, perpetua tormenta percipiunt, qui nec ex propria voluntate peccauerunt.* Ex Theologis scholasticis vnus Gregor. 2. *dist. 33. q. 3.* huic opinioni maluit accedere; qui idcirco appellari solet tortor puerorum. Driedo. *lib. 1. de gratia, & lib. arbit. tract. 3. c. 2.* scribit hanc sententiam magis cum scripturis conuenire. Cæterùm communi scholasticorum consensu recepta est ea sententia, quæ tradit huiusmodi paruulos ab igne minimè cruciari, sed eã tantùm pœnã sustinere, quæ vocatur Damni, qua sunt in perpetuũ à cælesti patria Beatorum spirituũ excluſi. Ita Magist. 2. d. 33. Altisiod. *in sum. lib. 2. tract. 27. c. 6.* Alexan. *p. 2. q. 105. memb. 10. §. 1.* Alber. *in sum. p. 2. tract. 18. q. 113.* S. Thom. 2. d. 33. *a. 3. q. 1.* Aegid. 2. d. 33. *q. 2. a. 1.* Richard. 2. d. 33. *artic. 3. q. 1.* Henric. *quodl. 6. q. 21.* Scot. 2. d. 33 *q. 1.* Durand. Argen. Bassolis, Gab. Maior. 2. d. 33. Marsi. 2. *q. 19. art. 5.* Bonauent. 2. d. 33. *art. 3. q. 2.* & alij: atque hæc opinio est meritò amplectenda, est enim pietati, & rationi magis consentanea, ac tot tantorumq; virorum, quos iam retuli, auctoritate suffulta. Eandem habet expresè Innocentius Tertius *in cap. Maiores, de Baptismo, & eius effectu*, vbi ait: *peccati originalis pœnam esse carentiam visionis diuinæ: actualis autem, gehennæ perpetuũ cruciatum.* Auctor commentariorum Ambrosij nomine ad Rom. 5. in illa verba; Per vnum hominem, &c. *Mors*, inquit, *quæ dicitur gehenna, quam non patimur peccato Adæ, sed eius occasione proprijs peccatis acquirimus*, & Apocal. 18. 2. ad Corinth. 5. *Vnusquisque punitur, prout gessit, & peccauit in corpore*: sed paruuli nihil propria voluntate peccauêre. Præterea, non videtur diuinam clementiam, & bonitatem decere, vt tam leueras, & graues pœnas de ijs paruulis sumat.

Ad ea verò, quæ ex S. Patribus obijciuntur, Respondeo; In primis de Augustini mente certi aliquid colligi nequit. In Enchiridio enim cap. 92. ad Laurentium aperte ait: *Quicunq; à perditionis massa non liberatur per mediatorem Dominũ, resurget quidem, sed vt cum Diabolo puniatur.* Idem *cap. 95. in eodem libro* tradit mitissimam eorum pœnam futuram, qui præter peccatum originis aliud minimè addiderunt. Alijs in locis docet post mortem non esse locum medium iudicandorum inter sinistram, & dextram. Sed enim ex his locis, qui certè sunt Augustini, non colligitur apertè paruulos esse igne torquendos: at quia Pelagiani tradebant huiusmodi paruulos ad cælestem patriã, & sedem nec recipiendos, nec condemnandos quidem, sed sacro baptismate eos ablui debere, vt possint in cæleste regnum, & Beatorum spirituũ domicilium iditum habere, non vt à peccato, quod nullum contraxerunt, absoluantur, ideò passim docuit Augustinus inter dexteram, & sinistram nullum medium locum intercedere; & proindè paruulos decedentes sine baptismo fore damnandos. Et cùm ait eos vna cum diabolo puniendos, reuera ignis pœnam videtur innuere, sed non clarè, & apertè: hoc enim ideò affirmat, vt doceat paruulos esse peccato inquinatos, & propterea tanquam peccatores perpetuam pœnam subituros. De Fulgentio autem haud ægrè diffitemur eum in priorem descendisse sententiam: sed eius auctoritati opponimus illam Innocentij Tertij, & Scholasticorum, & Auctoris commentariorum in epistolas Pauli sub Ambrosij nomine. Auctor verò libri de Fide ad Petrum negari non potest, quin fuerit in eadem sententia, qua Fulgentius; eum tamen fuisse Augustinum negamus; nam Isidorus, & Honorius eum librum tanquam regulam fidei editam à Fulgẽtio citant, & ipse auctor initio eius libri, pollicetur se certam fidei regulam traditurum. Auctor item librorũ Hypognosticon eidem sententiæ subscripsit, cui Fulgẽtius: sed is auctor Augustinus minimè censendus est.

Dubitatur quoque, sint necne Augustini sermones de verbis Apostoli. Gregorium verò putamus non apertis id verbis tradidisse, sed locutum more Augustini, cum ait; ad tormenta paruulos dãnandos; ac si diceret eos perpetuas pœnas perpessuros. Secundò obijcitur locus Matth. 25. vbi in iudicio generali futuro, omnes erunt hoedi, vel oues; omnes item à sinistris, vel à dextris; at paruuli nõ erũt à dextris, aut inter oues. Matth. 3. congregatur triticum in horreum, palæ autem igni comburuntur inextinguibili, sed paruulus triticum non est. Luc. 3. *Arbor non faciens fructũ bonum in ignem mittitur.* Matth. 22. *Non habens vestem nuptialem in tenebras exteriores deturbatur.* Apocal. 20. *Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.* At cap. 21. secunda mors dicitur stagnũ ignis, & sulphuris, & qui nõ est inuẽtus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Hisce omnibus obiectis respõdeo, ijs in locis sermonẽ haberi de adultis, vt ex ipso literæ contextu facilè iudicari potest. Et cũ scripturę scripturis non repugnent, Paulum opponimus dicentem 2. ad Corint. 5 *Vnusquisq; referet propria corporis, prout gessit, sine bonũ, sive malum.* Tertiò obijcitur: Paruuli dum hac vita funguntur, plurimas sensus pœnas patiuntur, ergò nihil est mirum, si post obitum perpetuum ignis supplicium perferãt. Respondet S. Tho. 2. d. 33. q. 2. a. 1. ad 3. huius vitæ pœnas esse ad tempus, alias verò perpetuas fore. Paruuli autẽ cum sint in hanc lucem editi, præsentis vitæ malis, & pœnis subijciuntur; at verò diuinę iustitiæ leges, perpetua gehennæ supplicia, pueris solo originis peccato pollutis, nõ irrogãt. Infistes; Potuerant paruuli Deo id cõstituente, cũ in hoc

mundo viueret, perpetuò igne torqueri. Respondeo, potuisse quidem Deum id efficere, sed peccatum originis tantùm pœnæ, & supplicij minimè meretur; & proindè talis cruciatus esset quidem paruulorum malum, sed non pœna peccato debita; id igitur mali Deus infligeret secundùm alium suæ voluntatis ordinem. Quartò oppones, Paruulorum absque baptismate decedentium corpora expertia omninò erunt eius dotis, quæ à Theologis vocatur impassibilitas, ergò multis malis, & pœnis erunt exposita, & obiecta. Respondet S. Thomas, eorum quidem paruulorum corpora caritura omni dote, qua beatorum hominum corpora donabuntur; & nihilominus aliena prorsus erunt ab omni pœna sensus, eò quòd Dei prouidentia impedientur, arcebunturque cuncta aduersantia, ne vi sua, & potestate, ea corpora exerceant; nec tamen indè licet inferre; id factum iri miraculo diuino: nam ante generale iudicium in miraculum meritò refertur, si causę naturales ab eo, quod naturaliter possunt, diuina operatione subtracta impediantur, quia permittuntur agere iuxta naturas, & vires sibi ab initio datas: at verò post iudiciũ res, & naturæ operabuntur iuxta positas diuinæ iustitiæ leges, non iuxta naturalem rerum ordinem instituutum.

Secundò quæritur, An paruuli cum peccato originis hac vita excedentes tristitia afficiantur ex hoc, quòd perpetuo Dei aspectu sint caritari? Duæ sunt sententiæ, prima est asserentium, eos in mœrore, & tristitia futuros, qui eo argumento permouentur, quòd eiusmodi paruuli cognoscẽt se à regno cælesti excluſos propter peccatum originis ex primo parente contractum; at quotiescunque aliquis nouit se ab insigni aliquo, & eminenti honoris, & dignitatis gradu excedisse, ad quem nisi interclusus sibi aditus fuisset, haud dubiè fuisset euectus, mœrore conficitur. Hanc autem animi tristitiam aiunt illi nõ esse pœnam sensus, sed ad pœnam damni pertinere, quippè quæ non nascitur ex aliquo malo, quod paruulis inferatur, sed hoc ipso quòd illi sunt regno cælesti excluſi, & eiecti tristantur, & dolent: quæ est pœna damni, non sensus ab igne promanans. Sic Abulen. *in Matthæum c.25. q. 671.* Immò opinantur aliqui paruulos post Christum Dominum natos, & absque baptismate decedentes maiorem tristitiam passuros, quàm cæteros, qui ante Christum perierunt. Secunda opinio communi consensu Theologorum est recepta, nulla eos tristitia afficiendos. Ita Altisiodorensis, Alexander, S. Thomas, Bonauentura, Richardus, Scotus, Durandus, Gabriel, Marsilius, & alij locis supracitatis, quæ opinio longè maiorem, quàm prima, probabilitatem habet, & ideò illi præferenda. Nam tristitia est pœna, & quidem grauis, & acerba, quæ voluntati perperam facienti debetur. Quomodo autem fieri possit, vt paruuli cognoscant quidem se propter peccatum originis cæleste regnum amisisse, in quod reciperẽtur, si Adamus sese in officio continuisset; & tamen nulla indè tristitia, & dolore vexentur, difficilè explicatu est. Quidam respondent, paruulos sui status, & conditionis nullam notitiam habituros, quod S. Thom. non improbat *de malo q. 5. artic. 3.* Verùm hoc alijs minimè probatur: id certè S. Thom. alibi, & Bonauent. *videlicet 2. d. 33. q. 2. art. 3.* refutant. Nec enim simile vero est ignorare paruulos, se peccarum originis contraxisse, & ob id à cælesti hæreditate, & regno alienos esse. Obijcies; Nemo potest cognoscere se à regno excidisse cælesti, nisi id nouerit, vel ex fide, vel ex notitia supernaturali. Illi respondentes hoc infirmant, & diluunt, quoniam paruuli eiusmodi, in generali iudicio futuri sunt; ergò ex eo saltem tempore fient certiores, vndè exciderint, & quantum boni, & quid iuris perdiderint ob primi parentis peccatum. Alij respondent eos paruulos id quidem simpliciter cognituros, nullam tamen indè tristitiam, nullumúe dolorem habituros. Ad id verò quod est supra obiectum; ex tali notitia tristitiam naturaliter generari: Respondeo eodẽ modo, quod dixi paulò ante: Quemadmodum eorum corpora nihil mali accipient à contrarijs aut causis extrinsecus agentibus; alioqui enim earũ vi, & actione possent tandem perire, & esse desinere; sic etiam eiusmodi notitia nihil mœroris, doloriſue inferet; quia Deus suam operationẽ submouebit, & subtrahet, ita vt eorum voluntas nil tristetur, ac doleat. Ita Marsil. *2. quæst. 19. art. 5.* Nec id propterea miraculo tribuendũ erit; quia sicut cæteræ causæ naturales, tunc temporis non agent secundum consuetum in hac vita naturæ ordinem, sed iuxta præscriptas diuinæ iustitiæ leges: Sic etiam mentis notitia, quæ nunc naturaliter solet tristitiam parere, tunc nullum inducet, inferetúe mœrorem diuinitus impedita. ita S. Thomas, Bonauentura, Mai filius locis citatis. *S. Tho. Bonau. Marsi. locis citat.*

Tertiò quæritur, An paruuli cum peccato originis mortui, in generali iudicio sint affuturi? Duran. *2. d. 33. q 3.* id negauit, eò, quòd *qui non credit, Ioan. 3. iam iudicatus est.* Medi. *1. 2. q. 83. a. 4. ad 4.* hanc sententiã, vt temerariam cõdemnat, quia Matth. 25. dicitur: *Cõgregabuntur ante eum omnes gentes.* & ad Rom 14. 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* & Apocal. 5. *Venit, & videbit eum omnis oculus.* Et certè ratio Durandi leuis, & futilis est: alioqui enim impij à Christi Domini fide, & religione alieni, qui in adulta ætate non crediderunt, essent ab vltimo iudicio abfuturi. Aderunt igitur paruuli, non vt eorum peccata discutiantur, sed vt sententia in eos proferatur, qua ob peccatum originis vna cum corporibus resumptis ipsorum animæ detrudantur in tenebras.

Quartò quæritur, An eiusmodi paruuli post generale iudicium sint in hac terra habituri? nam ante illud omnes fatentur eorum animas sub terram abditas commorari. Ambrosius Catharinus *in opusculo de stat. puerorum absque baptismate decedentium* sensit, in hoc orbe terrarum habitaturos, & frequenter visitãdos ab Angelis, & ab his, qui regno cælesti potientur, à quibus sæpè consolationem accipient: addit, eos pariter in rerum naturalium scientia, & cognitione magnum facturos profectum. Nimius est in hoc Catharinus. Bassolis *2. d. 33. q 1. a. 3.* ait: *De loco vbi erunt nescio: Quidam aiunt, eos in hac terra habitaturos, in locis amœnis, vna cum societate mutua, & iucunda, pulchriori, & delectabiliori, quam habent quidam peccatores modò.* Sic ille. Sotus 4. *d. 45. q. 2. ar. 4. ad finem*, videtur asserere, huiusmodi sententiam esse temerariam, quia felicitatem aliquam eiusmodi paruulis concedit, cum tamen

Augustinus, & alij Patres contra Pelagianos dissentes cõmuni cõsensu tradiderint, eos in perpetuum ad imum sub terra locum condemnarum iri. Et certè *dist. 4. de consecratione cap. Dominus*, ex August. *lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 23.* apertè dicitur eos esse in tenebris futuros: & cap. Ad limina Apostolorum 30. q. 1. habetur eos perpetua morte damnandos. Augustinus *libr. 2. contra Pelagium, & Celestium cap. 18. & 20. & epist. 106.* ait eos æterna morte mulctandos, *& lib. 1. de origine animæ c. 9. & lib. 2. c. 12. & lib. 1. de pecca. meri. c. 25. & in Enchi. c. 93.* & auctor etiam Hypognosticon *lib. 5.* manifestè docet nullum esse tertium locum post generale iudicium futurum, nisi vitam æternam in cælo, & mortem perpetuam sub terra; idem docet Prosper *de voca. gen. lib. 2. ca. 8.* Beda *in Ioan. 14.* Scholastici Theologi ferè omnes aiunt eos esse sub terra mansuros in tenebris, ac loco vili, & abiecto, vicinoque ei, in quo dæmones, & improbi homines ad inferos detrusi sempiterni ignis supplicijs cruciantur. Sic Alex. *p. 2. q. 105. mem. 10. §. 1.* Alber. *in sum. p. 2. tract. 18. q. 113.* S. Th. *2. d. 33. q. 2. a. 1.* Bonau. *2. d. 33 a. 3. q. 1.* Marsi. *2. q. 19. a. 5.* Gab. *2. d. 33. q. 1. a. 2. concluf. 4.*

Quintò quæritur, An ijdem paruuli beatitudine aliqua naturali fruentur? Ambrosius Catharinus *opusculo citato* scribit, eos eam felicitatem habituros. Lyranus *ea verba, quæ in Ecclesiaste cap. 4. habentur enarrans; Et iudicaui vtroque felicioré eum, qui nec dum natus est*: scribit eos potituros vita iucundiori, quàm possit in hoc mundo naturaliter haberi: & hoc, ait ille, dicere omnes Doctores. Richard. *2. d. 33. art. 3. q. 2.* affirmat eos habituros bonum, & gaudiũ percepturos ex eo, & fortè plus gaudij de bonis creatis, quàm peccatores habeãt in hac vita. Scot. *2. d. 33. q. 1.* tanquam probabile censet eos consecuturos rerum omnium naturalium cognitionem longè maiorem, quàm Philosophi habuerint, & proindè aliquantulã beatitudinẽ naturalem percepturos ex notitia Dei, quã ex ipsa mundi constitutione naturaliter habebunt. S. Tho. *2. d. 33. q. 4. a. 2. & ad 5.* tradit eos non parũ participaturos de diuina bonitate, & naturalibus perfectionibus, ac subdit, futuros cum Deo cõiunctos quadam bonorum naturalium communione, & proindè gaudium habituros, quod ex rerum naturaliũ cognitione, & delectatione percipient. Quod perindè est, ac si dixisset, eos lætitiam percepturos ex mundi ornatu, pulchritudine, varietate. Et Marsil. *2. q. 19. ar. 5.* paulò ante finem, ait eos Deum super omnia amaturos, & eum, vt Dominum veneraturos. Hæc Scholastici Doctores. Ex quibus solùm licet colligere, eos carituros omni pœna sensus; nõ tamen id, quod infert Catharinus, eos felicitate naturali potituros, & in hac terra victuros, habitaturosque; ita vt post extremum mundi tempus non sint amplius futuri ad ima, & tenebrosa sub terra loca damnati, & detrusi: videtur docere eos tandem ex perpetua damnatione, & pœna liberos euasuros. Ex Augustino constat eos futuros in morte, & damnatione perpetua, & in tenebris sub terra: Sed hæc esse nequeunt cum naturali hominis felicitate. Præterea, beatitudo naturalis naturam requirit, ac postulat rectam, sanam, integram, & puram; at homo peccato corruptus, talem naturam non habet; ergò paruuli cum sint peccato originis obstricti, & infecti, felicitatem naturalẽ habere non possunt: hæc enim licet Dei gratiam minimè contineat, quatenus præcisè est naturalis hominis felicitas, cum peccato tamen esse nõ potest, quod est à recta ratione aberratio, & auersio. Insuper, qui peccato tenetur, hoc ipso miser est, & pœnam meretur, animam itidem habet peccati contagione pollutam, & vita gratiæ nudatam: quæ res nequaquam possunt cum naturali hominis felicitate consistere. Ad extremum, paruulus peccato originis maculatus differt à paruulo, qui absque vllo peccato nasceretur: at in nulla alia re potest distingui, nisi quod hic prorsus est innocẽs, & proindè nulli pœnæ obnoxius, & qui possit Dei beneficio, & munere naturalem hominis felicitatem adipisci, cuius est capax: ille verò est peccator, miser, pœnæ addictus, & subiectus, & propterea naturalis beatitudinis expers. ROGABIS, an huiusmodi paruuli rerum omnium naturalium, quæ naturæ lumine percipi queunt, notitiam sint comparaturi, habituriúe? Respondeo, non multum referre, alterum horum dicamus: illud solùm mihi certò dici posse videtur, eos naturali hominis beatitudine carituros; quæ sicut intellectum naturaliter perfectum deposcit, ita & voluntatẽ rectam, ac benè affectam; at peccatoris voluntas talis nõ est, quanquam intellectus possit esse naturali rerum cognitione perfectus: nam & dæmones sunt omni rerum naturalium notitia prædíti, cum tamen miserrimi sint, infelicissimi, & peccatorum ac malorũ plenissimi. DEINDE QVAERES, an ij paruuli sint habituri appetitum sensus rationi obsistentem, quem Theologi peccati fomitem appellant? Quidam censent in eis pugnam sensus, & mentis futuram, has ob causas. Primò, quia ea est peccati originis effectus, & pœna; deindè, quia nec dirimitur, compònitur, nec tollitur, nisi Dei beneficio, & munere. Secundò, quia ea pugna licet in paruulis sit habitu, & proindè quasi sopita; postea tamen in adultis est actu, & quasi ardens flãma; vndè aiunt, in eis futuros esse motus, & actus contra rationem, & proindè malos, sed pœnis denuò non imputandos: post mortem enim licet quis benè, aut malè agat, præmijs tamẽ, aut pœnis denuò nõ afficitur. Verùm communis est Theologorum sententia, in eis non esse futuram huiusmodi pugnam, & luctam. Quare respondeo, post obitum eos, quos dixi, paruulos non amplius peccaturos, & propterea etsi eorum appetitus, & sensus non erit rationi perfectè subiectus; hoc enim ex vi, & cõstitutione naturæ esse non potest; nihilominus tamen motus contra rationem vitiosos, & prauos, qui sint in culpa propria voluntate contracta, minimè pariet, eliciet-úe, Deo generalem operationem suam rebus cunctis conuenientem alioqui subtrahente: & proinde tales paruuli, motibus appetitus contra rationem obrepentibus, aut prorsus carebunt, aut certè assensum suum minimè accommodabunt. *Lignum enim* (ait Salomon in Ecclesiaste) *si ceciderit ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Et voluntas talis post obitum permanet, qualis ex vita decessit. Eccles.

Quintò quæritur, An peccatum originis sit peccatorum minimum? S. Tho. *in 2. d. 33. q. 1. ar. 1. ad 1.* apertè docet esse minus veniali delicto, & propterea esse

rea esse peccatorum minimum. Quia peccatum, inquit, originis est minus voluntarium, quàm veniale, quod propria voluntate committitur. Capreolus distinguit, & ait, peccatum originis ratione pœnæ, & effectus esse multo grauius, quàm veniale, quia gratia, & charitate diuina hominẽ denudat, & priuat, eumque alienat, & auertit à Deo, ac perpetuis mancipat pœnis: quibus malis sanè ingentibus peccatum veniale prorsus est liberum, & immune. Si peccatum verò, vt voluntariũ sumatur, veniale, inquit, est grauius, quàm peccatum originis, quia est magis voluntarium. Sed quæstio est absolutè, & simpliciter, vtrum eorum grauius, & deterius sit, peccatum ne originis an veniale? Respondeo, grauius esse peccatum originis, quia gratiam tollit, & animæ mortem, & interitum affert, & hominem disiũgit, & separat à Deo. SI ROGES an omnium paruulorum cum peccato originis decedentium sit æqualis pœna futura? Respondeo, quosdam sensisse minimè æqualem futuram, sed maiorem minoremue, prout faciliùs, aut difficilius ab eo peccato liberari potuerãt; & proindè maiorem pœnam futuram puerorum post Christi Euãgelium absque sacra, & salutari baptismatis aqua morientium, quàm eorum, qui ante Christum cum peccato originis perierunt; quia illi faciliùs, quàm hi potuerunt ab omni peccati contagione purgari. Sed communis est omnium sententia, & vera, omnium huiusmodi paruulorum æqualem esse pœnam futuram. Ratio est, quia peccatum est vnum, & omnibus commune; ergò pœna pariter æqualis, nec maior, minorue. Marsi. *2.q.19.a.5.* Almai. *tract.3.moral.c.29.*

Duõ modi distinguit Marsi. 2.q.19.a.5. ad 4.

Cap. XXXIIII.

Quomodo peccatum originis deleatur.

INTER Hæreticos nostri sæculi quidam errores versantur, quos oportet cognitos habere, vt eos tanquam scopulos diuitemus.

Primus error Lutheranorum est dicentium; in renatis per baptismum non tolli peccatum originis, sed solùm per Christum fieri, vt non amplius destinetur, deputeturue ad culpam, & pœnam æternam.

Secundus error est, Baptismate nequaquã deleri peccatum originis, sed radi, hoc est, minui, & remitti ex parte; ita vt incipiat in hac vita extingui, & auferri, nunquam tamẽ omni ex parte, nisi in futura euelli, ac tolli. Duo isti errores eo vnico fundamento sanè debili nituntur: quòd in renatis manent cupiditates, & motus carnis contra rationem, hoc est motus appetitus animalis, qui rationem sæpè præcurrunt, & aliquando perturbant. Sed ex scripturis, inquiunt, præsertim ex Paulo, & ex Patribus, maximè Augustino perspicuè didicimus concupiscentiam, & motus carnis contra rationem esse peccata. Præterea, Augustinus *contra Pelagianos* ait: Peccatum deleri, nihil aliud esse, quàm, non imputari ad culpam: immò ipsæ scripturæ eodem modo loquuntur. Nam Augustin. *lib.1.de nupti. & concup.cap.25.* ait: peccatum quidem in baptismo remitti, non vt nõ sit, sed vt in peccatum non imputetur, & in Psalm. 31. legitur, *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Ad hæc, Augustinus similiter docet peccatum originis nõ omninò tolli, nec aboleri, ita vt nunquam simus absque peccato. Nunquam enim Augustinus ait, in hac vita illud præceptum implemus, Non concupisces, sed ex parte nunc in hoc sæculo, & post in futuro perfectè exequemur. Istiusmodi errores Concilium Tridentinum sessione sexta de peccato originis tali decreto damnauit: *Si quis per gratiam, quæ in Baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli id, quod verum, & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantummodo radi, aut nõ imputari, anathema sit.* Hæc concilium: & August. *lib.1.de nupt. & concup.cap.25.* non dixit; peccatum remitti, non vt non sit; sed vt non imputetur ad peccatum: Sed solùm ait, concupiscentiã remitti in baptismo, non vt non sit, sed vt non imputetur ad peccatũ. Ac licet scripturę aliquando dicant, non imputari peccatum; frequenter tamen etiam aiunt, tolli, deleri, remitti, seu dimitti. Paulus præterea 1.Cor.6. Renatos in Christo appellat mundatos, sanctificatos, ablutos, illuminatos, dilectos, & caros Deo. Nec non Augustinus perspicuis verbis contra Iulianũ *lib.6.ca.7.* docet peccatum originis omninò tolli, & deleri; ergò non raditur. Sic enim ibi dicit; *Percipitur in baptismo Christiano perfecta nouitas, & perfecta sanitas ab eis malis omnibus, quibus eramus rei, non autem ab eis, cum quibus confligendum est, ne simus rei.* Hæc ille: & quod *in lib.de perfecti. iustitiæ, responsione 11.* docet, nũquam nos esse absq; peccato, quia nunquã in hac vita seruamus, & implemus duo illa præcepta legis, diliges Deum ex toto corde tuo, &c. Non concupisces, intelligit, nõ quòd per gratiam Dei peccatum non perfectè remittatur, sed quòd semper manemus in malis, cum quibus est confligendum, nempè concupiscentijs.

Tertius est error Caluinistarum, asserentium per Baptismum in paruulis nõ tolli, quoniam ab eo mundantur hoc ipso solùm, quòd à pijs, & fidelibus parentibus progenerentur, aut ex hoc, quòd sint singulari Dei beneficio ad cæleste regnum prædestinati; & proindè eorum baptisma non esse remedium ad peccatum originis delendum; conferri tamen ob id, quod sit Christi Domini præceptum, vt paruulis quoq; ministretur. Putant enim isti filios parentum fidelium iam indè à mundo condito, à peccato originis mundari solùm ex hoc, quòd Deus eos peccatores non habet, quia ex fidelibus parentibus oriantur. Quod probare contendunt ex capite 17. Geneseos, vbi fœdus percussit Deus cum Abrahamo dicens: *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.* Deindè ex Paulo 1.Corinth.7. vbi inquit: *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Postremò, quia nemo dat, quod non habet: sed parentes fideles sunt à peccato originis mundati; ergò illud non transmittunt in filios. Contra istos decernit Tridentina Synodus; *Si quis negat paruulos baptizandos, etiamsi fuerint à parentibus fidelibus orti, anathema sit.* Eosdem illud manifestè conuincit, & iugulat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Matth.28

Ioan.3.

Ad obiectiones verò Caluinianas respondeo. Ad primam quidem, quæ sumpta est ex Genesis 17 capite; *Ero Deus tuus, & quæ sequuntur,* sentẽtiam in eo loco scripturæ esse: Faciam, vt te mortuo, posteri tui me colant tanquam verum Deum, & eos

ego protegam singulari meæ prouidentiæ beneficio. Ad illud Pauli : Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & reliq. Dicimus, ijs verbis docere Apostolum non esse matrimonium dissolutum, eo quòd vno coniuge ad Christi fidem, & religionem conuerso, alter in sua impietate persisteret absque vlla in Christum Dominum iniuria; non enim vinculum coniugale ante cõtractum dispar religionis cultus dirimebat: hoc est vno ex coniugibus ad Christi fidem venienti, non dissoluebatur coniugium, si coniux infidelis, & impius volebat absque omni in Christum iniuria, cum pio, & fideli coniuge viuere. c. *gaudemus de diuor.* & Theologi cum Magistrro. 4. *d.* 39. nec est alia profectò Pauli mens, atque sententia eo in loco. Tunc enim apud quosdam Corinthios erat scrupulus, existimãres matrimonij vinculum solui religionis diuersitate, vno videlicet coniugum ad Christum conuerso, & altero infideli manente. Quorum errorem corrigens Apostolus scribit non dirimi tale coniugium; ac ideò subdit hæc verba: *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*, quasi diceret; Ad vsum, habitationẽ, & congressum coniugalem: quia vxoris infidelitas vinculum matrimonij non tollit. addiditque, Alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt; vult dicere, Verè sancti sunt, ex legitimo matrimonio nati, nõ autem immundi, quasi non legitimè suscepti. Hic est germanus, & verus Pauli sensus, quem habent Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus, Ambrosius, S. Thomas, & ex antecedentibus, & consequentibus facilè eruitur. Licet non ignorem ea verba Apostoli in alium sensum accipi à Tertullia. *lib. 2. ad vxorem.* Hieron. *lib. 2. contra Iouinia. & epist. 153.* Augustin. *lib. 2. de peccato. meri. & remissionibus. cap. 26.*

Quartus error est quorundam arbitrantium, paruulos sine baptismate decedentes, post generale iudicium singulari Dei beneficio esse à peccato mundandos, & in cælestem patriam reciendos. Quem errorẽ manifestè conarguit illud Christi Domini ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ioan. 3.

Porrò inter Catholicos sunt aliquot sententiæ, aut omninò falsæ, aut minus saltem probabiles.

Prima est Caiet. 3. *p. q. 68. art. 2.* asserentis paruulis natis, quibus Baptisma conferri non potest, sufficere, vt salui sint, si signo Crucis, & inuocatione Trinitatis muniantur: quam sententiam Sotus *in 4. d. 5. q. 5. art. 2.* meritò conuellit. Nam eiusmodi paruuli, aut certò, & definitè salutem æternam consequentur, aut solùm ex pietate, & liberalitate Dei. Primum dici nõ potest, quia pugnat cum eo, quod Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Secũdum quoque dici nequit: quia de Dei pietate, & liberalitate nihil certi diuinare possumus in ijs, quæ sunt ad vitam sempiternam necessaria, nisi innitamur scripturis, traditione, vel decretis Ecclesiæ, aut Patrum testimonijs, aut saltem certa, & firma ratione. Ibidem.

Secunda sententia est eiusdem Caietani affirmantis idem de infantibus, qui in vtero matrum conclusi, si vita periclitentur, *salui*, inquit, *erunt si nomine Trinitatis inuocato, & signo Crucis muniti decesserint.* Quam etiam sententiam, vt temerariam refellit Sotus loco citato, eam tamen aliquos habuisse, testatur Richard. 4. *d. 1. a. 5. q. 3.*

Tertia est sentẽtia Magist. *in 4. dist. 1.* vbi inquit: *olim in Circumcisione delebatur peccatum originis; sed gratia adoptionis minimè conferebatur.* Quę sententia communi Scholasticorum consensu refutatur, & meritò, quia priuatio non tollitur, nisi per formam contrariam. Magistrum sequuta est glossa *in c. quod autem, de conse. d. 4.* Thom. ibid.

Quarta sententia est asserentium: In circumcisione, nec gratiam conferri, nec peccatum originis deleri: quia Circuncisio erat tantummodo signum externum, quo Iudæi à gentibus distinguebantur. Quod probare se putant ex Paulo, qui eam appellat signaculum fidei, & iustitiæ acceptæ: tum etiam ex Patribus, qui videntur innuere, eam esse diuinitus institutam ad populum Dei distinguendum à Gentibus. Sed enim hæc opinio nequaquam est recipienda: pugnat enim cum tota Theologorũ schola, & cum Augustino, Gregorio, & Beda, qui planis, ac perspicuis verbis tradiderunt, circumcisione olim à peccato mundatos paruulos. Magist. & Theologi 4. *d. 1.* August. lib. 2. de nupt. cap. 11. *ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ad significationem purgationis valebat paruulis originalis veterisque peccati, sicut & baptismus ex illo valere cæpit ad innouationem hominis, ex quo institutus est.* & Greg. *lib. 4. mor. ca. 2.* & habetur de conse. d. 4. c. quod autem. *quod autem apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro ijs, qui de Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis.* Beda in Luc. 2. *idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere reuelatæ gratiæ tempore consuuit, excepto, quod cælestis regni tanquam nondum iurare poterant circumcisi ante Euangelicam legem.* Nec non & Innocentius Tertius in c. *Maiores. de Baptismo, & eius effectu; Culpa*, inquit, *originalis per Circumcisionis mysterium delebatur*: quasi dicat; Tollebatur per circumcisionem, tanquam per mysticum rerum futurarum signũ. Et quamuis inter Theologos duæ sint sentẽtiæ; vna, quæ affirmat Circumcisionem vim habuisse ex institutione diuina tollendi peccatum: altera quæ tribuit eam vim fidei in Christum venturũ, quam explicitè, vel implicitè profitebantur ij, qui circumcidebantur in adulta ætate, vel ij, qui paruulos circumcidebant: omnes tamen conueniunt in eo, vt dicant fuisse saltem signũ diuinitus institutũ, quo ministri circũcisionis, fidẽ Christi venturi profitebãtur expresse, vel tacitè, qua fide, & Christi meritis gratiã circumcisi suscipiebãr, & à peccato originis purgabãtur. Rom. 4.

Quinta est sententia aliorum quorundam dicentium, ante tempora scriptæ legis nullum fuisse à Deo institutum remedium, quo peccatum originis paruulis remitteretur, & eos toto eo tẽpore fuisse omni remedio ad id peccati delẽdum planè destitutos. Quæ similiter opinio nullo modo mihi videtur probabilis; primò, quoniam aduersatur Aug. *lib. 5. contra Iulia. c. 9.* vbi ait. *Nec ideò tamen credendum est, & ante datam circumcisionem sanctos Dei, quando quidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis, quamuis quid illud esset, aliqua necessaria causa scriptura*

latere voluerit: nam & sacrificia eorum legimus, quibus vtique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi. Apertius etiam legis iam tempore nascentibus paruulis offerebantur sacrificia pro peccatis. Hæc Augustinus. S. Thom. *p.3 q.70.ar.4.ad 2.* ait, *probabile est, quod parentes fideles pro paruulis natis, & maximè in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei, sicut adulti pro seipsis preces, & sacrificia offerebant:* sic ille. Secundò, quia cum omnium Theologorum sententia apertè pugnat. Tertiò etiam, quia nulla auctoritate, aut ratione comprobatur: & certè verisimile nõ est, tanto tempore, diuinam prouidentiam tam humanæ salutis amantem, paruulis subsidium ad vitam æternam necessarium denegasse. Erat igitur Sacramentum, quo paruuli à peccato originis mundabantur: sed quodnam fuerit, & an vnum certum, & definitum fuerit, ignoramus, vt dixit Augustinus. Obijcies, nihil constare de remedio ad peccatum originis delẽdum, ante legem Circumcisionis. Item, toto eo tempore homines lege tantummodo naturali regebantur, & gubernabantur, ergò nullum erat Sacramentum externum, hoc enim non potest, nisi lege diuina constitui. Respondeo, id temporis quidẽm non legimus fuisse ex lege diuina aliquod certum, & definitum signum externum; sed fuit, & Deus pro sua benignitate, quibus voluit, gratis, & liberaliter parẽtibus patefecit, signum fidei, & religionis Sacramentum, quo infantes munirent, vt eos à peccato originis mundarent. At opponies, indè cõcludi, post Christum natum, aditum in cælum difficiliorem esse redditum, & deterioris cõditionis nunc pueros esse: Siquidem ante Circumcisionem institutam, salui esse poterant his illisũe symbolis adhibitis, cum tamen nunc nonnisi baptismate suscepto possint. Respõdeo, non esse viam salutis factam difficiliorem paruulis, quia tunc erat etiam certa lex diuinitus lata, de remedio salutis paruulorum, sed nõ scripto, at per traditionem à Maioribus accepta, & quibus volebat Deus, eam viam, & rationem delendi peccati patefaciebat: erat igitur remedium salutis, quòd è traditione Maiorum, non è certa scripta lege hominibus innotuit. At verò nunc instituta est lex certa, & in terrarũ orbe promulgata; quod verò non omnes eam norint, id ex accidenti est: præsertim cum Deus possit etiam interiùs, quibus ipse voluerit, inspirare, & patefacere baptismum esse necessarium ad salutem. Pari ratione post legem Circumcisionis latam, remedium cõtra peccatum originis in feminis paruulis, & in masculis infantibus ante octauum diem, certum & definitum ex scripta lege, nullum erat: paruuli enim ante octauum diem circuncidi non poterant; quare siue mares, siue fœminæ salui fiebant eo symbolo fidei, & iustitiæ, de quo parentes, vel traditione Maiorum, vel Dei instinctu, & afflatu facti erant certiores.

Sexta opinio est aliquorum purantium, tempore ante circumcisionem iustitutam, paruulos à peccato originis mundari solitos ex eo solùm, quòd piorum parentum filij essent, & ex pijs parentibus nascerentur: hoc enim erat fide parentum saluos fieri. Communi tamen doctrinæ Scholasticorum repugnat, qui docent fide parentum paruulos saluari, quatenus ea fides aliquo actu externo referebatur, & dirigebatur in paruulos.

Septima sententia fuit aliquorum, qui docuerunt, ante Circũcisionis legem infantes à peccato originis purgari sola interiori parentum fide, nullo signo exterius adhibito, quod probãr; quia Gregorius *libr.4.mora.capit.2.* apertè scripsit, tunc temporis adultos Sacramentis, vel sacrificijs à peccato mundari, paruulos verò sola parentum fide, Sic Sot. *4.dist.2.quæst.1.artic.4.* S. Thom. *4.dist.1. quæst.2.art.3.ad 2.* Richard. *4.dist.1.art.5. quæst.3.* Magist. *4.dist.1.* At communior est inter Theologos Scholasticos opinio, non sola fide interiori parentum paruulos à peccato liberatos fuisse; sed aliquo etiam Symbolo externo accedente, quo parẽtes suam fidem profitebantur exterius. Cum autem Gregorius ait, sola fide, minimè excludit symbolum exterius; sed quod de adultis antea dixerat; nimirum sacramenta, & sacrificia. Signum enim, quod exterius assumebatur, non quatenus sacramentum virtute sua; sed quatenus fidei symbolũ & signum erat, peccatum originale delebat. Sic Alexand. *part.4.q.2.m.5.art.1.* Scot. *4.d. 1.q.7.* Dur. *4.d.1.q.* S. Palud. *4.d.1.q.5.art.5.* Gab. *4.d.1. q.2.ar.3.* Mai. *4.d.1.q.4.§.contra.1.conclusione.*

Octaua sententia est aliorũ aientium, paruulis per baptismum, gratiam, & virtutes minimè infundi; tolli tamen peccatum originis; aiunt enim isti, virtutes esse habitus ad operandum infusos, & ideò infantibus non conferri, cum adhuc per ætatem operari nequeant: concedi tamen gratiã, per quam, à peccato originis mundentur. Quæ sententia, vt dubia, inter Theologos relicta est in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, *vt constat ex ca.Maiores, de baptismo, & eius effectu.* Postea verò in Concilio Viennensi sub Clemente Quinto, *vt habetur in Clementina Fidei Catholicæ, de summa Trinitate, & Fide Catholica,* tanquam probabilior, & dictis Sanctorum magis consentanea recepta est opinio, quæ affirmat, paruulis in Baptismate infundi gratiam, & virtutes. Tandem in Concilio Tridentino *sess.6.can.10.* decretum esse, multi docent gratiam, & virtutes infundi. *Si quis,* inquit, *dixerit hominem iustificari per solam imputationem iustitiæ, vel per solam peccatorum remissionem exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum infundatur, & quæ illis inhæreat; anathema sit.* Sed paruulis non infunditur charitatis actus, ergò habitus qui est virtus ad agendum: quam virtutem, non puto, eos Theologos (de quibus fit mentio in Concilio Lateranensi, & Viennensi) infundi negasse, quia fatebantur gratiam conferri. Existimabant autem gratiam, & charitatem esse eundem habitum. Solùm igitur diffitebantur infundi virtutes morales, & Fidem, & Spem; de quibus in paruulis, nihil Concilium Tridentinum definiuit, quamuis vt testatur S. Thom *part.3.quæst.69. ar.6.* falsum omnino sit, paruulos per baptismum non consequi gratiam, & virtutes. Sic quidam philosophantur. Sed meo iudicio hoc post Concil. Trident. teneri non potest, quia sess.6. cap.7. ait. *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, Spem, & Charitatem.* Vera tandem sententia hæc est, per Baptisma, paruulis gratiam,

& charitatem, fidem, & spem infundi, & per gratiam, & charitatem proximè eos à peccato originis mundari. Potest etiam peccatum originis in adultis vnà cum lethali deleri, vel per Baptismũ, vel interdum etiam per cordis pœnitentiam, vel per martyrium, aut verum, & feruentem charitatis actum cum voto explicito, vel implicito baptismatis, vt colligitur ex S. Thom. *part. 3. quæst. 69. art. 4. ad 2.*

Secundò quæritur, An potestate Dei absoluta possit peccatum originis tolli sine gratia, & quocunque alio dono infuso, quod nobis inhæreat? De hac cõtrouersia, quoniam septimo libro tractabo ideò in præsentia nihil dicam, ne idem bis disputem.

Tertiò quæritur, Quomodo Beatissima Virgo fuerit à peccato originis seruata, ne vnquam caderet? In hac quæstione illud minimè explicare conabor, fuerit ne illa absque originis labe concepta, cum hæc res ad præsentem locum minùs facere videatur: Sed hoc vno posito, eam fuisse citra peccatum originale conceptam, modum, & rationem inquiram, qua id factum sit: nam quæstionem mouet; quòd repugnantia quædam appareat in eo, quod fuerit sine huiusmodi peccato concepta: hæc nempè: Nam primo temporis momento, quo est concepta, erat filia Adæ communi generatione propagata: ita vt priùs naturæ ordine fuerit Adæ filia, nimirum natura ab Adamo suscepta, ergò eo temporis puncto peccatum contraxit, quoniam eo temporis articulo erat per naturam Adæ filia, & ex natura gratiam vtique non habebat, ergò erat gratia priuata, ac proindè cum peccato concepta. Quidam eam seruatam esse à peccato quominus illud contraheret, contendunt in hunc modum: Animam eius antequam infunderetur in corpus, fuisse à Deo creatam vnà cum gratia, & sanctitate: quod fundamentum certè nequit omnino consistere. Quippè cuiuslibet hominis anima, eodem temporis puncto quo creatur, in corpus infunditur; nec enim prius creatur, quàm infundatur. Secundò, alij volunt esse seruatam B. Virginem hoc modo: aiunt enim carnem eius mundatam fuisse ab omni peccati originalis labe, ac macula, antequam in eam infunderetur anima, & proindè animam in eius corpus infusam, nulla carnis contagione pollutam fuisse. Tertiò, alij dicunt carnem eius in parentibus suis fuisse purgatam ab omni peccati corruptione, priusquam in matris vtero conciperetur. Sed horum fundamentum innititur illi sententiæ, quæ ponit morbidam qualitatem tum in carne, tum in anima, ex peccato Adæ deriuatam in posteros, quam ex communi Theologorũ consensu iam supra reieci. Quartò opinantur alij, sic eam fuisse absque peccato conceptam, quia, quando peccauit Adamus, & in illo pariter nos omnes, Deus singulari beneficio prouidit, ne Beatissima Virgo in illo peccaret. Sed nec fundamentum hoc satis firmum, & solidum est, quia in Adamo non peccauimus actu, & voluntate propria, cum nati nondum essemus; sed voluntate capitis, & originis, in quo capite omnes posteri cõtinebantur. Deindè, quia in eo suscepimus quidem peccatum; sed tanquam in semine, causa, & origine: postea verò cum concipimur communi generatione ab Adamo procreati, singuli proprium peccatum contrahimus: ac proindè tunc cum quis communi lege concipitur, aut diuino munere & beneficio seruatur, ne in peccatum incurrat, aut secus, non antea. Catharinus, & quidam alij senserunt Sanctiss. Virg. in Adamo non peccasse, quia tunc, quum ille peccauit, ea est ab eo peccato singulari Dei munere seruata, necaderet. Quam sententiam, quatenus docet Virginem in Adamo non peccasse, alij vt temerariam reijciunt; nam si minimè in Adamo peccauit, non indiguit redemptione facta per Christum, quod cum scripturis non conuenit: nam teste Paulo, *sicut in Adam omnes moriuntur; ita omnes in Christo viuificantur*: Item, Christus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui erant in Adamo. Deindè, sacra Virgo ex Adamo pœnam mortis corporalis suscepit, ac traxit; ergò in eo etiam peccauit: nam si ab eo pœnam peccati traxit, consequitur, vt in eo peccauerit, cùm mors Adæ peccatum, vt causam, & originem consequatur. Dicere fortassis Catharinus voluit, in Adamo Deiparam non peccasse, quia tunc singulari Christi venturi merito seruata est, ne cum Adamo cadente decideret alioqui casura, cum esset ex eo communi lege propaganda: nam Deus cùm primum hominem procreauit, ea lege, & pacto, teste Catharino, cum iustitia, & gratia condidit, vt si peccasset, eam sibi ac posteris amisisset, alioqui sibi, & posteris retinuisset: tunc ab ea lege, quod ad peccatum spectat, Sanctissimam Virginem excepit, ne in Adamo peccante peccaret: & quamuis in eo non peccauerit, quia tamen erat alioqui peccatura, nisi seruaretur diuinitus, & ab ea lege eximeretur; ideò est verè redempta per Christum, cuius meritis est diuinitus ab ea lege excepta, & seruata à casu, & ruina peccati: & pro ea mortuus est Christus, vt seruaretur, ne caderet: & quia erat alioqui cum Adamo ruitura, ideò corporis mortem ab eo traxit, quoniam est quidem à peccato, diuino beneficio seruata, sed non ab omni peccati pœna. Nihil video, quod nos id asserere, & cum Catharino sentire cogat. Caietanus Apostoli verba; *Omnes in Adam peccauerunt*, sic intelligit, non quòd omnes ab eo peccatum traxerint, sed quòd necessitatem incurrendi in peccatum susceperint: ac proindè ex Apostolo non habemus Deiparam ex Adamo peccatum traxisse, sed necessitatem trahendi peccatum. Alij quoque hanc Caietani sententiam, vt temerariam confutant: nam alioqui certa fide non crederetur hunc, aut alium ex Adamo peccatum traxisse, si tantùm Apostolus significare vult omnes ex eo necessitatem contrahendi peccatum suscepisse, non peccatum traxisse. Fortassis voluit Caietanus asserere, sententiam Apostoli fuisse, omnes ex Adamo peccatum originis trahere, nisi qui singulari Dei priuilegio seruatur: is enim non peccatum, sed necessitatem incidendi in peccatum trahit, hoc autem priuilegium non habet nisi is, cui tale beneficium esse concessum, Patrum auctoritas, vel Ecclesiæ testimoniũ probauerit. Quare vera sententia est, quam explicat Gabr. *2. d. 30. quæst. 1. artic. 2. conclus. 1.* eam esse seruatam à peccato originis, quia in ipso primo tem-

Caiet. 3. Rom.

poris mo-

poris momento, quo est concepta, fuit vna cùm gratia, & sanctitate: gratia autem simul cum peccato originis esse non potest, nullum igitur temporis punctum intercessit, quo Beatissima Virgo fuerit sine gratia, iustitia, & sanctitate. Obijcies, eo temporis momento erat naturalis filia Adæ, ergò peccato infecta. Respondeo, futura erat proculdubio vnà cum peccato, nisi Dei gratia, & sanctitate repleretur. Deindè oppones; Prius ordine naturæ, & generationis traxit ex Adamo naturam, & ex naturæ conditione gratiam non habebat, ergò suscepit naturam gratia denudatam. Respondeo, negari non posse, quin natura humana priùs ordine generationis existat, quàm gratiam suscipiat, aut habeat; sed in eo temporis momento non habet, nisi quæ ipsi naturaliter conueniunt, & proindè nec gratiam habet ex se, nec peccatum, sed solùm naturæ dotes, vires, facultates, & conditiones; alioqui enim gratia esset, aut peccatum ex natura. Cum deindè concluditur, ergò tunc erat B. Virgo gratia priuata; id nego, quia ea ratione natura humana suscepta, licet ex se sine gratia sit, priuata tamen gratia non est; quoniam natura sicut ex se gratiam non habet, ita nec eam ex se habere debet. Et cùm obijcitur, Erat filia Adæ, ergò gratia priuata, quam habere deberet. Respondeo, solum indè colligi, ex vi conceptionis fore eam peccatum originis contracturam, nisi seruaretur per acceptam à Deo gratiam, & sanctitatem. Et proindè differt Beatissima Virgo ab eo, qui à solo Deo crearetur: hic enim homo ex vi, & conditione, qua incipit esse in rerum natura, peccatum contrahere non potest; quod quidem peccatum haud dubiè Virgo suscepisset, nisi gratia præueniens obstitisset. Item obijcies, cum Apostolo dicente: *In Adam omnes peccauerunt.* Respondeo, omnes homines ex vi conceptionis peccatum originis contrahere, nisi diuinitus seruentur. Vnde omnes peccauerunt, quia omnes ex eo suscipiunt, & trahunt peccatum, vel saltem ipsa generatione communi contraherent, nisi essent diuina gratia, & charitate donati. Demum oppones; Quonam igitur modo Beatissima Virgo fuit redempta per Christum, si expers, & immunis peccati originis fuit? Respondeo illam indiguisse redemptione, quia contractura omnino erat hoc peccatum; at fuisse liberaliter redemptam eximio Christi Domini beneficio, quia fuit singulari Dei gratia, & charitate exornata, antequam peccatum originale contraheret. Ac de hac quidem quæstione hæc dicta sufficiant.

(:)

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER V.

DE LEGIBVS ET CONstitutionibus.

LEGIBVS ciuitates, & populi gubernantur, actiones humanæ diriguntur; quibus aut permittuntur, aut puniuntur, aut imperantur, aut vetantur: Et ideò de ipsis disputare nos oportet; cum lex sit certa quædam norma, & regula rerum agendarum, fundamentum libertatis, fons, mens, & consilium æquitatis. Ac primum de lege Humana, postea verò de Naturali, ac Diuina breuiter disseremus.

CAPVT PRIMVM.

Vnde Lex dicatur, & quid sit.

ANIMADVERTENDVM est in Iure Canonico extare Titulum de Constitutionibus, qui est secundus ordine in Decretalibus, & in Sexto: & in Digestis libro primo Titulus tertius est de Legibus, & Senatus consultis; & Titulus quartus de Constitutionibus principum; & in Codice lib. 1. Titulus 17. est de Legibus, & Constitutionibus. Theologi in Tertio distinctione 37. pauca quædam de Legibus tradiderunt, de quibus tamen S. Thomas vberius, & fusius disputauit. 1.2.à. *quæst.* 90. *vsque ad* 108.

Primò quæritur, Vnde sit dicta Lex? Respondeo dictam esse latinè iuxta quorundam sententiam à legendo, hoc est, deligendo: nam verbum legendi significat etiam teste Varrone deligere; eo quod lex sit certa norma, & regula deligendi rectum: vel quod sit multorum consultatione, & cõsensione delecta: Vel quod ex multis, quæ possent constitui, vna lex sit ad id, quod facto opus est, delecta. Nam, vt ait Cicero, *lex est recti præceptio, prauique depulsio: eo quod recta deligat, contrariaque reijciat.* Vt alij volunt, lex dicta est à legendo, eò quod sit scripto tradita, vt nota sit omnibus, & ab omnib° obseruata. Leges enim tabulis incisæ parieti affigebantur, vt à populo legerentur. Secundum alios, lex dicta est à ligando, eo quòd is, qui legem fert, subiectos ita obstringat, vt agere cogat iuxta id, quod sua lege constituit: nam lege condita populi tenentur. Græcè lex dicitur νόμος ἀπὸ τοῦ μέμεσθαι, quod est, tribuere, vt inquit Cicero,

Var. lib. 5. de ling lat.

Cic. libr. 2. de natura Deorum. Isid. libr. 5. Ethym. ca. 3. & c. lex. dist. 1.

Cic. libr. 1. de legib.

תורה ירה

אורתא אור

Cicero, eò quod lex suum ius cuique tribuat. Hebraicè dicta est, thorah, ab Hebræo verbo iarah, quod est docere, quia scilicet lex doceat quid sit agendum, quid fugiendum, vt lex dicta sit thorah Hebraicè, quasi Latinè doctrina, institutio, præscriptio. Chaldaicè dicta est, vraieta, à verbo vr, quod significat illuminare; nimirum, quòd lex veluti splendor, & lux vniuersos illuminet dirigendo. Iuxta multa itaque legis officia, ea varijs nominibus est appellata.

Secundò quæritur, Quot modis Legis nomen accipiatur? Respondeo multipliciter accipi: Primò, Lex quarumlibet doctrinarum præcepta, & quamlibet conuentionem, & conditionem significat. Secundò idem valet, quod ius, id est, iussum; vnde, sicut ius ipsum diuiditur in legem naturalem, diuinam, & humanam. Tertiò strictius, ac pressius accipitur, vt est idem, quod ius scriptum, quod à consuetudine differt; quæ non est scriptum ius. Præterea, lex hoc modo sumpta aliquãdo accipitur, vt est quodlibet ius scriptum, hoc est, ius siue iussum cuiuslibet Magistratus, aut Principis, vel alterius potestatem habentis, siue sit ius Canonicum, & Ecclesiasticum, siue Ciuile: & tunc lex comprehendit omnia iura Ecclesiastica, & Ciuilia. Et hæc ciuilia, vel sunt totius populi, id est, Senatorum, Patritiorum, & omnium ciuium leges: vel Plebiscita, vel Senatus consulta, vel Principum constitutiones, siue rescripta, vel Magistratuum edicta, vel prudentum responsa. Secundo modo accipitur, prout à Canone, id est, Ecclesiastica constitutione, seu decreto distinguitur: & tunc lex solum est ius scriptum Ciuile: qua ratione Legistas vocat vulgus iuris ciuilis doctores, & interpretes: Canonistas verò, Iuris Pontificij, & Ecclesiastici enarratores peritos. Tertio modo sumitur lex, prout est ius scriptum ciuile, distinctum à Plebiscitis, Senatus consultis, Principum decretis, Magistratuum edictis, & responsis prudentum: & sic vsurpatur *distinctione 2. cap. Constant, & cap. lex, & instituit. De iure naturali, Gentium, & ciuili. §. constat, & l. Necessarium. §. Ita in ciuitate. ff. de origine iuris.* Nam lex est populi iussum rogante Magistratu; hoc est, Senatorio, & populo iubente constitutum. Instit. *de iure naturali, Gentium, & Ciuili. §. lex est*, vbi habetur: *Lex est, quod populus Romanus Senatorio Magistratu* (veluti Consule) *interrogante constituebat.* Atteius Capito apud Gellium *libr. 10. cap. 20.* ait: *Legem esse generale iussum populi rogante Magistratu*; olim enim populo Romano coacto Consul rogabat, quod constituendum esset: & populus iubebat, ac decernebat quid fieri lege oportebat: & huiusmodi iussum constitutum, lex appellabatur. Plebiscitum verò erat Plebis statutum, nam scire est statuere: ea igitur quæ Plebs suo suffragio sine Patribus, Senatoribus scilicet, & patritijs viris, plebis magistratu vtpotè Tribuno rogante iubebat, Plebiscita vocabantur, vt ait Gellius *libr. 10. capit. 20. & in instituit. loco citato.* Porrò Plebs à Populo differt, tanquam pars à toto: nam appellatione Populi, vniuersi ciues, & Romanorum ordines significantur, connumeratis etiam Patritijs, & Senatoribus. Gellius *libro 10. capitulo 20. & l. Plebs. ff. de Verborum significatione.* Senatus consultum, erat Senatus statutum, quod coactus Senatus iubebat, sine comitijs, & sine vllo plebis, aut populi suffragio: quoniam Cæsarum, & Imperatorum potentia factum est, vt penes Senatum, vice populi, leges condendi esset auctoritas. Postea verò constituto imperio, populus omnem suam potestatem in Imperatorem transtulit; & quicquid Imperator per epistolam constituebat, vel cognoscens decernebat, vel edicto iubebat, dici cœpit constitutio, hoc est, Principis Placitum, Decretum, & iussum. Instit. *de iure naturali, gentium, & Ciuili, § sed eo quod.* Magistratuum edictum dicitur, quodlibet Prætoris iussum sine populi, vel plebis suffragio. *Instit. de iure gentium, Naturali, & ciuili, §. Prætorum, & l. Necessarium. §. eodem tempore, ff. de orig. iuris, & l. Ius ciuile, §. Ius Prætorum, ff. de Iustitia, & iure.* Edicebant autem omnes Magistratus, non modò Prætores, aut Ediles Curules, sed & Consules, Censores, & Tribuni plebis, vt constat ex Gellio *libr. 15. cap. 11.* vbi edicunt Censores: Ex Cicerone *Verrina quarta*, vbi edicunt Tribuni plebis; *& ex oratione Sextiana*, vbi edicit Consul. Prætores verò edicebãt, quia in album referebant, quomodo anno suo ius dicturi essent. Erãt enim Prætores, annui magistratus, & quia variabant in edictis annuis, quæ populo, vel prouinciæ proponebãt, statutum est, ne ampliùs variarent pro libito, vt eorum edictum esset perpetuum. Responsa prudentum erant sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum fuerat de Iure respondere: nam antiquitus constitutum erat, vt essent, qui iura, & leges publica auctoritate à Principe, vel Republica concessa interpretarentur: quibus ab Imperatoribus ius respondendi datum est; qui propterea Iurisconsulti appellabantur: quorum omnium sententiæ, & opiniones eam auctoritatem habebant, vt Iudici ab eorum responsis, recedere minimè liceret. Quæ omnia habentur in Instit. *De Iure Naturali, Gentium, & Ciuili, §. Responsa.* Sed quod dicitur, minimè Iudici licere recedere à responsis prudentum, intelligitur, temerè scilicet, aut facilè, aut postquam responsa eiusmodi vim legis habere cœperunt, tacito populi consensu, vel auctoritate Cæsarum Imperatorum: & ex huiusmodi prudẽtum responsis totum Ciuile ius Pandectarum, siue Digestorum conflatum est.

Tertiò quæritur, Qua in re lex à statuto differat, & à sanctione. Respondeo, legem esse Principis supremi, veluti Imperatoris, Regis, & Romani Pontificis, aut totius populi constitutionem: statutum verò esse inferiorum Principum, aut Ciuitatum, & populorum in Principis potestate, & ditione degentium: Sanctio verò est lex, quæ certam pœnam, præsertim capitis irrogat non obtemperantibus, *l. Sanctio. ff. de pœnis, & Glossa distinct. 2. cap. Rhodiæ.* Sed pressius, & strictiùs Principum ciuilium iura, & constitutiones dicuntur leges. Romanorum verò Pontificum decreta, vocantur Constitutiones potiùs, quam leges.

Quartò quæritur, Quænam fuerit legum, & scripti iuris origo? Respondeo, Demosthenem, Ciceronem, Platonem, & Plutarchum scriptum reliquisse, legem, esse diuinum inuentum, & donum; & propterea omnes legislatores patrios Deos suarum legum auctores dixisse. Cæterùm,

terùm, si legum in vniuersum origines, & initia inquirere velimus, ea sunt æterna, diuinaque ratio, & rerum omnium, quæ natura constant, certa prouidentia, dispositio, cura, & gubernatio; naturalis rebus omnibus ingeneratus instinctus, quo suas actiones præstant, & ad fines sibi propositos diriguntur: denique mens, & ratio humana. Ex his quattuor initijs, & fontibus, leges apud omnes nationes promanarunt, & propterea iure gentium, aut naturali simul esse cœperunt ciuitates, & populi, Reges, & Principes, Magistratus, & Iudices, & leges: hæc omnia tuendæ, conseruandæque iustitiæ, & communis Reipublicæ salutis, & pacis, constituta sunt. Ciuitates quidem, vt mutuo societatis fœdere, & vinculo sese homines tuerentur, & mutuis obsequijs, & officiis iuuarent. Reges, vti populi aduersus hostes protegerentur: Magistratus, & Iudices, vt imbecilliores contra opulentorum potentiam defenderentur; vt boni, & innocentes absoluerentur; contra verò sontes, & improbi meritis supplicijs plecterentur: leges verò, vt tanquam perpetui Iudices semper vna, eademque voce loquentes, ad æqualitatem vniuersa reuocarent. Si verò legum, & scripti iuris Romani initium inuestigemus, id egregiè tradit Pomponius *in l. Necessarium, ff. De origine iuris, & omnium Magistratuum*, his verbis: *Initio ciuitatis Romanæ populus sine certa lege, sine certo iure primùm agere cœpit, omniaque nutu, & manu Regis gubernabantur.* Sic il le Iurisconsultus, qui quidem hoc ideo dicit, quia Populus Romanus sine certa lege, & iure viuebat, hoc est, sine certis legibus scriptis, sed solùm more æquitatis, & rationis præscripto: hoc enim modo cæteri etiam populi, cùm primùm coacti sunt, regi cœperunt: *Postea*, inquit, *aucta ciuitate, traditur, Romulum in triginta partes populum diuisisse, quas Curias appellauit: propterea quòd tunc Reipublicæ curam, per sententias earum expediebat, & ita leges quasdam Curiatas, ipse ad populum tulit, & tulerunt cæteri sequentes reges.* Sic ibi. Constat ex historijs, vniuersum populum Romanum à Romulo in tres partes primum diuisum, quas tribus appellauit; & singulis præfectos fuisse; qui ob id dicti sunt Tribuni. Singulas verò Tribus secundò diuisas in decem partes, quas vocauit Curias; & proinde fuisse triginta, & singulis præfectos esse assignatos, qui dicti sunt Curiones: singulas quoque Curias in Decurias distributas, quarum Præfecti appellati sunt Decuriones: Hos verò omnes Præpositos Populi Romani suffragijs viritim in comitijs Curiatis fuisse creatos. Subiungit Pomponius leges à Romulo, & cæteris Regibus ad populum latas, Curiarum sententijs & suffragijs fuisse conscriptas, in libro Sexti Papyrij, viri principalis, tempore Tarquinij Prisci Demarati filij: & eum librum appellarunt Ius ciuile Papyrianum: non quia Papyrius de suo ibi quicquam adiecerit; sed quia leges sine vllo ordine latas, & sparsas in vnum volumen redegerit. *Exactis*, inquit, *Regibus, iterum cœpit populus Romanus incerto magis iure, quàm scripto vti*: hoc est, iterum gubernari cœpit more, æquitate, & ratione naturali: *postea verò, quia Plebs conquerebatur de iniquitate Patrum potentia, eo quòd Magistratus ab ipsis creabantur, & leges ferebantur, videlicet in comitijs Centuriatis, in quibus patritiorum suffragia valebant, cœpit petere, vt Legati in Græciam mitterentur, qui indè leges deferrent ad optimam Reipublicæ gubernationem pertinentes: missi sunt tres legati, qui peracto triennio redeuntes, retulerunt incisas in decem tabulis ligneis Solonis, & Draconis Legislatorum Athenienſium leges, quas in tabulis decem aneis perscriptas pro Rostris Romanis proposuerunt, vt possent ab omnibus perspici, & legi. Sed quia rumor erat in ciuitate, oportere aliqua in his legibus addi, suppleri, mutari, & corrigi; ideò decemuiri sunt electi, quibus eo anno datum est summum ius in ciuitate, vt, & leges corrigerent, & interpretarentur, nec vlla fieret ab eis prouocatio: qui sequenti anno duas alias tabulas ad decem adiecerunt, vnde appellatæ sunt leges duodecim tabularum.*

His legibus latis cœpit desiderari, & peti earum interpretatio; & proindè cœperunt consuli prudentes, qui consulti responsa dabant: quæ deindè Iudicibus, & Magistratibus litigantes proponebant, secundùm quæ Iudices, sententias in causis pronunciabant. Atque hinc orta sunt, quæ vocantur responsa prudentum.

Eodem etiam tempore, inquit Pomponius, *legis actiones introduci cœperunt, vt in causis, ac litibus quisque sciret, qua ratione ius suum tueretur, quo pacto aduersario in foro responderet, quo modo illum vinceret, & causam obtineret.* Omnium tamen huiusmodi legitimarum actionum, quæ erant populo in causis necessariæ, interpretatio erat penes Collegium Pontificum, ex quibus constituebatur vnus, qui singulis quibusque annis præesset priuatis. Postea verò cùm Appius Claudius in formam redegisset has legis actiones, Gn. Flauius Scriba eius, & Libertinus surreptum librum populo tradidit: qui liber indè appellatur Ius Flauianum, cui de suo Gn. Flauius nihil adiecit. Post multum temporis spatium Sex. Aelius alias actiones composuit, & librũ populo dedit, qui vocatur Ius Aelianum. Item, cũ sæpè plebs (vt est natura leuis, & inconstans) à Patribus discederet, de eis nimirum conquesta; tandem obtinuit, vt sine Patribus ipsa quoque leges ferret, quæ vnà cum populo Patres ipsos tenerẽt; & huiusmodi leges appellantur Plebiscita: quæ primùm quidem Tribuno plebis rogante, & plebe iubente constituebantur, Senatores tamen minimè adstringebant: deindè verò lege Publilia, Horatia & Hortensia factũ est, vt Senatores quoque, & vniuersum populum tenerent. Insuper, quia Reipublicæ administratio, & cura penes senatum erat, introduci cœpit, vt quicquid Senatus constituisset, obseruaretur tanquam lex ab omnibus, quoniam ratum habebatur à populo.

Porrò Pomponius *in l. Necessarium. ff. de origine Iuris. §. Deindè*, & Iustinianus *instit. de iure naturali, Gentium & Ciuili*, aiunt; propter ciuium copiam, populi potestatem esse ad Senatum translatam: Sed verius est, id factum esse Cælarum astutia, & calliditate, & potentia, qui vt eam tuerentur, Senatus potẽtiam auxerunt. Ait enim Tacitus libro primo; *Tum primùm è Campo Martio comitia ad Patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima Principis arbitrio, at quædam tribunum studijs fiebant, neque populus ademptum ius quæstus, nisi inani rumore*; Suetonius in Cæsare: *Comitia tum populo partim est, vt exceptis consulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur; pro altera parte, quos ipse dedisset.* Idem in Tiberio: *Neque tam paruum quicquam, neque tam magnum*

publici,

publici, priuatique negocij fuit, de quo non ad Patres conscriptos referretur. Idem in Caligula: *Tenuit*, inquit, *& comitiorum more reuocato, suffragia populo reddere.* Ex his constat Cæsarum potentia, populi potestatem esse ad Senatum translatam, & ob id Senatum iura, & leges populo dedisse, quæ dicuntur Senatus consulta.

Præterea, est etiam more introductum, vt quæ iura Prætores reddebant, obseruarentur pariter ab omnibus: & ea iura dicta sunt edicta Prætorum: quæ, quia sicut Senatus consulta, & Plebiscita, cæperunt omnes ciues tenere, & ligare, dictæ sunt leges. Tandem populus omnem suam potestatem, & auctoritatem in Imperatorem transtulit: potestas autem ferendarum legum erat penes populum, ideò est in Imperatorem deducta, & transfusa. Sicque Imperatorum iussa, Constitutiones, & leges dici cęperunt. Atque hęc quidem est, qualem breuiter descripsi, totius Iuris ciuilis origo.

S. Tho. 1.2. q. 71. a. 1. 2. & 3.

Quintò quæritur, Quot modis lex diuidatur? Respondeo, multis modis.

Primò quidē diuiditur à S. Thoma, in quatuor quasi species, & partes; in legem æternam, naturalem, Humanam, & diuinam. Aeterna sumitur, aut fusius, & latius, aut pressius, & strictius. Latius sumpta est mens, & ratio diuina, quæ cuncta sapienter, & rectè disposita, constanti, & certo ordine gubernat, vt constitutos, ac præfixos sibi fines assequantur: cui legi vniuersa, quæ sunt ex nihilo condita, subijciuntur. Pressiùs verò, lex est ratio diuina, recta, & bona præcipiens; praua, & mala prohibens: & ab hac vna lege vniuersæ aliæ leges, scilicet, naturalis, & humana proficiscuntur: & hoc modo sumpta est, cùm dixit Augustinus: *Peccatum est concupitum, dictum, vel factum contra legem æternam*: quoniam quicquid iustè humana lex, vel naturalis vetat, aut imperat, id quoque lex Dei æterna præcipit, & prohibet. Naturalis lex, est rectæ rationis præscriptum in bonis agendis, malisque fugiendis. Humana lex, est certi alicuius hominis potestatem habentis iussum, quod est, vel Canonicum, & Ecclesiasticū, quod constitit in rebus ad bonam Ecclesiarum administrationem pertinentibus; vel Ciuile, quod constat ex rebus, quæ ad ciuilem Reipublicæ gubernationem attinent. Diuina lex, est quam Deus per seipsum ad homines tulit. Atque hæc quidem duplex est, Vetus, & Noua. Vetus triplicis generis præcepta continebat, Cæremonialia videlicet de rebus sacris ad diuinum cultum pertinentibus: Iudicialia, quæ erant de rebus ciuilibus, ad rectam populi curam, & administrationem spectantibus; & Moralia quæ erant ad singulorum mores, iuxta rationis præscriptum componendos. Lex noua constat quadruplicis generis præceptis: habet enim præcepta Fidei, Spei, Charitatis, & Sacramentorum.

Lib. 12. contra Faustū cap. 27.

Secundò diuiditur Lex, sicut & ipsum Ius, in legem naturæ, gentium, & ciuilem. Lex naturæ est id, quod ratio hominis naturaliter præscribit; cuius tamen aliquod quasi vestigium est quoque in animantibus, vel cæteris etiam rebus: qui est instinctus à natura insitus; qualia hæc sunt, quæ sequuntur: Vim vi repellere: seipsum tueri: sibi salutaria quærere, & curare: noxia, contraria quę fugere, & vitare: prolem generare, educare, & alere. Lex gentium est, quod ratio naturalis præcipit, vel prohibet; hoc est, quod recta ratio omnes gentes docet: cuius vestigium nullum est in brutis animātibus, qualia sunt religio, & cultus Dei, honor, vel obedientia parentibus præstanda, ac cætera Decalogi præcepta. Hac lege sunt introducta rerum dominia, bella, captiuitates, seruitutes hominum: constituti reges, creati magistratus, sancitæ leges, ciuitates fundatæ, & erectæ, legati, fœdera, commercia, & cōtractus depositi, mutui, & commodati, locati, & conducti, empti, & venditi, pignoris, societatis. Ciuilis lex, quæ est Ius ciuile scriptum, constat sex partibus: Legibus nempe, Plebiscitis, Senatus consultis, Edictis Prætorum, Constitutionibus Principum, Responsis prudentum: *vt colligitur ex l. Ius ciuile, ff. de Iustitia, & Iure, & ex l. Necessarium, ff. de origine Iuris, §. Ita in ciuitate, & instit. de iure naturali, Gentium, & Ciuili, §. Constat autem.* Quamuis in l. Necessarium, septem partes cōnumerentur: quoniam sex prædictis adijcitur alia, videlicet, legis actiones, & in l. Ius gentium, *ff. de Pactis §. Prætor*, solùm recensentur quinque partes, vbi responsa prudentum prætermittuntur: de quibus omnibus infra seperatim agemus.

Tertiò diuiditur lex ratione administrationis, qua Respublica gubernatur. Aut enim gubernatio est Democratia, quæ est penes populum vniuersum: aut est Aristocratia, cum pauci, & optimates gubernant: aut Monarchia. cum solùm vnus rerū potitus dominatur, qui est regius principatus: aut est gubernatio ex his omnibus mixta. Leges igitur, aut sunt totius populi auctoritate conditæ; aut paucorum, & optimatum consilio, & gubernatione constitutæ; aut vnius Regis, aut Principis potestate sancitæ.

Quartò, diuiditur à tabulis, in quibus scriptæ, vel incisæ sunt: quales fuēre apud Romanos duodecim tabularum leges, & apud Græcos præsertim Athenienses, decem tabularum, quæ fuerunt Draconis, & Solonis; hę fuerūt in tabulis ligneis, illæ in tabulis æreis descriptæ: sic suas leges Carthaginenses in tabulis eburneis conscripserunt: & Moyses diuinas leges in duab⁹ tabulis lapideis digito Dei scriptas accepit. Exo. 31.

Quintò diuiditur ab eo, quòd imperatur, aut vetatur: sic apud Romanos fuerunt leges Agrariæ ab agris; Sumptuarię, à sumptibus; Frumentariæ, à frumēto; Fœnebres, à fœnore & vsuris; Munerales, à muneribus; Ambitus, & Maiestatis, & aliæ id genus plurimæ.

Sextò diuiditur lex ex loco, vbi ferebantur: ex auctoritate eius, à quo promulgabantur: ex modo quo sanciebantur: vnde aliæ sunt leges Curiatæ, aliæ Centuriatæ, aliæ Tribunitiæ, aliæ Cōsulares, aliæ Sacratæ. Curiatæ sunt quæ in comitijs Curiatis; Centuriatæ quæ in comitijs Centuriatis; Tribunitiæ quæ in comitijs Tributis ferebantur, vel quæ à Tribuno plebis promulgabantur, vel quæ rogante Tribuno plebis, & iubente plebe sine Senatoribus cōdebantur, quæ alio nomine Plebiscita vocantur. Consulares verò dicebantur, quę à Consulibus promulgabantur, vel quarū consules auctores erant, iubente tamen, & decernente populo: Sacratæ verò, quæ in loco sa-

croc-

cro editæ fuerunt, quibus teste Liuio, *lib.2.* sancitum erat, vt si quis aduersus eas fecisset, sacer alicui Deorum cum familia, pecuniaque esset.

Apud Romanos porrò tria erant Comitiorum genera; Curiata, Cęturiata, Tributa. Comitia dicebantur, quia vniuersi ciues coibant, vel ad magistratus creandos, vel ad leges sanciendas, vel ad res, belli pacisue decernendas. Hæc enim tria ad vniuersum populum pertinebãt. Cum autem conuocati Ciues curiatim, hoc est, per curias diuisi suffragium ferebant, dicebantur comitia Curiata. In Centuriatis verò suffragia centuriatim populus ferebat, in Tributis tributim. Est autem ab Romulo illud sanè, & sagaciter inuentum, & prudenter constitutum, quod alij quoque reges eum insecuti seruarunt, vt viritim omnes suffragium eadem vi, eodemque iure ferrent. Populus quidem fuerat in triginta Curias diuisus; at quoties ad tria, quæ diximus, comitia coibant, curiatim colligebantur suffragia, & tantundem, teste Dionysio, vălebat pauperrimi, quantum ditissimi calculus: cumq; pauci essent diuites præ multitudine pauperum, vincebantur suffragijs, quæ populus ferebat per curias: quisque in sua Curia suffragium inibat, & quicquid pluribus curijs visum erat, id ratũ, & firmũ habebatur: & ideò hæc comitia Curiata vocabantur, & leges in eiusmodi comitijs constitutæ, Curiatę leges dicebantur. Hoc institutum ab Romulo primùm in Romanã Rempublicam introductum; deinceps à sequentibus regibus seruatum est.

Primus autem Ser. Tullius sex gradus suffragiorum fecit, & pro Curiatis Centuriata comitia introduxit, vt neq; excluſus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes primores ciuitatis esset. Distinxit enim populum in sex classes, iuxta æstimationem bonorum, & facultatum cuiusque: & classes in centurias diuisit; ita vt ditissimum quemque prima classis contineret, vltima tenuissimum quemque: & in prima classe octoginta centuriæ peditum, & decem, & octo equitum censerentur: qua etiam in classe, teste Liuio, erant duæ quoq; fabrorum Centuriæ, & proindè prima classis constabat Senatoribus, & Patritijs viris, qui centum millibus æris censebantur. Secunda classis continebat viginti centurias, decem seniorum, decem iuniorum, quorum census erat septuaginta quoq; millium æris. Tertia classis erat cẽsus quinquaginta millium æris, & constabat centurijs viginti, decem seniorum, & decem iuniorum. Quartæ erat census viginti quinque millium æris, & in ea erant viginti centuriæ, decem seniorum, & decem iuniorum. In quinta classe census erat vndecim millium æris, & cõtinebat triginta centurias, quindecim seniorum, & quindecim iuniorum. Additæ sunt tres aliæ centuriæ, eodem teste Liuio, Tibicinũ, & Cornicinum. Opificum Census autẽ minor vndecim millib⁹ reliquam ciuium multitudinem habuit, quæ erat maior populi copia, quam in vnam Cẽturiam redegit à militia, & tributo immunem, ac liberam: & hæc erat sexta classis. Centuriæ itaq;, non solum censu, sed ætate etiam censebantur. Fecit enim Rex alias Centurias seniorũ, qui quadragesimum quintum annum excedebant, alias iuniorum à decimo septimo anno vsque ad quadragesimum. In comitijs igitur centuriatis ciues suffragia ferebant, prout censu, & ætate distincti: & ita ciues primæ classis, prima suffragia inibant. Quibus consentientibus reliquæ classes ad suffragia minimè vocabantur: sed id decernebatur, quod visum fuerat primæ classis centurijs: quæ sæpe vincebant: his verò variantibus ad suffragia vocabantur cẽturiæ secundæ classis: quod si nec tunc quidem calculi conuenirent; tertia classis vocabatur, & deinceps quarta: idque fiebat, donec septem, & nonaginta centuriarum conuenirent suffragia. Vnde cum in curiatis comitijs ante Seru. Tullium paria suffragia essent pauperum, & locupletum: quia pauperes plures erant, pauci verò locupletes, omnia tunc temporis erant in magistratibus creandis, & legibus ferendis, & bello ac pace decernenda, penes pauperum potestatem: ac proindè in huiusmodi comitijs plebs, non Senatores valebant: id cum sustuliſſet Seru. Tullius, factum est, vt in comitijs centuriatis Senatores, & Patritij valerent, non plebs. Id verò Plebs ægreferens, à Patribus secessit, & non solùm magistratus proprios creauit, sed etiam leges constituit, & comitia sine Senatoribus. Et hæc comitia dicebantur Tributa; & leges, Plebiscita. Et quia à Tribunis plebis promulgabãtur, Tribunitiæ leges vocabantur. Tandem id obtinuit plebs, vt plebiscitis suis Senatores quoque tenerentur: inde Plebiscita leges dici cœperunt, eo quòd vniuersos ciues penitus alligarent.

Dion. li. 4. Polyb. li. 6.

Cap. II.

Aliæ quæstiones de eadem re diluuntur.

PRIMO quæritur, An lex sit Rationis, an voluntatis? Duæ sunt inter Theologos sententiæ; prima legem ait ad voluntatem pertinere; ita vt nihil aliud sit nisi voluntas Principis ciuibus, & populis sibi subiectis proposita, & denunciata. Sic opinantur Henr. *quodlib.9.q.6.* Bonau. *3. dist.17.ar.1.q.1.ma.12.* Scot. *3.d.36.q.1.art.2.* Dur. *2.d.24. q.2.& d.37.q.2.* Gabr. *2.d.39.q.1.art.2.nota.3.* Almain. *tract.3.Mor.ca.2.* Maior. *3.d.33.q.7.* Medi. *q.2.de oratio.* Cast. *de lege pœna.lib.1.cap.1.* Probant hoc auctoritate B. Anselmi *libro de conceptu Virginali, cap.4.* Deinde, quia Imperare, est mouere, & impellere ad agendum, sed voluntas est quæ mouet cæteras hominis vires, & facultates ad opus faciendum. Itẽ, quia imperantis est mouere dicendo, fac, vel, ne facias; at huiusmodi actus intellectus, & rationis esse non potest. Postremò, quia in *l.1.ff. de Constitutionib. Principum* legimus. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*: & Instit. *De iure Naturali, Gentium, & Ciuili, §. constat, dicitur: Principum placita, & arbitria esse leges, & constitutiones.*

Secunda opinio docet, Legem esse Rationis: quod tradidit S. Tho. *1.2.q.90.ar.1.* Richar. *3.d.33. ar. 2.q.6.ad 3.* & alio in loco S. Tho. *1.2.q.17.ar.1.* generatim scripsit, Imperium esse actũ Rationis: quæ opinio mihi magis probatur, secundum quam Lex est actus rationis, quo Princeps suis ciuibus denunciat, ac proponit voluntatem eos compellentem, ad aliquid faciendum, vel fugiendum. Aristoteles enim ait, *lib.10. Eth.c.9.* legem esse λόγον,

id est,rationem siue sermonem à prudentia mente,vel intellectu profectum. Cicero *libr.1.de legib.* testatur legem esse rationem à diuina mente cõstitutam,quę recta suadet,vel imperat,prohibetúe contraria. Præterea, Lex, est certa norma, regula,& lux rerum agendarum: est illuminatrix, & directrix populorum, sapiens gubernatrix ciuitatum, magistra vitæ, præceptrix æquitatis. Postremò,legis est præscribere,quid faciendum, quid fugiendum: at ratio præscribit, non voluntas: legis est cuncta ordinare: sed ratio, non voluntas ordinat. hæc itaque omnia rationi per se; non voluntati conueniunt. Animaduertendum tamen est,ita legem esse rationis,vt contineat etiam voluntatem mouentem ac obligantem sibi alios. Nam tria ad legem requiruntur, scilicet motus,& impulsus voluntatis,non qualiscumq;, sed Principis obligantis subditos sibi ciues; & mentis præscriptum res agendas ordinans,& denunciatio Rationis,motum & impulsum Voluntatis proponens,& patefaciens: Ex quibus tribus prima opinio censet esse in lege præcipuum voluntatis impulsum, & motum per rationem præscriptum,& denunciatum. Secunda verò sententia ait, præcipuum in lege esse rationis præscriptum impulsum voluntatis denuncians, quod probabilius videtur,& verius.

Argumenta verò cõtrariæ opinionis facili negocio diluuntur:nam ad primum respondeo,nouum non esse, res per causas definiri: quare Anselmus cum dixit,Imperium esse voluntatis actũ, causam explicuit,non formam: Imperium enim natura,& vi sua est rationis præscriptum denuncians, quod voluntas volendo,aut nolendo præcipit,aut vetat. Ad secundum argumentum, Respõdeo,legem mouere,& impellere per id,quod habet à sua causa,& origine,at per formã esse rationẽ,quę facienda præscribit,atq; denunciat:ratio .n.est,quæ præscribit,hoc vel illud est faciendũ; hoc vel illud est fugiendum: & hoc rationis præscriptũ,est lex. Ad tertiũ respondeo,Imperiũ, siue præceptũ legis esse rationis actũ,quo denunciatur quid sit agendũ,quid fugiendũ. Et sicut Prudentię præceptum,siue præscriptum non est,fac, vel,ne facias,sed iudicium rationis,scilicet,faciendum est,aut nõ faciendũ: sic etiam legis imperium est,hoc agendum est,illud vitandum. Quartum argumentum obijciebatur: Quod Principi placuit, habet legis vigorem: verũ est,sed hoc nimirum,cum est per rationem ciuibus promulgatum,& denunciatum. Item,placita,& arbitria Principum sunt leges,scilicet,vbi denunciantur: & certè Iurisconsultus in his legem per causam, non per formam definiuit.

Secundò quæritur,An lex sit habitus,an actus? Nam vis ipsa,& facultas animæ esse non potest, ergo necesse est,vt sit habitus, vel actus; at videtur esse habitus: quoniam omni actu cessante lex permanet, etiam cum dormimus, leges extãt,quibus tenemur. S. Thomas,respõdet nec actum esse, nec habitũ,sed quiddam per rationis actum constitutum, quod dicitur rationis præscriptum, siue principis iussum,prout ratio iubet,aut prohibet,aut princeps vetat,aut imperat.

S. Th.1.2. q.90. ar.1. ad 2.& q. 94.art.1.

Cęterùm simplicius,& facilius dici potest;aut enim loquimur de lege scripta, aut de naturali: si de scripta,est id,quod Princeps,vel Respublica iubet, quod aut scripto traditur, aut ciuibus verbo denuntiatur,& indè memoriæ impressum inhæret. Si de naturali loquamur, lex est id, quod ratio ipsa naturalis iubet,vel prohibet,quodque aliquando actu est,aliquando verò habitu manet in mente, conceptis & retentis rerum agẽdarum imaginibus, & simulacris: ante omnem verò actum,& habitum lex naturalis elucet; quatenus lex dici potest ipsa Rationis facultas, legis seminarium,fons,causa,& origo. Lex naturalis sępius vocatur ipsum naturalis rationis lumen,quo bona, & honesta, praua item, & mala perspicimus, & discernimus,quo agenda & fugienda dijudicamus. Item, legem naturalem appellamus ipsa prima rerum agendarum, & fugiendarum principia; bonum est amplectendum, malum est fugiendum: quod tibi non vis,alteri ne feceris:quæ sunt per se nota,& ex quibus alia iura deducũtur.

Tertiò quæritur, Quid sit lex? Papinianus *in l. lex est,ff.de legib.* Demosthenem secutus ita definit: *Lex est*,inquit,*commune præceptum, virorum prudentium consultum; delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coërcitio; sponsio denique Reipublicæ communis.* Quâ definitione, quatuor legis propria officia exprimuntur. Debet enim lex coli, & seruari ab omnibus generatim: debet quoque prudentium virorum consilio sanciri,& promulgari: supplicia itẽ malefactis: præmia verò benefactis proponere. Marcianus *in l. nam & Demosthenes,ff. de legi.* Chrysippi Stoici definitionem cõmendat. *Lex*, inquit, *est diuinarum humanarumque rerum regina, dux, Princeps,& præses bonis,& malis,& regula iustorum,quæ docet agenda, & fugienda compescit.* Cicero verò legem definire tentauit *libro primo de legibus*: *Lex*,ait, *est summa ratio insita in natura:* item ibidem, rectam rationem, & à numine deorum tractam, legem appellat, recta imperantem & contraria prohibentem,& *lib.1.de natu. Deorum*, inquit: *Lex est recti præceptio,pranique depulsio.* Rursus *lib.1.de legib. Lex,est æternum quiddam, quod vniuersum mundum regit,ac temperat.* Item, *sapientia,& ratio ad iubendum & prohibendum idonea.* Sed his definitionibus Tullianis videtur lex naturalis,& æterna describi, nõ humana & scripta. Apud Gelliũ,quem quidam Agellium appellant, Capito Iurisconsultus: *Lex*, inquit, *est generale iussum populi,aut plebis,rogante Magistratu.* Hæc autem definitio solùm conuenit legibus à Romano populo, vel plebe constitutis. *Lex est*,anquiunt alij,*inuentio,& donum Dei, & communis constitutio ciuitatis,& correptio vtrinque erratorum.*

Gellius noct.att. cap.19.

Theologi,Gabriel,Almainus,& Maior Gersonem secuti definiunt ad hunc modum: Lex est signum verum,angelo,vel homini denũcians præscriptum alicuius obligans ad aliquid agendum, vel fugiendum. Dicitur (Signum verum) quia quod falsum est,vim legis habere nõ potest: nam si conscientia errans suo nos præcepto compellit ad aliquid faciendum,non per se; sed ex accidenti habet,nempè ex ignorantia, qua decepti putamus teneri nos lege. Dicitur (obligans) quoniam ad legem non satis est si velit Princeps, vt ciues quippiam efficiant; sed etiam necesse est,vt velit eos sua lege, quam decernit, adstringi & obligari: ad naturam,& rationem legis pertinet,vt vim habeat obligandi: si nos non teneat, & alliget,

Gab.q. 57.a.1. Almain. Maior in lib.3.

lex non

lex non est. An verò leges, quæ pœnales vocantur conscientiam, & animam ligent, & an leges consilium dantes, vel aliquid permittentes sint propriè, & simpliciter leges, dicemus inferius.

Quartò quæritur, An ad legis substantiam, ratione, & vim scriptura pertineat? quod est quærere, An oporteat legē humanam esse scriptam, vt nos liget, ac teneat, & quæstio intelligitur tantùm de lege, quę est à consuetudine, vim legis habente, distincta, & intelligitur, an vim legis sine scriptura habeat etiam in foro iudiciali. Hanc quæstionem latè pertractarunt Felinus, & Aug. Beroius: presse verò, & paucis Panormitanus in Rubrica de constitutionibus. Sunt duæ opiniones: prima affirmat scripturam requiri ad legem humanam. Sic Albericus, Salicetus, Glosia, & Archidiaconus citati à Felino, & Beroio. Immò hanc opinionem esse communem Iuris ciuilis interpretum, tradit Beroius. Secunda opinio negat ad legis substantiam scripturam esse necessariam, sed sufficere si tantùm testibus comprobetur. Sic Ioann. Andreas, Speculator, Antonius Imola, Abbas, quos referunt Felinus, & Beroius; & communem esse inter Canonici iuris doctores, ait idem Beroius. Cui sententiæ magis accedo, tanquam probabiliori. In foro itaque conscientiæ, immò etiam iudiciali ad substantiam vel rationem legis humanę scriptura minimè requiritur, satis est, si aliundè cōstet, saltem iure canonico communi: nam multæ leges primò fuerunt vsu receptæ, deindè verò scripto mandatæ, leges item primo cōduntur, feruntur ad populum, voce publica promulgabantur, deindè verò in scripturam rediguntur, vt ex scripto legantur ab omnibus. Præterea, *cap. in istis. dist.* habetur: *Tunc leges constituuntur, cum solenniter promulgabantur.* Sed sæpè fit, vt lex primò publicè promulgetur, deindè verò literis consignetur. Accedit, quòd dicitur in cap. Consuetudo, dist. 1. *Consuetudo pro lege suscipitur, cum deficit lex. Nec differt, scripturáne, an ratione confistat; quoniam ratio legem commendat.* Hæc ibi. Et *capitulo, Institutionis, vigesimaquinta, quæstione secunda*, legimus. *Institutionis nostræ decreta, siue quæ scripto decernimus, siue quæ in nostra præsentia videntur esse dispostа.* Et *capit. 1. de Iureiurando in 6.* scriptum est: *Nisi inuenta, statuta, & consuetudines Ecclesiarum, scripta, aut nō scripta inuiolabiliter obseruare, &c.* Ex quo efficitur, vt etiam in foro iudiciali ad legis substantiā, scriptura iure canonico minimè necessaria sit. Immò in iure etiam ciuili cōmuni, non videtur scriptura requiri: nam Instit. *de Iure Naturali, Gentium, & Ciuili. §. sed & quod constitutum est. Quodcunque ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decreuit, vel edicto præcepit, legem esse constat.*

Verùm contra hæc obijciuntur nonnulla: Primùm est, quod *ca. lex dist. 1.* ex Isidoro refertur: *Lex, est constitutio scripta.* Augustin⁹ Beroius laborat plurimùm in hoc argumento diluendo. Sed facilius est dicere, Isidorum locutum fuisse de eo, quod in legibus sæpe contingit. frequenter enim, ac vt plurimùm scripto mandantur; non tamen inde conficitur, vt ad legis substantiam scriptura pertineat. Secundò obijcitur: Lex à cōsuetudine differt: quòd consuetudo est ius non scriptum, ergo Lex, vt à consuetudine distincta, est ius scriptum. Respondeo, hoc legem à consuetudine differre, quòd consuetudo approbata vim legis habeat, ita vt cōsuetudo per se nunquam sit ius scriptum; at verò Lex plerunq; in scripto consistit. Tertiò obijciunt nonnulli, Instit. *de Iure Naturali, Gentium, & Ciuili, §. const.*: sic haberi, *Ius scripto, aut non scripto, consistit: scriptum autem, est lex, Plebiscitum, Senatus consultum, Principum placita, Magistratuum edicta, Responsa prudentum.* Et *§. sine scripto*, subiungitur: *Sine scripto ius venit, quod vsus comprobauit.* Et *dist. 1. cap. Ius generale*, dicitur: *Ius autem legibus constat, aut moribus.* Et deindè sequitur: *lex, est constitutio scripta: Mos, est longa consuetudo ex moribus vtentium tantummodo tracta.* Et *cap. Consuetudo*, concluditur: *Quæ in scriptis redacta est, vocatur constitutio, lex siue ius: quæ verò in scriptis redacta non est, consuetudo appellatur.* Respondeo, hæc omnia ideo esse dicta, vt intelligeremus, hoc inter consuetudinem, & legem distare, quòd consuetudo vsu tantùm, non scripto constat; at verò lex sæpe scripto conſtat. Postremò obijcitur, quòd *in l. Humanum, C. de legibus* legitur. *Si in posterum noua Lex statuatur, eam ab omnibus proceribus tractari debere: & si vniuersis placuerit, tunc dictatis & collectis omnibus recenseri: & cum omnes consenserint, in sacro imperatorio consistorio recitari.* Et subiungitur, *non aliter in posterum legem promulgandam, nisi fuerit prædicta forma seruata.* Respondeo, in ea lege nihil cōtineri, quo probetur, scripturam ad legis substantiam esse necessariam, nisi quatenus scribebatur, vt ex scripto coram omnibus recitaretur, & esset omnibus nota.

Quintò quæritur, An sit necessaria scriptura ad substantiam, & rationem Priuilegij, & facultatis à Principe concessæ (Hanc quæstionem fuse quoque tractarunt Felinus, & Augustinus Beroius in Rubrica *de Constitutionibus*; breuiter autem perstrinxit Abbas *in cap. Cum nostram. de rescriptis.* De hoc sunt duę opiniones, prima ait scripturam requiri, ita vt omnis facultas à Principe cōcessa ante scripturam, vi & robore careat. Qui sint huius opinionis auctores referunt Felinus, & Beroius. Secunda opinio tradit, omnē facultatem, & Priuilegium solo verbo à Principe concessum esse perfectum, & proindè quamlibet facultatem à Romano Pontifice datam, vim habere statim atque supplicationi, quam vocant, hoc est, petitioni signatę & ipsi oblatæ, respondet Pontifex subscripto verbo, Placet, vel fiat. Hanc sententiam sequuntur Panormitanus, Felinus, Beroius, & Baldus *in l. vltima. C. De legibus*, & Glosia *cap. Institutionis 25. quæst. 2.* Ex quo deducūt Abbas, & Baldus; Si Romanus Pōtifex solo verbo compellaret Titium Episcopum, vel Abbatem, continuo ea sola compellatione Titius esset creatus Episcopus, vel Abbas, hoc est, eo ipso iurisdictionis potestatem, non tamen ordinis acciperet; aiuntque hanc esse opinionem communem, præsertim Pontificij iuris interpretum. Et probant *ex capit. Institutionis, 25. Quæst. 2. & Clemen. Dudum, §. Nos enim. De sepulturis.*

In hac controuersia annotandum est, hanc iuris canonici doctorum sententiam intelligi debere secūdum commune ius Canonicum, aut Ciuile, quoniam ex more, & consuetudine, vel peculiari statuto, vel vsu saltem Curię Romanę potest aliud esse introductum. Secundo sciendum quoque est, Beneficiariorum, id est, Clericorum Beneficiū Ecclesiasticum habentium, inter alias

obligationes, quib° sunt Ecclesiæ obligati, vnam hanc esse, vt post Beneficium obtentum concessu & munere Romani Pontificis, decreto, & lege compellantur ad litterarum Pontificiarum expeditionem, quotiescunque Beneficium Ecclesiasticum est à Romano Pontifice collatum, confirmatum, vel vnitum. Vnde inter Extrauagantes communes de electione extat constitutio edita à Bonifacio, huius nominis octauo, quæ incipit. In iunctæ, in qua præcipitur, vt si Episcopatus, vel Superiores Abbatiæ, vel Prioratus fuerint à sede Apostolica collati, confirmati, vel vniti, nemo possit ante litteras expeditas possessionem apprehendere: alioqui totum sit irritum. Et quia huiusmodi constitutio in vniuersum non loquitur de omnibus Beneficijs; ideo, qui successere, Pontifices idem ius protendisse legimus ad omnia quoque Beneficia inferiora. Extat Pauli Tertij constitutio, quæ incipit: *Cum nobis*, alia Iulij Tertij, quæ incipit, *Sanctissimis*: in quibus Pontificum Constitutionibus comprehenduntur omnia inferiora Beneficia sedis Apostolicæ concessu impetrata. Extat item alia à Iulio secundo edita, cuius initiũ est, *Romani Pontificis*, quæ complectitur omnes Episcopatus, Abbatias, Prioratus siue in Titulum, siue in Commendam, siue in administrationem datos. Et ex Constitutione Iulij secundi citata constat ad omnia Beneficia, quæcunque sint à sede Apostolica accepta, vel per collationem, vt vocãt, vel per confirmationem, vel vnionẽ, vel dispensationem de retinẽdis Beneficijs post promotionem ad alia Beneficia, requiri litteras expeditas, ita vt qui sine huiusmodi litteris, Beneficia apprehenderint pro intrusis, & violentis possessoribus habeantur, nec faciant fructus suos, sed in conscientia ad restituendum ipso iure adigantur: nec iuuari queant Regula Cancellariæ, de Annali, biennali, triennali ue possessore; & ipso iure priuantur Beneficijs obtentis, quorum possessionem apprehenderunt ante litteras Apostolicas, & inhabiles redduntur ad alia beneficia consequenda. Ex quo perspicitur, nullam vim habere, quod docet Nauarrus *in c. accepta de restitut. spoliat. Opposi. S. nu. 24.* reprehendens Felinum, & alios, asserentes, huiusmodi Beneficiarios ante litteras expeditas Beneficia apprehẽdentes, esse pro intrusis habendos. Nam quamuis sententia Nauarri id negans vera sit secundum commune ius, & secundũ prædictam Bonifacij cõstitutionem, quæ incipit, In iunctæ, non tamẽ iuxta nouum Pontificiarũ constitutionum ius, & secundum morem in Romana curia receptum.

Tertiò animaduertendum est, aliud esse de Beneficijs Ordinariorum concessu, & auctoritate collatis. Nam si quis post impetratũ beneficium Ordinarij auctoritate, ante litteras expeditas Beneficij possessionem adeptus fuerit, nullus iuris pœnis afficitur, quia supradictæ Pontificiæ constitutiones solùm loquuntur de Beneficijs à Romano Pontifice impetratis.

Quartò sciendum, extare Regulam. 25. ordine Cancellariæ, vt Gratia Apostolica informis censeatur, id est, imperfecta ante litteras expeditas, & ne iudicetur iuxta formam supplicationum, signatarum, super quibuslibet impetrationibus, & concessionibus subscripto verbo Placet, vel fiat, ex quo quidam deducũt, omnes impetrationes, & facultates Pontificias robore carere, ante litterarum expeditionem. Alij verius existimant, quod ait Felinus *in cap. Cognoscentes, de Constitutionibus nu. 6.* exceptis causis beneficiarijs, impetrationes Apostolicas absque litteris expeditis, in foro quidem conscientiæ vim habere, licet in foro iudiciali robore careant. Regulam porrò Cancellariç citatam, de foro tantummodò iudiciali esse intelligẽdam: in ipsa enim Regula legitur: Vt non iudicetur, quibus verbis innuitur sermonem esse de foro iudiciali tantummodo, ego tamẽ arbitror id esse tenendum, quòd in hac parte, curiæ Romanæ vsus habuerit.

Quintò sciendum est, ad facultatem non residendi in Beneficijs curam animarum habentibus requiri præter iustam causam etiam facultatem impetratam, ab Ordinario in scriptis ex Tridentino Concilio *session. 23. ca. 5.*

Sextò est animaduertendum, Glossam *in ca. 1. de censibus in 6. verbo, In scriptis*, enumerare triginta quattuor casus, in quibus ex iure scriptura requiritur, quos in præsentia silẽtio prætermitto, cum faciles apud Glossam legi possint.

Ex his omnibus colligitur, quid sit dicendum de multis priuilegijs, facultatib°, indultis, & dispensationibus, vt vocant, quæ passim à Pontifice Romano impetrantur: Vt si alicui facultas cõceditur eligendi Presbyterũ, qui possit eius confessiones excipere, vel ingredièdi claustra sacrarum puellarum, vel virginum, vel faciendi, & offerendi hoc, aut alio modò sacrosanctum Missæ sacrificium, vel non seruandi ieiunium temporibus ab Ecclesia indictis; vel suscipiendi sacros ordines ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel iuris interstitijs minimè obseruatis, hæ & id genus Pontificiæ facultates, vim habere videntur in foro conscientiæ, statim atque eas Romanus Pontifex cõcesserit subscripto verbo Placet, vel, Fiat.

Vltimò quæritur, An ad substantiam, & rationem legis requiratur, vt teneat ac liget conscientiam? quod est quærere, An si lex neminem alliget, legis vim, & naturam habeat? Respondeo non habere. alioqui enim consilia Christi Domini in Euangelio data, leges & præcepta fuissent: Mutuum date: Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram. Obijcies, communem esse sententiam Canonici iuris interpretum, quam docet Felinus, legem consulentem tantum bono ciuium, quam consultoriam appellant, esse legem, licet ea nemo teneatur obstrictus. Item, iuris Ciuilis doctores *in l. legis virtus, ff. de legibus*, communi consensu tradunt, legis aliquando esse consilium dare, & aliquæ tum in iure Ciuili, tum Canonico leges continentur, quæ tantùm nobis consilium dant, obligationem non inducunt. Respondeo, legem vocari consilium, quia legis similitudinem, & modum obtineat, non tamen quia præcipiat aliquid, & iubeat: consilium enim propriè dirigit, ac docet, quod est ipsi cum lege commune, nõ tamen imperat, & ligat, quod est proprium legis. Proinde consilia abusiue consultis, nomine quidẽ non re, & substantia leges appellantur, & tanquã

normæ

normæ quædam, & regulæ directrices in agendo inter leges recenſentur. vnde quamuis notum ſit nobis, vt ait Gab. 3. d. 37. q. 1. ar. 1. not. 1. velle Principẽ, vt aliquid faciamus, lege minimè tenemur, niſi velit nos obligare.

Quæres, An Lex, cuius contemptor, aut violator pœnæ reus tantùm eſt, non culpæ, vim & rationem legis obtineat? quod eſt quærere, An Lex, quæ non obtemperantem quamuis à culpa liberum, pœnæ tamen obſtrictum tenet, ſit propriè Lex? quidam aiunt non eſſe propriè legem, ſed conuentionem inter Principem legislatorem, & ſubditos initam, vt pœnam luere debeant non obedientes, licet culpam minimè contraxerint: at probabilior eſt ſententia eorum, qui putant eſſe verè, & propriè legem; quoniam licet non ita liget conſcientiam, vt qui eam non implet ſeſe culpa obſtringat, ſic tamen ligat, vt contemptor, aut violator ipſius pœnam debeat ſuſtinere, & id quidem nõ eſt ex voluntate, qua ſubditi ſeſe pœnæ ſubiecerunt, ſed auctoritate legislatoris, non obtemperantes adigentis ad pœnam perferendam: ad legis autem rationem ſatis eſt, ſi hoc aut illo modo liget, ac teneat ciues Principi ſubiectos.

Quæres deindè, An quando Religioſorum Inſtitutum decernit in vniuerſum, ne regulæ, & Conſtitutiones conſcientiam ligent, hoc modò: Nolum⁹ per aliquod noſtrum ſtatutum aliquem obligare ad culpam, ab ea generali Conſtitutione intelligere oporteat exceptum eſſe ſtatutum illud ſpeciale, quo ſuperiori apertiſſimis verbis oſtendit ſe obligationem inducere ad pœnã perferendam, dicendo: Volumus, & declaramus, vt Conſtitutiones noſtræ non obligent ad culpam, ſed ad pœnam ſubeundam. Caietanus cum quæreret, an reus non ſeruans ſtatutum obligans ad pœnam nõ ad culpam, peccatum incurrat, ſi pœnam non dederit, Reſpondet: Vbi eiuſmodi generale ſtatutum eſt de nõ obligando ad culpam, qualia ſunt, inquit, ſtatuta Dominicani inſtituti, nullam culpam contrahi, quamuis quis pœnam ſtatuto irrogatam non ſoluat. *Sicut enim*, ait, *non peccat, ſi quis ſtatutum de ſilentio ſeruando perfringat; ſic nec culpa vlla ſe maculat, ſi pœnam ob ſilentium violatum, vi ſtatuti debitam non luat.* Quod probat, quia generalis eſt Conſtitutio, ne Dominicani ordinis ſtatuta obligationem inducant contrahendi culpã: ſed ſpecies ſub genere continentur, & qui totum dicit, nihil excludit: ergo ſilentij contemptor, ſicut violando ſilentium non peccat, ita nec peccat, ſi pœnam violati ſilentij non perferat. Alphonſus Caſtrenſis Caietanum confutat eo vno argumento, quòd S. Thomas apertè teſtatur Dominicanos, licet in nullam culpam incurrant vi ſuarum Conſtitutionum, ſi eas non ſeruent, compelli tamen ad pœnam perſoluendam. Item, ſtatuti cõditor apertè dicit ſe obligare ad pœnam, quamuis culpam non contrahant, qui ſtatutis nõ parent, & obtemperant: at vbi obligatio eſt, ibi præceptum eſſe oportet, & præcepti, ac obligationis omiſſio in culpa eſt. Obijcies; Vbi culpa non præceſſit, pœna non debetur: pœna enim ob culpam irrogatur. Item; ſtatuto non parens pœnam luere debet, vi ipſius ſtatuti; at ſtatutũ apertè habet, culpæ reos non eſſe, qui ipſum nõ ſeruant: ergo nec vlla culpa tenentur, qui ſtatutum violant, & pœnam non ſoluunt. Reſpondeo, poſſe quemlibet ſeſe alteri obligare ad pœnam luendam, quamuis nihil delinquat. Item, ſuperior ius & poteſtatem habet obligandi inferiorem ſibi ſubiectum ad pœnam ſuſtinendam, etiamſi non deliquerit: nam pœna poteſt conſtitui ſine peccato, dummodo iuſta cauſa ſubſit. vnde regula iuris in 6. habet. *ſine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus*: & pœnam propriè acceptam eſſe peccati effectum; at fuſius, & latiùs ſumpta pœna vocatur, quicquid moleſtum, & acerbũ quis abſque vlla etiam culpa cogitur ſuſtinere. Hæc opinio mihi magis probatur: nam S. Thomas 2. 2. q. 186. ar. 9. ad 1. ait, *tale ſtatutum non obligat ad culpam, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam.* Nec obſtat, quòd Caietanus opponit ſpeciale ſtatutum cum generali pugnare, ſi eſt obligatio ad pœnam ſubeundam. Nam generale ſtatutum, quo dicitur: Nolumus noſtras Conſtitutiones ad culpam obligare, intelligitur ea excepta Conſtitutione, in qua conditor eius exprimit ſe obligare ad pœnã ſtatuto irrogatam patiendam, quamuis nulla ſit, in violatione ſtatuti, culpa contracta.

Caiet. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3.

Caſtr. li. 2. de leg. pœnal. cap. 8.

Cap. III.

De promulgatione ad legis ſubſtantiam, & rationem neceſſaria.

PRIMO quæritur, An Promulgatio ad legis naturam, & ſubſtantiam ſit neceſſaria? Reſpondeo, ex communi omnium, tum Ciuilis, tum Canonici iuris interpretum, & Theologorũ ſententia, eam requiri: quod naturalis ratio manifeſtè conuincit. Nam lex, eſt iuſſum populi, Principis vel alterius poteſtatem habẽtis ciuibus patefactum, ac denunciatum; at non poteſt iuſſum alteri eſſe notum, niſi ei ſit indicatum, & promulgatum. Item, ex Iure Canonico conſtat promulgationem ad legem opus eſſe. Nam *in cap. Inſtis. diſtinct. 4.* dicitur: *Leges inſtituuntur, cum promulgantur.* Præterea, idem eſt in iure ciuili conſtitutum: nam *in C. de legibus, l. leges*, habetur: *Leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* Et *in Autentica, Vt factæ nouæ Conſtitutiones*, decernitur tunc valere leges, ex quo in commune factæ ſunt manifeſtæ. Olim apud Romanos primùm lex à Magiſtratu ſcribebatur domi ſuæ priuatim, & de ea cum viris prudentibus conſultabat: ne lex abſurdi, vel incommodi aliquid cõtineret. Deindè, Magiſtratus in comitijs curiatis, vel Centuriatis, vel Tributis populum, aut plebem rogabat his verbis; Velitis, iubeatis hoc aut illud conſtitui. Populus, vel plebs ſi improbabat, reſpondebat, A, id eſt, Antiquo, quaſi diceret, Antiqua probo, noua non item: ſi probabat, reſpondebat: V. R. id eſt, Vti rogas, quaſi diceret, Probo, & decerno vti rogas: & hæc apud ſcriptores Romanos dicebatur Rogatio legis. Poſtea Magiſtratu rogante, Populo vel plebe iubente, & decernente, hoc vel illud ſtatui debere, Lex ipſa ſcripta promulgabatur trinis nundinis, hoc eſt, publicè proponebatur: nam, vt ait Feſtus, promulgari idem eſt, quod proponi, vt propoſita

in publico loco legi posset ab his, qui in Vrbem ex agris, ac rusticis tribub⁹, ac municipijs veniebant. Nundinæ, dicebantur rusticorum feriæ, quibus nono quoq; die intermisso ruris labore, quo per octo dies opera faciebāt, in Vrbem mercandi, & vendendi gratia conueniebant. Vnde leges trinūdino die promulgari dicebantur, hoc est, tribus continuis nundinis. & lege Licinia, & Didia statutum est, vt trinis nundinis proposita Lex esset, antequam ferretur ad populum, & in tabulis æneis incideretur post tertias nundinas. Nam ipso nundinarum die ferre legem nō licebat teste Macrob. *lib.1.Saturna.ca.16.* Magistratus in eum locum, vbi legem laturus erat, populum cōuocabat. Ibi cum legum præco subijciente scriba recitasset, is qui legem promulgarat, populo suadebat, vt rogationem, & legem acciperet, & deindè cæteri, vel suadebant, vel dissuadebant: & tandem si quis tribunus plebis vellet intercedere, hoc est, impedire, ne lex statueretur, id faciebat: tandem Promulgata lex, in ære incisa ad populum ferebatur pro rostris. Si roges, an aliquando Lex absque promulgatione vim, & auctoritatem habeat; ex his, quæ dicta hactenꝰ sunt, colligit Nauar. *consi.1.de constitu.nu.3.* sequutus Decium *cap.1.de postulatio.nu.19.* Falsam esse Abbatis sententiam *in cap.1.De postulatio.nu.10.* Constitutionem ligare etiam antequam publicè promulgetur, *dummodo*, inquit, *solenniter fuerit edita, in publico populi conuentu; quòd si non sit solenniter lata, non alligare, donec publicè promulgetur*, quod ꝓbat ex eo, quòd eo capite definitur, constitutio, cum solenniter editur, aut publicè promulgatur. Sed hæc Abbatis opinio cum communi omnium sententia pugnare videtur: & certè S.Thom. *1.2.q.9.art.4.* & Theologi *in 3. d.37.* ad rationem legis promulgationē requirūt.

Secundò quæritur, Qualis debeat esse promulgatio legis, vti legitima censeatur? quod est quærere, Vbinam oporteat legē promulgari; & promulgata Lex quādo ciues omnes incipiat alligare? Respondeo, ex iure Ciuili *Authēnica supra citata*, manifestè constare, legibus promulgatis omnes teneri post duos menses à solēni, & publica promulgatione. Et deindè subiungitur, legem promulgari debere in singulis prouincijs. Ergo lex incipit omnes ligare post duos mēses elapsos ab ea, in singulis prouincijs publicè ꝓmulgata. Vnde communis est iuris ciuilis, & Canonici doctorum, & Theologorum opinio, particularibus populorum, ciuitatum, aut inferiorum Principum statutis omnes teneri, statim atque in ipso populo, Republica, vel curia Principis promulgantur: quoniam huiusmodi populi, Ciuitatum, aut Principum iurisdictio solet esse perangusta: neque enim ita amplè, & latè patet atque supremi Principis potestas. Quare leges Imperatoriæ, vel Regiæ, cum ad diuersos populos, & prouincias ferantur, promulgari solent, & debent in singulis prouincijs, nisi aliud ipsi Imperatores, vel Reges decreuerint. Conuenit quoq; inter omnes, Quotiescunq; lex supremi Principis certum tempus constituit, à quo incipiat ciues adstringere, statim ab eo tempore, & non antè, ciues ea lege obligari: & propterea *Authentica supra citata*, solummodo intelligitur de legibus supremi Principis, & quę certum tempus non exprimunt. Ex quo efficitur, vt si lex Imperatoria, vel Regia ita feratur: Volumus hac nostra sanctione, post tres mēses, aut sic: Volumus statim atque fuerit hæc lex in nostra curia publicè promulgata, omnes teneri: iudicandū sit omnes ea lege alligari post tres menses, aut statim iuxta præscripta legis verba, & secundum tempus in ea lege decretum.

Tertiò quæritur, An Romani Pontificis Constitutiones, quæ Bullæ Pontificiæ, aut Diplomata vocantur, nec in corpore iuris continentur, requirant iure communi duorum mensium spatiū, & promulgationem in singulis prouincijs: ita vt non antea incipiant omnes tenere, & ligare: An verò statim, vt in Curia Romana, solenni more propositæ denunciantur, omnes obstringant, etiam antequam in singulis prouincijs promulgētur? Duas opiniones inuenio, prima docet iure communi, non sufficere promulgationē in Curia Romana publicam & solennem, nisi etiam in singulis prouincijs promulgentur. Item, non ligare, nisi post duos menses exactos à promulgatione in prouincijs. Abbas *in ca.Cognoscentes, de Constitution.n.7.* primum dubitat, sed tādem huic sententiæ videtur accedere: quamuis *in cap.Noueris de sententia excommunic.* oppositum dixerit: Sic etiam Antoniꝰ Butrius, Ioannes Imola, Ioannes Lignanus, Cardinalis Zabarella *in c.Cognoscentes, de constitutionibus, nu.4.q.6.* qui tamen oppositum tradit *in Prooimio Clementinarū, verbo, Vniuersitati, q.4.* Sic etiam Felinus, & Berotius, *in ca.cognoscentes, de constit.* Hanc sententiam inter Theologos secuti sunt, Sot. *lib.1. de iust.q.1.ar.4.vers.at verò de summo Pontifice* Angel. *lex.q:12.* & Med. *1.2.q.90.a.4.vers.sed quæritur*, qui citat etiam Caietanum, sed falsò. Probant etiā multis. Primò, quia eadem videtur esse ratio de Pontificijs, quę est de Imperatorijs Constitutionibus: nam Ius ciuile, vbi Iuri Canonico non aduersatur, seruari ab Ecclesia solet, vt deducitur ex ca.1. *de Noui operis nunciatione*, vbi dicitur: *sicut leges nō dedignātur sacros Canones imitari; ita sacrorum Canonum statuta; Constitutionibus Principum adiuuantur.* Idem habetur *in c.si in aditoriū, d.10.* & ibi Glossa ait: *vbi desunt Canones, leges citari possunt*: sed ius Ciuile in hac re non est Iuri canonico contrarium, ergo seruari debet. Item, Lex ideo dicitur communis, quia vbique promulgatur, vt vbique sit nota. Deindè, quia *in c.Cum infirmitas, De pœnitentijs, & remissionibus*, planè statuitur, lege Medicos nō teneri, nisi postquam eam Prælati promulgauerint, *& c.Proposuisti, d.82.* habetur: *Si ad aliquos forma Ecclesiastica vitæ, quæ ab Episcopo Siricio ad omnes prouincias commeauit, non probatur peruenisse, ignorantibus venia non negatur.* Præterea, *c.Quod dicitis, dist.16.* decernitur non posse excusari ignorantiam, cum Sardicense Concilium ab omni Ecclesia fuerit receptum. Item, quia nimis onerosum est, vt statim atq; Pontificiæ leges Romæ promulgantur, omnes Christiani nominis, & religionis, per vniuersum terrarum orbem sparsas prouincias alligent.

Secunda opinio docet, iure ipso communi sufficere promulgationem in Curia Romana publicam. Sic Ioannes Monachus *in c.in Generali, de Regulis iuris in 6.* Franchus *super data, in sexto.n.13.* & Henr. *in ca.cognoscentes. de constit.* Paul. de Eleeza. *in prooemio Clem.* Io. Andre. cum Glos. *super data, Sexti. vers. anno quarto.* Aeg. *c.2. de const.* Anch. *c.2. de const.* Syl. *Lex.q.6.*

Rosell.

Rosell. *lex. nu.* 8. Gome. *de regul. Cancella. in proba. q.* 2. *lit. d. e. f.* Nauar. *consil.* 1. *de consti. q.* 4. *num.* 14. *& sequent. & q.* 9. *nu.* 32. Quòd probant, quia alioqui Decretalibus, & Sextò, Clementinis, & Extrauagantibus non teneremur, quia nunquam sunt in prouincijs promulgatæ. Deindè, quia contrarium est in more positum. Nam Regulæ Cancellariæ in Prouincijs nô promulgantur, & tamen iuxta earum præscriptum, cauſæ omnes ad quoslibet Christi cultores, qui in toto terrarum orbe versantur, pertinentes definiuntur. Accedit his, quod nusquam ius Canonicum statuit, vt Pontificiæ constitutiones in singulis prouincijs promulgentur: nec iure ciuili Romani Pontifices tenentur. Item, Pontificiæ Constitutiones, quę vocâtur Bullæ in Cœna Domini, non solent nisi Romæ publicari; & tamen secundum eas vbique iudiciales sententiæ pronunciantur. Postremò, quia alioqui Concilij Tridentini Decreta, non vbique omnes ligarent, cum non sint adhuc in singulis prouincijs promulgata.

In hac quæstione distinguendum esse, quidam existimant. Si enim, inquiunt, ius scriptum sequamur, prima opinio magis est iuri consentanea; si autem secundum consuetudinem vsu receptam loquamur, secunda opinio est verior, ac ita amplectenda. Vnde primæ opinionis auctores secundum ius scriptum loquuntur: Auctores verò secundæ sententiæ, secundum morem, & consuetudinem approbatâ. Antonius enim Butrius, Ioannes Imola, Felinus, & Franchus, qui primam sententiam sequi videntur, subiungunt aliter esse dicendum secundum cõsuetudinem: & Nauarrus, qui secundam sententiam tuetur, apertè docet, primam opinionem magis cum iure scripto congruere, secundam verò esse tenendâ propter consuetudinem vsu confirmatam, sed ego non video quo pacto prima opinio magis cum scripto iure conueniat: nam vel intelligit ius ciuile, vel canonicum: si ciuile, Pontificiæ constitutiones non sunt ad ius ciuile contrahendæ: si canonicũ, certè nullum extat, quod magis pro prima sententia faciat, quàm pro secunda. Et reuera consuetudine receptum est, vt quamuis nulla sit in prouincijs publica denunciatio, iudicetur secundũ pontificias constitutiones in Romana Curia promulgatas: ac propterea primæ sententiæ argumenta facilè diluuntur.

Ad primum respondeo, licet non videatur esse iuris communis, vt Pontificiæ constitutiones statim, vt in Romana Curia promulgantur, omnes vbique teneant, sed more, & consuetudine receptum esse videmus, vt sola sufficiat promulgatio Romæ, ritu, & more solenni facta, vt omnes vbique alligentur.

Ad secundum respondeo, id, quod habetur in cap. Cum infirmitas, esse speciale illius constitutionis ius, non tamen esse ius generaliter constitutum.

Ad tertium respondeo, graue nimis non esse, vt statim omnes teneantur. Nam qui legem rite promulgatam bona fide absque culpa ignorant iustam excusationem habent, si contra fecerint. Vt hanc igitur controuersiam plenè dirimam, in primis sciendum est, Caietanum pro prima opinione non facere 1.2. *q.* 90. *art.* 4. vt falso quidam putarunt, quoniam solùm dicit hæc verba, *Quod si Romæ noua Lex promulgatur, & nec curia ipsa procurat, vt promulgatio ad Ecclesias Cathedrales deueniat: nec prælati, qui ibi sunt, insinuant suis Ecclesijs, accusari nec apud Deum, nec apud homines ignorantiæ possunt absentes nescij*: Quibus verbis significat Caietanus constitutiones Pontificias Romę publicè promulgatas, omnes vbique obligare, & tenere, sed ignorantes eas iustam excusationem habere, quoniam nesciunt, sint necne promulgatæ. Item, Sotus loco citato, ideo putat necessariam esse promulgationem constitutionis Pontificiæ in prouincijs, *quia creditur*, inquit, *Pontifex non aliter velle obligare omnes, & vbique nisi constitutio in prouincijs promulgetur.* ergo si vsu, & more nobis constat Pontificem velle obligare vbique, suis constitutionibus Romę publicè promulgatis, non est cur aliquis dicat generatim Sotum docuisse, Pontificias constitutiones non vbique obligare nisi in prouincijs singulis promulgẽtur. Præterea, Animaduertendum est, ad Constitutiones Pontificias, quæ continentur in iure, vel quæ sunt vbique more vsuque receptæ, opus non esse promulgationem in Prouincijs: quales sunt leges contentæ in Decreto Gratiani, aut in Decretalibus, aut in Sexto, Clementinis, & Extrauagantibus, quę corpus iuris efficiunt. Preterea, in constitutionibus Pontificijs, quæ antiquo vsu Romæ tantùm proponi, & denunciari solent, & non alibi, non est necessaria promulgatio in prouincijs: cuiusmodi sunt constitutiones, quæ continentur in Regulis Cancellariæ, & in constitutione, quæ dicitur Bulla in cœna Domini, & quæ Romæ publicè recitari, & promulgari in hebdomada sancta solet. Item, in his constitutionibus, in quibus Pontifex exprimit velle se, vt omnes teneantur ea lege ex eo tempore, quo fuerit Romæ solenni more promulgata, non requiritur alia promulgatio in Prouincijs: Et in hoc Sotus, etiam cum secũda opinione consentit. Vnde Tridentinæ Synodi decreta, quæ pertinent ad reformationem, & ius Canonicum, cœperunt omnes adstringere Kalendis Maij, anno 1564. Sic enim declarauit Pius Quartus, in sua constitutione, qua eam Synodum confirmauit, quæ incipit: *Sicut & sacrorum.* Postremò, iuxta quorundam sententiam annotandum est: De alijs Pontificijs cõstitutionibus, quæ nouæ quotidie sanciuntur, in foro conscientiæ, si quis sequeretur primam Soti, Angeli, & Panormitani opinionẽ, posset à peccato aliquando excusari, vt affirmare quosdam nonnunquam audiui, eo quòd probabili aliquorum Doctorum sententia sese tueri queat, licet in iudiciali foro damnetur. Ego tamen eorum excusationem accipiendam esse non arbitror, nisi quando Pontificiæ constitutiones, vsu receptæ non sunt, quæ vim, & auctoritatem, aut non retinent, aut non sumunt: nô quia in prouincijs promulgatæ non sint, sed quia consuetudine sunt abrogatæ, vel vsu non receptæ. non enim video, quo pacto sit probabilis Angeli in hac parte sententia, cum nullum sit canonicum ius, quod requirat, & postulet, vt Pontificiæ constitutiones, in prouincijs singulis promulgentur: nec probabiliter credi potest, quod Sotus existimauit, nô aliter Pontificem velle, vt ipsius constitutiones vim habeant vbique obligandi: ideo dixit Ioannes

Monachus Pontificem pedes plumbeos habere, nec posse per prouincias discurrere, sed immobilem dare, vt cuncti alij moueantur.

Quartò quæritur, An constitutio Canonica liget statim post duos mẽses à promulgatione exactos? Glossa in *cap. Proposuisti, dist. 82. ver. Non probatur*: docet secundum leges siue ius ciuile, Canonicas constitutiones obligare statim post duos menses à promulgatione elapsos: at secundum Canones nõ ligare ante sex menses à promulgatione transactos: sed hæc opinio meritò cõmuni consensu reijcitur, vt aiunt, Abbas, Felinus, Beroius *in cap. cognoscentes, de constitutionibus*.

Quintò quæritur, An priuilegia suam vim, & auctoritatem habere incipiant, cum primùm conceduntur à Principe, An verò postquã nota sunt ei, cui conceduntur. Duæ sunt opiniones: prima docet à die notitiæ, non à die priuilegij dati, acquiri ius ei, in quem priuilegium confertur. Sic Glossa, sic Ioannes Monachus, Ioan. Andreas, Ancharanus, Dominicus *in cap. 1. de conces. præbend. in 6.* Sic etiam Cardinalis, Abbas, Decius, Albericus, & Iason, quos omnes citant, & sequuntur Felinus, & Beroius, *in c. cognoscentes, de constitut.* eo quod beneficium, priuilegium, & fauor auctoritate Principis cum alicui conceditur, videtur dari tacita conditione, si ipse illud ratum, & acceptum habeat. Opinio secunda tradit, à die dati priuilegij, statim ante notitiam acquiri ius absenti, cui conceditur priuilegium, sic Bartolus, Innocentius, Hostiensis, Archidiaconus, Paulus, Vitalinus, quos in medium producunt Felinus, & Beroius, loco citato: nam legatum adquiritur absenti. *l. Magis puto, §. Fundum. ff. de rebus eorum qui sub tutel.* & *l. Legatum ita. ff. de legat. 2.* & *l. cum pater. §. sur do. ff. de lega. 2.* libertas quoque statim acquiritur, si seruus absens ex testamento Domini manumittitur, & restitutio deportati statim absenti acquiritur: ergo & priuilegium; nam gratia æquiparantur legatis. In Decisione 14. *part. 2. num. 2.* definitum, aut iudicatum est in Rota, priuilegium impetratum per nuncium, vel procuratorem, vel literas ad id missas statim vim suam transferre ad absentem, à die quo datum est, quamuis illud ipse repudiare queat, cum rescierit sibi datum: vt si Titium absentem Princeps in suum familiarem admittat. Item si tibi absenti conceditur priuilegium, vt sis à tributo, vel alio onere immunis, ac liber. Item, si tibi conceditur ne possis ab Episcopo pœna aliqua puniri. Vnde communis est ciuilis, & Canonici iuris interpretum opinio, quam referunt Ioannes Imola, & Felinus, *in cap. Cognoscentes. de constitutionibus*, statim suam vim Priuilegia sumere, à die quo sunt auctoritate Principis concessa: citatq; Felinus, Innocentium, Hostiensem, Archidiaconum, Abbatem, Ioannem Andream, Geminianum, & alios plures. Verùm nonnulli, hanc sententiam intelligunt hoc sensu; Priuilegium confestim atque est à Principe concessum absenti, & ignoranti, vim suam habere, ita vt nequeat reuocari ante consensum eius, cui conceditur, qui absens, & ignorans continuò, acquirit ius ad rem, non tamen acquirit semper ius in re: ad hoc enim comparandum requiritur consensus absentis, quo acceptum, & ratum habeat priuilegium sibi concessum: vti deducitur *ex capite: Si tibi absenti, de præbendis in 6.* quod & annotauit Decius *in cap. cognoscentes, de Constitutionibus*. Cæterùm, in eo capite solùm agitur de beneficio Ecclesiastico, quod Ordinarius in absentem clericum confert. Non video cur Princeps supremus non possit reuocare priuilegium, quod absenti, & ignoranti concedit, antequam priuilegiarius per se, vel procuratorem, vel nũcium, vel literas ratum, & acceptum habeat. Duo ex Doctoribus colliguntur: vnum est, quãdo princeps nutu suo, & motu priuilegium concedit alicui absenti, & ignoranti, prodest illi, à die quo datum est, in eo, in quo alius potest priuilegiario nocere: vt si Romanus Pontifex concedat Titio, ne in eum Episcopus possit anathematis sententiam ferre: vel si rex concedat Caio, ne cogi possit tributa soluere, nec in carcerem mitti, nec torquuri, nõ tamen prodest absolutè in cæteris, nisi postquam priuilegiarius consenserit. Alterum est, quando quis auctoritate Principis impetrat priuilegium per literas ad id missas, vel nuncium, aut procuratorem ad id destinatũ, gaudet priuilegio à die, quo datum est, secus verò quando absens, & ignorans aliter impetrat, tunc enim eo non gaudet, donec ad ipsum peruenerit. Sed de hac quæstione iterũ agam inferius, cum de priuilegijs disputabo.

Sextò quæritur, An leges abrogantes priuilegia, aut facultates, habeant suam vim statim, vt latę sunt, an vero postquam solummodo denunciatæ, aut notę fuerint ijs, quibus erant priuilegia, & facultates concessæ? communis est quoque ciuilis, & Pontificij iuris doctorum sententia, vt constat ex Felino, & Abbate, non habere vim quousq; denunciatæ fuerint ijs, quorum priuilegia, & facultates erant. Idem quoque tradidit Sotus. Sed sciendum est, aliquando priuilegium cõcedi certo loco pio, vel Collegio, vel Seminario adolescẽtum, aut sodalitati, siue Confraternitati, quam vocant, aut toti diœcesi: aliquando toti certo regno, cui subiacent multæ prouinciæ; aliquando certo populo, aliquando certo homini priuato. Queritur ergo quomodo de his omnibus, sit communis sententia intelligenda. Respondeo, Si priuilegium est priuato homini datum, non intelligitur sublatum donec lex id abrogans sit ipsi denunciata, vel manifesta. Si verò priuilegium concessum fuerit ob certi pij loci, Seminarij, vel Collegij commodum, non definit, quousq; lex id tollens, sit denũciata, vel nota Collegio, vel ijs qui ipsi præsunt, & curam eius habent. Quòd si priuilegij beneficium sit in totam Diœcesim, vel Prouinciam collatum, non finitur, donec abrogatio sit in Metropoli denunciata, vel scita. Si priuilegium sit in totum regnum collatum, non videtur extinctũ, donec eius abrogatio in his locis sit nota, quæ sunt capita prouinciarum. Appellatione denunciationis, accipimus notitiam certam, qua priuilegij abrogatio sit illi nota, cuius est priuilegium. Ex his colligitur, acta valere Procuratoris absentis, & ignorãtis, donec reuocatio sit ipsi nota, Felin. *in c. ex parte Decani. de rescript.* Gloss. *in c. vlt. de procura. ver. ignorarent. in 6.* & colligitur ex l. si forte præses. ff. de offi. præs. *si forte præses prouincie manumiserit, vel tutorem dederit priùs quàm cognouerit successorem aduenisse, erum hæc rata.* & ex l. Si mandassem. ff. manda. *si mandassem tibi, vt fundum emeres, post*

scripsissem

scripsissem ne emeres, tu antequam scias me vetuisse emisses, mandati tibi obligatus ero. Sic ibi. At procurator ad nuptias contrahendas, si reuocatus à Domino cõtraxerit, irritum est, quod facit, etiam si ignoret se esse reuocatum. *l. si pœnituit. ff. de vitu nupti. & c. vlt. de procura. in 6.* Constat etiam firma acta executoris, Nuncij, vel legati Apostolici, quousq; certior sit factus, se esse à Pontifice reuocatum. Calderi. *cons. 4. de offi. legati.* Quæ item facit Vicarius donec sciuerit se esse reuocatũ. Calderi. ibidem. Præterea colligitur, Indulgentias (quæ sunt peccatorum condonationes) non finiri, donec de earum reuocatione certiores facti sint illi, quib⁹ fuerint Pontificum beneficio concessæ, præterquam cum suspenduntur accessu anni quinquagesimi, siue vicesimi quinti, *in extrau. quemadmodum. de pœni. & remiss. inter communes.*

Gemin c. 1. de cence. prah in 6. Sot li 1. de iustit. q. 1. ar. 4.

Septimò quæritur, An nouæ constitutiones, quæ abrogant antiquas, incipiant vim, & auctoritatem habere statim atque sunt ad populum latæ atque promulgatæ? Quidam è iunioribus docuerunt, huiusmodi leges, quæ derogant antiquis ante iam latis, vim suam habere, quamprimum fuerit interior Principis voluntas, qua velit, leges à se ante iam latas nullam vim retinere: quod est dicere, legem antiquam cessare statim, vt Princeps vult eam esse abrogatam. Id indè probant illi, quòd lex neminem tenet, & alligat nisi ex voluntate Principis, ergo quando definit Principis voluntas, finitur, ac definit quoque tota vis legis. At enim longè verius est, leges eiusmodi, quę tollunt alias, incipere suam vim habere statim, vt sunt legitimè promulgatæ. V. G. ante Concilium Tridentinum, omnis sacerdos, etiam minimè approbatus ad confessiones peccatorum audiẽdas, poterat more, & consuetudine excipere confessiones aliorum sacerdotum: sed in concilio Trident. *sess. 23. cap. 15. de Reformatione*, constitutum est, vt nullus etiam regularis possit audire cõfessiones sæcularium, etiam sacerdotum: neque ad id idoneus reputetur, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis approbationem accipiat. Priuilegijs quibuscunque non obstantibus. Vnde si quis Sacerdos post promulgationem Concilij Tridentini, audiret confessiones peccatorum, cum non sit alioqui approbatus ad eas excipiendas, posset quidem à culpa excusari, sed absolutio esset irrita, & proindè repetenda. Item, ponamus aliquod esse peccatum, cui ex Constitutione Pontificia sit excommunicatio constituta: & deindè alia constitutione Pontificia abrogetur excommunicatio; tunc si incidat quis in id peccati, post eam censuram abrogatam excommunicatione non afficitur. Si tamen ante derogationem in peccatum incurrerat, excommunicationis vinculo tenetur, quoniam abrogatio ad excommunicationem præteritam trahi, & protendi non potest. ROGABIS, Quid sit dicendum, si illa excommunicatio erat Pontifici reseruata, at deindè alia Constitutione tollitur prorsus reseruatio? Respondeo, post reseruationem sublatam, excommunicationem quidem manere, sed non esse amplius reseruatam. QVAERES etiam, Quid dicemus, si antequam reseruatio è medio tollatur, inciderat quis in excommunicationem, & ante reseruatione per legem remota petit absolutionem, an is possit absolui quemlibet Sacerdotem approbatum ad confessiones pœnitentiũ audiendas? Quibusdam videtur in vniuersum absolui posse, quia excõmunicatio nunc temporis, quando quis ad sacram peccatorũ confessionem accedit, amplius reseruata non est Pontifici, licet esset antè reseruata, quando fuit peccatum admissum. Sufficit autem, si modo cum quis à peccato, & censura absoluitur, excõmunicatio amplius reseruata nõ sit. Alijs verò hoc non probatur absolutè, & simpliciter. Nam distinguunt in hunc modum: aut reseruatio tollitur solùm in peccatis, quę in futurum cõmittuntur, & tunc ab excommunicatione reseruata, quæ contrahitur antequã reseruatio tollatur, nequit absoluere quilibet legitimus Confessarius, quia reseruatio, inquiunt, nõ est sublata in delictis ante cõmissis: aut reseruatio tollitur simpliciter etiam in delictis antè patratis, & tunc quilibet Cõfessarius idoneus potest absoluere, etiãsi excommunicatio erat reseruata tempore, quo fuit delictum admissum: quoniã Constitutio, quæ reseruationem tollit, ad præterita peccata protenditur.

Quòd si quæras ab illis, quãdo constitutio, quę tollit reseruationem, ad præterita trahatur? Respondent, tunc trahi, cum constitutio sequens statuit, ne amplius excommunicatio etiã ante contracta Pontifici sit reseruata: quando vero constitutio sequens solùm omittit excommunicationem reseruatam, non numerans eam inter excommunicationes reseruatas, aut non numerans inter excommunicationes, ea constitutio nõ trahitur, inquiunt, ad præterita. Exemplum vtriusq; sit. Pius V. in Constitutione, publicè legi & recitari solita in die Cœnæ Dominicæ, Anathemate percussit eos, qui haberent, aut legerent libros Magorum, etiam si hæretici non essent, & voluit eam Excommunicationem esse Pontifici reseruatam: postea verò Gregorius XIII. & alij, qui successere Pontifices, eam Excõmunicationem omiserunt nihil de ea statuẽtes. Hęc Constitutio Gregorij. XIII. & aliorum Pontificum ad præterita non trahitur, & ideo, si quis inciderat tempore Pij V. in eam Excommunicationem, non poterit absolui nunc per quemlibet approbatum Confessarium: quoniam adhuc reseruata est. Præterea, Sixtus V. Excommunicationem, tulit in eos, qui abortum aliquo modo faciendum curassent, & eam Põtifici reseruauit: sed Gregorius XIIII. eam sustulit, & statuit ne amplius ea Excommunicatio, videlicet etiam ante contracta, esset Pontifici reseruata: hæc constitutio ad præterita protenditur; ita vt ij, qui tempore Sexti. V. abortum faciendum curarunt, quamuis in excommunicationem reseruatam incurrerint, possint nunc post tempus Gregorij XIIII. absolui ab ea per quemlibet legitimum Confessarium. Cæterùm dicendum puto, quandocunque Constitutio sequens decernit, ne excommunicatio sit amplius reseruata, posse ab ea absoluere Confessarius legitimus, & idoneus: quoniam hæc constitutio, non hoc ipso trahitur ad præterita facta, sed absolutionem ab excommunicatione liberam relinquit: & statuit de absolutione futura post ipsam constitutionem, ne sit reseruata: quod perinde est ac si constitutio

diceret:

diceret: antea absoluere non poteras, nunc potes: & Confessarius qui nunc absoluit, non absoluit ab Excommunicatione reseruata: & cum dicimus, casum hunc, vel illum, peccatum hoc vel illud, censuram hanc vel aliam esse reseruatam, nihil aliud significare volumus, nisi absolutionem esse reseruatam: ergo si cum absoluitur quis, absolutio non est reseruata, certè iure, & tuta conscientia absoluitur, nec refert, quòd fuerit antea excómunicatio reseruata: quoniam is, qui incidit in excommunicationem reseruatam, non absoluitur tunc, cum incurrit in eam, sed absoluitur postquam excommunicatio reseruata esse desijt.

Octauò queritur, An promulgata lege, & duobus mensibus nondum elapsis, ab eius promulgatione, scientes eam promulgatam eo ipso, statim ea lege adstringantur, ante duos menses exactos, & quæstio proponitur de lege principis, quę nullum certum tempus constituit, quo incipiat populum sibi obligare. Duas video esse opiniones, Prima est communis Ciuilis, & Canonici iuris interpretum, vt constat ex Abbate *ca.2. de Postulat. Prælatorum*, & Felino *in cap. Cognoscentes de Constitutionibus num.7. Versic. secundo limita.* statim omnes scientes teneri lege ante duos menses elapsos, quando lex tempus nullum constituit, quo incipiat omnes in vniuersum ciues alligare. Et in hanc sententiam citat Felinus plures vtriusque iuris doctores. Sic Gloss. *in c. hoc consultissimo. de reb. Eccles. non alienan. in 6. verb. hactenus, & c. cum singula. de præb. in 6. verb. peruenerit.* Bart. *in l. omnes populi. ff. de iusti. & iur.* q.7. Bald. Hostien. Paul. Cardin. Imola. Dominic. quos refert, & sequitur Felin° *loco citato.* Sic etiam Abbas *in c. cognoscentes. de constitut. nu.7. & c.1. de postula. præla. nu.11.* Ioannes Ligna. *in c. cognoscentes, de const.* Sic etiam Sylueft. *verbo. lex. q.6. ad finem.* Angel. *lex. q.12.* Rosel. *lex. nu.7.* Secunda opinio docet, quando lex nullum tempus præscribit, quo Princeps ciues incipit obstringere, scientes legem promulgatam, ea nequaquam ligari ante duorum mensium tempus exactum. Sic Antonius Butrius, Decius, & Paulus Eleazarus, & Francus quos citat, & sequitur Nauarrus *in cons.1. de constitut. n.17.* quam probat Primo. Nam ex Authentica; *vt nouæ factæ Constitutiones. §.1. collat.6.* videtur planè deduci tempus duorum mensium definiri, & cõstitui, vt post eorum elapsum incipiant populares omnes lege teneri, & adstringi. Rursus, duorum mẽsium tempus, tacitè, & implicite constitui videtur, veluti induciarum tempus, quo Princeps liberos à lege ciues relinquit. Præterea, hoc duorum mensium tempus cõstitutum tacitè intelligitur, vt vno eodemque tempore omnes æqualiter incipiant lege alligari, & non hi priusquã alij. SI QVAERAS, quid si lex Principis certum tempus constituit, an scientes, ea lege teneantur ante illud tempus elapsum. Respondet proculdubio non teneri in foro conscientiæ. de hoc enim inter se auctores non dissident, nec dubitari potest, quin lex ante certum illud tempus populum non teneat, quia idcirco certũ tempus præscribitur, vt ab eo tempore lege obligemur, non ante. Aut enim lex sic fertur, Nolumus ante duos menses hac lege subditos alligari, & hæc non obligat: Aut fertur sic, Volumus post duos menses exactos hac lege vniuersos astringi: Aut sic, Volumus, vt post duos menses cuncti incipiant hac lege teneri; & siue hoc, siue illo modo ponatur, non habet vim obligandi ante certum tempus constitutum, vt docet idem Nauarr. *de constit cons.1.q.4.nu.19.* Hoc autem sciendum est, primam sententiam, quam dixi esse communem, in iudicio apud ipsos magistratus, & iudices plurimum valere: vnde in foro exteriori, vt annotauit Nauarrus, consuetudine est receptum, præsertim Romæ, vt omnes cõtra legem promulgatam, quæ nullum certum tempus constituit, scienter agentes, etiamsi nondum sint duo menses elapsi à promulgatione, secundum eam iudicentur, & puniantur, nisi iustam suę ignorantiæ excusationem habeant.

Ex his apparet quid sit dicendum secundũ Nauar. in multis, quæ possunt accidere. V. G. sit lata lex, vt frumenti modius certò quodã pretio vendatur, & non maiori, & in ea nullum certum, & definitum tempus præscribatur, ex quo incipiat omnes tenere, Titius sciens legem promulgatam ante elapsos duos mẽses, pluris vẽdidit frumenti modium, nimirum iusto pretio ante legẽ consueto, non compellitur secundum Nauarrum in foro conscientiæ Titius ad restituendum incrementum pretij lege taxati, quamuis in foro iudiciali compelli possit, auctoritate, & sententia Iudicis ad restituendum id, quod amplius accepit. Constat enim apud omnes, si lex certum tempus designet, ex quo legislator velit ciues teneri, non obligari ea lege etiã in iudicio, ante constitutum tempus sciẽtes. At contra Nauarrum obijcies id, quod, *in cap. Eum qui, de Regulis iuris, in sexto* dicitur, *eum, qui certus est, certiorari vlterius non oportet; & ex c. Cum contingat, de officio Iudicis delegati.* Regula generalis elicitur: frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus: ergo si Titius legem promulgatam nouerit etiam ante tempus lege præscriptum, eo ipso obligatur, siquidem opus non est, vt certior fiat. Respondet ex his locis nihil sumpta argumenta concludere. Non enim in vniuersum id, quod de vno ius decernit, est ad similia trahendum. Vnde duæ prædictæ iuris Regulæ: licet in certis quibusdam rerũ euentibus locum habeãt, non tamen generaliter in omnibus. Lex enim neminem adstringit, ac tenet, nisi ex voluntate legislatoris: at verò ante duos mẽses exactos à promulgatione non est Principis voluntas, vt Ciuitates ac populi lege teneantur. Deinde, oppones contra eundem Nauarrum, scientes promulgatam legem, & non obtemperantes, in foro iudiciali condemnantur, & puniuntur tametsi contra eam fecerint ante duos menses elapsos, ergo lege promulgata, neque exactis duobus mensibus scientes ligantur. Respondet, non idem esse de foro iudiciali, quod est de foro conscientiæ. Vrgebis: Quando forum iudiciale non ducitur solis coniecturis, quæ præsumptiones vocantur, forũ quoque conscientiæ, cum eo oportet conuenire. Respondet, in re hac, de qua nunc agimus, potest forum conscientię à Iudiciali discrepare: fieri enim potest, vt sit in foro iudiciali mos introductus puniendi scientes: quam cõsuetudinem possunt Iudices tuta conscientia retinere. Item, fieri potest, vt in foro iudiciali Magistratus, & Iudices primã opinionem sequantur, quæ cum sit communi

Ciuilis,

Ciuilis, & Canonici iuris interpretum consensione comprobata, tutò in iudicio seruatur: & contra eiusmodi legem facientes, quamuis non delinquant, nihilominus pœnæ legis subijciuntur, quia huic periculo, & damno, sese obiecerũt. Profectò licet admodum probabilis sit opinio secunda, quam est Nauarrus sequutus: verior tamen prima opinio videtur, quę cõmuni omnium consensu recepta est: nam si Princeps legem condit, & publicè promulgat, & nullum tempus certum constituit, ex quo velit vt incipiat obligare, eo ipso velle videtur, vt simpliciter, & statim scientes teneat ac liget. Si dicas, cur igitur duorum mensium spatium datur. Respondeo, vt toto eo temporis spatio iudices ignorantium excusationem, vt probabilem, & iustam accipere possint. Si roges, an opinionem secundam tuta conscientia sequi possimus. Respondeo, quamuis prima opinio in foro iudiciali sit amplectenda, in foro tamen interiori tuta cõscientia secunda teneri potest: nam Imola *in capitulo secundo de constit.* & Franchus *super dicta in sexto. n. 11.* aiunt, eam etiam secundùm iura posse defendi.

Nonò quæritur, An lex afficiat ignorãtes post tempus elapsum ab eius promulgatione? Abbas *in capit. cognoscentes, de constitutionibus nu. 6.* docet lege non affici ignorãtes. Sic etiam Felinus. Idem tradit Gloss. *in eo loco*: immò hęc est cõmunis vtriusq; iuris doctorum sententia. Sotus & quidam iuniores ipsum secuti, reprehendunt iurisconsultos, eo quòd asserant post tempus promulgationis exactum legibus non teneri ignorantes: Ipsi verò contra censent ignorantes obstringi, & alligari, quia propter ignorantiam excusantur à culpa, ergo etiam lege tenebantur. alioqui enim si non erant lege adstricti, non est, cur excusari dicantur.

Cæterùm nihil est, quòd in hac parte iurisconsulti reprehendi meritò queant: non enim aiunt ignorantes, non ligari legibus, sed, nõ affici, quod est diuersum.

Animaduertendum est, legibus tria contineri: Primùm quidem lex obstringit conscientiam: ita vt lege ipsa compellatur quisq; ad parendum ei, & seruandam eam: & legis contemptor, sit secundum conscientiam reus violatæ legis. Secundò, Lex pœnam irrogat delinquentibus. Tertiò, solet lex actus aliter factos rescindere. Quod attinet ad primum, Ignorantes legem bona fide, in foro conscientiæ liberi sunt à culpa; quòd si ignorantia fuerit affectata vel crassa, quam vocant, in foro quidem conscientiæ contra legem facientes iustam excusationem non habent, in foro verò exteriori datur actio, quoniam admittitur probatio, & exceptio ignorantiæ, vt docet Abbas *in cap. Cognoscentes de Constitutionibus num. 9.* Quòd attinet ad pœnam legibus constitutam, ignorantes bona fide, & probabiliter liberi sunt, & immunes à pœna: nam propter culpam pœna quis afficitur: ergo qui culpa caret, pœnã sustinere non cogitur. Si verò ignorantia sit crassa, pœna legis afficitur in foro Iudiciali, qui contra legem delinquit: si autem ignorantia orta sit ex culpa leui, vel leuissima, in eo foro violator legis arbitrio Iudicis, non autem pœna legis ordinaria punitur. Quòd ad tertium legis actum pertinet, animaduertere oportet, inter Canonici, & Ciuilis iuris interpretes, quæstionem esse, an cum lex iure ipso rescindit, quod fuerit contra eam factũ, sit pœna, an potius damnum. Mihi certè probatur id, quod docet Abbas, non esse propriè pœnam, sed damnum, vt proindè mirum non sit, si quis legem etiam ignorans, & contra eam faciens, huiusmodi damnum incurrat: quare elapso tempore promulgatæ legis, ignorantes, quum eorum ignorantia est bona fide probabilis, & iusta, excusantur quidem à peccato, & pœna legis, si qua tamen fecerint, contra legem ea rescindentem, irrita sunt etiam secundum conscientiam. Clarebit exemplo quod dicimus: Sit lex præscribens, non valere certum quendam contractum post duos menses ab eius promulgatione: tunc si Titius contractum ea lege interdictum inierit, bona fide per ignorantiam, liber erit à culpa, & à pœna, irritus tamen & inanis erit contra eam legem initus contractus, & in foro conscientiæ si quid lucri sibi acquisierit ex eo contractu, restituere omnino debebit.

Cap. IIII.

An oporteat legem vsu recipi, vt ea omnes teneantur.

QVæstio est inter Theologos, An lex promulgata, si moribus vtentium recepta non fuerit, ciues teneat? Hanc quæstionem tractauerunt Pontificij iuris doctores, præsertim Felinus, *cap. 1. de Treuga, & Pace, & cap. In istis, dist. 4.* quæstionem autem mouet, quia non videtur ad vim legis necessarium, vt vsu recipiatur: nam populus condendi leges, auctoritatem non habet, quando est Principi subiectus, in quem suam, quam habebat, transtulerit potestatem: ergo si Princeps ad populum legem aliquam ferat, eo ipso eum sibi obstringit, & obligat, & proindè peccat populus ea lege non vtens. Rursus, Princeps promulgata semel lege, iustè potest populum adigere ad legis obseruationem, & iure etiam in eos animaduertere, qui legem perfringunt: ergo populus lege non vtens delinquit: alioqui enim ex vtraq; parte tum populi, tum Principis iustum bellum esset, quod fieri nequit. Si enim Princeps iure legem constituit, promulgat, & compellit ad obseruationem eius, ac punit delinquentes, sequitur, vt Populus ius non habeat contra legem faciendi.

Nihilominus communis est Canonici, & Ciuilis iuris interpretum opinio, vt testantur Abbas, & Felinus, *cap. 1. de Treug. & Pace*, legem vsu non receptam vi carere, quamuis sit auctoritate Principis constituta, & legitimè promulgata: quæ sententia, & iuri canonico, & Ciuili est consentanea. Nam *in cap. In istis, dist. 4.* perspicuè Gratianus ait: *leges instituũtur cum promulgantur: approbantur, cum moribus vtentium recipiuntur.* Hoc idem docent ibi Archidiaconus, Dominicꝰ, Præpositus, & Turrecremata. Idem tradunt *cap. 1. de Treug. & Pace*, Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andreas. Item, *in l. de quibus, ff. de legibus* dicitur: *Nam cum ipsæ leges nulla ex alia causa non teneant, quàm quod iudicio populi receptæ sunt:* Et paulò inferiùs: *Illud receptum est, quod leges non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu hominum,*

per de

per desuetudinem abrogentur. Porrò hæc communis opinio locum habet siue lex vsu recepta non sit ab ijs, qui sciunt eam esse latam, & promulgatam, siue ab ijs, qui id ignorant, vt probat Nauar. *consil. 1. de constit. q. 6. nu. 25.*

Annotandum est, magnum esse discrimen inter hæc duo: legem non vsu receptam ciues non tenere, & ligare, & legem semel vsu receptam consuetudine contraria abrogari. Non vsum legis auctores appellant Desuetudinem, *in l. De quibus, ff. de legibus, & ca. 1. De Treug. & Pace, & dist. 4. cap. In istis.* Secundum verò vocare solent consuetudinem legi contrariam. Desuetudo, vel non vsus legis est, quando promulgata lege, & elapso promulgationis tempore populus perseuerat in faciendo, quod factitare ante legem solebat; & de hoc Non vsu, siue desuetudine legis, in præsentia disputamus.

Secundò scire oportet iuxta quorundam sententiam, inter leges Imperatorias, aut quorumlibet aliorum ciuilium Principum, & Pontificias, hanc esse differentiam: quod illæ tolli possunt per desuetudinem siue non vsum, hæ verò non item. Aiunt enim, in desuetudine legis à ciuili Principe latæ, adesse tacitum Principis consensum, & propterea legem definere, hoc tamen de Pontificijs constitutionibus dici non posse. quod probant, quia Principum sæcularium leges hac conditione tacita ferri videtur, vt vim habeant, si vsu fuerint receptæ; sin minus, vi careant. nam vt habetur in Institut. de iure Naturali, gentium, & Ciuili, §. Sed & quòd, *Populus transtulit suam potestatem in Principem*: ergo Princeps non obligat sibi populum, nisi ex tacito ipsius populi consensu: at verò Romanus Pontifex suam potestatem proximè accepit à Christo Domino, & proindè suis legibus Christianum populum adstringit absq; vllo ipsius populi tacito consensu, sed sola Christi Domini auctoritate accepta, cæteri Ecclesiarum Præsules suis statutis plebes sibi commissas alligant Romani Pontificis auctoritate. Sed hæc differentia nihil facit ad rem, quoniam, vt dixi, iure etiam Canonico constitutum est, vt leges Ecclesiasticæ vim non habeant, nisi fuerint vsu receptæ. Et *cap. vlt. de consuetud.* apertè dicitur, tolli leges consuetudine rationabili, & præscripta: sicut ergo abrogantur semel receptæ constitutiones per vsum contrarium, sic impediuntur, ne vim habeant per desuetudinem, quia vsu non recipiuntur.

Ad obiectiones verò initio propositas respondeo, legem promulgatam, & vsu minimè receptam extingui, & desinere, non quod populus ius habeat tollèdi leges à Principe sancitas, sed quia leges cum instituuntur, & promulgantur, ea conditione conduntur, vt omnes teneant, si vsu recipiantur; sin minus, neminem ligent.

Secundò quæritur, An vt lex vsu non recepta vi sua careat, expressus Principis consensus necessariò requiratur? Quidam senserunt (quos refert Dominicus *cap. In istis. dist. 4.*) requiri expressum Principis cõsensum, quod scilicet Princeps dicat, scribat, vel innuat desuetudinem legis se tolerare. At verius mihi videtur, quod docent Abbas, & Felinus *cap. 1. de Treug. & Pace.* Dominicus *in cap. in istis, dist. incl. 4.* sufficere tacitum Principis consensum: cui sententiæ Baldus accedit, quem illi citant. QVAERES quidnam requiratur vt tacitus Principis cõsensus adesse probabiliter creditur? Respondent quidam permoti auctoritate Abb. *in ca. 1. de Treug.* Zabarel. *in proœm. clement.* Ioan. Andr. *c. 1. de Treug.* Syluest. *Ver. Lex, q. 6. vers. 4.* requiri sciẽtiam Principis, hoc est, vt Princeps nouerit legẽ vsu non recipi, & nihilominus toleret, cũ tamen possit cõmodè punire non seruantes legem. Probabilius tamẽ Dominic. *dist. 4. c. in istis. §. leges.* Felinus *cap. 1. de Treug. nu. 13. vers. considera secundò*, vbi citat Calderinũ, Imolam, & Antonium Butrium, & hos sequutus Nauar. *consil. 1. de constitut. quæst. 5. num. 25.* opinantur tacitum Principis consensum esse ipsam tacitam conditionem, qua leges ponũtur. nam hoc ipso, quod leges seruntur, eo pacto condi videntur, vt omnes obstringant, si vsu recipiantur, & proindè non requiri Principis scientiam: sufficit enim hæc implicita conditio, qua leges initio sanciuntur. Item, Princeps statim atque legem constituit, & promulgat, potest ministros adhibere, qui populum compellant ad obseruationẽ legis: ad hoc enim habet ius & potestatem, quod si non faciat, & ob id lex vsu minimè recipiatur, sibi imputet, non populo; & propterea, eo ipso, tacitè consentit: Siquidem potest commodè efficere, vt lex vsu recipiatur, nec id faciendum curat.

Tertiò quæritur, Quando lex censeri possit nõ vsu recepta? Respondeo, cum Felino, Dominico, & Nauarro, non sufficere, si quidam legem seruent, alij verò non seruent. Tunc itaque lex dicitur vsu recepta, quando tota communitas, vel maior pars eam obseruat, & proindè minor pars cũ contra legem facit, delinquit, ac peccat. Si igitur lex lata fuerit ad certum populum, & totus populus, vel maior pars ipsi paruerit, recepta vsu censetur. Eadem ratio est, quando lex ad certam Prouinciam, vel Regnũ, vel Collegium fertur. Quare ea lex non est vsu recepta contra quam vel tota Respublica, vel eius maior pars factitat. At verò multæ leges Pontificiæ, Imperatoriæ, aut Regiæ sunt, quæ licet à maiori Prouinciarum parte, vsu receptæ sint, in alijs tamen Prouincijs vim nõ habent, quoniam in illis non sunt vsu approbatæ. Videmus multos Canones in Italia, Hispania, & alijs Prouincijs vsu receptos, qui tamen in Gallia, vel Germania, vel Polonia, nullius sunt firmamenti, & auctoritatis: quia ibi non sunt vsu recepti, vel saltem, quia eos consuetudo abrogauit: Item, quando variæ ac multæ Prouinciæ, vni Principi subiectæ sunt, diuersarum gentium, sæpe diuersis moribus, ritibus, cæremonijs, & legibus vtuntur, ac proindè tunc non sufficit, si legem maior pars Prouinciarũ recipiat, vt in alijs quoque prouincijs vsu recepta habeatur.

Quartò quæritur, An vt lex per non vsum vi, & auctoritate careat, necessaria sit aliqua præscriptio, vt vocant recentiores legum, & canonici iuris interpretes? Quidam opinantur præscriptione opus esse, & addunt legitimum præscriptionis tempus esse decennium, quod in iure ciuili longum tempus vocatur: Et in hoc nõ vsum, vel desuetudinem à Consuetudine legi contraria differre, quòd cõsuetudo, vt legem vsu receptam aboleat, & abroget; debet continuari vsque ad

quad ra-

quadraginta annorum spatium; at verò non vsus legis siue desuetudo, vt vim, & auctoritatem habeat, satis est si vsque ad decennium continuetur, vt testatur Couarru. *libro secundo Varia. resolut. cap. 16.* ex Imola, Felino *cap. 1. de Treug. & Pace, nu. 13.* Calderi. Abbate, & Iason. & alijs, quos ibi citat, & sequitur. Et sufficit decennium, vt desuetudo vim habeat, hoc est, vt Canon, vel lex per decennium vsu, & more nō recepta, vi, & auctoritate careat, etiam Principe ignorante ipsam desuetudinem: vt docent Felinus Imola, & Couarruias, vna cum Calderino, Abbate, & alijs. Sic etiam docet Nauar. *de constitut. conf. 1. q. 5. nu. 24.*

Porrò quidam alij sentiunt leges ciuiles, & quæcunque statuta Municipalia, per non vsum siue desuetudinem decennij tempore confirmatam vim amittere; Canonicas verò Constitutiones, nonnisi per desuetudinem quadraginta annorum spatio continuatam finiri. Alij verò sentiunt, ad desuetudinem nullam requiri præscriptionem: quamuis ad consuetudinem contra legem præscriptio sit necessaria.

Dicendum iuxta primam sententiam mihi videtur, legem saltem Canonicam vsu receptam, per consuetudinem contrariam non tolli, nisi ea consuetudo per quadraginta annos confirmata continuataque sit; quamuis legem ciuilem consuetudo contraria, decennij tempore possit auferre: lex verò promulgata quæcunque sit, Canonica siue Ciuilis, vi & potestate non caret per desuetudinem, nisi illa per decennium fuerit continuata. Ex quo efficitur, vt Princeps habeat intra decennium ius, & potestatem adigendi pœnis etiam constitutis, populum ad seruandam legem legitimè promulgatam: nec opus est intra id tempus, vt legem denuo constituat, etiamsi non fuerit recepta, quia cum non sit ante decennium per desuetudinem sublata, sufficit, si Princeps imperet populo, ne contra eam faciat. Si tamen non vsus, siue desuetudo continuetur per decennium, lex amplius non valet, nec iure potest Princeps punire ciues non implentes legem, nisi legem redintegret, ac renouet. QVAERES, quam igitur vim habeat ante decennium desuetudo siue non vsus? Respondeo, vim habere impediendi, ne promulgata lex incipiat valere: non enim abrogat legem, cum nondum ea cæperit vim habere; sed impedit, ne valeat: ita tamen impedit intra decennium, vt intra id tempus possit lex vsu recipi, & possit quoque Princeps populum compellere ad recipiendam eam.

Quintò quæritur, Quid discriminis sit inter desuetudinem siue non vsum legis, & consuetudinem legi contrariam? Respondeo, testantibus Dominico *in cap. In istis, §. leges, ad finem. dist. 4.* Felino *in cap. 1. de Treug. & Pace. num. 12. versicul. Intelligite quarto.* Nauar. *conf. 1. de constitut. quæst. 5. nu. 24.* primò ea differre, quòd primi, qui consuetudinem contra legem inducunt, delinquunt, nisi ex aliquo accidenti excusentur: & successores non peccant, quia bona fide possunt legem negligere secuti primos, qui contra legem fecerunt. At verò quando lex non est vsu recepta, etiam primi, qui frangunt, non peccant, id sciente legislatore, & non puniente, cum possit cōmodè punire; quamuis peccent ignorante Principe desuetudinem, aut sciente, & non puniente, quia punire commodè nequit, vt docent Imola, Felinus, & Couarruuias, & Nauarrus, *locis citatis*, quoniam bona fide moueri queunt, vt præter, aut contra legem agant, quia videant legem nondum esse vsu receptam; cum videant principem non punire, cum possit. & hoc solùm potest eos à culpa excusare præter alias causas. Secundò, contra legem receptam consuetudo per errorem, aut ignorantiam introducta præscriptionis vim habere non potest: nam consuetudo introduci non potest, nisi ab ijs qui possunt & volunt eam introducere, vt suo loco dicetur; at verò lex vsu non recepta, vim & potestatem habet, etiamsi per errorem, vel ignorantiam ipse, Non vsus, vel desuetudo introducatur, vt tradidit Nauarrus. Tertiò, Consuetudo legi contraria vim, & auctoritatem non obtinet, nisi per præscriptionem continuata: & præscriptionis tempus, non incipit à primis, qui peccant, consuetudinem contra legem inducentes; sed à successoribus, qui primos bona fide sequentes, in cōsuetudine ante iam cæpta perseuerant. Et interrumpi potest præscriptio, quæ interrupta nequit amplius continuari, sed erit alia, quæ denuo inceperit, si iterum renouetur. At verò non vsus siue desuetudo, statim ab initio vim incipit habere in primis lege non vtentib⁹; & statim definit, si lex incipit seruari. Quartò, consuetudo legem tollit, & abrogat, quæ erat vsu recepta, & omnes obstringebat. Desuetudo verò siue, Non vsus, legem non tollit, sed impedit, ne vim, auctoritatem, & potestatem assumat. Nam quamuis lex sit instituta, & promulgata, nō tamen ciues alligat, donec vsu recipiatur: ergo per Non vsum, siue Disuetudinem lex minimè abrogatur, sed impeditur, ne vi sua populum teneat, vt Abbas, & Felinus, locis supra citatis tradiderunt.

Sextò quæritur, quam vim habeat Desuetudo, siue Non vsus contra legem, legislatore sciente, & non puniente, cum possit. Respondeo: Tunc Non vsum siue desuetudinem potius habere vim abrogandi legem, quoniam hoc ipso, quod scit legislator desuetudinem, siue non vsum, nec punit, cum possit, tacitè videtur legem abrogare. Item, duo actus, vel tres sufficiunt contra legem, quando fiunt legislatore sciente, & non puniente cum possit, vt tradit Abbas loco citato. At verò ad Non vsum siue desuetudinem requiritur decennium, vt ante iam dixi: videlicet cum legislator nihil nouit de ijs, qui legem non seruant.

Septimò quæritur, Quomodo intelligi debeat desuetudo, vel non vsus legis? Respondeo: quandocunque casus legis non accidit, non censetur non vsus, siue Desuetudo, etiamsi per centum, vel mille annos lex non seruetur, quod idem est, ac si cum iuris vtriusque doctoribus dicas, appellatione non vsus, vel Desuetudinis nō accipi actus simpliciter negatiuos. Pono exemplum: si per centum annos nullus natus est hermaphroditus, & propterea populus vsus non est lege aliquid constituente, vtputà *l. quæritur, ff. de statu hominum*, vbi decernitur hermaphroditum magis eius sexus æstimandum, qui in eo præualet: talis nō vsus vel desuetudo nihil inducit cōtra legem, quia est actus simpliciter in negatione consistens. Quare

Desuetudo siue non vsus is accipitur, quo casus legis accidit, & tamen lex non impletur à tota communitate, vel maiori eius parte. Et hinc liquet, quomodo intelligendum sit, quod docent Ioannes Andreas *in c. Ioannes. de cleri. coning.* & Felinus *c. 1. de Treug. & Pace*, videlicet legem non tolli per non vsum, hoc est, nihil continentem contra legem, vt rectè dicit Nauar. *cons. 1. de const. q. 6. nu. 25.*

Octauò quæritur, Quando priuilegium impetratum à Principe amittatur per non vsum? Respondeo, si per decenniũ priuilegio non vtamur, illud nos videmur amittere. *l. 1. ff. de Nundinis.* dicitur. *Nundinis impetratis à Principe nõ vtendo, qui meruit, decennij tempore vsum amittit.* Hæc ibi. Vt si ciuitas, vel populus impetrasset facultatem celebrandi nundinas, & per decenniũ eas non fecisset: Item, si Princeps ciuitati vel populo concessisset priuilegium scholas erigendi ob studium literarium generale, & decennij tempore non erexisset, priuilegium perdidisset. Præterea, si quispiam beneficio Principis liber esset, & immunis à tributis pendendis, vel soluendis decimis, vel militibus hospitio excipiendis, priuilegium amitteret per non vsum, aut contrarium actum. At sciẽdum est oportere desuetudinem, vel non vsum esse voluntarium: nam si sit necessarius, priuilegium non amittitur; Verbi Gratia, si quis non est vsus priuilegio, quia non potuit, aut quia se occasio non obtulit, *l. Vnus ex socijs, §. vltimo, & l. sequenti, ff. de seruitutibus rusticorum prædiorum*, vbi habetur, nõ amitti seruitutem mihi debitam de aqua ducenda in fundum meum, si ideo nõ vtor, quia fons exaruit: item, si aliqua ciuitas obligata sit Principi, ita vt compellatur ad militum exercitum cogendum, quando Princeps cogit, & centum annorum tempore Princeps non cogit, non definit ciuitas esse obligata, eo quòd occasio non se obtulit. Item, si Princeps non vocauit populos sibi obligatos ad certum aliquid faciendum, quia alij quorum ministerium, & opera sibi sufficit, præsto fuerunt, nequit Principi tribui desidiæ, & negligentiæ, si non vocauerit populos sibi ad id deunctos. Vnde ciuis libertatem non recuperat contra dominum, si Dominus non vtatur eius ministerio, & obsequio, quia nunquam fuit oblata occasio, in qua esset opus vti. Præterea, vt priuilegium amittatur per Non vsum, siue desuetudinem necesse est, vt simpliciter detur facultas aliquid faciendi. Nam si princeps Titio priuilegium concesserit, vt eo possit vti, si velit, aut non vti, prout sibi libuerit, non perdit illud, etiamsi multo tempore eo Titius non vtatur. Vt si Imperator, vel Rex facultatem concederet Caio extruendi molendinum in communi, & publico flumine, eo adiecto, vt faciat, aut non faciat, vt sibi libuerit, non idcirco quod molendinum non extruit, Caius priuilegio suo cadit. At verò si quis facultatem impetret à Romano Pontifice Missæ sacrificium faciendi, & offerendi, tempore, aut loco sacris interdicto, & decennij spatio sacrum non faciat, priuilegium amittit, quia est simpliciter data facultas, vt sacrificare queat, non autem vt immolet, aut non immolet arbitratu suo. Pari ratione, si quis Principis arbitrio priuilegiũ impetrauerit, ne coram Iudice ordinario conueniri possit, & sinat se conueniri, aut iudicari, & ab eius sententia ad principem non prouocet, suum priuilegium deperdit.

Cap. V.

Qualis debeat esse Lex.

PRIMO quæritur, Quot & quæ requirantur, vt iusta sit lex? Respondeo, in hac re non esse Isidori regulam contemnendam, monentem, vt lex sit honesta, iusta, & eorum, quibus imponitur, moribus accommodata, vt fert natura hominum & patriæ consuetudo: loco & tempori conueniens, necessaria, vtilis, manifesta: hoc est, non obscura, non captiosa, ob nullum priuatum commodum, sed communem ciuium salutem, & vtilitatem conscripta. Hæc ille; à quibus non longè absunt, quæ scripsit Quintilianus: lib. 2. cap. 4. *Vitium legis, inquit, aut in verbis, aut in rebus est. In verbis quæritur, an satis significent, an sit in his aliquid ambiguum. In rebus, an lex sibi ipsa consentiat, an in populum ferri debeat; an in singulos homines: maximè verò commune est quærere, An sit honesta, an vtilis. Nec ignoro plures fieri à plerisque partes: sed nos iustum, pium, religiosum, cæteraque his similia Honesto complectimur. Iusti tamen species non simpliciter excuti solet. Aut enim de re ipsa quæritur, vt digna ne pœna, vel præmio sit: aut de modo præmij pœnæue. Quæ tam maior quàm minor, culpari potest. Vtilitas interim natura discernitur, interim tempore. Quædam an obtineri possint, ambigi solet: ne illud quidem ignorare oportet, leges aliquando totas, aliquando ex parte reprehendi solere.* Hæc Fabius dilucidè de vitijs virtutibusque legis. Isocrates *in Panathenaico* laudat leges, quæ sunt faciles cognitu, claræ, manifestæ, vtiles, inter sese congruentes, ad publica, non ad priuata commoda constitutæ.

Sed in hac re duo potissimum considerandа esse videntur: primum, An leges, de quibus ferendis agimus, de totius Reipublicæ salute, & vtilitate sanciantur, an verò vnum atque alterum articulum contineãt: nam in illo primo legislatorem oportet omnia genera rerumpublicarum, omnes qualiscunque populi mutationis, & conseruationis modos diligenter perscrutari, Ciues & totam Rempublicam probe nosse, & ad illum statum perducere, qui ad bene viuendum quam maximè accedit, & quantum humano ingenio, & prouidentia fieri potest, quàm diutissimè in bono populus conseruetur. Quæ omnia, Aristotelis præcepta sunt. *libr. 1. Rhetо. capit. 4. libr. 3. Politi. capitulo septimo. libro quarto, capitulo primo. libro quinto, capit. 9. & libr. 6. cap. 5. & lib. 7. cap. 2. lib. 10. capitulo 9. Ethicor.*

Secundò quæritur, An leges oporteat omnes ad virtutem referri. Respondeo: omnes, quàm maximè fieri potest, esse debere virtutum officijs accommodatas: quoniam ex hoc ciuium salus, Reipublicæ incolumitas, libertas, pax, concordia, gloria, decus, & rerum omnium abundantia nascitur, ac pendet. Quo fit, vt eorum non sit probanda sententia, qui putant leges potissimum esse constitutas, vt earum metu hominum comprimatur audacia. Contra enim Plato *lib. 1. de legibus*, & Cic. *lib. de legib.* legis putant esse persuadere, nõ autẽ omnia vi ac minis cogere: Et Diod. *li. 1. bibliot.* Barbarorum leges reprehẽdit, quæ magis punire, quã docere videantur: & Xenophon. *lib. 1. de Cyri vi-*

c. vit. d. 4. ex Isidor.

ta. Per-

ta, Persarum institura plurimũ laudat, quòd non, vt cæteri, de pœnis criminibus ex lege cõstituendis solliciti sint; sed multò magis caueant, ne qua apud ipsos crimina perpetrentur.

Animaduertendum est, leges quæ aliquid fieri præcipiunt, id in aliquo virtutis officio reponere, etiamsi alioqui non esset ex natura sua per se bonum: Vt cum Ecclesia ieiunia certis temporibus indicit, ea ad Temperantiam referuntur: fructuum decimam partẽ solui sacerdotibus lege imperat, id ad Iustitiam pertinet: sic etiã cum Principes iubent, sibi pendi tributa. Item, præcipit Ecclesia, vt in diebus festis singuli fideles, & pij Christi cultores Missæ sacrificio interfint. Itẽ, vt presbyteri certis quibusdam cæremonijs Sacramenta ministrent. Prohibet templa, vasa, altaria, & res alias pollui, aut à laicis tangi, tractariue: Hæc omnia ad Religionem, & diuinum cultum spectant.

Tertiò quæritur, An legis sit vitia prohibere? Respondeo, esse, præsertim ea, quibus Iustitia ciuium violatur, incolumitati, & communi Reipublicè saluti nocetur; pax, concordia, societas, & amicitia humana dissoluitur. Vt rectè Demosthenes dixerit, & refertur *l.1. & 2. ff. de legib.* legis esse coërcere delicta, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur. Scire tamen oportet, legis humanæ non esse omnia ea mala vetare, quæ prohibet ratio naturalis: leges enim aliquando permittunt mala, vt grauiora, & deteriora alia, vel plura deuitentur; Permittunt, verbi causa, leuiores vsuras, vt à longè maioribus vsuris ciues abstineant; concubinatum, & meretrices, vt adulteria, & alia his turpiora crimina caueantur.

Quartò quæritur, An legis sit benefacta præmijs afficere: & contra, malefacta pœnis debitis punire? Respondeo, esse, ne impunita crimina delinquẽdi cupiditatem, & audaciam improbis, ac perditis hominibus addant, & augeant. Vnde Cicero *lib.3. de legib.* merito scripsit: Noxæ pœnam parẽ esse debere, & in suo vitio oportere quemq; plecti; ita vt vis alteri illata, capitis pœna: auaritia, pecuniæ multa: ambitio, & immodica honorum cupiditas, ignominia, & dedecore sanciatur. Platone etiã teste *lib.9. de legib.* vt ciues ad bene agendum alliciantur, oportet quoque legibus præmia benefactis constitui; & idcirco milites, quorum strenua opera, duces & imperatores victoriam cõsequuntur, muneribus, & præmijs donare Respublica consueuit. Itẽ, Nobilibus immunitas multorum onerũ dari à Principibus solet. Præterea, Magistratibus atque Iudicibus, ne illi ob quæstum, & lucrum potestatem exerceant, & iura reddant & sententias pronuncient; stipendia debita tribuuntur. Denique, vt ait Cicero *in epist. ad M. Brutum*, his duabus rebus præmio, & pœna Rempublicam in officio contineri, Solon & Plato docuerunt. Extat Martiani elegans admonitio *in l. respiciendum. ff. de pœnis*, in leuioribus causis proniores ad lenitatẽ iudices esse debere: in grauioribus pœnis seueritatem legum aliquo benignitatis temperamento leniendam, mitigandam, & exequendam.

Quintò quæritur, Quot & quinam sint legis actus? Respondeo, quatuor enumerari à Modestino Iurisconsulto. *in l. legis virtus, ff. de legib.* vbi ait: *Legis virtus hæc est; Imperare, Vetare, Permittere, Punire.* Imperat Lex, vt cum iubet Lex Iulia, de Adulterijs, Accusantem, & Accusatum, & aduocatos esse præsentes, quando serui torquentur in causa adulterij. Item, Præcipit Lex, vt cum iubet seruos publicari, *l. si postulauerit. §. Quæstione, & §. Iubet. ff. ad legem Iuliam, de Adulterijs.* Vetat verò Lex; vt cum prohibet res immobiles minorum sine decreto alienari; Item, cum prohibet, ne res Ecclesiasticæ distrahantur, *l. Iubemus 2. C. de sacrosanctis Ecclesijs.* Permittit Lex, qualis est illa quæ militi, etiã post sententiam vti permittit exceptionibus suis, *l. 1. C. de iuris, & facti ignorantia.* Punit maleficia Lex; quales sunt illæ leges, quæ pœnas irrogant delictis: vt constat *in toto Titulo de Pœnis in Digestis, & Codice.* Obijcies, Legis esse quintum actum, Consulere: Vt cum extraneis Lex consulit, ne impendant agendo querelam, *in l. 1. ff. de inofficioso testamento.* Item, quando consulit Lex, cõmodius esse possessorio, quàm petitorio iure rem, & causam agere. *l. Is qui. 1. ff. de rei. vindic.* & consultius esse transactioni pœnam addere, *l. Pacto, ff. de Transa.* Respondeo, Verbo Permittendi etiam verbum consulendi contineri.

Sextò quæritur, An legẽ oporteat ferri de his, quæ frequenter accidunt? Respondeo, ex Theophrasto, *qui citatur in l. iura. ff. de legib.* Quę semel, aut bis contingunt, legislatores contemnere. l. Quoniam, *ff. de legibus*, & *l. Nam ad eam, ff. de legibus* dicitur: *Ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequenter, & facilè, quàm quæ perrarò eueniunt.* Et *l. Neque leges, ff. de legibus*, cauetur: *leges non ita scribi possunt, vt omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendant, sed sufficit ea, quæ plerunque accidunt, continere. l. ex his, ff. de legibus*, statuitur: *ex his, quæ fortè vno aliquo casu accidere possunt, iura non constituantur.*

Septimò quæritur, An legum deceat esse multitudinem, & frequentiam? Respondeo, minimè, vt docuit Isocrates *in Areopag.* & vt ait Thucydides *apud Stobeum c.41.* Arcesilaum dixisse ferũt: *Vbi plurimæ leges, & medicamenta forent, illic morborum, & iniustitiæ, ac criminum plurimum esse.* Item, vbi plurimæ leges conduntur, facilè contemni solent, eò quòd ciues onerari grauiter videantur. Isocrates loco citato dicebat, legum multitudinẽ signa esse mali status Reipublicæ, propterea quòd dum delicta quasi aggeribus coërcere nitimur, leges cumulantur. *Non sunt*, inquit, *legibus porticus implendæ, sed ciuium animi iustitia, & virtute imbuendi: homines bene instituti paucis legibus facilè diriguntur: improbi omnes leges facilè contemnunt; bonis igitur paucæ leges sufficiunt: malis innumeræ satis non sunt.*

Cap. VI.

De vi & potestate legis humanæ.

PRIMO quæritur, An lex humana habeat vim alligandi ciuium conscientias? De hac quæstione illud est certum, & compertum omnibus, penes Ecclesiam esse potestatem sanciendi leges, quæ hominum conscientias obstringant. Hoc enim definitum est in Concil. Constan. *sess. 8. & 15.* contra Ioan. Wicleff. & Ioan. Hus, *& in constitutione Pontificia Leonis X. contra Lutherum, ar. 27.* idem statuitur: quod facilè etiam ex scripturis colligi potest. Nam ad Rom. 13. *Omnis anima*, ait B. Apostolus,

potestatibus sublimioribus subdita sit. Infra: *Qui potestati resistit: Dei ordinationi resistit.* (vnde deducit) *qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Præterea, ibidem: *Ideo necessitate subditi estote: non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* His planè affinia tradit B. Petrus Apostolus: *subditi*, inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi*, & quæ sequuntur. Matth. 18. *si Ecclesiam non audieris, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit.*

Præterea, conuenit inter omnes, penes Ecclesiam esse potestatem, & ius, condendi Canones, siue leges, & iura quæ alligent conscientias, etiam ijs in rebus, quæ scriptæ non sunt in sacris literis. Nostræ enim tempestatis Hæretici, contendunt ostendere, Ecclesiarum Præsules, ac Romanos Pontifices non posse eiusmodi leges, Canones, vel constitutiones ferre, nisi de ijs, quę in scripturis continentur, ad maiorem, & pleniorem eorum obseruationem: Sed profectò illi apertè conuincuntur ex eo, quòd refertur Actorum 15. vbi Apostoli scripserunt ad Gentes nuper ad Deũ conuersas, in hæc verba; *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum; & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, bene agetis.* Hoc est; vt abstineatis vos à sanguine, & ijs cibis, qui sunt Deorũ simulacris immolati, & ab omnibus quoque animantibus, quę suffocata moriuntur. Quæ tria erant quidem veteris legis præcepta, sed omnino Christi Domini morte abrogata, ea tamen Apostoli gentibus imposuerunt ad tempus, vt vna cum Iudæis possent interim commodè societatem coire, & inter sese cohærere: Fornicationis autem meminerunt in ea lege, quoniam licet sit in vniuersum iure naturali damnata, erat tamen eius apud Gentes magna ignorantia. Potest igitur Ecclesia aliquid nobis præcipere, quod non sit sacris literis imperatum. Monet item Apostolus, vt obediamus præpositis nostris, & subijciamur eis, qui sunt pro nobis Deo rationem reddituri.

Præterea, consentiunt itidẽ omnes, posse Principem ciuilem, aut Rempublicam profanam, legibus ciuium conscientias adstringere. Nam Apostoli Paulus, & Petrus locis supracitatis in vniuersum de omni potestate tum ciuili, tum Ecclesiastica loquuntur.

Contra hæc obijciuntur nonnulla. Primò, ex B. Augustino. *lib. 22. contra Faustum, ca. 27.* Peccatum est factum, dictum, vel concupitum cõtra legem Dei; ergo is, qui facit contra legem humanam, non peccat. Respondeo, Peccatum esse, quia est rectæ rationi contrarium; Augustinus autem, vt omne peccatum comprehenderet, definiuit peccatum esse contra legem æternam, seu contra legem Dei, quoniam lex Dei, est æterna eius ratio, quæ per naturam suam est recta. Vndè quicquid est contra rationem naturalem, vel contra quamcunque legem humanam, est contra legem, & rectam rationem diuinam, remotè quidem, non proximè. Si enim lex humana sit, eo ipso, est quoque recta ratio aliquid iubens, vel vetans; & proindè qui legem humanam contemnit, & violat, rectæ rationi aduersatur, & eo ipso, legi quoque, & institutioni Dei, quæ in lege naturali, & humana implicitè continetur. Secundò obijcitur d, quod 1. *ad Timoth. 1.* dicitur: *Iusto Lex non est posita*: ergo qui Dei beneficio iustitiam adeptus est, non est amplius humanis legibus subiectus. Respondeo, plurimum hallucinari Lutheranos interpretantes hunc Apostoli locum, ita vt dicant, iustum per fidem esse omni lege solutum, etiam naturali, & diuina: quoniam etiamsi cum scorto, inquiunt, iustus rem habeat, culpam ei Deus non imputat, hoc ipso, quod credit in Christum. Putant enim illi, omnia nostra opera esse mala, sed iustis per fidem Christi, culpæ, & damnationi minimè imputari. Præterea, vehementer errant alij quoque Hæretici docentes, iustos liberos esse ob omni humana lege; quamuis lege naturali, & diuina teneantur. Sensus itaque catholicus, & germanus eius loci esse potest triplex. Primus quidem ille, vt lex iusto non sit posita; quasi dicat, Non est lata Lex propter iustos, sed propter improbos, vt coërceantur à malis, vt subiuncta Apostoli mox verba declarant: *Sed iniustis, & subditis, impijs, & peccatoribus*, &c. confirmatur ex illis etiam verbis ad Galat. 3. *Lex propter transgressores posita est*: sed quamuis sit constituta propter nocentes, semel tamen posita alligat, & tenet omnes, & bonos, & malos, iustos, & iniustos. Accidit enim, vt etiam leges humanæ sint conditæ propter aliquas hominum causas, quæ frequenter eueniunt: attamen leges semel positæ omnes in vniuersum adstringunt. Secundus sensus esse potest: Lex non est posita iusto; quasi hoc velit Apostolus: iusti per Christum amplius non sunt sub lege Mosis, & veterum cæremoniarum, sub qua lege Iudæi antea concludebantur. At verò Iusti nomine, tunc accipere oportet eum qui adeptus est beneficio Dei iustitiam per Christum. Iusti enim ante Christi aduentum apud Hebræos veteri lege tenebantur. Tertius sensus est: Iusto non est posita Lex, vt sub ea, nimirum tanquam sub pedagogo quodam contineatur. Nam Paulus ad Galat. 3. testatur Iudæos esse sub lege veteri custoditos tanquam sub pedagogo, quo dirigerentur in bonis, & abducerentur a malis: donec patefacta Christi fides esset. Iusto igitur, inquit, vt significet, iusto per Christum, amplius lex, quæcunque sit illa, non est veluti pedagogus coërcens, & deterrens à malo, & ad bonum impellens, quoniam spiritu charitatis per Spiritum sanctum infusæ, in bonum iustus dirigitur, & à malis studijs, & actibus auocatur.

Tertiò obijcitur dictum Apostoli ad Galatas 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*, quod Hieronymus exponit in hunc modum: liberi estis à iugo legalium cæremoniarum. Sed mihi magis probatur Augustini sensus, qui appellatione legis, omnem legem in vniuersum intelligit, vt videtur Paulus accipere, cum ait, Non estis sub lege, tanquam diceret: Non tanquam serui metu pœnæ, quod bonum est, præstatis, sed spiritu charitatis: nam sub lege esse apud Paulum, est idem, quod vrgeri, premi, & adigi legis pœna ad aliquid faciendum. at iustum ad bene viuendum, non pœnæ metus; sed charitas allicit, inuitat, flectit, ac mouet. Alij verò interpretantur: Non estis sub lege, nimirum accusante, & condemnante vos, eo quòd per gratiam Christi saluũ facti estis, & vires

consequuti estis ad bene agendum. At verò Paulus 1. ad Cor. 9. illud sub lege, aliter accipit, cum ait: *factus sum ijs, qui sub lege sunt; quasi sub lege essem* (cum ipse non essem sub lege) *vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem.* Est periphrasis qua vtitur Paulus ad Iudæos nominandos. eos enim esse dicit sub lege; sicut contra, eos, qui sunt sine lege, vocat Gentes. Postremò, obijcitur id, quod Deuteron. 4. habetur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*; & Prouerb. 30. *Omnis sermo Dei ignitus*, &c. *Ne addas quicquam verbis illius, ne arguaris.* ad Gal. 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis; anathema sit.* Respondeo: illud dicitur addi, & adijci quod est Dei legi contrarium: at verò id, quod dicitur ad maiorem, & pleniorem diuinæ legis obseruationem, explicationemúe, minimè censetur illi contrarium, quoniam ad rem, & intelligentiam ipsius legis conducit.

Secundò quæritur, An lex humana possit conscientias hominum alligare, ita vt eius violatio lethalem culpam inducat? Gerson *tract. de vita spirituali. lect. 4. to. seu parte. 3.* tradidit nulla lege humana, immò nec etiam naturali ita conscientias hominum teneri, vt lethale peccatum sit, si cõtra eam fiat, nisi ea lex ortum habeat à lege diuina, cuius solius violatio lethali culpæ tribuitur. Cuius auctoris sententia est aliquantulum obscura, & propterea quidam existimant eam solo nomine differre, à communi cæterorum theologorum sententia. Sotus verò *lib. 1. de iust. q. 6. ar. 4.* putat parum, aut nihil distingui à refutata paulò ante hæreticorum sententia. Enimuerò si rectè expendatur, cum hæresi Lutherana minimè conuenit. Gersonis enim sententia est, lege humana nõ adstringi conscientiam, nisi in his, quæ constituit declarando legem diuinam, vel certũ definiendo tempus, aut locum, & certas alias circũstantias, quas lex diuina absolutè, & simpliciter non determinat. Si autem sint res simpliciter se aliter habentes, tunc lex humana non habet vim, & auctoritatẽ alligandi conscientiam. Ex quo Gerson colligit primò, præceptum ieiunia seruandi certis temporibus ab Ecclesia indicta, & colendi religiosè dies festos, & in his sacrum audiendi, & quotannis sacerdoti confitendi peccata, & in Paschate sacrosanctam Eucharistiam suscipiendi, & fructuum collectorum decimã partem Ecclesiæ ministris soluendi, & excommunicatorum consortium deuitandi, & pendendi debita Regibus atque Principibus tributa, & id genus alia, adstringere hominum cõscientias, quoniam hæc singula originem ducunt à Lege diuina. Secũdò, ait, omnia præcepta Ecclesiæ, censuras, & pœnas Ecclesiasticas irrogantia in ijs rebus, quæ pertinent ad cultum, honorem, venerationem, & administrationem rerum spiritualium, habere vim alligandi conscientias. Tertiò: excõmunicationes, quibus Ecclesiarum Antistites homines sibi subiectos afficiunt ob peccata, in commodis ac bonis temporalibus admissa: quales, inquit, multæ sunt, nullam auctoritatem habere alligandi conscientias. Hæc omnia Gerson conatur ostendere ex eo, quòd iuris diuini est absolutè, & simpliciter, Diuinis obsequijs studere aliquo tempore vel loco. Et quia ius Diuinũ nullum ad id certum tempus cõstituit, liberum reliquit, vt Ecclesiæ auctoritate statueretur. Pari modo, iuris diuini est temperato cibo, & potu vti; peccata sacerdoti cõfiteri, Ecclesiæ ministros alere, Reipublicæ Magistratus, & principes tueri. At verò Ecclesia, vel Respublica in his omnib⁹, vel tempus, vel locum, vel personam, vel alias circunstantias definit. Præterea, *data*, inquit, *est Ecclesiæ potestas contumaces arcendi à sacris, & ab Ecclesiastica communione excludendi, ab officio remouendi, dignitate priuandi, nimirum in ijs, quæ ad salutem spiritualem animarum pertinent; non autem in ijs, quæ ad lites temporales dirimendas, & terrena bona recuperanda spectant.*

Verùm quicquid velit sibi Gersonis opinio; communi Theologorum consensu refellitur, eorum nempe, qui post ipsum scripserũt. Eam enim refutant. Gabr. *4. d. 16. q. 3. a. 1. not. 6.* vbi citat. S. Tho. Bonau. Ioan. Andr. Dominicum, Abbat. Bartol. & ait oppositam sententiam esse irrationabilem, & periculosam. Almai. *de potesta. Eccles. c. 12.* & Mai. *3. d. 37. q. 10.* Adria. *quodl. 2. concl. 2.* Victo. *relect. de potesta. ciui. n. 15. & seq.* Sot. *li. 1. de iust. q. 6. a. 4.* Castr. *li. 1. de lege pœna. ca. 4.* & profectò iure optimo reijcitur; quia omnis lex hoc ipso, quòd est iusta, cum recta ratione conuenit, & proindè ea tenemur, & ligamur. Rursus in matrimonijs, & sponsalibus aliquos cõsanguinitatis, & affinitatis gradus Ecclesia interdixit, qui tamen iure diuino damnati nõ erant. Præterea, lex humana, si iusta sit, communi bono, & saluti prospicit; ergo omnis lex iusta ortum habet ab eo, saltem iure diuino, quo salutem Reipublicæ communem priuato nostro commodo præferre debemus.

Cæterùm his, quæ dicta sunt, quædam obijcit Gerson: Legislator, inquit, qui nõ potest pœnam constituere, nequit aliquid imperare; ita vt eius præcepti violatio eam pœnam mereatur. Verbi causa, ciuilis Princeps, quia non potest excõmunicationis pœna quempiam afficere; proindè nihil potest iubere, pœnã excõmunicationis in eos qui non paruerint, constituta. Ecclesiarum item Antistites nequeunt capitis pœna nocentes plectere; & propterea statuta sancire non possunt pœnã capitis contemnentibus irrogata. Sed nulla hominum auctoritas potest pœnam æternam imponere, aut diuina gratia quempiam spoliare: ergò non potest conscientiam ita ligare suis legibus, vt earum violatio sit lethale peccatum. Respondeo, potestatem humanã ex institutione Dei habere, vt quempiã ita teneat, & alliget, vt si contra fecerit, sit æternæ pœnæ reus; non quidem directò, proximè, & per se, sed quia potest iustam legem ferre: & Lex eo ipso, quòd est iusta, cũ recta ratione cõgruit, & proindè cum diuina quoq; ratione: quo fit, vt eiusmodi legis violatio sit grauis, & proindè culpæ lethali detur, & mereatur eo ipso pœnam æternam, quam Deus ipse exposcet, ac sumet. Princeps verò ciuilis, neque per se directò, neque indirectò potest quempiam pœna excommunicationis afficere, neque Ecclesię Præfectus pœna capitis aliquẽ punire. Secunda Gersonis obiectio est: Quoniam Ecclesia, inquit, non potest voluntatis actus internos cognoscere, eo ipso nequit eos prohibere, aut punire: Sed potestas humana non cognoscit pœnam æternam, & proindè eam non potest imponere. Respondeo,

pœnam æternam non imponi ab homine: Sed is legem iustam condit, cuius violatio culpa grauis est, eoque ipso, pœna æterna digna: hanc autem sumit Deus de ijs omnibus, qui sese lethali peccato obstrinxerunt. Tertia obiectio: Quemadmodum si ægroto medicus dicat hunc, vel illum cibum esse mortiferum, ægrotus debet eo cibo abstinere, non quòd medicus eius conscientiam liget, nec quòd ægrotus medico id sibi imperanti, vt superiori parere cogatur; sed eo, quòd quisq; iure naturali debeat suam vitam tueri, & seruare: at lex humana instar medici ostendit, quid sit agendum, quid fugiendum: non autem habet vim alligandi conscientiam. Respondeo, exemplum à Gerſone productum nihil probare: quia medici solùm est docere, quid in cibo, & potu sit salutare, quid noxium; & deindè ægrotus iure naturali compellitur noxia deuitare; at verò Legislatoris est non solùm ostendere, docereue quid sit agendum, quid vitandum, sed etiam leges iustas ferre, quæ eo ipso quòd iustæ sunt, hominum alligant conscientias.

Tertiò quæritur, An Lex ciuilis à Principe, vel Republica sancita, habeat vim obstringendi conscientiam, ita vt eius violatio sit lethalis? Respondeo, habere vim, & potestatem, quamuis quidam id negent. Nã siue Ecclesiastica siue ciuilis sit lex, eo ipso quòd est iusta, eiusmodi vim, & auctoritatem habet. Animaduertendum tamen est aliquas esse leges ciuiles, & statuta auctoritate Magistratuum inferiorum edita, quæ ciuium conscientias minimè ligant: non quia ad id vim, & potestatem non habeant, sed quia ratione probabili credimus, Legislatores non eo animo, & voluntate cõdidisse, vt tenerent, & adstringerent: quales multas esse inferius apparebit. Obijcies: Magistratûs ciuilis solùm est consulere communi pacis, & tranquillitatis commodo, & saluti; ergò non habet vim alligandi cõscientiam, ita vt eius violatio sit mortifera. Nihil argumento concluditur: quoniam directò, & proximè, per se, Magistratus ciuilis solùm rationem habet salutis, & boni communis; & indè efficitur, vt legem communi saluti necessariam constituat: Ex quo deindè fit, vt qui eiusmodi legem perfringit, grauiter contra rectam rationem delinquat. Secundò oppones: Multæ leges ciuiles sunt à Iuris peritis, vel Principibus Ethnicis constitutæ, qui hominum conscientias obligare non poterant; nihil enim de lethali peccato nouerant. Respondeo, Vt leges hominum cõscientias teneant, & alligent, satis esse, si sint iustæ, & Reipublicæ salutares. Tertiò obijcies, Ethnicos Legislatores non eo animo, & voluntate leges sanxisse, vt conscientias ligarent. Respondeo, hoc esse ex accidenti; at quæstio præsens non est facti quæstio, sed Iuris: nec enim tractamus, an ciuiles leges conscientias obstringant, sed an habeant vim, & potestatem alligandi: ita vt alligare queant.

Quartò quæritur, An lex humana pœnam constituens, conscientiam ita adstringat, & teneat, vt eius violatio sit peccatum. Tres opiniones inuenio; prima in vniuersum docet, nullam legem ciuilem pœnam irrogantem, ita conscientiam tenere, vt eius violatio culpæ tribuatur. Ita sensit Imol. *in c. cum contingat de iureiur.* Felin. *in c. 1. de sponsali.* Calderin. quem citat Abbas *in rubr. de obser. ieiun.* Nau. *in manual. c. 23. n. 55.* Secúda opinio distinguit: Aut lex, inquit, quam pœnalem appellant, Ecclesiastica, siue Ciuilis, est absolute, & simpliciter pœnalis, aut mixta. Si mixta sit, ita conscientiam tenet, vt qui contra facit, culpam contrahat. Si verò sit simpliciter pœnalis, violator eius nullam in culpam incurrit, pœnam tamen à lege irrogatam meretur. Sic olim sensit Henricus, cui accessit Angelus, & post Angelum, Alphonsus Castrensis: id docet Henr. *quodlib. 3. q. 22.* Angel. *in obedientia q. 1.* Alphon. Cast. *lib. 2. de leg. pœn. c. 9.* Ad quam rem plenius intelligendum, animaduertendũ est, iuxta hanc opinionem, duplices esse leges pœnales; alias quidem mixtas, eas nimirum, quę primo aliquid fieri iubẽt, aut prohibent, & deindè pœnam cõstituunt in eos, qui ipsis nõ obtemperauerint. Alias verò esse simpliciter pœnales, quæ nihil præcipiunt, aut vetant, sed solùm pœnã irrogant eis, qui certum aliquid fecerint. Sit exemplum: Potest statutum esse in Religiosorum ordinibus, vt qui fuerit locutus post certam horam, recitet quinque Psalmos: huiusmodi (inquit Henricus) statutum, est simpliciter pœnale, quia nihil fieri iubet, aut prohibet. Si verò in hunc modum statuatur: Præcipimus, aut prohibemus, ne quis post certam horam loquatur; quod si fuerit locutus, quinque Psalmos recitet: Statutum, est mixtum pœnale, quia prohibet post certam horam loqui, & deindè loquenti pœnam imponit, qua in eum animaduertitur. Sic *in l. 1. C. de mendicis valid. lib. 10.* Lex simpliciter pœnalis constituitur in mendicantes ex otio, vel cupiditate citra egestatẽ. Tertia opinio in vniuersum ait, omnem legem humanam pœnalem, siue Ecclesiasticam, siue ciuilem, cõscientiam constringere, ita vt eius violatio sit culpa, siue sit lex pœnalis simpliciter, siue mixta. Ita S. Tho. *1. 2. q. 86. a. 4.* Sot. *lib. de iust. q. 6. a. 4.* Mai. *3. d. 37. quæst. 16.* Adria. *quodl. 2. concl. 2.* Panor. *in rubr. de obserua. ieiun.* Archid. Ioan. And. Gemin. citati à Silueſt. *in obedientia nu. 3.* qui ita hanc sententiam probat, vt affirmet distinctionẽ Henrici de lege simpliciter pœnali, & mixta, esse puerilem, & verbalem, vt ille ait, & non hominum sapientum: ratio huius opinionis est, quoniam lex eo ipso, quo iusta est, conscientiã tenet, ac ligat, nisi legis conditor aliud voluerit. Rursus, mercium, & rerum aliarum pretia lege taxata, cum eo ipso iusta sint, seruari debent; ergò & leges si iustæ fuerunt, violari, & perfringi tuta conscientia nõ possunt; nec sufficit, si dicas Principum, & Legislatorum ciuilium mentem non fuisse, vt leges hominum conscientias ligarent: nam satis est, si leges iustas ad populum ferant, & expressim non dicant, nolle se conscientias obstringere. Nec item satis est, si dicas, eo ipso, quo pœnam tantùm temporariam constituunt in eos, qui legi nõ paruerint, significasse, se nihil aliud voluisse, nisi vt pœnam soluant; quoniam sufficit, si lex iusta sit, siue pœnalis, siue secus, nam, eo ipso, hominum conscientias tenet.

In hac cõtrouersia sanè graui, & difficili, quædam sunt omnibus comperta, quæd. m verò in opinione consistunt. Primum constat inter Theologos, si leges, siue sint simpliciter pœnales, siue mixtæ ex contẽptu, vel cũ scandalo, & offensione

aliorum

aliorum violentur; lethalem esse culpam, quia ipsa legis contemptio, vel offensio aliorum per se mortiferam continet culpam. Secundò, certum illud est, & exploratum omnibus, leges Canonicas, siue Ecclesiasticas, quæ irrogât pœnam excommunicationis, suspensionis, interdicti, depositionis, degradationis, irregularitatis, aut infamiæ, ita conscientiam alligare, vt earum violatio culpæ tribuatur. Hoc autem intelligitur de irregularitate, quæ ex delicto contrahitur, & de suspensione, qua quis ob delictum afficitur. Tertiò, id etiam cuique persuasum est, nullam legem humanam ligare conscientiam, si absit Legislatoris animus, & voluntas obligandi ciues sibi subiectos: nam vt paulò ante dixi, ad vim, & potestatem legis requiritur Legislatoris animus, quo velit ea lege sibi ciues obstringere. Quartò, similiter in eo omnes consentiunt, leges humanas, tum Canonicas, tum ciuiles, si ob solam suspitionem, vel vt aiunt, præsumptionem delicti, sint latæ, non habere vim obstringendi conscientiam: præsumptio enim, siue suspitio ad forum tantùm iudiciale pertinet, non conscientiæ. Quintò, id etiam compertum est, & indubitatum, leges, quæ solùm sunt conuentiones, & pacta, quas alio qui conuentionales leges appellant, nõ alligare conscientiam, ita vt eius omissio sit in vitio, & culpa. Obijcies: conuentiones, & pacta inter homines inita obligant conscientias; ergò & leges cum conuentione, & pacto latæ. Respondeo, aliud esse, si conuenta, & pacto non serues: aliud si facias contra legem sub conditione latam: verbi gratia, Titius maritus reliquit bona sua Sempro niæ vxori ea conditione ne alteri nuberet. Sempronia verò alteri nupsit, in nubendo non peccauit, at si nupta retineat bona mariti demortui, peccat, quia conuenta violat, pactum non seruat. Item, conueni tecum, vt centum ex meis annuis redditibus habeas quotannis, si in Capitolium singulis annis Calendis Augusti ascenderis: si nõ ascendas, non peccas, at si conditioni non stans tibi sumas, & retineas centum quotannis ex meis annuis redditibus, peccas, quia conuenta nõ seruas. QVAERES, quænam leges conuentiones, & pacta censeantur? Respondeo, eas esse, quæ solent ex mutuo contrahentium consensu in contractibus apponi, & adijci. Item, quotiescunque aliqui legis condendæ potestate carentes, inter se de re aliqua paciscuntur; cuiusmodi sunt leges earum Sodalitatum, quæ Confraternitates vocantur, & aliquorum Collegiorum, quæ extruuntur, & dotantur ad communem multorum vitam sustentandam, aut studia literarum promouenda, tales etiam sunt testatorum cõuentiones, quibus certis hominibus quædam bona ex testamento relinquunt, si certum quid effecerint; sin minus, amittant ea bona. Sextò, illud quoque omnes confitentur, si Legislator expresè, vel tacitè significet velle, vt lex conscientiam alliget, ita vt eius violatio sit in culpa, eo ipso, eiusmodi legem vim habere, quoniam lex humana potest cõscientiam adstringere. Ergò si Legislator suam mentem, & animum declaret expresè, vel tacitè, eo ipso, conscientiam tenet, ac ligat.

Quæ verò in opinione Doctorũ cõsistunt, duo sunt, Primum, An quando Legislator suam mentem expresè, vel tacitè non exprimit, & pœnam temporariam lege constituit, eo ipso, eiusmodi lex ita conscientiam adigat ad parendum, vt eius violatio sit in culpa. Secundum est, An lex humana, quæ nihil fieri iubet, aut vetat, sed solùm pœnam decernit his verbis; si quis hoc illúdue fecerit, hanc illamúe pœnam luat, subeat, aut contrahat; ita conscientiam alliget, vt qui ei non paret, se peccato commaculet. De quibus duobus mihi longè probabili videtur, leges humanas mulctam, & pœnam interponentes, conscientiam ligare. Nam quòd leges eos, qui illas non seruant, pœnis afficiant, nõ est, quod Legislator nolit legis violatorem culpam contrahere; sed, eò, quòd metu pœnæ velit omnes in officio continere. Nihilominus tamẽ si quis in his duobus opinionem contrariam sequutus fuerit, non videtur esse omnino condemnandus, cùm eam sentẽtiam graues alioqui Theologi, & canonici iuris interpretes sequantur. Et Caietan. *in sum. præceptum. vers. Hinc etiam sit*: hanc quæstionem tractans, tandem concludit: *Transgressio*, inquit, *iuris positiui humani, si non fiat ex contemptu, sed ex ignorantia quadam licet culpabili, aut ex apparenti quadam excusatione, non videtur esse lethale peccatum.* Hæc Caietanus. Præterea, multæ sunt leges Regiæ, vel Imperatoriæ, multa item statuta aliorum Principum, Ciuitatum, populorum, quarum legum violatio non videtur esse peccatum; huiusmodi sunt leges de lignis communibus non cædendis, de non venando, de non piscando, de non capiendis volucribus, vel feris, de non pascendis animantibus in communibus Reipublicæ pascuis, de non deferendis noctu armis, de non vtendo hõc, vel illo genere vestiũ, hac, vel illa pompa funebri, & id genus aliæ constitutiones, quæ ferri ad populum solent, pœna in eos, qui nõ paruerint, constituta.

Quintò quæritur, Ex quibus verbis possit inferri lege humana, ita conscientiam adstringi, vt eius violator in lethalem culpam incurrat? Hãc quæstionem agitarunt. Anton. *par. 2. tit. 4. c. 9. 2.* Panor. *in cap. nam concupiscentiam de consti.* Cai. *2. 2. q. 186. ar. 9. ad 2.* Syl. *præceptum num. 2.* Armil. *præceptum nu. 6. & 7.* Tabien. *lex q. 28.* Nauar. *in Man. cap. 23. num. 50.* adde etiam Gabr. *4. dist. 16. q. 3. art. 1. nota. 7.* & sensus quæstionis est, ex quibus verbis præcisè, & per se, etiam si nihil aliud lex ipsa contineret, colligatur eum, qui contra legem facit, lethaliter peccare. In qua difficile est certam aliquam regulam præscribere. Nihilominus tamen triplici ex capite possumus eam elicere. Primò, ex materia eius, quod lege imperatur: Secundò, ex verbis, quibus lex vtitur: Tertiò, ex pœnis, quæ lege irrogantur ijs, qui non obtemperauerint. Primò igitur, ex materia rei imperatæ; vt si sit res grauis, nam si leuis sit, & exigua, legis violatio lethalis esse non potest; quamuis velit Legislator, vt qui non paret, contrahat lethale peccatum. Porrò, legis materia grauis, aut leuis censetur ex ratione, quæ ad salutem Reipublicæ communem refertur. Verbi gratia, Vrget Rempublicam fames, & penuria annonæ ciues laborant, & propterea lex fertur, vt ciues, quibus abunde suppetit annona, iusto pretio vẽdant, ne populus fame pereat: tunc materia legis eiusmodi, grauis reputatur. Similiter lege solet cõstitui, ne

medici sæuiente peste absint ab oppidis: Item vt hostili premente bello, ciues vrbis portas, & muros defendant, & contra hostes se muniant: ne itidem arma ad externos deferantur: ne extra prouinciam equi extrahãtur. Item materia legis magna, vel parua habetur, pro varietate virtutum, in quibus actus imperati reponuntur: Vt si lex feratur de ijs, quæ pertinent ad charitatem, aut iustitiam, pietatem, & religionem tuendam, & seruandam. Abba. *in cap. clerici officia, de vit. & hone. cleric.* Ioan. Andr. *in c. relatum, ne cleri. vel mona.* Gemi. *in ca. perpetuæ de elect. in 6.* Sylu. *præceptum n. 3.* Secundò, ex verbis, quibus lex vtitur, deduci potest, quantam vim lex habeat. Porrò in iure Canonico quędam verba sunt communia, quæ obligationem grauem non cõtinent, cuiusmodi verba sunt, Decerno, Statuo, Innouo, Ordino. Alia item sunt, quæ absolutè, & simpliciter, nisi aliquid aliud addatur, grauem obligationem minimè significant; vt Volumus, Intẽdimus, Mandamus. At verbum Præcipio, Iubeo, Impero, Edico, ex communi omnium sententia, grauem obligationem cõtinent: tale etiam est verbum Prohibeo, Inhibeo, interdico, Veto: quamuis Caietanus de ijs etiam verbis dubitet & Nauar. *in man. cap. 23. num. 50.* doceat, nullum esse latinum verbum, quo significetur, si solum in lege ponatur, violatorem legis humanæ lethaliter peccare. At probabilius est grauem, vt diximus, obligationem hisce verbis significari: id enim colligi videtur ex Clementina *Exiui. de verborum significat.* Verbum, Debet, & Tenetur, Obligetur, Caietanus, & Nauarrus aiunt significare obligationem legis, cuius violatio sit lethalis, vel venialis culpa. Verùm alij sentiunt his verbis obligationem contineri: verbum, Debet, in legibus grauem obligationem significare testantur Syluester, Armilla ex Gloss. *in Clem. attendentes de stat. regular.* & Gloss. *in cap. proposuit. de appella.* & Bart. *in l. 3. C. de pigno. & in l. sæpè. ff. de offic. præfidis*, quanquam aliquando consilium, non præceptum designat. Item hæc verba: In virtute sanctæ obedientiæ, quibus verbis ius Canonicum, & Religiosorum ordinem Prefecti vti solent, grauem obligationem inducunt. Hæc item verba: Vi, aut virtute præstiti iurisiurandi, aut voti facti, significant obligationem, cuius violatio sit lethalis. Eandem vim habent hæc verba: strictè Mandamus, Iniungimus, Ordinamus, Decernimus. Tertiò, ex pœnis lege constitutis perspicitur grauis nec ne sit obligatio: Vt si in iure Canonico excommunicationis sentẽtia lata, vel ferenda, & comminatoria, aut pœna depositionis, degradationis, Interdicti, infamiæ, maledictionis æternæ, vel indignationis omnipotentis Dei, statuatur. At suspensionis pœna aliquando ob venialem culpam imponitur teste Caie. *in sum. suspensio.* immò quando fertur interdicti sententia in Vniuersitatem, Communitatem, siue Collegium, afficit etiam absentes, qui nihil peccauêre, & præsentes pariter insontes: vt docent Ioannes Andr. & Calderinus, quos citat, & sequitur Sylu. *interdictum 2. nu. 13.* & Rosell. *interdictum 1. nu. 6. ad finem*, & colligitur *ex cap. si sententia, de sentem. excom. in 6. vers. cum vero.* Irregularitas cum ob delictum constituitur, nonnisi ex lethali peccato cõtrahitur: Nisi ex homicidio fiat quis irregulatis, eò quòd det operã rei vetitæ, & interdictæ: nam tunc quamuis homicidium casu sequatur ob culpam nostram leuem, vel leuissimam, multorum est opinio, irregularitatem contrahi, Syl. *homicidium 2. nu. 2. & q. 23.* Angel. *irregularitas 1. nu. 3. & 20.* Tabien. *irregularitas 1. nu. 5.* Abb. *cap. quæsitum, de pœnit. & remiss.* Cai. *2. 2. q. 64. a. 8.* & hoc fortassis ideò est, vt videtur colligi ex *cap. fuscepimus. c. de cætero. cap. nos. de homicidio*, quia contrahitur ob defectum lenitatis. In iure autem Ciuili pœna capitis, seruitutis, aut perpetui carceris, aut publicationis bonorum, aut amissionis publici ministerij, & muneris, aut infamię, vel amputationis membri grauem denotat obligationem.

Sextò quæritur, An lex humana habeat potestatem alligandi conscientiam cũ periculo mortis? Duæ sunt opiniones: Prima ait legibus humanis obstringi conscientias etiam cum vitæ discrimine. Adria. *4. de elauib. q. 4. §. octaua excepito.* Caie. *1. 2. q. 96. art. 4.* ita senserunt: cuius quoque sententiæ videntur esse Canonici iuris interpretes *in ca. Sacris, De ijs, quæ vi metúsue causa fiunt*, Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, & alij. Eo argumento ducuntur, quod sumitur ex *cap. Sacris*, vbi dicitur, non excusari à peccato eum, qui excõmunicato sese adiungit quocunque metu: excusari tamen, si per vim eo vtatur in vitæ officijs. Et subiungitur ratio: *quia ob nullũ*, inquit, *metum est lethale peccatum committendum.* Quasi dicat; Princeps, vel Respublica potest aliquid iubere etiam cum mortis periculo faciendum. Secunda opinio docet, legem humanam posse quidem conscientiam ligare etiam cum mortis periculo; nũquam tamen ita seuere obligationem inducere. Sic Gab. Mai. Almai. Sot. Angel. Syl. Rosel. Nauar. supra citati *libr. 1. capit. 11. quæstio. 1.* Vtra opinio sit probabilior, & verior, primo libro docui *capit. 11. quæst. 1.* vbi de hac tota controuersia fusius disputaui.

Septimò quæritur, An Monachus Carthusiensis possit, & debeat vesci carnibus, vt euitet mortis periculum, quod alioqui citra dubitationem incurreret? Hãc quæstionẽ tractauit Gers. *in tract. de abstinent. Carthus.* Mai. *4. d. 38. q. 24.* Mart. *in quæst. de abstinen.* Victo. *in relect. de temperan. n. 8.* attigit Medi. *in tract. de ieiu. quæst. 13. in 4. argumen.* Ioannes Andreas *in cap. consilium de obseruatione ieiuniorum.* Antonius Butrius, Petrus Ancharanus, & Cardinalis *in eodem cap. consilium.* Occasione propositæ quæstionis, Gerson, & alij quidam Theologi duo in dubium vocarunt. Primum, An liceat constitutionem edere, qua cuipiam carnium vsu in vniuersum interdicatur, qualis fertur esse Carthusiensis instituti Regula. Secundum, An Monachis carnis vsu in vniuersum lege, & constitutione interdicto, liceat eas edere, certo mortis periculo imminente? Quorundam fuit opinio non posse de ea re legem generatim, & vniuersè constitui, & ea lata nihilominus iure naturali singulos compelli ad vescendum carnibus, si id ad vitam tuendam remedium necessarium iudicetur. Vtrumque probant: quia lex humana ferri nequit contra id, quod naturale ius præcipit, at iure naturali vitam tueri, & conseruare debemus, ad quã rem vsus carnium aliquando est necessarius. Deindè, si, cum vsus carnium remedium est ad vi-

tam tu-

tam tuendam necessariũ, Titius id negligeret, aut respueret, seipsum videretur occidere. Cõtra alij censent, & posse lege humana in vniuersũ carniũ vsum vetari: & ea lege constituta, licere cuique, etiam cum probabili vitæ discrimine à carnibus abstinere. Eo tempore, quo Ioannes Andreas viuebat, quidam statutum Carthusiensium penitus improbabant, vt iuri naturali contrarium: quam sententiam, inquit idem Andreas, quidam medicus, & philosophus insignis, vt falsam, temerariam, & hæresim sapientem, edito opusculo confutauit. Medicum, & Philosophum nominat Arnaldum Villanouanum. Sed sciendum est Arnaldum Villanouanum medicum tunc temporis, vt quorundam aliorum librorum auctorem, in quibus hæreses iam ante damnatæ continebantur, duorum iudicum sententia condemnatum fuisse in Cathalonica Aragoniæ prouincia teste Eymerico in Directo. Inquisit. *p.2.q.11. & q.28.* à quo acceperunt Bernardus Luzemburgus in Catalog. hæret. *lib.2.verbo. Arnaldus*, & Prateol. *de vitis, & sectis hæret. lib.1.cap.69.*

In hac controuersia primo animaduertendum est, legem iustam eam nõ esse, quæ expressim prohiberet vesci carnibus, eo etiam tempore, & rerum euentu, quo eiusmodi cibus esset remedium ad vitam tuendam necessarium: nam eiusmodi lex apertè cum naturali iure pugnaret. Deindè, fas esse legem statuere, qua vniuersè certo personarum generi vsu carnium interdicatur: & talis est Carthusiẽsium Monachorum regula: ea enim generatim tantùm non speciatim carnium vsum vetat, ac tollit. Hoc autem posse iusta conscientia per legem constitui, ratio ipsa videtur ostendere, quoniam propter corporis macerationem, castigatio nemque sensuum: ad vitæ itidem antè malè actæ pœnitentiam salutarem agendam, & propter libidinis illecebras reprimendas, deniq; propter virtutum religiosarum exercitationem, licet Religiosis constitutionem, siue legem præscribere, qua carnium vsus in totum abdicetur: hoc enim non est vitæ tuendę curam abijcere, sed virtutis, & vitæ spiritalis profectum curare. Sic enim plerique religiosè, & sanctè à vino, & alijs suauioribus, & à quocunque meliori vitæ vsu etiam morbo laborantes, ac infirma, & incommoda valetudine afflictati abstinuerunt, & abstinent in perpetuum, vt in virtutis studium incumbant. Item iure, & tuta conscientia multi durius vitæ genus sectantur, & retinent, vt religiosè viuant. Obijcies contra, perindè esse, si tibi subito vitam adimas, aut paulatim diminuas. Respondeo: Quando quis hæc, & alia similia eo animo faceret, vt se paulatim vita priuaret, malè proculdubio factitaret: sibi enim mortem conscisceret. Item, si eo etiam casu hæc susciperet, quo certò, & euidenter constaret, paululum aliquando relaxari animum debere, vt vitam conseruet, benè ageret: malè itidem faceret, si ob nullum bonum finem sibi propositum hæc, & alia similia sustineret. At verò nihil mali est, si hæc quispiam faciat ob virtutis officium obeundum: tunc enim non directò, & proximè sibi vitam ex toto, vel ex parte adimit, sed se in virtutum studio, & cura exercet. Tertiò, dubitandum non est, quin iusta sit, & rationi quoque consentanea Monachorum Carthusiensium Regula, qua in eo religiosæ vitæ institutio edendarum carnium vsus in totum est interdictus: id enim cum viuendi professione, & more susceptо maximè cõueniens est, præsertim cum non pauca mirabilia diuinitus effecta referantur, quibus talis Regula comprobatur.

His prænotatis, dicẽdum mihi videtur, cuicũque Monacho Carthusiensi licet carnibus abstinere etiam cum probabili vitæ discrimine, quotiescunq; id fecerit ob alicuius virtutis officium tuendum, retinendum, aut iam ante intermissum reuocandum: videlicet ad euitandum scandalũ, & offensionem aliorum, ad conseruandam religiosæ disciplinæ consuetudinem, institutum, & Regulã, ne relaxatione paulatim langueſcat, decidat, ac pereat. Solet enim vitæ religiosæ (quæ humana fragilitas est) disciplina, sensim minui, & eneruari, & sæpè institui, & Regulæ relaxatio ad casus etiam iure vetitos extenditur, & trahitur. Cuiq; item licet ob virtutis officium permittere, vt sibi ad vitæ vsus necessaria subtrahantur. Præterea, iuxta cõmunem Theologorum sententiam, licet singulis vitam periculo exponere pro amico tuendo, item fas est cuiq; tabulam in naufragio relinquere, vt patris sui, vel Principis, vel egregij viri vitam conseruet, vt Sotus docet Victoriam sequutus. *lib.5.de iust. & iure q.1.art.8. ad 1.* si nondum filius tabulam cœperit, cum posset eam commodè capere; licet & nobis manere in carceribus cũ probabili vitæ discrimine, vt amicos tueamur: ergò licet etiam nobis à carnibus abstinere ob multa virtutum officia.

Si verò nullũ sit huiusmodi virtutis opus, mihi videtur, Carthusiensem Monachum adstringi; ita vt iure ipso naturali compellatur ad vescendum carnibus imminenti certo, & euidenti, aut etiam probabili vitæ periculo. Vt si solus sit in deserta solitudine, nec quid aliud ad edendum habeat præter carnes, & fame laboret, ac pereat, debet tunc carnes edere, ne intereat, nam in similibus alijs casibus id quoque dicimus. Exemplum sit; Præceptum mihi est, ne domo exeam; Si verò non exiero, domus incendio absumatur, debeo egredi, ne incẽdar, ac peream. Item, si alius incurrat periculum incidendi in foueam, in quam lapsus interibit, nec adsit alius, qui illum possit ab eo periculo liberare, nisi ego: charitatis lege compellor ad eum eripiendum, etiamsi mihi sit domo exeundum. Postremò, votum, & iusiurandum factum, aut præstitum interpretamur obligationem non parere, cum certum, & euidẽs, aut saltem probabile vitæ periculum immineat: ergò lex humana vi, & potestate carer, quando impendet vitæ discrimen, nec est vllum virtutis officium, ob quod obseruari possit, ac debeat. Victoria quem sequitur Ledesm. *4.p.2.q.17.ar.6.dub.5.* docet etiam in hoc casu Carthusiensem monachum tuta conscientia posse carnibus abstinere: vt legem seruet.

Cap. VII.

De potestate legis humanæ pœnam in reos constituentis,

PRIMO quæritur, An lex pœnam irrogans, ita alliger in foro conscientiæ reos, vt pœnam

ipsam

ipsam ante condemnationem criminis debeant sustinere; hoc est, an ipse reus legis pœnam à sei ipso repetere, & sumere, siue an ipse per se tacita conscientia luere iure cogatur. Alphonsus Castrensis, vel propter hanc vnam quæstionem edidit duos libros, De lege pœnali. Hanc item controuersiam tractarunt Sotus *libro primo de Iustitia, & Iure q.6.art.6.* Cordubensis in suis quæstionibus *lib.1.q.36.* Couarruuias de Matrimonio *p.2.cap.6.§.8.nu.10.* Tyraquel *loco infrà citando.*

De hoc sunt duæ opiniones. Prima dicit, quandocunque lex continet pœnam ipso facto, vel ipso iure latam; ita obligationem inducit, vt eam pœnam reus persoluere cogatur in foro conscientiæ, etiam ante vllam criminis declarationem, & condemnationem: ita, vt criminosus statim in pœnam ipsam incurrat; at verò quando lex pœnam non latam ipso facto, vel ipso iure, sed duntaxat continet inferendam post criminis cõdemnationem, reus in foro conscientiæ ante Iudicis sententiam eam pœnam non contrahit; ita vt sibi ipse eam infligere nullo iure compellatur, nec ipsam soluere debeat. Quam opinionem multis argumentis tueri, & probare nititur Alphonsus Castrens. *lib.2.de lege pœna.c.8. & 9.* vbi citat Abbatem, & alios, sic etiam Tyraquel. *in l.si vnquam.C.de reuo.dona.nu.265.* vbi producit Abbatem, Felinum, & alios. Reuera ante eos idem sensit Abb. *in cap. Dilecti. de arbitr.* & Felinus *cap.1. de constitut. & quidam alij.* Secunda opinio docet, non omnem legem etiamsi ipso facto, vel ipso iure pœnam constituat non obtemperantibus, gignere obligationem, qua debeat reus luere, & soluere pœnam in foro conscientiæ, ante Iudicis sententiam. Hanc opinionem esse communem inter omnes Canonici, & ciuilis iuris interpretes, & Theologos ait Syluester, & pro ea citat Ioannem Andream, Archidiaconum, Imolam, Alexãdrum, & alios. Sylueſt. *assasinus q.5.* Tabien. *Armilla. assasinus.* Angel. *pœna n.3.* Sic Ioan. Andr. Gemin. Anchara. & Franch. *in c.pro humani. de homicid. in 6.* Caietan. *2.2.quæst.62. art.3.* Conra. *de contra. tract.1.q.7.2. conclusione.* Communem esse affirmant quoque Felinus, Sotus, Couarruuias, Cordubensis: quare ea quoque opinio, quia communi consensu recepta, mihi verior videtur, indeque probabilior etiam appareret, quòd nullo iure probatur, omnem pœnam ipso iure latam contrahi, nec in vniuersum eum, qui legi non paret, pœnam subire debere in foro conscientiæ, ante delicti condemnationem, vel saltem declarationem, nisi id fuerit lege imperatum expresè, vel tacitè; quod quomodo accidat, dicemus inferius: & multo minus cogi reum pœnam legis statim persoluere secundum conscientiam, antequam fuerit criminis condemnatus, vel saltem antequam iudicis sententia declaretur, eum contra legem peccasse. Et sciendum est crimina quædam esse, ob quæ iure ciuili, vel canonico bona criminosi addicta sunt fisco; primum est hæresis. *c. cum secundum leges. de hæreti. in 6.* Secundum est crimẽ, cum quis contrahit nuptias incestas *eodem cap. cum secundum leges:* Tertium est crimen læsæ maiestatis, cum quis hostili animo aduersus rempublicam, vel principem est animatus. *l.vit. ff. ad legem Iuliam. maiesta.* Quartum est, cum quis transuehit prohibitas species, seu merces, vt is, qui defert ad Saracenos ferrum, arma, ligna, & qui rerum vectarũ professionem omittit, *cap. ita quorundam, de Iude. & l.vlti. ff. de vectiga. §. Iiuus.* Quintum est, cum quis Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuerit insectatus, vel percusserit, vel cœperit, aut id fieri mandauerit, vel iuuerit facientem, vel ratum factum habuerit, vel consilium dederit, aut facientem defenderit, vel receperit scienter. *c.felicis, de pœnis. in 6.*

Verùm contra hæc obijcit non pauca Alphonsus Castrensis. Primò: quia pœna excommunicationis, suspensionis, Interdicti, & Irregularitatis, in foro conscientiæ contrahitur statim atque commissum est crimen contra legem, quæ ipso facto, vel ipso iure hasce pœnas irrogat. Respondeo, non eandem, sed longè diuersam esse rationem in his pœnis. Nam per has pœnas priuat Ecclesia reos suis bonis, non bonis ipsorum, nimirum suis suffragijs, beneficijs, & fructibus, suorũ ciuium consortio, suis itidem sacramentis. Aliud verò est, quando lex pœnam constituit, per quam nocentes suarum rerum dominio priuantur; de his enim legibus loquimur in præsentia, quæ tanquam pœnam bonorum publicationem nocentibus irrogant: & dicimus earum violatores non debere sua bona dimittere, & reddere Fisco ante Iudicis sententiam, quoniam id facere, nullo iure coguntur. Secundò obijcit Castrensis, inde fieri, vt nullum sit discrimen inter leges, quę pœnam continent ipso facto, vel ipso iure latam: & eas, quę pœnam decernunt Iudicis sententia non obtemperantibus inferendam. Respondeo, magnam esse differentiam: nam iuxta leges, quæ pœnam continent ipso iure latam, Iudex sententiam pronunciat, qua crimen contra legem esse factum declaratur; & proindè reum pœnam legis contraxisse: at verò iuxta eas, quæ pœnam statuunt sententia iudicis inferendam, non solùm sentẽtia Iudicis fertur, vt crimen declaretur, sed etiam vt reus condemnetur ad pœnam legis persoluendam. Præterea, iuxta illas leges auctoritate Iudicis declarato crimine, retrotrahitur sententia, & bona nocentis, siue criminosi sibi vendicat fiscus à die commissi criminis: ita vt ab ea die bona eius apprehendantur, etiamsi alienata in alios transierint: At verò iuxta has leges sententia fertur, nec tamen à die sceleris admissi retro agitur, sed ab eo tempore vim suã incipit habere, quo est à Iudice pronunciata. Tertiò obijcit Alphonsus id, quod habetur *in cap. Cùm secundum, de Hæreticis in Sexto:* ibi enim decernitur, vt Hæretici, & rei læsę maiestatis, & ij, qui contrahunt nuptias incestas à die admissi criminis sint suis bonis priuati, & eo ipso eiusmodi bona sint fisco addicta. Respondeo, ex eo capite solùm inferri, eos, quorum bona sunt ipso iure in reipublicæ potestatem redacta, & ad Fiscum principis pertinentia, propter crimen contra legem admissum, esse effectos inhabiles à die commissi delicti ad bona sua alienanda; non tamen debere in foro conscientiæ ante Iudicis sententiam ea statim fisco tradere. Quod si obijcias, à die patrati criminis ea bona esse iam fisco principis addicta, ergò transierunt in fiscum tanquam dominum. Respondeo, parum referre, transierint illa bona in dominium fisci an non: qua de re quæstione proxi-

mè se-

mè sequenti dicetur: solùm negamus reum lege compelli ad ea bona reddenda fisco in foro conscientiæ, ante criminis condemnationem, seu potiùs declarationem. Fatemur quidem esse iam reipublicæ potestati subiecta, & ad fiscum principis pertinere à die facinoris editi, sed hoc solũ pacto, vt fiscus publicus ius habeat ea capiendi post condemnationem criminis, vbicumque ea deprehenderit à die commissi delicti.

Quartò arguit plurimas esse leges constituentes tanquam pœnam, vt in foro conscientiæ hoc vel illud restituere debeant, qui contra fecerint: multas item esse Ecclesiæ leges, quæ priuant ipso facto, vel ipso iure reos Beneficijs, aut Beneficiorum fructibus, etiam in ipso foro cõscientiæ ante Iudicis sententiam. Respondemus, nequaquam negare nos, posse leges aliquas Canonicas, vel Ciuiles constitui interponentes pœnam ipso facto, vel iure in foro conscientiæ persoluendam, differiri tamẽ eas omnes leges, quæ ipso iure, vel facto bonorum publicationem continent, tales esse, vt adigant reos ad sua bona reddenda fisco in foro conscientiæ ante Iudicis sententiam. Fatemur item, si lex aliqua ita pœnam constituat, vt verbis exprimat, debere fontes in foro conscientiæ, vel ante criminis declarationem hoc, aut illud facere, soluere, tradere, restituere, eam pœnam statim esse in foro conscientiæ luendam: nisi tamen lex hoc explicet, negamus reum in foro conscientiæ lege compelli ad pœnam soluendã ante Iudicis sententiã. Quintò, opponit Castrensis, nullam esse repugnantiam, si quis sit reus, & nihilominus ipse de se pœnam sumat: nam auctoritate Magistratus, & Iudicis potest reus condemnari, vt per seipse pœnam persoluat, sustineat, & in se ipse animaduertat: ergò nihil est absurdi, si lex nocentibus pœnam irroget, quam in foro conscientiæ soluere debeant. Respondeo, non esse ex rei quidem natura repugnantiam, si idem ipse, qui reus est, pœnam persoluat, & à se exigat, ac sumat, vt idem sit reus, & vindex; negamus tamen voluisse leges ad hoc nocentes adigere, vt ipsi per se pœnas in foro cõscientiæ luant, atque sustineant, antequam Iudicis sententia, vt criminosi declarentur. Ac licet possint leges ad id faciendum fontes adstringere, haud tamen adstringunt, nisi cùm id verbis expresserint. At dubiæ quæstionis est, an cùm quis ob crimẽ infamis est ipso iure, necessaria sit criminis declaratio, vt repellatur ab officijs, dignitatibus, ordinibus consequendis, à testimonio in iudicio reddendo in causa criminali, ab accusando, à postulando, à quibus omnibus leges, & iura infames prohibẽt. Respondeo, distinguendum hic esse: nam ad repellendum, & impediendum infamem, ne ea bona consequatur, sufficit, vel criminis declaratio, vel propria confessio ipsius infamis in iudicio, vel criminis euidẽtia, vt docere videntur Archidiaconus, & Ancharanus *in cap. Felicis, de pœnis in 6.* sed ad amittendum & deponendum officium publicum, dignitatem, beneficium Ecclesiasticum, quod ante habebat, necessaria est criminis declaratio, vel propria cõfessio in iudicio, nec sufficit delicti euidentia: quia pœnæ, & odia restringuntur.

Secundò quæritur, An ij, quos ipso iure, vel facto ob delictum lex humana bonorum suorũ dominio priuat, eo ipso in foro cõscientiæ ante sententiam Iudicis priuati sint dominio, & proprietate bonorum? Duæ sunt sententiæ, vna vult eos esse priuatos: quæ sententia communi Canonici, & ciuilis iuris interpretum, & Theologorũ consensu recepta est. Sic enim sentiunt Ioannes Andreas, Dominicus, Petrus, Ancharanus, Philippus Francus, & cæteri *in cap. Cum secundum leges, de Hæreticis in Sexto*: Ita etiam inter Theologos Conr. *de contra. tract. 1. quæst. 7. conclus. 2.* Cai. *2. 2. q. 62. art. 3.* Medin. *de reb. restitu. q. 6. 3. post rerum dominium.* Castren. *lib. 2. de lege pœna. cap. 10. & 11.* & alij. Quod probant, quia planè in vtroque iure, Ciuili, & Canonico statuitur, esse aliqua crimina, ob quæ criminosi ipso iure amittunt suorum bonorum dominium, vt habetur *in cap. Cum secundum leges. de Hæreticis.* Secunda opinio tradit, eos non esse suorum bonorum dominio priuatos: quam sententiam tuentur Victo. *in relect. de indiss. par. 1. nu. 14.* Sot. loco citato. Simanc. *tit. 9. citato, nu. 228.* Archidia. *in ca. cum secundum leges, de Hæreti. in 6.* & quidam alij. Qui eo vnico argumento nituntur, eò quòd pœna legis in foro conscientiæ ante sententiam Iudicis nunquam contrahitur, nisi quando id lege ipsa fuerit expressum. Deindè, si dominio, vel proprietate suorum bonorum carerent, ea retinere tuta conscientia non possent, cum res aliena sit omnino restituenda. Accedit etiam, quòd eorum bonorum proprietas, & dominium esset penes fiscum, cui ea ob crimen deferuntur; & proindè compellerentur tacita conscientia ad ea reddenda fisco ante vllam criminis condemnationem. Adde his, quod legitur in l. quæsitum est. ff. qui, & à quibus manumissi; *quæsitum est an is; qui maiestatis crimine reus est factus, manumittere posit, quoniam ante damnationem dominus est? & in l. ex iudiciorũ. ff. de accusa.* dicitur. *Ex quo quis maiestatis crimen contraxit, nihil ex bonis suis alienare, aut manumittere eum posse*; vbi sex dicit ex bonis suis. Ergò ante condemnationem criminis dominus est bonorum suorum, quamuis lex impediat, quominus ea alienet.

Ad argumenta verò proposita respondemus: Ad primum negantes nullam pœnam legis ipso iure contrahi in foro conscientiæ ante condemnationem criminis: ostendemus enim inferiùs, aliquas esse leges pœnam sancientes, in quã criminosi, ipso facto, incidunt ante Iudicis sententiam. Ad secundum respondeo, non continuò sequi, vt peccati rei, lege compellãtur ad bona sua tradenda, aut relinquenda fisco, quamuis ipsi sint suorum bonorum dominio priuati: quoniam vt quæstione proximè sequenti patebit, leges eos deijciunt à dominio bonorum; à possessione verò, & administratione nõ item. Ad tertium similiter, fatemur penes fiscum esse dominium bonorum à die commissi criminis; manere tamen penes ipsos reos possessionem, & administrationẽ: nam leges adimunt quidem dominium, sed non possessionem.

Tertiò quæritur, An ij, qui ipso iure ob delictum, bonorum dominio priuantur, debeant in foro conscientiæ reddere bona sua fisco ante criminis cõdemnationem? Tres sunt opiniones, prima docet in vniuersum ad id eos lege compelli. Hanc tuetur Alphonsus Castren. *libr. 2. de leg. pœna.*

cap.10. & 11. vbi alios citat, & ante eum Abbas, & quidam alij tum Ciuilis, tum Canonici iuris interpretes. Tiraq. *in l. si vnquam. C. de reuoca. donation. num.291.* sequitur hanc opinionem, & pro ea citat Abbatem, Felinum, Bartholum, Corsettum, & alios. Secunda opinio respondet: aut crimen, inquit, est notorium ob euidentiam facti, aut secus. Si primum, nulla est opus declaratione criminis, vt reus adigatur ad sua bona fisco reddenda; sed is statim in foro conscientiæ lege ipsa compellitur ad ea fisco tradenda. Si secundum, necessaria est delicti declaratio auctoritate Iudicis. Tertia sententia docet, generaliter ante condemnationem criminis nullam esse obligationem in foro cõscientiæ, qua reus cogatur reddere bona fisco: quæ opinio est communis inter Canonici, & Ciuilis iuris interpretes, Theologos, & Summistas, & hæc est amplectẽda. Sot. Cord. Couar. Syl. Tab. Armil. Ange. locis supra citatis hanc sententiam sequuntur. Primò, quia consuetudo est optima legum interpres: sed vsu receptum est, vt leges pœnam huiusmodi statuentes in eum sensum accipiantur, vt ipso facto, nocentes dominio bonorum suorum priuentur; non tamen possessione, & administratione. Deinde, quia iuxta iuris regulam, Pœnæ, & odia sunt restringenda, ergo talis pœna legum, benignius, & mitius exponi debet: nimirum ipso iure, vel facto bona sint publicata, & addicta fisco, eò quòd dominium, & proprietas eorum, nõ autem possessio à die commissi criminis ad fiscum pertineat.

Verùm obijcit Castrensis, *In ca. Cum secundum leges, de Hæreticis. in 6.* postquam enumerantur leges aliquæ Ciuiles, & Canonicæ, quæ ipso iure irrogant pœnam publicationis bonorum, statim subiungitur: *Fiscus tamen non capiat, aut apprehendat bona, quousque sententia Iudicis in reum sit promulgata.* quibus verbis non conceditur, aut permittitur reo possessio bonorum; sed prohibetur fiscus publicus, ea sibi capere, aut vendicare, antequam condemnatio criminis proferatur. Vtraque enim possunt inter se constare: & quòd fiscus nequeat capere bona ante sententiam, & quòd reus debeat tacita conscientia ante criminis condemnationem ea fisco reddere: Respondeo, more esse receptum, vt prædicta eius capitis verba in eum sensum accipiantur, vt nec fiscus bona sibi capiat, & vendicet, ante sententiam Iudicis, nec reus bona sua reddat ante criminis condemnationem. Secundò obijcitur, quod *in cap. Euidentiam, de Accusationibus* dicitur: *Euidentia criminis patrati non indiget clamore accusatoris*: Ergò cum ob euidentiam facti notorium est crimen, nõ oportet condemnationem criminis pronunciare. Respondeo, iuxta Glossam *in eo capite*: Quando crimen est notorium, euidentiam facti haberi vice accusatoris, nimirũ, vt Iudex fungens munere, & officio suo, sine vllo alio accusatore, iure possit in iudicio procedere vsque ad sententiam ferendam. Euidentia igitur facti, est vice, & loco accusatoris, non item sententiæ. Sufficit tamen, si reus suum crimen fuerit in iudicio confessus. Medi. *de reb. restit. q.1. §. post rerum dominium*; tunc ius est fisco capiendi bona. Sed quæstionis est dubiæ, an saltem quando leges, siue statuta ob crimen priuant aliquem nõ bonis, quæ ante in patrimonio suo habebat, sed ijs tantùm bonis, quæ ab ipso principe, vel republica habet, debeat criminosus tacita conscientia ea bona dimittere, & restituere ante vllam criminis declarationem: Verbi gratia, in academijs, religiosorum ordinibus, collegijs, ciuitatibus solent esse statuta, vt qui hoc, vel illud delictum admiserit, careat iure eligendi, suffragium ferendi, item eligi nequeat; item officium, dignitatem, administrationem, beneficium amittat, sit priuatus muneribus, quæ acceperit. Sotus sentit reum ante declarationem delicti restituere, aut dimittere hæc etiam bona non debere: quoniam licet statuta priuata sint, ea interpretari debemus iuxta iuris communis regulas. Item, fundatorum, & legislatorum mentem probabiliter credere possumus, cum iure communi congruere, ita vt voluerint ius commune in hac parte locum habere. Aliorum tamen est opinio reum ante declarationem criminis tacita conscientia hæc bona dimittere, & restituere debere: quia sunt data ea conditione, ne hoc aut illud faciamus. Ergo sunt leges conuentionales, non pœnales: item, quia potiùs impediunt, ne acquiramus, quàm priuant, & spoliant acquisitis; certè vtraque sententia est probabilis: prima est mitior, & iuri communi magis consentanea: Secunda videtur probabilis.

Quartò quæritur, An sint aliquæ pœnæ legib° constitutæ, quæ ipso facto, & iure contrahantur in foro conscientiæ ante vllam criminis condẽnationem? Sot. *lib. 1. de iust. q. 6. ar. 6.* videtur contendere nullas esse eiusmodi pœnas, nisi id leges expresserint. Fatetur enim leges, quæ pœnas irrogant his verbis: Qui hoc, aut illud fecerit, ipso iure vel facto in foro cõscientiæ, vel ante vllam sententiam Iudicis, vel criminis condemnationem, hoc, vel illud facere, aut pati, & sustinere debeat, habere vim adigendi criminosos ad pœnas ipsas in foro conscientiæ sustinendas. Concedit item leges, quæ sunt cõuentiones, & pacta, compellere in foro conscientiæ eos, qui contra faciunt, ad pœnam quam irrogant persoluendã. His exceptis, ait Sotus, in vniuersum nulla lege compelli nocentes, ad pœnam in foro conscientiæ perferendam. Alphonsus Castr. *lib. 2. de lege pœnali. ca. 8. & 9.* contra, ex multis legibus conatur ostendere, pœnam legis aliquando deberi in foro conscientiæ ante cõdemnationem criminis. Cai. *2.2. q. 62. a. 3.* legis pœnas distinguit, alias dicens in agendo, alias in patiendo consistere; & eas quidem, quæ in patiendo versantur, contrahi in foro conscientiæ ante condemnationem criminis, tales sunt eæ pœnæ, quæ reum cõmodo aliquo, aut iure, emolumẽto, aut bono priuant, cuiusmodi sunt excommunicatio, suspensio, Interdictum, Irregularitas, infamia, publicatio bonorum, amissio beneficij, vel fructuum, eius inhabilitas ad aliquid obtinendum, vel faciendum: nam, eo ipso, irritũ, & inane cẽsetur, si quid obtinuerit, vel si quid fecerit: hæc enim pœna non spoliat reum iure, quod habet, sed impedit, ne ius adquirat. Eas verò, quæ in agendo sunt, pœnas nequaquam debere reos in foro conscientiæ ante criminis condemnationem luere: cuius generis sunt, quæ sequuntur; pœna capitis, amputatio mẽbri, carcer, exilium, mulcta pecuniaria, condemnatio ad tri-

remes,

remes, ad metalla, ad bestias, & id genus similes pœnæ: nam ad illas primas, inquit, non requiritur actio, vt executioni mandentur: ad has vltimas verò semper est aliqua actio necessaria, vt suum sortiantur effectum. Neq; verò in summa, *verbo, pœna statutorum*, sibi Caietanus aduersatur, vt quidam existimant, vbi docet pœnam lege statutam, licet non debeat aliquis in foro conscientiæ subire, nisi postquam de crimine est à Iudice condemnatus, hoc tamen, inquit, fallit in duobus casibus, in censuris scilicet, & testamentarijs pœnis. Hoc ibi Caietanus, quod minimè pugnat cum primo: quoniam, non negat his verbis pœnam legis, quę nos aliquo iure, vel commodo, & emolumento priuat, cõtrahi in foro conscientiæ ante condemnationem criminis; Sed solùm docet neminem lege compelli in foro conscientiæ ad perferendam pœnam, hoc est, ad soluendam, vel exigendam, & sumendam à seipso, quo verbo significat loqui se de pœna legis actionem requirente, vt executioni mandetur: quo etiam modo accipi debet, quod ait Glossa *in c. Fraternitas 12. q. 2.* nunquam lege pœnali reos adigi ad pœnam in foro conscientiæ persoluendam.

Quod igitur attinet ad propositam cõtrouersiam, de ea hæc mihi videtur dicenda. Primò, nequaquam esse dubitandum, aliquas pœnas in foro conscientię ipso iure, vel facto contrahi, quicquid Sotus dicat. Nam vt cæteras pœnas omittã, saltem ij, quorum ob crimẽ, ipso facto, bona publicantur, & fisco principis addicuntur, pœnam aliquam subeũt, quoniam à die sceleris commissi, si bona alienent, & distrahant, non ita ratæ, & firmæ sunt alienationes, vt rescindi nequeant, nã si postea eorum flagitium condemnetur, siue declaretur sententia Iudicis, omnes alienationes bonorum à die perpetrati facinoris factæ soluũtur: quæ certè pœna est, eò quòd alienationes ita fiunt, vt rescindi queant, & facinorosi ipsi quodammodo sunt inepti, & inhabiles, aut impediti ad bona sua distrahenda. Secundò, quando sunt leges, quæ secundum conscientiam ante vllam Iudicis sententiam ipso facto, commodo, vel iure, & actione, vel bono aliquo priuant, in foro conscientiæ iuxta probabilem sententiam contrahuntur huiusmodi pœnæ, quales sunt multæ leges Collegiorum, Academiarum, Religiosorum ordinum, Ciuitatum, populorum, quibus ob delictum aliqui priuantur suffragio actiuo, vel passiuo, vt vocãt, ita vt nec eligere, nec eligi queant: Tales etiam esse solent constitutiones Principum, vel ciuitatũ, quibus Magistratus, Iudices, Notarij, tabelliones, & alij id genus publici ministri, ipso iure priuantur muneribus, si quę acceperint à litigantibus. Multæ item leges Ecclesiasticæ, quibus Clerici ipso facto, ante criminis cõdemnationem spoliantur Beneficijs, ministerijs, officijs, honoribus, dignitatibus, aut suorum beneficiorum fructibus; ita vt beneficia ipso iure vacent, & tanquam vacantia impetrari, & conferri queant ante criminis condemnationem, vt suo loco dicam. Nec est, quod Sotus respondeat, omnes huiusmodi leges potiùs esse cõuentiones, quàm constitutiones: non enim negari potest eas esse propriè, & simpliciter leges, cum sanciantur à Principe, vel ab eo, qui ius, & potestatem habet condendi legem, & cum vim habeant compellẽdi conscientias ad id, quod imperant, exequendum. Non est item vlla ratio, cur dicat Sotus non esse propriè, & simpliciter pœnas, sed potiùs sententias, quibus aliqui inepti, & inhabiles reddãtur ad aliquid faciendum, aut quibus tanquam obstaculis quibusdam impediuntur. Non enim dubitari potest, quin pœnæ sint, siquidem ob crimen constitutæ in foro conscientiæ persoluuntur. Tertiò, certum mihi esse videtur, multas esse leges, quæ reos ipso iure bonis quibusdã priuant, quam pœnam in foro conscientiæ contrahi puto: quales sunt, quibus ob crimen aliqui ipso iure redduntur infames, & proindè ad multa inepti, & inhabiles: tales etiam sunt, quibus alij, ipso iure, sua bona amittunt, hoc est, dominio, & proprietate priuantur, non è possessione deijciuntur; item, & eæ, quibus aliqui efficiuntur inhabiles ad aliquid in posterum accipiẽdum, acquirendum, retinendum, impetrandum, faciendum, testandum, contrahendum, & alienandum: nec non, & eæ, quibus ipso iure aliqui impediuntur, ne dominium eorũ bonorum sibi acquirant, quæ donantur eis, vel quæ deuoluuntur, deferuntur, vel transferuntur ad eos. Postremò, dubitari non potest, quin possint leges, & constitutiones sanciri, quibus aliquis in foro conscientiæ restituere cogatur, si quid acceperit: quoniam, eo ipso, leges constituisse videntur, vt is sit inhabilis ad acquirẽdum, quod est sibi donatum, aut retinendum, quod aliquo modo acquisiuit. Item, mulctam pecuniariã in foro conscientiæ soluendam potest constitutio imperare.

Quintò quæritur, An fructus, siue extantes, siue consumpti bonorum, quæ ipso iure propter crimina fisco principis addicta sunt, ipsi fisco post declaratum crimen debeantur à die commissi delicti, an potiùs à die litis contestatæ. Duas opiniones iurisconsultorum inuenio, vt referunt Couar. *de matrim. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 6. & 7.* & Tiraq. *in l. si vnquam. C. de reuocan. dona. ver. reuertatur, numer. 268.* vna affirmat omnes fructus repeti, & capi à fisco, à die commissi criminis, & hanc sequuntur Paulus Castrensis, Salicetus, Alexander, Imolensis, Iason, & alij, quos citat, & sequitur Tiraquellus: hanc dicit esse communem Couarruuias. Altera docet solùm ad fiscum pertinere à die litis contestatæ, quam sequuti sunt ij, quos citant Couarruuias, & Tiraquellus. Sed prima est verior.

Sextò queritur, An pœna in foro interiori debeatur, & soluenda sit, quando lex pœnalis addiderit ad pœnam contrahendam nullam requiri sententiam, vt habetur *in c. pro humani, de homici. in 6.* Respondeo cum Archidiacono *in ca. pro humani citato*, si lex solùm addiderit, pœnam contrahi ante sententiam, eam non deberi, nisi post sententiam, qua declaretur commissum esse crimẽ: quoniam eiusmodi leges, & iura intelliguntur sic; nullam requiri sententiam, qua criminosi ad pœnam perferendam damnentur: hanc sententiam Archidiacono communi consensu, cæteri receperunt, Ioan. Andr. Anchar. Geminia. Franchus *in illo cap. pro humani citato.* Syl. *assassinus num. 5. & Emphyteuticis q. 2.* Ange. *pœna. q. 3.* Tabien. & Armil. *assassinus*, & citant etiam Alexandrũ Imolensem. Quid,

inquies, si lex pœnalis dixerit, ad pœnam contrahendam nullam requiri sententiam, qua declaretur crimen esse factum, *vt habetur in constitutione Pauli 2. ambitiosæ: de reb. Eccle. non alien.* Sylvester, Tabiensis, Armilla sentiunt; tunc pœnam in foro interiori esse soluendam, ante declarationem commissi criminis, quoniam perindè est, ac si lex edixisset, vt criminosus pœnam soluat in foro conscientiæ. Sed Couarr. *in ca. citato §. 8. nu. 10.* propè finem cõtra Sylvestrum, docet etiam tunc pœnam non esse soluendam, antequam sententia Iudicis declaratum sit delictum. Sotus *lib. 1. de iust. q. 6. ar. 6.* ad finem dubitat, an opinio Sylvestri sit vera. Mihi certè verior videtur, quàm sententia Couarruuiæ. At conuenit inter omnes, quando lex dixerit, pœnam in foro conscientię statim deberi, eam esse soluendam ante declarationem criminis.

Septimò quæritur, An si ij, quorum bona ob crimen sunt ipso iure publicata, & fisco addicta, alienent ea ante delicti condemnationem, culpa careant: & an item ratæ sint, & firmæ eiusmodi alienationes? Respondeo, eos non peccare in alienandis suis bonis, quotiescunque alienant ea, ob aliquid comparandum ad vitæ vsus necessarium: nimirum, si id faciant ob alimenta sui, vel suorum conquirenda. Ita Sylu. *hæresis. 1. q. 8. versicu. vndè donatio.* Angel. *pœna. q. 3.* ex Archidia. Ioan. Andre. Abbate, Bartholo, & alijs. Præterea, si crimẽ ita est occultum, vt ad forum iudiciale deferri nequeat, non peccant in alienandis suis bonis, quoniam damno neminem afficiunt: non fiscum, qui in bona eorum nondum ius acquisiuit, cum ei non debeantur, nisi post sceleris condemnationem: non emptorem, cui bona sua vendiderunt, cum crimen nunquam possit in foro iudiciali damnari, nisi sententia Iudicis pronũciata: & cum facinus sit omnino occultum, cognosci, & conuinci in Iudicio non potest. Syl. Angel. locis citatis. Item, etiamsi commissum esse delictũ in Iudicio probari queat, non peccant huiusmodi rei, bona sua vendendo alteri; si eum nullo vnquam incommodo afficiendum curent, nempè si eo animo parati sint, vt emptoris omne damnũ, quod fuerit perpessus, alia æquali re compensent, si crimen fuerit in foro iudiciali damnatũ; aut si emptorem moneant de periculo, cui sunt eorum bona exposita: quemadmodũ si quis rem furtiuam, quam bona fide emerat, vendat alteri, & eum certiorem faciat de rei venditæ vitio, & conditione, non peccat, eò quòd ipsum non decipit. Sylu. & Angel. & alij locis citatis. Præterea, si tales facinorosi bona sua alienent, solùm gratis, & liberaliter donãdo alteri, aut cum alijs bonis pretio, & æstimatione æqualibus permutãdo, in eo minimè delinquunt: neque enim fisco damnum inferunt, siquidem rem æqualem sibi acquirũt: nec ei, cui donant, vel cuius cum bonis permutant: nam si postea criminis cõuicti, condemnatiq; fuerint, donatarius solus hisce bonis spoliabitur, quæ dono acceperat, aut rem suam, quã cum alia commutauerat, sibi recuperabit. Sylu. & Angel. Adhæc, si huiusmodi alienationes, factæ sint cum onere, vel damno alicuius alterius, peccatum est in bonis alienandis; vt si vendant alteri, vel si dotis, aut nuptiarum causa donent: & tunc non est peccatum iniustitiæ cõtra fiscum, qui ante criminis condemnationem ius in bonis nondum acquisierat, sed contra emptorem, vel alium, cui damni verisimile periculum imminet. Sylu. & Angel. & reliqui locis citatis.

Quòd ad secundum, quod quęrebatur, attinet; An scilicet valeant alienationes? dicimus vtriusque iuris doctores communi consensu respondere, eas non valere, hoc est, nullius esse ponderis, & firmamenti, præsertim quando crimen est læsæ maiestatis, vel hæresis. Quod probant ex l. Quisquis, §. Emancipatio, & l. vltima. C. ad legem Iuliam maiestatis; in quibus decernitur: Si quis crimen læsæ maiestatis incurrerit, omnia bona eius à die criminis admissi publicari, hoc est in reipublicæ, vel principis potestatem redigi, & omnes alienationes bonorum, manumissiones seruorum, emancipationes filiorum rescindi debere. Dicendum itaque est, alienationes ante condemnationem criminis factas, nõ esse simpliciter ratas, & firmas, eò quòd pendent semper ex conditione futura, scilicet, ex condemnatione delicti. Si crimen enim commissum esse probatum fuerit, dissoluuntur omnes obligationes, si autem nunquam probetur, vim suam habent, & nunquam dirimuntur.

Octauò quæritur, Quænam bona, & commoda propter crimina publicentur? Respondeo, ex communi sententia Canonici, & ciuilis iuris interpretum, quam habet Simancas *de Catholicis institutionibus titul. 9.* propter crimen præsertim læsæ maiestatis, & pari ratione propter hæresim, à die commissi delicti publicari ipso iure omnia bona mobilia, immobilia, & se mouẽtia; iura quoq;, & actiones, quæ dicuntur bona incorporalia, Simancas *tit. 9. nu. 7.* Vndè serui, & ancillæ, & animalia cum cæteris bonis fisco deferuntur. Siman. *tit. 9. nu. 11.* imò si aliqua ex contractu conditionali debeantur reis, ad fiscum quoque pertinent subsecuta conditione; & ius ipsum cõditionis implendæ ad fiscum tranfit; si modò fiscus cõmodè conditioni parere possit. Siman. *tit. 9. nu. 12.* Quare si vxor criminosa sit, omnia eius bona dotalia, & paraphernalia, & donata, & accepta propter nuptias, quæ alicubi dicuntur arrhæ, & omnia lucra, quæ constante matrimonio, alicubi constitutionibus Principum, vel statutis populorum ad vxorem pertinent, publicantur. Siman. *tit. 9. num. 12.* item, si filius familias sit criminosus, publicatur peculium eius Castrẽse, & quasi Castrense, & aduentitium: quia huiusmodi peculiorum proprietas, & dominiũ est penes filium familias, non patrem: & proinde publicato peculio aduentitio, non amplius pater habet vsum fructum, quia statim vsus fructus proprietate consolidatus ad filium criminosum, & propterea ad fiscũ spectat, eò quòd maxima capitis diminutione ius patriæ potestatis soluitur, cui cõsequens est, vt vsus fructus amittatur, cũ proprietate ad filium perueniat. Si pater sit criminosus, omnia eius bona publicantur, peculium quoque profectitium, quoniam eius proprietas est penes patrem; licet sit penes filium administratio. Ita quoq; publicatis bonis mariti, publicantur omnia, quorum dominium, & proprietas est penes ipsum: hæc omnia Siman. *tit. 9. num. 12.*

Ex his perſpicitur, quænam bona penes reum criminis inuenta non publicentur; publicatis enim viri bonis, dos integra reſtituitur vxori; bona item paraphernalia, & cętera, quorũ proprietas, & dominium eſt vxoris: cuiuſmodi ſunt accepta propter nuptias, & pars lucrorum conſtãte matrimonio acquiſita, & dona accepta ab alijs, præterquam à viro, Simanca. *tit. 9. nu. 67. & ſequent.* Item patrefamilias criminoſo deprehenſo vſus fructus, quem habet in bonis filij aduẽtitijs, non publicatur; quia cùm filius ſui iuris efficiatur, conſequens eſt, vt vſus fructus ad eum cum proprietate pertineat. Publicatis bonis filijfamilias, non publicatur portio illa legitima, quę ipſi poſt patris obitum debetur: nec publicatur item peculium profectitiũ, quia eius proprietas pertinet ad patrem. Præterea generaliter publicatis facinoroſi bonis, non publicantur bona futura, hoc eſt, quæ poſtea acquiruntur; ſed tantùm ea, quę ipſe reus criminis habet, cum delicti damnatur. Vnde iura conditionalia ex vltima voluntate pendentia, ſi conditio impleta fuerit poſt condemnationem criminis, ad fiſcum non tranſeũt, ipſa quoque debita non publicantur. Item ſiquid alienum reperiatur inter nocentis bona, vtpotè depoſitum, commodatum, conductum, pignori datum, id omne domino reſtitui debet. Vnde creditoribus criminoſi, qui ante crimen erant, debet fiſcus ſatisfacere ex bonis publicatis: nam id bonorum cuiuſque eſſe intelligitur, quod deducto ære alieno ſupereſt. QVAERES, quid ſi Titius pecuniam mutuam dederit Caio criminoſo occulto ante criminis cõdemnationem, an eiuſmodi mutuum pertineat ad fiſcum? Reſpõdeo, ſi mutuum dederit ad eius inopiam ſubleuandam, nõ publicatur. Item ſi criminis reus pecuniam mutuam acceptam conuertit in rem aliquam, vt ſi horreum neceſſarium, vel quippiam ſimile ædificauerit, ſi aliquid iamiam ruiturum refecerit; ſi oliueta penè abſumpta renouauerit; ſi vites propagauerit, arbuſta coluerit, ſeminaria fecerit, flumina cõgeſtis aggeribus auerterit, aut ſi in valetudinem ſuam vel familiæ, aut in funus ſuum, & ſuorum impenderit, tantũdem debet reſtituere. Idem iuris eſt, quando pecunia mutua accepta in res neceſſarias, aut vtiles verſa fuerit, quamuis poſtea res ipſæ caſu perierint. Exempli cauſa, ſi Titius reus frumẽtum mutuum accepit ad familiam alendam, & id in horreo poſitum perijt, tantundem eſt reſtituendum. Similiter ſi ex pecunia mutuò accepta ſeruũ neceſſarium, aut equum emerit, & poſtea ſeruus deceſſit, vel equus interijt, tantundem is, qui mutuum dedit, recuperare debet. Deinde quæres, Quid ſi criminoſus occultus ante condemnationem ſceleris vendiderit aliquid, an fiſcus poſt criminis condemnationem debeat emptori pretium reſtituere? Reſpondeo, ex communi ſententia Ciuilis, & Canonici Iuris interpretum; pretium emptori non eſſe reddendum, quia res vendita eſt ea conditione, vt venditio reſcindi poſſet à fiſco. Nec refert, ſi bona fide emptor cum reo ipſo contraxerit, quoniam rẽ vitium habentem emit, perinde ac is, qui bona fide rem furtiuam pretio comparauit. Si tamẽ pretium ab emptore ſolutum, vel aliud loco pretij eſſet in bonis ipſius nocẽtis, id reſtitui debet emptori, vt docent Io. Andr. Archidi. Domi. Petrus, Ancharanus, Philippus *in c. cum ſecundum leges, de Hæret. in Sexto.* Idem iuris eſt, ſi nõ totum pretium, ſed pars eius in bonis criminoſi ſit: ea ſine dubio eſt emptori reddẽda; nam quod iuris eſt de toto, eſt quoque de parte. Si roges; An quando à lege, vel canone pœna conſtituta eſt in criminoſum, vt ipſo facto ſua bona amittat, iure queat poſt obitum criminoſi delictum in iudicio cognoſci, & tractari, vt bona ipſius fiſcus capiat, non hæredes? Reſpondeo, poſſe, vt ait Gloſſa communi cõſenſu recepta *in l. 3. §. quod autem, ff. quod quiſque iuris.* Hanc eſſe communem ſententiam teſtatur Couar. *in epit. p. 2. c. 6. §. 8. n. 6.* vnde, *c. accuſatus. §. penul. de hæret. in ca. 6. & c. 2. de præſcription. in 6.* hæreticus poteſt poſt mortem condemnari, & bona eius, quæ ad hæredes deuenerant, poſſunt fiſco addici. Si rurſus inquiras, an bona criminoſi poſſit iure præſcriptionis hæres vſu capere contra fiſcum? Reſpõdeo poſſe, vt docet Couarruuias *loco citato*, cõmunem ſententiam ſequutus. Vnde hæredes hæretici, ſi quadraginta annis poſſederint bona ipſius poſt mortem eius, ignorantes eum fuiſſe hæreticum, vſucapiunt ea bona, nec poſſunt à fiſco vexari *cap. 2. de præſcript. §. ſi poſt mortem.* Secus eſt, ſi ſciuerint eum fuiſſe hæreticum, tunc enim hæredes nullo tempore vſucapiunt, vt habetur *in eodem capit.* Addit tamen Couarruuias, bona alterius criminoſi poſſe hæredem legitimo tempore vſucapere, etiam cum mala fide, hoc eſt, etiam ſi nouerit eum fuiſſe criminoſum, ſed de hoc alias dicam.

Simanca tit. 9. num. 81. Simanca tit. 9. nu. 79. Simanca tit. 9. num. 66.

Cap. VIII.

Aliæ quæſtiones ad eandem rem pertinentes diluuntur.

PRIMVM quæritur, An peccet Titius, qui ſciens, Caio reo læſæ maieſtatis, vel Hæretico occulto, donatione, vel teſtamento relinquit aliquid ex ſuis bonis? Reſpondeo, nõ peccare, ſi bona fide per ignorantiam donauerit, vel reliquerit. Item, ſi aliquid donet ob egeſtatem Caij, nullum eſt peccatum; ſi tamen nulla ſit Caij inopia, & certò ſciat criminis Caium eſſe condemnandum tanquam criminoſum, ipſo iure bonis priuatum, peccatum eſt; ſiquidem donat ei, quem nouit eſſe criminoſum, & ſunt donata ad fiſcum deuoluẽda: huiuſmodi enim criminoſi, & ſunt ipſo iure ſuorum bonorum dominio priuati, & effecti inhabiles ad aliquid acquirendum. Quare Titius à die cõmiſſi criminis nullius rei ſibi donatæ, vel teſtamento relictæ dominium poteſt acquirere. Poſt criminis verò declarationem, id, quod teſtamento habet acceptum, pertinet in foro conſcientiæ ad legitimos hæredes eius, qui ipſi legauit: quod verò donatione accepit, debet quoq;, vt ſit tuta conſcientia, reſtituere ei, qui donauit, vel eius hæredibus. Hæc autem intelliguntur, quando is, qui donauit, vel teſtamento reliquit, bona fide id fecerit, criminis prorſus ignarus: nam ſi ſcienter criminoſo donauerit, vel teſtamento legauerit, fiſco deferuntur bona eo modo accepta. Ratio vtriuſq; eſt: quia ſi bona fide donata fuerint, vel relicta, cum donatarius, aut legatarius capax

eorum non sit, consequens est, vt eo ipso, redeant ad donantem, qui per ignorantiam donauit, vel reliquit; Si verò scienter data, relictáue fuerint, ij, qui donarunt, ob culpam, suis bonis donatis, vel testamento relictis meritò spoliantur.

Secundò quæritur, An quando quis ob crimen est ipso iure priuatus administratione publica, beneficio, munere, & officio, quo fungitur, valeant acta eius ante criminis declarationem, quando crimen eius ita populum latet, vt communi errore populus teneatur, aut maior pars eius? Respondeo: Licet quidam dixerint non valere: verius tamen est omnia vi publicæ administrationis, aut muneris, & communis erroris esse firma, & rata, donec crimen sententia Iudicis declaretur, vel omnibus innotescat. Et proinde si sit Magistratus, valent sententiæ pronunciatę: si Tabellio, vel Notarius, valent instrumenta confecta: Si procurator publicus, valent negotia ab eo gesta, Ita Syl. *verbo Hæresis 1.q.8.§.Tertia pœna, ad finem.* Angel. *Pœna.q.3.* & Gloss. *in Authentica, de Tabellionibus verſ. Documentis.* Atq; id ratio ipsa persuadet: quoniam quamuis ob crimen, ipso iure amiserit dominium, vel quasi dominium, titulũ, aut ius, quod habet, retinet tamen ante condemnationem, vel euidẽtiam criminis iuris ipsius administrationẽ, quę in agendo cõsistit. *Et in l. Barbarius, ff. de off. Prætoris*, rata cẽsentur, quæ facta sunt ab eo, qui Prætor non erat; publicè tamen Prætor habebatur: nam omnia acta publica propter vtilitatem eorum, qui apud eum egerunt communi errore bona fide ducti, vt firma, & rata habẽtur: tunc enim respublica, Princeps, & Ecclesia ob communem plebis errorem iurisdictionem dare videtur, ne communis pax, & tranquillitas ciuium perturbetur. Secus est, quando crimen est per euidentiam facti, vel propriam nocentis confessionem in iudicio notorium. Secus etiam est in ijs, qui eius crimen, & pœnam nouerunt: & iuxta hoc intelligitur, quod constituit Gregorius *7. in ca. dudum. 2. de electio.* & tradit Gloss. *in eo cap. verſ. deceptæ.* Secus etiam est in ijs, qui secundum leges, vel Canones intrusi dicuntur in beneficium, officium, dignitatem, vel administrationem, hoc est in ijs, qui sine vlla superioris auctoritate officium, vel beneficium habent, Abbas *in c. nihil. de elect.* Angel. *Confessio. 4. nu. 12.* Rosel. *Confessio 3. n. 41.* Syl. *Confessor. 1. quæst. 19.*

Tertiò quæritur, An si Clericus sit ob crimen ipso iure beneficio Ecclesiastico priuatus, possit tuta conscientia illud retinere ante condemnationem criminis; cum lex dicat ipso facto priuamus, vel ipso iure sit priuatus Beneficio. Respondeo, eum posse, donec deliquisse in iudicio declaratum fuerit, nisi ipsa lex expresserit, vt ipso facto, vel iure debeat in foro conscientiæ beneficium deponere: vel nisi lex sic habeat; vt ipso facto, ante quamlibet criminis declarationem debeat beneficium dimittere. Sic Sylvester, Angelus, Tabienſis, Armilla *locis supra citatis.* Et ratio id conuincit, quia quamuis Clericus, ipso facto, dominium, vel quasi dominium, hoc est, titulum beneficij perdiderit; non tamen administrationem eius, & possessionem. Ex quo deducitur, si eiusmodi Clericus sit parochus, & crimẽ eius occultum quoque sit, valere acta eius; ergò si pœnitentium confessiones excipiat, ratæ sunt, & firmæ, tum cõfessiones, tum absolutiones peccatorum. Si sit Canonicus, & suffragium ferat in ipso Canonicorum Collegio, valet eius suffragium ob communem populi, vel Collegij errorem. Idem iuris est, si quis ob delictum sit ipso iure priuatus Collegio, municipio, ciuitate, ante condemnationem criminis, in foro conscientiæ non cogitur Collegium relinquere, municipium, vel ciuitatem, donec sententia iudicis inde excludatur, & eijciatur: quoniam, licet sit ipso facto iure Collegij, vel municipij priuatus, non tamen è possessione deijcitur; non enim præcipit lex, aut canon, vt in se ipse animaduertat, & pœnam à se sumat. Si tamen quæras, an Clericus ob crimen aliquod, vel factum ipso iure priuatus beneficij fructus faciat suos? Quidam aiunt sibi tum fructus acquirere, eò quod possessio bonæ fidei sine vero titulo dat fructus possessori. Dicendum tamen arbitror, eum fructus non facere suos, vt alibi fusius disputabo: nam fructus beneficiorum sine titulo non acquiruntur, & sicut hoc locum habet, quum initio titulus nõ acquiritur; ita etiam vim habet, cum ob crimen, vel ob factum titulus ad non titulum reducitur. Et quando Clericus, ipso iure, ob crimen, vel ob factum est beneficio priuatus, eius beneficia tanquam vacantia impetrari, & conferri alteri possunt ante criminis condemnationem; beneficiario, qui non ampliùs iure, sed facto tantùm possidet, non vocato: quamuis possessio alteri dari nequeat, eo, qui facto possidet, non vocato, *cap. licet Episcopus, de præb. in 6.* At verò sæpè fructus ipsos etiam iure conscientiæ debet restituere, quando ob factum aliquod, ipso iure, Clericus est beneficio priuatus, vt quando beneficiarius vxorem ducit, quando Episcopus creatur, quando parochus institutus intra annum ad sacerdotium non promouetur, quando beneficiarius religionis professionem emittit: quando aliud beneficium Ecclesiasticum obtinet, quod simul cum primo possideri iure non potest: in his casibus non solùm fructus restituere debet; sed etiam beneficium ipsum deponere ante vllam iudicis sententiam, quoniam non priuatur ipso beneficio ob criminis pœnam, sed ob ipsum factum, & beneficium consequutus est ea tacita cõditione, ne aliquid illorum, quæ dixi, faceret; ergo non est opus iudicis sententia, vt dicam inferiùs.

Quartò quæritur, An post condemnatum sententia Iudicis crimen, Reus statim debeat in foro conscientiæ sua bona fisco reddere, aut Beneficium, & administrationem publicam deponere? Duæ sunt opiniones, Prima docet eum ad id faciendum confestim in foro conscientiæ lege compelli. Sic Abbas, & Felinus, & quidam alij *in cap. 1. de constitutionibus.* Secunda verò sententia dicit in foro conscientiæ id nequaquam eum facere debere, quousq; fiscus eius bona sibi capiat, & vendicet; sed solùm iure compelli ad parendum sententiæ Iudicis, & ministris sententiam exequentibus; his enim obsistere non potest. Ita Couarruuias *de Matrimonio part. 2. cap. 6. §. 8. num. 10.* vbi citat Adrianum, Caietanum, & Decium: atq; hæc sententia probabilior mihi videtur, quoniam

non

non condemnatur reus, vt bona sua fisco per se ipse tradat, aut Beneficiũ dimittat, vel sese administratione publica abdicet: sed solùm sententia fertur, qua declaratur, eum in crimen incurrisse, & proinde in pœnam legis ipso iure cõstitutam, ac statim fiscus ius acquirit, vt sibi eius bona vendicet, & continuò ea omnia capit, & omnes alienationes à die facinoris admissi rescindit: & Respublica similiter confestim Magistratum publica administratione priuat, & Ordinarius Ecclesiæ Antistes Clerico condemnato Beneficium adimit, & alteri cõfert, & quamlibet Beneficij renunciationem à die commissi criminis dissoluit; & hoc ipso, reus huiusmodi pœnas debet in foro conscientiæ sustinere. Et sciendum est, quando post criminis cõdemnationem fiscus bona sibi tradenda curat, reum in foro cõscientiæ compelli ad ea reddẽda, ita vt nihil sibi retinere queat, nihil possit alteri dare. Immò ea bona repetẽte fisco, quicunque alius ea possideat, occultare tuta conscientia nequit, sed debet in foro conscientiæ fisco reddere.

Quintò quæritur, An si huiusmodi reus, cuius bona sunt ipso iure publicata, legitimè à Iudice de crimine rogetur, & id denegauerit, vel celauerit, ratione cuius liberatur à condemnatione criminis, compellendus sit in foro conscientiæ ad eam pœnam soluendam, quam solueret, si crimen esset confessus? Duas inuenio opiniones. Vna docet eum esse ad id compellendum, Sic Sotus *libr. 1. de Iustitia q. 6. art. 6. post concl. 4. vers. verum hic autem adnotato.* Quod probat primò, quia occultando, vel inficiando crimen, impedit sententiam, qua condemnaretur alioqui ad pœnam luendam: Sed qui impedit alterum, ne rem consequatur, in foro cõscientiæ cogitur eam restituere, cui debet. Deinde talis reus denegando crimen, de quo legitimè rogatur à Iudice, peccat contra officium suum, quoniam sicut testis legitimè interrogatus ratione sui muneris & officij, & iustitiæ lege cogitur testificari; sic reus legitimè rogatus, debet veritatem cõfiteri; ergo nisi eam confiteatur contra iustitiam delinquit. Item quicunque contra fas, & ius omne, est causa damni alteri illati, debet in foro conscientiæ id resarcire; sed eiusmodi reus contra leges & iura, est causa, ne fiscus, vel alius, cui ipso iure sunt bona addicta, ea sibi capiat, & vendicet; ergo debet in foro cõscientiæ restituere fisco, vel alteri, ad quem bona ipso iure pertinent. Præterea, nisi iudex iuxta allegata, & probata in iudicio sontem condemnaret ad pœnam legis sustinendam, deberet ipse in foro conscientiæ eam pœnam soluere: ergo pari ratione reus, qui crimen celat, & denegat, ad pœnam luendam lege compellitur, idem cum Soto quidam alij senserunt.

Molin. de iust. tract. 2. disput. 21. prope finem.

Altera opinio negat cogi reum in foro conscientiæ id facere; eo tamen animo esse debere, vt si iterum legitimè rogetur, verè, & ingenuè se deliquisse fateatur; alioqui nisi ita affectus sit, à peccatis absolui in foro cõscientiæ nequaquam potest. Sic Nauar. *in man. cap. 25. nu. 51.* Sic etiam Salon. 2. 2. *quæst. 62. artic. 3. contro. 2.* Rationes huius opinionis sunt hæ: Primò, quia pœna nunquam in foro cõscientiæ debetur, quousque Iudicis sententia condemnetur crimen. Deindè quoniã fiscus ante delicti cõdemnationem non habet ius acquisitum in criminosi donis, ergo donec reus criminis dãnetur, nihil ipse fisco in foro conscientiæ debet. Animaduertendum est, in Iure, pœnam à damno distingui, ita vt damnum in foro conscientiæ restitui debeat ante Iudicis sententiam: Pœna verò non nisi post criminis declarationem debetur. Exempli gratia. Est lege Principis constitutum, vt qui in vrbem certas merces inuexerit, ven dideritue in foro, vel per certa loca transtulerit, certam soluat pensionem, alioqui ipso iure amittat merces, vel quadrupli pœna teneatur. Titius legitimè rogatus merces occultans, lege compellitur in foro conscientiæ ad soluendam Principi pensionem, quia est tributi genus lege debitum: & Titius occultans impedit iniquè, ne Princeps pensionem sibi debitam acquirat; & proindè damno eum afficit; quod verò quadruplum soluere cogatur, pœna est, non damnum. Præsens autem controuersia non est de damno resarciendo, & compensando, sed de pœna soluenda, de qua inter omnes conuenit: quandocunque lex pœnam continet ferendam à Iudice, reum legitimè rogatum, & se deliquisse diffitentem, non adigi in foro conscientiæ ad eam pœnam luendam; sed debere esse eo animo, vt si iterum interrogetur a Iudice legitimè, suum crimen aperiat, & fateatur. Nam cùm lex ipso facto, vel iure pœnam non irroget; sed eam Iudicis officio inferendam decernat, consequens est, vt eiusmodi pœnã nunquam in foro conscientiæ debeatur, nisi reus sit criminis condemnatus. Verbi causa, est pœna legis à Iudice imponenda, vt quicunque certum delictum fecerit, relegetur, vel ad quadruplum persoluendum condemnetur, vel officio, vel dignitate, vel beneficio Ecclesiastico, vel his, aut illis bonis spolietur; si Titius deliquerit, & legitimè rogatus à Iudice se peccasse negauerit; non eo ipso in foro conscientiæ debet in exilium ire, vel quadruplum soluere, aut officium vel beneficium dimittere, aut bona reddere, antequam delicti condemnatus sit. Hoc Nauarr. *in man. c. 25. num. 51.*

Tota igitur quæstio est de pœna, quam in delinquentes lex ipso iure, vel facto constituit. De qua itidem probabilius mihi videtur: Si reus legitimè interrogatus crimen occultauerit, aut denegauerit, eum non compellendum in foro conscientiæ ad eam pœnam persoluendam: quoniam in vniuersum mihi verius apparet, nunquam pœnam in foro conscientiæ deberi, donec reus sceleris condemnetur; ita Nauarrus.

Ad Soti verò argumenta respondeo. Ad primum, non eandem esse rationem de eo, qui impedit alterum, ne rem aliquam assequatur, quæ est de reo se deliquisse neganti. Nam is qui impedit, contra iustitiam delinquit, & damno alterum afficit; reus verò, priùs quàm damnetur, pœnam soluere nullo iure compellitur. Pœna enim propriè, vt iam probauimus, damnum non est: & post criminis condemnationem tantùm debetur. Ad secundum respondeo, etiam testem, si nocentis crimen occultet, nulla lege compelli ad luendam, siue dandam pœnam, ad quam reus ipse damnaretur; debere tamen in foro conscientiæ in integrum refundere, si alterum damno

assecerit. Sic etiam reus se peccasse negans, debet in foro conscientiæ damna reficere, si quempiam læserit; non tamen eam pœnam subire, ad quam damnaretur, si crimen detegerer. Ad tertium respondeo, pœnam non esse damnum, & proinde non est idem iuris de pœna, quod est de damno. Obijcies, Reus crimen occultans cõtra iustitiam delinquit, & propterea quòd crimen denegat, ad pœnam legis luendam nõ damnatur; ergò debet in foro conscientiæ eam persoluere; sicut si testis delictum inficiaretur, aut celaret, hoc ipso, contra Ius delinqueret. Respondeo, tum testem, tum reum in crimine occultando contra officium suum, & ius ipsum peccare; ita vt & ipse testis, & reus sententiam suam reuocare in foro conscientiæ debeat; & proinde eo animo eos esse oportet, vt quandocunque iterum legitimè rogentur, crimẽ patefaciant, & fateantur ingenuè. QVAERES, an lege compellantur ad id, quod dixerunt, statim reuocandum? Respondeo, minimè: nisi ad deuitandum damnum alterius, quod probabiliter creditur sequuturum. Iudicis enim est eos non semel tantùm, aut iterum interrogare, sed sæpius: quòd si Iudex eos non amplius interroget, ipsi imputandum est, non testi, aut reo. Ad quartum respondeo, idem quoque iuris esse de Iudice, qui si iuxta allegata, & probata reum minimè condemnet, debet in foro conscientiæ, quicquid damni est consecutum, resarcire; non tamen pœnam legis perferre, ad quam reus condemnaretur, si, vt deberet, legitimam vellet sententiam ferre.

Sextò quæritur, An qui contra legem peccant condemnari queant, vt ipsi à seipsis legis pœnam repetant, ac sumant? Sotus *libr. 1. de iust. quæst. 6. articul. 6.* probare contendit esse contra rectam rationem, vt idem sit reus, & vindex. Alphonsus Castrensis contrà *libr. 2. de lege pœna. cap. 10. & 11.* multis conatur ostendere id nequaquam cum ratione pugnare. Breuiter dicendum existimo, nullam esse ex rei natura repugnantiam, si reus condemnetur ad pœnam, qua ipse in seipsum animaduertat, & quam sumat de se, prout meretur eius delictum; quamuis id esset in multis alioqui durum, & graue onus. Si pœnæ itaque fuerint de morte subeunda, aut de membro aliquo corporis amputando, reus condemnari nequit, ad mortem sibi ipsi inferendam, vel ad membrum sibi aliquod abscindendum; esset enim eiusmodi lex haud dubiè tyrannica, & iniqua, & propterea nemo ea teneretur. QVAERES, Quid si quispiam damnetur ad scindendum sibi venam, & sanguinem eliciendum, vt sic sensim, ac paulatim (vti de Seneca ferunt) intereat? Respondeo, meo quidem iudicio id genus pœnæ esse iniquum, & barbaricæ immanitati proximum. Nec aliter videtur sentiendum esse de lege, aut sententia, qua quispiam condemnaretur ad venenum sponte, ac per se epotandum. Quod si pœnæ fuerint de pecunijs, aut alijs id genus bonis soluendis; lex potest ita pœnam ipso facto irrogare, vt reus ad eam soluendam in foro conscientiæ compellatur; nihil enim in hoc cum recta ratione pugnare videtur. Si autem pœnæ sint corporales quidem, at non tales tamen, quæ vel mortem adferant, vel membrum amputẽt, sed quæ dolore tantùm corpus afficiant, potest quoq; lex constituere, vt reus eas debeat in foro conscientiæ sustinere. Huius generis sunt in primis pœnæ verberum, ieiuniorum, vigiliarum, peregrinationis, carceris, quibus corpus maceramus, sensus coercemus, vel aliquid aliud simile perferimus. Postremò, sunt aliæ pœnæ, quæ quamuis in agendo consistant, vsu tamen ita sunt receptæ, vt ipse reus saltem post cõdemnationem criminis, & postquam fuerit damnatus ad pœnas, eas persoluere debeat; quales sunt pœnæ, quibus quis cõdemnatur, vt patriam relinquat, exulet, certo loco cõmoretur, & habitet: atq; huiusmodi pœnas etiam lex ita potest imponere, vt ipso iure antequã crimen condemnetur, debeat reus ipse persoluere: non igitur omnino cum ratione pugnat, vt idem, qui est reus, sit etiam in seipso pœnæ vltor, & vindex, vt docet Couarru. *in epito. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 10.*

Septimò quæritur, An pœna mutuo consensu contrahentium cõstituta, debeatur in foro conscientiæ, antequam petatur? Sciendum est, eos qui contrahunt, conuenire inter se aliquando, vt si alter eorum à contractu recesserit, aut in ipso contractu quippiam deliquerit; certam pœnam soluere debeat. Quæstio igitur est, an talis pœna in foro conscientiæ soluenda sit, antequam ab altero contrahente petatur? Duplex est opinio, prima est dicentium, eam deberi in foro conscientiæ, etiamsi nunquam petatur, quæ opinio fuit Anchar. *in cap. possessor. de regulis iuris. in 6. quæst. 3.* Felin. *in cap. 1. de constit. numer. 43.* Deci. *in cap. 1. de constit. num. 2.* eo argumento munita, quòd huiusmodi pœna non est lege imposita, sed contrahentium spontaneo consensu, & potest quisque se alteri obligare; ob id enim solet hæc pœna conuentionalis appellari, non legalis, eò quòd ex conuentione contrahentium constituitur. Item, si quis certum aliquid testamento alteri reliquit ea cõditione, vt hoc, aut illud efficiat, sin minùs, legatum ex testamento acceptum amittat, vim habet in foro conscientiæ, cum mortuus pœnam ampliùs exigere, & sumere à socio superstite nequeat. Altera opinio tradit, in foro conscientiæ non deberi, quousque petatur: quod docuerunt Couarru. *de matrimonio. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 11.* & citat Corn. & Rebuff. sic etiam Nauar. *in man. c. 23. n. 67.* Probant, quoniam contrahentes tacitè consentiunt, vt pœna statim atq; petita fuerit, debeatur in foro conscientiæ: sin minùs, non debeatur, & proindè sibi quisque imputare debet, qui cùm habeat ius pœnam repetendi, non repetit. Hæc opinio ad veritatem magis accedit, vtpotè benignior, & mitior, & pœnæ, & odia restringenda sunt.

Porrò animaduertendum est, non esse eandem rationem de donationibus, vt si patronus liberto donet omnia bona sua, vel bonorum partem, eò quòd se filios non habiturum crediderit, suscepto filio libertus lege cõpellitur ea bona patrono reddere, *l. si vnquam. C. de reuoc. donationib.* non enim id lex præcipit, vt pœnam; sed quia probabiliter putatur patronus ea cõditione tacita donasse, vt ait Couarru. *de matrimon. part. 2. capit. 6. §. 8 num. 17.* Quid si quis omnia bona sua extraneo donauerit, eò quòd putet filios se non suscepturum;

Respon-

Respondeo, reuocari donationem etiam tacita conscientia; quia probabiliter creditur facta donatio, ea conditione, si qui donauit, filios non susciperet, ergo filijs susceptis locum donatio non habet. Quid si aliquis donauerit, & donatio reuocatur ob ingrati animi crimen à donatario cõmissum, *iuxta id, quod habetur c. vlt. de donat. & l. 1. C. de reuo. dona.* an tuta conscientia donatarius ingratus possit bona accepta retinere, si ea donator non repetat. Couar. *loco citato* respondet, fortè retinere tutò posse. Probabilius oppositum iudico; idem iuris est de votis, quæ vocantur pœnalia. Verbi causa, vouet Titius, aut iurat, si amplius luserit, aut si in hac, vel illa re peccauerit, se daturum certam pecuniæ quantitatem pauperibus: eiusmodi pœna in foro conscientiæ debetur statim, vt votum, aut iusiurandum fuerit violatum: nam votum fit Deo, & ipsi est gratum, & acceptũ; quò fit, vt si non seruetur, Deus confestim velit, vt pœnam constitutam persoluat voti contemptor. Præterea, pœna in testamentis adiecta, in foro conscientiæ absque mora debetur, quoniam in huiusmodi pœnis inest tacita testatoris voluntas, vt si id, quod vult, non impleatur, hæres vel legatarius hæreditatem, vel legatum penitus amittat, & cùm testator decesserit, pœnam amplius repetere non potest; ergo cũ bona sua testamento relinquit ea cõditione, vt hoc, aut illud faciat hæres, aut legatarius; sin minus, relicta bona amittat, tacitè hæredem, vel legatarium sibi obligasse videtur, ita vt pœnam in foro conscientiæ perferre debeat: vt cùm maritus relinquit suorũ bonorum vsum fructũ vxori, si alteri non nupserit, aut si castè vixerit. Nauar. *in manu. cap. 23. nu. 62.* Sot. *lib. 1. de iust. quæst. 6. artic. 6.* Couar. *loco citato*, Cai. *in sum. pœna.* Item ij, qui ad certum Collegium admittuntur, solent promittere se hoc, aut illud facturos; sin minus, Collegio tãtundem soluturos, quantum in ipsorum alimẽta Collegium impenderit post fidẽ, & promissionem violatã. QVAERITVR, iam, an huiusmodi bona in foro cõscientiæ debeantur, si ea Collegiũ non petat? Ratio quæstionis est, quia cùm quis aliquid alteri promittit, ei suam fidem obstringit: Sed fidei datæ violatio est per se peccatum. Præterea, Collegium ea conditione collegam admittit, & alit suis sumptibus: sed datum ob conditionem, vel causam, ea non subsecuta reperitur. His tamen nihil obstantibus, probabile quibusdam videtur eiusmodi pœnam in foro conscientiæ non deberi, nisi à Collegio petatur; quoniam de hac idem iuris esse videtur, quod est de pœnis contrahentium consensu constitutis. Quare promissio eius, qui in Collegium cooptatur, eatenus vim habet in foro cõscientiæ, quatenus pœna petitur: quod si Collegium pœnam non petat, sibi imputet, atque eo ipso iure suo cedere, & pœnam, quam alioqui repetere posset, remittere, & condonare probabiliter creditur. Alijs tamen verius appareret iure conscientiæ hanc pœnam statim deberi, & esse soluendam, quia videtur fuisse mens fundatoris, vt statim deberetur: & lex potiùs conuentionalis, quàm pœnalis est: & idem iuris est in statuto, si dicat: qui hoc, vel illud perperam fecerit, Collegium amittat: vel Collegij fructibus, sumptibus, vel alimẽtis careat. Sic illi. Vtraque opinio est probabilis; Prima benignior, & mitior est, Secunda videtur probabilis, sed rigidior, & seuerior, fortassis fundatorum menti, & voluntati magis consentanea.

Cap. IX.

Quibus modis dignosci queat lex continens pœnam ipso iure latam, & ea, quæ continet pœnam sententia Iudicis ferendam.

HANC controuersiam fusius tractarunt; Felinus *in cap. Rodulphus, de rescriptis, §. qui incipit. Vltimo.* Andreas Tyraquellus *in l. si vnquam, C. de reuocandis donationibus in ver. reuertatur à nu. 20. vsque ad nu. 265.* Alphonsus Castro *lib. 2. de lege pœnali cap. 5. & 6.* Vt dilucidè, & explicatè cognoscatur lex continens pœnam ipso iure, vel facto latam, sunt certæ quædam regulæ tradendæ, atque obseruandæ. Prima sit: Quando lex ita sancitur: Qui hoc, vel illud fecerit, in hanc, vel illam pœnam incurrat sine vlla alia sententia Iudicis; vel ita: Ipso facto, vel ipso iure pœnam contrahat; vel sic: Hoc vel illud in foro conscientiæ soluere debeat: Lex est pœnam cõtinens ipso iure latam, cuiusmodi sunt multæ pœnæ in iure Canonico constitutæ; *vt in Extrauagante, cõstitutione, ambitiosè, de rebus Ecclesiæ non alienandis, & in c. licet canon, & c. commissa, de electione, in 6. & in Extrauag. execrabilis, Ioannis 22. & c. de multam. de præb. c. pro humani. in 6. c. Felicis. de pœnis eod. lib. in Extrauag. Pauli. 2. quæ incipit, Cùm detestabile, & habetur inter communes de Simonia*: & alicubi extant Regiæ constitutiones, statuta ciuitatum, & populorũ, quibus cauetur, ne ij, qui sunt Regi, vel Principi à secretis, aut à Consilijs, munera à quoquam accipiant: alioqui debeant in foro conscientiæ quicquid muneris acceperint, restituere: Ne itidem Iudices, Notarij, Tabelliones, aliquid vltra stipendia sibi accipiant à litigãtibus: alioqui debeant accepta in foro conscientiæ reddere. Eadem ratio est, quando lex his verbis pœnam constituit: nullus reum absoluat, quousque soluerit pœnam lege sancitam.

Secunda Regula sit: Quando lex in pœna irroganda vtitur verbis præsentis temporis, quibus vti solet Iudex, cùm sententiam pronunciat reum ad pœnam condemnans; continet pœnam ipso iure latam. Vt si lex ita feratur; Aliter facientes excommunico, anathematizo, suspendo, interdico, relego, condemno, priuo. Item, si post huiusmodi verba; Declaro, Decerno, Definio, Iudico, Volo, Denuncio, sequatur verbum præsentis, aut præteriti temporis pœnam significans. Verbi gratia, Aliter facientem declaro esse excommunicatum, suspensum, vel in excommunicationem, aut suspensionem incurrere, esse priuatum dominio bonorum, vel beneficio, vel administratione, aut amittere beneficium, dominium bonorum, vel administrationem; Aut esse infamem, vel ad hęc, vel illa inhabilem & ineptum; Aut carere iure suffragium ferendi, vel eligendi; Similiter si lex dicat, Denuncietis, aliter facientes esse excommunicatos, suspensos, priuatos, depositos, inhabiles, vel infames.

Tertia Regula sit; hæc verba: Sit irritum, &

inane, vel, careat viribus, aut vires non habeat: item; Non valeat, vel ipso iure nō valebit: vel, Nihil agitur, vel agetur; item, non teneat, vel, nullum sit factum: Item, Non possit, aut, Non poterit: pœnam significant ipso iure latam. Et parum aut nihil refert prædicta verba singula per se ponantur, an duo, triaue coniuncta, aut simul cum aduerbijs vniuersitatem, & negationem significantibus; vt si dicatur: Omninò, prorsus, penitus non valeat. Idem iuris continent nomina quædam vim, & potestatem negantia, Vt si lex dicat; sit ineligibilis, inteſtabilis: nam perindè est, ac si diceret, Eligi non possit, testari nequeat.

Quarta Regula. Verba, quæ nullum hominis ministerium significāt, in legibus posita, innuunt pœnam ipso iure latam; qualia sunt, subiaceat, subdatur, incurrat, incidat, contrahat, amittat, perdat, cadat, recedat, redeat, reuertatur, & alia id genus pleraque. Nec refert, huiusmodi verba dicantur esse imperatiui modi, & præsentis temporis, an futuri temporis, & subiunctiui modi: neque enim est, cur laboret Alphonsus Castrensis in Canonici, & Ciuilis iuris doctoribus reprehendendis tanquam barbaris, & grammaticæ imperitis, eo quòd tradiderint prædicta verba esse futuri temporis, ipse autem contrà potiùs censeat esse præsentis temporis Imperatiui modi; attamen possunt accipi, vt verba futuri temporis Subiunctiui modi, ita vt sensus sit; si quis hoc, aut illud fecerit, in hanc pœnam incidat.

Quinta regula: Quandocunque vnà cum pœna legibus irrogata ponuntur aduerbia sequentia, Statim, Confestim, Illicò, Cōtinuò, Mox, Protinus, incontinenti, ex tunc, significatur pœna ipso iure lata, vt est communis ciuilis, & Canonici iuris interpretum opinio.

Sexta Regula: Lex pœnam constituens, si verbo præsentis temporis Indicatiui modi, aut præteriti vtatur, pœnam continet ipso iure latam: quod iuris Pontificij doctores communi sententia tradiderunt: Vti, si lex ita condatur: Qui hoc, aut illud fecerit, excommunicatur, suspenditur: Vel ita; est excommunicatus, est suspensus: Idem est, si dicatur, Nouerit se suspendi, vel esse suspensum: Vel si dicatur: Sit suspensus, sit interdictus, aut priuatus bonis suis.

Porrò ad cognoscēdum, legem pœnam ferendam denunciantem, sit hæc prima Regula: Quotiescunque lex pœnalis vtitur verbo, quod solam pœnæ comminationem exprimit, continet pœnam ferendam, non latam: vt si lex ita sanciatur: Præcipio, aut Prohibeo sub pœna excommunicationis, vel sub interpositione anathematis, aut sub interminatione interdicti, aut sub maledictione pœnæ æternæ, aut sub indignatione Omnipotentis Dei. Ita docent Canonici iuris periti *in cap. Dolentes, de celebratio. Missarum*, Glossa, Hostiēsis, Ioannes Andreas, & alij.

Secunda Regula: Omnis lex, quæ cum pœnam proponit, vtitur verbo futuri temporis, pœnam continet ferendam, non latam. Quemadmodum si lex dicat: Qui bouem fuerit furatus, quinq; restituet. Similiter si dicat; Qui fecerit hoc, vel illud, priuabitur; vel sic: Si hoc aut illud fiat, factum irritabitur, rescindetur, reuocabitur. Ita etiam, si dicat: excommunicetur, suspendatur, priuetur, excludatur, relegetur, irritetur, reuocetur, rescindatur: hæc enim verba significāt actionem Iudicis. Atque hæc est communis vtriusque iuris interpretum sententia.

Postremò notandum est: Quoties de aliqua dictione in lege pœnali posita meritò ambigitur, significet, necne sententiam, & pœnam ipso iure latam, iudicandum est non sententiam latam, sed ferendam continere. Ita Glossa, Abbas, Felinus, & Philippus Francus: nam iuxta Regulas iuris, odia sunt restringēda. Item, in pœnis benignior, & mitior interpretatio, & sententia esse, reddi, & pronunciari debet.

Cap. X.

Quam potestatem habeat lex humana in actus mentis simpliciter internos.

QVæstio est inter Theologos, An lex humana actus voluntatis interiores imperare, aut prohibere queat. Hanc quæstionem agitat vt Medina *de oratione quæst. 15. quæ est de potestate Ecclesiæ in actus cordis*, Cordubēsis *in suis Quæstionibus lib. 4. quæst. 13. de potestate Papæ*. Almainus *in tract. de potestate Ecclesiæ cap. 10.*

Porrò duæ sunt in hac controuersia sententiæ, vna affirmat legem humanam, præsertim Ecclesiasticam habere potestatem in actus simpliciter internos; quod videtur sensisse Adrian. *quodl. 8. a. 1. item 4. de confess. q. 2. §. alij probant.* Albert. *de agnos. assert. Catho. & hæret. c. 33. n. 11.* citat Glossam, Cardinalem, Ancharanum, Imolam, & idem quoque sensit Alber. Pigh. *lib. 6. de Eccles. Hierar. c. 16.* sic etiā Rosel. *absolutio. 1. nu. 28. & 29.* & citat Goffredum, Rainerium, Ioan. Andream, sic etiam videntur docere Abbas *c. 2. de officio ordinarij. nu. 12.* Felin. *c. porrò. de sent. excommunicatio.* Eorum argumenta sunt. Primū sumitur ex Clementina de Hæreticis cap. 1. vbi Pontifex edicit pœna excommunicationis, & suspēsionis interposita, vt Episcopi, & cæteri rerum ad Fidem spectantium Iudices, à Romano Pontifice deputati, officium Inquisitionis exequantur, absque vllo odio, ira, timore, vel quocunq; alio humano affectu. Sed huiusmodi affectus sunt actus interni. Secundum ducitur ex cap. Cōmissa. de electione in 6. Vbi cōstitutum est, vt si quis parochialem Ecclesiam obtinuerit, fine voluntate ascendendi ad sacrum Sacerdotij ordinem, beneficium ipso iure amittat, & fructus suos nō faciat. Tertium sumitur *ex cap. Dolentes, de celebratio. Missarum.* vbi statutum est, vt qui lege, vel canone compelluntur ad preces horarias recitandas, Officiū diuinum studiosè, attentè, & deuotè dicant; Sed Attētio, & Deuotio, sunt actus interni. Quartum, In multis concilijs decretum est, vt qui hoc, vel illud dixerit, docuerit, aut crediderit, anathemate percutiatur, *c. si quis eorum d. 30.* ex Concilio Gangrensi, *c. si quis nuptias, c. si quis virorum, d. 30.* & Concil. Tolet. 1. & Brac. 1. *cano. si quis crediderit*: Sed credendi actus est internus, hoc enim ipso distinguitur ab actu dicendi, & docendi. Item, in Hæreticos frequenter inquiritur, ita vt interrogentur, an aliquādo sic, vel aliter crediderint. Quintum, Romanus Pontifex sæpè vota relaxat indulgen-

tiæ be-

tiæ beneficio: nam aliquos voti vinculo, & lege soluit, aliquando etiam vota cõmutat, eadem itidẽ rescindit, quamuis interna sint. Sextum, Ecclesia indixit annuam peccatorum cõfessionem, & tamen si quis internis tantùm peccatis sit maculatus, debet ea semel ad annum proprio sacerdoti confiteri. Septimum argumentum: Ecclesia potest peccata interna reseruare, ita vt absolutionẽ eorum certis presbyteris, nõ omnibus cõmittat. Postremum argumentum est: Nihil impedit, quo minꝰ Ecclesia actus internos imperare, vetaréue possit, quòd eos esse factos in foro iudiciali probare nequeat: nam peccata externa sæpenumero adeò sunt occulta, vt probari nequeat ea esse cõmissa; & tamen externa delicta sunt Ecclesię potestati subiecta; quòd enim quippiam fuisse factum, probari in foro iudiciali non possit, hoc ideò est, quia desunt probationes, indicia, & testes: non autem quia desit iurisdictio, & potestas. Hanc sententiam probabilem putat esse Medina *de pœnit. tract. de oratio. q. 15.*

Secunda opinio docet, lege humana non posse imperari, aut vetari proximè, & directò per se actus mentis simpliciter internos. Hanc sentẽtiam sequuntur. Dur. *4. d. 17. q. 3.* Palu. *4. d. 17. q. 1. a. 2.* Cai. *2. 2. q. 11. a. 1.* Almai. & Corduben. *locis citatis.* Sot. *4. d. 22. q. 2. a. 2. & a. 3. post conc. 5.* & Castr. *lib. 2. de iust. hæret. c. 8.* Mai. *3. d. 25. q. 3. §. dubitatur,* & Anto. *p. 3. tit. 24. c. 4.* Silu. *ex. cõmunicatio. 7. in excõmunicatione 2.* Angel. *hæreticus nu. 2.* Nau. *de pœn. d. 5. principium. n. 19.* Couar. *in regula peccatum, de regul. iur. in 6. nu. 7.* vnico argumento permoti: quia actus simpliciter interni ominò cognitionẽ humanam latent, ac fugiũt; vt ita per se cognosci ab homine nequeant; ergò nõ possunt iurisdictioni, & potestati humanæ subijci: nulla enim iurisdictionis potestas iudicare, & ferre sentẽtiã potest, nisi audita, & cognita causa.

In hac itaque controuersia sciendum est, quædam vt manifesta, & certa apud omnes constare. Primum est; Quotiescunque lex, vel constitutio humana est conuentio quædam, & pactio, vim & potestatem habet in actus internos, non quidem quatenus lex humana est, sed quatenus habet conuentionis rationem, & naturam. Vndè Ecclesia ius habet sua Beneficia Ecclesiastica, aut Beneficiorum fructus huic, vel illi conferendi, modò hunc, vel illum animum, & voluntatem habeat: & proindè meritò cõstitutio Ecclesiastica decernit, vt is, cui parochialis Ecclesia confertur, ad sacrum sacerdotij ordinem intra annũ promoueatur; quòd si voluntatem non habuerit eum ordinem suscipiendi, nulla erit beneficij impetratio, & adeptio, & tunc fructus non facit suos: quòd si intra annum non fuerit promotus ad eum ordinẽ, ipso iure amittit beneficium. Pari modo cum aliqui cooptantur in certum Collegium iure exigitur ab eis, vt hunc, vel illum animum & volũtatem habeant: alioqui enim omnia Collegij iura amittunt. Similiter etiam Ordinarij Ecclesiarum prælules, qui beneficia conferunt, ius habent inquirendi; An qui ad Beneficium, vel Dignitatem prouehuntur, habeant volnntatem ea statim dimittendi, siue deponẽdi? Ecclesia enim, & quisque potest sua bona in alterum transferre ea conditione, & pacto, vt hoc, aut illud præstet. Secundò, omnes in hoc conueniunt, legem scilicet humanam hoc ipso, quòd quippiam exterius iubet, aut prohibet, simul etiam præcipere, aut vetare actũ internũ, qui requiritur, vt actus sit humanꝰ. Verbi causa. Indicit Ecclesia ieiunia, aut dierum festorum obseruationem, eo ipso imperat, vt velimus ieiunia seruare, ac dies festos colere: actus enim humanus, quem lex humana iubet, esse nequit, nisi sit voluntarius, & liber. Tertiò, inter omnes pariter constat, actus externos etiam adeò occultos, vt eos factos esse in foro iudiciali nunquam probari queat, iurisdictioni, & potestati humanæ subijci: quoniam actus externus suapte natura cognitionem humanam non fugit: quòd autem in foro iudiciali probari non possit, ex accidenti est, eò quòd desint testes, & legitimæ probationes: quo fit, vt Hæreticus exterior, quamuis sit penitus occultus, sit ipso iure excommunicatus. Et hoc est, quod probat Glossa ex multis iuris capitibus *in Clementina prima, de Hæreticis. verb. eo ipso, & ibi* Cardinalis, Imola, & alij Canonici iuris interpretes. Quartò etiam est compertum, & certum, lege humana posse præcipi, vel vetari, ne actus exteriores fiant hoc, vel illo affectu prauo, nimirum ne fiant odio, vindicta, metu, aut denique causa, & studio amicorum, aut propinquorum: tunc enim lex humana directò, proximè, & per se actus exteriores præcipit; ex accidenti verò prohibet eos voluntatis affectus, qui solent actus externos aliquo modo corrumpere, & deprauare. Objicies; Affectus animi similiter sunt etiam interni, ergò nequeunt humana lege interdici. Respondeo, inter affectus aliquos esse simpliciter internos, qui sese exterius non produnt, & de his nihil lex humana decernit: alios verò, qui actus externos comitari, consequi, & etiam antecedere solent; immò eos etiam eliciunt, & pariunt, & eiusmodi affectus non sunt simpliciter interni, quoniam sese proferunt, & fundunt exterius, eò quòd sint causæ, origines, modi, & circunstantiæ externorum operum, & proindè coniecturis, signis, & indicijs in foro iudiciali sæpenumerò cognosci, & probari queant.

His constitutis longè probabilius, & verius est, cæteros actus mentis simpliciter internos nequaquam iurisdictioni, & potestati humani subesse, quia sunt à cognitione humana penitus remoti: nõ quidem ex accidenti, quales solent esse aliquando actus externi occulti, sed per se, & naturæ suæ conditione. Et quamuis oppositum docerent multi iuris pontificij doctores, quod reuera non docent, vt dicam inferius, vnus pro nobis contra illos sufficeret S. Thomas, qui *1. 2. q. 91.* ait, necessariam esse aliquam legem diuinam quia de his potest homo legem ferre, de quibus iudicare potest: verum hominis iudicium ad internos motus, qui latent, nequaquam se extendit, & *4. d. 18. q. 2. ar. 2. q. 1.* distinguit inter forum conscientiæ, & externi iudicij, & ait excommunicationem non ad primum, sed ad secundum forum pertinere. Et *2. 2. quæst. 104. ar. 5.* in ijs, inquit, quæ ad internum motum voluntatis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed Deo tantùm. Nec est, quòd Albertinus dicat, Canonici iuris interpretes, in hac quæstione cum Theologis pugnare: nam reuera solùm docere videntur Glossa *in Clemen. 1. de hære. ver. eo ipso; & ibi* Cardinalis, Imola, & cęteri,

hæreticum

hæreticum exteriorem, etiam omninò occultum in excommunicationem incurrere, quod idem Theologi tradiderunt; non autem hæreticum interiorem. Nam Cardinalis. *Clem. 1. de vsu. in principio q. 3.* post Matthæum apertè docet voluntatem, si ad opus non peruenit, ab Ecclesia non puniri. Sic etiam *Clem. 1. de pœnis. q. 3.* idem tradit Hostien. *c. mulieres. de sent. excom.* idem Alberi. Iurisconsultus *p. 2. statuto. q. 168.* Salice. *in l. is, qui cum telo. C. de sica.* ex Bal. *in l. si quis dicam rapere. C. de Episc. & cleric.* & hæc sententia colligitur ex iure ipso canonico. cap. sicut tuis. de simon. habetur. *Ecclesia non iudicat de occultis:* item c. erubescant d. 32. *Deus secretorum cognitor, & inde est;* idem *c. si quando 15. q. 6. consuluisti. 2. q. 5. c. si omnia 6. q. 1. c. Christiana 32. q. 5.* idem *in l. cogitationis. ff. de pœni.* vbi dicitur, *cogitationis pœnam nemo patitur.*

Ad argumẽta verò respondemus. Ad primum negamus in ea Clementina vetari actus simpliciter internos, sed quosdam affectus animi, qui tanquam causæ, & origines actus externos solent inficere; & proindè ex actibus externis tanquam ex affectibus solent esse nobis noti, & comperti ad sententiam de ipsis ferendam. Ad secundum dicimus *in eo cap. Commissa. de electione,* legem esse conuentionalem, quam vocant, inter Ecclesiam conferentem beneficium parochiale, & inter eum, quem ad Beneficium admittit, & eligit: & ideò potest Ecclesia constituere, ne is, qui ad Beneficium promouetur, faciat suum, nisi habeat voluntatem ascendendi intra annum ad sacrum Sacerdotium. Ad tertium dicimus, esse inter scriptores quæstionem, *in cap. Dolentes de celebratio. Missarum,* vbi statuitur, vt officium diuinum attentè, studiosè, & deuotè recitetur; An imperetur interior animi attentio, & deuotio, an verò solùm exterior, ita vt solùm sit interdictum opus externum, quod impedit studiosam, attentam, & deuotam recitationem, aut cum ea pugnat, ita vt simul consistere nequeat. Sunt enim duæ opiniones, vt suo loco dicemus: quidam putant satisfacere Ecclesiæ præcepto, de precibus horarijs studiosè, attentè, & deuotè recitandis, eum, qui etiam voluntariè in varias cogitationes distractus diuinũ officium persoluit, dũmodò tamen interim dum recitat, non doceat, disputet, confabuletur, legat, scribat, vel aliquod opus exterius simile exequatur, & obeat, cuius opinionis fuêre. Durand. *4. d. 15. q. 12. num. 6.* Anton. *p. 3. tit. 13. c. 4. §. 3. & 8.* Medi. *de oratione q. 15.* Ioan. Andr. *cap. dolentes, de cele. missa.* Gerson. *p. 3. de vita spirituali lect. 4. corol. 2.* Sed opinio est aliorum, quã magis ipse probo, in eo capite prohiberi voluntariam mentis distractionem internam, & non solùm externam: quod docent Gab. *in Cano. missæ, lect. 62. lit. l.* Mai. *4. d. 12. q. 7. in argumentis contra concl. 4.* Cai. *in sum. ver. festorũ violatio.* Sot. *li. 10. de iust. q. 5. ar. 1. concluſ. 7.* Et tunc ad argumentum respondeo, in eo cap. Præcipi actum interiorem, tanquam alioqui iure naturali debitum externo operi, quod imperatur. Nam si preces ad Deum fundimus, precationis ipsa vis, ratio, & natura poscit, vt attentè, piè, & religiosè precemur: Ergò meritò Ecclesia proximè, & per se directò imperat, vt diuinum officium persoluamus, ac deindè præcipit, vt debito modo preces ipsas recitemus, quem videlicet modum precationis natura, & conditio postulat. Ad quartum respondemus, excommunicari eos, qui hoc, vel illud docuerint, qui dixerint, crediderintúe. Sed hoc verbo, crediderint, comprehenduntur ij, qui nutu, vel signo aliquo externo expresserint sententiam fidei contrariam: Vndè meritò tria genera personarum referuntur: Qui dixerint, quod pertinet ad sermonem. Qui docuerint quod ad doctrinam spectat. Qui crediderint, quod attinet ad mentis assensum, sed nutu aliquo, aut signo, quamuis nullis verbis expressum. Non igitur hæresis simpliciter interna, & solùm mente concepta, excommunicatione afficitur. Ad quintum argumentum dicimus, Romanum Pontificem posse relaxare vota, & commutare, quamuis sint interna: Sed cum eorum relaxatio, aut commutatio petitur, vota ipsa fiunt nota Pontifici, quæ antea actu interiori erant Deo nuncupata. Item, omne votum factum est Deo: Romanus autem Pontifex tanquam Christi Domini Vicarius ius habet, & potestatem id relaxandi, & commutandi, vt suo loco dicetur. Ad sextum: cum Ecclesia iubet annuam culparum confessionem, non instituit ipsam peccatorum confessionem, sed præscribit tempus, quo facienda est ea peccatorum confessio, quam Christus Dominus instituit: præcipit enim, vt quisque peccata sua quotannis sacerdoti confiteatur; at confessio, quæ est à Christo Domino instituta, debet esse integra omnium peccatorum, & ideò confessio, quam iubet Ecclesia, comprehendit etiam interna, quoniam nihil aliud imperat Ecclesia, nisi, vt quotannis semel peccata confiteamur: deindè verò quod confessio ad interna peccata protendatur, id ex iure diuino, ex Christi scilicet institutione descendit. Septimum argumentum diluimus negando idem esse iuris de reseruatione peccatorum, quod est de lege: nam cum Ecclesia crimen aliquod reseruat, subtrahit tantummodò materiam, à qua alioqui poterat sacerdos absoluere: subtracta autem materia, eo ipso, nulla est reseruati criminis absolutio, quæ legitimam, & subiectam materiam requirit: at verò lege aliquid prohibere, & præcipere, est iurisdictione vti, nimirum ius dicere in populos, vel homines nobis subiectos: & ea vetare, vel imperare, quæ cognoscere, & iudicare, ac punire possumus. Iurisdictio igitur, quam exercemus in alios, requirit, & postulat causę cognitionem, vt quis, vel absolui tanquam innocens, vel tanquam reus condemnari, & puniri possit, & proindè lex humana actus simpliciter internos imperare, aut prohibere nequit: alioqui enim posset in eos inquirere, & pœnis debitis animaduertere.

Cap. XI.

Quinam humanis legibus teneantur.

PRIMO quæritur, An Princeps legibus à se conditis teneatur? S. Tho. *1. 2. q. 96. a. 5. ad 3.* facilè videtur se expedire ab hac quæstione: distinguit enim, quod attinet ad vim legis dirigentem, Princeps suis legibus tenetur: quod verò ad vim legis cogentem spectat, suis legibus solutus est:

& ideo concludit, Principem in foro conscientiæ, & in iudicio Dei, debere suam legem seruare; non tamen lege compelli ad pœnam subeundam. Vnde Romanus Pontifex suas Constitutiones non seruans, peccare quidem poterit, non tamen excommunicationem ipso iure latam incurrere. Pari modò Rex infamiam non contrahit, quamuis peieret contra leges. Ex quo Cai. 1.2.q.96 a.5.ad 3. Sot. lib.1.de iust.q.6.a.7.concl.3. & alij tanquã certum tradiderunt, Principes legibus à se latis in foro conscientiæ alligari.

Sed profectò hæc quæstio difficilem habet explicatũ. Nam si Princeps suis legibus obstringitur, id ideo erit, vel quia Deus, vel Ratio naturalis, vel Populus cum sibi legis texu, & vinculo obligauit, vel quia Princeps lege sua voluit se ipsũ adstringere. In primis certe à Deo hæc obligatio non ponitur: nã fingamus lege Principis aliquid constitui, cuius diuinum ius nihil penitus meminerit: Nec potest à iure naturali hæc obligatio exoriri: ponamus enim legem esse à Principe latam de re nihil ad ius naturale pertinente. Nec populus item potest Principem sibi obligare, & obstringere, cum sit Populus legis potestati subiectus. Denique, Princeps nequit sibi ipsi imperare, quoniam nemo sibi imperat: ergo nec lex potest legislatorem, & Principem tenere.

Porrò quædam in iure Ciuili tradũtur, ex quibus liquidò constare potest esse Principem suis legibus solutum: nam *in l. Princeps ff. de legibus, & Senatus consultis.* planè dicitur: *Princeps legibus solutus est* (& subiungitur:) *Augusta autem licet legibus soluta non sit, Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ ipsi habent, & l. si de re sua. ff. de receptis arbitris*, habetur, *Iure ita nemo potest esse arbiter, neque iudex; neque enim imperare sibi, aut prohibere quisquam potest*, Et *in l. ex imperfecto. ff. de legatis, & fideicommissis*, dicitur, *Ex imperfecto testamento legata, & fidei commissa Imperatorem vendicare, inuerecundum est. Decet enim tantam maiestatem seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur.* Item, in Instit. tit. *Quibus modis testamenta infirmentur*, ad finem habetur: *Diuus Seuerus, & Antoninus sæpissimè rescripserunt: licet, inquiunt, legibus soluti simus, attamen legibus viuimus*; & *l. Ex imperfecto C. de Testamentis*, ait Alexander Imperator. *Ex imperfecto testamẽto, nec Imperatorem hæreditatem vindicare posse, sæpè cõstitutum est, licet ex imperij solemnibus iuris Imperatorem soluerit. nihil tamen tam proprium imperij est, quam legibus viuere.* Et *l. Digna vox. C. de legibus, & Constitutionibus*, postquã dictum est, decere Maiestatẽ imperatoriam profiteri se legibus alligari, subditur: *& reuera maius imperium est subdere legibus principatum.* Vnde Iulius Capitolinus scripsit de Pertinaci Imperatore *in Vita ipsius*, in hunc modũ: *quod apertè professus sit nullius se aditurum hæreditatem, quæ vel adulatione alicuius delata esset, vel lite perplexa, vt legitimi hæredes, & necessarij priuarentur.* Et addidit in Senatu: *sanctius est P. C. nopem Rempublicam obtinere, quam ad diuitiarum cumulum, per discriminum atque dedecorum vestigia peruenire.* Hæc ille Imperator prudenter, & sapienter. Ex quibus omnibus, vtriusque iuris interpretes colligunt, Principem teneri quidem legibus naturalibus & diuinis; suis tamen constitutionibus esse solutũ. Sic Felinus *in c. Canonum. de Constit. nu. 31.*

At verò S. Tho. 1.2.q.98.a.5.ad 3. videtur, has omnes leges interpretatus, dicẽs Principem esse suis legibus solutum in eo, quod pertinet ad pœnam legis perferendam: nõ tamen in eo, quòd attinet ad vim legis dirigentem.

In hac itaque Controuersia quædam sunt explorata, & certa apud auctores, in primis, Principem in omni contractu vel quasi contractu inito cum quolibet priuato homine sibi subiecto obligari alteri, cum quo contractum init: id quod communi consensu tum ciuilis, tum canonici iuris doctores tradiderunt. Cynus *in l. Digna vox. C. de legibus, & Constitutionibus.* Baldus, & Paulus Castrensis *in l. Princeps ff. de legibus, & Senatus Consultis*, Abbas, & Ioan. Andr. *in c.1. de Probationibus.* Idq; Ratio naturalis conuincit: nam ciuis cum Principe contrahens vi cõtractus ei obligatur: sed contractus non potest ex altera parte vim habere, & ex altera prorsus vi carere ne ex vna parte claudicare videatur. Item, relatorum eadem est ratio; ergo si vi cõtractus, Princeps sibi obligat ciuem, ciuis quòque sibi Principem obstringit. Nam in contractu vel quasi contractu inter Principem & ciuem, Princeps potiùs habet rationem priuati hominis, quàm publici. Secundò etiam, illud constat apud omnes, quandocunque statuta sunt populi, Ciuitatis, Collegij, vel Comunitatis, singulos ciues ea tenere: nam communitas est persona quædam ficta, & singuli sunt priuatæ quædam personæ, membraque totius communitatis, & proindè singuli eiusmodi statutis tenentur, & ideo quod totum Collegium Monachorum, vel Canonicorum, vel Clericorum, vel Scholasticorum statuit, eorum singulos tenet. Tertiò etiam conuenit inter omnes; Quandocunque statuta aliqua condit tota communitas, eis etiam teneri eum, qui toti Communitati præest, quoniam communitatis præfectus, quamuis eo ipso, quòd præest, habeat ius, & auctoritatem conuocandi, & primo loco sedendi, ac primum suffragium ferendi: nihilominus tamen toti communitati in vnum congregatæ subijcitur. Sic enim præesse solet Canonicorum Collegio Decanus, siue Præpositus.

Huius igitur quæstionis cardo in eo vertitur: An Princeps sit solutus suis legibus ad totum populum latis? quod est dicere, An legibus ieiuniorum, quæ toti populo Christiano indicuntur, Romanus Pontifex teneatur; & an Imperator suis quoque legibus imperatorijs, & Rex constitutionibus Regijs? Duæ sunt opiniones; vna docet eum teneri, ita vt si eas leges non seruet, sese peccato commaculet; quamuis pœnas legis à se constitutas minimè subire, & perferre cogatur. Hanc opinionem sequi videntur Caiet. 1.2.q.96.a.5.ad 3. Sot. *lib.1.de iust.q.6.a.7.* quamuis meo iudicio à cæteris re nõ dissentiant, sed verbis. Altera opinio Principem legibus solutũ esse contendit. Ita sentiunt vtriusque iuris interpretes: quæ sententia quibusdam magis videtur cũ iure scripto, & Ratione ipsa congruere. Cum iure quidem; nam ex legibus paulò ante citatis perspicuè constat, neque quam suis legibus Principes teneri. Cum ratione verò, quoniam lex non fertur nisi ad subiectos legislatori ciues, *vt facilè colligi potest ex cap. Quod autem, de pœnitentijs, & remissionibus, & cap. A nobis, de sententia excommunicat.* Præterea, par non habet imperium in parem, ergo sicut Princeps

non

non potest vi legis succedentem sibi principem ligare, ita nec seipsum. Accedit id, quod dicitur in l. si de re sua, ff. de receptis arbitris; *Nemo imperare sibi ipsi, aut prohibere quippiam potest.* Insuper Romanus Pontifex habet auctoritatē à Christo, non à populo, ergo non potest humana potestate alligari. Obijcies, saltem cæteros principes, vt Imperatores, & Reges omnem suam potestatem à populis accepisse: contra hoc inquiunt, vrget argumentum: nam populus sese auctoritate sua abdicauit, eamque transtulit in Regem, vel Imperatorem: ergo lex Imperatoria, vel Regia populum quidem tenet, principem verò non item. Fateor itaque principem esse suis legibus solutum quatenus ipsius leges sunt: neque enim princeps sibi imperat, aut sibi præcepta, vel leges dat; sed iure naturali (quod ipsa æquitas, & honestas rationis præscribit) princeps suas leges seruare debet: & hoc non est principem suis legibus alligari; sed iure naturali debere id facere; quod ipsa æquitas, & honestas rationis postulat. hoc enim est quod docuit S. Thomas, principem suis legibus ex honestate rationis obstringi: Quapropter existimo Sotum, Caietanum, & alios in hac parte nihil, aut parum dissentire à iurisperitis: nam hi nihil aliud volunt nisi leges principis, vt ipsius sunt leges, eum non tenere: illi verò contra volunt principem suis legibus ligari, nō vi ipsarum legū, sed ex æquitate, & honestate rationis. Nam recta ratio præscribit, vt seruet princeps leges, quas condit: ita vt graue peccatum non contrahat, si eas non seruet; at ex honestate rationis decet principem id facere, quod lege sua imperat, vt suo exemplo alios inuitet, alliciat, flectat & moueat, ac ne quispiam possit occasionem arripere perfringendi legē. & quia lex eo ipso, quòd est iusta, decet maximè principem, vt iuxta eam viuat, quamuis ad eam seruandam vi ipsius legis in interiori foro minimè cōpellatur. Obijciunt his, quæ hactenus dicta sunt aliqui nonnulla. Primùm illud vulgatum, & tritum: *Patere legem, quam tu ipse tuleris*; & illud: *Quod quisque iuris in alterū constituit, eo quoque ipse debet vti*: item, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; id quoque Christi Domini Matth. 23. *Alligant onera grauia*, &c. Respondemus, his omnibus locis solùm ostendi, debere Principem quadam naturali æquitate, & honestate rationis suas leges seruare, non tamen eis ita teneri, vt si non seruet, graue peccatum semper incurrat, quale nimirū priuati contrahunt: nec enim qui cōtra naturalem honestatem rationis agit, eo ipso propterea sese graui peccato obstringit. Item, supra dicta omnia in contrarium obiecta locū habent, cum Princeps contractu, vel quasi contractu seipsum alteri obligat: tunc enim legem pati debet, quam tulit, & ius quod constituit, seruare. Christus Dominus cum dixit: *Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea super humeros hominum*, &c. de Scribis, & Pharisæis loquebatur, qui hoc factitabant: Princeps quoque debet iuxta naturalem æquitatem, & honestatem rationis onera alijs impositā mouere eo modo, quo potest. Secundò obijciunt: Princeps est Reipublicæ pars, est enim ipsius caput, & membrum præcipuum; at pars debet cum toto cōuenire. Respondeo, patrem etiam esse familiæ partem, & Dominū quoque: & tamen pater, aut Dominus non tenetur ijs præceptis, & legibus quibus familia: sic etiam Princeps legibus latis ad populum, minimè alligatur. Certè Arist. 3. *ethic. ca.* 9. testatur, legem esse inter æquales, nimirū inter ciues, & Regē esse legibus solutū; sicut nec Dominus, nec pater familiæ legibus adstringitur. Tertiò obijciunt id, quod in Instit. habetur, Populū scilicet transtulisse suā potestatē in Principem: sed verosimile est ita transtulisse, vt erat antea penes populū, sed quādo penes populū erat, singuli lege lata à populo tenebantur: ergo semper sibi eā popul° reseruauit, vt singuli legib° obstringātur. Respōdeo, in ea quoſ. dam fuisse sententia, vt dicerent, ante Vespasianum omnes Imperatores fuisse legibus subiectos ita vt primus ipse fuerit, in quem hoc beneficium populus contulerit, vt suis legibus solueretur, & deindè hoc idem tribuere cōsueuisse cæteris Imperatoribus iustis, & bonis. Cæterùm hoc apertè pugnat cum eo, quòd dicitur *in l. Princeps, ff. de legibus*, Principem Augustæ tribuisse, vt ipsa quoque soluta esset legibus; sed præerat Imperator: ergo sicut Imperator potuit Augustā soluere legibus, ita etiam poterat & seipsum.

Dicendum itaque est, (quod deduci potest ex Dione historico *libr.* 53. & Strabone *libr.* 15. *Geographiæ*) Augustum obtinuisse anno, quo victus est ab eo M. Antonius, vt esset penitus suis legibus solutus; quod deindè cæteri Imperatores habuerunt, siue id Augustus sibi per tyrannidem assumpserit, siue concessu, & auctoritate populi impetrauerit, siue sua id auctoritate constituerit assentiente, & adulante populo. At, inquies, Ecquid opus erat, vt Augustus id obtineret atque decerneret, si ex natura rei ipsius Princeps suis legibus solutus est? Respondeo, id Augustum meritò constituisse, vt apertè constaret, quo pacto tota populi potestas esset in Imperatorem translata: potuit enim populus ita transferre, vt sibi hoc vnum reseruaret: sicut etiam cum Reges creat, potest, si velit, eos ea conditione sibi præficere, & tunc Imperator, & rex suis legibus teneretur; & ideo declarauit Augustus non sic in ipsum populi auctoritatem esse traductam; sed ita, vt legibus esset solutus, & liber: quod deindè imitati, & secuti sunt Reges etiam ij, qui Christianorum populis, & rebus publicis dominantur.

Secundò quæritur, An Episcopi, & cæteri similes Ecclesiarum Antistites statutis à se conditis alligentur? Hanc quæstionem agitauit Ioannes Andreas *in cap. Qui licet, de Regulis Iuris in 6.* Duę sunt sententiæ; prima docet eos teneri, quamuis lege non compellantur ad pœnas subeundas. Exemplum sit; Statuto interdicit Episcopus Clericis aleæ ludum, alioqui si luserint, ipso facto sint excommunicati: ipse deindè contra suum statutum ludit alea; peccat quidem Episcopus, attamen in excommunicationem non incidit. Huius sententiæ auctores aliquos citat Ioannes Andreas loco prædicto: atque hoc illi probare nituntur tribus argumentis. Primò, quia supremi Principis proprium est, vt suis sit legibus solutus: hoc enim ipsi Principi, non alijs tribuit ius Ciuile in legibus supra citatis. Deindè, quia iure communi constitutum est, vt inferiores Præfecti & Magistratus suis statutis alligētur. Postremò, quoniam Episcopus

statutum

statutum condit, quatenus personam publicam gerit, at verò vt priuat⁹ homo, vna cũ cæteris suo statuto tenetur. Altera opinio quę dicit non teneri; est Ioannis Andreæ loco citato: ꝙ hac ratione probat, quia sicut Princeps suis legibus est solutus, cum nemo sibi ipsi possit imperare; sic neque Episcopus suis potest statutis alligari, alioqui sibi ipsi præciperet. Deindè, sicut prior Episcopus non potest posteriorem suis statutis constringere, cum par non habeat ius in parem, ita nec seipsum potest.

In hac controuersia primò mihi videtur dicẽdum, fieri potuisse, vt inferiores Principes suis Constitutionibus tenerentur, quoniam potestatem à supremo Principe habent: ac potuit supremus Princeps decernere, ne essent suis constitutionibus soluti: & hoc est, quod prima opinio docebat, eos vi iuris communis suis statutis esse subiectos. Verùm ego cum non videam, vbinam sit hoc iure cõmuni sancitum; propterea secundò dicendum existimo, eos quoque suis statutis solutos esse, adeò, vt si contra fecerint, graue peccatum in foro conscientiæ non cõtrahant; quamuis ea ex quadam rationis naturali æquitate, & honestate seruare debeant. Et proindè nõ parùm inferiores Principes à supremo principe distant: nam supremus tenetur legibus iuris diuini duntaxat, & naturalis, & solutus est toto iure cõmuni à se, vel ab alio sibi pari constituto: inferiores verò principes soluti sunt statutis suis, vel aliorũ sibi pariũ, & æqualium: at verò tenentur, & iure naturali, & diuino, & communi humano scripto.

Tertiò quæritur, An ij, qui non sunt legislatoris potestati subiecti, eius legibus, vel statutis teneãtur? quod est quærere, An externi, hoc est, aduenæ, & peregrini, quos passim vtriusq; iuris doctores appellant forenses, statutis vel legibus alligentur, quibus stringuntur incolæ, & subditi eius? Hanc quæstionem disputant ciuilis iuris interpretes *in l. cunctos populos. C. de summa Trinitate*, Cynus, Dinus, & Bartolus, Salicetus, Pontificij iuris doctores *in c. A nobis 1. de sententia excommunic.* Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Ancharanus, Antonius Butrius, Abbas, & Felinus. Item Syluester, *excommunicatio 2. num. 5. 6. 7. 8.* Angelus *excommunicatio 1. q. 10.* Communis omnium est sententia, eos legibus, vel statutis minimè teneri, ea ratione quòd legislator ius, & potestatem in externos non habet, quisque verò ratione originis suæ est potestati principis subiectus. Nam ciues origo, manumissio, allectio, hoc est, euectio ad honorẽ, vel dignitatem ciuitatis, vel adoptio facit, *vt dicitur in l. ciues, C. de incolis, lib. 10.* Incola est, qui aliundè veniens, siue alibi ortus hic domicilium collocauit. *l. Ciues. C. de Incolis, lib. 10. & l. Pupillus, §. Incola. ff. de verb. & rerum significat.* Municipem facit, aut natiuitas propria, vel paterna; aut manumissio, vel adoptio. *l. Municipem, ff. ad municipalem.*

Est tamen animaduertendum, Aduenas, & peregrinos aliquãdo ligari legibus principum, vel statutis populorum ratione delicti in loco commissi: nam ob delictum alicubi patratum, interdum quis iurisdictioni, & potestati alienæ subijcitur: vt si peregrinus quippiam furetur, tenetur lege, & statuto, & punitur pœna eo loco in fures constituta, *c. licet ratione. de foro compet. & l. Quæstiones, C. Vbi de criminibus agi oporteat.* Item, nonnunquam externi statutis, vel legibus tenentur, ratione rei quam alicubi possident: vt si quis extra patriam suam habeat vineta, oliueta, vel domos, vnde coram eo iudice debet agere actor, in cuius prouincia, vel loco sita est res litigiosa. *l. Actor. C. Vbi in rẽ actio, & l. Forma, §. si verò, ff. de censibus.* Glossa *in cap. Sanè, de foro competenti.* Præterea, ratione domicilij, siue habitationis in loco, vbi commorantur: aliquãdo enim Aduenæ, & peregrini extra patriam domicilium habent; & ita Clerici Beneficia habentes subijciuntur statutis Ordinariorum in locis, in quibus ad commorandum, & residendum iure, & lege compelluntur: & potest quis in duobus locis domicilium habere, si vtrobique æqualiter se collocasse videatur, *ff. Ad municipalem, l. Assumptio, §. Filius*, & Gloss. *in c. Dilectus filius, de rescriptis.* Insuper externus contractum, vel quasi contractum cum aliquo faciens in locis, vbi contrahit, obligatur. Vnde in eo loco contraxisse quisque creditur, vbi, vt solueret, aut respõderet, sese obligauit. *l. contraxisse, ff. de actionibus, & obligationibus.* Viatores, & peregrini statutis, & morib⁹ eorum, per quorum loca transeunt, vel ad quorum loca veniunt confestim recessuri, profecturiue, non subijciuntur nisi ex causis supradictis. Sed dubiæ quæstionis est, an Viatores teneantur ijs legibus, statutis, vel cõsuetudinibus, quæ seruantur circa ieiunia, & abstinẽtiam, & delectum ciborum, & circa obseruationem dierum festorum in locis, per quæ transeunt, vel ad quę veniũt. De hac quęstione breuiter Abbas *in c. consilium, de obseruatio. ieiuniorum*, & Gloss. *in c. quæ contra. d. 8. & c. illa. d. 12.* Abbas generatim dicit eos teneri, *vnde*, inquit, *peccant Cathalani in Sabbato comedentes carnes in his locis, ad quæ veniunt, quamuis in ipsorum patria edere soleant.* Nam *in c. illa. d. 12.* habetur, *in ad quamcunq; forte Ecclesiam veneris, eius morem serua: si cuiquam non vis esse scandalum, nec quenquam tibi.* & c. quæ contra. d. 8. dicitur. *nulla ciuis, vel peregrini libidine violetur cõsuetudo in loco recepta.* & c. consilium, de obser. ieiuniorum. legimus, iure Episcopum posse præcipere, vt consuetudo in patria recepta obseruetur ab omnib⁹. At Glossa citata distinguit; aut viator venit ad locũ commoraturus ibi, & tenetur legib⁹ receptis in loco: aut venit cõfestim recessurus, & nõ tenetur: quia non sortitur forum in eo loco, *vt habetur in l. hæres, §. proinde. ff. de iudi.* Existimo dicendũ, ratione scandali, & offensionis vitãdæ, teneri viatorem legibus receptis in loco, ad quem venit, etiã si recessurus sit: secus non teneri, nisi ibi moraturus sit.

Sciendum quoque est, eos, qui literis dant operam, & scholastici vocantur, esse quodãmodo externos in eo loco, vbi literarum studijs incũbunt. De quibus illud vnum in præsenti dicimus, eos, quòd pertinet ad crimina, iure communi subesse iurisdictioni Episcopi ciuitatis, vel Rectori Academiæ, siue gymnasij. *Gloss. in Authen. C. ne filius pro patre. Horat. de prim. Schola. c. 64.* Sed cõsuetudine, quod ad Professores, & Magistros spectat, Magistratus ciuitatis solet esse eorũ iudex in criminibus. Deniq; vsu receptum est alicubi, vt Episcopus sit iudex, quum Scholasticus est clericus, cùm verò laicus, iudex est magistratus ciuilis: consuetudo gymnasij est vbique seruanda: vt ait Iulius Clarius, *li. 5. senten. recep. in pract. crimin. q. 35. n. 23.* At Scho

lastici subijciuntur, quod attinet ad Sacramenta necessaria, Ordinario loci, vbi literis nauant operam: Quòd verò pertinet ad sacramenta non necessaria, suo Episcopo subiecti sunt: quò fit, vt ad ordines promoueri non possint absq; sui Episcopi facultate & literis dimissorijs, ac ita etiã eorum vota, & iusiurãdum nec cõmutari, nec relaxari possunt sola auctoritate Episcopi eius loci, vbi literas addiscunt, vt ait cum alijs Sylvest. *domicilium nu.2.&3.* Milites verò postquam militiam susceperunt, iure cõmuni, in militaribus delictis subijciũtur belli Ducibus, & eorum statutis: more tamẽ videtur esse receptũ, vt in omni crimine, quod admiserint, à belli Ducibus puniantur. Iulius Clari. *lib.5.recep.senten.pract.crim.q.35.n.24.* & *q.38.nu.4.* Vagantes huc, & illuc, qui nullibi domicilium habent, ob crimina commissa, in quolibet loco, vbi inueniuntur, puniri possunt. Gloss. *in l.1. C. Vbi de criminibus agi oporter*, quam ait Couaruuias esse communi consensu receptam; quamuis ipse putet esse remittendos ad locum, vbi delictum commiserunt, vt ibi puniantur, *in practicis. quæst.ca. 11.num.7.* Iulius Clar. *libr.5.receptar.sentent.in Practic. criminal.q.39.nu.7.*

Quartò quæritur, An vsu rationis carentes, legibus teneantur. Conuenit inter omnes: neq; legibus adstringi, nec teneri posse: ratio est, quia nõ imperamus, nisi ijs, qui præcepta intelligere, & eis parere possunt: & obedientia eorum est, qui vsu rationis, & voluntatis ducuntur.

Primum tamen id obijcitur, quòd infantes, & paruuli sepultura sacra in loco diuinis interdicto priuantur, à sacris item arcentur, ergo tenentur legibus interdicti. Respondeo, Interdictũ esse duplex, locale sic dictum, quo certus locus sacris interdicitur; & personale, quo certis hominibus, vel toti Collegio, aut Communitati interdicitur sacrorum vsus: Ob delictum enim capitis, vel tota aliqua vniuersitas hominum, vel certus locus diuinis interdici solet: & tunc interdicto tenẽtur etiam paruuli: nõ quòd infantes contra leges interdicti delinquant, si sacris intersint: sed quòd peccent ij, qui ad sacra ipsos admittunt, nam ob capitis crimen meritò priuantur bonis Ecclesiæ. Innocentes enim nonnũquam propter sontes, & nocentes pœnas perferre coguntur. Secundò obijcitur: Infantes lege sacri baptismatis tenentur. Respondeo, baptismum habere vim & legis diuinitus constitutæ, & remedij ad gratiam, & vitam cælestem consequendam necessarij. Adulti ad baptismum suscipiendum cõpelluntur, tum ratione præcepti, tum ratione remedij: Infantes verò præcepto, & lege baptismi minimè tenẽtur; ipsis tamen est necessarius baptismus tanquam remedium ad gratiam, & vitam æternam assequendã. Vnde si sacro baptismate non abluantur, illi quidem non peccant, quia legem vel præceptũ non violant, à peccato tamen originis nequaquam mundantur, & proinde in cælestem patriam non recipiuntur.

Quintò quæritur, An Constitutio Pontificia generatim, & in vniuersum lata teneat quoq; ipsos Romanæ Ecclesiæ Cardinales? hanc quæstionem latè tractauit Alba. de Cardin. *q.42.primi.13.* Quæstio est de ijs Constitutionibus Pontificijs, quæ Bullæ vocantur, & quæ ab ipso Pontifice condũntur Cardinalium cõsilio. Rursus hæc quæstio intelligitur de odijs, & pœnis: nam certum est in ijs, quæ in fauorem, & bonum Cardinalium cedunt, ad eos quoque Constitutiones Pontificias extendi. Duæ sunt opiniones; Prima negat eos cõprehendi Constitutione generatim lata: quia Romanus Pontifex Constitutiones condit vna cũ Collegio Cardinalium, ita vt ipse, & Cardinales constitutiones, & leges ad cæteros ferre videantur. Præterea, eos Romanus Pontifex, cũ Constitutiones sancire solet, fratres appellat. Ita senserũt Hostien. Io. Monach⁹, Pet. Anchar. *c.1. de schisma.* Barba. *c. In nostra, de rescrip.* Oldrad. *cons.293.* Roman. *cons.498.* Ias. *cons.117. volu.4.* Secunda opinio docet eos comprehendi quando id, quod constitutione vetatur, est per se malũ, aut erat alioqui iure communi interdictum, vel quando, quod imperatur, est per se bonum, aut erat alioqui communi iure decretum. Id tradiderũt Archidiaconus, Ioannes Andreas, Dominicus, & Felinus, quos citat Alba. *de Cardin.q.42.primi.13.* eo vnico argumento permoti: nam cõprehenduntur Cano. *in c.Si quis suadente. 17.q.4.& Canone in ca. Omnis viriusq; sexus de Pœnit. & remiss.& c. Pro humani.1. de Homic. in 6.& cap. Nemo deinceps de elect. in 6.& Extrauag. Iniunctæ, de elect. inter communes.& Extrauag. Excõmunicamus, de sent. excommunic. inter cõmunes.* Item, *in c. Canonum de constitutionibus* decernitur, *Canonũ statuta ab omnibus obseruari debere.* Item, quia Cardinales, Regulis Cancellariæ alligantur, quod latè ostendit Ludouicus Gomezius *in earum Regularum proœmio, q.4.* Nisi quantum in ijs, in quibus Cardinales, vel iure cõmuni, vel iure nouo expresso vel more, & vsu Curię excipiũtur: Felin. *in c.ad aures. de rescrip.* dicit Franciscum Pauinum Auditorem in Rota referentẽ, in Rota iudicatum sæpè fuisse Cardinales generalibus Romanorum Pontificum cõstitutionibus alligari. Animaduertendum est, Doctores confusè hanc quæstionem tractare: nõ enim quæstio est, an Cardinales comprehendantur Canonibus, vel Constitutionibus generalibus iuris communis, hoc est, quæ in iure cõmuni præsertim antiquo cõtinentur: his enim comprehenduntur: item cõprehenduntur Canonibus, vel Constitutionibus generalibus editis à Concilio generali. Quæstio solùm est, An comprehendantur Canonibus, vel Cõstitutionibus quas cõsilio ipsorum Pontifex ponit, & condit. Vnde non quæritur, An teneantur Constitutionibus Concilij Tridentini, aut aliorum Conciliorum generalium: An ligentur Constitutionibus generalibus, quæ in corpore iuris canonici cõmunis continentur: Quare soluti non sunt iure cõmuni circa multitudinem beneficiorum, circa præsentiã assiduam, qua in suis Ecclesijs Antistites cõmorari, & adesse debent; soluti nõ sunt Canonib⁹ iuris cõmunis, de simonia: soluti nõ sunt legibus seruãdi ieiunia indicta ab Ecclesia, & dies festos, & sacros; diuini officij præces recitandi, annuam peccatorum cõfessionem quotannis faciẽdi, Eucharistiam in Paschate suscipiẽdi, & alijs huiusmodi Cõstitutionibus. Quæstio igitur est de Cõstitutionibus quas cõdit Pontifex ipsorum consilio. Existimo autem Cardinales non teneri Constitutione generali edita contra Clericos, vel contra beneficiarios, vel cõtra eos, qui dignitates vocantur: quoniã etsi Cardi-

nales

nales sunt Clerici, sunt beneficiarij, sunt dignitates; habent tamen aliquid singulare, & eximium in quo præcellunt. Vnde vt comprehẽdantur, solet addi. *Clerici beneficiarij, cuiuscunq; status, conditionis, & dignitatis sint.* Item, si Constitutio vniuersim conditur cõtra Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, non puto ea ligari Cardinales, etiamsi sint Episcopi, vel Patriarchæ. Præterea si lex feratur de re, siue materia aliqua, in qua Cardinales specialibus gaudent priuilegijs, nõ tenentur ea lege vniuersè lata, quoniam lex generalis non adimit & abrogat priuilegia peculiariter alicui cõcessa, vt est cõmunis opinio. Item, si constitutio generatim cõprehendat curiales, non protenditur ad Cardinales. Sed quid dicendum, si Summus Pontifex constituat, vt omnes, qui Ecclesiasticos reditus habent, soluant certum subsidium, siue pensionẽ ad impensas, quæ fiunt in debellandis Christiani nominis hostibus. Alb. ait, ea constitutione teneri Cardinales, nisi excipiantur, sed non alligari ijs cõstitutionibus, quibus interdiceretur aliquis contractus absq; certa solenni formula, si damnaretur solùm ad euitandas fraudes; at id nõ videtur satis firma ratione comprobare: nã Cardinales debent in contractibus à fraudibus procul abesse, & nõ est, cur suspecti nomine fraudis haberi non queant. Probabilis igitur est opinio Hostiensis, in constitutione generali Pontificia, quod attinet ad pœnas, & odia, non comprehendi Cardinales nisi exprimantur. An comprehendantur generalibus regulis Cancellariæ, dubiæ quæstionis est. Sarnen. *in proœmio regular. q. 4.* & super regulam Cancellar. *de infirmis resignan. q. 3.* affirmat eos comprehendi, & citat pro se Felinum, & Franciscum Pauinum. Sed Mandosius *super regul. eandem de infirmis, q. 2.* negat eos comprehendi; idem ante ipsum senserunt Ancharanus, & Romanus, vt ait Sarnensis, & hoc est probabilius, & verius: quoniam, vt dixi, generali constitutione Pontificia nõ continentur, nisi exprimantur: siue hoc fit, quia, vt ait Hostiensis, Cardinales cum Pontifice cæteros omnes iudicant, siue quia Pontifex, non creditur eos velle comprehendere generali sua constitutione, nisi cum id exprimit.

Sextò quæritur, An Augusta, vel Regina legib' teneatur? Ratio dubitãdi est, quoniam *in l. Priscos, §. Vltimur, ff. de iure Fisci*, Augusta dicitur habere eadem priuilegia, quæ habet ipse Princeps. itẽ, Augusta censetur eadem persona, quæ Princeps: at Princeps solutus est legibus, ergo & Augusta. At verò *in l. Princeps ff. de legib.* plane dicitur: *Augusta licet legib. soluta nõ est; Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ & ipsi habent.* Dicendũ itaq; est Augustam legibus teneri, beneficio tamen Principis legibus esse solutã. Vnde expressè nonnunquam eam leges excipiunt.

Septimò quæritur, An Græci, & Orientales clerici more Græcorum viuentes, teneantur Canonicis Latinorum Constitutionibus? Abbas *in c. Canonum, de Constitutionib.* hanc quæstionem proponit, & lectorẽ mittit ad Gloss. *in dist. 20. c. de libellis*, sed certè eo loco Glossa strictim, & cursim quæstionem tractauit. Augustin. Beroius *c. Canonum, de constitutionibus, nu. 197.* hanc quoque quæstionẽ mouet, & tandem concludit, eos teneri. Idq; probat ex eo, quòd Ecclesia vnũ corpus constituit, cuius caput est Christus Dominus, & summus Christi Vicarius, qui est Romanus Põtifex, cuius est præesse cunctis, & cuius auctoritate, & potestate omnes tanquam Christi oues reguntur, atq; gubernãtur, Canones & decreta Ecclesiæ confirmantur.

Sed profectò in hac re distinguere nos oportet; non enim idem est, quærere, an Græci, & Orientales clerici latinorum constitutionibus teneãtur: quod an Romani Põtificis potestati subiecti sint: nam iure diuino, hoc est, institutione Christi, Romani Pontificis tanquam supremi in terra Christi Vicarij potestati subdũtur, vt suo in loco dicam inferius: sed quærimus, an Canones in Latina, & Occidentali Ecclesia generatim constituti, & decreti, Græcos etiã, & Orientales clericos teneant: nam etsi vnum tantùm sit Christi ouile, & vnus supremus ipsius Christi Vicarius, nempe Romanus Pontifex, qui totius ouilis sibi commissi curam habet, nihilominus tamẽ decerni, & constitui Canones, & ferri leges possunt ad Latinos tantùm, & Occidentales clericos, nõ ad Orientales; quia cùm feruntur, & constituuntur hi, aut illi Canones, vult Pontifex expressè, vel tacitè, vt Occidentales, non Orientales clericos teneant. In primis igitur, Iure Canonico cõmuni, quo Ecclesiæ Latinorum vtuntur, multi Canones antiqui continentur, quos ediderunt generalia Concilia eo tempore, quo Græci, & Orientales clerici nõdum erant à Latinis separati, & disiuncti: & huiusmodi Canonibus, tum Græci, tum Latini tenẽtur per se: nam ex accidenti fieri potest, vt Græci, & Orientales soluti sint, quoniam apud ipsos vsu, & consuetudine multi Canones sunt, vel ex parte abrogati, cùm tamẽ eos Latini adhuc more, & vsu retineant. Deinde, dubitari non potest, quin apud Græcos, & Orientales multa sint, vel vsu recepta, vel etiam iure antiquo communi introducta longè contraria his, quę apud latinos iure, vel vsu antiquo seruantur. Hinc etiam Græci ab ipsis vsq; Apostolorum temporibus sabbatum perinde ac Dominicam diem piè, ac religiosè colunt: ex ijs, qui sunt matrimonij vinculo adstricti, aliqui ad ordines promouentur: filij presbyterorum ordinibus quoque initiantur: ter aut quater quotannis quadragenarium ieiunium seruant: in priuilegijs Apostolorum ieiuniũ non suscipiunt: ante sacros ordines Lectores tantùm Clericos præficiunt, non Ostiarios, non Exorcistas, non Acolythos: aliter diuinas præces recitant, aliter diuini officij pensum exoluunt: in fermentato pane sacrum Christi corpus conficiunt: ijs, quos presbyteri sacri baptismatis aqua proluunt, confirmationis sacramentum ministrant: Eucharistiam paruulis etiam infantibus præbẽt: multa deniq; alia, tum in Missarum sacrificijs faciendis, & offerendis, tum in sacramentis conferendis vel etiam suscipiendis obseruant, cùm tamen longè alijs ritibus, moribus, & institutis vtamur. Demũ negari non potest, post diuisionem Græcæ Ecclesiæ, & Orientalis à Latina plures extare in Latinorum Ecclesia Canones editos, qui duntaxat ad commune Latinorum bonum tuendum, & retinendum constituti sunt, nimirum de conseruandis Latinæ Ecclesiæ legibus, decretis, moribus, institutis, ac ritibus: & huiusmodi canonicis cõstitutionibus Græci minimè tenentur:

tales sunt plerique Canones editi de electione, præsentatione, promotione, & ordinatione Clericorum, de concessione, institutione, erectione, vnione Ecclesiarũ, & beneficiorum, de simonia, de sententia excommunicationis, de suspẽsione, interdicto, irregularitate. Suut ergo, vt dixi, Græci, & Orientales Romano Pontifici, vt summo Christi Vicario iure diuino subiecti, vnde eis ius dicendi, leges, & constitutiones ac præcepta dandi, potestatem, & auctoritatem habet, sed eo iure, & potestate non semper vtitur, nec ad eos leges ferre creditur.

Cap. XII.

Quo iure Clerici sint ciuilibus Principum legibus soluti adstrictiue.

PRIMO quæritur, An Clerici sint iure diuino soluti legibus ciuilibus Principum. Nemini dubium est eos esse à ciuilibus Principum Constitutionibus exemptos, & liberos; sed quæstio est, quo iure soluti sint, diuinone, an naturali, an humano scripto; quod si humano scripto, num ciuili, an vero Pontificio, & Canonico. Duæ sunt opiniones; vna eos docet esse exemptos, solutos, & liberos à ciuilibus Principum statutis iure diuino, & naturali; Quam sentẽtiam existimo esse iuris canonici interpretum, eam enim habent Innocent. Hostien. *cap. 2. de maior. & obed.* Gloss. *in c. si Imperator d. 96. in verbo discuti, & in c. quanquam de cens. in 6. in verbo. diuino:* Ioan. Andr. Dominic. Archidia. Anchar. Franchus *in c. quãquam de cens. in 6.* Abb. Felin. Deci. Butrius *in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ de constit.* Cardin. *in c. perpendimus, oppos. 7. de sent. excom.* Rota *in antiquis decis. 10. de consuet.* Aufrerius *Clem. 1. de offic. Iudicis ord. vers. ad quæstionem.* Roman. *in singul. 419.* Rochus Curtius *in c. vlt. de consue.* Rebuff. *in concordatis. Rub. de protect.* Quam sententiam multis argumentis comprobant.

Primò ex diuinis scripturis arguunt Genes. 47. Ioseph, cùm totam Aegypti terram Regi obligasset, & tributariam siue vectigalem fecisset, Sacerdorum terram excepit, quam voluit esse liberam & 1. Esdræ 7. excepti sunt Sacerdotes, & Leuitæ à lege soluendi tributa Regi Persarum; & Psal. 114. dicitur, *Nolite tangere Christos meos*; hoc est, vnctos meos; at Clerici tales sunt: Deo enim consecrantur. & Matth. 17. Cùm obijceretur Apostolis, quare censum Augusto Imperatori, sicut cæteri, non penderent, & cùm Christus Dominꝰ interrogasset Apostolos, Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, & censum, à filijs suis, an ab alienis? dicenti Petro, ab alienis, intulit ipse Dominus, *ergo liberi sunt filij; vt autem non scandalizemus eos, tolle, & da pro me, & te*: Christus igitur excepit à censu soluendo, & se ipsum, & Petrum, cui suam Ecclesiam gubernandam commiserat. Numerorum quoq; 18. dicit Deus, se tradidisse Sacerdotibus decimas, vt ipsi ei in Altari inseruirent, ergo Clerici hoc ipso, quòd sunt rebus sacris, & diuinis addicti, à ciuili Principum potestate eximuntur. Deindè argumentantur ex iure Canonico, nam in c. quanquam de cens. in 6. planè dicit Bonifacius VIII. Clericos, & eorum bona, non solum humano iure, sed etiam diuino à potestate ciuili eximi, & liberari; Idem deducitur ex cap. non minus de immun. Eccle. vbi Pontifex in Concil. Lateranen. fic ait, *vt deterioris conditionis, sub eis* (videlicet sub laicis) *Christianis, Sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam non habebat.* Ille quidem omnibus alijs seruituti subiectis, Sacerdotes, & possessiones eorum in pristina libertate dimisit; Et ex cap. si Imperator d. 96. vbi habetur; Domino instituente ad Ecclesiam pertinere Clericorum, & Ecclesiarum gubernationem, & curam, & paulò post dicitur, non à legibus publicis, non à potestatibus sæculi, sed à Pontificibus, & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti. Hoc idem docere videntur multa *c. quæ habentur 11. q. 1. c. præsertim, c. relatum, & c. placuit.* & Gratianus *in c. futuram 12. q. 1. & in c. conuenior. 23. q. 8. & c. continua 11. q. 1.* Item in Historijs legimus apud Rufinum *lib. 1. c. 2. Histor. Eccles.* à quo accepisse videntur. Greg. *lib. 4. epist. 75.* Nicolaus I. *in epist. ad Michaelem Imperatorem,* & Sozomenus *li. 1. sue Historiæ c. 16.* cum libelli essent oblati Imperatori Constantino Magno, in quibus ad eum accusationes deferebantur aduersus Episcopos, Constantinum respondisse, ad se non pertinere de huiusmodi causis sententiam ferre. *Quia solus,* inquit, *Dei iudicio reseruamur.* Postremò idẽ ratione confirmant, nã si solùm, inquiunt, iure humano scripto Clerici essent immunes, & liberi à potestate ciuili, possent Principes exto, vel ex parte Clericorum immunitatem abrogare, hoc autem maximum Ecclesiæ detrimẽtum afferret; ergo verisimile est, Christum Dominum eodem iure, quo suam Ecclesiam instituit, Clericos Ecclesiarum ministros, à ciuili laicorum iurisdictione excepisse. Hæc sunt primæ sententiæ argumenta.

Altera sententia negat, Clericos exemptos esse à ciuili laicorum potestate, iure diuino in ijs, quæ ad temporalem gubernationem spectant, affirmat tamen liberos esse, & immunes iure canonico, & non solo ciuili: sic Medina *de rebus restituendis quæst. 15.* Victoria *relect. 1. de potest. Ecclesiast. quæst. 6. prop. 2.* Sotus *in 4. d. 25. quæst. 2. artic. 2. conclus. 3. 4. & 5.* Ledesma *in 4. part. 2. q. 20. artic. 4. versic. Hæsitabis. concl. 2. & 3.* Palacius *in 4. distinct. 25. disp. 3. concl. 3.* Salon 2. 2. *quæst. 67. art. 1. controu. 1. conclus. 4.* Bannes 2. 2. *q. 67. art. 1.* Couarru. *in practicis q. cap. 31. num. 2. versic. prima conclus. & lib. variar. resolut. 2. cap. 20.* Nec hi tantummodo Doctores ita senserunt, sed etiam quidam alij scriptores cum ipsis conuenire videtur, inter quos citat Couarruuias Petrum Ferrariensem *in practicis de confess. §. plenum.* Alciat. *in cap. cùm ab homine de iud.* Innocent. *cap. 2. de maior. & obed.* potuisset citare Henricum Gandauensem; Quamuis ego nihil tale lego in Alciato, & Innocentium video scripsisse, Clericos exemptos esse, vel Imperatorum priuilegio, vel potius iure diuino, vel saltem pontificio, etiam Imperatoribus minimè requisitis, & Henricum inuenio dicentem in quodlib. 9. quæst. 21. *Habent Clerici immunitatem exactionum secularium statutis Papæ, & Imperatorum,* vbi de iure diuino, nihil dixit, nihil affirmauit, nihil negauit. Huius secundæ sententiæ auctores, eam multis rationibus probare conantur.

Primò,

Primò, quia primis nascentis Ecclesiæ temporibus, Clerici erant Principibus subiecti, vt constat ex Paulo ad Rom. 13. Dicens, eos Principes Ethnicos fuisse, & sibi vsurpasse ius, & potestatem in Clericos. At contra hoc vim habet quod ibidē dicit Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & hoc propter ordinationem Dei*, vbi glos. ait, *omnis anima*, nullus excipitur, neque excluditur, & Chrysostomus addit, *omnis homo siue sit Euangelista, siue Propheta, siue Apostolus, siue quisq; tandem sit*; & paulò supertius dicit, *ista imperantur omnibus, & Sacerdotibus, & Monachis, non solum secularibus.* eodem modo exponunt verba B. Pauli, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius. Item Actor. cap. 25. Paulus ait, *ad Tribunal Cæsaris sto, vbi oportet me iudicari*; Hoc dixit, quia causa tractabatur apud Præsidem Cæsaris, fratres ei suadebant, vt Præsidis iudicium recusaret. Insuper 1. Petr. 2. legimus debere omnes subijci Principibus, etiam discolis. & Matth. 22. dixit Christus Dominus: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Deindè arguunt, in sacris literis nullum extat diuinū præceptum, quo Clerici à ciuilium Principum potestate soluātur. Prætèrea Christiana Religio Christi Domini cultores non liberat ab vllo alio ciuili vinculo; non à seruitute, non à coniugio, non ab officio obedientiæ, non à debito pecuniario, siue alieno ære: ergo nec Dominus soluit Clericos ab officio parendi Principibus. Adde his nullam esse repugnantiam, si Clerici diuino cultui, & muneri mancipati, sint alioqui Principum potestati in temporalibus subiecti; Accedit, quòd Clerici cum laicis sæpe inire solent ciuiles contractus empti, & venditi, depositi, pignoris, mutui, accommodati, permutati, societatis: ergo & possunt coram ciuilibus magistratibus conuenire, vt stent conuentis, vt pacta, & promissa seruēt, vt iusta pretia soluant, vt depositam pecuniam reddant, vt creditori satisfaciant, vt debitum restituant. Quid, inquiunt, si Clericus sit fur, latro, homicida, adulter, pirata, læsæ Maiestatis reus, veneficus, patriæ & reipublicæ proditor, & hostis, parricida, clericaline tōsura, & habitu se defendet, ac proteget? Nónne est Reipublicæ pars? nónne est ciuis vnà cum laicis? cur ergo si Ciuitatem prodit, si Principi interitum machinatur, si Rempub. perturbat, non capietur à laicis, non punietur à Principe sæculari? Ad extremū, si iure diuino Clerici essent immunes, & liberi, nō posset Romanus Pontifex Clericorum immunitatem restringere, & ex parte minuere, & tamen in multis causis restringit, & minuit; non posset Clericorum causas, & lites laicis demandare, vt eorum iudicio cognitæ dirimantur, & tamen ex glos. *in c. valde d.* 49. manifestum est, Clericorum, & Ecclesiarum causas posse laicis Romani Pontificis auctoritate committi. legimus itidem Romanos Pontifices suas causas Imperatoribus delegasse *cap. non. si. 2. q. 3.* nō posset insuper huiusmodi immunitas per consuetudinem tolli, vel minui, cùm consuetudo contra ius diuinum vim, & locum non habeat: & tamen multis in locis plurimum mos, & vsus, contra Clericorum immunitatem valuit: Hæc secunda sententia.

In hac proculdubio graui, & difficili quæstione primum oportet, certa ab incertis, & ambiguis omnino secernere; Conuenit inter omnes, Clericorum, & Ecclesiarū immunitatem esse iure ciuili, & canonico multis in locis confirmatam. De hoc nulla est quæstio, sed quæritur, vtrum Clerici iure diuino à ciuili Principum potestate soluantur. Constat etiam apud omnes Marsilium Patauinum esse meritò ab Ecclesia damnatum, eo quòd assereret, non solum Clericos, sed etiam Ecclesiarum Antistites, & ipsum Romanum Pontificem Imperatoriæ potestati iure diuino subijci, immò iure quoque diuino Principes habuisse potestatem in Christum Dominū tanquam hominem, quod ostendere nitebatur ex illo Ioannis 19. vbi Christus Pilato dixit, *non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper*, & ex his, quæ supra memoraui ex Paul. ad Roman. 13. & 1. Petri 2. & Acto. 25. & ex glos. & Chrysostomo.

Conuenit etiam inter omnes Theologos, Clericos esse iure diuino à ciuili laicorum potestate in rebus spiritualibus, diuinis, & Ecclesiasticis, immunes, & liberos; Talia sunt, sacramenta ministrare, sacra munera, & officia obire, & exequi, sacras literas interpretari, peccata, quibus in his delinquitur, punire, pœnas Ecclesiasticas sancire, quales sunt excommunicationes, suspensiones, interdicta, irregularitates, depositiones, & degradationes, idoneos Ecclesiarum ministros examinare, eligere, creare, instituere, confirmare, ad ordines promouere, vel alia huiusmodi.

Præterea iuris diuini est, vt omnes fatentur, Clericos, sacris vsibus consecratos, profanis, & ciuilibus rebus, & negocijs perpetuò implicari non posse. Nec Imperator, Rex, vllusue ciuilis Princeps potest edicere, vt Clerici sacris rebus addicti, arma tractent, militent, bella gerant, aut alia sæcularia factitent.

Illud etiam nemo negat, quicquid iuris, & potestatis habent laici in rebus spiritualibus, habere concessu, seu priuilegio, & beneficio Ecclesiæ; quale est iuspatronatus in nominandis, designandis, & offerendis Clericis, qui præficiuntur Ecclesijs, vel in beneficijs Ecclesiasticis instituuntur.

Item ius sepulturæ, ius exigendi pensiones, beneficijs Ecclesiasticis impositas, ius eligendi aliquos ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, & alia huiusmodi iura, de quibus priuilegijs alibi tractabo.

His igitur positis tota quæstio in duobus consistit. Primo, An Clerici iure diuino sint à ciuili potestate, in his, quæ ciuilia sunt, & tēporalia, liberi, & exempti, v.g. si sit Clericus parricida, latro; proditor patriæ, perduellis, vel sit ære alieno cōstrictus, vel ob rem emptam, conductam, vel depositam aliquid creditori debeat, quęritur, an iuris diuini sit, vt coram Ecclesiastico, non ciuili Iudice conueniri queat. Secundò, An Clerici sint iure diuino immunes, & liberi à tributis, censibus, cōtributionibus, & cæteris omnibus, quæ solēt ciuiles Principes laicis cōmuniter imponere. Et in his duob⁹ prædictæ duæ sentētiæ versantur.

Ego profectò existimo prædictam primā sententiam, communi consensu canonici iuris interpretum receptam, cum ratione naturali, &

cum iure canonico, & diuino maximè congruere; nec est, quòd quispiã miretur, me aliàs Theologum iuris canonici doctorũ potius, quã Theologorum in hac parte sententiam amplecti; Nam in primis prima sententia, quam sequor, non solùm est iuris canonici interpretum, sed etiã Theologorum, eam enim probabiliorẽ putat Almaynus *tract. de suprema potestate Ecclesiæ cap. 8. prop. 3. ad finem.* Syluest. *in verbo immunitas 1. q. 4. versic. secundum ad munera.* Ang. *in verbo immunitas, nu. 33. vers. 11.* vbi dicunt eam sententiam esse veriorem. Item quia quamuis Victoria, Medina, Sotus, Ledesma, Palatius, Salon, Bannes, & Couar. docuerint, Clericorum immunitatem in ciuilibus, & temporalibus iuris diuini non esse, aiunt tamen esse iuri diuino plurimum consentaneam: & certè veteres Theologi, vt S. Tho. Bonau. Alex. Alb. Scot. Richard. & alij nihil expressè de hac controuersia tractauerunt, sed solùm Theologi iuniores à me citati; insuper apud me maioris est põderis, & firmamenti, quod in iure canonico lego, quàm quod prædicti recentiores Theologi tradiderunt, in c. Quanquam de censib. in 6. & c. si Imperator d. 96. & c. non minus, de immunitate Ecclesiarum, & c. nimis, de iureiurand. apertè dicitur eiusmodi Clericorum immunitatem, de qua tractamus, iuris esse diuini.

Et in dictis capitibus, *quamquam, & non minus*, sermo est de vacatione Clericorum à censibus, & alijs contributionum generibus, quæ exiguntur à laicis. Accedit itidem quod Innocentius III. in Concilio generali, *& refertur in c. nimis, de iureiurando*, sic ait, *nimis de iure diuino quidam laici vsurpare nituntur, cùm viros Ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis iuramenta compellunt.* Præterea hoc idem colligitur ex Concil. Lateranens. sub Leone X. *sess. in bulla reformationis curiæ, versic. & cùm à iure*: vbi sic legimus. *Et cùm à iure tam diuino, quàm humano, laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit.* Adde, quòd in Concil. Triden. *sess. 25. de reformatione cap. 20.* generatim dicitur sic, *Et personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam.* Insuper hoc idem mihi videtur ipsa ratio comprobare; Nam Clerici sunt Deo dicati, & diuinis vsibus deputati: ergo eo ipso sunt à ciuili laicorum potestate exempti: Nam in c. semel de regul. iur. in 6. habetur, *semel Deo dicatum, non est ad vsus humanos vlteriùs transferendum: Idem dicitur in c. Nulli, c. Prædia, 12. q. 2. & c. Quæ semel 19. q. 3. item in l. summa ff. de rer. diuisione, & in Instit. eodem tit. §. Nullius, & in cap. in legibus 12. q. 3.* Res sacræ, siue oblatæ Deo dicuntur esse bona Dei, & in nullius hominis patrocinio, siue dominio esse; ergo eo ipso Deo tantummodo, non hominibus subijci, & subesse debent: sed Clerici sunt Deo dicati, & in Dei sortem electi, ergò nihil iuris in eos habet Princeps ciuilis: quid. n. illi cum ijs, qui sunt in sorte parte, & hæreditate Dei, vt eos suis legibus adstringat, & cogat, ad sua tribunalia trahat, in eos inquirat, & pœnis animaduertat? Item milites sæculares militant mundo: ergo sacrati milites, quales sunt Clerici, Deo tantum, non hominibus militant, nec est cur se negocijs sæcularibus implicent. Accedit, quod vasa, altaria, templa, vestes, & cætera Deo sacra, eo ipso quod diuino cultui sunt deputata, à profano, & ciuili vsu separantur. cur Clerici eo ipso quod Deo sacrati sunt, non sunt ab omni ciuili vsu semoti? Cur si res eo ipso, quo sunt Deo sacratæ longè à profanis sepositæ non tanguntur à laicis: personæ Deo dicatæ, diuinis officijs, & ministerio addictæ, tangentur à laicis? Postremò talis immunitas plurimum conducit ad quietam, & rectam Clericorum & Ecclesiarum gubernationem, alioqui. n. possent Clerici auctoritate, & iussu Principum sæcularium, à suis muneribus & officijs frequẽter abduci, auocari, impediri, prohiberi: ergo verisimile certè est, eos iure diuino ab omni ciuili potestate esse immunes, & liberos. Cæterùm videamus quo pacto ad argumenta prædictæ opinionis Auctores respõdeant, Medina, Victoria, Sotus, Couar. & alij. Ad primum quidem ex Genes. in ca. 47. sumptum respondent, Iosephum, & Pharaonem Sacerdotum terram excepisse ab onere, & seruitute cæteris Aegyptijs imposita: non quia eiusmodi immunitas, diuini iuris esset, sed quia voluerunt id priuilegij, & beneficij, Sacerdotibus liberaliter concedere: eodem modo ad id quod primo Esdræ 7. obiectum est, respondent, fuisse videlicet vsu, & consuetudine receptum, vt Leuitæ essent liberi à tributis, vectigalibus, & alijs contributionibus, & oneribus, & proinde eos, aiunt, excepit Esdras, id permittente, & concedente Artaxerxe Persarum Rege, cuius ditioni, & potestati erant tunc temporis subiecti Iudæi. Sed certè horum responsio mihi non placet; Nam hæc ideo facta esse puto, quia ratio ipsa naturalis præscribere videtur, vt ministri diuinis obsequijs, & vsibus dicati, à ciuilũ Principum potestate sint liberi, & exempti.

Ad illud ex Psalmo 114. *Nolite tangere Christos meos*, respondent, ibi sermonem esse de Abraham, Isaac, Iacob Patriarchis, quos ibi diuinus Psaltes appellat Christos per metaphoram, id est, Vnctos, quasi essent diuinitus consecrati, sicut vngi, & sacrari solebant Pontifices, & Reges, & eosdem appellat idem Psaltes prophetas, hoc est, diuini verbi nuncios, & interpretes ad populum: quæ omnia, inquiunt, in eo Psalmo dicta sunt propter historias, quæ de ijs sanctis viris in sacris literis referuntur; meo quidem iudicio argumento non satisfaciunt: Nam fateor, dixisse Deum de Patriarchis, *Nolite tangere Christos meos*, id est, vnctos, & nuncios, & interpretes à me missos ad populum; Sed cur idem non intelligemus de Clericis, & Sacerdotibus, qui sunt vncti, hoc est, Deo sacri, diuino cultui mancipati, qui sunt diuini verbi nuncij, & interpretes ad populum? ergo si illi Patriarchæ, quia erant vncti, id est, Deo sacri, & Dei nuncij, & interpretes tangendi non erant, tanquam à populo semoti, Clerici etiam Deo dicati ab omni ciuili vsu separantur.

Ad illud ex Matth. c. 17. vbi dixit Christus Dominus, *ergò liberi sumi filij*, respondent iuxta S. Tho. *in 2. d. 44. q. 2. art. 2. ad 1.* & Bonauent. 2. *eadem d. artic. 3. q. 1. ad primum*, & Durand. 2. *d. 44. q. 4. ad finem*, id Christum Dominum dixisse de se ipso, non autem vniuersim de omnibus Christianis, vel de omnibus iustis viris, gratiam adoptionis adeptis, quia dixerat, inquiunt, Dominus, Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab

alienis?

alienis? respondente Petro, ab alienis, subintulit Christus, ergo liberi sunt filij, quasi diceret: si filij Regum, & Principum naturales tributum non pendunt: ego, qui Filius sum naturalis summi omnium Regis, & Principis, videlicet Dei, nulli hominum tributū debeo, sed ne offendamus eos, solue stater em pro me, & te; Pro me quidem, quia etsi nō debeam, mea tamen voluntate persoluo, pro te vero, quia possem quidem te quoq; à pendendo tributo liberum facere, sed sicut me sponte tributo subijcio, sic etiam te. Cæterum nōdum argumētum diluisse videntur plenè. Nam Christus Dominus sponte sua tunc soluit: at iure, nec pro se, nec pro Petro debebat, cui suam commiserat Ecclesiam. Orig. Hieron. Euthy. Theophylactus, & August. *lib. 1. quæst. Euang. ca. 23.* verba Domini intelligunt dicta esse de filijs naturalibus. Cæterùm S. Tho. & Bonau. *loc. supr. cit.* interpretantur quidem Christi dictum de ipso, at non solùm de ipso, sed de ijs etiam omnibus, qui temporalia omnia, & terrena bona propter Christum Dominum reliquerunt, & sic etiam exponunt alij veteres Theologi, Richard. *in 2. d. 44. art. 3. q. 1. ad primum* Argen. *eod. lib. & d. q. 1. a. 4.* & inter recētiores Cai. *2. 2. q. 104. ar. 6.* sed Clerici eo ipso quòd sunt sors, pars, & hæreditas Dei, ex Altari, & Ecclesiæ patrimonio viuunt, ergo ea ratione tributum non soluunt. Ad secundum argumētum respondent, in iure canonico ius diuinum latius accipi solere; nam sumitur interdum pro omni eo, quod Deus iussit tum in nouo, tum in veteri Testamento. Quidquid item boni factum esse in sacris literis memoratur; ius diuinum canones appellant. Præterea quicquid ab Apostolis constitutum esse in sacris literis legimus; Insuper ius ipsum canonicum dicit. *gloss. in cap. Quo iure, in verbo: nam iure diuino dist. 8.* Ius diuinum aliquando vocari, ac proinde colligunt immunitatem Clericorū esse iuris diuini. 1. canonici, & quia eius exemplum ex sacris literis petitum accipimus: sic illi. Sed certè, meo iudicio, Bonifacius VIII. *in ca. Quanquam, de cens. in 6.* & Ioannes Primus *in c. si Imperator d. 96.* & Lateranen. Concilium *in c. non minùs de immunitate Ecclesiarum*, & Lateran. Concil. sub Leone X. *sess. 9.* ius diuinū propriè, & strictè accepisse videntur: cùm dicunt, iure diuino esse Clericos exemptos, quoniam aiunt, Clericos non solùm iure humano; sed diuino esse exemptos, & liberos.

Superest, vt ad ea, quæ secundæ sententiæ auctores obijciunt, respondeamus. Ad illud, quod sumunt ex Paulo *ad Rom. 13. & 1. Petri 2. & Actor. 25.* & Matth. 22. & Ioan. 19. respondeo, primis Ecclesiæ temporibus, Ecclesiam non habuisse plenum suę potestatis, & iuris vsum, & actum; sed tantùm quasi habitum, & originem: & ideo mirum non est, si Paulus *Act. 25.* ad Cæsar. prouocauit; si dixit ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, non quòd iure diuino ciuilibus Principibus Clericos subijceret; sed quòd interim dum Christiani erant in Paganorum potestate, eorum Principibus parere deberēt, ne detrimentū Christi Domini fides, & Religio pateretur. Ad illud Christi Domini dictum ad Pilatum, Ioannis 19. *non haberes potestatem aduersum me vllam, &c.* Respondeo: locutum esse Dominum de potestate facti, non iuris: nam potestas facti conuenit etiam Tyrannis, & est in vitio & culpa: de simili potestate dixit Christus Luc. 22. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, sensus itaq; verborum Christi est: nisi tibi (ô Pilate) esset cœlitus permissum, etiam facto ipso, & opere, meam causam non cognosceres, & iudicares. Cætera secundæ sententiæ argumenta nihil concludunt: Nam quamuis Christiani non eo ipso quo Christiani sunt, liberētur ab omni ciuili vinculo, at Clerici Deo sacrati diuinis vsibus, & ministerijs, ac officijs addicti, eo ipso à ciuili laicorum potestate eximuntur: quia sunt Deo traditi, & in sortem, & hæreditatem ipsius electi, & assumpti, ac proinde iure diuino, & naturali, & canonico, non autem ciuili, Imperatorio, vel Regio obligantur.

Sed dubitari posset, An laici vi consuetudinis longi temporis ius & potestatem in Clericos habere queant. Etenim Couarr. *pract. quæst. cap. 35. n. 3.* Nauarr. *in Man. cap. 27. nu. 70.* Guliel. de Bened. *in c. Raynutius in verbo, & vxorem nomine Adelasiam. decis. 2.* & quidam alij recentiores Hispani, & Galli plures afferūt casus, in quibus asserunt solere Regia prætoria Clericorum, & Ecclesiarum causas ad sua tribunalia reuocare: Quem vsum illorū plerique nituntur iure defendere: Cæterùm quicquid hi authores scripserint, quotidie in Rota & Curia Romana iudicatur, huiusmodi sententiā esse contra sacrorum Canonum authoritatem: Nam concilia, & Summi Pontifices expressim prohibent, ne apud laicos Clericorū causæ vlla ratione tractentur, vel iudicentur, *vt constat ex cap. inolita, c. placuit vt quisquis. c. si Clericus. c. si quis ex fratribus. c. peruenit. 11. q. 5. c. decernimus. de iud. c. si diligenti, & c. significasti. de for. comp.* Vbi neque Episcopo consentiente id fieri potest; *vt etiā notat gloss.* Abb. Felin. *& alij ibi, & in cap. qualiter, & quando, de iud. vbi etiam* Imol. *sub nu. 4.* Barb. *nu. 16.* Alex. *cons. 8. sub nu. 1. lib. 1.* Sed neque in casu neglectæ, vel denegatæ iustitiæ: & ita nec timore violentiæ licitum cuiquam est, Clericos ad iudicium, sæculare vocare, *ex c. qualiter & quando de iud. vbi id no. glos. in verbo prohibemus. Host. num. 3.* Abb. *antiq.* & Ioan. And. *sub nu. 1.* But. *nu. 8.* Imo. *nu. 3.* Anch. *nu. 5.* Bellam. *sub nu. 3. Collect.* Card. & Bal. *in fi Panor. nu. 7.* Alex. *d. cons. 8. sub nu. 1.* Inde colligentes differentiam inter iudicem sæcularem, & ecclesiasticum. Is enim, cùm sit maior & superior, potest sæcularis negligentiam supplere & illū corrigere. *c. ex transmissa. c. licet. & c. ex tenore. de foro competen.* Quæ cùm ita sint, solus Rom. Pontifex est, ad quem spectat Canones edere, & editos confirmare, declarare, & statuere casus, in quibus Clerici possunt coram laicis conueniri. De spectantibus enim ad Clericos hoc solùm possunt laici quod iure cauetur, *vt ait gloss. in cap. vlt. art. 4. q. 5.* Innoc. *in c. quanto. nu. 2. ad finem de consuet.* Pan. *ibid. nu. 12.* Felin. *in c. causam, sub nu. 7. de præscr.* Dec. *in c. 2. nu. 164. de iudic.* Nec est cur priuati Doctores id muneris, & officij sibi assumant, sed eorum est obedire Summ. Pontificum, & Concil. decretis, sacros Canones seruare, non interpretari, non declarare, non restringere, non detorquere, nec trahere ad suos sensus. Ego igitur existimo non posse laicos vi consuetudinis potestatem aliquam habere in Clericos, *quod docent* Bald. *in cap. Clerici. ad fi. de iud.* Butr. *ibid. num. 2. & 11.* Panor. *num. 5. & 6.* Dec. *nu. 58. & in ca. 2. eiusdem tit. nu. 167. & consil. 150. num. 4.*

Felin. *in ca.2.sub nu.3.de maior. & obed.& multis probat* Rot. *decis.10.de cens.in antiquis,&* Bisign. *decis.2. eodem tit.Idem volunt* Doct. *in ca.2.de præbendis nu.8.* Ioann. Monac. *nu.5.* Io. And. *nu.6.* Rom. *n.13.* Fran. *n.10. Prob. nu.5.& 6.* Panor. *in c.quisquis,sub n.3.de elect.* dum docent: in spiritualibus, quæ non cadunt in laicum nil operari consuetudinem: quia hæc non potest illum spiritualium incapacē, reddere habilem, & capacem, *vt adnot. Panor. in c.quanto.n.2.de consuetudine. Prob.d.c.2.de præben.num.7.* Dec. *in c.2.n.36.de iudic.* Probatur autem hęc sententia ex c. Clerici de iud. vbi definitum est, non posse consuetudine aliqua pręiudicium generari sacris Canonibus, in quib⁹ generaliter traditur quod de omni crimine Clericus debeat coram ecclesiastico iudice cōueniri; Huius verò definitionis eam rationem affert, quoniam Imperator prædictos Canones sequi sit professus, scilicet in Auth. *vt Clerici apud proprios Episc.primum conuen.in §.pen.* Vnde colligunt ibi Panor.*n.4.* & Dec.*n.35.* quòd lege fieri non potest, nec etiam consuetudine: quo argumento & de reliquis omnibus Clericor.negocijs, & causis idem cogimur respondere; Nam Imperator Feder. II. *in constitutione de statutis, & consuetu.contra liber.Ecclesiæ editis lib. feu.in §. Item statuimus,* vnde *sumpta est l.statuimus.C.de Episc. & Cler.* recedens ab errore veterum legum (*vt ibi inquit Bald.*) statuit nullam Ecclesiasticam personam in quacunque causa trahi posse ad iudicium sæculare, vt etiam sacri Canones paulò ante citati generaliter tradunt, vt meritò Panor. *in d.Cleric.n.6.* & Dec. *nu.58.* quod de causis criminalibus in eo loco dicitur, respondeant ex sententia Doct. etiam in ciuilibus habere locum. Probatur secundo ex c. qualiter, & quādo, de iudic. vbi ne Clerici trahantur à laicis ad iudicium sæculare omnino prohibetur: quo modo loquendi sublata est inferioribus facultas omnis dispensandi siue per statutum, siue per cōsuetudinem. *Præp.in c.si quis cum Clerico.11.q.5.* Felin. *in eodem c.qualiter.prope fin.* Alex. *d. cons.8.sub n.1.fauent quæ de hac quæstione in simili tradunt* Ang. & Imol. *in l. si quæramus.ff.de testam.* Cor. *in l.vlt.C.de test.mil.glo.in* Clemen.2. *in verbo nullo modo,de æt. & qual.* Imol. *in Clem.1. nu.20. de seq. poss.* Denique cùm huiusmodi consuetudo sit contra id, quod ex iure, vel priuilegio Clericis est concessum, siue à Deo, vt supra est dictum, siue à Christi Vicario, ac etiam ab Imperatore, erit contra libertatem ecclesiasticam; *quod in specie notat* Bald. *in c. Clerici.in C.de iud.* But. *nu.11. Panor.n.6.& colligitur ex doctrina* Innoc. *in c.nouerit. de sent.excom.quem omnes ibidem sequuntur,* Bar. & Bal. *in constitutione* Feder. *cassa & irrita. C.de sacrosc. Eccles. Idem* Bald. *in alia constitutione Freder. statuimus, ad fin. C.de Episc.& Cler.* Quare erit consuetudo omnino irrita ex eadem constitutione *Cassa & irrita,& cap. nouerit,de sent.excom.* vbi qui eam seruari fecerint, & qui seruare præsumpserint, excōmunicantur.

Quod vero de consuetudine dictum est, etiam de præscriptione affirmamus, quamuis tāti temporis cursu sit continuata, vt initij memoria non exteat; est enim laicus incapax iuris, & potestatis spiritualis, nec potest illam ciuiliter possidere, atque adeò nec vllo tempore præscribere, *c. causam;* vti omnes notant *de præscrip.* Io. And. & omnes *in c.2.de præben.in 6.* Pan. *in c.quāto.n.2.de consuet.* Dec. *in c.decernimus.nu.38.de iudic.* qui docent, laicos auctoritate cuiusuis præscript. nō reddi habiles ad spiritualia, & præscriptione ei tantùm ius tribui, qui illius iuris est capax; quamuis nec video quo pacto tāti temporis cursus afferri possit, cùm per Bullam, quæ singulis annis in die Cœnæ Domini in capite Regni ecclesiastici promulgata omnes Ecclesiæ subditos afficit, impediatur omnis consuetudo, & præscriptio, Felin. *in c.non liceat,col.penul.vers.quinto Considera.de præscript.*

Quæ ad muniendam dictam consuetudinem, vel potius corruptelam à citatis auctoribus afferuntur, facile tolli possunt: nam text. *in c.filijs & nepotibus.16.q.7.* qui, si Metropolitanus bonis Ecclesiasticis abutatur, mandat hoc Regis auribus intimari: quicquid dixerit ibi glos. quam Couar. sequitur loco supra cit. his generalib⁹ verbis cert. tè non probat per Regem esse corrigendum contra c.qualiter & quando, & c.Clerici, de iudic. *vt etiam notant* Archid. & Egid. *ibi* Butr. *in d.cap.qualiter & quando,ad fin.* Pan. *n.7.ad fi.* Imol. *n.4.ad fin.* Sed cū ijsdem auctoribus dicimus intimationis effectū illum esse, vt Rex admoneat Metropolitanū, vel instet coram superiore, vt illum corrigat. Pariter leuissimum est, quod ex D. Hieron. relatum est, *in c.Regum.23.q.5.* dum de Regum officio loquens ait, proprium illorum esse facere iudicium, & iustitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos. Cum enim ad rationem iudicij iurisdictio sit necessaria, inter eos Regis est iudicium facere, qui ad illius iurisdictionem spectant; quare circa subditos, & qui eius curæ sunt commissi, illa præstanda sunt, Clericorum negocijs sicut & aliorum, qui Regibus alijs subijciuntur, propriis iudicibus relictis; Nisi cùm Ecclesiarum prælati eorum conuocant auxilium, *iuxt.ca.administratores ead.q.& c.1.de offic.ord.* Eodē ferè modo loquitur, c. Principes sæculi ead.q. vbi quòd Principes sæculi à Christo tuendam Ecclesiam accipiant, cum illa suam disciplinam exercere non prævalet, tenentur sua potestate munire, & ita Ecclesiæ patrocinari, *vt* Bald. *aduocanis in c.olim.n.14. de rescript.* Pan. *in c.tua.nu.10. de decim. Anfr.tract.de pot.sacu.sæcu perso.Eccles.regu.1.nu.6.in 3.fallentia.*

Ex dictis infertur, sacris Canonibus aduersari, quod Cou. & quidam alij recentiores tradunt, licitum esse à iudicibus Ecclesiasticis, cùm censuris opprimunt, adire Regia tribunalia, vt vim auferant, & compellant iudices Ecclesiasticos ab ea inferenda cessare; Etenim præterquam quòd huiusmodi vim auferre, ne iustitia negligatur seu denegetur, spectat ad immediatè superiores Ecclesiasticos, ad quos eo casu recurrendum est, etiam vsque ad Papam, *Egid.in d.c.qualiter & quando, versic.1.quærit de iudic.* Butr. *ibidem n.2.* Imol. *nu.3.* Ioan. de Anan. *ante n.2.* Alex. *d.consil.8 sub n.1.versa. ne pro defectu iustitiæ Clerici tradantur ad iudicem sæcularem contra d.c.qualiter & quando,* si praxim per Cou. relatam inspiciamus, constat laicos in hoc negocio esse meros iudices, Ecclesiasticos verò meros executores & ministros, cùm compellantur sub pœnis ad transmittēda omnia acta, & causę processum ad consilium Regum, & iudices laicos, vt visa illius iustitia declarent, an sit deferendum appellat. & si ei deferendum putauerint, præcipiunt iudici Ecclesiastico, vt illi deferat, excommunicatum absoluat, omniaque retracta & re-

ponat

ponat in eum ſtatum, in quo erat tempore appellationis, & ſententiæ, & etiam cognoſcunt, an iudex Eccleſiaſticus ſit iudex illius cauſæ competens, inhibendo illi cognitionem, & remittendo illum ad iudicem ſæcularem: Et his omnibus iudex Eccleſiaſtic. ſub pœnis cogitur obtemperare. Quæ omnia improbant ſacri Canones, & ſub pœna excommunicationis damnantur in Bulla Cœnæ *capit. decimoquarto, & duobus ſequentibus.*

Quæri ſolet, an in his ſufficiat tacitus Roman. Pontificis conſenſus. Profectò nulla ratione probare queo, quod quidam iuniores auctores incõſideratè, & inconſultè ſcripſerunt, ciuiles, & ſæculares magiſtratus, & iudices, multas Clericorum, & Eccleſiarum cauſas iure cognoſcere, & tractare tacito Romanorum Pontificum conſenſu: Scribit auctor quidam Candelabri Aurei in explanatione Bullæ in Cœna Domini in caſu 14. dicens, *Magiſtratus, & iudices ciuiles, ac Principes ſæculares excuſari legitimè, & non incidere in excommunicationem cum de cauſis Clericorũ, & Eccleſiarum aliqua ex parte cognoſcunt, & iudicant, quia id,* inquit, *facere conſueuerunt ſciente, & tolerante Romano Pontifice, & quia nullus iudex Eccleſiaſticus habet, vt excommunicatos laicos, qui talia faciunt, immò nec ipſe Beatiſſimus Papa, nec vllus alius eximat illos.* Sic ille. Præterea Ignatius Lopez cognomento Salſedo *in practica criminali canonica. capit. 102. ait, exploratiſſimi iuris eſt, ex tacita Summi Pontificis approbatione, poſſe Reges de huiuſmodi vi iudicare, quæ fit in poſſeſſione beneficiorum, & aliarum ſpiritualium rerum,* & id probat, quia ita docet Guido Papa *deciſ. Delphin. quæſtion. 1. & 71. & 85.* Franciſ. Marchina. *quæſtion. 190. & 512.* vbi ſcribit curiam illam ſic ſemper ſeruaſſe, idem inquit, frequentiſſimè obſeruat Curia Burdega. vt memoriæ tradit Boer. *quæſtion 69. numer. 23.* idem Neapolitan. conſuetudine receptum eſſe fatetur Afflict. *deciſ. 2. nu. 10. & 11. & deciſ. 24. nu. 9.* Gram. *deciſ. 78.* & in Mediolanenſi Senatu, vt teſtatur Andr. Alcia. & in vniuerſa Gallia, vt refert Rebuff. *in comment. conſtitu. Franc. tom. 3. tit. de poſſeſſ. benefic. §. 11. Gloſſ. 2.* Guliel. Benedict. *in c. Raynutius. de teſtam. §. 1. in verbo, & vxorem nu. 39.* & in Senat. Pedemont. 30. vt tradit Menoch. *de recuperand. poſſeſſ. remed. 15. numer. 210.* Oſaſc. *deciſion. Pedemont. 30.* idem ſeruari apud Luſitanos, teſtatur Navarr. *in capit. cum contingat, de reſcription. remed. 1. numero nono,* Auendan. *de mandat. Regular. parte prima, cap. 1. numer. 32.* Hæc illi. Cæterùm, Primum falſum omnino eſt, quod iſti auctores aſſerunt in hiſce cauſis ſubeſſe tacitum Romanor. Pontificis conſenſum. Si quidem Summi Pontifices, vt notiſſimum eſt, quotidie reclamant, conqueruntur, prohibent, pœnas conſtituunt, & ſententias ferunt in laicos, qui talia faciunt: vt patet manifeſtè ex actis iudicialibus Auditorum Cameræ: vbi quotidie expediuntur literæ monitoriæ, vt perſonaliter compareant ij, qui ita conueniunt, atque conſentiunt: & contra illos pronunciantur ſententiæ condemnatoriæ lata etiam excommunicatione. Id etiam conſtat ex pluribus deciſionibus Auditorum Rotæ, & ex ſententijs Auditorum Sacri Palatij Apoſtolici: in quibus omnino improbantur, & damnantur tales recurſus, & ij, qui recurrunt, declarantur excommunicati: quod ſemper ſeruatur apud Sedem Apoſtolicam, quando de hac re notitia habetur. Imò quotannis in die Cœnæ Dominicæ Romani Pontifices publicam, & ſolemnem excõmunicationem ferunt in magiſtratus, iudices, & Principes ſæculares, qui in ſuis tribunalibus cauſas Clericorum, vel Eccleſiarum tractant, & iudicant: vel ad ſua Prætoria reuocant: vel apud ſe diplomata Pontificia, vel literas A poſt. detinent, ne ad effectum deducantur: & in eos, qui ad laicos in prædictis cauſis confugiunt & recurrunt: Quæ omnia apertè oſtendunt, & indicant, longè abeſſe ab his omnibus tacitum Romanorum Pontificum conſenſum, & præſumptam, quam vocant, patientiam. Nec eſt, quòd quiſpiam dicat, conſtitutiones Pontificias, non eſſe in hac re alicubi vſu receptas. Nam quotannis ſinguli Romani Pontifices Bullam in Cœna Domini publico, & ſolenni ritu Romæ promulgant. Nec valet, quod quidam opponunt, non ſatis eſſe, ſi Romæ promulgentur excommunicationes contentæ in Bulla Cœnæ Dominicæ: quoniam veriſſima eſt ſententia, communi conſenſu Theologorum, & iuris canonici Doctorum, & Summiſtarum recepta, ſufficere promulgationem Romę factam; nec requiri, vt in ſingulis prouincijs huiuſmodi excommunicationes pronuncientur. Præterea Nauar. *in Man. cap. 27. numer. 70. verſicul. 2. Quod per prætextum violentiæ,* ſic ait, loquens de excommunicatione 14. in Bulla Cœnæ Dominicæ, *quod etiam video pro re indubitata haberi in Hiſpania, & Gallia poſſe regulariter Reges defendere poſſidentes colorato titulo beneficia Eccleſiaſtica, ne abſque iuſta cauſæ cognitione deturbentur, vel ſpolientur virtute literarum Apoſtolicarum, quod, vt vbique ferè in illis Regnis obſeruatur; ita multi iure munire conantur. An verò ſatis muniant, nocte, Sanctiſſimi D. N. definitioni remitto,* ſic ille. Sed profectò cum ſacri Canones, & Summi Pontifices ſemper conſuetudinem, quæ eſt contra Eccleſiaſticam libertatem, vt corruptelam improbent, & damnent, non eſt, cur dubitemus, ſit nec ne, eorum improbanda & reijcienda ſententia, quæ eſt Summorum Pontificum decretis & ſacris Canonibus contraria: Noſtrum eſt parere, & imperata facere, non contra Canones docere, aut docentes tueri.

Vnum eſt, quod magiſtratus, & iudices ſæculares, in hac re nonnunquam obijciunt. Nos, inquiunt, Clericorum cauſas, aliquando ad noſtra tribunalia reuocamus, cùm certa, & euidens eſt conſuetudo, vt reuocentur, non cùm incerta, & dubia eſt, ficta, aut ſimulata. Item id facimus, inquiunt, vt violentiam manifeſtam, & certam tollamus, non fictam, & ſimulatam, & violentiæ tantum imaginem, & ſpeciem habentem: at Canones, & Summorum Pontificum literæ, vel diplomata, ſolùm prohibent, ne laici ad ſæcularia Prætoria, & tribunalia, Clericorum cauſas trahant, prætextu conſuetudinis, aut prætextu violentiæ; prætextus verò velamen eſt, quo moueri ſe aliquis ſimulat, ad aliquid faciendum, cùm tamen alia cauſa moueatur, ſic enim hac voce vtitur Suetonius in vita Cæſaris, & in vita Tiberij. Sic illi. Sanè hoc nomine, ſub prætextu, canones, & leges ſignificant, etiam veram cauſam, non ſimulatam, & fictam, aut quæ tantum cauſæ figuram, & ſpeciem offert. in l. ſub prætex-

tu. C.

tu. C. de transact. habetur, *sub prætextu instrumenti post reperti, transactionem finitam rescindi iura non patiuntur*, quæ lex confirmatur in c. inter Monasterium de sent. & re iudicata; vbi dicitur sub nouorum Instrumentorum prætextu, lites non debent instaurari, & in c. suborta eo tit. dicitur, prætextu priuilegij de nouo reperti non debet sententia retractari: profecto his in locis non solùm instrum. aut priuilegium fictum, & simulatum, sed etiam verum, & certum, quod post repertum est, nomine, sub prætextu, significatur, & quod in l. sub prętextu. c. de transact. legimus. sub prętextu instrumenti post reperti, in l. Imperatores. ff. de re iud. dicitur, sub obtentu nouorum Instrumentorum restitui negotia minimè oportet, at reuera hæc lex locum habet in instrumẽtis veris, & certis denuo repertis, ex quibus negotia expedita, & finita retractari non debent, ergo etiam hoc nomen, sub obtentu, quo vsus est Gel. *lib. 10. noct. Attica. ca.* 22. in iure, siue Ciuili, siue Canon. continet causam veram & certam, non solùm simulatam & fictam, & l. sub prætextu. cap. de hæred. action. decernitur sub prætextu ætatis pupilli debitoris hęreditarij creditorum exactionem, differri non posse, ergo ætas impuberis debitoris hæreditarij petitionem debiti nõ impedit, aut differt in tempus pubertatis. Profectò hoc modo, semper Summi Pontifices, quorum est ambigua, incerta, vel obscura verba suarum literarum interpretari, distinguere, & declarare hanc vocem, sub prætextu, acceperunt. Quare quamuis in literis, aut decretis Sum. Pontificum dicatur, sub prætextu consuetudinis, aut violentiæ, laici causas Clericorum non iudicent, reuera prohibent Pontifices ne iudicent, etiam si vera, & euidens consuetudo sit, aut violentia, quoniam consuetudo est corruptela, & violentia debet ad Ecclesiast. Iudices, non sæculares deferri, neque enim Canones permittunt, vt à iure Ecclesiastico ad profanum, & sæcularem appelletur. Si roget aliquis, an in his, de quibus agimus, Magistratus, Iudices & principes sæculares, iustam excusationem habeant, cum id faciant priuilegio Rom. Pontificis: Certè habeant, necne priuilegium Rom. Pontificis quæstio est facti, non iuris, qui tale priuilegium se habere testatur, eius interest id ostendere, cum oportet. Videat itidem num priuilegium personale sit, quod cum persona finitur, & desinit; Videat num sit priuilegium ad tempus concessum, quod lapsu temporis extinguitur. Videat an sit priuilegium ad certas Clericor. causas cognoscendas, an his, vel illis conditionibus sit affectum, ita vt sine illis vim, & locum nõ habeat. Videat si tale priuilegium sit nunc Rom. Pontificis auctoritate abrogatum. Bannes. 22. q. 67. art. 1. dub. 2. concluſ. sic ait, *Rex Hispaniæ habet priuilegium Põtificium, vt possit causas Clericorum ad sua tribunalia tunc vocare, quando sæcularis aliquis conqueritur, quòd vim patiatur a Iudice Ecclesiastico, quòd vulgo dicitur, Por via de agravio y fuerza, tunc iudices poterũt iudicare ex ipsa commissione Pontificis, an fiat vis, vel non, quæ res multum reprimit Episcoporum Vicarios ab insolentijs.* Hæc ille. Sed ego in Curia Romana sępe à viris fide dignissimis audiui, tale priuilegium nusquã reperiri: neque ab vllo vnquam Romano Pontifice fuisse concessum. Et certè meo iudicio, si tale priuilegium datum fuisset, in tot, tantisque causis, & controuersijs, quæ frequenter ortæ, agitatæ, tractatæque sunt, propter eos, qui ab Ecclesiasticis iudicibus ad ciuiles magistratus prouocant, confugiunt, recurruntúe, exhibitum aliquando, & productum fuisset, vel à iudicibus ciuilibus, & profanis, vel saltem ab ipsis Clericis ad eos iudices recurrentibus, vt se penitus ab omni culpa excusarent: præsertim in criminalibus causis, & litibus contra eos contestatis, intentis, ac motis: & vt effugerent excommunicationes, & sententias, quæ innumeræ aduersus eos latæ, pronunciatæque sunt. At nunquam tale priuilegium in iudicio citatum apparet. Accedit his, quòd Auctores, quos supra citaui, non docent id fieri priuilegio Pontificio, sed iure communi, aut vi consuetudinis longissimi temporis lapsu cõfirmatæ, aut vi præscriptionis fieri posse contendunt, non ergo priuilegium, sed consuetudinem, præscriptionem, aut ius ipsum in medium producunt. Adde, quòd priuilegia non valent contra Bullam Apostolicam, quæ quotannis in die Cœnæ Domini publicè recitatur, & promulgatur cum amplissima reuocatione quorumcunq; priuilegiorum, ex quibusvis causis ea sint concessa quibuscunque potentatibus.

Sed obijciunt quidam, consuetudinem longissimi temporis decursu firmatam, priuilegij vim habere; nam consuetudine fieri potest, quod priuilegio principis fieri solet, cũ in l. hoc iure *vers. ductus aquæ. ff. de aqua quotidiana, & æstiua*, consuetudo longo temporis cursu confirmata, priuilegio æquiparetur. Respondeo in duobus casibus plus posse priuilegium, quàm consuetudinem longissimam etiam hominum memoriam excedẽrem, Primus casus est quando quis nõ est capax potestatis, & iuris, Ioan. And. *& Dominic. in ca. 2. de præb. in 6.* Innoc. *de Apostat.* Anton. *in repetit. super cap. perueniit, de censibus*, Abb. *in c. super quibusdam, de verbor. significatione, & in ca. nouit, de iud. & in c. quanto de consuetu.* Bal. *in l. si solemnibus. C. de fide Instrum. Et in c. cum contingat de foro comp.* Felin. *in cap. dilecto. de præb. quos omnes citat, & sequitur* Ioan. Selua. *de benefic. part. 2. q. 23. n. 13.* At laicus capax potestatis spiritualis, & Ecclesiast. non est, vt ante dixi. Secundus casus in quo plus potest principis priuilegium, quàm consuetudo, est quando consuetudo à iure ipso scripto improbatur. *c. cum satis, de off.* Archidiac. Io. Andr. *in cap. 1. de clerico ægrotante, in 6.* sed iure ipso damnatur, vt corruptela, consuetudo, qua laicus causas Clericor. & Ecclesiarum cognoscit & iudicat, vt hactenus ostẽdi. Ergo consuetudo, quamuis longissima, in hac parte priuilegij vim, & locum nõ habet. Quidam alij dicunt, quando per longissimum tempus, cuius initium longè est ab hominum memoria, facere quidpiam Laici etiam in causis Ecclesiast. consueuerunt, & fama etiam testatur eos semper fecisse, tunc hæc duo: videlicet fama, & tempus longissimum tribuunt ius, & priuilegij locum habere solẽt etiam in his, quorum capaces non sumus: Id probant testimonio Io. Andr. & Abb. *in c. cum Apostolica, de ijs, quæ fiunt a Prælatis sine consensu ca.* Sed mihi hæc sententia omnino displicet. Nam vt testantur Hostien. & Archidiac. quos allegat Abb. *in cap. cum Apostolica, citato*, consuetudo, quamuis longissimo tempore

confir-

confirmata, & fama, ius tribuere nequeunt in ijs, quorum capaces non sumus. Et Ioan. Andr. & Abbas tantummodo loquuntur de speciali casu, videlicet de decimis, quas laicus possedit per longissimum tẽporis spacium, & fama erat eos possedisse ante Concil. Lateran. generale, tunc enim laic⁹ decimarũ ius acquisierat, nõ quidẽ ex cõsuetudine, vel præscriptione, sed consensu Ecclesiæ, q̃ voluit, vt tunc eas ille possideret, quia crederetur verisimiliter priuilegio Pontificio possedisse.

Si obijcies, qua ratione Ro. Pontifex possit Clericorum causas laicis committere, & priuilegiũ ciuili principi cõcedere, vt aliquas Clericorũ causas cognoscat, & iudicet, si clerici sunt iure diuino à ciuilium principum potestate, exempti? nam contra ius diuinum Pontifex Ro. nõ habet auctoritatem. Respondeo breuiter, iuris esse diuini, ne laici, quamuis Imperatores sint, siue Reges, propria auctoritate ciuili quam habent, Clericorum causas tractent, cognoscant, & iudicent; at Rom. Pontifex cum illis Clericorum certas causas demandat, non dat ius. Vt id propria auctoritate faciant; sed vt id tanquam ministri, & legati Pontificij hoc est demandata, & commissa sibi potestate, seu nomine, & auctoritate ipsius Pontificis exequantur, ac proinde Pontifex in his ius diuinum non soluit, nec vlla ratione violat, vel abrogat, vel minuit.

Secundò quæritur, An Ecclesiarum, & Clericorum bona sint Iure diuino libera à tributis, vectigalibus, cõtributionibus, & alijs oneribus, quæ ciuilibus principibus à laicis pendi, & solui solent? Non est quæstio, an huiusmodi bona sint libera, & exempta iure humano scripto, vel ciuili, & Canon. sed est quæstio, an etiam diuino iure eximantur. nam conuenit inter omnes bonorum Ecclesiasticorum immunitatem esse ciuili, & Canon. iure confirmatam, id patet ex iure ciu. *in l. placet. l. iubemus. l. priuilegia. C. de sacrosanct. Eccles. & l. cassa. C. eodem, vbi* constitutio Frederici Imp. sic habet, *Cassa, et irrita esse denunciari per totam Italiam præcipimus omnia Statuta, & consuetudines contra libertatem Ecclesiæ einsq; personas inductas aduersus Canonicas, & Imperiales sanctiones, & ea de capitularibus penitus aboleri mandat noua cõstitutio, & de cætero similia attentata ipso iure nulla esse decernit, si quid contra fiat, pœnæ, quæ statutæ sunt, imminebũt.* Hęc eadem immunitas constat ex iure Canonico, *videlicet ex toto titulo de immunitate Ecclesiarum in lib. decretalium, & in 6. & in Clementinis.*

Quæritur ergo, an immunitas bonorum Ecclesiasticorũ ad Clericos, & Ecclesias pertinentium, quæ scilicet diuinis vsibus, & ministerijs deputantur, sit diuino iure sancita, & instituta.

Iuris Ciuilis Doctores nõnulli, eam aiunt esse Imperatorum Catholicorum priuilegio, & beneficio cõcessam, sed hi solùm rationem habent earum legum, quæ in eod. tit. de sacrosanct. Eccl. continentur. Canonici iuris interpretes communi consensu tradiderunt, talem immunitatem iuris esse diuini, quia id apertè legunt in *c. quãquam, de censibus in 6.* sic Ioan. Andr. Dominic. Archidiac. Anchar. Franchus, & gloss. ibid. & alij, quos superiore quæstio. produxi: Theologi verò Iuniores (nam veteres parũ, aut nihil expresse de hac controuersia prodiderũt,) Victor. Sotus, Medina, Ledes. Palac. Bannes, Salon, & Sotum sequutus Couar. vt superius citaui, senserunt huiusmodi immunitatem, non diuino, sed Canonico tantùm iure constitutam fuisse.

Ego sanè, sicut superiori quæst. docui, Clericos iure diuino esse à ciuili principum potestate exemptos, sic in præsenti cõtrouersia sentio: Clericorum, & Ecclesiarum bona diuinis vsibus deputata diuino iure à ciuilium principũ potestate esse libera, & immunia, quia plus valet apud me Canonici iuris auctoritas, quam iuniorum prædictorum Theologorum sententia: nam *in c. quanquam de censibus in 6.* lego: *cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; personæ, ac res ipsarum, nõ solùm iure humano* (vid. scripto) *quin imò & diuino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes, & cap. non minùs de immunitate Ecclesiarum* ex Conc. Later. sic habetur: *vt deterioris conditionis factum sub eis* (scilicet consulibus, & Rectoribus Christianis) *sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam non habebat; Ille quidem omnibus alijs seruituti subiectis, sacerdotes, & possessiones eorum in pristina libertate dimisit: isti verò onera sua ferè vniuersa imponunt Ecclesijs.* & in Conc. Later. sub Leone X. *Sess. 9. in Bulla reform. Curiæ, vers. & cum fructuum*, sic scriptum inuenio: *Et cum fructuum Ecclesiar. Cathedralium, & Metropolitanarum, Monasteriorumque & aliorum quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio, & administratio ad nos, & ad Rom. Pontificem pro tempore existentem, & illos etiam qui eiusmodi Ecclesias, Monasteria, & beneficia iure, & canonicè obtinent, solum pertineant, sæcularesque principes omni etiam diuino iure id prohibẽte, dictis Ecclesijs, Monasterijs, & beneficijs intromittere se nullatenus debeant.* Item in *c. prædia, 12. q. 2.* dicitur. *Prædia diuinis vsibus tradita quidam humanis vsibus applicant, & Deo nostro, cui tradita sunt, ea subtrahunt, vt sibi inseruiant,* In ca. Nulli 12. q. 2. ex Bonif. Papa legimus sic: *Nulli liceat ignorare omne, quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quicquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino, & ad ius pertinet sacerdotis.* Accedit quod *in c. in legibus 12. q. 2. & in l. summa ff. de rerum diuisione, & instit. eodem tit. §. Nullius*, sic habetur, *diuini iuris sunt res sacræ, religiosæ, sanctæ, & quod diuini iuris est, id in nullius bonis est.* At Ecclesiastica bona, quia sunt Deo dicata, oblata, tradita, diuinis vsibus destinata, eo ipso sancta, & religiosa censentur, ergo diuini iuris sunt, & in nullius hominis bonis numerantur, & à ciuili, & profano vsu secreta, semotaque sunt, siue sint prædia, siue castra, villæ, agri, siue decimę, primitię, redditus annui, siue animalia, siue vasa, altaria, vestes, templa, domus, siue aliæ quæ libet res oblatæ Deo: nã cum eo ipso sint bona Dei, Deo reddi, Deo reseruari, non Cæsari debent. Postremò Gen. 47. Iosephus Sacerdotum terram noluit esse vectigalem, noluit esse tributariam. Dices hoc fuisse priuilegium, q̃ Iosephus Sacerdotib⁹ liberaliter concessit, nõ quòd Dei iussu dedit. Certè Iosephus id fecit, quod recta ratio naturalis suadet: præscribit enim, vt quæ Deo sacra sunt, Dei sint, nó Cæsaris: Deo reddantur; Deo reseruentur; non Cæsari.

Obijciet quispiã id quod habetur *in c. conuenior. 23. q. 8.* ex Ambrosio, qui cum Imperator ab eo peteret Basilicam Deo sacratam, respõdit, Imperator si à me peteret quod meum est, id est fundum meum, argentum meum, & huiusmodi meum, non refragarer, quamquam omnia, quę mea sunt,

sint pau-

sint pauperum, absit à me, vt tradam hęreditatem Christi, ea enim quę diuina sunt, Imperatorię potestati subiecta non sunt. Ergo fatetur Ambrosius nõ omnia Clericorum bona ab Imperatoria potestate libera esse, & exempta: Respondeo in præsenti quæst. non tractari de bonis patrimonialibus Clericor. de quib⁹ alibi disputabo, sed de bonis Clericorum, & Ecclesiasticorum, quæ diuinis vsibus, & ministerijs deputãtur: cuiusmodi sunt, quæ Clerici acquirunt, quia Altari, quia Ecclesiæ inseruiunt, quę acquirunt ratione sui muneris, & officij. quæ itidem Ecclesiæ possident, vt ipsarum fabrica, cultus, ornatus, decus, & ministeria conseruentur. Obijciet fortassis alius, quod legitur *in c. quo iure d.* S. ex Augustino, qui sic ait, *quo iure defendis villas Ecclesiæ? diuino, an humano? diuino: in, in scripturis diuinis habemus, humanum in legibus Regum:* vnde quisq; possidet, quod possidet, nónne iure humano? an diuino? Domini est terra, & plenitudo ei⁹, iure ergo humano dicitur, hæc villa mea est, hic seruus est meus, hæc domus mea est. Ergo fatetur Aug. villas Ecclesiæ iuris humani beneficio esse concessas. Respondeo solùm significare Augustinum, rerum diuisionem iure humano factam fuisse: itẽ quod has, aut illas villas, fundos, prædia, redditus habet Ecclesia hæc, aut illa: factũ est donatione principum, oblatione Laicor. largitione pia, & religiosa multorum hominum. At postquam hæc bona Ecclesiæ data sunt, in Christi, nõ hominis alicuius patrimonio computãtur: ergo Christo Domino, non Cæsari subiecta sunt.

Tertiò quæritur, An ciuilium Principũ leges, & statuta Clericos, aut Eccles. teneant? Hanc quæstionem latiùs tractarunt Abbas, Felin. & alij *in c. Ecclesia S. Mariæ de constit.* & iuris ciuilis interpretes *in l. ad institutiones. C. de sacrosanct. Eccle. & in l. omnes populi. ff. de iust. & iure. l. cunctos populos. C. de sum. Trin. & Fid. Cathol.* profectò, si generatim loquamur, leges ciuilium principum, quatenus sunt Imperatorię vel regiæ, & statuta laicor. auctoritate condita, Clericos, aut Eccles. non obligant, aut tenẽt: quia ciuiles Principes & laici, ius & potestatẽ in Clericos, aut Ecclesias nõ habent: at Princeps legem ferre nõ potest, nisi in homines suæ potestati subditos: quoniam leges condere, & statuta ponere, Iurisdictionis est *l. nulli. C. de sententijs, & interloquutionibus.* Bal. ibi, & Rom. *consi. 218. nu. 2.* vnde Abbas, Felin. & reliqui *in c. Ecclesia S. Mariæ de const.* iure optimo tradiderũt, si lex ciuilis expressim aliquid decernit de Clericis, vel Ecclesijs, aut de eorum rebus, & bonis, tametsi contrarium non sit Canonico iure sancitum, non solùm Clericos, vel Ecclesias non obstringit, sed est irrita, & inanis. *Cardin. in c. quæ in Eccl. nu. 2.* Imol. *n. 6. de const.* Deci. *n. 24.* Anto. Butrius. *n. 97.* etiamsi lex esset de rebus, quæ Ecclesijs, aut Ecclesiasticis hominibus fauerent: quia lata esset, & posita ab eo qui Clericis, & Ecclesijs imperare non potest. Neque enim satis est, si lex sit æqua, & iusta, nisi feratur ab eo, qui ius, & potestatem habet in eos, quib⁹ legem præscribit. Quare leges in toto tit. de sacros. Eccle. tit. de Episcopis, & Clericis, tit. de Episcopali audiẽtia Authenticæ constitu. de sanctiss. Episcopis, Reuerendiss. Clericis, & Monachis, de Ecclesiasticarũ rerum alienatione, & de Ecclesiasti. tit. quatenus sunt imperatoriæ, siue ciuiles in foro cõscientiæ Clericos, & Ecclesias nõ ligant: at verò quatenus aliquid continent, quod est naturali, diuino, vel Canonico iure præceptum, in foro conscientiæ Clericos & Ecclesias tenent: non quia iuris ciuilis leges sunt; sed quia naturali, vel diuino, vel canonico iure confirmantur. Nulla enim lex Laicorum obligat Clericos, vel Eccle. eo quòd deest in Laicis auctoritas, & potestas obligandi, vt est sententia communis, quam docet contra Bart. Imol. *in c. Eccle. S. Mariæ de const. nu. 11.* Alex. *cons. 209. 210. lib. 2. & cons. 217. & 79. lib. 4.* Ioan. Lignan. *in. A. post illa ad* Bart. *in l. cunctos populos. q 5. C. de sum. Trinit.* post Bal. *in l. cunctos populos modò citata,* & alios, quos citat Felin. *in Ecclesia S. Mariæ supradicto n. 89.* Decius *nu. 233.* Abb. *in c. qui Clerici nu. 18. de foro compet.* Si verò leges ciuiles, aut statuta Laicorum generatim ferantur, ponãturve, ita vt nihil expressim de Clericis aut Ecclesijs constituant, vim quidẽ habent; sed Clericos, & Ecclesias nõ constringunt, & solùm Laicos alligant: nam Clerici cùm sint à laicorum potestate exempti, & liberi, eorum legibus, quamuis generatim scriptis & cõditis, comprehendi non possunt.

Si quæras, quid est, quòd dicimus ciuilibus Laicorum legibus, vel statutis obligari Clericos, & Eccles. non vi, & ratione ipsius ciuilis legis; sed quatenus ciuili lege aliquid continetur, quod est naturali, diuino, vel Canonic. iure præscriptum. Respondeo, clericos, & Ecclesias iure naturali, diuino, vel Canon. non ciuili teneri. Finge ergo lege ciuili quidpiam præcipi, quod est naturali, diuino, vel Canonico iure imperatum, si Laicus contrà fecerit, non solùm naturale, diuinum, vel Canon. ius violabit, sed etiam ciuile: at si contrà Clericus egerit, peccatum quidem admittet, contra ius naturale, diuinum, vel Canon. non tamen contra legem ciuilem: quia eã lege nõ alligatur. Præcipiat Imperator, vel Princeps statuat legem, ne quis arma noctu deferat, ne quis armat⁹ in publicum forũ certis temporibus prodeat, ne quis alea ludat, ne quis hoc vel illo vestis genere vtatur, ne quis venetur certis temporibus, locis, aut certo retis, laquei, vel instrumenti genere: si Laicus arma noctu gestat, aut procedit armatus, aut ludit alea, aut venatur tempore, vel loco sibi interdicto, Principis legem infringit: at Clericus si arma deferat, alea ludat, faciet quidem contra Canones, quibus ei interdicitur ar morum vsus, vel ludus aleæ; non tamen faciet peccatum contra ciuilem Principis legem. Vnde fit, vt Laicus, aliquãdo duas, aut tres leges perrumpat; cùm tamen Clericus vnam tantum, aut duas, nõ tres leges infringat; tametsi idẽ faciat, quod Laicus. Pone, lege Principis, phiberi, ne quis in fame ex oppido, prouincia, vel regno frumentum exportet, aut ne merces Reip. pernicioſas inuehat, ne quis ad hostes Reip. belli tempore arma deferat, eisve arma vendat, ne quis patriæ proditoribus, Hæreticisve auxilium, & opem ferat, ne quis Turcis, alijsve Christiani nominis inimicis, secreta sibi, commissa pandat: reuera si Laicus contrà fecerit legẽ naturalem, aut diuinam simul, & ciuilẽ peruertet: at si Clericus cõtra egerit, erit legis naturalis, vel diuinæ violator, non ciuilis. Ex quo duo colliguntur. Primũ. Laicum, qui legi principis nõ paret, incidere in pœnã lege Principis constitutã

in eos,

in eos,qui legem nõ seruauerint:Clericum verò, qui contra legem Principis ciuilem facit,non incurrere in pœnam ciuili principis lege positam, quia etsi contra legem naturalem peccat;non tamen contra legem ciuilem.Secundum.Laicũ,qui ciuili legi prædictæ non obtemperat, à principe iure mulctatur, cuius legem soluit; at Clericus legem ciuilẽ quæ simul est naturalis, vel diuina, non seruans,non à Principe, sed à suo Episcopo condemnari,& pœna affici debet,& quia solũ naturalẽ,vel diuinã, nõ ciuilem legẽ Principis violauit,pœna arbitraria ab Episcopo punietur: neque enim cogitur tunc Episcopus in Clericum ea pœna animaduertere, quæ est lege ciuili Principis imposita.

Quartò Quæritur,an legibus,& statutis Laicorum,quibus iusta rerũ venalium, siue eorum omniũ,quæ venduntur pretia taxantur, Clerici, vel Eccles.si frumentũ, vinum, vel oleũ suum vendiderint,obligentur?Sot.lib.1 *de iust.q.6.a.7.* Nau.*in man.c.23.n.84.*Ang.*in verb.lex.q.5.* Silu.*verb.q.15.* Bannes *2.2.q.67.a.1.dub.2.* docẽt, his legibus Cler. teneri.Ego tamẽ distinguo:aut quæstio est,an Clerici æquè,ac Laici ijs legibus ciuiliũ principũ alligentur: an verò Clerici cogantur suas res vendere iusto pretio,quo Laici coguntur. Si quæstio est de primo,non æquè,ac laici,Eccles.& Clerici obligantur : quia lex prædicta ciuilis,quia iusta rerũ pretia taxantur,quatenus ciuilis est, Laicos: nõ Clericos,& Ecclesias tenet:at si quæstio est de secũdo,Clerici & Ecclesię æquè ac Laici,cogũtur res suas vendere, locare,permutare iusto pretio: quia iuris naturalis,& diuini est, vt quisq; rẽ suã iusto pretio vendat,alioqui si quis pluris vendat, quàm æstimetur res,furtum admittit: at ius naturale, vel diuinũ tùm Laicos,tũ Clericos,& Ecclesias obstringit:iusta verò pretia rerũ, quæ vendũtur,locãtur,vel permutãtur cõmuni hominũ æstimatione,vel Reipu. aut principis legib. cõstituũtur. posita ergo Reipub. vel principis lege, vt vinum,vel frumentum tanti, non pluris vendatur, Clericus suum vinum,vel frumentum cogitur iure naturali,non ciuili principis lege tantidẽ vendere,Laicus verò eodem pretio vendere,non solùm naturali, sed etiam ciuili iure compellitur, & hinc est,vt si principis lege pœna sit constituta in eos,qui pluris vendiderint, eius pœnæ Laicus sit reus,nõ Clericus,quod si princeps expresserit, vt ea pœna afficiantur etiam Clerici, qui pluris vendiderint, nihil valet ex ea parte lex: quia pœnam statuit in eos,à quibus eam exigere, & sumere non potest.

Quintò Quæritur quid dicendum, si Statuto Laicorum caueatur,ne certa bona, quæ in ciuitatibus,aut in finibus agrorum,siue in confinijs sita sunt,externis vendantur,id est,ijs,qui subditi nõ sunt: item ne certæ domus,vel ædes ad publicum vsum necessariæ,quamuis sint in priuatorum ciuium dominio, transferantur in eos, qui subditi non sunt:insuper ne mulier,quæ filios habet, cõtractum inire queat cum externo , nisi vsque ad certam pecuniæ quantitatem: ne itidem possit aliquid testamento relinqui cum detrimento,& damno legitimæ portionis, quæ filijs communi iure debetur,num Clerici,& Ecclesię huiusmodi statutis teneantur. Felin. in *c. Ecclesia sanctæ Mariæ de const.num.88.& 90.* docere videtur, teneri: quia talia statuta nihil Clericis, aut Ecclesijs officiũt, & sunt de rebus,quæ ad communem Reipub. salutem, & pacem spectant. nam interest Reipub. plurimum,ne in agris, & possessionibus finium variatio contingat , quæ solet populis nocere. Item,ne filij portione sibi debita fraudentur, ne certæ ædes trãseant in eos, in quos si deuenerint, non ita facilè deinceps locari, & conduci poterunt:& hoc ille probat testimonio Baldi,Ancha. & Cardinal. Sed certè non video, cur his laicorum statutis, Clerici,& Ecclesiæ alligentur : si quidem lex in eos ferri non potest, qui Principis potestati subiecti non sunt: quare dicendum existimo,hisce statutis,& alijs,quæ laicorum auctoritate generaliter ponuntur de contractibus venditi,& empti,mutui,commoditati,locari,& conducti,permutati,depositi,pignoris,societatis, de donationibus, alienationibus, testamentis, dotibus,legatis,& fideicõmissis, & alijs huiusmodi, Clericos,& Eccles.non ligari,si ea statuta cõsiderentur,vt Laicorum auctoritate conduntur: at si aliquid contineant,quod naturale,diuinũ, vel canonic.ius imperet, eatenus obligantur: itẽ sæpè contingit,vt ciuiles Principum leges aliquid fieri iubeant , quod naturalis ratio , & æquitas non quidem præcipit;sed suadet,ac monet,vt id generatim seruetur ab omnibus,& Clericis,&Laicis, & tunc Episcopi,non Laici erit edicere,vt id Clerici obseruẽt:vt communis Reipub. & pax, salus, & bonum facilè conseruetur. nam etsi Clerici, ciues sunt,&Reipub.partes,& membra:at liberi, & soluti sunt ciuili Principum potestate. Idem iuris est de statutis Laicorum quibus præcipitur, vt singũli ciues,hoc,aut illo modo ædes construant,aut feneſtras,aut limina:aquam deducant,viam ante ianuam domus purgent,& mundent: his statutis Clerici, & Ecclesiæ non alligantur, quatenus statuta Laicorum sunt.

Caput XIII.

Quædam laicorum statuta,quibus immunitati Ecclesiasticæ derogatur,discutiuntur.

PRimò Quæritur, An valeant statuta Laicorũ, quibus prædia, vel possessiones ad Clericos, vel Ecclesias trãsmissæ, subijciũtur oneribus,vel contributionibus à Populo imponendis?Barth.*in l.rescripto,§.Sciendum.ff. de munerib.& oneribus.* consiliũ dedit,quò omnia prædia, quæ sunt in alicuius ciuitatis, vel populi finibus sita, essent tributaria, hoc est in perpetuum obnoxia collectis & cõtributionibus,vt statutũ ea conditione, & lege conderetur.vt singula prædia prædictis oneribus essent in perpetuum suppositæ: ita vt ad quoscunq; transierint,cum tributis, & oneribus transmittãtur.Et hoc modo ait,fecisse Perusinos. At consilium huiusmodi reprobatum est postea ab omnibus,vt ait Felin.*num.76.* fuit enim consilium in detrimentum Eccles. immunitatis,nimirum vt Clerici,& Eccles. ad collectas,& pensiones, & contributiones statuto laicorum tenerentur.

Est igitur annotãdum,Tributum, vel onus aliud esse, quod est simpliciter rebus impositũ, cer-

tum & inuariabile; veluti si statuto decerneretur, vt omnis possessio certi alicuius oppidi, sit obligata quot annis, vt ex ea soluatur pēsio certa, definita, & inuariabilis, tunc eiusmodi possessiones trāseūtes ad Clericos, vel Eccles. huic oneri subiectæ manerēt: *vt colligitur ex c. Si tributū. & c. Magnū 11. q. 1. & c. Tributū. 22. q. 8.* Ratio huius est: quia res cū suo onere trāseunt, vt ex vtroq; iure, ciuili, & Canon. cōstat, *c. Cū non sit, & c. Pastoralis, de Decim. & c. Ex literis, de pignorib. & l. Alienatio ff. de contraben. empt. Et l. Si diuina, C. de exactorib. tributor. lib. 10.* Aliud verò est Tributum, pensio, & onus, quod aut personis imponitur, aut rebus duntaxat, nō tamen certum, & inuariabile; sed variabile, & incertum. Exempli causa, si Respu. statuat vt omnis possessio ad quēcunq; deuenerit, obligata sit ad solutionē pensionis quotannis, prout Respu. vel Populus contributiones solui decreuerit: tunc si possessiones ad Clericos, vel Eccles. transierint, non sunt eiusmodi contributionibus, & collectis, & pensionibus subiectæ, quia à principio non est certa pensio, & inuariabilis constituta. Sic Abb. communi cōsensu omnium, *in c. Eccl. S. Mariæ de constit.*

Secundò sciendum est: Si priuatus testamento, Clerico legauerit fundū, potest ea cōditione legare, vt debeat in posterū soluere, quas vocāt collectas, vel contributiones ob cōmunem vtilitatē imponendas: & in foro cōscientiæ valebit huiusmodi cōditio: quoniam quisq; potest res suas Ecclesiæ donare ijs oneribus subiectas, & ijs conditionibus affectas, quas ipse voluerit, *Felin. loco cita to nu. 77.* Item, si res erat alioqui obligata ad pensionem in certos annos soluendam, quibus nondum exactis, ad Ecclesiam, vel Clericum deuenit, transit cum suo onere; ita vt Cleric. vel Eccle. debeat tacita conscientia, totum illud pensionis residuum persoluere, vt ait idem Feli.

Secundò Quæritur, An si statuto Laicor. contineatur, vt Clericus falsum testimoniū dicēs apud iudicē ciuilem, possit per eū falsi condemnari, valeat eiusmodi statutū? testatur Couar. *in Pract. quæstionib. c. 18. n. 8.* Glos. Cyn. Bald. Salicet. Federi. quos ibi citat, sensisse, iure posse condemnari, & puniri, quamuis Federi. dicat puniri solū posse pœna pecuniaria, nō alia corporis pœna, sed ad Episcopum remittēdum, vt eum puniat pœna corporis. Eod. teste Couar. scribit Gulielm. Benedict. apud Gallos esse vsu receptum, vt huiusmodi Clericus per iudicem ciu. apud quem falsum testimonium dixit, condemnetur, & puniatur etiam pœna corporis. Sed verius est, quod tradiderūt Inno. Hostien. Io. Andr. Anton. Abbas, Felin. Paulus Castrens. & Bart. quos ipse Couar. citat, & sequitur, iure id fieri non posse, eo quod pugnet cum eo, quod generatim dicitur in cap. si diligenti, de foro cōpet *nec vlla præscriptionis, nec diuturnæ consuetudinis, in hac parte valet; quoniam Laicus huius potestatis & iuris capax non est.*

Tertiò Quæritur, quid sit dicendum de statuto Laicor. decernente, vt portio legitima filiorū si dimidia bonor. pars, an eo statuto Clerici, & Ecclesiæ adstringantur? Exemplū sit, Titius filio suo tantum tertiā bonor. suor. partem reliquit, dato Ecclesiæ reliquo, Quæritur an debeat Ecclesia filio restituere totum id, quod pertinet ad dimidiā partem bonorū. Respondeo, in foro conscientiæ debere, quoniam statutum prædictum nihil immunitati Ecclesiæ derogat, & proinde eo Clerici, & Ecclesię tenentur. Abbas, Felinus, & alij, *in c. Ecclesia. S. Mariæ de constitut.*

Quartò Quæritur, quid sit iudicandū de statuto Laicor. quo decernitur, ne suis priuilegijs potiantur ij, qui subditi nō sunt, an huiusmodi statutum deroget Ecclesiasticæ immunitati? Respōdeo cum Bart. quem citat, & sequitur Felin. *in c. Eccl. S. Mariæ de const.* non derogare, & ideo Clericos priuilegijs huiusmodi non gaudere. Aliud enim est, Beneficium, vel priuilegium non concedere, aliud verò derogare: nam hoc, quod est non cōcedere, absque vlla iniuria alterius fit: Adimere verò, tollere, aut ex parte minuere, sine iniuria, & dāno minimè contingit.

Quintò Quæritur, An statutum Laicorū abrogans aliud statutum suum, quod Ecclesiar. vel Clericor. priuilegium continebat, deroget Ecclesias. immunitati? Exemplum accipe: erat statutum antiquum Laicorū vt singulis annis in certū hominum Collegium piè erogarentur certæ eleemosynæ; sed deinde aliud statutum decernit, ne in posterum ea eleemosyna præbeatur. Quæritur iam, an valeat in foro conscientiæ secundum eiusmodi statutum? Respondet Felinus *in c. Eccle. S. Mariæ de constit. num. 97.* duas esse opiniones, vnam negantem valere, alterā affirmantem. Sed probabilius est non valere, nam priuilegium concessum, postquam ratum habetur ab eo, in quē collatū est, transit in ius: ergo laicus potuit quidē principio priuilegiū non concedere Clericis, vel Eccl. at postquā contulit; & Ecclesiæ, vel Clerici acceptū habuerunt, deinceps abrogare, & tollere iure non potest.

Sextò Quæritur, An valeat statutū Laicor. quo cauetur ne quis apprehēdat possessionē Ecclesiæ, vel beneficij sine facultate eius qui dominatur, vel præest populo, vel Ciuitati, Prouinciæ vel loco? Respondeo ex cōmuni sententia Pontificij iuris doctor. quā refert Fel. *in c. Eccle. S. Mariæ de const. n. 96.* non valet: quoniā derogat Ecclesiast. immunitati. Ecclesia enim habet ius, & potestatem mittendi Clericos in possessionem Ecclesiarum, vel beneficiorum.

Septimò Quæritur, An valeat statutum Laicor. constituens pœnam in propinquos, seu cognatos Clericor. eo quòd Clerici ipsorū Laicor. statutis parere refugiāt? Profectò non valet, quoniā dāno afficit Clericos, & proinde Ecclesias. immunitati derogat. *Fel. n. 99.* Idē iuris est de statuto laicorum puniente, opprimēte, vel onerāte, colonos, vel famulos Clericorū, eo q̄ ipsi Clerici eorū forum & iurisdictionē detrectent, recusent, atq; declinent.

Octauò Quæritur, An valeant Laicorum statuta, vt Clerici vnà cum Laicis aliquid contribuant ad reficiendum fontem, puteum, pontē, viā, portas, vel muros vrbis cōmunes? Honor. & Theodos. *in l. ad instructiones,* & Theodosius, & Valentin. *in l. iubemus, C. de sacros. Ecclesijs* constituerunt, ad instructiones viarum, & pontium, Ecclesias contribuere debere, vnde duas opiniones inuenio, quas refert Sil. *immunitas. 1. q. 5. §. 4. vers. de concernentibus.* Vnam asserētium Clericos, & Eccle. debere contribuere: sic Innoc. Vincen. Hostien. glos. Card. Anchar. Philippus in *c. non minus de Ecclesia. Innoc. &c.*

Alberi.

Alberi. *in l. ad instructiones.* vbi citat Dinum, Cyn. Oldrad. & alios. Altera opinio est communis, vt ait Siluest. Canonici iuris interpretum consensu recepta, non debere contribuere, nisi vbi tãta fuerit subita necessitas, vt ad Rom. Pontificem commodè aditus non pateat, tunc enim sufficeret Episcopi facultas, & consensus: alioqui nisi Rom. Põtifex consulatur, & consensus petatur, Eccle. & Clerici ad contribuendum compelli nequeunt. Sic Abbas. Ioan. Andre. Butrius: & alij *in prædicto. c. cum minùs, de Ecclesiæ. immu.* de quibus opinionibus alio in loco latiùs agam. Satis est in præsentia dicere iuxta secundam sententiam, statuta, & leges Laicorum clericos, & Ecclesias non tenere, etiam quando communis est omnium vtilitas, nisi, vel consulto Rom. Pontifice, vel saltem Episcopo loci. At secundum primam sententiam eiusmodi leges valent, quotiescunq; res sunt, & Clericis, & laicis cõmunes, & alioqui laicorum bona ad cõmunes impensas non sufficiunt, nam secus esset, si sufficerẽt. Vt puta, cũ est fons, vel putẽ in vicinia cõmunis, vbi habitat etiam Clericus: est pons, via, vel porta, qua exeundum, vel transeundum etiam Clericis est, ad negotia, & res suas peragẽdas. Idẽ iuris est de his, quæ toti populo soluenda imponuntur ad communem custodiam vrbis, murorũ, agrorum, ac similiũ, tempore pestis, belli, latronum, vel hostium irruentium. Mihi magis secunda opinio probatur: quoniam licet prima sententia sit iuri ciuili consentanea, secunda tamen magis cum iure Canonico congruit: & in hac parte ius Canonicũ, non ciuile, locum & vim habet. At verò dubiæ quæstionis est, an quando huiusmodi res muniri, & refici solent tantum ob cõmunem populi vtilitatem, & vrbis ornatũ, debeant quoque Clerici contribuere? Reficitur, V.G. via, porta, pons, vel forum, solũ propter cõmune ciuitatis commodum, & Clericus nihil propriũ habet in via, porta, ponte, vel foro præter communem ciuium vsum, & emolumentum, Quæritur, an Clericus debeat tacita conscientia contribuere? Duæ sunt quoque opiniones, vna est communi consensu ciuilis iuris interpretum recepta, quam refert Siluester: ita enim senserunt Salicetus, Cynus, Dinus, Alexander, & alij, *in l. Ad instructiones, C. de Sacrosan. Ecclesijs,* Clericos debere in foro conscientiæ contribuere: quod probant ex Iure Ciuili, vbi extant leges id apertè constituentes. *l. ad instructiones, & l. iubemus, C. de sacrosan. Ecclesiis, l. cum ad felicissimam, C. de quibus muneribus, & præstationi. lib. 10. l. si diuina domus, C. De exactoribus tributo. l. 10. l. Ad portus, C. De operibus publicis, l. Nullus penitus, C. De cursu publico, lib. 12. l. Neminem, C. De sacrosan. Eccles.* Item, ratione id probant: quoniam res est communis, & ob communem Reipub. vtilitatem, ergo Clerici debent etiam onus sustinere, cum ipsi quoque re, & emolumento communi fruantur. Altera est opinio Pontificij iuris doctorum, asserentium Clericos esse liberos, & immunes ab huiusmodi contributionibus, quod tradiderunt Anto. Butrius. Ioan. Andreas. Anchar. Abbas, & alij, *in c. Non minus, & c. Aduersus. De immu. Eccle.* Hæc opinio est magis iuri Canonico consentanea, & facilè deducitur ex c. Aduersus. & c. non minus, modo citatis. Et licet prior sententia magis cum iure ciuili conueniat: in hac tamen parte maioris est auctoritatis ius Canonicum, quam ciuile.

Item, solent esse statuta, vt primogenitus excludat secundogenitum in bonis paternis: Item vt masculi excludant fœminas: Quæres, an valeant huiusmodi statuta laicorum contra Clericos, vel fœminas religionis voto consecratas? Est constãs multorum, & communis opinio, quã refert, & sequitur Feli. *n. 10. 1.* valere, quoniã nihil detrahunt Ecclesiasticæ immunitati. Nam ante Clericorum ordinem susceptum ius est alterĩ acquisitum, proinde si secundogenitus sit Clericus, nihil mirũ est si non succedat in bonis, quia lex constituta fuit, antequã Cleric. crearetur. Similiter si fœmina sit sanctimonialis Deo dicata, potest à successione paterna excludi: quoniã non excluditur, eo quòd sit sanctimonialis; sed quia antequã Religionis votis sese adstringeret, & Deo obligaret, lex fuerat cõstituta, vt masculi fœminas excluderẽt, & propterea excluditur. Sicut etiã secundo genitus non excluditur, quia Clericus, sed quia secũdogenit⁹, ergo eiusmodi statuta nihil immunitati Eccles. derogant & eo ipso, tuta conscientia, firma, & rata censentur. Nonnulli quærunt, num clericus reus læsæ Maiestatis per iudicem ciuilem puniri iure queat. Hanc quæstionem tractat Iul. Clar. *lib. 5. receptar. sentent. in Pract. crim. q. 36. n. 28.* & respondet iure non posse: & ita est. quoniam *ex c. Si diligenti, de foro compet.* generatim clericus, nonnisi coram Iudice Ecclesiast. conueniri, condemnariue potest. Nec est, cur alicubi clericus huius criminis reus à laico iudice, vel Magistratu puniatur ob cõsuetudinem in loco vigentem. Nam in hac parte cõsuetudo corruptela est, nec vis vlla præscriptionis longæ ve cõsuetudinis laico ius dare potest: siquidem in laicum Eccl. potestas non cadit.

Nonò Quæritur, de quibusdã Ciuitatũ, Principum ve statutis, & Regũ etiam legibus, num iustæ sint, cum Ecclesiast. immunitati, & libertati derogare videantur? Sunt statuta, & leges in quibusdã Christianorum, & Catholicorum Principum Prouincijs, quibus cauetur, ne externi ad Eccles. beneficia admittantur: nec Ecclesijs præficiantur, ac proinde ne literæ Apost. siue Pontificiæ recipiantur, quibus beneficia Eccles. conferuntur externis ex resignatione, vel permutatione, vel vnione Beneficij. Item ne ex Beneficijs, & prębendis Eccles. soluantur pensiones gratia, & causa externorum impositæ, & ne literæ Pontificiæ siue Apost. quibus pensio externo assignatur, recipiantur. Item, ne admittantur literæ Apost. quibus derogatur iuri, quod habent Ecclesiæ ad conferendos Canonicatus in Ecclesijs Cathedralibus, Magistris, vel Doctoribus Theologiæ, vel iuris Canon. Item, ne admittantur literæ Pontificiæ, si derogent iuri patronorum laicorum, quale habent comites, Marchion. Duces, & alij, tum illustres, & primarij viri, tum priuati homines: Nec item si derogent iuri, quod habent aliquæ Vniuersitates, siue Academiæ in nominandis, offerendis, & eligendis Clericis, qui sunt in beneficijs instituendi: & multo minus si derogent iuri regali, quod habent Reges nominandi, offerendi, eligendiue Clericos, ad Ecclesias primarias, vel ad dignitates, vel ad prefecturas Monasteriorum, aut etiam conferendi certa quædam beneficia, quale ius habent

Galliæ Reges in certis Ecclesijs. Item solent esse statuta, & leges, quibus cauetur, ne Legati, vel Nuntij Apost. ad regnum aliquod, vel Prouinciã auctoritate Pontificia missi vtantur facultatibus sibi à Rom. Pontifice cõcessis, in literis Apost. priusquam facultates, & literæ referantur ad Regia prætoria, & tribunalia, & iudicibus, ac Magistratibus Regijs exhibitæ legantur, recognoscantur, & discutiantur. Item, sunt etiam statuta, & leges, quib⁹ præcipitur in vniuersum, ne quis ex Regno, vel Prouincia pareat literis Apost. priusquam ille in Regio prætorio, & tribunali examinentur, & expendantur.

Hanc quæstionem fusè tractauit Couarr. *in lib. practicar. quæstionum, c. 35. & 36.* breuiùs Driedonius, *lib. 2. de liber. Christ. c. 2.* & in ea definienda ita cautè, & prudenter est agendũ, vt nihil dicatur, quod vel immunitati Ecclesiæ deroget, vel legitimam Regum, aut Principum potestatem tollat, lædat, aut minuat. Meum in controuersia propositum est, non Reges, & Principes, Ecclesiæ alioqui patronos, & defensores, & benè de Christiana, & Catholica Repub. meritos offendere, aut eos verbis, de suo iure, & potestate deijcere; nec Ecclesiæ, quàm vt matrem piè, & Religiosè venerari, & honorare debemus, aliquod ius debiti mea disputatione detrahere, vel denegare, sed explicare duntaxat rei difficultatem, ne facilè doctores Catholicos, qui de hac quæstione tractarunt, approbemus, aut improbemus, vel etiam damnemus: quæ enim mitiùs, & benigniùs interpretari possumus, non est cur duriùs, & seueriùs accipiamus, quasi rigidi censores effecti. Primum breuiter dicam, quid nonnulli de tota hac controuersia senserint, & quid item aliqui scripserint: mox meam sententiam, qua potero breuitate, explicabo cap. proximè sequenti.

Et in primis sciendũ est, inter excõmunicationes, quæ in Constit. Põtificia, quæ dicitur Bulla in Cœna Domini, promulgantur, vnã ferri solitam ab anno Domini 1586. quæ constituitur in Laicos, & etiam Clericos, qui Ciuilium Principum auctoritate aliquo modo prohibent, impediuntve executionem literarum Apostol. mãdatorum vel aliorum Ecclesiasticorum processuum, vel decretorum pertinentium ad gratiam, vel iustitiam, & in eos, qui suum ad id consilium, aut assensum, præstant, etiam prætextu violentiæ tollendæ, vel iniuriæ depellendæ, vel causa alterius obtenti iuris, seu etiam donec ipsi appellauerint, ad Roma. Pontificem meliùs informãdum, aut ei supplicauerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Ro. Pontifice legitimè prosequantur. Quare meritò dubitatur, an huiusmodi excommunione afficiatur iudices, & Magistratus Ciuiles, qui, vim, vel iniuriam repellendi causa literas Apostol. apud se retinent, & impediunt, quo minùs executioni mandentur; nec tamen ipsi ad Romanum Pontificem prouocant, nec quippiam aliud ad ipsum referunt, ipsiue significant. Deinde, quamuis fateamur, inquiunt, & scribunt nonnulli, hoc tempore, Reges, Principes, & iudices, siue Magistratus, ipsorum auctoritate delectos, & creatos, ius habere, & potestatem literas Pontificias ad ipsorum Regna, & Prouincias missas recognoscendi, discutiendi, apud se retinendi, aut aliquo modo impediẽdi, id locum solum habet in ijs, quæ sunt iure ipso naturali, diuinove, aut Canonico cõcessa, siue permissa. nam in his nihil immunitati Ecclesiast. derogant, eo quòd in huiusmodi Pontificijs literis tacita conditio subest: modo ne iuri naturali, vel diuino, vel Canonico ipsæ literæ, aliqua ex parte repugnare videantur: & in his literæ, quas multi à Rom. Pontifice impetrant, subreptitiæ meritò censentur. Vnde *in c. Si quando. de Rescript.* Pontifex Episcopo Eboracensi rescribit: *Patienter sustinebimus, si non feceris, quod à nobis fuerit præmissa insinuatione suggestum, qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur diligenter consideraus, aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas.* Vbi Gloss. *quandoque per nimiam importunitatem petentium, Princeps non concedenda concedit.* Et inferiùs ait, *vbi etiam per constit. rescribit Imperator, non vult, vt suæ responsioni pareatur, si quis non rectè responsum putauerit.* Et *c. Cum teneamur, De Præbend.* ait similiter Pontifex: *si non potest mandatum sine scandalo commodè impleri, æquanimiter sustinebimus, si nostrum mandatum nondum duxeris exequendum.* Vbi Glos. ait, *non est necesse mandatum superioris impleri, vbi ratio non adimplendi reddi potest.* Et in c. Filijs. *16. q. 7. Si Episcopus, & Metropolit. negligat talia gerere, Regis hæc auribus intimare non differant.* & gloss. *in c. Principes 23. q. 5.* docet, *vbi Ecclesiast. potestas deest, Princeps ciuilis, licitè ius reddit in causis etiam Ecclesiast.* Sic Glos. quod accidere potest in Prouincijs Hæreticorum aut Paganorum, vbi Hæreticis, aut Gẽtilibus sibi omnia vsurpantibus, aut retinentibus, Clerici suo iure, & potestate non vtuntur, aut quia non possunt, aut quia negligunt, aut quia non audent. Quare prædicti auctores plurima ex dictis colligunt: in primis, aiunt, cum literæ, aut mandata Pontificia euidentem violentiam, iniuriam, damnum, offensionémve aliorum inferunt, pariuntve, aut inferre, vel parere verosimiliter creduntur, iure ciuilium Principum auctoritate impediri queunt, donec Rom. Pontifex certior fiat. Item, si literæ, aut mandata Pontificia derogent iuri Regum, Principum, illustrium virorum, vniuersitatum, Ecclesiarum, Collegiorũ, possunt impediri, donec ipse Rom. Pontifex admoneatur, quoniam ius, quod alius sibi acquisiuit, sine causa auferri non potest, tale est ius patronorum, quod habent Laici, vel Clerici, in certis Ecclesijs, talia etiam sunt iura multa, quæ concessa sunt iure Canonico, vel Rom. Pontificum auctoritate, Regibus, atque Principibus. Item, ius, inquiunt, habet ciuiles Magistratus, & Principes recognoscendi, & examinandi, num literæ Rom. Pontificis ad eorum Prouincias missæ, falsæ sint, an veræ, subreptitiæ, aut legitimæ, num aliquid cõcineant, quod eorum, vel aliorum iuri detrahat, tollatve, aut aliquo damno afficiat alios, aut animos offendat aliquorum. Item, iure, inquiunt, recognoscunt, & examinant: num facultates Legatis, & Nuncijs Apost. datæ aliquid etiam habeant, quod alijs nocere queat: & hoc locum habet, cum damnũ est manifestum, aut cum verisimiliter secuturum esse iudicatur. Secus esset, si nihil de dãno, vi, iniuria, offensione aliorum certi constet. Nec item, inquiunt, derogat immunitati Ecclesiast. consuetudo recepta, vel lex, aut statutum, ne ad Ecclesias externi deligãtur, neue externis beneficia Ecclesiast.

confe-

conferantur, ne itidem pensiones in beneficijs constituantur gratia, & fauore exterorum. Item, Laici iure, inquiunt, possunt eas causas cognoscere, etiamsi ad Ecclesiast. res, vel personas pertineant, quando id canones, & iura concedunt, quemadmodum Principes, & Magistratus ciuiles auctoritatem habent, & potestatem includendi in Conclaue Cardinales, quorum est Rom. Pontificem eligere, ad eum eligendum, *vt conceditur in c. Vbi periculum, §. Præterea, De electio. in 6.* & vbi Clerici schisma in Ecclesia fecerint, aut concitauerint, si non possunt ab Ecclesia cohiberi, & sedari, iure communi ciuilium Principū auctoritate coërcentur. *Glossa in cap. 1. de decimis, & in cap. De iudæis 23. q. 5.* Sic etiā ciuiles Magistratus possunt animaduertere in Clericos, qui ob certa quædā facinora omni Clericorum priuilegio, ipso iure spoliātur, vt in Clericū publicum ioculatorem, *c. 1. de vita, & honestate Cleric. in 6.* Si tertiò ab Episcopo monitus non resipiscit, & in Clericos minoribus ordinibus initiatos cōiugij vinculo adstrictos, nec Clericorum vestes, & tonsurā gestātes, *c. 1. de clericis coniug. in 6.* Et in Clericos minores qui bis ad nuptias transierunt, aut viduam fœminam, vel corruptam in vxorem duxerunt. *c. 1. de Bigamis in 6.* Et in Clericos macellarios, tabernarios, si tertiò per Episcopū moniti ab eo vitæ genere non desistant; *Clem. 1. De vita, & honestate Cleric.* Item, Clerici mercaturæ, & negotiationi studentes, soluere vectigalia, tributa, & alia huiusmodi onera sustinere ipso iure cogūtur: quòd si tertiò ab Episcopo moniti, nō se correxerint, priuilegio clericorū nudati, laicorū statutis, & legibus subijciuntur, *c. Ex literis, De vita, & honestate Cleric.* Item Clerici falsi crimen admittentes, priuilegio Clericorū orbati, Magistratibus ciuilib⁹ puniendi traduntur, *c. Ad falsariorū. De crimi. falsi,* & Clerici, qui Assassinorum opera Christianū aliquem occidi fecerint, aut Assassinū ipsum defenderint, aut occultauerint, omni Clericorū priuilegio nudātur, *c. Pro humani, de homici. in 6.* Itē, aiunt si Clerici, vi aut priuata auctoritate, imò si Episcopi, aut ipsi Ro. Pontif. literis Apostolicis, iurisdictionem Principum, Magistratuumve Ciuilium sibi vsurpare tentauerint, laici iure possunt seipsos contra eos tueri, atque defendere, vt colligitur ex ipso iure cōmuni, quo quisq; se, & sua conseruare potest. Postremò, inquiunt, pœnis iuris Canonici non afficiūtur ciuiles Principes, aut Magistratus, si aliquas causas Ecclesiasticas cognoscant, vel aduocent ad se, consuetudine lōga, & veteri, cuius initiū hominum memoriā omnino latet, ac superat: & legitimæ præscriptionis tēpore, quę ius, & potestatē dare potest: hoc enim modo laicus de prædictis causis cognoscere, & iudicare potest. Quare cōcludunt, non facilè laicos condēnare debemus, tanquā in excommunicationē lapsos. Item, aiunt, iure ciuiles Principes priuilegia sibi, aut suis Maioribus Ro. Pontificis auctoritate concessa defendunt, tuentur, conseruant, donec ea Ro. Pōtifex antiquet, abroget, aboleat. Hæc, & alia similia tradiderunt nōnulli, qui hac tempestate nostra scripsere, qui nescio quibus rationibus permoti, magis Principum potestatem tueri, quam Ecclesiæ auctoritatē illæsam seruare voluerunt. In quibus meo iudicio multa confundunt, & plerosq; auctores citant, qui nihil tale nedum senserunt, sed ne somniasse quidē videntur: ac ideo singula distinctè, & aperte cap. sequenti breuiter disputabo.

Caput XIV.

Quo iure causæ quædam, siue quæstiones Ecclesiasticæ apud Iudices ciuiles tractari, & iudicari soleant.

PRimò Quæritur, An possessoria causa de rebus spiritualibus, vel quasi spiritualibus, iure queat corā Iudice ciuili agi, cognosci, & iudicari: id perinde est, ac si quæreretur, An quæstio possessoria de rebus spiritualibus, vel quasi spiritualibus sit ciuilis, an Ecclesiast. an mixta: quam quæstionem pertractauit Abbas *c. literas, de iuramento calūniæ*, & Couar. *lib. Practic. quæst. c. 35. n. 1.* De re spirituali, vel quasi spirituali quęstio, siue causa, vt docet Abbas, potest esse simpliciter spiritualis, aut simpliciter ciuilis, aut mixta: simpliciter spiritualis est ea, in qua tractatur de iure, videlicet; An hoc, vel illud matrimoniū valeat; An hic, aut alius, sit ex legitimo matrimonio natus; An impetratio, & adeptio beneficij rata fuerit: An hic, aut ille debeat soluere decimā, an potiùs sit ab hoc onere iure, priuilegio, cōsuetudine, immunis, & liber: An penes hunc sit ius nominandi, offerendi, & eligendi Clericos ad beneficia Ecclesiastica: An sit ius sepulturæ, ius exigēdi decimā, ius conferendi beneficium, ius petendi pensionē Ecclesiasticam. Et hæc causa apud Iudicem ciuilem agi iure non potest. *c. Tuam, de ordine cognitionū, & c. Lator. c. causam, qui filij sint legitimi.* Causa quasi spiritualis ea est, in qua agitur iudicio possessorio: sed quod requirit etiam quadā ex parte petitorium, quo agitur de proprietate rei, vt cum tractatur de restituenda coniuge marito: opus enim est eam etiā causam agere, scilicet legitimum inter eos matrimonium constitisse. *c. Ex transmissa, & c. Ex parte, De restitut. spoliat.* Et hæc etiam causa, teste Abbate, agi debet apud Ecclesiasticum Iudicem, quia est ei coniuncta causa spiritualis, sine qua expediri non potest. Causa simpliciter ciuilis, & profana est, in qua nihil spirituale tractatur, qualis est causa, in qua agitur de iure succedēdi in hæreditate. At mixta est, in qua tractatur, an Titius succedat in regno, vel hæreditate, quia simul etiā agitur, an fuerit ex legitimo matrimonio genitus, vel an fuerit hæreticus, vel an sit vinculo excommunicationis obstrictus. His positis, quæstio est inter auctores, an cùm agitur, vt Titius Clericus recuperet Ecclesiæ possessionem, è qua est deiectus per vim vel retineat beneficij possessionem, in qua molestè per alium turbatur, sit causa spiritualis, an potiùs profana, & ciuilis: vt si Clericus Titius contra laicū Seiū agat iudicio possessorio retinendæ, & recuperādæ possessionis Ecclesiæ, siue beneficij, infestat enim, & vexat eum laicus, ne possessionem retineat, aut vi de possessione deijcit: tūc enim laico Clericus litem intendit, ne eū in possessione turbet, vel vexet, vel è possessione deijciat. Vnde tūc agitur iudicio possessorio retinendi, vel recuperandi possessionē, & Iudex cōtra Seium reū pro-

cedit interdicto, Vti possidetis, vel interdicto, Vnde vi. Et de hac causa est tota cõtrouersia, an ciuilis sit, & iure queat apud laicũ iudicẽ tractari. Est enim multorum opinio, eã esse ciuilẽ, & ad Iudicem laicũ pertinere, & in Gallia esse cõsuetudine receptũ, vt de ea cognoscant, & iudicent Ciuiles Magistratus, etiam inter Clericos; & de possessione rei spiritualis: quẽ vsum foresem inter Gallos defendunt Guido Papæ, Guliel. Benedi. Nicolaus Boerius, Anfrerius, Tho. Grammaticus, Ioan. Gallus, Carolus Degrassalius, Io. Selna: quos omnes refert Couar. *lib. Pract. q. c. 35. num. 1.* Et probant, quia huiusmodi causam non esse spiritualem, docent Vincentius *in cap. vlt. de iudic.* & Glossa *in c. Cùm dilectus, de elect. verb. Iuramento.* Innoc. *in eodem c. Cum dilectus*, & Archidiac. & Ioan. And. *in c. Frequens, de restit. spoliat. in 6.* Sed Ioan. Lignanus, & alij apud Panormitanum *in prædicto, c. literas*, sentiunt hanc causam spiritualem esse, vel quasi spiritualem, & ad Ecclesiasticum iudicem pertinere, & probant ex Clementina *1. de causa possess. & Clement. de sequestrat. possess.* vbi causa de beneficio, siue iure petitorio, siue possessorio spiritualis censetur. Abbas potiùs subscribit priori sententiæ, quia in hac causa sola est quæstio facti, nõ iuris, videlicet, An Clericus possideat, an turberur, vel deturbetur possessione; Quemadmodum, inquit, ciuilis iudex potest cognoscere de iniuria facta Clerico, altari, templo, calici consecrato. Similiter etiam iudicat de causa, in qua agitur, vt laicus soluat decimam, quam furatus est. At alij distinguunt: Aut agitur inter Clericos, ita vt tum actor, tum reus sit Clericus, & tunc ea causa penes iudicem laicum agi non potest, quoniam is iudex contra reum Clericum, qui alterum beneficij possessorem, vel turbat, vel vexat, vel possessione deturbat, sententiam ferre secundum Canones, & iura nequit: aut causa agitur contra laicum reum, qui Clericum beneficio spoliauit, vel etiam nunc infestat, & tunc in laicũ ciuilis Magistratus potest animaduertere: Et Clericus cum laicum reum apud iudicem ciuilem secundum Canones, & iura conuenire potest: quia quæstio est facti, nõ iuris. Couarruuias secundam sententiã approbare videtur. Et certè magis cum ipso canonico iure cõuenit, vt hæc causa vtpotè spiritualis, vel quasi spiritualis coram iudice Ecclesiastico, non ciuili tractetur. Quæres, an ob consuetudinem receptã hæc causa possit ad ciuiles iudices pertinere, cũ reus est laicus, & actor Clericus? Concedit Couarruuias, & ita in Regno Neapolitano vsu esse receptum, testis est Matthæus de Afflictis *decis. 14.* vt quieta Respub. sit, & ne fiat alicui violentia vel iniuria: videlicet ne quis contra Canones, & iura rei possessione spolietur. Ceterùm, si hæc causa, vt dixi, est spiritualis, vel quasi spiritualis, ad iudicem laicum trahi non potest, nec consuetudo contraria vim, & locum habet. Laicus enim sibi vẽdicare nequit, quæ sunt Ecclesiastici iuris, & potestatis. Et idem etiam dicendum existimo de legibus Principum, quibus edicunt, vt huiusmodi causa ad ciuilem, & profanum iudicem deferatur, & vt consuetudo recepta seruetur.

Secundò Quæritur, An vbi Episcopi, & cæteri his superiores Antistites, negligenter se gerunt in cognoscendis, & iudicandis causis ad Ecclesiã pertinentibus, aut quia nolunt, aut quia nõ commodè possunt, iudex ciuilis possit iure eas causas ad se deuoluere, sibique vẽdicare. Hãc quæst. tract. Abb. *in c. Qualiter & quando. de iudicijs, n. 7.* & tandem censet id iure nõ posse, quãuis contra, Ecclesiast. Iudex ciuilis Magistrat. vicem, & curã supplere queat, cum suum officiũ negligit. Sic etiã senserunt Innoc. Archid. & Io. Andr. Parnormit. ibid. Sed ætate nostra nõnulli Couarruuiã sequuti pugnaciter id iure posse, affirmarũt. Primò, vt quietè Resp. viuat, & omnis violentia propulsetur: alioqui, inquiunt, impunita delicta manerent, & innocentes à sontibus & improbis hominibus vexarentur, & opprimerentur. Secundò, quia *in c. Filijs, vel nepotibus. 16. q. 7.* constat, Episcopis, & Archiepisc. negligentibus punitionem eorũ Rectorum, qui bonis Ecclesiast. abutũtur, licere patronis Ecclesiarũ Regem adire: vt illi malo medeatur, & *in c. Regũ. 23. q. 5.* ex Hieronymo refertur. Regum officium est proprium, facere iudicium, & iustitiam, & liberare de manu calumniantiũ vi oppressos, & peregrinis, pupillisq; & viduis, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium, & *idem colligitur ex c. Ab Imperatorio. 23. q. 3.* Tertiò, quia *in c. Principes. 23. q. 5.* ex Isidor. Gratian. testim. producit, vbi innititur, sæculi Principes eam potestatem habere, vt superborum cerutes comprimant, & quod fieri non potest per iudices Ecclesiast. ab ipsis iuxta disciplinã Reipub. vtilẽ executioni mandetur. Quartò, quia nõ est maior ratio cur negligente iudice ciuili, Eccl. suppleat eius locum, quam è contrario: sed iuxta Canon. & iura primum conceditur, vt patet *ex c. licet. 1. & c. ex tenore, & c. ex transmissa, de foro comp.* ergo, & secundum. Postremò, id probant ex glos. *in c. Principes, & c. Filijs, vel nepotibus, & in c. Administratores 23. q. 5.* sancitum est, administratores sæcularium dignitatum, qui ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum, ac viduarũ protectionem, rapaciumq; refrænationem constituti esse proculdubio debent, quoties ab Episcopis, & Ecclesiast. viris cõuenti fuerint, eorum querimonias attentiùs audiant, & secundũ quod necessitas expetierit absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant, & *in c. si quis cum Clerico. 11. q. 1.* Authent. *& Clerici apud proprios Episc. primum conueniantur. Collat. 6.* plane habetur, Episcopo negligente, aut recusante, quia non vult, aut quia non potest, disceptationem peruenire debere ad ciuilẽ iudicem, *& ex c. petimus, & c. illud est. 11. q. 1.* idem colligi videtur. Sed longè verius est oppositũ, videlicet, id iure nõ posse. Goffred. Archid. Ioan. Andr. quos citat, & sequitur Abb. *c. Qualiter, & quando, de iud. n. 7.* Nec enim Canones, & iura voluerũt, vt spirituales causæ ad profanos iudices deferantur, deuoluãturve; nam *in c. Qualiter, & quando, de iudic.* Innoc. 3. sic definiuit. *Ne pro defectu iustitiæ clerici trahãtur ad iudicia sæcularia, quod omninò fieri prohibemus*, & idem constat ex *c. Si quis Clericus*, & *c. Placuit, c. Christianis, c. Clericũ. 11. q. 1.* Nec propterea sequitur, vt impunita maneant delicta, aut innocentes ab improbis hominibus opprimantur. Nam si Episcopi negligenter se gesserint, Canones præcipiunt, vt causæ ad Archiepiscopos deferantur. Quid si illi neglexerint? Primates, & Patriarchæ aduocentur.

Quibus

Quibus minimè curantibus, res tota ad Nunciũ, vel Legatum Apost. vel ad ipsum Ro. Pontificem deferatur. Quid si neglexerit ipse etiã Ro. Pontifex? dicã ego; Quid si profani iudices inferiores, simul etiam superiores, & ipse etiam Rex negligenter peccata punierit? Cur enim diligentiores profanos, & ciuiles, quàm sacros, & Ecclesiast. Iudices fore putemus? Sed demus, sacros Iudices, Canones, & iura contemnere; num continuò fit, vt sibi quis ius dicat? Absit; sed superiorem Iudicem Ecclesia, adire debet, qui seruato Canonum ordine ius reddat. Quemadmodum ergo nemo potest sibi ius dicere, ita nec iudicem profanum conuenire, qui ipsi in causa spirituali ius dicat. Quid si Clerici commorentur in terris Hæreticorum, vel Paganorum, in quibus, nullus iudex Ecclesiast. sit, ad quem causa deferatur? Respondeo: si commodè Rom. Pontifex consuli posset, consulendum eum esse, & ab eo petendum, vt Canonum rigorem remittat, facultatemque concedat, qua tractari huiusmodi causæ possint apud Iudicem ciuilem, vel aliud remedium opportunum adhibeat. Quòd si consuli Rom. Pontifex nequeat, tũ necessitas lege careat, & id fiet, quod ipsa ratio recta præscriber. Ad id, quod affertur ex *c. Filijs, vel nepotibus, 16. q. 7.* respondet Panormitanus in prædicto *c. Qualiter*, nihil obesse, quia solùm ibi statuitur, vt Episcopo negligente, vel renuente, ad Regem causa deferatur, non vt Rex ipse iudicet, atque definiat, sed vt moneat superiorem. Vel respondeo, hoc ius antiquũ esse sublatum ab Innocentio III. *in. Qualiter, & quando, superim allegato*, vt ipso quoque Abbas testatur, & Gloss. quæ habetur in *c. illa. Filijs, meritò*, inquit, *Abbas reijcitur.* Ad id, quod dicitur ex *c. Si quis cum Clerico. 11. q. 1.* & in Authent. *Vt Clerici apud proprios.* Respondeo, ea decreta, & iura quatenus constituũt Episcopo negligente, discreptionẽ ad ciuilẽ iudicem deferendã, esse abrogata ab Innoc. III. *in c. Qualiter, & quando, de iud.* vt docent Io. Andr. & Abbas in *eod. c.* Nec mirum est hoc: nam olim multa fuerunt, vel permissa, vel etiam concessa, quæ postea sunt meritò reuocata, mutata, sublata. Ad alia, quæ obijciuntur ex *c. Regum, c. Administratores, & c. Ab Imperatoribus.* Solutio patet ex dictis.

Tertiò Quæritur, An cum immunitate, libertate; Ecclesiast. pugnent eæ leges Principum, quibus statuitur, ne beneficia Ecclesiast. conferantur externis, neve illis soluantur ex beneficijs pensiones: ne admittantur literæ, siue diplomata Pontificia, quæ derogant iuri patronatus Regum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum, ne literæ Apostol. siue Pontificiæ exequutioni mandentur, nisi in curia Regia per Regios Iudic. priùs discutiantur, nisi Rex ipse, aut Princeps suum assensum ante præstiterit, quo annuat, vt Pontific. literæ exequutioni tradantur. Teste Couar. *de pract. quæstionib. c. 36.* extat edictũ Caroli V. Hispaniarũ Regis, quo iniungitur Episcopis, & Regijs Magistratibus præcipitur, vt diligentissimè curent, ne auctoritate literarum Apostolicarũ iuri patronatus laicorũ derogetur. Et ideò ex ea pragmatica sanctione in supremo Regis prætorio literæ Apost. quibus dicto iuri patronatus derogatur, recognoscuntur, discutiunturque, & earum executio suspẽditur, ac impeditur, donec p supplices literas ipse Ro. Pont. certior fiat; quantum detrimẽti Hispaniarum Regna patiẽtur, passurave sint, quàm grauis multorum offensio sit exoritura: & tandem, vt velit huic tanto malo occurrere, ne alioqui laici à pijs operibus, Ecclesiar. fundatione, constructione, & dotatione deterreantur, & auocentur. Quod quidem ipsum apud Gallos obseruari, testatur Rebuffus *in Praxi Beneficiorum 3. par. signaturæ, in verb. Nec non iure patronatus num. 12. & 36.* Has leges Couarru. *eod. c.* quibusdam rationibus defendit. Primò, quia ante Philippi II. & Carol. V. tempora fuerunt longa consuetudine receptæ, & approbatæ. Secũdò, quia Canones, etiam præcipiunt, ne in externos Ecclesiast. beneficia cõferantur. Tertiò, quia Reges Hispaniarum sunt Protectores, & Patroni Ecclesiarũ; quæ in ipsorum Regno, & ditione fundatæ, vel dotatæ sunt. Quartò, ne contingat aliquos Ecclesijs præfici, qui sint Regis inimici, vel ipsi minùs accepti, vel etiam infensi. Quintò, ne in literis Pontific. aliquid concedatur, cum aliorum damno, & incõmodo: In hac re, Vnus est omniũ cõsensus auctorum, posse Rom. Pontificem iuri patronatus laicorum derogare, si velit, ac proinde, si deroget, violentiam, aut iniuriam laicis non inferre: quia vtitur iure suo, & solũ id ius adimit laico, quod habet ab Ecclesia: & hoc docent Glos. & Archidia. Innocen. Abbas, quos refert Couarruuias loco citato.

Item prædicto iuri patronatus laicorum, Roman. Pont. non creditur derogare, nisi expressim id faciat: hoc etiam nemo negat, vt Couarruias ait. Sed quid cum expressim, & apertè derogat? debentne tunc profani, & sæculares iudices literis Pontific. obedire, nihil obstantibus Principũ legibus? Debent; quia causa est spiritualis, & Eccles. Quòd si Pontifex excommunicationis sententiam ferat in eos, qui ipsius literis nõ parent, ea proculdubiò excommunicatione tenẽtur, nisi id seruent, quod Pius V. in Constitut. quæ dicitur Bulla in Cœna Domini, expressit anno Domini 1568. vbi excommunicationem constituit in laicos, & etiam Cleric. qui ciuilium Principum auctoritate aliquo modo prohibent, impediuntve executionem & vsum literarum Apostolicar. mandatorũ, vel aliorum Ecclesiasticorũ processuum, vel decretorũ pertinentiũ ad gratiã, vel iustitiã: & in eos qui suũ ad id consiliũ, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ tollẽdæ, vel iniuriæ depellendæ, vel causa alterius obtẽti iuris, seu etiã, donec ipsi appellauerint ad Ro. Pontificem meliùs informandũ, aut ipsi supplicauerint: nisi supplicationes huiusmodi corã Ro. Pontifice legitimè prosequãtur. Ex his intelligitur, ciuilibus Magistratibus, siue Iudicibus liberũ non esse literas Pontificias reijcere, aut excludere, quarũ auctoritate beneficia in externos Clericos conferuntur, aut derogatur iuri patronatus laicorum, nulla facta mentione eiusmodi iuris, vel derogationis, sed licitum est, excipere, vel opponere, de talium literarũ subreptione apud conuenientẽ, & legitimum Ecclesiast. iudicẽ: tũc enim id faciunt non Regia, vel Imperatoria auctoritate Principũ, quorũ ministri sunt; sed quia non videtur Pontifex prædicto iuri patronatus

velle derogare, aut externis beneficia concedere. Quòd si in literis expressim vtrique iuri deroget: licebit coram competenti iudice Ecclesiast. iuris ordine seruato, ad Rom. Pontificem, appellare, & ipsi supplices libellos offerre, & interim impedire, ne literæ Pontificiæ executioni mandentur: dummodò impediant opera, & ministerio Ecclesiast. iudicũ, & re ipsa appellationem, & supplicationem, vt ait Pontifex Pius V. prosequantur; aliter enim ipsi nec propria, nec Regia auctoritate impedire literas Apost. possent: quoniã eorũ potestas est profana, & ciuilis, non spiritualis, & Ecclesiast. Idẽ iuris est de pensionibus: nam si Pontifex in beneficio Hispanien. si pensionem imponat Clerico Italo soluendam per Clericum Hispan. & censuris cõpellat prædictum Hispan. Clericum ad eam soluẽdam Italo, debet Hispan. Pontifici parere, nec licitum est illi ad Regium tribunal perfugium. Causa enim soluendæ pensionis spiritualis est, & Ecclesiastica, non profana, & ciuilis: quia in ea agitur de iure soluendi, quod merè est spirituale, vel quasi spirituale.

Quartò Quæritur, Liceat ne ciuilibus Magistrat. literas Apost. ad Prouincias, vel Regna directas de causis spiritualibus & Ecclesia, recognoscere, discutereque, falsæ, necne sint, subreptitiæ, an legitimæ? Idem Couarru. loco citato, auctor est, in nonnullis prouincijs esse Regum, & Principum pragmaticas sanctiones, & edicta, ne vllæ literæ Apost. siue diplomata Pont. recipiantur, & executioni mandentur, quin priùs apud prætoria Regia per Regios iud. recognoscantur, & discutiantur. Idem Couarru. has Principum leges probat, & defendit, tanquam æquas, iustas, & cum ipso iure congruẽtes, cuius in hac parte sententiam alij cõprobarunt. Probat ille, quia id habet, & seruat vsus, & consuetudo in multis Christianorum & Catholicorum Principum prouincijs. Deinde, quia id docuit Driedonius, quem ille citat, vir alioqui pius, & insignis Theolog. Sed non video cur hoc iudicium ad ciuiles, & regios spectet magistratus. Verũ ergo est, quod Driedo. sensit, ad iudices Ecclesiast. iure communi pertinere, vel etiam ad Laicos, vt ait ille, sed ad hos nõ iure; at solo priuilegio, beneficio, & consensu Rom. Pontificis, qui potest, si velit, iusta de causa id Regibus, vel principibus demandare, atque committere, vt ipsi non auctoritate, & potestate ciuili, regia, vel imperatoria quam habent, literas Apost. recognoscant, relegant, discutiant; sed auctoritate Pontificia ipsis delegata, ipsis cõmissa, vt tanquam Rom. Pontificis ad id delegati ministri, id faciant: & executioni mandandas curent. Quam potestatem habeat necne hic rex, aut ille, quæstio est facti, non iuris: ipsi Reges, & Principes videant. Non igitur negamus, literas Apost. recognosci quidem, & discuti debere, cum sunt dubiæ, & incertę, sint falsæ, necne: Item, subreptitiæ, an legitimæ. Sed hæc causa, & controuersia est Ecclesiasti. & sacrorum iudicum, non ciuilium, & profanorum: hoc enim iudicium ad Episcopos, vel Archiepisco. Primates, vel Patriarch. vel Legatos, siue Nũcios Pontificios, qui ad Prouincias, & Regna mittuntur, spectat. Nam secundum Canones, non secundum leges iudicari debet, huiusmodi literæ sint falsæ, an veræ, sint subreptitiæ, an secus. Quid si Pontifex contradicat? Quid si prohibeat, quominus id faciant? Debent certè Pontifici parere, aut ostendere, quo iure id faciant: nam cùm Laici sint, iure potestatem Ecclesiasticam non habent: nec eam præscriptionis iure habere queũt, quoniam Laicus iuris, & potestatis spiritualis, & Ecclesiasticę capax non est, nec vi illius diuturnæ, & longæ consuetudinis: quoniam consuetudo iure Canonico vim, & locũ non habet, nisi fuerit legitimè præscripta, *c. non est, de consuet. in 6.* & Glos. *in c. vltimo de consuetud.* sed Laicus, vt dixi, iure præscriptionis potestatem spiritualem, & Ecclesiast. ius capax non est, habere nequit: ergo nec vi cõsuetudinis, si quidem proscripta esse non potest. Quare solùm id iuris, & potestatis habere possunt priuilegio, & concessu Rom. Pontificis, ergo necesse est, vt id priuil. ostendant.

Sextò Quæritur, An ex leges Principum derogent Ecclesiast. immunitati, libertatiue; quibus statuitur, posse eos, quia iudicibus Ecclesiast. per vim, & iniuriam censuris opprimuntur, Regios auditores, iudices, & magistratus adire, qui apud suprema Regum prætoria litigantibus iura reddunt, vt vim, & iniuriam propulsent, & edicto cogant Iudices Ecclesiast. ab ea vi, iniuriaue desistere? Tales leges, & pragmaticæ sanctiones, teste Couarru. extant in nonnullis prouincijs, in quibus seruatur vsus forensis in hunc modum. Primùm cùm lis agitur apud iudicem Ecclesiast. etiam inter Clericos, si quis per sententiam condemnatus ad Rom. Pontificem appellauit, iudexque non vult appellationem admittere, & ideo censuris, & pœnis cogit eum, quem condemnauit, suæ sententiæ parere, tunc is, qui condemnatus est, simplici querela corã regijs auditoribus conqueritur, quòd appellatio nõ admittatur, vel quòd per vim, & iniuriam vexetur, spolieturue sua Ecclesia, & Beneficio: quo audito dantur literæ regiæ, quibus tabellioni præcipitur, certa pœna constituta, ni pareat: vt intra breue temporis spatium mittat ad Curiam causam & processum: & rogatur Ecclesiast. iudex, vt absoluat excommunicatum ad aliquot dies, qui sufficiant, dum hæc ad Curiam mittuntur, & in ea discutiuntur. Quòd si Iudex Ecclesiast. non pareat, dantur ad eum literæ iterum, & tertiò. Et id facere cogitur pœnis constitutis, videlicet, si contumax fuerit, amittat res temporales, quas obtinet in locis, & terris Regi subiectis: & habeatur extraneus, ita vt Beneficior. & Officiorum in locis totius regię ditionis ampli" capax nõ sit. Discussis verò actis causæ, & processu, id agitur duntaxat, an iure is Ecclesiasticus iudex appellationem reiecerit. Et si compertũ sit appellationem esse friuolam, causa ad eundem remittitur: Si autem iusta fuerit appellatio, repellitur ea vis, & iniuria, quæ aduersus sacros Canones, & auctoritatem Apostolicæ sedis fit appellanti ad Rom. Pontificem, & præcipitur ipsi iudici Ecclesiastico, vt iustam appellationem admittat & excommunicatum soluat, omniaque acta post appellationẽ reuocet, & ad eum statũ reducat, in quo erant, cũ reus ad Pontificem appellauit. Item, si Laicus à iudice Ecclesiastico vexetur, cum ipse competens illius causæ

iudex non sit, eo quòd reus sit Laicus, & causa, de qua lis est, sit profana: tunc si Laicus ad Curiam appellet, dantur literæ regiæ, quibus præcipitur, ne Iudex Ecclesiast. de ea causa cognoscat; sed eam totam ciuili iudici relinquat, vel mittat processum in Curiam: quo discusso, si causa pertinet ad iudices profanos, iubetur Ecclesiast. iudex à cognitione causæ desistere, & eam ad ciuilem, & sæcularem iudicem remittere. Totum huiusmodi forensem vsum quo Regij magistratus, & iudices in nonnullis Christianorum & Catholicorum Principum prouincijs vtuntur, Couarru. multis de causis, tueri contendit. In primis, ob communem Reipub. salutem, & pacē: quia alioqui nisi hoc remedio Reges vterentur, & Principes, aduersus Ecclesiast. iudices, innocentes passim grauissimè vexarentur. Nam Episcopi quoniam procul à Rom. Curia distant, potestate sua Ecclesiastica sæpiùs abuterētur. Secundò, quia Regū, & Principum est, vt habetur *in c. Regum 23. q. 5.* ius cuique reddere, & per vim oppressos à manibus violentorum, & calumniantium liberare, & iniurias repellere. Tertiò probat eo eo, quod dicitur in c. Filijs, vel nepotibus, *16. q. 7. Filijs, vel nepotibus, ac honestioribus propinquis eius, qui construxit, vel ditauit Ecclesiam, licitum sit hanc habere solertiam, vt si sacerdotem aliquid ex collatis rebus defraudare præsiderint, aut honesta conuentione compescant, aut Episcopo, vel iudici nuncient: quòd si talia Episcopus agere tentet, Metropolitano eius hæc insinuari procurent, si talia Metropolitanus gerat, regibus hæc intimare non differant*, & ex *cap. Principes, cap. Administratores 23. quæstion. 5.* in quibus habetur, *Principes sæculi intra Ecclesiam eam potestatem habere, vt superborum cervices comprimant, & quod fieri non potest, per iudices Ecclesiast. videlicet, vel quia negligunt, vel quia nequeunt id facere, ab ipsis iuxta disciplinam Reipubl. vtilem, executioni mandetur.* Vltimò, quia forensis hic vsus apud Gallos, & alias Christiani nominis nationes seruatur.

Sed certè non video, cur huiusmodi vsus à Couarruuia, & alijs tanquam iuri consentaneus probetur: nam contra Canones, & iura est, vt ciuiles Iudices, & Magistratus de Ecclesiast. causis iudicent. clericos ad sua tribunalia vocent, pœnas constituant in Ecclesiasticos iudices. Nam si Clericus, vel Episcopus pœna dignus fuerit, à superiori Ecclesiastico iudice secundum Canones condemnari, & puniri debet: Clericus coram Episcopo conuenitur, Episcopus coram Archiepiscopo, *c. Ad reprimendam. De officio ordin.* & *c. sacro. de sentent. excom.* Archiepiscopus coram Primate. *c. Antiqua. de priuil.* Primas coram Rom. Pontifice, vel Legato ab eo ad regna, vel prouincias misso. Dices, procul abesse Episcopos à Curia Romana, & proinde ægrè, & difficilè eorum errata, & crimina ad Rom. Pontificē deferuntur. Respondeo in Prouincijs, & Regnis adesse Archiepiscopos, adesse Primates, Apostolicos item Legatos, vel Nuncios, qui de Clericorum, & Episcoporum causis cognoscant, & iudicent; Cur ergo si Episcopus delinquit, causa ad Curiam regiam defertur, & non ad Archiepiscopum, non ad Primatem, nō ad Nuntium, vel Legatum Pōtificium? Cur si Episcopus iustam appellationem non admittit, Regius Magistratus præcipit, vt admittat, etiam pœnis constitutis, nisi paruerit? Cur Canones, & iura nō seruantur? Cur negliguntur? cur violantur? cur Archiepiscopus, Primas, Legatus, vel Nuntius Apostolicus non præcipit Episcopo, vt sacros Canones seruet, & iustam appellationem admittat? Item, si Episcopus innocentem vexat, opprimit, spoliat iure suo: Si res Ecclesiæ negligit: si vim, & iniuriam facit; eam secūdum Canones, & iura propulset iudex Ecclesiasticus Episcopo superior, videlicet Archiepiscopus, Primas, vel Legatus, aut Nuntius Pontificius. Quòd si hi quoque deliquerint, res tota ad Rom. Pontificem deferatur. Si dum Rom. Pontifex conuenitur, Reipubl. pax, & tranquillitas perturbatur, tum Regum, & Principum non est de causa, si spiritualis sit, cognoscere, & iudicare, sed impedire, legitimo, Canonico, & recto ordine seruato, ne in Repub. mala sequantur, & causam ad Rom. Pontificem referre, vt ipse in Ecclesiasticos Præfectos, res Ecclesiarum perperam administrantes, inquirat, & animaduertat. Non mihi probatur, quòd Couarr. docet, Regios Magistratus Ecclesiasticas causas iu re cognoscere: quum Ecclesiastici Iudices, vel negligunt, vel nequeunt: non enim consequens est, si Episcopi id non faciant, deesse in Prouincijs, & Regnis, iudices Eccles. competentes, cum sint Archiepiscopi, Primates, cùm sint Pontificij Legati, vel Nuntij. Quid si ipse quoque Roman. Pontifex, Canones, legesque & iura negligat? delicta impunita relinquat? Innocentes opprimat, vim inferat, res Ecclesiæ dissipet, Regum, & Principum iura peruertat? Respondeo Roman. Pontificem nulli Principum in terris subesse, à nullo, nisi à Deo iudicari, *c. Nemo. 9. q. 3. c. si Papa d. 40. c. ipsi sunt. cap. cuncta 9. q. 3.* Item, superiorem esse qualibet humana potestate, & lege, licet non diuina, non naturali: & quolibet Canone, siue iure Ecclesiasti. scripto. Quare si legi ciuili, si Canoni deroget, vel iuri scripto: Regi, vel Principi iniuriam non facit, vim non infert. Et ideo quamuis peccet, id si absque iusta causa faciat, iudicari, aut condemnari à Rege, vel Principe non potest: sed monendus, & orādus est, ne id faciat: ei sunt proponendæ rationes, & causæ, quibus moueri queat, ne Canones, ne leges, & iura violet, ne Laicorum priuilegia aboleat, & abroget. Item per Cardinales, & alios Ecclesiarum Præsules rogandus est, vt Regum, & Principum paci, & tranquillitati prospiciat. Et hoc est, quod Turrecremata *in sum. de Eccles. lib. 2. c. 106.* Silu. *Papa q. 4. versic. & adde tu*, ex Paludano, docuerunt. Ex his, & alijs, quæ ante dixi *in hoc cap. q. 3.* patet solutio argumentorum, quæ desumpta sunt ex *cap. Filijs, vel Nepotibus, & cap. Principes, c. Administratores, & cap. Regum. supra citatis.* Et cum obijcitur, iuris naturalis esse, vt vim vi repellamus, *l. vt vim, l. de iust.* ergo Laicus ius habet vim illatam ab Ecclesiastico iudice propulsandi: verum est, vim vi repelli iure posse; sed locū id solū habet, cum iudex, vel alius quicunque superior, si priuata auctoritate extra iudicium vim affert, non autem, cùm publico iudicis officio functus procedit. Nam vt rectè Glossa annotauit, *in l. vt vim. ff. de iust.* iniquè vim illatā ab homine priuato possumus iure depellere, non illatam ab eo cuius imperio subiecti sumus, quod probat *ex l. iniuriarum,*

ff. de

ff. de iniur. tunc enim, cum iudex publica auctoritate agit, si vexet, opprimat, & condemnet innocentem, peccat quidem, sed aduersus eum, secundum leges, Canones & iura, ordine seruato legitimo agendũ est, videlicet appellandũ est ad superiorẽ, recusandus est; contra eũ aliquid excipiendum: his enim, & alijs modis innocens se tueri iure potest apud superiorem iudicem. Quid, inquies, si supremus Iudex damnet innocentem? Respondeo, innocentis esse, pœnam patienti, & æquo animo sustinere, non iudici manus, arma, & vim inferre. Nec probo sententiam Victoriæ *in repetition. de potest. Papæ & Concilij in 22. propositione.* asserentis; *vbi mandata, facta, & dispensationes Papæ essent in destructionem Ecclesiæ, potest resisti, & potest impediri exequutio mandatorum: poterunt gubernatores ipsius Ecclesiæ, & principes resistere in his. Quia vim,* inquit, *vi repellere iure naturali licet. Sed Papa infert vim huiusmodi mandatis, & dispensationibus, quia facit iniuriam; ergo licitum est resistere illi. Cuilibet enim est ius ad resistendum iniuriæ, ad impediendum eam, si se tueatur, & defendat.* Et subiungit, *Non solum liceret non parere talibus mandatis; sed etiam facto, & vi, si opus esset, resistere illis, & impedire exequutionem talium mandatorum, maximè intercedente publica auctoritate Principis.* Hæc omnia Victoria loco citato. Sed certè modum excessisse videtur aliqua ex parte. Nec eo modo loquuntur in hac re Paludanus, Turrecr. & Siluester locis supra citatis. Nec vim vllam infert Pontifex, si iuri scripto humano deroget, si publica auctoritate procedat, ceu supremus Iudex, vt dixi. Quapropter ego forensem hunc vsum, quem approbat Couarru. existimo secundum Canones, & iura defendi non posse; cum Canones prohibeant, quò minùs Laici, etiã Imperatores, & Reges, & Principes, de Clericis, ac de causis spiritualibus, & Ecclesiasticis cognoscant, & iudicẽt, & cũ sacris Canonibus pugnet, vt à sacris, & Ecclesiast. iudicibus ad profanos, & ciuiles appelletur. *Colligitur ex c. Qualiter, & quando de iudic. c. Si quis Clericus, c. Placuit, c. Christianis, c. Clericum 11. q. 1.* Nec verò obijcias mihi consuetudinem receptam, qua Laici de certis Ecclesiast. causis sententiam pronunciant. Hanc enim consuetudinem Canones corruptelam appellant: neque enim in præscriptionem vllam venire potest, vt Laicus, vel Clericus ius dicat, vel de causis Ecclesiast. quidquam statuat: sed nec satis est, si consuetudo sit temporis diuturnitate firmata, cuius initium non appareat: quoniam vt docent Ioan. Andr. *in c. 2. de Præb. in 6.* & Abbas *in c. Quanto, de consuet.* Consuetudo longi temporis decursu munita, cuius initium in hominum memoria non est, dat quidem ius ei, qui capax est potestatis, iuxta id, quod habetur *in c. 1. de præscript. in 6. & in l. 1. §. ductus aquæ ff. de aqua quoti. & æsti.* Sed non dat ius vllum ei, qui capax non est, vt sæpè dixi.

Septimò Quæritur, an potestas à Rom. Pontifice data Legatis, vel Nuncijs, quos solet ad Regna, vel Prouincias mittere, discuti iure queat à ciuilibus Regum, vel Principum Magistratibus? Couarru. *c. supra citato num. 4.* defendit etiam tanquam iuri congruentem consuetudinem in plerisque Regnis, & Prouincijs receptam, qua Legatorum, vel Nunciorum Apostolicorum facultas in Curia Regia recognoscitur, discutitur, antequam ea vti incipiant Legati, vel Nuncij, ne, inquit, aliqua facultate vtantur, cum ipsius Regni, vel Prouinciæ detrimento, & incommodo, aut cum aliquorum ciuium damno. Cùm enim plerunque sint exteri, ignorant, quæ sunt Regni, vel Prouinciæ propria. Sed certè hoc argumento solùm probatur, Legatorum, vel Nunciorum potestatem discuti debere per iudices Ecclesiasticos, qui in Regnis, vel Prouincijs commorantur: quales sunt Episcopi, Archiepiscopi, & Primates: facultates enim Pontificias secundum Canones, & per Ecclesiasticos; non secundum leges, & per Laicos iudicari oportet. Quare huiusmodi consuetudinem ego non tanquam iuri consentaneam probo: fateor expendendum esse, an literæ sint verè à Rom. Pontifice datæ; sed ciuilium magistratuum auctoritate, facultates in literis Pontificijs contentæ examinari iure non possunt, vt nonnisi eorum permissu illis vti non licear, vt falsò Couarru. sensit. Exhibere debent Legati, vel Nuncij Pontificij literas suæ legationis ex mente Pontificis, vt Regi, vel Principi innotescat legatio: neque enim videtur esse Pontificis mens, vt asserenti se esse Legatum, vel Nuntium Apostolicum statim credatur, etsi Pontificias suæ legationis, suarumque facultatum literas ostenderit, vt colligitur ex Glossa *in cap. Nobilissimus dist. 97.* & docent Speculator, & Antonius, quos refert Andreas Gambatus *in tractat. de Officio, & potestate Legati lib. 1. §. Qualiter Legatus se gerere debeat, cum Prouinciam est ingressus. num. 3.* Et olim Legati ab Imperatoribus missi, literas ostendebant, *vt deducitur ex l. 1. C. de manda. principum,* & ingredi in Prouinciam debebant per loca alioqui consueta: secus enim tanquam Legati nõ excipiebantur, quia non credebantur ab Imperatore missi, *l. observare. §. hoc etiam. ff. de offi. Proconsulis,* & teste eodem Andrea, quidam Legatus Pontificius Bononiam missus, cum per portam vrbis insolitam ingredi voluisset, à toto populo est cachinnis exceptus. Sed quid si Pontifex Legato, vel Nuntio priuilegiũ concesserit, ne cogi queat ostendere literas Pontificias suæ legationis, vel suarum facultatum? Respondeo, tunc cogendum non esse, at dices, quo modo constabit veritas? Respondeo, vel ex testibus idoneis, vel ex alijs literis Pontificijs ad ipsos Reges, vel Principes, vel alios primarios viros, aut Magistratus, & Iudices missis. Porrò animaduertendum est, aliud esse, literis Pontificijs, quas certò constat tales esse, non parere, fidem non habere, auctoritatem non deferre, earum vsum prohiberè, vel impedire; aliud verò, de literis Pontificijs, quum dubiæ sunt, & incertæ, bona fide probabiliter ambigere, disputaréue, sint, nec ne Pontificiæ, sint nec ne subreptitiæ: hoc enim fas est, nec is, qui dubitat, aut disputat, etiam Laicus, vllam iuris pœnam incurrit. Primum verò nefas est, & is, qui non paret, vel literarum vsum impedit, vel prohibet, iuris pœnas contrahit.

Postremò Quæritur, An penes Regem, vel Principem sit ius, & potestas, Episcopos, & alios Ecclesiarum Antistites, & Præfectos cõuocandi, vt Ecclesiarum, quæ in ipsius ditione, & imperio sitæ sunt libertatem, tranquillitatem, & salutem conseruet, atque defendat? Sunt qui censeant,

Regem

Regem ratione sui muneris, & dignitatis esse tutorem, curatorem, custodem, defensorem, & vindicem Ecclesiarum sui Regni, & propterea ius habere conuocandi Præsules, & cæteros sacros, & Ecclesiast. viros, vt communi Ecclesiarum saluti prospiciat. Addunt etiã, Regem vt rex est, esse Ecclesiarũ sui Regni fundatorem, & proinde patronum, & ideo ius habere nominandi, designãdi, & offerendi eos, qui sunt Ecclesijs primarijs, hoc est, cathedralibus, & collegialibus præficiendi, ne in Ecclesijs Episcopos institui contingat ipsi Regi inimicos, minùs gratos, & acceptos, vel etiam infensos. Scio Archidiaconum *in c. lectis. dist. 63.* virum alioqui iuris Canonici peritissimum, & magnæ auctoritatis dixisse, omnes Reges patronos esse in cathedralibus Ecclesijs, quæ in ipsorũ Regnis constitutæ sunt. Et Archidiaconum sequuti sunt alij, & ingenio, & doctrina conspicui, Dominicus *in c. lectis. dist. 63.* Card. Alexandrinus *in eod. cap. lectis.* Bald. *in prooem.* Greg. *propè finem, & in c. quamo, de iudic.* Paris. de Puteo, *in tract. Syndic. in verb. ciuitatis cap. 2. ad finem.* Meo iudicio, huiusmodi auctores non docent, Reges esse patronos, quod attinet ad ius nominandi, & offerendi, siue præsentandi Clericos ad Beneficia; solùm intelligunt, eos esse patronos, quod pertinet ad protectionem, & defensionem Ecclesiarum. Sed de iure patronatus Regum, & Principum suo loco fusius disputabo. Ego sanè ex iure Canonico colligi non video, ius patronatus nisi ex fundatione, extructione, vel dotatione Ecclesiarum, vel ex priuilegio, & beneficio Roma. Pontificis, vel ex consuetudine, vel præscriptione, quibus rationibus Regalia permitti, & concedi videntur *in cap. Generali, de electione in 6.*

Item non video, cur Rex ratione sui muneris, & dignitatis ius habeat Episcopos conuocandi: potest quidem hortari, inuitare, suadere, vt congregentur: potest à Rom. Pontifice impetrare priuilegium, quo illi in vnum conueniant: præterea, quia Episcopi solent esse Regni proceres, & principes, Regum est præcipere, vt tanquã tales, non quatenus Episcopi sunt, vnà cum alijs conuocentur ob communem Regni salutem, & bonum.

Caput XV.

De relaxatione legis, quæ dispensatio vocatur, qua Princeps aliquos suis legibus soluit.

Animaduertendum est, inter hæc quinque magnum esse discrimen, legem interpretari, irritam facere, relaxare, seu dispensare, vt vulgò dicitur, Abrogare, Derogare. Interpretatio legis est, cũ declaratur, casum, dubium, obscurum, & aliqua ratione incertum, non esse lege comprehensum, aut cum legis verba ambigua, vel obscurà explicantur. Irrita lex fit, cum lex inferioris Magistrat. auctoritate constituta, à superiore rescinditur, & infirma fit, & inanis. Vnde ad legẽ irritam faciendam, sufficit sola superioris potestas, & auctoritas: nam tota vis legem irritã reddendi nascitur ex eo, quòd materia legis sit superioris potestati subiecta. Abrogatio legis est, cum Princeps, qui tulit legem, eam in totum tollit, & abolet. Olim enim Romanorum leges non ferebantur, nisi Magistratu populum rogãte, vt iuberet, & decerneret, & deinde Populus iubebat. Sicut igitur lex rogabatur, cùm ferebatur; sic cùm in totum auferebatur, abrogabatur. Derogatio verò legis est, cùm ex parte lex tollitur. in l. Derogatur. ff. de verbor. signif. dicitur. *Derogatur legi, aut abrogatur: derogatur legi, cum pars detrahitur, abrogatur legi, cum prorsus tollitur.* Cicero lib. 2. de Inuention. *Indignum est de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari.* Relaxatio autem legis est, cum eius rigor remittitur, & mitigatur, videlicet, cum Princeps certum hominẽ à lege excipit, ne ea teneatur: vel cum à lege certum casum eximit, qui alioqui erat lege comprehensus: & is cui hoc beneficium Princeps concedit, lege soluitur: Et quod latinè dicitur, legem remittere, relaxare, mitigare, aliquem lege soluere: iuris interpretes recentiores, dispensare vocant: & secundum eos dispensatio est rigoris legis, siue iuris per eum, ad quem spectat, misericors, & can. relaxatio, *vt colligitur 1. q. 7. §. multorum, siue §. Nisi rigor, & ibi Glossa, verb. vt plerisque ad cap. Requiritis.*

Primò Quæritur, An Princeps possit, vt aiunt, in suis legibus dispensare? quod est, quærere, An possit fieri Principis beneficio, vt quis eius lege soluatur? Ratio quæst. est, quia eo ipso, quòd lex est iusta, videtur esse cõtra rationem, vt Princeps aliquos sua lege soluat: quoniam si lex est iusta, æquum item est, vt pars omnis cum toto consentiat. Communis est omniũ iuris Canonici, & Ciuilis interpretum, & Theologorum sententia, auctoritate Principis posse aliquos legibus solui, quia fieri potest, vt causa iusta sit, ne aliquis lege teneatur. Exemplum adhibeo. Lex est Can. ne Episcopi sine consilio Canonicorũ res arduas, & difficiles decernant: Ratio legis est, vt cautiùs, maturiùs, & prudentiùs res ipsi Episcopi cõstituant, & negotia expediant. Id autem fit, cum res consilio multorũ definitur. Item, ne Episcopi temerè, facilè, & leuiter aliquid deliberent: & nihilominus iustæ possunt causæ contingere vt concessu, & beneficio Rom. Pontificis Episcopus quippiam decernat sine Canonicorum consilio, quò id statuere possit expeditius citiùs, atque commodiùs. Occurrunt enim casus, in quibus posset mora nocere. Quo fit, vt causa legis sit iusta, & rationi admodum consentiens; & nihilominus sit quoque iustum, & æquum indulgentiæ relaxationis, siue dispensationis beneficium, quo quidam lege soluantur. Vtrumque est æquum, & bonum ob varias rei, loci, ac temporis circumstantias: quibus variatis, res quoque ex parte mutatur.

Secundò Quæritur, An ad soluendum, & eximẽdum aliquem à lege, causa iusta sit necessaria? quod est quærere, An Princeps peccet, si solo suo arbitratu sine aliqua causa iusta, & legitima, aliquos soluat lege, quam condidit? Duplex est opinio: Prima quorundam ciuilis iuris doctorum, asserentium, eum minimè peccare, quoniã tota vis, & auctoritas legis deriuatur, & pẽdet ex voluntate Principis: ipse enim voluntate sua legem tulit, & potest eam, vel ex toto abrogare, vel

ex parte tollere, prout ei libitum fuerit: ergò pari ratione, idem potest citra vllam culpam aliquos lege suo arbitratu soluere, & liberare: Sic videtur sentire Glo. *in l. relegati. ff. de pœn. verb. ex aliqua causa.* vbi ait: *magna, & iusta causa est Principis voluntas:* qua Glos. dicit esse singularem. Bart. *ibid.* & Iason. *in l. quoniam, ff. de flum.* & Felin. in *c. quæ in Ecclesiar. de const. num. 6.* Secunda opinio est aliorum dicentium eum peccare. Probant, quia lex est iusta, ergo sine causa ab ea quempiam eximere peccatum est: nam partis est, cum toto congruere. Sic S. Tho. *1.2. q. 97. a. 4. infidelis esset, & imprudens, qui sine causa debita legem, vel ius relaxaret.* Couar. *de Matri. p. 2. c. 6. q. 9. nu. 7. & 10.* Sot. *lib. 1. de iust. q. 7. a. 3. vers. in his autem, quæ veri sunt positiui iuris,* Cai. *1.2. q. 96. a. 5. prope finem.* Obijcies, posse Principem nutu suo legem, vel ex toto, vel ex parte dissoluere: quæ ratio primæ opinionis auctorum fuit. Respondent secundæ opinionis doctores, longè diuersam esse rationem de excipiendo aliquem à lege, quàm est de abroganda, vel deroganda lege. Quoniam ad aliquem lege soluendũ, causa iusta requiritur, ne pars à toto sine causa dissentiat: sed ad legem ex toto, vel ex parte abolendam sola Principis sufficit voluntas, qua initio est constituta. Hæc opinio verior videtur: & mihi ea magis probatur: non enim video cur Princeps in eo non peccet, cum id temerè, & imprudenter, hoc est, sine vlla iusta ratione facere videatur: Sufficit tamen si id faciat qualibet iusta, & rationabili causa. Solùm enim asserimus Principem peccare, si aliquẽ lege soluat temerè, & imprudenter: temerè autem fit, quod sine debita causa fit, & causa iusta creditur, nisi euidenter iniusta videatur.

Tertiò Quæritur, an exemptus sine causa à lege, beneficio, & indulgentia Principis, peccet ea vtens. Duas opiniones inuenio: vna est asserentiũ eum peccare; sic Fortun. Bernar. & alij, quos citat & sequitur Couar. *de Matr. p. 2. c. 6. §. 9. nu. 7. & 11.* Sic etiam Cai. *1.2. q. 96. q. 5.* ac proinde iuxta hanc sententiam, & peccat, etiã si motu proprio Principis facta sit iuris relaxatio, qua vtitur, & multò magis peccat, cum petit absque causa iuris relaxationẽ; quia est causa peccati, quod facit Princeps ius ipsum absq; causa relaxando. Secunda sententia negat peccare. Sic Felin. *in c. ad audientiam, 2. de rescrip.* Gigas *de pension. q. 6. nu. 13.* Sot. *lib. 1. de iust. q. 7. a. 3.* nisi quando beneficium, quo Princeps soluit aliquem lege, nocet alijs, qui eo ipso plus oneris sustinere coguntur, vel aliquo modo lædũtur, aut offendũtur. Certè probabilius est, eum non peccare: propterea quod eiusmodi indulgentia auctoritate Principis rata est, & firma. Sed quid dicendum, si Princeps citra causam, quempiã sua lege soluat, an legis relaxatio sit rata, & firma. Bern. Fortun. Hippolyt. Iason, & alij, quos citat Cou. *loco citato, nu. 8.* aiunt in foro iudiciali valere; sed apud Deũ vim nullam habere, eo quòd sit legis, & iuris dispatio. Cęterùm probabilius est, quod dicitur Sotus, & Couar. ratam esse relaxationem. Sic etiam Inno. Ab. Deci. Felinus, quos citat Couar. citat etiam multos Gigas, *de pensio. q. 6. num. 9. & 13.* Vnde plurimum interest, si indulgentia in iure humano, aut si in naturali, vel diuino concedatur: hoc enim ius si Princeps relaxet sine causa iusta, non solùm indulgendo, & ius relaxando peccat, sed ipsa quoque iuris relaxatio non valet; nec is, cui indulgentiæ beneficium conceditur, eo potest tuta conscientia vti. Sot. & Cai. & Couar. supra citati: at verò cum suam legem relaxat Princeps, peccat quidem, si absque vlla causa aliquos sua lege soluat, valet tamen in foro conscientiæ indulgentia, & relaxatio. Ratio vtriusque est, quia Princeps suæ legis est auctor, proinde potest, quę voluerit, ab ea excipere: at verò legis naturalis, vel diuinæ nequaquam ipse auctor, sed minister tantùm est, tutor, & custos. Si quæras, An Episcopus suarum const. possit vigorem relaxare, ob alicuius priuati hominis commodum? Respondeo cum Naua. in Man. *c. 25. nu. 74. & Prælud. 9. num. 15.* si absque iusta causa relaxet, & mitiget, eum peccare: item, peccat etiam Episcopus, si relaxando, alteri nocet. Peccat item is, qui vtitur indulgentia, & relaxationis beneficio sine iusta causa impetrato: quia pars iure naturali debet cum toto cõgruere; at relaxatio sine causa facta valet.

Quartò Quæritur, An Rom. Pontifex leges Apostolor. relaxare iure possit? quod est quærere, An possit aliquos soluere legibus, & const. Apostolorum? De quo Turrecr. *lib. 3. in summa. c. 54. & seq.* Alua. *lib. 2. de planct. Eccles. c. 11.* Aug. *de potest. Eccl. q. 60.* Glos. *in c. Sunt quidam. 25. q. 1.* Abbas, & alij *in c. super eo. de Biga.* Coua. de Matr. *p. 2. c. 6. §. 9. num. 4. & 6.* Quæstionem mouet, quia Apostolorum Cõstit. & Tradit. reputantur, & censentur diuinæ; quales sunt paruulorum baptisma, & sacrarum imaginum cultus, & vsus, cœlibatus Sacerdotum, Quadragenarium ante Pascha ieiunii: inter Pascha, & Pentecost. in precationibus genu non flectere, eodem tempore ieiunium non colere, Deum versus Orientem vultu conuerso precari: Item, *in c. super eo. de Biga.* Lucius 3. definit. *cum Biga. contra Apostolo dispensare non licet.* Idem etiam tradit Innoc. 3. *in c. nuper. & c. à Nobis. eod. tit. & c. Sunt quidam 25. q. 1.* ait Vrban. Papa, vbi apertè Dominus, vel eius Apostoli aliquid definierunt, ibi non nouam legem Rom. Pontifex dare, sed potius, quod prædicarum est vsque ad animam, & sanguinem confirmare debet, *& c. omne quod, ea cau. & q.* constituit Marcellus Papa. *nequaquam quod contra Euangelicam, Prophet. vel Apostolicam doctrinam actum fuerit, stabit.* Respondeo iuxta communem Theologorum sententiam, Apostolos aliquid tradidisse, vel constituisse, primò quidem, vt ministros Christi Domini, & viua Spiritus sancti instrumenta: & quicquid hac ratione tradiderunt, constituerũt ue. Traditio est, vel cõstitutio diuina, sic. n. scripturas Canon. ediderũt: sic Baptisma paruulorũ, cultũ, & venerationem sacrarum imaginum, viuorum pro mortuis suffragia, Inuocationem sanctorum habitatorum cœli, perpetuam Deiparæ Virginitatem, Symbolum fidei, & alia pleraque docuerunt: & ab his Rom. Pontifex aliquem soluere nequit, quoniam sunt iuris diuini, cuius auctor, & conditor fuit Deus; Apostoli verò tantùm promulgatores. Secundò, aliquid constituerunt Apostoli, vt pastores, præsides, & præfecti Ecclesiarũ à Christo Domino delecti, & creati, & hoc modo ediderunt Canones, qui Apostolorum esse dicuntur; quorum rigorem, iure potest Rom. Pontifex mitigare, & relaxare: talia etiam sunt multa præcepta, quæ apud Paulum commemorantur, de

homicida vel ebrioso minimè ad ordines promouendo, de bigamo non ordinando, de non eligendo Neophyto. eiusmodi etiam sunt quædam aliæ Apostolorum traditiones, vt Quadragenarium ante Pascha ieiunium, de quo in suo loco disputabo: continentia sacerdotum, quorundam festorum dierum obseruatio, Dominicæ diei cultus, trina in aquâ mersio eorum, qui sacro Baptismate abluuntur, in quarta, & sexta quaque feria ieiunium, & præceptum itidem, de abstinendo à sanguine, & suffocato. Item Canon contra Apostolum relaxatur, *ca. presbyter. d.82. & c. lector d.34. Glos. & Abbas, & alij.* Et criminosus contra Apost. ordinatur. *c. at si Clerici, de ind.* Sic quæ sunt obiecta soluuntur facilè, videlicet non posse Papam sine causa iusta, & debita relaxare.

Quintò Quæritur, An Rom. Pontifex queat indulgentiæ. & dispensationis beneficium conferre in ijs, quæ sunt iuris solius Canonici: cuiusmodi sunt Patrum, & Conciliorum Canones, & decreta. Constans est omnium opinio, posse. Ita Gloss. *in c. vbi periculum de elect. in 6.* Abb. *in c. significasti, de elect.* Ioan. Andr. & alij *in eodem c. significasti*, Almai. *tractat. de potest. Eccles. c. 13. & 14.* Obijcies ex *c. contra 25. q. 1.* id, quod Zosimus ait: *Contra statuta Canonum, nec huius etiam sedis est dispensare.* Idem habetur, *cap. sunt quidam, & cap. omne quod. ea. cau. & q.* Respondeo, intelligi id debere; non posse dispensare sine iusta causa. Deinde obijcies id, quod refertur in cap. *Non liceat Papæ 12. q. 2.* vbi dicitur. *Non liceat Papæ prædium, aut rura Ecclesiæ alienare, sed tantum domos.* Respondeo, alienationem rerum Ecclesiasticarum esse quidem iure Canonico interdictam; ita tamen, vt iusta ex causa res Ecclesiæ distrahi possint. Vnde id, quod dicitur: Non liceat Papæ; intelligitur, absque iusta causa, & graui Ecclesiæ necessitate. Non probo sententiam Victoriæ *in relicti, de potest. Papæ, & Conc. in propos. 12.* dicentis. *Si Concilium generale legem aliquam statuisset, quam indicasset relaxari non debere, nunquam licere Papæ eam relaxare: & lethaliter peccare, dispensando ex quacunque causa.* Sic ille. Sed certè probabilius est, & longè verius oppositum, vt dicam, cum de auctoritate, & potestate Romani Pontificis agam.

Sexto Quæritur, an Ro. Pontifex possit secum indulgentiæ, seu dispensationis beneficio vti, sicut potest cū cæteris eius potestati subiectis, quod est quærere, an se ipsum lege soluere queat, vt puta, voti, aut iusiurandi religione, sicut potest cæteros. Ratio propositę quęstionis est, quia nemo potest in se ipsum iurisdictione vti; sed aliquos lege soluere, est iurisdictionis actus. Duæ sunt opiniones. Prima negat eum posse se lege soluere, religione, aut vinculo voti, vel iurisiurandi, bene tamen cæteros. Sic sensit Anton. Butrius *in c. Canonum de Constit.* vbi in Gregor. 12. inuehitur, qui tempore magni schismatis, antequam Pontifex crearetur, iurauerat publico, & solenni ritu, sese abdicaturum Pontificia potestate: posteà verò Pōtifex electus noluit Pontificatum deponere, & plures in Cardinalium Collegium cooptauit: hanc sententiam videtur probare August. Beroius *in eod. cap.* Hisce autem argumentis mouentur. Primò quidē quia in *cap. vlt. de institutionibus* apertè decernitur: inter dantē, & recipiētem debere esse distinctionem personarum, & proinde inter agentē, & patientem: ergo inter absoluentem, & eum, qui absoluitur, inter indulgentem & eū, cui quis indulget. Item *in cap. Per nostras, de iure patronatus* dicitur, neminē posse seipsum offerre, seu præsentare ad Beneficium, nec instituere in Beneficio: quia inter instituentem, & institutum, præsentantē, & præsentatum debet esse distinctio personarum. Item, *in c. Debitum, de Baptismo, & eius effectu habetur*, neminem posse sibi ipsi Baptismum conferre, & *c. vlt. De Pœnitentijs, & remissionibus*, conceditur Episcopis facultas eligendi eos, qui possint ipsorum cōfessiones excipere, & ipsos à peccatis absoluere: quoniam absoluere se ipsos non possunt.

Secunda opinio ait, posse Rom. Pontificem se ipsum à lege soluere in ijs, in quibus potest cæteros sibi subiectos. Ita Felinus, & Decius Abbatis auctoritate permoti in c. Canonū de Constit. vbi quamuis nihil explicitè Abbas tradiderit, ait tñ, Ro. Pontificem nō posse seipsum eximere à voto, & iureiurando, sine iusta, & debita causa. Ex quibus verbis à contrario sensu sumpto argumento concludunt recentiores Canonici iuris interpretes, Abbatis sententiam esse, posse Ro. Pontificem ex iusta causa votum à se factum, & iusiurandum adhibitum relaxare. Id ipsum etiam probant ex l. si consul. ff. De adoptionib. vbi statuitur: Si filius familias consul fuerit, posse auctoritatē alteri concedere, qua ipsum adoptet, vel emancipet. Theologi nihil apertè de hac quæstione tradiderunt: quamuis Dur. *4. d. 20. q. 5. n. 6.* & Pal. *4. d. 20. q. 4. a. 3. conc. 5.* de vi, & effectu Eccle. condonationū, quæ indulgentiæ vocantur disputantes, ex eo conentur ostendere, Indulgentias non esse iurisdictionis, quoniam Ro. Pōtifex earum fructu, si velit potest potiri, & gaudere; cū tñ, si iurisdictionis essent; eis frui nequaquam posset. Sotus verò fatetur, ad indulgentias concedendas, requiri iurisdictionem, & nihilominus Ro. Pontificē posse vti, si velit, Indulgentijs à se concessis: idq; probat, & declarat exemplo. Quoniam si Princeps, inquit, bona Reipublicæ cōmunia in ciues distribueret, posset partem sibi debitam sumere. Ro. item Pontifex alios potest à ieiuniorum legibus soluere, ergo & seipsum. Præterea indulgentiæ vniuersim conceduntur omnibus, qui certū quid effecerint: ergo si Rom. Pontifex id fecerit, quid ni indulgētiarum fructum consequatur? Verùm enimuerò, adhuc quæstio vim suam videtur habere. Nam nemo potest ius sibi dicere: & quidam Canonici iuris doctores ex hoc colligunt, Romanum Pontificem indulgentijs à se concessis non vti, nec frui: quod si ipse eis frui non potest, consequens est, vt nec reliqui Ecclesiarum Antistites indulgentijs à se concessis gaudere queant, quod vtrumque est falsum.

In hac itaque controuersia primò compertum est, non posse Romanum Pōtificem in seipsum iurisdictione sua vti in ijs, in quibus iure diuino personarum distinctio requiritur. Vnde nemo potest se baptismate abluere, confirmare, à peccatis absoluere, ordinare: nam in his Christus Dominus instituit ministrantem, & dantem à suscipiente distinctū. Pari ratione nequit Romanus Pontifex seipsum excommunicationis, suspensionis, vel interdicti pœnis afficere. Deinde, nō est iuris

diuini, aut naturalis; sed tantùm Canonici, vt nemo possit seipsum instituere in Beneficio, aut nominare, & offerre ad Beneficium, aut sibi ipsi illud conferre, aut seipsum eligere, vt docet Felin. *in cap. Canonum, de Constitutionibus.* Postremò, non videtur negandum, posse Romanum Pontificem se ipsum soluere à voti, & iurisiurandi religione, & lege, (modò iusta, & debita subsit causa) posse itē Indulgentijs à se concessis vti: Licet enim hæc ad iurisdictionem pertineant, potest tamen Romanus Pontifex in his ius sibi dicere, quia non est id iure sibi diuino interdictum, non enim hic vlla personarum distinctio requiritur. Haud tamen inde efficitur, vt Episcopus, vel Archiepiscopus, Primas, vel Patriarcha potestatē habeat seipsum voti, vel iurisiurandi nexu, vel excommunicationis, aut suspensionis vinculo soluendi, sicut alios potest sibi subiectos ab huiusmodi vinculis soluere, ac liberare: quoniam Episcopi, & Patriarchæ, ac Primates, Romani Pōtificis potestati subduntur, & proindè eorum votum, & iusiurandū eadem Pontificia auctoritate relaxari debent, quæ nulli, præterquam diuinæ subijcitur potestati. Sic etiam Romanus Pōtifex potest sacerdotem eligere, cui sua peccata confiteatur, sicut cæteris facultatem dare solet, qua idoneos sibi confessarios deligant.

Septimò Quæritur, An Magistratus, & Præfecti inferiores possint alios à communi iure scripto, beneficio Indulgentiæ, seu dispēsationis excipere: quod est quærere, An Ecclesiarum Antistites, vel Legati, ius commune Canonicum, & Prætores, ius commune ciuile relaxare ex parte queant, ita vt ab eo iure possint aliquos eximere, & soluere. De hac quæstione agit Siluester *verbo Dispensatio q. 9.* Sotus *lib. 1. de iust. quæ. 7. art. 3.* Cai. *1.2. q. 97. art. 4.*

In præsenti breuiter est dicendum; eos non posse, nisi in certis casibus, quos ipsis leges, & iura concedunt; *& constat ex cap. Dilectus, de temporibus ordina.* Atque id etiam ratio conuincit: nam ius commune Canonicum constitutum est Concilij generalis, vel totius Ecclesiæ, vel Romani Pontificis auctoritate: Ius item ciuile commune, sanctum, aut confirmatum est auctoritate Imperatorum: Sed qui minoris, & inferioris est potestatis, ius & auctoritatem contra superiorem non habet; Ergo sicut supremus Princeps nequit à iure naturali, vel diuino aliquos excipere: sic nec inferior Præfectus, vel Magistratus à iure communi scripto, Pontificio, Imperatorio, vel Regio potest aliquos soluere. Ex quo efficitur, non posse quemquam Antistitem suis Constitutionibus vim abrogare, si sint Romani Pontificis auctoritate munitæ, & confirmatæ, quia non potest eam confirmationem ex toto, aut ex parte tollere: similiter si ipse eas constitutiones, interposito iureiurando firmauerit: quia non potest se ipsum à iurisiurandi religione, & vinculo soluere.

Porrò si de pœnis iure communi irrogatis loquamur, videndum est, an ius commune inferiori Magistratui concedat, siue permittat, vt eas pœnas possit remittere, & tunc poterit eas pœnas condonare: quòd si ius commune prohibeat legis pœnam lenire, & mitigare, eam pœnam ille remittere nequit. Si verò nec vetet explicitè, nec expressim concedat, tunc etiam ex iure Canonico, potest à pœnis ob delictum contractis reos nonnunquam absoluere. Hoc enim colligitur ex *cap. Nuper, de sent. excommunic. in 6.* vbi dicitur: Ab excōmunicationis sententia, lata à Romano Pontifice, vel iure communi pronuntiata, posse Episcopum absoluere, si eam sibi non reseruauit Romanus Pontifex, vel conditor Canonis.

Præterea sciendum est esse aliquas causas, in quibus ob consuetudinem moribus vtentium receptam possunt Episcopi in iure communi canonico indulgentiæ beneficio vti, & aliquos ipsis legibus soluere.

Primò, ratione consuetudinis legitimo tempore præscriptæ. Secundò, ratione grauis, & magnæ necessitatis, vel vtilitatis subitò contingentis, ita vt facilè, & commodè non pateat ad Principem aditus; item ratione alicuius necessitatis crebrò accidentis. Tertiò, ratione leuitatis, & paruitatis materiæ: esset enim difficile in minimis Principem adire, & consulere: Quartò, ratione frequentiæ; vt si crebrò casus certus accideret. Hæc Siluest. Sor. & Caiet. locis supra citatis, imò Sot. & Cai. alium quartum casum excipiunt, quando lex superioris quidem est; sed pertinet ad proprium bonum ciuitatis, vel cōmunitatis: vt si lege regia statuatur, ne frumentū, vel vinum in oppidum aliunde aduehatur, poterit, qui oppido prœst, relaxare. Sed certè hoc ideò est, quoniam lata lex videtur solùm in bonū proprium, non commune: videlicet, vt vendi, & impendi possint proprij priuatorum ciuium fructus ex bonis collecti, & percepti.

Octauò Quæritur, Quæ sint iustæ causæ aliquos legibus soluendi, & eximendi? Respondeo, multas: easque non ineptè colligi *ex prima quæstio. septima, cap. Necessaria, & cap. Quod pro remedio.* Prima est temporum mutatio. Hinc factum est, vt multa ieiunia olim canonibus indicta, in vsu, & more iam esse desierint: Similiter etiam, vt nocturnæ vigiliæ Apostolis & Martyribus sacræ, temporum progressu sublatæ fuerint. Secunda, Vtilitas cōmunis, nimirum, vt alij faciliùs, & citiùs resipiscentes, ad meliorem vitæ frugē conuerterentur. *22. q. 4. c. Ipsa pietas.* Tertia: Personarū conditio, & status, si sit aliquis de cōmuni Reipublicę salute benè meritus; si scientia, & experientia valeat; si vita, & moribus præstet; si generis nobilitate præmineat. *c. Tanta. c. Didici. 1. q. 7.* Quarta: Necessitas. *c. Tanta. 1. q. 7.* Quinta, Pietas. Sexta: Rei euentus. Septima: multorum offensio, *cap. Vt constitueretur, dist. 50.* Possent, & aliæ causæ occurrere, quæ iustæ, & legitimæ boni viri arbitrio censeantur.

Nonò Quæritur, An legis, & iuris communis relaxatio causæ cognitionem requirat? Quod est quærere, An, vt quis legibus, vel Canonibus soluatur auctoritate, & beneficio Principis, necessaria sit causæ cognitio? Respondeo ex Innocentio, Glossa, & Abbate, quos citat Couar. *de matrim. p. 2. c. 6. §. 9. num. 12.* vbi etiam alios profert, Baldum, Alexandrum, Felinum, Ripam, Curtium, si id fiat auctoritate Principis, nullam requiri causæ cognitionem; sed solam eius sufficere voluntatem, quando quis soluitur legibus, quæ solius iu-

ris scripti

ris scripti sunt, non diuini, vel naturalis. Si autem fiat auctoritate Magistratus, aut Episcopi, aut alterius cuiuslibet Præfecti inferioris, necessaria est causæ cognitio: alioqui enim iure potest puniri is Præfectus, vel Antistes, qui legē relaxat. Sed quæres, an valeat eiusmodi relaxatio sine causæ cognitione? Respondent aliqui, quod attinet ad eum, qui legem relaxat, valere, ita vt deinceps eam indulgentiam reuocare sine causa non possit, & cum eam tribuere potuerit, valuit, si tribuit. Quod verò pertinet ad superiorem Principem, potest, quandocunque voluerit, eam indulgentiam, & legis relaxationē rescindere. Sed longè verius est, quod docet Couarruuias, nec in iudicio, nec apud Deum valere, eo quòd data est illis hæc facultas, hac conditione, vt non nisi cum causæ cognitione ius relaxent. Quæres deinde, an is, qui auctoritate Præfecti inferioris lege soluitur, tutè possit vti eiusmodi indulgentiæ beneficio citra iustam causam, sed cognitam, & expressam concessō? Respondeo cum Innocentio, & Abbate, & Couarruuia, tuta conscientia eum vti non posse, in quo indulgentiæ, & dispensationis beneficium sine causa iusta non valet, quamuis in foro iudiciali impunè eo vtatur, donec à Principe abrogetur; nam tria sunt necessaria: primum, ne inferior Præfectus ius relaxet absq; iusta causa. Secundum, ne relaxet nisi cognita causa. Tertium, ne id faciat, nisi exprimat causam, cur id faciat, alioqui enim in iudicio puniri poterit.

Decimò Quæritur, An Princeps eo ipso videatur aliquem à legibus eximere, quòd eum ad ea scienter admittat, à quibus erat alioqui per leges exclusus? Respondeo, cum Abb. Hostiensi *in c. diuersi fallacijs, de elect. conin. Nau. in man. præl. 9. num. 15. & c. 25. num. 74.* Si is qui scienter admittit sit Princeps, eo ipso legem relaxare creditur, quia, vt ante iam dixi, vt Princeps aliquem lege sua soluat, ac liberet, & valeat eius indulgentia, sufficit sola eius voluntas, nec alia causa requiritur; si tamen sit inferior Principe Magistratus, non eo ipso, quod scienter aliquem admittit, iure communi, & legibus soluit, quoniam vt id faciat, & valeat, quod facit, necessaria est causæ iustæ cognitio, & expressio. Silu. *dispensatio. q. 15.* ex Innocentio, Archidiacono, Abbate. Rogabis, Quid dicendum, si Præfectus inferior ex iusta causa admittat sciens ac volens aliquem vi legis inhabilem, cui tamen possit indulgentiæ, & dispensationis beneficium concedere? Respondeo, in foro iudiciali animaduerti meritò posse in eiusmodi Præfectum, eo quòd legem, & ius commune relaxet, absque cognitione causæ, quamuis iusta causa ad id faciendum non desit, etiam si Episcopus sit, vel Archiepiscopus, Legatúsve Apostolicus: quoniam nequeunt sine causa relaxare. Respondeo quoque in foro conscientiæ indulgentiam, & relaxationem non valere: in hoc enim foro requiritur, & iusta causa, & causæ cognitio. Sic Nauar. *in Nau. præl. 9. nu. 15. & c. 25. num. 74.* at verò quoties Episcopus scienter iubet, vel permittit aliquid fieri contra suam constitutionem, vel suorum antecessorum, tacitè, eo ipso, relaxat eam, etiam nulla mentione facta de ea. *Naua. prælud. dicto. 9. nu. 15.* Dixi scienter: quoniam si per ignorantiam, vel errorem id fecerit, tacitè constitutionem nō creditur relaxare: quoniam quod ita fit, voluntarium non est.

Caput XVI.

De abrogatione, & interpretatione legis.

PRimò Quæritur, Quomodo, & quando lex vna per aliam tollatur? Respondeo, legem priorem per posteriorem sibi contrariam tolli, & abrogari, *vt deducitur ex cap. 1. de cognatione spirituali, & l. Non est nouum, ff. de legibus.* Tribus modis priores leges ad posteriores trahuntur; Primò, quando legem priorem posterior corrigit, vt lex *Generali. C. de sacrosanctis Eccles.* corrigitur per authenticam *ingressi. In eodem titu.* Secundo modo, quando posterior lex priorem contrahit, & restringit, vt lex *1. C. Quando libellus Principi datus*, per secundam, *C. eodem titulo*, arctatur. Tertio modo, quando lex prior per posteriorem suppletur. Vnde *in l. Non possunt, ff. de legibus*; perspicuè decernitur: *Quia non possunt omnes articuli singulatim, aut legibus, aut senatusconsultis comprehendi: ideò cum in aliqua causa sententia manifesta est, is, qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet.* Et *in l. Nam, vt ait. ff. eod. titu.* subijcitur: *Quoties lege aliquid vnum, vel alterum introductum est, bona occasio est, cætera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certè iurisdictione supplere.* Verbi gratia, Lex tantummodo statuit, vt pater fame pressus possit filium vendere, potest lex huiusmodi ad similia trahi, vt possit filium alteri quomodocunque obligare, & pignori dare, & locare.

Secundò Quæritur, An lex posterior priorem tollat, tametsi nullam faciat eius mentionem? Respondet Silu. *lex. q. 28. §. tertio tollitur.* Si vtraque lex sit generalis, & à Principe lata, priorem per posteriorem simpliciter abrogari: quia Princeps suas leges, vel constitutiones non videtur ignorare; ergò si posteriorem priori contrariam condiderit, eo ipso creditur probabiliter priorē scienter sustulisse. *cap. 1. de constitutionib. in 6.* Romanus Pontifex posteriorem constitutionem cōdendo, priorem reuocare existimatur: nam vtraque ex eius voluntate pendet; ergò posterior valet. *Abb. in c. cùm accessissent, de constit. Cyn. & Bart. in l. omnes populi. ff. de iust. & iure. & Silu. loco cit.*

Tertiò Quæritur, An si prior constitutio Principis clausulam habeat posteriori derogantem, tollatur per posteriorem nullam mentionē prioris facientem? Negant quidam eam tolli, nisi prioris mentionem posterior fecerit: quia prior, inquiunt, clausula derogat posteriori. Sed verius alij senserunt, etiam tunc priorem clausulam per posteriorem auferri, nec oportere fieri mentionem prioris: nam Princeps probabiliter suas Constitutiones nosse censetur; ergò hoc ipso, quòd posteriorem cum priore pugnantem condit, videtur totam priorem abrogasse. Silu. *lex. q. 26. §. tertio tollitur.*

Quartò Quæritur, An constitutio abroget etiam consuetudinem priorem generaliter receptam? Respondeo, si est consuetudo generalis, abrogatur, alioqui enim constitutio esset superuacanea, & inutilis. *Glossa in c. 1. de constit. in 6. verbo. noscatur, ad finem.* Si tamen est specialis alicubi, &

non vbique locorum recepta, non tollitur. *Gloss. ibide n.* tum, quia Princeps non creditur nosse peculiares locorum consuetudines: tum etiam, quia si in vno loco specialis consuetudo seruatur, in alio non seruatur, ibi constitutio vim habebit; at secus est de consuetudine generali, & quam Princeps scire creditur, & quæ definit omninò per legē contrariā sublata, Bart. *in l. omnes populi, ff. de iust. & iure*, docet generatim, consuetudinē prioré per legē sequentem tolli, etiam si lex mentionem cō suetudinis non faciat, & ait oppositum doctores canonici iuris sentire: hoc ideò dicit, quia *in c. 1. de constit. in 6.* habetur; consuetudinem specialem in certo loco receptam non tolli per constitutionem Pontificiam sequentem: at vt Glossa ibi annotauit, consuetudo generalis aboletur, licet nō specialis. Vnde fit vt si Respublica statutum ediderit contra consuetudinē in ea Republica receptam, tollat eam, quamuis nullam mentionem faciat; quia ciuitas probabiliter creditur consuetudinem suam nosse; idem iuris est in Episcopo.

Quintò Quæritur, An statuta specialia lege Principis contraria abrogentur, quando nihil aliud decernunt, nisi quod ius commune. Respōdet Glossa *in c. 1. de constitutionibus. in 6. abrogari*, etiamsi eorum expressa mentio non fiat, quia si Princeps suam priorem legem tollit, & abrogat, multò magis abolet inferioris Magistratus statutum, quod nihil aliud constituit, & continet, nisi quod ius ipsum commune decernit.

Sextò Quæritur, An si prior lex, sit à Principe iureiurando firmata, per posteriorem vnà cum iureiurando tollatur? Respondeo, Minimè: quia iusiurandum est aliud longè arctius, & strictius vinculum, quo quisque sese Deo obstringit: ergò nisi Princeps iurisiurandi mentionem fecerit, & illud relaxauerit, prior lex iureiurando confirmata per posteriorem non tollitur. Obijcies, Quando lex iureiurando firmatur, solùm vim habet, ac retinet iusiurandum adhibitum, quamdiu, vel donec lex sublata non sit: Item, iurisiurandi materia est lex, ergo si lex abrogatur, ampliùs iurisiurandi materia non permanet; Prætereà, id, quod accedit ad alterum, sequitur naturam eius, *c. Accessorium, de reg. iuris in 6. & l. principalis, ff. de reg. iuris*; ergò si lex, cui iusiurandum accedit, finitur, ac cessat, iusiurandum quoque desinit. Respondeo, cum legem conditam Princeps iureiurando cōfirmat, iurat se id facturum, quod est lege constitutum: quare ni se iurisiurandi religione, & lege soluat, non videtur id, quod est lege decretum, abrogare.

Septimò Quæritur, An lege Principis generali tollantur Priuilegia, rescripta, statuta, vel consuetudines speciales locorum? Respondeo, Minimè; siue huiusmodi priuilegia, rescripta, vel statuta clausulam habeant derogantem, siue secus, *vt facilè constare potest ex cap. licet; De constitutionibus in 6.* Nam, vt ibi dicitur Princeps probabiliter creditur ignorare priuilegia, rescripta, statuta, & consuetudines speciales locorum, & proinde, nisi eorum expressim meminerit, non videtur auctoritatem earum abrogare. *Silu. lex. q. 26. §. tertio tollitur.*

Octauò Quæritur, Quid sit dicendum, quando Princeps certo viro, populo, ciuitati, vel collegio priuilegium concedit, clausula adhibita; *ne derogatum esse intelligatur, nisi eius ad verbum expressè facta sit mentio*; & deindè Princeps legem condit, vel priuilegium contrarium concedit, clausula subiuncta: Non obstante quocunque priuilegio, rescripto, vel statuto habente clausulam: *ne derogatum esse censeatur, nisi expressa eius ad verbum facta mentione.* Quæritur, an prioris priuilegij clausula per posteriorem abrogetur? quotidiè enim experimur, huiusmodi priuilegia sibi contraria, Principum auctoritatem concedi. Respondeo breuiter, priorem clausulam per posteriorē tolli, & abrogari: quoniam verba posterioris clausulæ satis indicant mentem Principis fuisse, speciale priuilegium tollere, & abolere. Federicus *cons. 225.* sensit primum priuilegium non esse per secundum sublatum, sed sententiam mutauit, vt constat ex *cons. 46.* & nos de hac quæstione inferiùs agemus, cum de priuilegijs disseremus.

Nonò Quæritur, Quo pacto legem interpretari nos oporteat? Respondet Silu. *lex q. 16. ex Abbate, & alijs, & q. 16. ex Bartolo. & q. 20.* Ex communi vsu verborum, qui præferri debet omni rigori, & significationi vocum, *l. librorum, §. Quod tamen Cassius, ff. de legatis 3. & cap. Cum dilectus, de consuetudine. Teste Abbat. in cap. ad Audientiam, de decim.* in legibus diuersitas vocabulorum diuersitatem rerum inducit; alioqui enim lex superfluè vocabulis diuersis vteretur, *l. si ijdem codicilli. C. de codicill.* Item, si ex lege ipsa constat mens legis, tunc etiam contra propriam significationem vocabuli tenenda est mens legis. *l. cum pater. §. dulcissimis. ff. de lega. 2.* Præterea legem interpretari debemus mitiùs, & benigniùs, *in l. Benignius, ff. de legibus*, dicitur; benignius leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conseruetur. Hoc præsertim locum habet, si aliàs ex ea sensus absurdus nascatur; vel sit necessariò ad incommodum trahenda, *vt docet Bartolus ibid.* Exempli causa, Decernit lex, eum, qui occiderit hominem, capite puniendum: interpretanda est huiusmodi lex, ita vt furiosus occidens alium, occidi non debeat: nec si quis seipsum tuendo, interimat eum, qui in ipsum inique irruit. Item, quando in lege exprimitur ratio legis, ex ea interpretari, & elicere sensum, & colligere similiter mentem, & animum legislatoris iure debemus, *Clement. 1. de electione.* Veluti *in cap. ex parte, de postulando*, interdicitur Monachis aduocare: eadem lex ad Canonicos regulares trahitur: quoniam licet à Monachis Canonici differant: quia tamen eiusmodi legis ratio in Monachis, & Canonicis est eadem, nimirum regularis instituti, & vitæ obseruatio, lex quoque ad Canonicos non immeritò protenditur. Item, quandocunque vna lex per aliam declaratur, in eo sensu eam accipere oportet. Item, *in l. In obscuris, ff. de regul. iuris* habetur, in obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet. Insuper, *in l. in ambiguis, ff. de regu. iur.* dicitur. In ambiguis orationibus maximè sententia spectāda eius, qui eas protulisset. Præter hæc, nisi ratione cogamur, nunquam verba legis impropriè sunt accipienda. Vnde Ciuilis, & Canonici iuris interpretes vulgò dicere solent, verba legis non esse improprianda, id est, ad sensus improprios trahenda.

henda,& detorquenda: at si ratio manifesta cogit,tunc legis verbum impropriè acceptum esse iure creditur, ne alioqui ex lege sensus incommodus, & absurdus oriatur. Item, si de interpretatione legis quæratur, in primis inspiciendum,quo iure ciuitas retro in huiusmodi casibus vsa fuit:nam vt habetur, *in l. Si de interpretatione, ff. de legibus*, optima est legũ interpres consuetudo.

Decimò Queritur,An lex trahi possit ad casus connexos,& similes? Respõdet Silu. *lex.q.* 18.quãdo est eadem ratio, eam legem trahi iure posse; quia de connexis, & similibus idem ius esse videtur,*cap.translata, de constitutionibus*.Hoc tamen licet sæpiùs sit verum, aliquando tamen locum nõ habet, præsertim cum casus sunt tantummodo similes iuris fictione,non re ipsa. Vnde *in l. Non possunt,ff.de legibus* dicitur; non possunt omnes articuli singulatim legibus comprehendi,sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui iurisdictioni præest,ad similia procedere,atque ita ius dicere debet.

Vndecimò Quæritur,An lex in delictis,&pœnis ad similia quoq; trahatur?Respondet Silu. *lex q.18.ex Abbate, Ioan.Andrea*, & alijs, trahi, quando est eadem omninò in similibus ratio legis: alioqui illud seruetur,quod habetur *in l. interpretatione,ff.de pœnis*,interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt,potiùs quàm asperandæ.

Duodecimò Quæritur, An lex, quæ certum quid non prohibet, id concedere videatur tacitè?Respondet Silu. *lex. q. 21.in cap.* Inter corporalia,de translatione duo dici: primum, *Nonnunquã intelligitur prohibitum, quod non est concessum*; Secundum: *concessa creduntur omnia, quæ non sunt prohibita.* Vbi Glossa *primum*, ait, habere locum in iudicijs, & contractibus stricti iuris, vt in arbitrijs, priuilegijs, & rescriptis: *Secundum*, in iudicijs, & contractibus bonæ fidei, in beneficijs, absolutionibus, & in edictis prohibitorijs, in quibus omnes ij admittuntur,quibus non est interdictũ. Hostiensis docet,teste Siluestro:Quando constitutio generaliter aliquid concedit,nihil excluditur,nisi id quod fuerit alioqui vetitum, quoniam qui totum dicit,nihil excipit.Veluti,lege omnibus conceditur matrimonium contrahere:tũc potest quilibet, nisi alioqui sit per aliam legem exclusus. Pari modo, si lex quippiam in vniuersum prohibeat, id omnibus intelligitur esse interdictum, nisi alioqui sint lege exempti: vt tamen si lege in vniuersum vetetur, non esse furandum,non esse occidendum;attamen lege naturali excepti sunt, qui vim vi repellendo occidunt, qui in bello iusto interficiunt, ergo alium licet occidere,vt nos ipsos tueamur, & in bello iusto similiter licet alios necare.Tempore item extremæ inopiæ,& egestatis res sunt communes;ergò licet pauperi extremè indigenti alienum capere,vti seipsum conseruet in vita.Ex quo efficitur, vt si auctoritate Principis aliud imperetur in vniuersum,aut vetetur,nihil sit eximendum, nisi id,quod alioqui exceptum esse constat.

Decimotertiò Quæritur, An lex ad præterita trahatur? Respondet Silu. *lex. q.* 23. per se legem de futuris,non de præteritis decernere,*c.cognoscentes,de constit.* & proindè lex ad præterita non trahitur; vt si lata sit de testamentis, legatis, fideicommissis,donationibus,contractibus,vel quasi contractibus, delictis, vel quasi delictis, pœnis, censuris, & alijs huiusmodi. Hoc autem locum habet, quando lex nihil expresse de præteritis constituit: potest enim lex voluntate Principis de præteritis ferri, præsertim quando præterita aliquid habent,quod ex futuro pendeat. Vnde *in l.leges, C.de legibus*, sic dicitur,Leges,& Constitutiones futuris certũ est dare formam negotijs,nõ ad facta præterita reuocari, nisi nominatim, & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotijs cautum sit. Hæc ibi.Item, sciendum est,lege aliquando non nouum ius condi, sed antiquũ declarari: & tunc ea lex ad præterita protenditur,quia qui declarat,non nouum ius condit, *l. hæredes palam, ff.de testam.* Præterea, aliquando lex antiquum ius renouat, pœnis nouis irrogatis, quas pœnas non contrahunt ij,qui ante deliquerunt. *Abb.in cap.quoniam simoniaca. de simonia ex Paulo.*Sic etiam Cardin. *in Clem. ex graui.de vsur.* Quæres,quid sit dicendum de eo, qui certum aliquid ex loco cœperit extrahere, & deinde statuto, vel lege id extrahere prohibetur? Respondeo, ea lege eum hominem minimè teneri, quia ante legem editam extrahere cœperat; lex autem est de non extrahendo. Vnde *in l. Cæsar.ff. de Publicanis, & Vectigalibus*, cum lata esset Principis constitutio: Ne quis post Idus Martias cotem ex insula Creta fodito,neue eximito,neue auellito: cuiusdam nauis onusta cotibus ante Idus Martias ex portu Cretæ profecta, vento relata in portum erat:deinde, iterum post Idus Martias profecta fuit: Quærebatur num contra legem Principis post Idus Martias ex insula Creta cotes exisse viderentur.Responsum est nihil contra legẽ factum esse,propterea quod iam initio ante legẽ Principis cotes ex insula euectæ fuerant.Quæret aliquis,an lex,vel statutum conditum per verba præteriti temporis, & aliquid concedens ad futura trahatur. Respondeo cum Abbate *in cap.cognoscentes,de constit.* minimè. Verbi gratia, sit statutum:Quilibet publicè proscriptus,si soluat decẽ, liber existat:non intelligitur de ijs, qui in posterum proscribentur, sed de ijs, qui fuerant ante proscripti, ne detur occasio peccandi.

Decimoquartò Quæritur, An lex concedens aliquid, quod possit esse detrimento, & iacturæ alterius,intelligi debeat saluo eo, quod alterius interest?Respondeo ex Baldo,& Abbate,quos citat Silu. *lex.q.* 22.esse interpretandam legem sine detrimento, & damno alieni iuris: sic etiam priuilegia sine damno alterius interpretamur, neq; enim creditur princeps concedere cum detrimento iuris,quod alter habet. Glossa *in cap.ex tuarum,de auctor.& vsu pallij, ex cap.licet, de offic.ordin.& c.licet,de translat.*

Decimoquintò Quæritur, An cessante fine legis, lex quoque ipsa cessare videatur ? Respondeo, legem non cessare, si ratio,& causa legis in aliquo priuato cesset.Si tamen in vniuersum legis, finis, & ratio cesset,desinere quoque lex putatur.Animaduertendum tamen est id locum habere, quando desinit finis, & ratio legis, quæ ad ipsam legis substantiã spectat,nõ aũt si ad finẽ legislatoris pertineat.Verbi causa,lex corripiendi fratrem peccantem, in eum finem à Christo *Matth.18.*

Domino lata est, vt à nobis admonitus ille resipiscat: eiusmodi causa est substantia legis: quare emendatum iam corripere non oportet. Similiter indiget Titius cibo, vel potu ad vitæ vsus necessarios, lege misericordiæ, & charitatis compellimur ad ei subministrandum necessaria. Si tamen aliûde sibi prospexerit, eo ipso, sumus lege soluti. Indixit verò Ecclesia ieiunia, vt carnis illecebras cohiberemus: non cessat ieiunij lex, quamuis eæ sint repressæ, atque perdomitæ. Hæc enim non est legis substantia, sed finis, quem sibi Ecclesia proposuit, cum ieiunia imperauit. Præterea, si lex duas habeat suæ institutionis causas, quamuis altera earum cesset, non eo ipso definit lex. Pono exemplum: Fuit enim Circumcisio institutа, tum vt originis peccatum deleretur, tum etiam, vt eo signo Hebræus insignitus, ab Ethnico distingueretur: & propterea, si quis in vtero matris diuinæ gratiæ beneficio mundatus ab omni peccati labe nasceretur, circumcidi nihilominus deberet, vt tanquam ciuis in populum Dei adscriberetur. Hinc est, vt leges, quæ ponuntur ad euitandas fraudes in cõtractibus, vel quasi contractibus, si dolus, & fraus non sit, vim, & locum non habeant; cõtra verò leges, quæ in cõtractibus solennem formulam constituunt, valent contra contractus ea formula carentes.

Gen. 17.

Decimosextò Quæritur, Cuius sit legẽ interpretari? Respondeo, in ambiguis, obscuris, & incertis, solius esse Principis legẽ interpretari. Vnde *in l. vlt. C. de legib.* leges condere soli Imperatori concessum est, & leges interpretari solo dignum imperio esse oportet. *Cap. Inter alias, de sentent. excommunic. & Glossa in cap. Contra eum, de reg. iur. in 6.* in manifestis verò & certis non est opus vlla Principis declaratione, siquidem ex ipsius verbis legis sensus eruitur, & constat. Quare Rom. Pontificis solius est, ius Canonicum, & diuinum declarare, *cap. Per venerabilẽ, qui filij sint legitimi.* Imperatorum verò, & Regum, & aliorum Principũ superiorem non agnoscentium, & non habentiũ, est ius ciuile interpretari.

Decimoseptimò Quæritur, An quæ facit quis contra legem, rata sint, & firma. Silu. *lex q. 28.* latè tractat hanc quæstionem? Respondeo, esse Regulam iuris *in 6. in cap. Quæ contra*: vbi dicitur: Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi: & *in cap. Imperiali. 25. q. 2.* habetur: Imperiali constitutum est sanctione, apertè, vt quæ contra leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint, & *in cap. Vides, dist. 10.* dicitur: Vides fili charissime, quia quicquid contra leges accipitur, per leges dissolui meretur. Id ipsum etiam colligitur *ex cap. Sacrosancta. De electione.* Quidam hæc omnia tantùm locum habere arbitrantur, vbi leges, & iura non solùm aliquid prohibent, sed etiam addunt hoc: *Aliter factum sit irritum, & inane.* Vel: *Nullius sit momenti, vel ponderis*, vel: *Non valeat.* Sed horum sententia manifestè pugnat cum eo, quod decernitur *in l. Non dubium, C. de legibus*, vbi habetur: *Ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantùm, ne specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est. Sed & si quid fuerit subsequutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum, atque inutile esse præcipimus.* Et paulò antè: *Nullum*, ait lex, *pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente.* Et inferius: *Secundum prædictam itaque Regulam, qua vbicunque non seruari factum lege prohibente censemus, certum est, nec stipulationem huiusmodi tenere, nec mandatum vllius esse momenti, nec sacramentum admitti.* Hæc ibi.

Sed contra hanc Regulam iuris, & legem, multa obijcit Glossa *in cap. Quæ contra, & in cap. Vides.* Glossa item *in l. contra, ff. de legibus.* Nam matrimonium in primis post simplex castitatis votũ contractum, censetur ratum, & firmum, *cap. 1. de voto*, & voti redemptione *in sexto.* Deinde, coniugium initum temporibus ab Ecclesia interdictis subsistit, vt constat ex iure, de matrimonio cõtracto contra interdictum Ecclesiæ. Lege etiam cauet Ecclesia, ne in diebus festis, & sacris res vendantur, & tamen venditio rata est, & firma. Præterea, *cap. Per catechismum, De cognatione spirituali in sexto*: præcipitur, ne matrimonio copulentur, qui cognationem spiritualem cõtrahunt per catechismum; & tamen matrimonium, postea contractũ non dirimitur. Sententia itidem sub conditione lata vim habet, *cap. Biduum, 2. q. 6.* Et tamen lex præcipit, ne ita feratur. Item, Ecclesiæ consecratio ab alieno Episcopo facta, rata est, & firma, *cap. Episcopus in diœcesi, 7. q. 2.* Est, & Regula vtriusque iuris; *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenẽt.* Promisi me fundum venditurum Titio, vendidi Caio, venditio subsistit. Iuraui, me non reuocaturum testamentum, postea tamen reuocaui, reuocatio rata est, & firma. Multa itidem quæ contra leges, & iura fiunt, postea confirmantur. Sciendum est, vt respondeamus, aliud esse facere contra legem, aliud in fraudem legis facere. *In l. ff. de legibus, dicitur. Contra legem facit, quod lex prohibet: In fraudem vero legis, qui saluis verbis legis, sententiam eius circumuenit.* Verbi gratia, lex prohibet, minorem alienare res immobiles absque auctoritate tutoris, & decreto Iudicis. Si ergò, minor res suas alienet non seruata hac legis conditione, facit contra legem. In fraudem verò legis facit, qui verba legis seruat, sed non sensum, ac mentem; Vt puta, præcipit lex ne filijs familias pecunia numerata mutuo detur, Titius non dat mutuo pecuniam, sed fundum, vel aliam rem, vt filiusfamilias vendat, & pecuniam mutuo accipiat, factum est in fraudem legis. Item, cauet lex, ne vir vxori donet. Titius Maritus donat aliquid Caio, vt ipse postea id donet vxori ipsius Titij, facit in fraudem legis. Item, Titius ratione priuilegij sibi auctoritate Principis concessi, liber est à tributo, & pensione, si res suas vendat, Caius amicus eius res suas vendit, opera, & ministerio Titij. Et ideò tributum, vel pensionem non soluit, perinde ac si res vendita esset Titij: Caius tunc vendit, ac facit in fraudem legis.

His positis difficile est, quod in Regula, & lege prædictis præscribitur, scilicet ea, quæ contra legem fiunt, nullius esse momenti: quare plurimum negotij facessit huiusmodi Regula tum Canonici, tum Ciuilis iuris Doctoribus, qui eam ob id variè interpretantur. Quidam aiunt, eam solùm locum habere, quando lex aliquid in

perpe-

perpetuum prohibet, non ad tempus. Verbi gratia, præcipit lex, Ne matrimoniũ inter certa personarum consanguinearũ, vel affiniũ genera contrahatur: Lex in perpetuũ id prohibet, ac proinde contractum irritum est, & inane, prohibet tamẽ quo minùs celebrentur nuptiæ certis tẽporibus, aut quo minùs fiant rerum venditiones festis diebus. Si contra fiat, factũ vim habet: quia lex ad id tempus tantum prohibet. Verùm alij aliter exponunt; sed reuera probabilius est, quod quidam existimant, id, quod fit contra legem, nullius esse momenti, nisi quando ex alia lege, iure, ratione ve certa & manifesta constat illud ratum esse, & firmum. Vnde quæ Glossæ prædictæ obiecerunt, facilè hac ratione soluuntur: quoniam ex alijs legibus, aut certè ratione manifesta patet, ea quę sunt obiecta, & facta contra leges aliunde subsistere. Sic etiam rata sunt multa, quæ per metum sunt facta; cum tamen leges, Canones, & iura caueant, ne quid per metum fiat.

Caput XVII.

De Consuetudine, quæ vim legis habere dicitur.

PRimò de consuetudine pauca Theologi: at Summistæ verbo, *consuetudo*, multa, & iuris Canonici consulti *tit. de consuetudine*, & iuris Ciuilis periti, *l. de quibus. ff. de legib.* Rochus Curtius tractatũ edidit de consuetudine super caput vltimũ de consuetudine. Quæritur, quid sit cõsuetudo? Certò constat esse ius moribus vtentiũ inductum, & approbatũ, quod pro lege habetur, vbi lex desideratur, ac deficit, *c. Consuetudo, dist. 1.* cõsuetudo dicitur ius non scriptũ. Vnde *in l. de quibus, ff. de legib.* statuitur, de quibus causis scriptis legibus nõ vti. mur, id custodiri oportet, quod moribus, & consuetudine inductum est, & *l. diuturna, ff. eod. tit.* habetur, *diuturna consuetudo pro iure, & lege in ijs, quæ nõ ex scripto desciscuntur, obseruari solet.*

Secundò Quæritur, Quotuplex est cõsuetudo? Respondet Abb. *in c. vlt. de consuetud. n. 20.* cũ cõmuni consensu, triplicem esse, aut contra legem, aut præter legem, aut secundũ legem: Sic etiam Bart. *in l. de quibus, ff. de legibus.* de quibus est nobis singulatim in præsentia differendum.

Tertiò Quæritur, An consuetudo vim aliquam habeat contra legem naturalem? Communis est omnium vtriusque iuris interpretum, & Theologorum sententia, nullam habere vim, *cap. vlt. de consuetud. & ibi Doctores, & Glossa, S. Thomas 1. 2. q. 97. a. 3. ad. 1.* quoniam quod lex naturæ iubet, aut vetat, est per se bonum, aut per se malum, ergò hominum vsu, & consuetudine tolli, aut abrogari, non potest. Quare consuetudo contra legem naturalem inducta vocatur in iure Ciuili, consuetudo contra bonos mores, abusus, & in iure Canonico, corruptela.

At enim contra hoc, quod diximus, aliqua possunt obijci. *Primum*: Contra legem naturalem est, si quis habeat plura beneficia Ecclesiastica; & tamen multis in locis est consuetudine receptum, vt vnus multa possideat. Respondeo, inter Auctores non satis de hoc conuenire, alijs asserentibus esse contra ius naturale; vt simul quis habeat plura Beneficia, quando vnum sufficit ad conuenientia eius alimenta, ex quibus honestè, & commodè sustentetur: contra alijs dicentibus, id solùm esse contra ius Canonicum, quando Beneficia simplicia sunt absque vlla animarum cura. Mihi prima sententia magis probatur, & quicquid dicant Innoc. *in cap. vlt. de cleri. non resi. & in ca. cum iam dudum, de præb.* & Glossa *in cap. gratia, de rescript. in 6.* & Cardin. *in cap. cum iam dudum.* verior apparet opinio Panorm. *in c. extirpandæ. §. qui verò num. 35. de præb.* consuetudine quidem induci posse, vt auctoritate Episcopi ius commune relaxantis ex causa aliqua iusta, quis simul habere possit plura beneficia simplicia, etiam quando vnum eorum sufficit ad beneficiarium commodè sustentandum; at verò nequit cõsuetudine introduci, vt habeat quis plura beneficia huiusmodi absque vlla auctoritate legitima, qua superior, videlicet Episcopus ius ipsum relaxet, quia ius naturale prohibet, quominus aliquis simul habeat plura beneficia, quando vnum sufficit ad commodè clericum sustentandum: sed cõsuetudo contra ius naturale corruptela est, & in præscriptionem venire non potest. Item, ius naturale prohibet, quominus quis simul habeat plura beneficia sine causa iusta, at nihilominus ex causa iusta habere potest, vt dicam inferius.

Deinde obijcitur; Iuris naturalis est, vt Beneficium propter officium conferatur, vt aperte dicitur *in cap. vlt. de Rescriptis, in 6.* & proindè sicut omne Beneficium requirit officium clerici, sic etiam eius assiduam in Ecclesia præsentiam, & tamen alicubi est more introductum, vt quis habeat in certa Ecclesia Beneficium, nec tamẽ ipse in ea commoretur, ac resideat assiduè. Item, sunt alij Clerici Beneficiarij, qui in Ecclesijs, quibus sunt destinati, nec commorari, & residere, nec vllum alium substituere in sui locum, iure coguntur. In Hispania enim sunt multa beneficia, quæ dicuntur Præstimonia, vel Præstimoniales portiones, quæ libera penitus sunt ab omni iure, & præcepto residendi, aut clericum aliũ sufficiendi, & supponendi. Respondeo: quicquid sit de Beneficijs cura animarum obstrictis, Beneficia simplicia iure tantùm Canonico, non diuino, aut naturali residendi legem, & præceptum imponunt: proinde vsu introduci potuit, vt quis Beneficium simplex habeat sine vllo iure, & præcepto residendi, vel sibi alium clericum surrogandi, de qua re proprio in loco fusiùs disputabo: & consuetudine introduci potest, vt simplicia beneficia habẽtes tutò redditus, & fructũ percipiant, etiã absentes, vt docet ex Glossa, & alijs Couarru. *lib. var. resolut. 3. cap. 13. nu. 9.* Tertiò obijcitur: Vsuræ sunt naturali iuræ damnatæ, & tamen alicubi locorum more, vsuque receptum est, vt Iudæi vsuras sibi promissas in foro iudiciali exigant, & ij, qui promiserunt, sententia iudicis cogantur eas soluere: nec deinde datur ipsis actio, si solutas repetant. Item, apud nonnullas gentes Christiani etiam nominis, consuetũ est, imò, & Principum legibus constitutũ, ne Iudæi exigant vsuras vltra certã pecuniæ quantitatem: Respõdeo; Quicquid Silu. *vsura. 9. q. 22.* & Ang. *vsura. 2. q. 14.* Pila. *vsura. 4. §. 3.* & Armi. *vsura. v. 54.* & quidã alij tradiderint, eiusmodi cõsuetudines nequaquã

cum naturali iure pugnare : non enim illæ approbant vsuras, sed impunè permittunt: permittere autem impunè aliqua flagitia, quo sic plura alia grauiora, & deteriora deuitentur, non est per se malum. Non igitur ea consuetudo est contra legem naturæ prohibentem vsuras, dummodò vtentium moribus, vel legibus Principum caueatur, ne Iudæi vltra certam pecuniæ quantitatem eas petant; hoc enim non est statuere, vt exigant vsuras, sed ne exigant immodicas. Non est item contra ius naturale, Iudæis concedere, vt vsuras sibi promissas in foro iudiciali petant: nec etiam contrarium eidem iuri, legiue naturali est, sententiam ferre, vt vsuræ Iudæis promissæ soluantur, vti dictum est: hoc enim nihil aliud est, nisi sententiam pronuntiare, vt pacta, & conuenta seruentur, in quo peccatum non est. Is præterea, qui promisit vsuras, & deinde soluit promissas, nec in promittendo peccat, nec in soluendo. Nam, vt constat *ex cap. Debitores, de iureiurando*, licet Ecclesia non cogat solui vsuras similiter promissas, compellit tamen ad soluendum iuratas : ergò non est peccatum iure naturali damnatum, si in foro iudiciali vsuras simpliciter promissas aliquis soluere iubeatur, licet iure Canonico *in Clementina, Ex graui, de vsuris*, id interdictum esse videatur: iuri tamen Canonico potest consuetudo recepta derogare. Quare vbi ius canonicum moribus vtentium receptum est, in excommunicationem incidũt Magistratus, Iudices, & Principes statuta condentes, vel dictantes, vel ministri scribentes ea statuta, quibus decernitur, vt vsuræ soluantur, aut ne repetantur solutæ, aut ne restituantur, de qua re proprio in loco dicemus. Quartò obijci posset; nã sicut iure Ciuili introductæ sunt leges vsucapionis, & tamen sunt iuri naturali contrariæ, sic etiam vsu induci poterit vsucapio. Item, quemadmodum iure Ciuili innocens, qui deprehenditur secundum allegata, & probata in iudicio reus, capitis damnatur, quod videtur iuri naturali refragari; sic etiam idem iuris, poterit consuetudo introducere, & confirmare. Ad hęc tamen plaiùs in proprio loco respondebo: in præsentia sit satis, dixisse, nihil in hac parte ius ciuile, & scriptum contra naturæ leges statuisse : non potest igitur per consuetudinem iure fieri, quod cum naturali iure pugnat. Verbi gratia, vt quis plures simul vxores habeat: vt vxorem repudiet: vt filijs alimenta deneget vitæ simpliciter necessaria : vt ex mutuo lucrum acquirat: vt inimicum odio habeat, vt priuata auctoritate se vlciscatur, & vindicet: sed dubitari potest, an valeant statuta, vel cõsuetudinus, quibus permittitur cõsanguineis, vt consanguineorum iniuriam, & necem vindicent. Item vt publicè à Principe, vel Republica proscriptus, occidi possit impunè. Item, vt homicida pœna tantùm pecuniaria mulctetur: in proprijs locis explicabo. Couarruuias *de matrim. par. 2. cap. 6. §. 9. nu. 4. de reg. peccatum p. 2. §. 11. nu. 3.* nõ probat Iurisconsultorum sententiam, dicentium ius naturale non ex toto, sed ex parte posse mutari, de quo dicam inferiùs.

Secundò quæritur, An consuetudo vim habeat contra ius Diuinum? Constãs est opinio omnium Theologorum, non habere : quoniam ius diuinũ est à Deo constitutum, quod ipse præcipit, vt seruetur : ergo sicut non potest humana lege tolli, sic nec consuetudine, quæ vim suam ex moribus vtentium sortitur, & obtinet. Sic Doctores, & Glossa *in cap. vlt. de consuet. S. Thomas 1.2. q. 97. art. 3. ad. 1.* Quare hæc quoq; consuetudo cõtra ius diuinũ inducta meritò dicitur Corruptela, & contra bonos mores, & abusus. Animaduertendum est, plerosque Canonici, & Ciuilis iuris interpretes docere, ius diuinum posse iustis de causis augeri, restringi, cõtrahi, minui, & ex parte mutari, distingui consuetudine, & constitutione humana. Sic Innoc. Hostiensis, Ioan. Andr. Abbas, Felinus *in c. vlt. de consuet.* Sic quoque Cynus & hic est communis consensus inter iuris Ciuilis Doctores, *in l. manumissione, ff. de iust. & iure, & l. 2. C. de seruit.* Sed hoc ideo docent isti auctores, quia latius ius Diuinum accipiunt, quàm Theologi, vt in alio loco trademus, verbis enim tãtummodo, non re à Theologis dissident.

His quædam possent opponi. Primò : Iuris Diuini est, vt ij, qui sunt excommunicatione affecti, à consortio fidelium, & piorum hominum, Sacramentorum communione arceantur, iuxta illud Christi Domini ; *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* At verò cõsuetudine, vel potius constitutione Ecclesiastica est receptum, vti tantùm duo genera excommunicatorum deuitemus, Notorios videlicet Clericorum percussores, & Nominatim denunciatos. Respondeo, in excommunicatione aliquid esse iuris Diuini, aliquid tantùm iuris Canonici. Iuris Diuini est, vt dum quis excommunicationis vinculo tenetur, à diuinis, & sacris ministerijs, & Sacramentis excluſus, remotusque sit: & contra hoc nullam vim habet consuetudo, vel lex humana : & hoc sensu Christus dixit; *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*: ethnici enim, & publicani à diuinis, & sacris duntaxat arcebantur : Iuris verò Canonici est, vt eorum, qui sunt sententia excommunicationis obstricti, consortium deuitemus, & proinde hoc potest, vel lege Ecclesiastica, vel consuetudine abrogari. Deinde, opponitur illud ex Deuteron. cap. 17. *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*: ergo iure Diuino sufficiunt in causis duo aut tres testes : & tamen alicubi est in more positum, vt in multis quæstionibus, & controuersijs non satis sit numerus, nisi nouem, octo, septemve testium. Respondeo, Iuris Diuini latè, & fusè sumpti multa esse, quæ tamen non sunt iuris diuini prestiùs, & strictiùs accepti. Iuris Diuini esse dicuntur, quæcunque in Sacris literis ad cæremonias, & administrationem rei publicæ pertinentia continentur, quæ modo iuris Diuini non sunt: ergo in lege veteri ad tẽpus, non in perpetuum præcepit Deus, vt sufficeret in causis, & controuersijs dirimendis, triũ vel duorum testium numerus : post Christum id potuit, vel lege humana, vel vsu, vel more aboleri. Tertiò objicitur, Iuris Diuini est, vt quis Eucharistiam suscipiat extremo vitæ suæ tempore; & tamẽ apud Gallos, & Hispanos in more positum fuisse fertur, ne damnatis ad mortem ob delictum atrox, & immane, cuius pœna diutius differri cõmodè nequiret, Eucharistia præberetur. Respondeo, talem consuetudinẽ à quibusdã reprehendi

tanquam

tanquam iuri Diuino contrariam, sed non est cur facilè condemnetur. Sunt enim duæ Theologorum sententiæ, vna affirmat iure Diuino quemque debere sumere Eucharistiam vltimo vitæ tempore; negat altera id iuris Diuini esse, sed Ecclesiastici; & proinde consuetudine introduci posse, ne quis eo tempore Eucharistiam suscipiat, præsertim in ijs Prouincijs, & locis, in quibus seuerius delicta puniuntur. Sed tametsi dicamus id iuris esse diuini, vt probabilior est opinio id asserentium, potest iustis de causis ea iuris obligatio aliquando desinere, vt in proprio loco fusè dicemus: in præsentia sufficit dicere, de hac consuetudine aliquid tractasse Nauarrum *de pœnit. & remissio. Consil. 16.* & Sotum, *4. d. 12. quæst. 1. art. 12.* Quartò objicitur id, quod Actorum 15. refertur; nam in Apostolorum Concilio Hierosolymis coacto clarè dicitur: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria; vt abstineatis vos, ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione:* & tamen consuetudine est introductus vsus sanguinis, & suffocati. Respondeo, nunc non esse iuris Diuini, ne sanguis, & suffocatum edantur; fuisse tamē Diuinum Veteris legis præceptum, quod quia ad legem veterem iudicialem pertinebat, per legem nouam est penitus abrogatum. Apostoli verò ea potestate, qua fuere Ecclesiarum Antistites & rectores, legem tulerunt, qua ad tempus, teste Augustino *lib. 32. c. 13. contra Faustum*, esus suffocati animalis, & sanguinis interdiceretur, vt Gētes faciliùs, & commodiùs tunc temporis conuenirent, ex quibus vnum Ecclesiæ corpus constaret, ac deindè elapsu temporis paulatim eiusmodi præceptū Ecclesiasticum sublatum est, præsertim in Occidente: nam in Oriente diutiùs retentum esse legimus. Durauit in Occidente per aliquot annos, *vt constat ex Concil. Aurelian. 2. can. 20. & Concil. Vormatiens. can. 65. & ex Pœnitentiario Theodori, Bedæ, & Rabani.*

Et certè nihil refert, an in eo Actorum loco, quem retulimus, quatuor præcepta, an tria duntaxat contineri dicamus: nam eius scripturæ duæ olim fuerunt apud Patres lectiones. Irenæ. *lib. 3. cap. 12.* Cyprianus, *aduersus Iudæos, ad Quirinum lib. 3. cap. 119.* Tertullianus *lib. de Pudici. cap. 12. & in Apologetic. cap. 9.* Pacianus in Paræneſi ad pœnitentiam, Gaudentius Episcopus Brixianus *tract. de Machab.* & Hieronym. *in Ezechiel. cap. 44. solùm legunt ab immolatis simulachrorum, sanguine, & fornicatione:* ita vt tria tantùm præcepta data esse ab Apostolis, significent; primùm de idololatria, secundum de cæde hominum, tertium de omni impudicitia deuitanda. Et Ambros. ad Galat. 2. ait; *tria hæc mandata ab Apostolis, & Senioribus data reperiuntur, quæ ignorant leges Romanæ, id est, vt seruent se ab idololatria, & sanguine, sicut Noe, & fornicatione. Quæ Sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen à sanguine abstinendum, adulterarunt scripturam, quarum mandatum addentes, & à suffocato abstinendum, quod puto nunc Dei nutu intellectum sunt, quia iam suprà dictum erat, quod addiderunt.* Augustinus *lib. 32. contra Faustum cap. 13.* legit, *ab immolatis, sanguine, & fornicatione:* in speculo ex lib. Act. Apostolor. legi: *ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Et huius lectionis sensus potest esse duplex, aut enim appellatione sanguinis possumus intelligere cædem hominis, aut esum sanguinis, & nomine suffocati intelligitur animal, quod moritur antequam eius sanguis effundatur: at omnes codices Græci, & Latini consentiunt, & habent, *à suffocato, & sanguine.* certè *Genes. 9. Leuit. 17. & Deuteron. 12.* ex quibus locis hæc desumpta sunt, videtur solùm vnum præceptum constitui, quo prohibentur Hebræi esu animalis ante sanguinem effusum extincti. Nam in Genesi dicitur: *Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis:* & in Leuitico, (*Anima carnis in sanguine est*) quasi dicat, Vita, aut spiritus vitalis animalium est in sanguine, hoc est, sanguine nutritur, & conseruatur. Nec ratione efficaci cogimur dicere, illud, *à suffocato* esse additum à Græcis, non positum ab Apostolis. Vnde dicere possumus, in eo, quod dictum est in Concilio Apostolorum à sanguine, & suffocato, tantùm vnum præceptum dari. Nam particula, &, in sacris literis, Hebræorum more plerumque sumitur pro particula, *id est*, explicante quod præcessit, vt sententia sit, *à sanguine, id est, ab esu animalis suffocati.* Quintò objicitur, quod habetur, *cap. Parochianos, & cap. tua 1. & 2. de decimis, & cap. reuertimini 16. quæst. 1.* in quibus locis planè dicitur, decimam fructuum partem iure diuino deberi, & id in his capitibus apertè docent Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Archidiaconus, Ancharanus, Abbas, Butrius, Francus, & Glossa; & tamen alicubi locorum, decima de more non soluitur. Respondeo, in vetere Hebræorum populo decimam diuino præcepto Iudæos soluere consueuisse: ac licet iuris naturalis sit, vt ministris Ecclesiæ stipendia iusta, & debita reddantur, quibus possint conuenienter ali, atque sustentari; iuris tamen naturalis non est, sed tantummodo Ecclesiastici, vt certa, & definita pars fructuum, nimirum decima persoluatur, quod docuerunt S. Thom. *2. 2. q. 87. ar. 1.* & Henri. *quodl. 4. q. 28.* & Sot. *lib. de iust. 9. q. 4. ar. 1.* Quare licet consuetudine effici non possit, quin debita ministris Ecclesiæ alimenta præbeantur, nisi ipsi de suo iure cedant: at verò vsu introduci potest, ne decima fructuum portio reddatur: cum aliundè ministri Ecclesiæ commodè sustentātur, vt alio in loco tractabo. Nam quanquam Innoc. Hostien. Archidia. Ioan. Andr. Ancha. Abbas, Frācus, Butrius, & Glossa, Theologos in hac parte reprehendunt, quod sentiant decimam fructuū partem non diuino, sed canonico iure deberi, sufficit tamen contra eos vnius S. Thomæ pro Theologis auctoritas, vt in proprio loco docebo.

Gen. 9. Leuit. 17.

Tertiò Quæritur, Quam vim habeat consuetudo, vt loco constitutionis humanæ, & scriptæ legis habeatur? Respondeo, quadruplicem habere vim interpretandi legem scriptam: nam Consuetudo, vti dicitur *in l. Si de interpretatione. ff. de legibus, & in cap. Cum dilectus, de consuetudine*, est optima legum interpres. Secundò, habet vim corroborandi, & confirmandi legem: quod enim lex imperat, consuetudo pariter aliquando munit, atque corroborat. Et hæc vtraque consuetudo dicitur secundum legem. Tertiò, habet vim introducendi legem, vbi lex nō est: & tunc huiusmodi cōsuetudo dicitur esse prēter legē, & ius, nō contra. Quartò, habet consuetudo vim corrigēdi

legem.

legem, & abrogandi, derogandique auctoritatem eius, id est, in totum abolēdi, vel ex parte tollendi legem vsu receptam, & hæc dicitur esse cōtra legem.

Quintò Quæritur, An consuetudo contra ius gentium inducta valeat? Respondeo, cum Rocho *in tract. de const. in folio paruo. 46. columna 3.* non valere; quoniam ius gentium est naturale. Vndè non habet vim, & auctoritatem consuetudo, quæ alicubi est, ne pretium soluatur ijs, qui prunantur vinea, vel agro suo, vel domo, vt via publica fiat, vel muniatur, vel reficiatur, vel renouetur. Sic Rochus, Quanquam Glossa *in l. si locus, ff. quemadmodum seruitu. amit.* videtur consuetudinem prædictam approbare. Item, consuetudo, qua principes ciuibus suis pecunias auferunt, vt bellum gerant, quamuis alioqui iustum, vel ob aliquam publicam causam, & eas nunquam restituunt, corruptela est: *Rochus loco citato.* Valet tamen consuetudo, qua Respublica, vel Princeps ob publicam causam cogit ciuem vendere rem suam, videlicet domum, vel agrum. Item, qua tempore famis, siue penuriæ, cogit mutuo dare frumentum, vt seminetur. Item, qua vnus cogitur pro alio pecuniarum debitū soluere, vel qua vnus pro alio punitur pecuniaria pœna: *Rochus ibidem.* Secus tamen est de consuetudine, qua vnus punitur pro crimine alterius pœna capitis, ac si fideiussor esset in causa criminali, vt in ciuili.

Quintò Quæritur, An rationabilis debeat esse consuetudo, vt legem vsu receptam possit iure abrogare? Respondeo, cum omnibus Canonici, & Ciuilis iuris Doctoribus, Consuetudinem debere esse rationabilem: nam *in c. Cum tanto, de consuetu.* dicitur, *eam oportere esse rationabilem & legitimè præscriptam.* Sed meritò aliquis quæret, quænam consuetudo dicatur esse rationabilis? Respondet Glossa, *eo capite*, eam esse rationabilem, quam Canones, leges, iura non damnant, & improbant. Sed hanc regulam Abbas *in cap. vlt. de consuetud.* non omninò approbat: quoniam multæ consuetudines receptæ sunt contra canones, leges, & iura. Aliam regulam Glossa constituit: eam consuetudinem esse rationabilem, quæ non est Canonicis institutis inimica, & aduersa. Sed hanc quoque regulam reijcit Abbas, quoniam multæ sunt consuetudines contra Canones introductæ. Tertiam regulam addit Glossa, eam esse rationabilem, quæ nerum Ecclesiasticæ disciplinæ non impedit, tollit, aut minuit, nec derogat Ecclesiasticæ libertati. Cæterùm aliquæ sunt consuetudines receptæ contra hanc Glossæ regulam. Has tres Regulas Glossa colligit ex multis iuris Canonici decretis, in quibus apertè pronuntiatur. Nihilominus tamen Abbas, & multi alij Doctores Canonici iuris interpretes *in cap. vlt. de consuet.* respondēt id esse arbitrio Iudicis relinquendum.

Mihi tamen videtur ea consuetudo esse rationabilis, quæ est sine peccato: Quæ verò est contra ius diuinum, vel naturale, vel gentium, ea dicitur esse corruptela. & proindè rationabilis non est. Ea item, quæ est contra legem, vel canonem à tota Republica, vel maiori parte receptum, dicitur esse corruptela, & præter rationē. Alia verò quælibet, non dicitur corruptela, sed potiùs consuetudo rationabilis.

Sextò Quæritur, Quantùm temporis requiratur, vt consuetudo sit contra legem quasi præscripta, vt vocant? Respondeo, *cum Glossa, & Abbate, Felino, Rocho, Siluestro, Nauarro, & alijs doctoribus. Glossa quidem in cap. vlt. de consuet. ver. legitimè Abbate verò eodem cap. num. 11.* quando consuetudo est contra ius canonicum, quadraginta annorum spatium requirit, & postulat: & in hoc casu, quando consuetudo est contra ius canonicum, necessaria est præscriptio, quoniam consuetudo est contra ius. Ergò vt iuri deroget, requiritur præscriptio: ac proindè in hoc casu consuetudo dicitur præscripta *cap. vlt. de consuetud. & cap. non est, de consuetud. in 6. Sic etiam Silu. consuetudo. q. 4. Nauar. de consuet. consi. 1. Rochus in cap. vlt. de consuet. Felinus cap. 1. de treu. & pace. num. 11. & 13.* Si verò consuetudo sit contra ius ciuile, depositi longi temporis spatium. Longum autem tempus in iure ciuili est decennium: & proindè ad hoc, vt consuetudo contra legem ciuilem introducta vim, & auctoritatem habeat, necessarium est, & sufficit decennium: quia decennium in iure ciuili ad præscriptionem, longum tempus censetur *l. vlt. C. de præscript. long. tempor. & ita sensisse Bartholum, & Cynum, ait Abb. loco citato. Sic etiam Silu. consuetudo. q. 4. §. secundo requiritur. Felinus c. 1. de treu. & pace num. 11. & 13.* Quæres, an ad consuetudinem quasi præscriptam contra legem, opus sit, vt ipsa consuetudo introduci cum titulo incipiat? Respōdeo, titulum non requiri, sed quasi titulum, quoniam omnis præscriptio legitima titulum postulat; at consuetudo non titulum, sed quasi titulum requirit, & poscit. Ex quo efficitur, vt à primis, qui contra legem vsu receptam, consuetudinem inducere incipiunt, præscriptionis tēpus computari nequeat: quoniam ij primi contra legem facientes delinquunt: Titulus autem, vel quasi titulus iustus esse non potest, nisi omni culpa, & peccato vacet. Tempus itaque præscriptionis incipit numerari ab ijs, qui sine peccato incipiunt facere contra legem; hi autem sunt, qui primis succedunt. Non enim si primi, legi non obtemperantes peccarunt, consequens est, vt delinquant, qui successerunt: ij enim priorum exemplum secuti, bona fide legem non seruant: sed debent existimare priores peccasse, nisi euidenter constiterit eos legi non obtemperando deliquisse. Et tunc quando tempus præscriptionis contra legem incipit computari, incipit quoque consuetudo esse rationabilis, quia est cum bona fide, & iusta causa, & proinde est etiam consuetudo contra legem sine peccato. *Hæc omnia Silu. consuetudo q. 7. ex Abbate c. 1. de treu. & pace. Sic etiam Felin. eodem cap. 1. de treu. & pace. num. 13. & Rochus ait esse communem sententiam.* Animaduertendum est toto tempore, quo aduersus legem quasi præscribitur, esse ius, & auctoritatem penes Principem, compellendi populum sibi subiectū ad ipsius legis obseruationem, tametsi populus legem non seruans minimè delinquat. Vnde iure potest ministros constituere, qui iustis, ac debitis pœnis in populum cōtra legem facientem animaduertant. At enim quæres, quo iure possit Princeps populares absq; peccato legem non seruantes punire? Respondeo interim, dum consuetudo cōtra legem inducitur,

subest

subest tacita conditio inter Principem, & populum, vt ij, qui contra legem factitant, plecti queant, si deprehendantur: elapso verò legitimæ præscriptionis tempore, Princeps nequit populum punire, quòd legem non seruet, quia per consuetudinem quasi præscriptam, lex est abrogata, licet denuò possit à Principe sanciti. Deinde obijcies, Bellum nequit esse iustum ex vtraque parte: ergo si Populus contra legem faciens tempore, quo contra ipsam quasi præscribitur, non peccat, cum suo iure vtatur, & ex altera parte Princeps iure punit ciues legi non obtemperantes: populus, & Princeps secum iustè pugnant, & sibi inuicem obsistunt? Respondeo, dum contra legem quasi præscribitur, ex parte vim amittere, & ex parte retinere: nam desinit habere vim obligandi, ita vt, qui eam non seruat, non sit culpæ reus: habet tamen vim obligandi, ita vt, qui ei non paret, iure compellatur ad pœnam sustinendam, eo quòd incipiente tempore præscriptionis contra legem, incipit lex ad interitum tendere, & res dum incipiunt interire, incipiũt quoque vim, & firmamentum amittere. Populus itaque contra legem factitans, tametsi non peccet, obijcit tamen se periculo pœnæ lege sancitæ, si deprehendatur: Princeps verò iure punit, quia nondum est cõsuetudo contra legem præscripta, & metu pœnæ potest Populum in officio, & legis obseruatione continere. Quod si post incœptum præscriptionis tempus Populus à perfringenda lege desiterit, ita vt eam iterum seruet, præscriptio ipsa interrumpitur, adeò, vt sit necessarium ad præscriptionem, tempus ipsius iterum incipere, quoniam præscriptio interrupta nullius est momenti.

Septimò Quæritur, An ius ciuile requirat consuetudinem præscriptam, vt vim, & auctoritatem contra legem habeat. Abbas *in cap. vlt. de consuetu.* censet ius canonicum consuetudinem præscriptam requirere, non ius ciuile: & ita docent Petrus, Angelus, Cynum sequuti, quia præscriptio dat ius contra eum, qui dominium habet: sed consuetudo est ius aliquid constituens. At Rochus *in suo tract. de consuet. in c. vlt. de consuet. §. Gloss. fin.* Abbatis sententiam non probat, ait enim ex Bart. & Bald. senten. in iur. ciu. etiam esse necessariam præscriptionem ad cõsuetudinem, vt vim habeat. Sed certè quæstio est nominis, non rei: nam ius ciuile, licet cõsuetudinem nunquam dicat præscriptam, & ius canonicum præscriptam appellet, nihilominus ius ciuile vocat consuetudinem diuturnam, longæuam, tenaciter obseruatam, *constat ex l. diuturna. ex l. sed ea quæ. l. si de interpretatione. l. De quibus. ff. de legib. & in l. vlt. l. 2. & l. i. c. quæ sit longa consuet.* at consuetudo longa eadem est, quę in iure canonico præscripta appellatur, hoc est, cursu temporis inducta, & vim, & auctoritatem habens.

Octauò Quæritur, quotnam sint necessaria, vt consuetudo contra ius siue contra legem recepta, valeat iure præscriptionis? Respondeo, præter ea, quæ paulò ante diximus requiri, vt cõsuetudo ex certa scientia, non per errorem, & ignorantiam inducatur, hoc est, vt qui incipiunt legem negligere, scienter id faciant, non errore, & ignorantia moti, quoniã actus ex quibus consuetudo inducitur, debent esse voluntarij. Voluntarium autem cum errore, & ignorantia esse non potest. *Glossa, & Abbas locis proximè citatis Sila. consuetudo, q. 4. versicu. Quinto requiritur.* Secundò, vt consuetudo inducatur ab ijs, qui sunt iure habiles, & idonei ad introducendum: nec enim pueri, amentes, peregrini, & externi consuetudinem inducere queunt. Item, quãdo lege solùm viri tenentur, fœminæ contra legem factitãres nequeunt consuetudinem inducere. Pari modo, si constitutio solùm Clericos liget, ac teneat, ex actibus laicorũ non trahitur consuetudo, ex quo fit, vt quando res non est iure talis, in quam leges, & iura præscriptionis cadere queant, consuetudo contra legem etiam per mille annos continuata non valeat, quia præscriptio in ea re locum non habet. Explicabo rem. Laici nunquam possunt consuetudinem inducere, qua aliquod ius spirituale siue Ecclesiasticum sibi vendicent, vt docet Abbas cum communi consensu *cap. vlt. de consuetu. nu. 15.* neque enim per vllam consuetudinem etiam longissimam possunt acquirere ius excommunicatione, vel anathemate aliquem feriendi, remouendi ab officio, vel Beneficio, interdicendi sacris, eligendi, creandiue ministros Ecclesiæ, beneficia conferendi, exigendi decimam, vel pensionem ex beneficio Ecclesiastico, absoluendi à censuris, & pœnis Ecclesiasticis. Ita presbyter simplex nequit vlla consuetudine sibi acquirere id, quod est proprium solius ordinis Pontificij; nam non potest consuetudine induci, vt sit ordinarius minister eorum sacramentorum, quæ sunt propria Episcoporum, qualia sunt sacramentum confirmationis, vel ordinis; sicut nec Diaconus potest vsu sibi vendicare ea, quæ sunt propria ordinis sacerdotij. Tertiò requiritur, vt tradidit similiter Glossa. *eod. cap.* & Abbas *ibid. nu. 18.* vt tota communitas, vel maior pars consuetudinem inducat: neque enim potest à sola minori populi parte consuetudo introduci.

Nonò Quæritur, An cõsuetudo, quæ inducitur non contra legẽ vsu receptã, sed præter legẽ, vel canonẽ, debeat esse quasi præscripta, vt vim habeat? Respondeo, *ex Glossa, in c. vlt. de consuet. verb. legitimè. Felin. eo. ca. & iit. & c. 1. de treu. & pace. nu. 12. & 13.* non debere. Plurimũ enim interest, an consuetudo contra legem receptã inducatur, an verò præter legem. Nam quæ contra legem inducitur, eam non abrogat, donec sit legitimo tempore quasi præscripta: at verò quæ præter legem inducitur, quasi præscriptione non indiget: quia lex non est, contra quam sit opus præscriptione, consuetudo enim præter legem inducta ea vocatur, quę moribus vtentium inducitur, vbi lex nulla est, quæ cõtrarium imperet, aut vetet. Quæres, an eiusmodi consuetudo vim legis habere queat, nisi fuerit vtentium moribus approbata. Respondeo, non posse, & proinde debet induci scienter & animo, ac voluntate obligandi; & ab his, qui possunt legem ponere, nimirum à populo, cuius etiam est præter Principem statuta condere. Debet autem cõsuetudo per eos populares induci, qui possunt quippiã statuto decernere: nõ enim potest induci à pueris, amentibus vel externis. Item, debet vel à toto populo, vel à maiori eius parte introduci. Deindè, scisscitabere, quantũ temporis necessariũ

fit, vt consuetudo præter legem inducta vim legis accipiat? Respondeo, quando consuetudo est præter ius siue Ciuile, siue Canonicum, teste Abbate, *c. vlt. de consue. num. 11. ex Glossa. in c. viti. de consue. in 6. & in c. consuetudo. d. 12.* teste etiam Felino *c. supra citato*, requiri, & sufficere decennium, quoniam longum id tempus reputatur: dummodo tamen in eo decennio actus ex quibus consuetudo inducitur, frequenter repetantur, populo id vidente: nã eo ipso, expresse, vel tacitè populus creditur consentire. Si roges, an huiusmodi consuetudo, ex vno tantùm actu gigni possit. Respondeo, cum Syluestro *verbo consuetudo. q. 4.* non posse, quia consuetudo fit ex actibus identidem repetitis: nec dici potest populi consensus adesse in vno, aut duobus actibus tantùm, quoniam fortè per errorem, vel ob causam vitandi alterius mali, populus vnum, aut alterum actum contra ius permittit impunè nisi quando vnus actus, ita continuatur ad longum tempus, vt perinde sit, ac si multi actus toto eo tempore replicarentur. V. G. confertur beneficium regulare clerico sęculari, aut contra, beneficium sæculare clerico regulari, & ab eo annis quadraginta possidetur: consuetudo inducitur, & beneficium sæculare fit regulare, & contra, *c. cum de beneficio. de præb. in 6.* Pari ratione, fit pons publicus, aut molendinum, & durat ad longum tempus: gignitur consuetudo *Syl. loco citato sequutus Abbatem.* Ex dictis colligitur consuetudinẽ optandi præbendas in aliqua Ecclesia decem annorum spatio induci, *vt ait Rochus.* Item consuetudo de oblationibus faciendis inducitur decẽnio. *Abb. c. suam. de simon.* Denique, an & in qua re consuetudo ex vno actu possit induci, *latè tractat Rochus in tract. de consuetu. §. Glossa finalis, in septimo requisito ad consuetudinem.*

Decimò Quæritur, An quãdo lex expressis verbis consuetudinem improbat, & damnat, videatur improbare tantùm præteritam, an etiam futuram? quod est quærere, An per legem, quæ consuetudinem tollit, sublata censeatur præterita tãtùm consuetudo, an etiam futura, hoc est, An consuetudo valeat contra legem expressim ei derogantem, ita vt denuò induci queat: licet fuerit per legem damnata, ac sublata. Hanc quæstionem tractat *Couar. lib. 3. var. resolut. c. 13. num. 3. & 4.* & Rochus Curtius *super c. vlt. de cõsuetudi. in paruo fol. 52. colum. 4.* Duæ sunt opiniones, prima est communi consensu iurisperitorum recepta, quam sequitur Sotus. *lib. 1. de iust. & iure. q. 7. a. 2.* putans eiusmodi lege etiam consuetudinem futuram, & non solùm præteritam tolli: quod probat, quia consuetudo contra legem, vim non habet nisi consensu Principis expresso, vel tacito: sed quando lex expressim tollit, damnat, aut improbat consuetudinem contrariam, vt si dicat, nihil obstante consuetudine contraria, expressus est Principis consensus, ne consuetudo vim habeat. ergo lex non solùm præteritam consuetudinem, sed futuram etiam abrogat. Hoc idem tradiderunt Bartolus, Ioan. Andreas, Antonius Butrius, Ioannes Lignanus, Decius, Felinus, Alexander Imola, Paulus Leazarus citati à Couarru. *lib. 3. variar. resol. c. 13. nu. 3. & 4.* Quod probant, quia lex eiusmodi semper loquitur, *l. Ariani. C. de Hæreti.* ergo semper consuetudinem damnat, vel improbat. Secunda opinio docet, denuo posse consuetudinem induci, quamuis sit per legem semel sublata, & extincta: quia potest ex noua causa verosimiliter non cogitata, aut ex antiqua non cognita, cum lex ferebatur, introduci. *Sic Couarruuias loco citato, qui citat Abbatem, Glossam, Gemianum, vtrumque Cardinalem, Ioannem Imolam, Petrum Ancharanum, Baldum, Romanum, Tasonem, Rocham, approbantes Glossam in Clem. statutum, de elect. verb. consuetudine.* Id dupliciter probant, Primò *ex cap. Si Episcopus, De pœnit. & remiss. in 6.* vbi dicitur nulla consuetudine posse induci, vt quis sine sui superioris consensu eligat sibi confessarium, qui ipsum à peccatis absoluat, & tamen ante Concilium Tridentinum, simplices presbyteri sibi inuicem peccata confitebantur, à quibus absoluebantur. Deinde, verba legis, quibus dicitur: *Non obstante contraria consuetudine*, non habent maiorem vim, quàm ius scriptum: sed contra ius scriptum potest consuetudo introduci, ergo etiamsi ea verba in lege ponantur: *Non obstante consuetudine contraria*, potest lex ipsa abrogari, ita vt consuetudo in posterum contra legem possit induci. Mihi itaque videtur dicendum; si lex consuetudinem damnet tanquam iniquam, malam, vel cum iure diuino, aut cum ratione pugnantem, aut à bonis moribus dissidentem, quamlibet consuetudinem, & præteritam, & futuram damnat: quoniam eam consuetudinem eo ipso, quòd vocat iniquam, & contra bonos mores, insinuat esse contra ius gentiũ, Naturale, vel Diuinum, & propterea, tum præteritam, tum futuram consuetudinem damnat, & abolet. Si verò lex solùm consuetudinem tollat verbis generatim, aut simpliciter propositis, nimirum, *Non obstante contraria, vel quacunque consuetudine*, vel, *Nullo modo contrarium fiat, aut valeat, vel, contrarium sit irritum & inane*; aut speciatim, *nihil obstãte hac, aut illa consuetudine*, ita tunc consuetudo aufertur, & abrogatur, vt possit denuo contra legẽ induci: & hoc est, quod secunda sentẽtia tradidit; quoniam fieri potest, vt quod certo quodam tempore, tanquam malum lege prohibetur, progressu temporis mutatis rerum causis, & euentis desinat esse malum. Item, quãuis lex consuetudinem tollat simpliciter aut improbet, vel dãnet, potest tamen contraria consuetudine antiquari, quoniã cum lex sit tantùm ius scriptũ, potest vsu, & more recepto tolli; licet expresse, & absolutè lege ipsa vetetur, ne contraria cõsuetudo vllius sit momẽti, aut ne constitutio more contrario abrogetur.

Caput XVIII.

Quædam aliæ quæstiones de Consuetudine diluuntur.

PRimò Quæritur, quænam consuetudo dicatur esse secundum legem? Respondeo, eam duobus modis dici, primò, quia legem ipsam interpretatur, & declarat. Secundò, quia ipsam cõfirmat. Consuetudo enim, quando est secundùm legem, binas vires habet, *vt docet ex Bartolo, & Baldo, Abbas, in cap. vlt. de consuet. num. 28.* videlicet legẽ interpretandi, *cap. Cum dilectus, de Consuetudine, & in l. Si de interpretatione, & l. Minimè. ff. de legibus:* & confirmandi legem, *cap. Sopitæ, de censibus, vbi ius consue-*

tudine

tudine dicitur adinuari. Sæpè enim in medium producitur lex, & consuetudo.

Secundo quæritur, An quando consuetudo, & vsus confirmat idem, quod constitutio decernit, abrogata constitutione, sublata quoque consuetudo censeatur? Respondeo, ex Gloss. *in c.1. de consuet. in 6. Abb. in c. vlt. de consue. nu. 21.* quod supra iam dixi, Quandocunque ius cõmune abrogatur, tolli pariter statutum, vel consuetudinem, quæ ius illud commune cõtinebat, & qua ob frequentem vtentium morem confirmabatur; nec est necesse, specialem fieri mentionem statuti, vel consuetudinis: vt supra indicaui.

Tertiò quæritur, An Consuetudo legem præcedẽtem generaliter abroget, an specialiter? Respondeo, *cum Glossa in c.1. de consue. in 6. Abb. in c. vlt. de consue. nu. 24.* si consuetudo generalis sit, hoc est, vbique introducta, tollit generatim legem præcedentem; si verò consuetudo sit specialis, abrogat specialiter eo loco, vbi viget consuetudo.

Quartò quæritur, An quando consuetudo præcedit, per legem sequentem tollatur? hanc quæstionem supra tractaui, ad quam in præsentia breuiter etiam respondeo, Bartol. *in l. de quibus ff. de legibus*, docet, Consuetudinem in vniuersum per legem sequentem aboleri, quod probat *ex lege, Prætor ait ff. de sepulchro. violato*, aitq; Pontificij iuris Doctores contrarium docere *in cap. 1. de Constitutionib. in 6.* Sed verius est, quod tradit Abb. *in c. vlt. de consuet. nu. 24.* cõsuetudinem priorem, si generalis sit, per legem sequentem tolli: non tamen eam aboleri, quæ est specialis, quæq; in certo loco viget, nisi fiat eius specialis mẽtio, hoc enim apertè decernitur *in c. 1. de Constitutionibus in 6.* Vbi etiam ratio redditur, cur speciales consuetudines, & statuta locorum per legem generalem sequentem nõ abrogentur: quia Romanus Pontifex, vel Princeps, speciales locorum consuetudines, & statuta ignorare probabiliter creditur. Vnde meritò deducit Abbas: si ciuitas certi aliquid statuat cõtra suam consuetudinem, & morem, eo ipso, eam consuetudinem tollit, quamuis nihil eius meminerit: ciues enim minimè probabiliter suas consuetudines nescire creduntur.

Quintò quæritur, An in ijs, quæ sponte, & vltro geruntur, consuetudo inducatur vim habens ligandi conscientiam? Respondeo *ex Ange, consuetudo. q. 20. Sylu. consuetudo 24. ex Bartol. Cyno. Inno. Ioan. And. Abbate, & alijs: quos citat Syluester.* minimè: atque hæc est cõstans Canonici, & Ciuilis iuris Doctorũ opinio. Vnde si quis alteri liberaliter quippiã donet, quamuis per multos annos donet, consuetudo non inducitur, qua ei obligetur: vt, si rusticus per decennium par gallinarum obtulit liberaliter Principi quotannis, nunquam Princeps ius acquirit ab eo id exigendi, & potest rusticus, quandocunque voluerit, voluntate mutata Principi nihil offerre. Ita etiam, si diues diu quotannis certam aliquam eleemosynam in vsus Canonicorum, vel Religiosorum certi collegij sponte sua gratis, & liberaliter eroget, potest arbitrariu suo ab ea largienda desistere, nec Canonici, aut Religiosi possunt vi consuetudinis eam eleemosynam postulare. Ex quo deducunt Doctores, si quis frequenter quidem, sponte tamen sua, ac voluntate soleat ire ad certum molendinum, vel ad certam cuiuspiam officinam emendi gratia, eum vi consuetudinis non compelli ad frequentandũ, quamuis eò millies iisset. Vnde cõsiderandum est, quod annotauit Sot. *lib. 1. de iust. q. 7. art. 2.* quandocunque populus, vel ciuitas certa ieiunia suscipere, & seruare solet, aut dies certos religiosè colere, an ea obseruet pietatis studio, & affectu spõtaneo, & voluntario: nam ex eiusmodi obseruatione quamuis sæpius repetita nequaquã vis vlla legis existit, ac surgit: at si ea obseruet animo, & voluntate cõsuetudinem inducendi, tunc vi consuetudinis, tanquam lege populus, ac ciuitas tenentur. Quæres, qua ratione discerni queat consuetudo ab eo, quod sponte, & liberaliter fieri solet? Respondeo, quandocunq; populus, aut ciuitas dies festos vsu, & more colit, & obseruat, si id vsu recepto à maioribus seruet, consuetudo vim legis habens censetur. Idem quoq; iuris est, si ita ex more seruet, vt eius consuetudinis memoria non extet, quãdonàm ea introduci cæperit. Item, si ambiguum sit, cõsuetudine necne res obseruetur, tutius est eligendum; & proindè existimandum est, eam esse consuetudinem legis vim, & rationem habentem. Quando verò certò, aut verosimiliter constiterit, dies festos celebrari; aut ieiunia suscipi, & coli voluntariè, pio duntaxat, & religioso affectu, non est consuetudo pro lege habenda. Ex his omnibus perspicitur, si peregrinus, vel alius è longinquo veniens frequenter hospitio ab aliquo viro, certo in loco excipiatur, eum non acquirere ius, quo sibi hospitium debeatur, quia semper excipitur iure hospitalitatis, & charitatis, & proindè consuetudo vim legis habens nequaquam inducitur. Annotandum tamen est, aliquando cõsuetudine ius acquiri in ijs, quæ sunt liberæ facultatis. Nam *vt docet Abbas, loco citato apud Syluestrum* indigenæ, & incolæ, qui in vno oppido commorantur, consuetudine possunt ius acquirere ligna cædendi, lapides effodiẽdi, animalia pascendi, piscandi, venandi in prædijs, & agris, & fluuio alterius populi, vel ciuitatis, dummodo consuetudo non sit per vim inducta, *vt colligitur ex l. Venditor, §. Si constat. ff. communia prædiorum.*

Sextò quæritur, An quando consuetudo cõtra legem inducitur, vim, & auctoritatem habeat statim post decennium, si sciente Principe, & tolerante inducta sit per decennium: hanc quæstionẽ tractauit Felinus, & postea Rochus, in qua duæ sunt opiniones, prima docet vniuersim omnem consuetudinem contra legem, vel canonẽ venientem valere, si sciẽte Principe, & impune permittente per decennium fuerit introducta: quoniam eo ipso, quo princeps scit, & impune permittit, creditur ius ipsum relaxare. *Sic Antonius. Phili. Corneus, Oldradus, quos citat Rochus in suo tract. de consuetudine, §. Glossa finalis.* Sed Abb. *in c. vlt. de consue.* hanc sententiã improbat, quia nullo iure fulcitur, & quia multa per patientiam tolerantur, in quibus consensus deficit. *c. cum iam dudum ad finem. de prab.* Secũda opinio censet generatim nullam consuetudinem cõtra canonem valere ante quadraginta annorum spatium, & cõtra legem ante decennium, etiam sciente, & patiente Principe, nisi eam expressim approbet, ita vt ius ipsum relaxet. *Sic Abb. Felin. & communis opinio, vt testatur Rochus, de consuet. §. Gloss. fin. in 2. requisit. post quæst. 2. vers. 3. limita.*

Septimò quæritur, An quando cõsuetudo contra canonem, vel legẽ est inducta, valeat, si ignorante principe fuerit introducta: hoc est, an vt vim, & auctoritatem contra ius cõmune habeat, necesse sit, vt sciẽte principe, vel eo, qui ius cõdere potest, inducta sit, Gloss. *in c. vlti. de consue. ver. legitimè*, inter alia, quæ requirit ad consuetudinem, quartum est, vt inducatur sciente principe, vel eo qui potest ius condere, sic etiam alia Gloss. *in c. Frustra. dist.* 8. Oldra. *cons.* 237. Sed oppositum sentit, ac docet Abbas, Antonius, Alex. Barba. Philip. Corneus, quos citat, & sequitur Rochus, *in suo tract. de consue. 9. Glossa finalis. §. quartum requisitum*, & ait, *hanc esse communem sententiam.* Et hæc est vera: quia sufficit generalis principis cõsensus, quo tacitè vult, vt vim habeat consuetudo, si fuerit rationabilis, & legitimè præscripta. Nam *in c. vlt. de consue.* hæc duo necessaria esse dicuntur, & nihil aliud prẽterea: & huic iuri Princeps consentire debet.

Octauò quæritur, An sint aliquæ leges vel canones contra quos consuetudo nõ valeat, nisi sciente, & patiente principe. Duas opiniones inuenio. Vna docet, quatuor esse, in quibus consuetudo induci non potest, ita vt vim habeat, nisi principi nota sit, & ab eo permissa. Primum est, quando consuetudo introducitur in ijs, quæ sacramentalia dicuntur iure communi constituta. Vnde non valet consuetudo ignorante Romano Pontifice, qua secũdis nuptijs benedictio nuptialis adhibetur, etiam si vir ducat puellam virginem. Item, non valet consuetudo nisi Roman. Pontifice sciente, qua puellæ corruptæ, cum religionẽ profitentur, sacrantur. Secundum est, non valet consuetudo nisi sciente Principe quando inducitur in ijs, quæ sunt principi, iure communi reseruata. Tertium, quando inducitur contra ius, quod iubet aliquid, quod est vtilitate publicum. Quartum, quando introducitur contra legem, vel canonem expressim cõsuetudinem improbantem: & hæc est communis opinio doctorum, vt testatur Rochus, *loco supra citato*, vbi in singulis his quatuor, citat multos auctores, tum iuris Canonici, tum ciuilis. Cæterùm altera opinio docet, vniuersim nunquam requiri ad consuetudinem contra legem, vel canonem, scientiam, & patientiam principis, dummodo sit legitimo temporis cursu confirmata: videlicet, contra canonem, quadraginta annorum spatio: contra legem, decennio. Sic Rochus, & sic etiam Couar. *de matr. p. 2. c. 6. §. 10 nu. 19.* & probant, quia *in c. vlt. de consuet.* nihil aliud requiritur, nisi vt cõsuetudo sit rationabilis, & legitimè præscripta, certè valde probabilis est hæc opinio: & magis mihi placet.

Ad argumentum verò contrarium, Respõdeo, consuetudinis vim, & auctoritatem non ex sola populi voluntate proficisci, & pendere, sed ex tacito etiam principis consensu, non quidem eo, quem primę opinionis auctores requirunt, nimirum vt consuetudinem contra legem princeps sciat, ac toleret, sed eo, qui semper adest in tacita conditione, qua leges feruntur ad populum, & promulgantur. Lex enim ea conditione fertur, vt si vsu recipiatur, vim habeat, & omnium conscientias obstringat, sin minus, neminem teneat: Similiter, cum lex est vsu recepta, adhuc tacita conditione pendet, vt nisi contraria consuetudine abrogetur, vim suam retineat; sin minus, amittat.

Nonò quæritur, An vt consuetudo præter legẽ introducatur, necessaria sit scientia principis? quòd est quærere, An ignorante principe, inducì queat consuetudo præter legem: Ratio quæstionis est, quia lex non potest constitui sola voluntate populi principi subiecti, ergo nec consuetudo, quæ vim legis habet, à solo populo absque tacito principis consensu, qui eius requirit scientiam, introduci potest. Hoc argumento permoti alij quidam senserunt, ad huiusmodi consuetudinem requiri principis scientiam. Sed existimo dicendum, non requiri, vt princeps sciat, ac toleret consuetudinem, quoniam principe prorsus ignorante potest consuetudo, quæ est præter legem gigni, & confirmari; nam iuris communis, & Ciuilis, & Canonici est, vt consuetudo præter ius in rempublicam inuecta vim legis acquirat. nec alicubi est iure decretum ad id necessariam esse scientiam, & patientiam principis. Ad obiectionem verò supra positam respondeo, populum, licet suam potestatem in principem transtulerit, posse tamen aliqua sine principe statuta condere, non quidem contra ius commune, vel legem principis, sed præter ius, & legem communem: & pari modo potest leges, & consuetudines inducere, quæ si sint contra ius commune, aut legem principis, eum tacitum consensum requirunt, quem quæstione præcedenti explicauimus. Si verò præter ius, & legem communem sint, nullum alium principis postulant consensum, nisi quod iure ipso, tum Ciuili, tum Canonico introduci queunt: & cursu temporis legitimo confirmatæ, siue ignorante, siue sciente principe, vim, & auctoritatem habent.

Decimò, An statutum vel Canon constituens ipso iure, vel facto pœnam excommunicationis, vel suspensionis in eos, qui non paruerint, consuetudine abrogari queat? Quidam, vt testantur Syluest. *verbo. consuetudo. q. 1.* & Angel. *eo. verbo. q. 10.* senserunt tolli non posse. Sed verius est, quod Abbas, Antonius, Innocentius *in cap. 1. de treguæ, & pace, &* Cardina. *in prolo. Clem.* Ange. & Syluest. tradiderunt; etiam abrogari posse; Canonem quidem, spatio quadraginta annorum: statutum verò, decennio. Ex quo fit, vt consuetudine præscripta contra facientes, nec Canonem, nec statutum violent; nec vllam pœnam incurrant: ij verò, qui ante quàm sit præscripta consuetudo, ius non seruant, sicut peccant, nisi bona fide aliunde excusentur, sic pœnam excõmunicationis, vel suspensionis contrahunt, eo quòd sit ipso iure lata, & constituta in eos, qui non obtemperant iuri. Sed dubiæ quæstionis est, an pœna huiusmodi excommunicationis, vel suspensionis ipso iure lata, consuetudine tolli queat, canone ipso, vel statuto non sublato per consuetudinem, sed adhuc suam vim, & auctoritatem retinente. Sunt tres opiniones: Prima docet, quandocunq; lex ipso facto, vel iure, pœnam cõstituit, consuetudine contraria minimè tolli potest: quando verò lex pœnam continet, non ipso facto vel iure latam, sed à Iudice ferendam, contraria consuetudine aboleri potest, sic quidam, vt refert Ioan. Andr. *in ca. 1. de Treuga, & Pace*, Quod probant ex eo, quòd pœ-

na legis

na legis ipso facto, vel iure constituta contrahitur, statim atque lex violatur: ergo si lex abrogata non sit, & pœnam contineat ipso facto latam, consequens est, vt qui legem non seruat, eo ipso pœnam incurrat. Secúda opinio distinguit: *Si lex* (inquit) *lata sit in bonum priuatorum, pœna non contrahitur, etiamsi ipso facto, vel iure sit lata; si verò lex condita sit in honorem, & cultum Dei, vel in communem Reipublicæ salutem, pœna debetur, si ipso facto, vel iure sit constituta: non tamen si est à Iudice inferenda.* Sic Anton. *cap. 1. de Treug. & Pace*, quia lex lata in bonum priuatorum sicut tolli potest pacto, & renunciatione, vt doctores aiunt *in l. de quibus ff. de legi.* sic etiam potest consuetudine abrogari. Tertia opinio, absolutè, & simpliciter docet vsu, & more posse pœnam tolli, quamuis lex ipsa, quæ eam pœnam imponit, non sit per consuetudinem abrogata, ita vt consuetudo tunc contra pœnam vim habeat, contra legem non item. Ita Gloss. *in c. cum multæ. 15. q. 8.* Abb. Ioann. Andr. Innocent. Host. *in c. 1. de Treug. & Pace*, Syluest. *consuetudo. q. 7. & q. 11.* Angel. *eo. verb. nu. 10.* Hæc opinio est vera: quoniam sicut lex cõsuetudine abrogatur, sic etiã pœna legis potest consuetudine auferri nõ sublata lege: potuit itidem lex recipi, non recepta pœna. Ergo potest pœna tolli lege ipsa non abrogata. Probat Glossa: quoniam lege Canonica constitutum est, vt filij Presbyterorũ ex sacrilegio procreati ipso facto sint Ecclesiæ serui, cui eorũ pater inseruit: & tamen quia Ecclesia non sic punire consueuit, ea pœna filij Presbyterorum minimè afficiuntur. Ex quo fit, vt si Episcopus constitutionem sanxerit, ne fœminæ certo quodam vestitûs genere vtantur, alioqui ipso facto excommunicationis vinculo teneantur, eiusmodi pœnam non contrahant fœminæ contra facientes, si non sit vsu recepta, aut si contraria consuetudine sublata sit constitutio. Sed est secundũ aliquos animaduertendum: quandocunque canon, vel statutum præcipit aliquid, quod non erat alioqui vllo iure imperatum, aut prohibet, quod non erat alio iure communi interdictum, & ipso facto, in eos qui non obtemperant, pœnam excommunicationis cõstituit, pœna contrahitur, quamdiu canon, vel statutum vim obligandi habet, & non seruatur; & hoc probat argumentum eorum, qui primam sententiam sequuntur, quoniam eo ipso, quod constitutio violatur, pœna contrahitur, ac si constitutio per consuetudinem fuerit abrogata, nullam pœnam incurrunt, qui contra faciunt: eo quod constitutio vim, & auctoritatem amittit, si tamen sint aliæ pœnę, quales sunt bonorum iactura, libertatis amissio, non contrahuntur ipso facto, nisi exigantur, quando vsu receptum est, vt etiam si constitutio vigeat, pœnæ similes non debeantur, nisi petantur. Cæterùm alij generatim sentiunt, pœnam, quæcunque sit illa, etiam excommunicationem aliquando per cõsuetudinem tolli, lege vel canone nõ abrogato, quoniam sicut initio potest lex, vel canon vsu recipi, non recepta pœna, sic potest pœna per consuetudinem contrariam tolli, non sublata lege. Quæres, quid dicendum, si constitutio ipso facto, vel iure excommunicationis pœnæ subijciat eos, qui eam nõ seruant, cum tamen lex lata sit de ijs, quæ alioqui iure Diuino, vel naturali sunt constituta, vtpotè si lex pœna excommunicationis afficiat ipso facto fures, vel sacrilegos, vel adulteros, an fures incidant in eiusmodi pœnam? Quæstionem mouet ratio à peccato sumpta: nam fures, adulteri, vel sacrilegi delinquunt, eo quòd consuetudo ius Diuinum vel naturale non abrogat, ergo, eo ipso, pœnam excommunicationis incurrunt, siquidem eam, ipso facto, irrogat constitutio. Respondeo: sicut lege humana manente, potest pœna, quæ non sit excommunicatio, consuetudine abrogari; ita etiam pœna excommunicationis potest vsu, & more tolli, lege naturali, vel Diuina non sublata. constitutio enim, quæ irrogata pœna excommunicationis furtum, sacrilegium, vel adulterium prohibet, potest permanere, vt est diuini, vel naturalis iuris, non tamen, vt est humani: ac proindè potest more, & vsu esse receptum, ne excommunicationi fures, sacrilegos, vel adulteros subijciat: quamuis consuetudo nihil impediat, quo minus furtum, adulterium, & sacrilegium sint diuino, vel naturali iure damnata. Et cum obijcitur: peccant fures, ergo in excommunicationem incurrunt. Respondeo, eos quidem peccare, ius naturale, vel diuinum perfringendo; non tamen consequitur, vt excommunicationem contrahant, quam consuetudo sustulit, quia etiam ipsa constitutio, vt est humani iuris, per consuetudinem sublata censetur, eo ipso, quo excommunicatione non afficiuntur, qui contra faciunt. Ex his omnibus planè liquet, quid sit dicendum de ea constitutione à Paulo Secundo edita, quæ incipit, *Ambitiosæ, inter communes. de reb. Eccles. non alien.* qua statutum est, ne res Ecclesiasticæ, vel fructus beneficiorum Ecclesiasticorum vltra triennium locentur, nisi in casibus iure concessis: alioqui grauissimæ pœnæ, & censuræ irrogantur ijs, qui contra fecerint: de qua Pontificia lege variè auctores scripsêre. Breuiter tamen dicendum arbitror, eam constitutionem non esse vbique vsu receptam; alicubi verò receptam quidem, sed ex aliqua parte duntaxat. In ea decernitur, ne vltra triennium locatio fiat: eiusmodi triennium alicubi vsus interpretatur, vt quando res talis est, vt non soleat singulis annis fructus reddere, sed secundo quoque anno, appellatione Triennij, intelligatur iex annorum spatium. Et quando res non nisi tertio quoque anno fructum facere solet, nomine Triennij accipiatur nouem annorum tempus. Porrò sic consuetudo eam constitutionem interpretatur, quia mens Pontificia videtur fuisse, vt conductor frui tribus annis fructibus commodè queat. Item, eandem constitutionem vsus declarat, nequaquam intelligi de domibus, quas Ecclesiæ, vel Beneficiarij possident iure sui Beneficij, sed de prædijs, agris, & alijs possessionibus. Patet etiam, quid dicendum sit de alia constitutione Pontificia, quæ incipit, Periculoso, de statu Regularium *in 6.* vbi præcipitur vt sacratę Deo fœminæ clausuram seruent: quæ constitutio, quia non erat vsu recepta, renouata est in Concil. Tridentino *sess. 25. cap. 5.* & à Pio Quinto in alia constitutione edita, cuius initium est: *Cura pastoralis*, & à Gregorio XIII. in ea, quæ incipit: *Deo sacris*: & tamen multis in locis sanctimoniales clausuram non seruant, prætexentes, eiusmodi constitutio-

nes non esse more, & vsu receptas. De qua re suo loco dicemus.

Vndecimò quæritur, Quis possit consuetudinem introducere? Respõdeo, eos, qui possunt statuta condere: vnde pueri, amentes, & alij similes nequeunt consuetudinem inducere: nec fœminæ in ijs, quę sunt virorum. Nonnunquam tamẽ possunt consuetudinem introducere, etiam qui ne queunt statuta condere. Nam clerici cõtra canones possunt consuetudinem inducere, cum tamen nequeant statuta componere, vt dicam inferiùs. Sed dubiæ est quæstionis, quare clericorum consuetudines contra canones valeant, & non statuta, cum laicorum statuta vim etiã habere soleant contra leges suorum principum. Abbas. *c. vltim. de consuetudine*, respondẽt, quia leges ciuiles constitutæ sunt ob bonum cõmune, vel priuatum ciuium, & ideo principes voluerunt, vt possint ciues statuta condere contra leges, quoniam iure suo, & commodo cedere queunt; at canones sunt instituti ad cultum, & honorem Dei, ad peccatum vitandum, ad conscientias hominum, & mentes dirigendas, quo iure clerici cedere nequeunt, & si contra canones statuta componant, censentur temerarij, & ambitiosa, vt Felin. *in c. super his, de maio. & obe.* & Alexand. *in c. Frustr. d. 8.* hanc rationem improbant: nã multi sunt canones constituti ad bonum cõmune, vel priuatum clericorũ, quales sunt canones de iudicijs, & litibus, & ideo Felinus, & Alexandrinus, & Rochus, *in suo tract. de consue. §. Gloss. fin. in secundo requisito.* Respondent aliter, quia Princeps Ciuilis habet suam potestatẽ à populo: at Ecclesia habet proximè à Deo. Cæterùm, breuius respondeo, rationem esse, quia leges, & Principes voluerunt, vt ciues ac populi possent contra leges ipsas statuta condere, *vt colligitur ex l. omnes populi. ff. de iusti. & iure.* At nusquam ius canonicum permittit, vt Clerici contra Canones statuta decernant, & ponant: & tamen concedit, vt clericorum consuetudines contra Canones vim, & auctoritatem habeant, hoc autem iura ipsa voluerunt, quia difficilius est, tot populos, quot esse solent in principum potestate, vna lege obligare, quàm clericos, & Ecclesias vno Canone tenere. Quæres an Canonicorum Collegium possit consuetudines inducere sine vllo Episcopi consensu? Respondeo, *vt in c. Cum consuetudines*, de consuetudine, apertè decernitur: *Collegium Canonicorum nec posse consuetudines nouas inducere, nec veteres mutare sine Episcopi consensu.* quod locũ habet in consuetudinibus, quæ in negocijs magnis, & arduis versantur, qualia sunt in ijs rebus quæ pertinẽt ad communem Ecclesię, cuius sunt Canonici, statum, vel ad ipsius Episcopi iura. In negocijs tamẽ exiguis, qualia sunt, quæ ad ipsum Collegiũ spectant, potest, quia in his etiã sine Episcopo solet quippiam statuto decernere, nimirum quando, quo loco, & quo modo debeant Canonici congregari, quo pacto quisque suffragium ferat, quo loco, & ordine sedere debeat, quemadmodũ distributiones quotidianæ sint diuidendæ. *Abb. in c. Cum consuetudinis, de consuetudine, nu. 4. & Gloss. cap. 2. de Verbor. significat. in 6. & videtur colligi ex c. Edoceri, de Rescriptis, & ex l. Neque societas. §. Quibus autem ff. Quod cuiusque vniuersitatis nomine.* Præterea. Principe sciente & tacente, immò etiam ignorante, vt dixi supra, omnis ciuitas populusue subiectus potest consuetudinem inducere, non solum præter, vel secundum, sed etiam contra ius promulgatum, & vsu receptum, immò contra legem explicitè consuetudini derogantem, & contra ius, quod tum auctoritate, tum vtilitate est publicũ, & contra ea, quæ sunt ipsi Principi reseruata: quoniam vt habet communis opinio, consuetudo, lex tacita appellatur: & à lege siue iure scripto solùm differt, quòd lex expresso Principis, aut populi consensu sanciatur, consuetudo verò ex similium actuum frequenti repetitione, & tacito principis, aut populi cõsensu existit, ac surgit; & *ex cap. vlt. de consuet.* solum requiritur, vt sit rationabilis, & legitimo temporis cursu confirmata. Insuper, omnis ciuitas populusue nulli principi subiectus, sicut potest expresso cõsensu statuta condere, ac ponere, sic tacito potest quoque consuetudinem, siue secundum, siue præter, aut cõtra legem, & ius inducere. Tunc autem est tacitus populi consensus, quando similium actuum frequentem replicationem populi aut ciuitatis maior pars nouit, ac tolerat. Item, regio, prouincia, ciuitas, vniuersitas principi subiecta possunt præter, & secundùm ius, consuetudinem inducere inscio principe: immo etiam cõtra ius, & legem: quoniam etiamsi contra legem principis, communeue ius, statuta condere nequirent, vt nequeunt clerici contra Canones statuta decernere: nihilominus, sicut & Clerici contra Canones consuetudines introducunt, sic possunt leges, & iura consuetudines inducere, propterea quòd & iure Ciuili, & Canonico cõstitutum est, vt ius siue lex, siue Canon communis, more, & vsu abrogari, & tolli queat. Ad hæc, vniuersitas hominum communiter viuẽtium principis, vel Reipublicæ auctoritate approbata, siue Scholasticorum, siue Doctorum, siue mercatorum, & negociatorum, siue medicorum, siue artificum, vel opificum, potest non quidẽ contra ius & legem communem, sed præter, & secundum ius consuetudines inducere. Quo fit, vt inter Magistratus, & Iudices in iudicando soleat mos introduci, qui vocatur stylus; vt stylus Curiæ Romanæ, stylus Cancellariæ. Differt tamen stylus à cõsuetudine, tanquam species, & pars à genere, & toto. Consuetudo enim vniuersè est ius non scriptum ex actibus similibus repetitis introductum; Stylus verò est ius nõ scriptum, ex actibus iudiciarijs inductum, vt docet ex Bartolo, & Cyno Salycetus *in l. Consuetudinis. C. quæ sit longa consuetudo.*

Duodecimò quæritur, An consuetudo Laicorum liget Clericos? Respondeo ex communi Ciuilis, & Canonici iuris interpretum sententia, non ligare. *Ita Cynus, Abbas, Antonius Butrius, Geminianus, & alij, & colligitur à contrario sensu ex capit. vltimo, de vita, & honestate Clericorum, ad finem, & ex capit. vltimo, de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Hoc autem intelligitur eo modo, quo paulò ante dixi: videlicet, statutis laicorum nimirum Clericos teneri, in ijs nimirum, quæ libertati, immunitatiue Ecclesiasticæ nocent, vel incommodant. hoc enim est, quod *in cap. vltim. de rebus Ecclesiæ non alien. & in cap. vltim. de vita, & honestate Clericorum, indicatur.*

Decimotertiò quæritur, An cõsuetudo teneat, ac liget externos, & peregrinos, non solùm indi-

genas

genas, & incolas? Respondeo, Consuetudinibus populi, vel ciuitatis externos non teneri. Ita omnes Ciuilis, & Canonici iuris Doctores. Hoc autem intelligi debet eo modo, quo supra à nobis dictum est, externos esse liberos, & immunes à statutis, videlicet in hunc modum: Viatores ac cæteri iter facientes non tenentur consuetudinibus receptis in locis, per quæ transeunt, vel in quæ veniunt animo, & voluntate recedendi, non ibi commorandi. At verò ratione contractus, vel domicilij, vel rei in loco sitæ, aut ratione delicti commissi, externi conueniri, ac iudicari possunt iuxta speciales receptas in loco consuetudines; cum tamen alioqui coram Iudice originis, aut domicilij cõueniri deberent. Hinc perspicitur quid sit in multis, de quibus dubitari solet, dicendum. Hispani, Galli, Poloni, & Germani veniunt in Italiam, contra Itali aliò extra Italiam se conferunt: singuli quamdiu extra patriam alibi commorantur, vel aliò se recipiunt voluntate cõmorandi in eo loco, tenentur consuetudinibus, in eo loco receptis, quales sunt ieiunij, abstinẽtiæ, diei festi colendi, & aliæ similes, & liberi sunt à consuetudinib⁹ in patria vsitatis. At si extra patriam aliò se conferant non voluntate commorandi in eo loco, sed statim recedendi, vel illuc transeundi, non ligantur consuetudinibus in eo loco receptis, quoniam nõ in eo loco commorantur, aut domicilium posuerunt. Hispani igitur vel terrestre iter facientes per Galliam, vel nauigantes, & ad Gallorum portus nauigijs appulsi non tenentur moribus receptis in Gallia. Cæterùm Græci, & orientales clerici, vel laici, quamuis inter Latinos commorentur, aut contra Latini inter Græcos, patrios mores obseruant, eo quòd Ecclesia id permittit, ne cogantur nouos mores addiscere, & veteres deponere, quod esset durum, & difficile, cum sint plurimum diuersi. Glossa *in c. illa. d. 12. verbo. veneris. & c. quæ cõtra. d. 8.* docet, viatores, cum in aliquem locum veniunt, teneri consuetudinibus in illo loco receptis, si ibi sint moraturi: secus verò si confestim sint ex eo loco recessuri. Ambros. *in c. illa d. 12.* sic ait: *tu ad quamcunque forte Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quemquam tibi.* & Augustin. *in c. quæ contra. d. 8.* dicit. *pactum gentis, aut ciuitatis consuetudine, aut lege firmatum nulla ciuis, aut peregrini libidine violetur.* Sicille. Viatores igitur confestim profecturi, transituri, recessuriue non tenentur consuetudinibus receptis in loco, per quem trãseunt, vel ad quem veniunt. Possunt tamen, & debent eas consuetudines seruare, ne alijs causam præbeant offensionis.

Decimoquartò quæritur, An consuetudo liget subditos, qui extra territorium perperam faciũt. Respondeo, Minimè: idem enim iuris est de consuetudinibus, quod de statutis: at statuta subditos, qui extra territorium delinquũt, non tenent. est enim *in cap. Vt animarum §. 2. De constitutionibus in 6.* constitutum, ne, si Episcopus excommunicationis pœnam irroget omnibus furtum committentibus, eo statuto comprehendantur subditi furtum extra Episcopi territorium perpetrantes.

Decimoquinto quæritur, An consuetudo possit vno tantùm actu generari. Hanc quæstionem superius ex parte tractaui. breuiter dicendum; Quosdam putasse, posse: Contra alij id communi consensu refutant, eo quod cum ipsa consuetudinis notione, & significatione pugnare videatur. Est enim consuetudo ex pluribus similibus actibus comparata, hoc est, ex actu diuersis temporibus sæpius repetito, cum quippiam à paucis quibusdam factitatum, multi postea sequuti, imitatiq; sunt. Dicendum igitur existimo, si propriè de consuetudine loquamur, eam non nisi multis actibus induci posse: at verò ex vno tantùm actu potissimum insigni incipit consuetudo gigni, & introduci, quia eum actum cæteri imitantur, & sequuntur. Item, ex vno actu, eumq; populo, aut eius maiori parte sciente, & tolerante, aliquando quidpiam in consuetudinem venit, quia populus id sciens expressim, vel tacitè vult, vt pro consuetudine habeatur, atque hoc, opinor, auctores contrariæ opinionis voluisse: sed propriè ea consuetudo non est; sed tacitus quidam populi consensus, quo alius iure possit illud idẽ efficere. de hac quæstione latè agit Rochus *in suo tractat. de consuet. §. Gloss. fin. in 7. requisit.* Si quæras quot actus repetiti necessarij sint, vt dicatur frequentia actuum. Respondet Rochus, esse aliquorum sentẽtiam, quos ibi refert, id relinqui iudicis, vel boni viri arbitrio. Alios verò sentire, tot actus requiri, vt probabiliter credamus, eos in notitiam populi venisse, ipse verò ex Glossis, & alijs multis docet, sufficere tres actus, quia quod ter fit, in iure dicitur fieri frequenter, & tres dicuntur plurimi, vel plures, immo etiam satis esse, si quid bis fiat, quia quod fit bis, etiam in iure dicitur sæpe fieri.

Decimosextò quæritur, Quid discriminis sit inter consuetudinem, & præscriptionem? Respõdet Sylu. *consuetudo. q. 22.* ex Abbate, Baldo, & alijs *in c. vlt. de consuet.* hæc duo in multis differre. Præscriptio enim primo consistit in rebus immobilibus, tum corporalibus, tum incorporalibus; at verò consuetudo solùm locũ habet in incorporalibus, vt in seruitutibus, iurisdictionibus, electionibus, & alijs eiusmodi. Secundò, præscriptione acquiritur ius priuatæ personæ; at verò consuetudine non acquiritur ius priuatæ personæ; item cõsuetudine nõ acquiritur ius magis vni, quàm alteri; sed toti reipublicę, & cõmunitati. Tertiò, præscriptio dat ius vni contra ius, quod alter habet: at verò consuetudo dat ius contra legem, vel præter, aut secundum legem. Postremò, ad præscriptionem requiritur titulus, & bona fides; at verò in consuetudine sufficit certus cuiusdã temporis lapsus, nõ titulus; & ideo verum est id, quod supra explicuimus, consuetudinẽ non propriè præscriptã, sed quasi præscriptam vocari, quia certi temporis spatio exacto consuetudo locum, & vim habet; ita vt iuris, ac legis potestatem acquirat, & compareti: & tunc in iure canonico præscripta dicitur, in iure ciuili diuturna, longa, tenaciter obseruata, vt ante iam dixi.

Cap. XIX.

Quædam consuetudines contra ius commune inductæ discutiuntur.

QVoniam supra tradidimus, consuetudinem aliquando esse contra ius, aliquando præter, vel secundum ius; præsenti capite quædam

pauca dicemus de ijs consuetudinibus, quæ contra ius inducuntur.

Animaduertendum est consuetudinem, aut in faciendo, aut in non faciendo consistere. In faciendo, veluti consuetudo, qua parentes filijs impuberibus testamenta faciunt, *l. Moribus, ff. de vulgari, & pupillari substitutione.* Item, vt prodigis, qui agnatis carent, bonis suis interdicatur. *l. 1. ff. de curatoribus furioso, vel alijs extra minores, dandis*: vt tutor detur mulieri pupilloue, qui cum tutore suo litigare vult: vt arrogatus omnia bona sua faciat arrogantis. In non faciendo verò consuetudo consistit, nimirum, vt mulieres, & serui ciuilibus officijs non fungantur, *l. Cum prætor, ff. de iudicijs.* Vt cognatas quasdam ducere in matrimonium non liceat. *l. Sororis, ff. de ritu nuptiarum.* Vt mariti, & vxores nihil sibi inuicem donent. *l. 1. ff. de donationibus inter virum, & vxorem.* Vt qui non propriam, sed alienam iurisdictionē habet, eam alteri non mandet, *l. More maiorum, ff. de Iurisdictione.*

His annotatis, in primis consuetudo qua Episcopus, vel patronus, portioni presbyteris Parochis congruenti, & debitæ aliquid detrahit, condemnatur, *cap. Extirpandæ de Præben.* quæ iure tollitur, quoniā iure naturali, & diuino, Ecclesiarum ministeris commoda alimenta debentur: nam dignus est operarius mercede sua.

Consuetudo turpis contra honestatem inducta corruptela vocatur; & propterea extirpanda est, *cap. Cum decorum, de vita, & honestate Clericorum*; qualis est consuetudo, qua ludos lasciuos in templis, aut in diebus festis, scenicæ personæ, vt mimi, & histriones faciunt, aut qua sententię Iudicum venales sunt.

Consuetudo, qua Ludos voluptuosos Clerici committunt, corruptela dicitur, & abrogatur, *ca. Inter dilectos, de Excess. Prælatorum.*

Consuetudo, quæ Ecclesijs grauis est, nimirum quia est incommodo, vel oneri, vel damno, debet auctoritate, & officio Iudicis tolli, *cap. 1. de consuetudine.* Hoc intelligitur, nisi fuerit legitimè præscripta: potest enim processu temporis eiusmodi consuetudo in præscriptionem venire, teste Abbate intelligitur de consuetudine, quæ primū valebat, eo quòd esset inducta ex aliqua causa iusta, & sine magno Ecclesiæ detrimento: & postea incipit grauiter Ecclesiæ nocere. Vnde extirpanda est cōsuetudo, qua rustici decimam fructuum partem soluere presbytero recusant, nisi presbyter ipse priùs ipsis aliquod munus dederit, potest tamen, vt idem Abbas ait sequutus Innocentium. *c. quod sicus de elect.* consuetudine induci, vt Ecclesia vacante, hoc est, ob sui pastoris obitum destituta, canonici pastorem non eligant, nisi Princeps certior ante factus fuerit de morte pastoris, & nisi eius petatur assensus ad alium pastorem eligendum: quoniam hæc consuetudo non grauiter nocet Ecclesiæ, *& in c. cum terra. de elect. nu. 4.* ait idem Abbas, hæc consuetudo non obest liberæ electioni, & potest introduci: quia interest Principis, admoneat necne Canonicos, vt eligant dignum, & idoneum, vel ne eligant aliquem sibi inimicum, & consiliorum, & arcanorum proditorem, & vt Ecclesiam tueatur, & seruet illæsam, & vt omnia in eligendo pastore rite, & legitimè fiant. Idem etiam tradit Archi. *in c. Reatina. d. 63. & probat ex eo. cap. Reatina, & c. principali. ca. literas. d. 63. vitat etiam Hostiensem.*

Consuetudo, quæ canonicis institutis derogat, nullius debet esse momenti, *c. ad audientiam, de consuetudine.* & consuetudo sacris Canonibus inimica corruptela in iure censetur, & seruanda nō est, *c. Cum venerabilis, de consuetudine.* Item, consuetudo veritati, & legi contraria, & aduersa improbatur, & reijcitur, *in c. Cum causa, de sententia, & Re iudi. ca.* hoc locum habet in consuetudine, quæ non est legitimè præscripta, vt ait *in eo capite* Glossa.

Cōsuetudo item, quæ cum sanctorum Patrum decretis, & constitutionibus pugnat, damnatur vt praua, & absurda. Vnde Archidiaconus vi consuetudinis, absque Episcopi auctoritate, curam animarum committere non potest, *cap. Cum satis, de officio Archidiaconi*: etiam hoc locū habet in ea consuetudine, quæ non est tempore præscripta. Glossa *ibidem.*

Consuetudo itidem, qua Clerici ad Beneficia eliguntur, sine Episcopi, aut eius Vicarij consensu, improbatur, eo quòd sit aliena à sanctorum Patrum institutis, & Ecclesiasticæ honestati contraria, *cap. Ex frequentibus, de Institutionibus.* Pari ratione, hoc verum est, quum consuetudo non est præscripta. Abbas. *in eo capite*: nam inferiores Episcopis, cuiusmodi sunt Abbates, præpositi, & alij Dignitatem Ecclesiasticam habentes, iure præscriptionis possunt acquirere potestatem instituendi clericos in beneficijs.

Præterea, Consuetudo, qua electio Episcopi ad laicos simul, & Canonicos pertiner, corruptela vocatur; & propterea irrita fit & inanis, *c. Messana Ecclesia, & in cap. Sacrosancta, de Electione*, dicitur esse in detrimentum Ecclesiasticæ libertatis: & *c. Cum terra, de Electione*, statuitur electionem ex parte eligentium oportere esse liberam, & idcirco consuetudinem laicorum aliquos ad Beneficia eligentium Ecclesiasticæ libertati detrahentem, tanquam Ecclesiæ noxiam damnari ac tolli debere. Ius eligendi pastores Ecclesiarum in laicos non cadit, vnde cum huius iuris capaces non sint laici, nec iure præscriptionis, nec vi consuetudinis, nec ratione fundationis, nec auctoritate Episcopi acquirere possunt, nisi concessu, & priuilegio Romani Pontificis. Abbas & alij *in cap. sacrosancta. de election.* immò, vt testatur Ioann. Andr. *in cap. 2. de præben. in 6.* ad hoc ius acquirendum, non satis est, si laicus vna cum canonicis eligat consuetudine, cuius initium in memoria hominum non sit: At ius tamen nominandi, designandi, & offerendi clericos, & Antistites instituendos habet laicus ratione fundationis Ecclesiæ, quoniam licet hoc ius sit quoque spirituale, id tamen patronis Ecclesiarum iura canonica concesserunt, vt docent Ioan. Andr. Abbas, & alij locis supra citatis. Item, teste eodem Abbate electione per Canonicos facta potest esse consuetudine receptum, vt de ea certior fiat princeps, vel patronus, vt excipiat, si aliquid, quod opponat, habet, non vt electionem confirmet, vel dissoluat, aut irritam faciat.

Consuetudo, qua vis Ecclesiasticæ disciplinæ eneruatur irrita fieri debet, *cap. Cum inter, de consuetudine.* Hæc quoque accipienda est cum ea conditione, nisi fuerit legitimè præscripta, vel ex

presso vel tacito Romani Pontificis consensu approbata.

Consuetudo, qua presbyter simplex ea præstat, quæ sunt ordinis Episcopalis, nec temeritate vacat, nec vllius est momenti. *cap. Quanto, de consuetudine*, vbi Abbas cum cæteris Canonici iuris doctoribus censet, posse quidem presbyterum præscriptione sibi acquirere, quæ sunt dignitatis, & iurisdictionis Pontificiæ; non tamen quæ sunt ordinis, cuiusmodi sunt ea quę *in cap. Quamuis, dist. 68.* numerantur. Quorum sententia quibusdam videtur cum eo, quod in eo cap. refertur, pugnare. nam ibi dicitur: presbyteros Constantinopolitanos sacramentum confirmationis ministrare consuetisse ijs, quos sacra Baptismatis vnda abluebant. Deindè, Abbates non solùm ad primam Clericorum tõsuram; sed etiam ad quatuor minores ordines eligere, & promouere solét homines sibi subiectos: & tamen hæc duo non ad dignitatem, & iurisdictionem, sed ad ordinem spectant Episcopalem. Multa item alia, vt constat ex iure communi, ad Pontificium ordinem pertinent; quæ tamen presbyteri potest sibi præscriptione, & possessione longi temporis acquirere. Accedit, quòd, *vt colligitur ex cap. Auditis, & ca. Cum olim de præscription.* Abbates aliqua ex ijs, quæ attinent ad iura Episcopalia præscriptione sibi adquirere queunt. Canonici tamen iuris interpretes communi consensu tradiderunt præscriptione acquirere posse presbyteros, quæ sunt dignitatis, vel iurisdictionis Episcopalis, non quæ ordinis. Sed verius quidam esse putant, quod alij Pontificij iuris doctores tradiderunt, tacito Romani Pontificis, vel Ecclesiæ consensu aliqua etiam ex ijs, quæ pertinent ad ordinem Episcopalem, posse presbyteros præscriptione, & possessione longi temporis acquirere: nam presbyteri Constantinopolitani vtu, & more tacitè in Ecclesia approbato sibi sumpserant, vt Baptismate initiatos confirmationis sacramento munirent. sic teste Ambros. Ephes. 4. in Aegypto presbyteri confirmabant absentibus Episcopis, nec ab eo ille mos improbatur. Ita etiam vt constat ex Greg. *lib. 3 epist. 26. & epist. 9.* eius permissu presbyteri in Sardinia absente Episcopo confirmationis sacramentum ministrabant. Et hic mos approbatur etiam in concil. Arausica. *1. canon. 1. & 2.* Tolet. *1. cano. 20. sub Martino Braciarensi Episcopo cano. 52.* & Abbates sibi acquisierunt ius, quo ad quatuor minores ordines possint aliquos promouere. Hoc autem ideo, vim, & locum habere potest, quia licet sacramentorum ordinis, & Confirmationis ordinarius minister sit Episcopus, potestate tamé commissa, & demandata à Romano Pontifice; presbyter potest esse minister, qui tametsi præscribere nulla ratione potest, vt sit horum sacramentorum minister ordinarius: potest tamen præscribere, sciente id, & tolerante Romano Pontifice, vel Ecclesia, vt sit ex commissa, & delegata potestate minister. Et hoc iuris præscripserunt Abbates quatuor primis ordinibus conferendis. Idem iuris præscribere potuerunt presbyteri Constantinopolitani, in sacra Confirmatione ministranda ijs, quos salutari Baptismate abluebant; quam tamen consuetudinem Innocentius Tertius *in capit. Quanto. supra citato* abrogat; quoniam Constantinopolis tunc temporis erat in Latinorum potestate, & ditione. Hæc illi. Cæterùm ego veram in hac parte, existimo communem omnium canonici iuris interpretum sententiam dicentium, presbyterum iure præscriptionis non posse acquirere, quæ sunt ordinis Pontificij, quia capaces non sunt, vnde quæ possunt Abbates in quatuor minoribus ordinibus, ea non habent ratione consuetudinis præscriptæ, sed ipsius iuris canonici permissu siue concessu, quod permittit, vt quatuor minores ordines conferant, non quidem ratione officij, quo funguntur, nec ratione ordinis, quem habent, sed commissa sibi, & demandata potestate à iure ipso, sicut Diaconus habet, vt possit ad populum concionem habere, non ratione ordinis, sed potestate sibi commissa à iure ipso. Pari ratione puto olim commissum fuisse presbyteris Constantinopolitanis, vt potestate, non quidem ordinaria, sed demandata tantùm sacramentum confirmationis ministrarent ijs, quos sacra baptismatis vnda proluebant: quod valet, dummodo Ecclesia permittat: secus non item.

Consuetudo, qua quis solet Dignitatem deponere sine superioris auctoritate, vt sacris Canonibus inimica, & corruptela, & temeraria censetur, & ideo improbatur, *cap. Cum venerabilis, de consuetu.* pugnat cum ijs, quæ statuta sunt, *in cap. admonet, ca. quod in dubijs, cap. nisi. de renunc.* Nec videtur hæc consuetudo iure præscriptionis excusari; quia hoc ius per præscriptionem acquiri nequit.

Consuetudo, qua potest electus Ecclesiam administrare, antequam electionem superior confirmet, & temeraria, & corruptela vocatur: quia sacris Canonibus aduersa, & irrita sit. *cap. Cum venerabilis, de consuetudine.* Aduersatur hæc consuetudo ijs, quę habentur *in cap. qualiter, de electi. & ca. vlt. de renunc.* nec videtur iure præscriptionis excusari, nisi concessu, & priuilegio Rom. Pontificis, *vt colligi videtur ex Abbate. Ioan. And. & alijs in ca. cum venerabilis, de consuetu. & ex Archid. in c. eum, qui, de præben. in sexto.*

Consuetudo, qua Canonicorum Collegium absque Episcopi consensu statuta, vel consuetudines antiquas, aut approbatas mutat, aut nouas inducit, damnatur, *cap. Cum consuetudinis, de consuetudine*, quod & eodem modo accipi debet, nisi fuerit videlicet eiusmodi consuetudo præscripta.

Nulla consuetudine introduci potest, vt aliquis præter sui superioris consensum, Confessarium sibi eligere queat qui eum possit soluere, vel ligare, *cap. Si Episcopus, de Pœnitentijs.* Ea consuetudo, qua is, qui iudex non est, sententiam pronunciat, nullam vim, & firmamentum habet, *cap. Ad audientiam, de consuetudine.* Vbi Abbas, & cæteri Canonici iuris interpretes communi consensu docuerunt, nulla consuetudine induci posse, vt sententia ab eo, qui non est causæ iudex, lata valeat: & tamen ibidem tradiderunt, posse aliquem consuetudine iurisdictionem nancisci. Hæc tamé non sibi inuicem aduersantur. nam consuetudo iurisdictionem aliquando dat, *vt habetur in ca. Cum contingat, de foro competent. & c. Irrefragabi. de officio ordina. & l. 1. & vlt. C. de emancipa. & l. Viros, C. de diuer.*

offic. libr. 12. & Gloss. *in cap. Cum contingat, de foro comp.* Quòd vt plenius intelligamus scire oportet, contra substantiam, & naturam sententiæ esse, vt feratur in eum, qui non est iudicis potestati subiectus, & proindè meritò constituitur, ne firma sit, & rata sententia ab eo, qui iudex non est, pronunciata. Similiter quia sententia in foro conscientiç, qua confessarius pœnitentem soluit, ac ligat, iudicialis est, & à Christo Domino instituta, proinde meritò decernitur nulla consuetudine introduci posse, vt quis priuatus suo iure, & auctoritate sibi confessarium eligat, qui eum soluat, aut liget: quoniam sicut est contra naturam sententiæ (vti diximus) vt feratur ab eo, qui non est in causa iudex: sic est cõtra ius Diuinum, quo est sacramentum Pœnitentiæ constitutum, vt is, qui non est confessarius, soluere possit, aut ligare. At verò consuetudine potest iurisdictio comparari, & acquiri; quoniam in ea adest tacitus superioris consensus, cuius est iurisdictionem committere, sicut etiam lege, vel statuto, vel voluntate principis impetrari solet. Et hoc est, quod Pontificij iuris doctores docuerunt, dicentes, posse aliquem iurisdictionem consuetudine adipisci. Et ita ante concilium Tridentinum, Presbyteri de more peccata sibi inuicem confitebantur, à quibus soluebantur, vel ligabantur. Eodem modo, cum duę ciuitates duobus Episcopis subiectæ sibi inuicem sunt vicinæ, incolæ vnius oppidi vsu, & more peccata Presbytero alterius Ecclesiæ præfecto confitentur, à quibus soluuntur, vel ligantur: id enim fit tacito Episcoporum, & parochorum consensu.

Consuetudo, qua quis in eadem Ecclesia habet plures Dignitates, vel personatus, etiam si curam animarum non habeant, omnino abrogatur, *cap. De multa, de Præbendis*: immò consuetudo, qua quis in eadem Ecclesia habet duos Personatus, Dignitates, Præposituras, Administrationes, aut eorum alterum cum reliquo, hoc est, Dignitatem cum Personatu, Præpositura, Administratione, vel officio, corruptela censetur, vtpotè sacris Canonibus inimica; & ideo damnatur, *cap. 1. de consuetudine in 6.* Sed dubiæ quæstionis est, an consuetudine induci queat, vt quis simul habeat plura Beneficia, hanc quæstionem tractat Abbas, *in repeti. ad capit. extirpandæ. de præb. §. qui vero. num.* 35. & multis rationibus concludit id consuetudine introduci non posse, citra legitimam superioris auctoritatem, qua ius ipsum relaxet, siue beneficia, inquit, habeant curam animarum, siue secus, siue requirant perpetuam beneficiarij in Ecclesia præsentiam, siue non: hoc est, etiam si Beneficia sint simplicia, dummodo tamen vnum illorum sufficiat ad clericum commodè sustentandum. At Innocent. *in cap. vltim. de cleri. non resi. & in cap. cum iam dudum. de præb.* censet plura beneficia posse clericum simul habere iure communi. Sic Gloss. *in cap. gratia. de rescript. in 6.* idem etiam sentit Cardinal. *in cap. cum iam dudum. de præben.* & ideo iuxta horum sententiam, consuetudine induci potest, vt quis simul habeat plura beneficia simplicia: & ita docet expressè Glossa. *in cap. super eo. de præben. in 6. & in capit. dudum. de elect. verbo vtrumque, ad finem.* Cæterùm, vt supra iam dixi, magis probo in hac parte Abbatis sententiam, id sola consuetudine excusari nõ posse, quia consuetudo iuri naturali derogare nõ potest, & iuris naturalis meo iudicio, est, ne quis habeat simul plura beneficia etiam simplicia, quando vnum eorum satis est ad eum commodè sustentandum. Solùm fieri consuetudine potest, vt Episcopus tuto ius ipsum ex causa iusta relaxet, & vni det plura huiusmodi Beneficia simplicia. sicut etiam si votorum, & iusiurandum iure naturali, & diuino impleri debeant: causa tamen iusta, potest Episcopus aliquos soluere voti, & iurisiurandi vinculo, quod non sit Romani Pontificis auctoritate reseruatum. Hinc fit, vt si consuetudo, qua plura Beneficia simplicia possidentur ab aliquo, nota sit Episcopis, & ex causa iusta toleretur, excusari possit, secus non item. Quemadmodum etiam alicubi est more, & vsu receptum, vt quis habeat vnam Dignitatem cum Canonicatu in eodem tecto, hoc est, in eadem Ecclesia, *vt constat in capit. Eum te, de Rescriptis.* Erat enim quidam Archidiaconus, idem & Canonicus sub eodem tecto, & æde sacra. Sicut etiam teste Abbate *concil. 96. volumine secundo*, rata, & firma erat ante Concilium Tridentinum, consuetudo, quæ alicubi vigebat, vt quis haberet duo Beneficia simplicia in eadem, aut diuersis Ecclesijs; & tamen iure communi Canonico sancitum est, ne quis simul plura Beneficia possideat, quando vnum eorum sufficit ad congruentem clerici victum, *capit. Sanctorum, distinction. 70.* consuetudo ea erat nota, & tolerabatur.

Præterea, de multis ambigi potest, an more, & consuetudine præscripta iustè fieri queant, nimirum, vt pars decima fructuum Ecclesijs non soluatur. Variæ sunt opiniones, vt referunt Rochus *in tracta. de consuetu. folio paruo. 12. colum. 3.* & Couarru. *libr. 1. var. resolut. capit. 17. numer. 8.* Sed breuiter dicendum, posse, præsertim vbi clerici, vel non petunt, vel non indigent, quia aliunde habent, vnde commodè sustententur. Item, an consuetudine Clerici possint testamentum facere de fructibus, & redditibus ex Beneficio acquisitis? Communis opinio doctorum, hanc consuetudinem damnat, vt testatur Couarru. *de testamentis, cap. cum in officijs. numer. 9.* sed non est, cur damnetur, vt ibi Couarruuias ait. An possit consuetudo valere, vt res ad Collegium Canonicorum, vel aliorum quorumlibet pertinentes, non aliter definiantur, nisi ex concordi omnium suffragio? An possint excusari clerici vtentes iuxta patriæ, ciuitatis, vel populi morem pretioso, vel alio, iure canonico interdicto vestitu? Possunt, ita Gloss. *in cap. Si quis virorum distinct. 30. & 21. quæst. 4. in sententia.* An qui sunt habiles ad matrimonium ineundum, possint iuxta patriæ, vel prouinciæ consuetudinem inhabiles effici? respondeo breuiter, cum Glossa, & Hostien. & Abbate *in capit. quod super, de consang.* posse. Item, An qui iure Canonico sunt ad matrimonium contrahendum inhabiles, possint vsu, vel more ac consuetudine fieri habiles, & idonei? Glossa, & Hostien. & Abbas, *loco citato*, negant id posse introduci, nisi consuetudo auctoritate Romani Pontificis expressè, vel tacitè sit approbata. Couarru. *de mat. parte secunda, cap. 6. §. 10.* Item, An consuetudine introduci queat, vt Clerici beneficiarij liberi sint

& immu-

& immunes à lege, & constitutione, horarias officij diuini preces recitandi, & ab omni præcepto residendi, & loco sui alium substituendi, qui deseruiat Ecclesiæ? Certè prima consuetudo in præscriptionem venire non potest, at secunda potest, vt dicam alibi. Item, An consuetudine portio legitima debita filijs possit, vel ex parte minui, vel etiam ex toto penitus auferri? An alimenta itidem consuetudine denegari possint; Vt testantur Rochus *in tract. de consuetud. in folio paruo. 45. colum. 3.* & Couarruuias *de matrim. parte secunda, capitul. oct. ano. §. 6. num 3.* Communis opinio Doctorum habet, posse, alij tamen sentiunt posse ex parte minui, non ex toto adimi. Dicendum est posse id introduci, vt habet communis opinio, sed id locum habet, quando subest causa iusta, & quando filij aliunde habent, vnde commodè sustentari queant, alimenta enim vitæ simpliciter necessaria denegari non possunt. Item, an possit consuetudine induci, vt vsuræ promissæ in iudicio petantur, & eas soluere is, qui promisit, cogatur, nec detur actio, vt solutæ repetantur? Potest, quia hæc ius canonicum solùm, non naturale, vel diuinum prohibet. De hac dicam inferiùs. An etiam consuetudo valere possit, qua cuilibet priuato facultas libera concedatur occidêdi eos, qui sunt publica auctoritate proscripti. An consuetudine clericus possit coram ciuili magistratu conueniri. An vsu ciuiles iudices de causa aliqua spirituali, & Ecclesiastica sententiam ferre queant. De prima multi censent, vt constat ex Abbate *cap. vlt. de consuetud. num. 3.* eam iustam esse, quia potest respublica, vel Princeps consanguineos ministros constituere. Sed mihi non videtur omni ex parte iusta, quia præbet materiam iræ, odij, vindictæ, offensionis multorum; nam licet respublica possit ministrum creare ad necem sontis, at promiscuè consanguineos ministros constituere, frequenter materiam suppeditat vindictæ, odij, iræ, & aliorum peccatorum. De secunda, & tertia breuiter dicendum, eas consuetudines non valere, quia sunt contra libertatem, & immunitatem clericorum, & Ecclesiarum, & generatim, vt ait Rochus *de consuetudine, in folio paruo. 47. colum. prima, conclus. quinta.* consuetudo contra libertatem, & immunitatem Ecclesiæ corruptela est, nisi priuilegio Romani Pontificis, aut ipsius auctoritate expressa, vel tacita approbetur, tales sunt consuetudines, quibus Ecclesiarum, vel clericorum iura debita perfringuntur ex toto, vel minuuntur ex parte. Item, eæ, quibus Ecclesijs, vel clericis onera imponuntur, & eæ, quibus laici fiunt contra clericos audaciores, vel clerici timidiores, vt multis exemplis propositis, *loco citato*, Rochus confirmat. De ijs, & alijs id genus consuetudinibus, valeant nec ne, suis locis fusiùs disputabo. In præsentia satis sit dixisse, consuetudinis vim, & auctoritatem non lenem, & paruam esse, *vt dicitur in cap. Cum consuetudinis, de consuetud.* vnde multa iuris canonici decreta consuetudo penitus abrogauit. Clerici ieiunium inchoabant septem hebdomadis ante Pascha. *cap. Statuimus. distinctio. 4.* & tamen in desuetudinem abijt. Tribus Rogationum diebus proximis ante Ascẽsionem Dominicam erat vacatio operarum, & laborum. *ca. Pronunciandum. de consecr. distinct. 4.* & in eis ieiunium colebatur. *cap. Rogationes, de consecr. distinct. 4.* & tamen neutrum modò seruatur. Tota hebdomada Paschatis, & hebdomada præcedẽti proximè ipsum Pascha ab opere seruili abstinebatur. *c. Pronunciandum, de consecr. distinct. 5.* & tamen modò ij dies festi non habentur. Iusiurandum interponendum non erat nisi à ieiuno homine. *cap. Honestum 22. quæst. 5.* nec in iudicio exigebatur in diebus Quadragenarij ieiunij, aut Dominicis, aut in quibus Dominicus celebratur aduentus. *capit. Decreuit, 22. quæst. 5.* & tamen vtrumque consuetudo aboleuit ex parte: item *cap. Omnis, de consecr. distinct. 2.* Omnis vir ante sacram communionem à propria vxore, continere se debebat tribus, aut quatuor, aut octo diebus. Nec inter Catholicos haberi, & cõnumerari merebatur, qui in Paschate, Pentecoste, & Natali Dominico sacrum Christi corpus non sumebat: nunc hæc consuetudine abrogata sunt. Olim sabbato, & sexta, ac quarta quaque feria hebdomadæ ieiunium seruabatur, quod in desuetudinem abijt; retenta in sexta feria, & sabbato abstinentia, qua abstinemus à carnibus, cum in feria quarta carnibus vtamur.

Consuetudo, qua laici præbẽdas, quas vocant, & Beneficia Ecclesiastic. conferunt, non solùm corruptela est, vtpotè sacris canonibus inimica, sed etiam quantocunque temporis cursu in præscriptionem venire non potest, quoniam ius conferendi Beneficia est spirituale, cuius laicus capax non est, nisi Rom. Pontif. concessu, & priuilegio. Sed obijcies multos Principes, & reges id iuris, & potestatis habere. nam Speculator *in tit. de Præb. §. 2. versic. 7.* scribit Imperatorem ius habere, vt in singulis Alemaniæ Ecclesijs, vnum canonicum designet, & constituat. & Lambertinus *in tract. de iure patro. libr. 1. quæst. 11.* testatur reges Neapolitanos habuisse ius nominandi Episcopos in quadraginta Ecclesijs primarijs, hoc est, cathedralibus. Bal. ait *ad l. 7. C. de preci. imper. offeren.* in regis Angliæ, & Regis Hungariæ fuisse potestate conferendi Beneficia, Guymerius *ad Pragm. sanctio. tit. Annat. verbo. regalia.* scribit Regem Franciæ, ius habere conferendi Beneficia in quibusdam sui Regni Ecclesijs, cum propter obitum pastorum sunt destitutæ, & vacant. Respondeo Reges, & Principes huiusmodi ius aliquando habuisse, habere, vel posse habere, Rom. Pont. concessu, & priuilegio, non autem consuetudinis vel præscriptionis iure, vel Episcoporum sola auctoritate: & ita Speculator, Bal. Lamber. & Guymer. non aiunt id iuris prædictos Reges, & Principes habuisse iure præscriptionis, vel consuetudinis, sed priuilegio Rom. Pont. vel saltem consuetudine nota, & tolerata, auctoritate Ro. Pont. in qua adest tacitus eius consensus.

Consuetudo, qua laici nominant, designant, & offerunt clericos Ecclesijs præficiendos, & non ratione fundationis, ædificationis, vel dotationis Ecclesiarum, sacris canonibus aduersatur, qui nõ concedunt laicis huiusmodi ius nisi patronis Ecclesiarum, qui fundarunt, ædificarunt, vel dotarunt. Si obijcias, Archidiaconum *in ca. lectis. d. 63.* omnes reges in Ecclesijs suorũ regnorũ patronos esse, si sint Ecclesiæ Cathedrales, & tamẽ verisimile nõ est, eas fundasse, ædificasse, vel dotasse: idem

quod

quod Archidiaconus, tradiderunt etiam Bald. *in cap. quanto. de iud.* Domini. & Alexand. *in c. lectis. dist. 63.* Paris. *in tract. syndic. in verbo ciuitatis. cap. 2. ad fi.* Respondeo, Reges, & Principes ius nominandi præficiendos Ecclesijs cathedralibus, vel Abbates in Ecclesijs sæcularibus, vel regularibus, aut alios, qui in primarijs post Episcopalem Dignitatibus instituendi sunt, non habere nisi ea ratione, qua patroni sunt Ecclesiarum, ratione fundationis, ædificationis, vel dotationis, quia hoc ius, cum sit spirituale in laicos non cadit, nec in eos cadere potest ratione præscriptionis, cum capaces nõ sint, ac proindè nisi habeant priuilegio Ro. Pont. tueri, & retinere nequeũt. Si dicas, Hispaniarum Reges habent ius nominandi Episcopos, & Abbates, & alios primarios Ecclesiarum præfectos in Hispania, India, Sicilia, Sardinia. Rex Poloniæ, in Polonia. Dux Subaudiæ in ditione sua. Respõdeo, habere quidem, sed priuilegio Rom. Pontificum, non iure præscriptionis, nec iure regio, eo ipso, quo Reges, ac principes sunt: nec ratione consuetudinis præcisè etiam diuturnæ, nisi quatenus ea consuetudo nota Rom. pontifici tacito consensu permittitur. id verò quod Archidiaconus, & Baldus scribunt reges, Imperatores, & principes esse patronos Ecclesiarum Cathedralium, & principalium quæ in ipsorum regnis, imperio, & ditione sunt. Alij non probant. *Boerius in suis decisio. q. 32. p. 1. Lamber. de iure patro. libr. 1. q. 11. Curtius de iure patro. verb. Eccles. q. 1. Renun. in tract. de potest. regia. q. 34.* Nec item placet alijs, *quod sentiunt Albericus in l. bene à Zenone. C. de quadrien. præscrip. & Domini. in c. dicet. de præb. in 6.* Reges, & principes ex longissima consuetudine posse ius habere conferendi beneficia; falsum est, nisi intelligant cõsuetudinem notam Rom. Pontif. & ab eo permissam. & Syn. Trid. *sess. 25. cap. 9. de reformat.* in principibus, communitatibus, vniuersitatibus ad probandum ius patronatus requirit multiplicatas per longum tempus præsentationes, & ita continuatas, vt non minori quam quinquaginta annorum spatio authenticis scripturis probẽtur, & effectum omnem sortitæ fuerint.

Consuetudo etiam, qua reges, & principes Ecclesia vacante administrant, quæ ad eam Ecclesiam pertinent temporalia simul, & spiritualia, cũ sacris canonibus pugnat, vt in proprio loco dicam: vnde nec ratione præscriptionis, nec iure patronatus, nec iure regio excusantur ij, qui ea consuetudine vtuntur, nisi id faciant priuilegio Rom. Pontificis, vel consuetudine ipsi nota, & ab eo permissa, & tolerata, in qua adsit tacitus eius consensus.

Cap. XX.

Ciuiles aliquas leges canonico iure abrogatas, vel correctas esse.

Sciendum est leges ciuiles, quæ cum Iure naturali, vel Diuino, vel Canonico pugnant, iustas non esse, ac proindè legis imaginem, & speciem, ac nomen quidem habere, non vim, & auctoritatem siue rationem legis.

Primò quæritur, quænam sint leges ciuiles, aut cum Canonico iure pugnantes, aut ab eo correctæ? Respondeo esse nonnullas. In primis lex ciuilis concedit matrimoniũ consistere inter duorum fratrum liberos, qui patrueles; vel duarum sororum, qui consobrini; vel sororis, & fratris, qui amitini dicuntur. *vt constat ex l. Celebrandis, C. de nuptijs, & Instit. de nuptijs, §. Inter eas.* At iure Canonico huiusmodi matrimonium est irritum, *capit. Quædam, 35. Quæstion. 3. & capit. non debet. de consangui.*

Lex itidem ciuilis prohibet raptam contrahere matrimonium cum raptore, vt constat ex lege Raptores, C. de rapru Virginum. Sic etiam antiqui Canones. *cap. Placuit. cap. de Puellis. 36. quæstion. 2.* At iura huiusmodi corriguntur iure Canonico *capitul. vltim. de Raptoribus*, vbi permittitur, vt rapta libere contrahat cum raptore, etiam priusquam eam restituat his, à quibus eandem rapuerat. Cæterùm in concil. Trident. *sess. 24. capit. 6. de reformatio. matrimonij*, statutum est, inter raptorem, & raptam quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium, nisi postquam à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta fuerit. Si quæras, an rapta contrahens matrimonium cum raptore amittat bona ipsius raptoris sibi per legem delata. Nam *l. 1. C. de rapt. Virgin. & Authentic. de rap. mulie. quæ rapt. nubunt. coll. 9. ad finem*, rapta si raptori nupserit priuatur bonis ipsi⁹ raptoris, quæ ipsi donauerat Glossa *in c. Cum secundùm leges, de Hæreticis in 6.* sentit ea bona raptam amittere, quia lex ciuilis eam pœnam constituit, nec canonico iure damnatur, eo quòd, lex ciuilis constituens, vt ea bona amittat, non irrogat propriè pœnam contrahenti, sed impedit potius, ne rapta sibi lucrum ob delictum raptus acquirat. Sed verior est opinio eorum, qui negant ea bona raptam amittere. Sic alia Gloss. *in cap. de puel. 36. quæstion. 2.* quam sequitur communis opinio, vt ait Couarr. *de matri. par. 2. ca. 3. §. 9. num. 1.* Nam cum lex ciuilis prohibens huiusmodi matrimonium, iure Canonico abrogetur, eodem iure pœna iuris ciuilis sublata censetur, siue sit pœna priuans raptam, siue raptorem aliquo iure ante acquisito, siue impediens, ne ius acquiratur, satis enim est si sit pœna contra matrimonium constituta.

Leges omnes ciuiles, quæ secũdas nuptias, primis solutis, varijs pœnis puniunt, Iure canonico abrogantur, vel corriguntur. *In l. 1. C. de secundis nuptijs*, pœnæ constituuntur in viduas intra annum luctus secundas nuptias contrahentes, quæ amittunt proprietatem, & vsum fructum bonorum, quæ sibi prior maritus reliquerat, eo quòd, ad secundas nuptias festinent, & prioris mariti vita functi consanguineos, & propinquos contristare videantur. At huiusmodi pœnæ Canonico iure tolluntur, *cap. Cum secundum, de secundis nuptijs*: vbi iuxta Apostolum secundæ nuptiæ libere permittuntur. Et quamuis quidam contendant, ciuiles leges, quæ pœnis viduas nubentes intra annum luctus afficiunt, iustas esse; communis tamen opinio, quam sequuntur Innoc. Ioann. Andr. Ante. Abb. Decius, Felin. quos refert, & sequitur Couarru. *de matrimon. part. 2. capit. 3. §. 9. numer. 4. & 5.* habet, huiusmodi leges ac pœnas iure canonico esse sublatas. Si quæras, an etiam ius canonicum locum habeat etiamsi post obitũ mariti intra mẽ-

sem vi-

sem vidua secundò nupserit? quidam negant locum habere, ac proindè ius ciuile esse seruandũ: quod iustam pœnam irrogat viduæ tunc temporis nubenti, ob periculum quod instat ex commistione sanguinis primi, & secundi mariti, ex quo proles redditur incerta, Baldus, & Corneus, vt testatur Couarr. *ibidem.* idem sensit Paul. Eleasia. teste Abbate. Abbas tamẽ, Felinus, Decius, quos omnes citat, & sequitur Couarru. *loco citato*, sentiunt etiam tunc ius Canonicum esse seruandum. Si roges, an leges Ciuiles, quæ constituunt pœnam in viduas secundo nubentes fauore, & gratia filiorum prioris mariti, non autem odio ipsarum viduarum ad nuptias festinantium sint Canonico iure abrogatæ? Respondeo minimè, sed solum eas, quæ viduas properantes ad nuptias puniunt. Sic Innocentius, Ioannes Andreas, Henricus, Antonius, Felinus, vt ait Couarruuias, quãquam Abbas, teste Felino, *in cap. De Francia, de sponsalib.* oppositum docere videatur. Ex quo fit, vt mater tutrix filiorum secundo nũbens, non petito tutore ipsis filijs, nec ratione reddita administrationis bonorum, incurrat in pœnas iure ciuili constitutas *in l. 1. C. de secundis nupt. & in Authenth. eiidem. C. de secundis nupt.* huiusmodi enim pœnæ, iure Canonico non corriguntur, quoniam gratia filiorum sunt irrogatæ, Sic Couarru. *loco citato n. 6.* Ex his etiam efficitur, vt mater secundò nubens, immò etiam pater, ad secundas nuptias transiens debeat filijs ex primo matrimonio susceptis reseruare lucra sibi ex illo coniugio delata, vt docet Couarru. *ibidem nume. 7.* ex communi omnium sententia iuxta id, quod statutum est, *in l. Generaliter, C. de secundis nupt.* vbi vir reseruare debet filijs ex priori matrimonio natis, si ad secundum transierit, ea, quæ ad ipsum ex dote, vel ex bonis prioris vxoris peruenerunt: Et idem dicendum est de lucris, & bonis acquisitis vi alicuius alterius legis, vel statuti, idem iuris est, *vt docet Cardin. in cap. gemma. de sponsalibus, & approbat Felin. in cap. de Francia. de sponsalibus numer. 14.* Si pater filiæ promiserit, se certam patrimonij partem dotis causa daturum, si nupserit Titio mercatori, sin minùs eam partem non daturum, valet testamentum, sub hac promissione factum: quia conditio adiecta, non tam pœna est, quàm gratia in Titium mercatorem collata. idem est, si lex aliqua, vel statutum deferat superstiti, ex bonis alterius coniugis, aliquam partem ratione, & iure lucri non oneris. Couarru. *ibidem nume. 8. & 9.* Si tamen statuto vel lege, dimidia pars lucrorum ad virum pertineat, ea non est filijs ex priori coniugio susceptis reseruanda, sed redditur pars dimidia, quæ ad vxorem mortuam peruenerat. Fit etiam, vt mulier intra annum secundò nubens alenda non sit ab hæredibus mariti, etiam renuentibus dotis bona immobilia restituere. Mulier itidem secundò nubens amittit vestes lugubres, ab hæredibus prioris mariti datas: huiusmodi enim pœnas minimè ius canonicum prohibet. Si quæras, an iure Canonico sit correctum id, quod iure ciuili est constitutum in Authent. *Cui relictum, C. de indicta viduitate tollenda. Et in Authent. Hoc locum, & in l. si vsum fructum, C. Si mulier secundo nupserit*: vbi statuitur, vsum fructum, vel legatum à marito relictum vxori, si viduitatem seruauerit, vel donec secundo nupserit, amittit mulier si secundò nubat. Couarr. *ibidem. n. 10. & 11.* ait, iure Canonico non esse correctum; ac proindè legatum sub ea conditione relictum æquum, & iustum esse. Si obijcias conditio cœlibatus, ac viduitatis generatim adiecta in vltima voluntate reijcitur, *vt constat in l. Sed si hoc, §. Cum vir vxori, ff. De conditionibus & Demonstrationi.* vbi dicitur; *Cum vir vxori, si à liberis non nupserit, in annos singulos aliquid legauit, quid iuris? Iulianus respondit, posse mulierem nubere, & legatum capere. Quod si ita scriptum esset: si à liberis impuberibus non nupserit, legem locum non habere, quia magis cura liberorum, quam viduitas iniungeretur*: Hæc ibi. Cuius legis sensus est; Titius vxori suæ legauit annua decem, si à liberis non se separauerit secundo nupta, tunc potest nutu suo mulier nubere, & nihilominus legatum capere, eo quòd sit ei viduitas indicta, quę conditio pro non adiecta habetur. Si autem prædicti liberi erant impuberes, non poterit habere legatum, si secundò nupserit, quia tunc videtur vir iniunxisse vxori curam filiorum, non viduitatem. Denique, si quæras, quid sit dicendum, si maritus vxori legatum relinquat, condit one adiecta: si castè vixerit: num vxor legatum amittat, si secundò nubat? Respondet Couarru. *ibidem. numer. 12.* amittere. Quòd si obijcias, castè viuere eam, quæ vitam coniugalem elegit. *cap. Nicæna, distinct. 31.* Bartholus, & quidam alij, teste Couarruuia, hoc argumẽto permoti, censent non amittere legatum huiusmodi, vxorem. At verò probabilius est, quod dixi ex sententia aliorum, quoniam licet vita coniugalis sit casta, mens mariti tamen, qui conditionem apposuit, si castè vixerit, est, vt viduitatem seruet ad secundas nuptias non transiens. Ex quo fit, vt si prædicta conditio: si castè vixerit, adiecta sit ab aliquo alio extraneo, qui non sit prioris mariti consanguineus, tunc non amittat legatum vidua, etiamsi secundo nupserit, vt docet Couarru. *ibidem, nu. 12.* Secus verò est, si legatum sub ea conditione relictum sit à patre, filio, vel alio consanguineo mariti prioris: nam in hoc probabiliter mens legantis creditur fuisse, ne secũdò nubat: in priori verò casu non creditur talis mens fuisse, sed solùm, vt castè viuat, siue matrimonij vinculo soluta, siue adstricta.

Item leges ciuiles, quæ concedunt ex multis causis libellum repudij, & solutionem coniugij, Canonico iure corriguntur, quamuis apud Græcos locum, & auctoritatem adhuc habere videantur: In l. Consensu, C. De Repudijs Imperatores multis de causis repudium concedunt: Sic enim dicitur: *Causas autem repudij hac salubertima lege apertiùs designamus. Sicut enim siue iusta causa dissoluti matrimonia iusto limite prohibemus, ita aduersa necessitate pressum, vel pressam, quamuis infausto, attamen necessario auxilio cupimus liberari: Si quæ igitur maritum suum adulterum, aut homicidam, aut veneficum, vel certè contra nostrum imperium aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum inuenerit; si sepulchrorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, si latronem, vel latronum susceptorem, vel abactorem, vel plagiarium, vel ad contemptum sui, domi suæ, ipsa inspiciente cum impudicis mulieribus, quod maxime etiam castas exasperat, cœnum ineuntem: si suæ vitæ veneno aut gladio, aut alio simili modo insidiantem: si se verberibus, quæ*

ingenuis

ingenuis aliena sunt, afficientem probauerit; tunc repudij ei permittimus libertatem. Hæc ibi. Quo loco Iustinianus Imperator plus æquo repudium, siue diuortium permisit tot causis expressis: quamuis Alciatus *lib.6.parerg.ca.20.* Imperatoris audaciam tempori, non viro tribuat, ac deinde existimet causas illas à Iustiniano positas posse Romani Pontificis auctoritate constitui, & approbari: quam sententiam Couarruuias iure optimo cõfutauit. Romulus Vrbis conditor, teste Plutarcho, in vita eius, legem tulit, qua viro vxorem repudiare permisit, si in veneficio natorum, aut in adulterio deprehensa foret, aut claues adulteraſſet: quod si aliter quis repudiasset, eius bonorum partem vxori dari, partem Cereri sacram esse iussit. Item testibus Cœli. *libr.15.lectio.anti.cap.16.* Plutar. *in problem.ca.14.* Vale. *lib.2.cap.1.* apud Romanos veteres passim vxores repudiabantur, misso libello repudij per nuntium. Et primus diuortium fecisse Sp. Coruilius fertur, qui, vt refert Gel. *lib.4.c.3.* & *lib.17.cap.21.* vxorem dimisit quod sterilis esset, & liberos procreare vellet: & hoc datum ei vitio fuisse: postea testantibus id Vale. *lib.6. cap.3.* Plutar. *in problem. cap.13.* Hunc secutus Sulp. Gallus vxori nuntium remisit, quod eam capite aperto foris versatam fuisse intellexisset. Vnde Valerius sic ait: *Horridum quoque Caij Sulpitij, Galli, maritale supplicium: nam vxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris versatam cognouerat. Lex enim inquit, tibi meos tantùm præfinit oculos, quibus & formam tuam approbes, & placere desideres.* Hæ igitur omnes Ciuiles leges, antiquatæ sunt, & Canonico iure abrogatæ: ita vt in his locum habeat, quod ex Gregorio habetur *in cap.sunt qui 27. quæst.2.* vbi dicitur, sunt, qui dicunt religionis gratia coniugia debere dissolui: verùm sciendum est, etsi hoc lex humana, *videlicet,* Authent. *de nup. §. distrahantur. colla. 4.* concessit: lex tamen diuina prohibuit: per se enim veritas dicit, quod Deus coniunxit, homo non separet, & *in cap.lege.dist.10. ex Nicolao Pontifice legimus, lege Imperatorum non omnibus Ecclesiasticis controuersijs vtendum est, præsertim cum inueniatur Euangelicæ, & Catholicæ sanctioni aliquoties obuiare, lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.* Sic ille.

Præterea leges ciuiles, quæ prohibent matrimonium inter certa personarum genera, minimè iure Canonico interdicta, non valent, *vt testantur Barth. in l.Titia, ff.solu.matrim. Federic.consil.35. Ioann. Andr. in c.vltim. de secun. nup. Anton. Abb. Felin. in cap.de Franc.de sponsalibus, Alex. cons.97. num.2. vers. & quamuis. Curtius Senior consil.17.numer.3. & sequent. Couarru.de Matrim.part.2.cap.6. §.10. numer.16. & Felinus citat Chalderinum. Archidiac. Roman. Baldum, Salycetum, Nempe.l.1. & l.Si tutor.C. De interdicto matrimonio, ac l.1.C. Si rector.* constitutæ sunt leges, quibus cauetur, ne inter tutorem, curatorem, vel eius filium, & pupillam matrimonium contrahatur, ne item rector prouinciæ ducat in vxorem fœminam aliquam prouincialem suę iurisdictioni, & potestati subiectam. Non valent hæ leges, quãuis sentiat oppositum Cynus *in l.vlt.C. de matrimo. inter pupillum, & viduam.* Ex quo etiam fit, vt multa Ciuitatum statuta vim non habeant; in his sunt ea, quæ puniunt fœminas matrimonium contrahentes cum externis, hoc est, cum viris extra ciuitatem, & territorium. *Iul. Clarus. lib.5.sententia.receptæ.§.practica criminalis. quæst.82. statuto.3. Curt. Sen. consil.17. numer.3. Couarru. loco citato. & Felinus. cap. de Franc. de Sponsalib. numer.20. citat Baldum. Ioann. Andr. Abbatem.* quamuis in dubium vocent quidã, an valeant ea ciuitatum statuta, quibus cauetur, ne fœminæ, quibus assignatæ cõstitutæq; dotes sunt in redditibus annuis ciuitatis, nubant viris externis minimè ipsi⁹ ciuitatis iurisdictioni subiectis. Est enim quorundam sententia, iusta, & æqua esse huiusmodi statuta Barth. Angel. Cardin. Calde. Ro. quos citat Felin. *c.prædicto. num.20.* alij verò id inficiantur, eo quòd fœminarum libertatem in matrimonio contrahendo diminuant. *Iul. Clarus, loco supra citato. Bald. Ioann. Andr. Abb. quos refert, & sequitur Felinus. capite citato.* Sunt quoque alia statuta, quæ in vniuersum prohibent obligationem dotis in contractu matrimonij initi cum viro alterius ciuitatis. Quidam approbant, alij improbant hæc statuta. Iul. Clarius *loco prædicto.* & Felin. *ca. citato*, agunt de his statutis. Pari etiam ratione in controuersia est, an valeant ea statuta, quibus amissio dotis irrogatur fœminis, quæ nubunt viris indignis sine consensu patris. Quidam tanquam iusta recipiunt, & approbant eo, quòd huiusmodi nuptiæ sint parentibus, & consanguineis dedecori, & ignominiæ, & gignere soleant dissidia, & odia, & offensiones multorũ, & quod sint cõtra bonos mores. Alij verò ea improbant, eo quòd matrimonij libertati detrahant, iusta & æqua esse statuta sentiunt Bald. Calderin. vt refert Feli. *ca.prædicto.nu.13.* At irrita, & nullius momenti, & põderis esse testantur Hostien. Io. And. Ant. Abb. *c.1. de desponsa.impu.* Fede. *cons.35.* Feli. *cap. citato. num.13.*

Leges Ciuiles, quæ prohibent fœminas nubere sine consensu patris, aut fratrum, iure Canonico sublatas, vel correctas esse testantur Abba. Ancharanus, Ioann. Andr. Butri. Alex. Curt. quos refert Iul. Clar. *loco citato.* & Felin. *cap. citato.* Alij verò huiusmodi leges ratas esse docent. Barth. & alij, teste Iulio Clario *loco prædicto.* Certè in Authent. Vt cum de Appellatione cognoscitur, Collat.8. §. Causas autem, inter iustas ingrati animi causas ob quas patri liceat ab hæreditate filias excludere, habetur: *Si filia, quam pater vult nuptui tradere, non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit, abdicari possit.* Et subdit: *Si à vigesimo quinto anno parentes distulerint eam in matrimonium collocare, & forsan contigerit in suum corpus peccare, aut sine consensu parentum nubere se, libero tamen, coniungere, hoc ad ingrati animi vitium filiæ non imputetur,* de his legibus Couarru. *de matrim. part.2.cap.3. §.8.* & Doctores, *in cap.1. de sponsalibus.* Ex quibus colligunt aliqui argumento à cõtrario sensu ducto; Si filia ante vigesimum quintum annum inscijs, vel dissentientibus parentib⁹ nupserit, eam ab hæreditate repelli iure posse. Extant alicubi statuta; vt si filia clam præter parentum voluntatem nupserit, liceat parentibus, eam hæreditatis iure spoliare, quę statuta videntur approbare. Anchar. Cardinal. Ioann. Imola, quos refert Felin. *cap. de Francia. de sponsalib. num.13.* eo quòd iuxta Glos. *in Clem. ne Romani, verbo tolli. de electio.* lex superioris, seruari potest iussu, & auctoritate inferioris, pœna adiecta: sed Canones, & iura constituunt, ne filia nubat absque patris consensu: ergo laici possunt statuta condere et-

iam pœ-

iam pœna constituta in eas fœminas, quæ citra patris consensum nupserint. Hanc Glossam dicit esse singularem Felinus. *in cap. de Francia citato*; & Decius *in cap. quæ in Ecclesiarum, de constit.* Profectò dubitari non potest, quin Principes ac liberæ ciuitates, & Respublicæ possint fœminas, quæ sic aut aliter nubunt, certis pœnis punire, quatenus Reipub. pacem perturbant, & quatenus inter cõsanguineos odia, & dissidia pariunt, & seminant, cum ad incestas, infames, indignasue nuptias se transferant. Item, negari non potest quin in puellis nondum satis proiectis, & adultis nonnullum delictum sit, inconsultis parentibus matrimonium contrahere sine iusta, & debita causa: matrimonium enim res est magni ponderis, & momenti; & ratio naturalis præscribit, vt filij parentibus obtemperent, eorumque consilio regantur: & iura Canonica prohibent clam matrimonia contrahi, & *cap. Aliter. 30. quæst. 5. cap. honorantur. 32. quæst. 2.* habetur, ne matrimonia filij ineant absque parentum assensu. Ex altero verò capite ius Canonicum liberam potestatem facit filijs matrimonia contrahendi, ac proindè videtur Principibus adempta facultas pœnas irrogãdi filijs absque parentum consensu nuptias ineuntibus. Sot. *in 4. distinct. 29. quæstion. prima, articulo 4. post conclus. 3.* meo iudicio non malè huiusmodi leges aliquando iustas esse testatur, si non vniuersè ferantur, sed speciatim, nimirum, ne filiæ magnatum, illustriumue hominum inscijs parentibus nubant. Item, ne puellæ non satis adultæ, scilicet ante decimum septimum annum, vel vigesimum sine consensu parentum, viris se tradant. Item, ne puellæ inscijs parentibus viris longè inferioris gradus, & imparis conditionis matrimonio coniungantur. Couarru. *de matrimo. part. secund. capit. 6. numer. 17. & sequentibus*, latè disputat, an statutum lexuè ciuilis valeat, qua, pœna constituitur in filiam sine consensu parentum clandestinè nubentem. Et quamuis hinc inde varias referat sententias, tandem ei subscribere videtur, quæ huiusmodi statutum, & legem approbat, quoniam licet ciuilia iura nihil possint statuere in ijs, quæ ad matrimonij substantiam spectant: At verò possunt, inquit Couarruuias, pœnas irrogare his, qui contrahunt nuptias iure ipso Canonico damnatas, cuiusmodi sunt clandestina matrimonia. Quid ni, inquit, possint Principes pœnis punire eum, qui contrahit incestas nuptias? Item, possunt animaduertere in vsurarios, & periuros, quamuis vsuræ, & periurij crimen sit Ecclesiasticum, ergo & in filias clam sine parentum consensu nubentes, contrahi debere, nec impediri iure posse, & sæpissimè filias non audere eos, quos cupiunt, maritos accipere, & aliquando iniuria parentum contra fas omne opprimi. Nonnunquam inquies, eas in matrimonium collocare, parentes recusant, aut differunt, vel incuria, vel negligentia, vel auaritia, aut alijs priuatis affectibus, ne eas dotare compellantur. Interdum etiam accidit, vt parentes filias cogant eos maritos assumere, quos ipsæ nolient, aut quos oderunt: & non raro contingit, vt filiæ legis alicuius vinculo adstrictæ debeant alios maritos sibi adiungere, quàm quos parentes volunt. Respondet Couarruuias, huiusmodi leges, & statuta ciuilia non esse tam seuerè sumenda, sed iuxta rectæ rationis præscriptũ, quod varium esse potest pro varietate temporum, locorum, rerum, & personarum.

Sunt etiam leges Ciuiles, in quibus homicidiũ in multis casibus impune conceditur. Constat ex lege 12. Tabularum, licuisse adulterum in crimine deprehensum perimere. Sic enim habet lex. *Moechum in adulterio deprehensum necato*: quæ lex teste Plutarcho, Athenis à Dracone, & Solone lata fuit: postea verò licuit maritis vxores in adulterio deprehensas, absque vlla iudicis auctoritate, priuatim occidere. Et lege Iulia, De Adulterijs, ab Augusto posita, sicuti refert Vlpianus *in l. ex lege Iulia, ff. de Adulterijs*, adempta fuit maritis potestas interficiendi vxores adulteras, neque eis licuit quemlibet adulterum interimere, nisi vilem, aut infamem, eumque domi suæ cum vxore deprehensum. *l. Marito quoque, ff. ad legem Iuliam de Adulterijs.* Patri autem permissum fuit quemlibet adulterum necare cum filia etiam in domi mariti deprehensum, immò & ipsam filiam occidere simul. *l. Patri, & l. Nec in ea, ad finem, ff. ad legem Iuliam, de Adulterijs, & l. Grachus, C. ad legem Iuliam, de Adulterijs.* Fuit autem hoc ius patri concessum, sed marito denegatum, quia plerumque pietas paterni nominis pro liberis consilium capit: at mariti ira, & impetus facilè fœuientis cohiberi, & refrenari debuit. Iure etiam Authenticorum, & constitutionum Nouellarum licuit marito quemlibet adulterum trucidare, si eum in suspecto loco cum vxore colloquentem deprehenderet, cum prius eundem propter suspicionem ter scripto admonuisset, ne cum vxore in secreto, aut suspecto loco confabularetur. *Authent. Liceat matri, & auiæ, ß. ijs quoque, coll. 7. Authent. si quis ei, C. ad legem Iuliam, de Adulterijs.*

Ex his igitur legibus constat licuisse maritis adulteros iugulare non quoslibet, sed vel viles, vel infames, aut eos, quos ob suspicionem ter per literas, siue in scriptis, admonitos, cum vxoribus in secreto, & suspecto loco colloquentes deprehenderint. Et patri similiter permissum fuisse filiam adulteram simul, & adulterum in crimine deprehensos occidere.

Dubitatur igitur, an huiusmodi leges ciuiles sint canonico iure abrogatæ, hoc est, An maritus, qui propria auctoritate vxorem, & adulterum in crimine deprehensos priuatim occiderit, lethale peccatum admittat? Et eadem dubitatio est de patre interficiente filiam, & adulterum deprehensos in crimine. Sunt, qui negent lethale peccatum admittere, quod colligere contendunt ex cap. Si verò. 1. de sentent. excommun. vbi percutiens Clericum in adulterio cum vxore, vel cum matre, sorore vel filia in turpi scelere deprehensum, liber ab Excommunicatione censetur: cum tamen cæteri Clericorum percussores excommunicatione feriantur, *& cap. Interfectores 33. quæstion. 2.* homicidæ vocantur interfectores vxorum, quando vxores non erant adulteræ: ergo si adulteræ essent, mariti non dicerentur homicidæ. Et in cap. Inter hæc, & cap. Quicunque, & cap. Admonere. lex mundana refertur, ex quo liceat vxorem adulteram necare, quibus verbis videtur ius Canonicum approbare prædictas ci-

uiles leges. Deindè, fas est legem condere, qua pœna mortis in adulteros constituatur: ergo sicut lex potest ministrum constituere, & adhibere, qui pœnam mortis de adulteris, Magistratus imperio sumat, sic etiam potest maritum, aut patrē ministrum destinare, qui pœna mortis in vxorem, vel filiam, & adulterum deprehensos in crimine animaduertant. Præterea, Princeps vel Respublica liberam potest facultatem concedere occidendi eos, qui sunt publicè proscripti, quia eo ipso Respub. singulos ciues, vt ministros constituit ad morte mulctandos huiusmodi criminosos. ergo potest etiam Respublica maritum, vel patrem, vt ministrum ascisere ad vxorem, vel filiam, & adulterum occidendos. Constans tamen omnium opinio est, absque lethali peccato non licere marito, vel patri, vxorem vel filiam in adulterio deprehensam necare, & eiusmodi ciuiles leges iure Canonico esse sublatas. Nam *in capit. Inter hæc 33.q.2.* dicitur, Ecclesiam mundanis hisce legibus minimè teneri, & *in cap. sequenti Quicunque*, inter sectoribus vxorū, pœnitentia irrogatur. Et Glossa *in c. Inter hæc 33.quæst.2.* docet lethaliter peccare maritum propria auctoritate occidentem vxorem, etiamsi eam in ipso crimine deprehenderit. Sic etiam sentiunt Abb. Anan. Feli. Iason, Tiraq. & alij *quos refert, & sequitur Couarru. de matri. par.2.ca.7.§.7.nu.9.* sic etiam Theologi, *vt constat ex S.Thom.4.d.37.q.2.art.2. Palu.4.d.37.q.2. art.1. Richar.4.d 37.art.2.q.1. Sot.4.d.37.q.1.ar.3. Sylu. homicidium.1.q.2. Ange. homicidium.1.nu.6.* Ad id verò, quod obijcitur ex c. Si verò 1. de senten. excom. Respondeo, cum Couarruuia, ibi non dici, fas esse marito percutere adulterum cum vxore deprehensum, sed excommunicationis pœnam remitti percutiēti propter iustum illum dolorem, à quo pater, aut vir facilè sibi temperare non potest. Nam ex eodem capite manifestè constat, fratrem percutientem Clericum cum sorore deprehensum, ab excommunicatione liberum iudicari: & tamen nulla lege ciuili, aut canonica fratri conceditur, vt percutiat virum cum sorore rem habentem, etiamsi eum in crimine deprehenderit. Item, lege ipsa ciuili, nō licet marito quemlibet adulterum cum vxore deprehensum iugulare, vel vilē, aut infamem, qualis Clericus non est, & tamen in eo c. Si verò, liber ab excommunicatione censetur maritus, qui Clericum percussit deprehēsum in crimine cum vxore.

Ad aliud verò argumentum, respondeo aliud ius esse, quando Resp. liberam alicui facultatem cōcedit alterum necandi, aliud verò, cum facultatem non dat, sed impunè permittit delictum. Nam in primo casu ministrum constituit necis eum, cui liberam occidendi criminosum potestatem facit: in secundo verò non item, quia non hoc ipso, quòd pœna non afficit sontes, eis facultatem delinquendi concedit. Si quæras, quid sit iudicandum de legibus, vel statutis, quibus marito facultas datur, vt si velit, occidat vxorem adulteram publico iudicio de adulterio damnatā, & ob id morte dignam. Respondet Sot.4.d.37.q.1.art.3. huiusmodi statuta nihil cum iure Canonico naturali, aut diuino pugnare, ac proinde esse iusta, quoniam postquam adultera est publico iudicio condemnata criminis, iure, ministro traditur, vt pœna capitis secundùm leges, & iura puniatur. At sicuti cuilibet alteri ministro tradi potest, sic etiam marito, qui in eam tanquam iudicis minister debita legis pœna animaduertat, nisi quod maritus in vxore pœna capitis plectenda constituitur voluntarius minister, vt si velit, eam occidat, sin minus delictum condonata venia remittat, cum tamen cæteri ministri in puniendis criminibus non voluntarij, sed necessarij ministri sint.

Cap. XXI.

De alijs legibus Ciuilibus Canonico item Iure correctis, aut sublatis.

Extant C. De concubinis, leges, quę concedūt, siue permittunt Concubinas, quas iura Canonica minimè permittunt. Is enim qui concubinam habet lethali peccato sese obstringit *c. nemo sibi. ca. meretrices. 32. q.4.* Concubina verò est fœmina omni coniugij, & alio quolibet vinculo soluta, quæ tamen ab aliquo in domo, perindè ac si propria esset vxor, habetur.

Item, *in Authen. Ex complexu C. de incestis nupt. & in Authent. Quibus modis naturales efficiantur sui, §. vlt. & in Authen. licet, C. de natural. liberis.* leges ciuiles extant, quibus alimenta denegantur filijs spurijs, ex incesto alioue damnato concubitu natis. Concubitum siue coitum damnatum leges, & iura vocant, qui est inter eos, qui matrimonium inire iure nequeunt, tempore, quo ex eo concubitu filius concipitur. Hæ leges iure Canonico corriguntur. Nā *in cap. Cum haberet, De eo, qui duxit in matrimonium, quam poll. per adulterium*: filijs spurijs ex incesto, & quouis dānato coitu siue congressu susceptis, alimenta præstantur, & eis debentur, etiam si eorum pater ea dari prohibeat. Quoniam naturali iure, vel saltem æquitate filius procreatus ali, educari, & conseruari debet, ne pereat, quod naturale eius siue æquitatis præscriptum, tū legitimis, tum spurijs commune filijs, & ex damnato cōplexu procreatis ac, proindè nulla lege Ciuili huiusmodi ius tolli potest. Vnde in foro etiam ciuili secundum ius Canonicum, & non leges de alimentis iudicatur, vt docent Inno. Abb. Barth. Felin. Dec. Corse. Rip. Alcia. *quos refert, & sequitur Couar. de matrim. part.2. cap.8. num.6.* licet fuerint alij, qui senserint, ius Canonicum in hac causa in terris Romanæ Ecclesię temporali potestati subiectis esse seruandum, alibi verò ius Ciuile. Sed prior sententia est recepta. Porrò ius naturale intelligitur locum habere, quando filius nō habet, vnde possit alimenta percipere. Et hinc est, vt filij dum infantes sunt, necessariò à parentibus nutriri debeant: filij itidem, qui nec viribus nec arte, nec industria se sustentare possunt, nec aliunde vitæ subsidia habent, debent necessariò à parentibus ali, quales sunt filij cœci nati, aut amētes, aut aliqua alia ratione imbecilli, infirmi, & inepti: cæteris verò alimenta quoq; naturali quadam æquitate debentur, quamuis iustis de causis possint eis denegari, vt suo loco dicemus. Si quæras, an etiā his alimenta sint canonico iure præstanda. Respōdeo maximè, quia naturali æquitate debentur. Si iterū quæras, an si lex aliqua certam bonorū quan-

titatem

titatem definiat loco alimentorum, liceat patri eam filio etiam spurio relinquere. Couarru. *loco citato.numer.10.* Respondet, licere patri id facere; quamuis ipse filius habeat patrimonium, vel bona, ex quibus possit seipsum alere, ex quo fit, vt vbicunque sit lex aliqua municipalis concedens parenti liberam facultatem, vt quintam suorum bonorum partem iure alimentorum filio, cui voluerit, relinquat, pater possit, filio etiam spurio eam iure alimentorum relinquere, etiamsi is filius sit alioqui ditissimus. Si itidem quæras, an statuta sint iusta, quibus cauetur, ne parentes etiam loco alimentorum, filijs spurijs aliquid relinquant, si aliunde habeant, ex quibus commodè sustententur. Respondeo, ea esse iusta, ob communem Reipub. salutem: nam ius naturale solùm præcipit, vt alimenta filijs, non aliunde habentibus præbeantur: ergo si aliunde ali queant, iustis de causis possunt alimentis spoliari. Sicut enim ob vitium ingrati animi, vel ob alia scelera filij aliunde habêtes necessaria vitæ subsidia possunt alimentis iure priuari, sic etiam in detestationê, & odium damnati concubitus, iure possunt alimenta denegari filijs spurijs ex damnato cõgressu procreatis, si habeant aliundè patrimonium, bona, aut vires, vel artem, vel industriam ex quibus commodè viuant. Et sciendum est, nõ solùm parêtes iure compelli ad filios spurios alendos, sed etiam auos, & proauos, ac cæteros his maiores, si parentes eos nutrire nequeant, vt docuerũt Abbas, Bartholus, Cynus, & Socinus, *quos refert, & sequitur Couarruuias loco citato.nu.16.* Immò etiam parentum hæredes coguntur filios spurios alere, *vt ibi docet Couarruuias.* Præterea, alimenta filijs detrahi iure possunt eisdem causis, quibus filij possunt à parentib⁹ hereditate spoliari, quod docet Glossa communi consensu recepta *in cap. Cum haberet, de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium,* & Glossa *in l. Si quis à liberis. §. Idem Iudex. ff. De liberis agnosc.* vbi similiter Glossa tradit posse alimenta filijs ex prædictis causis denegari, non tamen quę sunt præcisè necessaria ad vitæ subsidia. Quęres, an his etiam alimẽtis iure possit filius spoliari ob ea crimina in patrem admissa, ob quæ capitalem pœnã mereretur? Couarruuias *loco citato.n. 17.* affirmat, quoniã si ob ea delicta morte dignus esset, iure quoque potest subsidijs vitæ necessarijs priuari. Nã cui vitã eripere iure possumus, alimẽta quoq; vitæ necessaria denegare, & adimere similiter possumus. Ea etiam lex ciuilis duodecim Tabularum, qua scriptum erat, è meretrice natus patrem non alito, quę teste Plutarcho fuit primũ à Solone lata, locum in iure Canonico, nõ habet; nã pietati, quæ patri debetur, repugnat ex parte.

Leges insuper ciuiles, quæ concedunt, vt possessor malæ fidei vsu capiat, seu præscribat, vt vulgo dicitur (quæ colliguntur ex C. de præscriptione, triginta, vel quadraginta annorũ. l. Cum notissimi) abrogantur in cap. vltim. de præscriptionibus, & in cap. Possessor. De Regul. Iuris in sexto, vbi dicitur: *Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit: ac proindè etiam longissimo tempore triginta, aut quadraginta, aut centum annorum nequit iure præscribere,* & quamuis Hostien. *in sum. tit. de præscript. §. quæ res præscribi possunt.* & Barth. *in l. sequitur. §. Si viam. ff. de vsucap.* & Adrian. *in 4. de restitu. §. hoc supposito inquirendum,* & alij quos citat Couarruu. *in regni. possessor. part. 2. §. 11. & libr. 1. varia. resolu. cap. 9. num. 5.* putauerint leges ciuiles, non in totum per ius Canonicum esse sublatas, & præscriptionem in certis casibus etiam cum mala fide iure canonico, & tuta conscientia valere. Sed verior est opinio Ioan. Andreæ, Antonij, Abbatis, Felin. *in ca. vltim. de præscription.* & Couarruuiæ *loco citato*, asserentium leges ciuiles, ex toto per ius Canonicum esse in hac parte correctas, & sublatas, & præscriptionem cum mala fide in vniuersum iure canonico damnari, nec vllam vim, & locum habere in foro cõscientiæ, de qua re dicam, cum de præscriptione tractabo. Illæ itidẽ leges ciuiles, quæ vsuras impunè permittunt Canonico iure corriguntur: de quibus legibus differam suo loco, cum de vsura disputabo.

Sunt etiam leges Ciuiles, quę licet facultatem non concedant, impunè tamen aliqua permittũt, ita vt nec ea puniant, nec in iudicio dent actionẽ, *V. G. C. De rescinden. venditione, l. 2.* permittitur vt res vendatur, vel ematur maiori, vel minori pretio, quàm æstimetur, dummodo pretium non sit maius, aut minus vltra vel citra dimidium iustę æstimationis. At in foro conscientiæ si res pluris vẽdatur, aut minoris ematur, quàm valeat, restituẽdum est, quod vltra iustum pretium venditor accepit, vel augendum pretium ab emptore vsq; ad iustam rei æstimationem.

Leges etiam ciuiles, quæ constituunt, vt legatum, siue, relictum in testamento non valeat nisi septem, vel quinq; testium numero confirmetur. *l. Si vnus, & l. vltima. C. De testam.* iure Canonico locum non habent in his, quæ legantur, & relinquuntur ad pias causas, in quibus tres, aut duo testes sufficiunt. *capit. Cum esset, & capit. Relatum, De testament.*

Præterea secundum leges, & iura Ciuilia ex promissione pactoue nudo absque solenni iuris formula, actio non oritur, *l. Iurisgentium, ff. De Pactis.* At in foro conscientiæ promissum simplex, aut nudum pactum seruare quisque debet, *ca. 1. De Pactis, & c. Iuramenti 32. q. 3.*

Item secundum leges, promissione absenti facta per interpositam personam ius non acquiritur, nisi interposita persona fuerit in alterius potestate constituta, aut eius negocia gerat. Per seruum enim, aut filium familias, aut procuratorem ius patri, & Domino acquiritur. *Instit. Per quas personas nobis acquiratur obligatio. & ff. & C. De Procuratoribus, & negociorum gestoribus.* At in foro conscientiæ si promitto alicui, promissionem nomine alterius ratam habenti, eo ipso, me absenti obligaui. *Sylu. lex. q. 9. vers. 12.*

Insuper leges Ciuiles constituunt, vt hæres legata ac cætera in testamento relicta vltra hæreditatis facultates, soluere debeat, si inuentario non facto hæreditatem adierit; & in eam se intulerit, *vt constat ex l. vlt. C. De iure deliberandi.* At in foro conscientię si hæreditas minimè sufficiat, non debet hæres contracta à testatore debita soluere, siue ex contractu, vel quasi contractu, siue ex delicto, vel quasi delicto descẽdant. Sic communis Doctorum opinio. Bartho. Bal. Alexan. Iason. Ioann. Andr. Anto. Abba. Felin. quos refert, & sequitur Couarru. *de testam. ca. 1. nu. 16.* Sylu. *hæreditas.*

3. *quæst.* 5. quanquam Feder. *conf.* 21. & Paul. Castren. teste Couarruuia sentiunt contrarium, eo quòd lex ciuilis iusta esse videatur, ac proindè conscientiam obstringit. Sed communis opinio habet eam legem ciuilem, latam solum esse ad fraudes tollendas, ergo vbi fraus in hærede non est, ea lex conscientiam non tenet.

Leges item ciuiles Magos, & Veneficos puniunt, sed qui incantationibus, & veneficijs vtuntur contra imbres, ventos & grandines, non modò non puniuntur, sed præmijs quoque donantur. *l. Eorum, C. De Maleficijs.* At ve rò secundum iura Canonica his vti non licet. Sanct. Thom. 2. 2. *quæst.* 96.

Ad hæc, secundùm leges fas est, in causa sanguinis accusatorem corrumpere, *l. vlt. ff. De Præuaricator.* quod tamen secundum ius Canonicum facere nobis non licet, vt docet S. Thom. 2. 2. *q.* 69. *ar.* 2. *ad* 1. Porrò an Ecclesia, vel Romanus Pontifex possit leges ciuiles, videlicet Imperatorum, & Regum corrigere, dicam cum de Romani Pontificis auctoritate, & potestate tractabo.

Cap. XXII.

De Priuilegijs.

PRIMO quæritur, quid nomine Priuilegij intelligatur: Respondeo, Priuilegium esse legem ad priuatos homines singulosq; pertinentem: nam lex in commune fertur, & ad omnes pertinet. Leges, inquit Angelus libr. 10. cap. 20. *sunt generalia iussa, & de vniuersis ciuibus: at Priuilegia sunt priuata iussa, & de singulis concepta*, quia Veteres Priua dixerunt, quæ nos singula dicimus. Vnde ex Isidoro *cap. Priuilegia dist.* 3. dicitur: *Priuilegia sunt priuatorum leges, quasi priuatæ leges.* Vocatur etiam Priuilegium ius singulare, constitutio personalis, Rescriptum, Beneficium, Diploma, Auxilium, Fauor, Gratia. Et in iure Canonico Priuilegia dici solent Indulta, Immunitates; aliquãdo verò Priuilegium significat Prælationem, Prærogatiuam, quæ inter actiones personales vertitur, qua in debiti repetitione Chirographarij creditores alijs Chirographarijs præferuntur. Priuilegiarius is dicitur, cui est aliquod Priuilegiũ concessum. *l. si ventri, ff. de Priuileg. creditorum l. Rescriptum, ff. de Pactis. leg. sed an hic, ff. Quod cum eo, qui in aliena potestate.*

Secundò, Quot modis Priuilegium diuidatur? Hostiensis *in sum. tit. de Priuil.* & eum secuti Angelus, & Syluester *in verbo Priuilegium*: Priuilegiorum genera sic partiuntur; vt alia sint Realia, alia Personalia. Rursus personalia, alia singulariter Personalia, & communiter quoque Personalia: alia verò singulariter personalia, sed communiter Corporalia, alia tantum communiter Corporalia. Realia vocant quę certo generi actionis, causæ, vel negotij conceduntur: Item quæ in certum locum, vel dignitatem hominis conferuntur. At personalia, quæ certæ personæ: Corporalia quę certo corpori, hoc est, Collegio, Communitati, vel Vniuersitati hominum dantur: exempli gratia Priuilegiũ singulariter Personale est, quod cõceditur certis personis proprijs nominibus expressis, c. volentes, de ofñ. legat. Cõmuniter Personale est, quod conceditur personis non expressis nominibus earum proprijs, vt Priuilegia minorum viginti annis, priuilegia militum, priuilegia scholasticorũ. Priuilegium singulariter Personale, & communiter Corporale est, quod conceditur corpori; nempè Communitati, Collegio; ita tamen, vt singuli illius corporis eo priuilegio gaudeant, qualia sunt priuilegia concessa religiosis ordinibus Prædicatorum, & Minorum. Priuilegium simpliciter Corporale est, quod conceditur corpori, hoc est Vniuersitati, Collegio; ita tamen, vt eo priuilegio solum fruatur ipsa Communitas, non singuli: & ideò dicitur Corporale; quia conuenit ipsi corpori Communitatis, non singulis personis. Sed satis est, si Priuilegium in duas partes distribuamus, vt aliud sit Rei, aliud Personę, nam *in l. priuilegia, ff. de regulis iuris.* Priuilegia aut sunt Causæ, aut Personæ, *& cap. Manlaa, de præsumpt.* aut loco, aut personæ Priuilegia concedi dicuntur. Rei priuilegium est, quod conceditur certo generi actionis, causæ, vel negocij, vel loco, vel dignitati. Personæ verò priuilegium est, quod in certam personam confertur, vel certo generi personarum, seu Vniuersitati, Communitati, vel Collegio hominum conceditur. Genus actionis Priuilegium habet, vt si quis agat pro impẽsis in funere factis, vel pro pecunia mutuo data ad refectionem nauis: aut si quis ex mora vsuras petat. Quando verò Priuilegium conceditur in vniuersum certo generi personarum certis ex causis, aut ratione loci, vel dignitatis, potiùs censetur priuilegium rei, quàm personæ; Priuilegium, quo gaudent minores viginti quinq; annis, quibus datur restitutio in integrum, *ff. de Minoribus*, dicitur personale, sed communiter datum. Alij vocant priuilegium partim personales, quia personis concessum, partim reale, quia datum est ratione ætatis, quod etiam Priuilegium habent maiores absentes causa Reipublicæ, ff. ex quibus causis Maiores in integrum restituuntur. Tale est priuilegium mulierum, quæ beneficio Senatus Consulti Velleiani pro alio fideiubere non possunt. *ff. & C. Ad Velleianum*, & filiorum familias, qui beneficio Senatus Consulti Macedoniani iuuantur contra creditores in pecunia mutuo accepta, *ff. & C. Macedonianum.* Sic etiam multa sunt Clericorum priuilegia, multa Religiosorum, tum Monachorum, tum Mendicantium, & Canonicorum regularium, multa Episcoporum, Principum, Nobilium, & Illustrium hominum, Militum, atque Scholasticorum: quibus Priuilegijs horum hominum singuli iuuantur, nó quod singulis illorum sint concessa, sed Dignitati, Ordini, Religioni, vel Statui, ac proindè singuli in causis, ac litibus se his Priuilegijs muniunt, ac tuentur ratione ordinis, status, conditionis, professionis, religionis, & aliorum huiusmodi. Item Priuilegium, aut est ad aliquid faciendum, aut non faciendum. Ad faciendum, vt si cui facultas concedatur, vt possit ingredi in domicilia sacrarum Virginum, vel vt possit Confessarium eligere. Ad non faciendum, vt si cui detur facultas, ne decimas soluat, ne tributa pendat, ne subeat onera communia.

Tertiò quæritur, Cuius sit Priuilegium concedere. Respõdeo, Principum, cuiusmodi sunt Rex,

Imperator,

Imperator, ac Romanus Pontifex, & ij etiam Duces, Marchiones, & Comites, qui in temporalium administratione superiorem nec habent, nec agnoscunt; nam Priuilegio, quis à lege siue iure communi soluitur, & eximitur? at leges, & iura non soluit, & relaxat, nisi Princeps, cuius sunt auctoritate sancita. Romanus Pontifex in his, quæ spiritualia sunt, potest Priuilegia dare: in temporalibus verò non absolutè, & simpliciter concedit; sed in certis quibusdam casis, in quibus temporalium administratio, & iurisdictio ad ipsum iure defertur, atque deuoluitur: quamuis in terris ditioni, & potestati Romanæ Ecclesiæ temporali subiectis possit. Reges verò, & Imperatores in his, quæ temporalia sunt, possunt Priuilegia conferre. In spiritualibus verò non item. Possunt etiam, Patriarchæ, Primates, & Episcopi, Magistratus, & Ciuitates absolutè Priuilegia concedere, contra statuta ab ipsis posita: contra ius verò commune nonnisi in certis casibus ipso iure permissis: de quibus suo loco dicemus.

Quartò quæritur, Quibusnam possit Priuilegium concedi? Respondeo, ijs tantùm, qui in ditione, & potestate illius sunt, qui Priuilegium concedit; nam Priuilegiarij à lege, & iure communi excipiuntur: Sed nemo potest quemquam lege soluere, nisi Princeps, qui eam tulit: Ex quo fit, vt nec Princeps possit omnibus in vniuersum Priuilegia dare, sed tantùm hominibus suæ potestati, & ditioni subiectis.

Quintò quæritur, Quonam differat Beneficiũ Principis à Priuilegio? Respondeo cum Abbate *in c.olim, de verbo. signifi. n.7.* & ex communi consensu, Priuilegium propriè esse facultatem aliquid faciendi, vel non faciendi contra leges, canones, & iura concessam: Beneficium verò propriè facultatem datam à Principe præter, non contra canones, leges, & iura. Aliquando tamen vnum pro altero sumitur.

Sextò quæritur, An Priuilegium obitũ eius, cui est concessum finiatur? Respondeo esse regulam iuris *in 6. cap. Priuilegium*, vbi dicitur: *Priuilegium personæ personam sequitur, & extinguitur cum persona*, Quæ regula sumpta est ex l. Priuilegia, ff. de regul. iuris, quæ sic habet: *Priuilegia, quædam Causæ sunt, quædam Personæ; & ideò quædam ad hæredem transmittuntur, nimirum ea, quæ causæ sunt; at quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt.* & l. in omnibus causis. 2. ff. de regul. iuris, sic etiam habet: *In omnibus Causis id obseruatur, vt vbi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat.* Vbi verò genus actionis id desiderat, ibi ad quemuis prosecutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilij. Ex quibus regulis duo colliguntur, Vnum est, Priuilegia personæ vna cum ipsa finiri, & extinguis; ac proindè ad hæredes, vel successores nõ transmitti: Alterum est, Priuilegium rei non cum persona desinere, quoniam rei, non personæ hæret; ac proinde rem, non personam sequitur; & eo ipso ad hæredes, vel ad eos, ad quos res ipsa deuenerit, transmittitur. exempli gratia. Priuilegium, quod datur patri, patrono, militi, vt condemnẽtur solùm in eo, quòd facere possunt, cũ persona perit. *l. sunt, qui in id l. patronus. l. item miles. ff. de senten. & re iudica.* Item, *in l. maritum, & sequent. ff. soluto matrim.* mariti hæres extraneus condemnatur in solidum, non habita ratione, ne egeat, cum alioqui maritus solùm condemnaretur in id, quod facere potest, habita ratione, ne egeat: quoniam tale priuilegium personæ est, & cum persona extinguitur. Ex quo fit, vt si Priuilegio aliquis potiatur ratione dignitatis, vel muneris, quo fungitur, ad aliam dignitatem promotus, priuilegio vti nequeat. Fit etiam, vt Priuilegium, quod dignitati adhæret, ad successorem transeat: quod verò personæ est, non item, *Gloss. in c. priuilegium, de reg. iuris in 6.*

Septimò quæritur, An Priuilegium cum reuocatur auctoritate Principis vim amittat statim, atque à Principe reuocatur, an verò quamprimũ nota est reuocatio Priuilegiario? Respondeo, ex communi sententia Priuilegium personæ, si reuocetur à Principe tunc finiri, quum peruenit ad notitiam Priuilegiarij. Sotus *lib. 3. de iust. q. 1. art. 4.*, Medi. 1. 2. *q. 90. ar. 4. post conclu. 5.* quare si Priuilegiarius antequam nouerit abrogatum esse Priuilegium, eo fuerit vsus, nec peccat, nec debet factum rescindere. Verbi gratia, Titius Priuilegio, quo eligere poterat Confessarium, vsus, Confessarium eligit, à quo est absolutionem peccatorum adeptus antequam nosset Priuilegium esse reuocatum, nec peccauit, nec debet iterum peccata confiteri. Hoc tamen intelligitur, nisi Princeps Priuilegium velit esse abrogatum statim ab eo tempore, quo ipse reuocat, vel à certo tempore elapso, vel ab eo die, quo reuocatio Priuilegiorum fuerit publicè promulgata. Reuocatio condonationum quibus peccata, hoc est, peccatorum pœnæ remittuntur, quæ Indulgentiæ vocantur, antequam veniant in notitiam eorũ, quibus fuerant concessæ, non nocet: *Gemin. ca. 1. de concess. præb. in 6. Syl. indulgentia q. 5. vers. octauum. Sot. & Medi. locis supra citatis.* Porrò si Priuilegium sit concessum Vniuersitati, Collegio, vel cuilibet alteri communitati, satis est, si ipsa Communitas certior fiat de reuocatione priuilegij, non est necesse, vt singuli fiant certiores. Si priuilegium datum fuerit Prouinciæ, Ciuitati, Parochiæ, vel alteri loco, satis est, si reuocatio promulgetur in Prouincia, Ciuitate, Parochia, vel in loco. Item, si priuilegium fuerit personale communiter corporale, vel personale singulariter, & cõmuniter, satis est, si reuocatio ita promulgetur, vt nota sit ipsi corpori communitatis, vel ordini, dignitati, statui, non oportet, vt singulis denuncietur: at quando priuilegium est datum certæ personæ singulariter tantùm, oportet, vt reuocatio ipsi nota sit, & ipsi nuncietur.

Octauò quæritur, An Priuilegium amittatur, si Priuilegiarius eo per decennium non vtatur? Respõdeo, quandocumque, Priuilegium est personæ priuatæ, siue publicæ, vt Ciuitati, Vniuersitati, Collegio datum, & est facultas aliquid faciendi, amittitur, si is, cui est data facultas, per decennium eo priuilegio non vtitur. Glossa, & Cynus, Salicetus, Bartholus, Abbas, ac cæteri Ciuilis, & Canonici iuris interpretes, quos citat, & sequitur Iason *in l. falso. C. de diuer. rescript.* quorum sententia colligi videtur ex l. 1. ff. de Nundinis, vbi ciuitas beneficium Principis de nundinis faciendis amittit, si per decennium eo non vtatur. An notat tamẽ Iason vnà cum reliquis, *videlicet Glossa*

& Cyn. Salice. Bartol. in l. 1. ff. de nundi. item Gloss. & Abb. Felin. in cap. cum accessissent, de cõstit. huiusmodi Priuilegium amitti, quando per decennium oblata est facultas eo vtendi, & Priuilegiarius non est vsus. Rursus quando Priuilegiarius vti potuit, & non voluit: quare nõ amittitur, si toto decennio non est oblata facultas vtendi; aut si oblata est, impeditus tamen est eius vsus; nam eo ipso, quo quis Priuilegio vti non potuit, in mora, vel culpa non fuit. Exempli causa, certæ ciuitati concessum est Priuilegium Scholasticos ad gradus Magistri, vel Doctoris promouendi: per decennium verò ea ciuitas neminem promouit, quia nullus promoueri voluit, Priuilegium non amittit, nisi ciuitas causam dederit, vt Scholastici alibi promouerentur. Ex quo fit, vt si Dominus per multos annos sibi subiectis ciuibus onus non imposuerit, quod alioqui Priuilegio poterat, Priuilegium non amittat; si nulla vnquam occasio se dedit id faciendi. Similiter etiam, si ciuitas oppidis sibi subiectis per multos annos nihil oneris imposuit, quia nunquam occasio se obtulit. Pari etiam ratione contra Ecclesiam, Episcopum, Collegium, Monasterium, non præscribitur, si sua iurisdictione, facultate, vel priuilegio non vtitur; quia nunquam vtendi occurrit occasio: quemadmodum lex de hermaphroditis quidquam constituens non tollitur aut definit etiamsi per mille annos hermaphroditus non fuerit.

Nonò quæritur, Quo pacto priuilegium per sententiam iudicis amittatur? Respondeo, in c. Suborta, De sententia, & re iudi. ad finem sic haberi: *Si præfati Innocentij Priuilegium Alexandro fuit in iudicio præsentatum, & ipse tulit sententiam contra illud, intelligitur reprobasse*, vbi Glossa ait: *Instrumentum dicitur reprobatum eo ipso, quòd cùm iudici ostenditur, contrarium iudicat. Sic etiam testis reprobatur eo ipso, quòd iudex contra eum iudicat: & quæstio falsi, eo ipso, intelligitur reprobata, quòd iudex contrarium iudicat.* Hæc ibi Glossa. Pari ratione si Priuilegium in iudicio fuerit Principi exhibitum, & nihilominus contrariam sententiam tulerit, censetur exclusum.

Decimò quæritur, Quando quis possit suo priuilegio cedere? Hanc quæstionem tractat Glossa *in cap. Si diligenti, De foro competen. verbo, pacto priuatorum*, vbi in hunc modum distinguit: *Aut ius*, inquit, *est simpliciter constitutum in fauorem, & commodum alicuius, & is potest suo iuri cedere*, vt l. Paciscì, ff. de Pactis, non obscure traditur, vbi licet iura dent facultatem agendi pro animali morboso, litigantes tamen possunt paciscì, ne agant. Et idem colligitur *ex l. Pactum inter hæredes, ff. de Pactis, & l. 1 de feriis, & l. si iudex. ff. de Minoribus.* Aut Priuilegium conceditur in bonum quidem, & cõmodum quorundam, ob publicam tamẽ vtilitatem, nimirum in aliorum odium: & hoc Priuilegio cedere non potest: cuiusmodi est Priuilegium ne Clerici cõueniantur coram Magistratu Ciuili, & Priuilegium Macedonianum filiorum familas; Ne creditoribus obligentur ratione mutui: & Priuilegium Minorum, quibus conceditur beneficium restitutionis in integrum. Aut Priuilegium datur alicui ob publicum bonum, quamuis cedat etiam in bonum eius, cui conceditur; & quamuis in aliorum odium, & pœnam concessum non sit, & hoc Priuilegio nemo etiam cedere potest, quale est Priuilegium Clerici, quod est in Canone: Si quis suadente 17. quæst. 4. vbi excommunicatione feriuntur ij, qui percusserint clericum. Cæterùm Abb. *cap. si diligenti, de foro competen. nu. 7.* Barth. *in l. ius publicum ff. de pactis, & in l. si quis in conscribendo, C. de pact.* fusiùs, & clarius quæstioni propositæ respondent. Si ius, inquiunt, est naturale, vel diuinum, nemo potest renuntiare, *vt ex l. ius sanguinis, ff. de regu. iuris, & l. ius agnationis, ff. de Pactis*: Quamuis iure gentium quæsito cedere quis possit: nam quisq; suæ rei dominium deponere potest, & hæreditati paternæ renuntiare, *C. de repudianda hereditate*: & quisquam potest seipsum vendere, ac proinde se libertate priuare, & potest etiam se honore, & fama spoliare. Quandò verò ius scriptum certam in humanis actibus formulam præscribit, tum inquiunt, nemo potest huic iuri renunciare; quale est ius, quod certum numerum testium in testamentis, & in vltimis voluntatibus requirit; vel quod in pactis, stipulationibus, & contractibus certum modum constituit, *vt colligitur ex l. Nemo potest, ff. de legatis 1. & l. contra ius ff. de Pactis.* Quando itidem ius est publicum, hoc est tale, vt ad salutem, & vtilitatem publicam pertineat, nemo potest eo iure cedere, *l. ius publicum, ff. de Pactis.* Quando verò ius ad priuatorum commoda spectat, tunc aut solùm continet priuatorum commodum, videlicet eorum dũtaxat, quibus priuilegium conceditur, aut ipsorum simul, & alicuius alterius, aut priuatum simul, & publicum. Si tertium, non potest quis huic iuri renuntiare, eo quòd cedit in damnum publici boni: pari ratione si secundum, nempè si continet cõmodum, non solùm eius, qui renunciat, sed etiam alicuius alterius, nõ enim renunciatio nocere potest alteri, in cuius commodum priuilegium cõcessum est, vt ibidem docet Abbas. Si verò primũ, aut illud ius est promissum constitutum ob bonum priuati hominis, aut in odium alicuius alterius. Si primum, videndum est, an illud ius consulat imbecillitati hominum, & tunc renunciatio non valet, eo quòd esset contra bonos mores. Idẽ quoque dicendum, si renunciatio iuris occasionem delinquendi præberet. Si autem bonis moribus renunciatio iuris nõ obstet, nec aliquos ad peccandum inducat, valet renunciatio. Si specialiter roges, an rata sit renunciatio, qua mulier iuri Velleiano renuntiat? Glossa, teste Abbate *ea. citato*, affirmat, eo quod eiusmodi priuilegium est simpliciter in bonum, & fauorem mulierum. Sed Cynus, & Bartholus, quos citat, & sequitur Abbas *cap. si diligenti, de foro compet.* negant valere, eo quòd, tale priuilegium est mulieribus concessum ob earum facilitatem, ne temere se alijs obligent. Insuper, si quæras de Priuilegio Macedoniano, an valeat renunciatio in filijs familias? Glossa communi consensu recepta, quam citat Abbas, *loco prædicto*, negat valere, quia huiusmodi priuilegium non solùm est concessum ob bonum filiorum, & parentum, sed etiam in odium creditorum, qui sæpè filios inducebant ad necem parentum, vt pecunias sibi debitas recuperarent. Similiter etiam minores renuntiare nequeunt Priuilegio, & beneficio restitutionis in integrũ: non solùm, quia fit in odium contrahentium cum minoribus, sed etiam, quia huiusmodi Priuilegium

uilegium est minoribus concessum ob imbecillitatem ipsorum.

Vndecimò quæritur, An pereunte, vel diruta re, cui Priuilegiũ inhæret, pereat quoque Priuilegium, etiamsi iterũ res ea in pristinũ statum restituatur. Verbi gratia diruitur ædes sacra, vel perit ciuitas, an pereant, & desinant omnia quoque Priuilegia, etiamsi ea ædes iterum exædificetur, aut Ciuitas reparetur? Respondent Innocent. *in c.2.de noui oper.nunciat.* Glossa *in cap.Priuilegium de regu.iuris in 6.* Sylvest. *verbo ciuitas.q.2.* Si Ciuitas aliaue loca siue sacra, siue profana, auctoritate Principis diruantur, eorum Priuilegia extinguuntur, nec amplius dici possunt illius Ecclesiæ Clerici, aut illius oppidi ciues, vel municipes, *vt colligitur ex cap.Placuit.de consecrat.distinct.1.& cap.Et hoc dicimus 16.quæst.7.* Si verò loca euertantur ab hostibus, aut tyranno, vel diruantur, vt iterum exædificentur siue reparentur, omnia sua Priuilegia retinent, *vt colligi potest ex cap.Pastoralis 7.quæst.1.& cap.Qui semel 19.q.3.* Idem iuris esse videtur, si auctoritate legitima superiorum loca mutentur, aut cum alijs coniungantur, *vt notatur in cap.1.ne Sede vacante, & c.quia monasterium, de relig.domib.*

Duodecimò quæritur, Quot modis Priuilegium irritum reddatur, de hac quæstione Glossa *25.quæstio.2.in principio.* Sylvest. *verb.priuilegium q.10.* Respondeo, multis. Primò, si per subreptionem fuerit impetratum, nimirum, quando impetratio falsam causam suggerit, ob quam tanquam veram, Priuilegium conceditur, cap. literis, de rescriptis. Secundò, si Priuilegium sit contra constitutionem, & de ea nulla fiat mentio, vt colligi potest ex cap. constitutus, de rescript. Idem iuris est, si sit contra consuetudinem, de qua mentio non fiat, *cap.1.de Constitutionibus in 6.* Idem etiam est, si sit contra sententiam latam, de qua etiam nulla facta sit mentio, cap. inter dilectos, de fide instrumentorum. Tertiò, secundum Priuilegium, si speciale sit, contra primum aliud speciale impetratum non valet, si de primo non sit facta mentio: Vndè primum suam vim retinet. Si in secundo fiat primi mentio, valet secundum, non primum, *cap.Cæterùm, de rescript. cap.Inter Monasterium de senten.& re iudic.& cap.Cum ordinem, de rescrip.* Si quæras, Quid iudicandum, si primum sit generale, & secundum speciale? Respondeo cum Hostiensi, quem citat, & sequitur Sylvester contra aliquos alios, valere secundum, etiam nulla facta mentione priuilegij generalis, quia speciale Priuilegium, & mandatum derogat generali, *ca.1.& cap. Pastoralis, de rescript. & cap.Studuisti de officio Legati.* Et similiter speciale mandatum, seu Priuilegiũ non tollitur per generale subsequens, nisi de eo mentionem fecerit, *cap. Cum ordinem, & cap. Abbatem, de rescript.* nam semper species derogat generi, siue præcedat, siue sequatur. Glossa tamen *in cap.1.de rescript.* docet, in vniuersum in priuilegijs primum valere, quoties secundum primi mentionem non fecerit, & probat *ex cap. Veniens, de præscriptioni.* oppositum docet Abbas *in c.1.de rescrip.n.14.* vt statim fusius explicabo. Quæres, Quid sit dicẽdum, cum Priuilegium fuerit cõcessum cum clausula, quod reuocatum non censeatur, nisi fiat mentio de eo de verbo ad verbũ? Fingamus esse Apostolicum Priuilegium concessum certo monasterio sacrarum Virginum, ne cogi possint contribuere aliquid ob Legatorum, vel Nunciorum Apostolicorum procurationem, vel ob bellum cõtra hostes Christiani nominis, vel ob aliam causam publicam, etiamsi in literis Pontificijs exprimatur, vt omnes cogantur contribuere, tum exempti, tum non exempti, nisi de prædicto Priuilegio fiat mẽtio ad verbum, & postea Rom. Pontifex concessit aliud Priuilegium, vt omnes exempti, & non exempti cogantur contribuere nõ obstantibus priuilegijs quibuscunque etiam dicentibus, vt de illis fieri mentio de verbo ad verbum debeat, quæritur, an primum Priuilegium sit reuocatum per secundum, hanc quæstionem tractat Abbas, *c.cum instantia, de censib.num.5.* & ait Federicum *in cons.225.* sensisse primum Priuilegium per secundum non esse sublatum: quia de primo debet fieri mentio in secundo, sed postea *in consil.46.* sententiam mutauit. Vndè cum Abbate dicendum est, primum Priuilegium per secundum reuocari, eo quod secundum contineat plenissima verba reuocantia omnia priuilegia antecedentia, & quia fieri non potest, vt Rom. Pontifex memor sit omnium Priuilegiorum, cum in facto consistant.

Decimotertiò quæritur, Generatim quando duo priuilegia sunt sibi contraria, vtrum eorum valeat, prius an posterius: hanc quæstionem tractat Gloss. *25.q.2.in princip.* & alia Glossa *vltima in c. 1.de rescrip.* Abb. *in cap.1.de rescrip.num.14.* Respondeo cum Abbate esse distinguẽdum; aut vtrumque est generale, aut vtrumque speciale, aut prius generale, & posterius speciale, aut prius speciale, & posterius generale. Si prius generale, & posterius speciale, prius abrogatur, & valet posterius etiã nulla mentione prioris facta: nam speciale derogat generali. *c.1.& cap.Pastoralis, de rescrip.* Si prius est speciale, & posterius generale, valet prius, nõ posterius, quia species derogat generi, siue præcedat, siue sequatur. Si prius est generale, & posterius itidem generale, tunc aut vtrumque est in iure communi contentum, & posterius derogat priori; quoniam Princeps ius cõmune nosse probabiliter creditur: sicut etiam lex secunda derogat primę, quando est illi contraria *cap.1.de constit. in 6.* aut neutrum est in iure communi, & tunc valet primum, quoniam Princeps iudicatur ignorare, quod non in iure, sed in facto consistit; aut vnum in iure continetur, alterum non item, & valet, quod est extra ius: Si verò vtrumque est speciale, idem dicendũ est, quod dixi, quando vterunque est generale.

Decimoquartò quæritur, Quot modis Priuilegium finiatur, ac desinat? Respondeo multis modis. Primò elapsu temporis, quod est in priuilegio constitutum, *l.Quoties C.de precibus Imperatori offerendis.* Secundò, si Priuilegiarius faciat contra illud, quod in priuilegio concessum exprimitur: nam ipso facto priuilegium extinguitur, *cap.Porrò, & cap.Recipimus, de Priuil.* Tertiò, cessante causa Priuilegij, finitur quoque Priuilegium, *cap.Cessante, de Appellatio.* Quartò, Cum Priuilegium incipit esse alicui perniciosum, præsertim ei, in cuius bonum est datum, *cap.Suggestum, de Decimis, & cap.Quid per nouale.de verbo.signific.* habet enim regula iuris: Quod ob gratiam alicui conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.

Cap. XXIII.

Aliæ quæstiones de Priuilegijs diluuntur.

PRIMO quæritur, Quisnam possit Priuilegium interpretari? Respondeo cum Hostien. *in sum. tit. de priuil.* distingui oportere. Nam si verba sunt obscura, dubia, vel ambigua, ei est interpretari, cuius est cõcedere, & interim negotium, vel causa differtur. *l. si imperialis. C. de legibus, & cap. Inter alias, de sententia excom.* Si verò nec sint obscura, nec dubia, nec ambigua, Priuilegij tenor debet diligenter inspici, & seruari, *cap. Porrò, & cap. Recepimus, de Priuil.* Si quæras, an tũc potius sit menti concedentis, quàm verbis Priuilegij inhærendum? Respondet Sylvest. *priuil. q. 3.* potius esse mẽti adhærendum, *ex c. Marcion. 1. q. 1. c. sedulo, dist. 38. & cap. Intelligentia, & c. In ijs, de verbor. signif.* vbi dicitur non sermoni res, sed rei est sermo subiectus, & non intentio verbis, sed verba debent intentioni deseruire. *Gloss. & Abb. in c. Propterea, de verb. signif.*

Secundò quæritur, Quo modo Priuilegium interpretari debeamus? Respondeo, in hunc modum esse interpretandum, vt docet Sylvest. *priuilegium. q. 3. ex Hostiensi*: In primis, interpretatio Priuilegij, sicut & legis, locum habet, vbi verba sunt obscura, incerta, dubia, & ambigua. Vbi verò nulla est in verbis ambiguitas, interpretatio nõ permittitur. *l. Ille, aut ille, ff. de legat. 3.* Vndè longè aliud est Priuilegium interpretari, atque ad aliud trahere, siue prætendere: tunc enim Priuilegium interpretamur, cum quod est in eo positum verbum obscurum, vel ambiguum, declaramus. Priuilegium verò protendimus, cum ad aliud quippiam quamuis cognatum, vel simile trahimus. Quando Priuilegium non est contra Canones, leges, & iura, sed solùm præter iura debemus plenissimè interpretari: tunc enim potius est Principis beneficium, fauor, & gratia, quàm Priuilegium concessum, & tunc locum habet, quod dicitur *in l. Beneficium, ff. de constitutionibus Principum, & ca. Quia circa, de Priuil. & cap. dilecti, ad finem, de donationibus, & cap. olim, de verborum signif.* in quibus locis habetur, *Beneficia Principum plenissimè interpretari debemus.* Non autem dicitur: Priuilegia Principum auctoritate concessa, & data; *ita Innocen. & Glossa, & Ioannes Andreas, Butrius, & Abbas in cap. olim, de verbor. signif.* Quando Priuilegium est contra ius commune, strictè interpretari oportet, vt quàm minimum iuri communi deroget; *vt colligitur ex l. Quoties. C. de precibus Imperatori offeren. & l. si quando, C. de inofficioso testamento, & cap. 1. & 2. De filijs Presbytero. ca. quod dilectio, de consanguinitate, & affinita. & sic Innoc. & Glossa, & Ioannes Andreas, Butrius, & Abbas in loco supra citato.* Item, Priuilegium est strictè interpretandum, si cedat in detrimentum alterius, *vt colligitur ex l. 2. §. Merito. ff. Ne quid in loco. & sic Innocentius, & alij auctores supra citati.* Vndè Romanus Pontifex licet alicui Priuilegium concedat, nõ tamen vult, vt eo vtatur cum alieni iuris iactura, & damno, *cap. Ex tuarum, de auctoritate, & vsu pallij, cap. licet, de officio ordinarij, & cap. licet, de translat.* Prætereà, Priuilegium in rebus ambitionem sapientibus strictè est interpretandum. Et hinc fit, vt Rescripta, Mandata, & Priuilegia in Beneficijs Ecclesiasticis pressius, & arctius interpretari debeamus; præsertim cum conceduntur ad plura Beneficia obtinenda: *Abb. loco supra citato, & Gloss. in c. Quamuis, de præb. in 6.* Ex quo fit, vt cum conceditur facultas alicui non legitimè nato ordines suscipiẽdi, locum tantùm habeat in minoribus, nõ in maioribus ordinibus: & cum fit illi potestas, vt ad Beneficia Ecclesiastica eligi, & promoueri queat, fieri tantum censeatur ad Beneficia simplicia, non autem ad Dignitates, vel ad Beneficia, quibus est animarum cura coniuncta.

Item, quando Priuilegium est odiosum, quale est Priuilegiũ ad lites concessum, strictè, & pressè interpretamur, quia præbet causam litigandi, & alios vexandi, & frequẽter minuit, restringitúe potestatem inferiorum Iudicum, & Magistratuum. Item, si Priuilegiũ aliqua ex parte peccandi occasionẽ afferat, & præbeat, vel iuri naturali, diuino, vel gentium obstare videatur; strictè etiã est interpretandum, vt cũ datur alicui facultas eligendi Confessarium, qui ipsum absoluat à casibus, aut cẽsuris reseruatis, solùm datur, vt absoluatur à peccatis ante commissis, aut censuris ante contractis, nõ autem in posterum committendis, aut contrahendis; hæc enim facultas ansam præberet liberius, faciliusq; peccandi. Similiter cum datur facultas, vt lis, vel causa ad certos Iudices deferatur omni appellatione remota, strictè oportet eã interpretari, quia admittius, quod quisq; habet sese defendẽdi, ac proindè appellandi, videlicet omni appellatione iniusta, friuola, & inani, non tamen remota iusta, & rationabili. Sic etiam cũ conceditur Priuilegium, ex quo probabiliter aliorũ offensio oritura videatur, ad strictam, non laxam interpretationem est reuocandum. Vndè Pontifex *in c. Quod dilectio, de consanguinit. & affinit.* non vult, vt Priuilegium à se concessum vim habeat, eò quòd loci cõsuetudini cum offensione multorum, nocere dicebatur. At verò Priuilegium nõ debemus ita presse, & strictè interpretari, vt nihil operetur, & profit, vt est communis omnium sententia *in cap. 1. & cap. Causa, de rescrip. & cap. In his, de Priuil.* Prætereà, Priuilegium, quod non derogat iuri communi, sed tantùm consuetudini, vel statuto in aliquo loco recepto, plenissimè est interpretandum, si nulla indè aliorũ offensio existat. Sic Ioan. Andr. *in cap. olim, de verbor. signif.* Verbã itidem Priuilegij Romani Pontificis auctoritate concessi, interpretari oportet secundùm Canones, non secundùm leges, *teste Baldo in l. si quando. 1. C. de bon. vacantib. lib. 10.* Item, vt ait Bartolus *in l. ex militari. ff. de milit.* priuilegia sunt interpretanda iuxta conditionem, & statum personæ cui conceduntur. Prætereà, si sint Priuilegia concessa, vel ratione fidei, & religionis, vel gratia Religiosorum, aut miserabilium personarum, sunt etiam plenissimè interpretanda. Postremò, Priuilegium nõ potest ad aliud, quamuis simile, trahi, & extendi, *vt colligi videtur ex cap. vlt. de præben.*

Tertiò quæritur, Quidnam operetur, & profit Priuilegium, quod continet ius commune? Respondeo cũ Hostiensi *in sum. tit. de Priuileg.* aliquando id genus Priuilegia concedi, vt quis ad ius commune restituatur. Verbi gratia, Titio interdictum fuerat, ne appellaret, datur ei postea facultas appellandi. Item, fuerat alicui datum præ-

ceptum,

ceptum, ne de suis rebus liberè statueret, postea verò libera sit ei potestas sua bona administrandi. Aliquando cõceditur Priuilegium ius tantùm commune continens, quia conceditur gratia postulantis. Vndè *in cap. Quia in causis, de procuratoribus*, cum vniuersitas Scholasticorum Parisiensis postulasset à Romano Pontifice liberã facultatem agendi, & respondendi in Iudicio per Procuratorem: respondit Pontifex: Licet de iure cõmuni hoc facere valeatis; instituendi tamen Procuratorem super his, auctoritate præsentium vobis concedimus facultatem.

Interdum etiam Priuilegium petitur ad faciendum id, quod alioqui iure communi nobis facere licet, ob scrupulos penitus excutiendos ex animo, cum alioqui de iure communi dubitaretur. Immò etiam aliquando petitur, quia ius commune ignoratur. Præterea, Priuilegium plerumque confertur; quia ius commune seruari non solet. Vnde *in c. Innouamus, de Treug. & Pace*, ait Pontifex: Innouamus, vt Presbyteri, Monachi, Cõuersi, Peregrini, Mercatores, Rustici, euntes, vel redeuntes, vel in agricultura existentes, vel animalia, quibus arant, & semina, quæ portant ad agrũ, congrua securitate lætentur.

Postremò, Priuilegium continens commune ius, debet ita intelligi, vt iuri communi aliquid addat; quam sententiam testatur Felinus esse Hostiensis, & omnium: *quæ colligi videtur ex cap. In his, de Priuil. & ibi ita docet Abbas ex sententia Bartoli, & Innocentij.* Vt si Episcopo Priuilegium conceditur, vt testari queat, intelligitur de bonis ratione Ecclesiæ, cui præest, quæsitis; non de patrimonialibus, de quibus iure communi Episcopus testari potest. Sic clausula in rescriptis appolita, Omni exceptione, vel appellatione semota: non intelligitur de iusta. Facultas data Episcopo creandi nouam Dignitatem in Ecclesia sibi commissa, censetur data, vt id faciat etiam sine consensu Collegij Canonicorum. Facultas auctoritate Romani Pontificis data Monacho testandi, ita itelligitur, vt testetur de bonis, quæ reipsa possidet. Mandatum Pontificium de conferendo Beneficio in certa Ecclesia, protenditur etiam ad Canonicatum, si in ea non sunt alia Beneficia. Si Princeps concedat alicui Iudici ius inquirendi, & animaduertẽdi in aliquos fontes, de ijs intelligitur, in quos inquirere, & animaduertere alioqui nõ poterat; quòd si conceditur ius, vt cognoscat delicta, quæ alioqui ante poterat, intelligitur, vt in ijs delictis procedere queat, etiam fama publica non præcedente. Satis autem est, si Beneficium, vel Priuilegium aliquid operetur contra, præter commune ius, licet id sit modicũ: in reliquis enim restringendum est, non laxandum contra ius, teste Abbate *in c. testificari, nu. 10. de Sepul.* & Decio *in cap. 1. de rescriptis.* Nauar. *in Manua. cap. 12. nu. 79.*

Quarto quæritur, An Priuilegium obitu concedentis finiatur? Ratio dubitandi est, quia mandatum obitu mandatis extinguitur, *l. Mandatum C. Mandati, & cap. Gratum, & c. Relatum, de offic. Iudi. deleg.* & facultas ab Episcopo data Beneficiario in sua Ecclesia non commoranti, finitur, & definit morte concedentis Episcopi, vt ait Glossa *in cap. penult. de Cleri. non residen. ver. Licentia.* Facultas itidem eligendi Confessarium, alicui concessa ab Episcopo, obitu etiam ipsius Episcopi extinguitur: *vt docent Abb. in cap. penult. de offic. Lega. num. 9. Antonin par. 3. tit. 17. cap. 9. vers. vlt. Sylues. Confessor. 5. q. 7.* Respondet Nauarr. *de pœnit. distinct. 6. cap. Placuit. nu. 161. & consil. 1. de Priuil.* Priuilegium obitu concedentium non finiri: nam Priuilegia Principis sunt perpetua 25. *q. 2. cap. 1. & 2.* Priuilegium, est fauor, & gratia; at gratia morte Principis concedentis non definit, *vt colligitur ex cap. Si cui nulla, de Præben. in 6. & cap. Si super gratia, de offic. Iudi. deleg. in 6.* Sicut etiam Glossa docet *in Clem. Dudum §. statuimus, de sepulturis.* Teste etiam Innoc. *in c. Quod translationem de offic. legati communi consensu recepto.* peccatorum condonationes, quæ indulgentiæ vocantur à Legato concessæ, finita eius legatione non definunt. Fatemur igitur, Mandatum obitu mandantis extingui; Facultatem verò Gratiam, & Priuilegiũ à Principe concessum, non item: cuiusmodi est Priuilegium ab Episcopo cõcessum Parocho ad septennium, quo possit ab Ecclesia abesse ratione studij. *Glossa in ca. Cum ex eo, de elect. in 6. verb. Septennij*; & facultas suscipiendi ordines à quocunque Episcopo malueris. *Cardinalis in Clem. vlt. de elect. q. 5.* & facultas sacrificiũ Missæ offerendi in domo aliqua priuata. Nec Glossa, aut Abbas contrarium docuerunt; quoniam illi tantùm loquuntur de facultatibus, & priuilegijs, quæ Episcopi concedere nequeunt in perpetuum, quia essent cum damno Ecclesiæ, vel alterius.

Quæres quid dicendum sit de Priuilegio, quo Titius auctoritate Romani Pontificis à iurisdictione Episcopi sit exemptus, donec illud Priuilegium ipse Pontifex abroget, aliudue decernat. an scilicet obitu Pontificis huiusmodi priuilegiũ finiatur? Respondeo cum Nauar. *cons. 1. de priuil.* illud non finiri: tum quia Pontifex non abrogauit, nec aliud constituit: tum quia priuilegium, vt diximus, obitu concedentis non cessat, & definit. Si secundo roges, an si Priuilegiũ à Principe concedatur in hunc modum: Sis liber, & immunis à tributo; aut, facultatem tibi do Confessarium eligendi, vel aliquid aliud faciendi, donec decesserò, morte Principis finiatur? Ratio dubitandi ex vna parte est, quia particula, *donec*, certum tempus præscribit: At ex altera parte nõ videtur Priuilegium obitu Principis finiri, cum sit fauor, & gratia. Respondeo, particulam, donec, frequenter certum tempus, & definitum designare: quamuis interdum soleat ideò apponi vt infinitũ tempus significet, videlicet, vt id, de quo dubitari poterat, tanquam certum habeatur, & reliquum tempus, de quo ambigi non potest, tanquam certum relinquatur. Vt si dicam, Titius hæreticus do nec vixit, pœnitentiam non egit, non significo, Titium post obitum suum pœnitentiam egisse; sed, nunquam de suis peccatis doluisse. Cæterùm, prædictum Priuilegium, de quo est quæstio, post Principis mortem non durat: quoniam cum dicit, Donec decesserò, significat se concedere Priuilegium, vt duret tantummodo per totum ipsius vitæ tempus.

Quintò quæritur, An facultas aliquid faciendi per priuilegium data, primo actu finiatur; videlicet, cum datur alicui facultas, qua possit in Cœnobiũ sacrarum Virginũ ingredi. Quæritur, an possit intrare quoties voluerit? De hac quæ-

stione

ſtione latè tractat Felinus *in cap.2.de Treug.& Pace*, Rochus *de Iure patron.verbo Honorificum*,q.10.Naua. *in cap.Placuit,de pœnit.q.6.nn.166.* Reſpondet Felinus in odioſis,& pœnalib. finiri, & deſinere. Nam *in l.dotis promiſſio.ff.de iure dotium,l.Bones, §.Hoc ſermone. ff.de verb.ſignific.* ſermo ſimpliciter prolatus videtur primo actu finiri, hinc eſt, vt dotis promiſſio de primis nuptijs tantùm intelligatur. Cum datur facultas alicui,vt duo ſimul beneficia obtinere queat,ad duo tantùm prima protenditur,*c.Non poteſt,de Præben.in 6.* cum datur facultas, vt veniat in Vrbem is,qui eſt publicè proſcriptus,ſemel tãtùm venire poteſt. *Bartolus l.1.ff.ad legem Iuliam de adul.* Poteſtas arbitro data in cõpromiſſo de prorogando termino compromiſſi, in prima prorogatione definit. Poteſtas ingrediendi in Cœnobium Sanctimonialium, in primo ingreſſu finitur.Facultas data Patrono laico, qua poſſit,poſtquam vnum Clericum nominauit, deſignauit, & obtulit inſtituendum,alium nominare, deſignare,&offerre,*ex cap.Quod autem,de Iure patron.* in prima nominatione finitur.*Calderinus conſ.16.de iure patron.Felinus in cap.Omnes leges,de Treuga,& Pace.* At in ijs,quę odium,pœnam,vel onus,aut detrimentum nõ continent, facultas data non in primo actu finitur, & extinguitur; vt ſi alicui ſit data facultas Confeſſarium eligendi,vt annotauit Palu. *in 4.diſt.17.q.3.* & Paludanum Nauarrus ſecutus, quamuis oppoſitum docet Felinus. Sed Felinus intelligit ſimplicem ſine priuilegio facultatem, quæ datur alicui,vt confiteatur,cui voluerit: Nauarrus intelligit facultatem eligendi Confeſſarium datam in modum, & formulam priuilegij, & ita vterque verum docet. Facultas legendi libros,quorum lectio eſt interdicta;facultas edendi cibos prohibitos in diebus ieiuniorum; poteſtas ſacrificium offerẽdi in domo priuata,primo actu non definunt.Item quando res aliqua,natura ſua,vel more poſtulat iterationem, vt ſi teſtator præcipiat hæredi, vt veſtiat,vel alat viduam, intelligitur,donec fuerit vidua, nec ſufficit eam ſemel veſtire. Si quis legauerit alimẽta vxori Titij, intelligitur legaſſe etiam ſecundæ vxori: ſecus ſi Titius vxori ſuæ, nam intelligi tunc creditur Legatum tantummodo relictum vxori,quam tunc habebat. Si quis inſtituat poſthumum, cenſetur inſtituiſſe plures,ſi fuerint. Si teſtator reliquit domum ſuam, vt in ea habitaret filia ſua vidua, intelligitur etiamſi poſtea nupta, ſecundò in viduitatem deuenerit. Hæc Felinus.Item,ſi facultas data ſit ad certũ tempus,non finitur in primo facto intra illud tempus; vt ſi relinquitur vſusfructus alicui,dum vixerit: Si data ſit facultas eundi,& redeundi, dum pax, & concordia inter aliquos ſit: Si facultas Procuratori detur, vt appellet,dum lis non componitur,& dirimitur. Si facultas detur alicui, vt diuinis, & ſacris officijs intereſſe queat tempore, quo ſacris templum eſt interdictum.Ex his perſpicitur, quid ſit dicẽdum in multis rerum euẽtis, de quibus dubitari ſolet. Facultas data Patribus Concilij Generalis, de eligendo loco,in quo Concilium celebretur, intelligitur data ad eligendum ſemel duntaxat. Si quis emit fructus, qui ex prædio aliquo percipiuntur, intelligitur emiſſe primos tantùm. *Baldus quẽ ſequitur loco citato Felinus.* Poteſtas data arbitrandi, cenſetur data ad ſemel arbitrandum.*Idem Felinus.* Si teſtator inſtituit, vt eleemoſyna erogetur in die S.Laurentio ſacra,ſemel tantùm danda eſt. *Bartolus cui ſubſcribit Felinus loco prædicto.* Facultas data Monacho, vt poſſit Procurator eſſe, intelligitur data vt ſemel tãtùm ſit. Sic etiam facultas data,vt quis abeſſe à loco poſſit: ſi promitto dare in Calendis,videor intellexiſſe primas proximè vẽturas.Si Princeps Priuilegium confert tibi,& hęredi, in primo hærede extinguitur Priuilegium. *Felinus loco citato.* Si promitto me molendinum reparaturum, videor intelligere ſemel tantùm. Si Epiſcopus Priuilegium habeat, cũ primum poſſeſſionem nactus eſt Eccleſiæ, nominandi vnum in Canonicum inſtituendum, & nominauerit vnum, qui inſtitutus eſt, ſed poſtea Canonicatum ille depoſuit, iure Priuilegii alterum nominare nequit. Locator,qui tacitè cenſetur iterũ locaſſe, quoniam conductorem ſcienter in re conducta reliquit, intelligitur locaſſe iterum ſub eiſdem conditionibus, ſed ſemel tantùm cenſetur locationem renouaſſe. *Abbas,quem ſequitur Felinus loco citato.* Princeps promiſit præmium ei,qui vexillum hoſtibus eripuerit,creditur promiſiſſe ei, qui primus vexillum detraxerit hoſtibus.Titius promittit Iudici ſe exhibiturum hoc,aut aliud ipſi Iudici,putatur promiſiſſe ſemel ſe exhibiturum. Promitto me daturum tibi,quicquid iactu retis cepero, videor promiſiſſe id, quod primo iactu retis cepero,*hæc omnia Felinus capite prædicto.*

Sextò quæritur, An is,cui Priuilegium conceditur ad legẽdos libros, quorum lectio eſt interdicta,eo tuta cõſcientia vti poſſit extra ditionem aut territoriũ concedentis? Reſpondeo cum Nauar.*conſ.15.de Priuil.* vti poſſe: nam is, cui datur facultas peccata confitendi, confiteri poteſt extra diœceſim,& parochiam concedentis. *Gloſſ. in cap. Placuit.diſt.6.de pœnit. Nauarr. loco proximè allegato*; ita etiam, cui libera poteſtas ſit dandi operam literis, licet ſtudere extra diœceſim eius, qui concedit. Si quis legitima facultate ieiuniorum lege ſoluatur,ita vt bis comedere ei liceat, aut in diebus Quadragenarij ieiunij, ante Paſcha caſeum, lac,& oua edere poſſit; tunc,& prandere, & cœnare,aut prędictis cibis vti tutò poteſt extra diœceſim concedentis. Ergo ſimiliter is, cui ſit poteſtas libros prohibitos legendi,ea vti poterit.Obijcies,Iudex dicere ius non poteſt extra ſuum territorium, *vt habetur in l.extra territorium.ff.de iuriſdiction.omnium iud.* Vndè *cap.2.de conſtit.in 6.* excommunicatio contra fures ab Epiſcopo lata,non afficit furem extra eius diœceſim furantem: & qui Epiſcopi facultate concionari ad populum, aut Confirmationis,Baptiſmi,vel Ordinis Sacramentum miniſtrare poteſt,ius non habet concionandi, aut ea Sacramenta miniſtrandi extra territorium eius,qui poteſtatem fecit.Reſpondeo,Iudicem nihil iubere poſſe vbi iuriſdictionem non habet, quando quod iubet, vel ſtatuit cauſæ cognitionem iudicialem poſtulat: ſecus eſt, ſi rem expediat citra vllam cauſæ cognitionem iudicialem,quia eam non requirat,ac proindè ſententia excommunicationis ab Epiſcopo lata, etiam ſibi ſubiectos non tenet extra diœceſim delinquentes. Similiter etiam Epiſcopus nequit alteri facultatem dare Sacramenta conferendi extra

diœcesim ijs, qui sibi subiecti non sunt, nec concionandi in aliena Parochia: hoc enim esset extra diœcesim ius dicere.

Septimò quæritur, An cum alicui Priuilegium conceditur, ad socium eius trahi, ac porrigi possit? Respondeo, cum Abbate *in cap. quam sit. de Iudæis*, Quandocunq; Priuilegium esset prorsus inutile ei, in quem est collatum, si eo socij minimè gauderent, tunc ad eos iure protenditur, & trahitur, *vt colligi potest ex cap. Licet de Priuil. in 6.* At si secus Priuilegium habeat, ad socium nunquam extenditur, aut trahitur. Verbi gratia, Conceditur Priuilegium certo Presbytero, vt in loco interdicto operetur sacris, eo ipso, concessum intelligitur, vt aliquem aduocet, qui ei sacrificanti ministret, & seruiat. Similiter illustri viro, aut fœminæ datur facultas, vt in loco sacris interdicto rem diuinam audiat, intelligitur etiam data, vt deducat eos, sine quibus pro sui status conditione, sacrum audire non solet. Idem de cæteris similibus Priuilegijs iudicandum.

Octauò quæritur, An id Priuilegij, quod conceditur familiaribus certi Cardinalis, vel Episcopi, trahi etiam possit ad eos, quos Cardinalis, vel Episcopus per literas ipsis scriptas ad familiaritatem admittit? Respondeo cum Abbate *in c. cũ dilectus, de clerico non residente*, ad eos minimè protendi, quia familiares censentur ij, qui sunt in obsequio, & famulatu alicuius, quales non sunt, qui per literas tantummodo inter familiares numerantur, & habentur. Et hæc sententia colligi videtur *ex c. vlt. de verb. signif.*

Nonò quæritur, An Priuilegium patri concessum transeat etiam in filios? Respondeo cum eodem Abbate *in c. licet, de censib.* & Cyno. *in l. secunda. C. de Episc. & Cler.* Priuilegium aliquando concedi ratione dignitatis, siue nobilitatis innatæ; aliquãdo ratione muneris; & officij, quo quis fungitur: aliquando causa necessitatis. Si primo modo fuerit concessum, transfertur in filios. Vnde si patri ius nobilitatis concedatur, nobiles quoque filij redduntur. Priuilegiũ secundo modo concessum deriuatur in filios legitimos viuente patre. At concessum tertio modo in filios nõ transit etiam viuo patre, vt si ratione necessitatis sit liber à muneribus personalibus, & extraordinarijs, non eo ipso filij eius ab eisdem liberantur. Et ius ciuitatis, quo quis donatur, cum hæredibus non cõmunicatur, *Romanus in singularibus ex l. Libertus, §. Patris, ff. Ad municipalem. Hæc Sylvest. priuilegium q. 5. ex Abbate & Cyno, & Romano.* Quæres quid sit dicendum, si Princeps Titio dicat; Immunitatem concedo tibi, & filijs tuis? Respondet Bartolus *in l. Gallus, §. quidam reste ff. de liber. & posthu. vt citat. Sylvest. priuilegium q. 5.* ea immunitate filios nõ gaudere viuo patre. Rogabis etiam, quo pacto intelligatur si Titius concedat Caio ius hauriendi aquam, aut deferendi ad fundum, vel quò voluerit? Respondet Romanus, quem sequitur Sylvest. *loco citato*, huiusmodi seruitutem, cum sit personalis, ad hæredes minimè transmitti, vt colligitur *ex l. Lucius, ff. de seruit. rustico. prædio.* vbi habetur: *Quæritur, an ex hac scriptura: Do tibi vsum aquæ in domum tuam, aut vbicunque voluerit, ad hæredem Caij etiam pertineat? Paulus respondet, vsum aquæ personalem ad hæredes Caij quasi vsuarij transmitti non oportere.*

Decimò quæritur, An Priuilegium datum ei, qui factus est ciuis eo pacto, ne munera subeat, nec onera sustineat, sit seruandum? Respondeo cum Panormitano in c. peruenit. De immunitat. Ecclesiarũ, seruari debere, quia est priuilegium, quod in contractum transiuit, & priuilegiũ quoties transiuit in contractum vel quasi cõtractum seruandum est, secus minimè. Et est annotãdum, Principem huiusmodi priuilegium posse conferre etiam cum damno communitatis: hoc est, si ciuitas centum quotannis Principi soluere consueuerit, & Princeps aliquem eximit, ne decem soluat, nihilominus ciuitas centum debet soluere. At vero inferior Magistratus licet aliquem possit eximere, non tamen cum detrimento ciuitatis; vt si Titio priuilegium concedat, vt soluat decem, iure non potest à ciuitate centum exigere, sed tantum nonaginta. *Sylvest. priuilegium quæst. 9. ex Bartolo & Abbate.*

Vndecimò quæritur, An ad substantiam priuilegij pertineat, vt sit scriptum: quærunt iurisconsulti, an scriptura ad priuilegium sit necessaria? Respondeo cum Innocentio, Archidiacono, Ioann. Andrea, & Abbate, quos refert Sylvest. *priuilegium q. 14.* non pertinere, ne esse necessarium, vt sit scriptum priuilegium. Vnde post obitum Romani Pontificis, qui priuilegium concesserat, sine literis tamen scriptis facultas concessa non extinguitur: at à successore, iure literæ petuntur, & impetrantur, ac propterea inferunt Baldus & Ioan. Calderinus *vt idem Sylvester citat*: Si Romanus Pontifex solo verbo aliquem compellet Episcopum, vel Abbatem, statim eum Episcopum vel Abbatem esse, quamuis in foro exteriori Episcopus vel Abbas siue regularis, siue secularis per Romanum Pontificem electus & promotus non habeatur vt talis, nisi literis impetratis, expeditis & receptis. alioqui tum admittentes seu recipientes, tum se ingerentes, graues pœnas incurrunt, quæ habetur in extrauaganti Bonifacij, quæ incipit, Iniunctæ, inter communes. De electione.

Duodecimò quæritur, Quandonam priuilegiũ incipiat vim & auctoritatem habere. V. G. Titius per Caium procuratorem à Romano Pontifice impetrat priuilegium ne à quoquam excommunicarj queat: aut impetrat à Rege vel Principe, vt sit à tributo immunis, ac liber. Respondeo cum Innocentio & Hostiensi, *quos refert Syl. priuilegium q. 16.* Aut Titius absens priuilegium per literas aut per suum Procuratorem, nuncium, vel alium quemlibet ad id destinatũ, seu missum impetrat, aut proprio Motu, & arbitratu à Romano Pontifice vel alio principe concessum acquirit. Si primo modo, statim à die, quo princeps id concedit incipit valere priuilegium, etiam si Titius ignoret esse impetratum. Si secundo modo, Priuilegium vim non habet, nisi postquam in Titij potestatem peruenerit. hanc quæstionem supra latius disputaui.

Cap. XXIV.

De Rescriptis Principum.

PRIMO quæritur, Quid appellatione rescripti leges, canones, & iura accipiant? Respondeo, Rescripta Principum olim fuisse dicta,

quibus

quibus illi vel ad libellos supplices præsentium, vel ad Magistratuum præsentium, vel absentium consultationes, quid sibi de ea re fieri placeret, respondebant. Vnde rescriptum dicitur id, quo Imperatores vel summi Pontifices consulentibus eos respondent, *l. 1. ff. de Appellat.* Rescriptum itidem, est statutum Principis, quo præcipitur, aut prohibetur aliquid Motu proprio, vel interpellatione alicuius per Epistolam facta, siue cum pœna adiecta, siue secus.

Secundò quæritur, quot modis rescriptum sumatur? Respondeo cum Panormitano in rubrica, de rescrip. rescriptum aliquando latè sumi, & tunc omne priuilegium & beneficium principis rescriptum vocatur: aliquando verò strictè & propriè, & tunc distinguitur à priuilegio & beneficio principis: Nam priuilegium, est facultas alicui à principe data aliquid faciendi, vel non faciendi contra canones, vel leges, & iura: beneficium vero est facultas à principe concessa, præter leges canones, & iura: rescriptum autem, est principis decretum ad iuris communis obseruationem; vt cum princeps per literas committit causam inter aliquos definiendam, aut respondet quid in re aliqua iuxta leges vel canones, & iura fieri debeat. In iure ciuili, videlicet in Codice extat titulus de diuersis rescriptis, & in iure Canonico titulus est de rescriptis lib. 1. decretalium, in quo titulo rescriptum latè sumitur, quatenus priuilegium, & beneficium Romani Pontificis complectitur: & rescripta sunt tum ad lites dirimendas, causasue definiendas, tum ad ea, quæ in beneficijs Ecclesiasticis interuenire solent.

Tertiò quæritur, Quę sint intelligęda in rescriptis, quæ à Romano Pontifice impetrantur? Respondeo cum Glossa *in cap. ex parte, de rescriptis*, multa intelligi. Nam quemadmodum in iureiurando & alijs pactis, generales conditiones, quamuis non exprimantur, semper tamen intelliguntur, cuiusmodi sunt, si Rex vel superior alius, quicunque sit, voluerit; si vixero, si res in eodem statu permanserit, & alia similia, quæ ipso iure pactis inesse tacitè censentur: sic etiam in rescriptis semper intelliguntur, etiamsi non apponantur, conditiones: si preces veritate nitantur, si ita est, *c. super literis, de rescriptis, & l. Vniuersa, C. de diuersis rescrip.* vbi statuitur; *Vniuersa rescripta sub ea conditione proferri; si preces veritate nitantur.* Item, clausula more curiæ Romanæ, solita poni, tacitè intelligitur apposita, etiamsi non exprimatur. Illa item clausula (si ita est) debet ad omnia præcedentia referri teste Panormitano *in cap. 2. requiris. de Appell.*

Quartò quæritur, An Rescriptum principis, quod aliquis impetrat, falsi aliqui exprimens, aut verum aliquod tacens & occultans, sit irritum? Respondeo ex communi sententia canonici iuris interpretum distinguendum hic esse: Aut is, qui impetrat rescriptum à Romano Pontifice, falsum exprimit, vel verum tacet dolo, vel culpa, hoc est, scienter, & tũc nihil illi prodest rescriptũ *c. super literis, & c. Ad aures, de rescript. & c. Non potest, de præben. in 6.* Aut per ignorantiam bona fide falsum exprimit, vel verum occultat, & tunc aut princeps, nimirum Romanus Pontifex, literas daturus esset, etiamsi verum exprimeretur, & falsum taceretur, & valet, & prodest rescriptum, saltem ad hoc, vt iudex delegatus secundum ordinem iuris causam cognoscat, quamuis non secundũ formulam in literis præscriptam, *c. super literis, & c. ex insinuatione, de rescript.* Aut literas alioqui non erat daturus, quia eas canones, & ipsa iura prohibeãt, & denegent: & tunc rescriptum non valet, *c. Super literis, de rescript.* Quæres, quid iudicandum, si Romanus Pontifex non erat alioqui tam facilè literas daturus? Quidam sentiunt, tunc ratum, & firmum esse rescriptũ, quia sufficit si Romanus Pontifex esset alioqui literas daturus. Sed Arg. Rosel. Sylvest. *rescriptum q. 6.* cum Abbate *in c. super literis de rescript.* censent rescriptum nõ prodesse, *ex c. Postulasti de rescrip* quoniã satis est, si veritas occultetur, quę expressa difficiliorem secundum iura redderet impetrationẽ rescripti. Quæres itidem an eo ipso rescriptum sit irritum, cum falsum exprimitur, aut verum tacetur? Respondeo cum Abbate, *in c. super literis, de rescript.* aut rescriptum esse ad lites, & controuersias, aut ad beneficia, & alias facultates: si ad beneficia, & alios fauores, eo ipso est irritum. Nauar. *in man. c. 22. nu. 86. & colligitur ex c. ad audientiam 2. de rescrip. & c. 1. & 2. de filijs presbyt. in 6.* si tamen rescriptũ est ad lites, & controuersias, non est ipso iure irritum, sed rescindendum per exceptionẽ, qua se aduersarius potest in iudicio tueri: quod probat Abbas *ex c. cæterùm, c. Plerumq; & c. Si autem, de rescrip. Sic Abb. in ca super literis, num. Gloss. in c. ad audientiam 1. de rescrip. Nauar. in c. si quando, de rescript. præludio. 1. nu. 1.*

Quintò quæritur, An rescriptum vitietur ex defectu vnius literæ, vel syllabæ? Respondeo, rescriptum à Rom. Pont. impetratum non vitiari, *c. ex parte, de fide instrum.* sicut nec testamentum vitiatur, quamuis in eo sit erratum in syllaba *l. error. C. de testam. & l. in legatis. C. de legatis*: nec libertas minꝰ debetur, licet in litera, vel in syllaba fuerit error cõmissus. *l. qui habebat. ff. de manumissis testamẽto.* Sed quid dicendum, si literæ à Rom. Pont. impetratæ manifestum in grãmatica errorem contineant? Respondeo ex c. ad audientiã 1. de rescrip. non prodesse. Et idem iuris est, *ait ibi Glossa*, si in rescripto Rom. Pont. cum vno homine loquens, numero multitudinis vtatur, aut si Patriarchas, vel Episcopos filios appellet. Obijcies, testamẽta minimè vitiari, etiam si in eis cõtra grammaticæ regulas, & leges peccetur. *l. qui habebat. ff. de manumiss. testam.* Item rescripta Imperatorum prodesse, etiã si errorem in grammatica contineant. *l. Imperator, ff. de status hominum.* Respondet Glossa, rescripta Romani Pontificis non valere, quia nonnisi consideratè conceduntur, & multorum administrorum manu scribuntur: at verò testamenta tabellioũ manu scripta conficiuntur, qui facilè cõtra grammaticam peccant. Sed verius alij respondent, huiusmodi rescripta Romani Põtificis nõ prodesse, quia id est iure Canonico expressum: noluerunt enim Pontifices eiusmodi rescripta vim vllã habere; de testamentis verò, & rescriptis Imperatorum nihil ius ciuile constituit.

Sextò quæritur, Quamdiu rescriptum duret? Respondeo, perpetuò durare, nisi secundum impetretur, quod illud prius abrogetur. Sic Abbas *in c. plerumq; de rescrip. ex l. falso. C. de diuersis rescript.* Ex quo fit, ait ille, vt Priuilegium à rescripto differat, quod

rat, quod Priuilegium amittitur, si is, qui impetrauit, eo per decennium nō vtatur, cum alioqui posset vti: at nisi alius rescriptum secundum impetret, non definit, etiamsi illo nunquam vtatur is, cui conceditur. Si verò alius impetrat secundum; tunc aut primus vti suo per annum neglexit, & valet secundum, non primum, licet nulla primi facta sit mentio: aut primus per annum vti suo nō potuit, quia Iudicē nactus non est, apud quem causam agere posset, & tunc vim suam obtinet primum. Quæres quid dicendum sit, si secundus dolo rescriptum impetrauit? Respōdeo cum Abbate, valere primum rescriptū, etiamsi per annum illo vsus non fuerit is, qui impetrauit. Quæres deindè, quid iudicandum sit, si primus per dolum vsus non fuerit, quamuis absque dolo impetrauit, & secundus dolo priuilegiū est consequutus. Respondeo cū Abbate prodesse primum, non secundum, quia maior culpa committitur, cū dolo rescriptum impetratur, quàm cum quis per dolum non vtitur rescripto legitimè obtento.

Septimò quæritur, Quid rescriptum postulet, vt possit, ac valeat? Respondeo, multa requirere. Nam in primis, nihil in eo prætermitti debet ex ijs, quæ Principem secūdum iura mouere queunt ad concedendum, vel denegādum. Est enim in eo exprimenda veritas, nec falsi aliquid miscēdum. Deindè, series facti est patefacienda, *ca. super eo. de cohabitat. Clericor.* Item, causa litis, siue negocij est referenda, *c. inter Monasterium, de sent. & re iud.* Præterea, si contra aliquem rescriptum impetretur, in eo fieri debet mentio indulgentiæ, siue dispensationis, vt vocant, quā aduersarius legitimè impetrauerat, *c. ex tua, de filijs Presb.* vel cōpositionis, si qua inter litigantes facta fuerit, *cap. ex multiplici, de Decimis*, vel statuti, *c. constitutus, de rescript.* vel priuilegij, *c. cum ordinem, de rescrip.* vel sententiæ à Iudice latæ, *c. inter monasterium, de sent. & re iudi. Sylvest. rescriptum, q. 7. ex Goffredo, & Archidiacono.*

Octauò quæritur, Quo pacto rescripta interpretari debeamus? Respondeo: in primis ea interpretari oportere secundùm commune ius. *cap. causam, de rescri. & c. licet, de præb.* Vndè clausulæ omnes in rescriptis cōtentæ ad iuris communis sententiam reuocari solent, *vt tradit Sylvest. rescriptum. q. 8. ex Ioanne Andrea, Ioanne Monacho, Dominico. Felino.* Deindè, in rescripto non ipsa narratio, sed conclusio perpenditur. *Bald. in l. Præscriptione, ad finem, C. si contra ius.* Insuper, rescripta ad beneficia Ecclesiastica strictè, ac presse interpretari oportet. *cap. quamuis 1. de præb. in 6.* Vndè ad alia trahi minimè debent, nisi, vt docet Felin. *in c. causam, de rescri.* literæ Pontificiæ ad beneficia simpliciter fauorem contineant, aut Motu proprio datæ sint, vel pro compensatione damni.

Rescripta itidem ad lites pressius, & arctius interpretari debemus, quam rescripta ad beneficia Ecclesiastica. *Abb. in c. Capitulum, de rescri.* Postremò, quando in rescriptis constat de mente Roman. Pont. ea tunc plenè sunt interpretanda, etiamsi iuri communi derogent, dummodo tamen interpretationem verborum proprietas admittat, nec vltra Pontificis mentem, rescriptum extendatur, *Felinus in c. causam. de rescrip. Sylvest. rescrip. q. 8.*

Nonò quæritur; Quisnam iure possit rescriptum à Principe impetrare? Respondeo, in primis excommunicatum non posse. Vndè, si impetrat, irritum est rescriptum *cap. 1. de rescript. in 6. & colligitur etiam ex cap. vltim. de Procurat. & c. Post cessionem, de probat. & c. Cum bonæ, de ætate, & qualit. ordinan.*

Deindè, lite pendente, nemini litigantium fas est, rescriptum impetrare, quo is, qui possidet, possessione, vel quasi possessione deijciatur. *cap. 1. 2. & vlt. vt lite pendente.* Nam lite pendente supplicare Principi nobis non licet, nisi in certis casibus. *l. 2. C. vt lite pendent.* Præterea, intra tempus appellationis constitutum impetrari rescriptum iure non potest, *c. sæpè, & c. oblatæ, de appell. & c. Bonæ memoriæ, de confirm. vtili, vel inutili.*

Cap. XXV.

De statutis, siue municipalibus legibus.

Primo quæritur, Quo differat statutum à lege, vel constitutione; & quid appellatione statuti Auctores intelligant? Respondeo, statuta, dici leges, siue constitutiones municipales, hoc est, quas ciuitas aliqua, vel Magistratus, siue Præfectus constituit. Vnde leges, siue constitutiones dicuntur Decreta Principum; nimirum, Imperatorum, vel Regum, vel Romanorum Pontificum. At verò statuta vocantur, decreta ciuitatum, Magistratuum, & aliorū quorumlibet Principum inferiorum: quamuis interdum statuta vocentur, ipsæ quoque leges, & constitutiones Principum. Nos in præsentia, statuta appellamus Decreta ciuitatum, Magistratuum, ex quibus non ius commune, sed municipale existit.

Secundò queritur, An statutum teneat, ac liget subditum eius, qui statutum condidit perperam facientem extra territorium eius? Verbi gratia, Magistratus certæ ciuitatis, vel Episcopus pœnam in fures, vel sacrilegos constituit. Quæritur, an Titius dicti Magistratus, vel Episcopi protestati subiectus ea pœna afficiatur, si extra diœcesim, vel territorium furetur, vel sacra violet. Respondeo *cum Abba. in ca. à nobis 1. de sentent. excomm. Gemin. in cap. vt animarum, de constit. in 6. Sylvest. excommunicatio. 2. num. 5.* huiusmodi statutis non alligari subditos extra territorium peccantes: *quod colligitur ex c. Vt animarum, de sentent. excom. in 6.*

At verò in certis casibus aliquando ligantur: in primis, quando statutum ponitur de re subiecta conditori statuti: Vt, si Episcopus statutum cōdiderit, quo excommunicationem fert in omnes Clericos, qui in Ecclesijs sibi commissis non residēt, eo tenentur Clerici etiam extra diœcesim commorantes, ratione rei, quæ est Episcopo subiecta, hoc est, ratione Ecclesiarum, quæ sunt in eius diœcesi constitutæ. Nam *in cap. vltim. de foro compet.* ratione rei sitæ in aliquo loco, subijcitur quis iurisdictioni illius, in cuius territorio sita res est. Deindè, statuto ligatur aliquis, quando opus cœptum est in territorio, licet sit extra completum: Vt si quis sagittam mittat ex loco potestati, & iurisdictioni alicuius subiecto, & in loco ab eius potestate exempto aliquem interimat, afficitur pœna statuti condicti ab eo, cuius iurisdictioni subiectus est locus, vndè sagittam proiecit. Præterea, statuto tenetur aliquis, eo quòd non se sistat in iudicio, etiamsi extra terri-

torium delinquat. Verbi gratia, statutum Episcopi, sic habet: Quicunque furatus fuerit vbicunque sit, nisi intra mensem à die commissi furti, sistat se coram iudice delicti, vel coram nobis, sit excommunicatus. Titius Episcopo subiectus extra diœcesim furatus aliquid, huiusmodi statuto tenetur, non ratione furti, quod est extra diœcesim commissum, sed quia in iudicium non venit, aut coram iudice delicti, aut coram Episcopo.

Tertiò quæritur, An statuta teneant, ac ligent extraneos, qui delinquunt in territorio eius, qui condidit statutum. Quæstionem tractat Abbas *in cap. à nobis 1. de sentent. excommun. in 6.* & respondet ligare, sic etiam ibi Glossa, & teste Abbate, sic sentiunt omnes iuris ciuilis interpretes. *in l. cunctos populos C. de sum. trin. & fid. Cathol.* & huius ratio est, quia lex semper loquitur *l. Ariani cap. de hæret.* ergo quum primum quis delinquit, etiam si sit peregrinus & extraneus, subijcitur potestati eius, qui posuit statutum, quamuis tempore, quo conditum statutum est, subiectus non erat. item extraneus subijcitur statuto ratione rei sitæ in loco, vbi est conditum statutum, vel ratione contractus in eo loco initi. Nam *in cap. vlt. de Foro compet.* his tribus modis pertinet quis ad forum, & iurisdictionem alicuius. Si igitur ciuitas Bononiensis statuta condiderit, ea non ligant ciues Ferrarienses, aut Mutinenses, nisi aliquis Mutinensis Bononię deliquerit, vel possessionem in agro Bononiensium tenuerit, vel Bononiæ contractum inierit. Et idem iuris est de peregrinis & aduenis & viatoribus. Vnde Abbas recte docet: Quamuis verba statuti sint generalia, non protenduntur nisi ad eos, qui sunt subiecti conditori statuti. Verbi gratia, statuto cauetur, ne quis declinet iurisdictionem certi Magistratus, pœna constituta, eo statuto minimè clerici tenentur, tametsi illius Magistratus iurisdictionem recusent, quia non sunt Clerici subiecti iurisdictioni Principum ciuilium. Et idem iuris est, si statuto caueatur, ne bona stabilia vendantur ijs, qui non sunt iurisdictioni ciuitatis subiecti, id statutum clericos, & Religiosos non tenet, quamuis eis bona stabilia vendantur.

Quartò quæritur, An statuto Episcopi teneantur subditi, qui delinquunt in loco ab eius iurisdictione exempto? Respondeo cum Ioan. Andr. Gemin. Glossa *in c. vt animarum de constitu. in 6.* minimè, quidquid sentiant Innocent. & Bartol. nam locus exemptus, & locus extra diœcesim situs æquiparantur. Idem docent. Abb. *in c. à nobis 1. de sentent. excommun.* Sylvest. *excom. 2. num. 5. 6. & 7.* & teste Abb. sic sentiunt multi iuris ciuilis interpretes. *in l. vlt. ff. de iurisdict. om. iud.* At verò si statutum Episcopi præcipiat, ne aliqui se conferant ad locum exemptum, eo statuto ligātur ij, qui contra fecerint. Vnde, teste Bartolo *in l. cunct. popu. ff. de sum. Trinit. & fide Catho.* ciuitas potest statuto imperare ciuibus, ne eant ad certum oppidum. Nam *in l. Mercatores C. de Commercijs & Mercator.* prohibentur ciues Romani habere commercium cum Persis, qui non erant Romano Imperio subiecti: Et *in l. vlti. ff. de decr. ab ord. faciend.* statuitur, ne quis eat ad commercia extra municipium. Quo fit vt statutis Episcoporum, in quibus pœna excommun. constituitur in eos, qui ingrediuntur, vel accedunt ad Monasteria Sanctimonialium, teneantur ij, qui contra fecerint: huiusmodi enim statuta ponuntur ob commune bonum ciuitatis, & Diœcesis, vel in odium & pœnā eorum, qui in locis exemptis commorantur.

Ex ijs apparet, quid sit dicendum de eo statuto, quod excommu. constituit in eos, qui ad aliquam administrationem publicam promouentur extra ordinem vel Religionem, nisi prius libros & cætera quibus vtuntur in ordine, dimiserint.

Quintò quæritur, An statutis Laicorum clerici teneantur? Hanc quæstionem supra diluimus, cum de legibus ageremus.

Sextò quæritur, An qui subditi non sunt conditori statuti, & per ignorantiam contra statuta delinquunt in loco, in quo sunt condita statuta, iustam ignorantiæ excusationem habeant? Hanc etiam quæstionem tractant Glossa, & Abbas *in c. à nobis. 1. de sent. excom.* & Sylvest. *excom. 2. nu. 6.* & nos de ea cum de ignorantia tractaremus.

Septimò quæritur, Quando nam statutum incipiat vim habere? Respondeo; cum primum promulgatione facta incipit ei⁹ notitia haberi communiter.

Octauò quæritur, An statutum, per conditoris obitum finiatur? Respondeo cum Abbate *in c. A nobis 1. De sentem. excommun.* minimè, nisi expressim abrogetur *c. vlt. de offic. lega.* ex quo fit, vt statutum conditum sede vacante, à collegio canonicorum duret creato etiam successore Episcopo, donec tollatur Episcopi succedentis auctoritate, *vt colligitur ex c. vlt. Ne Prælati vices suas. Sic Feder. consi. 16. Sic Abbas loco citato, Sylvest. statutum. q. 9.*

Nonò quæritur, Quo pacto statutum abrogetur, & tollatur, an videlicet sit necessarius temporis cursus certus, vt sublatum censeatur consuetudine cōtraria. Respondeo ex communi sententia; si positum sit ab aliqua hominum vniuersitate, antiquatur, ac desinit, si ijdem homines, vel eorum successores in vnum coacti scienter semel contra illud faciant, nec requiritur alius temporis lapsus: nec consuetudo præscripta: *sic Hostiensis, Ioan. Andreas & Abbas, quos citat Sylvester. statutum quæst. 11.*

Decimò quæritur, An statutum, quo certa ciuitas Priuilegium concedit externis in hunc modum: Quicunque se receperit ad hoc oppidum, sit immunis & liber ab omni onere, Gabella, vectigali, abrogari possit? Respondeo cum Abbate *in cap. Nouit. de Iudicijs, quem sequitur Sylvest. statutum q. 12.* Aut loquimur de his, qui iam in oppidum venerunt, aut de ijs, qui nondum venerunt. Si de primis, statutum abrogari non potest, quoniam Priuilegium in quasi contractum transiuit, quo etiam ipsi Principes tenentur, *vt colligitur ex c. de Probati. Sic Bartol. in l. quod semel. ff. de decretis ab ordine faciendis.* Si de secundis, abrogari potest; nam res adhuc est integra. Ex quo perspicitur, verum esse, quod tradit Bartolus *in l. priuilegia. C. de sacro. eccles.* si laici statutum ponant, vt singuli ciues quotannis certam eleemosynam erogent in vsum clericorum vel religiosorum, eos laicos non posse illud statutum abrogare. Bartolum sequuntur Innocentius, & Archidiaconus, *vt cit. Syl. statu. q. 12.*

Vndecimò quæritur, An statuta contra ius commune condita valeant? In primis, statutum,

quod

quod cum iure naturali vel diuino pugnat, nullam habet vim. Quare quod in quæstionem vocatur, est, An alicuius sit momenti statutum, quod iuri communi scripto aduersatur: multa enim statuta poni solent, quæ iuri communi videntur derogare; de quibus singillatim dicemus. Ac primum quidem iuris communis est, ne quis ob delictum alterius puniatur. Vnde Dominus, ob scelus, vel delictum famuli pœnas non luit, *vt tradit Bartolus in l. ne quid. numer. 1. ff. de incend. Ruin. nauf. cum communi sententia, vt testatur Iulius Clarius, libr. 5. recept. sentent. in Practic. crimin. q. 86. num. 2.* nisi culpa serui vel famuli aliquo modo in dominum cõijciatur. Vt si Dominus famulorum opera vtatur, qui sint manifestè scelesti ac perditi, aut si sciente Domino seruus vel famulus perperam faciat, qui alioqui posset ab eo impediri: Quod facit seruus vel famulus causa domini, & eo sciente, creditur in iudicio fecisse voluntate Domini, & hæc est communis opinio iurisconsultorum teste Iulio Clario, *loco citato*, non tamen quod facit inscio Domino, aut sciente, sed non prohibente, quia non potuit, vt ait idem Iulius Clarius ibidem. Pari ratione pater ob delictum filiorum soluere pœnas non cogitur, nisi culpa ipsius filius delictum admiserit. Et eodem modo quod facit filius causa patris & eo sciente, putatur in iudicio factum voluntate patris, teste Iulio Clario. Quæritur ergo an valeant statuta, quibus pœna constituitur in aliquem ob delictum alterius, nempe in Dominum, ob serui vel famuli scelus; in patrem, ob filij. Respondeo ex cõmuni sententia quam refert Iulius Clarius *loco citato. nu. 5. ex Anania in c. 2. de delict. puerorum & Felino in c. cognoscentes num. 2. de constit.* huiusmodi statuta valere, quoniam vsu & cõsuetudine approbantur: Locũ tamen habent in pœnis, quæ sunt pecuniariæ. Quamuis etiam quidam iusta esse defendant ea statuta, quæ pœnam infamiæ irrogant alicui ob peccatum alterius, quando crimina sunt immania, & atrocia, cuiusmodi sunt hæresis, proditio patriæ, latrocinium, monetæ corruptio, crimen lesæ maiestatis, & alia similia. Certè meo iudicio conuenit inter omnes, pœnam infamiæ in aliquem ob crimen alterius iure constitui quado crimina grauia sunt. Sed de alijs criminibus multi dubitant, eo quod apud bonos viros honor & fama magni habeantur, ac proinde ferè ipsi vitæ æquiparentur; vt ait Iulius Clarius *loco supra citato.*

Communi igitur sententia receptum est, vt vim habeat statutum, quo Dominus pœnam pecuniariam soluere cogitur ob scelus familiæ, etiamsi nihil culpæ in Domino fuerit, *vt docet Iulius Clarius in eo loco prædicto ex Alberico in p. 1. statut. q. 50.* Sic etiam statutum, quo patres mulctantur pecunijs ob facinus filiorum: statutum itidem, quo ad publicam salutem & vtilitatem filij, vel nepotes spoliantur bonis propter crimen parentum, quæ est opinio communis teste Couarr. *lib. 2. var. resol. cap. 8. nu. 1. vers. quarta poterit.* Solet etiam alicubi esse statutum teste Couarr. & Iulio Clario locis citatis, vt pater soluere cogatur legitimam portionem filij ob eius flagitium. At locum habet huiusmodi statutum, quando filius fuerit sceleris conuictus. Idem iuris est de statuto, quo alicuius castri vel oppidi habitatores, vel quælibet aliæ communitates coguntur pœnam pecuniariam exoluere ob quodlibet maleficium commissum, vel damnum illatum intra territorium. Et ita consuetudine seruari in multis locis, refert Angelus, *vt citat Iulius Clarius lib. 5. recep. sentent. in pract. crim. quæst. 82. nu. 1.* præsertim quando nescitur, quis fuerit sua culpa auctor damni, aut etiam quando scitur, sed autor sceleris soluendo non est: Quod si damnum fuerit illatum in duorum oppidorum finibus; tunc damnum refarciri debet, vt tum hi, tum illi oppidani suam partem exoluant.

Vndecimò quæritur, An iustum sit statutum, vt quisque impunè possit occidere eos, qui sunt publico Reipublicæ edicto proscripti, qui vulgo Banniti vocantur? hanc quæstionem tractat Iulius Clarius *lib. 5. recep. sentent. §. homicidium, nu. 46. & sequentibus.* Omnes consentiunt, iustum esse si loquamur de ijs, qui sunt proscripti tanquam proditores patriæ, vel tanquam transfugæ, vel tanquam prædones, vel tanquam coniurati in Rempublicam aut Principem, nam horum singuli sunt patriæ & Reipublicæ hostes. De cæteris verò dissentiunt auctores, quoniam Iulius Clarius refert duas opiniones *lib. citato numer. 48.* quidam enim aiunt, huiusmodi statuta in foro interiori seu conscientiæ nullam vim habere, quamuis in foro exteriori nulla pœna afficiantur, qui huiusmodi proscriptos interficiunt: ac ideo fatentur, lethaliter peccare, quãuis nulla iuris pœna puniantur. Alij verò sentiunt hæc statuta esse iusta, & licere cuique eos occidere; quorum sententia, teste Iulio Clario, *loco citato*, est communis, & meo iudicio est verior: eam enim consuetudo, quam per totam Italiam seruari videmus, approbat; & ad salutem, pacem, & tranquillitatem communem videtur maximè pertinere, vt huiusmodi nefarij, & perditi homines hoc necis genere (quando aliter plecti, & puniri nequeunt) è medio tollantur. solent enim tanquam hostes patriæ, communisque salutis, multa mala, & ea quidem atrocia committere, quibus Rempublicam vexant, bonos & innocentes interimunt, aliena bona diripiunt, viatores spoliãt, & vniuersa perturbant, demum iura omnia diuina, & humana peruertunt.

Duodecimò quæritur, An valeat statutum, solummodo pecuniariam pœnam constituens in homicidas? De hac quæst. tract. Iul. Clarius *lib. 5. recep. sentent. §. homicid. num. 17.* Duæ sunt opiniones; quarum vna negat, eo quòd legi Euãgelicæ, diuinæ & naturali repugnare videatur. Nam precipit Deus: *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur;* apud Matthæum quoque: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Deinde ratio naturalis præscribit, vt pro grauitate delicti, crimina vindicentur: at pecuniaria pœna grauitati homicidij minimè respondet. Interest autem reipublicæ, vt à cædibus & iniurioſa vita improbi terreantur. Accedit, quod huiusmodi statutum delinquendi occasionem præbet, præsertim diuitibus, qui nullam pœnam pecuniariam pertimescunt, nec vllum scelus formidant, quod redimere se posse nummis existimant. *Sic Hostiensis, Archidiaconus, Cardinalis, Felinus & alij quos refert Iulius Clarius*

Genes. 9. Exod. 21. Matth. 26

loco prædicto. Altera opinio docet huiusmodi statutum valere: ea placuit Bartolo, Aretino, Alexandro, & quibusdam alijs, teste ibidé Iulio Clario. Ait Albericus *in pa. 2. statutorum. q. 122.* hanc sententiam esse communem, & consuetudine vbiq; seruari. sed fortassis Alberici tempore hæc communis erat opinio, & vsu recepta: sed nunc talia statuta, vt ait Iulius Clarius nec probantur, nec consuetudine seruantur.

Decimotertiò quæritur, An valeat statutum laicorum, cauens ne filij matrimonium contrahant sine consensu patris? de hac etiam quæstione Iulius Clarius *lib. citato. q. 82. num. 12.* Duæ sunt opiniones; vna affirmat, quam teste Iulio Clario probat Bartolus, & alij quidam Iuris ciuilis interpretes; qui fatentur quidem, si huiusmodi statutum pœnam in contrahentes constituat, eam non deberi, sed statutum valere. Altera opinio, negat ea statuta laicorum vim vllã habere. Ioan. Andrea. Hostien. Antonius. Anchar. Abbas. Felin. & alij, vt citat Iulius Clarius, cui sententiæ omnes ferè canonici Iuris interpretes adhærent, & meritò, cum ad veritatẽ propius accedat: vtpotè iuri Canonico magis consentanea, quod liberam voluntatem in matrimonijs cõtrahendis requirit. *cap. vlti. de secun. nuptijs*, quamuis Iulius Clarius doceat à prima sententia non esse recedendum, vbi ea fuerit consuetudine recepta. Addit etiam, Alexandrum sequutus, quem citat, quamuis ius Canonicum seruandum sit, & iuxta illud iudicandũ, ita vt matrimonia contracta sine consensu parentum valeant; pœnas tamen pecuniarias, quas statuta irrogant, deberi; vt puta, si statutum decernat, vt sine consensu patris contrahentes, dote priuentur, quod ego non credo; nam huiusmodi pœnæ multum libertati in matrim. contrahendo detraherent, quam ius Canonicum postulat, vt dixi. Hinc etiam apparet multò minus valere statutum, quod prohibet, sororem nubere sine consensu fratris: quæ est omnium communis opinio, vt ait Alexander, quem Iulius Clarius citat. Quæres, an vim habeant statuta Laicorum, quæ priuant filiam dote, si viro nubat vili, & indigno, sine consensu patris? Respondet Iulius Clarius Alexandrum, & Parisium secutus, valere, eo quòd ius Canonicum similia statuta non damnat, nec improbat.

Decimoquartò quæritur, An alicuius sit ponderis, & momenti statutum, quod prohibet rem stabilem, siue immobilẽ per alienationem transire in aliquem externum? nam id cum iure communi pugnare videtur, quo est cuiq; liberum, sua bona alienando in quemcunq; transferre. Hanc quæstionem tractat Iulius Clarius *lib. cit. q. 82. n. 15.* Respondeo ex communi sententia, eiusmodi statutum valere, nam in iure communi extat lex, ne fundus, vel alia res stabilis ad externos transferatur. *l. 1. C. nõ licet habitato. lib. 11.* Si tamen quæras, an eo posito, si res vendatur Clerico externo, vel Ecclesiæ, aut Monasterio, venditio subsistat? Communis sententia teste Iulio Clario, *loco cit.* affirmat venditionem valere, quoniã statutum Laicorum Clericos, aut Ecclesias non tenet, & multò minus adstringit Clericos statutũ, quo cauetur, ne quis vendat externis, etiam Clericis, vel Religiosis: nam tunc statutum expressim cum libertate Ecclesiastica pugnaret. Quæres, an tali statuto posito, vt nemo distrahendo sua bona externis relinquat, interdicta censeatur hæredis externi institutio? Gloss. *in l. 1. C. non licet habita. lib. 11. ver. loca sub.* respondet nõ censeri. Sed cõmunis opinio, Glossa reiecta, contrarium sentit teste Iulio Clario *loco cit.* Deindè, si quæras, an interdicta videatur locatio, qua quis locat rem suam externo? Respondet Iulius Clarius, si locet ad modicum tempus, non prohiberi: secus verò, si ad longum tempus: Longum verò dicitur, quod est vltra decennium. Tertiò dubitabis, an si Titius testamento legauerit externo rem aliquam immobilem, hæres debeat præstare legatario rei illius æstimationem, cum res immobilis externo legari non possit. Respondeo, debere; sic enim habet communis opinio teste Iulio Clario. Quartò quæres, an dictum statutum prohibẽs rem immobilem alienatione in externum transferri, videatur quoq; vetuisse præscriptionem? Respõdeo cum Bartolo, & Alexandro, quos refert, & sequitur Iulius Clarius, eã quoq; prohibuisse. Si quinto scisciteris, nũ si contra huiusmodi statutum facta sit rei immobilis alienatio, transeat dominiũ in externum? Respondet Iulius Clarius, quãuis possessio transferatur, dominium tamen nõ transire: statutum enim impedit solum, ne transeat dominium. Postremò si roges, quid sit dicendũ, quando non solùm huiusmodi statutum alienationem prohibet, sed etiam certam pœnam in alienantem constituit, An si quis actionem ad rem aliquam immobilẽ externo relinquat, ib pœnam incurrat? Respondet Iulius Clarius minimè, quoniam pœna cõstituitur in alienantem, non autem in transferentẽ suam actionem in alium. Et sciendum est, vt ait Iulius Clarius, statutum prædictum solummodo locum habere in alienatione voluntaria, non autem in necessaria: Et hæc est, teste Alberico, quem citat Iulius Clarius, communis opinio.

Cap. XXVI.

Aliæ quæstiones diluuntur de quibusdam statutis Ciuitatum.

PRIMO queritur, Quo modo intelligatur statutũ, quo certa pœna constituitur in eum, qui fuerit deprehensus cũ armis? Et in primis dubitatur, an in pœnã incidat Titius, qui arma detulisse cõuincitur, sed nõ est cũ armis deprehensus? Hanc quæstionẽ tractat Iulius Clarius *lib. 5. recept. sent. in pract. crim. q. 82. n. 24.* & vt ibi ait: Duæ sunt opiniones, vna affirmantiũ, eum tali pœna puniendũ; quam etiã, aiunt, esse cõmunem sententiã. Altera est negantiũ, pœna in statuto lata esse in eum animaduertendũ: quę quidem cõmunis est etiam opinio, teste Iulio Clario: ac vsu ipso, & consuetudine approbata. Et certè statuti verba eam confirmãt. Nec enim dicitur, qui arma detulerit, hãc aut aliam pœnã sustineat, siue persoluat, aut luat, sed qui fuerit cũ armis deprehensus. Nec est, cur verbum (deprehensus) trahamus ad eum, quem arma detulisse in iudicio testes probauerint. Vndè, si fuerit pœna statuti, vt qui deprehenditur cũ armis, ea amittat, Titius arma non perdit, si non fuerit cũ eis deprehensus, etiãsi testes eũ arma gestasse conuicerint, vt docet Iulius Clarius: nec

licet

licet Iudici in eum inquirere, nisi id expresse statutum, vel publicum edictum contineat. Quæres, an appellatione armorum cõtineantur etiam arma, quæ propriæ defensionis gratia deferuntur? Iulius Clarius Respõdet ex communi sententia, minimè: quoniam iuris naturalis est, vt se quisq; defendat. Vsu tamen alicubi est receptum eodem Iulio Clario teste, vt hæc etiã arma amittat quis, si cum ipsis fuerit deprehensus. Quæres etiam, an armorum quoque appellatione ijs in statutis fustes, & lapides intelligãtur? Respondet idem Iulius Clarius iure communi hæc etiam intelligi armorum vocabulo, *vt constat ex l. Armorũ. ff. de verbor. signifi.* At verò vsu, & consuetudine eodem teste statuta, nomine armorum, fustes, & lapides minimè accipiunt, immò neque cultellum ad scindendum panem, aut pennas aptandas. Si roges, an qui defert ad vsum in itinere faciendo, arma interdicta, pœnam statuti debeat sustinere? Respondeo, minimè; Sic enim consuetudine seruari testatur Angelus, quem citat, & sequitur Iulius Clarius. Quæres etiam, an statuti pœnam incurrat, qui domi habet arma, quæ prohibet statutũ: Causa dubitandi est, quia *ex l. 1. ff. ad legem Iuliam. de vi publica*, videtur in eam pœnam incidere. Sed consuetudine receptum est, teste Angelo, quem citat Iulius Clarius, vt eam pœnam non subeat, & luat homo ille. Nam verba statuti ad eum, qui domi arma tenet, non porriguntur, sed eum tantum comprehendunt, qui arma defert, nisi in statuto, vel edicto expressim quoque dicatur: qui arma detulerit, vel domi tenuerit. Quod si roges, quid sit dicendum, cum hæc statuta ita cõduntur: Qui de nocte arma detulerit præcisè post sonitũ primæ, aut secundæ horæ, hanc, aut illam pœnam persoluat, & Titius in nocte feriæ quintę, aut sextæ in hebdomada sanctæ, defert arma, vtrum talem pœnam contrahat? Respondet Iulius Clarius, Albericum sequutus nequaquam, eo quod illis diebus campanæ non sonant, ac proindè Titius contra statutum nõ facit: hisce statutis pœna solet constitui, vt qui arma defert post certum campanæ sonitum, ea amittat. Item solent esse statuta, ne quis arma gestet, cum venit in Palatiũ Imperatoris, Regis, Principis, vel in certum forum publicum. Quæres, an Clericus deprehensus cum armis interdictis, iure possit per magistratum ciuilem puniri pœna eiusmodi statutis, vel edictis ciuilibus in eos, qui non obtemperant constituta. De hac quæstione agunt Iulius Clarius *lib. 5. recept. sent. §. practica criminalis. q. 36. num. 27.* Couarr. *c. 33. practicarum quæstionum nu. 7.* Duæ sunt opiniones, quarum vna affirmat, posse puniri, ita vt Clericꝰ deprehẽsus, iure spoliari armis queat, quamuis nequeat à Magistratu, vel iudice ciuili, & profano, pœna pecuniaria mulctari. Sic Couarruuias, qui quidem hanc sententiam veriorem arbitratur, eamq; confirmat tum ex eo, quod similia statuta, & edicta cõsulunt publicæ, & communi vtilitati, saluti, & paci: tum eti, âquia vsu armorum iure canonico est Clericis interdictũ, alioqui enim Clerici cũ armis liberè noctu vagarentur cum ingenti populi detrimento, & offensione. Iulius Clarius ait hanc opinionem esse communem, & veram.

Altera opinio negat Clericum talibus statutis teneri, aut eius pœnis subijci, nec à Iudice sæculari pecuniaria pœna puniri, aut armis spoliari posse, sed apud iudicem Ecclesiasticum arma, vel aliam pœnam esse petẽdam: sic Ioannes Platea, & Ioan. Lupus, quos citat Couarruuias, eo quòd, vniuersim Ilicorum leges, vel edicta Clericos non ligant. Vndè iuxta hanc opinionem, si Clericus cum armis deprehendatur, ad Ecclesiasticum Iudicem est eius delictum deferendum, eiusq; auctoritate puniẽdum, vel ordinaria pœna, vel arbitraria. Probabile quidam existimant Clericos his statutis, vel edictis adstringi: nam licet Laicorum statuta sint, ad publicam tamen, & communem omnium salutem, & pacem spectant. Nihilominus verò probabilius mihi videtur, Clericos horum statutorum, vel edictorum pœnis nõ subijci; etiamsi pœna sit tantummodo pecuniaria, vel armorum amissio. Si enim corporalis sit, pro certo omnes habent, Clericos per Magistratum ciuilem puniri iure non posse. In Gallia tamen, aiunt Couarruuias, & Iulius Clarius, in Clericos arma deferentes, Magistratum ciuilem animaduertere, vel eos armis spoliando, vel ab eis pœnam pecuniariam exigendo: sed id Romanorum Pontificum concessu obtentum esse apud Gallos testãtur Faber, Cassaneus, Carolus Degrassalius, Guliel. Benedictus, Aufrerꝰ, quos citat Couarruuias; ergò non iure, nec consuetudine, sed priuilegio Roman. Pontif.

Secundò quæritur, De statutis Principum, Magistratuum, vel Ciuitatum, quibus præcipi solet, ne quis extra Prouinciæ, vel vrbis territorium frumentum exportet, vel alias res similes; alioqui res ipsas amittat, aut certam pecuniæ summã persoluat: Iulius Clarius *lib. 5. de recep. sent. §. pract. criminalis q. 82. nu. 35.* hanc quæstionẽ disputat. Sunt qui eiusmodi statuta, vt iusta defendant: quia nimirum ea condi solent ob publicam, & communem vtilitatem, ne scilicet, sequatur frumenti, siue annonæ penuria, & caritas. Contra, alij hæc statuta improbant, & damnant ob eam causam, quòd Principum, aut Magistratuum auaritiam foueant, & augeant, quoniam ex quolibet frumenti modio, qui extrahitur, certum vectigal exigitur; & Princeps, ac Magistratus quotidie facultatem extrahendi cõcedunt, quibus volunt, dummodo certum illud vectigal persoluãt, & ita maiorem penuriam inducunt, ac proindè etiam maiorem annonæ caritatem. Sed quicquid sit, negari non potest, quin eiusmodi statuta cum recta ratione, & æquitate conueniant: quoniam alioqui si libera esset extrahendi facultas, maxima subindè frumẽti penuria Respublica laboraret. Solent enim finitimi, ac vicini populi, annonæ inopiam pati; & idcircò nisi talia statuta conderentur, totum frumentum ex vno loco in alium asportaretur, eo quòd alibi carius vendatur. Ergò Reipublicæ bono consulitur, cũ cauetur, ne frumentum extra prouinciam, vel oppidum extrahatur. Quòd si deindè passim facultas datur extrahendi; culpa est, vel Principum, vel Magistratuũ lucri, & quæstus gratia, liberam multis facultatem concedentium. Certè cum annonæ penuria futura probabiliter creditur, extrahendi facultas denegari debet, vel ante data simpliciter adimi, vel ad tempus differri, atque suspendi.

Quæres, nunquid huiusmodi statuta, quibus vetatur, vinum, frumentum, vel carnes, vel animalia extra prouinciam, vel locum deportari, ligent etiam externos? Respondeo, maximè, & ita habet vsus, & cõsuetudo teste Alberico quem citat Clarius. Quæres itidem, an etiam teneant eum, qui exportat in vsum suum? Respondet Bartolus, non tenere, quam opinionem ait Iason esse communem. Bartholum, & Iasonem citat Iulius Clarius, *loco citato*. Cæterùm quicquid illi opinentur, vsu est receptum teste Iulio Clario, vt exportantes in vsum suum, his statutis adstringantur, & pœnis, quibus cæteri, puniantur. Quòd si liceret alicui extrahere in vsum suum, tunc eidem quoque fas esset, quando ei quippiam eorum superesset, id promiscuè cui vellet, impunè vendere. Item, si aliquid extraheret in vsum suum, & deindè voluntatem mutaret, liceret quoque cuilibet vendere. Sed quia vsus habet, vt exportantes in vsum suum, his statutis teneantur; consequitur, vt nihil ex prædictis facere alicui licitum sit. Quæres itidem, an his statutis comprehẽdantur exportantes siue extrahentes farinam, quando prohibent, quominus quis frumentum exportet. Quidam negant, immò ita communi consensu auctores sentire Albericus testatur, quem citat Clarius. Alij verò sentiunt comprehendi, & Ripa eodem Clario teste scribit, hanc etiam esse communem sententiam. Quicquid sit, tradit Iulius Clarius esse consuetudine receptum, vt extrahentes farinam decreta in statuto pœna, qua cæteri, puniantur. Et certè (quod supra de frumento dixi) si cuique liceret farinam exportare, legi plurimum derogaretur. Rogabis etiam, an si statutum pœnam constituat in eum, qui frumentum exportauerit, quique in eo delicto fuerit deprehensus, locum etiam habeat in eo, qui deprehensus quidem non fuerit, sed testibus in iudicio delicti conuictus? Respondet Ripa, vt testatur Clarius, communem esse sententiam, locum nõ habere; quia verba statuti sic habent: Qui exportauerit, & in eo fuerit deprehensus, puniatur. Quòd si in statuto dicatur: Qui exportauerit, pœnam luat, tunc statutum tenet eum, qui asportauerit, & quem itidem exportasse in iudicio testimonia conuicerint. Sed vsu est quoque receptum teste Clario, vt etiam puniantur ij, quos exportasse, testes in iudicio probauerint. Dubitant etiam aliqui, num qui frumentum extrahit, & in itinere deprehenditur, priusquam prouinciæ, vel loci fines egrediatur, puniri debeat ac si extraxisset? Quidam negant, alij affirmant, vt Iulius Clarius testatur. Sed certè in more positum est, vt in eum pœna in statuto irrogata, qua in cæteros, animaduertatur; dummodo constet eum, qui in itinere deprehenditur, frumentum velle exportare, & extrahere, ita docet Iulius Clarius. Postremò, quæres quid sit dicendum, quando Titius exportat vnà cum mercibus interdictis merces permissas, nunquid amittat solùm vectitas, an etiam permistas? quid item, si non solùm exportet suas, sed etiam alienas prohibitas simul cum mercib⁹ permissis? Aiunt quidam omnes merces confiscari, & siue sint propriæ, siue alienæ, dũmodo mercium dominus scienter consensum præstiterit, vt exportarentur. Alij verò sentiunt, solùm merces vectitas amitti, & fisco addici, & ita esse in more positum scribit Albericus: quæ certè opinio teste Iulio Clario est mitior, atque benignior.

Iulius Clarius lib. cit. n. 42.

Tertiò quæritur de statutis quarundam ciuitatum, quibus præcipitur, vt si quis, vel in Rempublicam coniurauerit, vel patriam prodiderit, vel aliquo alio grauiori crimine sese obstrinxerit, sic puniatur, vt vniuersa eius bona deuastentur, nunquid locum, & vim habeant, eiusmodi statuta? Respondeo: quamuis iure communi nullius sint ponderis, & momenti, vsum tamen obtinuisse, vt valeant, vt testatur Albericum, & Parisium sequutus Iulius Clarius, *lib. cita. q. 82. nu. 42.* Si quæras quid agendum, quando Titius tale crimen cõmittens habet plures domos cõmunes cum alijs? Respõdeo, oportere eas domos diuidi, & tantùm illas euerti, quæ contingunt partem nocentis, vt cum Alberico docet Iulius Clarius. Sed quid dicendum est de eo, quod interdum accidit? Titius verbi gratia habet partem vnam domus superiorem, aut inferiorem, & alius habet item alteram, nunquid tota domus est diruenda? Respõdeo, minimè: Sic Iulius Clarius cum Corsetto. Sed tunc debet pœna commutari, ne Socius innocens pœnam immeritam sustinere cogatur. Rogabis, num vxor sit audienda dotem suam petens; An item sit creditoribus satisfaciendum, si vniuersa Titij debitoris bona deuastentur? Quidam teste Iulio Clario aiũt, tum vxorem, tum creditores esse audiendos, & vtrisq; esse satisfaciendum. Alij verò sentiunt bona Titij esse excindenda, & perdenda; fiscum tamen de suo, & vxori, & alijs creditoribus satisfacere debere. Ita docet Iulius Clarius, *loco supra citato*.

Quartò quæritur, Quo modo statuta accipi debeant, in quibus certa pœna cõstituitur in eos, qui de nocte crimen aliquod admiserint; quemadmodum in his statutis, *nox*, accipienda sit, vndè nimirum incipiat, aut vbi finiatur? Respondet Iulius Clarius *lib. prædicto q. 82. num. 48.* appellatione, *noctis*, intelligi tempus ante solis exortum: quamuis alij nocte accipiãt totum illud tempus, quod tenebris obscuratur ante diurnæ lucis reditum, & accessum. Ita etiam nonnulli aiunt noctem incipere statim post solis occasum. Alij verò intelligunt tempus, quo vespertina luce recedente tenebræ incipiunt: Ita vt tota hæc res Iudicis arbitrio definienda relinquatur. Ac proindè crimen illud de nocte admissum censebitur, quod patratum est eo tẽpore, quo lux matutina, vel vespertina nondum apparet. Si quæras quid dicendum sit de ijs statutis, quibus præcipitur, vt duplicata pœna animaduertatur in eum, qui de nocte deliquerit; & item dupla pœna condemnetur is, qui in publico foro crimen admiserit: quando contigerit, vt Titius, & de nocte, & in publico foro crimine sese obligauerit. Quæritur nanque an simpliciter duplum debeat, perindè, ac si de nocte tãtummodo, aut in publico foro solùm deliquerit: an verò quadruplum? Respondeo cum Iulio Clario *lib. præditto, q. 82. nu. 36.* Titium debere simpliciter duplum, non quadruplum: Est igitur ille duplo tantummodo condemnandus.

Quintò quæritur de eo statuto, quo præcipitur, vt ei, qui delictum ipsonte sua, & voluntate confitetur, pœna minuatur: num si is primum

negauerit

negauerit se delictum commisisse, deindè verò illud sponte confessus fuerit, debeat statuti beneficio gaudere? Bartholus apud Iulium Clarium *lib. citato, q. 82.* Respondet minimè, & Socinus apud eundem Clarium, *eodem loco*, ait hanc esse communem sententiam: à Bartholo dissentiunt Iason, & Felinus apud Iulium Clarium asseuerantes etiam contra Bartolum Doctores, communi consensu sentire. Certè mitior est, & benignior hæc secunda sententia teste Iulio Clario; nam verè is sponte crimen confessus censetur, etiamsi id ante negauerit se illud perpetrasse.

Sextò quæritur, de eo statuto, quo præcipitur, vt quis ob tertium furtum patibulo affigatur, an si quis, Verbi gratia, duo furta extra territorium, & tertium intra commiserit, suspendi debeat perindè ac si primum etiam, & secundum intra territorium admiserit? De hoc statuto Iulius Clarius *lib. 5 recepta. sentent. §. furtum n. 10.* Quidam censent eum esse alligandum ad palum; Alij verò distinguũt: Aut statutum sic habet: *qui tria furta fecerit, affigatur ad palum*: aut sic; *Ob tria furta fur suspendatur è palo.* Si primo modo, suspendi iure non potest, quia non videtur tria furta commisisse, qui duo extra territorium fecit. Si secundo modo, tunc ad palum alligari iure potest, quia statuto tertium furtum punitur, non tria furta. Quæres quid dicendum sit, quando statutum sic habet; *Famosus, vel publicus fur suspendio pereat.* An computari debeant furta extra territorium perpetrata? Respondet Iulius Clarius, communem esse sententiam, & consuetudine receptam, vt ea furta computentur: is enim fur famosus censetur, qui hic, & alibi furta plura committit.

Septimò quæritur, An subsistat statutum, quo cauetur, ne is, qui per tres, quatuor, quinque ve, aut decem annos debitum non petierit à debitore, possit illud ampliùs postulare, vel in iudicio non audiatur. Quidam negant locum, & vim vllam habere, eo quòd nemo absque causa potest iure suis bonis spoliari; ergò creditor non est suo iure priuandus. Præterea, possessor malæ fidei vsucapere, aut præscribere, vt vulgo dicitur, non potest, *c. vlt. de præscrip. & c. possessor de regul. iuris in 6.* at debitor etiam per quinquennium, vel decennium creditore nihil petente, scienter rem alienam possidet; ergò vsucapionis, aut præscriptionis priuilegio gaudere non potest. Alij verò contendunt iustum esse huiusmodi statutum, eo quòd sicut leges elapso præscriptionis tempore dominum suis bonis spoliant, eorumque dominium in possessorem transferunt, sic etiam statuto decerni potest, vt debitor contra creditorem nihil ab eo exigentem intra certum tempus vsucapiat, iure præscriptionis. Nam quemadmodum præscriptionis leges sunt iustæ, quoniam latæ constitutæque sunt ad lites dirimendas, pacemque seruandam, & ad negligentiam dominorum puniẽdam, & ne dominia rerum sint incerta: Sic etiam iusta videntur esse statuta, quibus præcipitur, vt creditor intra quinq., vel decem annos debitum non exigens à debitore, illud amittat, & suo iure cadat. Bartho. *in l. sequitur. §. si viam. ff. de vsucapionib.* approbat ea statuta, quibus cauetur, vt creditor intra certum tempus debitum à debitore suo petat, qui si non petierit iure suo, & actione cadat, vel non ampliùs audiatur. Sed Angel. in eandem legem ait, Bartholum in hac sententia improbari, & damnari ab omnibus: & ita reuera eius opinio in hac parte meritò condemnatur; *quoniam*, vt constat, *ex c. vlt. de præscript. & c. possessor. de regu. iuris in 6.* possessor malæ fidei nullo tempore potest vsucapere, siue præscribere; & ita contra Bartholum sunt Ioan. Andreas, Antonius, Abbas, Felin' *in c. vlt. de præscript.* Couar. *in regula, possessor p. 2. §. 11. nu. 3. 4. & 5.*

Deindè similia quoque condi statuta solent, quibus decernitur, vt qui à Turcis, & alijs Christiani nominis hostibus nauali pugna bona Christianorum occupata eripuerit, sibi retineat, si intra tres dies, quatuor, vel quinque, aut septem dominus non compareat, aut sua bona nõ repetat. Solent etiam esse statuta, vt bona naufragantium ad fiscum Principis pertineãt, si ad annum dominus ea nõ reposcat. Item alia quibus decernitur, vt ad fiscum deueniãt, si intra nauim nulla res viua inuenta sit. Item solet esse statutum, vt stipendium, & merces famulis debitum exigi nõ possit post triennium à die, quo à famulatu cessauerint, vel à dominis recesserint, nisi intra id triennium à dominis stipendium petijsse probauerint. Alicubi statutum est, vt famuli mercedem pactã, aut debitam à dominis petant intra annum à die, quo seruire cessauerint; post annum autem famuli salarium petere non possint, nisi scripturam producant in iudicium, qua probetur petitio. Hæc statuta, & similia improbat Castrus *l. 2. de iege pœnali ca. 10.* Couar. *in reg. possessor. p. 2. §. 11. n. 3. & 4.* & meritò, quia vt dixi, nemo, cum est possessor malæ fidei, præscribere potest, sed debitor sciens se esse obligatum ad soluendum, mala fide possidet. Sed de his statutis latius agam, cum de vsucapione, vel præscriptione tractabo. Omnino primum videndum est, an hæc, & alia similia statuta solummodo creditori denegent actionem in iudicio ciuili cõtra debitorem, eo quòd intra certum tempus petere debitũ neglexerit; nam creditori, qui intra annos lege constitutos à præsenti debitore suum debitum non repetit, fortassis iustis de causis id exigentibus ob publicum bonum, ius denegatur conueniendi debitorem apud Iudicem ciuilem, & contra eum in iudicio ciuili agendi. Et fortassis eiusmodi statuta sic intelligũtur; vt creditor, qui intra decennium non petijt, non audiatur. At toto eo tempore transacto, debitor in foro conscientiæ, & iure canonico creditori debet soluere, quamuis in iudicio ciuili nequeat ad soluendum compelli. Quod si statutum absolutè, & simpliciter constituat, vt creditor intra certum tempus debitum petẽs iure suo, & actione cadat, & debitum amittat, omnino damnandum est, quamuis quorundam Bartolum sequentium sententia comprobetur: nam Respublica ad lites quidem dissoluendas, & dominia rerum incerta vitanda, tuendamque pacem, ius habet ex vno in alium bona transferendi: & potest actionem denegare ob aliquam causam, quæ absque vllo dolo, & mala fide contigerit, vel eo quod defuerit solennis stipulationis formula legibus præscripta; non tamen ius habet condendi legẽ, qua quis occupet rem alienam cum mala fide, vel detineat id, quod scit quis, se alteri debere.

Vndè iniquum etiam statutum videtur, quo cauetur, vt emptor, qui emit rem cum pacto retrouendendi, quando venditor pretium obtulerit, eam rem præscribat, siue vsu capiat, si venditor non obtulerit pretium spatio triginta annorum: quamuis quidam hoc statutum approbent, quos citat, & refellit Couar. *lib. 1. varia. resolut. cap. 9. nu. 5.* Non valet etiam statutum, vt creditor pignus vsucapiat, si intra certum tempus debitor non soluat, teste Couarr. *loco citato.* Nec item vim vllam habet statutum, quo decernitur, vt hæres scienter præscribat rem legatam, si legatarius intra certum tempus non petat, vt tradit contra aliquorum sententiam Couarru. *loco citato.*

Octauò quæritur, De statutis quarundam ciuitatum, quæ præmium constituunt ijs, qui fontes cœperint, An ministerMagistratus, qui eos capit, constitutum præmium mereatur? Respondeo, minimè, quoniam sui muneris, & officij ratione id exequi, & obire compellitur; ita Iulius Clari[9] *lib. 5. recepta. senten. in practica crimina. lib. 9. q. 29. num. 8.* vbi ait, ita Ioan. Montanum, & alios sensisse, & id ita seruari.

Nonò quæritur, An valeat statutum, quo cauetur, ne contractus fœminarum, vel minorum alicuius sint ponderis, & firmamenti, etiamsi iureiurando confirmentur, nisi interueniat curatoris consensus, & decretum iudicis, vel nisi interueniat duorum propinquorum consensus? Respondeo cum communi sententia iurisconsultorum, quam refert Iason *in l. sacramenta puberum. C. si aduersus venditionem*, minimè, quoniam iuri Canonico *in cap. quamuis, de pact. in 6. & c. cum contingat, & c. mulieres. de iureiur. & c. significante, de pignorib.* aduersatur, quod præcipit iusiurandum esse seruãdum, si absque peccato seruari potest. Vndè multa alia pacta, & conuenta iureiurando munita, & firmata vim habent, etiamsi secundùm leges irrita, & inania alioqui habeantur absque iureiurando facta.

Decimò quæritur, An valeant statuta ciuitatum, quibus decernitur, vt si quis alium occiderit, vel puellam virginem, & honestam per vim stuprauerit, bona eius, vel saltem dimidia pars bonorum ad hæredem vitiatæ puellæ, aut interfecti hominis pertineant? Respondeo cum Raynerio, & Alberico, *in repetione super l. omnes populi. §. in Christi nomine, ff. de iust it. nu. 27.* valere; quia homicida, vel stuprator virginis honestæ vitæ, & conditonis, capitali pœna, vel amissione dimidiæ partis bonorum plecti iure potest; ergo & suis bonis priuari. Stupratoris pœna capitalis erat secundum ius ciuile, si puella honesta per vim corrumpebatur. *l. 1. ff. ad legem Iuliam, de adulterijs, & Instit. de publicis iudicijs, §. item lex Iulia.* si erat vilis conditionis stuprator verberabatur, aut relegabatur, & dimidia pars bonorum eius publicabatur, *Instit. de pub. iudicijs, §. item lex Iulia.*

Vndecimò quæritur, An vim habeat statutum, quo decernitur, vt Respublica habens rem communem cum priuato, liberè rem totam vendere queat cum non possit partem per se commodè vendere. Respondeo vim habere, quia commune Reipublicæ bonum priuato est ante ponendum. Et quia id iure communi constitutum est *in l. 1. C. de venditione rerum fiscalium cum priuatis communium libr. 10. l. 2. C. de communium rerum alienat.* & ita etiam docuerunt Raynerius, & Albericus *in repetitione citata*: at priuato rem communem cum alio priuato habenti partem suam vendere non licet absque consensu alterius. *l. 2. C. de communium rerum alienatione.*

Duodecimò quæritur, Quomodo statuta interpretari possimus? Respondeo, *in cap. cum dilectus, De consuetudine*, de quodam statuto dicitur: *Cæterùm, cum supradictum statutum ita sanè posset intelligi, quod per illud nec iure communi, nec priuilegio derogetur, &c.* Vbi Glossa annotat: *Vbi aliquid à iure discrepare videtur, ad ius commune reducendum est, si fieri potest, ne pereat: nam testes etiam ad concordiam reuocari debent, ne tanquam periuri damnentur, cap. Cum tu. De testibus*, sic Glossa. Ergo statuta ita oportet interpretari, vt nulli sint oneri, damno, & detrimento. Deindè, vt quàm fieri potest, iuri communi consentiant, vt colligi potest *ex cap. causam quæ, de rescriptis, & cap. ex ore, de priuil. & ca. cum olim, de consuetudine.* Vbi verò certa, & clara sunt statuti verba, ab eis recedendum non est. Locus enim est interpretationi, quando verba sunt ambigua, vel obscura, vel incerta.

Decimotertiò quæritur, An statutum sit ad casus fictos trahendum, & protẽdendum? Tractant hanc quæstionem Abbas, *in cap. cum dilectus, de Cleric. non resi.* & doctores *in cap. in nostra. de iniur. & in l. 3. §. hæc verba. ff. de nego. gest. Bartho. Bald. & Iason in l. omnes populi. ff. de iust. & iure.* Sciendum est, Iuristum Canonici, tum Ciuilis interpretes fãcta, vel alia, quæcunque sint in duo membra diuidere, ita vt alia vocent vera, alia ficta, id est, quæ iuris fictione iudicentur, ac si verè facta essent. Exempli gratia, cognatus propriè dicitur, qui per matrem ex eodem genere descendit. *§. 1. Instit. de legit. agnato succes. & l. 2. §. 1. ff. de suis, & legit.* & tamen ius voluit, vt filius sororis, agnatus habeatur, tanquam si per virilem sexum descenderet, & habeat iura agnatorum, lege duodecim tabularum, & l. meminimus. C. de legit hæredi. Item libertus, ingenuus homo non est, & tamen ius commune aliquando voluit, vt habeatur ingenuus. Impensæ, damnum propriè non sunt: nam damnum est diminutio patrimonij per alium fãcta, *l. 3. ff. de dam. infe.* at impensæ voluntariæ sæpè sunt. Item cum homicidium committitur, Caius per seipsum occidit, Titius verò suadet, imperat, hortatur, consilium, auxiliumue dat: Caius dicitur verè homicida, Titius verò tantùm iuris fictione. Quæritur, an si statutum certam pœnam contra homicidam constituat, in eam incurrat non solùm, qui per se ipsum alium necat, sed etiam qui cædem hominis suadet, aut imperat? Respondeo ex communi sententia, statuta, quæ sunt contra, vel præter ius, vel odiosa, & pœnalia, protendẽda non esse ad casus fictos. Si enim statutum ediderit: Qui fecerit hoc, aut illud, certa pœna puniatur, non censetur feciſſe, qui fieri iussit, suasit, rogauit, iuuit, consiliumue dedit. Si statuto decretum sit, vt repeti damna possint, non intelliguntur impensæ. *cap. in nostra, de iniurijs.* Finge statutum esse, vt agnati excludant matrem in successione filij, non potest succedere filius sorori, ac si cognatus esset, non agnatus; Quando verò statutum continet idem, quod ius commune,

tunc

tunc casus fictus, qui iure communi excipitur, etiam statuto intelligitur exceptus. Vt si statuto cauetur, Clericum fructus Beneficij non percipere, nisi præsens sit, excipiuntur ij, quos excipit ius commune. *Sic Panormitanus loco citato.*

Decimoquartò quæritur, An cum statuti verba dolum continent, trahi statutum possit ad id, quod lata culpa contra statutum factum est? Respondeo: quamuis iure communi, lata culpa, & dolus frequenter æquiparentur; at in statutis tamen, si verba dolum significent, ad latam culpam non sunt trahenda. Pari ratione, si statutum sic habeat: Qui hoc, aut aliud scienter fecerit: non tenet, & ligat eum, qui per ignorantiam quamuis crassam, & supinam fecerit. Hæc quæstio ex superiori quæstione pendet, & eodem modo dissoluitur ex communi sententia Doctorum, *locis supra citatis.*

Decimoquintò quæritur, An statuti conditores abrogare possint statutũ à se conditum, aut ab eo recedere, cum fuerit Romani Pontificis, aut alicuius alterius superioris auctoritate confirmatum? Hanc quæstionem tractant Canonici iuris interpretes *in cap. Cum accessissent, de constitution. & cap. Dilecto, de præben. & præsertim Felinus, & Abbas*: Iuris verò Ciuilis Doctores, maximè Bartolus *in l. omnes populi. ff. de iustitia, & iure*, & Baldus, & Fulgosius *in l. omnium. C. de testament.* Inter eos conuenit, quandocunque statutum pertinet ad vtilitatem, & bonum ipsorum, qui id statutum condiderunt, posse eos illud abrogare, & antiquare, & ab eo recedere; quoniam perinde est, ac si priuilegio sibi concesso, vel suo iuri cederent: potest enim quisque priuilegio non vti, & se iuri communi accommodare. Ex quo fit, vt Titius, vel quilibet alius testator liberè queat reuocare testamentum, quamuis alioqui Principis auctoritate firmatum. Pari ratione Canonicorum vnus Collegij statutum à se conditum de non augendo numero Canonicorum, mutare possunt, quamuis Romani Pontificis auctoritate approbatum. Quandocunque verò statutum pertinet ad ius, & bonum aliorum, vel publicum, & commune, nequeunt eius statuti conditores illud abrogare, si sit superioris auctoritate confirmatum; nam eo ipso, quòd superior auctoritate sua illud confirmauit, perinde est, ac si legem tulisset: at inferior superioris sui constitutionem tollere, vel delere non potest. Præterea, quando statutum ita est superioris auctoritate confirmatum, vt in ea confirmatione clausula hæc contineatur adiecta: *Aliter factum, sit irritum, & inane*: tunc eius statuti conditores nequeunt illud abrogare, nec ab eo recedere, vt apertè dicitur in cap. Dilecto, de præben. Et hoc locum habet etiam, quando statutum continet priuatam vtilitatem, & bonum eorum, qui condiderunt: vt aiunt Abbas, & Felinus. QVAERES, cur ea adiuncta clausula, nequeant conditores statutum abolere, cum sit liberum cuique suo iuri, & commodo cedere? Respondeo: etiamsi ad priuatam eorum vtilitatem spectet, potuit nihilominus superior prorsus adimere potestatem omnino antiquandi, & abrogandi, ne importunis precibus, minis, vel fraudibus aliquorum, statutum è medio tolleretur.

Decimosextò quæritur, An si Ciuitas, vel Collegium Canonicorum statutum à se conditum iureiurando firmauerit, possit illud mutare, abrogareue? Hanc etiam quæstionem agitant Felinus, & Abbas, *locis supra citatis.* Fingamus esse à certis quibusdam Canonicis positum statutum de non augendo numero Canonicorum, cum alioqui iure possent augere: quoniam vbi certus numerus Canonicorum constitutus non est, Canonici iure possunt numerum augere, quamuis id nequeant, vbi est certus numerus: *vt habetur in cap. Dilecto, de præben.* Fingamus etiam Canonicos statutum iureiurando muniisse, hoc posito quæritur, an huiusmodi statutum possint Canonici antiquare, & abrogare. Eos enim illud non posse, apertè constituitur *in cap. Dilecto, de præben.* Respondeo, eiusmodi statutum tripliciter Canonicos iurare posse: Primò, si iurent se nunquam illud statutum abrogaturos. Secundò, si iurent se illud statutum seruaturos, aut nunquam aliud in Canonicum recepturos, vt in statuto continetur. Tertiò, si iurent nulla facta mentione statuti, se facturos semper, quod est in statuto contentum. Vt si iurent hunc in modum: *Iuramus nunquam nos alium in Canonicum admissuros.* Si primo modo iurauerint, periuri sunt, si statutum mutent, vel abrogent: item, si alium in Canonicum recipiant: nihilominus tamen receptio valet, quemadmodum, si quis iuret se nunquam testamentum mutaturum, aut certam rem suam alienaturum, aut venditurum domum suam, nisi Titio: si aliter faciat, periurus est; at mutatio testamenti, vel rei alienatio, vel domus venditio, vt rata & firma subsistit. Si secundo modo iurent, tunc similiter cõtra statutum faciendo peccant, eo quòd iusiurandum violant. Contra solummodo iurarunt se statutum seruaturos; & statutum non seruant, quia illud antiquant, & abrogant, & de medio tollunt, statuto abrogato, Iusiurandum dirimitur, tanquam id, quod ad statutum accedit. Felinus, Antonius, Butrius, & Ioannes Lignanus hoc moti argumento aiunt Canonicos tunc temporis minimè peierare. Abbas tamen asserit etiam tunc Canonicos si à statuto recedant, periurium admittere: & hoc est verius, velut si Titius iurasset se testamentum non reuocaturum, aut illud semper seruaturum, aliud faciendo peierasset. Deinde, odijcies; Iusiurandum, quo Titius se Caio obstringit, potest à Caio relaxari, & remitti: ergo cum Canonici iurant se nunquam alium in suum Collegium recepturos, cum iusiurandum in ipsorum vtilitatem cedat, poterunt singuli gratia aliorum, iurisiurandi vinculum soluere. Respondeo cum Abbate, quamuis in singulorum bonum, iusiurandum sit statuto adhibitum, nequeunt tamen singuli per se se à iureiurando, alios socios eximere. Id enim fieri nequit, nisi singuli seipsos à Iurisiurandi vinculo absoluant; at nemo potest iurisdictione in seipsum vti. Si Canonici tertio modo iurent, nequeunt vel statutũ abrogare, vel contra illud facere, eo quod, non iusiurandum de statuto seruando interpoluerũt, sed absolutè, & simpliciter iurarunt se nullum alium in Canonicum recepturos, non facta mentione statuti. Sed quid de eo iureiurando, quo singuli alicuius ciuitatis, Collegij, vel academiæ

homines iurare solent se seruaturos semper statuta ciuitatis, collegij, vel academiæ? num hisce hominibus in vnum coactis ea statuta licebit abrogare, & delere? Respondeo, cum Abbate, eis hoc facere licere, quia iusiurandum illi homines adhibuerunt, vt singuli, postea verò statutum antiquant, vt collegium, vt vniuersitas, vt corpus: quare cótra iurisiurandum non faciunt; nam iurarunt, vt singuli, non autem, vt collegium, vel vniuersitas. Postea verò ab eis, vt ab vno Collegio, vel vniuersitate statutum abrogatur; & ideo ipsi amplius iurisiurandum seruare non debent. sublato enim principali, aufertur quoq; id, quod accedit.

Decimoseptimò quæritur, An sublato iure cõmuni per legem sequentem contrariam, intelligatur quoque statutum Iuri communi consentaneum abrogatum? Respondent quidam, minimè: quod colligitur *ex cap. 1. De constitut. in 6.* Nam Princeps, cuius auctoritate ius commune antiquatur, non creditur specialia statuta, consuetudines, & priuilegia nosse; & ideo cum secundum legem primæ legi contrariam condit, eo ipso, videtur primam abolere, quoniam nõ creditur ius commune ignorare: at quoniam specialia iura non iudicatur nosse, non creditur illa abrogare. ergo sublato iure communi, sicut remanet consuetudo iuri communi cõsentanea legitimè prælcripta, sic etiam permanet statutum. Ex quo fit, vt qui iurauit seruaturum se statutum; quod ius commune continet, id seruare debeat, etiamsi ius commune sit abrogatum, cum adhuc etiam statutum permaneat. Alij verò distinguunt hunc in modum: aut statutum nihil aliud continet, nisi quod ius commune, aut aliquid aliud addit. Si primùm, tunc iure communi sublato, tollitur quoque statutum: si secundum, tunc antiquato iure communi, adhuc statutum permanet. Hanc sententiam Felinus, ait esse communem, quam sequuntur Petrus Ancharanus, & Cardinalis. Nam cum statutum nihil aliud continet, nisi quod ius commune constituit, potiùs est iuris communis declaratiò, quàm ius aliquod priuatum, aut proprium: quoniam in l. ius ciuile, ff. De Iustitia, & iure dicitur: tunc ius nostrum facimus, cum iuri naturali quippiam addimus, aut detrahimus. Ergo cum nihil iuri communi additur, vel detrahitur, non est ius aliquod proprium, sed commune. DICES; Quorsum statutum conditur, si nihil iuri communi addit, vel detrahit? Respondeo: ius commune statuto replicari, siue repeti, quia plus aliquando terrere facinorosos solet statutum, quàm ipsum ius commune, *vt ait Gloss. in cap. ex parte, de rescript.* Hinc etiam est, vt si Titio fiat ab Episcopo potestas ingrediendi semel in sacrarum Virginum cœnobia, & postea Episcopus generatim facultatem det, vt certo die quilibet possit semel ingredi, & Titius eo die ingrediatur, facultas sibi data finiatur, ac desinat.

Decimooctauò quæritur, Quinam possint condere statuta? an Populi videlicet, & ciuitates Principibus, vel Dominis subiectæ aliquid statuere queant? Hanc quæstionem fusius agitauit Bartholus, sed Albericus, Iason, & alij breuius *in l. Omnes populi. ff. de iustitia, & iure*; Hostiensis quoque Ioannes Andreas, & Abbas strictim, & cursim attingunt, *partim in c. Quod Clericis, de foro compet. partim in cap. vlt. de consuetudine.*

Inter omnes conuenit; populos, & ciuitates statuta condere non posse contra iura, siue contra ea, quæ sunt Principibus, vel Dominis reseruata: esset enim irritum, & inane statutum, quo Ciuitas, vel populus ad principem, vel Dominum appellare prohiberet: sicut etiam si Magistratus crearet, monetam cuderet, imponeret vectigalia, bellum indiceret. Pro certo item omnes habent, posse populum, vel ciuitatem statuta ponere, quæ ad bonorum suorum communium administrationem pertineant: habet enim populus, vel Ciuitas etiã superiori subiecta quædam communia bona, quæ nullius priuati sunt ciuis, sed communitatis, videlicet, pascua, siluas, agros, domos, & alia huiusmodi: potest igitur aliquid statuere, quo bona conseruentur, augeantur, defendantur, multiplicentur, vel certè ne deteriora fiant.

Caput igitur propositæ quæstionis ex eo perdet, An omnes ciuitates populi, villæ, & castra possint statuta condere, quæ spectent ad causas definiendas, litesuè dirimendas. Duæ sunt opiniones; vna est Bartoli asserentis, statuta condere, eorum tantùm esse, qui iurisdictionem habent: & propterea populi, & ciuitates nullam iurisdictionem habentes, nihil statuere possunt, hoc est dicere, nequeunt statuto cauere, vt masculi succedant, non fœminæ: tanta sit & non maior, aut minor, legitima portio, quæ filijs debeatur, testamenta sic vel aliter facta locum, & vim habeant, aut non habeant: & alia huiusmodi. Altera opinio affirmat, posse populos, & ciuitates statuta condere, siue statuendi potestas iurisdictionem requirat, siue aliter. Sic Iason, Albericus, & alij communi consensu docent contra Bartolum, & hæc sententia probabilior mihi videtur, quippe quæ cum ipso iure magis conuenit. Nam *in l. Omnes populi, ff. De Iustitia, & iure*, sic est constitutum: *Omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtuntur: nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium ciuitatis est, vocaturque ius ciuile, quasi ius proprium ipsius ciuitatis.* Sic ibi: Nec est quod Bartholus huius legis verba contrahat ad populos iurisdictionem habentes: Nam generatim sine vlla exceptione, lex constituit: *Omnes populi*: & deinde etiam dicit; *Quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium ciuitatis est* Item, quia omnis populus, & ciuitas etiam Superioris potestati subiecta potest consuetudines inducere: nam *in l. De quibus causis, ff. De legibus* sic habetur: *De quibus causis, scriptis legibus non vtimur, id custodiri oportet, quod moribus, & consuetudine inductum est.* Sed qui possunt consuetudines introducere, possunt etiam statuta ponere, nisi fuerit illis alioqui iure interdictũ. Nam Clerici, vel laici quamuis possint receptis moribus contra, vel præter Canones vti, nequeunt tamẽ condere statuta, quia iura Canonica id prohibent: At verò ius ciuile *in l. ante citata: Omnes populi*: concedit, vt ciuitates, & populi scribere statuta queant: sicut etiam *in l. De quibus causis. ff. De legib.* permittit, vt cõsuetudines inducãt, ergo vtrumq; populus põt. Objcies; legẽ vltimã C. De legib⁹, &

Consti-

Constitution. vbi habetur: solius esse Principis leges ferre. Respondeo, ciuitates, & populos statuta condere, ipsius iuris communis permissu, & ideo tacito etiam Principum consensu. Deinde obijcies, potestatem statuta ponendi, esse iurisdictionis, ergo si populus iurisdictione careat, nihil statuere potest. Respondeo, satis esse, si populus id faciat ipsius iuris communis auctoritate, quâ habet ex l. Omnes populi, supra citata. Quæres insuper possit ne populus statuta describere non solùm præter ius commune ciuile, sed etiam contra; Respondeo, cum Alberico, & Iasone, & alijs, vtrumque posse, quia eam auctoritatem habet à iure communi, ac propterea suis proprijs statutis potest ius commune corrigere, contrahere, protendere, declarare, quatenus communi populi saluti, & bono consultum erit. Si roges, an collegia possint statuta ponere. Respondet Bartholus; collegia si principis consensu fuerint approbata, posse in ijs, in quibus iurisdictionem habent: Item, posse statuere ea, quæ pertinent ad bonorum communium administrationem. Item, Magistratus, Iudices, Senatores, Prouinciarum præfecti, Rectores ciuitatum, & populorum, possunt statuta condere, quoniam habent iurisdictionem. Item, Episcopi, Legati Apostolici, Duces, Marchiones, Comites in ijs, in quibus iurisdictionem habere solent. Item Religiosorum hominum ordines, & ipsorum ordinum præfecti generales.

Decimonònò quæritur, An iuris appellatione solùm intelligatur ius commune ciuile, an verò etiam statutum. Respõdeo cum Baldo, Cyno, Angelo, Alberico, Ioanne Andrea, & alijs, quos citat, & sequitur Iason *in l. Omnes populi. ff. De iustitia, & iure*: intelligi tum statutum, tum ius commune. Sit exemplum: Testator sic ait: *Instituo filios meos in eo, quod iure conuenit, & iure possum*: relinquit filium, & filiam: & ex populi statuto cautum est, vt frater masculus excludat fœminam: & ex alterâ parte communi iure *in l. Maximum vitium, C. De liberis præteritis*, fœmina pariter cum masculo succedit, seruandum est statutum. similiter factum est compromissum, vt iudicet Arbiter, secundum iura; iudicare debet secundùm statuta iuri communi contraria. Item, renuntiauit aliquis omni iuris auxilio, intelligitur renuntiasse etiam statuti beneficio. Pari ratione promittit quis se dotem daturum secundùm ius: vel petit aliquis à Iudice, vt reus secundùm ius condemnetur, intelligitur secundum statutum etiam iuri communi contrarium, quia statutum verè est, & propriè ius, quamuis non commune.

Vigesimò quæritur, An statutum iureiurando firmatum, abrogetur per clausulam. *Non obstantibus quibuscunque constitutionibus & statutis*. Respondet Glossa *in c. Cum non deceat, de Elect. in 6.* non abrogari; quemadmodum etiam conuentum, vel pactum iureiurando confirmatum non dissoluitur, aut tollitur per generalem clausulam; *Non obstantibus quibuscunque pactis*. Vt Glossa *in clem. Dudum, §. Paulatim, de sepultura, annotauit*.

Vigesimoprimò quæritur, Quid sit specialiter dicendum de quorundam statutorum interpretatione: Verbi causa: statuto cauetur, vt qui hoc vel illud non fecerit, certam pœnam luat, & Titius non fecit, sed alius fecit pro ipso, Titius ne in eam pœnam incurret, quia ipse per se non fecerit? Respondeo cum Sylueſt. *ſtatutum. quæſtion. octaua, verſicul. primum*, & cum Bartholo in l. cum seruus, ff. De verborum obligatio. Titium eam pœnam non contraxisse: quia in pœnis, vt quis liberetur, nihil refert per quem fiat id, quod statuto decernitur, dummodo fiat. *L. Si puellam. C. ſi mancipium.* Vnde si testator mandauerit aliquid depingi in certo loco, vel signum, aut monumentum poni, pœna nisi id fiat constituta, pœna non contrahitur, si id factum esse constiterit, quamuis per quem factum fuerit, prorsus ignoretur. Dixi (in pœnis) quia secus est in commodis & lucris consequendis. Item, statutum est, vt quilibet aquæ beneficio gaudens, decem soluat: & Titius gaudet tali beneficio in pluribus locis, quæritur an soluere debeat plusquam decem? Minimè, quia statutum dicit, Quilibet, non, quoties: & sicut vnius hominis est vnum duntaxat patrimonium, quamuis in multis locis consistat, sic vnum est beneficium & commodum. *l. Legisperitos. §. cum oriundus, ff. De excusatio. tutela. & in l. Si is qui tres, eodem Titulo. Sylueſt. ſtatutum. quæſtion. octaua, verſicul. ſecundum, ſi ſtatuto conetur.* Insuper statuto decernitur, vt rustici sontem & reum non capientes, damnum reficere debeant, quæritur, an rusticus damnum passus contribuere cogatur vnà cum alijs rusticis? Respondet Bartholus, *in l. Ab omnibus, §. ſi Titius, ff. De legatis 1.* ad id esse compellendum. Et idem, inquit, si ciuitas certam collectam imponeret, vt suo ciui creditori debitum solueretur: tunc enim ille ciuis vnà cum alijs ciuibus cõtribuere debet. Ita quoque statuto cauetur, vt consiliarius ad consilium ad quod venire deberet, non veniens, certa pecuniæ summa mulctetur, quæ inter consiliarios diuidatur, etiam ipse condemnatus suam partem habebit. Similiter statuitur in Collegio canonicorum, ne canonicus ad præbendam quam vocant, admittatur, nisi det canonicis fructus in primo anno ad illum pertinentes, ille etiam qui dat fructus, ad partem eorum est admittendus. Sic Bartolus loco citato. Insuper statuto cauetur, vt potestas, quam dicunt, hoc est, Magistratus & Seniores aliquid facere, vel decernere suo arbitratu possint, tunc Magistratus tantam habet auctoritatem, quantam omnes seniores: & ideo si cum vno ex senioribus aliquid decernat, vel faciat, ratum erit, & alij contra dicere non possunt. Sic docent Albericus, Baldus, Iason, Butrius quos citat Sylueſt. *ſtatutum. quæſtion. octaua, verſicul. quartum ſi ſtatuto cauetur.* Idem iuris est, si pœna constitueretur in Magistratum, & Seniores, Magistratus dimidiam partem, & aliam dimidiam seniores soluere iure debent, nisi aliud consuetudo seruet. Præterea statutum est, vt qui in oppido per tot annos fuerit commoratus, ciuitate donetur, locum habet statutum, etiamsi per eos annos continuos non commoretur; satis est si maiori ex parte eo in oppido habitauerit; *vt colligitur ex l. cum de lanionis, §. Sabinus, ff. De fundo inſtructo, & ex Bartolo ibidem, & Romano in ſingularibus.* Tandem statuto cautum est, vt quis certo officio præfectus, hac vel illa gaudeat immunitate, is, qui ob incommodam valetudinem nondum

primo

primo officio perfunctº ad illud eligitur, & promouetur, gaudet primi officij priuilegio, ac si eo esset perfunctus; *vt habetur ex l. Agentes C. De Principibus Agentium in rebus, libro duodecimo, ita docet Romanus in singularibus, quem citat Syluest. statutum. quæstio. 8. versic. sextum.*

Cap. XXVII.

De verborum significatione.

SCiendum est, tum in iure ciuili, & canonico communi; tum in statutis, Priuilegijs, & rescriptis Romanorum Pontificum, Imperatorum, & Regum, & in aliorum itidem principum constitutionibus nonnunquam aliqua verba contineri obscura, ambigua, & dubia. Idcirco cum hactenus de legibus, priuilegijs, rescriptis, & statutis disputauerimus, operæ pretium est, quædam etiam tradere de quarundam vocum significatione, qua leges, canones, & iura legentibus, docentibus, vel audientibus interdum occurrunt. Nam in vtroque iure ciuili, & canonico extat titulus de verborum, & rerum significatione, in quo tum iuris consulti, tum Romani Pontifices quarundam rerum, & vocabulorum vim, proprietatem, & significationem declarandam sedulo curarunt.

De coniunctionis disiunctiuæ vi, & significatione.

QVam Philosophi coniunctionem disiunctiuam appellarunt, Iurisconsulti alternationem dixerunt. *l. Prætor edixit, §. Quod autem ff. De iniurijs,* Vlpianus ait: *Quod autem prætor ait, quid iniuria factum sit, certum dicat, quemadmodum accipiendum sit certum eum dicere:* Labeo ait: *Qui dicat nomen iniuriæ, neque sub alternatione, puta illud, aut illud, sed illam iniuriam se passum.* Idem Vlpianus *in l. si quis seruum, §. Nam qui cum extraneo. ff. de Seruo corrupt.* sic ait; *nam qui cum extraneo agit,* siue receperit, siue corruperit, agere potest: qui cum socio, sine alternatione, id est, si corruperit.

PORRÒ de vi, & effectu cõiunctionis disiunctiuæ tractant Canonici iuris interpretes, præsertim Abbas, & Felinus *in cap. Inter cæteras, de rescrip.* Dynus, & Ioan. Andreas *in ca. In alternatiuis de regulis iuris in 6.*

PRIMÒ quæritur, Quæ sit vis, & quis effectus coniunctionis disiunctiuæ? Respondeo, eius proprietatem esse disiungere actionem, obligationem, conditionem, vel solutionem. *l. plerunque interest, §. si res in dotem. ff. de iure dotium,* vbi dicitur: si res in dotem datæ fuerint, quamuis æstimatæ, verùm conuenerit, vt aut æstimatio, aut res præstẽtur; si quidem fuerit adiectum, vtrum mulier velit, ipsa eliget, vtrum malit patere res, an æstimationem. Verùm si ita fuerit adiectum, vtrum maritus velit, ipsius erit electio. Aut si nihil de electione adijciatur, electionem habebit maritus, vtrum malit res offerre, an pretium earum. Et *in l. si quis ita stipulatus. ff. De verbor. oblig.* dicitur. *At si sic stipuletur: Dabis, si nauis venerit, aut Titius consul factus sit, sufficit vnum factum. Et contra dabis, si nauis non venerit, aut Titius consul factus non sit, non sufficit vnum factum esse.* Idem habetur *in l. Generaliter. C. De Institutionib. & substitutionib.* Et *in l. Si ita quis stipuletur. ff. De verbo. oblig.* dicitur: *Si ita quis stipuletur: siue nauis ex Asia venerit, siue Titius consul factus fuerit, vtra prius conditio extiterit, stipulatio committitur.*

In disiunctiuis igitur sufficit vnam partem esse veram, quando per affirmationem tota concipitur, vt ait Abbas ex sententia Dini, & Ioannis Andreæ. V. G. dabo tibi decem, si Titius venerit, vel si Caius obierit: obstrictus teneor si alterutrum euenerit. At quando disiunctiua per negationem enunciatur, nõ satis est, si alterutrum acciderit, sed necesse est, vt neutrum contingat, *vt docet idem Abbas, in eodem cap. citato. inter cæteras, de rescriptis. num. 2.* veluti si dixero: Dabo tibi decem, si Titius non venerit, vel si Caius nõ decesserit, obligatus non sum, si vnum tantùm acciderit: hoc est, vel si Caius non obierit, vel si Titius non venerit. Item, si dixi, Dabo tibi decem, si Titius non venerit, vel si Caius non obierit, & nequaquam Titius venit, neque Caius est mortuus, debeo dare, quia neutrum extitit. Quod si Titius venit, & Caius decessit, obligatus non sum, quia nihil euenit ex his, quæ cupiebam, *vt probat Abbas ex l. Si quis ita stipulatus. ff. de verb. obligation. & l. si, qui decem. §. virum. ff. de reb. dub. & Barth. ibidem.*

DIALECTICI, & PHILOSOPHI docent, totam disiunctiuam, quæ affirmat, esse veram, si altera pars est vera: totam esse falsam, si neutra pars sit vera. Ita vt ad veritatem vna pars vera sufficiat; sed ad falsitatem vtriusq; partis falsitas requiratur. *In l. Si ita stipulatus fuero, ff. De verb. oblig.* dicitur: *Si ita stipulatus fueris: Decem aut quinque dabis; debentur quinque. Quod si ita stipuleris: Dabis post annum, aut biennium, debentur post biennium. Vel dabis Calendis Ianuarijs, vel Februarijs; debentur Februarijs.* In disiunctiuis igitur, vbi aut maior quantitas, aut minor promittitur; aut longius, aut breuius tempus cõstituitur, semper quod minus est, aut quod longius est tempus, sub obligationem cadit.

Secundò quæritur, In disiunctiuis, in quibus sufficit vnum impleri, & seruari, cum duo disiuncta mandantur, cuiusnam sit electio? Respondeo cum Cyno, & Bartholo, *in l. quicunque. C. de seruis fugitiuis, & in l. 2. ff. de effractorib.* & cum Abbate *in cap. inter cæteras de rescrip. nu. 5.* In pœnis, aut verba referuntur ad Iudicem, vel ad reum: Si ad Iudicem, eius est electio, vt si dicatur; sic, aut aliter punitur: sic vel aliter condemnetur, videlicet in exilium mittatur, vel ad triremes. Sic etiam Glossa *in cap. Sicut. de Iudæ. cap. Crapula. De vita, & honest. clerico. cap. Fraternitatis, distinct. 24.* Si ad reum, eius est optio, vt si dicatur; aut centum soluat, aut ex oppido discedat. Si verò verba nec ad Iudicem, nec ad reum dirigantur, nimirum si statutum dicat: Pœna sit manus amputatio, vel pedis abscisio: tunc secundùm aliquos, in pœnis corporalibus electio est Iudicis. *l. 1. §. Expilatores. ff. De effractoribus.* In pœcuniarijs, electio est rei, vt colligi videtur *ex l. Plerunque, ff. De pœnis.* Sed Abbas generatim, ait tunc electionem esse Iudicis, ne reus minorem, & mitiorem semper pœnam eligat. Sciendum est, si vna pœna sit in alteram commutata, siue translata, tunc nõ esse electioni locum; vt si statutum sic pœnam constituat, soluat decem; quòd si intra quinque dies non soluerit, verberibus afficiatur, elapsis quinque diebus,

non

non est electio, nam pœna pecuniaria est in corporalem permutata. Sic Abbas, & Felinus, *locis citatis*, Bartolum secuti. Consuetudine potest induci, vt electio pœnæ sit in vniuersum ipsius rei, nõ iudicis: nam quamuis de hoc Abbas dubitet, & potiùs accedat ad contrariam sententiam, meo tamen iudicio, consuetudo potest dare reo ius eligendi: nam consuetudo est, optima legum interpres, vt alibi dixi in hoc eodem libro quinto.

Tertiò quæritur, Cuius sit electio in legatis cum disiunctione relictis? Respondeo, cum Dyno *in cap. In alternatiuis, De regulis iuris in sexto*, & Bartol. *in l. Lucio Titio. ff. de lega. 2.* Aut verba referuntur ad legatarium, & eius est optio; vt si lego tibi fundum, vel vsumfructum, tu vendicare poteris, quod malueris: aut referuntur ad hæredem, & eius est electio. Si verò nõ magis ad vnum, quàm ad alium verba dirigantur, electio ad legatarium spectat. Nam *in l. Lucio ff. de legatis. 2.* sic dicitur: *Lu. Titio fundum Seianum, vel vsumfructum fundi Seiani lego: potest Legatarius, vel fundum vẽdicare, vel vsumfructum: quod facere non potest is, cui tantùm fundus legatus est.* Sensus legis est; cui legatus est fundus tantummodo, non potest vendicare vsumfructum sine proprietate fundi, vel proprietatem sine vsufructu, quia vnum tantùm legatum est: & ideo illud diuidere non potest.

Quartò quæritur, Cuius sit electio, debitoris ne, an creditoris, quando quis sub disiunctione est alteri obligatus? Respondeo, cum Glossa *in ca. Inter cæteras, de Rescrip. & in c. In alternatiuis. De regul. iuris in 6. Electionem esse debitoris; & colligitur ex Instit. De hæredibus instituen. §. penult. & l. penult. C. De condict. indebiti, & l. Plerunque. ff. de iure dot. §. penult. & l. Si ita. ff. de lega. 2. & c. Defereme. De præben. In l. In eo quod, ff. De regul. iuris*, dicitur: In eo, quòd vel is, qui petit, vel is, à quo petitur, lucri potiturus est, durior causa est petitoris. Obijcies, quod habetur *Instit. De legatis, §. Si generaliter.* vbi legimus, si generaliter seruus, vel alia res legetur, electio legatarij est, nisi aliud testator dixerit: Respondet Glossa *in c. inter cæteras. de rescrip. ver. quodcunque istorum*, debitoris esse electionem, nisi moram fecerit in eligendo: tunc enim electio ad creditorem pertinebit. Ex quo fit, vt si debitor certo constituto tempore & loco creditori debitum offerat, & is nolit recipere, liberetur; ac proindè si pereat, aut alio modo alienet vnum, quod debitor elegit, non debet alterum, quod exat soluere, siquidem culpa est creditoris. *Sylvest. Alternatiua. q. 2.* Si vero neuter in culpa sit, debitor debet disiunctiuè alterum. V.G. Titius debet Caio, aut seruum Pamphilum, aut Stichum: perijt Pamphilus, debet Stichum, qui superstes est. *Sylvest. loco prædicto. ex l. datio. §. Si emptor. ff. de action. empti. & vendi.*

Quintò queritur, An aliquãdo disiunctiua coniunctio pro copulatiua in iure sumatur? Respondeo, aliquando sumi. Nam *in l. Ita sæpe, ff. de verbor. significa.* habetur; sæpe ita comparatum est, vt disiuncta pro coniunctis accipiantur: vt cum dicitur: *quod dedi, aut donaui*, aut pro coniuncta accipitur.

Sextò quæritur, An cum plura sub disiunctione ponuntur, sit inter illa ordo seruandus? Respondeo, aliquando ordinem poni inter distincta, ac proindè seruari debere; *vt colligitur ex l. Cum pater. §. penult. ff. De leg. 2.* vt si testator constituat aliquid dari liberis, aut, ijs deficientibus, consanguineis, aut affinibus, aut familiaribus: tunc enim ordo à testatore positus, est seruandus.

Septimò quæritur, An particulæ, *siue, seu, ve*, sint coniunctiones disiunctiuæ, an copulatiuæ? Quidam aiunt esse copulatiuas. Nam *in l. Si quis ita legauerit. 2. ff. De auro, vel argento legatis* dicitur: *Si quis ita legauerit: vxori meæ mundum, ornamenta, seu quæ eius causa parauí, do, lego; placet omnia deberi, nimirum mundũ, & ornamenta, & omnia alia vxoris causa parata.* Et subiungitur: *sicuti cum ita legatur: Titio vina quæ in vrbe habeo, seu in portu, do, lego, omnia deberi: hoc enim verbum, seu, ampliandi legati gratia positum est.* Hæc ibi. Ex quo fit, vt Titio debeantur vina, quæ in vrbe, & quæ in portu sunt. Item, *in l. Apud Pamphilum, ff. De auro, & argento legatis*, dicitur: *Mulier ita legauerat: ornamenta, quæ mei causa parata sunt, erunt ve*: iuxta communem omnium sententiam intelliguntur legata, tum quæ parata iam erãt, tum quæ postea, quamuis non ea, quę empta sunt post mortem eius. Cynus ait, *in l. Cum quidam. ff. de verborum significat.* has particulas copulatiuè sumi, vt si quis ita legauerit: lego Titio vestem meam, seu librum meum, tum vestem, tum librum legasse censetur: sed eas particulas disiunctiuè sumi debere, constat, *ex l. Si ita quis stipulatus fuerit, & l. Si ita quis stipuletur, ff. de verb. oblig.* Bartholus verò *in l. Si quis ita legauerit. 2. supra citata*, docet in his, quæ ad fauorem, & gratiam spectant, has particulas coniungere, & copulare, vt in legatis, in alijs verò disiungere. Idem etiã Abbas existimat. Glossa verò sentit, has particulas pro cõiunctis poni, cum præcedit aliquid vniuersè dictum, vt si quis legauerit vina, quæ habet, vel pecunias, vel seruos, & deindè adiungit: vina quæ habeo in vrbe, seu in portu: aut seruos, qui mihi sunt Romæ, seu Neapoli, certè particula, *siue*, cum ex duabus, *si*, & *ve*, composita sit, duorum generum vim simul obtinet. Nam, *si*, continuatiua est, & *ve*, disiunctiua; ac propterea aliquando coniunctiua, aliquando disiunctiua est: vt si quis dicat, siue rure sim, plango, siue in vrbe: sensus est, & rure, & in vrbe plango. Aliquando *siue*, disiungit, vt cum dico, siue veneris, siue non veneris, proficiscar. At verò particula, *seu*, disiunctiua est, non copulatiua, qua iungimus ea, quorum alterum tantùm, non vtrumq; affirmamus: vt cum dico, hæc seu rectè, seu peruersè facta fuerint, fateor me feciſſe. Similiter etiam particula, *ve*, disiunctiua est; vt cum dico, quæ in mari, terráue gignuntur. Aliquando tamen est etiam coniunctiua, vt si quis ita legauerit: lego Titio libros, quos mei causa parauí, paraboue, donec moriar.

Octauò quæritur, Cuius sit electio, cũ quis sub disiunctione promittit alteri, aut vouet Deo, aut cum Confessarius in pœnam plura onera imponit pœnitenti; Respondeo electionem esse promittentis, vel vouentis, vel iurantis, vel pœnitẽtis: nam vniuersim electio est debitoris. *In l. Si ita distrahatur, ff. De cõtrahen. emptione*, dicitur: *Si ita distrahatur illa, aut illa res; vtram elegerit venditor, hæc erit empta.* Sic ibi: ergò si Titius vendiderit Caio in hunc modum: vendo tibi agrum Sempronianum, vel Cornelianum, aut seruum Pamphilum, vel Stichum, venditoris est electio.

Nonò queritur, quid sit dicendum, si Titius ita testetur: Hæres meus reddat mille aureos Caio, si vnam ex meis tribus filiabus vxorem duxerit, An electio sit Caij, ita vt quam maluerit ducens, ius acquirat ad mille: Item si vna, vel etiam altera filia recuset ei nubere, cum tamen ipse velit eam vxorem ducere, & tertiam sibi in matrimonium iungere renuat, vtrum ius acquirat ad mille? Aiunt quidam, hæredem debere mille Caio soluere, si vnam, quam ipse maluerit, velit in matrimonium ducere, & per ipsum non steterit, quo minus eam duxerit, eo quòd in disiunctis satis est si vnum sit factum: quemadmodum si Titius promittat Caio mille, si in Capitolium ascenderit, vel in montem Cœlium, sufficit, si vnum fecerit; & electio est Caij, cui sunt mille promissa; ergo pari ratione Caij est eligere vnam ex tribus, quam maluerit, in vxorem: & cum vnam elegerit, & illa recusauerit, nec per ipsum steterit, quo minùs illam duceret, ius ad mille acquisisse censetur, nec propterea debet alteram ducere. sicut si idē Caius, vellet in Capitolium ascendere, sed ab ascensu prohiberetur, ius ad mille acquireret, etiamsi in montem Cœlium nollet ascendere, quoniam per ipsum non stetit, quin in Capitolium conscenderet. Alij verò sentiunt, Caium, si primam, aut secundam Titij filiam vxorem non duxerit, eo quod vtraque nuptias respuerit, debere tertiam exposcere; secus, ad mille, nullum ius acquirere: nam si antequam primam, vel secundam petijsset, vtraque obijsset, deberet tertiam postulare, vt sibi mille deberentur. Ergo etiamsi vtraque, Caio petenti, nuptias recusauerit, cogitur tertiam petere, vt sibi mille debeantur. Mihi tamen probabilior prima sententia videtur.

Cap. XXVIII.

De vi, potestate, & effectu coniunctionis copulatiuæ.

PRIMO quæritur, Quænam proprietas, & vis sit coniunctionis copulatiuæ? Respondeo, quemadmodum in disiunctis sufficit vnum esse factum, sic in coniunctis vtrumque esse factum oportet. At verò vt habetur *in l. Sæpè, ff. de verbo. significa.* nonnunquam disiuncta pro coniunctis, & coniuncta pro disiunctis ponuntur.

Secundò quæritur, Quandonam coniunctio copulatiua pro disiunctiua ponatur? Respondeo: tunc poni, quando coniunguntur duo, vel plura, quæ simul vera esse non possunt. Vt si testator dicat, Testamentum meum valeat iure testamenti, & iure codicilli: fieri enim non potest, vt valeat tanquam testamentum, & codicillus: nam in testamento requiritur necessariò hæredis institutio, in codicillo verò nulla est institutio hæredis. ergo cum ait testator, vt testamentum valeat iure testamenti, & iure codicilli, perindè est ac si dicat, valeat tanquam testamentum, vel codicillus.

Alius, alia, aliud: dictio est similium repetitiua. *l. Quidam relegatus. ff. De rebus dubijs, Glossa in Authen. Qui semel. C. Quomodo, & quando Iudex, in verbo Aliud. Archidiaconus cap. vlt. de Regularib. in 6.* Aliquando tamē ea vox similia non repetit. *l. Non solùm, ff. De Procuratori. §. Quatuor, & ibidem Glossa verb. Creditores. Item, in l. 1. ff. De constituta pecunia, §. Debitum. Glossa in ca. Communamenſis d. 56. & alia Glossa in c. Sedes. de rescri. in verbo Maiores, ad finem, & Glossa in l. In causa. ff. De Minorib. verbo Competere. vnde in Authen. de Mandatis Principum, §. Oportet. collat. 3.* dicitur: *Nulla alia actio nisi officium Iudicis; & tamen Officiū Iudicis non est actio.* In Authen. *vt defuncti, seu funera eorum. collat. 5. in principio*, sic est: *Milites, & seruos alios plurimos: & tamen serui, milites esse non possunt. l. Super seruis. C. Qui militare possunt, vel non possunt lib. 12.* Imò in sacris etiam literis nomen *Alius* aliquando non est similium repetitiuum. Ducebātur, ait S. Lucas, alij duo ne quam cum eo, nisi dicas Euangelistam more vulgi locutum fuisse. ducebatur enim Christus ad crucifigendum tāquam improbus, & nequam falsa opinione Iudæorum impiorum. Luc. 11.

Modicum siue Minimum. sæpè in Iure tum ciuili, tū Canonico ponitur. Legimus enim, de minimis non esse curandum, *in l. Scio, ff. de Restitutio. in integrum.* Modicus excessus non attenditur. *l. Continuum. ff. De verbo. obliga.* Paruum interuallum non obest. *l. Duos, §. Duo, ff. de Duobus reis.* Modica res Simoniam non inducit. *c. Etsi quæstiones, de Simonia. Glossa in cap. statutum. §. Insuper. de Rescri. in 6. verb. Consuetudinem, & in ca. Reuera, de consecra. d. 2. in verb. Mortui.* Ob rem modicam non datur actio. *l. Si oleum, ff. De dolo malo*, vnde si statuto caueatur, vt qui vulnerauerit alterum in publico foro, graui pœna puniatur, ea puniri non debet, qui leuiter percusserit. Solet item statuto præcipi, ne externus in vrbe, vel oppido domum possit acquirere: non impeditur quo minus acquirat domunculam paruam. Præterea statutum est, ne quis plus debito petat, alioqui puniatur. Si Titius plus æquo quid modicum petat, non est cur pœnam in statuto positam luat. Sed quæri posset, quænam res modica censeatur? Arbitrio Iudicis sæpe relinquitur, quid sit magnum, quid modicum: nam modicum tempus dicitur aliquando, quod est infra decem dies, immò ipsum quoque decem dierum tempus. *l. Promissor, §. 1. ff. De constituta pecunia, & ibidem Glossa, & alia item Glossa in l. Si debitori, ff. De Iudicijs*: & tamen *este Glossa, in cap. Præterea. De æta. & quali.* annus habetur interdùm tanquam modicum tempus: nempe quia iuxta rerum, & negociorum conditionem, aliquando modicum censetur tempus vnius anni; aliquando tempus duorum mensium. *l. 2. C. De secundis nuptijs.* Quandoq; tempus triginta dierum. *l. 1. ff. De itinere actuque priuato.* illis verbis. *Si modo anno, vel modico tempore vsus sit: id est, non minus quam triginta diebus.* Sic ibi. Aliquando, vnius anni tempus, multum, vel magnum censetur. *Abbas c. Plerumque, de Rescrip.*

Sciendum est, *Minimum vel Modicum, aut magnum aliquid*, in vtroq; iure ad diuersa relatum censeri. In c. Etsi quæstiones, de Simonia, Pontifex respōdet Archiepiscopo Strigoniensi: *Cum in accipiendis, & dandis muneribus tria sint maximè attendenda, persona scilicet dantis, & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus. Qualitas personarum, vt à quo & cui, videlicet, an à paupere, diuiti, an è conuerso, an item à diuite locupleti datum fuerit: Aestimatio muneris, vt si magni aut parui pretij res data fuerit: Donationis tempus, an in tanta necessitate, an alio tempore conferatur. Si ergo prædilectus Cardinalis, & fratris tui personam, & qualitatem pensamus, non fuit magnum, ab eodem fratre tuo vnum equum*

Cardinali transmitti, quem etiam ioculatori non petenti vir potens, & tam abundans fortè donaret. Verùm si temporis necessitatem perpendimus, non alia intentione hoc constat factum fuisse, quàm vt Cardinali subueniretur in articulo necessitatis. Hæc ibi. Et Glossa *in c. De Appellationibus. de Appellat. verb. Minoris. Causa*, inquit, minima dici potest duorum aureorum, *quia ob eam causam non datur actio de dolo. l. Si oleum, ad finem, & l. Id est. ff. De dolo malo.* At verò *in c. ex tuæ. De Simonia*, sex solidorum donatio Simoniam inducit, & *cap. Plerique, & c. Vsura est*, 14. q. 3. Vsura est quidquid vltra sortem accipitur ex mutuo. Et Instit. *de rerum diuision. §. Gallinarum*, actio datur contra furantem gallinam. Et *l. Itinere, ff. De verbo. signific.* ad conficiendum iter viginti millium passuum, dies vnus integer datur: quod si superfit vnum milliare, quod mille passibus cõstat, datur biduum, ita vt ad iter vnius milliaris, quod supereſt conficiendum, dies integer detur.

Animaduertendum igitur est, quandocunque certum tempus, mensura, pondus, vel numerus iure requiruntur ad aliquid faciendum: tunc etiamsi modicum desit ex eo numero, mensura, vel pondere, ratum non est, quod fit. Et hinc est, vt in electionibus Magistratuum, in quibus certus numerus suffragiorum exigitur, si vel vnum suffragium desideretur, minimè subsistat electio: Item, testamẽtum, in quo vnus testis deest, irritum est, & inane. Præterea, cum statuto cauetur, ne extra territorium frumentum, vel vinum extrahatur, pœna constituta in extrahentes, ea pœna debetur, etiamsi vnam tantùm vini metretam, vel frumenti mensuram aliquis extraxerit. Cum testator itidem constituit, vt infra decem dies det hæres decem mensuras vini, vel frumenti, alioqui certam pœnam soluturus, debet pœnam hæres, etiamsi nouem dederit mensuras, non decem. Idẽ iuris est, si lex præcipiat, vt quis faciat aliquid decem diebus, non valet, quod facit, etiamsi nouem tantum diebus faciat. Item, si præceptum sit tibi, vt decem nummos soluas, præceptum non obseruas, si nouem solueris, non decem. Statuto caueri solet, vt custodes vinearum, agrorum, & syluarũ deferant ad Iudices omnes reos, certam pœnam Iuraturi, nisi id fecerint, in pœnam incidunt, etiãsi vnum tantùm reum omiserint. Hinc etiam est, vt sacramenta rata non sint, si, dum conferuntur, vnum tantùm verbum, quod ad substantiam pertineat, omittatur: immò si vnius syllabæ omissio sensum verborum mutauerit corruperitve, collatum sacramentum non valet, vt si sacerdos nõ dicat, hoc est corpus meum; sed hoc est cor meũ, quamuis vnam tantùm syllabam prætermittat, quia sensum omninò mutat; Christi corpus non conficit.

Ex his perspicitur, verùm esse, quod Theologi docent, ob leuitatem, vel prauitatem materiæ, veniale peccatum, non lethale committi; quale est furtum vnius assis: quanquam Caietanus. 2. 2. q. 110. *art.* 4. & quidam alij contendant, leue mendacium in sacra peccatorum confessione, vel in publico Iudicio prolatum, lethalem culpam cõtinere: & idem Caietan. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. quem sequitur Couarru. *libr.* 1. *var. resolut. cap.* 1. *num.* 2. sentiat, eum qui votum rei minimè violat, vel non seruat iusiurandum, quo rem exiguam promisit, lethaliter peccare. Vera tamen est communis cæterorum Theologorum opinio, in his venialem, non lethalem contrahi culpam, vt in duobus primis contra Caietanum defendunt Sot. *de iustitia. teg. & detег. secretum. m.* 2. *quæst.* 7. *concl.* 2. Naua. *in cap. Fratres. de pœnit. dist.* 5. *numer.* 20. Couarru. *libr.* 1. *variar. resol. cap.* 1. *num.* 2. & in duobus postremis casibus docet Sylu. Antoninum sequutus. *iuramentum.* 4. *q.* 1. *ad finem.* Nauar. *in Man. cap.* 12. *nu.* 12. *n.* 10. *& nu.* 40. Sot. *lib. de iust.* 7. *q.* 2. *ar.* 1. *& lib.* 8. *q.* 1. *a.* 7. *& q.* 2. *a.* 3. secus tamen est, cum quis sacram suorum peccatorum confessionem faciens, solùm cõfitetur, se peccasse, quòd vnum verbum otiosum dixerit, & in hoc scienter mentitur: tunc enim peccatum lethale committit, nõ quia in re minima peccat, sed quia scienter absolutionem à peccatis suscipit, cum nullam sacramenti materiam præstet: nam confitetur peccatum, quod reuera non fecit; & nullum aliud peccatum exprimit. Si quis itidẽ leue mendacium scienter iureiurando cõfirmet, lethali se peccato cõmaculat, quia Deo magnam iniuriam facit, qui eum in mendacij quamuis leuissimi testem accersit, & inuocat. Aliud verò est, cum fidem non seruat de re minima datam: tunc enim non mentitur, quia cum iurans promisit, in animo reuera habuit, id facere, quod iure iurando promisit. Sed fidelis non est, quia datam fidem perstringit.

Tempus in iure communi duplex habetur, vt ait Sylu. in verbo tempus, videlicet, continuum; quòd quidem absque vllo interuallo dierum accipitur, ita vt numerentur dies festi siue profesti, siue præsens sit, siue absens, reus vel actor, siue sit, siue nõ sit Iudicis copia. *l. vlt. C. De præscriptione longi temporis*, & non continuũ, & hoc Iurisconsulti vtile vocant, quia in hoc dies festi non supputantur; item quia nõ habetur ratio dierum, in quibus legitimum subsit impedimentum, vel iusta excusatio absentiæ, vel morbi, vel alterius causæ. *C. Ne pro defectu, de elect. & Glossa in Clem.* 1. *De Restitu. in integrum.*

Dubiè est quæstionis de qua agit Sylu. *et as*, *q.* 2. quando annus debeat intelligi completus, & exactus: & contra, quando inchoatus, & incœptus. Glossa *in Clem. Generalem, de ætate, & qualit.* communi consensu comprobata docet, si Leges, vel Canones tempus statuant cum præpositione, *In*, & Ablatiuo, verbi gratia, in anno decimo octauo, solùm requirunt annum inchoatum: Si verò Genitiuo vtantur, exempli causa, sit hic vel alius triginta annorum, annum completum postulant. Præterea vt docet Bartho. *in l. Si cui, ff. de lega.* 1. cum loquuntur per Accusatiuum, & præpositionem, ad solùm inchoatum annum intelligunt. *l. Qui filium, ff. ad Trebellianum.* Si per accusatiuum cum præpositione, *per*, annum completum accipiunt. *l. Non putabam, & l. Si annos, ff. de conditionib. & demonstratio.* Aliàs in odijs, & pœnis Leges, & Canones, annum completum deposcunt: in ijs verò, quæ ad fauorem, & commodum pertinent, annum inceptum.

Esculenta, & poculẽta, in Iure tum Ciuili, tum Canonico intelliguntur munuscula ad esum, & potum pertinentia. Iura grauiter, & seuerè præcipiunt, ne ij, qui Iudicum, vel Magistratuum officio funguntur munera accipiant; solent enim munera Iudicum animos excœcare, & corrum-

pere. Nihilominus Leges, & Canones non prohibent, Iudices esculenta, & poculenta gratis data accipere. In l. Plebiscito ff. de Officio Prœsulis, sic est: *Plebiscito continetur, ne quis Præsidum munus, donumve caperet, nisi esculentum poculentumue, quod intra dies proximos prodigatur*, & c. statutum, §. Insuper De Rescrip. in 6. habetur. *Insuper vt gratis, & cum omni puritate Iudicium coram ipso procedat, nullum munus, vel quicquam aliud, nisi forsan esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus.* Hæc ibi. Huiusmodi esculenta, & poculenta Xenia vocantur, & iure permittuntur, quia non videntur Iudicum animos mouere, eo quòd res modicæ sint ad esum, & potum data. Quæres, quantum temporis spatium intelligant Iura, cum dicunt, ea modica esse, quæ intra proximos dies, vel paucos prodiguntur. Respondet Glossa *in c. statutum, De Rescrip. in 6.* in verbo Paucis, id Iudicis arbitrio relinqui: Et nihilominus, inquit, duo saltem dies non videntur excluſi. Vnde videtur Glossa triduum intelligere. Habenda etiam est ratio personarum; videlicet, Iudicis, accipientis, & dantis, & consuetudinis, loci, vel patriæ; & rei etiam esculentæ, vel poculentæ, quæ datur, & accipitur.

Cap. XXIX.

De totius Iuris Canonici diuisione.

IVs Canonicum, quod attinet ad libros, quibus scriptum continetur, in quattuor partes diuiditur, in Decretum videlicet, Decretales, Sextum, & Clementinas. Decretum, in tres Patres est diuisum: prima pars continet centũ distinctiones: Secunda, triginta sex causas habet; quarum singulæ in quæstiones diuiduntur, & quælibet quæstio in capita, at verò Quæstio. 3. causæ trigesimæ tertiæ continet tractatum de pœnitentia in 7. dist. per capita diuisum. Tertia Pars Decreti continet tractatum de consecratione in quinque distinctiones distributum.

Solet Decretum citari quatuor modis: Primò sic: *distinct. 26. cap. Acutius*, ita vt Acutius sit principium capitis, quod in ea distinctione continetur. Secundo modo, sic: *17. quæst. 1. cap. Decimæ.* Tertio modo tractatus de Pœnitentia allegatur sic: *De pœnit. distinct. 2. c. Septies.* Quartò, Tractatus de Consecra. ita in medium produci solet: *De consec. dist. 1. cap. Vasa.*

Decretales, in quinque libros diuisæ sunt: in primo lib. agitur de munere, & officio Personarum Ecclesiasticarũ; & propterea agitur de Summa Trinitate, & Fide Catholica, quam credere, profiteri, & docere debent Ecclesiastici viri.

De constitutionibus:
De Rescriptis.
De Consuetudine.
De Postulatione Prælatorum.
De Electione, & electi potestate.
De Translatione Episcopi, vel electi.
De Auctoritate, & vsu Pallij.
De renunciatione.
De supplenda negligentia Prælatorum.
De Temporibus ordinationum.
De scrutinio.
De ordinatis ab Episcopo, qui resignauit Episcopatum.
De ætate, & qualitate, & ordine præficiẽdorum.
De sacra Vnctione.
De Sacramentis non iterandis.
De filijs Presbyterorum ordinandis, vel non.
De seruis non ordinandis, & eorum manumissione.
De obligatis ad ratiocinia, ordinandis, vel non.
De corpore vitiatis ordinandis vel non.
De Bigamis non ordinandis.
De Clericis peregrinis.
De Officio Archidiaconi.
De Officio Archipresbyteri.
De Officio Primicerij.
De Officio Sacristæ.
De Officio Custodis: De officio Vicarij.
De Officio, & Potestate Iudicis delegati.
De Officio Legati.
De Officio Iudicis ordinarij.
De Officio Iudicis.
De Maioritate, & Obedientia.
De Treuga, & Pace.
De Pactis.
De Transactionibus.
De postulando.
De Procuratoribus.
De Syndico.
De ijs, quæ vi, metusve causa fiunt.
De In integrum restitutione.
De alienatione iudicij mutandi causa facta.

LIBRO *secundo agitur de iudicijs, & ijs, quæ ad Iudicia pertinent: cuius Tituli sunt:*

De Iudicijs.
De Foro competenti.
De Libelli oblatione.
De Mutuis obligationibus.
De Litis contestatione.
Vt lite nõ contestata non procedatur ad testium receptionem.
De Iuramento calumniæ.
De Dilationibus.
De Feriis.
De Ordine Cognitionum.
De Plus petitionibus.
De causa possessionis, & proprietatis.
De Restitutione spoliatorum.
De Dolo, & Contumacia.
De eo, qui mittitur in possessionem, causa rei seruandæ.
Vt lite pendente nihil innouetur.
De sequestratione possessionis, & fructuum.
De Confessis.
De Testibus, & Attestationibus.
De Testibus cogendis, vel non.
De Fide Instrumentorum.
De Præsumptionibus.
De Iureiurando.
De Exceptionibus.
De Præscriptionibus.
De sententia, & re iudicata.
De Appellationibus, recusationibus, & relationibus.
De Clericis peregrinantibus.
De Confirmatione vtili, vel inutili.

LIBRO tertio agitur de rebus, quæ ad Clericos, & Ecclesias pertineant: Cuius Tituli sunt:

De Vita, & honestate Clericorum.
De Cohabitatione Clericorum, & mulierum.
De Clericis coniugatis.
De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda.
De Præbendis, & Dignitatibus.
De Clerico ægrotante, vel debilitato.
De Institutionibus.
De Concessione Præbendæ.
Ne sede vacante aliquid innouetur.
De ijs quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.
De ijs quæ fiunt à maiori parte Capituli.
Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.
De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.
De Precarijs.
De Commodato.
De Depositо.
De Emptione, & Venditione.
De Locato, & Conducto.
De Rerum permutatione.
De Feudis.
De Pignoribus, & alijs Cautionibus.
De Fideiussoribus.
De Solutionibus.
De Donationbus.
De Peculio Clericorum.
De Testamentis, & vltimis voluntatibus.
De Successionibus ab intestato.
De Sepulturis.
De Parochijs, & alienis Parochianis.
De Decimis, Primitijs, & oblationibus.
De Regularibus.
De Transeuntibus ad Religionem.
De Conuersione Coniugatorum.
De Conuersione Infidelium.
De Voto, & Voti redemptione.
De statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.
De Religiosis domibus, vt Episcopo sint subiectæ.
De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.
De Iure patronatus.
De Censibus, Exactionibus, & procurationibus.
De consecratione Ecclesiæ, vel altaris.
De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Diuinis officis.
De Baptismo, & eius effectu.
De Presbytero non baptizato.
De Custodia Eucharistię, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.
De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum.
De Obseruatione ieiuniorum.
De Purificatione post partum.
De Ecclesijs ædificandis, vel reparandis.
De Immunitate Ecclesiarum, Cœmiteriorum, & rerum ad eas pertinentium.
Ne Clerici, vel Monachi Sæcularibus negocijs se immiscеant.

IN LIBRO Quarto agitur de rebus, quæ ad laicos attinent: cuius Tituli sunt:

De Sponsalibus, & matrimonijs.
De Desponsatione impuberum.
De Clandestina desponsatione.
De Sponsa duorum.
De cõditionibus appositis in desponsationibus, vel alijs contractibus.
Qui Clerici, vel vouentes matrimonium contrahere possint.
De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.
De Coniugio Leprosorum.
De Coniugio Seruorum.
Ne Natis ex libero ventre.
De Cognatione spirituali.
De Cognatione legali.
De eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ, vel sponsæ.
De Consanguinitate, & affinitate.
De Frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi.
De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ.
Qui filij sint legitimi.
Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.
De Diuortijs.
De Donationibus inter virum, & vxorem, & de dote post diuortium restituenda.
De secundis nuptijs.

IN LIBRO Quinto agitur de Delictis siue criminibus, & eorum pœnis: vnde eius Tituli sunt:

De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denunciationibus.
De Calumniatoribus.
De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.
Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo cẽsu concedant.
De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.
De Iudæis, Saracenis, & eorum seruis.
De Hæreticis, & Schismaticis, & ordinatis ab eis.
De Apostatis, & reiterantibus Baptismа.
De Ijs qui filios occiderunt.
De Infantibus, & languidis expositis.
De Homicidio voluntario vel Casuali.
De Clericis pugnantibus in duello.
De Sagittarijs.
De Adulterijs.
De Raptoribus, Incendiarijs, & violatoribus Ecclesiarum.
De Furtis.
De Vsuris.
De Crimine falsi.
De Sortilegis.
De Collusione detegenda.
De Delictis puerorum.
De Clerico venatore.
De Clerico percussore.
De Maledicis.
De Clerico excommunicato, depositо, vel interdicto ministrante.
De Clerico non ordinato, ministrante.
De Clerico per saltum promoto.
De Eo, qui ordinem furtiuè susceрit.

De Excessibus Prælatorum, & subditorum.
De Noui operis Nunciatione.
De Priuilegijs, & excessibus priuilegiatorum.
De Purgatione Canonica.
De Purgatione vulgari.
De Iniurijs & damno dato.
De Pœnis.
De Pœnitentijs, & remissionibus.
De Sententia excommunicationis.
De Verborum significatione.
De Regulis Iuris.

Totum igitur Canonicũ ius in Quinq; Libros Decretalium diuisum, ad quatuor capita potissimum reducitur, videlicet, Ad personas Clericorum, vel Laicorum: Ad res earundem personarum: Ad Iudicia, & actiones: Ad delicta & eorum pœnas. In 1. lib. agitur de personis Clericor. & de Modis quibus eliguntur, transferuntur, vel ab officio amouentur.

In secundo libro, agitur de Actionibus, & Iudicijs Ecclesiasticis. In tertio libro de Rebus Clericorum, & Ecclesiarum; & proindè etiam de vita, & honestate Clericorum & de Sacramentis, quorum clerici sunt ministri. In quarto libro agitur de statu Laicorum; ac proindè de ijs, quæ ad Matrimonium spectant, & de ijs, quæ ipsum antecedunt, vel sequuntur, vel comitantur. In quinto libro agitur de Criminibus, & eorum pœnis. In his omnib⁹ ius Canonicum eo modo quo potuit, Iuris ciuilis seruauit ordinem, quod attinet ad Titulos librorum.

Allegantur Decretales hoc modo: *c. Etsi Iudæos, De Iudæis*, hoc est in Decretali, quæ incipit. Etsi Iudæos, titulo de Iudęis, vel sic, *extra, de Iudæis, etsi Iudæos*, hoc est, extra Decretum, tit. de Iudæis in ca. quod incipit. Etsi Iudæos.

Sextus liber Decretalium diuiditur etiã in quinque libros, & in eosdem Titulos, in quos libri Decretalium diuiduntur, sed pauciores. Nam Quinque libri Decretalium continent Titulos centum octoginta quinque: Sextus verò liber Decretalium habet Titulos septuaginta septem. Dictus est sextus, quia editus post quinq; libros Decretalium à Bonifacio VIII. ante quem Quinque libros Decretalium promulgârat Gregorius IX. Hic porrò liber Sextus allegatur sic: *cap. Si Iudex. De sent. excomm. in 6.*

Clementinarum liber diuiditur, & ipse etiam in quinque libros, & in eosdem Titulos, sed pauciores distribuitur: nam solum continet titulos quinquaginta tres. Dictus est liber Clemen. quia editus est auctoritate Clementis V.

Allegatur sic; *Clemen. si furiosus, De Homicidio*, hoc est, in Clem. quæ incipit, si furiosus titulo. de homicidio.

Præter has quatuor partes Iuris Canonici, extat Liber qui cõtinet constitutiones à Ioanne 22. editas, quę dicuntur Extrauagantes Ioannis 22. & quatuordecim Tit. habet vnde allegari solẽt hoc modo; *Extrauag. Execrabilis. De Præben. inter Extrauagantes Ioannis 22.*

Extat etiam liber Extrauagantium communium. hoc est, constitutionum, quę à diuersis Pontificibus sunt editæ. Et diuiditur etiam is liber Extrauagantium communium in quinque libros, eosdem titulos; sed paucissimos, continentes.

Ita allegari solet. *Extrauag. Ambitiosæ, De Reb. Ecclesiæ non alienan. inter communes.*

In totum Gratiani Decretum scripserunt, qui sequuntur Auctores:

Guido de Baysio dictus vulgo Archidiac. Bononiensis.
Aegidius de Bellamera.
Dominicus dictus, à S. Geminiano & ideo citari solet Geminianus.
Ioannes à Turrecremata, Cardinalis Sancti Sixti.
Ioannes Antonius à S. Gregorio, alio nõmine, Præpositus Mediolanensis, & Cardinalis Alexandrinus.
Ludouicus Bologninus.

In Quinque libros Decretalium.

Innocentius Quartus.
Henricus, aliàs Cardinalis Hostiensis.
Ioannes Andreæ, Bononiensis.
Henricus Boich Leonensis.
Aegidius Bellamera.
Baldus de Vbaldis, Perusinus.
Franciscus de Accoltis, Aretinus.
Antonius de Butrio, Bononiensis.
Goffredus Tranensis.
Petrus de Ancharano, Bononiensis.
Franciscus de Zabarellis Patauinus, Cardinalis.
Nicolaus de Tudeschis, siue, Abbas Panormitanus.
Ioannes de Anania. Bononiensis.
Ioannes de Imola.
Fortunius Garzias Hispanus.
Andreas Barbatia, Siculus.
Philippus Decius Mediolanensis.
Felinus Sandeus, Canonicus Ferrarensis.
Augustinus Berous Bononiensis.

In Sextum Decretalium.

Archidiaconus.
Ioannes Andreæ.
Ioannes Monachus.
Petrus de Ancharano.
Dominicus à Sancto Geminiano.
Gulielmus de Monte Lauduno.
Iacobus Fontanus.
Philippus Francus Perusinus.
Ludouicus Gomezius.

In Librum Clementinarum.

Bonifacius de Vitalinis.
Petrus de Ancharano.
Ioannes de Imola.
Abbas Panormitanus.
Francus de Zabarellis, Cardinalis.
Gulielmus à Monte Lauduno.
Andreas Barbatias.
Iacobus Fontanus.

Alij verò scripserunt in certos aliquos Iuris Canonici Titulos; hi nempe subscripti.

Didacus Couarr. Epitomen in totum quartum librum Decret.
Ioannes Antonius à Sanct. Georgio, idem, qui præpositus Mediolanensis, in eundem librum.
Philippus Francus in Titulum de Appellationibus.

Ioannes Antonius Præpositus in eundem Titulum.
Antonius Burgos Hispanus in tit. de empt. & venditione.
Andreas Alciatus in Titulum de Præscriptionibus, & in Titulum De Iureiurando.
Didacus Couarruuias in c. Alma mater. De sent. excomm. in 6. & in Clem. Si furiosus, de Homicidio, & in Regulam, Peccatum, de regul. iuris. in 6. & in c. Quamuis. De pactis in 6. & in Regulã possessor malæ fidei. de regulis iuris in 6. Marianus Sozinus senior in titulum de Iudicijs, & in tit. de Foro comp. & in tit. de libelli obla. & in alios quosdam tit. Petrus Paulus Parisius in tit. de probationibus. De Testibus. De Exceptionibus. De Præscriptionibus. Dynus Mugellanus in tit. de reg. iur. in 6. cum Additionib.
Ioannis Andreæ, Petri de Anchar. & Nicolai Boerij.

Porrò Ius Canonicum, ego sic per libros, & titulos diuiderem: vt in primo li. de Personis ageretur, & tit. essent hi.

De Origine Iuris Canonici.
De Summa Trinitate, & Fide Catholica.
De Libris, & Scripturis Canonicis.
De Iure Diuino.
De Constitutionibus.
De Rescriptis.
De Mandatis Apostolicis.
De Statutis.
De Priuilegijs personarum.
De Consuetudine.
De Iure personarum.
De Summo Pontifice Romano.
De Cardinalibus S. Ecclesiæ Romanæ.
De Patriarchis.
De Primatibus.
De Archiepiscopis.
De Episcopis.
De Chorepiscopis.
De Abbate, & eius Officio.
De Officio Præpositi.
De Officio Decani.
De Officio Archidiaconi.
De Officio Archipresbyteri.
De Officio Primicerij.
De Officio Thesaurarij.
De Officio Personatus.
De Officio Sacristæ.
De Officio Prioris.
De Officio Oeconomi.
De Officio Vicarij.
De Officio Iudicis ordinarij.
De Officio Iudicis delegati.
De Officio Legati.
De Officio Nuncij Apostolici.
De Officio Conseruatoris.
De Syndico, & eius officio.
De Ijs qui habent Dignitates.
De Canonicis.
De Portionarijs, & Beneficiarijs.
De Commendatarijs.
De Parocho, & eius officio.
De Capellanis.
De Coadiutore.
De Clericis, qui sunt in sacris ordinibus constituti.
De Presbytero.
De Diacono.
De Subdiacono.
De Clericis in Minoribus Ordinibus constitutis.
De Acolytho.
De Lectore.
De Exorcista.
De Ostiario.
De Monachis.
De Sanctimonialibus.
De Canonicis Regularibus.
De Religiosis Mendicantibus.
De Religiosis Militibus.
De Procuratoribus.
De Laicis.

In secundo Libro.

Quomodo Clerici acquirant, conseruent, vel amittant Dignitatem, Officium, Ecclesiam vel quoduis aliud Ecclesiasticum, Beneficium, cuius tituli essent.
De Electione, & Electi potestate.
De Postulatione Prælatorum.
De Præsentatione, & Iure patronatus.
De Nominatione.
De Institutione.
De Collatione.
De Iure ad Superiorem deuoluto.
De Confirmatione.
De Consecratione.
De Translatione Episcopi.
De Renunciatione.
De Vacatione Ecclesiæ.
De Auctoritate, & vsu pallij.
De Supplenda negligentia Prælatorum.
De Vita, & honestate Clericorum.
De Cohabitatione Clericorum, & mulierum.
De Priuilegijs Clericorum.
De Temporibus Ordinationum.
De Scrutinio faciendo.
De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.
De Horis Canonicis.
De Clericis non residentibus.
De Clericis coniugatis.
De Clericis peregrinis.
De Clerico ægrotante, vel debilitato.
De Concilijs, & Conuentibus Episcoporum.
De Visitatione per Episcopum facienda.

In Tertio Libro.

De Iudicijs.
De Iurisdictione omnium Iudicum Ecclesiasticorum.
De Foro competenti.
De In ius vocando.
De Libelli oblatione.
De Mutuis petitionibus.
De Litis contestatione.
Vt Lite non contestata nõ procedatur ad testium receptionem.
De Iuramento calumniæ.
De Dilationibus.
De Ferijs.
De Ordine cognitionum.
De Plus petitionibus.
De Causa possessionis, & proprietatis.
De Restitutione spoliatorum.

De Dolo,& Contumacia.
De Mittendo in possessionem.
Vt lite pendente nihil innouetur.
De Sequestratione possessionum,& fructuum.
De Procurationibus.
De Confessis.
De Probationibus.
De Testibus.
De Fide instrumentorum.
De Præsumptionibus.
De Præscriptionibus.
De Appellationibus,& Recusationibus.
De Iureiurando.
De Sententia,& re iudicata.
De Transactionibus.
De Pactis.
De ijs,quæ vi metusue causa fiunt.
De in integrum restitutione.
De Compromissis.
De Inducijs,& Pace.
De Parendo,siue obediendo Iudici.
De Citando reo.
De ijs, quæ potest Collegium Canonicorum Sede vacante.
De ijs quæ fiunt à Prælatis sine cõsensu Capituli.
De ijs quæ potest Collegium Canonicorum.
De Obligationibus.
De Empto,& Vendito.
De Locato,& Conducto.
De Mutuo.
De Commodato.
De Rerum permutatione.
De Deposito.
De Contractu Societatis.
De Censibus.
De Cambijs.
De Emphiteusi.
De Feudo.
De Pignore.
De Fideiussoribus.
De Solutionibus.
De Donationibus.
De Testamentis.
De successionibus ab intestato.

In Quarto Libro.

De Rebus Ecclesiarum,& Clericorum : cuius Tituli esse possent:
De Præbendis,& Dignitatibus.
De Beneficijs.
De Pensionibus.
De Peculio Clericorum.
De Spolijs Clericorum.
De Decimis.
De Primitijs.
De Canonica portione.
De Quotidianis distributionibus.
De Annatis.
De Quindennijs.
De Parochijs.
De sepulturis.
De Fundandis Ecclesijs,& dotandis.
De eisdem erigendis.
De ædificandis.
De reparandis.
De Consecrandis.
De vnione Ecclesiarum.
De violatione Ecclesiarum.
De Immunitate Ecclesiarum.
De Rebus sacris,altaribus,vestibus,& vasis.
De alienandis rebus Ecclesiæ,vel non.
De Cappellis Monachorum.
De Exactionibus, & procurationibus à Clericis petendis,vel non.
De Sacramentis.
De Baptismo.
De Confirmatione.
De Eucharistia.
De Celebratione Missarum.
De Pœnitentia.
De Extrema Vnctione.
De Reliquijs,& veneratione Sanctorum.
De Obseruatione ieiuniorum.
De Ordine.
De Matrimonio.
De Sponsalibus.
De Cognatione spirituali.
De Cognatione Legali.
De Consanguinitate.
De Affinitate.
De Impedimentis omnibus Matrimonij.

In Quinto Libro.

De Criminibus,& eorum pœnis, cuius Tituli essent,qui sequuntur.
De Accusatione.
De Inquisitione.
De Denunciatione.
De Calumniatoribus.
De Simonia.
De Iudæis,& Saracenis.
De Hæreticis.
De Schismaticis.
De Apostatis.
De Homicidio.
De Adulterijs.
De Furto.
De Raptoribus.
De Vsuris.
De Crimine Falsi.
De Maledicis.
De Sortilegis.
De Sacrilegis.
De Clerico venatore.
De Clerico percussore.
De Iniurijs,& damno.
De Censuris Ecclesiasticis.
De Excommunicatione.
De Suspensione.
De Interdicto.
De Cessatione à diuinis.
De Pœnis.
De Irregularitate.
De Degradatione.
De Purgatione Canonica.
De Pœnitentijs.
De Indulgentijs,& remissionibus.
De Verborum significatione.
De Regulis Iuris.

Cap. XXX.

De Iuris Ciuilis Diuisione.

IVs Ciuile,quod ad eius libros pertinet,in quibus continetur, diuiditur in Tres Partes: quarum

rum Prima constat tribus Digestis, Vetere, Infortiato, & Nouo. Hæc Pars continet quinquaginta libros Digestorum in tria volumina partitos. ita vt Digestum vetus contineat vigintitres libros, Infortiatum, quatuordecim Nouum duodecim. Secunda Pars Iuris Ciuilis, dicitur Codex, continet nouem libros in quibus habentur Constitutiones, & Rescripta Imperatorũ. nam Prima pars tribus Digestorum voluminibus contenta habet Responsa veterum Iurisconsultorum, quæ Imperatorum nutu, & voluntate, legis auctoritatem obtinuerunt. Tertia Pars dicitur volumen, quod quatuor partibus constat; Institutionibus nempe Iustiniani Imperatoris; tribus libris Codicis, videlicet decimo, vndecimo, & duodecimo; nam reliquos nouem continet Codex; & Authenticis constitutionibus eiusdem Iustiniani Imperatoris; & libro Feudorum.

Allegatur autẽ Ius Ciuile septem modis. Primo, *l. si quis ex argentarijs, §. 1. ff. De edendo.* & significatur, eam legem esse in aliquo, ex quinquaginta libris Digestorum, hoc est, in lege, quæ incipit: si quis ex argentarijs. §. 1. in titulo de edendo. Secundo modo: *l. Minimè. C. de Episc. audien.* hoc est, in l. Cuius initium est, Minimè, in Codice, titulo De Episcopali audientia. Tertio modo: *c. de Agricolis, & Censitis. l. Cum scimus, lib. 11.* & significatur, eam legem non esse in nouẽ libris Codicis, sed in vno ex tribus libris, qui habentur in volumine, in quo Institutiones Iustiniani, & Authenticæ continentur. Quarto modo; *Authent. statuimus. C. de Episc. & Cleric.* hoc est, in lege, cuius initium est, statuimus, in Codice, titulo de Episcopis, & Cleric. Quinto: *Authent. De Leno. §. Sancimus*, hoc est, in Authent. de Lenonibus. §. Sancimus. Sexto modo: *In lib. Feud. de prohibita Feu. alie. c. vel l. Quoniam*, hoc est: In capite, vel lege, quę incipit, Quoniam in libro Feudorũ, Titulo De prohibita feudi alienatione. Septimo, *Instit. de re. diu. §. Itẽ ea*, hoc est, In institutionib. Iustiniani, Titulo De rerum diuisione, §. Item ea.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER VI.

De lege Naturali, Diuina veteri, & Noua.

CAPVT PRIMVM.

De Lege Naturali.

PRIMO quæritur, Quidnam sit lex naturalis? quod est quærere, An lex naturalis sit habitus mentis, an rationis actus? Respondeo cum S. Tho. 1. 2. *q.* 94. Gabr. 3. *d.* 37. *q.* 1. *a.* 1. Richard. 3. *dist. incl.* 37. *art.* 1. *q.* 1. Sot. *lib.* 1. *de iust. q.* 4. *art.* 1. non esse habitum mentis, sed actum: quia est quædam rectæ rationis præscriptio, qua quid agendum, quid fugiendum, præscribitur, nõ qualitas ex actibus sæpius repetitis comparata. Sed sciendum est, apud Theologos legem naturalem aliquando dici naturale rectæ rationis lumen, quod semper quasi habitu ostendit, quæ sunt agẽda, quæ fugiẽda, & est ipsa hominis ratio, qua bona, & mala perspicimus, & iudicamus: aliquando lex naturalis vocatur tota communio eorum signorum, siue imaginum in mente impressarum, quibus etiam quasi habitu agenda, & cauenda discernimus, & sunt species, & imagines referẽtes res bonas, & malas, agendas, vel fugiendas: aliquãdo lex naturalis est ipsum rectæ rationis præscriptum, siue iussum. obijcies legem naturalem nec obliuione deleri, nec vetustate temporis extingui, nec per peccatum auferri, nec vnquam animo euelli; ergo huiusmodi lex nõ est actus. Respondeo, ideo legem naturæ nunquam aboleri, quia manent eius in mente semina, & principia: eiusmodi autem principia non tantum sunt simulachra, & imagines rerum agendarum, fugiendarumque, hęc enim licet post actus maneant in nostris mentibus impressa, attamen vt primum nati sumus, vna cum ipsa natura legẽ naturalem hausimus, & accepimus, quia sunt in nobis insita huiusmodi legis semina, nimirum ipsa mẽtis ratio, quæ sine vllo externi doctoris magisterio perspicit, quid sit factitandum, quid sit eligendum, quid cauendum, quid amplectendum & sequendum: & hoc est, naturale rectæ rationis lumen, quod semper manet, quamuis aliqua ex parte obscuratur, vt dicam inferius.

Secũdò quæritur, An lex naturalis lege humana tolli, restringi, aut minui possit? Iuris ciuilis, & canonici interpretum videtur esse sententia, legẽ naturæ, iure humano scripto posse aliquando tolli, aut ex parte restringi, contrahi, atque diminui. Inde probant, quia legis naturalis est, nemini auferre quod suum est; at leges ciuiles Vsucapionis, quam præscriptionem appellant, adimunt vero Domino, quod suũ est: & tamen eæ leges Iure canonico sunt approbatę. Secundò, Iuris naturalis est, ne innocentẽ perimamus; at legibus ciuilibus constitutum est, vt secundũ allegata, & probata reus in iudicio cõdẽnetur. Vndẽ fit, vt is, quẽ Iudex priuatim nouit esse innocentẽ, in Iudicio tamẽ, quæ sunt allegata, & probata reum esse cõuincant, iustè non solũ pecuniaria pœna mulctetur, sed etiã capite dãnetur. Tertiò, iure naturali parentes filijs alimẽta debent, & legitimam bonorũ portionem: Eodem itẽ iure naturali filij debent parentes alere, & tamẽ ius ciuile videm⁹ sępè priuare filios, aut parẽtes legitima hęreditatis portione, & debitis alimẽtis. Quartò, iure naturali quisq; nat⁹ est liber, & tamẽ legib. humanis aliqui serui redduntur, *c. de Rectorib. 26. q. 1.* Raptor fœminæ fit seruus ipsius, vel parentũ, nisi velit se redimere: & *c. Ad liberandũ, & c. Ita quorundã, de Iudæis*, deferẽtes Saracenis arma, vel alia necessaria ad oppugnãdos Christianos, siũt serui capientiũ. Quintò, teste S. Th. 2. 2. *q.* 10. *a.* 10. Ecclesia habet ius & potestatẽ priuãdi Paganos nondũ ad fidem, & religionẽ Christi cõuersos omni imperio, iure & dominio q⁹ habent in eos, qui sacro baptismate

abluti

abluti Christo sese tradiderunt. Communis est Theologorum opinio, quam habet S.Th.1.2.q.94. a.5. & quæ colligitur ex Gratiano, d.5. §. *Hæc quæ de priuilegijs, verſic. naturale ius*: legem naturalem nec ex toto, nec ex parte posse lege humana abrogari, atq; hæc est vera opinio: nam quod lex naturalis imperat, est per se bonum: & id, quod prohibet, est per se malum: rerum autem naturæ, & substantiæ nequeunt humana potestate mutari. At quoniam in bonis, & malis sæpè circunstantię rerum variãtur, ideo lex naturalis mutata materia videtur ex toto, vel ex parte mutari.

Nec obiecta, huic sententiæ quicquam officiunt; quoniam in ijs omnibus, & alijs similibus, non lex naturalis, sed legis naturalis materia mutatur variatis rerum circumstantijs: primum enim soluitur, si dixerimus, leges vsucapionis, aut præscriptionis, vt vocant, nequaquam tollere legem, aut ius naturale: Sed ideo esse iustas, quia ad commune bonum tuendum, & conseruandũ sunt institutæ: nimirum, ne rerum dominia diu incerta maneant, tum vt lites, quæ solent esse alioqui innumeræ, inextricabiles, & interminabiles, dirimantur; & pax in Republica conseruetur. Et propterea commune bonum priuato anteferatur; hoc est, propter salutem, & incolumitatem communem priuati homines iure possunt suorum bonorum dominio spoliari. Secundum diluitur argumẽtum: Licet inter Auctores tum Theologos, tum iuris Canonici, & ciuilis interpretes variæ sententiæ sint de innocente, qui secundũ allegata, & probata reus, & nocens esse conuincitur: de ea tamen re alibi cõmodius differemus: In præsentia id tantùm dixisse contenti, eiusmodi innocentem iure posse capite damnari, non quia ius naturale iure ciuili tollatur; sed quia ob commune bonũ in iudicio procedere oporteat ex publicis hominum testimonijs & dictis, non ex priuata Iudicis sententia: alioqui enim ius singulorum hominum affectibus obiectum posset passim, & facilè peruerti. DICES; ex hoc solũ concludi, nõ posse innocentem, qui probatur fuisse criminis reus, absolui à Iudice secundum suam priuatam notitiam: non tamen iure posse morte damnari. Respondeo, posse etiam contingere, vt cõmune Reipublicæ cõmodum, salus, inquam, & pax conseruari non possit, nisi innocens statim capitis condemnetur, si ex allegatis, & probatis in iudicio eum deliquisse constiterit. Fieri enim potest, vt totus populus, siue ciuitas petat eius condemnationem, & magnopere offendatur, nisi, pro criminis denunciatione, & probatione sententia pronuntiata, damnetur. Quod tertio loco obijciebatur circa alimenta filijs, vel parentibus debita; id nequaquam nobis aduersatur. Est enim obseruandum, aliquando ijs hominibus ita alimenta deberi, vt nunquam ea detrahi, denegariúe queant: V. G. si sit filius, qui nihil habeat, quo vitam suã commodè sustẽter, ita vt viribus arte, industria, & spe omni humani subsidij destituatur, nulla lege humana potest alimentis sibi debitis priuari, hoc enim ipsa muta animalia nos docent. Aliquandò verò filius potest honestè, & conuenienter aliundè absque bonis paternis enutriri, & viuere; vel quia charitate & munificentia aliorum habet necessaria vitæ subsidia; vel quia ipse per seipsum idoneus est ad alimenta sibi necessaria, & cõmoda comparanda; & his in causis leges humanæ ciuiles boni communis rationem habentes possunt iustis de causis alimenta filijs denegare; nimirum, propter iniuriam aliquam atrocem parentibus illatam. Immò vt filij in officio erga parentes contineantur, possunt alimentis, vel ex toto, vel ex parte spoliari. Pari quoq; ratione possunt leges humanæ concedere filijs, ne suis parẽtibus alimenta ministrent, & præbeant, quando aliunde queunt commodè sustentari: secus verò, si nequeant. Eodem modo, leges ciuiles portionẽ filijs, & parentibus debitam, vel tollunt omninò, vel minuunt. Quartum erat, quod obijciebatur; Homines, iure humano semoto, nasci liberos; sed nihilominus tamen gratia cõmunis boni, nempè vt delicta meritis pœnis puniãtur, ac singuli deterreantur à malis, & in officio contineantur, captiuitates, & seruitutes introductæ sũt. hoc enim iure exorta sunt bella, & iure belli capti milites fiunt capientium serui. Sic etiam potest lege humana constitui, vt quis efficiatur seruus alterius. Ad hæc, dupliciter aliquid dicitur esse iuris naturalis: vno modo, id quod fieri lex naturæ iubet, vel prohibet: Et hoc lege ciuili nec tolli, nec minui potest: altero modo, id, q; lege naturę permittitur, aut conceditur, non tamen imperatur, aut vetatur, siuè damnatur. hoc modo, iure naturali homines nascuntur liberi, non serui; & omnia sunt communia: non quidem quod ratio naturalis imperet, vt omnes homines sint liberi, vel vt omnia sint communia; sed, quòd nullus nascatur natura seruus, nec ius naturale res fecerit proprias alicuius: & ea, quę ad ius naturale hoc modo pertinent, possunt iure humano mutari, quo sunt inductæ seruitutes, & rerum dominia constituta. Vltimo argumento respondeo, penes Ecclesiam esse ius priuandi Paganos iure, & imperio, quod habent in Christianos: nam hoc est in rem, & bonum fidei, & religionis Christianæ: & proindè ratio ipsa naturalis præscribit, vt commune bonum priuato anteponatur. Ecclesia itaque diu, & sæpius experta, Christianos Paganorum seruos multa, & magna pericula non solùm corporis, sed etiam animæ incurrere, cum facilè cogantur à fide, & religione deficere, aut alia crimina perpetrare, eos iure potest in libertatem asserere, ne tot, & tantis sint periculis, incommodis, & malis obiecti.

Tertiò quęritur, An lex naturalis possit auctoritate diuina tolli, id est, quærere: An Decalogi præcepta Dei nutu remitti, solui, & relaxari queant? De hac re; Theologi *in* 3. *lib. sentent. dist.* 37. & *in* 1. *dist.* 48. Tres opiniones inuenio; primam Scoti asserentis, ea quæ sunt iuris naturalis per se nota, non posse relaxari: quæ verò sunt iuris naturalis deducta tantùm necessariò ex per se notis principijs, posse relaxationem accipere. Ex hoc concludit Scotus duo: primum est, indulgentiam diuinam, non cadere in duo prima præcepta primæ tabulæ Decalogi, nempè, de nõ colendo alio præter Deum cultu, & veneratione latriæ, & de non vanè iurando per Deum. In cætera omnia præcepta Decalogi, siue illa sint primæ tabulæ, siue secundæ, posse cadere relaxationem. hoc idem Gabriel, Marsilius, & Almainus tradiderunt.

Secunda

Secunda opinio est Durandi, concedentis posse voluntate diuina mitigari, & temperari duorum præceptorum rigorem, nimirum de honorandis parentibus, & de alio homine non occidendo: cætera verò præcepta relaxari nō posse. putat enim ille in cæteris esse bonitatem, vel prauitatē intrinsecam; in his verò duobus non item.

Tertia opinio est S. Thomæ in vniuersum docentis, præcepta Decalogi, auctoritate diuina remitti, & solui non posse. Sic quoque Altisiodorensis, Richardus, Bonauentura, Maior, & alij: atque hæc opinio est verior. Ad quod melius percipiendum, animaduertere oportet, relaxationem legis, quam passim Theologi, & iuris vtriusque periti dispensationem appellant, dupliciter accipi. Primò fusius, & latiùs, & hoc modo quælibet interpretatio, declaratio, vel abrogatio legis ex parte, non ex toto, dicitur relaxatio. Secundo modo sumitur pressius, & strictiùs, ita vt relaxatio legis sit, cū lege suam vim retinente ab ea aliquis voluntate Principis, eximitur, cum tamen ceteri ea lege teneantur: hoc enim modo Princeps aliquos suis legibus soluit, hoc est, excipit à legibus, quibus alioqui tenebantur. Scotus & alij relaxationem latius, & fusius accepêre: S. Thomas pressius, & restrictius, & ideò magis propriè. Exemplum sit: Dei iussu Abrahamus filium suum Isaac immolauit, quod ad se attinet, neci tradens. Scotus ait, Abrahamum hoc facto, diuina indulgentia, & relaxatione legis solutum esse lege de non occidendo innocente: quia Deo id iubente, non eo ipso sublata est lex, at à lege ea in re exceptus est Abrahamus. Verùm S. Thomas hanc legis exceptionem, relaxationem non vocat, quoniam Deus est Dominus vitæ omnium hominum, & proindè vitæ, & necis habet imperium: quare cum iubet quempiam interimi, legem nec ex toto, nec ex parte relaxat, soluit, aut tollit; & idcirco nec ipsum interfectorem excipit à lege, quoniam quando iussu Dei innocens necatur, nihil prorsus contra legem naturalem admittitur: Vita enim adimitur iussu Dei, penes quem est vitæ, & mortis imperium, & proinde nulla ad id opus est relaxatione legis. Lex enim naturę nunquam vetuit cædem, & necem hominis, quam Deus ipse iubet.

Hoc igitur constituto, probabilior, & verior est B. Thomæ sententia, in legem naturalem, indulgentiam diuinam non cadere: nam sicut in rebus ipsis naturalibus id quod per se verum est, non potest non esse verum; cuiusmodi sunt, hominem esse animal, corpus, & substantiam; rerum enim naturæ mutari nequeunt: Sic etiam in moribus ea quæ per se mala sunt, non possunt fieri bona, quia hæc est eorum natura, vt sint rationi aduersa, & contraria; veluti furtum, adulterium, mendacium. Ergo, sicut nulla auctoritate fieri potest, vt homo non sit animal, corpus, & substantia; ita & fieri nullo modo potest, quin adulterium furtum, homicidium, & mendacium suapte natura sint mala.

At enim his quæ diximus, quædam ab aduersarijs opponuntur. Primùm opponit Dur. Deus, inquit, naturales rerum conditiones sæpe mutat; eius enim potestate fit accidens sine subiecto: & fit natura substantialis, qualis est Humana in Christo Domino, sine propria scilicet hypostasi, persona, & subsistentia. Item, Deo auctore, naturalis rerum cursus aliquando mutatur; quod ostendūt multa sæpius à Deo mirabiliter effecta: in moribus potest etiam Deus rei bonæ vel malę conditiones mutare. Verum id quidem est, naturales rerum conditiones Deo auctore mutari: sed accidentales quas vocant duntaxat, & extrinsecas, quales sunt quæ in argumento ponuntur, minimè autem intrinsecas, & quas appellant substantiales, quia nequit rei natura mutari absque ipsius rei interitu. Idem planè euenit in moribus: accidentia enim, & quæ ex accidenti existunt cōditiones bonitatis, vel prauitatis variari possunt: non autem, quæ per se cōueniunt, & intrinsecus, at quod naturali lege est bonum, vel malum, suaptè natura est rationi consentaneum, vel dissentaneum. Deindè obijcitur: legislator potest suam legem relaxare, & quos voluerit ea soluere, ergo Deus, qui iuris vel legis omnis naturalis est auctor, & conditor, potest eam si velit, vel ex toto, vel ex parte abrogare. Verùm argumento solùm concluditur, leges sola diuina volūtate sancitas posse nutu Dei vel ex omni, vel aliqua ex parte mutari, sicut cæterorum Principum voluntate leges à se conditæ aboleri queunt. At verò quod est lege naturali damnatū, non ideo malum est, quia sit lege vetitum, sed potius contrà, quia suapte natura cum recta ratione pugnat, lege damnatur. Vt enim in naturalibus hominem esse animal, est res, quæ fieri potest, quia est res per se vera; non autem ideo est vera, quia fieri possit à Deo: ita etiam in moribus, siue lex prohibeat, siue non prohibeat adulterium, vel mendacium, malum suaptè natura est adulterium, quia cum ratione pugnant: ergo leges sola hominis volūtate scriptæ, & constitutæ, ideo abrogari, & deleri possunt, quia imperant, aut vetant non id, quod est per se bonum, aut malum, sed solùm, quod bonum est, aut malum vi legis, quia lege imperatum, aut interdictum. Lex verò naturalis id iubet, aut prohibet, quod est per se bonū, aut malum. Tertiò obijcitur: Si Deus Titio patefaciat ipsum in æternum damnandum, etiamsi Titius suam salutē desperet, non peccat; & tamen æternam salutem desperare, est contra rectā rationem: ergo Deus æternam condemnationem Titio patefaciens, eum eximit ab omni peccato, quod contra spem committi potest.

De hoc argumento tractarunt Theo. *in 1. sent. d.* 48. inter quos aliqui negarunt, posse æternā damnationē Titio diuinitus patefieri, ob absurda, quæ sequuntur in obiecto argumento clara atq; perspicua. Plerique verò concedunt, posse quidem æternam damnationem Titio patefieri, at cōminatoriam tantùm illā esse, non autem absoluram, & irreuocabilem: & proindè Titiū nequaquam excusari à lege sperandi æternam salutem. Affirmant nonnulli posse reuelari Titio æternum ipsius interitum necessariò, absoluteq; futurū, sed Titium nihilominus teneri legis naturalis præcepto, licet nō præcepto iuris diuini scripti, quod est, Titium non quidem debere salutem æternam sperare, sed non posse tamen tutā conscientia desperare suam salutem: aliud enim est desperare salutem æternam, quod est rationi cōtrarium,

aliud

aliud verò illam non sperare. Mihi tamen videtur facilè argumẽtum posse aliter dissolui, vt dixi lib. 3. c. vlt. fateor enim primò, posse Titio diuino nutu innotescere æternam damnationem; & nihilominus eum posse, & debere sperare, & inuocare opem Dei, & ipsum precari, vti saluus in æternum sit. Quod vt planius, & apertius intelligatur, sciendum est: tametsi Titio per diuinam reuelationem constaret se cras peccaturum non eo ipso eximeretur à præcepto vitandi peccatum: sicut nec liberatus est Petrus lege, & præcepto cõfitendi Christi Domini fidẽ, & religionem, etiam postquam prædixit ei Dominus, *Ter me negabis*: quoniam sicut præuisio Dei, qua futurum aliquid prænouit, nihil necessitatis imponit rei, nec aliquid libertatis homini adimit, eo quod præuidet Deus ex seipso, & per seipsum futurum, quatenus est futurum: sic etiam prædictio Dei, qua aliquid futurum prænunciat, nihil libertatis homini detrahit, nihil rei futuræ necessitatis imponit: quia ideo à Deo prædicitur futura, quia est futura, & non quia prædicatur, ideo est futura. Ex quo efficitur, vt si Titio, Deo reuelante, sit notum, se esse damnandũ, nihil aliud sit prædictum, nisi eum cum graui peccato ex hac vita decessurum; & peccatum eius nequit esse peccatum, nisi eo consentiente commissum. Ergo cum Titio prædicitur sua ipsius damnatio, simul etiã ei prænuntiatur lethale peccatum ab ipso in vltimo vitæ tempore perpetrandum, quapropter à nullo legis præcepto eximitur, cui erat ante subiectus. Eodem modo, si cuiquam Deus notum faceret ipsum esse afficiendum aliqua pœna ob delictum ipsius, liber, & immunis ille nõ esset à vitando quolibet peccato: quia reuelatio eiusmodi pœnæ non aliunde proficiscitur, quàm à præuiso, & prædicto eius peccato: nec peccatum est futurũ nisi eius consensu, & voluntate admittendum. Si verò Deus aliquid patefaciat quod nostrum consensum non requirat, contra illud nos facere nõ possemus, nam hoc ipso diuinæ voluntati resistere, & reluctari videremur. Quartò obijcitur: Mendacium ideo est malum, quoniã qui mentitur, habet voluntatem fallendi: sed Deo auctore possumus alterum fallere, nam Dei iussu possumus ipsum nõ solùm bonis spoliare, sed honore etiã, fama, libertate, salute, & vita priuare: & fraus ideo est mala, quia est alteri noxia. Respondeo, mendacium esse per se malum, quia in eo consistit, quod asserendo falsum scienter, & sponte dicamus. Et hoc dixit Aug. propositum, & voluntatem esse fallendi alterum, ac propterea mendacium ideo est per se malùm, siue sequatur, siue non sequatur fraus alterius: quoniam mendacij deformitas est, quod asserendo falsum dicas, siue noceas vlli, siue prosis. Quintò argumentantur: Genes. 22. Abrahamus, Deo imperante, filium suum neci destinauit; Eodem etiam Deo auctore Hebræi retinuerũt sibi vasa argentea, & aurea, quæ mutuo acceperant ab Aegyptijs: Samson item impellente Dei Spiritu seipsum occidit: Oseas quoque, Deo præcipiente, accepit mulierem meretricijs amoribus, & actibus deditam, & genuit ex ea filios fornicationum. Item, in Matrimonio sunt duo iuris naturalis præcepta, vnũ quidem, vt sit vinculum vnius viri, & vnius vxoris, & tamen in lege veteri, diuinæ Indulgentiæ beneficio multi viri plures simul vxores duxerunt: alterum est, vt matrimonium, sit vinculum suapte natura perpetuum: & tamen Moses, auctore Deo, libellum repudij concessit, quo dato, sequebatur, vt repudiata fœmina alteri nuberet, & vir alteram duceret.

Matth. 26

Aug. lib. de menda. c. 3. & 4.

Matth. 22

Exod. 11. & 12. Iud. 16. Osea. 1.

Ad hæc omnia facilis responsio est, Dicimus enim, legem naturalem nec ex toto, nec ex parte esse sublatam, sed solùm cessare in eiusmodi causis iam expositis, ob mutationem rei, siue materiæ legi subiectæ. vt hæc firmemus exemplo; Abrahamus ob iussum diuinum, tuta conscientia poterat, ac debebat filium immolare, quia Deus liberam habet vitæ, & mortis potestatem, & sicut potest vnumquemque nostrum per seipsum, vel per causas naturales ad id destinatas occidere, sic etiam opera, & ministerio cuiusque perimere. Ad id, quod ex libro Exodi obijciebatur, respondeo, Hebræos diuino cõcessu, & auctoritate retinuisse sibi pretiosa vasa Aegyptiorum, mutuo accepta citra vllum iniustitiæ peccatum: Deus enim est Dominus omnium bonorum nostrorum, & proindè nutu, & arbitratu suo potest bona vnius in alterius dominium transferre. Et quamuis Deo imperante, Hebræi ab Aegyptijs vasa mutuo petebant, & accipiebant, in eo non peccabant; putabant enim forsitan, vt moris est, ea se suis dominis reddituros, verùm Deo aliter volente ac melius decernente, postea retinuerunt præter spem omnem: quia eorum bonorum dominium est in ipsos diuino iure ac potestate translatum. Ad illud de Sampsone, qui sibi mortem conscivit, dicimus, nequaquam esse dubitandum, eum absque vlla Dei offensa id fecisse. certè Augustin. eum peccato liberat, & Apostolus ad Hebræos, scribens, eundem recenset inter veteris legis patres quos sanctos vocat, aitq; adeptos esse repromissionem: & ipse liber Iudicum aperte testatur, Sampsonem ad id operis, & officij præstandũ, quo vnà cum Philistæis sibi illudentibus se ipsum ruinis à se concussæ domus obtriuit: quasi aliter id se facere posse diffideret, diuinam opem implorasse, vt sibi adesset tanta molièti, & vt pristinam sibi fortitudinem restitueret: quod & Deus ipse præstitit pro sua bonitate. Diuino itaque instinctu, non temeritate vlla, audacia, & desperatione, Sampson seipsum necauit. Ad id de Osee, quidam Theologorum, quibus Sotus, & alij subscribunt, respondent, aientes, Prophetam eiusmodi fœmina vsum fuisse etiam sibi non nupta, nec tamen peccasse, quia potuerit Deus, Prophetæ potestatem concedere vtendi ea fœmina etiam in matrimonium non ducta: Deus enim cum sit Dominus corporis cuiusque, facultatem Prophetæ concessit extra matrimonium in fœminæ corpus. Soluunt alij in hunc modum, ita dicentes, eam fœminam esse in matrimonium sancto illi viro diuinitus collocatã, & inter eos verum coniugium intercessisse, eos copulante, & coniungente Deo, absque mutuo ipsorum consensu: nam consensus viri, & vxoris solùm est causa efficiens matrimonij, & proindè, quod vir, & vxor per consensum efficiunt, potest Deus sine illorum consensu supplere. Mihi tamen facilior, simplicior, & planior videtur eorum esse sententia,

Aug. lib. de ciu. c. 22.

Sot. lib. 4. q. 1. ar. 2.

qui di-

qui dicunt, eos mutuò consensu fuisse matrimonio coniunctos ac copulatos, & Deum fecisse, vt ij subitò consentirent, cum antea nihil de coniugio cogitarent. Illud autem: *Fac tibi filios fornicationum*: Significat, Adopta, siue fac adoptione tuos eos filios, quos ipsa ex fornicatione suscepit, & procreauit: aut, quod probabilius est, ex ea filios generabis, qui impudicam matrem imitati, libidinibus sese multis obligabunt.

Ad alteram obiectionis partem de matrimonio, respondeo inter Theologos, duas esse opiniones: prima est asserentium, multitudinem vxorum esse iure naturali, ex natura matrimonij damnatam: secunda est aientium, non ex natura rei, sed iure diuino Dei voluntate posito esse interdictam. Verùm, quicquid sit de his opinionibus: multitudo vxorum solùm est vetita, nō quia directo pugnet cum generatione prolis, qui est primarius coniugij finis: sed quia pugnat cum pace, & tranquillitate familiæ, qui est finis minùs principalis. Deus autem potest concedere, vt vir plures vxores sibi in matrimonio iungat, & habeat, quia potest etiam Deus ipse per se familiam facilè, & commodè in pace, quiete, tranquillitate & officio continere.

Ad aliud de libello repudij, respondeo etiam inter Theologos duplicem esse sententiam: quibusdam aientibus, libellum repudij Iudæis fuisse permissum impunè, vt minùs malum, ad id quod est grauius, & longè deterius, cædem scilicet vxorum deuitandum. Sic Glossa ordinaria, Magister sententiarum, Altisiodorensis, Lyranus, & his omnibus antiquior Theodoretus: Alijs contrà asserentibus, fuisse tanquam bonum diuinitus concessum eiusmodi libellum repudij. In Abulensis, Scotus, Durandus, Palúdanus, Almainus, Maior. Nam Deuteronomij 24. ait Deus: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam in oculis eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* Et Malach. 2. *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israhel*, quibus locis videtur libellus repudij diuina auctoritate concessus: quod certè est admodum probabile. Vt proindè quibusdam visum fuerit, perpetuitatem matrimonij non esse lege naturali, sed diuina constitutam, ea nimirum ratione, quia matrimonium est Symbolum ac signū coniunctionis, qua est natura Humana in Christo Domino cū verbo diuinò mirabiliter coniuncta: & Ecclesia cum ipso Christo tanquam sponso copulata. Nam Christus Ecclesiam sibi perpetuo nexu sociauit: & ipsa natura humana cū Filio Dei, perpetuo est vinculo connexa, & consociata. Quam sententiam si admittimus, facili negotio propositam obiectionem diluemus: ita nimirum vt dicamus perpetuitatem matrimonij esse diuinitus sublatam; nihil tamen hoc facto legi esse naturali derogatum, sed legi diuinæ. Cæterùm potiùs probamus aliorum responsum, asserentium matrimonij vinculum esse lege naturali perpetuum, & indissolubile: id enim postulat ipsa natura coniugij, quod est institutum ad procreationem sobolis: proles autem rectè nutriri, educari, & instituì non posset, nisi perpetuus esset matrimonij nexus. Et nihilominus libello repudij diuinitus concesso, nihil est legi naturali detractum, quoniam Deo tale coniugis repudium concedenti curæ erat optima prolis educatio: ipse enim facile, & commode poterat proli consulere, etiamsi matrimonium dissolueretur. Cum ergo tota matrimonij perpetuitas esset propter bonam prolis educationem: cessante in vniuersum fine legis, repudio diuina auctoritate concesso, vis quoque legis pariter desinebat. Oppones, repudiata vxor iniuria afficiebatur, quandoquidem illa in perpetuum sese viro tradiderat. Nego fieri illi iniuriam, si quidem lege semel repudij posita, vxores ducebantur ea conditione, vt certis ex causis repudiari possent: vnde vir dote vxori data, eam quasi emebat: vxor item dote viro tradita, virum sibi quasi comparabat.

Ex dictis etiam perspicitur nihil opus esse, vt dicamus Deum indulgentia fuisse vsum in permittendis vsuris apud Hebræos exigentes, & accipientes lucrum ex mutuo, cum pecuniam mutuam Gentibus dabant. Nam etiamsi fateamur, vsuram fuisse diuina auctoritate concessam tanquam iustam, id Deo tamen auctore factum est, qui tanquam rerum omnium dominus, potuit dominium eiusmodi lucri in Iudæos legitimè transferre: cum tamen alioqui lege naturali restitui Gentibus deberet.

Quartò Quæritur, An lex naturalis posit auctoritate humana relaxari? hoc idem est ac si quæratur, An humanæ indulgentiæ beneficium in ea possit cadere, quæ sunt legis naturalis? Causa quæstionis hæc est, quòd legis naturalis est, votum & iusiurandum seruare: sed auctoritate Pontificia sæpè hæc duo relaxantur. Præterea vltimę voluntates testatorum, aut in totum, aut ex parte principum auctoritate tolluntur. Accedit, quod pater filij, vir vxoris, & Dominus serui votum, & iusiurandum irrita faciunt, & infirmant, & Apostolum Paulum constat Corinthijs facultatem dedisse matrimonium dirimendi, quando alter coniugū conuertebatur ad Christum, & alter in impietate persistens nolebat habitare cum coniuge ad Fidem conuerso citra iniuriam Christi Domini seruatoris. 1. Cor. 7.

In hac controuersia sanè graui, & difficili, communis est omnium Theologorum, & Canonici iuris interpretum sententia, non posse quæ sunt legis naturalis, vllo humanæ Indulgentiæ Priuilegio, Beneficio, & auctoritate dissolui: quod idem etiā ratio ipsa manifestè concludit. Etenim quæ lege naturali imperantur, aut vetātur, sunt per se, & intrinsecè bona, vel mala, in quibus mutatio auctoritate humana fieri nequit, cū rei natura variari, & mutari non possit. Tota igitur cōtrouersia in eo versatur, quo pacto auctoritate pontificia multi homines, voti & iurisiurandi nexu vinculoq; soluantur. Aiunt quidam, hoc ideo fieri, quia quotiescūq; se quis voto vel iureiurando obstringit, excepta censetur Romani Pōtificis auctoritas, & potestas: quæ mihi sanè soluendi ratio minimè satisfacit; hac enim ratione posset summus Pontifex solo nutu votū, & iusiurandū sine causa dirimere: quod dici nequit, cum causam id idoneam, & iustā requirat. Alij arbitrantur, ideo votum, & iusiurandū posse

Pontificia auctoritate dissolui, quia humana voluntate sint facta, quæ Pontificiæ potestati subijcitur, quod quidem alijs etiam dictum minimè probatur ob allatam paulò antè rationem; eam scilicet, quòd Romanus Pontifex suo posset arbitratu votum, & iusiurandum discindere. Aliorum responsio est: Pontificem id facere non auctoritate humana, sed diuina, secundum quam est minister, & Vicarius Christi Domini. At hoc quoque responsum eo argumento conuelli videtur: id enim quæritur ab istis, vnde constet hanc Pontificem habere auctoritatem diuinam? S. Thomas docet deo votum, & iusiurandum posse à Pontifice relaxari, quia materia voti, & iurisiurandi variatur, eo quòd facta sit, vel simpliciter mala, vel vouenti, & iuranti noxia, aut inutilis; vel quia maius bonum impediat. Cæterùm quibusdam etiam hæc sententia minimè probatur ob eam rationem, quoniam si voti, vel iurisiurandi materia talis effecta est, qualem S. Doctor ille describit, eo ipso votum, vel iusiurandū tollitur, non quidem Pontificiæ Indulgentiæ beneficio, sed interpretatione, seu declaratione iuris. Nam quemadmodum cum iusiurandum adhibetur, aut votum cum fit, vim & locum non habet, si materia sit mala, noxia vel inutilis, aut si maiori bono officiat, ita etiam, quando post votum Deo nuncupatum materia incipit esse talis, qualē depingit S. Thom. votum vim suam habere desinit. Dicendum tamen arbitror S. Thomæ, quam diximus, sententiā esse verisimam, cuius nimirum ea mēs videtur esse, vt doceat voti, vel sacramenti, hoc est, iurisiurandi religionem siue vinculum, & nexum nunquam posse Pontificia auctoritate solui, nisi ob causam ex ipsa lege naturæ originem trahentem. Hoc vt planiùs intelligamus, sciendum nobis est, indulgentia Pontificia votum, vel iusiurandum relaxari multis in rebus; quæ possunt euenire: Primò, quando non constat an votum, vel iusiurandum in certa materia vim, & locum habeat; siquidem ambigitur num ea res possit esse voti, vel iurisiurandi materia; sit nec ne mala, noxia, inutilis; an meliori bono obsit, an non. Secundò: cum dubitatur de consensu eius, qui vouet vel iurat: Ambigitur enim, num consensum legitimum præstiterit: cum quis Deo se voto, vel iureiurando alteri obstrinxit. Tertiò, quando iusiurandum interpositum est, aut votum factum ex quadam animi leuitate, perturbatione, infirmitateue: cuius generis sunt vota, quæ multi solent emittere, aut naufragium passi, aut in graue vitæ periculum, & discrimen adducti; aut Tyranni potentia, vel latronum aut hostium incursu perterriti. Quartò, in pœnam eius, qui iusiurandum, vel promissionem extorsit. Sic relaxat Ecclesia iusiurandum, vel promissionem factam latronibus, vel ijs, qui vsurariam artem exercent; ne delicta maneant impunita. Quintò, relaxat itidem Ecclesia eiusmodi obligationes in ijs causis, quas supra S. Th. enumerauit, in quibus locum habet Pontificiæ indulgentiæ beneficium. Nam si Pontifex non relaxat, valet iusiurandum, valet votum, valent promissiones factæ: relaxata verò vim vllā ampliùs non habent. In ijs verò casibus habet Pontifex auctoritatem, quia subest iusta, & debita causa ortum ducens ab ipsa naturæ lege; ne scilicet votum & iusiurandum, & promissiones, quæ leuiter, aut temerè factæ seruari non solent, in periculum animæ eum qui vouit, promisit, aut iurauit adducant. Tum ne improbi & perditi homines per sæuitiam & metum iniectum iusiurandum & promissum extorqueant. Obijciet aliquis, si ad voti & iurisiurandi pontificiam relaxationem causa iusta & debita requiritur, quæ ab ipsa naturæ lege originem trahat; ergo nulla ijs in causis est Pontificis indulgentia, sed solùm interpretatio, seu declaratio iuris. Respondeo: quando votum, vel iusiurandum aperte pugnat cum iure naturali, nulla est opus pontificia indulgentia, sed tantum declaratione, aut interpretatione iuris: at verò in ijs casibus, quos suprà retulimus, votum, vel iusiurandum cum iure naturali non pugnat, sed ratio ipsa naturalis præscribit ijs in causis posse aliquos, indulgente Pōtifice, voti & iurisiurandi religione, & vinculo solui. Monet siquidem, & suadet ratio naturalis, in eiusmodi euentibus posse Pontificem habere potius rationem boni communis, quam iurisiurandi interpositi, aut voti nuncupati Deo, aut promissionis homini factæ: quia tunc facile solent iusiurandum, votum, & promissa negligi, & violari: & proinde iudicat Pontifex, satius esse solui homines voti & iurisiurādi nexu, quàm eos tāto expositos manere periculo, quo votum, iusiurandum, & promissa perfringant. Quare cū ratio naturalis præscribit, votum iusiurandum & promissa cum iure naturali, vel communi & meliori bono pugnare, relaxatione legis nulla opus est, sed iuris declaratione. At quando lex naturalis suadet, votum, iusiurandum, & promissum valere quidem, sed posse haberi rationem boni communis; sicq; posse votum, iusiurandū, vel promissa dissolui, quia potest commune bonum præferri eiusmodi obligationibus dictis, tunc opus est relaxatione, non declaratione, aut interpretatione iuris. Pari modo, vltimæ testatorum voluntates iustis de causis Principum auctoritate mutantur: non quia ratio naturalis imperet, vt irritētur; sed quia suadet posse eas Principis beneficio murari: Ita Paulus docuit coniugium inter homines à Christi religione alienos contractum, vno eorum ad Christi fidem conuerso, posse dirimi, si alter in impietate perfidē renuat in matrimonio citra Christi iniuriā permanere: tunc enim Apostolus & Ecclesia matrimoniū dissoluit ob cōmune omniū bonum: Non quod ratio naturalis præscribat eo ipso coniugium esse dissolutum, tunc enim relaxandi iuris nulla esset necessitas sed quod suadeat posse Ecclesiam, boni communis habita ratione, matrimoniū dirimere. Deniq; ratio naturalis quędam vt facienda præscribit & imperat, & in his votū, iusiurandū, & promissa nō valent. Quædam verò nō præcipit, vt fiant: sed suadet ac monet ea fieri posse: & in his votū, iusiurandū & promissa facta rata sunt & firma, sed pontificia auctoritate dirimi possunt; Sed quanā auctoritate Pontifex votū & iusiurandum relaxat, humanane an diuina? Auctoritate nimirum ordinaria, qua est à Christo domino tamquā vicarius in Ecclesia relictus, vnde obligationes vinculaq; dissoluit. Dices, vn-

22. q. 88. a. 10. ad. 3.

de constat

de constat Pontificem à Christo hanc habuisse potestatem, qua votum & iusiurandum dissoluat. Id constat traditione & vsu communi totius Ecclesiæ. Si roges iterum, vbinam à Christo Domino Romanus Pontifex huiusmodi potestatem accepit? Respondeo, eo ipso quo est Vicarius Christi constitutus, creditur accepisse potestatem, qua Christi Domini vice votum & iusiurãdum iustis de causis dissoluat. Item, quia dictum est Petro, tibi dabo claues regni cœlorum, & quidquid ligaueris super terram, erit ligatum in cælis, & quidquid solueris super terram, erit solutum in cælis. ergo quem ipse legitimè voti, vel iurisiurandi vinculo soluit, Deus quoque soluit in cælis.

Quæres deinde, an ciuiles Principes possint voti & iurisiurandi vinculum relaxare? Siquidem possunt etiam illi vltimas testatorum voluntates mutare. Respondent quidam, Ecclesiam sibi reseruasse voti, & iurisiurandi relaxationem: quomodo etiam reseruauit sibi causas ad matrimonium pertinentes; quia matrimonium est sacramentum. Ecclesia vero nisi hoc ius sibi reseruasset, possent Principes votum & iusiurandum dirimere: quemadmodum & Principes qui Gentibus dominantur, eis subiectos voti & iurisiurandi religione & vinculo soluunt. Sed horum sententia mihi certè minime probatur. Quare dicendum existimo, penes Ecclesiam tantum esse potestatem votum, & iusiurandum relaxandi, & dirimẽdi, quoniam votum est promissio Deo facta; & iureiurando Deum, vt testẽ adhibemus, at Deo factã promissionẽ, vel homini iusiurandum interpositum, nemo potest dissoluere nisi auctoritate sibi diuinitus concessa; quam auctoritatem habet Ecclesia à Christo domino instituta; non autem Principes ciuiles, qui à populis iure gentium creãtur: est potestas spiritualis, & Ecclesiastica, non profana & ciuilis, & proindè extra Ecclesiam, & Ecclesiasticos præfectos non est. Vltimæ verò voluntates testatorum, & promissiones factæ hominibus, & ceteræ contractæ inter homines obligationes possunt auctoritate Principum ciuilium mutari, & rescindi, cùm eæ non fiant promissiones Deo factæ. Ex quo fit, vt matrimonium, quod est inter Christianos contractum, nequeat Principum auctoritate dissolui; quamuis, vt suo loco dicetur, si ratum sit nondum consummatum, possit iustis de causis pontificia auctoritate dirimi, at matrimonia inter Paganos inita, quia tantummodo contractus sunt humani iure naturali facti, auctoritate Principum, si iusta causa subsit, mutari, & variari queunt.

Quintò Quæritur, An quæ sunt iuris, vel legis naturalis, sint absolutè, & simpliciter immutabilia? Planè sunt immutabilia. Sic enim dicitur in institu. *de iure naturali Gentium, & Ciuili, §. Sed & naturalia*; & in iure Canonico *dist. 5. cap. Hæc quæ*: & idẽ docuit Aristoteles 5. *Eth. cap. 7.* his verbis: *Quemadmodum in naturalibus aliqua sunt immutabilia, quæ nunquam prorsus mutantur, aliqua verò aliquando variantur*, exempli gratia, idem inquit Aristoteles, naturale est dexteram esse sinistra robustiorem. & tamen aliquando experimur sinistram esse dextra valentiorem. Idem in moribus apparet: nam iuris naturalis est depositum suo domino reddere: quod aliquando mutatur: non enim insano, & furioso reddenda sunt arma deposita.

Quæstio autem proposita in eo præcipuè consistit, vndè fiat, vt aliqua iuris naturalis præcepta sint penitus immutabilia, alia verò mutationi subiecta? rursus, cur eorum præceptorum aliqua relaxari queant, alia non item. nam quicquid est iuris naturalis, per se est bonum, vel malum; & quia suapte natura tale est, ideo præcipitur, aut prohibetur. Sed quod est per se bonum, vel malum, variari non potest; veluti quod est per se verũ, nequit nõ esse verum. Respondeo inter ea, quæ ad ius naturale pertinent, plurimum interesse. nam quædam sunt, quæ generaliter bonitatis, vel prauitatis materiam continent, nimirum hæc quæ subijciam, Bonum est amplectendum: Turpe fugiendum: Amanda est, & colenda Virtus: Castè, siue honestè viuendum, nemini nocendum: Prudenter agendum: Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris. Et hæc quidem, quia generalia sunt rerum agendarum, & fugiendarum principia, sunt prorsus immutabilia; ita vt nullo vnquam tempore, nullo loco, nulloque rei euẽtu ea mutari queant. Alia itidem sunt penitus immutabilia, quia debitum Dei amorem, & cultum præscribunt, & alijs deferri prohibent. qualia sunt duo illa præcepta primæ tabulæ à Theologis sic dicta, quæ Scotus appellauit omninò indispensabilia. nam hoc ipso quod Deus est, & vnus rerum omnium Dominus supremus, consequitur esse amandum, & colendum ante omnia, nec diuinum cultum, & honorem esse vlli alteri tribuendum: Nec esse vanè per Deum iurãdum. Alia vero sunt iura naturæ mutabilia; quia aliquando, eorum materia cum salute, incolumitate, pace & bono communi, mutato rerum solito cursu & euentu, & variatis rerum circunstantijs pugnat, & proinde ipsius quoque legis naturalis præscripta mutantur, quia cõmune bonum priuato anteponitur. Hac ratione fontes necantur: parentibus patriæ proditoribus, & hostibus, debita olim pietas & obseruantia denegatur: introducta sunt bella, quibus pueri, infantes, & ceteri innocentes plerumq; trucidantur. Inductæ quoque captiuitates, seruitutes. eodem modo arma furioso deposita denegamus, promissa rescindimus. Aliquando etiam quæ sunt iuris naturalis, bono spirituali aduersantur, & idcirco nos tenere desinunt, quia spirituale bonum bono quoque corporali meritò antefertur. Vtar exẽplis: quia Baptismus est simpliciter necessarius ad salutem paruulorum æternam: inde efficitur, vt paruulo de vita periclitante, debeam eum sacro baptismate abluere, etiam cum meæ ipsius corporalis vitæ periculo. Ita, & Parocho, cui est animarum salus commissa, facienda propriæ vitæ iactura est tempore sæuientis pestis, vt subditis suis, quibus egent, Sacramenta ministret, nisi officio suo deesse velit, & animarum quæ ipsius fidei, & curæ creditæ sunt facere iacturam. Qua etiam lege medicus teneretur, curandi scilicet peste laborãtes, & ægrotos visendi, & iuuandi, cum probabili etiam suæ vitæ discrimine, vt commune Reipublicæ bonum, & commodum priuato anteponeret suo. Ita & si moriẽdum mihi esset, vt alios

in fide, & religione Christiana continerem, & confirmarem, vel vt alios per ignorantiam, errorem, vel infirmitatem peccâtes docerem, monerem, atq; corrigerem, eorum salus æterna, vita mea, & salute temporali carior, & antiquior esse deberet.

Aliqua præterea quæ sunt iuris naturalis, possũt saltẽ auctoritate diuina relaxari, quia scilicet Deus id potest boni supplere, ad quod eiusmodi iura, & præcepta referuntur: qualia sunt à nobis superius dicta, Perpetuitas coniugij, & vnitas vxoris. Aliqua insuper quæ legis naturalis propria sunt, auctoritate Pontificia mutari, & solui queunt, ob commune bonum facilius tuendum, & conseruandum. Ad eundem quoque modum quædam iura naturę, Principum ciuilium auctoritate mutantur, ob communem Reipublicæ salutem, & bonum: in ijs enim, vt antè iam dixi, nõ lex naturalis, sed legis naturalis materia mutatur rerum circunstantijs variatis.

Ex his omnibus perspicitur, iura naturalia esse quidem per se immutabilia, hoc est, talia, vt obiecto, fine, & circumstantijs debitis permanentibus, mutari nequeant: ijs verò ex toto, vel ex parte variatis, mutari queant. Exemplum sit: Res aliena capi, & vsurpari non potest: cum quis tamẽ extrema egestate premitur, ne omninò pereat, potest tuta conscientia alienum sibi capere, vti extremam inopiam subleuet suam. Depositum reddi domino debet; sei tamen iam furioso arma deposita minimè sunt reddenda. Nemò sine culpa est suis bonis spoliandus; & tamen lege vsucapionis, & præscriptionis multi absque vllo delicto, rerum suarum dominio priuantur, vt lites, & controuersiæ terminentur, & ne dominia bonorum incerta reddantur. Quare cum duo iura naturalia sibi inuicem aduersantur, quorum alterum arctioris & strictioris est vinculi, seruandum id est, quod nos arctius tenet, & obligat.

Sextò Quæritur, An omnia Decalogi præcepta sint legis naturalis? Communis est sententia omnium Theologorum, *in* 3. *dist.* 37. esse legis, atq; iuris naturalis præcepta: Notandum tamen est, tertium Decalogi præceptum, illud nempè: *Sabbata sanctifices*: partim esse legis naturalis, partim diuinæ, & scriptæ: Est quidẽ legis naturalis, quatenus præcipitur nobis, vt aliquo tempore, non tamen certo, & definito à ceteris omnibus seruilibus operibus cessemus, & sacris diuinisq; rebus studeamus: est verò diuini iuris & scripti, quatenus imperatur nobis, vt certum diem ad id constituamus: ac proindè eiusmodi præceptũ quatenus lege naturali præscriptum, non est veteris legis abrogatione antiquatum, sed quatenus est iuris diuini, & scripti. Sabbato enim dies Dominica succesit, dum pro Sabbbato diem dominicum piè, & religiosè colimus.

Septimò Quæritur; An fidei, spei charitatis, & pœnitentiæ præceptum pertineat ad legem naturalem, an verò diuinam, & supernaturalem? Sciẽdum est, præceptum Fidei esse, quo iubemur tanquam vera, & certa credere, quæ ex testimonio nobis diuino sunt Prophetarum, & Apostolorum ministerio patefacta. Præceptum spei est, quo nos expectare, & sperare oportet, quæ ad salutem nostram pertinẽt sempiternam, quatenus sunt nobis à Deo promissa, & postea eius munere recipienda, vt præmia laborum, & operum, quæ dũ viuimus, diuinæ gratiæ beneficio, & dono præstamus. Præceptum charitatis est, quo debemus Deum propter ipsum, ante, & plusquam omnia tamquã amicum nobis amicitiæ diuinæ vinculo, & nexu coniunctum diligere ob bonitatẽ nempè, qua bonus in seipso, & per seipsum est, & noster amicus, gratiæ, & gloriæ autor, & dator. Pœnitentiæ præceptum est, quo debemus Deo pro peccatis sponte nostra commissis satisfacere amore, & charitate ipsius Dei, quem nostris peccatis offendimus.

Theologi igitur quatuor huiusmodi præcepta supernaturalia, & diuina appellant, non solùm quia non nisi singulari Dei munere, & auxilio ea obire, & exequi possumus: sed etiam quia sunt præcepta de rebus, quæ non nisi Deo patefaciente cognoscuntur, & quibus ad finem supernaturalem dirigimur, atq; perducimur. Quocirca licet iuris naturalis sit, Deo esse credendum, in eo spem ponendam, & eum propter ipsum, ante, & plusquam omnia esse diligendum, eò quod sit omnium bonorum primũ, & summum: de peccatis sponte commissis dolere, & Deo satisfacere: attamen iuris est supernaturalis ea credere, quæ fides Catholica docet, & à Deo expectare, quæ ad spem, vt est virtus Theologica, pertinẽt; & ea amare, ad quæ nos charitas mouet, & incitat: Deo pro peccatis ipsius amore, & charitate satisfacere. Nam fide credimus, quæ in sacris literis diuinitus sunt patefacta: & spe expectamus nobis esse reddenda, quæ suis cultoribus, & amicis in sacris litteris Deus ipse promisit: & charitate diligimus, vt amicum nostrum, Deum trinũ & vnum, gratiæ auctorem, & cælestiũ æternorumque bonorum largitorem: & pœnitentia de peccato dolemus, & pro eo diuinę iustitiæ ipsius Dei amore, & charitate satisfacimus.

Octauò Quæritur, Quænam lex fuerit ea, sub qua ante legem Moysis scriptam Mundus vixit, & cuiusnam legis obseruatione, tunc homines coram Deo iusti ac probi effecti sint, & tandem salui? Communis est Theologorum sententia, tũc temporis homines sub lege naturali vixisse: quæ sententia quo pacto intelligatur, non est explicatu difficile. Obijciet aliquis, multa quæ ad legem Moysis scriptam spectant, iustos illius tẽporis homines piè & religiosè seruasse. Nam eo tempore videtur fuisse Sabbati celebritas. Gen. 2. dicitur: *Deus benedixit diei septimo & sanctificauit illum.* Vbi coniunctio & non inusitato scripturæ more, aut sumitur pro, id est: vt verbo, *sanctificauit*, scriptura explicasse videatur quod antè dixerat, benedixit, aut sumitur pro coniũctione causali, ita vt sensus sit: Benedixit diei septimo, nam sanctificauit illum, hoc est, separatum à ceteris diebus & diuinis vsibus destinatum, sanctum ac celebrem haberi voluit. Genes. 4. Abel & Cain obtulẽre primitias, primos scilicet suorũ bonorum fructus. Genes. 7. munda animalia ab immundis distinguuntur, & ex mundis septena sunt in arcam ingressa, ex immundis bina. Gen. 9. conceditur homini vsus carnium, ac subiungitur: *excepto quod carnem cũ sanguine non comedetis.*

Exp. lib. de Sacram. q. 4. art.

hæc

Ergo id temporis datum fuit præceptum de abstinendo à suffocati animalis, siue sanguinis esu. Genesis 14. Abraham spoliorum, quæ de hostibus bello victis ceperat, decimas obtulit Melchisedecho sacerdoti. Genes. 17. Abrahæ quoque datum est diuinitus præceptum circumcisionis, & Genes. 15. cum Abraham immolasset quadrupedes animantes & turturem & colúbam, quadrupedes diuisit, volucres non secuit, Genes. 38. mortuo primogenito Iudæ, relictam sine liberis vxorem secundus filius in matrimonium duxit, vt susciteret semen fratri suo. Ibidem Iudæ auctoritate, Thamar condemnatur ad ignem, eò, quod cũ desponsata esset tertio eius filio, adulterium admisisse putabatur. Atqui, omnia hæc, scriptæ legis præcepta fuerunt, & tamen eo tẽpore obseruabantur: non igitur homines sub sola naturæ lege viuebant. Tunc etiam peccatum originis à primo parente transmissum in posteros, aliquo adhibito remedio expiabatur, quod lege naturali institutum non erat, sed diuina. Postremo, homines ea ætate non sine fide Christi venturi, peccatorum veniam, iustitiam, & sanctitatem consequebantur: ergò non sub lege naturę tantummodo, sed sub lege etiam Christi viuebant.

Inter scriptores duæ sunt de Sabbati obseruatione, & de mundorum animantium ab immundis distinctione, sententiæ variæ & diuersæ. Aiũt quidam, Sabbati cultum, & venerationem id temporis nullam fuisse, nullam item mundorũ ab immundis differentiam. quare quod dicitur Gene. 2. de die Sabbati, *Et sanctificauit illum*, Volunt dictum esse per Occupationem, non quod tunc coli cœperit dies Sabbati, sed postea: Pari quoque modo Genes. 7. illud de mundis, & immundis animantibus, dictum esse per eandem figuram Occupationis intelligunt, vt munda dicta sint animalia, quæ postea lex per Moysem data, ab immundis discreuit. Porrò alij sentiunt hæc ante legem quidem Moysis ab illis patribus antiquis obseruata fuisse, at in Aegypto apud Hebræos in obliuionem, & desuetudinem venisse. Sed certè quicquid sit de his duobus præceptis, de ceteris, quæ è scriptura produximus; non est dubitandum, illis temporibus ea fuisse seruata. Quare dicendum arbitror, totum illud tempus ante scriptam legem Moysis, tribui legi naturali; quia etsi multa, quæ postea lex scripta constituit, eo tempore seruarentur, seruabantur tamẽ illa non vi alicuius scriptæ ac positæ legis, sed more, & instituto Maiorum. Primi enim homines suis liberis, ac posteris multa exemplo, institutione, ac more tradiderunt. Item, quamuis etiam Abrahæ fuerit Circuncisionis præceptum diuinitus datum, nihilominus totum illud tempus dicitur sub lege naturæ fluxisse; non quia nullum aliud præceptum seruaretur nisi legis naturalis; sed quia nondum erat lex Moysis scripta. Hinc etiam apparet, quo pacto sub lege naturæ mundus tunc temporis vixisse dicatur; cum tamen peccatum originis in paruulis non nisi aliquo remedio, quod diuina instituisset prouidentia, deleretur; & homines; non fierent iusti, & sancti absque fide Christi venturi, quoniam etsi præceptum Fidei fuerit, quo aliquid supernaturale credere homines cogebantur, lex tamẽ scripta non erat. Dicitur ergo illud tempus fuisse legis naturalis, quia magna ex parte sub ea lege viuebatur, quamuis aliqua diuini, ac supernaturalis iuris præcepta seruarentur, vel instituto, & consuetudine Maiorum, vel iussu etiam Dei. Quare nullo vnquam tempore per solam legis naturalis obseruationẽ homines facti sunt iusti coram Deo, sed per fidẽ, gratiã, & merita Christi Domini, quem tunc venturum esse credebãt.

Cap. II.

De lege diuina veteri, & noua.

QVæritur primò, quæ lex, Diuinæ nomine intelligatur? Dicimus, Diuinam legem vocari, quam Deus proximè per seipsum imposuit: nã hac ratione à naturali lege distinguitur; quòd hanc Deus tanquam naturæ auctor cõstituit, vnde eam per naturam condit, ac ponit: at Diuinam legem, nõ per naturam, sed præter, & supra naturam tradit, Verbi gratia, iubet Deus parentibus honorem deferre, egentium inopiam sublenare, depositum reddere, cuique suum ius tribuere: sed hæc per ipsam rationis, & intelligentiæ humanæ naturam præscribit, ac præcipit: at quod decima bonorum pars Sacerdotibus soluatur; quod octauo die infans circũcidatur; quod sacra Baptismatis vnda abluamur, non per naturam, sed per legem datam, nouam, aut veterem, Deus ipse imperauit.

Secundò Quæritur, Quo pacto lex vetus à Deo lata esse dicatur; cum tamen etiam in Scripturis legamus esse datam per Angelos, & esse latam à Moyse? cum Ezechielis itidem 20. dicatur esse lex non bona? ait enim Deus de Iudæis; *Dedi eis præcepta non bona, & Iudicia, in quibus non viuent:* & Petrus iugũ appellat, quod nec nos, inquit, nec patres nostri portare potuimus. Dicimus, eam legẽ esse datam à Deo, ministerio tamẽ Angeli, qui nomine, & auctoritate Dei cum Moyse loquebatur, & quia Deũ ipsum referens, eius vice & munere fungebatur, passim in sacris litteris Dominus perhibetur. Et quia deindè Moyses legem latam à Deo, ministerio Angeli acceptam populo promulgauit, tradidit, explicuit, scripsit, ideò dicitur lex Moysis. *Actor. 7.* *Gal 3.* *Actor. 15.*

Eorũ verò, quæ prætulimus ex Ezechiele verborũ sensus hic est. Comminatur Deus se grauiter puniturũ populum suum, eò quod eius præcepta neglexerit, leges & iura perfregerit: Et ideò, inquit, dedi, præterito pro futuro sumpto, id est, dabo eis præcepta non bona, quasi dicat; Tradam eos in manus, & potestatem dominorũ, qui eos durè, & acerbè tractent, & imponant eis tributa, & onera grauia, leges asperas, & intolerabiles. *Et iudicia, in quibus non viuent:* Hoc est dicere; Quia mea præcepta seruare noluerunt, quorũ obseruatione hac vita fruerentur, si vellent; ideò subijciam eos seruituti eorum, qui ipsis præcepta dabunt, quorum tamen obseruatio nõ dabit eis, quã tantopere vitam desiderant. Petrus verò Apostolus iugum ipsam legem appellat: quia quid faciendum, quid fugiendum, docebat quidem illa; auxilium verò, & opem ad bonum faciẽdum, & malum deuitandum minimè præstabat.

Tertiò Quæritur, Quot genera Præceptorum lex vetus contineret? Tria præceptorum genera, quorum alia ad singulorum vitam, & mores componendos, & formandos pertinebant, & ideo Moralia dicuntur: Alia verò ad Cæremonias, & ritus religionis, qua debitus Deo cultus honor, & veneratio defertur: & vocantur Cærimonialia præcepta: Alia denique spectabant ad bonam Reipublicæ administrationem ciuilem, quibus humana ciuium salus, pax, & tranquillitas conseruatur, & hæc Iudicialia præcepta nominantur. Quo fit, vt in sacris litteris sæpè hæc tria coniungantur: Præcepta, Cæremoniæ, Iudicia. Primum, (vti diximus) ad mores refertur: Secundum ad ritus, & cæremonias sacrorum: Tertium, ad ciuilem populi gubernationem. Omnis enim benè instituta Respublica tria præceptorum genera continet: alia quidem quæ ad singulorum ciuium mores; alia, quæ ad Religionem, alia, quæ ad Rempublicam pertinent.

Quartò Quæritur, An lex vetus eam colentibus, & seruantibus tantummodo temporaria, siue terrena, vti præminm, & mercedem promitteret? Olim Faustus Manichæus legem veterem respuebat, quia naturam tantùm, non cælum promittebat. Cui Augustinus respondet libro quarto contra Faustum, capite secundo: *Temporalium quidem*, inquit, *rerum promissiones testamento veteri contineri, & ideò vetus testamentum appellari, nemo nostrum ambigit: eo quod æternæ vitæ promissio, regnumque cælorum ad nouum pertinet testamentum: Sed in illis temporalibus, figuræ fuisse futurorum, quæ implerentur in nobis, in quos fines sæculorum obuenit, nou suspicio mea, sed Apostolicus intellectus, dicente Paulo, cum de talibus loqueretur*: 1.Cor.10. Hæc omnia figura nostri fuerunt. *Et iterum*: Hæc omnia in figura contingebant illis. *Non ergò vetus testamentum, ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis noui testamenti præuntiationes, accipimus*. Idem Augustinus *libro 18. de Ciuitate Dei cap. 11. ait*: *Vetus dicitur testamentum, quia promissiones terrenas habet: & per Iesum Christum futurum fuerat testamentum nouum, quo regnum cælorum promitteretur: hunc enim ordinem seruari oportebat. Sicut in nouo quoque homine, qui in Deum proficit, id agitur, quod ait Apostolus: vt non sit prius, quod spirituale est, sed quod animale, postea verò spirituale.* 1.Cor.15. Hæc ille. Sed hæc veteris, & noui testamenti differentia, non est sic intelligenda, vt vetus testamentum cultoribus suis solùm terrena promitteret, aut tanquam vltimum bonorum operum præmium: Sed quòd lex vetus terrena bona promittebat, quibus ad eius obseruationem inuitabat, alliciebat, & mouebat hominum voluntates. Solet enim quisque talibus promissis incitari, & flecti. Contra verò lex noua, potiùs hortatur homines ad paupertatem, & bonorum temporalium abdicationem, ad honoris, dignitatis, & potentiæ contemptionem. Lex vetus ipsam obseruantibus promittebat vitæ longitudinem, liberorum procreationem, fructuum è terra nascentium vbertatem, & copiam, terram melle, lacte, frumento, vino, & oleo abundantem. At non obtemperantibus legi, comminabatur huius quoq; vitæ mala, & incommoda, vt sic deterrerentur à malo. Vndè idem Augustinus *in libro contra Adimantium Manichæi discipulum, capite tertio*, docet in veteri quoque testamento apud Isaiam Prophetam promitti spadonibus eadem, quæ in nouo testamento Eunuchis promittuntur à Christo. Isa.56. Nam sicut Christus dicit esse quosdam, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum; sic Isaias dicit: *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint præcepta mea, & elegerint sibi, quæ ego volo, & capaces fuerint testamenti mei, dabo illis in domo mea, & in muro meo locum nominatissimum, meliorem multò filiorum; & filiarum: nomen æternum dabo illis, neque vnquam deerit.* Et subiungit Augustinus: *Certis quibusdam vmbris, & figuris rerum ante Domini aduentum, secundum mirabilem, atque ordinatissimam distributionem temporum populus ille tenebatur, qui testamentà vetus accepit. Tanta prædicatio, & præmuntiatio noui testamenti est, vt nulla in Euangelica, atque Apostolica disciplina reperiantur quamuis ardua, & diuina præcepta, & promissa, quæ illis etiam libris veteribus desint.* Hæc ibi, quæ postea idem Augustinus *libro 1. Retractionum cap. 22.* sic corrigit. *Quod dixi, vt nulla in Euangelica, atque Apostolica disciplina reperiatur, quamuis ardua, & diuina præcepta, & promissa, quæ illis etiam libris veteribus desint; addendum erat, atque dicendum: Vt penè nulla in Euangelica, atque Apostolica doctrina reperiantur, quamuis ardua, & diuina præcepta, quæ illis etiam libris veteribus desint. Quid est enim, quod in sermone Euangelico in monte Dominus dicit: Audistis quia dictum est antiquis hoc. Ego autem dico vobis hoc; si nihil ipse amplius præcepit, quàm præceptum est in illis veteribus libris. Deinde regnum cælorum illi populo fuisse promissum, non legimus in his, quæ promissa sunt lege data per Moysen in monte Sinai. Proindè si figuræ discutiantur, omnia ibi Prophetata reperientur, quæ sunt præsentata, vel expectantur præsentanda per Christum. Verumtamen propter quædam præcepta non figurata, sed propria, quæ non in veteri testamento, sed in nouo inueniuntur, paucis, & moderatiùs diceretur, penè nulla hic esse, quæ non sint, & illic.* Hactenus ex Augustino. Matth.5. Dubitari non potest, quin in Penateucho, hoc est, in quinque libris Moysis, spiritualia bona, licet nõ tam manifestè, quam in nouo testamento promittantur. Nam de Abraham scriptum est, *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*: & bis, aut ter dictum est illi: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, quod explicuit Apostolus: *In semine tuo*, inquit, *qui est Christus* Abrahæ quoque dixit Deus, *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*, quasi dicat, Amplissima re manet tuæ fidei, & obedientiæ merces, qui meo auxilio fretus reges potentissimos deuicisti. Deindè, dubitari, nequit, in alijs quoque veteris testamenti libris spiritalia bona promitti; homines que eam legem fide, obedientia, & charitate colentes, & seruantes, fuisse donatos gratia Dei, qua iusti coram Deo fierent, & huius mortalis vitæ vinculis exoluti, impiorum pœnas euaderent, vt tandem promisso, & destinato tempore cum Christo Domino in cælum euolarent. Vndè illud regij prophetæ, *In memoria æterna erit iustus*; & Tobiæ Senioris, *Filij Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo*; Idem supra dixerat; *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Eodem tendit illud Sapientiæ: *Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & reliq.* Eodem quoque illud Sancti Iob: *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea vi-*

Psal.111. Tob.12. Tob.4. Sap.4. Iob.19.

deba De-

Dan.12. Esa.25.

debo Deum. Daniel itidem: *Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper.* In Actis etiam Apostolorum Sadducæi perhibentur negasse resurrectionem mortuorum, quam cæteri Iudæorum credebant. Differentia itaque, quam inter vetus testamentum, & nouum Augustinus constituit, est, quod Moyses in lege à Deo data terrena bona proponebat, quibus incitaretur, ac moueretur populus ille ad eam custodiendam, & implendam: comminabaturque huius vitæ mala, quibus à legis contemptione auocaretur. Sub typis verò, vmbris, & figuris spiritalia, & æterna bona lex illa continebat. At in noua lege Christus nos excitat, ac mouet ad eam seruandam, promittendo planè, & apertè sine typis, & vmbris bona spiritualia, cælestia, & sempiterna.

Cap. III.

De Legibus, & Præceptis Hebræo populo in lege veteri datis, primum generatim, deinde speciatim.

PRimò Quæritur, Quot genera Præceptorum in veteri lege ad religionis, diuinique cultus cæremonias, ac ritus pertinuerint? S. Tho. 1.2. *quæst.* 101. *art.* 4. ea omnia præcepta reuocat, & contrahit ad quatuor. *Alia*, inquit, *sunt data præcepta de Sacrificijs alia de Sacris, alia de Sacramentis, alia de observantijs.* Sacrificia appellat, quibus res aliqua adesum apta Deo offertur, in qua sacri aliquid fiebat. Sacramenta verò, quæ signa erant rei alicuius sacræ vt fuerunt circũcisio, immolatio agni Paschalis, Vnctio, & consecratio Pontificis. Sacra, nominat ille, res vnctione, vel consecratione, sacris, ac diuinis vsibus destinatas cuiusmodi res fuerunt tabernaculum, templum, altare, arca fœderis, vasa, vestes Pontificum, vel Sacerdotũ, dierum festorum celebritates. Obseruantias vocat ea, quæ in alijs rebus obseruabantur, vt erant cibi mundi ab immũdis discreti, ieiunia Nazaræorum, vota, & alia generis eiusdem. Sed sanè parui refert his, an illis nominibus hæc, & alia vocentur, modo intelligamus præcepta Cæremonialia dici, quæcumq; ad religionem Deo debitam pertinebant, qualia erant sacrificia, & cætera, quæ actione aliqua res sacræ, id est, Diuinis vsibus deputatæ reddebantur, quarum aliæ ad personas, aliæ ad loca, aliæ ad dies certos, & tempora, aliæ ad vasa, & vestes, aliæ ad certas actiones recto ordine spectabant.

Secundò Quæritur, An præcepta veteris legis ad sacras Cæremonias pertinentia, rerum futurarum solùm significationem continerent, an verò etiam causam aliquam historicam, & literalem? Quidam censent; multorum præceptorum non fuisse causam aliquam literalem, sed tantùm mysticam: ita vt Deus multa fieri iusserit ob solam significationem rerum futurarum. At S. Thomas 1.2. *quæst.* 102. *ar.* 2. docet in huiusmodi præceptis, & fuisse typos, & vmbras rerum futurarum, & etiam causam aliquam literalem, & historicam: nam idem est de his præceptis, quòd de ceteris veteris testamenti historijs; at historiæ fuerunt res in illo vetere populo verè gestæ, & fuerunt vmbræ, & figuræ rerum futurarum. Ea item præcepta, præterquam quod data sunt ad res futuras adumbrandas, fuerunt etiam tradita ad Iudæorum populum in vero Dei cultu, & religione debita continendum. Præterea, quamuis aliquorum præceptorum lateat nos aliquando causa literalis, & historica; non continuo tamen inde efficitur, vt nulla sit. multa enim sunt, & fiunt in natura, quorum causas, & rationes ignoramus. Quis enim neget, Circũcisionem esse institutam tanquam signum, quo Iudæi à gentibus discernerentur. Nam etiam si data sit tanquam typus quidam, & figura Baptismi, & tanquam signum, quo Hebræi fidem Christi venturi profiterẽtur: nihilominus tamẽ, quia Deus sibi Hebræorũ populũ delegerat, voluit pariter eos certo signo distingui & discerni tanquã milites ei ad militiã obstrictos, & tanquã ciues in suum populũ receptos, & adscriptos. Sic etiam voluit sibi sacrificia offerri de animantibus, quæ immolarentur, vt significaretur morte animalium homines sua peccata redimere: animalia enim pro peccatis mactabantur; cùm tamen homines ipsi peccando, non animalia, mortem mererentur. Sanguis igitur animalium fusus, typus erat, & figura sanguinis Christi fundẽdi, & nihilominus erat quoq; redemptio sanguinis peccãtium hominum, qui fundi deberet, ni eum Deus pro sua bonitate cum animalium sanguine commutasset. Voluit etiam Deus, vt in templo mensa esset, in qua duodecim panes ponerentur, qui octauo quoque die renouarentur, vt nunquam deessent, nec tamen putrescerent, referebant duodecim illi panes, duodecim tribus Israelis; quas singulari sua prouidentia Deus alebat, & sustentabat, significabant quoque cibũ, quo Leuitæ, & Sacerdotes Dei beneficio sustentabantur. Voluit, & in templo Arcam fœderis collocari; tum vt in ea lex ipsa asseruaretur, tum vt esset veluti parata sedes, ex qua Angelus Dei nomine loqueretur. Idem quoque de ceteris diceodum, vt inferiùs explicabo. *Leuit.24.*

Tertiò Queritur, Quẽnã veteris legis præcepta vocẽtur Iudicialia? Ea omnia nimirũ, quæ ad optimam Reipublicæ administrationẽ pertinebãt. Res enim publica cõstat familijs, magistratibus, ducibus, & alijs priuatis hominibus tũ liberis, tũ seruis: constat etiã hominibus quibusdã Deo cõsecratis, & alijs profanis. Sunt & in ea aduenæ, externi, & peregrini, & incolæ, indigenæ. Oportuit namque de his omnibus præcepta dari, quibus, & familiæ gubernarẽtur, & Magistratus suo munere fungerentur, & priuatorum quisque in suo officio contineretur.

Quartò Quæritur, An causa reddi possit, ob quã singula præcepta iudicialia tradita sint illi populo? Quidã arbitrantur, dictorũ præceptorũ nullã subesse causam historicam, & literalem, sed tantùm typicam, siue mysticam. Nam multa, inquiunt, præcipiuntur in veteri testamẽto, quæ, mystica significatione semota, videntur esse vilia, & ridicula; in quibus vnum illud est: *Non alligabis os bouis triturantis*: vt taceam cetera. *Deut.25.*

At enim S. Tho. 1.2. *quæstione* 104. *artic.* 2. apertè docet, horum etiam præceptorum causam historicam minimè defuisse, tametsi ea non rarò nos latere videatur. Nam præcepta fuerunt ad optimè eam Rempublicam gubernandam,

ac proindè cum moribus illius gentis congruentia, vt singulatim postea docebo.

Quintò Quæritur; An iudicialia veteris legis præcepta ad certa quædam genera, & capita reuocari queant? Respondeo, posse ad quatuor, nempè ea quæ sequuntur. Etenim bona Reipublicæ administratio partim consistit in Principe, qui præest, cuius est non solùm dominari, sed etiam iura reddere, leges dare, Magistratus instituere, imperare, prohibere, punire: Partim in Magistratibus, quorum est singulis ius dicere, lites componere, controuersias dirimere, insontes animaduertere, innocentes absoluere: Partim in Ciuibus, ad quos pertinet, suo Principi, legibus, & Magistratibus parere; & cum cæteris ciuibus pacem, humanitatem, charitatem, beneuolentiam, cõcordiam seruare, & suæ familiæ benè præesse: Partim etiam in externis hominibus, cuiusmodi sunt aduenæ, & peregrini. Vndè in lege veteri sunt data præcepta de Rege, ac Principe, de Magistratibus, atque Iudicibus, de priuatis ciuibus, item de externis, nimirum aduenis, & peregrinis. Item de seruis, ac liberis hominibus, de filijs, de parentibus, de propinquis, & de cõtractibus ineundis.

Cap. IIII.

PRAECEPTA

De Rege eligendo, & creando.

PRimò Quæritur, Quænam fuerit prima, & antiqua gubernationis in Israelitico populo forma? Respondeo; nusquam præcepisse Deum populo suo, vt Regem eligeret & haberet: voluit potiùs per Iudices, & Sacerdotes, quã per Reges Rempublicam Israeliticam administrari. Nouerat nimirum Deus, nimiam Regum potentiam facilè in sæuitiã verti, & Reges ipsos à suis Maioribus degenerare, & tyrannos euadere. Gubernauit igitur Deus populum à se electum, primum ductu Moysis, qui principio sine iudicibus, & Magistratibus volentem populum, ac Senatum ad consilia vocabat; eisdem iura reddebat. Postea soceri sui Iethro consilijs, & monitis elegit septuaginta duos Seniores, ex singulis tribubus sex, qui leuiora negocia curarẽt. Moysi succesit Iosue populi dux, & Imperator. Deindè administrauit Deus eandem rempublicam operа, & ministerio Iudicum, hoc est, Gubernatorum; hi enim dicebantur Iudices, quòd penes eos esse auctoritas, & potestas dicendi ius, & Rẽpublicam moderandi, sed non nisi iuxta ipsius legis datæ præscriptum: vnde eorum potestas nõ erat regia, & arbitraria, sed iuxta Moysis leges, & instituta. Diademate aut sceptro, sicuti Reges minimè vtebantur: Hæreditarij non erant, sed partim consilio, & auctoritate prudentum hominum creabantur, partim singulari Dei vocatione designati eligebantur: Bella suscipiebant, gerebant, ius dicebant, sed in omnibus Moysis legem sequebantur: tributa non imponebant, vt Reges; nihilq; etiam, vt Reges, arbitratu suo iudicabant, sed omnia vti lex ipsa præscribit, decernebant, & idcirco 1. Regum. 8. cum populus à Samuele Regem sibi flagitasset, ne Gentibus scilicet hac etiam in parte inferiores viderentur, dixit Deus Samueli: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Iudices enim Rempublicam administrabant ex præscripto legis diuinitus datæ; Reges verò nutu, & imperio suo.

Secundò quæritur, quæ esset ratio Reipublicæ administrandæ, qua per Iudices populus Israeliticus regebatur? Respondeo, eam fuisse mixtã ex Aristocratia, & Democratia: vnus quidem præficiebatur tanquam optimus, sed promiscuè ex populo, qui toti Reipublicæ prærat: at Monarcha, siue rex non erat, quia, vt dixi, non arbitratu suo, sed ex legis præscripto omnia facere debebat. Et quia isti Iudices electione populi, vel saltem eius consensu creabantur, eatenus erat quodammodo Democratia, qua ex populo aliqui præficiuntur, modò hi, modò illi. Et quia non nisi probi viri in Iudices eligebantur, ideo secundum eam partem erat quædam ratio Aristocratiæ, qua boni ratione probitatis, & integritatis Reipublicæ præsunt.

Tertiò Quæritur, quænam fuerint præcepta de Rege creando tradita? Nequaquam præcepit Deus vti Rex Hebræis præficeretur; constituit tamen, vt si quando illi more Gentium Regem sibi præficerent, eum dõligerent cum octo, aut nouem conditionibus, quæ habentur Deuteronomij 17. Prima conditio ea fuit, vt nonnisi Dei consilio, & nutu crearetur, nimirum, ne esset in populo seditio, dum Rex eligeretur. Secunda cõditio: vt non externus, sed Hebræus rex constitueretur: vt scilicet hac ratione Rex populum sibi subiectum diligeret, & vicissim diligeretur à populo, & ne ciues induceret ad alias leges, aliamue religionem. Tertia conditio, vt cum regnum accepisset, non multiplicaret sibi equos, nec amplum equitatum compararet. Ita fiebat, ne esset bellorum amator, sed pacis, & quietis studiosus, & omnis prorsus Iudæis tollebatur occasio eundi in Aegyptum, vnde equi comparabantur. Quarta: ne multiplicaret sibi vxores; ne hac videlicet occasione nimium ille distraheretur à regni negocijs; & ne filios multiplicando, esset oneri populo. Quinta: ne auri argentiùe copiam sibi pararet, atque cumularet; id autem eò pertinebat, ne Rex populum expilaret, si auarus esset, & lucri cupidus. Sexta: vt curaret sibi describi exemplar diuinæ legis quam castigatissimum, hoc est, ad exemplar eorum, qui erant legis periti, quales erant Sacerdotes & Leuitæ, vt sic ille assuesceret Deum suum timere, reuereriæ discereret seruare omnia legis mandata, & quod rectum est, iudicare. Septima conditio: vt exemplar illud legis sic descriptum apud se haberet, & in eo legeret cunctis suæ vitæ diebus; nempe, vt bene præesset, & Rempublicam administraret. Octaua; ne extolleret cor suum; hoc est, ne ciues sibi subditos contemneret, vexaret, opprimeret. Nona: ne vnquam ab æquo, & iusto deflecteret; vt ita cuique ius sum tribueret.

Quartò Quæritur, quid est quod 1. Regum 8. dicitur: *Hoc erit ius Regis qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis* (hoc est, præficiet) *facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum: & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & currium suorum.* } vult dicere,

ex eis

ex eis faciet sibi fabros ferrarios,& fabros lignarios. *Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias,& focarias,culinarias & pamificas,hoc est, pistrices. Agros quoque vestros, & vineas, & olineta optima tollet, & dabit seruis suis.sed & segetes vestras, & vinearum reditus adecimabit vt det Eunuchis, & famulis suis, seruos etiam vestros,& ancillas,iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo.Greges quoque vestros addecimabit: vosque eritis ei serui.* Sunt qui existiment, hæc omnia quæ ibi referuntur,Regibus esse concessa perinde ac si essent iura regalia,& Regis omnia bona nostra esse, ita vt ipse sit Dominus omnium nostrorum bonorum mobilium,se mouentium, & stabilium.Sed longè præstat eorum sententia dicentium, ea omnia ibi referri tanquam per ironiam dicta: volebat enim Deus populum suum à Rege petẽdo, & creãdo abstterrere; vnde dicebat,*Hic erit Rex,quem vobis petistis, & efflagitastis*:nimirũ ille hæc,& hæc faciet: videte ergo quales solẽant esse Regis mores,his enim moribus, & hac consuetudine vtentur erga vos Reges:aut ea locum habere,quando publica necessitas postulet,alioqui tyrannica iura sunt,non regia.

Cap. V.

PRAECEPTA

De æquitate, & charitate inter ciues tenenda, & conseruanda.

PRimo quæritur, ad quænam capita potissimum reuocari queant Præcepta de ciuibus data? Ad tria reuocantur capita; Alia enim data sunt, vt ciues bene Principibus suis ac Magistratibus parerent. Alia, vt inter se communem pacem, & concordiam, & beneuolentiam alerent, fouerent & conseruarent. Alia, vt bene suæ familiæ præessent, & rem domesticam administrarent. Deutero.capite 22.quædam præcepta traduntur ad mutuam inter ipsos beneuolentiam conciliandam, & tuendam apta,& apposita,hæc nimirum: *Non videbis*, inquit, *bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo & cet. duces in domum tuam, & erunt apud te quandiu ea quærat frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino,& vestimento, & de omnire fratris tui, quæ perierit:si inueneris eam, ne negligas eam quasi alienam.* Itẽ, illud quod sequitur. *Si videris asinum fratris tui aut bouem cecidisse in via, non despicies Sed subleuabis cum eo.* Nimirum charitas, teste Apostolo, considerat quæ aliorum sunt:eius est vis propria vt quisque non quærat quæ sua sunt, sed quæ alterius. Ibidem præcipitur: *vt vir & fœmina distinctis vestibus vtatur*:ne vir scilicet fœminea,nec fœmina virili veste induatur: nimirum vt occasio multorum malorum è medio tum in viris; tum in fœminis penitus tolleretur,& pax cõseruaretur, & quia apud gentes quasdam erat in more positum, vt viri Dijs sacrificantes vterentur fœmineis vestibus & fœminæ virilibus indumentis, vt testatur S.Tho.1.2.*quæst.*102.*ar.*6.ad* 8. Ibidem quoque præcipit lex, vt qui in arbore, vel in terra nidum auis inueniret, & matrem pullis vel ouis incubantem,is caperet sibi tantum pullos vel oua,& matrem liberè abire sineret.Ita fiebat, ne plurimum Reipublicæ, & communi bono noceret: nam si matrem quoq; sibi sumeret ,procreationem auium impediret: tum etiam quia præsentibus rebus & bonis ita vti debemus, vt alijs aliquid relinquamus, non nobis omnia sumamus. Fortasis etiam malefici & venefici vtebantur in suis maleficijs veneficijsque matre & pullis eius simul captis; aut etiam augurium faustum credebatur matrem simul & pullos inuenire;& inhumanum itidem videtur, matrem nihil sibi metuentem capere vna cum pullis.Eodem quoque loci sic est: *Cum ædificaueris domum nouam,facies murum tecti per circuitum*. Scilicet in Palæstina domus habebant tecta plana, in quibus deambulare,prandere,cœnare,saltare,& ludere Palæstini solebant. Vnde Christus dixit: *Quod in aure auditis prædicate super tecta*; & paralyticum effosso tecto per tegulas demissum legimus. Vt igitur omne casus & damni periculum summoueretur à proximo statutum est, vt tecta domorum per circuitum extructo muro fabricarentur. Ibidem hæc lex continetur: *Non arabis in boue simul & asino.* quod decretum eò quoque spectabat, vt illæsa erga proximum charitas seruaretur,vt æquitas in omnibus teneretur. Aliquando enim ad arandum bos vel asinus conduci solebat, & bouem conductum supponebat quis iugo cum proprio asino, & boui totum onus imponebat: aut contrà, asinum conductum ad arandum cum proprio boue iungebat; cum tamen asinus infirmum alioqui animal, cum robustiore boue nequaquam conueniret. huius rei gratia cautum est, ne araretur in boue & asino. Et lex vniuersim intelligebatur, ne asinus cum boue iungeretur ad currum trahendum, aut alia onera deportanda: & generaliter ne diuersi generis animalia ad similia onera iungerentur. Item, vt intelligeremus non permiscenda munda cum immundis, nec sacra profanis. item, onera esse æqualiter diuidenda:rationem esse habendam virium cuiusque.

Matth. 10. Matth.9.

S.Tho.loco supra citato.

Item: *Non seres vineam tuam altero semine: ne & semen tuum quam seueris, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur*, id est, polluantur. quorsum hoc? vt omnis prorsus occasio aut malè decimam soluendi,aut partem fructus alteri debitam reddẽdi tolleretur. quisque enim ex fructibus decimam soluere debebat. Quod si agro & terræ diuersa semina mandarent, aut ex vno fructu tantummodo decimam soluerent, quasi ex fructu ex vno agro collecto, aut saltem decimam mixtam ex diuersis fructibus; ac proinde vitio affectam soluerent. Idem quoque erat, si ex fructu partem alteri deberent. Aut hæc lex ideo data est,quia Iudæi agros conducebant,immo etiamsi emerent, ad tempus tantùm emebant ex legis præscripto, nempe ad annum quinquagesimum: ac propterea prohibendum fuit,ne diuersis seminibus agri onerarentur, quibus nempe vt nimium laborantes defatigantur, cum tamen ad suos essent dominos anno quinquagesimo rediturl.

S.Tho. ibi. ad 2.arg.

Eodem loco præceptum datur, ne quis vtatur vestimento, quod ex lana, & lino contextum est. Leuiticorum 19. *Veste*, inquit, *quæ ex duobus texta est, non indueris.* Id enim poterat esse, vel quia, vt ait Ioseph.*libro quarto Antiquit. capite sexto*

ea vestiꝫ

ea vestis solis sacerdotibus conueniebat, erat enim vestis sacerdotalis sacerdotum propria, vel sortassis quia apud Gentes suis diis sacrificantes in vsu erat vestis ex lana & lino texta.

Deuteronomij 23. præcipitur, vt si quis vineam alterius ingrederetur, vuas liberè comederet, pro sui animi voto; sed extra in sporta racemos nullos efferret; vt omnis scilicet occasio nocendi grauiter proximo submoueretur. Ibidem: *Si intraueris*, inquit, *segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres; falce autem non metes.* Loquitur de messoribus lex ad metendum conductis, quibus concedit, vt si quid efferre velint, manu colligant, non falce. Cauit deinde lex, ne segetes falce colligerentur, vt omnem ansam proximo damnum inferendi præcideret. Præcepta charitatis sunt hæc, quibus monemur, vt contenti simus rebus præsentibus, & quæ supersunt, relinquamus, vt alij quoque habeant, quibus fruantur. Extant & leges ciuiles de beneuolentia, eò pertinentes, vt alter alteri sit commodo & vsui, vt velit amicorum omnia esse communia. Hinc etiam Deuteronomij præceptum est, vt manipuli per obliuionem omissi, vel neglecti, vel oliuæ & vuarum racemi pauperibus, pupillis, viduis, & aduenis relinquerentur. Hinc etiam Exodi 23. præcipit lex, ne septimo quoque anno seminent, aut colant vineas, olueta, aut agros alios: & ideò quæ sponte nascebantur ex terra, eo anno relinquebantur in agro, vt ea ederent pauperes Et Deuteronomij 14. constituitur, vt singulo tertio quoque anno ex omnibus, quæ à terra quisque colligeret, decimam partem pauperibus, viduis, pupillis, peregrinis & Leuitis reseruaret.

1 Cor. 9. Deuteronomij quoque 25. Lex est: *Non alligabis os bouis terentis in area fruges tuas.* Quod Paulus Apostolus rectè intellexit, ita scilicet, vt quisque ex labore suo viuat, & minister, sui operis & laboris mercedem & stipendium habeat. Hebræi sæpè boues conductos habebant ad suas fruges terendas: præcipit ergò lex, vti eos tametsi alienos, benè tractarent, perinde ac suos, ac proinde ne eis necessaria denegarent. Quo docentur Principes, & domini ministris suis necessaria ad vitæ vsus subsidia & alimenta præbere.

Matth 10. Luc 9.

Cap. VI.

PRAECEPTA

De Alienationibus & venditionibus.

LEuitici 25. statuitur, vt agri & domus, ac cæteræ possessiones non nisi ad certum tempus venderentur, ita vt anno quinquagesimo ad venditores redirent: Vnde quò annus quinquagesimus propior erat, eò minoris possessiones vendebantur: & quo remotior, pluris, vt in eodem capite legitur. Quod Lex ideo præcepit, vt hæreditates, quibus & Iudæorũ tribus, & familiæ dignoscebãtur, separatæ semper manerent. Tum etiam ne aliorum bona alij possiderent, & locupletarentur, alijs in egestatem redactis. Deinde ne sortes in terra promissionis singulis tribubus assignatæ permiscerentur, si ad alias tribus transirent: nam eo ipso familiæ confunderentur, quæ sortibus internoscebantur, & qui habebat agrum in tribu Iudæ, in ea tribu censebatur, atque ita in reliquis; & propterea ad veterem dominum possessione redeunte, quisque etiam ad suam tribum & familiam reuertebatur. Tandiu in tribu Iudæ numerabatur aliquis, quandiu in illius sorte possessionem habebat, etiam si esset ex alia tribu: reuertente verò possessione ad virum ex tribu Iudæ, ipse quoque qui emerat eam, reuertebatur ad suam tribum; hoc est, definebat in tribu Iudæ numerari, & censebatur in sua vera tribu: & possessionem venditam propinquus venditoris poterat redimere ante quinquagesimum annum, quia satius, & vtilius erat, vt ipse eam haberet, quam extraneus, eam enim, vt propinquus, melius administraret & coleret. Si quis tamen vendebat domum sitam in vrbe muris cincta, poterat intra anni spatium redimere: ipso verò non redimente, poterat aliquis ex propinquis eius id facere. Quòd si nec ipse, nec propinquus intra annum redimeret, non amplius poterat etiam in anno quinquagesimo, sed ad emptorem, & eius posteros in perpetuum pertinebat: vt habetur in eodem capite Leuitici. Quod ideo factum est, quoniam per possessiones, quæ sitæ erant in vrbibus muro circumdatis, non fiebat distinctio tribuum, & familiarum: nam Leuitis datæ sunt vrbes, vt haberent domos, in quibus habitarent: *Numerorum 35. Iosue 21.* & tamen, vt constat *Numerorum 18.* Leuitæ nullas possessiones habuerunt, quoniam loco possessionum assignata sunt eis iura decimarum, primitiarum, & oblationum. Sed si in villis & oppidis muro non munitis, quæ erant in agris, domus vendebantur etiam si intra annum non redimerentur, postea tamen in anno quinquagesimo vnà cum cæteris possessionibus & agris ad dominum redibant, ac ita fiebat, vt pauciores domini domos suas venderent in vrbibus muro circumdatis: & ideo vrbes magna hominum frequentia habitabantur, quoniam domus villarum facilè vendebantur cum agris. Quod ideo fuit lege decretum; vt vrbes ciuium frequentia honestarentur: nam cum domus villarum facile venderẽtur, eo quod anno quinquagesimo essent ad venditores redituræ: consequens erat vt ex villis multi ad vrbes commigrarent. Aedes tamen Leuitarum, quæ erant in huiusmodi vrbibus, semper redimi poterant; quod si non redimerentur, reuertebantur ad dominos suos in anno quinquagesimo, vt eodem capite legimus, eo quòd Leuitarum domus voluit Deus, vt id priuilegij haberent: nam ratio est maximè consentaneum, vt homines Deo sacri & dicati certis quibusdam priuilegijs ornentur, & gaudeant.

Præterea in eodem capite hæc lex continetur: *Non seretis* (scilicet in anno quinquagesimo) *neque metetis sponte in agro nascentia, neque primitias vindemiæ non colligetis ob sanctificationẽ sabbati, sed statim ablata comedetis.* Sensus est: Non seminabitis, nec seruabitis, aut vinum ex vuis facietis, sed quæ colligetis, & auferetis ex nascẽtibus sponte sua statim edetis.

Volute

Voluit Deus, vt anno quinquagesimo post septem hebdomadas completas communes essent terræ fructus sua sponte nascentes, vt eo anno tantundem pauperes colligere possent, quantum diuites. eodem etiã anno, *vt colligi potest Exod. 21. & testatur Ioseph. lib. 3. Antiquita. cap. 10.* serui, qui anno septimo seruitutem adhuc non euaserant, quia ipsi noluerant, anno quinquagesimo dimittebantur, ac ita pristinam recuperabant libertatem, & vnà cum eis vxores & liberi, quos in seruitute genuerant, libertate donabantur, hoc intelligebatur de seruis Hebræis; nam qui serui erant ex Gentibus, perpetua seruitute tenebantur, vt suo loco dicam inferiùs.

Eodem item capite statuit lex: vt quandocumque aliquis ante quinquagesimum annum redimeret possessionem suam, quam emptori vendiderat, soluere tantùm cogeretur reliquum pretium, quod ab emptore acceperat, computando in sortem fructus omnes, quos emptor perceperat ex possessione empta, Verbi gratia; Ruben agrum suum vendiderat Iudæ tribus millibus aureorum, ad triginta annos, qui supererant vsque ad annum quinquagesimum iubileum, post exactos verò quinque annos, à venditione, redimere volebat agrum suum, solùm debebat reddere Iudæ emptori bis mille, & quingentos aureos, quoniam Iudas lege ipsa cogebatur computare in sortem fructus quingentorum aureorum, quos perceperat in quinque annis, ex agro, quem emerat à Ruben: nam singulis annis respondebant fructus centum annorum ex agro vendito ad triginta annos tribus millibus aureis. Lex erat æquissima, quia possessiones non in perpetuum, sed ad tempus vendebantur, & potiùs fructus agri, quàm proprietas emebatur, aut potius pecuniam mutuo dabat emptor, & tamquam pignus agrum accipiebat. Item, vt memores simus, nos bona, quæ possidemus, aliquando relicturos.

Item, Deuteronomij 19. & Leuitici 19. Lex est huiusmodi: *Non habebis in sacculo diuersa pondera, magna & minuta: nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum & verum.* Lex est hæc iustitiæ & æquitatis plenissima, ad cauendas incredibiles nequitias, fraudes & artes in mercibus permutandis, vendendis, emendis, soluendis, siue reddendis. Vnde Salomon: *Pondus & statera, iudicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi.* Lapidibus in sacculo asseruatis distinguebant Hebræi diuersa ponderum genera. Et rursus: *Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius;* & Michæas: *Nunquid iustificabo stateram impiam, & saccelli pondera dolosa, in quibus diuites repleti sunt iniquitate?*

Cap. VII.

PRAECEPTA

De mutuo.

Deuteronomij 25. Lex erat, vt septimo quoque anno debita remitterẽtur ciuibus Hebræis, qui scilicet soluendo non erant: quamuis repeti iure possent ab externis, peregrinis, & aduenis. Et ibidem: *Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, ad paupertatem deuenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.*

Deuteronomij 23 habetur hæc lex: *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno.* Permisit Deus Iudæis, vt vsuras ab externis peterent & acciperent: prohibuit tamen eas ab alijs Hebræis exigere. Sed dubiæ quæstionis est, an illis permiserit vsuras à gentibus accipere, vt minus malum ad plura & maiora mala euitanda, an vero vt bonum? Duæ sunt opiniones, vna affirmat permisisse vt minus malum. S. Thom. *Secunda Secundæ. quæst. 78. articul. 1.* Altera dicit permisisse vt bonum. Gabr. *in 4. distinct. 15. quæst. 11. art. 1. nota. 6.* & Mai *4. dist. 35. quæst 29.* Med. *de rebus restitu. ex vsura. quæst. 2.* Vtraque opinio est probabilis, vt docet Antonin. *p. tit. 2. cir. 1. cap. 7. §. 2.* Couar. *libro 3. varia. resolu. cap. 1. num. 7.* Sciendum est, vsuram esse prohibitam iure naturali, & diuino, in vtroq; testamẽto, & Canonico, vt in suo loco dicemus, & licet is, qui exigit & accipit vsuras grauiter peccet: non tamen peccat is, qui petit mutuum ab eo, quem nouit non nisi cum fœnore daturum mutuum. item, peccant grauiter, qui statuto condito, vel sententia lata vel opera suafaciunt, vt vsuræ soluantur, vel cum repetuntur, faciunt ne restituantur, *Clemen. 1. de vsu.* nec vlla consuetudo contra hoc, vim & locum habere potest: cum sit corruptela contra ius naturale & diuinum, vt suo in loco dicam. Secus vero est, si princeps aliquis impunè tantum permittat in locis sibi subiectis Iudæis subditis vsuras accipere: aut statuat, ne immoderatos, aut ne vltra certam quantitatem exigant, aut in iudicio non det actionem repetentibus vsuras, quas sua sponte antè soluerunt. De his singulis suo loco plenius disputabo.

Exodi 22. Si quis à proximo suo animal commodato acceperat, vel conduxerat, æstimationem reddere cogebatur, si absente domino debilitatum, mortuumve esset: domino verò præsente, ad id non compellebatur, quamuis mercedem conducti animalis soluere debebat. Ratio huius legis erat, quia si præsente domino perierat, ipsi imputandum erat, eò quod rem suam seruare posset: at si eo absente id mali acciderat, commodatarius vel conductor damnum resarcire cogebatur, quoniam probabiliter credebatur in culpa fuisse.

Cap. VIII.

PRAECEPTA

De pignore.

Deuteronomij 24. ita iubet Lex: *Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam: quia animam suam apposuit tibi.* Præcipit sub exemplo vtriusque molæ necessariæ ad molendum triticum, sine quo homo non alitur, non sustentatur & viuit, ne loco pignoris accipiatur aliquid eorum, quæ sunt ad victum necessaria: quia animam suam, inquit, apposuit tibi quasi dicat, vitam suam periculo obiecit. Ibidem:

Non auferes pignoris loco viduæ vestimentum. Et paulo superiùs: *Cum repetes à proximo tuo rem quam debet tibi, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas: sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit: Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum.* His legibus cõceditur repetitio propriorum bonorum: sed omnino interdicitur violentia. nam nisi repetitio propriorum fieret, aleretur & foueretur otiosorum hominum nequitia, & exhaurirentur piorum & bonorum hominum facultates: quæ duo mala & incommoda ferre non debet magistratus.

Cap. IX.

PRAECEPTA

De Locato, & Conducto.

DEuteronomij 24. & Leuitici 19. lex præcipit. *Non negabis mercedem indigentis, vel pauperis tui, siue aduenæ qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum: quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.*

Cap. X.

PRAECEPTA

De deposito.

EXodi 20. lex continetur de rebus depositis. *Si quis*, inquit, *proximo suo animal, videlicet asinum, bouem, vel agnum, vel quodcunque aliud iumentum custodiendum commendauerit, & mortuum fuerit, nimirum casu, aut debilitatum, aut captum ab hostibus id nemine vidente, solum iurare cogetur is, cui est animal commendatum se nullam in eo culpam admisisse, & ei iuranti, dominus rei depositæ fidem habebit. Quod si furto fuerit iumentum ablatum, reddet æstimationem illius depositarius*; quoniam tunc probabiliter credi poterat eum in culpa fuisse, quippe qui rem alienam depositam non ea fide & diligentia custodierit, qua suam. hæc enim furto surrepta non est, sicut illa, suo vitio & negligentia. Idem iuris erat, de auro, argento, vase, vel alia qualibet re apud proximum deposita.

Sequitur ibidem alia lex: *Si iumentum depositum raptum à bestia fuerit, dilaniatum, deuoratumue, id depositarius alicuius testimonio probabit, & æstimationem iumenti non restituet.*

Cap. XI.

De præceptis, ad bella suscipienda & gerenda pertinentibus.

DEuteronomij 20. leges feruntur modum & rationem continentes, quo bella suscipi à Iudæis, & geri debebant. Illud igitur primùm eis erat obseruandum; vt quamuis hostium potentiorem & copiosiorem exercitum viderent, nihil formidarent, & spem suam & fiduciam in Dei ope & auxilio firmè collocarent. Deinde, vt imminente iam bello, sacerdos accederet & loqueretur ad populum, hortans eum, vti ne animo esset remisso & deiecto, nil metueret neque trepidaret: haud dubiè Deum in medio sui populi ac gentis affuturum, qui eum & ab hostibus eriperet, & omni periculo & malo liberaret. Postea, vt belli ipsius duces ac præfecti populum alloquerentur, eique palam & aperte denuntiarent, vt qui domum nouam extruxerat, & non dedicauerat, hoc est, in ea nondum habitare cœperat, rediret ad domum suam: & qui vineam plantauerat, & nondum fecerat eam communem; hoc est, nondum vindemiauerat eam, nondum fructibus eius vesci, vti, & gaudere cœperat (siquidem ante quintum annum fas non erat vti fructu cuiusuis rei plantatæ, vt patet ex Leuitici capite 19. Vnde cũ incipiebat frui ea re dominus, dicebatur res fieri communis) ad domum suam reuerteretur. Et qui sibi vxorem desponderat, & nondum acceperat eam, hoc est, nondum eam in domum suam deduxerat, rediret ad suos. nimirum hi omnes demittebantur vt ad bellum inepti, aut saltem vt minus idonei, quia earum rerum studio & amore tenebantur, ac proindè belli ac mortis pericula pertimescere solebant, armis depositis sese fuga propripiebant, ne res, quarum amore capti erant, amitterent. Item, vt qui timido ac pauido animo erant, reuerterentur in patriam, veluti ad bellum ineptj; hi enim belli pericula fugiunt, pugnam recusant, cæteros suo exemplo ad fugam inuitant, hostibus animos addunt, tandem illis iter ad victoriam sternunt.

His peractis, lex præcipit, vt duces aciem instruant cum hoste pugnaturi; & cum accesserint ad ciuitatem oppugnandam, pacem primum offerant per legatos & nuncios, hoc est, eam ad deditionem inuitent: quam pacem si voluerit, omnis populus, qui in ea inuentus fuerit, seruetur, ita vt sit tributarius: at si noluerit, hoc est, deditionem recusauerit, oppugnetur, obsideatur, quatandem Dei auxilio capta, occidentur omnes masculi, quippe qui probabiliter creduntur arma cepisse & pugnasse contra populum Dei, parcatur tamen fœminis & pueris tamquam innocentibus, & iumentis in ea inuentis, vtpotè quæ vobis vsui & commodo esse poterunt: & omnia spolia diuidantur in milites, tamquam bona communia ipsorum labore, industria, opera, & virtute parta. Hæc præcipiebat lex, vt fierent in ijs ciuitatibus, quæ plurimum distabant à Iudæis. *At de ijs*, inquit, *ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, hoc est*, quæ sunt eorum populorum, quos tibi Deus dedit in hæreditatem, *nullum fines viuere*; nimirum ex Hethæis, Ammorrhæis, Chananæis, Gergesæis, Heuæis, Phæreæis, Iebusæis, hos nimirum populos bello victos iubebat lex necari, quoniam ob eorum delicta grauia & atrocia sic Deus eos puniebat; tum quòd in medio Hebræorum habitantes, capitali Hebræorum odio numquam erant caituri, sed tamquam sudes in eorum oculis futuri. Præcipit quoque lex; vt cum Iudæi ciuitatem multo tempore obsederint, arbores pomiferas non succidant, quia seruiunt victui hominis: incidant arbores siluestres, ex quibus extrui possunt propugnacula, ac machinæ bellicæ.

Deuteronomij 24. præcipitur, vt qui duxerit nouam vxorem, non cogatur ad bellum procedere, nec vllum publicum negocium suscipere, sed domi suæ maneat anno integro immunis & liber à bello, & omni officio publico. Lex est æquitatis & vtilitatis publicæ ciuilis, vt ita Respublica augeatur prole & familijs. quod non fieret, si statim maritus à nuptijs abstractus, bello & periculis obijceretur. nam multa coniugia intermitterētur. Annus ille erat lætitiæ, ad quod Christus alludens: *Quamdiù*, inquit, *filij sponsæ cum sponso sunt, ieiunare non possunt.* Matth. 9.

Cap. XII.

PRAECEPTA

De vxoribus ducendis, & nuptijs contrahendis.

Prohibuit lex Deuteronomij 7. ex Gentibus vxores ducere; ne scilicet earum studio, & opera à verò Dei cultu & religione seducti viri, vel vxores auerterentur: & seuerius coniugia cum finitimis gentibus, eo quod facilius poterant ab illis decipi, & peruerti. Permittebat tamen lex Deuteronomij 21. vti Hebræus Ethnicam fœminā in vxorem duceret, si abiecto idolorum cultu, & legem Iudæorum professa, sese illis adiungeret. Vnde (vt proxime nominato loco dicitur) fœmina Gentilis bello capta, non aliter in vxorem duci permittebatur, nisi prius rasa cæsarie, & præcisis vnguibus & veste in qua capta erat deposita, & postquam patrem & matrem per integrum mensem deploraſſet. Fortasis vt his lustrationibus munda & sancta reddita, ad populum sanctum adiūgeretur oblita generis & cognationis suæ: aut ne fortè Iudæus ob crinium, vnguium & vestium ornatum temere mulierem adamasset, & vt per horum spoliationem probaretur; an vanus amor esset, & qui ad perpetuum coniugij vinculum minus idoneus esset: aut fortasis vt ea puella lugubres sordes, & funebrem corporis habitum suscipiens, triginta diebus parentes deflereț & amicos, quos in bello perdiderat, & postea veluti tristitia & luctu satiata, ad epulas, gaudia, & nuptias conuerteretur.

Deuteronomij etiam 25. statuitur; vt si quis, nimirum primogenitus, moreretur vxore absque filijs relicta, eam vxorem frater duceret, vt fratris mortui semen suscitaret; ac proinde primogenitus ex ea filius susceptus, fratris sui mortui filius censeretur, & haberetur (& nomine, inquit, fratris mortui vocabitur) hoc est, succedet in nomen eius, ita vt illius filius habeatur, & ad eum ipsius hæreditas pertineat, quod si frater eam in matrimonium non duxisset, statutum lege erat, vt eam sibi vxorem adiungeret propinquus. Causa huius legis hæc erat præcipua; vt hæreditates in ipsis familijs perpetuò manerent; ac proindè, si frater vel propinquus semen fratris mortui non suscitaret, eius hæreditas ad aliam familiam transiret. Item, ne vidua relicta, omni solatio, & subbsidio destituta maneret; ac vt luctus eius & mœror aliqua ex parte leuaretur, & propinqui eius qui obierat, consolationem acciperent.

Præterea permisit lex Deuteronomij 24. vt marito fas esset vxorem dimittere, & diuortium facere; ita tamen, vt ei repudij libellum scripto traderet, quo fateretur se eam eijcere & repudiare, & dare liberam facultatem abeundi quo vellet. Graue & periculosum est apud te semper habere, quem odio prosequaris hinc enim multa mala oriuntur. Vnde voluit Deus potiùs diuortium & repudium permittere, quam mala quæ ex tali odio sequuntur, tolerare; ne viri temere suas vxores occiderent. Quo etiam iure fœminas in officio continuit; quæ molestiores viris suis parebant, ne repudiarentur. Repudiatam fœminam antequam alteri nuberet, poterat vir sibi conciliare: postquam verò alteri nupsisset, non poterat eam vxorem ducere; etiam si à secundo marito repudiata fuisset, aut vidua relicta, quia cum secundo virorem habuerat, & polluta fuerat. Aequissima lex, quæ virum simul & vxorem multabat: Vxorem quidem in repudio, quod meruerat; virum verò, quia facile vxorem repudiauerat, & ne mariti temere vxores abijcerēt. Pollutam fœminam hoc in loco Scriptura vocat eā, quam secundus maritus, cognouerat: *& abominabilis facta est coram Domino.* Non significat, vt Caietanus annotauit, rem detestabilem feciſſe fœminam, quæ repudiata alteri nupserat: sed maritum rem execrabilem facere, qui primùm repudiatam à se vxorem duceret, postquam cum secundo marito rem habuerat: nam id Deus prohibebat, eo quòd repudium simulatum & fictum videri posset; & quia facile mariti vxores repellerent, si fas esset, post secundas nuptias cōtractas ab vxore repudiata ad primas redire.

Item Numerorum 36. Lex ista continetur: *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient.* Erat igitur lex, vt fœmina non nuberet, nisi viro eiusdem tribus, & familiæ, & vir non duceret vxorem, nisi ex eadem tribu & familia. Vbi annotandum, in Hebraica lectione dici: *Omnis fœmina, quæ in hæreditate paterna succesſerit, nubet viro ex eadem tribu & familia.* Vnde non erat legis generale præceptum, vt omnis fœmina maritum acciperet ex eadem tribu, & cognatione, sed quæ esset hæres: fœmina autem hæres non erat, quæ fratrem habebat: filius enim in hæreditate paterna succedebat exclusa fœmina: filio vero deficiente, fœmina succedebat. Item non solùm lege præcipiebatur, vt omnis fœmina, quæ hæres bonorum esset, nuberet viro suæ tribus, sed etiam suæ familiæ.

Obijcies, generatim dici in vulgata latina editione: *Cunctæ fœminæ, de eadem tribu maritos accipient.* Deinde, solùm dicitur, de eadem tribu, non additur de eadem cognatione, & familia. Respondeo immeritò latinum vulgatum interpretem hoc in loco reprehendi à quibusdam, nam quamuis vniuersè dicatur, *cunctæ fœminæ*, statim tamen subiungitur ratio, & causa legis; nempè, vt hæreditas permaneat in familijs, nec simul misceantur tribus, sed ita manent, vt

neant, vt à Domino separatæ sunt. Ergò subiecta legis ratio indicat, legem non esse generaliter latam, sed de fœminis, quæ hæreditatem à parentibus acciperent. Ea insuper legis causa docet, legem, qua dicitur: *Cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient*: esse intelligendam non solùm de eadem tribu sed etiam de eadem familia, quoniam causa redditur: *Vt hæreditas permaneat in familijs*, præsertim cum priùs dixerit: *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua*. Ergo cum dicitur: *Et cunctæ fœminæ maritos accipient de eadem tribu*: repeti debet quod per Eclipsin subticetur: *Et cognatione*, ex quo perspicitur viris ac fœminis ex tribu Leuitica, licuisse coniugia contrahere cum ijs qui erant ex qualibet alia tribu, eo quod tribus Leuitica hæreditates non habebat, & fœminis cuiuslibet tribus, quæ hæredes non erant, licebat viros sibi adiungere ex qualibet alia tribu.

Item Leuiticorum 18. lex fertur, qua coniugia inter certa personarum genera prohibentur, nempe, inter matrem & filium; inter vxorem seu concubinam patris, & filium ipsius patris. inter sororem & fratrem, inter nepotem & amytam, siue materteram, hoc est, sororem patris, & sororem matris.

Prohibet quoque lex connubium inire cum vxore patrui, cum sorore vxoris: quæ vt commodiùs intelligamus, totam legem referemus.

Vetantur ibidem coniugia inter tredecim personarum consanguinitate vel affinitate coniuncta genera. Primò cum matre in illis verbis: *Turpitudinem patris tui, & matris tuæ non discooperies*. Vt si diceret, Quam pater tuus detexit turpitudinem, ne tu detegas. nimirum, ne ad matrem tuam accedas, ne cum matre rem habeas. Quæres. an hæc lex prohibeat accessum filiæ ad patrem, an solùm filij ad matrem? Quidam opinantur vtrumque accessum interdici, & damnari connubium filiæ cum patre, Primò, quia Scriptura dicit: *Turpitudinem patris tui, & matris tuæ non discooperies*. Secundò, quia idem gradus cognationis est inter filium & matrem, qui inter filiam & patrem. Cæterùm B. Ambrosius & Augustinus intelligunt his prohiberi explicitè solùm coniugium cum matre; implicite verò damnari quoque connubium cum patre, quoniam hoc etiam natura execratur. Et in his verbis: *Turpitudinem patris tui, & matris tuæ non discooperies*, particula, & ponitur expositionis gratia, vt frequenter accipi solet in Scriptura, & sensus est, Turpitudinem patris tui, id est, turpitudinem matris tuæ, quam pater tuus detexit, Sic Caietanus, Lyranus, Abulensis, Vatablus. Et ex altera parte absurdum est magis connubium filij cum matre, quam filiæ cum patre, quia mater iure cognationis est filio superior; quæ tamen iure coniugij cum filio subiecta esset: at in coniugio filiæ cum patre, filia vtroque iure subijceretur.

Ambr. epi. 60. lib. 9. Aug. q. 58. in Leuit.

Secundò, cum vxore patris coniugium prohibetur, hoc est, cum nouerca, siue repudiata, à patre dum viuit, siue relicta à patre demortuo, in illis verbis, *Turpitudinem vxoris patris tui non discooperies*.

Tertiò, cum sorore siue ex patre, siue ex matre, quæ domi vel foris est genita. hoc est, siue extra matrimonium, siue in matrimonio suscepta: vel vt Chaldæus Paraphrastes vertit, *Quæ genita est à patre tuo ex altera vxore, aut à matre tua ex altero viro*. Sed cur non dixit lex Turpitudinem sororis tuæ ex patre & matre non reuelabis? Respondet Augustinus *quia multo magis*, inquit, *natura detestatur coniugium cum sorore ex vtroque parente, quam connubium cum sorore ex altero tantùm parente*: & ideo lex vetuit explicite quod minus est malum, vt implicite intelligeretur prohibitum, quod longè deterius & peius est malum, *Aug. q. 58. in Leuit.*

Quartò, cum nepte ex filia, in illis verbis: *Turpitudinem filiæ filij tui, vel neptis ex filia non reuelabis, hoc est, neptis ex filio tuo, aut ex filia tua*.

Quintò, cum filia vxoris patris, hoc est, cum filia nouercæ, illis verbis: *Turpitudinem filiæ vxoris patris tui*, &c,

Sextò, cum sorore patris, hoc est, cum amyta illis verbis: turpitudinem sororis patris tui,

Septimò, Cum sorore matris, hoc est, cum matertera, illis verbis: *Turpitudinem sororis matris tuæ*.

Octauò, Cum vxore patrui, illis verbis, *Turpitudinem patris tui*, &c. hoc est, vxorem, quam cognouit patruus tuus *non ducas*. videlicet, siue relictam eo iam mortuo, siue repudiatam ab eo, dum viuit.

Nonò, *cum nuru*, hoc est, vxore filij, nimirum, siue relicta post mortem eius, siue repudiata ab eo, dum viuit.

Decimò, *cum vxore fratris*, nempe vel repudiata eo adhuc viuente, vel cum liberis relicta post obitum eius.

Vndecimò, *cum filia vxoris*. hoc est, cum matre & filia eius, id est, cum priuigna.

Duodecimò, *cum nepte ex filia, vel filio vxoris*.

Decimotertiò, *cum sorore vxoris*, hoc est, cum duabus sororibus, dum ambæ viuunt; nam altera earum mortua, licebit superstitem in vxorem ducere. In toto eo capite est Hebraismus frequens, Turpitudinem, vel nuditatem fœminæ huius vel illius non reuelabis, siue non detreges, Latinè diceretur, verenda huius vel illius fœminæ non detreges, hoc est, cum ea rem non habeas. Nuditatem Hebraica lingua in viro, vel fœmina vocat eam corporis partem, quam natura celauit, & quam occultatam cupimus. Latinus interpres vertit turpitudinem.

Item ibidem lege prohibetur accessus ad fœminam adhuc in menstruo profluuio, videlicet & quia natura, & quia proli plurimum nocet talis accessus ad fœminam; ideo Leuiticorum 20. morte punitur, & Ezechielis 18. & 22 reprehenditur. Interdicitur etiam accessus ad fœminam nuptam alteri, quia sit proximi vxor, & alienus torus violatur. Item, nefarius cum altero masculo, vel cum iumento, aut pecude congressus, quia terra ipsa polluitur, & tantum scelus execratur, & tam improbos habitatores eijcere studet, & cupit, veluti stomachus corruptos cibos euomit.

Interdicebatur coniugium cum amyta vel matertera. Dubitant nonnulli an intelligeretur quoque coniugium interdictum cum patruo vel auunculo. hoc est, An sicut lex prohibebat connubium inter consobrinum, & sororem pa-

rem patris, hoc est amytam, vel matris, hoc est, materteram, sic etiam inter consobrinam, & fratrem patris, vel matris, id est, patruum, vel auunculum. Quidam affirmant, quidam negant quoniam primum exprimitur Leuiticorum 18. secundùm non item. Ambrosius tamen ad Paternum scribens, ait, coniugium cum patruo, vel cum auunculo esse Leuiticorum 18. interdictum: quoniam lex vetuit connubium cum amyta, vel cum matertera: ergò pari ratione implicitè prohibuit matrimonium cum patruo, vel cum auunculo. Deindè etiam, quia lex inquit, naturæ damnauit vtrumque connubium. At S. Thomas *in 4. distinct. 39. quæstione 1 art. 1. & 2. 2. quæst. 154. art. 9.* docet Leuiticorum 18. fœminas natu maiores contrahere non posse cum consobrinis, quia sorores patris, aut matris solent in eadem domo cum pueris consobrinis commorari; & ideò si contrahere possent, periculum oriretur incestus: fratres verò parentum cum consorbinis puellis in eadem domo habitare non consueuerunt. Addunt alij aliam rationem; plus naturam horrere, vt consobrinus, qui subijci debet amytæ, vel materteræ, eam ducat vxorem, quæ eo ipso iure connubij ei debet esse subiecta. Si tamen consobrina nubat patruo, vel auunculo, vtroque iure, & connubij, & cognationis subesset.

Prohibebatur coniugium cum vxore patris, licet non esset mater, hæc enim est vxor patris, quæ quamuis à patre repudiata posset alteri nubere, non tamen priuigno. Sed dubitant quidam, an mortuo patre, liceret filio eam sibi matrimonio coniungere; quæ fuerat vxor, patris, non mater ipsius filij; & putant id licuisse. Et illud Pauli ad Corinthios: *Auditur apud vos fornicatio talis, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat*: interpretantur de vxore patris adhuc viuentis, sed repudiata. Alij negant id fuisse licitum; quod probabilius videtur. Est etiam quæstio an liberum filio esset vxorem ducere eam, quæ nupserat patri, sed nondum erat ab eo cognita. Et quidam opinantur iure id fieri potuisse, eo quod Adonias petijt Abisag Sunamitem vxorem patris, sed nondum ab eo cognitam; quod si fuisset lege damnatum, proculdubio non id petijsset Adonias. Verumenimuero magis, probo eorum sententiam, qui negant vllo pacto tuta conscientia filium ducere potuisse vxorem patris siue cognitam ab eo, siue non cognitam? siue eo superstite repudiatam, siue vita functo relictam.

Item quidam ambigunt, an fuerit inter fratres, & sorores coniugium Leuitici 18. lege damnatum, quando soror non erat ex eodem patre, & matre nata, sed tantùm ex eodem patre. Fuit quorumdam opinio legem omnes sorores excludere, siue ex vtroque parente, siue ex patre tantùm essent. Alij verò sentiunt, legem tantùm intelligi de sorore ex vtroque parente, quoniam Abraham duxit Saram in vxorem, quæ erat soror eius filia patris sui, & non matris suæ: Et quia Thamar dicebat Amnoni filio Dauidis, vt ipsam peteret à patre in vxorem; qui non esset ipsam denegaturus. Et primis humani generis temporibus fratres sorores sibi matrimonio copularunt. At præstat prima sententia, nam scriptura aperte loquitur: *Turpitudinem* inquit: *sororis tuæ ex patre, siue ex matre, quæ domi, vel foris genita est, non reuelabis*: hoc est, siue quæ ex legitimo matrimonio nata est, siue ex vxore patris, nondum tamen ab eo in domum suam deducta; siue ex patre tuo ex altera matre, siue ex matre tua ex altero patre. Ad illud de Abrahamo respondeo, Saram non fuisse sororem germanam ipsius, sed sororem, id est, filiam fratris sui: sicuti Lot fuit frater Abrahæ; sic enim Abraham dixit ipsi Lot: *Fratres enim sumus*; cum tamen sui fratris filius esset. Thare pater Abrahæ, genuit Aram; hic autem genuit Saram. Et cum Abraham dixit: *Filia patris mei, & non matris meæ*; ideo dixit, quia Thare pater eius genuerat Aram fratrem Abrahæ ex alia vxore. nam creditur Thare duas vxores habuisse, ex quarum vna sustulerit Aram, ex altera verò Abrahamum: Sensus itaque est: Filia patris mei & non matris meæ: hoc est neptis ex patre & non ex matre: nam nepotes filij dici solent. Ad illud de Thamar; fortassis Thamar soror erat Amnonis non natura, sed adoptione, quia eam in filiam Dauid odoptauerat: Vel si soror germana erat, ilud dixit, Thamar perturbata, vt se à violentia fratris quoquo modo liberaret. Ad vltimum respondeo cum S. Augustino *libro de ciuit. 15. capite 16.* illud esse necessitate factũ; cum nullæ aliæ essent fœminæ, quas primi illi homines sibi matrimonio copularent. *Gen. 13. Gen. 11.*

Quæri etiam solet, an omnes consanguinitatis & affinitatis gradus Leuiticorum 18. prohibiti ita iure naturali damnentur, vt Rom. Pontificis auctoritate relaxari nequeant. Duæ sunt opiniones, quas refert Sotus *4. distinct. 4. quæst. 1 articul. 3.* vna docet omnes esse iure diuino & naturali prohibitos, ita vt Romanus Pontifex eos relaxare non possit: altera sententia & vera est, non omnes ita iure naturali damnari, vt Romani Pontificis auctoritate relaxari non possint, & hæc est communi consensu Theologorum recepta, auctoritate Concilij Tridentini, Sess. 24. Can. 2. quam suo loco probabo. Dispensat, inquit, Siluest *in verbo Papa. quæst. 17.* Romanus Pontifex in omnibus gradibus præterquam in gradibus consanguinitatis ex rectâ linea ascendentium & descendentium, & præterquam in primo gradu consanguineorum collateralium, hoc est præterquam inter fratres: & dispensat, inquit, in gradibus affinitatis præterquam in primo gradu rectæ lineæ, sed de his omnibus gradibus latius suo loco dicemus. in præsentia satis est dicere; licet in omnibus gradibus propinquorum Leuiticorum 18. prohibitis aliqua sit naturalis ratio; quæ præscribit, ne coniugia in hisce gradibus contrahantur, non tamen est tam seuera & rigida, vt iustis de causis Romanus Pontifex non possit facultatem concedere, vt matrimonia in multis ex illis gradibus celebrentur.

Cap. XIII.

De eisdem Præceptis spectantibus ad nuptias, quædam quæstiones diluuntur.

DVbiæ quæstionis est, an plures vxores simul habere, fuerit Moysi lege permissum vt minus malum; an verò concessum tamquam bonum? Constans est Theologorum opinio *in 4. distinct.* 33. vxorum multitudinem fuisse concessam tamquam bonum ad tempus: & hoc idem senserunt Patres, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Beda, Theophylactus, Anselmus in *Matth. cap.* 19. & Ambrosius *libro* 1. *de viduis. cap. vltimo* Augustinus *libro* 1. *de nuptijs & concupisc. capite* 9. Nec solum id Moysis lex concesit; sed etiam ante Moysem Patriarchæ more & instituto maiorum, plures simul vxores duxere, vt Abrahæ exemplo docemur, qui post Saram, Agar quoque ancillam Aegyptiam in matrimonio habuit; & deinde adiunxit sibi vxorē Ceturā. Et quamuis tunc Sara mortua fuisse videatur, saltem Agar adhuc viuebat, & Iacob quatuor vxores habuit, Rachelem, & Liam ingenuas & liberas; Balam & Zelpham earum ancillas. Et quamuis Faustus Manichæus, & alij hæretici multitudinem vxorum in Abraham & Iacob reprehendere non dubitauerint, perinde ac si hoc feciſſe videantur voluptatis & libidinis explendæ gratia; prædicti tamen patres Patriarcharum factum, tamquam iustum & honestum omninò defendunt.

Obijcies cum naturæ lege penitus pugnare, vt vir corporis sui potestatem tradat pluribus, quàm vni: nec enim fas est rem, quam vni semel tradideris, alteri dare. Sed hoc solùm argumento concluditur, virum sine vxoris consensu, alteram ducere posse: Abraham verò; id Sara etiam precante ancillam in matrimonio habuit. Iacob autem Liam vxorem assumpsit loco Rachelis suppositam: deinde Rachelē habuit consensu Liæ: hisque assentientibus, postea ancillas sibi matrimonio copulauit. Secundo obijcies; Lamech videtur in Scriptura notatus, quod primus omniū mortalium plures simul vxores habuerit, quod Nicolaus Pont. insinuauit. *capite an non* 24. *q.* 3. Respondeo notatū quidem fuisse Lamech, non quia plures duxit vxores, sed quia explendæ libidinis, non procreandæ prolis causa id fecit; Abraham verò & Iacob, non voluptatis causa, sed sobolis tantùm gignendæ, vt gentem suam multiplicarent. Tertio; CHRISTVS dominus docuit, plures simul vxores habere, cum institutione matrimonij pugnare, ait enim, *qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos. & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Dicimus, communem Patrum & Theologorum esse sententiam, ex matrimonij institutione & iure, tum diuino, tum naturali vnam tantùm vxorem, requiri: veteres verò Patriarchas, & deinde eorum posteros plures simul vxores habuisse diuino quodam impulsu & afflatu permotos ad sobolem propagandam, cum ludæi, pauciores ceteris populis & gentibus essent. Vnde Innocentius III. dixit, capite gaudemus de diuortijs. *Nec vlli vnquam licuit simul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum: qui nos quandoque, interdum etiam fas censetur, per quem sicut Iacob à mendacio, Israelitæ à furto, & Samson ab homicidio, sic & Patriarchæ, & alij viri iusti, qui plures leguntur, simul habuisse vxores, ab adulterio excusantur.* Hæc ille Pontifex, cuius quidem sententia videtur hæc fuisse, primos viros iustos sibi plures fœminas simul in matrimonio copulasse cælesti Dei instinctu & inflatu, vt sobolem procrearent: quorum deinde exemplum posteri eorum secuti sunt: quod & postea in morem & consuetudinem venit, & tandem veteri lege, & scripto iure permissum.

Neque probo quod quidam tamquam probabile affirmant, hanc diuinam indulgentiam, quam dispensationem appellant, concessam fuisse non Hebræis solùm, sed etiam omnibus gentibus. Nam Ethnicos simul plures vxores habentes, vel peccasse puto, quia mala fide id fecerint, vel iustam excusationem habuisse, non quia Deus illis facultatem concesserit, sed quia probabili ignorantia decepti, bona fide forsitan factitarunt. Christus Dominus. matrimoniū ad primam & antiquam sui institutionem, & ad ipsum ius diuinum, & naturale reuocauit, præcepit, vt vnus vnam tantùm duceret, non plures simul.

Postremò obijcitur S. Ambrosius qui quidem factum Abrahæ defendens, triplicem eius rei rationem affert: Prima est, quòd eo tempore adulterium nondum erat lege interdictum. Secunda, quod amore posteritatis, non ardore libidinis, id fecerit, & cōsensu vxoris: Tertia ratio; quod id egerit ad aliquid futurum significandum: quæ causæ minimè sufficere videntur; vt Glossa quoque *super Gratianum* annotauit. 32. *q.* 4. *cap. dixit Sara, & in cap. Gaudemus, de Diuortijs.* S. Augustinus itidem factum Abrahæ & Iacob vindicans ab omni delicto, eos ait nihil contra naturam, contra morem aut contra præceptum & legem feciſſe. *Nullam*, inquit, *Iacob legitur vxorem petiisse præter vnam; nec vsum plurimis nisi gignendæ prolis officio, coniugali iure seruato, & neque hoc faceret, nisi vxores eius id fieri flagitassent, quæ corporis viri sui habebant legitimam potestatem.* Et alibi. *Pro ingenti crimine Iacob quatuor obijciuntur vxores: quod generali præcautione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat. alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præceptum. si naturam consulas, non lesciuiendi, sed gignendi causa, illis mulieribus vtebatur. Si mores, illo tempore, atque in illis terris hoc facere licitum erat. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus non licet?*

Propter hæc Patrum testimonia, hæretici contendunt, polygamiam nulla lege, vel iure damnari. At Concilium Trident. ita decernit: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum; anathema sit.* Sunt è Catholicis, qui S. Ambros. & August. hæc in parte reijciant, ac si minus verè & idoneè Abrahæ factum & Iacobi defenderint. Alij verò opinantur, polygamiam cum diuino Christi Domini præcepto pugnare non cum iure naturali, vel cum ipsa prima & antiqua institutione, coniugij. Ego vero nihil in præfatis S. Ambros. vel August. testimonijs lego, quod reprehensione dignum esse videatur. Nec enim Ambrosius cum dixit; nulla lege esse tunc temporis adulterium interdictum, intelligit legem

diuinam

diuinam, aut naturalem cum ipsa matrimonij institutione acceptam; nec in vniuersum adulterium videtur accepisse. Et cum dicit, Abrahamum id fecisse vxoris consensu; id ideo dicit; ne Abrahamus contra ius naturæ fecisse videretur, scilicet illud, quo prohibetur quis tradere alteri corpus quod vni iam dederat alteri, significat igitur S. Ambrosius id, quod alioqui esset adulterium, videlicet in eo, qui præter vnam, alteram vxorem duceret, nô fuisse adulterium tunc temporis apud Hebræos, quia nulla lege scripta id prohibebatur, si quidem more, & instituto Maiorum duæ & plures simul vxores ducebantur.

Cum idem S. Augustinus ait: Iacobi patriarchæ factum cum quatuor vxoribus non esse contra naturam: se ipse explicat, quia non libidinis, inquit, sed prolis causa fecerat. Porrò plures simul vxores habere ad prolem generandam, non est contra naturam, & primarium finem coniugij, quæ matrmonium instituit, non ad libidinem, sed ad prolem generandam. Non tamen negauit S. Augustinus, contra ius esse naturale, quod vetat: Rem quam alteri tradideris, ne alteri des: & quod prohibet iurgia, odia, & diſsidia in domo, & familia: quæ mala, & incommoda Polygamia solet afferre, nisi Dei permissu, vel concessu plures simul vxores habeantur. Cum enim dicit, non esse contra naturam, nec contra præceptũ; hoc ideo dixit quia factit abatur more, & instituto Maiorum, suam originem ex diuino impulsu, & instinctu trahente, quod nunc Christianis moribus & legibus abrogatum est.

Secundò Quæritur, An sacra Scriptura concubinæ nomen in bonam partem accipiat, videlicet pro ea, quæ verè coniux erat. Leo *Papa in Epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem: quæ refertur in c. Non omnis 32. quæst. 2.* Concubinam in malam partem accipit: *Non omnis*, inquit, *mulier viro connicta, vxor est viri: quia nec omnis filius est hæres patris. Nuptiarum fœdera inter ingenuos legitima sunt, ac inter æquales. Itaque aliud est vxor, aliud concubina: sicut aliud est ancilla, & aliud libera. Propter quod etiam Apostolus, ad manifestandam harum personarum distinctionem, testimonium posuit ex Genesi, vbi dicitur Abrahæ: Eiice ancillam, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Hæc ille: vbi manifestè dicit ancillam Agar, fuisse Abrahę concubinam, non vxorem.

Cæterùm constans est tùm Hebræorum, tum Christianorum interpretum opinio, Agar fuisse veram vxorem Abrahæ: & concubinam in Sacris litteris nonnunquam aceipi in bonam partem, videlicet pro ea, quæ erat vera quidem vxor, sed non primaria, nimirum vxor ad vsum tori absque solenni Scriptura, id est, sine contractu dotali, & sine sponsalibus publicis in matrimonium ducta; & ideo non erat principalis coniux, sed principali adiuncta. Et subdita; Hebraicè dicitur *Pileges*, quasi vxor dispertita, vel quasi dimidium vxoris. Dicitur quoque Abraham duxisse vxorem nomine Ceturam; quæ tamen alibi vocatur Concubina, & filij Ceturæ concubinæ. Legimus quoque Ruben, filium Iacob dormiuisse cum Bala concubina patris sui, & tamen scriptum est: *Deditque illi*, scilicet, Iacob viro suo, *Balam in coniugem.* Liber etiam Iudicum, fœminam, quæ aliquando vocatur vxor cuiusdam Leuitæ, etiam illius concubinam appellat, Et *in c. Omnibus. Gratianus c. Is qui, concilium Toletanum, & c. Christianos, Isidorus, distinct. 34.* apertè docent, vocabulum, *concubinæ*, in sacris litteris rem honestam significare, videlicet eam fœminam, quę vere est coniux. Vnde illud Genesis: *Filijs concubinarum dedit* (Abraham) *munera*, intelligitur de vxoribus secundarijs, quas Abraham sibi post primariam adiunxit. Leo etiam Papa cum Agar ancillam dicit concubinam Abrahæ fuisse, non vxorem, vxorem accepit pro primaria coniuge, & principali.

Gen. 35. Supra 30. Iud. 19.

Gen. 25.

Tertiò Quæritur, An Lex Moysis repudium vxoris tanquam iustum, & honestum concesserit: an verò permiserit tanquam minus malum, ad id, quod est deterius deuitandum? Duas video Doctorum sententias *in 4. distinct. 33.* quas refert Sotus. *4. distin. 33. quæst. 2. ar. 2.* quarum altera, repudium vxoris docet ex lege Moysis, diuino concessu permissum, vt bonum. nam quamuis coniugij vinculum sit sua natura perpetuum, potuit tamen Deus eius auctor atque institutor potestatem facere dimittendi vxorem; ne viri quas oderant coniuges, enecarent, hanc sententiam S. Thomas dicit esse probabilem. Altera est sententia; repudium vxoris solùm fuisse impune permissum, vt minus malum: propter illa verba Christi Domini: *Propter duritiam cordis vestri permisit vobis* (Moyses) *dare libellum repudij*, & hæc est communi consensu Theologorum receptа Ego huic secundæ sententiæ magis accedo, de qua re, suo loco latiùs disputabo. Dubiæ item quæstionis est, an repudiata vxore; vtrique coniugi liberum esset ad alias nuptias transire? Sotus *in 4. distin. 33. quæst. 2. art. 3.* negat & ideo matrimonium per repudium non solui, & dirimi contendit; ita vt repudium solùm diuortij rationem habuerit. Veruntamen non paucorum est opinio, liberum vtrique coniugi fuisse, se ad alias nuptias conferre. Idq; deduci videtur ex illis verbis Deuteronomij: *Cumque egressa alium maritum duxerit*, &c Et ideo vir vxorem repudiare nô poterat, nisi dato vxori libello repudij: quod certe nô nisi in bonũ dimissæ vxoris cedebat, ne videlicet alteri nupta, adulterij insimulari posset; & ne eã dimissam iam, vir repetendi, & reducendi ius haberet. Ex quo perspicitur, matrimonij vinculũ apud Hebræos, per repudium dissolui, & dirimi. At obijciet quispiam cum Soto, prædicto in loco scribi: *Non poterit prior maritus eam accipere in vxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino*, videlicet, quod alteri nupserit. Dicimus, sensum eorum verborum esse, *quia polluta est*, hoc est; quia secundo viro se adiunxit; & ab eo cognita est. Pollutum hic phrasi Hebræa non accipitur in malam, sed bonam partem: significat idem, quod latinè dicetur, alteri nupsit, & cum eo rem habuit: *Et abominabilis facta est coram Domino*, id est, quia eam prior maritus fuerit exeratus, & sibi odiosam repudiauerit. hoc enim erat in odium, & pœnam virorum vxores facile repudiantium, ne videlicet eas temerè; & qualibet causa dimitterent.

Cap. XIV.

Leges à Moyse latæ de successione ex testamento, vel ab intestato.

PRimò Quæritur, quo pacto apud Iudæos, hæredes ex testamento, vel ab intestato succederent? Numerorum. 27. lex est. *Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hæreditas. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos, quod si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt, eritque hoc sanctum* (id est firmum ac fixum) *Israel lege perpetua.* Hactenus Lex. Ratio huius legis erat; quia possessiones cum familia transibant; & ideo si quis mares, aut fœminas suscepérat, ad mares, non fœminas hæreditatem, hoc est, agros & alia bona immobilia transmittebat: Inter mares verò duas partes primogenitus obtinebat. Si quis tamen fœminas tantùm procreasset, ad eas hæreditatem æquis portionibus transferebat: & idcirco illæ nubere, nisi viris eiusdem tribus, & familiæ non poterant, ne possessiones paternæ, in quibus successerant, ad alias familias transferrentur. Tales fuerunt filiæ Salphaod, de quibus Numerorum 27. & 36 & inde factum est, vt filiæ, quæ hæreditatem non habebant, possent nubere viris cuiuslibet alterius cognationis, & tribus: tales erant fœminæ ex tribu Leuitica. Quærunt aliqui, an vlla bona hæreditaria fœminæ consequerentur, cum fratres habebant. Ex bonis immobilibus, cuiusmodi erant agri, fundi, & aliæ id genus possessiones, nihil ad eas transmittebatur; bene autem ex bonis mobilibus, quæ in numero pondere, & mensura consistunt; poterant fœminæ vnà cum fratribus parenti succedere, quia familiæ per bona mobilia non discernebantur.

Deuteronomij 21. hæc ponitur lex: *Si quis duas vxores duxerit, & vnam dilexerit, alteram verò odio habuerit, & liberos ex vtraque susceperit, & fuerit primogenitus ex ea, quam odio habet, non poterit ius primigenitorum transferre ad filium dilectæ:* ita ferè Lex. Primogenito debebatur tanquam ius, sacerdotium; & ideo si ex tribu Leuitica, & familia Eleazaris filij Aaronis erat, summo Pontificatu fungebatur: it em bonorum duplicem portionem, & primum in sedendo locum suo iure primogenitus habebat. Hæc autem iura primogeniti non solùm mandato Moysis constituta sunt, sed etiam longè ante Moysem apud Hebræos seruabantur, non quidem lege scripta, sed solo instituto, & more Maiorum. Interea si quis ex concubina, vel ancilla natus erat, hæres patris esse non poterat: & hoc ante legem scriptam more atque instituto Maiorum apud Hebræos vigebat. Et ideo dixit Sara ad Abraham: *Eijce ancillã hanc; & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Et alibi: *Dediitque Abraham cuncta quæ possederat Isaac. filijs autem concubinarum largitus est munera.* Sensus est: Transmisit Abraham ad Isaac hæreditatem; filijs verò concubinarum aliqua legauit, ex quibus viuerent, vt Isaac hæredem eos alendi lege curaque liberaret. Et nihilominus filij Iacob. etiam ex ancillis susceptí, cum cæteris fratribus regnum, & terram à Deo promissam acceperunt: quod annotauit S. Augustinus *Tractat. 11. in Ioannem, & refertur 32. quæst. 4. cap. Recurrat.* Eos enim omnes voluit Iacob pro legitimis filijs, & hæredibus habere.

Cap. XV.

PRAECEPTA

De seruis, & ancillis.

EXodi 21. præcepit Deus, vt serui septimo anno liberi dimitterentur, hoc est, libertate donarentur: quæ Manumissio in Hebræis seruis, non in ijs, qui ex Gentibus serui facti erant. Hebræorum, locum habebat. Leuitici 25. sic loquitur lex: *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum; sed quasi mercenarius, & colonus erit. Mei enim serui sunt, & ego eduxi eos de terra Aegypti, non veneant conditione seruorum.* Sciendum est, apud Iudæos duplex genus seruorum extitisse. nam seruus, vel erat Hebræus, vel aliquis ex Gentibus. Si Hebræus, in perpetuum seruire non poterat, & hoc est quod dicitur in lege: Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Si ex Gentibus, perpetua seruitute tenebatur. *Seruus,* habet lex, *& ancillæ sint vobis è Nationibus, quæ in circuitu vestro sunt; & de aduenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint, hos habebitis famulos & hæreditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum.* Ita lex Rursus seruus Hebræus poterat esse ex triplici causa: aut quia Hebræus inopia oppressus se vltro alteri Hebræo vendiderat. Leuitici 25. *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum, sed quasi mercenarius, & colonus erit:* aut quia Hebræus furatus aliquid fuerat, & soluendo non erat: tunc enim fur Hebræo vendebatur. Exodi 22. *Si non habuerit,* inquit, (scilicet fur) *quod pro furto reddat; ipse venundabitur.* Quæ lex dura, & seuera non erat, eo quod non vendebatur ille ad perpetuam seruitutem, cum septimo anno pristinam esset libertatem recuperaturus. Vendebatur igitur, & quasi locabat operas suas ad tempus, vt ex mercede solueret rei furtiuę damnum. Aut seruus Hebræus erat, quia ex seruo Hebræo, & ancilla natus, vt alibi dicitur, videlicet Exodi 21. Hebræorum verò serui ex Gentibus, aut erant bello capti, aut pecunia empti, aut domi ex ancilla nati. Ancilla itidem vel erat Hebræa, vel ethnica. Hebræa, aut quia se vendiderat egestate compulsa. Leuit. 25. & hæc septimo anno ad libertatem pristinam redibat: Aut quia pater ipsius eam vendiderat alteri Hebræo vti eam vxorem duceret Dominus, vel filius eius Exodi 21. & Deut. 15. vbi hæc sunt verba: *Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueuerunt,* hoc est: non exibit, sicut serui egrediuntur. nam serui egrediuntur cum corpore suo soli, si soli in domum Domini venerunt. non sic autem ancillæ Hebrææ, quoniam non solùm ad ministerium, sed ad matrimonium saltem, quale erat ancillarum, tradebatur. Si displicuerit oculis Domini sui, cui tradita fuerat, id est, cui vendita fuerat, vt eam duceret vxorem vel Dominus, vel saltem filius eius, si displicuerit, in-

quam

quàm Domino, postquâ ab eo cognita est & non desponsat eam sibi, vel filio suo, dimittet eam: vult dicere, dabit illi pecuniam, qua redimatur, vel remittat illi pecuniam seruitutis, sinet eam liberam abire sine vllo pretio redemptionis, perinde ac si pecuniam redemptionis accepisset. Populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreuerit eam. Sin autem filio desponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi, hoc est, dotabit eam, quod est ius filiarum, quæ docantur à patre, vt nubant, & eam tamquam vxorem filius ducat. Quod si alteram acceperit, id significat; si ipse Dominus, vel filius eius alteram vxorem duxerit, erat enim permissum Hebræis plures vxores habere, prouidebit puellæ nuptias, & vestimenta, & pretium pudicitię non negabit, sensus est; eam puellam tractabit vt tractari solent puellæ nuptæ. Nam illi puellæ ductæ in vxorem à se, vel à filio non denegabit, quæ dari solent concubinis, hoc est, vxoribus non principalibus, videlicet alimenta, victum, vestitum, & pretium ob pudicitiam violatam ab eo. Si tria hæc, non fecerit, egredietur gratis absque pecunia. Est igitur integer legis sensus: si quis filiam suam vendiderit alteri Hebræo in ancillam, vel is eam cognouerit sibi traditam, aut secus. Si primum, aut displicuit postea ipsi puella, aut placuit. Si displicuit, cogebatur, eam redimere, hoc est, dimittere ita liberam, ac si esset pretio redempta ob pudicitiam ab ipso corruptam; aut permittere, vt redimatur, ablatis à pretio redemptionis ministerij annis, quibus ante seruierat. Si verò placuit, aut ipse, aut filius ipsius duxit eam vxorem. Si filius, debebat eam dotare: si ipsi nupsit, cogebatur eam vt vxorem habere, & tractare. Si alteram sibi vxorem duxit; non minuat victum, vestitum, & præmium siue cohabitationem cum ea tanquam cum vxore minus principali. Si hæc tria non fecisset, debebat eam dimittere liberam nulla pecunia redemptionis accepta.

Eodem capite paulò ante statuit Lex: *Cum quali veste intrauerit* (scilicet seruus Hebræus) *cum tali exeat.* In Hebræo habetur: *Si cum corpore suo ingressus fuerit, cum corpore suo egredietur.* Phrasis est hebræa id significans. Si seruus Hebræus solus sine vxore venerit in domum tuam, sine vxore exibit. Si cũ vxore venerit, vnà cum vxore egredietur. Et hoc est, quod vulgata editio significare voluit, cum dixit: *cum quali veste intrauerit, cum tali exeat*: nam statim subiunxit: *Si habens vxorem, & vxor egrediatur simul*, videlicet septimo anno, quo seruus ad pristinam libertatem reuertitur. Et mox; *Sin autem Dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios, & filias, mulier, & liberi eius erunt Domini sui: ipse verò exibit cum vestitu suo.* quod est, ipse solus liber exibit septimo anno, & vxor ac liberi eius apud dominum remanebunt tanquam serui. Lex æquissima. nam liberi tanquam ex ancilla nati, domini sui erant serui. nam etiam iura ciuilia constituerunt, vt partus ventrem sequatur, id est, ex ancilla natus seruus sit, quamuis liber sit pater, contra verò natus ex libera, sit liber, tametsi pater seruus fuerit.

Porrò septimo anno ita liber exibat seruus vxore, & liberis in seruitute manentibus, vt alteram, quamcumq; vellet, posset vxorem ducere. Et postea. *Quod si dixerit seruus; Diligo dominum meum, & vxorem ac liberos, non egrediar liber; offeret eum Dominus Dijs*, id est. adducet eum ad Iudices, & Magistratus, quos Deos hoc in loco Scriptura vocat, *& applicabitur ad ostium, & postes*, id est applicabit eum Dominus ad portam vrbis, vel postem; in portis enim vrbium, quo homines confluebant, considebant Iudices, & lites, & causas cognoscebant, *perforabitque aurem eius subula, & erit ei seruus in seculum.* id est, in seruitute manebit perpetua ad annum vsque quinquagesimum; iubileum. tunc enim liber exibat etiam cum vxore, & liberis, vt patet Leuit. 25. Hæc lex, dura aliquantulum, & seuera videtur esse, qua serui auris subula perforabatur; sed æquitatis est plena: quoniam pluris faciebat seruus vxorem, & liberos, quam libertatem suam, qua nihil tamen carius post vitam in humanis æstimatur, & habetur, cum amore vxoris; & liberorum seruitutem eligeret. Et ideo voluit Deus, vt hanc pœnam ac dedecus sustineret seruus ille Hebræus auris perforatæ; vt sic pœnæ grauitate deteritus, seruitutis iugum excuteret, Perforatur auris, tum quia aptior ad hanc pœnam sustinendam auris erat quàm alia corporis pars, cum minus doloris in perforanda aure sentiatur, quàm si alia corporis pars perforaretur: tum etiam quia aures sunt ad audiendum: perforatur igitur seruus in aure; vt intelligeret se dicto Domini audientem perpetuò futurum. Ex hoc vsu nata est apud Iudæos phrasis, qua quis dicebat: *Perforauit eius aurem*, hoc est, eum mihi in seruum perpetuum addixi. In verbis illis Psalmi: *Aures autem perfecisti mihi*: hebræa lectio sic habet: *Aurem autem perfodisti mihi.* id est, Me tuum seruum perpetuum fecisti: quem etiam sensum admittit lectio latina, *Aures autem perfecisti mihi*, id est, Aptasti mihi aures, quibus videlicet dicto tuo audiens essem, & tua iussa facerem. Et sciendum est, totam hanc legem: *Si dominus dederit illi vxorem*, intelligi de ancilla ethnica, non Hebræa; nam hæc secundum legem, anno septimo libera necessariò fiebat, ethnica ancilla non item; poterat autem Hebræus vxorem ducere ethnicam ad Iudæorum religionem conuersam.

Leuitici 25. Lex est huiusmodi: *Si inualuerit apud vos manus aduenæ atq; peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cui quam de stirpe eius; post venditionẽ potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum, & patruus, & patruelis, & consanguineus, & affinis. Sin autẽ, & ipse potuerit redimere se, supputatis duntaxat annis à tempore venditionis suæ vsque ad annum iubileũ, & pecunia qua venditus fuerat iuxta annorum numerum supputata: si plures fuerint anni qui remanent vsque ad iubileum, secundum hos reddet, & pretium: & reddet emptori, quod reliquum est annorum. Quibus aũt seruiuit mercedibus imputatis, non affliget eum violenter in conspectu tuo. Quòd si per hæc redimi non potuerit, anno iubileo egredietur cum liberis suis.* Hæc ibi. tutissima lex, qua voluerit Deus, vt si Hebræus ad egestatem redactus venderet se Ethnico, Hebræorum tamen religionem conuerso, posset redimi à quolibet eius propinquo: seruitus enim eiusmodi propinquis omnibus erat probo & dedecori, & libertati itidem quoad eius fieri poterat, erat patrocinandum

Sed cur septimus annus est recuperandæ libertati diuinitus destinatus, & quinquagesimus itidem annus? Nimirum voluit Deus, vt seruitus Hebræorum esset ad tempus: eo quòd perpetua seruitus grauis nimiùm est, & acerba, adeo, vt Iurisconsulti dixerint eam esse contra naturam, *Institu. de iure natur. gentium, & ciuili. §. ius autem gentium*: voluit autem, vt septimo quoque anno Hebræi seruitutem euaderent quasi sex annis perfectè seruierint, & septimo, ab omni opere seruili cessare deberent. Rursus, quinquagesimum annum libertati destinauit: quia quadraginta nouem anni septem annorum hebdomadas implent, vt quemadmodum post quadraginta nouem dies exactos ab exitu ex Aegypto, populus quinquagesimo die legem accepit, quasi Aegyptiacæ seruitutis iugo iâ penitus excusso, sic etiam serui quinquagesimo anno perfecta libertate donarentur.

Deuteronomij 23. habetur hæc etiam lex: *Non trades seruum domino suo, qui ad te confugerit.* Quæ lex locum habebat in seruo Ethnico, qui à Domino suo quærebatur ad necem, vel ad aliquod aliud graue incommodum, detrimentum, & malum. Item Exodi 21. *Qui percusserit*, inquit, *seruum suum, vel ancillam virga, & vno die vel duobus superuixerit; non subiacebit pœnæ, quia pecunia illius est.* Intelligitur ea lex de seruis, quos Hebræi ex Gentibus habebant: nam serui, qui Hebræi erant, non erant pecunia dominorum, quia non erant in seruitute perpetua. *At verò qui percusserit seruum suum, vel ancillam virga in manibus eius, criminis reus erit*, hoc est, morte condemnetur, vel sensus est: dignâ pœna mulctetur, quia certò constabat, ex plagis siue verberibus, percussione, vel vulnere seruum obijsse. dum verò duos, vel vnum diem verberatus. vel percussus seruus viueret, quia incertum erat an ex vulnere, siue plagis interiret, Dominus liber erat, & immunis à pœna. Si autem Dominus seruum videlicet suum ex Gentibus percutiens mutilabat, ipso iure seruus liberatte donabatur.

Leuitici 25. Si Hebræus inopia pressus se vendidisset aduenæ, vel peregrino proselyto, vel alicui ex gente ipsius, poterat redimi, si aliquis propinquus, vel ipsemet pretium soluisset: & in ea redemptione serui, habebatur ratio operæ, quæ in ipsa redemptione æstimabatur, quanti æstimari exæquo, & bono debebat: pretium autem, & merces operarum deducebatur de pretio redemptionis, & quod æstimata opera serui Israelitæ reliquum erat, persoluebatur ab eo ipsi emptori: quod si non redimebatur, tunc anno iubilei liber exibat vnà cum filijs suis.

Cap. XVI.

PRAECEPTA

De parentibus, & filijs.

LEge concedebatur iuxta quorundam sententiam quamuis id ego in lege expressim non video, vt si aliquis pater paupertate premeretur, filium, vel filiam venderet suam. Nam cum apud Hebræos seruus septimo anno manumitteretur, concedebat lex, vt cuique ad extremam inopiam redacto liceret filium, vel filiâ vendere. Immo cuiuis etiam simili egestate laboranti fas erat seipsum alteri Hebræo vendere, vt declarat liber Leuitici. nam vt supra diximus; seruitus ad tempus tantùm erat, septimo enim anno serui libertate donabantur; ac proindè cum Hebræus filius alteri Hebræo vendebatur, potiùs locabatur, quam vendebatur, Cum item Hebræus alteri se Hebræo vendebat, potius locabat se, id est, operam suam, quam vendebat.

Item Exodi 21 præcipitur patribus, vt filios suos legem ac religionem doceant. *Cum dixerint, inquit, vobis filij vestri, Quæ est ista religio? Dicetis eis, victima transitus Domini est.* Deuteronomij 21. *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos Filius noster iste proteruus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atque commessationibus lapidibus eum obruerit populus ciuitatis, & moriatur, vt auferatur malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimescat.*

Cap. XVII.

PRAECEPTA

Circa externos & Peregrinos.

HEbræorum populus bipertitus erat: aut enim constabat ex hominibus externis, qui dicuntur Aduenæ, & ex gentibus suum genus trahebant, aut ex ijs, qui genere erant Hebræi ab Israele originem ducentes, qui dicuntur Indigenæ. Priores illi vocabantur Proselyti, qui ex Gentibus procreati; ab Idolorum cultu ad Dei religionem traducti, & circuncisis, sacris Hebræorum cæremonijs, & institutis imbuebantur. *Si quis*, inquit, *in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum eius, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ, & colono, qui peregrinatur apud vos.* Exodi

Leuitici 19. *Homo quilibet de domo Israel; & de aduenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum siue victimam, & ad ostium tabernaculi testimonij non adduxerit eam, vt offeratur Domino, interibit de populo suo.*

Leuitici 24. *Aequum iudicium sit inter vos, sive peregrinus, (id est proselytus) sive ciuis peccauerit.* Ezech. 14. *Homo de domo Israel* (id est, ex genere Israelis) *& de proselytis quicunque aduena fuerit in Israel, si alienatus fuerit à me, & posuerit idola sua in corde suo, & reliq.* In Actis: Iudæi quoque, ait Lucas, & proselyti. Actu. Docuit, Christus quantum studium poneretur à Iudæis in eo, vt proselytos facerent, id est, vt Gentiles circumciderent, & ad Dei cultum, & religionem conuerterent, his verbis; *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* 2. Paralipomenon 30. *Hilaritate perfusa est omnis turba Iudæ cum sacerdotum, & Leuitarum, quàm vniuersæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel, proselytorum quoque de terra Israel, & habitantium in Iuda.*

Exodi 22. ita sancitur: *Aduenam non contristabis, neque affliges eum; aduenæ enim & ipsi fuistis.* Et capite sequenti: *Peregrino molestus non eris, scitis enim aduenarum animas, quia & ipsi peregrini fuistis in terra Aegypti.* Sensus est: Nostis quales sint Peregrinorum affectus nam anima hic voluntatem & affectum significat more Hebræo ne sitis eis molesti, satis enim pœnarum est, quòd sint peregrini, ne addatis eis alias molestias.

Deuteronomij 23. constituitur, vt Amnonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrent Ecclesiam Domini. Exodi verò 17. omne cognationis consortium cum Amalechitis prohibetur, *Bellum*, inquit, *Domini erit contra Amalec, à generatione in generationem.* Deuteronomij etiam 23. *Non abominaberis*, inquit, *Idumæum quia frater tuus est; nec Aegyptium, quia aduena fuisti in terra eius. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Domini.* Ergò lex concedebat, vt ex Gentibus quidam tanquam ciues populo Iudæorum adscriberentur post decimam generationem; & ex Aegyptijs, & Idumæis, post tertiam: ex Ammonitis, Moabitis, Amalechitis nulli vnquam, eo quòd hi capitali odio semper Hebræos fuerant prosecuti; & illud nunquam depositurí credebantur.

At Iudith. 14. Achior dux filiorum Ammon videns virtutem quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputij sui, & appositus est ad populum Israel, & omnis successio generis eius vsque in hodiernum diem: quod factum est ob insignem eius viri virtutem, & præclara eius merita in Iudæos.

Quòd autem Deuteronomij 23. dicitur quis intrare in Ecclesiam Domini, perindè est ac si diceretur, admitti vt ciuis, qui particeps esse possit consiliorum, iudiciorum, honorum, & publicorum munerum. Vndè eodem capite dicitur: *Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis testiculis Ecclesiam Domini.* Ibidem: *Non ingredietur mamzer* (hoc est, de scorto natus) *in Ecclesiam Domini, vsque ad decimam generationem.* Hinc est quod Esaias consolatur, aduenas, & Eunuchos, dicens: *Nè dicat filius aduenæ qui adhæret Domino: Separatione diuidet me Dominus, populo suo. Et non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum. Dabo eis in domo mea, & in muris meis locũ, & nomen melius à filijs, & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit: Et filios aduenæ qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius.*

Cap. XVIII.

PRAECEPTA

De iudicijs.

APud Hebræos, sicut & apud quamlibet aliam Rempublicam benè institutam, erãt publica iudicia, quibus & sontes condemnabantur, & absoluebantur insontes. Porrò condemnatio sæpè Iudicij appellatione significatur; & Absolutio, Iustitiæ nomine. Cum hæc duo simul ponuntur, Iudicium; & Iustitia. sæpe etiam fit mentio conciliorum, quæ erant in Republica Iudæorum, vt & in cæteris Rebus publicis. Hinc illud Dauidis, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo in concilio iustorum, & congregatione*; & illud eiusdem, *Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum.* Id etiam, *Ideo non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.*

Ius populo dicere ac reddere Iudices solebant in portis ciuitatum, quia in ea loca conueniebant, non solùm ciues, & incolæ, sed etiam exteri, & aduenæ, Deuteronomij 25. *Si voluerit*, inquit, *lex, accipere vxorem fratris sui, quæ ei, lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interrogabit maiores natu.* Item, Iosu. 18. & Ruth. 4. *Respondit populus qui erat in porta, & seniores.* Salomon quoque: *Non conteras egenum in porta.* idem rursus; *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ.* Dauid item: *Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta*, quasi dicat, cum causam suam aget coram iudice contra aduersarios. Hinc per metaphoram porta sumitur pro tribunalis potestate, iurisdictione. vnde Christus, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, Ecclesiam scilicet meam: ac si diceret. Tota Dæmonum iurisdictio, & potestas, & regnum.

Porrò iudicijs præerãt Iudices, Magistratus, Seniores; quorum conuentus dicitur Senatus. Numerorum 11. *Moysi dixit Deus. Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti.* Delecti à Moyse sunt sex ex singulis tribubus; ac proinde septuaginta duo. quamuis in sacris litteris sæpe dicuntur septuaginta minuto numero relicto. Deuteronomij 5. dixit Moyses; *Accessistis ad me omnes Principes tribuum & maiores natu.* Iosu. 23. dicitur; *Vocauit Iosue omnem Israelem, maioresque natu, & Principes; & duces, seu vt aliqui legunt, Iudices & Magistratus.* Probabile est fuisse septuaginta duos Senatores, & deinde alios duodecim Principes qui erant duodecim tribuum capita, & ciuitates singulas suos etiam proprios Senatores habuisse, & alios itidem qui erant singularum in quaque tribu familiarum capita. Iudicum 11. *Pervexerunt maiores natu de Galaad*, Et capite octauo eiusdem libri: *interrogauit eum nomine principum, & seniorum Sacoth.* Ruth. 4 *Tollens Booz decem viros de senioribus ciuitatis, dixit ad eos*: Cum item Moyses ex toto populo delegisset septuaginta duos Senatores; narratur Exodi 18 Ex eis electis constituisse principes populi, Tribunos, & Centuriones, quinquagenarios, & decanos. Tribuni, erant quasi Præfecti mille hominum. Centuriones, centum ciuibus præerant: Quinquagenarij, quinquaginta; Decani, decem. Item Deuteronomij 1. *Constituit*, inquit, *Moyses, eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* Horum verò munus, & officium erat consilijs præesse, & iudicijs, ac proindè populum isti, & Senatum conuocabant. Erant etiam Scribæ, id est, Iurisperiti, qui legẽ populo interpretabãtur. Alij verò Scribæ erant, qui scribendo, operã suã Magistratibus, Senatui, & populo præstabãt. Erant enim Regum, Principum, Magistratuum, vel Iudicum Scribæ, qui tanquam ministri acta referrent, & scripto mandarẽt: quos ex tribu Leuitica fuisse, ostendit primus liber Paralipomenõ cap. secũdo, vbi monitores, & Scribæ ex tribu

Leui

Leui nominantur: item Tribuni, Centuriones, & Scribæ nominantur.

Diuina itaque præcepta Magistratibus, Principibus, Senatoribus, Iudicibus data sũt. Primò, Exod. 23. *Non suscipies vocem mendacij.* (hoc est, Non admittes rumorem, testimoniũ falsum) *nec iunges manũ tuam: vt pro impio dicas falsum testimonium.* Sensus est: Non adiuuabis causam improbi falso testimonio, nec munus accipies, quo iudicium peruertas Ibidem: *Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies.* vult dicere, Non sequeris multitudinem ad malefaciendum: & in lite, iudicio si plures innocentem condemnauerint, ne eorum sententiam sequaris, sed paucorum, qui innocentem absoluere conantur, ne à vero deflectas.

Deinde, *Ne accipias munera,* quæ etiam excæcãt prudentes, & subuertunt verba iustorum. Item, vt causas tam actoris, quàm rei expendant, & examinent, antequam sententiam ferant, semoto omni personarum respectu, ne quid beneuolentia, gratia, vel fauor, ne quid item odium officiat. Item, Ne in iudicio, etiam pauperis misericordia moueantur: ne scilicet habeant rationem & respectum personæ, etiam pauperis, & licet multo fauore Deus vbique pauperes prosequatur, non vult tamen ratione, & causa pauperis, iudicium corrumpi, ergò multò minus causa diuitum, & potentum: mendacium fugies, hoc est, falsam sententiã nõ feres. Alloquitur enim ibi Iudicem Deus *Insontẽ & iustum non occides, quia auersor impium.* Sensus est, Innocentem, & absolutum suffragijs, & sententia aliorum non condemnabis: non enim sinam inultum iudicem, qui innocentem morte damnabit.

Præterea, de testibus audiendis, lex præscribit hæc. *In ore duorũ, aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur vno contra se dicente testimonium.* vult dicere: Testimonio duorum, aut trium interficiatur, qui reus est mortis: vnius tantùm testimonio nemo capitis pœna mulctetur.

Deuteronomij 17. *Non stabit testis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit; sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Significat, testimonium non est recipiendum, quale cumque tandem illud fuerit scelus hominis, qui accusatur: sed testimonio duorum vel trium testium stabilis erit, & firma accusatio, & actio, & causa. Et additur lex de falsis testibus iudicio seueriſsimo vindicandis: nimirum, vt falsus testis pœnam talionis sustineat; Animam pro anima, hoc est, vitam homicidæ, pro vita ademptam: ac si dicat; tali pœna punietur, quali pœnã affectus fuisset is, in quem dixit falsum testimonium, si conuictus fuisset. Reddet oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede; vt cæteri perrimescant, & à falso testimonio ferendo deterreantur.

Apud Ioannem cap. 7. indicat Nicodemus legem præcipere, vt nemo iudicetur, nisi prius eius audita causa, & cognito eo, quod fecerit. Deuteronomij 25. lex fertur de sententia ferenda, his verbis: *si fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint Iudices, quem iustum esse perspexerint, illi iustificabunt eum, & impium condemnabunt impietatis. Si autem qui peccauit, dignum viderint plagis, prosternent & coram se facient verberari. Pro mensura peccati, erit & plagarum modus, ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant: ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* hoc est, ne pluribus plagis percussus, coram te moriatur frater tuus tanquam vile & abiectum animal.

Cap. XIX.

PRAECEPTA

De diuersis pœnis in improbos constitutis.

Deuteronomij 25 statuitur, vt sit pœna grauitate delicti: Porrò in lege illa vetere multa erant pœnarum genera sontibus irrogata: prima pœna mortis: erat autem quadruplex necis genus. Aut enim sontes patibulo siue cruci affigebantur, aut lapidibus obruebantur, aut igni exurebantur, aut iugulabantur.

Leuitici 21. *Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris, flammis exuretur.*

Leuit. 20. *Qui supra vxorem filiam, duxerit matrem eius, scelus operatus est, viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* Genesis 38. Iudas iussit nurum suam comburi, eo quod cognouerat virum filium, & postea patrem.

Leuit 24. maledicus in Deum siue ciuis, siue peregrinus, lapidibus obruitur. Deuteronomij 17. qui Diuinum cultum, & honorem Sol. Lunæ, vel Stellis, vel alicui rei cuiuis creatæ defert, eãdem pœnam persoluit. Deuteronomij 22. vxor à viro conuicta violatæ ante matrimonium virginitatis, & ob id odio habita lapidibus obruitur. Puella itidem alicui desponsa, & ab altero in ciuitate corrupta, vnà cum eo lapidatur: puella quidem, quia clamore non se defendit cum posset, in ciuitate existens; violator verò, eo quod cum in ciuitate virginem alterius sponsam stuprasset, infamiam, & ignominiam magnam inferret, & per audaciam crimen admiteretur in agro violata ab aliquo, necis pœnam non sustinet, sed violator capite mulctatur, quoniam in agro cum sola puella esset, clamare non potuit, & stuprator virginis occasione sibi obiata incitatus in agro, nec tantam infamiam fecerat, nec tam grauiter deliquerat Adultera deprehensa in adulterio, lapidibus opprimitur vt colligitur Deuteronomij 22. & constat Ioann. 8. & Num. 15. qui ligna in die Sabbati collegerat, idem mortis genus sustinuit. Tertiò quoque Regum capite 21. maledictum Deum, & Regem eadem pœna punitur Leuiticorum 20 vir siue mulier, in quibus Phitonicus siue diuinationis fuerit spiritus, eidem lapidationis subiacent pœnæ Qui item Idola coluerit; Qui filios suos Dijs Gentium immolauerit, vel Magos, aut ariolos consuluerit Leuiticorum 20 Lapidibus subijcitur. Ibidem habetur: *qui dormierit cum matre sua, vel cum masculo coitu feminео, vel cum socrus uentrum patiente vel cum amita, vel cum matertera, vel cum sorore filia patris sui, vel filia matris suæ, vel cum iumento, morte condemnatur à Iudice, vna cum quo rem nefariam habuit.*

Pœna

Pœna itaque mortis irrogabatur criminibus contra Religionem Deo debitam commissis: Item, maledicto, & contumeliæ in parentes, libidinis auersæ peccato, incestui, homicidio, per industriam patrato. Nam exodi 22. sic habetur: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias*, hoc est, vel insidias: coniunctio, &, more Hebræo sumitur pro coniunctione, *vel, ab altari meo auelles eum, vt moriatur*, quasi dicat; Qui sciens, & volens occiderit alterum, nusquam sit tutus, sed etiam ab altari, quo confugerat abstrahatur, & capitali sententia condemnetur.

Exodi 22. *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, per cussor, non erit reus sanguinis, quod si orto iam sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur*; sensus est: Nocturnum furem impunè licet occidere, diurnum non item: fur enim nocturnus magis est Reipublicæ pernicios: Item, Exodi 21. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur.*

Pœna talionis certa quædam crimina puniuntur proximè dicto loco Exodi 21. vbi legimus hæc: *Qui percusserit, & mors eius subsecuta fuerit, reddet animam pro anima* (id est, vitam pro vita) *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* Pœna item quadrupli, vel dupli, vel etiam quintupli irrogatur certis quibusdam furti generibus. Exodi 22. Is qui furatus fuerit bouem & occiderit; reddere quinque pro vno cogitur: & qui furatus fuerit ouem vnam; pœna quadrupli punitur (videlicet, vt soluat quatuor pro vna:) qui verò furatus fuerit quamlibet aliam rem præter hominem; duplum reddere iubetur.

Sed cur furanti bouem, quintupli pœna constituitur, furanti ouem, pœna quadrupli; furanti verò aliam rem quampiam, pœna dupli? Respondet Glossa ordinaria: Exodi 22. *Ex bone, quinque fructus, & commoda prouenichant: bos enim tunc immolabatur: erat etiam bos, onera defert, pascit nos carnibus sat præbet, & pellem diuersis vsibus inseruientem; ac proinde vno pro boue quinque reddebantur, vt quinque damnorum, quæ retulimus, compensatio fieret, fructus verò quatuor ex oue percipiebantur: erat enim ouis apta ad sacrificia, ad cibum, lac item præbet, & lanam; & idcirco pro vna oue quatuor soluebantur; vt quatuor ouibus redditis, quatuor damna fures compensarent.*

Verùm S. Thomas 1.2. quæstione 105. articul. 2. ad 9. respondet, pœnas criminibus irrogari non solùm pro grauitate delicti, sed etiam vt deterreantur improbi à maleficijs. Et quia boues difficiliùs custodiuntur, & liberiùs vagantur in agris quàm oues, & faciliùs abiguntur, & abducuntur, quò fur voluerit; ideo grauiori pœna in bouis furem animaduertitur: Rursus, quia oues faciliùs, & diligentiùs quàm boues custodiuntur, sed non tam facilè, quàm cæteræ res, cum in agris pascantur, & frequentiùs etiam soleant furto abduci; ideo in fures eorum, pœna quadrupli, ac in fures aliarum rerum; dupli pœna est constituta. In lege vetere fur simplex mortis reus non erat, quia vita hominis pretiosior est rebus: at nunc fures iure communi, & statutis municipalibus suspenduntur, quoniam passim innumeri fures sunt, vt igitur deterreantur homines à furto, meritò capite puniuntur.

Pœna verberum, alijs leuioribus, & minoribus delictis irrogatur. Deuteronomij 25. *Sin autem eum*, inquit, lex, *qui peccauit dignum viderint plagis, prosternent* (criminum Iudices,) *& coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit, & plagarum modus, ita dumtaxat, vt quadragenarium numerum non excedant; ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Hinc Hebræi morem illum in suam gentem induxerunt, & diligenter obseruarunt, vt cum aliquem sontem verberarent, in eum triginta nouem tantùm plagis animaduerterent, ne terminum quadragenarij numeri à lege constitutum, & præfixum transilirent, ad quem morem proculdubio Paulus alludens: *Quinquies*, inquit, *quadragenas, vna minus, accepi.* 2. Cor. 11.

Pœna seruitutis duo tantùm crimina puniebantur: nempe (vti dicitur Exodi 21. Deuteron. 15.) Quando septimò remissionis anno Hebræus, qui seruus erat, nolebat beneficio legis vti, ac libertati pristinæ restitui: eique proinde irrogabatur pœna, vt perpetuæ seruituti esset addictus, quæ tamen seruitus vsque ad annum quinquagesimum durabat, diuinæ quoque legis præscripto, voluit Deus ne seruitus apud Hebræos esset perpetua; immo etiam, vt magni duceret quisque libertatem suam; nec ei vxorem, nec liberos, nec vllam rem aliam pretiosam, & caram anteponeret.

Item, Exodi 22. si fur nihil haberet, quod restitueret creditori suo, seruus fiebat, & venundabatur.

Pœna exilij in lege vetere, consueta non erat. At Deuteronomij 19. & Numerorũ 35. Qui percusserat proximum suum nescius, ac nullo in ipsum odio concepto, ad vnam vrbium refugij confugiebat, & ibi manebat vsque ad summi Sacerdotis obitum: tunc enim ei fas erat ad suos redire: sic interim iræ in ipsum conceptæ sedabantur, & dissidij, & odij occasio tollebatur.

Pœna exilij in eos fuit cõstituta, qui aliquem casu occidissent, per errorem, siue imprudentiam. Exodi 21. *Qui autem*, inquit, *non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius, constituam tibi locum, in quem fugere debeat* Deuteronomij 19. & Numerorum 35. præcepit Deus, vt ex vrbibus quæ Leuitis assignabantur, sex constituerentur, tres vltra Iordanem, tres citra Iordanem tanquam asyla siue perfugia, hoc est, tanquam loca sacra, in quibus à vindice tuti essẽt ij, qui occidissent quempiam per imprudentiam, vel errorem. Hi enim homicidæ fortuiti, quandiu erant in vna illarum vrbium, necari non poterant à propinquis volentibus vlcisci necem eius, qui fuerat per errorem occisus, quare tutò profugiebant eo, & ibi commorabantur vsque ad obitum summi Sacerdotis. Erant vrbes leuitarum, vt perfugia essent, veluti loca quædam sacra; & vt homicidæ leuitarum consuetudine, conuictu, & exemplo, & monitis, ac consilijs meliores euaderent: sciant Dei ministri tales se esse debere, quibus facilè, & tutò improbi committantur, vt eos ad meliorem vitæ frugem conuertant.

Vrbes autẽ illæ distabant ab se inuicẽ æqualiter. In loco verò, vbi patratũ fuerat homicidiũ, discu-

discutiebatur causa, ad quem locum ex vrbe perfugij accersebatur homicida, qui si volens ac sciens occiderat, statim sententia Magistratus, capitis damnabatur: si verò per imprudentiam cædem patrauerat, ad vrbem, vnde vocatus fuerat, nullo affectus damno ac tutus remittebatur, & non solùm in vrbe, sed intra vrbis terminos poterat euagari, & mortuo summo Pontifice, ad Patriam reuersus, ad omnia munera, & officia, & cæteri, admittebatur. Et Numerorum 35. cõceditur, vt propinquus interimere posit impune homicidam statim vt eum deprehenderit extra fines vrbis perfugij. *Si interfector.* ait Moyses, *extra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ sunt, fuerit inuentus, & percussum ab eo, qui vltor est sanguinis, absque noxa est, qui eum occiderit, debuerat enim profugus vsque ad mortem Pontificis in vrbe residere. Postquam autem ille abierit, homicida reuertetur in terram suam.* Et paulò ante: *Propinquus occisi homicidam interficiet, statim vt deprehenderit eum.* Sensus est: Liberum sit propinquo occidere homicidam statim vt in ipsum incurreret, extra vrbes tamen perfugij, voluit Deus, vt propinquus iusto suo dolori, vindicta inimici satisfaceret. Item, vt homicida crudeliùs necaretur ab inimico vltore; vt saltem metu quisque à cædibus absterreretur. Et potest Respublica, vel Princeps ob atrocitatem criminum plures ministros ad puniendos sontes constituere. Nec propterea sequebatur, vt propinquus homicidam interficeret propria auctoritate, sed legis. Cæterùm cur præcepit Deus, ne homicida ante obitum Summi Pontificis, ad suos rediret? præsertim cum inde fieret vt optandæ mortis tãti Sacerdotis homicida occasionem arriperet. Diuinæ voluntatis videlicet, & sententiæ fuit, vt ad tempus homicida exularet nõ in perpetuum, vt interim inimicitiæ dissidia, odia, & iræ sedarentur, ac deponerentur. Deinde etiam vt exilij tempus esset incertum, vt spes & amor concupitæ libertatis homicidam suspenso, sollicito & anxio animo detineret: nec homicida ab exilio liberabatur vsque ad mortem Pontificis, & pro pace, concordia, salute, & vita omnium precari, & ideo execrari, & detestari debebat homicidia etiam inuoluntaria: nec erat vlla occasio optandæ mortis Summi Pontificis, quia eius, quoniam Deus ipse qui legem tulerat, singulari prouidentia omnem optandæ captandæue mortis occasionem submouebat. Sed quid si ille in vrbe perfugij alterum hominem casu, & per errorem perimeret? tunc liberum erat illi perfugium ad alteram perfugij vrbem.

Hebræi quædam alia sanè memoratu digna, de his sex vrbibus perfugij tradunt; sed ex Scripturis ea minimè probant vel confirmant. Aiunt illi, vias, quæ ad eas vrbes dirigebant omni ex parte fuisse planas, & æquas, quò expeditiùs, & commodiùs esset iter ad illas: & in biuio aut triuio stipitem erectum fuisse, in quo scriptum erat, qua esset eundum, vt fugientem dirigeret in eam viam, quæ ducebat recta ad vrbẽ perfugij.

Quæstio verò est, an sex tantùm, an nouem vrbes perfugij essent: nam Deuteronomij 19. & Numerorum 35. Scriptura sex tantùm vrbes commemorat. Cæterùm Catholici quidam interpretes nouem fuisse contendunt, tres quidem vltra, sex verò citra Iordanem, alioqui ab se inuicem æqualiter minimè distarent. Et cum terra Chanaam latior esset, & maior, quam terra vltra Iordanẽ; difficile creditu videtur, vt nõ fuerint plures vrbes huiusmodi in terra Chanaã. Quod ergo (inquiunt) Scriptura refert sex tantùm videlicet totidem citra Iordanem, quot vltra; id locum habebat, quandiu Iudæi vniuersam terram olim à Deo patribus promissam citra Iordanem non occupabant; cum autem postea ceperunt, tres alias vrbes refugij cæteris addiderunt: quod completum esse testantur tempore Salomonis. Nouem fuisse colligunt ex capite 19. Deut. vbi legimus, *idcirco præcipio tibi, vt tres ciuitates æqualis inter se spatij diuidas*: quas aiunt esse distinctas à sex illis, quas Numerorum 35. Dominus iussit constitui. Ego certè ex scripturis nõ video quomodo nouem colligantur. nam Numero 35. sex iubet Dominus designari, & Deute 4. tres vltra Iordanem. Moyses ante obitum suum constituit Bosor, Ramoth, & Golam deinde Iosue 20. aliæ tres citra Iordanem sunt designatæ, Cades, Sichem, & Cariatharbe, nulla alia legitur constituta: & quot Deuteronomij 19. dicitur, *idcirco præcipio tibi, vt tres ciuitates æqualis inter se spatij diuidas* intelligitur de tribus ciuitatibus vltra Iordanem designandis; nec refert, quod eas Deute. 4. Moyses iam ante designauerat: nam Scriptura per repetitionem, idem sæpe commemorat.

Præterea Deuteronomij 28. multæ maledictiones tanquam pœnæ conijciuntur in eos, qui legi non paruerint, contra verò benedictiones pijs legis cultoribus promittuntur. Maledictionis verò nomine, eo capite intelligitur incommoda, aduersa & mala, benedictionis verò, munera & præmia diuinitus conferenda. In his autem numerantur vbertas fructuum ventris fœcunditas, vitæ temporalis longitudo, pax, tranquillitas, securitas animi, & alia huius generis bona, non quia pij legis cultores cum vera fide, obedientia, & charitate in Deũ, non forent cœlestia bona consecuturi, sed quòd rudes, & imperfecti bonorum temporalium fructu, quasi esca quadam allecti, ad Diuinæ legis obseruantiam pertraherentur. Hinc est, quòd in lege sæpè promittitur terra lacte, & melle manans: erat enim ea terra, in quam introducti sunt Hebræi, liberati ex Aegypto, abundans pecoribus, ex quibus lac, & apibus, ex quibus mel colligebant: abundabat oliuis, vitibus, armentis boum, & agris vberrimis, ex quibus oleum, vinum, frumenti, & butyrũ, & alia ad vitæ vsus necessaria percipiebãt; & ideo Prophetæ promittebant frequenter copiã olei, vini, & frumenti. Moyses itidẽ Deut. 32. dicebat: *Constituit enim* (populum scilicet Israeliticum) *super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum: vt fugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo: Butyrum de armento, & lac de ouibus*; in rupibus nimirum, & locis petrosis oliuæ nascebantur, & mel apes conficiebant: vnde mel ex petris, & oleum ex saxis fugere. & colligere videbantur.

Præterea, ob certa quædam crimina lex iubebat ipsa etiam animalia rationis expertia perimi, non quia vllam animalia culpam contraxissent; sed vt eorum Domini in ipsis puniretur, quia animalia non custodierant diligenter: ac vt

improbi

improbi in ipsa etiam animalia odium concipe-rent, ac proinde à peccando deterrerentur. Exodi 21. *Si bos*, inquit, *eorum percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius.* Quod si bos eorum percutere solitus esset, & Dominus eius admoneretur, nec tamen includeret eum, & occideret aliquem; & bos lapidibus obruebatur, & Dominus eius occidebatur. Postremò lex etiam continetur Numer. 5. de vxore viro adulterij suspecta, quam lex iubet certo quodam ritu examinari, & examinatam, vel condemnari, vel absolui: lex autem sic habet. *Vir, cuius vxor erraverit, maritumque contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro: si spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa decimam partē sati farinæ hordeaceæ: non fundet super illam oleū, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio inuestigans adulterium. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domino: assumetque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput eius, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta coniecit, adiurabitque eam, & dicet. Si non dormiuit vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti thoro, non tibi nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi: Sin autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cū altero viro, his maledictionibus subiace his. Det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo tuo, putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur, ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier. Amen, Amen. scribetque Sacerdos in libello ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit, & dabit ei bibere. Quas cum exhauserit, tollet sacerdos de manu eius sacrificium zelotypiæ, & eleuabit illud coram Domino, imponetque illud super altare: ita duntaxat vt prius pugillum sacrificij tollat de eo, quod offertur, & incendat super altare: & sic potum det mulieri aquas amarissimas. Quas cum biberit, si polluta est, & contempto viro adulterij rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos. Ista est lex zelotypiæ. Si declinabit à viro suo, & si polluta fuerit, maritusque spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, & fecerit ei Sacerdos iuxta omnia, quæ scripta sunt, maritus absque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam.* Hæc ibi.

Sciendum est, c. 1. 2. & 3. *de purg. vulga.* damnari purgationes vulgares, quibus quidam ad ostendendam innocentiam suam, cum alicuius criminis infamia laborarent, super ignitos carbones nudis pedibus incedere volebant: aut candens ferrum manibus attrectare, aut per feruentem aquam transire: & nihilominus Deus permisit Iudæis viris, vt cogerent similibus purgationibus vxores, quæ ipsis nomine adulterij suspectę erant, suam innocentiam ostendere: Hoc permisit Deus Iudæis, vt imperfectis hominibus. Duo sunt mala, quæ omnem Rempublicam perturbare solent, videlicet homicidium, & adulteriū; quibus duobus malis obuiam ire voluit in hac parte Dominus: & ideo permisit viris, vt vxorum innocentiam explorarent, ne eas facilè, & temere ex suspicionibus adulterij necarent: & vxores maximum vitæ discrimen subire voluit, vt eas ab adulterio deterreret, cùm nossent, scelus suū posse facilè deprehendi. Item, docemur hac lege, Deum voluisse, vt multæ fœminę sine culpa pœnam, & tormentum sustinerent, sed non sine præmio: nam permisit hoc loco innocentes vxores aliquando adulterij infamia laborare, aquas amarissimas bibere, sed cōperta innocentia noua prole donari. Discimus quoque, grauia mala esse perferenda, vt malam suspicionem ex proximorum animo euellamus. Significatur etiam hac lege, tristem esse debere peccati præteriti recordationem coram Domino, iuxta illud, Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & ideo noluit Deus, vt in hac oblatione offerretur oleum, aut thus, aut sal, cum alioqui Leuit. 2. in omni oblatione sal, oleum, & thus esset offerendum: oleum exhilarat, corroborat, lenit, tranquillat: thus quoque suo odore delectat, in sacrificijs suffitum gratissimum præbet: Sal condimentum est cibi, sapore palatum excitat.

Caput XX.

De septimo quoque anno, qui dicitur annus remissionis.

Leuitici 25. Lex promulgatur huiusmodi: *Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizet terra sabbatum Domini*, (id est, quiescat quiete quadam Domino dicata) *sex annis seres agrū tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ex ea: Septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini. Agrum non seres, & vineam non putabis. Quæ sponte gignet humus, non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam: annus enim requietionis terra est: Sed erunt vobis in cibum, tibi, & seruo tuo, ancillæ, & mercenario tuo, & aduenæ qui peregrinatur apud te.* Hæc ibi lex mādat. Non igitur mecentur segetes, sed leuiter duntaxat amputabuntur spicæ, & fructus agrorum, vinearum, & oliuarum, & aliarum arborum, communes erunt omnibus ob pauperum subsidium.

Exodi 23. *Anno septimo dimittes* (terram) *& requiescere faciet, vt comedant pauperes populi tui: & quicquid reliquum fuerit, edent bestiæ agri. Ita facies in vinea, & in oliueto tuo;* & ne soliciti essent Hebræi, vel anxij, vel remissi ad beneficentiam, Leuitici 25. præscribitur; *Quòd si dixeritis; Quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum.*

Deinde serui Hebræi libertate donabātur eodem anno septimo. Exodi 21. *Si emeris seruū Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis.* Eodem quoque anno omnia debita remittebantur. Deuteronomij 15. *septimo anno facies remissionē, quæ hoc ordine celebrabitur: Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, vel fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. A peregrino, & aduena exiges.*

Ciuem & propinquum repetendi non habebis potestatem. Et ne auari à mutuo dando abstinerent, ibidem subijcitur: *Caue ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo, Appropinquat septimus annus remissionis, & auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat, mutuum commodare; ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.* Ante septimum igitur annum licebat cuique repetere à debitore, quod mutuo dederat: accedente septimo anno, nihil in perpetuum fas erat repetere: & propterea cautiores erant Hebræi in mutuo dando, & in repetendo diligentiores.

Anno item septimo liber Deuteronomij, iussu Domini, legebatur. Deuteronom. 31. *post septem annos, anno remissionis in solemnitate Tabernaculorum, conuenientibus multis ex Israel, vt appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis huius coram omni Israel audientibus eis, & omni populo congregato.* Voluit Deus, vt omnes legem audirent, qua docerentur quid facere, quidve fugere, & cauere deberent.

Dubiæ quæstionis est, quomodo septimus annus computaretur? an ab emptione serui, aut à debito cõtracto, an potiùs ab altero septimo anno? Numerabatur à septimo anno, ita vt omnibus esset vnus, & idem annus septimus: nam ab eo anno, quo ingressi sunt Hebræi in terram à Deo promissam, computare cœperũt annos per septenarios, & in illo primo anno cœptus est primus septenarius, Leuit. 25. *Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizet terra sabbatũ Domini. Sex annis seres agrum tuum, & septimo anno sabbatũ erit terræ.* Quamobrẽ quò propior erat annus septimus, eò minoris serui vendebantur, & eò paciores inueniebantur, qui mutuo darent? nã auari à mutuo dando erant alieniores.

Caput XXI.

De Anno quinquagesimo, quem lex Moysis Iubilæum appellat.

Leuitici 25. Lex est talis: *Numerabis quoque mihi septem hebdomadas annorum;* id est, septies septẽ, quæ coniunctæ faciunt annos quadragintanouem, *& clanges buccina mense septimo; Septimo die mensis propitiationis in vniuersa terra vestra, sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ. Ipse enim est iubilæus.* In hoc anno possessiones olim venditæ, ad veteres dominos sine pretio redibant. Ibidem, *Reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque redibit ad familiam pristinam, quia Iubilæus est, & annus quinquagesimus.* Hinc fiebat, vt quò magis instaret annus quinquagesimus, eò minoris agri, vineæ, atque oliueta venderentur. Ibidem: *Quanto plures anni remanserint post Iubilæum, tanto crescet, & pretium: & quanto minus temporis numerauerit, tanto minoris, & emptio constabit: tempus enim frugum vendet tibi,* ac si dicat; venditor non vendidit tibi ipsam rei substantiam, sed tempus fructuum colligendorum. Deinde, hic annus erat perfectæ libertatis: nam vsu veniebat interdum, vt seruus Hebræus septimo anno ad libertatem pristinam non rediret, quia eam conẽnebat; & nihilominus quinquagesimo anno vellet, nollet, libertatem recuperabat cum vxore, & filijs. Exodi 21. *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Quòd si dixerit seruus, Diligo Dominum meum, & vxorem, ac liberos, non egrediar liber; offeret eum Dominus Dijs, & applicabitur ad ostium, & postes, perforabitque auremeius subula, & erit ei seruus in seculum vsque ad annum quinquagesimum.* Rationem huius legis iam suprà reddidimus.

Hoc loco quæri solet, An quinquagesimus annus numeraretur à die, quo quis possessionem vendebat? Minimè: nam sicut septimo quoque anno, altera annorum hebdomada numerari incipiebat, ita finito quinquagesimo anno, alij quinquaginta anni incipiebant computari. Quare totum tempus apud Hebræos in septenarios annos, & quinquagenarios diuidebatur, ita tamen, vt semper vterque numerus integer esset. Primus annus quinquagesimus successit ab ingressu in terram à Deo promissam, vltimo septenario hebdomadæ annorum, & vnus annus remissionis alterum consecutus est: deinde annus primus secundi quinquagenarij, qui numerari incipiebat, vt fieret secundus Iubilæus, fuit secundus octauæ annorum hebdomadæ, atque ita deinceps in reliquis.

Quæri etiam solet vnde dictus sit Iubilæus annus? Quidam opinantur deductum esse hoc nomen à Iubal, primo musicorum instrumentorum auctore; Alij verò, à Iobel, quod Hebræis significat cornu arietinum, vel ipsius sonitum: & dictum esse Iubilæum, quòd tali cornu eo anno clangerent Hebræi: nam cum eo anno quinquagesimo perfecta libertas esset debitorum, possessionum, & seruorum, remittebantur debita, possessiones restituebantur, serui libertate donabantur, ideo in maxima totius populi frequentia, & celebritate buccinis clangebatur: atque id fiebat anno quadragesimo nono mense septimo, in decima die eiusdem, quo celebritas expiationis colebatur; vt notum esset omnibus, annum proximè sequentem esse Iubilæum. Et ideo dicitur: *Sanctificabisque annum quinquagesimum,* id est, populum præparabis ad celebritatẽ anni quinquagesimi: nam sanctificare in sacris literis, aliquando idem est, quod præparare. Vnde apud Isaiam Dominus: *Ego mandaui,* inquit, *sanctificatis meis,* hoc est, Medis, & Persis, quos præparaui, vt deleant imperium Chaldæorum. Erat hic annus typus, & figura gratuitæ remissionis, & liberationis peccatoribus annunciandæ per Euangelium Christi Domini. *Isaiæ 13.*

PRAECEPTA.

Caput XXII.

De ijs, quæ lege veteri immunda censebantur, & primum de cibis immundis, siue de ciborum delectu.

Leuitici capite vndecimo, & Deuteronomij decimoquarto prohibuit Deus certos cibos, alios verò concessit. Permisit quidẽ Iudæis,

vt vesce-

vt vescerentur ex animantibus terræ quadrupedibus, his verbis: *Omne quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus, comedetis: quicquid autem ruminat, aut ruminat quidem, & habet vngulam, sed non diuidit eam, sicut camelus, & cætera, non comedetis illud.* Ac deinde numerat aliquot animalia tanquam immunda, à quibus esset abstinendum: quæ sunt, Chærogryllus, camelus, & lepus: quæ ruminant quidem, sed vngulam non findunt. Et porcus, qui vngulam diuidit, sed non ruminat. Nam quæ vngulam diuidunt, at non ruminant, non comedetis. Inter Auctores controuersia est, quale animal sit Chærogryllus. Quidam existimant esse cuniculum, alij porcum spinosum, nonnulli herinaceum: quod probant ijs verbis Dauidis: *Petra refugium herinaciis*, nam idem nomen ponitur vtrobique. Postea inter immunda animalia reponit mustelam, murem, crocodilum, Mygale, chamæleontem, stellionem, lacertam, talpam. Item, generatim immundum est animal, quod sine pedibus ventre progreditur, & reptile dicitur, quod serpit super terram.

Sanctus Thomas, *prima secundæ quæstione 102. articulo sexto*, ad primum putat, causam huius esse, partim quia carnes animalium habentium vngulam, non tamen diuisam, sunt ficci humoris, ac proinde non aptæ ad esum: partim, quia carnes animalium habentium vngulam diuisam, sed non ruminantium, solent rapto viuere, ac proinde sunt animalia rapacia, & carniuora, & idcirco immunda. Item, cum non ruminent, solent cibos integros, non concisos deuorare. Cibi itidem ex animantibus, quæ vel reptando, vel serpendo gradiuntur, eo quod sint corporibus noxij, vel immundi, lege prohibentur. Eadem ratione mures, & alia id genus animalia reijciuntur, nam hos omnes cibos natura ipsa hominum refugit, & detestatur.

Præterea, inquit ille, aliorum animalium carnes vetantur, quia immundis cibis nutriri solent, tametsi huiusmodi carnes non sint humano corpori noxiæ. Et propterea iubet Deus Iudæos abstinere à carne suillâ, quia porcus volutatur in cœno, & luto, & comedit quicquid in locis immundis inuenit. Aliorum verò animalium carnes prohibentur, quia sunt corporibus noxiæ, & earum esum ipsa hominis natura, (vt de reptilibus dictum est,) fastidit ac respuit. Ex piscibus verò, concessit eos, qui pinnulas habẽt, & squamas: eos verò prohibuit, qui squamas aut pinnas non habent. Ex volucribus vetuit carnes earum edere, quæ sunt rapaces, & voraces. Et recensuit aquilam, gryphem, haliætum, milium, vulturem, struthionem, noctuam, larum, accipitrem, bubonem, mergulum, ibim, cygnum, onocrotalum, porphyrionem, herodionem, charadrium, vpupam, vespertilionem. Sed inter mundos cibos ex volucribus memorat bruchum, attacum, ophiomachum, & locustam. Porrò gryphus, animal est Indicum, pennatum, & quadrupes, omni ex parte leoni, alis verò, & facie aquilæ simile, equis vehementer infestum, Plinius libro decimo, capitulo quadragesimonono, anteriùs rubrum est, à tergo nigrum, albisque alis.

Haliætus, volucris est: huius nulla mẽtio apud Aristotelem, AElianum, Plinium: nisi comprehendatur sub decem accipitrum generibus, quæ Aristoteles habet *libro nono cap. trigesimo sexto, de historia animalium.*

Larus auis est aquatica, colore fuluo, magnitudine columbæ non multum excedens. Quidam fulicam interpretantur: teste Suida, Auis est mirum in modum rapax, & vorax, quę ab Aristotele Gauia, appellatur *lib. 8. cap. 3.* & apud Plin. *lib. 10. cap. 32.*

Mergulus, idem qui mergus: de quo multa est mentio apud Aristotelem, *lib. 8. cap. 3.* Plinius *lib. 10. cap. 32.* dicitur esse auis sic dicta, quòd se in aquam cibum captans assiduè immergat, teste Varrone, *lib. 4. de lingua latina.*

Ibis, duplicis est differentiæ: alia apud Pelusium, nigra in Aegypto, de ea sunt multa in Aristotele *lib. 9. cap. 26.* Alia ciconiæ non absimilis apud eundem *lib. 15. cap. 10.* *Cic. li. 2. de natu. Deorum. Plin. lib. 8. c. 7.*

Onocrotalum, alij vertunt Pellicanum, eius nulla mentio apud Aristotelem. Plinius *lib. 10. cap. 47.* ait esse volucrem simile Olori, valde rapacem, & voracem.

Porphyrio, forma & pulchritudine omnes aues excedit. Aristoteles *lib. 8. cap. 8.* Aelianus *libro 14. cap. 35.*

Herodionis nec Aristot. nec Plinius, nec Aelianus meminêre. Quidam putant esse falconem.

Charadrius, auis est magnitudine par turturi, colore luteo, fluenta & nemora colens; Suidas *in Hipponacte*, ait, huic aui inesse vim medicam, vt illius aspectu facilè sanetur qui laborat Ictero, siue regio morbo. vide in Chiliad. Charadrium imitans.

Attacus, nec apud Aristotelem, vel Plinium nec apud alios legitur.

Ophiomachus itidem nescitur, quæ auis sit.

Mygale, nonnulli Eritium intelligunt.

In hac lege de ciborum delectu illud voluisse Deum quidam aiunt, vt ea animalia, quæ pro Diis à Gentibus habebantur, passim comederẽtur; sues verò, lepores, & cuniculos immundos voluit Moyses esse, quia hisce vescebãtur Aegyptij, cæteris autem tanquam Dijs suis, parcebant. forsitan Moyses suillæ carnis, & leporis atque cuniculi esum interdixit, quia Maiores suos has carnes cognouerat non comedisse, & quod Maiores in delectu ciborũ, more, & vsu obseruarunt, ipse lege constituit atque præscripsit.

Item, lege cauit, (*de qua Genes. 9. Leuit. 17. Deuteron. 12.*) ne ederent sanguinem animalium; & ideo abstinere, lege cogebantur Hebræi ab esu animalium, quæ suffocata, vel strangulata erãt, eo quod vnà cum carnibus sanguinẽ edere oporteret, si hæc comederentur. *Leuit. 19.* lex est: *Non comedetis carnem cum sanguine*: quare non tantùm fuit legis præceptum, vti abstinerent à sanguine, sed eadem ab omni animali suffocato, strangulato, & à bestijs discerpto. *Leuit. 17. Anima*, hoc est, homo, *qui comederit morticinum, vel captum à bestia, tàm de indigenis, quàm de aduenis, lauabit vestimenta sua, & semetipsum aqua.* Voluit Deus, vt ab omni rapina auertamur. In hoc tamen aliud præceptum continebatur, vt abstinerent, scilicet ab esu suffocati animantis. Prohibuit verò Deus vsum sanguinis

vt ab omni specie crudelitatis, & ab iniurijs, & cædibus abstinerent. Cuius legis ratio Leuit. 17. redditur: *Quoniam anima*, inquit, *omnis carnis, in sanguine est*, quasi dicat; quia spiritus vitalis siue vita animantium, anima sumitur pro spiritu vitali, aut vita, & caro sumitur pro animali, est in sanguine; hoc est, nutritur, & sustẽtatur à sanguine, nam sanguis est corporis ac vitæ alimentum in animantibus: : perinde est, ac si diceret: sicut lychni ignis est in oleo, id est, sustentatur, & nutritur ex oleo; sic spiritus vitalis, siue vita animantis in sanguine consistit, quare qui edit vel fundit sanguinem animalis, fundit, vel deuorat vitam eius. Et subiungitur ibidem: Et ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, vt si diceret, Præcipio, ne comedatis sanguinem animalis, quia volui, vt peccata vestra sanguine animalium expietis, & vitam vestram eo sanguine redimatis; quare sanguis animalium nonnisi ad altare meũ, & per sacerdotẽ, & tanquam victima pro vestris peccatis fundendus est. Prohibebantur itaque Iudæi edere sanguinem animaliũ, quia eum sibi Deus ad sacrificia reseruauerat, & ne occasione vlla inducerentur ad edendum sanguinem animalium immolatorum, generatim præcepit, ne vllum sanguinem animalium comederent, præcidi oportet omnẽ peccandi, & perfringendi leges occasionem.

Similiter etiã interdixit vsum adipis Leuit. 3. quoniã adipem sibi Deus reseruauerat ad sacrificia.

Item, Exod. 23. & Deuteron. 14. lex est ista: Nõ coques hœdum in lacte matris suæ, hoc est, Non offeres mihi hœdũ ministerio Sacerdotũ postea coquendum, quandiu sugit lac matris. Alij sic: Non offeres mihi hœdum mactandum vna cum matre lactante, quod etiam præceptum eodem spectare constat, ad absterrendos scilicet Iudæorum animos ab omni specie crudelitatis, iniurię, & cædis. Voluit itidem Deus, vt hœdus iam adultus offerretur quasi iam certò victurus.

Caput XXIII.

De hominibus qui in veteri lege immundi censebantur, & de rebus itidem aliys immundis.

IMpuri, & immundi homines in lege Moysis ij habebantur, qui arcebantur à sacris, hoc est, prohibebãtur ab ingressu, & aditu in templum, quique excludebantur à sacris oblationibus, & sacrificijs: Qui itidem ab aliorum consortio separabantur, & immundi dicebantur dupliciter, vel per se, vel ex alio, nimirũ tactu rei immundæ.

In primis Leuit. 13. Lata est lex, qua immundi habentur ij, qui sunt lepra infecti: nomen autẽ Hebraicum, quod latinus interpres in lepram conuertit, non solùm significat lepram, sed generatim labem, & maculam corporis contagione alios afficientem. Vnde Chaldæus paraphrastes transfert in Scabiem. Iudicium, quo lepra cuiusque iudicabatur, erat Sacerdotum. Sed cur potiùs ad Sacerdotem, quàm ad alium quemuis pertinebat? nam Medicorum est morbos cognoscere, & dijudicare: & Principum etiã, contagione morbi infectos ab aliorum cœtu, & conuictu secludere. Respondeo, id iudicium esse sacerdoti relictum, vt lepra, & alia quauis corporis labe hominem contaminatũ à sacris excluderet: nam sicut sacerdotum est ad sacra dignos admittere, sic etiam indignos prohibere, & impuros certis cæremonijs lege præscriptis mundare. Manebat autem leprosus extra castra septẽ diebus. Quæres cur septem diebus? Respondeo quia voluit lex, vt integra vna hebdomada, quæ septem dierum circulo concluditur, à castris, & proinde aliorum consortio esset exclusus. Item, septenario perfectio significatur, vt igitur leprosus septem dierum interuallo penitus curaretur à lepra, iubebaturextra castra septem dierum spatio cõmorari.

Secundò, Leuitici cap. 12. *Mulier si suscepto semine* (hoc est, concepta prole) *pepererit masculum, immunda erit septem diebus* (hoc est vna hebdomada) *iuxta dies separationis menstruæ* hoc est, iuxta numerum dierum, quibus immunda habebatur ob menstruum sanguinis profluuium,) *& die octauo circumcidetur infantulus: ipsa verò triginta diebus manebit in sanguine purificationis suæ* (vnde quadraginta diebus immunda censebatur) *sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Ratio huius legis videtur cum ipsa natura congruere, tradunt Medici ex Hippocrat. in libell. de carnibus, & lib. de partu septimestri, *& ex Aristot. lib. de historia animalium septimo, cap.* 3. semen intra vterum fœminæ susceptum, si ad septem dies formari non cœperit, effluere & euanescere. Infans quoque recens natus si septem dies compleuerit, octauo die extra periculum vitæ constitutus censetur; & ob hanc causam, teste Aristotele *libro septimo de historia animalium, capitulo vltimo*, septimo die, videlicet exacto infanti nomen imponitur, quasi iam certò victuro. Rectè igitur lex constituit, vt quæ masculum pepererit mulier, septem diebus habeatur immunda: quia licet frequenter nonnisi vsque ad tertium, vel quartum diem soleat menstruum profluuium pati, aliquando tamen natura id prorogat vsque ad septimum diem, nam si magis prorogetur, morbus est, nõ naturæ cursus. Rectè itidem octauo die circumciditur infans tanquam iam, & non antea extra vitæ discrimen constitutus: domi autem manet mulier quadraginta diebus: quia iuxta Medicorum placita, sicut infans ad octauum diem peruenies, victurus certò creditur; sic diem attingens quadragesimum, incipit roborari; & confirmari. Et ideo quadragesimo die mater iubetur eum in templo offerre, quasi iam robustum effectum, at mulier pariens fœminam, duplicato dierum numero domi recluſa manet: quia fœmina masculo debilior est, vtpote frigidior, & humidior, ac ideo recens nata non creditur certò victura, nisi decimum quartum diem exegerit: nec robustior facta, nisi octogesimum diem attigerit.

Tertiò, Leuitici 15. immundus habetur vir, qui patitur seminis fluxum.

Quartò, Ibidem, Mulier quæ menstruo profluuio labo-

uio laborat, immò quæcunq; ob morbum id patitur, septem diebus habetur immunda.

Quintò, Numeror. 19. *Omnis qui tetigerit cadauer hominis, ossa eius, vel sepulchrum interempti vulnere, vel alio modo extincti, immundus censetur septem diebus.* Itẽ, Leuit. cap. 11. *Quicunque tetigerit cadauer animalis, etiam mundi, vel vulnere occisi, vel à bestia discerpti, vel senio, aut morbo confecti, immundus putatur.* Numeror. etiam 19. *Omnis qui immundum aliquid tetigerit, immundus habetur. Omnis itidem, qui tetigerit aquas expiationis,* hoc est, aquam, qua immundi respergebantur, vt mundi redderentur. Leuitici cap. 11. *Qui tetigerit aliquod animal etiam viuum, ex ijs, quæ reptant siue serpunt, immundus erit.* Ratio huius legis erat, quia hæc animalia sunt hominibus noxia, cum venenum effundant. Item, Num. 19. *Omnis qui ingreditur tentorium, in quo existit mortuus, & vniuersa vasa, quæ ibi sunt, polluta habentur septem diebus.*

Præter homines, res quædam aliæ immundæ quoque censebantur. Et hoc etiam dupliciter, vel per se, vel contactu hominis immundi. Per se, res ea impura habebatur, quæ suo tactu hominẽ immundum reddebat.

Leuit. cap. 14. lex continetur de ædibus immũdis. Sic enim dicitur: *Cum ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius est domus, nuncians Sacerdoti, & dicet, Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea.* Porrò lepra in domo, erat macula, parieti hærens, eo quod lapis putresceret; vel labem aliquam, & maculam quoquomodo contraheret. Ibidem dicitur: *Qui intrauerit domum,* (videlicet labe, vel macula infectam) *quando clausa est, immundus erit vsque ad vesperam: & qui dormierit in ea, & comederit quippiam* (hoc est, vel comederit) *lauabit vestimẽta sua,* id est, immundus habebitur, donec abluerit vestimenta; post solis occasum.

Leuit. cap. 13. Lata est lex de veste lanea, siue linea immunda, quæ sic habet: *Vestis lanea siue linea, quæ lepram habuerit in stamine, siue subtegmine, aut certè pelli, vel quicquid ex pelle confectum est, si alba, vel rufa macula fuerit, infecta lepra reputabitur, ostendeturque Sacerdoti.* Lepra in veste erat labes, vel macula in panno ex qualibet causa contracta, siue vestis esset lanea, siue linea, siue pellicea, siue esset in stamine, vel sub tegmine laneo, vel lineo, vel pelliceo.

Numeror. 19. Lex datur de vase immundo. *Vas,* inquit, *quod non habet operculum, nec ligaturam desuper,* (hoc est, super quo alligatum nõ est operculum) *immundum erit.* Ratio huius legis erat, quia tale vas cum patulum esset, immunda solebat excipere, & proinde, vt expositum pluribus incommodis, habebatur pro impuro.

Leuit. cap. 11. *Omnis cibus quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit.* Sensus est: si in cibum alioqui mũdum ceciderit aqua, ex vase scilicet immundo, eo quòd exceperit morticinum animal, immundus reddetur.

Subiungitur in lege: *Et omne liquens, quod bibitur de vniuerso vase, immundum erit.* Significatur que omnis potus qui bibitur ex vase immundo, fit immundus. Ibidem: si aliquid ex morticinis immundis, cadebat in aliquid aliud, id immundum reddebat; non tamen si in fontes, vel cisternas, vel in alias aquarum congregationes incideret, nec itẽ si in semen iam terræ mandatum. Secus verò, si caderet in semen aqua perfusum, & præparatum ad hoc, vt terræ mandaretur.

Leuit. cap. 15. *Omne stratum, in quo dormierit homo, cui semen fluit, immundum erit, & vbicunque sederit. Si quis item hominum tetigerit lectum eius, vel sederit, vbi ille sederat, immundus erit.* Idem statuitur de ijs, qui tetigerint mulierem menstrua patientem. Sed quid verba illa toties inculcata significant; *immundus erit vsque ad vesperam?* Item, illa, *Lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua immundus erit vsque ad vesperam?* Respondeo: ij, qui immundi reddebantur tactu rei immundæ, impuri manebant vsque ad solis occasum, vult dicere lex: toto eo die, quo immundum tetigerant, immundi erant: at post solis occasum, lauabantur ipsi, & eorum quoque vestimenta immunda tactu facta.

Porrò cæremoniæ, quibus immunda purgabantur, continentur Numer. cap. 19. & Leuit. c. 14. Ii verò, qui immundi erant per se, non tactu rei immundæ, iubentur Num. 5. extra castra eijci, & commorari, videlicet, lepra infecti, siue mares essent, siue fœminæ. Item, viri, quibus semen fluebat, videlicet ex morbo, ægritudine, vel alia qualibet corruptione corporis inuoluntaria; nõ autem qui ex concubitu, siue congressu, vel per quietem nocturnam, vel sua sponte semen nefariè emittebant: nam illi patiuntur fluxum seminis, vt corporis morbum, & ægritudinem, hi nõ item. Item, viri siue fœminæ in vniuersum causa siue tactu funeris, siue hominis mortui immundi erant. *Præcipe,* inquit, *filijs Israel, vt eijciant de castris, omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo.* Leprosus eijciebatur, ne alios inficeret. Item, vir qui seminis fluxum ex aliqua corporis ægritudine corruptioneue inuoluntaria patiebatur, ne tactu ipsius alij immundi passim redderentur.

Deuteronom. 23. Lata est lex hæc: *Quando ingressus fueris contra hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala,* hoc est, ab omni turpi, & immunda re, vel actione, & omni peccato. Hebræi cum hostibus pugnaturi, solebant Arcam Domini in castra deportare, & per castra circumferre. Vnde Dominus præcepit, vt milites in castris, per quæ Arca Domini circumferri debebat, ab omni immunditia, & turpitudine sese continerent. Item, milites temere, & impudẽter multa peccata cõmittunt; vnde fit vt Deus iratus victoriam sæpè deneget. Ideo præcipit, vt ab omni peccato se abstineant, ne suis peccatis victoriã impediant. Putant milites, cum progrediuntur ad bella, omnia mala impunè sibi licere committere; non sibi temperant à cædibus, non à rapinis, & violentiis, stupris, & id genus flagitijs, & idcirco sæpe vincuntur ab hostibus. Monemur itidem, in omni loco munditiam esse seruandam: docemur etiam, in externis, & internis rationem esse habendam Dei vbique præsentis, & cuncta cernentis, qui perspicit occultissima quæque, etiamsi hominũ oculos fugiant, & lateant.

Ibidem ponitur hæc lex: *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur, priusquam ad vesperam lauetur aqua: & post solis occasum regrediatur in castra.*

Item, & alia lex: *Habebis locũ extra castra, ad quem*

egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in baltheo: vel ex Hebræo, & habebis paxillum cum armis, hoc est, cum ense tuo, *cumque sederis, fodias per circuitum, & egesta humo operies, quo reuelatus es, Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos: & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.* Viles profecto, & paruæ videntur hæ duæ leges, sed satis salutares, & vtiles, ob communem militum salutem, ne castra sordibus polluerentur, & inficerentur; ne itidem aliquid esset immundum coram Arca Domini, quæ in castra deportabatur, & per ea circumferebatur. Admonebantur quoque his legibus Reipublicæ rectores, vt sordes extra vrbes depellendas sollicitè curarent, ne malus illarum odor ciuibus noceret. Quòd si corporis immunditiã iubet Deus abstergi, quanta cura est adhibenda in expurgãdis mentis maculis ac sordib us, quæ sunt peccata?

PRAECEPTA.

Caput XXIV.

De Nazaræis.

NVmerorum sexto lex fertur de ijs, qui Nazaræi dicebantur; hoc est, voti religione & vinculo Deo consecrati. Porrò Nazaræi, vel ad tempus, vel in perpetuum totos sese Deo dedebant, Diuinoque cultui, & religiosæ vitæ mancipabant, his interdictum erat vsu vini, & corporis delicijs, & voluptatibus: vnde sese abstinebant à sicera, & omni potu ex vuis expresso; esu itidem vuarum recentium, siccarum, & passarum: quare nec ipsos vuæ acinos edere poterant, vt omnis illis tolleretur occasio bibendi vinum. Præterea, quamdiu Nazaræorũ religione tenebantur, capillos intonsos deferebant, & à funere arcebantur etiam parentum, & fratrũ. Si enim vel funeri intererant, vel immundum aliquid tangebant, immundi fiebant. Quod si accideret, vt coram ipsis quispiam subitò moreretur, eo ipso polluebantur; ita tamen vt ritu legitimo postea mundarentur. Cum immundi reddebantur causa funeris siue mortis, septimo die debebant cæsariem siue comam radere, & octauo, duos turtures, vel duos pullos columbarum offerre: & ex eo tempore incipiebat rursus numerari tempus Nazareatus sui, hoc est, tempus quo vouerant se futuros Nazaræos. Nam dies, qui pollutionem præcesserant, pro nihilo habebantur. Exacto verò consecrationis tempore, Nazaræorum capilli tondebantur, ac igni exurebantur: hoc enim fuit legis commune præceptũ, vt quod supererat ex victima, & hostia immolata, vel qualibet re alia sacrata Deo igni comburetur; videlicet ne posset à profanis hominibus conculcari, vel ab animantibus brutis comedi, vel in vsus conuerti profanos.

Nazaræus Hebraicè idem est, qui latinè separatus, erat enim à cæteris segregatus vitæ sanctimonia, & vitæ religione, & abstinentia à vino, & alijs corporis delicijs, & intõsa capitis cæsarie siue coma, & diuinis rebus, & operibus addictus. Quæ autem erãt diuinis vsibus destinata, separata vocabantur, hoc est, à profanis ministerijs, & actionibus signo aliquo sepositа. Hoc vitæ genus Deus per Moysen multis de causis instituit: Primò, vt præter sacerdotes, essent aliqui ex populo, qui se totos piæ, & religiosæ vitæ, & diuino cultui consecrarent. Deinde, vt aliqui sua sponte arctiori melioris vitæ vinculo obstrictos sese Deo offerrent, & suo exemplo cæteros ad meliorem quoque vitæ frugem alicerent, & inuitarent. Postremò, vt ij, qui aliquando vino, & reliquis corporis delicijs liberiùs, & profusiùs quàm par erat, indulsissent, postea seueriori vitæ generi se dederent. Noluit verò Deus de hoc vitæ instituto præceptum dare, sed consilium, vt cuique liberum esset se Deo Nazaræorum voto obligare.

Sed cur præcepit Deus, vt Nazaræi comam intonsam deferrẽt? Teste Cyrillo in eo capite, hoc præcepit Deus, quia apud Gentes hoc erat in more positum, vt qui Dijs ipsorum Gentilium consecrabantur, capillos, & barbam raderent. Hæc ille. Item, quia cæteri Hebræi comam tondebãt ornatus gratia, vnde oportuit, vt Nazaræi Diuino cultui, & obsequio mancipati, nihil de eo capitis ornatu curarent, quo testarentur se omnem corporis ornatum, & cultum negligere: quem tã sollicitè cæteri curabant.

PRAECEPTA.

Caput XXV.

De Sacrificijs.

NAturæ lex, & ratio deposcit, & præcipit, vt Deo sacrificia offeramus, quibus peccata nostra expiemus, eum nobis placatum, & propitium reddamus, eius opem inuocemus, gratias pro beneficijs acceptis agamus. Quare Deus per Moysen certa quædam sacrificia cum suis ritibus peculiaribus instituit.

Primò Quæritur, quotuplex fuerit sacrificiorum genus in vetere Hebræorum populo? S. Thomas *prima secundæ quæst. 102. artic. tertio ad octauum*, omnia sacrificia legis veteris ad tria genera reuocat; ad hæc nempe, Holocaustum, Hostiam pacificam, & Hostiam siue sacrificium pro peccato. Ex Leuitico à capite primo vsque ad septimum omnia sacrificiorum genera colliguntur. vnum genus erat, quo tota victima comburebatur, sacro igne, & combusta exhalabat fumum ascendentem in cælum: quod sacrificiũ Hebraicè dicitur, *Holah*, eò, quòd totum animal igni exustum, in fumum sublime petentem resoluebatur. Græci vocant, ὁλοκαυτὸν, Holocaustum, vel Holocaustoma, quasi totum combustum: quod nomen retinuit semper Latinus interpres. Hoc sacrificium offerebatur ad testandum Diuinæ Maiestatis honorem, imperium, & supremum dominatum in omnia; Et ideo totum sacro igni cõsumebatur: honor enim Deo debitus, nulli alteri potest iure deferri; ac propterea victima, qua hunc honorẽ offerens testabatur, tota meritò absumebatur igni, quia in totũ Deo debebatur: & idcirco tota sublime petebat, quasi omni ex parte cælesti igne succensa, vt cum hoc sacrificium

offerimus,

offerimus, intelligamus, & testemur nos totos in honorē, & cultum Dei consecratos, & obstrictos, & igne Diuini amoris inflammatos esse oportere. De hoc sacrificio agitur Leuit. 1. & 6.

Alterum genus sacrificij Hebraicè dicitur, *Mincha*, quod Latinus interpres Leuit. cap. 2. & 7. vertit in Sacrificium, aliquando Libamen, vel Libamentum. Erat enim munus oblatum ex rebus vitæ expertibus, sed ad esum, & potum aptis. Et Leuit. cap. 2. numerantur sex genera rerum, ex quibus constabat, videlicet, simila, hoc est, farina purissima oleo commixta, cum qua etiam simul offerebantur thus, & sal. Secundò Panis, hoc est, placenta ex simila clibano siue fornace cocta. Tertiò Panis, id est, placenta in sartagine frícta. Quartò Panis, hoc est, placenta in craticula ad ignem concocta. Quintò, Spicæ triticeę matureſcentes igni tostæ. Sextò, Triticum ex primis spicis contritum.

Tertium genus sacrificij Hebraicè dicitur, *Zebach, Selamim*, quod Latinus interpres appellat Hostiam pacificam, vel pacificorum, aliquando Hostiam salutarem. In eo offerebatur, vt patet Leuitic. 3. victima, hoc est, aliquod animal ex bobus, vel ouibus, vel capris; quod quidem animal gladio iugulabatur: cuius vna pars igni exurebatur, altera cedebat in cibum vsumq; sacerdotis, tertia relinquebatur in escā eius qui offerebat. Hoc porrò sacrificiū, aut offerebatur ad agendas gratias Deo pro beneficijs acceptis, quo testabatur offerens gratum animum suum erga Deū, & totum, quod reseruabatur in vsum Sacerdotū, edi debebat eodē die, quo offerebatur: & hoc sacrificium passim in Sacris literis, laudis sacrificium vocatur, quod sponte sua quisque offerre cōsueuerat. Aut offerebatur ad Diuinam opem impetrandam, ratione alicuius beneficij obtinendi, votiua vel spontanea oblatione. Et totum, quod cedebat in Sacerdotum escam, comedi poterat, vel eodem die, vel proximè sequenti: reseruari tamen in tertium diem nequibat. Leuit. 7.

Quartū genus sacrificij Hebræis vocatur *Chatah*, quod Latinus interpres reddit Hostiam pro peccato. erat animal, quod mactabatur pro peccato alicuius sciēter admisso, cuius vna pars igni absumebatur, altera seruabatur in cibum Sacerdotis offerentis, quando erat hostia immolata pro peccato Principis, vel priuati hominis, nam erat vnū sacrificium, quod offerebatur pro peccato summi Sacerdotis: alterum pro peccato Principis, vel Magistratus: tertium pro peccato totius populi: quartum pro peccato priuatorum hominum, vt postea dicam.

Quintum genus sacrificij dicitur Hebraicè *Asam*, quod latinus interpres Leuit. 7. transfert in Hostiam pro delicto; hoc est, animal immolatū pro peccato alicuius nō scienter, sed per errorē, vel imprudentiam commisso: Cuius sacrificij, vnam partem deuorabat ignis: alteram verò sibi in cibum Sacerdotes sumebant.

His omnibus sacrificijs commune nomen erat Hebraicum *Corban*, quod latinus interpres semper vertit siue in donū, siue in oblationem: significat enim generatim tum sacrificia prædicta, tū reliquas quaslibet oblationes, etiamsi circa materiam ipsam, quæ offertur, nulla actio sacra fieret. Vnde cum in Scripturis iunguntur sacrificiū, & munus, vel sacrificium, & oblatio, priori vocabulo, significatur oblatio rei, per aliquam actionem sacram mutatæ, nempe, vel contritæ, vel mactatæ, vel exustæ, vel cum alio commistæ, vel aliquo consperſæ liquore, vel sale: posteriori vocabulo significatur oblatio rei nulla ratione mutatæ, quia nihil in ea per actionē sacrā fiebat.

Secundò Quæritur, quot genera animalium, in sacrificijs Iudaicis offerebantur? Respondeo: ex quadrupedibus mundis tria tantùm genera animaliū sacrificari lege potuisse, sacrificia etenim offerebantur ex bobus, vel ex ouibus, vel ex capris: ex volucribus verò mundis, duo tantùm genera erant sacrificijs apta: aut enim turtures, aut pulli columbarum offerebantur. voluit verò Deus sacrificia offerrri ex animantibus, mundis quidem, & quæ sunt nostris vsibus deputata, & ex quibus multa ad vitam nostram necessaria percipimus; videlicet, vt ex his, quæ ad vitæ vsus habemus, aliquid detraheremus, & Deo reseruaremus: voluit etiam, vt ex prædictis quadrupedibus, vel volucribus sacrificia offerrentur, vt tum pauperes, tum diuites sacrificia possent offerre: habent enim etiā pauperes, vel boues, vel oues, vel capras, vel turtures, vel columbas: voluit itidem Deus ea animalia immolari, quæ in potestate hominum essent, & quæ facilius parārentur; & ad significandum aliquid aliud essent aptiora; & quę essent pariter mitiora, & vtiliora cæteris.

Sed cur edixit Deus oblationem animalium? vt intelligeremus, sanguine animalium immolatorum, quo peccata hominum expiantur, vitam nostram redimi; peccata siquidem cum grauia sunt, mortem promerentur: animalia itaque mactabantur, quorum morte offerentes suam vitam redimebant: & ideo ex quadrupedibus, quæ mactabantur animantibus, Deus sibi sanguinem reseruauit, quia sanguine peccata expiabantur. Itē, adipem reseruauit sibi, quò commodiùs victimę carnes igne sacro cremarentur: adeps enim pinguis est, & propterea optimum est ignis alimentum, & esca, quo adoleri victimam oportebat. Porrò volucres nō diuidebantur, vt reliquæ victimæ, quia paruæ erant, & ideo commodè secari non poterant: nec volucris Leuit. 1. ferro iugulabatur, vel cædebatur, sed vngue. Pro eo, quòd Hieronymus vertit: Et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, in Hebræo habetur: *Et vngue secabit caput eius, aut etiam retorquebit.* sic enim volucres occidi solent.

Tertiò Quæritur, quisnam ritus in holocausto offerendo solebat adhiberi legis præscripto? In primis, victima, immaculata esse debebat, hoc est, animal integrum, cui nullum corporis membrum deesset, & in quo nihil deforme cerneretur; hoc est, cui nullum corporis vitium inesset, nam quod Deo offertur, vt ipsa naturalis ratio postulat, debet esse perfectum, & optimū, quodque nulla reprehensione notari queat.

Manum capiti victimæ imponebat is, qui offerebat, quasi deprecaretur iram Dei, peteretque, ne in suū, sed in caput victimæ totā conuerteret. Hoc item animal cædebatur, vel de bobus, scilicet vitulus; vel de ouibus, vt agnus, vel ex capris,

hœdus, vt constat Leuit. 1. Agnus autem, vel hœdus, anniculus debebat esse, vitulus maior esse poterat teste Iosepho. Anniculus intelligitur, qui annum non excesserat.

Ignis, quo victimæ, vel quælibet aliæ res oblatæ adolebantur, sacer erat, qui mirabiliter de cœlo datus fuerat Leuit. 9. neq; enim sacrificia Deo accepta fuissent, nisi igne cœlitus demisso absumpta: sicut nec opera nostra grata, & accepta sunt Deo, nisi igne Diuinæ charitatis succensa, atque inflammata.

Pellis immolati animalis Leuit. 7. ad Sacerdotem pertinebat, in eum finem scilicet, vt ex ea vestimenti genus conficeretur: neque enim pellis erat ad sacrificium apta, sed ad vestes conficiendas. Et sanguis fundebatur per crepidinem altaris holocaustorum, & decurrebat per parietes ipsius altaris, quo nimirum significabatur, peccatis Deum offensum fuisse, & ideo mensam eius, quod erat altare, pollutam peccatis, hostiæ sanguine mundari, quæ alioqui nostro sanguine purgari deberet. Offerebantur quoque ex volucribus mundis, vel duæ turtures, vel duo pulli columbarum; vt pauperes, quibus facultas non erat offerendi vitulum, vel agnum, vel hœdum, haberet, quod offerre possent. Porrò turtures, nō pulli turturum: & ex columbis, nō columbæ, sed sed pulli columbarum offerebantur: quoniam in turturibus pluris fiunt, & aptiores iudicantur grandiores, quàm pulli: contra in columbis, suauiores, & meliores sunt pulli.

Cineres mactatæ victimæ, qui ex sacrificijs in immo altari subsederant, igni iterum exurebantur, ne aliqua carnis, vel adipis particula relinqueretur, sed in cineres penitus redigeretur, & in locum mundissimum extra castra projciebantur, quia, quæ ex sacris victimis supererant, noluit Deus, vt in profanos vsus conuerterentur, vel ab immundis conculcarentur. Eodem ritu ex volucribus immolatis vesica turturis, vt immunda, & plumæ, quia sacrificio inutiles erant, reponebātur in eodem loco, in quo cineres seruabantur. Auem verò cum alis confringebat Sacerdos, nec partem vnam separabat ab altera, sed simul cū alis suis adolebat sacro igni in altari holocaustorum: sic enim auis solet tota simul cremari, non secta neque diuisa, vt reliqua animalia igni torrentur, siue aduruntur.

Quartò Quæritur, qui ritus esset in hostia pacifica? Poterat hæc hostia offerri ex bobus; item ex ouibus, vel capris eodem ritu, quo ex bobus, licebat offerre marem, vel fœminam, quia cum non esset necessarium, vt erat sacrificium pro peccato, vel delicto, sed voluntarium, nec totum in Dei cultum, & honorem fieret, vt holocaustum, sed priuatam etiam offerentis vtilitatem respiceret, eius arbitrio relinquebatur, vt pro studio, & affectu piæ, & religiosæ voluntatis plus minúsue, hoc est, marem, vel fœminam offerret. Aues non offerebantur, quia necesse nō erat vt pauperes ad sacrificium animalia darent, cum possent ex rebus inanimis offerre: nam vt cōstat Leuit. 7. poterant offerri panes ex simila oleo conspersi, id est, commixti.

Item Leuit. 2. præcipitur: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet.* Quidam existimant, hoc in vniuersum esse præscriptum, ita vt fuerit generale præceptum, siue mandatum. Cæterùm iuxta subiectam materiam, hoc in loco debet intelligi: placentæ siquidem, siue maiores, siue minores, aut in clibano, hoc est fornace coctæ, aut in sartagine frictæ, aut in craticula vstulatæ, azymæ esse debebant, nam ab his solet abesse fermentum, ne eas corrumpat; alioqui apud Iudæos quotidiani panes quibus vescebantur, ex quibus primitias, & decimas offerebant, fermētati erant. Eædem insuper placentæ Leuit. 2. absque melle, ex legis præscripto offerebātur, quoniam sacro igni adoleri debebant: at non commodè igni mel exuritur, & ideo ibidem habetur: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino absque fermento fiet, nec quicquam fermenti, & mellis adolebitur in sacrificio Domini, & fermentum solet massam corrumpere, & delitiæ itidem, & voluptates animum emolliunt, enervant, & corrumpunt.* Et mox: *Primitias tantùm eorum offeretis, ad munera: super altare non imponentur in odorem suauitatis.* Sensus est: Ex fermentatis panibus, & ex melle primitias offeretis; nihil tamen ex ipsis exhibebitis, vt super altare igne aduratur. Placētæ oleo commixtæ, vel vnctæ offerebantur, quia absque oleo comedi non solent, nec absque oleo placēt. Item, offerebatur thus vnà cum ipsis placētis, ne oblatio odore careret, immò potiùs, vt placentæ essent odoratissimæ, & suffitum gratissimū præberent. Sal quoque cum ipsis panibus offerebatur, ne cibus vacaret sapore: insulsum est, quod sine sale comeditur, sal condimentum est cibi, sapore palatum excitat.

Quintò Quæritur, quid est, quod Leuit. 7. traditur, videlicet, cum immolabatur hostia pacifica ad laudandum Deum pro gratijs agēdis: quod sacrificium laudis appellatur, eadem die carnes victimæ edi debebant, nec in crastinum quidquam reseruari poterat: sed cùm sacrificium fiebat votiuum, vel spontaneum, poterant eodem die comedi, & die proximè sequenti, at in tertium diem nihil reseruare licebat. Respondeo, sacrificium laudis fuisse pro beneficio recens accepto, ac ideo carnes statim comedere oportebat, vt ea cum animi iucunditate ederentur, quæ comitari, & consequi solet recens acceptum beneficium, ne si actio gratiarum differatur, paulatim illa elangueſcens euanescat & diffluat. At sacrificium votiuum, vel spontaneum, ad rem aliquam à Deo obtinendam pertinebat, & ideirco voluit Deus, vt carnes, vel eodem die comederētur, vel reseruarentur in crastinum, vt impetrandi, quod petebatur à Deo beneficij, desiderium, quoad eius fieri posset, magis efferuescēret. Solent enim dona statim adepta vilescere. Nec tamen quicquam ex sacrificio erat reijciendum in tertium diem, ob corruptionis periculum, & incommodum. Præterea, ex tali sacrificio offerens comedebat; quod non fiebat in hostia pro peccato, aut delicto, quia hoc erat sacrificiū necessariū, & debitū ad peccata expiāda. Nec est vlla ratio, cur quispiā ex suo peccato cōmodum reportet: immò, quia peccauimus, in mœrore, & luctu agere pœnitentiā debemus, nō epulari, nō conuiuari: sed illud erat spontaneū sacrificiū ad gratias agēdas, p beneficio diuinit⁹ oblato, & accepto, & ob id iucūdè, & alacriter comedebatur.

Sextò

Sextò Quæritur, Quo ritu, & cæremonia, Hostia pro peccato immolabatur? Respondeo: aut erat hostia pro peccato summi Sacerdotis, aut pro peccato Populi Principis, aut priuati hominis, & vnaquæque hostia diuersis ritibus, & cæremonijs immolabatur.

Caput XXVI.

Hostia pro peccato summi Sacerdotis.

PRo peccato Pontificis, mactabatur vitulus ex bobus. Leuit. 4. Et eam hostiam immolabat, teste Philone, summus Sacerdos: quamuis Abulensis Leuit. 2. docuerit eã immolari ab alio Sacerdote solitam. Quicquid senserint isti, capiti ipsius vituli manum imponebat summus Sacerdos, qui pro suo peccato offerebat. Cædebatur vitulus extra tabernaculum in altari holocaustorum, quod erat ante ostium tabernaculi. Deinde, cratere excipiebatur pars aliqua sanguinis, & inferebatur in tabernaculum: & versus velũ, quod pendebat ante Sanctum Sanctorum, aspergebatur septies, hoc est, perfectè, quia peccatum Pontificis grande censebatur, & ideo magna, & perfecta indigebat expiatione. Eademque ratione vitulus, qui est hirco, & oue maior, immolabatur. Eodem sanguine tingebantur cornua altaris Thymiamatis, & totum reliquum sanguinem effundebat Sacerdos ad basim, hoc est, iuxta basim altaris holocaustorum. Adeps omnis, & renes, & reticulum, quod est super eos, incendebantur in altari holocaustorum: pelles, & omnes carnes cum capite, pedibus, intestinis, & fimo, efferebãtur extra castra, & mundo in loco exurebantur. Locus mundus quærebatur, quia id requirebat vitulus, qui erat Deo immolatus. Porrò extra castra exurebantur; ad significandum, peccatũ Pontificis, ita esse igni totum exustum extra castra, vt nihil in posterum populo nocere posset. Lapsus enim Sacerdotis, non est sine offensione populi; & ideo extra castra vitulus incenditur, vt nihil populum lædat; & vt qui populum offendit, excludatur à populo suum peccatum pœna debita expiaturus. Nihil ex hac victima comedebatur, quoniam erat immolata pro tam grandi peccato Pontificis.

Caput XXVII.

Hostia pro peccato Principis.

CAEdebatur hæc hostia videlicet hircus ex capris, id est, tener & optimus, & manum capiti eius Princeps imponebat. Princeps verò intelligebatur, siue Militiæ Dux, siue Præfectus, vel caput totius ciuitatis, populi, vel familiæ: Nõ extra castra incendebatur hæc hostia, nec sanguis eius inferebatur in tabernaculum, quemadmodum in priori, & sequenti sacrificio: quare extra tabernaculum sanguis aspergebatur, & eo tingebantur cornua altaris holocaustorum, non altaris incensi: non enim peccatum Principis erat tam grande, quam erat peccatum Summi Sacerdotis, aut totius populi.

Caput XXVIII.

Hostia pro peccato Populi.

LEuit. 4. hæc hostia eodem ritu, & cæremonia, qua victima pro peccato Pontificis, immolabatur; & ideo extra castra tota incendebatur in loco mundo, qua erat pro peccato totius populi: & propterea capiti victimæ seniores populi manum imponebant, quasi totus populus iram Dei deprecaretur, & auerteret à se.

Peccatum populi erat, cum omnes, vel maior populi pars peccasset. De his duabus hostijs intelligitur illud Pauli ad Hebræos scribentis: *quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra,* quod quidem ex Leuit. 6. sumptum est, vbi legimus: *Hostia enim, quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij, ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.* Sanguis igitur aspergebatur versus velum pendens ante Sanctum Sanctorum, & cornua altaris Thymiamatis tingebantur, & reliquus totus sanguis fundebatur iuxta basim altaris holocaustorum. *Heb. 13.*

Leuit. 16. legem Deus tulit, vt Sacerdos duos hircos à populo susciperet pro peccato expiando, & vnum arietem in holocaustum, & mitteret sortem super vtrumque hircum, vnũ pro eo, qui mactandus erat pro peccato, alterum pro eo, qui erat abijciendus in montem. Et cum mactauerit hircum pro peccato, inferat sanguinem eius intra velum, vt aspergat, & expiet sanctuarium ab immunditijs filiorum Israelis. Et postquam mundauerit sanctuarium, tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum alterum viuum, & postea vtraque manu super caput eius cõfiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti eius, emittat illum per hominem ad id paratum in desertum: & portabit hircus omnes iniquitates eorum in solitudinem. Ex hac lege alter hircus immolabatur pro peccato: alter viuus quasi peccata populi portans, in solitudinem mittebatur, hoc est peccatorum pœnas luebat pro populo. Magna profecto Dei benignitas, qui pœnas, quas populus pro peccato soluere debebat, in caput hirci transferebat; & vt eas à populo remoueret, in solitudinem hircũ abijci iubebat. Adumbratus est Christus, in quo, vt ait Isaias, Dominus posuit iniquitatem omnium nostrum, hircus dicebatur peccata populi portare, quia eo in solitudinem abiecto, peccata expiabantur, & dimittebantur.

Caput XXIX.

Hostia pro peccato priuati hominis.

HAec victima Leuit. 4. mactabatur eodem ritu, quo victima pro peccato Principis: nisi quod poterat offerri minor hostia, videlicet mas vel fœmina ex capris. Comedebat Sacerdos, qui offerebat, ex hoc sacrificio. nam Leuit. 6. legimus: *Sacerdos, qui offert, comedet eã, victimam scilicet,* Sacerdotẽ intelligit, qui ea hebdomada sa

cris

ceris operabatur. Cum etiam dicitur: *Omnis masculus de genere Sacerdotali, vescetur de carnibus*: non domesticos illius sacerdotis intelligit, sed sacerdotes omnes ex illa familia sacerdotali, quæ secundum ordinem vicis suæ ministrabat ea hebdomada, quamuis pars melior & maior ad offerentem sacerdotem pertineret, qui propterea dicitur eam comedere, quia præcipuam partem edebat.

Nam Leuit. 7. eodem modo loquitur Scriptura de hostia pro delicto, cum ait: *Omnis masculus è genere sacerdotali in loco sancto vescetur his carnibus.* Et post pauca: *Ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.* Sic enim hæc intellexisse videntur Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 13. & Philo. Hostiam porrò, quæ non cremabatur, Sanctum Sanctorum nominat Scriptura, hoc est, valde sanctum sacrificium: Sicut nos, res valde sanctas, dicimus sacrosanctas. Et ideo in loco mundo & sancto comedebatur, hoc est, in atrio tabernaculi, & sanctũ esse oportebat, quicquid eam tangebat.

Caput XXX.

Hostia pro delicto.

CAedebatur hæc victima pro peccato per errorem, vel ignorantiam admisso: vel erat pro delicto facto per ignorantiam iuris, cõtra cæremonias legis, vt si quis vteretur oleo sacræ vnctionis, vel thymiamate Deo dicato, vel ederet sacros cibos, quibus vesci solis sacerdotibus licebat. Vel erat pro quolibet alio delicto per ignorantiam iuris Leuit. 5. prope finem legimus: *Anima, si prævaricans cæremonias* (id est, Homo qui cæremonias violauerit) *per errorem, offeret pro delicto arietem immaculatum de gregibus* (id est, tenerum, integrum, & optimum) *qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus sanctuarij: ipsumque, quod intulit damnũ, restituat: & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit, pro eo.* Et Leuit. 6. iubetur qui deliquerit per errorem, offerre arietẽ ex grege, iuxta mensuram æstimationemque delicti: quorũ verborum sensus est: Maiorem, aut meliorem arietem, pro vt granior, leuiorque culpa delicti fuerit, offeret. Et teste Iosepho, is, qui peccauerat, sacerdotem adibat, cui suum peccatum confitebatur, vt ipsius arbitrio arietem eligeret, quem offerret pro delicto. Quod verò in vulgata editione dicitur: *Conuicta delicti* (scilicet anima) *reddet omnia*, ita intelligitur, conscia sui delicti reddet omnia. Vescebantur itaque Sacerdotes ex victimis immolatis pro delicto, aut pro peccato priuatorum hominum. Vnde apud Oseam legimus, sacerdotes peccata populi mei comedent. Significat: Sacerdotes ali & viuere solent ex hostijs oblatis à popularibus, & mactatis pro eorũ peccatis & delictis.

Iosc. lib. 3. antiq. c. 10.

Osea 4.

Si quæras, quodnam erat iuge sacrificium? Respondeo: Numeror. cap. 28. hanc legem contineri: *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum. Vnum offeretis mane, & alterum ad vesperam; decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, & habeat quartam partem Hin per agnos singulos in sanctuario Domini: alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam iuxta omnem ritum sacrificij matutini, & libamentorum eius.* Hæc ibi: Porro Ephi erat apud Hebræos rerũ aridarum mensura, & erat pars decima Cori, qui erat mensura maxima rerum aridarum. Continebat Ephi tria sata, & capiebat decẽ Ghomor: nam Exod. 16. Ghomor dicitur pars decima Ephi. Ephi vero continebat Cabos fere viginti; si mensuras Hebraicas reducamus ad Latinas antiquas, & Romanas, & Hispanicas, quæ modo sunt in vsu. Ephi capiebat tres modios Latinos, decimam partẽ vnius Rubbij Romani, quinque Hispanicos celemines. Hin erat apud Hebræos mensura liquidarum rerum, erat decima pars Bati, qui erat maxima mensura liquidorum, capiebat Hin duodecim Logim, Log verò continebat vnum Sextarium Latinum antiquum. Vnde Hin continebat duodecim sextarios. Sextarius capiebat sex cyathos. Sextario æqualis est mensura Romana, Italicè dicta foglietta, cui fere respondet mensura Hispanicè vocato quartillo, quæ est mensura minima liquidorum. Vocabatur iuge sacrificiũ siue holocaustũ, item sempiternũ: matutinũ itidẽ & vespertinũ, quia quotidie offerebatur. Hoc autem sacrificium publicis impensis fiebat, vt tradit Iosephus: nec erat dies, quo non offerretur. Nam & si festi dies inciderent, quibus aliæ victimæ immolarentur, vt Sabbatum, Neomenia, & dies Azymorum, ita tamen illæ cædebantur, vt iuge sacrificium non intermitteretur.

Si iterum roges, cur Deus præcepit Deuter. 23. ne offerretur pretiũ scorti, aut canis in templo. Non vult Deus turpia lucra: item, ne scortum occasionem haberet sui peccati; si ex mercede eius aliquid offerretur in templo, vt gratum & acceptum Deo. Item, canis erat animal immundum, vile, abiectum, & impudicum.

Vltimò quæri potest, an veteris legis sacrificia gratiã & sanctitatem conferrent, & peccata delerent. Ratio dubitationis est, quoniam Leuit. 1. sæpè de holocausto legimus, illud esse sacrificium, quo Dominus placabatur, & eius odorẽ esse suauissimum, eoque peccata offerentium expiari: & idem Leuit. 2. & 3. frequenter repetitur. Leuit. item 4. non semel, aut iterum apertè dicitur: *Rogabitque pro offerente sacerdos, & propitius erit ei Dominus & dimittentur ei peccata.* Adde, quod hæc sacrificia offerebantur cum fide, spe, charitate, & obedientia in Deum, ergo erant illi grata & accepta. Item, Ecclesia petit à Deo, vt sacrificium Missæ, quod facit & offert per ministrũ sacerdotẽ, sit Deo acceptũ, sicut accepta fuerãt sacrificia Abelis, Melchisedechi, & Abrahæ: at non minùs grata fuerunt Leuitica sacrificia, quàm illa prior. Postremò, Leuit. 18. & Ezech. 20. habetur; cultores legis victuros in eis, id est, ex eis, & per ea. Magister Sententiarum in 4. distinct. 1. existimauit, ea sacrificia, etiam cum vera fide, spe, & charitate in Deũ facta, nullam habuisse vim, gratiã, & iustitiam conferendi; ac solùm fuisse diuinitus constituta ad excitandum obedientiæ & pietatis studiũ, & ad obeunda virtutũ officia, in quibus se veteres illi Iudæi exercerent, vt ab idolorum cultu auerterentur, deniq; vt typi & figuræ essent sacrosancti sacrificij per Christum offerẽdi, eo quod tota illa vet[a] lex, nihil aliud erat nisi

Gen. 4. 22.

vmbra

vmbra & figura nouæ: ac Paulus sæpè ostendit, iustitiam, gratiam, & remissionem peccatorum non fuisse ex lege. Idem quoq; Apostolus: *Omnia, inquit, in figura contingebant illis.* Augustinus quoque docet vetera Sacramenta promisisse tantùm & significasse, noua verò salutem dedisse.

Sed hæc opinio communi consensu Theologorum reijcitur ex ea parte, qua negat nihil gratiæ ea sacrificia dedisse, etiam cum fiebant ex fide, obedientia, & charitate in Deum: nam opus cum vera fide, & charitate factum, est Deo acceptum & gratum. Hugo S. Victoris videtur sensisse, ea sacrificia & typos ac figuras fuisse sacrificij, quod postea Christus instituit & obtulit, & gratiam quoque dedisse, quia erant sacrificia diuinitus instituta, & cum fide & charitate offerebantur. Hugonis hæc sunt verba: *Si quis Sacramenta priora effectum sanctificationis habuisse negauerit, non mihi rectè sentire videretur.* Rursus: *Mediantibus Sacramentis nouæ legis, illa prioris temporis Sacramẽta significabant, vt eadem essent salus & his, qui recta fide signa futurorum in illis venerati sunt, & his, qui in ipsis effectum salutis percipiunt.* Sic ille. Item, vana sunt medicamenta, quæ sanitatem non conferũt: sed sacramenta sunt diuinitus instituta, vt medicamenta & remedia contra peccatum. Hæc etiam opinio à Theologis refellitur in 4. Sentent. dist. 1. quatenus significare videtur, ea sacrificia per se instar Sacramentorum, sanctitatem & gratiam contulisse; cum tamen Paulus egena & infirma vocet elementa.

Est igitur constans Theologorum omnium opinio, ea sacrificia vi sua & substantia gratiam minimè dedisse, nec peccata deleuisse, eo quòd ea non fuerunt instituta, vt gratiam darent, sed vt eam per Christum conferendam significarent, & vt per ea offerentes, Christi Domini fidem profiterentur, qui in illis sacrificijs tanquam typis & figuris adumbrabatur. Negandum igitur non est, in illis sacrificijs gratiã dari virtute & merito Christi, qui in illis typicè significabatur; sed non ipsorum sacrificiorum vi, conditione, & efficacitate: ac propterea Paulus ea docet fuisse infirma & egena, videlicet quia per se non ad gratiam conferendam, sed significandam, & ad Christi fidem profitendam offerebantur. Et hoc fortassis est, quod Magister Sententiarum, & Hugo tradiderunt.

Sciendum tamen est, in Leuitico sæpe, immunditias legales vocari peccata, quæ tamen sæpenumero omni culpa carebant. Immundi enim habebantur leprosi, & ij, quibus semen fluebat, & fœminæ menstrua patientes, & Nazaræi, in quorum præsentia quis morte subita corripiebatur; & qui immunda aliqua, veluti mortici na, ac similia tangebant, in quibus tamen sæpe nulla inerat culpa. Et nihilominus huiusmodi immunditiæ peccata vocabantur, & ideo iuxta legis præscriptas cæremonias dicebantur à suis peccatis mundari, nempè à legalibus immunditijs. Nam quemadmodum ex legis præscripto, immunditiæ contrahebantur; ita & legis quoq; virtute tollebantur. Immundus enim quis erat, quia prohibebatur ab ingressu in templum, à sacrificijs offerendis, à vescendo ex sacris victimis, à cœtu & consortio cæterorum. Cum verò, iuxta legis ritum purgabatur, tãquam mundus factus, ad hæc omnia admittebatur.

Ad id verò, quod ex Leuitico & Ezechiele obiectum est: Respondeo, illis sacrificijs Deum placari, non quidem ipsorum virtute, sed meritò Christi, quem cum vera fide, & charitate offerentes typicè profitebantur. In illis autem & per illa viuebant offerentes, videlicet virtute veræ fidei, obedientiæ & charitatis, cum quibus victimas offerebant.

Caput XXXI.

De diebus sacris & festis apud Iudæos.

RAtio ipsa postulat, vt certi quidam dies sacri & festi instituantur, tùm, vt in eis honorem & cultum Deo debitum tribuamus: tùm etiam vt conueniamus simul, & Dei verbum audiamus, & simul etiam sacras ac diuinas leges & iura discamus, ideo Moyses iussu Dei certos dies sacros constituit.

Primò Quæritur, quot, & qui legis præscripto fuerint dies festi Iudæorum. Leuit. 23. numerantur illi dies, inter quos primo loco nominatur dies Sabbati. *Hæ sunt, inquit, feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia Sabbati est, vocabitur sanctus.* Quid nomine Sabbati significetur, & Græcumne, an Hebraicum vocabulum sit, alio in loco dicemus. Genes. 2. redditur ratio, quare voluerit Deus, vt Sabbatum religiosè coleretur. *Benedixit, inquit, diei septimo, & sanctificauit illum, qui in ipso cessauerat ab omni opere suo.* Deuteronom. 5. additur alia causa. Memento, quod & ipse seruieris in Aegypto, & eduxit te *Dominus Deus tuus in manu forti, & in brachio extento. Ideò præcepi tibi, vt seruares diem Sabbati.* Sensus est: vt scilicet Iudæi beneficiorum Dei memores essent, cuius benignitate fuerat mirabiliter effectum, vt ab operibus, quibus in Aegypto premebantur, liberi essent & immunes. Exodi 35. lex fertur, qua iubentur ab omni opere cessare die Sabbati; non licebat eis eodem die cibos coquere, aut alio modo parare; & ideò die præcedenti apparabantur. Ibidem præcipit lex ne ignem accendant; & hoc ideo, ne si ignis accenderetur, occasio arriperetur cibos coquendi. Exod. 16. sexta die colligebant Hebræi mensuras duplices Mannæ, ne Sabbato colligerent, nec computrescebat, vt alijs diebus, cum plusquam quod illi diei satis erat, colligebatur. Quod cum nunciaretur Moysi, dixit: *Hoc est, quod locutus est Dominus; dies Sabbati sanctificata est Domino: cras, quodcumque operandum est, & quæ coquenda sunt, coquite: quicquid reliquum fuerit, vsque manè reponite.* Netas itidem erat Sabbato iter facere, nisi breuissimum. Exod. 16. habetur: *Maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo.* Id quantum esset, ex Scripturis certò non constat; nisi quod Actuum cap. 1. scriptum est: *Tunc reuersi sunt Hierusalem, à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Hierusalem, Sabbati habens iter.* Origenes & Oecumenius intelligunt vnum milliare, quòd bis mille cubitos habeat. Beda, Glossa, & Lyranus, iter mille passuum esse volunt. Quidam iuniores con- *Orig. lib. 1. Strom. Oecumen. Act. 1.*

tendunt

tendunt esse iter duorum millium passuum. Origenes inde suam sententiam confirmat, quòd cum in terram à Deo promissam, per solitudinem peterent Hebræi, tanto interuallo tabernaculum & arca fœderis castrorum ordinem præcedebat, & tanto interstitio tentoria figebantur: quo spatio licebat his, qui castrametati erant, ad tabernaculum Sabbato accedere. Et Iosu. 3. legimus. *Sitque inter vos & arcam spatium cubitorum duorum millium.* Sed Hieronymus ad Algasiam scribens: *Hier. epist. 121. q. 10.* *Præterea,* inquit, *quia iussum est, vt diebus Sabbatorum sedeat vnusquisque in domo sua, neque egrediatur, neque ambulet de loco, in quo habitat. Si quando eos, iuxta litteram cœpimus arctare, vt non iaceant, non ambulent, non stent, sed tantùm sedeant. Si velint præcepta seruare, solent respondere, & dicere, Rabbi Akiba, & Simeon, & Hillel, magistri tradiderunt nobis, vt bis mille pedes ambulemus in Sabbato.* Hæc ille. At hoc iter breuius est, quàm iter mille passuum: nam mille passus, quinque millia pedum proculdubio continent. Probabile valde est, quòd Hieronymus ait, iter Sabbati esse spacium duorum millium pedum, quod paulo plus est tribus stadijs: stadium enim, vigintiquinque passus habet, & montem Oliueti ab Hierosolyma quatuor ferè stadijs abesse tradit Brocardus his verbis: Vltra torrentem Cedron, in latere Aquilonari montis Oliueti, est mons alius altus, quatuor stadijs distans ab Hierusalem. *Brocar. in descr. Terræ sanctæ.* Nec multum discrepat Origenes, dicens, Sabbati iter quod facere licebat Iudæis, esse spacium duorum millium cubitorum, hoc est, ter mille pedum: cubitus enim pedem cum dimidio continet.

Secundò quæritur, quãdo primùm apud Hebræos Sabbatum sanctè & religiosè coli cœperit? Quidam existimant, à Moyse institutum esse Sabbati cultum, quando iussu Dei legem promulgauit, aut statim post exitum ex Aegypto. Alij tamen arbitrantur, Sabbatum ab ipso mundi exordio coli cœptum à Maioribus, non quidẽ lege, sed more & cõsuetudine, ex quibus Hebræi genus traxerunt: sed in Aegypto desijsse Iudæos Sabbatum colere, & ideo Mosen Sabbati cultum vsu & more inchoatum, & à posteris obliuioni traditum, restituisse. Sed de hac quæstione supra differui. Quid verò intellexerit Lucas nomine Sabbati secundò primi, & quot modis Sabbatũ in sacris literis sumatur, suo loco inferiùs explicabo, in expositione tertij præcepti Decalogi, in libro 14.

Vnum illud est maximè notãdum ex eo, quòd Dominus die septimo cessauerit ab omni opere, quod fecerat, sacras literas frequenter numero septenario vti, quoties perfectum aliquid, plenum, & consummatum, vel requiem significare volunt. Hinc in lege præceptũ est, vt septies certæ quædam res, vel homines immundi expurgentur, septies altaria, vel parietes sanguine victimarum aspergantur, hoc est, perfectè. Hinc *4. Reg. 5.* etiam Eliseus, Naaman leproso consilium dedit, vt se in Iordane septies ablueret. Hinc etiam institutus est in lege septimus quisque annus: quinquagesimus itidem annus tanquam libertatis & remissionis. Leuit. 25. Septenarius igitur numerus in sacris litteris est plenitudinis & perfectionis, teste Hieronymo in Iob. Hinc septies idẽ est, quod sæpius Luc. 17. si septies in die peccauerit in te frater tuus, & septies in die conuersus fuerit, remitte illi. Matth. 18. non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies, hoc est, non tantùm sæpiùs, sed etiam sæpissimè. Gen. 4. septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamec verò septuagies septies; id est, si Deus dixit se, grauiter puniturum eum, qui occiderit Cain, multò grauiùs est eum puniturus, qui interfecerit Lamec, qui neminem interemit.

Caput XXXII.

De Neomenia, siue Calendis.

PRimus cuiusque mensis apud Hebræos celebris erat, non quòd in eo perinde, ac in die festo ab operibus necessariò cessaretur, sed quòd Deus certis sacrificijs solemni ritu coleretur. Hebræi vocant hunc diem, caput, siue initium mensis: Septuaginta Interpretes semper Neomeniam: Latinus interpres, nunc Neomenias, nunc Calendas appellat. Dicitur porrò Neomenia, quasi nouus mensis. Menses verò cum Luna incipiebant, & cum eadem terminabantur. Et dies primus mensis idem erat, qui primus dies Lunæ. Et quemadmodum septimo quoque die hebdomadæ Sabbatum colebatur, vt in memoriam reuocaretur beneficium acceptum à Deo, quo vniuersa sunt ex nihilo facta; sic etiam primo quoq; die mensis Deo sacrificia offerebantur, vt memores essent beneficij, quo Deus omnia gubernat. Quemadmodum etiam Deus sibi offerri voluit primos fructus rerum è terra nascẽtium, ita & primos quosque dies mensium sibi reseruauit. Denique, vt Deum precibus, & sacrificijs, sibi placatum redderent Hebræi ad ipsos menses feliciter inchoandos. Numeror. 28. Lex est: *In Kalendis* (id est, in mensium exordijs) *offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos septem immaculatos, & tres decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes, & decimam decimæ,* id est, singulas decimas similę ex oleo in sacrificio per agnos singulos. *Gen.*

Tubis etiam canebatur Numer. 10. *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, & sint vobis in recordationem Dei vestri.* Hinc Dauid: *Buccinate,* inquit, *in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.* Quæret aliquis cur Leuit. 23. Neomenia non numeretur inter sacros dies festos. Respondet Abulensis, Neomeniam non esse diem festum, in quo quis lege cogeretur ab operibus seruilibus abstinere. Esse tamen diem solemnem & celebrem, in quo lex iubebat certum sacrificium solemni ritu immolari. Vnde apud Isaiam ait Dominus: *Neomeniam & Sabbatum, & festiuitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea.* *Psal. 80.* *Abul. q. 1. in 23. Leu.* *Esai. 1.*

Caput XXXIII.

De Paschate.

DE nomine, *Pascha,* duo quæri solent. Vnum, sit ne Græcum nomen, an Hebraicum: Alterum,

terum, vnde dictum sit nomen, Tertullian. *lib. contra Iudæos, cap.* 10. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 13. Nazianzenus *orat. de Paschate*, significare videntur esse nomen Græcum; alij sentiunt esse vocabulum Hebraicum. Sed verius est quod alij tradiderunt esse Chaldaicum, quamuis ab Hebraico deductum, quo sunt Hebræi vsi, postquam ex Babylone in patriam redierant. Etymologiam & significationem nominis, Tertullianus, Irenæus, & Nazianzenus ex Græco deduxerunt, Græcam vocem eam arbitrati, à verbo πάσχειν, quod pati significat, eò quòd illo die passus est Dominus. Vnde quod Moses dixit Exod. 12. Est enim Pascha Domini, putât Dominicæ passionis prædictionem fuisse. Vt sensus sit: Est passio Domini, quia eo die moriturus, siue passurus sit Dominus. Hi patres mysticè sunt nominis Paschæ etymologiam interpretati. Verùm etymologia petenda est ex lingua Hebraica, quoniam ab ea Chaldæi Paschæ nomen sibi deriuarunt. Paschæ igitur nomen, significat transitum, quia verbum Hebraicum *Pasach*, transire significat. Adhuc tamen dubiæ est quæstionis, quem transitum designet. Augustinus, & Nazianzenus existimant significari transitum illum, quo Hebræi ex Aegypto in terram olim Patribus promissam commigrarunt, vel quo mare rubrum traiecerunt. Sed verius est, quod ait Hieronymus, designari transitum illum, quo Angelus Domini in Aegypto transiliens domos Hebræorum agni sanguine signatas, Aegyptiorum domos primogenitorum cæde funestauit.

Leuit. 23. Lege sancitur: *Mense primo, quartadecima die mensis, ad vesperam Phase Domini est.* Hæc celebritas instituta est, vt Hebræi in memoriam reuocarent illud beneficium insigne, quo Dominus primogenitos Aegyptiorum occidendo, domos Hebræorum non tetigit, quarum postes & superliminaria sanguine mactati agni tincta fuerant. Et quoniam id accidit decimaquarta luna primi mensis; ideò præcepit Deus, vt singulis annis eodem die, Iudæi immolarent agnum, & comederent. Nomen accepit hæc celebritas, Phase, quòd significet Hebræis transitum, vel saltum; scilicet quia Angelus Domini Hebræorum domos, agni sanguine aspersas intactas relinquens, primogenitos Aegyptiorum necauit. Legimus in Exodo: *Et cum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transiuit domos Israel in Aegypto, percutiens Aegyptios, & domos vestras liberauit.* Quod verò in Hebræo scribitur *Pesach*, Latinus interpres in veteri Testamento id fecit per ס, scilicet *Phase*. Nomen verò *Pascha*, quo vsi sunt Septuaginta Interpretes, Euangelistæ, & Apostoli, Chaldaicum est; nam post reditum è Babylonico exilio, Iudæi Chaldaica nomina viurparunt. Quod enim Hebræi dicunt *Pesach*, Chaldæi addita ad finem littera a, dicunt *Pescha*, vel *Pascha*. Et hoc nomine, vt dixi, vsi sunt Apostoli, & ab eis acceptum Græci & Latini retinuerunt. Vnde Lucas: *Venit autem*, inquit, *dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, id est, Paschalem agnum. Et hæc de nomine Paschatis, & de mense, & die Paschalis celebritatis.

Secundò Quæritur, quota hora decimæquartæ Lunæ primi mensis immolabatur agnus paschalis? Exod. 12. sic est: *Immolabitque hædum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Pro his verbis Hebræa lectio habet: *Inter duas vesperas.* Sed quænam sunt duæ vesperæ diei? Lyranus & Abulensis vnam vesperam inchoant à prima hora pomeridiana, quia tunc sol incipit decidere, & vergere in occasum: secundam verò vesperam inchoant à solis occasu. Sed huic sententiæ obstat illud Deuteronomij: *Immolabisque Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto.* Et ante hæc dictum fuerat: *Quoniam in isto die eduxit te Deus tuus de Aegypto nocte.* Et in Exodo: *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes.* Alij vesperam vnam intelligunt totum illud tempus, quod est interiectum inter solis occasum, & tenebras obscuræ noctis, cùm ampliùs radij solares non videntur. Et secundam vesperam inchoant ab ipsis noctis tenebris, ita vt agnus statim ab occasu solis parari cœperit, & postea occisus, & ad ignem assatus comedi cœptus sit appetentibus noctis tenebris. At hoc in alijs non placet, quia creditu difficile videtur, vt in tam breui tempore agnus pararetur, iugularetur, pelle exueretur, exenteraretur, & assaretur. Sed quid si Iudæorum quisque ante solis occasum, agnum curauerat parandum? Cur paratum iam agnum, iugulare, pelle exuere, exenterare, & ad ignem torrere, statim post solis occasum non poterant? Quare probabilis est prædicta sententia. Alijs placet, primam vesperam statim post nonam incipere, id est, post tertiam horam pomeridianam: secundam vesperam intelligi totũ illud tempus, quod est inter solis occasum, & ipsas tenebras noctis: ita vt agnus pararetur in toto eo tempore, quod est inter nonam horam, & solis occasum, quod tribus horis constat, & ad solis occasum ederetur, vel paulò post. Et hæc opinio est valde probabilis.

Tertiò Quæritur, an typicus agnus immolaretur ad vesperam, quæ lunã decimamquartã primi mensis terminabat; an verò ad vesperam, quæ eandem lunam inchoabat. Ratio quæstionis est, quia certò constat eum immolari ad vesperam decimaquarta luna. Sed quia vnusquisq; dies habet vesperam, qua incipit, & vesperam, qua finitur & definit, ideò dubium maximè est, an mactaretur agnus, incipiente decimaquarta luna ad vesperam, an potius definente eadem luna ad vesperam; hoc est, An immolaretur agnus ad vesperam, qua claudebatur luna decimatertia, & incipiebat luna decimaquarta, an verò ad vesperã, qua terminabatur luna decimaquarta, & incipiebat luna decimaquinta. Duæ sunt opiniones, vna est, quam probant ac recipiunt Doctores omnes Scholastici, agnum immolari ad vesperã, qua finiebatur luna decimaquarta, & incipiebat luna decimaquinta. Sic Hugo S. Victoris, Lyranus, Abulensis; quod videntur accepisse ex Hieronymo, Ambrosio, Anselmo, & Beda, & alijs patribus. Et certè hæc opinio videtur ex ipsis sacris litteris colligi. nam Iudæi eodem tempore nunc agnum immolant, quo eorum patres in Aegypto immolarunt. Sic enim *Exodi* 12. legimus. *Et habebi-*

S. Tho. p. 3. q. 46. q. 9. ad 1. Abul. & Lyra. in Exod. 12.

tis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino; sed Hebræi ex Aegypto egressuri posteriori vespera Lunæ decimæquartę immolauerunt, quoniam decimaquinta luna primi mensis exierunt, vt scriptum est Numeror. cap. 33. & illud mane, quo egressi sunt, proximè consecutum est vesperam, qua agnum immolarunt. Sic enim ibi legimus: *Profecti de Rameſſe in menſe primo, in quintadecima menſis primi, altera die à Phaſe, filij Iſrael in manu excelſa; & Angelus Domini media nocte percuſſerat primogenitos Aegyptiorum,* vt scribitur Exodi 12. *Factum eſt,* inquit Moyses, *in medio noctis, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti.* Ergo illa nox fuit, quæ proximè consecuta est vesperam, qua fuerat agnus typicus immolatus, neq; enim Hebræi integrum diem ab agno immolato in Aegypto manserunt; & hæc est opinio cómuni Theologorum consensu recepta.

Altera sententia est quorundam iuniorum asserentium, è quibus sunt Oleaster Leuit. 23. in illis verbis: *Et affligetis animas veſtras nono die menſis.* Stella in Lucam cap. 12. in illis verbis: *Venit autem dies azymorum,* agnum Paschalem mactari ad vesperam, qua incipiebat luna decimaquarta, & terminabatur luna decimatertia. Id probant primùm auctoritate Iosephi ita scribẽtis: *Illucescente verò quartadecima luna, omnes ad exitum animati ſacrificabant, & ſanguine domos luſtrabant.* Vel vt alij vertunt: *Cum autem inſtaret decimaquarta dies.* Eodem item auctore, celebritas azymorum per octo dies continuos solemni ritu colebatur. Sed hæc celebritas finiebatur luna vigesimaprima, ergo consequens est vt inciperet in luna decimaquarta ineunte: nam alioqui, si exeunte decimaquarta luna, & incipiente decimaquinta inchoabatur celebritas azymorum, durare non poterat nisi per septem dies. Deinde, Leuit. 23. legimus: *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra,* ergo celebritas Paschatis, quæ luna decimaquarta colebatur, celebrari incipiebat à vespera exeuntis lunæ decimætertiæ, vsque ad vesperam, quæ finiebatur luna decimaquarta, & incipiebat luna decimaquinta. Item, quia Hebræi dies numerare solent à vespera diei præcedentis, vsque ad vesperam diei subsequentis, iuxta illud Moysis: *Factum eſt veſpere & mane dies vnus;* hoc est, Facta est nox, & dies ciuilis ab ortu solis vsque ad occasum: & fuit vnus dies naturalis, scilicet viginti quatuor horarum. Præterea, apud Ioannem legimus: *Ante diem feſtum Paſchæ,* & quæ sequuntur. Ergo vespera illa, qua Dominus cum Discipulis agnum paschalem comedit, erat initium decimæquartæ lunæ, & finis decimætertiæ. Alioqui enim si erat finis lunæ decimæquartæ, & initium decimæquintæ, falsò dixisset Ioannes, ante diem festum Paschæ: nam edebatur agnus ad solis occasum, sed ab occasu solis in luna decimaquarta incipiebat dies festus Paschæ, de quo Ioannes: Ergo in ipso festo Paschæ Dominus lauit pedes discipulorum, non ante diem festum. Postremò, quia Ioannes de ea die, qua Christus cruci affixus est, ita scribit: *Erat autem Paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta;* & postea inferiùs: *Erat enim magnus dies ille Sabbati.* Ergo in feria sexta, qua passus est Dominus adhuc durabat continuata per eam luna decimaquarta, & dies festus azymorum, qui luna decimaquinta colebatur, nondum aduenerat. Denique, quia alioqui si feria sexta, qua Dominus est in crucem subla-tus, dies festus & sacer erat, quomodo Iudæi non solùm illi perditi, & impij, sed etiam alij pij & religiosi, tam multa opera eo die factitarũt, quæ nefas erat in die festo facere?

Hæc quæstio mihi valdè dubia profectò videtur, quoniam ex vna parte est communis Theologorum sententia, typicum agnum immolari vespera posteriori lunæ decimæquartæ: & est etiam constans Patrum opinio, Christum Dominum, iuxta legem mysticum agnum comedisse ad vesperam feriæ quintæ, quæ erat vespera lunæ decimæquartæ, & feria sexta crucifixum fuisse, quæ erat luna decimaquinta, & primus dies festus azymorum, secũdum B. Ambros. *in epiſt. 83. ad Epiſcopos per Aemiliam conſtitutos,* vbi de Christo loquens: *Ipſe ergo,* inquit, *qui legem locutus eſt, poſtea veniens per virginem nouiſſimis temporibus eam conſummauit, quia venit non legem ſoluere, ſed implere, & celebrauit Paſcha hebdomada, in qua fuit quartadecima luna, quinta feria. Denique ipſa die, ſicut ſuperiora docent, Paſcha cum Diſcipulis manducauit; ſequenti autem die, hoc eſt ſexta feria, crucifixus eſt luna quintadecima, Sabbato quoque magno illo ſextadecima fuit, ac per hoc ſeptimadecima luna reſurrexit à mortuis.* Hæc ille: Et certè negari non potest, quin communis fuerit Patrum sententia, Christum Dominũ fuisse in crucem actum, in die festo & solemni Paschatis, & in sexta feria. Origenes Tract. 36. explanans illa verba Matthæi cap. 27. Per diem autem solemnem consueuerat Præses. *Arbitror,* inquit, *propter iſtum diem feſtum Iudæorum, in quo Barrabas ad vitam electus eſt, Chriſtus autem neglectus, Dominum dicere per Prophetam: Ieiunia, & ferias, & dies feſtos veſtros odit anima mea. Et quia magis ſolemnitatem agere voluerunt, cum latrone dimiſſo, quàm cum Chriſto.* Idem homil. 23. in lib. Numerorum. *Petierunt omnes feſtiuitates eius, & dies ſolemnes eius, quoniam in loco ſancto, & in die ſolemnitatis eius Dominum meum Ieſum Chriſtum occiderunt.* Tertullianus *libr. contra Iudæos, cap. 10. diſputans,* docet, solemnes eorum celebritates fuisse in luctum conuersas, quia in die solemni Paschatis, & primo azymorum sol occidit in meridie, & tenebræ factæ sunt per vniuersam terram. Eodem modo loquitur Eusebius *lib. 10. demonſtrationis Euangelicæ cap. 6.* Clemens quoque Romanus *in Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 5. cap. 14.* de Iudæis sermonem habens: *In ipſo* inquit, *die ſuo feſto Dominum comprehenderunt, vt perducerent ad exitum, quod ſcriptum eſt: Poſuerunt ſigna, & in medio ſolemnitatis ſuæ non cognouerunt.* Epiphanius *contra Audianos hæreſi 70.* habet hæc verba: *Dicunt enim ijdem Apoſtoli: quando illi* (Iudæi) *continuantur, vos ieiunantes pro ipſis lugere, quoniam in die feſtiuitatis Chriſtum crucifixerunt.* Chrysostomus *homil. 87. in Matth.* scribens: *Per diem autem ſolemnem, poſtquam Pilatus,* inquit, *cogitando, legem quandam inuenit, quæ ſolemnitati ex condemnatis aliquem condonare iubebat, turbis perſuaſerunt Pontifices, vt Barrabam omnes vna peterent voce.* Et mox: *Præpoſuerunt itaque illum orbis ſeruatori, nec rationem temporis aliquam habuerunt, quod ſanctum erat atque ſolemne.* Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 13.* loquẽs de morte Domini, ait,

Ioseph. li. 2. Anti. c. 13.

Ioan. 13.

Ioan. 19.

solemni-

solemnitates Iudæorum esse in luctum conuersas, quia in primo die azymorum & solemni mulieres ipsorum plangebant & flebant, & Apostoli occultati dolebant, quando passus est Dominus. Socrates *lib. 5. histor. Ecclesiast. cap. 21.* dicit, seruatorem azymorum tempore passum fuisse, cum celebre apud Iudæos ageretur festum. Vt ostenderent illi, quod Iudæi in diebus festis se cæde & sanguine polluerunt. August. *Tract. 57. in illud Ioan. Proximum autem erat Pascha Iudæorum: Illum diem,* inquit, *festum (scilicet Paschatis) cruentum habere Domini sanguine voluerunt: illo die festo occisus est agnus, qui nobis eundem diem festum suo sanguine consecrauit.* Glossa itē Interlinearis, ac ipse etiam Augustinus, dum ea verba Psalmi explicant, Gloriati sunt qui oderūt te, in medio solemnitatis tuæ: *Tunc,* inquiunt, *euersa est Hierusalem, quando solemnitas agebatur Paschalis, in qua crucifixerunt Dominum.* Scribit etiam Beda, *in lib. de ratione temporum, cap. 46. Nam quod Dominus decimaquinta luna, feria sexta, crucem ascenderit, & vna Sabbatorum, id est, die Dominica, surrexerit à mortuis, nulli licet Catholico dubitare, ne legi, quæ & agnum Paschalem decimaquarta die primi mēsis, ad vesperam immolari præcepit, pariter & Euangelio, quod Dominum eadem vespera captum à Iudæis, & verè sexta feria crucifixum, ac sepultum prima Sabbati resurrexisse perhibet, videatur incredulus?* Eandem sententiam habet Glossa ordinaria *in Matth. 27.* Anselmus *in Matth. 27.* S. Thom. *in catena aurea Matth. 27.* Alcuinus, Rabanus, quos citat S. Thomas *in catena aurea*, & Theologi omnes, vt ait Sotus. *4. d. 9. q. 1. a. 4.*

Ex quibus perspicitur, Patres sensisse Christū Dominum fuisse in die festo, & solemni Paschatis in crucem sublatum, & in luna decimaquinta, & sexta feria hebdomadæ. Et videtur hæc sententia ex ipsis Euāgelijs deduci. Nam eo die, quo passus est Christus, condonata est vita Barrabæ ob honorem & cultum diei festi. *Necesse autem habebat,* ait Lucas, *dimittere eis per diem festum, vnum.* Marcus: *Per diem autem festum solebat eis dimittere vnū ex vinctis.* Matthæus: *Per diem solemnem consueuerat Præses populo dimittere vnum ex vinctis, quem voluissent.* Non est ergo Christus cruci affixus in luna decimaquarta, & in die profesto siue profano. Audacter sanè, ne dicam temerè, ille scripsit, qui Græcos dixit & Latinos hac in parte à verò aberrasse. Contēdit ille: in sextam feriam, qua passus est Christus, diē festum azymorū non incidisse, nec lunam decimamquintam, sed decimamquartam, quæ incepit à vespera feriæ quintæ, in qua Dominus cum Discipulis typicum agnū, iuxta legis præscriptum comedit: sicut etiā cæteri Iudæi in in eadem vespera comederunt. *Et duranit,* inquit, *luna decimaquarta continuata per feriam sextam, vsque ad vesperam illius, in qua cœpit luna decimaquinta, & dies sabbati, & primus dies festus azymorum.* Quare feria sexta dies profanus fuit, non sacer, nam alioqui quomodo Iudæi, inquit, in illo die opera fecerunt, quæ diebus festis non licebat illis facere, comprehendentes Christum, ad tribunalia varia Magistratuum, & Iudicum ducentes, accusantes, testes supponentes, angariantes Simeonem Cyrenæum? Et quomodo Iudæi, etiam pij & religiosi, si dies festus erat, Christum cruce deposuerūt, aromatibus condierunt, sepulturæ mandarunt? Quo modo religiosæ fœminæ aromata emerūt, cum tamen statim siluerint appetente vespera, ob diem sabbati festum.

Mihi in hac re nullo modo videtur discedendum à communi Theologorum sententia, ne receptam communi consensu opinionem suo loco leui ratione moueamus; videlicet, agnum typicum immolari ad vesperā lunæ decimæquartæ exeuntis & desinentis, non appetentis & ineuntis. Et Christum Dominum in eadem vespera cum Discipulis agnum Paschalem comedisse, & feria sexta, quæ erat luna decimaquinta, & dies primus azymorum festus, passum fuisse. Ita tamen hanc sententiam veram existimo, vt partem alteram oppositam, aliquantulum probem. Neque enim probo id, quod alius recentior scriptor dixit, toto cœlo aberrasse, & fœdissimè deceptos esse, qui secundam sententiam docuerunt. Rem ille exaggerauit. Nam negari non potest, quin aliqui ex Patribus apertè fateantur Christum in crucem actum luna decimaquarta in sexta feria hebdomadæ. Nam vt omittam Græcos id habentes, suam opinionem fortassis sequutos, quam in præsentia omnino relinquimus. Euthymium *in Matth. cap. 25.* in illis verbis: Vespere autem facto discumbebat cum duodecim, Theophylactum *in Matth. cap. 27.* super illud: A sexta autem hora tenebræ factæ sunt, Epiphanium *in Hæresim Tessarescædecatitarum,* hoc idem fatetur Auctor quæstionum veteris & noui Testamenti *q. 106.* Orosius *lib. 7. cap. 4.* Ansel. in illis verbis *Matth. cap. 27.* Altera autem die. Scio iuniores quosdam horum Patrum sententiam interpretari, ita vt ad priorem opinionem trahant. Ergo iuxta aliquorum Patrum sententiam consequens est, vt Christus Dominus agnum comederit feria quinta, ad vesperam lunæ decimæquartæ ineuntis, & continuatæ per feriam sextam. Deinde etiam, quia Patres illos, qui testātur Christum Dominum Crucifixum & passum in luna decimaquinta; & agnum comedisse in luna decimaquarta, & in die itidem festo mortuum & sepultum fuisse: interpretari commodè, aut saltem non malè possumus, ita vt eorum mēs & sensus esse videatur, in luna decimaquarta inchoata, non completa Dominum cœnasse, & in luna decimaquinta in crucem sublatum, appetente videlicet luna decimaquinta, quæ incipiebat à vespera sextam feriam claudente: Pariter etiam mortuum fuisse in die festo azymorū, quia passus est in sexta feria, à cuius vespera incipiebat dies festus azymorum. Est enim verisimile, Patres, cùm Græci fuerint, vel Latini, locutos in hac parte fuisse Græcorum more, vel Latinorum, non Hebræorum: dies enim supputasse videntur à parte diei, siue incipientis, siue desinētis: nam cœnauit Dominus feria quinta ad vesperam. Et quia tunc incipiebat, iuxta secundam opinionem luna decimaquarta, verissimè dici potuit cœnasse luna decimaquarta, in crucem actus est feria sexta: quam (etsi per eam luna decimaquarta, iuxta eandem secundam sententiā continuabatur) meritò Patres lunam decimamquintam vocare potuerunt, quia à vespera illius diei incipiebat luna decimaquinta. Pari quoque ratione diem festum, & sacrum dixerunt illi Patres, quasi à vespera illius diei incipientem; ac

Francol. de tēp. horarū Canon. c. 67. n. 10.

proinde verum etiam est quod scribit Dionysius Areopagita *in epistola ad Polycarpum, & in altera ad Apollophanem*, & testatur etiam Origenes *tract. 35. in Matthæum*, lunam fuisse plenissimam, quando Christus pendebat in cruce. Ita vt post eius passionem lux lunæ statim minui cœperit. Luna erat plenissima, à vespera illius diei incipiebat, iuxta prædictam secundam opinionem, luna decimaquinta, id est, plenissima. Et verisimile est olim Hebræos ex Aegypto decimaquarta luna post mediam noctem appetente diurna luce exijsse, & toto eo die iter facientes in Socoth peruenisse. Exod. 12. & Numeror. 33. legimus: *Profecti de Ramesse mense primo, quintadecima die mensis primi, altera die à Phase filij Israel in manu excelsa*: vt intelligamus luna decimaquarta ad vesperam, hoc est, incipiente, & ineunte luna decimaquarta ad vesperam typicum agnum immolasse, & ad solis occasum comedisse, & post exactam mediam noctem, appropinquante luce orientis solis exisse, iter fecisse toto eo die, & ad vesperam lunæ decimæquartæ desinentis, incipiente luna decimaquinta, ad Socoth peruenisse. Et quod scriptum est: *Profecti mense primo quintadecima die mensis primi*, intelligatur: appetente siue incipiente iam decimaquinta die non decurrente. Hæc dixi, vt ostenderem probabilem esse secundam sententiam, non vt primam communi consensu Theologorum approbatam, rationibus confutarem, nam primæ sententiæ patroni, id quod apud Ioannem dicitur: *Ante diem festum*. Et alibi: *Erat Parasceue Paschæ*: & quod omnes Euangelistæ prodiderunt, die, qua in ligno crucis Dominus pependit, Iudæos multa opera fecisse, quæ in diebus festis interdicta esse videntur, ita interpretantur, vt vim nullam Scripturis meo iudicio afferre videantur: sed facilè & commodè scripturas ipsas concilient, vt in alio loco plenius ostendam, cum de tertio Decalogi præcepto lib. 14. disputabo. In præsentia primam opinionem communi consensu, vt dixi, Theologorum comprobatam arbitror amplectendam.

Epistola 7. & 11.

Ioan. 13.
Ioan. 19.

Quartò quæritur, quinam fuerint ritus typicum agnum immolandi apud Iudæos? Legimus Exodi 12. *Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas. Sin autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumat vicinum suum, qui coniunctus est domui suæ, iuxta numerum animarum, quæ sufficere possint ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus. Iuxta quem ritum tolletis & hœdum, & seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius: immolabitque hœdum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Hæc ibi:

Quod iubet Deus agnum decima die tolli, vt decimaquarta immoletur: illius tantùm temporis præceptum fuisse videtur, qua Iudæi erant ex Aegypto egressuri; non vt postea fieret teste Abulensi: nam cum sæpe de agno mactando verba fiant in lege, nusquam hoc præcipitur. Tunc autem hoc fieri oportuit, quia cùm Hebræi paraturi essent, quæ ad tam longum iter erant necessaria, & confestim exituri essent, non possent agnos commodè habere præsertim anniculos, & sine macula, nisi ante iam paratos. Dices, non posse vnum agnum magnæ familiæ sufficere. Respondeo, satis esse, quia non ad satietatem comedebant, cum postea cœnare consuessent. Si quis agnum habere non poterat, licebat illi eius loco hœdum accipere, masculum tamen, anniculum, & sine macula. Et propterea dixit: Iuxta quem ritum accipietis hœdum. Sed fas non erat aliud animal immolare pro agno. Et ideo quod scriptum est Deuteronomij 16. *Immolabisque Phase Domino Deo de ouibus, & de bobus*; non de agno Paschali intelligitur, sed de hostijs pacificis, quæ in singulis diebus azymorum immolabãtur, iuxta legis præscriptum, Num. 28.

Quintò quæritur, quo ritu agnus typicus edi-
deretur à Iudæis? Præcipitur Exod. 12. vt soli Hebræi
ex eo ederent: alienigenæ non poterant, nisi prius circumciderentur.

Ibidem quoque: *In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis.* Hoc præcipitur, quia erãt confestim exituri; ac vt omnis occasio tolleretur huc & illuc euagandi. Ossa itidem citò confringi non possunt, quod festinaturis conueniebat. *Et edent carnes nocte illa assas igni.* Nimirum carnes assæ citius apparantur, quàm elixæ, quare magis festinantibus conueniunt. *& azymos panes.* Quia statim egressuris per tempus nõ licuit eos in fermento parare. Et Deuteron. 16. habetur: Septem diebus comedes absq; fermento.

Sciendum est ex Iosepho lib. 2. Antiquit. cap. 13. iuxta vnam versionem, iuxta aliam verò cap. 15. celebritatem azymorum, per dies octo continuos peragi ab Hebræis solitam: cum tamen Exod. 12. & Deuteron. 16. præceptum sit, vt per dies septem, panes azymi comedantur. Diuersa est supputatio, sed vtraque vera: nam à die festo primo azymorum, qui luna decimaquinta colebatur, vsque ad vigesimam primam lunam numerantur septem dies, sed à luna decimaquarta, in qua agnus comedebatur cum azymis panibus, vsque ad lunam vigesimam primam, octo dies computabantur. Atque hinc etiam est, vt Euangelistæ diem primum azymorum lunam decimamquartam appellent. *Et primo die azymorum*, aiunt Matthæus, & Marcus, *quando Pascha immolabant*: Lucas verò, *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.*

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Sequitur in Textu: *Cum lactucis agrestibus.* Hebraica lectio solum habet: *Cum amaritudinibus.* Vnde Lyranus & alij iuniores non lactucas agrestes, sed herbam quamlibet amaram intelligunt. Verùm Septuaginta verterunt: *Cum lactucis agrestibus.* Lactucam agrestem amaram gustatui esse Dioscorides refert. Hoc nimirum herbarum genus significabat amaritudinem, in qua Hebræi versari erant in Aegypto, duram in operibus lateritijs seruientes seruitutem: vt memores priſtinæ calamitatis & miseriæ, vnde eruti fuerant, gratias agerent Deo liberatori.

Dios. lib. 4. cap. 150.

Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum igni, sed assum tantùm igni: quamuis fugam & exitum ex Aegypto Hebræi maturaturi erant, noluit tamen Deus, vt aliquid crudum ex agno come-

derent

derent, quia non erat ad cibum aptum; nec elixum, quia remoraretur eos. Obijcies illud ex Deuteronomio: *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto, & coques & comedes.* Respondeo, verbum Hebraicum, quod Latinus interpres reddidit, *coques*, esse ambiguum & anceps, & significare vtrumque, coquere scilicet & assare. Vnde, *coques*, eo in loco, idem est quod, *assabis.*

Caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis, Pendent hæc verba ex proximè præcedentibus, *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantùm igni* (& sequitur) *caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis*, significat: Nec pedes, nec caput abscindatis, vt fieri solet, nec aliter hæc ad escam paretis: sed similiter ossa igne comburetis. Educebantur verò intestina, lauabantur, & abluta ipsi agno imponebantur, vt flammis torrerentur, & cum reliquo corpore ederentur.

Nec remanebit ex eo quicquam vsque mane. Si quid residuum fuerit, igne comburetis. Id est ossa & neruos igne statim consumite, ne quid supersit in diem sequentem. Quod si quippiam aliqua de causa superfuerit, sine mora die proximè sequenti comburite. Noluit Deus, vt ex agno, qui fuerat ipsi consecratus, quicquam remaneret, ne vel ab hominibus conculcaretur, vel ab immundis animantibus deuoraretur, fœdareturue.

Sequitur: *Sic autem comedetis illud: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes. Est enim Phase, id est, Transitus Domini.* Singula mirè profecto ad denotandam festinationem valent. Nimirum, iter facturus quispiam, præcingit renes, aptat pedibus calceos, & baculum in manibus sumit. Communis est omnium sententia, stantes comedere agnum Hebræos consuesse: sed id, nec in Hebræo, nec in Græco, nec in Latino textu habetur. Videtur esse desumptum ex illis verbis: *Tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes.*

Caput XXXIV.

De diebus festis Azymorum.

LEuitic. 23. scriptum est: *Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. Mense primo quartadecima die mensis ad vesperam Phase Domini est, & quintadecima die mensis huius solemnitas azymorum Domini est.*

Hæc ibi, & eadem prorsus, & eodem modo habentur in capite 19. & 28. libri Numeror. & 16. cap. Deuteronomij. Quare decimaquarta dies erat profana, non sacra; aut decima quinta dies erat festa & sacra. In decimaquarta ad vesperam mactabatur typicus agnus, & edebatur; die verò decimaquinta solemnitas azymorum colebatur. Immolatio agni Paschalis decimaquarta die fiebat, vt in memoriam reuocaretur transitus Angeli percutientis primogenitos Aegyptiorum, & domos Hebræorum intactas relinquentis, quòd earum postes agni sanguine illitæ essent. Celebritas azymorum agebatur in recordationem septem dierum, in quibus post immolationem & esum agni, panes azymos Hebræi comederunt. Et ideò in eodem Leuitici cap. 23. legimus: *Septem diebus azyma comedetis: dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque. Omne opus seruile non facietis in eo; sed offeretis sacrificium in igne Domini septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullumque seruile opus facietis in eo.* Erant igitur dies azymorum septem, si computentur à primo die festo, qui celebrabatur decimaquinta luna, vsque ad lunam vigesimamprimam. Erant verò octo, si supputentur ij à luna decimaquarta, in qua mactabatur typicus agnus, & edebatur cum panibus azymis. Ex septem igitur diebus azymorum, primus erat solemnis & festus, in quo abstinebatur ab omni opere seruili, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent, vt exprimitur Exod. 12. *Dies prima erit sancta atque solemnis, & septima dies eadem festiuitate venerabilis.* Ergo nefas erat in ea die seruile opus factitare, ijs operibus exceptis, quæ ad vescendum spectant; qualia sunt, ignem accendere, & cibos coquere, vel alia ratione & modo parare.

Quod igitur scriptum est Leuit. 23. *Dies septimus erit celebrior, & sanctior*, non intelligitur, si cum primo comparetur, sed cum reliquis quinque inter primum & vltimum interiectis: illi namque dies celebres quidem erant & solemnes ob sacrificia, quæ offerebantur in singulis, sed profani erant, non sacri. Fiebant porrò sacrificia, iuxta legis præscriptum, Numeror. 28. Sed secundus dies hoc habebat peculiare, quod legimus Leuit. 23. *Altero die Sabbati*, id est, die azymorum secundo (nam primus quia festus erat & sacer, Sabbatum vocabatur) deferebant Hebræi ad Sacerdotem manipulos spicarum, primitias messis, Sacerdosque vnum eorum coram Domino in altum attollebat, vt ipsi Deo, cui offerebantur, essent grati & accepti. Et eodem die cædebatur agnus anniculus, immaculatus in holocaustũ, & offerebatur simila, & vinum, vt eiusmodi munus, sacrificium, & victimã ornaret.

Caput XXXV.

De Iudæorum pentecoste.

LEuit. 23. legimus: *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtuleritis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ*, id est, quinquaginta dies: *& sic offeretis sacrificium nouum Domino.* In veneratione erat dies hic quinquagesimus, in recordationẽ videlicet legis diuinitus datæ quinquagesimo die ab egressu ex Aegypto: nam eo die legem accepisse Hebræos, ex Scripturis colligitur. Exod. 19. scriptum est: *Mense tertio egressionis Israel de terra Aegypti. In die hac*, id est, in die similiter tertio ipsius mensis tertij, *venerunt in solitudinem Sinai*, quoniam si sumamus quindecim dies ex primo mense, qui numerabantur à decimosexto die eius mensis, & ex secundo mense viginti nouem cum tribus diebus tertij mensis, fiunt quadraginta septem dies; quibus si addan-

tur isti tres dies? Respondeo, cum dicitur: *Mense tertio egressionis Israel de terra Aegypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai.* diem hanc sumit Scriptura pro eodem die. Ita vt sensus sit: Venerunt mense tertio eodem die, hoc est, tertia eiusdem mensis die: ergo peruenerunt die quadragesimo septimo, & tertio deinde die sequenti, Moyses legem accepit. Ergo data est lex die quinquagesimo ab egressu ex Aegypto. Quo fit, vt hæc celebritas dicta quoque sit hebdomadarum, quia ab altero die post primum festum diem azymorum computabantur septé hebdomadæ plenæ, quæ quadraginta nouem dies conficiunt, & die statim proximè sequenti celebritas Pentecostes agebatur. Erat autem hæc celebritas vna de tribus, in quibus omnes viri singulis annis venire Hierosolymam lege cogebantur, vt patet ex Deuteronomio. *Deut. 10.*

Caput XXXVI.

De die festo Tubarum.

LEuitici quoque cap. 23. de hac celebritate legimus: *Mense septimo, primo die mensis erit vobis Sabbatum memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur sanctum.* Mensis septimus apud Hebræos, qui magna ex parte nostro Septembri respondet, magno in honore erat, quippe qui quatuor dies festos, & sacros continebat, videlicet Tubarum, Expiationis, Tabernaculorum, Cœtus, siue Collectæ. Quemadmodum igitur septimus quisque hebdomadæ dies, sanctus erat, sic mẽsis quoque septimus erat magna veneratione celebris. In primo die colebatur celebritas Tubarum. Opinantur Hebræi, eiusmodi festum diem coli in memoriam illius beneficij, quo Deus Isaac de gladio patris eripuit, & arietem, eius loco immolandum substituit: & ideò eum diem celebrari cornibus arietinis. Quod certè illi ex sacris literis firmo argumento non colligunt, nec satis efficaci ratione demonstrant. Ego potiùs crediderim, eum diem festum esse institutum, vt tubarum clangore, ad celebritates venturas, scilicet Expiationis, & Tabernaculorum, quæ illo mense celebrabantur, cum iucunditate populus præpararetur. Ibidem præcipitur: *Omne opus seruile non facietis in eo: & offeretis holocaustum Domino.* Numerorum verò 29. legimus sacrificia, quæ eo die offerre oportebat: erant enim duplicia, alia propria ipsius celebritatis Tubarum, alia ipsi cũ cæteris Neomenijs communia. *Gen. 22.*

Caput XXXVII.

De die festo Expiationis.

DE hac celebritate, scriptum est etiam in Leuitico sic: *Decimo die mensis huius septimi, dies Expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino.* Tradunt Hebræi, quod etiam Catholici interpretes scriptum reliquerunt, festum hunc diem esse institutum, quia eo die putatur diuinitus dimissum peccatum, quod populus Hebræus, in colendo vitulo ex aureo conflatili perpetrauit. Creditur enim Moyses decima die mensis septimi de monte descendisse cum secundis tabulis, in signum culpæ condonatæ, quod Hebræi magis traditione quadam, quàm Scripturæ auctoritate comprobant. Et quia hic dies dicatus Deo erat, & sacer ad peccata per pœnitentiam expianda; ideò præceptum est, vt in eo animas suas affligerent, hoc est, ieiunium sponte susciperent, quo vnà cum precibus & sacrificijs coniuncto, Deus placatus, peccatorum veniam largiretur. *Affligetis animas vestras.* Phrasis est Hebræa; id est, ieiunijs vos ipsos macerabitis. Vnde Isaias in persona Iudæorum loquens: *Quare ieiunauimus*, inquit, *& non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Et respondit Dominus: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra*, & reliqua. Dauid quoque: *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Ieiunium autem eo die agebatur à vespera diei noni exeuntis vsque ad vesperam decimi desinentis. *Et affligetis*, inquit, *animas vestras die nono mensis.* Ac ne intelligeretur, suscipiendum esse ieiunium in peruigilio ipsius diei decimi; ob id in Hebræo dictum est: *Affligetis animas vestras in die nono mensis ad vesperam*, id est, ab occasu solis, nono die iam desinente, vsque ad solem occidentem in ipso decimo die. *Omne opus non facietis in eo.* Id est, in tempore diei huius. Et Numerorum cap. 29. de victimis offerendis, scriptum est, *Offeretis holocaustum Domino in odorem suauissimum, vitulum de armento vnum, & arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem.* *Exod. 31.* *Isai. 58.* *Psal. 34.* *Leuit. 16.*

In eodem Leuitici libro legimus, populi peccata expiari à Pontifice: & expiabantur quoque templum, & Sacerdotes. *Expiabit autem Sacerdos, qui vnctus fuerit, & cuius manus initiatæ sunt, vt sacerdotio fungatur pro patre suo: Induetur què stolalinea, & vestibus sanctis, & expiabit Sanctuarium, & Tabernaculum testimonij, atque altare, Sacerdotes quoque, & vniuersum populum.*

Caput XXXVIII.

De celebritate Tabernaculorum.

IN Leuitici & Numerorum libro ita habetur: *A quintadecima die mensis huius septimi, erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus.* (id est, erit vobis sacer) *omne opus seruile non facietis in eo, & septem diebus offeretis holocausta Domino.* Hæc celebritas erat magna apud Iudæos, & vna ex illis tribus, in quibus omnes masculi ter venire Hierosolymam singulis annis debebant, vt patet ex illis verbis Deuteronomij: *Tribus vicibus*, inquit, *per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, in solemnitate azymorum, & in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate Tabernaculorum.* Dicta est autem hæc celebritas in Hebræo, *Hag Hasucoth*, id est, celebritas Tabernaculorum: in Græco ἑορτὴ σκηνῶν, quod idem est. Dicitur etiam Σκηνοπηγία, hoc est, structura Tabernaculorum, videlicet à faciendis & figendis tabernaculis, non autem, vt quidam dixerunt commune & publicum epulum. Hæ autem feriæ agebantur ad recolendum *Leuit. 23.* *Num. 29.* *Deut. 16.*

beneficij

beneficium, quo Hebræi ex Aegyptiaca seruitute liberati, & per solitudinem deducti, quadraginta annis in tentorijs habitauerunt, & ideò per septem dies colebantur. Non tamen omnes illi dies erant festi & sacri, ne vniuersus populus, & præsertim pauperes tot dierum festorum numero grauarentur. Erant tamen singuli celebres, quia quotidiè ex præscripto legis certa sacrificia solemni ritu & cæremonia fieri, & offerri oportebat. Sed quanam ex materia eiusmodi tabernacula conficiebantur à Iudæis? Abulensis q. 24. *in Leuitic. cap.* 25. testatur ex ramis arborum fieri solita; quoniam in deserto, inquit, Hebræi non habitauerunt in domibus, sed in vmbraculis sub arboribus. Probabilius mihi videtur, talia fuisse tentoria, qualia esse solebant apud veteres, & qualia populus Hebræorum habuit in vsu iter per solitudinem faciẽs, videlicet è lignis, & linteis, & pellibus confecta, vt commodè æstum, frigus, ventos, & pluuias arcerent. Ligna primum figebantur, quæ domicilium constituerent, & deinde pellibus extrinsecus tegebantur. Horum tabernaculorum artifex erat Paulus, teste Luca: *Erant autem,* inquit, (Paulus scilicet, Aquila & Priscilla) *scenofactoriæ artis.*

Porrò de holocaustis & victimis, quæ singulis diebus cædebantur, præscribitur Numerorum cap. 29. At quibus in locis tabernacula figebantur. Cum Iudæi per solitudinem patriam suam petebant? Respondeo, ea in deserto tendebant postea verò cum in patriam peruenere, ea figebant extra muros, vel in ipsis domorum tectis, vel in locis extra vrbem patẽtibus. Præterea lex iubebat Leuit. 23. *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spathasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino vestro.* Quod Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 10. hunc in modum interpretatur: *Et simul cum gratiarum actione sacrificate: manibus interim gestantes ramos myrti, & salicis, palmæ, & mali persicæ.* Hæc ille. Arborem pulcherrimam videtur Scriptura appellare malum cytream vel persicam, & arborem densarum frondium, myrtum. Voluit Deus, vt hunc diem festum cum lætitia & iucunditate Iudæi celebrarent prædictarum arborum ramos in manibus gestantes, quò recordarentur se de sterili solitudine in terrã fertilem, & vberem, aquis irriguam, iuxta quam vertuntur salices, & optimis arboribus abundãtem, translatos fuisse. Dubiæ tamen quæstionis est, an totos dies septem cum lætitia & iucũditate prædicta celebrarent, an solùm primum diem. Moyses Aegyptius, & Iosephus *loco citato*, Petrus Comestor *in Hist. Scholast. in lib. Numeror. cap.* 47. testantur eam celebritatem per integros septem dies peragi solitam. Abul. verò *q.* 28. *in Num.* censet primo tantùm die durare.

Caput XXXVIII.

De die festo cœtus, siue collectæ.

EOdem Leuitici libro legimus: *Dies quoque octauus* (videlicet qui proximè sequitur septem dies Tabernaculorum) *erit celeberrimus atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino. Est enim cœtus atque collecta. Omne opus seruile non facietis in eo.* Agebatur igitur hæc celebritas die vigesima secunda septimi mensis post septem dies Tabernaculorum exactos. S. Thom. 1. 2. *q.* 102. *art.* 4. *ad* 10. ait, dictum esse cœtum siue collectam, quia in ea colligebantur è populo, quæ erant necessaria ad impensas cultus diuini. Petrus Comestor: *Quia colligebantur,* inquit, *ea, quæ erogabantur in vsus paupertum, vel in alios vsus communes.* Lyranus putat, pecunias tunc colligi solitas in sumptus sacrificiorum, vel aliorum, quæ in templo fiebant. Abulensis: quia colligebantur pecuniæ, vel ad reficienda ea, quæ in templo corruerant, vel ad noua vasa aurea, & argentea, & vestes, & alia id genus emenda. Mihi verisimilius videtur, collectã dici, quia relictis Tabernaculis, in vnum populus colligebatur ad gratias Deo agẽdas precibus & sacrificijs, eo quod post longam quadraginta annorum peregrinationem tandem in Terram Patribus promissam omnes salui & incolumes peruenissent. Feriæ igitur Tabernaculorum à Iudæis colebantur, quibus illi peregrinationis annos in memoriã reuocabant. Dies festus collectæ proximè celebrabatur, vt recordarentur beneficij, quo absoluta & confecta peregrinatione, simul omnes Terram summis votis expetitam & precibus efflagitatam tandem obtinuerunt. Conueniebant verò, ad hoc scilicet, vt diuina audirent & discerent. Simili de causa dies azymorum extremus, dies festus, cœtus, & collecta dicebatur, quia in eo populus cogebatur, vt rebus sacris & diuinis interesset, & Dei præceptis & legibus informaretur.

In hist. lib. Num. c. 47

Abul. q. 26 & 27. in c. Leuit. 23.

Caput XXXIX.

De die ignis cælitus dati.

LIbro secundo Machab. cap. 1. ita legimus: *Facturi igitur quinta, & vigesima die mensis Casleu, purificationẽ templi, necessarium duximus significare vobis, vt & vos quoq; agatis diem Scenopegiæ, & diem ignis, qui datus est quando Nehemias ædificato templo, & altari, obtulit sacrificia. Nam cũ in Persidem ducerentur patres nostri, Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptũ ignem de altari, occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus & in eo constituti sunt eũ, ita vt omnibus ignotus esset locus. Cum aũt præterijssent anni multi, & placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis, nepotes Sacerdotum illorum, qui absconderant, missi ad requirendum ignem. Et sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, & iussit eos haurire, & afferri sibi, & sacrificia, quæ imposita erant, iussit Sacerdos Nehemias, aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant supposita. Vtq; hoc factũ est, & tempus affuit: quo Sol affulsit, qui prius erat in nubilo, accessus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* Hæc ibi:

Hic ignis, de quo Scriptura loquitur, sacer erat è cœlo datus, quo vno vti in altari fas erat ad sacrificia, de quo in Leuitico: *Ignis autem in altari meo semper ardebit: quem nutriet Sacerdos subijciens ligna manè, per singulos dies:* quem ignem, cœlestem scilicet, Nadab & Abiu negligentes, alimque ignem adhibentes, igne diuinitus lapso deuorati & absumpti perierunt. Hic igitur ignis semper in tabernaculo, & in templo seruatus est,

Leuit. 6.

Leuit. 10.

donec templum à Chaldæis est igne exustum, & Iudæi in Babylonem captiui abducti sunt. Et de hoc igne intelligitur locus libri Machabæorum proximè allatus. Porrò dies hic dati ignis, siue festus, siue celebris tantùm fuit, ex lege Moysis non colebatur: Immò recentiores Iudæi dicunt, in templo secùdo semper cœlestem ignē descendisse super sacrificia. Nimirum isti, libros Machabæorum minimè, vt canonicos & sacros habent, nec agnoscunt.

Caput XL.

De Encœnijs.

PRæter dies festos Moysis lege præscriptos, colebant Iudæi diem sacrum vigesimum quintum mensis noni; & hic erat dies festus Encœniorum. De quibus apud Ioannem sic legimus: *Ioan.10.* *Facta sunt Encænia in Hierosolymis, & hyems erat.* Sunt autem Encœnia, dies dedicationis templi: Græci namque ἐγκαινίζειν dicunt, quod Latini, renouare, vel dedicare. Templum Iudæorum ter est dedicatum: primò, cùm est extructum à Salomone: *3.Reg.8.* Secundò, cum est iterum ædificatum post reditum è captiuitate Babylonica: *1.Esd.6.* Tertiò, cum ex parte dirutum & pollutum à Gentibus sub Antiocho Epiphane, mundatum & dedicatum est tempore Iudæ Machabæi, *1.Mach.4.* de quo ita proditum est in libris Machabæorum. *Et ante matutinum surrexerunt, quinta & vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octaui anni, & obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum nouum, quod fecerunt secundum tempus, & secundum diem, in qua contaminauerunt illud Gentes. In ipsa renouatum est in Canticis, & citharis, & cinyris, & cymbalis. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia.* In huius igitur beneficij memoriam colebantur singulis annis Encœnia; non autem in recordationem primæ aut secundæ dedicationis, nam post ea, quæ attulimus statim sequitur: *Et statuit Iudas, & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo, à quinta & vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudio.*

Fiebant porrò Encænia diebus octo, quia dies octo Iudæi in illa dedicatione templi lætissimè consumpserunt. Voluerunt autem tot dies in dedicatione consumere; memores celebritatis Tabernaculorum, quàm Iudæi per octo dies magna cum lætitia colebant. Sic enim secundo Machabæorum libro scriptum est: *2.Mach.10* *Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum Tabernaculorum, recordantes quod ante modicum tempus diem solemnem Tabernaculorum in montibus, & in speluncis more bestiarum egerunt. Propter quod thyrsos & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui prosperauit mundare locum suum.* Sic ibi. Quare verisimile est primum, & octauum diem Encœniorum fuisse festos & solemnes; cæteros non item, sed celebres tantum, ob sacrificia, quæ in illis offerri solebant.

Caput XLI.

De Sacerdotibus Leuiticis.

TRibum totam Leuiticam Deus sibi consecrauit, vt in Tabernaculo, & deinde in templo ministraret, vt in libro Numerorum scribitur: hinc factum est, vt cùm recensentur viri à vigesimo anno, qui possent ad bella procedere, veruerit Deus Leuitas numerare, quoniam non ad militiam, sed ad ministerium in templo erant diuinitus destinati, vt patet ex eodem libro. Erant igitur omnes Sacerdotes, Leuitæ, hoc est, ex tribu Leui; non tamen erant omnes Leuitæ Sacerdotes. Vnde apud Ioannem legimus: *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem.* *Num.3.* *Num.1.* *Ioan.1.*

Leuitarum ætatem docemur Numerorum 8. qualem esse oportebat: nam à viginti annis ingrediebantur in templum, vt in eo ministrarent: & cum quinquagesimum ætatis annum impleuerant, à ministerio & officio cessabant. Tantùm custodiebant, quæ sibi committebantur. Sed Numerorum 4. legimus, Leuitas numerari à trigesimo vsq; ad quinquagesimum annum. Cæterùm hoc cum primo non pugnat: nam hoc intelligitur, vt à trigesimo anno onera Tabernaculi inciperent deferre, quippe qui erant firmioribus corporis viribus: à vigesimo verò quinto anno Leuitæ cõsecrabantur, vt citò possent priores, & antiquiores sua opera iuuare, ac in eorum locum substitui.

Leuitarum familiæ, officia, & munera eorundem, in libro Numerorum *cap.3. & 4.* describuntur. Sacerdotium soli Aaroni & filijs eius datum est: quorum partes erant victimas & sacrificia offerre, & orare pro populo. Aaron summus Sacerdos fuit, eius filij, minores Sacerdotes erãt, Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar. Duo priores, vt dixi, cœlesti igne periere, quòd alienum ignē obtulissent, & liberos non reliquerunt. Vnde posteriores duo, Eleazar scilicet & Ithamar, soli cum patre relicti sunt. Eleazar patri successit, & deinde transijt ad eius posteros pontificatus: qui omnes referuntur vsque ad exilium Babylonicum, vt est in lib.1.Paralip.c.6. Ad primogenitos verò Pontificatus transmittebatur: quare minores Sacerdotes fuerunt omnes alij, qui ex alijs filijs Eleazari, & ex filijs Ithamari genus & originem duxerũt. Posteri Moysis numerati sunt inter Leuitas, vt legimus in lib.Paralip.1.cap.6. & 1.Paralip.cap.23. quia Sacerdotium datum est Aaroni & filijs eius. *1.Par.6.* *Num.3.* *Num.26.*

Ritum, quo Leuitæ consecrabantur, habemus in libro Numeror. Cum Pontifex consecrabatur, immolabantur hostiæ, & ad ostium tabernaculi Testimonij lauabatur aqua, & sacris vestibus induebatur, & caput eius perfundebatur copia sacri olei, id est, aromatici liquoris, qui à barba ad oram vsque vestimenti eius defluebat: cuiusque odore totus populus exhilarabatur. Vnde illud Psalmi: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* *Num.8.* *Psal.132.*

Minores

Minores Sacerdotes etiam ad ostium Tabernaculi abluebantur aqua, & sacris vestibus induebantur, manusque eorum vngebantur, quæ omnia simul cum alijs, in Exodo commemorat Moyses.

Secundò quæritur, quinam fuerint redditus Leuitarum, & Sacerdotum? Respondeo, Leuiticam tribum in Terra Patribus à Deo promissa, nullam sortem & hæreditatem accepisse; cum tamen aliæ singulæ tribus, singulas acceperint sortes & hæreditates. Habuit tamen ea tribus Leuitica quadraginta vrbes cum agris suis ad animalium pascua: ex quibus tredecim sunt Sacerdotibus assignatæ: quæ causa est, vt nõ soleat inter tribus duodecim numerari; Sacerdotes enim & Leuitæ per omnes dispersi erant, vt cæteros omnes præceptis, institutis, & legibus informarent.

Præcepit Deus, vt omnes tribus decimas Leuitis soluerent, quibus alerentur. *Filijs autem Leui*, Deus, inquit, *dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio, quo seruiunt mihi in Tabernaculo fœderis.* Ex his verò decimas Pontifici pendebant. *Præcipe*, ait, *Leuitis atque denuntia: Cum acceperitis à filijs Israelis decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ; vt reputetur vobis in oblationem primitiorum.* Sensus est: Vt in hoc etiam pares sitis reliquis tribubus, quæ ex laboribus suis offerũt Deo decimas.

Sed dubiæ quæstionis est, an Leuitæ decimas ex decimis soluerent summo Pontifici, an verò Sacerdotibus omnibus? Lyranus & Abulensis opinantur Summo Pontifici pendere: quia scriptum est de Leuitis: *Tam de area* (hoc est, de frumento, quod colligitur ex area) *quàm de torcularibus* (hoc est, ex vino collecto ex vuis) *& vniuersis quorum accipitis primitias offerte Domino & date eas Aaron Sacerdoti.* Iosephus tamen scribit, decimas ex decimis Leuitas soluere Sacerdotibus. *Nunc*, inquit, *dicendum quæ sint Sacerdotum propria. Ex quadraginta octo oppidis præcepit Deus, vt Leuitæ concederent eis tredecim, & decimarum à populo acceptarum decimas penderent.* Hieronymus in illud Ezechielis: Et hæ sunt primitiæ, & reliqua. *Decada*, inquit, *hoc est, decimam partem omnium frugum, Leuiticæ tribui populus ex lege debebat. Rursus, ex ipsis decimis Leuitæ* (hoc est, inferior ministrorum gradus) *decimas dabat Sacerdotibus. Et hæc est, quæ appellatur secunda decima.* Et in Epistola ad Fabiolam de veste Sacerdotali: *Aeditui*, inquit, *& ianitores accipiunt decimas.* Et rursus, *Decimas decimarum offerunt Sacerdotibus, tanto illis minores, quanto ipsi maiores populo.* Sic ibi;

Erat & tertia decima, de qua Deuteronom. 14. legimus: *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & pones intra portas tuas.* Venietque Leuites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, & quæ sequuntur.

Dubitatur etiam, an populus decimas solueret Leuitis tantùm, an verò ipsis simul & Sacerdotibus. Abulensis existimat, decimas à populo pendi Leuitis, non Sacerdotibus. Sed Ioseph. op positum tradit his verbis: *Et insuper à toto populo decimas annui fructus exigit Leuitis simul ac Sacerdotibus cõferendas.* Et Nehemias: *Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Leuitis, in decimis Leuitarum*, hoc est, Sacerdotes filij Aaron simul cum Leuitis participes erũt decimarum acceptarum à populo. Et hoc est verisimilius. Vnde illud Numer. 18. *Filijs autem Leui dedi omnes decimas in possessionem*: non significat Leuitis tantùm datas esse, sed toti Leuiticæ tribui, quæ Sacerdotes & Leuitas pariter continebat.

Tertiò quæritur, an Sacerdotes redditus alios & prouentus præter decimas haberent. Respondeo, habuisse; nam præter decimas Leuitis & Sacerdotibus communes, Sacerdotibus primitiæ soluebantur, id est, rerum terra nascentium primi fructus: primitiæ verò, nec erant plus quàm fructuum quadragesima pars, nec minus quàm sexagesima. Nam inter hos duos terminos primitias quisque sua voluntate metiebatur & soluebat, vt scribit Beatus Hieronymus in illud Ezechielis suprà citatum. Et hæ sunt primitiæ. Pertinebant etiã ad Sacerdotes munera, quæ Domino offerebantur, & alia, quæ Numer. cap. 18. memorantur. *Ezech. 45.*

Quartò quæritur, quæ munia & officia Sacerdotũ essent? Num. 18. scriptũ est de Aarone, *Tu, & filij tui custodite Sacerdotiũ vestrũ, & omnia, quæ ad cultum altaris pertinẽt, & intra velũ sunt, per Sacerdotes administrabuntur. Si quis externus accesserit occidetur.*

Sex erant munia Sacerdotum: Primùm, sacrificia & victimas immolabant, quæ extra Tabernaculum in altari holocaustorum, quod erat in atrio Tabernaculi, & post templum extructum in atrio Sacerdotum, mactabantur & incendebantur. Secundò, panes, qui propositionis dicebantur, offerebant super mensam, quæ erat in exteriori parte tabernaculi ad Septentrionalem plagã. Tertiò, lucernas quotidie mane, & vespere aptabant & cõponebant in candelabro, quod erat in eadem tabernaculi parte ad meridianum latus contra mẽsam propositionis. Quartò, thymiama offerebant quotidie mane & vesperi in altari aureo, quod erat ante Sancta Sanctorum. Quintò, extra castra vitulam rufam immolabãt. Sextò, leprosos & alios immundos expiabant: de lepra cognoscebant, & iudicabant. *Exod. 26.* *Ibidem.* *Exod. 30. Num. 19. Leu. 13. & 14.*

Quintò quæritur, quæ essent propria munera & officia Summi Pontificis? Primùm solus ille in Sancta Sanctorum introibat ad aspergendum sanguinem hirci, idque semel in anno, in die expiationis: quæ celebritas decimo die mensis septimi colebatur. Ingrediebatur itidem in tabernaculum singulis quibusque Sabbatis, Calendis quoque, & diebus festis, teste Iosepho *lib. 6. de bello Iudai. cap. 6.* *Leuit. 16.*

Sacerdotum porrò ministeria obire Leuitis minimè per legem licebat, quamuis essent consecrati: immò nec fas illis erat altaria, vel vasa sacra contingere. Excubabuntque, ait Dominus, ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita duntaxat, vt ad vasa Sanctuarij, & altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis simul. *Num. 18.*

Cæterùm exædificato iã templo, alia fuerunt Leuitarũ munia, prout Dauid rex cõstituit, dicẽs: *Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, & habitationem Hierusalem vsque in æternum. Nec erit officij Leuitarum, vt vltra portent tabernaculũ, & omnia vasa* *1. Par. 23.*

eius

Ibidem. *eius ad ministrandum.* Sic ibi: Inde factum est, vt numerati fuerint Leuitæ à viginti annis & supra. Et cum inuenta fuissent triginta octo millia virorum, ex his electi sunt & distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia. Præpositorum autem & Iudicum fuere sex millia, quatuor millia ianitores, & totidem psaltes canentes Domino in organis, quæ fecerant ad canendum. Sic ibi: Sed quale ministerium domus Domini fuit, ad quod delecta fuerunt illa viginti millia virorum? Iosephus intelligit eos esse delectos, vt curarent ædificium templi. Abulen. vt Sacerdotibus inseruirent in omnibus, quæ illi præciperent, & in parandis his, quæ opus erant ad sacrificia. Et quia tanta multitudo simul ministrare non poterat; eã Dauid per familias distribuit, vt omnibus hebdomadis per vices suas inseruirent. Et hoc est quod scriptura refert: *Et distribuit eos Dauid per vices filiorum Leui, videlicet Gerson & Caath, & Merari. Seruiebant igitur in vestibulis, & in exedris (vbi erant gazophylacia & oblationes.)* In loco purificationis (in quo scilicet, erat Mare æneum; & alia vasa in oblationem Sacerdotum, & victimarũ dispositа, quæ Leuitæ implebãt, & euacuabant) *in Sanctuario*, id est, in loco magis sacro, vt cãtores. Diuisit præterea Dauid Sacerdotes, videlicet omnes posteros Eleazari, & Ithamari filiorũ Aaron, in vigintiquatuor familias; filios Eleazari in sedecim, filios Ithamari in octo; fuerunt enim hi pauciores inuenti: sortito verò vnaquæq; familia per vices suas inseruiebat: nã cuius prima sors exijt, descripta est in prima familia, & post hanc secunda, ac deinceps cęteræ vsq; ad vigesimam quartam. Hinc est illud quod scribit B. Lucas: *Fuit in diebus Herodis regis Iudææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia* (quæ videlicet erat octaua familia in illis vigintiquatuor, quas Scriptura commemorat, & post:) *Factũ est autem cũ Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum.* Diuisit quoque Dauid Leuitarum multitudinem in viginti quatuor partes: & ideò illi quoque sorte diuisi, omnibus hebdomadis per vices suas ministrabant.

1. Para. 23.

1. Par. 24.

Luc. 1.

1. Par. 24.

Caput XLII.

De vestibus Sacerdotalibus.

ERant vestes minorum & maiorum Sacerdotum, id est, Pontificum communes, & erant aliæ etiam propriæ Pontificum. Extat Epistola Hieronymi ad Fabiolã de vestib⁹ Sacerdotalib⁹. Porrò quatuor ad vestium materiam seruiebant: *Hyacinthus*, hoc est, filum ex lanea materia colore hyacinthorum orientalium: *Purpura*, quæ erat coloris punicei, siue mali granati: *Coccus bis tinctus*, qui rubri erat coloris: *Byssus*, hoc est, linum Aegyptiũ, quod erat tenuissimum & fortissimum, & præstantissimi candoris.

Primò quæritur, quot, & quæ vestes erant communes? Respondeo, quatuor. Prima vestis, erant linea fœminalia, quæ Hebraicè dicitur *Michense*. Hæc, inquit Hieronymus, vsque ad genua, & poplites veniebant, & verenda & femora celabant, & superior pars sub vmbilico vehementer adstringebatur, vt si quando expediti mactarent victimas, tauros, & arietes, traherent, portarentque onera, ne, si in officio ministrandi cecidissent, & femora reuelassent, pateret quod natura occultauit. Inde prohibuit etiam Deus, ne gradus ad altare fierẽt, nimirum, ne inferior populus ascendentium ad altare Sacerdotum verẽda conspiceret. Hæc ex Hieronymo: Erant autem fœminalia facta è byssо retorto.

מכנסי

Secunda vestis erat tunica ex lino; quæ Græcè dicta est ποδήρης, hoc est talaris, ad talos vsq; protensa, Hebraicè dicitur *Chetoneth*. Erat quoq; byssina, quæ quidem adhærebat corpori tam arctè, & tam strictis manicis, vt nulla omninò ruga in veste appareret, quò sic expediti essent ad ministerium, vt milites ad cursum, ad iacula mittenda, ad pugnam, & prælium, ad ensem vibrandũ, cum opus in bello est. כתנת

Tertia vestis Sacerdotum communis, erat cingulum, quod baltheum, siue zonam appellant, textura ex cocco, purpura, hyacintho; & stamine byssino; ac proinde decorum, & polymita arte distinctum. Hebraicè vocatur *Abanet*. Et hoc baltheo, linea tunica inter vmbilicũ & pectus stringebatur. Erat autem cingulum latum quatuor digitis, & ex vna parte ad crura dependebat; & cũ ad sacrificia cursu & expeditione opus erat, in sinistrum humerum retorquebatur. אבנט

Quartum genus vestis erat rotundum, pileatum, vt ait Hieronymus, Hebraicè dicebatur *Mitznepheth*, quod Græci tiaram vocant, nonnulli galerum, alij cydarim, & habebat acumen in summo, nec totum vsque ad comam caput tegebat, sed tertiam partem à fronte inopertã relinquẽs: In occipitio vitta constrictum erat, ne facilè laberetur ex capite. Erat byssinum, & sic apprimè opertum linteolo, vt nulla eius vestigia extrinsecus cernerentur. Hæc ex Hieronymo. מצנפת

Secundò quæritur, quot & quæ vestes erant Pontificum, id est, maiorum Sacerdotum propriæ? Erant quatuor, prima dicitur Hebraicè *Mail*, hyacinthina, vsque ad crura protensa, ex lateribus eiusdem coloris manicas assutas habebat, & in superiori parte qua collo inducebatur, aperta. *Vulgo*, inquit Hieronymus, *capitium vocant*. Constabat oris firmissimis contextis, ne facilè rũperetur: In inferiori parte, hoc est, iuxta pedes, septuagintaduo tintinnabula habebat, & totidem mala punica ijsdem coloribus contexta, quibus cingulum: Inter duo tintinnabula vnum malum punicum erat, & inter duo mala vnum tintinnabulum. Inde fiebat, vt cum Pontifex in Sancta Sanctorum ingrederetur, totus vocalis incederet, statim moriturus, si hæc non faceret. מעיל

Alterum vestimentum Hebræi ippellant *Ephod*. Septuaginta Interpretes ἐπωμίδα. Latinus Interpres, superhumerale, eisdem coloribus distinctum, quibus cingulum. Et sciendum est, duplex fuisse Ephod, vt Hieronymus annotauit; Vnum, quod erat propriũ Summi Pontificis, quatuor prædictis coloribus insignitũ, & opere textili confectum. Alterum, lineũ tantùm, quo non solùm Sacerdotes, & Leuitæ, sed oẽs etiam laici & populares vtebantur, cũ Domino ministrabãt. De Samuele qui Leuita erat, ita legimus. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus* *1. Reg. 2.* אפוד

Ephod.

Ephod lineo. Et de Saule: *Iruit in Sacerdotes, & trucidauit in die illo octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo.* & de Dauide, qui nec Sacerdos erat, nec Leuita. *Porrò Dauid accinctus erat Ephod lineo,* videlicet, vt saltaret, & curreret ante arcam Domini. Nimirum populares hoc vestimenti genere vtebãtur, quoniam eo commodè, & religiosè diuino cultui inseruiebant.

Tertium vestimentũ erat, inquit Hieronymus, mensura paruum, sed cæteris longè sacratius, vocatur Hebraicè *Hossen*, hoc est, Pectorale, Græcis dictum λογεῖον, à Latino Interprete, *Rationale*. Erat pannus breuis ex auro, & quatuor prædictis coloribus contextus, habens magnitudinem palmi per quadrum, & duplex, ne facilè rumperetur. Erant ei intextæ duodecim gemmæ miræ magnitudinis & pretij per quatuor ordines, ita vt in singulis tres ponerentur.

In primo ordine, primus lapis erat *Sardius*: qui teste Plinio est perlucidus, & ignis speciẽ habẽs. Hic Hebraicè dictus est *Odem*, à rubro, siue sanguineo colore. Quidã Hebræi interpretãtur Rubinũ: sed Septuaginta, Iosephus, & Hieronymus vertunt Sardium, siue Sardonicum.

Secundus lapis erat *Topazius*, quæ gemma viridis est auctore Plinio, & prælata omnibus eius coloris gemmis cum reperta est. Hebraicè dicitur *Pitdach*. Omnes interpretantur Topazium.

Tertius *Smaragdus*, qui maximè viridis est, & oculorum aciem mirificè recreans, vtpotè gratissimi & iucundissimi coloris, teste Plinio oculos impler, nec satiat. Hebraicè dicitur *Bereket*, à fulgure. Quidam Hebræi putant esse Chrysolithum. Sed Septuaginta, Iosephus, & Hieronymus reddunt Smaragdum.

In secundo ordine primus lapis erat *Carbunculus*, de quo Plinius ait, principatum tenere inter gemmas ardentes, quæ similitudine ignem referunt. Hebraicè vocatur *Nophen*. Hebræi interpretantur Smaragdum, certè peregrinum est nomẽ. Septuaginta, Iosephus, & Hieronymus reddidêre Carbunculum.

Secundus erat *Sapphirus*, qui cœlestis coloris est, & punctis aureis collucer, teste Plinio. Nominatur Hebraicè *Saphir*. Omnes interpretati sunt Sapphirum.

Tertius lapis erat *Iaspis*, gemma pulcherrima, virens, & translucens, & maximè firma, de qua Plinius ait: Etiamsi victa à mulris, antiquitatis tamen gloriam retinet. In Hebræo nomen accepit à contundendo, siue percutiendo *Iahalom*. Vnde quidam Hebræi dicunt esse adamantem.

In tertio ordine primus lapis erat *Lygurius*, quanquam aliqui Lyncurium legunt. Plinius de hoc lapide ita scribit, *De Lyncurio proximè dici cogit Auctorum penuria; quippe etiam si non Electrum id esset, gemmam esse contendunt. Fieri autem ex vrina quidẽ Lynce, sed egestam, terra protinus bestia operiente eam, quoniam inuideat hominum vsui. Esse autem, qualem in igneis succinis colorem: scalpique: nec folia tantùm aut stramenta ad se rapere, sed æris etiam & ferri laminas: quod Dioclesquidem, ac Theophrastus credidit. Ego falsum totum id arbitror, nec visam in æuo nostro gemmam vllam ea appellatione.* Sic ille. Lyncurius igitur, gemma non est, sed id quod Latinè dicimus, succinũ vel electrũ. Lygurius verò, gemma est, & ex genere lapidum ardentium, cuiusmodi carbunculi sunt. Meminit & eius Plin. Hic lapis Hebraicè dictus est *Lesem*, quidam Hebræi Iaspidem vertũt: sed ferè omnes intelligunt Chrysolithum.

Plin. eod. l. cap. 7.

לעם

Plin. c. 10. Isid. li. 16. Etym. ca. 10.

Secundus lapis erat *Achates*. Hæc gemma, eodẽ teste Plinio, olim in magna fuit auctoritate, nũc in nulla est, & teste Isidoro nigra est, habens in medio circulos nigros, & albos iũctos & variatos. Hebraicè vocatur *Sebo*, omnes interpretãtur Achatem.

שבו

Tertius lapis erat *Amethystus*, qui teste Plinio, ad vini rubri colorem accedens, priusquam eum deguster, in violaceum definit, & fulgor quidam in illa purpuræ, non ex toto igneus, sed in vini colorem deficiens. Hebræum eius nomen est *Achalamah*: omnes intelligunt Amethystum.

Plin. ibid. cap. 9.

אחלמה

In quarto ordine, primus lapis erat *Chrysolithus*, qui aureo colore translucet, Plinio auctore. In Hebræo dicitur *Tharsis*, omnes intelligũt Chrysolithum. Græci & Latini, quidam Hebræi Smaragdum.

Plin. ca. 9.

תרשיש

Secundus *Onychinus*, ab humani vnguis similitudine carni impositi sic dictus, eodem Plinio teste. Chrysoliti colorem habet & Sardæ, & Iaspidis. Hebraicè nominatur *Saham*, quidam Hebræi accipiunt Beryllum, verùm Lxx. Iosephus, & Hieronymus interpretantur Onychinum.

Cap. 6.

שהם

Tertius erat *Beryllus*, viridis gemma, quæ sex anguli forma politur, quoniã hebescit, ni color eius surdus repercussu angulorum excitetur, vt ait Plinius. Hebraicè scribitur *Iaspes*. Vnde Hebræi intelligunt Iaspidem, at Lxx. & Iosephus, & Hieron. interpretãtur Beryllum.

Cap. 5.

ישפה

Hi duodecim lapides typum & figuram gerebant duodecim tribuum. In primo ordine, iuxta quorundam sentẽtiam, primus lapis Sardius referebat *Ruben*, qui fuit primogenitus Iacob. Secũdus Topazius, *Simeonẽ*, tertius Smaragdus, *Iudam*.

In secundo ordine, primus Carbunculus *Dan*, secundus Sapphirus, *Nephthali*: tertius Iaspis, *Gad*.

In tertio ordine, primus Lygurius, *Aser*; secundus Achates, *Issachar*; tertius Amethystus, *Zabulon*.

In quarto ordine, primus Chrysolithus, *Ephraim*: secundus Onychinus, *Manassen*: tertius Beryllus, *Beniamin*. Sed iuxta aliorum opinionem, in primo ordine erant *Ruben, Simeon, & Leui*: In secũdo ordine, *Iudas, Issachar, & Zabulon*: In tertio ordine, *Dan, Nephthali, & Gad*: In quarto ordine *Aser, Ioseph, & Beniamin*. Iosephus scribit, literas in his omnibus lapidibus sculptas fuisse, referẽtes singularum tribuum Principes, eo ordine, quo nati esse noscuntur.

Ioseph. li. 3. antiq. c. 11.

Secundò Quæritur, quidnam significetur illis verbis: *Doctrinam & veritatem*, quæ erant in rationali summi Sacerdotis: Sciendum est, Dominum Moysi præcepisse: *Pones in rationali iudicij, Doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino; & gestabit iudicium filiorum Israel in conspectu Domini semper.* Vbi Latinè legimus, Doctrinam, in Hebræo est Vrim, id est, lumina, siue splendores, siue illustrationes, siue, vt Lxx. manifestationem, aut demonstrationem, quę eandem rem significant: doctrina enim sancta, est vitæ nostræ verũ lumen; vbi Hieronymus La-

Exod. 28.

rinè vertit, *Veritatē*. Hebræa lectio habet *Thumim*, hoc est, perfectiones: quo verbo significatur singularis morum integritas.

Sed illud est in controuersia, vbinam, & quo modo fuerint in rationali Vrim, & Thumim, hoc est, lumina, & perfectiones, siue doctrina, & veritas, vtrum videlicet litteris Hebraicis Vrim & Thumim; an verò potiùs aliquid fuerit in illo positum, quod illa verba significaret. *Aug. q.17. in Exod.* B. Augustinus hanc ita soluit quæstionem: *Quid sibi hoc velit, vel in qua re, vel metallo poneretur super rationale Demonstratio, & veritas (quoniam talia dicit fieri in veste Sacerdotis, quæ corporaliter fiunt) inuenisse difficile est. Fabulantur tamen quidam, lapidem fuisse, cuius color siue ad prospera, siue aduersa mutaretur, quando Sacerdos intrabat in Sancta.* Sic ille. Iuniores Hebræi, ingenuè fatentur ignorare se quidnam designarēt illa duo verba Vrim, & Thumim. Quidam tamē eorum opinantur, illis duobus verbis significari ineffabile Dei nomen, quod quatuor litteris cōstat apud Hebræos. Ita vt cum dicitur, *Pones in rationali Vrim & Thumim*, sensus sit, scribes in rationali ineffabile Dei nomen, quod intra duos pannos rationalis ponebant: per quā, inquiunt, Scripturam, Deus responsa sua, cum consulebatur, declarabat, hoc est, verba sua lucere, & splendere faciebat, & perficiebat postulata. Quidā Catholicorum sentiunt, Vrim & Thumim, non esse aliqua verba scripta in rationali, sed esse duodecim illos lapides in rationali intextos; ac si dicere Dominus voluerit, *Pones in rationali*, id est, inseres in rationali prædictas duodecim gemmas fulgurantes, ac omni ex parte perfectas. Quod probant, quia vbi Scriptura narrat factum esse *Exod. 29.* in vestibus quicquid Dominus præceperat Moysi, nihil de Vrim, & Thumim scriptum est, quia mirum id ipsum erat, quod duodecim lapides intexti. Deinde, quia cum Iosephus de rationali ageret, nihil de Vrim, & Thumim scripsit: nihil etiā Hieronymus. Sed probabilius mihi videtur, ea verba esse aliquam scripturā in rationali prēter duodecim gemmas; quod inde confirmatur, *Exod. 28.* quia postquam Scriptura duodecim lapides in rationali inferendos dixit, adiecit hoc: *Pones autem in rationali iudicij Vrim & Thumim*, siue doctrinam, & veritatē. Existimo, hæc duo verba in rationali describi, quib⁹ admoneretur summus Sacerdos, eum oportere summa doctrina præditū esse, quæ lumen, siue illuminatio in sacris litteris sæpe dicitur, vitæ ac morum summa integritate, vt alios & verbo doceret, & vitæ exemplo ad virtutem inuitaret, & moueret.

Tertiò Quæritur, cur id vestimenti genus dictum sit rationale iudicij? Quidam volunt, sic dictum, quod summus Sacerdos nunquam dicebat ius in re seria & graui, nisi ea veste indutus. Alij verò, inde appellatum volunt, quòd contineret iudicium & sententiā Dei, quæ erat, vt summus Sacerdos summa doctrina, & morū ac vitæ probitate fulgeret.

Quartò Quæritur, quænam esset quarta vestis propria Sacerdotum? Summi Pontificis propriū *Exod. 28.* erat Tiara, de qua ita legimus: *Facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælaturis: Sanctum Domino: Ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit super Tiaram imminens fronti Pontificis*, dicitur Hebraicè *Sis-* צִיץ זָהָב *zabab*, Hieronymus sic ait: *Hoc super pileolum lineum, & commune omnium Sacerdotum, in Pontifice plus additur, vt in fronte vitta hyacinthina constringatur, totamque Pontificis pulchritudinem, Dei vocabulum coronet & protegat. Erat in lamina aurea descriptum quatuor litteris ineffabile nomen Dei, cum tota hac Scriptura: Sanctitas Domini, qua admoneretur Sacerdos, oportere sanctum esse eum, qui sancta Deo sacrificia, vota, & preces offerebat, & qui Deum placaturus sibi, & cæteris esse cupiebat.*

Postremò Quæritur, an Pontifex his omnibus vestibus indueretur, quoties in tabernaculo, vel templo ministrabat Domino. Respondeo, sic in Exodo scriptum contineri: *vt faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi. Possea facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron, & filijs eius, vt sacerdotio fungantur mihi.* Vnde perspicitur idem iuris fuisse de sacerdotibus, quod de summo Pontifice: vt enim hic, ita etiam illi sacris vestibus ornabantur, cum sacris eos operari oportebat. Et de tunica hyacinthina legimus: *Et vestietur ea Aaron in officio & ministerio, vt audiatur sonitus quando ingredietur, & egredietur Sanctuarium.* Lyranus tamen & Abulensis excipiunt tempus, quo ingrediebatur summus Sacerdos in Sancta Sanctorum in die expiationis, quo die, inquiunt, his tantum vestibus, quę erant ipsi cum cæteris Sacerdotibus communes, vestiebatur. Verba scilicet ad Moysen hæc sunt: *Loquere ad Aaron fratrem tuum, vt omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est inter velum coram Propitiatorio, quo tegitur arca, vt non moriatur, nisi hac ante fecerit. Vitulum pro peccato offeret & arietem in holocaustum: tunica linea vestietur; femoralibus lineis verenda celabit; præcingetur zona linea: cidarim lineam imponet capiti, hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur.* Sed cur eo die alioqui celeberrimo summus Pontifex, his tantùm vestibus vtebatur? Respondet Abulensis: *Quia nō lætitiæ, sed mœroris dies erat: in eo siquidem Iudæi corpora sua ieiunio affligebant, & pœnitentia peccata expiabant.*

Caput XLIII.

De rebus sacris, quarum vsus erat in tabernaculo, & deinde in templo.

De arca Testamenti, seu fœderis.

PRimò quæritur, qualis nam fuerit arca fœderis? In primis arca fœderis, fuit facta ex lignis Setim, quod lignum, teste Hieronymo, est firmissimum, & quod non facilè putrescit. Leuissimum pariter, & pulcherrimum.

Longitudo arcæ hæc fuit: habebat duos cubitos & dimidiū: Latitudo cubitum & dimidiū, altitudo quoque cubitum & dimidium: tāta fuit magnitudo, quanta & decoris ratio, & magnitudo Cherubim, & ea quæ in arca reponenda erāt, postulare videbantur.

Cubitum Auctor historiæ Scholasticæ, & Abulensis negāt fuisse geometricum, vt in arca Noe, sed humanum. Iosephus, quem sequitur Beda, ita scribit: *Longitudo arcæ erat quinq; palmorū: altitudo verò, & latitudo, triū palmorum*: palmus verò apud Iosephum continet duodecim digitos. Est autem

Exod.at

Lyra. & Abulen. c.18. Leu.

Hieron. Isaiæ 6. in Ezech.

Scholast. Exod. 26. Abul. q.11. in Exod. Ioseph. lib.3. Antiq. c.6. Beda lib.1. de Tabern. cap.4.

interuallum inter medium digitū, & pollicem: cubitus autem vulgaris & humanus est interuallum à flexu brachij ad extremum medij digiti, & digitos habet vigintiquatuor, & hic est cubitus, de quo loquitur Moses indicans magnitudinem arcæ. Arca tota cooperiebatur extrinsecus, & intrinsecus laminis aureis ex auro purissimo: in summo limbum aureū habebat, quem coronam vocant, quo vndique arca cingebatur, & teste Richardo, surgebat in duos, aut tres digitos super operculum: in duobus lateribus longitudinis binos circulos aureos habebat in summitate laterum ad angulos; in quibus circulis inclusi semper erant vectes ex lignis Setim, & operti auro, vt quoties opus esset, alio facilè trāsportari posset, Sacerdotum enim humeris deferebatur arca. Dicta est autem arca Testamenti & fœderis, eo quòd in ea & lex poneretur, & per legem Deus suam voluntatem testatus est, & pactum, fœdusque iniuit cum populo Hebræorum: cuius veluti quædam conditiones fuerunt, vt ipse Deus singularem illius populi tutelam, curam, & gubernationem haberet, & populus Deo piè ac religiosè honorem, venerationem, & cultum debitum deferret.

Secundò quæritur, Quidnam fuerit in arca fœderis? Multis quæstio hæc semper non parum negotij facessit, propter illa Scripturæ verba in Regum volumine contenta: *In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuit in ea Moses in Horeb*, quæ quidem verba alibi etiam Scriptura commemorat. Sed B. Paulus plura fuisse in arca testatur, ita scribens: *Et arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro: in qua erat vrna aurea, habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ Testamenti.* Quos quidem duos locos ita nonnulli conciliant, tempore Salomonis negant fuisse nisi duas tabulas lapideas legis; cum autem Paulus scribebat, ea omnia fuisse in arca (siue ea fuerint in arca inclusa ab Hieremia Propheta, captiuitatis Babylonicæ tempore arcā abscondente, vt Machabæorum libri testantur, siue à Sacerdotibus vrnam, & virgam sacratiori, tutiorique in loco asseruare volentibus.) Aiunt quidam alij, ex tota lege nihil aliud fuisse in arca, nisi duas tabulas, diuinam legem continentes, vt scribitur in libro Regum. Nihilominus tamen fuisse etiam virgam Aaron, & vrnam continentem manna, vt scripsit Apostolus: hæc enim duo, primum illud nequaquam excludit. Rursus, alij affirmant, duas lapideas tabulas tantùm in arca fuisse: quoniam etsi cætera in ea erant, quæ commemorat Paulus, ad legem tamen seruandam potissimum facta erat arca. Lyranus, Abulensis, & Caietanus opinātur solas tabulas lapideas intra arcam contineri, cætera verò fuisse in capsula quadam lateri arcæ ipsius adhærenti. Quod probare contendunt ex illis verbis Deuteron. *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis.* Alij respondent ita, vt dicant ea omnia fuisse in arca tempore Mosis: Sed cum Salomon templum dedicauit, solas lapideas tabulas fuisse in arca. Iosep. constanter affirmat, nihil aliud in arca fuisse, nisi tabulas lapideas. Verisimilius puto esse quod alij tradunt, Paulum nō dicere, illas res fuisse in arca, sed in Tabernaculo: nam in Græco tabernaculū est fœminini generis σκηνὴ. Cum igitur Paulus ait: *In qua erat vrna aurea, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ Testamenti*, illud relatiuum, in qua, nō refert arcā, sed Tabernaculū, fœminini similiter generis in Græco, quod paulò ante præcesserat, & Scriptura, manna, & virgam Aaron in Tabernaculo fuisse dicit, non in arca. Hinc illud Exod. *Dixitq; Moses ad Aaron: Sume vas vnum, & mitte ibi man, quantum capere potest gomor, & repone coram Domino ad seruandum in generationes vestras. Posuitq; illud Aaron in Tabernaculo reseruandū.* Alibi quoque: *Refer, inquit Dominus ad Mosen, virgam Aaron in Tabernaculū testimonij, vt seruetur ibi. Feciq; Moyses sicut præceperat Dominus.* Et noster interpres Latinus, sæpè casus & genera, quæ sunt in Græco, seruare consuenit, tametsi Latinitati nō congruant: nimirum ille sensus rationem habere maluit, quā verborū. Cuius rei exempla nonnulla subijciam. Sap. 5. vbi dicitur: *Spiritus Domini replenit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis:* In Græco, Πνεῦμα, id est, Spiritus, neutrius est generis, & ad illud refertur pronomen, hoc, & sensus est, hic Spiritus Domini, qui cuncta conseruat & continet, ne in nihilum recidant, scientiam, hoc est, notitiam habet vocis; ac si dixisset, Nouit omnia, quæ loquimur. Ioannes quoq; in Apocalypsi de Henoc & Helia loquens: *Hæ sunt, inquit, duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*, dixit, *stantes*, non, stantia, conuenienter nomini Græco, non Latino. Ibidem, Ioanni dicitur, *Accipe librum, & deuora illū, & faciet amaricari ventrem tuum: Sed in ore tuo erit dulce*, pro dulcis, vt responderet nomini Latino: Sed interpres dicere maluit dulce, rationem scilicet habens Græci vocabuli. Cum etiam dicitur serpenti: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, & ipse, vel ipsa conteret caput tuum.* Vbi semen, in Hebræo masculini generis est, cuius rationem habuit interpres. Dauid etiam, *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc*, videlicet calicem: sed interpres ita posuit, vt erat in Græco, vbi est, ποτήριον. Liber item Sapient. *Et scivit* (Ioseph Patriarcha) *quoniam omnium potentior est Sapientia.* Et in Euangelio: *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum; & in Psalmis, Comprehendumur in consilijs quibus cogitant.* In quibus locis, casus Interpres retinuit, qui erant in Græco.

Paulus igitur scribit: *Post velamentū autem secundum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorū, aureum habens thuribulum, & arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro: In qua* (videlicet, in quo Tabernaculo, non, in qua arca) siquidem in Græco est etiam fœminini generis, *erant vrna aurea*, & reliqua quæ sequuntur.

Tertiò quæritur, An liber Deuteronomij fuerit in arca? Plerique opinantur fuisse, ijs permoti eiusdem libri verbis: *Post quam ergo scripsit Moses verba legis huius in volumine, atque complenit; præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis.* Quidam verò negant in arca fuisse, & Mosen quidem aiūt præcepisse, vt inferretur in arcam; sed postea factum nō esse, cum duobus in locis litteræ diuinæ testentur nihil in arca fuisse, nisi duas lapideas tabulas legis. Aliorum est sententia, dicentium librum Deuteronomij intra arcam non fuisse, sed lateri eius adhærentem. Quicquid sit, hic liber

Exod. 16.

Num. 17.

Apoc. 11.

Apoc. 10.

Genes. 3.

Psal. 74.

Sap. 10.

Matth. 20

Psalm. 80.

Hebr. 9.

3. Reg. 8.

2. Paral. 5.

non videtur fuisse in arca, sed in Tabernaculo, indeq; ad locum thesaurorum translatus, ex ædificato iam templo. Scriptum enim alibi est: *Cumq; efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias librum legis Domini, per manum Mosis, & ait ad Saphan scribam: Librũ legis inueni in domo Domini.* Sic ibi: Hic liber scriptus manu Mosis fuisse perhibetur, & ideò tanquam sacer in Tabernaculo asseruatus.

Quartò quæritur, Cuinã vsui esset arca fœderis? Respondeo, ad continendam arcam, totũ Tabernaculum extructũ fuisse: Arca enim erat velut solium Domini in penetralibus Tabernaculi, vt in aula regia cõstitutum. In eo solio suam præsentiam Dominus adumbratè ostendebat; inde enim responsa dabat. Vnde in sacris literis arca, nõnunquã facies, & gloria Domini vocatur, nimirũ adũbrata. Arca itẽ fabricata est, vt in ea Tabulæ legis asseruarentur, vt fœderis monumentum.

Quintò quæritur, An Arca fœderis fuerit postea semper in tẽplo Salomonis seruata. Scriptura alicubi perhibet, eam fuisse in templum Salomonis illatam, vbi mansit, quamdiu illud stetit. Iudæis verò captiuis in Babylonẽ abductis, Hieremias Arcam eduxit, & secum portauit in montem Nebo, & abscondit in spelunca simul cũ Altari thymiamatis, & ostium obstruxit, vt scriptura testatur. An verò tempore secundi templi inuenta fuerit Arca, & in locum suum restituta, nihil certi constat. Iosephus affirmat, nihil fuisse in Sancto Sanctorum, cum capta Hierosolyma, templum est deuastatũ à Romanis. *Intima*, inquit, *templi pars, viginti cubitorum erat*: discernebatur autem similiter velo ab exteriori, nihilq; prorsus in eo erat positum. Auctor Scholasticæ historiæ refert, Arcam fuisse inter spolia à Romanis in vrbem allatam cum Mensa, & Candelabro, & alio in loco eam tradit in Vrbe seruari in Tẽplo Lateranensi, ex quo videtur cõmunis traditio manasse, Arcam fœderis fuisse in vrbem in triumpho Titi deportatam. Abulensis tamen hæc omnia, vt falsa confutat, & quæ in Arcu Titi exculpta est, non Arca, sed Mensa illa aurea est, cuius mentionẽ fecit Iosephus his verbis: *Spolia*, inquit, *alia quidem passim ferebantur, eminebant autem ea, quæ apud Hierosolymam reperta sunt, Mensa aurea, ponderis talenti magni, & candelabrum similiter auro factum: post hæc autem portabatur lex Iudæorum nouissima spoliorum.* Hæc Iosephus.

Iosep. lib. 6. de bel. iudai. c. 6.

Schol. hist. in li. Iudit. c. 4.

Abu. q 14. c. 25. Exod. Ios. li. 7. de bello. c. 24.

Sextò quæritur, in quibus locis subsstiterit Arca, quamdiu mansit apud Iudæos? Respondeo; in primis fuisse vna cum Tabernaculo in Galgalis, quoniã eo loco Hebræi, castrametati sunt. Translata est etiam cum Tabernaculo in Silo, vbi mansit, donec capta est in bello à Philistæis, mansit separata à Tabernaculo apud Philistinos septem mẽsibus: Restituta à Philistinis fuit in vrbe Cariathiarim extra Tabernaculum, intra quam vrbẽ erat collis Gabaa, vbi erat domus Aminadab, & in ea domo asseruata est: Indè postea translata est in domum Obededon Gethæi, quæ erat Hierosolymis, & ibi mansit tribus mensibus. Et deinde transtulit eam Dauid in vrbem suam, quam in monte Sion ædificauerat, in locum, quem ipse præparauerat.

Iosu. 8. 1. Reg. 5. 2 ibidem 6.

Ibidẽ & 1. Paral. 13. 2. Reg. 6.

Septimò quæritur, Cur Dominꝰ præcepit mortis pœna constituta, ne vlli etiam Leuitæ præter sacerdotes, nudam Arcam tangerent, aut viderẽt? Respondeo, voluisse Dominum, vt Arcæ tanquam solio, ipsius Dei debitum honorem Iudæi tribuerent; videlicet vt eam piè, & religiosè tractarent, & ideo præcepit, ne nisi inuoluta cerneretur, aut tangeretur à Leuitis. ob eam causam è Bethsamitis multi interierunt, quod nudam Arcam vidissent, vt Regum narrat historia. Mortis verò pœnam constituit, vt pœnę grauitate deterriti præceptum implerent: vetuit, ne tangerẽt, aut viderent, vt omnem occasionem Arcam temerè tractandi præcideret.

1. Paralip. & 2. Reg. 6 Num. 4.

1. Reg. 5.

Cap. XLIIII.

De Propitiatorio.

PRIMO quæritur, Quid Propitiatorij nomine intelligat diuina Scriptura? De hoc legimus ita Dominum præcepisse: *Facies & propitiatorium de auro mundissimo: duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo eius, & cubitum ac semissem latitudo.*

Exod. 25.

Secundò quæritur, An propitiatorium esset operculum Arcæ fœderis? Quidam existimarunt, fuisse tabulam quandam longitudine & latitudine æqualẽ Arcæ, separatam tamen & loco sitam eminentiore, ita vt Deus, aut Angelus, qui ipsius Dei nomine responsa reddebat, in ea insidere, vt in solio aureo, & pedes in operculo Arcæ figere putaretur. Alij verò probabilius opinãtur, fuisse operculum Arcæ, eò quòd longitudo eius, & latitudo ipsam Arcam æquarent; & nihilominus non fuisse ex eadẽ materia, ex qua erat Arca, sed tabulam ex auro solido superpositã Arcæ. S. Thomas. 1. 2. q. 102. a. 4. *ad* 6. dicit fuisse lapideam, nisi codices sint scriptorum incuria vitiati, in tãto Doctore, & Magistro potuit memoriæ lapsus accidere, hoc dixerim ne quis codicum lectione deceptus erret, aut ne errorem suũ tanti viri testimonio, & auctoritate defendat. Nam siue corrupti, & vitiati culpa scriptorum codices sint, siue integri, & sine vitio sint, constat manifestò. S. Thomã, docuisse propitiatorium fuisse tabulam auream: quoniam in Epistolã ad Hebræos. c. 9. *lectr.* 1. sic ait: *inter duas autẽ alas, quibus tangebant se, videlicet Cherubim*, erat tabula aurea eiusdẽ longitudinis, & latitudinis omnino cuiꝰ arca, scilicet duorũ cubitorũ in lõgitudine; cubiti, & semis in latitudine; & erat supereminens, quę dicebatur propitiatoriũ. Sic S. Tho. *in eo loco citato.* Quæret aliquis, quomodo in propitiatorio sedere Dominus credebatur, si erat operculum Arcæ? tunc enim opus erat, vt is, qui sedere putabatur, pedes in terra figeret, nó in Arca? Respondeo, Cherubinos super Propitiatorium in loco paulò eminentiore alas expandere, & Dominus super illis sedere credebatur; veluti si quis pedibus in Arcæ operculo cõstitutus, vt in scabello, super alis Cherubinorum obtentis insideret.

Tertiò quæritur, Quare dictum est, eiusmodi Propitiatorium operculum Arcæ? Sciendum est, dictum esse hebraicè *Caphoret*, à verbo Caphar, quod tegere, & placari significat; & ideo Latinè reddi poterat operculum, quòd Arcam operiret ac tegeret. Hieronymus verò in, Propitiatorium vertit, quia ibi Dominus Mosi apparens, & cum eo loquens, populo propitius reddebatur. Vnde

כפרת כפר

illud

illud: *Iude præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium*; & alibi, *Audiebat vocem loquentis ad se de Propitiatorio, quod erat super Arcam testamenti, vnde & loquebatur ei.* Ac idcirco Propitiatorium latine redditur interdum, oraculum, eo quòd Dominus consultus inde respondere consueuerat.

Cap. XLV.

De duobus Cherubinis obumbrantibus Propitiatorium.

PRIMO quæritur, Quo pacto se haberent duo illi Cherubini super Propitiatorium in tabernaculo? Cherubini duo in Tabernaculo fuerunt, & deinde etiam in templo. In Tabernaculo quidem erant aurei ex eodem auro solido facti, ex quo erat Propitiatorium, & vnus eorum erat in vno latere Propitiatorij, alter in altero, mutuo sese respicientes, & suis alis ipsum Propitiatorium vndiq; tegentes: vnus erat ad Meridiem, alter ad septentrionē: Dextera ala vnius alterius sinistram tangebat: quemadmodum cum duo homines sese intuentur, sese que manibus tenēt. At ij Cherubini, quos maiores Salomon fecit in templo, non aurei fuerunt, vt priores, sed ex lignis oliuarum, vt scripturæ perhibent his verbis: *Et fecit (rex Salomon) in oraculo duos Cherubinos de lignis oliuarum, decem cubitorum altitudinis.* Porrò lignum oliuæ, nec tēpestate, nec carie, nec vetustate tēporis lædi solet teste Vitruuio. Erant operti hi Cherubini laminis aureis, nec mutuo sese aspiciebant, sed vultus ad domum exteriorem habebant conuersos, hoc est, ad Orientem facies, terga ad Occidentem, & alas quinque cubitorum singulas extensas versus septentrionem: ita vt vna ala vnius Cherubini parietem meridianum, altera alterius Cherubini septentrionalem parietem templi contingeret. Aliæ verò duæ alæ amborum sese attingebant, quoniam secunda ala vtriusq; ad mediam partem Sancti Sanctorum perueniebat, & tangebat extremum alę alterius Cherubini. & ita illis duabus alis tegebant Arcam cum Propitiatorio, & cum duobus Cherubinis aureis simul, & vectibus quos fecerat Moses, & in Arca, & Propitiatorio posuerat.

Secundò quæritur, qualis forma, & figura fuerit Cherubinorum? De Cherubinis Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 8. sic scribit: *Operculo verò impositæ erant effigies duæ, quas Hebræi Cherubin appellant. Ea sunt animantia volucria noua specie, nec vnquam cuiquam hominum visa, quæ Moses in Deo solio viderat figurata.* Alibi idem Iosephus: *lib. 8. Antiqui, cap. 2. Hæ cherubicæ effigies*, inquit, *quanam specie fuerint, nemo vel conijcere potest, vel eloqui. Receptissima est sententia, eos humana forma, & figura factos fuisse. Nam quodam scripturæ loco ita legimus. Ipsi autem stabant erectis pedibus; facies eorum erant versæ ad exteriorem domum: quæ figura videtur fuisse hominis, non alterius cuiusuis animalis: sunt tamen, qui dicat, talem eos figuram humanam habuisse, vt vultum quidem humanum, pedes bouinos, pectus leoninum, alas aquilinas haberent.* Alij, Rabbinos Iudæorum secuti tradiderunt, vnum Cherubinum pueri formam, alterum puellæ faciem habuisse, quod fabulosum mihi videtur. Hinc est, vt toties in scriptura Dominus super Cherubin sedere dicatur. *Qui sedes*, inquit Dauid, *super Cherubin, manifestare corā Ephraim, Beniamin, & Manasse.* Idem quoque, *Dominus regnauit, irascantur populi. Qui sedes super Cherubin, moueatur terra.* Eandem ob causam currus, in quo gloria Dei apparuit, vt narrat Ezechiel, trahebatur ab animalibus, id est, à Cherubinis sub forma animalium. *Psal. 98.* *Ezech. 10.*

Nec dubitandum est, hosce Cherubinos, cælestes spiritus referre, sed forma his corporea est affícta, vt cerni possent: sunt enim sua natura incorporei, & spirituales, nec videri corporis oculis queunt, quemadmodum etiam apud nos Angeli depinguntur: Et sicut nos, tales Angelos pingimus, quales significari, & intelligi volumus: sic etiam Moses, & Salomon tales Cherubinos fecerunt, non quales cælestes illi spiritus sunt, sed quales à nobis intelligi voluerunt. Pingimus Angelos iuuenes, venustos, alatos; vt significemus eos semper ætate vigere, nulla temporum ætate senescere, mirabili naturæ perfectione, & nobilitate præditos; summa celeritate quocunq; velint, se mouere. Ita Moses Cherubinos effinxit, vultu quidem hominem referentes, vt eorum cælestium spirituum rationem, mentem, consilium, & prudentiam significaret. Quod si cum bouinis pedibus effingebantur, vt quidam putarunt, id ideo erat, vt eorum labor indefessus, & constans semper ac firma virtus in Dei mandatis exequendis denotaretur: veluti etiam in pectore leonino, eorum robur, & fortitudo; & in alis aquilarum, celeritas designabatur, si tales insculpebantur.

Cap. XLVI.

De Altari Thymiamatis.

PRIMO quæritur, Quale & quantum fuerit Thymiamatis altare? De hoc Altari ita legimus: *Facies quoque altare: (ait Dominus ad Mosen) ad adolendum thymiama, de lignis setim, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis* (id est, quadratum) *& duos cubitos in altitudine: cornua ex ipso procedent.* Hoc altare, maius esse non debuit: neque enim factum fuit ad victimas in eo immolandas, sed ad incendendos odores solummodò. Mox ibidem subijcit Scriptura: *Vestiesque illud auro purissimo tam craticulam eius, quàm parietes per circuitum, & cornua.* Craticulam vocat tectum eius; erat enim altare cauum, & super hoc tectum odores imponebantur. Cornua, quidam interpretantur radios quosdam sursum erectos in modū obelisci super quatuor altaris angulos, ita vt surgerent è quatuor lignis, quæ altare ipsum sustinebant. Tale fuit altare Thymiamatis, quod fecit Moses in Tabernaculo. *Exod. 30.*

Secundò quæritur, An præter hoc Altare, Salomon fecerit alterum in templo: Ratio dubitationis est, quia in Historia Regum ita legimus: *Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini altare aureum & mensam.* Abulensis putat, alterum altare à Salomone factum fuisse ex cedro; cum tamen altare à Mose factum fuerit ex linguis setim. Alij opinantur, idem Altare fuisse, sed à Salomone magnificentius ornatum. Non enim dicitur Salomon altare fecisse ex cedro, sed altare vestiuisse cedro, quod autem vestitur, non fit, quia ante iam erat, sed tegitur. Et paulò post legimus: *sed & totum altare oraculi texit auro.* Cum itaque Salomon fecisse perhibetur aureum altare; id verum est, quatenus id auro vestiuit, non nouum extruxit, sed *3. Reg. 7.* *3. Reg. 6.*

amplius, & grandius effecit, & ornauit magnificentius.

Tertiò quæritur, Quo in loco Tabernaculi Altare Thymiamatis erat? Duæ sunt opiniones. Nã Origines *hom.9.in Leuit.* Augustin. *q.173.in librum Exodi.* & quidam alij, vt ait Theophylactus *c.9.in epist. ad Hebræos*, putant fuisse in parte interiori, quod Sanctum Sãctorum appellabatur. Legimus enim in Regum historia, *sed altare oraculi* (hoc est, Sancta Sanctorum) *texit auro*, & in Exodo: *Et deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum in sanguine.* atqui summus Sacerdos semel singulis annis in Sanctum Sãctorum ingrediebatur. Huc accedit Pauli testimonium ad Hebræos scribentis, *in Sancto Sanctorum aureum thuribulum fuisse.* Sed Iosephus loquens de exteriori parte Tabernaculi, in qua erat mensa, & Candelabrum; *Inter hoc*, inquit, *& mensam sita erat arcula suffumigatoria.* Et alibi, de Templo Sermonem habens, cum de Mensa, & Candelabro dixisset, subijcit hæc: *Medium autem inter vtrumque locum obtinebat altare illud aureum, hæc omnia continebat anterior illa templi pars quadraginta cubitos longa.* Et post: *candelabrum autem, & Mensam, & Altare aureum statuerunt in templo ante aditum eisdem locis, in quibus in Tabernaculo prius sita fuerunt.* Ita Iosephus.

Idem quoque senserunt Theophyl. *cap.9.in epist. ad Heb.* Beda *in lib. de templo cap.12.* S. Thomas *1.2.q.102.ar.4.ad 6.* Auctor. in hist. Scholast. *c.67.de historia Exodi.* Lyra. *Exod.30.* & *3.Reg.6.* & *ad Heb.9.* Abulensis, *q.6.in ca.30.Exod.* & *q.16.in cap.6.libri 3.Reg.* Et hoc videtur ex ipsis sacris literis colligi. Nam Moses altare ponit inter mensam, & candelabrum: *Posuit*, inquit, *Scriptura, & mensam in Tabernaculo testimonij ad plagam Septentrionalem extra velum: posuit & candelabrum in Tabernaculo Testimonij è regione mensæ: posuit & altare aureum sub tecto testimonij contra velum.* Et paulò ante: *Candelabrum*, ait Dominus, *stabit cum lucernis suis, & altare aureum, in quo adolebur incensum,* *coram Arca testimonij.* Et alibi: *Assumptoque thuribulo, quod de pennis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, intra velum intrabit in Sancta Sanctorum.* Et deindè: *cum autem exierit ad altare, quod coram Domino est, oret pro se*, & reliqua. Ergo exibat summus Sacerdos è Sancto Sanctorum, & ad altare Thymimatis redibat, situm in parte exteriore è regione Arcæ. Teste B. Luca. Zacharias pater Ioannis Baptistæ obtulit incensum in altari thymiamatis, qui tamen erat vnus de minoribus Sacerdotibus, quia erat de vice Abia, octaua forte sacerdotum; de quibus in libro Paralipomenon: & quia forte exijt, vt incensum poneret. Summus autem Sacerdos cum vnus esset, non forte ministrabat, sed iure suo.

Sed quo modo hoc Altare dicitur Altare oraculi? Respondeo, ita dici, non quod in Sancto Sanctorum esset, quod oraculum vocabatur; sed quia in vsibus oraculi seruiebat, cum in eo adoleretur incensum, & inde odores ad oraculum peruenirent.

Tertiò quæritur, quo in loco Tabernaculi aureum thuribulum poneretur? Nonnulli opinantur, in Sancto Sanctorum asseruari solitum, quo summus Sacerdos semel in anno ingressurus inde illud sumebat, & exiens, in Thymiamatis altari incensum adolebat. Alij verò probabilius existimant in ipso altari Thymiamatis reponi. Nec obstat dictum Apostoli, *Sanctum Sanctorum habuisse Aram, & Thuribulum aureum*: nimirum id dixit ille, non quòd in eo asseruaretur, sed quòd illius ministerio, & vsui deseruiret.

Cap. XLVII.

De Mensa, & Panibus propositionis.

PRIMO quæritur, Quantæ magnitudinis fuerit Mensa panum propositionis? Legimus in Exodo Dominum præcepisse, vt fieret Mensa è lignis setim, longa duobus cubitis, lata vno, alta cũ pedibus adiunctis, quãtum cubitus cum dimidio tollitur, & vndiq; ductilis auri lamiuis contecta, Magnitudo fuit tanta, quanta, & panum numerus in ea ponendorum exigebat. Circumdabatur superne limbo aureo, & clausura item aurea, quam latinus interpres reddit coronam interrasilem: cui deindè clausuræ, siue coronæ, coronula aurea imponebatur ad ornatum, & vt altior esset ipsa clausura siue corona, quò panes ibi præpositi rutius, & commodius continerentur, ne decideret è mẽsa. Illa corona [illegible] formam referebat, & palmo vno, hoc est, quatuor digitis lata erat, crassa verò, quantum coronam, siue coronidem superductam ferre posset.

Quatuor pedibus hæc mensa fulciebatur; quibus quatuor erant armillæ, siue annuli additi, in quos vectes lignei inferebantur ad mensam tollendam, & commodius asportandam. Annuli autem illi sub clausura, non magis quàm clausura ipsa cum coronide prominebant. Vectes erant ex ligno setim, auro eoque ductili cooperti, qui tantùm immittebãtur in angulos siue armillas, cum Mensa esset mouenda, & aliò transferenda. Mensæ vsus erat ad panes perpetuò continendos. Ingis continuij symbolum erat, quò typicè significabat, & profitebatur Israeliticus populus se perpetuò Dei ministris alimenta præbere ex ijs, quæ singulari ipsius Dei munere, & beneficio quotidie percipiebat. Denique Mensæ vsui seruiebant scutellæ, phyalæ, cochlearia, & cyathi, vt expurgatoria quædam instrumenta, quibus Mensa abstergeretur, & emundaretur.

Secundò quæritur, Quomodo, & quot panes in Mensa ponerẽtur? Ponebantur duodecim panes, sex ex vna parte, ex altera totidem; & alij alijs imponebantur. nam vt ipsa scriptura testatur, super panes duæ phialæ aureæ collocabantur, vtrique ordini respondentes: ex quibus verbis constat, panes eiusmodi senos, & senos esse dispositos, & alios super alios. Erant duodecim panes, quia duodecim tribus Israëliticas referebant.

Tertiò quæritur, Quare Panes propositionis dicebantur? Lyranus, & Abulensis *in c.25.Exod.* aiunt, dictos esse in hebræo, Panes facierum, quia duas facies haberent, hoc est, eò quòd essent eiusdem figuræ superne, & infernè, & vtraque facies pars videretur. Sed longè probabilius est, quod alij tradiderũt: dici Panes propositionis, eò quòd semper essent coram Domino propositi. Et in hebræo panes facierum, quia semper erant in facie, & in conspectu Domini. Et ideo dicitur: *Et ponet super mensam panes propositionis in cõspectu meo semper.* Et alio in loco: *Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes*; qui singuli habebũt duas decimas,

quarum

quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues, & pones super eos thus lucidissimum, vt sit panis in monumentum oblationis. Per singula sabbata immutabuntur coram Domino, suscepti à filijs Israël fœdere sempiterno: eruntque Aaron, & filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto. Et ita legimus Dominum nostrum dixisse de Dauide, & ijs, qui cũ eo erant, quod intrũtes in domum Dei panes propositionis comederent, quos non licebat laicis edere, nisi solis Sacerdotibus. Ergo singulis quibusque sabbatis panes Sacerdotes tollebant, & edebant, & alios recentes in locum priorum supponebant; & thus sacro igni adolentes aliud vna cum panibus substituebant. Teste Iosepho *lib. 3. Antiqu. c. 3.* illi panes erant azymi è simila facti, & singuli habebant duas decimas, vt ipsius Scripturæ verba referunt. quo loco decimæ intelligũtur eius mensuræ, quę hebraicè dicta Ephi, erat omnium vulgatissima. Porrò Ephi, erat decima pars cori, vt alibi tradit scriptura: corus autem triginta modios continebat, & proindè Ephi tres modios capiebat. Ergo singuli panes põderis erãt circiter octo librarũ.

Quartò quæritur, Ad quam partem Mensa cum panibus in Tabernaculo ponebatur? Ad septentrionalem: & deindè exædificato templo eadem Mensa, aut qualis a Mose fuerat fabricata, aut à Salomone magnificentius ornata, in parte exteriori templi ad septentrionem constituta est; ita tamen, vt in templo aliæ quoque mensæ collocarentur. Vnde illud. *Fecitque Salomon omnia vasa domus Domini, & altare aureum, & mensas, & super eas* (hoc est, super vnam earum) *panes propositionis.* Et rursus: *Nec non mensas decem, & posuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris.*

Quintò quæritur, Quid significent illa verba scripturæ: *Parabis & acetabula, & phyalas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, & pones super mẽsam panes propositionis.* Abulensis. *q. 28. super Exodum. cap 25.* contendit, hæc & alia vasa siue instrumenta vtriusque altaris poni solita in mensa panum propositionis. Non est tamen verisimile, vt tam parua mensa, quantam supra descripsimus, tot vasa caperet cum panibus. Hęc igitur tantùm, quæ commemorantur, in ipsa mensa ponebãtur.

Sciendum est, vbi noster interpres hoc in loco reddit acetabula in hebræo legi *nearoth*, quod nomen dubię est significationis apud Hebręos. Quidam interpretantur scutellas, latinus interpres acetabula. Porrò acetabulum erat genus vasis, quo acetum excipi solebat: vasa erant concaua, & lata, in quibus panes ponebantur. Phialas in hebræo legimus *Caphoth*, quidam reddunt cochlearia, noster interpres hoc loco, & alibi vertit, *in mortariola*, quæ vasa erant concaua: in hebræo dicta sunt *caphoth*, à vola manus, quæ sit caua, volam cauam imitabantur. Thuribula in hebræo *Kesoth*, ambiguæ, & incertæ significationis apud Hebræos quidam reddunt medios calamos, aut semifistulas, alij cantharos siue scyphos. Noster interpres hoc loco, & alibi, thuribula, aliquando crateres. Recentiores secuti Hebræos, docent fuisse dimidiatos calamos vacuos scissos per longitudinem suam, in quorum similitudinem facti sunt aurei, qui ponebantur super singulos panes, & diuidebant vnumquemque eorum ab altero, vt inter illos ingrederetur vẽtus, vel aër, & prohiberet, ne marcidi fierent. Quicquid sit; thuribula vocat noster interpres, quia erant vasa quædam, quibus operiebantur panes, & thus ipsis panibus impositum. cyathos in hebræo *Menakijoth*, מנקיות noster interpres secutus septuaginta reddit cyathos. Inter Hebræos varia est opinio. Quidam aiunt esse furculas instar palorum aureas, quæ stabant in terra, & attollebantur supra mensam, vel altiores erant mensa in modum furcarum inflexæ ad fulciendos calamos, ne pondere panum frangerentur. Sed incerta sunt hæc. Alij dicunt esse calamos dictos Hebraicè *Menakijoth*, à munditia, propterea quod panem mundum seruabant, ne marcescerer. Alij volunt esse instrumẽta quædam emundatoria, quibus mensa abstergebatur. Quicquid sit, hæc vasa, phialæ, thuribula, & cyathi, mensæ vsibus seruiebant: cõducebant itidem ad libamina, hoc est, vt cum vinum, vel sicera, vel aliquid simile fundendum esset, ea vasa commodè parata præsto essent.

Cap. XLVIII.

De Candelabro.

PRIMO quæritur, Quantæ magnitudinis candelabrum esset. Constat ex libro Exodi, candelabrum factum esse ex vno auri talento. Et teste Iosepho, Talentum apud Hebræos erat ponderis minarum centum. Eius forma ibidem describitur his verbis: *Facies & Candelabrum ductile de auro mundissimo: hastile eius, & calamos, & scyphos, & sphærulas ac lilia ex ipso procedentia*, hoc est, & hastile, & rami ex hastili procedent. *Et scyphum, & sphærulæ, & lilia sient ex ipso auro solido ductili.* Ac si diceret: Lilia, & scyphi, & sphærulæ non erunt additiæ, sed ex ipso candelabro siue stipite prodibũt. Deindè sequitur: *sex calami egredientur de lateribus, tres ex vno latere, tres ex altero.* calamos appellat ramos ex hastili, veluti è trunco prodeuntes. Erãt enim in hastili tres veluti nodi, & ex vtraque cuiusque nodi parte duo rami exeuntes in altum tollebantur. Ac ita erant sex calami, siue rami: ipsum verò hastile vltra tres ramos crescens, & erectum faciebat septimum calamũ veluti ramum rectum tres ramos alios habentem. Ait deindè: *Tres scyphi quasi in nucis modum super calamos singulos, sphærulasq; simul, & lilia.* Sphærulas appellat pomella rotunda; lilia verò, flosculos instar liliorum. Scyphi erant in modum nucis; in hebræo dicitur, in modum amygdali, non enim erant scyphii perfectè rotundi, sed instar oui. *Exod. 28.* *Iosep. lib. 3. Antiq. c. 7.*

Erat igitur hastile rectum vsque ad summum, & ex tribus nodis in eo sex rami vtrinque prodibant, quorum singuli tribus patulis scyphis oblongis ornati erant: qui scyphi, amygdali apertæ dimidium cauum referebant: Rami itidem singuli vltra tres scyphos sphærulam habebant, id est, pomellum rotundum, & deinde flosculum prodeuntem in modum lilij, quo excipiebantur ibi imponendæ lucernæ. Et ideo in recto hastili quatuor scyphi erant, tres in superiori parte vltra postremum nodum cum pomello, & flosculo: vnus scyphus infra tres nodos ea parte, qua hastile ferè cum basi iungebatur. Seorsum septem lucernę in candelabro ponebantur, vna quæque in suo ramo candelabri; in medio flosculi, qui scyphum,

& pomellum sequebatur. Ad lucernarum vsum erant duo instrumenta aurea; quorum vnum latinus interpres reddit Emunctorium, quo emungebãtur lucernæ; alterum (periphrasi quadam,) vbi quæ emuncta sunt, extinguuntur: vocabula hebraica latinè verti possent, in Præcisoriũ, & comprehẽsorium: vnum enim instrumentum erat, quo lucernæ filum præcidebatur; alterum, quod partem præcisam, & abiunctam comprehendebat, vbi extinguebatur. Erat igitur instrumentum forceps parua, acutis ad extremum brachiolis, quibus lucernæ filum trahi, duci, & adaptari poterat: alterum erat, quo exusta iam, & fumigans ligni pars eminens, ignisque lucem minuens, magis quàm augẽs, extingui facilè, & commodè poterat.

Secundò quæritur, Ad quam partem Tabernaculi Candelabrum esset? Ad meridianam, siue australem, è regione mensæ panes propositionis continentis: vnde inter candelabrum ad Meridiẽ positum, & Mensam ad septentrionem erat Thymiamatis altare, de quo ante iam dixi.

Tertiò quæritur, Cui vsui candelabrum esset? Iosephus mysticè Candelabri vsum exponit: vt esset, inquit, symbolum cæli, siue vniuersi, in quo septem Planetæ collucent. Ad literam, Candelabrum in parte exteriori tabernaculi, & deinde Templi lucebat, vt tota ea pars tecto operta, & velo clausa lucem commodam exciperet, & haberet instar solis totum terrarum orbem sua luce complentis.

2. Paral. 3. Quartò quæritur, Quot candelabra fecerit Salomon in templo. De hoc ita perhibet Scriptura diuina: *Fecit autem & candelabra aurea decem secũdum speciem, qua iusserat fieri, & posuit ea in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris.* Hæc ibi.

Cap. XLIX.

De duabus Columnis in porticu Templi constitutis.

3. Reg. 7. PRIMO quæritur, Vbinã Salomon duas Columnas cõstituerit? Libri Regum historia sic habet. *Et statuit* (scilicet Salomon) *duas columnas in porticu Templi. Cumque statuisset columnam dexteram, vocauit eam nomine Iachin. Similiter erexit columnam secundam, & vocauit nomen eius Booz.* Sic ibi. Vtraque columna nomen accepit à fortitudine. Iachin, quasi firmè fundata: Booz idem est, quod, In ipso fortitudo. Erant ambæ hæ columnæ symbolum, & signum firmæ stabilitatis, qua domus Domini fundabatur: erantque ex ære factæ. Quæres, quibus hæ columnæ vsibus deseruirent? Ad ornatum templi, quemadmodum ante Principum palatia, & aulas regias solent columnæ constitui: & in ipsis aliquando aquilæ, Gryphes, canes, leones, vel tauri, vel alia similia animalia effingi, & insculpi. Fuerunt autem constitutæ illæ columnæ in porticu templi, siue ante faciem templi, hoc est, in ipso templi vestibulo.

Secundò quæritur, Quantæ altitudinis essent illæ columnæ? In scriptura duos locos habemus verbis secundum speciem inter se cõtrarios. Primus locus in lib. Regum sic habet; *Decem, & octo cubitos altitudinis habebat columna vna.* Alter verò locus in Lib. Paralipomenon, & Hieremia, hic est; *Ante fores templi duas columnas* (fecit Salomon) *quæ triginta, & quinque cubitos habebant altitudinis.* Quidam hosce duos locos ita conciliant; Ambarum columnarum dicentes altitudinem fuisse triginta sex cubitorum: Et ita quælibet columna decem, & octo cubitos altitudinis habebat, & hoc est, quod prior locus ille commemorat. Et altitudo amborum licet triginta sex cubitorum esset, non tamen apparebat illa nisi tantùm triginta quinque cubitorum, quoniam vtraque columna in capite siue capitello semicubitum occultabat; ac ideo ambarum altitudo, quæ cernebatur, erat triginta quinque cubitorum, & hoc est, quod scribitur loco posteriore.

3. Reg. 7. n. 19. 4. Reg. 25. nu. 7.

Abulensis, & Caietanus 3. *Reg. 7.* hanc probant conciliandi rationẽ, videlicet columnas quidem solas decem, & octo cubitos tantùm altitudinis habuisse, at verò cum capitellis, epistylijs, & basibus habuisse triginta quinque: ita vt capitella haberent quinque cubitos altitudinis, & epistylia quatuor in altitudine, bases autem octo. Cui sententiæ vnum obstare videtur, quod posteriore loco cũ scriptura dixisset habuisse columnas triginta quinque cubitos, mox subiecit: Porrò capita earum quinque cubitorum erant: ergo numerati non fuerant cubiti capitum in illis triginta quinque. Sed responderi potest fuisse generatim numeratos, & deinde scripturam expressisse cubitos capitum, vt intelligeremus quinq; cubitos habuisse capitella, & epistylia quatuor item cubitos, & bases octo in altitudine, qui omnes cubiti conficiunt decem, & septem, quos si coniunxeris cum decem, & octo, quos habebant solæ columnę, vt libri Regum, & Hieremię expresserunt, faciunt triginta quinque, quos liber Paralipomenon numerauit. Sic illi. Fortassis etiam sola quælibet columna erat decem, & septem cubitorum, & semicubiti, & proindè ambæ simul triginta quinque cubitorum, vt dicitur in lib. Paralipomenõ, & apud Hieremiam: vero loci, qui in lib. Regum testantur vnamquamque columnam fuisse decem, & octo cubitorum; semicubitum videlicet pro cubito numerasse videtur, more scripturis familiari, quo fractum numerum interdum pro integro, & completo accipiunt.

Hieron. in nom. ver. 2. Paral. 3. nu. 15. Paralip. 2. Paral. 4.

Præterea Hieremias scribit: *Decem, & octo cubiti erant in columna vna, & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam;* & liber 3. Regum ca. 7. *Et linea,* inquit, *duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque;* at in eodem loco Hieremias hæc adiungit: *Porrò grossitudo eius quatuor digitorum, & intus cana erat.* Quæ quidem locorum discrepantia ita conciliatur à quibusdam. Diameter vnius columnæ duorum cubitorum erat: sed omnis diameter ter multiplicatus cum septima parte sui, circulum cõstituit. est enim à peripheria ad diametrum proportio tripla, hoc est, continet ter mensuram diametri, & septimam eius partem, vt se habent viginti duo ad septem. Ergo si diameter vnius columnæ erat duorum cubitorũ, sequitur, vt tota circumferentia vnius columnæ fuerit sex cubitorum, & proindè filum ambarum columnarũ peripheriam, siue circumferentiã ambiens, & cingens, erat duodecim cubitorum: quia vna columna erat alteri æqualis: & quod legitur Hierem. 52. *& funiculus duodecim cubitorum circuibat eam,* exponunt sic, *eam:*

hoc

hoc est, non vnam quamque seorsum, sed vnam, & alteram, & quod dicitur 3. Reg. 7. *& linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque*, intelligunt sic; quia filum quod cingebat vnam columnam erat sex cubitorum, & altera columna erat æquè crassa, fit vt filum duodecim cubitorũ posset ambas cingere. Alij tamen conciliant in hunc modum: Diameter vnius columnæ erat quatuor cubitorum: vnde ter multiplicatus facit numerum duodenarium: filum igitur, quod cingebat vnamquamque columnam erat duodecim cubitorum, quia erat columna crassa quatuor cubitis: & ideo dicitur Hierem. 52. *funiculus duodecim cubitorum circuibat eam*. & 3. Reg. 7. dicitur *ambiebat vtramque*, hoc est, cingebat secundam, sicut primã.

Tertiò quæritur, Quo modo intelligantur, quę habentur in libro Regum: *Duo quoque capitella fecit Salomon quæ ponerentur super capita columnarum?* Sciendum est, capitibus columnarum imponi ad earum ornatum coronamenta quędam, vt Architecti vocant: constat autem coronamentum tribus partibus, Epistylio, Zophoro, & Coronide, hoc est, summo apice: Hæc coronamenti membra simul sumpta vocantur vulgari nomine capitella. Cum igitur 3. liber Regum cap. 7. ait: *Capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum*, intelligit Epistylium cum Zophoro, hoc est, duas partes coronamenti, ac cum in libro Paralippo. & Hieremia dicitur, altitudinem capitelli vnius fuisse quinque cubitorum, intelligitur de Epistylio vnà cum Zophoro, & coronide, ita vt Epistylium cum Zophoro fuerit altum tribus cubitis, coronis alta duobus cubitis. Ergo totum capitellum constans ex Epistylio, Zophoro, & coronide, erat altum quinque cubitis. Quæres quantæ altitudinis fuerit Epistylium solùm sine Zophoro, & Zophorus seorsum sine Epistylio? Respondeo, nihil in scriptura de hoc dici, verisimile est Zophorum ad Epistylium proportionem quasi duplam habuisse, & ita Epistylium fuisse altum vno cubito, Zophorum verò duobus cubitis.

Quartò quæritur, Quo modo intelligi debeant illi numeri malorum granatorum qui in libris Regum, Paralipomenon, & Hieremiæ ponuntur. nam Hieremias refert, fuisse mala granata nonaginta sex, & postea ait fuisse centum; at liber Regum, omnia esse ducenta: Liber Paralipomenon verò omnia fuisse quadringenta. Sciendum est, ornatum coronidis in vna columna fuisse ex retiaculis, hoc est, ex funiculis reticulatis, & cuiuslibet spatij rete septem constabat versibus siue regulis, hoc est, septem partibus distinctis per circulos, & ex earum qualibet pendebat vnum malum granatum ex duobus ordinibus retiaculorum colligi poterant numeri 96. 100. 200. 400. qui omnes numeri sic computabantur: In quolibet latere ornatus, erant duo ordines seu duo retiacula: in vnoquoq; eorum mala granata viginti quatuor. Si igitur dimidiæ coronæ mala granata numerentur, hoc est, quæ vno obtutu videri poterant, erunt 96. quoniam quater viginti quatuor efficiunt 96. quæ primũ ponit Hieremias. Si addas quatuor mala granata, quæ pendebant ex medijs flosculis, erunt omnia centum, vt ait quoque Hieremias: quæ omnia vno aspectu cerni poterant. Porrò si totum capitellum vnius columnæ sumatur, erunt mala granata ducenta, vt habet 3. Regum liber cap. 7. Si ambarum columnarum capitella accipiantur, erunt mala granata quadringenta, vt habet 2. liber Paralipomenon, cap. 4. Nam corpus sphæricum aspici vndique non potest vno obtutu, ergo cum vno obtutu capitellum vnius columnæ cernebatur, videbantur primum 96. mala granata, quatuor autem reliqua visum latebant, vel quia erant minora, vel quia minus pulchra, vel quia latebant in flosculis, vel quia aspectum fugiebant, vt remotiora in corpore sphærico, quòd vno obitu totũ vndiq; non facilè videri potest, erant tamen centum in vno ordine, & ducenta in duobus ordinibus cuiusque columnæ; & quadringenta in duabus columnis. Si quæras quomodo dicitur. 2. Paralip. 4. fuisse in capitello vnius columnę duo retiacula. & 3. Reg. 7. legimus fuisse septem retiacula in vnoquoq; capitello. Respondeo, fuisse duo retiacula: hoc est duos ordines retiaculorum, & fuisse septem retiacula: hoc est septem versus retiaculorum.

Caput L.

De Mari æneo, quod erat in templo Salomonis, videlicet in atrio Sacerdotum.

PRIMO quæritur, Quid appellatione Maris ænei intelligatur in scriptura. Respondeo: vt Regum narrat historia, in templo factum esse à rege Salomone, vas quoddam maximum, quod magnam copiam aquæ capiebat; quod propterea noster interpres Mare æneum appellat: æneum quidem, quia ex ære factum; Mare verò phrasi hebræa, qua omnis aquarum collectio Mare vocatur, iuxta illud: Congregationesque aquarum appellauit maria. Hinc in Euangelio Mare Genezareth, & Mare Tyberiadis, nimirum lacus ex Iordanis aquis collectus: Et ideo vas æneũ, quod erat veluti concha magnam aquarum multitudinem capiens, Mare æneum appellatur. *Gen. 1. Luc. 5. Ioan. 21.*

Secundò quæritur, Quot aquæ mensuras Mare æneum capiebat? Ratio dubitationis est, quia in duobus locis videtur Scriptura secum ipsa pugnare. Nam vno loco sic illa loquitur: *Et duo millia batos capiebat, & tria millia metretas*; Altero verò loco, *capiebatque*, inquit *tria millia metretas*. Quidam respondent, batum capere metretam cum dimidia: & prior Scripturæ locus. 3. Reg. 7. Mare æneum dicit capere duo millia batos, ac proindè tria millia metretas, vt posterior locus. 2. Paral. 4. tradit. At non verè scriptura ita in his duobus locis conciliatur: nam metreta tantumdem apud Græcos capiebat, quantum batus apud Hebræos, vt est constans omnium opinio. Deindè, quia in hebræo. 3. liber Regum capit. 7. dicit, *capiebat duo millia batos*, cum tamen liber Paralipomen. in. 2. cap. 4. dicat. *capiebat tria millia batos*. Caietanus, & quidam alij respondent; in priori testimonio exprimi totam aquæ quantitatem, quam Mare æneum continebat ad communes vsus, sed in posteriori, declarari totam aquæ copiam, quam poterat capere vas illud, si totum vsque ad summum impleretur, & ideo hic exprimi mensuram, *3. Reg. 7.* *2. Para. 4.*

quæ illic fuerat omissa: ad communes enim vsus, & quotidianos duo millia batorum Mare æneum continebat; cum tamen totum vsq; ad summum implebatur, ter mille batos capiebat. Et ideo, inquit Caietanus, in hebræo ad verbum habetur: *Fortificari faciẽti, batos tria millia capiebat.* hoc est, cum totum vsque ad summum implebatur. Sic ille: Fortassis, vt verisimile est, duplex erat bat apud Hebræos; vnus maior, quo in tabernaculo, & Tẽplo Sacerdotes, & Leuitæ vtebantur; alter vulgaris, & minor qui populo deseruiebat. Veluti Siclus etiam dicitur iuxta sententiam aliquorum fuisse duplex, sacer scilicet, & profanus. Et quemadmodum siclus sacer maioris ponderis, & æstimationis erat, quàm profanus, ita & batus vnus erat maioris mensuræ, quàm alter minor, & vulgaris; ita vt batus maior vnum batum minorem, & dimidium contineret, habens ad batum minorem proportionem sesquialteram. Et prior scriptura cum dicit: *capiebat duo millia batos*, intelligit maiores; posterior verò dicens; *capiebat tria millia batos*, loquitur de bato minori, & vulgari; & hic batus minor tantundem capiebat, quantum metreta apud Græcos. Et ideo noster interpres vbi in hebræo legitur, posteriore scilicet loco, tria millia batos, reddit, tria millia metretas.

2. Para. 4.

3. Reg. 7.

Tertiò quæritur, Quid significent illa verba Scripturæ de Mari æneo: *Duo ordines sculpturarum histriatarum*? Plerique; tum veteres, tum recentiores putant, histriatarum, dictum esse pro historiatarum, ita vt sensus sit, in Mari æneo sculptas fuisse antiquorum patrum historias. Verisimilius tamẽ est, non legẽdum histriatarum cum aspiratione, sed sine illa istriatarum: nam istriata columna, vel sculptura, dicitur, quæ istrijs quibusdam constat, & istrias Architecti vocant canaliculos, aut sulcos per ęs, vel lapidem, vel lignum in longum ductos.

Deindè sequitur in Textu: *Et stabat super duodecim boues*: quoniam videlicet illorum dorsis sustentabatur. Sicut etiam nunc in hortis, palatijs, & aulis Regum, vel Principum passim videmus. Boues erant ærei: terni singulas cæli regiones spectabant; hoc est, tres Aquilonem, tres Orientem, tres Meridiem, & tres Occidentem. Porrò vas hoc replebatur aqua, quam Natinei deferebant vsque ad peribolum sacerdotum, & inde eam Leuitæ in Mare immittebant gradibus conscensis, & per canales boum ori immissos hauriebant, *Grossitudo autem Luteris, trium vnciarum erat.* Luterem vocat, quod hactenus Mare appellauit. Luter, nomen est græcum, Græcis enim λούω, idem est, quod Latinis abluo: vnde dictus est λουτηρ: erat enim Mare æneum ad ministerium sacerdotum, & vt quidam opinantur, ad victimas etiam abluendas: non quod in eo hostiæ lauarentur, sed quod ex eo aqua deriuaretur, qua & sacerdotes, & victimæ lauabantur; probabilius tamen alij arbitrabantur, sacerdotes tantùm ea aqua lauare se consueuisse; quod etiam ipsæ sacræ literæ indicant.

2. Para. 4.

3. Reg. 7.

Quartò quæritur, Ad quam partem esset Mare æneum in sacerdotum atrio collocatum? Scriptura ipsa locum exprimit his verbis: *Mare autem posuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem*, id est, ita ad Meridiem vergebat, vt ad Orientem tamen verteretur: erat enim obliquè quodammodo constitutum. Alibi item legimus. *Fecit quoque* (Rex Salomon) *conchas decem, & posuit quinque à dextris, & quinque à sinistris, vt lauarent in eis omnia, quæ in holocaustum oblaturi erant*: Porrò in Mari æneo sacerdotes lauabantur.

2. Para. 4.

Cap. LI.

De Altari holocaustorum.

PRIMO quæritur, Quale fuerit hoc Altare? Respondeo, eius altaris formam, & figuram in Exodo à Deo describi. Dictum est, holocausti altare à potiori, & digniori oblatione, quæ in eo fiebat. Omnes enim victimæ in eo offerebantur, tametsi holocausta non essent. Factum est idem Altare ex lignis setim, quod ære tamen vndique tegebatur, ne ligna, ex quibus factum est, ignis absumeret. Erat totum quadratum, cuius quodlibet latus viginti cubitis patebat, & erigebatur in altum decem cubitis: circumdabatur fossa seu canali quodam vnum cubitum profundo, per quem immolatorum animalium sanguis effusus, & deinde per canalis foramina in aquâ immersus, per murum substructionum meridiem versus in torrentem Cedron effluebat, donec tandẽ Mari mortuo excipiebatur. Fossa siue canalis muniebatur septo vnũ cubitum alto, quod Græci περίδρομον appellant, id est, ambitum. In medio fossæ erat etiam erecta quædam crepido quadrata, & alta duos cubitos, super quam erat altare, quod dicebatur Ariel, hoc est, Leo Dei, id est, Magnus Leo: nam Hebræi rem magnam dicere solent rem Dei, sic cedri Dei, montes Dei, & similia. Magnus leo, Altare illud vocabatur ob multitudinem victimarum, quæ quotidie per ignem deuorabat: eratque quatuor cubitos altum. vel dictum est. Quasi leo Dei, eò quòd Altare Dei esset veluti leo, qui sanguine victimarum maderet. nam leo prædam discerpens sanguinem exprimit. vnde Isaias: *væ Ariel*, inquit, *Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid*, deplorat Propheta futurum excidium totius vrbis Ierosolymitanæ, & ideo ait væ altari, væ inquam altari, & templo, & væ ciuitati Ierosolymitanæ, quæ altare, & templum habet. Et post: *Et erit mihi quasi Ariel*, id est, vt in altari victimæ mactantur, sic faciam, vt in vrbe multi iugulentur, & necentur ab hostibus.

Exod. 27. & 38.

Isa. 29.

Præterea, totum Altare cauum erat, cuius superior pars craticulam ferream habebat, quæ totam Altaris vacuitatem æquabat, & è quatuor Altaris cornibus pendebat; eidem ligna, victimæ, & ignis imponebantur, vbi coquebantur, vel exurebantur: ignis autem in ima decurrens, & per cryptas extractus, ad locum destinatum deferebatur, quem Neemias vocat locum cinerum, quòd craticula ferrea ita erat cauo Altari æqualis, vt in illud posset commodè inferri, & efferri. Beda, Richardus, & Auctor Historię Scholasticæ ponunt in latere huius Altaris ostiolum, per quod carbones, & cineres extraherentur, ligna ad fouendum ignem immitterentur. Sed neque scriptura vspiam, neque Iosephus mentionem eius ostioli fecerunt, neque verò necessarium fuit, quia craticula ferrea poterat sursum extrahi, quantum satis videretur, actum ligna imponebantur.

Secundò

Secundo quæritur, An hoc Altare fuerit totum vacuum, an verò plenum terra vsque ad mediam partem? Richardus & Auctor Historiæ Scholasticæ, & Abulensis opinantur, fuisse terra oppletum vsque ad medium, propter verba illa Exodi: *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta.* Cæterùm ex libro Machabæorum constat. Altare nõ terra, sed lapidibus repletum fuisse. Iudæis enim, & fratres diruerunt holocaustorum altare violatum, & pollutum à Gentibus, & reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, & acceperunt lapides integros secundùm legem, & ædificauerunt altare nouum secundùm illud, quod fuit prius. In eodem autem loco illo Exodi subiũgitur: *Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus*, ac idcirco liber Machabæorum (vt retulimus paulò ante) *Acceperunt*, inquit, *lapides integros*, hoc est, minimè sectos. Positum est autem altare sub dio, non intra Tabernaculũ, aut Templum, propter ignem, & sanguinis ac victimarum odorem. Salomon fecit altare illo priori maius: legimus enim: *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.*

Tertiò quæritur, Quo modo ad Altare tam altum ascenderetur? Respondeo, Deum Mosi præcepisse: *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur nuditudo tua.* vnde licet altare emineret, nõ erat tamen ad illud ascensus per gradus, aut ex lapidibus, aut ex lignis ordine positos, sed erat cõtinuus per terram ipsam, quæ sensim in altum surgebat.

Quintò quæritur, Quæ & qualia fuerint vasa ad huius Altaris vsus necessaria? Ita legimus in Exodo: *Facieſque in vsus eius lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes, atque fuscinulas, & ignium receptacula. Omnia vasa ex ære fabricabis.* Liber quoque Regum ita scribit: *Fecit ergo Hiram lebetes, & scutras, & amulas,* & postea: *Et lucernas desuper aureas, & forcipes, & hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula, de auro purissimo.* Lebetes hebraicè dicuntur *Siroth*, noster interpres sæpè vertit in ollas. Erat autem vas in modum ollæ factum, ad cineres suscipiendos. Forcipes in hebræo dicuntur *Iaim*. Hieronymus alicubi interpretatur tridentes, nunc verò forcipes. Instrumentum hoc erat, quo ignis capiebatur. Fuscinulæ hebraicè *mizerakoth*, solet Hieronymus reddere tridentes verùm alibi interpretatur vncinos, alio loco reddit fuscinulas. Instrumentum erat, quo carnes ex olla, vel alio loco capiebantur. Vnde interdum vocantur Creagræ, à carne capienda. Phialæ in hebræo dicuntur *mizlegoth*. vas erat magnum, & amplum, ad bibendum accommodatum: eius vsus erat in templo, ad victimarum sanguinem excipiendum. Scutræ in hebræo *Iaim*, vas erat rotundum, quale ad mensas adhibetur, vnde ex scutra, dicta est scutella. Amulæ hebraicè *mizerakoth*: Amulam autem Latini vocant genus vasculi ad aquam gestandam. Thymiateria in hebræo *Mecammeroth*, vasa erant, quibus odores incendẽdi ponebantur. Mortariola, vasa erant parua in modum volæ manus facta, ad thura, & alia similia excipienda. Thuribula, vasa erant veluti cochlearia quædam, in quibus thura, vel panes ponebantur.

Caput LII.

De Salomonis Templo, eiusque partibus.

REcta hominum ratio præscribit, vt templa in Dei cultum, & honorem erigamus, non quòd loco Deum includere velimus, aut possimus, sed vt in certum locum pij eius cultores cõueniant, vbi verbum diuinum audiant, intelligant, & discant; vbi preces, vota, & sacrificia offerant, vbi Deo sese præsentes exhibeant, vbi Deo pro beneficijs acceptis gratias agant, vbi diuinis rebus inseruiant, vbi denique Deus cultu, & veneratione honoretur à cunctis. Ex lignis, & lapidibus, ait Aug. lib. 1. De Symbo. ad Catechis. ca. 5. *dignatus est Deus facere, sibi domum per seruum suum in terra, vbi rogaretur, vbi moraretur.* Sic ille. Conuenientibus in vnum locum destinatum ad Dei cultũ pij homines studiosius, & religiosius conuocantur, orant, sacris intersunt, diuinas conciones audiunt, & eo magis audiuntur à Deo. *S. Th. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 1.*

Sed cur vnum tantum templum, & altare voluit sibi Deus à Iudæis extrui, & erigi? Nimirum voluit Deus indicare se vnum Deum esse: voluit Hebræorum populum auertere ab errore Gentium plures Deos credentium, ac ideo in multorum Deorum cultum plura templa fabricantiũ. Sed cur tamen in lege gratiæ, id est. Euangelica plura templa vni Deo eriguntur, quia lex Gratiæ ad omnes gentes, & nationes fertur, non ad vnũ Hebræorum populum. Omnes autem mundi nationes in vnum locum conuenire nequeunt. Rursus, per legem Christi omnis est Idolorum cultus damnatus, & eiectus; omnis plurium Deorum superstitio confutata, & explosa; & ideo absque vllo periculo erroris multa vni Deo templa fabricamus. Et quia Iudæi vnum templum tantùm habebant, ideo in vrbibus synagogas extruebant, in quibus sacrarum literarum lectionem audiebant.

Primò quæritur, Quot partibus Templum cõstaret? Respondeo tribus: nam tota domus, quæ Templum dicebatur, tripliciter in sacris literis accipitur: Primò modo, vt continebat etiam atria, ad quæ tantùm laicis aditus patebat: & hoc modo in Euangelio legimus Christum Dominum isse templum, vel introisse in Templum Salomonis, hoc est, in atrium quoniam cum esset ex tribu Iudæ, non permittebatur intrare nisi vsque in atrium. Secundò modo, vt continebat etiam porticum, quæ erat ante Templum: Tertiò, vt continebat duas partes interiorẽ, & exteriorem: quarum interior dicitur Sancta Sanctorum, exterior simpliciter, Sancta. Domus igitur prout continebat etiam porticum, in tres partes erat diuisa: vna versus Orientem sita, Porticus appellabatur, & vestibulum aliquando latinus interpres vocat, hebraicè *Vlam*, Post Porticum versus occidentem, erat pars templi hebraicè dicta *Echal*, latinè Templum, vel exterior domus, aliquando Sanctum. Tertia Templi pars omnium intima hebraicè dicitur Deuir, latinè oraculum, quòd inde Dominus responsa reddebat. vocatur etiam Sanctum Sanctorum, hoc est, Domus sanctissima; aliquando etiam per Antonomasiã, Sanctum,

אולם
היכל
דבר

Psalm.133. ctum, vel Sancta, vt ibi: *In noctibus extollite manus vestras in sancta*, hebraicè in sanctum, id est, conuerso vultu ad locum, siue domum, vbi est Arca propitiatorij, palmis extensis, & in altum sublatis o

Hebr.9. rate, & Apostolus; *Introiuit semel in sancta*, scilicet, Dominus noster. Templum siue exterior domus, quæ hebraicè dicebatur *Echal*, longitudinis erat quadraginta cubitorum, latitudinis viginti, altitudinis iuxta opinionem communem, centum viginti cubitorum, secundum alios nonaginta, iuxta aliorum sententiam, sexaginta vt dicam inferius.

Secundò quæritur, Quantæ latitudinis, & altitudinis esset oraculum, siue Sanctum Sanctorum? In longitudine, & latitudine omnes conueniunt eam templi partem fuisse viginti cubitorũ: nam

3.Reg. 6. in historia Regum ita scribitur: Domus, quam ædificabat Rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, id est, totũ spatium, quod continebat domus Domini, sine porticu ante templum, erat longitudinis sexaginta cubitorum, & latitudinis viginti. Ergo cum domus exterior in longitudine contineret quadraginta cubitos, sequitur vt domus interior haberet viginti. Et postea in eodem loco: *Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis.* In altitudine verò non consentiunt omnes; nam Beda *in lib. de templo. cap.*10. Auctor histor. Scholastic. *in historia.*3. *Reg. c.*10. aiunt fuisse triginta cubitorum intrinsecus, quos etiam habebat in altitudine domus exterior, extrinsecus verò centum viginti cubitorum: Richardus, & Lyranus docent quoq; intrinsecus fuisse triginta cubitorum, extrinsecus verò centum viginti. At Hebræi sentiunt fuisse intrinsecus viginti cubitorum, extrinsecus verò fuisse centum viginti, & ideo totũ oraculum fuisse quadratum: certè in eodem loco, quem paulò ante memorauimus, sic est; Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis. Ex quibus verbis colligimus oraculum intrinsecus figuram perfectè quadratam habuisse, nam tabernaculum Mosis quadratum quoque fuerat, licet minus. vt enim perhibet Scriptura, in longitudine,

Exod. 26. latitudine & altitudine decem cubitos habebat.

Tertiò quæritur, quid significent illa verba. li.

3.Reg. 6. Reg. *oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat.* nam quomodo est in medio domus oraculum fabricatum, si erat in parte intima Templi? Respondeo, Hebræos in medio domus dicere, quod Latini dicerent, intra domum. Ita dictum

Habac.3. est: *Domine, opus tuum in medio annorum viuifica illud*;

Psal.100. id est, intra annos, quos constituisti, & promisisti. & alibi; *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.*

Quartò queritur, Quantæ magnitudinis fuerit porticus, quæ erat ante templum. In eo conueniunt omnes, fuisse illam longitudinis viginti

3.Reg.6. cubitorum, & latitudinis decem, sic enim in Historia lib. Reg. legimus: *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi, & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.* Ex quo fit, omnes tres partes, ex quibus diximus Templum constare, fuisse in longitudine septuaginta cubitorũ, ex quibus porticus in latitudine decem obtinebat; nam habebat 40. in longitudine domus exterior hebraicè dicta *Echal*, & viginti in longitudine pars interior, quę dicitur hebraicè *Deuir*, & latinè, oraculum: ergo Porticus in latitudine decem cubitos habebat: lõgitudo verò Porticus 20. cubitorum erat: nam totidem habebat in latitudine; tum domus exterior, tum interior. Porrò in altitudine, Porticus erat centum viginti cubitorum: ait enim lib. Paralipomenon: *Porticum verò* (fecit Salomon) *ante frontem, quæ tendebatur in longum iuxta mensuram latitudinis domus, cubitorum viginti.* Porrò altitudo centum viginti cubitorum erat: quo loco scriptura Porticũs altitudinem expressit, quam liber Regum silentio suppresserat.

Quintò quæritur, Quantæ altitudinis fuerit pars templi exterior superius dicta *Echal*? Tres inuenio opiniones, vnam asserentium, altitudinem domus fuisse triginta cubitorum, quoniam in li. Reg. cubitos 30. in altitudine legimus Domũ Domini habuisse; Porticum verò altitudinem centũ viginti cubitorum. Vnde quod in Paralip. lib. dicitur: *centum viginti cubitorum erat*, intelligunt huius opinionis auctores de Porticu tantũ, de qua proximè sermo præcesserat: iuxta quam sententiam Porticus ante Templum erat veluti turris quædã editissima. Secunda est sententia eorum, qui domum exteriorem in altitudine extrinsecùs centũ viginti cubitos habuisse contendunt, totidem videlicet, quot habebat porticus: at intrinsec⁹ triginta cubitos habuisse: quare illud paulò ante dictum, *centum viginti cubitorũ erat*: non ad solam Porticum, sed ad totam domum Templi exteriorem referunt: & illud, quod in 3. lib. Regum legimus, Domum Domini, triginta cubitos in altitudine habuisse, sic intelligũt; Vt Domus Domini intrinsecus vsq; ad primam contignationem triginta fuerit cubitorum, ita Beda *in li. de Templo. c.*8. *&* 10. *& q.*11. *in libros Reg.* Angel. 3. *Reg.*7. Ruper. *lib.*3. *commen. in libros Regum. ca.*7. Richar. *in lib. de Templo.* Comestor. *in historia lib.*3. *Reg.*9. Lyra. Abulensis. Caietanus. 3. *Reg. c.*7. & probant Iosephi auctoritate dicentis: *lib.*8. *Antiq. c.*2. *Cuius ædificij altitudo fuit cubitorum sexaginta, & totidem longitudo, latitudo verò viginti.* Dixit verò Iosephus altitudinem fuisse sexaginta cubitorum, quia super illud ædificium erat alterum æqualis altitudinis, & proindè tota altitudo Templi extrinsecùs erat centum viginti cubitorum: nimirum quia intrinsecùs ea pars Templi diuidebatur in tres interiectis contignationibus distributas, ita vt vna pars vsque ad primam contignationem triginta cubitos haberet, & totidẽ altera pars ab eadem contignatione vsque ad secundam contignationem: & vsque ad summum fastigium erãt sexaginta cubiti: ita vt extrinsecùs tota altitudo appareret centum viginti cubitorum. Et alibi idem Iosephus *lib.*15. *Antiq. cap.*14. inducit Herodem his verbis alloquentem Iudæos: *Templo huic, quod post limine reuersi à captiuitate Babylonica patres nostri instauarunt, desunt ad priscam altitudinem sexaginta cubiti:* tanto enim celsius erat vetus illud Salomonis ædificium. Sed Templum secundum, de quo ibi loquitur Herodes, constat habuisse sexaginta cubitos altitudinis, ex 1. Esdræ, vbi inducitur Cyrus interdicens Iudæis altius templũ ędificare. colligũt igitur nominati scriptores

altitu-

altitudinem domus exterioris vsq; ad secundam contignationem, sexaginta cubitos habuisse, & totidem ab ea vsque ad summum fastigium. Tertia sententia est quorundam asserentium, Domũ Domini fuisse nonaginta cubitorum in altitudine propter verba illa Domini apud Ezechielem 41.versu.12. *Paries autem ædificij quinque cubitorum latitudinis per circuitũ, longitudinis nonaginta cubitorum*, hoc est; crassitudo parietis, *erat cubitorum quinque, altitudo nonaginta cubitorum.*

Sextò quæritur, Quid significent illa verba in libro Regum tertio: *Fecitque Salomon in Templo fenestras obliquas?* quomodo scilicet Templum hoc loco sumatur, an pro parte exteriori dicta *Echal*, an verò pro tota domo, quæ Echal continebat, & oraculum dictum *Deuir*: Quid itidem sint obliquæ fenestræ. Respondeo, hic Templi nomine accipi totam domum prædictas partes continentẽ, quoniam in hebræo non ponitur Echal, quæ solam partem exteriorem significat, sed Baijth quæ generatim significat domum: Fenestras verò obliquas plerique intelligunt introrsum angustiores, extrorsum verò latiores, vt multum lucis accipientes in Templum inueherent. Alij verò fenestras intelligunt factas in modum retis, hoc est, reticulatas, quales solent esse cancelli: & hæ fenestræ erant ad Meridiem, septentrionem, & occidentem: nam orientalis pars Templi fenestris carebat.

Cap. LIII.

De Atrijs ante Templum constitutis.

PRIMO quæritur, Quot Atrijs Templum Salomonis constaret? Cassiodorus, Beda, & Auctor Historiæ Scholasticæ, & Abulensis sentiunt, quatuor Atrijs constitisse, vnum erat, in quod solis Sacerdotibus, & Leuitis patebat ingressus. Secundum erat, quò conueniebant orationis causa viri Israelitæ: Tertium, in quo Israeliticæ fœminæ orabant: Quartum, in quod ingredi licebat Israelitis immundis, & Ethnicis. Alij verò putant, Templum, quòd fuit postea ab Herode extructum, quatuor prædictis Atrijs circumdatum fuisse: Sed Salomonis templum illud vetus duobus duntaxat: quod probant ex illis verbis: *Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorũ, & vno ordine lignorum cedri*: ex verbis item illis: *Fecitque etiam atrium Sacerdotum, & Basilicam grandem, & ostia in basilica, quæ texit ære.* Atrium Sacerdotum Scriptura vocat, quod alias appellatur Atrium interius. Et interius atriũ rectè nominatur, quia coniungebatur cum porticu, siue vestibulo, quod erat ante domum Domini: Atrium verò sacerdotum dicitur, quia solùm Sacerdotes, & Leuitæ eo conueniebant. quod si erat atrium interius, fuisse quoque pariter intelligitur atrium exterius, quò populus confluebat. Et quoniam magnam populi multitudinem capiebat, erat longè maius atrio Sacerdotum; & ideo basilicam grandem Latinus interpres illud atriũ vocauit, & septuaginta, aulam. nam quodam loco ait Scriptura: *Et extruxit altaria* (rex scilicet Manasses) *vniuersæ militiæ cæli in duobus atrijs templi Domini*; ergo in Templo Salomonis duo tantùm Atria constituta fuerant: & Iosephus tantum meminisse videtur duorum Atriorum, interioris, & exterioris. De interiori Atrio sic ait: *circumdedit deinde Templo septum quoddam trium cubitorum altitudinis, exclusurum profanam multitudinem, & solùm Sacerdotes admissurum.* De Atrio verò exteriori subijcit hæc: *extra hoc septum erat fanum porticibus magnis ad latus cinctum, & portis altis patens; quarum singulæ singulos ventos aspectabant, & foribus auratis claudebantur. In hoc fanum cuilibet è populo, modò puro ac mũdo, & præscriptorum leges obseruanti accessus patebat. Dici autem non potest, ac vix etiam oculis cerni, quàm mirandum fuerit illud exterius fanum. vallibus enim expletis tã profundis, vt ad prospectum oculi caligarent, & aggesta ad quadringentos cubitos terra, eam vertici mõtis, in quo Templum extructum est, æquauit: atque ita factum est, vt area cum solo Templi æquaretur: quam cinxit geminis porticibus, quas Columnæ è nativo saxo sustentabant, & laquearia cedro expolita tegebant: fores vero habebant omnes ex argento fabricatas.* Hęc Iosephus. Alij verò probabiliꝰ opinantur, in Templo Salomonis tria Atria fuisse, vnum Sacerdotum, & Leuitarum: secundum Israelitarum, cancellis in duas partes distinctum ad viros, & fœminas excipiendas: nam à viris fœminas separari decebat, vt factum est in Templo Herodis teste Iosepho: Tertium verò, Atrium Gentium, quod Gentibus adire licebat. verisimilius esse mihi videtur tria Atria fuisse; vt in Templũ Ethnici conuenirent, qui Deũ colere vellent.

Secundò quæritur, An Atria singula cingerent vniuersam Domum Domini.

Tres sunt opiniones, quarum vnam sequuntur Cassiodorus, Beda, Auctor Historiæ Scholasticæ, & Lyranus, *locis supra citatis*, dicentes, totam Domũ Domini vndequaque Atrijs cinctam fuisse; Alij verò opinantur, ad partem tantum Orientalem Templi fuisse Atria constituta. At Abulensis censet Templum non fuisse Sacerdotum atrio cinctum, sed tantùm alijs atrijs; ita vt atrium Sacerdotum ex parte tantùm orientali Templi fuerit constitutum, cætera verò ex omni parte. Cæterũ, Iosephus de Atrio Sacerdotum loquens, sic ait: *circumdedit deinde Templo septum quoddam.* ergo atriũ Sacerdotum totam Domum Domini vndique claudebat: & propterea verisimilius existimo, vniuersa atria ex omni parte Templi fuisse. *Ioseph. libr. 8. Anti. c 2.*

Tertiò quæritur, Quænam esset Porticus Salomonis in Atrijs Templi constituta: Respondeo, congesta terra impletas valles ita fuisse, vt vertices montis, in quo erat Templum extructum, æquarent, & deindè atria fuisse alto muro cincta. his aggeribus imposuit Salomon porticum, quæ præcipuè ab Oriente atrium Israelitarum complectebatur. Porticus autem, est locus amplus, & spatiosus ambulationibus aptus, tecto clausus: atria enim sine tecto erant, & sub dio; & ideo Salomõ Porticum extruxit, quò se populus reciperet, cum pluuię è cælo cadebant, vel calores, & æstus vrgebant. Hæc igitur porticus est, quæ à Ioanne Euangelista vocatur Porticus Salomonis: *Et ambulabat*, inquit, *Iesus in templo in porticu Salomonis*, & à Luca in Actis; *Cucurrit omnis populus ad eos* (Petrum scilicet, & Ioannem) *ad porticum, quæ appellatur Salomonis.* Dicta est autem Porticus Salomonis, quòd fit à Salomone facta; nam ea Templi area semper mansit, quamuis fuerit à Chaldæis Templum euersum. Non igitur hæc porticus Salomonis erat illa, quæ Domui Domini proximè adhære *Ioan.10.* *Act.3.* *4.Reg.vlt.*

bat, & quam certò constat fuisse inter Domum Domini, & Atrium Sacerdotum, quo laicis Israëlitis minimè patebat ingressus.

Quartò quæritur, Quinam intelligantur tres illi ordines supra memorati lapidum politorum quos constituit Salomon in atrio Sacerdotum. Richardus arbitratur fuisse tres ordines lapidum vnum post alium, & eiusdē altitudinis: ita vt primus ordo fuerit exterior, tertius interior, secundus verò medius. Abulensis verò putat fuisse murum diuidentē Atrium Sacerdotum ab Atrio populi, & habentem in altitudine tres cubitos, vt laici videre possent Sacerdotes, victimas, & sacrificia offerentes: & in eo muro fuisse tres ordines lapidum politorum, quorum vnus alteri erat impositus: & fuit quoq; vnus ordo lignorum cedri. Richardus, & Abulensis putant, murum prædictum intrinsecus tabulis cedrinis vestitum, & ornatum fuisse. Alij verò tribus lapidum ordinibus fuisse quartum ordinem impositum tabularum cedrinarum, qui ornatus causa lapidibus erat appositus.

Quintò quæritur, Quænam essent exedræ in Atrijs constitutæ? Paralip. 1.c.8. legimus: *Nec non & omnium, quæ cogitauerat atriorum, & exedrarum per circuitū in thesauros domus Dei, & in thesauros sanctorum.* 1. Paral. 8. Exedra Græcis, est cubiculum columnis fultū ad sedendum, & confabulandum. Erant igitur cubicula in ipsis porticibus, partim ad res Templi asseruandas, partim ad Sacerdotes, vel Leuitas excipiendos: nam opus erat vt haberent, quò se reciperent, & vbi manerent, cum ministerio Templi vacabant. Et hoc est, illud paulò ante dictum: *Et exedrarum per circuitum in thesauros domus Dei, & in thesauros Sanctorum.* nimirum, vt ibi reponerentur, & asseruarentur, quæ pertinebant ad templum, & ad ministros eius: vnde etiam factum est, vt Gazophylacia vocentur ea loca, in quibus seruabatur pecunia à populo oblata. Erant autem Gazophylacia in Atrio exteriori ad portas, vt populus ingrediens in Templū, facilè posset offerre, quod vellet. Et appellabantur Gazophylacia nominib. eorum, quibus custodienda committebantur: vt Gazophylacium Hanan, Gazophylaciū Elizama scribæ. Apud Ioannem legimus: *Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio, docens in Templo,* Ioan. 8. videlicet in parte quadam atrij exterioris, vbi fortassis erat maximum Gazophylacium, in quod plures dona mittebant, quia per eam portam plures forsitan ingrediebantur in templum.

Sextò quæritur, Quænam vocet Scriptura, Pastophoria Templi. Ratio dubitandi est, quia in 1. Mach. 4. legimus: *Et viderunt sanctificationem desertā, & altare profanatū, & portas exustas, & in atrijs virgulta nata sicut in saltu, & pastophoria diruta.* 1. Mach. 4. Et postea: *Et ornauerunt faciem templi coronis aureis, & scutulis, & dedicauerunt portas, & pastophoria, & imposuerunt eis ianuas.* Hier. lib. 7. in Esai. ca. 22. Teste Hieronymo, Pastophorium, est thalamus, in quo quis habitat: παστὸς enim græcè, thalamus est. Erant igitur pastophoria templi, thalami, in quibus habitabant præpositi templi; non autem, vt quidam putarunt, loca foris ad comedendum seposita, & diuisa, in quibus Sacerdotes ederent victimas; quasi Pastophorium sit dictum à pastu, & foris. Est enim Pastophorium, vt diximus, græcum nomen, non latinum.

Septimò quæritur, Quo modo populus ascendebat ad Templū in sublimi montis vertice constitutum. Respondeo ex Iosepho, fuisse gradus, quibus ascendebatur in Templum. Erant igitur gradus, per quos populus ascendebat vsque ad murum, quo Atria claudebantur: & deinde erant etiam quindecim gradus, quibus ab atrio Israelitarum ascendebatur vsq; ad atrium sacerdotum: populus enim scandebat vsque ad murum, qui Sacerdotum Atrium ab Atrio populi diuidebat: veniebant enim ab interiori atrio Sacerdotes ad eum vsque locum, & accipiebant victimas, quas populus offerebat. hos quindecim gradus ascendisse creditur Beatiss. Virgo Deipara, quę tertium ætatis agens annum est in Templum oblata: neque enim vlterius transire laicis licebat, sed Sacerdotes prodeuntes quicquid Domino offerebatur à populo, excipiebant.

Sciendum est, Templum Salomonis diruтum, & igni exustum à Chaldæis, & postea reædificatum fuisse à Iudæis ex captiuitate Babylonica in patriam Cyri primi Persarum regis beneficio reuersis, quod templum Herodes à fundamentis exornauit, quia illud longè amplius, & maius, & magnificentius effecit, quod octo annis absoluit teste Iosepho in lib. Antiquitatum. Alibi verò fecit: *exterior facies templi nihil quod animus, aut oculi mirarentur, non habebat: cruſtis enim aureis grauissimis vndique tecta ad primos ortus igneo splendore lucebat, vt cum intuerentur oculi, quasi solis radijs auerterentur: hospitibus quidem adeuntibus pro monte niueo similis videbatur: non vbi deauratum templum non erat, candidissimum erat. ea summo autem aureis verubus acutissimis horrebat, ne ab insidentibus auibus pollueretur. Nonnullorum autem saxorum eius longitudo quadraginta quinque cubitorum erat, altitudo quinque, latitudo sex.* Ex quibus omnibus intelligitur id, quod legitur apud Marcum, *cum Dominus, inquit, egrederetur è templo, dixit vnus ex Discipulis, Magister aspice quales lapides, & quales structuræ! Respondit Dominus, vides has omnes magnas ædificationes? non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.* Marc. 13.

Fuit in hoc Templo primum atrium omnium hominum Israelitarum, & Gentilium commune, tribus porticibus constans. Erant enim quatuor ordines columnarum paribus interuallis dispositi, quorum quartus coniungebatur cum muro lapideo, qui totum collem, in quo erat Templum extructum, cingebat. Columnæ omnes centum sexaginta duæ fuerunt, capitellis sculptis opere Corinthiaco pulchris. singularum longitudo viginti septem pedum præter basim erat, crassitudo tanta, quantam possent tres homines consertis inter se brachijs complecti. Hæc ex Iosepho libro Antiquitatum Iudaicarum.

Erat secundum Atrium Israelitarum, ad quod teste Iosepho, paucis gradibus scandebatur, cancellis quibusdam saxeis septum, vbi æquis interuallis columnæ positæ erant, & literis græcis, & latinis versus quidam, quibus Ethnicis significabatur, ne in locum sanctum intrarent: Atrium enim hoc, sanctum appellabatur, eò quòd locus esset, in quem conuenire fas erat Israelitis Dei cultoribus, non alijs. Hinc perspicitur illud Lucæ in Actis Apostolorum quid significet, de Paulo dictum: *Dum autem septem dies consummarentur; hi qui de Asia erant Iudæi, cum vidissent eum in templo, con-*

ciauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamãtes, viri Israelitæ adiuuate: hic est homo, qui aduersus populum, & legem, & locum hunc, omnes vbique docens, insuper & Gentiles induxit in templum & violauit sanctum locum istum. Hoc dicebant Iudæi, quia putabant Trophimum Ephesium, quem in ciuitate cũ Paulo viderant, in templum, id est, in Atrium Israëlitarum introductum fuisse.

Caput LIV.

De Operarijs, vasis & impensis, quæ facta sunt in Templi ædificatione.

PRIMO quæritur, Quantus numerus fuit operariorum in ædificatione Templi? 3. Reg. 5. ita legimus: *Elegitque rex Salomon operarios de omni Israel: & erat indictio triginta millium virorum, mittebatque eos in Libanum; decem millia per menses singulos vicissim, ita vt duobus mensibus essent in domibus suis: & Adoniram erat super huiusmodi indictionem. Fuerunt que Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte, absq; præpositis, qui erant singulis operibus numero trium millium, & trecentorum, præcipientium populo, & ijs, qui faciebant opus.* Et 2. Para. 2. dicitur: *Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem, quam dinumeravit Dauid pater eius. Et inuenti sunt centum quinquaginta tria millia, & sexcenti: fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris terram portarent; & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent; tria autem millia, & sexcentos præpositos operum populi.*

Ex quibus duobus locis colligitur summa omnium operariorum Templi Salomonis. Erant enim triginta millia, quorum decem millia per singulos menses vicissim cõmorabantur in monte Libano ad cædendum ligna cedrina. Et hi erãt ex Israelitis, nam 3. Reg. 5. dicuntur electi ex omni Israële triginta millia virorum; ex proselytis verò fuerunt septuaginta millia ad lapides, & alia onera humeris deferenda, & octoginta millia latomorum ad lapides cædendos in monte; & ter mille, & sexcenti præfecti ad opus vrgendum. Porrò quod 3. Reg. 5. legitur, præpositos qui opus vrgebant, fuisse ter mille trecentos: intelligitur hic, eos qui operarijs præerant, & per seipsos opus vrgebãt, fuisse ter mille trecentos: sed erant alij trecenti, qui rationem exigebant abijs, qui erant præpositi operarijs, & hos trecentos expressit lib. Paralipom. quos liber Regum omiserat.

Secundò quæritur, Quot vasa fecerit Salomon ad ministerium Templi. Ios. ita scribit: *Fecit item vasa ex ære omnia, lebetes, & amulas, cœnacula, & harpagones, & reliqua auri fulgorem referentia.* sic ille. Inter aurea, & argentea vasa, maxima quidem fuêre candelabra, & mensæ, in quibus sacri panes reponebantur: de quibus subiungit Iosephus hunc in modum: *Candelabrorum item, fecit decem millia, iuxta præceptum Mosi, ex quibus vnum in Templo dedicauit, vt interdiu luceret iuxta legem.* Et paulò post subijcit de alijs vasis: *Cantharorum autem vinariorum octoginta millia, sex comparauit, & phialarum aurearum decem millia, argenteas verò fecit numero duplicato. Pateras autem aureas ad offerendam in eis similam maceratam ad altare octoginta mille, & argenteas duplicato numero. Crateras quoque, in quibus similã oleo subigebant, aureas sexaginta mille, argenteas numero duplicato: Mensurarum quales à Mose Hin vocantur, & Asseronum aurearum erant viginti millia, & duplicatus numerus argentearum: acerræ quoq; aureæ, hoc est, thurribula, quibus odoramenta, & incensum in templo offerri solent, erant numero viginti millia, & alia, quibus deferebatur ignis à magno altari in paruum, intra templum, 50. millia. Tubarum, quales Moses præscripsit ducenta millia. Instrumẽtorum præterea musicorum, quæ Nabla, & cinyra vocantur in vsum hymnodiarum, ex electro confecit quadringenta millia: quæ omnia Salomon ad honorem Dei magnificè parauit, nullis parcens sumptibus, sed omni liberalitate vsus, hæc in thesauris Dei condidit.* Hæc Iosephus. ex quibus constat, vasorum aureorum numerum, mensis non computatis, fuisse ducentorum quinquaginta millium: argentea verò vasa attigisse numerum nongentorum quinquaginta millium. De vasis verò æneis 2. Paral. 4. legimus: *Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita vt ignoraretur pondus æris.* Nec huic tantæ vasorum multitudini aduersatur quod habetur in lib. Esdræ ca. 1. *Omnia vasa aurea, & argentea quinque millia, & quadringenta:* nam eo capite scriptura loquitur de vasis templi inuentis in Babylone, quæ asportauerant Chaldæi è templo sublata, & quæ retulerunt in templum Iudæi, cum captiuitate soluti in patriã redierunt, sed ante illud tempus sæpius est ab hostibus spoliatum templum, & sublata vasa.

Tertiò quæritur, Quantæ fuerint impensæ in Templi ædificatione factæ? Dauid 1. *Par.* 22. *ait: Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini: auri talenta centum mille, & argenti mille millia talentorum: æris verò, & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine.* Et 1. Para. 29. *Ego autem totis viribus meis præparaui impensas domus Domini, aurum, ad vasa aurea, & argentum, in argentea, æs, in ænea, ferrum, in ferrea, lignum, ad lignea, & lapides onychinos, & quasi stybynos, & diuersorum colorum omnemque pretiosum lapidem, & super hæc quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum, & argentum do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem sanctam, tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi.* Porrò huic numero addendum est, quod polliciti sunt principes familiarum. nam legitur ibidem: *Dederunt que in opera domus Domini auri talenta quinque millia, & solidos decem millia, argentea talenta decem millia:* quæ omnia in vnum collecta conficiunt centum, & octo millia talentorum auri; argenti verò mille millia talentorum, & insuper 17. millia. Et quia talentum auri æstimatur ducatis monetæ Romanæ 14. millibus 981. fit vt tota summa prædicta talentorum auri contineat, vt vulgi more loquar, mille quingẽtos viginti duos milliones. 584. millia ducatorum. Talentum verò argenti æstimatur mille 375. ducatis: ac proinde summa talentorum argẽti continebat 1398. milliones, 375. millia ducatorum. Et tum auri tum argenti summa in vnum collecta cõficit bis mille nongentos viginti milliones, 959. millia ducatorum.

Quartò quæritur, Quanti emerit Dauid rex aream Ornam Iebusæi 2. Reg. vlt. & 1. Paral. 21. vbi illi demonstratus est locus, in quo fuit postea templum exædificatum. Scriptura duobus illis locis prædictis varia est: nam in priori loco dicit: *Emit*

Dauid aream, & boues argenti siclis quinquaginta: in secundo verò loco: *Dedit ergo Dauid Ornam pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos:* qui duo loci multorum ingenia non mediocriter torserunt. Quidam Hebræorum sic conciliant: vna quæque tribus obtulit Dauidi ad agri illius emptionem 50. siclos, & hoc est, quod dicitur in priore loco: ac proindè omnes duodecim tribus soluerunt 600. siclos, vt in posteriore dicitur loco. sed non est verisimile, Dauidem emisse agrum illum nō sua, sed aliena pecunia. Abulensis conciliat in hunc modum. In libro Regum; non exprimi quanti emerit aream Dauid, sed quanti emerit boues; videlicet 50. siclis, & proindè esse legendum: Emit ergo Dauid aream, ibi distinctio ponenda: & boues, argenti siclis 50. in lib. verò Paral. expressum fuisse pretium datum pro area, quod liber Regum suppresserat, quod pretium fuit sexcentorum siclorum.

Mihi tamen probabilius videtur aliorum responsum, in vtroque loco idem pretium contineri, quod datum fuit pro agro, & bobus. Hoc vt declarem, animaduertendum, existimo; siclū apud Hebræos fuisse auri, & argenti: item, fuisse tum pondus, tum nummū, siclus qui erat pondus, pendebat semiūciam, siue auri, siue argenti: quatenus verò nummus erat, siclus argēti, valebat quatuor drachmas Atticas, hoc est, quatuor Iulios Italicos, vel quatuor Hispanicos nummos argenteos, regales vulgo dictos. Et quia æquale auri pondus continet duodecuplam proportionem argenti; hinc est, vt siclus, qui siue auri, siue argenti ponderabat semiunciam, si erat auri, æstimaretur 48. drachmis atticis: nam siclus erat ponderis semiunciæ, si verò argenti, valeret quatuor drachmas atticas, quia semiuncia auri, quod pertinet ad æstimationem, superat semiūciam argenti duodecupla proportione; ac proinde semiuncia auri æstimatur 48. drachmis atticis, siue Iulijs Italicis, & semiuncia argenti, quatuor. Ergo, Dauid dedit pro bobus siclos 50. videlicet auri, qui sicli æstimabantur, sexcentis siclis argenti, videlicet auro argentum superante duodecupla proportione. Idem igitur pretium lib. Paralip. expressit, quod erat positum in lib. Regū; perindè ac si diceret: Dedit Dauid sexcentos siclos argenti, quos valebant 50. sicli aurei, quos lib. Reg. expressit. Ex quo perspicitur pretij quantitas quam dedit Dauid, si illam ad vulgarem monetam Italicam siue Hispanicam redigamus, siclus argenteus valet quatuor drachmas atticas: drachma Attica æstimatur vno Iulio Italico, siue Hispanico nummo argenteo regali. ergo sexcenti sicli argentei valent bis mille, & quadringentas drachmas Atticas, hoc est, bis mille, & quadringentos Iulios Italicos, siue Hispanicos regales nummos argenteos.

Quintò quæritur, intra quot annos tota Templi ædificatio fuerit absoluta? 3. Reg. 6. ad finem legitur sic: *Anno quarto fundata est Domus Domini in mense Zio, & in anno vndecimo, mense Bul, ipse est mensis octauus, perfecta est domus in omni opere suo, & in vniuersis vtensilibus suis; & ædificauit eam annis septem.* Hæc ibi. Quartò igitur anno regni Salomonis iacta sunt fundamenta Templi, & anno 11. eiusdem regni perfecta sunt omnia, videlicet ipsum ædificium Templi, vasa omnia, & supellex vniuersa. Videtur perfectum esse Templū septem annis, & dimidio, quia à mense Zio, qui est secundus, vsque ad Bul, qui est octauus, sunt septē menses: at Scripturæ more, annus inchoatus omittitur, non supputatur. Sed quomodo, dices, Templum perfectū est mense octauo cum omnibus vtensilibus suis; cum tamen eodem libr. 3. Regum. c. 8. legamus, dedicatum fuisse Templum mense septimo, vniuerso Israele conuocato: *Conuenitque ad regem Salomonem vniuersus Israel in mense Ethanim, in solenni die: ipse est mensis septimus.* Respondeo Templum dedicatū fuisse, cum iam esset perfectum, nondum omnibus vtensilibus omni ex parte absolutis: quæ tardem octauo mense perfecta sunt: ac propterea Scriptura dixit, perfectam fuisse domum Domini in omni opere suo, & vniuersis vtensilib⁹ suis. Noluit autem Salomō Dedicationem differre in mensem octauum, quo sunt omnia perfecta, quoniam mensis septimus erat maximè solennis tribus celebritatibus, videlicet, Tubarum, expiationis, & Tabernaculorum, de quibus Leuit. 23. ac propterea eo mense Israeliticus populus in Domum Domini, conuenire debebat Exod. 23. & 24. ne igitur iterum mense octauo conuenire populus cogeretur, Templum mense septimo dedicauit.

Caput LV.

De Tempore, quo Templum Salomonis extructum est, ac perstitit.

In his, quæ sequuntur, qua potero breuitate complectar annorum summam, qui ab orbe condito præterierunt vsque ad ædificationem Templi, quique fluxerunt ab eius ædificatione vsque ad Christi Domini aduentum. Et scieudum est, chronologos, hoc est, Temporum scriptores sex Mundi ætates constituere consueuisse ante diuini verbi incarnationem. Prima ætas numeratur ab initio mundi conditi vsque ad generalem inundationem aquarum, quæ tempore Noē fuit. Secunda ab ea inundatione vsq; ad ortum Abrahami: Tertia, ab eiusdem ortu vsq; ad exitum Hebræorum ex Aegypto sub Mose: Quarta ab hoc egressu vsque ad Templum à Salomone inchoatum. Quinta à Templo vsque ad excidium eius. Sexta, ab eius excidio vsque ad Christi Domini aduentum.

Primò quæritur, Quanto tempore Templum Salomonis permanserit? Respondeo, quintam ætatem ab eius ædificatione vsq; ad eiusdem Templi euersionem, fuisse annorū secundum aliquos, 440. secundum alios, 430. qui quidem anni ex sacris literis hunc in modum colliguntur: Salomō post Templum inchoatum.

Anno	36	3.Reg.6.
Roboam	17	3.Reg.14.
Abias	3	3.Reg.15.
Asa	41	3.Reg.15.
Iosaphat	25	3.Reg.22.
Ioram	8	4.Reg.8.
Ochozias	1	4.Reg.8.
Athalia regina	7	4.Reg.10.
Ioas	40	4.Reg.12.
Amasias	29	4.Reg.14.

Ozias qui & Azarias	52	4.Reg.15.
Ioathan	16	4.Reg.15.
Achaz	16	4.Reg.16.
Ezechias	29	4.Reg.18.
Manasses	55	4.Reg.21.
Amon	2	4.Reg.21.
Iosias	31	4.Reg.22.
Ioachaz mensibus	3	4.Reg.23.
Ioachim qui & Eliachim mensibus	11	4.Reg.23.
Ioachin qui & Iechonias mensib.	3	4.Reg.24.
Sedechias annis	11	4.Reg.24.

Omnium annorum subducta summa est 430. & mensium 6.

Secundò quæritur, An huius quintæ ætatis anni certò ex sacris literis sciri queant. Sentiunt quidam, eos sciri certò non posse; alij verò opinantur, eos ex sacris literis certò colligi, quia in libris Regum,& Paralipomenon apertè legimus quot annos quisque Regum, quos iam percensuimus, regnauerit vsque ad vndecimum Sedechiæ regis annũ, quo anno Templum dirutum à Chaldæis est. Sed Chronologi annos variè supputant. Eusebius *in chronico* numerat 442. Iosephus 470. Hebræi 483. Ioannes Annius, Lucidus, Nauclerus, Driedonius,& alij iuniores 440.

Tertiò quæritur de annis, quibus regnasse dicitur Asa; nam 3.Reg.15. fertur regnasse annis 41.& cap.16. dicitur: *anno 26. regni eius Baasa rex Israelis mortuus, & succedit ei filius Ela*: cum tamen 2. Paral. 16. legamus anno regni eius trigesimosexto Baasa cœpisse ædificare Rama. Lucidus Annium secutus cũ suo Philone,& Caietanus, & Canus aiunt, numerum annorum in 2.Para.16. esse corruptum vitio scriptorum,& pro anno 36. legendum esse, anno 26. quoniam Baasa cœpit regnare anno Asa regis Iuda tertio, regnauitque annis 24. vt apertè habetur 3. Reg.15. ergo non attigit nisi ad annum vigesimumsextum regis Asa. Sed quia omnes codices hebraici, chaldaici, græci,& latini, ad vnũ consentiunt,& habent 2.Para.16. *anno 36. regni eius ascendit Baasa in Iudæa, &c.* verisimile non est omnes codices esse vitiatos. Genebrardus alios secutus censet, numerum annorũ, qui referuntur 2. Para. 16. esse intelligendum sic: Anno trigesimosexto regni Asa, id est, regni bellorum tumultibus commoti, quia vt legimus 2.Parali.14. decem annis pacatam rempublicam tenuit, & statim regnum eius bellis agitari cœpit, primum contra Aethiopes, mox contra Baasa regem Israelis: qui quidem decem anni non computantur in libris Regum; & quia omissi fuerant, expressit eós liber Paralip. secundus cap.16. Et propterea semper in libris Regum addendi, vel intelligendi sunt, nimirum cum legimus Baasa cœpit regnare anno tertio regni Asa, debet intelligi anno decimotertio regni Asa: sed tertio ex quo cœpit bellis vexari. Et cum legimus anno Asa vigesimosexto, cœpit regnare Ela; debet intelligi; anno 36. regni Asa; sed vigesimosexto, ex quo cœpit bellicis tumultibus perturbari. Verùm contra hanc sententiam facit, quia 3.Reg.16. legimus, *Anno trigesimo octauo regni Asa regnauit Achab*, ergo deberet intelligi; anno 48. regni Asa, & 38. ex quo cœpit eius regnũ commoueri bellis: sed Asa regnauit solùm annis vno, & quadraginta, vt habetur 3.Reg.15. Quod si dicas, esse etiam intelligendos alios decem annos, qui semper prætereuntur in libris Regum,& numerantur solùm anni perturbati regni; gratis sanè id dici affirmabo. Alij intelligunt sic: anno 38. regni Asa, regnauit Achab; hoc est, Anno quadragesimooctauo regni Asa iã mortui, vt sensus sit: Quando regnauit Achab, erat annus quadragesimusoctauus, ex quo cœperat regnum Asa concitari bellis: quod tamen regnum filius eius tunc temporis obtinebat. Simplicior, & planior mihi quidem videtur eorum opinio, qui dicunt in libris Regum decem annos regni Asa, non fuisse præteritos, sed numerum, qui ponitur 2.Paral.16. sic intelligi: Anno trigesimosexto regni Asa; nempe ex quo diuisum fuerat regnum Salomonis, qui annus erat decimus septimus regni Asa,& trigesimus sextus scissi diuisique regni. Nam cum celebris fuisset illa regni diuisio, cœperunt anni regum Iuda ab ea diuisione supputari: & ita verissimè dicitur, *anno trigesimosexto regni Asa*, hoc est, regni Salomonis diuisi, quod ad Asa iure hæreditario peruenerat.

Quartò quæritur, De annis Ioram,& Ochozię regum Iuda, quo modo sint computandi. Ratio huius quæstionis est, quoniam 4.Reg.8. dicitur, Ioram triginta duorum annorum fuisse, cum regnare cœpit, & octo annis regnauit, ergo mortuus est, cum esset annorum quadraginta. Et idem legitur 2.Para.21. Sed de filio eius Ochozia dicitur 2.Paralip.22. fuisse annorum quadraginta duorũ, cum regnare cœpit, & quod regnauit anno vno: ex quo fit, vt filius fuerit suo patre natu maior duobus annis. Item.4.Reg.8. legimus; Ochozias erat annorum viginti duorum, cum regnare cœpit, quomodo igitur 2. Paralip.22. dicitur fuisse quadraginta duorum annorum? Hæc quæstio visa est Hieronymo inexplicabilis. Quidam affirmant, vitio librariorum esse corruptum textum 2. Paralipo.22.& legendum esse: *viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpisset*, vt legitur 4. Reg.8. & non, *quadraginta duorum annorum*, vt habetur 2.Paralipomenon 22. quia Ioram pater Ochoziæ dicitur regnasse anno 5. Ioram regis Israelis 4.Reg. 8.& mortuus dicitur ibidem anno 22. eiusdem regis Israelis, & regnasse pro eo Ochozias eodem duodecimo anno regis Israelis. ergo totum regnum Ioram, patris Ochoziæ vsque ad mortem, non fuit nisi octo annorum. Non mihi probatur hæc solutio propositæ dubitationis: nam omnes codices hebræi, græci, & latini conueniunt, & continent.2.Parali.22. Quadraginta duorum annorum erat Ochozias. Quidam Hebræorum, teste Genebrardo, sentiunt, annos 42. qui ponuntur 2.Para.22. ab ortu Ochozię supputandos non esse, sed à tempore quo viguit regnum Amri,& à tempore, quo est ab eo condita Samaria; quo tempore Iosaphat Asæ regis patris sui auctoritate duxit vxorem filiam regis Amri: nam ab eo tempore fluxerunt anni 42. vt patet ex 4. Reg. 16. quia post annum Asa trigesimum quintum, regnauit Amri sex annis,& Achab, filius Amri viginti duobus annis, & erat annus duodecimus regni Ioram regis Israelis. Et proindè fluxerunt quadraginta duo anni, ex quo regnum Israelis erat penes familiam Amri: sed huic sententiæ repu-

Hieron. in Quæst. super li. Reg.

gnare videtur, quod dicitur 2. Paral. 22. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias rex Iuda, cum regnare cœpisset.* Quare simplicior, & probabilior est eorum opinio, qui hanc litem, & controuersiam conciliant in hunc modum; quod Ioram scilicet regnauerit octo annis solus, & hoc est, quod dicitur. 4. Reg. 8. & 2. Paralip. 21. & tunc attigit annum vitæ suæ quadragesimum, & assumpsit, vt socium ad regnum gubernandum, filium suum Ochoziam, qui erat annorum viginti duorum, & regnauit vnà cum suo filio Ochozia annos viginti vnum, & ita mortuus est, anno vitæ suæ sexagesimo primo, & Ochozias vnà cú patre Ioram regnauit annis viginti, & solus vnum annum. Vnde cum dicitur 4. Reg. 8. *viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpisset*: intelligitur, cum regnare cœpit vnà cum patre suo: & regnauit solùm annum vnum, videlicet post obitum patris. Et cum dicitur 2. Paral. 22. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpisset*: sensus est, cum solus post obitum patris cœpit regnare, attingebat quadragesimum secundum annum, quia iam cum patre suo simul regnauerat viginti annis. Et secundum hanc sententiam necesse est in hac quinta Mundi ætate, vt annis regum Iuda addantur viginti anni, ita vt tribuantur, vel regi Ioram, & dicatur regnasse viginti octo annos, qui fertur regnasse octo annos: vel tribuantur Ochoziæ filio eius, & dicatur regnasse annis viginti vno; cum tamen perhibeatur regnasse vnum annum, solus nempe, mortuo iam patre, qui viginti annos cum patre adhuc viuente regnauerat. Vnde fit, vt plures colligendi sint anni ab exordio ædificationis Templi vsque ad lexcidium eius, quàm Hebræi opinentur, & quàm subducant Annius, Lucidus, Nauclerus, Driedonius, Genebrardus: nam toti summæ annorum quæ constat annis 430. si addantur 20. efficientur anni 450.

Cau. li. 11. de loc. the. ca. 3. ad 12.

Quintò quæritur de annis Ioachin, qui & Iechonias: nam 2. Paral. 36. habetur, *octo annorum erat Ioachin, cum regnare cœpisset*: & 4. Reg. 24. *Decem, & octo annorum erat Ioachin, cum regnare cœpisset.* Quidam existimant, numerum 2. Paral. 36. esse corruptum vitio scriptorum siue librariorum, & legendum: *Decem & octo annorum erat, &c.* quia, sic habetur 4. Reg. 24. *Et quia natus octo tantùm annos, puer admodum erat, vt vnà cum patre regnaret*, nec in tam tenera ætate filij assumi solent ad regni gubernationem, nisi cum ob parentum obitum, à populo, vt reges habentur. sic enim cœpit regnare Iosias, cum tamen octauum tantùm annum attingeret. Præterea, quia dicitur fecisse malum coram Domino, & plures vxores duxisse 4. Reg. 24. quod puero octo tantùm annorum conuenire minimè videtur. Sed nequaquam probabile est, omnes codices hebraicos, græcos, & latinos vitiatos fuisse 2. Paral. 36. vbi legimus: *octo annorum erat Ioachin, cum regnare cœpisset.* Genebrardus censet, decem & octo annos, qui ponuntur 4. Reg. 24. numerandos esse ab ortu eius: & octo illos, qui referuntur 2. Paral. 36. supputandos esse non ab ortu eius, sed ab imperio ipsius Nabuchodonosoris regis Chaldæorum, cuius beneficio Ioachin regnum obtinebat, & octo anni præterierant, ex quo Nabuchodonosor regnare cœperat, vt colligitur ex 4. Reg. 24. Sed contra facere videtur id, quod legitur 2. Paral. 36. *Octo annorum erat Ioachin cum regnare cœpisset.* Simplicior, & probabilior, meo iudicio, est eorum sententia sic interpretantium: *octo annorum erat Ioachin, cum regnare cœpisset*, videlicet, vnà cum patre suo; cum quo, & decem annis regnauit: atque ita erat decem, & octo annorum, cum regnare cœpit solus; pater eius regnauit 11. annis, & ipse filius cum patre, decem. Solus verò mortuo patre regnauit tribus mensibus, & decem diebus: quare decem anni regni eius computandi sunt in 11. annis quibus regnauit pater eius. Neque obstat, quòd obijciebatur, in tam tenera ætate filios à parentibus non asciscì ad regni gubernationem: non enim intelligendum est, eum cum patre rempublicam administrasse, sed voluntate, & nutu patris, regni proceres sacramento, & iureiurando eum, vt legitimum regni hæredem agnouisse.

Sextò quæritur, Qua ratione anni Ioram regis Iuda, colligendi sint. hoc idcirco dubitatur, quia 4. Reg. 1. dicitur; *Ioram frater Ochoziæ regis Israelis, regnare cœpit in Israele anno 2. Ioram regis Iuda*: & tamen 4. Reg. 3. legimus: *Ioram filius Achab cœpit regnare in Israele anno 18. Iosaphat regis Iuda patris Ioram*: qui Iosaphat regnauit in Iuda annis 25. Hebræi hanc repugnantiam ita conciliant, 2. Paral. 21. Iosaphat viuens dedit regnum suum filio suo primogenito Ioram, susceperat enim multos liberos, & orta fuerat inter eos contentio de eo, qui esset in regno successurus: quare Iosaphat, ne post obitum suum, filij inter se de regno certarent, voluit viuens eam litem dirimere: ac proindè filium suum primogenitum Ioram in regem constituit, & hoc fecit anno 17. sui regni. Atque ita, cum dicitur 4. Reg. 1. *Anno 2. Ioram regis Iuda regnare cœpit in Israele Ioram frater Ochoziæ, & filius Achab*: verum est, quia cœperat iam regnare cum Patre suo Iosaphat anno 17. regni patris sui, & ita erat secundus annus Ioram regis Iudæ, videlicet regnantis vnà cum patre suo Iosaphat. Et quod legitur 4. Reg. 3. *Ioram filius Achab regnare cœpit in Israele anno 18. Iosaphat*: est similiter verum, quia Iosaphat regnabat, & regnauit 25. annis: sed anno 17. sui regni sibi adiunxit ad regni gubernacula filium suum primogenitum Ioram, propter contentionem ortam inter filios suos. Et proindè regno 18. regni Iosaphat, qui erat secundus annus Ioram filij sui vnà cum ipso regnantis, ab anno sui regni 17. cœpit regnare in Israele Ioram filius Achab, & frater Ochoziæ sine liberis mortui.

Septimò quæritur, Quo modo summa annorum, quibus Reges Israelis regnasse dicuntur in libris Regum, consentiat cum numero annorum regum Iuda, qui eodem tempore regnauerunt. Nam si numerantur anni regum Iuda à diuisione regni Salomonis, quæ facta est statim primo anno Roboam filij eius, vsque ad annum sextum Ezechiæ regis, quo Samaria capta, euersum est regnum Israelis, efficiunt anni 260. hoc pacto.

Roboam	an. 17.	Ioas	40
Abia	3	Amasius	29
Asa	41	Ozias	52
Iosaphat	25	Ioathan.	16
Ioram	08	Achaz	16
Ochozias	1	Ezechias	06
Athalia	07		

Anno.

Annorum omnium summa 260. vel 261. sed anni Regum Israelis si computentur, efficiunt summam annorum 241. vt colligitur ex libris Regum.

Ieroboam	an.	22
Nadab		02
Baasa		24
Ela		02
Zamri dieb.		07
Amri		12
Achab		22
Ochozias		02
Ioram		12
Iehu		28
Ioachaz		17
Ioas		16
Ieroboam		41
Zacharias mensib.		06
Sellum mense.		01
Manahem		10
Phaceias		02
Phaceias		20
Osee		09

Omnes anni simul collecti, sunt 240. vel 241. cum mensibus septem, quorum annorum summa maior est viginti annis, quàm summa annorum regũ Iuda eodem tempore regnantium.

De hac concordia annorum Regum Israelis, & Regum Iuda scripsit Richardus S. Victoris 2. *part. suorum operum paulò post initium:* scripserunt quoque Hugo S. Victoris, Lyranus, Abulensis: & multis modis conciliant. Hieronymus scripsit ad Vitalem presbyterum his verbis: *Relege omnes veteris testamenti libros, & tantam annorum reperies dissonantiam, & numerum inter Iudam, & Israel, id est, inter Regnũ vtrumque confusum, vt huiusce modi hærere quæstionibus, non tam studiosi, quàm otiosi hominis esse videatur.* Dicendum existimo, aliquot fuisse interregna in Israele, quæ explicata non fuerunt. Nec mirum, interregna fuisse in regno impio, & quod ob factiones, bella ciuilia, & crebras familiarum vicissitudines, & mutationes assiduè perturbabatur. Vel fortassis computãtur solùm anni, quibus aliquis Rex Israelis bene vixit: nam fortassis Zacharias rex regnauit viginti annis, quia tamen sex mensibus bene vixit, dicitur in scriptura regnasse tantum sex mensibus.

Caput LVI.

De Annis qui fluxerunt ab excidio Templi, vsque ad Christi Domini aduentum.

SVpra iam admonui, Temporum scriptores, sextam Mundi ætatem numerare ab euersione Templi, vsque ad Christi Domini aduentum. Sed dubiæ quæstionis est quot annos hæc ætas cõtineat. Ego Eusebium, & veteres scriptores secutus, ei tribuo probabiliter annos 590. vel 589. vel certè 588. pro vt numeros integros, vel incœptos computare consueuimus. Quorum summa annorum ita subducitur: Natus est Christus Dominus Olympiade 194. anno tertio eius. Porrò Cyrus primus Persarum rex cœpit regnare Olympiade 55. anno primo. Ab Olympiade 55. ad Olympiadem 194. sunt Olympiades 140. & conficiunt annos 560. Ab his deme vnum, quia ortus est Dominus anno tertio Olympiadis 195. Remanent igitur anni 559. His adiunge ex 70. annis, per quos Iudæi fuerunt in exilio Babylonico, 31. quoniam Cyrus Babylonem expugnauit Olympiade 55. anno primo, quo anno liberati sunt ex captiuitate Babylonica Iudei, vt secundus liber Paralipomenon, & primus Esdræ tradunt, quod necesse est accidisse anno primo regni Cyri. Simul igitur collecti anni 559. & 31. conficiunt summam annorum 590. vel 589.

Item, summa annorum huius ætatis subduci potest ex annis, quibus Monarchia Chaldæorum permansit; & deinde Monarchia Persarum, postea Græcorum vsque ad Romanorum Imperium.

Chaldæorum Monarchia.

Nabuchodonosor regnauit annis		43. vel 45.
Euilmerodac.	an.	20. vel secundum alios 23.
Niriglassar, qui alio nomine dictus est Reglassar,	an.	4. vel 3.
Labosardaeg, qui alio nomine vocatus est ab alijs Nabonidus siue Nebrindus.	an.	7. vel 6.
Balthassar secundum Hebræos, Nabuchodonosoris nepos ex filio.	an.	3. vel secundum alios 10.
Summa horum annorum secundum Hebræos, continet annos		70

De hac Chaldæorum Monarchia,

Primò quæritur, quomodo intelligatur, quod prædixit Hieremias cap. 27. seruituras omnes gẽtes Nabuchodonosor, & filio eius, & filio filij eius: videtur enim ex his verbis colligi, duraturum Imperium Nabuchodonosor tantummodo vsq; ad tertiam generationem eius, videlicet vsq; ad nepotẽ ex ipsius filio; cum tamen omnes Temporum scriptores cõstituant plures Reges quàm tres in Chaldæorum Monarchia. quare meritò quæritur, quot Reges in hac Monarchia imperauerint. Est Iudæorum opinio, tres tantùm in ea Reges imperasse, scilicet Nabuchodonosor, deinde Euilmerodac filium eius, & vltimum Balthassar filium Euilmerodac. Hæc opinio retinet quidem Hieremiæ vaticinium; sed pugnat cum communi sententia Scriptorum, qui plures Reges Babyloniorum recensent.

Berosus, & Megasthenes apud Iosephum Reges Chaldæorum enumerat sic: primum quidem Nabuchodonosor; secundum, Euilmerodac; tertium Niriglassar; quartum, Labosardac; quintũ, Nabonidum. Eosdem Reges commemorant Polyhistor, & Alphęus apud Eusebium, *lib. 10. de Præparat. Euang. ca. vlt.* *Ios. libr. 10. Antiq. ca. 13. & li. 1. con. Appionem.*

Est tertia opinio aliorum, enumerantium Reges Chaldæorum ad hunc modum: Primò Nabuchodonosor seniorem: Secundo Nabuchodonosor iuniorem Tertio, Euilmerodac: Quarto, Reglasar: Quinto, Nabosardac: Sexto Balthasar, ita recensent eos Auctor Historiæ scholasticæ. Profectò quamcumque opinionem sequamur, prædictum Hieremiæ vaticinium tueri, & seruare debemus; quare si dixerimus fuisse plures reges, quàm tres Chaldæorum, fatendum erit, tres tantũ fuisse veros, & legitimos reges, videlicet Nabucho-

buchodonosor, Euilmerodac filiũ eius, Balthasar nepotem ex filio; cæteros verò, quos alij recensent, puta, Niriglassar, Reglassar, & Labosardac per tyrannidem siue tumultus in ea gente concitatos regnum occupasse, & tandem è regno expulsos fuisse, & Balthasar filium Euilmerodac, & nepotem Nabuchodonosoris auitum paternumque regnum recuperasse. Itaque iuxta Hieremiæ vaticinium, in Babylone tres reges fuerunt, veri nempe, & legitimi. Nabuchodonosor, Euilmerodac filius, & Balthasar filius Euilmerodac: cui, Tyrânis eiectis, auitum regnum est restitutũ. Daniel. 5. Nabuchodonosor dicitur pater Balthasaris, hoc est, auus.

Secundò quæritur, Quãdiu steterit Chaldæorũ Monarchia? Tres quatuorue sunt scriptorum sententiæ, vna est Iudæorum, annos sic enumerantiũ.

Nabuchodonosor regnauit annis		45
Euilmerodac.	an.	23
Balthasar.	an.	3

Qui omnes anni cõficiunt summam annorum integrorum 70. minimè completam: & hos annos dicunt Iudæi fuisse annos captiuitatis Babylonicæ: quam annorum summam inchoant à primo anno Nabuchodonosor, qui fuit tertius annus Ioacim regis Iuda, qui captiuus abductus est Babylonem vnà cum Daniele, & tribus pueris, & socijs, & alijs. Secunda est opinio Genebrardi in Chronico numerantis reges Chaldææ Monarchiæ, hoc ordine:

Nabuchodonosor regnauit annis		45
Euilmerodac,	an.	23
Balthasar	an.	10.

Qui omnes summam efficiunt annorum 78

Et quia putat Genebrardus Iudæorum captiuitatem cœpisse anno octauo regni Nabuchodonosor, quando Iechonias vnà cum matre, & popularibus captiuis in Babylonem abductus est; & terminari anno primo Cyri regis Persarum, detractis octo annis ex annis Nabuchodonosoris, quibus ante captiuitatem regnauerat: cæteros 70. qui restant, attribuit captiuitati iam dictæ. Tertia opinio est recentiorum, quam sequuntur Ioannes Lucidus, Annius, Scultetus, & alij, qui annos ita recensent.

Nabuchodonosor regnauit annis		45
Euilmerodac	an.	30
Reglasar	an.	3
Labosardac	an.	6
Balthasar.	an.	5

Qui quidem omnes anni conficiunt summam 89. annorum. Hi nimirum auctores putant Iudaicam captiuitatẽ cœpisse anno 11. Sedechiæ regis Iuda, cum fuit templum incensum à Chaldæis, & Hierosolyma deuastata, & finiri in anno 1. Cyri regis Persarum, cuius edicto Iudæi captiuitate soluti, & liberi in patriam redierunt. Et quia annus 11. Sedechiæ incidit in annum 19. Nabuchodonosoris, ideo si ab annis 89. demantur 19. supersunt 70. anni captiuitatis.

Sulpitius lib. 2. sacræ historiæ, prædictos reges numerat hoc modo:

Nabuchodonosor regnauit annis		26
Euilmerodac	an.	12
Balthasar	an.	14
Post quem regnauit Darius Medus	an.	18

Qui omnes efficiunt summam annorum 70. vsq. ad primum annum Cyri regis Persarum, qui Babylonijs imperauit vsque ad Darium Medum, & captiuitatem Iudæorum soluit. Numerat Sulpitius annos captiuitatis ab anno 19. Nabuchodonosoris, qui fuit vltimus Sedechię regis Iudæ, vsque ad primum annum Cyri regis Persarum.

Berosus, & Megasthenes apud Iosephum li. 10. Antiquitatum ca. 13. Regum Chaldæorum annos ita recensent.

Nabuchodonosor imperauit annis		43
Euilmerodac.	an.	18.
Niriglasar.	an.	4.
Labosardac.	mensib.	9.
Nabonidus alio nomine dictus Balthasar.	an.	17

Qui omnes anni cõficiunt summam annorum 72. Atque hæc opinio mihi magis probatur, quia auctoritate Berosi, Megasthenis, Iosephi, & Hieronymi confirmatur. Quare, iuxta communem omnium sententiam dicendum est, Nabuchodonosor regnasse annis 45. qui etiam colligi videntur ex sacris literis. Nam à transmigratione Iechoniæ vsque ad primum annum Euilmerodac, effluxerunt anni 37. quia 4. Reg. 25. & Hierem. 52. dicitur iussu Euilmerodac ipso anno, quo regnare cœperat, qui fuit 37. transmigrationis Iechoniæ, eductum esse Iechoniam ex carcere: ergo imperium Nabuchodonosoris durauit vsque ad annum 37. transmigrationis Iechoniæ. Sed annus, quo Iechonias est in Babylonem captiuus abductus, erat annus octauus Nabuchodonosoris: ergo Nabuchodonosor regnauit annis 45.

Nec obstat quod Berosus, & Megasthenes apud Iosephum dicunt Nabuchodonosorem regnasse annis 43. nam intelligunt annos integros, & omni ex parte completos 43. Scriptura verò memorat annos tantùm inchoatos 45. Iosephus itaque annos captiuitatis numerat ab octauo anno Nabuchodonosoris, quando Iechoniam captiuum abduxit in Babylonem, vnà cum matre & popularibus, & sic computat annos 70. captiuitatis, vsque ad Cyrum regem Persarum, qui bello Babylonem cepit: non quidem anno primo sui regni, sed post aliquot in regno Persarũ annos exactos. Et cum in scripturis dicitur, solutam esse Iudæorum captiuitatem anno primo Cyri regis: intelligitur anno primo, quo cœperat in Babylone regnare.

Tertiò quæritur, Quis nam rex ille fuerit Darius Medus, qui in Babylone regnasse fertur Daniel. 5. 6. 9. & 11. Balthassare interfecto. De hoc Dario Medo, nihil legitur apud profanos scriptores. Communis est opinio, qui de Temporibus scripserunt, eum fuisse auunculum Cyri primi Persarum regis, Astyagis nempe vltimi Medorum regis filium, & fratrem Mandanes matris Cyri: quam opinionem primus videtur inuexisse Iosephus *libr. decimo Antiq. capit. tertio.* Quidam alij censent, Darium Medum fuisse eum, quem Berosus & Megasthenes apud Iosephum *libro decimo Antiquit. capit. decimotertio, & libro primo, contra Apionem*, appellant Nabonidum, vltimum Chaldæorum regem. Sulpitius *libro 2. sacræ historiæ*, censet esse Darium ex genere Medorum, qui ante Cyrum occiderit Balthasarem,

& tamu-

& familiã Nabuchodonosoris regno Chaldæorum depulerit, & sibi regnum illud vsurpauerit. Sed non est cur opinionem communem suo loco moueamus. Fuit ergo Darius Medus auunculus Cyri, qui vna cum ipso Cyro Persa, Balthasaro vltimo Chaldæorum rege deuicto & occiso Babylonem cepit. At inquies, si Cyrus & Darius Babyloniam ceperunt, cur Daniel scribit, Darium succesisse Balthasari? quo modo item apud Danielem dicitur Darius ante Cyrum regnasse, & Cyrus post ipsum? Quo modo etiam Darius auctoritate regia omnia constituere & decernere videtur? Respondeo, Cyrum quamuis alioqui regem Persarum, Dario auunculo suo, & seni (erat enim annos natus sexaginta duos, vt legitur apud Daniel. 5. ad finem) auctoritatis honorem detulisse. Vt verissimum sit, quod dictum est Balthasari: *Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis*: fuit enim reuera datum Dario Medo, & Cyro Persæ: & Dario interfecto, remansit solus Cyrus in regno Chaldæorum, qui vna cum Dario illud bello ceperat.

Quarto quæritur, Quomodo historia profana, cum sacra historia in hac parte conueniat? Nam apud Danielem legimus, eadem nocte, qua est Babylon capta à Medis & Persis, splendidum & magnificum conuiuium Balthasarem Babylonis regem egisse; & tamen profani Scriptores literis prodiderunt, Cyrum vrbem Babylonem obsedisse, & Euphratem fluuium magnum in multos alueos diuisisse, vt commodè milites armati, hostili impetu Babylonios inuaderent, & vrbem ipsam caperent: quod sanè fieri nequiuit, nisi multo labore, opera, & longo tempore. Respondeo: quamuis Babylon obsideretur ab hostibus, nihilominus Balthasarem Chaldæorum regem putauisse, se in tuto esse, nec periculi suspicionem habuisse: vt mirum non sit, si tam splendidum, & magnificum conuiuium celebrarit. Et Herodotus *libro 1.* & Xenophon *libro 7.* testantur, eo die, quo capta est Babylon à Cyro rege Persarum, Babylonios diem festum egisse publicis ludis, saltationibus & conuiuijs, & totam eam noctem in maximo luxu & intemperantia transegisse, & ideò illum diem esse à Cyro electum, vt illam spoliarent ac diriperent. Balthasar etiam rex vrbem Babylonem nequaquam expugnari posse credebat, quippè quæ erat munitissima, & quæ hostes vndequaque ab ingressu prohibebat, eo quod eam flumen Euphrates interflueret. Præterea, fieri potuit, vt hostes quasi longæ obsidionis tædio defessi, fingerent se soluta obsidione decedere, & Balthasar putaret eos reuera recessisse, & ob id quasi è tanto periculo liberum, conuiuium celebrasse.

Persarum Monarchia.

1	Cyrus regnauit annis	30.
2	Cambyses annis	8. vel 9.
3	Magi fratres,	7. mensibus.
4	Darius Hystaspis filius, annis	36.
5	Xerxes, vel Xerses annis	24. vel 20.
6	Artabanus.	mens. 7. vel dieb. 7.
7	Artaxerxes, vel Artaxerses Longimanus, annis	40.
8	Xerxes, vel Xerses II.	mensibus 2.
9	Sogdianus.	mensibus 8.
10	Darius Nothus, annis	19
11	Artaxerxes, vel Artaxerses Mnemon, annis	43. vel 40.
12	Ochus, annis	23. vel 26.
13	Arses Ochi filius, annis	3. vel 4.
14	Darius Codomanus, annis	6. vel 4.

Durauit igitur Monarchia Persarum penes 14. reges Persicos: secundum aliquos annis 228. vel 230. vel 250. Hi anni ponuntur ab Eusebio, Beda, Adone, Mariano, Orhone Vrspergensi, quos acceperunt ex Herodoto, Trogo, Diodoro, Iustino.

De hac Persarum Monarchia,

Primò quæritur, Quot reges Persarum fuerint? Ioan. Annius, quem multi iuniores secuti sunt ex fictis ac supputitijs auctoribus, Metasthene, & Philone, octo tantùm Persarum reges enumerat, hoc ordine: Primum, Cyrum, & Darium Medum simul; secundum Artaxersem priscum, dictum Assuerum, filium Darij; tertium, Cyrum Artabanum, & Darium Longimanum; quartum, Darium Nothum; quintum, Artaxersem magnum, siue Darium Mnemonem; sextum, Artaxersem Ochum; septimum, Arsem; octauum, Darium Codomanum. Sed hos reges hoc ordine recenset Annius, vt literas sacras, in quibus fit mentio de regibus Persarum, suo sensu explicaret. Iudæi quatuor tantùm reges Persarum constituunt, eo quod Daniel. 11. legitur: *Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimijs super omnes. Et cum inualuerit diuitijs suis, concitabit omnes aduersus regnum Græciæ. Surget verò rex fortis & dominabitur, & faciet quod placuerit ei.* Sed reuera ex Daniele colligi certo non potest tantùm fuisse quatuor reges Persarum; quoniam Daniel eo in loco solum prædixit reges Persarum, qui futuri erant insignes proximè post Darium Medum, vsque ad Xersem, qui erat totam Græciam ingenti militum copia perturbaturus: & deinde subito Daniel, prætermissis alijs regibus Persarum, conuertit sermonem ad Alexandrum Magnum.

Vera igitur sententia est communis Græcorum & Latinorum historicorum, à Cyro primo rege Persarum, vsque ad Darium Codomanũ victum ab Alexandro, fuisse quatuordecim reges Persarum, eo ordine, quem supra posuimus: quamuis quidam eorum fortassis per tyrannidem, & bellicos tumultus regnum occupauerint.

Secundò quæritur, Quot annis regnum Persarum durauerit. Iudæi censent vno anno & quinquaginta durasse: Genebrardus 171. Ioannes Lucidus, Annius, & alij, 191. Hi omnes eo vno argumento mouentur, quod Nehemias 1. Esdræ capit. 12. numerat omnes Pontifices Iudæorum, à Iosua captiuitate Babylonica, vsque ad Iaddum Pontificem, qui obuiam Alexandro Magno venienti Hierosolymam processit. Sed illi Pontifices, qui eo capite numerantur, cum pauci fuerint, longum tempus non excesserunt. Item, Nehemias, qui eos Pontifices numerauit, viuere ad longum tempus non potuit, cum ex his fuerit, qui ex captiuitate Babylonica redierunt. Cete-

rum communis est omnium Historicorum Græcorum, & Latinorum opinio, durasse Persarum imperium annis 224. vel 228. vel 239. nam Cyrus regnare cœpit Olympiade 55. anno primo, & Alexander Magnus, qui Persarum Imperium euertit, fertur cœpisse regnare, teste Diodoro *libr.17.* Olymp.CXI. anno primo.

Fluxerunt igitur à Cyro vsque ad Alexandrum Magnum, Olympiades 56. quæ efficiunt summam annorum 224. quibus si addideris quatuor vel sex annos alios Alexandri Magni, vsque ad victoriam quam adeptus est Dario vltimo rege Persarum deuicto, conficies annos 228. vel 230.

Tertiò quæritur, Quis rex Persarum fuerit is, de quo dicitur 1. Esdræ capit. 4. numer. 6. & 7. *In regno autem Assueri, in principio regni eius, scripserunt accusationem aduersus habitatores Iudæ, & Hierusalem.* Sulpitius. *libr.* 2. putat fuisse Artaxerxem Longimanum. Sed respondeo cum communi omnium historicorum sententia, quam habet Iosephus *libro 11. Antiquitatum capite 22.* & Eusebius *in Chronico*, eum regem fuisse Cambysem Cyri filium. Nam Esdras eo capite postquam dixit, Iudæis, Cyrum dedisse facultatem redeundi in patriam, & reædificandi templum, & ea accepta facultate, Iudæos redijsse, & cœpisse Templi ædificationem, sed postea opus fuisse impeditum per terræ incolas; subiungit, impeditum fuisse opus omnibus diebus Cyri regis Persarum, & vsque ad regnum Darij item regis Persarum. Et mox subijcit: *In regno autem Assueri,* & quæ sequuntur, quibus verbis Esdras reddit causam, impeditæ ædificationis Templi vsque ad Darium: Quia in regno, inquit Assueri, in principio regni eius scripserunt accusationem aduersus habitatores Iudæ & Hierusalē. Ergo is rex Assuerus, fuit Cambyses, qui patri suo Cyro in regno successit.

Quartò quæritur, Quis rex Persarum fuerit Artaxerxes, de quo 1. Eldræ cap. 4. numer. 7. legimus: *Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam Mithridates, & Tabeel & reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum.* Sulpitius *libro* 2. credit fuisse Artaxerxem Longimanum. Est communis opinio, eum regem, fuisse eundem Cambysem, filium Cyri, quem Esdras Iudæorum more Assuerum ante vocauerat; postea nomine Persico Artaxersem nominat. Nam eo loco Esdras sermonem continuat, & primum generatim dixit: *In principio regni Assueri, terræ incolæ* (videlicet Samaritæ Iudæis infensi) *scripserunt accusationem.* Et mox speciatim. *Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam, &c.* vbi particula, &, more Hebraico causam significat; quasi diceret Esdras: nam à diebus eiusdem regis Assueri, quem Persæ Artaxerxem vocare consueuerunt, scripserunt Beselam, & reliqui.

Quintò quæritur, Quis rex Persarum fuerit Darius ille, cuius meminit Esdras *cap.4. libri primi. num.6.* & 24. quibus in locis ait, impeditam esse ædificationem Templi vsq; ad regnum Darij regis Persarum, scilicet, vt ibi dicitur, vsque ad annum secundum regni eius. Sulpitius *libr.2. historiæ sacræ*, putat esse Darium Nothum, qui regnauit in Perside inter duos Artaxerxes, Longimanum, & Mnemonem. Sed communis & vera sententia est, fuisse Darium Hystaspis filium, qui Cambysi, & duobus fratribus cognomento Magis successit. Et idem Darius est, cuius meminit Esdras *cap.5. num.8. & capite sexto, num.1. & 13.*

Sextò quæritur, Qui reges Persarum fuerint Darius, & Artaxerxes, de quibus dicit Esdras cap. 6. num.14. *Et ædificauerunt & construxerunt, iubente Deo Israël, & iubente Cyro & Dario & Artaxerxe regibus Persarum, & compleuerunt domum Dei vsque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus Darij regis.* Sulpitius *libro 2. sacræ historiæ*, censet fuisse Darium Nothum, & Artaxerxem Mnemonem, & anno sexto Darij esse templum completum, postea verò tempore Artaxerxis Mnemonis ornatum, partes, & porticus templi Iudæos perfeciisse. Quidam putant, eo loco Esdram non posuisse tres reges, sed duos illos, Cyrum & Darium Hystaspis filium. Eiusque loci sensum esse: Iubente Cyro & Dario, & Artaxerxe; qui alio scilicet nomine dicitur Artaxerxes. Canus *libr.11. de locis Theologicis ca.5.* vndecimæ obiectioni respondens, probat sententiam eorum, qui dicunt codices eo loco esse corruptos, & additum esse culpa Scriptorum (& Artaxerxe) sed id verisimile non est. Alij sentiunt fuisse Darium Medum, & Darium Hystaspis filium, & sententiam esse: Aedificauerunt iubente Cyro, & Dario Medo, & Artaxerxe, hoc est, Dario Hystaspis filio. Verùm ea communis opinio meritò probatur, vtpotè admodum veritati consentanea, esse Darium filium Hystaspis, & Xerxem filium eius, quem Esdras Artaxerxem vocat, aut saltem Artaxersem Longimanum: nam hic Longimanus, aut Xerses pater eius, dedit facultatem Nehemiæ, vt vrbem repararet: sicut Cyrus & Darius Hystaspis dederant facultatem, vt reædificaretur templum.

At inquies, 1. Esdræ 6. dicitur, *Templum esse ædificatum iubente Cyro & Dario & Artaxerse regibus Persarum*: at Xerses filius Darij, non dedit facultatem templum ædificandi. nam 1. Esdræ 6. numer. 15. absoluta est & perfecta Templi ædificatio anno sexto Darij: sed post Darium regnauit Xerxes, & post Xerxem Artaxerses Longimanus. Ad hoc dubium respondent quidam, tempore Darij templum fuisse completum, tempore verò Artaxerxis Longimani additum templi ornatum, vna cum portis & porticibus; aut saltem hęc addita esse Templo sub Xerxe filio Darij Hystaspis, & patre Longimani. Aliorum est sententia, quam ego magis probo, verba Esdræ referri ad totam ædificationem Templi & vrbis. Sic enim ibi est: *Et ædificauerunt, & construxerunt, iubente Deo Israël, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe regibus Persarum; & compleuerunt domum Dei vsque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus Darij regis.* Quorum verborum sententia est, ædificasse Iudæos, Templum scilicet & vrbem, iussu trium regum, Cyri, Darij Hystaspis filij, & Xerxis vel filij eius Artaxerxis Longimani; ac Templi ędificationem perfeciisse anno sexto Darij regis.

Quintò quæritur, Quis rex Persarum fuerit is, qui primo Esdræ 7. dicitur Artaxerxes, cuius iussu & auctoritate Esdras Hierosolymam rediit? Respondeo cum communi omnium sententia,

fuisse

fuisse Artaxersem Longimanum, qui in Persida post Darium Hystaspis filium, & Xersem regnauit. Vel respondeo cum Iosepho, fuisse Xersem filium Darij Hystaspis, & patrem Artaxerxis Longimani.

Sextò quæritur, Quis ille fuerit Artaxerxes, cuius iussu 2. *Esdr.* 2. Nehemias Hierosolymam venit, & vrbem reparauit? Sulpitius *libro 2. historiæ*, putat fuisse Artaxerxem Mnemonem, qui Dario Notho successit. Sed communis opinio est, eum fuisse Artaxerxem Longimanum, qui 1. *Esdr.* 7. facultatem dedit Esdræ, vt legis doctrinam restitueret, & postea anno vigesimo concessit Nehemiæ, vt vrbem restauraret. Quamquam probabile est, fuisse Xerxem filium Darij Hystaspis, & patrem ipsius Longimani, vt ait Iosephus *libr. 11. Antiqu. cap. 5.*

Septimò quæritur, Quis Darius fuerit ille, de quo legimus 2. Esdræ 12. Nume. 22. *Leuitæ in diebus Eliasib, & Ioiada, & Ioannam, & Ieddoa, scripti principes familiarum, & sacerdotes in regno Darij Persæ.* Sulpitius *libr. histor.* opinatur esse Darium Nothum. Alij verò contendunt esse Darium vltimum Persarum regem, Codomanum appellatum, quem bello vicit Alexander, eo quod memorantur eo in loco Summi Sacerdotes, vsque ad Iaddum. Sed hic est, qui obuiam processit Alexandro Hierosolymam venienti. Probabilius est eum regem fuisse Darium Hystaspis filium, qui regnauit in Persida ante duos Artaxerses, Longimanum, & Mnemonem, & ante Xerxem patrem Longimani: & Esdras eo loco per anticipationē numerat aliquos summos Sacerdotes, qui post Darium prædictum pontificatum tenuerunt.

Octauò quæritur, Quis Darius fuerit, qui memoratur 1. Esdræ 5. & 6. Aggæi 1. & 2. & Zachariæ 1. & 7. Sulpitius opinatur esse Darium Nothum, qui inter Artaxersem Longimanum, & Artaxersem Mnemonem Persis imperauit. Sed communis est omnium sententia, esse Darium Hystaspis filium, cuius anno sexto absoluta est Templi ædificatio 1. Esdr. 6.

Nonò quæritur, Quis rex fuerit Assuerus, sub quo accidit historia in libro Esther commemorata. Canus *libro 11. de locis Theolog. cap. 5. ad 9. argument.* & quidam alij in Chronologijs opinantur esse Darium Medum auunculum Cyri, qui vnà cum ipso Cyro imperium Babyloniorum euertit; vel Astyagem auum Cyri regem Medorum, vel Cyaxarem regem Medorum patrem Astyagis. Aiunt enim Astyagem Medorum regem, Balthasare interfecto, Babyloniorum imperium occupasse; cui postea Cyrus & Mediæ, & Babyloniæ regnum ademit.

Hæc tamen alijs sententia non placet, quia Esther 16. dicitur fuisse hic rex Assuerus de genere Persarum. Iudæi putant esse Cambysem filium Cyri, eo quod 1. Esd. 4. Cambyses, Assuerus appellatur: Et quia Cambyses fuit Iudæis maximè infestus. Et hi, & primi Auctores illi probant sententiam suam inde, quòd Mardochæus fuit ex numero captiuorum, qui sunt Babylonem abducti, ergo non potuit viuere vltra ætatem Darij Medi, vel Cambysis, aut saltem in tam prouecta ætate non potuit gerere, quę in prædicto Esther libro referuntur. Sunt qui sentiant, fuisse Darium filium Hystaspis. Genebrardus in Chronologia vult esse Xerxem filium Darij, quintum regem Persarum. Eusebius *in Chronico*, & Beda *in libello de sex ætatibus mundi*, dicunt fuisse Artaxerxem Mnemonem. Idem quoque censet Sulpitius *libr. 2. historiæ sacræ*: ex eo argumētantes, quòd alioqui Esdras de ea historia mentionem fecisset. Sed ego probabilius puto esse quod Iosephus *libro 11. Antiquitatum capit. 6.* & alij opinantur, fuisse Artaxersem Longimanum, quem Iudæi Assuerum appellarunt: quemadmodum etiam 1. Esdr. 4. Cambysem etiam Assuerum vocabant. Et in eodem libro Esther *cap. 11. 12. 13. & 16.* Artaxerxes, nomine scilicet Persico vocatur. At dices, Esther 11. Mardochæus dicitur fuisse de numero captiuorum, quos transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis de Hierusalem cū Iechonia rege Iudæ, ergo Mardochæus non potuit peruenire ad tempus Artaxersis Longimani, aut certè in tam prouecta ætate non ea gessit, quę in libro Esther memorantur. Respondeo, Mardochæum dici de numero captiuorum, qui fuerunt in Babylonem translati, quia genus duxit ex ijs parentibus, qui fuerant in Babylonem captiui abducti, & genitus fuerat in ipsa captiuitate.

Decimò quæritur, Quo modo intelligatur, quod Iudæi dixerunt Christo Domino, Ioann. 2. *Quadraginta duobus annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* hoc enim cum historia parū videtur conuenire. Etenim anno secundo Cyri regis Persarum cœpta est Templi ædificatio, & impedita toto tempore Cambysis regis, & resumpta secundo anno Darij Hystaspis filij, & completa anno sexto eiusdem; sed vsque ad sextum annum Darij non fluxerunt anni quadraginta sex.

Plerique respondent, falsos fuisse Iudæos historiæ ignoratione, cum inter annum, quo, Cyro iubente, cœpit Templum ædificari, & sextum annum Darij, quo perfectum est, intercedere nō potuerint, nisi septemdecim, vel nouemdecim, aut viginti anni. Alij verò, annos quadraginta sex sic enumerant. Anno primo vel secundo Cyri cœpta est ædificatio, & viginti annis, aut eò amplius Cyrus regnauit; post Cyrum imperauit viginti annis Cambyses dictus Assuerus 1. Esdr. 4. cuius, vtpotè Iudæis infensi, toto tempore, interrupta est Templi ædificatio, & deinde Darius Hystaspis filius successit, cuius sexto anno completum est Templum. Verùm huic sententiæ plurimum obstat, quod habet communis opinio, Cambysem octo tantùm annis regnasse. Alij tribuunt Cyro 30. annos, Cambysi 9. duobus fratribus cognomento Magis, vnum annum, & sex Dario, qui efficiunt 46. annos. Alij opinantur, in primis Herodem templum non ædificasse, sed illud, quod post captiuitatem Babylonicam extructum fuit, exornasse & amplificasse, & id operis absoluisse nouem annis, vt tradit Iosephus *libro 15. Antiquitatum, capit. 14.* Hoc posito, anni 46. colliguntur in hunc modum. Anni octo, quibus Cambyses opus ædificationis impedierat, & anni sex Darij Hystaspis filij, in quibus templum est completum, & anni nouem, quibus Herodes rex templum exornauit, & amplificauit, efficiunt annos viginti tres, &

deinde

deindè si ex annis Cyri regis Persarum sumantur alij viginti tres, colliguntur anni 46. nam Cyrus 30. annis regnauit, & septimo sui regni anno Babylonem cœpit, Iudæos captiuitate soluit, facultatem dedit, vt templum reædificarent. Sed deindè cœptæ ædificationis prosecutionem prohibuit ob accusationem aduersus Iudæos factam. Alijs hoc non placet, quia non videtur verisimile, tot annis viuente Cyro, interruptam fuisse ædificationem Templi, & Iudæos non institisse apud eundem Cyrum, cui grati fuerunt, vti consummaretur intermissa Templi ædificatio; alioqui haud dubiè impetraturos. Sed incertum est, an reuera Iudæi id præstiterint, ac curauerint, & nihil obtinuerint, calumniantibus eos apud Cyrum Samaritis. Alij respondent, post cœptam ædificationem iussu Cyri, vnum aut alterum annum Cyrum vixisse, & regnasse Cambysem octo annis, & deindè sexto anno Darij completam fuisse ædificationem Templi, & eam postea Herodem ornasse & amplificasse, triginta annis. Qui omnes anni in vnum collecti, efficiunt quadraginta sex. Sed horum sententia pugnat omnino cum sententia Iosephi, loco citato asserentis, Herodem regem totum opus perfecisse nouem annis. Profectò incerta sunt hæc omnia, & dubia. In primis certum est, Iudæos locutos fuisse, non de Templo quod Salomon ædificauit, quod septem annis compleuit, *libr. 3. Reg. cap. 6.* & postea dirutum est à Chaldæis. Constat igitur Iudæos fuisse locutos de Templo, quod post captiuitatem Babylonicam ædificatum est, & perstitit vsque ad Christi Domini tempus: illud enim Herodes non diruit, sed vndique ornauit & amplificauit. Secundò, inter omnes conuenit, Iudæos noluisse significare, Templum esse ædificatum quadraginta sex annis continuis: nec enim hoc dicere potuerunt, sed à tempore cœptę ædificationis, vsque ad consummationem eiusdem, sex & quadraginta annos fluxisse, quia intermedio tempore cessatum fuit ab ædificatione. Tertiò, mihi etiam probabiliter dici posse videtur, hos 46. annos posse intelligi etiam de ijs annis, quibus Herodes rex templum ornauit, & amplificauit: quoniam licet 1. Esdr. 6. Legamus completum esse Templum anno sexto Darij regis, id intelligitur fuisse completum, videlicet in ea magnitudine, quam tunc temporis Persarum reges eis permiserunt: quam magnitudinem Herodes postea ampliorem, ornatioremque reddidit. Fortassis Iudæi numerarunt 30. annos Cyri, & 9. Cambysis, & vnum duorum fratrum, qui dicti sunt Magi, & 6. Darij, qui conficiunt quadraginta sex annos.

Vndecimò quæritur, vnde nam incipiant computari anni septuaginta captiuitatis Babylonicæ, & vbi nam terminentur? Omissis alijs opinionibus, duæ sunt, eæque celebriores; vna asserentium, eos annos inchoandos esse ab anno vltimo Sedechiæ regis Iudæ, qui fuit annus vndecimus regni eius, & annus decimus nonus regis Nabuchodonosor, & finiri in anno secundo Darij filij Hystaspis. Ita sensit Clemens, Eusebius, Hieronymus, Theodoretus, Augustinus, Cyrillus, Beda, Sulpitius, & alij. Quòd finiantur in anno secundo Darij, inde probant, quia Zachar. 1. legimus, anno secundo Darij Angelum dixisse: *Iste est annus septuagesimus.* Et capite 7. *Cum plangeretis per hos septuaginta annos.* Eos verò annos computandos ab anno vndecimo Sedechiæ, probant ex verbis Hieremiæ 25. vbi legimus, Terram futuram in solitudinem, & in stuporem septuaginta annis; sed non cœpit esse deserta, nisi ab anno vltimo Sedechiæ, quo anno Chaldæi Templum & vrbem Hierosolymam incenderunt, & reliquias Iudæorum transtulerunt. Item 2. Paralipom. vltim. legimus terram Israëlis Sabbatum egisse septuaginta annis, id est, quieuisse, iam videlicet in desertũ & in solitudinem redactam: at hoc non contigit nisi ab vltimo anno Sedechiæ.

Altera est opinio dicentium, annos septuaginta captiuitatis initium sumere ab eo anno, quo Iechonias vna cum matre & popularibus captiuus abductus est Babylonem, qui octauus fuit annus regni Nahuchodonosor, & desinere in primo anno Cyri regis Persarum, qui primo anno sui regni Babylonem cœpit, & Iudaicam captiuitatem laxauit. Quòd finiantur primo anno Cyri, probant ex eo, quod legimus Hierem. 29. *Cum compleri cœperint in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & reducam vos ad locum istum.* & 2. Paralip. 36. & 1. Esdræ 1. & Daniel. 9. dicitur Hieremiæ vaticinium completum primo anno Cyri regis Persarum. Item Matth. 1. distinguuntur quatuordecim generationes ante transmigrationem, ab alijs quatuordecim generationibus post trãsmigrationem, & numeratur transmigratio à prædicto anno octauo Iechoniæ. Desisse autem septuaginta annos captiuitatis in primo anno Cyri probant, quia id planè dicitur in 2. Paralip. 36. & 1. Esdr. 1.

Animaduertendum est, quatuor clades accepisse Iudæos à Chaldæis, ex quo cœpit in Chaldæa regnare Nabuchodonosor: duas quidem sub rege Ioacim, tertiam sub Ioachin, siue Iechonia, quartam sub Sedechia. Anno quarto regis Ioacim, vt dicitur Hierem. 25. Nabuchodonosor, qui vt habetur eodem capite 25. & 46. Hieremiæ, tunc primum in Chaldæa regnare cœperat, venit ad Euphratem bellum illaturus Nechao regi Aegypti, cui tunc Syria parebat. Sed Nechao bello victus abscessit; quare Nabuchodonosor traiecto Euphrate sibi Syriam subegit, præter Iudæam: inde tamen exercitu reducto in Iudæam, Ioachimum regem cœpit, & captiuum in Babylonem abduxit, vna cum Daniele, & tribus pueris socijs, & eum tribus annis detinuit, & postea cum eo conuenit, vt sibi tributum penderet, & ita eum domum suam remisit: quod tributum Ioacim soluit tribus annis. Quibus transactis cum videret Nabuchodonosor Ioacim amicitia regis Aegypti suffultum, sibi tributum denegare, rediit Hierosolymam, & iterum cœpit Ioacimum, & occidit eum. Et hæc fuit secunda clades Iudæorum. De prima clade Danielis 1. legitur: *Anno tertio regis Ioacim,* &c. & 2. Paralip. vltim. *Contra hunc ascendit Nabuchodonosor, & vinctum eum duxit in Babylonem, & vasa Domini transtulit.* Et 4. Reg. 24. *In diebus Ioacim Nabuchodonosor rex ascendit, & factus est ei Ioacim seruus tribus annis.* De nece Ioacim, & secunda clade Iudæorum, Hieremiæ 22. legi-

Quos citat Canus l. 11. de loc. Theolog. c. 5. ad 9. argum.

mus:

inuis: *Hæc dicit Dominus ad Ioacim*, &c. & mox: *Sed asini sepultura sepelietur: & cùm computruerit, proijcietur extra portam Hierosolymorum*. Et cap. 36. *Non erit ex eo qui sedeat super solium Dauid: & cadauer eius proijcietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem*. A prima clade Iudæorum accepta primo anno Nabuchodonosoris, quidam incipiunt numerare annos captiuitatis vsque ad primum annum Cyri, hunc videlicet in modum. Numerant, quadraginta quinque annos Nabuchodonosoris, viginti tres Euilmerodac filij eius, tres Balthasaris nepotis ex filio: qui omnes anni efficiunt annos septuaginta. Cyrus cœpit Babylonem Balthasare interfecto. At inquies, quomodo dicitur Daniel. 1. primâ clade Iudæorum fuisse anno tertio regis Ioacim, & Hierem 25. anno quarto? Respondeo, Hieremiam loqui de anno quarto tantùm inchoato, Danielem verò de anno tertio completo, Alij incipiunt numerare annos captiuitatis à secunda clade Iudæorum accepta vltimo anno Ioacim, qui fuit octauus annus Nabuchodonosoris: & terminant annos captiuitatis in primo anno Cyri. Tertia clades Iudæorum accidit, sub rege Ioacim, siue Iechonia filio Ioacim, qui fecit malum in conspectu Domini, & quia suspicionem dedit, ne aliquando necem patris sui Ioacim vlcisci veller, Nabuchodonosor post tertium mensem à nece Ioacim, exercitum Hierosolymam reduxit, & cœpit ipsum Iechoniam, & captiuum, vnà cum matre & popularibus Babylonem abduxit. De hac clade legimus Hierem. 22. *Viuo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias*, &c. & 4. Reg. ca. 24. *In tempore illo ascenderunt*, & reliqua. & 2. Paralip. cap. vlt. *Regnauit Ioachim filius pro patre Ioacim*, & quę sequuntur. Hac transmigratione Ezechiel Propheta Babylonem abductus est. Vnde ipse ait primo capite: *Quinto anno transmigrationis regis Ioachin*, & reliqua. Et capite 40. *In vigesimoquinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quartodecimo anno, postquam percussa est ciuitas*. Ab hac igitur transmigratione opinio secunda, quam supra memorauimus, inchoat annos captiuitatis, & terminat eos in anno primo Cyri regis Persarum, quarta clades Iudęorum fuit sub Sedechia rege, de qua Hierem. cap. 34. & 52. & liber quartus Regum cap. vltim. & liber secundus Paralipomenon cap. vltim. Et ab hac transmigratione, qua Sedechias, & cæteri Iudæi sunt captiui in Babylonem abducti, prima opinio numerat annos captiuitatis, & terminat in anno secundo Darij Hystaspis filij. Vnde multis valdè probabilis videtur eorum opinio, qui dicunt, alios esse annos captiuitatis, alios verò solitudinis, id est, desolationis, & vastitatis Hierosolymæ, & Hieremiam cap. 25. locutum esse de annis septuaginta desolationis, qui anni cœperunt ab vltimo anno Sedechiæ, & decimo nono Nabuchodonosoris, & finiuntur anno secundo Darij Hystaspis filij, de quo Zacharias dixit 2. & 7. cap. *Iste est annus septuagesimus*, nimirum vastitatis & solitudinis Hierusalem. De annis vrrò captiuitatis locutus est Hieremias capite 29. ac proinde cœperunt numerari à transmigratione sub Iechonia rege, & desierunt in primo anno Cyri regis Persarum. Et est animaduertendum, Cyrum non cœpisse Babylonem primo anno quo regnauit in Perside, sed post aliquot regni sui annos exactos. Sentiunt quidam, captam ab eo rege Babylonem, anno sui regni vigesimoseptimo, & postea tribus tantùm annis regnasse. Alij, vigesimo tertio sui regni anno ab eo captam volunt eam vrbem, & postea eum regnasse septem annos. Alij decimo nono anno regni sui, & regnasse postea vndecim annos. Quare omnes illi anni, quibus Cyrus Persis imperauit ante captam Babylonem, inciderunt in eos annos, quibus reges Chaldæorum in Babylonia prouincia regnarunt. Id verò quod dicitur 2. Paralipomen. 36. & 1. Esd. 1. Cyrum regem Persarum primo regni sui anno, Iudaicam captiuitatem soluisse: intelligitur de primo anno, quo cœpit Babylonijs imperare, interfecto vltimo Chaldæorum rege Balthasare. Scriptura enim numerat annos Iudaicæ captiuitatis, & proinde annos regum Chaldæorum, quorum imperio captiui tenebantur: & idcirco ait, exactis Babyloniorum regibus, cœpit Cyrus imperare Chaldæis, & statim vt cœpit regnare in Chaldæa, Iudæis facultatem concessit, vt liberè in patriam redirent; & ita soluta est Iudaica captiuitas.

Græcorum Monarchia.

Alexander Magnus Persarum Imperium euertit, & ita desijt Asiaticum Imperium, ad Græcos in Europa translatum. Porrò Alexander regnauit annis duodecim, & anno sexto sui regni Darium Codomanum vltimum Persarum regem bello vicit.

Post Alexandri obitum, diuisum est Græcorum imperium in multa regna, sed ex ijs, quatuor præcipua hæc fuêre, Regnum Ptolemæorum in Aegypto, Alexandria vrbe, & Aphrica: Seleucidarum in Syria, & Babylone: Antigoni in Thracia, Ponto, & Asia; Philippi Aridæi in Græcia, & Macedonia: de quorum singulis pauca breuiter attingam, vt temporum ratio, & ordo cognoscatur.

Regnum Ptolemæorum.

De Ptolemæis Aegypti regibus, est epistola Aldi Manutij ad Antonium Carafam Cardinalem.

Ptolemæus Lagi filius regnauit	ann. 40
Ptolemæus Philadelphus.	an. 38
Ptolemæus Euergetes.	an. 26
Ptolemæus Philopator.	an. 17
Ptolemæus Epiphanes.	an. 24
Ptolemæus Philometor.	an. 25
Ptolemæus Euergetes II.	an. 20
Ptolomæus Physconis filius, qui & Soter.	an. 17
Ptolemæus Auletes, vel Alexander.	an. 10
Ptolemæus Phiſconis filius iterum.	an. 8
Ptolemæus Alexandri filius.	dieb. 19
Ptolemæus Lathyrus.	an. 8
Ptolemæus Dionysius.	an. 30
Cleopatra.	an. 21

Summa annorum, quibus steterit Regnum Ptolomæorum, est 285. Porrò Strabo numerat nouem Ptolomæos reges Aegypti, Eusebius 12. recenset. Aldus Manutius 14. ponit, quorum

numerum

numerum colligit ex Strabone, Eusebio, Appiano, Pausania, Iustino. Item à morte Cleopatræ, & à M. Antonio victo, & Aegypto in prouinciam redacta à Romanis, vsque ad Christi Domini ortum, fluxerunt anni 28. nam Cleopatra regnauit annis tribus ante Iulium Cæsarem, & quatuor annis toto tempore Iulij Cæsaris, & quindecim vsque ad annum; quo natus est Dominus, superato M. Antonio ab Octauio Augusto.

Regnum seu Imperium Seleucidarum.

Ex Appiano *lib. de bello Syriaco*, Eusebio *in Chronica*, Sulpitio *lib. 2. de Histor. sacra.*

Seleucus Nicator regnauit	annis	32
Antiochus Soter.	an.	19
Antiochus Θεὸς.	an.	15
Seleucus Callinicus.	an.	21
Seleucus Ceraunus.	an.	3
Antiochus Magnus.	an.	37
Seleucus Philopator, vel Philometor.	an.	12
Antiochus Epiphanes, seu Illustris.	an.	12
Antiochus Eupator.	an.	2
Alexander.	an.	10
Demetrius Demetri filius, dictus Nicator.	an.	3
Antiochus Sidetes.	an.	9
Demetrius iterum.	an.	4
Antiochus Gryphus frater Seleuci.	an.	12
Antiochus Cyzicenus, frater vterinus.	an.	18
Seleucus Gryphi filius.	an.	2

Huic successit Antiochꝰ Cyziceni filius, quem postea regno expulit Tigranes.

Fuerunt Seleucidæ reges 17. secundum Appianum, dempto Alexandro, qui non fuit ex genere Seleuci. Stetit eorum Imperium annis 229. vel secundum Appianum, 270. Syria deinde facta est Romanorum prouincia, ad quam gubernandum Romani Præsidem mittebant, qui Syriæ Præses dicebatur. Hic ad Iudæam regendum Præfectum mittebat, qui Procurator Iudææ vocabatur: & Iudæā procurabat, id est, administrabat sub Præside Syriæ.

Regnum seu Imperium Philippi Aridei.

Philippus Arideus ex genere Alexandri Magni, regnauit.	annis	7
Cassander.	an.	18
Antipater & Alexander.	an.	4
Demetrius.	an.	6
Pyrrhus.	mens.	6
Lysimachus.	an.	5
Ptolomæus Cercaunus.	an.	51
Meleager.	an.	1
Antipater II.	an.	1
Sosthenes.	an.	2
Antigonus Gonates.	an.	2
Demetrius II.	an.	10
Antigonus Doson.	an.	12
Philippus.	an.	42
Perseus.	an.	11

Hunc Perseum Pub. Aemilius Romanus, biennio ante principatum Iudæi Machabæi bello superauit ac vicit. Durauit imperium Macedonicū post mortem Alexandri Magni annis 154.

De hoc Imperio Græcorū, multa quæri solent.

Primo enim quæritur, quo modo computentur anni, 1. Machab. 1. num. 11. vbi dicitur: *Et exijt ex eis radix peccati Antiochus Illustris, & regnauit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum.* Respondeo: post Alexandrum magnum, & duodecim annos exactos ab eius obitu, obtinuit Imperium in Babylonia, Syria, & Perside Seleucus Nicanoris filius: & quia Seleucus erat genere Macedo siue Græcus, ideo regnum eius in Syria, vocabatur Regnum Græcorum. Et libri Machabæorum, huiusmodi regnum, appellant Regnum Græcorum. Et vbicunque in prædictis libris anni Græcorum regni, siue imperij numerantur, intelliguntur anni regni Seleucidarum. Quare cum 1. Machabæor. 1. dicitur: *In anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum*, recensentur anni regni Seleucidarum, quod nimirum regnum cæpit duodecim annis post mortem Alexandri Magni, vt testatur Eusebius *in Chronico*: quamuis Lyranus 1. *Machabæor.* 1. dicat, eos annos computari ab eo tempore, quo Alexander Persarum Imperium euertit: qui quidem duodecim anni in libris Machabæorum semper prætermittuntur, quandocunque numerantur anni Regni Græcorum: toto enim eo tempore Duces, qui Alexandro Magno successere, Antigonus, inquam, & Seleucus Nicanoris inter sese bello, & armis de Imperio contenderunt, donec tandem duodecim annis transactis, Antigonus in Thracia, Ponto, & Asia, & Seleucus in Babylonia, & Syria pacatè regnare cæperunt.

Secundò quæritur, Quo modo 1. Machab. 1. dicitur de Alexandro, eū primo in Græcia regnasse, cum ante eum alij, in Græcia regnauerint. Respondeo, profanam historiam nihil in hac parte cum Sacra pugnare. Nam Alexander dicitur in Græcia primus regnasse, quia fuit principium & origo regni Seleucidarum in Chaldæa, & Syria: nec tamen ab eo libri Machabæorum annos regni Græcorum recensent: quia vt prædixi, eiusmodi libri nomine regni Græcorum, intelligunt Regnum Seleucidarum, quod in Seleuco anno post Alexandri obitum duodecimo, cæpit pace cum Antigono facta.

Tertiò quæritur, Quo modo 1. Machabæo. cap. 1. dicitur Alexander vocatis pueris suis, diuisisse illis regnum suum, cum adhuc viueret: & tamen omnes Scriptores profani testantur post mortem eius, Duces prouincias inter se partitos fuisse. Respondeo, credendum esse, dum adhuc Alexander viueret, suis Ducibus dixisse, vt inter sese, sui regni prouincias diuiderent: quod & fecerunt.

Quartò quæritur, Quo modo verum sit, quod 1. Machabæorum 9. dicitur, Iudam Machabæum mortuum fuisse anno centesimo, quinquagesimo secundo regni Græcorum; & postea 2. Machabæorum cap. 1. idem Iudas fertur scripsisse epistolam anno centesimo octogesimo octauo regni Græcorum. Rupertus *libro primo de Victoria Verbi Dei cap.* 10. ait: Iudam, qui 2. Machabæorum 1. scripsit Epistolam, alium fuisse Iudam, non Machabæum illum, qui 1. Machabæor. 9. refertur mortuus anno centesimo, quinquagesimo secundo regni Græcorum, quæ sententia alijs non placet, in-

cet, inter quos est Canus *lib. 2. de loc. Theol. c. 11. ad 4.* quia in libris Machabæorum nullus alius Iudas, nisi Machabæus, filius scilicet Matthathiæ, memoratur. Vnde magis probant sententiam eorum, qui dicunt 2. Machabæor. 1. duas epistolas poni, vnam quam scripsit populus, & Senatus Iudæorum, in cuius fine ponitur annus, quo scripta est, nimirum annus centesimus octogesimus octauus regni Græcorum. Et illius Epistolæ finis est tota illa clausula: Anno centesimo octogesimo octauo, populus qui est Hierosolymis, & in Iudæa, Senatusque. Hisque verbis finitur, & clauditur tota illa Epistola; deinde sequitur initium alterius secundæ Epistolæ; hoc nempe: *Iudas Aristobolo magistro Ptolemæi regis.* & hanc scripsit Iudas Machabæus anno, vt creditur, centesimo quinquagesimo secundo, quo mortuus est, ac propterea dicunt librariorum, siue scriptorum incuria puncta male esse distincta. Mihi magis probatur Ruperti sententia: non enim est verisimile, omnes codices esse Scriptorum incuria, & negligentia corruptos, aut malè punctis distinctos.

Quintò quæritur, Quomodo 1. Machabæor. 4. numer. 52. dicitur Iudas purgasse templum anno centesimo quadragesimo octauo, quod fuerat contaminatum ab Antiocho. & 2. Machabæorum 10. numer. 3. dicitur purgasse templum post mortem Antiochi. Hæc enim duo secum inuicem pugnare videntur. nam 1. Machab. 6. fertur Antiochus mortuus anno centesimo quadragesimo nono. Respondeo, 2. Machabæorum 10. non dici Iudam purgasse templum biennio, hoc est, duobus annis à contaminato templo per Antiochum, nam 1. Machab. 1. nu. 59. Antiochus templum polluisse fertur anno centesimo quadragesimo quinto, & 1. Machabæorum 4. nume. 52. dicitur purgatum templum anno centesimo quadragesimo octauo, videlicet, exacto integro biennio, ex quo fuerat violatum ab Antiocho.

Sextò quæritur, Quo modo id, quod 1. Machabæorum 4. dicitur, Iudam Machabæum templum mundasse anno centesimo quadragesimo octauo, quod Antiochus polluerat anno centesimo quadragesimo quinto, vt dicitur 1. Machabæorum 6. conueniat cum eo, quod dicit Daniel cap. 8. contaminationem Templi duraturam diebus bis mille trecentis, & postea templum mundandum: nam dies bis mille trecenti, efficiunt sex annos, & tres menses, & viginti dies. Hunc locum plerique difficilem esse arbitrantur. Sed puto esse probabilem sententiam eorum, qui dicunt cum Hieronymo Daniel. 8. Danielem locutum fuisse de tota ea calamitate, quam Iudæi passuri erant sub Antiocho Epiphane: hæc autem calamitas cœpit anno centesimo quadragesimo tertio regni Græcorum, vt dicitur 1. Machabæor. 1. nam eo anno venit Antiochus Hierosolymam, & diripuit vasa & ornamenta templi: quæ calamitas durauit, vsque ad annum centesimum quadragesimum nonum regni Græcorum: quo anno mortuus est Antiochus, vt habetur 1. Machabæorum 9. Porrò ab anno centesimo quadragesimo tertio, vsq; ad annum centesimum quadragesimum nonum, sunt sex anni integri, & septem tantùm inchoati, siue incepti, non completi, & Antiochus mortuus est inchoato, non finito anno centesimo quadragesimo nono. Vnde calamitas durauit, iuxta Danielis vaticinium, dies bis mille, & trecentos, hoc est, sex annos & tres menses, & viginti dies: quod totum tempus effluxit ab anno centesimo quadragesimo tertio, vsque an annum centesimum quadragesimum nonum, videlicet ineuntem regni Græcorum. At quomodo iterum Daniel, inquies, capit. 12. prædicit à tempore, quo auferendum erit iuge sacrificium, & ponenda abominatio in desolationem, futuros dies mille ducentos nonaginta, & paulò ante in tempus & tempora, & dimidium temporis: qui dies & tempora efficiunt tres annos, & dimidium anni vnius. Quidam aiunt sub Antiocho calamitatem passos esse Iudæos sex annis & sex mensibus, & hanc prædixisse Danielem cap. 8. Sed contaminationem templi tantùm durasse tribus annis, & dimidio: & ita intelligitur, quod prædixit Daniel cap. 12. Cæterùm respondeo cum Hieronymo, Danielem capite octauo prædixisse calamitatem futuram sub Antiocho: & capite 12. calamitatem, quam Dei Ecclesia passura est sub Antichristo. Illa durauit per sex annos, hæc duratura est per tres annos, & dimidium, hoc est, per tempus, id est annum, & per tempora, id est, duos annos, & dimidium temporis, id est, dimidium anni. Nisi etiam quis dicat, sub Antiocho, vt Antichristi typo & figura, durasse contaminationem templi tribus annis & dimidio; sed calamitatem sex annis & sex mensibus.

Septimò quæritur, Quo modo cohæreant, quæ tribus in locis referre videntur libri Machabæorum de morte Antiochi. Nam 1. Machabæorum 6. legimus, Antiochum reuersum ex Perside in Babyloniam, decubuisse præ tristitia, & ibi mortuum fuisse: at 2. Machabæorum 1. dicitur, *Cum esset in Perside, ingressus in templum Naneæ consilio Sacerdotum deceptus, vnà cum sui exercitus duce videtur cecidisse:* at 2. Machabæor. 9. legimus: *In Ecbatanis dolore viscerum correptum obijsse.* Plerique putant, hæc de diuersis Antiochis esse dicta: nihil tamen impedit, quo minus ea ad vnum & eundem Antiochum Illustrem referantur, cuius mors tribus in locis recensetur hunc in modum: Sacerdotum consilio seductus, ingressus est in templum, vna cum sui exercitus duce, & eorumdem Sacerdotum dolo, & insidijs comprehensus est dux, & membratim dilaceratus; ipse verò Antiochus se fuga proripuit, & euasit Sacerdotum insidias; & in Mediam veniens, Ecbatanis ægrotauit, dolore viscerum vehementissimo correptus. Inde profectus, in Babyloniam peruenit, vbi etiam iacuit in lecto, eodem viscerum dolore pressus, vbi & tandem mœrore confectus interijt. Neque 2. Machabæorum 1. dicitur mortuus in Perside, sed in templum ingressus, vbi dux exercitus eius est interfectus: & 2. Machabæorum 9. fugiens turpiter ex Perside, dicitur redijsse in Mediam; vbi cum prope Ecbatana triste nuncium accepisset, valdè iratus ægrotauit: sed non ibi interijt infelix, immo potiùs iter suum conuertit ad Syriam: at in Babylonia morbo oppressus, iterum in lecto iacuit, vbi ingenti dolore viscerum afflictatus, adeo vt carnes

à vermibus exesæ diffluerent, miserabiliter tandem perijt.

Octauò quæritur, Quo modo intelligatur quod dicitur 2. Machabæor. 1. videlicet, Iudæos fuisse in Persidem captiuos abductos, cum eam captiuitatem in Chaldæo sint perpessi. Sunt qui opinentur, horum librorum Auctorem Babylonię nomine, Persidem quoque latè & amplè comprehendisse: quod alijs non placet, cum id ex sacris literis minimè colligatur. Probabilius duco, quod alij tradunt, Iudæos captiuos esse translatos in Babylonem simul & Persidem: tum quia Nabuchodonosor eos in Babyloniam transtulerat: sed probabiliter creditur multos eorum in Persida vendidisse: tum etiam quia credibile est in exercitu Nabuchodonosor multos fuisse Persas milites, ac duces, quibus in prædam non pauci è Iudæis obtigerunt, à quibus in Persidem captiui sunt abducti. Item, sub Dario Medo, & Cyro rege Persarum plurimi Iudæorum fuêre in Mediam & Persidem translati.

Anni vrbis Romæ conditæ, & numerus Olympiadum, vsque ad Christi ortum, quo modo inter se conueniant.

Romulus vrbis Romæ conditor regnauit an. 37
Regnare cœpit Olympiade 7. anno 1. mortuus est Olymp. 16. anno 1. teste Solino *ca.* 2. & Dionysio *lib.* 1. post cuius obitum fuit interregnum an. 1.

Numa Pompilius. an. 43
Cœpit regnare Olymp. 16. an. 3. vt testis est Dionysius *lib.* 2. *Antiqu. Roma.* Obijt, teste Solino, Olymp. 27. anno 1.

Tullus Hostilius. an. 32
Cœpit regnare Olymp. 27. anno 2. Dionysius *libr.* 3. obijt, teste Solinó, Olymp. 35.

Ancus Martius. an. 24
Cœpit regnare anno 2. Olympiad. 35. teste Dionysio *lib.* 3. Obijt, vt ait Solinus, Olymp. 41.

Tarquinius Priscus. an. 38
Vt testatur Dionysius *lib.* 3. *Antiquitatum Romanarum*, cœpit regnare Olymp. 41. anno 2. obijt Olymp. 50.

Seruius Tullus. an. 44
Teste Dionysio *libr.* 4. *statim initio*, cœpit regnare Olymp. 50. an. 4. Obijt Olymp. 61. an. 4.

Tarquinius Superbus. an. 25
Cœpit regnare Olymp. 61. an. 4. teste Dionysio *lib.* 4. Est regno deiectus Olymp. 68. anno 1.

Ex his constat, vrbem Romam, sub Regibus fuisse annis 224. vt numerat Dionysius lib. 1. quorum vltimus annus concurrebat, eodem Dionysio teste, cum Olymp. 68. anno 1.

Item Diodorus Siculus, Iosephus *libr.* 1. *contra* Apionem Grammaticum Alexandrinum, Eusebius *in Chronico*, Hieronymus, & alij communi consensu testantur, Alexandrum Magnum obijsse Olympiade 114. anno primo, & cœpisse regnare Olympiad. 111. anno primo. Iosepho *libr.* 12. *Antiquit. capit.* 12. teste, Iudas Machabæus renouauit templum, quod Antiochus Illustris contaminauerat, Olympiad. 154. Vnde ab obitu Alexandri, vsque ad Iudæ Machabæi principatum, fluxère Olympiades 40. quæ conficiunt annos 160. & à principatu Iudæ Machabæi, vsque ad Christi Domini aduentum, decurrêre Olympiades 40. quæ conficiunt annos 160. Si iungas igitur annos 160. ab Alexandri obitu, vsque ad Iudam Machabæum, cum totidem annis 160. à Iuda Machabæo, vsque ad Christum, colliges summam annorum 320. qui fluxerunt à morte Alexandri, vsque ad Christum, & totidem anni per Olympiades supputantur. Nam ab obitu Alexandri, vsque ad Christi Domini ortum, numerantur Olympiades 80. quæ efficiunt annos 320.

De anno, quo fuit vrbs Roma condita, non vna est omnium opinio. Timæus Siculus eam dicit fuisse conditam annis 38. ante primam Olympiadem, quo tempore tradit Carthaginem quoque fundatam. L. Cincius ait, fuisse conditam Olympiade 12. anno 4. Tertia opinio fuit Fabij Pictoris asserentis, Olympiad. 8. anno 1. ædificatam fuisse. Quarta opinio eorum est, qui asseuerant fundatam & extructam fuisse 6. Olympiad. anno 3. Sic Pomponius Atticus, M. Tullius teste Solino *capit.* 2. Quinta est opinio aliorum dicentium conditam esse Olympiad. 7. ann. 2. Sic Nepos & Lactantius, Polybius, auctore Solino ibid. Ex quibus sententijs duæ solum habentur apud Scriptores, vt certæ & veræ, prima Romam fuisse conditam Olympiad. 7. anno 2. Sic Apollodorus, Lactantius, Catulus, Cornelius Nepos, Eratosthenes, Cato, Dionysius Halicarnasseus, Polybius, Diodorus Siculus. Opinio secunda, vrbem Romam ait esse conditam Olympiad. 7. anno primo ferè exeunte, qui quoniam concurrit ferè in annum 2. Olympiad. 7. ideo posteriores Scriptores partim aiunt esse conditam anno 1. Olympiadis 7. partim anno 2. eiusdem Olympiad. Et hæc est opinio communi consensu recepta, quam amplexus est M. Varro, cui postea subscripserunt Velleius, Plinius, Plutarchus, Tacitus, Dion, Agellius, Solinus, Tabulæ Capitolinæ, Clemens, Eusebius, Eutropius, Orosius, Paulus Diaconus.

A prima igitur Olympiade, vsque ad vrbem conditam præterierunt anni 25. vel 26. Porrò sub Regibus vrbs Roma fuit annis 243. vel 244. hoc est, per Olympiades 61. Deinde Consules rerum dominati sunt in vrbe annis 464. vsque ad annum Dictaturæ Caij Iulij Cæsaris, & mox anni 4. præterierunt, vsque ad annum, qui proximè cœpit post necem eiusdem Iulij Cæsaris: omnes enim supra citati Auctores conueniunt, interfectum esse Cæsarem anno vrbis conditæ 709. vel 710. qui anni sic colliguntur.

Sub Regibus vrbs fuit annis 243. vel 244
Sub Consulibus, an. 464.
Sub Dictatura C. Iulij Cæsaris, an. 4.

Hi omnes anni simul iuncti, conficiunt summam annorum 711.

Conuenit etiam inter Auctores, vsque ad annum, quo Octauius Augustus solus, deuicto ad Actium M. Antonio cœpit imperare, fluxisse annos 12.

Cœpit

Cœpit igitur Imperium Romanum anno vrbis conditæ 722. vel 723. ac proinde cum Christus natus sit testibus Eusebio, Beda, Orosio, Paulo Diacono, Olympiad. 149. an. 3. eiusdem: sequitur vt à prima Olympiade vsque ad Christum anni fluxerint 776. quos annos conficiunt Olympiad. 194. à quibus si dempseris an. 23. vel 24. remanent 753. qui anni præterierunt ab vrbe Roma condita, vsque ad Christi Domini ortum. Item, à prima Olymp. vsque ad Cyrum primum Persarum regem, fluxerunt an. 216. quos conficiunt Olympia. 55. Nam Cyrus cœpisse regnare fertur Olympia. 15. anno primo. Conficiunt igitur Olympiades 54. annos 216. Item, à prima Olympiade vsque ad captiuitatem Babylonicam fluxerunt anni 166. & ab vrbe condita vsque ad eandem captiuitatem Babylonicam decurrerunt anni 162. Captiui verò Iudæi in Babylone fuerunt annis 70. Sed quia variè Scriptores sentiunt, vnde nam sumatur initium horum 70. annorum, & vbi dicti anni terminentur; an videlicet captiuitas Babylonica incipiat supputari anno vndecimo Sedechiæ, quando igni exustum est templum à Chaldæis, & Hierusalem solo æquata; an verò à trãsmigratione, qua Iechonias in Babylonem captiuus abductus est, vna cum popularibus, quæ captiuitas accidit annis vndecim ante incendium Templi, & vrbis Hierosolymæ excidium: propterea difficile est, huius ætatis annos certò colligere. Verùm quicquid sit, opinio communi consensu recepta est, à captiuitate Babylonica vsque ad Christum, annos interfluxisse 589. & ab anno primo Cyri regis Persarum, vsque ad Christum annos 559. in quam ætatem incidisse constat captiuitatem Iudæorum Babylonicam, libertatem ac reditum eorum in patriam, restitutionem Templi, & vrbis Hierosolymæ; quod Templum postea pollutum fuit ab Antiocho Epiphane, rege Syriæ: sed reparatum ac renouatum est à Machabæis. Constat itidem quæ sequuntur omnia, in hac ætate contigisse; seditiones nempè & tumultus Iudæorum, & totam historiam Machabæorum, vniuersa Ezechielis vaticinia, bonam partem prædictionum Hieremiæ, omnes visiones Danielis, omnem prophetiam Zachariæ, Aggæi, & Malachiæ: totam quoque historiam duorum, Esdræ scilicet & Nehemiæ, librorum, nec non & memorabiles & celebres illas duas præstantium fœminarum Iudith, & Esther historicas narrationes.

Porrò quantum ex profanis historijs perspici potest, continet hæc ætas Monarchiam Chaldæorum, monarchiam Persarum, imperium Græcorum, res gestas Romanorum sub Consulum potestate, & Dictatura Iulij Cæsaris, & ferè totum tempus Octauij Augusti Imperatoris, & quæcumque à Philosophis per doctrinam accepta legimus. In hac ætate floruisse perhibentur Græci historici plurimi, Philosophi, Oratores, Poetæ, Pictores, Sculptores, Statuarij, Medici, Musici, Mathematici, Astronomi, Astrologi, & cæteri, qui alicuius disciplinæ, artis, vel doctrinæ periti fuerunt.

De Historicis tantùm illud breuiter in præsentia dicam, quo tempore scripserint. Animaduertendum est, eos omnes, qui à Græcis celebrantur omnium artium, & disciplinarum inuentores, seu potius Magistros, professores, & doctores vixisse, & floruisse ferè post Olympiadem 55. in qua nimirum Cyrus primus Persarum rex cœpit in Perside regnare, & in qua Romæ Seruius Tullus imperabat, & apud Medos Astyages. In Lydia Aliactes. 8. rex Lydorum: & in Macedonia Alcetas. 8. quoque Macedonum rex, cum Iudæorum captiuitas in Babylone soluta est.

Cicero *in secundo libro de Oratore*, breuiter enumerat aliquot historicos Græcos, in primis, Herodotum, vt historiæ patrem ac principem; postea Thucydidem, qui omnes dicendi artificio facilè vicit. *Hunc*, inquit, *consecutus est Philistus, Syracusius, Dionysij Tyranni familiarissimus: otium suum in historia conscribenda consumpsit; maximeque Thucydidem est imitatus.* Deinde enumerat Theopompum & Ephorum, Isocratis discipulos, Xenophontem Socratis auditorem, Callisthenem Aristotelis discipulum, qui æqualis fuit Alexandri Magni, resque eius gestas conscripsit. Subdit etiam ibi Cicero: *Natu*, inquit, *horum omnium minimus Timæus fuit, longè eruditissimus, & rerum copia, & sententiarum varietate abundantissimus, & ipsa compositione verborum non impolitus.* Quinctilianus *lib. 10. cap. 1.* recenset historicos Græcos, Herodotum, Thucydidem, Theopompum, Philistum, Ephorum, Clitarchum, Timagenem, Xenophontem; & de his iudicium suum, & sententiam profert.

Suidas ait, Cadmum Milesium, primum historicum è Græcis fuisse, & Orpheo paulò iuniorem, quem scripsisse ferunt libros quatuor de ædificatione Mileti, & totius Ioniæ prouinciæ.

Acusilaus Argiuus, teste Iosepho *libro primo contra Apionem Grammaticum*, fuit etiam è primis historicis Græcorum, ipse & Cadmus, de quo ante dixi: Scripsisse perhibentur paulò ante expeditionem Persarum in Græcos.

Herodotus Hellanicus, Thucydides, teste Gellio *libr. 15. cap. 23.* eisdem temporibus fuerunt. *Nam Hellanicus*, inquit, *in initio belli Peloponesiaci fuisse quinque & sexaginta annos natus videtur. Herodotus tres & quinquaginta.* Hæc Gellius. Diodorus *libro 3. capit. 9.* ait Herodotum tempore Xerxis viguisse. Suidas testatur, Hellanicum, & Herodotum vixisse tempore Darij Hystaspis filij, Thucydides verò scribit, se sub Artaxerse Logimano viuere. Plinius *lib. 12. cap. 4.* testatur, Herodotum scripsisse historiam suam Thurijs in Italia anno ab vrbe condita 310. Suidas: *Hellanicus*, inquit, *Mitylenæus versatus est cum Herodoto apud Amyntam regem Macedonum, temporibus Sophoclis & Euripidis poëtarum, & cum Hecateo Milesio congressus est, qui fuit tempore Persici belli, quique paulò ante, vsque ad Perdiccæ tempora peruenit.*

Hecatæus Milesius, teste Suida, *Græcorum primus historiam scripsit; quem æmulati sunt Herodotus Hellanicus, & Thucydides. Vixit tempore Darij Hystaspis filij, auditor Protagoræ Sophistæ.* Hæc Suidas.

Xenophon Athenienſis Socratis discipulus, scripsit libr. 8. de institutione Cyri iunioris, & de rebus Græcorum libr. 7. descripsit primus vitas Philosophorum, & eorum memorabilia dicta & facta.

Xenophon alius historicus, teste Suida, scripsit res Babylonicas, tempore Ptolemæi Lagi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Xenophon Ephesius, vt ait idem Suidas, scripsit libros 10. de rebus Ephesiorum.

Xenophon Cyprius, scripsit de rebus Cypri. Suidas.

Theopompus Chius natus Olympiade 53. Isocratis discipulus, vt auctor est Suidas: Theopompus item, vt ait Diodorus *libr. 16.* Philippi res gestas conscripsit; & vt Suidas refert, eas scripsit libris 72. scripsit etiam libros 11. de ijs, quæ Græci gesserunt, incipiens à rebus, quæ acciderunt post historias à Thucydide conscriptas. Edidit tres libros, teste Diodoro *libro 16.* de ijs, quæ facta sunt in Sicilia, exorsus à tyrannide Dionysij senioris, & continuans historiam per spatium annorum 50. vsque ad casum Dionysij iunioris, qui è regno deiectus est.

Philistus Syracusanus, scripsit res Aegyptias libris 11. & res Siculas libris 11. & res Dionysij tyranni, libris sex, Aegyptiorum Theologiam libris tribus. Hæc Suidas.

Nearchus sub Alexandro Magno militauit, & de eo historiam scripsit, & de rebus Indicis. Suidas.

Megasthenes (non Metasthenes, vt finxit Ioan. Annius Viterbiensis) teste Plinio *libr. 6. capit. 17.* à Ptolomæo Philadelpho missus in Indiam, ritus, mores, vrbes, potentiamque Indorum scripsit.

Ctesias Gnidius, vt ait Diodorus *libr. 3. cap. 2. 4. & 6.* scripsit res Nini & Semiramidis: medicus fuit Artaxersis Mnemonis, & scripsit de rebus Syriacis, & Persicis libros 23. teste Suida.

Clitarchus Aristotelis discipulus, cum Alexandro Magno in Asiam profectus, teste Diodoro *libro 3. cap. 4.* res eius conscripsit.

Hecateus Abderita historicus, sub Alexandro Magno vixit; & cum Ptolomæo Lagi filio commoratus, vt ait Iosephus libro primo contra Apionem.

Berosus, non ille quem finxit Annius, sed ille, cuius meminit Iosephus, germanus & verus Chaldæus, Beli sacerdos, tempore Alexandri Magni, & Ptolomæi Philadelphi Lagi filij, & Seleuci Nicanoris de rebus Assyriorum, & Chaldæorum tres libros conscripsit, & deduxit historiam vsque ad Darium vltimum Persarum regem, ab Alexandro deiectum. Dicauit opus suum Antiocho Syriæ regi, Seleuci Nicanoris filio, vt ait Genebrardus in Chronico, ex Taciano in oratione contra Græcos: & quamuis genere Chaldæus, Græcè scripsit.

Ephorus Cumæus, Isocratis auditor, condiscipulus Theopompi, teste Diodoro *libro 16.* Græcorum, & aliorum res gestas annorũ fermè septingentorum quinquaginta, descripsit libris triginta, exorsus ab Heraclidarum reditu.

Diyllus Athenienſis, vt ibidem scribit Diodorus, sequentium temporum res literis mandauit, & principium scribendi sumpsit, vbi Ephorus finem fecerat. Scripsit libros viginti septem, de ijs quæ in Græcia & Sicilia acta sunt, vsque ad Philippi Macedonum regis obitum.

Callisthenes eodem tempore de Græcorum rebus scripsit, teste Diodoro *lib. 16.*

Callias Syracusanus, scripsit res gestas Agathoclis, Siciliæ tyranni: in quibus multa falsa confinxit, teste Suida.

Timæus Siculus, scripsit res Siculas, & Italicas libris octo, & de Syria, & eius vrbibus, & regibus post Agathoclis Syracusarum, & Siciliæ regis mortem, tempore Ptolemæi Lagi filij, & Ptolemæi Philadelphi. Multa mentitur cum scribit de rebus Agathoclis: Hæc refert Suidas.

Polybius ex Megalopoli Arcadiæ vrbe, Scipionis Africani, vna cum Panætio præceptor, Romanam historiam conscripsit libris 40. Cuius postea historiam continuauit Possidonius Olbiopolita Sophista.

Possidonius Alexãdrinus, post Polybium scripsit historiam libris 52. Suidas.

Timagenes Milesius scripsit historiam de Heraclea Ponti ca, & de viris doctis eiusdem vrbis libros quinque, vt ait Suidas.

Demophilus Ephori filius, teste Diodoro *libro 16.* bellum, quod Græci sacrum vocant, & gestum est per vndecim annos, conscripsit.

Manethon res Aegyptiorum scripsit post Berosium: quas teste Eusebio in Chronico scribendo deduxit, vsque ad Artaxersem Ochum 11. Persarum regem, qui Aegyptum subegit.

Agatharchides Gnidius, scripsit de Regibus post Alexandrum Magnum in Syria regnantibus, vt tradit Suidas: eum itidem scripsisse de rebus Asiaticis, auctor est Diodorus *libro 4. capit. 1.*

Crateres Macedo ex Alexãdri comitibus fuit, qui res ab illo gestas conscripsit.

Onesicritus scripsit res Alexandri Magni, Suida teste, fuisse classis Alexandri præfectum, ait Plin. *lib. 6. cap. 22.* scripsit de rebus Indicis, in quibus multa mentitur, vt ait Strabo *lib. 2.*

Hieronymus Cardianus genere Thrax, teste Suida, sub Ptolemæo Lagi filio, teste Iosepho *libr. 1. contra Apionem*, scripsit historiam de ijs, qui Alexandro Magno successerunt, & vt ait Suidas, scripsit res gestas Alexandri.

Phlegon Trallianus libertus Augusti Cæsaris, scripsit Olympiades libris 16. qui vsque ad Olympiadem 229. res vbique gestas continent. Suidas.

Nicolaus Damascenus familiaris Herodis regis Iudæorum, & Augusti Cæsaris, scripsit historiam generalem libris octoginta, fuit Peripateticæ disciplinæ studiosus.

Dionysius Milesius scripsit res Persicas post Darium gestas libris 5. teste Suida.

Dionysius Halicarnassæus res populi Romani Græcè scripsit vndecim libris, vixit tempore C. Iulij Cæsaris.

Callimachus, astricta & soluta oratione plurima scripsit; sunt eius libelli plures quam 800. vixit tempore Ptolomæi Philadelphi. Suidas.

Strabo Amasseus sub Augusto Cæsare, historiam Romanam post Polybium continuauit 47. libris.

Philochorus fuit Athenienſis, scripsit de Attica, & de rebus Athenienſium lib. 17. vsque ad Antiochum tertiũ Syriæ regem, cognomẽto Theon, vixit tempore Eratosthenis. Hæc Suidas.

Eratosthenes vixit tempore Ptolemæi Euergetis I. vsque ad Ptolemæum Epiphanem, scripsit philosopica, historias, & poëmata, de sectis Philosophorum, de Astronomia. Hæc Suidas.

Diodorus

Diodorus Siculus, sub Augusto Cæsare conscripsit libris 40. generalem historiam, quam Bibliothecam nominauit. Suidas.

Pherecides Syrus historicus, floruit tempore Artaxerxis Longimani Olymp. 81.

Charon Lampsacenus, tempore Darij Hystaspis filij, & Xerxis Olymp. 75. floruit. Scripsit Aethiopicas & Persicas res libris duob⁹. Res Græcorum gestas libris quatuor, Lybicas itidē quatuor libris. Origines vrbium libris duobus. De Lampsaco duos libros edidit. Suidas.

Charon Carthaginensis, descripsit tyrannos, quotquot in Asia & Europa regnarunt; de illustribus viris composuit quatuor libros, totidem de illustribus fœminis. Suidas.

Charon Naucratita descripsit sacerdotes Alexandrinos & Aegyptios, & reges cuiuslibet gentis, quorum res gestas veteres scriptores literis prodiderunt. Scripsit etiam res Aegyptiacas. Suidas.

Xanthus Sardianus, scripsit libros quatuor de rebus Lydorum. Teste Suida.

Vixerunt quoque & floruerunt in hac ætate veteres Poetæ Græci & Latini; præter Homerum & Hesiodum, qui fuerunt antiquiores. In primis fuerunt illi nouem Lyrici Poetæ, tanquam nouem Musæ Græcæ. Pindarus Thebanus Olympiad. teste Eusebio *in Chronico*. 76. quo tempore Xerxes regnabat in Perside, & Romanorum rex Tarquinius Superbus, erat vrbe eiectus & pulsus.

Simonides Cæus fuit eodem tempore, quo Pindarus, teste Eusebio, quod etiam Suidas tradit.

Stesichorus Siculus, vixit ab Olymp. 37. vsque ad Olympiadem 57. Eusebius. Suidas.

Ibycus fuit Olympia. 55. quo tempore Crœsus regnabat in Lydia, & Cyrus in Perside.

Alcman fuit Olympiade 43. vt testatur Eusebius, refert quoque Suidas.

Bacchylides Olympia. 81. teste Eusebio *in Chronico*, fuit Bacchylides genere Lydus. Ibycus Rheginus. Alcman Lydius.

Anacreon Teius Olympiade 61. secundum Eusebium *in Chronico*.

Alcæus Mitylenæus Olympiad. 43. eodem tempore quo Alcman.

Sapho Lesbia Olympiad. 44. Hi omnes nouem Lyrici poetæ Græci fuerunt ferè æquales. nam vixisse perhibentur ab Olympiad. 37. vsque ad Olympiadem 81.

Hypponax Ephesius vixit Olympiade 60. Suidas. Plin. *lib.* 36. *c.* 5. fuit poeta Iambicus, à quo Hipponacticum carmen Iambicum.

Glycon, à quo Glyconicum carmen. Asclepiades, à quo carmen Asclepiadeum.

Phalæcus, à quo carmen Phaleucium.

Fuerunt & alij septem Græci poetæ, à numero Pleiadum dicti poetæ Pleiades, quasi septem stellæ Pleiades, eo quòd ferè eodem tempore vixerint, videlicet Theocritus Syracusanus, Nicander Colophonius, Callimachus Cyrenæus, Apollonius Rhodius, Homerus iunior Myrus, Aratus Cilicus, Lycophron Chalcidensis. Hi omnes floruerunt sub Ptolemæo Lagi filio, & Ptolemæo Philadelpho, & Ptolemæo Euergete, huius nominis primo.

Moschus Siculus scripsit post Theocritum Bucolica, & ita in Bucolicis secundum locum tenet.

Bion Smyrneus post Theocritum & Moschum Bucolica scripsit, & ei in Bucolicis tertia palma defertur.

Fuerunt quoque sub Ptolemæo Philadelpho, vt ait Hæphestion Grammaticus in Enchiridio; Sositheus; Alexander, Antiades, Sosiphanes poetæ Græci.

Heroici poetæ fuerunt Tirthæus Athenienſis Olympiad. 35. Empedocles Agrigentinus, Panyasis Halicarnaseus Olymp. 78. Theognis Megarensis Olymp. 60. Phocylides Milesius Olympia. 60. Antimachus Colophonius Olymp. 90. Chœrillus Samius Olymp. 75.

Pysander Rhodius Olymp. 33. Lesches Lesbius Olympiade 30. Alcmeon Olympiade 30. Prodicus Phocæus tempore Ptolemæi Philadelphi. Hippias Elienſis Olympiade 85.

Fuerunt etiam in hac ætate Græci poetæ Tragici & Comici. Tragici quidem Sophocles Athenienſis, antiquior Socrate, Olympiade 75.

Aeschylus Athenienſis, vixit Olympiade 70. secundum Eusebium *in Chronico*. tempore pugnæ Marathoniæ, vt ait Gellius lib. 17. cap. 21.

Euripides Salaminus Olympiad. 75. auditor Anaxagoræ.

Aristarchus, scripsit Tragœdias 70. teste Suida, vixit Olympiade 82.

Achæus Eretrienſis, scripsit Tragœdias 44. Olympiade 34. Suidas.

Aristophanes Comicus Athenienſis, vixit eodem tempore, quo Xerxes regnabat in Perside.

Menander Comicus Athenienſis, scripsit Comædias 108. vixit sub Ptolemæo Lagi filio.

Eupolis Comicus Athenienſis, Olympiade 38. scripsit Comædias 17.

Cratinus Comicus Athenienſis, composuit Comædias 22. floruit Olymp. 81.

Archilochus Iambicus Poeta, vixit Olympiade 28. secundum Eusebium in Chronico, & vt ait Gellius *libr.* 17. *cap.* 21. regnante Tullo Hostilio Romæ.

Inter Latinos fuerunt Poetæ Comici, Liuius Auedronicus, C. Nænius Campanus, M. Actius Plautus Vmber, Statius Cæcilius, P. Terentius Afer. Tragici M. Pacuuius Brundusinus, L. Actius. Heroici, Q. Ennius, T. Lucretius. Hi omnes floruerunt ijs temporibus, quibus Romani punica bella gesserunt, & aliqui eorum paulò post.

Fuerunt quoque Latini scriptores historici in hac ætate, quorum tamen scripta perierunt. M. Varro, Sulpitius Gallus, Q. Tubero, L. Piso, Cornelius Nepos, Cato Censorius, M. Agrippa, Higinus, Fabius Pictor, Atteius Capito.

Fuerunt etiam plurimi Pictores insignes, quos enumerat Plinius *libr.* 35. *cap.* 10. inter quos excelluisse perhibentur Apelles, Protogenes, Zeusis, Parthasius, Polygnotus, Aglaophon, Timagoras, Mycon.

Floruerunt Sculptores celebres, de quibus Plinius *libr.* 36. *capit.* 4. inter quos nobiliores fuerunt Phidias, Praxiteles, Polycletus, Lysippus, Bryaxis, Myron, Pamphilus.

Floruerunt Mathematici, Astrologi, Musici,

Imperatores,& duces belli, quos omnes silentio in præsentia prætereo.

Omnis Philosophorum Schola, cœpit etiam hac ætate,& fere post quinquagesimam, vel saltem post quadragesimam Olympiadem : quoniam temporibus Crœsi Lydorum regis, & Cyri regis Persarum, Romæ regnante Tarquinio Prisco, vel Seruio Tullo, floruisse dicuntur, vt constat ex Laërtio *lib.1.de vit.Philosoph.* & Agellio *libr.17. cap.* 21. septem Græciæ Sapientes, qui fuerunt omnium Philosophorum primi; videlicet Thales Milesius,qui viuebat,teste Plinio *lib.2.cap.* 12.Olympiadæ 48.anno vrbis conditæ 170.quamuis Augustin.*lib.18.de ciuit.cap.*24. dicat eum fuisse Romulo regnante, Solon Athenienſis, Chilon Lacedæmonius, Pittacus Mittyleneus, Bias Prianeus, Cleobulus Lyndius, Periander Corinthius. Horum æquales ex eodem Laërtio, fuisse etiam dicuntur Pherecydes Syrus, Pisistratus Athenienſis, Epimenides Cretenſis, Anacharsis Scytha, Myſſon Chenæus. Olympiade quadragesima, Draco Athenienſibus leges tulit, Romæ dominante Anco Martio, teste Eusebio in Chronico. Quos subsecuti sunt Philosophi duplex Philosophiæ genus professi, teste eodem Laertio,teste quoque Augustino *libr. de ciuitat.S.capit.*2. Ionium,& Italicum. Ionica philosophia cœpit à Thalete Milesio, & ab Anaximandro itidem Milesio,qui fuit Thaletis discipulus.Eodem tempore cœpit Italica philosophia à Pythagora Samio, qui fuit Phærecidis auditor, & viuebat vt ait Plinius *libr.2.capit.* 8. Olympiade 42. & teste Dionysio *libr.* 2. docuit in Italia post Olympiadem 50. Nam sicut Thales Milesius, Myleto vrbe Ioniæ multos docuit; sic Pythagoras in ea parte Italiæ, quæ dicta est Magna Græcia, Italicam philosophiam fertur docuisse quam plurimos, ex quibus sunt Telanges, Xenophanes, Epicharmus, Architas, Parmenides, Melissus, Zeno Eleates, Heraclitus, Leucippus, Democritus,Empedocles,Nausiphanes, Naucides, Alcmæon, Hipassus, Philolaus, Eudoxus, Protagoras, Diogenes,Apolloniates,Anaxarchus,Pyrrhon,Timon: quos omnes refert Laertius.

Ionicè philosophati sunt post Thaletem, teste Laertio, Anaximander Thaletis discipulus, cui successit Anaximenes Milesius, & huic Anaxagoras Clazomenius,quem audiuit Archelaus,qui Athenas ex Ionia philosophiam transtulit,& huius discipulus fuit Socrates.

Porrò cum cæteri omnes Philosophi, de natura potiùs, quàm de moribus disputassent, vt ait Cicero *libro primo Academ. quæstion.* Socrates primus totam naturalem illam philosophiam ad mores conuertit: quo factum est, vt diuersæ Philosophorum sectæ prodierint, prout variè ipsi Philosophi de Finibus bonorum & malorum disputare cœperunt. Ex Platone Socratis discipulo nati sunt Academici veteres,medij, & noui.

Platoni in Academia successit, teste Cicerone,Speusippus, Xenocrates, Chalcedonius, Polemon, Crantor, Crates Athenienſis : qui omnes fuerunt ex Academia vetere, quos deinde subsecutus est Arcesilas mediæ Academiæ inuentor, vt testatur Cicero. *libr.* 2. *Academi. quæstion.* post hunc Lacides Cyrenæus nouæ Academiæ auctor & magister: tum Euander, Egesimus, Carneades,Clitomachus Carthaginenſis, Philo,Antiochus. Socratis item auditor fuit Antisthenes, Cynicæ sectæ institutor, vnde Stoici nati & profecti sunt, Antisthenem audiuit Diogenes Cynicus, & hunc Monimus Syracusanus, Onesicritus, Metrocles, Menippus, Menedemus, Crates Thebanus : hi omnes Cynici fuerunt. Porrò Cratem Thebanum audiuit Zeno Citticus, à quo dicti sunt Stoici, eo quod Zeno ab Academicis diuisus, in Stoa porticu docere cœperit. Inde Cleantes, Chrysippus, & Panatius Rhodius, cuius auditor fuit Possidonius. Et Romæ sub Augusto Cæsare multi Stoicorum dogma sequebantur : quamuis eodem etiam tempore multi quoque in vrbe erant Epicurei, ex quibus non pauci prodierunt Athei. Socratis præterea discipulus fuit Aristippus Cyreneus, vnde impura, vel potius belluina Epicureorum secta orta manauit, quæ ab Epicuro, tempore Alexandri Magni,tamquam præcipuo & insigni eius patrono nomen accepit. Item Aristoteles Socratem & Platonem audiuit; at sectam per seipse constituit, nam post Platonem Speusippus in Academia docuit, Aristoteles verò in Lyceo altero gymnasio, qui quoniam deambulando docebat, fecit vt eius disciplinæ sectatores, Peripatetici dicerentur. Aristotelem audiuit Theophrastus Ephesius. Hunc audiuit Strato Lampsacenus, Lyco Troadenſis, Demetrius Phalereus, Heraclides Ponticus. Omnes huiusmodi Philosophorum sectæ,vsque ad Augusti, & aliorum Imperatorum proximè sequentium tempora perseuerarunt, ita vt inter Romanos ipsos alij Academici, alij Stoici, alij Epicurei, alij Peripatetici fuerint : plures quidem Epicurei, multi Stoici,non parui Academici, sed rari Peripatetici.

Secundò quæritur, Quo pacto breuiter redigi possint in ordinem ea omnia, quæ in vetere Hebræorum populo contigerunt à captiuitate Babylonica vsque ad Christi Domini aduentum. In primis Dei populus seruiuit Babylonijs regibus Nabuchodonosor, Euilmerodach filio eius, & Balthasar nepoti ex ipso Euilmerodach,vsque ad Cyrum ipsum primum Persarum regem annis 70.2.Paralip.36.

Primo anno Nabuchodonosoris, qui incidit in annum tertium regis Ioacim, ductus est captiuus Daniel adhuc puer in Babyloniam, vna cum alijs tribus pueris,Anania, Misaele,& Azaria: quibus in Babylonia captiuis acciderunt ea, quæ primo capite Danielis referuntur: & per idem ferè tempus contigerunt ea, quæ narrantur Danielis capite decimotertio de iudicio, in quo Susanna diuino Danielis adhuc pueri consilio à falso testimonio & calumnia iniquorum senum liberata est. Annum quidem eiusmodi incertum puto, factum tamen id à puero Daniele, ex ipsa historia compertum est.

Anno secundo Nabuchodonosoris,somnium, quod ipse Nabuchodonosor viderat, interpretatus est Daniel. Viderat rex statuam capite aureo, brachijs argenteis,ventre, & femoribus æreis,

cruribus

cruribus ferreis, quæ in pedes partim ferreos, partim fictiles definebat: sed quod ferreum, cum eo quod fictile erat, coire non poterat, ad extremum, statuam & omnia, de monte abscissus lapis sine manibus, contriuit, quæ in puluerem redacta, planè euanuerunt.

Anno alio (non constat quotus ille fuerit regni Nabuchodonosoris annus) contigerunt quæ narrantur capite Danielis tertio.

Deinde euenerunt, quæ capite Danielis quarto recensentur. nam in insaniam deueniens Nabuchodonosor ob iactantiam & superbiam suam, qua virtutem sibi diuinam arrogabat impius, è sceptro & regno deiectus, & ab hominum frequentia remotus, herbis, belluarum more, vitam suam septennio sustentauit. Donec sibi ipsi pristimæque menti restitutus, agensque pœnitentiam, diuino nutu seruatum suum regnum recuperauit. Regnauit Nabuchodonosor annis quadraginta quinque, & post eum Euilmerodac filius eius viginti tribus annis, cui postea successit Balthasar filius ipsius Euilmerodac, neposque Nabuchodonosoris.

Anno primo Balthasaris, Daniel vidit id, quod habetur capit. 7. suæ prophetiæ, de quatuor bestijs sibi succedentibus, leæna, vrso, pardo, & alia quædam bestia vultu formidabili & mirabili, cornua decem habenti, è quibus prodibat aliud paruum cornu, quod tria alia cornua contriuit, quodque sese audacter contra Deum erexit: quod quidem visum, fuit figura & typus quatuor regnorum potentissimorum, sub quibus erat Dei populus multa mala passurus, videlicet, sub regno Chaldæorum, Medorum, Persarum, & Græcorum; ex imperio enim Græcorum ortus est Antiochus Epiphanes, qui populum Iudæorum vehementer afflixit, vt constat ex Machabæorum libris.

Anno tertio regni Balthasaris, visum aliud Danieli ostensum est de duobus arietibus, quorum vnus contra occidentem, aquilonem, & meridiem pugnabat: quæ visio significabat, regnum Persarum, & regnum Græcorum, & ex regno Græcorum orituru Antiochum, qui erat Dei populum persecuturus.

Capite 5. refert propheta visum, quod diuinitus est ostensum Balthasari de digitis in pariete scribentibus: quod deinde ipse Daniel est interpretatus.

Capite 6. refertur quo modo Darius Medus, qui Balthasari regnum eripuerat, Danielem toti suæ ditioni & regno præposuerit, quemadmodum & Nabuchodonosor fecerat, & Balthasar veste purpurea, & torque aureo donatum, tertium regni principem constituerat. Sed apud regem Darium Daniel accusatus ab æmulis, coniectus est in lacum leonum, propterea quod noluit diuinos honores regi deferre; inde tamen diuinitus liberatus est, & accusatores eius miserè à leonibus lacerati periêre, rege iubente.

Anno primo eiusdem regis, visum quoddam est Danieli diuinitus ostensum, quo patefactæ sunt 70. hebdomadæ, idque cap. 9. refertur. Conficiunt porrò illæ hebdomadæ annos quadringentos nonaginta; harumque initium quidam accipiunt, à primo anno Cyri, quo soluta est Iudæorũ captiuitas; alij, à sexto anno Darij Hystaspis, quo perfecta est templi ædificatio; plerique ab an. 20. Artaxersis Longimani, cum data est Nehemiæ facultas, vt vrbem restauraret. Finiunt verò quidam hebdomadas in baptismo Christi, alij in morte eius; alij in excidio templi, sub Vespasiano & Tito.

Anno tertio Cyri regis Persarum, cõtigerunt quæ narrantur Dan. ca. 10. & deinde Dan. c. 12. refert quæ ventura sunt, quæque patietur Ecclesia Dei sub Antichristo, in nefario & impio Antiocho Epiphane, typicè adumbrato per tempus & tempora, & dimidium temporis, hoc est, per annum & duos annos, & dimidium anni; siue, per dies mille ducentos nonaginta, hoc est, per tres annos & sex menses: cuius Antichristi præcessit typus & figura in Antiocho Epiphane, sub quo profanatum est templum tribus annis, & mensibus sex, vt significauit Dan. cap. 12.

Tandem Dan. cap. 14. narrat, quo pacto ipse coram rege Cyro Beli sacerdotes falsi conuicerit, mentientes Beli simulacrum ijs cibis vesci, quos populus offerebat, & apponebat in templo.

Ezechiel vnà cum Iechonia rege captus est, & translatꝰ in Babyloniam octauo anno Nabuchodonosoris, vbi futura præuidit plurima; è quibus illud est in primis, quo modo esset obsidenda à Chaldæis Hierosolyma, capienda, & templum igne exurendum: quę omnia ad vnum postea euenerunt anno 11. Sedechiæ regis, qui fuit annus 19. Nabuchodonosoris.

Cap. igitur 1. Anno 5. transmigrationis, & 30. ętatis Ezechielis, vidit Ezechiel Dei Maiestatem in magnifico curru venientem; hoc est, vidit Deum venientem tanquam iudicem, vt sui populi peccata puniret.

Deinde c. 2. 3. & 4. prædicit vrbem obsidẽdam. Cap. 5. eam capiendam: à cap. 6. vsque ad 12. vaticinatur contra montes Israelis, hoc est, contra principes & primarios viros, in quos populariũ peccata referuntur.

Cap. 13. & 14. contra falsos Israelis prophetas, hoc est, contra falsos diuini Verbi interpretes & nuncios, qui cum populi peccata reprehendere deberent, eis conniuebant. Cap. 15. contra ipsum Iudæorum regem, eo quòd populum in officio continendum non curabat, grauiter inuehitur. A cap. 16. vsque ad 19. contra omnes Hierosolymitanos ciues. Cap. 20. vsque ad 24. agit contra seniores Israelis: quorum etiam erat communi populi saluti consulere. Capit. 25. contra filios Ammon. Cap. 26. 27. & 28. contra regem Tyri. A cap. 29. vsque ad 32. contra regem Aegypti: contra hos, inquam, omnes, videlicet Ammonitas, Tyrios, & Aegyptios vaticinatur, admonens ac denuncians eos mala passuros, eo quod Dei populum persequerentur, deque eius calamitatibus & malis gauderent. Cap. 33. iterum vaticinatur contra ciues & habitatores Hierusalem, quod se se multis peccatis & sceleribus obstringerent.

Cap. 34. vsque ad 36. aduersus pastores Israelis, hoc est, contra sacerdotes, vt qui officium sibi commissum negligenter, & male gererent. Cap. 37. restitutionem & reditum Iudæorum captiuorum in patriam, prædicit futurum instar ge-

neralis omnium hominum in fine ſeculi reſurrectionis: ita vt ſicut mortui mirabili Dei virtute & poteſtate reuicturi ſunt, ſic Iudæi, qui in Babylone captiui & penè mortui erant, eſſent ad patriam quaſi ad vitam læti, atque alacres rediturі. Cap. 38. & 39. vaticinatur contra Gog & Magog. Quos verò intelligat Ezechiel his nominibus, dubiæ quæſtionis eſt, quidam putant locutum eſſe Ezechielem de Turcis & Saracenis Chriſtiani nominis & religionis hoſtibus. Alij totum prophetæ vaticinium ad Antichriſtum, & eius aſſeclas referunt: alij, ad Romanos, qui ſub Veſpaſiano & Tito, Hieroſolymitanum templum diruerunt, & Iudæos per totum terrarum orbem diſpergendo plurimum afflixerunt ac vexarunt. A cap. 40. vſque ad 48. prædicit quàm præclarè eſſet templum iterum ædificandum.

Porrò, vt ad Cyrum Perſarum regem reuertamur, hic anno primo, quo videlicet Babylonijs, ſiue Chaldæis, Medis, & Perſis, & Aſſyrijs imperare cœpit, fecit poteſtatem Iudæis in patriam redeundi, & ædificandi Hieroſolymis templum, quod fuerat à Chaldæis igne exuſtum: ita tamen, vt in ditione ſua & imperio eſſent, & ei tributum in annos ſingulos penderent. Remiſit igitur in Iudæam populum, duce Zorobabele.

Iudæis in patriam reuerſis, erat ſummus ſacerdos Ieſus filius Ioſedec, ex genere & familia Aaronis: qui Ieſus pontificatum geſſit annis 56. Hoc igitur pontifice, populo Hebræorum Cyri permiſſu, in Iudæam reducto, altare primum eſt Domino erectum menſe 7. ab eorum reditu in vrbem Hieroſolymam, vt ſcribitur 1. Eſdr. 3. Anno ſecundo, templi fundamenta iacta ſunt: ſed ne eiuſmodi ædificatio perficeretur, vicini hoſtes impedierunt, qui Samariam incolebant. Impeditum eſt opus toto tempore, quo vixit Cyrus; quo mortuo, illud opus repetitum fuit. Sed Cambyſes Cyri filius, qui 1. Eſdr. 4. num. 6. vocatur Aſſuerus Hebræorum more, ſed Perſico, num. 7. dicitur Artaxerſes, eorumdem hoſtium dolo & malignitate inductus, prohibuit continuari & abſolui. Quare impedita eſt ædificatio templi toto tempore Cambyſis regis, vſque ad annum ſecundum Darij regis Perſarum, vti dicitur ad finem cap. 4. in lib. 1. Eſdr. Tandem, eodem Ieſu pontifice, eodemque duce Zorobabele, data eſt Iudæis poteſtas à Dario Hyſtaſpis filio, qui cap. 6. lib. 1. Eſdr. dicitur Darius, & Cambyſi, poſt Magorum fratrum interitum ſucceſſerat, ac tum demum perfecta eſt, & completa templi ædificatio, anno 6. Darij regis Perſarum. 1. Eſdr. 6. nu. 15. Dedicatum eſt templum Domino Deo, & ſolemne paſcha celebratum. 1. Eſdr. 6. Ieſus porrò vita functus eſt, cum pontificatum annis quinquaginta ſex geſſiſſet: cui ſucceſſit filius eius Ioachim.

1. Eſdr. 2. & 3.

1. Eſd. 2. & Nehe. 12.

Ioachimo pontificatum gerente, Iudith illuſtris fœmina, de Holoferne duce exercitus Nabuchodonoſoris, qui regnabat in Niniue, nobiliſſimam illam victoriam, qualem in libro eius deſcriptam legimus, reportauit. Nam quamuis Genebrardus *in Chronico* putet hanc hiſtoriam Iudith contigiſſe tempore Nabuchodonoſoris magni Babyloniorum, & Sulpitius *libr. 2. hiſtor. ſacræ*, exiſtimet acciditſſe in tempore Artaxerſis Ochi regis Perſarum: conſtans eſt tamen omnium opinio, accidiſſe tempore quo dixi. Scribit Auguſt. *lib. de ciuit. 18. cap. 26.* imperante Cyro, aut iam Cambyſe regnante in Perſide, geſta eſſe, quæ in præfato libro Iudith commemorantur: quæ fuit veterum ſcriptorum ſententia: quæ duobus argumentis, potiſſimum confirmari videtur: vnum eſt, quod Achior, vt in ipſo libro legimus cap. 5. loquens ad Holofernem de Iudæis, dixit: *Nuper autem reuerſi ad Dominum Deum ſuum ex diſperſione, qua diſperſi fuerant, adunati ſunt, & aſcenderunt montana hæc omnia, & iterum poſſident Hieruſalem, vbi ſunt ſancta Sanctorum.* Alterum argumentum eſt, quòd in eadem hiſtoria dicitur pontifex eſſe Ioachim. Sed poſt reditum Iudæorum in patriam, nullus alius fuit pontifex nomine Ioachim, niſi filius Ioſedec. At eo tempore, inquies, nullum erat Templum extructum; cuius tamen fit mentio in libro Iudith. Reſpondeo, fuiſſe iam altare Domino erectum, & Templi fundamenta iacta. Deinde, ea quæ narrantur cap. 4. & 5. ſolùm indicant oraſſe Iudæos conuerſos ad faciem Domini, quod ideo dictum eſt, quia orantes ſe conuertebant ad locum, vbi ſteterat arca Domini: & quia ædificatio templi, cœpta erat, & erat Domino erectum altare. Si ſecundo dicas; Reges Perſarum tunc Chaldæis & Babylonijs imperabant, quo modo igitur in Chaldæa regnabat Nabuchodonoſor? quo modo item Nabuchodonoſor dicitur rex Aſſyriorum, qui regnabat in Niniue ciuitate magna? & quo modo vicerat, & ſibi ſubiecerat Arphaxad regem Medorum? & quo modo miſit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damaſco, & Libano, vt ipſi parerent; cum hæc omnia loca & prouinciæ eſſent ſub ditione regis Perſarum? quo modo item res gerebatur conſilio & imperio pontificis, non ducis Iudæorum? Reſpondeo, nihil hæc obſtare; nam Iuſtino teſte, Aſſyrij iam defecerant à Perſis, & Babyloniam occupauerant: quod fortè accidit; dum Cyrus bello Scythico, & Cambyſes Aegyptio detineretur. Aſſyrij enim cupientes rem ſuam in priſtinum ſtatum reducere, deſciuerunt à Perſis, & bello Babyloniam ceperunt, & ibi regem ex genere Chaldæorum ſibi crearunt, qui dictus eſt Nabuchodonoſor, vel quia nomen hoc erat eius gentis regibus commune; vel fortè quia eo nomine rex ille appellabatur. Fortaſſis etiam gens ex primo Nabuchodonoſore Babyloniæ rege ducebat, qui tempore Ioachim regis Iuda Aſſyrios ſibi ſubiecerat. Dum verò Aſſyrij defecerunt à Perſis, deſciuerunt & Medi, conſtituto ſibi rege Arphaxad: qui quidem duo reges de iure & poteſtate regnorum, inter ſe armis decertarunt: ſed victi Medi Aſſyrijs ceſſêre: & tunc Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum parta victoria, miſit ad omnes gentes in Cilicia, Damaſco, & Palæſtina, vti ipſum Dominum ſuum, & regem agnoſcerent, paulò verò poſt Darius Hyſtaſpis filius opera Zopyri, Babyloniam in ſuam poteſtatem redegit, & deuicit Aſſyrios, teſte Auguſtino, & Oroſio, & alijs. Nec mirum eſt, rem totam geſtam eſſe imperio pontificis, quoniam dux Hebræorum creditur probabiliter abfuiſſe tunc temporis à Iudæa. Non probo ſententiam Cani *libro 11. de locis Theolog. capit. ſexto*, dicentis hiſtoriam Iudith accidiſſe tempore Manaſſis regis Iudæorum: tunc

Iudith. 4.

Iuſtin. lib.

enim rex ipse, non pontifex, communi populi salute prospiceret: rex enim rempublicam regebat.

Ioachin gessit pontificatum annis octo absente patre: eo mortuo, annis quadraginta octo: cui postea successit filius eius Eliasib.

Huius pontificis tempore, Nehemias missus est ab Artaxerxe Lõgimano rege Persarum Hierosolymam, vt vrbem restauraret: qui intra 12. annorum spatium absoluit opus. Ab Artaxerxe videlicet Longimano, missus quoque fuerat Esdras, vt Dei legem restitueret, vt refert idem 1. Esd. cap. 7. Sed in dubium vertitur, quis fuerit iste Artaxerxes Persarum rex. Constans est veterum opinio, eum fuisse Artaxerxem Longimanum. De quo 1. Esd. 7. & 8. & 2. Esd. 2. 5. & 13.

Eliasib, Ioachim filius, pontificatum gessit annis vno & viginti, & duces fuerunt Resah filius Zorobabelis, & Ioanam filius Resah.

Eliasib mortuo successit in pontificatu Ioiada filius eius, & tunc temporis populus Iudæorum per totum Persarum imperium dispersus, liberatus est à cæde, quam molitus apud Assuerum fuerat Aman. Accidit igitur tota ea historia, quæ refertur in libro Esther. Sed dubiæ quæstionis est quinam fuerit rex ille Assuerus, de quo in libro Esther. quis item fuerit Artaxerxes ille, de quo sermo est in eodem libro *capit. 11. 12. 13. & 16.* Canus *lib. 11. de locis Theolog. cap. 6. ad 9.* censet illum regem fuisse, vel Astyagem Medorum regem, annum Cyri regis Persarum, vel Cyexerem regem Medorum patrem Astyagis. Sed communis fuit semper veterum & recentiorum Scriptorum sententia, eum regem Assuerum fuisse Artaxerxem Longimanum, regem Persarum, quem profani Scriptores vocarunt Artaxerxem: Hebræi verò Assuerum. Vnum obstare videtur; nam Esther 11. Mardochæus dicitur fuisse de eo numero captiuorum, quos transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis de Hierusalem, cum Iechonia rege Iudæ. ergo Mardochæi ætas, & res ab eo præclarè gestę dissentiunt omnino cum sententia communi; nam vel non potuit ad tempus Artaxerxis Longimani Mardochæus peruenire, vel in tam prouecta ætate non potuit ea gerere, quæ in libro Esther memorantur. Respondeo, Mardochæum dici esse de eo numero captiuorum, qui fuerunt in Babylonem translati, quia genus duxit ex ijs parentibus, qui fuerant translati: genitus fuerat in Babylone, & eius parentes fuerant captiui abducti in Babylonem. Quidam putant Assuerum illum fuisse Artaxerxem Mnemonem: sed mihi magis probatur communis, quam dixi, sententia; & existimo quoq; Artaxerxem illum, de quo in libro Esther *cap. 11. 12. 13. & 18.* fuisse Artaxerxem Longimanum, cuius tempore vixit Mardochæus.

Fuit in pontificatu Ioiada annis viginti quatuor, ei quoq; successit filius eius Ionathan: qui totidem annis gessit pontificatum.

Iaddus successit in pontificatu patri suo Ionathæ, & dux erat Iudas Hyrcanus filius Ioanam ducis; cuius Pontificis anno octauo, Alexander rex Macedo deuicto Dario vltimo rege Persarum, venit in Iudæam: cui obuiam processit, vnà cum populo ipse Iaddus pontifex, teste Iosepho *lib. 11. Antiquit. capit. 8.* Subditione Græcorum fuit populus Iudæorum annis 189. eadem conditione, qua fuerat sub imperio Persarum: videlicet regibus Græcorum tributum annuum soluebat: sed Reipublicæ administratio erat penes pontifices ac duces, ac suis legibus & institutis viuebat.

Onias Iaddi filius in pontificatu successit, & fuit sub Ptolemæo Lagi Aegypti rege post obitũ Alexandri. hic rex Ptolemæus Iudæam armis occupauit, & multos Iudæorum in Aegyptum captiuos abduxit. Vixit autem Onias in pontificatu annis 27.

Simon nepos Oniæ successit, & pontificatum gessit annis 23.

Eliazarus Simonis frater in pontificatu succedens, eum pontificatum gessit annis 20. quo tempore Ptolemæus Philadelphus Ptolemæi Lagi filius, populum Iudæorũ soluta captiuitate in patriam remisit, & Sacra Biblia in Græcum sermonem cõuertenda, per septuaginta duos Interpretes curauit.

Manasses Eleazari patruus pontificatum rexit annis 27. partim sub Ptolemæo Philadelpho, partim sub Ptolemæo Euergete.

Simon Iustus honoratus à magno Antiocho, successit in pontificatu: vixit sub Ptolemæo Euergete, huius nominis primo, & sub Ptolemæo Philopatore: quo tempore Antiochus ille magnus, & VI. Syriæ rex Ptolemæum Philopatora spoliauit Iudææ regno, sed illud rursus recuperauit Ptolemæus Epiphanes, quem Iudæa iterum spoliauit Antiochus. Sed data demum in matrimonium Cleopatra Ptolemæo Epiphani, Antiochus partem tributorum, quam pendebant Iudæi, dotis nomine, Epiphani tribuit, & partem sibi retinuit: at verò Iudææ possessio penes ipsum Antiochum mansit. Ex quo tempore Iudæorum populus fuit regibus Syriæ subiectus. Simon verò cum in Pontificatu vixisset annis viginti octo, successorem reliquit Oniam filium.

Onias pontifex vixit sub Seleuco Philopatore Antiochi Magni filio, & Antiochi Epiphanis, seu Illustris patre: quo tempore turbari cœpit pontificatus, ortis seditionibus ob quosdam, qui ad pontificatum ambitiosè aspirabant: nam Iason Oniæ pontificis frater, & Menelaus Simonis iusti frater, pontificatum auide cupiebant. Iason deturbato à pontificatu Onia fratre suo, tributum quod regi Antiocho Epiphani soluebatur, auxit: nam in singulos annos promisit talentorum tria millia sexcenta sexaginta: pontificatum obtinuit, Deique populum nefariè & impiè ad Gentilium ritus transferendum curauit, vt pontificatum, quem malis artibus acquisierat, conciliatis sibi plurimus, qui ad ritus Gentium aspirabant, confirmaret magis. Qua in re plurimum est adiutus ab Antiocho Epiphane, qui vrbem Hierosolymam ante vastarat, gentem deleuerat, templum diripuerat, atque polluerat, & Iudæos DEI leges, patriaque & auita instituta deserere, & Gentium more viuere compulerat. Tunc sacerdos Matthathias dictus Assamonæus, ab Assamonæo proauo, cum ea damna, & iniurias ferre non posset, diuinæ legis studio & amore inflammatus, arre-

2. Mach. 4. Iose. lib. 12. antiq. c. 5.

1. Mach. 2. Iose. lib. 12. cap. 7.

ptis ar-

ptis armis, vnà cum quinque filijs, propinquis, & alijs, eas iniurias vlciſci conſtanter & fortiter cœpit. Poſt cuius obitum vniuerſi, qui ſe illi & filijs adiunxerant, deſignatum iam ante à patre Iudam cognominatum Machabæum ipſius Mathathiæ filium creauerunt populi ducem ad gerenda cum hoſtibus bella.

Poſt Iaſonem pontificatu pulſum, fuit pontifex frater eius Menelaus, qui in pontificatu vixit annis duodecim.

1.Mach. 7. Iudas Machabæus Mathathiæ filiꝰ, dux & princeps tantùm populi fuit, cui annis quinque præfuit. Ac multa quidem ille bella conſtanter, præclarè, ac feliciter confecit: primum cum Apollonio duce Antiochi, quem vicit, & interemit. *1. Machab.3.*

Secundum bellum geſſit Iudas contra Seronem, vt ibidem commemoratur.

Tertium contra Lyſiæ duces, & exercitũ; quos etiam profligauit, ac vicit, *1.Machab.4.*

Quartum cum ipſomet Lyſia Antiochi duce; quem etiam debellauit: ibidem, poſtea templum mundauit, quod Antiochus ille Epiphanes tribus annis, & ſex menſibus antè polluerat.

Quintum eius bellum fuit contra Idumæos, quos etiam debellauit, *1.Machab.6.*

Sextum cum Ammonitis, quos etiam ſuperauit: *eodem lib. & cap.*

Septimum, cum Timotheo, & Galaaditis, de quibus victoriam reportauit. *Ibid.*

Octauum contra Gentes, quæ erant in Samaria, quas omnes ſibi ſubiecit.

Nonum, iterum cum Lyſia, quem etiam victũ, turpiter fugere coëgit.

Decimum, cum rege Antiocho Philopatore, & eius exercitu; quod bellum, eodem, quo diximus, capite narratur.

Vndecimum cũ Demetrio rege Syriæ, & cum ducibus Bacchide & Alcymo, *de quo bello 1.Machabæorum 7.*

Duodecimũ cũ Nicanore duce Demetrij. *Ibid.*

Decimumtertium, cum eodem Bacchide & Alcymo Iudas bellum commiſit: in quo & cecidit, poſtquã ſtrenuè & acriter decertarat. *1. Machab.9.*

Sub Antiocho Epiphane paſſi ſunt ſeptem Machabæi fratres; qui omnes cum Dei legem, & maiorum inſtituta violare, multis ſupplicijs & tormentis cogerentur, mori maluerunt, & ad extremum mater, quæ fuerat filios ad ſupplicia fortiter pro patrijs legibus ferenda, virili planè animo cohortata, eodem cum illis ſupplicio affecta & conſummata eſt, vt 2.Machabæor.7. perhibetur. Hi fratres Machabæi appellati ſunt, ſiue quòd ex genere Machabæorum genus & originem duxerint; ſiue quòd eorũ ſupplicia, & mortes Hiſtoria Machabæorum retulerit, atque commemorarit.

1.Mac. 10. 11.& 12. Ionathan fratrem Iudæ Machabæi, populus Iudæorum, in fratris locum, principem ac ducem creauit. Fuit hic, princeps ſimul & pontifex appellatus ab Alexandro Antiochi Epiphanis filio, rege Syriæ: remiſſionem tributorum à Demetrio iuniore impetrauit: ſed tandem dolo Tryphonis regnum affectantis, Ptolemaide captus, cum duobus filijs interfectus eſt. Geſſit pontificatum, & principatum annis decem & octo.

Simon, Ionathæ frater, princeps ſimul & pontifex, ſucceſſit: arcem Hieroſolymæ ab hoſtibus recepit: Iudæos in veterem libertatem vindicauit, propagatis ſui principatus finibus, renouata amicitia cum Spartiatis & Romanis, cum annos octo in põtificatu & principatu vixiſſet, dolo interemptus in conuiuio eſt à genero Ptolemæi, qui principatum ambitione affectabat, in quo tamen Ioannes Hyrcanus, ipſius Simonis filius ſucceſſit. *1. Mac. 14. & 16.*

Ioannes Hyrcanus, princeps ſimul & pontifex fuit: Idumæos deuicit, Samariam cepit.

Ariſtobulus Ioannis Hyrcani filius, idem & princeps & pontifex fuit. hic primus poſt captiuitatem Babylonicam, ſibi diadema regium impoſuit, & rex eſt appellatus. mortuus eſt anno primo ſui regni.

Alexander Ianneus Ariſtobuli frater, rex ipſe quoque & pontifex fuit, Sadducæus & crudelis, pios & religioſos Iudæos occidiſſe, & Phariſæos ſexcentos cruci affixiſſe fertur: vnde totam vrbem Hieroſolymam Phariſæorum cædibus repleuit. regnauit annis 27. reliquit duos filios, Hyrcanum & Ariſtobulum: ſed adminiſtrationem regni Alexandræ vxori commiſit: quæ dicta à Græcis Alexandra, à Iudæis Salome vocatur. *Ioſe. lib. 13. cap. 22.*

Alexandra regnum adminiſtrauit an. 9. Phariſæos in amicitiam recepit. Pontificatum Hyrcano filio natu maximo tradidit, dum vixit: cui moriens, regnum cum pontificatu coniunctum, teſtamento reliquit. *Ioſe. lib. 13. cap. 26.*

Hyrcanus Alexandri Iannæi filius, rex ſimul & pontifex fuit: & poſt tres menſes ab Ariſtobulo fratre pulſus, ad Pompeium Magnum tunc Romanam rem in Aſia gerentem, ſe recepit.

Ariſtobulus Hyrcani frater, ſex annis regnauit pulſo fratre è regno, capta Hieroſolyma à Pompeio, in ipſius poteſtatem deuenit, vinctuſq; Romam miſſus eſt: & reſtituto ſolùm pontificatu Hyrcano, Iudæa iuris Romanorum facta eſt, ita vt Romanis tributum pendere cœperit anno 61. ante Chriſti Domini ortum, ſuis tamen inſtitutis & legibus regebatur, quanquam per Romanos Syriæ præſides. cuius pars erat Iudæa, adminiſtrabatur. Syriæ autem gubernatio primum Pompeio, mox Scauro, deinde Gabinio, & poſt Craſſo demandata eſt, & Pompeius Antipatrum Idumæo genere Aſcalonitam procuratorem in Iudæa conſtituit, Hircano pontificatum gerente.

Ex eo tempore ſolùm præfuerũt pontifices in ijs, quæ ad Dei cultũ & cæremonias pertinebant: ius verò & poteſtas in cæteris penes Romanos erat. Interim Hyrcanus pontifex obſidetur à Parthis, quos adduxerat Antigonus ipſius Hyrcani nepos ex fratre Ariſtobulo: & vrbe expugnata, captiuus abducitur: & iterum regnum Iudææ, eiecto Hyrcano vnà cũ Antipatro, redit ad poſteros Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, nempè ad Antigonum filium Ariſtobuli.

Antigonus Ariſtobuli filius, rex & pontifex factus, Parthorum auxilio, præfuit annis tribus: ſed deinde eiectus è regno, & interemptus eſt ab Herode Antipatri filio, Hyrcani genero; qui Herodes Romanorum ope, factus eſt rex Iudeæ, & tunc Iudæa, quæ penes poſteros Machabæorum fuerat an. 122. ad Herodem alienigenam tranſijt.

Herodes

Herodes hic Antipatri filius Ascalonita, cum videret Hyrcanum socerum quondam regem & pontificem, reuersum ex Parthis, vt regem à populo salutari, anno 26. sui regni interfecit cũ tota familia, ne quis stirpis regiæ superesset: & tũc nutu & arbitratu suo cœpit pôtifices creare mutare, cõfirmare: qui mos deinde ad Romanos trãsijt vsq; ad Christi Domini aduentum. post multas cædes tandem Iudæi inuiti eum pro rege acceperunt an. 32. à se occupati regni. regnauit an. 37. & miserabili virę exitu decessit, relicto regno Iudææ Archelao filio, & Galilææ iure Tetrarchię Herodi filio, qui dictus est Antipas; Iturææ & Trachonitidę Philippo, Abylinæ Lysaniæ filijs.

Archelaus Herodis Ascalonitæ filius, rex Iudææ, cum an. 8. regnasset, apud Cæsarem Augustum perduellionis accusatus, Romæ priuatus est regno, & Viennam Galliæ relegatus: & inde Iudæa cœpit per Procuratores Romanos gubernari, cæteris Herodes filijs in suis Tetrachijs, quæ ipsis assignatæ erant, remanentibus.

Tertiò quęritur, Quo ordine sibi inuicem Prophetæ successerint, qui sacros suorum vaticiniorum libros reliquerunt.

Primus est Isaias: qui tempore Oziæ, Achaz, & Ochoziæ regum Iudæ, vaticinatus est.

Secundus, Hieremias, Anathotites Sacerdos, à diebus Iosiæ regis Iuda vsque ad Sedechiam regem prophetauit.

Tertius, Ezechiel, & ipse sacerdos quinto anno Transmigrationis regis Ioachim apud vrbem Babylonem, mœstis ob captiuitatem Iudæis, & in captiuitate detentis, suum edidit vaticinium.

Quartus, Daniel, ipse quoque in eadem Transmigratione Babylonem abductus, vixit vsque ad annum quintum ex quo Cyrus rex Persarum Babylonijs cœperat imperare.

Et hi quidem quatuor, Prophetæ maiores appellantur: minores verò, duodecim, qui sequuntur.

Primus est Osee; qui sub Ozia, Ioathan, Achaz, & Ezechia regibus Iuda, & Hieroboam filio Ioas, rege Israëlis, est vaticinatus, fuit æqualis Esaiæ.

Secundus Ioel; qui sub eisdem Regibus creditur vaticinatus.

Tertius, Amos; sub Ozia rege Iuda, & Hieroboam filio Ioas rege Israëlis.

Quartus, Abdias: hic eodem tempore creditur prophetasse.

Quintus, Ionas: qui etiam putatur vixisse, sub Hieroboam rege Israëlis.

Sextus, Michæas; sub eisdem regibus Iuda, quibus Osee, & Isaias, vaticinium suum edidit.

Septimus, Nahum: hic sub Ezechia rege Iuda prophetauit.

Octauus, Habacuch, sub Ioachim rege Iuda.

Nonus, Sophonias, sub Iosia rege Iuda.

Decimus, Aggæus, anno secundo regni Persarum, reuersis in patriam Iudæis, nunciat impletũ esse tempus instaurandæ domus Domini, & vrbis Hierusalem.

Vndecimus, Zacharias, qui sub idem tempus cœpit vaticinari.

Duodecimus, Malachias, omnium scilicet vltimus propheta, & putatur esse Esdras sacerdos, & Scriba. hic creditur vaticinatus sub Dario, & Artaxerxe Longimano Persarum regibus.

Iesus filius Sirach Ptolemæi Lagi filij tempore creditur scripsisse Librum, qui dicitur Ecclesiasticus.

Ioachim Pontifex filius Iosedech, & qui ei in Pontificatu successit, putatur scripsisse Historiam Iudith.

Mardochæus (vt plerique opinantur) fuit auctor Historiæ Esther; & iuxta aliquorum sententiam, scripsit sub Artaxerxe Mnemone Persarum rege, qui in eo libro vocatur Assuerus; iuxta alios vero, sub Artaxerxe Longimano. Itaq; Anno primo quo Babylonijs Cyrus imperare cœpit, Iudęi in patriam redierunt, & anno secundo ab eorum reditu iacta sunt fundamenta Templi, & anno sexto Darij Hystaspis filij, qui erat annus à reditu Iudæorum vigesimus septimus reparatum est Tẽplum, & regnante Cambyse post Cyrum in Persida contigit celebris illa victoria Iudith sub Ioachim Pontifice filio Iosedech: deinde anno septimo Artaxerxis Longimani post reparationem Templi anno ferè quinquagesimo septimo restituta est lex per Esdram Sacerdotem, & vrbis reædificatio per Nehemiam resumpta anno eiusdem Regis vigesimo, ab ipsius verò Templi reparatione anno ferè septuagesimo. At Iudæorum liberatio in regno Persarum à cæde Aman per Mardochęum, & Esther secundum aliquos accidit anno duodecimo Artaxersis Mnemonis, à reditu verò Iudæorum anno centesimo quinquagesimo: sed iuxta communem sententiam, quam hactenus sequutus sum, contigit regnante Artaxerxe Longimano.

Caput LVII.

De Tempore, quod inter Egressum Hebræorum ex Aegypto duce Mose, intercessit, vsque ad Templi extructionem.

PRIMO quæritur, Quot annos contineat ea, quæ dicitur quarta Mundi Aetas ab exitu Israëlitici populi vsque ad templi ædificationem.

Respondeo 3. Reg. 6. numerari annos 480. qui ex sacris literis ita colliguntur:

Moses ex tribu Leui rempublicam Iudæorum administrauit annis		40.	Deut.29.
Iosue de tribu Ephraim	an.	28. vel 18. secundum alios 27	
Othoniel ex tribu Iuda,	an.	40	Iudic.3.
Aiod ex tribu Beniamin,	an.	8	Iudic.3.
Debbora ex tribu Ephraim, & Barach, ex tribu Nephthali	an.	40.	Iudic.5.
Gedeon aliàs Hierobaal ex tribu Manasse,	an.	40	Iudic.8.
Abimelech filius eius spurius,	an.	3	Iudic.9.
Thola ex tribu Issachar.	an.	23	Iudic.10.
Iair ex tribu Manasse,	an.	22	Iudic.10.
Iephthe ex tribu Manasse,	an.	6	Iudic.12.
Abessan ex tribu Iuda.	an.	7	Iudic.12.
Aialon ex tribu Zabulon.	an.	10	Iudic.12.

Abdon,

Abdon, ex tribu Ephraim,	an.	8	Iudic.12
Samson ex tribu Dan,	an.	20	Iudic.16.
Eli de tribu Leui,	an.	40	1.Reg.5.
Samuel è tribu Leui, & Saul à tribu Beniamin.	an.	40	Act.13.
Dauid regnauit	an.	40	3.Reg.5.
Salomon eius filius cœpit ædificare Templum anno regni sui quarto			3.Reg.6.
Summa igitur annorum, quos diximus, est		480	

Secundò quæritur, Quo modo sint computandi anni, quibus in lib. Iudi. Israëlitæ dicuntur seruisse Gentibus? Respondeo, eos esse numerandos partim in annis subsequentium, partim in annis præcedentium iudicum: non enim seorsum computandi sunt, vt nonnulli falsò putant: nam sic habet communis sententia omnium ferè scriptorum, Eusebij, Orosij, Isidori, Bedæ, Lyrani, Abulẽsis; eodemque pacto numerant omnes Hebræi. Si enim interregna seorsum computentur, efficientur anni plures, quàm qui 3.Reg.6. numerantur, quingenti nimirum, & eo plures.

Exod. 7. Mosis anni ex sacris literis ita colligũtur: nam Exod.7. dicitur eduxisse populum ex Aegypto anno vitæ suæ octogesimo, & 40. annis præfuit in deserto, vt patet Deuter.29. & vixit annos 120. vt scribitur in fine Deuteronomij.

Iosue anni, quibus præfuit Populo Dei, ex scriptura non constant; & ideo varia est annorũ eius supputatio. Iosephus putat eum præfuisse annis 25. Eusebius 27. vel 28. totidem plerique Hebræorum; sic Sulpit. *lib.2. sacræ histor.* Aug. *libr.18. de ciuit. Dei. cap.11.* Sed vt Lucidus, & Genebrardus aiunt, ex cõuenienti supputatione annorum, qui 3.Reg. 6. ponuntur, colligitur eum præfuisse annis 17. vel 18. nam Iosephus, Eusebius, & Hebræi præfecturæ Iosue annos tribuunt 25. vel 27. vel 28. quod ideo faciunt, quia sequuntur græcos 70. interpretum codices; in quibus deest Alaion, qui Iudicum 12. perhibetur iudicasse Israëlem annos 10. quos tribuerant Iosue, vt conficerent summam annorum 480. quæ 3.Reg.6. ponitur. Item, videtur ex scriptura colligi, Iosue septem annos consumpsisse in terra Chananæorum expugnanda, & totidem alios in ea diuidenda. Et ideo quidam Hebræorum tribuerunt ei 14. annos. Sed verisimile est, Iosue tres alios, vel quatuor annos superuixisse, & ita rempublicam gubernasse annis 18. vel 17.

Ab obitu Iosue vsque ad Othonielem, qui Iudicum 3. dicitur iudicasse Israële 40. annis, quidã existimãt fluxisse spatium 40. annorum, quia vlt. ca. Iosue legimus longo tempore vixisse post Iosue seniores, qui ipsius tempore fuerant. Genebrardus putat, eos seniores vixisse post Iosue 17. annis, qui numerari debent in annis 40. quibus iudicauit Othoniel. Mihi tamen probabilius videtur, eos vixisse plures annos, quoniam Othoniel fuit vnus ex illis senioribus & vnus ex his, qui in Terram sanctam ingressi sunt, & vnà cum Iosue Terram diuiserunt. Sed siue illi vixerint 20. annis siue 30. saltem vtra 40. non vixerunt, & quotquot illi anni fuerint, in annis Othonielis computandi sunt. Quod autem dicitur Iosue vlt. illos seniores vixisse lõgo tempore, intelligi potest, multis diebus; nomen enim hebræum tum annum, tum diem potest significare.

Sic Hebræi Exod. 40. Octo illi anni, quibus primum Israelitæ oppressi sunt sub ditione Chusan regis Mesopotamiæ Iud. 3. numerandi quoque sunt in annis quadraginta Othonielis: itaque post obitum Iosue, toto illo tempore quo vixerũt seniores Hebræorum, qui ipsum Iosue nouerant, Israeliticus populus piè & religiosè Deum coluit: quod tempus fuit secundum Hebræos, annorum septemdecim, & fortassis fuit etiam viginti, vel viginti-quinque annorum. Mortuis verò senioribus, populus Israeliticus cœpit Dei leges contemnere, & corrumpere, quare traditus est in potestatem prædicti regis Chusan, fortassis anno Othonielis vigesimo, vel vigesimoquinto, & octo annis, regis eiusdem tyrannide oppressus est, à qua per Othonielẽ multis ante annis Iudicis officio fungentem liberatus est.

Anni duodeuiginti quibus Hebræi seruierunt Elon regi Moabitorum Iud. 3. computandi sunt in annis octoginta, quibus Iudæorum rempublicam Aiod administrauit. Iudic. 3.

Sangar quidam existimant Israelem iudicasse, id est, Hebræorum rempublicam gubernasse: cõmunis est omnium Hebræorum sententia, Iudicem non fuisse; meminisse tamẽ eius Scripturam tanquam clarissimi viri, quippe qui multam hostium stragem ediderat extremis annis Aiod iudicis. Iudic. 3. ad finem legimus: Post hunc nempe Aiod fuit Sangar filius Anath quasi Scriptura, vltimis huius Iudicis diebus vixit clarissimus ille vir Sangar, qui pro Israele fortiter pugnans, sexcentos homines interfecit vomere, Chaldæus stimulo boum: & ita ipse quoque defendit Israelem. Eusebius non numerat in Chronico, sed Sulpitius recenset inter Iudices, sic etiam cæteri Latini: quod si Iudex fortè fuit, eodem anno, quo mortuus est Aiod, cœpit Israeliticam rempublicã administrare, & eodem anno obisse creditur, siquidem nullos ei annos tribuit Scriptura.

Anni viginti, quibus seruierunt Hebræi Iabin regi Chanaam, Iud. 5. comprehenduntur sub annis quadraginta, quibus Debbora vnà cum Barac rem Israeliticam gubernauit.

Anni septem, quibus Hebræi sub potestate Madianitarum fuerant Iud. 8. censetur in annis quadraginta, quibus Gedeon iudicauit. Sic Hebræi, & Eusebius.

Exod. 40. Hebræi. Anni duodeuiginti quibus subiecti fuerũt Hebræi Ammonitis, & Philistinis, numerantur in annis viginti duobus Iudicis Iair, vsq; ad secundũ annum Iudicis Iephte, qui secundo sui principatus anno Ammonitis bello victis, Israelem liberauit. Iud. 11.

Anni quadraginta, quibus Israelitæ seruisse dicuntur. Iud. 13. Philistinis, numerãdi sunt in hunc modum: Integris viginti annis quibus Sampson iudicauit, seruierunt: & ideo Scriptura de eo nõ dicit, quòd populum suum Hebræum ab hostibus liberauerit, sicut de cæteris Iudicibus dicit. Fuit igitur Respublica Hebræorum toto tempore, quo Sampson præfuit, bello à Philistæis vexatus: reliqui viginti anni, quibus Hebræi fuerunt à Philistinis oppressi, pertinent ad tempora

quibus

quibus Heli populum gubernauit. Non est igitur cur Samsonem è numero Iudicum expungamus vti expungit Andreas Masius in Commen. in librum Iosue viginti eius annos, quibus Israelem iudicasse memoratur, attribuens principatui Heli iudicis. Neque est, cur dicat Canus *lib. 11. de locis Theolog. cap. 5. ad 12.* argumentum prædictos quadraginta annos, quibus Hebræi Philistinis seruierunt, cum annis alicuius Iudicis computari non posse: nam' rectissimè numerantur in viginti annis, quibus Samson populum iudicauit, necum à seruitute liberauit. Et proinde in primis viginti annis Heli in Philystijm potestate manserunt Hebræi.

Tertiò Quæritur, historia Idoli Michæ, quæ refertur Iudicum cap. 17. & 18. Item, Constupratio vxoris Leuitæ, & cædes vniuersæ ferè tribus Beniamiticæ, quæ capit. 19. & 20. eiusdem libri memoratur, quo tempore, & sub quo Iudice cõtigerit? Hebræi, & Iosephus arbitrantur ea omnia accidisse tempore magistratus Othonielis; ac proinde quatuor vltima capita libri Iudicum sequi deberent iuxta eorum sententiam proximè secundum caput eiusdem libri. Sed mihi probabilius videtur, quod alij tradiderunt, ea accidisse eo tẽpore, quod inter principatũ Samsonis, & Præfecturã Heli sacerdotis interceſsit: & recto ordine ad finem libri ponuntur.

Quartò Quæritur an illi anni, quibus Samuel iudicauit, simul iungi debeant cum annis, quibus Saul regnauit? Hebræi Samueli seorsim attribuunt annos vndecim, & Sauli annos duos: quia 1. Reg. 13. legitur: *Duobus autem annis regnauit super Israel.* Iosephus tribuit Samueli soli post obitum Heli, annos duodecim, & ei vnà cum Saule annos decem & octo, & Sauli post Samuelem annos decem. Et ita omnes anni sunt quadraginta. Communis est Latinorum opinio quam habent Eusebius. & Sulpitius, Samuelis annos comprehendi sub annis, quibus Saul regnauit. Sauli autem Paulus tribuit in Actis Apostolorum quadraginta annos. Testantur Hebræi, Saulem post Samuelem vixisse mensibus quatuor: sed nostrorum plerique sentiunt duobus duntaxat annis vixisse.

Quintò Quæritur, quò pacto intelligatur locus ille 1 Reg. 13. *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset: duobus annis regnauit super Israel, & elegit sibi Saul tria millia.* Canus *li. de locis theolo. 11. c. 5. ad 12. censet*, numerum hoc loco esse depraua tum vitio scriptorum, & legendum esse: Filius viginti unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset. Sed certè verisimile non est, omnes codices esse corruptos, hebræos, græcos, & latinos: omnes enim consentiunt, & habent: Filius vnius anni erat Saul. Chaldæus paraphrastes interpretatur hunc locum, subintelligens particulam, quasi, quæ per eclipsim solet sæpè in hebræo deesse. Ita vt sensus sit; Erat Saul. cum regnare cœpisset, quasi filius vnius anni, hoc est, erat vir simplex, & innocens, quasi puerulus vnius anni. Quidam exponit sic, filius vnius anni erat Sauli, cum regnare cœpisset, hoc est, cũ regnare cœpit, habebat iam filium vnius anni. Mihi non placet hæc sententia. Fortasis huius loci sensus est: Transactus iam erat vnus annus ab electione, de qua 1. Reg. 10. cum regnare cœpit Saul. Filius vnius anni erat Saul more Hebræorum, cum dicitur filius tot, vel tot annorum, est perinde ac si diceretur, vir erat vnius anni Saul ab electione, qua fuerat per Samuelem iussu Dei creatus & vnctus in Regem, vir inquam erat vnius anni, ex quo regni administrationem susceperit. Id est, exactus iam erat vnus annus, ex quo gubernacula regni susceperat: *duobus autem annis regnauit super Israel.* hoc est, Præterierunt deinde duo alij anni regni eius. *Et Elegit sibi Saul tria millia*, id est, Tertio anno, quo iam erat regnum eius confirmatum; elegit sibi tria millia satellitum, ad sui corporis custodiam. Cur, dices, scriptura tanto verborum circuitu hanc historiam narrauit? voluit nimirum scriptura tria tempora distinguere, ex quo Saul electus est rex, sed nondum benè in regno confirmatus. Deindè initio secundi anni cœpit eius regnum confirmari: vnde vnus, & alter annus præterierant inchoati regni, & confirmati. Et hoc est, quod dicitur: *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset: & duobus annis regnauit.* Et postea tertio anno, vtpote iam confirmatus in regno, elegit satellites, qui corpus eius custodirent. Aut etiam fortasis non inepte sic: Exactus erat vnus annus, ex quo electus fuerat rex: & initio secundi anni cœpit confirmari: & trãsierunt duo alij anni ab hac confirmatione in regno. Et quarto anno firmato, & stabilito iam regno, elegit sibi satellites, sui corporis custodes.

Sextò Quæritur, quomodo trecenti illi anni, de quibus Iudicum 11 prædictis annis Iudicum consentiant? Sciendum est, Iud. 11. Iephte dixisse, trecentos annos fluxisse à regnis Seon, & Og occupatis, vsque ad suum dominatum: at videntur solùm interfluxisse anni ducenti septuaginta. Hoc argumento conuicti quidam censent, annos interregnorum numerandos non esse in annis Iudicum piorum, vel posteriorum, sed seorsim ac per se, vt conficiant summam trecentorum annorum, quam posuit Iephte. Alij verò existimant, annos interregnorum in libro Iudicum positos comprehendi debere sub annis Iudicum præcedentium, vel sequentium: id verò quod dicit Iephte, locum habere, quia iam ferè trecenti anni præterierant, nam fluxerant ducenti septuaginta: & minorem numerum septuaginta annorũ sumpsit, vt fieri solet, pro numero completo centum annorum: & ideo rectè dixit: Serò venis ac postulas, cum iam elapsi fuerint anni trecenti. Nam profectò si anni interregnorum seorsim, & per se numerentur, plures colligentur, quàm quadringenti octoginta, quos Scriptura ponit 3. Reg. 6.

Septimò Quæritur, quemadmodum huius ætatis anni consentiant cum eo, quod Paulus ait *Act.* 13. Et forte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos, & quinquaginta annos. Quidam opinantur eum locum Actorum esse corruptum negligentia librariorum, & legendum esse post trecentos quinquaginta annos, vt sensus eius loci sit: Et per quadraginta annorum tempus, mores eorum sustinuit in deserto: Et post sequantur illa verba: *Et post hæc dedit Iudices vsque ad Samuel prophetam*, postea legantur

illa: *Et destruens Gentes septem in terra Chanaan sorte distribuit eis terram eorum*, quasi post trecentos quinquaginta annos. Ac si diceret Paulus Post Moysen dedit Iudices vsque ad Samuelem; quo toto tempore annorum trecentorum quinquaginta expulit ac perdidit Chananæos, & sorte diuisit terram ipsorum Israelitis. Sed non est, cur dicamus omnes codices græcos, & latinos esse corruptos. Acto. 13. locus igitur Apostoli nequaquam intelligitur de numero annorum, quibus Iudices præfuerunt: sed prædicta Pauli verba referuntur ad locum Exodi, vbi dicitur: *Habitatio filiorum Israel in Aegypto, fuit annorum quadringentorum triginta.* Est enim Apostoli sensus? Post quadringentos, & quinquaginta annos: ex quo tempore promiserat Deus Abrahæ se Terram Chananæorum eius posteris daturum, sorte diuisam esse terram illam inter Hebræos.

Deindè Sciendum, vt sacra cum profanis coniungamus, in hac quarta Mundi ætate contigisse illud tam celebre apud scriptores profanos Troiæ excidium: quod videtur concurrisse teste Eusebio *in Chronico*, quem cæteri quoque temporum Scriptores secuti sunt, cum anno tertio Præfecturæ Abdonis Iudicis, quem proximè Samson est consecutus, & postea Heli, & deindè Saul. Ante bellum Troianum accidisse dicuntur, quæ narrantur de Triptolemo longa nauigatione Eleusim venienti, & ibi frumenta distribuente. Item, & ea, quę referũtur de Proserpina rapta ab Orco Molossorũ rege, & de Perseo, qui Gorgonem occidisse fertur, & ea, quæ memorantur de Danao per 50. filias interficiente 50. filios Aegisti fratris, cuadente solo Linceo, qui post eum regnauit, & quæ dicuntur de Asterio rege Cretensium, qui ex Europa filia Phœnicis genuit Minoem, Rhadamantum, & Sarpedonem, & quæ memorãtur de Progne, & Philomela, de Phrixo, & Helle sorore eius de Tantalo Phrygiæ rege, de Troie, & Ganymede filio eius. De Mida, qui regnauit in Phrygia,

Paulò ante Troiam captam, & euersam, (nisi fabulosa sit) contigit nauigatio Argonautarum duce Iasone Aesonis filio, & tota historia de Vellere Aureo in Colchide.

In idem quoque tempus inciderunt (Si veræ sunt) res gestæ, & Duodecim labores Herculis: & res gestæ Thesei regis Athenienſium.

Ab excidio Troiano vsque ad primam Olympiadem quæ concurrit cum anno quinquagesimo regni Oziæ regis Iuda, fluxerunt anni quadringenti, & sedecim, & ad vrbem Romam conditam, quadringenti, & quadraginta secundum Eusebium, & alios in Chronicis. Heraclidarum descensus in Peloponessum fuit iuxta aliquorum sententiam paulò post excidium Troiæ, fuit verò secundum alios anno fere centesimo post Troiam euersam Saule regnante apud Hebræos.

Codrus rex Athenienſium se neci tradens interimitur in bello Peloponesiaco, cum cæperat Dauid regnare in Israel.

Homerus in hac ætate vixisse perhibetur: Et teste Solino *cap.* 53. vixit post captum Ilium, anno ducentesimo secundo, ante Vrbem verò conditam, centesimo sexagesimo Agryppa Tyberini filio Albæ regnante; quamuis teste Eusebio *in Chronico*, Eratosthenes, & Aristarchus scripserint eum fuisse anno centesimo post Troiam captam, Philochorus anno 180. Apollodorus anno 240. post bellum Troianum & alij tradiderint eum floruisse paulò ante Olympiadem primam, videlicet anno quadringentesimo post excidium Troiæ. Plin. *lib.* 6. *capite* 12. ait: iam verò ante annos propè mille vates ille Homerus.

Hesiodus vtrum fuerit natu maior Homero, an minor, an verò eius æqualis, varia scriptores tradidêre, vt refert Gellius *lib.* 3. *cap.* 11. Sed Solinus loco citato ait: *Inter Homerum, & Hesiodum poetam qui in auspicijs Olympiadis primæ obijt, centum triginta octo anni interfuerunt*: & Cicero *in Dialogo de senectute* referens Catonis sententiam: *At Homerus, inquit, qui multos, vt mihi videtur, ante sæculis, quam Hesiodus fuit.*

Lycurgus, qui leges Lacedæmonijs tulit, teste Plutarcho in vita eius, secundum aliquos, fuit Homeri æqualis: secundum alios, vixit paulò ante Olymdiades: secundum alios, ferè Olympiade prima. Eusebius *in Chronico* ait: eum fuisse ante primam Olympiadem annis centum, & decem cum apud Iudæos regnabat Ioas, & apud Latinos Agrippa Syluius Tyberini filius.

Linus Thebanus, Zetus, & Amphionitidem thebani Musici, & Poetæ floruisse perhibentur eo ferè tempore, quo Othoniel Israelitcum populum gubernabat: & postea Orphæus genere Thrax, & eius discipulus Musæus, Poetæ, & Musici vixisse dicuntur cum Gedeon administrabat rempublicam Israeliticam, teste Eusebio *in Chronico*. Hi omnes Poetæ, & Musici vocati sunt Theologi.

Cap. LVIII.

De annis, qui inter Mundi exordium, & Templi ædificationem effluxerunt.

PRimò Quæritur, quot anni fluxerint ab ortu Abrahami vsque ad Templi ædificationem? Respondeo, summam annorum totius huius temporis, duas Mundi ætates continere, Tertiam, & quartam, Porò quartam iam diximus ab egressu Hebræorum ex Aegypto vsque ad inceptam Templi ædificationem continere annos 480. Tertia ætas cœpit ab ortu Abraham vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto, quæ secundum Hebræos, & communem Græcorum, & Latinorum scriptorum sententiam, complectitur annos 505. quæ summa annorum ita supputanda est.

Abrahamus genuit Isaac ætatis suæ an. 100
Isaac genuit Iacob ætatis suæ an. 60
Iacob descendit in Aegyptũ ætatis suæ an. 130
Israelitæ manserunt in Aegypto an. 215

Qui omnes anni simul collecti efficiunt prædictos annos 505

Sed dubiæ quæstionis est, quot annis Hebræi manserint in Aegypto. Duas inuenio opiniones, vnam communem quam videntur secuti Græci, & Latini Eusebius, Zonaras, Beda, Marianus, Hermannus. Otto, Vespergensis Hebræos in Aegypto

gypto mánsisse annis 215. Altera opinio, quam sequitur Genebrardus, censet mansisse annis 430. Probat multiplici ratione. Primò, quia Exod. 12. ad finem dicitur: Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Deinde, Acto. 13. Paulus ait, post annos quadringentos quinquaginta datam esse Hebræis terram Chananæorum sorte diuisam. Tertiò, Genes. 15. prædixit Deus Abrahæ. Quarta generatione reuertentur huc. Quartò, non est verisimile, tam paucis annis Hebræos in tantam Sobolem excreuisse, quanta egressa est ex Aegypto: legimus enim in eodem capite, exijsse sexcenta millia armatorum, exceptis pueris, & fœminis innumerabilibus. Postremò, Gen. 15. prædictum est Abrahæ, semen eius seruituti subijciendum in Aegypto quadringentis annis, donec liberarentur.

Mihi tamen probabilior videtur prima opinio, vtpote communis, Primo quidem, quia ad Gal. 3. ait Paulus, annis quadringentis triginta post factam promissionem Abrahæ Genes. 15. datam esse legem Moysi. Deinde, Exodi 6. inter Leui, & Moysen tantùm Scriptura connumerat duas generationes, scilicet Caath, qui vixit annis 133. Exodi 6. & Amram qui vixit annis 137. quæ duæ generationes solùm etiam connumerantur 1. Paral. 6. & Caath fuit vnus ex descendentibus in Aegyptum, Gen. 47. Tertiò, quia ex quò facta est promissio Abrahæ Genes. 15. vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto, fluxerunt anni 430. qui positi sunt. Exodi 12. & Acto. 13. vte rectè numerant Eusebius, Lyranus, Abulensis, & alij.

Vnde ad primum argumentum respondeo cum Exodi 12. dicitur, fuisse mansionem Israelitarum in Aegypto annis 430. alludit scriptura ad id, quod fuerat Abrahæ prædictum Genes 15 peregrinum futurum eius semen, & seruiturum annis quadringentis, & quarta generatione rediturum: ergo illi anni 430. positi Exodi 12. computantur ab eo tempore, quo est facta Abrahæ promissio: nam vnus Scripturæ locus paulò obscurior, non rarò per alium eiusdem scripturæ clariorem explicatur atque illustratur, Paulus verò ad Galat. 3 dicit datam esse legem Moysi annis 430. post factam promissionem Abrahæ. Ergo cum dicitur Exodi 12. *Fuit mansio Filiorum Israel in Aegypto annis* 438. intelligitur eum numerum esse supputandum à promissione facta Abrahæ. Ad secundum respondeo eodem modo. Ad tertium cum dicitur Genes. 15. *Generatione quarta reuertentur huc*, & seruiturum semen Abrahæ annis quadringentis totum intelligitur à promissione facta Abrahæ. Nec mirum est in tantum numerum excreuisse Hebræos intra annos 215. quia illi genti supra modum Deus fauebat. Et certè cum duobus locis, scilicet Exodi 6. & 1. Paral. 6. duas tantùm generationes scriptura ponat inter Leui, & Moysem, absque ratione dici videtur, fuisse alias plures, quas scriptura prætermiserit. Nec est quod dicas, etiam Matth. 1. fuisse quasdam generationes omissas; quia quas Matthæus præterijt, in alijs Scripturæ locis apertè continentur; & ideo scimus eas Matthæum omisisse, & tres illi reges, qui à Matthæo relinquuntur, habebantur quasi capite diminuti apud Iudæos, & ideo numerari non solebant in Catalogis Regum.

In hac Mundi ætate omnes Temporum Scriptores ex Eusebio in Chronico, constituunt Assyriorum Monarchiam, cuius historici Græci vix meminerunt. Huius Monarchiæ primum regem commemorant Ninum Beli filium, & deindè alios reges vsque ad Sardanapalum, teste Diodoro Siculo *libro 3. capite 1. 2. 4. & 6.* De Imperio, & rebus Assyriorum aliqua litteris mandauit Ctesias Gnidius; quæ omnia refert idem Diodorus siculus *in sua Historia, lib. 3. à cap. 1. vsque ad 16.* Dicitur hæc Monarchia cœpisse eo tempore, quò natus est Abrahamus, vel secundum alios paulò ante: & durasse annos mille ducentos quadraginta vsque ad annum sextum Oziæ regis Iuda teste Eusebio, Beda, Adone, Hermanno, Othone, Vespergensi. Diodorus loco citato Ctesiam Gnidium secutus scribit perseueraſse annos mille trecentos sexaginta vsque ad Sardanapalum vltimum regem Assyriorum.

Euerso Assyriorum Imperio, ad Medos translata est Monarchia eisdem testibus: & Medorum regem aiunt fuisse potentissimum, sed apud Babylonios, & Chaldæos mansisse Reges longe minores, & Regi Medorum subiectos, & tributarios. Siquidem scriptura in libris Regum, & Paralipomenon post Oziam regem Iudæ, sæpe meminit regum Assyriorum.

Omnis profana Gentium historia initium eiusmodi Monarchiæ à Nino primo Assyriorum rege sumit, vt videre est apud Herodotum, Trogum, Iustinum, Diodorum, Ctesiam, vt etiam annotarunt Tertullianus, & Orosius, quos citat Genebrardus *in Chronologia.*

Porrò ab Adamo ad Ninum regem ferè bis mille anni fluxerunt, qui ab vniuersis scriptoribus profanis ignorati, & omissi sunt.

A Nino autem vsque ad Cæsarem Augustum, cuius tempore natus est Christus Dominus, colliguntur plusquam duo millia annorum, in quibus scriptores profani versati sunt, vt scribit Paulus Oros. *lib. 1. cap. 1.*

A Nino vsque ad initium Olympiadum, tota historia profana habetur fabulosa: ita vt ab initio Olympiadum tantùm Gentilium historia vera censeatur De hoc Assyriorum imperio pauca admodum legimus apud Eusebium, quæ ex Diodo. Sicul. *lib. 3. à cap 1. vsque ad septimum*, videntur esse desumpta. In hac igitur ætate fuisse memorantur res gestæ Semiramidis, quæ Nini fuit vxor.

Sicyniorum in Achaia siue Peloponeso Regnum dicitur cœpisse Abrahæ tempore, & habuisse reges vigintisex, & durasse annos 862. vsque ad tempus, quo Israelem iudicauit Heli. Sicyon autem, teste Pausania in Corinthiacis, est vrbs vetustissima Peloponesi, non procul à Corintho sita. Sicyniorum etiam res Græci scriptores ignorauerunt, præter pauca, quæ apud Pausaniam, & Eusebium leguntur: qui etiam nuda regum nomina percensere contempti, nonnulla addiderunt, vt quisque legere per se ipse potest apud Pausaniam in Corinthiacis,

M. Varro cœpit scribere ab Aegialeo, primo Sicyoniorum rege, & peruenit ad Athenienses, mox ad Latinos, ait Augustinus *libro de ciuit. 18. cap. 2.*

Aegyptiorum regnum dicitur etiam cœpisse Abrahæ tempore : cuius primum Regem Scriptores profani testantur fuisse Vexorem, qui in Pontum vsque victor arma protendisse perhibetur.

Scytarum regnum eodem item tempore ortum fuisse narrant ijdem scriptores profani: primumque regem constituunt Tanaum: qui Vexorem Aegypti regem, & omnem penè Asiam suo imperio, & ditioni subiecit.

Ariginorum regnum Iacobo Patriarcha trigesimum ætatis annum attingente, cœpit: cuius primus Rex dicitur fuisse Inachus, cui successit filius Phoroneus. In Peloponeso est Sinus Argolicus ad Myrtoum mare, vbi est Argolis, quæ Agos, & Micænas vrbes, Inachum, & Erasinum fluuios, tum etiam Laconiæ partem continet.

Secundò Quæritur, quot anni fluxerint à generali aquarum inundatione, quæ fuit tempore Noe, vsque ad Templi ædificationem? Respondeo, annos à prædicta aquarum inundatione esse annos secundæ, tertiæ, & quartæ ætatis:

Porrò annos tertiæ, & quartæ ætatis iam ante computauimus, & eorum summam collegimus. Numerandi, & addendi præterea sunt anni secundæ ætatis, quæ fuit à Diluuio vsque ad ortum Abrahami. Hæc autem ætas secunda, iuxta Hebræos codices, & vulgatam editionem latinam, continet annos 292. & dies 10. At secundum 70. Interpretes, continet annos 1072. quoniam 70. Interpretes addiderunt 780. in hunc modum.

Diluuium durauit annum vnum secundum septuaginta.	1
Sem genuit Arphaxad anno à Diluuio.	1
Arphaxad genuit Sale anno ætatis suæ.	35. secundum 70. 135.
Sale genuit Heber anno suæ ætatis	30. secundum 70. 130.
Heber genuit Phaleg anno ætatis suæ.	34. secundum 70. 134.
Phaleg genuit Reu anno ætatis suæ.	30. secundum 70. 130.
Reu genuit Sarug anno ætatis suæ.	32. secundum 70. 132.
Sarug genuit Nachor anno ætatis suæ.	30. secundum 70. 130.
Nachor genuit Thare anno ætatis suæ.	29. secundum 70. 79.
Thare genuit Abraham anno ætatis suæ.	70.

Annorum ergò summa à Diluuio vsque ad Abrahamum est 292. At verò secundum 70. 942. Nam in prima generatione vtrique codices conueniunt, & in nona: at in 2. 3. 4. 5. 6. 7. 70. semper addiderunt 100. annos : in octaua addiderunt 50. & inter Arphaxad, & Sale posuerunt generationem Cainam cui annos 130. tribuerunt.

Magna est quæstio de hac generatione: nam & codices hebræi, & latina versio vulgata prætermittunt eam generationem, quam tamen expresserunt 70. Interpretes, cui vt dixi, ascripserunt annos 130. Quoniam 70. habent sic : Arphaxad genuit Cainan anno ætatis 135. Cainam genuit Sale anno ætatis 130. cum tamen hebræi codices, & vulgata æditio latina nulla facta mentione Cainan, habeant : *Arphaxad genuit Sale.*

De hac generatione Cainan addita à 70. Interpretibus variæ sunt Auctorum sententiæ: prima est, asserentium Cainam, & Sale, esse vnum, & eundem hominem duobus nominibus vocatum. Et cum illis objicitur, quod legitur Lucæ 3. Qui fuit Sale, qui fuit Cainan : respondent, textum apud Lucam esse corruptum, & legendum esse sic : *Qui fuit Sale, qui & Cainan*: quasi dicat, qui alio nomine dicitur Cainam. Sed his repugnat lectio 70. Interpretum Geneseos 5. ex quibus Lucas hanc generationem accepit. Secunda sententia est quorundam, qui asserunt 70. interpretes ex suo addidisse hanc generationem, quæ in hebræo non erat: & Lucam 70. Interpretum sententiam secutum fuisse : quæ sententia temeritate non caret. Nam 70. addendo illam generationem, vel erraruni, vel non. Si primum Scripturam igitur corruperunt : at hoc est Lucas Euangelista secutus, ergo hunc quoque errasse necesse est: quod vel cogitare nefas est & impium. Quod si addendo non erraruni, vt dicere nos oportet : ponendi igitur sunt in hac ætati anni illi 130.

Dicendum igitur existimo 70. interpretes addidisse generationem Cainan, vel afflatu, & instinctu Spiritus sancti vel viua traditione à Maioribus quasi per manus accepta, & ita Lucam eam quoque posuisse. Vnde Ioannes Lucidus, Annius, & Nauclerus, qui hanc generationem prætermittunt, non rectè, & fideliter huiusce ætatis annos computasse censentur : quoniam licet fuerit à Moyse prætérita, verè tamen accidit : & quod est à Moyse, sic Deo volente prætermissum, Spiritus sanctus per alios exprimendum curauit. Neque nouum est, & inusitatum in Scriptura alicubi suppleri, vel declarari, quod est alibi, vel obscurius dictum, vel omissum. Exteri & profani scriptores nihil de huius ætatis annis vel rebus attigerunt.

Tertiò Quæritur, quoto anno ab orbe terrarum condito fuerit Templum à Salomone exædificatum? Vt hoc sciamus, apponendi sunt anni primæ ætatis. Prima igitur ætas fuit ab initio Mundi conditi vsque ad Diluuium, quod accidit tempore Noe: Anni verò huius ætatis ita colliguntur:

Sex diebus conditus est Mundus. Dies	6
Adam genuit Seth anno ætatis suæ.	130. secundum 70. 130.
Sem genuit Enos anno ætatis suæ.	105. secundum 70. 205.
Enos genuit Cainan anno ætatis suæ.	90. secundum 70. 190.

Cainam

Cainam genuit Malaleel anno ætatis suæ. 70. secundum 70. 170.
Malaleel genuit Iared anno ætatis suæ. 65. secundum 70. 165.
Iared genuit Henoch anno ætatis suæ. 162. secundum 70. 262.
Henoch genuit Mathusalem anno ætatis suæ. 65. secundum 70. 165.
Mathusalem genuit Lamech anno ætatis suæ. 187. secundum 70. 167.
Lamech genuit Noe anno ætatis suæ 82. secundum 70. 188.
Noe in Diluuio erat annorum 600. secundum 70. 600.
Summa annorum à mundo condito vsque ad Diluuium iuxta hebraicos codices fuit 1656. dierum sex; secundum 70. interpretes fuit annorum 2242.

In generatione prima, secunda, tertia, quarta, & quinta dissentiunt 70. ab hebraica lectione: nam in singulis hisce generationibus addiderunt 100. annos: in sexta generatione vtrique codices consentiunt: in septima addiderunt 70. 100. annos. In octaua detraxerunt annos 20. in noua addiderunt sex annos: in decima conueniunt.

In sex igitur generationibus 70. Interpretes addiderunt 600. annos, & in nona addiderunt sex. Et ita omnes anni sunt 606. Sed quoniam à generatione octaua detraxerunt 20. fit vt omnes anni Mundi conditi sint 586. qui simul iuncti cum annis 1656. efficiunt annos 2242.

Sed grauis est quæstio vtrum in hac ætate sequi debeamus Hebraicos codices, an potiùs græcos. Duas inuenio opiniones; vnam asserentium, Hebraicos codices esse in hac ætate sequendos: Primò, quia Ecclesia latina vulgatam editionem approbauit; sed hæc Hebraicos codices sequitur in computatione huius ætatis annorum. Secundò quia Græcorum supputatio, manifestum errorem continere videtur. nam ex ea planè colligitur, Mathusalem post Diluuium vixisse annis circiter quatuordecim: vt annotarunt Augustinus *lib. 15. de ciuit. Dei capite* 11. Hieron. *in quæstibus Hebraicis in genesim.* Ita Ioannes Lucidus, Annius, Nauclerus, & Genebrardus, *in suis Chronocis.* Altera opinio affirmat græcam computationem esse amplectendam. Primò, quia approbatur in 6. Synodo Generali Actione 6. vbi habetur, annos à Mundo condito vsque ad Christum natum fluxisse 5508. Deindè, quia editio 70. Interpretum vsu totius Ecclesiæ fuit olim per 100. annos approbata: cuius auctoritate vsus Christus Dominus est, Apostoli, & postea Græci, & Latini patres ante Hieronymum.

Quicquid sit de istis opinionibus, neutra Computatio temere est reijcienda: vnde quamuis hebraicam computationem sequamur, non est propterea græca supputatio tanquam falsa, improbanda. Sed vndenam, dicat aliquis Hebræorum, & Græcorum codicum tam diuersa Computatio? Ioannes Lucidus, Annius & alij arbitrantur Græcam interpretationem esse vitio scriptorum corruptam, & deprauatam. At credibile non est, omnes codices, tum Græcos, tum Latinos derivatos à Græcis, esse vitatos. Obijcies ex Augustino *lib. 15. de ciuitate Dei capite* 13. hanc annorum differentiam irrepsisse in Græcos codices vitio illius scriptoris, qui primus ex originali 70. interpretum translatione transcripsit, ac ita facilè in alios omnes codices emanauisse. Verùm, neque hoc sanè probabile est: Primò, quia hæc tanta variatio videtur facta potiùs studio, & industria ipsorum 70. interpretum, quàm data opera, vel negligentia ipsius scriptoris, quia non in omnibus generationibus facta est annorum additio, nec semper eodem modo: nam in octaua generatione detrahuntur anni viginti, & in sexta adduntur sex anni. Secundò, quia inter generationes secundæ ætatis, vt ante iam dixi, addiderunt 70. vnam integram generationem, nempe Cainam. Sunt, qui putent hanc annorum additionem à 70. Interpretibus factam fuisse eam ob causam, quòd Aegyptij aliquando vterentur annis mènstruis, vel anno semestri, vel quadrimestri: ne ergo putaretur annorum supputatio, quæ erat in hebraica lectione, à veritate aliena; ab hominibus videlicet in puerili admodum ætate generatos, fuisse filios, facta est additio centum annorum ante singulas generationes. Sed neque hoc satisfacere videtur, quia non erat, cur in prima, & secunda generationibus 100. annos adijcerent, siquidem in hebræo dicebatur genuisse Adam anno ætatis suæ 130. & Seth genuisse anno ætatis suæ 105. Deindè, quænam ratio fuit, cur in generatione octaua detraherent annos 20. Postremò cur in secunda ætate vnam integram generationem apposuerunt? Quare in eorum potiùs sententia acquiesco, qui dicunt, hanc lectionum varietatem inde natam esse quòd ante 70. Interpretes Hebraica exemplaria in computatione annorum variarent, ea verò exemplaria, quæ nacti sunt 70. interpretes, haberent sicut ipsi transtulerunt: at post 70. interpretes interciderunt Hebraica exemplaria, quæ secuti sunt ipsi, & permansit ea hebraica lectio, quam nos modò habemus; Nec nouum est, & inusitatum, in hebraicis codicibus duplicem esse lectionem: nec lectionum varietas arguit codicum deprauationem. Quæres postremò, an certò sciri queat numerus annorum ab orbe terrarum condito vsque ad Christum natum? Philaster inter Hæreses numerat sententiam eorum, qui dicunt hunc numerum esse incertum: Quoniam certò inquit, colligi potest ex sacris litteris. Alij tamen existimant, hunc annorum numerum certò ex Scriptura haberi non posse, scriptura dicente Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies seculi quis dinumerauit? Deindè, quia pro certò non habemus sequi debeamus. Græcos, an Hebraicos codices. Alij verò censent vtramque Computationem retinendam esse, Græcam, & Hebraicam: Hebraicam quidem, quia eam sequitur Latina editio vulgata, quam Ecclesia approbauit Græcam verò, quia eam olim secuta est Ecclesia, nec postea improbauit quoniam licet Latinam editionem approbauerit Græcam tamen non damnat, aut reijcit. *Eccl.*

reijcit. Vnde quemadmodum in alijs scripturæ locis aliquando duplex lectio reperitur; sic etiam in hac ætate duplex annorum computatio, Græca scilicet atque Hebraica inuenitur.

Quartò Quæritur, quot, & quænam præcepta siue leges fuerint de Templo, partibus, & Atrijs eius. Primò, præcepit Deus, vt Iudæi cum Deum, orarent, terga conuersa ad Orientem haberent, vultum verò conuersum ad Occidentem: quo niam Arca fœderis, vbi se veluti præsentem Dominus exhibebat, ad occidentalem plagam sita erat, & ostium Templi in Orientem patebat. & ex Oriente in Templum venire Dominum populus putabat. Vnde illud Psalmi: *Psallite Domino, iter facite ei, qui ascendit super occasum*, sensum habet. Qui sedet super Cherubim tegentes Arcam fœderis ad Occidentem positam. *Iter facite ei*; hoc est, viam munite, & parate: *qui ascendit* hoc est, qui equitat, qui insidet, *Super occasum* Nomen hebræum, quod latinus interpres 70. sequutus vertit in occasum est ambiguæ significationis: aliquando enim significat vesperam, & occasum: aliquando solitudinem, & desertum: aliquando supremum cælum. *Qui ascendit super occasum*. vt 70. interpretes, & Latina versio habent: hoc est; *Qui in tenebris habitat: Qui posuit in tenebris latibulum suum*, quia in luce habitat immensa, vel sicut dixi, Qui sedet in medio Arcæ ad occasum constitutæ. Nos verò cum Deum oramus extra Templum, Orientem respicimus: quia ex Oriente nobis Salus aduenit: Inde enim primùm lex Euangelica annuntiari, & promulgari cœpit, iuxta illud Isaiæ: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.*

Psal. 67.

Psal. 17.

Isai 2.

Secundò, præcepit Deus vt in vno tantùm loco Templum extrueretur, eo videlicet, quem ipse sibi elegisset, & Hierosolymam elegit, vbi erat Mons, dictus Moniach: qui mons pars quædam erat montis Sion, in quo Salomon Templum exædificauit.

Tertiò: in domum Domini, quæ hebraicè dicebatur *Echal*, soli sacerdotes ingrediebantur secundum ordinem vicis suæ: & quotidie bis. videlicet manè, & vesperi, ad thus adolendum in altari Thymiamatis, & singulis quibusque sabbatis ad panes recentes in mensa propositionis inferendos, remotis prioribus atque veteribus: & ad lucernas componendas, quæ in candelabris ardebant.

Quartò in oraculum, quod hebraicè dicitur. *Deuir*, & Latinus interpres reddit Sanctum Sanctorum, solus summus Sacerdos intrabat, & semel tantùm in anno, & non nisi per sanguinem, hoc est, non prius quàm victimam immolasset, & sanguinis sacrificium obtulisset.

Quintò: in Atrium Gentium omnes intrabant, etiam Ethnici: in atrium Israelitarum, soli Israelitæ: in atrium interius soli Sacerdotes, & Leuitæ.

Sexto: præcepit Deus, vt ter singulis annis Iudæi Hierosolymam conuenirent gratia orationis, & oblationis in templo Deute. 16. habetur: *Tribus vicibus per annum omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui apparebit in loco, quem elegerit; in solemnitate Azymorum, & in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate Tabernaculorum.* & Deuteronomij 12. *Cum terram Chananæorum possederitis, ea facietis, quæ Deo placita sunt. Sit vobis vna ciuitas sancta in loco optimo, & præclaro; quemcumque Deus sibi elegerit: & Templum vnum in ea sit, in alia verò ciuitate nec templum, nec altare sit. Deus enim vnus, & genus Hebræorum vnum. Conueniente que in illa ciuitate ter in anno à finibus terræ, quatenus Deo pro illis, quæ possident, gratias referant. Omne masculinum apparebit coram Domino: bonum est enim vt inuicem contribules se non ignorent, sed suis studia sibi communicent. Illuc venietis, & offeretis in loco illo holocausta, & victimas ac sacrificia vestra, primitias, vota, & donaria: primogenita quoque, ibi epulabimini coram Domino Deo. Cane ne offeras in omni loco, sed in eo tantum, quem elegerit Dominus.* Sic ibi.

Animaduertendum est, antequam Tabernaculum fœderis esset extructum à Moyse, Hebræos consueuisse sacrificia Domino offerre in omni loco, in quo Dominus suam præsentiam declarabat re aliqua mirabiliter effecta: post Tabernaculum verò extructum, illis non licuit extra Tabernaculũ offerre, quia in Tabernaculo Arca fœderis cõtinebatur. Et postquã in terram Chananæorum deuenerunt, Tabernaculum mansit in Silo quadraginta quatuor annis, vbi victimæ mactabantur, & sacrificia offerebantur. Deindè tempore Heli Sacerdotis capta est Arca fœderis à Philistæis, & per aliquot annos fuit à Tabernaculo separata: & tunc licebat Iudæis Domino hostias, & sacrificia immolare, & offerre, vbicumque erat Arca fœderis, donec tandem illata est in Templum à Salomone. 1. Reg. 4.

Numerorum primo præcepit Deus vt totus populus Hebræorum numeraretur per cognationes, & familias suas, & nomina singulorum. ita vt omnis masculus à vigesimo anno, & supra, numeraretur tanquam aptus, & idoneus ad bellum. Et numerata sunt sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta, Leuitis non numeratis; De quibus locutus est Dominus ad Moysen; *Tribum Leui noli numerare neque ponet summam eorum cum filijs Israel sed constitue eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius, & quicquid ad cæremonias pertinet. Ipsi portabunt Tabernaculum, & omnia vtensilia eius: & erunt in ministerio ac per gyrum tabernaculi metabuntur. Cum proficiscendum fuerit, deponent Leuitæ tabernaculum: cum castra metanda, erigent. Et numerauit Moyses omnes masculos ex tribu Leui per cognationes, & familias. Et inuenti sunt filij Leui, Gerson, & Caath, & Merari. De filijs Gerson, septem millia, quingenti. de filijs Caath, octo millia, sexcenti: de filijs Merari, sex millia, ducenti.*

Cap. LIX.

De Præceptis nouæ legis, & Euangelicæ.

ANimaduertendum est, Theologos *in 30. distinct. 40.* legem Nouam in tribus distinguere à vetere: in præceptis, sacramentis, & promissis. In præceptis quidem, quia in veteri lege data fuerunt multa præcepta, quæ ad iudicia, & cæremonias pertinebãt, hoc est, ad ciuilem populi administrationem, & ad ritus cultus diuini: præter quæ, erant præcepta Decalogi,

quæ spe-

quæ spectant ad mores cuiusque componendos. In lege noua Christus Dominus pauca præcepta, quę ad iudicia, & cæremonias attinent, constituit, retentis eisdem præceptis Decalogi, quæ in lege tum naturali, tum etiam veteri seruabantur. Quoniam præcepta moralia, vel continent ea, quæ per se bona sunt; vel prohibent ea, quæ per se mala sunt: & ideo, quamuis lex vetus, quod pertinet ad iudicia, & cæremonias, abrogata sit: quod ad mores tamen spectat, non est abrogata, quia præcepta moralia, licet ex lege veteri vim non habeant, habent tamen ex lege naturali, quam lex Euangelica non tollit, non abrogat, sed perficit. Hinc est, vt multa præcepta moralia in lege noua expressius, & clarius quàm in lege vetere, explicentur. Lex enim vetus repudium vxoris impune permisit: Noua tamen non item. Lex vetus, ab externis vsuras exigere, & accipere permittebat; non tamen Noua; In lege veteri nuptiæ commendabantur: in Noua, virginitas potissimum laudatur. In veteri, vxorum multitudo permittebatur, in Noua, non item,

In Sacramentis lex vetus à Noua differt, quia legis veteris sacramenta gratiam non conferebant, sed significabant per Christum conferendam; at Sacramẽta legis Nouæ, & gratiam significant, & simul etiam continent, & conferunt.

In promissis multum interest etiam inter legem veterem & Nouam. Nam teste Bonauentura, lex vetus pœnas temporales in fontes constituebat: & temporalia bona legem seruantibus promittebat. at Noua, iustis æterna bona promittit, & supplicia perpetua in improbos constituit. Quæ differentia legis, vt superiùs explicui, est ita intelligenda, quod noua lex sine vllis typis, & figuris cælestia, & æterna bona bene merentibus promittit, &, pœnas perpetuas malè merentibus: contrà, lex vetus expressim temporalia promittebat bona, sub typis verò, & figuris æterna. Vnde Paulus: *vmbram, ait habens lex futurorum bonorum; & alibi, omnia in figura contingebant illis.*

His positis, Primò quæritur, quare de lege veteri ait Apostolus: littera occidit; & de Noua, Spiritus viuificat? Respondeo cum Bonauentu. in 3 *distin.* 40. *a.* 1. *quæst.* 1. & Gabr. 3. *distin.* 40. *quæst.* 2. *art.* 1. & 2. hoc ideo esse, quia Sacramenta Nouæ legis gratiam conferunt: quam non conferebant, sed adumbrabant, & significabant Sacramenta veteris legis. & ideo ex parte, lex Noua viuificat, non vetus. Deinde veteris legis præcepta prohibebant carnis cupiditates, & ex altera parte gratiam non dabant, qua desideria carnis cohiberentur, ac proinde malum, quod est fugiendum, ostendebant quidem: sed non præstabant gratiam, qua malum vitaretur; & ideo quasi per occasionem occidebat. Crescit enim libido & desiderium, vbi gratia, & charitas deest: quemadmodum si alicui famelico, vel sitibundo cibum, vel potum ostendas, nec tamen des, occasionem ei præbes, qua fames exardescat magis. Præterea, lex vetus expressim temporalia promittebat; ac propterea non eo modo ad bene agendum, & viuendum excitabat, quo modo noua lex, quæ apertè bona sempiterna promittit.

Secundò Quæritur, quare lex vetus dicitur lex timoris, & non lex amoris. Respondeo cum S. Tho 3. *dist.* 40. *quæst.* 4. *art.* 2. hoc ideo esse, quoniam In lege Noua, cum primum promulgata est: Spiritus sanctus descendit in igneis linguis, *Act.* 2. diuinam charitatem ostendens, qua corda hominum succenderentur. Confirmata item, Noua lex est effuso Christi Domini sanguine, quod fuit ardentissimæ in humanum genus charitatis iudicium: at lex vetus data est in monte Synai, descẽdente Domino cum magna maiestate, *Exod.* 19. & 20. tonitruis scilicet, & fulguribus, quibus est totus populus Iudæorum valde perterritus, ita vt diceret Moysi: *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Præterea lex vetus pœnas expressè comminabatur ijs, qui eam non seruassent, Lex noua, præmia, & multa bona eam seruantibus promittit. Lex igitur noua, spe bonorum inuitat, & allicit ad sui obseruationem; at vetus metu pœnarum, eius professores, & cultores in obseruatione continebat. Vnde lex illa etiam dicitur seruorum, Noua verò filiorum, seruorum est, metu pœnæ parere, filiorum verò, amore patris, & spe bonorum virtutis officium præstare.

Tertiò Quæritur, cur lex vetus, graue iugum *Act.* 15. à B. Petro Apostolo dicatur, Lex noua à Christo Domino suaue iugum appelletur? Respondeo; *Matth.* 11. ideo sic vocari, quia lex vetus innumera iudicia continebat; nam teste Genebra. *in Chronico*, & ipsi quoque Hebræi testantur, præcepta quæ in affirmatione consistunt, hoc est, quibus aliquid fieri imperatur, tot habebat, quot sunt in hominibus ossa: hoc est bis centum, & quadraginta octo: tot enim ossa hominum à Medicis numerantur. Præcepta verò, quibus aliquid fieri prohibetur, tot continebat quot in singulis annis dies videlicet ter centum, & sexaginta quinque, ita vt omnia præcepta legis veteris simul collecta sexcentorum numerum excederent.

Quartò Quæritur, lex noua cur dicatur Lex libertatis? Respondeo ideo sic dici, quia liberat à iugo seruitutis, quæ à peccato descendit, & extitit: nam dat gratiam, & charitatẽ, liberat item à graui onere veteris legis. Insuper quia cultores Nouæ legis Spiritu Dei aguntur, & amore ipsius diuina seruant mandata, non vt serui, sed tanquam filij, qui amore ducti parentum iussa exequuntur. *Rom.* 8.

Cap. LX.

De quibusdam legibus principalium Rerumpublicarum, quæ apud Ethnicos floruerunt.

VT appareat discrimen inter leges, quas Deus ipse tulit, & eas, quas apud Gentes, homines alioqui doctrina, & sapientia prædíti condiderunt, referam in præsentia nonnullas earum gentium leges.

In primis animaduertẽdum est, multos fuisse legislatores, qui vel Respublicas fundarunt, vel præcepta de ferẽdis ad populum legibus tradiderunt. Etenim primus omniũ Minos Cretensibus leges tulit, teste Aristotele *lib.* 2. *Poli. cap.* 8. Strabone *lib* 12. & Diodoro: *libro* 2. *cap.* 1. & *lib.* 6. *capite* 15. Zoroastres Bactrianis, vt ait Plinius,

& Iustinus Plinius *lib. 6. cap 16. & lib. 30. cap. 1.* Iusti' *lib. 1.* Charondas Chalcidicis, & alijs ciuitatibus, quæ sunt circa Italiam, & Siciliam secundum Diodorum, & Valerium Maximum: & Aristotelem Diodo. *lib. 12.* Val. *lib. 6. cap. 5.* de Iustitia. Zaleuchus Locrensibus, vt testatur Aristoteles: *lib. 2. Poli. cap. 10.* Zamolxis Scythis, vt est apud Herodotum, Strabonem, & Diodorum. *Ariſt. li. 2. Polit. c. 10.* Herodo. *lib. 4.* Strabo. *lib. 7.* Diodo. *lib. 2. cap. 5.* Mennas Aegyptijs, teste Diodoro: *lib. 2. cap. 5.* Dracon, & Solon Athenienſibus Plutarchus, Laertius, *in Solone*, & Gell. *lib. 12. cap. 18.* Lycurgus Lacedæmonijs, vt ait Plutarchus *in Lycurgo*: Romulus, & Numa Pompilius Romanus, vt testatur Dionysius *lib. 2.*

Ariſt. li. 2. Polati. c. 2. & ſeqq. Aristoteles *in Politicis*, multa reprehendit in Rebuspublicis fundatis, & in Legibus datis à magnis alioqui viris, & sapientiæ laude præstantibus. Primum reprehendit Rempublicam à Socrate institutam, eò quod voluerit omnes vxores, filios, & facultates, & possessiones esse communes: quia ciuitas sit, vt Socrates aiebat veluti vna magna domus, & vt omnes ciues maiori necessitudinis vinculo tenerentur. Postea cap. 3. reprehendit Lacedæmonios, quòd voluerint omnes seruos, iumenta, & possessiones esse communia: cum profecto, quæ communia sunt (inquit Aristoteles) à singulis negligi soleant. Carpit deinde cap. 4. & 5. alios Legislatores, statuentes, vt fœminæ quemadmodum, & viri pugnarent, & publicis officijs fungerentur: alios item cap. 6. quòd decreuerint, patrimonia ciuium esse æqualia, ita vt alij alijs nec ditiores essent, nec pauperiores, tantæque essent singulorum facultates, quantæ sufficerent ad honeste, & commode viuendum. Alios quoque eodem cap. 6. vituperat, quòd Rempublicam diuiserint solùm in Milites, Agricolas, & Artifices, bonam ac præcipuam Reipublicæ partem neglexerint, videlicet Patritiorum, & nobiliorum hominum. Alios verò, quod nihil statuerint de fœminis, aut de filijs, aut seruis, vel aduenis, & peregrinis: eum reuera in Republica magna pars sint fœminæ, filij, serui, & peregrini. in alijs quoque improbat, nihil ab ijs esse decretum de sacris hoc est, de Templis, Sacerdotis, & sacrificijs, in quibus Diuini cultus religio consistit, cum in omni Republica bene & sapienter instituta potissimum habenda sit ratio religionis, & sanctitatis. Denique cap. 7 etiam in Rebuspublicis tum Lacedæmoniorum, & Cretensium, tum Athenienſium quædam non probat. Nihil porrò Aristoteles de Romanorum Republica, & Legibus scripsit.

Porrò inter Gentilium Respublicas tres, aut quatuor fuere cæteris celebriores; Carthaginensium, Lacedæmoniorum, Athenienſium & Romanorum: è quibus duæ potissimum habentur insignes, & inclitæ, Athenienſium, & Romanorum. Athenienſibus leges dederunt Cecrops seuior, & deinde Theseus: sed de eorum legibus nihil certi habetur, solùm referuntur tres leges à Cecrope latæ. Prima, ne vnquam mulier in Senatum ingrederetur. Secunda, vt nulla proles maternum nomen acciperet. Tertia, ne quis mulieres Atticas siue Athenæas siue Athenienſes diceret. Tandem anno quarto Olympiadis 39. vt Clemens, & Eusebius memoriæ prodiderunt, Athenienſes Draconi Rempublicam commiserunt; vt latis suo arbitratu legibus eam temperaret. Narrat Gellius *lib. 11. cap. 18.* eum Athenienſem ciuem virum probum fuisse, & multa prudentia præditum; iuris diuini, & humani peritum, primum omnium leges scripsisse, quibus Athenienſes vterentur, verùm, vt inquit Plutarchus in vita Solonis vsque adeo graues, & acerbas, vt noxis, & delictis omnibus pœnam capitalem adscripserit, quippe qui in eos, qui vagi, & ignaui otij, & desidiæ conuicti fuissent, capitis pœnam constituerit: item, in eos, qui olera, poma aliosue fructus in alieno prædio legissent, æque ac in sacrilegos, & homicidas videlicet capitali supplicio animaduerti voluerit. Vnde vox illa Demadis profecta est, Draconis leges sanguine, non atramento fuisse descriptas. Cuius rei causam cum Draconi quodam rogatus esset, cur videlicet plurima delicta capite plectenda statuisset, respondisse fertur; Paruas quidem noxas capitis pœna dignas censuisse: magnis verò, quas maiores pœnas constitueret, nullas habuisse. Vsi sunt Athenienses his legibus per annos viginti septem vsque ad annum tertium Olympiadis 46. teste Eusebio in Chronico. Quam Solon Rempublicam intestinis discordijs afflictam, & tumultuantem nouis legibus, & institutis, stabiliuit abrogatis ijs quas Dracó tulerat. Et in primis ea lex placuit, vt populi essent conciones, comitia, & conuentus, & iudicia; sed Magistratus, & Sacerdotia solis viris patritijs parerent.

Ciuitatem census æstimatione in ordines distribuit. In primis ij fuere, quibus quingentorum Medimnorum census esset. Secundo loco adscripti fuerunt, qui trecentis censi forent, & equos alere possent. Tertius equorum alendorum onere adempto pari censu æstimatus est. Ex his ferè ordinibus. Magistratus creabantur qui infra fuerunt, Mercenarij nuncupati concionis habendæ, iudicandique munia cæteris excluſi magistratibus obibant.

Concilium in Areopago ex annis Magistratibus constituit. ex quatuor tribubus, quæ Athenis erant quadringentos viros delegit, centum ex singulis: his permissum est, vt quæ Areopagitæ decreuissent, si æqua, & iusta visa forent, probarent, si minus placerent, pari potestate rescinderent. Et ita velut duabus anchoris nixa ciuitas aduersus omnes fluctus immobilis, permansura esse videbatur. Statuit, vt qui vnius corporis & collegij esset, vt Mercatores Nauicularij, opifices, possent statuta condere, quæ ad eorum collegia pertinerent, dummodo ne quid in publicis Tabulis prohiberetur.

Parricidij, affectatæque tyrannidis conuicti, & damnati ne magistratum capere possent, lege vetuit.

Non solùm hos ab honorum petitione prohibuit, & excluſit, sed eum quoque, qui ortu in populo seditione neutram partium sequutus esset, mali ciuis esse ratus, cùm proprias rationes in tuto collocarit, nulla communi cura, sollicitudineue teneri.

Consti-

Constituit, vt fœminæ, quæ viros parum ad rem coniugalem idoneos fortitæ essent, vnum, quem mallent ex mariti propinquis impunè prorsus admitterent.

Pecuniares dotes è medio sustulit, vt pauca vestimenta, & vasa quædam paruo empta pretio paterna domo ferret mulier: testabatur coniugij societatem non pretio, & sed liberorum amore, & charitate iungi oportere.

Si quis in sacro, aut in iudicio in ciuem conuicium contulisset, quinque drachmis mulctaretur.

Legandæ pecuniæ, cæterarumque rerum facultatem testari volentibus permisit, quum prius patrio instituto in familia esse deberent, ad familiamque pertinerent: vnde amicitia in hac parte propinquitati, & gratia necessitati prælata est.

Ploratus, eiulatus, & lamentationes lugubres in alieno funere sustulit, constituit quoque, vt subsidia alimentaue filius patri denegaret, à quo non esset arte aliqua ad vitæ vsum institutus.

Lege cauit, ne plures decem tibicinibus ad funerum pompam adhiberentur.

Voluit etiam, vt qui illegitimo essent toro procreati, parentes non alerent. Nam qui meretricio congressu non abstinet, videtur non liberorum procreationi, sed libidini, & voluptati studere.

Mœchum in adulterio deprehensum impunè necari permisit. Qui vim ingenuæ virgini intulisset, decem drachmis mulctari decreuit.

Ius vendendæ filiæ sororisue sustulit, nisi in stupro deprehensæ.

Qui lupum viuum attulisset quinque drachmas acciperet ex publico: qui lupam, drachmam vnam: Athenienses hanc belluam infectabantur, quippe quæ non solùm pecuariæ rei, sed etiam agrorum cultui est infesta & noxia.

Præcepit, vt eorum liberi, qui in prælijs occubuissent, publicè nutrirentur, & instituerentur, quo sanè animati singuli in bellis fortiter, & strenuè dimicarent: voluit itidem vt & is, qui in bello oculum amisisset, aleretur ex publico.

Lege vetuit, ne is fieret curator, ad quem post pupillorum obitum substantia, & hæreditas pertineret. Cauit item, ne liceret annulario venditi annuli sigillum seruare.

Lege sanxit, vt qui alteri vnum oculum erueret, ipse ambos amitteret, vel saltem alterum. Statuit, vt canis, qui cuipiam nocuisset, trunco quatuor pedum longitudine alligatu dederetur.

Legem tulit, vt quæ non posuisti, ne tollas: si quis secus fecerit, capitali pœna mulctetur.

Principem, si ebrius deprehensus esset, voluit, morte mulctandum.

Statuit, vt Athenienses, dies secundum lunæ cursum numerarent.

Ex omni genere frugum mel, & ceram extra fines Atticos expotari permisit.

Nullum ciuitate donari, nisi opificem, qui cum tota domo Athenas se contulisset, aut perpetuo exilio pulsus esset è natali solo.

Has leges teste Plutarcho in vita Solonis, Solon ligneis tabulis inscribendas, & in centum annos sanciendas curauit. Earum præceptricem Mineruam fuisse dixit: & in verba sua iurare in foro ad lapidem Senatum, & populum induxit.

Cæsos in bello in hunc modum sepeliebant, facto ante triduum tabernaculo mortuorum ossa proponebantur, & propinquorum quisque reliquijs, si quid luberet, imponebat: cum funera efferebantur singularum tribuum, ex singulis tribubus quælibet, suæ tribus ossa continens portabat in vehiculis, efferebant funus promiscuè voluntarij quinque, vel ciues, vel hospites, fœminis propinquitate coniunctis ad sepulchrum eiulantibus, & condebant in publico monumento extra vrbem apud suburbana: & postquam mortuum humauerant, aliquis à ciuitate delectus vir ad id idoneus super eum orationem habebat, qualem decebat, de eius laudibus, & deinde cuncti discedebant.

Cap. LXI.

Lycurgi leges quas Lacedæmonijs tulisse fertur teste Plutarcho in vita eius.

PRimùm omnium Lycurgus seniores è republica viginti octo delegit, qui regibus assiderent, & vna cum eis de rebus consultarent, atque decernerent, vt is seniorum ordo velut arbiter esset inter regiam potestatem, & vim populi: ne aut rex potestate abuteretur, & tyrannicum quidpiam moliretur, ne item imperio sæuiret: aut ne multitudo in contumaciam, & ferociam procederet, paucos è multitudine elegit, ne nimiùm Democratia inualesceret,

Voluit, vt quæ ordo seniorum vnà cum regibus decreuisset, reliqua multitudo sciret.

Agros diuisit, nam persuasit multitudini, vt solum omne Laconicum in medio positum æquis portionibus in singulos diuideretur, oportere ratus ciuem ciui, ingenio, virtute diligentia, & industria, non luxu, non diuitijs, & opulentia præstare. Diuisa igitur est vniuersa terra in triginta nouem millia sortium: vrbanus ager in nouem millia: paganicus, & municipalis in duplo, & ampliùs maiorem numerum. Portio quælibet ea fuit, quæ viro frumenti medimnos septuaginta, fœminæ duodecim annuos ferret.

Omnem auri, & argenti vsum è medio sustulit: & ferreum nummum induxit, ignitum ferrum, ex quo nummum percussit, aceto extinxit, vt ad nullam rem amplius ob mollitiem vtile redderetur.

Omnes artes, quibus aliquid ex auro, argento, ferroue conflatur, ex vrbe eiecit: vnde artifices se alio contulerunt.

Publica vòluit esse cõuiuia, vt diuites promiscuè, & pauperes simul epularétur, vt omnem ex

ciuitate

ciuitate luxum tolleret; hunc conuiuandi morem Philias dixerunt, quòd essent publicæ, & communis amicitiæ, & humanitatis argumentum. Permisit, vt qui sacrificij, aut venationis causa conuiuio abfuissent, domi cænarent reliqua multitudo conuiuio adesse debebat, conferebant ad hoc conuiuium quotannis singuli farinæ medimnum, vinicoros octo, casei quinque minas: inde fiebat, vt quisque parsimoniæ assuesceret. Frequentabant id pueri etiam velut temperantiæ, & omnis ciuilis disciplinæ Gymnasium, ibi vrbanis sermonibus assuescere & iocari discebant, ac sine scurrilitate cauillari.

Virgines cursu, palæstra, iaculo, disco exercebantur, vt otio, & muliebribus delitijs sublatis robustiores ad tolerandos partus redderentur.

Nudæ, vt pueri in publico versabantur, saltabant, & cantabant in sacrificijs, & festis ac sacris diebus.

Nubebant virgines raptu maturæ iam viro, & eas sine dote nubere præcepit, vt vxores non pecuniæ causa eligerentur: seueriusque viri suas vxores coercerent, cum nullis dotis frænis tenerentur.

Non prius sponsus sponsam aspiciebat interdiu, quam ex illa factus esset pater: noctu tantum interim ad eam accedebat.

Qui cælebs vixisset Gymnicis, & publicis spectaculis arcebatur: nudusque hyeme forum circuibat: nec vt cæteri senes, in honore apud iuuenes erat.

Licebat seniorum cuique honestum, ac probum aliquem ex iuuentute ad vxorem procreationis causa admittere: & vbi eam alieno semine impleßet, suum habere, quod nasceretur, nec id probo dabatur: Ridicula profecto lex, & cum ipso naturæ iure pugnans, quam cæteræ quoque gentes ridebant, & detestabantur.

Ius alendi partus nullum parentibus erat: natus infans in publicum deferebatur ad certum locum: vbi magno effecto puero, si eum cæteri probabant, ex nouem millibus sortium, in quas diuisus fuit vrbanus ager, vnam illi ascribendam curabant: sin minus, vt reipublicæ inutilem reiiciebant iniqua quoque lex quæ parentes iure suo in filios orbabat.

Pueri à septimo anno in æqualium cœtu exercebantur, literasque pro necessitate addiscebant. Ad cutem tondebantur, nudis pedibus incedebant: duodecimo anno tunicam vnicam patrio instituto sortiebantur: neque balnea, neque fomenta vlla sciebant, natu grandiores lignari imperauit, minores onera ferre, furta quærere, furtum, vt honestum permisit. Qui deprehensi erant in furto, flagris cædebantur, non quia nefas esset furari, sed quia parum prudenter, & ingenioße furati essent.

Iussit, vt omnes quæstuosæ artes ex vrbe pellerentur, bellicæ tantum exercitationis studio omnes ciues teneri voluit.

Permisit in vrbe cadauera sepeliri tum etiam circa templa monumenta sortiri. Nec viri nec fœminæ nomen licebat cuiquam sepulchro inscribere, nisi eorum, qui in bello fortiter perijssent.

Lugendi tempus vndecim dierum spatio præscripsit.

Non permisit ciuibus peregrinari, ne alienos mores in vrbem, & patriam importarent. Immo, & peregrè delatos nisi qui Reipublicæ vtiles essent vrbe exclusit: ne quid peregrinæ disciplinæ Lacedemones imbiberent: inhumana profecto lex, quæ cum iure naturali pugnat.

Iuuenibus non amplius vna veste toto anno vti permisit, nec vnum cultius quam alterum.

Emi singula non pecunia, sed mercium permutationes, & compensatione iussit.

Maximum honorem non diuitibus, & potentibus, sed senioribus deferri voluit.

Voluit, vt sine muris vrbes ædificarentur, ratus bellica ciuium virtute non muris vrbes defendi.

Pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci iussit, vt primos annos non in luxuria, sed in omni labore, & opere agerent: nihil eos somni, & quietis causa substernere, sine pulmento cibum sumere, nec priùs in vrbem redire, quam viri facti essent, constituit.

Voluit, vt Lacedæmones graui oratione verterentur, & sententijs breui sermone comprehensis: ita vt res in prouerbium abierit facilius philosophari homines posse, quam Laconicum sermonem imitari.

Regibus potestatem, & ius indicendi, inferendi, & gerendi bellum, Magistratibus iudicia, Senatui custodiam legum, populo creandi, & deligendi Senatum, & quos vellet magistratus constituendi concessit,

Harum legum dixit Appollinem Delphicum auctorem fuisse: & eius præcepto se eas detuliße, & promulgasse. Deindè, vt æternitatem suis legibus daret iureiurando ciues obstrinxit, nihil eorum, quæ sanxisset, mutaturos, priusquam ipse reuerteretur: dixit enim se ad Oraculum Delphicum profecturum, vt consuleret quid mutandum, addendum, detrahendumue suis legibus Apollini videretur. Profectus est autem Cretam, ibique perpetuò mansit: & moriens præcepit, vt ossa sua in mare proijcerentur, ne Lacedæmonem delatis Spartani se à iureiurando de non mutandis legibus absolutos esse existimarent.

Cap. LXVIII.

Leges Regiæ Romanorum.

INter omnes Respublicas gentium, Romanorum Respublica legum tractatione sapienter olim, & laudabiliter institutæ esse perhibetur: quæ primò administrari ac gubernari cepit Regijs legibus: mox legibus 12. Tabularum, postea multis aliis legibus à populi seu plebis Magistratibus constitutis, deinde multis Senatus consultis, plebiscitis, Prætorũ edictis, iurisperitorũ responsis, & postremò Cæsarũ placitis, siue Imperatorũ constitutionibus, Regiæ leges latæ esse tradũtur à Romulo. Num Põpilio, & cæteris

deinceps

deinceps, succedentibus Regibus: quas leges in vnum collegisse Papirius fertur *l. Necessarium ff. de orig. iuris*, & inde dictum esse Ius Papyrianum: non quidem quod Papirius condiderit illud ius, sed quod collegerit, inque vnum veluti corpus contraxerit. Hæ leges dicuntur fuisse sequentes.

1 Ne quid inaugurato faciunto.
2 Patres, sacra, Magistratusque soli peragunto, ineuntoque, iusque dicunto.
3 Sacrorum omnium potestas sub Regibus esto: Sacra Patres custodiunto.
4 Plebei agros colunto.
5 Populus Magistratus creanto; Leges sciscunto; bella decernunto.
6 Deorum fabulas ne credunto.
7 Deos peregrinos præter Faunum ne colunto.
8 Nocturnas in templo vigilias ne habento.
9 Ne quis præsentibus fœminis obscena verba facito.
10 Quisque demissam ad talos togam in vrbe habeto.
11 Parricidas omnes capite puniunto.
12 Ne quis, nisi per portas vrbem ingreditor, neue egreditor. Mœnia Sacrosancta sunto.
13 Mulier viro legitimè coniuncta fortunarum, & sacrorum socia illi esto: vtque domus ille dominus, ita hæc domina.
14 Filia vti Patri, ita defuncto viro hæres esto.
15 Adulterij conuictam vir, & cognati, vti volent, necanto.
16 Si vinum biberit, domi vt adulteram puniunto.
17 Parentum liberos omne ius esto relegandi, vendendi, & occidendi.
18 Monstrosos partus sine fraude cædunto.

Has leges Franciscus Balduinus, & Paulus Manutius recẽsent: aliàs addit Pandulphus Pra teius in veteri iurisprudentia.

19 Virum vxor ne deserito. Vxorem, si in veneficio natorum, adulterioue deprehensa, clamùe marito fuerit, repudiandi ius esto. Qui præter has causas repudiarit, rerum suarum pars vxori dator, pars Cereri sacra esto.
20 Deprehensi in homicidio, statim puniuntor.
21 Plebeij, quem sibi ex Patritijs patronum volent, deligunto.
22 Iudicijs fraus ne adhibetor.
23 Maximarum iniuriarum iudicium penes Reges esto: minorum, penes Senatores.
24 Anni mensis decimus esto.

Franciscus Balduinus iurisconsultus testatur se inuenisse primas duodeuiginti leges in antiquissima tabula; ex quibus etiam aliquas Paulus Manutius in suo de legibus libello recensет: sed eiusmodi legibus multi docti viri auctoritatem, & fidem abrogant. Iacobus Cuitius affirmat eas leges esse confictas: alij, veras esse contendunt, eo quod ex Cicerone, Dionysio, Liuio, & Plutarcho videantur esse collectæ. Primæ namque legis coniectura sumpta est ex Cic. 1. *de Diuinatione*, & ex Dionys. *lib. 2. antiq. Romana.* vbi ait *At Romulus, confirmatus in regno diuinitùs, aduocata concione, & indicatis auspicijs, Rex declaratur consensu omnium, & morem instituit in posterum nequis inauspicato regnum assumeret, magistratumue iniret.*

De secunda, & quarta legibus ita Dion. *lib. 2.* Romulus porrò postquam discreuit potiores ab inferioribus; mox latis legibus præscripsit, quid vtrisque faciendum: vt Patritij sacra curarent, Magistratus gererent, ius redderent seu Rempublicam administrarent: Plebeij verò ab his negocijs, quippe qui talium imperiti essent, vacarent propter inopiam, agros colerent, pecora alerent; opificia quæstuose exercerent.

De tertia lege idem Dion. *libro 2.* sic Honores, & potestates (Romulus) distribuit sic: Regis quidem, eximia munera fuerunt hæc: Primò, vt sacra curaret atque sacrificia, per eumque gereretur quicquid ad placandos Deos attinet. Deindè, vt legum ac morum patriorum haberet custodiam, & iuris siue naturalis, siue eius, quod scripta, & pacta continet; vtque Senatum cogeret, populum in concionem vocaret, & primus sententiam diceret: quod pluribus placuisset, ratum haberetur: Regi deniq; attribuit summum imperium in bello.

De quinta lege, ita Dionis. *lib. 2.* scribit: Plebi tria hæc commisit: Magistratus creare; leges sancire; de bello, referente Rege, decernere: ita tamen, vt Senatus quoque in his auctoritas accederet.

Sexta Lex eodem Dionis. *lib. 2.* sumpta est, apud quem ita legimus: Fabulas à Maioribus de Dijs traditas, probra eorum continentes, & crimina, turpes censui, & inutiles, ac ne probis quidem viris dignas, nedum Dijs superis: repudiatisque his omnibus, ad benè, & præclarè de immortalibus sentiendum, & loquendum, ciues suos induxit, nihil his affingi passus beatæ illi naturæ purum consentaneum.

Septima Lex colligitur ex Dionis. *libro 2.* & apud Cicer. *secundo libro de legibus*, inter alias habetur: separatim nemo habebit Deos: neue nouos, sed nec aduenas, nisi publicè ascitos; priuatim colunto.

Octaua apud eundem sic legitur. Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, præter olla, quæ pro populo rite fient. Neue quem initianto, nisi (vt assolet) Cereri, Græco sacro: & ex Dionysio *lib. 2.* videtur desumpta.

Nona, & decima, & vndecima ex Plutarcho sumptæ videtur. is enim in Romulo scribit: *Mulieribus Sabinis: raptis multos honores esse tributos: cuius generis, & hi fuerunt, vt via eis decederetur: ne eis præsentibus obscenum quidquam diceretur: vt qui nudum se ab eis videri passus fuisset, criminis capitalis reus haberetur.* Id etiam singularis fuit consilij, quod cum nullum contra eos, qui patrem suum occidissent, ius priuatim posuisset, omne homicidium parricidij vocabulo notauit. quòd hoc scelestum, illud ne existere quidem posse, iudicaret.

De duodecima Pomponius Iurisconsultus *in l. vlt. ff. de rerum diuisione*, mentionẽ facit, cũ ita scriptũ reliquit *Si quis violauerit muros, capite punitur: sicuti si quis transcẽderit scalis admotis, vel alia qualibet ratione. Nam ciues Romanos alio quã per portas egredi nũ decet: cum*

illud

illud hostile, & abominandum sit. Nam & frater Romuli Remus occisus traditur ob id, quod muros transcendere voluerit. Sic ille Plutarchus *in Quæstionibus Romanis, q. 27.* quærit cur omnem murum sacrum habent, portas non item? An vera est Varronis sententia, muros propterea sacros habendos, vt pro ijs ciues pugnent, & mortis periculo se committant? Portæ verò sacræ esse non possunt, quia per eas, & alia necessaria, & cadauera, & stercora efferuntur. Sed melius Pomponius: *Muri*, inquit, *sacri existimantur, quia hostium est muros transcendere; & per muros in vrbem intrare: ciuium verò est per portas ingredi & egredi.* Item, muri sunt vrbium propugnacula ad custodiam eorum; ac proinde intacti esse debent; Portæ verò sunt ad ingrediendum, & egrediendum.

Legis xiij. & xiiij. apud Dion. *lib. 2.* testimonium extat: Mulierem legitimè nuptam voluerunt sacratæ leges, ita cum viro conuenire, vt particeps esset possessionum; & sacrorum omnium. Legitimas nuptias antiqui Romani Farracia vocabant, quia coniuges eodem farre vescerentur. Et paulo post: Mulieres nuptæ non habebant, quo se alio verterent, quia lex cogebat vxorem mariti se accommodare moribus, & virum sic vxorem habere, vt rem sibi necessariam putaret. vxor enim pudica, & marito semper obsequens: æquè ac ille, domus est domina, in mariti defuncti bona succedit vt hæres, sicut parentis filia, ex asse quidem, si is liberis carens ac intestatus decedat; quod si prolem habeat, ex æquo cum liberis.

xv. Legis sic meminit Dionysius *lib. 2. Si aliquid contra pudicitiam peccasset mulier, pœnam luebat ex mariti læsi arbitrio: de quo crimine vnà cum eo cognati cognoscebant.*

xvj. Legis sic idem meminit Auctor. *libro 2. Damnauit Romulus in mulieribus, & adulterium, & violentiam. Si deprehensa vxor vinum bibisset, vt adultera puniebatur.* Valerius Maximus *lib. 2. cap. 2. Vini vsus*, inquit, *olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam venerem esse consuerat.* Plinius *lib. 14. cap. 13.* Non licebat vinum fœminis Romæ bibere. Inuenimus inter exempla, Egnatij Mecennij vxorem, quod vinum bibisset è dolio, interfectam fuisse à marito, eumque cædis à Romulo absolutum. Agellius *lib. 10. cap. 23.* adducit M. Catonis orationem de dote, in qua erat scriptum, in adulterio vxores deprehensas ius fuisse maritis necare, & ex eadem oratione subiungit. Si quid peruerse, tetrèque factum est à muliere, mulctatur, si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecerit, condemnatur. Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit Matronam, quòd loculos, in quibus erant claues vinariæ cellæ resignauisset, à suis inedia mori coactam.

xvij. Legis testimonium etiam extat apud Dionysium: nam Libro secundo scribit, Romulum potestatem patri dedisse in filium, idque to to vitæ tempore, siue in carcerem eum mittendi, siue flagris cædendi, siue vinctum ablegandi ad opera rustica, siue necandi, etiamsi filius tractaret Rempublicam; & gereret magistratus maximos. Immo dedit potestatem eum vendendi etiam ter, si primo, aut secundo venditus redimeretur: quæ lex tametsi iniqua esse videretur, tamen filios in officio continebat, & cogebat esse parentibus obsequentes.

xviij. Legis etiam meminit idem Dionysius libro secundo, cum ait: Quicquid esset masculum, & è filiabus primogenita, educari voluit; nullam prolem necari permisit minorem triennio; nisi forte si quid mutilum, vel alioquì prodigiosum esset: tales enim fœtus exponi à parentibus nõ vetuit, sed indicatos prius quinq; viris vicinis proximis, si illis quoque exponendos esse visum fuisset. Contra hanc legem committentium, præter alias mulctas, etiam dimidium bonorum addixit ærario.

xix. Lex sumpta est ex Plutarcho in Romulo, vbi legimus: *Leges etiam quasdam tulit Romulus, inter quas vehemens est illa, qua mulieri maritum relinquendi potestas adimitur; viro autem repudiandi vxorem conceditur, si veneficio circa prolem vsa fuisset, aut alienam clam pro sua supposuisset, aut adulterium commisisset: si quis alia de causa repudiasset vxorem, eius bona partim vxori cederent, partim Cereri sacra forent.*

xx. Est eadem, quæ vndecima, de qua iam dixi.

De 21. Lege sic Dionysius libro secundo. *Commendauit Romulus plebem Patritijs, optione cuique à vulgo data, vt quem vellet, patronum sibi deligeret.* Et plutarchus *in Romulo. Romulus*, inquit, *potentiores à vulgo seiunxit, Patronos eos appellans, vulgus autem clientes: eaque mirificam benevolentiam mutuo excitauit, & eam in ra inuicem magni ponderis consecuta sunt.*

De xxij. & xxiij. sic est apud Dionysium *libro secundo. Statuit Romulus, vt Rex de iniurijs grauissimis causas ipse decerneret, Senatui leues permitteret.*

xxiiij. Legis meminit Macrobius *libro primo Saturnaliorum cap. 12.*

Mihi videtur incertum, an hæ leges scriptæ fuerint eo tempore, quo Reges Rempublicam tenebant: nam Latini sermonis stylus cum illis temporibus antiquissimis non videtur admodum conuenire. Fortasse tunc vsu, & consuetudine, & mandato ac iussu Regum verbis, nõ scriptis tradito seruabatur, quod in his legibus continetur: ita vt postea scriptæ sint leges, vel quod verisimilius puto, hæ leges coniectura quadam sumptæ sunt ex aliquibus Dionysij Halicarnassei, Plutarchij, Liuij, Ciceronis & aliorum scriptorum locis, quos adscripsi.

Cap. LXIII.

Leges XII. Tabularum.

Leges xij. Tabularum Cicero plurimum commendauit; quare cum sex libros De optimo genere Reipublicæ scripsisset, & animaduertisset Platonem de Republica, & de legibus multa litteris tradidisse, eius imitatione, & exemplo, maximis laudibus prosecutus est leges, quibus optimus Reipublicæ status vteretur: & libro secundo multa ex veteribus illis legibus commemorat. Et libro primo de oratore loquens de legibus 12. Tabularum, ait: *Frequent omnes licet, dicam: quod sentio, bibliothecas mehercule omnium Philosophorum vnus mihi videtur 12. Tabularum*

libellus,

libellum, si quis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate superare. In libro secundo de legibus, pueros Romanos discere solitos ait 12. Tabularum leges, vt carmen necessarium. Vnde quidam putarunt 12. Tabularum leges esse versibus conscriptas: quod ipse non probo. Romani Decemuiros constituerunt, quibus legum ferendarum auctoritatem dederunt, nam tres legatos in Græciam miserunt: qui anno tertio reuersi ex Græcia, in decem Tabulis descriptas leges ex Dracone, Solone, & Lycurgo attulerunt: quibus alias duas Tabulas legum, Decemuiri ad id à Populo delecti addiderunt: in quibus aliqua suppleuerunt, mutarunt, detraxerunt, & declararunt. Harum porrò 12. Tabularum leges multi varijs modis enumerant Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus 55. refert, alij plures recensent, Porrò, meo iudicio, leges 12. Tabularum partim erant de iure sacro, partim de Iure publico, partim de Iure priuato.

Prima Lex xij. Tabularum.

Sacra priuata perpetuo manento. Huius legis meminit Cicero *in oratione pro Muræna, & lib 3. de legibus*, sententia legis est hæc: vt quæ sacra gens aliqua, coleret siue illa patritia, siue plebeia esset, ea deinceps ab ijs, qui eiusdem stirpis futuri essent, colerentur, & conseruarentur, vnde etiam illud institutum constat, vt & mulieres in virorum, & adoptati, in parentum, & hæredes in defunctorum sacra transirent.

ij. *Hominem mortuum in vrbe ne sepelito, neue vrito.*

Refert hanc legem Cicero. libro secundo de legibus, & explicat eam, Ideo statutum id esse, ne locus publicus priuata religione obligaretur. Fortasis lex prohibuit in vrbe sepeliri cadauera, ne vrbs contaminari videretur: *Neue vrito.* Credo, inquit Cicero, propter ignis periculum. Legimus tamen Imperatores sepultos esse in vrbe, quia erant legibus soluti Virgines vestales licet viuæ ob crimen intra vrbem tamen crematabantur; sic etiam quidam alij ob eximiam virtutem in vrbe sepulti fuerunt.

iij. *Ne funerum sumptus fierent, nisi in tribus ricinijs, & clauis purpureis, & decem tibicinibus.*

Legis sententia est: Ne plures quam tres vestes cum mortuo, vel conderentur, vel vrerentur. Hanc legem refert Cicero libro secundo de legibus, sumptaque est ex legibus Solonis. Apud Athenienses Solonis lege cautum erat, ne plures decem tibicinibus ad funerum pompam adhiberentur. Ricinium, ait Festus, erat omne vestimentum quadratum, vel toga, qua mulieres vtebantur, prætexta clauo purpureo. In more apud Veteres erat, vestimenta quædam cum mortuis condere, vel vrere. Vnde Virgilius Aeneid. 6.

Purpureasque super vestes, velamina nota, iniiciunt.

Et Suetonius in Cæsare: Scœnici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem vsum induerant, detractam sibi atque discissam iniecere flammæ, Quidam alij ricinia putant fuisse vestes lugubres, quibus mulieres in funeribus vterentur.

Et decem tibicinibus. Teste Seruio *lib. 5. Aeneidos*, apud Antiquos consuetudo fuit, vt mortui maioris ætatis ad tubam proferrentur; minoris, ad tibias. Lex ergo præscribit modum funeris.

iiij. *Rogum assia ne polito.*

Sententia legis est; vt è rudibus, & impolitis lignis pyra conficeretur, ad cremanda mortuorum cadauera. Solebant Romani nimio quodam fastu, & nimio sumptu sepulcra exornare: vnde lex remouet è funeribus sumptus immoderatos, vanos, & inutiles, fuit quoque lex Solonis, ne quia faceret rogum ascia nec poliret.

v. Mulieres genas ne radunto; neue lessum funeris ergò habento.

Hæc lex desumpta est à Solone; qui prohibuit, teste Plutarcho, in funeribus corpus, laniare: lamentationemque meditatam edere. Testatur Seruius *in illud Aeneidos 12.*

"Et roseas laniata genas.

Moris fuisse apud veteres, vt ante rogos humanus sanguis effunderetur, vel captiuorum, vel gladiatorum: quorum si forte copia non fuisset, mulieres laniantes genas vnguibus eas cruentabant; & ora lacerabant, vt cruore effuso inferis satisfacere viderentur, Hoc igitur vetuit lex 12. Tabularum, vt ait Plinius *lib. 11. cap. 37.*

Lessum funeris. Ex Cicerone *secundo libro de legibus*, videtur esse aliquod genus vestimenti funebris, vel lugubris eiulatio: Prohibuit itaque lex, ne aliquid in funeribus abiectè, timide, seruiliter & muliebriter fieret, vt ait idem Cicero *in Tusculanis quæstionibus.* Vnde Plato. *lib. 12 de legibus. Flere*, inquit, *mortuum, iubere, aut vetare absurdum est: plangere verò & voces ac lamenta extra ædes mittere, vetandum.*

vj. *Homini mortuo ne ossa legito; quo post funus fiat: extra quam si militiæ, aut peregre mortuus sit.*

Extat apud Ciceronem *libro secundo de legibus* Legisque sententia hæc est: vt postea quam crematum cadauer est, ossa è cineribus legerentur, statimque loco proximo in terram conderentur; ne si alium in locum sepeliendi causa deportarentur, luctus duplicaretur, & sumptus. Excipitur autem ab hac lege, qui aut in malitia, aut peregre mortuus fuisset, vbi scilicet funus ei fieri non liceret. vnde *in l. Etsi. §. Impensa, & l. Diui fratres. ff. De religiosis, & sumptibus funerum*, is sumptus funeris probatur, cum peregrè mortuus in suum sepulchrum transfertur. Alij legem sic interpretantur.

Homini mortuo ne ossa legito. id est. ne adimito, & auferto. legere enim apud Antiquos; idem erat quod auferre: vnde dictus est sacrilegus; qui aufert res Deo consecratos. Et quia mortuis digitus, vel aliquod aliud membrum detrahebatur, reliquo corpore combusto, ideo hoc fieri vetuit lex.

vij. *Vti seruilis vnctura, omnisque circumpotatio tollatur.*

Solebant olim mortuorum corpora vngi odoribus, & vnguentis; quare lex prohibuit id fieri in corporibus seruorum sepeliendis: neque enim prohibet lex, quo minus liberi homines mortui vngantur: nam *in l. funeris. ff. de religiosis & sumptibus funerum*, ij sumptus probantur, qui vnguento pro mortui corpore comparato, facti sunt.

viij. *Vti ne sumptuosi resperſio fieret: neue murrata potio mortuo inderetur: neue longæ coronæ: neue acerræ adhiberentur.*

Moris fuit apud veteres, vt cadauer rogusue liquoribus quibusdam pretiosis perfunderetur: quod ne amplius fiat, hac lege prohibetur.

Murrata potio, siue mirrina, putatur fuisse quædam potio arte confecta; & magni sumptus.

Neue longæ coronæ. longæ coronæ dicuntur; vt distinguantur à rotundis, quibus busta, sepulchra, sellæ currules, theatra, & currus triumphales exornari solebant,

Neue acerræ. Festus scribit acerram esse aram, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. Alij verò putant esse arculam, in qua thus reponebatur. vetuit ergo lex; aras prope sepulcra fieri cum thure incensisque odoribus.

ix. *Qui coronam parit ipse, pecuniaue eius, virtutis ergò arduitor, ipsique mortuo, parentibusque eius, dum intus positus erit, foriſque feretur, sine fraude impositæ esto.*

Sensus legis est: vt permittatur adhiberi ad funera eas coronas, quas quis vel per se ipse, vel per seruos, equosue suos virtutis ergò in publicis ludis, & certaminibus sibi peperisset, quasi dicat, Tanquam præmium virtutis victoribus proponantur coronæ in sepulchris eorum, qui eas consecuti sunt.

Pecuniæ nomine intelliguntur equi, & serui.

Arduitor. Antiquum est verbum, ab arduo siue ad duo; idem significans quod addo. Recitat hanc legem Plinius *lib. 21. cap. 3.*

x. *Vti plura funera ne vni fierent: neue lecti plures inferrentur.*

Glorioſum fuerat apud veteres Romanos funera plurimis lectis efferri: pauperes capulis siue pheretris efferebantur: ditiores, & potentiores lectis. Vnde Sulla sex millia lectorum habuisse fertur.

xj. *Neue aurum addito: aſt quoi auro dentes vincti erunt, im cum illo sepelire, & vrere, se fraude esto.*

Vetat lex sepulchris aurum inijci: nam moris erat apud Antiquos vt in rogum vnà cum mortuo pretiosa multa inijcerentur. Excipit verò lex eos, quibus dentes, qui exciderant, aut euulsi fuerant, auro incrustati essent, ita vt liceret eos cum mortuo sepelire sine fraude.

Aſt quoi. Id est: At cui dentes, qui exciderint vel euulsi fuerint, auro erunt vincti, id incrustati.

Im cum illo. significat, eum cum illo anno auro cremari, vel sepelire licet per legem.

Se fraude. Id est. sine fraude, se, pro sine, antique dictum est teste Festo.

xij. *Rogum buſtumue nouum ne proprium ædes alienas 60. pedes inuito domino adijcito: neue forum sepulcri, buſtumue vſu capito.*

Præscribit lex ambitum sepulcrorum Cicero *Philippica. 9. Maiores*, inquit, *nostri ſtatuas multis decreuerunt: sepulcra paucis. sed ſtatuæ intereunt tempeſtate, vi, vetuſtate: sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moueri, neque deleri potest.*

xiij. *Dominum esse omnium rerum ac moderatorem Deum.*

Hanc legem recitat Cicero *libro secundo de legibus*: quamuis more Gentilium dicat, Deos esse rerum omnium dominos; & moderatores.

xiiij. *Ad Diuos adeunto caſte: pietatem adhibento: opes amouento, Qui secus ſecit, Deus ipse vindex erit.*

Cicero *libro secundo de legibus.*

xv. *Conſtructa à Patribus delubra habento. Lucos in agris habento, & Larum ſedes.*

xvj. *Diuos, & eos qui cæleſtes semper habiti, colunto, & alios, quos in cælo merita vocauerint.*

xvij. *Nulla Vitiorum ſacra ſoleninia obeunto: eſt alta, propter quæ datur homini aſcenſus in cælum, virtus, pietas, fides, colunto.*

xviij. *Perijs iurgia amouento: eaſque in famulis, operibus patratis, habento.*

xix. *Certas fruges, certasque baccas ſacerdotes publicè libanto: hoc certis ſacrificijs ac diebus: itemque alios addes, vbertatem lætis fatuſque seruanto.*

xx. *Curſus annuos ſacerdotes finiunto.*

xxj. *Diuis alijs, alij ſacerdotes; omnibus Pontifices, singulis flamines ſunto.*

Cic. lib. 2. de legib.

Atque hæ quidem leges vt prædiximus ad ius sacrum pertinebant: ad ius verò publicum, sequentes.

1. lex *Iuſſus populi, & ſuffragia ſunto. Quodcunque postremum populus iuſſit, id ius ratumque esto.*

Sic ex Liuio *lib. 7. & 9. Decadis.* 1. & hinc est, vt Iustinianus *Inſtit. de Iure naturali, & Gentium, §. Lex*, dixerit: *lex est, quod Populus Romanus conſtituebat Senatorio magiſtratu, veluti Conſule interrogante.* Rogabatur autem Populus in hunc modum, quem Cicero in oratione pro Domo sua expressit: velitis, iubeatis vt M. Tullio aqua & ignis interdicatur, Sed postea lege, regia potestate in Principem translata, is solus legislator censetur.

Suffragia ſunto, suffragium est vox illa: quæ dabatur in Comitijs, & in tabellis describebatur, qua quisque declarabat suam voluntatem de aliquo magistratu creando, aut reo capitis damnando. Initio palam ferebatur: postea latæ sunt tabellariæ leges, quæ voluerunt, vt suffragia tabellis describerentur cum Senatus, & Populus multa iubebat tandem id vim habebat, quod iubebat Populus.

2. *Lex Priuilegia ne irrogunto.*

Huius legis meminit Cicero *libro tertio de legibus*, cuius sententia est, Ne de priuis, hoc est, singulis hominibus leges ferrentur; cum æquitatis ratio postulet, vt omnes homines summi cum infimis pari iure teneantur, & iura non in singulos, sed in omnes generatim ferantur.

Ne priuilegia. Hoc est, Ne iura sint singularia, ne in gratiam, aut fauorem certi hominis iura constituantur.

Irrogunto. Irrogare propriè significat infligere, vt irrogare pœnam, iniuriam: hoc in loco videtur positum pro simplici, roganto, quasi diceret, Ne iura in singulos introducantur.

3. *De capite ciuis niſi per maximum Comitiatum eosque quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto.*

Hanc legem commemorat Cicero *libro tertio de legibus, & in oratione pro Seſtio*. sententia legis est: De capite ciuis nisi centuriatis comitijs Senten-

tiam fer-

tiam ferri Romani noluerunt. Vnde scribit Pomponius, non potuisse Consules iniussu Populi de capite ciuis Romani iudicare; ideoque secures consulibus aliquando ademptæ, ea lege & conditione à Largio Dictatore restitutæ dicuntur, ne ijs in caput Romani iniussu populi animaduerterent. Posterioribus tamen temporibus, constitutis quæstionibus publicis non ipse Populus de omnibus criminibus capitalibus iudicauit, sed quæsitores parricidij, vel Prætores publicarum quæstionum delegit, ijsque illa iudicia commisit.

Per maximum Comitiatum. Hoc est, per centuriata Comitia, in quibus populus descriptus, sensu, ordinibus ætatibus plus adhibebat in suffragium consilij, quàm fuse, & generatim in tribus conuocatus.

4. *Vt si iudex arbiterue iure datus pecuniam ob rem iudicandam accepisset, capite pœnas lueret.*

Damnat, ex Iudicum perfidiam.

5. *Vt qui falsum testimonium dixisset, è saxo Tarpeio dejiceretur.*

Sumpta est hæc lex ab Athenienfibus, vt colligitur ex Cicerone *in oratione pro Flacco.*

6. *Ne quis hominem indemnatum occideret: hominisue occidendi causa, cum telo esset.*

Sententia legis est, Post patrata facinora, neminem sine iudicis sententia puniendum. Petita est hæc lex ex legibus Lycurgi, quę id prohibent. Nam si absque iudicio, & sententia hominem fas esset occidere, multis daretur occasio ad cædes pro libidine patrandas.

Hominisue occidendi. Huius partis legis meminit Cicero *in orat. pro Milone*, sic inquiens: Cum lex vetat esse cũ telo hominis occidẽdi causa; eadẽ tacitè permittit, esse cum telo sui defendẽdi causa.

7. *Ne quis in Vrbe catus nocturnos ageret.*

Fit huius legis mentio in Declamatione Portij Latronis in Catilinam apud Salustium. Prohibebantur nocturni cœtus, ne facinorosi homines aliquid contra Rempublicam noctu molirentur. Hinc alia lex 12. Tabularum: *Sol occasus suprema tempestas esto.* Hoc est: Post solis occasum nullum sit agendi tempus.

8. *Vt si quis hostem concitasset; ciuemve hosti tradidisset, capite pœnas lueret.*

Recitat hanc legem Marcianus *in l. 3 ff. Ad legem Iuliam Maiestatis.* Prima pars legis, teste Francisco Balduino, significat: Si quis iniussu Populi, vel Principis bellum gereret, delectum haberet, exercitumue compararet, tanquam reus Maiestatis, capite puniretur. Secunda pars: Si quis exercitũ Populi Romani hostibus traderet, capite puniretur. Tertia: si quis hostem arcere nollet, aut exercitum desereret, vel ad hostes profugeret, capite plecteretur.

9. *Vt qui ædes alienas aceruumue frumenti iuxta ædes positum, dolo malo combussisset: vinctus, verberatus igne necaretur: at si casu id fecisset noxiam sarciret, pro atrocitate arbitratu castigaretur.*

Huius legis testimonium extat apud Caium iurisconsul. *in l. Qui ædes ff. De incend. ruin.* & apud Callistratum *in l. Capitolinum* §. 10. *ff. De Pœnis*, & apud Paulum *lib. 5 sentent. cap. 4.*

10. *Ne quis fruges excantasset.*

Meminit huius legis Seneca, *libro quarto Naturalium quæstionum*, & Plinius *libro 28. cap. 2. & li. 1. cap. 1.* Alij hanc legem sic recitant:

Qui fruges excantasit: & qui malum carmen incantasit, coercetor.

11. *Nehe alienam segetem pellexeris.*

Sententia legis est: Ne fatas Segetes alio transtuleris.

12. *Sanatibus idem quod forctibus ius esto.*

Extat hæc lex apud Festum, qui Sanates dictos vult eos, qui supra infraque Romam habitauerunt: qui cum à Romanis defecissent, breui post redierunt, quasi sana mente. Legis sententia est: Vt idem iuris illis sit quod forctibus, id est, bonis, qui numquam defecerunt à Populo Romano.

Tertia pars legum ex 12. Tabularum erat: de Iure priuato.

i. Lex: *De Patria potestate.*

Vt ijs qui ex patre, matreque familias eius nascerentur: in sui patris manu familias manu, potestate, mancipioque esset: haberetque pater familias ius in eum vitæ, ac necis, terque filium venundandi potestatem.

Hoc ius fuit proprium ciuium Romanorum, vt ait Iustinianus instit. de patria potestate.

j. *De testamentis ac tutoribus.*

Paterfamilias vti legassit super pecunia, tutelaùe suæ rei, ita ius esto.

In l. Verbis legis, ff. de verbo. significa. habetur, amplissimam potestatem hanc lege tribuiam esse patribus familias testandi, hæredes instituendi, legata, & libertatem dandi, tutores quoque constituendi: ita vt etiamsi Prætorem aut Consulem suis liberis tutorem instituerent, eos ad hoc onus suscipiendum obligarent.

Vti legassit. Id est, vti statuerit siue decreuerit,

ij. *Parentibus tutorum liberis in potestate dandorum testamento ius esto.*

Meminit huius legis Caius *l. 1. ff. De testament. tutel.* Et addit, etiam posthumis filijs posse tutores, parentum testamento dari, eò quòd posthumi pro iam natis habeantur.

iiij. *Vt si paterfamilias intestato moreretur, agnatorum, gentiliumque in ipsius pupilli, eorumque pecunia potestas esset.*

Vlpianus *l. 1. ff. De legitim. tutori.* Ratio legis erat, vt ij, qui sperare poterant hæreditariam successionem tuerentur bona tanquam legitimi tutores, ne delapidarentur. Agnati dicuntur: qui ex eadem familia nascuntur; & idem cognomen habent: Gentiles vero, qui ex eodem genere nascuntur, & simili nomine appellantur. Item, Agnati dicebantur, qui erant per patris cognationem conuicti, veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius, nepos, & alij posteri ex eo: item patruus, & patrui filius, & nepos ex eo.

v. *Si furiosus existat, agnatorum gentiliumque in eo, pecuniaque eius potestas esto.*

Huius legis meminit Cicero *lib. 2. de Inuentione, & Tusculana sexta*: vt qui prodigus existeret, si Prætor, causa cognita bonis suis interdiceret, inque ipsius pecunia, agnatorum, gentiliumque potestas esset. Huius etiam legis meminit

Vlpianus *l. 2. ff. De Curatoribus furioso.* Testatur Balduinus ex lege Solonis, infamia notari eum, qui patrimonium decoxisset, & foro, & concionibus arceri.

vij. *Mulieres orbæ, innuptæ in fratris agnatiue proximi tutela esto.*

Huius legis meminit Cicero *in Oratione pro Mœna*: nam propter infirmitatem consilij voluit lex, vt fœminæ essent in potestate parentum, fratrum, vel virorum. Vnde dicta est seruitus muliebris, quia dum viuunt parentes, fratres, vel viri, eorum potestate solutæ non sunt. Vtiliæ familias, in matrum suarum potestate nuptæ in virorum manu orbæ, innuptæ, in fratrum, vel agnatorum tutela erant: vt ostendit M. Cato disserens de lege Oppia apud Liuium *Decadis. 4. lib. 4.*

viij. *De suspectis tutoribus.*

Vt si quis doli mali culpæue in tutela gerenda suspectus videretur: eum cuiuis apud Prætorem suspecti arguere, ius esset: vtque dolo damnatus, infamis fieret.

Hanc legem Cicero *lib. 3. Officiorum*, commemorat.

ix. *Vt qui per tutelam pupillum fraudasset eiusque rem furatus esse conuinceretur, infamia notatus, dupli onis pœnam subiret.*

Extat huius legis testimonium apud M. Tullium *in oratione pro Cæcinna, & pro Roscio Comœdo.*

x. *Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto.*

Apud Romanos, vt dicit Agellius *lib. 20. cap. 1. & lib. 5 cap. 13.* moribus comprobatum fuit, vt clientem in fidem receptum cariorem patroni haberent, quàm propinquos: eumque etiam aduersus hos tuerentur: nam licebat patronis testimonium contra propinquos dicere, aduersus verò clientem pro cognatis non item.

Sacer homo dicebatur, teste Festo, quem populus ob maleficium iudicauit, quemq; immolari fas non erat, sed qui eum occidebat, impunitus relinquebatur.

xj. *De legatis & hæredibus.*
Vt quisque legassit: ita ius esto.

Memorans hanc legem Pomponius *in l. Verbis, ff. de verbo. signif.* ait Liberum erat Romanis simpliciter hæredem instituere quem vellent; ita vt etiam bona suis seruis relinqueret. Seruus autem eo ipso quod hæres instituebatur, liber fiebat: & hoc erat vnum genus manumissionis, videlicet per testamentum.

xij. *Vt cum paterfamilias super familia sua legaret, nexum faceret, perque æs & libram familiam manciparet: ac præter libripendem ciues Romanos puberes ne minus quinque adhiberet.*

Apud Romanos testamentum per æs & libram appellabatur cum pater familias ei, quem vellet successorem relinquere, familiam suam, & vniuersum ius patris familias mancipio vendebat, & simul hæredes mancipabat: & quinque aderant testes, omnes ciues Romani, & puberes, & ipse libripens, & emptor. Huius legis argumentum suppeditabat Agellius libro 15: capite 13.

xiij. *Cum nexum faciet, mancipiumque, vti lingua nuncupassit: ita ius esto.*

Sensus legis est: Cum pater familias per æs & libram familiam vendet, vt nominauerit, videlicet hæredem, & vti de suis bonis decreuerit, id ratum sit. Huius legis reliquiæ extant apud Ciceronem libro primo de Oratore & apud Festum.

xiiij. *Qui se scierit testarier, libripensve fuerit, intestimonium fariatur, id est, seriatæ improbus intestabilisque esto.*

Sententia legis est: Qui de testibus ad testamenta adhibitis, quales quinque ciues Romani puberes cum libripende ex lege supradicta erant, rogari, iure voluerint testimonium dicere, & fateri testamentum ita conditum fuisse, séque testes à testatore fuisse adhibitos, pœna mulctentur. Extat hæc lex apud Agellium *l. b. 15. cap. 13.*

Qui se scierit testarier. Id est, qui se in testem vocari passus fuerit. Scierit pro fuerit, vetustè dictum. Intestabilis in hac lege dicitur is, cui testimonij dicendi ius non est: siue is, cuius testimonium iura non recipiunt.

xv. *Vtique filij familias bonorum paternorum suorum, suæque hæredes essent.*

Tria erant apud Romanos hæredum genera: Aut enim erant hæredes necessarij, aut sui & necessarij, aut extranei. Necessarius, erat seruus hæres institutus, quia siue vellet, siue nollet, omnino post mortem testatoris protinus liber & necessarius hæres fiebat. Hæredes sui & necessarij erant filius, filia, nepos, vel neptis ex filio, & deinceps ceteri liberi, qui in potestate testatoris, cum obijt, fuerint.

Dicuntur sui hæredes, quia sunt in potestate testatoris. Necessarij verò, hæredes, quia siue velint, siue nolint, tum ab intestato, tum ex testamento, lege xij. Tabularum, hæredes fiunt. Ceteri, qui testatoris iuris subiecti non sunt, extranei hæredes vocantur. Vnde hæc lex ab alijs recitatur in hunc modum: Intestatorum hæreditates, primo suorum hæredum, velint nolintve sunto.

xvj. *Vt si qua mulier post viri mortem in decem prouimis mensibus pareret: qui, quæve ex ea nasceretur, suus, suave in viri familia haberi esset.*

Prima legis pars inuenitur apud Agellium *libro 3. cap. 16.* Altera pars habetur apud Vlpianum *l. 3. ff. de suis & legiti.* & apud Iulianum *lib. 6. & 7. eodem titulo.*

xvij *Si pater familias intestato moritur, cui suus nec extabit hæres, agnatus proximus familiam habeto.*

Huius Legis fit mentio apud Iustinianum *Institu. de hæredi. quæ ab intesta. §. intestatorum,* & apud Paulum. *ff. de liberis & posthu. L. 9.*

xviij. *Intestato liberto moriente primum sui successores: si hi non fuerint, patronus.*

Meminit huius legis Iustianus *Institu. de successione libertorum. §. Nunc de Libertorum bonis.* Et Vlpianus *in l. intestato. ff. de suis & legiti.* poterat tamen libertus etiam extraneum in testamento scribere, & patronum impunè præterire *l. is autem ff. de iure patro. l. liberto. ff. de bonis liberto.*

XIX. *Vti ceterarum rerum, si hæredes partem quisque suam habere mallent, familiæ, herciscundæ arbitrum sumerent, cui totius rei ius, arbitriumque permitterent.*

Habetur hæc lex apud Caium *L. 1. ff. Familiæ herciscundæ.* Nomine, familiæ, intelligitur res hæreditaria. Herciſci veteres dicebant pro diuidere. Id ſignificat lex: Vt arbiter, hoc eſt, iudex compromiſſarius (familias herciſcundæ) id eſt, diuidundæ additus, primum ſingulas res, ſi commodè fieri poſsit ſingulis adiudicet; Si non poſsit; & vnius pars præponderet, tunc eum alteri in pecuniam certam condemnet. Quod ſi vnus aliquis ſolus fructus percepit, remque hæreditariam corrupit, aut conſumpſit, tunc eum in certam quoque pecuniam condemnet.

XX. *Inter hæredes pro hæreditarijs portionibus, obligationes hæreditariæ diuiſæ ſunto.*

Sententia legis eſt: Vt obligationes teſtatoris, hoc eſt, quæ à teſtatore ad hæredes veniunt, inter hæredes diuidantur pro hæreditarijs portionibus. Verbi gratia: Si teſtator votum aliquod fecit, aut centum alicui debet, tunc ſolutio illius voti vel pecuniæ debet fieri; non per vnum hæredem, ſed diuidi in ſingulos hæredes, ita vt omnes conferant ad illius ſolutionem, pro hæreditatis portione. Vnde creditores de mortui debitoris nequeunt agere contra vnum hæredem, ſed benè tamen poſſunt contra omnes. Pari ratione, ſi quis teſtatori aliquam pecuniæ ſummam debeat; neo ſoluat ante obitum teſtatoriſ, tunc hæredes eius omnes, non vnus tantùm contra debitorem actionem habent.

XXI. *Vt quæ mulier cum iuris eſſet annum vnum apud virum matrimonij cauſa fuiſſet, ea mulier, ni trinoctium vſurpatum iſſet, pro vſu capta haberetur.*

Habetur hæc lex apud Agellium *libro 3. cap. 11.* & Macrobium *lib. 1. Saturnal. cap. 2.* Præcipit hæc lex, vt quæ mulier annum vnum matrimonij cauſa apud virum fuiſſet, ea mulier anno exacto, in eius viri manu eſſet: at ſi ante anni finem tres noctes ab ea vir abfuiſſet, dat poteſtatem lex mulieri interrumpendi vſucapionem, ſiue poſſeſsionem viri: ſicut res mobiles anno vno, vſu capiuntur; ſic etiam vxor, ſi anno integro cum viro fuerit, manet in poteſtate viri. Et ſicut iure ciuili rerum vſucapiones infringuntur: ita vxor ſi ante annum exactum tres noctes vir ab ea abfuerit, non manet in poteſtate viri tamquam vſucapio eius ſit interrupta.

XXII. *Ne connubium Patribus cum Plebe eſſet.*

Scribit Dionyſius *libro 10.* Decemuiros legem poſuiſſe, vt connubia non eſſent inter patritios & plebeios. Abrogata eſt hæc lex poſtea per legem Canuleiam: Canuleius enim teſte Liuio *libro 4. Decadis 1.* Tribunus plebis legem tulit, vt deinceps Patribus cum Plebe, connubij ius eſſet.

XXIII. *Vt Si è coniugibus alter alteri nuncium mitteret eumque ſuas res ſibi habere iuberet, diuortium eſſet.*

Extat hæc lex apud Caium *in lege penultima, ff. ad leg. Iuliam. de adul.* Cicero *in 2. Philipp.* ſcribit, diuortia ex 12. tabulis permiſſa fuiſſe. *Noli*, inquit, *credere: frugi factus eſt Antonius: mimam illam ſuam ſuas res ſibi habere iuſſit ex 12. tabulis, claues ademit, exegit:* Sic ille Sed etſi diuortia in 12. tabulis permiſſa fuerint, intra quingentos tamen annos nullum Romæ diuortium factum eſſe, Dionyſius *libro 2.* & Gellius *lib. 17. cap. 21.* ſcriptum reliquerunt: primuſque omnium Spur. Seruilius diuortium feciſſe dicitur ob vxoris ſterilitatem: eo quod iuraſſet ſe liberorum quærendorum cauſa vxorem duxiſſe.

XXIIII. *De in ius vocando.*

Si in ius vocato morbus, æuitasne vitium eſt: qui in ius vocaſſit, iumentum dato: ſi volet, arceram ne ſternito.

Extat apud Agellium *lib. 20. cap. 1.* Vult hæc lex, vt in ius vocato homini pauperrimo, qui aut pedibus fortè æger eſſet, aut aliquo alio incommodo ingredi nequiret, arcera daretur, hoc eſt, plauſtrum tectum vndique, & quaſi quædam arca concluſum; ne cauſatio ægri corporis perpetuam daret fidem detrectantibus, iuriſque actiones declinantibus vacationem. Phauorinus apud Agellium *loco citato*, improbauit hanc legem tanquam inhumaniter ſcriptam videlicet ſi homo in ius vocatus, aut ætate æger, ad ingrediendum inualidus eſſet, arcera non ſterneretur, ſed ipſe auferretur, & iumento impoſitus, ex domo ſua ad Prætorem in Comitium, noua funeris facie efferretur. Quam ob cauſam, inquit Phauorinus, morbo affectus, & ad reſpondendum pro ſe non idoneus, iumento adhærens, in ius deportatur? At Sex. Cæcilius hanc legem dicit eſſe humaniſsimam, quæ iumentum dari iubet ægro, aut ſeni in ius vocato; ne quis ob excuſationem morbi, inopiæ, vel ſenectutis lites & controuerſias ſubterfugeret & declinaret.

XXV. *Si iudex, vel alter ex litigantibus morbo ſont; eo impediatur dies iudicij diffeiſus eſto.*

Extat apud Agellium *lib. 20. cap. 1.* & apud Feſtum, ad hanc legem referuntur verba Iuliani iuriſconſulti *in l. quæſitum. ff. de ſenten. & re iudicata* Vult hæc lex, vt ſi iudex, vel alter ex litigantibus graui morbo corriperetur, atque ſic impediretur, vt in iudicio apparere; vel præeſſe non poſſet, actio illa in alium diem differretur. *Morbo Sontico.* Id eſt, vehementi, & habente vim grauiter nocendi, vt explicat Sex. Cæcilius apud Agellium *lib. 20. cap. 1.* Nam quia Sontes dicuntur nocentes, inde Sonticus moribus dictus eſt, qui noceat, vt habetur in l. morbus. ff. de verb. ſignifi. & in l. vlti. ff. de ædilit. edicto. *Diffeiſus eſto.* Id eſt, Diſſiſus, quaſi dicat, diffindatur: vt explicatur apud Agellium *libro 14. capite 2.* & diem eſſe diſſiſum, idem eſt quod iudicium differri oportere.

XXVI. *Si in ius vocet, atque eat.*

Si vis vocationi fiat, antestamino: ni it, aurem capito antestasi.

Si caluitur, pedemve ſtruit, manum endoicito.

Mentio huius legis eſt partim apud Ciceronem *libro 2. de legibus*, partim apud Feſtum in ver-

bo struere. Sententia legis est: Vti ciuis Romanus in ius vocatus, illico nulla mora interposita vocantem sequatur: & hoc est quod dicitur. *Si in ius vocet, Atque eat.* Antique dictum est, atque, pro statim, vt docet Agellius *lib.* 10. *cap. vlt.* Qui si sequi nolit, adeò vt vi cogi oporteat. actor præsentes aliquos ciues antestetur, id est, in testes vocet: quod si adhuc sequi nolit, aurem antestati capiat. Si fugiat reus, actor ei manum injiciat. atque in ius rapiat,

Si vis vocationi fiat.

Hoc est, si aduersarium in ius vocauerit, & is vi restiterit. *Fiat*, Veteres dixere, pro, fiat, teste Nonnio Marcello. *Antestaminor*, id est, Testes aliquos aduocato.

Aurem capito antestati. Mos erat in antestatione, vt memoriæ causa actor auriculam imam tangeret antestati, cum hoc verbo, Memento. Hinc Plinius *libro* 11. *cap.* 45. Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes antestantur.

Si caluitur, Id est, si frustratus, teste Nonnio. *Pedem've struit.* hoc est dicere, si retrorsum it, aut fugit, vel, si remoratur, ait Festus. *Manum endo iacito.* autiquè dictum est pro, manum injicito.

xxvij. *Si testatus dies sit cum hoste, venito.*

Refert hanc legē Cicero *lib.* 1. *Officiorum* & hoc significat lex: Is qui in iudicio se sistere, promiserit aduersario secundum suam, vel fideiussorum promissionem, se sistat ad diem statutum.

Cum hoste. Antiquo more dictum est pro aduersario, vel peregrino. Hostis apud veteres, inquit Festus, dicebatur peregrinus: & qui nunc hostis, tunc dicebatur perduellis.

xxviij. *De iudicijs.*
Rem vbei pagunt oranto: nei pagunt ante meridiem in foro, aut in Comitio causam conijciunto: post meridiem, præsente ambobus, leitem addicito, sol occasus suprema tempestas, esto.

Legis sententia est, vt litigantes, si de re controuersa paciscerentur, vel litem inter se componerent, orarent, id est, id oratione peragerent. Quod si non paciscerentur, tunc ante meridiem in foro, aut in comitio (in quibus locis ius dicebatur) causam conijcerent. Id est, breuiter narrarent: non integra, & prolixa oratione exponerent: & eo facto Prætor, post meridiem, litem, id est, rem controuersam ei, qui causam obtinuisset, addiceret, ambobus præsentibus: & post solis occasum, nullum à Prætore ius diceretur; quod si diceretur, irritum esset.

Præsente ambobus. Antiqua locutio est, pro eo, quod est præsentibus ambobus.

Sol occasus. Vetusta etiam est phrasis, pro eo vsurpata, quo dicimus, sol quando occidit.

Suprema tempestas esto. Id est, diei nouissimum tempus.

Vbei. idem est quod, vbi.

Pagunt. Pago, pagis; pagere idem significat quod paciscì.

xxix. *Si qui in iure manum serunt, vtreique superstitibus præsentibus, vindicias sumunto.*

Lex hanc habet sententiam: Si qui de domo, vel agro, vel alia quapiam re contendunt, & super ea re festucas inter se, quasi hastas dicis causa committunt, *vtreique superstitibus præsentibus, vindicias sumunto*, Id est, vtrique litigantium præsentibus testibus festucas illas inter se committunt, & manus conserunt. Videtur lex intelligere appellatione vindiciarum ipsam manum consertionem. Quid Vindiciæ significent, explicat Festus in voce Vindiciæ.

xxx. *Si vindiciam falsam tulit, rei, sive litis arbitros tres dato: eorum arbitrijs fructum duplione damnum decidito.*

Recitat hanc legē Festus in verbo Vindiciæ. Vult lex eum, qui falso sibi rem alienam vendicauit, duplos fructus restituere debere.

Si vindiciam falsam tulit. Vindiciam ferre, est sententia & decreto rem possidere. Vindiciæ appellantur res illæ, de quibus est controuersia, eo quod vindicarentur.

xxxj. *Vt si quis è libertate in seruitutem asseretur; Prætor Vindicias secundum libertatem daret.*

Sententia legis est: Vt non solum liber homo, qui status controuersiam patereturr, relinquatur suæ libertati; & eius possessionem retineat, dum quæstio status, causæque liberalis penderet, sed etiam vt seruus, qui in libertatem ab aliquo legitimo & iusto vindice asseritur, interea pro libero habeatur, & assertori libertatis, dominus serui possessione serui cedat.

Vindicias secundum libertatem daret. Id est, Prætor possessionem eius, de cuius libertate, vel seruitute disputatur, ei daret, qui libertatem defendit, non ei, qui seruitutem quærit. Vindiciæ etiam hoc loco possessionem significant. Et statuit lex, vt liberi, vel serui hominis possessio defendatur, dum causa disputatur: ita vt si liber homo sit, cuius tamen seruitutem actor quærit, suæ libertati relinquatur; si verò seruus sit, & ab aliquo in libertatem vindicetur, ei possessio detur, non domino serui.

xxxij. *Ne quis rem litigiosam in sacrum dedicaret. Qui dedicasset, dupli pœnam subiret.*

Extat hæc lex apud Caium *in l. vltima. ff. de re litigiosa.* Duplum aduersario præstandum erat, vt id veluti solutum haberet, pro eo quod potentiori aduersario traditus erat.

xxxiij. *Cui testimonium defuerit, is tertijs diebus ob portum obuagulatum ito.*

Extat apud Festum in voce Portus. significat lex: Si ei qui litem habet, testis defuerit, ei licet die tertio ante domum eius, cuius testimonio vti volebat, liberè conqueri, & implorare testimonium, & conuicium recusanti facere.

Ob portum. Portum, inquit Festus pro domo in lege 12. Tabularum positum esse, omnes ferè consentiunt.

Obuagulatum. Obuagulationem, dicit Festus esse quæstionem cum conuicio, & deducitur à vagulo, quod deriuatur à vagio.

xxxiij. De

xxiiij. *De re iudicata.*
Aeris confessi, rebusque iure iudicatis, triginta dies iustes sunto: postidea indu manus iactio esto, in ius ducito. Nei iudicatum facit. Aut quis endo iure vindicit: Secum ducito. Vindicito, aut nervo, aut compedibus quindecim pondo, ne minore: aut si volet maiore vincito. Seu volet, suo vivito. Nei suo vivit, qui eum vinctum habebit. Libras farris in dies dato. Sei volet, plus dato.

Habetur hæc lex apud Agellium *libro* 20. *cap.* 1. Legis sententia est, vti eam explicat Sex. Cæcilius apud Agellium loco citato. *Confessi aeris.* Id est debitæ pecuniæ iudicatis triginta dies dantur conquirendæ pecuniæ causa, quam dissoluerent. His diebus nihil agi cum debitoribus poterat: post deinde, nisi dissoluerent, ad Prætorem vocabantur, & ab eo, quibus erant iudicati, addicebantur. Neruo quoque, aut compedibus vinciebantur.

Confessi aeris. Id est, pecuniæ, quam per confessionem aduersarij in iudicio factam constiterat esse debitam.

Rebusque iure iudicatis. Alij legunt,
Aerisque debiti iudicatis.

Postidea id est, postea.

Indu manus iactio. Id est, manus iniectio. Quasi dicat, Post illos triginta dies, nisi tibi satisfecerit, licet tibi in eum manus inijcere, & in ius ducere.

Nei iudicatum facit. Id est, Nisi soluerit id, quod sententia iudicis continet.

Aut quis endo iure vindicit. Id est, Nisi quis eum iure vindicet.

xxv. *Ni cum eo pacit, sexaginta dies in vinculis retineto. Trinis nundinis continuis in comitium procitato, aeris quae aestimiam praedicato. Tertijs nundinis capite poenam luito. aut trans Tyberim peregre venum ito. Ast si plures essent rei, tertijs nundinis partem secanto: si plus, minusve secuerunt, nesi fraude esto.*

Memorat hanc legem Agellius *lib.* 20. *cap.* 1. Sensus est: Erat ius interea pacisendi inter creditorem & debitorem; & nisi pacti fuissent, habebantur in vinculis dies sexaginta; Inter eos dies tribus nundinis continuis ad comitium producebantur, quantæ pecuniæ iudicati essent, prædicabatur. Tertijs autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregrè venundabantur. Quod si plures essent creditores, quibus reus esset iudicatus permittebat lex, vt si vellent creditores, corpus debitoris secaretur, & cuilibet creditori pars dissecti corporis addiceretur.

Nesi fraude esset Antiqua Phrasis hæc est, pro eo quod dicitur, sine fraude Quinctilianus *lib.* 3. *cap.* 6. ita ait: *Sunt quædam non laudabilia natura, sed iure concessa, vt in duodecim Tabulis debitoris corpus inter creditores diuidi licuit, quam legem mos publicus repudiauit.* Phauorinus apud eundem Agellium *lib.* 20. *cap.* 1. *Nihil*, inquit, *profecto immitius, nihil immanius* (videlicet huius legis pœna) *nisi* (vt reipsa apparet) *eo consilio tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam vnquam perueniretur. Addici namque nunc, & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audiui, quoniam scæuitia ista pœnæ contemni non potuit: Respondet. Sex. Cæcilius? Grauitatem pœnæ esse decretam, non vt debitorum corpora secarentur; sed vt debitores legis pœnam pertimescerent, & acerbitate pœnæ conterriti non auderent pacta & conuenta perfide rumpere. Sic etiam,* inquit, *Decemuiri statuerunt, vt qui falsum testimonium dixisse conuictus esset, è saxo Tarpeio deijceretur. Acerbitas plerumque vtciscendi maleficij, bene atque caute viuendi disciplina est. Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ* Horat.

xxxvi. *Assiduo vindex assiduus esto. Proletario ciui quibus volet, vindex esto.*

Refert hanc legem Agellius *libro* 16. *cap.* 10. Statuit, vt assidui, vel locupletes ciues creditoribus addicti, ab assiduis vel locupletibus vindicarentur; hoc est, si ita res ferret, assibus redimerentur; non autem à Proletarijs ne, cum sint tenuioris fortunæ, quam vt asses possent dare, quibus assiduos à vinculis liberarent, ipsi pro assiduis & se suosque liberos, familiamque totam in discrimen adducerent, neve corpus liberum assidui hominis liberandi gratia, seruiuti, capitisque pœnæ, aut sectioni subijceretur. Proletario autem ciui quemuis vindicem esse permisit lex, quia eius debita non solent esse maiora quàm quæ ære exiguo solui possint.

Assiduo. Veteres dixere pro locuplete ab assibus dandis.

Vindex esto. Antiqui vindicem appellabant, qui vinctum siue addictum alteri, siue prehensum liberabat.

Proletarius ciuis dictus est ab officio prolis edendæ: nam qui rem familiarem paruam habebant, Rempublicam adiuuabant, liberorum copia.

xxxvij. *De emptione, venditione, & vsucapionibus.*
Venditae & traditae res non aliter emptori acquiruntur, quàm si is venditori pretium soluerit, vel alio modo satisfeceris.

Declarat hanc legem Iustinianus *Instit. De rerum diuisione, §. Venditæ. & Instit. de empt. & vendit. §. item pretium.*

xxxviij. *Vsus & auctoritas fundi biennis, ceterarum rerum annuus esto.*

Extat hæc lex apud Ciceronem *in Oratione pro Cæcina, & in Topicis ad Trebatium*, & apud Iustinianum *Instit. de vsucapionibus. §. iure ciuili.* Legis sententia est: Adeptio dominij per continuationem possessionis, temporis annui est in rebus mobilibus: biennij verò in rebus immobilibus. Hanc legem Iustinianus loco citato correxit, voluit tempora vsucapionis esse longiora scilicet, vt res quidem mobilis per triennium vsucaperetur: immobilis verò inter præsentes, decennio; inter absentes, viginti annis.

Vsu capere, est vsu & possessione rem facere suam.

Auctoritas sumitur hoc loco pro iure, quod possessione, tempore, & loco definito acquiritur. Fundus generatim accipitur pro omni eo quod solo adhæret, hoc est: pro rebus immobilibus.

xxxix. *Aduersus hostem æterna auctoritas esto.*

Extat apud Ciceronem *lib. Officiorum.*

Noluerunt Decemuiri alios quàm ciues suos possessores tueri, & vsucapionis iure donare. Est igitur legis sententia: Perpetuum sit ius cuilibet ciui Romano vindicandi rem suam à quolibet peregrino possessam, ita vt nullus peregrinus vllo tempore possit vsucapere rem ciuis Romani.

Hostis, in hoc loco sumitur pro peregrino: vt explicat Cicero *lib. 1. Officiorum*, & Varro *lib. 4. de lingua Latina.*

xxxx. *Rei furtiuæ æterna auctoritas esto.*

Apud Agellium *libro 17. cap. 7.* sic habetur. *Quod subreptum erit, eius rei æterna auctoritas est.* Hoc est: Perpetuum sit cuique ius vindicandi rem suam furto sublatam: ita vt non solùm denegetur furi vsucapiendi potestas, sed etiam cuilibet alteri; quamuis à fure bona fide emerit, vel alia de causa acceperit. Extat hæc lex apud Iustinianum Instit. de vsucapionib. §. furtiuæ.

xxxxi. *De Collegijs.*

Vti sodalibus, qui ius coeundi haberent, potestas esset pactionem quam vellent, sibi ferre: dum ne quid ex publica lege corrumperent.

Extat huius legis testimonium apud Caium Iurisconsultum *in l. vlt. ff. de Collegijs.*

Translata est hæc lex ex legibus Solonis, in quibus ita erat: Si qui eiusdem corporis, aut si qui tribules, aut Sacerdotes Orgiorum, aut Nauicularij, aut Sodales, aut eiusdem sepulchri, religionisve consortes, aut ad pecorum coemptionem, aliudve negociationis genus simul proficiscentes; pactionem inter se aliquam inierint, ratum id sit, dum ne quid in publicis tabulis prohibeatur.

Teste Plutarcho in vita Numæ: Numa Pompilius diuisit multitudinem plebis secundum artificia, vt suum peculiare corpus haberent tibicines, suum artifices, architecti, tinctores, sutores, coriarij, fabri ærarij, & figuli: & inde orta sunt certa collegia, quæ Senatus consulto & Constitutionibus sunt approbata. Quibus autem permissum est corpus habere collegij, fas erat in modum Reipublicæ res habere communes; arcam communem, & actorem siue syndicum, per quem tamquam in republica quid communiter agi & fieri oporteret; ageretur & fieret. Poterant hæc collegia manumittere, legatum capere, leges sibi ferre, hoc est, statuta condere, dummodo nihil ex iure communi corrumperent.

xxxxij. *De seruitutibus & finibus regundis.*

Viæ latitudo in porrectum, octo pedum esto, in anfractum sedecim.

Extat hæc lex apud Caium. *ff. De seruitutibus, l. viæ latitudo*: & statuit ius de seruitutibus rusticorum prædiorum. Iustinian. Imperator. *Iustitut. de seruituti prædiorum, §. Rusticorum prædiorum*, ait, *Rusticorum prædiorum iura sunt hæc: Iter, actus, via, aquæductus. Iter est, ius eundi & ambulandi hominis, non etiam iumentum agendi vel vehiculum. Actus, est ius agendi iumentum, vel vehiculum. Via, est ius eundi & ambulandi hominis, & agendi iumentum & vehiculum. Aquæductus, est ius deducendæ aquæ per fundum alterius.* Lex ergò loquitur de seruitutibus rusticis, & præcipit, vt si quis ius habeat ducendi vehiculi, siue plaustri, siue agendi iumentum per prædium alterius, ea via in porrectum, ideſt, in directum sit octo pedum. In anfractum, id est, in flexum sit duodecim pedũ: ad plaustri videlicet circumducendi commoditatem.

xxxxiij. *Vt si cui priuato aquæductus alterius in publico noceret, ei aquæductus Dominus noxæ nomine caueret.*

Vult dicere lex: Si per publicum locum vnus aquæductus priuato nocebit, erit actio, vt dominus aquæ de damno ipsi caueat. Extat hæc lex apud paulum Iurisconsultum *in l. 5 ff. ne quid in loco publico.*

xxxxiiij. *Vt si cui aqua pluuia ex vicini agro noceret vicino, cui ea noceret, eam per arbitrum arcere ius esset.*

Extat apud Ciceronem *in Topicis* hæc lex: Vbi Boetius. *Ius*, inquit, *est aquam pluuiam arceri*: id est, vt si in alicuius agro pluuia aqua colligatur, & in alterius agrum defluat, eaque vicini frugibus nocitura concrescat, arceat eam suis finibus ille, qui sua putat interesse, ne defluat. Vlpianus *l. 1. ff. de aqua pluuia.* ait. *Si cui aqua pluuia damnum dabit, actione aquæ pluuiæ arcendæ uerietur aqua.*

xxxxv. *Ambitus parietum sestertium pes esto.*

Ambitus, teste Varrone *lib. 4. de lingua Latina*, dicitur in hac lege, inter vicinorum ædificia locus relictus: quem iubet lex esse duorum pedum, & semipedis, ad circumeundi facultatem.

xxxxvi. *Qui sepem in confinio ponet, terminum ne excedito: Qui murum, pedem derelinquito: qui domum, pedes duos: qui sepulchrum, fossamque, quantum id profundum erit: qui puteum, passum: qui olinam, siciniue, pedes nouem: qui denique alias arbores plantabit, quinque pedes ab alieno loco ponito.*

Extat apud Caium. *l. vltim. ff. de finibus regund.* vbi eam ex Solonis legibus desumptam esse testatur.

xxxxvij. *In controuersia de finibus quinque pedum vsucapio nulla esto.*

Habetur hæc lex apud Ciceronem. *libro de legibus.* Voluit lex inter confines vicinorum agros spatium quinque pedum non vsucapi, sed medium relinqui, quod liberum semper esset & commune, vt eo ire, agere; & aratrum etiam circumuertere, sine alterius incommodo vterque dominus posset. Vnde postea lege Mamilia caurum est, vt quoties de his quinque pedibus controuersia esset, arbiter siue agrimensor eligeretur, qui eos regeret, arteque sua consti tueret.

xxxxviij. *Eius arboris quæ in alienum agrum impenderet, ramos quindecim pedes altius à terra circumcidere ius esto vicino.*

Hoc

Hoc ideo statutum est, ne vmbra arboris vicino prædio noceret. Extat apud Vlpianum Iurisconsultum in l. 1. ff. de arboribus cædendis.

xxxix. *Glandem suam in alienum fundum procidentem colligendi ius esto vicino.*

Huius legis facit mentionem Plinius *libro* 16. *cap.* 5. Et glandis nomine omnis fructus continetur. *l. ni ff. de glande legen. & l. qui venenum, ff. de verb. significat.*

L. *Vti si vitiui inter se iurgant. Finibus regundis, arbitros tres darent: eique totius rei ius arbitrium que permitterent.*

Huius legis pars inuenitur apud M. Tullium *libro* 2. *de legibus.* Fines vocantur agrorum termini ac limites: & regi dicuntur, quoties vnusquisque ager proprijs finibus terminatur.

lj. *De iniurijs, alijsque delictis.*

Si quis actitauerit, siue carmen condiderit, quod infamiam, flagitiumve, alteri precetur, capite punitor.

Mentio huius legis est apud Ciceronem *libro* 4. *de Republica*, & apud Augustinum *lib.* 2. *de ciuitate Dei, cap.* 9.

constituitur capitis pœna in scriptores libellorum famosorum. Quidam hanc legem sic recitant.

Si quis carmen occentasit, quod alteri flagitium parit, capitale esto.

Occentasit. Antiqui dicebant pro eo quod est conuitium facere. Flagitium item veteres, infamiam appellabant. Flagitium facere, conuicijs aliquem lædere. Apud Græcos ait Augustinus loco citato, fuit lege concessum, vt quod vellet, comœdia nominatim, vel de quo vellet, diceret. Itaque quem illa non attigit? vel potius quem non vexauit: cui pepercit? At contra Cicero *lib.* 4. *de Repub. & Thusculana.* 4. ait: *Nostræ Tabulæ duodecim cum perpaucas res capite sanxissent, in his tamen sanciendam esse capitis pœnam putarunt.* Vnde Arnobius *lib.* 7. *carmen malum*, inquit, *conscribere, quo fama alterius coinquinetur, & vita, decemuiralibus scitis enadere nolauisse impune.*

lij. *Si iniuriam alteri faxit, xxv. æris pœnæ sunto.*

Apud Agellium *lib.* 20. *cap.* 1. Phauorinus, philosophus Academicus hanc legem improbauit, veluti mollem & remissam, vbi sic inquit: *Quod dixi, videri quædam esse impendio molliora, nonne tibi quoque videtur esse dilutum, quod ita de iniuria punienda scriptum est. Si iniuriam alteri faxit, viginti quinque æris pœnæ sunto. Quis enim erit tam inops, quem ab iniuria faciendæ viginti quinque asses deterreant? Itaque cum eam legem Q. quoque Labeo vesteř, in libris, quos ad 12. Tabulas conscripsit, non probaret, inquit: L. Neratius fuit egregiè homo improbus, atque immani vecordia. Is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus suæ palma verberare, eum ferum sequebatur, crumenam plenam assium portitans: & quemcumque depalmauerat, numerari statim iubebat. Tabulæ, 25. asses iubebat. Propterea, inquit, Prætores, hanc abolescere & reliqui censuerunt, iniurijsque æstimandis recuperatores se daturos edixerunt.* Hæc Phauorinus. Sex. autem Cæcilius legem defendens, ait, non omnes iniurias hac pœna æstimatas fuisse, sed leuiores tantum, & hanc paucitatem assium, graue pondus æris fuisse, eũ Populus Romanus ea tempestate librarijs assibus vteretur.

liij. *Si membrum rupserit, ẽ pacto talio esto.*

Reperitur hæc lex apud Agellium *libro* 20. *cap.* 1. & apud Festum *in voce Talio*, & apud Iustinianum *Institut. de iniurijs.* § *pœna.*

Vult lex, vt de graui & atroci etiam illata iniuria paciscí liceat: led (è pacto) id est, sine pacto, vel extra pactum, Talionem esse pœnam. Notat etiam Phauorinus apud Agellium, hanc legem, vt iniquam, sit inquiens: *Nonnulla in istis Decemuirorum legibus, nec consistere quidem visa sunt. Veluti illa lex Talionis: cuius verba (nisi memoria me fallit) hæc sunt: Si membrum rupit meum, ẽ pacto Talio esto. Præter enim vlciscendi acerbitatem, ne procedere quoque executio iusta talionis potest. Nam cui membrum ab alio ruptum est, si ipsi itidem rumpere per talionem velit; quæro an efficere possit rumpendi pariter membri æquitibrium. In quare primum rei difficultas est inexplicabilis. Quid si membrum alter imprudens ruperit; Quod enim per imprudentiam factum est, vt aliari per imprudentiam debet. Ictus quippe fortuitus & consultus non cadunt sub eiusdem talionis similitudinem.* Hæc & plura Phauorinus. Sed Cæcilius legem Decemuirorum defendens, ait, Prædictam pœnam esse irrogatam; quia voluerit lex eo metu improborum hominum audaciam coerceri: nec in lege habitam esse rationem, prudensne an imprudens quis alteri membrum ruperit; quia lex opus ipsum punit, non voluntatem & animum. Nec acerbam esse Talionis pœnam, quia qui ruperit membrum alteri, paciscí potest, ita vt talionem pati non cogatur, nisi eam ipse elegerit. Hactenus ex illo Auctore. Ad Talionem non ante veniebatur, quam is, qui iniuriam fecerat, paciscí nollet: immo & ad id æstimationem iudicis redigi solitum fuit: nam si reus, qui paciscí noluerat, iudici Talionem imperanti non parebat; æstimata lite iudex hominem pecuniæ damnabat. *Talio*, inquit, Isidorus. *est similitudo vindictæ, vt quis talia patiatur, qualiter fecit.* De Talione Athenienses legem habuerunt, & ante Romanos & Athenienses Hebræi Pœnæ grauitas improbos à maleficijs patrandis, & iniuria facienda deterret.

liiij. *Si os fregit æris sunto.*

Similiter apud Agellium *libro* 20. *cap.* 1. habetur hæc lex & apud Iustinianum. *Instit. de iniurijs,* §. *Pœna* Cæcilius apud Agellium: *Iniurias*, inquit, *atrociores, vt de osse fracto, non liberis modo, verum etiam seruis factas, impensiore damno vindicauerunt.* Iustinianus autem: Pœna iniuriarum ex L. 12. Tabularum, propter membrum quidem ruptum talio erat: propter os verò fractum. nummariæ pœnæ erant constitutæ, quasi in magna, veterum paupertate.

lv. *Si in tuo alienum pecus pascatur, de pastu pecoris actio esto.*

Voluerunt Decemuiri concordiam inter ciues tueri, & causas litium & controuersiarum præcidere ideoque hæc leuia in suas tabulas retulerunt. Hæc legitima actio de pastu pecoris tunc competebat, cum in meo tuæ pecudes meum aliquid depastæ essent.

lvj. *Si quadrupes pauperiem fecerit: ei, cuius intererit eum, qui dominus erit quadrupedis, actio noxalis esto.*

Extat

Extat hæc lex apud Vlpianum. *l. 1. ff. si quadru. paup.* Voluit hæc lex, aut dari animal quod nocuit, & noxam commisit; aut æstimationem Noxæ offerri. Noxa, est ipsum delictum: Pauperies, dicitur damnũ siue iniuria facientis datum. Animal enim iniuriam non facit, quadrupes verò, est animal non ferum & indomitum, sed in potestate, & cura hominis constitutum. Hanc legem Decemuiri ex Solone sumpserunt: qui legem Atheniensibus tulit teste Plutarcho, vt canis, qui cuipiam nocuisset trunco quatuor pedum longitudine alligato dederetur,

lvij. *Vt qui alienas arbores iniuria cecidisset, in singulas æris viginti quinque lueret.*

Habetur hæc lex apud Plinium *libro decimo octauo cap. 1.*

lviij. *De Furtis.*

Qui noctu furtum faxit, aut interdiu telo se defenderit, ei domino cum clamore testificanti, occidere ius esto. Si neque noctu neque se tulo defendens prehendatur, virgis cæsus, ei cui furtum fecit, addicitor. Seruus verberibus affectus; de saxo deijcitor. impubes arbitratu Prætoris verberator.

Memorat hanc legem Agellius 20. *cap. 1. & lib. 11. cap. 18. Extat in l. plebs. ff. de verb. signif.*

Draco teste Agellio, furtum cuiuslibet modi supplicio capitis puniendum sanxit. Solon dupli pœnam in fures constituit. Apud Aegyptios, furta omnia impunita fuerunt; apud Lacedæmonios verò ius & vsus furandi fuit, non ob turpia lucra, neque ad sumptum libidini præbendum, sed ad exercitationem & disciplinam rei bellicæ.

lix. *Si adorat furtum, quod nec manifestum erit, dupli noxam luito.*

Extat apud Aegellium *libro 11 cap. 18.*

Adorare apud antiquos, idem erat quod agere, teste Festo.

lx. *Furta per lancem, liciumque concepta, sicut manifesta vindicantor.*

Apud Agellium, eodem libro; & capite præfato. Quæ sint furta per lancem, liciumque concepta, explicat Alexander *lib. 6. Genialium dierum, cap. 10.* vbi ait, ea esse cum fures in alienas penetrabant ædes, & licium ferebant, quo furta alligarent, & lancem præ oculis, ne innotescerent. Alij verò explicant sic: Fures quidam licio se accingebant, vt expeditores essent ad quærendum quæ furari volebant, & lancem oculis apponebat, vt fœminas deterrerent. Et hæc furta dicebantur per lancem & licium concepta. Obscura sunt verba; & licet apud Agellium legantur, ea tamen Agellius non explicuit.

lxi. *Is, cuius ope, consilio furtum factum erit, dupli actione tenetor. Si seruus furtum faxit noxamve nocuit, sciente etiam domino, serui nomine actio esto: Dominus serui nomine non tenetor. De furto pacisci licitum esto.*

Prima pars huius legis extat apud Labeonem Iurisconsultum *in l. Sepe. §. vlt. ff. de verb. signif.*

lxij. *Frugem aratro quæsitam, furtim noctu si panerit, secueritve pubes suspensus Cereri necator, impubes verberator, noxamve duplionem præstato.*

Descripta est lex ex Plinio *lib. 18. cap. 3.* constituit pœnam in eos, qui alienas fruges depauisent, aut demessuissent.

lxiij. *Tignum iunctum ædibus, vineæque concepes ne soluito.*

Qui illud iunxit, Domino duplum præstato.

Extat apud Festũ *in voce Tignũ.* Extat etiam apud Caium *in l. adeo. ff. de acquiren. rerũ domi.* & apud Vlpianũ *in l. 1. ff. de tigno iuncto.* Et apud Iustinianũ *Inst. de rerum diuisio. §. cuius in suo.* Tigni nomine, vt aiunt Vlpianus & Caius locis citatis intelligitur omnis materia, ex qua ædificium constat etiam tegula, lapis, testa, calx, arena.

Legis sententia est: Ne quis alicuius alterius tignum, hoc est, ligna cæmenta, & alia, ex quibus ædificium constat, suis ædibus iungeret, inuito eo, cuius tignum esset: Ne quis item quæ sunt necessaria alicui ad vineam alteri surripiat; cuiusmodi sunt pedamenta, perticæ, & quæ sunt generis eiusdem.

lxiiij. *Ne quis vnciario fœnore amplius exerceto.*

Variæ erant vsuræ species apud Romanos. Summa vsura, quæ & vsura centesima, & as vsurarius dicebatur, erat, cum pars sortis centesimæ singulis mensibus pendebatur; id est, cum de centum aureis singulis mensibus, vnus; & singulis annis duodecim soluebantur.

Vsura deiunx dicebatur, cum singulis annis in centenos vndecim pendebantur, Dextans, cum decem: Dodrans, cum nouem: Bes, cum octo: Septunx, cum septem: semis, cum sex: Quincunx, cum quinque: Triens, cum quatuor: Quadrans, cum tres: Sextans, cum duo: Vnciaria, cum vnus pendebatur, & de hac loquitur lex.

lxv. *Iurisiurandi ad fidem adstringendam præsipua vis esto.*

Cicero *lib. 3 de Officijs: Nullum*, inquit, *vinculum ad stringendam fidem ieiurando maiores nostri arctius esse voluerunt.* Id iudicant leges 12. Tabularum.

Cap. LXIV.

Leges Romanorum à diuersis Magistratibus latæ.

Præter leges à Regibus latas, & præter leges 12. Tabularum; quas Decemuiri exactis regibus ex Græcis legibus descriptas dederunt, fuerunt & aliæ leges à diuersis Magistratibus institutæ; quarum quædam ad ius sacrum pertinebant: cuiusmodi fuerunt lex Sulpitia, Sempronja; lex Papiria de Templis, & aris dedicandis & consecrandis; Hortensia, de Nundinis; Publitia, de Cereis; Cornelia, de Ferijs; Licinia, Roscia, Iulia de ludis, de spectaculis: de locis siue sedibus ordinum in spectaculis: Cornelia de sumptibus funerum: Sextia Licinia de Sacerdotibus: Ogulnia de auguribus & pontificibus: Manlia de Triumuiris Epulonum: Clodia de sacerdotijs: Papia de virginibus Vestalibus.

Aliæ leges fuerunt de ciuitate, & iure publico ciuium Romanorum; qualis erat Valeria, vt esset prouocatio Magistratuum ad Populum. Ne quis vllũ Magistratũ sine prouocatione crearet, & qui creasset, iure posset occidi, neve ea ædes capitalis noxia haberetur. Portia, ne quis Magistratus ciuem Romanum virgis cæderet, necaretve: sed damnato exilium permitteret: cum

antea

antea nudorum ceruix inferretur furcæ, corpus virgis ad necem cæderetur. Semproniæ item leges, ne de capite ciuis Romani, in iussu populi iudicaretur: vt qui Magistratus in dicta causa, in ciuem Romanum animaduertisset; de eo populi quæstio constitueretur. Papia lex: Vt peregrini vrbe Roma expellerentur: quod etiam postea statuit, & Iunia lex, vt peregrini vsu ciuitatis prohiberentur: quam legem Cicero *libro tertio de officijs*, vt inhumanam reprehendit. Fuit item lex Fuluia, vt Itali ciuitate donarentur: & Sempronia, vt socijs Latinis ius suffragij ferendi perinde vt ciuibus Romanis esset: & Seruilia, Vt si quis Latinus Senatorem Romanum accusando condemnasset, is ciuis Romanus esset: Calpurnia, vt milites virtutis ergò ciuitate donarentur. Mensiâ, vt ex alterutro peregrino natus, deterioris parentis conditionem sequeretur.

Fuerunt & aliæ leges ad ius publicum pertinentes de Comitijs habendis: cuiusmodi sunt Aelia lex, vt quoties cum Populo ageretur, Augures de cœlo seruarent. Item, vt Magistratus & obnuntiandi, & legis lationi intercedendi potestatem haberent: & Fusia, vt certis diebus, qui tamen fasti essent, agi cum populo non liceret: Clodia, vt omnibus fastis diebus legem ferri liceret. Vnde Cicero *pro Sestio ad Pisonem*, & alibi toties quæritur Clodium propugnacula, & muros tranquillitatis atque otij euertisse: Curia, vt ante Comitia, Magistratuum Patres auctores fierent: Claudia, ne in magistratuum Comitijs absentium ratio haberetur.

Fuerunt etiam leges de suffragijs per tabellam ferendis; quæ leges tabellariæ dictæ sunt. Primum enim Romani per multos annos voce suffragium tulerunt postea verò, vt quisque liberius suam sententiam proferre posset absque metu periculi, inuentæ tabellæ sunt; idque quibusdam legibus fuit constitutum: Huiusmodi fuerunt Gabinia, Cassia, Papiria, Cœlia, Sempronia, Mariana.

Latæ sunt & aliæ leges de Senatu habendo, & de Senatoribus creandis, Cassia, Claudia, Sulpitia, Ouinia, Sentia, Galbinia, Papia. Aliæ de Consulibus. Aliæ de Prætoribus. Aliæ de Censoribus, de Dictatore, de Quæstionibus, de Tribunis plebis, de Aedilibus Curulibus, de Triumuiris capitalibus. Fuerunt aliæ de Legum vi & potestate; qualis fuit Horatia: vt quod tributim plebs iussisset, populum teneret, teste Liuio *lib. 3. Dec. 1.* & Dionysio *lib. 2.* quam legem postea confirmauit, & extendit Hortensia, vt eo iure, quod Plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur, cum antea Patritij non stringerentur. Teste Agellio *lib. 15. cap. 27.* quam etiam legem confirmauit Publilia lex. Fuit etiam lex Cæcilia & Didia; vt in legibus promulgandis trinæ nundinæ seruarentur: quam confirmauit lex Iunia & Licinia: fuit etiam Aebutia, vt xij. Tabularum capita, quæ inutilia essent Reipublicæ, tollerentur.

Fuerunt item multæ leges de Prouincijs gubernandis, de Colonijs deducendis. Fuerunt & multæ, quæ dictæ sunt Agrariæ leges, quòd de agris populo diuidendis statutæ fuerint, veluti Cassia, Licinia, Flaminia, Rubria, Sempronia, Bæbia, Apuleia, Titia, Martia, Cornelia, Seruilia, Flauia, Iulia. Aliæ fuerunt de Terminis siue Limitibus agrorum; vt Sempronia, Mamilia, Cornelia, Iulia,

Fuerunt aliæ leges frumentariæ; qualis fuit Sempronia, vt semisse triente frumentum menstruum plebi ex publico viritim darentur. Terentia & Cassia, vti frumenti alteræ decimæ à Prouincijs coemerentur, pretio in singulos modios HS quatuor constituto. Cicero *Verrina V.* Et Clodia, vt frumẽtũ populo; quod antea semissibus ac triennibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.

Fuerunt præterea leges Sumptuariæ dictæ, nomen inde sortitæ, quòd modum sumptibus in conuiuijs præscripserint. Cum enim à veteri & auita Maiorum parsimonia Romani discederent, & nullum modum luxuria inueniret, legũ animaduersione opus fuit. Et ita lata est Orchia, quæ numerum conuiuarum definiebat: deinde Fannia, quæ præscripsit numerum assium impendendorum singulis diebus, & singulis mensibus: & Didia & Lycinia, & Cornelia, quæ conuiuiorum magnificentiam moderabantur, ac temperabant.

Latæ quoque leges fuere de iure priuato, & primùm de manumissione & libertis; Manlia, vt ij, qui manumitterentur, fortunatum suarum vigesimam ærario darent. Liuius *libro 7. Decadis*: Fusia, Cainia, vt in testamentum ex tribus seruis non plures, quàm duos manumittere liceret. vsque ad decem, dimidiam partem; à decimo vsque ad triginta, tertiam partem, vt tamen adhuc quinque manumittere liceret: æque vt ex priori numero: à triginta vsque ad centum, quartam partem, ita vt æque decem ex priori numero manumitti possent: à centum vsque ad quingentos: partem quintam, similiter & ex antecedenti numero viginti quinque libertate donari possent. Item, ne plures omnino quam centum ex cuiusquam testamento manumitti possent: præterea, vt libertates seruis testamento nominatim darentur.

Fuit etiam lex Aelia Sentia; vt qui serui pœnæ causa vincti à Domino, qutbusve iniustæ notæ fuerant, quive propter noxam torti, nocentesve inuenti, quive traditi ad metalla, aut vt cum bestijs depugnarent: quive in custodia fuissent si manumitterentur, non ciues, Romani, sed in Dedititiorum numero essent, hoc est, nec connubium, neque commercium, neque testamenti factionem haberent. Item, vt minorem triginta annis seruum, vindicta, aut testamento, nisi causa apud consilium probata, manumittere non liceret. Item: Ne dominus annis viginti minor, seruum, nisi causa apud consilium probata, manumittere posset. Item: vt seruus ab eo domino: qui soluendo non esset, testamento liber esse iussus, & hæres institutus, & si minor esset triginta annis, vel in ea causa, vt Dedititius fieri deberet, ciuis Romanus, & hæres esset, ité: Patronus prohibebatur adigere iciurándo, ne nuberet liberta, neve libertus liberos tolleret. Præterea, si duo, pluresve liberi & hæredes esse iussi fuissent, primo loco scriptus, liber & hæres esse

Insuper: Vt si patronus libertum inopem non aleret, primum tam ipse, quam is, ad quem ea res pertineret, mulctaretur: deinde ipsius hæreditate tum ipse, tum eius liberi priuarentur, nisi hæres esset institutus: postremò, à bonorum possessione remoueretur, præterquam secundum tabulas. Denique prohibebantur patroni libertos obligare, vt mercedem operarum præstarent onerandæ libertatis causa: & vt libertus patrono ingratus in seruitutem redigeretur.

Lex Iunia Norbana fuit: vt ij serui, qui neque censu, neque vindicta, neque testamento, sed aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione liberi fierent, non ciues Romani, sed eodem iure, quo Latini coloni essent, Fuit & Papia lex de iure patronatus, vt ex bonis liberti, qui HS centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quàm tres liberos habebat, siue is testamento facto, siue intestatus mortuus esset virilis pars patrono deberetur. Itaque cum vnum quidem filium hæredem reliquerat libertus, perinde pars dimidia patrono debebatur, ac si absque filijs intestatus decessisset. Cum verò duos filios relinqueret, tertia pars patrono debebatur: si tres relinquebat, patronus repellebatur.

Fuerunt aliæ leges de iure Connubiorum: prima, Canuleia, vt Plebi cum Patribus connubiorum ius esset contra xij. Tabulas. Liuius *Decadis 1. Libro 4.* Augustinus *lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 17.* Iulia & Papia: Ne cœlibes, nisi qui genere essent proximi, quicquam ex testamento ciuis Romani caperent; neve orbi, plusquam dimidium eorum, quæ relicta essent. Item, ne coniux coniugis testamento, nisi decimam relictorum partem caperet; fiscus reliquas nouem: Item, fœminis lex Iulia à morte viri annuam tribuit vacationem, à diuortio, sex mensium. Lex verò Papia à morte viri, triennij, à repudio, anni, & sex mensium. Item; Ne qui Senator esset, quive filius, nepos proneposve ex filio, vel filia natus, sponsam, vxorem ve sciens dolo malo duceret Libertinam; aut eam, quæ ipsa, cuiusve pater, materve artem ludicram faceret; fecissetve, nec item cæteri ingenui lenam à lenone manumissam, vel in adulterio deprehensam, & iudicio publico damnatam, aut quæ artem ludicram fecisset. Item? Ne que sponsalia rata essent, nisi statim exacto biennio nuptiæ fierent: hoc est, ne puellæ decem annis minores ducerentur: quia annus ætatis duodecimus, maturus coniugio habebatur. Item: Vt qui liberos, quos haberent in potestate, iniuriaque prohibuissent vxores ducere, vel nubere, à Magistratibus cogerentur in matrimonium collocare, & dotare. Insuper: Vt Patritijs liberum esset vxores Libertinas ducere; præterquam si Senatores, Senatorumve liberi essent.

Lex Papia instituit, ne quinquaginta annis minor fœmina sexagenario nuberet, neve hac ætate iunior vir quinquagenariam fœminam vxorem duceret.

Latæ etiam leges fuerunt de Tutelis, quæ fuerũt quatuor; Attilia, Lętoria, Iulia, Titia, & Claudia: de quibus alibi commodius dicam.

Fuerunt etiam leges de Testamentis, hæredibus, & legatis, hæ nimirum; Furia, Voconia, Falcidia, Cornelia, Iunia, Velleia, Iuliæ tres, & Pappia; de quibus etiam suis in locis. Fuerunt aliæ de vsucapionibus, de cessione bonorum; & de Furtis; Atinia, Iuuia, Plantia.

Aliæ multæ latæ fuerunt leges de re nummaria, & fœnore; aliæ de iudicibus, donis & muneribus, & de iudicijs,

Postremò fuerunt leges de Criminibus publicis, & eorum pœnis; videlicet, de crimine læsæ maiestatis quinque, Appuleia, Varia, Valeria, Cornelia, & Iulia. Aliæ de adulterio, vt Iulia. Aliæ de Sicarijs, Veneficis, Homicidis, & Parricidis, vt Cornelia & Pompeia. Aliæ de crimine falsi, vt Cornelia. Aliæ de vi illata. vt Plantia. Clodia, Pompeia. Iulia, Prædia, Cornelia, Item de Peculatu, hoc est, furto pecuniæ publicæ, & de sacrilegio, vt Petilia & Iulia. Item de Ambitu, vt Petilia. Bæbia, Aemilia Mariana, Fabia, Acilia, Calpurnia, Tullia, Aufidia, Licinia, Pompeia, Iulia. Aliæ de pecunijs repetundis, vt Portia, Calpurnia, Iunia, Seruilia, Acilia, Cornelia, Iulia, Insuper aliæ de Lusu, vt Cornelia, ne quis in ludo sponsionem faceret, nisi suscepto virtutis & corporis exercendi causa: veluti si certaretur de hasta, pilave iacienda, currendo, saliendo. luctando, pugnando. Eandem legem confirmauit lex Publitia, & lex Titia de ludu. Ist etiam lusus aleæ, & talorum legibus interdictus. Denique Pagana lege in plerisque Italiæ populis cauebatur, ne mulieres per itinera ambulantes, torquerent fusos, aut omninò detectos ferrent, quoniam aduersaretur id omnium spei, præcipueque frugum Plin. *lib. 22. cap. 8.*

De quibus suis locis commodius.

Finis Libri Sexti.

IOAN.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER VII.

DE QVINQVE ECCLESIÆ Præceptis.

CAPVT PRIMVM.

De Primo Ecclesiæ Præcepto, quo rem diuinam in diebus festis audire debemus.

QVONIAM hactenus generatim egi de Legibus, & specialiter diuinas leges in medium produxi, quibus vetus Hebræorum Respublica tenebatur, & humanas, quibus aliqui Gentium populi regebantur: præsenti Libro tractabo de quinq; Præceptis Ecclesiæ, quibus nos, qui sumus singulari Dei beneficio Christiani, obligamur. Ecclesia statos ac certos dies festos coli & seruari decreto præcepit: ita vt duo simul nobis sint imperata: & ab operibus seruilibus abstinere, & Missæ sacrificio interesse, siue rem diuinam audire: non de illo primo, sed de secundo in præsenti loco tractamus.

Primùm ergo quæritur, An vllum extet Ecclesiæ præceptum rem diuinam in die festi audiendi? Dubitari non potest, quin tale præceptum nobis sit datum; cùm id apertè doceat cõmunis Ecclesiæ traditio, & constans Christianorum consensio: Sed quæritur, an in iure Canonico præceptum scriptum contineatur. Aiunt quidam, illud contineri *in cap. Omnes fideles, de Consecrat. distin. 1.* vbi Canon Apostolorum habet: *Omnes fideles qui conueniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam, & scripturas Apostolorum, & Euangelistarum audiant. Qui autem non perseuerant in Oratione vsque dum Missa peragatur, nec sanctam Communionem percipiũt, veluti inquietudines Ecclesiæ commouentes, conuenit Communione priuari.* Sed respondent alij expressim eo loco non præcipi, vt omnes fideles conueniant Missæ sacrum audituri. Alij verò præceptum hoc colligunt ex cap. *Sacerdote, de Consecrat. distinct. 1.* vbi ex Concilio Carthaginensi dicitur. *Sacerdote, verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.* Cæterum, aiunt quidam, nec ex hoc loco clarè id Ecclesiæ præceptum constare: non enim imperatur, vt Sacerdote verbum in Ecclesia faciente, omnes Christiani eo se conferant: sed vt excommunicatione afficiantur qui fuerint egressi, eo quòd, cõtempto Dei verbo, & Sacerdote rem diuinam faciente, exire videantur. Quare alij præceptum existimant contineri in cap. *Missas de Consec. distin. 1.* vbi sunt hæc verba: *Missas die Dominico secularibus totas audire, speciali ordine præcipimus; ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi Populus non præsumat; quòd si fecerit, ab Episcopo publicè confundatur.* Hæc ibi.

Tria verò hic obijci possent. Primùm, non esse id Generalis Concilij decretum; sed Prouincialis, nimirum Agathensis in Gallia. Deinde, solùm dici, vt in die Dominico sacrum Missæ, siue res diuina audiatur; non autem generatim in quolibet die festo. Postremò, solùm præcipitur secularibus, vt hoc præceptum seruent, non autem Clericis & religiosis hominibus. Sed hæc nihil obstant. Nam etsi huiusmodi Decretum, est Concilij Prouincialis, tota tamen Ecclesia communi illud consensu postea præcepit. Item, quamuis solius diei Dominici in eo decreto facta sit mentio; Ecclesia tamen ibi, appellatione diei Dominici, vniuersè dies omnes festos intelligit. Pari quoque ratione, tametsi Concilium Decreti verba ad seculares tantummodo dirigat, generalis tamen Ecclesiæ sensus ad omnes eadem verba extendit, etiam ad seculares & religiosos viros. Dices; Cùm præceptum sit à Concilio Agathensi editum, sequitur vt ante illius Concilij tempus, nullum fuerit Ecclesiæ præceptum rem diuinam in die festo audiendi. Sunt qui id ingenuè confiteantur; & propterea dicant; olim, cùm Monachorum instituta in Aegypto, & Syria florebant, multos eorum in desertis & solitudinibus vitam egisse, vbi diebus festis atque Dominicis sacrum Missæ verbum minimè audiebant. Cæterùm parum certè aut nihil refert huiusmodi præceptum Ecclesiæ fuerit nec ne, ante Concilium Agathense. Mihi quidem verosimilius apparet, à primis nascentis Ecclesiæ, & Apostolorum temporibus more fuisse introductum, vt omnes Christiani diebus Dominicis ac festis, quos tunc Ecclesia colebat, in ædem sacram conuenirent, ad concionem & rem diuinam audiendam: & præceptum esse, vt in hisce diebus res diuina audiatur à Christiano populo, scriptores semper docuerunt ex illo quod habetur in cã. *Omnes, de Consecr. distinct. 1.* Veteres autem illi Monachi, cùm Diuini obsequij causa in solitudinem se conferrent, putabant se huiusmodi more & consuetudine minimè teneri, cùm procul ab hominum frequentia remoti à sacris ædibus abessent.

Secundo quæritur, An qui in die festo sine iusta & debita causa rem diuinam non audit, lethale peccatum admittat? Angelus *in verbo, Feriæ, numer. 42.* Rotella *in verbo Missæ num. 18.* Abulensis *lib. 4. titu. 16. cap. 1. quæst. 1.* secuti Richardum *in quodlib. 1. quæst. 19.* censent, ita hac lege Christianos teneri, vt si quis [illegible] vel tacito contemptu sacrum Missæ [illegible] prætermittat, lethalem culpam contrahat; at verò si citra vllum contemptum, venialem tantummodo, tametsi absque iusta & legitima causa omittat; nullam verò, si iusta ex causa omiserit. Contemptum autem, Auctores illi, tacitum vocant, cum quis sacrum præter mittere consueuit absque iusta & debita causa: vnde aiunt, venialem tantùm delictum admittere eum, qui sine causa legitima, ex aliqua animi infirmitate, videlicet pertinacione, libidine, pigritiaue sacrum omittat; dummodo non consue-

nerit id facere. Idem videtur innuere Turrecremata *in cap. Missas de Consecrat. distinct. 1.* immò Glossa *in cap. Omnes de Consecrat. in eadem distinctione*, ait: *qui ex contemptu recusauerit, excommunicabitur.* Et postea in verbo: (Non perseuerant) *ex consuetudine*, inquit, *vel superstitiosè.* Communi tamen omnium consensu receptum est, vt qui tale præceptum absque iusta causa prætermiserit, etiamsi contemptus non subsit, in lethale peccatum incurrat. Paludanus *in 4. distinct. 15. quæst. 5. articul. 1. conclusion. 2.* B. Antoninus *secund. part. titul. 2. capit. 10. §. 1.* Syluester *in verb. Missa 2. quæstione 1.* Caietanus *in Summa, verb. (Festorum violatio)* Sotus *in 4. distinctione 13. quæstione secunda, articulo primo.* Nauarrus *in Manuali capit. 21. numero primo*, & hæc sententia est vera.

Tertiò quæritur, Cuius virtutis & officium sit in diebus festis rem diuinam audire? Respondeo, Religionis; in ea enim virtute ponitur hic actus, siue ex præcepto Ecclesiæ, siue sponte nostra rem diuinam audiamus.

Caput II.

Quinam præcepto teneantur rem diuinam audiendi.

PRIMO quæritur, Quoto ætatis anno Christianorum quisque incipiat hoc præcepto teneri? Inter omnes conuenit, cum primùm quis factus est rationis compos, eum Missæ sacrificio interesse debere: Et quia pueri cum septennium attigerint, vel saltem excesserint, incipiunt vti ratione; idcirco eo ætatis anno incipiũt hoc præcepto ligari. Antonin. Sylvest. Nauarr. locis supracitatis. Qui totius familiæ curam habet, curare debet, vt filij, serui, & famuli rem diuinam audiant.

Secundò quæritur, An qui sunt excommunicationis vinculo obstricti, eo ipso ab huius præcepti vinculo eximantur? Id quidam negant, præsertim si absolutionem ab excommunicationis vinculo, & sententia neglexerint: Nec obstat, inquiunt, si excommunicatione alligati, à sacris ac Diuinis officijs arceantur: nam sponte sua lethalem culpam contraxerunt, ob quam pariter sponte & culpa sua sunt in excommunicationem prolapsi, nec ea soluti. Alij autem concedunt, eos quidem culpa sua in excommunicationem incidisse, quamdiu tamen ab ea absoluti non sunt, à sacris abstinere debere. Nã qui, V. G. sponte sua morbum contraxit, quamuis peccauerit, cum causam morbi dedit; dum tamen morbo tenetur, à sacri audiendi præcepto liber est. Ergo qui excommunicati sunt, denuo culpam non contrahunt, si se à sacris contineant. Tota igitur culpa in eo est, quod quis se excommunicationis vinculo soluendum non curet, cum commodè absolui potest. Deinde verò denuo peccato non se obstringit, quod excommunicatione nondum solutus, rem diuinam non audiat. Sic Nauarr. *in Manuali capit. 21. numero tertio*, quæ sententia mihi placet.

Tertiò quæritur, An qui priuilegium Pontificium obtinet, vt possit tempore interdicti Diuinis officijs interesse, debeat in die festo rem diuinam audire, tametsi locus sit interdictus? Quorũdam opinio est, eum minimè adstringi ad Missæ Sacrum audiendum, quoniam priuilegium ei potius obstaret, quàm prodesset, & potius esset oneri, quàm honori. Sotus verò *in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 1. ad finem*, putat, oportere eum sacrum Missę verbum audire: quia præceptum Ecclesiæ tenet eos omnes, qui possunt in die festo rem diuinam audire: sed is, cui tale priuilegium est datum, potest audire, ergo debet: quemadmodum is qui beneficio Principis, ad dies festos è carcere, & vinculis solueretur, sacrum audire hisce diebus deberet: ita qui Pontificis priuilegio tempore interdicti potest Diuinis officijs interesse, eo ipso debet rem diuinam audire. Nec propterea sequitur, vt ei priuilegium noceat, vel sit oneri: non enim ratione priuilegij obligatur, sed vi legis, quæ eos omnes tenet, quotquot in die festo rem diuinam audire queunt. Idem quoque docet Nauarrus *in Man. c. 21. nu. 3.*

Quartò quæritur, An quando Vrbes vel oppida interdicto Ecclesiastico subiecta sunt, & in eis aliquod est templum, in quo Pontificis priuilegio Diuina officia celebrari queunt, debeant incolæ eò conuenire, vt in die festo interfint Missæ sacrificio? Respondeo, eo se conferre, vt rem diuinam audiant, debere, si commodè queant: secus verò minimè: vt puta si huiusmodi templum procul absit ab Vrbe vel oppido: aut si paruum sit sacellum, quod plures simul capere non possit & iam ante alij occuparunt & repleuerunt. Hoc videtur colligi ex prædicta sententia Soti & Nauarri.

Quintò quæritur, An quando quis Pontificio gaudet priuilegio, vt tempore interdicti audire possit rem diuinam, & ducere secum familiares siue amicos, duos aut tres, quos ipse delegerit, debeat is qui ipsi est familiaritate & consuetudine coniunctus, ei se adiungere, vt vnà cum eo in die festo rem diuinam audiat, & is quoque qui ad id fuerit ab ipso delectus, debeat eum comitari, vt interfit Missæ sacrificio; nam cùm interesse possint, eo ipso debent? Respondeo, eos non debere hanc diligentiam adhibere, vt se ei adiungant: Si tamen ab eo vocentur, deducanturue, & commodè rem diuinam audire queant forte debent audire: secus verò minimè. Auctorem non habeo, sed hoc mihi probabile videtur.

Sextò quæritur, An qui audit rem diuinam casu, aut nesciens esse diem festum, Ecclesiæ legi ac suo muneri & officio satisfaciat? Respondeo eum satisfacere. Nam dummodo quis sciens ac volens sacrum Missæ verbum audiat, præceptum implet ac seruat, tametsi casu audierit, & putauerit diem esse profestum. Solùm enim præcipitur nobis, vt sponte & voluntariè audiamus. Quo fit, vt is præcepto non satisfaciat, qui per vim rem diuinam audire cogitur, quoniam non sua voluntate, & sponte eam audit: nec is item, qui nescit omnino quod facit, aut quod exequitur, & præstat officium, siquidem ignorantia etiam voluntarium tollit: alioqui enim infantes, amentes, & dormientes Legi Ecclesiasticæ de audienda re diuina satisfacerent. Si quæras, an qui audit Missam animo, & voluntate aliam iterum audiendi, causa præcepti obeundi,

& im-

& implendi, præceptum impleſſe videatur, ſi nullam deinde aliam audierit? Reſpondeo, iuniorum quorundam eſſe ſententiam, præceptum implere, ſi mutata voluntate, poſtea ratum habeat quod fecit. Immò generatim docent, nos legi aut præcepto Superioris ſatisfacere, ſi opus externum, quod eſt imperatum, faciamus, etiamſi in animo habeamus per illud opus externum, quod facimus, præceptum non implere. Crederem ſanè, ſi id probarent: at adduci non poſſum, vt credam te præceptum implere, aut legi ſatisfacere, cùm rem imperatam præſtas, & nihilominus vis, per illud opus externum, quòd facis, præceptum vel legem non implere. Et huius ſententiæ Auctores habeo Nauarrum *de Oratione capit. 16. numer. 74. & cap. 20. numer. 30.* Medinam *Tractat. de Oratione quæſtion. 16. verſicul. De tertio, ſcilicet.* Ledeſmam *in 4. Par. 2. quæſtion. 16. dub. 3. ad finem.* Non enim implemus præcepta ſolo facto & opere, animo tamen & voluntate contraria: item non eſt opus & officium virtutis ſolum factum exterius, quando eſt contraria voluntas; nimirum, cùm leges & iura imperant, vt aliquid faciamus, volunt, vt velimus facere: nam alioqui, cum quis obedit inuitus, obedire crederetur. QVAERES, an qui rem diuinam audit nolens per huiuſmodi opus externum legi & præcepto ſatisfacere, vi præcepti cogatur iterum audire, ſi poſſit? Puto eum debere iterum audire, ſi nondum tempus effluxerit, in quo ſacro intereſſe poteſt & debet. quia præceptum non impleuit, cùm audiuit: ergo ſi poteſt, debet implere. Obijcies; ſatis eſt, ſi poſtea ratum habeat, quod fecit, nimirum ſi ratum habeat opus illud externum, quo rem diuinam audiuit: quemadmodum ſi Titius debeat centum nummos aureos, aut equum, vel Librum Caio, nihil reſtituere vi præcepti cogitur, ſi Caius ſuos nummos, aut ſuum equum vel librum recuperauit. Profectò non eſt idem iuris de vtroque, quia Titius debet reſtituere Caio rem eius; quod ſi Caius ſuam rem recuperauit, nihil amplius ei Titius debet: at is qui ſacrum quidem audiuit, ſed præceptum non impleuit, debet legi & præcepto ſatisfacere: nam ſi ſacrum audires penitus inuitus, audires quidem, ſed adhuc præceptum, ſi commodè poſſes, deberes implere, non ergo ſufficit ſi audiſti rem diuinam, ſed opus eſt præceptum implere, quod implere noluiſti, cùm ſacrum audiſti. At inuitus; ſacrum audiui non inuitus, ſed ſponte mea, quanquam nolui tunc implere præceptum: ergo ſatis eſt ſi poſtea voluntate mutata ratum habeam quod feci. Contra eſt; quia non debes iterum audire, quaſi non audieris, ſed quia cùm audiſti, præceptum non impleſti, quia tu ipſe noluiſti tunc temporis implere: ergo implendum eſt præceptum, cùm nondum ſit impletum, & impleri adhuc poſſit. Vrgebis: ergo ſi Titius rem diuinam audiuit voluntate præceptum implendi, & poſtea mutauit voluntatem, ita vt noluerit ratum habere quod fecit, debet iterum audire, vt præcepto & legi ſatisfaciat. Id nego: quia Titius, cùm ſacrum audiuit, id fecit ſponte ſua, & voluit tunc præceptum implere: ac ideo nihil obeſt, ſi mutet poſtea voluntatem, & velit iterum audire, vt præcepto ſatisfaciat; nam poteſt etiam hanc ſecundam voluntatem mutare, & primam ratam habere. Secus verò eſt in Caio, qui cùm ſacrum audiuit, noluit tunc præceptum implere; & proinde adhuc debet legi ſatisfacere, ſiquidem nondum ſatisfecit. Quia etiam ſi non debeamus eo animi propoſito audire, vt præceptum ſeruemus: requiritur tamen ne contrariam voluntatem in audiendo habeamus. Et idem mihi videtur in ſimilibus. Vt ſi Titius vouerit vel iurauerit quotidie ſe precationem Dominicam recitaturum, minimè votum perſoluit, aut iuſiurandum ſeruat, ſi recitat habens in animo iterum recitare, vt ſuo voto ſatisfaciat, nolens tunc cùm recitat, votum, vel quod iurauit, exoluere. Idem iuris eſt, ſi iuſſus ſis preces fundere, & preceris, in animo habens iterum precari, vt iuſſa facias.

Septimò quæritur, An qui Miſſæ ſacrificio non intereſt in die Dominico, in quem incidit ſimul dies feſtus & ſacer alicuius Apoſtoli, duo peccata committat, ſiue vnum peccatum duas turpitudines habens, ita vt vtramque exprimere debeat in ſacra ſuorum peccatorum confeſſione. Nauar. *in Manual. cap. 11. numer. 4. verſicu. ex quo colligitur*, affirmat, ſed meo iudicio, vt alijs in locis oſtendi, oppoſitum eſt verius, quia peccata non multiplicantur ſola præceptorum varietate, niſi illa mandata ad diſtinctas virtutes pertineant: nam ſimplex furtum, & ſimplicem fornicationem prohibet lex naturalis, Diuina, & Canonica, & tamen furtum eſt vnum peccatum, ſimiliter & fornicatio, quia vna & eadem ratione, quamuis diſtinctis legibus prohibetur furtum, & prohibetur fornicatio.

Octauò quæritur, Vnde incipiat dies feſtus, quod attinet ad hoc præceptum implendum? Reſpondeo, incipere à media nocte: vnde ſatisfacit præcepto, qui rem diuinam audit in nocte, quando ſit licitè in nocte, vt in nocte Natalis Domini. Sylu. *Miſſa. 2. num. 1.*

Caput III.

Quid in Præcepto audiendi rem diuinam præſcribatur.

PRIMO quæritur, Quidnam ſignificetur nomine (totas) cum Ius dicit: Præcipimus vt totas Miſſas audiant? Reſpondeo, fuiſſe quoſdam qui docuerint, omnia Miſſarum ſacra quæ in die feſto in aliqua Parochia fiunt, debere ſingulos Parochianos audire, vbi commode poſſunt. Horum autem opinio meritò ab omnibus confutatur. Alij dixerunt, omnia ſacra quæ in templo fiùt, debere audiri ab his qui ſunt in illud ingreſſi, ſi id fieri commodè queat: quod ipſum etiam omnium conſenſu reſellitur. Quare alij vocabulum (totas) interpretãtur, dicentes nihil aliud ſignificare, niſi audiendum eſſe ſacrum Miſſę verbum, in quo duæ Miſſæ continentur, nimirum Miſſa Catechumenorum, quæ à principio vſque ad Euangelij finem protenditur: tunc enim voce Diaconi omnes Catechumeni foras excluduntur, & Miſſa fidelium inchoatur, in qua Chriſti corpus conficitur, offertur, & ſumitur, quæque ab Euangelij fine vſque ad exitum Miſſæ producitur. Mihi verò probabilius videtur quod tradi

dit Glossa *in cap. Missas, de Consecrat. distinct. 1.* & communi sensu approbatur; Audiri oportere Missas totas, id est, integras: ita vt singuli singula Missæ sacra in totum, siue in integrum audire debeant. Is verò id præstat qui partem Missæ notabilem non omittit: contra verò qui omittit, minimè creditur Missæ sacrum audire, Sylu. *Missa 2. quæst. 1.* Sotus *4. dist. 13. quæst. 2. ar. 1. prope finem.* Nauar. *in Man. cap. 21. nu. 2.*

Secundò quæritur, Quæ nam pars Missæ notabilis habeatur? Inter omnes conuenit, dimidiam, aut tertiam partem esse notabilem: quare colligunt, eum qui totum Missæ principium vnà cum Epistola & Euangelio prætermiserit, partem notabilem omisisse; non autem si ab initio Euangelij vsq; ad Missæ finem audierit, etiamsi reliquum omiserit, hoc est, principium Missę & Epistolam. Constat etiam, partem notabilem omittere eum, qui principium Missæ & Epistolam, vnà cum his quæ in fine Missæ dicuntur, relinquit: vt si omittat etiam ea quæ Sacerdos dicit post sumptum Christi corpus. QVAERES, an qui Euangelium, & totum Missæ principium & Epistolam, non audierit, cùm tamen totum Missæ reliquum audierit, præceptum implere videatur, si priuatim postea per se, vel per alium Euãgelium legat aut recitet. Putant nonnulli, eum hac ratione præceptum seruare, sic Margarita Confessorum, quam sequi videtur Nauarr. *in Manual. capit. 21. numero secundo.* Verùm alij probabiliùs ac verius sentiunt, minimè satisfacere Ecclesiæ: non enim priuata illa omissi Euangelij lectio, aut recitatio supplet, quod est prætermissum. Hæc omnia colliguntur ex Antonino *secunda part. titu. 9. cap. 10. §. 2.* Sylvest. *Missa 2. quæstione prim.* Soto *in 4. dist. 13. quæstion. 2. articul. 1.* Nauar. ex parte, non in totum *in Man. capit. 21. num. 2.* Deinde, si roges, an saltem in Natali Domini, quo die singuli Presbyteri ter sacris operantur, debeat quisque tribus Missarum sacrificijs interesse? Respondeo, eo etiam die quéque Ecclesiæ præceptum implere, si vnum duntaxat Missæ sacrum audierit: nec enim Presbyteri debent necessitate legis ter rem facere diuinam: nec Laici tria Missarum sacra audire; sed liberum est illis vnum tantùm sacrum eo die facere & audire: Antonin. Sylvest. Nauarr. locis citatis.

Tertiò quæritur, An præceptum & legem seruet, qui dimidiam partem vnius Missæ audierit, & reliquam dimidiam alterius? Quidam existimant, hoc modo præceptum minimè seruari, eo quod sunt partes diuersarum Missarum, quæ in vnam totam conuenire nequeunt. Deinde, quia alioqui is, qui in ædem sacram ingressus duos Sacerdotes audiret, sacris operantes, vnum rem diuinam incipientem, alterum à dimidia eius parte continuantem vsque ad finem, Ecclesiæ satisfacere crederetur, si priorem audiret vsque ad eam partem peruenientem, à qua parte alterum audit Sacerdotem sacris operantem. Sed alij censent verius esse quod Maior *in 4. distinctio. 45. quæstione secunda.* Sotus *4. distinction. 13. quæstio. 2. articul. 1.* Nauar. *in Manual. capit. 21. numer. 2.* Medina *in sua Instruction. Confesso. capit. 14. §. 9.* tradiderunt, eum Ecclesiæ præceptum implere, præstat enim quicquid in præcepto continetur: nec enim præcipit Ecclesia, vti ab eodem Sacerdote totum & integrum Missæ sacrum; sed simpliciter vt Missam totam audiamus. Quare non est necesse, vt duæ partes vnum Missæ sacrum eiusdem Sacerdotis efficiant, satis est si in vnum totum coire queant; alioqui enim si Sacerdos dimidia parte sacrificij facta moreretur, alius Sacerdos inchoatum perficeret Missæ sacrificium, minimè iudicarentur astantes integrum sacrum audisse. Nec tamen inde consequitur, vt quis Ecclesiæ satisfaciat, si duas partes Missæ diuersas simul audiat: eò quòd non potest commodè eis simul attentas aures præbere. Mihi sanè hæc secunda sententia magis placeret, si in aliqua firma ratione & argumento niteretur. Neque enim video, quo pacto rem diuinam totam & integram audiat, qui eam per fragmenta & partes audit: qui interrumpit ac diuidit: qui ab vno sacro inceptore cedit, & postea ad illud accedit ex parte. Deinde, si vera est secunda sententia, liceret cuique sine iusta & debita causa rem diuinam per partes audire. Non enim quæstio est, an præcepto satisfaciat qui totum Missæ verbum iusta & legitima causa per partes audit: sed an præceptum impleat, qui suo arbitratu rem diuinam interruptam audit. Item, non video, si verum est, quod secunda opinio docet, quin satisfaciat præcepto, qui in ædem sacram ingressus, duos Sacerdotes rem diuinam facientes audit simul per partes: Nam quod pertinet ad attentionem, potest ad vtrumque animum intendere. Quare secunda sententia solùm mihi probatur, quia tantorum virorum est auctoritate, non efficaci ratione suffulta.

Quartò quæritur, Quid nam illo verbo audire, intelligatur: Præcipimus audire totas Missas? An qui è lõginquo Missæ sacrificio præsentes adsunt, præceptum impleant? & rursus, An surdi qui nihil audiunt, Missæ tamen sacrificio interfunt, præceptum seruare credantur? Respondeo, audiendi verbum non sumi presse & stricte: audire enim hoc loco voluntariam alicuius in loco præsentiam significat: ita vt is rem diuinam audire iudicetur, qui sponte Missæ sacrificio interest: nam sæpè contingit, vt Missa priuata ita tenui & exili voce à Sacerdote dicatur, vt nihil ab astantibus audiatur: & tamen Ecclesiæ & legi satisfaciunt adstantes: Aliquando item adeo magna est populi frequentia, vt res diuina non ab omnibus audiatur, & tamen qui præsentes adsunt, præceptum Ecclesiæ seruant. Hæc omnia Antonin. *secunda part. titul. nono, capit. decimo, §. primo,* Sylvest. *Missa 2. quæstione prima,* Sotus *4. distinction. 13. quæstione secunda, articulo primo.* Nauar. *in Manu. cap. 21. numer. 8.*

Quintò quæritur, An qui sacrum Missæ verbum ritu Græcorum, Syrorumue more factum audiunt, Ecclesiæ legi & præcepto satisfaciant? Respondeo, satisfacere. Sotus *4. distinction. 13. quæstione secunda, articulo primo,* neque enim præceptum est datum, vt rem diuinam audiamus Romano, & non alio ritu & more factam. Nam si quis ritu Ambrosiano in Mediolanensi diœcesi, & ritu Isidoriano in ijs Ecclesijs, in quibus Missæ sacrificium fieri iure solet, rem diuinam audierit, præceptum implet ac seruat. Quare quamuis sa-

crificium

crificium Græcè, vel Syriacè fiat, est tamen verum Missæ sacrificium, cuius ritus sunt à Sanctis Patribus Basilio, Chrysostomo, & alijs instituti, & Græcorum vel Syrorum Presbyteros, quamuis non ritu, vel more Latinorum sacris initiatos, tanquam veros tamen & legitimos Sacerdotes agnoscit & habet Ecclesia Latina. Secus verò est de eo, qui Dominicæ cœnæ, quam nostri temporis Hæretici faciũt, interest, in qua nec verum Christi corpus conficitur, nec veri & legitimi Sacerdotes sunt.

Sextò quæritur, An diebus festis alias quoque sacras, & diuinas preces Ecclesiastici officij audire debeamus? Respondeo, nullam extare Ecclesiæ legem de alijs Diuini officij precibus audiendis: quanquam Nauarrus *in Manual. capit. 21. num. 1.* asserat, alicubi consuetudine esse introductum, vt vespertinis precibus debeat quisque interesse, vt in Gallia, inquit, & Nauarra, vbi Parochiani in suis Parochijs, diebus Dominicis & festis frequẽtes preces vespertinas audiunt. Palu. quoque *4. distinction. 15. quæstione quinta, articulo primo, conclusione secunda*, ait, idem videtur de vesperis & completorio dicendum propter consuetudinem. Nihilominus tamen, vt ipse Nauarrus subiungit, Nusquam puto consuetudinem esse, vt quis alijs Diuinis officijs, præterquam Missæ sacrificio debeat interesse; ita vt sit lethalis peccati reus, si id non faciat: hoc enim peccati genus confiteri non solent, qui suorum peccatorum cõfessiones faciunt.

Septimò quæritur, An saltem diuinam concionem, quę ad Populum diebus Dominicis & festis habetur, audire præcepto cogamur? Inde hęc quęstio mouetur, quod Tridentina Synodus *sess. 24. ca. 4. de Reformatione*, ait: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Et Palu. *4. distinction. 15. quæst. 5. articul. 2. conclusion. 2.* dicit. *Est autem Ecclesiæ Conuentus ad Missam, & ad vesperas, & ad sermonem quando fit in diebus festis: vnde ad illum etiam tenentur.* Communis est sententia: Tali præcepto credentes non cogi. Vnde dicendum est, Concilium cum ait, (ad audiendum verbum Dei) posse intelligi de sacris concionibus, vel de Euangelio, quod in Diuino Missæ officio recitatur vel cantatur. Rursus docet Concilium, Parochianos, si ad verbum Dei audiendum, aliquò se recipiant, oportere eos se ad suas Parochias conferre, vbi id commodè fieri potest; non tamen simpliciter & absolutè debere sacris concionibus interesse, sed in suis Parochijs, vbi possunt id commodè facere. Item. *sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitan. in celebrat. Missæ*, ait. *Moneant Episcopi eundem populum, vt frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis accedant.* Vbi non dixit, cogant, iubeant; sed moneant.

Caput IIII.

Quibus diebus vi præcepti rem diuinam audire debeamus.

PRIMO quæritur, Quibus diebus vi præcepti Missę sacrum audire debeamus? Compertum omnibus est, nos audire illud oportere dieb⁹ Dominicis ac festis. Sed dubiæ quæstionis est, an audire oporteat his diebus festis, quos sola consuetudine, & more Populus colit. Respondeo in hũc modum: Aut ea consuetudo est Episcopi auctoritate inducta, approbata, confirmataue, aut secus. Si primum, Missæ sacrificio interesse debemus, quoniam sunt dies festi Episcopi auctoritate constituti: Si secundum, sacrum audire non cogimur, cum Populus auctoritatem non habeat dies festos instituendi: quamuis imperare queat per suos Magistratus & Rectores, vt à publicis operibus abstineamus. Idem prorsus dicendum est de ijs diebus festis, qui gratia Principum sunt instituti. In ijs igitur tantummodo diebus festis, qui causa Dei, & Sanctorum cæli ciuium agi & coli solent, debemus Missæ sacrificio interesse.

Secundò quæritur, An sint aliqui profesti dies, in quibus Missæ sacrum audire præcepto cogamur? Sunt qui putent esse præceptum audiendi tempore Quadragenarij ieiunij, quod proximè ante Pascha suscipitur: eo quòd *in cap. solent de Consec. dist. incl. 1.* ex Concilio Cabilionensi dicitur: *Solent plures, qui se ieiunare putant in Quadragesima, mox vt signum audierint, ad horam nonam comedere: qui nullatenus ieiunare credẽdi sunt, si ante manducauerint, quàm vespertinum officium celebretur. Concurrendum est enim ad Missas: & auditis Missarum solemnijs, & vespertinis officijs, ad cibum capiendum accedendum est.* Sed melius Syluester *verbo Missa 2. q. 1.* & glossa & alij *in eo capite solent. citato*, tradiderunt, id quod *in eo capite* dicitur, esse vsu & consuetudine abrogatum: præsertim cùm mens Concilij tantùm fuerit eorum mores improbare, qui Quadragenarij ieiunij tempore ante horam debitam cœnantes ieiunium soluebant. Et ideo, inquit, nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante manducauerint, quàm vespertinum celebretur officium; quod olim hora nona fiebat, id est, tertia post meridiem: hodie verò hora sexta, id est, paulò ante meridiem. Deinde verò Synodus consilium præbet ijs, qui ad horam præscriptam ieiunia seruare non poterant: Concurrendum est, inquit, ad Missas; & auditis Missarum solemnijs, & vespertinis officijs, & elargitis eleemosynis ad cibum capiendum accedendum est. QVAERES, an tribus Rogationum diebus, qui proximè diem Ascensionis Dominicæ præcedunt, Missæ sacrum audiri debeat? Respondeo hoc modo: Olim, vt constat *ex cap. Pronuntiandum est, & c. Rogationes, de Consec. dist. 3.* dies festi habebantur, & proinde serui & ancillæ cogebantur ab operibus & omni labore cessare. Sed postea ij dies consuetudine festi esse desierunt; quare nemo amplius hisce diebus rem diuinam audiendi, tali lege tenetur. QVAERES postremò, an triduo maximæ hebdomadæ, cui proximè Pascha succedit, Diuinis officijs interesse debeamus? Respondeo, olim quoq; tres illos dies veluti festos & sacros agi & coli solitos: quare & Diuinã rem audire ex officio quemq; oportebat, nũc verò mos & cõsuetudo obtinuit, vt pro diebus tantùm profestis habeantur; ac ideo Missarum huiusmodi sacra audiendi desijt præceptum; quanquam aliqui dicunt, esse audienda saltem fer. 5. & fer. 6. sic Anton. apud Syluestrũ, *verb. Dominica. quæstione prima, dicto. 7.* Sed non condemnarem eos qui non audiunt.

Tertiò quæritur, An saltem Episcopi diebus festis sacrum Missæ verbum audire debeant? Causam dubitandi præbet id quod habetur *in cap. quoniam de Priuil. in sexto*, vbi sic ait Pontifex: Episcopi, eorumque superiores diuersis ex causis à suis Ecclesijs & diœcesibus frequenter absunt; nec semper possunt ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda, vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet absque causa rationabili vllam diem. Respondeo, in eo cap. nullum esse verbum quo præceptum significetur. Non enim dicitur debere Episcopos audire; sed, eos non decere Missæ sacrum vllo die prætermittere.

Caput V.

De Attentione quæ in re diuina audienda requiritur.

PRIMO quæritur, An qui audit rem diuinam, alias res agens, Ecclesiæ legi satisfaciat? Respondent quidam, eum satisfacere, quamuis peccet aliud agendo; vt si cum alijs confabuletur, nugetur, rideat, vel ludat: Peccatum est, inquiunt, in confabulando, ridendoue, quoniam res diuina non decenter, piè & religiosè, & vt æquum est, auditur; sed Ecclesiæ præceptum de audienda re diuina seruatur, cum id solum necessarium sit, vt quis sponte sua in Missæ sacrificio præsens adsit. Sic Medina *in Tract. de Confessione, in Quæstione, de Pœnit. tempore Missæ impleta.* Cuius sententiam quidam seuerius & durius, quam par est, condemnant: nõ enim Medina cẽset, eum præceptum seruare, qui ita alias res facit, vt nequeat commodè animum præstare rei diuinę intentum: Sed eum qui quamuis confabuletur, animo tamẽ attento rem diuinam audit: nam hoc idem docet Sotus. *4. dist. in. 23. quæst. 4. art. 1.* Quicquid Medina senserit; verum est quod communi consensu cęteri tradiderunt, non solum præcipi, vt quis corpore spõte sua præsens interfit rei diuinæ dum fit; sed etiam vt attentum se præbeat auditorem. Ergo, qui ita confabulatur, nugatur, ludit, vel ridet cum alijs, vt prorsus impediatur à re diuina audienda, præceptum nõ seruat. alioqui enim præcepto satisfaceret qui tũc temporis legeret, pingeret, scriberet, clamaret, disputaret, aut alios doceret. Nec item sola corporis præsentia sufficit: tunc enim, qui per vim vel ignorantiam, vel dormiens adesset, præceptum impleret. Requirit itaque Ecclesia voluntarium & attentum auditorem: talis non est, qui ita aliud agit, vt perinde sit, ac si præsens ad audiendum non esset. Hæc ex Antonino *2. part. tit. 9. capit. 10. §. 1.* Caietano *in Sum. Festorum violatio*, Soto *in 4. dist. inct. 13. quæst. 2. art. 1.* Syluestro *Missa 2. quæst. 9.* Nauarro *in Manuali capit. 13. numer. 17. & capit. 21. numero 6.*

Secundò quæritur, An satisfaciat præcepto is, qui rem diuinam audit quidem, sed animo sponte sua alijs rebus intẽto, etiamsi nihil aliud agat? Duæ sunt auctorum diuersæ opiniones. Quidam negant eum satis facere, quia cùm animus ita cogitatione in audiendo Missæ sacro distrahitur, perinde est ac si abesset: is enim ita affectus si rogetur an rem diuinam audiuerit, vere respondere potest se illam non audisse. Deinde quoniam Missę sacrificio non solùm corpore, sed etiam voluntate & animo præsentes esse debemus. Hæc opinio videtur communi consensu recepta. Sic enim sentiunt Angelus *Feriæ nume. 43.* Rosel. *verb. Dominica. nume. 7.* Caieta. *in Sum. in verb. Festorum violatio*, Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. act. 1. & libr. 10. de Iust. q. 5. art. 5.* Nauarr. *in Manu. cap. 13. num. 17.* Medina *in sua Instruct. Confess. lib. 1. cap. 14. §. 9.* Ludouicus Lopes *in sua Instruct. Conscientiæ c. 52.* Alij contrarium affirmant: cuius sententiæ est Syluester *Missa 2. quæstio. 6.* eiusdemque opinionis fuisse quorundam iudicio videntur ij Auctores, qui senserunt, præcepto Ecclesiæ de persoluendo Horariarum precum officio satisfacere eum qui recitat preces animo vltro distracto, dummodo nullum opus exterius faciat, quod attentionem impediat, quod docuerunt Duran. *in 4. dist. 15. q. 12. num. 6.* Palu. *4. d. 15. q. 1. art. 2. concluſ. 4.* Antonin. *3. part. tit. 13. capit. 4. §. 7. & 8.* Angel. *Hora. num. 28.* Rosel. *Hora. num. 3.* Pilau. *Hora. num. 3.* Astensis *in Sum. lib. 6. tit. 1. num. 6. quæst. 3.* Idem dixisse Gersonem testatur Hadrianus *quodlib. 8. artic. 1.* & quidam aiunt sic etiam sensisse Innocentium, Hostiensem, Ioan. Andream, Abbatem, Ancharanum *in cap. Dolentes de cẽleb. Missa.* quod valde probabile putat Medina *de Orat. quæstion. 16.* & eum secutus Corduben. *4. lib. suarum Quæstionum, quæst. 13. de Potestate Papæ, ad finem.* Duabus rationibus mouentur: tum quia Ecclesia solum iubet rem diuinam audire, at quamuis quis ad alias res mentem intendat, nihilominus tamen sacrum Missæ verbum commodè audit: tum etiam quia interiores voluntatis actus Ecclesia non præcipit, ergo quamuis rem diuinam quis audiat mentis cogitatione res in alias dispersa, præcepto satisfacere videtur.

Constat inter omnes, præceptum seruari ab eo, qui non sponte sua in alias mentis cogitationes distrahitur. Solùm quæritur de eo, qui sciens ac volens cogitando ad alias res diuertit; qui, si ad res cœlestes atque diuinas animum intenderit, procul dubio præceptum seruat, cùm Ecclesiæ mens sit, vt rem diuinam audiamus, quo rebus sacris vtilius & fructuosiùs operam demus.

Quod ergo vocatur in dubium, est, An præcepto satisfaciat, qui inter audiendum cogitat sponte sua de rebus profanis, non sacris, siue diuinis? Quibusdam iunioribus videtur secunda sententia verior: quia Ecclesia verbo illo (*audire*) nihil aliud intelligit, nisi vt Missæ sacrificio præsentes simus sponte & voluntate simul, nihilque agamus, quod rei diuinæ auditionem impediat. Deinde, quia nihil obstat quo minus quis à Missæ sacrificio sola animi cogitatione diuellatur, rem diuinam audiat: nam commodè quis ad duo, vel tria, vel etiam plura animum aduertit. Sed profectò longè probabilior est prima sententia, quia Ecclesia in hac non solùm voluntarios, sed etiam attentos postulat auditores; nec inde fit, vt præcipiat actum internum per se, sed actum externum ex interno profectum; & huiusmodi actum potest Ecclesia imperare.

Tertiò quæritur, An præceptum de re diuina audienda seruet & impleat, qui inter audiendum recitat preces horarias, quas alioqui recitare præ-

cepto

cepto deberet? Duæ sunt opiniones: Nam quidam negant, quia precũ recitatio impedit rei diuinæ attentionem. Sic Angel. *in verb. Feriæ. num. 46* Sylues. *Missa 2. q. 6.* Rosel. *Dominica. nu. 7.* Armilla *Festum nu. 11. & Missa nu. 39.* Oppositum alij affirmãt, Caiet. *in Sum. Festorum violatio, & in Opusculis tomo 2. tract. 4. quæst. de Valore orationum dictarum ab audiente Missam die festo*; Sotus *in 4. dist. 13 q. 2 art. 1.* Ledes. *in 4. part. 2. quæst. 16. art. 6. dub. 5.* Nauarr. *in Man. cap. 21. num. 8. & tract. de orat. cap. 19. nu. 178.* Maior *in 4. distinct. 12. quæstion. 8.* Adrian. *in 4. de satisfactione, quæst. quæ incipit: Quæritur circa prædicta*: Hoc scilicet adducti argumento; quòd vtrique legi ac præcepto satisfieri commodè potest, modo vnum opus nõ impediat alterum, nec attentio vni debita tollat alteram.

Deinde, aut neutri præcepto satisfacimus, aut alterutri: non primum, id enim est improbabile: non secundum, quia non est maior ratio, cur vni potius quàm alteri satisfacere credamur. Dices, satisfacere nos illi præcepto, quod cum debita animi attentione exequimur. Sed contra vrget argumentum: vtrumque possumus præstare, siquidem ad vtrumque animum aduertere commodè possumus. Mihi videtur secunda opinio probabilis, non quatenus docet generatim posse nos vtrique precepto satisfacere, etiam quando vnum opus alterum impedit, sed solum quatenus contendit posse nos simul hæc ambo præcepta commodè implere & seruare, quia vtrique attentum animum, sicut debemus, præbere possumus. Quare non ita bene iudicant ij, qui vniuersim negant vtrumque præceptum nos simul implere posse.

Quod vt intelligas, animaduertere te oportet, primam opinionem non esse tam improbabilem quàm aliqui putant: Solùm enim sententiæ illius auctores contendunt, eos qui recitant preces quas debent vi præcepti Ecclesiastici, cogi attento animo eas recitare, & proinde, nullum opus externum efficere, quod impediat debitam attentionem; At si audiant rem diuinam, eiusmodi auditio impedit quo minus preces horatias recitent attentè, vt debent. Item qui vi legis Ecclesiasticæ sacrum audit, eo ipso cogitur abstinere se ab omni opere externo, quod impedit debitam attentionem. Sed qui recitat preces horarias attentè vt debet, opus facit externum, quod impedit quo minus sacrum attentè audiat, ergo nequit simul vtrique præcepto satisfacere. Hactenus probabiliter loquuntur meo iudicio. Sed non probo quod insinuant, non posse nos simul vno eodemque opere duo præcepta complere: aliquando enim id præstamus, nisi adeo diuersa officia fuerint, vt simul obire & exequi non possimus. Quare videndum est, an duo præcepta, videlicet vnum de persoluendo horario precum officio, alterum de re diuina in die festo audienda, adeo diuersa sint, vt simul implere nequaquam possimus. Et dicendum existimo talia non esse. Nam sacrum attentè quidem audire debemus: sed sufficit, vt statim *quæstione proxima sequenti* dicam, si ad verba quæ Sacerdos dicit, animum intendamus, vel ad verborum sensum, vel ad Deũ ipsum, cui sacrificiũ offertur, vel ad Diuina mysteria quæ Missæ sacrificium significat. Item, dum horariarum precum officium persoluimus, satis etiam est, si attentũ animum præbeamus vel verbis, vel verborum sensui, vel Deo quem precamur, vel rebus diuinis, quas petimus vel optamus orando: ergo possumus, dum Missam audimus, & preces horarias recitamus vna attentione vtrumque officium præstare, videlicet, si ad Deum ipsum, cælestes, diuinasque res mentem & animum intendamus: At quis neget, aut dubitet, posse nos id obire & exequi? Rem diuinam audis, vti ad Deum animum excites: item preces horarias recitas, vt Deo attentum animum præstes: de Deo igitur aliquid cogita, diuinis rebus attendas, & vtrumque persoluisti. Non igitur est vna attentio, quæ alteram excludat, minuat, impediat: ergo vtriq; simul præcepto satisfacere commodè possumus. Fateor quidẽ difficile esse, vt si, dum rem diuinam audis, & preces recitas, ad verba animum intendas, vtrumque præceptum impleas, & hoc est, quod primæ opinionis auctores docere voluerunt, nec alij firmis argumentis & rationibus confutarunt: sed id necesse non est, quoniam sufficit si ad Deum, vel res diuinas mentem & animum intenderis.

Quartò quæritur, An vllum peccatum admittat, qui dum sacrum in die festo audit, recitat preces alioqui votiuas, vel præcepto, vel lege aliqua debitas? Cajetanus *loco citato* censet veniale delictum committere; nisi id faciat dum Sacerdos qui sacrificat, nihil intenta, sed submissa voce legit, vel recitat, aut dum non intelligitur; aut dum is qui Missæ sacrificio interest, tam longè distat, vel ita surdus est, vt Sacerdotem sacris operantem audire non possit. Nauarrus *loco etiam prædicto* dicit, eum nullum peccatum facere, dummodo Sacerdotem non impediat. Profecto si Nauarrus loquatur de eo, qui ad Deum, vel diuinas res animum attendit, vera docet, nec ea Cajetanus, & alij negabunt, si verò loquatur de eo, qui verba tantum attendit, nõ improbabiliter loquitur Cajetanus: immo fortassis vtrique præcepto, vt dixi, non satisfaceret ex hac parte (quicquid Nauarrus sentiat & dicat) quoniam difficile est, vt dixi, tam diuersa verba simul attendere.

Quintò quæritur, Qua attentione animi debeat quis sacrum in die festo audire? Respondeo cum S. Thoma *secunda secundæ quæst. 83. artic. 13.* cuius sententia communi consensu approbatur: Cùm oramus, trib⁹ modis possumus attẽdere id quod agimus: Aut enim attendim⁹ verba quæ dicimus, ne dicendo erremus: Aut attendimus sensum verborum: Aut attendimus animum ad Deum ipsum quem oramus, vel ad res diuinas, quas orando petimus vel optamus. Et vltima, inquit, attentio est omnium præstantissima. Ex quo fit, vt dum quis sacrum audit, possit attendere vel ea quæ dicit aut facit Sacerdos: vel possit animum intendere ad Deum ipsum cui Sacrificium offertur, vel ad diuina arcana quæ in Missæ sacrificio significantur, vel ad diuina beneficia, quæ per Missæ sacrificium conferuntur.

Sextò quæritur, An in hac re differant intentio voluntaris, & animi attentio? Ratio quæstionis est: quoniam quidam intentionem cũ attentione confundunt. Respondeo, hæc duo in hac parte differre. Nam, intentio, est propositum siue voluntas, qua quis statuit sacrum audire rite

ac legitimè, vt debet; Attentio est, qua attendit quod in Missæ sacrificio dicitur, aut fit; aut sensum earum rerum quæ dicuntur, aut diuina quæ significantur: nec sufficit vt velis audire, sed necesse est vt sis etiam attentus auditor.

Septimò quæritur, An toto tempore quo Missæ sacrificium fit, aut res diuina auditur, debeat auditoris attentio durare? Quidam reprehendunt in hac parte Scotum 3. *dist. 9. qu. 1. art. 2.* & Gabrielem *super Canonem Missæ Lect. 29.* quòd dixerint, toto tempore durare attentionem debere. Sed profectò nec Scotus, nec Gabriel id dicunt, nec si dixissent, reprehendi debuerant. Nam quæuis intentio sufficit si initio fit, hoc est, si constituat quis rem diuinam audire, quamuis postea nihil cogitet, quia dum audit, in prima voluntate persistit, si ab ea non recedit. At verò attentio toto tempore durare debet, nec enim sufficit, si sacrũ ex parte tantùm attendas, & ex parte magna animo vltro distracto audias. Necesse igitur est ne ex parte notabili sponte animum diuertas. Sicut totum sacrum audire nos oportet, sic in toto sacro attẽti auditores esse debemus, ita vt animum vltro non distrahamus.

Cap. VI.

Quædam aliæ quæstiones eadem de re diluuntur.

PRIMO quæritur, An præcepto & legi satisfaciat, qui cum peccato rem audit diuinam? Fuêre qui senserint, generatim nullũ præceptum per actum, qui sit per se malus, impleri. Sed horum opinio communi est omnium consensu refutata. Neque enim ad præceptorum substãtiam seruandam requiritur charitas aut bona finis voluntas. *Exod. 20.* Quis enim neget præceptum de honorandis parentibus, vel de eleemosyna egenti erogan da, impleri & seruari etiam ab eo, qui hæc pietatis officia inanis gloriæ studio præstat? Alij dixerunt, huic præcepto minimè satisfieri ab eo, qui inter audiendum Missæ sacrum, cum alijs nugatur, vel mali quippiam aliud facit. Cæterùm hoc non ideo verum est, quòd is cum peccato rem diuinã audiat, sed quia dum audit, aliud agit, quod debitam rei diuinæ attentionem impedit. Porrò S. Antoninus *2. part. tit. 9. cap. 10. §. 1. & 2.* innuere videtur, eum hominem non satisfacere præcepto, qui se confert in templum causa videndi, & concupiscendi libidinosè fœminas, alias illuc non iturus, nec rem diuinam auditurus. *Immò*, inquit, *nec is præceptũ implet, qui iussu alterius sacrum audit; alioqui minimè auditurus, quoniam rem diuinam sponte sua audire non creditur.* Si S. Antoninus id voluit dicere, eiusmodi hominem aliàs nullo modo ad templum accessurum, nisi fœminæ videndæ, & intemperanter appetendæ causa peccare: id verum est, non in eo quòd rem diuinam & præceptum omiserit, sed quòd templum adierit libidinis, & voluptatis gratia, & quòd deprauato animi affectu rem diuinam audierit. Quare si generatim loquamur, omnino verum est aliorum responsum, hoc præceptum seruari etiamsi cum peccato res diuina audiatur.

Secundò quæritur, An sit iuris Canonici, vt diebus dominicis & festis Missæ sacrum publicum & solenne audiatur? Abbas *in cap. 1. num. 8. de vita, & honesta. Clerico.* vult id esse iuris communis quod demonstrat ex eo quod habetur *in cap. & hoc attendendum, de Consecr. dist. 1.* vbi habetur: *Vt Missæ peculiares quæ per dies solennes à Sacerdotibus fiunt non ita in publico fiant, vt propter eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia canonicè fiunt, abstrahatur, sed Sacerdotes qui in circuitu Vrbis, aut in eadem Vrbe sint, & populus in vnum ad Missarum publicam celebritatem conueniat.* Hæc ibi. Quo loco Missarum sacrificia peculiaria, dici videntur priuata, quæ sine populo publicè vocato, & absque vlla signi, aut æris campani pulsatione fieri solent. At verò in eo cap. nullum est verbum, quo expressim præcipiatur, vt solemne, & publicum Missæ sacrũ audiatur; sed tantùm decreto cauetur, ne in priuatis sacellis ita Missæ celebrentur, vt Populus à Parochia reuocetur, cùm (quemadmodum statim dicemus) iure communi sit constitutum, vt quisque in diebus Dominicis, & festis propriam Parochiã frequentet, ne proprium Presbyterum cõtemnere videatur. Rogabis, an saltem consuetudine sacrũ Missæ publicum & solemne audire debemus? Respondeo; quamuis sit consuetudine receptum alicubi, vt singuli in Parochiam conueniant, ad rem diuinam, quæ fit ritu solemni & publico, audiendam: non ita tamen legis vim habet, vt is qui priuatim rem diuinam audierit in Parochia, præceptum omisisse iudicetur.

Tertiò quæritur, An iure communi Missæ sacrum audire oporteat, quod est diei Dominici, vel festi proprium? An verò is legi satisfaciat, qui aliud Missæ sacrum audierit? Hoc ideo quæritur, quia *in c. Quidam, de celebrat. Missa.* dicitur: *Quidam Laicorum habent in consuetudine vt per singulos dies audiant Euangelium, In principio erat Verbum, & Missas peculiares, hoc est de Sancta Trinitate, & de Sancto Michaele: hoc ideo sancitur, ne vlterius id fiat, nisi suo tempore. Et nisi aliquis velit propter reuerentiam Sanctæ Trinitatis, non pro alia deuotione audire. Sed si voluerint vt sibi Missa contetur, de eadem die Missas audiant pro salute viuorum, & etiam defunctorum.* Sic ibi Concilium Triburiense. Vnde Angel. *Missa. num. 33.* ait, non satisfacere præcepto de audiendo sacrum eum, qui aliud audit sacrum, quàm illud quod est diei festi proprium. Verùm constans est omnium sententia, vt patet ex Antonino *2. part. tit. 9. cap. 10. §. 1.* Syluestro *Missa 2. q. 4.* Rosella *Missa, num. 14. & 23.* Tabiensi *Missa, nu. 49.* præceptum impleri, & seruari, etiamsi sacrum Missæ non proprium diei audiatur. In eo verò capite allato, concilium solum improbat superstitionem eorum, qui putabant se rem diuinam non audire nisi illam, in qua recitaretur Euangelium, In principio erat Verbum: aut certè reprehendit morem illorum, qui proprio diei festi Missæ sacro contempto, alia priuata sacra curabant audienda.

Quartò quæritur, An quisque in sua Parochia diebus Dominicis & festis sacrum Missæ verbum audire cõmuni iure cogatur? Nauar. *in Manuali c. 23. n. 5.* Ang. *in verb. Missa n. 59.* Rosel. *Missa n. 19.* Syl. *Missa 2. q. 5.* Tabiẽ. *Missa nu. 52.* Armil. *n. 31.* & ante eos Calderi. *cons. 6. de Religios. domib.* Anto. *2. p. tit. 9. c. 4. §. 1.* negãt esse iuris cõmunis præceptũ: quia *in c. vt Dominici. de Paroch.* solùm statuitur, vt alienũ Parochianum Presbyter è sua Ecclesia eijciat, volentem in ea

Missæ sacrificio interesse proprio Presbytero contempto. Ergò solùm præcipit ius commune, ne quis diebus Dominicis aut festis extra Parochiam sacrum audiat contempto Parocho. At quidam aiunt, sensisse Innocentium *in ca. vt Dominicis de Parochijs.* & ibidem Hostiensem, Ioann. Andream, Abbatem, ac cæteros Canonici iuris interpretes, esse iuris cõmunis præceptum, vt quisque in sua Parochia diebus Dominicis ac festis rem diuinam audiat. Nam *in c. vt Dominicis citato de Parochijs*, ita decernitur: *vt Dominicis, vel festis diebus Presbyteri antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi velit Missam audire: quem si inuenerint, statim ab Ecclesia eijciant.* Et in c. *Si quis etiam, de Consecr. dist. 1.* ex Concilio Agathensi dicitur: *Si quis etiam extra Parochias, in quibus legitimus est ordinarius q; Conuentus, Oratorium habere voluerit reliquis festiuitatibus, vt ibi Missam audiat propter fatigationem familiæ, iusto ordine permittimus: Pascha vero, Natali Domini, Epiphania, Ascensione Dominica, Pentecoste, Natali S. Ioannis Baptistæ, & si qui maximè dies in festiuitatibus habentur, non nisi in Ciuitatibus, aut Parochijs audiant.* Hæc in eo loco. Quæ duo, inquiunt alij, iuris communis Decreta, tametsi id non planè monstrarent; in Constitutione tamen Pontificia Sixti Quarti, quę incipit: *Vices illius*; quæ habetur inter extrauagantes communes *de Treug. & Pace*, perspicuè dicitur: Cùm iure sit cautum diebus Dominicis ac festis, Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia. Et Concilium Trid. *sess. 24. cap. 4.* de Reformat. ait: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Sic Concilium; quod tametsi de sacris ibi concionibus fortassis loquatur, quæ in templis ad populum habentur, multò magis tamen locum habet in Missæ sacro in Parochia audiendo. Verùm prima sententia est vera: nam ius commune solum vetuit, ne quis prædictis diebus extra Parochiam sacrum audiat contempto suo Parocho: & hoc sensu loquuntur Innocentius, Hostiensis & cæteri Pontificij iuris interpretes, & eundem sensum habent verba Sixti Quarti, & Concilij Tridentini. QVAERES, an possint iustæ causæ subesse, quibus quis iure extra Parochiam in diebus festis rem audiat diuinam? Respondeo cum Abbate *ca. dilto, vt Dominicis*, & Glossa ac Doctoribus ibid. eiusmodi sæpe causas contingere: vt cùm Parochus est interdicto vel excõmunicatione deuinctus, vel in irregularitatem lapsus, aut suspensus ab Ordinibus, vel officio; vel quia alibi quispiam religiosius, vtilius & fructuosius Missæ sacrificio interesse solet: nimirũ, quia simul & diuino Missæ officio præsens est, & sacram concionem, aut saltem vtiliorem audit: vel quia difficultate temporis, vel loci, vel alicuius alterius rei, ad propriam Parochiam cõmodè accedere nequit, vel quia ratione consuetudinis alicubi receptæ, vel authoritate priuilegij Põtificij extra Parochiam quis rem diuinam audit. Deinde quæres quando nam quis suam Parochiam relinquit proprio Presbytero contempto? Respondent quidam, eiusmodi contemptum Parochi posse dupliciter contingere: aut enim expressim & apertè dispicitur, aut tacitè; veluti cùm quis frequenter proprium Parochum deserit. Sed certè non semper in consuetudine inest contemptus: nam ea non rarò cum iusta & legitima causa potest esse coniuncta: Quidam alij respondent, tunc tacitè contemni proprium Presbyterum, cum Parochia absque vlla prorsus causa iusta, & legitima relinquitur. Cæterùm nec hoc verum est, quia si quis extra Parochiam sacrum audiat absque vlla alia causa, nisi quia videt esse consuetudine receptum, nequaquam Parochum contemnit. Quare dicendum existimo, Parochum non contemni in hac parte, nisi cum expresso contemptu relinquitur, ac planè deseritur Parochia: quamuis in foro exteriori, vt Parochi contemptor credi & haberi aliquando poterit, qui sine causa debita, aut frequenter Parochiam deserit.

Quintò quæritur, An ius commune, quo quisque in sua Parochia rem diuinam audire debet, sit consuetudine abrogatum? Angelus, Rosella, Sylvester, Armilla, Nauarrus *locis supra citatis* respõdent, generali in toto Christianorũ orbe consuetudine recepta id esse abrogatum, cùm passim vbique locorum, & gentium, videamus Christianos diebus festis extra Parochiam suam sacrum audire. Ego tamen dubito, num ita generalis consuetudo sit hactenus introducta; nam alicubi, vt in quibusdam diœcesibus Flandriæ, Galliæ, & Germaniæ, Parochiæ cõtendunt, his in locis contrariam esse consuetudinem, cuius vi cogunt Parochianos ad suas Parochias accedere. Non tamen dubito, quin in multis Prouincijs sit vsu receptum, Vt extra Parochiam diebus festis & Dominicis res diuina audiatur.

Sextò quæritur, An Episcopis liceat, Constitutionem ferre, qua iubeãt, vt Parochiani in suas Parochias conueniant ad rem diuinam audiendam, excommunicatione, vel alijs multis & pœnis in eos, qui non paruerint, constitutis? Negat Nauarrus, *eo quem supra citaui loco*, Antoninum & Sylvestrum prædictis in locis secutus, id licere facere, quia generali consuetudine cõtrarium seruatur: & sicut contra ius commune legem ferre nequit Episcopus, ita nec contra generalem consuetudinem potest. Contrarium alij affirmant, inde permoti, quòd iuris communis præceptum sit, vt quisq; in sua Parochia Missæ sacrificio diebus Dominicis intersit. Sed Episcopus auctoritatem habet præcipiendi, vt Canones, & communia iura seruentur. Deinde vtilissimũ est, vt quisque in propriam Parochiam conueniat, vt ibi audiat Parochum indicentem dies festos, & ieiunia quæ in hebdomada seruari debent: & vt cognoscat, qui nam excommunicati publicè denuncientur in templo, quos eum oporteat deuitare. Ergo Episcop⁹ potest præcipere Parochianis rem tam vtilem & salutarem. Postremò, si proprius Presbyter & Parochus contemnatur, iure potest Episcopus imperare, vt quisque ad suam Parochiam accedat: at probabiliter credit Episcopus Presbyterum despici, cùm paucos videat in propriam Parochiam conuenire. Certè si tota, aut maxima pars Parochianorum Parochiam desereret, vel contemneret, aut si res diuina audiretur extra vllam causam, iustam scilicet & legitimam, in priuatis Sacellis & Oratorijs, nullo

ad id Pontificio priuilegio munitis, putauerim ego Episcopis licere simplici mandato præcipere, vt Parochiani ad suas Parochias accedant, non tamen irrogatis pœnis imperare, aut Constitutionem ponere, qua edicerent, ne Parochiani diebus Dominicis sacrum audirent in priuatis Sacellis & Oratorijs. Quapropter si Constitutione posita, excommunicatio contra eos qui non obtemperant, ferretur, eam non contraherent ij, qui iusta ex causa extra Parochiam sacrum audirent: Immò declaratio Cardinalium Concil. Tridentini. *sess. 24. cap. 4. de Reformat.* sic habet. *Non potest Ordinarius mulctis & pœnis cogere populum ad audiendam Missam, aut Concionem etiam in casu negligentiæ aut contumaciæ.*

Septimò quæritur, An legi & præcepto audiendi diuinum Missæ verbum satisfaciant, qui in Mendicantium fratrum sacris ædibus id audiunt? Vetus extitit controuersia de hac re inter Ecclesiarum rectores Parochos, & Mendicantium ordinum fratres: illi contendebant, præcepto non satisfacere eos, qui audirent. Nam quamuis Mendicantes Pontificis priuilegio gaudeant, vt in eorum templis Missa audiatur, & priuilegium Principis ampliſſimè interpretari debeamus, quando iuri communi non derogat, Doctores *in L. Beneficium. ff. de constit. Principum.* Veruntamen cùm iuris communis præceptum sit, vt quisque in propria Parochia Missam audiat; consequitur, vt omnia eiusmodi priuilegia intelligi debeant ea conditione, vt iuri & auctoritati Parochi non derogent. Sic enim cætera priuilegia interpretamur. Deinde priuilegium Pontificis habet, vt in sacris ædibus Mendicantium Missa audiri queat, modò proprij absit Parochi cõtemptus: sed tacitè contemnitur, cùm Parochia immeritò deseritur: ergo Pontificis priuilegium Mendicantibus concessum locum habet, cum legitima subest causa, vt in eorum templis Missarum sacra audiantur. Ad extremum: Sixtus Quartus in Constitutione quæ incipit. *Vices illius inter communes, de Treuga & Pace*, abrogasse videtur suorum antecessorum priuilegia, quibus concedebatur, vt in sacris Mendicantium ædibus Missæ audiri possent. Præcipit enim, ne fratres Mendicantes concionentur, non debere Christianos in suis Parochijs sacrum audire: cum iure, inquit, sit cautum, in diebus Dominicis, & festis oportere Parochianos Missam audire in suis Parochijs. At verò quicquid nonnulli Ecclesiarum præfecti Parochi tueri conentur; dicendum arbitror, Mendicantibus Ordinibus cõcessum Priuilegium in hac parte tale esse, vt legi & præcepto satisfaciant quotquot in eorũ templis Missam audiunt. Sic enim habet Leonis Decimi priuilegium, quod habet Nauarr. *in man. cap. 21. nume. 5. Auctoritate Apostolica tenore præsentium notũ facimus, omnes Christi fideles virius que sexus, qui non contempto proprio Sacerdote parochiali in Ecclesijs fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis, & alijs festiuis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamue propterea incurrere.* Nec obstat, quod dicitur, Sixtum Quartum in sua Constitutione prohibere, ne Fratres Mendicantes concionentur, aut publicè doceant, Parochianos non debere in Parochijs rem diuinam audire. Nam Pontifex id solùm vult quia iure communi decretum est, ne Parochiani rem diuinam audiant extra Parochiam proprio Sacerdote contempto. Mendicantium verò Ordines priuilegio, & beneficio Rom. Pontificis habent, vt in eorum sacris ædibus audientes rem diuinam satisfaciant Ecclesiæ. Reprehenduntur ergo ea in Constitutione Fratres Mendicantes, quòd publicè docerent, nõ esse iuris cõmunis, vt quisque in Parochia Missam audiat, sed liberè Parocho contempto quemque posse, vbicunque ipse voluerit, eam audire. Dices; si iuris est communis audire in Parochia, ergo Pontificis priuilegium iuri communi derogare non creditur. Respondeo in hunc modum: quando priuilegium expressim ius commune non abrogat, interpretari non debemus tam amplè, vt tollat ius commune. Sed priuilegium Leonis Decimi Mendicantibus datum, expressim iuri communi, si quod esset, in hac parte derogat. At ius commune, *in cap. Vt Dominicis de Parochijs.* solùm prohibet, ne quis extra Parochiam contempto proprio Sacerdote rem diuinam audiat diebus Dominicis, & Festis. Nec obest quod opponebatur, Alicubi esse consuetudine receptum, vt quisque ad Parochiam accedat: & alicubi itidem Constitutiones Synodales extare, quibus præcipitur, vt singuli Parochiani in suis Parochijs rem diuinam audiant. Nam huiusmodi consuetudines Constitutionesq; solùm id habent, aut præcipiunt quod ius commune constituit ac iubet; nec itemposſunt Pontificium priuilegium abrogare: Quare ad eos solos trahuntur, qui contempto Parocho extra Parochiam Missam audiunt; & qui sine iusta causa, aut legitimo priuilegio, vel consuetudine recepta, se conferunt aliò ad sacrum audiendum.

Octauò quæritur, An qui in Sacello, vel Oratorio priuata auctoritate extructo sacrum audit, satisfaciat Ecclesiæ? Angelus *in verbo Missa nu. 59.* negat, & probat *ex cap. Si quis etiam, supra citato.* Alij tamen affirmant, dicentes nequaquam esse iuris communis, vt in propria Parochia res diuina audiatur, sed, ne extra parochiam, proprio Sacerdote contempto audiatur: nec in eo capite reprehendi morem Laicorum Missas audientium in priuatis Sacellis, sed Clericorum in eis rem diuinam facientium. At verò quicquid sit communi iure decretum, vt quisque in sua Parochia Missæ sacrificio diebus Dominicis, & festis intersit; nihilominus tamen, vel generali consuetudine vbique locorum vel saltem peculiari alicubi recepta, est introductum, vt præcepto satisfecisse credatur is, qui sacrum in Sacellis siue publica, siue priuata auctoritate fabricatis audierit, dummodo id ex contemptu sui Parochi non fecerit.

Cap. VII.

De causis, quibus excusantur qui rem diuinam non audiunt.

PRIMO quæritur, Quibus de causis aliqui eximantur à lege Missæ sacrum audiendi? Respondeo: multis; quæ omnes generatim ad hæc capita reuocantur. Velut si quis audire nequeat absque sui vel suorum, vel proximorum damno, quod sit alicuius ponderis, & mo-

menti;

menti; quale est detrimentum animæ, vel corporis, vitæ, salutis, famæ, honoris, libertatis, bonorum, vel rei cuiuslibet alterius, etiam quæstus, & lucri, dummodo sit alicuius ponderis & momenti, ita communis opinio. Non quia obedientia, quæ Ecclesiæ debetur, non sit præferenda rebus nostris temporarijs: sed quia credimus Ecclesiam non tam graue nobis onus imponere voluisse, nec tam leuerè huiusmodi præceptum dedisse.

Primo igitur loco excipiuntur quotquot sunt excommunicationis vinculo obstricti: Item qui personalis interdicti pœna tenentur. Quotquot item ratione interdicti localis sunt impediti. Angelus *Missa. numer. 57.* Sylvest. *num. 1.* & Nauar. *in Manuali. cap. 23. num. 3.* Is quoque qui in carcere, & vinculis tum priuatis, tum publicis detinetur: vt qui fide data, domi suæ tanquam in carcere sese continere compellitur. Qui præterea graui aliquo, & iusto negocio, quod in aliud tempus differri nequeat, impeditur: quales sunt publici ministri, qui ratione sui muneris, domo egredi, castra dimittere, murorum portas, quas custodiunt, ac tuentur, & vigilias deserere non permittuntur, Sylvester, Nauarr. Tales etiam sunt Magistratus, Senatores ac reliqui primarij viri, qui grauia Reipubl. negocia in aliud tempus reijcere commodè nequeunt. Sylvest. Nauar. Quales etiam sunt, qui ægrotis interuiunt, quos citra periculum, & damnum relinquere non possunt. Nauarr. Tales quoque videntur esse matres, vel nutrices, quæ tenellos ac paruulos infantes deserere, nisi cum periculo & incommodo non queunt. Nauarr. Quæ item nubiles filias sine probabili stupri discrimine minimè relinquunt, vt iuxta patriæ consuetudinem domi Ecclesias custodiant. Sylvest. nec non fœminæ nuptæ, quæ sine virorum offensione, & rixa alicuius momenti domo exire nequeunt. Nauarr. Cùm probabilis item latronum, vel inimicorum metus adest; vel timor periculumúe pestis, vel aëris probabilis corruptio, cœlúe intemperies, vel difficultas itineris: Tum etiam quando plures iter faciunt, & eorum vnus nisi graui suo damno, & detrimento cæteros dimittere nequit. Nauarr. Si item ministri sint, & toto tempore, quo Missæ sacrificium fit, in rebus sacrificio necessarijs apparandis occupentur, cùm alij non sint, qui id commodè facere queant. Infirmi itidem, qui consilio Medici commodè Missam audire non possunt: tum serui, & famuli, qui iussu Domini aliquid quod sit magni ponderis, & momenti, facere coguntur eo tempore, quo fit res diuina. Quin si adeo pauper sit quis, vt vestes non habeat quibus tegatur, aut sine quibus pro dignitate, & conditione personæ domum egredi commode non audet. Viduæ insuper, & aliæ mulieres, quæ ob viri, vel parentum, vel fratris propinquiúe alterius obitum, de more ad certum aliquod tempus domo exire non solent. Si puellæ item sint nubiles, & à parentibus cogantur domi se continere. QVAERES, an qualiscunque morbus sufficiat ad eximendum aliquem ab huiusmodi lege, rem diuinam audiendi? Respondeo, arbitrio boni viri, vel potius Medici consilio rem hanc esse definiendam. ea enim sola corporis ægritudo sufficit, quæ probabiliter & bona fide creditur nocitura grauiter, si quis è lecto surgat, & egrediatur domo. QVAERES deinde, an fœminæ prægnantes hoc præcepto liberentur? Respondeo, minimè nisi exitus è domo eis probabiliter nociturus grauiter crederetur. Item QVAERES, an serui, & famuli semper à præcepto excipiantur, quum iussu Domini aliquid obire, & exequi compelluntur. Respondeo, conuenire inter omnes, legitimam eis inesse peccati excusationem, si sibi probabiliter, & grauiter nocerent domino non obtemperantes, vt alio loco superius admonui.

Rursus certi iuris est, eos debere Missam audire, si ob Ecclesiæ contemptum, eam omittere Domini iuberent. Verùm id dubiæ quæstionis est, An quando Domini imperant famulis aliud facere, iustam peccati excusationem habeant, si iussa Domini faciant, tametsi nullum aliud detrimentum sibi probabiliter timerent præter duriusculam reprehensionem, vel rixam? Aiunt quidam generatim, eos liberos esse culpa, si rem diuinam omittant, vt Dominis obediant: omni etiam motu, mali sublato. Verùm si eis objicias, magis esse Deo, & Ecclesiæ parendum, quàm hominibus; Dicent id locum habere, cùm Domini præcipiunt aliquid, quod esset contrarium Dei, Ecclesiæúe mandatis: at dum Ecclesia præcipit rem diuinam audiri, solùm vult, vt serui, vel famuli audiant, cùm iussu dominorum aliud præstare non coguntur: quare serui iustam hac in re excusationem obtendunt, domini non item, qui quidem non rarò in hac parte peccant: tum quòd nihil sua interesse putant quòd serui, & famuli audiant rem diuinam, nec ne, salutem illorum spiritualem negligentes, tum sæpenumero leuia aliqua præcipiunt eo tempore quo res diuina cum audiri deberet, omittitur; cui nimirum incommodo, si vellent domini facile possent occurrere. Hæc omnia Rosella *verbo Missa numer. 18.* Antonin. *2. part. tit. 9. cap. 10. §. 3.* Sylvest. *verbo Missa 2. quæst. 2.* Nauarr. *in Man. capit. 21. numer. 3. & 4.*

Secundò quæritur, An sit mos ille improbandus quo vidua post obitum viri, causa luctus, & tristitiæ domi se contineat ad annum, au saltem ad plures intra annum menses? Rosella *in verbo Missa. num. 18.* Antonin. *2. part. tit. 9. cap. 10. §. 2.* Nauar. *in man. cap. 21. num. 4.* Sylvest. *Missa. quæstio. 9.* iustam, & legitimam peccati excusationem fatentur esse, si ad breue tempus, nimirum ad vnum mensem, vel etiam duos domi recluſa Missam non audiat, non tamen si ad annum, vel si ad alia negotia egredi domo solet. Attamen dubitari non potest, quin pro dignitate, & nobilitate personarum maiore, longiori ſue tempore se viduæ continere, recepta consuetudine, domi queant.

Tertiò quæritur, An in vniuersum iusta sit peccati excusatio, si nubiles puellæ, & virgines rem diuinam non audiant domi se recludentes iussu parentum? Respondeo, puellas quidem, culpa carere, cum, vt parentibus obtemperent, domo non egrediuntur; non tamen parentes, si eas egredi ad audiendum sacrum non permittant, cum ad ludos, spectacula, & choreas exire patiantur. quod si eas domi includant, nec alio exire

finant

sinant pudicitiæ, & virtutis tuendæ causa, nulla se peccati labe commaculant.

Quartò quæritur, An aliquis liber sit à peccato, si per ignorantiam Missam omittat? Respondeo in hunc modum, aut ignorantia est facti, aut iuris. Si primum, iustam dat excusationem; vt qui omninò ignorans diem esse festum, Missam non audiat. Si verò secundum, legitimam, & iustam excusationem non affert, quia ius in diebus Dominicis, & festis Missam audiendi, est, aut esse debet omnibus Christianis notissimum: adeo tamen rudes, & ignari aliqui sunt, vt potè rustici, & pastores inter pecora enutriti, & semper versati, vt id iuris bona fide interdum ignorent. Iusta item, & probabilis potest ignorantia ex aliqua causa contingere: nam serui, famuli, & filij familias bona fide aliquando putant se liberos esse à præcepto audiendi Missam, dum iussu Domini, vel parentis aliud obire coguntur. Iustè quoque excusantur, quicunque bona fide putant se esse legitima causa impeditos, etiam si aliquando fallantur. Sylvest. *Missa 1. vers. 6.*

Quintò quæritur, An qui longè à sacris ædibus distat & quia multę decidunt pluuiæ, vel niues, & aliæ tempestates oriuntur, Missam prætermittit, liber à culpa sit? Respondeo si absque magno, & notabili detrimento templum adire nequeat, aut domum suam reuerti, liberum esse à peccato; vt ferè contingit in rure, aut villis, quæ procul absunt à templis: quod tamen nõ ita frequenter, immo vix accidit in vrbibus, & oppidis. Item pluuiæ, & tempestates si sint ad breue tempus & solitæ, iustam peccati non præbent excusationem: bene tamen diuturnæ, magnæ, & insolitæ.

Sextò quæritur, An qui longam nauigationem suscipiunt, Missam quam siccam vocant, & quæ aliquando in nauigijs celebrari solet, audire debeant, ita vt qui eam omiserint, immunes à culpa non sint? Respondeo, nullum extare præceptum eam Missam audiendi. Ratio in promptu est, quia in ea nõ consecratur Christi Domini corpus, nec vllum sacrificium offertur; sed epistola, Euangelium, & aliæ preces recitantur.

Septimo quæritur, An iustam mereantur peccati excusationem ij pastores, qui ita pauperes sunt, omnique auxilio destituti, vt nullum famulum, aut socium adiutoremúe habeant; qui pecora custodiat interim dum ipsi templum ad rem diuinam audiendam adeunt? Respondeo, eos mereri; quia gregem relinquere non possunt absque magno & graui periculo: quando verò socios habent, quibus tutò gregis curam committant, tunc debent se vicissim iuuare, ita vt ex eis vnus ad Missam audiendam accedat, & alter custodiæ gregis intendat: qui deinde altero redeunte ad caulam gregis audito iam sacro, & ipse Ecclesiæ præcepto, & legi de re diuina audienda satisfaciat.

Octauò quæritur, An omni culpa careat Titius, qui die Dominico, vel festo, toto tempore, quo Missæ officium fit, sua peccata Sacerdoti confitetur, cum sciat nullum aliud Missæ sacrificium eo die faciendum? Respondeo in hunc modum: si peccatorum confessionem, quam præcepti necessitate facit, in aliud tempus differre commodè potest, liber à peccato non est, quia præceptum Missam audiendi prætermittit, cum verumq; præceptum possit implere. Si tamen peccatorum sacram confessionem præcepti necessitate debitam in aliud tempus commodè prorogare nequeat, tunc tuta conscientia Missam prætermittit, vt faciat præcepti necessitate debitam peccatorum confessionem; quoniam lex de peccatis confitendis, videtur esse maioris ponderis, ac momenti, quàm lex de Missa audienda. Si confessionem peccatorum voluntariam, sponte faciat, potius rem diuinam audire debet, quã peccata confiteri: quia voluntaria confessio est consilij opus, auditio verò rei sacræ est debitum, & imperatum officium.

Nonò quæritur, An qui exit ante benedictionem (quam vocant) Sacerdotis ministerio in Missæ sacrificio sub finem dari solitam, Ecclesiæ præceptum, & legem impleat? Causa huius dubitationis est id, quod in c. *Missas, de Consecr. Dist. 1.* dicitur: *Ante benedictionem Sacerdotis egredi populus nõ præsumat.* Et subiungitur: *(Alioqui exeuntes ab Episcopo confundantur.)* Et *in cap. Omnes fideles de Consecrat. dist. 1. Qui non perseuerant vsque dum Missa peragatur, velut inquietudines Ecclesiæ commouentes, conueniat communione priuari.* In ca. item, Cum ad celebrandas de Consecr. dist. 1. *Populus non ante discedat, quàm Missæ solemniter compleantur.* Respondeo breuiter, præcepto, & legi satisfacere eum, qui egreditur, eo quod partem Missæ notabilem minimè prætermittit. Ad obiectum verò illud *ex cap. Omnes fideles, & cap. Missas, & cap. Cum ad celebrandas.* Respondeo ijs in locis temeritatem eorum reprehendi, qui plures simul egrediuntur, ita vt solùm penè Sacerdotem, qui sacris operatur, relinquant. Is item reprehenditur, qui exit contempto benedictionis munere, quo Sacerdos Missæ offerens sacrificium populo adstanti bona, & felicia precatur.

Decimò quæritur, An si simul concurrant Missa, & diuini verbi annuntiatio: ita vt vtrumque audiri simul non possit, præferenda sit auditio diuini verbi, auditioni Missæ. Angel. *in verbo Feria. nu. 45.* quem alij quoque nonnulli secuti sunt, ait esse Missæ præferendam sacram diuini verbi auditionem, etiam dum Missam audire præcepto debemus: quod ostendere nititur ex eo, quod habetur *in cap. Omnes fideles, de Consecr. Dist. 1.* vbi Missam esse audiendam decernitur, vt Scripturæ audiantur: Et *in cap. Sacerdote, de Consecr. dist. 1.* dicitur: *Sacerdote verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de audientia fuerit, excommunicetur:* & ex eo quod habetur in cap. *Interrogo. 1. quæst. 1.* vbi ex Augustino refertur. *Interrogo vos fratres, dicite mihi, quid plus videtur vobis, Corpus Christi, an verbum Christi? Si vultis verè respondere, hoc dicere debetis, quod non sit minus Dei verbum quam Christi corpus. Et ideo quanta solicitudine obseruamus, quando nobis Christi corpus ministratur, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta solicitudine obseruemus, ne verbum Domini quod nobis erogatur, dum aliud, aut cogitamus, aut loquimur, de corde puro non pereat. Quia nõ minus erit reus, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui Corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit.* Hæc ibi. Eiusdem sententiæ fuisse S. Bernardinum testatur Rosel. *in verbo Dominica, nu. 5.* Quicquid tamen Angelus, & alij senserint; dicendum est, Missam, quæ præcepto Ecclesiæ audiri de-

ber, esse

bet esse sacræ diuini verbi auditioni anteponendã: nec enim ea, quę præcepta sunt prætermitti debent, vt ea, de quibus tantùm est datum cõsilium, obeamus, atque præstemus. In omittendo enim præcepto, cum id à nobis impleri potest, peccamus, in consilio verò omittendo non item. Obijcies: sæpè præcepta Ecclesiæ, & alia scripta iura prætermittuntur, vt quæ sunt nobis data consilia, seruemus. Sit exemplum: verba diuini concionatores à lege ieiunij eximuntur, vt Euangelium, & diuinum verbum commodè enuncient: Deinde vt ægroris inseruiamus, vt Sacramenta alijs ministremus, etiam cum id nulla lege facere, & exequi cogimur, tutò Missam omittimus: ergo nobis licet Missæ sacram concionem præponere propter multa commoda, & emolumenta quæ ex sacra concione capiuntur. Respondeo, non esse negandum, aliquando Ecclesiæ præcepta, ob communem aliorum salutem, pacem, & vtilitatem, aut necessitatem iure prætermitti: tum quia commune bonum priuato præfertur, tum etiam qui non est Ecclesiæ mens, nos ita seuerè, & arctè sibi obligare, vt cum graui, & notabili periculo, vel damno nostro, vel alieno eius mandata seruare debeamus. Hinc autem non efficitur, vt quis tuta conscientia possit consilium præcepto anteferre ob priuatum suum commodum. QVAERES, an prædicta Angeli, & aliorum sententia sit tanquam temeraria damnanda? Respondeo, esse aliquos, qui eam condemnent; alios verò qui improbent quidem, vt falsam, sed non tanquam temerariam: eo quod Auctores præfati minimè docere contenderint, præcepta simpliciter, & absolutè esse consilijs posthabenda, sed solùm quando eodem die festo Missa, & sacra concio simul audiri nequeunt, fas nobis esse Missam dimittere, vt sacram concionem audiamus. Quia non vult (inquiunt) vt piè credimus, Ecclesia, ad Missam audiendam nos suo præcepto compellere cum tanto damno, quanto afficeremur, si sacram concionem omittere cogeremur. Sed certè id nulla ratione, vel auctoritate confirmant: & ideo temerè meo iudicio loquuti esse videntur.

Vndecimò quæritur, An singuli Parochiani Dominicis, & festis diebus debeant aliquid deferre, quod in templo offerant inter audiendum Missæ sacrum? Respondeo, fuisse opinionem quorundam id affirmantium, ac probantium *ex cap. Omnis Christianus, de Consecra. distinct. 1.* vbi Gregorius Septimus sic ait: *Omnis Christianus procures ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam quod Deus per Mosen dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus*: Et 61. Quæst. 1. cap. statuimus, habetur sic: *Statuimus, vt si quis oblationes Ecclesiæ, vel decimas, quas populus dare debet, tenere contenderit, communione priuetur.* Item *distinct. 32. capit. Præter hoc*, Alexander Secundus; *Præcipientes*, inquit, *statuimus, vt decimæ, primitiæ, & oblationes, seu viuorum, seu mortuorum, Ecclesijs Dei fideliter reddantur*: Vnde colligunt, Parochianos posse cogi, vt aliquid offerant. Sic gloss. Hugo, cum quibusdam alijs *in cap. Omnis Christianus. de Consecrat. distinct. 1. & in cap. Statuimus 16. quæst. 1.* Hostiens. *in Rubric. de Paroch. §. 2.* Lapus *allegat. 58. num. 1. & 7.* Attamen communi sententia est receptum inter Theologos, Canonici iuris interpretes, & Summistas; non exstare huiusmodi præceptum, & hoc latè probat Gabriel, *super Canonem Missæ lect. 6.* & Antoninus *part. 3. Tit. 12. c. 11.* Abbas, & Anchar. *in Rubrica de Parochijs.* Angelus, Syluester, & alij *in verb. oblatio*: Quapropter S. Thomas *secunda secundæ q. 86. art. 1.* quem alij omnes sequuntur, docet, neminem offerre debere, nisi quatuor de causis: nimirum primò cum quis ratione census, pensionis, aut conuentionis antea factæ aliquid Ecclesiæ dare debet. Deinde cum quis testamento, vel donatione inter viuos est obligatus. Tertiò cùm Sacerdos indiget: nam minister Ecclesiæ ali, & sustentari debet. Quartò cùm alicubi est consuetudine introductum, vt in diebus Dominicis, & festis aliquid offeratur.

Verùm illud Quæstionem habet dubiam: An vbi talis fuerit consuetudo Parochiani cogi queant aliquid offerre, vt huiusmodi cõsuetudinem seruent? Angelus *oblatio num. 1.* censet non esse cogendos, quia in ijs, quæ gratis, & liberaliter donamus, aut facimus, consuetudo vim legis habere non potest: sed oblationes gratis, & liberaliter omnino fiunt: idcirco enim oblationes dicũtur, quia sponte quis offert, quod vult. Sed probandum magis est, quod docet Syluester *in verbo Decimæ quæst. 2.* cogendos esse Parochianos ad consuetudinem seruandam. Sic enim sentiunt, eodem teste Syluestro, Theologi, & iuris Pontificij consulti. Immo vt ait Panormitanus *in cap. Abolendæ de sepulturis*, Bartolum *in l. Priuileg. C. de sacrosanct. Eccles. secut*ª, vbi ciuitas solita est certum aliquid Ecclesiæ, vel eius ministris dare, & offerre, nequit illud statuto mutare; nisi constet oblationem esse introductam ad tempus: vt si consuetudine introductũ sit, vt Parochiani quotannis aliquid offerant causa templi extruendi, eo extructo, cõsuetudo finitur, ac desinit.

Duodecimò quæritur, An vi præcepti quisque debeat diebus Dominicis ac festis actum elicere, quo peccata, quæ admisit, detestetur, quo nimirum actu doleat se peccasse? Fuit opinio veterum quorundam Theologorum, cuique hisce diebus vi præcepti pœnitendum, & dolendum ex animo esse, quòd suis peccatis diuinam Maiestatem offenderit. Sic Angelus *in verbo Feriæ num. 41.* Verùm communis est aliorum sententia, nullum extare huiusmodi præceptum: quam sententiam probant, ac tuetur Caietanus *secunda secundæ quæst. 122. art. 4. & in summa, festorum violatio.* Sotus *lib. 2. de Iusti. quæst. 4. art. 4.* Rosella *Dominica nu. 2.* Syluester *Dominica q. 6. dicto. 4.* Nauar. *in Manuali cap. 13. num. 17.* Dices: prima sententia est tutior, ergo est amplectenda. Respondeo, vt alibi etiam dixi in pari materia, regulam esse iuris, in dubijs tutiorem partem esse eligendam: at in opinionibus, si quidem sint probabiles Doctorum testimonio communitæ, non semper tutiorem sententiam esse præferendã: ea enim aliquãdo minus èst certa, & vera.

Decimotertiò quæritur, An qui nullius lethalis peccati est conscius, vi, & ratione præcepti debeat elicere diebus Dominicis, & festis actum charitatis in Deum? Debere censet Scotus *in 3. dist. 27. art. 1. vers. Quantum ad secundum dico*, & Angelus *Feriæ numer. 4.* Tabiens. *charitas. nu. 20.* id similiter confitentur. Alij tamen supra citati auctores communi consensu tradiderunt, nullo nos præ-

cepto adigi ad id præstandum, nec vllum est argumentum validum, & firmum, quod nos id sentire conuincat.

Decimoquartò quæritur, An si quis diebus Dominicis Missam non audiat, vllo præcepto cogatur id supplere alijs precationibus ad Deum fusis? Fuêre nonnulli, qui id crediderint, nec longè absunt ab hac sententia Scotus 3. *dist. 9. q. 1. art. 2.* & Angelus *Feriæ num. 43.* At verò communis est opinio, nullum eiusmodi præceptũ extare; & ita est reuera sentiendum: nam certè qui secus opinantur, nulla firma ratione nituntur. Nauarr. *in Man. cap. 21. numer. 7.*

Decimoquintò quæritur, An si non sit alius Sacerdos, qui rem diuinam facere possit, nisi notorius Clerici percussor, aut is, qui est nominatim denunciatus tanquam excommunicatus, interdictus, aut suspensus, audire debeamus in Diebus Dominicis, & festis presbyterum notorium Clerici percussorem, aut excommunicatum, interdictum, vel suspensum, & nominatim denunciatum, & sacris operantem. Quæstio inde mouetur, quòd in hoc euẽtu, & casu, quo Ecclesiæ præcepta sibi inuicem occurunt; vnum, de re diuina audienda, alterum, de vitandis excommunicatis, interdictis, aut suspensis, & nominatim denunciatis. Respondeo, liberos nos tunc esse ab audiendo sacro, quoniam arctioris est vinculi præceptum de vitando excommunicatorum consortio, & conuictu, quàm præceptum de sacro audiendo, eo quod id iubeat Ecclesia ob communem eorum salutem, nempe vt hac pœna citius resipiscant & vt ad bonam vitæ frugem, vel pudore reuocentur.

Decimosextò quæritur, An fas sit audire rem diuinã cùm Sacerdos, qui eam facit, notoriè concubinam habet? Finge Titium Sacerdotem concubinarium notorium esse, & sacris nihilominus operari. Quæritur, an liceat nobis audire rem diuinam cùm is Sacerdos sacris operatur. Respondeo, *dist. 32. cap. Nullus.* Nicolaum Secundum ita statuisse. *Nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem.* Et *cap. sequenti, Præter hoc*, Alexander Secundus constituit: *Præcipiendo mandamus, vt nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam habere indubitanter.* Hæc iura confirmata sunt à Lucio Tertio *cap. Vestra, de Cohabitat. Clericor. & mulier.* vbi ait: *Sine dubitatione teneatis, quod à Clericis, & Presbyteris quanquam fornicarijs, quamdiu toleruntur, nec habent operis euidentiam licitè diuina mysteria audiantur.* Et à Gregorio Nono, *in cap. Quæsitum est, de cohabit. Clericorum, & mulierum*, vbi sic est. *Quæsitum est de Clericis in fornicationem prolapsis, si eorum sit officium, prius quam pœnituerint, audiendum, verùm suspensi non sunt quantum ad malos, nisi peccatum eiusmodi sit notorium per sententiam, seu propriam confessionem factam in iudicio, aut per euidẽtiam rei, quæ aliqua tergiversatione celari non potest.*

Hoc iure constituto, sunt duæ, vel tres quæstiones: Prima, An huiusmodi Sacerdos, in sacris, & diuinis esset omnino vitandus ante Constantiense Concilium? De hac re olim duæ fuerunt opiniones; nam quidam asserebant, eiusmodi Sacerdotem esse quidem vitandum, si crimen eius erat notorium per sententiam iudicis, vel propriam confessionem in iudicio; ac si tantùm erat notorium per euidentiam facti, non esse vitandum donec criminis condemnaretur, aut tanquam suspensus arceretur à sacris, aut legitimè monitus non resipuisset. Contra sentiebant alij, cum esse vitandum statim, atque delictum erat notorium per euidentiam facti. Et certè horum opinio magis cum iure supra citato conueniebat. Secunda Quæstio est, An eiusmodi Sacerdos sit vitandus in sacris post Constantiense Concilium tanquam ipso iure suspensus? Qui sentiunt, etiam post Constantiense Concilium vitãda esse duo genera excommunicatorum, & suspensorum, videlicet eorum qui sunt notorij excommunicati, aut suspensi, & eorum, qui sunt tanquam tales nominatim denunciati; similiter sentient eiusmodi Sacerdotem esse vitandum, quando eius crimen est notorium per euidentiam facti, cum sit ipso iure suspensus. At verò, quoniam, vt alio loco diximus, verior est sententia eorum, qui arbitrantur, post Constantiense Concilium tantum esse vitandos excommunicatos, & suspensos, qui sunt vel nominatim denunciati, vel notorij Clerici percussores: Consequens est, vt verius multo sit, quem dixi Sacerdotem, quamuis peccatum eius sit per euidentiam facti notorium, non esse vitandum, etiam in sacris, donec tanquam ipso iure suspensus denuncietur nominatim: fas ergo nobis est, eum audire sacris operantem, Sylvest. *verbo concubinarius. numer. 4.* Angelus *eodem verbo numer. 2. & verbo Clericus. 8. numer. 2.* Nec mireris, Nauarrum obscurè hanc quæstionem tractantem *in Manual. capit. 25. numer. 77. & 78.* quoniam ipse primam est sententiam secutus, & ideo in ea opinione videtur esse, vt putet omnino vitandum, quando delictum eius est euidentia facti notorium. Tertia quæstio est, Num liceat nobis prædictum Presbyterum inuitare, vt rem diuinam faciat si alius Sacerdos non sit, qui commodè sacris operari queat? Nauarrus loco citato respondet simpliciter, id nobis non licere facere, quoniam est iure suspensus, & nos perperam faceremus vna cum eo, si ipsum inuitaremus: ipse enim sacris operando delinquit. Verius autem est, vt docet Sotus, *4. dist. incl. 1. quæstion. 5. articul. 6. conclus. 6.* id licere facere, si ipse paratus sit ad rem diuinam faciendam, aut si ratione sui muneris, & officij sacrificare, & immolare debeat, vtpotè cui est animarum cura commissa, aut si nos lege aliqua vel præcepto debeamus rem diuinam audire: tunc enim iure nostro vtimur dum petimus ab eo, vt sacris operetur, nec rem per se malam postulamus. Alioqui verò nobis non licet eum inuitare ad sacrificandum. Si roges, quando nam Sacerdos notoriè concubinam habere intelligatur? Respondeo quando eam domi habet, & vna cum ea habitat, & ea tanquam vxore familiariter vtitur. Sed cur tam seuerè Ecclesia vetuit nobis, ne Sacerdotem concubinam notoriè habentem, & ad altare rem diuinam facientem audiamus? Respondeo causam fuisse, vt constat ex Sigonio *libr. 9. de regno Italiæ*, & Sigeberto, & Marian. Scoto *in Chronic. ann. 1075.* temporibus Nicolai Secundi, & Alexandri Secundi adeo sacri altaris ministri libidini indulgebant, vt permitterentur impunè concubinis, tanquam vxoribus vti: immò putarent, libere posse vxores se ducere

in matri-

in matrimonium. Ei ideo Nicolaus Secundus primum in Concilio centũ tredecim Episcoporum, & postea, Alexander Secundus in alio Concilio lege sanxerunt, ne quis eos sacros operantes audiret. Cautè, & prudenter legatur, quod scribit Sigebertus Monachus *in Chron. ann. 1074.* cum ait. *Gregorius VII. vxoratos Sacerdotes à diuino officio remouit, & Laicis Missam eorum audire interdixit nouo exemplo, & vt multis visum est inconsiderato iudicio contra SS. Patrum sententiam.* Sic ille. Sed certè primum Nicolaus II. & deinde Alexand. II. id ante statuerant, & Greg. VII. antecessorum Pontificum vestigia secutus confirmauit iustis de causis, vt ab eo peccati genere sacros homines deterrerent.

Cap. VIII.

DE SECVNDO ECCLESIAE PRAECEPTO,

Quo statutis certisque diebus ieiunium obseruare debemus.

DE Ieiunio tractat Sanctus Thomas *secunda secundæ q.147.* Theologi *in Quarto, Distinctione 15.q.3.ibidem* Durand.*q.9.10.* & 11. Palud.*q.4.* Maior. *q.3.4.5.* & 6. Gabriel *in 4. dist.16.q.13.* Medina *Tract. de Ieiunio per 13.quæstiones,* Couarruuias *lib. 4. variarum resolutionum cap. 20.* Antonin. *Part.2.Tit.6.cap.2.* Nauarr. *in Manuali cap.21.num.11.* & *sequentibus.* Gloss. *Dist.76.cap.Vinam,* & *Tit. de obseru. ieiunio.* & ibi Doctores. Summistæ *verbo ieiunium.*

Ne seorsum de Ecclesiæ præceptis agerem, visum mihi est, ea omnia hunc in locum redigere, vt eorum singula ad præsentem librum reuocentur, quoniam duobus superioribus libris de legibus tractauimus: tametsi iuxta aliorum sententiam ea ad tertium Decalogi præceptum cõmodè referantur; quarè sequitur, vt de ieiunio ab Ecclesia indicto disputẽ sicut hactenus differui de Missę sacrificio, quod iubente Ecclesia, diebus Dominicis, ac festis audire nos oportet. Est igitur secũdum Ecclesiæ præceptũ, vt certis quibusdam diebus ieiunium seruemus: sciendum est, in ieiunio quædam ciborum genera subtrahi. est autem ieiunium duplex vt docet S.Tho. *2.2.q.147. art. 6. ad 2.* vnum, quod dicitur Naturæ; alterũ Ecclesiæ. Primum est, quo tum à potu tum à cibo abstinemus. Is enim ieiunus est, & dicitur, qui nihil prorsus bibit, vel edit, quale ieiunũ Ecclesiæ etiam præcepto requiritur ad conficiendum Christi corpus, idemque suscipiendum. Ecclesiæ verò ieiunium est, quo non à potione, sed à cibo abstinemus: nec à cibo quidem in vniuersum, sed ab eo, qui tanquam cibus capitur, non tanquam medicamentum. Nec enim ieiunium Ecclesiæ soluit, qui medicamentum tuendæ incommodæ valetudinis gratia sumit, S.Thomas loco citato. Deinde est animaduertendum ieiunium, esse opus, & officium virtutis, quæ dicitur Abstinentia. Et duplex est huiusmodi ieiunium; vnum iuris naturalis, quod ratio nempè naturalis præscribit, quo corpori escam subtrahimus, vt animo imperanti commodius obtemperet, ac vt libidinis impetus refrenetur. Hoc ieiunium, nec numerum epulationum, nec ciborum qualitatem, aut quantitatem, nec edendi certum definitumq; tempus continet, sed prout ratio ipsa determinat. Alterum verò ieiunium est, quod iure aliquo scripto, vel voti religione, aut alterius iussu, & imperio, aut sponte, & voluntate suscipitur. His ita constitutis: Primò Quæritur quid nomine, ieiunium, intelligatur? Goss. ex quo cæteri Summistæ & can. iuris Interpretes acceperunt definit sic? *Ieiunium est prandij, & post cœnam cuiuslibet cibi subtractio vsq; ad diem sequentem; & abstinentia à carnibus, & ab ijs quæ à carnibus originem trahunt, vt à lacte, caseo, & ouis.* Sic ille. Definiuit ieiunium, quod suscipitur in quadraginta diebus proximè ante Pascha, iuxta ea, quæ de hoc ieiunio dicuntur *in c. Denique dist. 4.* Dixit: Subtractio prandij, & post cœnam, quia in diebus ieiuniorum, non prandetur, sed cœnatur, vt colligitur *ex c. litteras, de Tempor. Ord.*

Secundò quæritur, An ieiunij Ecclesiastici præceptum ita seruari debeat, vt qui illud soluerint, se lethali peccato cõmaculent? Caietanus *in summa, ieiunium capit. 4.* & *2.2.q.146.art.3.dub.2.* negat ex Canonico iure colligi huiusmodi legem ita nos tenere, & obstringere, vt lethalem culpã contrahamus: sed solùm, ait ex communi Doctorũ consensione, & Populi Christiani consuetudine intelligi, in lethale peccatum incurrere eum, qui hoc præceptum non seruat. Alij verò, è quibus est Ioan. Fontanus, vt aiunt Archidiaconus *cap. vnum Orarium, Dist. 25.* §. *Alias ea demũ*, & Geminianus *ibidem*; cuius sententiam nec probant, nec improbant, censent, solũ eos lethali peccato se obstringere, qui præceptũ ieiunij per contemptum prætermittunt, si ante solitam horam comedant, cæteros vero non item. Sed de hac sententia dicam inferius. Contemptum verò accipiunt expressum vel tacitum. Verum quis sit tacitus contemptus, non eodem modo explicant Auctores. Quidam, vt Richardus *Quodlibet. 1. qu. 19.* Angelus *verbo inobedientia, principio*, Tacitum vocant contemptum, quo quis assuetudine quadam, & vsu frequenti præceptum omittit: Nemo enim, inquiunt, frequenter ieiunium soluit, quin aliquando illud per cõtemptum infringat, ac violet. Calderi. *Decision. 1. de Consuetud.* generatim Contemptum, tacitum vocat, cum quis solo arbitratu, & nutu legem, vel Canonem violat; non tamen si prætermittat aliqua negligẽtia, cupiditate, aliaue animi affectione. ac si diceret; Is contemnit legem, vel Canonem tacitè, qui malitia, siue certa electione, non infirmitate, vel affectione animi constitutionem perfringit. Alij contemptum tacitum appellãt, quo quis absque iusta, & legitima causa, quod deberet seruare, ieiunium soluit: quæ mihi sententia magis probatur, & colligi videtur *ex cap. Ieiunia, de Consecrat. dist. 5.*

Ex communi itaque opinione Theologorum, & Canonici iuris interpretum, & Summistarum, ieiunij lege, & præcepto ita tenemur, vt si illud absque legitima causa soluamus, lethali peccato obstringamur. Sic concludit Panormitanus *in Rubrica de obseruat. ieiuniorum num. 11.* ex Archidiacono *dist. 76. cap. Vinam*, & Glossa *dist. 25. cap. vnum orarium* §. *Alias ea demum, ver. Ieiunantibus.* Sic Gabriel *in 4. dist. 16. q. 3. art. 1. nota. 3.* Palud. *ibidem q. 4. art. 1.* Et cæteri. Et Armilla *ieiunium num. 7.* testatur, hanc esse communem Doctorum sententiam, & Co-

uarruuias *lib.4.varia.resolu.cap.20.nu.10.* docet ieiuniorum Canones, & constitutiones, conscientias ita obligare, vt qui ieiunia indicta prætermittunt etiam citra vllum cõtemptũ, sed solùm quia nolunt ieiunia seruare, cum possunt, lethaliter peccent. Id probat *ex cap. Non licet, de Consecrat. distinct.3. cap. Non oportet, eadem distinctione cap. Quadrageſima, de consecr. distinct.5.* in quibus ponuntur verba significantia præceptum, & *Clement. Exiui, de verbor. significat.* Vbi Pontifex ait, Monachos propter ieiunia instituta Ordinis & Regulæ indicta, liberos non esse à ieiunijs Ecclesiasticis, quæ Christiani obseruare debent. *Clement. Ad nostrum de Hæretic.* damnatur error dicentium, viros perfectos ieiuniorum legibus non teneri.

Tertiò quæritur, Quot & quæ, Ieiunium ab Ecclesia imperatum requirat & postulet? Respondeo, cum Richardo *in 4. distinct.15. art.3. quæst.6.* & 7 Rosella *ieiunium nume.11.* Syluestro *ieiunium quæst.3.* Caietan. *in sum. ieiunium, & cæteris*, tria, vt minimũ, requirere. Nam circa numerum epulationũ, quibus corpus esca reficitur, primum exigit Ecclesia, vt semel tantùm in die ieiunij comedamus. Deinde ciborum delectũ postulat, quod ad qualitatem cibi pertinet: à certo enim ciborum genere abstinere debemus. Postremò, circa horam edendi, vult Ecclesia, vt certo tempore, & nõ ante prandeamus, seu potius cœnemus.

Quartò quæritur, An ieiunium soluatur sumpta vespertina refectiuncula, quæ noctu, siue appetente nocte, proximè ante somnum capta, naturam reficimus. Quidam aiunt, eam esse licitam, cum sumatur causa indigentiæ, & in modum medicinæ, non cibi, vel alimenti ad nutriendum, sed ne stomacho solus potus officiat: nam vt somnum capere, & dormire possimus, potu indigemus; potus verò si solitarius sumatur, solet potius stomacho obesse, quàm prodesse. Verùm dubiæ quęstionis est, an ea refectiuncula vespertina sit licita, etiamsi absque vlla somni, corporis vel naturæ necessitate sumatur? Negant nonnulli, ea ratione, quòd ieiunij præceptum deposcit, vt semel tantùm edamus, ergo si iusta non subsit necessitatis excusatio, nulla possumus refectiuncula vti. Idque cõfirmant auctoritate Caietani *2.2.q.147.art.6.* Paludani *in 4.dist.15.q.4.arti.4.* Antonini *secunda part.tit.6.cap.2.§.9.* Tabiensis *ieiunium num.3.* & potissimum S. Thomæ, *2.2.q.147. art.6.ad 2.* & 3. Cęterum verius mihi videntur sentire, qui eiusmodi refectiunculã absolutè & simpliciter esse licitam, arbitrãtur, tametsi indigentiæ excusationem non habeat: eam enim à peccato defendit ac liberat non somni vel naturæ necessitas, sed consuetudo recepta. Rosel. *Ieiunium num.13.* Syluest. *ieiunium.q.3.* Armil. *ieiunium.numer.1.* Nauarr. *in Manu.cap.21.num.13.* & 14. Caietan. *in sum. ieiunium.* Fateor quidem illam primò cœpisse causa somni capiendi, & idcirco etiam indigentiæ: more tamen & consuetudine est introductum, vt ea absolute & simpliciter vtamur. In ieiunijs sit quidem magnam vim habet consuetudo, qua videmus ieiunia olim seruari solita, ex toto, vel ex parte sublata. Potest igitur tuta conscientia absque violatione ieiunij quis ea refectiuncula vti, quamuis non indigeat, cum ea vtitur more cæterorum. Nec Auctores citati, ad oppositum probandũ, hoc oppugnant: solùm enim docere contendunt, eiusmodi refectiunculam non iure, sed sola consuetudine excusari, quando etiam in modum cibi ad nutriendum, & nõ solùm in modum medicinæ ad medendum naturæ sumitur, quòd nos etiam libenter fatemur, eam enim consuetudo introduxit, non ius concessit.

Quintò quæritur, An dicta refectiuncula excusationem det eo solùm, quòd modica est & exigua, sic enim parùm pro nihilo reputatur, an verò aliunde? Sunt qui velint, eam esse licitam primo modo: nam qui parùm cibi capit, non videtur edere; ergo etiamsi quis post prandium noctu parum cibi sumat, non est iudicandum, cum sæpius quàm semel ediſſe. Arbitror equidem, initio, quo cœpta est talis refectiuncula introduci, excusationem habuisse ex eius paruitate: nisi verò cum sit in more posita, non eo solùm quod modica, legitimam præbet excusationem à peccato, sed etiam quia de more sumitur: ita vt ipsa consuetudo eam iam licitam omnino reddiderit. Sic communis opinio. Olim cum in diebus ieiuniorum ad nonam cœnassent omnes, nulla vespertina refectiuncula vtebantur: sed postquam edere seu cœnare cœperunt ad sextam qui ieiunium seruabant, introducta est refectiuncula vespertina.

Sextò quæritur, An hæc refectiuncula sicut noctu sumi solita est, tutò quoque manè hora, qua cæteri prandent, sumatur, ita vt postea prandium ad noctem, vel ad vesperam differatur. Quidam affirmant nullo modo esse licitam matutinam refectiunculam nisi causa necessitatis in modum medicamenti: quoniam vespertina licita est vel causa indigentiæ, vel ratione consuetudinis: matutina autem refectiuncula, non ita est in vsu & more, quo modo vespertina; quare excusationem non dat, nisi tanquam medicamentum tuendæ incommodæ valetudinis causa sumatur. Caietanus *secunda secundæ, quæstion. 146. articul.6. in sum. verb. ieiunium, capit.1.* Nauarr. *cap. 21. numer.14.* Armill. *ieiunium.num.1. ad finem*, Syluest. *verb. ieiunium*, Rosell. *eodem verbo num.13.* Ledesma *in quarto. part.2. quæst.17. articul.5.* absolutè & simpliciter docent, fas non esse refectiũculam ex vespertino tempore in matutinum transferre: tum quia prandium anteuertimus, cum aliquid cibi ante meridiem capiamus: tum etiam quia consuetudine non est receptum, vt matutina vramur refectiuncula, benè tamen vespertina. Sed certè ij Auctores, propositæ quæstionis nodum soluisse minimè videntur: non enim explicarunt, quo modo matutinam refectiũculam accipiant, cum explicare tamen debuissent. Nos quidem certi iuris fatemur esse, non licere nobis vespertinam in matutinam mutare refectiunculam; si matutina intelligatur ea, quæ summo mane, vel multò ante horam prandij debitam, hoc est, longè ante meridiem sumatur: de hac enim in præsenti loco nos non agimus: sed quærimus, An, seruata lege ieiunij, refectiuncula, quæ de more sumitur noctu vel vespere, ex eo tempore ad meridiem, vel ad tempus paulò ante meridiẽ transferri queat, dilato & reiecto prandio in nocturnum tempus: de qua quæstione nihil Caietanus, Rosella, Armilla, Syluester,

Nauarrus

Nauarrus dixisse mihi videntur: quamuis id etiam eos negasse alij putent. Atque hæc quidem cõtrouersia non in eo cõsistit, An ea mutua prandij & refectiunculæ mutatio sine peccato fiat, cum iusta & legitima subest causa eius faciendę, & cum superioris auctoritate fit: nullus enim de hac re meritò vnquam dubitauit. An iusta scilicet auctoritate, & ex causa possemus ea vti tuta conscientia. Quare cum quis ob negociorum magnitudinẽ, ac multitudinẽ prandium differre cogitur, non peccat si is quidẽ ad meridiem, vel sub meridiem superioris auctoritate, cibi aliquid capiat, ne toto die ieiunus cũ graui damno valetudinis permaneat. Quærimus ergo, an ea mutatio etiam citra vllam necessitatem facta, ieiunium soluat? Quidam affirmant, eo quod vespertinam refectiunculam non ius, sed consuetudo excuset: sed contra ius introducta consuetudo restringenda est, non laxanda: ergo vespertina tantùm, non alia excusatur. At quibusdam alijs verisimile apparet, ea mutatione ieiunium minimè solui, cum nihil ea nec ex toto, nec ex parte substantiam ieiunij soluat. Nam ieiunium, vt nunc de more seruatur in Ecclesia, vnum prandium cum vna refectiuncula continet: at si ea refectiuncula ad meridiem, vel sub meridiem sumatur, dilato ad noctem, vel vesperam prandio, solùm tempus, non substantia ieiunij mutatur: Si verò longè ante meridiem sumeretur, sine dubio solueretur ieiunij lex, cum non solùm tempus, sed & substantia, videlicet quam lex ieiunij Ecclesiastici postulat, mutaretur. substantia enim ieiunij Ecclesiastici secundum Canones requirit, vt nihil in cibum ante horam consuetam, & debitam capiatur. Cæterùm prima sententia tutior & verior mihi videtur, quamuis aliquorum iudicio hæc secunda probabilis esse videatur, & auctorem habeant Iosephum Angles *de ieiunio q. 9. art. 2. difficultate quinta.*

Septimò quæritur, An dum refectiuncula vespertina de more sumitur, liceat pane vti, & vesci. Quidam negant sed solùm paucis fructibus arborum vel herbis volunt esse vtendum, aut alijs leuiusculis ciborum generibus: quod eiusmodi cibi & parum nutriant, nec tam ad nutriendam, quàm ad excitandã cibi appetitionem, vel ad sitim extinguendam sumi soleant: & ideo ante vel post cœnam aut prandium capiuntur. Panis verò sumitur potissimum ad nutriendum, & famem sedandam: quare sumendus non est, nisi vbi fructus defuerint, vel soli nocuerint: verùm, testibus Nauarro *in Manuali cap. 21. num. 13.* Armill. *Ieiunium num. 1.* Caiet. *in Sum. Ieiunium c. 1.* communi iam vsu receptum est, vt parum panis etiam edatur, vel seorsum solum, vel vna cum fructibus, herbis, vel alijs cibis leuioribus, cuiusmodi sunt ficꝰ, vua passa, nuces, pira, poma, vel alia ex saccharo, vel melle confecta, vel piscículus paruulus: nam cõsuetudini est in hac parte standum: quamuis olim fortasse soli fructus comedi cœperint. Et cum fructus soli per se sumpti multis nocerent; panis etiam cœptus est adhiberi. Quisque id ex his sumat, quod sibi est vtile. Caietanus *in Summa*; tantum ne modum & morem solitum excedat.

Octauò quæritur, An vespertina refectiuncula certa, & definita cibi quantitate, & qualitate constare debeat? Respondeo, debere; alioqui in cœnam transiret: quare solùm edi possunt quæ ante vel post prandium, aut cœnam aliàs sumi solent, quales sunt fructus arborum, herbæ, & alij quidam fructus leuiores sumi soliti, ea tantùm ratione, ne stomacho potus officiat, & in quãtitate, quæ modica censeatur, qualis est panis quantitas quę trium vnciarum, vel quatuor est. Vt proinde corruptela sit, si ij cibi sumantur, qui potissimum ad nutriendum valent, qualia sunt legumina, & pisces. Vnde qui ijs, dum refectiũculam capit vespertinam, vtitur, cœnat proculdubio, & ieiunium soluit. Deinde certa & definita quantitas fructuum, herbarum ve, aut aliorum ciborum leuiorum debet esse, ita vt modica sit: quod si secus fiat, potius cœna ad nutriendum erit, & ad famem extinguendam, quàm refectiuncula ad sitim sedandam, & somnum commodius capiendum, & naturam aliqua ex parte sustentandam. Hæc tamen quantitas cibi pro varietate locorum, & personarum, maior aliquantulo aut minor esse potest, sunt enim regiones aliæ alijs frigidiores, calidioresue, & personarum aliæ prouectioris, & grandioris ætatis; aliæ infirmioris; aliæ itidem maiore opera, & labore diuturno fatigatæ, aliæ minore. Quæres an tuta conscientia vti possimus duobus, tribusue fructuum generibus? Respondeo, ea varietate refectiunculam in cœnam minimè mutari; dummodo tamen parua quantitate vnumquodque eorum fructuum genus constet, ita vt duo triaue genera eam quantitatem non excedant, qua vnum genus constaret, si vno tantùm fructus genere vteremur. Rogabis etiam, an pro varietate temporis vel loci citra peccatum, maior minorue refectiuncula sumi queat? Respondeo, id aliquando sine peccato fieri, quando est in more communiter recepto positum. Nam in peruigilio Natalis dominici vbique fere est consuetudine introductum, vt duplo maior solito refectiuncula sit: ea autem consuetudo induci cœpta est in Ecclesia, quia omnes ea nocte vigilabant, & in templo Diuinis officijs intererant. Idem in ris est de peruigilio Paschatis, vbi fuerit vsu communi receptum, vt refectiuncula tunc paulò maior solito sumatur. Et teste Maiore. *4. d. 15. quæstion. 5.* Britanni maiore refectiuncula vti solent, quam Galli. Quæres insuper, an liceat aliquid iurulenti forbendo sumere loco refectiunculæ vespertinæ? Respondeo, fas esse sumere, dummodo insculum cum aliquo cibo in diebus ieiuniorum vetito coctum nõ sit, sed tantùm vel cum pane, vel cum fructibus, aut herbis: & dummodo etiam ea refectiuncula tam modicè, & parcè sumatur, vt in cœnam non transeat; alioqui transitura, si vna cum ea & alia sumerentur. Sed Rogabit aliquis, num iustam habeant viri nobiles excusationem vtentes refectiuncula vespertina maiori ea, qua ceteri vtuntur? Profecto, si modum non excedant, cutò vti possunt paulo maiori; tum quia eos consuetudo excusat; tum etiam quia solent esse debilioris valetudinis, & assueti delicatioribus, & pluribus epulis. Pari ratione in curia Romana, & Pontificia solet refectiuncula sumi paulò maior, & eam Caietanus *in*

Summa, verbo, ieiunium capite primo, non improbat, Armil. *ieiunium num.* 12. Sic etiam paulo maior est refectiuncula, qua vti solent profani homines, quàm sit ea, qua vtuntur Monachi, & reliqui Religiosi viri.

Caput IX.

An ieiuniorum diebus semel tantùm comedendum.

PRIMO quæritur, An sit iure cautum, ne in die ieiunij sæpius quàm semel tantummodo comedatur. Quidam arbitrantur, id nullo iure esse constitutum, sed tantùm consuetudine, & vsu introductum. Innocent. *in cap. 1. de Obseruation. ieiunior.* Consuetudine, ait, semel tantum in diebus ieiuniorum, edimus. vbi nihil de iure dixit. Panormitanus *in Rubric. de Obseruat. ieiunior.* primò videtur asserere id esse iure cautum. Nam *in c. Quadragesima de consecra. distinct. 5. Dies dominici*, inquit, in Quadragesima sunt à ieiunijs subtracti: in cæteris verò Quadragesimæ diebus ieiunium seruamus. Sed hæc, ait Panormit. differentia non est, nisi quia in Dominicis diebus nō semel tantùm comedimus, cum tamen non alijs cibis, præterquam Quadragenario ieiunio conuenientibus vtamur. Ergo in ceteris diebus ideo ieiunium seruamus, quia semel tantum edimus: ac proinde dominici dies in Quadragesima non qualitate ciborum, sed numero epulationum à ceteris secernuntur. Enimuerò hoc Panormitani argumentum, vt Gabriel *in 4. distinct. 16. quæst. 3. art. 3. dub. 1.* animaduertit, satis firmum non est: quia poterat esse horum dierum discrimen, quod in diebus Dominicis Quadragesimæ liberum fuisset cuique, toties pisces edere, quoties voluisset, in alijs verò diebus non item, sed bis tantummodo: aut fortè, quòd tunc videlicet diebus Dominicis carnes ederentur, non autem in alijs diebus. Quare probabilius alij plerique tradiderunt, vt Syluester *verb. Ieiunium quæstio. 3.* expressim quidem iure communi canonico cautum non esse, vt in diebus ieiuniorum semel tantum comedatur; consuetudo tamen, quæ est optima legum interpres, habet, vt in die ieiunij, prandere non liceat, sed tantum cœnare. Quare verum est id, quod Innocentius, & Abbas annotarunt, vt qui vrbanitatis, & honoris gratia cibos præguſtant dominis ac Principibus ad mensam apponendos, ieiunium non soluant: sicut nec ij, qui necessitatis vtilitatisue causa idē præstant officium, cum ægrotis inseruiunt: ne cibi illis minus benè & aptè parati ministrentur: Item ij, qui parum cibi capiunt ante prandium, vt inter prandendum interim dum ceteri pascuntur escis, aliquid de more, intenta, & clara voce legant: potius enim id tantillum ad medendum necessitati, quàm ad nutriendum corpus sumitur. Quærat aliquis, an qui ex vrbanitate quadam, vt non rarò euenit, vel rogatus ab amico cibi aliquid capit, ieiunium violet? Refert Medina *in sua Institutione confessor. lib. 1. cap. 14. §. 10.* Franciscum Victoriam sensisse, absque vllo peccato id fieri posse, cui ipse quoque assensit. Neque quæstio est de eo, qui modicum quid sumit ad se reficiendum, ac proinde cum pro nihilo habeatur, lethalem culpam contrahere minimè creditur: sed quæritur an saltem in venialem culpam incidat, qui solum amici causa cibum modicum sumit, ne inurbane esse videatur. Mihi verius videtur, eum veniali culpa minimè liberari; nisi per ignorantiam obliuionemue bona fide id faceret. neque enim iusta alioqui est, & legitima peccati excusatio, si causa amici ieiunium ex parte soluas, & pecces leuiter. Palud. *in 4. d. 15. q. 4. ar. 2.* Et ibidem Richar. *q. 3. art. 4.* Antonin. *2. Par. tit. 6. cap. 2. §. 6.* Caiet. *2. 2. q. 147. art. 3. & in Sum. Ieiunium* Syluest. *eod. verbo. qu. 3.* Nauarr. *in Man. cap. 21. nu. 13.* Sed quid de eo iudicandum, qui dum prandet, vocatus ab aliquo, surgit à mensa, & prandium intermittit, ac deinde resumit, ieiunium ne infringit? Respondeo, vnicum id prādium iudicari, quoties quis illud intermittit animo, & voluntate statim resumendi; dummodo tamen magnum, & notabile temporis spatium non sit interiectū. Fit enim intermissio causa negotij subitò occurrentis. Caiet. *in summa, ieiunium. cap. 1.* Si quæras, quanta interruptio temporis impedit, ne vnica epulatio censeatur. Respondet Mai. *4. d. 15. q. 3. §. contra conclus.* id arbitrio boni viri iudicandū esse. habē da est ratio negotij, ob quod interrumpitur prandium, & temporis, & loci, & animi etiam quo à prandio desistimus illud repetituri, aut non amplius ad id redituri.

Secundò quæritur, An qui ieiunij præceptum perrumpit, eo quod secundò comederit, toties deinde peccet, quoties eo die post secundam cibi sumptionem comederit? Idem est ac si quæratur, An si tertio, quarto, & quinto edat, denuo sepeccato commaculet? Duæ sunt opiniones, quarū vna affirmat, eamque tuetur Ioannes è Neapoli oriundus. Maior. *in 4. distinct. 15. quæst. 6.* Medina *tract. de ieiunio q. 5.* Couarru. *lib. 4. varia. resolu. ca. 20. num. 13.* quorum prima, & præcipua hæc est ratio, quòd ieiunij præceptum inter ea computatur, quæ aliquid fieri prohibent. Nam idem est præcipere, vt semel tantùm in die comedas; ac prohibere, ne sæpius quàm semel edas: sed quæ hoc modo præcepta sunt semper seruari debent. Ergo sicut non solùm peccat qui primum furtum, vel adulterium admittat, sed etiam qui secundum, tertium, & sic deinceps: ita etiam non solùm legem ieiunij perfringit, qui secundò comedit, sed etiam qui tertiò, quartò, & deinceps. Deinde qui post votum perpetuæ continentię matrimonium contrahit, toties peccat, quoties coniugale debitum exigit: & qui certo die se non bibiturum vinum, aut non esurum carnes promittit, toties delinquit, quoties eo die aut vinū bibit, aut carnes edit. Item, sacerdos, qui citra facultatem sibi datam, & iustam causam sæpius eodem die rem diuinam facit, tot peccata committit, quot sacrificia post primum facit, & offert. ergo pari etiam ratione toties quis se peccato obstringit, quoties post primam refectionem, vtitur alia. Postremò sicut lex ieiunij prohibet carnibus vesci, sic etiam sæpius quàm semel edere: ergo quemadmodum toties legem ieiunij labefactat, quoties quis in Quadragenarij ieiunij die carnes edit, aut oua, butyrum, aut caseum: eodem modo toties quis ieiunium soluit, quoties comedit postquam semel corpus cibo refecit.

Secunda sententia docet ieiunium minimè violari, nisi cum secundò quis edit. Sic Durandus

in 4. dist. 15. q. 11. Palud. ibidem q. 4. art. 5. Gabriel in 4. dist. 16. q. 3. ar. 3. dub. 5. Caiet. secunda secundæ, quæst. 146. ar. 8. Angel. Ieiunium q. 22. Sylu. ieiunium quæst. 8. vers. quartum. Rosel. Ieiunium num. 4. Tabien. Ieiunium q. 9. ex Antonino Part. 2. tit. 6. cap. 2. §. 9. Sic Armil. Ieiunium nu. 14. Nauar. ca. 21. nu. 15. quam sententiam his illi argumentis confirmant. Primum est: Si cui præceptum esset, ne vas aliquod frangeret, aut ne præfixam metam transiliret: vbi vas semel confregerit, aut præfixam sibi transierit metam, eodem recidit, an in multas partes cõminuat, an in paucas: multis passibus ne, an paucis limitẽ constitutum præteruolet. At qui secundò edit, & qui vas semel frangit, amplius ieiunium, aut vas integrum seruare non potest, ergo etiam si tertio, & quartò comedat quis, minimè ieiunium soluit. Deinde ieiunij lex pœnam continet, at eiusmodi leges restringi solent in iure, & mitius intelligi, & explicari, ergo vis illius legis ad quamlibet cibi sumptionem protendenda non est. Præterea, si Titio præceptum datum esset, ne Caium percuteret, certa pœna constituta nisi pareret, is eam vnam semel tantùm pœnam subire cogeretur, et iamsi secundò, tertiò, & quartò percuteret. Et l. si duo. §. vlt. ff. de Arbitris. Qui promisit se sententiæ arbitri obtemperaturum, certa pœna irrogata, si non pareat, primò non obtemperans, in pœnam incidit, non amplius. Ad extremum, cum Ecclesia præcipit, ne in ieiunij die amplius quàm semel edamus, nihil aliud præcipere creditur, nisi, ne bis comedamus; perinde ac si Titio præceptum esset, ne certum põtem, vno passu transiliret, peccaret quidem primo passu, non tamen secundo, aut tertio iterum transiliens. Sunt qui huius controuersiæ solutionem putent ex legislatoris mente, nõ ex argumentis peti oportere. Si Ecclesia, inquiunt, cum ieiunium indicit, prohibet non solùm secundam, sed tertiam etiam & quartam cibi sumptionem, tunc alia quælibet à secunda, culpæ tribuitur. Si verò id vnum à nobis Ecclesia requirat, vt semel tantùm comedamus, secunda cibi sumptio sola est in vitio, & in culpa. Cæterùm id est, quod nos quærimus: nam de Legislatoris mente disquiritur, num hoc, num illud voluerit, cum præcipit, vt in die ieiunij semel, nõ sæpiùs comedamus.

Ego probabiliorem iudico secundam sententiam, tum quia benignior & mitior est: tum quòd magis communi consuetudini consentanea esse videatur. Nemo enim, dum se violasse legem ieiunij cõfitetur, apud sacerdotem, interrogari solet, ter ne, an quater, an bis tantùm illo die cibum sumpserit; cum tamen alioqui perquirendum foret, si singulæ corporis refectiones culpæ, & vitio tribuerentur.

Argumenta verò oppositæ opinionis facili negotio diluuntur. Etenim præcepta Decalogi, quæ aliquid fieri prohibent, id vetant quod est per se malum: quare toties peccatur, quoties id mali committitur. Rursus votum non bibendi vinum, vel non accedendi ad fœminam, & præceptum nõ amplius quàm semel in die sacrificandi Deo, absolute & simpliciter negationem continet: at ieiunij præceptum in die semel tantùm edendi, negationem quidem habet, non simpliciter, sed finitam & certam, ne scilicet bis comedamus.

Tertiò quæritur, An qui est lege ieiunij per Põtificis priuilegium ex parte solutus, nimirum, vt in die ieiunij amplius quam semel comedat, eo ipso sit ex toto solutus lege ieiunij, ita vt tuta cõscientia possit sæpius quam bis edere cibos, quibus vti solemus in ieiuniorum diebus. Duplex est opinio, vna affirmat, altera negat. Primam sequuntur Caietanus 2. 2. quæst. 146. art. 7. versicul. in eodem articulo, in responsione ad vltimum. Nauar. in Man. capit. 21. num. 22. & alij, qui, vt vidimus in superiori quæstione, tradiderunt in secunda tantùm cibi sumptione peccatum admitti, non in alijs. Quo fit, vt si Titio sit priuilegium datum, vt in die ieiunij bis edat, eo ipso sit ei liberum tertiò, quartò, & sæpius, si voluerit, comedere. Medina verò Tract. de Ieiunio quæstion. 5. & alij secundæ opinionis auctores, qui senserunt, non solùm secunda cibi sumptione, sed etiam tertia, & quarta ieiunium violari, censent quoque, si cui sit concessa facultas amplius quidem, quàm semel edendi, posse quidem tuta conscientia secundò comedere, non tamen tertiò, & quartò, & quoties voluerit: quoniam tametsi beneficio Pontificis bis comedere queat, adhuc tamen potest ieiunium seruare, à cibis tertiò abstinendo. Sciendum est, vnam esse omnium sententiam, si cui potestas à Romano Pontifice facta sit, sæpius quam semel edendi in die Quadragenarij ieiunij, non continuò illi esse concessum, vt carnibus vescatur, aut ouis, & alijs, quæ originem trahunt à carnibus: & proinde talis solutus est lege ieiunij, quod attinet ad numerum epulationum, non quòd ad qualitatem ciborum. Nam similiter in diebus Dominicis Quadragesimæ prandemus, & cœnamus, at non nisi piscibus vtimur. Eodem quoque tempore rustici ac ceteri opifices laborantes, iure bis aut ter quotidie comedunt, sed non nisi cibos iure permissos. Quæstio igitur in eo versatur, An qui auctoritate Pontificij priuilegij potest non tantùm semel edere, videlicet cibos iure concessos, possit eo ipso ter, & quater absque vlla ieiunij violatione comedere? Et in hoc præfatæ sententiæ dissentiunt. Et prima videtur esse probabilior, quia, vt superiori quæstione iam dixi, verisimilius opinantur, qui censent ieiunij legem secunda tantùm cibi, scilicet piscium sumptione violari, non tertia. Et communis vsus hoc habet, vt is, cui conceditur legitima auctoritate, vt possit amplius quàm semel cibos iure permissos edere, intelligatur ieiunij præcepto solutus, hoc sensu, vt etiam tertiò, & quartò eisdem cibis vti queat, dummodo non vescatur escis in diebus quadragenarij ieiunij prohibitis: vnde qui die Dominico ter, aut quater comederet pisces, contra ieiunij legem non ageret. Sic etiam opifices, qui ob laborem diurnum ieiunij lege, & præcepto liberi ac soluti sunt, quamuis ter, aut quater piscibus vescantur, nihil contra ieiunij mandatum faciunt: ergo quamuis piscibus vescamur, si tamen prandemus, & cœnamus, ieiunium non agimus, alioqui enim ieiunium etiam in diebus Dominicis seruare diceremur, in quibus bis pisces edimus.

(:)

Caput X.

De genere, & qualitate ciborum, quibus in Ieiuniorum diebus vti licet.

PRIMO quæritur, An solùm carnes Ecclesiastico præcepto in diebus ieiuniorum prohibeantur, An verò etiam lac, butyrum, caseus, & oua, ac cætera, quæ ex carnibus originem trahũt? Respõdeo, ex communi omnium sententia in ieiunio Quadragesimæ carnium, & ceterorum ex carne originem ducentium, vsum nobis interdici. Nam *cap. Denique dist. 4.* Gregorius scribens Augustino Anglorum Episcopo sic ait: *Par autem est, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam trahunt originem carnis, ieiunemus, à lacte videlicet, caseo, & ouis.* Hæc ibi. item, cum Quadragesimæ tempore Christiani in Armenia, sabbatis, & Dominicis diebus vescerẽtur ouis, & butyro; Sexta Synodus Constantinopolitana sub Imperatore Iustiniano celebrata in Trullo, lege sanxit *in Canone 56.* Vt si quis oua, caseum, aut butyrum comedisset, quæ sunt fœtus, & fructus eorum, à quib⁹ abstinemus in Quadragesima, Clericus deponeretur, & Laicus à communione arceretur. In ceteris ieiuniorum diebus lege cautum est ne carnes edantur: sed nihil est expressum cõstitutum de ijs cibis, qui ducunt originem ex carne; quare in his, mos gentis, ciuitatis, vel populi seruari debet. In quibusdam enim locis de more butyrum editur; in alijs, lac, & oua; in quibusdam tum ab his, tum à carnibus abstinetur. S. Thomas *secunda secundæ, quæst. 147. ar. 8.* ad tertium cuius sentẽtia est communi consensu recepta. Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. ar. 4.* Richar. *4. dist. 15. q. 3. q. 5. & 7.* Duran. *in 4. distinct. 15. q. 9.* Angelus *Ieiunium nu. 5.* Sylues. *eod. verb. quæst. 5.* Ergo iuxta communem sententiam in alijs ieiuniorum diebus, præterquam ieiunij quadragenarij, iure communi permittitur vsus ouorum, lactis, casei, nisi cõtrarium cõsuetudo gentis, vel populi seruet. Male Abbas *in Rubri. de obseruat. ieiunio.* teste Couarruuia *lib. 4. variarum resolu. ca. 20. nu. 15.* ad finem, hanc communem sententiam interpretatur, cum ait. In alijs ieiuniorum diebus posse nos vti his cibis, si id fuerit vsu receptum quasi tunc etiam hi cibi iure vetentur.

Secundò quæritur, An eo ipso quod Canone aut lege interdicitur alicui esus carnium, intelligatur esse prohibitus esus lactis, ouorum, butyri, & ceterorum, quæ à carne originem trahũt? Quidam aiunt esse prohibitum. Sic Couar. *libr. 4. varia. resol. cap. 20. num. 15.* & alij: quod probant *ex cap. Denique distinctio. 4.* & *cap. presbyter distinct. 82.* vbi ex hoc, quod prohibetur vsus carnium, colligitur prohiberi vsum ouorum, lactis, & aliorum huiusmodi. Alij contra negant, è quibus est Paludanus *in 4. distinct. 15. quæst. 4. art. 4. concl. 2.* inde comprobantes; Primùm, quòd feria sexta, & Sabbato per annum interdictus est vsus carnium, non tamen ouorum, & lactis. Deinde in peruigilijs Apostolorum, & Quatuor Ieiuniorum Temporibus prohibitus est esus carnium, non tamen aliorum ciborum: & vsu, & more multis in locis ac prouincijs oua, butyrum, & alia similia comedũduntur. Accedit, quod pœnæ legibus irrogatæ restringi debent. Adde his, quod si, quod maius est, lex prohiber, non continuo sequitur, vt veret etiam quod minus est, nisi id expresserit, *vt expressum est in c. Denique dist. 4. & c. Presbyter, dist. 82.* Forte sic, quidam inquiunt, hæ duæ sententiæ non ineptè conciliari queunt: Et prima locũ habet, vt, quando esus carnium est lege aut Canone interdictus, sit quoque prohibitus esus ouorum, & similium: nisi vsu & more, esus ouorum, & aliorum huiusmodi permittatur, vt permittitur in feria sexta & sabbato, & in peruigilijs Apostolorum. Quando verò esus carnium solùm consuetudine prohibetur, non eo ipso prohibitus est esus ouorum, & similium: nam consuetudo vnum vetat, aliud non itẽ. Mihi tamen simpliciter, & absolute probabilior videtur opinio secunda, quippe quæ firmioribus est argumentis, & rationibus suffulta. Si quæras, An cui in die ieiunij interdictum est esu ouorum, interdictum intelligatur vsu carnũ. Respondeo intelligi. Sylu. *ieiunium q. 10. nu. 27.* vnde is, qui votum fecit de ouis non edendis in sexta feria, votum fecisse videtur de abstinẽdo à carnibus, & proinde licitè nequit carnes edere, cum inciderit Dominicus Natalis in sextam feriam, in qua alijs licitum est carnes comedere iuxta id, quod habetur *in cap. vlt. de obseru. ieiun.* Hoc autem locum habet in hunc modum, quando is qui vouit, in animo habebat, se priuare esu carnium in sexta feria, aut id deliberasset, si in mentem occurrisset. Secus vere est si solum voluit abstinere se non à carnibus, sed tantum ab ouis: votum enim nõ extenditur vltra vouentis propositum. Quid indicandum de eo, qui nihil cogitauit, cum vouit, aut non meminit, quid cogitauerit? Respõdeo, tuto posse nos benignè votum interpretari, & ei dicere, non esse obligatũ voto de non edendis carnibus, sed solùm de abstinendo ab ouis: nam si tale quid memoriæ occurrisset, sic solùm vouisset. Sylu. *loco citato.* Quæres itidem quid dicendum, cum Titius vouit se certo die ieiunium seruaturum, aut cum ieiunio iussu sacerdotis iuncto vacare debet, aut ieiunia Romani Pontificis Iubileum concedentis auctoritate indicta, obseruanda curat, an continere se debeat non solùm à carnibus, sed etiam ab ouis, lacte, & cæteris, quę carnium sunt veluti fœtus, & fructus; An potius satis sit, si ab esu carnium abstineat? Respondeo, huiusmodi ieiunia seruari debere eo ritu, & more, quo iuxta populi, ciuitatis, vel gentis consuetudinem seruantur Ieiunia cetera Ecclesiastica, quæ in Quatuor Temporibus anni, & in peruigilijs Sanctorum dierum festorum coli, & celebrari solẽt: probabiliter enim creditur, ea sic iniũgi, & imperari indici, aut voueri & promitti, vt sunt in more posita. Paludanus loco citato ait: Cum imperatum est ieiunium simpliciter, præceptum implet ac seruat, si quis solùm à carnibus abstineat.

Tertiò quæritur: An cui est priuilegium concessum siue data facultas consulto medico, vt in die ieiunij carnibus vescatur, eo ipso sit in totum ieiunij lege siue præcepto solutus? Duæ sunt opiniones, vna eorum qui affirmant; Gabrielis *in 4. distinct. 16. quæst. 3. ari. 3. dub. 1 6. De secundo quo frangitur ieiunium*, Palacij *4. distin. 15. disp. 8. concl. 6.* Medicæ in

sua Instruct. *Confesso. lib.1.cap.14.§.10.* Caietani 2.2. *q.147.art.7.in responsione ad vltimum dubium*, & *art.8.* Cordubensis *in Sum.casuum q.142.* Et aliorum quorundam iuniorum, eo præcipuè nitentium argumento, quod subtractio carnium, ad naturam, & rationem ieiunij Ecclesiastici pertinere videatur: ergo si quis carnibus vtatur, ieiuniũ non seruat. Altera est sententia eorum qui negant, scilicet Medinæ *Tract.de Ieiunio q.5.dub.1.ad finẽ*, Nauarri *in Manuali c.21.num.22.* Quorum ratio hæc est: Sicut is cui cõceditur facultas edendi caseum, lac, butyrum, & cetera, quæ cum carne cognationem habent, lege ieiunij non soluitur; sic etiam si cui cõceditur libera potestas comedendi carnes, adhuc præcepto, siue lege ieiunij tenetur. Quod si quæras ab illis, quo pacto is ieiuniũ seruare possit, ac debeat? Respondent, eum oportere semel tantùm carnibus vesci; quod si secundo eas edat, soluet ieiunij legem. Quare concludunt, etiam quandocunque fit potestas alicui comedendi carnes extra morbi necessitatẽ vrgentem, ob incommodam, & imbecillam valetudinem, vt fieri solet Medici consilio, illa dari videtur, vt semel tantùm eas edat. Si roges deinde, quidnam ad naturam & rationem ieiunij Ecclesiastici pertineat? Respondet Caietan. *2.2.q.147.artic.7.vers. In eodem articulo, in responsione ad vltimum*, Quatuor ad ieiunium Ecclesiasticum præsertim Quadragenarium attinere; vnicam cibi sumptionem, id est, vt semel tantùm edamus; & quod attinet ad certam ciborum qualitatem, vt à carnibus scilicet, & ijs quæ originem trahunt à carnibus, ouis, lacte, caseo, abstineamus: & quod pertinet ad certam horam edendi, vt ad meridiem, vel sub meridiem, aut post meridiem comedamus. Ex his quatuor, inquit ille, duo prima, nempe vnica tantum epulatio, & subtractio carnium ad naturam, & rationem ieiunij spectat, & proinde secunda cibi sumptio, aut carnium vsus prorsus ieiunium tollit. Duo verò postrema, reiectio eorum, quæ veniũt ex carnibus, & meridiana, aut postmeridiana corporis refectio; in præcepto quidem ieiunij continentur, sed ad illius naturam, & rationem non pertinent. Et ideo si cui Romanus Pont. potestatem faciat longe ante meridiem edendi, vel ouis, lacte, caseo, & butyro vtendi, ieiunij legem seruare debet: vult dicere, nõ ei liberum est plus quam semel comedere; secus ieiunium violat. Idque Caieta. demonstrat ex eo, quod ieiunij natura, & ratio in aliquo, aut pluribus consistit: alioqui nihil certi statuitur, quod ieiunij natura & rationem constituat, & erit ieiunium res quædam natura & ratione carens; quod dici non potest, & cum hoc vnum, ex quo ieiunij natura constat, non sit subtractio eorũ quæ ex carne gignuntur, aut fiunt, nec fit meridiana, aut post meridiana refectio corporis: consequitur vt sit vnitas epulationis, & subtractio carnium. Cæteri tamen auctores, quos nominaui, hanc Caietani sententiam improbant, dicentes id, quod præcepto Ecclesiæ in ieiunio seruari debet, ad naturam quoque & rationem ieiunij pertinere: & ieiunij Ecclesiastici rationem in ijs omnibus cõsistere, quæ Lex Ecclesiastica præscribit, & seruare iubet. Quę cum plura sint, conficitur inde, vt si priuilegium concedatur alicui, vt vnum ex illis non seruet, reliqua seruare debeat. Neque enim qui ab vna lege priuilegio Principis soluitur, ab alijs continuò legibus eximitur: quod si lex plura præscribat, & imperet, non qui liberatur ab vno eorum aliquo, confestim ab alijs excipitur. Postremò, cur magis vnica tantum cibi sumptio, & reiectio carnium, ieiunij naturam & rationẽ constituunt, quàm subtractio, & depulsio eorum quæ generãtur & fiunt ex carnib⁹, & meridiana aut post meridiana corporis refectio? siquidem omnia hæc, lex Ecclesiastica præcipit: præsertim cum sit etiam probabilis multorum opinio, vt superius dictum est, si cui libera fiat potestas edendi amplius, quàm semel, aut vescendi carnibus, non eo ipso datam esse facultatem comedendi quoties vult, nimirum tertio, quarto, ac sæpius.

Arbitror igitur in hac re dicendum, eum, cui auctoritate priuilegij liberum est carnes edere, solutum esse lege ieiunij: tum quia tametsi in ieiunio Quadragenario præcipitur, vt abstineamus ab ouis, & alijs quæ originem trahunt à carnibus, & ne edendo certam horam anteuertamus, at ieiunij substantia, & natura in duobus tantum meo iudicio consistit, videlicet, vt abstineamus à carnibus, & vt semel tantum edamus: tum etiam quia vsus & consuetudo communis id habere videatur: is enim, cui tale priuilegium hoc est, esus carnium conceditur, non solùm prandere, sed etiam cœnare solet: nec cum sua peccata Sacerdoti confitetur, hoc confiteri consueuit, quod sæpius quam semel in die ieiunij comederit. Nec tamen idem iuris est in eo, cui libera facultas conceditur edendi ea, quæ ex carne procreantur, aut comedendi ante consuetam horam: nam vsu & consuetudine etiam receptum est, vt is non in totum sit lege ieiunij solutus. Nec enim licet ei carnibus vti, siue vesci, nec amplius, quàm semel se cibo reficere, nec meridianam horam longius præuenire.

Quartò quæritur, An cui sit potestas, vt in diebus Quadragenarij oua comedat, tutò possit vti caseo, lacte, butyro? Negant quidam eum posse ob eam rationem, quod Principis priuilegium, quando iuri communi derogat, strictiùs, ac pressiùs interpretari debemus: ergo cui vnum conceditur, non statim conceditur alterum, quamuis minus sit. quare fit, vt cui liberum est beneficio Principis oua comedere, nec possit caseum, lac, vel butyrum edere, nec ijs vti in apparandis, & comedendis ouis. Et è contrario si cui priuilegiũ datur, vt caseum, aut butyrum edat, is non potest tuta conscientia oua comedere. Contra alij affirmant: cui data est facultas oua comedendi, posse iure vti caseo, lacte, & butyro, quoniam ex his solẽt oua apparari. Deinde quia hæc omnia eiusdem penitus videtur esse rationis, cum ea ex carne ducant originem: ergo cui vnum conceditur, videtur esse alterum quoque concessum. Ita quidam iuniores non inepte ratiocinantur: & propterea illorum opinioni libentiùs subscribo. Sic Medina *in sua Instruction. Confessor. libro primo, capit.14. §. decimo.*

Quintò quæritur, An cui ex priuilegio licet oua comedere, & alia, quæ carni affinia sunt, iure etiã vnà cum ouis, vti piscibus possit? De hac quę-

stione

stione Nauarrus *tomo primo Consiliorum, de Obseruat. ieiunij consil.5.* Medina *in Instruct. Confes.libr.1.capit.14. §.10.* Quidam abnuunt, in de potissimum, quod si pisces edit ille, ergo piscium ei vsus non officit: quod si non officit, eis vti solum debet, ac proinde nequit, vti facultate, oua, caseum, lac, & butyrum comedendi: eo quòd non iusta ex causa sit illi ciborum, qui prohibentur, concessus vsus. Nauarr. *de obseruat. ieiunior. Consil.5.* fatetur ei fas esse in vno die vesci ouis tantum, & alio die piscibus solis: vel eodem die in prandio vti ouis solùm, & ad cœnam piscibus, si ei licet sæpiùs in die comedere, sed non simul in eodem prandio, vel cœna ei licere ouа simul, & pisces edere. Aljis verò visum est, ei licere piscibus, & ouis vesci, quia contingit interdum, vt si quis solum pisces edat, ita vt tota corporis refectio ex solis piscibus constet, sibi noceat: quare per priuilegium pontificium sit ei potestas ouа, vel butyrum edendi. Objicies, si ouа comedit, cur vnà cum eis pisces edit? Respondeo, quia potest accidere, vt ouа vni integro prandio, vel cœnæ non sufficiant, aut quòd ea, cum plura comeduntur, fastidit, & respuit stomachus, aut quia modico paucorum piscium esu comedendi appetitus excitatur: ac proinde ad comedendum totum, quod ad vnum prandiũ, vel cœnam requiritur, vna cum ouis nonnulli pisces eduntur. Non video equidem, cur hæc posterior opinio non sit tanquam probabilior præferenda priori, nec eam Nauarrus firmo argumento confutat, cum ita concludit: Aut pisces ei nocent, aut secus: si primum, ergo comedendo peccat: Si secundum, ergo sine iusta causa ei vsus ciborum prohibitorum conceditur: Respondeo enim, si pisces nocent, peccat comedendo, non quia legem ieiunij perfringat, sed quia vtatur cibo sibi incommodo ac minimè salubri: quod si ei nõ officiunt pisces, non peccat, nec vllam legem violat, cum priuilegio suo vtatur, & priuilegium Principis valeat, quando solùm suæ legi, nõ iuri diuino, aut naturali, aut alterius superioris Constitutioni derogat.

Sextò quæritur, An carnium vsus fuerit semper à ieiunio Ecclesiastico excluſus? Respondeo ex sanctis Patribus, Conciliis, & frequẽti Ecclesiæ vsu perspicuè colligi, eos, qui ieiunium Ecclesiasticum seruarunt, à carnibus abstinuisse. Clemens *libr.5. Apostolicarum Constitu. capit.17.* sic ait: *A carnibus abstinete vos hoc diebus: Sunt enim dies luctuosi, & non festi:* Telesphorus Pontifex, *vt habemus in ca. Statuimus distinctio.4. Statuimus,* inquit, *vt septem hebdomadas plenas ante Sabbatum Paschæ à carne Clerici omnes abstineant.* Theodoretus *in Epitome Diuin. Decret.* ita scribit: *Ab esu carnium, & ab aljs eiusmodi abstinentiam non similiter vt Hæretici amplectitur Ecclesia: illi enim ab his tanquam ab immundis abstinendum esse censent, Ecclesia autem nihil horum discreuit.* Cyrillus Catech. 3. *Ieiunamus à carnibus abstinentes, non quòd has odio habeamus, sed quod mercedem expectamus.* Augustinus *libr.3. contra Faustum capit.5. & serm.64. de Tempo. Non solùm à carnibus Christiani, verum etiam à quibusdam terræ fructibus abstinent.* Et alibi: *Quare enim abstinemus nos à carnibus, quibus aljs diebus vti solemus?* & reliqua. Basilius *Homilia prima de ieiunio. Carnes non edis, sed comedis fratrem tuum.* Origenes *libro tertio, in Iob. Quando ieiunamus à vino abstinemus nos, vt non gustemus carnem.* Theophylactus *sermone quinto de Pascha. Nequaquam diebus Quadragesimæ, sicut luxuriosi dicunt solent, carnium edulio delectemur: qui legum præcepta custodiunt, carnium esum repudiant: non decet ieiunantem tempore agonis vesci carnibus. Daniel, & tres illi pueri decent ieiuniorum tempore à carnibus abstinendum.* Chrysostomus *homilia secunda in Genesim. Nusquam hodie tumultus, vel clamor, vel carnium concisiones, vel coquorum discursus.* Ambrosius, vel quisquis auctor est eorum Commentariorum, *in capit. decimo, Epistolæ ad Romanos: Sunt quidam, qui quarta feria carnem non edendam statuerunt: Sunt, qui Sabbatis sunt item, qui à Pascha vsque ad Pentecosten edant, est qui nunquam edat.* Eadem hæc disparitas etiam nunc in Ecclesia Dei obtinet: siquidem, quibusdam in locis non modò Sabbato, & Prosabbato abstinetur à carnibus, verùm etiam feria quarta: alibi quòd pisces desint, etiam Sabbato aliquis carnium vsus conceditur. Nonnulli tota vita non solùm à carnibus, verùm etiam ab ouis se continent. Gregorius Magnus *scribens Augustino Anglorum Episcopo, & habetur in cap. denique, Distinctione quarta. Par est, vt, qui his diebus à carnibus abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementi, nam trahunt originem carnis, ieiunemus, lacte, videlicet, & caseo.* Isidorus *libro de officijs primo, capite quadragesimoquarto. Postquam Christus, qui est principium, & finis apparuit, hoc quod in principio suspenderat, etiam in temporum fine retraxit, loquens per Apostolum suum: Bonum est non manducare carnem.* Et iterum: *Non quia carnes malæ sint, ideo prohibentur, sed quia illarum epulæ luxuriam carnis gignunt: Sunt enim fomes, & nutrimentum omnium vitiorum.* Ex sexta Synodo, Canon. Trullanus *56. Accepimus,* inquit, *in Armenorum regione, & in aljs locis in Sabbatis, & Dominicis Quadragesimæ ouа, & caseum comedere. Visum est ergo, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, hunc ordinem sequens ieiunium perficiat & abstineat ab ouis, & caseo, quæ quidem sunt fructus, & facile eorum à quibus abstinemus. Si autem non seruauerint Clerici deponantur, Laici segregentur.* Octaua Synodus Toletana sic decernit. Canon. 9. *Quisquis sine euitabili necessitate, ac fragilitate, & euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, Quadragesimæ diebus esum carnium præsumpserit attentare, non solùm rem erit reparationis Dominicæ, verùm etiam alienus ab eiusdem diei sanctæ communione.* Ex his constat, carnium esum in diebus ieiuniorum fuisse omnino prohibitum. Si quæras quid nomine carnium intelligatur. *Mat. quart. distinction. decimaquinta, quæstione tertia,* ait nomine carnium intelligi eas, quæ sunt animalium, quæ extra aquam diu naturaliter viuere queunt; pisces dicuntur, qui extra aquam diu naturaliter viuere non possunt, aut carnes intelliguntur, quæ communiter apud Christianos pro carnibus habentur. Hinc patet quid iudicandum sit de limace, & cochlea, rana, locusta, testudine.

Septimò quæritur, An vini vsus sit in diebus ieiuniorum lege interdictus? Consentiens est Theologor. & Canonici iuris interpretum opinio, potionem vini, siue mane ante prandium, siue post prandium vespere ieiunium non soluere, si in modum potus ad extinguendam, siue minuendam sitim sumatur, quamuis etiam plusquà par sit, & necessitas postulet, vinum bibatur, quoniam contra temperantiam quidem peccatũ erit;

contra

contra ieiunium non item. Cæterùm ex Sanctis Patribus quis forsitan obijciat, frequenter asserentibus, in diebus ieiuniorum esse abstinendum à vino, & carnibus. Nam Clemens Romanus libro quinto Constitutionum Apostolicarum, capite decimoseptimo; *A vino*, inquit, *& carnibus abstinete vos bis diebus*. Loquitur autē de diebus Quadragenarij ieiunij. Et Cyrillus Hierosolymitan. Catechesi 4. *Ieiunamus à vino, & carnibus abstinentes*, Theod. in epistol. diuin. Decret. *abstinemus à vino, & esu carnium, & ab alijs huiusmodi abstinentiam amplectatur Ecclesia*, Theophilus Alexandrinus sermone quinto de Paschate, *Nequaquam diebus Quadragesimæ vini poculum sustinemus*. Daniel, & tres illi pueri docent, ieiuniorum tempore à vino, & carnibus abstinendum, sumere de terra semina, & potandum aquam, quibus comitibus nititur pudicitia. Origenes libro tertio in Iob. *Quando ieiunamus, nec gustamus carnem, nec vinum*. Basilius homilia prima de ieiunio tractans: *Carnes*, inquit, *non edis, à vino abstinens, sed ab iniurijs tibi non temperas*. Augustinus serm. 64. de tempor. *Qui abstinemus à carnibus, quibus alijs diebus vti licet; & qui abstinemus à vino, quo moderatè vti licet. Quis ergo ista vitamus, quæ aliquando licent? Ut primum peccata fugiamus quæ omnino nunquā licent*, Athanasius quoque *in vita sancti Antonij*, hæc de illo refert: *Sumebat panem, & sal, potumque aquæ: de carnibus vero & vino melius tacere puto, quàm quicquā loqui: quoniam nec apud plurimos quidem Monachos istiusmodi escæ in vsu habentur*. Immò Philo Iudæus *lib. de vita cōtemplativa*, vt refert Euseb. *lib. 2. Eccles. hist. cap. 16.* describens Asceticorum Alexandrinorum vitam, qui Marci Euangelistæ ætate in vrbe Alexandria viuebant; non solùm à carne, & cæteris quæ à carne originem trahunt, sese illos continuisse testatur, sed etiam à vino: *Potus*, inquit, *erat illis sola aqua; obsonium autem, panis cum sale, & hyssopo*. Iosephus autem *lib. 2. de bello Iudaico. cap. 7.* tria describit dogmata Iudæorum, quorum alij Pharisæi, alij Saducæi, alij Esiæi, siue Esseni dicebantur, & hos postremos (similiter vt Philo ille) mirificè cōmendat, quod & vxoribus, & vino, & carnibus semper abstinerent, & quotidianum ieiunium in naturam conuertereot. Hieronymus *lib. 2. contra Iouinian.* antiquorum Aegypti Sacerdotum scribit fuisse ieiunia, in quibus à carnibus, & vino sese continebant. Clem. Rom. *lib. 5. Const. Apostolic. c. 19.* diebus ieiuniorum solùm pane, sale, & oleribus vti concedit, & *cap. 21.* Scripturæ testimonijs probat abstinendum esse à carnibus, & vino.

Certè negari non potest consueta veterum Christianorum ieiunia carnium vsu, & vini potu caruisse: & hoc est quod Patrū, quæ attulimus testimonia docent. Quarè non miror, quod Alexander docuerit *p. 4. m. 8. art. 1. §. 3.* vini potionem præsertim ante prandium, ieiunium soluere. Et Richard. *in. 4. dist. 15. a. 3. q. 7.* Antonin. 2. *part. tit. 6. c. 2. §. 9.* & Rosell. *ieiunium nu. 5.* dixerint, vinum, si ad nutriendum, & præsertim mane ad famem extinguendam sumatur, in fraudem etiam ieiunij esse. At verò in more positum est, vt in diebus ieiuniorum, pisibus, herbis, leguminibus, & fructibus & vino similiter vtamur: & omnes communi consensu testantur, id quod solùm in potum, non in cibum sumitur, cuiusmodi vinum etiā est, ieiunium minimè relaxare. Quæres, an sine peccato interdiu ante potum, qui necessitate ad extinguēdam, sed ad sitim adhibeatur, parum cibi sumatur, ne stomacho solus potus noceat? Syluester id concedit, dummodo tamen cibus non sit panis, herba, arboris fructus, sed exigua medicamenti portio, siue frustum.

Sciendum quoque est, potum, qui in cibum pariter sumitur, esse in die ieiunij prohibitum; qualia sunt quædam pocula, quibus est cibus admixtus, & quæ potissimum nutriunt. Palud. *in 4. distinction. 15. quæstion. 4. articul. 4. conclus. 3.* Rosel. *in verb. ieiunium. nu. 3.* & Tabiena, *eodem verbo, numero vigesimoquarto*. At vinum, inquies, etiam ipsum nutrit. Verum est, nutrire quidem aliquantulum: sed non sumitur præcipuè ad nutriendum, sed ad sitim leuandam, & ideo non in cibum, sed in potum adhibetur.

Octauò quæritur, An illis diebus, quibus licet comedere oua, & caseum, liceat etiam vesci sagimine siue lardo vt vocant. Glos. *in ca. Presbyter, dist. 82. in verbo, sagimine*, affirmat, immò addit etiam Hostiens. *in sum. de obser. ieiuniorum*. Cui conceditur vsus ouorum, & casei, intelligitur cōcessum vt possit vti sagimine, & sic, inquit, vtuntur Cluniacenses Monachi, sed Cistertienses, & quidam alij religiosi contrarium seruant. Sic ille. ita etiam Abbas *in ca. consuluit. de iud.* & Syluest. *ieiunium. quæst. 5. num. 6.*

Caput XI.

Quota diei hora in ieiuniorum temporibus edendum sit.

PRIMO quæritur, An ieiunium Ecclesiast. certam, ac præfinitam horā deposcat, in qua iure ipso comedere possimus? Respondeo, deposcere, & à certa huiusmodi hora ieiunium appellationem habere. Nam dicimur vsq; ad sextā, vel nonam horam, vel vesperam, vel vsq; ad noctē ieiunium seruare, quasi tota, vel præcipuā ieiunij vis in prorogatione mediæ vsque ad tardiorem horam sit posita: & cōmuni piorum hominum sententia eò rectius, ac religiosiùs, si cætera sint paria, quis ieiunus est, quò tardiùs prandet: contra, eo minus rectè, minusque religiosè, quo citiùs ieiunium laxat, ac soluit. Hebræi ad initium noctis, siue post solis recessum & obitum, plerumque ieiunia producebant. Vnde *Iudic. 20.* dicitur: *Omnes filij Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino, ieiunauerūntque die illo vsque ad vesperam, & obtulerūt holocausta, & pacificas victimas*. Et 2. Reg. 1. *Apprehendens autem Dauid vestimenta sua, scidit, omnesque viri qui erant cum eo, & planxerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam*. Et capit. 3. eiusdem libri: *Cum venisset*, inquit, *vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, claro adhuc die iurauit Dauid dicens: Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, si ante solis occasum gustauero panem, vel aliud quippiam*. Vnde prisci illi Christiani eundem etiam morem seruare consueuerunt. Athanasius enim in vita Sanct. Antonij: *Pernoctabat*, inquit, *in oratione sæpissimè: edebat semel in die post solis occasum*. Hieronym. in vita Hilarionis: *Inter mare & paludem, vasta solitudine fruebatur, quindecim tantum caricas, post solis occasum comedens*. sic ille. Deinde tepescente fensim vetere illo feruore,

cœptum

cœptum est solui ieiunium primò quidem antequàm sol occideret, deinde verò etiã paucis horis ante solis abscessum. nam cœna sumi cœpit ad horam nonam, hoc est, tribus horis post meridiem exactis, & totidem ante solem occidentem. Dies enim in duodecim horas diuidebantur, & in hora sexta erat meridies: quamuis Quadragenarij ieiunij, quod proximè ante Pascha suscipitur, diu retenta est lex & consuetudo capiendi cibum ad vesperam, perfecto nimirum ad horam nonam Missæ sacrificio, & vespertinis precibus decantatis, vt inferiùs ostendam. Vnde Concilium Cabilonense relatum in cap. Solent, de consecr. distinct. 1. *Solent plures*, inquit, *qui se ieiunare putant, in Quadragesima, mox, vt signum audierint, ad horam nonam manducare. Qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante manducauerint quàm vespertinum celebretur officium. Conueniendum enim est ad Missas: quibus auditis, & vespertinis officijs, et largitis eleemosynis ad cibum accedendum est. Si quis verò necessitate constrictus fuerit, vt ad Missam venire non valeat expectata vespertina hora, completa oratione sua ieiunium soluat.* Epiphanius hæresi. 80. & hæresi. 75. *Quarta*, inquit, *& prosabbato statutum est ieiunium vsque ad horam nonam.* Basilius item hom. 1. de ieiunio: *A vino abstinens; sed ab iniurijs tibi non obtemperas. expectas vesperam, vt cibum capias; sed diem totum absumis ad tribunalia.* Hieronymus ieiunia significans in epist. ad Paulinum. *Sit vilis*, inquit, *& vespertinus cibus.* Tertull. *aduersus Psychicos capit. 14. Quasi vespuamus nonam, cui & quarta Sabbathi, & sexta plurimum fungimur.*

Porrò quantum temporis hæc consuetudo sumẽdi cibum ad horam nonam in diebus ieiuniorum in Ecclesia durauerit, certò nõ constat. Sunt qui putent, eam vsque ad Alexandri Alensis, & S. Thomæ Aquinatis tempora qui trecentos, & aliquot annos memoriam nostram antecessit, sese porrexisse: quoniam de hora, quo ieiunium ab Ecclesia indictum soluere licet disputans, *in 2. 2. quæst. 147. art. 7.* inter cætera scribit hæc: *Est autem debita, & communis consuetudo comedendi hominibus circa horam sextam; & ideo vt ieiunãs afflictionem aliquam sentiat pro culpæ satisfactione, conueniens comedendi hora ieiunantibus taxatur circa Nonam. Et conuenit etiam ist a hora mysterio passionis Christi, quæ completa fuit hora, quando inclinato capite tradidit spiritum. Ieiunantes enim dum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur secundum illud Apostoli ad Galatas: Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* Hęc sanct. Thomas. Dubitant quidam, vt refert Tabiena, *ieiunium quæst. 5.* an de horæ nonæ fine an potiùs de eius initio loquatur S. Doctor. Crediderim ego sanè, eũ loqui de horæ Nonæ fine & exitu: Richardi tempore, qui paucis annis post S. Thomam vixit, videtur consuetudo, quę nunc est, alicubi cœpisse: quoniam ille sic ait, *4. distinct. 15. art. 3. quæst. 3.* horam esse vel sextam, vel statim pòst sextam, vt nunc est in more positum: ergo S. Thomas loquitur de iure, non de consuetudine. Consuetudine postea est introductum, vt ieiunium soluatur ad horam sextam, vel paulò antè illam, hoc est ad meridiem, vel sub meridiem, qui mos nunc in Ecclesia seruatur, præsertim apud Monachos, ac cæteros Religiosorum ordines. Sæculares enim ieiunium laxant, ac soluũt, hyeme quidem, vna ante meridiem hora; æstate verò, duabus ferè horis ante meridiem; Monachi verò, & cęteri Religiosi hyeme, aut semi hora ante meridiem, aut in meridie, aut etiam hora ante meridiem: æstate verò vna hora integra, aut etiam vna, & semihora ante meridiem. Richar. *in 4. dist. 15. artic. 7. q. 5.* Duran. *ibidem q. 9.* Sylu. *verb. Ieiunium q. 4. num. 11.* Angel. *eod. verb. nu. 1.* Rosel. *nu. 10.* Tabien. *nu. 5.* Caiet. *22. q. 147. art. 7.* Conuenit inter omnes, horam meridianam computandam esse nõ secundùm rigidum Astronomorum calculum, sed secundum horologia vsitata inter homines, & rudi quadam Minerua. Sylu. *ieiunium. q. 4. nu. 12.*

Ioan. 19.

Galat. 5.

Secundò quæritur, An sit iuris Canonici, vt ad vesperam in diebus Quadragenarij ieiunij comedatur? Negant quidam, quia in ca. Solent de Consecrat. dist. 1. simpliciter & absolutè non dicitur, vt ad vesperam ieiunium soluatur: sed solùm reprehenduntur, qui in Quadragesima putant se ieiunium seruare, & solent mox vt signum audierint, hora nona comedere. Qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante manducauerint, quàm vespertinum celebretur officium. Hæc ibi. ergo iure tantùm cauetur, ne ante vespertinum officium factum edamus. Aliorum est sententia, esse quidem iuris Canonici, ne ante horam nonam: ieiunium relaxetur: sed horam nonam volunt tres illas horas complecti, quæ proximè meridiem consequuntur. Dies, inquiunt, in duodecim horas diuiditur iuxta secularium hominum cõputationem, & in totidem nox: at verò Ecclesiæ more Diuinum officium, quod ad Clericos pertinet, diuiditur in quatuor partes, Tertiam, Sextã, Nonam & Vesperam, & quælibet pars tres horas complectitur seculares, ita vt quælibet appellationem habeat à principio vsque ad finem trium horarum. Tertia secularium continet totum tempus ab ortu solis vsque ad tertiam horam secularem post ortum solis. Sexta continet tres horas seculares, vsque ad sextam secularem quæ in meridiem incidit. Nona totum tempus à sexta hora seculari vsque ad nonam. vespera tres vltimas diei horas habet vsque ad occasum solis. Et cum ius Canonicum statuit, vt ad horam Nonam ieiunium soluatur, illud interpretantur nõ quidẽ de horæ nonæ fine, sed de toto tempore, quod est à fine sextæ horæ vsque ad finem nonæ, quod tempus tribus horis concluditur, quæ meridiem proximè subsequuntur; ac propterea colligunt, consuetudinem, quæ nunc in Ecclesia seruatur, quaque ieiunium ad meridiem, vel sub meridiem laxatur, nequaquam esse canonico iuri contrariam, eo quod cum in meridie ieiunium laxemus, dicimur hora nona ieiunium soluere, quoniam statim post sextam, & post meridiem, incipit iuxta Ecclesiæ comparationem hora nona.

Mihi verò hæc minimè probantur: Tum quia Ecclesiastica computatio, qua horæ diuiduntur in Tertiam, Sextam, Nonam, ac Vesperam, ad officium Clericorum diuinum spectat: Ieiunium autem non solùm est Clericorum, sed etiam Laicorum: & Ecclesia itidem inter horas diurnas, quibus Diuini officij preces Clerici recitare debent, etiam primam enumerat: ergo non tantùm in quatuor horas, & partes diem Ecclesia distribuit. Tum etiam quia. *cap. Solent, de Consec. dist. 1.*

aperte

apertè decernitur ne ieiuniũ ſoluatur ante veſpertinum officium, quod ad horam nonã fiebat, hoc eſt, poſt tres horas à meridie. Et deinde ſubijcitur: Si aliquis neceſſitate ad Miſſam venire nõ poſſit, expectata veſpertina hora, & cõpleta oratione ſua ieiunium ſoluat: Veſpertina autem hora non dicebatur Nona, ac multo minus quæ meridiem proximè ſequitur, ſed quæ inclinante iã die, & appetente ſolis abſceſſu vergit ad noctem, nimirum totum tempus inter initium duodecimæ horæ & noctẽ, interiectum. Quo fit, vt iuxta veram aliorum ſententiam, Iure Canonico cautum ſit, ne in diebus Quadragenarij ieiunij ad veſperam comedamus. Et hoc eſt quod Synodus Cabilonenſis *in c. Solent, de Conſec. diſtinct. 1.* & in Regula S. Benedicti cap. 41. ſtatuitur, vt ab initio Quadrageſimæ vſque ad Paſcha Monachi ad veſperam reficiantur, & ipſa veſpera ſic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes, ſed luce diei adhuc perdurãte omnia conſummẽtur. Et Auctor Micrologi, ait *cap. 49. de Eccl. obſeruat.* Quadrageſimale ieiunium poſt veſperam tandẽ ſoluitur, ſicut in Canonibus præcipitur. Sic ille. Ac proinde ſi nunc hora ſexta, id eſt, in meridie, vel ſub meridiem ieiunium laxamus, conſuetudinem vim legis habentem, non ius commune antiquum ſeruamus.

Tertiò quæritur, An in cæteris omnibus ieiuniorum diebus hora ſoluendi ieiunium ſit Nona? Reſpondeo, ſolùm eſſe Canonico iure cautum, ne in diebus Quadragenarij ieiunij ante veſperam edamus. De hora verò comedendi in cæteris ieiuniorum diebus, nihil eſt iure communi ſanctum. Conſtat verò olim fuiſſe in more poſitum vt illis diebus edatur ad horam nonam. Conſuetudine verò eſt poſtea introductum, vt quodlibet ieiunium ad meridiem, aut ſub meridiem ſoluatur. Auctor Micrologi ait cap. 49. *In alio ieiuniorum tempore, præter quã Quadrageſimalẽ, ſtatim poſt Nonã ieiunium ſoluitur, cũ & Miſſa ad ſextam celebratur. In hoc enim Quadrageſimale ieiuniũ differt à reliquis, quod in alijs poſt Nonã, in hoc poſt veſperã reficere corpus debemus, cũ & Miſſa ad Nonã peragatur. Eſt enim Eccleſiaſtica conſuetudo vt ad Nonã reficiamur, cum ad Sextã Miſſam celebramus; ad veſperam autem, cum ad Nonam ſacrificamus.* Sic ille. Et Regula V. B. Benedicti, præſcribit; vt ab initio Quadrageſimæ vſque ad Paſcha Monachi ad veſperam reficiantur; in alijs verò diebus ieiuniorum, ad Nonam.

Quartò quæritur, An qui longè ante meridiem abſque iuſta & legitima cauſa prandet, ieiunium ſoluat, & ſe lethali peccato contaminet. Duæ ſunt opiniones: Prima docet, horam ieiunij conſuetam ac debitam anteuertere, non eſſe peccatum, ſi eius rei iuſta cauſa ſubſit: ſi verò nulla, citra contemptum tamen, eſſe veniale, non lethale peccatum. Si aũt per contemptũ horã quis anteuertat, admittit peccatum lethale. Sic Innocentius. Io. Andreas, Petrus Anchara *cap. 1. de Obſeruat. ieiunio.* Cardinalis *in c. ex parte de obſeruan. ieiunio. §. Item, nu. 2.* Angelus *ieiunium q. 2.* Gabriel *in 4. diſtinct. 16. q. 3. art. 3. dub. 1. §.* Quando de hora, Archidia. Alexandrin. *c. Vnum orarium §. Alias ea demũ, diſt. 25.* Altera opinio tradit lethaliter peccare eum, qui ſine cauſa legitima horam ieiunij debitam præuenit. tametſi abſq; contemptu id faciat. Ita Caieta. *2. 2. q. 147. art. 7.* Silu. *Ieiunium q. 4. verſ. tertium,* Nauar. *in Manuali cap. 21. num. 27.* Couar. *lib. 4. variar. reſolut. cap. 20. num. 14. ad finem,* Gloſſa *diſtin. 25. c. vnum orarium §. Aliàs ea demum, verb. Ieiunantibus.* Palud. *in 4. diſt. 15. q. 4. art. 4.* At vt aiunt Palud. Silu. Nauar. poteſt quis præſertim ſuperioris auctoritate, ante horam conſuetam comedere cauſa legendi ad menſam, docendi, iter faciendi, vel ſuſcipiendi, vel ob aduentum hoſpitum, vel alia iuſta ex cauſa. Hæc eſt cõmunis ſententia, & probabilior ac verior, & videtur colligi *ex c. Solent, de Conſec. diſt. 1.* aut ſaltem ex conſuetudine approbata. Hoc apertè docet S. Thomas *in 4. diſtin. 15. q. 3. art. 4. ad q. 3.* Idẽ tradit ibidem Ricar. *q. 9.* Quæres, quis notabiliter intelligitur anteuertere horam debitam ieiunij; ita vt lethale peccatum admittat. Reſpondeo, eum qui per vnã horam integram anteuertit, ſed qui præuenit per quadrantem horæ, lethaliter non peccat, quamuis leuiter delinquat ſine iuſta cauſa horam debitam præueniẽs: Qui anteuertit per ſemihoram, fortaſſis etiam leuiter tantùm peccat. In his tribus ſingulis, quẽ ſequar, Auctorẽ non habeo, quia nihil de his exprimunt Auctores, ſed ratione videntur hæc ſingula confirmari. Nimirum, hora vna integra, pars eſt temporis notabilis, quadrans non item: Et fortaſſis etiam ſemihora, pars notabilis in hac parte minimè cẽſetur. Si tu melius iudicaueris, ego tibi aſſentiar. Ego dixi, quod ſentio.

Quintò quæritur, An prandiũ in diebus ieiuniorum iure differatur, etiam abſque iuſta cauſa vſque ad veſperam, vel noctem? Reſpondeo, non eſſe dubitandum, quin arbitratu ſuo quiſque poſſit ieiunium ad veſperam vel noctem producere: quo enim tardius prandium prorogatur, eo eſt inedia productior, & longior corporis afflictio; quod eſt Legislatoris menti magis conſentaneum. Sic Nauar. *in Manua. cap. 20. num. 27. ex Antonino in 2. par. tit. 6. cap. 2. §. 2.* Sic etiam Ricar. *4. diſtinct. 15. art. 3. q. 8.* Siluester *in verb. Ieiunium, q. 4.* Caiet. *2. 2. q. 147. artic. 7. & in Summa verb. Ieiunium,* & alij quoque Auctores communi conſenſu. Dices; Conſuetudine eſt introductum, vt in meridie, aut ſub meridiem edamus, ergo eſt conſuetudini ſtandum, nam cur magis horam præuenire, quàm prorogare inhibemur? Profectò conſuetudine cogimur Nonam vel meridianam horã expectare, nec eam anteuertere fas eſt; non tamen iure vllo & lege compellimur tardius ieiunium protrahere, ne inedia nimium producta noceret. Quo fit, vt verè dixerit Goffredus *in Summa tit. de obſeruat. ieiuniorum,* Ieiunium Eccleſiaſticum eſſe, quo prandium ſubtrahimus atque ſubmouemus: quoniam ieiunium poteſt ad veſperam vel noctẽ produci, ac propterea ieiunij dies, cœna conſtat, non prandio. Obijcies fas eſſe debitori ſoluere ante tempus conſtitutum. Reſpondeo: quando dies ſiue certum tempus adijcitur, quo ſoluere debeo, aut hoc fit ob bonum debitoris, & licet ſoluere ante tempus; aut fit ob bonum creditoris, & non licet præuenire tempus. Sic Gloſſa *in c. ſolẽt, de conſec. diſt. 1. & probat ex l. Si ita, ff. de legat. commiſſ. 2. & l. eum qui, §. Pegaſus, ff. de Annu. lega.*

Sextò quæritur, An qui Pontificis priuilegio poteſt horam ieiunij debitam præuenire, eo ipſo ſit lege ieiunij ſolutus? Reſpondeo ex communi

omnium sententia, nequaquam: ratio est in prõptu, quia qui ex parte, ieiunij lege soluitur, non ex toto solutus est, cum ieiunij lex plura contineat, non secus ac is, qui Principis beneficio ab vna lege eximitur, nõ cõtinuo eximitur à cæteris.

Septimò quæritur, An qui sine iusta causa horam comedendi in die ieiunij anteuertit, ieiunium obseruare debeat? Quæstionem mouet argumentum quod obijci posset. Nam qui vas integrũ seruare deberet, & illud frangeret, non amplius peccaret illud in plures partes comminuens, cũ semel fractum, amplius integrũ seruare nequeat: ergo pari ratione, qui semel ieiunium fregit, deinceps non peccat, cum amplius integrum ieiunium seruare non possit? Respondeo, non esse idem iuris in eo, qui vas integrũ frangit, quod in eo qui ieiunium soluit anticipata cibi sumptione. Nam præcepto de integro vase seruando, solùm cauetur, ne illud frangamus; at verò præceptum ieiunij seruandi multa complectitur, nimirum ne cibis vetitis vtamur; deinde ne sæpius quàm semel edamus; postremò ne horam comedendi anteuertamus. Ac propterea quemadmodum qui ante horam præfinitam comedit, continere adhuc se debet à carnibus, sic etiam oportet vt non amplius eo die comedat, ne aliud denuo peccatum admittat. Sic habet communis opinio, quam refert Caietanus 2.2.q.147.art.7.

Caput XII.

Quibus diebus ex Iure communi sit Ieiunium seruandum: & primum Ieiunij Quadragenarij institutio quænam sit.

PRimò quæritur, Quibusnam diebus iure cõmuni constitutum sit, vti ieiunium seruemus? Respondeo, ieiuniorum alia esse communia, alia verò priuata & propria. Communia vocantur ieiunia, quæ in tota Ecclesia seruantur, & hæc vel iure communi, vel consuetudine totius Ecclesiæ generali sunt constituta. Priuata verò ieiunia sunt, quæ vel proprij voti Religione; vel Sacerdotis pœnitentiam iniungentis præcepto, vel peculiari Superioris mandato, vel speciali gentis, ciuitatis, aut populi statuto, vel consuetudine, suscipiuntur. Nobis autem agendum est de communibus Ecclesiæ ieiunijs: Inter quæ primũ omnium & antiquissimũ occurrit ieiunium quadragenarium, quod proximè quotãnis ante Pascha celebratur & colitur. De quo primum quæri solet, An sit iure Diuino, an potius Canonico institutum. Quidam iuniores censent esse iure diuino sancitum: & id probant, quia aliqui veteres Ecclesiæ patres videntur docuisse, illud esse iuris diuini, quoniam Christus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunium seruauit. *Matth.3.* Ambrosius *serm.25. Si ignorans*, inquit, *Ionathas inditum à patre ieiunium, quia soluerat, morti addicitur: qui sciens inditum à Christo Domino ieiunium soluit, quid meretur?* & Serm.34. *Hanc enim Quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit.* Et paulò inferius: *Quisquis ergo Christianus consecratam ieiunando non impleuerit Quadragesimam, præuaricationis & contumaciæ tenebitur, quòd legem diuinitus datam prandendo rescindit.* Et Serm.36. *Ante diem deuotionem sanctæ Quadragesimæ prædicantes, sacrarum litterarum exempla protulimus, quibus approbauimus hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum, nec terrena cogitatione inuentum, sed cælesti maiestate præceptum.* Sermone item 34. *Quod abstinente*, inquit, *toto populo, vel soli contra præceptum Domini denoratis.* (loquitur Ambrosius contra eos, qui Quadragenarium ieiunium comedendo soluebant.) Et B. Maximus in Homilia de Quadragesima: *Quadragenarium ieiunium*, inquit, *non tam ab hominibus institutum, quàm à Deo consecratum, & cælesti maiestate præceptum.* Augustinus quoque scribens *in Psalmum 100. paulo post initium*, sic ait: *Præcipitur nobis quadragenariam ieiunium, & ex lege, & ex Prophetis, & ex ipso Euangelio, quod testimonium habet à lege & Prophetis.* Idem etiã ait Beda *in Homilia in Dominica Quadragesimæ*: nec nõ & Isidorus *lib.1.de offic.Eccl.cap.de ieiunio.* Item Leo *in Serm.4.de Quadragesima* scribit, ieiuniũ Quadragesimæ esse prouisum magna diuinæ institutionis salubritate: & *Sermo.2.de ieiunio Pentecostes* ait ieiunia esse diuinitus instituta. Hieronymus *in Esaiæ cap.29. in Ezech.41. & in Ionæ, cap.3.* scribens, ait: *Christus ieiunauit quadraginta dies, vt vobis hereditarios totidem solemnes dies relinqueret.* Ita Patres. *Matth.4.*

At communis est Theologorum Scholasticorum opinio, Quadragenarium ieiunium, non iure diuino, sed Apostolica traditione siue mandato, & iure canonico, & generali Ecclesiæ consuetudine coli & celebrari. Ita Duaren. in *4.dist.15.q.4.art.3.concl.3.* Ibidem Maior *q.4.concl.3.* Gabriel in *4.distinct.16.q.3.artic.1.not ab.2.* Adria. *in 4.de confess. q.1.§.Alij probant confessionem, versic.Nec videtur verũ.* Angelus *ieiunium nu.7.* Silu. *eod.verb.q.1.versic.* Quibus autem diebus ex Mandato Ecclesiæ. Nauar. *in Manuali cap.21.num.12.* Medina *tract. de ieiunio q.2.* Ledesm. *in 4.par.2.q.17.art.1.dub.1.*

Item aliqui patres testantur, hoc ieiunium esse ab Apostolis institutum. Quòd perspicuè satis Hieronymus *in Epist.ad Marcellam* tradit his verbis: *Non vnam Quadragesimam secundum Apostolorum traditionem toto anni tempore nobis congruo ieiunamus.* Leo *duobus in locis, videlicet Serm.6. & 9. die Quadragesimæ*, idem tradit, Quadragesimam nempè esse ab Apostolis institutam. Cassianus *Collat.21.cap.30.* scribit eandem esse à Sacerdotibus fixa lege sancitam. Rabanus quoque *libro 2.cap.28. de Instit. Clericorum*, ait: *Statio est statutorum dierum, vel temporum: Dierum, vt quarta, aut sexta feria ieiunemus: Temporum, vt obseruatio Quadragesimæ, quæ in vniuerso orbe Christianorum, institutione Apostolica seruatur circa confinia Dominicæ passionis.* Extat Canon Apostolorum, numero sexagesimus octauus, vbi Quadragenarium ieiunium ante Pascha sancitur. Augustinus *Epist.86.* ego, inquit, *Euangelicis & Apostolicis literis, totoque Instrumento, quod appellatur Testamentum Nouum, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium: quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non inuenio definitum.* Theophilus item, vt citat Medina loco citato dicit: *Habemus Quadragesimam ab Apostolis institutam.*

Ij verò patres, qui (vt superius indicaui) insinuare videntur, Quadragenarium ieiunium iuris esse diuini, illud mea sententia tantummodo si-

gnificare

gnificare contendunt, eiusmodi ieiunium tum ex noua, tum ex vetere scriptura auctoritatem trahere; eo quod Christi Domini, Eliæ & Moysis exemplo quadraginta dierum ieiunium consecratum seruamus. Nec tamen quicquid Christus fecit, nos quoque facere iussit. Exemplum Christi nobis relictum, aliquando vocatur à Patribus præceptum nobis diuinitus datum. Sunt etiam qui dicant Niniuitas Ionæ Prophetæ Sermone permotos, quadraginta totos dies ieiunium seruasse. Nam etsi primo triduo, cuius solius scripturæ meminerunt, fuerit ieiunium rigidius & durius solito (abstinebant enim homines ac pecora ab omnibus) sed reliquis tamen triginta sepem diebus communi lege vsitatum & solitum ieiunium retinuerunt, vt magis diuinam iram placarent & auerterent; Deique gratiam sibi facilius conciliarent. Et ita Hieronymus *ait supra Ionam cap. 3. Trinus numerus, qui ponitur à septuaginta, non conuenit pœnitentiæ: Quadragenarius numerus conuenit peccatoribus, ieiunio, orationi, sacco, & lachrymis, & perseuerantiæ deprecandi: ob quod Moyses, & Elias quadraginta dies ieiunasse leguntur. Ipse quoque Dominus verus Ionas missus ad prædicationem Niniue, ieiunauit quadraginta dies: & hereditatem nobis ieiunij relinquens ad esum corporis sui, sub hoc numero animas nostras præparat.* Hæc Hieronymus. Nam si Niniuitæ triduo tantũ ieiunium seruassent, alijsq; pœnitentiæ officijs sese occupassent, parum omninò ad rem feciſſent, quæ de quadragenario pœnitentialiũ dierum numero, & Moysis, & Eliæ, & Christi veri Ionæ illic affert Hieronymus: constat enim hos omnes non tres tantùm, sed quadraginta totos dies ieiunũ seruasse. Probabilis est horum sententia, sed ex Ionæ vaticinio & verbis certo colligi non potest.

Secundò quæritur, vnde inchoetur ieiunium quadragenariũ? Respondeo, conuenire apud omnes, inde Quadragesimam inchoari à feria quarta Cinerum, quæ vulgò appellatur quarta feria in capite ieiunij. Sic Auctor Micrologi. *cap. 49.* Sed quæstionis est dubiæ, an inceperit olim ante Gregorium Magnum in eadem feria quarta. Duę sententiæ sunt, vna docet, olim non incipere solitam in Feria quarta Cinerum ante Gregorium Primum; quæ communis est scriptorũ opinio: eo quod *in c. Quadragesima, de Consue. dist. 3.* apertè dicitur, quatuor dies ante Dominicã primã in Quadragesima esse adiectos, vt omnes planè ieiunũ quadraginta dierum obseruent: quod caput desumptum est ex Gregorio *Homilia 16. in Euangelia.* Altera opinio tradit, semper quadragenariũ ieiunium olim etiam ante Gregorium Primum inchoari solitũ in feria quarta Cinerũ: quod probat; primò, quia *in c. statuimus, dist. 4.* Telesphorus constituit, vt Clerici ieiunent plenas septẽ hebdomadas. Dicit, *plenas*, quia cæteri ieiunium incipiebant à feria quarta septimæ hebdomadæ ante Pascha. Deinde quia apud Augustinum extat inter Sermones de Tẽpore, Sermo qui inscribitur; in feria quarta in capite ieiunij, & sequuntur Sermones in feria quinta, sexta, & Sabbato eiusdem hebdomadæ. Postremò, quia si ab ea feria, Quadragesima non sumit initium, non sunt quadraginta dies ieiunij vsque ad Pascha: nam demptis Dominicis sex, remanent solùm triginta sex dies ieiunij. Probabilius tamen est, Quadragesimã olim ante Gregorium I. semper de more incœpisse à Dominica die, quæ dicitur prima Quadragesimę, vt apertè Ambrosius *Serm. 34. qui est de Quadragesima*, Cassianus Collat. 21. *cap.* 24. 27. 28. Gregorius *Homilia 16. in Euangelia* testantur. Vnde Alcuinus *Lib. de Diui. offic. cap. de Quadragesima*; ait: *Quadragesima incipit à sequenti Dominica post Quinquagesimã.* Et Liber qui dicitur Ordo Romanus similiter habet, in capite de Septuagesima; Quadragesimam incipere à Dominica die post Quinquagesimam, idem testatur Auctor Micrologi, *cap. 49.* Ecclesiastica item officia, quæ toto tẽpore Quadragenarij ieiunij celebrantur, ab ea Dominica incipiũt.

Cùm ergo obijcitur cap. statuimus *de Consecrat. dist. 4.* ex Telesphoro, vbi decernitur: vt septem hebdomadas plenas ante Sanctũ Pascha omnes ieiunent: Respondeo, non id præcepti Telesphorum cunctis in vniuersum dedisse, sed Clericis duntaxat, qui sunt (ait idem Pontifex) in sortem Domini vocati: Quia sicut discreta debet esse vita Clericorum à Laicorum conuersatione, ita & in ieiunio debet esse discretio. Hæc ille, cuius decretum postea in Gallia Synodus Aurelianensis 4. abrogauit. Ait enim Canone 2. *Id Sacerdotibus omnibus est decretum, vt ante Paschæ solemnitatem, non Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur.* Et idem habetur in Concilio Aurelianensi 1. *Can. 12.* Cum deinde obijcitur, à die Cinerum, Quadragesimam inchoari, ac propterea dies illos quatuor, qui Dominicam primam Quadragesimæ proximè antecedunt, ad Quadragenarium ieiunium pertinere: Respondeo, ieiunium Quadragenarium esse duplex, plenum, & semiplenum. Plenum est, cum interdiu semel tantùm edimus: semiplenum verò, quando amplius quàm semel comedimus, sed à carnibus, & à cæteris, quæ initium habent à carnibus, nos ipsi continemus: à Dominica prima in Quadragesima vsque ad Pascha, sunt dies quadraginta duo ieiunij, non quidẽ pleni & perfecti, quoniam diebus Dominicis ieiunium plenum non agitur, sed ieiunium semiplenum, & imperfectum, & hoc sufficit. Cùm tertiò obijcitur, apud Augustinũ extare Sermonem in feria quarta in capite ieiunij: Certè quãuis ob id quidam existiment eos fallí, qui sentiunt, quatuor eos dies Gregorium Magnum adiecisse; Verius tamen est, quod paulò antè dixi, olim ante Gregorium Quadragesimam à Dominica post Quinquagesimam incœpisse. Cùm vrgent, extare Sermones Augustini, & aliorum veterum patrum habitos ad Populũ in feria quarta Cinerum in capite ieiunij, & alijs tribus diebus proximè sequentibus; Profecto verisimile admodum est, eiusmodi Sermones habitos ab illis Patribus fuisse initio Quadragenarij ieiunij: & postea quatuor illis diebꝰ esse attributos. Incertũ esse quidã aiũt, an Sermones illi sint B. Augustini, sicut etiam dubitatur, An titulus Sermonis in feria quarta in capite ieiunij sit ab Augustino appositus, an ab alio postea adiectus. Sermones illi videntur mihi esse Augustini de Tempore, sed ab aliquo post Augustinum ad Gregorianum Quadragenarij ieiunij morẽ & rationẽ accommodati. Fateor quidẽ in c. Quadragesima de Consec. dist. 5. Gratiani esse verba, non Gre-

gorij Magni ea omnia, in quibus dicitur, esse adiectos Quadragenario ieiunio quatuor dies: quâuis Gratianus, vt assolet, ea verba retulerit, tanquâ ex Gregorio Primo accepta. Verisimile quidam existimant, quatuor illos dies esse additos à Gregorio I. I. nam vterq; Ecclesiastica officia ad certam rationem & methodum dicitur reuocasse: sed parum refert, an Gregorius Primus, an potius Secundus eos quatuor dies adiecerit.

Tertiò quæritur, Quo die ieiunium Quadragenarium finiatur? Duæ quoque sunt sententiæ: vna illud terminari vult in Sabbato, quod proximè Pascha antecedit. Id enim planè docent Ambrosius, Cassianus, & Gregorius Magnus *locis supra citatis*. Altera opinio docet, finiri more antiquo in feria quinta maximæ hebdomadæ, quæ vocatur feria quinta in Cœna Domini: sed recõtiori iure & more in Sabbato terminari, quod Pascha præcedit. Et hæc probabilior videtur opinio: si sermo sit de prima huius ieiunij origine & institutione, & computatione veteri. Sic enim ait Alcuinus in Lib. de Diuinis offic. cap. de Quadragesima. *Quadragesima tendit vsque ad diem in Cœna Domini*; & alibi: *Quadragesima incipit à sequenti Dominica post Quinquagesimam, & finitur quinta feria ante Pascha Domini, quando canimus: In nomine Domini omne genu flectatur*; Et Liber dictus, Ordo Romanus, hunc in modum loquitur in cap. De Septuagesima: *Quadragesima currit cum sua Dominica, à qua incipit, vsque ad mysterium Paschæ Hebræorum: quod Dominus noster cum Discipulis suis celebrauit, & nos dicimus Cœnam Domini*. Amalarius quoque lib. 4. *de Ecclesiast. offic. cap. 4.* ita scribit, *qui quadraginta dies studuerit sub disciplina constringi, quæ in Quadragesima peragitur, non est dubium, quin in Cœna Domini possit annumerari cultui munditiæ*. Auctor Micrologi *cap. 52.* ait. *Diem in Cœna Domini finem esse Quadragesimæ*. Idem quoque Rabanus *Lib. 2. de Instit. Cleric. cap. 34.* Vnde pariter aiunt, olim eo die, qui dicitur feria quinta in Cœna Domini, perfecto Missæ sacrificio, omnes Eucharistiam suscipere, ac tunc ieiunium aliquas Ecclesias soluere consueuisse, exemplo eorum, de quibus loquitur Paulus *1. Corinth. 11.* Et quia ea consuetudo alicubi recepta fuerat, Ecclesia postea in vniuersum prohibuit, ne eo die ieiunium solueretur. Nam cum is dies finis Quadragesimæ censeretur, non videbatur rationi consentaneum, vt eo die Quadragenarium ieiunium solueretur, vt ait Auctor Micrologi, *cap. 52.* Concilium Laodicenum *Can. 50. & habetur cap. Non oportet, de Consec. distin. 3.* ita statuit. *Non oportet in Quadragesima quinta feria vltimæ hebdomadæ ieiunium dissoluere, & totam Quadragesimam inhonorare, sed per totos dies Quadragesimæ ieiunare*. Idem decernitur in cap. Non liceat, de Consec. *distinct. 3.* ex Cõcilio Martini Episcopi Bracaren. Idem in Concilio ad Trullum coacto, *Can. 29.* Obijcies Ambrosium dicentem loco citato, Quadragesimam vsque ad Pascha habere quadraginta duos dies. Et Gregorium similiter loco prædicto asserentem, Quadragesimam habere sex hebdomadas ante Pascha, & quadraginta duos dies vsque ad Pascha. Respondeo Patres variè Quadragenarij ieiunij dies supputare consueuisse: nam à prima Dominica in Quadragesima vsque ad feriam quintam Magnæ hebdomadæ, computantur integri quadraginta dies, qui quidem dies Quadragesimam efficiebant, & ieiunium in vltimo die, nimirum in feria quinta terminabatur: sed deinde feria sexta & Sabbato proximo ante Pascha ieiunium resumebatur: Illud tamen ad Quadragesimam non omninò olim pertinebat, quoniam erat totius anni commune ieiunium: nam per totum annum Christiani Latinæ Ecclesiæ feria sexta & Sabbato cuiuslibet hebdomadæ seruare ieiunium solebant, vt dicam inferius. Ac proinde Ambrosium, & Gregorium fateor hoc ieiunium in feria sexta ac Sabbato proximè Pascha præcedentibus, vna cum ieiunio Quadragenario coniunxisse & annumerasse, cum scripserunt: Sex hebdomadas & quadraginta duos dies ante Pascha ieiunium seruamus. Deinde obijcies, si Quadragesima finitur in feria quinta Magnæ hebdomadæ; consequens est, vt dies Quadragenarij ieiunij quadraginta non sint, sed tantùm triginta quatuor: nam detrahi debent sex integræ Dominicæ, in quibus ieiunium non seruabatur? Respondeo, vt paulò ante dixi, Quadragenarium ieiunium esse duplex, plenum, & semiplenum: perfectum, & imperfectum. Plenum ieiunium est, (vt ibidem definiuimus) cum interdiu semel tantum edimus, & à carnibus, ouis, & cæteris huiusmodi abstinemus. Semiplenum verò ieiunium est, cum solum abstinemus à carnibus, & ijs quæ initium & originem ducunt à carnibus, etiamsi amplius quàm semel edamus: vnde à prima Dominica Quadragesimæ vsque ad feriam quintam Magnæ hebdomadæ, numerantur dies quadraginta, in quibus ieiunium Quadragenarium partim plenum, partim semiplenũ seruatur: ac proinde omnes eiusmodi dies olim dicebantur esse dies Quadragenarij ieiunij. Cæterùm Gregorius I. I. aut fortè primus voluit, vt plenum ac perfectum ieiuniũ Quadragenarium seruaret Ecclesia Romana: & idcircò adiecit quatuor illos dies, qui primam Dominicam Quadragesimæ proximè antecedũt. Et cum pariter iam cautum antea esset, vt feria quinta Magnæ hebdomadæ ieiunium, vt olim seruaretur, annumerati & adiuncti fuerunt Quadragenario ieiunio duo illi dies, qui proximè Pascha antecedunt, & sex huiusmodi dies suffecti & subrogati in locum sex Dominicarum, integrum quadraginta dierum ieiunium effecerũt, & sic effectus est totus qui nunc est, Quadragenarij pleni & perfecti ieiunij numerus.

Matt. 26.

Quartò quæritur, quot diebus ieiunium Quadragenarium constet? Respondeo ex Ambrosio *Sermone 23. de Quadragesima*, diebus constare quadraginta duobus, qui à prima Dominica Quadragesimæ vsque ad Sabbatum Paschæ proximũ protenduntur: in quibus etiam diebus sex Dominicæ computantur: nam ieiunium Quadragenarium accipit B. Ambrosius non solum id, quo interdiu semel tantùm comedimus, sed etiam quo à carnibus, ouis, & cæteris eiusmodi cibis abstinemus, quamuis amplius quàm semel edamus. Vnde quærens ipsemet Ambrosius prædicto Sermone de Quadragesima qui incipit, Sancta Quadragesima, cur Quadragesima habeat duos & quadraginta dies? Respondet, quia populus Israeliticus per quadraginta duas manſio-

nes introductus est in terrã Promissionis; sic nos ad requiem Paschæ: nam ieiunia nostra sunt quædam mansiones. Item, sicut quadraginta duorum annorum spatio Israel peruenit ad fluenta Iordanis: sic nos à Baptismo in Pascha. At Cassianus Collat. 21. cap. 25. *In septem*, inquit, *hebdomadibus si dies Dominici & Sabbata subtrahantur, quinque & triginta dies supersunt ieiunijs deputati.* Et cap. 27. *Qui putãt die quoque Sabbati ieiunandum, sex in hebdomada ieiunia persoluunt: & ita sex & triginta diebus ieiunant, sexies reuoluta hebdomada.* A prima igitur Dominica Quadragesimæ ad Pascha, sunt quadraginta duo dies: ex quibus, sex detractis, Dominicis scilicet, in quibus non ieiunatur, remanent triginta sex dies, qui sunt decima pars dierum trecẽtorum sexaginta quinque, ex quibus annus constat. Cum ergo triginta sex diebus ieiunamus, decimas totius anni Deo persoluimus, iuxta legem, quæ Leuit. 28. & Exod. 22. iubet decimas solui. Hæc ex Cassiano. Similiter Gregorius *Homilia 16. in Euangelia* docet, ieiunium Quadragenarium quadraginta duobus diebus constare. *A prima*, inquit, *Dominica Quadragesimæ vsque ad Pascha Domini, sex hebdomadæ computantur, quarum videlicet quadraginta duo dies sunt, ex quibus dum sex Dominici dies abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quàm triginta sex remanent. Dum verò per trecentos sexaginta quinque dies annus voluitur, deinde per triginta sex affligimur; quasi anni nostri decimas Deo damus.* Hęc ille. Et in c. Quadragesima, de Consec. distin. 5. quasi ex eodem Gregorio Primo Gratianus adiungit: *Sed vt sacer numerus quadraginta dierum impleatur, quem Saluator noster sacro suo ieiunio consecrauit, quatuor dies prioris hebdomadæ, ad supplementum quadraginta dierũ adduntur, id est, quarta feria, quæ caput ieiunij subnotatur, & quinta feria sequens, & sexta feria, & Sabbatum. Nisi enim istos dies quatuor, triginta sex superioribus adiunxerimus, quadragintà dies in abstinentia non habebimus. Iubemur autem & ab omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare.* Hæc apud Gratianũ: loco citato. Augustinus *itidem Epist. 118. quæ est ad Ianuarium, & Lib. 2. de Consen. Euangelista. cap. 4. & Lib. 83. Quæstionum q. 81.* mysticum Quadragenarij ieiunij numerum sic exponit, dicens: *Quia virtus Decalogi per quatuor Euangelia impletur: nam denarius quater ductus, in quadragenarium surgit: Tunc Decalogi mandata perficimus, cum Quatuor Euangelia custodimus.* Ait item, *Ex quatuor elementis subsistimus: quia per carnis quatuor humores, vel quatuor elementa, vel quatuor præcipuas animi passiones, vel per Quatuor anni Tempora, decem Decalogi præcepta contemnimus.* Hactenus ex Augustino. Ex quo, & ex Hieronymo *super Ezechiel. 29. & Ionam 3.* & ex Chrysostomo *Hom. 61. ad Populum Antioch. & Hom. 1. in Genesim*, & Leone *1. Serm. 1. 2. & 5. de Quadragesima*: constat hoc ieiunium in quadraginta dierum numero consistere.

De ieiunij porrò Quadragenarij dierũ numero, & initio magna fuit olim apud Christianos varietas, quam etiã Irenęus *Lib. 5. c. 25.* significauit ita scribens: *Quidam*, inquit, *se vnũ diem ieiunare existimant, alij duos, non pauci plures, multi quadraginta, atq; diurnis nocturnisq; horis diem suũ metiuntur & statuunt, atq; eiusmodi eorũ qui hoc obseruabant ieiunium, varietas & discrepantia, non nostra modò ætate cœpta est, verũ etiam longè ante apud Maiores nostros, qui vt coniectare licet, non accuratè cõsuetudinem illorũ, qui vel simplicitate quadam, vel priuata auctoritate aliquid in posterum tempus statuissent, obseruarunt.* Sozomenus item *Lib. 7. ca. 19.* à quo Nicephorus *Lib. 2. cap. 34.* accepit, hunc in modum scribit: *Iam illã quæ hinc processit, quæq; appellatur Quadragesima, in qua populus ieiunat, alij in sex dierum septimanis computant, vt Illyrij, & qui ad Occidentem siti sunt, necnon & vniuersa Libya, & Aegyptus cum Palæstinis. Alij in septem, vt Constantinopolitani, & nationes circumiacentes vsq; ad Phœnices. Alij sparsim tres intra sex aut septem istas ieiunant. Alij tres, Pascha immediatè præcedentes continuant.* Beda item, & ante eum longè multò Cassianus *in Collat. 21. cap. 25. & 27.* inter alia cõmemorat, Diuerso more, id est, sex, vel septem hebdomadibus per nonnullas Prouincias Quadragesimã celebrari. Sic ille. Constat igitur, alios Quadragesimam à Septuagesima auspicari solitos, alios à Sexagesima, alios à Quinquagesima, alios à Quadragesima, alios tandem à die Cinerum, hoc est à feria quarta ante Dominicam Quadragesimæ. Si quæras, quo pacto omnes Quadragenarij ieiunij tempus Quadragesimam appellauerint, cum tamen alij octo, alij nouem, alij septem, alij sex, alij tres, alij duas, alij vnam tantùm hebdomadam ante Pascha ieiunio consecrauerint, vt Sozomenus, & Nicephorus *locis citatis* tradiderũt? Respondeo, Apostolos, quadraginta dies proximè ante Pascha ieiunio deputasse; deinde verò consuetudines varias esse introductas. Alij enim dies perfecto & pleno ieiunio celebrabant, nec die non amplius, quàm semel edentes: Alij verò imperfectum ieiunium seruabant, abstinẽtes quidem à carnibus & cæteris carnium fructibus per totos eos quadraginta dies, sed sæpius intertim cõmedentes, & vnam hebdomadam, aut duas, aut tres perfecto ieiunio seruãtes: Alij plures quàm quadraginta dies perfectò ieiunio sua spõte consecrabant, & ideo omnes Quadragesimam ab Apostolis institutam retinere se & obseruare proximè ante Pascha profitebantur.

Quæres, quid est quod Irenæus ait, aliquos vnum tantùm ieiunare diem; Alios, ieiunare duos dies, & alios, plures? & Basilius *Homil. 2. de Ieiunio*, hortans populum ad ieiunium Quadragenarium, videtur significare, esse ieiunium colendum diebus quinque duntaxat: & Leo agens de Ieiunio septimi mensis *Sermone 1. 3. 4. 5. & 9.* ait: *Ieiunemus secunda feria, quarta, & sexta, & Sabbato apud Sanctum Petrum pariter vigilemus:* Et Socrates *Lib. 7. Histor. Eccles. cap. 38.* quem sequitur Nicephor. *lib. 12. cap. 34.* refert Romanos ieiunare solitos tantũ tres hebdomadas ante Pascha? Respõdeo, Irenæum loqui de Ieiunio, quod quidam seruant in certis diebus hebdomadæ, nihil prorsus edentes nec interdiu, nec noctu, exemplo, & imitatione Dominici: ita vt quidam vnum diẽ, alij duos, alij tres, alij plures dies obseruent nihil edentes. Et ideò subijcit: *Quadraginta horis diurnis & nocturnis diem suum metiuntur.* Basilius verò loquitur de quinque dierum ieiunio, quod in singulis hebdomadis Quadragesimæ Græci seruabant, nam illi diebus Dominicis & Sabbatis ieiunium videlicet plenũ & perfectum non colunt. Leo videtur similiter loqui de ijs, qui ieiunium plenum & perfectum exemplo Christi seruabãt nihil prorsus edentes per totum diem ac noctem; & eiusmodi ieiuniũ suscipiebant feria secunda, quarta, & sexta; cæteris verò diebus hebdomadę, ieiunium commune

vnà cum alijs colebant, nempe cœnantes, nihil autem prandêres. Socrates verò loquitur de quibusdã Romanis, qui malè in Quadragesima ante Pascha alternis tantummodo hebdomadis ieiunium agebant. Nam Ambrosius reprehêdit quosdam, qui alterna quoque ieiunia, Quadragesimæ tempore Mediolani seruabant. Is igitur mos non erat omnium Romanorum communis, sed aliquorum duntaxat perperam ieiuniũ quadragenarium colentium.

Quintò quæritur, An eadem ieiunij ratio fuerit in Ecclesia Latina & Græca seruata? Respondeo, Græcos Quadragenarium ieiunium à Dominica Sexagesimæ inchoasse, & proinde per octo hebdomadas ante Pascha seruasse ieiunium. Latinorum verò alij, à Dominica Quadragesimæ, alij verò, à feria quarta Cinerũ incipiebant; quamuis, vt paulò antè dixi, ante Gregorium Primum, vel etiam ante Secũdum, Latini omnes à Dominica Quadragesimæ inchoabant. Item Græci in Quadragesima dies Dominicos & Sabbata, vno dempto, quod Pascha proximè antecedit, à ieiunio Quadragesimæ excipiebant. Sic enim habet Canon 55. Synodi in Trullo cõgregatæ: *Quoniam intelleximus in Romanorum Ciuitate, in sanctis Quadragesimæ diebus in eius Sabbatis ieiunare præter Ecclesiæ traditam consuetudinem: Sanctæ Synodo visum est vt in Romanorum Ecclesia Canon inconcussè obtineat, qui dicit: Si quis Clericus inuentus fuerit in sancto die Dominico vel Sabbato ieiunans præter vnum & solum, deponatur; Si autem Laicus, segregetur.* Hæc ibi. Hic Canon, qui Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem reprehendit, non recipitur. Canon autem Apostolorum 68. Sic habet: *Si quis Dominicũ diem & Sabbatum, vno solo dempto, ieiunare deprehenditur; deponitor, si Laicus, è Communione eijcitor.* His accedit S. Ignatius in Epistola ad Philippẽses: *Quadragesimam*, inquit, *nolite pro nihilo habere: imitationẽ enim continet Dei conuersationis. Quicunque Dominicam aut Sabbatum ieiunauerit præter vnum Sabbatum Paschæ, ipse est Christi inuersector.* Sic ille. At verò Romanorum Ecclesia, Sabbato solita est ieiunium seruare. Vnde Innocentius Primus scribit *in Epist. ad Decentium Episcopum cap. 4.* Quod ritè omni Sabbato ieiunetur, quia feria sexta & Sabbatum, ambo dies tristitiam Apostolis, vel ijs qui Christũ secuti sunt, induxerunt. Qui die Dominico exhilarati, non solum istum festiuissimum esse voluerunt, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt. Vnde verò hæc Græcorum, & Latinorum sit exorta diuersitas, suo loco inferius explicabo.

Caput XIII.

De ieiunio, quod in peruigilijs Sanctorum Apostolorum suscipitur & colitur.

PRimò quæritur; In quibus Sanctorum cœlicitium peruigilijs sit nobis, iure communi, ieiunium seruandum? Respondeo, id planè constare ex c. *Ex parte de obseruat. ieiuniorum.* Indictum est enim ieiunium in peruigilio Dominici Natalis, & Assumptæ in Cœlum Virginis. Et ex c. *Consilium de Obseruat. ieiunior.* seruandum est ieiunium in singulis peruigilijs Apostolorum, præterquã in peruigilio Sanctorum Philippi & Iacobi, & B. Ioannis Euangelistæ, quia illud incidit inter Pascha & Pentecosten, quod tempus generali Ecclesiæ traditione, immune & liberum est à ieiunio; & hoc, quia cadit intra dies Natalis Dominici. In cap. vero, Ex parte, ante dictum fuerat; In peruigilio S. Matthiæ, esse ieiunium colẽdum, quia fuit duodecim Apostolorum numero adscriptus.

Quæres, an in peruigilio S. Ioannis Baptistæ, S. Laurentij, & Celebritatis omnium Sanctorum debeat ieiunium iure communi seruari? Respondeo, nihil esse de hoc ieiunio iure communi expressè constitutum: generali tamen consuetudine Ecclesiæ Latinæ, quæ vim legis habet, seruandum est. Et ideo Innocentius Hostien. Ioan. Andreas, Abbas, & cæteri *in Rubrica de Obseruat. ieiun.* hos dies cum reliquis connumerant. Ita Angel. *Ieiunium num. 7.* Silu. *eodem verbo. num. 4.* Scire autem oportet extare Epistolam Nicolai Primi ad Consultã Bulgarorum, vbi cũ rogaretur, Quot temporibus & diebus esset ieiunium seruandũ? Respondit capite 4. *Quadragesimale ieiunium, quod est ante Pascha, ieiunium post Pentecosten, & ieiunium ante Solennitatem Assumptionis Sanctæ Dei Genitricis, & ieiunium ante Natalem Domini. Quæ ieiunia Sancta Romana suscepit antiquitas, & tenet Ecclesia. In sexta verò feria omnis hebdomadæ, & in cunctis vigilijs insigniũ festiuitatum, à carnium esu cessandum est, & ieiunijs incumbendum, vt verè cum Psalmo dici valeat: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Hæc ibi. In Concilio itidem Oxoniensi in Anglia coacto ab Stephano Archiepiscopo statuitur: *Volumus, vt vigilia Natiuitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, vigilia S. Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri, & Pauli, S. Laurentij, Assumptionis B. Mariæ, S. Bartholomæi, S. Matthæi, Apostolorum S. Simonis & Iudæ, Omnium Sanctorum, S. Andreæ, S. Thomæ Apostoli in obsequio, & laude Domini celebrentur.* Hactenus Concilium. Sed hæc duo Decreta, in corpus siue volumen communis iuris non sunt relata: indicant tamen communem Ecclesiarum morem in ieiunijs seruandis. Et inter Sermones ad Fratres in Eremo, qui nomine Augustini circumferuntur, est Sermo 51. sic habens: *Scitote fratres, quod antiquitus Patres nostri fideles ieiunare consueuerunt in vigilijs magnarum solennitatum, vsque ad noctem: quod laudandum erat, & bonum. Aliquod tamen est ieiunium deuotionis, vt ieiunare vigilias Sanctorum Cypriani compatrioteæ nostri, & Geruasij, & Protasij, & similium. Aliud est ieiunium institutionis, vt Assumptionis B. Mariæ, Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri, & Pauli, Simonis & Iudæ, Matthæi & Andreæ, & Iacobi Maioris. Istorum vigilias ieiunare semper debemus: vt sicut ieiunando cum ipsis patimur, ita & in futurum cum eis pariter glorietur.* Et paulò inferiùs subijcit: *Iacobus Zebedæi Apostolus apud quosdam vigiliam non habet, eo quod occisus fuerit in diebus Azymorum, ne dies mortis celebretur, sed translationis Bartholomæus etiam vigiliam non videtur habere, eo quòd vna dierum fuerit decoriam, & sequẽti die obijt: & si sic haberet vigiliam, oporteret quod esset in tertia die: quod est contra normam aliorum ieiuniorum. Thomas quoque vigiliam non habet, eo quòd tempore Aduentus venit. Barnabas ieiuniũ non habet, eo quòd de Duodecim non fuit. Matthias ieiunium non habet, eo quòd tempore ieiunij sit.*

Ioannes Euangelista ieiunium non habet, eo quod Gloria in excelsis Deo cantare debemus. Hæc Auctor ille. Quo fit, vt mirum non sit quod Paludanus *in 4. distinct.15.q.4.arti 3.conclus.2.* tradiderit, in peruigilijs Bartholomæi, Iacobi Maioris & Matthiæ, ieiunium vim præcepti non habere, nisi vbi fuerit vsu & consuetudine receptum. Sed Innocentius Tertius, vt patet ex c. Ex parte, respondit, in peruigilio Matthiæ, & omnium Duodecim Apostolorum ieiunium obseruari oportere, præterquam in peruigilijs Apostolorum Philippi & Iacobi, & Ioannis Euangelistæ.

Secundò quæritur, An in peruigilio Pentecostes ieiunium sit communi iure institutum? Respondeo, *iuxta Scire, dist.76.§.necessario*, Gratianum ita litterere: *Necessario ergo Ecclesia instituit, vt post diem Pentecostes ieiunia celebrentur. Sed quòd in illis quinquaginta diebus ieiunandum esse negatur, ex obseruantiæ necessitate intelligitur*, &c. Ieiunium §. Hanc autem, eadem distinctione: *Non autem videntur ieiunia quarti mensis posse celebrari ante diem Pentecostes: à die enim Dominicæ Resurrectionis vsque ad diem Pentecostes nō indicuntur obseruanda ieiunia.* Significat Gratianus his verbis, in peruigilio Pentecostes, nullum ieiunium iure communi esse sancitum. Et reuera *ex c. Scire debet, & ex c. Ieiunium, & ex c. Post Pascha, & ex c. Item dist. dist.76.* perspicuè colligitur esse Ecclesiæ traditionem, & morem, vt inter Pascha, & Pentecosten, nulla ieiunia indicantur. Nihilominus tamen, *in eadem dist. dist. c. Nosse*, Ex Ambrosio habetur: *Nosse, credo, vos fratres, non minori lætitia celebrare diem Pentecosten quàm diem sanctum Paschæ celebrare consuestis: tunc enim, sicut modò facimus, ieiunauimus, Sabbato vigilias celebrauimus, orationibus pernoctantes in templis. Vnde necesse est, vt similem obseruantiam, similis lætitia subsequatur.* Et Glossa ibidem: *In vigilia*, inquit, *Pentecostes necessario est ieiunandum.* Angel. *verbo ieiunium, num.7. ad finem.* ait: *Verius videtur, ex necessitate præcepti tale ieiunium esse seruandum.* At ex altera parte est S. Thomas *2.2. quæst.147. art.5. ad 3.* vbi apertè docet, ieiunium exultationis, quale inter Pascha & Pentecosten seruatur, non esse præceptum: *Ieiunia*, inquit, *quæ præcepto Ecclesiæ instituuntur, sunt magis ieiunia afflictionis, quæ non conueniunt diebus lætitiæ: propter quod non est ieiunium ab Ecclesia institutum in toto Paschali tempore, nec etiam in diebus Dominicis, in quibus si quis ieiunaret contra consuetudinem Populi Christiani, quæ vt Augustinus Epist.86. dicit, est pro lege habenda, vel etiam ex aliquo errore, sicut Manichæi ieiunant, quasi necessarium tale ieiunium arbitrantes, non esset à peccato immune.* Hæc ibi S. Thomas.

In hac controuersia dicendū existimo, in peruigilio Pentecostes iure communi non esse ieiunium indictum, generali tamen Ecclesiæ Latinæ cōsuetudine, quę legis & præcepti vim habet, eo die seruari ieiunium debet. Et hoc est fortassis, quod Glossa *lucis citatis* docuit. Sic Siluester *ieiunium, num.4.* Caietanus *2.2. q.147. art.5.* Quare quod Gratianus & S. Thomas tradiderunt, id de iure communi, non autem de consuetudine, quæ in legem & præceptum transiuit, est intelligendum. Porrò, *vt in c. Consilium, & in c. Ex parte de Obseruat. ieiunior.* statuitur: Quando dies festi Sanctorum in secundam hebdomadæ feriam incidunt, ieiunium, quo eorum peruigilia cōsecrantur, in Sabbato proximè antecedente seruatur.

Caput XIV.

De ieiunijs, quæ in Quatuor anni Temporibus seruantur.

PRimò quæritur, Quo iure sint ieiunia in Quatuor anni Temporibus instituta? Respōdeo in hunc modum. Etsi iure tantùm Canonico ab Ecclesia indicta sint; attamen, vt rectè Leo Primus *in Sermonibus de Ieiunio Septimi mensis, Serm. 7. & Serm.9.* & Isido. *Lib.1.de Offic. Eccles. cap. De ieiunio Quatuor Temporum* tradiderunt, huius Quatuor Temporum ieiunij veluti quidam typus ac figura in veteri Hebræorū populo præcessisse memoratur. Verba Leonis hæc sunt: *Quod ex veteris prædictione doctrinæ ad purificationem animorum, & corporum nostrarum ieiunium septimi mensis assumimus, non legalibus nos oneribus subijcimus, sed vtilitatem continentiæ quæ Christi Euangelio seruit, amplectimur.* Isidorus quoque Ieiuniorum Tempora secundum scripturas, quatuor esse definit, in quibus per abstinentiam, & lamentum pœnitentiæ, Domino sit supplicandū. Hæc ille. Cæterùm hoc nostrum ieiuniū, non habet eandem rationem, quam Iudæorum ieiuniū. Neque enim eisdem anni temporibus, nec eodem dierum numero, neque eodem ritu, & modo, neque eisdem de causis suscipitur. Iudæi enim mense quarto, quinto, septimo, & decimo (*Zachar.8.*) Ieiunium colebant, hoc est, in mense Iulio, Augusto, Octobri, & Ianuario; nos verò, Quatuor anni Temporibus ex æquo penè diuisis: vt primum sit, ieiunium vernum in mense Martio; secundum æstiuum in mēse Iunio, aut Maio; tertiū, Autumnale, in mense Septembri: quartum, Hybernum, in Decembri. Iudæi itidem septem dies ieiunio consecrabant de vespera ad vesperam; nos verò, tres tantùm dies vsque ad Nonam, vel Meridiem solum. Illi, ieiunio studebant propter confractas legis tabulas, aut propter ruptos ab hoste Vrbis Hierosolymæ muros, aut propter obortam ex narratione exploratorum in populo seditionem, diuturnamq; in solitudine peregrinationem, aut propter dirutum & euersum à Nabuchodonosore Chaldęorum rege templum; aut propter tribus Iudæ reliquias vnà cum duce suo Godolia miserabiliter dissipatas. Nos verò Quatuor Temporum ieiunia suscipimus, vt debita quæ negligentia nostra conflauimus, &, quæ contraximus, peccata exoluamus, & Deo bonorum omnium largitori, operum nostrorum primitias consecremus. Et verisimile est Hybernum ieiunium quod in Decembri de more seruatur, esse ab Apostolis institutum. Vnde Auctor Micrologi *cap. 28.* ait. *Et notandum omnes Apostolicos à B. Petro vsque ad Simplicium Papam ordinationes tantum in ieiunio Decembris celebrasse, vt in Romano Pontificali legitur.* Sic ille. Etenim in Libello, in quo Vitæ Romanorum Pontificū breuiter scriptæ, nomine Damasi referuntur, legimus, quoties singuli Romani Pontifices in Mense Decembri sacros ordines cōtulerint. Id enim in cuiusq; illorū vita annotatur: At, vt rectè Leo I. *in Epist. ad Dioscorū Alexandrinū Episcopum, quæ est. 81.c.1.* scriptum reliquit: *ex Apostolica nouimus venire doctrina, vt sacræ ordinationes præmisso ieiunio consecrentur. Nā Act. 13.* dixit Spiritus

Exod.32. Num.13.

4.Reg.vlt. Ibidem.

Sanctus: segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Et mox subditur: *Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Et de ieiunio æstiuo Clemens Romanus *Lib. 5. Apostolic. Constitut. c. 13.* ait: *Post festum Pentecostes celebrate hebdomadam: post quam & ieiunate alteram: æquum est enim & lætari de Dei dono, & ieiunare post hilaritatem.* Leo I. *Serm. 2. de Pentecost.* ait: *vt ieiunium quod ex Apostolica traditione subsequitur, sancta obseruatia celebremus.* & Serm. 8. de ieiunio septimi mensis, scribit illud ieiunium Apostolicis & legalibus institutis electum. Auctor Micrologi *c. 28. ad finem* ait, *Sciendum autem, Sanctum Callixtum Papam & martyrem huiusmodi ieiunia quater in anno celebrari cõstituisse, quæ prius ter in anno celebrata sunt: sicut idem Apostolicus ad Benedictũ Episcopum scribens, testatur.* Sic ille. Hoc Callixti decretum est in Epist. 1. Decretali, tom. 1. concil. & refertur, d. 76. c. ieiunium, sunt, qui dicant, ibi cũ dicitur, ieiunium: quod ter in anno apud nos celebrari didicisti, legendum esse, quater in anno, quia non videtur Callixtus Primus instituisse Quatuor Temporum ieiunia, cum Leo I. insinuet ea esse Apostolicę traditionis, sed certè Micrologi Auctor legit ter, non quater, & omnes codices apud Gratianum *dist. 76. c. ieiunium, & tom. 1. Concil. in Epist. 1. Callixti.* legunt ter. Et hæc lectio magis congruere cum ipso literę contextu videtur. Verisimile est Quatuor Temporum ieiunia vel ab Apostolis, vel saltem statim post ipsos esse instituta, imitatione & exemplo veteris populi: qui, vt habetur *Zach. 8.* mẽse quarto, quinto, septimo, & decimo, ieiunio sese affligebat. Posteà verò Gelasius I. constituit, vt sacræ Clericorum ordinationes, quę ante in mẽse Decembri solum fieri solebant, in Quatuor anni Temporibus, quæ iam erant ieiunio deputata, in posterũ fierent; vt præmisso ieiunio, Clerici ad sacros ordines promouerentur, eodem ritu & more, quo Apostoli Paulus & Barnabas. *Epist. 1. Gelasij. c. 13. & c. vlt. dist. 75.*

Secundò quæritur, quo modo Temporum ieiunia olim in Ecclesia colebantur? Respondeo, hæc Quatuor Temporum ieiunia nõ in omnibus prouincijs eodẽ modo seruata esse. Nam in Concilio Moguntino sub Carolo Magno, Anno Domini 813. in Canone 14. dicitur. *Constituimus, vt Quatuor Tempora anni ab omnibus cum ieiunio obseruentur, hoc est, mense Martio hebdomada prima, & feria quarta, sexta, & Sabbato veniant omnes ad Ecclesiam hora nona cũ Litanijs ad Missarum solennia. Similiter in mense Iunio, hebdomada secunda, feria quarta, sexta, & Sabbato ieiunetur vsq; ad Nonam. Similiter in mense Septembri hebdomada tertia, & in mense Decembri, in hebdomada quæ fuerit plena ante vigiliã Natalis Domini, sicut est in Romana Ecclesia traditum.* Et in Concilio Moguntino tẽpore Henrici II. coacto, & *habetur in c. De ieiunio dist. 76.* decernitur sic: *De incerto ieiunio Quatuor Temporum, hanc certitudinẽ statuimus: quod si Calendæ Martij in quarta feria siue ante euenerint, eadem hebdomada ieiunium celebretur. Si autem Calendæ Martij in quintam aut sextam feriam, aut Sabbatum distendantur, in secundam hebdomadam ieiunium differatur. Simili quoq; modo, si Calendæ Iunij in quartam feriam, vel ante inciderint, in sequenti hebdomada ieiunium peragatur. Et si in quintã feriam, aut sextam, aut Sabbatum contigerint, in tertiã hebdomadam ieiunium referuetur. Et hoc sciendum est, quod si quando ieiuniũ mensis Iunij in vigilia Pentecostes, secũdum prædictam regulam euenerit, non ibi celebrandum erit, sed in hebdomada solenni Pentecostes. Eodem modo de Septembris ieiunio constitutum sit: vt si Calendæ in quarta feria, vel ante euenerint, ieiunium in tertia hebdomada celebretur. Et si in quinta, aut sexta feria, aut Sabbato contigerit, in quarta hebdomada ieiunandum erit. In Decembri illud obseruandum est; vt proximo Sabbato ante vigiliam Natalis Domini celebretur ieiunium: quia si vigilia in Sabbato euenerit, simul vigiliam & ieiunium celebrare non conuenit.* Hæc ibi. Conueniunt igitur inter se, hæc duorum Conciliorum decreta; cũ quibus tamen non conuenit Gerundensis Synodi decretum in Canone 2. *Expleta*, inquit, *solemnitate Pentecostes in sequenti septimana à quarta feria in Sabbatum, per triduum abstinentia celebretur: secunda Litania facienda est Calendis Nouembris: ea tamen conditione seruata, vt si ipsem diebus Dominica interceserit, in alia hebdomada secundam prioris abstinentiæ obseruantiam, à quarta feria incipiatur, & in Sabbati Vespera, Missa finiatur.* Et in Concilio Oxonienſi in Anglia celebrato, ita statuitur: *In Martio, prima hebdomada ieiunandum est feria quarta, sexta, & Sabbato: In Iunio, in secunda hebdomada: quod dupliciter obseruatur à pluribus in prima hebdomada post Litanias, aut in hebdomada Pentecostes. In Septembri, in tertia hebdomada: In Decembri, in proxima septimana integra ante Natalem Domini.* Refert Isidorus *Lib. 1. de Diuinis offic. cap. de Ieiunio:* Ieiunium æstiuum à pleriſque ante Pentecosten, post Ascensionem Domini, auctoritate Euangelij obseruari, illud Domini testimonium ad litterã recipientibus: *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt:* aiunt enim illud tempus expletũ, quo Christus aduolans ad cœlos, præsentia corporali discessit: Et ideo tunc indicendum est ieiunium, vt per cordis humilitatem, & carnis abstinentiam, Spiritum Sanctum mereamur accipere. Hæc Isidorus. Matth. 9.

Veruntamen huic tantę ieiunij Quatuor Temporum diuersitati, finem imposuit Vrbanus Secundus in Concilio Placentiæ coacto: cuius Decretum habetur *in cap. statuimus dist. 76.* quod sic habet: *Statuimus, vt ieiunia Quatuor Temporum hoc ordine celebrentur: Primum, in initio Quadragesimæ: secundum, in hebdomada Pentecostes: tertium verò in Septembri more solito fiat.* Et in Concilio Claromontensi idẽ Vrbanus II. dicitur sic constituisse: vt primum ieiunium, semper fiat prima hebdomada Quadragesimæ: secundum in hebdomada Pentecostes absque genuum flexione, cũ Alleluia, & Gloria in excelsis Deo, & vestibus solẽnibus fiat: tertium, in hebdomada ante Aequinoctium Autumnale: quartum, plena hebdomada ante Natalem Domini vigilia eiusdem accepta. Et longe ante hos Pontifices Leo I. *Serm. 8. de Ieiun. decimi mensis* ait. *Siquidem ieiunium vernum in Quadragesima: æstiuum in Pentecoste: autumnale in mense septimo, hyemale autem in decimo celebramus.* Auctor Libelli qui dicitur Micrologus, postquam reprehendit *cap. 24.* Concilium Moguntinum sub Henrico II. coactum, cuius Decretum paulò ante protulimus, ait, *Gregorium VII. statuisse, vt ieiunium vernum fiat in prima hebdomada Quadragesimæ*, hoc est, post Dominicã primã in Quadragesima: & *cap. 50. Quoniam*, inquit, *Leo Primus, Gelasius Primus, Gregorius Primus, & Gregorius Secundus, & Gregorius Septimus sic*

mum sic constituerunt: Aestiuum, infra Octauam Pentecostes, quia sic ijdem Pontifices statuerunt; Autumnale in Septembri, in quo iuxta consuetudinem Ecclesiasticam, fit in tertia hebdomada. Nam secundum prædictos Pontifices non est designata peculiaris hebdomada; Hyemale verò in tertia hebdomada in Aduentu Domini, secundùm institutа Patrum, & vsum Romanum. Hæc ille. Obijcies Callisti Decretum *in Epist.1.decretali ad Benedictum Episcopum, tom.1.Cõcil. Et habetur in c.Ieiunium, dist.76.* vbi decernitur, vt quater in anno ieiunium agamus, non ter vt antea; sic habet: *Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrari didicisti, conuenientibus nunc per Quatuor Tempora fieri decernimus: vt sicut annus per Quatuor voluitur Tempora; ita & nos Quaternum solemne agamus ieiunium per Quatuor anni Tempora.* Respondeo, ante ipsum Callistum non quater, sed ter tantùm per annum ieiunium fuisse seruatum, videlicet in Pentecoste: mense Septembri, & mense Decembri, & eum Pontificem instituisse vt Quater in anno ieiunium celebraretur: addidit ieiunium vernum in Quadragesimę hebdomada prima.

Secundò quæritur, Quo pacto in hebdomada Pętecostes celebretur ieiunium vnum ex ijs, quæ in Quatuor anni Temporibus coluntur, cũ eiusmodi hebdomada incidat in Paschale tempus, & Canones prohibeant ieiuniũ toto tempore Paschali, eo quod id tempus sit lętitiæ & quietis, & ieiunium sit tristitiæ & laboris. Cajetanus 2.2.*q.* 147.*art.*5. Et Silu.*ieiunium num.*4. respõdent ex sententia S.Thomæ *in* 4.*dist.*15.*q.*3.*art.*3.*q.*1.*ad* 5. hoc ieiunium esse lætitiæ & exultationis, non mœroris & afflictionis, & consuetudine, non iure communi seruari. Et S. Thom.2.2.*q.*147.*art.*5.*ad* 3. ait: *Propter quod non est ieiunium ab Ecclesia inditum in toto Paschali tempore.* Sed contra hoc facere videtur id quod habetur *in c.Statuimus distin. 76.* vbi præcipitur, vt huiusmodi ieiunium agatur in hebdomada Pentecostes. Quare dicendum existimo, tempus Paschale quod attinet ad vacationem, & immunitatem ieiuniorum, id cẽseri, quod est à Paschate vsque ad Pentecosten, in quod tempus ieiunia iure communi non cadunt. Et hoc puto voluisse S.Thomam *locis citatis*, cum dixit, toto tempore Paschali non esse indictum ieiunium ab Ecclesia. Porrò hoc ieiunium, quod in hebdomada Pentecostes suscipitur, dicitur ieiunium exultationis, quia lætitiæ tempore seruatur, absque genuflexione, cũ Alleluia, Gloria in excelsis Deo, & vestibus solemnibus, in Missæ sacrificio.

Tertiò quæritur, Quibus de causis ieiunia in Quatuor anni Temporibus sint instituta? Respondeo, primùm esse instituta, vt ea offeramus Deo ad expianda peccata, quæ per anni, vel solis in anno cursum admittimus. Secundò, vt Deus ipse sicut anni, & solis motum & cursum moderatur ac regit: sic vitæ nostræ actiones & studia clementer, prosperè, & feliciter dirigat, & absoluat. Tertiò, vt veluti Quatuor Temporũ primitias Deo offeramus. Sed quæres, cur in vnoquoque Tempore tribus diebus ieiunium colamus? Respondeo: vt tribus cuiusque partis in anno mensibus respondeant nostra ieiunia: ita, vt toto anno duodecim dies ieiunio consecremus, qui vtcunque exprimunt duodecim mensium initia. Ieiunium autem suscipimus feria quarta, sexta, & Sabbato, quia Christus Dominus traditus, & venditus est feria quarta, occisus feria sexta, & Sabbato in Sepulchro quieuit.

Caput XV.

De ieiunijs quæ in Sabbato, quarta, & sexta feria, & alijs diebus suscipiuntur.

PRimò quæritur, an in Sabbato cuius libet hebdomadæ sit iure communi indictum ieiunium? Hanc quæstionem Hieronymo in Palæstinã cõmoranti, per literas proposuit Lucinius Boëticus ex Hispania: & responsum Hieronymi habetur *in cap.Vtinam dist.76.* Extat Epistola Hieronymi ad Lucinium, vbi ait, *De Sabbato, quod quæris, vtrum ieiunandum sit, & de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Romanæ Ecclesiæ, & Hispanæ obseruare perhibentur: Scripsit quidem Hippolytus vir disertissimus, & carptim diuersi auctores è varijs auctoribus ediderе. Sed ego illud te breuiter admonendum puto, Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiant, ita obseruandas, vt à Maioribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subuerti. Atque vtinam omni tempore ieiunare possimus: quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes feciſſe legimus. Nec tamen Manichææ hæreseos accusandi sunt, cum carnalis cibus præferri non debuerit spirituali.* Et paulò inferiùs, ait: *Nec hoc dico, quòd Dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam: sed vnaquæque Prouincia abundet in sensu suo, & præcepta Maiorum leges Apostolicas arbitretur.* Hæc Hieronymus. Et in c. Illa, distinct. 12. quod caput est desumptum ex Epistola 118. quæ est ad Ianuariũ, refert Augustinus: *Mater mea Mediolanum me secuta, inuenit Ecclesiam Sabbato non ieiunantem: cœperat fluctuare quid ageret. Tunc ego cõsului de hac re beatissimæ memoriæ Ambrosium Episcopum. At ille ait: Cum Romam venio, Sabbatum ieiuno: cum Mediolani sum, non ieiuno. Sic & tu ad quãcunque fortè Ecclesiã veneris, eius morem serua, si cuiquã non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cum matri renunciassem, libenter amplexa est.* Hæc ibi. Extat etiam Augustini *Epistola* 86. *ad Casulanum* scripta de ieiunio Sabbati contra Vrbicum quendam, qui scripserat omnino esse in Sabbato ieiunium seruandum: vbi idem quod Ambrosius dixerat, docet S. Augustinus.

De ieiunio itaque in die Sabbati seruando, variæ fuerunt Ecclesiarum consuetudines. Græci enim olim Sabbatũ coluerunt tanquã festum, vt colligitur ex Socrate *Lib.6.Eccl.hist.ca.*8. Ex Nysseno *in Oratione aduersus eos qui ægrè ferũt reprehensiones;* & Anastasio Niceno *Lib.quæstio.q.* 77. nec nunc illud ieiunio consecrant, vt apertè constat ex Can.55. Concilij Cõstantinopolitani 6. quod est in Trullo congregatum: & sequuntur Græci Canonem Apostolorũ 64. Vbi dies Dominicus, & Sabbatũ à ieiunio soluuntur. Et Clemens Rom. tribus in locis ait, in Sabbato, non esse ieiunio studendũ. S. Ignatius quoq; in Epistola ad Philippen. prope finem scribit: *Quicunque Dominicam, aut Sabbatum ieiunauerit, præter vnum Sabbatum Paschæ, ipse est Christi interfector.* Sic ille. Contrà verò Romana Ecclesia

semper solita est omne Sabbatum ieiunio deputare. Vnde Innocentius Primus in Epist. ad Decentium Episcopum, & *habetur in c. Sabbato de Consec. dist. 3.* demonstrat Sabbato esse ieiunium colẽdum, ob tristitiam, qua sunt Apostoli affecti propter Domini necem. Item Gregorius 7. *vt est in c. Quia dies, de Consec. dist. 5. Quia dies*, inquit, *Sabbati apud Sanctos Patres nostros in abstinẽtia celebris est habitus; nos eorundem auctoritatẽ sequentes salubriter admonemus, vt quicunq; se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eodem die, nisi maiore festiuitate interueniente, vel infirmitate impediente, abstineat.*

Porrò hûc Ecclesiæ Romanæ morem sunt secutæ Hispaniarum Ecclesiæ, vt constat ex Concilio Elibertino *Can. 26.* Et ex Epistola B. Hieronymi paulò antè citata ad Lucinium Beticum, nec non Galliarum Ecclesiæ, vt patet ex Cõcilio Agathensi *Can. 12. & refertur in c. Placuit de Consec. dist. 3.* & ex Concilio Aurelianensi 4. *Can. 2.* ex Africanis itidem Ecclesijs quædã Romanorum vsum, aliæ ritum Græcorum sequebantur, vt perspicuum esse potest legentibus Epistolam Augustini 85. *ad Casulanum*, Vnde Tertul. *Lib. aduersus Psychicos. ca. 15.* ait. *Nec totas* (videlicet Quadragesimæ hebdomadas) *excepti scilicet Sabbatis & Dominicis, offerimus Deo.* Idemque colligitur ex cap. Illa distin. 12. paulò antè producto. Mediolanensis verò Ecclesia Græcanicum morem retinuit. Vnde Ambrosius *in Lib. de Elia & Ieiunio capit. 10.* ait: *Quadragesima totis, præter Sabbatum & Dominicã, ieiunatur diebus.* Et ideo idem Ambrosius Augustino ipsum hac de re interroganti respondit id, quod paulò antè retulimus.

Secundò quæritur, vnde nata sit de ieiunio Sabbati Latinorum & Græcorum varia consuetudo? nam Græci videntur cum Iudæis sentire, quippe qui Sabbatum tanquam diem festum obseruent; ac ita Vrbicus ille, contra quẽ Augustinus ad Casulanũ Epistolam 86. miserat, scripsit, in Sabbato ieiunium esse seruandum: *Ne Iudaicæ*, inquit, *superstitioni & perfidiæ consentire videamur.* Respondent quidam, gatam esse eam consuetudinẽ ex varia diuersorum Apostolorum traditione. Nam Apostoli, qui per Orientem tantùm, Christi Euangelium annuntiarunt, tradiderunt, Sabbatum esse colendum, tum vt eos qui ex Iudæis ad Christum venerant, vnà cum Gentilibus ad Christum quoque conuersis aliqua ex parte conciliarent: tum etiam vt eos Hæreticos confutarent, qui in Oriente docebant, Sabbatum esse ieiunio deputandum, vt ab omni Iudaica superstitione nos alienos esse profiteamur. Quod ideo præcipiebant, quia Deum veteris Testamenti, tãquam auctorem mali, damnabant. Et quia eandẽ hæresim postea secuti sunt Marcionistæ, vt testatur Epipha. *Hæresi. 42.* Itẽ Manichæi; ideo per multa sæcula Orientis Ecclesiæ, Sabbatum coluerũt: quem morem Græci quoque iuniores suos Maiores sectati, etiam nunc ex parte retinent. Nec tamen, vt ait Augustinus Epistola citata idcirco Iudaicæ superstitionis Græci sunt accusandi: Nec enim ritu & more Iudæorum, Sabbatum obseruant, sed in eo feriantur, quia Dominus omni labore, & pœna perfunctus requieuit. Romæ verò Petrus & Paulus Dei Euangelium promulgarũt, qui Sabbatum ieiunio consecrasse creduntur, ob tristitiam & luctum Apostolorum, quo ex Domini passione, morte, & sepultura fuerant affecti. Ipse tamen verisimilius esse crediderim, veteres Græcos, Sabbatum vt festum coluisse, tanquam Symbolum quietis in cœlesti patria sempiternæ, vbi est omnis miseriæ, & mali depulsio: Romanos verò Sabbatum ieiunio deputasse, ob mœrorem & luctum Apostolorum, quẽ propter Domini mortem; maximum pertulerunt. Vnde Augustinus loco citato: *Hinc exorta est ista in regione diuersitas, vt alij, sicut maximè populi Orientis, propter requiem significandam æternam, malint in Sabbato relaxare ieiunium; Alij, propter humilitatem mortis Domini ieiunare, sicut Romana, & nonnullæ occidentis Ecclesiæ.* Quæres deinde, quare Græci vnũ Sabbatum, cui proximè Pascha succedit, ieiunio consecrent? Respondeo, quia in memoriam reuocãt Apostolorum tristitiam, dolorem, & luctum, quẽ in Sabbato sustinuerunt: quem mœrorem asserunt vno tantùm Sabbato, & vno ieiunio, non pluribus esse replicandum. Contra verò Innocẽtius Primus *in c. Sabbato de Consec. dist. 3.* ostendit singulis Sabbatis esse ieiunium seruandum. *Nam si diem Dominicã*, inquit, *ob venerabilem Domini nostri Resurrectionem, nõ solum in Pascha celebramus, verumetiam per singulas hebdomadas ipsius diei imaginem frequentamus: & fiant sexta feria cuiusque hebdomadæ propter passionem Domini ieiunamus: nullum Sabbatum prætermittere debemus, in quo tristitiam Apostolorum ieiunio non teneamus. Quod si putent, semel, atque vno Sabbato ieiunandum: ergo & Dominica & sexta feria semel in Pascha erunt vtique celebranda.* Hinc Augustinus, ait Epistola citata 86. *Quod autem vno die quo Pascha celebratur, propter reuocandam rei gestæ memoriam, quia Discipuli humanitus mortem Domini doluerunt, sic ab omnibus ieiunatur, vt etiam Orientales, Sabbati ieiunium deuotissimè celebrent, qui cæteris per totum annum Sabbatis prandent: vtrumque videlicet significantes, & in vno anniuersario die, luctum Discipulorum; & cæteris, quietis bonum.* Duo quippe sunt, qui iustorum beatitudinem, & omnis miseriæ finem sperari faciunt, Mors & Resurrectio mortuorum: Et hinc factum est, vt horum duorum vtrumque significandum putaretur. Quæres tertiò, cur S. Ignatius *in Epistola ad Philippenses* scribat: Christi esse interfectorem eũ, qui in Sabbato, & die Dominica ieiunium seruat? Respondeo id dictum ab Ignatio fuisse cõtra Hæreticos, qui in Oriente docebant, in Sabbato & Dominica esse ieiunium suscipiendum. Et quia Orientalis Ecclesia tunc credebat hisce diebus esse lætandum, eo quod Christus die Dominica resurrexit, & in Sabbato omni labore & malo vacauerit, idcirco dixit: Qui his diebus ieiunat, Christi est interfector, quasi diceret, ipso ieiunio; quippe quod est pœnæ, afflictionis, & mœroris, ac tristitiæ signũ; profitetur esse Christum occisum, nec tamen resurrexisse, nec à mortis malis & pœnis cessasse, nec à tormentis liberum & solutum fuisse.

Ex his omnibus colligimus, iuris esse Canonici ieiunium, quod in Sabbato cuiuslibet hebdomadæ seruatur; *vt habetur in cap. Sabbato de Consecrat. distinct. 3.* & olim quidem reor, eos, apud quos Sabbatum erat ieiunio destinatum, semel tantùm in eo, ad horam nonam comedere consueuisse: nunc tamen non est ieiunium

perfectum,

perfectum, quo semel interdiu edimus, sed imperfectum, quo à carnibus abstinemus, quamuis sæpius comedamus, vt colligitur ex cap. *Quia dies, de Consecrat. distinct.* 5. quod non ita multo antè ex Gregorio 7. citaui. Vnde, vt ait, Silu. *ieiunium, quæst.* 10. *num.* 28. lethaliter peccat, qui in Sabbato vescitur carnibus, sine iusta & debita causa, vbi consuetum non est carnes edere. Obijcies, Glossam *capit. Quia dies, de Consecrat. distinct.* 5. dicentem, hoc ieiunium non esse præcepti, sed consilij. Respondeo, hoc dixisse Glossam, quia in quibusdam locis præfatum ius est consuetudine abrogatum. In Francia siquidem, vt Paludanus *in 4. distin.* 15. *q.* 4. *art.* 4. *concl.* 2. ait. *A Natali Domini vsque ad Purificationem B. Virginis carnes in Sabbatis eduntur, quia B. Virgo nullum in partu dolorem sustinuit: & apud nonnullas Hispaniæ provincias in singulis Sabbatis totius anni, præterquam in ijs qui sunt Quadragenario ieiunio, & peruigilijs Sanctorum in ieiunio cum Christo regnantium, & Quatuor anni Temporum conscripta: quamuis non vniuersim carnes, capita tamè animalium, pedes, noua crura, item iecur, pulmones, viscera, & intestina de more comeduntur.*

Tertiò quæritur, An iure communi ieiunium obseruari debeat in sexta & quarta feria cuiusuis hebdomadæ? Dubitandum non est, esse Apostolorum Traditione, vt sexta feria & quarta ieiunio consecrentur. Martyr Ignatius *Epist.* 3. *ad Philippenses. Quarta*, inquit, *& sexta feria ieiunate.* Idem colligitur ex Clemente Romano tribus in locis Constitutionum Apostolicarum, *Lib.* 5. *c.* 16. *c.* 19. *Et c. vlt.* Tertul. *Lib. aduersus Psychicos c.* 14. Clem. Alexan. *Lib.* 7. *Strom.* Epipha. *in Compendio doct. Eccl.* Cyrill. Alexand. *Lib.* 10. *in Leuit.* Augustinus *Epist.* 86. Ait quoque Origenes Homil 10. in Leuit. *Habemus quartam & sextam septimanæ dies, quibus ieiunamus.* Hieronymus: *Si dies*, inquit, *obseruare non licet & menses, & tempora, & annos; nos quoque simile crimen incurrimus quartam Sabbati obseruantes, & Parasceuen.* Sic ille in Epist. ad Gal. super illa verba. *Dies obseruatis & menses.* Et apud Palladiū in Vita Apollonij, ex dictis eius habetur id, quod refertur in c. Ieiunia, de Consec. dist. 3. *Ieiunia sanè legitima in quarta & sexta feria non sunt soluenda, nisi grandis aliqua necessitas fuerit: quia quarta feria Iudas traditionem Domini cogitauit, & sexta feria crucifixus est Saluator. Videbunt ergo qui his diebus sine necessitate soluerit statuta ieiunia, vel cum tradente tradere Saluatorem, vel cū crucifigentibus crucifigere.* Sic ibi. His accedit Canon. Apostolorum 68. qui sic habet: *Si quis Episcopus, Presbyter, ac Diaconus, aut Lector, aut Cantor sanctā Quadragesimam Paschæ, aut quartam feriam, aut Parasceuen non ieiunauerit, deponitor: si Laicus sit, communione priuator.* Sic Canon. Atque hæc fuit veterum consuetudo, quā etiam nunc Græci retinent, & ij, qui ritu & more Græcorum viuunt.

In occidentali verò Ecclesia videtur quidem aliquando ea etiam Christiani populi cōsuetudo viguisse, vt constat ex c. *De Esu carnium, de Consec. dist.* 3. vbi Leo. Quartus ita loquitur: *De esu carnium vetustissima, & non improbanda traditio semper est tenenda, vt a cœnæ termino, quæ fit à principio noctis quartæ feriæ, quæ lucescit in quarta feria vsque ad diluculum quintæ feriæ: & similiter à cœna noctis sextæ feriæ, quæ lucescit in sexta feria, non imperite ieiunatio vsq; ad Sabbati lucem, quantum de diei parte, aliquis ieiunare maluerit, vel debuerit, protendatur.* Hæc ibi: Vt eo loco ait Glossa, ieiunium in sexta feria, præcepti vim nunc habet: in quarta verò feria, consilij tantùm. Et olim Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum respondens, *cap.* 5. cum rogatus esset, an quarta feria esset ieiunium seruandum, insinuare videtur esse cuiq; liberum: nā tunc temporis consuetudo eo die ieiunium agendi desierat. Sciendum quoq; est, arbitrari nō nullos, ieiunium, quod suscipi, vel seruari solebat sexta, & quarta feria, nō fuisse perfectū & plenū, quale est Quadragenarium, quo semel tantū edimus, & à carnibus, ouis, & cæteris huiusmodi abstinemus, sed imperfectū & semiplenū, quo carnium esum abdicamus. Mihi tamen verius videtur, olim Christianos in quarta & sexta feria absque prandio ieiunium seruare consueuisse, semel tantū interdiu edentes. Ait enim Epiphanius Hæresi 80. & Hæresi 75. *Et per totū annum ieiunium seruatur in Catholica Ecclesia. Nam quarta & pro Sabbato vsq; ad horam nonam, excepta Pentecoste per quinquaginta dies ieiunium est imperatum.* Sic Epiphanius. Quod idem colligitur apertè ex c. De esu carnium, quem locum paulò ante ex Leone Quarto produxi, *de Cōsec. dist.* 3. Quæres cur feria quarta sit ieiunio deputata? Respondeo ex Clemente Romano *Lib.* 5. *Constit. Apostoli. c. vlt.* ex Abbate Apollonio *in c. ieiunia. de Consec. dist.* 3. ex Epiphanio *Hæresi* 80. quia eo die Iudas proditor cum Iudæis conuenit de Domino eis tradendo, & feria sexta Dominus in crucem est actus: vel ex Augustino *Epist.* 86. quia in feria quarta consilium iniere Iudæi de Domino occidendo, quem feria sexta impie, & crudeliter sustulerunt. Lethale peccatum admittit qui in sexta feria carnes comedit sine iusta causa. Silu. *ieiunium q.* 10. *num.* 27. Quæres ab lethaliter peccet, qui sine priuilegio, & causa necessitatis vescitur ouis, & alijs cibis similibus, qui trahunt originem ex carne, in sexta feria per annum, præterquam in sextis quibusque ferijs Quadragesimæ & Quatuor Temporum, & peruigilijs Sanctorum Apostolorum & aliorum? Respondeo, seruandam esse consuetudinem gentis, vel populi: vbiq; videtur vsu receptum, vt in sextis ferijs totius temporis Paschalis eiusmodi cibi comedantur; in alijs verò per annum: ego vt reum lethalis peccati nō condemnarem eum, qui hisce cibis vteretur, quia videtur esse consuetudine introductum, vt his vescamur in his diebus, & abstineamus à carnibus. Si tamen alicubi vigeat contraria consuetudo, vim legis habet, & absq; peccato lethali ibi huiusmodi cibi edi nō possunt. Quando dies Domini Natalis incidit in sextam feriam, licite carnes eduntur, nisi ab eis, qui vel voti vinculo, vel regulari instituto, ab esu carniū abstinere cogūtur, *c. vlt. de obseru. ieiun.* Et idem iuris est, si Natalis Dominicus venerit in Sabbatum. Silu. *ieiuniū q.* 10. *nu.* 27. Si quis fuerit legitima auctoritate solutus abstinentia votiua carnium, licitè comedit carnes in sexta feria, in quam incurrit Natalis Dominicus, idem dicendum de Monacho soluto regulæ vinculo superioris auctoritate, qui possit regulæ vinculum relaxare. Silu. *loco citato.*

Quartò quæritur, An iure communi sit ieiuniū indictū in tribus diebus Rogationū, qui proximè Domini in cœlos ascensum antecedunt? Respondeo. *In c. Rogationes de Consec. dist.* 3. ex Concilio

Aure-

Aurelianensi sic esse constitutum : *Rogationes & Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ut præmisso triduano ieiunio in Dominicæ Ascensionis solemnitate soluatur.* Hæc ibi. At sciendum est, quosdam hoc triduum Rogationum ieiuniũ reprehendere, eo quòd videatur introductum extra veterem Ecclesiæ traditionem. Nam *in c. Scire debet, distinct. 76.* apertè dicitur. *Scire debet sanctitas vestra, quòd per hos quinquaginta dies nobis est iugis & cõtinuata festinitas: ita vt hoc anni tempore neq; ad obseruãdum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Dominũ genibus procumbamus.* Instar ergo Dominicę Resurrectionis, tota quinquaginta dierũ curricula celebrantur: & oẽs isti dies Dominici deputãtur. Nõ ergo ieiunamus in hac Quinquagesima, quia in his diebus nobiscũ Dominus cõmoratus est. Ibidem Gratianus *in §. Necessario eadẽ distin.* ait: *In illis quinquaginta diebus ieiunandũ esse negatur ex obseruãtiæ necessitate.* Et in c. Ieiuniũ, §. Non aũt dist. 75. *A die Dominicæ Resurrectionis vsq; in die Pentecostes non indicuntur obseruanda ieiunia.* Dicendum est, nullum extare generale Ecclesiæ præceptum, vt tres Rogationum dies ieiunio deputentur. Sed Mamertus Episcopus Viennensis, cum ea ciuitas immanitate luporum, vrsorum, & aliarum ferarum vehementer premeretur, & ipsius oppidi ædificia, terræ motibus quaterentur assiduis, & absumerentur incendijs, publicas supplicationes, quas Græci Litanias appellant, id est, Precationes siue Rogationes, simul & ieiunia publica indixit tribus illis diebus ante Dominicã Ascensionem, vt oratione & ieiunio publicè susceptis, Dei ira placaretur: ac deinde eas Rogationes, & ieiunia tota Gallia suscepit: & hinc factum est, vt etiam in Germania, Anglia, & Hispania Rogationes & triduanum ieiunium pio quodam religionis studio coli & obseruari cœperint : eo quod verno tempore solent populi multis morbis vexari, & gemmatarum vitium & arborum fructus excindi, & auferri. Et idcirco huiusmodi Rogationes & ieiunia in consuetudinẽ abierunt: cuius cõsuetudinis alicubi adhuc vestigia permanent: nã in quibusdam Prouincijs eo triduo à carnibus abstinetur, quamuis amplius quàm semel edatur, in alijs abstinetur à carnibus tantùm in feria secunda, & in peruigilio Ascensionis Dominicæ, & in alijs eodem peruigilio tantũ ieiunium etiamnũ retinetur, in alijs verò per totum illud triduum carnes comedũtur, sed publicę nihilominus Supplicationes & Rogationes celebrantur. Ieiuniũ itaq; inter Pascha, & Pentecosten iure communi non est indictũ; potest tamen consuetudine induci, vel volũtate pia & religiosa suscipi. Vnde peruigilium Pentecostes, vt supra dixi, Consuetudo ieiunio consecrauit. Et Isidorus *in cap. Post Pascha dist. in. 76. Post Pascha autẽ*, inquit, *vsq; ad Pentecosten licet traditio Ecclesiarum, abstinentiæ rigorem prandijs relaxauerit; tamen si qui Monachorum, vel Clericorum ieiunare cupiunt, non sunt prohibendi, quia Antonius & Paulus, & cæteri patres antiqui etiam his diebus in eremo legũtur abstinuisse, neque soluisse abstinentiam, nisi tantùm die Dominico.* Hieronymus *ad Lucinium Beticum, vt refertur in c. Vtinam dist in. 76.* ita scribit : *Vtinam omni tempore ieiunare possimus: quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus.*

Quintò quæritur, vndenam originem traxerit id quod de more à multis obseruatur. Terenim quidam in hebdomada ieiunium colunt, nimirũ, in feria secunda, quarta, & sexta. Animaduertendũ est, quosdã asserere, Clemẽtem Romanum ex Apostolorũ doctrina prohibere, ne quis feria secũda, & feria quinta ieiunium suscipiat. *Ieiunia*, inquit Clemens *Lib. 5. Constit. Apostol.* loco supra citato, *vestra, ne sint cum hypocritis communia; ieiunant enim secunda feria, & quinta. Vos autem die bus quinque ieiunate, aut quarta, & sexta feria.* Quibus verbis aiunt, insinuare Clementem, eos Pharisæorum ritu, ieiunium seruare, qui feriam secundam & sextam abstinentiæ deputant. Pharisæus enim dicebat: Ieiuno bis in Sabbato, hoc est in hebdomada, & Epiphanius *Hæresi 16.* Theophylactus *in Lucam cap. 18.* Et Rabanus *Lib. 2. de Instit. Clericor. cap. 18.* interpretantur, *bis*, feria scilicet secunda & quinta. Nihilominus tamen est vsu receptum alicubi, vt qui ter vel quater in hebdomada ieiunium colunt, illud obseruent in feria secunda, quarta, sexta & Sabbato. Vnde in Concilio Turonensi 2. *Can. 13.* statuitur, vt Monachi post Quinquagesimam totam hebdomadam exactè ieiunent: postea vsque ad Calendas Augusti ter in septimana, secunda, quarta & sexta die. Et in Concilio Matisconensi *1. Canon. 8.* præcipitur, vt à die festo S. Martini vsque ad Natalem Dominicum secunda, quarta, & sexta feria ieiunetur. Item in c. Qui compulsus 22. quæst. 5. *Si quis compulsus à domino scienter peierauerit, tres legitimas ferias pœniteat.* Et in c. Presbyter. 87. *Omni tempore vsque ad expletionem septimi anni, excepti Paschalibus diebus, tres legitimas ferias in vnaquaque hebdomada, in pane & aqua ieiunet.* Hæc ibi. Quibus in locis Glossa communi consensu approbata, tres legitimas ferias interpretatur secundam, quartã, & sextam. Atque hæc consuetudo videtur inducta, non imitatione & exemplo Pharisæi, qui secundam & quintam feriam ieiunio deputabat: sed congruenti ratione, vt triduanum in hebdomada ieiunium inter alios lætitiæ dies intercedat. Nã dies Dominicus vt festus colitur, & in feria secunda ieiunium interponitur, quod in feria tertia relaxatur, & feria quarta renouatur, & feria quinta soluitur, & deinde feria sexta tertio repetitur. Quæres cur triduanum ieiunium, aut voluntate suscipi, aut lege publica indici in hebdomada soleat? Respondeo, id factum esse imitatione, & exemplo Niniuitarum; qui publico regis edicto, vt Deum sibi placarent, triduo ieiunium susceperunt: ac proinde in diebus Rogationum triduanum est ieiunium vsurpatum: & in Iubilæis Romanus Pontifex solet triduum ieiunio deputare; idẽ & in Quatuor anni Tẽporibus indicitur. At Ecclesia Romana cũ huiusmodi triduanum ieiunium præscribit, ei feriam quartam, sextam & Sabbatum destinat: quia vt paulò ante dixi, Dominus feria quarta à Iuda vẽditus Iudęis est, feria sexta cruci affixus, Sabbato in Sepulchro iacuit, Discipulis tristitia & mœrore affectis.

Sextò quæritur, vndenam incipiant dies ieiuniorum quod ad abstinendum à carnibus, & alijs cibis tali tempore prohibitis attinet? Respõdeo, incipere à media nocte vsq; ad mediam noctem. Silu. *ieiunium q. 10. num. 28.*

Caput XVI.

De ieiunio quod in Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, & Aduentu Domini, suscipi & coli soli-tum est.

PRimò quæritur, An ieiunium in hebdomada Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ obseruari debeat? Respondeo cum Beda in Libello quodam, quem de Officijs, scilicet Ecclesiasticis, inscripsit. *Vbi Telesphorus*, inquit, *Romanus Pontifex constituit, vt per septem hebdomadas ante Pascha Clerici ieiunium obseruarent*; quod adhuc multi faciunt: quod tempus placuit Quinquagesimam appellari. Idem scribit Albinus de Diuin. offic. *cap. de Septuagesima.* Liber qui dicitur Ordo Romanus, ita loquitur, de Septuagesima agens, *Telesphorus Papa instituit, vt Clerici septem hebdomadas ieiunarent ante Pascha, & inciperent à Quinquagesima. Greci Sexagesimam sanctificant suo ieiunio. Quadragesimam Christus suo nobis dedicauit exemplo, Septuagesimam instituit Ecclesia, propter institutionem eorum, qui in Pascha Baptizarentur.* Hæc ille. Albinus *Libello de Diuin. offic. in cap. de Septuagesima*, hunc in modum scribit: *Telesphorus, Nonus, post B. Petrum, constituit, vt per septem hebdomadas ante Pascha Clerici ieiunarent. Postea Melchiades Papa ratione Aser, trigesimus quartus post Petrum, præcepit vt nemo in prima, vel quinta feria ieiunaret: in prima, propter Dominicam Resurrectionem: in quinta, quia in ea Dominus cœnauit cum Discipulis suis, & in ea ascendit in Cœlos. Et hinc placuit fidelibus, vt octo hebdomadæ ante Pascha ieiunio consecrarentur, & ieiunium inchoaretur à Sexagesima, ne quicquam detraheretur de Quadragenario ieiunio, nam octo Dominicis, & totidem quintis feriis, in quibus non agebatur ieiunium, ab octo hebdomadibus sublatis, manent quadraginta dies tantùm ieiunio deputati.* Sic ille. Ambrosius in Sermone quodam, qui nunc Romæ inter opera eius typis excusus est: *Vnde qui iam*, inquit, *Septuagesimam celebratis, & hodie Sexagesimam celebratis, & deinde Quinquagesimam, & Quadragesimam, Deo propitio celebraturi estis, horum nominũ mysteria vobis manifestare debemus. Quadragesima enim sex septimanas habet, cui addidit Telesphorus Pontifex septimam hebdomadam, & vocatũ est hoc tẽpus Quinquagesima. Deinde his addita est octaua septimana, & vocatum est ipsum tempus Sexagesimæ: postmodum verò addita est nona septimana, & dicta est Septuagesima. Et paulò inferius: Quadragesima igitur seruatur, quia Moyses, Elias, & Saluator quadraginta diebus & noctibus ieiunasse leguntur. Quinquagesima ideo à quibusdam seruatur, in qua sunt quinquaginta dies: quia si subtraxeris ab his septem Dominicos dies, non amplius remanent in abstinentia nisi quadraginta duo dies, & in ipsis duobus diebus alij ieiunant, alij non, vt in cœna Domini & in Sabbato sancto. Sexagesima ideo celebratur, in qua sunt octo hebdomadæ, hoc est, dies quinquaginta sex, si subtraxeris octo Dominicos dies, & octo quintas ferias, quadraginta dies solummodo remanẽt ieiunij. Septuagesima verò, à qua vsque ad Pascha sunt nouem septimanæ, id est, sexagintatres dies, ideo ab aliquibus celebratur: quia si subtraxeris nouem dies Dominicos propter Dominicam Resurrectionem, & nouem quintas ferias propter Dominicam cœnam, & totidem Sabbata, ne sabbatizare videamur cum Iudæis, non amplius quàm triginta sex dies remanent ad ieiunandum.* Sic ibi.

Hac eadem ratione Orientales plerique, septem vel octo vel nouem hebdomadas ante Pascha ieiunio dedicant. Teste Amalario Lib. 1. de Eccl. offic. cap. 1. *Orientales nouem hebdomadas ante Pascha ieiunio colunt: Greci octo: alij, vt Latini septem.* Ratio huius varietatis potuit esse, quoniam si de septem hebdomadibus septem Dominicos dies detraxeris, qui sunt à ieiunio liberi, remanent quadraginta duo dies, à quibus si duos itidem abstuleris, nimirum feriam sextam, & Sabbatum proximè ante Pascha, in quibus ieiunium quidem suscipitur, sed quod est totius anni commune, remanent quadraginta dies. Item si de octo hebdomadibus subtrahas octo Dominicas, & totidem Sabbata, in quibus Orientales ieiunium non colunt, manent integri quadraginta dies. Si itidem de nouem hebdomadibus sustuleris nouem dies Dominicos, & totidem Sabbata, & nouem quintas ferias, in quibus aliqui Orientales ieiunium non celebrant, remanent dies triginta sex, quos Deo ieiunio consecrabant vt decimam totius anni partem.

Ex his omnibus colligitur, quare dicatur, semper Quadragesima, siue sex hebdomæ, siue septẽ, siue octo ante Pascha ieiunio fuerint deputatæ. Nam Apostoli, qui Quadragesimam instituerunt, auspicabantur eam à prima Dominica in Quadragesima; à qua vsque ad feriam quintam Magnæ hebdomadæ; in qua propter cœnam Dominicam omnes ad sacram Communionem accedebant, & Quadragenarium ieiunium terminabant, numerantur quadraginta dies, in quibus abstinetur à carnibus. Telesphorus addidit septimam hebdomadam, quia in diebus tantùm Dominicis ieiunium non agebatur. Propter sex igitur Dominicos dies, qui ieiunio detrahebantur, additi sunt sex dies Quinquagesimæ, vt Clerici quadraginta diebus integrum & perfectum ieiunium seruarent. Et quia postea, vt testantur Auctor Micrologi *cap. 50.* & Albinus *loco supra citato*: & habetur *in c. Ieiunium, de consec. dist. 3.* Melchiades detraxit etiam de ieiunio Quadragenario quintam feriam, addiderunt Romani octauam hebdomadam, quæ dicitur Sexagesima, quã etiam addiderant Orientales, quia dies Dominicos & Sabbata ieiunio Quadragenario detraxerant. Deinde Romani nonam hebdomadam, quæ dicitur septuagesima adiecerunt, propter pleniorem & maiorem iustitutionem eorum, qui sacri Baptismatis aquis in Sabbato sancto abluuntur. Et ita sunt in Ecclesia Romana tres hebdomadæ ieiunio Quadragenario adiunctæ; cum initio sex tantùm hebdomadæ fuerint deputatæ.

Quintò quæritur, Cur dicta sit Septuagesima, Sexagesima, & Quinquagesima; & quænam fuerit harum trium Dominicarum, & hebdomadarum origo & institutio? Respondent quidam, de his apud Ecclesiasticos auctores ante Gregoriũ Magnum nullam mentionem esse factam: sed in Antiphonario & Sacramentario Gregorij, vt ait Beda, expressim harum trium Dominicarum Ecclesiastica officia annotari. Vnde earũ, inquiunt, meminere scriptores Gregorio Magno posterio-res, Beda, Alcuinus siue Albinus, Amalarius, Iuo,

Rupertus, & alij. Alijs verò hæc sententia minimè probatur. Nam *in c. sancta Romana Ecclesia dist. 15.* Gelasius Primus, ita loquitur: *Quidam in Septuagesima ponunt Pentateuchum vsque ad vndecimum diem ante Paschа: at Gelasius Primus centum ferè annis Gregorium Primum antecessit.* Cæterùm hoc argumentum vim magnam non habet, quia prædicta verba videntur esse Gratiani, non Gelasij. Item Telesphorus, inquiunt, vt habetur *in c. statuimus dist. 4.* addidit septimã hebdomadam, vt in ea Clerici ieiunium seruarent. Ergo verisimile est, tunc eam hebdomadam in Romana Ecclesia dictã esse Quinquagesimam. Deinde Melchiades, vt dicitur, *in c. Ieiunium, de consec. dist. 3.* de ieiunio Quadragenario detraxit feriam quintam cuiusque hebdomadæ, in qua noluit, vt ieiuniũ coleretur, sicut nec in diebus Dominicis agebatur. Et ideo verisimile est quod tradunt Beda & Albinus, Amalarius, & Auctor Micrologi *locis supra citatis*, tũc in Ecclesia Romana, additam esse Quadragesimę octauam hebdomadam, quæ dicitur Sexagesima, ac tunc dici cœpisse Sexagesimã. At Telesphorus & Melchiades ante Gregorium Primũ, Ecclesiæ præfuerũt. Et Gratianus 33. q. 4. c. *Non oportet*, ex Concilio Illerdensi citat Canonem dicẽtem: *Non oportet à Septuagesima vsq; ad Octauam Paschæ nuptias celebrari.* Itẽ opera Ambrosij sunt Romæ typis excusa; inter quæ *Sermo 22. qui incipit: Redimite vos; & Sermo 23. cuius initium est: Adest tempus, sunt de Septuagesima, Sexagesima, & Quinquagesima.*

Ratio verò nominum eiusmodi Dominicarum, varia ab Auctoribus tradita est: quidã Bedã sequuti, dicunt ieiunio Quadragenario esse additam vnam hebdomadam, quæ dicta est Quinquagesima: quia à prima Dominica in Quinquagesima vsque ad Dominicã Paschæ sunt quinquaginta dies: ex quibus si septem Dominicos dies, & diem Paschæ simul abstuleris, in quibus ieiunium seruare nobis non licet, supersunt quadraginta duo, ex quibus duobus quinta feria & Sabbatum Magnæ hebdomadæ, qui Quadragenariũ numerum excedunt, apud quosdam ieiunio detrahuntur. Illud enim finiunt & terminant, & soluũt in feria quinta proximè ante Paschа, propter cœnam Dominicam, qua Dominus cum Discipulis cœnauit, & Sabbato Sancto corpus prædio reficiunt, propter Dominicæ Resurrectionis inchoatæ lætitiã. Addita igitur est septima hebdomada, vt plenum quadraginta dierum ieiuniũ seruaretur. Et dicta est Quinquagesima, quia ab ea Dominica vsque ad diem Paschæ, vt diximus, quinquaginta dies cõputantur. Rursus quia Melchiades constituit, vt nemo in quinta feria ieiunium ageret, decretum est, vt octo hebdomadæ ieiunio consecrarentur: & prima Dominica Sexagesima nominata est, quia ab ea vsque ad Paschа cum octo hebdomadæ numerentur, si à singulis Dominicam diem, & quintam subtraxeris, & ipsum pariter Paschæ diem, quadraginta dies remanent Christi ieiunio consecrati.

Septuagesima verò dicta est, quia ab ea vsque ad Paschа sunt nouem hebdomadæ, quæ faciunt sexaginta quatuor dies: ex quibus si de vnaquaq; hebdomada tres dies subduxeris, Dominicam & quintam feriam, & Sabbatum, qui ieiunio detrahuntur, remanent triginta sex dies, in quibus ieiuniũ seruatur, vt Deo totius anni decimas persoluamus. Hæc Beda *in libello de Officijs.* Cuius opinio est valde probabilis. Alij vt Albinus *Lib. de Diuin. offic. cap. de Septuagesima.* Amalar. *Lib. 1. de Eccl. offic. c. 1. 2. 3. & 4.* Et Raban. *Lib. de Instit. Clericor. c. 34.* volunt Septuagesimam, Sexagesimam, Quinquagesimam, & Quadragesimam vocari à numero dierũ, qui sunt vsq; ad prima temporis Paschalis initia: Septuagesimam, quia ab ea vsq; ad Sabbatum in Albis, vbi qui sacro Baptismate renati fuerunt, vestes deponunt, & induuntur albis, & Confirmationis Sacramento muniuntur, sunt septuaginta dies. Sexagesimam dici, quia sunt dies sexaginta ab ea Dominica vsque ad feriam quartam Paschа proximè subsequentem: Quinquagesimam, quia ab ea Dominica vsque ad diẽ Paschæ dies quinquaginta numerantur. Quadragesimã, quia ab ea Dominica vsq; ad feriã quintam proximè ante Paschа, in qua pœnitentes Ecclesiæ reconciliabantur, & expleta pœnitentia, ad Eucharistiam admittebantur, & ieiuniũ Quadragenarium finiebant, sunt quadraginta dies. Sic probabiliter quoque liber dictus Ordo Romanus, quemadmodũ Beda, Alcuinus, Rabanus, Amalarius: quam tamen sententiam improbat Rupertus *Lib. 4. de Diuin. offic. cap. 12. & 3.* tum quia non statuitur certus quidam dies, in quo istæ Dominicæ terminentur, tum etiã quia Symbolo septuaginta dierum volunt isti Auctores significatam esse spiritualẽ captiuitatem, qua peccatores sub Diaboli potestate detinentur: cuius typus & figura fuerat captiuitas Iudæorum, quia septuaginta annis sub rege Chaldæorum fuerant vexati & oppressi. Sed absurdũ est, inquit Rupertus, intra dies captiuitatis includere Dominicæ Resurrectionis diẽ, qui est dies perfectæ libertatis. Alij vt ipse quoq; Rabanus *Lib. 2. de Instit. Clericor. ca. 34.* tradunt, has omnes Dominicas à Paschate nominari, propter numerum dierũ, non quidem integrum, sed per synecdochen acceptum, nam à Septuagesima vsque ad Paschа sunt septuaginta dies, nimirũ per synecdochen, quia sunt septuaginta quatuor, & numerus minutus videlicet quaternarius nõ supputatur. A Septuagesima vsque ad Paschа sunt sexaginta dies, quia sunt quinquaginta septem: à Quinquagesima vsq; ad Paschа sunt quinquaginta dies: à Quadragesima vsque ad Paschа, sunt quadraginta duo; & tamen passim nominantur quadraginta, quia minutus numeri ratio non habetur. Rupertus verò, *loco citato*, has Dominicas testatur, non à numero dierum, sed à numero Dominicarum esse vocatas, quia à Septuagesima vsque ad Dominicam in Passione, sunt septem Dominicæ: & ideo prima, dicta est Septuagesima: secunda, Sexagesima; tertia, Quinquagesima; quarta, Quadragesima. At secundùm Rupertum sequeretur, vt secunda in Quadragesima, dici deberet Trigesima: & tertia, Vigesima; quarta itidem, Decima.

Mihi vero similius apparet, Quadragesimam esse primum ab Apostolis institutam, vt imitatione & exemplo Christi quadraginta diebus Christiani ieiunium seruarent, & peccatis mortui vna cum Christo morerentur, & deinde vna cum eo resurgente, ad nouam vitam reuocarentur. Et propterea ante Paschа, & ante mortem &

sepul-

sepulturam Christi Domini quadraginta dies sunt ieiunio consecrati. Hi verò dies computãtur à prima Dominica in Quadragesima, vsque ad feriam quintam proximã ante Paschã, in qua Christiani ieiunium claudebant, & terminabãt propter cœnam Dominicam, quia pridie quam passus est Christus Dominus vnà cum suis Discipulis cœnauit: deinde verò feria sexta ieiunium resumebant, non tanquam ad Quadragenarium pertinens, sed tanquam commune, quod illo die cuiusque hebdomadæ per anni cursum suscipi & coli solebat, sed propter Domini mortem; & ad Sabbatum vsque producebant, propter Apostolorum mœstitiam, & luctum. Dicta igitur est Dominica in Quadragesima, quia ab ea incipiebat ieiunium quadraginta dierum, qui tunc vsque ad feriam quintam in Cœna Domini protendebãtur. Deinde verò post Apostolos, Telesphorus septimam hebdomadam Quadragesimę, quæ sex tantùm hebdomadas continet, addidit: postea verò Melchiade decernente, ne in feria quinta ieiunium susciperetur; adiecta est à Romanis octaua hebdomada. Postremò Ecclesia Sabbatum Sanctum publico baptismati eorum, qui se Christo adiungebãt, deputauit, & propter eorum institutionem, nonam hebdomadã Quadragesimæ adiecit: instituitque vt toto hoc tempore, qui erant Sabbato Sancto salutaribus Baptismi aquis lustrandi, assiduè sacra Christi doctrina imbuerentur: ac propterea per id temporis crebræ ad populum habentur Ecclesiasticæ conciones, tum propter pœnitentium disciplinam, qui in feria quinta Magnæ hebdomadæ reconciliari Ecclesiæ solebant: tum propter regenerandorum institutionem, qui in Sabbato Sancto salutari lauacro purgabantur. Vnde Dominica, quæ proximè præcedit Quadragesimam, dicta est Quinquagesima, non à numero dierũ vel hebdomadarum, sed quia ea, quã ipsa præcedit, dici consueuerat Quadragesima. Et Sexagesima dicta est, quia sicut quadragenario quinquagesimus numerus, sic sexagenarius quinquagesimo succedit. Eodem modo dicta est Septuagesima, quia proximè Sexagesimam præcedit, sicut Sexagesima Quinquagesimam. Quemadmodũ si nunc Ecclesia ante Quadragesimã vnà cum tribus hebdomadibus addidisset quartam quam coli à fidelibus & obseruari iussisset, eam meritò Octogesimam vocare potuisset. Ambrosius in Sermone supra citato sic ait: Dicta est Septuagesima, quoniã sicut à quatuor Quadragesima, & à quinque, Quinquagesima, à sex, Sexagesima; ita à septẽ, Septuagesima dicitur. Vnde si quis modo adderet decimam septimanam, non eam vocaremus Decagesimam, sed Octogesimam, seruato numeri ordine, quia post septẽ, à quo Septuagesima, sunt octo. Sic etiam Albinus loco citato.

Tertiò quæritur, An in diebus Aduẽtus Dominici, qui in Ecclesia anniuersaria celebritate recolitur, sit ieiunium seruandum? Rodulphus Tũgrensis, ita scribit Libello de obseruãtia Canon. proposit. 16. *Aduentus Domini, apud Romanos, incipit prima Dominica post diem crastinum Sanctæ Catharinæ. Ambrosianus Aduentus habet sex septimanas, & incipit Dominica post festum S. Martini.* Et subiungit: *Apud Romanos etiam in Aduentu Domini, ieiunũ agitur.* Sic ille. Idem etiam constat ex Epistola *Nicolai Primi ad Consultas Bulgarorum.* Innocentius III. in c. Consiliũ de Obseru. ieiuniorum. *Ieiunium etiam apud nos,* inquit, *in Aduentu Domini agitur.* In Concilio Matisconensi. 1. *Canone 6.* habetur: *A feria S. Martini vsq; ad Natalẽ Domini, secunda, quarta, & sexta Sabbati ieiunetur, in quibus diebus Canones legendos esse, speciali definitione sancimus; vt nullus se fateatur per ignorantiam deliquisse.* Hæc ibi. Certè dubitari non potest, quin olim, præsertim apud Romanos in diebus, in quibus Ecclesia Dominici Aduentus memoriã recolit, ieiuniũ seruaretur. Ac nõ solum Christiani corpus ieiunijs castigabant, sed etiã, vt ait Amalarius *lib. 3. de Eccle. offic. cap. 40.* sese multis pijs operibus, & religiosis officijs in Aduentu Domini præparabant. Quo factum est, vt apud Monachos & Religiosos ieiuniũ manserit, qui partim proprijs institutis, partim vsu & more id retinuerunt. Hinc etiã in Aduentu Domini ad populum sacræ conciones habentur.

Quartò quæritur, An ab omni superstitione alienus sit mos, qui apud nonnullas Prouincias etiamnum viget, quo earum Prouinciarum incolæ triplex Quadragenarium ieiunium per annum seruare cõsueuerunt? Quæstionẽ affert id, quod scribit Hieronymus ad Marcellam contra Montani sectatores: *Nos vnã,* ait, *Quadragesimã, secundum traditionem Apostolicam tempore nobis congruo ieiunamus: illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres pasci sint Saluatores.* Respondeo cũ Amalario *lib. 1. de Eccles. offi. c. 36.* His verbis S. Hieronymus vnã Quadragesimam ponit in obseruatione: nos verò obseruamus tres Quadragesimas; vnã ante Paschã: secundam, ante diem festum S. Ioannis Baptistæ, vel sanctorũ Apostolorum Petri & Pauli: tertiã ante Natiuitatem Domini, & sic apud nos à pijs frequentatũ est. Idem eodem in loco paulò inferiùs, ita scribit: *Non negat Hieronymus, posse nos per annum ieiunare tres Quadragesimas ex pio affectu, & studio: sed negat esse tres Quadragesimas ex necessitate ieiunãdas, vt putabant & faciebant Montanistæ.* Hæc Amalarius. In Concilio Turonensi II. *Can. 13.* dicitur: *De ieiuniis antiqua à Monachis instituta seruentur: vt de Paschate vsque ad Quinquagesimam, id est, Pentecosten, exceptis Rogationibus, omni die fratribus prandiũ præparetur: post Quinquagesimam tota hebdomada exactè ieiunent. Postea verò, vsque ad Calendas Augusti, ter in septimana ieiunent, secũda, quarta, & sexta die, exceptis ijs, qui aliqua infirmitate constricti sunt. In Augusto, quia quotidie Missæ Sanctorum sunt, prandium habeant: in Septembri toto & Nouembri ter in septimana ieiunent: in Decẽbri vsq; ad Natalem Domini omni die ieiunent. Et quia inter Natalẽ Domini & Epiphaniam omni die festiuitates sunt, prandeant: post Epiphaniam verò vsq; ad Quadragesimã ter in septimana ieiunent.* Hęc ibi. Apud Monachos & Religiosos aliquos solet Quadragenarium ieiunium ter in anno seruari. Eundem morem Græci etiã retinent. Prima Quadragesima ab omnibus proximè ante Paschã iem per est obseruata: qui secundam Quadragesimã seruãt, eã incipiunt ac finiũt duobus modis, vt inquit Amalarius. Quidã inchoant statim elapso die Dominicæ Ascensionis, & includunt in ea dies decem proximos ante Pentecosten, ac totam hebdomadam Pentecostes, & terminant eam in die festo S. Ioannis Baptistæ: Alij verò auspicantur post elapsam Pentecostes hebdomadam, &

finiunt in die festo Apostolorum Petri & Pauli, vel post aliquot dies exactos. Hanc Quadragesimam ieiunio consecrant propter illud Christi, Cum auferetur sponsus ab eis, tunc ieiunabunt filij sponsi. Tertia verò Quadragesima obseruari consuenit, proximè ante Natalem Domini; vt quisque ad Dominum excipiendum studiosiùs pijs religionis officijs se præparet. Ac solet hæc Quadragesima inchoari à die S. Martino sacro. Hactenus ex Amalario. Quidam verò secundam Quadragesimâ incipiunt à die sexto Iulij & protendunt eam vsque ad peruigiliũ diei assumptæ in cœlos Virgini Sacrum.

Quintò quæritur, An cũ lex Canonica ob certa quædam crimina irrogat delinquentibus pœnitentiam trium Quadragesimarum, accipiat tres Quadragesimas in eodem Anno, an verò potiùs vnam Quadragesimam trium annorũ? Hanc quæstionem tractat Antonius Corsettus *in singularibus in verbo Quadragesima*. Duæ sunt opiniones: Prima docet, quandocunque Canones imponunt pœnitentiam trium Quadragesimarum, intelligere tres Quadragesimas in eodem Anno, vnam ante Natalem Dominicum, alterã ante Pascha, tertiam ante festum diem S. Ioannis Baptistæ. Sic Glossa *in cap. Qui compulsus*, 22. q. 5. quam sequuntur Archidiaconus & Turrecremata *ibidem*. Idé sentit ante Glossam Hugo *ibidem*: Secunda est eorũ opinio, qui volunt intelligi vnam Quadragesimam, quam Christiani seruant ante Pascha solemni ieiunio consecratam: ita vt quando Canon ait, tres Quadragesimas pœniteat, intelligatur de vna Quadragesima in singulis tribus annis. Sic Antonius Corsettus *loco citato*, quod probat quoniam Glossa pro se nullum ius aut legem citauit. Deinde quia Quadragesima debet accipi propriè: at Quadragesima propriè sumpta significat eam, quam solemni ritu ante Pascha obseruamus. Accedit his, quod vbi Ius nihil distinguit, nec nos distinguere debemus: sed Ius nihil de Quadragesima distinguit. Mihi tamen probabilior videtur prima opnio. Nam Canones non videntur ieiunium pœnitentibus iniungere, quod alioqui Ecclesiæ præcepto omnes seruare debemus: Ergo constituit pœnitentiam Quadragesimæ voluntariæ. Et ita intelligitur id quod dicitur *in capite, Qui Compulsus, & cap. Qui periurat, & in c. Si quis coactus 22. q. 5.* Tres Quadragesimas pœniteat, & *in c. Accusasti. de Accusat.* Tres debes Quadragesimas pœnitere. Alij, tres Quadragesimas interpretantur, vnam statim post Pentecosten, vsque ad Natalem S. Ioannis Baptistæ; secundam à sexto die Iulij vsque ad diem assumptæ in cœlos Virgini sacrum; tertiam, ante Natalem Domini: de tribus Quadragesimis videtur locutus Nicolaus Primus, cum ita respondens Bulgaris quærentibus, Quot temporibus & diebus esset ieiunium obseruandum: *Quadragesimæ*, inquit, *ieiunium, quod est ante Pascha, & ieiunium post Pentecosten, & ieiunium ante solennitatem Assumptionis Sanctæ Dei Genitricis, & ieiunium ante Natalem Domini, quæ ieiunia, Sancta Romana suscepit antiquitus & tenet Ecclesia.* Hæc ille: vbi præter Quadragesimam, in qua proximè ante Pascha ieiunium lege seruatur, alias tres Quadragesimas videtur insinuare, in quibus ieiunium voluntate de more suscipitur.

Sextò quæritur, An sint aliqui alij dies per annum ieiunio deputati? Sciendum est ex Concilio Turonensi 2. *Can.* 13. & Isidoro *Lib. 1. de Eccles. offic. c.* 40. olim Christianos in Calendis Ianuarijs diem ieiunio consecrasse: quod factum est contra superstitiosam Gentiliũ consuetudinem. Nam Gentiles in Calendis Ianuarijs victimas multiplicabant, publicas choreas ducebant, epulas faciebant, & nefanda & cruenta spectacula populo dabant, vt commentitium & inanem Deum Ianum superstitiosè venerarentur. Item dies prima Ianuarij erat celeberrima Romanis: nouis enim Consulibus Magistratum ineuntibus nouum etiam annum Romani inchoabant. Contra Christiani eum diem pijs ac religiosis operibus ac studijs transigendum curarunt: ac propterea publicas triduanas litanias, ac triduanum ieiunium instituerunt. Vnde Ambrosius serm. 17. de Kaled. Ianuarijs. *Tunc*, inquit, *nos simus sobrij atque ieiuni, quo intelligant lætitiam suam nostra abstinentia condemnari.* Et Augustinus in Psal. 98. *Per ipsos dies ad hoc ieiunamus, vt quando ipsi lætantur, nos pro illis gemamus.* Ieiunij hoc tempore seruari soliti meminerunt Alcuinus *lib. de diuin. offic. cap.* 4. Cõcil. Tolet. 4. *Can.* 10. & liber, cui nomen est Ordo Romanus, *cap.* 20. Litaniarum ac supplicationum mentio est apud Synodum Turonensem 11. *Canone* 13. cum ait: *excipitur triduum illud quo ad conculcandam Gentilium consuetudinem, Patres nostri statuerunt, primas in Kalendis Ianuarijs fieri litanias, vt in Ecclesia obseruatur: & hora octaua in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebratur.* Concil. Tolet. 4. *Can.* 10. dicitur, *In temporibus vero reliquis, id est, Kalendis Ianuarij, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omninò Alleluia non decantabitur, in quibus etiam præter piscem, & olus, sicut & in illa quadraginta diebus cæteris, carnibus abstinetur, & à quibusdam etiam vinum non bibitur.* Et in Concilio Altissiodorensi *Can.* 1. statuitur: *Non licet Kalendis Ianuarij vetulo aut cernulo facere, vel strenas diabolicas obseruare: sed in ipso die sic omnia beneficia tribuantur, sicut & reliquis diebus.* Hæc ibi. Porrò quænam fuerint strenæ, & cur sic dictæ, declarat Festus in verbo Strenæ: Introductæ sunt ab Imperatoribus, ac téperatæ à Tiberio Cæsare teste Suetonio *c.* 34. ac demum à Maiorano Imperatore prohibitæ, vt colligitur *ex Nouella constitut. de curialibus.* Martinus Bracarensis Episcopus refert in capitulis collectis ex variis synodis Græcis *can.* 73. vetitum esse Christianis, ea Kalendarum die viridi lauro, vel alijs virentibus arborũ ramis domos ornare: de quo in cap. Non licet 26. q. 7. quamuis Gratianus citet eũ Canonem nomine Martini Papæ. Extant sermones Maximi Taurinensis, & Petri Chrysologi contra illum superstitiosum ritum & diem festum Gentilium in Kalendis Ianuarij. Et homilia Chrysostomi habita in Kalendis Ianuarij. Et hom. 1. *de Lazaro*, laudat auditorum pietatem, qui diem Kalendarum spiritualibus officijs transegissent: ait enim, Hesternum diem, cum esset festum Sathanæ, fecistis festum Spiritus.

Septimò quæritur, An certi aliqui sint dies, in quibus nobis ieiunio interdicatur? Respondeo, *In cap. Ieiunium de consec. dist.* 3. decreto Melchiadis Romani Pontificis prohiberi ieiunium in die Dominica, & in feria quinta. *Vt ieiunium*, inquit, *Christianorum sit à ieiunio Gentilium, vel Hæreticorum discre-*

tum. Hæc ibi. Manichæi hos duos dies ieiunio deputasse perhibentur: & ideo Melchiades lege cauit, ne in his ieiunium seruaremus: quod decretũ per aliquot sæcula in Ecclesia Romana durauit. Ita vt de ipso etiã Quadragenario ieiunio, quod ante Pascha solenni ritu seruatur, non solùm dies Dominicus, sed etiam feria quinta subtraheretur, vt ait Beda. Immò Auctor libelli, qui dicitur Micrologus *cap.* 50. testatur, Gregorium Magnum, quia suo tempore adhuc Ecclesia Romana retinebat, quintam feriam cuiusque hebdomadæ in Quadragesima, sine proprio officio reliquisse: Postea verò Gregorium II. cuius tempore Decretum Melchiadis erat iam vsu sublatum, singulis quibusque quintis ferijs Quadragesimæ, proprium Officium assignasse, desumptis Euangelijs ex certis quibusdam Dominicis, in quibus per annum leguntur. Rursus, vt constat ex *cap. Scire debet, quod est Ambrosij, & ex cap. Post Pascha, quod est Isidori dist. 76.* Traditio est Apostolorum, ne inter Pascha, & Pentecosten vllo die ieiunium indicatur: quod tempus dici solet Quinquagesima, quoniam à die Paschæ vsque ad diem Pentecostes, dies quinquaginta numerantur: qui omnes propter Dominicam resurrectionem, sicut omnes totius anni dies Dominici, lætitiæ deputantur, non luctui & pœnitentiæ; ac proinde in eis nec genua flectimus orantes, nec ieiunia colimus; hoc enim est pœnitentium atque lugentium. Inde factum est, sicut respondet Innocentius Tertius *in c. Ex parte, de Obseruat. ieiuniorum*, vt si Natalis Domini, vel dies festus Assumptæ ad cœlos virginis, aut alicuius Apostoli inciderit in secundam feriam, ieiuniũ in sabbatum proximè præcedens transferatur, ne illud in die Dominico seruetur.

Octauò quæritur, An inter Pascha & Pentecosten, quarta feria, & sexta olim à ieiunio essent immunes & liberæ? Respondeo, liberas fuisse: nam sicut omnes Dominici dies toto Quadragesimæ tempore erant lege ieiunij soluti & liberi, sic etiam toto tempore à die Paschæ ad Pentecosten feria quarta, & sexta ieiunio carebant. Epiphanius Hæresi 80. *Per totum*, inquit, *annum seruatur ieiunium in Sancta Catholica Ecclesia quarta, & prosabbato vsque ad horam nonam, excepta sola Pentecoste per totos quinquaginta dies, in quibus nec genua flectuntur, nec ieiunium imperatum est.* Et Amalar. lib. 1. de Eccle. offic. c. 36. *Sunt, qui eduni à Pascha vsque ad Pentecosten.* Sic etiam Isidorus *lib. 1. de Eccl. offic. cap. 42.* Rogabis an saltem à carnibus abstineretur, feria quarta, & sexta, toto tempore Quinquagesimæ? Respondeo, verisimilius videri, hisce diebus Christianos non fuisse vsos carnibus. Nam Isidorus in c. Post Pascha dist. 76. *Post Pascha*, inquit, *vsq; ad Pentecosten, Traditio Ecclesiarum, abstinentiæ rigorem prandijs relaxauit.* Sic ille. ergo toto Paschali tempore abstinebatur à carnibus in quarta etiã & sexta feria: ac ieiunium relaxabatur quidem, quia Christiani prandebant, sed carnes non edebantur: Quẽadmodum in tempore Quadragenarij ieiunij, diebus Dominicis ieiunium soluimus, quia prandemus: sed nec carnibus vtimur, nec cibos alios eo tempore prohibitos ad mensam adhibemus: Et huiusmodi ieiunium dicitur semiplenum, quia imperfectum.

Nonò quæritur, An si quis ieiunium illis diebus, in quibus nobis est interdictũ, suscipiat, peccatum admittat? Respondeo, dubitari non posse, quin ijs diebus tutò ieiunium colatur. Ait enim Isidorus *in c. Post Pascha, supra citato*: Si quis Monachorũ, vel laicorũ tẽpore Paschali ieiunare cupit, nõ est prohibẽdũ: quia Antonius & cæteri patres antiqui etiã ijs diebus in eremo legũtur abstinuisse. Obijcies id quod eod. ca. subijcit Isidor. eos patres tempore Paschali seruasse ieiuniũ, sed non die Dominico: & illud in c. Ieiunia de cõsec. dist. 3. *Die autem Dominica nihil aliud agendũ est, nisi Deo vacandum*: id etiam quod habetur in c. Ne quis de conse. dist. 3. *Ne quis ieiunet die Dominica, timoris aut persuasionis causa.* Respondeo, in die Dominica nequaquam esse ieiunium obseruãdum, nisi magna & graui ex causa; & absque vlla aliorum offensione: & ideo dicitur: *Ne quis eo die ieiunet causa timoris, aut persuasionis.* hoc est, Ne quis persuasus, aut perterritus ab alio, ieiunium suscipiat: Ne item superstitionis gratia, nec per cõtemptum Ecclesiastici præcepti; at verò si quis valetudinis tuendæ, aut periculi, vel mali alicuius grauis euitandi causa ieiunio eo die studeat & vacet, ei peccato, & vitio non datur.

Caput XVII.

De causis, quibus aliqui à ieiunij lege eximuntur.

PRimò quæritur, quot & quæ sint causæ, quibus ij qui indictum lege ieiunium non seruãt excusantur? Respondeo, ex communi omniũ sententia quam habet S. Thomas *in 2. 2. q. 147. art. 4.* multas esse. Nam si qua sit rationabilis causa ieiunium soluendi, iustam & legitimam ea præbet excusationem. At verò sæpè contingit, vt qui lege ieiunij iusta aliqua ex causa liberatur, continere se debeat ab esu carnium, & aliorum ciborum, quos leges & iura vetuerunt. Porrò causæ iustæ, quibus aliqui legibus ieiuniorum soluuntur, ad quinque vel sex capita reuocantur. Hæc nimirum sunt: ætas, infirmitas, vel aduersa & incommoda valetudo, Labor, Pauperies, Pietatis officium, & Maiorum, vel superiorũ auctoritas: quorum singula suis quæstionibus explicabo.

Secundò quæritur, Quænam ætas iustam habeat excusationem ieiunij? Respondeo: quamuis Innocentius *in Rubrica de obseruat. ieiuniorum*, Angelus *in verbo ieiunium num. 13. & 15.* Supplemen. *in verbo ieiuniũ*, teste Syluestro, *eod. verb. q. 6.* & quidam alij tradiderint, pueros, si sint doli capaces, legibus ieiuniorum teneri: eo quòd statim atque aliquis peccare potest, alijs Ecclesię præceptis, & legibus alligatur, id tamen ab alijs confutatur: fortassis Innocentius dicere voluit eos legibus ieiuniorum obstringi, hoc est, eos debere à carnibus abstinere, vt inferius dicam. Quidam teste Angelo, pueros, aiunt, obligari legibus ieiuniorum, anno ætatis expleto decimosexto; Alij, exacto anno decimo octauo; Alij anno vigesimo; Alij, anno vigesimoquinto. Cęterum S. Thomas *secunda secundæ, q. 142. ar. 4.* cuius sententia est cõmuni consensu recepta, sentit, ante vigesimum primum annum exactum, quod est tertiũ septen-

nium ætatis expletum, neminem ieiuniorum legibus adstringi: non quod ante eam ætatem pueri & adolescentes nõ sint doli, & peccati, ac meriti capaces; sed quod frequenter accidat, vt vsq; ad eam ætatem soleant pueri adolescere, & sæpius indigeant cibo: hoc est, cibo modicè quidem, sed frequenter sumpto. Et Ecclesia noluit eos sibi suis legibus obligare, eo quod multo indigeant alimento, propter caloris vim in eis abundãtem, quo facilè cibus omnis absumitur, tùm etiã quia cibus in eis non solùm operatur vt nutriat: sed vt incrementum naturæ debitum præstet. Sic cũ S. Thoma Paludanus, vt citat Siluester *in verb. ieiunium q.6.* Sic Rosella *in eod. verb. nu.14.* Durãdus *4. dist.15. q.10.* Antoninus *secunda par. tit. 6. cap. 2. §.4.* & Nauarrus *in Manuali cap.21. nu.16.* Ita vt pueri legibus ieiuniorum obligentur in ea ætate, in qua solent militiæ legibus teneri. Consentaneum tamen rationi est, vt pueri ante tertium septennium completum sese ieiunijs exerceant, teste S. Thoma loco citato, plus minúsue, pro maiori minoríue eorum ætate. Immò eodem auctore, pueris quandoque ob communem Reipublicæ salutem, in magna aliqua calamitate, ieiunia indicuntur. Ionæ tertiò rex Niniue ieiunium omnibus Niniuitis indixit; *Homines*, inquit, *& iumenta non gustent quicquam, nec aquam bibant.* Quæres, an saltem adolescentes, si Religiosi sint, Nouitij, vel Professi, ieiunij Ecclesiastici lege obstringantur ante annum ætatis vigesimum primum expletum? Respondeo, non obstringi. Gabriel *in 4. dist.16. q.5. art.1.* Rosella *in verb. Ieiunium, nu.14.* quia eadem est ratio in illis. Notandum est, id quod dixit Innocentius, pueros quamprimum sunt rationis compotes, legibus ieiuniorum teneri, sicut etiam alijs Ecclesiæ præceptis tenentur, locum habere in hoc, quod debent in diebus ieiuniorũ abstinere à carnibus, & reliquis cibis interdictis. Vnde & ipsi peccant edendo, & peccant qui ipsis tales cibos ministrant.

Tertiò quæritur, An Religiosi ante eam ætatẽ professi debeant seruare ieiunium, quod ipsius Religionis institutum, & Regula præcipit, vt ab omnibus seruetur? Exempli causa, Regula S. Francisci imperat, vt quisque sexta quaque feria cuiusque hebdomadæ ieiunium obseruet, Quæritur, an eo præcepto teneatur, qui ante vigesimumprimum annum, Franciscani instituti professionem emisit? Respondeo, teneri. Sic Syluester *verb. Ieiunium q.6.* Rosel. *eod. verb. num.14.* Ledesm. *in quarto, par.2. q.17. ar.3.* Corduben. *in expositione Regulæ Franciscanæ cap.3. q.2.* Nã Regulæ præceptum, & lex tenet omnes Professos: & quemadmodum adolescens potest sponte sua votum Deo facere de ieiunio seruando, sic etiam sese Religioni obligare, ita vt eius præceptis ac legibus teneatur obstrictus: posset quoque Respublica vel Princeps ob communem omnium salutem ieiunium indicere, quod seruare etiam adolescentes oporteret. Nihilominus Medina *in sua Instructione confessorum lib.1. cap.14. §.10.* censet tales professos minimè obligari; quia Regula non videtur arctioris esse vinculi, quàm lex Ecclesiastica. Mihi tamen hæc sententia non placet, quippe quæ nec vllum alium auctorem habet, nec vlla firma ratione confirmatur. Quo fit, vt nulla ratione sit dubitandum, huiusmodi pueros & adolescẽtes seruare debere ea ieiunia, quæ solent Romani Pontifices publicè indicere, cum ob communem vtilitatem Iubilæum, quod vocant, denunciant, si priuilegijs in Iubilæo concessis, potiri velint: neque enim ea ieiunia imperantur simpliciter, sed auctoritate Pontificia, peccatorum remissiones, quas appellamus Indulgentias, & alia multa priuilegia conceduntur, eo consilio, vt qui tali beneficio vti velit, certa ieiunia suscipiat, & seruet, & alia præstet pietatis officia. Si roges, num liceat ministrare, & præbere paruulis nondum vsu rationis præditis ante septennium cibos in diebus ieiuniorum prohibitos? Respondeo, cum Caie. *2.2. q.147. ar.8. dub.1. ad §. nem.* Corduben. *tractat. de casibus conscientiæ. q.60.* licere ministrare iuxta patriæ consuetudinem receptam, nam infantes nullis ieiuniorum legibus adstringuntur. Sic etiam fas est ministrare carnes in diebus ieiuniorum Paganis & alijs, qui alieni sunt à religione Christiana, & nobis, non subditis; item & ijs, qui perpetuò amentes sunt, vbi fuerit consuetudo recepta, licitum est, ministrare oua tempore ieiunij Quadragenarij: Nam quamuis infantes & amentes in loco sacris interdicto sepeliri nequeant, præceptis tamen alijs Ecclesiasticis, aut vllis legibus ieiuniorum, nõnisi qui sunt rationis compotes tenentur obstricti ómni ex parte: à sepultura verò Ecclesiastica arcentur lege interdicti, eo quod locus interdicto subijcitur.

Quartò quæritur, An senilis ætas liberet senes à lege ieiunij? Respondeo, ex communi omnium sententia, quam referunt Caietanus *in 2.2. q.147. art.4. Et in summa, Ieiunium;* Antoninus *secunda parte, tit.6. c.2. §.6.* Ricar. *in 4. dist.15. ar.3. q.4.* Siluester *in verb. Ieiunium q.6.* Rosel. *eod. verbo nu.15.* Nauar. *in Manuali c.21. nu.16.* Tabiensis *in verb. Ieiunium nu.18.* nihil esse de hac re lege, & iure constitutum. Quare dum senes firmo ac valido corpore sunt, ieiunium seruare debent: vnde ea ætas, iustam excusationem non præbet, nisi adsit etiam aliqua senilis ætatis infirmitas. Quare plerique docent, post septuagesimum ætatis annum expletũ, senes legibus ieiuniorum esse solutos, quia in ea ætate infirmi & imbecilli sunt: & *in l. vltima C. Qui etatẽ lib.10.* is qui septuagesimum annum excesserit, ab oneribus personalibus eximitur; ac proinde videtur etiam à legibus ieiuniorum immunis, cum ieiunium sit onus non paruum, nec leue. Et certè qui eam ætatem excedit, ferè, quantum apparet, nõ solùm imbecillo corpore, & viribus esse, sed valetudine vti solet incommoda. Et teste Angelo *in verb. Ieiunium, nu.15.* quidam sentiunt, post annũ quinquagesimũ quintũ legibus ieiuniorũ senes solutos esse. Nauar. *in Manuali cap.21. nu.15.* ait, iuxta communem sententiam, sexagenarios esse à ieiunijs exemptos, fortassis voluit dicere septuagenarios, quia communis opinio septuagenarios, non sexagenarios excipit: vt constat ex Siluestro *in verb. Ieiunium q.4.* Rosel. *nu.15.* Gabriele *in 4. dist. 16. q.3. art.1.* Tabiensi *num.18.* quod probant ex illo Psalmi 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.* Caietanus etiam *in Summa, verb. Ieiunũ,* dicit, eos qui sunt sexaginta annorum, plerumq; senes esse, & probat, quia scriptum est: *Dies annorũ nostro-*

rum

rum septuagintà anni. Vnde videtur, sicut & Nauarrus, Sexagenarios à ieiunijs excipere. Probabilis est opinio, quippe quæ benigna est, & senibus faueat, quoniam senectus ipsa, infirmitas quædam censetur, & cũ Caietano Sexagenarios excusat, Armilla *Ieiunium, nu.* 3. Medina *in sua Instructione Cõfessa lib.1.cap.14.§.10.* Obijcies illud Basilij de Ieiunio serm. 2. *Nemo ieiunãtium numero se subducat, in quo & generationes cunctæ, sexus, ætas, & ordo includuntur.* Nonnulli opinantur, olim apud Græcos durius, & seuerius fuisse ieiunium, quàm apud Latinos: eo quod Basilij testimonio, etiam pueri & senes ieiuniorum lege tenebantur. Ego tamen potiùs crediderim, hoc dixisse Basilium, quia nemo à ieiunio Quadragenario imperfecto excludebatur: omnes enim etiam senes, & pueri sibi debent à carnibus, ouis, & alijs huiusmodi temperare, etiamsi prandeant simul, & cœnent.

Quintò quæritur, An ægroti & alij qui sunt infirma valetudine, & ij, qui dolores capitis, vel stomachi, vel oculorum vertigines patiũtur, sint ieiuniorum legibus soluti? Respondeo, solutos esse, quando notabilis est eorum infirmitas: eorum enim valetudini magis expedit, vt bis, aut ter modico cibo, quàm semel tantùm in die vtãtur immodico: quando verò dubitatur an infirmitas talis sit, quæ iustam excusationem det, medici consilio, vel superioris indulgentia, & auctoritate res est definienda: sic S. Thom. *in 4. dist. 15.q.3.art.2.q.4.* Antoninus *2.par.tit.6.c.11.§.6.* Rosel. *Ieiunium nu.18.* Angel. *eod. verb. num.15.* Silu. q.9. Tabien. 22. Nauar. *in Manuali c.21.nu.16.* Caietanus. *in sum. Ieiunium.*

Sextò quæritur, An fœminæ prægnantes, aut nutrientes lactentes paruulos, sint à ieiunijs liberæ, & immunes? Respondeo, ex communi sententia liberas esse: siquidem necesse est, vt cibo reficiantur, non sua ipsarum tantùm, sed fœtus etiam nutriendi & educandi causa. Deinde sæpè inordinato quodam desiderio nunc hoc, nunc illud cibi genus appetunt: atque id tàm ardenter, vt nisi desiderio suo satisfecerint, fœtus de vita periclitari videatur: Caietanus *in sum. Ieiunium.* Angel. *ibidem.num.15.* Siluester *ibid.q.9.* Rosel. *num.17.* Tabien. *num.21.* Nauar. *c.21.num.16.* Immò, vt ait Rosel. si ad longum tempus ieiunia suscipiant, præcipiendum est illis, ne id faciant.

Septimò quæritur, An etiam excusentur mendici? Respondeo, eos, qui mendicant ostiatim victum, solutos esse legibus ieiuniorum, cum non quando illi, & quantum volunt, edere queant: similiter illi, quibus alius cibus non suppetit, nisi interdictus, lege ieiunij minimè alligantur. non enim vult Ecclesia, vt quis vitæ vel valetudinis periculum, & discrimen incurrat. S. Thomas *in 4.dist.in.15.q.3.art.2.q.4.ad 2.* Ricar. *4.dist.15.art.3.q.4.* Duran. *in 4. dist.in.15. q.10.* Angel. *ieiunium num.15.* Silu. *eod.verb.q.9.* Rosel. *nu.20.* Caiet. *in sum.* Nauar. *cap.21.num.16.*

Octauò quæritur, An ij qui laborãt, cuiusmodi sunt agricolæ, & plerique artifices, iustam etiam ieiunij excusationem habeant? Respondeo, eos habere: tales sunt fabri siue ferrarij, siue ligularij, siue cæmentarij, agrorum cultores, & cæteri huius generis operarij, & artifices; his enim cibus non sufficit semel tantùm in die sumptus, ob immodicos & nimios corporis labores. Rosel. *ieiunium 19.* Angel. *nu.19.* Silu. *q.9.* Tabien. *nu.19.* Et addit Rosella, Eugenium IIII. concessisse aut potiùs declarasse: vt opifices, qui laboriosas artes exercent, & agrorum cultores, siue diuites sint, siue pauperes, liberi sint à lege ieiunij. Et Siluester ait, se audiuisse à viris doctis, id Eugenium IIII. concessisse aut declarasse, vt dixi. Et Tabien. & Nauar. *cap.21. nu.19.* testantur id quosdam asserere. Item, annotant Ricardus *in 4. dist.15.art.3.q.4.* Palud. *in 4. dist.15.q.4.art.2.* Gab. *in 4. dist.16.q.3.art.1.* Rosel. Angel. Silu. Tab. nõ excusari à peccato eos, qui conducunt operarios ea conditione, vt ieiunium non agant: nisi fortè necesse sit, vt operarij citius opus absoluant. Addunt etiam, laborem manuum iustam excusationem non dare operarijs, qui opus differre in alium diem commodè possunt. Sed reuera dubiæ quæstionis est, An peccet conductor, si operarij mercedem minuit ex eo quod operarius ieiunium seruans, minùs solito laborat. Respondet Caiet. *2.2.q.147.art. 4. vers. In eodem articulo circa operarios*, non peccare: quia nõ debet maiorem mercedem promittere, aut soluere, quàm mereatur operarius.

Item quæstio est, an lege ieiunij teneãtur operarij eo die, quo diurnum laborem & operam intermittunt? Quæstionem mouet, quod huiusmodi operarij minimè ieiunijs assueti, solent nimium afflictari, si ieiunium seruare cogantur, cum labore solito superfedent. Deinde labore diei præcedentis ita fessi ac defatigati sunt, vt si semel tantùm in die proximè sequenti comedãt, grauiter diuexentur. Respondent quidam, arbitrio boni viri esse rem decernendam, ita vt tutò aliquando ieiunium soluant, ne inepti ad labores, & operas in posterum reddantur, aut quia ex labore præterito nimium defagitati sunt. Probabilis est opinio.

Medina de instruct. Confessor. lib.1.c.14. §.10.

Quæres etiam, An sint legibus ieiuniorum soluti sculptores, sutores, figuli, argentarij, aurifices, & id generis alij, qui cum se suis solitis operibus exercent, magnos labores sustinent? Respondeo, id etiam boni viri arbitrio relinquendum, & pro laboris paruitate, aut magnitudine iudicandum. Omnibus his etiam prodest prædicta Declaratio Eugenij IIII. sutores, Argentarij, aurifices, textores, pelliones, fullones, lanarij, cæmentarij, pistores, qui item furnariam artem exercent, qui panes coquunt, & similes, meo iudicio excusantur: non autem sartores, pictores, barbitonsores, aduocati, scholastici, notarij, scribæ, & alij similes, qui multo minùs quam primi supradicti laborant, dum suas artes exercent. Quamuis Ledesma *in 4.part.2.q.17.* excusset sartores, barbitonsores. Sed Abulen. in Matthæum *cap.6.q.143.* Eos non excusat, & hæc opinio verior esse videtur.

Nonò quæritur, An Cursores, muliones, agasonésue, item an cæteri, qui peregrè proficiscuntur, aut toto die pedibus iter faciunt, ieiunium seruare debeant? Respondeo, ex communi omnium sententia, quam habent S. Thomas *secunda secundæ, q.147.art.4.ad 3.* Duran. *quarto dist.15.q.10.* Ricar. Palud. Gab. Antoninus, Angelus, Rosel. Silu. Tabien. *locis ante citatis*, videndũ esse, an spõtè, an necessitate iter suscipiant: deinde an profectio,

vel iter in alium diem commodè differri queat, an secus: Item, an ieiunium citra incommodum seruari possit, an non: insuper an pedibus, an equo sit iter faciendum. His enim perspectis res est definienda. Nam si iter necessitate, non voluntate siue sponte, suscipimus, & pedibus, non equo iter facimus, quod nec prorogari commodè, nec fieri queat, si ieiunium seruare cogamur. Si etiam iter facimus, quod quindecim, aut duodeviginti milliaria Italica compleat ordinariè minimè legibus ieiuniorum tenemur. Quæstio verò est, An si qui culpa sua ita sit labore fessus, vt ei necesse sit amplius quàm semel, edere, ieiunij lege teneatur? Quidam absolutè negant eum teneri; sicut non tenetur is, qui culpa sua grauem in morbum incidit; aut qui culpa sua iter facit, aut qui contra leges, & iura ludendo nimium est defatigatus, aut qui contra Superioris mandatum peregrinationem suscipit, quam, si ieiunium seruet, perficere commodè, aut ab ea desistens domum redire sine difficultate non potest. Dicendum est, dubitandum non esse, quin is, de quo quæritur, ieiunium tutò soluat, si adeo est labore defatigatus, vt cibo indigeat, quamuis culpa sua in eum laborem deuenerit. quod si in fraudem legis se labore defatigauerit, peccatum quidem est in eo quod data est causa frangendi ex lassitudine ieiunij legem, ea tamen data, non amplius peccatur in ieiunio soluendo. Rosella *in verbo Ieiunium, num. 21.* Paludanus *in quarto dist. 15. q. 4. ar. 2.*

Caput XVIII.

Aliæ quæstiones de eadem re diluuntur.

PRimò quæritur, An pietatis, misericordiæ, vel charitatis officium iustam mereatur excusationem à lege ieiunij? Respondeo, si eiusmodi officium aut lege, aut præcepto Maiorum, aut ob communem salutem obeamus, legibus ieiuniorum soluti sumus. Ita diuini verbi cõcionatores, ac similes alij Ecclesiæ ministri, liberi sunt à ieiunijs, si munus suum præstare coguntur, & simul commodè ieiunium seruare nequeunt. Eadem quoque ratione excusantur Magistri, & Doctores, qui publicè alios docent. Hoc colligitur ex S. Thoma *secunda secundæ, q. 147. art. 4. ad tertium* & traditur à Gabriele *in quarto dist. 16. q. 3. art. 1.* Rosel. *Ieiunium num. 21. immò Tabien. Ieiunium num. 16.* excipit etiam eos, qui assiduè pœnitentium confessiones audiunt. Sed ijdem Auctores annotant, hoc locum habere, quando concionatores, vel Doctores, qui Lectores dicuntur, & Confessarij suum officium facere, & ieiuniũ simul seruare commodè nequeunt. Si res sit dubia Superioris auctoritate, ieiunij lege soluantur.

Sed quæstio nobis est, An fas sit ieiunium soluere socij vel amici gratia inuitantis nos ad prãdium; aut infirmi alicuius consolandi, vel peregrini excipiendi causa? Narrant Sozomenus *lib. 1. c. 11.* & Nicephorus *lib. 8. c. 42.* historiam quandam in hæc verba: *Venit ad Spiridionem Episcopum ex itinere quidam, instante iam Quadragesima, in qua ieiunium cũ domesticis suis continuare, certoq; die cibum gustare, & intermedijs diebus ieiunus persistere solebat. Cum autem peregrinum illum admodum de via fessum cerneret; Age, inquit ad filiam, laua viri pedes, apponeque quod edat. Respondente virgine, nec panem superesse, nec farinam, quòd talia propter ieiunium parari non solerent, præmissa oratione, accepta condonatione præcepit filiæ carnes porcinas, quas domi sale conditas habebat, coquere: quibus coctis, peregrinum vnà secum ad mensam sedere fecit, & appositis carnibus vesci cœpit; & virum hortatus est vt ipse quoque suo exemplo ederet. Recusanti, ac se esse Christianum dicenti: Hoc minus, inquit, recusare debes. Mundis enim omnia munda,* 1. Tim. 4. *diuinus sermo pronunciauit.* Hactenus historia. Prosper quoque Aquitanus Episcopus lib. 2. de vita Contemplatiua cap. vlt. *Verumtamẽ sic abstinere, vel ieiunare debemus, vt non nos ieiunandi, & abstinendi necessitati subdamus, ne iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus. Si enim quoslibet aduenientes, ieiunio intermisso reficio, non soluo ieiunium, sed impleo charitatis officium. Cæterùm si propter abstinentiam spirituales fratres, quos noui mea remissione delectari, contristo, abstinẽtia in ea, non est virtus dicenda, sed vitium: quoniam ipsa abstinentia, & ieiunij continuatio, nisi fuerit quando res exigit, prætermissa, & me inflat; & fratrem meum, cui charitas iubet inseruire, contristat.* Addamus his Ioannem Gersonem *in tomo 4. serm. 1. Dominica 1. Quadragesimæ*, qui de fratre quodam refert, cũ ieiunaret, accessisse ad domum quendam, cuius dominus cœnabat, quem rogauit dominus, *Ob amorem Dei*, inquit Gerson (vt illius verbis vtar) *& charitatem, vt vellet cœnare: Fecit ille, & comedit optimè, plusquam hospes voluisset, & remansit hospiti parua pars: Indiscessu, dixit hospiti frater, qui excusabat se, dicens charitatem comedisse. Redeas aliàs, inquit hospes, sed noli ducere tecum charitatem, quia est gulosa nimis.* Hæc Gerson. Quibus exemplis constare potest, ieiunium aliquando sine fraude prætermissum, omni culpa vacare, eo quòd bona fide, amici, vel peregrini causa soluatur. Spiridion ille Episcopus sanctus nihil habebat, quo peregrinum de via lassum reficeret, nisi carnes porcinas, comedit ipse, ratus, peregrinum ad se diuertentem, & corporis refectione indigentem, non aliter cibum sumpturum, nisi ipse simul ederet. Prosper verò videtur locutus de ieiunijs voluntate, nõ legis necessitate susceptis: de quibus etiam fortassis Gerson agebat. Quæri solet, An vxores excusẽtur, si iussu mariti ieiunium soluant, item serui, si ieiunium non seruẽt, vt domino suo pareãt: Ad hæc inferius respõdebo *in hoc capite, quæstione 7.*

Secundo quæritur, An quis superioris auctoritate possit lege ieiunij solui? Respondeo, sicut vota, possunt auctoritate superiorum redimi pecunia, vel in aliud pietatis officium mutari, vel ex toto, aut ex parte relaxari; sic etiam ieiunia, Ecclesiæ legibus indicta. *Quæres* cuiusnam superioris auctoritate, solui lege ieiunij quis possit? Respondeo, ex Innocentio, Hostiensi, Ioanne Andrea, & Abbate *in capite 1. & c. Consilium, de Obseruat. Ieiunior.* quando iusta causa non subest, nullius superioris, nisi Romani põtificis auctoritate, posse ieiunium ab Ecclesia indictum relaxari, quoniam in ea quæ sunt iuris Canonici communis nullus alius præterquam Romanus Pontifex, potestatẽ habet, quãdo causa legitima nõ subest, eximendi aliquem à lege. Quando autẽ iusta causa est id faciẽdi, tutò aliquos ieiunij lege Episcopus soluit. Dices, Episcopũ nõ habere potestatẽ in ius

commune

commune. Respondeo, Episcopum non posse ius commune ex toto abrogare vel ex parte tollere, posse tamen hunc vel illũ, à lege vel canone eximere iusta de causa, nisi expressa id lex vel canon prohibeat. Et ideo in ieiuniorum canones, quando legitima subest causa, Episcopus habet potestatem hos vel illos soluendi canone siue lege, cum id non sit illi prohibitum. Et sciendum est, si causa iusta sit certa, & euidens, non indigere aliquem Episcopi auctoritate, vt à lege ieiunij eximatur. Si vero dubia, & incerta sit, necessaria est Superioris auctoritas. Hæc omnia docet communis omnium opinio. S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 4. Angelus *Ieiunium num.* 20. Rosel. *num.* 25. Nauar. *ca. 21. num.* 20. & 21.

Tertiò quæritur, An sufficiat sola Parochi, siue proprij Sacerdotis auctoritas, vt quis lege siue præcepto ieiunij soluatur. Hostiensis, & Butrius *in cap. Consilium de Obseruat. ieiuniorum.* Angel. *ieiunium num.* 20. Tabien. *eod. verbo. num.* 15. docent illam non sufficere, sed requiri Episcopi auctoritatem, etsi iusta subsit causa, dubia tamen, & incerta. Hoc inde probant, quod Parochus solùm habet auctoritatem in ijs, quæ ad interius forum spectant: sed quempiam eximere à lege ieiunij, pertinet ad eum, qui in foro exteriori potestatem & iurisdictionem habet. Alij verò sentiunt, huiusmodi facultatem Parocho conuenire non quidem iure, sed consuetudine. Sic multi iuniores docti & pij viri, sic Silu. *Ieiunium q.* 7. Rosella *num.* 26. Caietanus *secunda secundæ, q.* 147. *art.* 4. & *in sum. Ieiunium*, Nauar. *in Man cap.* 21. Medina *in sua Institutione Confessorum lib.* 1. *cap.* 14. *§.* 10. Cæterùm vtraque sententia facilè conciliatur. Nam quod docent Hostiens. & Butrius, id tantùm locum habet, quando facilè, & commodè patet ad Episcopum aditus; secus autem, Parochus tutò aliquem ieiunij lege soluit, & hoc est vsu & consuetudine receptum. *Quæres*, an tunc etiam temporis requiratur Medici consilium? Respondeo: Si Parochus certò, & euidenter iudicet, causam iustam non subesse, Medicus consulendus est; cuius cõsilium Parochus sequi, & amplecti potest; & sic legem ieiunij relaxare. quod si Parocho dubia, & ambigua causa esse videatur, potestatem ipse habet à lege ieiunij quẽ voluerit eximendi, quando ad Episcopũ facilis non patet accessus: tunc enim Parochus Episcopi vice & munere fungitur; ac proinde Medici consiliũ non est necessarium.

Sed dubiæ est quæstionis, an id iuris habeat Parochus præsente Episcopo, ad quẽ facilis aditus patet? Caietanus, & Nauarrus aiunt habere absente Episcopo. Sed quidam alij concedunt habere præsente etiam Episcopo. Certè iure communi talem potestatem non habet Parochus; at vsu videtur esse receptum, vt id possit concedere, quia in hoc euentu non ad Episcopum, sed ad Parochum solent homines ire.

Quartò quæritur, An solius Medici, vel Cõfessarij consilium sufficiat, vt ieiuniorum legibus liberemur? Respondeo, posse nos quidem Medici, vel confessarij, vel alterius boni viri iudicium & sententiam sequi, quandocunque in causa nobis dubia & incerta ipsi senserint nos lege ieiunij esse solutos: eo quod causa, de qua nos ambigimus, ipsis euidens & certa videatur: tunc enim legem non relaxant ipsi, sed declarant; at verò quando causa ipsis est dubia & incerta, auctoritate Superioris indigemus, quia necessaria est iuris relaxatio, ad quam Medicus, vel Cõfessarius, vel alius vir bonus potestatem nõ habet. Sic Angelus *ieiunium nu.* 19. & 20. Rosel. *nu.* 25. Silu. *q.* 7.

Quintò quæritur, An auctoritate Superiorum ieiunia ab Ecclesia indicta transferri in aliud tẽpus, aut pecunia redimi, aut in aliud pietatis opus commutari queant? Respondeo cum Innocentio, Hostiensi, Ioan. Andrea, Butrio, & Abbate *in c. consilium, de Obseruat. ieiunio.* sine causa, videlicet iusta & legitima, nihil horum Superiorem posse præter Romanum Pontificem: ea verò causa si fuerit, hæc omnia Episcopum posse. Quare si dies festus in secundam feriam incidat, iure communi transfertur ieiunium, quod alioqui pridie illius diei seruari deberet, in Sabbatum, quod proximè præcedit. Et proinde in Francia vbi sunt templa S. Quintino dicata, ieiuniũ, quod in peruigilio omnium Sanctorum est obseruandum, translatum est auctoritate Episcoporum ex iure communi sumpta, in diem tertium præcedentem, quia dies festus S. Quintini, qui est in Francia admodum solemnis, & celebris, colitur pridie Omnium Sanctorum. Ieiunia itidem vel ab Ecclesia indicta, vel voto suscepta, potest Episcopus vel Confessarius commutare, vel relaxare eadem auctoritate, qua cætera vota, vel Ecclesiæ præcepta. Iejunia etiam iussu sacerdotis confessarij iniuncta potest commutare vel superior, vel alius, qui auctoritatem ad id habeat legitimam: & non alius. Ea verò ieiunia, quæ tanquam pœnæ, auctoritate Superioris imponuntur, inferior mutare non potest: quia ius non habet in id, quod Superior imponit.

Sextò quæritur, Cuiusnam auctoritate Religiosi legibus ieiuniorum solui queant? Respondeo, auctoritate Superiorum iurisdictionem quasi Episcopalem in Religiosos sibi subiectos habentium. Hi autem sunt non tantùm Præfecti Generales, aut Prouinciales, sed etiam Priores, Præpositi, Rectores, deniq; ij, qui toti Collegio, Monasterio, vel Cõuentui præsunt, qui sunt præfecti locorũ: non autem alij, qui in horum cura & potestate sunt; videlicet subpriores, subministri, siue Ministri Rectori subiecti. hi enim in iure, Prælati minimè censentur, quoniam nõ toti Collegio præsunt. At verò Vicerectores, & alij, qui vi statuti, constitutionis, vel auctoritate superiorum funguntur vice & officio Præpositorum absentium, eandem auctoritatem, & potestatem habent. Hanc autem facultatem habent Prælati ratione sui muneris, & officij quo funguntur, non vi priuilegij. Sed quæras, an huiusmodi Prælati, & præfecti possint iusta ex causa seipsos lege ieiuniorũ soluere in ijs casibus, in quibus possunt alios sibi subiectos? Respondeo, posse, id enim colligitur ex Syluestro *in verbo lex, q.* 14. & ex Soto *in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. & lib. 1. de iust. q. 6. art. 1. ad finem.* Caiet. *Prima secundæ q. 96. art. 5. dub. vlt.* Nam quamuis nemo in seipsum alioqui iurisdictione vti queat, in hoc tamen vti potest, quia sibi permittitur, ne sit deterioris cõditionis quã alij. Quid dicendũ est quærẽti, An valeat semper

iuris

iuris relaxatio, si Episcopus vel alius eo inferior Prælatus aliquem lege ieiunij soluat? Respondeo: quando Romanus Pontifex etiam sine causa iusta legem ieiunij relaxat, valet relaxatio, quãuis fieri possit, vt peccet ipse Pontifex. nam Princeps in ius scriptum quod dicitur positiuum humanum, auctoritatem habet. Ita communis opinio. Quando Episcopus, vel alius inferior Prælatus sine iusta, & debita causa aliquem lege ieiunij soluit; non solùm peccat, sed etiam relaxatio iuris est inanis, & irrita; quia ius commune sine causa relaxare non potest. Sic docent omnes Canonici iuris interpretes, & colligitur ex Glossa *l. 1. ff. de postulando, in verbo rarus.* Item si Prælatus bona fide aliquem lege ieiunij soluit, putans iustam causam subesse ad id faciendum non peccat, & relaxatio prodest, quia facta est bona fide. insuper is qui lege ieiunij soluitur auctoritate Superioris, vel consilio Medici, aut Confessarij, tuta conscientia ieiunium soluit, quando certò, & euidenter sibi non constat causam iustam deesse: quia in dubijs melior est conditio superioris, Confessarij, vel Medici: & proinde eorum iudicio standum est, non nostro. Vltimo Prælatus in hac parte scrupulosus non sit: nec rem in subditi conscientiam reijciat, nec eius arbitrio relinquat: sed subditum lege ieiunij soluat, quando id subditus petit, & dubia & incerta causa videtur. nam si soluit, nulli se periculo peccati obijcit, quia potestate sua vtitur relaxando. Si autem subditum lege ieiunij non soluit in causa dubia, & incerta, sed rẽ subditi arbitrio relinquit, ipsum subditum expo nit periculo peccati, & erroris, & fraudis. Hæc Caietanus *in 2. 2. quæst. 147. art. 4. dub. 1.* Nauar. *in Manuali cap. 21. nu. 20.*

In Compendio Priuilegiorum aliquorum ordinum regulariũ, verbo ieiunium, habetur: *Possunt nostri per facultatem factam omnibus qui sunt Congregationis S. Iustinæ de Monte Cassino, dum in Quadragesima, & vigilijs, in quibus ex præcepto ieiunatur, inter equo faciunt, manè sumere aliquid instar refectionis consuetæ, & vesperè cœnare.* Item habetur: *Per facultates Minorum possunt nostri sine violatione ieiunij, maximè concionatores, cum actu concionantur, prout maiori, minori ue consolatione afficientur, anticipare, vel postponere horam cœnæ, & vespertinam refectiunculam.* Deinde habetur. *Hanc facultatem ex causa communicare poterũt omnes Superiores.* Item in verbo Dispensatio habetur: *Præpositi locorum, ac Doctores possunt dare licentiam consilio Medici, vel sine eo, si commodè non possit haberi, vt nostri familiares Domorum, infirmi, seu debiles possint comedere carnes, oua, & alia, sanis interdicta in Quadragesima, & alijs ieiunijs Ecclesiasticis, sine licentia Diœcesani: vel vt sint soluti à lege ieiunij in prædictis temporibus, etiam sine consilio Medici.*

Septimò quæritur, An metus alicuius mali legitimam det excusationem ieiunij? Respondeo, metum iustum dare; si iusta verò formido nõ sit, non liberat quemquã à lege ieiunij. Iustus porrò metus dicitur is, quem leges & iura approbãt; qualis est qui in virum constantem cadit. Ex quo fit, vt si quis periculũ mortis, seruitutis, captiuitatis, carceris, tormentorum, iacturæ bonorum, vel ex toto, vel magna ex parte incurrat, solutus ac liber sit à lege ieiunij. Caiet. *2. 2. q. 147. art. 3. & in sum. in verbo Ieiunium,* finge vxorem virum habere durum, seuerum, imperiosum, qui si viderit, aut nouerit eam ieiunium seruãtem, indignatur, malè tractat eam, rixas excitat, odio, dissidio, discordia alienatur ab ea, tunc vxor talis ieiuniorum legibus non tenetur. Finge fœminam viro hæretico nuptam, quam tamen finit Catholicos ritus seruare, & tenere, at non patitur eam ieiunia colere, non quod id faciat odio, & cõemptione religionis Catholicæ, sed quod dicat ea ieiunia esse cum detrimento, & incommodo suo, & familiæ, tunc vxor eiusmodi libera est à lege ieiunij, vt maioris boni iacturam deuitet, nempe cõmunem familiæ discordiam, & perturbationem. Et ita vxores à ieiuniorum legibus excipiuntur in his casibus Angelus *verb. Ieiunium nu. 17.* Rosel. *na. 27.* Silu. *q. 9.* Nauar. *in Man. cap. 21. nu. 19.* Innocent. Abb. *in Rubri. de obseruat. ieiunio.* Palud. *in quarto dist. 15. q. 10.* Antonin. *par. 2. tit. 6. cap. 2. §. 6.* Item finge Christianum, siue virum Catholicum, per prouincias Turcarum, Hæreticorum, Paganorum transeuntem, cui vel in ipso itinere, vel in hospitijs, vel in comitatu sociorum, cibi prohibiti offeruntur, quos si reijciat & respuat, prodit se ipsum Christianum, vel Catholicum, & ob id periculum subit, aut mortis, aut amissionis bonorum, aut carceris, aut tormentorum, hic vel ille non cogitur lege Ecclesiæ se ab ijs cibis tunc abstinere: nisi vel sit aliorum magna offensio, aut nisi exploretur & tentetur eius religio auctoritate publica, vel inde religionis nostræ despectio oriatur, aliter enim nisi hæc aut alia similia mala creentur, vterque eorum liber est à lege ieiunij: quia hoc non est, eorum falsam, & vanã sectam & superstitionem profiteri, aut veram deserere fidem & religionem. nam multis de causis potest quis cibis vti, ac proinde etiam ab ijs, aut illis ciborum generibus abstinere. Per se ergo indifferens est carnium vsus, neque est natura sua huius vel illius veræ, aut falsæ religionis nota. Item remiges in triremibus Turcarum, Saracenorum, vel Paganorum, & alij itidem serui, famuli vel operarij conducti, non omninò legibus ieiuniorum obligantur, si ea seruare non possunt, dum suum debitum obsequium, famulatum, operam, laborem & officium præstant; aut damnum quod sit alicuius ponderis & momenti patiũtur, si ieiunia seruent, dummodo non cogantur ob contemptum, Ecclesiæ ieiunia prætermittere.

Caput XIX.

Quam vim habeat consuetudo in ieiunys vel obseruandis, vel violandis.

De hac Quæstione Maior *in 4. dist. 15. q. 5.* Medina *q. 8. de Ieiunio.*

Primò quæritur, An contra ieiuniũ lege & iure indictum valeat consuetudo? Hostien. *in Rubrica & c. 2. de obseru. ieiunio.* videtur innuere, eam consuetudinẽ non valere. Abbas verò *ibid.* distinguit: *Contrà substantiam ieiunij consuetudo,* inquit, *nõ valet: cõtrà modũ verò ieiunij valet,* hoc est: Ex toto ieiunium cõsuetudo abrogare nõ potest; at verò horã edẽdi potest mutare. Itẽ potest aliquos cibos alioqui

prohi-

prohibitos introducere; nam alicubi in Quadrageſima lac, caſeus, & butyrum de more comeduntur; Et conſuetudo itidem, veſpertinam corporis refectiunculam inuexit. Fortaſſis Hoſtienſis, & Abbas loquuntur de ieiunio Quadragenario, quod proximè ante Paſcha ſuſcipitur. Dubitari non poteſt, conſuetudine, aliqua ieiunia in totum abrogari, vt docent Maior, & Medina *locis citatis*, Gloſſa *in cap. 2. de Obſeruat. ieiunio.* Palud. *in 4. diſt. 15. q. 4. art. 3.* Antonin. *2. par. tit. 6. cap. 2. §. 2.* Roſel. *Ieiunium num. 8.* Silu. *q. 2.* Ratio eſt, quoniam Ieiunium in certis diebus indictum, iuris eſt tantùm canonici; at leges & iura humana niſi vſu recipiantur, nullam vim & auctoritatè acquirunt. Et rurſus conſuetudine ita abrogantur, vt vim acquiſitam amittant. Item *in c. Statuimus diſt. 3.* decretum eſt, vt Clerici ſeptem hebdomadas, quæ proximè Paſcha antecedunt ieiunio conſecrent: & tamen conſuetudine ieiuniũ ſeptimæ hebdomadæ ante Paſcha ſublatũ videmus. Olim etiam feria quarta cuiuſque hebdomadæ ieiunio erat deputata, quod quamuis alicubi locorum, vt in Græcia, & quibuſdam locis Poloniæ regno ſubiectis, & teſte Maiore loco citato, in Scotia & Britannia retentum ſit; alibi tamen nequaquam ſeruatur, ita vt etiam carnes comedantur. Et *in c. Conſilium, de obſeruat. Ieiunio.* refert Innocentius III. apud Romanos quo tempore Aduentus Domini celebrabatur, ieiunium agi, quod tamen poſtea vſus & conſuetudo deleuit *cap. Ex parte de obſeruat. ieiunio.* habemus ieiunium ſeruari in pridianis feſtorũ Apoſtolorum diebus: & tamen nonnullis in locis ieiunium nõ colitur in peruigilijs Iacobi Zebedæi, Matthiæ, Bartholomæi, & Thomæ: vt referunt Paludanus & Antoninus *locis citatis, & dicitur in ſermone 24. apud Auguſtinum ad Fratres in eremo;* ſi tamen eiuſmodi ſermonum auctor eſt Auguſtinus. Maior eo in loco, quem paulò antè allegaui, Gallos, ait, ſolùm ieiunium ſeruare in peruigilijs Apoſtolorum, quæ enumerat Gloſſa *in cap. Conſilium, de obſeruat. ieiunio,* his verſibus contenta:

" Petrus & Andreas, Paulus, cũ Simone, Iudas
" Vt ieiunemus, nos admonet, atq; Matthæus.

Secundò quæritur, An in ieiunijs, Monachi, vel alij Religioſi, moribus Clericorum ſecularium teneantur, & Clerici moribus laicorum? Paludanus *in quarto diſt in. 15. q. 4. art. 3.* Antoninus *ſecunda par. tit. 6. cap. 2. §. 6.* Roſella *ieiunium num. 16.* Silu. *eod. verb. q. 2.* id negant: Conſuetudo, inquiunt, Laicorum, Clericos non tenet, nec Clericorum ſecularium, Religioſos: quia ſunt varij modi abſtinẽtiæ inter hos tres perſonarum ſtatus, & plura ieiunia ſeruant Clerici quàm Laici, & Religioſi quàm Clerici Seculares. Vnde eorum ieiunijs non ligantur, quorum moribus à ſuis ieiunijs non ſoluuntur: iuxta Regulam Iuris: Quem non honoro, nec onero. Hæc ex illis: quæ non in omnibus locum habent. In primis ſi aliqua plena, vel ſemiplena ieiunia conſuetudine generali ſint in aliqua prouincia, oppido, vel loco recepta, ea quoque in Monaſterijs, & Religioſorum Collegijs intra eum locum cõſtitutis ſeruari debent: ſunt enim ea ieiunia omnium communia, quippe quæ moribus omnium in eo loco commorantium ſunt approbata. Nam pari ratione ſi dies feſti in aliquo loco cõſuetudine, & vſu omnium communi coluntur, obſeruantur etiam in monaſterijs intra eum locum poſitis. At ſi cõſuetudo in ieiunijs ſolùm ſit laicorum, clericos non ligat: item ſi tantùm ſit laicorum, & clericorum ſecularium, monachos & alios religioſos nõ tenet: & hoc eſt, quod Paludanus & alij docuerũt. *Quæres,* an ſi aliqua ieiunia Diœceſani publica auctoritate indicantur, ea Conſtitutione Monaſteria quoque intra diœceſim ſita teneantur: non enim videntur teneri, quia Monachi auctoritati & iuriſdictioni ipſorum ſubiecti non ſunt. Sed tamen ex altera etiam parte alligari videntur: quia ſi Epiſcopus dies feſtos indixerit, aut loci interdicto ciuitatem ſubiecerit, Monaſteria ſeruare illud debent, ergo & ieiunia, ſi quæ indixerit. Negant quidam idem eſſe iuris de legibus ieiuniorũ, quod de interdictis & diebus feſtis: quoniam iure communi conſtitutum eſt, vt Religioſi ſeruent interdicta, & dies feſtos auctoritate Epiſcoporum indictos; nihil tamen eſt de ieiunijs ſancitum. Cum ergo Religioſi ſint ab Epiſcopi poteſtate exempti, non videntur adſtringi hiſce ieiunijs quæ indicit Epiſcopus: veruntamen ne alios offendant, ea ſeruare debent. Quod itidem Paludanus & alij tradiderunt, in hoc locum habet: quod laici, & Clerici etiam ſeculares in quibuſdam diebus ieiuniorum carnibus, vel ouis, butyro, & alijs huiuſmodi de more veſcuntur, quæ tamen Conſuetudo eos Monachos vel Religioſos non comprehendit, qui inſtituto & Regula his diebus, vti prædictis cibis non poſſunt. Et hoc ideo eſt, quia talium ciborum vſus inſtituto, & regula monachali prohibetur. Pari ratione, ſi canone aliquo vel lege ſit cautum, ne Eccleſiaſtici certo die carnes edant, quãuis conſuetudine laici eo die carnibus veſcerentur, ea conſuetudo ad Clericos minimè traheretur, niſi ea quoq; ſit apud Clericos recepta. Quo fit, vt in Hiſpaniæ prouincijs, in quibus Laici, & Clerici ſingulis quibuſque ſabbatis totius anni, præterquam in Sabbatis Quadrageſimæ, & Quatuor Temporum, & Peruigiliorum ſanctorum, more & conſuetudine edunt extremas cæſorum animalium partes, capita nimirũ, pedes, iecur, pulmones, & inteſtina, Monachi. S. Benedicti Regulam profeſſi, qui in illis partibus commorantur, eiuſmodi cibis vti nequeant, quia ad eos conſuetudo trahi nequit, cum inſtituto & Regula talium ciborum vſus ſit interdictus; niſi apud eos recepta quoque laicorum conſuetudo locum & vim habeat.

Tertiò quæritur, An conſuetudine apud Monachos, & Religioſos induci queat vſus ouorum, caſei, butyri, aut etiam carnium, tametſi eorum regula, vel inſtituto prohibitus ſit? Reſpondeo conſuetudinem aduerſus ea, quæ ad Religionis ſubſtantiam pertinent, aut quæ iure communi Monachi, & religioſi præſtare, & exequi iubentur, nulla conſuetudine contraria obſtante, non valere: & talis eſt Conſuetudo inducta contra aliquid eorum, quæ ad tria vota ſpectant, aut etiam fortaſſis contra habitum Monachorum, vel Religioſorum proprium, & peculiarem: nam vt ait Abbas *in cap. Super eo. de regular.* Religionis ſubſtãtia alia ſunt tantũ tria vota: *ex c. Cũ ad Monaſterium in fine. de ſtatu Monach.* At verò conſuetudo inducta

aduerſus

aduersus ea, quæ tantùm Regula præcipit aut prohibet, valet, si fuerit impune permissa. Hinc est, vt in Hispania, si apud ipsos Monachos S. Benedicti Regulam professos, sit inducta consuetudo in Sabbatis extremas animalium partes edendi, ea valeat, non quia laicorum consuetudo ad Monachos protendatur, vt Superiori quæstione iam dixi; sed quia sit consuetudo, Monachorum vsu approbata, quæ sicut legem humanam ex toto, vel ex parte interdum abrogat. Sic etiam Religiosi instituti Regulam ex ea parte, qua tantùm est iuris humani, non diuini, vel naturalis, vel communis.

Quartò quæritur, An aduenæ & peregrini in ieiunijs, indigenarum & incolarum consuetudinibus teneantur? Respondeo, è communi omnium sententia teneri consuetudinibus, apud quos commorantur & habitant: vel si ad eos venerint, causa habitandi apud eos: & hoc non solùm ne cæteris præbeant offensionem, sed absolutè etiam & simpliciter citra vllam offensionem; vt si clam & occultè comedant, satis enim est, si domicilium in loco habeant, aut in eo commorentur: *vt patet ex l. Hæres absens ff. de Iudicijs, & colligitur ex c. Illud, & c. Illa dist. 12.* vbi Ambrosius Augustino respondit: *Ad quamcunque Ecclesiam acceſseris, eius consuetudinem serua.* Idem etiam constat *ex c. Quæ contra dist. 8.*

Verum illud dubiæ quæstionis est, An viatores teneantur consuetudinibus eorum, per quorum loca transeunt, quia non in his locis commorantur, nec ad ea se conferunt habitandi gratia. Hanc quæstionem breuiter tractauit Glossa *in cap. Illa, dist. 12. & c. Quæ contra dist. 8.* & ibi Geminianus, Præpositus, & Archidiaconus, & Turrecremata. Duæ sunt opiniones; prima negat absolutè eos teneri, sed solùm causa vitandæ alienæ offensionis; quare si priuatim, & occultè edant, possunt vti cibis, quibus vtebantur in patria. Sic Præpositus, Archidiaconus, Geminianus, Turrecremata, cum Glossa *in c. Quæ contra dist. 8.* Ita Paludanus *in quarto dist. 15. quæst. 4. art. 3.* Antonin. *secunda par. tit. 6. cap. 2. §. 2.* Rosel. *Ieiunium nu. 16.* Silu. *Ieiunium quæst. 2. num. 2. & q. 10. num. 28. ad finem.* Id probant *ex cap. Illa, dist. 12.* Nam Ambrosius respondit Augustino, consuetudinem esse seruandam ad quamcunque Ecclesiam quis accesserit, ne alijs offensio præbeatur; ergo vbi nulla est aliorum offensio, mos nostræ gentis, ciuitatis, vel populi seruandus est. *Et in l. Hæres absens, §. Proinde ff. de Iudicijs* statuitur, vt aduena, qui certo loco domicilium habet, tabernam, vel officinam conductam, eo loco conueniatur. Si verò sic venit, vt confestim discedat quasi viator, durissimũ est, vt tot locis conueniatur, quot quis nauigans vel iter faciens delatus est. Et *in l. Debitor, ff. De Pignoribus*, solùm obligantur legibus ciuitatis perpetuo habitantes: dicitur enim ibi, *Quæritur, an & Stichus villicus & cæteri serui ad culturam missi & Stichi vicarij obligati essent?* Respondit, *eos duntaxat, qui hoc animo à domino inducti essent, non temporis causa accommodarentur, obligatos.* Secundaverò opinio affirmat, viatores, & eos, qui iter faciunt, etiam absque domicilio, gentis, vel populi, ad quem veniunt, consuetudinibus teneri. Sic Couarruuias *lib. 4. variar. resolut. cap. 20. num. 8. prope finem*, vbi citat Bonifacium, Cardinalem & Abbatem. Sic etiã Maior *in quarto dist. 15. q. 5.* contra Præpositum & Paludanum. Sed reuera durissimum est, viatores & iter facientes ligari in ieiunijs, consuetudinibus eorum, per quorum loca transeunt, vt tot ieiunia seruare cogantur, quot sunt loca gentis, per quæ deferuntur, & ad quæ veniunt non voluntate cõmorandi, sed alio transeundi. Prima igitur opinio est verior, aduenas ratione domicilij, tabernæ, vel officinæ, pergulæ, vel horrei conducti consuetudinibus gentis vel populi teneri; item viatores si aliquo venerint voluntate habitandi, ligantur consuetudinibus eorũm, per quorum loca deferuntur, deducuntur, pergunt, & transeunt. Nihilominus tamen si his in locis prandeant vel cœnent, cibis quibus vtuntur incolæ, vesci debent ad vitandam offensionem aliorum. Et hæc omnia puto primam opinionem dicere voluisse. *Quæres* an viator, qui per loca transit, in quibus de more carnes comeduntur, possit turò carnibus vesci in illis locis, quamuis eo tempore consuetudine, vel statuto suæ gentis, sit carnium esus interdictus? *Respondeo*, posse eos vti carnibus: nam etsi viator in ijs, quæ ad pœnas, odia, & onera pertinent, non obligetur consuetudine gentis, per cuius loca transit, in ijs tamen, quæ gratiam, fauorem, & honorem continent, potest gaudere, & vti consuetudine gentis, vel populi, per cuius loca transit: sicut Nouitius gaudet priuilegijs Ordini, vel Religioni, cuius nouitius est, concessis: quamuis non teneatur legibus & statutis ordinis, vel Religionis. Non habeo Auctorem hoc asserentem: sed hoc mihi probabile videtur.

Caput XX.

De peccatis quæ Ieiuniorum violatione committuntur.

PRimò quæritur, An omnia ieiunia sint libera, an potius quæ sunt ab Ecclesia indicta, seruari necessariò debeant? Nostri temporis Hæretici sentiunt, omnia generatim ieiunia esse libera: vnde ieiunia non damnant, nec tollunt, sed aiunt illa cuiusque arbitratu esse suscipienda: quam hæresim olim tradiderunt Aeriani, vt referunt Epiphanius *hæres. 75.* Philaster, & Augustinus de eodem. Hoc autem probare, & ostendere illi se putant primùm ex illo Apostoli prima ad Timotheum primo, *Iusto lex non est posita.* Deinde quia liberi sumus à iugo veteris legis in libertatem vocati. Præterea Augustinus *Epist. 86.* ita scripsit ad Casulanum. *Si meam sententiam quæris, ego in Euangelicis, & Apostolicis litteris, totoque Instrumento, quod appellatur testamentum nouum, omnino id reuolues, video esse ieiunium præceptum: quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum, non video definitum.* Hæc Augustinus. Denique adferunt Hæretici historiam Spiridionis Episcopi, quam supra ex Sozomeno *lib. 1. Eccles. hist. c. 11.* & Nicephoro lib. 8. cap. 42. retulimus; & historiã de Attalo Illustri Martyre, & Alcibiade, quã inferius producem' ex Euseb. *lib. 5. Eccles. hist. c. 3.* & Nicephoro *lib. 4. cap. 18.*

Cæterum

Cæterùm Catholica est sententia, ieiunia ab Ecclesia indicta obseruare nos oportere; alioqui violata, animæ noxam afferre. Quamuis autem, vti superiùs indicaui, quorundam fuerit Catholicorum sententia, lethalem culpam eum non admittere, qui hęc ieiunia prætermittit, nisi quodam animi contemptu negligat, attamen communis & certa est omnium opinio, lethalis, vel venialis saltem peccati labe animam pollui, si absque iusta causa, etiam quæ nullum contineat contemptum, violauerit. *Canone 68. Apostolorum*, anathemate feriuntur laici, qui Quadragenarium numerum non seruauerint, nisi corporis imbecillitate fuerint impediti. In Concilio Gangrensi *cap. 69.* habetur: *Si quis eorum qui exercentur, absque corporali necessitate se insolenter gerunt, & tradita ieiunia, quæ communiter seruantur ab Ecclesia, dissoluat perfecta in ea residente ratione; anathema sit.* Concilium Toletanum 4. *Canon. 7.* Sic statuit. *Quicunque in die Passionis Dominicæ, præter paucos senes, & languidos, ante peractas Indulgentiæ preces ieiunium soluerit, à Paschali gaudio depellatur, nec in eo Sacramentum Corporis, & sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis eius per abstinentiam non honorauit.* Concilium Carthaginense 4. *Canon. 64.* Clericum quendam propter violatum ieiunium, è Superiori gradu ad inferiorem deijcit. Ambrosius itidem *Serm. 25. Quisquis Christianus*, inquit, *consecratã ieiunando non impleuerit Quadragesimam, prævaricationis & contumaciæ reus tenebitur.* Ibidem: bis dicit nõ esse leue peccatum: & demum quantum sit peccatum, ieiunium Ecclesiæ temere violare, ostendit exemplo de ieiunio à rege Saule vniuerso populo indicto, & à Ionata, filio eius per errorem prætermisso. Augustinus *serm. in Sabbato ante Quadragesimam. Alijs diebus*, ait, *ieiunare, remedium est, ac præmium: in Quadragesima non ieiunare, peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipiet indulgentiam: in Quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam.* Hæc illi patres. Armeni etiam, cum in sabbatis tantùm, & Dominicis diebus in Quadragesima vescerentur ouis, & butyro, Synodus sub Imperatore Iustiniano, in Trullo coacta. *Can. 56.* lege cauit, ne quis oua, ac butyrum ederet in Quadragesima: *Alioqui*, inquit, *Clericus deponatur; Laicus à communione arceatur.* Octaua item Synodus Toletana, *Capite nono*, grauissimis verbis Quadragenarij obseruantiam ieiunij præcipiens: *Quisquis*, inquit, *absque inevitabili necessitate atque fragilitate, vt euidenti languore, sic etiam impossibilitate diebus Quadragesimæ vsum carnium præsumpserit attentare, non solùm reus erit resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus à sancta eiusdem diei communione. Et hoc illi cumuletur in pœnam, vt ipsius animi tempore ab omni esu carnium abstineat, quia sacris diebus abstinentiæ, oblitus est disciplinam. Illi verò quos aut ætas incurvat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quam à Sacerdote permissum accipiant.* Ita Synodus. Quanto satius olim Byzantini fecerint, ita refert Nicephorus *libr. 17. Eccles. Histor. capit. 32.* Cum fames Byzatij increbuisset; Iustinianus Imperator præcepit, vt secunda statim ieiunii Quadragenarij hebdomada, carnes in foro venales exponerentur. Et hoc quidem sic per vim actum. Populus autem, inquit Nicephorus, qui pietatem sibi confectandam statuisset, neque eas emebat, neq; edebat, mortem sibi potiùs subeundam ratus, quàm quicquam de patrijs moribus, & traditionibus mutare. Et certè Augustinus *in Epist. 86. ad Casulanum*, & Hieronymus *in Epist. ad Lucinium Boeticum* de Ieiunijs agentes, Maiorum instituta & consuetudines docent esse pro legibus habendas. Id verò quod principio est obiectum, ex Apostolo; Iusso legem non esse positam: Patres communiter interpretantur: Quia Iustus sponte sua præstat quod lex iubet, nec ad id pœnæ formidine mouetur, aut trahitur. Ad historiam verò Spiridionis & Attali, commodiori loco inferiùs respondebo.

Secundò quæritur, An certis diebus & temporibus ieiunia seruare, sit Iudaicæ superstitionis ritus? Id Hæretici asserere non dubitant; immò, in Nouo etiam Testamento aiunt esse prohibitum certis diebus ieiunia colere. Nam ad Romanos. 14. scribit Apostolus: *Alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem;* & ad Galatas quarto. *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos.* Deinde quia Christus & Apostoli, vt apertè Augustinus *Epistola 86.* testatur, nullos dies certos constituerunt, qui ieiunio deputarentur.

Cæterùm quicquid Hæretici delirent, conuenit inter Catholicos, ieiunium certis diebus ac temporibus suscipi & agi debere, quia id præcipiat Ecclesia, aut consuetudo recepta seruet. Nec tamen inde continuò fit, vt vsu Iudæorum dies, menses, & tempora colamus. Nam vt ex Hieronymo super *Epist. ad Galatas cap. 4. illis verbis, Dies obseruatis & menses*, manifestè colligitur, illi obseruabant dies & tempora in memoriam, & recordationem præteritorum, & vt vmbras ac figuras rerum futurarum; Nos verò, ob tristitiam & luctũ Apostolorum ac Martyrum, & ob imitationem & exemplum Christi Domini. Non igitur, vt isti nugantur, nos dies obseruamus, quia lex antiqua præceperit; sed quia Ecclesia iussit, ac Maiorum nostrorum mos & consuetudo quasi legem præscripsit. Et licet Augustinus dixerit, in Nouo testamento ieiunium præcipi; sed quibus diebus sit ieiunium seruandum, & quibus non obseruandum, nec Christum, nec Apostolos instituisse, parum tamen refert: tum quia solùm videtur locutus de præcepto scripto, non autem viua voce tradito, tum etiam quia alibi sæpe docet has esse Apostolorum Constitutiones. Et quamuis tales non essent: ait tamen ille, Maiorum consuetudines & instituta pro legibus habenda.

Tertiò queritur, An abstinere à certo ciborum genere, Iudaicam sapiat superstitionem & ritũ? Hæretici ieiunia quidem admittunt, sed libera dumtaxat & voluntaria, vt dixi: ita vt quando cuique liberum fuerit ea suscipere, fas sit, non lex, & præceptum. Sed ciborum delectum in ieiunijs condemnant: ita vt ieiunium nihil aliud esse fateantur, quam temperantiam, qua quis in mediocritate quadam, quoscumque cibos voluerit, sumat: ac propterea censent esse contra Christi Domini præceptum, & Apostolorum institutum, in ieiunijs certa ciborum genera prohiberi. Nam Matth. quinto Dominus ait: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Item Luc. 10. *In quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis,*

vobis, Actorum decimo dictum est Petro : *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris* : Genes. etiam primo & nono dixit Deus : *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt* ; Et *omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum : quasi olera virentia dedi vobis omnia.* Ad Titum 1. dicit Apostolus : *Omnia munda mundis ; coinquinatis autem & infidelibus, nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mentes & conscientia*: 1. ad Corinthios decimo : *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini enim est terra, & plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate.* 1. ad Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijcitur, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Deo, & orationem* : ad Colos. 2. *Nemo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi.* 1. ad Timoth. 4. *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à Fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus* : & ijs qui cognouerunt veritatem. Præterea, veteris legis fuit, inter cibos distinguere, alios mundos, alios immundos. Postremò apud Eusebiũ *lib. quinto cap. tertio Histor. Ecclesiastic.* & Nicephorum *libr. quarto capit.* 18. narratur historia de Attalo martyre, qui cum videret Alcibiadem quendam eadem ex causa, ac se, nimirum vt Christum confiteretur, in vincula coniectum, eodem vti squalido viuendi genere, quo cum liber adhuc à vinculis esset, vsus antea fuerat, nihil vt præter panem ederet, nihil præter aquam biberet : quoniam reuelatum illi fuerat non rectè agere Alcibiadem, qui creaturis Dei non vteretur, & alijs præterea offensionis occasionem relinqueret, persuasit Alcibiadi, vt intrepidè cuncta vsurparet, ac proindè Alcibiades postea nullo discrimine omne genus cibi, citra satietatem tamen cepit, & gratias Deo egit, qui quod ei defuerat, ita expleuisset.

Veruntamen vna est, & concors omnium Catholicorum sententia, nullum cibum esse per se malum, ac proinde Ecclesiam in diebus ieiuniorum à certis cibis abstinere: non quòd eos damnet ac iudicet esse per se detestabiles, & naturali iure damnatos, sed eo tantùm, vt corpus castiget & domet, ac contineat se à delicatis ciborum generibus. Fuit hæresis Manichæi, Priscilliani, Marcionis & aliorum, qui à certis quibusdam cibis abstinebant, tanquam natura sua malis, & immundis : ac idcirco editi ab Ecclesia Canones sunt, quibus ea hæresis damnatur. In primis extat Apostolorum *Canon* 22. quic sic habet : *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus non propter mentis exercitationem, sed propter abominationem festis diebus vino, & carnibus non vtitur, deponatur.* In Synodo Ancyrana *Can.* 14. Sic decernitur : *De ijs qui in Clero sunt Presbyteri, vel Diaconi, & abstinent à carnibus, hoc placuit statui, vt non tanquam immundas contemnant, sed contingant à quibus qui se continere volunt, habeant potestatem, ita tamen vt eas pollutas esse non iudicent.* Synodus Toletana prima : in assertione fidei, ad finem. *Si quis dixerit, aut credideris carnes auium seu pecorum, quæ ad escam datæ sunt, non tantùm in castigationem corporis abdicandas, sed tanquam immundas execrandas esse, anathema sit.* Concilium Bracarense 1. Can. 14 *Si quis immundos putat cibos carnium, quas Deus in vsum hominum dedit, & non propter afflictionem corporis, sed quasi propter immunditiam earum, abstineat; ita vt nec olera cum carnibus cocta gustet, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Iure itaque naturali nullus est cibus per se malus: iure verò diuino in veteri Hebræorum populo discreti sunt cibi, ita vt alij immundi haberentur, alij mundi : sed præceptum fuit quod ad illius populi cæremonias pertinebat, quæ Christi Domini morte sunt abrogatæ. Quare Paulus Apostolus in locis paulò antè productis ostendit, Christiano non esse abstinendum à cibis tanquam natura sua malis, quod fuit Hæreticorum dogma, quos in spiritu prædixit esse venturos. Item docuit non esse abstinendum à cibis, more & ritu Iudæorum, quorum cæremoniæ iam erant sublatæ & extinctæ, nunquam amplius vi legis seruandæ. Et hoc dictum est Petro, ne scilicet cibos amplius ex Mosis lege discerneret. Nunquam tamen Apostoli docuerunt non esse à certis cibis abstinendum vt corpus castigetur, & sensus refrenentur, & mens ad cælestia contemplanda promptior, & expeditior reddatur. Et Christus dicit : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem* : quia reuera caro, quæ in die ieiunij comeditur, non per se animum commaculat, sed voluntatis affectus, Ecclesiastici ieiunij præceptum negligentis : Attalus etiam Martyr meritò Alcibiadem admonuit: quia nimirum illa nimia quam seruabat abstinentia, occasionem offensionis alijs præbebat : credebatur enim à cibis abstinere, tanquam per se malis & immundis, aut quòd ritu Iudæorum putaret legem veterem cibos discernentem seruare oportere. Ecclesia itaque in suis ieiunijs præcipit esse abstinendum à carnibus ad carnis lasciuiam comprimendam. *Act. 10.* *Matth. 15.*

Quarèo quæritur, Cuius virtutis sit opus ieiunium ? Respondeo, esse officium Temperantiæ : quare qui Ieiunium ab Ecclesia indictum violat, intemperans est. Et quamuis sint qui doceant, eum Inobedientiæ crimen admittere, qui imperata ieiunia negligit : nos non negamus ita esse, si ea prætermittat, quia parere legi recusat : Nihilominus tamen quandocumque sine iusta & legitima causa ieiunium quis indictum prætermittit aut soluit, contra temperantiam crimen admittit.

Quintò quæritur, An si quis ieiunium in certo die indictum violet, aut quia non potest, aut quia non vult id seruare, debeat alio die ieiunium suscipere ? Quidam senserunt non quidem in vniuersum ieiunium prætermissum, esse alio die seruandum : quia si quis, inquiunt, ob corporis imbecillitatem ieiunium non seruat, non debet in alium diem transferre. At is qui qui eo die ieiunium solueret, quia vel horam edendi anteuertit, vel quia amplius quàm semel edit, debet alio die ieiunium seruare, vt præcepto satisfaciat. Id ostendunt primùm, quia *in cap. Ex parte de Obseruat. ieiunio.* Sic habetur : Vt ieiunium, *quod in Sanctorum pernigilijs seruari debet, in alium diem transferatur, quando pernigilia in diem festum inciderint.* Deinde *in l. Celsus §. sed ipse. ff. de Receptis arbitris dicitur* : Si cui præcipiatur vt soluat intra Calendas Ianuarias, & non soluit, debet deinde soluere: quia duo mandata in vno continentur, nimirum

vt soluat,

vt soluat, & soluat intra Ianuarias Calendas. *Et in cap. Cum dilecti, de Dolo & Contumacia*: Si cui imperetur, vt intra certum diem se in iudicio sistat, nisi id fecerit, debet elapso eo die venire. Ergo à simili cum præcipitur nobis, certo vt die ieiunium seruemus, duo præcepta continentur, nimirum Ieiunij, & certo die ieiunium suscipiendi. Cæterùm Abbas *in capit. primo. De Obseruat. ieiunio.* expressè docet non esse alio die ieiunium seruandum. Et probat à simili: quia si quis die festo rem diuinam non audiuerit, non debet eam alio die audire. Et si quis Sacerdos certo die Diuinum Officium omiserit, id persoluere sequenti die non cogitur. Si mihi relinquitur vsus fructus ad biennium proximè futurum, & impedior, petere non possum vsum fructum alterius biennij, quia non est idem vsusfructus. *l. Si vsusfructus mihi. ff. de vsu, & vsufructu, legatis.* Atque hæc est communis opinio, & vera, Palud. *quarto distinctione 15. quæstio. quarta, articulo quinto, ad finem.* Sylu. *in verb. Ieiunium quæstione vltima, numer. 22.* Angelus *numer. 21.* Rosel. *num. 24.* & Tabien. *numer. 14.* Addit verò Palud. *loco citato*: qui vouit se bis aut semel in hebdomada ieiunium suscepturum, & diem certum non constituit, si in vno die ieiunium ceptũ violauerit, quia voluit culpa sua violare, vel quia legitimè impeditus ieiunium seruare non potuit, debet in alio die eiusdem hebdomadæ ieiunium colere, vt suum votum impleat, antequam hebdomada elabatur. Sic intelligo, quod dicit Palud. eo loco: alij putant sensum Paludani esse: eum debere ieiunium suscipere in alio die etiam alterius hebdomadæ.

Vt argumenta verò obiecta diluantur, annotandum est, dupliciter aliquid ad certum tempus imperari: Aut enim imperatur in cultum, & honorem certi temporis, Aut ne res diutius prorogetur. Primo modo quando quippiam præcipitur, si constituto tempore non fiat, eo transacto, amplius fieri non debet, & talia sunt præcepta ieiunij seruandi certis temporibus, & sacrum audiendi diebus festis, & quotidie Diuinum Officium persoluendi. Pari ratione qui debet operas certo diei, & impeditur, nõ debet operas alterius diei, quia non sunt eædem operæ hodiernæ, & crastinæ. *l. si non Sortem. §. libertas. ff. de condict. indebi.* Posteriori modo quando aliquid imperatur, nisi fiat tempore statuto, fieri debet eo elapso: & tale est præceptum, vt Titius soluat intra Calendas Ianuarias: item, vt in iudicium ad certum diem veniat: tale itidem, vt semel quotannis quisque Sacerdoti sua peccata confiteatur: talia etiam erant olim mandata, vt in Paschate & Pentecoste baptisma susciperetur. Palud. *4. dist. 17. quæst. 2. art. 5. vers. Secundus casus.* Nec obstat quod Ecclesia instituerit, ieiunia, quæ in Perùigilijs Sanctorum seruari nequeunt, in diem proximè præcedentem transferri: quoniam id peculiare est in eiusmodi ieiunijs. Sic enim Ecclesia sua auctoritate constituit.

Sextò quæritur, An si duo ieiunia ab Ecclesia indicta in eúdem diem inciderint, debeat eorum alterutrum in alium diem transferri. Respondeo cum Archidiacono *in cap. De ieiunio distinction. 76.* & Ioanne Andrea *in cap. Cum in cunctis, §. 1. de elect.* Non esse transferendum, generalis enim Ecclesiæ consuetudo habet vt vtrique præcepto satisfaciamus vnico ieiunio.

Septimò quæritur, An qui ieiunium violat, cum duo ab Ecclesia indicta ieiunia seruari deberent, duplex peccatum admittat; vt si peruigilium S. Matthiæ in Quadragesimam, aut peruigilium S. Matthæi in Quattuor anni Tempora incurrerit. Nauar. *in Manuali cap. 11. nume. 4. versic. ex quo colligitur*, respondet, duplici peccato seipsum obstringere, quia duo præcepta perfringit, quippe qui duas leges, & iura conuellit. Sed verius est quod alio loco dictum & ostensum est à me, non committi nisi vnum peccatum tantummodo: quia peccata nõ multiplicantur specie vel numero nisi ratione rei obiectæ, vel finis propositi, vel alicuius alterius adiuncti, hoc est, circumstantiæ adhibitæ, vel quia actus peccati repetitur, non autem sola distinctione præcepti: alioqui enim furtum lege naturali, diuina, Canonica, & ciuili vetitum, quatuor turpitudines haberet. At in præsenti quæstione nihil horum contingit: neque enim est species rei obiectæ diuersa, neque finis, vel alia circumstantia distincta, neque actus replicatur. Dices peccatum numero distingui, quia præcepta diuersa violantur. Hoc nihil efficit; quia actus peccatorum, numero non differunt, nisi quia res obiecta distinguitur, aut quia actus geminatur, & neutrum in præsenti locum habet. Præcepta verò quamuis multa sint, nisi ad diuersas virtutes pertineant, nouam peccati speciem nulla ratione conficiunt, vt suo loco fusius comprobaui. Quemadmodum si quis millies idem votum confirmet, quamuis illud postea perfringat, vnum peccatum admittit. Quare Monachus, qui ratione voci quod fecit, & ratione regulæ & instituti monastici certo die ieiunium debet suscipere, si omittat, dupliciter peccat, quia duo illa præceptorum vincula quibus tenetur, ad diuersas virtutes spectant: vnde quatenus facit cõtra votum, sacrilegus est, vt verò facit contra suam regulam monachalem, peccat vel contra temperantiam vel contra regulæ præceptum.

Octauò quæritur, An qui initio Quadragesimæ deliberat toto eo tempore ieiunium soluere, tot numero peccata, siue vnum peccatum tot deformitatum committat, quot sunt Quadragenarij ieiunij dies? Respondeo, committere, perinde atque is, qui statuit rem diuinam omittere tribus diebus festis, triplici peccato sese polluit: & similiter sacerdos, qui in animo haberet trib⁹ diebus diuinum Horarium precum officium prætermittere. Quoniam peccata numero, quod attinet ad peccati turpitudinem siue deformitatem, distinguuntur, quando res voluntati obiecta numero differt, siue vno simul voluntatis actu, siue pluribus approbetur & placeat. Vt si tibi in animo sit tres quatuorue homines occidere, aut verberibus cædere, aut tria furta, vel periuria, vel sacrilegia committere.

Nonò quæritur, An ieiunijs debeant adiungi eleemosynæ, preces, vigiliæ, & alia huiusmodi pietatis officia? Respondeo, olim quidem, vt constat ex Patribus præsertim Ambrosio, Augustino, Leone, ieiunia cum eleemosynis, precibus, vigilijs, & alijs id generis operibus de more coniungebantur. Vnde *in cap. Solent, de consecratione*

distinctione prima, ex Concilio Cabilonensi dicitur: *Auditis Missarum solemnijs & Vespertinis officijs, & largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est.* Præterea pridianis Apostolorum, & aliorum primariorum Martyrum diebus Christiani ieiunia seruabant: & deinde pernoctantes, & ad sacras ædes conuenientes, vigilias agebant. Postea verò vsu & more sunt vigiliæ sublatæ, & ieiunia remanserunt, ac vigiliarum nomen ipsis ieiunijs attributum est. Consuetudine quoque factum est, vt ieiunia nostra careant illis comitibus, quos antea solebant habere, nimirum precibus & eleemosynis, quorum tamen aliqua adhuc vestigia permanent in ijs Ieiunijs, quæ publicè Romanus Pontifex in communem omnium salutem sæpe constituit, cum Iubilæum, quod appellant, promulgat. indicit enim triduanum ieiunium, & decernit etiam, vt in eo triduo eleemosynæ erogentur, & vt fiant solemnes & publicæ supplicationes, & vt quisque priuatim preces fundat ad Deum; ac in ea hebdomada suorum faciat peccatorum confessionem; & Dominico die proximè sequenti Eucharistiam omni expurgata criminũ labe percipiat.

Decimò quæritur, An superior, cuius consensu & beneficio quis lege ac vinculo ieiunij soluitur, debeat ieiunium in aliud pietatis officium commutare? Respondeo, ex Patrum doctrina, Ambrosij, Prosperi, Augustini, & aliorum, cui iusta ac legitima causa ieiunium relaxabatur, in aliud pium opus permutabatur. Nunc verò sæpenumero Superior aliquem ieiunij vinculo soluit, nec tamen vllum aliud pietatis opus imponitur, quamuis in Iubilæis solat facultas concedi, vt qui ieiunium suscipere nequit, in aliud pietatis officium arbitrio Confessarij commuter.

Vndecimò quæritur, An peccet famulus vel ancilla mensam sternens & parans, ac ministrans cibos Domino, quem nouit ieiunium soluere? Respondeo cum Caietano *in secunda secundæ q. 147. articulo quarto, versicul. Occurrit hoc in loco dubium*; minimè: quoniam munere suo fungitur, quod alijs quoque diebus ac temporibus obire consueuit. Dices; Dominus prandendo aut cœnando peccat, ergo famulus quoque aut ancilla: siquidem cum eo simul operari videntur. Respondeo, famulum nequaquam operari pariter cum domino in malo & peccato, sed præstare officium & ministerium, quod alioqui suo domino debet. Deinde, obijcies; Cum dominus imperat famulo; Para mihi cibos, & sterne mensam, iubet quod malum est, ergo famulus ei obtemperando peccat. Respondeo, si dominus imperaret rem per se malam, famulo non liceret, domino imperanti parere, cum rem sibi imperatam neutiquam posset benè obire & exequi. Cum verò Dominus petit à famulo rem sua natura per se indifferentem, tuta conscientia famulus obtemperat, quamuis deprauatus sit domini affectus, famulus enim facit id, quod fieri iure potest. Cum dominus itaque iubet parari sibi cibos, non iubet rem per se malam, ac proinde famulus suo muneri satisfaciens non peccat. Est quidem domini affectus, vti paulò ante dixi, malus, in quo famulus minimè consentit, sed solitum officium famuli dominus petit, quod malũ non est, & ideo famulus iure consuetum suum officium domino præstat.

Duodecimò quæritur, An lethale peccatum committat is, qui inuitat ad cœnam in die ieiunij eum, quem nouit alioqui cœnaturum? De hac quæstione Caietanus *in secunda secundæ, quæstione 147. articulo quarto.* Mai. *4. distinctione 15. quæstione quarta. §. Dubitatur.* Nauarr. *in Manuali capit. vigesimoprimo, numer. 24.* Respondeo, in primis lethaliter peccare eum, qui inuitat, si is, qui inuitatur, cœnet, cum alias si inuitatus non esset, ieiunium seruaret: tunc enim qui inuitat, causam dat vt ieiunium soluat is, quem ad cœnandum inuitat. Et hoc locum habet in eo qui inuitat, quem certò nouit, vel probabiliter credit, vel dubitat esse obligatum ad ieiunium seruandum. Nam secus est de eo qui inuitat, quem nouit, aut probabiliter credit esse à ieiunij lege solutum ac liberum. Colligit Maior loco citato, peccare patresfamilias, & dominos ministrantes filijs, seruis, & famulis cibos, quorum vsu, sciunt aut dubitant probabiliter eos ieiunium violaturos, de quo dicam quæstione proximè sequenti. Sed quid dicendum, si inuites ad cœnandum alterum, qui est ad cœnam paratus, cum tamen seruare possit ac debeat ieiunium? Respondeo cum Caietano *loco citato*, te lethaliter peccare, qui inuitas alterum ad peccatum continuandum, & exequendum: quia scilicet nemini fas est ad malum exequendum inuitare, vel allicere quemquam etiam paratum ad malum faciendum. Nam peccatum est, non solùm velle malum facere, sed etiam facere malum, & complere. Quod si inuitas aliquem ad cœnandum tecum, qui erat cum alio, vel alibi cœnaturus? Caiet. *loco citato.* & Nauarr. *in Manuali capit. 21. numer. 25.* Respondent te non lethaliter peccare, quia non peccant, qui hospitio viatores excipiunt alioqui etiam ad ieiunium seruandum obstrictos, & inuitant, vt domi suæ potius quam alibi cœnent, eo quod non inuitant simpliciter ad cœnandum; sed ad cœnandum ibi, & non alibi. Probabilis est opinio, quoniam non offers cœnam; sed domum & locum cœnæ. Item cum inuitas alterum, cum alio cœnaturum, vt tecum cœnet, non offers illi simpliciter cœnam: sed offers te tanquam socium in cœna, cum tu iure cœnare queas.

Sed peccatne qui alterum inuitat vrbanitatis, hospitalitatis, amicitiæ & gratia ad cœnam simpliciter in die ieiunij? Nauarr. *in Manual. capit. 21. numer. 24.* respondet, eum non peccare, si solùm inuitet ad cœnam tanquam ad cibum, quo vitam sustentamus: cibum enim sumimus, vt nos alamus, & nutriamus. Probat, quia is tunc non inuitat alterum ad malum, sed ad bonum. Probat etiam à simili: nam fas nobis est mutuum petere ab eo, quem scimus non nisi ad vsuram daturum. Item iure quis Sacramenta petit à Parocho, quem probabiliter nouit nonnisi cum peccato sacramenta ministraturum. Tuta conscientia petimus à Paganо iusurandum, quem nouimus per falsos deos iuraturum. Item meretrici domum iure quis locat ad habitandum: iure quis vendit rem suam alteri, quamuis nouerit ea re illum perperam vsurum. Sed hæc exempla solùm præbant

nos

nos non peccare, cum rem petimus ab altero per se bonam, vel indifferentem, qua ille si velit, bene vti potest; non tamen si rem per se malam petamus, & qua alter bene vti non potest. Nos item non peccamus, si in bonis iure nostro vtimur, quamuis nouerimus alios deprauato suæ voluntatis affectu peccaturos. At cũ inuitamus ad cœnam simpliciter alterum, quem certò, vel probabiliter credimus contra ieiunium facturum, non inuitamus ad rem bonam, & qua ille si velit, vti bene possit; & ideo meo iudicio non sumus à peccato liberi.

Duodecimò quæritur, An paterfamilias ministrans cœnam suæ familiæ, vt filijs, famulis, seruis, cum tamen ieiunium illi seruare deberent, lethale peccatum admittat? Duæ sententiæ sunt; vna simpliciter ait, eum grauiter peccare. Medina *Tract. de Ieiunio, Quæstione de his, per quæ ieiunium soluitur. Mai. quarto distinctione 15. quæstione quarta, §. dubitatur.* Altera docet non semper peccare. Dicendum existimo in primis, eum lethaliter peccare, si in die ieiunij compellat familiam, quæ ieiunium agere debet, ad opera, quæ cum ieiunio stare non possunt, si in alium diem differri commodè queunt. Sic Gabr. *secundo distinctione 17. articulo tertio.* Deindè paterfamilias debet, si commodè potest, ministrare & præbere familiæ alimenta commoda, & licita siue iure permissa in die ieiunij, vt ita familia sustentetur, & simul ieiunium seruare queat: debet enim impedimenta remouere, & curare, ne familia debitum ieiunium omittat, aut violet cibis prohibitis vtendo. Mai. *loco citato.* Verùm non cogitur vllo præcepto familiam per vim compellere ad ieiunia seruanda: sed tanquã bonus pater aut dominus lege charitatis, & correctionis fraternæ cogitur familiam monere, & curare, vt ieiunia indicta ab Ecclesia seruet, & debet eos cibos tantùm ministrare, qui in diebus ieiuniorum iure aut consuetudine præscripta permittuntur. Ledesm. *in quarto Part. 2. quæst. 17. artic. 6. dubi. 4.*

Decimotertiò quæritur, An peccent qui in diebus ieiuniorum cibos prohibitos venales exponunt? Respondeo, Magistratuum esse prohibere, ne tales cibi venales exponantur, vt sic multorum peccata deuitentur: An verò peccent priuati homines qui huiusmodi cibos vendunt occultè, duæ sunt opiniones. Prima negat ea ratione, quòd nõ videantur simul operari cum ijs qui mala fide emunt, quippe qui deprauato voluntatis affectu peccant. Deinde multi sunt, quibus fas est prædictos emere cibos, nec venditores vlla lege coguntur explorare emptorum causas, emant ne iure, an contra ius. Præterea nemo malus credi potest, nisi id certò & euidenter constiterit: ergo si venditor certò non nouerit emptorem in emendo peccare, vendendo non peccat. Oppositum affirmat opinio secunda; tum quia inde multorum peccatorum occasiones oriuntur, ea enim data occasione multi ieiunia soluunt ac violant, & lege charitatis debet quisque alium monere, & impedire ne peccet: item quia occasionem peccandi debet quisque præcidere: & hæc opinio videtur quibusdam esse probabilior & verior. Nam ideo Respublica vetat ne tales cibi publicè vendantur. Dicendum existimo: Si quis priuatim & occultè vendat, non videtur peccare, si nesciat, vtrum bona fide, an mala emptor emat: secus tamen est, si probabiliter nouerit aut dubitauerit emptorem emendo peccare. Nemo malus existimatur & creditur, nisi certò vel probabiliter constiterit eum malum esse.

Caput XXI.

Quænam alia in diebus ieiuniorum sint iure Canonico & ciuili prohibita.

PRIMO quæritur, An etiam sint alia, quæ olim Ius Canonicum vel ciuile vetuerit in diebus ieiuniorum? Respondeo, alia esse, ea nempe quæ sequuntur. Nam in Concilio Laodiceno *Canon. 51. & refertur cap. Non oportet de Consecratione distinct. 33. quæstione quarta* est constitutum sic: *Non oportet in Quadragesima Martyrum natalitia celebrari, sed eorum in Sabbato & Dominica tantùm memoria fiat.* Idem habetur *in cap. Non licet, eadem Distinctione, & Quæstione* ex Synodis Græcanicis, quas Martinus Bracarensis Episcopus collegit. Olim Ecclesia Latina hunc morem seruauit, & maximè Ambrosius in Ecclesia Mediolanensi. Vnde Episcopi Hispanienses diem festum Annuntiationis dominicæ transtulerunt in diem 18. Decembris, vt habetur in concil. Toletano. 9. anno salutis humanæ 655. & sacra anniuersaria B. Ambrosij celebritas colitur non in die obitus eius, is enim incidit in Quadragesimam, quarta die Aprilis: ordinatio verò eius in Mensem Decembrem septimo die. Dies quoque festus S. Benedicti olim agebatur in mense Iulio, non Aprili. Nunc verò huiusmodi Canon non est vsu & consuetudine in Ecclesia receptus.

Secundò quæritur, An in diebus ieiuniorum iudiciales actus sint iure Ciuili, aut Canonico prohibiti? Respondeo *in l. Quadraginta. C. de Feriis.* Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus ita lege lata sanxerunt: *Quadraginta diebus qui auspicio cæremoniarum paschale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum.* Hæc tamen lex, iam consuetudine est abrogata.

Tertiò quæritur, An nuptiæ sint in diebus ieiuniorum prohibitæ? Respondeo, in Synodo Laodicena *can. 52. qui Canon refertur in c. Non oportet 33. q. 4.* statutum esse, ne in Quadragesima, aut nuptiæ, aut quælibet natalitia celebrentur. Natalitia, Synodus intelligit dies natales Principum, vel virorum insignium, in quibus Epulæ & conuiuia fieri solent. Nuptias verò accipit, prout significant solemnes, eas quas Theologi Nuptiarum benedictiones appellant, quibus coniuges in Sacris ædibus à Sacerdote inter Missarum solemnia sacrari solent. Eodem modo intelligitur quod respondit Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum. & *habetur in c. Nec vxorem. 33. q. 4.* vbi dicitur: *Nec vxorem ducere, nec conuiuia facere in Quadragesimali tempore conuenire posse vllo modo arbitror.* Huc accedit quod ex Concilio Hybernensi *in eadem distinct. & quæst. nuper allata c. Non oportet*, refertur, nimirum: *Non oportet à Septuagesima vsque in Octauam Paschæ, & tribus*

hebdomadibus ante festiuitatem Sanct. Ioannis Baptistæ, & ab Aduentu Domini vsque post Epiphaniam, nuptias celebrare: quod si factum fuerit separentur. Hoc decretum continetur etiam in cap. Capellanus de Feriis. QVAERES, cur his tribus temporibus sint solemnes nuptiæ prohibitæ? Quidam respondent id factum esse, quòd olim ter in anno diuinam Eucharistiam Christiani perciperent, in Natali nempe Domini & in Paschate, & in Pentecoste: quapropter vt multo tempore se ad tam salutaris, & diuini cibi sumptionem præpararent, lege cautum est, ne his tribus temporibus fierent solemnes nuptiæ. Ego tamen probabile existimo, interdictas fuisse nuptias propter triplex publicum & solemne ieiunium, quod tribus hisce temporibus suscipi quotannis ac seruari solebat. Primò deputabantur nouem hebdomadæ ante Pascha, ea, quam suprà dixi, ratione. Deinde consecrabantur tres hebdomadæ ante diem Natalem sancti Ioannis Baptistæ, quæ inchoabantur iuxta multorum ritum & morem, tribus diebus ante festum Dominicæ resurrectionis. Quare in prædicto Canone tres hebdomadæ ante Natalem diem Sancti Ioannis Baptistæ non intelliguntur proximè præcedentes ipsum diem festum, sed cum interuallo trium aliarum hebdomadarum: nam accipiuntur tres hebdomadæ. Vna, in quam incidit Dominica ascensio, & triduum Rogationum: Secunda, quæ proximè præcedit Pentecosten. Tertia, est ipsa Pentecostes hebdomada. Nam triduo Rogationum ieiunium celebratur, & post Domini in cælos ascensum, multi ieiunium agebant vsque ad Pentecosten, vt implerent illud quod dixit Christus. *Tunc ieiunabunt, cum auferetur Sponsus ab eis*: & in hebdomada Pentecostes, æstiuum Quatuor Temporum ieiunium seruabatur: & in Aduentu Domini vt superius suo loco dixi, Romani ieiunium suscipiebant: & post Aduentum succedunt dies Natalis Dominici vsque ad Epiphaniam; quibus diebus diuinis rebus tantùm, non nuptijs studendum curauit Ecclesia. Sciendum tamen, in Concilio Tridentino *sessione vigesimaquarta, capite decimo, de Reformatione Matrimonij*: huiusmodi Decretum esse ex parte abrogatum. Sic enim ibi habetur: *Ab Aduentu Domini nostri vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque in Octauam Paschatis inclusiuè antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari Sancta Synodus præcipit: in aliis verò Temporibus nuptias solemniter celebrari permisit.*

Matth. 9.

Quartò quæritur, An bellare in diebus ieiuniorum, sit iure prohibitum? Respondeo; *in capite primo, de Treuga & Pace*, Alexander III. in Concilio Lateranensi lege sanciuit, vt pacis fœdera omnino seruentur ab Aduentu Domini vsque ad Octauas Epiphaniæ, & à Septuagesima vsque ad Octauas Paschæ, & à quarta feria post occasum solis, vsque ad secundam feriam in ortu solis: eo quod olim Romani feriam quintam à ieiunio liberam colebant. In ea enim Christus Dominus in cælos ascédit, & in feria sexta ieiunium seruabant ob necem & sepulturam Domini, & in Sabbato ob mœrorem, & luctum Apostolorum. Dominicà diem ob Domini resurrectionem vt sanctam veneramur.

Quintò quæritur, An in diebus ieiuniorum sit iure vetitum corpus cœna reficere, antequam vespertinum officium fiat? Respondeo: *in cap. Solent, De Consecratione distinctione prima*, constitutum esse, ne in Quadragesima ante vespertinum Officium, ieiunium soluatur. Et quia consuetudine nunc in Quadragesima ad meridiem corpus esca reficitur, inde fit vt Clerici vespertinum Officium in sacris ædibus solemni ritu decantent post Missæ sacrificium perfectum, antequam cibum capiant, Quæstionis verò est, An cæteri qui Diuinum Officium priuatim persoluere canonica lege coguntur, id præstare debeant, priusquam cibum in meridie sumant. Quidam affirmant, alij verò negant: de quo commodius dicemus suo loco. Cæteris verò ieiuniorum diebus non est iure canonico decretum, vt vespertinum officium ante refectionem corporis persoluatur: sed solùm, vt ad horam sextam res diuina fiat, & ad horam nonam ieiunium relaxetur.

Sextò quæritur, Quidnam qui olim solemnem agebant pœnitentiam, facere debebant in diebus ieiuniorum? Annotandum est, tunc Christianos in duas veluti Classes fuisse diuisos, in Fideles inquam, & Catechumenos, *Catechumenis*, inquit Augustinus fermon. 46. de verbis Domini, *Sacramenta fidelium non produntur*: Porrò Catechumenorum duæ erant classes; alij Audientes vocabantur, alij Competentes, siue Electi. Fideles verò etiam ipsi in tres erant Ordines distributi: vnus erat Clericorum, alter Laicorum, tertius Pœnitentium, qui ob certa quædam delicta, quibus alios publicè cõturbauerant, à fidelium cœtu & conuentu segregati, extra Ecclesiam electi, suorum peccatorum agere pœnitentiam cogebantur. Hi Pœnitentes singulis ieiuniorum diebus, aut saltem in capite ieunij Quadragenarij, ad Ecclesiam venire debebant, vt capita sacerdotibus submitterent, qui eis manus imponerent, & Deum pro ipsis precarentur. Vnde quarta Synodus Carthaginensis *Canone octauo* statuit, vt omni tempore ieiunij manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponerentur. Refert deinde Gratianus *distinctione 50.* in capit. quod incipit: *In capite Quadragesimæ, omnes pœnitentes ante fores Ecclesiæ se præsentent Episcopo ciuitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse, ipso habitu & cultu protestantes: & ibi adesse debent Presbyteri, Parochiani, & Presbyter Pœnitentium, qui eorum pœnitentiam, & conuersionem diligenter inspicere debent. Posthæc eos in Ecclesiam inducant, & cum omni Clero septem Pœnitentiales psalmos in terra prostratis Episcopum cum Lacrymis pro eorum solutione decantet. Tunc rejargens ab oratione, manum eis imponat, benedictam aquam super eos spargat: cinerem priùs mittat: deinde cilicio capita eorum operiet, & cum gemitu crebris suspirijs denunciet eis: sicut primus sicut Adam proiectus est de Paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesiæ ejciuntur. Postea iubeat ministros, vt eos extra tunicas Ecclesiæ ejciant. Clerus verò sequatur eos cum responsorio: In sudore vultus tui vescêris pane tuo. In sacra autem Domini cœna rursus ab eorum Decanis, & eorum Presbyteris, Ecclesiæ limina illis repræsententur.* Nam vt constat ex Innocentio I. *in capit. De Pœnitentibus, de Consecratione distinctione tertia*, Pœnitentes siue ex grauioribus commissis siue ex leuioribus pœnitentiam

Genes. 3.

Ibidem.

rentiam agunt, si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Pascha, remissionem, Romanæ Ecclesiæ consuetudine, accipiant. Singulis igitur annis pœnitentes feria quinta, Maioris hebdomadæ ad Ecclesiam conueniebant, reconciliabantur, & Sacrosanctam percipiebant Eucharistiam vt ait Glossa *eo loco*. QVAERES, cur eo die potius quàm alio, eos sibi Ecclesia reconciliabat, eisque Dominicum panem sanctum porrigebat? Respondeo, Ecclesiam in hac re, Christi exemplum imitari voluisse, qui eo die pedes Discipulorum suorum lauit, vnà cum eis cœnauit, eisque suum corpus & sanguinem impertiuit. Huius antiquæ consuetudinis & moris duo adhuc vestigia cernere licet. Etenim feria quarta Cinerum, quod Caput Ieiunij vocamus, omnes ad Ecclesiam conuenire solent, & sacerdos eorum capita sacro Cinere, & aqua item sacrata aspergit. Sacræ item Fidei Inquisitores aliquos Ecclesiæ reconciliant, eisque ad certum tempus, vel ad vitam etiam pœnitentiam alicubi iniungunt; & ideo paruulum quendam saccum eorum humeris imponunt: qui cum ab Episcopo olim Pœnitentibus daretur, cœpit Saccus benedictus vocari. Quare nunc saccus ab Inquisitoribus impositus, vulgari Hispanico sermone dici solet, san benito, id est, saccus benedictus, maximi apud Hispanos dedecoris & ignominiæ.

Septimò quæritur, An quis per alium quempiam ieiunium agere queat, vt sic Ecclesiæ præcepto satisfaciat. Hanc quæstionem tractauit Glossa *distinctione 82. cap. Presbyter, & de Pœnitentia distinctione tertia, cap. Pœnitentia*, & vtrinque rationes & argumenta proponit: ac tandem videtur concludere, id fieri non posse, probatque ex cap. *vltimo de Offic. Iud. deleg. §. Is autem*, vbi legimus: *Is autem, cui iniungitur, vt personaliter negocium exequatur, potest, dummodo partes consentiant, hoc alijs delegare*. Docet itidem (quicquid sit de alijs) per filium posse patrem ieiunium seruare, & è contrario: tum quia eadem persona censetur 25. *quæstione tertia, §. Hac auctoritate*; tum quia patres magis ceruntur in filijs, quàm in seipsis; *ff. Quod metus causa, l. Isti quidem §. vltimo*. Accedit, quod quis potest per alterum satisfacere ac debitum soluere. Cæterùm dicendum est, ieiunium aut imperatur alicui, vt corpus castiget ac domet, & hac ratione nemo potest per alterum ieiunium suscipere & agere, cuiusmodi sunt ieiunia quæ indicit Ecclesia aut Confessarius; Aut ieiunium iudicis sententia iniungitur tanquam pœna peccatis debita; & hoc modò, nisi aliquid aliud impediat, potest quis per alium debita ieiunia persoluere; sic etiam viuorum ieiunia mortuis prodesse queunt in modum suffragij.

Cap. XXII.

De Ieiunio, quod ius naturale præscribit.

PRIMO quæritur, Qualisnam abstinentia sit Ieiunium, quod est tantùm Iuris naturalis? Respondeo, ieiunium naturale, in multis à Ieiunio Ecclesiastico differre, nec enim postulat certum cibi genus; nec definitos & statos dies, & tempora, nec vnicam corporis refectionem; sed tantum est abstinentia quædam, qua nobis ipsi cibum, & potũ subtrahimus, prout certa ratio præscribit ac præcipit.

Secundò quæritur, Ieiunium quantæ sit antiquitatis? Respondeo: si de ieiunio Ecclesiastico Quadragenario, quod nunc est in vsu & more, loquamur, id vnà cum Apostolorum institutione & doctrina cœpit: nam ipsi Apostoli, vt hactenus vidimus, Quadragenarium ieiunium, quod proximè ante Pascha suscipitur, lege sanxerunt. Si verò sit sermo de ieiunio, quod ius naturale præcipit, id vnà cum ipso rationis instinctu nobis insitum est & innatum ieiunij præceptum: nam à natura ipsa cum ratione virtutum semina accepimus; vt propterea abstinentiam, sicut alias morũ virtutes, ratio naturalis assidua excitatione gignat ac procreet. Quod si de iure diuino scripto sermo sit, leginus in scriptura primo nostro parenti præceptum certi ieiunij, & abstinentiæ esse datum, cum dictum est illi: *Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Et ideo Tertullianus *lib. aduersus Psychicos, cap. 3.* Basil. *homil. de laudibus ieiunij*. Ambros. *de Helia, & ieiunio, capit. 4.* Auctor sermonum ad fratres in Eremol. *sermon. 25.* & alij patres communiter tradiderunt, Ieiunij legem esse ante peccatum in Paradiso sancitam, ac primum datum homini præceptum, fuisse de ieiunio obseruando, hoc est, de abstinentia à certo cibi genere. Vocatur quidem à quibusdam in dubium, An primis Mundi nascentis temporibus fuerit homini concessus carnium esus, & sunt qui sentiant, nullum ante Diluuium carnium, aut piscium vsum fuisse; Alij verò ex scripturis eum colligunt fuisse. Nam certa illa extat sancti Abelis commendatio, quòd de gregis sui primogenitis, & eorum adipibus, Deo liberaliter obtulisset: at ex ijs quæ Domino offerebantur, aliquid sacerdotes in vsum sibi sumebant: Noë item ex animantibus immundis bina tantùm, ex mundis autem septena secum assumere, & in Arcam inferre à Deo iussus est. Eorum igitur quæ erant ad sacrificandum apta, aliquis erat humanus vsus: hæc quæstio non est mei instituti. *Genes. 2.* *Genes. 4.* *Infra 9.* *Genes. 7.*

Tertiò quæritur, Quanta & quotuplex sit Ieiunij vtilitas? Respondeo, magnam & multiplicem esse, vt ex Basilio, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Gregorio, & alijs patribus antiquis facilè constat. Sed in primis Ieiunium conducit ad lasciuiam corporis coërcendam. Vnde Cyprianus: *In ieiunijs*, inquit, *vitiorum semina siccantur; petulantia marcet; concupiscentiæ languent; fugitiuæ abeunt voluptates; extinguitur Aethnæ ardentis incendium, & flammiuomi fornax Vulcani extincta intus, montes conterminos non aducit. Ieiunium si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem guæ spoliat & exornat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos distinguit & ligat. Ieiunium si humilitate ornetur, seruos Dei mundi efficit contemptores.* Tertullianus: *Nos certo cimus, quod qui in carne sunt, Deo placere non possunt, non in substantia, sed in cura, in affectione, in operatione, in voluntate. Macies non displicet Deo, nec datum est nobis corpus ad pondus, sed ad opus.* Augustinus: *Princeps humani generis Adam quamdiu ieiunauit seruans mandatum, in Paradiso fuit: vbi verò comedit, eie-* *Cypria ser. de Ieiunio.* *Tertullia. lib. contra Psychicos, Rom. 8.* *B. Aug. ser. 65. de tempore.*

Genes. 4.

Epist. 2. ad Bonifacii.

Hieronym. in Epistol. ad Eustochiū.

Leo serm. 6 de ieiunio sep. mens.

Basil. hom. de ieiunio. Dan. 3. Infra 6. & 14.

Ambr. lib. de Helia. c. 2.

Aug. serm. 65. de tempore. Exod. 32. Hier. lib. 2. contra Iouinia. Exod. 34. Genes. 3. Isidor.

Ambros.

Isidor. Athanas. lib. de virginit. Tob. 4.

Bern. serm. 4. de coen.

Hus est è Paradiso: & qui in Paradiso Dei virgo fuerat, eiectus de Paradiso cognouit vxorē; semper enim saturitati coniuncta est luxuria. Vicina sibi sunt venter & genitalia. Alibi: *Semper caro nostra subdita sit animæ nostræ; sicut ancilla famuletur dominæ: non præbeamus vires illicitas animæ nostræ, ne committat bellum aduersus spiritum nostrum. Non increpari permittamus ancillam, ne superbiat in dominam. Domemus vigilijs orationibusq; imponamus frenum equo feroci, ne per præcipitia labamur.* Hieronymus: *Ventris ingluuies, tam animæ, quàm corpori ministrat materiam; ideo medicinale ieiunium omnem aufert languorem: Et omnem tribuit virtutem & gratiam. Sit ieiunium medicina, frāgatur corpus, castigentur membra verberibus, multiplicentur abstinentiæ; etsi adhuc adsit concupiscentia illicita, adhibeantur grauissimæ disciplinæ, quousque erigatur domina, & seruiat ancilla.* Chrysostomus homil. 8. in Genesim. *Abstinentia propter hoc recepta est, vt vigorem carnis refrenet, & æquum moderami facilè parere faciat.* Et infrà: *Ieiunium carnem comprimit, lasciuias inordinatas cohibet.* Leo: *Oratione propitiatio Dei quæritur, ieiunio vero concupiscentia carnis extinguitur.* Post hæc: *Quamuis sine anima,* inquit, *caro nihil desideret, & inde accipiat sensus, vnde sumit & motus: eiusdem tamen animæ est, quædam sibi subditæ Substantiæ negare, vt à corporis cupiditatibus libera, in aula mentis, posset diuinæ vacare sapientiæ: vbi strepitu silente curarum, meditationibus sanctis in dei cijs delectetur æternis.*

Alius item Ieiunij fructus est, quod Abstinentia mentem ad Deum attollit & euehit. Est igitur Ieiunij effectus mentis ad Deum ascensus. Daniel, ieiunio, quæ suæ genti erant euentura, diuinitus præuidit. Elias, ad Dei visionem, se quadragenario ieiunio præparauit. Moses itidem quadragenario ieiunio purgatus, legis tabulas accepit, quibus Dei voluntas continebatur. Vnde Cyprianus loco citato *Ieiunium*, ait, *carnes azymas mundat & solidat, & putredines quæ ex adipe prodeunt, consumit & siccat: Scripturarum deitcijs pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cælesti pane nutritur.* Basilius: *Ieiunium restringit vim ignis, obturauit ora leonū: preces nostras subuehit in cælum, dum illis alarum vice sit, quo sursum ferantur. Reperies quot quot fuere sancti, omnes per ieiunium ad vitam Deo dignā fuisse institutos.* Ambrosius: *Ieiunium, vita est Angelorum fundamentum castitatis: hoc ad Deum gradu facilius peruenitur.* Augustinus. *Aduertamus,* inquit, *quanta sit inter ieiunium, & saturitatem distantia: inter ventrem vacuum, & pulmones epulis æstuantes: Moses quia ieiunauit, vidit Dominum: Populus quia manducauit, & bibit, Idola fabricatus est.* Hieronymus: *Sed neque secunda conscriptio tabularum absq; ieiunio potuit impetrari: quod ebrietas perdiderat, media reperit. Ex quo ostenditur, posse nos per ieiunium redire ad Paradisum, vnde per saturitatem fueramus eiecti.* Isidorus: *Ieiunium, res sancta est, opus cæleste, ianua regni, forma futuri: quod qui sanctè agit, Deo coniungitur, alienatur à mundo, spiritualis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro: Diaboli tentamenta vincuntur.*

Est tertius Ieiunij effectus, quod peccata expiat & delet. Ex quo Ambrosius; *Ieiunium est*, inquit, *mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, purificatio animæ, reconciliationis sacrificium, incremētum virtutis.* Isidorus: *Per ieiunium prosternuntur vitia. Diaboli tentamenta vincuntur.* Basilius: *Ieiunium peccatum extinguit, & elenat, tentationes depellit, ad pietatem vrget.* Athanasius: *Magnum munimentum est ieiunium; oratio itidem & eleemosyna, cum ex morte hominem liberent.* Bernardus: *Bonū & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia. Nec solum est Ieiunium abolitio peccatorum; extirpatio quoq; vitiorum; non solum obtinet veniam, sed & promeretur gratiam: non solum delet peccata præterita: sed repellit futura, quæ committere poteramus.* Hæc Patres.

QVAERES, qua ratione ieiuniū peccata tollat ac deleat, cum non rarò ieiunia ab ijs, qui sunt peccatis obstricti, & vacui charitate, peragantur? Deinde, peccata nonnisi per Sacramenta abolentur, aut per veram cordis pœnitentiam expiātur. Respondeo, peccata ieiunijs deleri & extingui, tum quia culpæ per charitatem, cuius studio ieiunia suscipimus, expiantur; tum quia culpa diuinæ gratiæ beneficio condonata, pœnæ illi debitæ, ieiunio remittuntur, & cum peccati pœna persoluitur, peccatū ipsum tolli & aboleri dicitur; nā peccatorū pœnę nō rarò peccata in sacris literis nominantur. QVAERES deinde, quomodo ieiunium, peccatorum veniam promereatur? (Sic enim dixit Bernardus paulò ante) cum sine charitate Dei nihil apud eū promereri possimus, & ieiunia nōnunquā animo peccatorū labe polluto, homines suscipiant ac seruent. Respondeo, ieiunia vel spōte susceptā, vel Maiorū auctoritate indicta, vel sacerdotis arbitrio in sacra peccatorum confessione iniuncta: si ex charitate oriuntur, peccatorum veniam promerentur, hoc est, pœnas culpis ante dimissis debitas, remittunt & delent. Rursus ieiunia etiamsi extra Dei charitatem fiant, peccatorum tamen veniam impetrare solent, quia nimirum impetrant à Deo vel veram cordis pœnitētiam, vel idoneā ad salutem Sacramentorū susceptionē, quibus peccata abolentur. Demum rogabis, An ieiunia extra charitatem suscepta, certa & firma lege Dei, impetrent veram cordis pœnitētiam, vel legitimā certē sacramenti perceptionē, qua peccata diluuntur? Respōdeo, impetrare quidem, at non certa semper & rata lege, sed miseratione & benignitate Dei, qui ſæpe pijs peccatorū operib⁹ & officijs, quāuis extra charitatem factis moueri, flecti, ac placari solet.

Quarto quæritur, An sit aliquid, quod ius naturæ prohibeat in escam humanā sumi? Respondeo esse: nam quamuis ex sacris literis constet, nullum cibum, videlicet qui in cōmunem vsum hominum assumitur, esse per se immundū ac malum, hoc est, peccati sordibus infectum, negari tamen non potest, quin aliquid in rebus sit, quod iure ipso naturali citra noxam & culpam, in hominis cibum conuerti non possit. Omnis enim Dei creatura bona est; non tamen omnis apta & idonea, quæ homini in cibum cedat. Sunt enim quædam, quæ vel solo aspectu naturæ bene instituæ horrorem inferunt: alia, quæ tantùm gustata mortem adferunt: quædam, quæ absque grauī valetudinis incommodo edi non possunt. Hæc, & ijs similia non magis comedere fas est alicui, quàm sibi ipsi mortem conscisscere, aut grauiter nocere. Immò & illa quoque, quæ in communem humanæ vitæ vsum veniunt, non quouis modo citra peccatum comeduntur. Quis enim liberum à vitio & culpa putet illum hominem, qui absque vlla necessitatis causa, crudas & adhuc sanguine imbutas animantium carnes, canum, luporumue, aut coruorum more deuorat?

QVAERES,

QVAERES, quæ nam res iure est naturali interdicta, ita vt in cibum absque peccato sumi non possit? Respondeo, eam esse humanam carnem: humanarum siquidem carnium esum, hominis non prorsus deprauati natura planè respuit & detestatur: & vniuersim, apud quos viget, aut viguit vnquam humanarum carnium vsus, ij pessime apud omnes audiunt, & audierunt semper: & inter præcipua L. Catilinæ facinora cèsetur hoc, quod humani corporis cruorem vino permistum circumferret, quem etiam coniuratis socijs non erubuerit propinare. Accedit, quod vitium huiusmodi cum pietate & humanitate omnino pugnare videatur. Etenim sepulturæ iura, quæ humanis cadaueribus debentur, fœdissime violantur. QVAERES deinde, Humanisnè carnibus vesci liceat, cum quis extrema inedia cruciatur: hoc est, cum nihil aliud ad manum habet, quo fame pereunti sibi subueniat? Quidam opinati sunt id fas esse; Alij contra nefas esse dixerunt: illi quidem hoc argumento mouentur: nam is seipsum perimere videtur, qui extrema fame vel inedia laborans, cibo oblato non vtitur. At hoc sanè argumentum causam ipsam, de qua agitur, minimè concludit. Is enim seipsum occidit, qui cibo oblato non vtitur, quo citra peccatum commodè vti potest; non autem is sibi mortem affert, qui ab obiecta esca se continet, quando ea vti nefas est: perinde enim est ac si cibus sibi oblatus non esset. Rursus illi aliter argumentantur: Carthusiano Monacho si nihil omnino præsto sit, quo vitam tueatur, præter carnes, voto & lege non obstante, carnibus vesci licet; ergo fas quoque est extrema laboranti inedia humanas carnes edere, si nihil aliud supperat ad vitam sustentandam. Cæterum nec res, vt putat isti, hoc argumento conficitur: Carthusianis namque Monachis solum aut voti professione, aut Religionis constitutione, aut Monasticæ vitæ instituto, carnium vsu est interdictum, cum tamen iure naturali vitam tueri debeant. Est autem arctius iuris naturalis vinculum, quàm iuris humani, vel voti sponte susceptí. Tandem illi primi ita distinguunt: Aut is qui extrema inedia premitur, ad manum habet carnes eorum, qui in prælio occubuerunt, aut nullas habet, nisi quis eius alendi causa occidatur. Si primum, inquiunt, vesci carnibus humanis nefas non est: Si secundum, nefas est; nec enim fas est insontes vel alios quoslibet necare ne tu fame pereas: at verò licitum est, eorum cadauera in cibum humanum assumere, qui aduerso prælio ceciderunt, si ad extremam inediam adigamur. Sed neque hoc satis perspicuum & certum est: nam etiam cadaueribus eorum, qui bello perierunt, sunt sepulturæ iura tribuenda. Tota huius controuersiæ difficultas in eo sita est, cum duo iuris naturalis præcepta concurrant, videlicet, vt vitam tuam tuearis, & serues, &, ne carnibus humanis vescaris, vtrum præceptum sit arctioris vinculi, hoc secundum, an primum: nam id nos obligabit, quod est maioris & strictioris vinculi: quidam primum iudicat esse vinculi arctioris: alij secundum. Probabile esse videtur, nec tùc fas esse humanis carnibus vesci. Et nemo condemnaret eum lethalis peccati, qui extrema inedia laborans ab humanis carnibus abstineret.

Ex dictis perspici potest, nefas quoq; esse carnes humanas bestijs deuorandas obijcere: quanquam sunt qui putent id aliquando licere facere in vindictam publicam, ad aliorum terrorem: nec itidem fas est, aut fuit vnquam, hominem, in sacrificium offerre, nisi mandato Dei, qui vitæ, & necis omnium habet imperium. Dices, id quidem crimen esse si insontes ad aram immolentur, non tamen si sontes, si homines ob admissa scelera, per sententiam & auctoritatem Iudicis, neci iam destinati mactentur? Respondeo, nihil referre si nocentes sint: nam homo quamuis sceleratus, grata Deo victima non est: quemadmodum pleræque etiam animantes, immundæ hostiæ putantur.

Quintò quæritur, An ebrietas sit vitium siue peccatum iuri naturali damnatum. Appellatione ebrietatis intelligitur actus, quo homini ad tempus vsus rationis adimitur, ex immodico potu, siue sit vinum, siue aliud quod potatur immodicè ad voluptatem sensus. Sumitur itaque interdum ebrietas pro actu immoderato potàdi, ex quo rationis vsus amittitur: interdum verò pro eo quod potatur immodicè gratia voluptatis. Constat apud omnes, ebrietatè esse in vitio & culpa quando quis sua sponte fit ebrius, & eo ipso peccatorum periculum incurrit: ebrij enim frequenter admittunt peccata quamplurima; nam & multa mala committunt, quæ vitare deberent: & multa bona omittunt, quæ facturi essent.

Dubiæ igitur quæstionis est, An ebrietas sit per se peccatum, etiam quando nullum ex ea peccati periculum imminet: aut quia talis est ebrius, vt nihil vnquam mali soleat perpetrare; aut quia idonea prius adhibet remedia, ne per ebrietatem aliquid mali faciat: an verò solum peccatum sit, quia ebrietas soleat esse cum periculo multorum peccatorum coniuncta? Sunt qui sentiant, non esse ebrietatem per se hac ratione malam; sed ob periculum peccatorum, quæ ebrij cõmittere & possint, & soleant. Probant hoc; quia non est per se malum, si quis ad tempus se priuet vsu rationis; cum natura ipsa somnum homini concesserit, quo, ad tempus, vsus rationis aufertur. Sed enim hoc improbabiliter dicitur: vt putat Caiet. 2.2. *q.* 150. *artic.* 2. Ebrij aliqui sunt qui quamuis non soleant alios occidere, vulnerare, vel cædere, vel arma capere, in peccata tamen, quæ verbo, vel cogitatione committuntur, incidunt frequenter: solent enim in alios maledicta conferre, libidinosè, & turpiter agere: & quãquam nullius alterius peccati periculum incurrant, vera & certa est eorum sententia, qui docent, ebrietatem esse per se malam. Est enim contra naturam hominis, sicut sobrietas est hominis naturæ consentanea. Deinde, quia ebrietas existit ex immoderato potu ad voluptatem: at contra rectam rationem facit, qui immodicè bibit ad voluptatem. Quare non idẽ ius est de ebrietate, quod de somno: hic enim est à natura datus quietis causa, quo vires corporis vel amissæ reparantur; vel debilitatæ & imminutæ reficiuntur ac fouentur. At verò ebrietate, vsus rationis eripitur, quamuis ad tempus, temerè tamen absque vlla iusta & legitima causa, quia nimirum ex nimio & immodico potu ad voluptatem sumpto, & quia ex eo potu plus sumitur quàm necesse est. Sic S. Tho-

mas *in* 2.2.*q*.150.*art*. 1. & 2. In hoc ebriorum culpa consistit, teste S. Thoma, quod scienter ex potu plus capiunt quàm necesse est, siue quòd immoderato potu ad voluptatem vtuntur. Vnde Augustin. *lib*. 22. *Contra Faustum.cap*. 44. de ebrietate loquens ait. *Nam & hanc lex æterna cõdemnat, quia cibum & potum ad ordinem naturalem non nisi gratia conseruandæ salutis admittit.* Et hinc efficitur, vt ebrius, vsu rationis adempto, neque hominis officia obeat, neque quod bonum est, & æquum, velit, aut præstet. Quo etiam fit, vt is quoque peccet, qui per se, vel per alios ebrietatem alicui verbo, aut facto, molitur ac parat. QVAERES, an ebrietas propria, vel aliena, propter vomitum ex consilio Medici, gratia tuendæ, vel conseruandæ valetudinis sit peccatum? Angel. & Rosel. *verbo.ebrietas.num*. 2. aiunt esse lethale peccatum. Sic etiam Antoni. 2.*p*. *tit*. 6. *cap*. 3. §. 1. Tabiens. *ebrietas, num*. 4. & probant, quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona. Item quia ebrietas, cum sit per se mala, nõ videtur esse remedium institutum ad sanitatem recuperandam. Caiet. tamen 2.2.*q*.150.*art*. 2. *ad* 3. & *in Sum. ebrietas*. Syluest. *ebrietas*. *q*. 3. Armil. *ebrietas. num*. 5. Sentiunt, nullum esse peccatum; probant, quia S. Thomas 2.2.*q*.150.*art*. 2. *ad* 3. Respondet in hunc modum: *Ad tertium dicendum, quod sicut dictum est, cibus & potus est moderandus secundum quod competit corporis valetudini. Et ideo sicut quandoque contingit, vt cibus vel potus qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo, ita etiam potest è conuerso contingere, vt ille qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo. Et hoc modo cum aliquis multum comedit, vel bibit secundum consilium Medici ad vomitum prouocandum, non est reputandus superfluus cibus, vel potus. Nec tamen ad vomitum prouocandum, requiritur quod sit potus inebriant: quia etiam potus aquæ tepidæ vomitũ causat: Et ideo propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate.* Hactenus S. Thomas. Sic etiam Alexand. 2.*par*.*q*.142.*mem*.12.*q*.2. Reuera si ebrietas sumatur, vt est immoderatus vini potus ad voluptatẽ, peccatum est, etiam si ebrius quis fiat gratia sanitatis ex consilio Medici: Et hoc est, quod docet prima sententia: Si vero sumatur, vt est potus aptus ad vomitionem sano quidem immodicus, sed non male valenti, peccatum non est: & hoc dicit secunda sententia. Si quæras, an si quis ebrius fiat, vt tyranni, vel hostis sæuitiam fugiat, peccet? Respondeo, cum Caiet. 2.2.*q*.150.*art*. 2. peccare, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

Sextò quæritur, An peccata per ebrietatem admissa, culpæ tribuantur? Certi iuris est, eiusmodi peccata ante ebrietatem optata expectataue, vel præuisa, culpæ tribui tunc, cum optata, expectata, vel præuisa fuerant. Quod quæritur ergo, est: An cum in ebrietate citra vllum rationis vsum committuntur, culpæ tribuantur? Hanc nos quæstionem suo loco fusè tractauimus: ideo nihil de ea dicendum in præsenti loco arbitramur; nisi illud tantùm, quorundam esse sententiam, quæ per ebrietatem mala admittuntur, culpæ tribui, eam ob causam, quòd satis sit ea affectu priori, voluntaria fuisse. Aliorum verò est opinio, ea quidem esse in culpa, cum sunt optata, expectata, vel animo proposita, vel mente cogitata & præuisa: postea verò omni culpa carere: quia culpa esse nequit in eo, quod voluntate non fit; nec vitare cauerique potest cum fit. Nec satis est, si quomodocunque voluntate priori proueniat, nam proficisci & oriri ex alia re quippiam potest omnino naturaliter: & tunc si ex voluntate præterita profluat, culpam vllam denuo non contrahit, præter eam, quæ in voluntate vt in causa, præcessit. Si tamen ita ex voluntate priori proficiscitur, vt voluntate quoque caueri & vitari possit cum fit, tunc proculdubio in culpa denuo est, si non vitetur. Angel. & Rosell. docent, mala ebriorum, qui rationis sunt impotes, peccata non esse, quamuis fuerit ebrietas in culpa. At Syluest. ait esse peccata: sed leuiora: quia sunt minus voluntaria, quam si quis sciens ea perpetrasset.

Septimò quæritur, An si ebrius rationis impos aliquem occidat vel mutilet, in irregularitatem incidat? De hac quæstione tractant iuris Canonici Doctores *in Clement. Si furiosus, de Homicidio*, Summistæ, *in verbo ebrietas*, Couarruuias *in Clement. Si furiosus part*. 3. *In initio, numer*. 3. Sunt duæ sententiæ, vna affirmat, eum in irregularitatem incurrere, si sciens factus est ebrius. Et probat, quia dat operam rei illicitæ, videlicet ebrietati. Secundò, quia Clemen. Si furiosus, solùm excipit amentem, infantem, & dormientem, & qui seipsum defendit. Sic Matthæus Zenzelinus, Cardinalis, & Imola *in Clem. Si furiosus de Homic*. Richar. *in* 4. *distinct*. 15. *articul*. 3. *quæst*. 7. §. *ad* 1. *ad partem aliam*; Syluester *Homicidium* 3. *quæst*. 4. *ad finem, & ebrietas num*. 5. *ad finem*. Rosell. *Homicidium*. 4. *nume*. 5. Tabiensis. *Ebrietas* q. 8. *vbi citat Glossam*. Armill. *Irregularitas num*. 8. quamuis in verbo Ebrietas num. 8. oppositum dicat. Sic etiam Villadiego *in Tract. de Irregularitate*, Ioan. Calderi. vt citat Nauar. *in Manuali cap*. 27. *num*. 230. Maiolus *de Irregulari. lib*. 3. *cap*. 48. Altera sententia negat, eum irregularitatem contrahere, tametsi sua culpa factus sit ebrius. Id probat primò, quia rationis impos occidit vel mutilat alterum. Secundò, quia vt constat ex dicta Clem. *Si Furiosus de Homicid*. amens si occidat aliquem irregularis nõ est, quia rationis est impos, ergo nec ebrius, si vsu rationis careat. Nec valet si dicas, eum ebrium factum esse sua culpa, quoniã etiam amentia potest ex culpa amentis exillere. Tertiò, quia teste Augustino *libr*. 22. *contra Faustum cap* 44. quamuis culpandus est Loth, non tamen quantùm ille incestus; sed quantùm illa ebrietas meretur. Ita sentiunt Couar. *loco citato*, Bonifacius *in Clem. Si furiosus de Homicid. num*. 80. Nauarr. *in Manual. cap*. 27. *num*. 230. Castrens. *lib*. 2. *de lege pœnali cap*. 14. Angelus *ebrietas num*. 3.

In hac controuersia conueniunt omnes, eum, qui absque vlla culpa sua in ebrietatem inciderit, irregularem non fieri, quamuis occidat aliquem, vt ait Couarruuias. Rursus fatemur nos oportet, vt testatur idem Couarruuias, irregularitatẽ contrahere, qui se facit ebrium, vt sic interimat aliquem, & reuera occidit. Item etiam fatendum est eodem teste Couarruuia, cum ebrius cõsueuit arma capere, & homines offendere, & cædere, si culpa sua factus sit ebrius, & aliquem occiderit, eum in irregularitatem incidere. Tota difficultas in eo cõsistit, An qui sponte sua factus est ebrius, in irregularitatem incurrat, si aliquem occiderit, quamuis arma sumere, & alios lædere non consueuerit: & de hoc sunt prædictæ duæ opiniones contrariæ. Prima in eo innititur, quòd dat operam rei

ram rei illicitæ & periculosæ; Secũda in eo, quod *in Clem. Si furiosus de Homicid.* habetur, furiosum non cõtrahere irregularitatem, etiam si alrerum per amentiam occiderit, & culpa sua in amentiam deuenerit. Annotandum est, nihil mirum esse, si ex Alexandro, S. Thoma, Bonauent. & Richardo, quis probet ebrium irregularem fieri, si occiderit aliquem; quoniam illi Auctores scripserunt ante Clement. Si furiosus, & ita docuerunt, in irregularitatem incurrere etiam eum, qui tuendo seipsum, occidit inuadentem in eum. Præterea Auctores primæ sententiç *ex Clem. Si furiosus* sic argumentantur: quoniam in ea Clem. ebrius non excipitur. Reuera in Iudicio, magis primæ opinioni standum existimo; at in foro conscientiæ, secunda sentẽtia probabilior mihi videtur; nam Iudices cum videant ebrium non excipi in Clementina. Si furiosus, & rei illicitæ ac periculosæ operam dare, vtiq; indicabunt eum irregularem esse: At in foro conscientiæ eadem videtur esse ratio de ebrio, quæ est de furioso. Ergo si amens rationis impos quamuis culpa sua in amentiam incurrerit, irregularis non fit, si alterum occidat: consequens est, vt nec ebrius irregularitatem contrahat.

Octauò quæritur, An ebrius factus rationis impos, & peccata per ebrietatem faciens, sit liber & immunis à pœna legis cõstituta in eos, qui hoc aut illud crimen admiserint? Nam ex vna parte Aristoteles *lib. 3. Ethico. ca. 5.* ait, ebrijs duplices pœnas meritò esse irrogatas, & propter ebrietatem, & propter delicta per ebrietatem commissa. Ex altera parte August. *lib. 22. Contra Faustum c. 44.* ait, Loch culpandum non quantùm incestus, sed quantum ebrietas meretur. Ambros. *lib. 1. de Abraham c. 6. & refertur in cap. Sanè 15. quæst. 1.* Ideoq; inquit, *si qui per vinum deliquerunt, apud sapientes Iudices venia quidem facta donãtur; sed lenitatis damnantur auctores.* Hieronymus *in epist. de Custodia virginitatis ad Eustochium*, ait: *Loth amicus Dei in monte saluatus, & de tot millibus populi solus iustus inuentus, inebriatur à filiabus suis: & licet ille patarent genus humanum defecisse, & hoc facerent liberorum magis desiderio, quàm libidinis, tamen sciebant, vnum iustum hoc non nisi ebrium esse facturum. Denique quid fecerit, ignorauit. Et quanquam voluntas non sit in crimine, error in culpa est.* Origines Hom. 5. in Genesim: *Vnde videtur mihi (Loch) in parte culpabilis, in parte excusabilis inueniri. Excusari namque potest, quod à concupiscentiæ & libidinis crimine liber est, & quia nec ipse voluisse arguitur, neque volentibus consensisse; subiacet culpæ, quod decipi potuit, quod vino nimis indulsit; & hoc non semel, sed iterum fecit.* Dicendum est cum S. Thoma 2. 2. q. 150. *art. 4.* Qui factus est absque vlla culpa sua ebrius, si deinde peccata committat, liber & immunis est à pœna debita peccatis: Si verò culpa sua ebrietatem incurrit, dignus est venia non ex toto, sed ex parte: quia leuius est delictum per ebrietatẽ patratũ, quàm si à sciente fieret, eo quod sit minus voluntarium. Et hoc est, quod dixerunt Origenes, Ambrosius, Hieronymus & Augustinus; nec oppositum docuit Aristoteles: qui non dixit, ebrium grauiori pœna mulctandum, sed duplicem pœnam mereri, & propter ebrietatem, & propter delicta per ebrietatem admissa: hæc tamen delicta leuius puniuntur, quàm si cum scientia patrarentur.

Gen. 19.

Cap. XXIII.

DE TERTIO ECCLESIAE PRAECEPTO, NIMIRVM;

De decima fructuum parte soluenda.

PRIMO quæritur, Quid appellatione Decimæ Ius Canonicum accipiat? Respondeo cum Hostiensi *in Summa, tit. de Decimis §. 1.* intelligere, omnium bonorum mobilium, siue fructuum iure quæsitorum partem decimam, quæ ministris Ecclesiæ quotannis persoluitur, Porrò in Decima continentur duo, quç Clericis & Ecclesijs debentur: Vnum est, Pars fructuum quos percipimus, non tamen certa, definita, & taxata, sed tanta, quanta est necessaria ad commoda Clericorum alimenta, & stipendia iure debita; siue ea sit decima, siue octaua, siue vigesima. Alterum est, pars certa & taxata fructuum, quæ soluitur ad Clericos commodè sustentandos & suo debito stipendio afficiẽdos: & hæc dicitur Decima pars fructuum, quæ Parochiali Ecclesiæ persoluitur: de qua in præsenti loco disputamus.

Secundò quæritur, An Decima ante vllam legem scriptam, præcepto vllo solueretur. Respondet Hugo S. Victoris *lib. 1. de Sacramentis part. 2. cap. 3. & 4.* Tempore legis naturalis nullum fuisse præceptum diuinitus datum homini de decima persoluenda, sed tantùm consilium. Abraham siquidem ante legem Mosis, de omnibus quæ deuictis bello quatuor regibus reportauerat, Melchisedech Sacerdoti decimam partem soluisse memoratur: id quod etiam Apostolus his verbis non obscurè testatur: *Intuemini autem quantus sit, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Et Iacob, cum Patris iussu Mesopotamiam peteret, vt ibi vxorem duceret, decimam suorum omnium bonorum se Deo daturum, voti religione promisit: *Si fuerit, inquit, Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum quo operiar, reuersusque fuero prosperè ad domum Patris mei; erit mihi Dominus in Deum; & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumq; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Vouit itaque Sanctus ille Patriarcha se decimam soluturum, quam nulla naturæ lege soluere cogebatur. Immò scriptores ethnici tradidère, decimam fructuum partem à suis Maioribus, Dijs dari solitam fuisse. *Thus*, (inquit Plinius Lib. 19. cap. 14. prope finem) *collectum Sabotam camelis conuehitur, porta ad id vna patente. Digridi via, capitale leges fecere. Ibi decimas Deo, quem vocant Sabin, mensura, non pondere, Sacerdotes capiunt: nec ante mercari licet.* Et paulò post: *Sunt & quæ Sacerdotibus dantur portiones, scribisque regum certæ.* Et capit. 19. *Sarmenta*, inquit, *hasta diuidit Sacerdos, Deo partem ponit: reliquum mercator in massam condit.* Et Diodorus *libr. 5.* Et Plutarchus *in Problemat. capit. 16.* referunt, decimas Herculi solutas fuisse. Nec solùm dabant, sed se daturos etiam ethnici plerunq; vouebant, vt testis est Cicero Lib. 3. de Diuinat. *Neque*, inquit, *Herculi quisquã decimam vouit vnquam.* Quapropter Lucullum Romani moris & iuris peritissimũ, quod decimam vouisset, votũq; persoluisset, maximis opibus auctũ, veteres exi-

Genes. 14.

Hebr. 7.

Genes. 28.

stimasse,

stimasse, narrat Plutarchus in Lucullo. Cum Camillus ibidem ob Veios bello captos Delphico Apollini decimam prædę vouisset, nec in publico aurum soluendi facultas esset, matronas patriæ magis, quam suis commodis consulentes, omnia sua ornamenta, etiam mundum muliebrem in ærarium retulisse, Liuius recensèt *Lib.* 5. *Dec.* 2. Tradit quoque Herodotus *in lib.* 1. & 9. Crœsum Cyro consilium dedisse, vt ex omnibus hircis decimus quisque soui redderetur: & Aeginatas decimam ex spolijs Persarum, qui Platæensi prælio occubuerant, Dijs quibusdam dedicasse. Xenophon *in Oratione quam edidit de laudibus Agesilai*, scribit, ipsum duorum annorũ spatio, cẽtum talenta & ampli⁹, Deo apud Delphos in decimã dedisse.

Tertiò quæritur, Quotuplex sit decima? Respondeo, cum Hostiensi *in Summa, tit de Decimis, §.* 3. cuius sententia communi consensu recepta est, esse Triplicem, Prædialem nempe, Personalem, & mixtam. Prædialis, est decima pars, quæ soluitur ex fructibus qui proueniunt ex prædijs; cuiusmodi sunt vinum, frumentum, olera, & fructus arborum. *cap Peruenit. cap. Pastoralis. cap. Apostolica, de Decimis.* Personalis, est decima pars fructuũ prouenientium ex aliqua industria, vel opera personę, nimirum ex mercatura, negotiatione, militia, venatione, opificio, vel ex cuiuspiam alterius rei disciplina & arte quam quis exercet. *cap. Decimæ, 10. quæst 10. 1. & cap. Ad Apostolicæ, de Decimis.* Mixta, est decima pars fructuum prouenientium ex animantibus, quas in pascuis, aruisue nostris, nostra cura & diligentia nutrimus; quales sunt fœtus pecorum, porcorum, boum; & eorum fructus, vt caseus, lac, butyrum, lana, pellis. Dicitur talis Decima, mixta; quia fructus partim ex industria personæ, partim ex ipsis quodammodo prædijs sponte proueniunt: nam in pascendis & nutriendis animantibus requiritur hominis cura, diligentia, & industria, qua animantes custodiuntur; & prædia itidem, in quibus pascuntur, nutriuntur, & viuunt. Vt enim arbor, illius loci & soli censetur, in quo viuit, & in quo radices agit, nõ illius, in quo videtur consistere. *l. Si plures, §. Si radicibus, ff. Arborum furtim cæsarum.* Sic & animalia illius fundi vel prędij dicũtur esse, in quo laborant, & in quo viuunt, non illius, in quo morantur. *l. Cum quidam. ff. de Fundo instructo.* Glossa Decimam Mixtam ad Prædialem reuocat: duo enim tãtum genera Decimarum, Personalium, & Prædialium eo loco Glossa connumerat.

Quartò quæritur, An Decima iure Diuino an potius Pontificio debeatur? Duplex est opinio; vna affirmat Diuino iure deberi; Altera omnino negat vllo Diuino iure soluẽdam, sed tantùm iure Pontificio, siue Canonico. Conuenit inter omnes, iure naturali & Diuino deberi Clerico qui inseruit Ecclesiæ, alimenta, quibus commodè sustentatur, & stipendia ratione muneris & officij, quo fungitur, & quod præstat. Iure quidem naturali, quia recta ratio præcipit, vt eum alamus, qui nobis inseruit, & vt demus ministro Ecclesiæ, qui nos spiritualia docet, vnde viuere queat, & quod eius opera, cura, & diligentia merentur. Iure Diuino, quia dixit Christus, Matth. 10. *Dignus est enim operarius cibo suo.* Quæstio itaque in eo consistit: An Decima, hoc est, vna pars ex decem partibus fructuum, quos colligimus iure diuino, an Canonico Ecclesiæ debeatur? Priorem opinionem sequuntur communi ferè consensu iuris Canonici Doctores, Innocentius *in cap. vlt. de Paroch.* Ioan. Andreas *in rubri. de Decimis*, Hostiensis. *in Sum. tit. de Decimis. §.* 7. Archidiaconus *ca. 1. de Decimis in* 6. Abbas *in cap. In aliquibus de Decimis*, Antonius *in cap. Parochianos de Decimis*, Alexander *consil.* 60. *volum.* 4. Ancharanus *in cap. 1. de Decimis in* 6. & Glossa *ibidem*: & hãc esse communem sententiam, scribit Franchus *ca. 1. de Decimis in* 6. Posteriorem opinionem amplexati sunt Theolog. Alexander 3. *part. qu.* 51. *mem.* 1. 2. & 3. S. Thomas 2. *p. q.* 87. *art.* 1. *Quodlib.* 2. *q.* 8. Richard. 4. *dist.* 17. *art.* 2. *q.* 7. *ad* 4. Henricus *Quodlib.* 4. *q.* 28. Durand. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 9. *ad* 1. Maior 3. *dist.* 37. *q.* 36. & 4. *distinct.* 15. *q.* 4. Adrian. *q.* 5. *art.* 1. Antoninus 2. *part. tit.* 4. *cap.* 3. *§.* 5. Sotus *Lib.* 9. *de Iust. q.* 4. *art.* 1. Quibus subscripsère Summist. Asten. *in Sum. Lib.* 6. *tit.* 25. *q.* 1. 2. & 3. Angel. *Decimæ. num.* 2. Sylvest. *Decimæ q.* 3. & 4. Tabiensis. *Decimæ num.* 7. & inter Iuris Pontificij peritos Nauar. *in Manuali cap.* 21. *num.* 28. & Couar. *Lib.* 1. *Variarum resolu. cap.* 17. *nu.* 2. Atque in hac quidem controuersia adeo inter se Pontificij iuris interpretes & Theologi dissident, vt Iurisconsulti Theologos etiam reprehendant & improbent. Immò scribit Antonius, Theologorum sententiam non procul abesse ab hæresi: quippe quę cum iure Canonico apertè pugnare videatur. Innocentius quoque ait, esse fere hæreticos eos qui asserunt, decimas etiam sub lege Gratiæ, non iure Diuino; sed tantum humano deberi. Quamuis Hostiensis docere videatur, decimas quidem prędiales diuino iure, Personales verò humano tantũ iure persolui, quam sententiam tuetur Henricus *in ca. Peruenit de Decimis*, & Felinus *in cap. Causam de Præscript.* idque communi vsu esse receptum, testatur Cardinalis *in cap. de Decimis*, & Abbas *in cap. In aliquibus*, citato, sic ait: *Nam licet motiua Theologorũ multum stringant; tamen in dubijs debemus stare interpretationi Ecclesiæ, & Summi Pontificis*, & Alexand. *consil.* 60. *prædicto* dicit Theologorum sententiam iure pontificio improbari. Contra verò Theologi, Sotus, Maior, & Sylvester locis citatis Iuris Canonici Doctores in hac parte tanquam non legitimos & idoneos Diuini iuris interpretes reijciunt. Item Butrius scribit, in hac Quæstione potius esse Iuris Canonici Consultis, quàm Theologis adhærendum: propterea quod Ius Canonicum satis perspicuè tradiderit, Decimam iure Diuino deberi. At cõtra Sotus & Maior testãtur potius esse Theologis credendũ, quòd ipsorũ sit scripturas sacras interpretari, ex quibus tanquam è fontibus, diuina iura ducuntur & petuntur: nam & ipsi quoq; Pontifices ac cęteri Patres, ideo aliquid iuris esse diuini testantur, quia ex sacris literis eruatur.

Vt hanc controuersiam aliqua ex parte obscuram & perplexam, commodius explicemus ac dirimamus, præmittendum ducimus, inter omnes constare, Decimam in Vetere Hebræorum populo, iure diuino esse solutam, vt constat Exod. 22. *Decimas tuas*, inquit Moses, *non tardabis reddere*: & Leuit. 27. *Omnes decimæ terræ, siue de pomis arborum, siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Omnium decimarum bouis, & ouis & caprę, quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino*, & idem præcipitur, Num. 18.

Quæstionis

Quæstionis igitur dubiæ est primum, vtrum decimæ debeantur nunc in tempore Euangelicæ legis, iure diuino, quod quidem aperte ex Nouo Testamento colligatur, hoc enim affirmant, vti paulò ante diximus, Iuris Canonici Doctores, Theologi verò negant. Illi verò probant primùm ex illo Matthæi 23. Vbi Dominus dixit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia decimatis mentam, & aneth, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem.* Postea eos reprehendens, quod leuiora præcepta sectantes, grauiora neligerent, subdit: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Ergo voluit ibi Christus, vt vtraque præstarentur, ac proinde Decima soluerentur. Deinde ex eo argumentantur, quod idem Christus dixit: *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum, nō intrabitis in Regnum Cælorum*: & paulò ante dixerat: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Præcepit itidem vt Cæsari reddantur quæ Cæsaris sunt, & quæ sunt Dei, Deo; ergo, quemadmodum tributa, & census Cæsari persoluuntur, ita etiam Deo, cuius sunt decimæ, persolui debent.

Secundum, dubiæ etiam quæstionis est, An præceptum datum diuinitus in Vetere Testamento de decima soluenda, ad mores pertineat, an verò potius ad cæremonias, quibus futura significabātur, An ad ciuilem veteris populi gubernationē? Quod est quærere, An fuerit Morale præceptum, an Cæremoniale, an verò Iudiciale; Nam si ad mores pertinebat, Christi morte sublatum non est: Si ad Cæremonias, omnino abrogatum censetur, nec fas est, post Christi mortem illud obseruare: Si ad Populi gubernationem, deletum quidem est morte Christi, ita tamen, vt auctoritate Ecclesiæ denuò constitui potuerit. Iuris itaque Canonici Doctores Morale præceptū fuisse censent; ac propterea minimè Christi morte antiquatum & extinctum, & ad primum Decalogi præceptum pertinere. Nam eo ipso, quod vnum Deum colere nos oportet, supremum omnium rerum Dominum ac Principem, aliquid ei offerre debemus, quo profiteamur summum eius dominium ac principatum in omnia, & quo teste mur eius esse vniuersa, & quicquid boni in nobis est, ei acceptum referendum. Theologi verò docent, eiusmodi præceptum Dei, ad ciuilem veteris populi administrationem spectare: & ideo Christi morte fuisse abrogatum; de integro tamen esse auctoritate Ecclesiæ constitutum. Nam ratio quidē naturalis præscribit aliquid esse Deo offerendum; sicut etiam præcipit aliquo tempore feriandum, & Deo diuinisq; rebus vacandum: at quemadmodum certum & statutū tempus minimè constituit, quo Deo vacemus; sic nec præcipit certam nostrorum bonorum partem Deo offerri: nec enim magis præcipit decimam, quàm vigesimam, trigesimā, aut quinquagesimā reddi.

In his igitur duabus quæstionibus à me propositis longe probabilior & verior est Theologorum sententia, videlicet, iuris naturalis & diuini esse decimam, vel aliquid, quo ipsa decima compensetur; hoc est, partem aliquam nostrorum fructuum necessariam ad ministros Ecclesiæ sustentandos, & ad soluēdum debitum operarijs Ecclesiasticis stipendium, sed non definitè partem decimam fructuum: nam in Nouo Testamento, vt docet S. Thomas *Quodlib. 2. art. 8.* nullum diuinum præceptum est datum nisi ad Decalogum, & mores, ad fidem, spem, & charitatem, ac Sacramenta à Christo Domino instituta pertineat: at præceptum de decima soluenda, non est tale: quoniam iuris quidem naturalis est, vt Ecclesiæ ministris aliquid reddatur, ex quo viuant, & debito stipendio afficiātur; sed vt soluamus decimam partem fructuum nostrorum potius quam octauam, aut vigesimam, iuris naturalis non est; sed scripti, diuini, aut humani. Christus item Dominus in Nouo Testamento non legitur præcepisse vt decima soluatur. Dixit quidem ille, Scribas, & Pharisęos reprehendens, quod ex minutis rebus decimam soluerent, & grauiora legis præcepta negligerēt: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*: sed his verbis, vt S. Thomas *Quodlib. 2. arti. 8.* Henricus *Quodlib. 4. q. 28.* interpretantur, Decimam approbauit, quatenus in eo vetere populo diuina lege soluebatur, quasi diceret; Vos, Scribæ & Pharisæi, oportet decimam soluere prout est in lege imperatum, & alia etiam grauiora legis præcepta seruare. Objiciebant Canonici iuris interpretes, Christū quoque dixisse: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum. Sed respondent Theologi, hoc ideo Scribis & Pharisæis Dominum dixisse; tum quia illi in exteriora duntaxat virtutis officia incumbebant, interiora verò negligebant, & gloriā apud homines aucupabantur, apud Deum autem eam comparandam parum, aut nihil curabant: tum quia minima seruabant, maiora contemnebant. Nec illud item obstat, quod objiciebatur: *Non veni soluere legem sed adimplere.* nā Christus quoad vixit, legē seruare, & implere studuit, quæ tamen ipsius morte erat alioqui cessatura, cum ad id vsque temporis fuerit diuinitus data. Pari ratione nihil impedit id quod est principio obiectum, nempe: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*: his enim verbis significare voluit, tributa Principibus debita soluere nos oportere; & Deo cultum, honorem & obsequium debitum tribuendum: & in illo vetere populo decimam esse reddendam, quia erat de ea soluenda præceptum diuinum constitutum. Nunc verò de ea reddenda diuinum præceptum non habemus, sed Canonicum duntaxat ab Ecclesia datum. Accedit his, vt quidam Theologi argumentantur, quod si Decima Diuini iuris esset, consuetudine abrogari non posset: at multis in locis tum ex toto, tum ex parte, Consuetudo tale ius abrogauit. Sed hoc argumentum non magnā vim habet contra Canonici iuris Doctores, vt inferius ostēdam. Argumentantur alij; Priuilegio, aut beneficio Romani Pontificis fieri nō posset vt decima non soluerētur, si iure diuino deberetur: at in quibusdam Prouincijs Romani Pontificis auctoritate & concessu, Decima non soluitur. Sed nec hoc argumentum magni ponderis est apud me, vt inferius quoque dicam. Adde quod in Euangelio solùm legimus, ministris Ecclesiæ commoda vitæ alimenta & stipendia deberi, iuxta illud: *Dignus est operarius cibo suo*, & Matth. 10 *Quis militat suis stipendijs vnquam?* Atqui diuinum hoc ius non præscribit certam definitamque partem soluendam, sed

tantam, quanta sit necessaria ad commodè ministros Ecclesiæ sustentandos & suo debito stipendio honorandos & afficiendos: hoc enim ius ingenuè Theologi fatentur esse diuinum & naturale. Diuinum quidem, quia Apostolus dicit: *Dominus ordinauit, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant: & qui altari deseruiunt, de altari viuant:* & ipse Dominus Matth. 10. *Dignus enim est operarius cibo suo.* Naturale verò, quia naturalis ratio præscribit, vt qui laborat pro nobis, mercedē & stipendium debitum recipiat. 1. Cor. 9.

Quintò quæritur, Quo pacto intelligi debeat, quod toties ius Canonicū repetit, Decimam deberi iure diuino? Respondeo, Iuris Canonici Doctores hoc vnico argumēto esse permotos, quod in Iure Canonico quatuor Doctorum, Ambrosij, Gregorij, Augustini, Hieronymi testimonia contineantur, in quibus perspicuè dicitur, Decimam iuris esse diuini. Hieronymus certè *vt refertur in c. vlt. 16. quæst. 1.* Sic habet: *Quod autem Beatitudo tua quæsiuit, verum vsus decimarum & oblationum secularibus prouenire possit; Nouit vestra sanctitas omnino non licere processantibus hoc diuinis auctoritatibus paternorum Canonum. Quamobrem si aliquando fuerint ab eis malè detenta, quæ diuini iuris esse nosciuntur, & in vsum transierint Monachorum, & Seruorum Dei.* & reliqua. Et *vt habetur in cap. Reuertimini eadem Causa, & quæstione* idem Hieronymus ait: *Reuertimini ad me, & reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In quo reuertemur? Si affiget homo Deum quia vos configitis me. Et dixistis, in quo configimus te? In decimis & primitijs: & ideo in penuria vos maledicti estis, & me configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæl., & effudero benedictionem vsque ad abundantiam.* Et post multa dicit: *Si quando fames & penuria, & rerum omnium egestas opprimunt: manifestum, sciamus hoc ex Dei ira descendere, qui in paupertem, si non accipiant eleemosynam, fraudari se loquitur: & suas possessiones possumus decimas & primitias interpretari.* Deinde Ambrosius Sermone primo de Quadragesima: *qui Deo, inquit, non vult reddere decimas quas retinuit, & homini nō studet reddere, quod iniustè ab eo abstulerat, non timet adhuc Deum, & ignorat quid sit vana pœnitentia, veraq; confessio. Hæc est Dei iustissima consuetudo, vt si in illi decimam non dederis, tu ad decimam reuocetur.* Augustinus, *vt habetur in cap. Decimæ 16. quæst. 1.* ait: *Deus enim noster, qui dignatus est eorum dare, decimam à nobis dignatus est recipere, non sibi; sed nobis sine dubio profuturam.* Et 16. quæst. 7. cap. Maiores, dicit: *Maiores nostri ideo copijs omnibus abundabant, quia libentius decimas Deo dabant, & Cæsari censum reddebant. Modo autem quia decessit deuotio fidei, accessit indictio fisci: Nolumus partiri cum Deo decimas; modo autem tollitur totum: hoc tollit fiscus quod non accepit Christus.* Gregorius verò, vt refertur in cap. Quadragesima, de Consecr. dist. 5. *Iubemur,* inquit, *ab omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare.* Matth. 1.

Hoc idem multi Romani Pontifices suis Constitutionibus apertè tradiderunt, quia in primis Innocentius 1. Iscribit in cap. Tua nobis, de Decimis: *Nimis profectò iniquum videtur, si Decimæ, quas Deus in signum vniuersalis dominij sibi reddi præcepit, suas esse decimas & primitias asseuerans; occasione præmissa vel excogitata magis fraude diminui valeant.* Et *in cap. Tua de Decimis* ait, neminē posse à solutione decimarum eximi imperiali concessione quamuis generali, quæ diuina Constitutione debentur. Alexander III. *in c. Parochianos de Decimis* dicit: Cum Decimæ non ab hominibus, sed ab ipso Domino sint institutæ, quasi debitum exigi possunt. Paschalis, vt refertur in capit. Decimas, 16. quæst. 1. *Decimæ,* inquit, *à Populo, Sacerdotibus, & Leuitis esse reddendæ, diuinæ legis sanxit auctoritas,* Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi, & habetur in cap. In quibusdam de Decimis: *Illæ decimæ necessariò soluendæ sunt, quæ debentur ex lege diuina.* Gregorius VII. in cap. Decimas 16. quæst. 7. *Oportet congruentius nos decimas & primitias, quas iure Sacerdotum esse sanximus, ab omni populo accipere, quas fideles, Domino præcipiente, offerunt, iuxta illud vaticinium Malachiæ: Inferte omnem decimam in horreum meum.* Vrbanus II. *Præcipimus vt decimas omnino dari Deo non negligatur, quas ipse Deus dari constituit: quia timēdum est, vt qui Deo suum debitum subtrahit, ne forte propter suum debitum auferat ei necessaria.* His accedunt etiam Concilia, è quibus Mogutinense sic ait in cap. Decimæ 16. quæst. 6. *Decimas Deo & Sacerdotibus Dei dandas, Abraham fecit, & Iacob promissis insinuat.* Deinde lex statuit, vt omnes Sancti Doctores commemorant. Tridentina quoque Synodus in cap. 12. de Reformat. sess. 25. *Cum decimarum solutio debita sit Deo: qui eas dare noluerint, aut damnes impedium, res alienas inuadunt.* Et in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. vt habetur in cap. In quibusdam de Decimis, legimus: *Illæ quippe decimæ necessariò soluendæ sunt, quæ debentur ex lege diuina.* Hęc sunt iuris Canonici decreta, quibus ostenditur, Decimam iuris esse diuini, vt opinantur iuris pontificij consulti. Malachiæ 3. Genes. 14. Infrae

Cæterùm contra hanc iuris Canonici Doctorum sententiam facere videntur ea verba quę referuntur *in cap. In quibusdam citato, de Decimis* ex Innocentio III. Concilio Generali Lateranensi, nimirum: *Illæ quippe decimæ necessariò soluendæ sunt, quæ debentur ex lege diuina, vel loci consuetudine approbat.* Vbi notandum sub distinctione & alternatiue (vt loqui in iure mos est) dixisse Pontificem (ex lege diuina vel loci consuetudine approbata) ad disiunctionem autem sufficit vnius partis veritas, non vtriusq; Quapropter iuris pontificij consulti in ijs verbis interpretandis plurimum laborant, & dissident. Alij enim docēt, iuris diuini esse Decimam, sed consuetudine gentis, ciuitatis, vel populi, aliquando partem minorem solui, nimirum duodecimam, vigesimā, vel trigesimam. Alij dicunt, iure diuino Decimam deberi, sed consuetudine alicubi recepta aliquo alio compensari; in multis enim locis Decimæ vsu & more sunt cū re alia commutatæ. Respondent alij, Decimā prędialem iuris esse diuini, Personalem verò cōsuetudine esse introductam. Vt meritò dictum sit, inquiunt: *Decimæ ex lege diuina debentur, vel loci consuetudine approbata.* Primum, in prædiali decima locū habet; & secundum, in personali. Ioan. Andreas & Panormitanus dicunt, hoc locum habere in ijs decimis, quæ consuetudine soluuntur: nam aliquæ sunt quæ hoc modo & iure debentur. Profectò quicquid dicant, velint nolint, in opinionem Theologorum incidunt, nimirum, quod attinet ad partem in certam & necessarium ad ministros Ecclesiæ commodè sustentandos, iure diuino decimam deberi, vel aliquid quo decima compensatur;

satur; quia iuris diuini est, vt populus Ecclesiæ ministros commodè sustentet, & eis debitam laboris mercedem, & operæ stipendium soluat ac reddat. Sed Pontifex, & Concilium absolutè, & simpliciter aiunt, Decimam deberi ex lege diuina, vel consuetudine approbata. Quare fatendum est multo veriorem esse Theologorum sententiam, omnia iura superius allegata, triplicem sensum habere posse: Primum, Decimam Deo deberi, &, Deo solui: (his enim verbis Augustinus, Ambrosius, & alij Patres vtuntur) quia soluitur Ecclesiæ in Clericorum alimentum & victum: & Deus sibi dari dicit, quicquid suis ministris datur: ac propterea suorum ministrorum alimentum, horreum, & domum, appellat suum cibum, horreum, & domum. Deinde, quemadmodum leges, res sacras, ac religiosas dicunt esse iuris diuini, quia sunt à communi hominum vsu sepositæ: eodé sensu Hieronymus & alij Patres Decimam aiunt iuris esse diuini, quia nimirum sit res sacra & religiosa, hoc est, sacris vsib⁹ deputata. Tertiò, Pontifices sæpè testantur, Decimam iure diuino deberi, tum quia Decimam accipiunt prout est pars fructuum debita & necessaria Clericis ad commodum eorum alimentum & victum, & stipendium debitum, non autem prout est certa & definita pars fructuum; videlicet, Decimam vocant illi vel decimam partem fructuum, vel id omne quo decima compensatur, quodque necessarium est ad ministros Ecclesiæ cómodè sustentandos. Tum etiam, quia significant, Decimam nunc Ecclesiæ solui, quę lege diuina in vetere Hebræorum populo Leuitis, & Sacerdotibus debebatur. Et Decreta Canonica ius diuinum interdum appellant, quicquid in sacris literis continetur, siue ad vetus id, siue ad Nouum spectet Testamentum; siue id quod more veteris legis constitutum est.

Sextò quæritur, An Decima personalis iure diuino debeatur? Duæ sunt opiniones; prima affirmat, estque Innocentij *cap. Vlt. de Paroch.* qui insanos vocat, & quasi hæreticos, eos, qui negant Decimas personales reddi debere: & miratur quosdam Theologos iuniores asserentes, Decimam personalem minimè iure diuino persolui, sed humano, vel gentis, ciuitatis, vel populi consuetudine approbata. Quod probat ille duplici testimonio diuinarum scripturarũ, ex capite nimirum 18. Numerorum, & ex cap. 11. Deuteronomij, vt omnium bonorum decima soluatur: at vbi leges ac iura nihil distinguunt, nec nos distinguere oportet. Accedit, quòd si ex ijs, quæ procreat humus, decima debetur, vt hęc bona Deo accepta referantur, ergo etiam ex ijs, quæ opera & industria hominis efficit, decima reddi debet, cũ hæc etiam bona à Deo omnium bonorum largitore proueniant.

Secunda opinio docet, huiusmodi decimam iure tantùm pontificio deberi. Extant enim decreta Pontificum, quæ iubent, hanc decimam solui; cuius quidem decimæ lex vetus nihil meminerat. Sic Hostiensis *in Summa tit. de Decimis §. 7.* Henricus *cap. Peruenit de Decimis*, Felinus *in cap. Causam de Præscript.* Cardinalis *cap. 1. de Decimis.* vbi dicit, hanc esse opinionem communem. De Theologis nihil est quod dicamus, quippe qui, vt prædiximus, generatim tradiderint, Decimã iure pontificio, non diuino reddi, & solui; & S. Tho. *2. 2. q. 87. art. 2. ad 1.* ingenuè fatetur, nullũ esse in vetere lege datum præceptũ de Personali decima soluenda. Et certè quicquid dixerit Innocentius, hoc quod diximus, est longè probabilius. Nam Deus voluit vt Leuitæ & Sacerdotes prædijs & possessionibus carerent; ac proinde lege sanxit, vt cęteri ex prędiorum, & possessionum fructibus, ipsis decimam persoluerẽt. Quare quamuis vniuersim lex præcipiat, vt rerum omniũ decima persoluatur; intelligitur tamen deberi decimam ex fructibus omnium prædiorum & possessionum quas Lex Mosis Leuitis & Sacerdotibus denegarat.

Septimò quæritur, An Decima sit res spiritualis & sacra, an tẽporaria & profana? Respondeo, ex cõmuni omniũ sentẽtia distinguendũ hic esse: Aut enim Sermo est de iure exigẽdi aut percipiẽdi decimam, aut de ipsis fructibus, in quibus decima consistit. Si primũ, Decima est res spiritualis & sacra, vt docet Abbas *in cap. ad hæc de Decimis, nu. 2.* quoniam est ius exigendi, & percipiendi decimam ob ministeriũ religiosum & sacrũ. Nam Sacerdotum est, Sacramenta conferre, Dei verbum nunciare, ac spirituali cibo plebem sibi commissam & creditam pascere: & ideo qui spiritualia seminant, temporalia metunt, iuxta verbum Apostoli. Si verò de secundo loquamur, Decima, est res temporaria. Est enim terræ, vel arborum, vel personæ, vel animantium fructus: quo fit, vt eiusmodi fructus, præsertim iam collectus, vendi, locari, & permutari queat: est enim vinum, oleum, frumentum, mel, ouis, vel agnus. Et idcirco etiam cum Clericus pœna pecuniaria mulctatur sententia solet executioni mandari in fructibus decimarum, in vino nimirum, oleo, frumento, & alijs huiusmodi bonis iam collectis. Hinc etiam fit, vt ius exigẽdi decimam in Laicum cadere non possit, quamuis fructuum capax Laicus sit, & qui tale ius sibi vsurpat, sacrilegium admittit: quia rem sacram sibi contra Canonicas leges & iura sumit & arrogat. *1. Cor. 9.*

Octauò quæritur, An Decima, lege iustitiæ, an verò tantùm lege charitatis & misericordiæ debeatur? Respondeo, Decimam deberi lege iustitiæ: quoniam Ecclesia iubens decimam dari Clericis, eo ipso talem actum constituit in virtute iustitiæ, & tribuit Parochis ius exigendi, & percipiendi decimas. Vt enim lege ciuili tributa Principibus debentur, & qui ea Principi denegaret, & sibi sumeret, furtum cõmitteret: ita qui decimam Parocho debitam sibi retinet, alienum vsurpat ac surripit: item sacrilegus est, quia rem sacris vsibus deputatam sibi sumit.

Nonò quæritur, An Ecclesia Decimæ dominiũ habeat, an verò solùm ei decima debeatur? quod perinde est ac si quæreretur, qua actione decima petatur, vtrum actione rei vindicationis, quæ est realis actio; An verò solùm petatur tanquã debitum; hoc est, An petatur solùm actione personali? Hanc quæstionem tractauit Glossa duobus in locis, *videlicet, in cap. Tua 2. de Decimis, & in cap. Moderamine 16. quæst. 1.* Abbas item in alijs duobus capitibus, *nempe in cap. Commissum, num. 4. de Decimis, & in cap. Tua nobis nu. 11. de Decimis.* Ac duas referunt opiniones: prima est eorum qui negant, Ecclesiam eiusmodi dominium habere; & ideo ab ea non

peti decimam cõdictione rei vendicationis: nam quisquis rem vendicat, eam petit vt suam; & decima nisi sit separata ab alijs bonis, non definit esse prioris domini. *ff. de Pollicit. l. 2. §. vlt.* Deinde, frumentum, & alia similia, quando sunt cum alijs eiusdem generis commixta, fiunt communia. Ergo decima, quæ ex frumento debetur, quamdiu est cum alio frumento permixta, adhuc in bonis nostris habetur & computatur. Accedit, quod rei nondum traditę dominium, in alium minimè transfertur, ergo donec decima sit Ecclesiæ soluta, ac tradita, in bonis Ecclesiæ non numeratur. Sic Federicus *in conf. 74.* Et Rebuff. *tract. de Decimis. q. 3. num. 16. & 17. & q. 9. num. 8. & seq.* Quare huius opinionis auctores quidam aiunt decimam peti actione confessoria, qua petimus ius aliquod seruitutis, quod in re alterius habemus *l. loci corpus, & l. 1. ff. si seruitus vendi.* sic Rofre. *in tracta. & libello. iuris Canonici. p. 4. rubr. qua act. decimæ petantur.* Iason. *Inst. de actioni. §. æquæ, secundo notabili.* Decima verò, est seruitus quædam, quam populus Christi fidelis, Ecclesiæ debet. Aiunt alij decimam peti actione ex Canone, siue actione ex lege siue diuina, siue canonica, siue vsu approbata. Nam vt constat *ex l. 1. ff. de condict. ex lege*, quandocunq; obligatio est ex aliqua lege siue antiqua, siue noua, & lex non exprimit actionem, ex qua nascatur ea obligatio, petitur actione ex lege: & propterea quia diuina lex, vel canonica, vel consuetudo decimam solui decernit, eam petit Ecclesia actione ex lege, siue ex Canone.

Secunda opinio docet, Ecclesiam habere dominium decimæ, & eam petere actione rei vendicationis. Sic Abbas *in locis supra citatis*, ratus huius quoque sententiæ fuisse Innocentium, Hostiensem, & Ioannem Andream: additq; hanc esse veriorem, & magis cum iure Canonico congruentem sententiã. Nam *in cap. Tua nobis de Decimis*, Deus asseuerat, decimas & primitias esse suas, ergo sunt in Ecclesiæ dominio: nam pronomen (suum) in iure, dominium significat, vt colligitur *ex l. Quintus Mutius. §. Argento & l. cum suæ ancillæ, & l. Scribit Quintus ff. de Auro & argento legatis*, & id non dicitur suum, quod quis in actione habet. Item *in cap. Moderamine 16. quæst. 1.* dicitur Ecclesiam posse vendicare decimas: sed rei vendicatio conuenit dominio rei, vt constat *ex l. 1. & ex l. In rem ff. de Rei vendicat.* Quo fit, ait Panormitanus, vt non teneat venditio omnium fructuum facta à domino prædij, vt colligitur *ex cap. Pastoralis, de Decimis*: nam Ecclesia habet decimam partem pro indiuiso in fructibus, siue collectis, siue nondum collectis. Quod si decima Ecclesiæ tantummodo deberetur; profectò venditio valeret; & dominus prædij actione tantùm personali esset Ecclesiæ obligatus. Item si quis segetes, oliueta, vel vineta igni exureret, Ecclesia ius haberet perinde ac dominus, agendi, contra istiusmodi deuastationem. Nam *ex l. Si seruus seruum, §. Si Oliuam. ff. Ad legem Aquiliam.* Si quis illicitè colligat oliuas non maturas, debet actione legis Aquiliæ, domino resarcire damnum, etiamsi grandine, vel alia tẽpestate potuissent fructus perire? Satis enim est, si non perire quoq; potuerint. Hæc opinio est tenenda meo iudicio.

Ad id verò, quod est obiectũ, respondent Glossa & Panormitanus, quod nimirum dicitur *in l. 2. §. vlt. ff. de Pollicita.* decimam nondum separatam à bonis, adhuc esse in patrimonio prioris domini habere locum in Decima, quæ voto promissa est, nondum soluta, non autem in ea decima, quæ lege debetur Ecclesiæ, aut quæ iure communi persoluenda est. Id etiam quod obijciebatur, frumẽtum vnius domini cum alio alterius domini permixtum, pertinere ad dominum vtriusque frumenti, quod est permixtum, locum aiunt Glossa & Panormitanus habere, quando commistio fit voluntate dominorum: tunc enim totum pro communi & indiuiso habetur: & vtrumque frumentum commune fit, & vterque dominus habet actionem de communi diuidundo, vt diuidatur, sed si absque voluntate dominorum est permixtum, non fit commune: & vterque potest vendicare partem suam *l. si frumentum ff. de rer. diuis. & Institut. de rer. diuis. §. si duorum.* Præterea, priuilegium, inquit Glossa, est Ecclesiæ, quæ rei nondum traditæ dominium acquirit, vt docent Glossa, Paulus & Iason *in l. Vt inter diuinum. C. de Sacrosanct. Eccles.* & colligitur *ex cap. ex Literis ad finem de consuetud.* Quibusdam iunioribus magis placet prima sententia, Decimam nondum à bonis nostris separatam, adhuc quidem esse in nostro dominio, & bonis, lege tamen iustitiæ deberi Ecclesiæ. Porrò Canones, inquiunt, & iura, decimam aiunt esse Dei, siue Ecclesiæ, quia debetur, non quia in Ecclesiæ dominium transierit: Sicut tributa etiã nondũ soluta & tradita, dicuntur esse Principum, ac Regũ, quia ipsis iustitiæ lege debentur. Mihi vero magis secunda opinio probatur.

Decimò quæritur, Quot, & quibus de causis decima sit constituta? Respondeo, multis. In primis vt constat *ex cap. Tua nobis, de Decimis*, instituta est decima; vt profiteamur, Deum rerum omnium supremum habere dominium. Deinde, vt ex decima, Ecclesiarum ministri commodè alerentur, & suo debito stipendio afficerentur: & ideo in Scripturis eam Deus suum cibum appellat. Item, vt Sacerdotes omni cura victus soluti ac liberi, Deo diuinisque rebus expeditius & commodius vacarent. Vnde *2. Paralip. cap. 13.* præcepit Ezechias rex populo habitanti Hierusalem, vt daret partes Sacerdotibus & Leuitis, quò liberiùs possent vacare legi Dei. Præterea ad Sacrarum ædium fabricam tuendam & conseruandam. Adhæc, vt peregrini, aduenæ, & egentes, vitæ subsidium haberent: & idcirco conditi sunt Canones, quibus præcipitur, vt ex decimis quatuor portiones fiant: quarum, vnam sibi sumat Episcopus: altera Clericorum victui portio destinetur: tertia, sacris ædibus seruiat reficiendis: quarta pars, in vsus & alimenta pauperum impendatur. *cap. Fabr. cap. Concessio. cap. Quatuor, cap. de Redditibus, cap. Mos est. 12. quæst. 2.* Quo etiam fit, vt decimas, ius Canonicum appellet interdum, alimenta pauperum, *cap. Decimæ, 16. quæstion. 1.* ex Augustino, & *cap. Quoniam, eadem causa, & quæstione* ex Hieronymo, & *cap. Clericos. cap. Pastor Ecclesiæ. 1. q. 2.* qua de re statim dicemus inferius. Ad extremũ, decima est instituta, vt Parochi multa onera sibi iure Canonico imposita possint cõmodè sustinere, nimirum, vt egenos aliquo vitæ subsidio subleuent: Vt Episcopo Ecclesias inuisenti, debitum obsequium præstent: vt Romano quoq; Pontifici portionem debitam persoluant:

Malach.

& vt

& vt sæpe ex bonis Ecclesiæ, Principum inopiam & egestatem, Romani Pontificis concessu & auctoritate, sustentent.

Cap. XXIV.

Qui nam decimam soluere lege debeant: ex quibus etiam bonis: vbi & quando sit persoluenda.

PRIMO queritur, Quis decimam prædialem soluere lege cogatur? Respondeo *ex cap. A nobis de Decimis* quemlibet, siue sit nobilis, siue ignobilis; quemlibet etiam, siue Laicus sit, siue Clericus, *iuxta id quod habetur in cap. Nouum, de Decimis*, decimâ soluere debere: *vt colligitur ex cap. Si quis Laicus 16. quæst. 1.* Item Iudæi decimam debent ex terris quas colunt Christianorum Principum iurisdictioni subiectis, *cap. de Terris, de Decimis.* Et idem dicendum est de Saracenis, Turcis & Paganis, qui sub Christianorum Principum ditione & potestate degunt. Idem prorsus etiam de Hæreticis, vt docent Abbas & cæteri *in cap. de Terris, de Decimis.* Item Reges, & cæteri Principes, & Imperatores, mercenarij, itidem & famuli, dummodo personę sint liberæ, ex lucro stipendij siue mercedis, decimam debent persoluere. Serui tamen non item, cum nihil proprium habere queant.

Secundò quæritur, Quam decimam Iudæi, Saraceni & Pagani qui inter Christianos degunt, soluere debeant? Respondeo *ex cap. de Terris, de Decimis*, eos soluere debere decimam Prædialem, ex prædijs nempe, quæ possident; aut ipsa prædia relinquere coguntur; quoniam cum Decima sit veluti quædam seruitus & onus prædijs annexum, fit, vt decimam debeat is, in quem fuerit prędium translatum: res enim vna cum onere suo in quemlibet possessorem iure transmittitur *ex cap. Si quis Laicus, & cap. Ecclesiæ, cap. Quicunq; 16. quæst. 1. & clarius in cap. Cum non sit in homine, de Decimis, & cap. Ex literis, de Pignori. Glossa in cap. Tua nobis, de decimis, in verbo: sic & dominus, & in cap. decimæ. 16. q. 1. in verbo. negotio.* Sic etiam prædia, ex quibus Principi tributum debetur, in quemcunque possessorem deuenerint, vnà cum tributo Principi debito transferuntur. *cap. Tributum, 23. quæst. 8.*

Quæres, an Iudæus, in quem prædia deuenerunt, soluere debeat decimam, quam per multos annos elapsos primus possessor non soluerat? Respondeo cum Parnormitano *in cap. de Terris, de Decimis. nu. 6.* esse cogendum soluere, Nam *in l. Imperatores, ff. de Publicanis* ita apertè constitutum est; Quia in vectigalibus, hoc est, tributis, ipsa prædia, non personæ obligantur: ideo possessores; etiam præteriti temporis, tributum soluere debent. Possessor tamen secundus habet actionem contra possessorem primum, recuperandi tributa quæ soluit, si ab eo bona fide per ignorantiam prædia receperit. Ergo pari ratione debet Iudæus secundus possessor, decimam præteritam soluere. Deinde quæres, an si Titius prædium, ex quo multis annis exactis decimam non soluit, Caio vendiderit, iure Caius emptor conueniri queat, & cogi ad decimam illorum annorũ soluendam? Respondeo cum Hostiẽsi, Ioanne Andrea, Felino, & Abbate *in cap. de Terris citato, & in c. Cum homines num. 6. de Decimis*, posse: quia res cum suo onere in emptorẽ transiuit; *c. Ex literis, de pignor.* idq; apertè colligitur *ex l. Imperatores ante citata.* Immò testibus eisdem Ioanne Andrea, & Panormitano, ius habet Parochus conueniendi quem maluerit, nempe vel Titium venditorem, vel Caium emptorẽ. Titium quidem, quoniam fructus percepit, & decimam non soluit, Caium verò, quoniam est nouus possessor, & rem habet decimæ obligatam. Hoc idem sensisse videntur Federicus, *in consil. Si. quod incipit: Laicus.* & Abbas *in cap. Cum homines citato.* Tertiò, si roges, An si aliqua certa regio siue prouincia in Saracenorum ditionem redacta sit, deinde verò ad Christianorum venerit potestatem, ita tamẽ vt multa prædia, quidam Saracenorum Christianis subiecti, possideant, ex quibus nunquam decima solita est solui, iure cogantur ij Saraceni ex ijs prædijs decimam soluere? Hoc ideo dubitatur quia *in cap. Quanto: de vsuris*, Iudæi compelluntur Decimam soluere, ex domibus & possessionibus, ex quibus Ecclesia percipere consueuerat, antequam ad Iudæos transirent. Ergo, à contrario, ex ijs prædijs, ex quibus Ecclesia solita non erat percipere, decima minimè debetur. Huc accedit, quod si Turcarum, aut Saracenorũ Prouincias Græci aut recuperarent, aut caperent, omnes istiusmodi homines à religione nostra alieni, iure cogi possent, decimam soluere ex omnibus prædijs, quæ penes ipsos, qui iam in Christianorum potestatem venerunt, manerent. Panormitanus *in cap. de Terris, de Decimis nu. 5.* secutus Oldradũ *in cons. 25.* Hæc omnia concedit hac ratione permotus: Quia Deus inquit, sibi omnium rerum in toto terrarum orbe existentium decimam reseruauit. Sed reuera, ex iure Canonico id minimè colligitur: quoniam *ex cap. de Terris, de Decimis, & ex cap. Quanto de vsur.* solum habetur, Infideles ex ijs prædijs debere decimam soluere, ex quibus soluisolebat, antequam in eorum dominium transfererentur: quoniã res cum suo onere in possessorem transfertur. Ergo, si nullum onus res habet, possessorem nulli oneri & obligationi subijcit.

Tertiò quæritur, An Iudæus iure cogatur decimam soluere personalem? De hac quæstione, Glossa *in c. de Terris, de Decimis, & 16. qu. 1. cap. Decimæ.* sentit cũ Tancredo & Bernardo, eũ ad id non esse adigendum; & *c. De Decimis* docet, debere Iudæum decimam prædialem, non personalem soluere: & *c. Tua nobis, de Decimis*, testatur, oportere eum soluere quandam decimam personalem: idq; probat *ex cap. Quanto, de vsur.* vbi sic est: *Iudæos, compellendos decernimus ad satisfaciendum Ecclesijs pro decimis & obligationibus debitis, quas à Christianis de domibus & possessionibus alijs percipere cõsueuerant, antequam ad Iudæos quocunque titulo deuenissent; vt sic Ecclesiæ conseruentur indemnes.* Sed certè ex his verbis nõ deducitur, debère Iudæum personalem soluere decimam, sed prædialem, ex ijs nimirum domibus, & prædijs, ex quibus antea decima soluebatur. Abbas autem *in ca. De Terris, de Decimis in. 6.* prædicta Decreti verba sic intelligit, Iudæum meritò cogendum soluere personalẽ decimã, ratione eius lucri, quod interest Ecclesiæ: nam damnum sustinet Ecclesia ex hoc, q̃ Iudæus habitat in domo, in qua si Christianus habitasset, decimam soluisset; sed neque hic sensus iuxta quorundam sentẽtiam cum ipsa

constitutione congruere videtur, quod patet ex verbis præallegatis. Et minus verum esse quidam opinantur, quod subiungit idem Panormitanus, iure posse Ecclesiam compellere Iudæos ad soluendam simpliciter quamlibet decimam personalem: nam hæc decima ratione personæ soluitur; at Ecclesia nil iuris habet in eos, qui foris extra suum gremium sunt. Sed Panormita. id dixit, quia censet decimam diuino iure deberi, & putauit Ecclesiam posse cogere iud æum sibi subiectum ad id iuris seruandum. Iudęus itaq;, vt ex iure Canonico constat, decimam prędialem debet: de personali, debeat necne illam, in iure expressum non est.

Quartò quæritur, vter decimam soluere ex agro debeat, dominus agri, an cõductor, qui solet vocari colonus partiarius siue mediarius, aut Colonus censualis, siue pensionarius: ille dimidiam partem fructuum domino soluit: hic verò certas mensuras fructus, aut certam pecuniam. De hac quæstione Gloss. *in c. quæsti sunt 16. q. 1. & in c. Tua nobis de decimis in verbo sic & dominus.* Respondeo cum Glossa & Abbate *in c. Tua nobis de Decimis*: In primis de domino agri: Aut is locauit agrum, vt reciperet dimidiam partem fructuum: & tunc vterque partem decimę debet, quia vterq; dimidiam partem ex fructibus percipit; ergo ex ea dimidia parte decimã debet: Aut dominus conduxit operas coloni pecunia, vel loco pecunię certis mensuris fructus, siue colligeretur fructus aliquis, siue nullus: & tunc dominus debet soluere integram decimam, quia omnes fructus percipit ex agro; nec potest deducere id quod soluit Colono, quia debet decimam soluere non deductis impensis, *cap. Non est, & c. Cum non sit, de Decimis*: Aut dominus locauit agrum colono certis mensuris, aut certa pecunia, ita vt omnes fructus ad conductorem spectent: & tunc dominus non debet decimã ex pensione quam recipit à colono: quia totum onus ad conductorem transit, eo quòd dominus propter hoc onus minorem pensionem exigit. Si Sermo sit de Colono, aut is est partiarius, & debet decimam ex dimidia parte fructuum, quam colligit: Aut est censualis, qui conduxit prædium certis mensuris, & tunc debet soluere decimam ex lucro suo deductis sumptibus, vt constat ex Glossa *in cap. quæsti sunt 16. q. 1.* Aut est censualis, qui conduxit totum prædium, ita vt ad ipsum spectent omnes fructus, & sic debet integram decimam. Hæc ex Abbate & Glossa *loco citato*.

Quintò quæritur, An Clericus decimã soluere debeat? Hanc quæstionem tractat S. Tho. 2. 2. q. 47. art. 4. & Canonici iuris interpretes *in ca. In Nouum genus, de Decimis*. Inter omnes constat, Clericũ non debere decimã soluere ex decimis quas ipse percipit: eum item, soluere decimam debere ex prędijs patrimonialibus sitis in aliena Parochia. Sic Glossa, Innocentius, & Abbas: nam talis decima est onus quod ipsis prædijs adhæret. Sylu. *in verbo Decima q. 7.* ait, hoc locum habere, nisi Clerici inseruiant Ecclesiæ, cui debentur. Dubię verò quæstionis est, an Clericus soluere decimam debeat ex prædijs, quæ pertinent ad Ecclesiæ dotem, hoc est, ex prædijs, quæ ratione Ecclesiastici beneficij Clericus possidet. Negat Glossa; negat etiam S. Thomas loco citato, Clericum debere decimã ex prædijs Ecclesiasticis. Innocentius verò vniuersè docet, Clericum debere soluere decimã prædialem. Expressim Panormitanus fatetur, huiusmodi quoq; decimã esse à Clerico soluendam: nam etsi dotalia sint Ecclesiæ prædia, sunt tamen ei oneri subiecta, & ea seruitute affecta: tum quia prædia aliter nõ potuit in Ecclesiam transferri, nisi cum onere: tum etiã, quia vna Ecclesia nõ potest cum alteri' Ecclesiæ dãno extrui, fundari, dotarive *c. Ecclesiæ, & cap. Quicunq; 16. q. 1. & c. Nuper, de Decimis*, colligitur, prædia collata ad monasteriũ fundandum, nequaquam liberari à lege & obligatione decimę persoluendę. Si verò prædia sita sint in propria Parochia, hoc est, in ea, in qua Clerici inseruiunt, negat Panormitanus Innocentiũ secutus, quẽ citat, debere Clericos soluere, quia cũ in ea Parochia inseruiant, sibi ipsis soluere decimã videntur. Obijcies, ex ijs etiam prædijs à Clericis decimã debere solui: fiquidẽ potest quis tanquã priuata persona sibi ipsi tanquã publicæ personæ obligari: quemadmodũ tutor tanquam debitor pupillo, soluit sibi ipsi tanquã tutori. *l. quoties. ff. de Administ. tutelæ*: & Rex potest filios suos legitimos efficere nõ tanquam pater, sed tanquã rex. Eadem enim ratione *in l. Si Consul. ff. de Adoptionib.* Consul tanquã priuatus manumittit seruum suum, apud seipsum tanquam magistratum. Respondeo, Clericos ideo decimam soluere nõ debere Ecclesiæ, in qua inseruiũt, quia ipsi in ea Ecclesia sunt Parochi adiutores: vnde solum decimam debent, quando se habent, vt Laici qui in aliena Parochia prædia patrimonialia possident. De Personali verò decima si sermo sit, túc distinguit Abbas: Aut Clerici sibi ipsis & non Ecclesiæ acquirunt, hoc est, non cõmuniter viuunt: & tunc decimam debent Parocho, in cuius Parochia domicilium habent, & diuina audiunt; aut communiter viuunt in vna Ecclesia, & Sacramenta recipiunt ab alterius Ecclesiæ rectore, vt olim Monachi accipiebant à Parocho, in cuius Parochia situm erat Monasterium; & tunc debent decimam illi soluere. Aut nõ recipiunt ab alterius Ecclesię Parocho, & propterea Personalẽ decimã soluere non debent ex lucris Ecclesiæ quæ percipiunt.

Sextò quæritur, An qui combusſit segetes, vel conculcauit sata, vel incendit vites, vel rupit retia, quibus capiuntur pisces, volucres, vel feræ, nõ solum debeat arbitrio boni viri damnum resarcire, quod passus est dominus, vel piscator, aut venator, sed etiam Ecclesiæ restituere debeat decimam, quam verisimiliter haberet, nisi id damni euenisset. Quidam negant, eum debere Ecclesiæ decimam reddere. At Innocentius, Abbas, Ioan. Andreas *in cap. Commissum de decimis*, docent, aduersus eum Ecclesiam actionem habere, quia decimę dominium habet Ecclesia. Vnde sicut dominus habet actionem in eum, vt reddat æstimationem damni; sic Ecclesia vt restituat æstimationem decimæ arbitrio boni viri. Et ita idem docuit Couarruuias *in Regula Peccatum, part. 2. §. 8. num. 12. ad finem*. Hoc tamen locum habet, vbi decima solui solet ex prædiorum fructibus, & ex venatione, aucupio, & piscatione.

Septimò quæritur, An Canonicus audiens extra Ecclesiam, cuius est Canonicus, diuina, decimam soluere debeat, ex suæ præbendæ (quam

appellant)

appellãr) fructibus tanquam ex lucro? Antonius Butrius & Petrus Ancharanus *in cap. 2. de Decimis*, affirmant debere: quia Canonicus fructus præbendæ facit suos, ergo tanquam ex lucro debet personalem decimam soluere. Abbas tamen Innocentium secutus *in eodem capite*, censet nõ debere: putat enim ille, Beneficiarium fructus beneficij non facere suos: quia beneficiũ Clerico confertur, vt inde sumat quod est sibi ad victum necessarium, & reliquum in vsus pauperum impendat. Enimuero id quod Antonius & Ancharanus tradidêre, longè probabilius est, vt suo loco docebimus; nam Beneficiarius fructus beneficij facit suos, vt alibi docebo. Animaduertendum autem est, nostris temporibus Sacerdotes Sacramẽta, vt olim, ab alijs Parochis non percipere, nec audire diuina in aliena Parochia: ipsi etenim per se cantant, offerunt & sacrificant, & Sacramenta à se inuicem recipiunt, ac proinde decimam prędialem non soluunt. Et personalis decima, quæ ex lucro & artificio debetur, in desuetudinem abijt: Inferiores verò Clerici, quales sunt primam tonsuram habentes, & alij minoribus ordinibus initiati, cum Sacramenta à suis Parochis accipiant instar Laicorum, iure communi decimam soluere coguntur: & qui beneficia habent, ex beneficiorum fructibus consuetudine decimam non soluunt. Clerici itidem matrimonio coniuncti à decima soluenda liberi & immunes non sunt, *vt patet ex cap. 1. de Clericis coniug. in 6. ad finẽ.* eamq; debent Parocho, in cuius Parochia Sacramenta suscipiunt, & rem diuinam audiunt.

Octauò quæritur, An Legatarius, Donatarius, & hæres debeant decimam ex rebus per donationem, legatum, aut hæreditariam successionẽ acquisitis. Quidam teste Syluestro *in verbo, Decima q. 6.* sentiunt non debere. Sed dicendum est quod ait Syluester ex Glossa *in cap. Pastoralis de Decimis, in verbo, quasi de lucro*, Legatarium, & Donatarium debere ex fructibus per legatum, vel donationem acquisitis, quamuis, *vt dicam inferius, q. 11.* nõ ex rebus immobilibus, cuiusmodi sunt prædia, vel domus ex quibus postea colligunt fructus, vel pensiones sed ex fructibus Decimam soluunt. Item debent decimam ex rebus mobilibus per donationem acceptis: hæres itidem extraneus debet decimam ex rebus per testamentum partis, non autem hæres legitimus, qui necessario ab intestato succedit, qualis filius est, nam bona patris ad filium legitimum iure pertinent: & filius vel hæres necessarius & pater pro vna persona habentur. Hęc omnia Glossa *in cap. Pastoralis, in verbo. Quasi ex lucro, de Decimis. Et cap. Decimæ, verbo, negotio. 16. quæst. 1.*

Nonò quæritur, ex quibus bonis sit decima persoluenda? Respondeo, prædialem decimam ex omnibus terræ fructibus, vt colligitur *ex cap. Non est, & cap. Ex parte, de Decimis*; Personalem verò, ex omni personæ lucro, nimirũ negociatione, opificio, venatione, arte & industria; ac proinde ex omni peculio Castrensi, vel quasi castrensi, aduentitio, vel profectitio. Hæc omnia probantur ex iure ipso Canonico. Primùm, de Prędiali decima *in c. Ex transmissa, de Decimis*, sic est: *Fidelis homo ex omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas debet soluere.* In c. Non est de Decimis, habetur, ex frumento, vino, & legumimbus decimam esse soluendam: Vnde cum palea etiam numeretur in fructibus. *L. Adeo. §. Cum quis. ff. De acquirend. re. dominio.* etiam ex ea iure decima debetur; & ex fructibus arborum decimam esse præstandam dicitur *in cap. Non est. & capit. Cum homines de Decimis*: ex lucro quod ex molendinis percipitur. *cap. Peruenit, de Decimis*: siue lucrum in frumento, siue in pecunia consistat. Item ex fructibus quamuis minutis, qui proueniunt ex hortis, in quibus ad victum herbæ & olera nascuntur: ex oleribus enim etiam decima iure debetur, cum sit fructus terræ; Item ex leguminibus. Vnde ex croco, & fœno decima iure præstatur: Vt si fœnum in fasciculos redigatur, ex his decimus debetur. De mixta decima etiam ius Canonicum dicit, eam esse soluendam: vt ex piscibus, quĩ in stagnis & alijs piscinis nutriuntur, & inde capiuntur in escam: Secus si voluptatis gratia tantum piscinæ habeantur: tunc enim ex illis lucrum non existit. Ex animalibus, vt ex gregibus ouium, & armentis boum, & ex fœtibus ipsorum: nec non & ex fructibus, quales sunt pelles, lanæ, oua, lac, butyrum: ex apibus quoq;, nimirum ex melle & cera. *capit. Nuncios de Decimis.* QVAERES, an de ipsis quoque apum examinibus sit decima soluenda, ita vt retentis nouem, decimum debeatur? & ex decem apum aluearibus, vnum sit iure præstandum? Respondeo, hac de re nihil esse in iure expressum: consuetudine tamen talis decima non soluitur. Item ex aucupio exoluitur decima: nam etsi expressim nihil sit iure Canonico statutum, Iurisconsultus tamen *in l. Item si fundi. §. Sed si insula. ff. De vsufructu*, dicit, Aucipiorum vsum fructum, sicut piscationem, esse fructuarij. Ergo si ex aucupio fructus proueniunt, decima debetur. Non tamen si voluptatis gratia volucres, vel feræ in aliquo loco includuntur. Item decima personalis iure communi debetur. *cap. Cum homines, de Decimis*: ex militia, negociatione, opificio decima debetur. *ca. Decimæ, 16. quæstione prima*, vt ex venatione, *cap. Non est, de Decimis*, Insuper Doctor & Aduocatus, & cæteri ex mercede, siue ex lucro. Glossa *in cap. Decimæ. in verbo negotio. 16. quæstion. prima, & in cap. Pastoralis de Decimis in verb. Quasi de lucro, ad finem.* Ex spolijs itẽ, & prædis quæ in bello iusto acquiruntur; Et quia Aduocati dicuntur militare, *l. Aduocati. C. De Aduocatione diuersorum iudicum*: ideo ex lucro, quod inde percipiunt, decimam debent. Item ex domibus decima præstatur, id est, ex pensione annua, qua domus ipsæ locari solent. Sic etiam ex pascuis, hoc est, ex pretio, quo pascua locantur, siue venduntur quotannis. Abbas *in capit. Commissum de Decimis*: non tamen si ex eis nostra animalia nutriantur. Ex lapidicinis item, vel auri fodinis, nimirum cum ex ipsis lucra nobis proueniunt. Syluester, *Decima. quæstione sexta.* Rosella. *numero quinto*, Angelus *numero quinto.* Item ex lignis syluæ ceduæ; hoc est, ex decem lignorum fascibus, decimus debetur; vel si ligna venduntur, decima pars pretijs & ex furnis itidẽ; ita vt decima pars cõmodi siue consistat in pane, siue pecunia, debeatur. Sciendum autem est, si pisces, vel volucres, vel feræ capiantur, decimam deberi personalem, quia sunt fructus, qui ex industria & labore personæ proueniunt: at verò si in loco certo includantur cibi causa, nõ voluptatis, Prædialis,

siue Mixta decima debetur, quia est fructus ex nostris animalibus proueniens. Animaduertendum etiam est, eiusmodi decimas, quæ sunt hactenus à nobis explicatæ, iure quidem communi deberi, sed consuetudine tamen, magna ex parte solui desijsse. Etenim decima personalis in desuetudinem iam abijt: Prædialis quoque ex multis fructibus præsertim minutis alicubi non soluitur, vt ex herbis, oleribus, leguminibus. Quare vbique est gentis, ciuitatis, vel populi consuetudo seruanda, cum est vsu ipso legitimè præscripto recepta.

Decimò queritur, An si dominus conditionem suæ rei mutet, decimam soluere debeat; scilicet in agro, qui arari, & seri solebat, Titius vineam plantauit, aut in area, vel platea arbores seuit, vel domos extruxit, aut ex vinea agrum ad seminandum fecit, Quæritur an decimam debeat? Respondeo ex Abbate, & ex communi sententia omnium *in cap. Commissum, de Decimis* dominum quidem liberè posse sui agri, prædij, vel possessionis conditionem, siue qualitatem absque vllo Ecclesiæ consensu mutare; nihilominus tamen rei qualitate mutata, debetur decima ex fructibus, qui ex ea re colliguntur. Quare, si prius ex re decima non soluebatur, quia nullos ea fructus reddebat, annua decima debetur, quia ex ea fructus percipiuntur. Item, si prius ex re minor decima præstabatur, quia erant fructus pauciores, vel minores; nunc qualitate mutata, quia res facta feracior vberiores fructus reddit, maior decima debetur.

Vndecimò quæritur, An decima debeatur ex Pascuis, prædijs, domibus, & alijs bonis immobilibus, quæ donatione, vel testamento in alicuius extranei dominium, transferuntur? nam eo ipso quod quis donatione alterius acquirit, lucrũ sibi comparat. De hac quæstione tractaui ex parte *in hoc capite quæstione octaua*, Respondeo ex communi sententia *in capit. Commissum citato*, ex fructibus & alijs rebus mobilibus per donationem acquisitis decimam deberi, quia sunt lucra: at non debetur decima, vt ait Glossa *in capit. Pastoralis in verbo quasi de lucro, de Decimis*, ex bonis immobilibus, quãuis sint lucra: sed ex fructibus huiusmodi bonorum, nimirum, vel ex annuis pensionibus, quibus locantur, vel ex fructibus, qui ex ipsis quolibet anno colliguntur.

Duodecimò quæritur, An si res aliqua duplices triplicesue fructus singulis annis reddat, sit decima soluenda non solùm ex primis, sed etiam ex secundis, & tertijs fructibus? Respondeo, ex singulis fructibus decimam iure deberi, *c. ex parte 2. de Decimis*. Nam ex omnibus frugibus ac fructibus decima persoluitur. Consuetudine tamen introduci potest, vt ex primis tantùm fructibus decima debeatur.

Decimotertiò quæritur, An decima debeatur ex bonis, vel lucris malè acquisitis & partis, vt ex re furtiua, vel rapta: De hac quæstione Glossa *in cap. Decimæ. verbo. negotio. 16. quæstion. prima.* Respondeo, decimam Prædialem deberi, quamuis prædium ad nos contra leges, & iura deuenerit; quia prædium cum suo onere transit ad quemlibet possessorem siue bonæ, siue malæ fidei. Glossa *in cap. citato*. Decima personalis non debetur ex ijs, quæ sunt domino restituenda. Ex cæteris vero, si fuerint lucra ex peccato notorio parta, vt ex meretricio quæstu, Ecclesia decimam non recipit: quamuis ipsi qui acquirunt; debeant; à quibus per pœnitentiam veram conuersis potest Ecclesia recipere decimas prætermissas. Si lucra fuerint ex peccato occulto, quamuis noto Parocho siue Prælato, Ecclesia recipere potest decimas. Hæc omnia Syluester *verb. Decima quæstione sexta*, partim ex Hostiensi, Innocentio, & partim ex Sanct. Thoma *secundæ secundæ, quæstion. 87. articulo 2. ad 2.*

Decimoquartò quæritur, Vbinam sit decima persoluenda? Respondeo, Prædialem quidem, in loco, vbi situm est prædium, *cap. vltim. de Parochijs*; nisi consuetudo aliud habuerit. *cap. Cum sint, & cap. Ad Apostolicæ, de Decimis*: alicubi est in more positum, vt pars decimæ soluatur parochiæ, vbi constitutum est prædium, & pars Ecclesiæ, vbi dominus prædij domicilium habet, vel vbi audit diuina, & recipit sacramenta. Personalis verò, in loco, soluenda est, vbi quisque Sacramenta suscipit, & vbi audit diuina toto anni tempore, aut maiori ex parte, *capit. secund. de Sepultu. in sexto, & capit. vltimo, de Parochijs*: quod si aliquis in vna Parochia rem diuinam audit, aliquando verò in alia, vtpotè hyeme in vna, æstate in altera; tunc personalis decima æqualiter diuiditur auctoritate superioris, si æquale sit tempus; alioqui pro rata portione temporis. Si quis itidem in pluribus Parochijs domicilia habeat, soluet in ea Parochia decimam, in qua præcipuum domicilium habet: nam in ea Parochia, in qua est situm domicilium, quisque diuina audire debet. Item Personalis decima, si quis mutauerit domicilium, non debetur primæ Parochiæ, sed secundæ si in ea audiat diuina, & Sacramenta suscipiat, *capit. Ad Apostolicæ, de Decimis*. At Scholastici & Mercenarij in ea Parochia censentur, in qua habitant. Glossa *in Clementina prima, de Priuilegijs*.

Decimoquintò quæritur, Vbinam decima proueniens ex fructibus animalium, solui debeat? De hac quæstione Nauarr. *consilio secundo, de Decim.* Glossa *in capit. Ad Apostolicæ de Decimis*, sentit hanc decimam ad Prædialem reuocari; Et ideo deberi Parochiæ, in qua animalia commorantur, & pascuntur. quod si hyeme pascantur herbis in vna Parochia: æstate, in altera: in alia verò iaceant & dormiant, decima diuidi debet inter eas Parochias: Glossa *in cap. Ad Apostolicæ de Decimis*. Nauarrus *consil. citato. numero decimo*, quia censet decimam huiusmodi esse mixtam, prædialem, & personalem, ait, si dominus animalium domicilium habeat alibi, quàm vbi animalia pascuntur, debet partem decimæ, parochiæ vbi habet domicilium: quia ibi audit diuina, & suscipit sacramenta, & partem parochiæ, in cuius agris animalia morantur, aut pascuntur. Sed meo iudicio, communis est sententia, eiusmodi decimam ad prædialem referri; vt dixit Glossa *loco citato*. Notandum est autem, triplicem esse animalium fructum: primus, consistit in fœtu; secundus, in lacte & ijs, quæ ex lacte conficiuntur; tertius, in pellibus, & lana. *L. In pecudum. ff. de vsuris, & Instit. §. In pec. de Rer. diuis.* Ex fœtibus, is qui decimo lo-

co natus

co natus est, debetur, quamuis consuetudine soleat pro eo pecunia solui. Ex lana, decima quoque debetur, cum detonsæ sunt pecudes, ita vt nouem velleribus retentis decimum persoluatur, ex lacte similiter, nouem mensuris retentis, decima præstatur, & ex caseis decimus: Consuetudine alicubi receptum est, vt decima ex lacte in ea Parochia soluatur, vbi ex vberibus, siue mammis hauritur & sugitur: & ex caseis, vbi casei fiunt: & ex fœtu, in ea, vbi pulli nascuntur. QVAERES, An in vineis, vel agris, vbi fructus colliguntur, solui decimæ debeant; an verò deferendę sint ad Ecclesiam, cui debentur? Respondet Hostiensis, teste Sylu. *in verb. Decimæ. q.9.* esse consuetudini standum.

Decimosexto quæritur, Quando nam Decima sit persoluenda? Respondeo, prædialem esse soluendam, quando sunt collecti fructus: Personalem, quando est lucrum ratione personæ acquisitum. Decima ex fœtu animalium soluitur, quando pulli nascuntur. Ex lana, & pellibus, quando tondentur pecudes, aut paratæ sunt pelles. Ex caseis, quando facti sunt. SI QVAERAS, an decima prædialis, fructibus collectis, statim solui debeat. Respondeo, debere solui. *cap. Cum homines de Decimis*, & sufficit, esse perceptos, quamuis nondum sint perfectè collecti. *l. Si eius. ff. De rei vendic.* vbi dicitur: *Perceptionem fructus accipere debemus, non si perfectè collecti: sed etiam cœpti ita percipi, vt terra continere fructus desierit; veluti si oliuæ, vel vuæ fectæ fuerint, & nondum ab aliquo vinum, vel oleum factum sit, statim ipse fructum accepisse existimandus sit.* Sic ibi. DEINDE QVAERES, an decima personalis statim atque est acquisitum lucrum, sit persoluenda? Glossa *in cap. Reuertimini in verbo; Annus 16. quæstione prima*, censet solui posse ad exitum anni. Sic etiam Abbas *in capit. Peruenit numer. 3. de Decimis*. At Cardinalis *in ea. Peruenit*, docet statim esse soluendam, quoniam ius, inter prædialem, & personalem decimam, nihil distinguit; & Parochus intra annum, sæpe rebus ad vitam necessarijs indigere consueuit. Sed mihi magis Glossæ & Abbatis sententia probatur.

Decimoseptimò quæritur, An decima antequâ petatur, iure communi solui debeat? Respondet Cardinalis *in capit. Peruenit, de Decimis*, non esse soluendam, nisi petatur; quod probat *ex eodem ca. Peruenit, de Decimis*. At communis sententia verior est, eam solui debere iure communi, antequam petatur, vt Ancharanus & Abbas *in eo cap. Peruenit*, tradiderunt. In cap. Cum homines de Decimis apertè statuitur, eam statim esse soluendam collectis fructibus: nam Decima, est quædam oblatio; & oblatio spontè datur, antequam petatur. Objicies quod habetur *in cap. Peruenit*, requiri admonitionem. Respondeo, eiusmodi admonitionem requiri, vt antequam is qui decimam retinet, excommunicatione feriatur: nam excommunicationis sententia non fertur ob delictum tantummodo, nisi contumacia præcesserit: non autem *eo capite* significatur opus esse admonitione vt decima non petita soluatur. Tertiò objicies Paulum attestantem, nihil se à Corinthijs petiuisse, neque recepisse, vt testatur ipse *in priori ad Corinthios Epistola capit. 9. & refertur in cap. Prædicator. 16. q.1.* Ergo si decima non petatur, solui non debet. Respondeo: quando Ecclesia expressè, vel tacitè decimam remittit, solui nō debere, nisi Ecclesia denuò eam petat: quando verò ea non remittitur, solui debet antequam petatur. Cæterùm vbi fuerit consuetudo recepta & præscripta, vt decima non nisi petita soluatur, nō debetur nisi petatur, vt ibidem docet Panormitanus.

Decimooctauò quæritur, Quid sit dicendum, quando Titius vendit Caio agrum suum, ex cuius fructibus per aliquot annos Titius decimam non soluerat, poteritnè Ecclesia conuenire Caium emptorem vt soluat omnes decimas prætermissas, quas Titius non soluit? Respondeo cum Hostiensi, Ioanne Andrea, & Abbate *in cap. Pastoralis de Decimis*, iure posse, quia res transit cum suo onere ad emptorem, siue possessorem. Nam *in l. Imperatores. ff. De publican.* possessor cogitur soluere tributa præterita, quia res transiuit ad eum cum eo onere, & res, non persona est obligata. Immò addit Ioannes Andreas, posse Rectorem Ecclesiæ conuenire recentem, aut veterem possessorem. Et idem ajunt Archidiac. *16. q.1. ca. Si quis Laicus*. Federicus *cons. 74.* & Abbas *in cap. cit. ad Pastoralis*.

Caput XXV.

Quo modo Decima peti, ac exigi debeat.

PRIMO quæritur; Coram quibus Iudicibus sit decima petenda & exigenda, & apud quem Iudicem agenda causa de Decimis? Respondeo ex communi sententia, quam habent Glossa *ad Summam 10. q.1.* Calderinus *in consil. 15. an Iudex, tit. De foro compet.* Iason *in cons. 23. vol.1.* Rebuf. *de Decimis q.1. nu 38.* nō coram Iudice, vel Magistratu ciuili; sed coram Ecclesiastico decimam petendam esse. Nam causa decimarum, est spiritualis, siue Ecclesiastica *cap. Parochianos, de Decimis*, & docent Glossa *in ca. Ex tenore, de Foro compet.* Cuman. *in cons. 38.* Fulgosius *in consil. 166.* causa verò spiritualis & Ecclesiastica, ad Iudicem Ecclesiasticum tantummodo pertinet. *Clem. Dispendiosa de Iudicijs, & cap. Decernimus, de Iudicijs*. Ita vt Iudex ciuilis simul etiam cum Ecclesiastico de causa spirituali cognoscere & iudicare non possit, etiam ratione compromissi. *ca. contingit, de Arbitris*.

Secundò quæritur, An quando tribunal siue prætorium Regis vel Principis constat ex Laicis & Clericis, possint eiusmodi Iudices causam decimarum cognoscere, & de ea statuere & iudicare? Respondeo; Nisi Iudices Clerici à Romano Pontifice dati fuerint, non posse: quia ratio habetur eius, à quo est iurisdictio mandata. Quare cū eorum iudicum potestas, & iurisdictio à solo Rege, Imperatore, vel Principe fluxerit, ad causas spirituales trahi non potest, in quibus Rex, vel Princeps ius & potestatem non habet. Rebuff. *de Decimis. q.10. nu.3.*

Tertiò quæritur, An quando Decima est Laicis nomine & iure feudi data, & Iudex ciuilis ius habeat eius causam cognoscendi & iudicandi? Animaduertendum est, Principibus & Regibus aliquando decimas Ecclesijs debitas, Romani Pontificis auctoritate dari nomine & iure feudi: aliquando dari, vel ad tempus ad tertiā vel quartam generationem, vel in perpetuum, ea lege, vt

ipsi eas alia re maiori vel æquali compẽsent; hoc est, vt Ecclesiæ ipsorũ cura & opera, dotem idoneam habeant; & Rectores Ecclesiarum ac cæteri rebꝰ Ecclesiasticis pręfecti commoda vitæ subsidia aliunde percipiant, ex quibus alantur. Et ita datæ sunt Romani Pontificis cõcessu Regi Hispanię Catholico Ferdinando, huius nominis Quinto, Decimæ in toto Regno Granatensi: vt testatur Couarru. *in Practicis quæstio. cap.* 35. *num.* 2. quoniam suis impensis, sumptibus, & magnis laboribus, Regnum illud Saracenis eripuit: & decimæ quoque darę sunt Hispaniæ Regibus in ijs Prouincijs, quæ Hispanorum nauigatione nostris temporibus inuentæ sunt, quas vulgo Indiarum nomine vocant. Philippo item Pulchro Francorum Regi, Gallici scriptores referunt, teste Rebuf. *in tract. de Decimis quæstion.* 10. *numer.* 39. datas esse decimas in Francia Romani Pontificis concessu: & olim annuentibus expresè, omnibus Franciæ Præsulibus, Carolus Martellus Caroli Magni auus, decimas Ecclesiarum impetrauit, easque nobilibus Francorum proceribus assignauit, eo quòd duobus prælijs innumeram Saracenorum multitudinem fuderant, qui ex Hispania in Galliam irruperant, templa diripuerant, & agros vastauerant, qui Rex sanctè iurasse fertur, eas decimas Ecclesiæ redditurũ se aut re alia maiori, vel æquali compensaturum: quod tamen postea non præstitit; quapropter apud inferos perpetuo supplicio damnatus perhibetur. Scribit enim Paulus Aemilius *Libr. 2. de Rebus gestis Francorum in Childerico 3. ex Eucherio Aurelianensi Episcopo*, eius cadauer sepultum in æde S. Dionysij, post aliquot annos inuentum non esse; sed serpentem magnum in eius sepulchro repertum, & credidisse tunc multos, eum corpore & anima esse ad inferos damnatum: quia Eucherius Aurelianensium Episcopus vir magnus, tunc testatus est, se per quietem vidisse eius animam sempiternis supplicijs destinatam. Hoc idem narrat Guaguinus Historicus, & refert Rebuffus *tractatu de Decimis q.* 10. *nu.* 3. Caueant sibi Principes, ne in similia sacrilegia prolabantur.

Hoc posito, aut decimæ Laicis in feudum vel alio nomine dantur absque vllo Romani Pontificis assensu, etiamsi in eo Ecclesiarum Antistites consentiant; aut Romani Pontificis auctoritate conceduntur. Si primum, eas Laici iustè non retinent, nec possunt ad hæredes transmittere, cum sint Ecclesiarum bona. Si secundum, tunc & tuta cõscientia eas possident, & ad hæredes transfundere, aut alijs relinquere queunt, prout fuerit in Pontificio Priuilegio expressum, & non aliter: eo quòd id fiat Romani Pontificis auctoritate. Vtrũ verò causa hæc talium decimarum, coram Iudice ciuili agi queat, duæ sunt opiniones: vna est eorum, qui id negant iure posse fieri, ob id quod Pontifex non videtur talium decimarum causas in ciuiles Magistratus, aut Iudices transtulisse. Non enim si vnum priuilegium beneficio Principis conceditur alicui, eo ipso alterum datum esse creditur; Deinde, quamuis priuilegium Principis plenissimè interpretari debeamus, cum iuri communi non derogat, non tamen si deroget. Accedit, quod Decimæ, quamuis in feudum datæ sint, nihilominus ipsum feudum ex iure Decimarum oritur: at ius decimarum Ecclesiasticum est, non ciuile, & profanum. Ita sentit Federicus *in Consil.* 254. Rebuf. *de Decimis quæst.* 10. *num.* 35. Altera est opinio affirmantium id iuste posse fieri, eo nimirum argumento, quia si decimæ Laico in feudum datæ Romani Pontificis priuilegio, causa coram Ecclesiastico iudice agi deberet, multum iuri laicorum detraheretur: sic enim iudices Ecclesiastici facilè laicos eluderent, & qua possent ratione id priuilegium labefactarent atque conuellerent, cum illud vel ex toto, vel ex parte abrogare niterentur. Ita opinantur Ioann. Rupellius *in libr. 1. Forensium institution. capit.* 25. Gulielmus Benedictus *ad cap. Raynutius de Testamen. in verb. Si absque, nume.* 45. Chassanæus *in Consuetud. Burgun. §. 6. numer.* 350. Couarruu. *in Practi. quæstio. capit.* 35. *numero secundo.* Ego autem primam sententiam veram esse, & tenendam existimo; & secundam opinor nec cum Iure congruere, nec sola consuetudine defendi posse, absque priuilegio expresso Romani Pontificis: nec sufficit in hoc, si Romanus Pontifex tolerat id, quod fit in Curijs, vel prætorijs Ciuilium Principum secundum postremam sententiam, quia aut non tolerat, quippe qui sæpius reclamat: aut si tacet ac tolerat, id solùm facit, quoniam id cõmodè impedire nequeat; aut ignoret illud, quod laicorum auctoritate vel consensu fit.

Cæterũ si decima fit auctoritate Romani Pontificis in ciuiles Principes translata, contractu permutationis, videlicet, quia ipsi Principes eam re alia, vel maioris æstimationis & pretij & vtilitatis, vel æqualis compensant; tunc causa de decima, quæ Principi debetur, coram ciuili magistratu cognosci, & tractari iure potest, quoniam amplius spiritualis non est, eo quod decima ratione permutationis legitimè factæ, Principi debętur, & Ecclesia suum ius integrum retinet in re, cum qua decimam permutauit, & in quã fuit decima subrogata: quod enim sufficitur & substituitur in locum alterius, sortitur cõditionem, & ius eius, in quod subrogatur.

Quartò quæritur, An cum contra præscriptionem, vel consuetudinem, cuius initij memoria non extat, decimas Clerici petunt à laicis, fas sit laicis coram ciuili iudice eam causam agere, ita vt auctoritate Ciuilis magistratus tueri se possint aduersus Clericos decimam exigentes? communis est inter Canonici iuris interpretes id non licere laicis facere, primùm quia causa spiritualis, consuetudine vel præscriptione, à Iudice Ecclesiastico auocari non potest: quoniam præscriptione ius spirituale laicus nequit acquirere, *capit. causam, quæ. de præscript. & cap. Prohibemus de decimis*, nec consuetudo quamuis longissima, vbi quis iuris capax non est, facit eum capacem. Ioann. Andre. Abb. Glossa & alij *in cap. causam, quæ, de præscript.* Secundò quia quando quis capax iuris non est, iuxta communem sententiam consuetudo plus auctoritatis, & iuris non dat quàm Romani Pontificis priuilegium: sed priuilegium tale non extat, quod det eiusmodi ius & auctoritatem, ergo neque consuetudo dare potest. Quidam verò, in quibus est Couarruuias *loco citato*, & & Carolus Degrassalinus. *libro secundo, Regalium Franciæ in Iure septimo*, sentiunt id iuris conuenire

Iaicis.

laicis. Nam in Francia edicto Philippi Pulchri Regis, & in Hispania Caroli Quinti Constitutione, talis decimarum causa coram Ciuilibus iudicibus agitur: & Episcoporum iussa & mandata, si ad eos causa defertur, inhibentur: Et cum id sit vsu & consuetudine receptum, meritò, inquiunt, improbari damnarique nequit. Ego primam sententiam veram existimo, quia causa de decimis est spiritualis, de causis verò Spiritualibus laici iudicare non possunt, vt Canones omnino prohibent. Nec vsus, si alicubi est, contrarius, probari vlla ratione potest, cum sit corruptela.

Quintò quæritur, An decimarum causa tutò coram ciuili iudice agatur, quando quæstio est facti, non iuris? Sciendum est, quæstionem esse facti, cum quæritur, soluerit ne Titius debitā decimam, an non? Debeatne Caius decimam soluere, an alius? hoc est, sit ne decima soluta, an nō? Sit ne soluenda potius à Titio, quàm à Caio? Cum item Caius furto decimæ tenetur, & agitur, vt eā restituat. At verò Quæstio iuris est, cum agitur, cuius sit decimarum ius: item, cum agitur de priuilegio, exemptione, immunitate, & excusatione decimæ. Cum igitur quæstio est iuris, causa decimarum coram Ecclesiastico iudice solummodo agi debet, quoniā est spiritualis: Cum verò quæstio est facti, est quorundam opinio, posse tractari causam coram Iudice ciuili. Sic Couarruuias *loco citato*, sic Rebuffus *de Decimis q.10.nu.39.* quę sententia videtur esse, vt quidam aiunt, multorum consensu recepta, ita. Federic. *Consil.* 245. Gomes. *in Repetitio. ad caput. si annuum. num.16. ff. de Iud.* Ripa *ad cap. Decernimus quæst. vltim. de Iudic.* Petrus Belluga *in Speculo Principum. Rubric. de Decimis §. Restat, num.4.* Ego primam sententiam tenendam arbitror, quia causa decimarum siue sit facti, siue iuris, est spiritualis vel saltem spirituali connexa, & ex spirituali proueniens. QVAERES, an quando quæstio est facti, causa decimarum liberè etiam possit agi coram Iudice laico, & Ecclesiastico: hoc est, an sit mixti fori, ciuilis, & Ecclesiastici. Federic. *in Consil.* 245. scribit, quosdam sensisse, eiusmodi causam ad Iudicem ciuilem tantummodo pertinere. Sed hoc Couarruuias *in Practicis quæstio. cap. 35. num.2.* meritò confutat. Nam vbique videmus Episcopos Ecclesiasticis censuris & pœnis adigere laicos ad decimam, quæ vel soluta non est, vel furto ablata restituendam: quare si lis, & causa apud Iudicem Ecclesiasticum cœpta est, non est ad ciuilem deferenda. Potest igitur agi coram vtroque Iudice, Ciuili & Ecclesiastico; ita vt iure possit vnus alterum præuenire. Sic Couarr. Meo iudicio, eiusmodi causa solùm ad iudicem Ecclesiasticum pertinet: nam est spiritualis, vel ex spirituali descendens, videlicet ex iure decimarum.

Sextò quæritur, An decimæ conductor laicus conueniri debeat coram Iudice Ecclesiastico? Quidam negant, quia causa non agitur de decima soluenda, sed de pretio conductæ decimæ reddendo. At verò Couarruuias *loco citato*, suam sententiam sequutus distinguit: Aut Clericus cùm decimæ fructus locauit laico, cum eo conuenit, vt si pretium non solueret, eum ad Iudicem Ecclesiasticum deferret: aut contà cum eo pactum inijt, vt eum conuenire non posset, nisi coram Iudice ciuili. Si primum, standum est conuentioni, & laicus conueniri debet coram Iudice Ecclesiastico, & non ciuili. Si secundum, seruari quoque pacta & conuenta debent, & causa ad ciuilem iudicem referenda est: tum quia causa simpliciter non est de decima; sed de pretio locatæ & conductæ decimæ persoluendo: tum etiam quia hæc quæstio, inquit Couarruuias, potius est facti: quàm iuris: non enim causa agitur, vt debitor decimam soluat; nam eam omnes debitores soluerunt; sed vt conductor decimæ, qui iam percepit eius fructus, pretium conductæ decimæ soluat. Sic ille: Ego, vt dixi, causam decimarum in vniuersum putò esse tractandam corā Ecclesiastico iudice, non laico. Eodem modo respōdeo ad quæstionē, quam idem Couarruuias proponit: videlicet, quid dicendum est, si decimæ cōductor nihil cum Clerico cōuenit, nec se expressè submisit iudicio Ecclesiastico? Respondet ille suo more, tunc posse causam tractari apud Iudicem Ecclesiasticum, & Ciuilem, ita vt vnus alterum possit iure præcurrere: quare si lis cœpta est coram iudice Ecclesiastico, nequit Ciuilis iudex eam ad se auocare. Dicendum est, eam esse coram iudice Ecclesiastico, non laico, tractandam. Quia ex iure decimarum ortum habet: quod ius Ecclesiasticum & sacrum est, non ciuile, & profanum.

Septimò quæritur, An cum laici contendunt, decimas ab ipsis exigi, quas longissimi temporis præscriptione, cuius initij memoria non est, soluere non consueuerunt, & quando conqueruntur decimas peti contra consuetudinem longo tempore receptam, & contra Principum laicorum leges prohibentes, ne petantur, aut ne laici soluere cogantur; causa cognosci & tractari iure possit apud ciuiles magistratus? Carolus Degrassal. *libro secundo. Regal. Franciæ in iure 7.* & Couarruu. *libro primo. Variarum resolut. capit. 17. numer. 8. verficul. 9. & in Pract. quæst. capit. 35. numero quarto*, docent, posse tractari, & defendunt morem, quo huiusmodi causa in Hispania, & Gallia coram regijs magistratibus discutitur, & passim, inquiunt, dantur litteræ à supremo Regio senatu, quibus liberantur laici contra Ecclesiasticos iudices à decimis, quę exiguntur, vel contra consuetudinem, vel præscriptionem. At verò Rebuf. *tract. de Decimis quæst.10. num.14.* censet, hoc iure non fieri, quia causa decimarum spiritualis est, nec in spiritualibus, præscriptio, aut consuetudo, ius Laicis dat, cum ipsi eius iuris capaces nō sint. Ego huiusmodi consuetudinem suprà dictam, corruptelam esse puto, & proinde locum non habere, quia cum Canonico iure pugnat; quare nisi vel Priuilegio Romani Pontificis, vel expresso eius consensu approbatur, nō valet: nec sufficit, si dicas, eam permitti: nam permittitur certè, quia commodè impediri non potest: aut permittitur inscio Pontifice, aut inuito, & reclamante.

Octauò quæritur, An causa de fructibus decimarum agi queat coram Iudice ciuili? Respōdeo ex communi omnium sententia. Quando fructus sunt percepti, collecti, ac soluti, coram Iudice ciuili peti queunt, si fuerint furto à Laico sublati, aut alia ratione subtracti. Nam fructus decimæ, vt superius dixi, non est quid spirituale, sed temporale.

Ex his

Ex his colligit Couarruuias quando nam Decimarum causa ad Magistratum & Iudicem ciuilem deferri possit. Nam primùm, inquit, tutò ea causa defertur, quãdo decima est in feudum Laico legitima auctoritate tradita,& priuilegium à Romano Pontifice concessum est, vt feudi nomine & iure habeatur. Deinde quando Laici coguntur à Clericis soluere decimam contra præscriptionem, vel consuetudinem, cuius initium non extat,& priuilegio Romani Pontificis Iudex ciuilis id potestatis habet, vt hanc causam cognoscat & iudicet. Tertiò, quando quæstio est facti, non iuris. Quartò quando Laicus conductor decimæ init cum Clerico pactum, vt coram ciuili Iudice conueniri possit. Quintò, quando causa agitur contra Laicos fures de fructibus decimæ soluendis, reddendisue, non de ipso decimæ iure seruando, & tuendo. Meo iudicio in his omnibus casibus, causa Decimarum coram Iudice Ecclesiastico, non Laico tractanda est: quia est causa de Decimis, aut ortum habens ex iure Decimarum. QVAERES, quomodo sit decima soluenda iure communi? Respondeo, prædialem reddendam esse non deductis impensis etiam factis in fructibus colligendis, *cap. Cum sicut homines, & cap. Pastoralis de Decimis.* Item, non deductis impensis factis in domibus, aut molendinis reficiendis. Abbas *in cap. Pastoralis.* Decima personalis soluitur ex lucro, & lucrum non est nisi impensis deductis.

Nonò quæritur, Quibus solui iure decima debeat? Respõdeo Clericis, siue Ecclesijs, ex Paschali Pontifice. *cap. Decimæ 16. quæst. 1.* vbi ait: *Decimas à Populo Sacerdotibus ac Leuitis esse reddendas, diuinæ legis sanxit auctoritas.* Verùm dubiæ quæstionis est, quibus Clericis decima sit iure soluenda? Respõdeo, generatim Parochis decimam iure deberi: deinde prædialem Parocho, in cuius Parochia prædium est situm, etiamsi dominus prædij in alia Parochia audiat diuina, & sacramenta percipiat. *ca. vlt. de Parochijs, cap. Cum sint, de Decimis.* Personalis verò decima debetur Parocho, in cuius Parochia debitor decimæ audit diuina, & percipit Sacramenta. QVAERES an Episcopo iure decima debeatur? Respondeo, deberi: primùm quando prædium situm est in Parochia Ecclesiæ Cathedralis, & ad eum proximè pertinet ipsius Parochiæ cura: vt colligitur *ex cap. Tua de Decimis.* At si alius Presbyter illius Parochiæ curæ præficitur, ipsi decima debetur. Deinde, quando prædium in nulla est Parochia situm, *cap. Quoniam de Decimis, & cap. Decimas 16. quæst. 7.* Tertiò, quando non sunt distinctæ Parochiæ, quia tota Diœcesis est Parochia Episcopo subiecta. *c. Omnes Basilicæ 16. quæst. 6.* Postremò quando decimæ sunt Ecclesiæ Cathedrali datæ. ROGABIS deinde, An decima debeatur Parochis, tametsi opibus & rebus temporarijs abundent? Respõdeo deberi: non enim soluitur decima ratione personæ, sed causa diuini ministerij, q; Parochus præstat. Nec quis ob diuitias suo potest iure spoliari: neq; n. Regi, aut Principi opulento tributa detrahuntur, nec creditori copioso debita pecunia denegatur. Nõ ité refert si Parochi & Clerici sint improbi, aut si decimarum fructus in malos vsus impendant; quoniam decuna debetur præcisè ratiõe muneris & officij Ecclesiastici, quo fungitur Cleric⁹, vel Parochus.

Decimò quæritur, An lex Ecclesiastica iubens decimam solui, cum iuris æquitate conueniat? Quæstionem hanc mouet Caietanus *2.2. quæ. 147. articulo primo.* Et ratio dubitandi est, eo quòd duplici ratione æquitas in hac lege deesse videatur. Tum, quia constituta est instar veteris legis, quæ decimam solui iubebat: tum quia decima personalis nunc lege debetur, quę lege vetere non soluebatur. At lex vetus æquitate constabat, quoniam decimam præstari Leuitis præcipiebat. Trib⁹ autẽ Leuitica erat totius populi Israëlitici duodecima pars, ac proinde parum reliquem populũ excedebat: nunc decima, lege soluitur Parochis, qui vix (inquit Caietanus) quinquagesimam partem Christiani populi constituunt: quare cũ tam exigua sit Parochorum pars, non videtur cum iuris æquitate congruere, vt decimam partem accipiant Parochi, ex quadraginta nouem populi Christiani partibus, vt Parochus quinquaginta fructuum portiones habeat, cũ tamen ex reliquo populo singuli nouem tantùm portiones sibi retineant: ergo plus æquo Parochis defertur: præsertim quod Leuitæ & Sacerdotes Iudæorum, vxores, & familias alebant, quibus subsidia vitæ necessaria suppeditare eos oportebat: at Clerici nouę & Euangelicę legis, vxoribus & familia carent, ergo plus illi, quã hi accipere iure poterant, & debebant.

Ex his colligit Caietanus, decimam Ecclesiastica lege deberi, propterea quod eam solui Ecclesia præceperit, non solùm vt Clerici sustentarentur, sed etiam vt pauperes alerentur. Ita vt decimæ institutæ fuerint in Pauperũ subsidium: nam Parochi non solùm diuinis ministerijs mancipãtur, tanquam ministri à Deo electi, sed etiam ad pauperum indigentiam subleuandam tanquam egenorum patres. Atq; hinc est, quod iure Canonico præcipitur, vt decimæ in quatuor partes distribuantur: ita vt quarta pars in vsus pauperum impendatur, & Episcopi, ac Parochi partes pauperum, & quasi tutores ac curatores appellãtur. Tandem concludit Caietanus his verbis: si decimæ in subsidium tantùm ministrorum dandæ essent, vt in veteri lege mandatum erat, nescirem ego oppositas obiectiones soluere, libenterq; solutiones aliorum audirem, qui scirẽt tam excessiuam distributionem ad æqualitatem deducere. Sotus *Lib. 9. de Iust. q. 4. art. 1.* in Caietanum inuehitur, eo quòd tam leui argumẽto ductus, ad singularem (sic enim putat Sotus) sententiam deuenerit; quod Decima non solùm in Clericorum subsidium, sed etiam in pauperum vsus sit instituta. Ex quo fieret, vt pauperibus sua quoq; portio decimarum iustitiæ legibus deberetur; quod Sotus putauit incommodum, quia decimę debentur Ecclesiæ ministris ob diuinum ministerium, & officium quod obeunt, & exequuntur. Hanc quæstionem Caietanus & Sotus, quos supra retuli Auctores, alio trahunt, videlicet, An Episcopi, Parochi, & Clerici, iustitiæ legibus in pauperum vsus cogantur impẽdere quicquid ex beneficijs Ecclesiasticis supereſt præter id, quod necessarium est ad commodum suum victum. Caietanus enim in ea est opinione, vt censeat eos esse iustitiæ legibus adstrictos: Sotus contra, misericordiæ & charitatis tantummodo legibus alligatos.

De hac

De hac controuersia suo loco fusius differemus: Quod præsentis est instituti, illud breuiter dixisse sufficiat, legem Ecclesiasticam de decimis soluendis, omni æquitate constare. Nam decima, onus quidem est impositum populo Christiano; sed vt par est, nulla ratione leges æquitatis transgreditur, dum nouem partibus retentis ex fructibus quos quisque colligit, decimam partem soluere lege compellitur, multo plus sumit sibi, quàm soluat: sed quia ex multis rebus paruis in vnum collectis, magnum aliquid efficitur; ideo decimarum cumulus magnus quidem in seipso est; verùm si comparetur cum eo quod quisque soluit, & quod sibi reliquit, longè plus sibi singuli retinent, quàm soluant. Sic etiam in vetere Hebræorum populo sibi quisq; ex suis fructibus, nouem partibus perceptis, decimam soluebat: & Leuitica tribus sola in vniuersum cum vndecim tribub' collata, in duabus decimarũ partibus excedere videbatur, quia reliquæ vndecim tribus nouem partibus donabantur, & ipsa Leuitica tribus nouem partes habebat; at verò singuli Iudæorum sibi nouem partes retinebant, & soluebant vnam. Nulli igitur fit iniuria, nulli graue onus imponitur, si ex decem, sibi nouem assumptis partibus, vnam dare lege cogatur. Quocirca nec Caietano assentior, totam ferè huius legis Ecclesiasticæ æquitatem in eo ponenti, quod decimæ sunt quoque in pauperum vsus institutæ: fateor enim decimam Ecclesiæ lege deberi, ac solui tanquam debitam mercedem laboris, quo Clerici diuinis rebus inseruiunt, quamuis postea Ecclesia suis decretis sanciuerit, vt quarta decimarum pars in pauperum necessitates impenderetur. Nec Soto item assentior, neganti Parochorum & Clericorum numerum cum reliquo populo compositum, minimum esse: quid enim refert, si minimus esse concedatur? siue enim paruus sit, siue magnus, æquissima est Ecclesiastica lex decimarum, qua quisque vnum quid soluit ex decem, sibi nouem partibus asseruatis.

Obijcies; maximam esse decimarum portionem; cum tamen pauci sint Parochi, quibus decimæ soluuntur; at paucis pauca sufficiunt vitæ subsidia, & paucis operarijs pauca stipendia debentur. Hoc argumentum quibusdam facessit negocium. Sed fateor Parochos esse paucos, quibus decima ex lege debetur ac soluitur, at multi sunt Parochorum adiutores socij, & administri, quibus sua merces iure debetur. Item multa sunt templa & sacella, quæ subinde reficiuntur, & muniuntur. Deinde Ecclesia decimam quidem instituit: sed postea temporis decursu ex fructibus decimarum, quos vidit, & animaduertit esse longe vberrimos, lege sanxit, vti quarta pars reseruaretur in pauperum vsus. Denique, quid dicendum, si ex decimis multæ hospitales domus extructæ sunt, multa Religiosorum domicilia constituta, multorum indigentium inopia sublenata, Seminaria, & Collegia iuuenum instituta?

Vndecimò quæritur, An decimam laicus possidere queat? Respondeo: In cap. Adhæc de Decimis, præcipit Pontifex, vt Laicus qui iure hæreditario possidere decimam contendebat, anathemate feriretur, nisi decimam ipsam liberè Ecclesiæ restitueret. Et *in cap. Quamuis, de Decimis.* prohibetur ne quis laico in sęculo manenti Ecclesiam, decimam, oblationemue concedat. Demum *in ca. Causam, de Præscriptioni.* Alexander Tertius, scribit Episcopo, laicos decimas nec detinere, nec vlla vsucapione præscriptioneue possidere posse.

Quæ Decreta vt intelligamus, scire oportet, appellatione decimę aliquando intelligi ius exigendi, & percipiendi decimam, aliquando verò fructum, qui ex prædio, vel persona percipitur; Deinde ius percipiendi decimam potest alicui tripliciter conuenire: Aut enim quis decimam exigit & percipit nomine Clerici, à quo conductam illam habet: & hac ratione laici decimarum conductores exigunt atque percipiunt, vt etiam feudatarius quilibet: Aut quis decimam exigit, quia ipsi Pontificia auctoritate est data, quòd ille sit de Ecclesia bene meritus, videlicet quia Ecclesias Catholicorum ab Hæreticis defenderit; aut Christianorum prouincias à Saracenorum manibus & potestate eripuerit; aut bellum suis sumptibus contra Paganos susceperit, & feliciter gesserit: & hoc modo Romani Pontificis beneficio, multæ decimæ Imperatoribus, Regibus, Principibus, alijsque viris primarijs datæ sunt. Aut decimam quis exigit ob Ecclesiasticum munus, & officium, quo fungitur in Parochia, cui præest: & totum huiusmodi ius est spirituale & sacrum. Intelligunt ergo Canones siue decreta prædicta, quæ omnino negant decimam ad laicos pertinere, de ipso decimæ iure siue de ipsis Decimis: quia nec vlla præscriptione, nec consuetudine possunt decimas exigere, percipere, & retinere: nam in laicos ius spirituale non cadit: & is qui possessionis capax non est, rẽ vsu capere, aut præscribere nequit. At verò ius exigẽdi decimam nomine Ecclesiarum siue Clericorũ, quale conductor habet, aut quale priuilegio, & auctoritate Romani Põtificis sæpius penes Reges, & Principes est, eo quòd in feudum decimas acceperint, in laicos cadit; quoniam eis non conuenit nomine ipsorum, sed Ecclesiæ: nec conuenit ratione ministerij sacri, vt clericis; sed ratione alicuius temporalis: nimirum causa alicuius obsequij, & beneficij in Ecclesiam collati: aut ratione pretij, quo locati sunt & conducti fructus decimarum: sicut ius item quo percipit quispiam certi Beneficij fructus annuos ob laborem & operam, quam impendit in Ecclesiæ Cathedralis Clericis cantu, aut latinis litteris instituendis, non est Beneficium, nec ius spirituale: eo quòd eius Beneficij fructus, nequaquam accipit ministerij Ecclesiastici causa. Quapropter sicut ius patronatus habere laicus quidem potest, sed nonnisi Ecclesiæ concessu; ita ius decimæ aliquo modo penes Laicum esse potest, at non sine Ecclesiæ auctoritate atque consensu.

Duodecimò quæritur, An Decima Episcopi consensu & auctoritate in feudum turò dari laico queat, ita vt ipsi laico solui debeat? Respondeo *ex cap. Prohibemus de Decimis, & cap. Cum Apostolica. De ijs quæ fiunt à Prælatis,* post Concilium Lateranense auctoritate Alexandri III. celebratum anno sal. 1179. id omnino esse prohibitum, decimas nempe in feudum perpetuum laico dare, quare sola Romani Pontificis auctoritate id fieri tutò potest. Ita Ioann. Andreas, Antonius, Cardinalis

in ca. Cum Apostolica de Decimis, Couarruuias *lib. 1. Variarum resolutionum. cap. 17. num. 5.* Cum enim sit communi Iure interdictum, sola Episcopi auctoritate fieri nequit. Olim tamen ante huiusmodi Lateranense Concilium, sola Episcopi auctoritate decimæ laicis benè de Ecclesia meritis in feudum, siue emphyteusim perpetuam dari solebant: quare si quis laicus decimas in feudum perpetuum acceptas ante dictum Concilium obtineat, tutò possidet.

Decimo tertiò quæritur, An decimas, in feudũ perpetuum ante Lateranense Concilium acceptas, tuta conscientia Laicus Episcopi concessu in alium transferat? Respondeo: Aut eas transfert in aliquam Ecclesiam, Monasterium Religiosumue locum, idque tutò facit, *vt constat, ex cap. Cum Apostolica. De ijs quæ fiunt à Prælatis*: Aut transfert in alium laicum, & sunt duę opiniones, vna eorum, qui absolutè & simpliciter fieri posse negant solo Episcopi consensu & auctoritate, quę fuit sententia Abbatis *in cap. Prohibemus de Decim.* vbi ait, sit in eo capite Doctores sentire. sic enim censet Hostiensis *in cap. Cum Apostolica De ijs quæ fiunt à Prælatis*, Archidiac. Ioann. Monachus *in cap. 2. de Decimis in sexto* eo in primis argumento, quod *in ca. Prohibemus de Decimis*, vniuersum decernitur, ne laici decimas in alios laicos possint aliquo modo trãs ferre. Deinde si Laicus decimas sibi in feudum perpetuum datas habens, sine legitima prole & hærede decedat, decimæ ipso iure ad Ecclesiam reuertũtur, ergo in alium iure transferri nequeunt. Altera est sententia, id tutò fieri posse Episcopi auctoritate, quam sententiam Glossa, Cardinalis *in cap. Prohibemus*, Ioann. Andreas *in capit. 1. de Præscript. in sexto, & in cap. Super quibusdam. de verbo. significa.* Sylues. *Decima. quæstion. 10.* probauêre, eam confirmantes primum ex cap. Prohibemus nuper allato, vbi generaliter non prohibetur, ne laici decimas in alios laicos transferant; sed ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos transmittant: quod Decretum habet locum in laicis, decimas facto, non iure possidentibus: qui si, dum viuunt, decimas Ecclesiæ non restituunt, saltem cum decedunt, iussu Pontificis debent Ecclesiæ decimas reddere, vt saltem eos sui peccati mortis tempore pœniteat. At verò laicus qui Ante Concilium Lateranense decimas in feudum accepit, iure illas, non solùm facto possidet Certè prima sententia videtur verior. Etenim quamuis laicus iure feudi decimas possideat, nequit in alium laicum transmittere, etiam Episcopi auctoritate: nam transferri non possunt, nisi in feudum denuo dentur: at eas in feudum dare, Concilium Lateranense prohibuit; nisi dixeris, nõ vetuisse, ne solitę dari dentur more solito; sed ne dentur, quæ alioqui dari minimè solebant. Sed Concilium generatim præcipit, ne dentur.

Decimo quartò queritur, An Episcopi auctoritate possint decimæ, laico ad breue tempus concedi, locari, vel vendi iusta aliqua de causa? Respondeo ex communi omnium sententia, posse, Nam *in Clem. 1. de Rebus Eccles. non alienan.* dicitur, posse res Ecclesiæ ad modicum tempus alienari. Sciendum autem est, iure communi modicũ tempus haberi, quod est intra decennium: vnde decimæ iure communi tutò possent laico concedi intra decennium. Sed vbi est vsu recepta Constitutio Pauli II. quæ incipit *Ambitiosæ de Rebus Eccles. non alien.* decimæ laico auctoritate Episcopi vltra triennium locari non possunt. Sed quæstio est An iure cõmuni Episcopus laico decimas dare possit iusta ex causa, vel eas locare, vel vendere ad vitam ipsius laici? Id concedit Glossa *in cap. Quamuis de Decimis*, ea ratione cõfirmans, quod vita hominis cum sit dubia & incerta, potest esse breuissima: proinde tanquam modicum tempus habetur. Cum item decima ad vitam laici confertur, non videtur in perpetuum dari, quippe quæ ad hæredes transmitti nõ possit. Sed verius est, quod tradit Abbas, *in eo cap. Quamuis*, id Episcopo non licere facere: quod enim ad vitam vnius datur, nõ dicitur ad modicum tempus dari, cum vita hominis ad multos annos produci queat.

Caput XXVI.

An decima denegari aut tolli ex toto vel ex parte possit.

PRIMO quæritur, Quot modis Decima tolli queat, ita vt Clericis, siue Ecclesijs solui non debeat. Respondeo, multis modis, nimirum consuetudine, præscriptione, compensatione, transactione, exemptione, siue priuilegio Romani Pontificis. Rebuff. *tract. de Decimis quæstio. 13. num. 13. & sequentibus.*

Secundò quæritur, An consuetudine Decima tolli possit ex toto vel ex parte? Respondeo, inter Iuris Canonici Doctores, cũ sentiant decimam diuino iure deberi, varias esse sentẽtias. Quidam enim asserunt, decimam prædialem nulla cõsuetudine tolli posse ex toto, vel ex parte, cum diuini iuris sit: personalem verò posse consuetudine ex parte, vel ex toto denegari, quoniam Canonico tantùm iure persoluitur. Hanc sententiam tuentur Hostiẽsis, Archidiaconus, Cardinalis, Paulus Parisius, Felinus, & alij plerique, quos refert Couarruuias *libr. 1. Varia. resolut. capit. 17. numer. 8.* & eam testatur Rochus Curtius, quem citat ibidem Couarruuias, esse commmunem inter Canonici iuris interpretes. Alij verò vniuersim docent, nullam decimã prædialem, vel personalem tolli consuetudine posse siue ex toto, siue ex parte, propterea quod sit vtraque iuris diuini, non Canonici. Sic Innocentius, Glossa, & alij iuniores *in ca. In quibusdam, de Decim.* Sunt qui dicant, Decimam siue prædialem, siue personalem ex toto auferri, vel denegari non posse, benè tamẽ ex parte: quod idem est, ac si dicant, fieri consuetudine posse, vt pars minor soluatur, nempe duodecima, vigesima, vel trigesima: quod non obscurè Sanct. Thomas significat, *secunda secundæ quæstione 87. articulo primo, & Quodlib. secundo articulo octauo*, Turrecrem. *in capit. Reuertimini 16. quæstione prima, in septimo quæstione*, & idem multi alij Theologi tradidêre. Omnes iuris Pontificij Doctores hac quæstione sunt admodum implicati, cum sentiant illi, decimam iuris esse diuini: at contra ius diuinum Consuetudo non valet: Et tamen ex altera parte vident in multis prouincijs Christianorum decimas Clericis vel Ecclesijs non solui: nec enim

in Italia,

in Italia, nec in Græcia soluuntur, nec olim solebantur. Vnde Antonius Butrius *in cap. Parochianos de Decimis* scribit; *Nescio quid dicam, nisi quod omnes damnantur non soluendo.*

Attamen tanquam firmum fundamentum faciēdum est quod supra posuimus, Decimam quidem, vt est pars fructuum necessaria ad victum Clericorum, diuina & spiritualia bona ministrantium, item vt est merces laboris ipsorum, insuper, vt est aliquid quod Deo offerimus, vt ipsum agnoscamus tanquam summum rerum omnium dominum, iuris naturalis & diuini esse: vt verò est certa & definita pars fructuum, videlicet decima, & non maior, aut minor, non esse iuris diuini, vel naturalis, sed Canonici. Ac propterea quemadmodū contra quodlibēt ius aliud Canonicum, vel ciuile consuetudo magnam vim ac robur habet: sic etiam contra ius Decimarum, quod rectè Couarruuias & Turrecremata *locis supra citatis* Theologorum sententiam secuti, annotarunt. Et in primis dubitandum non est, quin decima consuetudine in totum tolli queat, si res alia maiori, vel æquali compensetur: nam cætera debita etiam iusta, alterius rei compensatione soluuntur. Deinde certum est, ius ipsum Decimarum, quatenus est natutale, vel diuinum, consuetudine nec ex toto, nec ex parte tolli posse, quatenus vero est canonicum posse. Vt meritò Sanct. Thomas *secunda secundæ, quæstion. 87. articul. 1.* dixerit, potuisse Ecclesiam decernere, vt pars minor, loco decimæ solueretur. Certum quoque est, potuisse Ecclesiam suo iuri cedere, nimirum decimas non petendo, vti eas laicis remitteret quamuis non potuerit ius diuinum relaxare, quo Deo aliquid offerimus, vt agnoscam⁹ supremum eius dominium in res omnes, quod ius diuinum seruamus, si aliquid etiamsi decima sit minus, offerimus. Nam decima est instituta ad clericorum victum, & cæteros vitæ vsus necessarios: potuerunt igitur Ecclesiæ & Clerici sibi aliunde alimenta, & cæteros vsus vitæ necessarios conquirere, & laicis decimam condonare. Hinc perspicuum est, quam vim consuetudo in decimis habeat. Quemadmodum enim Pontifex potest decimam remittere, si aliunde Clericis supperant bona, ex quibus commodè sustententur, sic & Consuetudo.

Ex his multa colliguntur. In primis, vbi consuetudo recepta est, & præscripta legitimè, vt decima non soluatur, solui non debere; tametsi à Clericis petatur: standum enim est consuetudini receptæ, quæ legis vim habet. Hinc etiam existit, vt si ex quibusdam fructibus, & bonis non soleat decima solui, ea minimè debeatur: in multis enim locis solui non solet ex minutis rebus, vt ex fœno, herbis, oleribus, & alijs fructibus pleriſque. Valet etiam consuetudo, vbi non integrè decima soluitur, sed minor, nempe vigesima, trigesima, & quinquagesima. Consuetudo itidē ea valet qua nulla decima soluitur, sed aliquid aliud, quod est in locū ipsius subrogatum. QVAERES vnde factum sit, vt in quibusdam prouincijs nulla decima soluatur? Respondeo, ex diuersis causis id potuisse fieri. Aut enim olim Pontifices Romani sponte sua, & voluntate remiserunt decimas: quia laici certa quædam bona assignarunt ad Ecclesiarum & Clericorum vsus & alimenta; quod ego quidem factum existimo in Italia: Aut Romanus Pontifex decimas Regibus, Principibus, & alijs primarijs viris optimè de Ecclesia meritis attribuit, ea lege, vt dotarent Ecclesias, & necessaria vitæ subsidia Clericis præberent: ac ita concessæ sunt Hispaniarum Regi decimæ, quæ in certis suæ ditionis prouincijs colliguntur. Tales etiam decimę sunt quibusdam Religiosorum Ordinibus attributæ. Ex quibus tamen decimis detractæ sunt certæ portiones, & Ecclesiastica quædam Beneficia constituta, vnde sustententur Clerici, qui ex ipsis Ordinibus ad Ecclesiarum præfecturam & gubernationem deliguntur, aut certè Ecclesiarum Antistites expresso vel tacito Romanorum Pontificum, vel totius Ecclesiæ consensu, suo iure omnino cesserunt, laicos à decimis soluendis liberantes, & ita factum esse reor in Orientis Ecclesijs, in quibus decima non soluitur: fortassis enim eius regionis Episcopi Paulum sunt imitati, qui noluit Corinthios adigere ad decimam soluendam, vel quippiam aliud vitæ vsibus necessarium suppeditandum, ne quem quā eorum grauaret; sed suarum, vt ipse testatur, manuum labore, victum sibi quæritabat. Nisi fortè dixeris, decimas Ecclesiarum Orientis Saracenos & Turcas, aliosque Tyrannos per vim rapuisse, ac sibi vsurpasse. Illud potiùs verisimilius videtur, eiusmodi Ecclesias à multis annis petere decimas non consueuisse.

1. Cor. 9.

2. Thessal. vltim. & Act. 20.

Ex his etiam facilè colligi potest, non esse continuò damnandum, si quis laicus vsu & consuetudine se exemptum à soluendis decimis cōtendat, cum probat diuturno vsu eas se nunquam soluisse. Deinde multo minus esse dubitandum de quibusdam alijs consuetudinibus. Valet itaque consuetudo, qua Clerici rectores Ecclesiarū ex prædijs etiam patrimonialibus decimam sibi retinent; ea item consuetudo, qua laici sibi decimam personalem non soluunt: necnon ea, vt decima vni Parochiæ iure debita alteri Parochiæ soluatur, *cap. Ad Apostolicæ, & cap. Cum contingat, & cap. Ononiam, de Decimis*: illa itidem cōsuetudo, vt decimæ ne deferantur in Clericorum horrea; sed vt soluantur in area, agro, vel domo; dummodo Collector decimæ admoneatur. Rata demum, & firma est etiam Consuetudo alicubi, id est, vt dicitur, apud Venetos recepta, vti personalis decima non soluatur, nisi ad finem & exitum vitæ: nam sicut Ecclesia damnum pati, sic etiam lucrū facere potest: eo quod ad finem vitæ quisque sicut pauperior; sic etiam locupletior esse poterit. Valet etiam Consuetudo pari ratione, vt personalis decima non nisi ad exitum anni soluatur. Ea quoque vim habet, vt Colonus certas mensuras quotannis soluat Ecclesiæ, siue nihil ex agro, siue multū collegerit: quia Ecclesia & damnum & lucrum habere potest.

Tertiò quæritur, An vim vllam habeant statuta Ciuitatum, Constitutiones & leges Regum & Principum, quibus prohibent decimas à laicis exigi, quæ per consuetudinem solui non solent. Tria hic quæruntur: primum est, An æquum sit & rationi consentaneum, vt nō exigantur decimæ, quæ per longā consuetudinem solui non solent. Secundū est, An valeant statuta, leges, edicta laicorum,

corum, quibus vetant, ne hæ decimæ exigantur à laicis. Tertium est, An apud ciuilia laicorum prætoria iure tractari queat causa de decimis nõ exigendis à laicis, quas de more non soluebant. De primo, videtur æquum esse, vt huiusmodi decimę minimè exigantur: quia Canones, leges, & iura voluerunt, vt consuetudines moribus vtentium receptæ seruentur: atqui ea consuetudo corruptela non est, cum non repugnet iuri naturali, aut diuino: ergo seruari iure potest. De secundo, Couarruu. *in Practi. quæstionibus capit. 35. numer. 2. versicul. 4. libr. 1. varia. resol. capit. 17. numer. 8. versicul. 9.* Gallos secutus, censet, quæ dixi statuta, leges, & edicta laicorum valere, & cum Iure ipso congruere; quia solùm præcipiunt, vt consuetudo recepta seruetur. Alij verò, quibus ego magis assentior, vt superius dixi, docent, hæc nullam vim habere, nisi fiant priuilegio Romani Pontificis, vel consensu expresso, aut eius auctoritate confirmentur. Quoniam de decimarũ iure, cum sit spirituale, nihil laici statuere possunt. At dices, solùm præcipere laicos, vt consuetudo recepta seruetur, & omnia iura constituunt, vt approbatæ consuetudines vim legis habeant. Respondeo, argumento tantùm concludi, æquum esse, ne talis consuetudo violetur: sed præcipere, ne contra eã Clerici faciant, laicorum nõ est; sed Ecclesiasticorum iudicum, videlicet, Episcoporum, & Romani Pontificis.

De tertiò idem Couarruuias loco citato dicit, eiusmodi causam iure discuti apud tribunalia ciuilia laicorũ; quia solum causa tractatur, vt consuetudinem receptam Clerici seruent. Sed reuera, vt superius ostendi, iure tractari nequit apud laicos iudices nisi priuilegio, vel cõsensu Romani Pontificis: quia causa est spiritualis, videlicet, de iure Decimarum.

Quartò quæritur, An Decima præscriptione ex toto, vel ex parte tolli queat? Hæc controuersia ex superiori quæstione non difficili sanè negotio dissoluitur: quare sicut ea quæstio iuris Pontificij consultis negocij plurimum facessit; sic etiam hæc. Præscriptio enim & cõsuetudo inter se maximè conueniunt: hoc solo discrepant, quod per Consuetudinem, ius communitati, non priuatis acquiritur; Præscriptione verò ius & dominium priuatis acquiritur. Cum igitur Canonici iuris interpretes communiter asserant, consuetudine decimas, præsertim prædiales tolli non posse, defendunt quoque præscriptione auferri nequire.

Cæterùm aliter dicendum est, & in primis scire oportet, non idem esse, laicos præscriptione liberari à decimis soluendis, quod, Præscriptione sibi decimas acquirere: nam certum est, non posse sibi laicos vlla præscriptione decimas vendicare, hoc est, ius nullũ acquirere, vt sibi decimę soluãtur: hoc enim ius est spirituale, & Ecclesiasticum, ac proinde in laicos cadere nulla ratione potest, nisi nomine, auctoritate & consensu Romani Pontificis: quod verò laici liberi sint, & immunes à decimis Ecclesię soluendis, sicut consuetudine fieri potest, sic etiam præscriptione, eo quòd potestate, & auctoritate pares sint consuetudo, & Præscriptio. Atque hæc est Theologorum opinio, quam etiam est Couarruuias amplexus. Et quicquid hac de re Iuris Canonici periti dubitauerint, vniuersi tamen sentiunt, vnam Ecclesiam contra aliam, & vnum Clericum contra alium, posse sibi præscriptione, ius decimarum acquirere: quia, inquiunt, tametsi decima iure diuino Clericis, & Ecclesijs debeatur, iure tamen humano potiùs vni, quàm alteri debetur, ac soluitur; quia Parochias non ius diuinum, sed humanum distinxit atque diuisit. Dummodo item decima Clericis, & Ecclesijs soluatur, minimum interest, eas vnusne Parochus, an alius acquirat.

Quintò quæritur, An transactione, vel compositione, vti iura loquuntur, tolli decima possit? Scjendum, inter Compositionem, & Transactionem hoc interesse, quod Compositio, est gratis, & liberaliter facta conuentio, & fieri solet inter amicos: Transactio verò, est de re dubia, & lite incerta, aliquo dato, vel retento, pactio. *leg. 1. ff. De transactio. & l. Transactio. C. de transactione, & ca. super eo de Transactionibus.* Vnum tamen sæpius pro altero ponitur. *c. Veniens de Transactionibus.*

Quæstio in præsenti est, An cõpositione, Transactioneue decima tolli queat? In eo omnes conueniunt, compositionem valere inter Clericos liberaliter factam, vt vni, non alteri decima soluatur. *capit. statuimus, de Transactio. & capit. Dilecti de Decimis.* Et hæc Compositio si Episcopi auctoritate fiat, ad successores quoque transmittitur: si verò priuata solummodo auctoritate, tunc contrahentes soli, non successores eorum obligantur.

Deinde, compositio, Episcopi auctoritate fieri nequit, qua laicus, decimam Ecclesijs, vel Clericis non soluat: benè tamen auctoritate Romani Pontificis iusta, & legitima de causa. Hoc quidam iuris Canonici doctores diffitentur: sed immeritò, cum decima iuris diuini non sit, vt ipsi putarunt, & nos supra eorum opinionem confutantes, ostensum reliquimus. Valet itidem Compositio, vt laicus non soluat integram decimam; sed minorem vtpotè vigesimam, trigesimam &c. At non sufficit in hoc sola Episcopi auctoritas, nisi Romani Pontificis consensus accedat. Nam cum decima ex toto, vel ex parte remittitur, ius commune relaxatur, quod præcipit integram decimam solui, vt superius ostendi. Valet item Compositio, vt laicus non soluat decimam ex certis quibusdam fructibus, aut bonis; modo hac auctoritate Romani Pontificis: siquidem hac etiam in parte ius commune remittitur. Rata nihilominus, & firma est Compositio, quæ hac auctoritate Episcopi, vt decima soluatur quidem Clericis, vel Ecclesiæ integra; sed certo loco, & tempore: nimirum in area, vel agro, vel domo item vt post certos dies à collectis fructibus: tum etiam, ne soluatur decima, antequam petatur à Clericis. Insuper, vt non soluatur decima nisi ad finem vitæ.

Sextò quæritur, An Priuilegio Pontificis decima tolli possit? Animaduertendum, hic tria in dubium vocari: primum, An auctoritate Romani Pontificis decima in totum tolli queat? Deinde, An priuilegio Pontificis fieri possit, vt decima Monasterio, vel pio alicui Collegio, aut seminario Clericorum soluatur: Postremò, An priuilegio

uilegio Pontificio possit aliquis fieri immunis, & liber à decima soluenda. Notandum itidem est, Religiosorum Ordinibus inter cætera priuilegia, hoc etiam concessisse Pontifices, vt sint à decima persoluenda exempti. Vnde in Priuilegijs quibusdam sic habetur: De Domibus, Monasterijs, & Collegijs, & eorum prædijs, hortis & alijs locis quæ habere possumus: aut de ijs, quæ pro eisdem emendis, nobis pro tempore legari aut donari contigerit, & denique de alijs bonis, per ordinem siue Religionem nostram possessis, & obtentis, non tenemur soluere aliquam decimam, etiam Papalem, seu Canonicam portionem exhibere; nec ad præstationem procurationum, aut exactionum, collectarum, vel prouisionum quarumcumque: nec ad id etiam per litteras Apostolicas compelli, nisi eiusmodi litteræ de hoc indulto de verbo ad verbum, ac de ordine nostro fecerint mentionem. Item aliqui Romani Pontifices solent Religiosorum, siue Monachorum Ordinibus Priuilegium concedere, quo ipsos eximunt, & eorum prædia à quibusuis decimis etiam Papalibus, prædialibus, personalibus, quartis, medietatibus, & alijs fructuum partibus subsidijs, etiam charitatiuis, & alijs Ordinarijs oneribus, etiam pro expeditione contra Infideles, defensione patriæ, & aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatoris, & inferiorum Principum instantiam impositis. Et quamuis in ipsa impositione caueatur, vt nulla prorsus exemptio cuiquam aduersus illa suffragetur. Et solent derogare Constitutioni quæ incipit: Nuper, de Decimis, vbi constitutum est, vt Ciftercienses Monachi ex fructibus prædiorum, quæ aequisierant post Concilium Generale Lateranense sub Innocentio tertio, decimam soluere debeant, etiamsi huiusmodi proprijs manibus, vel sumptibus excolant, si ex illis prædijs antea decimæ solui solebant. quod Decretum comprehendit, vt ibi dicitur, alios Regulares, qui similibus priuilegijs potiuntur. Item, concedunt aliquando Romani Pontifices Religiosorum Monasterijs absolutè, ne decimas soluant ex prædijs, quæ habent: Aliquando in Priuilegio dicunt, ne soluant decimas ex prædijs suis.

His positis, dicimus in primis, certi iuris esse, priuilegio Pontificis Romani, posse aliquos eximi à decima soluenda; quod asserit Glossa, Hostiensis, Ioann. Andreas & Panormitanus *in cap. Licet capit. Ad audientiam. cap. Ex parte tua nos, de Decimis.* An verò Pontificia auctoritate decima tolli ex toto queat, in dubio est. Nonnulli canonici iuris interpretes cum, vt diximus, decimam, saltem prædialem, diuini iuris esse defendant, pariter negãt id fieri posse. At verò communis est opinio, tum iuris Pontificij Doctorum, tum Theologorum, hoc posse iure fieri; nam quemadmodum decima consuetudine, vel prescriptione tolli potest, non quidem vt laicis soluatur, quę clericis, vel Ecclesijs debetur, sed vt simpliciter decima non soluatur; Sic etiam auctoritate Pontificia fieri potest, vt decima in totum non soluatur: quoniam, dum modo Clericis & Ecclesijs aliunde subministrẽtur, quæ sunt simpliciter ad vitæ vsum, vel victũ necessaria; quod iuris naturalis, & diuini est, & dummodo aliquid Deo offeratur, vt agnoscatur supremus rerum omnium Dominus, quod ius diuinum, & naturale præscribit, reliquum, cum sit tantùm iuris Canonici, auctoritate Põtificia tolli potest. Dubitatur itaque, an si prædictum Priuilegium nuper à me productum, alicui Monachorum ordini concedatur, Eo ipso, Ordo sit immunis ac liber simpliciter atque absolutè à decima prædiali, quæ Parochis debetur. Oldradus *in consil. 268. Quæstio est, vtrum*: censet, quandocumque huiusmodi priuilegium Monasterio, vel cuilibet Religioso ordini conceditur, locum habere tantummodo in decima agri noualis; non autem esse trahendum ad decimam prædialem, quæ antea Parocho soluebatur. Hanc sententiam ita confirmat: priuilegium enim Principis quamuis sit plenissimè declarandum, quando solùm est præter commune ius, non tamen cum communi iuri derogat: nam interpretari Priuilegium debemus, vt quàm minimum fieri possit, iuri alterius noceat. *l. Prætor ait, §. Merito, ff. Ne quid in loco publico. Et cap. Ex tuarum, de Auctoritate & vsu pallij, & ca. Cum Capella de Priuileg.* ergo priuilegium Pontificium solùm intelligitur de decima agri noualis, qui nũc primùm proscinditur ad culturam redactus, ex quo antea decima non soluebatur. Cæterùm longè probabilior est opinio cõtraria, quam habet Abbas *in cap. Dudum de Priuileg.* nam prædictum priuilegium eximit à decima non solùm personas; sed etiam bona quælibet: ergo non solùm agros, qui coli non solebant; sed etiam eos, qui erant sub hominum cultura. Nec pro Oldrado quicquam facit id, quod habetur in cap. Dudum, de Priuileg. Nam in eo capite solùm agebatur de Priuilegio, quo quidam erant exempti à decima noualí, & decernit Pontifex eiusmodi Priuilegium non protendi ad decimam tempore priuilegij impetrati possessam ab alijs, nisi de possessione alterius, facta sit in Priuilegio mentio. Nam vt ibi ait Panormitanus: Priuilegium, in quo non fit mentio de possessione alterius, non nocet possessori. quod intellige, inquit, quando impetratur circa decimas Noualium. Secus, vbi Priuilegium est impetratũ simpliciter ne decimas quis soluat: quia tunc valet, etiamsi mentio non fiat de possessione alterius. Et ratio diuersitatis est, quia decimæ ab aliquo possidentur. Vnde cum Pontifex concedit priuilegium ne decimæ soluantur, eo ipso vult derogare possessoribus, quia tacitè mentionem facit de possessione. Aliud verò est in decimis Noualium, quia Priuilegium potest intelligi de agris, qui nondum sunt ad culturam redacti, proinde nullus possidet decimas illorum. Hæc ferè ex Abbate *in eo capite.* Deinde in dubium venit: An præfatum Priuilegium, Religiosis siue Monachis concessum, vel aliud simile, eximat eos solum à decimis personalibus, an etiam prædialibus: Atque hæc dubitatio inde oritur, quod decima prædialis Parochijs, & Ecclesijs debetur, quorum iuri non censetur Pontifex derogare. Sed certum mihi videtur esse, tali Priuilegio Pontificis eximi Religiosos, à Decima prædiali: nam generatim Priuilegium habet: (*A quibuslibet decimis*) quæ verba vniuersim dicta nihil excipiunt. Deinde etiam in Priuilegio dicitur: *A decimis prædialibus.* Obijcies, primùm in Priuilegio

dici, *A quibusuis decimis, etiam Papalibus, prædialibus, personalibus*: Ergo verba illa, *prædialibus, & personalibus*, referuntur ad proximè præcedens verbum, *Papalibus*, ita vt sensus sit, eximi Religiosos, à decimis prædialibus siue personalibus, quæ Romani Pontifici debentur, non autem ab ijs, quæ debentur Parochijs. At enim dubitari non potest, Priuilegium esse simpliciter intelligendum. Verba enim sic habent: *A quibusuis decimis, etiam Papalibus*, quæ nimirum solent esse extraordinariæ: ac ne quis dubitaret de his, additum est, *etiam Papalibus*, ac deinde subiungitur (*prædialibus personalibus, & alijs ordinarijs oneribus*) quibus verbis priuilegium extenditur ad omnem decimam, prædialem, inquam, personalem & ordinariam.

Tertiò vocatur etiam in dubium, An prædictum Priuilegium solùm eximat eos, quibus datur, à decimis soluendis ex ijs prædijs, quæ eo tempore, quo Priuilegium impetrarunt, possidebant, An etiam à decimis ex prædijs, quæ postea in ipsorum dominium deuenerunt. Oldradus enim *loco citato*, putat ea Pontificia priuilegia tantum modo locum habere in primis decimis, non in secundis, duplici argumento permotus: primum sumit *ex capit. Dudum, de Priuileg.* cui argumento paulò ante respondi. Secundum sumit argumentum ex capit. *Si quis laicus, & capit Ecclesiæ, & capit. Quicumque 16. quæstione prima, & cap. Cum non sit in homine, de Decimis, & capit. Ex literis, de Pignoribus*, vbi dicitur, Rem, in quemcunque possessorem deuenerit, cum suo onere, transire: ergo si prædium in Religiosos trâslatum decimam soluebat, manet sicut antea obligatum. Attamen longè probabilius est, quod dixi, Priuilegium vniuersim extendi ad quælibet prædia siue ante, siue postea acquisita: ratio huius est, quia tale priuilegium non solùm est personale, quo personæ à decimis eximuntur, sed etiam reale, quo generatim quælibet prædia, & bona excipiuntur, & liberantur à decima: & vbi Priuilegij verba nihil distinguunt, nec nos distinguere debemus. Id verò quod obijciebatur, Rem transire cum suo onere in possessorem, locum habet in priuilegijs personalibus, quibus personæ fiunt immunes ab onere: ac proinde si res oneri subiecta ad eas personas deuenerit, obligatur sicut antea. Exemplum sit, Titio est personale priuilegium concessum, vt ipse immunis sit à tributo soluendo, donatione tamen rem tributo subiectam acquisiuit, debet eiusmodi tributum soluere non ratione personæ, sed rei tantùm, quæ est in ipsum Titium donatione translata.

Septimò quæritur, An Coloni, qui prædia huiusmodi Religiosorum conducunt vt ea excolant, parte vna fructuum sibi retenta, & altera ipsis Religiosis soluta, sint liberi & exempti à decima soluenda? In cap. Licet, de Decimis, videtur esse planè constitutum, Priuilegium Monachis, aut Regularibus concessum vt à decima soluenda liberentur, non trahi ad eos qui ipsorum prædia excolenda conduxerint. Nihilominus tamen dicendum est, Quandocumque Priuilegium conceditur alicui Religiosorum ordini, vt sit immunis & liber à decima soluenda, si sit personale tantùm, non se extendere ad conductores prædiorum: si verò sit priuilegium reale, protendi ad conductores agrorum. Sic Glossa *in Clem. 1. de Decimis, in verbo, excolendas*. Sic ibi Ancharan. Imola, Cardinalis *ibidem, quæstion. 23*. Abbas, *in capit. Ex parte, de Decimis, 1. numero quinto*. Quod probant, quia agri ac prædia à decima eximuntur, ergo etiam eorum conductor soluere decimam non debet: ex quo fit, vt cum prædictum Priuilegium non solùm sit personale, sed etiam reale, trahatur quoque ad eos, quibus prædia sua ipse Religiosorum ordo locat, quomodocunque ea locet, nimirum, siue eo pacto, vt conductor sibi dimidiam partem fructuum acquirat, & alteram dimidiam relinquat ipsi Monachorum ordini, qui tunc dicitur partiarius colonus, siue locet eo pacto, vt quotannis ipsi ordini certa, & taxata pars fructuum in omnem euentum reddatur, & reliquum sibi conductor acquirat, qui tunc dicitur colonus vel conductor censualis. Ad id verò quod obijciebatur *ex capitulo. Licet, de Decimis*, respondeo, ibi sermonem esse de Priuilegio, quod fuerat concessum Cistercienſibus, Templarijs, & Hospitalarijs ne decimam soluerent ex prædijs quos proprijs manibus, vel sumptibus colerent; ac proinde Priuilegium dictum minimè trahendum fuit ad conductores, qui sibi fructus vel ex toto, vel ex parte acquirunt: at verò Priuilegium illud generalius est; nam in vniuersum concedit, vt prædia certi ordinis regularis, sint libera & exempta à decima.

Octauò quæritur, An etiam prædia, si quæ ipse Monachorum, siue Religiosorum Ordo in emphyteusim habeat libera quoque sint à decima, ea item, quæ ab alijs conducta habet. In cap. quidem, Dilecti, de Decimis, præcipit Pontifex vt Regulares decimam soluant ex prædijs, quæ sibi laici locauerant, & ex quibus antea decima soluebatur. Dicendum tamen est, etiam ad huiusmodi prædia antedictum Priuilegium protendi, vt quidam volunt, quoniam in Priuilegio excipiuntur generatim quæcumq; prædia & bona ipse Religiosorum ordo habet: sed quæ in emphyteusim accepit, verè, & propriè in bonis Ordinis numerantur, igitur ea quoque sunt à decima exempta. Et cum Emphyteusis sit quædam ad longum tempus locatio atque conductio, fit, vt prædia quoque ipsi Ordini Religiosorum ad breue tempus locata, sint libera à solutione decimæ: nam locatio ad longum vel breue tempus rei substantiam non mutat. Obijcies; Agri conductitij qui vocantur, non sunt proprij, ergo Priuilegium de decima non soluenda ex agris proprijs, trahi non debet ad conductitios. Respondeo: Si Priuilegium concessum alicui, tantum habeat, ne decimam soluat ex proprijs agris, vel ex suis agris, nequit extendi ad conductitios, *capit. Dilecti de Decimis*. At quando hoc Priuilegium simpliciter, & absolutè conceditur, ne quis decimam soluat ex prædijs quæ habet, comprehendit etiam proprios, & conductitios fundos & agros, quoniam vtraque habentur. Ad id vero, quod *ex capit. Dilecti. de Decimis*, obijcitur: Respondeo, Priuilegium Pontificis non fuisse simpliciter concessum, sed eatenus dum taxat, ne Regulares illi decimas soluerent ex fundis, quos proprijs laboribus, vel sumptibus colerent. Et ideo respondit Pontifex

eiusmodi

eiusmodi Priuilegium ad agros conductitios minimè protendi.

Nonò quæritur, Quænam pœnæ in eos, qui decimas non soluunt, communi iure sint constitutæ? Respondeo *in cap. statuimus 16 quæst. 1. & in Concilio Marisconensi* 2. esse constitutum: Vt omnes cuiuscunque gradus & conditionis sint, decimas integras soluant ijs, quibus iure debentur; alioqui excommunicationi subijciantur. Vnde Synodus Triden. *sess. 25. cap. 12. de Reformat.* eandem pœnam confirmat his verbis: *Qui decimas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur. Nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione soluta, absoluantur.* Hæc ibi. QVAERES, an remissio decimæ, facta ab eo, cui debetur, sufficiat, vt quis tum à peccato, tum à pœna Iuris liberetur? Respondet Nauar. *in Manuali cap. 21. nu. 32.* Glossa *in cap. Peccatum de Regulis iuris in sexto in verbo Restituio*, eam sufficere. *Clem. 1. de Decimis*, excommunicatione feriuntur Religiosi quicũq; sint, qui decimas Ecclesijs debitas, & ad ipsos iure aliquo vel causa legitima non pertinentes, sibi vendicare tanquam proprias audent, aut qui dolis & malis artibus vsurpant: & ij, qui non permittunt, vel prohibent Ecclesijs decimas solui ex animalibus suorum familiarium, vel pastorum; vel ex alijs animalibus, quæ suis permiscentur; vel ex animalibus, quæ in Ecclesiarũ fraudem emunt, & committunt venditoribus vel alijs, vt ea teneant, & custodiant; aut ex terris, quas colendas alijs committunt. Si admoniti ab ijs, quorum hoc interest, intra mensem, ab his non desistant; aut si id, quod sibi ausu temerario vsurparunt, non restituerint intra duos menses Ecclesijs, quibus iure debentur; quæ excommunicatio nulli communi iure reseruatur. Item *in Clem. Cupientes, de Pœnis*, excommunicatione afficiũtur omnes Religiosi, qui suis concionibus, vel aliàs aliquid proferunt, vt auditores auertat à soluendis decimis eis Ecclesijs, quibus iure debentur. Item omnes Religiosi, qui in sacris peccatorum confessionibus, quas audiunt, nullum animæ scrupulum injciunt ijs, quorum cõfessiones excipiunt, de soluendis decimis, tam diu ipso facto suspenduntur, donec eos, quorum confessiones audiuêre, admonuerint, si commodè possunt, vt decimas debitas, soluant: Alioqui id non facientes, ipso facto in excommunicationem incurrunt, si concionari audeant prædicta negligentia nõ expiata eo modo, quem diximus. Hæc ibi.

Cap. XXVII.

De Primitijs, & Oblationibus.

PRIMO quæritur, Quid nomine Primitiarum Ius Canonicum accipiat? Respondent quidam. Primitias dici, non solùm primos fructus ex terra susceptos, sed etiam præcipuos, & optimos. Mihi tamẽ verius videtur quod alij tradunt. Primitias, esse primos fructus ex agro perceptos, qui Deo, & Ecclesiæ offeruntur. Prisci Romani, teste Plinio *lib. 18. cap. 2.* non gustabant nouas fruges, aut vina, antequam Sacerdotes primitias libassent.

Secundò quæritur, An Primitiæ iure communi debeantur? Quidam, teste Panormitano *in cap. Decimam de Decimis*, senserunt, eas minimè iure deberi. At verior est opposita sententia, Innocentij nempe, Hostiensis, Ioannis Andreæ, & Abbatis *in eo cap. Decimam & in Rubr. de Decimis*. Nam *in cap. Decimas 16. quæstione septima*. Gregorius septimus, *oportet*, inquit, *congruentius nos decimas, & primitias, quas iure sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere, quos fideles, Domino præcipiente, offerunt, iuxta vaticinium Malachiæ: (Inferte omnem decimationem in horreum meum.)* Et *cap. Reuertimini 16. quæstione prima*, manifestè Hieronymus testatur, decimas & primitias deberi tanquam pauperum eleemosynas. Item *cap. Decimam, de Decimis*, vt ex eodem Hieronymo habetur, specialiter definitur propter Sacerdotum auaritiã, ne amplius à populo exigant in primitijs offerendis. Vbi Glossa communi consensione recepta tradit, primitias iure exigi, sicut etiam decimæ exiguntur.

Tertiò quæritur, An Primitiæ lege diuina scripta olim deberentur? Respondeo, eas fuisse debitas: siquidem Malachiæ tertio cap. Conqueritur Deus de Iudeis, eo quod decimas, & primitias nõ soluerent: & Tobiæ primo commendatur senior Tobias, quod omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerret. Demum Deuteronomij 26. & Exod. 13. Lex Domini continetur, qua primitiæ solui debebant. Sed oppones illud Exod. 75. *Loquere filijs Israel, vt tollant mihi primitias: ab omni homine qui offert voluntarius, accipietis eas.* Respondeo, ibi Primitiarum nomine intelligi ea, quæ populus offerebat ad tabernaculi fabricam, & ornatum. At verò vsu, & consuetudine, Primitiæ sunt magna ex parte sublatæ, & lex de illis soluendis ferè vbique antiquata; & vbi huiusmodi lex extat, minimè primitiæ soluuntur, nisi à clericis petantur.

Quartò quæritur, An certa & definita quantitas Primitiarum iure communi debeatur? Innocentius, & Panormitanus *locis citatis*, negant eam deberi, sed arbitrio offerentium aiunt esse relictam. Hostiensis verò *antedicto loco* docet, iure quidem solui nõ posse minorem partem quàm sexagesimam; maximam verò quæ soluitur, esse quadragesimam. Inter quadragesimam verò, & sexagesimam arbitrio offerentis, partem Primitiarum solui. Vtitur ad id probandum Hostiensis testimonio Hieronymi *in capit. Decimam de Decimis*, vbi sic ait: *Qui plurimum soluebant, quadragesimam partem sacerdotibus dabant: qui minimum, sexagesimam. Et sic inter quadragesimam, & sexagesimam licebat offerre quodcunque voluissent.* Sed probabilius est, quod tradidit Innocentius *in eo loco quem supra retulimus* certam partem Primitiarum non esse iure sanctam; quare arbitrio offerentium relicta est: & vbique ea pars soluenda est, quæ vsu & consuetudine præstatur. Id verò quod ab Hostiensi allatum est *ex cap. Decimam*, non est definitio legis, & Iuris, sed sola magistrorum traditio, vt ipse Hieronymus confitetur.

Quintò quæritur, An iure naturali Primitiæ debeantur? Respondeo cum S. Thoma *secunda secundæ quæst. 86. ar. 4.* partim naturali, partim Canonico iure deberi: Quemadmodum enim decima iure naturali debetur ac soluitur, quandocunq; necessaria est ad cõmodum Parochi victum: vel ad profitendum supremum Dei in res omnes dominatum, & imperium: secus verò non naturali, sed Põtificio iure debetur, sic etiã primitiæ quare-

nus sunt ad vsum sacrum, & honorem, ad cultum diuinum, naturali iure soluuntur, secus verò iure tantũ Pontificio. Item, sicut decima, quod pertinet ad certã & definitam quantitatem, iuris est Pontificij, non naturalis; sic etiam certa, & taxata pars Primitiarum Pontificio tantùm iure debetur: quamuis iuris sit naturalis, vt aliquid in Dei honorem referamus. Hinc est, quod sacræ literæ testantur de Abele, & Caino longè multo ante legem datam, eos Deo, hunc quidem de terræ frugibus: illum verò de animalibus, primitias obtulisse. *Genes. 4.* *Obtulit*, inquit, *Abel, de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*, quorum verborum sensus est: Obtulit Abel ex ouibus suis primas atq; pinguissimas. Primogenita solent nobis esse cariora, & gratiora, & proinde in maiori pretio apud nos; & ideo gratum maximè est Deo, si nostra primogenita offeramus. Vel significant ea verba, obtulit Abel primas oues & omnem adipem earum: Præstitit sanè hic vir iustus ac pius Dei cultor, quod lex iussit multis post seculis data diuinitus Mosi. Nam Leuit. 3. dicitur: *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.* quasi dicat; Omnis adeps sacer est Domino ritu, & more perpetuo, idque seruabitis quoad vixeritis, & vbicunque habitaueritis. Interiora quæ Deus videt, sibi ipse reseruauit, & sibi offerri voluit. Voluit item, vt ab adipis & sanguinis esu abstineremus: ac si dixerit, A vitijs & peccatis carnalibus, quæ nomine adipis intelliguntur; & ab omni specie fœuitiæ, & crudelitatis alieni estote. Sed dices; Abel, & Cainus sub lege naturæ viuebant: at certa, & definita pars primitiarum non est iure naturæ præscripta: quomodo igitur illi primos terræ fructus, & gregis fœtus, & adipem obtulerunt, quæ postea lex Moysi diuinitus data, offerri imperauit? Respondeo; Ante legem Mosis conditam sub lege naturæ viuebatur, necdum erant scriptæ legis posita præcepta: at verò instinctu Dei viri quidam iusti & sancti spôte sua, ac voluntate, non necessitate legis, quædam præstiterunt, quę postea lex diuinitus cõstituta, mandauit. Sic ante legem, iustus Noë inter munda, & immunda animãtia distinxit, & ab his illa secreuit: Abraham spoliorũ decimas Melchisedecho dedit: Iacob promisit Deo se decimas omnium redditurum. Sic Cainus, & Abel vel diuinitus instigati, vel suis à parentibus instituti, & admoniti, vel naturæ instinctu & impulsu moti, primitias obtulerunt. *Gen. 6. & 7. Infra 14. Infra 28.*

Sextò quæritur, Quonam Primitiæ differant à Decimis, & cur offerantur? Respondeo, decimas deberi & solui sacerdotibus, vt ex eis commodè sustententur: At verò primitias Deo potissimum offerimus, vt testemur, eum esse nostrorum bonorum largitorem; ac proinde primitiæ sunt in honorem, & cultũ Dei: quamuis deinde cedant in alimenta sacerdotum.

Præterea, vt sæpe dixi, decimas potissimum soluimus; vt agnoscamus ac profiteamur hisce muneribus, Deum esse supremum rerum omnium dominum, cuius imperio sumus subiecti. Deinde, vt quas Deo possumus gratias debitas referamus; sicut gratum animum nostrum beneficijs declaramus ijs, qui sunt de nobis benemeriti: & Principibus ac Regibus non solùm tributa pendimus, sed etiam munera offerimus, tanquam eorum imperio, dominationi, & potestati subiecti: tributum enim & munus ipsis oblatum, nostræ est seruitutis indicium, & argumentum, & testimonium. Primitias offerimus, vt testemur Deum esse nostrorum bonorum datorem.

Septimò quæritur, quibus iure Primitiæ debeantur? Hostiensis *in cap. Decimas, & in Rubric. de Decimis*, respondit eas Ecclesiæ Rectori esse soluendas. Alijs tamen visum est, eas deberi ijs Clericis, quibus soluere consueuimus. Hostiensis opinio magis videtur cum Iure ipso congruere: sed alteram sententiam vsus, & consuetudo approbauit.

Octauò quæritur, Quidnam iure nomine Oblationum intelligant? Respondeo: Oblationes dici quæcunq; à pijs fidelibusq; Christianis Deo, & Ecclesiæ offeruntur, siue res soli, & stabiles, siue mobiles sint. Nec refert testamentonè legentur, an aliter donentur. *cap. Qui oblationes, cap. Clerici 13. quæst. 2.* Cum igitur aliquid homini datur, dicitur Donatio: sed facta Deo, & Ecclesiæ donatio, in Iure Oblatio nominatur. Quamuis consuetudine sit receptum, vt oblationes specialiter dicãtur, quæ altari, cum res diuina fit, ab ijs qui Missæ sacrificio præsentes adsunt, offeruntur.

Nonò quæritur, Quonam differat oblatio à Decima, Primitijs, & sacrificio? Respondeo: à Decima quidem, in eo quod decimæ soluuntur tanquam Clericorum commoda alimenta, tanquam merces laboris, & tanquam debita ministerij Ecclesiastici stipendia, & tanquam obsequium debitum Deo, vt supremo rerum omnium domino. At oblatio dicitur quicquid ad diuinum cultum, honorem, & vsum Dei, & Ecclesiæ datur: A Primitijs verò, quia Primitiæ vocantur Primi fructus ex agris percepti, & Deo vt largitori bonorum, & Ecclesiæ dati: At Oblatio generatim dicitur quicquid Deo offertur: A sacrificio autem differt, quoniam oblatio latius patet quàm sacrificium: res enim, quæ sacrificari dicitur, offertur quidem, sed primùm consecratur, quia in ea sacri aliquid fit, & Deo offertur: prius enim sacra redditur, & Deo postea datur: quemadmodum fit, cum animalia immolantur, cum res vna alteri commiscetur, vel cum res conteri, frãgi, vel igne torreri, & absumi solet in Dei cultum & honorem; oblatio verò est, cum res quæ Deo offertur salua, integra & immunis permanet. Sic pecuniæ, oleum, vinum, herbæ, fructus, & cetera huiusmodi, quæ de more offeruntur.

Decimò quæritur, An in diebus festis atque Dominicis, cum publicum, & solemne fit Missæ sacrificium, aliquid offerre communi iure cogamur? Hanc quæstionem suprà diluimus, cum de sacro in diebus festis audiendo ageremus, *in capit. 10. quæst. 19.*

Vndecimò quæritur, An oblationes cæteris temporibus iure Canonico debeantur? Quidam arbitrantur minimè deberi, quia Oblationis nomine id significatur, quod quisque sua sponte, & voluntate gratis, & liberaliter offert. Et in Concilio Cabilonensi, sub Carolo Magno *cap. 6.* Sic habetur: *Animarum salutem inquirere sacerdos,*

non lucra

non lucra terrena debet: quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumueniendi: oblatio namq; spontanea esse debet, iuxta id quod ait scriptura: Voluntariè sacrificabo tibi. Et illud, omnis populi mente deuota obtulerunt donaria Domino. Porrò alijs videtur, oblationes communi iure deberi: quod ostendunt ex cap. *Statuimus. 16. quæst. 1.* vbi dicitur; *Si quis oblationes Ecclesiæ, vel decimas, quas populus dare debet, &* ca. *Præter hoc. dist. 32.* Alexander secundus sic ait: *Præcipientes statuimus, vt decimæ primitiæ, & oblationes viuorũ, & mortuorum Ecclesijs Dei fideliter reddantur à laicis.* Alij verò ita distinguunt: Aut Ecclesia oblatione indiget ad diuinum cultum, & ministerium, & tunc solui iure debet: aut non indiget, & tunc ea arbitrio cuiusque relinquitur. Item debetur oblatio si Ecclesiæ, seu Parochiæ rector non habeat vnde sustentetur. Hæc opinio magis cum iure congruit. Porrò quandonam, & quibus de causis oblationes alioqui iure debeantur, superius explicuimus *in dicto cap. 10. quæst. 19.*

Duodecimò quæritur, An vbi oblationes de more soluuntur, voluntariè sint, an potiùs necessariò præstandæ? Respondet Angelus *in verbo oblatio nu. 1.* etiam tunc oblationes esse voluntarias. At probabilius Syluester docet *in verbo, Decima, qu. 2.* eas esse necessariò soluendas: quia Consuetudo vim legis habet: hoc tamen verum non est, quando manifestè constiterit, oblationes studio pietatis & religionis in Deum liberaliter fieri. Ex quo fit, vt si in certa Republica, receptus sit mos quotannis aliquid Ecclesiæ cuipiam offerendi, eius Reipublicæ statuto mutari, abrogari, tolliuè nequeat, vt Panormitanus *in c. Abolendæ, de sepult. ex sen.* Bart. *in l. Priuilegia C. De sacrosanct. Eccles.* tradidit. cuius rei hæc est ratio; quia laici in causis aut rebus pijs nullum ius & auctoritatem habent.

Decimotertiò quæritur, Quibusnam oblationes iure debeantur? Respondeo, Clerico, Ecclesiæ Rectori, siue Parocho. Vnde fit, vt etiam si quippiam offeratur in certo sacello, quod situm est intra Parochiam, Presbytero Parochiæ rectori debeatur, testibus Abbate, & Antonio *in cap. Pastoralis, De his, quæ fiunt à Prælatis.* Idem iuris est, cum offertur quippiam in cultum, & honorem alicuius Imaginis in Parochia, vel sacello depictæ: Cũ quid etiam offertur priuato Clerico vel Sacerdoti inseruienti in altari, vel rem diuinam facienti in Parochia, iure, illius Ecclesiæ Rectori debetur; nisi id fuerit Clerico datum, tanquam sui laboris & ministerij debitum stipendium. QVAERES, an quæ offeruntur à fidelibus Christianis in sacris Religiosorũ ædibus intra certã Parochiã cõstitutis, ipsi⁹ Parochiæ Rectori iure debeãtur? Respõdeo, deberi, nisi Põtificis priuilegio ipsis Religiosis attributæ fuerint eiusmodi oblationes, & nisi cõtra Ecclesiæ Rectoré Religiosi præscripserint.

Decimoquartò quæritur, An oblationes iure naturali debeantur? Respondeo, si Ecclesiæ, vel Ecclesiarum Rectores indigeãt, naturali iure deberi; secus verò minimè. Et iure naturali offerri tantum debet, quantum necessarium est ad Ecclesiæ vel Rectoris indigentiam tubleuandam, & ad declarandum Deum esse summum rerum omnium dominum.

Decimoquintò quæritur, An Laici ius habeãt, vel acquirant in oblationes? Respondeo: cum oblationes, sicuti & Primitiæ, & Decimæ, res sacræ & diuinæ sint, eæ in Laicos cadere iure non possunt, quas si propria auctoritate sibi vsurpauerint, Sacrilegij pœnis sese obstringunt: vt colligitur *ex cap. Decimas 16. quæst. 7.*

Decimosextò quæritur, Quæ pœna in eos, qui debitas oblationes non soluunt, sit iure constituta? Respondeo, *in cap. Qui oblationes 13. q. 11.* hæc haberi: *Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesijs, aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.* Et in cap. sequenti: *Qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesijs tradere demorantur, vt infideles, ab Ecclesia sunt abijciendi.* Et *in cap. Clerici eadem causa, & quæstione* statuitur: *Clerici vel seculares qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas retinere persisterint, aut ipsi quod donauerint Ecclesijs, vel Monasterijs crediderint auferendum, sicut sancta Synodus constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesijs excludãtur.* Quibus locis annotat Glossa, Primum, hunc sacrilegio, non esse ipso iure excommunicationem irrogatam. Deinde, hæc iura locum habere tantummodo in oblationibus alioqui debitis, nõ volũtarijs. Qua ratione, inquit Glossa intelliguntur etiam iura *in cap. Præter hoc dist. inst. 32. & cap. Statuimus. 16. quæst. 1.* In Concilio Tridentino *sessio. 22. de Reformat. cap. 11.* habetur: *Si quis Clericorum, aut Laicorum & c. alicuius Ecclesiæ, seu cuiusuis secularis, vel Regularis beneficij, & c. Iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones, quæ in ministrorum & pauperum necessitates conuerti debent, per se, vel per alios vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut Laicorum, seu quacunque arte, aut quocunque quæsito colore in proprios vsus conuertere, illosque vsurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur: is anathemati tamdiu subiaceat; quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, & reditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione suppositiæ personæ, peruenerint, Ecclesiæ, eiusq; administratori, siue beneficiato, integre restituerit, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit.* Sic ibi. Hoc tamen locum non habet, quando Clericus beneficiarius cædit arbores frugiferas, vt eas sui commodi gratia vendat; aut sibi assumat, & vendicet: bene tamen locum habet in extraneis, si arbores cædant & vendant, aut eas sibi retineant, quamuis hæc, non faciant vlla iniuria illata; sed tantùm animo & voluntate furandi. Sic declarauit Congregatio Cardinalium.

Decimoseptimò quæritur, Quas oblationes voluntarias minimè Ecclesia recipiat? Glossa *in cap. Oblationes. dist. 90.* communi consensu approbata, respondet, eas, quę ipso iure eximuntur. Neque enim Ecclesia quorumlibet hominum peccatorum oblationes excludit: Non recipit oblationes fratrum dissidentium, si notorij sint, *cap. Oblationes, dist. 90.* Nec raptorum hominum, *cap. Super, de Raptorib.* Nec vsurariorum, *cap. Quia in omnibus, de vsur.* Nec Sacrilegorum. *cap. De viro 17. qu. 2.* Nec eorum, qui per vim extrahunt seruos suos ad sacras ædes confugientes. *cap. Miror 16. quæst. 3.* Nec pœnitentium, qui aliquando oblationes facere prohibentur. *cap. Eos, de Consecr. dist. 4.* Nec meretricum, *argumento sumpto ex Authent. de Lenonibus in principio.* Hæc omnia iura intelliguntur de prædictis peccati notorijs, ac manifestis.

DE QVAR-

Cap. XXVIII.

DE QVARTO ECCLESIAE PRAECEPTO, NEMPE:

De sacra peccatorum Confessione quotannis semel facienda.

IN cap. Omnis vtriusque, de Pœnitentijs & remissionib. continetur Decretũ editum in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. Vt quicunque est, siue vir, siue fœmina, Christi fidem & religionem professus, vsus rationis compos effectus, omnia sua peccata saltem semel in anno, confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam studeat totis viribus implere.

Primò quæritur, An in huiusmodi decreto præceptum detur, aut solummodo consilium? Quidam rati sunt, solum consilium dari, non præceptum, & pœnam *eo capite* constitutam, videlicet, *alioqui & viuens, ab ingressu Ecclesiæ coerceatur; & moriens Ecclesiastica careat sepultura*, irrogari ijs, qui in Paschate Eucharistiam nõ suscipiunt, non autem ijs, qui semel quotannis sua peccata non confitentur. Et Durandus *in 4. distinct. 17. qu. 14.* quamuis dubius dicit tantùm esse consilium, non præceptum, vt semel quotannis peccata cõfiteamur. Quos vnicum illud argumẽtum permouit: Quoniam Ecclesia occulta non iudicat, ac proinde de occultis præcepta non dat: sed sacra peccatorum confessio fit occultè Sacerdoti, ergo Ecclesiæ constare non potest, quisnam fuerit sua peccata confessus. Cæterùm vna & constans est omnium sententia, *in eo capite*, præceptum esse constitutum. Ita S. Thomas *in 4. distinct. 17. quæst. 3. artic. 1. in q. 3.* Bonauent. *eodem lib. & distinct. part. 2. distinct. 15. articul. 2. q. 1.* Et quamuis id ita se habere, Decreti verba non planè comprobarent; satis deberet esse communis omnium intelligentia & recepta cõsuetudo, quæ est optima legum interpres: Quin etiam Ecclesiæ constare potest, hunc vel illum non esse confessum, ex eo quod Parochus testificatur, eum id nõ præstitisse, cum confessarij testimonium non extet, ex quo pateat annua eius hominis confessio.

Secundò quæritur, An qui nullius est peccati lethalis, aut venialis cõscius, debeat semel quotannis confiteri? Alexander *4. part. quæst. 18. memb. 4. artic. 1. §. 2.* Sensit, eiusmodi hominem debere se sistere coram Sacerdote, & confiteri generatim se esse peccatorem. Cæterùm meritò eius sententia reijcitur cõmuni Theologorum consensu. S. Thomæ *in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. in q. 3. ad 3.* Scoti *q. 1. art. 3.* Durand. *q. 9.* Maioris *qu. 2.* Siquidem Ecclesiæ præceptum manifestè habet, *omnis fidelis sua omnia peccata confiteatur*, ergo qui nullo peccato tenetur obstrictus, confiteri præcepto nõ cogitur: nam vbi tota præcepti & legis materia & substantia deest, nulla legis vis & auctoritas locum habet.

Tertiò quæritur, An huiusmodi præcepto venialia peccata confiteri debeat, qui eis tantummodo tenetur? Bonauent. *in 4. dist. 17. part. 2. dist. ar. 2. q. 1.* Richard. *ibid. artic. 2. q. 4. ad 1. & dist. 16. art. 5. q. 1.* Supplemẽ. *in verb. Confessio 2. num. 6.* Syluest. *Confessio 1. quæst. 13.* & Innocent. *in cap. Omnis vtriusque sexus, de Pœnitent.* sentire, qui lethali simul & veniali peccato obstrictus sit, præcepto non cogi ad veniale peccatum confitendum, sed ad lethale tantummodo. Si tamen solis venialibus teneatur, debere annuam confessionem facere, nõ quidem ita, vt omnia confiteri debeant; sed aliqua eorum duntaxat. Qui quidem inde permouentur, quòd in eo Decreto Ecclesia decernit, vt omnis fidelis, singulo quoq; anno sua peccata confiteatur. Sed veniale, est verè & propriè peccatum, ergo qui est venialibus obnoxius, confiteri semel in anno debet. At verò communis est recepta sententia, vt constat ex S. Thoma, Scoto, Durando, Maiore, & cæteris *in 4. distinct. 17.* hoc Ecclesiæ præcepto non teneri eos, qui sunt solis venialibus peccatis obstricti: Id enim præceptum Ecclesiasticum videtur iuris diuini tempus certum, ac definitum, taxasse, constituisseque. Iure siquidem diuino confiteri peccata debemus: sed quia præter necessitatis tempus, nullum aliud tempus certum lex diuina decreuerat, Ecclesia definiuit, vt semel quotannis confiteremur. Ergo Ecclesia hanc legem indixit de ea Confessione, quam iure diuino alioqui facere debemus. At is, qui solis venialibus tenetur, ea confiteri, iure diuino non cogitur, ergo nec eorum annuam confessionem facere hac lege compellitur. Deinde in Decreto Ecclesiæ apertè præcipitur, vt omnis fidelis rationis compos semel in anno omnia sua peccata cõfiteatur: at non est credibile, vt Ecclesia iubeat nos confiteri omnia venialia peccata, ergo quia Ecclesia præceptum dedit de lethalibus confitendis, ideo dixit, (omnia) Dices, satis esse illi, qui venialium solùm est conscius, aliqua venialia cõfiteri. Contra hoc manifestè facit argumentum: quia non est maior ratio cur hæc, & non illa confiteri debeamus, si venialia sunt; & tamen Ecclesia præcipit, vt omnia peccata confiteamur.

Quartò quæritur, An Ecclesia, siue Romanus Pontifex præcipere queat, vt qui solis venialibus peccatis tenetur, ea confiteri certis temporibus debeat? Sotus Bonauenturæ & Richardi opinionem refutans *in 4. distinct. 18. q. 1. ar. 3.* videtur asserere id non posse Ecclesiam imperare: *Non enim*, inquit, *potest Ecclesia Sacramenti materiam nouam facere, & mutare veterem à Christo Domino constitutam.* Sed veniale peccatum quamuis sit apta, idonea & legitima confessionis materia, est tamen voluntaria, non necessaria, cum possimus sponte & liberè venialia confiteri: neque enim eiusmodi peccata sunt necessariò confessioni subiecta, quæ potest quisque in sacra confessione reticere: ergo Ecclesia non potest præcipere, vti ea confiteamur: nam eo ipso necessariò confessioni ea subijceret, quod esset materiam nouam confessionis inducere. Idem ante Sotum tradiderunt Paludanus *in 4. distinct. 17. quæst. 2. articul. 4. concluf. 2.* Antonin. *3. part. tit. 9. cap. 13. §. 14.*

At meo iudicio longè verius est oppositum, quod docuerunt Syl. *Confessio 1. q. 13.* Caiet. *in Opuscul. to. 1. tract. 5. q. 1.* Nauar. *de Pœnit. dist. 6. c. Placuit nu. 110.* Nã quisq; potest voto promittere se venialia confessurũ peccata, tametsi nulla sit lethalis peccati labe pollutus: Cur igitur Ecclesia præceptũ dare nõ possit de eo quod vouere quis potest? Deinde venialium confessio delictorum est opus, & officium virtutis: est enim actus religionis, est vtilis

& salu-

& salutaris Sacramentis vsus, ergo potest Ecclesia id officij præcipere. Accedit, quod multa alia opera, de quibus solum est consilium datum, posset Ecclesia imperare, & eo ipso essent nobis præcepta, quæ erant antea solùm consilia data. Adde quod *in Clem. Ne in agro dominico. § sanè, de statu Monachor.* est præceptum Monachis Benedictini instituti, vt singulis quibusque mensibus ad sacram peccatorum confessionem accedant. Et quamuis Sotus putet, ea lege solùm teneri Monachos, qui lethalibus sunt peccatis obstricti; alij tamen probabilius existimant, absolutè & simpliciter omnes teneri, siue lethalium, siue venialium sint conscij. Et licet fateamur, ac daremus, ab Ecclesia legem non posse constitui, quę ad venialium peccatorum confessionem faciendam omnes in vniuersum compelleret; tamen quid impedit quò minus Ecclesia legem ferat de venialibus confitendis, qua Monachi teneantur, qui vitam perfectiorem, quàm cæteri hominum profitentur; cuius vitæ perfectioni studere debent? Postremò, quamuis Ecclesia venialium confessionem iuberet, nõ tamen eo ipso, vt putauit Sotus, Sacramenti materiam mutare videretur. Non enim consequitur, vt veniale peccatum sit materia necessaria confessionis iure diuino: ea enim lege posita, adhuc veniale posset extra confessionem deleri, & alijs remedijs expiari. At inquies, eo præcepto constituto, deberemus veniale peccatum confiteri; id quod esset venialia necessariò confessioni subijcere. Respondeo, negando illud inde consequi: siquidem adhuc posset veniale peccatum extra cõfessionem remitti: sed solum Ecclesia præceptum daret de ea re facienda, de qua erat antea nobis datum cõsilium. Lethale peccatum, fateor, est materia necessaria confessionis iure diuino, & extra cõfessionem re, vel voto susceptam non dimittitur: at venialis noxa iure diuino necessariò confessioni minimè subijcitur; attamen Ecclesiæ præcepto adstringi possumus ad eam confitendam; nec video, vt paulò ante dixi, cur hoc Ecclesia imperare non possit. Ac tametsi contra Sotum teneamus, Ecclesiam præcipere posse, vt fideles venialia confiteantur: minimè tamen arbitramur id continuò expedire: quia si lex, præsertim in vniuersum ferretur, ita vt omnes & singulos teneret, seuera lex & grauis ea videretur, cùm non æquè facilè omnes venialia, vt lethalia peccata discernant, nec desint qui passim se in leues noxas incurrere putent. Minùs tamen difficilis lex esset, quæ certum tantummodo genus personarum teneret: nec cogeret nos omnia peccata venialia; sed aliqua confiteri.

Quintò quæritur, An qui solum internis cordis lethalibus peccatis tenetur, debeat ea semel in anno cõfiteri. Ratio dubitandi est, quia huiusmodi præceptum de annua peccatorum confessione facienda, est Ecclesiasticum; at Ecclesia ius & potestatem non habet in actus simpliciter internos: ergo nequit præcipere, vt peccata cordis interna confiteamur, si ea solùm commiserimus, & non externa. Ad hanc quæstionem respondeo capite proximè sequenti, quæst. 8.

Sexto quæritur, Qua ratione annus computari debeat, cum imperat Ecclesia prædicto Decreto, vt semel in anno confiteamur? Tres sunt opiniones; prima est, annum esse computandum ab eo tempore, in quo quis semel est confessus: Verbi gratia, Titius confessus est hoc anno prima die mensis Maij, annus computatur ab ea die vsq; ad primam diem mensis Maij anni proximi sequentis: Vnde quo die anni quisq; semel confiteri cœperit, toto deinde suæ vitæ tempore debet semel confiteri intra annum à die, qua confiteri cœpit. Ita Sotus *in 4. dist. 18. q. 1. art. 4. conclus. 1.* Secunda opinio censet annum computari prout est in vsu & consuetudine hominum, nimirum à prima die mensis Ianuarij, vsque ad vltimam diem mensis Decembris. Cui quidem opinioni, tanquam probabiliori quidã iuniores assentiuntur: inde comprobantes, quòd Ecclesiæ præceptum habet, vt semel in anno confiteamur; at Canones, leges & iura, nisi quid aliud expressim addiderint, annum accipiunt, vt communiter ab omnibus computatur. Deinde si verum esset, quod dicit Sotus, dicere Ecclesia debuisset: Vnusquisq; confiteatur infra annum à die confessionis. Nam priuilegia, leges, & iura cum aliquid constituunt & præcipiunt, vel vetant, solent expressim adiungere hæc verba: Intra annum à die publicationis: ac proinde cum simpliciter statuunt, vt certum aliquid fiat singulis quibusq; annis, annũ accipiunt prout computari solet ab initio Ianuarij vsq; ad finem Decembris. Finge item Præsidem, vel Prætorem Prouinciæ alicuius, ab Imperatore, vel Principe mandatũ accipere, vt singulis quibusq; annis semel det populo spectacula, ludosue publicos, nisi Imperator, Princepsue aliud expresserit, nempe à die quo fuerit Prouinciam ingressus, accipiendus est annus simpliciter, vt cõmuniter computatur à cæteris. Mihi hæc sententia nõ placet, quoniam inde fieret, vt Titius saluo & integro Ecclesiæ præcepto, posset viginti, immo vigintitres menses, hoc est, duos ferè annos transigere sine sacra peccatorum confessione: quod ego ita ostendo. Fingamus Titium hoc anno 1597. cõfessum fuisse prima die mensis Ianuarij, poterit, si vera est hæc opinio, sequentem confessionem annuam differre vsque ad vltimum diem mensis Decembris anni 1598. & deinceps eodem modo annuam cõfessionem prorogare. Respondent, nullum planè id esse incommodum: quoniam Ecclesia noluit nos sibi aliter obligare; si enim voluisset, citra dubiũ dixisset: Quisque confiteatur intra annum à die confessionis semel factę. Sed certè ego tertiam opinionem magis probo, quę censet, in prædicto Decreto annum sumi, vt computatur ab vno tempore Paschali Resurrectionis dominicæ vsque ad Paschale tempus proximè sequens. Sic enim annus censetur Ecclesiasticus, quod pertinet ad annuam cõfessionem peccatorũ faciendam: quamuis annus profanus vulgo cõputetur à mense Ianuario vsq; ad finem mensis Decembris proximè sequentis, & ita videtur cõsuetudo populo Christiani in prædicto Decreto annum accipere, vt incipit ab vno Paschate, & finitur, & desinit in altero Paschate proximè sequenti. Et meo iudicio id dicere videntur Durand. *in 4. dist. 27. q. 10.* Antonin. *Tertia part. tit. 14. c. 19. § 3.* Syluest. *Confessio. 1. q. 2.*

Septimò quæritur, An vi præcepti Ecclesiastici quisq; certo, ac definito tempore anni debeat confiteri? Duæ sunt opiniones, vna docet, ratione

huius

huius præcepti nequaquam cogi nos ad confitendum certo anni die, ac tempore, atque ita satisfacere nos legi & præcepto, si annuam cõfessionem quolibet anni tẽpore faciamus. Sic Medina *tract. de Confessione, q.14.* Sotus *4. dist. 18. q.1. art.4.* Ledesma *in 4.2. part. q.5. art.5. dub.6.* Adrianus *in 4. de Confess. q.3.* & ante eos Paludanus *in 4. dist.17. q.2. art.5.* Richa. *eodem lib. & dist. art.3. q.6.* Nauarr. *in Manuali cap.2. nu.9.* Addunt isti Auctores, nec esse præceptum de annua confessione facienda in Quadragesima, quod inde comprobant: quia in Decreto Ecclesiæ solùm dicitur: Vt quisque fidelium sua peccata semel quotannis confiteatur, vbi nullum certũ anni tempus ipso iure præscribitur. Altera opinio affirmat, esse præceptum confitendi peccata certo anni tempore, nimirum in Quadragesima, quę proximè Pascha præcedit. His ea opinio nititur argumentis. Primùm, vbique est vsu receptum, vt singuli in Quadragesima confiteantur. Deinde multis in locis Synodales extant constitutiones, quæ præcipiunt, vt omnes in Quadragesima confiteantur. Non rarò itidem Episcopi Parochis imponunt, vt statim post Pascha sibi exhibeant conscriptos catalogos eorum, qui sunt in Quadragesima confessi; quod qui non fecerint, excommunicatione feriantur. Accedit quod habetur in Constitutione Sixti IIII. quæ incipit: *Nos illius*, quæ refertur inter extrauagantes communes *de Treuga, & Pace*, vbi Mendicantibus præcipitur, ne doceant, Parochianos minimè obligari saltem in Paschate, ad confitendum proprio Sacerdoti; cum iure communi debeat Parochianus quotannis in Paschate proprio Sacerdoti confiteri. Adde his Concilium Tridentinum *sess.14. cap.5.* ad finem de Confessione sic loquens, *vnde cum in vniuersa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu obseruatus mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tanquam pium, & merito retinendum: vt præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis peruenissent, impleretur.* In Concilio Agathensi, vti refertur *in c. Quadragesima de Consecrat. dist. inct.1.* præcipitur, vt initio Qradragesimæ pœnitentia iniungatur, & absolutio concedatur tempore Paschatis.

Equidem in hac quæstione certi iuris videtur esse, præceptum confitendi semel quotannis, certum & definitum anni tempus non continere, si quidem ius ipsum solum spectemus. Nam Ecclesiæ decretum habet, vt quisque semel in anno confiteatur. Quæstionis tamen dubiæ & incertæ est: An saltem ratione consuetudinis, vel specialis iuris alicubi cõstituti, certo anni tempore sit annua peccatorum confessio facienda. Et quidam existimant, nec consuetudinis vi, nec vllo iure speciali Synodalium Constitutionum oportere confessionem facere in Quadragesima, siue tempore Paschatis, sed satis esse, si quouis anni tempore quisque confiteatur; quoniam consuetudo confitendi in Quadragesima, aut in Paschate, ob id solum est inducta, vt quisque ideneè se præparet ad dignè Eucharistiam in Paschate suscipiendam; non autem, vt præcepto annuæ confessionis faciendæ in Quadragesima, vel in Paschate satisfaciat: nam quolibet alio tempore, confitendi præceptum impletur: Verũtamen probabile admodum est, quod dicit Medina *qu.14. de Confess.* ratione cõsuetudinis, vel iuris specialis alicubi recepti, oportere confessionem annuam tempore Paschatis facere: nihil enim impedit, vt id, quod ius commune iubet semel quotannis esse faciendum, confiteri videlicet sua peccata Sacerdoti, cõsuetudo, vel speciale ius alicubi receptum, interpretetur, ac declaret, confessionem annuam peccatorum esse tempore Paschatis faciendam. Atque huc, meo quidẽ iudicio tendit, quod in sua Constitutione Sixtus Quartus dixit; cum iure debeat Parochianus, saltem semel in Paschate, proprio Sacerdoti confiteri. Non enim significat, *iuc. Omnis vtriusq; sexus*, annuam confessionem esse indictam in tempore Paschatis, cum solùm ibi dicatur, semel in anno esse confitendum: sed innuit Pontifex, ius commune *in illo cap.* præscriptũ, consuetudine vbique recepta, declaratũ fuisse; nempe, vt annua confessio peccatorum tempore Quadragesimæ & Paschatis fieret.

Octauò quæritur, An si Titius anno superiore, verbi gratia 1596. sua peccata confessus nõ fuerit, vi præcepti illius præteriti debeat confiteri quauis die anni præsentis 1597. vbi primum commode poterit? Duplex est opinio Doctorum; prima quidem B. Antonin. *2. par. tit.9. c.9. §.3.* Syluest. *in verbo Eucharistia. 3. qu.15.* Tabien. *in verbo communicare nu.10.* & quorundam aliorum afferentium, obligationem præcepti anno proximè elapso prætermissi, extinctam fuisse, ac proinde Titium non cogi vi illius præcepti hoc anno peccata confiteri, qui vnico eo argumento mouentur: quia quando obligatio est ad tempus, eo elapso tempore, finitur & cessat. Non enim qui ieiuniũ certo die non seruat, in alio die id seruare debet: nec qui preces horarias vno die non persoluit, eas in alio die recitare compellitur: nec qui in die festo remedio omisit, in alio eam debet audire. Secunda est sententia Medinę *Tract. de Confess. q.14.* Soti *in 4. dist. 18. q.1. ar.4.* Victoriæ *in Sum. de Sacramen. de Confess. nu. 134. aliàs 147.* Nauar. *in Man. cap.21. nu.45.* Elapso anno confessionis annuæ obligationem manere, ita vt Titius, qui anno præcedenti confessus non est, præsenti anno confiteri debeat, cum primũ commode potest; & hæc opinio veritati magis est consentanea: solent enim, qui annuam cõfessionem neglexerunt, excõmunicatione affici, à qua non prius absoluuntur, quàm fuerint cõfessi. Deinde, lex Ecclesiæ de annua confessione facienda, ideo sancita est, ne quis peccatorum cõfessionem vltra annum audeat prorogare, vt dicit Palud. *4. dist. 17. q.2. art.5. vers. Secundus casus est.* Vbi sic ait. *Papa statuit, ad minus semel in anno confiteri. Vnde vltra non licet differre: sicut nec olim statuta tempora baptismi in Paschate & Pentecoste licebat prolongare.* Videtur hoc loco Paludanus secundam sententiã tenuisse. Item, vt quis frequenter sua peccata confiteatur. Sciendum autem est, obligationem ad certum tempus, dupliciter contrahi: aut enim est obligatio ad quippiam faciendum in cultũ & honorem illius temporis, aut absolutè & simpliciter, vt res fiat quamprimũ potest, & ne diutius differatur. Prior obligatio definit elapsu temporis constituti: tales sunt obligationes ieiuniũ seruandi certis temporibus, dies sacros colendi, rem diuinam festis

diebus

diebus audiēdi, Diuinum officium quotidie persoluendi, vel voto susceptum, vel lata lege mandatum. Obligatio verò secundi generis, elapsu temporis minimè finitur: & talis est obligatio annuę confessionis. Hoc enim est quod Iurisconsultus tradit *in l. Celsus. ff. de recept. arbitris. §. sed ipse, & habetur in cap. Cum dilecti, de dolo, & contumacia.* Si Titius ad Calēdas Ianuarias soluere aliquid debet, duo præcepta siue mandata sunt; vnum, vt soluat ad Calendas Ianuarias; alterum, vt soluat absolutè & simpliciter: ac proinde si ad Calendas Ianuarias non soluerit, nō est à soluendo liber. Nec enim, si vna obligatio desinit, secunda quoq; desinit. Pari ratione cum nobis præcipitur, vt ad annum confiteamur, duo præcepta dantur, vnum, vt ad annum; alterū, vt absolutè & simpliciter confiteamur: ac proinde qui in vno anno cōfessi non sunt, proximè sequenti, vbi primum commodè possunt, confiteri ipso iure coguntur; tālia etiam erant olim Ecclesiæ mandata, cum statuit, vt in Paschate, & Pentecoste Catechumeni Baptisma susciperent; hoc est, ne vltra Pascha, vel Pentecostem baptisma differrent: quod si impediti, tunc non susciperent, quum primùm cōmodè possent, ad baptismum accederent: vt dixit Palud. 4. *dist. 17. q. 2. art. 5. in secundo casu.* Sic etiam olim in vetere Hebræorū populo, qui legitimè impediti primo mense Pascha non celebrabant, non differebant celebrandi officium & opus vsque ad primum mensem anni proximè sequentis; sed celebrare Pascha, secundo mense cogebantur.

Nonò quæritur, An præceptum annuæ confessionis sit datum causa Eucharistiæ suscipiendę, an verò potius absolutè & simpliciter per se, ob maiorem videlicet ipsius confessionis sacræ cultum & venerationem. Quidam sensisse videntur, nullum esse præceptum annuæ confessionis per se; sed ratione Eucharistiæ: ad quam legitimè, & idoneè percipiendam, requiritur sacra peccatorum confessio. At cōmuni est sententia receptum esse per se præceptum de annua confessione facienda. Sic docet S. Tho. *in 4. dist. 17. q. 3. ar. 1. ad quæst. 3.* Bonauent. *4. dist. 17. part. 11. dist. art. 1. q. 1.* & cæteri: quæ nimirum vera est sententia, & maximè probanda. Nam *in c. Omnis vtriusque sexus*, vtrumq; præcipitur, & vt quisque semel in anno confiteatur, & vt in Paschate Eucharistiam sumat. Dices primum, non præcipi absolutè ratione sui; sed ratione & causa secundi. Sed profectò repugnat id, quod in Decreto dicitur: *Quisque semel in anno confiteatur*: nam si annua cōfessio ratione Eucharistiæ præciperetur, præceptum non daretur simpliciter de confitendo semel in anno; sed de confessione faciēda, quo tempore Eucharistia nobis est Ecclesiæ lege seruanda. Quo fit vt vtrunque præceptum per se seorsum aliquādo violetur, si quis enim semel in anno est confessus, & deinde lethalis peccati conscius in Paschate ad Eucharistiam accedit, in præcepto & lege seruanda de Eucharistia, peccatum perpetrat, quippè sacrilegium admittit eam indignè suscipiens, & tamen præceptum annuæ confessionis faciendæ sine vllo peccato implet & seruat, cum alioquin eo anno fuerit integrè, & legitimè confessus. Item qui facta, quam debebat, annua confessione, Eucharistiam in Paschate non percipit, Eucharistię præceptum negligit, confessionis nō item. Deinde, qui in Paschate Eucharistiā sumeret, nulla cōfessione peccatorum præmissa, quia videlicet nullius culpæ lethalis reum & conscium se agnosceret, Ecclesię præceptum de Eucharistia accipienda impleret; & tamen si eodem anno, postea in lethale peccatum lapsus, id confiteri negligeret, præceptum annuæ confessionis omitteret.

Cap. XXIX.

Quædam aliæ quæstiones de eodem præcepto annuæ confessionis diluuntur.

PRIMO quæritur, An Monachi sæpius quàm semel in anno, peccata cōfiteri debeant? Non est dubitādum, Monachos S. Benedicti institutum professos, debere ampliꝰ quàm semel in anno ad sacram peccatorum cōfessionem accedere. Nam *in Clem. Ne in agro dominico, §. sanè, de Statu Monacho.* ita statuitur. *Singulis mensibus tam in Monasteriis, quàm extra sublata occasione quacunq; ad confessionē, saltem semel, accedant omnes, ac singuli Monachi.* quod Decretum, vt Cardinalis, Imola, & alij eo in loco communiter interpretātur, Monachos tum atro, tum candido amictus genere vtentes comprehēdit: immò moniales quoque S. Benedicti, quas vocant obseruantes. Nec mirum videatur, Monachos singulis mensibus ad semel confitendū præcepto & lege compelli: quoniam illi perfectioris vitæ genus profitentur; ac idcirco arctiori quoque viuendi norma & regula sunt alligati. Illud ergo in dubium & quæstionem vocatur, An si solùm venialibus illi noxis teneantur, eas confiteri singulis mensibus debeant? Lethalium enim criminum confessionem eis esse faciendam, nemo ambigit: & lethale peccatum confessi, venialia, si se hisce culpis obstrinxerint, confiteri minimè compelluntur. Duas inuenio hac de re opiniones; vnā quàm Sotus probauit *in 4. dist. 18. q. 1. art. 3.* Monachos eiusmodi nequaquam adstringi ad venialia confitenda, si omnis culpæ lethalis expertes fuerint. Hoc ille probat, quia Ecclesia venialis culpæ confessionē imperare nemini potest, cum ea non sit confessionis materia necessaria. Altera opinio affirmat, Monachos debére confessionem venialium facere vnoquoq; mense, tametsi eos nulla omnino lethalis premat conscientia: quam sententiam Nauar. *de Pœnit. dist. 6. cap. Placuit, nu. 122.* & Caietan. *in Opusc. tom. 1. tract. 5. q. 1.* vt probabiliorem & veriorem amplexati sunt. Et meritò. Nam *in Clem. super memorata* simpliciter & absolutè præcipitur, vt Monachi singulis mensibus confiteantur: at vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Objicies Ecclesiam *in cap. Omnis vtriusq; sexus de Pœnit. & remiss.* sanxisse, vt omnes fideles semel in anno sua peccata confiteantur, & tamē, vt superiori capite à nobis est dictum, probabilior est opinio, ea lege fideles minimè teneri, qui se solis culpis venialibus alligarunt: ergo nec Monachi singulis mēnsibus venialium peccatorum cōfessionem facere, Clementina lege coguntur. Respondeo negando, esse idem iuris de Monachis, quod de cæteris fidelibus Christianis. Iam enim superius contra Sotum ostendi, esse penes Ecclesiam

potestatem statuendi, vt fideles venialia peccata confiteantur: non tamen expedire, vt huiusmodi lex generalis feratur, quæ obliget vniuersos. Potuit tamen meritò ea lex constitui, quę Monachos teneret, quippe qui arctius & perfectius vitæ instituetum sectantur, magisq; à crebris peccandi occasionibus semotum. Nec Soti nos ratio cõuincit; negantis, venialia peccata necessariam esse cõfessionis materiam. Non enim diffitemur, iure diuino venialia peccata non esse ex necessitate confitenda; cum Christus id nusquam mandauerit: præcepto tamen Ecclesiastico veniales noxæ confessioni subijci iure possunt: quod enim Christus solummodo tanquam consilium nobis reliquit, id potuit Ecclesia præcipere, præsertim si vtile & salutare sit, & quod à nobis præstari commodè possit. Talis est frequens confessio venialium in Monachis solitariæ vitæ addictis. Quamuis autem, Ecclesia iubente, Monachi prædicti singulo quoque mense confiteri peccata cogantur; consuetudine tamen vsu recepta, eiusmodi lex potest alicubi abrogari.

Secundò quæritur, An ea lex adeo Monachos obstringat, vt si aliquo mense absq; vlla causa legitima venialium confessionem omittant, in lethalem culpam incurrant? Sotus *loco citato* negauit, posse Ecclesiam præcepto sola venialia confitendi, tantam obligationem imponere: quia venialium, inquit, confessio non videtur esse res tanti ponderis & momenti. Alij tamen, vt Nauarrus & Caietanus *supradictis in locis*, probabilius affirmarunt, eiusmodi præcepto tantã obligandi vim, & potestatem inesse. Nam qui voueret peccata venialia se confessurum ter, vel quater in anno, eiusmodi votum eum grauiter alligaret; at non minoris est vinculi hac in parte præceptũ Ecclesiæ, quàm votum propria voluntate susceptum. Et tametsi venialis noxa res est leuis & parua; at sacra venialium peccatorum confessio, nõ est res parui momenti: quia est Sacramẽti vsus, quo gratia nobis diuina confertur, & quo vitam emendamus atque corrigimus, quo item peccatorum sordes, ac maculæ eluuntur.

Tertiò quæritur, An per quãlibet peccatorum confessionem, coram proprio Sacerdote factam, satisfaciamus annuæ confessionis legi Ecclesiasticæ? Hoc nihil aliud est, nisi quærere, An Titius si semel in anno sua peccata confiteatur, non tamen omnia, aut confiteatur quidem omnia, sed sine legitima cordis pœnitẽtia, aut citra debitam conscientiæ discussionem, præceptum obseruet contentum in Canone, Omnis vtriusque? Duæ sunt opiniones planè diuersæ: prima docet satisfieri præcepto, etiam si integra confessio non fiat, aut legitimus peccatorum desit dolor & detestatio, aut idoneum propositum cauendi peccata in futurum, aut diligens peccatorũ discussio: dummodo nihil horum in confessione dedita opera, aut per negligentiam, siue ignorantiam affectatam, quam vocant, quamuis per craſſam à pœnitente fuerit admissum, quod est perinde, ac si diceretur: Tametsi culpa Titij in confessione, Sacramenti effectum impediat, nimirum gratiam, dummodo tamen non de industria, aut per affectatam negligentiam gratiæ aditum intercludat, valet confessio, nec Titius illam eodem anno repetere debet: quamuis de culpa commissa dolere cogatur per veram cordis pœnitentiam. Ita S. Thom. *in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. ad q. 1.* Durand. *eod. lib. & distinctione q. 13.* Palud. *q. 8.* Capreol. *q. 2. art. 2.* Anton. *3. part. tit. 14. cap. 19. §. 5.* Syluest. *confessio 1. qu. 22. & 23.* Tabien. *confessio 2. nu. 42.* Caiet. *in Opusc. to. 1. tract. 5. q. 5. & in Summa verbo, absolutio,* Sotus *4. dist. 18. q. 3. artic. 2. & 3.* Canus *in Relect. de Pœnit. part. 5.* Victor. *in Sum. de Confessio. nu. 144. aliàs 157.* Nauar. *in Manua. c. 7. nu. 13. & de Pœnit. dist. 5. cap. Fratres, num. 30. & 33.* Ledesm. *in 4. 2. par. q. 8. art. 1.* Couar. *in cap. Alma mater. p. 1. §. 4. nu. 13.* & videtur hæc sententia esse cõmunis. Hi omnes auctores sunt ea ratione permoti, quod quãuis cætera de Sacramentis præcepta cum lethali peccato impleamus, rata tamen est & firma eorum obseruatio: ergo pari modo quamuis annuę confessionis præceptum cum peccato obeamus, quia videlicet non confitemur omnia lethalia peccata, aut si confitemur omnia, absque debito animi dolore id facimus, præceptum tamen obseruamus, & Ecclesiæ satisfacimus, Ecclesia enim interiores actus non imperat. Itẽ quia nimis scrupulosum esset, tot peccatorum confessiones, vt inanes & irritas repetere, & iterare. Secunda opinio tradit, Titium eo, quo diximus modo, confitentem, Ecclesiæ præceptum nequaquã implere; ac proinde eodem anno iterum confiteri debere. Hæc est opinio Maioris *in 4. dist. 17. q. 9.* Adriar. *in 4. q. de Confess. dub. 5.* Bonauen. *in 4. dist. 17. 2. part. dist. art. 2. q. 3.* Gabriel. *ibid. q. 1. art. 3. dub. 2.* Angel. *Confessio. 1. nu. 14.* Rosel. *Confessio. 1. nu. 3. & 4.* Medinæ *tract. de Confess. q. 1.* qui id opinantur ob eam rationem, quod Ecclesia, cum annuam confessionem præcipit, eam fieri iuber, quam Christus instituit: quoniam nil aliud præcipit, nisi frequentem Sacramenti diuinitus instituti vsum; at Confessio à Christo Domino institura, debet esse omniũ peccatorum integra, & debito ac legitimo cum eorum dolore coniuncta, ergo talem confessionem Ecclesia imperauit. Neque aliorum inquiunt, ratio conuincit, qui dicunt, Ecclesiam actus interiores non posse præcipere. Namque Ecclesia annuam confessionem indicens, nequaquam imperat nobis actus interiores; sed exteriores, confessionis nempe, & Eucharistiæ Sacrosanctæ vsum adeò vtilem nobis atque salutarem. Cum autem confessio, vt est à Christo instituta, debeat esse integra omnium peccatorum, & cùm debita eorumdem detestatione, hinc efficitur, vt qui talem non facit, Ecclesiæ legem nõ seruet: quia legis & præcepti substantiam non implet scienter. Dices, Titium sic confitentem, ius quidem diuinum violare; non tamen legem Ecclesiæ. Respondent, Titium ea in re duplicem mali deformitatem admittere; vnam, qua ius Diuinum ex parte perrumpit, dum non aut in integrum, aut, sine debito dolore, vel conscientiæ debita discussione confessionem peccatorum facit, & hoc peccatũ in committendo cõstitit: est enim sacrilegij crimen, quo Titius indignè Sacramentum suscipit; alteram verò deformitatem in eo, quod annuam confessionem ab Ecclesia imperatam nõ facit vt debet, & hoc peccatum in omittendo contrahitur; quoniam licet Titius confiteatur, eam tamen confessionem annuam omittit, quam Ecclesia præcipit. Cum verò illis obijcitur: Cætera Sacramẽtorum

præcepta

præcepta re ipsa seruantur, quamuis cum lethali peccato impleantur, ergo idem iuris est de præcepto annuæ confessionis faciendæ. Respondent, diuersam esse rationem de annua cõfessione, atq; de cæteris: quippe annua confessio cõsistit in hoc vt omnia peccata confiteamur, & cum legitima eorum detestatione: at verò substantia aliorum Sacramentorum talia minimè requirit & postulat; & ideo eorũ præcepta, etiamsi peccando impleamus; re ipsa tamẽ seruamus. Cæterùm quicquid isti dicant, mihi magis probatur prima sententia S. Thomę, & aliorum, quos supra memorauimus. Et substantia huius præcepti in eo consistit, ne dedita opera, siue scienter aliqua peccata omittamus, aut per negligentiam, siue ignorantiam affectatam: ne item scienter, aut ex ignorãtia affectata debitam cõscientiæ discussionem, aut contritionem cordis missam faciamus. Sic enim benignius & mitius huiusmodi præceptũ interpretantur primæ opinionis auctores: & meritò, ne pœnitentes, & suorum peccatorum cõfessionem facientes crebris scrupulis grauiter diuexentur.

Quartò quæritur, An si Titius proprio Sacerdoti confiteatur, & culpa sua à peccatis non absoluatur, annuæ confessionis legi satisfaciat; veluti si publicus vsurarius, aut meretrix ad confitendum accedat. Sunt qui id asserant ex eo quod habetur *in c. Quod quidam, de Pœnit. & remiss.* vbi Pontifex rogatus, respõdet, eorum, qui quamuis confiteri velint, si tamen à peccatis abstinere nõ posse dicant, confessionem esse recipiendam. *Quia tamen*, inquit ille, *non est vera huiusmodi pœnitentia, admittenda tamen est eorum confessio, & crebris ac salutaribus monitis pœnitentia indicenda.* Ita videntur sentire Richardus *in 4. dist. 17. ar. 2. q. 8. ad 5.* Can. *de Pœnit. par. 5.* Victo. *in Sum. de Confess. nu. 150. alias 163.* Verum mihi magis placet, quod alij censent, quos dixi pœnitentes, annuæ confessionis præcepto nequaquam satisfacere: nõ quia à peccatis illi nõ absoluantur, sed quia sua culpa nõ absoluuntur. Nam quamuis Ecclesia solùm præcipiat, vti semel quolibet anno confiteamur; non tamen præcipit, vt absoluamur, ac proinde satis est, si culpa nostra absolutionem non impediamus: vt enim constat *ex c. Omnis vtriusq; sexus, de Pœnit. & remiss.* licitum est ab Eucharistia in Paschate abstinere, ex proprij Sacerdotis consiliò, ergo verè quis annuæ confessionis præceptũ implet, etiam si à peccatis minimè absoluatur, quãdo absolutio in aliud tempus Sacerdotis consilio, absq; pœnitentis culpa differtur: Attamen qui suo vitio à peccatis nõ absoluũtur; aut quia sint publici peccatores, aut quia asserunt se de peccatis non dolere, aut non posse se à peccando in posterum abstinere, annuæ confessionis præceptũ minimè seruant. Sic Duran. *in 4. dist. 17. q. 14. ad 2.* Palu. *ibidẽ q. 7. in quinto modo ad 2.* Sylu. *Confessio 1. q. 22.* Antonin. *3. p. tit. 14. c. 19. §. 2.* Tabien. *Confessio 2. nu. 42.* Sot. *4. dist. 18. qu. 3. art. 3. concl. 2.* Pontifex verò *in eo cap. Quod quidam*, solùm significat hosce pœnitentes ad confessionem esse admittẽdos, videlicet, vt dirigãtur, corripiantur, & moneantur salutaribus documentis & consilijs; quo fiet, vt paulatim illi, Deo adiuuante, ad cõfitendum idonei atque legitimè præparentur.

Quintò quæritur, An qui semel est in anno confessus, si denuo in eodem anno lethale peccatum admittat, confiteri eo anno iterũ debeat? Respondeo, minimè, satis est, si illud peccatum anno proximè sequenti cõfiteatur, iam enim antea ille Ecclesiæ præceptum seruauerat, cum annuam fecit peccatorum confessionem, nec ampliùs quàm semel in anno confiteri quis Ecclesiæ lege compellitur. QVAERES, an qui semel in anno confitetur, & statim post confessionẽ meminit se certum peccatum fecisse, quod bona fide per obliuionem inter confitendum prætermisit, debeat eo anno id, quamprimùm commodè poterit, confiteri? Respondeo, minimè, & tuta conscientia potest eius peccati confessionem in annum proximè sequentem reijcere & prorogare; quoniam integram omnium peccatorum, quorũ tunc meminerat, confessionem fecit, & idcirco Ecclesiæ de annua confessione præceptum impleuit. Sylu. *Confessio 1. q. 2. casu 5.* Sot. *4. dist. 18. q. 1. ar. 4.* Nauar. *in Manual. ca. 2. nu. 10.* Ledesm. *in 4. 2. par. q. 5. art. 5. dub. 2.*

Sextò quæritur, An pueri lege annuæ confessionis teneantur? Respondeo, eos teneri statim atq; sunt rationis compotes. Hoc enim præcepto Ecclesiæ planè statuitur: *Omnis fidelis, siue vir, siue fœmina, cum ad annos discretionis peruenerit, sua peccata cõfiteatur.* Obijcies, pueros legibus humanis minimè alligari, vt insinuat c. 1. de Delictis puero. Respondeo, pueros dũ sunt rationis impotes, legibus humanis adstringi non posse, compotes verò rationis posse, cũ sint boni æquè, ac mali capaces. Prædicto autem cap. 1. de Delictis puero. solùm dicitur, pueros quamuis rationis compotes, si contra leges & iura delinquant, pœna legis solita & vsitata non esse puniendos, sed arbitrio Iudicis; quapropter pueri cũ rationis vsum attingũt, lege annuę confessionis tenentur: verùm si eam neglexerint, puniendi à Iudice non sunt pœna constituta *in c. Omnis vtriusq;, de Pœnit. & remiss.* Neq; enim sunt, *vt ibi dicitur*, ab ingressu in ædem sacram prohibẽdi, nec Ecclesiastica sepultura priuandi, nec excõmunicatione feriẽdi, nisi cũ agunt duodecimum, aut quartum decimum ætatis annum; vt aiunt Sotus *4. dist. 18. q. 1. a. 3.* Cordub. *in Sum. Casuum, q. 60.* Cæterùm falsum mihi omnino videtur, quod *eo loco* tradit Sotus; ait enim: Ecclesia suis præceptis & censuris non vult pueros ante duodecimum, vel quartumdecimum annũ cogere, sed relinquit eos in iure diuino. Hoc Cordubensis, *loco citato* merito confutat. Nam est expresè cõtra verba Canonis, cum ad annos discretionis peruenerit. Est contra morem in Ecclesia receptũ: pueri enim ante duodecimum annũ confiteri solent, & rem diuinã, in diebus Dominicis, & festis audire; & si beneficiũ Ecclesiasticũ habent, coguntur diuini officij preces Horarias recitare, & in ieiuniorũ diebus à carnibus abstinere: & si scienter ex ira Clericos percutiunt, ab excõmunicatione absoluuntur, ergo legibus Ecclesiasticis tenẽtur, vt capite proximè sequenti iterũ dicam. *c. Pueri, de sent. excom.* dicitur: *Pueris, qui in Canonem inciderunt sententiæ promulgatæ siue ante, siue post pubertatem.* Glossa ibi ait, intelligere pueros doli capaces. QVAERES, quando pueri censentur rationis compotes? Respondeo, in ea ætate, in qua cognoscunt se grauiter peccare: in qua discernunt bonum à malo, honestum à turpi: nam tunc quando lethaliter delinquunt, incipiũt hoc Sacramẽto tanquã remedio post Baptismum

indigere, in quibusdam pueris citius, in alijs tardius incipit rationis vsus ; in plerisq; contingit ad finem septēnij, vel ad octauum ætatis annum. Sic Glossa *in cap. Omnis vtriusq; ij, de Pœnit.* Rich. 4. *dist.* 17. *nu.* 2. *q.* 4. *ad* 6. Gabr. *q.* 1. *ar.* 2. Sot. 4. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 3. Nauar. *in Man. c.* 21. *nu.* 88. At Anton. 2. *par. tit.* 9. *c.* 8. *§.* 2. dicit, masculos pueros hoc præcepto teneri, quādo habent ætatis annos decem, & dimidium, & aliquantulum vltra : puellas verò, quando habent ætatis annos vndecim, & dimidium, & aliquantulum vltra : quod probat testimonio Ancharani, & quorundam aliorum dicentium, tunc obligari hac lege pueros, cum sunt futuræ pubertati magis propinqui & vicini, quā infantiæ præteritæ. Sed prima opinio communis est verior.

Septimò quæritur, An qui semel in anno confitentur Religiosis Mendicantibus, quibus est Pontificium priuilegium concessum, vt annuam pœnitentium confessionem, si velint, excipiant, Ecclesiæ præcepto, & Canoni, *Omnis vtriusque sexus* satisfaciant ? Hanc quæstionem supra diluimus, cum de Priuilegijs fratrum Mendicantiū tractaremus, vbi in vtrāq; partem argumētis productis breuiter ostendimus eos satisfacere, id Pōtificia Constitutione Leonis X. declarante, eos scilicet pœnitentes Ecclesiæ præceptum ac legem de sacra semel in anno confessione facienda seruare.

Octauò quæritur, An præceptum annuæ confessionis sit iuris diuini, an verò solum Canonici? Quidam asseruerūt esse iuris diuini, alioqui enim si solum esset Canonici iuris, interna mentis peccata confiteri minimè oporteret, cū ea iuri & potestati Ecclesiæ minimè sint subiecta. Item qui lethalibus tātummodo internis peccatis teneretur obstrictus, ea confiteri lege, ac iure minimè cogeretur, cum Ecclesia actus mentis interiores præcipere non possit. Adrian. *in* 4. *q.* 1. *de Confess. §. Alij probant confessionem*, quamuis censere videatur, annuā confessionē absolutè & simpliciter esse iuris humani; at pariter quoq; concedit, penes Ecclesiā ius esse, & potestatem in mentis interna peccata. Verumenimuerò cōmunis Theologorū recepta sententia est, *vt* 10. 1. *lib.* 5. *ca.* 10. *q.* 1. notatum à nobis est, Ecclesiam iurisdictionē non habere per se simpliciter in interna mētis delicta, propterea quod actus interni sua natura, humanam cognitionem latent ac fugiunt. Quare dicendum est, annuā confessionem vt annua est, hoc est, vt certo tēpore fit, esse quidem iuris Canonici, cum solùm tempore necessitatis, quale est mortis periculū, confiteri diuino iure debeam[a] : at verò quod quisq; fideliū quotannis confiteatur, Ecclesia imperauit. Cū autē illa iusserit, confessionem fieri quotannis, qualem Christus instituit; ideo confiteri debemus interna etiam peccata, quoniam integram peccatorum cōfessionem iure diuino facere nos oportet. Præterea, tametsi etiam quis sola interna habeat peccata, ea semel in anno cōfiteri debet : nō enim Ecclesia aliquem actū mentis internum, sed frequentem cōfessionis à Christo Domino institutæ vsum, quod exterius est virtutis officiū, sua lege præcepit, & imperauit, vt cōfessionem, quā Christus Dominus fieri iussit ad reparandū post baptismū lapsum, semel faceremus quotannis. At per quoduis lethale peccatum siue externum, siue internū à gratia decidim[a] ac labimur. QVAERES, an confessionem annuā Ecclesia imperauerit ob periculum obliuionis peccatorum ? Sot. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. *a.* 4. *post conci.* 6. affirmat, vt etiā Mai. 4. *dist.* 17. *q.* 2. Marsil. *eod. lib. & dist. q.* 12. *ar.* 2. *dub.* 4. Medin. *tract. de Confess. q.* 14. Sed alij probabilius negant, ea ductī ratione, quod nullo iure diuino cogimur cōfiteri nisi peccata, quæ debita & legitima adhibita diligentia in memoriam venerint. Ergo indixit annuam confessionem Ecclesia, quia voluit huius Sacramenti frequentem esse vsum, ex quo videlicet manant in nos vtilitates, & emolumenta quamplurima, & maxima. Syl. *confessio* 1. *q.* 2. *casu* 5. Caiet. *in Sum. Confess. in conditione* 13. Victo. *de Sacram. Confess. q.* 121. *aliàs* 131. Nau. *in Man. c.* 25. *n.* 35. Canus *de Pœni. p.* 5.

Nonò quæritur, An legem annuæ confessionis possit Ecclesia abrogare? Respondeo, Ecclesiasticam legem posse quidem ab Ecclesia ex parte, vel ex toto antiquari, & deleri, cū iusta & debita subest causa ; ac proinde cum lex annuę confessionis sit canonica, potest Ecclesiæ auctoritate, qua etiam est sancita, tolli : At verò quoniam iuris est diuini, vt tempore necessitatis confiteamur, nequit Ecclesia cōfessionem in perpetuum abrogare. Sic enim alioqui ius diuinum tolleretur. Quare solùm potest annuam confessionem Ecclesia abolere ad tempus, nimirū ad certos aliquot annos : nihilominus vbi necessitas confessionis intra id temporis occurreret, quale esset probabile mortis periculum, confiteri quisque deberet. Hęc colliguntur ex S. Thoma *in* 4. *dist. in.* 17. *q.* 3. *arti.* 1. *q.* 5. Richard. *eod. lib. & dist. ar.* 2. *q.* 7. Palud. *q.* 2. *art.* Antonin. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 19. *§.* 1. Soto *in* 4. *dist.* 18. *qu.* 1. *art.* 5.

Decimò quæritur, An auctoritate pontificia possit quis eximi à lege annuæ confessionis? Respōdeo, posse eximi, iusta tamē & legitima ex causa. Nam Principis indulgentia potest quis humanis legibus solui. At verò quia iuris diuini est, vt quisque tempore necessitatis confiteatur, nemo potest ita in perpetuum (*vt diximus in superiori quæstione*) auctoritate Pontificis, à confessionis lege excipi, vt liber sit penitus à confessione peccatorum tempore necessitatis facienda.

Vndecimò quæritur, An lex annuæ confessionis ipsum Romanum Pontificem teneat? Respondet Nauarrus *de Pœnit. dist.* 5. *circa primam partem Glossę nu.* 32. Si sequamur opinionem Theologorū, dicentium Pōtificem esse Concilio Generali superiorem, dicendum est, Pontificem hac lege nō teneri, cum ea sit à Concilio Lateranensi Generali sub Innocentio III. constituta. Si verò cum ijs sentiamus, qui Generale Concilium volunt esse Romano Pōtifice superius, dicere oportet, hac eum lege teneri & adstringi. Sed ad rem nostram nihil facit sententiarum diuersitas : quoniam tametsi ex hypothesi daremus, cōcilium esse maioris auctoritatis, quàm sit Pontifex Romanus, quod verum non est, adhuc tamē Concilij legibus minimè teneretur, donec Concilium pontificia auctoritate ratum & firmum, ipse Summus Pōtifex haberet. Quare simpliciter dicendum est, Romanum Pontificem Cōcilio Generali superiorem esse, & hac lege minimè alligari, sic, vt ipsius legis pœnis subijciatur ; ex æquo tamen & bono subiectum esse. Hac enim ratione, cum de legibus in vniuersum tractaremus, diximus, Principē suis legibus teneri, iuxta illud : *Patere legem, quam tu ipse tulerris.*

Vltimò

Vltimò quæritur, An quis debeat lethalia peccata confiteri oblata opportunitate confessarij, si probabiliter credit futurũ, vt intra annum copiam Confessarij habiturus non sit? Communis videtur esse sententia, debere eũ id facere. Richa. *in 4. dist. 17. a. 3. q. 6.* Anton. *3. p. tit. 14. c. 19. §. 3.* Gabriel. *4. dist. 17. q. 1. art. 3. dub. 1.* Mai. *ibid. q. 2.* Nauar. *in Man. c. 2. nu. 10.* Sylueſt. *Confeſſio. 1. q. 2.* Medin. *de Confeſſ. q. 14.*

Cap. XLI.

DE QVINTO ECCLESIAE PRAECEPTO, ID EST,

De ſacro Domini Corpore in Paſchate ſumendo.

PRIMO quæritur, An Canonico iure in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum Chriſtiani fideles ſuſcipere debeant? Reſpondeo, *in ca. Omnis vtriuſque de Pœnit. & remiſſ.* ſic eſſe ſanctum: vt ſinguli Chriſtiani fideles ſuſcipiant in Paſchate Euchariſtiam, niſi proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus, ab eiuſmodi perceptione duxerint abſtinẽdum. Alioqui viui ab ingreſſu & aditu Eccleſiæ arceantur; & mortui, Chriſtiana careãt ſepultura. Hæc ibi Te ſte S. Tho. *3. p. q. 80. a. 10. ad 5.* ſemper à principio Eccleſiæ naſcẽtis fuit Eccleſiaſticum præceptum, vt fideles Chriſtiani Euchariſtiã ſuſciperent. Olim primis illis Eccleſiæ temporibus, ſinguli quotidiè ſacrum Chriſti corpus ſuſcipiebant; vt teſtari videtur Anacletus *Epiſt. 1. & refertur c. Epiſc. de Conſecr. diſt. 1.* poſtea verò Fabianus, *vt habetur in cap. Etſi non frequentius, de Conſecr. diſt. 2.* præcepit, vt ſinguli ſaltẽ ſacram cõmunionem acciperent, ter in anno, videlicet, in Natali Domini, in Paſchate, & Penteco ſte. Soter *in c. In Cœna Domini. de Conſec. diſt. 2.* videtur ſtatuiſſe, vt ſinguli Corpus Domini ſuſciperent in die Cœnæ Dominicæ.

Secundò quæritur, Quid nomine Paſchatis ius Canonicum intelligat? Reſpondeo: Ante declarationem huiuſmodi iuris factam ab Eugenio. 4. dubitabant Doctores, an præcisè ſolus dies Dominicę Reſurrectionis; an verò cum duobus proximè ſequentibus, nomine Paſchatis accipi deberet. Vnde Panormitanus *in c. Omnis vtriuſq., de Pœni. & remiſſ.* dicit, nomine diei Paſchatis ſignificari ipſum diem Dominicæ Reſurrectionis cũ duobus diebus proximè ſequentibus, *quamuis*, inquit, *qui in die ſancto Dominicæ Cœnæ cõmunicaret, præcepto ſatisfaceret ob conſuetudinẽ receptã, quæ ſic præceptũ interpretatur. At Eugenius Quarto declarauit contineri & ipſum diẽ Paſchatis, & octo præterea dies, qui ipſum proximè præcedunt, ac totidem, qui ipſum conſequuntur.* Ita referunt Maior *in 4. diſt. 17. q. 2.* Sylu. *in verb. Euchariſtia. 3.* Cai. *in Sum. Communio.* Tabien. *verb. Communicare nu. 7.* & Nauar. *in Manuali cap. 21. nu. 45.* Ledeſm. *in 4. q. 14. art. 3.*

Tertiò quæritur, An qui ſunt excõmunicationis vinculo obſtricti, aut interdicto ſubiecti, excuſẽtur ab huiuſmodi præcepto? Reſpondeo cum Nauarro *in Man. c. 21. nu. 45.* eos ab hac lege excuſari, niſi per ipſos ſteterit, quo minus ab excõmunicatione & interdicto abſoluãtur. At quãdo ita ſunt impediti, vt abſolui nequeãt, excuſantur. QVARES, an idem iuris ſit de eo, qui eſt pœna ſiue vinculo ſuſpenſionis obſtrictus. Reſpondeo, vniuerſim non eſſe idem iuris, de ſuſpenſis, quod de excõmunicatis & interdictis: nam hi generatim à Sacramentis prohibentur, illi verò non item: Si tamen ſuſpenſi arceantur vel ſpeciatim ab Eccleſia, vel generatim à Sacramẽtis, aut à ſacra Cõmunione, tunc idẽ iuris eſt de vtriſq;, Naua. *loco citato.*

Quartò quæritur, An hoc præceptum implere intelligatur is, qui quolibet quadragenarij ieiunij die, quod proximè ante Paſcha ſeruatur, ſuſcipit Euchariſtiæ diuinũ epulũ? Reſpondet Nauar. *in Man. c. 21. n. 45.* non implere, niſi aliud fuerit vſu & cõſuetudine legitima & præſcripta receptum, aut niſi Pontificio Priuilegio id fuerit cõceſſum. in quibuſdã dioeceſibus dicitur eſſe vſu præſcripto legitimè receptũ, vt præcepto ſatisfaciãt, qui in diebus Quadrageſimę id ſeruãt. Laurẽtius Epiſcopus Prẽneſtinus Cardinalis quatuor Coronatorũ teſtatur, Clementẽ VII. declaraſſe, vt in quolibet die Quadrageſimæ poſſint fideles in Hiſpaniæ partibus ſacrũ Chriſti corpus ſumere, vt Eccleſiæ præcepto ſatisfaciãt. Declarationẽ hãc habet Cõpendiũ priuilegiorũ fratrũ Minorũ & aliorũ Mẽdicantiũ & nõ Mẽdicantiũ impreſsũ Neapoli Auctorib. ſeu collectorib. Alphõſo Caſarubio, & Hieronymo à Sorbo inſtituti Capuccinorum.

Quintò quæritur, An qui in Paſchate Euchariſtiã non ſuſceperit, iure ipſo debeat eã ſtatim poſt Paſcha percipere? Duæ ſunt opiniones, vna docet Euchariſtiæ perceptionẽ tuta cõſcientia ad alterum vſq; anni proximè conſequentis Paſcha poſſe differri. Ita S. Anton. *p. 2. tit. 9. c. 9. §. 53.* Sylu. *Euchariſtia 3. q. 15. dicto 3.* Tabien. *in verb. Communicare nu. 10.* Armil. *Cõmunio nu. 6.* Medi. *tract. de Pœnit. queſtione de Confeſſione ſemel in anno faciẽdo.* Alter Medi. *in Inſtruct. Confeſſo. lib. 1. c. 14. nu. 42.* Sot. *in 4. diſt. 18. q. 1. a. 4.* & Victor. *in Sum. nu. 148.* & Ledeſ. *in 4. p. 2. q. 2. art. 5. dub. 2.* qui quidẽ eo argumento mouẽtur, quod qui rem diuinam certo die audire, aut ieiunium ſeruare, aut diuinas preces recitare lege compellitur, eo die elapſo eſt lege ſolutus ac liber. Altera eſt opinio, eum hominem poſt Paſcha Euchariſtiam ſumere oportere, quandocunq; cõmodè poteſt. Hęc opinio placuit Nauar. *in Manua. c. 21. nu. 45.* Mai. *in 4. diſt. 17. q. 2. §. Contra recidiuum, ad finem,* Palud. *in 4. diſt. 12. q. 1. a. 5. concl. 1.* etiam placet mihi. Idem enim iuris eſt de huiuſmodi præcepto, quod de confeſſione annua peccatorum facienda: nos verò ſupra docuimus, qui ſemel annuam confeſſionem omittet, poſt annum illum exactum, confiteri peccata debere, cum primũ dabitur occaſio. Vtrunq; enim præceptum, quamuis præcisè per ſolam affirmationem datum eſſe videatur, id tamen tacitam continet negationem; ne videlicet vltra annum peccatorum confeſſionem, & ne vltra Paſcha ſacram Euchariſtiæ communionem differamus. Cuiuſmodi præcepta fuiſſe olim data nouimus, videlicet, vt Catechumeni in Paſchate & Pentecoſte baptiſma ſuſciperent: id eſt, ne vltra protraherent, & Iudæis fuit olim mandatum, vt primo menſe anni Paſcha colerent, hoc eſt ne vltra differrent: quod ſi primo menſe impediti non celebraſſent, id ſecundo menſe feciſſent. Palu. *4. d. 17. q. 2. art. 5. in ſecundo caſu, & d. 12. q. 1. ar. 5. concl. 1.* Deinde *ex c. cum Dilecti de Dolo & Contumacia, & l. Celſus. §. ſed ipſe. ff. de Receptis arbitris,* colligitur, in hoc præcepto, vt Calendis Ianuarijs Titius ſe in iudicio

sistat; & in hoc item, vt idibus Augusti certam pecuniam soluat, duo præcepta contineri; vnum, vt ad diē præstitutū se sistat, ac soluat; alterū, vt nisi id præstiterit, debeat statim atque commodè poterit, mandatum implere. Pari ratione, cum iubemur in Paschate corpus dominicū percipere, duo mandata accipimus, vnum, vt eo tempore faciamus; alterum, vt nisi eo die faciamus, id præstemus prima opportunitate nobis oblata.

Sextò quæritur, An idē præceptū de quo loquimur, in propria Parochia secundū cōmune ius implere debeam[9], ita vt à proprio Parocho Eucharistiam accipiamus. Respondeo, *in prædicto cap. Omnis vtriusq; sexus*, esse decretum, vt quisq; à proprio Sacerdote Corpus Dominicum in Paschate percipiat. Cum igitur sit ad proprium Sacerdotem adeundum, eo ipso ad propriam Parochiā accedere oportet: quare, aut à Parocho sumēda est Eucharistia, aut ipsi[9], vel proprij Episcopi, aut Superioris consensu ab alio Sacerdote. Nauar. *in Manu. cap. 21. nu. 52.* & Cardin. *Clem. 1. de Priuil. q. 11.*

Septimò quæritur, Quo pacto priuilegiū pontificiū intelligatur Religiosis Mendicantibus concessum, scilicet, vt absque vlla alia facultate Eucharistiæ Sacramentum ministrare queant omni tempore, dempto die Dominicæ Resurrectionis omnibus qui ad ipsos accesserint? Respondeo, tale Priuilegium primò quidem Mendicātibus datum esse a Nicolao V. confirmatum verò à Sixto IIII. & tandem à Leone X. *vt habetur in Compendio priuilegiorum fratrum Minorum & aliorum Mendicātium & non Mendicantium auctore Alphonso Casarubio, & Hieronymo Sorbo in verb. Cōmunicare §. 4. 5. & 9.* Est autem id Priuilegij à Summo Pontifice collatum, quia *in Clem. 1. de Priuil.* erat interdictum, ne Religiosi Clericis, aut Laicis Sacramentū Extremæ Vnctionis, vel Eucharistiæ ministrare absque Parochialis Presbyteri licentia speciali auderent: alioqui ipso facto in excōmunicationem inciderent cōtrarium facientes à Summo Pontifice duntaxat absoluendi: Quare illud priuilegium, iure Clemētinarum abrogato, concedit Mendicantibus, vti Eucharistiam ministrent, tum Clericis, tū Laicis, etiam sine Parochi, aut proprij Episcopi cōsensu. Hoc autem Priuilegium Pontificis Nicolai V. Et Sixti IIII. locum habebat solum in Confessarijs legitimè deputatis ad audiendas secularium confessiones, vt possent omnibus, quorum confessiones audierint sacrum Domini corpus conferre: Sed Leo X. concessit: vt quamuis audire cōfessiones secularium nō possint, nisi legitimè ad id deputati; possit tamen quilibet Religionis Sacerdos Eucharistiæ Sacramentum ministrare omni tempore, præterquam in die festo Dominicæ Resurrectionis. Illud autem nō caret dubitatione, quid nam Priuilegium sibi velit in his verbis: *Quocunq; tēpore, excepto die Paschatis, siue Dominicæ Resurrectionis.* Vbi nempe duo, vel tria dubitantur; primùm, An nomine diei Paschatis intelligatur totum illud tempus, quod diximus continere octo dies proximè præcedētes, ac totidem sequentes sacrum diē Paschatis. An verò præcisè solus dies Paschæ? Alterum, quod dubitatur, illud est, An generatim dicta exceptio sit intelligenda? Videlicet, Num excipiantur ij, qui nōdum in suis Parochijs Ecclesiæ præceptū impleuerint; An verò generaliter excipiantur oēs, siue illud impleuerint, siue nō impleuerint. Nau. *in Man. c. 21. nu. 52.* vtrīq; dubitationi respondet, & de prima quidē ait, excipi ijs verbis tātūmodo ipsum diē festū Dominicæ Resurrectionis, & non totū tempus eā continens hebdomadā, quæ proximè Pascha præcedit, & simul eam, quæ illā statim consequitur. *Quæ nisi esset* (inquit ille) *Nicolaus V. his verbis exceptionē expressisset, nempè* (præterquā *in festo Paschæ Resurrectionis Dominicæ*) *& nomine festi, celebritatē Paschæ Dominicæ Resurrectionis intellexisse videatur: attamē Sixtus IV. & Leo X. in suis cōstitutionibus habent* (Præterquā *in die Resurrectionis Dominicæ*) *quibus verbis non ipsa Paschæ celebritas, sed præcisè dies Resurrectionis accipitur.* De secunda dubitatione ait Nauarrus quē sequi videtur Sarnensis *de Visitat. lib. 2. c. 3. nu. 30.* generaliter ijs verbis excipi tum eos, qui in proprijs Parochijs præceptū nondū impleuerint, tū eos qui impleuerint: videlicet, *exceptio* (inquit ille) *generaliter habet: (Præterquā in die Dominicæ Resurrectionis:) quibusdā tamen visum est, excipi dūtaxat eos, qui in proprijs Parochijs nondū Ecclesiæ legi, & suis Rectoribus satisfecerint, iuxta horū sententiā, Pontifex hoc Priuilegio videtur excipere ipsum diē Dominicæ Resurrectionis, ad cōprehendēdos eos, qui adhuc eo die suæ Parochiæ, & Rectori satisfacere iure debent; vt sic Pastor, iuxta consiliū sapientis, suæ ouis vultū agnoscat. Quare ijs, inquiunt, qui iam suū Rectorē adierūt, Ecclesiæ præceptū implemes, liberū videtur relinqui, vt vbi voluerint, in die Paschatis ad diuinū mēsam accedant, & sacrum Christi corpus percipiant.* Ego probabiliorem & veriorē existimo Nuarri sententiā, videlicet generatim excipi omnes, tū eos, qui sponte sua pio voluntatis affectu, tū etiā eos, qui Ecclesiastici præcepti necessitate in die Resurrectionis Dominicę sacrosanctū Domini corpus sumere studeant, ita vt in eo die Corpus Domini sine consensu Parochi accipere iure nequeant, tū etiā, qui alioqui in sua Parochia sacrā Cōmunionē acceperunt. Nam priuilegia quādo iuri cōmuni derogant, stringi, non laxari debent. Vnde Declaratio in Cōpendio priuilegiorū Societatis in verbo Eucharistia. §. 2. Sic habet. *Quāuis in Societatis Constitutionibus p. 7. c. 4. D. exponatur festum Paschæ iuxta communem consuetudinem, intelligi eam hebdomadam quæ ipsum diem Resurrectionis præcedit, & simul eam, quæ subsequitur, excipi verò eos, quos ius ipsum excipit, nempè qui tū suis Parochijs satisfecerint, per priuilegia tamen Minorum restringi potest prædicta expositio ad ipsum diē Resurrectionis: is enim solus dies excipitur est Minoribus de obseruātia, per Nicolaum V. & Sixtum IIII. iuxta id quod in §. sequēti dicitur, in quo habetur sic. Possunt nostri Sacerdotes ministrare Sacramentū Eucharistiæ omni tempore, præterquā in die Resurrectionis Domini, immo etiam dicto die licebit, sed tunc non nisi accedente Parochi, aut Diœcesani licentia.*

Octauò quæritur, An qui in aliena Parochia Paschatis tempore commoratur à sua procul absens, iure in ea, vbi moratur, sacrā Eucharistiam accipiat? Respondeo, dubitari non posse, quin id liceat facere peregrinis, viatoribus, & ijs, qui extra Parochiam suam ad certum tempus vel domicilium habent, vel cōmorantur: eos verò, qui in ipso tempore Paschatis in aliena Parochia degētes, ad suam accedere commodè nequeunt, Eugenius IIII. declarauit iure posse in Parochia in qua degunt, sanctissimum Christi Corpus accipere. Caiet. *in Sum. Verb. Absolutio*, Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. ar. 2.* Nauar. *in cap. Placuit, de Pœnit. dist. 6. num. 27.*

Primo.

Nonò

Nonò quæritur, An si Parochus quibusdam sibi subiectis liberum relinquat, vt à quibus maluerint sacram communionem percipiat in die Dominicæ Resurrectionis; tutò à Mēdicātibus illam accipiant? Respōdeo, tuto eam accipere: quia Parochus generaliter liberam eis potestatem facit, ita vt nullum excludat: quamuis Mendicantes peculiari quodam iure *Clementinæ iam ante productæ*, huiusmodi Sacramētum conferre prohibeantur. Nec obstat, q̄ *in Clem. prædicta* dicitur, sine Parochialis Presbyteri speciali licētia. Quia, vt Glos. ibi ait, requiritur specialis licentia, quod attinet ad Sacramenta quę ibi Religiosi prohibentur conferre, videlicet, Eucharistiæ, Extremæ Vnctionis, & Matrimonij: hoc est, requiritur, vt exprimatur Sacramentum ad quod suscipiendum Parochus licentiam dat: non autem requiritur specialis nominatio, vel Parochianorum, quibus datur licentia, vel Religiosi cui datur facultas vt possit conferre: satis est si Parochus suis Parochianis concedat, vt eo die Dominicæ Resurrectionis Eucharistiam sumant à quibus maluerint.

Decimò quæritur, Quando quis incipiat lege sacræ Communionis in Paschate suscipiendæ obligari? Respondeo, omnes in hoc conuenire, legem Ecclesiasticam generatim loqui de confessione facienda quotannis, & de Eucharistia in Paschate suscipienda, & obligare omnes, cum ad annos discretionis peruenerint. S. Thomas *3. part. quæst. 80 art. 9. ad vlt. & 4. distin. 9. quæst. 1. art. 5. ad q. 4.* Alexand. *3. part. quæst. 11. memb. 2. art 3. §. 1. dub. 6.* Antonin. *2. part. tit. 9. cap. 9. §. 1.* Palud. *in 4. distin. 12. quæst. 1. art. 5. conclus. 1.* Syluest. *Eucharistia. 3. quæstion. 5. dicto 7.* Tabien. *Communicare num. 6.* Sotus *in 4. dist. 12. quæst. 1. articul. 9. ad finem.* Caiet. *in Summa in verbo, Communio,* Armilla *in eod. verbo, num. 3.* Sed consuetudo in Populo Christiano recepta, legem interpretatur, vt prius pueri incipiant alligari lege de annua confessione faciēda, quàm lege de Eucharistia in Paschate suscipienda. ROGABIS, quādo nam pueri rationis vsum consecuti, cogendi sint, in Paschate sacrum Christi corpus accipere? An, scilicet statim vt doli capaces sunt, hoc præcepto teneantur, an verò potius cum annos pubertatis attigerint, vel exegerint? Item, An, sicut confiteri peccata debent, cum primum sunt doli capaces, ita etiam cogātur Eucharistiam suscipere, statim atque lege annuæ confessionis obligantur? Glos. *in cap. Omnis vtriusque sexus, de Pœnit. & remiss.* videtur docere, pueros, cum sunt doli capaces, videlicet cum ad septennium peruenerint, teneri lege annuæ confessionis, & Eucharistiæ in Paschate suscipiendæ. Sic declarat Palud. *in 4. distinct. 12. q. 1. art. 5. conclus. 1.* & probat, quia lex *in cap. Omnis, de Pœnit.* generatim de vtroque præcepto loquitur, & dicit omnes obligari, cum ad annos discretionis peruenerint; at vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Certe hoc est contra morem in Ecclesia receptum: nec enim omnes pueri, qui confitentur semel ad annum, in Paschate Eucharistiam suscipiunt. Sotus *loco citato* ait, pueros incipere hoc præcepto obligari à decimo vsque ad duodecimum ætatis annum & *dist. 18. q. 1. art. 3.* ait, Ecclesiam pueros non cogere ante duodecimum ætatis annum præcepto confessionis annuæ, quo tempore incipiunt homines obligari legibus aliis & censuris Ecclesiasticis. Sed profecto hoc est cōtra communem sententiam Theologorum, Primò quia S. Thomas, Syluester, Tabiensis, Paludanus, Caietanus *locis præallegatis*, pueros aiunt his præceptis obligari ante duodecimum ætatis annum. Secundò, quia falsum est omnino pueros incipere teneri legibus Ecclesiasticis duodecimo ætatis anno. Nam lege annuæ confessionis alligantur quamprimum sunt doli capaces. Item cibis prohibitis, videlicet carnibus in diebus ieiuniorum abstinere coguntur, etiam ante eum ætatis annum. Tertiò, ieiunium agere præcepto Ecclesiæ nō coguntur statim, vt duodecimū ætatis annum attigerunt: Lege item audiendi rem diuinā diebus Dominicis & festis tenentur ante duodecimum annum ætatis. Et vt tradit Syluest. *homicidium 3. quæstio. 1. §. 5. & quæstio. 2. §. 3.* puer, qui est doli capax si occidat aliquem, irregularitatem contrahit. *Clem. furiosus, de homici.* Si scienter & ex ira Clericum percutiat, incidit in excommunicationem Canonis *in cap. Si quis suadente. 17. quæstio. 4.* Præterea interdicto populo sacris, interdicti sūt pueri, si sunt doli capaces, teste eodem Syluestro *interdictum. 2. q. 1.* Et hæc omnia habet communis opinio. Pugnat igitur Sotus in hac re cum communi sententia, præsertim cum *in ca. Pueris, de sent. excommu.* expressè habeatur, pueros siue ante, siue post pubertatem in sententiā Canonis incurrere: & ibi Glos. ait, *intellige pueros doli capaces.* Dicēdum existimo, pueros cum primū peruenerint ad annū decimū vel vndecimum, si rationis compotes fuerint, huiusmodi præcepto obligari. Sic S. Thom. Syluester, Tabiensis *prædictis in locis.* Porrò in hisce pueris nō solùm consideranda est ætas; sed etiam consuetudo, quæ est optima legum interpres: nō enim solent pueri sacram Communionem suscipere, nisi parentum & cōsanguineorum iudicio, vt Caietanus & Armilla à nobis supra citati tradiderunt. Considerandum itidem est rationis iudicium, quo sacrum Eucharistię cibum à communi & profano discernāt, & quò tam admirabilis Sacramēti idoneam cognitionem & gustum habeant, vt sic iusta & debita animi veneratione & cultu ad tantum diuinæ communionis Sacramentum accedant, & illud piè, ac religiosè suscipiant. In quo tamen vitanda est aliorum offensio, ne admodum paruulis, quamuis alioqui iudicio pollentibus, publicè conferatur.

Vndecimò quæritur, An aliqui sæpius quàm in tempore Paschatis, diuinum Eucharistiæ panem sumere, iure communi, debeant? Respōdeo, *in Clem. Ne in agro de Statu Monacho. §. Sanè*, sic esse cōstitutum: Vt Monachi in prima Dominica cuiuslibet mensis in Monasterijs semper cōmunicent; nisi ex causa fortè, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiarijs Monasteriorum non differant intimare; eorumque iudicio vel abstineant, vel accedant. Hæc ibi. Et in Concil. Trid. *sess. 25. de Regularib. & Monialib. cap. 10.* habetur: *Attendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, vt in Constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, vt saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant; & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant; vt eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes fortiter superandas.* Nauar. *in Manua. cap. 21. num. 59.* Tabien. *Communio, num. 14.* Armilla *eod. verbo, num. 16.*

Duodecimò quæritur, An qui in die Paschatis Eucharistiæ Sacramentum accipit indignè, videlicet, aut sua peccata non legitimè confessus, aut alio quolibet modo lethalis peccati conscius, Ecclesiæ præceptum impleat? Respondeo, eum implere; is enim licet ius diuinum frangat, ac violet malè ad Sacramentum accedendo, legis tamē Ecclesiasticæ substantiam seruat. Nimirum Ecclesia nihil aliud sua lege sanxit, nisi vt in Paschate ad sacra Eucharistiæ misteria accedentes, eius participes efficiamur. ROGABIS, an idem sit iudicium de eo, qui excommunicatione, vel interdicto adstrictus ad hoc Sacramentum accedit? Respondeo, eum quidem peccare, ac non solùm contra ius diuinum; sed etiam contra ius Canonicum siue Ecclesiasticum facere. Ius enim diuinum prohibet, ne malè quis accedat; & ius Canonicum in vniuersum excommunicatos & interdictos à Sacramentis excludit, ac prohibet: attamen ab eo susceptum indignè Sacramentum, est ratum, & ipse Ecclesiæ legem, siue præceptum implere videtur. Lex enim Ecclesiastica, qua excommunicati à Sacramentis arcētur, ipsum accessum & aditum ad ea cum peccato, cōdemnat quidem, at factum non semper irritum reddit, vt suo loco fusiùs explicabo. Sciendum est, Durandum *in 2. distinct. 28. q. 4.* Capreolum *in 2. dist. 41. q. 1. art. 3.* sentire, hoc præceptum impleri non posse sine gratia sanctificante: immo generatim aiunt, præcepta Sacramentorum supernaturalia seruari nequire sine gratia. Sed illi fortassis solùm loquuntur de præcepto diuino, non Ecclesiastico. Solùm itidem significant, eum, qui peccati lethalis conscius, suscipit Sacramentum, denuo sacrilegium committere; quia indignè Sacramentum accipit; eum verò, qui lethalis peccati reus, sed bona fide putans se legitimam peccati contritionem habere, ad Sacramētum accedit, implere quidem præceptum diuinum de suscipiendo Sacramento, sed non sine gratia adoptionis comitante, quāuis sine gratia antecedente, nam per ipsum Sacramētum gratiam consequitur. Adrian. *in 4. de Confess. quæstio. vltim.* generatim docere videtur, nullum præceptum, siue diuinum, siue humanum, implere posse per opus malum. At communis est sentētia Theologorum, hoc præceptum seruari, quamuis lethaliter peccet, qui indignè suscipit Eucharistiam. Sotus *lib. 2. de Iust. q. 3. art. 10.* Couarruuias *in ca. Alma mater de sentent. excommun. in 6. part. 1. §. 5.* Cordub. *in Sum. Casuum q. 15.* Nam cætera præcepta implentur, tametsi ea quis peccando impleat; vt si quis rem diuinam audiat, ieiunium colat, Baptismum, vel Confirmat. Sacramentum suscipiat, votum, vel iusiurandum seruet.

Vltimò quæritur, An si quis præuideat futurum, vt intra illos quindecim Paschales dies, Eucharistiam accipere non possit, debeat præuenire tempus, & ad sacram Communionem accedere? Respondeo, ad id faciendum præcepto non cogi: quia id nullus (quod sciam) hactenus dixit: nec id habet vsus Ecclesiæ: Nec is præuenire debet diem ieiunij; nec ante diem festum rem diuinam audire: nec hodie recitare Diuinum officium, quod die crastino recitare non poterit.

(*)

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER VIII.

DE PRIMO PRAECEPTO Decalogi.

CAPVT PRIMVM.

De ijs, quæ ad Fidem pertinent.

PRIMO quæritur, Quidnam primum Decalogi præceptum complectatur? Respōdeo, primo præcepto prohiberi, & damnari omnem Idolorum cultum, superstitiosas, & vanas obseruationes, omnem artis Magicæ diuinatoriæ vsum: Deinde, præcipi, quæ spectant ad Religionem, quæ virtus vni Deo vero cultum, honorem, & Veneration em iustam, ac debitam tribuit. Est enim Deus summo honore, cultu, & veneratione dignissimus. Imperat ergo, ne vllam prorsus rem creatam, quamuis excellētem pro Deo habeamus: vt soli vni Deo æterno, immenso, & omnipotenti singularem, & summum cultum, quem Græci Λατρείαν appellant, tribuamus, ipsi soli sacrificium offeramus, ipsum super omnia inuocemus, vt Optimum, & Maximum, Creatorem, Redemptorem, Saluatorem; hoc est, omnis naturæ auctorē, gratiæ, & gloriæ largitorem.

Secundò quæritur, Quid aliud ad primum Decalogi præceptum reuocetur? Respondeo, ad hoc præceptum redigi, quæcumque pertinent ad tres virtutes, quas Theologorum schola Theologicas vocat, Fidem nempe, Spem, & Charitatem: nam fide, & spe, & charitate Deum colimus, & veneramur: quia teste Augustino in Enchirid. cap. 2. *Si quæritur, quo colitur Deus: Respondeo, fide, spe, & charitate.* Non tractabo hoc in loco eas fidei quæstiones, quæ potius in cognitione, quam in actione sunt positæ: eas reijcio ad secundum Tomum: vbi ante omnia de numero, ordine, vi, & natura trium virtutum Theologicarum breuiter disputabo: in præsentia de ijs solum agam, quę potius ad actionem spectant.

Tertiò quæritur, Quid fidei nomine accipiatur? Respondeo, in præsentia, fidei appellatione intelligi virtutem diuinitus infusam, qua illustratus homo certò, & firmiter assentitur, & adhæret ijs, quæ vt credantur, sunt à Deo patefacta, & ab Ecclesia nobis proposita. Quare, fides non spectat ad naturæ ordinem, non innititur sensuum experientia, non potentia, sapientia, aut ratione humana; sed virtute, testimonio, & auctoritate

ritate diuina, quæ nec fallere vnquam, nec falli potest: subijcit omnem intellectum, & mentem in obsequium Christi Domini: Est lumen animæ, donum Dei, ostium vitę, fundamentum salutis æternæ, iustificationis initium.

Quartò quæritur, Quæ nam sint diuinitus reuelata, & ab Ecclesia proposita ad credendum? Respondeo, in primis ea esse, quæ in libris sacris, & canonicis continentur, sed quotnam sunt, & qui libri Canonici? Respondeo ex Concilio Tridentino *Sessione quarta*, esse qui sequuntur. Testamenti quidem veteris quinque, Mosis Legislatoris, hoc ordine, Genesim videlicet, Exodum, Leuiticum, Numeros, & Deuteronomium: Iosue quoque librum, & Iudicum, Ruth, quattuor Regum libros, duos Paralipomenõ, Esdræ primum, & secundum, qui dicitur Neemias, Tobiam, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta Psalmis comprehensum, Parabolas, seu Prouerbia Salomonis, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum, Esaiam, Hieremiam, Baruch, Ezechielem, Danielem, Duodecim Prophetas minores, id est, Oseam, Ioelem, Amos, Abdiam, Ionam, Michæam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, & Malachiam, duos Machabæorum, primum, & secundum, Testamenti verò Noui Quattuor Euangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem, Actus Apostolorum à Luca Euangelista descriptos, quattuordecim Epistolas Pauli Apostoli; nimirum vnam ad Romanos, duas ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duas, ad Timotheum duas, ad Titum vnam, alteram ad Philemonem, postremam ad Hebræos: Petri Apostoli duas, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vnam, Iudæ Apostoli vnam, & Ioannis Apostoli Apocalypsin.

Quintò quæritur, Qui libri Canonici sint ij, de quibus olim Ecclesiastici aliqui scriptores dubitarunt, tales ne essent? De hac quæstione Canus *libro secundo, de loco Theolog. capite nono*, Medin. *de rect. in Deum fide. libro sexto, capit. septim.* Respondeo, libros, qui in Bibljs Græcis, vel Latinis haberi solent, esse triplicis ordinis: alios quidem, qui apud Patres semper habiti sunt pro sacris, & Canonicis, nimirum, quinque libros Mosis, seu Pentateuchum; item Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duos Paralipomenon, Esdræ primum, & secundum, Iob, Psalterium, centum quinquaginta Psalmis contentum, Prouerbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, quatuor Prophetas maiores, quos vocant, Isaiam nempe, Ieremiam, Ezechielem, Danielem, & Duodecim minores, Oseam, Ioelem, Amos, Abdiam, Ionam, Michæam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, Malachiam, Quatuor Euangelia, Acta Apostolorum, Epistolas Pauli tredecim præter eam, quæ est ad Hebræos, primam Petri, & primam Ioannis.

Libri porrò, de quibus aliquando scriptores Ecclesiastici dubitarunt, sunt hi; Liber Esther, Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiasticus, Baruch, Machabæorum primus, & secundus, Epistola ad Hebræos, Epistola Iacobi, secunda Petri, secunda item, & tertia Ioannis, Epistola Iudæ, Apocalypsis Ioannis Apostoli. Alij verò libri semper habiti sunt in Ecclesia, & etiamnum habentur apocryphi, hoc est, canonicam auctoritatem non habentes, nempe liber tertius, & quartus Esdræ in Latinis Bibliis: Oratio Manassæ Regis, in fine secundi libri Paralipomenon annexa, Appendix in fine libri Iob in Græcis Biblijs: Psalmus centesimus quinquagesimus primus in græcis Codicibus: Appendix præfixa Threnis Hieremiæ, in quibusdam latinis Codicibus: tertius, & quartus libri Machabæorum in græcis Codicibus.

Sextò quæritur, An omnes libri Canonici integri cum omnibus suis partibus pro sacris, & canonicis habeantur? Respondeo ex Concilio Tridentino *Sessione quarta*, pro sacris haberi. Verba Concilij sunt: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in vetere vulgata latina editione habentur, pro sacris non susceperit; anathema sit.* Hæc ibi. Vnde etsi olim Ecclesiastici viri de quibusdam partibus librorum Canonicorum, quos supra retulimus, dubitauerint, nunc tamen nobis ambigere non licet. QVAERES, quænam sint huiusmodi partes? Respondeo, esse sex vltima capita libri Esther, Orationem Azariæ; & Hymnum trium puerorum *in capite tertio Danielis*: Historiam Susannæ *in capite 13. eiusdem*: Narrationem Belis draconis *capite 14. eiusdem Danielis*: Vltimum caput Marci Euangelistæ: Historiam mulieris in adulterio deprehensæ *apud Ioannem capite octauo*. Historiam sudoris sanguinei, & Angeli Christum Dominum consolantis. *Lucæ 22.* & illud quod habetur 1. Ioannis 5. *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.*. De his partibus nihil est amplius hæsitandum, quoniam in Ecclesia Catholica legi solent, & in veteri vulgata Latina editione habentur, non vt appendices; sed vt partes Canonicorũ librorum.

Septimò quæritur, An tres versus *in Psalmo decimo tertio; Sepulchrum patens est guttur eorum: Linguis suis dolosè agebant: venenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio, & infœlicitas in vijs eorum; & viam pacis non cognouerunt; non est timor Dei ante oculos eorum.* An inquam, hi tres versus pertineãt ad Psalmum decimum tertium. De hac quæstione Canus *libro secundo, de loc. Theologu. capite 13. in conclusione 3.* Duæ sunt opiniones, prima est dicentium hosce tres versus ad prædictum Psalmum, tanquam partes eius pertinere, quia videlicet eos Paulus ad Romanos *capit. 3.* citauit. Deinde, quia ante Augustini, & Hieronymi tempora in vulgata editione latina Psalm. 13. legi soliti fuerant. Postremò, quia Augustinus, Ruffinus, Beda, Remigius, & alij complures interpretes Latini eos legunt, & interpretantur in Psalmo 13.

Secunda opinio est aliorum aientium, hos tres versus non spectare ad Psalmum decimum tertium tanquam partes eius. Quod ficti illi probant: quia in nullis hebraicis codicibus leguntur, nec apud septuaginta interpretes. Item, quia ab antiquis Psalmorum interpretibus prætermittuntur, ab Arnobio inter Latinos; Chrysostomo, A-

mo, Apollinari, Theodoreto, Euthymio inter Græcos. Haymo præterea exponit eos; sed ait, nó esse à Propheta editos; sed ex loco Pauli ad Roman. 3. acceptos, in Psalmum decimum tertium vsu esse inuectos. Cassiodorus scribit: non esse in Hebraicis exemplaribus: *Sed quia in vsum*, inquit, *longæ Ecclesiæ cõsuetudine recepti sunt, singulos exponemus, prout nobis concessum fuerit.* Hieronymus testatur eos versus Apostolum citasse, & in vnum veluti contextum, & seriem coniecisse ex diuersis Scripturarum locis. Hieronymum secutus est Beda *Actorum primo*, hoc idem ante Hieronymum tradiderat Origenes *ad Roman. 3.* & post Hieronymum, Theophylactus, & Oecumenius.

Mihi magis probatur prima sentẽtia, quia Ecclesiæ vsu semper vulgata editione Latina Psalmi 13. legi soliti fuerũt: Et existimo olim aliquos fuisse codices Hebraicos, in quibus legerentur ij versus, licet amplius non extent: Adde his, quod alia sunt, quæ tanquam Canonica, & sacra habẽtur; cum tamen in Codicibus Hebræis minimè legantur. Nam LXX. Genes. 5. habent generationem Cainan, quam deinde Lucas Euangelista capite tertio probauit; sed in Hebraicis exemplaribus non est. Item Psalmo 113. Septuaginta, & vulgata editio Latina legunt integrum versiculum: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis; & sanctus in omnibus operibus suis*, quem versiculum in Hebraicis Codicibus deesse, & proinde eos esse mancos, ex eo constat, quod is Psalmus hebraicè conscriptus sit, & iuxta numerum, & ordinem litterarum alphabeti, & in Hebræo codice desideratur versiculus incipiens à litera Nun, hebraica: & tamen versicul⁹, quem Latina editio vulgata cum LXX. legit, *Fidelis Dominus, &c.* si hebraicè reddatur, erit integer Psalmus, constans toto ordine, & numero litterarum hebraicarum. nam vox, fidelis, hebraicè dicitur * neeman, quod nomen incipit à littera Nun. Item in Psalmo 36. qui etiam totus hebraicè est compositus secundum ordinem, & numerum litterarum, Septuaginta interpretes, & Latina vulgata editio legunt: *Iniusti punientur, & semen impiorum peribit*, vbi hebraica lectio manca omnino videtur, cum desit versus incipiens à littera Ain: & tamen hemistichium, quod Latini cum Septuaginta habent: *Iniusti punientur, &c.* si hebraicè reddatur, explet in Psalmo totum ordinem, & numerum litterarum hebraicarum. Iniusti enim hebraicè dicuntur * auilim, quod nomen incipit à littera Ain.

באמן*

עוילים

Octauò quæritur, An septem postrema capita, quæ habentur in libro Esther, videlicet, à decimo, vsque ad vltimum, sint in numero Scripturæ Canonicæ, vel partes verè libri Canonici, an potius sicut apocrypha scriptura? Sixtus Senensis *libro 1. & 8. Bibliothecæ*, sic ait: *Septem postrema capita libri Esther sunt extra sacram Scripturam, vt apocrypha.* Et cum sibi obijciat Decretum Concilij Tridentini, quod iubet recipi omnes libros integros, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in vetere vulgata editione habentur. Respondet Decretum intelligi de veris, & germanis partibus, quæ ad librorum integritatem spectant, non autem de laceris quibusdam appendicibus, & pannosis additamentis à quouis auctore incognito temere appositis, & vtcumque assutis: quælia sanè sunt huiusmodi vltima capita. Hæc ille. Quæ certè scribere non debuisset post Concilij Tridentini decretum. Nam satis indicat Concilium, hæc capita esse illius libri Canonici partes, non appendices: Siquidem ea legi solent in Ecclesia Catholica, & habentur in veteri vulgata editione, vt capita illius libri Canonici: alioqui cuique dubitare liceret de partibus aliorum librorum Canonicorum, vtrum sint partes, an appendices, vt ille dixit, assutæ. Nec pro Sixto facit, quod Hugo, Lyranus, Dionysius, Caietanus dixerunt, hæc capita esse apocrypha: quoniam id scripserunt ante Concilij Tridentini decretum. Nec Hieronymus ea dixit esse apocrypha; sed non haberi in hebraicis codicibus: immò dixit ea contineri in vetere vulgata editione. Et hoc sufficit: Nec enim hebraici codices sunt nobis certa regula Canonicorum librorum, & Origenes *in epistola ad Iulium Africanum*, ea capita tradit non in hebraicis, sed in vulgatis codicibus contineri.

Nonò quæritur, An Tituli Psalmorum, Prophetarum, & Euangelistarum sint Tituli Canonici, & sacri? Respondeo esse; nam licet inter Ecclesiasticos auctores nonnulli aliquid fidei, & auctoritatis Titulis Psalmorum detraxerint, docentes eos aliqua ex parte esse adulterinos, & supposititios Titulos: mihi tamen magis probatur eorum opinio, qui censent, eos esse Canonicos, & sacros Titulos, siue sint ab auctore ipso Psalmorum editi, siue postea ab Esdra sacerdote, & doctore legis additi, siue ab Ecclesia adiecti. hoc enim, vtcumque se habeat, Tituli Psalmorum, Prophetarum, Euangelistarum, vel Apostolorum, sunt Canonici, & sacri Tituli: nam etiamsi partes non sint eius scripturæ, cuius Tituli sunt: sunt tamen veri, germani, & sacri Tituli, vtpotè à Canonico, & sacro auctore appositi, & adiuncti, vel saltem communi Ecclesiæ vsu approbati.

Decimo quæritur, Penes quem, vt iudicem, sit auctoritas definiendi quinam sint libri Canonici, & internoscendi, ac discernendi inter Scripturas Diuinas? Respondeo, penes Ecclesiam quam voluit Christus Dominus teste Apostolo, esse columnam, & firmamentum veritatis: quæ tanquam magistra, custos, & interpres veritatis fidem, & auctoritatem inuiolabilem obtinet: pro qua rogauit, & impetrauit, vt fides, vnitas, & firmitudo eius nunquam deficeret: cui promisit, & fideliter reliquit doctorem, præfidem, & rectorem Spiritum sanctum, qui doceret nos omnem veritatem ad sciendum, & credendum necessariam: quamque fundauit supra firmam petram vt staret immobilis, & inconcussa contra portas inferorum; hoc est, (vsitata videlicet Scripturæ phrasi) contra omnem munitionem, robur, potẽtiam, & oppugnationem aduersariorum.

Vndecimò quęritur, An Canonici libri ita sint Spiritu sancto dictante conscripti, vt non solùm ipsas res, & sensus Spiritus sanctus dictando suggesserit, sed etiam singula verba atque voces? Fuit quorundam sentẽtia, Scripturas ideo esse sacras, & diuinas; quia earum scriptoribus ita Spiritus sanctus astiterit, vt res, & sentẽtias dunt axat sub-

ministra-

miniſtrauerit, vel de integro reuelando, quæ erant ſcriptori penitus occulta, & ignota; vel in ijs, quæ ſcriptori manifeſtò, & euidenter conſtabant, ita eius mentem, & animum dirigendo, ne in ſcribendo, lapſu memoriæ etiam minimo, aut errore, vel malitia prolaberetur in vllum ſenſum falſum, non tamè, quod ſic aſtiterit, vt ſingula verba dictauerit, ſed liberum ſcriptori reliquerit, vt ſenſum, quibus vellet, verbis exprimeret. Mihi tamen hæc ſententia minimè probatur, nec tuto poſſe defendi videtur: nam tāquam certiſſimum exiſtimo id, quod alij tradiderunt, Scripturas ſacras ita eſſe cōditas, vt Spiritus ſanctus, non ſolū res, & ſententias dictando ſuppeditauerit, ſed etiam ſingula quæque verba inſtillarit, ac miniſtrauerit, ita, vt Scripturæ verbum non tanquam hominis verbum, ſed tanquam Dei verbum accipiendum ſit: Sic enim Scripturæ vocant, & Gregorius in prolo. in Iob ait: *ipſe Spiritus ſanctus, hæc ſcripſit, qui hæc ſcribenda dictauit*, & Ambroſi. in proœmium Lucæ ait. *Euangeliſtæ diuino ſpiritu vbertatem dictorum rerumq; omnium miniſtrante ſine vllo molimine cœpta compleuerunt, & prophetæ ſæpe aiunt verbum Domini, quod locutus eſt Deus per prophetam ſuum. Denique ſcriptura dictata eſt à Spiritu ſancto: ergo eius verba dictata ſunt ab eo, ſicut dicitur Epiſtola dictata à Principe, cuius non ſolùm res, ſed verba à Principe dictantur.*

Duodecimò quæritur, An in minimis etiā ſcripturarum rebus, & verbis poſſit admitti ſenſus aliquis falſus? Reſpondeo, minimè: quoniam ſicut maxima; ita etiam Scripturæ minima Spiritu ſancto dictante conſcripta ſunt: Deus autem abſolutè, & ſimpliciter, nec fallere, nec falli poteſt. QVAERES, an etiam in ijs hominib⁹, quos Scripturæ introducunt loquentes Spiritus ſancti afflatu, & inſtinctu, nullus error, vel lapſus memoriæ ſit admittendus? Reſpondeo nequaquam eſſe admittendum: quoniam per huiuſmodi homines Spiritus ſanctus loquebatur, qualis fuit B. Stephanus protomartyr, dum haberet ad populum concionem. In ijs verò hominibus, qui in ſacris literis inducuntur loquentes, non Spiritus ſancti numine, & afflatu, potuit error eſſe. Tales fuēre tres amici Iob, qui licet ſapientes, non tamen in omnibus ſapienter, & verè locuti ſunt: vti apud Iob extremo capite, ipſius Domini verba declarant.

Caput II.

De eadem re, aliæ quæſtiones ſoluuntur.

PRIMO quæritur, Penes quem ſit auctoritas interpretādi Scripturas iuxta verum, & germanum earum ſenſum? De hac quæſtione Canus *lib. 2. de locis Theolog. cap. 7.* Medina *libr. 5. de recta in Deum fide, ca. 11. & ſequent.* Reſpondeo ex Concilio Tridentino, *ſeſſione quarta*, eſſe penes Eccleſiam. ait enim: *Decernit ſacroſancta Synodus, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus conorquens, contra eum ſenſum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum, interpretari audeat.* Hactenus verba Concilij ſunt. Scripturæ enim ſacræ aliquando ſunt obſcuræ, aliquādo ambiguæ, aliquando etiam videntur ſibi inuicem contrariæ, & aduerſæ. Et ideo Eccleſiæ ſenſus, & interpretatio eſt certa norma, & regula. Nam exempli gratia, Scriptura inquit: *Ego & Pater vnum ſumus*, & alio item loco ait, de Apoſtolis: *Vt ſint vnum, ſicut nos vnum ſumus.* Eccleſiæ magiſterio didicimus primum teſtimonium intelligi ſecundum vnitatem in natura, & ſubſtantia; ſecundū verò, *vt ſint vnum*, de animi, & voluntatis conſenſione, eſſe accipiendum. Similiter Chriſtus Dominus dixit: *Pater maior me eſt*, & de eodem Ioannes Baptiſta, *Qui ante me factus eſt*. Eccleſia interpretante docemur, primum illud: *Pater maior me eſt*, ſecundum humanam naturam aſſumptam intelligi debere, non item ſecundum diuinam: porrò verbum illud, *Qui ante me factus eſt*, id tantùm ſignificare; Qui ante me fuit, vel, Qui me anteceſſit. Præterea dubitari non poteſt, obſcuram eſſe ſcripturam multis in locis: ergo niſi Eccleſia ſenſum declaret, certi eſſe non poſſumus: legimus, Chriſtum Dominum tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ fuiſſe: neque enim facilè explicari poteſt, quo pacto inter mortem, & reſurrectionem dominicam tres dies, & tres noctes interceſſerint. Nec eſt item explicatu facilè id, quod S. Marcus ait: *Hora tertia erat, & crucifixerunt eum*; cum tamen ex Ioanne conſtet, hora quaſi ſexta fuiſſe Chriſtum cruci affixum: quæ duo pugnare ſecum videntur, niſi rectè explicentur, niſi Eccleſiæ, vel Sanctorum patrum magiſterio rectā eorum locorum intelligentiam diſcamus. *Ioan. 10.* *Infrà 17.* *Ioan. 14.* *Ioan. 1.* *Matth. 12.* *Marc. 15.* *Ioan. 19.*

Secundò quæritur, An interpretari liceat alicui ſacram Scripturam cōtra vnanimem Patrum conſenſum? Profectò quicquid dixerit Caietanus *in Proœmio in Geneſim*, conſtat ex Concilio 6. Generali *Act. 17.* & ex Conc. Vien. vt habetur *in clem. 1. De ſumma Trinitate, & Fide Cath.* communē Sanctorum patrum ſententiam, vel Scripturarum interpretationem ſeu intelligentiam in docendo aliquid ad rectam fidem ſpectās, pro Catholica auctoritate habendam eſſe, & contrariam ſententiam, vt hæreticam damnandam.

Reſpondeo itaque, Concilium Tridentinum *ſeſſ. 4.* in hunc modum definiuiſſe: *Decernit*, inquit, *ſancta Synodus, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus conorquens contra eum ipſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat; etiamſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent.* Sic ibi. Vt hæc exemplis illuſtrentur; contra vnanimem ſanctorum Patrum conſenſum eſt, dicere, in Cantico Canticorum contineri colloquium exprimens ſolùm amores humanos, & coniugales inter Salomonem, & vxorem eius: cum totum eiuſmodi Canticum reuera per parabolam explicet amores inter Deum, & Animam piam, & religioſam cultricem Dei. Item, dicere totam de Iobo narrationem, non eſſe veram rei geſtæ hiſtoriam; ſed tantùm rei fictæ parabolam. Item, dicere; tephte filiam iuam non immolaſſe; ſed tantùm DEO conſecraſſe, vt perpetuò innupta maneret. Præterea iudicere, quæ Geneſ. 2. referuntur de Eua ex coſta Adę procreata, non intelligi ſecundū hiſtoriam, quòd *Iudic. 11.*

reuera

reuera ita acciderint, sed secundùm typum, & mysticum sensum accipienda esse. Item, illud Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Illud quoque Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Et illud Michææ 5. *Et tu Bethlehem terra Iuda, &c.* non secundùm literam, & historiam, sed tantùm secundùm typum; & figuram intelligi de Christo Domino. Id etiam Oseæ 11. *ex Ægypto vocaui Filium meum*, de Christo intelligi solùm per accommodationem, non secundùm historiam, nec secundùm typum.

Tertiò quæritur, An interpretari liceat Scripturam sacram, non quidem contra vnanimem consensum Patrum, sed præter illum duntaxat, quod est quærere, An si quis Scripturę sensum reddiderit, qui nō sit vna animi Patrū consensui cōtrarius, licet diuersus, pugnet cū Tridentini Concilij Decreto? Respondeo: minimè, sic enim docet Bannes *prima parte q. 1. ar. 10. dub. 6.* Quoniam Synodus non prohibet, quo minus alios Scripturarum sensus eruamus; sed tales sint, vt vnanimi Patrum sententiæ repugnent. Vnde Augustinus lib. 1. de Geneſi ad literam c. 18. ait: *Si qua inde scripta, etiam diuina legerimus, quæ possint salua fide, qua imbuimur, aliis atque aliis parere sententijs, in nullam earum nos præcipiti affirmatione proijciamus, vt si fortè diligentius discussa veritas eam rectè labefactauerit, corruamus, non pro sententia diuinarum Scripturarum, sed pro nostra ita diuinantes, vt eam velimus scripturarum esse, quæ nostra est: cum potius eam, quæ scripturarum est, nostram esse velle debeamus.* Sic ille. Scriptura enim est admodum fœcunda, plures sensus sæpius habens. Sit Exemplum: Illud Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Patres intelligunt siue generationem æternam ex Patre secūdum diuinitatem, siue temporalem iuxta naturam humanā ex Virgine: at alij generationem accipiunt pro ætate, & sæculo: ita, vt velit dicere Propheta; Illius ætatis homines, aut gentes quis enarrabit? hoc est, Quis poterit verbis exprimere prauitatem hominum temporis illius, quo Christus viuet? *Generationem item eius quis enarrabit?* id est, Quis exprimet homines, qui sunt in Christum crediturі, qui per Baptismum renascentur in eo hi sensus si recipiuntur, non est tamen sensus Patrum reijciendus.

Quartò quæritur, An nefas sit Scripturarum sacrarum, verba ad profanā, & vanam interpretationem conuertere? Respōdeo, ex eodem Concilio Trident. *sess.* 4. nullo modo licere id facere. Sic enim ibi Concilium definit: *Posthæc, temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæq; conuertuntur & torquentur verba, & sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat, & præcipit ad tollendam huiusmodi irreuerentiā, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ adhæc, & similia audeat vsurpare: vt omnes huius generis homines temeratores, & violatores verbi Dei, iuris, & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur.* Hæc ibi.

Quintò quæritur, An tot sensus possit habere vnus Scripturæ locus? Respondeo, ex communi Theologorum sententia, quam habet. S. Thomas *in part. q. 1. arti. 10.* & quæ ex Patribus, & Scripturis sanctis videtur esse desumpta, posse habere duos sensus, vnum literalem, alterum mysticum, ita Grego. *libr. 20. Moral. cap. 2.* Augustl. *lib. de vtili. credendi. cap. 3.* & Hieronym. *ad Hedebiam. quæst. 12.* Literalis sensus est, quem ipsæ voces propriè, aut translatè sumptæ proximè significant. Scriptura enim voces, quibus vtitur ad aliquid significandum, aliquando propriè, aliquando metaphoricè vsurpat, vt docet Augustl. *libr. 3. de doctr. Christian. cap. 5. 10. 11. & 29.* Clarent hæc exemplis: Leo, agnus, ouis, petra, mōs, in Scripturis propriè accipiūtur sæpenumero; aliquando verò impropriè, & metaphoricè, & significant fortem, innocentem, mansuetum, constantem, superbum: quod idem dicere possumus de multis alijs Scripturæ vocibus. Quare duplex est Scripturę literalis sensus, vnus proprius, genuinus, quem voces propriè sumptæ significant; alter metaphoricus, & figuratus, quem voces per translationē acceptæ designant. Quod si roges, quando Scripturæ voces propriè, quādo metaphoricè siue tropicè interpretabimur? Respondeo, esse vtendum regula Augustini in hac parte, qui *lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 10. & 11.* docet, voces Scripturæ semper propriè interpretari debemus, nisi quādo inde absurdi aliquid colligetur, absurdum intelligit, quod sit alteri Scripturæ loco contrarium, vel quod cum rectā ratione manifestè pugnet. Mysticus verò sensus est, quem nō voces primò, & proximè significant; sed res vocibus significatæ, nimirum quando res vocibus significatæ, nimirum quando res vocibus significata est typus, figura, & vmbra alterius rei. Explicabo rem; ad *Heb. 5. & 7.* Apostolus multa per typum, & Allegoriam explicat, & illud Deutero. 25. *non alligabis os boui trituranti.* Mysticè explanat. 2. *Cor. 9.* Totā historiam duorum filiorū Abrahæ, Isaac, & Ismaēlis, Paulus scribit esse per allegoriā, typum, & vmbram duorum Testamentorū, veteris, & Noui: & duas vxores Abrahæ, ancillam vnam, alteram liberam, esse figuram duarū ciuitatum, terrestris, & cælestis. Idem ad Corinthios, post enarratas multas veteris Testamenti res gestas, subiunxit: *Omnia in figura contingebant illis*, scilicet Iudæis: vbi & petram diuinitus è silice scaturientem, ex qua Hebræorum populus bibit, ait fuisse Christum; nimirum per allegoriam. Typum fuisse Baptismatis, historiam Noe & filiorum eius, qui sunt per arcam seruati, ne vna cum alijs perirent, docet Petrus Apostolus. 1. *epist.* 3. Ionam tribus diebus, & tribus noctibus in ventre ceti, figuram fuisse Christi Domini triduo in ventre terræ sepulti: & serpentem æneum, quem Moses erexit, Domini in cruce pendentis typum fuisse, ipse Christus Dominus explicuit. Matth. 12. & Ioan. 3.

Sextò quæritur, Quotuplex sit scripturæ Mysticus sensus, & quotuplex item literalis sensus? Respondeo, cum S. Thom. 1. *part. quæst. 1. art. 10.* de communi Theologorum mente atque doctrina, Literalem seu historicum, vt paulò ante dixi, esse duplicem, Proprium nempe, & Metaphoricum. Metaphoricus verò est duplex, quoniam Metaphora, aut inest singulis verbis, aut toti sermoni, & orationi. Talis est ea Christi oratio, & sententia: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei, tales sunt parabolę, prouerbia, & multæ aliæ scripturarū sententiæ,

rentiæ, quæ cùm in vetere, tùm in nouo testamento continentur. Mysticus verò sensus est triplex: Allegoricus, cum res veteris populi accipiuntur tanquam vmbræ, & figuræ eorum, quæ ad Christum, & Ecclesiam pertinent, Tropologicus, est cum res veteris Testamenti sumuntur tanquam figuræ, & imagines eorum, quæ ad vitæ mores spectant. Anagogicus verò sensus est, cum res veteris, & antiquæ reipublicæ accipiuntur tanquam typi, & vmbræ supernæ, & cælestis patriæ. Hoc vno tantùm exemplo declaro, vox vna Hierusalem, habet quadruplicem sensum, litteralem siue historicum, & significat vrbem illam totius Orientis celeberrimam, Iudææ totius metropolim, in qua fuit templum Domini extructum, pulcherrimum magnificentissimumque, & Regum Iudæ regia aula constituta. Allegorico sensu vrbs illa typus, & figura fuit Ecclesiæ à Christo Domino fundatæ. Tropologicè verò vrbs eadem est figura, & vmbra piæ & religiosæ mentis, in qua tanquam in ciuitate Deus templum, domicilium, & sedem habet, Secundum Anagogiam, Hierusalem est imago cælestis, & supernæ patriæ. Hierony. *ad Hedibiam. quæst. 12. triplex*, inquit, *in corde nostro descriptio scripturarum est, & regula. Prima, vt intelligamus eas iuxta historiam, secunda, iuxta Tropologiam: tertia iuxta intelligentiam spiritualem, in historia eorum, quæ scripta sunt, ordo seruatur, in Tropologia de litera ad maiora consurgimus: & quicquid in priori populo carnaliter factum est, iuxta moralem interpretamur locum, & ad animæ nostræ emolumenta conuertimus. In spirituali Theoria ad sublimiora, transimus: terrena dimittitus, de futurorum beatitudine, & cælestibus disputamus, vt præsentis vitæ meditatio, vmbra futuræ beatitudinis sit.*

Octauò Quæritur, An quilibet Scripturæ locus sensum habeat literalem? Quidam putant Scripturam aliquando sensu litterali vacare, solo mystico intellectu contentam. Mihi tamen videtur, omnem Scripturæ locum sensu aliquo literali constare, vel proprio, vel metaphorico, Metaphoricus est in parabolis & in multis, quæ per tropos scriptura continet, ac refert, siue describit. Scriptura enim vocibus vtitur ad aliquid proximè significandum: quamuis res vocibus significata, sit typus, & vmbra aliarum rerum. Obijcies, multa in scripturis contineri, quorum non videtur esse ratio aliqua, literalem sensum præ se ferens, quale illud videri possit: *Non alligabis os boui trituranti*; item illud, *Non arabis in boue, & asino*, hæc enim, & similia videntur propter mysticos duntaxat intellectus esse conscripta. Respondeo, minimè esse negandum, in his & similibus, mysticas, & spirituales latere intelligentias, & quidem elegantes admodum, & pulchras, nimirum, Dignum esse operarium cibo, seu mercede sua, vt explicauit Apostolus; item munda cum immundis non esse miscenda. Item, infirmioribus, & robustioribus iuxta proportionem, onera esse imponenda: at negandum non est, in his, & similibus Scripturæ locis sensus literales contineri, quamuis aliquando lateant, siue illi sint propri, siue Metaphorici: nam non semper scriptura vtitur vocibus propriè sumptis; sed Metaphoricè: & hoc est, quod Hiero, *ait cap. 8. & cap. 11. in Zachar.* non vbique esse historiam, hoc est, non semper scripturæ voces accipi propriè, sed aliquando translatè. V. G. *si manus tua scandalizat te abscinde eam. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum*; significat solùm Dominus quamlibet occasionem peccati quamuis proximam nobis, & charam præcidendam, & amouendam. Eodem modo intelliguntur Greg. *lib. 22. Mora. cap. 23. & 4. Moral. cap. 1.* & Orig. *lib. 4. Periarchon.* cum dicunt aliquando historiam deficere, & vbi deficit historia, ad Mysticum sensum recurrendum. Iudæi fortassis cum ad triturandas segetes boues conducere solerent, eorum ora obstruebant, ne inter triturandum quidquam ederent, quo fiebat, vt ea misera iumenta malè haberent, & tractarentur. Et idcirco iubebat lex, *Non alligabis os bouis trituranti*. Rursus cum Iudæus asinum tantum, aut bouem tantum habebat, bouem, aut asinum, forsitan conducebat, & deinde vtrumque ad arandum iungebat: ex quo nascebatur id incommodi, vt asinus conductus, vtpotè boue infirmior plusquam par erat, in arando pateretur, bos itidem conductus, malè quoque tractabatur, vnà cum asino ad agros aratro scindendos, & colendos iugatus, eò quod plus oneris ea ratione boui imponeretur. Quocirca lege cauebatur: *Non arabis in boue simul, & asino.*

Nonò quæritur, An quilibet scripturæ locus sensum mysticum habeat? Quidam arbitrantur omnem scripturæ locum sensu mystico constare, quoniam Pauli vox est: *Omnia in figura contingebant illis*, & Augu. *lib. de Mendacio ad Consentium cap. 15.* ait, omnia veteris legis pertinere ad figurativam prænunciationem. Mihi tamen videtur dicendum, leges veteris Testamenti, quæ cæremoniales, & iudiciales vocantur à Theologis, habere duplicem sensum, literalem scilicet, & Mysticum. Rursus, res gestæ veteris populi, quas scripturæ commemorant tanquam benè gestas, typi fuerunt eorum, quæ ad Christi Ecclesiam spectant. Acta item, & miracula Christi Domini, non solùm continent narrationem rei gestæ, sed etiam figuram, & imaginem eorum, quæ sunt à nobis agenda. Augustinus *serm. 44. de verbis Domini* ait: *Dominus noster Iesus Christus ea, quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi: neque enim tantùm miracula propter miracula faciebat; sed vt illa quæ faciebat, mira essèt videntibus, & vera essent intelligentibus.* Idem existimo de rebus gestis iustorum, & sanctorum hominum, quæ tamquam benè gestæ in scriptura referuntur. At verò præcepta, & consilia morum non solent passim, nisi sensum litteralem habere; quæ ita sunt præcepta Decalogi, & præcepta Fidei, & ea, quæ in libro Prouerbiorum, Ecclesiastici, Sapientiæ, Ecclesiastici contenta normam, & regulam rectè viuendi præscribunt. Hieron. in Matth. 23. ait, *multa in lege scripta sunt, quæ typos præferunt futurorum: alia verò aperta sunt, qualia sunt præcepta morum, non furaberis, non falsum testimonium dices*, & Aug. cap. 3. ad Galat. & lib. 6. contra Faustum cap. 2. & lib 10. cap. *alia* inquit, *sunt quæ pertinent ad sacramenta; alia, quæ ad mores; illa, sunt præcepta vitæ significandæ, hæc vitæ agendæ.* Hieron. in Isai. cap. 58. in Zach. cap. 8. & cap. 11. ad Ephes. 5. & 2. Corinth. 3. ait, *non vbique historia, neque vbique allegoria seruanda est: sunt quædam in figura, alia non item: talia præcepta morum*, idem Greg. *lib. 12. Moral. in pro-*

emio, Orig. *hom. 11. in Num.* Auguſt. *lib. 16. de ciuit. cap. ſecundo.*

Decimò quæritur, An ex myſtico ſenſu argumentum efficax ſumatur ad res Fidei comprobãdas? Reſpondeo, ex communi Theologorum ſententia, quam habet S. Th. 1. p. *q. 1. a. 10. ad 1.* quæque ſumpta eſt ex Auguſtino, *epiſt. 48. ad Vincentium Donatiſtam*, & Hier. *in Matthæum. 13.* Minimè; ſed ſolùm ex literali ſenſu, quod ipſum, & ratio conuincit: qua literalis ſenſus vocibus primò, & proximè ſignificatur; Myſticũ autẽ voces nõ ſignificant: ſed res vocib. ſignificatæ. Quod autẽ res vocib. ſignificata ſit rei alterius figura, & vmbra, planè ex ſcripturæ vocibus non conſtat, etiamſi comperta nobis ſit ſignificatio vocum. At verò literalis ſenſus ex ipſa vocum ſignificatione propria, vel metaphorica conſtare poteſt: & ideò dixit Dionyſius. *in Epi. ad Titum*, Theologia Symbolica, hoc eſt, Myſtica, non eſt argumentatiua. Quidam tamen, inter quos eſt Medina. *lib. 6. de recta in Deum fide, capite 25.* negant ex literali ſolummodò ſenſu argumentum efficax colligi ad Fidei dogmata confirmanda; ſed etiam, aiunt, ex myſtico multa argumenta efficacia deſumi. Si quæras, An in rebus male geſtis, quas ſcriptura refert cõtineatur Myſticus ſenſus præter literalem? Ratio dubitandi eſt, quia Gre. *lib. 3. Moral. cap. 21.* Allegoricè exponit adulterium à Dauide commiſſum: vbi videtur innuere in peccatis, quæ ſcripturæ recenſent, allegoriam latere. Eucherius *lib. 2. in libros Regum cap. 7.* allegoricè interpretatur idẽ adulterium. Angelomus *quoque. 2. Regum. cap. 11.* & Ambroſ. *lib. de Apologia Dauidis. cap. 3. & 4.* Caſſiod. *in Pſalm. 50. Item hom. 1. in Matth.* nomine Chryſoſtomi. Et apud Hieron. *in epiſt. ad Raſſinum* allegoricè exponitur id, quod de duabus meretricibus narratur. 3. *Reg. cap. 3.* Inſuper Auguſt. *lib. 22. contra Fauſtum. cap. 83.* Eucher. *lib. 2. in Geneſ. cap. 30.* & Ambroſ. *in apologia Dauidis cap. 3.* allegoricè exponunt congreſſum Iudæ cum Thamar. & Auguſt. in *Pſalm. 57. & lib. 22. contra Fauſtum, ca. 42.* allegoricè quædã alia interpretatur. Cæterũ Hieronymus *in Oſeæ cap. 10. in Ezech. cap. 12, in Iſai. cap. 45.* reprehendit eos, qui allegoricè explicant res malè, & turpiter geſtas; & Auguſt. *lib. 2. de ſermone Domini in monte.* Sic etiam Orig. *hom. 5. in Geneſim.* Dicendum exiſtimo in primis, impios in eo, in quo impij fuerunt, typum & figuram Chriſti non fuiſſe: & hoc eſt, quod dixerunt Origenes, Hieronymus, & Auguſtinus *vlt. loco* citati. Deinde, homo bonus, qui in vetere populo præceſſit, in re aliqua, quæ verè mala nõ fuit, in eopotuit typum, & figuram continere Chriſti, ſic Abel interfectus à fratre fuit figura Chriſti. Ioſeph à ſuis fratribus venditus Chriſtum adumbrauit. Samſon ingreſſus ad alienigenas, ſignificauit Chriſti ingreſſum ad gentes; tale eſt illud, quod Lucæ. 11. Narratur de amico importuno: & c. 18. illud de iudice, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur. Præterea nobis non licet paſſim malefacta, quæ ſcriptura narrat, allegoricè ſiue Myſticè explicare. At ſi auctoritate ſanctorum Patrum quis ea Myſticè interpretetur, reprehendi iure, nec debet, nec poteſt. Nam Auguſtinus *lib. 22. contra Fauſtum*, cap. 42. & cap. 82 *Aliquando*, inquit, *factum in ſcriptura narratum, cum refertur, prophetia eſt, cum factum fuit, flagitium fuit. Aliud enim cum factum eſt, inuenerunt ij, qui fecerunt, aliud Deus, qui hoc fieri permiſit, vt aliquid inde monſtraret pro ſignificatione futurorum.* Et exemplum ponit de Loth, & filiabus eius cum eo rem habentibus; idem docet Eucher. *lib. 2. in Gene. c. 30.* Greg. *lib. 3. Moral. ca. 21.* Angelo. *lib. 2. Reg. cap. 11.*

Annotandum itidem eſt, Myſticum ſenſum aliquando ad Fidei dogmata confirmanda valere, nimirum, quando myſticus ſenſus ex aliquo ſcripturæ loco planè conſtat, quales ſunt myſtici ſenſus, quos Paulus, & alij Apoſtoli explicauerunt. Item, quando myſticus ſenſus apertè ex traditione Chriſti Domini, & Apoſtolorum liquet, certam etiam fidem facit; Præterea: ſi conſtet etiam communi totius Eccleſiæ conſenſu: nam ſenſus myſticus ſi verus ſit, & germanus, à Spiritu ſancto Scripturarum auctore eſt: vtrunque enim ſenſum, literalẽ, & Myſticũ Spiritus ſanctus voluit: ſed myſticus ſenſus ab auctore Canonico declaratus, aut Traditione diuina, aut communi Eccleſiæ conſenſu receptus, verus eſt, & germanus, ergo eo ipſo certam fidem facit: Ex quo eſficitur, vt myſticus ſcripturæ ſenſus concordi Patrum conſenſu explicatus reijci nequeat. Tale eſt illud Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* iuxta litteram quidem de rege Babyloniorum Nabuchodonoſor vaticinium eſſe, quidam exiſtimant: myſticè verò ſecundum vnanimem Patrum conſenſum intelligitur de caſu miſerabili ſuperbi dæmonis è cælo: myſticus ergo ſenſus proprio cuiusq; ingenio, & ſtudio ex ſcripturis erutus, certam fidem non facit.

Vndecimò quæritur, An eiuſdẽ litteræ in ſcripturis poſſint eſſe duo, & plures ſenſus literales? Quidã, è quorum numero eſt Medina *lib. 6. de reſt. in Deum fide. c. 25.* ſentiunt, non poſſe eſſe: qui non diffitentur multa eſſe in ſcripturis, quæ ex multiplici ſignificatione vocũ propria, vel translata hunc aut illum poſſint ſenſum habere; aiunt tamen Spiritum ſanctum ſcripturarum conditorem, vnum tantùm ſenſum voluiſſe, licet voces propriè, vel Metaphoricè acceptæ multa ſignificẽt. Et proindè quando ſcripturę locus ex ſignificatione vocum multiplicem reddit intelligentiam, ex eo loco firmum argumentum ſumi non poteſt ad res Fidei comprobandas, quia nobis nõ conſtat, hunc, an illum ſenſum voluerit Spiritus ſanctus, niſi ex alio ſcripturę loco, aut traditione diuina, aut Eccleſiæ ſenſu fuerit patefactum. Cõmunis tamen Theologorum opinio, quam habet S. Tho. *1. p. q. 1. art. 10.* ex Auguſtino accepta eſt *li. 12. confeſſio. cap. 20. 24. 26. 27. 28. & 31. & lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 27. & lib. 11. de ciuit. cap. 19.* eiuſdem literæ poſſe plures literales ſenſus eſſe. Hinc eſt, vt ſi vocum ſignificatio ſit multiplex, omnes eiuſmodi ſenſus, quos voces deſignant, ſint admittendi, nõ quidem per diſiunctionem hic, aut ille; ſed per copulationem hic, & ille. Si dicas ergò ambiguè ſepè loquitur Spiritus ſanctus; Reſpondeo, ambiguitatem non eſſe, quia ſi voces plura certò ſignificent, tunc plures ſenſus, quos ſcripturæ voces deſignant ſunt retinendi, quoniam Spiritus ſanctus in iis vocibus plura nobis ſignificari voluit.

De

Cap. III.

De vulgatæ Latinæ editionis auctoritate.

PRimò quæritur, in qua lingua sacri, & Canonici libri habeant auctoritatem in rebus Fidei, & morum comprobandis? quod est quærere? An ad res Fidei confirmandas sit recurrendum ad primarias linguas, in quibus editi sunt, & conscripti libri Canonici? Respondeo, ad id sufficere vulgatam editionem latinam, qua vtitur Ecclesia, quoniam Spiritus sanctus Ecclesiam gubernat ac regit: & proinde, cum per tot annos Ecclesia, editione vulgata latina, sit vsa in rebus Fidei, & morum, confirmandis, consequens est, vt scriptura, quam habet vulgata latina editio, sit pro sacra, & Canonica habenda. Nec refert, si scriptura sit condita in alia lingua, ex qua sit deinde in latinam conuersa. Nam etiamsi interpretis auctoritas vulgatam editionem latinam, non fecerit esse scripturam canonicam; Ecclesiæ tamen consensus, & vsus sufficit ad eam authenticam, vel canonicam declarandam. Vnde etsi per hypothesim concedamus, interpretem in interpretando labi potuisse; non tamen potuit Ecclesia in approbanda latina editione errare, & decipi; quoniam habet Spiritum sanctum, sibi assistentem in approbandis, dijudicandis, & declarandis Scripturis in latinum etiam sermonem conuersis: sicut etiam adest Spiritus sanctus eidem in decernendo, hos, & non illos esse libros canonicos: in definiendo hoc, & illud esse Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis.

Secundò quæritur, quantæ auctoritatis sit vulgata latina editio? Respondeo. Concilium Tridentinum, sessione quarta ita definiuisse. *Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum vtilitatis accidere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit, & declarat, vt hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot seculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat, vel præsumat.* Hinc colligitur, quid sit dicendum, cum quæritur, an in sacrarum litterarum intelligentia, sit recurrendum ad Hebraica, vel græca exemplaria, & an vulgatæ latinæ editionis codices sint per Hebraicos, vel Græcos corrigendi; Olim cum multa esset latinorum codicum varietas, Patres dicebant ad Hebraicos, vel Græcos codices recurrendum esse. Sic Hieron. *in lib. aduersus Heluidium in epi. ad Marcellam ad Damasum, & cap. 8. Zach.* Sic Aug. *lib. 2. de doctri. Christiana. cap. 15.* Sed postquam tam longo vsu vulgata latina editio est in Ecclesia approbata, & Concilij Trident. auctoritate confirmata, & Romanorum Pontificũ testimonio munita, non est, quod ad Hebraica, vel Græca exemplaria recurramus, aut quod vulgata latina editio per Hebraicos, vel Græcos codices emendetur: ipsa per se satis est, ad fidei dogmata stabilienda.

Tertiò quæritur. An ex huiusmodi approbatione vulgatæ, & latinę editionis damnentur exemplaria hebraica, vel Græca, ex quibus tamquam ex fontibus latina editio fluxit? Respõdeo, concilium nihil decreuisse de hebraicis, aut græcis exemplaribus, quę nunc extant, sed inter latinas editiones veterem vulgatam tamquam authenticam recepisse: quare hebraica, vel græca lectio in concilio damnata non est. Sed quæres, an suam fidem, & auctoritatem etiam nunc retineãt exemplaria Hebraica, & Græca, quam ante habebãt? Respondeo, retinere quidem vbi incorrupta, & integra fuerint, ita tamen, vt si cum sensu vulgatæ latinæ editionis omnino pugnent ea, quæ nunc extant Hebraica, siue Græca exemplaria, pro canonica scriptura sit nobis habẽda vulgata latina editio, posthabito contrario sensu hebraicæ, vel græcæ lectionis: numquam enim in rebus Fidei, & morum dubius sensus est eligendus, aut sequendus, reiecto certo, & indubitato: sed Ecclesiæ decreto, vel vsu approbata est latina vulgata editio: ergo sensus, quem certò, & euidenter reddit nobis, est certus, & indubitatus; at quem reddit hebraica, vel græca lectio, quæ nũc extat dubius, est incertus, quoniam nihil certi de ea lectione Ecclesia constituit, ergo tenendum est certum, relinquendum incertum, & ambiguum. Quæres deinde? Quid si sensus hebraicæ, vel græcę lectionis non sit vulgatæ contrarius; sed solum ab illa diuersus? Respõdeo, quotiescumq; cũ sensu vulgatæ latinæ editionis aliqua ratione stare potest, eum à Concilio minimè damnari, improbariúe: vnde permissum est nobis alios sensus diuersos quidem, non tamen vulgatæ contrarios ex hebraicis codicibus eruere, ad aliorum in vita, & moribus profectum iuuandum, & promouendum.

Quartò quæritur; An vulgata latina editio tãtæ sit auctoritatis, vt omni careat errore? Respõdeo, pro certo habendum apud Catholicos, eam omni errore vacare in Fide, & moribus. An verò in reliquis extra Fidem, & mores, aliquem errorem contineat, inter Catholicos dubitatum est; quibusdam asserentibus, eam esse à Concilio approbatam tamquam immunem, & liberam ab omni Fidei, & morum errore; non tamen ab alijs; & proinde aliqua in ea esse vitia, itẽ aliqua, quæ clariùs, significantiùs, propriùs, veriùs, & meliùs verti potuerint. Itẽ, aliqua esse malè traducta, aliqua in contrarium, & alienũ sensum cõuersa, id probant testimonio Catholicorum virorum, qui post Concilij. Tridentini decretum scripserunt; videlicet *Veg. super Conc. Triden lib. 15. c. 9. prope finem.* Sixti senensis *lib. 8. ad finem.* Cani *lib. 2. de locis Theologi. ca. 13.* Paynæ *lib. 4. defensionis fidei Tridentinæ Catholicæ.* Lindani *lib. 2. de optimo genere interpre. cap. 12. & lib. 3. cap. 10. 11. 12.* hi omnes fatentur aliquos esse in latina vulgata editione errores, nõ solùm vitio scriptorum; sed etiã ipsius interpretis incuria, vel ignorantia. Mihi tamen verior videtur esse eorum sententia, qui opinantur, vulgatam editionem latinam, non solùm in rebus Fidei, & morum omni errore carere; sed in cæteris quoque omnibus, quare licet aliqua clariùs, significantiùs, & propriùs, & latiniùs reddi potuerint; non tamen veriùs, aut simpliciter certiùs. Non est quod nobis multa obijciant quidam ad id probandum, quale est illud *Psal. 73. Non est creditus cum Deo spiritus eius*, pro eo

quod diceretur, non est firmus: non firmè Deo adhæsit spiritus eius, & illud Psal. 76. *Scopebam spiritum meum*, & illud Sap. 4. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas*: hæc & multa alia similia solum probant aliquid transferri potuisse latiniùs propriùs, vel clariùs.

Sciendum item est, aliqua fuisse olim in vulgatis latinis codicibus, quæ nō fuerunt interpretis, sed scriptorum, & typographorum vitia; quæ ex varia ipsorum latinorum codicum collatione internosci potuerunt, & debuerunt. Aliqua item latinus interpres addidit, & suppleuit interdum ex alijs scripturæ locis transposita: nonnumquam etiam aliqua adiecit ad etymologiam vocabulorum exprimendam: vel ad aliquid clariùs, expressiùs, ac distinctiùs significandum, vel ad emphasim, energiam, vim & efficaciam in hebraicis, vel græcis verbis contentam, aptiùs & commodiùs explicandam, vt singula exemplis probare poteram, sed non est huius loci, & instituti.

Quintò quæritur, An vulgatus latinus interpres in Scripturis vertendis Spiritum sanctū sibi peculiariter assistentem habuerit, qui ipsi verba suggesserit, vel saltem sensum & sententiam dictauerit? Id affirmant nonnulli ea ratione permoti: quia alioqui, inquiunt, in Ecclesia nō esset scriptura canonica; cū primaria originalis scriptura interciderit. Deinde, alioqui interpres in conuertendis scripturis decipi, & errare potuisset. Negant alij esse necesse, vt fateamur interpreti Spiritum sanctum astitisse, singula verba, vel etiam sententias suggerentem: sed astitisse Ecclesiæ in vulgata interpretatione approbanda, & proinde in huiusmodi approbatione Ecclesiam, nec fallere, nec falli potuisse: quod si alicubi interpres deceptus fuisset, Spiritus sanctus nunquam permisisset, vt Ecclesia, eam interpretationē sua auctoritate confirmaret. Vnde aiunt: Interpretationem ab originali scriptura differre; quod Spiritus sanctus scriptori Canonico, & verba, & singulas sententias suppeditauerit; at verò interpreti non item, & nihilominus interpretationē Ecclesiæ vsu, vel decreto approbatā esse scripturam canonicam: non quod interpres ipse, aut Ecclesia eam canonicam effecerit, sed quod Ecclesia Spiritus sancti instinctu & afflatu deprehenderit eam in omnibus cum originali scriptura congruere; & proinde sicut originalis est canonica scriptura; ita vulgata latina editio Ecclesiæ auctoritate approbata, canonica itidem est Scripturæ sacræ interpretatio, tamquam Spiritus sancti magisterio cum primaria, & originali cōsentiens.

Sextò quæritur, An græca 70. interpretum editio sit etiā authentica? Respondeo, fuisse suo tempore authenticam, quamdiu incorrupta permansit. Nam Christus Dominus, Euangelistæ, & Apostoli nonnumquam vsi sunt in scripturis citādis: eam quoque vsus Ecclesiæ per multos annos approbauit; Patres itidem, vt latissimè probat Leo Castrus *in Isaiam*, communi consensu tradiderunt, Septuaginta singulari Spiritus sancti dono, & munere scripturas interpretatos fuisse: quamuis Hieronymus aliquantulum repugnet. Nunc verò dubitant nonnulli, vtrum sit authentica: immò quidam alij dicunt, eam authenticam non esse, quia planè non constat, sit nec ne corrupta; nec Ecclesia de hoc certi aliquid cōstituit, nisi in ijs, quæ vnanimi consensu Patres testantur, aut Ecclesiæ vsus habet, vel eius auctoritas confirmat: vel Romani Pontifices approbarunt. Sicut etiam originalis scriptura fuit, inquiunt, suo tempore authentica; sed nunc nō est, nō quia Originalis authentica esse desierit; sed quia Ecclesiæ vsu, aut decreto, aut certè euidenter nobis non constat, sit postea vitiata necne.

Cæterum animaduertendum est, auctoritate & iussu Sixti V. Pontificis Romani editum esse vetus Græcum Testamentum, iuxta Septuaginta interpretum editionem, ad emendatissimorum codicum fidem correctum, de quo idem Sixtus V. in Rescripto ipsis Græcis Biblijs veteris testamenti præfixo sic ait. *Cum itaque superioribus annis pie recordationis Gregorius XIII. Papa prædecessor noster, nobis suggerentibus, Græcum vetus Testamentum iuxta Septuaginta interpretum editionem, qua ipsi etiam Apostoli nouimus vsi fuerunt, ad emendatissimorum codicum fidem expoliendum mandauerit, eius rei cura dilecto filio nostro Antonio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, & alid per eum delectis eruditis aliquot viris, demādata, & iam expolitio huiusmodi permultis exemplaribus ex diuersis Italiæ bibliothecis, & præcipuè ex nostra Vaticana diligenter collatis, maturèque examinata, absoluta sit; volumus, & sancimus ad Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, vt vetus Græcum Testamentum, iuxta Septuaginta, ita recognitum, & expolitum ab omnibus recipiatur ac retineatur, quo potissimum ad Latinæ vulgatæ editionis, & veterum Sanctorum patrum intelligentiam vtantur, prohibentes, ne quis de hac noua Græca editione audeat in posterum, vel addendo, vel demendo quicquam immutare.* Hæc ibi Pontifex.

Cap. IIII.

De Apostolicis, & diuinis Traditionibus.

PRimò quæritur, An sicut Fide creduntur, quę in Scripturis Canonicis continentur, sic etiam Fide credere oporteat, quæ sine scripto traditiones habent? Respondeo, in Concilio Tridentino, sessione quarta definiri. *Fidei & morum veritatem, & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto Traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos vsque peruenerunt; traditiones ipsorum cum ad fidem, tum ad mores pertinentes tamquam, vel oretenus à Christo, vel ab Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas pari pietatis affectu, ac reuerentia, cum libris suscipit, & veneratur ipsa Synodus.* Et postea. *Si quis autem traditiones prædictas ipsa Synodus.* Et postea. *Si quis autem traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, Anathema sit.* Idem definierat Synodus septima generalis. *Actor. 7.* & Paulus scribens ad Thessal. *epist. 2. c. 2.* dixit, *tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.*

Secundò Quæritur, quid nomine Traditionis accipiatur? Respondeo, Traditionem esse doctrinam Fidei, vel morum, verbo, non scripto, quasi per manus à Maioribus acceptam. Ego in præsenti loco Traditionem Diui-

nam

nam latè voco, videlicet eam, quæ in scripturis non continetur expressè, quamuis adhibito communi Patrum, vel Ecclesiæ sensu, vel quamuis certa & necessaria consequutione ex sacris literis colligatur, vt patebit exèplis, quæ in medium certa verborum formula adducam.

Tertiò Quæritur, quotnam sint Traditionum genera? Respondeo. esse tria. Bannes 2 2. q. 1 ar. 10. dub. 6. concl. 6. Ayala *de Diui. tradi. p. 3. in principio*: nam Traditiones aliæ sunt Diuinæ, aliæ Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ. Diuinæ Traditiones sunt, quas ab ipsius Christi ore Apostoli acceperunt, vel quas Spiritu sancto dictante, & iubente, vel Christo Domino imperante promulgarunt. Apostolicæ sunt, quas ipsi Apostoli tamquam Ecclesiarum præfecti, Doctores, Magistri, & Rectores instituerunt; hac enim ratione canones, qui dicuntur Apostolorum, condiderunt. Ecclesiasticæ verò sunt, quas ipse Ecclesiæ mos vsusq; constituit, & obseruat.

Quartò Quæritur, quam auctoritatem habeant omnes huiusmodi traditiones? Respondeo, non penitus eandem, sed diuersam habere magna ex parte. Nam quemadmodum in Iure ciuili consuetudines moribus vtentium receptæ, quæ sunt iura quædam, non scripta, sunt tantæ auctoritatis, quantæ, & leges, & iura Principum: ita etiam in Ecclesia traditiones diuinæ tantam habent auctoritatem, quantâ ipsum verbum diuinum scriptum, & hoc est quod Synodus Tridentina definiuit, & longè ante Synodus 7. Generalis, & quod Apostolus dixit scribens. 2. Thessalonic. 2. *Tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Traditiones Apostolicæ eiusdem sunt auctoritatis, cuius sunt Constitutiones Apostolorum scriptæ. Ecclesiasticæ tanta firmitudine constant, quantam habent scriptæ ipsius Ecclesiæ constitutiones. Ex quo efficitur, vt traditiones diuinæ ad ius diuinum spectent, & proinde sint immutabiles: Apostolicæ verò ad ius humanum, sed Apostolicum: & propterea Ecclesiæ auctoritate mutabiles sunt, sicut & scriptæ Apostolorum cõstitutiones: Ecclesiasticæ, ad ius humanum Ecclesiasticum & Canonicum pertinent.

Porrò animaduertendum est, nonnunquam hæc tria genera traditionum secundum vocabula confundi: nam Ecclesiasticas, & Apostolicas, interdum Diuinas appellamus. Non quia Christus, aut Spiritus sanctus per seipsum proximè instituerit, aut dictauerit; sed quia vel Apostolorum, vel Ecclesiæ auctoritate, aut magisterio communi, & consueto, quod dicitur ordinarium, tradiderit. Rursus Diuinas aliquando vocamus Apostolicas, vel Ecclesiasticas: non quia Apostoli, vel Ecclesia eas constituerint; sed quia à Christo, vel Spiritu sancto institutas Apostoli, vel Ecclesia suo ministerio promulgauerint. Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. *dub. 6. conclusione 6.*

Quintò quæritur; An exemplis possimus Diuinas traditiones ab Apostolicis, vel Ecclesiasticis discernere? Respondeo, Diuinas esse Fidei, vel morum, nimirum Perpetuam Deiparæ virginitatem; Descensum Christi Domini ad inferos, vt sanctorum animas inde erutas in cœlum deduceret; Baptismum paruulorum; Conuersionem per transubstantiationem panis in verum corpus, Et vini, in sanguinẽ Christi; hos, & non illos, esse sacros, & canonicos libros; hunc, non aliũ esse scripturæ sensum verum, & germanum: Sanctorum Martyrum, & aliorum in cœlo regnantium auxilium inuocandum; eorum memorias celebrandas; eos pro nobis orare, nostra vota, preceśque cognoscere: cineres eorum, reliquias, sepulchra, & Basilicas religiosè colendas, sacrarum Imaginum & rerum cultum, & veneratione retinendam: Sacramenta Baptismi, Ordinis, & Confirmationis minimè iteranda: Episcopum à simplici presbytero ordinis potestate, & functione distingui: sacrificium Missæ esse verè, & propriè pro peccatis propitiatoriũ; esse quoq; pro mortuis offerendum; viuorum pro mortuis suffragia; locum Purgatoriũ, vbi ante ingressum in cœlum expiantur animæ eorum, qui dum in hoc mundo vixerunt, nondum pro peccatis suis plenè satisfecerant: Sacram peccatorum confessionem corã sacerdote proprio secretò facien dam; Communionem sub vtraq; specie, vel sub altera tantùm laicis sufficere ad salutem; esse pro peccatis satisfaciendum etiam post culpam dimissam? Matrimonium esse verè, & propriè sacramentum nouæ legis, gratiã conferens: Extremam quoque infirmorum vnctionem verè, & propriè sacramentum esse gratiam conferens. Sacræ confessionis secretum esse omnino seruandum. Posse Ecclesiã extra sacramenta per indulgẽtias, vt vocant, peccata, hoc est, peccatorum pœnas condonare, & remittere; Processionem Spiritus sancti à Patre, & Filio, tamquam ab vno principio, & vna spiratione, ex omni æternitate procedentis. Trium personarum diuinarum in vna substantia æqualitatem; earundem per relatas proprietates distinctionem. Apostolicæ traditiones sunt, Ciborum delectus, ieiunium Quadragesimæ, & quintæ, & quartæ feriæ in vnaquaq; hebdomada, Ministrorum Ecclesiæ, Episcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum cœlibatus, & continentia; Crucis in fronte, & pectore signatio; consecratio Virginum: continentiam perpetuam Deo voto promittere. Monastica professio: lucernæ, & cerei in templis ardentes, & lucentes; Precatio ad Deum versus Orientem; Inter Pascha, & Pẽtecosten stando orare, & ieiunijs abstinere; Aquâ vino in consecratione permiscere: in Baptismo diaboli pompas, & negotia dimittere. Certorum dierum festorum obseruatio, nimirum Dominicæ diei, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis, Natiuitatis, & Epiphaniæ Domini. Post decimâquartam lunam Martij, prima Dominica die, Pascha celebrandum: Symbolum Fidei, quod dicitur Apostolorum: Trina immersio, cum quis sacro Baptismatis fonte proluitur. Descẽsum Christi ad inferos, vt Sanctorum, animas inde erutas in cœlum deduceret, traditionè esse Diuinã, non expressum in Sacris litteris verbum, testãtur Canus *lib. 3. de locis, ca. 2. in fundam. 2. & lib. 2. cap. 4. in regula.* Ayala *de traditionibus diuin. & Apostol. in assert. 2.* Bannes 2. 2. q. 1. a. 10. Commu nionem sub vtraque specie, vel altera tantùm laicis sufficere ad

salutem, traditionem Diuinam esse, testatur Ayala *de traditionibus. p.3. cap. de Communione sub altera specie.* Pro peccatis satisfaciendum esse remissa culpa, traditione esse diuinam, dixit Ayala *de tradit. p.3. concluſ.3. verſiculo. Sed quia.* Confirmationem, Matrimonium, Extremam Vnctione esse Sacramenta nouæ legis verè, & propriè, & conferentia gratiam, traditionem esse diuinam, ait Canus *li. 2. de locis; cap.5.* Processionem Spiritus sancti à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, & vna spiratione, ab omni æternitate procedentis, esse diuinam traditionem, testatur Canus *lib. 2. de locis fundamento 2.* Trium diuinarum Personarum æqualitatem in vna substantia, earundemq; per relatas proprietates distinctionem, diuinam esse traditionem, habet Canus *li. 2. de locis, ca. 2. fundamento 2.* Ecclesiasticæ traditiones sunt, Mores, & consuetudines quas obseruat Ecclesia, nimirum, illa consecrat altaria, calices, vasa, templa, vestes, quibus omnibus vtitur in Missæ sacrificio faciendo, & offerendo; solet vota dissoluere; iusiurandum relaxare; matrimonium ratum non consummatum, per votum solemne Religionis dirimere: aliquos in sanctorum cæli habitatorum numerum referre: Religionum instituta approbare: Instituit Beneficia, quæ Ecclesiastica dicuntur: coniungit, annectit, diuidit, & extinguit: pensiones super Beneficijs imponit: cantus, instrumenta musica, preces horarias, & alios ritus, & cæremonias in faciendo, & offerendo Missæ sacrificio, & in ministrandis Sacramentis constituit: asseruat Eucharistiam pro ægrotis: eam populo exhibet venerandam: circumgestat in solemni, & publica processione: paruulis olim eam porrigebat; in quibusdam locis & panis, & vini vtramque speciem dare populo solebat, nũc iustis de causis alteram tantummodo præbet: Distinxit Episcopos, Archiepiscopos, Primates, Metropolitanos, Patriarchas: Cõstitutiones sancit; indicit ieiunia: peruigilia sanctorum Martyrum instituit; pœnas deliquentibus irrogat: dies festos & sacros obseruat ac celebrat: dominicæ passionis, & mortis memoriam anniuersaria celebritate colit.

Animaduertendum est, inter traditiones Apostolicas, vel Ecclesiasticas, alias esse ab omnibus Apostolis acceptas, aliàs à quibusdam tantùm, vel ab vno, Vnde diuersę Traditiones, ab Apostolis promanarunt. Per Orientem enim traditione ab Apostolis deriuata, sabbatum, sicut dies Dominica, piè, & religiosè colebatur: & tamen per occidentem sabbato ieiunium seruabatur traditione, vt ego existimo, à Petro Apostolo accepta. Vnde diuersi ritus, & mores per Oriẽtem, & Occidentem retenti, & obseruati sunt.

Sciendum quoq; est, Apostolicas traditiones, sicut etiam cõstitutiones eorum scriptas, aliquas fuisse ad tempus; alias in perpetuum: item alias vsu, & consuetudine potuisse abrogari; alias non item. Vnde Ioiuniũ quartæ feriæ desijt esse in vsu multis in locis; quamuis adhuc alicubi seruetur; alias esse liberas, alias verò necessitatis; hoc est, alias vim consilij tantummodò habere; alias vim, & obligationem præcepti.

Postremò animaduertendum est, hoc etiam esse, vt certum tenendum, quemadmodum Ecclesia in ferendis legibus scriptis errare non potest, ita vt contra Fidem, & rectos mores nihil iubere queat; sic etiam in traditionibus, & obseruationibus Fidei, & morum labi vllo modo ac decipi non potest.

Cap. V.

De Fidei articulis credendis.

PRimò quæritur, An præter libros canonicos, & traditiones Diuinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas sit aliqua breuis Fidei complexio ac summa omnium credendorum? Respondeo, esse illam, quam duodecim Apostoli Symbolo Fidei edito tradiderunt, quamq; in duodecim breues sententias, quos Articulos appellamus, iuxta numerum Apostolorum aptè distinxerũt: quod quidem symbolum est veluti nota quædam, & signũ, quo Christiani homines ab impijs, & infidelibus, qui vel nullam, vel non rectam, Christi fidem profitentur, discernendi ac internoscendi sunt. Symbolo Apostolorũ sunt addita alia duo symbola, vnum dicitur symbolum Athanasij; alterum symbolum Nicænum ab Ecclesia editum, ad vberiorem, & pleniorem explicationem fidei, & ad hæreses confutandas.

Secundò quæritur, quot & qui sint symboli Apostolici articuli? Respõdeo, cũ S. Th. 2.2. q.1. a. 9. & 8. iuxta numerum Apostolorum, & ordinem, quo in symbolo continentur, esse duodecim.

Primus est: *Credo in Deum Patrem omnipotentẽ, creatorem cæli, & terræ.*

Secundus: *Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum.*

Tertius: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.*

Quartus; *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.*

Quintus: *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.*

Sextus: *Ascendit ad cælos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*

Septimus: *Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos.*

Octauus: *Credo in Spiritum sanctum.*

Nonus: *Sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum communionem.*

Decimus: *Remissionem peccatorum.*

Vndecimus: *Carnis resurrectionem.*

Duodecimus: *Vitam æternam.*

At iuxta Theologorum vnanimem sentẽtiam, articuli Fidei ratione rerum creditarum, in quatuordecim aptò diuiduntur. Nam de Deo, vel credimus, quę ad naturam ipsam diuinam spectant, & ea sunt septem; vel quæ pertinent ad naturam humanam assumptam, & mirabili nexu, & vinculo cum verbo Diuino cõiunctam, & ea itidem sunt septem.

In Deo etenim, vel cõsiderare possumus naturam, vel personam, vel operationem ipsius propriam. In natura est vnitas: in personis Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. In effectibus,

quos

quos solus Deus in nobis præstare potest, est trium bonorum communicatio. Nam vel impertit nobis naturæ bonum, & secundum hanc rationem est creator: vel gratiæ bonum, & sic est Redemptor, & iustificator: vel gloriæ cælestis bonum, & hoc modo est Saluator, siue æternæ felicitatis largitor: quæ actiones vni tantùm Deo conueniunt. Solus enim ille creat aliquid ex nihilo condendo; solus iustificat, peccata condonando: solus hominem, & Angelum donat gloria cælesti, vitam æternam conferendo: Et proinde sunt septem articuli ad Diuinam naturam pertinentes.

Sunt alij septem ad naturam humanam assumptam spectantes; nimirum conceptio ex Spiritu sancto, qua incarnatum est Verbum diuinum: Natiuitas ex incorrupta Virgine: Passio, quæ complectitur Christum cruci affixum, mortuum, & sepultum: Descensus ad inferos: Resurrectio ex mortuis: Ascensus in cœlum: Aduentus ad iudicandos viuos, & mortuos.

Tertiò quæritur, quid primus articulus contineat? Respondeo, Deum esse in natura, & substantia vnum, æternum, infinitum, immensum, & maiestate summum, vbique non solùm potestate, vi, & efficacitate, sed etiam re ipsa verè præsentem; qui vitæ, & mortis potestatem, & imperium obtineat, qui sit supremus rerum omnium Dominus, qui possit suo nutu, & arbitratu cuncta facere, quæ velit, qui vniuersa cognoscat, videat, curet, & moderetur.

Quartò quæritur, quid habeat secundus articulus? Respondeo, primam in natura, & substantia diuina personam, nimirum Patrem, qui est principium duarum personarum diuinarum, & proinde genitorem Filij, & spiratorem Spiritus sancti eum profitemur, & credimus; & pari ratione ingenitum, id est, à seipso, & per seipsum subsistentem, non accipientem, & habentem suum esse ab alio.

Quintò quæritur, quid habeat tertius articulus? Docet secundam in natura diuina personam, verum Deum, qui ex solo Patre sit genitus ex omni æternitate, naturalis Filius Dei, consubstantialis, & per omnia ipsi æqualis, Verbum vnicum, & expressa imago Patris, eum perfectissimè repræsentans, & exprimens.

Sextò quæritur, quid profitearur quartus articulus? Tertiam in natura diuina personam Spiritum sanctum, qui ex Patre Filioque ab omni æternitate procedens, verus, vtrique coæternus, coæqualis, consubstantialis Deus est, & proinde eadè fide, ac pari cultu, & veneratione colendus.

Septimò quæritur, quidnam comprehendat quintus articulus? Deum esse rerum omnium conditorem; qui solo suo nutu & verbo; tùm visibilia, tùm inuisibilia, siue vniuersam mundi machinam initio temporis, ex nihilo produxerit: producta conseruet, dirigat, curet, & gubernet summa cum bonitate ac sapientia: qui sicut est omnium creator, à quo cuncta ex nihilo condita in tempore fluxerunt; sic est omnium finis, ad quem omnia referuntur.

Octauò Quæritur, quid credendum proponat sextus articulus? Hoc nimirũ; Deũ esse omnis iustitiæ, sanctitatis, & gratiæ datorẽ, ipsum peccata dimittere, & peccatores in suam charitatem & amicitiam per gratiam adoptionis restituere.

Nonò Quæritur, Quid tradat septimus articulus? Respondeo; Deum esse gloriæ æternæ, & vitæ cælestis largitorem, in quo summa beatarum mentium felicitas consistit.

Vltimò Quæritur, quid credendum proponat cæteri articuli ad humanam naturã assumptam pertinentes? Hoc nempe; profitemur Dei Filium propter nos è cœlis sese ad ima demisisse, descendisse, & humanam naturam assumpsisse, sibi mirabili nexu, & vinculo copulasse, ita, vt post illã coniunctionem, fuerit vna persona ex duabus, & in duabus naturis, diuina scilicet, & humana subsistens, ac ideo in tempore conceptus sit, sine patre, ex incorrupta Virgine, operante in illa sic Spiritus sancti virtute, vt Verbum caro, & Deus homo fieret.

Secundus verò proponit eundem Dei Filium humana natura assumpta ex illibata Virgine, nascendo prodijsse, ita vt Maria, simul Dei Mater, & Virgo fuerit.

Tertiùs articulus ostendit, Christum Dominum præclarè docendi munus, & miracula patrasse, obijsse, finẽ fecisse sub præside ac iudice Pilato, sub eoque iniquam sententiam pertulisse, ac Crucem, probrosissimũ tunc supplicij genus subijsse, mortem pro nobis acerbissimam sustinuisse, & sepulturam in alieno etiam monumento sibi delatam non recusasse.

Quartus monet, Christum postquam mortuus esset in Cruce, secundùm animam quidem ad inferos vsque penetrasse, tùm, vt mortis, & dæmonis deuictorem, tùm vt patrum ibi detentorum liberatorem sese declararet: Secundùm corpus autem, triduo in sepulchro iacuisse.

Quintus articulus profitetur, Christũ tertio die victorem ex inferis redeuntem ad vitam immortalẽ, & gloriæ plenissimam; sua vi, & potestate ex mortuis resurrexisse.

Sextus ostendit, Christum absoluto humanæ redẽptionis opere, quadragesimo à resurrectione die, in cœlum propria virtute ascẽdisse, vt secundùm naturã humanã super omnia eueheretur, & vnus omniũ maximè ab omnibus celebraretur. qui sedet in cœlis ad dexterã virtutis Dei, parem, & æqualem, vt Deus, cum Patre potestatem exercens, ac diuina maiestate resplendens.

Septimus proponit extremum Iudicij diem, quando Christus in humana carne rursus, à summo cœlo descendet, & tremendum agens iudicem totius orbis terrarum palam vnicuiq; reddet, prout gesit suo in corpore, siue bonum, siue malum: ante cuius tribunal omnes homines, tùm probi, tùm improbi consistent; siue quos illa iudicij dies viuos adhuc in carne, vel antea mortuos offenderit. 1. Cor. 5.

Si queras, quomodo inter articulos fidei reponatur Deũ esse, cũ ratione naturali concludi possit, atq; cognosci euidenter, Deum esse, & vnum esse; Respondet S. Tho. 2 2. q. 1. art. 8. ad 1. multa per fidem nos de Deo credere, & profiteri, quæ naturali ratione inuestigare Philosophi, non potuerunt: puta circa prouidentiam eius, & omnipotentiã, & quòd ipse solus sit colẽdus, quæ omnia continentur sub articulo vnitatis Dei; Hæc ille,

Sic etiam Richardus 3.d.25.a.1.q.2. At Durandus. 3.d.25.q.2.ait,articulum, Deum esse vnum, omnipotentem, Creatorem, & quædam alia his similia,non credi sola Fide,quia possunt vera demonstratione cognosci. Cæterum verius est, quod ait Sanctus Thomas, Deum esse vnum, esse articulum Fidei, quia articulus Fidei, non solùm continet Deum esse vnum; vt Philosophi ratione naturali cognouerunt; sed vt ipsa fides docet, ac profitetur, videlicet Deum esse vnum quidem substantia, & natura; sed tribus personis distinctum, & hoc ratio naturalis nō attingit.

Si iterum quæras,cur inter articulos Fidei numeretur:Deum esse rerum omnium Creatorem; siquidem Philosophi sola ratione naturali ducti cognouerunt, Deum esse rerum omnium opificem?Respondeo,in hoc articulo non solùm contineri Deum cuncta fecisse, aut cuncta à Deo, vt ab artifice pendere; sed etiam, Deum cuncta ex nihilo initio temporis condidisse, *vt dicitur in cap. firmiter,de summa Trinitate,& Fide Catholica*, & hoc ratio naturalis non demonstrat,vt ait Sanctus Thomas,*prima parte quæst.46.art.2.*

Si tertiò quæras, quomodo inter articulos fidei,Apostoli retulerũt Christum Dominum passum,mortuum,cruci affixum,sepultum fuisse, siquidem ipsi, hæc oculis corporis conspexerunt? Respondeo, ipsos vidisse Christum cruci affixum, passum, mortuum,& sepultum; sed non oculis corporis, sed fide cognouerunt, eum qui in crucem actus est,passus,mortuus, & sepultus, esse verum Deum,æternum Dei Filium,cruci affixum, passum, mortuum, & sepultum;quemadmodum Thomas Apostolus vidit,& tetigit Christi vulnera;sed credidit Fide,Dei esse plagas, & vulnera.

Insuper,cur inter articulos,inquies,non ponitur Deum cuncta præsentia, præterita, & futura intueri,cunctis rebus prouidere, cuncta suo nutu,& arbitrio moderari,vbique non solùm vi,& potestate; sed etiam re ipsa verè præsentem, esse spiritum ex se, & per se subsistentem, ex se, & per se bonum,primum ac summum,omnia complentem? Respondeo,cum Richardo,3.d.25.a.1.q.2.*ad quintum*,ea omnia includi,&contineri in primo articulo,quo credimus vnum Deum esse omnipotentem.

Præterea: dices cur inter articulos Fidei non recensetur,venerabile Eucharistiæ sacramẽtum, in quo credimus, & profitemur esse reuera Corpus,& sanguinem Christi:fiquidem *in cap. firmiter de summa Trinitate,& Fide Catholica*, inter alios articulos fidei, numeratur articulus de venerabili Sacramento Eucharistiæ, & articulus de Sacramento Baptismi? Respondeo, cum Sancto Thoma, 2.2.q.1.a.8.*ad 6.*& cum Ricardo 3.d.25.a.1.q.1. *ad 4.*eos articulos contineri,& includi in articulo fidei, quo credimus vnam Sanctam Ecclesiam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum,nam per sacramenta peccata remittuntur à Deo.

Postremò obijcies,cum vna tantùm sit Fides, quo pacto sint edita tria symbola Fidei? Respondeo, tria esse symbola fidei, videlicet symbolum Apostolorum, Nicænum, & Athanasij, quæ quidem symbola non diuersam; sed vnam, & eandem fidem cõtinent magis, aut minus, verbis pluribus, aut paucioribus explicatam, ad hæreses clariùs, & distinctiùs confutandas. Apostoli breuem fidei, & spei, professionem composuerunt, vt Christianæ fidei formulam, & credendorum regulam, quam symbolum appellarunt, siue, quia ex varijs sententijs, quas singuli in commune contulerunt,conflata est;siue,quia ea veluti nota, & tessera quadam vterentur, qua desertores fidei, & subintroductos falsos fratres, qui Euãgelium adulterabant,ab ijs, qui verę Christi militiæ sacramento sese obligarent, facilè internoscere possent atque discernere. Processu temporis in Cõcilium Nicænum, conuocati Patres, symbolum ediderunt,in quo pluribus verbis Fidem Apostolorum, professi sunt:& Patres deinde in Concilium Constantinopolitanum primum coacti, aliqua fidei dogmata clariùs tradiderunt.Insuper in Symbolo Athanasij, quod Ecclesia ex ipsius Athanasij Fide,& doctrina recitat, quædam Fidei dogmata vberiùs,& distinctiùs explicantur.

Cap. VI.

Quædam quæstiones circa ea, quæ quis credere debet, diluuntur.

PRimò Quæritur, An sufficiat ad salutem, si quis priuatus imperitus, & rudis implicitè,& generatim credat quicquid credit Sancta Mater Ecclesia: tametsi nihil prorsus credat explicitè,& speciatim? Respõdeo, Minimè. Quidquid dicere videantur Directo. & Rosel. *in verbo fides nu.1.& 2.* quos confutant meritò Silu. *fides.q.3.* Nau, *in Man.c.11,num.22. prope finem*: quoniã est præceptum Fidei, quo quisq; cogitur expressim credere articulos,vt est communis Theologorum,& Canonici iuris interpretum opinio.

Secundò Quæritur,An vulgaris homo, & rudis expressim credere debeat omnes Fidei articulos? Respondeo,cum communi Theologorum Schola,*tertio,distinctione 25.*& S. Thomas eum hominem explicitè credere debere eos omnes Fidei articulos, quos publico ac solemni ritu, aut verbo docet,aut vsu,& more proponit Ecclesia:ita S.Thomas 2.2.*q.2.art.5.6.7.*& S.Bonauentura,Richardus,Scotus,Durandus,Gabriel,*tertio,distinctione 25.* & inter Sũmistas Angelus,Syluester, Tabiensis, Armilla *verbo, fides,verbo,credere.* Quo fit,vt quisq; fidelium credere explicitè debeat omnes articulos Fidei, vel qui iuxta numerum Apostolorum duodecim, in Symbolo cõtinentur: vel qui iuxta Theologorum sententiam,quatuor decim proponuntur, quoniam omnes eiusmodi articulos publico,& celebri more credendos proponit Ecclesia;vel publicè docendo,& cantando, vel solemni ritu,& cæremonia colendo, & celebrando:nam Trinitatem profitemur,dum vsu,& more,nos Crucis signo munimus.

Tertiò Quæritur, An quisque etiam vulgaris, & rudis credere explicitè debeat aliquid aliud, præter prædictos Fidei articulos. Sunt qui

id

id affirmant ea ratione permoti, quòd vnuſquiſque expreſſim credere debeat, immortalem eſſe animam hominis; Item, eſſe peccatum originis, quod quiſque communi generatione ex Adamo procreatus contrahit: Baptiſmum eſſe ſimpliciter ad ſalutem omnium neceſſarium; & ſacramentum Pœnitentiæ neceſſarium eſſe ad remiſſionem peccatorum, quæ quis poſt Baptiſmum ſuſceptum læthaliter admiſit. Inſuper in venerabili Euchariſtiæ Sacramento re ipſa, & verè Chriſti Domini corpus, & ſanguinem eſſe. Sed retinenda eſt communis ſententia Theologorum aſſerentium ſufficere, ſi quis explicitè credat prædictos fidei articulos: quorum reliqua credenda in his, aut explicitè, aut implicitè continentur. Nam qui credit Deum eſſe gloriæ datorem, eo ipſo explicitè quoque credit iuſtos cœleſtem, & ſempiternam gloriam cõſequuturos: improbos verò perpetuis apud inferos ſupplicijs puniendos: vnde eo ipſo credit animam rationis participem eſſe immortalem nunquam interituram. Qui credit Deum eſſe ſanctificatorem hominum, in eo articulo explicitè quoque credit ſalutem homines conſequi per ſacramenta à Chriſto Domino inſtituta, vt remedia contra peccata: vnde eo ipſo creditur Baptiſmum eſſe omnib. adultis & paruulis neceſſariũ ad ſalutẽ: & credit quoq; ſingulos Baptiſmum debere ſuſcipere, vt à peccatis ſoluantur, ac proinde, vt mundentur ab originis peccato, quod ex primis parentibus contraxerunt: vel neceſſarium eſſe pœnitentiæ ſacramentum ad lethalia peccata delenda, quæ poſt Baptiſmum committuntur: ſimiliter credimus explicitè cum ad venerabile Euchariſtiæ Sacramentum accedimus, ſumere nos corpus Chriſti Domini, quod re ipſa in eo Sacramento eſt.

Quartò Quæritur, An ſufficiat ad ſalutem, ſi quius hominum credat explicitè quatuordecim articulos Fidei, prout Theologi eos enumerant, ac reconſent? Ratio quæſtionis eſt, quia plures articuli in Symbolo Apoſtolorũ continẽtur, ergo vel quilibet fidelium compellitur præcepto ad credendum, quæ in Symbolo proponuntur; & proinde non ſufficiet vnicuique ad ſalutem credere quatuordecim articulos, prout à Theologis proponuntur; aut ſi quidem ſatis ſit expreſsè quatuordecim credere Fidei articulos; conſequẽs erit, vt nemo præcepto cogatur credere explicitè totum Symbolum Apoſtolorum. Quorundam eſt opinio, vnumquemque fidelium debere credere, quicquid expreſsè in Symbolo Apoſtolorum continetur; & ob id minimè ſufficere, ſi ſinguli credant explicitè quatuordecim duntaxat articulos Fidei; quoniam quiſque præcepto ac lege compellitur ad credẽdum expreſsim deſcenſum Chriſti Domini ad inferos, vnam, Sanctam, & Catholicam Eccleſiam, ſanctorum cõmunionem, peccatorum remiſſionem, carnis reſurrectionem, perpetuam Deiparæ virginitatem: de quibus ſingulis nihil explicitè quatuordecim articuli Fidei præſcribũt. Mihi tamen videtur dicendum, ſatis eſſe ad ſalutem cuique fidelium credere explicitè quatuordecim articulos Fidei, vel Symbolum Apoſtolorum: hoc enim habet cõmunis Theologorum ſententia: & idcircò quiuis credens quatuordecim Fidei articulos, non eſt, cur obligatus eſſe cẽſeatur ad aliquid aliud nominatim, & expreſsè credendum, ſi homo ſit vulgaris, & rudis. Obijcies; Quilibet etiam rudis, & imperitus debet addiſcere, & noſſe Symbolum Apoſtolorum; ergo non ſatis eſt, ſi credat explicitè quatuordecim articulos Fidei. Reſpondeo, negando eſſe idem de obligatione, & præcepto addiſcendi Symbolum Apoſtolorum, quod eſt de præcepto credendi explicitè res Fidei. Nam præceptum addiſcẽdi Symbolum Apoſtolorum eſt Eccleſiaſticum, de quo præcepto poſtea diſſeremus; præceptum verò explicitè credendi res Fidei, eſt diuinum, ad ſalutem cuiuſque neceſſarium: & hoc præcepto dicimus compelli etiam rudes, & imperitos, ad credendum explicitè articulos Fidei, ſiue, vt in Symbolo Apoſtolorum continentur, ſiue, vt à Theologis proponuntur, iuxta numerum quatuordecim ſententiarum: quoniam qui hoc aut illo modo res Fidei explicitè crediderit, eo ipſo, expreſsim credit, quæ ad diuinam pariter, & humanam Chriſti Domini naturam pertinent. *Hæc autem eſt vita æterna* (ait ipſe idem,) *vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Et qui credit Deum eſſe Saluatorem, eo ipſo credit vnam, Sanctam, Catholicam Eccleſiam, & Sanctorum communionem, & peccatorum remiſſionem. *Ioan. 17.*

Quintò Quæritur, quænam ſit ſubſtantia ſingulorum articulorum Fidei credendorum, prout abſolutè, & ſimpliciter credi debent à quouis etiam rudi, vulgari, & imperito homine? Quidam arbitrantur, in ſubſtantia ſingulorum comprehendi ea, quæ ſequuntur: in quatuor primis articulis ad diuinam naturam attinentibus contineri, vt credenda; in vnitate naturæ diuinæ, eſſe diſtinctionem trium perſonarum, & Spiritũ ſanctum à Patre, & Filio procedere. In articulo quinto, quo credimus Deum eſſe creatorem, ad ſubſtantiam credendorum pertinere, quod Deus viſibilia omnia, & inuiſibilia ex nihilo condiderit, & in certo quodam tempore; & quod ea omnia conſeruet, gubernet, & curet. Et in articulo ſexto tanquam credendum proponitur, Deum peccata remittere, gratiam adoptionis conferre, peccatores ſibi recõciliare. Ad ſubſtantiam item articulorum de conceptione, & natiuitate Chriſti ſpectare tanquam credẽdum, eum eſſe conceptum virtute Spiritus ſancti, abſque vlla hominis opera; eundem natum ex Virgine incorrupta ſemper permanente; deſcendiſſe ad inferos corpore in ſepulcro iacente, & diuinitati coniuncto; ſecundum animam verò etiam naturæ diuinæ coniunctam, ad inferos penetrantem, & ſanctorum patrum animas illinc eruentem, propria deinde virtute ad cælos aſcendiſſe, ſedereque ad dexteram Patris, ei per omnia ſecũdum naturam diuinam æqualem; ſecũdum humanam verò naturam, gloriam, potentiam, & maieſtatẽ ſuper omnes cæleſtes ſpiritus habentem.

Sed mihi probabilius, & verius videtur, quod docet Gabriel. *in 3. d. 25. q. 1. 2. concl. 5.* debere quidẽ explicitè credi ſubſtantiam ſingulorum articulorũ; ſed nomine ſubſtantiæ intelligi id, quod ſimpliciter, licet confuſè, & generaliter, ſignificatu, vo-

vocibus in articulo contentis. Hoc explico in hunc modum: substantia articuli Trinitatis est, Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritũ sanctum, & hos nequaquam esse tres Deos, sed vnum Deum; hoc enim satis est, si sic confusè, & generatim rudis, & vulgaris homo credat. Nam in Deo esse vnitatem naturæ, & reuera distinctionem Personarum, ad explicationem eius articuli pertinet, quæ doctorum est, non rudium hominum. Eodem modo substantia articuli, quo credimus vnam sanctam, & Catholicam Ecclesiam, est, neminem posse salum esse extra congregationem hominum, qui Christi Fidem, & religionem profitentur susceptam: & posse salutem obtineri intra hanc ipsam congregationem hominum piorum, & fidelium.

Sextò Quæritur, An si quis adeo hebeti, & obtuso sit ingenio, vt ipsos articulos secundum substantiam capere nequeat, fidei præcepto satisfaciat, si aliquos clariores articulos explicitè credat; reliquos verò, quos non assequitur, credat implicitè, credens generatim quicquid credit Sancta mater Ecclesia? Respondeo, satis facere, si autem nullum articulum explicitè crediderit, ei non sufficit credere implicitè, & generatim quicquid credit Sancta Mater Ecclesia. Quanquã Rosel. & Directo. *verbo fides, nu.* 1. & 2. & Innoc. Hostien. Ioann. And. & Abbas *cap.* 1. *de sum. Trinit. & fide Cathol.* docere videãtur, sufficere, si explicitè credat, Deum esse, & benefacta debitis præmijs afficere, malefacta suppliciis punire, & reliqua credat implicitè. Quare si quis Trinitatis articulum nequeat percipere, satis est, si credat explicitè alios clariores, nimirum Christum Dei Filiũ natum ex Virgine, passum, cruci affixum, mortuum, & sepultum, ex mortuis resurrexisse, & in cælos conscendisse.

Septimò Quæritur, An possit in quempiã piorum, & fidelium hominum cadere ignorantia iusta, & probabilis, quam inuincibilem vocant, omnium articulorum Fidei? Respondeo, difficile esse creditu, posse id euenire. Nam cum fideles, & pij homines inter Christianos nutriantur, instruanturque, sæpius audire solent articulos Fidei Christianæ, cum eos de more proponat Ecclesia. Fieri tamen potest, vt quis in pueritiæ ætate ad aliquod tẽpus ignoret probabiliter absque peccato articulos Fidei, eò quòd malè sit à puero educatus: absque vlla prorsus cura, & studio sciendi res Fidei: vel quòd parentes non habuerit, vel certè, quòd negligentes, aut ignaros fuerit sortitus, vel quòd in agris, & syluis tanquã inter pecora, & armenta fuerit educatus, vel denique, quòd apud Gentes à Fide, & religione Christi alienas, ac veri Dei ignoratione cœcas fuerit commoratus. Fieri item potest ijsdem de causis, vt quis etiam adultæ, & prouectioris ætatis multas res Fidei ignoret absque peccato, ac proinde in culpa non sit. Nam præcepti, & legis ignoratio probabilis, & iusta excusat à peccato. In hominem itaque Christianum à parentibus fidelib. ac pijs progenitum, & inter Christianos nutritum, & institutum, ignorantia probabilis omnium articulorum vix cadere potest. Aliquorum tamen, quos non ita publico, & solemni ritu celebrat, & decantat, ac docet, & tradit Ecclesia, potest.

Octauò Quæritur, An si quisquam laicus, rudis, & ignarus credat falsa, nescio, qua ratione permotus, Patrem in diuinis esse Filio maiorem, seniorem; antiquiorẽ, vt in humanis cõtingit; aut credat tres personas Diuinas esse loco distinctas, excusetur per ignorantiam, dummodo credat implicitè quicquid credit Ecclesia? Innocentius, Hostiensis, Ioann. Andreas, Panormitanus *in Rubrica de sum. Trinit. & fid. Cathol.* docent huiusmodi hominem non solùm ab hæresi excusari; quia nihil pertinaciter contra Ecclesiam credit: sed etiam à peccato; quia eius ignorantia est probabilis, & iusta. Idem tradit Gabriel 3. *d.* 25. *q.* 1. *a.* 2. *concl.* 5. Rosella, *Fides, num. secundo.* Nauarrus *tamen in Manua. ca.* 11. *num* 22. putat, eum hominem liberum quidem esse ab hæresi, quia credit, quicquid tradit Ecclesia; non tamen esse à peccato immunem, ac vacuum: quia ignorat, quæ scire debet; & proinde eius ignorãtia peccatum est, cum sit eorum, quæ ad suum statum, & officium pertinent; in eo tamen error contra Fidem, quia pertinacia caret, hæresis nequaquam est: quamuis si res hæc ad forum exterius deferatur, puniri tanquam hæreticus possit ob hæresis suspicionem. Hæc Nauarrus. Idem planè de rusticis, & imperitis hominibus iudicium est, qui de vnius Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ articulo rogati, respõdent se nomine Ecclesiæ Catholicæ intelligere templum corporale, quod in hoc, vel illo oppido est extructum. Pari ratione, si qui homines credant, mentis cogitatione ducti, Deum esse magnum quendam Principem, seu Regem humana effigie præditum, in excelso corporali solio sedentem, excusantur ab hæresi, modo credant implicitè, quicquid credit Ecclesia.

Nonò Quæritur, An rusticus, & imperitus homo, qui suo Parrocho Fidem habens, credit aliquid contra articulum Fidei, quem antea explicitè credebat, excusetur ab hæresi, & à peccato? Scotus, & Gabriel 3. *d.* 25. *q.* 1 videtur docere, eum posse ab vtroque excusari; ab hæresi quidem, quia credit implicitè quicquid credit Ecclesia, corrigi paratus; & proinde pertinax non est; à peccato verò ignorantiæ; quoniam antea nouerat, & crediderat explicitè: nunc vero Parochum audiens, bona fide putat se antea deceptum, cum existimet magis esse credendum suo Parocho cõtrarium tradenti, & docenti. Nauarrus *loco citato*, iuxta prædicta docet, eum quidem ab hæresi esse liberum, non tamen à peccato ignorantiæ, cum explicitè nosse, & credere Fidei articulum debeat. Sed verius est, quod Scotus, & Gabriel tradiderunt. Potest enim nunc obliuiscendo id, quod habitu antea nouerat, & crediderat: ac proinde potest sequi bona fide sui Parochi sententiam, quam non putat esse Fidei contrariam.

Decimò Quæritur, quidnam laici adulti rationis vsum consecuti explicitè credere debeant? quid item Clerici? Innocentius Hostiensis, Ioann. Andreas, & Panormitanus *in Rubrica de Sum. Trinit. & fide Catholica, & capitulo primo eo tit.* Directo, & Rosel. *Verbo Fides, num.* 1. & 2. docent

laicos explicitè credere oportere, vnum esse Deum remuneratorem iustorum omnium; & bonorum operum, & vindicem malefactorum, alios verò Fidei articulos implicitè: Clericos porrò, quibus est cura animarum iniuncta, aut quælecunque præceptum impositum docendi alios, quæ sunt necessaria ad salutem æternam consequendam, debere explicitè credere omnes articulos Fidei: Episcopos autè oportere eosdem Fidei articulos ita nosse, vt possint eos explicare, distinguere, defendere, & eorum omni poscenti rationē reddere. Cæteros porrò Clericos nullam animarum curationem habētes, aut præceptum alios instituendi, solùm lege compelli ad id sciendum, & credendum, quod laici scire, & credere debent; dummodo tamen sciant ministrare altari, & inseruire Ecclesiæ, secundum eum ordinem, quo sunt initiati. Verius tamen est id, quod tradit communis Theologorum opinio nimirum S. Thomas, Bonauentura, Ricardus, Durandus, Scotus, Gabriel. 3. *distinct.* 25. laicos debere explicitè credere articulos Fidei, saltem eos, quos publicè celebrat, cantat, proponit, aut docet Ecclesia; qualis est articulus summæ illius indiuiduæ Trinitatis: quales item sunt articuli, qui ad Humanam naturam Christi Domini pertinent, vt eum esse conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria Virgine, passum, crucifixum, & sepultū, è mortuis ad vitam redijsse, & in cælum ascendisse. Si queras, quid sit explicitè quippiam credere, & quid credere implicitè? Resp. cum Gabriele 3. *d.* 25. *q.* 1. *a.* 1. *not.* 2. eum credere explicitè aliquid, qui assentitur alicui rei sibi dictæ, vel quam cogitatione concipit; is verò credit implicitè, qui credit aliquid generatim, & in eo credit multa alia, quæ in eo continentur, vt cum credit quis omnia, quæ credit Ecclesia.

Cap. VII.

De numero præceptorum Fidei, deque obligatione, qua fideles tenentur.

PRimò Quæritur, quot sint præcepta Fidei? Respondeo, ad Fidem tria præcepta reuocari: primum est præceptum sciendi res Fidei: secundum, credendi eas: tertium, confitendi debito, & opportuno tempore Fidem. Duo prima consummantur, & perficiūtur actu mentis interno, ex piæ voluntatis studio, & affectu: tertium, opere externo completur.

Secundò Quæritur, præceptum sciendi res Fidei, quandonā incipiat nos obligare? Respōdeo, in hunc modū statim atque aliquis rationis est compos, siue Christianus sit, siue à Christi religione alienus, incipit hac lege, & præcepto teneri; quoniam est iuris diuini præceptū, & ad salutē æternam necessarium: Nam teste Paulo; *sine fide impossibile est placere Deo*: ergo quisque, cum primum vsum rationis consequitur, incipit lege diuina obligari ita; vt res Fidei scire debeat, cum oporteat eum in hoc studium, curam, & operam suam collocare, vt assequi possit vitam æternam. Obijcies: Lex vim obligandi non habet, nisi promulgetur: at lex Fidei non est vbique, promulgata; nam multæ sunt gentes, quæ nihil adhuc de Fide penitus audierunt. Respōdeo, eos quibus lex Fidei non est promulgata, excusari à peccato contra Fidem propter ignorātiam: quāuis, (vt rectè docuit S. Thomas. 2. 2. *quæstione decima, articulo primo ad.* 1.) possint in æternum damnari propter alia crimina scienter contra legem naturę commissa: nec aliquis cum sola naturalis legis notitia, & obseruatione salutem, iustitiam, & gratiam adipisci potest: nam sine fide impossibile est placere Deo.

Tertiò Quæritur, An singuli fidelium lege, & præcepto compellantur ad sciendos omnes Fidei articulos? Respondeo compelli, vel ad sciendum articulos Fidei, vti Theologis proponuntur, qui sunt quatuordecim supra iam expositi, iuxta numerum eorum, quæ de Christi Domini natura Diuina, & Humana creduntur: vel prout in Symbolo Apostolorum continentur, duodecim sententijs comprehensi, iuxta numerum duodecim Apostolorum: licet multi aliquando à peccato excusentur, aliquos articulos ignorātes, vel quia adeo sunt hebeti ingenio, vt eos capere non possint: vel quia nihil vnquam de huius præcepti vi, & auctoritate audierint; vel quia nacti doctorē non sint, à quo possent instrui, vel quia huius rei sunt penitus obliti.

Quartò Quæritur, An singuli Christiani vi præcepti Diuini debeant Symbolum Apostolorum, vel quatuordecim Fidei articulos discere, aut memoriæ mandare, aut memoria tenere? Respondeo, Ecclesiastici quidem præcepti vi, non Diuini, vt dicam inferiùs, debere discere. At eos excusari ab articulis Fidei discendis, & in memoriam redigendis, eo ordine, quo vel in Symbolo Apostolorum continentur, vel à Theologis traduntur. Satis enim est, si de singulis articulis rogati rectè respondeant. Non enim idem est, Fidei articulos addiscere, aut memoria tenere, aut memoriter referre, quod scire: multi enim sciūt, quę ad suum officium munusque spectant, qui tamen ea memoriter narrare non possunt, cum tamen de singulis rogati probè nouerint hæc esse facienda, illa non item; hoc esse credendum, illud verò minimè, vt statim dicemus. Ergo articulos Fidei scire debemus, non autem memoria tenere, aut memoriter recensere.

Quintò Quæritur, An singuli fidelium præter articulos Fidei, scire, addiscere, & memoriæ tradere debeant alia doctrinæ Christianæ rudimēta, & principa; veluti precationem dominicam, salutationem angelicam, Decalogi præcepta, & quinque Ecclesiæ mandata, & septem demum sacramenta à Christo instituta, & modum, quo quisque signo crucis salutari, se signare, & munire debeat? Duæ sunt opiniones, prima est quorundam iuniorum asserentium singulos fidelium præcepto, & lege compelli ad hæc omnia sciēda, discenda, & memorię mādanda: quia quisque debet scire, quæ ad suum statum, officium, munusue pertinent: sed ad statum vniuscuiusque Christiani spectat explicitè credere articulos Fidei, & Deum precari, eius auxilium, opem, & gratiā inuocare, & seruare omnia Decalogi præcepta, quinque item Ecclesiæ mandata, & sacramenta susciperе, per quæ gratiam consequimur.

Secunda,

Secunda verò opinio negat singulos fidelium lege compelli ad hæc omnia perdiscēda, ratio eius est, quia nullum extat eiusmodi præceptum; Neque enim est diuinum, vt planum cuiuis, & perspicuum est; quoniam non omnia prædicta sunt iuris diuini: nec est naturale, cum non omnia ad naturæ ius spectent: nec Ecclesiasticum, quia nusquam legitur constitutum.

In hac controuersia illud primo loco dicendum est, nequaquam iuris esse diuini, vti hæc omnia discantur, aut memoriæ mandentur, vel memoria teneātur: Siquidem Ecclesiæ præcepta iuris diuini non sunt, nec item Salutatio Angelica. Deinde, iuris naturalis non est, vti hæc omnia addiscantur. Nam licet iure naturali debeamus Deum precari, & orare, eiusque diuinam opem in difficultatibus, & periculis implorare; haud tamen præcepto cogimur, certa, & præscripta verborum formula vti ad Deum inuocandum, & obsecrandum. Item, licet iure naturali à furto, homicidio, adulterio, periurio, detractione, falso testimonio abstinere debeamus, non tamen consequitur, vt vi præcepti Decalogum memoriæ commendemus, satis enim est, si quiuis fidelium rogatus, An sit furandum, peierandum, mentiendum, adulterandum, occidendum, detrahendum, & falsum testimonium contra aliquem dicendum, respondeat, Minimè; quoniam furtum, periurium, mendacium, homicidium, adulterium, & falsum testimonium suapte natura sunt mala, & sic cætera quisque scire debet, non tamen memoriæ mandare, aut memoriter referre, quæ ad suum officium, & statū pertinent.

Præterea planè constat, in Ecclesia fuisse præceptum longo vsu, & consuetudine cōfirmatum, vt singuli fidelium discerent, & memoriæ mādarent Symbolum Apostolorum, Precationem dominicam, & benè ac Christianè agendi institutum, & regulam. *Nam in cap. vos ante omnia, de consecratione distinctione quarta*, ex Augustino refertur: *vos ante omnia, tam mulieres, quàm viros qui filios in Baptismo suscepistis, moneo, vt vos cognoscatis fideiussores apud Deum exitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere: ideoque semper eos admonete, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant: ante omnia Symbolum, & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis, quos de sacro fonte suscepistis, ostendite.* Hęc ille; quibus quidem in verbis expresè nihil apparet, ex quo præcepti obligationem apertè deducere possimus, qua compellamur ad prædicta omnia addiscenda. Nauarrus *in Manual, capite vndecimo, num. 22. & in capite quando, de consecratione distinctione prima*. Paludanum *in quarto distinctione. 15 quæstione quinta* secutus, ait, esse præceptum; sed cuius transgressio sit tantū venialis culpa, non lethalis. Medina verò nullam vult esse præcepti obligationem addiscendi prædicta, Angelus, Syluester, Tabienſis, Armilla, *in verbo fides*, docent singulos fidelium præcepto cogi ad discendum articulos Fidei, seu Symbolum Apostolorū, precationem Dominicam, Decalogi præcepta, & modum se Crucis signo muniendi; & nihil aliud tradiderunt. Attamen negare non possumus, eos auctores postea seipsos explicuisse, dum addunt, sufficere quidem, si hæc omnia sciantur; licet non memoria teneantur: sufficere item, si quis rogatus de singulis credendis, & agendis, nouerit ad interrogata respondere. Obijcies, in Concilio Moguntino sub Carolo Magno *capitulo 45.* esse constitutum, *Symbolum, quod est signaculum Fidei, & orationem Dominicam discere, semper admoneant Sacerdotes populum Christianum: volumusque, vt disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, siue in ieiunio, siue in alia castigatione reuocandi sunt*: in concilio etiam Foroiulienſi sub Carolo, & Pipino post symbolum fidei recitatū dicitur: *symbolum verò, & orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis ætas, omnis sexus, omnisque conditio, masculi, fœminæ, iuuenes, senes, serui, liberi, pueri, coniugati, innuptæque puellæ: quia sine hac nemo ditissimus vllus poterit in cœlesti regno percipere portionem*: Item in concilio Remensi sub eodem Imperatore, *capitulo secundo*, decernitur, *vt omnes orationem, quam Dominus noster, Iesus Christus discipulos suos orare docuit, verbis discerent, & sensu benè intelligerēt: quia illam ignorare nulli Christiano licet.* Deniq; in Concilio Toletano quarto, *capitulo nono* dicitur, *orationem Dominicam quotidie Sacerdotes dicere deberent, quia eam Saluator noster docuit, & præcepit: & quia sine intermissione orandum est, quotidie dici debet, quod quotidie dici iubetur.* Sed hæc tantùm probant fuisse Ecclesiarum olim præceptum, vt singuli discerent Symbolum Apostolorum, & precationem Dominicam, nimirum, vt quisque sciret, quid esset petendum à Deo, & quid de Deo credendum. Fatemur igitur, iure tantum naturali, & diuino debere nos Deum precari, eius auxilium implorare, siue hac, siue illa verborum præscripta formula vtamur. Monendi tamen sunt singuli, vt precationem Dominicam addiscant, & memoriæ tradant; licet satis sit, si quisque sciat petere ea, quę in precatione Dominica continentur. Item, qui obtusiore sunt ingenio, non sunt cogendi, vt præcepta Decalogi reciteut memoriter, aut memoriæ mandent eo ordine, quo in lege continentur, vti iam dixi satis, si de singulis eorum rogati, an hoc sit faciendum an fugiendum; an illud sit bonum, an malum, rectè ac verè respondeant; hoc enim est scire Decalogi præcepta. Postremò monendi sunt, vti Ecclesiæ sacramenta perdiscant: neque tamen condemnandi sunt tanquam præcepti violatores, si non didicerint, dummodo id sacramentum nouerint, quod suscipere, lege, & præcepto cogantur: hoc enim est singulos scire, quæ ad ipsorum statum, & officium pertinent: Negari profectò non potest, in magno periculo versari eos qui fidei articulos, & decem diuinæ legis præcepta non discunt. Et magna est parentum, & pastorum Ecclesiasticorum negligentia, qui hæc à suis, quorum curam habent, discenda non curant: Sed quæres qua lingua, & sermone prima Christianæ doctrinæ, & fidei elementa quisq; discere debeat? Quidam aiunt, vernacula lingua, & sermone ea esse singulis perdiscenda, quò facilius capiantur: & certè id videtur commodius, & vtilius, & mori ac vsui Ecclesiæ congruentius: Cæterum, & latina, & vernacula lingua ea quisque discere iure potest, vt Nauarrus insinuat: nam sufficit vnicuique, cum de singulis rogatur, si verò, & rectè respondeat.

Sexto Quæritur, quandonam credendi præce-

pto,

Medina de oratione q. 10.

Matth. 6.

Luc. 11.

pto,& lege singuli teneantur? Respondeo: si de ijs loquamur, qui nondum sunt ad Christi fidem, & religionem cõuersi, non eos præcepto compelli ad credendum, confestim atque fidem Christi sibi promulgatam audierint; non enim prudentis est statim audita credere: sed cum primùm prudentia, & ratio incipit præscribere, esse credẽdas auditas res Fidei, incipiunt lege, & præcepto teneri, ita vt eas credere debeant, qui audierint: vt cum res Fidei proponuntur tanquam admodum credibiles, miraculis, testimonijs, exemplis, rationibus, signis, & coniecturis non paucis confirmatæ. Si verò loquamur de fidelibus, & pijs hominibus qui iam fidem Christi susceperunt; præceptum credendi vim habet obligandi eos, ita vt actum credendi explicitum, vel implicitum elicere debeant eo tempore, quo charitatem, quam antè peccando amiserunt, recuperare per veram cordis pœnitentiam lege, & præcepto cogũtur: nam actus charitatis, & pœnitẽtiæ, quo peccator ad diuinã gratiam redit, est coniunctus cum actu spei, quo, secundum Dei promissionem, veniam peccatorum speramus. Spes autem non est sine fide. Sed QVAERES, an fidelis, qui est gratia, & charitate Dei præditus, ita præcepto fidei teneatur, vt debeat certo aliquo tempore fidei actum elicere? Respondeo, actum fidei esse nobis imperatum à Deo tanquam remedium necessarium ad iustificationem impij, tùm fidelis, tùm infidelis: Et proindè mandatum credendi tunc inducit obligationem, cũ impius lege, & præcepto compellitur ad iustitiam adipiscendam: qua obtenta, præceptum fidei non habet ampliùs vim obligandi, vt remedium ad iustificationem, habet tamen vt est præceptum virtutis theologicæ: quamuis facile non sit, vt ait Bann. 2.2.q.22.a.1.dub.2. designare tempus certum, quo obligat præceptum credendi, vt est actus virtutis: Satis probabiliter dicitur speciale tempus, quo quis credere debet, esse quando tentationes insurgunt, quibus tentatur fides hominis, ita vt certo tẽpore fidei actum elicere debeamus, semper tamen eo præcepto tenemur, ne aliquid contra Fidem credamus. Et idẽ iuris est de præcepto spei & charitatis.

Septimò Quæritur, quandonam præcepto cõfitendi Fidem obligemur? Respondeo, quandocumque præcepto compellimur ad excitandos alios ad Fidem; ad iuuandos eos in Fide fuscepta; ad confirmandos eos, ne à Fide deficiant: item, quandocumque præcepto cogimur alios docere res Fidei, & religionis Christianę, & Catholicæ: Item, quandocumq; debemus offensionem aliorum deuitare, ne si Fidem cælemus, nos Christianos esse negare videamur. Præterea, quandocumque nobis imminet probabile periculum, ne Fidem abnegemus; præcepto compellimur ad Fidem confitendam. Insuper, quandocumque ita obligamur, vt religionis actum præstare nos oporteat, hoc est, debitum cultum, honorem, & veneratione vni vero Deo tribuere, eo ipso tunc præcepto cogimur Fidem saltem implicitè profiteri, verbo nimirum, vel facto, vel signo: nam ipse religionis cultus quædam est Fidei implicita professio.

Cap. VIII.

De Peccatis, quæ contra Fidem admittuntur.

PRimò Quæritur; quod sit primum peccati genus, quod contra Fidem cõmittitur? Respondeo, esse ignorantiam rerum credendarũ: nã vt paulo antè iam dixi præcepto, & lege compellimur ad articulos, & prima fidei rudimenta, & principia scienda.

Secundò Quæritur, An ignorantia rerum credendarum sit per se peccatum? Quidam opinantur non esse, sed tantùm esse causam peccati: sicut, inquiunt, ignorantia rerum agendarum non est per se peccatum, sed solùm ideo est mala, quia est causa peccati, qua in agendo peccamus. Eodem modo, ignorantia rerum credendarum non est mala per se; sed quia causa est, vt in credendo labamur. Sed mihi verius videtur, quod alij senserunt asserentes ignorantiam rerum credendarum esse per se peccatum; quia est omissio eius, quod scire debemus: omnis autem omissio iusti ac debiti præcepti, est per se peccatum. Ex quo efficitur, vt si quis res Fidei ignoret; quas scire debet, hoc ipso peccato sese commaculet, siue postea credendo erret, siue non erret.

Tertiò Quæritur, An ignorantia credẽdorum sit per se peccatum, an verò ratione negligentiæ in rebus Fidei sciendis? Duplex est opinio, prima, communi consensu Theologorũ recepta, docet solùm esse peccatum ratione negligentiæ, quod ea ratione probat, quia nullum est peccatum, nisi sit voluntarium; at ignorantia credẽdorum, nisi sit cum negligentia coniuncta, voluntaria non est. Secunda opinio affirmat ignorãtiam rerum credendarum esse per se peccatum: quod sic colligunt, quia negligentia in sciendis rebus Fidei ideo est mala, quia res Fidei scire debemus. Deinde omissio iusti, & debiti præcepti per se est mala, & non ratione negligentiæ: quin potius negligentia censetur mala; quia mala est ipsa omissio præcepti: sed ignorantia rerum credendarum, est iusti ac debiti præcepti omissio, ergo est per se mala. Hæc opinantium varietas nata est ex alia controuersia, qua quæritur; An actus exterior res, id est, alterius facultatis; quam voluntatis; quãdo sunt ex re obiecta mali, sint per se peccata, an verò, quia voluntarij sint, ideo sint in culpa, & vitio? de qua quæst. 1. *libro tractaui cap. 12. q. 3. & 4.* Porrò cum multorum Theologorum opinio doceat huiusmodi actus esse malos, quia sunt voluntarij, ideo in præsentia similiter ignorantiam credendorum plerique volunt, non esse per se peccatum, sed tantùm ratione negligentiæ, vnde est voluntaria. Ego verò in eo libro tradidi, requiri quidem ad rationẽ culpæ voluntarium, & liberum, tanquam conditionem sine qua nulla culpa, peccatumúe est: sed rationem, qua aliquid est per se malum; non ex voluntario, & libero sumi; sed ex ordine, & respectu rationis, nimirum, quia sit rationi dissentaneum, vtpotè regulæ moris contrarium. Nec enim (Verbi Gratia) furtum in culpa, & peccato esset, si voluntario caareret: At verò non quia voluntarium, ideo est malum rationis. Sed quia per se à ratione dissentit, & cum ipsa ratione pugnat: &

ideò potiùs voluptas furandi habetur mala, quia furtum est malum rationis. Furtum verò ideo est malum rationis, quia est obiectum, quod cum recta ratione pugnat: furtum enim per se, siue fiat, siue non fiat, est rectæ rationi contrarium, quãdo cum ipsa ratione comparatur: nam ratio præscribit ac præcipit non esse furandum, siue furtum esse fugiendũ. In præsentia igitur, dicimus, ignorantiam credendorum requirere voluntarium, & liberum, vt in culpa, & peccato sit, & proinde negligentiam requirere: sed nihilominus, esse per se peccatum, hoc est malum rationis, quia est omissio iusti, ac debiti præcepti, & proinde à recta ratione dissentit: quæ etiam, antequam velit res fidei ignorare: & antequam negligat rerum credendarum scientiam, à recta ratione dissentit: nam recta ratio præcipit, vt scias ea, quę nosse debes: ne ignores, quę te scire oportet.

Quartò Quæritur, An si quis per ignorantiam voluntariam in errorem contra Fidem inciderit, videlicet in hæresim, duplex peccatum admittat, nimirum hæresis, & ignorantiæ? Respondeo, si ita incidat in errorem Fidei contrarium per ignorantiam voluntariam, credens tamen implicitè, quicquid credit Ecclesia, paratus corrigi, nullo eum hæresis crimine maculari, quia non est, in credendo pertinax, & proinde solùm in culpa est, quia res Fidei quas nosse deberet, sua sponte ignorat. Si verò ita in Fide labatur, vt suo errori scienter contra Ecclesiam adhęrescat, tũc sese hæresis scelere obstringit, cum sit in credendo pertinax, & proinde hæreticus est, nõ autem rerum credendarum ignarus. Nõ igitur sunt duo peccata simul, ignorãtia Fidei, & hæresis, sed alterum duntaxat.

Quintò Quæritur, quo pacto se gerere debeat is, qui pœnitentium confessiones excipit, quando eos, qui ad confitendum accedũt, Fidei articulos ignorare cognouerit, & an pœnitentes omnes interrogare debeat, nũ Fidei articulos nouerint, & an à sacraméto pœnitẽtiæ repellẽdos curabit, qui eos ignorauerint, an item ignaros, & rudes docere debeat Fidei articulos? Respondeo in primis, eos nequaquam esse à Sacramento reijciendos: nã vel nunquã admoniti fuerũt se ad articulos sciendos lege, & præcepto cõpelli, vel si aliquando hac de re sunt admoniti, aut commodè addiscere non potuerunt, quia doctore, & magistro caruerunt: aut quia alijs negocijs, & curis distenti, in ijs addiscendis articulis studium, & operam ponere nequiuerint; vel quia eius rei fuerũt penitus oblit: & in his casibus excusantur à peccato; eò quòd ignorantia probabilis, & iusta esse videatur. Item, si semel tãtùm, aut iterum de hoc fuerint admoniti, licet id nõ præstiterint; haud sunt tamen à Sacramento excludendi, si eos suæ negligentiæ pœniteat, seque exhibeãt promptos, & paratos ad articulos in posterum addiscendos. Præterea, si sæpè de hac re certiores facti, eam neglexerint, tunc illorum confessio non est audienda; sed ad tempus differenda, vt interim Fidei articulos perdiscant, si id cõmodè præstare possint. Quod si id fieri nequeat, tunc presbyter aptiori, quo potuerit modo, eos instituat, ac postea eorum confessiones excipiat. Secundò, confessarius debet rogare eos, qui ad confitendũ accedunt, sciant necne Fidei articulos, quoties probabiliter iudicauerit, aut dubitauerit ignorare prædictos articulos; quales sunt multi rustici vulgares homines, rudes, & imperiti. Nõ tamen cogitur ad rogandũ eos quos probabiliter crediderit scire; vt ferè sunt nobiles viri, aut alij bene à pueritia educati, & instituti, & ij, qui solẽt præceptoribus in re literaria operam dare, & ij, qui crebrò Sacerdoti sua peccata confiteri consueuerunt.

Cap. IX.

De Hæresis crimine.

PRimò Queritur, quid sit hæresis? Est error intellectus siue mentis voluntarius ex electione, & pertinacia contra aliquam sententiam Fidei. Dicitur *error*, hoc est, assensus falsus. *Intellectus, siue mentis*, quia sicut actus Fidei intellectu cõsummatur, cum sit assensus rationis verus, & certus, licet obscurus; sic etiam error Fidei contrarius, intellectu siue mente completur. *Voluntarius verò*, quia sicut assensus Fidei oritur, & existit ex pio voluntatis affectu; ita etiam hæresis est assensus rationis contra fidem ex voluntatis electione profectus: Vnde hæresis Græcis dicta est, quasi electio, optio, secta, quæ hæreticos à Catholicis, quibus est summa in Fide, & religione cõcordia, disiungit, ac segregat. Quo fit, vt assensus contra Fidem, si deliberatione careat, non sit hæresis, tales enim multi sunt motus rationis, qui subitò contra Fidem irrepunt (*ex electione, & pertinacia,*) quia hæresis nõ est, nisi cum quis in Fide sciẽter errat. Et proinde nascitur, existit, ac pendet ex electione voluntatis cum certa scientia, quæ in eo consistit, vt is, qui errat, sciat Ecclesiam contrarium sentire. Pertinacia itaq; non significat certam aliquam temporis durationem, & moram, vt quidã existimant, inter quos videtur esse Silu. *hæresi. 1, quæst. 2. versic. sciendum est*; nam vno momento temporis potest quis esse simpliciter hæreticus: sed significat voluntatis electionem cum certa notitia eius, quod credit, & sentit Ecclesia. Vltimò dicitur, *contra aliquam sententiam Fidei*: quia error in alijs rebus non est hæresis: ergo potest quis in multis errare, qui tamen hęreticus nõ sit.

Secundò Quæritur, quot & quæ requirantur, vt aliquis sit hæreticus? hoc est, quæ sint ea, quæ hæreticum constituunt? de qua quæstione. Anton. *p. 2. tit. 12. cap. 5.* Silu. Ange. & alij *verbo. hæresis, aut hæreticus, in principio.* Canus. *lib. 12. de locis Theol. cap. 8.* Respondeo, requiri potissimũ quatuor: primò, vt sacro baptismate ablutus Catholicã fidẽ fuerit ipsius baptismatis susceptione professus: Quo fit, vt licet impius Auerroes, & alij huius farinæ homines multos contra Fidem errores tradiderint, hęretici tamen minimè censeantur. Deinde, vt quis voluntariè, & pertinaciter, & contra Fidem aliquid credat: non igitur satis est, si per ignorãtiam, aut si absque pertinacia erret in Fide, vnde illud magni Augustini dictum refertur ex epist. 162. *Errare quidem potero; sed hæreticus non ero.* Tertiò, vt aliquam fidei sententiam credat, aliquam neget, hoc est, non ex toto omnem fidei sententiam neget, is enim Apostata est, non hæreticus: quoniam à fide penitus recedit.

Quar-

Quartò, vt contra fidem intellectu erret: nam si opere tantùm, aut sermone tantùm non mente erret, hæreticus non est.

Tertiò Quæritur, An Cathechumenus sit hæreticus, si postquam semel fidem, & religionem Christianam suscepit animo, & voluntate, aliquid postea contra Fidem scienter crediderit? Quidã, inter quos est Alphonsus Castrensis *lib. 1. de iust. hæret. punit. cap. 8.* asserunt, eum esse hæreticum, quia satis esse putant, si sciens aliquid credat contra id, cui mente, & voluntate aliquando per fidem adhæsit. Verùs tamen alij sentire mihi videntur. Simanca *de Cath. inst. tit. 2. 31.* Bannes *2. quæst. 11. art. primo.* eum coram Deo quidem hæreticum esse; non tamen in Ecclesia Dei pro tali habendum; quia nondum est Ecclesiæ iurisdictioni, & potestati subiectus: nondum Fidem in Ecclesia professus; quia nondum sacro Baptismatis fonte ablutus in Ecclesiam cooptatus est: & ideo hæreticorum pœnas non contrahit. Si quæras; an is, qui per errorem putat se Baptismũ suscepisse, cum reuera non susceperit, sit hæreticus, si credat scienter aliquid contra fidem? Respondeo, cum Gabr. *4. distinct. 13. q. 2. art primo, nota 3.* Alphonso Castren. *li. 1 de inst. hæretic. punit. cap. 8.* Simanc. *de Cathol. instit. tit. 31. num. 5.* esse hæreticum; quia satis est, si se habeat, & gerat tanquam Baptizatum.

Quartò Quæritur, An si Deus certò, & euidenter quippiam alicui homini reuelet, is sit hæreticus contrarium credens eius rei, quæ est sibi diuinitus patefacta? Respondeo eum verè coram Deo hæreticum esse, quia scienter; & voluntariè credit contra id, quod certò, & euidenter nouit sibi esse à Deo reuelatum; at verò in Ecclesia hæreticus, non est, quia nihil credit contra ea, quæ tanquam credenda proponit Ecclesia: nec enim Ecclesia proponit credenda, quæ priuatim alicui à Deo patefiunt; sed quæ Prophetarum, & Apostolorum verbo, aut scripto, aut non scripto tradita suscepit: vnde non est hæreticorum pœnis subiectus.

Quintò quæritur, An dubius in Fide sit hæreticus? De hac quæstione Antoni. *part. tertia tit. 22. cap. 5. §. 10.* Turrecrem. *in sum. de Eccl. lib. 4. parte secunda cap. 18.* Augustin, Ancona. *in sum. de potest. Eccles. quæst. 28. art. 1.* Canus *lib. 12. de loc. Theolog. cap. 9.* Alberti. *de agnoscen. assertionibus quæst. tertia nu. 6.* Castrus *lib. 1. de iust. hæretic. punit. cap. 7.* Ratio quæstionis est, quoniam qui dubius est, neutri quæstionis parti assensum præstat; nec item ab alterutra parte dissentit: ergo qui dubitat, errore intellectus, & mentis non labitur. Respondeo, *in ca. debitum, de hæret.* apertè dici: dubium in fide esse infidelem, vnde quæstio nõ est, an sit infidelis saltem iuris fictione, hoc est, qui in iure pro infideli; & hæretico habeatur, sed an sit verè, & propriè hæreticus; & hæreticorum pœnis subiectus. Meo iudicio quoties quis voluntariè, & pertinaciter de Fide hæsitat, eo ipso, est hæreticus: quoniam Fides, est assensus verus, & certus; licet obscurus; sed qui de Fide voluntariè, & pertinaciter ambigit, assensum nõ præstat; quê tamẽ præstare deberet: ergo est hæreticus, aut saltem tanquam talis habẽdus. At inquies: Hęresis est error intellectus. Respondeo, esse errorem intellectus, vel absentiam assensus Fidei, quem tamen præstare oporteret; vel dubitationem, qua quis sciẽter, & volũtariè ambigit de rebus fidei, quas certò credere deberet. Nam fides ambiguum non habet, hoc est, is, qui credit, non dubitat scienter, & voluntariè. Quare si quem in foro exteriori legitimè allegata, & probata probauerint in rebus fidei sciẽter, & voluntariè dubitasse; arbitror eum, vt verè, & propriè hæreticum puniendum.

Sextò Quæritur, An qui scienter res Fidei sola opinione credit tanquam res probabiles, sit hæreticus? Ratio item dubitandi est, quia qui per opinionem credunt res Fidei, nullum habent contra Fidem errorem. Respondeo, esse hæreticum. Nam quemadmodũ is, qui dubius in Fide est, censetur verè, & propriè hæreticus: ita, qui rebus Fidei sola opinione adhæresit, est reuera, & non solùm iuris fictione hæreticus, quia Fides est assensus verus, & certus, at opinio est assensus incertus, ita vt qui opinatur, putet posse esse verum contrarium eius, quod ipse arbitratur. Ergo si quis voluntariè, & pertinaciter res Fidei sola opinione crediderit, eo ipso caret assensu certo, & firmo, quem habere deberet.

Septimò Quæritur, An si quis per ignorantiam crassam credat aliquid contra Fidem, paratus alioqui suum errorem deponere; quãdo fuerit admonitus, sit hæreticus? & intelligitur quęstio hoc sensu, an sit reuera hæreticus, etiam in foro interiori conscientiæ? Duæ sunt opiniones. Prima vult eum esse hæreticum. Quod probat vnica ratione, quia furtum, homicidium, adulterium, periurium per ignorantiam crassam admissum, est peccatum eiusdem speciei, cuius est furtum, vel homicidium scienter patratum: ergo error contra Fidem per ignorantiã crassam susceptus, verè est hæresis. Sic Scotus in *4. distinct. 22. q. 2. ar. 3. post conclus. 5. in 1. casu.* Secunda opinio negat eum esse hæreticum; quia ad hæresim requiritur, *vt paulo ante iam docui*, pertinacia quæ est electio voluntatis cum certa scientia, & notitia eius, quod credit, & sentit Ecclesia: ergo si quis per ignorantiam crassam erret in Fide, dummodo tamen pertinax non sit, hoc est, dummodo paratus sit suum errorem corrigere, & dũmodo implicitè credat, quicquid credit Ecclesia, hæreticus non est. Sic Innocentius, Hostiensis, Ioannes, Andreas, Abbas, Cardinalis *in cap. Firmiter, de summa Trin. & fid. Cathol.* Canus *lib. 12. cap. 9. de loc. Theolog.* Nauarrus *in Manua. cap. 11. num. 22.* Simancas *de Cathol. instit. tit. 31. num. 10.* Et quidam alij iuniores, videlicet Bannes *2. 2. q. 11. ar. 1.* Arag. *2. 2. q. 11. art. 1.* Silu *hæresi. 1. q. 2. versic. 5. vt quis.* Et hæc opinio est verior, & ratio eius superiùs allata Scotũ conuincit. Aliud verò est de furto, homicidio, adulterio, & periurio: hæc enim, & alia similia flagitia opere exteriori consummantur: Et proinde, vt sint eiusdem speciei peccata, cuius sunt ea, quę scienter committuntur, sufficit, si sint aliquo modo voluntaria per seipsa, aut in suis causis, qualia sunt ea, quæ per ignorantiam crassam admittuntur. at hæresis peccatum requirit, ac postulat errorem intellectus voluntariè, & pertinaciter susceptum, & proinde ignorantia crassa rerum credendarum peccatum est, sed error con-

tra Fidem per talem ignorantiam contractus, nō est hæresis propriè. At in foro exteriori quoties probatum fuerit, quempiam per ignorantiā crassam in rebus fidei errasse, in eum iudices meritò possunt animaduertere, vt in hæreticū, quia qui per huiusmodi ignorantiam supinam errat in fide, saltem iuris fictione hæreticus censetur.

Octauò Quæritur, An qui per ignorantiam affectatam incidit in errorem Fidei contrarium, sit hæreticus? Si sit alioqui paratus suum errorem deponere, cum scierit Ecclesiam contrarium credere, & docere? Duæ quoque sunt sententiæ, prima affirmat eum esse verè, & simpliciter hæreticum, sicut est verè fur, homicida, adulter, vel periurus, qui per ignorantiam affectatā, furtum, homicidium, adulterium, vel periurium admiserit. Secunda opinio negat eum hominem in foro interiori conscientiæ hæreticum esse, quæ verior esse mihi videtur: ita sentiunt iuniores quidam S. Thomæ discipuli, Bannes 2.2. *q.11. art.1.* Aragon. 2.2, *q. 11. art. 1.* & Silu. *hæres. 1. q 2. verſic. quinto, vt quis.* Nam potest quis consultò res Fidei ignorare, & tamen implicitè credere, quicquid credit Ecclesia: qui si in Fide erret per ignorātiā, qua voluntariè neglexit scientiam rerum, quas credere debebat, pertinax non est: cum credat & sentiat, quicquid credit, & sentit Ecclesia, & sit alioqui paratus à suo errore, & assensu falso recedere. Alia verò ratio est de ceteris peccatis, quæ opere externo complentur, in quibus satis est voluntas in causis suis, quibus volūtaria sunt, & proinde peccata eiusdem speciei censentur, cuius sunt crimina scienter commissa: at verū hæresis cum pertinaciam requirat, intellectu consummatur ex electione voluntatis cum certa scientia eius, quod credit, & profitetur Ecclesia. Dixi, *in foro interiori conscientiæ*: quoniam in iudicio, si certò constiterit, Titium per ignorantiam voluntariam aliquid contra fidem credere, iudices in eum tamquam in hæreticum animaduertent: nam in eo iudicio, vt hæreticus habetur, cum ignorantia probabilis, & iusta non sit.

Nonò quæritur, An qui mortis metu cōpulsus affirmat aliquid Fidei contrarium, absq; vllo tamen interno mentis assensu, quo credat id, quod ore profert, sit hæreticus; veluti si quis verbo tantùm non mente dicat, se hæreticum esse, Saracenum, Paganum, aut non Christianum; aut Christum non esse verum Deum; quæritur, an eo ipso sit hæreticus, aut infidelis? Hanc quæstionem tractat Simanc. *de Cathol. instit. 17. num. 36.* & Albertinus *de agnos. assertionibus q.8. num. 12.* & *quæst. 30. num. 3* & 11. & *in repet. de hæret. in 6. q. 13. n. 67.* Respondeo ex communi Doctorum sententia, eum hominem peccare quidem; sed nequaquam esse verè, & propriè hæreticum, aut infidelem; Peccat, quia ore, lingua, & sermone Christi fidem profiteri debet; cum tamen se esse Catholicum, aut fidelem neget. Agit igitur cōtra præceptum, & legem confitendi Fidem; nec idcirco tamen ille metu mortis excusatur; quia Fidem abnegare, quam confiteri debet, est per se malum: hæreticus tamen, aut infidelis non est, quia interiùs mente non credit, quod ore, & lingua affirmat exteriùs. Ita Simanc. Albert, *locis supra citatis.* Brunus *lib. 1. de hæret. cap. 4.* Directo. Inquisitor. *p. 1. q. 9.* & ibidem Penna. *comment. 24.* Quemadmodū nec hæreticus est, qui per iocum, vel iram aliquid contra Fidem affirmat, id intellectu non credens: nec maledicus, siue blasphemus in Deū est hæreticus, qui maledicti, & blasphemiæ verbum, Fidei contrarium, ore tenus tantummodo temerè effutit. At in iudicio tamquam hæreticus meritò punitur, qui fidē quamuis metu abnegat: quoniam hominibus verba patent, non mentis affectus. Deus de animo, & voluntate, homo de sermone, quem nouit, iudicat. Item, negari non potest, quin tamquam suspecti hæreseos haberi possint ij, qui metu fidem abnegant; præsertim si mortis periculum euadere facilè possent, si viri docti, aut magnæ authoritatis essent, si statim, vt constituti extra periculum sunt, non resipiscunt; vt prædicti auctores iure optimo tradiderunt.

Decimò quæritur, An is, qui verbo tantùm, nō mente contra Fidem aliquid affirmat leui aliquo metu adactus, incidat in excommunicationem ipso iure, in hæreticos latam: vt si hæreticum se esse fateatur, vel Paganum, vel Iudæum, & non Christianum, aut si Christum dicat non esse verum Deum? Duæ sunt opiniones; vna affirmat eum excommunicatione affici, & ceteris pœnis, quæ sunt hæreticis ipso iure irrogatæ. Ita Caietanus 2. 2. *quæst. 11. art. 1. ad 2.* & *q. 94. art. 1.* Quem quidam alij sequi videtur. Eius opinionis argumenta sunt. Primum quidem, quia si iure excommunicatio constituta esset in fures, homicidas, adulteros, verè eam excommunicationem incurrisset ille, qui metu mortis furtum, homicidium, adulterium, periurium admisisset: quia verè fur, homicida, adulter, vel periurus fuisset: sed iure ipso excommunicatio imposita est ijs, qui aliquid contra Fidem sentiunt, vel dicunt; Ergo ad eam pœnam contrahendam satis est, si quis voluntariè aliquid Fidei contrarium dicat, vel credat. In Concilio enim Toletano primo, *in assertione Fidei*, anathemate damnatur, qui dixerit, vel crediderit aliquid contra Fidem. Deinde argumentantur, quia Ecclesia non punit actus mentis internos, sed externos scienter, & voluntariè factos; ergo cum excommunicatione afficit hæreticos; cōprehendit eos, qui aliquid contra Fidem scienter affirmant. Postremò, quia in huiusmodi homines Christi Fidem abnegantes, tamquam in hæreticos inquirit, & animaduertit Ecclesia, & absoluit ad meliorem mentem reduentes.

Altera opinio negat excommunicationem in Hæreticos latam eiusmodi hominem contrahere. Sic Antoninus, quem citant Angelus, Rosella, Syluester, Tabiensis, Armilla *verbo, Apostata,* & *verbo, hæreticus.* Sic etiam Nauarr. *in Manu. cap. 11. nu. 27.* & quidam iuniores scilicet Bannes, Aragon. 2.2. *q. 11. art. 4.* quæ mihi videtur verior opinio; Nam pœnæ iuris sunt restringendæ; ergo excommunicatio, qua afficiuntur hæretici, intelligi debet, vt contrahi tantummodo dicatur, cum quis voce simul, & animo hæreticus est. Alioqui enim, qui per iocum, vel iram aliquid aduersus Fidem ore tenus solummodò dixisset, absq; dubio in excommunicationem incidisset.

Ad

Ad Caietani obiecta respondeo: ad primum, cum iure excõmunicatione feriuntur, qui contra Fidem aliquid dixerint, vel crediderint; nomine eorum, *quæ dixerint*, vel, *crediderint*; accipiendi sunt, qui dixerint mente interiùs id sentiendo, quod ore profitentur exteriùs: sicut appellatione eorum, *qui aliquid crediderint*, accipiuntur ij, qui non solùm interiùs mente hæresim concipiunt; sed nutu quoq;, signo, vel verbo exprimunt. Itẽ, longe diuersa ratio est de cæteris peccatis, quæ exteriùs complẽtur, vt furtum, homicidium, adulterium, periurium; nam si hæc crimina ius ipsum excommunicatione afficiat, eo ipso, quo voluntariè fuerunt admissa, Excommunicationi subiecta censentur. Hæreticus verò, quia intellectu, & mente interiùs consummatur hæresis, excommunicationem non contrahit, nisi fuerit intellectu hæresis completa.

Secundum argumentum eodẽ modo diluitur. Ad tertium respondeo, in huiusmodi criminosos meritò Ecclesiam inquirere, & animaduertere; quia probabiliter iudicat, eos id intellectu credidisse, quod ore affirmarunt, & proinde eos etiam meritò absoluit à censuris, in quas lapsos esse probabiliter senserat. Obijcies, negari non posse, si Ecclesia excommunicationem irroget ijs, qui hoc, vel illud docuerint, scripserint, disputauerint, vel concionando dixerint, eos tali excommunicatione affici, qui contra fecerint docendo, scribendo, disputãdo, concionãdo, quamuis id mente non credant. Respondeo, verè nos inficiari nequire, quin possit Ecclesia ipso iure excommunicatione punire eos, qui certum quid fecerint, vel scripserint, vel docuerint, vel disputauerint, etiam absque vllo in Fide intellectus errore: possunt enim ipsi externi actus cõtra Fidem, quando voluntarij sunt, & liberi, excommunicatione, & alijs pœnis affici. Solum difficemur, eam excommunicationem, quæ est iure in hæreticos constituta, contrahi ab ijs, qui solùm exteriùs lingua, ore, & sermone, citra vllum mẽtis errorem contra Fidem aliquid dixerint.

Vndecimò quæritur, An qui metu aliquo compulsus, opus exteriùs contra Fidem efficit, nihil interiùs errans, sit hæreticus? Vt si quis Idolis thura adoleat, sacrificium offerat, caput aperiat, genuue flectat? Respondeo ex dictis, talem hominem non esse verè, & propriè hæreticum: id quod rationes superius allatæ confirmant. In iure tamen nonnumquam hæretici vocantur, non qui verè, & simpliciter hæretici sunt; sed qui aliqua opera hæreticorum propria præstant: qualis is est, qui dæmones inuocat, colit, veneratur: qui sacras sanctorum imagines lacerat, sacras statuas, & effigies perfringit, & proterit; qui Christi corpus impiè, & nefariè conculcat; qui crucem comminuit: qui hæreticum hominem honorat, & colit. Et hoc est, quod docent Simanc. *de Cathol. institut. tit. 32. num. 7.* Albertin. *de agnoscen. assertionibus q. 8. num. 12. & q 30 num. 3. & 11. &* Direct. inquisitor *p. 3. q. 41. & 49.* huiusmodi homines ex ipso facto, siue opere pro hæreticis haberi, & tamquã hæreticos meritò puniri.

Duodecimò quæritur, An qui studio, & affectu hæretico, hoc est, ex interna hæresi, aliquod opus externum, sua tamen natura indifferens, præstat, sit hæreticus exterior, ita vt excommunicationem iuris in hæreticos latam cõtrahat? Verbi causa; aliquis coram venerabili Eucharistiæ Sacramento caput non nudat, & aperit, genu non flectit, quia interiùs intellectu, & mente credit in eo corpus Christi re vera non esse. Duæ sunt opiniones. Prima affirmat eum in excommunicationem incurrere, quia hæresim internam mente conceptam, facto declarat, & prodit. Secunda opinio vult, eum excommunicatione non affici: atque hæc est verior opinio, quia factum exteriùs est sua natura indifferens, ergo hæresim internam non exprimit. Quid, inquies, si quis dum secum mente reuoluit suam hæresim; ore deinde dicat, Ita est, vel, Peream, nisi ita sit, vel subridet, aut manibus plaudit, annuit capite, aut vultus, aut totius corporis signo, & nihil aliud eloquatur, an tamquam hæreticus exterior, in excommunicationem incidat? Quidam affirmant, ea ratione permoti, quia ore dicit, & exprimit hæresim, quã mente tenet. Alij verò negant, quòd putent eum solùm esse hæreticum mente, non verbo. Ea enim verba: Ita est, vel, Peream, nisi ita sit: per se sunt indifferentia: neque enim hoc magis, quam illud significant; nec si ea quispiam audisset, potuisset verè fateri, eum hæresim proluisse: excommunicatione autem afficitur is, qui verbis exprimit hæresim, quam mente concipit, ac tenet: & hæc opinio videtur esse satis probabilis, quam habet Bannes 2 2. *q.* 11. *art.* 4.

Cap. X.

De pœnis Hæreticorum, & primum, de excommunicatione.

PRimò quæritur, Quæ sit prima pœna iure canonico Hæreticis irrogata? Respondeo esse excommunicationem, vt patet ex *cap. cũ Christus, & cap. Sicut ait, & cap. Ad abolendam, & cap. Excommunicamus, de Hæret.* Immo excõmunicatio in Hæreticos lata, videtur esse antiquissima omnium excommunicationum, quæ iure canonico sunt constitutæ, vt insinuatur *in cap. Acatius, & ca. Audiuimus. 2 4. quæst. 1.* Et ex quo in Ecclesia concilia cogi, & celebrari cœperunt ad extirpãdas hæreses, introductus est mos Hæreticos excommunicandi; quæ pœna à Sacramentis arcebantur, & communibus Ecclesiæ suffragijs & officijs priuabantur, repellebanturq; ab omni fidelium, & piorum hominum consortio. Olim tamen non erat hæc excommunicatio Romano Pontifici reseruata: attamen per eas pontificias Cõstitutiones, quæ quotannis in die Cœnæ Domini publico, & solenni more in Romana Curia promulgantur, cœpit Summo Pontifici reseruari.

Secundò quæritur, An iure diuino hæreticus sit omnino in rebus diuinis euitandus à nobis? Quod est quærere, an excommunicatio in hæreticos constituta, iuris diuini sit? Duæ sunt opiniones, prima, quorumdam Canonici iuris interpretum, & Theologorum asserentium esse euitandum, & hæreticum iure diuino, non humano solùm excommunicatum esse, quod probant ex historia Sancti Herminigildi martyris, quam scripsit B. Gregor. *libro 3. Dialo. c. 31. & refertur ca. cœpit. 24. quæst. 1.* qui cum esset à patre Rege

Hispaniæ Ariano detrusus sit carcerem, ob fidem Catholicam, noluit percipere in Paschate Eucharistiam sibi ministratam ab Episcopo Ariano, ad eum misso à patre eius rei gratia: & propterea iussu patris est occisus, quem tamquam verum Christi martyrem colit, & veneratur Ecclesia. Secundò, quia etiam instante mortis tempore, nemini licet, vt habetur *cap. Arianos. 1. qu. 1.* & docet S. Thomas *p. 3. q. 82. art. 7. ad 2.* Sacramenta ab Hæretico ministrata suscipere; nisi Baptisma, quod est ad salutem simpliciter necessarium; & propterea quisque iure potest, dum imminet mortis periculum, à quolibet recipere, etiam Iudæo, vel Pagano. Sic sentit Latomus *in assertione determinat. datæ contra Lutherum ab Academia Louanien.* Sic etiam Eckius *in Enchirid. loco. commu. contra Lutherum.*

Secunda opinio negat hæreticum iure diuino esse vitandum, sed tantùm Canonico, quo solo iure est vinculo excommunicationis obstrictus: & hæc est plurium Theologorum consensu recepta sententia, & mihi sanè longè probabilior, & verior apparet, *vt latiùs ostendam, cum de excommunicatione tractauero.* Interim tamen animaduertendum est, Hæreticum in diuinis, & sacris iure diuino esse vitandum, in his, quæ sequuntur. Primò, si ex huiusce modi cum Hæreticis sermonis, & rerum communicatione, aliorum oriatur offensio. Secundò, si periculum nobis immineat nostri spiritualis exitij, & interitus, videlicet perfidiæ, & Christianæ religionis contemptus. Tertiò, si ex hoc, quòd cum Hæretico sermonem, & consuetudinem habemus, suspicio nascitur, quòd verbo, signo, vel facto Hæreticorũ ritus, mores, aut dogmata probemur. Quartò, si cum hęretico sit nobis commercium criminis, & impietatis, ob quã ipse est excommunicationis sententia constrictus. Extra hos casus iure tantùm Canonico, non diuino debet in rebus sacris Hæreticus euitari. Ex quo efficitur, vt Romani Pontificis auctoritate cõcedi queat, vt ab Hæretico extra casus supra memoratos, suscipere Sacramenta possimus, *vt fusiùs in eo, quem dixi, loco docebo.* Nam quamuis iurisdictione Ecclesiastica hæreticus careat, eo quòd sit segregatus ab Ecclesia; potest tamen eam habere, si id Romanus Pontifex, siue Ecclesia permittat, aut concedat.

Tertiò quæritur, An eiusmodi excommunicationem contrahat hæreticus ob solam hæresim internam mente conceptam? Hanc quæstionem tractauit Archidiaconus *in cap. Cum quis, de sentent. excomm. in 6.* Et in vtramque patrem multa iura produxit, & tandem eam liberam disputationi reliquit. Duæ sunt opiniones: Prima affirmat contrahere, sic Glossa *in Clem. 1. verbo. eo ipso incurrant, de hæret.* quam Glossam sequuntur ibidem Imola, Paulus, Stephanus, Zabarella, sic etiam Feli *cap. vlt. de hæret.* Tiraq. *in l. si vnquam. C. de reuoc. donatio. verbo, reuertatur, num.* 240. ita quoque Adrianus, Rosel. Albertus Pighius, Medina, *quos citaui, lib. 5. cap. 10. quæstione 2.* & ante eos omnes senserant Raynerius, Gotfredus, Ioannes Ancona, vti eos citat Archidiaconus. Quod probant, Primò, quia in iure sæpe excommunicatione afficiuntur, qui hoc, vel illud dixerint, docuerint, crediderint: ergo nomine eorum, *qui crediderint*, intelliguntur, qui sola hæresi interna infecti sunt, alioqui enim quid opus erat dicere: *qui dixerint, vel docuerint.* In Concilijs anathemate damnari solent, qui hoc, vel illud crediderint, aut putauerint. In Concilio item Constantiensi decernitur, vt Hæretici rogentur, vtrum hoc, vel illud credant. Item, qui dixerint apud censores, & iudices Fidei, quos hæreticæ prauitatis Inquisitores appellamus, se hoc, vel illud contra Fidem credidisse, aut credere, meritò puniuntur. Deinde, quia *in Clementina 1. de hæret.* Fidei iudices in excommunicationem incurrunt, qui in aliquem inquisierint odio, timore, vel aliquo carnis, & sanguinis, aut commodi temporalis studio, & amore: ergo actus etiam interior excõmunicatione mulctatur. Secunda opinio est ferè omnium Theologorum consensu approbata, vt recte docet Simanc. *de Cathol. Institut. tit. 42. numero 3.* & 4. neminem propter solã hæresim internam excommunicatione, aut alijs iuris pœnis affici. Hæc opinantium diuersitas oritur ex alia generali quæstione, An Ecclesia iurisdictionem, & potestatem habeat in actus mentis simpliciter internos; ita vt in eos possit inquirere: qua de re latè disputaui *in libro quinto de Legibus, cap. 10. quæst. 1.* Et quoniam *in eo loco*, vt veriorem sententiam sequutus sum eam, quæ negat talem potestatem penes Ecclesiam esse; propterea in præsentia secundam opinionem longè veriorem existimo; videlicet, hæresim internam tantùm mente cõceptam, nulla esse excommunicatione, aut pœna iuris affectam. Nam *de pœnit. dist. 1. cap. Cogitationis*, dicitur: *Cogitationis pœnam nemo meretur, aut patitur. cap. Sicut tuis, & cap. Tua nos, de simonia* traditur; Ecclesiam de occultis non iudicare; sed tantùm de manifestis, 2. quæst. 5. cap. Consuluisti. *Occulta, & incognita illi soli relinquuntur, qui solus nouit corda hominum.* Idem colligitur ex cap. Erubescant. dist. 32. ex cap. vlt. 32. q. 5. Et ratio id manifesto, & certo concludit: nam actus mentis interni solùm Deo patent: nec Ecclesia potest de eis iudicium ferre, cum sint hominibus natura sua penitus ignoti.

Quartò quæritur, An ob hæresim exteriorem, etiam penitus occultam, excommunicatio ipso iure contrahatur? quod est quærere, An si Titius solus res Fidei secum mente reuoluens, aliquid contra Fidem sponte sua pertinaciter sentiat, & lingua, & ore prodat, & exprimat, nemine audiente, eo ipso in excommunicationem incurrat? Respondeo cum omnibus iuris Canonici doctoribus, & Theologis, vt testatur Simanc. *de Cathol. institut. tit. 42. num. 7.* eum statim incurrere. At, inquies, hæresim esse penitus occultam, nec posse vnquam in iudicio probari, Titium aliquid contra Fidem dixisse. Respondeo, hæresim exteriorem eo ipso, quod talis est, iurisdictioni, & potestati Ecclesiæ subijci; quoniam non est per se occulta, & qualis est hæresis mentis interna; sed ex accidenti tantùm, nempe, quia desint testes, quibus probari possit, Titium hæresim protulisse.

Quintò

Quintò quæritur, An si quis hæresim suam internam, in qua olim fuerat, & à qua iam recessit, amico aperiat, non quidem studio, & voluntate hæresim asserendi; sed gratia petendi tantummodo consilium ab eo, sit hæreticus exterior, & eo ipso in excommunicationem prolabatur. Verbi Gratia, Titius dicit Caio amico, tribus ab hinc annis hoc, aut illud mente interiùs credidi, quãuis iam meum errorem deposuerim? Duæ sunt opiniones: Prima affirmat, quoniam eo ipso, quod consilium petit, suam hæresim prodit internam. Secunda opinio negat, quæ quibusdam videtur probabilior. Victoria, vt testatur Siman. *de Cathol. institut. tit. 42. num. 9.* Sensit nullam excommunicationem incurrere: *cui sententiæ*, ait Simancas, *vehementer assentior.* Nam quando quis consilij petendi, & sibi cauendi causa, amico hæresim suam internam narrat, ac refert; non id facit verbis hæresim exprimentibus, quia solùm declarat ei, se internè aliquid contra Fidem sensisse; & propterea consilio ipsius indigere, quid sit sibi facto opus. Hæreticus autem exterior est, qui hæresim, quam mente retinet, verbis declarat, & exprimit. Veluti si Titius dicat, Credo Christum non esse verum Deum. Ex quo efficiur, vt idem sit penitus dicendum de eo, qui hæresim suam internam ad saniorem mentem reuersus, sacerdoti, cui omnia sua peccata confitetur, exponit, cum sui eum peccati pœniteat: tunc enim non dicit se contra Fidem sentire, sed fatetur se mente contra Fidem aliquid credidisse, & eius criminis magnum modò dolorem perferre: ita quoque docet Symancas *loco citato.* Quò fit, vt si, vel consilium ab alio petendo, vel sua peccata confitendo dicat se contra Fidem credidisse, & nunc etiam credere, eo ipso excommunicationem contrahat, quia est hæreticus exterior.

Sextò quæritur, An si Titius dicat alicui per iocum, Ego olim mente credidi hoc, vel illud contra Fidem, nunc tamen ampliùs non credo, sit hæreticus exterior, excommunicatione iuris affectus? Simancas *loco citato* scribit Franciscum Victoriam etiam sensisse, Titium non esse hæreticum exteriorem, eo ipso, quòd ita loquitur, quia nullam hæresim præsentem, quam mente retineat, verbis exprimit: sed pristinam dumtaxat, in qua olim fuit, & à qua iam voluntariè recessit. Ipse verò Simancas ait, se in hac opinione, & sententia subsistere. Et proinde in excommunicationem nequaquam incidere: Quidam censent, Titium esse hæreticum exteriorem, & in excommunicationem incurrere, quia eo ipso hæreticus interior cœpit verbis, & sermone se prodere. Sed prima mihi sententia magis probatur: non enim quælibet verba sufficiunt ad hæresim exteriorem; sed ea, quæ hæresim internam præsentem declarant, & exprimunt; ita vt animus, & sermo consentiant, & id, quod mente concipitur, verbum expromat, hoc enim idem de cæteris similibus asseueramus. Non enim peieras, aut maledicis, vel detrahis, cum dicis: Peieraui, maledixi, detraxi: ita planè, non ideo nunc credis aliquid, si dicas, Ita olim credidi, sed si ita dixeris, ita nunc credo, ita sentio.

Septimò quæritur, An qui legendo, narrando disputando, vel alienos libros, aut tabellas transcribendo hæresim suam, quam mente conceptam antè retinebat; lingua, & ore pronunciat, non quidem voluntate confirmandi, declarandi, exprimendiùe errorem, quem mente conceptum habet; sed tantùm gratia legendi disputandi, transcribendi, & narrandi; eo ipso, tamquam hæreticus exterior excommunicatione afficiatur? Respondeo cum Cordubensi, non affici; quia hæresim suam ille non sermone prodit, non lingua, & ore declarat; sed solùm aliorum libros legit, vel transcribit, vel disputando aliorum factum, vel errorem, vel sententiam recenset. *Cordub. in suis quæstionib. lib. 4 q. 13. in opinio. 3.*

Octauò quæritur, quisnam possit hæreticum absoluere à peccato, & excommunicatione, quibus tenetur obstrictus? Respondeo, absolutionem esse Romano Pontifici reseruatam; & proinde neminem posse ab ea absolui, nisi auctoritate, & facultate Romani Pontificis, *vt constat ex constitutione Pontificia, quæ quotannis Romæ publico ritu, & vsu legi solet in die cœnæ Dominicæ.*

Nonò quæritur, An Episcopus possit hæreticum sibi subiectum absoluere? Respondeo, in Concilio Tridentino *Sess. 24 cap. 6. de Reformatione*, concessum fuisse Episcopis, vt possint absoluere ab hæresi occulta, per seipsos, non autem per Vicarios suos: Appellatione autem hæresis occultæ, intelligitur ea, quæ non est notoria per euidentiam facti, vel per sententiam Iudicis, vel per propriam hæretici confessionem in iudicio, & quæ item testibus probari nequit. Ita vt occultum eo loco sumatur, vt à notorio, & publico distinctum.

Decimò quæritur, An hæc talis facultas in Concilio Episcopis concessa, abrogata sit per clausulam, quæ à Pio V. & Gregorio XIII. & cæteris Pontificibus solet nunc adijci in constitutione Pontificia, quæ Bulla in Cœna Domini vocatur? in ea siquidem ad finem addi solet: *A casibus & censuris in ea contentis neminem absolui posse ab alio, præterquam à Romano Pontifice; vel ab eo, cui specialiter fuerit concessum: non obstante quocumque priuilegio, & clausula Concilij generalis.* Hanc quæstionem tractat Nauarrus *consil. 15. de senten. excommun.* & breuiter attigit in *Man. cap. 27. num. 260. & num. 275.* Duæ sunt opiniones, vna negat esse derogatum facultati in Concilio Tridentino concessæ; ita docet Bannes 2. 2. *quæstione 11. articul. 4.* quod probat primò: Solùm enim generaliter dicitur: *Non obstante clausula Concilij generalis*: nec vlla fit expressa mentio Concilij Tridentini, sed ex Archidiacono, & Felino, quos huius opinionis auctores citant, non intelligitur, derogatum per clausulam generalem facultati, & priuilegio alicuius certi Concilij generalis, nisi ipsius specialis facta sit mentio. Item, quia lex specialis non creditur per generalem sublata, siue præcedat, siue sequatur. *Gloss. communi consensu recepta in Authen. Offeratur. C. de litis contest. & docet Decius in regula. 1. ff. de reg. iuris.* Deinde, cum iusmodi facultas concessa sit à Concilio Tridentino, tam recenti memoria conuocato, & celebrato, & ob graues, & iustas causas sit data; non videtur verisimile, tam facilè, & tam citò à Romanis Pontificibus eam esse sublatam.

Postremò, quia in constitutione Pontificia, quæ dicitur *Bulla Cœnæ Domini*, solùm videtur abrogari facultas concessa hominibus priuatis, etiam per clausulam Concilij Generalis, qua possunt absolui extra mortis articulum; non tamen consequens est, vt facultas in Concilio Generali Episcopis concessa auferatur: hæc enim facultas non conceditur priuatis hominibus pœnitentibus, vt absolui queant, sed Episcopis, vt possint absoluere. Et hoc tempore quidam scripserunt, ita docuisse viros grauissimos, & Theologiæ, & vtriusque iuris peritos, Salmanticæ de hac controuersia rogatos. Immo aiunt, ita absoluere consueuisse Episcopos in multis prouincijs consilio grauium Theologorum, & iuris Canonici doctorum. Et auctor Candelabri testatur Salmanticæ in Hispania viros & Theologiæ, & iuris Canonici peritos, sensisse, non esse Episcopis abrogatam. *in Expositi. Bullæ in Cœna Domini, casu vlt. §. Cæterum* immo etiamnum ita censere plurimos Episcopos, tùm in Theologia, tùm in Canonico iure versatos.

Secunda verò opinio docet esse derogatum facultati datæ à Concilio Triden. Ita Nauarrus *loco citato*, & Simancas de *Cathol. institit. tit. 3 num. 6.* inde comprobantes, quia expresè in ipsa bulla dicitur: *Non obstante clausula Concilij generalis.* & addit Nauarrus ita declarasse Gregorium XIII. viuæ vocis oraculo. Mihi profectò magis hæc secunda sententia probatur, quippe quæ plurium auctoritate, & validiori ratione confirmata, probabilior, tutior, & verior est. Primò, quia teste Nauarro *locis supra citatis* Pius V. & Gregorius XIII. de hac re consulti ita declararunt. Secundò, quia etiam ita declarauit Congregatio Cardinalium super locum prædictum Concil. Trident. Tertiò, quia audiui à viro religioso, & docto, & fide digno, idem respondisse Sanctis. D.N. Clementem VIII. Quartò, quia ita intelligit stylus, & vsus Curiæ Romanæ: ita docet Nauarrus *locis supra productis*, quamuis obscurè idem tradit Maiol. *de irregular. lib. 5. cap. 46.* & Penna *in Direct. inquis. p. 3. q. 98. comm. 141.*

Vndecimò quæritur, An, si prædicta facultas data à Concil. Trident, vim suam, & locum haberet, Episcopi possent semel, aut iterum, aut etiam sæpius alicui Sacerdoti facultatem sibi à Concilio Tridentino datam, committere iustis de causis, vt hæreticum absoluat, eò quod vel hæreticus ad Episcopum accedere commodè nequiret, vel quòd Episcopus hæretici hominis confessionem, negocijs impeditus, audire non posset. Respondeo, eum, qui potestatem ordinariam, & iure suo absoluendi aliquem habet; posse absolutionem, & iurisdictionem alteri mandare, vt colligitur *ex cap. vltimo, de officio ordinarij*: eum verò, qui habet potestatem, & iurisdictionem vi Priuilegij sibi commissam absoluendi aliquos, non posse eam alteri delegare, vt docet Glossa *in cap. vlt. §. Cæterùm de officio deleg.* Ex quo efficitur, vt non possit Episcopus constituere Vicarium, vel Delegatum generalem ad absoluendum hæreticos: ita vt Vicarius, vel Delegatus haberet potestatem absoluendi eos omnes, quòs absoluendos iudicaret. Nihilominus tamen posset Episcopus absolutionem hæretici semel, aut iterum, aut etiam sæpius alteri mandare, qui hæreticũ absolueret mandato ipsius Episcopi: hoc enim non esset alterum constituere, vt tamquam delegatus generalis habeat facultatem hæreticos absoluendi; sed est alteri committere, vt in casu occurrenti hæreticum iussu, & nomine Episcopi absoluat: tunc enim Episcopus non absolueret per illum tamquam per Vicarium, aut iudicem delegatum; sed tamquã per ministrum nomine, iussuue domini aliquid facientem: ita Nauarrus *Consil. 15. ad 3. quæstionem, de sentent. excom.* Quo etiam fit, vt qui legitimè impediti ad Episcopum accedere nequirent, Confessarios adire possent, aut alios, vt nomine, vel mandato Episcopi per alios absoluerentur: si reuera Episcopis prædicta facultas concessa à Concilio Tridentino abrogata, vt dixi, non esset.

Duodecimò quæritur, An quando generalis conceditur facultas absoluendi à quibuslibet casibus, qui in constitutione Pontificia, quæ in die Cœnæ Domini publicè legi solet, continentur, eo ipso intelligatur, dari facultas absoluendi etiam ab hæresi; vt cum datur eiusmodi generalis facultas vi alicuius Iubilæi, vel Diplomatis Pontificij, vel alicuius alterius priuilegij? Duæ sunt sententiæ: Prima, affirmat facultatem dari absoluendi ab hæresi. Primò, quia qui totum dicit, nihil excludit, sed generalis facultas conceditur absoluendi à quibuslibet casibus, & criminibus in ea constitutione Pontificia contentis, ergo etiam ab hæresi. Deinde, quoniam interdum solet concedi generalis facultas cum exceptione tamen hæresis, nimirum, vt quis possit absoluere, & absolui ab omnibus delictis in Bulla Cœnæ Domini expressis, præterquam ab hæresi: ergo quando clausula generali non excipitur hæresis, eo ipso comprehendi videtur. Sic Sotus *4. dist. 22. q. 2. art. 3. in primo casu.* immo cum Soto sensisse grauissimos Theologos, & Iurisperitos, nõ nulli hac ætate scripserunt. Auctor quidam in Candelabro, *in explana. Bullæ in Cœna Domini, casu 10. §. Quod si fortè. num. 141. & de Absolutione num. 13. & 16.*

Secunda opinio censet, in clausula generali minimè comprehendi hæresim. Ita Couarruuias *in cap. Alma. mater. de sent. excommun. in 6 par. 1. §. 11. num. 15.* Siman. *de Cathol. institut. tit. 3. num. 2.* & Nauarrus *in Manua. cap. 27. num. 275.* Eorum argumenta sunt. Primum, quia hæresis est grauissimum delictum, & verbis generalibus, nisi specialiter exprimatur, nequaquam comprehenditur, propter specialem prauitatis rationem, quam habet. Deinde, quia Pontifex non videtur generali clausula complecti id, quod specialem rationem habet. Et Antonin. *p. 3. tit. 24. cap. 17. §. 1.* annotauit, commissionem generalem absoluendi ab excommunicatione, non comprehendere illam excommunicationem, cuius absolutionem verisimili coniectura ipse, qui committit, nequaquam specialiter commisisset. Item, est regula iuris, quæ docet, in generali concessione non venire ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus; *c. in generali. de rég. iuris in 6.*

Quod attinet ad hanc controuersiam quidam sic aiunt, si secundùm iura, & rationes vtriusque opinionis iudicãdum esset, probabilior

prima

prima sententia apparet, quoniam idem censeri solet de cæteris similibus. In odijs enim, & pœnis, appellatione clausulæ generalis, non intelliguntur, quæ specialem habent rationem: nam nomine Clericorum, Beneficiariorum; Dignitatum non accipiuntur Episcopi, aut Patriarchę: nec nomine Curialium in vrbe intelliguntur Cardinales: nec voce Clericorum, aut Beneficiariorum comprehenduntur Regulares, quamuis ipsi quoque sint, & Clerici, & Beneficiarij: In priuilegijs tamen, & fauoribus, nomine & clausula generali comprehendi censentur, quæ specialem etiam rationem habent: Ergo si priuilegio aliquo facultas datur absoluendi à quibus libet casibus, seu criminibus in Bulla Cœnæ Domini comprehensis; videtur etiam concedi facultas absoluendi ab hęresi. In hac re simpliciter dicendum existimo, secundam sententiam esse veram, & magis esse stylo, & consuetudini Romanæ Curiæ adhærendum, quàm auctoritatibus, aut rationibus. Et proinde, quia stylus, & vsus curię Romanæ habet, vt sub huiusmodi clausula generali, hæresis non comprehendatur, ideo vsu, & more, secunda opinio præferri debet. De hoc stylo, & vsu sic ait Mandosius in praxi signaturæ gratiæ in verbo Absolutio ab hæresi *Absolutiones ab hæresi extra Curiam, committuntur inquisitoribus illarum partium: si in curia nemo se intromittit, nisi facta inquisitio, ac illius Præfecti*. Vnde mihi est magnum argumentum ad secundam sententiam probandam, videlicet, si inquisitoribus est priuilegium concessum, vt ipsi facultatem habeant absoluendi ab hæresi, ergo per clausulam generalem, non videtur Pontifex huiusmodi facultatem alijs concedere; nam derogaret magna ex parte priuilegium inquisitorum, & Pontifex non solet per concessiones generales sic derogare. Aiunt quidam ita esse declaratum à Gregorio XIII. anno salutis 1576. & à Pio V. anno 1572. sita est, bene est. Sed huiusmodi viuæ vocis oracula sæpè nobis certò non constant; cum tamen certius constare soleat stylus, & mos curiæ, quem in hac parte sequendum existimo, *vt paulo ante dixi*.

Decimotertiò quæritur, An quando alicui datur expressè facultas absoluendi hæreticum vi Pontificiæ Constitutionis, aut priuilegij, intelligatur eiusmodi facultas data solummodo in foro interiori conscientiæ, an verò etiam in exteriori foro? Respondeo, tantummodo intelligi concessam in foro interiori. Sic Sotus, Couarruuias, Nauarrus & Simancas *locis citatis*; & Ledesmius 4. *par. 2. quæst. 26. art. 1. ad finem*. Nam huiusmodi facultates concedi solent ob spiritualem tantummodo animorũ salutem, vt quis foro pœnitentiæ possit ritè sua crimina confiteri, & alia Ecclesiæ Sacramenta percipere: non igitur conceduntur cum iactura, & detrimento Ecclesiasticæ disciplinæ: & proinde in foro exteriori vim non habent, ne Ecclesiasticæ censuræ enerventur, & Iudicum mandata, & sententiæ contemnantur. Hinc est, vt quamuis Titius hæreticus, vi eiusmodi facultatis expressim datæ, absoluatur in foro conscientiæ, in foro tamen Ecclesiæ exteriori adhuc possit accusari, denunciari, citari, capi, torqueri, & puniri. Glossa, *in c. Gaudemus, de diuort. verbo, poterit*. Paulus, *in l. cunctos populos. C. de de summa Trinit. & fide Cathol.* & Glossa *in cap. 2. de schismat.* Abbas, Cardinalis, & Glossa, *in cap. de his, de accusationibus*. Glossa *in c. vlt. q. 25.* item Glossa, & Imola, & alij *cap. 2. de emptio. & vendit.* Item, in foro conscientiæ absoluitur quis, vt particeps fieri possit suffragiorum communium Ecclesiæ; & vt occultè, vbi, & quando eius crimen & excõmunicatio comperta non sunt, aut vbi nulla existit aliorum offensio, possit cum cæteris Catholicis sermones, & commercia habere, ad Sacramenta & cætera diuina accedere; at eo ipso, quod non est in foro externo absolutus, debet publicè, aut vbi nota sunt eius excommunicatio & crimen; sese gerere tamquam excommunicatum, ab aliorum consortio, & à Sacramentis, & diuinis abstinere: alioqui si presbyter sit, & publicè Missæ sacrificium faciat & offerat, irregularis habebitur, & tamquam irregularis iure, ac merito punietur.

Decimoquartò quæritur, An hæreticus imminente mortis tempore, aut periculo, absolui queat à quouis Presbytero? Respondeo, posse: Ratio huius est, quia eo temporis momento plenam, tum à peccatis, tum à censuris absoluendi facultatem voluit Ecclesia Presbytero confessionem excipienti, concedere. Cæterùm, qui tunc absoluitur, postea, si mortis periculum, & discrimen euaserit, debet præsentem se exhibere ei, cui hæresis absolutio erat reseruata; alioqui nisi id fecerit, in excommunicationem relabitur: *vt colligitur ex cap. Eos, qui, de sententia excom. in 6.* Et Presbyter eius confessionem excipiens, & eum absoluens, debet de hoc, ipsum admonere.

Cap. XI.

Quos hæreticos, & quibus in rebus vitare debeamus.

PRimò quæritur, An omnes hæreticos, eo ipso, quòd sunt excommunicationis vinculo obstricti, vitare debeamus? Olim omnem excommunicatum deuitare oportebat: publicum quidem, tùm occultè, tùm publicè? Occultum verò, secretè, non tamen publicè. Posteà verò edita est ab Ecclesia constitutio, qua decretum est, vt non omnes excommunicatos vitare deberemus. Constitutio huiusmodi incipit, *Ad euitanda*, & teste Nauarro *in Manua. cap. 27. num. 34. & de pœnit. dist. 6. cap. laboret, num. 10.* edita est à Martino V. Sed est adhuc controuersia, an omnes excommunicatos publicos vitare oporteat, occultos non item? Duplex opinio est: Prima sentit, debere nos deuitare omnes publicos, & notorios excommunicatos, quoniam ita est in Concilio Basilien. *Sess. 20.* constitutum, vbi promulgata constitutio est, vt vitentur excommunicati, tùm denunciati, tùm notorij, & manifesti. Quam Cõstitutionem Concilium Lateranense sub Leone X *Sess. 11.* recepit. Ex qua sententia colligitur, vt vitare nos oporteat omnẽ hæreticũ, tùm expressim denũciatũ, tùm publicũ, & notoriũ. Ita Nauarrus *in Manua. c. 27. num. 34. & 35.* Adrian. *q. 3. de clauibus in 4.* Couar, *in c. Alma mater p. 1. § nu. 27. & seqq.* Medi. *de*

Fœnit tract.2.quæst.22. Abbas, & Felinus, vt refert Couarruuias.

Secunda opinio docet, tantummodo nobis esse vitandos excommunicatos nominatim denunciatos, & notorios Clericorum percussores, qui nulla tergiuersatione celari possunt: quoniam in Concilio Constantiensi edita est constitutio, vt hæc duo solùm excommunicatorum genera vitari deberent. Sic B. Antonin *p.3.tit.25.cap.* 3. quem sequuti sunt Ange. *excommunicatio.8.num.3.* Rosel, *excommunicatio 6.num.44.* Silu. *excommunicatio 5.q.3.* Caiet *in sum. absolutionis impedimenta, & cap. excommunicat. minor.* Mai. 4. *dist.18.q.3.* Sotus 4. *dist.22. q.1.art.1.* Ledesmius 4.q.23.*ar.1.* Victo. *in sum. de Sacramen. tract. de excommunicat* Tabie. *interdictum 3.quæst.9.* Armil. *excommunicatio.num.50.* Et hæc sententia est vsu recepta. Ex quâ deducitur, posse tuta conscientia Catholicum sermones conferre, & ciuilia commercia inire cum hæreticis, qui sunt in Anglia, Gallia, Germania, & Polonia: quoniam licet publicè sint hæretici, & proinde notoriè excommunicati, non sunt tamen expressim, & nominatim denunciati, neque notorij Clericorum percussores. Ex qua etiam opinione multa alia, de quibus solet passim quæri, diluuntur; de quibus in præsentia sigillatim dicemus.

Secundò quæritur, An Catholicis liceat cum Hæreticis simul orare, & precari Deum, & rem diuinam cum eis audire, & conciones sacras, funus item hæretici comitando ad sepulturam deferre; & alijs huiusmodi diuinis, & sacris rebus interesse? Respondet Nauarrus, quando hæretici non sunt expressim, & nominatim denunciati, aut notorij Clericorum percussores, id licere facere: dummodo id fiat citra vllam Catholicorum offensionem, & communicationem rituum, & cæremoniarum hæreticarum. Nauar. *consil.15.de hæret.num. 2. & 4. & consil.16. num. 8.eo. tit.* Secus, quando sunt denunciati.

Tertiò quæritur, An liceat in templo, in quo sepulti sunt hæretici, rem diuinam, & sacram facere? quod est quærere, An profana facta fit Ecclesia, in qua sepultus est hæreticus? Respondet Nauarrus, Minimè; si hæreticus non fit nominatim denunciatus, nec notorius Clericorum percussor: & proinde in eo templo posse tutò, ac citra omnem scrupulum, & suspicionem mali, diuina, & sacra fieri. Nauar. *consil.15.num.4. de hæret.* Nam Ecclesia violatur, & polluitur, cum in ea sepelitur paganus, Iudæus, infidelis, Excommunicatus, *c. Ecclesiam 1.c. Ecclesiam 2.de consecr. dist.1.c. Sacris de sepult. c. Consuluisti, de consecrat. Ecclesiæ c. ad hæc, de priu. clem.1. de sepult.* Sed hoc intelligitur de Excommunicato denunciato, quoniam quem, dum in viuis erat, vitare debebamus, mortuum quoque deuitare debemus: hoc autem locum habet in eo excommunicato, qui est publicè denunciatus, Nauar. *consil.15.num.4. de hæret.*

Quartò quæritur, An vbi hæretici manifesti sunt, & notorij, sed expressim minimè denunciati, aut notorij Clericorum percussores, liceat Catholicis eorum templa adire, ingredi, & in eis preces fundere; rem diuinam, & conciones hæreticorum audire, ad eorum postea errores confutandos, & hæreticam impietatem euertendam? Respondeo ex sententia Nauar. *consil.15.num.* 3. & 4. *de hæret.* id esse licitum facere sub triplici conditione; Prima, ne in Catholicorum animis vlla offensio generetur. Secunda, ne vlla fit communicatio ritus; cæremoniæ: ac impietatis hæreticæ. Tertia, ne vllum periculum immineat propriæ perfidiæ, subuersionisque, & Catholicæ religionis contemptus.

Quintò quæritur, An Catholicis liceat matrimonia contrahere cum hæreticis, qui non sunt expressim denunciati, nec manifesti Clericorum percussores; vt in Germania, Gallia, & Polonia; vbi Catholici cum hæreticis permisti viuere solent? Respondeo, certò apud omnes constare, esse canonico, & Ecclesiastico decreto interdictum matrimonium Catholici cum hæretico, *c. cane & sequen.28.q.1* licet contractum valeat iuxta Glossam *in c.non oportet.28.quæst.1.* & iuxta Theologos *in 4. dist. 29.* Sed caput quæstionis est; an ijs in locis, in quibus Respublica ciuilis est ex hæreticis, & Catholicis commixta, ita vt inter amicos ipsos, consanguineos, & affines alij sint Catholici, hæretici alij, liceat Catholicis cum hæreticis sibi; aut amicitiæ vinculo, aut cognationis necessitudine aliàs non interdicta coniunctis inire matrimonia; quoniam sit consuetudine receptum facere? Quæstionem mouet ex vna parte, quòd huiusmodi coniugia Ecclesia prohibeat; ex altera verò, quòd matrimonium sit ciuilis quidam hominum contractus, & quòd eiusmodi coniugia cum hæreticis contrahantur: non quidè propter hæresim; sed propter amicitiæ leges, & iura, aut cognationis, & generis necessitudinem conseruandam, aut ad communem Reipublicæ statum; & conditionem tuendam: quia cætera humana, & ciuilia commercia sunt Catholicis cum hæreticis communia. Quidam sentiunt licere Catholicis id facere, non quidem iure, sed consuetudine recepta, quæ iuri Canonico derogat; modò tamen Catholicus, siue vir, siue fœmina, cum hæretico matrimonium contrahens, suâ sponte omnino, & tutò fidem, & religionem Catholicam profiteri in omnibus permittatur; alioqui enim iure diuino interdictum est Catholici cum hæretico coniugium. Vbi fuerit id consuetudine præsertim sancita, & tolerata à Romano Pontifice receptum, tuta conscientia fieri potest nam consuetudo moribus vtentium recepta, vim habet contra leges & Canones: hoc colligi videtur, ex Nauar. *consil. 1 de constitutionibus num.59.& 60.*

Sextò quæritur, An ijs in locis vbi hæc matrimonia contrahuntur, ea pacta sint iure permissa, vt suscepti liberi, si masculi fuerint, patris sectam hæreticam profiteantur, si fœminæ, Catholicam matris religionem teneant, & colant: Aut, vt primogenitus hæreticæ patris impietati adhæreat; secundogenitus matris fidem, & religionem Catholicam sequatur, & sic vicissim in cæteris hoc ordine seruato? Respondeo; cum Nauar. *consil.1.de constit.num.63.* pacta eiusmodi esse turpia, nefaria, & impia, tùm contra ius Ecclesiasticum, tùm contra ius diuinum. Nam Ecclesia constituit, vt ex alterutro parente Catholico suscepta proles Catholicæ Religionis sacris initietur. *cap.ex litteris de conuers. infidel. & cap. Iudæi 22. quæstione 1.* Pugnant verò cum iure

diuino

diuino eiusmodi pacta, quoniam paruulis vsu rationis carentibus, cura parentum ministrare, & præbere debet remedia ad salutem necessaria; ergo filij paruuli instituendi sunt in fide, & religione Catholica, vt in ea salui fieri queant.

Septimò quæritur, An vbi Catholici sunt cum hæreticis commisti, liceat Catholicis à suis Parochis, & Episcopis, qui denunciati non sunt, hæreticis, Sacramenta recipere? Respondent quidam, fas esse, recipere, vt docet Nauar. *consil. 15. de hæret. num. 2.* cum his conditionibus. Prima, ne vlla inde oriatur Catholicorum offensio. Secunda, vt in Sacramentis ministrandis, & recipiendis legitima Ecclesiæ forma seruetur, & ministri verè sint Sacerdotes, verè Episcopi. Tertiò, ne vlla sit communicatio ritus, cæremoniæ, & hæreticæ prauitatis. Quarta, ne vllum immineat Sacramenta percipienti periculum erroris in Fide. Denique dummodo Parochi, vel Episcopi nō sint publicè, & nominatim denunciati tanquam excommunicati. Sed certè mihi hæc sententia valde dubia videtur: nam licet nemo vitare debeat hæreticos, quatenus excommunicatos, nisi nominatim denunciati fuerint, vel notorij Clerici percussores at ab eis Sacramenta recipere prohibemur; non solùm, quia sint excommunicati, sed quia hæretici, non quidem sola voluntate, & animo, sed verbo, vel sermone: quoniam hæretici, teste S. Thoma 2.2. *quæst. 39. art. 3.* omni iurisdictione carent, & eodem teste *p. 3. quæst. 82. articul. 7. 2.* conferre nequeunt Sacramenta.

Octauò quæritur, An filij hæreticorum, vbi sunt cum Catholicis, commisti possint admitti ad scolas Catholicorum, quando in adulta sunt ætate, & parentum errore decepti? Respondeo cum Nauar. *consil. 1. de Constit. num. 64.* Posse tuta conscientia admitti; quoniam quamuis sint hæretici notorij, non sunt tamen expressim denunciati, aut notorij Clericorum percussores.

Nonò quæritur, An Catholico in prædictis locis liceat de sacro Baptismatis fonte suscipere filium hæretici, ita vt Catholicus sit susceptor eius; & an contra liceat hæreticum admittere, vt filium Catholici è sacro fonte suscipiat? Respondeo, Catholico quidem licere hæretici filium de sacro fonte suscipere; quoniam non debet hæreticos vitare, *vt hactenus sæpe iam diximus.* Et hoc locum habet solùm, vbi Baptismus ritu, & more Catholico ministratur: non autem si ritu hæretico, aut schismatico detur, Nauar. *consil. 1 de constitut. num. 66.* Sed quæstio est, an liceat Catholico hæreticum in sui filij susceptorē ascisere? Respondeo fas illi non esse, eum ascisere: nam licet factum teneat, peccatum tamen est in hæretico ad hoc admittendo. Est enim Ecclesiæ lege, siue præcepto interdictum, ne hæreticus sit in Baptismo susceptor: nam qui è sacro fonte aliquem suscipit, iuxta Ecclesiæ Canones, decreta, & mores, debet susceptum prima Fidei, & religionis Christianæ elementa, & præcepta docēre. Nauarrus *loco citato.*

Decimò quæritur, An Catholici tuta conscientia possint interesse Missarum sacrificijs, quę faciunt, & offerunt Græci, Armeni, & Rutheni. Vbi vnà cum Latinis permisti commorārur Græci & cæteri, qui ritu, & more Græco rem diuinam faciunt; & an Latini eiusmodi Missas & græcanica sacra audientes, Ecclesiæ præceptum obseruent de Missis in diebus festis audiendis? Respondeo, eos tutò posse interesse, & Ecclesiæ præcepto satisfacere; quoniam Græci, licet sint notorij schismatici; non sunt tamen vitandi, quia nec sunt expressim denunciati, nec manifesti Clericorum percussores; Ritus etiam Græcanici, in re diuina, & sacrificijs faciendis, sunt catholici, à sanctis patribus traditi, Basilio nępe, Chrysostomo, & alijs: & proinde, qui græcanica sacra audiunt, suo officio, & Ecclesiæ præcepto satisfaciunt. Nam Græci legitimo suo more, & instituto sacris operantur, Et Ecclesiæ præceptum non est, vt rem diuinam audiamus hoc, aut illo ritu; sed simpliciter, vt diebus Dominicis, & festis rem sacram audiamus.

Vndecimò quæritur, An cuique ab hæresi reuertenti, liceat ab excommunicato Catholico presbytero in extremo vitæ discrimine Pœnitentiæ Sacramentum accipere? Respondeo iuxta prædicta, si non sit expressè denunciatus, aut notorius Clerici percussor, fas esse percipere; quoniam huiusmodi presbyter excommunicatus vitari non debet, nec ei abrogare creditur Ecclesia iurisdictionem in tanto vitæ periculo pœnitentis. Sed dubiæ quæstionis est, An liceat percipere, quando est nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percussor, quem vt vitemus, Ecclesia præcepit? Duæ sunt opiniones, quarū vna affirmat, id licitum esse facere. Siluester *verb. Confessor. 1. q. 20. & Confessor 3. q. 6.* Maior. *in 4. dist. 19. q 1.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. art. 4.* Antonius *par. 3. tit. 14. cap. 19. in 15. conditione.* Paludanus *4. dist. 25. q. 1. art 3. ad 3.* Canus *de pœn. 5. fol. 83.* Tabienſis *verb. Absolutio num. 32.* Et Armilla *verb. Absolution. 12.* Glossa *in cap. non est vobis, de Sponsalib.* Caietanus *in sum. Absolutio pœnitentialis.* & Nauarrus *in Manuali capitulo vigesimosexto, numero vigesimosexto, & capitulo 27. numero 272.* Altera sententia negat id iure fieri posse, quam tuetur Ledesmius *4. quæstio. 21. art. 6.* Pisana *verb. Confessio 3. num. 9.* & Couarruuias *in cap Alma mater, par. 1. §. 6. num. 8.* Ratio eorum est; quoniam caret omni iurisdictione excommunicatus nominatim denunciatus. Sed prima sententia est verior, *vt ex sequenti quæstione patebit apertius.*

Duodecimò quæritur, An iure possit Catholicus pœnitentiæ Sacramentum percipere ab hæretico presbytero, in extremo vitæ periculo? Duas hac de re opiniones inuenio; earum vna negat, id iure facere posse, quæ videtur esse communis opinio Theologorum, & Canonici iuris interpretum: ita docet S. Thomas *par. 3. q. 82. art. 7. ad 2. & in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. ad 7. & dist. 17. q. 3. art. 3. q. 2. ad 2.* Idem senserunt Innocentius, Hostiensis, Ioannes, Andreas, Abbas, Ancharanus, Butrius, Felinus, Philippus contra Glossam *in cap. Non est vobis, de sponsalibus.* Ita quoque Sotus *in 4. dist 18. q. 4. art. 4.* Siluester *Confessor 1. q. 20.* Nauarrus *in Manuali cap. 26. num. 26.* Pisana *verb. Confessio 3. §. 9.* Glossa *in cap. Ad hoc. verb. Malus*, Couarruuias *in cap. Alma mater, par. 1. §. 6. num. 8.* vbi citat Adrianum & Medinam.

Altera

Altera opinio id licitum esse facere affirmat, quam sequuntur Paludanus *in 4. distinct. 25. quæst. 1. art. 3. ad. 3.* Antonius *par. 3. tit. 14. cap. 19. conditio. 14. & 16.* Maior. *in 4. dist. 19. q. 1.* Angelus *confessio 3. num. 2.* Tabien. *absolutio. 1. num 32.* Armilla *verb. Absolutio, num. 12.* Rosella *confessio. 3. num 35.* Canus *de pœnit. p. 5. fol. 83* cum Glossa *in cap. Non est vobis, de sponsalibus verb. Baptismum.* Ratio primæ opinionis est, quia hæreticus, siue sit denunciatus, siue secus, cum sit ab Ecclesia semotus, & abscissus omni iurisdictione caret Ecclesiastica: ad absoluendum autem necessaria penitus est Ecclesiastica iurisdictio. Item *1. q. 1. cap. Arrianos*, dicitur, *Arrianos, cæteraque eiusmodi pestes detestantur, laicos eorum sub imagine pœnitentiæ suscipimus: non videntur clerici eorum cum sacerdotij, aut cuiuspiã ministerij suscipiendi dignitate esse, quibus solum Baptismum ratum esse permittimus.* Insuper, *in extrauag. Nam sanctam, de maiori. & obed.* habetur, extra Ecclesiam remissionem peccatorum non esse. Idem colligitur *ex cap. Verbum, cap. Potest fieri, de pœnit. dist. 1.* Sed Auctores secundæ sententiæ sic argumentantur. Inter omnes conuenit, posse aliquem recipere Baptisma ab hæretico, eò quòd sit Sacramentum ad regenerandum hominem simpliciter necessarium: sed pœnitentiæ Sacramentum est etiam necessarium ad eos, qui post Baptismum sunt in lethalia peccata prolapsi, reparandos, & renouandos per gratiam, & charitatem; ergo potest aliquis ab hæretico eiusmodi Sacramentum suscipere. Sed obijcies, Baptisma esse simpliciter, & absolutè necessarium, quia sine eo nemo potest in Christo renasci, & propterea illud potest quisque à quolibet suscipere etiam Iudæo, Pagano, & hæretico; at verò ad recuperandam gratiæ vitam, per peccatum post Baptismum amissam, pœnitentiæ Sacramentum non est simpliciter re ipsa necessarium; quia potest recuperari per veram cordis pœnitentiam: ergo satis est, vt quemque sui peccati pœniteat instante mortis periculo. Respondent auctores secundæ opinionis hoc esse argumentum contrariæ sententiæ, sed certè infirmum, ac debile: quia pari ratione, si Baptisma suscipi nequiret, valeret proculdubio ad salutem interna cordis pœnitentia cum voto Baptismi coniuncta: Sed quemadmodum, quia potest aliquis illud ab hæretico recipere, præcepto compellitur ad recipiendum; sic etiam sufficeret ad salutem ei, qui per veram cordis pœnitentiam resipisceret cum voto confitendi sacerdoti peccata, quando commodè posset. Et ideo debet, cum possit, hæretico sacerdoti confiteri peccata: neque enim est, cur dicas, eum non posse tunc hæretico confiteri. Obijcies deinde, iamiam morituro periculum imminere, ne ab hæretico, à quo petit, & recipit pœnitentiæ Sacramentum, seductus, & peruersus, in perfidiam, ac impietatem adducatur. Respondent ijdem secundæ opinionis auctores, se de eo loqui, cui tale, ac tantum periculum non impendet. Et Concilium Tridentinum ab hac sententia non videtur procul abesse. nam *Sessione 14. cap. 7.* decernit. *In articulo mortis omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibuscunq; peccatis, & censuris absoluere possunt.* Tertiò obijcies, hæreticum sacerdotem extra Ecclesiam, esse omni iurisdictione Ecclesiastica priuatum, quæ tamen iurisdictio ad absolutionem peccatorum requiritur, & extra Ecclesiam peccatorum remissio non est. Respondent cæteri, hæreticum sacerdotem carere quidem iurisdictione, sed eam illi non denegat Ecclesia in articulo mortis, in quo est peccator pœnitens constitutus, propter communem eorum, quos suorum peccatorum pœnitet, salutem. Quartò obijcies, quod habetur *in c. Arrianos. 1. q. 1* & quod legitur *in c. verbum, & c. Potest fieri. de pœnit. dist. 1.* solum baptismum hæreticos posse conferre. Respondent cæteri, extra mortis articulum non posse ab hæreticis percipi reliqua Sacramenta, quia non sunt necessitatis; sed voluntatis Sacramenta: at in mortis articulo etiam pœnitentiæ Sacramentum est necessarium, præsertim si pœnitens solùm sit attritus, non contritus. Certè valde probabilis est secunda sententia ob argumenta iàm posita: nisi aliqua declaratio obstet.

Duodecimò quæritur, de secunda hæreticorum pœna, quænam sit? Respondeo, eos irregularitatem contrahere. Videlicet, inhabiles effici ad quodlibet officium publicum, vel beneficium Ecclesiasticum, *vt operetè decernitur c. 1. §. Hæretici, de hæret. in 6.* Sed QVÆRES, vtrum hanc pœnam hæreticus iure ipso contrahat, etiamsi sit occultus, cuius hæresis non sit mente solùm concepta, sed etiam exteriùs prodita? Item, an hæreticus etiam ad meliorem mentem conuersus, & in foro conscientiæ ab excommunicatione, in quam ob hæresim inciderat, absolutus, sit irregularis, ita vt ad ordines promoueri non possit absque legitimæ dispensationis beneficio? Resp. Angelum, Syluestrum *in verbo, irregularitas.* Nauarrum *in Manua. cap. 27. num. 205.* generatim docere, omnem hæreticum iure ipso irregularitatem contrahere: & ad Catholicam fidem per pœnitentiam reuersum, & ab excommunicatione, & peccatis absolutum, adhuc dispensatione indigere, vt ad ordines admitti legitimè possit. At verò magis cum iure congruere alijs quibusdam videtur in hanc pœnam tantummodò incurrere hæreticum notorium, qui sit manifestus, vel per euidentiam facti, vel per iudicis sententiam, vel per propriam in iudicio confessionẽ: talis enim hæreticus etiam ad fidem Catholicam reuersus, & ab omni excõmunicatione solutus, & liber, absque legitima dispẽsatione nequit ad ordines promoueri. sed reuera magis cũ iure conuenit id, quod dicit prima sententia; *vt colligitur ex cap. Saluberrimũ. 1. q. 7.* Item, hæreticus recõciliatus Ecclesiæ, abiurata hæresi, ad laicam tantùm communionẽ admittitur. *1. q. 6. cap. 1.* Cæterùm, dispensatione permittitur in Ordinibus ante hæresim susceptis ministrare, *1. q. 1. cap. Si quis hæreticæ.* Nonnunquam dispensatione conceditur, vt possit sacris Ordinibus initiari, & creari sacerdos, *1. q. 1. Consentientibus.*

Decimotertiò quæritur, An qui publicè professus est se esse hæreticum, non Catholicum, aut qui palam Turcarum, vel Saracenorum sectæ, aut Iudæorum perfidiæ adhæsit, aut qui manifestè Idolis cultum, & venerationem detulit, irregularitatem contraxerit, etiamsi exterius tãtùm absq; vllo mẽtis errore hęc fuerit professus? Respondeo, eum irregularitatem contraxisse,

non qui-

non quidem eam, qua afficitur is, qui est hæreticus, cum nullo in Fide mentis errore sit lapsus: sed eam, quæ contrahitur ob crimen notorium, dignum ea pœna, quæ in iure Canonico dicitur Depositio, qua Clericus ab officio amoueretur: nam prædicta peccata sunt crimina digna eiusmodi Ecclesiastica pœna, quamuis omni interno fidei errore careant: & propterea cum manifesta, & publica sunt, eo ipso, irregularitate suum auctorem afficiunt. Quæres, an qui prædicta professus fuerit publicè, sed metu mortis; irregularitatem contraxerit? Quæstionem mouet ex vno capite, quoniam leges humanæ non tenent conscientias cum probabili mortis periculo; ex altero verò capite, quia Ecclesia istiusmodi peccatores ad ordines non promouet sine indulgentiæ, & dispensationis beneficio. Dices, nullo mortis metu tales homines a peccato contra confessionem Fidei excusari, quia iure diuino ad fidem confitendam compellimur. Contra hoc vrget obiectio, quia licet sit peccatum contra ius diuinum, irregularitas tamen iure tantùm Ecclesiastico contrahitur; at metus mortis ab Ecclesiastici iuris pœnis excusat. In hac quæstione probabilius quibusdam videtur, eum hominem irregularitatem contraxisse: hanc enim pœnam videtur Ecclesia constituisse generatim in eos omnes, qui diuino iure violato, à Fide, & Religione Catholica ex toto, vel ex parte deficiunt. Contrà verò alijs videtur, eum quidem à peccato non excusari, sed irregularitatem non contrahere, quia non creditur Ecclesia cum graui vitæ periculo hanc pœnam irrogare. Sed de hac re suo loco dicam, cum de irregularitate tractabo.

Cap. XII.

De alijs hæreticorum pœnis.

PRimò quæritur de tertia hæreticorum pœna, quænam sit? Respondeo, hæreticorum bona ipso iure esse fisco addicta. *cap. Cum secundum leges, de hæret. in 6.* De hac pœna Direct. Inquisit. *p. 3. q. 109. & sequen.* & ibidem Schol. 151. Simanc. *de Cathol. institut. tit. 9.* Zanchi. *de hæret. cap. 25.* Alphonsus Castr. *lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 5.* Brũ. *lib. 5. de hæret. c. 6.* Antonius Gomez *tom. 3. var. resolut. cap. 14.*

Secundò quæritur, An hæreticus sit ipso iure ante vllam in iudicio sui delicti condemnationem suorum bonorum dominio in foro conscientiæ priuatus? Duæ sunt sententiæ, quarum vna negat, altera affirmat. Verùm de hac quæstione *quinto libro disserui cap. 7. q. 2.* cum vniuersim de lege humana breuiter disputarem, vbi tamquam probabilior mihi magis placuit opinio, quæ affirmat, eum esse priuatum.

Tertiò quæritur, An hæreticus, ipso facto, debeat in conscientiæ foro bona sua fisco tradere ante sui criminis condemnationem? Duæ sunt opiniones, è quibus vna affirmat, altera negat: de qua controuersia eo, quo diximus libro, disputauimus, *cap. 7. q. 1. & 3.* vbi magis eam sententiam probauimus, quæ negat eum ad id vllo iure, aut lege compelli.

Quartò quæritur, An hæreticus post sui criminis condemnationem, statim in foro conscientiæ debeat sua bona fisco reddere, antequam ea fiscus sibi vendicet, & capiat? Duæ sunt opiniones, de quibus etiam dixi *loco citato*, quarum prima affirmat, eum ad id obligari, altera negat; quam etiam *eo loco* magis approbaui prima relicta.

Quintò quæritur, An hæreticus legitimè à Iudice rogatus, & negans se id commisisse, & propterea absolutus, tamquam innocens possit sua bona retinere, quæ fiscus alioqui cepisset, si in iudicio fuisset suum delictum confessus? Duæ sunt opiniones, vna earum asserit, tuta eum posse cõscientia retinere. Altera negat. De hac quoque controuersia, superiùs *indicato sæpè iam loco*, tractaui, vbi & probabilius esse sensi, eũ lege adstringi ad crimen confitendum, quoties fuerit de eo rogatus legitimè: alioqui si ipsi talis animus non sit; peccatorum absolutio denegari debet: nec tamen interim eum vllo iure compellit, ad sua bona fisco reddenda. Quòd si nunquam iterum de crimine rogetur, nec lege adstringitur ad id, quod antea dixit, reuocandum; nec ad bona reuocanda fisco; ei enim imputari ampliùs non debet, si crimen suum non prodat, siquidem nunquam ampliùs de eo legitimè à iudice rogatur.

Sextò quæritur, An bona hæretici ab eo die, quo in hæresim incurrit, ad fiscum pertineant? Respondeo, lege Pontificia *in cap. Cum secundum leges, de hæret. in 6.* nihil aliud constitui, nisi bona hæreticorum iure ipso esse confiscata, id est actionem, & ius fisco acquiri ad ipsorum bona. Verùm communi omnium consensu receptum est, vt exemplo eius, qui crimen læsæ maiestatis patrauit, à die commissi criminis bona hæretici omnia publicentur, post declarationem delicti in iudicio factam. Sic interpretes omnes, Archidiaconus, Ioann. Andreas, Imola, Paulus *in cap. Cum secundum leges, de hæret. in 6.* & ciuilis iuris interpretes *in l. vlt. & l. quisquis. C. Ad legem Iuliam maiestatis.* Ex quo efficitur, vt donationes ab hæretico quamuis occulto factæ, à die commissi delicti, post sententiam iudicis, & condemnationem criminis rescindantur: immo dotes etiam filijs datæ, à fisco vendicantur; quamuis ad onera matrimonij subleuanda dentur. Simanc. *de Cathol. institut. tit. 2. num. 23.* Dotes pariter à parentibus sanctimonialibus datæ, vt vitam monasticam profiteantur, fisco similiter deferuntur. Siman. *de Cathol. institut. tit. 9. num. 24.* Emancipationes filiorum nullius sunt momenti, *l. quisquis. §. Emancipationes. C. Ad legem Iuliam maiestatis, & c. Quicumque. §. vlt. de hæret. in 6.* quia filij à die, qua pater in hæresim incidit, sui iuris redduntur; sicut alij liberantur, qui iure dominij, & obsequij erant hæretico obstricti, *cap. vlt. de hæret.* Omnes denique quarumlibet rerum alienationes à die criminis admissi factæ, post sententiam Iudicis, & condemnationem delicti rescinduntur: vt colligitur ex eadem *l. quisquis, & l. vlt. C. Ad legem Iuliam maiestatis.*

Septimò quæritur, An serui, siue mancipia hæreticorum ob hæresim dominorum, vnà cum alijs bonis publicentur, ita vt iure, fisco deferantur? Hanc quæstionem tractat in Direct. *Inquisit. par. 3. q. 119.* Scholiastes *comment. 168.* & Alphonsus Castrus *lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 7.* Respondeo,

Si serui Catholici fuerint, vel, eorum dominis in hæresim prolapsis, ad fidem Catholicam sese contulerint dominorum impietatem detestatis; & fortasis etiam si Cathecumeni sint, aut infideles quidem, sed qui dominorum hæresim studio, & amore Catholicæ religionis ad Inquisitores detulerint, iure communi ciuili libertatem acquirere, & sui iuris fieri, ex l. *Manichæos.* §. *vlt. C. de hæret.* vbi dicitur: *Seruos quoque extra noxam esse volumus.* id est, vt interpretatur Accursius, *liberos fieri volumus, si dominum sacrilegum euitantes, ad Ecclesiam Catholicam seruitio fideliore transierint.* Et in Direct. Inquisit. Scholiastes *comment. supra citato*, ait, esse ita constitutum per instructionem quandam Hispalensem, anno Domini 1434 cap. 24. vbi sic habetur: *Domini, Rex, & Regina, humanitate, & clementia ducti, voluerunt seruos quorumcunque hæreticorum libertate donari, si in eorum potestate existentes, Christiani essent.* Sic ibi. Hoc idem docet Simancas de *Cathol. institut. tit. 61. num.* 8. Quòd igitur serui hæreticorum Christiani libertate donentur, cum domini labuntur in hæresim, benigna est Principum humanitas; alioqui enim ad fiscum, vna cum alijs bonis deuenissent; seruus enim quædam est possessio domini. Ex quo fit, vt cæteri serui à fide, & religione Catholica alieni, sui iuris minimè efficiantur; & proinde vnà cum alijs bonis publicari debeant, & ad fiscum pertineant. Vnde *in l. vlt. C. Ad legem Iuliam maiestatis*, statuitur, manumissiones à die commissi criminis, nullius esse momenti: quoniam si serui Christiani fuerint, sui iuris effecti sunt, libertate acquisita: si Christiani non fuerint, à fisco vnà cum alijs bonis post sententiam iudicis, & condemnationem criminis vindicantur. Alphonsus Castr. *lib. 2. de iust. hæret. punit. cap. 7.* generatim docet seruos statim atque eorum domini sunt in hæresim prolapsi, sui iuris fieri, & libertatem acquirere, eò quòd *cap. vlt. de hæret.* serui, ob hæresim dominorum, eximuntur ab omni seruitutis vinculo, quo dominis tenebantur: sed ex eo capite solùm colligitur seruos non ampliùs suis dominis obligari, non autem sui iuris fieri. immo generatim docent Ioan. Andr. Geminianus, Francus, & alij *in c. Quicunque* §. *vlt. in 6.* Et Anania, & Marianus Socinus *in cap. vlt. de hæret.* Seruos hæreticorum, sicut & alia bona ad fiscum transire; serui enim numerantur, & habentur in patrimonio & bonis dominorum, *l. rem in bonis ff. de acquiren. rerum dominio. & l. vlt.* §. *vlt. C. de verb. significat.*

Octauò quæritur, An hæreticus à die, quo in crimen incurrit, sit capax bonorum sibi ex aliorum donatione, vel testamento, legato, aut fidei commisso obuenientium? Respondeo, nihil eorum posse ab eo die sibi acquirere, *l. Diuinam C de hæret.* Quæres, an hæreditas post hæresim obueniens hæretico, pertineat ad fiscum, an verò ad hæredes propinquiores deuoluatur? Respondeo, esse distinguendum: aut hæreditas, siue quæcunque alia donatio sit, per ignorantiam hæretico relicta est, cum is, qui reliquit, hæresim penitus nescierit; aut scienter. Si per ignorantiam, ad fiscum non pertinet, sed hæredi legitimo tamquam debita defertur: Si scienter; fiscus ob pœnam eius, qui donauit, aut reliquit, sibi vendicat. Idem iuris est de legatis, & fidei commisis. Si manc. *de Cathol. institit. tit. 46. nu. 56.* Ex Ital. Ancha, Imol. Anania, Felino, Bruno, quos ille refert, & sequitur.

Nonò quæritur, An ius patronatus Ecclesiastici cum, quod habebat hæreticus, publicatis eius bonis ob hæresim, ad fiscum transeat? præsertim cùm ius patronatus transeat ad hæredes extraneos. De hoc Innoc. & alij in *Rubr. de iure patronat.* Decius. *consil. 149.* Respondeo, esse vsu introductum, ne ius patronatus transferatur ad fiscum, sed vt Ecclesia sui iuris libertatem acquirat: sicut liberantur cæteri, qui aliquo iuris vinculo hæreticis erant obstricti. Simanc. *de Cathol. institut. tit. 9. nu. 46.* Lamberti *lib. 3. de iure patronat. q. 8. num. 8.*

Decimò quæritur, An feudum, quod erat penes hæreticum, vnà cum cæteris bonis, ob hæresim publicetur, ita vt ad fiscum transeat? Respondeo, non publicari, sed ad Catholicum dominum redire, *vt colligitur ex cap. Excommunicamus* §. *Moneantur, de hæreticis.* Simancas. *de Cathol. institut. tit. 9. num* 120.

Vndecimò quæritur, An Emphiteusis, vnà cum ceteris bonis, ob emphiteotæ hæresim à fisco vendicetur? Respondeo in hunc modum: Si res emphiteotica sit hominis priuati, in bonum, & rem fisci cedit cum ceteris bonis emphiteotæ: sed integrum ius ei, qui directum habet dominium conseruatur. Simancas *loco citato num. 97.* At quæstio est, quando emphiteusis est Ecclesiastica, an ob hæresim exphiteotæ ad fiscum quoque transferatur? Quæ controuersia pendet ex alia, videlicet, Num res Ecclesiæ in emphiteusim data, possit ad hæredes extraneos transire? nam si non possit, neque ad fiscum perueniet, qui extraneus successor est. Multorum est opinio quos referunt Couarruuias *lib. 2. variar. resol. cap. 17. num. 5.* & Simancas *loco citato num. 99. & num. 100.* ad hæredes extraneos transire non posse. Contrà alij censent, posse peruenire. Sed verior est opinio dicentium, rem Ecclesiæ in perpetuam emphyteusim datam, seruatis omnibus necessarijs iuris solennibus formulis, ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis, posse transire ad extraneos; sin minus, non posse. Hanc opinionem dicit esse communem Siman. *loco citato, num. 105.* Quo fit vt possit quoque ad fiscum deuenire: sed optio datur Ecclesiæ, vt intra biennium deliberet, an velit habere fiscum in emphyteotam, an verò rem suam recuperare malit, quàm in emphiteusim dederat. Siman. *loco citato, num. 105.* Sed dubia quæstionis est, an Ecclesia recuperet rem suam emphiteoticam vnà cum emolumentis in ea factis ab hæretico, ita vt nihil soluere debeat? Respondet Simanc. *loco citato num. 107.* Si emphyteota rem Ecclesiæ meliorem fecit antequam incideret in hæresim, Ecclesia recuperat omnia emolumenta: non tamen si fecit meliorem, postquam est in hæresim lapsus.

Duodecimò quæritur, An res censui obligata, & subiecta, vna cum ceteris bonis, ob hæresim publicetur, & fisco deferatur? Respondeo, eam à fisco vendicari, sed integrum ius, quod in ea dominus census habet, ipsi conseruatur: nam res, sicut ad hæredes cum suis oneribus transit, sic etiam ad fiscum. Simancas *loco citato num.* 98.

Decimo.

Decimotertiò quæritur, An bona primigeniorum, quæ vulgo alicubi Maioratus vocantur, ob hæresim primogeniti ea possidentis ad fiscum pertineant; Hanc quæstionem Simancas tractat. *loco citato, num.*252. Respondet Alphonsus Castr. *lib.*2. *de iust. hæret. punit. cap.*7 generatim eiusmodi bona non publicari; sed ad successorem transire. Sed melius meo iudicio Simancas *de cathol. institt. tit.*9. *num.*253. distinguit Nam huiusmodi bona possunt tripliciter constitui: Primò, concessu & priuilegio Principis, vt cum Rex concedit alicui, vt eius bona perpetuò ad primogenitos successores pertineant, ceteris exclusis. Secundò, legis beneficio, & auctoritate; sicut cum lege Principis decretum est, vt posit quisque de suis bonis statuere, vti perpetuò ad primogenitos successores perueniant. Tertiò, iure successionis, vt cum in bonis perpetuò primogeniti succedunt ab antiquo tempore, cuius initij memoria non extat.

His expositis, sunt duæ opiniones; Prima ita distinguit: Si primigenia concessu, & priuilegio Principis constituta sint, bona primigeniorum ob hæresim, vel crimen læsæ maiestatis publicantur, & ad fiscum spectant, etiamsi Regis priuilegium clausulam contineat, ne ob talia crimina à fisco vendicentur: & idem iuris est de bonis primigeniorum, quæ vel legis auctoritate, & decreto, vel iure successionis alicui deferuntur, ita vt etiam si fuerit de eiusmodi bonis clausula, ne ob hæresim, vel crimen maiestatis offensæ publicari queant, sed eo ipso, ad propinquiorem cognatum deuoluantur, nihilominus tamen à fisco vendicentur. Secunda opinio docet bona primigeniorum nequaquam publicari ob hæresim, vel crimen læsæ maiestatis, quando sunt constituta vel legis auctoritate, vel iure successionis ab antiquo tempore, vel beneficio Principis, cū expressa clausula ne publicari queant. Quod probant primò, quia quisque potest de suis bonis constituere, vti ita propinquiori cognato deferantur ob flagitium, & indignitatem possidentis. Deinde, quia interdum primigeniorum bona ad aliquem transeunt per contractum, nempe ob matrimonium initum. Sed siue eiusmodi rationes, siue oppositæ plus ponderis, & virium habeant, hoc certum est, magis esse vsu receptum, vt huiusmodi bona primigeniorum ob hæresim vel crimen læsæ maiestatis à fisco vendicentur.

Decimoquartò quæritur, cui fisco bona hæreticorū deferātur? Respondeo, bona hæretici secularis fisco Principum secularium deferri, extra prouincias & loca Romanæ Ecclesiæ, ciuili administrationi, & iurisdictioni subiecta: nam in locis Romanæ Ecclesiæ fisco Romani Pontificis deferuntur: bona verò Clerici hæretici Ecclesijs applicari, à quibus stipendia clericus recepit. *c. Excommunicamus, §. Damnati, de hæret.* Animaduertendum est, bona Ecclesiæ qualia sunt prædia, domus, possessiones, & similia non publicari, cum bonis Clerici hæretici; sed Ecclesiæ, cuius sunt bona, restitui. *clem.* 1. *de hæret.* & Directo. Inquisit. *par.*3. *q.*112. & *ibi.* Scholiastes *comment.*161. vbi Doctores citat. Quæres, an fisco deferantur fructus, quos Clericus hæreticus ex beneficio Ecclesiastico acquisiuit? nam videntur esse bona illius, cuius est beneficium? Ancharanus, Felin. & alij cēsent, Ecclesiæ deberi huiusmodi fructus. Citat eos auctores Simancas *loco citato*; ipse tamen respondet, non deberi illi Ecclesiæ; sed vnà cum ceteris bonis Clerici à fisco præsertim in Hispania, vendicari. Quia licet in opinione Doctorum situm sit, An Beneficiarij huiusmodi fructuum dominium, aut quasi dominium acquirant, an verò solùm vsum, & administrationem habeāt; est tamen receptum cōsuetudine in Hispania, vt Clerici simplices de huiusmodi fructibus testari queant, tamquam de suis bonis; ergo cum ceteris bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus connumerantur. In hac re id seruandum est, quod fuerit vsu receptum; vt ait in Directo. Inquisit. Scholiastes *Comment.*161 Sed quid dicendū, vbi non est vsu receptum, vt Clerici ex fructibus Beneficiorum testentur? & quid item de fructibus, quos perceperat Episcopus, vel alius Dignitatem habens, qui nusquam testatur de illis? Respōdet Scholiastes in Direct. *prædicto in loco* eos fructus, si pertinent ad portionem debitam Clerico, siue Episcopo, confiscari posse. Quod mihi quidem non placet, quoniam puto eos omnes fructus tamquam spolia Clericorum, ad Cāmeram Apostolicam pertinere, vt dicam alibi. Sciendum quoque est, Religiosi hæretici, qui S. Francisci institutum fuerit professus, supellectilem, libros dico, vestes, & cætera huiusmodi, quæ in bonis habet, non Monasterio deferri; sed publicari debere: quia ad Monasterium nequaquam horum bonorum dominium pertinet. Simancas *loco citato, num.*88.

Decimoquintò quæritur, An quando paterfamilias sit hæreticus, & per sententiā condemnetur, publicetur vsusfructus, quem habent in bonis aduentitijs filij? Respondeo cum Simanca *eo, quem supra citaui loco, num.*18. non publicari, sed ad filium vnà cum proprietate pertinere, quia filius factus est sui iuris, *ex cap.*2. §. *vlt. de hæret. in* 6. cum primùm pater hæresim admisit: quare cum ex eo tempore fuerit patria potestate solutus, ad eum pertinet vsusfructus vnà cum proprietate. Quid si filius familias hæreseos damnetur, num publicari debeat vsusfructus, quem pater habet in bonis aduentitijs eius? Simancas *loco citato num.*18. docet publicari: & ideo vna cum proprietate ad fiscum trāsire. Alijs probabilius videtur, nō publicari, quia filij crimen non potest nocere iuri patris antè acquisito, de hoc dixi *libro* 5. *cap.*7. *q.*8.

Decimosextò quæritur, An hæredes hæreticorum possint aliquando iure præscriptionis contra fiscum, vel Ecclesiam etiā Romanā, sibi bona retinere, quæ possident? Respondeo posse, si quadraginta annorum spatio illa possideant, tunc enim actio, & ius competens fisco excluditur legitima præscriptione, *cap.*2. *de Præscript. in* 6. Idem iuris est de ijs, qui bona fide res hæreticorum emerunt, & per quadraginta annos possederunt, vt ex *eo capite* colligitur. Bona fides censetur, si hæredes, vel emptores nescierint eum hæreticum fuisse. Sed dubiæ quęstionis est, an hæreticus ante criminis declarationem, tuta conscientia possit aliquā donare? De hac quæst. *lib.*5. *tract. c.*7. *q.*7

Decimoseptimò quęritur. An regnum regis

hæretici confiscari queat ? quæstionem mouet; quia Rex superiorem in ciuilibus rebus, & causis non habet. Alphons. Castr. *lib. 2. d iusta hæret. punit. cap 7.* docet, eo ipso regnum illud ad filium Regis Catholicum peruenire, perinde ac si Rex vita functus esset. Quòd si filius, & ceteri propinquiores consanguinei, hæretici quoque essent, tunc pœnes Regni proceres, si Catholici essent, fuisset ius, & potestas eligendi, & creandi Regem Catholicum. Si autem & illi hæretici etiam essent, ius eligendi ad Romanum Pontificem pertineret. Hanc sententiam approbat Simancas *de Cathol. institut. tit. 46. nu. 75.* & addit, posse tunc Regnum illud à Catholicis occupari: idque probat *ex cap. Vergentis, de hæret.* vt alio in loco dicam. Mihi certum videtur, posse tunc Romanum Pontificem, eum Regem per sententiam regno priuare, ne populos sibi subiectos corrumpat, & religionem Catholicam labefactet, vt suo loco commodiùs dicam.

Cap. XIII.

De quarta hæreticorum pœna, qua suis dignitatibus, honoribus, publicis officijs, & Beneficijs priuati sunt, vel priuari merentur.

NOtandum est, *c. vlt. de hæret.* eos omnes, qui erant hæretico aliqua obligatione obstricti, iurisiurandi, siue fidelitatis, siue obsequij, siue alterius pactionis, & promissionis, liberari. ibi enim sic decernitur: *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis domini, & totius obsequij, quicunque lapsis manifestè in hæresim, aliquo pacto quacunque firmitate vallato tenebãtur astricti.* Sic ibi. Vnde filij sui iuris efficiuntur; & proinde pater hæreticus non potest pro filio impubere testari, nec eum hæredem substituere: Catholica vxor hæretico viro debitum reddere non cogitur, *cap. vlt. de hæret. cap. Compelluntur, cap. de illa. de diuort.*

Sed illud dubitationem habet, An vxor, quæ recessit à marito ob hæresim eius, cogatur ad illum redire, si resipuerit, hæresi per pœnitentiam omnino deposita. Glossa *in cap. de illa. de diuort.* respondet generatim, esse cogendam ad reddendum debitum, siue recesserit iudicio, & sententia Ecclesiæ, siue priuata sua auctoritate. Abbas tamen, & alij docent eam reuerti debere; si priuata auctoritate discesserit ab eo, *vt dicitur in c. de illa*: non tamen si iudicio Ecclesiæ separata est, & in Religionem ingredi velit, *cap. vlt. de conuers. coniug.* Famuli etiam & liberti non ampliùs vllo iure compelluntur ad famulatum suo domino præstandum. Præterea, custodes arcium, & vasalli eximuntur à Sacramento fidelitatis. Si quis aliquid debet hæretico ratione depositi, pignoris, mutui, commodati, vel alterius contractus ad diem præscriptum soluendum, non potest ei soluere, sed fisco; vel differre debet solutionẽ: quia interdictum nobis est cum hæretico sermones, & commercia conferre. Quare si quis pœna aliqua cõstituta obligatur ad aliquid hæretico certa die soluendum, licet præstituto tempore non soluat, pœnam constitutam non contrahit, vt ibi Glos. testatur. Simanc. *de Cathol. institut. tit. 46. num. 73.* Alphonsus Castr. *lib. 2. de iust. hæret. punit. c. 7.*

Primò quæritur, An huiusmodi pœnis hæreticus afficiatur, etiam si sit occultus? Duæ sunt opiniones. Prima docet eas pœnas solummodo contrahere hæreticum notorium, qui est manifestus, vel per euidentiam facti, vel per sententiam Iudicis, vel per propriam confessionem in iudicio. Quod probat, quoniam *in citato* dicitur: *Lapsis manifestè in hæresim.* Secunda opinio testatur hæreticum etiam occultum, dummodo probari possit eum in hæresim incidisse, dictis pœnis affici. Sic Philippus *in eo capite*, Ioan. Andr. ait intelligi de hæretico, cuius hæresis, & probari in iudicio potest, & cœpit probari delata ad iudicium. Alphõsus Castrus, Abbatem sequutus intelligit, de quolibet hæretico etiam occulto, ita vt sicut hæreticus occultus, eo ipso, suorum bonorum dominium amittit, licet possessionem retineat; sic à die commissi criminis incurrit in prædictas pœnas; quamuis in iudicio crimen probari debeat, vt hæreticus ab omni exceptione, & allegatione repelli in iudicio possit. Alij aiunt, nũc post Cõcilium Constantiense prædictas pœnas intelligi tantùm de hæretico expressim denunciato, aut notorio Clerici percussore: hunc enim solummodò deuitari oportet, vt sæpe iam dixi. Sed dicendum existimo omnes obligationes, quibus aliqui sunt hæretico obstricti, statim cessare, ita vt hæreticus ius nõ habeat, sicut nec habet suorum bonorum dominium: at possessionem retinet, donec crimen iudicis sententia declaretur.

Secundò quæritur, An si Caius aliquid Titio debeat, & Titius in hæresim incurrat, obligetur ad id soluendum Titio; an verò potiùs reddere id fisco debeat? Abbas, quem sequitur Alphonsus Castrus, censet eum debere id fisco reddere quoniam hæreticus ob hæresim, suorum bonorum dominium amisit: & quia *vlt. l. c. Ad legem Iuliam maiestatis*, dicitur: *Neque ei debitorem posse iure soluere.* Sed hoc ideo sensit Abbas, quoniam putat hæreticum in foro conscientiæ iure ipso compelli ad sua bona reddenda fisco. Nos verò, quia supra docuimus, ad id minimè obligari, nisi post sententiam iudicis, & condemnationem criminis; ideo in præsentia dicimus, debitorem non posse hæretico soluere, quando post criminis condemnationem fiscus hæretici bona vendicat sibi; tunc enim fisco capienti bona hæretici, debitor nec potest ea bona denegare, nec celare; sed ante sententiam Iudicis, debitorem oportet hæretico soluere.

Tertiò quæritur, Quæ sit quinta hæreticorum pœna? Respondeo, eos omnibus dignitatibus esse ipso iure priuatos, honoribus omnibus, item Ecclesiasticis beneficijs, ac officijs, & publicis functionibus, iuxta id, quod habetur *in cap. vlt. commissi. § primandi, de hæret. in 6.* vbi sic dicitur: *primandi præterea, vel priuatos nunciandi dignitatibus, ac alijs beneficijs Ecclesiasticis, & officijs publicis, ac honoribus quibuscunque eosdem hæreticos. Et colligitur ex cap. si Papa, d. 40. & cap. qui contra pacem. 24. q. 1.* Aduocati, Tabelliones, aut Procuratores esse non possunt: nec publicum aliquod officium acquirere, quia infames sunt, item quia excommunicati: item, quia sese ab Ecclesia diuiserunt, *cap. nulla officia. d. 54.* At enim quæstio est, quo pacto sit hæc pœna interpretanda; an videlicet in hæretico Presby-

tero

tero maneat potestas consecrandi & conficiendi Eucharistiam? Respondeo ex communi sententia Canonici iuris interpretum, & Theologorum *in 4. dist. 13.* contra Magistrum Sentent. *in 4. dist. 13.* & contra Gratianum *in c. audiuimus. 24. q. 1.* manere; quia hæc potestas est, Ordinis nomine, & institutione Christi vim suam habens, & suum effectum producens, Obijcies. Canones multos esse, qui videntur asserere; nihil huiusmodi potestatis hæreticos habere. Respondeo, eos Canones intelligi debere, ita vt non habeant eam potestatem facto scilicet & functione, siue vsu debito, ac iure permisso. nam interdictum est eis, consecrare, & conficere; habent tamen habitu, & potestate.

Quartò quæritur, An in hæretico sacerdote permaneat potestas faciendi, & offerendi Missæ sacrificium pro viuis, & mortuis? Respondeo ex communi omnium Theologorum consensu contra Magistrum *in 4. dist. 13.* & præcipuè ex S. Tho. *par. 3. q. 82. art. 7. & 2. 2. q. 39 art. 1.* manere; quia verè consecrant, & offerunt nomine, & institutione Christi, qui dedit omnibus Presbyteris potestatem consecrandi, conficiendi, & offerendi corpus Domini pro omnibus viuis, & defunctis: ergo talem eis potestatem Ecclesia non abrogat. *Et hoc planè colligitur ex c. Romanus, c. Si qui, c. Si renera, de consecr. dist. 4.*

Obijcies, sacerdotes nomine Ecclesiæ offerre sacrificium: Sed hæretici sunt extra Ecclesiam, nec ipsa vult per eos sacrificium, & preces offerre; ergo nihil offerunt. Respondeo cum S. Thoma *3 par. quæst. 82. art. 7. ad 3.* Sacerdotem in Missa, dum orat, loqui nomine Ecclesiæ: sed dum consecrat, loqui nomine Christi, cuius vicem gerit per Ordinis potestatem. *Et ideo*, inquit S. Thomas, *sacerdos ab vnitate Ecclesiæ præcisus, si Missam celebret, quia potestatem Ordinis non amittit, consecrat verum corpus, & sanguinem Christi, sed quia est ab vnitate Ecclesiæ separatus, orationes eius efficaciam non habent.* Hæc ille. Sacerdotes ergo non solùm nomine Ecclesiæ offerre dicuntur; sed Christi etiam nomine, institutione, & auctoritate: & hac ratione Sacerdotes, quamuis hæretici, verè offerunt, dummodo Christi, & Ecclesiæ in offerendo formam integram, & debitam seruent. Obijcies quod habetur *in c. Intra Catholicam Ecclesiam. 1. q. 1.* ex Augustino dicente, extra Ecclesiam Catholicam non esse locum veri sacrificij, & *c. in Ecclesia. 1. q. 1.* ex Leone, qui ait, *Aliter scilicet quàm in Ecclesia, quæ corpus Domini est, nec rata sunt sacrificia, nec sacerdotia, & in c. Non oportet*, ex Concilio Landiceno. *1. q. 1.* legitur: *Non oportet hæreticorum benedictiones accipere, quoniam magis sunt maledictiones, quàm benedictiones.* Hæc & similia, vt dicit S. Thomas, *loco citato*, intelliguntur in hunc modum: Extra Ecclesiam non rectè sacrificium offertur, quia non fructuosè offertur. Vnde est quidem sacrificium, veritate Sacramenti, non veritate fructus. Secundò obijcies, quod habetur *in c. Arrianos 1. quæst. 1.* ex Innocentio dicente *hæreticos sacerdotij, aut cuiuslibet alterius muneris dignitatem non habere: solùm apud ipsos ratum esse Baptisma.* Respondet S. Thomas *par. 3 quæst. 82. articul. 7. ad 2.* ideo hæc dixisse Pontificem, quia in extrema necessitate possunt baptisma conferre, non alia Sacramenta.

Quintò quæritur, An penes Episcopũ inhærentem lapsum maneat potestas Ordinis, quæ est propria Episcoporum, nimirum consecrandi, & conficiendi Chrisma, & duo Sacramenta conferendi, Confirmationem nempe, & Ordinem? Respondeo, manere: quia hæc omnia fiunt nomine, institutione, & auctoritate Christi: & hinc est, vt Episcopi redeuntes ab hæresi non iterum ordinentur, *c. Conuenientibus. 1. quæst. 7.* & ij qui sunt ordinati ab Episcopis hæreticis seruata forma Ecclesiæ, non iterum ordinantur, *c. Ordinationes 9. quæst. 1.* Si objcias, quod habetur *in c. Daibertum. 1. quæst. 7.* vbi legimus, *Daibertum, qui fuerat à Nezelone hæretico ordinatus, iterum ordinari debere, quia Nezelon nihil habuit, eò quod fuerat ab hæreticis ordinatus, & proinde nihil dare potuit.* Respondeo, fuisse ordinatum non seruata Ecclesiæ forma, & ideo est iterum ordinatus.

Sextò quæritur, An potestas Ordinis, qua potest Episcopus multa, quæ Sacramentaliter dicuntur, conficere, nimirum consecrare altaria, templa, siue aras, Ecclesias, & calices, & vestes, & alia huiusmodi sacrare, maneat in Episcopo hæretico? Negant quidam, inter quos videtur esse Alphonsus Castrus *libro 2. de Iusta hæretic. punit. cap. 22.* permanere; eò quòd hanc potestatem Episcopi habeant acceptam auctoritate Ecclesiæ, quæ eiusmodi sacramentalia instituit; Sed Episcopus hæreticus, est extra Ecclesiam; ergo eam potestatem habere non potest. Alij verò affirmant ea ratione adducti, quod Ecclesia vsum tantùm & functionem tollat, minimè autem ius, & potestatem. Ita videtur sentire Glossa *in c. Ecclesijs, de consec. dist. 1.* vbi docet, Ecclesias ab hæreticis consecratas, non esse iterum consecrandas, si Episcopi hæretici in consecrandis Ecclesijs seruauerint, & tenuerint formam, quam seruat, & tenet Ecclesia: alioqui esse iterum consecrandas, & ita exponit illa capita, *Ecclesijs, &, Ecclesias, &, Arrianorum, de consec. dist. 1.* Et hæc videtur verior opinio. Nam licet huiusmodi potestatem possit hæreticis Ecclesia abrogare, quoniam eam non habent iure diuino; sed auctoritate Ecclesiæ; non tamen eam abrogat Ecclesia.

Septimò quæritur, An sacerdos hæreticus, item & Episcopus in hæresim prolapsus, eo ipso sit omni iurisdictione priuatus: nam si priuatus sit, consequens erit, vt quæ fiunt ratione publici muneris, & officij, tum à Presbytero, tùm ab Episcopo, non valeant: & proinde peccatorum confessiones, quas parrochus presbyter excipit, erunt prorsus irritæ; & sententiæ, censuræ, leges, siue constitutiones, ac pœnæ ab Episcopo latæ, nullius erunt ponderis, ac momenti. Respondẽt quidam distinguentes: Si sit hæreticus occultus, valere omnia ea, quæ ratione publici muneris præstat, ac facit sacerdos, & Episcopus: quia non eo ipso, quo incidunt in hæresim, publica administratione, aut muneris functioe priuantur, quod attinet ad possessionem, non ad titulum, & ius: sunt enim titulo priuati, possessione non item: Si verò manifestus sit hæreticus, quæ facit, inquiunt, non valent: atque hanc esse communem Canonici iuris Doctorum, & Theologorum sententiam, affirmant; quæ, inquiunt, ante Concilij Constantiensis tempora ideo locum habebat, quia tunc omnes manifesti hæretici, &

notoriè excommunicati vitari debebant. At verò, quia post Concilium Constantiense tantum modo euitandi sunt nominatim, & expressim denunciati, aut notorij Clericorum percussores; ideo dicendum existimant, valere, quæ faciunt hæretici Presbyteri, vel Episcopi, nisi sit aliquis eorum, vel manifestus Clerici percussor, vel expressim, aut nominatim denunciatus. Et idem iuris esse dicunt de quolibet alio Ecclesiastico, vel seculari viro publicam administrationem, functionem, vel officium gerente. Non enim ij publici magistratus, vel Reipublicæ administri hoc ipso, quòd in hæresim incurrerunt, sunt publici officij, & muneris functione, & vsu priuati; nam adhuc possessionem habent, & retinent, sed damnato crimine per sententiam Iudicis, administrationem, & officium deponere, & omni se auctoritate publica abdicare coguntur. Ego tamen aliter dicendum puto, nimirum aliud esse, dubitare, An hæreticos euitare debeamus, tamquam excommunicatos; aliud verò, An hæreticus ob hæresim, non quidem internam & mente conceptam, sed ob externam verbo proditam, omni iurisdictione careat. De primo verum est, nos non debere euitare quoslibet hæreticos; sed tantùm eos, qui sunt nominatim denunciati, vel notorij Clerici percussores. De secundo verò puto hæreticos ob hæresim exteriorem, iurisdictionem Ecclesiasticam amittere: quia excommunicatus etiam occultus, licet vitari à nobis non debeat; iurisdictione tamen caret, vt colligi videtur ex S. Thoma. 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 3. Vnde suspensus est ab officio, & beneficio, & ideo nec ligare, nec absoluere potest. 24. *quæst.* 1. *cap. Audiuimus*: nec beneficium conferre potest *cap. Tanta, de conces. præben.* nec eligere potest, Glossa *in c. Nos.* 9. *quæst.* 1. Valent tamen, quæ faciunt hæretici, quamdiu in publico munere, & officio tolerantur, ex *cap. Nonne.* 8. *quæst.* 4. Siluester *verb. excommunicatio* 3 *vers.* 10. & 11. Voluit enim Ecclesia, vt valerent.

Octauò quæritur, An Sacerdos hæreticus eo ipso Beneficium Ecclesiasticum, Dignitatem, vel Officium amittat, ante omnem Iudicis sententiam, qua eum in crimen incurrisse, declaretur? Respondent quidam cum Simanca *Cathol. institut. tit.* 46. *num.* 72. Alphonso Castrensi *lib.* 2. *de iusta hæretic. punit. cap.* 9. ex Felino, Ancharano, & Bernardo Diaz, & alijs, quos citant, minimè esse priuatum; quare si Canonicus sit, inquiunt, & suffragium ferat in eligendo alio, suffragium est ratum, & firmum, licet ipse legi nequeat. Alijs verò probabilius videtur, esse ipso iure priuatum. id enim videntur dicere *in cap. Quo iure. dist.* 8. Geminianus, Præpositus, & Glossa, & *in cap. Vt commissi, de hæret. in* 6. Ioannes, Andreas, & *in cap. Inter dilectos*, Abbas, & Felinus *in cap.* 2. *de Rescrip.* Sal tem quicquid sit de iure antiquo, iure nouo priuatus est à die commissi crimiuis. Extat enim Pontificia Constitutio Pij V. quæ incipit: *Cum ex Apostolatus*, vbi statuit, Beneficia, quæcumque fuerint, ob delictum hæresis vacare, & reseruat ea Sedis Apostolicæ ordinationi. Ita hæc sententia defenditur in Direct. inquisit. 3. *par.* 13. *Schol.* 162.

Cæterùm mihi videtur secunda opinio nihil à prima differre, si vtraque bene intelligatur. Prima enim non negat hæreticum à die patrati criminis esse priuatum iure, & titulo Beneficij; sed non concedit eum possessione carere. & hoc idem dicit secunda sententia: nec enim illud dimittere cogitur, antequam crimen eius, Iudicis sententia declaretur. QVAERES, an vllius sit momenti abdicatio Beneficij ab hæretico, causa alterius ante condemnationem criminis facta? Resp. Si beneficium deponat dimittatue gratia, & causa alterius, vt illi conferatur, vel cum alio commutet, penitus eiusmodi Beneficij abdicatio, aut commutatio rescindetur post hæresis condemnationem: quia, *vt ante dixi*, quarumlibet rerum alienationes ab hæretico factæ dissoluuntur post criminis damnationem; quia retrotrahitur sententia vsque ad diem commissi delicti; quare ante criminis declarationem ita valet abdicatio, aut permutatio Beneficij, vt rescindi, & dissolui queat, & Beneficium auferri ei, cuius gratia hæreticus deposuit, aut permutauit. Nam *ante iam dixi*, quemadmodum hæreticus à die patrati sceleris, suorum bonorum dominium amittit, possessionem non item, & per declarationem Iudicis non priuatur dominio, sed declaratur crimen: & declaratione facta, retrotrahitur sententia, & capit fiscus omnia bona à die commissi delicti, & rescindit, ac dissoluit omnes alienationes: sic etiam hæreticus ob hæresim priuatus est iure, & titulo Beneficij: & cum crimen declaratur, Beneficium ei adimitur; dissoluitur abdicatio, aut permutatio, si quam fecerat à die commissi delicti, & iure nouo Beneficium vacans, non nisi Romanus Pontifex conferre potest. Ex dictis perspicitur hæreticum esse inhabilem multis ex causis ad Dignitates, Beneficia Ecclesiastica, honores, & officia publica, quæcumque tandem sint illa: nam est excommunicatus, & est infamis, est irregularis, est hæreticus; & proinde extra Ecclesiam. Quare si ei Beneficium, vel officium publicum conferatur, irritum est, quod fit; & fructus, si quos percipit, restituere in foro conscientiæ debet: nec capax est iuris patronatus, nec pensionis Ecclesiasticæ. Scholiastes in Direct. inquisit. *quæst.* 113. *par.* 3.

Sexta hæreticorum pœna, est priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Vnde *in cap. Quicumque, de hæret.* statuitur sic: *Quicumque Hæreticos, Credentes, Receptatores, Defensores, vel Fautores eorum scienter præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere: nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & proijciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura.* Hæc ibi. QVAERES, an Ecclesiasticæ sepulturæ priuatio, sit propria hæreticorum pœna, an omnium excommunicatorum communis? Respondeo, eo capite ante Clementinas editas huiusmodi pœnam specialiter esse in hæreticos constitutam; sed postea in *Clementina* 3. *de sepult.* irrogatam esse omnibus excommunicatis. Ibi enim dicitur, *eos, qui propria temeritatis audacia excommunicatos publicè, vel nominatim interdictos, scienter sepelire præsumunt, decernimus, ipso facto, excommunicationis sententiæ subiacere: à qua nullatenus absoluantur, nisi prius ad arbitrium Episcopi diœcesani, cuius, quibus per præmissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem.*

Hæc

Hæc ibi. Rogabis secundò, an sufficiat ad hæreticos, vel excommunicatos Ecclesiasticæ sepulturæ mandandos, si idoneam satisfactionem reddiderint? Resp. minimè nisi eam satisfactionem sequatur iussa, & debita absolutio: qua non solùm in foro conscientiæ, sed in foro etiam exteriori sint absoluti. Nam cum publici, & manifesti hæretici, vel excommunicati fuerint, constare debet, eos esse absolutos, vt ad sepulturam Ecclesiasticam admittantur.

Quod autem ibi dicitur, eorum ossa esse è sepultura effodienda, siue eruenda, intelligitur, quando possint ab aliorum ossibus commodè discerni, vt ait Glossa.

Septima hæreticorum pœna est infamia, nam *in cap. Excommunicamus. §. Credentes*, Receptatores, Defensores, & Fautores hæreticorum excommunicatione afficiuntur: qui si satisfacere neglexerint intra annum, ipso iure redduntur infames: ergo ipsi quoque hæretici ob hæresim, cum sit publicum crimen, infamiam contrahunt. Si percunctèris, an huiusmodi infamiam contrahat hæreticus ante condemnationem criminis, & iudicis sententiam? Castrus *lib. 2. de inst. hæret. punit. cap. 9.* ait, eam contrahere, quia est ipso iure irrogata. Deinde, quia hæc pœna, in priuatione, non autem in actione consistit: sed pœnæ, quæ priuationem tantùm, non actionem continent, ipso facto, ante vllam Iudicis sententiam contrahuntur. Demum, quia eadem est ratio de infamiæ pœna, quę de priuatione bonorum: sed hęreticus ante condemnationem criminis amittit suorum bonorũ dominiũ ergo pariter infamiã incurrit.

Sed verius est, hæreticum hac pœna non affici, nisi post sententiam Iudicis; uã infamia iuris nunquam contrahitur, nisi post cõdemnationem criminis, vt colligitur *ex l. 1. De ijs, qui notantur infamia*: idq; apertè docent Dynus *in ca. Infamibus. de reg. iur. in 6.* Abb. *in cap. Testimonium, de testibus, & cap. exceptio. eod. de except.* Si obijcias, infames esse ipso iure: siquidem infamia est iuris, ergo ipso iure contrahitur. Respondeo, infamiam iuris dici, quia statim vt per Iudicis sententiam crimen est declaratum, reus est infamis: nec enim opus est, vt iudex condemnet reum, vt infamem; sed tantum, vt crimen declaret. Sicut bona hæreticorum ipso quidem iure sunt cõfiscata, sed requiritur iudicis sententia, qua crimen declaretur. Verum animaduertendum est, si crimen hæresis fuerit notorium per euidentiam facti, hæreticus infamiam etiam contrahit facti, non iuris: infamia facti per contrarium factum aboletur.

Octaua pœna hæreticorum continetur *in cap. Quicũq; §. Ad hæc. de hæret. in 6.* vbi dicitur: *Quoscumque viros Ecclesiasticos, qui ad preces huiusmodi personarum* (nimirum hæreticorum, vel credentium, receptatorũ, defensorum, vel fautorum eorum) *dignitates, personatus, & quæcũq; alia Ecclesiastica beneficia sunt adepti, ex nũc priuamus taliter acquisitis, volẽtes quòd tales, & habitu careãt perpetuò, & si receperũt illa sciẽter* (hoc est, vt Glossa interpretatur, sciẽdo eos, qui preces offerebãt esse tales) *ad alia, vel similia ne quaquam in posterum admittantur.* Item, filij hæreticorũ credentiũ, Receptatorum, defensorum, & fautorum eorum vsque ad secũdam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admitti possunt. *cap. Quicumque. §. Hæretici. de hæret. in 6.* Et locum constitutio habet in omnibus filijs, siue legitimis, siue naturalibus tantũ, siue spurijs, siue ex adulterio, incestu, aut sacrilegio natis. Anchar. Archidiac. Ioann. Andr. Francus *in c. statutum 2. de hæret. in 6.* SI QVAERAS, an comprehendat nõ solùm filios, qui nati sunt post quam parentes delictum admiserunt; sed etiam eos, qui antea geniti, ac nati fuerant? Resp. omnes comprehendere, vt multorum doctorum testimonijs probat Scholiastes in Direct. Inquisitorum. *p. 3. quæ. 1. 14. commen. 163.* SI ROGES, an sicut eiusmodi filij inhabiles reddũtur ad beneficium Ecclesiasticum, vel officium publicum; sic etiam priuentur beneficijs, vel officijs ante obtentis? Resp. minimè, vt recte probat in Directorio inquisitorum *loco citato* Scholiastes: quamuis dicat oppositum docuisse Ioannem, Andr. Geminianum, Henricum, Ananiam, Imolam, Præpositum, quos ille citat.

Quod autem dicitur de filijs vsq; ad secundam generationem *in c. Statutum secundo, de hæret. in 6.* declaratur, primum, & secundum grãdum per lineam paternam comprehendere: per maternam verò ad vnum tantummodò gradum protendi. Exempli gratia, fingamus Titium fuisse hæreticum, credentem, receptatorem, defensorem, vel fautorem hæretici, & habuisse filium, & filiam: vterque redditus est inhabilis ad officia publica. Quòd si filius filium susceperit, ipse quoq; nepos ex filio est effectus inhabilis. Quòd si filia filiũ genuerit, nepos ex filia non est factus inhabilis. Item si fœmina in hæresim incurrerit, & filios gignat, sunt inhabiles filij, sed non ex filijs susceptí nepotes. QVAERES, an filij, & nepotes quorumlibet Hæreticorum, Credentium, Receptatorum, Defensorum, vel Fautorum eorum, à publicis officijs, vel beneficijs Ecclesiasticis sint excluſi? Resp. in eodem *cap. Statutum*, decerni, eam pœnam tantùm intelligi de filijs, & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum his similiũ, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur; non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, & Ecclesiæ reconciliatos. SI ROGES an filij, & nepotes relapsorũ, qui sine misericordia traduntur curiæ sæculari, sed dolent, & resipiscunt, & Catholici vsque ad obitum perseuerant, afficiantur prædictis pœnis? Hãc quæstionem mouet in Directorio inquisitorum *par. 3. quæ. 115.* Scholiastes *commen. 164.* & refert duas sententias: vnam, quæ negat, quam sequitur Geminian. & alij, quos ille citat. Alteram, quæ affirmat, quam tenet Ioan. Andr. Francus, Simancas, & alij, quos ibidem refert, & sequitur: & hæc videtur probabilior, quia relapsi, quamuis per pœnitentiam resipiscant, non habentur pro reconciliatis, cò quòd curiæ sæculari traduntur.

Deinde quæres, an huiusmodi, quam diximus, pœna afficiantur filij hæreticorum, vel aliorum, quos commemorauimus, qui tales sunt occultè, vel tales occultè decesserunt? Respondeo, minimè: quia *in eo cap.* apertè dicitur: *qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur.* TERTIO ROGABIS, an eam pœnam contrahant filij hæreticorum, vel aliorum huiusmodi, qui tales sunt manifestè per euidentiam facti;

an verò tantummodo eorum, qui sunt tales manifestè per sententiam Iudicis, vel per propriam confessionem in Iudicio? Resp. ad eam pœnam contrahendam sufficere, si sint filij eorum, quos tales esse constiterit, siue per euidentiam facti, siue per sententiam Iudicis, siue per propriam confessionem in iudicio. Item, satis esse, si eos tales esse manifestum sit in ijs locis, in quibus eos viuere, aut vixisse, constat.

Vltima pœna hæreticorum, est capitis supplicium. Olim iussu Imperatorum Catholicorum hæretici pecuniaria mulcta damnabantur. *L. Cunctihæretici. C. de hæret.* Item, exilio puniri solebant, vt patet *ex l. Arriani. C. de hær.* Postea à Theodosio lege condita, priuari cœperunt omnium bonorum dominio, vt constat *ex l. Manichæos. C. de hæret.* Sicut ij, qui crimen læsæ maiestatis admittunt. Deinde, capite puniri cœperunt *l. Arriani. C. de hæret.* Vnde gladio alicubi necantur: in Flandria, & alijs inferioris Germaniæ locis, capitis obtruncatione puniri, testatur Alphonsus Castrus *lib. 2. de iust. hæret. punit. cap. 12.* Alibi ligatis pedibus, & manibus proijciuntur in flumen, vt absorpti, & aquis obruti pereant, quo modo in Geldria multos interijsse tradit idem Alphonsus. Per Italiam, Galliam, & Hispaniam igni exuruntur. Scisciteris; an iusta sit hæreticorum pœna capitalis? Respondeo, esse iustam, quamuis Lutherani eam, vt sacris litteris repugnantem reprehendant. Nam Leuit. 20. & Num. 25. qui ad Magos declinauerãt, capitis supplicio plectebantur. Item Leuit. 24. blasphemi: Deut. 13. falsi prophetæ. Et Greg. *l. 1. Dialog. c. 4.* scribit, fuisse Basilium quendam Magũ, qui tandem in Vrbe Roma exardescente zelo Christiani populi crematus est. Et Athenienses, quos impietatis damnabant, lapidibus obruebant. Aelia *lib. 5. variæ historiæ.* Nec mirum est, si tam grauiter in hæreticos animaduertatur; cũ adulteratores monetæ, & perduellionis rei, capitis pœnam sustineant, *l. 1. 2. & 3. de falsa moneta, & l. Quicumque, & l. lege Cornelia. ff. Ad legem Corneliam, de falsis, & l. Lex. xij. tabularum. ff. Ad legem Iuliam Maiestatis.* Obijcies, Christum Dominum Petro dixisse: *Si Ecclesiam non audierit, si tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Respondeo, ibi tantummodo fuisse Christo Domino sermonem de pœna, quam potest Ecclesia delinquentibus irrogare. *Matt. 18.*

Deinde obijcies Christum *Matth. 13.* in Parabola de zizanijs, & tritico vetuisse zizania eradicari, ne simul & triticum euelleretur, & tandem subiecisse: *Sinite*, aientem, *vtraque crescere vsq; ad messem.* Sed appellatione zizaniorum hæretici intelligũtur secundum Chrisostomum, Hieronymum, Augustinum, Theophylactum, & Euthymium. Respondeo, ex parabolis non semper argumentum efficax sumi. Præterea, zizaniorum nomine eos generaliter accipi, qui inter triticum, id est, bonos; verbo, exemplo, vel facto corrupta semina, id est, prauos mores, falsaque dogmata spargunt, ac seminant. Nec etiam Christus Dominus vetuit simpliciter eradicari zizania; sed ne tunc eradicentur, quando vnà cum ipsis triticum sit euellẽdum.

Item obijcies, fidem spontaneam, & voluntariam esse debere, & proinde neminem adcredendum cogi oportere. Respondeo, eos, qui nunquam nomen Christo dederunt, esse propria voluntate ad fidem cõuertendos; qui verò sacro baptismate abluti fidem & religionem Christi Domini suscepere, iure coguntur id præstare, & exoluere, quod promiserunt; quoniam à fide, & religione susceptа defecerunt. Obijcies postremò Chrysostomum *in Matth. c. 13.* asserentem hæreticos non esse occidendos, sed tolerandos. Eius enim in parabolã de tritico, & zizanijs hæc sunt verba: *Non prohibet Dominus conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi præcidere: Verum prohibet eos interficere, & tunc dare* Euthymius quoque, & Theophylactus Chrysostomum secuti, apertè inquiunt, nõ permisisse Dominum hæreticos necari. Hieronymus item, & Augustinus zizaniorum vocabulo, quæ non finit Dominus euelli, intelligunt hæreticos. ac vt refert Sulpitius *lib. 11. Sacræ historiæ, prope finem.* S. Martinus apud Treuiros constitutus, assiduè increpabat Ithacium, vt ab accusatione in Priscillianum, & alios hæreticos desisteret, & Maximum Imperatorem vehementer orabat, vt sanguine hæreticorum abstineret, sufficereque aiebat, vt Episcopali sententia iudicati Ecclesijs pellerentur. Et quamdiu Martinus Treuiris fuit, dilata cognitio est: & mox discessurus, à Maximo sponsionem elicuit, nihil cruentum in hæreticos constituendum. Qui cum postea didicisset sententia Iudicum Priscillianum, & alios capite damnatos fuisse, nolebat sermones, & commercia habere cum ijs Episcopis, qui Priscillianum & alios hæreticos morte damnandos curauerãt. Respondeo, Chrysostomum, Euthymium, & Theophylactum, vt ex eorum in Matthæum commentarijs apertè colligitur, id solùm docuisse, hæreticos non esse interimendos, cum inde bella, & cædes hominum, & Reipublicæ, & pacis perturbatio oriuntur: & hoc esse, inquiunt, quod Dominus iussit: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem*, &c. Postquam dixerat: *Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticũ.* De Augustino ingenuè fatemur, eum prius in ea fuisse sententia, vt hæretici nec punirentur, nec cogerentur: quam sententiam ipse postea mutauit. Sic enim scribit Epist. 48. ad Vincentium; *Mea primitùs sententia erat, neminem ad vnitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contradicentibus verbis, sed demonstrationibus superabatur exemplis. Nam primùm mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad vnitatem Catholicam timore legum imperialium conuersa est: & ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur.* Et in Epist. 50. ad Bonifacium Comitem, ita scribit: *Verum tamen antequam istæ leges* (Imperiales scilicet, quarum paulo ante meminit,) *quibus ad conuiuium sanctum coguntur intrare, in Africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram, quam-uis Donatistarum rabies vsquequaque seuiret, non esse petendum ab Imperatoribus, vt ipsam hæresim inberent omnino nõ esse, pœnam constituendo eis, qui illa esse nolu issent: sed hoc potiùs constituerent, vt eorum furiosa violentia nõ paterentur, qui veritatem Catholicam, vel prædicarent loquen-*

do, vel legerent constituendo. Hæc B. Augustinus.

Ex his intelligitur B. Augustinum primum sensisse Hæreticos pœnis, nec esse puniendos, neque cogendos. Postea verò cum legisset Catholicorũ Imperatorum leges, quibus Hæretici pœna pecuniaria, & exilio plectebantur, mutata sententia censuit eas pœnas æquissimo iure esse in Hæreticos constitutas: sed non esse capitali supplicio Hæreticos damnandos, vt seruent Imperatores, & Principes Catholici etiam circa indignos Christianam mansuetudinem: non quòd iniustam eam pœnam existimaret; sed quòd ea nondum ab Imperatoribus irrogata esset Hæreticis, & quòd nô videretur lenitati Christianę congruere: quam tamen etiam postea perspexit, & tradidit esse iustam, vt videre est apud Augustinum *libro 3. contra Epistolam Parmeniani, capitulo secundo.*

Ad illud verò Seueri Sulpitij de S. Martiuo, respondetur; tria fuisse, quæ S. Martino minimè probabantur. Primum, quia nouum, & insolitum erat, vt causam Ecclesiæ, iudex sæculi cognosceret, & iudicaret. Deindè nondum nouerat legibus Imperatorum pœnam capitis esse in hæreticos constitutam. Demum minimè probabat, quod vulgò ferebatur, Ithacium, & socios accusationem contra Priscillianum, & alios Hæreticos persequi magis vindictæ causa, quam Ecclesiæ, & veritatis tuendæ; & quòd verosimiliter ex ea damnatione, reipublicæ Christianæ pax, & tranquillitas perturbanda credebatur. Rogabis, vnde originem traxerit pœna, qua Hæretici in Christiana Republica igni exuruntur? Hostiensis, Ioan. Andreas, Abbas *in cap. Ad abolendam, de Hæreticis*, docent hanc pœnam colligi ex eo, quod Christus Dominus dixit Ioann. 15. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet; & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Sed ibi, nec Dominus loquitur de huius sæculi igne, sed de igne inferorum æterno: nec loquitur tantùm de Hæreticis; verùm de peccatoribus in vniuersum, qui excidentes à gratia, & charitate, in Deo non manent. Quare, hæc pœna vsu, & more perantiquo primùm est introducta, deinde vsu etiam est confirmata, & tandem iure quoque scripto comprobata. Nicephorus certè *lib. 18. cap. 4.* prodidit, Anatolium quendam vnà cum suis popularibus Idola coluisse: & cum Anatolij socios captos, Iudices ostracismo, hoc est, quindecennali, vel decennali exilio puniendos, non iugulandos censuissent, plebs Constantinopolitana diuino ardore succensa, eos raptos, & piscatorijs nauibus impositos igni viuos combussit. Anatolius verò postea bestijs obiectus, & in Crucem actus est: quem deinde è Cruce sublatum, lupi deuorarunt. Gregorius etiam, (vt superius annotauimus) *refert lib. 1. Dialog. cap. 4.* Basilium magum Romæ, zelo Christiani populi exardescente fuisse concrematum. Et Zonaras *in vita Alexij Com.* scribit, Basilium hæreticum communi suffragio Iudicum fuisse combustum: testantur item auctores, Antonin. *par. 3 tit. 21. cap. 8. §. 3.* Blon. *lib. 9. dec. 2.* Platin. *in vita Clem. 5.* Aemil. *lib. 8. de gestis Francorum.* Templarios ob impiam disciplinam fuisse per Galliam igni exustos. Denique Numerorum *cap. 16.* in seditione contra Mosen, Core, Dathan, & Abirom, vnà cum suis tentorijs, & vniuersa substantia viuos terra deuorauit. Sed & ignis diuinitus immissus ducentos quinquaginta viros, qui ipsorum partes sectati incensum offerebant exussit: sicque consumpti periere, tanquam Schismatici, qui à suo capite desciuerant. Hac autem pœna ignis puniuntur hæretici relapsi, pertinaces, & ij, quos suæ hæresis non pœnitet: nã alij omnes hæretici Ecclesiæ gremio, recipiuntur iniuncta pœnitentia salutari.

Cap. XIV.

De Relapsis in hæresim.

PRimò Quæritur, quisnam in Iure Canonico Relapsus hæreticus censeatur? Respõdeo, ex Archidia. Ioan. Andr. Gemin. Ancha. Fráco, & alijs *in cap. accusatus, de hære. in. 6.* eum, qui postquã hæresim publicè coram Iudice abiurauit, hoc est, iureiurando damnauit, & execratus est, in eam iterum incurrit. Vnde etiamsi millies quis in hæresim, à qua per veram cordis pœnitentiam recessit, relabatur, Relapsus non habetur, nisi eam hæresim coram Iudice abiurauerit. Porrò de relapsis in hæresim agit Siman. *de Cathol. instit. tit. 57.* Alphon. Cast. *lib. 2. de iusta hæretico punit. c. 2.* Zanchi. *de hæret. cap. 16.* Directo inquisito. *par. 2. q. 40. 55. 58.* & ibidem Scholiast. *Commen. 83.* Si queres, an qui vnam solùm hæresim abiurauit, si postea in aliam diuersam labatur, relapsus habeatur. Ioan. Andr. *loco citato* negat relapsum haberi. Archidiaconus verò, quem sequuntur Geminianus, Francus, & alij, sentiunt, eum relapsum esse. Profectò iuxta Etymologiam, & proprietatem vocabuli relapsus non est; at secundùm ius relapsus est.

Secundò Quæritur, An vno modo tantùm Relapsus in Iure Canonico dicatur? Respondeo, *ex cap. Accusatus, de Hæret. in sexto*, Relapsum quatuor modis dici: primò propriè, eum, qui postquam in Iudicium vocatus, & ob hæresim accusatus, convictus eam abiurauit, & deinde rursum in eandem incurrit: Secundò eum, qui coram Iudice damnatus, vt vehementer suspectus de hæresi, eam abiurauit, in quam iterum labitur. Tertiò, eum, qui certa aliqua hæresi infectus, abiurauit coram Iudice simpliciter, ac generatim omnem hæresim, & postea in aliam longè diuersam incidit. Quarto, eum, qui coram Iudice damnatus ob hæresim, abiurauit eam, & deinde Hæreticos alloquitur, reueretur, inuisit, se illis adiungit, cum eis commercia, siue consuetudinem habet, eos muneribus afficit, laudat, prædicat, commendat. Hodie qui reuertuntur ab hæresi, licèt in vnam tantùm inciderint, omnem hæresim abiurant, vt testantur Simanc. *lib. de Cathol. institut. tit. 1. num. 12.* Directo. inquisito *par. 2. q. 40. Scholio. 65.*

Tertiò Quæritur, An qui damnatus ob vehementem hæresis suspicionem, eam abiurauit, & deinde hæreticis adhæret, eos comitatur, & honore prolequitur, Relapsus cẽseatur? Respõdeo, eum pro Relapso haberi. Sic Archidiaconus. Ioan. Andreas, Ancharanus, Geminianus, in *quæst.*

Accu-

Accusatus, de Hæret. in Sexto. Simancas *de Catholi. institut. tit. 57. nu. 4. & 5. & 6.* Alph. Cast. *l. 2. de iust. hær. punit. cap. 2.*

Quartò Quæritur, An qui abiurauit hæresim certam, & postea communione sermonis, & rerum vtitur cum Hæreticis certa alia hæresum dogmata sequentibus, tanquã Relapsus puniri debeat? Alphonsus Castrus libro citato, negat eum esse relapsum: affirmat Simancas, *loco prædicto, nu. 6 & 7.* sed tandem fatetur, non esse tanquam relapsum puniendum: quia pœnas iuxta iuris Regulam restringere, & mitigare, hoc est, benigniùs interpretari debemus.

Quintò Quæritur, An qui abiurauit hæresim, & detrusus in carcerem inde aufugit è custodia, & vinculis, sit pro relapso habendus? Respondet Simancas non esse.

Sextò Quæritur, quæ sit hæretici Relapsi pœna? Respondeo, eum curiæ sęculari tradendum, sine vlla spe veniæ, & miserationis, quamuis sui peccati pœnitentiam egerit, ei tamen non denegantur Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, *cap. super eo, de Hæret. in 6. cap. ad abolendam, de hæreti.*

Septimò Quæritur, An Hæreticos per veram pœnitetiam redeuntes excipere suo gremio debeat Ecclesia? Respondeo, Hæreticos resipiscentes benignè ab Ecclesia excipi, si relapsi non fuerint, & salutarem eis pœnitentiam iniungi: pertinaces verò, qui renuunt ad saniorem mentem conuerti, hæresim exuere, & deponere, primùm monet vti resipiscant, & hæresim abiurent: deinde lata sententia, qua declarantur Hæretici pertinaces, Iudici sæculari relinquuntur: qui confestim eos iustis, ac debitis pœnis condemnare debet: si clerici sint, omni Clericorum gradu, honore, & priuilegio spoliantur, *c. Excommunicamus §. Denunciamus. De Hæret.* Relapsis verò, quamuis acta pœnitentia, spes omnis veniæ denegatur, vt diximus, & deindè eos Iudici sæculari tradit Ecclesia, vt in eos secundum leges animaduertat. Vtrique verò, tùm relapsi, tùm alij, quando pertinaces sunt, viui igne exuruntur: si verò pertinaces non sint, prius strangulari solent, & postea comburi. Quare ante relapsum, vtitur Ecclesia misericordia cum redeuntibus ab hæresi, vitam eis concedendo, pœna mortis in pœnam carceris perpetui commutata; publicatis tamen bonis, *cap. Vt commissi, de Hæret. in Sexto.* Post relapsum verò, vtitur Ecclesia, seuero iure, scilicet, spe veniæ denegata, etiamsi eos sui peccati pœniteat. *cap. Ad abolendam. §. Illos quoq;, de Hæret.* vbi dicitur: *sine vlla penitus audientia, sæculari iuditio relinquendos decernimus.*

Obijcies, *in l. vlt. C. De summ Trinit. & fid.* apertè dici: *Gremium suum redeuntibus nunquam claudit Ecclesia.* Item. 23. *Quæstio, cap. Duo,* habetur peccatores nũquam deserendos, quia homines sunt, persequendam in eis propriam iniquitatem, sed miserandã, & subleuandam communem naturam. Respõdet Glossa *in cap. super eo, de Hæret. in Sexto,* Ecclesiam gremium suum redeuntibus non claudere: quia quãuis illis bona, & vitã eripiat; nõ tamẽ denegat Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Sed certè in duobus locis productis insinuari videtur, Ecclesiã redeũtibus parcere, præsertim in vita, cum dicatur, communem naturam subleuandam, nec vnquam peccatores deserendos, quia homines sunt. Respondeo, esse naturam subleuandam subsidijs ad salutem animæ necessarijs. Vel dicẽdum est, legem suprà citatam tunc temporis editam fuisse, quando omnes in vniuersum Hæreticos ad saniorem mentem reuersos excipiebat Ecclesia. Et eodem modo respondetur ad cap. Duo. 23. q. 4. Postea verò longo experimento didicit Ecclesia, à relapsu, iure spem omnem veniæ hæreticis præcidi oportere, ne qui relabuntur in hæresim, alios inficiant, & corrumpãt. Item, ne alij facilius in hæresim iam abiuratam recidant. Præterea, quia Relapsus in hæresim ex magna in Fide, & religione inconstantia, & leuitate nasci, & proficisci solet.

Octauò Quæritur, An Hæretici lata sententia ab Ecclesia condemnati, iure possint intra gremium Ecclesiæ excipi, si post eam sententiam ad meliorem vitæ frugem redire voluerint? Ioann. Andreas, Glossa, & Archidiaconus testantur in *c. accusatus, de hæret. in 6.* secundùm iura quidem eos excipi posse, & debere, quia iure Canonico solùm Relapsis spes veniæ denegatur. Alij verò cẽsent, secũdum iura nec posse, nec debere admitti, quia *in cap. Ad abolendam, §. Illos quoque, de Hæreticis,* in vniuersum statuitur, Hæreticos post latam sententiam ab Ecclesia de crimine, Iudici sęculari eos esse relinquendos. Verùm prima sententia tanquam mitior, & benignior, videtur secundæ præferenda. Sciendum est, Paulum 4. constitutionem edidisse, quæ incipit, *Cum quorundam hominum,* vbi statuit, *pro relapsis haberi, & tanquam relapsos curiæ sęculari tradendos etiam post primum lapsum eos, qui asseruerint, vel dogmatizauerint, vel crediderint aliquem ex infra scriptis erroribus: videlicet, vel Deum omnipotẽtem non esse Trinum in personis, & incomposita omnino, indiuisaq; vnitate substantiæ, & vnum vnamen simplici Diuinitatis essentia. Aut Dominum nostrum Iesum Christum, non esse verum Deum eiusdem substantiæ per omnia cum Patre, & Spiritu sancto. Aut eundem secundùm carnem, non esse conceptum in vtero Beatissimæ, semperq; Virginis Mariæ de Spiritu sancto, sed sicut cæteros homines ex semine Ioseph. Aut eundem Dominum, ac Deum nostrum Iesum Christum non subisse acerbissimam crucis mortem, vt nos à peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam æternam reconciliaret. Aut eandem Beatissimam Virginem non fuisse veram Dei Matrem, nec perstitisse semper in Virginitate integritate, ante partum scilicet, in partu, & perpetuò post partum.* Hæc ibi.

Nonò Quæritur, quomodo Hæretici ad Fidem redeuntes, fint recipiendi ab Ecclesia? Respõdeo, oportere eos priùs hæresim abiurare, hoc est, in reiurando damnare, aut simpliciter, nimirum generaliter omnem hæresim, aut specialiter eã, ob quam sunt condemnati, aut suspecti vehementer. Glossa *in cap. Accusatus, de Hæret. in Sexto.* Deinde scripto promittere, se deinceps firmè credituros quicquid Catholica fides Ecclesiæ profitetur; postea verò absolui debere solemni ritu seruatis ijs, quæ Canones, & iura postulant, ad solemnem absolutionem, & impositæ pœnitentiæ salutari.

Cap.

Cap. XV.

De Credentibus, Receptatoribus, Defensoribus, & Fautoribus Hæreticorum.

DE his omnibus tractant Archidia. Io. Andr. Ancha. Geminianus, Francus, & alij *in cap. quicunque §. 1. & §. hæretici autem, de hæret. in. 6.* Zanchinus *de hæretic. ca. 3.* Siman. *de Catholi. institut. ti. 15.* Alphon. Cast. *de iust. hæreti. punit. l. b. 2. cap. 17* Direct. inquisit. *par. 2. q. 50. 51. 52. 53.* & ibidem Schol. *75. 76. 77. 78.* Silu. *hæresi 1. q. 10.* Tabien. *hæreticus nu. 20 21.* Brunus. *lib. 1. de hæret. cap. 4.* Illud primò quæritur, quinam intelligantur nomine Credentium? Et quomodo à Suspectis de hæresi, & à fautoribus Hæreticorum discernantur? Respondeo, eos intelligi credentes, qui specialiter nulla quidem hæresi sunt infecti; sed verbis tamen, vel factis id profitentur se credere, quod Hæretici credunt. Veluti, qui verbo, vel facto declarat, se cum Lutheranis, & Caluinistis sentire, vel si dicat, se velle mori cum eorum erroribus, vel se credere, eos nihil contra Fidem Catholicam docere. Præterea, qui ritus hæreticos officiosè coleret, obseruaret, & veneraretur, censeretur Credens. Item, qui morbo laborans, aut calamitatibus, & malis pressus, hæreticos suos consolatores vellet, peteret, vocaret, & exciperet, aut aliquid eorum, quæ ad ritus, & cæremonias Hæreticorum spectant, efficeret. Animaduertendum est, eos facto esse propriè credentes Hæreticorum, qui ea faciunt, in quibus ritus Hæreticorum continentur. Qui verò ea perpetrant, in quibus ritus Hæreticorum non sunt, suspecti de hæresi censentur; non tamen credentes hæreticorum: oportet enim distinguere credentes à suspectis; quoniam non eisdem pœnis Iuris vtrique afficiuntur.

Quæres, An credentes censeantur, qui cum Hæreticis vtuntur aliqua cõmunione sermonis, vel rerum; vt si eos inuisant, aut indigentes subleuent? Respõdeo, tales potiùs esse Fautores, quam credentes: nam credentes vocantur, qui factis quidem opem, & auxilium petunt, & captant ab Hæreticis, communione rituum vtentes: Fautores verò, qui opem ipsis, & auxilium præstant. Quæres deinde, an censeantur credentes, qui Hæreticorum conciones audiũt semel, & iterum, aut frequenter: & qui eorum libros apud se habent, accipiunt, legunt: qui eos tanquam bonos viros prædicant? Resp. eos in foro exteriori iudicandos esse tanquam credentes, & reuera tales esse, & meritò puniendos, si ea scienter, & seriò, & bis, aut sæpius faciant: at in foro interiori, non esse credentes; nisi putent eorum conciones, libros, sermones esse vtiles, & salutares. Si enim eorum concionibus interfint, libros legant, accipiant, habeant & cũ Hæreticis sermones conferant, vt eorum confutent errores, credentes minimè censendi sunt: sed in ijs locis, in quibus soli Catholici cõmorantur, vt in Hispania, Italia, Sicilia, Sardinia, pro credentibus, vel suspectis de hæresi haberentur ij Catholici, qui etiam semel tantùm occulta hæreticorum conuenticula adirent, nisi Episcopo, vel inquisitori denunciarent: at in prouincijs, & locis, in quibus Catholici vna cum hæreticis viuunt, non eo ipso, quòd semel, aut iterum hæreticorum conciones audierint, tanquam credentes cẽsentur, nisi cum frequentauerint. Item, si Hæreticis inseruiant, eos comitentur, ducant, & reducant aliquò, non sunt habendi pro credentibus: sed potiùs censeri debent Fautores, eò quod opem illis ferant, nisi id præstent tanquam famuli, serui, vel mercenarij stipendio conducti.

Secũdò quæritur; Quinam Receptatorum nomine intelligantur? Respondeo, hac in re, secundùm leges, Canones, & iura, nomen esse accipiẽdum: nam licet nomen Receptator iuxta Grammaticæ regulas, frequentiam significet: in vtroque tamen iure, Ciuili, & Canonico, pro simplici nomine accipitur: & in Iure ciuili is Receptator, aut Receptor appellatur, qui clam excipit, & celat aliquem, vt manus Iudicis euadat. *l. 1 ff. De Receptatoribus, & l. Congruit, ff. De officio Præsidis.* At verò Ius Canonicum nomine Receptatorum Hæreticorum eos accipit, qui hæreticos excipiunt alicubi, siue sæpiùs, siue semel tantùm, siue publicè, siue occultè: dummodo tamen eos scienter recipiant. Quæres, An Receptatores censeantur, qui Hæreticos domi excipiunt tanquam sibi societatis, propinquitatisúe lege, vel beneuolentiæ amicitiæúe necessitudine coniunctos? Respondent quidam, eos non esse pro Receptatoribus habendos, ita Caietanus in sum. *Excommunicatio cap. 1.* quem alij inter quos est Nauarr. *in Man. cap. 27. n. 55.* sequuntur. quoniam iuxta eorum sententiam, duo requiruntur: Primò vt scienter excipiant, hoc est, nouerint esse hæreticos: Deinde, vt tanquam hæreticos recipiant. Existimo tamen id locum habere in foro conscientiæ, non autem in foro exteriore, vt dicam in *Quæstione proximè sequenti.*

Tertiò Quæritur, An qui recipit scienter Hæreticum, vt sibi alioqui amicissimum, excusetur à pœna Receptatoris? Respondent nonnulli è quorum numero est Tiraquel. *de pœnis temper. aut remitten. causa. 4. & 22.* eum excusari. Alij sentiunt, cum Glossa *cap. excommunicamus, de hæreti* eum puniri debere. Sed dicendum arbitror, in foro conscientiæ excusari, si reuera solùm tanquam sibi amicitiæ iure deuinctum exceperit, non tanquam hæreticum: in foro tamen exteriori haberi tãquam Receptatorem, & proinde tanquam excommunicatum, & in alias iuris pœnas prolapsum.

Quartò Quæritur, An si Filius Patrem hæreticũ, aut vxor virũ, aut frater fratrẽ scienter excepe rit, sint pœna Receptatorũ puniendi? Aliqui censent, eos esse Iuris pœnis plectendos. Alij verò volunt puniri quidem debere; sed mitiùs, quod probãt ex eo, quod *l. 2 ff. De Receptatorib.* dicitur: *eos apud quos affinis, vel cognatus latro conseruatus est, neq; absoluendos, neq; seuerè admodũ puniendos. nam. n. par est, eorũ delictũ, & eorũ, qui nihil ad se pertinentes latrones recipiũt:* ergo à simili, idẽ iuris est in præsẽtia. Verius tamẽ puto, quod tradidit Simanca. *de Catholi. institut. 15. n. 21.* aut eos, non esse puniendos, aut leuissima certè pœna coercendos: quoniam naturæ iura, non sunt Hæreticis deneganda, neque enim ea facilè possumus exuere. Obijcies, Denegantur hostibus, ac proditoribus patriæ, &

ijs,

ijs,qui sunt publicè pro scripti, ergo etiam Hæreticis denegari debent. Respõdeo: non tam graviter in Rempublicam, aut in Reipublicæ communem pacem,& tranquillitatẽ Hæreticos semper peccare,atq; hostes,& proditores patriæ;nisi pater hæreticus filium,aut maritus vxorem, aut frater fratrem studeat corrumpere. Idem puto dicendum de ijs,qui recipiunt reos læsæ maiestatis,tanquam cognatos,aut affines.

Quintò Quæritur, An qui hæreticum excipit metu mortis,ne ab eo occidatur, in Iuris pœnas incurrat? Respondeo, minimè: quia, vt alibi diximus *lib.5.cap. 6.q.6.* & *lib.1.cap.11.q.1.* leges humanæ conscientiam non obstringunt cum certo, & probabili vitę discrimine. Qui item metu mortis Hæreticum recipit, non tanquam hæreticum recipit;sed vt vitam suam tueatur,& seruet.

Sextò Quæritur, quinam Defensores Hæreticorum in iure censeantur? Respondeo, eos, qui quomodolibet impediunt capturam Hæreticorum, condemnationem, animaduersionem, supplicium ac pœnã: qui quauis itidem ratione student,& curant,ne Hæretici in manus Iudicis deueniant, aut ne denuntientur, accusentur, vel ne deferantur ad Iudices eorum hæreses prauaque dogmata,ne examinentur, interrogentur: deniq; tales Iudicantur, qui quauis ratione Inquisitorum munus, & functionem impediunt. Quæres; an Defensor cẽseatur,qui Hæreticum defendit,ne ab aliquo priuato homine lædatur,aut qui ipsi patrocinium fert in causa iustæ litis, aut,quæ iusta probabiliter creditur? Resp. minimè,quoniam est,iusta defensio hominis illatam vim,aut iniuriam sustinentis. Quæres deinde, an pro Defensore haberi debeat,qui Hæreticum defendit tanquam sibi cognatione amicitiaúe coniunctum? Resp. solùm eum Defensorem censeri in foro conscientiæ,qui Hæreticum scienter tanquã Hæreticum defendit. Sic Caietanus *in summa excõmunicatio cap. 1.* cuius sententiam sequitur Nauar *in Man. ca.27. num.55.* Secus est in foro iudiciali.

Septimò Quæritur, Quinam Fautores Hæreticorum reputentur? Respondeo, vt constat ex Directo. inquisito *par.2.q.53.* Schol. 78. Fautores dici dupliciter omissione,aut commissione. Omissione quidem eos, qui cum publica administratione fungantur, & publica auctoritate valeant, id contra Hęreticos facere negligunt,quod iure deberent: qui nimirum Hæreticos lata sententia ab Ecclesia damnatos non exterminant,expellũt, ejciunt, puniunt,vt debent: vnde priuati homines si eos expellendos,aut puniendos,non curẽt, Fautores Hæreticorum non censentur. Commissione verò omnes,tùm Magistratus, ac cæteri qui publico Iudicum munere funguntur; tùm etiam priuati homines, Fautores reputantur, si verbis Hæreticos, quatenus hæretici sunt,excusent,prædicent, laudent, commendent, dummodo id scienter,& serio fecerint. Item, Fautores censentur,qui quomodolibet Hęreticis scienter opem, & auxilium tulerint,eis subministrando, quibus egẽt,vitæ subsidia,nisi ea officia præstiterint non tãquã hæreticis;sed tãquã sibi iure propinquitatis, vel amicitiæ fœdere, & vinculo coniunctis: tunc enim in foro conscientiæ fautores hæreticorum non sunt, ac in foro iudiciali tanquam tales habentur,& meritò puniuntur.

Octauò Quæritur, An Receptator, & Fautor, vel Defensor Hæreticorum iure cogatur, vt pœnas euitet,ignorantiam suam probare: an verò potiùs accusatoris interfit probare, ab eo, non per ignorantiã,sed scienter, Hæreticos receptos, aut defensos fuisse? Alphon. *lib.2. de iusta Hæret. punitione cap.* 17. censet Receptatorem debere se innocentẽ,& à culpa liberum ostendere,si per ignorantiam id fecerit. Alij putant,quos refert Simãcas *lib.de Cathol. institut. tit.15. num.* 18. id oneris receptatori incumbere, quandocumq́ue probabiliter creditur, eorum,quos recipit, hæresim nouisse, vt quia erat palam, ac publicè notum, eos esse hæreticos, & non erant amici, vicini, cõsanguinei. Sed verius existimo,quod alijs videtur,videlicet Simanc. *loco citato*, vbi citat Accursium, Bartholum, Romanum, Decium,& alios, etiã in hoc,Regulam Iuris tenendam,nimirum: In facto alieno,probabiliter ignorantiam credi, & onus probãdi contrarium ad accusatorem pertinere, & ad eum,qui in Receptatore, aut defensore Hęreticorum scientiam fuisse contendit: & credendum arbitror receptatori,si iuã ignorantiam iureiurando confirmet. Ex quo perspicitur, iure optimo nautas,caupones, stabularios, & similes, qui nec lege,nec alio iure compelluntur ad mores aduentantium perscrutandos, *l.1.ff. De furto, aduersus nau. caup. stabu.* excusari à pœna Receptatorũ.

Nonò Quæritur, quæ sint huiusmodi hominũ pœnæ? Respondeo, eos omnes esse excommunicatos. *cap. Nouerit. De sent. excomm.* & *cap. excommunicamus. §. Credentes, de Hæreticis*: quorum excommunicatio non erat olim Romano Pontifici reseruata. Hodie tamen; vt constat ex constitutione Pontificia, *quæ quotannis publicè legitur in die cœnæ Domini*, Romano Pontifici reseruatur. Item, puniuntur à Iijs consuetis Hæreticorum pœnis, vt compertũ, & notum est ex multis Iuris Canonici capitibus. Ac præter cæteras pœnas, Receptatores, postquã sunt excommunicati, & in huiusmodi pertinacia perfistunt, proscribuntur, in perpetuum relegantur,& bona confiscata amittunt. Zanchi. *de Hæreticis, c.17. num.4.*

Cap. XVI.

De legentibus, aut retinentibus apud se libros Hæreticorum.

PRimò loco id in quæstionem venit, an legentes, vel apud se retinentes Hęreticorũ libros, eorundem hæresim continentes, vel de religione tractantes, aliquam Iuris pœnam contrahant? de hac re tractant Doctores *in cap. fraternitatis, de hæret.* & *in cap. damnamus de sum. Trinit.* & *fid. Cathol.* Zanchin. *de hæret. cap.7.* Alphonsus Castrus *lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 15. 16.* & *17.* Brunus *lib. 6. de hæret. cap.6.* Albertin. *de agnoscen. assertion. qu. 12. num. 13* & *qu.28.* Simanc. *c.4.* Direct. inquis. *p.2. c.4.* & ibi Schol. *com.3.* Respondeo, ipso iure eos in excommunicationem incurrere Romano Pontifici reseruatã, vt cõstat ex Constitutione Pontificia *legi solita quotannis in die Cœnæ Domini*, quam habet Nauarrus *in Man. cap. 27. num: 55.* & *sequentibus*, Sed hoc intelligendum est de ijs, qui scienter, vt in ipsa constitutione dicitur legunt, vel retinent,hoc est, de ijs, qui norunt eorum librorum

au-

auctores esse hæreticos: qui item talium librorũ lectionem esse ab Ecclesia interdictã, non ignorant.

Secundò quæritur, An qui habent, vel legunt libros Catholicorum continentes ad verbum, Hæreticorum errores ad eos confutandos, incidant in prædictam excommunicationem? Respõdeo: minimè, quia hoc non est, retinere apud se, vel legere libros Hæreticorum. Sic Nauarr. *in Manuali cap. 27. nu. 56.* Quæres, an qui legunt eiusmodi libros Catholicorum, eo tãtùm animo, vt sciant Hæreticorum falsa dogmata, eorumque argumenta, & rationes, contrahant huiusmodi excommunicationem? Respondeo, cum Nauarr. *loco citato*, non contrahere: quia hæc pœna non propter solum affectum, & studium contrahitur; sed ob factum, & studium retinendi libros Hæreticorum, quales, Catholicorum libri minimè censentur.

Tertiò quæritur, An qui legerit in huiusmodi libris Hæreticorum vnum, vel alterum tantùm versiculum, aut paucula quędam verba tantummodò, incurrat prædictam excommunicationẽ? Respondeo, excommunicatione neminẽ affici, nisi ob lethale crimen, quod admiserit. Vnde si lata esset excommunicatio in eos, qui furantur, ea nõ teneretur is, qui paruam pecuniæ quantitatẽ furriperet: Ita, si in legendo vno, aut altero versiculo, venialis duntaxat culpa sit ob materiæ paruitatẽ, excommunicatio ob id, minimè cõtrahitur.

Quartò Quæritur, An famulus qui iussu Domini hæreses volentis audire, legit librum hæretici alicuius, hæresim cõtinentem, vel de religione tractantem, quem talem esse nouit, prædicta excommunicatione afficiatur? Respondeo, affici: quia licet iussu Domini legat, reuera tamen legit scienter librum hæretici hominis, hęreses cõtinentem, vel de religione tractantem. *Sed quæres*: an Dominus eam lectionem iubẽs, eiusmodi excommunicatione afficiatur cum ipse non legat? *Respondeo*, affici, quia etsi non per se ipsum legat; legit tamen per famulum suum, cuius opera, & ministerio vtitur in eius libri lectione. Quare non contrahit excommunicationem ex eo, quòd legentem famulum audiat; sed quia per famulum legat, quod perinde est omnino, ac si ipsemet legeret. Quo fit, vt cæteri, qui solùm audiunt, nec tamen librum eiusmodi legendum curarunt, in excommunicationem minimè labantur, quia nec retinent librum apud se, nec per se, nec per alium quempiam legunt.

Quintò Quæritur, An qui legunt libros Hæreticorum, hæreses non continentes, & nihil ex instituto de Fide, & religione tractantes, sed de rebus alijs, excõmunicationi subijciantur? Respondeo, eos subijci, quia in vniuersum interdictum est, legere libros Hæreticorum. Sed est animaduertendum, eos, qui legerint, vel habuerint libros hæreticorum, hæreses non continentes, & nihil ex instituto tractantes de fide, & religione, incidere in excommunicationem latam, in Indice librorum prohibitorum, cuius absolutio Romano Pontifici reseruata non est: non autem incurrere in excommunicationem constitutam in eã, quæ dicitur Bulla in cœna Domini: quoniam hæc excommunicatio solùm fertur in eos, qui scienter legerint, vel habuerint, vel impresserint libros hæreticorum, hæreses continentes, vel de fide, & religione tractantes.

Sextò Quæritur, An Catholici, qui in Anglia, Germania, Polonia, Gallia, ac similibus in locis, legunt libros hæreticorum continentes hæreses, vel de religione tractantes, incidant in prædictã excommunicationem, si legerint studio cognoscendi, & confutandi eorum errores? Respõdeo, hanc quæstionem ex alia pendere, An scilicet in ijs prouincijs locum, & vim habeat constitutio Pontificia, quæ Bulla in Cœna Domini vocatur. Nam, vt alias dicemus, aliquorum est opinio, eã constitutionem non esse vbique receptam: quia nec vbique, inquiunt, promulgatur, nec vsu, aut iure communi cõfirmata est. Quidquid sit de hac opinione, *de qua suo loco tractabo*, saltem vbicunque eiusmodi constitutio recepta vsu est, dubitare fas non est, quin prædicta excommunicatione afficiantur: quoniam eos studium religionis contra Hæreticos defendendæ non excusat.

Septimò Quæritur, An iure Episcopus facultatem legendi libros hæreticorum, hæreses eorundem continentes, vel de religione tractantes, cõcedere queat ijs in locis, & prouincijs, in quibus Catholici cum hæreticis promiscuè commorantur, & viuunt. Respondeo, eam Episcopum dare non posse: quoniã eiusmodi sanctio Romani Pontificis auctoritate est constituta. Inferior autem potestatem, & ius non habet in ijs, quę superioris lege, aut decreto sancita sunt.

Octauò Quæritur, An qui scienter legerit libros Græcorum, Armenorum, & aliorum huiusmodi, qui Græcanicos ritus, non Latinos continent, excommunicatione teneantur? Respondeo, minimè: quoniam ij ritus, non sunt hæretici: nec Græcorum, & Armenorum cæremonias, & ritus Latinæ Ecclesiæ mos, & vsus, pro Hæreticis habet.

Nonò Quæritur, An iustè ab Ecclesia libri Hæreticorum damnentur? Respondeo: Non solùm Catholicos, & Christianos, sed etiam Ethnicos, libros noxios, & contra receptam religionem editos damnare consueuisse. Plato enim Poëtarum libros, qui de Dijs suis parum modestè, & religiosè loqui videbantur, repudiandos, exterminandos, & explodendos censuit. Athenienses Protagoræ libros, in quibus, de Dijs malè sentiebat, eo quòd dubitauerit, vtrùm Dij essent, in foro combusserunt, & præconis voce à singulis, qui illos haberent, sibi exhiberi mandarunt. Augustus Cæsar supra duo millia fatidicorum librorum Græcè, & Latinè conscripta concremauit: & Liuius lib. 39. *quoties*, inquit, *hoc patrum auorumque ætate negocium est Magistratibus datum, vt vaticinos libros conquirerent, atque comburerent?* Idem *lib.* 25. tradit edixisse senatum, vt quicunque libros vaticinos, precationésue, aut artem nouo, & externo ritu sacrificandi conscriptam, haberet, eos libros omnes, literasque ad se deferret. Rex quoq; Antiochus Epiphanes, ratus veteris Testamenti libros esse noxios suę superstitioni, & impietati, edicto oẽs ab eorum lectione prohibuit: eiusque milites inuentos libros igni combusserunt. Pari impietate, & errore mentis Diocletianus imbutus, nefarijs edictis imperauit, vt sacra omnia vo-

Plato li. 7. de legib. Cic. li. 1. de Nat. Deorum. Lactan. li. De Ira Dei cap. 9. Sue. in Augusto. c. 31. Dion. Cassius. li 54.

Lib. 1. Macha. ca. 1.

Euseb. li. 8. Eccl. hist. c. 2. & Nicepho. li. 7. cap. 3.

lumina igni mandarentur. In sexta Synodo Generali historias ab Hæreticis confictas, igni tradendas curarũt Patres. Cõstantinus Magnus Arrij libros; Theodosius, & Valentinianus libros Nestorij; Valentinianus, & Marcianus libros Eutychetis, & Apollinaris; Honorius, & Theodosius libros Mathematicos, hoc est, Magicos; Arcadius, Honorius, & Iustinianus libros oẽs Hæreticorũ publicè comburi iusserunt. hæc constant ex *l.damnato.l.quicunq; C. de hæret.l.vlt.tit. 16.lib.9. & l. 24.tit.4.lib.16.C.Theodos.* Syno.5. generali. *action.1.* Socrat.*lib.2.hist.tripartit.a.* Niceph.*lib. hist.Eccles.* 8.c. 25.*lib.17.c.9.* Et vt auctor est Grego.Nazian.*orat.19.* S.Cyprianus libros Magicos palam exussit; Gelasius, Symmachus, & Hormisda Manichæorũ libros flammis dediderunt. Teste item Athanasio *in lib.de incarnat.verbi*, ad Christianã religionẽ conuersi impiæ vanitatis libros incendijs tradebãt. In his, primi illi Christiani fuere: de quibus B.Lucas Act.15. scribens: *Multi*, inquit, *ex eis, qui fuerãt curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.*

Decimò Quæritur, An qui apud se libros Hæreticorum, continentes hæreses, aut de religione tractantes, aut de hæresi suspectos, & proinde damnatos retinuerint, hæretici censeantur, si eo in crimine fuerint deprehensi? Archidiaconus *in c.sanè profertur 24.q.2. & in c.filij, de hæret.in 6.* & Ioan.Andreas *in eod.cap.filij.* Roman. *singulari 326.* Hippolytus Marsilius *Consil.52.nu.34.* Cassaneus *ad Consuetudines Burgundiæ Rub.1.* & Carrer. *de hæret.nu.125.* respondent, sufficere ad condemnandum eum, vt hæreticum, si libri Hæreticorum damnati apud aliquem reperiantur. Verùm *ex cap.literas. De Præsumption.* falsam esse eorum sententiam facilè licet colligere: quoniam præsumptiones, indicia, & coniecturæ non faciunt criminosum aliquẽ: & ita contra eos sentit in Director. inquisit. *par. 2.cap.4.commenta 3.* Scholiastes, & Simanca. *de Cathol.institut.cap.38. num.23.* Sed quid, si apud Titium liber hæreticus reperiatur ab eodem compositus, erit ne propterea iure, vt hæreticus cõdemnandus? Respondeo, hoc dupliciter posse contingere: vno modo, si huiusmodi liber hæresim contineat, quam Titius nequaquam ex instituto probat, aut docet; sed obiter aliud scribens, tradit; & tunc iure nequit, vt hæreticus condemnari; sed tanquam per ignorantiam in hæresim lapsus: Altero modo, si liber sit hæresi infectus, quam Titius ex instituto comprobat scienter contra Ecclesiam: & tunc, tanquam hæreticus, Titius potest iure damnari, tametsi in eo libro profiteatur, se credere, quidquid docet Ecclesia, & paratum se esse ad emendandum, & corrigendum errorem. Quoniam, vt quis sit hæreticus, satis est, si scienter ille aliqua contra sensum Ecclesiæ doceat; licet quando per ignorantiam errat in Fide, hæreticus non sit, modo pertinaciter suæ sententiæ non inhæresat. QVAERES deinde, an qui libros Hæreticorum damnatos penes se retinẽt, suspecti de hæresi meritò censeri debeant? Respondeo, eos homines pro talibus habendos, atque puniẽdos: hoc enim perspicuè tradũt, & testantur Pontificiæ Constitutiones.

Vndecimò Quæritur, An quilibet possit propria auctoritate libros Hæreticorum omninò prohibitos, & damnatos igni comburere, vbi ad ipsum illi quomodocunq; perueniunt? Quorundam est opinio, id iure facere vnumquemq; fidelium posse. Campegius *apud Zanchinũ, de hæret.2.7.* ait, tutius erit libros hæreticos, aut quomodolibet ob hæresim suspectos inquisitoribus tradere. Mihi tamen videtur, eiusmodi libros esse Fidei Inquisitoribus tradẽdos, neque sufficere, si quisque eos per seipsum igni comburat. Extat enim constitutio Pontificia Iulij III. quæ incipit: *Cum meditatio*, vbi post alia ita decernitur: *Qui verò tales libros habuerint, eos consignare debeant realiter, & cum effectu Inquisitoribus ciuitatum, in quibus eiusmodi libri extiterint, alioqui tanquam hæretici possint publicari.* Ita ibi, hoc locum habet, quum quis id facere potest absque magno, & graui suo detrimento, siue periculo.

Duodecimò Quæritur, An sacri Inquisitores dare possint facultatem libros Hæreticorum legendi? Respondeo, si libri, aut hæreses contineãt, aut de Fide, & religione tractent, non posse: quia per pontificias constitutiones nequaquam eis committitur eiusmodi potestas. Quorundam tamen Hæreticorum libri, qui nihil prorsus de fide, & religione ex instituto differunt, nec hæreses continent, aut qui conscripti sunt ab ipsis, dũ Catholici erant rectiusque de Fide sentiebant, aut postquam resipuerunt ad Ecclesiæ gremium reuersi, examinati diligenter, & approbati ab Inquisitoribus, iure permittuntur: iuxta ea, quæ præscribuntur in secunda Regula Indicis librorum prohibitorum auctoritate Concilij Tridentini editi, & à Pio IV. Confirmati, & nunc recens auctoritate, & iussu Sanctissimi Domini nostri Clementis VIII. renouati: solent tamen, & debent Inquisitores, cũ liber hæreticus ad ipsos defertur interrogare deferentem, vnde illum habuerit, vnde acceperit, vt sciant, nũ eo libro forsitan malè sit vsus, num ab aliquo acceperit, qui prodi, & accusari debeat.

Decimotertiò Quæritur, An Episcopi, & his maiores alij Antistites propria auctoritate possint libros Hæreticorum, hæreses eorundem continentes, vel de religione tractantes siue libros hæreticos, seu de hæresi suspectos legere, & habere. Respondeo, minimè. Extat enim pontificia Cõstitutio Iulij III. quæ incipit: *Cum meditatio*, quæ habetur in Directorio Inquisitorum inter litteras Apostolicas diuersorum Romanorum Pontificum, & alia Pauli IV. incipiens: *Cum in futurarũ*, & tertia alia Pij IV. cuius initium est: *Cum pro munere*, quam habet Director. Inquisitorum *loco citato*, in quibus constitutionibus abrogant prædicti Pontifices omnes facultates legendi, vel habendi libros Lutheranos, aut alios hæreticos, vel de hæresi suspectos, à se, vel à suis antecessoribus, siue à Sede Apostolica, siue ab eius legatis etiam à latere missis, aut à maiori Pœnitentiario datas quibusuis personis, tam clericis sæcularibus, aut regularibus, quàm laicis cuiuscunque status, gradus, ordinis, & conditionis sint, etiamsi Episcopi, Archiepiscopi, aut his maiores fuerint, & etiamsi quauis alia singulari dignitate præfulgeant, exceptis Inquisitoribus, & Commissarijs, super hæretica prauitate, à Sede

Apollo

Apostolica deputatis, dum eo officio commisso fungentur. Sic ibi.

Decimoquartò Quæritur, An libri Hæreticorũ, qui de religione, nõ tractant, iure dãnentur, & prohibeantur? Ratio quæstionis est, quia sæpè ad alia plurima sunt vsui, cũ de rebus ad vitam humanam, & rerũ cognitionem pertinentibus conscripti sint. Respondeo, meritò esse prohibitos: quoniam id auctores ipsi promerentur. Quare cõmunis est auctorum sententia *in c. Fraternitatis, de Hæreticis*, quod est desumptum ex Gregorio *lib. 7. Registri, Epist. 47.* damnato auctore tanquam hæretico, libros quoq; eius, & scripta damnata censeri. Rectè etiam Gelasius *in c. Sancta Romana Ecclesia, dist. 15. §. Cæterùm*, ait, *quæ ab Hæreticis conscripta, vel prædicta sunt, nullatenus recipit Catholica, & Apostolica Ecclesia Romana.* Sic ille. Vnde in hisce libris retinendis, aut legendis seruandæ sunt Regulæ Indicis librorum prohibitorum in Concilio Tridentino editi, iussu Pij IV. vnà cũ obseruationibus, & declarationibus additis in Indice nouissimè edito iussu S.D.N. Clementis VIII.

In Regula secunda statuitur in hunc modum: *Hæresiarcharũ libri, tam eorũ qui hæreses inuenerunt, vel susceperunt, quam qui Hæreticorum capita ducẽtue sunt, vel fuerunt, cuiuscunque nominis, tituli, aut argumenti existãt, omninò prohibentur. Aliorum Hæreticorum libri, qui de religione ex professo tractant, omninò damnantur, qui verò de religione non tractant, à Theologis Catholicis, iussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati, & approbati permittũtur. Libri etiam Catholici conscripti tam ab illis, qui postea in hæresim lapsi sunt, quàm ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium rediere, approbati à Facultate Theologica alicuius vniuersitatis Catholicæ, vel ab Inquisitore Generali permitti poterunt.* Hæc ibi.

Regula tertia sic habet: *Versiones scriptorum, etiam Ecclesiasticorum, quæ hactenus editæ sunt, modò nihil cõtra sanam doctrinam contineant, permittuntur. Librorum autẽ veteris Testamenti versiones, viris tantùm doctis, & pijs, iudicio Episcopi concedi poterunt, modò huiusmodi versiones tanquam elucidationibus vulgatæ editionis ad intelligendam Sacram Scripturam, nõ autem tanquam sacro textu vtantur. Versiones verò noui Testamenti ab auctoribus hæreticis, aut de hæresi suspectis factæ, nemini concedantur. Si quæ verò annotationes cũ huiusmodi, quæ permittũtur versionibus, vel cũ vulgata editione circũferuntur, expunctis locis suspectis à facultate Theologica alicuius Vniuersitatis Catholicæ, aut Inquisitione Generali, permitti eisdẽ poterunt, quibus, & versiones. Quibus conditionibus totum Bibliorum volumẽ, quod vulgò dicitur, Biblia Vatabli, aut partes eius concedi viris pijs, & doctis poterunt. Ex Biblijs verò Isidori Clarij Brixiani Prologus, & Prolegomena præcidantur. Eius verò textum, nemo textum vulgatæ editionis esse arbitretur.* Sed in Indice nouissimè edito iussu S.D.N. Clementis VIII. sub Littera B. in appẽdice sic habetur, *Biblia hæreticorum opera impressa, vel eorundem annotationibus, argumentis, Summarijs, Scholijs, & Indicibus referta omninò prohibentur, donec expurgentur.*

In Regula quinta, sic habetur: *Libri illi, qui hæreticorum auctorum opera aliquando prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt. Cuiusmodi sunt Lexica, Concordantiæ, Apophthegmata, similitudines, Indices, & huiusmodi, si quæ habeãt admixta, quæ expurgatione indigeant, illis Episcopi, & Inquisitorie, vnà cum Theologorum catholicorum consilio sublatis, aut emendatis permittantur.*

Regula octaua sic habet: *Libri, quorum principale argumentum bonũ est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim seu impietatem, seu diuinationem, siue superstitionem spectant, à Catholicis Theologis, Inquisitionis generalis auctoritate expurgati, concedi possunt. Idem iudicium sit de Prologis, Summarijs, Annotationibus, quæ à damnatis auctoribus, libris non damnatis apposita sunt: sed post hac nonnisi emendati excudantur.* Itẽ, alia obseruanda sunt in his, quæ dixi, quæ cõtinentur in Indice nouissimè edito iussu S.D.N. Clementis VIII.

Decimoquintò Quæritur, An libri Hebræorũ, qui post Christum natum conscripti sunt, & Rabini, qui vulgò appellantur, sint prohibiti? Quæstionem mouet, quia Rabbinorum commentarij multa impiè, & nefariè contra Christũ, & Christianam religionẽ continent. Respondeo, in primis de libris Rabbinorum, in quibus nihil aliud tractatur nisi id, quod attinet ad scripturæ explicationem: hoc est, qui nihil de religione tractãt, sed solùm sunt Commentarij in Scripturæ Sacræ libros, quibus litteralis Sanctarum Scripturarũ sensus, iuxta Hebraici sermonis, & linguæ leges, & regulas explicatur, iure aliquo Pontificio Canonico eos non esse prohibitos, siue sint hebraicè conscripti, siue in Latinum Sermonem cõuersi: permittuntur etenim, quoniam conducunt ad pleniorem, & linguæ, & artis Hebraicæ cognitionem: eiusmodi sunt Commentarij in sacros libros Rab. Dauidis Kimchi, Rab. Salomonis Iarchi, Rab. Abraham Auenesræ, Rab. Leui Gersonis, & alij plerique Commentarij, quos hic nominare non est necesse. Similiter etiam libri Arabum Philosophorum Aristotelem interpretantium, aut de Philosophia, aut de Medicina tractantium, & nihil de impia Saracenorum secta continentium; minimè interdicti sunt, siue Arabicè scripti, siue in linguam Latinam conuersi, qualia sunt opera Auerrois, Auicennæ, Algazelis, Albumazaris, Auicembrom, Auenpace, Alpharabij, & his similium. Verùm in Indice iussu Pij IV. edito sub litera T. habetur. *Thalmud Hebræorum: eiusque glossæ, annotationes, expositionesque omnes prohibentur: si tamen prodierint, sine nomine Thalmud, & sine iniurijs, & calumnijs in religionem Christianam, tolerabuntur.* At Indice edito nouissimè iussu S. D. N. Clementis VIII. in obseruatione circa 9. regulam legimus: *Sanctissimum Dominum Nostrum, Dominum Clementem Octauum, specialiter, & expressè statuisse, & voluisse, vt huiusmodi impij Thalmudici, Cabalistici, alijque nefarij Hebræor. libri omninò damnati, & prohibiti maneant, & censeantur, ita etiam sub illis conditionibus non permittantur, aut tolerentur.* Sic ibi. Eodem item vtroque Indice sub littera A. habetur. *Alcoranus Mahometis Basileæ impressus, & similes cum Scholijs, & impijs Annotationibus, & Præfationibus prohibetur. In vulgari item lingua non nisi Inquisitorum concessu haberi potest.*

Decimosextò Quæritur, An Origenis, & Tertulliani libri sint prohibiti? Causa dubitationis est, quia Tertullianus in hæresim lapsus est; Origenes à concilijs Generalibus, & Romanis Pontificibus, tanquam hæreticus damnatur. Respondeo, olim apud Patres magnam fuisse cõtrouersiam, an Origenis libri legi possent; quibusdam negantibus, alijs verò affirmantibus. Gelasius *in cap. Sancta Romana Ecclesia Distinct. 15.* habet, hæc verba: *Origenis illa opuscula, quæ vir beatiss. Hieronymus non*

repudiat, legenda suscipimus: Reliqua autem omnia, cum suo auctore dicimus esse renuenda. Hæc ibi. Talia opuscula, quorum lectio permittitur, sunt, quæ passim vsu recepta circumferuntur.

De Tertulliano verò fatemur, eum quidem in hæresim prolapsum, sed eius tamē opera permitti in Ecclesia, vt priuatim legantur, quia Gelasius *in eo c.* habet: *Opuscula Tertulliani apocrypha.* Objcies, sufficere, hoc vnum, quod à Gelasio sunt pro apocryphis habita, quia similiter etiam ibidē dicit: *Opuscula Iouiniani apocrypha. Opuscula Montani, Priscillæ, & Maximillæ apocrypha: & Opuscula Fausti Manichæi apocrypha:* sed omnes eiusmodi auctores, hæretici fuerunt, & proinde omnia eorum Opuscula dānat Gelasius, ergo pari ratione scripta Tertulliani. Respondeo, Gelasium *eo c.* etiam apocrypha censuisse opera Lactantij, & Historiam Eusebij Pamphili, scripta Clementis Alexandrini, Iulij Africani, Cassiani, & Arnobij: qui tamen omnes Catholici scriptores censentur, cum oēs lapsi fuerint in aliquos errores. Apocrypha igitur opera eo c. latè, & amplè Gelasius accepit, nimirum, vt eo nomine cōprehenduntur tum ea, quorum auctores damnati sunt, tum ea, quorum auctores sunt incerti, quæque certos licèt auctores habeant, non tamen publicè in Ecclesia legebantur, sed priuatim, & talia sunt opera Cassiani, Clementis, & aliorum. Opera verò Tertulliani, licet auctor fuerit hæreticus, magna tamen ex parte, sunt Catholicè conscripta, & ideo semper in Ecclesia priuatim legere ea Catholici consueuerunt. QVAERES, quo pacto Gelasius inter apocrypha commemoret quorundam Hæreticorum scripta, cum apocrypha priuatim legerentur à Catholicis, Hæreticorum libri non item? Respondeo: tunc temporis nondum fuisse vsu receptum, vt Catholici à legendis Hęreticorum libris in vniuersum arcerentur, licet consilium salutare passim à multis daretur, vti Catholici ab insana, & impia librorum hęreticorum lectione abstinerent. Vnde longè ante Gelasium Dionysius Alexandrinus, testibus Eusebio *libro 7. Eccles. histor. cap. 6.* & Niceph. *lib. 6. cap. 8.* & Godofredo, *in l. damnato, C. de hæreticis.* scriptum reliquit: *Ego & tractatus Hæreticorum lego, & traditiones eorum perscrutor, etiamsi videar ad horam, verbis eorū pollui.* Sed multum mihi confert hoc ipsum, quod ex ipsorum verbis arguere eos possum. Denique cum quidā ex fratribus, & compresbyteris prohiberent, ne hæreticorum lectione tanquam cœni alicuius fœtore polluerer, visio mihi quædā à Deo ostēditur, quæ me confirmauit, & sermo ad me factus est, hæc mihi euidenter proloquens: lege omnia, quæcunque in manus tuas venerint, quia probare singula quæque, & discernere potes: quando quidem ex initio, hæc tibi causa fuit credendi. Amplexus sum visionem, quia & Apostolicæ sententiæ congruebat dicenti: *Omnia probate: quod bonum est, tenete.* Hæc ille.

Post Gelasium verò frequentiori more receptum est, vt à lectione Hæreticorū Catholici sese continerent. Donec Romani Pontifices, eiusmodi lectionem omninò interdixerunt. Vigentibus enim Ioannis VVicleſ, & Martini Lutheri, nefarijs dogmatibus, nec sine magno Christiani populi detrimento; Paulus III. edita Constitutione prohibuit, ne quisquam Hæreticorū libros legeret, irrogata quoque non obtemperantibus excommunicationis pœna: quod postea qui successere Pontifices salutare documentum, & exemplum diligenter secuti sunt. Vnde Regula prima Indicis librorū prohibitorum editi, decreto Concilij Tridentini, habet, *Libri omnes quos ante annum millesimum quinquagesimum decimum quintum, aut summi Pontifices, aut concilia Oecumenica damnarunt, & in hoc Indice, non sunt, eodem modò damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.*

Decimoseptimò Quæritur, An propria Hæreticorum nomina expungi, & deleri debeāt ex ijs libris, qui legi permittuntur? Respondeo, vsu esse introductum, vt omninò deleantur, & proinde expungenda sunt: nisi in libris Catholicorū Hæretici nominentur per ignominiam, & contemptum, vt confutentur praua eorum dogmata. Cū vsu eiusmodi congruit maximè, quod literis Plutarchus, & Gellius, tanquā egregiè factum à Lacedæmonijs tradiderunt. Quidam enim pristinæ vitæ turpitudine notatus, bonum consiliū, in Senatu dedit, quod Lacedæmonij tanquam honestū quidem consilium probarunt; sed auctorem respuerunt. Vnde consilium alteri adscripserūt, qui eiusdem fuerat sententiæ, sed longè melioris vitæ. Quare concludens Gellius: *Sic bona,* inquit, *sententia manſit, turpis auctor mutatus est.* *Plutar. in apophthegmat. Gell. 2. cap. 3.*

Quæres, an propria auctoritate expungi, possint, quæ sunt deprauata in ijs libris Hæreticorū, qui legi permittuntur? Respondeo, eos libros nō permitti, nisi prius sint examinati, & expurgati auctoritate Inquisitorum, & Episcoporum Consilio Catholicorum Theologorum. quod si cōtigerit, aliquem locum non esse expurgatum, rutius est, vt is liber ad Inquisitores deferatur: aut saltem is locus minimè expurgatus deleatur iuxta legitimè factam expurgationem aliorū librorum, & locorum similium. Porrò in Indice nuperrimè edito iussu S.D.N. Clementis VIII. quædam habentur *tit. de Correctione librorum,* quæ obseruanda sunt circa correctionem librorum prohibitorum. Item, in eodem Indice *tit. de impressione librorum §. 7.* habetur sic: *Liber auctoris damnati, qui ad præscriptum, Regularum expurgari permittitur, postquam accuratè recognitus, & purgatus, legitimeque permissum fuerit, si denuo sit imprimendus, præferat titulo inscriptum nomen auctoris, cum nota damnationis, vt quamuis quod aliqua liber recipi, auctor tamē repudiari, intelligatur. In eiusdem quoque libri principio, tum veteris prohibitionis, tū recentis emendationis, ac permissionis mentio fiat: exempli gratia. Bibliotheca à Conrado Gesnero Tigurino, damnato auctore, olim edita, ac prohibita, nunc iussu superiorum expurgata, & permissa.* Hæc ibi.

VItimò Quæritur, An Imagines, & statuæ hæreticorum, permitti, hoc est, depingi, erigi, & cōstitui queant? Respondeo, nullo modo posse, etiā priuatos intrā parietes: alioqui, vt suspectus de hæresi, aut Fautor, aut credens hæreticorum censeretur, qui domi suæ eas haberet. Ad ignominiam verò, contemptum, & infamiam hæreticorū, liceret alicui eorum imagines habere: velut qui Lutheri effigiem apud inferos ardentis, aut ventri indulgentis, & præ immodico cibo, & potu exhalantis animam apud se retineret.

De

Caput XVII.

De Imprimentibus, Transcribentibus, vel Asportantibus aliunde libros Hæreticorum.

QVæritur in primis, quid sit de Impressoribus, seu Typographis circa libros hæreticorum prohibitos, & dãnatos Iure constitutum? Respondeo, in Concilio Lateranensi, sub Leone X. *Sess.* 10. extare Pontificium decretum, in hunc modum habens: *Statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem, seu aliam quamcunque scripturam tam in Vrbe nostra, quã alijs quibuslibet Ciuitatibus, & Diœcesibus imprimere, seu imprimi facere præsumat, nisi prius in Vrbe per Vicarium nostrum, & Sacri Palatij Magistrum; in alijs verò Ciuitatibus, & diœcesibus, per Episcopum, vel alium habentem peritiam scientiæ, libri, seu scripturæ huiusmodi imprimendæ, ab eodem Episcopo ad id deputandum, ad Inquisitorem hæreticæ prauitatis, ciuitatis siue diœcesis, in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manu propria, subscriptionem, sub excommunicationis sententia gratis, & sine dilatione imponendam approbentur. Qui autem secus præsumpserint, vltra librorum impressorum amissionem, & illorum publicam combustionem, & pœnam pecuniariam, & anno continuo exercitij impressionis suspensionem, excommunicationis sententia ipso facto incidant.* Hæc concilium. Synodus quoq; Tridentina sessione 4. decernit: *Nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosuis libros de rebus sacris sine nomine auctoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primùm examinati, probatique fuerint ab ordinario, sub pœna anathematis, & pecuniæ in concilio nouissimo Lateranensi constitutæ.* Et subijcit concilium: *Si regulares fuerint, vltra examinationem, & probationem huiusmodi, licentiam quoque à suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam suarũ ordinationum.* In Synodo quoque Salsburgensi *cap.* 5. poëstatutum est, vt quotannis typographi, & bibliopolæ eorum ab ordinarijs locorum deputati, Fidei Catholicæ professionem facere debeãt, simulque obedientiam sanctæ sedi Apostolicæ, cum renunciatione, & abnegatione omnium hæresum, polliceri.

Secundò Quæritur, An non solùm libri, sed omnis etiã alia scriptura, cuiusmodi sunt theses ab aliquo publicè defendẽdæ, carmina, vel poëmata aliqua, aut orationes in laudem, & cõmendationem alicuius compositæ, examinari prius, & approbari debeant, quàm typis mandentur? Respondeo, debere: nam in Concilio Lateranensi citatò dicitur: *Quicunque liber, aut quæcunque alia scriptura, tam in vrbe, quàm in alijs ciuitatibus.*

Tertiò Quæritur, An vt liber, vel scriptura alia typis excudatur, sufficiat, si nomẽ certi collegij, conuentus, vel vniuersitatis apponatur? nã Concilium Tridentinum ait, *sine nomine auctoris non posse libros de rebus sacris excudi.* Respondeo, sufficere: nam in iure, Collegium, conuentus, Ciuitas, vel Communitas, persona ficta censetur: Et sicut cũ personis priuatis contractus inimus; sic etiam cũ Collegio, vel communitate. Et sicut in priuatos iure potest inquiri, & animaduerti, ita etiam in collegium, & communitatem. Ex quibus colligi videtur, sufficere, si liber vel scriptura typis mãdetur cum nomine certi Collegij alicuius, Conuentus, vel vniuersitatis, siue illius Præfecti.

Quartò Quæritur, An priuatas orationes, conciones, prælectiones, annotationes, obseruationes de rebus sacris, possit quis tuta conscientia scripto cum alijs cõmunicare, etiamsi examinatæ, & probatæ non fuerint ab ordinario? Fuere, qui putauerunt, non posse, ijs Cõcilij Tridentini verbis permoti, quod, vbi constituit, ne libri de rebus sacris imprimantur, antequam sint examinati, & approbati, ita subiecit: *Qui autem scripto, inquit, eos communicant, vel euulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint, eisdem pœnis subiaceant, quibus impressores: & qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur.* Hactenus Conciliũ. Veriùs tamen quibusdam videtur, quod alij arbitrantur, ea verba Concilij solùm intelligi de ijs libris, de quibus sermonẽ fecerat. statuerat enim libros de rebus sacris absque nomine auctoris non esse typis excudendos, nec vendendos, neque retinendos, neque legendos, nisi priùs examinatos & probatos ab ordinario. Et postea subiungit: *Qui autem scripto eos communicant, vel euulgant,* &c. quorum verborum, (vt viri docti, & pij opinantur) sensus est: Qui tales libros transcribunt, & transcriptos cum alijs communicant, aut euulgant, & quæ sequuntur: *Aliquando enim libri, vel nondum typis mandati, vel antea excusi, solent de integro transcribi, & impertiri alijs.* At verò quidquid sit, vbique locorum vsus habet, vt orationes, prælectiones, & alia similia, quæ paulò ante retulimus, sine nomine auctoris scripto cũ alijs communicentur.

Quintò Quæritur, Quibusnam pœnis subijciantur, qui libros hæreticorũ damnatos transcribunt, & scripto cum alijs communicant? Respondeo, eos esse puniendos tãquam de hæresi suspectos, aut tanquam Hæreticorum Fautores, & vt minimum, tanquam Retinentes vetitos libros Hæreticorum.

Vltimò Quæritur, Quibus pœnis oporteat afficere eos, qui aliunde asportantes libros Hæreticorum prohibitos in Catholicorum prouincias, & ciuitates occultè inuehunt? Respondeo, tanquã suspectos de hæresi, & Fautores Hæreticorũ, & tanquam libros Hæreticorũ damnatos, apud se retinentes, eos esse habendos atq; puniendos.

Caput XVIII.

De Sacris Apostolicis Inquisitoribus.

IN primis Quæritur, qua de causa, & quo tempore cœperit institui, & committi Inquisitorum sacrum munus, iurisdictio, & potestas? Respondeo, communem esse sententiam, quam habet Simanc. *de Cathol. instit. tit. 25. num. 3. & tit. 34.* & Albertin. *de agno. assertionib. q. 11. num. 11.* Inter alia Episcoporũ munera, & functiones, illud esse proprium, & præcipuũ, vt greges sibi commissos Fidei dogmata doceãt, & eos ab impiorũ hominũ, & Hæreticorũ prauis & venenatis doctrinis diligenter custodiant, atq; tueantur. At, vt testatur Simancas, *de Cathol. instit. tit. 25. nu. 4.* ob varias Episcopalis officij curas, & negocia, quibus sæpenu-

mero implicatur Episcopus, ita vt par eis esse nó possit, vel propter Episcoporú absentiá, vel etiá aliquorum ignauiam, vel imperitiam, cómissum est ab Sede Apostolica munus inquirendi, & animaduertendi in Hæreticos, certis quibusdá iudicibus, quos ad id negocij Romani Pontifices deputarunt, quos ob id sacros, & Apostolicos Inquisitores appellamus. Et ex historijs Ecclesiasticis didicimus hoc muneris quadá ex parte primú B. Dominico fuisse mandatú circa annú Domini, millesimú ducentesimú octauú. Is enim suú Episcopum, ex Hispania comitatus, contra Albigensiú, & aliorum perfidorú hominum errores, qui tunc sensim in Ecclesiá ex inferiorum latebris irrepere cœperát, fidem Christi in Tolosanis partibus egregiè promulgauit: cuius crebris cõcionibus, & Catholica doctrina, vitæq; exemplo mirabili, multi ad Ecclesiæ gremiú, per veram cordis pœnitentiam redibant: & ideo, vt salutaribus pœnitentijs impositis eos redeuntes posset absoluere, plenam ad id facultatem à Romano Pontifice impetrauit, quod munus postea S. Petrus vitæ sanctitate, doctrina, & martyrio clarus instituti Dominicani alumnus, egregiè & intrepidè (quod eius martyrium declarauit) per Longobardiam præstitit. Vnde factum est, vt deinde per Italiam, Hispaniá, Siciliam, & Sardiniam, Inquisitorú munere Dominicani Fratres, qui vitæ moribus, & literarum scientia florebant, functi fuerint: quod etiamnum maiore ex parte per Italiam exequuntur, & obeunt. In Tuscia enim auctoritate Romani Pontificis, Franciscanæ familiæ fratribus, hæc prouincia demandata est. In Hispania verò tota, Ferdinandus Aragoniæ, & Castellæ rex Catholicus eius nominis quintus, circa annum Domini millesimum quadringentesimum octogesimum quartum, aut sextum, postulauit, vt Inquisitorum munere sese Dominicani Fratres abdicarent; ac ita Romani Pontificis auctoritate commissum est clericis sæcularibus Canonum, & legum peritis. Quare iussu Regio, & Pontificio concessu, demãdata est cura cõstituendi Sacræ Inquisitionis officium Illustrissimo Cardinali Mendozio: qui adhibito multorum doctorum hominum consilio leges composuit, ordinem præscripsit, quem singuli Inquisitores in Hispania obseruare deberét: quem seruãt etiamnum ij Inquisitores, qui ad Siciliam, & Sardiniam, & Indiam, Hispaniarú Regi subiectas insulas, & prouincias destinantur.

Secundò Quæritur, Quinam sint iure cõmuni Iudices ordinarij, qui de Hæresi cognoscere, & in Hæreticos inquirere, & animaduertere queant? Respondeo, id muneris iure communi Episcopis conuenire: nam, eo ipso, quòd Episcopi sunt, salutaria Dominico gregi sibi cõmisso ministrare pabula debent, lupos à caulis ouium arcere, extirpare hæreses, Hæreticos conuincere, denique omne bonum Christiani gregis, ac populi promouere. Vnde iure canonico bis in anno concilia Episcopalia in Ecclesia cogi, & celebrari deberent, vt inter se inuicem Episcopi dogmata pietatis conferrent. Et in Concil. Lateranens. sub Innocen. III. finierunt Patres: *si quis Episcopus super expurgando de cap. tertio de sua diœcesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, cum id certis indicijs apparuerit, Episcopali munere priuetur: & loco ipsius alter substituatur idoneus, qui velit, & possit hæreticam confundere prauitatem.* Quæ longè ante sancita fuerant in Concil. Mileuit. *cano.* 25. & concil. Toleta. 11. *can.* 2.

Crimen igitur Hæresis est Ecclesiasticum, id est, tale, quod nonnisi Ecclesiastici præfecti cognoscere queant, & in quod nullus nisi Ecclesiasticus Iudex possit inquirere. olim itaq; iure communi Canonico Inquisitorum munus conueniebat solis Episcopis, qui in omnes Hæreticos non exemptos, tanquã ordinarij iudices inquirebant; in exemptos verò, tanquam iudices à Romano Pontifice delegati: quorum munus hodie quoq; præstant in ijs prouincijs, in quibus non sunt Inquisitores Apostolici, speciali auctoritate Romani Pontificis constituti, vt in Gallia, Germania, Polonia: vbi verò locorum Inquisitores Apostolicos Romani Pontificis auctoritas creauit, non in vniuersum Episcoporú ordinaria iurisdictio est abrogata: quia vtrique possunt simul, aut seorsim de hæresi cognoscere. Nam *Clem. 1. §. propter quod, de hæret.* quilibet eorum sine altero, potest hæreticum citare, capere, in carcerem mittere, manicis ferreis, vel compedibus ligare: & subiúgitur ibidem. *Duro tamen tradere carceri sine arcto, qui magis ad pœnam, quam ad custodiam videatur, vel tormentis exponere, vel ad sententiam procedere, Episcopus sine Inquisitore, aut inquisitor sine Episcopo Diœcesano, aut eius officiali, vel Episcopali sede vacante, Capituli super hoc delegato, si sui ad inuicem copiam habere valeant, intra octo dierum spatium, postquam se inuicem requisierint, non valebit. Et si secus præsumptum fuerit, nullum sit, & irritum ipso iure.* Sic ibi: & sic Imola, Cardina. Bonifa. *ibid.* Siman. *de Cathol. Instit. tit. 34. nu. 38.* Sed cum eorum in Hæreticos inquirunt, debent secũ iudicij acta communicare, & per vtrosque simul sententia proferenda est, siue innocentes absoluant, siue pœnitentes ad Ecclesiæ vnitatem admittant, siue contumaces condemnent. *Clem. 1. §. 1. de hæret. cui commissi, §. priuandi. de hæret. in sexto,* In Hispania teste Simanca *de Cath. instit. tit. 25. nu. 4.* Cum Episcopi & inquisitores non conueniunt, tota causa defertur ad Senatum inquisitionis. Quòd si Senatores in pronuncianda sententia secum minimè consentiant, tota causa, vt testatur Siman. *de Cath. instit. 35. nu. 4.* ad Romanum Pontificẽ deuoluitur.

Tertiò Quæritur, Cuius cõditionis Inquisitor Apostolicus esse debeat, an Theologus, an verò potius Iuris Pontificij, & Canonici peritus? Sunt, qui sentiant Theologos ad id muneris esse eligẽdos: quoniam Theologi est Fidei dogmata nota habere, & perspecta, hæreticos oppugnare, conuincere, hæreses discernere, & confutare: ita Canus *lib. 8. c. 7. de loc. Theolog.* Contra. Brunus *de hæret. lib. 4. cap. 1.* Alij verò censent, iuris Pontificij consultos creari oportere: quia ius canonicum probe callent, & ea scientia præditi sunt, qua possint in causis, & litibus iuxta leges, Canones, & iura pronunciare sententiam. hoc sentit Simanc. *de Cathol. instit. tit. 41. num. 3.* In Italia quidem, maiori ex parte Inquisitores, Theologi constituuntur, in Hispania verò, & cæteris prouincijs Hispaniæ subiectis, Iuris canonici consulti. Et certè ob lites, & controuersias dirimendas apti magis, & idonei videntur esse Iuris Pontificij periti. At verò ad hæreses, ac cætera dogmata discernenda, in quibus inest aliquid periculi, temeritatis, vel

offen-

offensionis, impietatisue, aptiores multo videntur esse Theologi: quare mutua vtrique indigent opera, Theologi quidem Iurisconsultis, propter litium, & causarum notitiam, & scientiam: Iurisconsulti verò, Theologorum consilio, ad internoscendas hæreses. Vtrum autem horum in Inquisitore præponderet alteri, non est facile iudicare. Mihi certè, quamuis alipqui Theologo, videtur esse maximi ponderis litium, & causarum cognitio, quæ Iuris intelligentiam, & doctrinam requirit, dummodo tamen Theologorum consilium adhibeatur, ad errores, & suspecta de hæresi dogmata iudicanda.

Quarto Quæritur, quotũ ætatis annum agere oporteat Apostolicũ Inquisitorem? Respondeo, eũ debere annũ quadragesimũ attigisse. *Clem. Nolentes, de Hæreticis*, vbi dicitur. *Statuimus nullis ex nũc, nisi qui quadragesimũ ætatis annũ attigerint, officiũ Inquisitionis committi.* QVAERES, cur in Episcopo, qui iure cõmuni est Inquisitor ordinarius, solũ annus trigesimus requiratur, *c. Cum in cunctis, §. 1. de Elect.* in Inquisitore aũt, qui est delegatus, quadragesimus? Resp. Panormitanus *in c. Cum in cunctis nu. 6. de elect.* dicens: *Id fortè propterea contingere, quia promouendi in Episcopos, transeunt cum magna inquisitione: nam recipiuntur testes, & discutitur prius promotio in Consistorio Papæ, cum Collegio Cardinalium. Item, quia promotus ad Episcopalem dignitatem, creditur, & habetur ex omni parte idoneus: sed officium Inquisitionis, cum tanta indagatione committi non solet, & ideo Canones, & iura voluerunt, vt sit ætate maturus.* Hæc ille. Glossa verò respondet, hoc esse de arbitrarijs, quorũ rationem reddere non cogimur, vt ait Iurisconsultus, *l. Non omnium, ff. de legibus.* Verùm non inepte Panormitanus respondit. At in Hispania teste Simanc. *de Cathol. instit. tit. 34. nu. 12.* auctoritate Romani Pontificis cõcessum est, vt possint eligi Inquisitores, si trigesimum ætatis annum attigerint. QVAERES, deinde, quotum ætatis annum debeat attingere Cõmissarius, siue Vicarius Inquisitoris? Ioannes Andreas, cum Glossa *in Clement. Nolentes*, ait, debere eum ætatis annum quadragesimum agere, siquidem hanc ætatẽ ius in ipso Inquisitore deposcit: Cæterùm hæc cõtrouersia, vt habetur in Direct. Inquisit. *p. 3. q. 16. Commen. 65.* hodie sublata est per Rescriptum Clementis VII. quod incipit: *cũ sicut*: vbi habetur: *Decernimus insuper, vt vestros Vicarios, siue Commissarios instituere possitis; vivos vestra sententia prouidos, aptos, & idoneos; dummodo trigesimum ætatis annum attigerint.*

Quinto Quæritur, A quonã Inquisitor eligi, & creari debeat; & A quonam accipiat potestatem, & iurisdictionem? Respondeo, certò constare, eã accipere Inquisitorem à Romano Pontifice, quia ab eo ad id munus, & officium obeundũ specialiter deputatur. At verò Inquisitores aliquãdo instituuntur proximè à Romano Pontifice, vel viuæ vocis oraculo, vel literis Apostolicis conscriptis: Aliquando verò, vt dicitur in Direct. Inquisit. *p. 3. q. 3.* committitur Cardinali, vel Apostolico legato, vt inquisitores constituat. Olim tamen in Italia cõmittebatur Magistro, & Prioribus Prouincialibus Instituti Dominicani: Generali ac Ministris Prouincialibus familiæ Franciscanæ, vt in Prouincijs, quibus præsunt, ex sui Instituti fratribus Inquisitores eligere, & instituere possent: vt constat ex Pontificijs constitutionibus: vna Innocentij IV. quæ incipit: *Licet ex omnibus*: altera Alexandri IV. cuius initium est: *Olim præsentiens.* Et hæ quidem ad Dominicanos pertinent: Ad Franciscanos verò, alia Clementis IV. sic incipiens: *Licet ex omnibus*, & alia Alexandri IV. quæ habet initiũ similiter, *Licet ex omnibus*, quæ citatur in Direct. Inquisit. *p. 3. q. 3. Cõmen. 52.* & ibi subiũgitur: *Hodie in tota Italia Apostolici inquisitores non eliguntur à prælatis ordinum prædictorum, sed à Reuerendissimis Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, in vniuersa Republica Christiana, qui diligenti inuestigatione facta, eos eligunt.* Sic ibi: At verò in Hispanijs auctoritate Romani Pontificis creatur Inquisitor Generalis, siue Præses Inquisitionis, vt passim vocatur, quem Rex nominat, siue eligit, & Pontifex approbat, & confirmat, eique plenissimam tribuit potestatem inquirendi in omnes Hæreticos. Eius verò munus est Inquisitores, & omnes alios ministros eligere, Visitatores ad Inquisitorũ prouincias mittere: cum pœnitentibus, & eorum filijs nonnunquã beneficio dispẽsationis vti, & de rebus grauioribus deliberare: Hæc omnia Simancas. *de Cathol. instit. tit. 34. nu. 6.* Auctoritate item Romani Pontificis Rex Catholicus Ferdinandus V. supremũ Senatum totius Generalis Inquisitionis constituit, cuius cõsiliarij, ac Senatores ab Inquisitore Generali nominantur, & Regi offeruntur, & ab ipso Hispaniæ Rege eliguntur, seu confirmantur, penes quos est summa iurisdictio, & potestas; quia illi videlicet causas appellationũ excutiunt, Inquisitorum dissidia, & lites componunt, animaduertunt in ministrorum delicta, & crimina: vnà cum Inquisitore Generali de arduis Inquisitionis negocijs consultant. Simanc. *loco citato. nu. 7.*

Sextò Quæritur, An Inquisitorum auctoritas sit ordinaria, an delegata? quod perinde est, ac si quæratur, An Inquisitor sit Iudex ordinarius, an verò delegatus? Archidiaconus *in cap. Ne aliqui, de Hæret. in sexto*, ad finem ait, Inquisitores esse Iudices ordinarios. quod probat; quia suas vices Vicarijs committunt, & mandant, nec eorum munus officium, & iurisdictio finitur obitu Romani Pontificis, qui ipsos instituit; & quia constituuntur à Principe, nimirum Romano Pontifice ad vniuersitatem causarum. At Io. Andr. Gemin. & cæteri *in c. Ne aliqui, de Hæret. in 6.* Lapus. *Allegat. 32.* Federi. *consil. 145.* Abbas *in ca. causam matrimonij. nu. 7. de offi. deleg. & c. vlt. de senten. & re iudic.* cõmuni consensu docent, Inquisitores esse Iudices delegatos. Hanc esse cõmunem sententiam, testantur Siluester *in sum. hæresis. 2. q. 1.* Alciat. *in Rub. de offi. ord. nu. 19.* Siman. *de Cathol. instit. tit. 34. num. 13.* Quam & ipsa Ratio confirmat: nam iudex ordinarius is est, qui ad vniuersitatem causarum constituitur; at Inquisitores dantur solùm ad specialem hæresis causam cognoscendam, & iudicandam. Possunt quidem Inquisitores in omnes prolapsos in hæresim inquirere: non tamen de omnibus delictis præter hæresim, & ea, quæ ad hęresim reuocãtur, cognoscere: nec de omnibus causis, præter eas, quæ ad Fidem pertinent, iudicare. Præterea, *in c. Ne aliqui, de Hæreticis, in sexto*, satis dilucidè officium Inquisitionis dicitur ab Apostolica sede Cõmissum. Negari tamen non potest, quin aliquid, quod est Iudicum ordinariorum propriũ, Inqui-

sitoribus cõueniat: quoniam id ob commune Fidei Catholicæ, & Religionis Christianæ bonum, ita Pontificum sanctiones, & Iura voluerunt.

Septimò Quæritur, An Inquisitoris potestas, & iurisdictio, Romani Pontificis, qui eam concessit, atque commisit, obitu finiatur? Respondeo, minimè: quoniam licet sit iurisdictio delegata, ius tamen Canonicum voluit, vt maneret ob Fidei, & religionis bonum, & vtilitatem. Vnde *in c. Ne aliqui, de Hæret. in sexto* dicitur: *Ne aliqui dubitationem sollicitam excitantes, in dubium reuocent, An officium Inquisitionis hæreticæ prauitatis sollicitudini vestræ, intra certos limites ab Apostolica sede cõmissos, expiret per mortem Romani Põtificis, qui cõmisit, præsenti declaramus edicto, ipsum officiũ post committentis obitũ perdurare.* Sic Põtifex. QVAERES, an Inquisitoris officium post obitũ Romani Pontificis, qui illud concessit, protendatur etiã ad negotia, & causas nondũ incœptas, & denuo exortas? Resp. *ex eod. c. Ne aliqui*, ad ea etiam protendi, nam in eo, cap. perspicuè habetur eiusmodi officiũ manere, non solùm quantum ad negocia, viuente mandatore incœpta, sed etiam quantum ad integra, & nõ cœpta, & quod plus est, quantum ad ea, quæ tunc nequaquã emerserant: & vtrumq; dicitur esse Inquisitoribus datum causa Fidei, & religionis tuendæ. QVAERES deinde, an cesset Inquisitoris auctoritas, quando non est simpliciter constitutus, sed cum clausula adiecta: *Ad beneplacitum Romani Pontificis.* Ioan. Andr. *in c. Ne aliqui de Hæret. in sexto* distinguit: *aut enim Inquisitor*, inquit, *est simpliciter constitutus, & eius auctoritas obitu Romani Pontificis non cessat: aut cum clausula. Ad beneplacitum Romani Pontificis, & tunc obitu Pontificis deleganus, & concedentis finitur, iuxta id, quod traditur in cap. Si gratiosè, de rescript. in sexto, vbi constitutum est auctoritatem à Romano Pontifice, demandatam alteri cum clausula. Ad beneplacitum Romanæ, vel Apostolicæ sedis, non finiri morte Pontificis, quia Romana, vel Apostolica sedes non moritur. Cum Clausula tamen: Ad beneplacitum Romani Pontificis, morte Pontificis concedentis finiri.* Hæc ille. Sed verius est, quod alij tradiderunt, vt dicitur in Direct. Inquisit. *p. 3. q. 7. Commen. 56.* Inquisitoris demandatam auctoritatem, non finiri morte Pontificis delegantis, quocunque modo is sit constitutus, siue simpliciter, siue ad beneplacitum Sedis Apostolicę, siue ad beneplacitũ Romani Pontificis: hoc enim ad cõmune Fidei, & religionis Catholicæ bonũ facit, ne casus eueniat, in quo, aut in Hæreticos nequeat inquiri, aut eorum punitio diutius, quã par sit differatur, aut impediatur, aut penitus deseratur, vt habetur in Direct. Inquisit. *p. 3. q. 7. Comm. 56.* vbi dicitur, *siue ab hoc, siue ab alio inquisitores eligantur, quia semper ab Apostolica sede auctoritatem habent, eorum munus, & potestas, non finitur, & desinit obitu eligentium.* Nec obstat auctoritas *in c. Si gratiosè, de rescriptis, in sexto*, quia inquisitorum auctoritas, & potestas semper censetur esse ab Apostolica, & Pontificia auctoritate. Vnde colligitur, falsum esse, quod ait Geminia. *in c. ne aliqui, de hæret. in sexto, nu. 4.* morte Pontificis Inquisitorũ officiũ nõ finiri, quãdo sunt proximè ab ipso Põtifice delecti, & creati: secus verò esse, quando sunt à Cardinalibus, vel ab alijs electi. Certè nihil refert, ab his, vel à Põtifice deligãtur.

Octauò Quæritur, An Inquisitoris auctoritas in conquirendis, & puniendis Hæreticis sit maior, quàm Episcopi? Respondeo, distinguendũ hic esse: nã quãdo Inquisitor, & Episcopus in aliquos Hæreticos ab Episcopo exemptos inquirunt, auctoritate delegata, vterq; est potestate pari, quia vterq; eã habet à Romano Pontifice demandatã: quando verò Episcopus de Hæresi cognoscit, & in Hæreticũ inquirit, auctoritate ordinaria, maior est auctoritas Inquisitoris: quoniã auctoritas à Principe cõmissa, & delegata, est maior quã sit ordinaria, quã habet inferior *c. sanè 2. de offic. deleg. l. 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio*, vbi legitur: *Qui mandatã iurisdictionem suscepit, propriũ nihil habet, sed eius, qui mandauit, iurisdictione vtitur.* Hæc ibi. Vnde si Episcopus, & Inquisitor citent aliquem, vt corã ipsis se sistat de Fide, & religione responsurus, citatus, coram vtroque se exhibere debet, si diuersa sint in ipsa citatione tempora: quod si eadem fuerint, sistere se debet corã Inquisitore, vt probat Panorm. *in c. Significasti, num. 1. & 5. de offic. deleg. & in c. vlt. nu. 10. de consuet. & in c. Si quis contra, n. 2. de foro compet. & in c. Pro illorum, num. 15. de Præbend.* hæc omnia colliguntur ex Direct. inquisit. *p. 3. q. 5.* Ratio verò huius est, quia Delegatus gerit vicem Romani Pontificis in causa sibi speciatim demãdata, ergo ei, velut Pontificis locum sustinenti, obtemperandũ est, quolibet alio Iudice posthabito. QVAERES itidem, an idem iuris sit de Inquisitorum Commissarijs: ita vt si Episcopus, & Cõmissarius aliquem citet in causa Fidei, & religionis, citatio Commissarij præferri debeat, an verò Episcopi? Resp. si Commissarius sit ab Inquisitore constitutus, anteferri debet Episcopi citatio: nam Vicarij non gaudent ea immunitate, auctoritate, & priuilegijs, quibus fruuntur ij, quorũ sunt Vicarij, *l. Filius, & l. Vicarius, l. Filio, ff. de legatis ib.* Si verò Cõmissarius Inquisitoris sit nominatim auctoritate Romani Pontificis creatus, anteponi debet eius citatio: quoniã Vicarij ab vniuersitate, vel Principe instituti, eisdé priuilegijs potiuntur; quibus Iudices Ordinarij, *l. vlt. C. Vt dignitatum ordo seruetur. lib. 12.* Et *l. Suggerẽte, C. de officio eius, qui vicem alicuius Iudicis obtinet*: quę fuit sententia Bartholi. *in l. suggerente, prædicta*, cõmuni aliorum consensu recepta. Sic Abb. *c. Sanè, de offic. ordinarij.* Alex. *in rubri. de officio eius, cui mãdata est iurisdictio.* Decius *c. sanè, de offi. ord. Rom. singul. 367.* Zabarel. *Clem. 1. oppositi. 6. de offi. Vicarij.* Fel. *in rubri. de maiorita. & obed.* Bal. *in l. Aliquando. ff. de officio Proconsulis.* In Hispania verò, cũ Episcopi, nec secretũ carcerem, qualem iura postulant, nec ministros idoneos ad inquirendum, & animaduertendum in Hæreticos habeãt, seruare nõ possunt ordinè, qui est Inquisitoribus iure præscriptus: & propterea in Hæreticos, vel de hæresi suspectos tantùm inquirunt, & cõpendiariam probationẽ Inquisitoribus secreto mittunt, aut si fontes deprehenderint, ne fugerent, confestim ad Inquisitores deferẽdos curãt, quod si non fecerint, cum ad id iure Põtificio minimè adigantur, Rex scribit ipsis, vt causas ad Inquisitores referant, & fontes ad eosdem remittant, ne iustæ ac debitæ Hæreticorum punitioni via aliquo modo præcludatur: nequit enim Episcopus Inquisitoris semel cœptas Fidei, & religionis causas, & negocia impedire, aut quauis occasione præcidere. Hęc omnia Siman. *de Cath. inst. tit. 25. n. 5.*

Nonò Quæritur, An solus Rom. Põtifex possit

Inquisitorem suo munere, & officio priuare? Respondeo, olim Magistros siue Ministros Generales, & Priores siue Ministros Prouinciales auctoritate Apostolica potuisse Inquisitores ex suis ordinibus assumptos ab officio remouere, vt habetur apud Direct. Inquisi. *p.3.q.9. super Practica officij Inquisitionis*: id enim apertè statuitur in priuilegijs instituti Dominicani, quę habet Eymericus in Direct. Inquisi. *p.3.q.9. super practica officij inquisit.* vbi dicitur: *illos verò ipsius ordinis fratres, qui ad prædicandum crucē, vel inquirendū cōtra hæreticam pravitatē, seu ad alia huiusmodi negocia sunt, vel fuerunt vbicunq; à sede Apostolica deputati; eu filij Magister, tuiq; successores remouere, ac reuocare, penitus trāsferre, ipsisq; vt supersedeant, iniūgere, aliosq; substituere, cū expedire videritis, licitè ac liberè valeatis: & in eos si contraueniāt, censurā Ecclesiasticā exercere. Et quilibet Prior Prouincialis, vel eius Vicarius eiusdē ordinis in sua prouincia circa fratres ipsius ordinis, quibus ab eadē sede similia cōtingeret in illa cōmitti, facere possit.* Hæc ibi. SI QVAERAS, an Magister Generalis, & Prior Prouincialis solo suo nutu potuerit Inquisitorem ex sua familia institutū ab officio amouere? Resp. non potuisse nisi iustis de causis. DEINDE rogabis, quæ iustæ fuerint causæ eius amouendi? Resp. eas ad tria potissimū capita reuocari: nimirū. Si Inquisitor ob viriū imbecillitatem non posset cōmodè suū munus, & officiū obire, & exequi, vel quòd morbo laboraret, vel quòd senectute grauaretur, vel quòd esset imperitus. Deinde si in eo negligens esset. Postremò si iniquè, & dolosè suum officiū faceret. Hodie tamen, vt in Direct. Inquisi. habetur, *p.3.q.9. com.58.* nullæ sunt horū Prælatorū partes. Nam Reueren dis. Card. Inquis. Generales in vniuersa Republica Christiana, ex causa, re maturius considerata, per Italiam, Inquisitores remouent, mutant, ac de vno loco cum expedit in alium transferunt.

Decimò Queritur, An Inquisitor possit sibi Vicariū instituere, cui mandet vices suas? Respondeo, id olim cōtrouersum fuisse: sed amplius de ea re dubitari nō potest: nā apertè colligitur *ex c. Ne aliqui, de Hæret. §. Inquisitorib. & §. Notarij, & Clemē. tina. Multorum, de Hæretic.* extat etiam, vt legimus in Direct. Inquisi. *p.3.q.13. in Comm.62.* de ea re Pontificia Constitutio Pij II. quæ incipit? *Cum iamdudum*, & alia Clementis VII. incipiens *cum sicut*, vbi habetur: *Decernimus insuper, vt vestros Vicarios siue Commissarios instituere valeatis, viros vestra sententia prouidos, aptos, & idoneos dummodo ætatis trigesimū annum attigerint*: sic ibi. Objicies; Delegatum iudicem non posse alteri suā iurisdictionem mandare, *l. Mandatam. ff. De officio eius, cui mandata est iurisdictio*: sed Inquisitor, *vt iam ante dixi*, habet iurisdictionem delegatam, ergo non potest alteri suas vices committere. Respondeo, Primùm, *ex c. quæstionum, de officio Iud. deleg.* posse Romani Pontificis iudicē delegatum, causæ cognitionem alteri demandare. Deinde, satis esse, si id perspicuè Cōstitutionibus Pontificijs declaratum sit. QVAERES etiam, an possit vires suas Inquisitor Vicario plenè demā dare? Resp. ex Direct. Inquisit. *p.3.q.15. & 16. Comm. 64.* posse ei cōmittere, vti denunciatos, siue accusatos, siue suspectos citare queat, testes examinare, cōdemnare reos, etiam relapsos, siue eos, quos fuæ hęresis nō pœnitet: & tunc plenè ei vices cōmittuntur. Aliquando tamen solū ei iurisdictio demādatur, vt possit citare denūciatos, examinare testes, reos in carcerē detrudere; non tamē, vt sententiā pronuntiet, qua sontes condemnet inconsulto Inquisitore: aut si etiā cōmittitur, vt cōdemnet, non tamen, vt sententiā ferat contra relapsos, aut eos, qui ob suam impietatē, aut peccatum nō dolent. QVAERES insuper, an Cōmissarius ab Inquisitore constitutus possit sibi alium Commissarium substituere? Resp. cum omnibus iuris canonici doctoribus, non posse. Glos. *in c. super quæst. §. Porrò, verb. transfert de offic. deleg.* Glos. *in c. cum causam, vet. delegatus, de Appella.* Archidia. Ioan. And. Abbas Alex. Albericus, & alij, quos citat Pēna in Direct. Inquisi. *p.3.q.15. Cōm.64.* quia alioqui esset in infinitū progressus. Item, quia Inquisitor, cū sit delegatus, non potest alteri suas vices delegare, ita, vt ille possit in sui locū aliū subrogare: hoc enim est personæ priuilegiū, quod in alterū non transit, vnà enim cū persona, cuius est, extinguitur, ac desinit *c. Priuilegium, de regu. in sexto.*

Vndecimò Quæritur, An Commissarium ab Inquisitore Dominicano, vel Franciscano institutum, possint officio amouere Dominicani, Frā ciscaniue Præfecti, qui ipsum Inquisitorē elegerunt, vt olim eligere solebant. Respondeo, minimè: quoniam Commissarius instituitur ab Inquisitore, tanquam Romani Pontificis delegato, non autem tanquā à sui Instituti Præfectis vllā iurisdictionem habente: & proinde Inquisitor; nō autem Præfectus ordinis ab officio remouere Cōmissarium potest. Objicies; *qui potest, quod maius est, & quod minus est, potest*; sed Religiosorum ordinum Præfecti possunt Inquisitorem officio priuare, ergo & Commissarium. Respondeo, in Iure non semper valere Regulam: Qui habet potestatē in id, quod maius est, habere quoque in id, quod est minus; nisi quando minus sub maiore continetur tanquam pars in toto, vel species sub genere.

Duodecimò Quæritur, In quos iure Inquisitores inquirant, quando fuerint in hæresim prolapsi? Respondeo, eis nō licere in Nuncios, siue Pōtificios administros, quos vocant Officiales Romani Pontificis, inquirere: horum enim causa ad Romanum Pontificem defertur. Director. Inquisit. *par.3.q.25.* Nec possunt itē in Episcopos inquirere, *c. Inquisitores, de Hæret. in sexto.* Sunt tamen, qui sentiant posse Episcopum in carcerem mitti ab Inquisitore, si fuerit ob hæresim de fuga suspectus, aut si hæreses verbo docuerit, & multos seduxerit. Sed alij in vniuersum id inficiantur, & aiunt Episcopi causam Rom. Pontifici, duntaxat renunciari debere. Penna in Direct. Inquisit. *p.3. q.27. Comm.76.* QVAERES, an Inquisitores possint inquirere in Religiosos hęreticos exemptos? Respondeo, hanc quæstionem tractari in Direct. Inquisit. *par.3.q.28. Commen.77.* Constat, vt ibi refertur, olim fuisse diuersas Romanorum Pontificum constitutiones. Alexander enim 4. Anno Domini 1260. constituit, vt Inquisitores in omnes Religiosos hæreticos inquirerent. Sed Pius II. Generali Vicario Franciscanæ familiæ concessit, vt ipse in sui Instituti fratres de hæresi suspectos posset inquirere. Innocentius VIII. omnibus Inquisitoribus interdixit, ne in Fratres Franciscanos inquirerent. Sixtus IV. sanciuit, ne Dominicani Inquisitores contra Franciscanos agerent,

nec

nec Franciscani contra Dominicanos. Clemens VII. in Constitutione, quæ incipit: *Cum sicut*, statuit, vt Inquisitores, & eorum Vicarij inquirant in quoslibet Religiosos de hæresi suspectos, nõ obstantibus quibuscunque priuilegijs. Tandem Pius IV. Constitutionem edidit, sub hoc initio: *Pastoris æterni*, vbi decernit, vt Inquisitores possint agere contra quoslibet Religiosos exemptos, hæreticos, seu quouis modo de hæresi suspectos, dũmodo, vt ibi dicitur, *à suis superioribus, & Præfectis præuenti non fuerint, ac vt possint eos punire iuxta Canonica instituta, non obstantibus quibuscunque contrarijs Constitutionibus*: Sic ibi. Iuxta hanc Pontificiam Constitutionem, hodie Inquisitores, in omnes Religiosos, vel ob hæresim, vel ob hæresis suspicionem inquirunt.

SCISCITABERIS; Quid si Religionũ Præfecti hac in re præueniant Inquisitores? Respondeo, satis dilucidè, & apertè in *cõstitutione prædicta* haberi, non posse Inquisitores agere, quãdo eos Religionum Præfecti præuenerint, nihilominus tamen Inquisitores in vniuersum inquirunt, siue eos præueniant Religionũ Præfecti, siue non. Aiũt enim, esse quidẽ hoc Priuilegium Religiosis concessum à Pio IV. ne in ipsos Apostolici Inquisitores inquirant, quando Religionũ Præpositi præuenerint Inquisitores: sed hoc Priuilegium Religiosos amisisse, quia eõ nunquã sunt vsi: & priuilegium, si quis eo intra decenniũ non vtatur, finitur, ac cessat. Item, quia Constitutio illa Pij IV. non videtur esse vsu recepta. Item, siue recepta fuerit, siue secus; sanctæ Inquisitionis stylus, & consuetudo contrarium obseruat: nulli enim Superiores, Religiosos sibi subditos in hac causa iudicant, aut puniunt; sed totam causam ad Inquisitores existimant deferendam. DEINDE quæres, an in denunciandis Religiosis hæreticis, aut de hæresi suspectis, aliquis certus ordo seruari debeat, ita vt prius ipsi Religionis Præfecto, hæresis crimen denũcietur, qui deinde causam ad Inquisitores deferat? Resp. crimẽ esse ad Inquisitores, non ad alios deferendũ. Sciendum est, apud aliquos Religiosorũ præscriptum ordinem esse, vt Religiosus ob hæresim, seu hæresis suspicionẽ aliquã suo Priori denunciet, & Prior Prouinciali, Prouincialis verò Generali, & Generalis Ministeri Inquisitoribus: refert Penna in Direct. Inquisit. *p.3.q.28.commen.77.* Cõstitutionibus Fratrũ B. Mariæ seruorũ, *in Rubrica de Prædicatorib. & in Rubri. de Visitatorib. §.30.* statutũ sic esse: *Si qui fratres de Fide suspecti inueniãtur, vel libros habeant in Indice prohibitos; Prior conuentus, Prouinciali, & Prouincialis, Generali, & Generalis sanctissimo Officio Inquisitionis denuncient.* Cæterùm vsu receptum est, vt statim crimen ad Inquisitores, non ad alios deferatur: quod obseruandum est, ne Fidei causa differatur, & aliquo modo impediatur.

Decimotertiò Quæritur, An Inquisitores auctoritatẽ habeant inquirendi ob hęresim, vel hęresis suspicionẽ in sęculares Principes, Comites, Marchiones, Duces, & alios Principes, & Reges? Respondeo, de hoc esse Canonico iure constitutũ *in c. vt officiũ, §. Denique, de Hæret. in 6.* vt procedãt cõtra Hæreticos, cuiuscunq; sint conditionis, dignitatis, vel gradus. Eymericus tamen in Direct. Inquisit. *p.3.q.31.* ait: *Consulerem, vt contra Reges, & Regales personas publicè non procederent Inquisitores, nisi cõsulto Romano Pontifice, vt cautiùs, & tutiùs negotium Fidei agatur.* Sic ille. Cum autẽ Episcoporum causa, quæ ad Fidem pertinet, ad Romanũ Pontificem, communi iure deferri debeat: pari quoq; ratione videtur eadem Principum causa ad Romanũ Pontificem referenda. Sed animaduertendum est, Comites, Marchiones, & Duces esse in duplici differentia. Nam alij sunt supremi Principes, qui nullũ in temporalibus superiorẽ agnoscũt: alij sunt Regibus subiecti, siue qui in temporalibus Superiorẽ habẽt. In hos, Inquisitores inquirũt, & animaduertunt, qui supremi Principes nõ sunt, in illos verò non itẽ, nisi speciali Romani Pontificis mandato, Ioan. Andreas *in c. Inquisitores, de Hæret. in sexto.* ait, *prædictum c. Inquisitores, quo prohibentur Inquisitores procedere contra Episcopos, prohibere quoque, ne procedant etiã contra laicos, inconsulto Romano Pontifice, quoties, vel magnæ sunt personæ, & dignitate conspicuæ, vel tanta est Hæreticorum multitudo, vt si contra eos procederent, aut ingens periculum, aut grauis populo turbatio subsecutura probabiliter crederetur.* Sic ille.

Decimoquartò Quæritur, An Episcopus habeat ius inquirendi in Inquisitorẽ hæreticum, vel suspectũ de hæresi? Zanchinus, & alij, quos citat Penna in Direct. Inquisit. *p.3. comm.79.* opinantur, eum ius habere, quando crimen est manifestum, id probant ex eo, quòd Episcopus est Iudex ordinarius; Inquisitor verò, delegatus. At veriùs alij tradiderunt, eum non habere ius: quoniã sicut Inquisitor nequit in Episcopum inquirere ob reuerentiam, quæ Episcopo debetur, ita nec potest Episcopus contra Inquisitorem agere, quoniam auctoritate Romani Pontificis, delegatam habet potestatem, ac proinde auctoritatem Pontificiã dedeceret hæc actio: ita, Eymericus, & alij in Directo. Inquisit. *p.3.q.30. & commen.79.* QVAERES, an vnus Inquisitor in alium possit inquirere? Respondeo, minimè, quia est Romani Pontificis delegat⁹, ac vt paulò ante dixi, Inquisitores nequeunt in nuncios, vel administros Apostolicæ sedis inquirere, sic Eymericus *loco citato.*

Decimoquintò Quęritur, An liceat Inquisitoribus inquirere in eos, qui postquam in sua Prouincia deliquerant, ad aliam se contulerunt? Respondeo, licere inquirere, hoc enim colligitur *ex c. vt commissi de Hæret. in sexto*, vbi legitur: *Et contra illos, quos in prouincia, in qua vobis Inquisitionis Officium est commissum, hæresis crimen constiterit commisisse, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedendo.* Idem colligitur ex *c. Cum contumacia, de Hæret.* Quomodo aũt in absentes inquiratur, exponitur in Concilio Narbonensi *c.19.* vbi sic habetur: *Si qui verò culpabiles, vel suspecti ad vestram pertinentes inquisitionem, præsentes nec sint, nec fuerint, & infra competentem terminum eisdem à vobis peremptorie assignatum, & per Ecclesias publicatum, non curauerint comparere, vel se legitimè excusare, contra eos tanquam contra præsentes sine dubio procedatis.* Et cap.20. *Ad inquisitionem quippe vestram eos intelligimus pertinere, qui vel infra eiusdem Inquisitionis limites deliquerunt: vel domicilium ibi habent, seu habebant, quando Inquisitio cœpta fuit: vel cum ibi morarentur ratione officij cuiuscunq;, publici seu priuati: vel certũ domicilium non habentes, ibidẽ inuenti, citati fuerunt à vobis, siue illis per quamcunq; cautionẽ adstrictis, siue nũ, inquisitionẽ contra eos facere incœpistis, vel eis purgationem*

forsitan indixistis: siquidem contra tales præsentes, vel absentes potestis procedere, ac debetis, nisi forte ratione delicti maioris seu minoris cõmissi alibi, vel ratione domicilij, vel causæ alia de prædictis, Inquisitores alij procedere cæperint contra illos. Etenim cũ in locis diuersis, & per Inquisitores diuersos Deo auctore Inquisitio celebretur, tutius, & salubrius est, vt quisq; culpabilis in quocunq; loco deliquerit, vni, & illi Inquisitori remaneat obligatus, à quo primo, ex aliqua de causis præscriptis, sine fraude, & sine periculo negocij, & animarum fuerit occupatus. Et c.21. subijcitur. *Ita tamẽ, vt Inquisitores cæteri quicquid de illo nosse poterũt, inquirãt nihilominus, & scribant Inquisitoribus illis, quibus idẽ culpabilis sit adstrictus. sic enim quasi vir vnus pugnabitis, & vincetis.* Hactenus verba Cõcilij sunt. Hęc omnia in Direct. Inquisi. *p.3.q.42. & cõmen.91.*

Quæres, An Hæreticus, qui alibi deliquit, præsertim qui praua sua dogmata seminauerit, aut docuerit, possit capi, & puniri ab Inquisitore, in cuius Prouincia nunc cõmoratur? Respõdeo, regulam esse generalem, Delicta ibi puniri oportere, vbi cõmittuntur, nisi auctor delicti alibi habeat domicilium, *c. vlt. de Foro cõpet. & c.1. De Raptorib. & in l. Qua in prouincia, C. vbi de criminib. agi oporteat.* Nã in quo loco quis ob delictum alios offendit, ibi debet iustas luendo pœnas satisfacere. Hæc tamẽ Regula cũ in multis alijs deficiat, vt supra *quinto lib. docuit*, in Hæresi tamen locum non habet; quia Hæretici vbique possunt capi, & in carcerem detrusi puniri, vt est communis omnium sententia *Bal. in l. & si excepta, C. de Maleficijs. & Mathemat.* Cardin. *in Clem. 2. §. denique q.9. de sentent. & re iudi.* & Siman. *de Catholi. Iustitia. tit.2. num.12.* Quo fit, vt in Hæreticos ex Anglia, Germania, Polonia, vel Gallia in Italiam, vel Hispaniam venientes, possint Inquisitores inquirere, & animaduertere: præsertim si suas hæreses scripto, vel verbo antea docuerint, aut sese palã tanquã hæreticos gesserint.

Decimosextò Quæritur, An Episcopus sine Inquisitore, & cõtra, Inquisitor absq; Episcopo possit in causa hæresis sententiã ferre? Respondeo, sententiam posse esse multiplicem: Aut enim est sententia, qua quis absoluitur, aut qua cõdemnatur, aut qua canonica purgatio criminis indicitur, aut qua præcipitur, vt quis hæresim generatim, aut speciatim abiuret: hoc est, iureiurando condẽnet, & detestetur. Si ergo sermo sit de sententia, qua quis absoluitur, multorum est opinio, posse Episcopũ seu Inquisitorem seorsim eã proferre. Sic Ioã. And. Pau. Card. Abbas, & alij, quos citat Penna in Direct. *par.3.q.48. cõmen.97.* Aliorũ tamen est opinio, minimè eũ posse, quam tuentur Ancharanus, Aretinus, Socinus, Simã. & alij, quos refert, *loco citato* Penna. Et licet prima opinio congruere cũ Iure videatur, Secunda tamen est tutior. Si vero de sententia, qua quis condemnatur, loquamur, inter oẽs conuenit, non posse, vt testatur Penna *loco citato.* Quòd si de sententia, qua canonica purgatio, vel abiuratio hæresis indicitur; sermo sit, licèt quidam contendant, posse ab Episcopo, vel Inquisitore proferri; vsu tamen magis recepta, tuta, & magis cum Iure consentiens opinio est eorum, qui negant, posse: vt docet idem Penna *loco citato.*

Decimoseptimò Quæritur, de quibus criminibus Inquisitor cognoscere queat, ac debeat? Respondeo, eũ iure cõmuni inquirere in Hæreticos, in Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores Hæreticorum: in eos, qui legunt, vel qui apud se retinent, vel qui Typis mãdant libros Hæreticorum prohibitos siue damnatos: in diffamatos quoque, aut suspectos de Hæresi: in Schismaticos, Apostatas: in Christianos, qui transeunt, vel qui redeunt ad Iudæos, Saracenos, Paganos: Itẽ, in Blasphemos, siue maledicos, qui proferũt verba hæresim cõtinentia: in Sortilegos, & Diuinatores, qui vel ritibus Hæreticorum, vel verbis vtuntur, quæ, aut hęresim contineant, redoleant, aut sapiant: in Magos, & eos, qui Dæmones inuocant, cum eis colloquia, & consuetudinẽ habẽt: de quibus singulis suo loco differemus. Denique, in excommunicatos, qui per annũ in excõmunicatione pertinaciter perseuerant. At iure nouo peculiari, & priuilegio de quibusdã alijs criminibus cognoscunt. Sciendũ est Excommunicatos esse in duplici differentia, quidã ob contumaciã in Causa fidei, & religionis, alij ob contumaciam in alijs causis. Primi generis illi excommunicati sunt, in tribus casibus. Primò, quia citati ad iudiciũ, vt respõderent de Fide, & religione, vel vt se sisterẽt, id facere renuerunt, hi excõmunicantur à Iudice. *c. Cum contumacia, de Hæret. in sexto.* Secũdò, quia directo, vel indirecto Inquisitionis officiũ impedierunt, siue impedientibus auxiliũ, opem, consilium dederunt: qui quidẽ sunt, ipso Iure, excommunicati, *c. Vt Inquisitionib. §. Prohibemus, de Hæret. in sexto.* Tertiò, quia Credentes, Receptatores, Defensores, vel Fautores Hæreticorũ fuerũt: qui sunt etiã ipso Iure excõmunicati, *c. excõmunicamus, §. Credentes, de Hæret.* In oẽs huiusmodi excommunicatos, si in excommunicatione ad annum pertinaciter perstiterint, tanquam in Hæreticos inquiritur, & animaduertitur, vt ait Archidiaconus, *cap. Accusatus, de Hæret. in sexto.* Hoc est, huiusmodi excommunicatus, sicut Hæreticus, quem sui peccati pœnitet, hæreses abiurare, & idoneã satisfactionem reddere compellitur; & deinde absolutus Ecclesiæ reconciliatur; Si verò resipiscere nolit, Iudici sæculari traditur, iusta, & debita pœna plectendus; ita etiam excommunicatus ob contumaciam in causa Fidei, si de suo peccato doluerit, abiuratis erroribus, & idonea satisfactione reddita, absoluitur, & in Ecclesię gremium admittitur, Quòd si ad saniorem mentem redire noluerit, traditur Iudicibus sæcularibus capite multandus, hoc est, pœna merita puniendus. Cæteri excommunicati ob contumaciam in alijs causis, qui in excommunicatione pertinaciter ad annum permanent, puniuntur solùm tanquam suspecti de hæresi. Ita docuerunt Innocentius, Hostiensis Abb. Felin. *in c. excommunicamus. 1. §. qui añt de hæreticis.* Archidiac. Ioan. And. Geminia. & Francus *in cap. cum contumacia de hæret. in sexto.* Denique quãdo inquisitor possit inquirere in excõmunicatos, tractatur in Direct. Inquisit. *p.3.q.47. & cõmen.72.* Et in Cõcilio Tridentino *sess.25. c.3. de Reformat.* legimus sic: *Excommunicatus verò quicũque, si post legitimas monitiones, non resipuerit, non solùm ad sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem nõ recipiatur: sed si obdurato animo cẽsuris annexis, in illis per annũ insorduerit, etiã contra eum, tanquam de hæresi suspectũ, procedi possit.* Hæc ibi. Animaduertendũ est, auctoritate Romani Põtificis Illustrissimos, & Reue-

rendissimos Cardinales extoto Collegio deligi, & constituti Generales Inquisitores in tota Republica Christiana: quos per litteras consulunt, cæteri omnes Inquisitores in singulis vrbibus, & prouincijs constituti. In Hispania, Inquisitores singulis vrbibus præfecti, Generalem Inquisitorem Regno Hispanienſi præpositum, per litteras cõsulunt: is verò consulit Illustrissimos, & Reuerẽdissimos Cardinales totius Sanctæ Inquisitionis Præfectos.

Caput XIX.

De Absolutione ab hæresi.

ANtequam id explicem, nempe per quem, & quomodo possit quis ab hæresi absolui, referam Priuilegia, quæ aliquando Romanorum Pontificum beneficio, solent religiosis ordinibus concedi, tùm in libris Hæreticorum legendis, tũ etiam in Absoluendo ab hæresi.

In primis igitur circa libros Hæreticorũ prohibitos solet concedi facultas, qua possit generalis totius ordinis Magister siue Minister, re maturè considerata, & consultata cum ijs, qui ei sunt à consilijs, dare potestatem legendi libros hæreticos, & alios prohibitos, ad oppugnandos, & cõuincendos Hęreticos, ad hęreses confutandas, ad Fidei, & religionis nostræ dogmata comprobanda, & defendenda. Et hoc Priuilegium concedi solet, in commune Fidei bonum, & in ijs Prouincijs, in quibus Fidei Inquisitores, specialiter à Romano Pontifice constituti non sunt.

Aliquando conceditur Priuilegium, quo datur facultas Religiosis, vt legant quoque libros, qui hæretici non sunt, licèt habeant Annotationes, & Scholia auctorum hæreticorum: vel quãuis auctores ipsi mali sint, si libri non sint editi ad stabilienda dogmata hæretica; dummodo nomẽ auctoris, si sit hęreticus, aut in Indice prohibitus, & si quid inter legẽdum, impium occurrerit, deleatur. Hæc item Facultas dari non solet Religiosis, nisi ijs, qui morantur in locis, in quibus Inquisitores Fidei non sunt.

Conceditur etiam aliquãdo Religiosis hominibus priuilegium, vt qui à superioribus specialiter deputati fuerint, habeant facultatem emendandi libros, quorum auctores pij quidem sunt, sed habent praua Scholia, vel Annotationes; aut quando auctores, aut Impressores sunt impij, nõ tamen libri; aut cum auctores sunt Ethnici; sed habent scholia, Annotationes; vel quid huiusmodi, propter quod, prohibiti sunt, donec expurgẽtur, dummodo auctores, & nomina malorum auctorum, vel Impressorum deleantur. Hæc similiter Facultas dari solet Religiosis, qui cõmorãtur in ijs Prouincijs, vbi speciales Fidei Inquisitores constituti Romani Põtificis auctoritate nõ sunt.

Dari quoq; Priuilegiũ solet, vt qui à Magistro totius Ordinis Generali deputati fuerint, habeant facultatem emendandi, & corrigendi libros Ethnicorum, propter scholia, Annotationes, Cõmentaria Hæreticorum, vel Impressorũ in Indice prohibitorum, modò errores, & nomina auctorum, aut aliorum auctorum prohibitorũ penitus deleantur, & expurgentur.

Item, concedi solet Priuilegium, quo datur facultas, qua possit Minister totius ordinis Generalis per se, & non per alios absoluere ab hæresi quosliber, in foro conscientiæ duntaxat: hoc Priuilegium, non datur Religiosis, nisi ijs, qui cõmorantur, & viuunt in locis, in quibus Inquisitores specialiter à Romano Pontifice deputati non sunt, quales sunt in Hispania, Italia, & alijs Prouincijs Hispaniarum Regi subiectis. Vnde Priuilegium conceditur sine vllo Inquisitorum detrimento, & incommodo.

Conceditur quoq; aliquãdo facultas Religiosis absoluendi quoslibet, ab excommunicatione ob lectionem librorũ prohibitorum, ijs in locis, vbi potest Religiosi Ordinis Generalis Præfect⁹ absoluere ab hæresi in foro conscientiæ. Verũ, si libri prohibiti sint, quia ad stabilienda dogmata hæretica cõpositi sunt; non solet huiusmodi facultas cõcedi alijs, quàm Inquisitoribus, nisi in causis particularibus, perspectis circumstantijs, discussis, & ponderatis. Aliquando concedi solet facultas Religiosis Ordinibus, per quã ij, qui mittuntur ad triremes, possunt absolui à quibuslibet peccatis, & casibus, eodẽ modo, quo in articulo mortis, solent pœnitentes absolui. Hæc facultas ideo ampliſſima dari solet, quoniã ij, qui ad triremes perpetuò ob maleficium condemnantur, in maximum vitæ discrimen sæpè deueniunt.

Solet etiã facultas dari Religiosis Ordinibus; vt ij, qui sub Obediẽtia, & potestate Religiosi ordinis degunt, possint absolui per eũ, qui toti Ordini præfectus est: & per alios, quos ipse deputauerit, ab omnibus peccatis, & casibus ante, vel post ingressum in religiosorũ ordinem cõmissis, & ab omnibus Ecclesiasticis, & sæcularibus sententijs, censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine latis; præterquã ab ijs quatuor, quæ in Bulla Sixti IV. continentur, quæ sunt, Relapsus in hæresim, Schisma, litterarũ Apostolicarum Falsificatio, & Delatio rerũ prohibitarum ad Infideles. Volentes tamen ingredi in Religiosorum ordinẽ, & absolui, recidunt in pristinas sententias, nisi mox ingredi, & peractis Probationis, & tyrocinij experimentis, iuxta constitutiones ipsius ordinis, ad vota solenni ritu emittenda parati sint, etiãsi super hoc inducię eis à Præfectis ordinis concedantur.

Facultas quoq; concedi solet Religiosis ordinibus, vt eorum Præfectus Generalis, & Prouinciales possint Religiosos sibi subiectos in Prouincijs, in quibus Inquisitores specialiter deputati non sunt, absoluere à Relapsu in Hæresim, aut in Apostasiam, & eorum pœnas à Iure constitutas cõmutare, augendo, aut minuendo, consideratis qualitate, & quantitate, alijsq; debitis circũstantijs: dummodo talium relapsorũ crimina publica, & notoria apud sæculares non sint; ita vt ex hoc scandalum, & aliorum offensio oriri possit.

Sed quæres, an huiusmodi Priuilegia, & facultates abrogẽtur vi cõstitutionis Pontificiæ, quæ in die Cœnæ Domini, publico, & soleni ritu de more legitur? Respondeo, abrogari; nisi cõcedantur, cũ clausula expressa, vt abrogata esse, non cẽseantur per eam constitutionem Pontificiam.

His positis, Primò quæritur, à quo absolui possint in foro conscientiæ Hæretici, Credentes Hę-

reticorum,

reticorum, Receptatores, Defensores, Fautores, aut qui legerunt, retinuerunt, vel typis mandarunt libros Hæreticorum damnatos? Respõdeo, eos non posse absolui nisi à Romano Pontifice, aut ab eo, cui Pontificia auctoritate fuerit specialiter commissum: qua ratione Inquisitores Apostolici Hæreticos pœnitentes absoluunt.

Secundò Quæritur, An sacerdos ad peccatorũ confessiones excipiendas electus, vi litterarum Apostolicarum, siue Põtificiarũ, quæ vulgò Bullæ Cruciatæ appellantur, aut vi Iubilæi, quo conceditur facultas simpliciter absoluẽdi ab omnibus peccatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini, possit absoluere ab hæresi, & à cæteris criminibus supradictis? Ad hanc Quæstionem supra respondi ac dixi *c.10.q.12.* iuxta stylũ, & vsum Romanæ Curiæ, non posse: quoniam absoluendi facultas specialiter cõmittitur Inquisitoribus Fidei. Vnde cum generatim datur potestas absoluendi ab ijs casibus, qui continentur in ea Constitutione, quæ Bulla in Cœna Domini vocatur, nõ eo ipso, datur facultas absoluendi ab hæresi: quoniam hæc facultas est specialiter commissa Inquisitoribus Fidei, & generales cõcessiones specialibus non nocent.

Tertiò Quæritur, An Episcopi vi facultatis in Concilio Trid. concessæ *sess.24. c.6.* possint absoluere ab hæresi, & cæteris supradictis criminibus quando sunt occulta? supra quoque respondi *cap. 10. quæst.10.* ac dixi, eos non posse, & hanc facultatem esse abrogatam per clausulam Bullæ in Cœna Domini, quæ reuera est nimium generalis, & quæ protenditur, tam amplè, vt eam facultatem abroget: nam ita declarauit congregatio Cardinalium, vt superiùs iam dixi *cap.10.q.10.*

Quartò Quæritur, An quilibet scilicet approbatus, & idoneus ad peccatorum cõfessiones audiendas, iure possit absoluere ab hæresi tantummodo mente cõcepta? Supra etiã admonui, quosdam credidisse, interiorem mentis hæresim esse excommunicatione affectam, & hæc quidem excommunicatio, cũ sit Romano Pontifici reseruata, consequens esse, inquiunt illi, vt solus Romanus Pontifex quempiam possit absoluere ab ea hæresi. Sed quia nos lõgè verius esse arbitramur, per solam mentis hæresim, nullam contrahi excommunicationem: dicimus, absolutionem eius nemini esse reseruatam; & proinde quemlibet idoneum Confessarium, hoc est legitimè approbatum, ab eo absoluere iure, & tuta conscientia posse.

Quintò Quæritur, An hæreticus cum morti proximus est, possit absolui à quolibet Sacerdote? Respondeo, posse, si Episcopus, & Fidei Inquisitores desint; quia præsentes non sunt. Nam in Concilio Arausicano *1. Canone 2.* de hac re constitutum est in hunc modum: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placuit. Idem colligitur ex cap. His, qui in tempore, & c. Si Presbyter, & c. Agnouimus, & c. Presbyter. 26. q. 6.* & tandem Concilium Tridentinum *Sess.14. cap.7. De casuum reseruatione*, sic habet: prope finem: *In eadem Ecclesia Dei, piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, cautum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuscunque peccatis, & censuris absoluere possunt.* QVAERES, an etiam possint absolui hæretici, & Ecclesiæ reconciliari post mortem, si signa pœnitentiæ dederint, & absolutionem petierint, nec per eos steterit, quo minus ante obitum absoluerentur? Respondet Siman. *de Cathol. instit. tit.3. nu.4.* esse receptum vsu, & iure communi, vt in foro exteriori ab excommunicatione, ac cæteris censuris absoluantur, *cap. A nobis 2. De sententia excommunic. ex Concilio 4. Carthaginensi Canone 76.* Absoluũtur autem post obitum in foro exteriori, vt Ecclesiasticæ sepulturæ mandari, & tradi possint, hoc est, in loco sacro sepeliri, & pro eis preces, & sacrificia de more, & consuetudine offerri: nã secus non possunt in locis sacris sepeliri.

Sextò quæritur, An hæreticus postquam fuerit in foro interiori absolutus ab hæresi, sit liber, & immunis à pœnis, quibus in foro exteriori alioqui subijciebatur, ita vt in eum ampliùs inquiri, & animaduerti nequeat, & ipse se hac exceptione tueri possit, dicens se esse in foro pœnitentiæ absolutum? Respondeo, minimè, Zanchin. *tract. de hæret. cap.34.* Directorium Inquisit. *part. 2. in Comment. 25.* Vnde hæreticus, siue ab Episcopo, siue ab Inquisitore, aut ab alio absoluendi facultatem habente, absolutus in foro pœnitentiæ, potest nihilominus accusari in foro exteriori, citari, capi, & in carcerem trudi, torqueri, & puniri, siue canonica, siue ciuili pœna. Nam sententia, & pœna lata, & imposita à Cõfessario in foro pœnitẽtiæ, quantumcunque magna sit nequaquã liberat criminosum à pœna, siue canonica, siue ciuili in foro exteriori luenda. Glossa communi consensu recepta *in c. Gaudemus de diuort. verbo, Poterit.* Sic etiam Abbas, Imola *in c.2. de empt. & vendit.* Paulus Castrensis *in l. Cunctos populos. C. de sum. Trinit. & fide Cathol.* Cardinalis, & alij *in cap. de his. de accusat.* Quod & ratio ipsa probat, & euincit: quia pœna per Confessarium imposita in foro pœnitentiæ, constituta est, vt is, quem sui peccati pœnitet, per eam Deo, quem offendit, satisfaciat; at verò iuris ciuilis, vel canonici pœna in foro exteriori imponenda, spectat ad punitionem corporis, & vindictam publicam, vt etiam criminis reus, legitimè Reipublicæ satisfaciat, quam delinquendo nimis offenderat. Si quæras, quid si pœnam in foro pœnitentiæ impositam, pœnitens publicè persoluerit? Respondeo, etiam tunc non tolli pœnam in foro exteriori perfruendam, vt tradidit Abbas *in cap. de his de accusationib.* quo fit, vt hæreticus manifestus, legitimè per Sacerdotem in foro pœnitentiæ absolutus ab hæresi, nequeat in loco sacro sepeliri, quia quod Ecclesiastica sepultura caret, est pœna iuris; & proinde, donec in foro exteriori hæreticus absoluatur, eam pœnam perferre, & sustinere debet.

Septimò Quæritur, An Sacerdoti asserenti, à se hæreticum esse absolutum in foro pœnitentiæ, sit in foro exteriori credendum, si eum, vel innocentem esse, testificetur, vel sui criminis idoneam egisse pœnitentiam? Hæc quæstio tractatur in Direct. *Inquisit. p. 2. in Comment. 25.* Quæstionem mouet. Primò, quia notario creditur ratione officij in ijs, quæ ad suum munus spectãt, *cap. Ad audientiam, de præscriptionib.* Ergo videtur eti-

am Sacerdoti credendum. Rursus, vni testi spectatæ fidei, & probitatis, creditur, ergo credi debet Sacerdoti. Præterea, propensiores nos esse oportet ad absoluendum, quàm ad condemnandũ. Postremò, in Sacramento Confessionis non est verisimile, aut pœnitentem mentitum fuisse, aut Confessarium aliud, quàm audiuerit, affirmare: ergo credendum est, si testificetur reum esse innocentem, vel idoneè satis de peccato doluisse, & quia ita videtur sentire Glossa *in c. super nobis, in verbo, nisi iuratus, & cap. testimonium, in verbo, in hoc casu, de testibus.* Respõdeo, in foro exteriori nõ oportere fidem habere Sacerdoti, qui peccatorũ confessionem excipit: Iudex enim in foro exteriori secundum ea, quæ sunt legitimè in iudicio probata, sententiam in reos, ac sontes ferre debet, non autem iuxta priuata iudicia: vt docet S. Thomas 2.2. *q.* 67. *art.* 2.

Octauò Quæritur, An hæreticis, & cæteris ob causam fidei in carcerem missis, & vinctis cõcedi debeat Sacerdos, qui eorũ cõfessiones excipiat in foro pœnitentiæ? Respondet Simancas *de Cathol. institut. tit.* 16. *nu.* 30. hisce reis non esse copiam Confessarij faciendam, nisi plenè Inquisitoribus tanquã iudicibus fuerint sua crimina cõfessi, aut nisi in extremum vitæ periculum deuenerint. *Et tunc*, inquit, *per inquisitores fidei, reconciliandi Ecclesiæ sunt, ab excommunicatione prius absoluti. Deinde, in foro pœnitentiæ à Confessario absoluendi, & post obitum Ecclesiastica sepultura donandi, donec sententia publicè proferatur.* Hunc morẽ, ait Simancas, in Hispania seruari: in Italia verò faciliùs eis Confessarij copia datur. Sed in Director. Inquisit. *p.* 2. *Commen.* 25. Benigniùs, & mitiùs esse agendum, dicitur, & cõfessarium toties dandum eis, quoties petierint. Neque enim Confessarius obesse potest, sed prodesse, vt qui eos monere, & hortari, & potest, & debet, vt Inquisitoribus suũ delictum cõfiteantur, cum id confiteri ipso iure cogãtur. SI ROGES, quo modo se gerere debeat Confessarius, quando conceditur eis? Respondeo, si huiusmodi hæretici ægrotauerint in carcere, & consilio Medici, ipsis petentibus Confessarius dandus sit, is debet esse spectatæ probitatis, & doctrinæ: qui etiã ad iusiurãdum adigitur, vt arcanum suę fidei cõmissum diligenter seruet. Quòd si pœnitens ei dixerit aliquid, dum sua peccata inter confitendum prodit, ac refert, quod velit extra confessionem aperiri, ei minimè credat, quoniã solent tales fictè, & mendaciter sæpenumero confiteri, vt pœnam, quam merentur effugiant, & euadant. Sed verò extra Confessionem ei aliquid patefecerit, quod ad ipsam causam Fidei, & religionis attineat, id Inquisitoribus aperiat. Item, Inquisitore: Confessarium admonere solent, vt dicat pœnitẽti, eum ob hæresim, vel ob causam Fidei esse accusatum, & in carcerem detrusum, ac vinctum: nec posse absolui, nisi prius Iudicibus suum crimen confiteatur, ac prodat. Quod si in extremum fuerit adductus vitæ discrimen, tunc si de suo peccato per pœnitentiam doleat, & eo animo sit, vt Ecclesiæ mandatis omnino parere velit, eiq; dignè satisfacere, absolui debet in foro pœnitentiæ, ab omni censura, & peccato: quoniam nihil tunc superest, quod sit reseruatum. Deinde verò, vt Ecclesiasticam sepulturam obtineat, absoluẽdus est per Inquisitores fidei, ab excõmunicatione in fori exteriori. Quòd si tales criminosi rectè valuerint, quamuis Confessarium petierint, non solet in Hispania eis dari, nisi coram Inquisitoribus crimen antè detexerint. Sed vt paulò ante dixi, benignior est, quæ in Italia consuetudo, seruatur. Neq; enim obesse quippiam Confessarius potest, imò & multum prodesse pœnitentibus, cum eius partes esse debeant, eos plurimum monere, & cohortari ad sua crimina Iudicibus aperiẽda, imò ad socios etiam criminis prodendos. Eos tamen seriò monere Confessarius debet, vt caueãt, ne tædio carceris, aut spe libertatis, aut metu tormentorum, sibi aut alijs falsum crimen imponãt: neque hos potest Confessarius absoluere, priusquam fuerint ab excommunicatione absoluti, & Ecclesiæ reconciliati.

QVAERES deinde, An si sacerdos aperiat, aut per ignorantiã, vel imprudentiã, aut alia qualibet de causa, aliquid, quod inter confitendum pœnitenti exciderit, quodq; ipse audierit, id possit ad iudicium valere, nimirum tanquam criminis indicium, testimonium, siue probatio? Respõdeo, non posse, quoniam id tanquam Dei minister audiendo pœnitentem excepit; & alioquin sanè hoc in manifestum, & euidens Sacramenti pœnitentiæ vergeret detrimentum. Quare Iudices secundum eam notitiam à Confessario acceptam nequeunt in pœnitentem inquirere. Postremò quæres, nunquid si pœnitens quippiã Sacerdoti circa hæresim patefecerit, non quidẽ inter confitendum, sed extra sacram confessionem peccatorum, solum tanquam arcanum iure naturæ celandum, liceat sacerdoti id Iudicibus aperire? Respondeo licere, tametsi se celaturum promiserit, aut iureiurando etiam affirmauerit se de ea re taciturum: quoniã in male promissis (iuxta iuris Regulam) rescindenda est fides. Et secretũ, quod communi reipublicæ saluti nocet, aperiendum est eis, qui prodesse queunt. Præsertim in grauissimo crimine hæresi, quod extra sacrã Confessionem cognitum est: & vehementer bono cõmuni fidei nocet.

Nonò Quæritur, An in crimine hæresi ad Iudices deferendo, præcedere debeat priuata, & fraterna correptio? S. Thom. 2.2. *q.* 33. *art.* 7. apertè respondet, occultũ hæreticũ esse iudicibus prodendum citra vllã fraternam correptionem. *Nisi*, inquit, *forsè aliquis firmiter existimasset, statim ad priuatam suam admonitionem, hæreticũ insaniorem mentem rediturum, & proinde tantum malum impediendum.* Quã sententiam Theologi, & Summistæ magnę doctrinę, & auctoritatis amplectũtur. Silu. *correctio. q.* 5. Angel. *denunciatio. q.* 2. Rosel. *inquisitio. nu.* 1. Canus *lib.* 12. *de locis Theolog. cap.* 9. *versus finem.* Contra tamen Simancas *de Cathol. institut. tit.* 29. *nu.* 11. & ipsi etiã Inquisitores contendunt, hæreticos ad Inquisitores Apostolicos statim deferri oportere, etiã occultos, & nulla correptione præmissa. Id enim Inquisitorum publica edicta præcipiunt. Quam sententiam Simancas conatur ostẽdere ex eo, quod, cũ ait Dominus Petro: *Si peccauerit in te frater tuus*, & quæ sequuntur, minimè loquatur de omni peccato, sed de eo duntaxat, quod in nos committitur, cum ab aliquo iniuria, vel damno afficimur; quæ fuit sententia Bernardini Arenali, qui de Matth.

Correptio

Correptione fraterna integrum librum conscripsit: vt hanc sententiam contra communem opinionem Theologorum, & iuris Canonici doctorum defenderet.

Ego tamen in hac controuersia, sententiã Inquisitorum omninò tenendam existimo: non eadem tamen, qua Simancas, ratione permotus. Quamuis enim ipse non diffitear, Christum fuisse de omni peccato locutum; arbitror tamẽ correptionem fraternã tunc solũ locum habere, cũ peccatum alicuius, apud Superiores magistratus denunciatur, ob emendationem delinquentis; nõ autem, quando defertur ad Iudices, vt peccata, quæ publicam punitionem promerentur, iustis, ac debitis pœnis vindicentur. Tunc enim quamuis, qui deliquit, resipuerit, & ad meliorem vitæ frugem redierit; nihilominus crimen eius est Iudici denunciandũ, vt in eum animaduertatur, & qui rempublicam offendit delinquendo, publica pœna afficiatur. Nam, vt docet Abbas *in c. nouit. de iudicijs*, cuius sententiam Summistæ sequuntur *in verbo, Denunciatio, aut verbo, Inquisitio*, Denunciatio est duplex, vna iudicialis, altera Euangelica: hæc est ad emendationem fratris, qui deliquit: illa est ad publicam vindictam criminis, quod est perpetratũ. In Euangelica seruari debet ordo Euangelicus præscriptus à Domino, quem ordinem lex charitatis requirit, & postulat: Secus verò est in denunciatione iudiciali, qua vtũtur Inquisitores. Obijcies inde concludi, hæretici delictũ occultum, non esse ad Iudices deferendum, sed publicum; quia occultus hæreticus Rempublicã minimè lædit, sed publicus. Certè hoc argumẽto quidam Theologi sunt adducti ad asserendũ, occulta crimina priùs esse priuatim corripienda, quàm apud iudices denuncianda: at verò è contrario Inquisitores aiunt, occultum crimen, ac scelus (quale crimen est hæresis, & alia his similia in causa Fidei) eo ipso, quod vno sciente committitur, totam Rempublicam offendere, sicut etiã cætera crimina, quæ ius ciuile publica appellat, nimirum adulteriũ, homicidium, periurium, incestus, raptus, iustè ad Iudices deferri queunt, quãuis vnus tantùm ea nouerit. Nõ enim publica delicta appellantur ob id, quòd publicum detrimẽtum afferãt, sed quia huiusmodi criminosos possit quisque priuatus accusare, vt dignam pœnam persoluant. Deinde obijcies: Quando vnus tantũ alienum crimen cognitum habet, & id testibus probare non potest: quomodo de eo alium accusare debet, quod probare nequit? Respondeo, nihil hoc impedire: nam licèt olim secundum ius ciuile commune accusator testes dare, ac probare crimen debebat: modò tamen aliud est vsu receptum. Nam delicta ad Iudices deferuntur, siue per accusationem, siue per denunciationem iudicialem, quæ parũ ab accusatione distinguitur, eaque Fiscalis (quem vocant) administer scripto excipit. Quòd si testes accusator, vel denunciator dederit, eos quoque in charta describit. Si verò nullos dederit, scribit tantùm nomen accusatoris, vel denunciatoris, ac deinde Fiscalis crimen Iudicibus denunciat, & accusator, vel denunciator tanquam testis in iudicium vocatur, Fiscali accusatoris, denunciatorisue munere, & officio fungenti: & tunc accusator, vel denũciator, quia tanquam testis rogatur, totam rei veritatem, quã nouit, profiteri debet. Porrò, quando accusator, denunciatórue est testis omni exceptione maior; tunc Inquisitores non solùm ius habent citandi eum, qui criminosus est, sed etiam capiendi, & in carcerem detrudendi, torquendi, & interrogandi, vt ipse suum crimen fateatur. De hac tamen controuersia in explanatione octaui Decalogi præcepti, plenius disseremus.

Caput XX.

De Schismaticis.

ANnotandum est de Schismaticis ius Canonicũ multis in locis tractare. *24. q. 1. per plura capita.* Et eadem causa *q. 3.* & in Decretalibus *in sexto*, & Clementinis *tit. de schismat.* S. Thomas agit. *2. 2. q. 39.* Antonin. *p. 2. tit. 3. c. 11.* Simanc. *de Cathol. instit. tit. 58.* Direct. inquisit. *p. 3. q. 48.* Summistæ *in verbo, Schisma.* Turrecrem. *in sum. de Ecclesia. lib. 4. p. 1. per quindecim capita.*

Quæritur in primis, An schismatici sint hæretici? Respondeo ex communi Canonici iuris interpretum, & Summistarum sententia, hæreticũ à schismatico differre, quòd omnis hæreticus est schismaticus, non tamen è contrario. Quod probant, quia appellatione schismatis, diuisio significatur: Omnis autem hæreticus sese ab Ecclesia auertit, separat, & diuidit: & proinde schismaticus ab Ecclesia, quæ vna est, sese disiungit: non tamen dogmata contra Ecclesiæ sensum confingit, aut docet, & propterea hæreticus non est, *c. loquitur, c. alienus. 24. q. 1.*

Secundò quæritur, Quomodo schisma ab hæresi differat? Respondeo, hæresim esse dogma Fidei contrariũ; Schisma verò, esse crimẽ, quo quis ab vnitate Ecclesiæ recedit: & proinde cum Fide hæresim pugnare, schisma non item; vnitati tamẽ Ecclesiæ aduersari. B. Hieronymus, (vt refertur à Gratiano 24. q. 3. c. Inter hæresim. *Inter hæresim*, ait, *& schisma hoc interesse arbitror: quod hæresis peruersum dogma habet, schisma, post Episcopalem disciplinam ab Ecclesia pariter separat.* Et sanctus Augustinus *lib. 20. cõtra Faustum, c. 3. & lib. contra Cresconium Grammat. cap. 7. Schisma*, inquit, *est, eadem opinantem, ac eodem ritu colentem, quo cæteri, solo congregationis delectari dissidio.* Et alibi *lib. quæstion. Euangelica. secundum Matthæum, q. 11. Inter hæreticos*, ait, *& malos Catholicos hoc interest, quòd hæretici falsa credunt; illi autem vera credentes, non ita viuunt, vt credunt. Solet autem quæri, schismatici quid ab hæreticis distent? Et hoc inueniri, quod schismaticos non vna fides diuersa facit, sed communis disrupta societas.* Hæc Augustinus.

Tertiò Quæritur, An schismaticus sit pars, vel membrũ Ecclesiæ? Ratio quęstionis est, quia schismaticus hæreticus non est, nã fidem tenet, & seruat. Item baptismũ habet, & per baptismum quis in Ecclesiã ingreditur. Item, licet schismaticus sit excõmunicationis sententia, & vinculo ligatus, non eo ipso, extra Ecclesiam est: nam excõmunicatio ab Ecclesia non segregat, sed à Sacramẽtis, precibus, & suffragijs cõmunibus, & cõuictu piorum, & fidelium. Respondeo, Patres perspicuè tradere, extra Ecclesiam esse, schismaticos. Cyprianus, *vt habetur 7. quæst. 1. cap. Scire debes*, ita loquitur:

quitur: *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, vt Ecclesiam in Episcopo: Et si quis in Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.* Idem colligitur ex eodem Cypriano, *vt habetur in cap. Loquitur Dominus 24. q. 1.* B. Augustinus *lib. de fide, & symbolo. c. 10. Credimus*, inquit, *sanctam Ecclesiam, vtique Catholicam. Nam & hæretici, & schismatici congregationes suas etiam Ecclesias vocant. Sed hæretici falsa de Deo sentiendo ipsam fidem violant: Schismatici autem dissidijs iniquis à fraterna charitate discidunt; quamuis ea credant, quæ credimus: quapropter nec hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quoniam diligit Deum: nec schismaticus, quoniam diligit proximũ.* Et B. Hieronymus scribit, vt legitur in c. Inter hæresim. 24. q. 3. *Schisma à principio aliqua in parte potest intelligi diuersum ab hæresi. Cæterum iam inueteratum, siue continuatum nullum schisma est, nisi sibi aliquam hæresim confingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Hæc Patres. Et hoc videtur colligi ex ipsis exemplis, quæ in Scriptura legimus, schismatici enim sunt similes Chore, Dathan, & Abiron, qui se à Moyse duce Israëlis, & ab Aaron summo Sacerdote diuiserunt, Num. 16. Sunt item similes decem tribubus Israëlis, quæ contempto Rege Roboam, alterum sibi Regem Hieroboam delegerunt, 3. Reg. 12.

Breuiter itaq; dicendum est: Si Ecclesiam accipiamus, vt est fidelium congregatio sub vno capite Christo Domino, atq; eius in terris Vicario Romano Pontifice viuentium, schismaticus, sicut & is, qui est hæreticus, verè extra Ecclesiam est, quia quamuis dogma non sequatur fidei Ecclesiæ contrarium: at verò iure extra Ecclesiam esse dicitur, quia ab Ecclesiæ vnitate, & communione recedit, cum Ecclesiæ capiti, quod in terris est, ac cæteris membris sese coniungere renuat. Item, quatenus excommunicationis vinculo tenetur obstrictus, communibus Ecclesiæ suffragijs, & bonis priuatur, à Sacramentis arcetur, & à consortio fidelium, & piorum hominum repellitur; & proinde extra Ecclesiam quoque est, ea ratione, qua is, qui est anathemate, siue excommunicatione affectus, extra Ecclesiam dicitur constitutus: hoc est sententia Ecclesiæ à fidelium hominum cœtu segregatus.

Quartò Quæritur, An Romani Pontificis recusare præceptũ, sit schismatis peccatũ? Respondet Caietanus 2. 2. q. 30. art. 1. tripliciter posse contingere, vt quis Summi Pontificis præceptum recuset, & negligat. Primò, quia non paret illi in ea re, quam fieri iubet, aut prohibet; vt si præcipiat arma deponere, alienũ restituere, & quis id præstare renuat? qui propriè schismaticus nõ est, sed inobedientis hominis crimen contrahit. Secundò, si quis Romano Pontifici non obtemperet, eò quod sibi sit eius persona infensa, & odiosa: Schismatis quoque propriè peccatum non perpetrat. Tertiò, si recuset quis Pontifici subesse, & obedire tanquam Christi vices in terris gerenti: & hic est, & dicitur verè, & propriè schismaticus: quoniam à capite generali, quatenus caput est Ecclesiæ, recedit. Idem est, si nolit sese cũ Ecclesiæ mẽbris coniungere; quatenus Ecclesiæ membra, & partes sunt. QVAERES, an schismaticus cẽseatur, qui se à quolibet alio Episcopo, quatenus talis est, abstrahit? Resp. B. Cyprianum, vt legimus *in c. Scire debes. 7. q. 1. & cap. Loquitur Dominus. 24. q. 3.* Schismaticos appellare eos, qui sese à suis Episcopis segregant. Et profectò olim isti, schismatici appellari solebant, quia se à Catholicorũ Ecclesijs separabant. Nunc verò pressiùs, & strictius schismaticus accipitur, nimirum is, qui spõte, vel à Romano Pontifice, vel à Romana Ecclesia se diuidit, disiungit, & subtrahit. Deinde scisciteberis, quo pacto schisma, quo se quis ab Ecclesia segregat, contingat citra vllum intellectus errorẽ? Respondeo ex S. Thomæ sententia. 2. 2. q. 39. art. 2. ad 3. & ex Caietani opinione id explicantis, *eo. lo., & in summa cap.* Schismatis crimen, inde accidere, quòd fieri possit, vt quis Romani Põtificis, vel Ecclesiæ imperium recuset, obtendens sui criminis rationem, & causam, videlicet dicens, Romanum Pontificem non esse legitimè creatum, aut eum ob sua delicta, potestate, & auctoritate Põtificia priuatum, atque spoliatum.

Quintò Quæritur, Quibus pœnis sit schismaticus addictus, & ipso iure damnatus? Respõdeo, eum esse excommunicatione affectum, cuius absolutio Romano Põtifici reseruatur. Nam in Cõstitutione Pontificia, quæ in die Cœnæ Domini legitur, prima excommunicatio in hæreticos, & schismaticos fertur, quæ habet à tempore Pij V. & Gregorij XIII. hæc verba: *Necnon schismaticos, & eos, qui in animarum suarum periculum, se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt.* Hæc ibi.

Animaduertendum est, tempore Caietani hãc excommunicationem ferri solitam esse, his verbis: *Excommunicamus, & anathematizamus illos omnes, qui in animarum suarum periculum, se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt: & qui per se, vel alium, seu alios, directè vel indirectè prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur.* quibus verbis plures, quàm nunc excommunicatio afficiebat. Sciendum quoque est (quod & Caietanus *in Sum. in verbo, Excommunicatio. cap. 7.* annotauit) Hanc excommunicationem non contrahere eos, qui Romani Pontificis imperium quomodolibet etiam per contemptum detrectant, & subterfugiũt, sed eos tantùm, qui ab ipso, tanquam Christi in terris Vicario, pertinaciter recedunt; quos paulò ante dixi, esse propriè schismaticos.

Sextò Quæritur, An olim ante huiusmodi Cõstitutionem Pontificiam schismaticus fuerit ipso cõmuni iure pœna excommunicationis obstrictus? Quidam existimant fuisse: quod probant *ex c. 1. de schismaticis, & c. Nulli fas. dist. 19.* Verùm, vt rectè monuit Abbas *in Rubrica, de schismaticis, nu. 2.* nihil tale ex illis capitibus colligitur. Nã in c. Nulli fas, & alijs, quæ citari solẽt, solũ habetur schismaticos esse excõmunicatione expellẽdos. Quare idem auctor censet, schismaticos ipso iure excõmunicationem contrahere, eo quòd *in c. Licet, de electione*, decernitur: *Si Romanus Pontifex à duabus partibus Cardinalium consentientibus fuerit electus, & receptus, & aliquis ex tertia parte sibi nomẽ Pontificis assumpserit, tam ipse, quàm ij, qui eum admiserint, excommunicationi subiaceant, & totius sacri Ordinis priuatione multentur.* Hæc ibi. Verùm nec ex hoc capite colligi alijs videtur, schismaticos absolutè, & simpliciter, hoc est, in vniuersum, excommunicationem in-

currere,

currere, sed solùm eos Cardinales, qui post electum Pontificem communi duarum partiũ consensu, alium Pontificem receperunt: & eum, qui post prædictam electionem, contra electũ se habet, ac gerit, perinde, ac si Romanus Pontifex esset. Et *in c. de ligurib. 23. q. 5.* solùm statuitur, vt schismaticus excommunicetur, & dãnetur. Vnde colligunt, nusquam ius Canonicum commune excõmunicationem generaliter schismaticis irrogasse. *Olim igitur*, inquiunt, *ante Constitutionem in Cœna Domini legi solitam, in schismaticos sententia excommunicationis ab homine ferebatur quidem, lata tamen à iure non erat.*

Veruntamen alijs videtur, olim iure cõmuni excommunicationem esse in schismaticos cõstitutam: nam iure communi statutum fuit, vt schismatici deuitarentur, vt constat *ex c. 1. & 2. de schismatico, & cap. Ordinationes. 9. q. 1.* decernitur, vt ordinationes factæ à schismaticis Episcopis, pro irritis habeãtur: hoc est, vt ordinati scienter à schismaticis, ab Ordinum officio, munere, functione, & vsu, ipso iure sint remoti, & excluſi. Quidquid sit, saltem olim schismatici excommunicari solebant.

Septimò Quæritur, An schismaticus in vniuersum sit vitandus à nobis; præsertim in Sacramẽtis recipiendis, & diuinis ministerijs exercendis. Respondeo, aut quæstionem intelligi de schismaticis euitandis, quatenus sunt vinculo excõmunicationis obstricti: aut quatenus schismatici sunt, etiã si nulla excõmunicationis sentẽtia ipso iure tenerentur. Si quæstio secundo modo intelligatur, tunc in vniuersum à consortio schismaticorum abstinere debemus, hoc est, ab eis Sacramenta suscipere iure non possumus. *c. Ordinationes 9. q. 1.* Si aũt primo modo quæstio intelligatur, quamuis omnes schismatici sint ipso iure excommunicatione affecti; non tamen propterea sunt à nobis vitandi, vt excommunicati: quia ob Constitutionem in Concilio Cõstantiensi, vel à Martino V. editam, vsu receptum est, vt duo tantũ excommunicatorũ genera deuitare debeamus: eos nimirum, qui nominatim, vel expressim sunt denunciati; vel sunt notorij Clericorũ percussores. Schismatici igitur, nisi nominatim denunciati sint, non sunt vitandi in cõmuni conuictu ciuili.

Octauò Quæritur, An schismaticus, eo ipso, quod talis est, sit irregularis? hoc perinde est, ac si quæreretur, An schismaticus per pœnitentiã, abiurationem, & absolutionem criminis, fiat habilis ad Beneficia, Dignitates Ecclesiasticas, & Ordines? Crauetta *in consil. 293. nu. 10.* censet, sublato schismate per pœnitentiam, & abiurationẽ posse iure schismaticum eligi, ac si nunquam schismaticus fuerit. Cæterùm cõtraria sententia est communi cõsensu iuris Canonici interpretũ recepta, videlicet schismaticũ etiam postquam ad Ecclesiam per veram pœnitentiam redierit, esse irregularem, & ad Beneficia, & Ordines promoueri iure non posse *ex c. quia diligentia, de elect.* & ex Hostiensi, Ioan. Andrea, Abbate, & Antonio *ibidem, & ex c. Nos consuetudinem, dist. 12. & c. Conuenientibus. 1.* 17. Quidam sentiunt, schismaticum occultũ excõmunicationem quidem contrahere, irregularitatem non item; quapropter, inquiunt, ab excommunicatione legitimè absolutus, potest ad Ordines Ecclesiasticos, Beneficia, & Dignitates promoueri. Si tamen schisma sit manifestum, vel euidentia facti, vel propria confessione in Iudicio, vel sententia Iudicis, cum sit crimen depositione dignum, & infamia notatum, inducit irregularitatem. Quare manifestus schismaticus incurrit in irregularitatem; tum quia schisma est crimen dignum depositione, tum etiam, quia infamia suum afficit auctorem. At verius existimo, schismaticum, eo ipso, quo schismaticus est, irregularitatem cõtrahere, quia extra Ecclesiam est. Ita Speculator *in tit. de dispensat. §. Iuxta, versic. 14.* Raymundus *in Sum. verb. Schisma, vers. vlt.* Maiolus *de Irregular. lib. 5. c. 46. nu. 2.*

Nonò Quæritur, An in schismaticis Episcopis, vel Clericis maneat Ecclesiastica potestas? Quæstio inde oritur, quia schismatici extra Ecclesiam sunt cõstituti, ergo nihil iuris, & potestatis habent. Item, non rarò in iure Canonico legimus, schismaticos nihil potestatis spiritualis habere, *c. Nouatianus 7. q. 1.* ex B. Cypriano dicitur: *Qui nec vnitatem spiritus, nec cõmunionis pacem obseruat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque Sacerdotum Collegio separat, nec Episcopi potestatem habere potest, nec honorem.* Et *c. Didicimus. 24. q. 1.* idem B. Cyprianus: *Didicimus*, inquit, *omnes omninò hæreticos, & schismaticos nil habere potestatis, & iuris, & c. Alienationes. 12. q. 11.* dicitur; Alienationes factas ab intrusis, & Ordinationes Clericorum sine cõmuni consensu irritas esse. Respondet S. Thomas *2. 2. q. 39. art. 3.* Schismaticos iurisdictione carere. *Non possunt*, inquit, *absoluere, nec excommunicare, nec indulgentias concedere.* Sic ille. Et ita nequeunt eadem ratione eligere, Beneficia cõferre, leges, siue constitutiones dare, vel ponere. Vnde si quos absoluant, vel eligant, absolutio, siue electio rata, & firma non est, & proinde iterãda: habere tamen, ait S. Thomas, potestatem sacram Ordinis; quare Episcopus schismaticus verè cõficit, & consecrat Eucharistiam, verè confirmat, verè ordinat, cum aliquos ad Ecclesiasticos Ordines eligit, ac mouet, ab eo verè ordinis characterem recipiunt: non tamen Ordinis vsum, & functionem, quoniam sunt ipso iure suspensi, si scienter ab schismatico Episcopo ordinentur. Pari, aut simili ratione, si Episcopus schismaticus altaria, vasa, aut templa, aut vestes consecret, ratũ est, & firmum, quod facit: quia hæc sunt Ordinis, non iurisdictionis, quamuis Episcopo ex Ecclesiæ auctoritate conueniant. SI QVAERAS, vtrum hęc pœna, qua schismatici iurisdictione priuantur, locum habeat generatim in omnibus schismaticis. Quidam aiunt, hanc schismaticorum pœnã, qua iurisdictione priuantur, locum habuisse ante Concilium Constantiense, in omnibus manifestis, & notorijs schismaticis non occultis: modo verò post illud, solum locum habere in ijs, qui sunt expressim, & nominatim denunciati, aut manifesti percussores Clericorum. Alijs probabilius videtur, vniuersè schismaticos, quatenus tales sunt, iurisdictione Ecclesiastica priuatos esse: eo quòd sunt extra Ecclesiam, quia ipsi se ab Ecclesia diuiserunt.

Decimò Quæritur, An Græci, Armeni, & cæteri Orientis similes Christiani, qui Romani Põtificis imperiũ recusant, sint solum schismatici, an verò etiam hæretici? Quidam existimãt, Græ-

cos non solùm schismaticos, sed etiam hæreticos esse, quia aliquid contra Romanæ Ecclesiæ sensum profitentur, & credunt. Sentiunt enim Spiritum sanctum ex Patre solum, non etiam ex Filio procedere. Deinde, Romanum Pontificem non esse totius Ecclesiæ generalem Pastorem, in vniuersam Ecclesiam, ius, & potestatem habentem. Præterea, non esse purgatorium ignem, quo animæ solutæ corporibus ante ingressum in cœlũ, à peccatorum reliquijs, & pœnis expiantur. Postremò, iustorum animas in cœlum admissas, ante generalis iudicij diem, clarè Dei faciem non cernere. Alij verò opinãtur, eos solùm esse schismaticos, non hæreticos. Schismaticos quidem, quia à Romani Pontificis iurisdictione, & potestate se subtrahunt, hæreticos non item, quoniã in prædictis Fidei articulis potius nomine, quam re, à Romanæ Ecclesiæ sensu dissentiunt. Inficiantur enim illi, Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere, rati Latinos sentire à Patre, & Filio procedere tanquã à duobus principijs. Item, Procedere à Filio æquè, ac ex Patre: cum tamen Latina doceat Ecclesia procedere à duabus personis tanquam ab vno principio, & spiratore: & procedere à Filio; quia Filius per generationem accipit à Patre, quicquid Pater habet præter relationem, & originem, qua tanquam Filius à Patre distinguitur: & proinde sicuti Filius ex Patre per æternam generationem habet, quòd sit Deus; sic etiam ex Patre accipit potestatẽ, & vim, qua Spiritum sanctum vnà cũ Patre spirat, & producit. Et ideo ad hoc significandum Græci dicunt: Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere ab omni æternitate.

Præterea eo etiam à Latinis Græci dissident, quod contendant, Latinos malè fecisse, errasseque, eo quòd sine ipsis, & absque totius Catholicæ Ecclesiæ Concilio generali addiderint particulam, *Filioque*, in Symbolo, quod à Concilio Generali secundo Constantinopolitano editum fuerat: & postea Concilium Ephesinum, & Chalcedonense vetuerant, ne illi Symbolo aliquid aliud adderetur. Et propterea oportebat (inquiunt) totam Catholicam Ecclesiam cõuocari eius particulæ Symbolo apponendæ gratia, cum res esset Fidei ad omnes generatim spectans.

Nec diffitentur omninò Romanum Pontificẽ Petri successorem in Ecclesia primatum à Christo Domino accepisse. Sed nihilominus profitentur totam Ecclesiam cum in generalem est Synodum coacta, maiorem potestatem habere in rebus Fidei, & cæteris, quæ ad generalem Ecclesiæ statum pertinent, definiendis: quæ fuit etiam sententia Gersonis, & Parisiensium Theologorum, nondum ab Ecclesia, tanquam hæreticã generali decreto damnata.

Neque verò Græci Purgatorium ignem prorsus è medio tollunt, verè enim sacrificia, & preces offerunt Deo pro mortuis; non beatis certè, neque damnatis ad inferos, quod planè esset absurdum, & impium; ergo pro ijs, qui cum fide, & pietate hinc decesserunt, nondum tamen plenè pœnas peccatorum debitas persoluerunt. Solùm id inficiari videntur, certum videlicet, & determinatum quendam locum expiandorum criminum, & certam ignis corporei pœnam.

Ad extremum, si fatentur Græci, iustorum animas iam in cœlũ receptas, clarè Dei faciem non videre, errãt illi quidem, quemadmodum & aliqui ex veteribus Patres, qui id quoq; tradiderũt: Sed error est is absq; pertinacia, cum nequaquã sibi persuadeant contrarium Ecclesiam Catholicam profiteri. Quicquid autem sit de hisce Fidei articulis, in quibus multi Græci, & alij Orientales fortassis mala fide errant, & proinde hæretici sunt, Græcos tamen non hæreticos, sed schismaticos passim vocamus, quia morem loquendi pristinum retinemus. nã initio Græci per schisma sese à Romana Ecclesia sæpius diuiserunt, & processu temporis hæreses in Ecclesiam inuexerunt. Obijcies, Græcos in Sacramentis à Latinis plurimùm differre. Respondeo, hæreticum quidẽ esse, qui aliter, quàm Romana Ecclesia de Sacramentis sentit, & credit. *c. Ad abolendam, de hæret.* Sed Græci de numero Sacramentorum idem planè, quod Romana Ecclesia, profitentur, & sentiunt: at verò dissident à Latinis, in ritibus, & cæremonijs conferendi, & recipiendi Sacramenta: neque eos ritus Ecclesia Latina damnauit, vt cõstat manifestè.

Vndecimò Quæritur, in quam pœnã iuris incurrant, qui ad Ordines Ecclesiasticos, & Beneficia à schismaticis promouẽtur? Respondent quidam *ex c. 1. & 2. de schismaticis*, eos excõmunicatione affici, & Beneficijs obtentis priuari, si scienter, & spontè ab eis Ordines, & Beneficia receperint, vbi dicitur, *Ordinationes ab hæresiarchis factas, & ordinatis ab eis irritas esse censemus, adijcientes, vt qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia per dictos schismaticos acceperint, careant impetratis.* Irritæ esse dicuntur ordinationes, non quod ij, qui ordinantur characterẽ ordinis non recipiant, sed quod vsum, & functionẽ Ordinis iure non habeant. Alij sentiunt schismaticos olim ipso iure excõmunicatos non esse, sed excommunicandos, & eos item, qui ordinantur ab eis, non esse excõmunicatos, sed suspensos ab vsu, & functione Ordinis: de quo dicam alibi. Animaduertendum itidem est, hoc esse ius antiquũ, iuxta quorundam sententiã: inquiunt enim, post Cõcilium Constantiense non omnes schismaticos deuitare debemus, nisi nominatim, vel expressim denũciatos, aut manifestos Clericorũ percussores: ac propterea si quem alij schismatici, vel ad Ordines, vel ad Beneficia promouent, is pœnas iuris prædictas non contrahit. Alijs probabilius videtur, generatim quotquot scienter ordinantur à schismaticis manifestis, esse ipso iure suspensos, ab vsu, & functione ordinis, de quo alibi dicam.

Duodecimò Quæritur, An valeant, quæ publicè faciunt schismatici? De hac quæstione Abbas, Ioannes Andr. Innocentius, Hostiensis, & alij *in c. 1. de Schismaticis*. Quæstio intelligitur de ijs, quæ schismaticus facit ratione publici officij, & muneris, quo fungitur. Innocentius respondet: *Si schismaticus Sacramenta ministret, quæ characterem imprimunt, & formã Ecclesiæ seruet, valere quidem Sacramenta, quæ conferti, sed eũ, qui recipit, eorũ vsu, & functione priuari, quando ordines suscipit: Si verò alia Sacramẽta det, ea simpliciter valere. Quia etiã ratione cætera, quæ ratione publici officij, & muneris publici præstat, rata sunt, & firma, quandocunq; occultus est schismaticus, non tamen quãdo est*

manifestus.

manifestus. At verò alij dicunt hoc, quod Innocentius, & cæteri docuerunt, locũ habuisse in schismaticis ante Concilium Constantiense: post Cõstantiense Concilium, inquiunt, cum schismaticos non oporteat vitare, quamuis sint manifesti, consequens est, vt ea, quæ faciunt ratione publici muneris, & officij, valere censeantur, nisi fuerint nominatim, vel expressim denunciati, aut percussores Clericorum notorij.

Caput XXI.

De Apostatis.

PRimò Quæritur, Quid significetur nomine Apostatæ? Respondeo, Apostatæ nomen esse Græcum, quo significatur is, qui recedit ab instituto vitæ prioris, quod tuendum publica, & solẽni professione susceperat. Vnde Apostata Græcis idem est, qui Latinis Desertor, vel Transfuga: is nimirum, qui à principe, vel duce suo ad hostes transfugit, qui à Christianis ad Ethnicos, Iudæos, vel Saracenos se confert.

Secundò Quæritur, Quotuplex sit Apostata? Respondeo: cum Apostata sit instituti prioris susceptidesertor, consequi triplicem esse Apostatam, nimirum susceptæ religionis desertorem, & eum, qui à Clericorum statu recedit: & qui à susceptæ fidei, & religionis Catholicæ professione desciscit. In præsentia tamen Apostata accipitur pro nefario, & impio Catholicæ fidei desertore.

Tertiò Quæritur, An Apostata sit idem, qui hæreticus? Duæ sunt opiniones: Prima est, quorũdam asserentium, Apostatam non esse hæreticũ; & proinde Apostasiam esse peccatum infidelitatis, seu impietatis, specie ab hæresi distinctum. Quod probant primò, quia hæretici, teste Augustino *lib. de ciui. 18. cap. 1.* sub nomine Christiano doctrinæ resistunt Christianæ: sed Apostatæ, nomine Christiani non sunt. Secundò, quia docet S. Thomas *2.2. q. 12. art. 1. ad 3.* Apostasiã non esse speciem infidelitatis distinctam à cæteris, sed habere circumstantiam augentem infidelitatis prauitatem. Tertiò, quia hæreticus ex parte tantùm deficit à Fide Catholica. Apostata verò Fidem ex toto deserit. Præterea, Apostata aliquando ad Paganismum, aut Saracenismum, aliquando ad Iudaismum transit; & tamen hæreticus, nec Iudæus, nec Saracenus, nec Paganus euadit. Sic videntur sentire Siluest. *verb. Hæresis. 1. quæst. 11.* Turrecremata *in summa lib. 4. par. 2. c. 13.* Canus *lib. 12. de locis Theolog. cap. 9. ad 2.* Simãcas. *de Cathol. institut. tit. 7. num. 5.* Secunda opinio docet, Apostasiam non esse peccatum ab hæresi specie distinctum, sed esse duntaxat circumstantiam augentem deformitatem, & turpitudinem criminis: nam ab hæretico solùm distinguitur Apostata, quòd Apostata ex toto recedit à Fide Catholica, hæreticus ex parte: at maior, aut minor recessus à Fide, quam quis semel est professus, speciem non mutat. A Paganismo verò differt Apostasia, quod Paganus contradicit Fidei, quam nullo modo ante susceperat: Apostata repugnat fidei, quam fuerat ante, reipsa professus: Iudæus verò contradicit Fidei, quam in typis, vmbris, & figuris ante tenuerat. Ita docet Alphonsus Castrens. *lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 17.* Caiet. *2.2. q. 10. art. 15. & q. 11. art. 1.* & Bannes *2.2. q. 12. artic. 1.* Hæc opinio magis mihi probatur. nam S. Thomas *2.2. q. 10. artic. 5.* docuit tantùm esse tres species Infidelitatis, Paganismum, Iudaismum, & Hæresim. Deinde, quia ibidem species infidelitatis distinxit ex eo, quòd infidelis renititur, & contradicit Fidei: at tribus tantum modis ratione formæ, non materiæ potest quis reniti Fidei. Aut enim contradicit Fidei, quam ante re ipsa fuerat professus, & hic est hæreticus: aut repugnat Fidei, quã in typis, vmbris, & figuris receperat, & hic est Iudæus: aut obsistit, & reluctatur Fidei, quam ante nequaquam susceperat, & hic est Paganus. Tertiò, quia Infidelitatis species nõ distinguuntur ex hoc, quod sint varij, & distincti contra Fidem errores: alioqui enim hæreticorum essent species diuersæ. Item, Pagani inter se specie differrent, quoniam diuersi sunt eorum errores. Quartò, quia hæreticus, & Apostata non differunt, nisi quia hæreticus Fidẽ quam ante susceperat, negat ex parte, & Apostata negat ex toto.

Ad argumenta verò primæ sentẽtiæ facilè respondetur. Nam hæreticus, & Apostata, nomine, & accidenti tantùm differunt, nõ specie; & hinc est, vt Apostatam, hæreticũ nõ vocemus, quia hic resistit Fidei ex parte, ille ex toto. Hinc etiam est, vt S. Thomas dixerit Apostasiam non esse Infidelitatis speciem distinctam à reliquis; quia reuera Apostata est idẽ, qui hæreticus. Pari ratione Apostata, quia ex toto Fidem deserit, dicitur fieri Paganus, Saracenus, vel Iudæus, cum Paganismum, Saracenismum, vel Iudaismum profitetur: non quia non sit hæreticus: sed quia à Fide ex toto deficiens fit professione Paganus, Saracenus, vel Iudæus: at reuera non desinit esse hæreticus, quia resistit Fidei, quam fuerat antea reipsa professus, quod in Pagano, vel Iudæo locum non habet.

Quartò Quæritur, Quot quibusq; modis possit quis esse Apostata? Respondeo, tribus. Primò, quando quis mente sola recedit à Fide Catholica: & hic iuris pœnas non cõtrahit: quia est peccatũ internè tantum patratum. Secundò, quando quis externè verbis, & factis fidem Catholicam deserit: & hic potest esse penitus occultus, ita vt crimen eius nemo nouerit: vel manifestus, quia id plures alij compertum habent. Quomodocunque autem crimen sit, siue occultum, siue manifestum, excommunicatione, iure ipso, auctorem suum afficit. Tertio modo potest quis esse Apostata solùm exterior, qualis est, qui verbis, vel factis, non tamen animo desciscit à Fide Catholica.

Quintò Quæritur, An Apostata exterior, qui metu malorum, videlicet mortis, seruitutis, perpetui carceris, tormentorum, Fidem Catholicam abnegat absque vllo in Fide mentis errore, pœnas mereatur Apostatæ? Respondeo, in foro exteriori eum Apostatam censeri, & proindè tanquã talem puniri: In foro tamen interiori, siue cõscientiæ, non esse propriè Apostatam, quia voluntate, & animo non recedit à Fide Catholica. QVAERES, quod igitur peccatum est hæc Apostasia? Resp. esse quidem peccatũ lethale, quamuis metu mortis Fidem quis abneget: est enim

per se malum, fidem, & religionem Christianam verbo, aut facto deserere. Vnde peccatum est nō quidem contra Fidem, sed contra confessionem Fidei: nam & animo credere, & ore profiteri Fidem Catholicam debemus. Porrò, qui ore tenus Fidem tantùm abnegat, quamuis metu mortis, sponte tamen abnegat, & proinde grauiter peccat: neque enim mortis metus iustam excusationem dat in ijs, quæ sunt per se mala, vt est cōmunis omnium sententia.

Sextò Quæritur, An Apostata exterior in excommunicationem incurrat, si verbo tātùm, vel facto, non animo metu pœnarum, & mortis, à Fide deficiat? Duæ sunt opiniones: Prima est quorundam asserentium eum excommunicationem contrahere, Apostatis, siue hæreticis à iure irrogatam. Ratio eius triplex est. Primò, quia Ecclesia eum tanquam Apostatam punire consueuit. Deinde, quia Ecclesia pœnas constituit ob exteriora crimina, quoniam habet ius cognoscendi, condemnandi, & vindicandi huiusmodi delicta. Postremò, si Ecclesia excommunicationem ferret in fures, homicidas, adulteros, satis esset ad eam contrahendam opus exterius scienter factum.

Secunda opinio communi est consensu recepta, eum in foro conscientiæ non affici excōmunicatione, quam contrahunt hæretici, & Apostatæ: in foro tamen exteriori censeri Apostatam; & proinde meritò tanquam hæreticum, & Apostatam puniri. Ita in Direct. Inquisit. *p.1.q.9.commen. 24.* & citantur Simancas *de Cathol. instit.tit.17. num. 30.* Albertinus *in repet. Rubr. de hæret.lib.6.q.13.nu.67.* & Conradus Brunus, *de hæret.lib.1.c.4.* Sed clarius Silu. *Apostata q.1.* Angel. *Apostata q.9.* Tabien. *Apostasia.q.3.* Rosel. *Apostasia.nu.1. Hæreticus nu.4.* Et hæc est verior opinio: quoniā hæreticus, aut apostata nemo est, nisi scienter, & spōte animo à Fide, & Religione Catholica discedat. Punit verò Ecclesia eum tanquā hæreticum, vel Apostatam, quia probabiliter credit cum mente, atq; animo à Fide recessisse. Eadem ratione delicta exteriora cōdemnat, & plectit, vel quia sunt peccata, quę opere, & facto externo complentur, qualia sunt homicidium, adulterium, sacrilegium, cuiusmodi non est hæresis, vel Apostasia: vel quia probabiliter iudicat Ecclesia voluntate, & animo delinquere eos, qui scienter exteriùs aliquid admittunt, quod cū Fidei Catholicæ confessione pugnat.

Septimò Quæritur, quæ pœnæ in Apostatas à iure sint cōstitutæ? Respondeo eisdē pœnis Apostatas subijci, quibus subijciūtur hæretici. Ita Hostiensis, Ioannes Andreas, & Abbas *in c.1. Apostatis*, quoniā vtrique à Fide Catholica, quā sunt re ipsa professi, recedunt. Vnde rectè docet Raymundus *tit. de Apostatis. §. Reuertentes.* redeuntes ab Apostasię perfidia puniri debere tanquam hæreticos. Idem Silu. Angel. Tabien. & Rosella *in verbo Apostata, siue Apostasia.*

Octauò Quæritur, An irregularitatē contrahant Apostatæ? Respondent aliqui, eum, qui talis exteriùs est, occultus tamen, in excommunicationem incidere, & proinde quamdiu ab excommunicatione non soluitur, ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica promoueri nō posse: à sententia tamen excommunicationis absolutū posse, & Ordines, & Beneficia recipere, quia nullā irregularitatem contraxerat. Quandò verò est Apostata manifestus siue facti euidentia, siue propria confessione in iudicio, siue sententia Iudicis, est irregularis effectus: quoniā Apostasia est crimen depositione dignum; & proinde quando est notorium, infamiā, & irregularitatē inducit. Sed dicendum existimo, Apostatam, cum reuera sit hæreticus, irregularitatem contrahere ipso iure, etiam si fuerit occultus: nam, *vt supra dixi*, hæretici, & schismatici ipso iure fiūt irregulares: quare Apostata etiā per veram mentis pœnitentiā, & abiurationem absolutus à crimine nequit ad Ordines, aut Beneficia promoueri citra Romani Pontificis auctoritatem. Qvaeres, an prædictam etiam irregularitatem contrahat, qui est Apostata solo verbo, vel facto metu pœnarū, vel mortis, non voluntate, & animo? Resp. non contrahere, nisi fuerit manifestus: quoniam *vt paulò ante dixi*, hic non est verè Apostata; & ideo non contrahit irregularitatem, qua Apostatæ afficiūtur ipso iure; sed ex alio capite fit irregularis, quatenus crimen admittit, ob quod aliquis, iure ipso, fit infamis, aut ab officio amouetur. Nam non solū Apostasia proueniēs ex animo irregularem, ipso iure, suum efficit auctorem; sed etiam Apostasia, quæ in solo verbo, vel facto consistit, quando est manifesta: vtraq; enim Apostasia, depositione, quam vocant, dignū est crimen. Qvaeres deinde, quid si Titius tanquam de Apostasia suspectus, abiurauerit, hoc est iureiurando execratus fuerit, & damnauerit omnē hæresim, an eo ipso, factus sit irregularis, ita vt nec ad Ordines, nec ad Beneficia possit promoueri? Resp. idem iuris esse de huiusmodi Apostata, quod est de eo, qui vt suspectus iureiurando detestari in iudicio cogitur omnem hęresim. Vterque post abiurationem, ob suspicionem vehementem Apostasiæ, vel hæresis, irregularitatem contrahit, aut saltem tanquam irregularis habetur.

Nonò Quæritur, an Apostata ad Fidem, & Religionem Catholicam ex animo rediens, recipi debeat? an verò potius capite puniri? Sunt enim, qui sentiant, inter quos est Arelatanus *in tract. de hæret. not ab. 44.* & Matth. *in Constitut. Siciliæ tit.3.* eum non esse ad veniam criminis admittendum; sed morte mulctandum, quia id ius ciuile iubet, & contrarium non est iure Canonico constitutum. Respondeo: quod attinet ad pœnas Apostatæ, ius ciuile non omninò cum iure canonico conuenire, sed in duobus differre. Nam primùm, *l. bi qui sanctam, C. de Apostatis*, statutum est ab Imperatoribus Theodosio, Valentiniano, & Arcadio, *vt vsquam in statum pristinum Apostatæ reuertantur, nec fugitiuum horum obliterabitur pœnitentia; Lapsis enim, & erroribus subuenitur: perditis verò, hoc est, sanctum Baptisma polluentibus, nullo remedio pœnitentiæ (quæ solet cæteris criminibus patrocinari) succurritur.* Hæc ibi. Quibus verbis lex, Apostatas etiam per pœnitentiā redeuntes excludit, & repellit à venia peccati. At verò ius Canonicum quos liber Apostatas, si eos sui peccati pœniteat, ad Ecclesiā redeūtes, admittēdos esse, cōcedit. Concilii. n. Elibertini *c.46. de Apostatis.* ita cōstituit: *Si quis*, inquit, *fidelis Apostata per infinita tempora ad Ecclesiā non accesserit; si tamen aliquādo redierit, nec fuerit idololatræ post decē annos, placuit eū*

ad com-

ad communionem admittere. Concil. item Arelatense *1. c. 23. de ijs, qui apostatant, & postea infirmitate correpti petunt cõmunionem, placuit eis non dandã, nisi reualuerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.* Et cum Apostasia sit crimen Ecclesiasticum, de eo Ecclesiæ Canones, & Decreta, ac Cõstitutiones sequi debemus, non leges ciuiles. Direct. Inquisit. *p. 2. q. 49. commẽ. 74.* Sim in. *de Cathol. institut. tit. 7. nu. 4.* Alphons. *lib. 1. de iusta hæret. punit. c. 23.* Deinde, *l. eos qui C. de Apostatis,* constituit, Clericos, & Monachos, qui relicto orthodoxæ religionis cultu sunt hæretici effecti, omninò esse extra Romani Imperij ditionem repellendos. At verò cum hæresis, vel Apostasia sit crimen Ecclesiasticum, id est, de quo solus iudex Ecclesiasticus cognoscit, vt constat *ex c. Vt inquisitionem, de hæret. in 6.* Consequitur, vt in Clericos, & Monachos, imò etiam in Laicos hæreticos Ecclesiastici, & sacri tantummodo Iudices inquirere, & animaduertere queant. Olim verò Imperatores Catholici (quales fuere Constantinus, Theodosius, Valentinianus, Gratianus, Arcadius, & Honorius) leges sanxerunt in hæreticos, & Apostatas, tùm Clericos, tùm Laicos; quia nondum Ecclesia suo iure pleno, & libero vtebatur: hoc est, nec Clerici erant omni ex parte exempti à iurisdictione, & legibus Principum ciuilium, nec quorundam criminum causæ ad Iudices Ecclesiasticos deferebantur: & ipsi Principes leges de Clericis, & Ecclesijs ferebant.

Decimò Quæritur, An Episcopi, & Inquisitores ius habeant inquirendi in eos, qui Religiosorum institutum, & regulam, quam sunt professi, deferentes, publicè matrimonium contrahunt? Respondeo, eos ius habere in istiusmodi homines tanquam in suspectos de hæresi, vt tradunt Ioannes Anania, Abbas, Calderinus, & alij, quos omnes refert Simanc. *de Cathol. institut. tit. 40. nu. 8.* atque hoc locum habet, tum in ijs, qui in excommunicatione, qua sunt affecti *ex c. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in sexto,* obdurato animo per annum insorduerint, tum etiam in ijs, qui antequã annum in excommunicatione compleuerint, ad nuptias transierunt.

Vndecimò Quæritur, An etiam Episcopi, & Inquisitores possint animaduertere in Clericos sacris Ordinibus initiatos, se matrimonio copulantes? Respondeo, posse in eos tanquam de Fide suspectos inquirere, & animaduertere. Simancas *de Cathol. institutionib. tit. 40. num. 12.* & Bernardinus Diaz *in sua Practica criminali, cap. 27.*

Duodecimò Quæritur, An hoc ius inquirendi in Regulares, & Clericos, conueniat Episcopis, & Inquisitoribus in eos solum Monachos, vel Clericos sacris Ordinibus initiatos, qui publicè matrimonium contrahunt, an etiam in eos, qui occultè? Abbas, Anania, Felinus, & cõmunis opinio teste Simanca *loco citato,* sentiunt tantum agere posse in eos, qui publicè contrahunt, quoniam hi, eo ipso, suspecti fiunt de hæresi. At Simancas *de Cathol. institut. tit. 40. nu. 9.* cõtendit, etiam in eos, qui occultè contraxerunt. Opinio prima magis cum iure congruit: Secunda verò, vsu est recepta, præsertim in Hispania.

Caput XXII.

De obstinata Iudæorum perfidia, & ijs, qui è Christianis ad Iudæos nefariè, & impiè transeunt, vel redeunt.

PRimùm illud quæri solet, in quor, & quibus casibus sit interdicta Christianis communio rerum cum Iudæis? Respondeo, *ex c. Nullus; & cap. Omnes, 28. quæst. 1.* colligi decem casus. Primò, prohibentur Christiani habitare simul cum Iudæis. Secundò, ad eorum conuiuia accedere, vel eos ad nostra inuitare conuiuia, & vnà cum eis cibum capere. Tertiò, simul cum eis in balneum intrare, & in eo se lauare. Quartò, eos vocare infirmitatis causa, hoc est, Iudæos, vt medicos accersere ad Christianorum morbos curandos. Quintò, ab eis medicinas recipere. Sextò, eorum filios in suis domibus nutrire. Septimò, eis famulatũ præstare. Octauò, seruitutis vinculo eis subijci. Nonò, eos publicis officijs fungi inter Christianos. Decimò, Vesci eorum azymis. Vnde *in c. Nullus. 28. q. 1.* sic habetur: *Nullus eorum, qui in sacro sunt Ordine cõstituti, aut Laicus azyma Iudæorum manducet, aut cum eis habitet, aut aliquem eorum in infirmitatibus suis vocet, aut medicinam ab eis percipiat, aut cum eis in balneo se lauet. Si verò quisquam hæc fecerit, si Clericus est, deponatur: Si Laicus, excommunicetur. Et in cap. Omnes. 28. q. 1.* dicitur: *Omnes Clerici, siue Laici Iudæorum conuiuia vitent: nec eos ad conuiuia quisquam excipiat: quia cum apud Christianos communibus cibis non vtantur, indignum, atque sacrilegum est, eorum cibos à Christianis sumi, cum ea, quæ apostolo permittente nos sumimus, ab illis iudicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Christiani, quàm Iudæi, si nos, quæ ab illis apponuntur, vtamur, illi verò à nobis oblata contemnant.* Hæc ibi.

Secundò quæritur, An Christiani grauiter peccent, cum Iudæis communionem prædictorum habendo? Respondeo, eos peccare grauiter, nisi ex leuitate materiæ peccatũ excusetur: quoniam *in c. Nullus,* dicitur: *Si Clericus est, deponatur: Si Laicus, excommunicetur:* quæ pœnæ non nisi ob grauẽ culpam delinquentibus infliguntur. Præterea hæc Christianis interdicuntur ob periculũ perfidiæ, quod imminet ex frequenti, & assidua familiaritate cum Iudæo.

Tertiò Quæritur, An cibum cũ Iudæo sumere, sit absolutè, & simpliciter lethale? Angelus, & Rosella *in verbo, Iudæus.* Sentiunt esse quidem lethale, quando Iudæus inter edendum cibos discernit: quod ostendere conantur *ex cap. Omnes, citato.* Siluester verò *in verbo Iudæus.* absolutè, & simpliciter, ait, esse lethale, etiamsi Iudæus mãducet absque vllo delectu ciborũ: & postea citat Innocentium, Ioannem Andream, Goffredum, Rayne rium, Beatum Antoninum, & auctorem supplementi, & Pisanæ. Probat ratione: quia non interdicitur Christianis cibum cum Iudæo sumere ob discrimen, quod in cibis seruat Iudæus, sed ad vitandam familiaritatem, ex qua peccati periculũ creatur. Sed profectò *in cap. Omnes.* potius habetur ratio delectus ciborum, quàm familiaritatis, & periculi. Si Quæras, an Christiano licear à Iudæo

accipere

accipere eos cibos, quos ipsi discernunt, abijciũt, & aspernantur, vt postea absque vllo Iudæorum consortio ijs vescatur? Respõdeo, non licere: quoniam tametsi canones, & iura vetent, cum Iudæo cibos sumere ad vitandam eius familiaritatem; nihilominus tamen etiam id prohibeñt, ne Iudęi Christianis superiores esse videantur. Hoc autẽ sequatur, necesse est, si Christiani eos cibos accipiant, & edant, quos Iudæi reijciunt, respuunt, atque contemnunt. Porrò non solùm interdictum est Christianis ad Iudæorum epulas accedere; sed etiam ad eorum nuptias, dies festos, synagogas, & cum eis ludere, & quod detestabilius est cũ eis choreas agere: videlicet interdictum est eorum synagogas frequentare.

Quartò Quæritur, An fas sit Christianis in mercibus emendis, & vendendis, cũ Iudæis cõtractus inire? Respondeo, non esse iure interdictum aliquid Iudæis vendere, vel ab eis emere, sicuti nec cũ eis colloqui. Nam *in c. Post miserabilem, de Vsuris*, statutum est, vt Iudæi possint compelli ad vsuras restituendas Christianis, à quibus acceperãt, eas repetentibus. Quòd si non reddant, arceantur à consortio Christianorum. Ergo antequã hac pœna plectantur à Iudice, non est eis iure interdictũ cum Christianis colloquiũ, aut mutua inter ipsos mercium venditio, vel emptio. Sic Abbas *in cap. Post miserabilem, de Iudæis*. Iure tamen prohiberi potest, ne Iudæi emendi, vel vendẽdi gratia domos Christianorum ingrediantur, aut ne Christiani Iudæis aliquid vendant, vel emant ab eis in eorũ domibus; ne aliqua inter Christianum, & Iudæũ familiaritas intercedat, ne in diebus festis Christiani cum Iudæis emptionis, vẽditionis, vel alio nomine contractus ineant.

Quintò Quæritur, An Christianus iure possit medicinas emere à Iudæo, Ius enim prohibet accipere medicinas à Iudæo, nihil tamen statuit de emendo, quoniam donatio suapte natura solet beneuolentiam, & amicitiã conciliare inter homines; venditio, & emptio non item. Iura verò familiaritatem Christiani cum Iudæo vetãt, ac dirimunt. Angelus respondet ius esse Christianis emere à Iudæis medicinas, non quidem ex toto; sed ex parte tantũ, videlicet iam præparatas. Siluester Glossam secutus absolutè concedit fas esse emere: quia Ius ad familiaritatem vitandam, prohibuit ne Christiani à Iudęis medicinas accipiant, nimirum vltro oblatas, vel datas.

Sextò Quæritur, An Christianus tuta conscięntia vendat agnum Iudæo, quem nouit emere ad eum finem, vt ritu, & more suo iudaico eum in Paschate mactet, & edat? Arboreos item ramusculos, quibus scit Iudęum in suis festis diebus esse vsurum? Quidam censent nefas id esse, quoniã occasio datur Iudæis suos ritus iudaicos seruandi, & colendi, in quibus modò peccant. Præterea, quia is, qui cõsentit in peccatum alterius, aut operatur cum altero in eo, in quo peccat, eo ipso, delinquit. Postremò, quia alioqui fas esset, vendere gladium, aut venenum furioso vel amenti, quando venditor sciret eum vsurum gladio in necem alicuius, aut etiã in sui ipsius perniciem, & interitum.

Contra alij sentiunt id liberum esse cuique facere, quoniam non eo ipso Christianus qui vendit, cõsentit in peccatũ Iudæi, aut operatur quidquam cum eo re empta, malè & perperam vente. Nec item peccandi ei præbet occasionem, quia Iudæus alioqui certò statuerat emere ad suos iudaicos ritus, agnum, atque ramusculos arborum. Mihi quidem videtur id in primis dicendum, nefas esse Christiano ea vendere Iudæo ad iudaicas cæremonias peragendas, hoc est, in eum finem, vt eis abutatur: tunc enim is vendentis affectus esset deprauatus: & de hoc nulla est controuersia. Deinde, ius est Christiano ea vendere Iudæo, cum ignorat, sit necne eis abusurus Iudæus, & de hoc etiam nihil dubitatur. Ad extremũ, non licet Christiano vendere Iudæo rem, cuius vsus est per se malus, aut quæ per se ad ritus iudaicos refertur, aut in eum finem, vt iudaicis ritibus inseruiat. Vnde nefas est, Christiano, vt facilè colligitur ex S. Tho. 2. 2. q. 169. ar. 2. ad 4. & Caiẽ. *ibi.* & Maiore. *4. d. 15. q. 15. §. 3. vers. arguitur*, vẽdere Iudæis lapides, ligna, calcem, & similia, ad eũ finem, vt synagogæ ædificentur, nam sicut per se malum est idolorum fana, aut Saracenorum delubra construere, sic etiam abrogata per Christi mortem lege Moysis, malũ est synagogas Iudæorum extruere ad ritus, & cæremonias iudaicas seruandas: & nefas est Christiano suam operam locare ad synagogas extruẽdas, in quibus iudaici ritus obseruentur. Item, res prædictas vendere Iudæis, vt synagogas ædificent, nobis non licet: quia etsi res sunt indifferentes, quæ venduntur; malum tamen est eas vendere, vt synagogæ extruantur. Vnde liberum Christianis est vendere ad alias domos ædificandas, etiamsi nouerint Iudæos eas emere ad synagogas cõstruendas. Nec item, vendere licet ad synagogas veteres reficiẽdas, aut fulciendas, vt quæ ruinosæ iam sint: quoniam etsi has Ecclesia reficere, ac munire permittit, ne collabantur, ac ruant, peccant tamen Iudæi; tum veteres reficiendo, aut muniendo synagogas, tũ nouas extruẽdo, aut penitus collapsas, vel dirutas denuò exædificando. Ergo Christiano non licet ea vendere in eum finem, vt Iudæi veteres synagogas reficiant, aut muniant, & fulciant. Omnis igitur præsens controuersia in ijs duobus consistit. Primò, an peccet Christianus, si res per se indifferentes vendat Iudæo, quem scit malè eis vsurum? Et probabilius existimo cum secunda opinione, eum non peccare, quia rem vendit sua natura indifferentem, qua liberum est Iudæo, bene vti, vel male: nec ad male vtendũ, inducitur verbo, vel facto, quòniã Iudæus sponte sua male vti constituerat illa re sibi vendita. Deinde, ex eo quoque præsens quæstio pendet, Debeat ne Christianus exquirere, ad quos vsus rem emant emptores. Et quidem ego crediderim ad id minimè Christianum adstringi: ad hoc enim faciendum venditor nulla lege, vel iure compellitur: dummodo rem vendat per se indifferentem, & mediam: quoniam liberum sibi est res suas, alioqui bonas, vel indifferẽtes vendere. Quòd si eam diligentiam adhibere venditorem cogeremus, sanè graue nimis, ac molestum id onus ei videretur: quemadmodum multis in locis, de alijs id genus rebus idem planius apparebit. Obijcies, saltẽ Christianus lege charitatis debet peccare volentẽ proximũ, à peccato, quod eius

fieri

fieri potest, auertere. Respondeo, nihil argumentum conficere; cum Iudæus ex deprauato animi affectu peccet, & Christianus iacturam, & detrimentũ patiatur, si res suas, quas venales habet, nõ vendat, nulla obligatione, etiam charitatis, cogitur emptoris peccatũ impedire. Aliud verò est si Christianus vendat gladium, aut venenum Iudæo, quem nouit ijs vsurum ad suam, vel alienam perniciem, & exitium; tunc enim lege charitatis impedire deberet id damni, & incommodi.

Septimò quæritur, An Christianis liceat seruire, & famulari Iudæis extra eorum domos? Putat Hostiensis id fas esse Christianis, eo ductus argumento, quòd *in c. Iudæi, de Iudæis.* Solum interdicitur Christiano seruire Iudæo in eius domo. Negat verò Abbas id facere licere Christianis, si famulatus sit assiduus, aut diuturnus: inde persuasus, quoniam *in c. Ad hæc, de Iudæis,* interdicitur Christiano simpliciter omni familiaritate frequenti, & assidua cũ Iudæo. Alijs tamẽ visum est, absolutè non licere Christiano id famulatus, & obsequij præstare Iudæo, siue in domo, siue extra domum, siue frequenter, siue rarò: quia, duplici de causa hoc iura piè, & prudenter vetuisse videntur, tum ne familiaritas contrahatur: tum etiam ne Iudæi Christianis superiores esse videantur: Ne, inquã, filius liberæ seruiat filijs ancillæ, vt cũ iure ipso canonico ex Pauli doctrina loquamur: Et huic sententiæ ego libẽtiùs subscribo.

Octauò quæritur, An Christianus mercede cõductus possit citra peccatũ, suas operas locare Iudæo? Respondeo, per Canones, & iura non posse, quãdo Iudæi sunt præsentes, quia sic illis quodammodo inseruirent Christiani, id quod iura vetuerunt. Quando verò sunt absentes Iudæi, iura permittunt, *c. multorum, de Iudæis*: vt si Christianus colat agros Iudæi. Vnde colligit Siluester *ex eodem cap. Multorum*, esse Iudæo permissum, habere Christianum hominem colonum adscriptitium, vel originarium, non tamen seruum.

Non est item iure interdictum Christiano, res suas locare Iudæo, nimirum currus, boues, vel iumenta ad onera transportanda, & ad aliquid aliud faciendum.

Nonò quæritur, An Christianis fœminis liceat nutricum officium obire in Iudæorum infantibus educandis extra eorum habitationem? Id affirmat Zabarella *ex c. Ad hæc. de Iudæis*: vbi solũ prohibetur, ne nutriant in domibus eorũ. Ioan. verò Andreas, Anton. Butrius, & Abbas id fas esse simpliciter negant, siue in domibus, siue extra domos ipsorum: quod puto probabilius: id enim iura vetant, tum ob familiaritatem cum Iudæis cauendam, tum ne Christiani eis inseruire videantur, & vt inferiores famulari.

Decimò quæritur, Quænã Iudæis Christianorum Principũ potestati, & imperio subiectis, tum iure ciuili, tum canonico sint interdictæ? Respondeo: *in c. Ex speciali, & c. cum sit, de Iudæis*, interdicitur Iudæis, ne aliquo officio publico fungantur inter Christianos. Imò *in eod. c. Ex speciali*, cõstituit Gregorius IX. scribens Asturicensi, & Lucensi Episcopis, vt si fortè illustris Portugalliæ Rex redditus suos Iudæis vẽdiderit, vel Paganis, Christianum deputet grauaminibus inferẽdis Clericis, & Ecclesijs minimè suspectũ: cuius opera Iudæi, siue Saraceni, sine vlla Christianorũ iniuria, iura regalia consequantur. Et *l. Hac valitura, C. de Iudæis.* Sancitum est, ne Iudæi apud Christianos, honorẽ, dignitatem, vel administrationẽ aliquã obtineant. Quòd si obijcias, *l. Generaliter, §. Et is qui, ff. de Decurionib.* vbi statuitur, vt qui iudaicã superstitionem sequuntur, honores adipisci permittãtur. Respondeo, Glossam has duas leges cõciliare, dicendo, per legem Codicis esse correctã legẽ Digestorum. Sed facilè nos argumentum diluimus. Nam *in l. Generaliter*, Iurisconsultus affirmat id constituisse Imperatores, videlicet L. Verũ, & Antoninum, quos, cum Ethnici essent, mirandum non est ad honores admisisse Iudæos. At verò legem Codicis, *Hac valitura*, Imperatores Catholici Theodosius, ac Valentinianus cõdidere; qui propterea ab honoribus, dignitatibus, ac administrationibus eos exclusos esse voluerũt. Deinde, prohibentur Iudæi nouas synagogas extruere, *c. Consuluit, & c. Iudæi, de Iudæis, & l. Hac valitura, C. de Iudæis.* Permittitur tamen eis, antiquas retinere, easq; reficere, quæq; ruinã, & casum minitantur, fulcire; dummodo tamẽ eas solummodo in pristinum statum restituant, non aũt ampliores, capaciores, magnificentiorésue reddãt, & ornatiores, *eod. c. Consuluit.* Quod si penitus synagogæ corruerint, nequeũt eas iterũ erigere; quia hoc esset nouas ædificare. Præterea, *in cap. In nonnullis, de Iudæis*, dicitur: *Statuimus, vt Iudæi cuiuscunque sexus sint, in omni Christianorum prouincia, & in omni tempore, qualitate habitus publicè ab alijs populis distinguantur.* Dicitur: *In omni tempore*, videlicet interdiu, & noctu. *publicè*, ne si tantũ occultè distincto vestimẽti genere, & signo vtantur, Christianos esse se fingãt, & simulent: & vt omnis occasio præcidatur quoquomodo sese Christianis adiungendi, atq; cum eis consuetudinẽ, & familiaritatem cõtrahendi. Iudæi quoq; *in c. Quia super his, de Iudæis*, generaliter prohibentur ostia, & fenestras in die Parasceues apertas habere: Imò tota die clausas tenere coguntur, ne eo die in contumeliã Christi Domini, & Redemptoris nostri Christianos derideant, *in c. verò in nonnullis. de Iudæis.* Præcipitur Iudæis, ne in diebus lamentationis, & dominicæ passionis in publicum prodeãt. Solebant enim infelices illi, & miserabiles, in contemptum, & odium Christianorum hisce diebus cultiores in publicũ prodire, & lætiores, ac hilariores procedere. Amplius, *in c. Multorum, de Iudæis, & l. Deo nobis. §. His ita, C. de Episcopis, & Clericis*, nõ licẽt Iudæo habere Christianum seruum, siue mancipium: quare seruus Iudæi, etiam vernaculus ex eius ancilla natus, & Christianus effectus, statim fit liber nullo pretio persoluto, *c. Fraternitatem, distinct. 54.* Nec in seruitutem redigitur, etiamsi dominus eius postea sacro baptismate proluatur. *l. Deo nobis*, citata. Item si Iudæus seruum Christianum emerit, vel quolibet alio iure eum acquisierit, confestim, nullo pretio numerato liber efficitur. *cap. Mancipia, distinct. 54.* Quòd si seruum non Christianũ emerit, vt sibi seruiat, & is Christianus fieri voluerit, cum primùm hoc eius propositum innotescere cœperit, hoc ipso, acquirit sibi libertatẽ nullo pretio dato, *c. Fraternitatem, eadem distinctione*: Si aũt emerit negociationis causa, & intra tres menses venalem minimè exposuerit, eo ipso

statim

statim redit ad libertatem. Si autem exposuerit, vel per eum non steterit, quin venderetur, liber non fit. Conceditur tamen ei, vt possit se redimere, & in libertatem vendicare: duodecim solidis, quos ipse, vel pro ipso alius poterit soluere, *c. Præsenti, & c. Nonnulli, de Iud.*

Vndecimò Quæritur, An Iudæi puniri possint auctoritate Principum Christianorum? Quæstio intelligitur de ijs Iudeis, qui Christianorum sunt imperio, ditioni, & potestati subiecti. Et causa quæstionis est, quia Ecclesia iudicare non potest de ijs, qui foris sunt. Respondeo, posse. Nam quemadmodum planè compertum est, Iudeos in spiritualibus Ecclesiæ non subijci, vnde excommunicari nequeunt; ita inter omnes etiam conuenit, posse eos pœnis iuris puniri ob crimina, quæ in Rempublicam, aut Principem, aut alios priuatos homines perpetrant. Vnde si Iudæus Christiani mancipium circumcidat, aut cogat circumcidi, plectitur pœna capitis, id est, perpetuo exilio, vt interpretatur Accursius *l. 1. C. Ne Christianum mancipium*: & eo ipso, seruus sibi comparat libertatem. Si item Christianum circumcidat, aut mādet circumcidendum, proscriptione bonorum punitur, *l. Iudæi. 2. C. de Iudæis*. Iudæi insuper, si fidem, & religionem Christianam oppugnent; si res sacras proterant pedibus, & conculcent, si in Christum maledicta cōijciant, in eos animaduertitur proscriptione bonorum, *l. Hac valitura. C. de Iudæis*. Quin & illi, si Iudæum ad Christi religionem, & cultum conuersum saxis, aut aliquo alio furoris genere infectentur, flammis traduntur cum omnibus suis participibus. *l. Iudæis. C. de Iudæis*. Denique, si Iudæus in Clericū manus violentas iniecerit, pœna pecuniaria, aliaue mulctatur. Quòd si puniri non possit, interdicitur ei Christianorū commercio; donec iniuriam passo satisfecerit. *cap. Postulasti. de Iudæis*. Quidam id etiam probant, quia legimus in historijs, Iudæos ob crimen læsę maiestatis grauiter punitos fuisse in Hispania: nā in Concilio 17. Toletano *c. 8.* vt citat Simancas *de Cathol. instit. tit. 35. nu. 5.* decretum est: *Quoniam Iudæorum perfidia non solùm tunicam sacri Baptismatis Christiani quam susceperat, maculauit; sed etiam contra Regem, regnumque coniurauit, suis omnibus rebus spoliati, & priuati Iudæi, tum viri, tum vxores eorum, ac filij, & posteri per cunctas Hispaniarum prouincias seruituti perpetuæ subiaceant, maneantque vsquequaque dispersi, & filij eorum septēnes à parentibus abstracti Christianis hominibus educandi, instituendique tradantur. Et illi, qui eosdem Iudæos in seruitutem acceperint, in nullo eos permittant rituum suorum cæremonias colere*. Hæc ibi. Sed hoc argumentum nihil probat, quia Iudæi illi sacro baptismate abluti Christi fidem, & religionem professi fuerāt, vt ex verbis ipsius Concilij in prædicto decreto constat: & prodendæ Hispaniæ, & aduersus Regē rebellandi cum Iudæis Africanis consilia cōmunicauerant. Moral. *lib. 12. c. 62. de rebus Hispaniæ*. Marian. *lib. 6. c. 18. de rebus Hispaniæ*.

Duodecimò Quæritur, An Ecclesiastici Iudices, & Apostolici Inquisitores possint inquirere, & animaduertere in Iudæos cōtra veterē legem diuinam peccātes, aut Christianum hominem ad Iudaicam superstitionem inducentes, aut circūcidi, vel fidem Christi abnegare cogentes? Simācas *de Cathol. instit. tit. 35. num. 11.* Olradi sententiam refellit afferentis *in consil. 36.* id posse. Sed certè ea sententia à vero non multum abest. Nam & si iure communi id potestatis Episcopi, & Inquisitores non habeant, at certè cōstitutionibus Pontificijs aliqua ex parte habent. Extat enim cōstitutio Pontificia Gregorij XIII. quæ incipit: *Antiqua Iudæorum*, vbi sic habetur: *Statuimus Inquisitores hæreticæ prauitatis liberè posse procedere in omnibus causis, & casibus, qui sequuntur.*

Si quis Iudæus, aut Infidelis in ijs, quæ circa Fidem cum illis sunt communia, veluti vnum Deum, & æternum, Omnipotentem, Creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, & similia, non esse asseruerit, prædicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit.

Si dæmones inuocauerit, consuluerit ue, aut eorū responsa acceperit, ad illōsue sacrificia, aut preces ob diuinationem aliámue causam direxerit; aut quid eis immolauerit, vel thuris, alteriúsue rei fumigationes obtulerit, aut alia quæuis impietatis obsequia præstiterit.

Si Christianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentauerit.

Si Saluatorem, & Dominum nostrum Iesum Christū purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matremue Dei non esse Virginem, & alias huiusmodi blasphemias, quæ per se hæreticæ dici solent, in Christianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerit.

Si cuiusuis eorum opera, auxilio, consilio, vel fauore aliquis Christianus à Fide desciuerit, quamq; semel susceperat, abnegauerit, vel ad Iudæorum, seu aliorum Infidelium ritus, cæremonias, superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit: seu in hæresim aliquā inciderit, aut qui vt Christi fidem abneget, seu in hæresim incidat, opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodocunque præstiterit.

Si quis Catechumenum, vel quemcumq; ex Iudæis, aut Infidelibus Deo inspirante, ad fidem Christianam venire volentem, post declaratam mentem, verbo, facto, aut quocunque alio modo eius voluntatem, à Fide, vel Fidei instructione, aut à sacri Baptismi susceptione retrahere, auertere, vel dehortari: aut ne ad fidem veniat, néue Regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit.

Si quis Apostatas hæreticósue scienter domi sue receptauerit, aluerit, cōmeatu iuuerit, seu quouis modo eis cibaria vbicunq; præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit; aut de loco ad locum eos deduxerit, vel associauerit, vel deducēdos, aut associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit, duces, comitésue illis adiunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut inuestigari queant; fecerit: quiq; dictos Apostatas, aut hæreticos scienter occultauerit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstiterit.

Si libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut aliàs prohibitos tenuerit, inspexerit, vel diuulgauerit, vel in quæcunq; loca deiuxerit, aut ad eam rem, operam suam accommodauerit.

Si Christianos deriserit, redemptionisq; nostræ hostiam salutarem in ara Crucis immolatam, Christum Dominū ludibrio, & despectui habens, quandocunque, maximè verò in sacro Parasceues die agnum, siue onem, aut quid aliud Cruci affixerit, aut appenderit, in eamq; conspuerit, sine quid aliud contra ipsam fecerit.

Si nutrices Christianas cōtra sacrorū Canonū statuta, diuersorumq; Romanorum Pontificū prædecessorum nostrorū sanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens die, qua sanctissimū Eucharistiæ Sacramentū sumpserit, luæ vno, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, vel alia loca effundere coegerit.

Et sub-

Et subiungitur: *In quibus casibus vniuersis, & singulis omnes Inquisitores omnium regnorum, prouinciarum, ciuitatum, dominiorum, & locorum vniuersi orbis Christiani, contra Iudæos, & Infideles quoscunque diligenter inquirant, & procedant: & quos culpabiles deprehenderint, in eos pro culpæ modo, & pro criminum numero, multiplicatione, aut consuetudine delinquendi, flagella, remigia etiã perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, & alia atrociora determant.* Hactenus constitutio.

Item communis est opinio, posse Episcopos, & Inquisitores inquirere, & animaduertere in Iudæos, & cæteros Infideles, qui aduersus Catholicam fidem, & religionem delinquunt: præsertim cum delicta committũt coram Christianis, quos ad similia facinora prauo suo exemplo excitant, mouent, & pertrahũt. Qua ratione permoti Gregorius IX. & Innocentius IV. iusserũt libros thalmudicos igni cõburi. Sic enim quidã scripto prodiderunt, *Gregorius IX. circa annũ Domini 1230. cum vidisset blasphemias, & impietates aduersus religionem Christianam in libris Thalmudicis contineri, iussit eos libros cõburi.* Quod factũ est per Cancellariũ Parisiensem, & extat Rescriptũ ipsius Innocentij IV. quod incipit: *Impia Iudæorum perfidia;* vbi id factũ cõfirmat, & denuo imperat, vt cæteri similes libri, si qui superessent, diligenter perquirerentur, & flammis traderentur. Anno Domini 1553. Illustrissimi Cardinales totius Reipub. Christianæ Inquisitores Generales Romæ auctoritate Iulij III. oẽs libros Thalmudicos, quos inuenire potuerunt, igni cõbusserunt: & cæteris Inquisitoribus imperarunt, vt diligenter libros Thalmudis Hierosolymitani, & Babylonici perquirerent, & igni cremãdos curarent. Præceperunt insuper, ne quis Hebræorum tales libros, aut aliquas eorũ partes penes se retineret, sed Inquisitoribus traderet: néue in posterum similes libros transcribi, aut typis mãdari, aut ex terris Infidelium ad Christianorũ prouincias asportari faceret: alioqui eius bona publicẽtur. Anno item Domini 1554. idem Iulius III. cõstitutione edita, quæ incipit: *Cum sicut*, sanciuit, vt libri Hebræorum, in quibus blasphemiæ, siue maledicta in Christum Dominũ, aut in Christianam religionem continentur, in eorum synagogis, & priuatis etiam domibus perquirantur: & qui deprehensi fuerint tales libros habere, pœnis pecuniarijs, & publicatione bonorum, & contumaces etiam vltimo supplicio puniantur.

Ex quo liquet quam falsa sit Petri Galatini *lib. 1. de arcanis Cathol. verit. c. 7.* sententia, qui conatur ostendere, Thalmud Iudæorum à Christianis recipi debere, & in Latinum sermonem conuerti, publicè in scholis Christianorum explicari, idq; probare contendit ex decreto Concilij Viennensis, *quod refertur in Clement. inter solicitudines, de Magistris.* Sed certè falsus est: nec enim Concilio de libris Thalmudicis loquitur, sed de alijs libris Hebraicè, Arabicè, vel Chaldaicè conscriptis. Nec Thalmudici libri iure permitti queunt, & indigno Christiano viro est, eos libros allegoricè, & anagogicè interpretari, vt cõtendit Galatin. *lib. 1. de arcan. Cathol. verit. c. 6.* Sed obijcies, Iudæos extra Ecclesiã esse: ergo nec iure eos posse ab Ecclesia puniri. Respondeo, nequire Ecclesiã cõtra Iudæos agere, pœnas spirituales in eos cõstituendo, quales sunt Ecclesiasticæ censuræ; posse tamẽ pœnis temporarijs eos afficere, quippe qui prauo suo exemplo Rempublicã aliquando peturbant. Deinde obijcies, inde colligi, vt in eos ipsi etiã Principes ciuiles inquirere possint, & debeant, nõ tamẽ Episcopi, & Inquisitores, qui tantũmodo ius, & auctoritatem habent contra hæreticos, & de hæresi suspectos agendi. Iudæi autem cum sacro Baptismate initiati non sint, hæretici esse nõ possunt. Respondeo, eos hæreticos quidem, vel de hæresi suspectos non esse; attamen cum ea, quæ diximus, crimina perpetrant, Christianos, apud quos commorantur, verbo, facto, vel exemplo, quod ad se attinet, inficiunt, atq; corrumpunt, ac propterea ratione delicti meritò puniuntur.

Decimotertiò Quæritur, quid Ecclesia Iudæis permittat, vel interdicat circa vsuras? Respõdeo, *in Clement. 1. de Vsuris*, statutum esse, vt quarumlibet Communitatũ, Potestates, Capitanei, Rectores, Consules, Iudices, Consiliarij, aut alij quiuis Officiales, qui condiderint, scripserint, vel dictauerint statuta, quibus vsuræ aliqua ratione approbari videntur, eo quòd non solùm concedũt, aut permittũt, vt vsurę exigãtur: sed etiã præcipiunt, & compellunt, vt eas debitores soluant, & prohibent, ne solutæ, cum repetuntur, restituantur, ipso facto sint excommunicati. Insuper, qui scienter iudicare præsumpserint, iuxta huiusmodi statuta, vt vsuræ soluantur, aut ne restituãtur, cum repetuntur, ipso facto, in excommunicationem incurrant. QVAERITVR, an hæc constitutio vim, & locũ habeat in Iudæis, quibus Principum Christianorum concessu vsuræ soluũtur, ex quibus ipsi tributum, vel certam pensionem accipiunt, quod est quærere, An Rex, verbi gratia, Imperator, vel alius Princeps ciuilis nõ agnoscens, & habens in temporalibus superiorem, cui sit subiectus, peccet, impune permittens Iudæos vsuras à Christianis exigere, & accipere? An item peccet, si auctoritate sua permittat, concedat, aut etiam præcipiat, vti vsuras permissas Iudæis Christiani soluant, qui mutuo ab eis acceperãt pecunias, fide data de vsuris soluendis? Insuper, an peccet Princeps, si in iudicio suo ciuili deneget Christianis actionem repetendi vsuras, quas ob promissionem factam, Iudæis soluerant: aut si onera imponat Christianis, aut pœnas constituat in eos, qui vsuras solutas Iudæis, repetunt coram Ecclesiastico Iudice? Item, an peccet, si statutum condat, quo præcipiat Iudæis sibi subiectis, ne vltra certam quantitatem vsuras exigant: vel ne immodicas, sed leuiores, & minores accipere queant, siue vt tot denarios, & non plures extorqueant? De his quæstionibus pauca quędam dixi *supra lib. 2. cap. 10.* Sed in hoc loco fusius disputabo, de quibus etiam aliqua tradiderunt Silu. *vsura 9. q. 22.* Angel. *vsura 2. q. 14.* Tabien. *vsura 1. q. 5.* Et excommunicatio. 5. *casu* 50. Armilla, *vsura, num. 14.* Nauar. *consil. 3. de Vsuris. & in Manua. c. 27. num. 143.* Caiet. *in summ. excommunicatio cap. 51.* & Rosel. *excommunicatio. 1. in excommunicatione 47.*

In hac quæstione, quæ profecto, vt ait Nauarrus *consil. 3. de Vsur.* difficilis videtur, tria, aut quatuor continentur. Primum est, An Christianus Princeps tuta conscientia Iudæis sibi subiectis vsuras permittat? Ad quod breuiter respondemus: Vsuras exigere, & accipere, esse iure natu-

rali,& diuino prohibitum: Et proinde peccare, tum qui exigunt,& accipiunt,tum qui aliquo modo consentiunt in peccatum eorũ, qui eas iniquè exigunt,aut qui aliquo modo operantur cum eis in vsuris exigendis,vel accipiendis. Non idcirco tamen peccant Principes, si Iudæis vsuras impune permittant;hoc est,si in Iudæos vsuras à Christianis exigentes non animaduertant.Non enim ideo Princeps peccat,qui in republica aliqua mala non punit,cum possit: nam quædam mala permitti queunt ad alia deteriora, & grauiora, aut plura euitanda.Meretrices respublica permittit, & synagogas Iudæorum antiquas, & aliquos ritus Iudaicos.Item,spectacula,& ludos publicos, in quibus aliqua peccata committuntur.Insuper impune in republica Comędiæ,& Tragędiæ permittuntur,in quibus etiam sæpè populus peccat. Hæc enim mala tolerare, & in Republica sine pœna relinquere,non est sua natura malum, sed res est media, & indifferens; & proinde Peccatũ non est, quamdiu minus malum permittitur, vt quod peius est;& grauius caueatur.Sic Nauarrus *in consilio citato*.Occurres, quia ius *in Clementina citata*,excommunicationem ijs Principibus irrogat, qui suis statutis,vel consuetudinibus,aut legibus vsuras concedunt, permittunt,vt exigantur, vel accipiantur. Respondent aliqui eam Clementinam locum habere,quando Principes permittũt impune, vt Christiani vsuras accipiant à Christianis, non autem quando Iudæi eas à Christianis exigunt; & accipiũt, quas ipsi Christiani promiserunt se soluturos.Sic Tabien.& quidam alij, quod mihi non placet: Vnde aliter respondeo: permittere impune Iudæis vsuras, non est per se malum, vt paulò ante dixi: & proinde quamuis demus eas Iudæis permissas Clementinam prohibere;non tamen consequens est, vt consuetudo nequeat Clementinæ in hac parte derogare:præsertim id sciente, & tolerãte Romano Pontifice, quoniam quod in ea prohibetur, ex hac parte,videlicet ne vsuræ permittantur impunè, iure tantùm canonico prohibetur,& scripta iura possunt consuetudine contraria abrogari, vt non semel suo loco tradidimus.

Altera quæstio est, An peccet Princeps, si vel statutũ condat, vel consuetudinẽ confirmet,qua iubentur Christiani soluere vsuras,quas se soluturos promiserant Iudæis? Siluest. & Angel. *locis citatis* eum putant peccare,& pœnã prædictę Clementinæ contrahere: quod idẽ ante eos senserãt, teste Siluestro,Ioan.Imola,Ioan.Anania,Franciscus Zabarella,Alexander,Iason.Idq; probant ex Clementina, quæ perspicuè excommunicationẽ constituit in eos,qui talia præcipiunt. Item,quia *in c.Post miserabilẽ,de vsur.* statuitur, vt Magistratus, & Principes imperent Iudæis, vt vsuras restituant.Alij verò opinantur,eos minimè peccare.Nauar.*consil.citato*.Petrus Anchar. & alij multi,quos refert Siluester,eo argumẽto perducti:quòd sicut Christianus nõ peccat promittẽdo vsuras Iudęo, & promissas soluendo;si nec Princeps, aut Magistratus delinquit Christiano præcipiens, vt quas promisit Iudæo, soluat vsuras, quia hoc non est, nisi imperare, vt promissum exoluat, fidẽ datam seruet,& stet pactis,atque conuentis, quod malũ non est.Præterea *c.Debitores, de iureiuran.* statuitur, vt is,qui iureiurando promisit vsuras,eas soluere cogatur,nisi iurisiurandi vinculũ auctoritate Ecclesiæ relaxandũ curauerit.Ergo promissio vsurę soluendæ non est suapte natura mala, alioqui enim non posset iureiurando confirmari. Ergo sicut Ecclesia præcipit, vt vsuræ iureiurando promissæ, soluantur, sic auctoritate Principum, vel consuetudine introduci potest, vti vsuræ falsè Iudæis simpliciter promissæ soluantur. Nec prædicta Clementina,inquiũt,loquitur de vsuris, quas Christiani promittunt,& soluunt Iudæis; sed de ijs,quas Christiani Christianis promittũt, & soluunt. Item, quia licet Princeps ciuilis præcipiat Christiano, vt Iudæo soluat, quas promisit vsuras,liberum est eas repetere corã Iudice Ecclesiastico:hoc enim Princeps impedire,aut prohibere iure non potest. Mihi tamẽ in hac parte probabilior videtur prima sentẽtia:nõ enim video causam iustã,ob quã id præcipiat Princeps,videlicet, cũ pœnis constitutis imperat Christianis; vt Iudæis soluant promissas vsuras. Nã si Ecclesia cogit vsuras,quas iurauimus nos soluturos,Iudæis soluere;id facit, quia dat ius eas solutas reperendi,quod ciuiles Principes non faciunt.

Tertia dubitatio erat,An peccẽt Principes,qui denegãt Christianis in iudicio repetitionẽ earũ vsurarũ,quas Iudæis promissas soluerãt? Siluest. Angel. & alij auctores paulò ante citati existimant,eos peccare, & in prædictæ *Clementinæ* pœnas incurrere.Negant verò alij,ea ducti ratione, quod Clementina illa nõ loquatur de Iudęis vsuras à Christianis accipiẽtibus;sed de Christianis, quibus alij Christiani vsuras persoluerũt: quod vt paulò ante dixi,mihi non placet. Quare aliter respondendũ puto;si Princeps nihil aliud faciat, sed tantũ neget ius repetendi in iudicio vsuras solutas,per se peccatũ non est,dummodo Princeps pœnis cõstitutis,aut lege posita,aut præcepto dato,nõ imperet Christianis, vt vsuras solutas non repetãt corã Iudice Ecclesiastico. Nec enim vllũ est peccatũ contra ius diuinũ,aut naturale,si Princeps deneget actionem in iudicio ciuili,repetẽdi vsuras solutas:quoniã hoc solũ est, actionẽ repetendi in iudicio ciuili nõ dare:non aũt impedire, vel prohibere, ne Iudæi vsuras sibi solutas restituant,cũ repetuntur; aut ne Christiani eas repetant apud Iudicẽ Ecclesiasticum: hoc enim manifestè,aut iuri naturæ repugnat,aut saltẽ *Clementinæ* aduersatur. Quemadmodũ enim Iudæi eas restituere naturali iure cogũtur,sic etiã quotquot aliquo modo,arte,vel ratione curant, aut faciũt,ne Iudæi eas reddant,cũ repetuntur, contra ius naturale grauiter delinquunt, & ad restituendum lege naturali compelluntur,quia impediunt,aut prohibent alienum suo domino restitui.

Quartò quærebatur,An peccẽt Principes Christiani statuta condentes,quibus præcipiunt Iudęis,ne vltra certã pecuniæ quantitatem maiores vsuras exigant? Glos.*in Clem.1.de vsur. verb. Facere*, communi vsu approbata,censet,eos nõ peccare: quoniam hoc non est statutum ponere, aut præceptum dare,vt vsuræ exigantur,sed ne immodicæ accipiantur. Et hæc sentẽtia est verã: dummodo Principes nõ concedant,vt Iudæi has,aut alias maiores vsuras exigant,& accipiant.

Decimoquartò Quæritur, An Christiani, qui

locant

locant domos Iudæis vsurarijs; peccent, & pœnas incurrant constitutas *in c. de Vsuris, in sexto*, contra eos, qui manifestis vsurarijs alienigenis, hoc est, non oriundis ex eodem loco, domos locant, aut eas conductas habere, aut in terris suis habitare permittunt. Duplex opinio est: Prima, eos asserit ea lege, ac pœna comprehendi. Ita Geminianus *in c. 1. de Vsuris, in 6.* Angel. *excommunicatio 5. In excommunicationibus non reseruatis, casu 32.* Rosella, *excommunicatio 2. In excommunicatione 35.* Siluester, *vsura, 9. quæst. 22. & excommunicatio 9. in excommunicatione 31*, vbi citat Cardinalem, Paulum, Baldum, & alios. Sic etiam Nauarrus *in Manuali cap. 27. num. 136.* Secunda opinio, eos comprehendi negat. Ita quidam, & citat Franciscum Aretinum *in consilio 158.* Et hanc putat Tabienſis, *verbo, Vsura. 1. q. 5. in octaua pœna*, esse sententiam probabiliorem, quam vt veram, siue vt vtutam, dicit esse declaratam ab Eugenio IV. & eam secutum fuisse Felinum. Sed quia nihil certi constat de Eugenij declaratione: Prima sententia, quia communis est, præferri debet.

Decimoquintò Quæritur, An Constitutio edita *in cap. Quanquam, de vsur. in 6.* contra vsurarios manifestos, protendatur etiam ad Iudæos manifestè vsurarios Principibus Christianis subiectos? hoc est, An testamentum Iudæi vsurarij manifesti, sit irritum ipso iure, quod constitutum est in prædicto cap. Quanquam. Putauere quidam, ad eos quoque protendi. Sed Rosella *verb. Restitutio 9. num. 34.* cum Francisco Aretino sentit Iudæos ea lege minimè comprehendi. Quam sententiam eo certè probabiliorem, & veriorem existimo: quam etiam sequitur Siluester *verb. Vsura. 9. quæst. 8.* Tabien. *Vsura 1. quæstio. 5. in octaua pœna.* Nam de ijs, qui foris sunt, non videtur ius in eo cap. Constitutum, decernere, vt eorum testamenta sint irrita.

Decimosexto Quæritur, An notarijs Christianis liceat instrumenta vsuraria inter Christianũ, & Iudæum conscribere? Negant quidam licere, id facere; nam syngraphàm vsurariam conscribere peccatum est, siquidem per eam vsurarius exigit vsuram à debitore. Medina *de vsura q. 4. ad 4.* prope finem, existimant eos non peccare, *quia huiusmodi*, ait, *Scriptura, solùm est testificatio rei gestæ, hoc est, mutui dati, & accepti.* Veluti si quis verbo testificaretur inter Christianum, & Iudæum fuisse initum contractum vsurarium certo anno, mense, & die. Præterea, cum ex Scriptura ipsa manifestè constet, vsurarium fuisse contractum, per eam syngraphàm debitor non adigitur ad soluendũ, sed consuetudine loci, vel auctoritate Magistratus ad id compellitur. Mihi hac in re videtur distinguendum, ita nimirum: si notarij à Iudæo vocati, in gratiam eius syngraphàm vsurariam conscribant, peccant; quia cum voluntate Iudæi vsuram exigentis consentiunt, & vnà cum eo operantur in vsuris exigendis. Si verò à Christiano vocentur, & in gratiam eius conscribant, culpam non contrahunt, quoniam stante Christiano, faciunt quę pro illo vsuras promittente: & proinde sicut Christianus minimè peccat in promittendis, & soluendis vsuris Iudæo: ita nec notarij non enim tunc cum Iudæo exigenti vsuras operantur, nec cum eius voluntate consentiunt; sed Christiano promittenti fauent, & hoc puto voluisse Medinam.

Decimoseptimò Quæritur, An Iudęo ad Christum sese transferenti possit Ecclesia remittere obligationem, qua ad vsuras restituendas lege naturali compellitur? Respondeo: Si certi, & noti essent ij, quibus vsuræ restitui deberent, iure non posse: quia esset cum illorum damno, & detrimento: *& mala* (iuxta Apostolum) *non sunt facienda, vt veniant bona.* Si autem incerti sint, & ignoti creditores, iure potest Ecclesia remittere: quoniam vsuræ deberent in pios vsus cõuerti, Ecclesia verò ius habet ea commutandi in alios vsus, qui in commune quoque bonum cedunt, atqui ex huiusmodi remissione facilior ad Christum Iudæorum conuersio redditur. *Rom. 3.*

Postremò Quæritur, An Episcopi, & Inquisitores possint in eos inquirere, qui è Christianis ad Iudæos transierunt? Respondeo, *in cap. contra Christianos, de hæret. in sexto*, esse constitutum, vt in tales inquirant, & animaduertant tanquam in hæreticos, & similiter contra Fautores, Receptatores, & Defensores ipsorum, veluti contra Fautores, Receptatores, & Defensores hæreticorum: Et ad crimen talium hominum probandum satis esse Christianorum, vel Iudæorum quoque testimonium. Sciendum est, Inquisitores posse procedere, non solum contra Christianos, qui consilium, auxilium, vel opem præstant ijs, qui ad Iudæos transeunt, vel redeunt; sed etiam contra Iudæos, qui inter Christianos commorantur, & viuunt, Si prædictum consilium, vel auxilium dederunt, vt habetur in constitutione quadam Nicolai IV. quæ refertur ad literam in Director. Inquisitor. *p. 2. quæst. 44.* Item, possunt in eos inquirere, qui ad Iudæos redierint post Baptismum susceptum, etiam si huiusmodi redeuntes, vt ibi dicitur, dum erant infantes, aut metu mortis, non absolutè, aut præcisè coacti, baptizati fuerint. Redire ad Iudæos illi dicuntur, qui prius fuerant Iudæi, postea Christiani effecti sunt, ij verò, qui nunquam fuerant Iudæi, sed semper Christiani, dicuntur ad Iudæos transire. Sic ibidem Glossa *in verbo, Redierint.*

Caput XXIII.

De Saracenis, & ijs, qui è Christianis ad eos transeunt, vel redeunt.

PRimò Quæritur, Quo pacto in iure Canonico Saracenorum nomen accipiatur in toto titulo de Iudæis, & Saracenis? Respondeo, id nomen, & esse gentis, & esse etiam impię, & nefarię sectæ. In iure Canonico, sicut etiam in præsentia, non accipitur primo modo, sed secundo. Porrò teste Iosepho *lib. 1. Antiq. cap. 20.* quem postea secuti sunt Eusebius, Hieronymus, Socrates, & Theodoretus, Sozomenus, & Nicephorus, quos citat in hanc rem Couar. *lib. 4. c. 9. var. resolut.* Agareni se Saracenos nominarunt ad ignominiam declinãdam, & contemptum fugiẽdum; nam cum genus ducerent ab Ismaele Abrahæ filio ex Agar ancilla suscepto, mendaciter finxerunt se è Sara originem traxisse. Ijdem igitur sunt Saraceni, quando est nomen gẽtis, qui Arabes, Agareni, Ismaelitæ, *Gen. 16.*

Gen.11.

Verius tamen videtur esse, quod scripsit Stephanus Græcus auctor *lib. de Vrbib.* Saracenos esse populos post Nabathæos in Arabia, tales dictos à Saraca Vrbe Arabiæ. Nam si à Sara Abrahæ vxore dicerentur, potius Sarani, quàm Saraceni vocarẽtur: Et Ammianus Marcellinus *lib.* 23. tradidit in Asia esse Albanos, Mare Rubrũ, Scenitas, Arabas, *quos*, inquit, *Saracenos posteritas appellauit.* Ex hac Saracenorum gẽte, vt scripsit Paulus Aemilius *lib. 7. in Francorum Historia*, delecta militum manus sub Heraclio Imperatore Christiano militabat, quãdo ille Regem Persarum Cosroam Paganum vicit, & cepit. Cumq; stipendiũ peteret; is ad quẽ ea res pertinebat, subiratus respondit: *Vix est, vnde Græco, & Romano militi soluatur, & hæc canum turba impudenter stipendium efflagitat?* Ad quam vocem ira succensi, ab Heraclio, & Romano imperio defecerunt: & in Syria aucti Damascum occuparũt: & inde aucto ex his, qui domi remanserant exercitu, Aegyptum ingressi, facilè ea potiti sunt, vicinorum Arabum commeatu, & auxilijs adiuti. Qui deinde Mahometi falsi prophetæ præceptis, & institutis imbuti, Persas bello petitos deuicerunt. Vnde factum est, vt nomen gentis in nomen sectæ Mahometanæ transierit.

Secundò Quæritur, An Episcopi, & Inquisitores ius habeant inquirendi in eos, qui è Christianis ad Saracenos transiere, redieréue? Respõdeo, iure Canonico expressè solum esse constitutum, vt inquirant in Christianos transeuntes, vel redeuntes ad Iudaicam perfidiam, *cap. contra Christianos de hæret. in 6.* Sed ex ratione in eo cap. reddita manifestè colligitur, vt dicitur in Direct. Inquisit. *p. 2. q. 45.* ius habere Inquisitores, & Episcopos animaduertendi in Christianos transeuntes, redeuntésue ad nefariam Saracenorum impietatẽ. Nam quemadmodum, qui transeunt, vel redeunt è Christianis ad Iudæos, à fide, & religione Christi deficiunt; & proinde tanquam apostatæ puniuntur; ita etiam verè sunt apostatæ, qui è Christiana fide transeunt, vel redeunt ad Saracenicã perfidiam, & impietatem. Talium item Receptatores, Fautores, vel Defensores puniri oportet tanquam Receptatores, Fautores, & Defensores hæreticorum. Et hoc locum habet tum in his, qui cum Christiani sunt, consilium, auxilium, fauorémue præstant prædictis hominibus, tum etiam in ijs Saracenis, qui cum inter Christianos commorentur, & viuant, prædictis consilium, auxilium, vel fauorem dare solent, vt habetur in quadam constitutione Pontificia Gregorij II. quæ incipit: *Admodum dolenter*, & refertur in Direct. inquisit. *par. 2. q. 45.*

Tertiò quæritur, Quæ sint interdicta Christianis cum Saracenis? Respondeo, *in c. Ita quorundam, de Iudæis, quod est Alexandri III. in Concilio Lateranensi*, sancitũ esse, vt Christiani Saracenis arma, ferrũ, & lignamina deferentes galearũ, dum ad impugnandos Christianos ea subministrant: & qui in galeis, & piraticis Saracenorũ nauibus regimen, & curam gubernationis exercent, excõmunicationi subiaceant, & rerum suarũ per Principes Catholicos, & Consules ciuitatum, priuatione mulctentur, & ipso iure capientiũ serui fiant. Idẽ ferè decernitur *in c. Quod olim. c. Significauit, cap. ad liberandam, de Iudæis*: & in Constitutione Ioannis XXII. quæ incipit: *Copiosius, de Iudæis*, & in alia Clementis V. cuius est initium: *Multa, inter communes, de Iudæis*: de quibus singulis in præsentia, eo quẽ proposuimus, ordine breuiter disseremus. Porrò hæc excommunicatio olim nõ erat omni ex parte Romano Pontifici reseruata: hodie verò reseruatur in constitutione Pontificia, *quæ Bulla Cœnæ Domini vocatur.* De hac excommunicatione tractãt Angel. *excommunicatio 5. casu 21.* Rosel. *absolutio. 1. num. 77. & sequentib.* Silu. *excommunicatio 7. casu 21.* Tabiẽ. *excommunicatio. 6.* Caiet. *in sum. excommunicatio, ca. 20.* Nauar. *in Manua. ca. 27. nu. 63.*

Quartò Quæritur, Quinam appellatione Saracenorum in his iuris communis capitibus accipiantur? Respondeo, eos omnes accipi, qui impię, & nefariæ Mahometi sectæ, atque perfidiæ inhærent, siue sint Turcæ, siue Tartari, siue Persæ, siue Arabes, siue Aegyptij, Africani, & Mauri. Præterea, non solum comprehenduntur Saraceni, qui actu Christianos oppugnant, sed etiam, qui habitu, id est, qui oblata occasione eos oppugnare solent, aut possunt. QVAERES, an nomine Saracenorum comprehendantur etiam Iudæi? Resp. ex iure communi Christianos arma ad Iudæos deferentes, non esse excommunicatione affectos, quoniam Iudæi nomine Saracenorum minimè significantur. At verò in Constitutione Pontificia, quæ dicitur *Bulla Cœnæ Domini*, excommunicatio comprehendit etiam Christianos, qui ad Iudæos arma deferunt: quoniam excommunicatio fertur in eos omnes Christianos, qui ad Turcas, Saracenos, & alios Christi nominis inimicos arma detulerint. Iudæi autem sunt Christiani nominis inimici. QVAERES deinde, an excommunicatio protendatur etiam ad Christianos deferentes arma ad Paganos, siue Ethnicos? Respondeo, ex iure antiquo communi ad eos non extendi: ex nouo verò Bullæ in cœna Domini, ad eos quoque protendi, dummodo tamen sint christiani nominis inimici, qui actu, vel habitu bella cum Christianis gerant. QVAERES insuper, an etiam excommunicatio comprehendat christianos arma deportantes ad hæreticos, præsertim ad eos, qui Catholicos oppugnant? Respõd. non comprehendere, nec ex iure communi, nec speciali Bullæ in cœna Domini, quæ promulgari publicè in Curia Romana solebat ante tempora Gregorij XIII. Nam hæretici appellatione Saracenorum non continentur, nec significantur vocibus inimicorum Christiani nominis. Sunt etenim hæretici, Catholici tantum nominis inimici, non Christiani. Nam, vt ait August. *lib. 18. de Ciuit. c. 51.* hæretici sub vocabulo Christiano doctrinæ resistunt Christianæ. At verò post tempora Gregorij eiusdem XIII. Bulla cœnæ Domini, sic habet: *Excommunicamus, qui equos, vel arma deferunt ad Saracenos, vel Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, vel hæreticos, per nostras, vel huius sanctæ Sedis sententias expressè, & nominatim declaratos*, quibus verbis excommunicatio fertur in eos etiam christianos, qui arma bellica deferunt ad hæreticos, non quoslibet, sed à Romano Pontifice lata sententia expressè, & nominatim denunciatos.

Quintò Quæritur, An hac excommunicatione afficiantur, qui arma vendunt christianis in Saracenorum terra habitantibus, vel negocian-

tibus

tibus,& eorundem imperio subiectis. Respõdeo, eos affici, quoniam eiusmodi Christiani sunt Saracenorum, vel Turcarum imperio, & potestati subiecti,& proinde cum voluerint Saraceni, vel Turcæ,ea in promptu habent: præsertim cum ea arma eiusmodi Christiani Saracenis, apud quos versantur, vendere,ac tradere soleant.

Sextò Quæritur, An etiam in excommunicationem incurrant, qui arma donant, vel vendunt Christianis, verbi grãtia, Græcis, vel Armenis, vel Venetis Constantinopoli commorantibus, vt ea occulta teneant in perniciem, & interitum Saracenorum, Turcarúmue? Respondeo, minimè, quoniam non tradunt Saracenis ad oppugnandos Christianos, sed potius Christianis in exitium, & necem Saracenorum.

Septimò Quæritur, An comprehendantur, qui donant, vel qui vendunt arma Saracenis in terris Christianorum habitantibus sub imperio, & potestate nostrorum Principum? Respondeo, nequaquam, tametsi eiusmodi Saracenis nostrorum Principum legibus sit interdictum, arma possidere. Comprehenderentur tamen, quando Saraceni probabiliter crederentur arma emere, vel accipere in eum finem, vt illa deferrent ad alios Saracenos extra nostrorum Principum ditionem, & imperium viuentes, vel commorantes, vel vt asseruarent occultè in perniciem Christianorũ: tunc enim isti Saraceni, quamuis non actu, habitu tamen Christianos oppugnarent.

Octauò Quæritur, An etiam comprehendantur dicta excommunicatione, qui arma deferunt ad Saracenos, qui bello Christianos contra alios Saracenos, vel Paganos, aut hæreticos defendũt, & adiuuant? Respondeo, minimè: quia licet Saraceni sint, & Christiani nominis inimici, Christianis tamen contra alios quos suis infideles, & impios, opem, & auxiliũ ferunt: & proinde si Christianis est liberum Turcas, vel Saracenos contra alios in sui auxilium vocare, (de quo inferius dicemus) liberum quoque erit, eis arma ministrare, & equos tradere, quibus nobis auxiliũ præstent.

Nonò Quæritur, An hæc excommunicatio afficiat eos, qui emunt à Saracenis equos, & deinde alijs Saracenis donant, vel vendunt: eos item, qui arma, vel alia quælibet prohibita ex vno loco Saracenorum, vel donatione accepta, vel emptione acquisita, ad alium locũ Saracenorum, aut Turcarum transferunt? Respondeo, Angelum, Siluestrum, Tabiensem *locis citatis*; & alios asserere, eos non affici. Quod probant, & confirmant ex declaratione Gregorij IX. in Constitutione, quę incipit, *Postulastis*; licet ea fuerit abrogata, vt constat *ex Proœmio Bonifacij VIII.* in sexto Decretalium. At Nauarrus censet, eos omnes hanc excommunicationem contrahere, quia reuera equos, vel arma deferunt ad Saracenos. Objicies, eos eiusmodi arma emisse ab alijs Saracenis, & proinde alios Saracenos, quibus vendiderunt, non esse effectos potentiores, validioresue contra Christianos: quia si ij, quibus Christiani arma, vel equos, vel alia prohibita vendiderunt potentiores euaserunt; alij à quibus emerunt, minus potentes, & valentes sunt redditi. Respondet Nauarrus, hoc nihil referre, quia per emptionem arma in Christianorum ius, & potestatem deuenere; & proinde quando venditione, vel donatione transeunt in alios Saracenos, eo ipso, arma, quæ facta fuerant Christianorum, cẽsentur ad Saracenos deferri.

Mihi tamen distinguendum videtur. Si enim Christiani equos indomitos, infirmos, & malè valentes emũt, & validiores, robustioresue redditos ad alium locum Saracenorum transferũt, in excommunicationem incurrunt, quoniam opem, & auxilium aliquo modo inimicis Christiani nominis ferunt. Idem igitur est, si arma, & alia prohibita transferant effecta meliora, & ad bellum aptiora. Si tamen hæc ex vno loco ad alium transferunt penitus in eadem substantia, quantitate, & qualitate permanentia, non mihi videntur in excommunicationem incidere.

Decimò Quæritur, Quid nomine armorum intelligatur? Respondeo, non intelligi omnia artium quarumlibet, sed militaris tantum artis instrumenta, quæ varia sunt, & multiplicia, vt ex Vegetio *lib. 2. de re milita. cap. 25. & lib. 4. cap.* 44. & ex Plinio *lib. 7. cap. 56.* planè colligi potest. Comprehenduntur autem arma, tum ea, quæ ad defendendum sunt, tum etiam, quæ ad offendendum, & pugnandum idonea, & apposita, vt scuta, galeæ, loricæ, gladij, hastæ, sagittæ, tela, & alia id genus multa. Item fustes, & lapides, non ad ædificia, sed ad machinas bellicas comparati, seu pilæ, siue globi lapidei, seu ferrei, qui vi tormentorum bellicorum solent excludi. QVAERES, an armorum etiam nomine contineantur cætera ad vsus alios, quàm ad militares, parata instrumenta ferrea? Respondeo, minimè: tales sunt cultri ad panem scindendũ, ad pennas aptandas, ad secandas carnes; tales etiam sunt secures, falces, ligones, rastra, perticæ, nouaculæ, fibræ, acus, claui, & similia. Nisi hæc ad Saracenos, vel alios Christiani nominis inimicos deferantur, quatenus aliquo modo vtilia esse possunt ad machinas vsue militares: tũc enim licet armorum appellatione minimè contineantur; deferre tamen Christiani prohibentur, quatenus sunt materia, & res, quæ potest Saracenos iuuare ad Christianos oppugnandos.

Vndecimò Quæritur, Quid Ferri nomine prędicta iura accipiant? Respondeo, ex communi omnium sententia, in Iure canonico, ea voce significari id, quod intelligit Ius ciuile *in l. Nemo, C. Quæ res exportari non debeant.* Vbi ad inimicos Romani Imperij deferri iure non poterat ferrum, tum factum, tum infectum. Sed dubiæ quæstionis est, quid significet ferrum factum, quid infectũ? Siluester nomine ferri facti intelligit ipsum ferrum, Infectum verò, ait esse eam terram, & venam ex qua ferrum elicitur. Caietanus verò, factum dicit esse, tum ferrum ipsum, tum omne genus armorum ex ferro confectum: Infectum verò, omnem cuiuslibet alterius metalli materiam, vt aurum, argentum, æs, plumbum, stannum. Sed melius alij, nomine facti ferri intelligunt, quicquid est ex ferro fabricatum, & potest vtile esse ad bellicos vsus; nomine verò infecti, ipsam ferri laminam seu massam exporrectam, vel cõglobatam, impolitam, ac rudem: & propterea Ferrum infectum vocatam. Et quia appellatio

ferri siue facti, siue infecti non adeo latè patebat, vt omne metalli genus comprehenderet; ideo in Bulla Cœnæ Domini, quæ nostris tẽporibus promulgari solet, explicatè dicitur, ferrum, filum ferri, stânum, chalybs, omniaque alia cuiusuis metalli genera, atque bellica instrumenta.

Duodecimò Quæritur, Quid Ius canonicũ appellet, *Lignamina galearum?* Respondeo, in primis, vtrumque nomen esse barbarũ, sed quia vulgus eo vocabulo vtebatur, eo quoque vti Ius canonicũ voluit, vt vulgus melius, & clarius quid prohiberetur, intelligeret. Quo fit, vt male quidam correxerint iuris canonici in eo *capite* Codices, qui *Ligamina galearum in locum, lignaminum substituerunt.* Deindè (vt quæstionem soluamus) Lignamina sunt, & dicuntur ligna ex quibus fieri solent, aut possunt triremes, & aliud quodlibet genus nauigij oblongi. SI QVAERAS, an hoc nomine significentur tantummodo ligna ad ædificandas triremes, & naues apta, & idonea, an verò etiam quælibet alia materia, ex qua confici possint instrumenta bellica? Resp. vbi Ius canonicum solũ prohibet lignamina galearum, eo nomine duntaxat intelligi ligna, materiam scilicet triremiũ, & nauium. Et propterea alia Iura absolutè prohibent quælibet lignamina: qua voce generali intelligitur omnis materia lignorum, ad quasuis alias machinas bellicas accommodata. Quin, vt omnis in vniuersum comprehenderetur materia, qua possunt Christiani ab hostibus oppugnari, additum est in prædicta Bulla Cœnæ Domini, *Canabim*, funes, tam ex ipsa canabi, quàm alia quacunq; materia, & ipsam materiam, aliaq; huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant. Sic in Bulla.

Decimotertiò Quæritur, Quid eorum verborũ appellatione, *deferunt, transmittunt, subministrant*, veniat in Iure canonico? Respondeo, his verbis comprehendi omnes, qui tum per seipsos, tum per alios prohibita deferunt ad Saracenos. Abbas *in cap. significauit, nu. 4. de Iudæis.* Deindè, his verbis comprehenduntur, non solùm ij qui exportãt prohibita, sed etiam ij, qui vẽdunt, qui permutãt, & qui quouis alio modo prohibita Saracenis tradunt, imò oẽs ij, qui maligno animo curant ea ad Saracenos aliquo modo transferenda: & proinde etiam ij, qui permittunt prohibita ad Saracenos transmitti, cũ tamen ratione sui officij, & muneris id prohibere deberent. Hinc est, vt hanc pœnam incurrat is, qui ad suũ defensionẽ arma defert ad Saracenos, eaq; postea recepto precio eis vendit, vel donat: & qui etiam suis armis munitus, & instructus Principem Saracenum adit; à quo postea rogatus, vel munere donatus, ea illi dono tradit, ne ingrat⁹ esse videatur. SI QVAERAS, quid de Christianis dicendum, qui arma ad sui defensionem delata, cũ alijs armis Saracenorum cõmutant? Resp. eos etiam Iuris pœnas cõtrahere, nisi Saracenorum arma essent meliora, cõmodiora, & vtiliora ad bellicos vsus: tunc. n. Christianus sua commutãs, potius arma Saracenis eriperet, quam traderet: quemadmodum etiã si Christianus miles, equum suum cum alio Saraceni equo ad bellũ aptiore commutaret. Non tamen cõprehenduntur, qui arma, aliaue prohibita ad Saracenos detulerũt, sed pœnitentia ducti eis minimè tradiderunt, sed reportarũt. At verò cõprehenduntur ij oẽs, qui arcem, vel oppidum armis instructum, vel nauem armis onustam, & munitam tradunt Saracenis. SED quid de ijs, quæres, qui pecunias, vel merces ad Saracenos deferunt pro captiuis redimendis? Resp. ex *c. Significauit, de Iudæis*, eos Iuris pœnas non incurrere, dummodo prohibita Saracenis nõ tradant, nec plus dent, quàm sit præcisè necessarium ad captiuos redimendos. At verò qui ad eam rem, nihil aliud haberet, nisi ferrum, vel arma, vel equos, meo iudicio non incideret in Iuris pœnas ea instrumenta Saracenis vendendo, dũmodo belli tẽpore nõ traderet. Præterea, nõ cõprehenduntur, si qui fame, vel vi compulsi, arma aliasue res prohibitas venderent Saracenis; vel si qui fœuiente bello se dederent Turcis, aut Saracenis, ne vnà cũ suis armis perirent, vel si qui depositis, relictisue armis fugerent salutis, & libertatis causa: nam, vt alias docuimus, leges humanæ hominum conscientias minimè obstringunt, & tenent, cũ probabili vitæ, aut libertatis discrimine. Nec itẽ comprehensi creduntur, qui ex prohibitis aliquid ita paruũ, & modicum deferunt ad Saracenos, vt lethalem culpam nõ contrahant: vt qui Saraceno admodũ pusillum pugionẽ, vel gladiolũ dono daret, qui parum, aut nihil ad bellicos vsus conduceret.

In lib. 3. t. 6. q. 6. & lib. 1. cap. 11. q. 1.

Decimoquartò Quæritur, Quid intelligãt Iura vocabulo *Necessariorũ ad impugnandos Christianos*, quid item nomine *Prohibitorum*, quæ vetant ad Saracenos deferri; quid demũ voce *Bellicorũ instrumẽtorum?* Respondeo, NECESSARIA intelligi, non solũ ea, sine quibus Saraceni contra Christianos simpliciter pugnare nequeũt, sed etiam sine quibus non ita cõmodè, & feliciter pugnarent: imò, & ea omnia, quæ Saracenos etiam aliquo modo iuuant ad pugnandum, velut cõmeatus, pecuniæ, & munimenta. Vnde in pœnas incideret, qui arma deferrent ad Saracenos, etiamsi plus armorũ possiderent, quam quibus opus haberent ad pugnam, licet Tabiensis aliter senserit.

PROHIBITA verò intelliguntur, quæcunq; speciatim, vel generatim sunt interdicta. Porrò *in c. Ita quorundam*, Quatuor expressim, & nominatim prohibentur: Deferre arma, ferrũ, lignamina galearum, & gubernare Galeas, & piraticas naues Saracenorũ. In *c. Ad liberandã*, additur quintum, videlicet, vendere galeas, & naues Saracenis, aut exercere gubernationẽ machinarũ bellicarum. In extrauaganti, *multa*, sextũ adijcitur, Deferre, portare, vel mittere equos, victualia, & alia quæcunq; mercimonia Alexandriam, vel in alia quæcunq; loca terræ Aegypti, vel extrahere, aut permittere, vt extrahãtur prohibita ex portubus Christianorũ ad Saracenos deferenda. In Bulla cœnæ Domini à temporibus Gregorij XIII. adiũguntur alia; nimirum, Deferre ad Saracenos, vel Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, filum ferri, stannũ, chalybem, omnia alia metalli genera, atq; bellica instrumenta, canabim, funes tam ex ipsa canabi, quã ex quacunq; alia materia, & ipsam materiã: & excõmunicantur, qui per se, vel per alium seu alios de rebus ad Christianæ Reipublicæ statum concernentibus in Christianorũ perniciem, & damnum, ipsos Turcas, Saracenos,

cenos, Christianæ Religionis inimicos certiores faciunt, illisq; ad id auxilium consiliũ, vel fauorem quomodolibet præstant. A Pontificatu verò Sixti V. additur: *Qui prædicta deferunt ad Christiani nominis inimicos, vel Hæreticos per nostras, siue huius Sanctæ Sedis sententias expressè, & nominatim declaratos*, &c. & Deinde, *aliaq; huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant.* Demùm additur: *Qui certiores faciunt Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos in damnũ Catholicæ Religionis.* Generatim verò prohibentur, quæ verbis tantùm generalibus interdicuntur. In c. *Ita quorundam*, vnum illud est: *Subministrare necessaria ad impugnandos Christianos, quatenus sunt talia, hoc est, quatenus in eum finẽ diriguntur, vt Christiani oppugnentur.* Alterũ in c. Quod olim, scilicet, *Deferre ad Saracenos quaslibet merces belli tẽpore, vel per se, vel per alios eis aliqua rerũ subsidia præstantes.* Tertiũ est in c. Ad liberandã, *Auxilium ferre, aut consiliũ dare quomodolibet in damnũ Terræ Sanctæ.* Quartũ habetur in Extrauaganti, multa, de Iudæis, inter cõmunes: *Victualia, & mercimonia deferre ad loca Saracenorum Aegypti.* Quintum est in eadẽ extrauaganti, Multa. *Opẽ, vel fauorem præstare quomodolibet Saracenis Aegypti.* Sextũ, In Bulla cœnæ Domini: *Deferre prohibita, aut certiores facere Christianæ Religionis inimicos, aut Hæreticos de rebus ad statum Christianæ Reipub. pertinentibus in damnũ Christianorum, vel Catholicæ Religionis, vel illis ad id auxiliam, consilium, vel fauorem quomodolibet dare.* Nomine aurem bellicorum instrumentorum intelliguntur liui, tubæ, cornua, & alia similia, quibus solet vti ars militaris, & bellica.

Decimoquintò Quæritur, Quo modo intelligatur excommunicatio irrogata *in c. Ita quorundã*, ijs, qui in galeis, & piraticis Saracenorũ nauibus regimen, & curã gubernationis exercẽt? Animaduertendum est, nomen *galeis*, omitti *in c. Ad liberandam, de Iudæis.* Item, totam hanc clausulam prętermitti in Bulla cœnæ Domini. Et quamuis Ioann. Andr. Antonius Butrius, & Ioannes Anania insinuent omnes Christianos, qui in Saracenorum nauibus quomodolibet inseruiunt, comprehendi: Abbas, & Felinus, omnes Christianos, qui in prædictis nauigijs remigant: Caietanus, omnes, qui earum nauium curam habent: verius tamen est, eos solos, & omnes includi, qui regimen, vel curam gubernationis exercent in galeis Saracenorum, siue piraticæ sint, siue secus: & qui id præstant in piraticis eorum nauibus. Quo fit, vt naues Saracenorum onerariæ excludantur. Neque hac excommunicatione afficiuntur omnes, qui nauigant, nec qui Saracenis inseruiunt in triremibus, vel piraticis nauibus eorum ad alios vsus à gubernatione distinctos: nec remiges, qui tanquam serui capti, vel mercede conducti in remigando Saracenis inseruiunt. In excommunicationem autem incurrerent, si eos iuuarent in pugna contra Christianos, vel remigando, vel arma tradendo, aut subministrando alia prohibita, vel auxilium, vel consilium quomodolibet dando.

Decimosextò Quæritur, An tempore inducirum liceat Christianis prohibita, vel alias merces ad Saracenos importare? Respondeo, ex communi omnium sententia, id esse interdictum. Inducię enim sunt ad tempus, in quo cessatur à bello ad certum diem inter hostes ex conuento, & pacto: quare quæ Christiani prohibentur ad hostes deferre tempore belli, prohibentur quoq; tempore inducirũ deportare, vt colligitur ex Iure ipso communi. Sciẽdum est iure ciuili eos, qui arma deferebant ad Barbaros, hoc est, ad alienigenas, qui in Romano Imperio non erant, capitali sententia, & publicatione bonorũ damnari solitos fuisse, *l. vlt. C. quæ res exportari non debeant*: puniebantur itaque huiusmodi homines, vt rei maiestatis, *l. cuiusque, ff. ad legem Iuliam maiestatis.*

Decimoseptimò Quæritur, An Christiani à Turcis capti, vel à Saracenis, & serui effecti, & remigio mancipati, & addicti, lethalem culpam, & proinde excommunicationem contrahant, cum iussi remigant in bello contra Christianos metu mortis, verberũ, aliorumue cruciatuũ, quæ mala alioqui sustinerent, si à remigando desisterent? Nauarrus in Manua. *c. 27. nu. 63. versic. Septima*, quòd Christiani, existimat eos quidem in excommunicationem non incurrere, sed tamen lethalem culpam contrahere, & proinde absolui non posse à peccatis, nisi remigandi mentem, & voluntatem exuerint. Priorem partem probat: *quia verisimile*, inquit, *non est, Ecclesiam excommunicatione eos ferire in tanto periculo constitutos, eos verò à lethali culpa non liberat, quia putat contra Christianos remigare, esse per se malum, & proinde, nec iussu dominorum, nec metu mortis à culpa excusari: non secus, ac si Saracenus seruo Christiano imperaret, vt furaretur alteri, vel aliquem hominem occideret. Deinde, quia Saracenorum bellũ cõtra Christianos est iniquum: ergo eis etiam metu mortis inseruire Christiano seruo non licet. Præterea, quia huiusmodi remiges, qui operam suam in remigando ponũt, Saracenos aliquo modo contra Christianos iuuant.* Hæc Nauarrus.

Mihi autem aliud videtur: purò enim, remigare, in eo, qui tanquã seruus est remigio addictus, & traditus, esse rẽ per se indifferentem. Est enim proprium, serui ad id destinati, munus. Vnde, sicut Nahaman non peccabat, tametsi suo Principi inseruiebat in templo Idola colenti, dum Regis imbecillitatem suis manibus sustentans, vnà cum eo sese inclinabat, suo enim munere fungebatur: nec ancilla peccat, si dominam Ethnicam, & gentilem comitetur gestando caudã, & simul cum ea, in templo Idolorum genu flectat, nõ quidem, vt Idolum veneretur, sed vt suum officium præstet: ita etiam Christiani in seruitutem redacti, & destinati remigijs, nequaquam peccant in remigando. 4. Reg. 5. NB

At dices, Remigant cõtra Christianos. Fateor. Sed hoc illi faciunt, vt suo Officio, & muneri Iatisfaciant: nec enim illi suã volũtate, & arbitrio sunt remiges effecti; neq; eis præcipitur solùm, vt remigent contra Christianos, sed vt absolutè, & simpliciter remigent, quod non est per se malum opus. Quare cũ remigare duro dominorum imperio, & iussu coguntur, minimè adiguntur ad id præcisè contra Christianos prestandum, sed simpliciter, & promiscuè contra oẽs, vt ita suum officium exequantur, & obeant. Aliud verò esset, quando iuberentur arma capere, & pugnare cõtra Christianos, aut furari, aut innocentem hominem occidere: hæc enim sunt per se mala, & proinde nullo metu etiam mortis facienda.

Ad id verò, quod obijciebatur, nimirũ, Christianos in remigãdo Saracenis opitulari: respõdemus,

mus,eos per se solum, quod debent officium, & ministerium, præstare, ex accidenti verò consequi,vt in eo Saraceni iuuentur, qui nõ est eorum propositus finis:nec tamen inde efficitur, vt iure possint cõtra Christianos remigare,etiam quãdo ad id nullo metu adigerentur: tunc enim cũ omnis metus,& periculũ abesset, lege charitatis desistere à remigando deberent,cũ possent citra vllum incõmodum,Christianorum libertati, saluti,& vitæ prodesse. At verò tanto cũ suo detrimẽto,& malo, nulla lege compelluntur ad consulendũ aliorum vitæ,& bono. At cõmune bonum, inquies,iure naturæ debet priuato præferri. Non diffitemur id lege charitatis Christianos præstare oportere, vbi Saracenis, vel Turcis, pugna esset contra certam Christianorũ Rempublicã,aut contra Regem,vel Principem: sed in præsentia sermo tantum est de seruis Christianis, qui remigant in triremibus,vel nauigijs Saracenorũ contra priuatos Christianos pugnantium.

Decimoseptimò Quæritur,An Saraceni Christianorum Principum iurisdictioni subiecti,puniri queant ob delicta contra legem naturæ commissa, aut contra Deum in ijs, quæ sunt illis nobiscum communia? Respondeo, posse:vt si furta, adulteria, parricidia, vel homicidia perpetrant, quoniã sunt crimina contra cõmunem Reipublicæ salutem,cuius ipsi quoq; sunt participes. Si itẽ Idola venerentur,si Deum negent vnum esse,si in Christũ religionémue Christianã maledicta conjciant: si Christianos in Christi, aut Christianæ Religionis odium, ignominiam, aut contemptũ malè habeant: Si Sanctorum imagines conculcent,reliquias proterant, si cruces prosternant, résue alias sacras impiè, & nefariè polluãt, violent,aut tractent. Vndè meritò à Christianis Imperatoribus piè sancitæ sunt leges, vt Idolorum templa clauderentur, & impia sacrificia cessarent,quod iussit Constantinus Magnus, *l. placuit, C. de Paganis*: & vt euerterentur, quod est postea à Theodosio imperatũ: nam ait Niceph. lib. 9. hist. eccl. c. 25. *primus Constãtinus sacrificare Dæmonibus prorsus prohibuit, aras autem eorum non sustulit, mandato illo promulgato, vt deorũ fana clausa essent, ne ab aliquo adiri possent,idem filij eius fecere:sed Theodosius legem tulit, vt deorum fana diuerentur.* Teste igitur Nicephoro, simulacra, & statuæ deorum deijciebantur, frangebantur,& comminuebantur. Editæ quoq; sunt imperatorię leges,quibus Pagani in Christum,& Christianam religionem contumeliosi,& iniurij pecuniarijs pœnis,atque etiam bonorum publicatione mulctarentur.

Decimo octauò Quæritur, An liceat Christianis Principibus impunè permittere Saracenorũ ritus? Respõdeo,ex parte licere,ex parte verò nõ licere. Si ritus sint ita superstitiosi, vt nec eorum sectæ,quam superstitiosè profitentur,congruẽtes sint, nequaquam eos tolerare Christianum Principem decet:quia,& à Christiana religione,& ab eorummet secta, quamuis impia, sunt alieni. Si tamen sint ipsorum proprij, nec à veteri,& antiqua professione discrepent,permitti, & tolerari possent ad plura,& deteriora mala euitanda; nimirum ad communem pacem Reipublicæ tuendam,ad dissidia,& odia profligãda, ad expeditiorem eorum conuersionem. Nam cum eorũ vana, & superstitiosa secta, tota vndiq; erroribus scateat,ac fœteat, faciliùs, citiùs, & cõmodiùs possunt hac ratione confutari.

Caput XXIV.

De Paganis.

PRimò Quæritur,quosnã Ecclesiastici scriptores Paganos appellent? Sciendũ est,Hebræos Gentium nomine appellare consueuisse oẽs eos, qui erant alieni instituti,& aliorũ morum, & rituum,alterius legis,& generis: quo modò item Græci erãt soliti vocare Barbaros quotquot Græci natione non erant. Sacri igitur Scriptores Paganos appellare cœperũt oẽs Idolorũ cultores. QVAERES quando Paganorũ nomen cœperit in Ecclesia introduci, & quare Idolorũ cultores sint dicti Pagani? Dubitari non potest, Paganorũ nomen in Ecclesia vsurpari cœptũ esse temporibus Christianorum Imperatorũ, Constantini,Iouiniani,Valentiniani,Theodosij, Gratiani, Arcadij,& Honorij. Vnde apud Augustinũ, Optatum Mileuitanum,Orosium, Arnobium, Philastrum antiquos scriptores,frequenter legimus Gentiles hoc nomine vocatos. Porrò Philaster *lib. de Hæresibus cap. 3.* Paganos dictos fuisse putat à Pagano quodam huius nominis,quem ait fuisse filiũ Deucalionis, & Pyrrhæ,regemque potentem, & inclytum,& proinde tanquam Deum habitum. Sed mirum profectò est, si ab eo rege sunt dicti Pagani, quo pãcto ante tempora paulò antè cõmemorata Idolorum cultores nusquam gẽtium legamus dictos esse Paganos. Isidorus *libro 8. cap. 10. Etymologiarum: Pagani*, inquit, *dicti sunt ex Pagis Atheniensibus ex quibus orti:ibi enim in locis agrestibus, & villis Gentiles,Lucos,Idolaq; sua, & delubra constituerunt, & ideo Idolorũ cultor cœpit appellari Paganus.* Cæterũ hæc ab Isidoro ratio etymologię tradita mihi nõ placet,eadem ratione, qua Philastrij sententia displicuit. Beda, *in Cantic. lib. 6. cap. 30. & in Marc. c. 15. in Luc. lib. 6. c. 23. & hom. in Fer. 3. palm.* dictos esse Paganos voluit à villis, quas pagos Latini vocare consueuerunt: à villis verò tales dictos esse contendit, quòd lõgè distẽt à superna,& cælesti ciuitate. At enim mystica est hæc etymologia: nos verò propriã, historicã,& quã vocant literalem perquirimus,nec dubitamus plures simul rusticas domos, hoc est,villas vocari Pagos, & inde Paganũ, hoc est,rusticũ,qui ruri natus,& educatus sit,& Semipaganũ,hoc est,semirusticum; sed quærimus, cur Gentiles dici cœperint Pagani, quãuis vrbani essent? Alciatus *Paterg. lib. 1. c. 13.* mysticè quoque hoc nomen exponit,cum ait, *Idolorum cultores dictos esse Paganos, eo quòd non sint adscripti Christianæ militiæ, qua quis aduersus Diabolũ arma capessit.* Connanus etiam *lib. 9. Comment. cap. 13. Pagani*, inquit, *dicti sunt Gentiles, eo quòd non essent milites Christi, qui solut dignus est, cui militemus. Legimus enim latinè dictos esse Paganos, quotquot à militia erant immunes, & liberi.* Apud iurisconsultos contraria sunt Miles,& Paganus,vt cõstat ex Marcello *l. quædam ff. de Pœnis, & l. 1. C. de milit. testam. l. si ignoras, ff. locat. l. ius nostrum, ff. de reg. iur.* Mihi tamen eorũ magis sententia probatur,qui putãt à temporibus Christianorũ Imperatorum, Gentiles,nomine Paganos vocari cœpisse, eo q; impe-

ratorijs

ratorijs legibus claudi cœperãt Idolorum fana, & delubra, & sacra Gentilium prohiberi in oppidis: quare pagos, villas, & agros adire cogebãtur, & illic suos deos colere, & superstitiosa sua sacra facere. Vrbibus igitur exclusi, in pagis, & villis suos inanes deos colebant, & venerabantur, vnde & Pagani dicti sunt. Scribit Theodoretus *li. 3. hist. c. 3.* Constantinũ Magnum pugnaturum contra Magnentium tyrannum, milites oẽs sic voluisse paratos ad bellum difficillimũ, videlicet, vt sacro oẽs baptismate initiarentur: Gentiles autẽ, qui id facere recusarent, immunes à militia domos suas redirent. Ex quo verisimile etiã est, cœpisse Gentiles Paganos dici ea significatione, qua Paganos Latini eos nominabãt, qui erant à militia immunes, & liberi. Quidquid sit, certum est, Gentiles vocari Paganos. Aug. lib. 2. retract. c. 43. *Deorum falsorũ cultores vsitato nomine Paganos vocamus.*

Secundò Quæritur, An Pagani Christianorum principũ potestati, & iurisdictioni subiecti, cogi queant, vt fidẽ Christi recipiant. Minimè, vt colligitur *ex c. de Iudæis, c. qui sincera, d. 45. & c. sicut, de Iudeis, & docet S. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 8.* cuius sententia est, cõmuni consensu recepta, cũ enim credẽdi actus sit voluntarius, ac liber, quempiam ad Fidẽ adigi minimè patitur. Nec solum Christiana fides à vi omni atq; coactione debet esse aliena, sed etiam absque metu mortis, seruitutis, carceris, supplicíorum, aut similium malorum suscipienda est. nec enim vsquam legimus cuiquã hæc mala ideo incussa fuisse, vt ad fidem, & religionẽ Christianam traheretur.

QVAERES, An muneribus, & donis, officijs, & obsequijs Infideles ad fidẽ allici possint? Resp. iure posse, cũ id nihil humanę voluntati deroget, aut libertati. Ex quo infertur posse fidelẽ fœminam, remoto quolibet iure humano scripto, cum Pagano cõuenire, ea conditione: Te in virum accipiam, si sacro baptismate initiabere. Princeps item, tuta conscientia suam fidem obligat, ea cõditione, vt qui baptismum susceperint, à certis tributis, vectigalibus, & oneribus sint immunes. Præterea, si qui fuerint rei capitis, eadem conditione, & pactione possunt vita donari. Neq; enim in his vlla vis infertur. Nec Simonię crimen contrahitur, quoniam temporale commodum pro re spirituali non datur, sed officijs, Pagani volũtatem, & animũ cõciliamus, & ad id, quod alioqui de iure diuino præstare deberet, nobis deuincimus, & ad suæ salutis studium, & amorem inducimus.

Tertiò Quæritur, An ijdem Pagani iure compellantur ad Euangelium audiendum? Quidã arbitrãtur, eos minimè ad id posse cõpelli, eam ob causam, quòd Euangelij auditio ad Fidem amplectendam per se directò tendit: sed ad credendũ adigi nequeunt, ergo nec ad audiendum compelli. Cæterum alij putant, eos cogi ad audiendum iure posse: quoniam eo facto tantum curatur, & efficitur, vt sacris diuini verbi concionibus interfint. nec enim rectè inde concludas, eos proinde ad credendum compelli. Mihi sanè hoc probabile apparet: atq; huic sententiæ fidem faciũt, quæ extant pontificiæ cõstitutiones, quibus præcipitur Iudæis, vt certo quodam hebdomadæ die conuocati, aliquem Theologum doctorem, aliumue idoneum virũ audiant. Id iussit Gregorius XIII. in constitutione, quæ sic incipit: *Sancta Mater Ecclesia*, & ante eum Nicolaus III. aliam ediderat, qua iubebat, nunciari Euangelium Iudæis, & eos ad audiendum conuocari.

Quartò Quæritur, An Pagani Iudęi, vel Saraceni ex oppidis, omniq; Christianorum ditione iure expelli, & ejci queant, ea tamen lege, & conditione, vt si remanere velint, Christi Domini religione, & sacris imbuãtur, & sancto baptismate regenerentur, datis inducijs, & deliberandi tempore constituto: sin minus relictis sedibus proprijs ad alienas confestim sese conferant? Respõdent aliqui, posse. Nam quamuis Oldradus, Alexander Imola, & Socinus, Corsettus, Albericus, quos citat Simancas *de Cathol. instit. tit. 35. nu. 6.* docere videantur, Principem Christianum, nõ posse è terris suis expellere Iudæos quietè, & pacificè viuentes, propterea, quod eis iure naturæ charitas, æquitas, & misericordia debeantur, & nullus innocens suis rebus, & præsertim domicilio sit spoliandus; & Ius canonicum veret, eos vlla molestia affici. Attamen id inquiunt, sub nostrã ferme ætatem in Hispania à Rege Catholico Ferdinando huius nominis V. factũ fuisse legimus, vt tradit Simanc. *de Cathol. instit. tit. 35. nu. 7.* ex multorum hominum doctissimorum consilio, & sententia. Iussit enim Saracenos, & Iudæos quoque ab Hispanis discedere, quo vellent intra quadrimestre temporis spatium: vt vel ad fidem, & religionem Christianam conuerterentur, vel bonis suis omnibus venditis ab Hispania decederent: eis tamen, qui sacro baptismate intingi cuperent, remanere concessit. In hoc enim vis simpliciter nõ infertur; sed libera optio datur, vt vel Christianorum prouincias deserant intra certum tẽpus, vel Christiani fiant. Hinc Iustinianus Imperator, vt Paulus Diaconus auctor *est in vita eius*, tertio sui imperij anno legem tulit qua ex suæ ditionis terris Paganos, & Hæreticos exclusit, datis inducijs trium mensium, vt conuerterentur ad Christum, si vellent. Et in Concilio Toletano *6. cap. 3.* teste. L. Marineo Siculo *lib. 19.* & Albertino *in Rubri. de hæretic. in 6. q. 2.* & Simanca. *de Cathol. instit. tit. 35. num. 9.* constitutũ est in hunc modum: *Inspiramine summi Dei, Excellentiss. & Christianiss. Princeps ardore Fidei inflammatus, cum regni sui Sacerdotibus, præuaricationes, & superstitiones Iudæorum eradicare voluit funditus, nec siuit degere in regno suo eum, qui non sit Catholicus: & vt quisquis succedentium temporum regni fortitus fuerit apicem, non ante conscendat regiam sedem, quàm inter alia conditionum Sacramenta pollicitus fuerit, nullum non Catholicum in regno suo se permissurum.* Sic ibi: Nec desunt iustæ, & debitæ causæ, cur ejciantur: nã multa impiè, & nefariè peccant contra Rempublicam Christianam. Porrò Principibus minimè liceret Iudęos, Saracenos vel Ethnicos suis finibus ejcere, fortunis, rebus, ac bonis priuatos: tunc enim bonorum illi suorum veriti iacturam, ad Christi fidem compelli viderentur.

Simancas. de Cathol. instit. tit. 35. num. 6.

Quintò Quæritur, An etiam Pagani adigi possint a Principe Christiano, in cuius ditione versantur, ad deorũ suorum cultum abijciendum, ad legem naturæ seruandam, ad idolorum aras, delubra, & fana deserenda, ad ritus superstitiosos respuẽdos, ad omnẽ demum impietatẽ sacrilegã

repudi-

repudiandam? Respõdeo, Christianos Principes, & Imperatores olim leges sanxisse, quibus hæc abolerentur. Nam, vt constat ex Codice Theodosiano. *l.2.& 4.& 6.& sequenti. Tit. de Paganis sacrificiis, & templis*, Constantinus Magnus præcepit *l.4.* vt Idolorum fana clauderentur. Et *l.vlt.* Theodosius, & Valentinianus imperarunt, vt omnia fana, & delubra diruerentur, & alij Imperatores interdixerũt Paganis sacrificijs, & ritibus vanis, & superstitiosis. Et in Conc. 5. *Carthag. can.* 15. decretũ est, vt patres peterent ab imperatore, vt quæcunque residuæ essent superstitiones gentilium, omninò delerentur, siue in lucis, siue in arboribus, siue in simulacris. Paulò etiam supra tradidimus Gregorium XIII. Cõstitutionem edidisse, in qua Iudæis multis rebus interdixit: quæ Cõstitutio non solũ contra Iudæos, sed generaliter cõtra Infideles quoslibet edita fuit. Ex quibus omnibus patet, posse Paganos legib⁹ Principis Christiani, cuius ditioni, & imperio subijciuntur compelli, vt vnũ Deum reuereantur, Idolorum cultũ abijciant, leges, & iura naturæ custodiant, nihil deniq; in contemptum Christianorum, & rerum sacrarũ audeant perpetrare. Nã hoc ipso, quòd Christiani Principis ditioni subiecti sunt, quem admodum cogi possunt eas leges seruare, quæ ad commune Reipublicæ bonum, videlicet salutẽ, tranquillitatem, & pacem pertinent; quoniã interdici eis potest, ne noctu arma deferant, ne tributa denegent, ne pacta perfringant, ne promissa violent, ne frumenta extrahant, ne furta, adulteria, homicidia committant: sic etiam adstringi possunt ad germanum, & verum cultum vni Deo bonorum omniũ auctori deferendum, ad Idola è medio tollenda, ad iura naturæ conseruanda. Cæterum Christiani prohibentur in Paganos irruere, aut eorum bona diripere priuata auctoritate. *l. Christianis, C. de Paganis*, quæ lex lata est, ab Imperatoribus Honorio, & Theodosio.

Sextò Quæritur, An Princeps Christianus, videlicet Imperator, Rex, Romanusue Pontifex ius habeat, & potestatẽ inquirendi, & animaduertẽdi in Paganos sibi non subiectos, ea ratione qua infideles sunt? Hanc quæstionem tractat Couar. *in regul. peccatum, p.2. §.10. num.1.* Hostiensis Augustinus Anconitanus, Aluarus, Pelagius, Oldradus, quibus videntur assentiri Ioann. Andr. Panormitanus, Albertinus, & alij Canonici iuris interpretes, quos oẽs citat Couarru. *loco citato*, tradiderunt, Ecclesiam ius habere contra Infideles agendi, si generalem eius in totum terrarum orbem sibi à Christo Domino potestatem traditam recusent, & negligant. Censent enim illi Christum Dominum, vt hominẽ, ius, & potestatem in oẽs terrarũ nationes, & gentes à Deo accepisse, quemadmodum ipse dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*: & hanc auctoritatem Petro tanquam suo in terris Vicario, eiusq; successoribus reliquisse, & proinde posse Romanum Pontificem Principi Christiano vices suas demãdare, vt in Gentes inquirat, & animaduertat, propterea quod Christianæ fidei renuant sese submittere.

Communi tamen Theologorum consensu recepta est sententia eorum, qui negant esse penes Ecclesiã id iuris, & potestatis. Sic Innocen. Cardinalis, Dominicus, inter Canonici iuris interpretes, sic etiam S. Thomas, Antonin. Silu. Caiet. & alij Theologi, quos omnes refert, & sequitur Couar. *in regul. peccatum. p.2. §.10. num.2.* proinde Paganos non sine iniuria ad Fidem recipiendam compelli. Neque enim eo iure, & auctoritate Ecclesia hactenus est vsa. Christus quoq; Dominus præcepit quidem, vt omnes fidem eius, & religionem susciperent, si salui esse vellent; ita tamen, vt quisque ad Fidem sponte veniret, non autem, vt traheretur inuitus.

Septimò Quæritur, An penes Principes Christianos sit ius cõpellendi Paganos sibi non subditos ad audiendũ Christi Euãgelium? Quidam negant, ea ratione ducti: sicut eis liberũ est credere, ac fidem habere, sic etiam, & sacrũ Euangeliũ audire. Alij verò affirmant, putant enim, non idem esse iuris de credendo, quod est de audiendo. Nõ enim consequens est, vt si ad audiendum adigantur, eo ipso, compellantur ad credẽdum; quilibet enim potest spõtè ac libere audita credere. Equidem negari non potest, quin si viri probatæ vitæ, & spectatæ virtutis mitterentur ad Christi Euãgelium Paganis annunciandum, iure naturali digni essent, qui audirentur, nec iure vllus Paganorum Princeps, aut prohiberet, quo minus Pagani, qui vellent, Euangelium audirent, aut idoneos Christi nuncios ac præcones, & interpretes impediret, ne illud annunciarent. Alioqui enim his, aut illis vim, & iniuriam manifestam afferret. ita Couarr. *in regul. peccatum. p.2. §.10. nu.3.* vbi id colligit ex S. Tho. Cai. & alijs.

Octauò Quæritur, An Princeps Christianus iure possit Paganos debellare, eo nomine, & causa, quòd Idola, & simulacra inanium deorũ, veneretur, & colant? Lyranus, & Abulensis Episcopus, Alphonsus Castrus, Aluarus Pelagius, vt refert Couarr. *in regul. peccatum. p.2. §.10. nu.5.* insinuare videntur, id posse: quod probant tum *ex c. Si de rebus. 23. q.8.* tum auctoritate diuina: nam Deus iussit Israeli populo Chananæos, aliasque gentes Idolorum cultrices expugnare, concidere, & delere, ac perdere. Alij verò contra arbitrantur id fieri iure non posse: quoniam Pagani licet Idola colendo grauiter peccẽt: Principibus tamen Christianis nullo iure subiecti sunt. Nec enim si vnius Reipublicæ ciuis delinquat, alia Respublica ius habet in eum inquirendi, & animaduertendi. Horum sententia mihi certè magis arridet.

Nonò Quæritur, An quia Pagani naturæ leges, & iura violant, à Christianis Principibus iure puniri possint: ita, vt ad legem naturæ seruandã cõpelli queãt? Duæ sunt opiniones: prima affirmat, quam probant Innocentius, Hostiensis, Io. Andr. Augustinus, Anconitanus, Panormitanus, Aluarus, Pelagius, Antoninus, Siluester, quos citat Couar. *in regu. peccatum. p.2. §.10. nu.4.* Ratio eorum est: quia quisq; ex rationis præscripto viuere debet: ergo si naturæ iura labefactet, corripi, ac puniri potest. Altera opinio id prorsus negat, estq; Turrecremata Cardinalis, Francisci Victoriæ, Soti, vt testatur Couarruuias, *loco citato*, ob eam rationem videlicet, quoniam licet Pagani naturæ leges, & iura perfringant, non sunt idcirco tamẽ illi Christianis subiecti Principibus. Occurres: Respublica omnis ius habet sese defendendi, ac tuendi: ergo si Paganus Princeps iura naturę per-

uertat,

uertat, aut passim à suis populis peruerti impune sinat, regnareq; omnium malorum licentiâ; poterit seipsam tueri, ac proinde Christianos Principes ad sui auxilium vocare. Respondeo, auctores tantum loqui de ijs casibus, in quibus Ethnicus Princeps vnà cum gentibus, & populis sibi subiectis iura naturæ, & leges conuellit; non autem de ijs, in quibus Princeps ius naturæ violat populo sibi reclamante.

Mihi in hac controuersia respondendum posita distinctione videtur. Aut enim Pagani id ius naturæ non seruant, quod debitum Deo cultum, & honorem tribuendum præscribit: aut id, quod cuiq; homini reddendum, quod suum est, iubet. Si loquamur de priori iure naturæ, nequeunt Pagani iustè puniri, eò quòd diuinũ cultum, & honorem despiciant. Si verò de posteriore, quo ius naturæ dissoluunt, perrumpunt, & negligunt, puniri iure queunt: vt si furta, latrocinia, adulteria, homicidia, falsa testimonia, incestus, stupra, aut perpetrent ipsi, aut liberam concedant facultatẽ huiusmodi mala perpetrandi, aut passim in alijs, quos iure suo ab ijs malis coërcere possunt ac debent, sine vlla pœna supplicioq; permittant. His enim legibus naturæ violatis, planè consequitur, vt innocentes multis damnis, incõmodis, & malis afficiantur. Iure autem naturali innocentum iniurias propulsare, & possumus, & debemus. Item, quia eiusmodi mala communi Reipublicæ saluti, paci, & bono officiunt, & nocent.

Decimò Quæritur, Quibus in rebus Principes Christiani ius habeant cõtra Paganos agẽdi? Respondeo, cum Couarruuia, *loco citato nu.3.* Primò in eo, ne aditum præcludant idoneis Euangelij nuncijs ad eos destinatis, eos excludendo, aut indignè, & contumeliosè tractando. Deinde ne in Christum eiusue religionem, & fidem probra, & maledicta conijciant. Præterea, ne eos impediãt neue remorentur, qui se ad Christum conuertendi desiderio tenentur. Item, ne eos persequantur, qui Christi Euangelium audire cupiunt, student, aut, annunciandum sibi, & audiendum curãt. Insuper, ne quouis modo ad Christũ conuersos infestent, opprimant, vexent. Tum etiã, ne vi, metu, minis, mendacijs, fraudibus alios inducant ad simulacra deorũ veneranda, ad thus eis adolendũ, aut ad legem naturæ peruertendã, aut ad susceptã Christi fidem deserendã: non tamen si exemplo, verbis, monitis, precibus, muneribus ad id eos alliciant & inuitent. Postremò, ne suos, vel alios vanis suis Dijs immolent: item ne eos permoueant, ac incitent ad immolandos homines, vt dijs suis inseruiant, vel ad eos mactandos, vt vesci queant eorum carnibus more ferarum. Sed quid, si sontes homines alioqui capitis pœna damnati, dijs immolari apud eos Ethnicos soleant, aut mactari, vt eorum carnes edantur? Respondeo, nihil hoc referre: sontes enim iure quidem capite puniuntur, nefariè tamen, & impie dijs immolãtur, aut ob humanarum carnium esum necantur.

Vndecimò Quæritur, An Ecclesia superstitiosos inaniũ deorum ritus iure toleret in Paganis Principũ Christianorum ditioni, & imperio subiectis? Respondet S. Thomas *2.2.q.10.ar.11.* aliquando iure permittere, eã scilicet ob causam, vt plura, vel grauiora, & deteriora mala vitentur; qualia forent, si Pagani inde grauiter offenderẽtur: si dissidia, & odia inde oritura probabiliter crederentur, si ad Fidei, & Religionis Christianæ dogmata amplectẽda, aditus difficilior redderetur.

Duodecimò Quæritur, An Ecclesia citra iniuriã Paganos sibi subditos priuet dominio Christianorũ seruorũ? Respondet S. Thom. *2.2.q.10.ar.10.* Ecclesiã primis Christianæ Reipublicæ nascẽtis initijs permisisse, vt Pagani ius, & potestatem haberent in Christianos seruos: postea tamẽ eos oẽs in libertatem vindicasse: atq; id meritò fecisse: quoniã multis experimentis didicit, Christianos seruos dominorum varijs fraudibus, atq; artibus seduci, corrũpi, peruerti, à Christianis institutis deficere, ad vitia tandem permoueri, flecti, & pertrahi; interdum etiam, in contemptum Christianæ Religionis, contumeliosè tractari. Quibus malis, & incommodis, vt obuiam iret Ecclesia, cõstituit, ne Pagani seruos Christianos haberent, quod ob communem Fidei, & Religionis Christianæ bonum potuit iure decernere.

Decimotertiò Quæritur, An Christiani bello capti à Paganis, & serui effecti ab eis fugiendi ius habeant? Respondeo ex cõmuni omnium consensu si in bello iniquo sint capti, eos tuta conscientia posse fugere. seruitus enim non nisi iusto bello potest induci. Præterea, Christianis Saracenorum, vel Turcarũ bello captis, & redactis in seruitutem, semper licet fugere, & ad Christianos redire, vt ex communi omnium sententia docet Couarr. *in regul. peccatum, par.2.§.11.nu.6.* contra Alciatum, & quosdam alios: quoniam Turcarum, & Saracenorum bellum contra Christianos est iniustum, & iniquum. pugnant enim illi, vt Christianã Religionem disperdant, ac funditus deleant. Christianis item seruis apud Turcas, & Saracenos frequenter periculũ imminet perfidiæ, & impietatis. Quæstionis igitur huius nostræ caput est de seruis Ethnicorũ bello captis, qui contra Christianos iure dimicant, & bella gerunt. De quibus primò dicimus, tuta eos conscientia posse fugere, si probabile periculum impẽdeat impietatis, aut cuiuslibet alterius peccati. solent enim Christiana Infidelium mancipia varijs modis, & artibus sollicitari, premi, & vrgeri ad Christi fidem deserendam, & ad vitia consectanda. Deinde, hoc etiam impedimento sublato, ius est eis fugiendi, seseq; propripiendi à Dominis suis: quoniam, vt suo loco planiùs cõstabit, seruus iure belli captus potest bona fide, & tuta conscientia fugere, vt ad suos reuertatur, non autem, vt intra hostium prouincias maneat, vt docet Couarru. *lib.1. variar. resolut. cap.2.num.10.* ius enim belli interpretari mitius oportet. Milites itaque bello capti in seruitutem rediguntur, ea tamen conditione, vt nulla Domino vi illata fugere possint, causa ad suos redeundi: nõ tamen idem iuris est in seruis, qui sponte sese vendiderũt. QVAERES, an Christianis mãcipijs apud Saracenos, Turcas aliósue Paganos degẽtibus, liceat aliquid Domino furari, vt habeãt, vnde in via, dũ fugiunt, sustententur? Resp. quidam, Principibus quidẽ Christianis esse ius aduersus Turcas, & Saracenos bellũ gerẽdi, & proinde eos iure belli rebus suis spoliandi, quia Christianorũ Prouincias iniustè occuparunt, & occupant; at verò priuatis hominibus ius non est

furto

furto eis aliquid subtrahẽdi: furtum enim est per se malum, nec ius permittit etiam hosti furari. Quare Christiano seruo nefas est quicquã de sui domini bonis subripiendo, sibi ad fugã prospicere. Quòd si fugæ negociũ absq; furto minimè succedat, abstinere tunc temporis à fuga debet: quoniam perinde est, ac si cõmodam, & opportunam fugiendi occasionem nactus non sit. *Nec enim sunt faciendamala*, (vt nos monet Apostolus) *vt veniant bona*. In aliud igitur tempus fugam reijciat, vt cũ necessaria, per Diuinam prouidentiam, vitæ subsidia sibi comparauerit, optatæ libertati per fugã tunc consulat. ROGABIS forsitan; Quid si alimenta necessaria vitæ, & iam ante comparata in fuga deficiant? Resp. fugienti licebit, quod est fugæ prosequendæ, vitæque tuendæ necessariũ vndecunque conquirere, & capere, nisi aliunde id suppetat sibi: tunc enim in extremam est inopiã, & egestatem redactus. Alijs tamen videtur probabilius, fas esse Christiano seruo apud Turcas, vel Saracenos capto, auferre domino suo ea omnia, quæ sunt ei necessaria ad fugam, & ad iter faciendum, quo reuertatur ad suos; eò quòd inique possideatur à Domino: Item, quia vim patitur, dũ detinetur. Item, quia potest iure operas, quas præstitit, compensare alijs rebus.

Decimoquartò Quæritur, An Christianus iure eas res Paganis vendat, quibus ad suas superstitiones abusuros certò nouit? Quæstio ex eo pẽdet quòd Ecclesia, *c. Iudæi. c. consuluit. de Iudæis, & l. vlt. C. de Iudæis*, permittit veteres Synagogas reficere, & quæ ruinam minantur, fulcire. ergò licet Christianis lapides, calcem, & ligna ad eas reficiendas, & muniendas vendere Iudæis. Deinde, Paganorum delubra, cũ sint domus, in quibus habitare possimus, videtur esse res mediæ, & indifferentes, quarũ bonus etiã vsus esse potest: ergo pari ratione Christianis licet id vẽdere Paganis, sine quo eorũ fana exædificari nequeunt. Respõdeo, opus hic esse distinctione ex S. Thom. 2. 2. c. 169. a. 2. ad 4. & Caiet. 2. 2. q. 169. ar. 2. resp. ad 4. dub. 1. & Maiore. 4. d. 15. q. 15. §. tertio arguitur. Aut enim quæ venduntur Paganis, per se ad superstitiosos eorũ ritus, & cæremonias spectant, aut sunt res mediæ, & indifferẽtes. Si primi generis sint, Christiani eas res non bona fide, & conscientia vendũt, cũ sint per se malæ, & proinde eis Pagani benè vti nequeunt. Si verò secundi generis fuerint, sine damno cõscientiæ eas res Christianus vẽdit Paganis, quãuis prænouerit eis malè Paganos vsuros, quòd enim eæ res emptæ in malũ finem dirigantur, Paganorũ, qui emunt, vitio, non Christiani, qui vendit, culpæ tribuendum est. Nec lex charitatis Christianũ hominem adeò adstringit, vt abstinere debeat à vendendo: tũ quia Pagani homines ex deprauato voluntatis studio, & affectu delinquunt, tum etiã quia Christianus, res suas simpliciter venales exponit, nec tanto cũ rerũ suarum detrimẽto, Pagani bono cõsulere debet. Cæterùm, obijcies; si Paganus ea emeret ad nocẽdum alteri homini, Christianus scienter proculdubio vendendo delinqueret: ergo malè pariter faceret rem vendendo Pagano, quã prænosset ei non paruo damno futuram. Respondeo, non esse in vtroquẽ casu idem iuris, quoniã in altero tueri nos oportet iustitiam innocentis, cui Paganus desiderat, & conatur officere: in altero verò Paganus vult sibi tantùm obesse, non alteri.

Ex dictis manifestum est, non licere Christianis, quicquam vendere Paganis ad eũ finem, videlicet, vt extruantur, reficiantur, aut fulciãtur, aut muniantur Idolorum fana, aut Saracenorum delubra, Mezquittas vulgo nominant, quoniam hęc impio cultui, & superstitioni deseruiunt. Nec itẽ ad eum finem, scilicet ad Synagogas Iudæorum ædificandas, eò quod per se, & natura sua ad Iudaicos ritus, & cæremonias dirigũtur. Nec, si veteres Synagogas Ecclesia reparari permittit, aut fulciri ruinosas, atque labantes, ideo rectè deducas, fas esse Christianis vendere Iudæis ligna, cæmentum, & lapides quibus reparentur: nam ea vendere in eos vsus, & ad eum finem, sua natura malum est. Ecclesia autem Synagogas Iudæis reparari concedit, ea conditione, vt ipsi per se id efficiant, non autem opera, & ministerio Christianorum. Ergo siue vendendo, siue laborando, aut qualibet ratione iuuando, siue operando, tũ in veteribus Synagogis instaurandis, tum in nouis erigendis Christiani delinquunt. Quoniam, etsi res, quæ venduntur, sunt sua natura mediæ, & indifferentes, vendi tamen iure à Christiano non possunt ad finem nefarium, & impium: secus est si Christianus eas res vendat Pagano, ad finem sua natura indifferentem, quamuis nouerit Paganum eis rebus malè vsurum.

Caput XXV.

Quædam aliæ quæstiones de Paganis diluuntur.

PRimò Quæritur, An filij Infidelium paruuli inuitis eorum parentibus sacro baptismate donari, & ablui queant? Animaduertendum est triplicem esse huiusmodi paruulorum seu infantium differentiam. Aut enim sunt filij Hæreticorum, aut Saracenorum, vel Ethnicorum, qui ad Christianam ditionem, & imperiũ minimè pertinent; aut eorundem, qui ad eam ditionem attinent: de quibus singulis suo ordine dicendũ breuiter est.

Primum igitur, nemo negat ius esse penes Ecclesiã, Hæreticorum infantes inuitis ipsorum parentibus Christianę Religionis sacris imbuendi, quoniam illi eiusmodi sacra susceperè, ad eaque seruanda semperq; retinenda, sese Ecclesiæ obligarunt: ergo, sicut Ecclesia in eos inquirendi, & animaduertendi ius, & potestatem habet, quò ad eius gremiũ, vnde discesserant, reuertantur, sic & iure potest eos cõpellere, vt filios suos eisdẽ sacris imbuant, & informent, & proindè iure etiã æquissimo eorum filios subtrahendi, & sacro baptismatis fonte abluẽdi potestatem habet Ecclesia: eò quòd parentes illi, cũ sint hæretici, iure, & potestate, quã habent in filios, malè contra fidem Ecclesiæ datã vtantur. SED QVAERES, an Ecclesia eorũ filios vel subtractos, vel ereptos, iam baptismate renatos in Christo, debeat parẽtibus suis restituere, si repetant? Resp. nec debere, neq; verò posse: non potest, quoniã haud dubiè à parentibus seducti corrũperentur breui: nõ debet, quia meritò Hæretici omni patria illa, quam in filios

habent,

habent, potestate priuantur. Et filij sui iuris effecti, curæ Ecclesiæ relinquuntur.

Secundò quæritur, An infantes Paganorum, qui sub Christianis non sunt, citra peccatum salutari baptismi vnda perfundere possimus, parentibus eorum inuitis? Respondeo, ex communi omnium sententia, quam habet S. Thom. *2.2. quæst. 10. art. 12. & 3. part. q. 68. art. 10.* id fieri sine peccato non posse, alioqui enim parentibus auferri deberent infantes: at parentes illa, quam à natura habent, in filios patria potestate priuari nequeunt. Deinde, vt nemo in adulta ætate constitutus ad Fidem compelli debet, ita nec paruuli sunt vi ac potentia ad Baptismum rapiendi, at voluntas infantum censetur suorum parentum voluntas. Ergo si parentibus ipsorum renitentibus, & reclamantibus, baptismate donentur, eo ipso, ad Fidem vi debitur compelli. Præterea, Christus Dominus, qui baptismum, vt peccatorũ remedium, & medicinam instituit, voluit, vt vel proprio cuiusque nutu, & voluntate, vel saltem tacito, & expresso parentum assensu reciperetur, neq; aliter ab Ecclesia conferretur. Postremò, nunquam hactenus Ecclesia hoc iure, & potestate vsa est, cum tot in primis Christiani Imperatores, tamque Pij Pontifices præfuerint. At inquies; Ecclesiam ideo nunquam id tentasse, tùm ne Pagani offenderentur, tùm etiam ne filij ad parentes redirent, à quibus postea peruerterentur. Respondeo, nihil argumento concludi: nam si hæc duo tantummodo obstarent, quò minùs Baptisma eis conferretur, non deforent remedia, quibus hæc, & similia mala caueret, & declinaret Ecclesia. Ergo similius vero est, Ecclesiam id nunquam fecisse, quia simplicer id ius faciendi non habet.

Deindè oppones; si pater filio corporis vitam eripere conaretur, posset quisque filium ei auferre salutis causa, sed mors animę deterior est morte corporis, ergo iure posset quis patri filium eripere, vt vitam ei largiretur æternam. Respondeo, iure naturæ nos obligari ad vitã innocentis tuendam, & conseruandã; & proinde ad necẽ, quam pater suo filio machinatur impediendam, præsertim cum pater ipse ob tentatum parricidium, patria potestate iure optimo priuetur. At verò, noluit Christus Dominus, vt baptisma alicui paruulo conferretur, licèt sit ad salutem animæ necessarium; contra voluntatem eius, cui est ipsius paruuli cura commissa: sicut prouectæ ætatis hominem renitentem, & reluctantem non possumus ad Fidem compellere, quem tamen, si mortem sibi consciscere niteretur, possemus iure à tanto facinore impedire, & prohibere. Postremo obiicies, si pater filium ad furta, homicidia, adulteria, atque alia id genus flagitia conaretur inducere, omni iure posset ei filius auferri, ergo pari ratione si filium à baptismate prohibere contendat. *l. Si Lenones. C. De Episcopali audientia* sancitum est: *Si Lenones patres, aut Domini filiabus, vel ancillis peccandi necessitatem imposuerint; liceat filiabus, & ancillis Episcoporum implorato suffragio, omni miserarum necessitate absolui. Vnde meretricibus iure optimo filiæ subtrahuntur, si eas prostituerint.* Respondeo, imparem esse rationem, quoniam eiusmodi peccata labefactant communem Reipublicę pacem, & salutem, quam tueri, & conseruare debemus. at cum pater filium prohibet, & absterret à baptismo, nihil contra Rempublicã peccat. Deus aũt Baptisma in remediũ quidem paruulorũ instituit, sed parentũ tamen cura, diligentia, & opera conferendum.

Tertiò quæritur, An filij nati ex ex vno parente Christiano, altero verò Iudæo, vel Pagano, iure possint baptismate donari id annuente, & volente parente Christiano, altero verò renuente, & reclamante? Respondeo, posse, quod apertè constat ex *cap. Ex literis, de conuersione Infidelium & ex cap. Iudæi 28. quæst. 1.* ROGABIS; Quid si pater qui contradicit, & renuit, sit Paganus, mater verò, quę vult, & annuit, sit Christiana? Respondeo; alterutro parente Christiano filius potest iure baptismate ablui, dummodo parens fidelis diligentem curam suscipiat, filij instituendi, caueatq; ne ab altero parente infideli seducatur. Dices; Partus sequitur vẽtrem, filius enim ex ancilla susceptus, è patre libero est seruus, & contrà natus ex matre libera, & seruo patre, liber est, ergo si filius fuerit ortus ex matre Ethnica, Christianus effici non potest. Respondeo, id secundũ leges ciuiles, & iura locum habere in ijs, quæ ad libertatem, & seruitutem hominum pertinent: at verò ob commune Fidei bonum iure decretum est, vt siue pater, siue mater Fidelis sit, filij salutaris baptismatis aqua abluatur. At, secundùm leges, inquies, patrem solummodo nõ matrem habere patriam potestatem in filios, ergo matre fideli annuente, & patre Ethnico reclamante, filius nõ potest Baptismatis aqua prolui. Respondeo, vbi de communi Fidei bono agitur, nullam haberi rationem patriæ potestatis, quam leges, & iura Romanorũ sanxerunt: Et propterea mater fidelis, quamuis ei ius ciuile patriã potestatem nõ tribuat, ius habet ad Baptismum filium offerendi. Sed quid, si vterque parens tum fidelis, tum infidelis, filiũ prohibeant baptismo, poteritne Ecclesia, contra voluntatem eorum baptisma filio conferre? Respõdeo, posse, quia aliquando contingit, vt parens fidelis abnuat, quia vult infideli coniugi placere, eiusque sese accommodare voluntati; tunc itaq; filius tutò poterit baptismo donari: ad hoc enim satis est, si alteruter parens sit fidelis baptismate renatus in Christo: nam eo ipso, Ecclesia ius habet eum cogẽdi, vt filium offerat ad baptismum. Quòd si renuat, tũc, eo ipso, Ecclesiæ curę, & prouidentiæ filius relinquitur. POSTREMO ROGABIS; Quid dicendum, si dum filius vtroque parẽte infideli susceptus infans est, alteruter parens ad Fidem conuersus Baptismate recepto sese Christianis adiungit, an filius quoq; iure possit ad baptismum offerri, vt in Christo renascatur? Respondeo, eum posse, & debere, quamuis parens infidelis obluctetur, ac repugnet.

Quartò quæritur, An si parentes infideles longissimè absint, & distent à filijs paruulis, liceat Christianis, in quorum manus filij deuenerint, eis baptisma conferre? Respondeo, licere, quia perinde est, ac si essent omni parentum, & auxilio destituti: quorum Deus curam demãdauit ijs, ad quos aliqua tãdem ratione peruenerint. Quare illi siue bello capti, siue furto, siue violentia sublati, siue emptionis iure adquisiti, ad Christianum hominem tranſierint, baptismo ablui, & res Fidei, & Religionis Christianæ edoceri debent.

At inquies, parentes renitétur, quod verisimilius est. Concedo: sed eorum curæ subtracti iam in Christianorum deuenêre potestatem, & iurisdictionem, ad quos de eorum salute cura pertinet. Quid si parentes non longè absint, & conueniri, & cõsuli facilè queant? Respondeo, si filij nõ sint serui Christianorũ effecti, requirẽdam esse parentum voluntatem, quia nondum sub cura, & patria potestate esse desierunt.

Quintò quæritur, An Paganorum infantes apud Christianos expositi, iure possint donari baptismo? Respondeo, iure posse, quia parentes eos ab se ablegarunt; & proinde curam, & patriam potestatem amiserunt. Is tamen, in cuius manus, & potestatem inciderint, eos Christianis institutis debet imbuere, & cauere, ne grandiores iam facti redeant siue refugiant ad parentes, aut ne parentes eos quauis ratione recuperent.

Sextò quæritur, Quid si parentes Pagani paruulos sponte ad Christianos deferant in eum finem, vt baptismatis vnda lustrentur, ne eorũ corpuscula fœteant, aut ne à Dæmonijs vexentur? solent enim Turcæ, & Saraceni nobiles, (vt fertur) suos infantes interdum Christianis offerre, vt eis baptisma conferant, quò ab his malis erepti, bona, & integra valetudine potiantur. Sunt qui putent id licere, facere, eò quòd parẽtes sponte eos ad Baptismum offerant. Deinde, quia magno paruuli beneficio donantur: Si enim ex hac vita decesserint, in cælestem patriam conuolabunt, citant Sylueſt. *Baptismus* 4. q. 7. Sed ibi quæstionis huius meminit, & nihil definiuit. Alij verò negant id esse licitũ facere eam ob causam, quòd statim parentibus reddi debeant, & proinde grandiores effecti, & à parentibus impijs instituti, leui negocio à Fide desciscent. Nec refert, si parentes vltro, & sponte filios offerant: siquidem ab eis statim filios repetitum, & recuperatum iri, non est dubitandum. Neque enim Christiani, quibus Turcarum, & Saracenorum filij baptismi gratia tradũtur, vlla ratione impedire parentes possunt ab eis repetendis, & recuperandis. Ex quo perspicuum est, eiusmodi infantes iure donari, & ablui baptismo posse, quoties cõmoda occasio sese obtulerit à patrio eos iure, & potestate liberandi.

Septimò quæritur, An Infantes Iudæorum, vel aliorum Infidelium, qui sunt Christianorum mãcipia, possint ablui baptismo, inuitis parentibus? Duplex est opinio. Prima affirmat, quæ fuit Scoti *in 4. dist. 4. q. 9.* Durand. *4. d. 4. q. 6.* Gabr. *4. d. 4. qu. 2. art. 5. dub. 5.* & aliorum: quos ea ratio permouit, quòd dominus potest liberè, aut patrem, aut filiũ vendere, cum sit vterque mancipium; ergo etiam patrem potest in longinquam prouinciam mittẽdo distrahere, aut filium alicui vendere, siue donare, qui tanquam Dominus iure poterit eum offerre baptismo, cum sit iure optimo patris curæ subtractus. Altera opinio negat, quæ placuit S. Thomæ eiusq; discipulis *3. p. q. 68. a. 10. & 2. 2. q. 10. a. 12.* Palud. *4. d. 4. q. 4. a. 3.* Sot. *4. d. 5. q. 1. ar. 1.* Sic etiam sensit Richar. *4. d. 6. a. 3. q. 3.* hanc autem ea vnica ratione comprobant, quod infantes in ijs, quæ pertinent ad salutem animæ, paterna cura dirigi, & gubernari debent, quamuis parentes sint in seruitutem redacti. Mihi profectò magis placet secunda opinio, ea ratione, quòd Dominus, & patrem à filio, & filium à patre iure separare non potest, nisi vendiderit, vel donauerit. Deinde, negari nequit quin iure naturali in patris cura filius paruulus sit etiam Domino inuito siue renuente, licet Dominus iure ciuili in vtrumque ius habeat, & potestatem tanquam in seruum, est enim Dominus patris, & filij: ergo salus spiritualis filij ad patris, non ad Domini curam spectat. Postremò, quamuis, tum filius, tum pater sint serui, difficile Dominus filio iam Christiano suadere potest, ne intendat fallacijs patris seductoris, & ne impiam patris sectam amplectatur. Quid? quod Ecclesia nunquam huiusmodi filios inuitis parentibus salutari baptismatis aqua perfundere cõsueuit. At dices, inde solùm argumento colligi, in Ecclesia nunquam hunc morem fuisse; non autem, non fuisse ius, & potestatem baptismum paruulis eiusmodi conferendi. Sed cur, si ius Ecclesiæ concessum est quo id facere possit, mos nunquam est in Ecclesiam introductus? Respondent quidam eorum, qui Scoti sententiæ adhærescunt, quia Ecclesia iure suo, cũ posset, vti noluit, ne filij nimio parentum amore decepti, tractiue, baptismo neglecto, à Fide resilirent, aut ne parẽtes suos filios ad impietatem, qua possent, ratione pertraherent: ne item Pagani offenderentur, & ne ad lucrificiendos, & auertendos ab impietate, & errore, quo cœci tenentur, præcluderetur aditus. Sed certè, hæc omnia probant, eiusmodi infantes inuitis parentibus ad Baptismum afferri iure non posse.

Octauò quæritur, An si infantibus Infidelium, coactis parentibus, & inuitis, baptisma conferretur, ratum, & firmum illud esset? Duæ sunt opiniones, vna negat, quam sectati sunt olim Durandus, Paludanus, & Capreolus *4. d. 4.* & nostro ferè sæculo Ambrosius Catharinus *in opusculo edito* de hac re, ea ratione adducti, quòd Baptismus nulla susciptientis voluntate collatus, inanis, & irritus prorsus est; at infantũ nulla est alia voluntas, nisi parentum, ergo si ipsis reluctantibus conferatur, nullus erit, & inanis. Altera opinio affirmat quã tuentur Caiet. *in 3. par. q. 68. art. 10.* Sylu. *Baptismus 4. q. 7.* Sot. *4. d. 5. q. 1. art. 10.* Tab. *Baptismus 7. q. 11.* Anton. *p. 3. tit. 13. c. 22.* & alij, & videtur etiam fuisse S. Thomæ: nã ideo probat ille eiusmodi infantes inuitis parentibus baptismo ablui, & donari non posse, quia eorum curæ, & potestati subtrahi deberent, ne paternis inducti, & decepti fallacijs, à Fide deficerent, & ne sacramento inferretur iniuria. Ponit igitur S. Thomas, vt certum, baptismum collatum esse ratum, & firmum; alioqui si nullus esset, nulla afficeretur iniuria. Atq; hæc opinio cõmuni omnium consensione Theologorũ est recepta. At insurges cum Durando; In accedẽte ad Baptismum requiritur voluntas, sed infantes proprium non habent, ergo vt valeat Baptismus, necesse est parentum adesse consensum. Non negamus aliquẽ requiri consensum; nam alioqui frustra conferretur baptismus; sed satis esse, arbitramur, tacitum Ecclesiæ consensum in ministro, qui cõfert baptismum; quamuis enim Dei voluntas non sit, vt tales infantes inuitis parentibus baptisma recipiant: absolutè tamẽ, & simpliciter vult, baptismum valere nulla parentum voluntate collatũ.

Nonò quæritur, Quosnã Parentũ nomine intelligi oporteat? Respondeo, intelligi quoq; ea voce

tutores

tutores datos infantibus, qui parentibus destituuntur: ad eos enim parentum officium, & cura transiuit. Sic Palud. 4.d.4.q.4.art.3. quanquam Sotus 4.d.5.q.1.ar.10. ait, *non esset tam atrox iniuria, si iniusta tutoribus filij infidelium baptismate donarentur.*

Decimò quæritur, Quid de infantulo iamiam morituro, cui parentes, vtpotè infideles & Ethnici, baptismum conferri prohibent, & impediunt, finetur ne eius Sacramenti salutaris expers emori? Sotus, & meo iudicio, benè respondet: *Ego*, inquit, *in eo casu puerulum baptismate donarem: quoniam cũ vita animæ, & corporis periclitetur, magno beneficio afficiatur, si in Christo renascatur, & parentibus iniuria nõ fit, cum breui eum sint amissuri morte rapiendum.*

Vndecimò quæritur, An filij infidelium statim atque sunt rationis compotes possint iure baptismate ablui, si id petierint, etiam si annos pubertatis non excesserint, & licèt renuant eorum parentes. Respondeo, posse, quia sunt facti sui iuris in ijs, quæ ad suam salutem spiritualem spectant. S.Tho.p.3.q.68.ar.10.Tab. *Baptismus.7.q.10.* QVAERES, An iure queant baptismo donari, si dubitemus sint necne rationis compotes cum petũt baptismum? Respondeo, in dubio meliorem esse conditionem possidentis, vnde inuitis parẽtibus qui possident, non sunt baptismo abluendi.

Duodecimò quæritur, An liceat Principi Christiano Paganos cum suis ritibus, & superstitionibus in sua ditione atque adeo in sui Imperij locis permittere? Respondeo, licere, vt alia plura, vel maiora, & deteriora mala vitentur; ne communis scilicet Reipublicæ pax perturbetur: ne odia & diffidia generentur: ne Pagani offendantur, eoque difficiliores ad Christianã fidem amplectendam, & tardiores euadant: & idcirco Christiani olim Imperatores, & Principes Ethnicos tolerabant.

Decimotertiò quæritur, An fas sit Christianis in auxilium accire Paganos ad bellum? Respondeo, ex natura rei id quidem fas esse, olim enim Machabæi cum Romanis, & Spartanis fœdus, & societatem iniêre, & Christiani Imperatores, militum Ethnicorum opera passim vtebantur. Præterea, si Christianis bellum sit contra Infideles, quid ni iure alios quoque Infideles, & impios adsciscant ad eos debellandos? Si tamen Christiani bella gerant inter se, quamuis liceat, non tamen expedit, nec debet Ethnicorum ad id auxilium inuocari, præsertim eorum hominum, qui Christianum sanguinem auidissime sitiunt, & Christi nomen maximè oderunt, Christianam denique religionem funditus perdere, & delere summa vi, atque ope nituntur, quales sunt Turcæ, & Saraceni.

Decimoquartò quæritur, An omnia opera Infidelium, sint peccata? Quæstionem mouerunt Theologi ob Augustini sententiam sæpè docentis, Infidelium actiones esse peccata, nullas in eis esse veras virtutes: neminem sine fide Christi posse rectè viuere: ad nihil aliud liberum hominis arbitrium valere sine gratia Christi, nisi ad peccandum, id ipsum tradidit Prosper scribens contra Cassianum, idem quoq; Fulgentius. In eadem sententia videntur fuisse Origenes, Clemens Alexandrinus, Hieronymus, Gregorius, & Bernardus, quorum omnium testimonia citaui *lib.3.c.29. q.3.& q.4.* Inter Scholasticos communi omnium consensu receptum est, quod habet S.Thom.2.2. *q.19.ar.4.* & probat *ibi*: Cai. & Sotus *libr.1.de natura, & gratia, cap.19.20.21.* & Theologi, *in 1.dist.in.41.* non omnia Infidelium opera esse peccata; quia multa præstare possunt, & præstant, quæ in genere moris, & virtutis bona vndecumq; sint. Vnus duntaxat est Gregorius Ariminensis *in 2.dist.28.q.1.& 2.* qui ne ab Augustini sententia dissentire videretur, pugnacissimè asseuerat, Infideles etiam dum parentes venerãtur, ac de se benemeritis gratias agunt, habentq;: cum indigentibus opitulantur, pacta seruant, promissa exsoluunt, deposita reddunt, in his, & alijs similibus operibus peccare: nõ quòd hæc opera sint ex re obiecta, vel fine, vel aliqua adiecta circũstantia peccata, sed eo, quòd circumstantia debita careant; Fieri enim causa, & amore Dei deberent, & proinde cum in Deũ minimè referantur, sunt mala: possunt tamẽ esse bona, si (inquit ille) peculiari Dei auxilio in ipsum Deum referantur. Ex quo in Saracenis, Iudæis, & Hæreticis fatetur esse multa benefacta, quia non sunt gratuito, & speciali Dei auxilio destituti, quo propter Deum ipsum, ea bona præstẽt; in Paganis verò illa esse pauciora. Quare Gregorius nõ eo spectat, vt doceat omnes Infidelium actiones esse malas; sed nisi gratuito, & peculiari Dei munere in Deum dirigantur, & referantur, esse peccata.

Hęc controuersia sanè difficilis aliqua ex parte, & obscura est, propter Patrum, præsertim verò Augustini, Prosperi, Bedæ, & Fulgentij, contra Pelagianos disputantium testimonia, & quadam ex parte tractata à me est *libr.3.c.29.q.3.& q.4.* Primò illud tanquam certum, & indubitatum statui debet, quod est à concilio Tridentino decretum *sess.6.can.7. Si quis dixerit opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri; anathema sit.* Et Can.8. *Si quis dixerit Gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel à peccãdo abstinemus, peccatum esse; anathema sit.* Hæc definita sunt aduersus Lutheranos, & Caluinistas, qui Augustini, Prosperi, & Fulgentij testimonijs quibusdam perperam intellectis persuadere conantur, omnia peccatoris opera odium Dei mereri, & proinde supplicium æternum; ea tamen Deum pro sua bonitate, nec culpæ imputare, nec pœnæ. Nã eo ipso, inquiunt, quòd primus homo Dei mandatũ violauit, posteros genuit peccato corrupto: peccatoris autẽ opera sunt Deo inuisa, quia persona peccatoris est ei infensa, & odiosa; & tanquam inimica, & ingrata Deo, meretur, vt quicquid agit, ad pœnam, & supplicium destinetur. Sed certè absurdum est dicere, impium hominẽ aliena restituentem, promissa soluentem, depositum reddentem, fidem seruantem, parentes venerantem peccare, & Dei iram mereri.

Deindè, id benè intelligere oportet, quod Patres tradidêre. Et quidem Augustinus contra Iulianum, & alijs in locis sæpè docet, id, quod initio quæstionis proposuimus, & Prosper Augustinum vbique secutus contra Cassianum scribit: *Nihil operis ex mortuis, nihil iustitiæ procedit ex impijs.* Et deinde: *Nullus est bonæ voluntatis motus, nisi quem creauerit diffusa per Spiritum sanctum charitatis affectus, sine*

fide enim impossibile est, placere Deo; & Omne quod non est ex fide, peccatum est. Hæc ille. Fulgentius quoq; probat, vt dixi *li.3.c.29.q.3.& 4.* Gentes nonnisi ex fide iustificatas, *quia omne quod non est ex fide, peccatum est,* & quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Consilium item Arausicanum 2.can.17. *Fortitudinem*, inquit, *Gentilium, mundanæ cupiditatis fortitudinem Christianorum, Dei charitas facit*, quod decretum desumptum est ex Aug. *lib. De Patientia c.17.* Hiero. ad Gal.3. explicans illa verba: Quia iustus ex fide viuit: *castum*, inquit, *ex fide viuit, sapiens ex fide viuit, & à cæteris virtutum generibus vicinam sententiam proferamus aduersum eos, qui in Christum non credentes fortes, & sapientes, temperantes se putant esse, vel iustos: vt sciant nullum absque Christo viuere, sine quo omnis virtus in vitio est.* Et Greg.2.Mora. c.33. *In electorum*, inquit, *corde prior bonorum sequentium sapientia nascitur: atque hæc per donum Spiritus, quasi primogenita proles profertur. Quæ profecto sapientia, nostra fides est, Propheta testante qui ait: Nisi credideritis, non intelligetis. In domo primogeniti fratris continuantur filij, dum virtutes reliquæ epulantur in fide: quæ si non prima in corde nostro gignitur, reliqua quæq; esse bona non possunt, etiamsi bona esse videantur. Scriptũ quippe est: sine fide impossibile est placere Deo*, Bernar. Ser.24.in cant. prope finem, sic habet: *sed nec opera quamuis recta, rectum cor efficere sufficiunt sine fide. Quis enim rectum dicat hominem, non placentem Deo? sine fide aũt impossibile est placere Deo.* Clemẽs itẽ Alexandrinus lib.3. Pædagogi, c.6. *Bona*, inquit, *possideri solum possunt à bonis, boni autem Christiani sunt. Homo autem insipiens, vel intemperans, nec boni sensum habet, neq; possessionis: à solis ergo Christianis bona possunt haberi.* Hæc Patres. Sed profecto ex his testimonijs non elicitur, eos sensisse, vniuersas Infidelium actiones esse peccata. Nam Aug. *lib. de spiritu, & litera c.28.* aperte testatur: *Nihil prosunt impio aliqua bona opera sine quibus difficillimè, vita cuiuslibet Pagani hominis inuenitur.* Et *Epist.5. & alibi* nõnullas agnoscit, & fatetur Romanorum virtutes fuisse laude, & præmio temporali dignas, licet non sempiterno. Deinde Prosper dilucide tradit, Gentiles benefactis præmia, malefactis supplicia constituisse. *In quibus*, inquit, *laude sunt digni.* Solùm igitur Patres docere, contra Pelagianos videntur, vitam omnẽ Infidel. ũ, & actiones vniuersas, quamuis alioqui honestas, & laudabiles, esse in peccato, vel cũ peccato: quia Infidelis quãdiu per Baptismũ in Christo non renascitur, est, vt minimum peccato originis infectus: nam Pelagiani, hoc peccatũ è medio tollebant, & proinde opera honesta, quæ per se præstare liberum arbitrium, aiebant, vitam æternam, vt præmium habitura censebant. Et idcirco Patres peccatum originis ex Sacris litteris cõfitentes, docebant Infidelium vitam, & opera esse in peccato, & cum peccato: non quòd omnia peccata essent, sed quòd omnia, vt minimum ob peccatum originis fælicitate excluderentur æterna. Deinde, tradebant similiter contra Pelagium, nihil boni, quod vitam ęternã meretur, ex se posse liberum arbitriũ sine gratia Dei: quia Pelagius per omnia benefacta, asserebat, hominem vitam æternam promereri, quia nullum peccatum originis impediebat. Contra Patres contendebant nullum esse in homine huiusmodi bonũ, siue magnum, siue paruum sine gratia Dei: quia sine fide impossibile est placere Deo. Insuper Pelagius dicebat posse hominẽ cogitare, velle, & facere bonũ per naturam suam, sine quolibet alio auxilio Dei. Contra Patres contendentes definierũt præter naturam gratis acceptam à Deo, indigere hominem communi Dei auxilio ad cogitãdum, volendum, & faciendum bonum, quod auxilium licet commune, & generale, gratiam Dei, vocarũt, quia gratis datur, hoc est, sine meritis hominum, sine quo auxilio homo facit peccatum, non vt actio est, sed vt peccatum est. Solùm his vnum obstare videtur, quod ait Aug. *lib. de Spiritu, & littera c.3.* liberum arbitrium nihil valere, nisi ad peccãdum, si lateat veritatis via. Et Synod. Arausicana can.22. *Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum*, quæ sunt Augustini verba, *Tractatu quinto in Ioannẽ.* Ex quibus verbis Lutherani, & Caluinistæ concludere nituntur omnia impiorum hominum opera esse peccata, nisi ex gratia Dei proficiscãtur. At enim Augustinus *his locis* solùm docere vult voluntatem hominis propria virtute absq; generali, & communi auxilio Dei gratis mouẽtis, & adiuuantis, cogitare, velle, & facere bonũ non posse: ita, vt Deus per seipsum bonam cogitationem suggerat, vel per alias causas subministret, cũ tamen peccatum, vt peccatum est, non sit à Deo, sed ab homine, vel diabolo, licet sit à Deo quatenus motio, vel actio quædam est.

Porrò ex sacris litteris perperam colligitur, omnia impiorum opera esse peccata. Nam illud Pauli ad Romanos: *Omne, quod non est ex fide peccatum est*, licet Augustinus, Prosper, & Fulgentius, vt dixi, *lib.2.ca.8.q.3.* de virtute fidei interpretentur; Origenes tamen, Chrysostomus, Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius, vt *loco citato* monui, sic explicant, & interpretantur, omne quod bona fide, & recta conscientia nõ fit, esse peccatũ, quasi dicere velit Apostolus: Quicquid agis credens id non licere tibi facere, cum agis, peccatum est: atque hic est sensus eo loco Pauli germanus, & proprius. Nec item officit verbum Christi dicentis: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*; & quòd paulò ante dixerat: *Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficum? Et ut sus: Si oculus tuus fuerit nequam, totũ corpus tuum tenebrosum erit!* hæc enim, & similia referuntur ad prauum voluntatis affectum, quæ cum finem sibi malum proponit, & ad illum animum intendit, non nisi malam electionem parit. Nam si praua sit finis optati voluntas, si prauum sit animi propositum, pariter electio eius, quod est ad finem. Et cõtrario Christus Dominus dixit: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne, & Publicani hoc faciunt?* & Paulus ad Romanos scribens: *Gentes*, inquit, *quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt*: Et paulò ante, Gentes reprehendit, eo quòd cum Deum cognouissent (per ea scilicet, quæ facta sunt, vt ibidem declarat Apostolus) non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ergo non quicquid Gentes agunt, peccatum est. Rom 2. Rom 1. Postremò, iure sanè optimo Scholasticorum communi cõsensu Gregori. Ariminensis hac in parte reijcitur, quippe qui conatur ostendere ex Augustini, & aliorũ quos retulimus Patrum sententia, impiorum opera quãuis bona ex re obiecta, fine, & materia esse peccata, nisi propter Deum fiant: quælibet item virtutis officia, & opera esse mala, si careant ea circumstantia qua fieri deberent; nimirum si in

Deum

Deum relata non sint. Certè hoc Ariminensis dictum nulla ratione defendi potest: quoniâ quicquid honestè fit, hoc est, virtutis causa, studio, & amore, eo ipso in Deum tacitè, & implicitè refertur: nisi dicere Gregorius velit, primum hominé sic esse cum iustitia, & gratia creatum à Deo, vt mandatum acceperit de referendis in Deum tanquam in propositum sibi finem singulis vitæ actionibus, & operibus, & quia diuina lege neglecta peccauit, fuisse auxilijs, & beneficijs acceptis priuatum, ita, vt auxilium Dei ad honestè operandũ, fuerit donum ad benè agendum, propter Deum datum quidem homini, non vt debitum naturæ; sed tanquam debitum primæ hominis institutioni, quâ fuit cum iustitia, & gratia diuinitus procreatus, ea postea per peccatũ amissa factum fuisse, vt eiusmodi auxilium nõ ampliùs naturæ hominis deberetur, ita vt cuicumque datur, gratis, & liberaliter detur: quibus verò denegatur iustè denegetur: & hanc quidam existimant Gregorij Ariminensis fuisse sententiam, sed quidquid ille senserit, merito id, quod docuit. 2. *dist.* 28. *q.* 1. & 2. communi, vt dixi, Theologorum consensu refellitur.

Caput XXVI.

De cæteris peccatis, quæ contra Fidem admittuntur.

ILLVD primò in quæstionem venit, an cuique liceat, de rebus Fidei Catholicæ disputare? Respondeo, *cap. Quicumque. §. Inhibemus, de Hæret. in Sexto*, Laicis esse interdictum, disputare de fide Catholica publicè, vel priuatim. Sic enim decernitur: *Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè, vel priuatim de fide Catholica disputare. Qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Et *cap. Cum ex iniuncto, de Hæret.* laici, prædicatorum officio, & munere fungi prohibentur: quoniam est proprium sacerdotum munus. Idem quoque statuitur *in cap. Sicut in vno, de Hæret.* QVAERES, quis nomine laici significetur in iure, fieri enim potest, vt laicus sit iuris Pontificij peritissimus, imò etiam vtriusq; iuris doctor, & contrà, vt clericus, sit rudis, & imperitus. Glossa *in eo c.* Respondet, forte nomine laici significari illitteratum; sic enim interdum litterarũ rudes, & ignari laici vocantur; & litterati dicuntur clerici *distinct. 88. cap. Inutile.* Sed verius alij tradiderunt, laicum appellari eum, qui nullo est Ecclesiastico ordine initiatus, nec etiam prima clericorum tonsura insignitus: leges enim humanæ de ijs feruntur, quæ frequenter eueniunt, non ratò: Et quia frequenter accidit, vt laici indocti sint, & imperiti; ideo disputare de Fide Catholica non debent. At aliquando, inquies, laicus vtrumque ius rectè nouit. Fateor, sed nihilominus est ei iure interdictum de Fide Catholica disputare: quia lex licet, de eo, quod sæpè contingit, condita sit, attamen in vniuersum ad omnes protenditur, eosque tenet, ac ligat. Nam laicus iuris pontificij cõsultus tametsi iure naturali alioqui posset de Catholica Fide differere; iure tamen Canonico prohibetur, ne rudes, & ignari disputandi de Fide Catholica animam arripiant. At dices; Etiam Clerici, nonnunquam sunt imperiti, rudes, & ignari. Nõ inficior; verùm cum iure canonico cõstitum fuerit, vt clerici litterarum notitiam, & scientiam haberent, non est eis interdictum de Fide Catholica disputare. Quod si cuipiam eorum cognitio, & scientia desit, licet iure quidem canonico disceptare de Fide minimè prohibeatur, iure tamen naturali, & diuino prohibetur, ne is, qui Fidei decreta, & iura nescit, disputet, & nescius multa disputando peccet. DEINDE QVAERES, quid nomine Fdei Catholicæ, *in hoc capite* veniat? Respondeo, quicquid est in Ecclesia propositum tanquam fide credẽdum: quales sunt qui vocantur Articuli Fidei, & cætera, quæ sacræ, & diuinæ litteræ tradiderunt; Aut quæ generalis Ecclesiæ consensus definiuit, & quæ ex his necessaria, & euidenti cõsequutione deducũtur. POSTREMO QVAERES, an laicus, qui scienter hanc legem violauit in excommunicationem incurrat? Respondeo, minimè, quoniam in ea lege dicitur: *excommunicationis laqueo innodetur.* Pœna autem verbis futuri temporis expressa, non ipso facto contrahitur; sed est per sentẽtiam Iudicis imponenda; cum tamen verba, quæ præteriti temporis pœnam exprimunt, significent eam pœnam esse ipso iure latam.

Secundò quæritur, An liceat clericis de Fide Catholica disputare publicè? Respondeo, *C. De summa Trinitate, & Fide Catholica. L. Nemo*, sancitum esse: *Nullus clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis de Fide Christiana publicè turbis coadunatis, & audientibus, tractet in posterum: nam iniuriam facit Ecclesiæ, si quis semel indicata ac rectè disposita reuoluere, et publicè disputare contenderit.* Hæc ibi: sed cum lex sit imperatoria, & ciuilis, clericos tenere, & obligare nequit, nisi iure canonico confirmetur. Non licet igitur clerico de Fide Catholica publicè disputare; primò, in dubium reuocando, quæ fide creduntur. Deinde, coram rudi, & imperita plebe, quam ad perfidiam aliquis alius conatur impellere. At verò fas est, de rebus Fidei publicè disputare coram populo qui ad prauitatem hæreticam est solicitatus, ne Catholicorum sientium audaciores reddat Hæreticos, & populum astantem in Fide, ac Religione ancipitem, & dubium. Licet item, publicè disputare de Fide coram peritis, & doctis gratia exercitationis, & vberius, ac plenius cognoscendæ veritatis.

Tertiò quæritur, An Scripturę sacrę sint in proprias ac maternas cuiusq; nationis, & gentis linguas conuertendæ, vt possint à singulis commodius legi, & intelligi. Respondeo, Lutheranos, & Calumistas in ea esse hæresi, vt asserant Scripturas sacras transferri debere in proprias, & vulgares omnium gentium linguas. Contra quos in Indice librorum prohibitorum edito, à Concil. Tridentino quarta Regula constituta sic habet: *Cum experimẽto manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim, sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem detrimenti, quàm vtilitatis oriri: hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, vt cum consilio Parochi, vel confessarij, Bibitorum à Catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis cõcedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis argumentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate, ea legere, seu habere præsumpserit, nisi prius Biblijs Ordi-*

nario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolæ verò qui prædictam facultatem non habenti, Biblia idiomate vulgari cõscripta vendiderint, vel alio quouis modo concesserint, librorum pretium in vsus pios, ab Episcopo cõuertendum amittant, aliisq; pœnis, pro delicti qualitate, eiusdem Episcopi arbitrio subiaceant. Regulares verò non nisi facultate à Prælatis suis habita, ea legere aut emere possint. Hæc ibi. Et in Indice recens edito iussu S.D.N. Clementis VIII. addita est obseruatio circa prædictam 4. Regulam, quæ sic habet. *Animaduertendum est, circa suprascriptam quartam regulam Indicis sel. rec. Pij Papæ IIII. nullam per hanc impressionem, & editionem de nouo tribui facultatem Episcopis; vel Inquisitoribus, aut Regularium superioribus concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato, & vsu Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi huiusmodi licentias.* Sic ibi.

Quæres, An Bibliorum partes, nimirum libri, aut librorum capita in vulgares linguas translata permittantur? Respondeo, primo aspectu, in prædicta quarta Regula solùm prohiberi, ne sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur legi, emi, retineri, aut vendi. In Hispania tamen in Indice librorum prohibitorum ibi edito, auctoritate Generalis, in illis prouincijs, Inquisitoris Regula 6. sic habet: *Prohibentur Biblia vulgari lingua, cum omnibus suis partibus*, ac si dicat, Biblia, & eorum partes, & in Indice recenti edito iussu S. D. N. Clem. VIII. in obseruatione circa quartam prædictam regulam Indicis editi iussu Pij IIII. sic habetur. *sublata eis fuerit* (videlicet Episcopis, Inquisitoribus, & Regularium Superioribus) *facultas concedendi licentiam legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias sacræ Scripturæ, tam noui, quam veteris testamenti partes quauis vulgari lingua editas.* DEINDE QVAERES, An permittantur integræ sententiæ, clausulæ, & capita Bibliorum inserta in libros Catholicorũ, qui ea explicant, aut citant? Respondeo, in Indice Hispanensi id permitti: nam ita expressè habet Regula sexta prædicti Indicis Hispanensis. ITEM, QVAERES, an permittantur in vulgarem linguam translata Euangelia, & Epistolæ, quæ per totũ anni cursum inter Missarum solemnia publicè leguntur, & decantantur? In 6. Regula Indicis Hispanensis permittuntur, ea conditione, vt separatim, & seorsim minimè typis mandentur; sed vna cum concionibus, & explanationibus Catholicorum editis, ad fidelium pietatem Christianam excitandã, promouendam, & augendam. QVAERES insuper, an permittantur conscripti vulgari lingua precationum horariarum libelli, in quibus continentur Psalmi, & Cantica ex Biblijs excerpta? In Indice Hispaniẽsi in Regula 6. & 7. omnes huiusmodi lingua vernacula conscripti libelli prohibentur. Et in Indice nouissimè edito iussu S.D.N. Clemẽtis VIII. in obseruatione circa quartam regulam, prohibẽtur sacræ Scripturæ partes, tam noui, quam veteris testamẽti, quauis vulgari lingua editæ: ac insuper summaria, & compendia etiam historica eorundem Bibliorum, seu librorũ sacræ Scripturę, quocunq; vulgari idiomate conscripta: q̃ quidem inuiolatè præcipitur seruandũ.

Obijcies, sacras litteras olim vernaculis fuisse linguis conscriptas: nam Moses, & alij veteris Testamenti scriptores sacri, Hebraica lingua, qua tunc tẽporis vtebantur Iudæi, scripsere: Matthæus quoq; profecturus ad Gẽtes luce veritatis imbuẽdas, Euangelium scripsit Hebraicè, in gratiam Iudæorum, & eorum, qui ex circumcisione erãt, teste Hieronymo in Prologo in Matthæum, ex Eusebio, siue, vt alij prodiderunt, scripsit Syriaca seu Chaldaica lingua, quę tunc Iudæorum vulgo erat vsitata. Epistola quoq; Pauli ad Hæbræos fertur Hebraicè primum edita, quia est ad Hebræos missa. Cæteri verò noui Testamenti libri Græcè sunt conscripti, quia Orientalium Gentiũ, quæ in Romanorum Imperio, & ditione viuebãt, erat propria lingua: & in Ecclesia Latina sacri, & diuini libri Latinè sunt redditi, propterea, quòd omnes tunc temporis Latinè loquebantur & intelligebant. Respõdeo, tunc hisce tribus linguis scriptores sacros vsos fuisse, quia Scripturę sanctæ id tẽporis apud Gentes promulgari cœperunt: & proinde in his linguis editę, ac traditæ fuêre, quæ tũc in vsu erant apud Gentium nationes. Deinde obijcies, Paulum prima ad Corinthios *cap. 14.* reprehendentem eos, qui linguis in Ecclesia loquebantur: vbi inter alia dicit: *tamen, quæ sine anima sunt vocem dantia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonitum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita & vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id, quod dicitur? erit enim in aëra loquentes.* Et post hæc: *Si ergo*, inquit, *nescio virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus; & qui loquitur mihi, barbarus.* Et ad Rom. 10. *Fides*, ait, *ex auditu; auditus autem per verbum Christi*, at si ij, quibus annuntiatur Dei verbum, non intelligant, perinde est, ac si non audiant? Respondeo, Paulũ his in locis sermonem habere de ijs, qui dono linguarum præditi erãt, quo multi Corinthiorum tunc temporis diuinitus donabantur, & quo eos vti Apostolus voluit ad aliorum profectum, videlicet ne publicè loquerẽtur linguis in Ecclesia, nisi esset, qui interpretaretur, vt omnes intelligendo, ad pietatem inflammarentur ardentius. Adhæc obijcies, Chrysostomum ter quaterue asserẽtem, *mirum in hom. de Lazaro, & in hom. 10. in Ioannem. & hom. 3. in epist. 2. ad Thessalonicenses*, assiduam Scripturarum lectionem esse singulis necessariã, & proinde omnes in earũ studium incumbere debere: neminem sese excusare posse, ob multitudinem occupationum, & negociorum, aut ob librorum penuriam, aut sermonis obscuritatem, & difficultatem: scripturarum lectionem demum non solũ Monachorum, seu clericorum, sed etiam omnũ laicorũ esse oportere. Hieronymus item ad Paulum, & Eustochium scribens, hortatur eas, cum fœminæ essent, ad assiduam sacrarum litterarum lectionem, & studium. Item, fertur Chrysostomus nouum testamentũ, & Dauidicos Psalmos in linguam Armenicam conuertisse, & Wlphilas Gothorũ Episcopus dicitur sacros Bibliorum libros in Gothorũ sermonem transtulisse. Chrysostomi verba Hęretici more suo accipiunt, & detorquẽt ad suæ causæ patrocinium. Nos tamẽ libenter fatemur, tũc temporis laicos in scripturarũ lectione fuisse versatos, quia sacra eloquia erãt græco, vel latino Sermone conscripta, quem sermonem vulgus quoque callebat, nunc verò plebs ferè rudis est,

dis est, & imperita latini sermonis: at laici, qui græcè, vel latinè nouerunt, Scripturas iure optimo lectitant.

Quartò quæritur, An expediat, & deceat sacra volumina in maternas, & vernaculas linguas cõuerti? Respondeo, Minimè, quia detrimentum inde pateretur fidelium concordia. Deindè, variæ hæresum, & errorum causæ nascerentur. Præterea, magna insciticæ, & ignorantiæ causa in Republica Christiana sequeretur. Ex varietate item, incertitudine, & multitudine versionum contentiones innumeræ, dissidia, ac infinita propemodum alia incommoda, & mala prouenirent. Ex quo Innocentius III. ad Abbatem Cistercienſem, & eius collegas scribens, eos acriter obiurgat, & increpat, qui canonicos Sanctarum Scripturarum libros Gallicè trãſlatos, passim laicis, & fœminis permittebant *Cum olim*, ait, *venerabilis frater noſter Metenſis Epiſcopus, per ſuas nobis literas intimaſſet, quod tam in diœceſi, quàm in vrbe Metenſi Laicorum, & mulierum nõ modica multitudo Gallicæ cuidam translationi diuinorum librorum intendens, ſecretis conuenticulis etiam inter ſe eruditare præſumerent, aliorum aſpernantes conſortium, & in faciem redarguentibus Presbyteris reſiſtentes, quorũ ſimplicitatem faſtidiunt in ſuæ translationis peritia confidentes; non protinus ad vindictam res nos accendit incognita, ſed vniuerſis tam in vrbe, quàm in diœceſi Metenſi conſtitutis ſub eo tenore literas curauimus Apoſtolicas deſtinare, qui vobis ex earum tranſcripti inſpectione poterit patere.* Et paulò post præcipiẽs, vt inquiratur in eos, subiungit: *Nuper autem idem Epiſcopus per ſuas nobis literas intimauit, quòd quidam eorum, quos notabiles prioribus literis denotarat, mandatis recuſant Apoſtolicis obedire, quibuſdam eorum clanculo, quibuſdam verò iam publicè, obediendum eſſe dicentibus ſoli Deo: ab occultis etiam conuenticulis non ceſſantes, officium prædicationis occultè, licèt à nullo mittantur, prohibita etiam ſibi non metuunt vſurpare, aſpernantes ſibi diſſimiles, & translationi eidem vſque adeo inſiſtentes, vt ſe nec Epiſcopo, nec Metropolitano ſuo, nec nobis ipſis aſſerant parituros, ſi eam decreuerimus abolendam. Licèt autẽ tales in eo reprehendẽdi merito videantur, quòd occulta conuenticula celebrant, officium prædicationis vſurpant, ſimplicitatem deſpiciunt ſacerdotum, eorum conſortia, qui dictam translationem non recipiunt, aſpernantur: Ne quid tamen ſubito facere videamur, diſcretioni veſtræ, de qua plenè confidimus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ad ciuitatem Metenſem pariter accedentes, cum eodem Epiſcopo conuocetis coram vobis talia ſapientes, & adhærentes translationi prædictæ: & ſi fieri poterit, quæ in eis reprehenſibilia fuerint, auctoritate Apoſtolica freti, ſublato appellationis obſtaculo corrigatis. Quòd ſi correctionem recipere forte noluerint, inquiratis in eos.* Hæc Innocentius.

Ex his manifestò perspicitur, quot, & quanta mala Gallica illa sacrorum Bibliorum translatio, in Ecclesiam illam Gallicanã inuexerit: qualia in primis erant sacerdotum simplicium, & ceterorum omnium despectio, inobedientia, audacia, temeritas, cõuentus occulti, seditiones, schismata. Quis item non videat, quantum malorum accideret, si passim agricolæ, & opifices sacra volumina versarent, & lectitarent in materna lingua, cum in eis multa habeantur, quæ prima fronte, & aspectu sibi inuicem aduersari videantur? Horum pauca quædam de multis exempla commemorabo. Ecce, ad Romanos 14. dicit Apostolus: *Regnum Dei non eſt eſca, & potus*; cũ tamen Christus dicat Luc. 22. *Ego diſpono vobis, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.*

Item, Geneſ. 1. & 9. dicitur, *Creſcite, & multiplicamini*; contrà, Luc. 23. *Beatæ ſteriles, quæ non genuerunt*, &c. Et Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum cælorum.* Geneſ. etiam 22. ait Moſes; *Tentauit Deus Abraham*; cui Iacobus in speciem contradicens, *Deus*, inquit, *neminem tentat.* Rursus Matth. 15. ait Christus Dominus: *Quod intrat in os, non coinquinat hominem*: Contrà Paulus dicens, *Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt.* Exod. 24. *Viderunt que Deum, & comederunt*: contrarium primo aspectu, ait Mosi Deus, *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & viuet.* Matth. 6. *Attendite*, ait Dominus, *ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*; oppositum in speciem indicat Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Psalmo primo ait Dauid: *Non reſurgunt impij in iudicio*: contra Paulus, dicens: *omnes quidem reſurgemus*, vt alios scripturæ locos præterea, quos recensere, nimis longum esset. Non dissimulabo, multa etiam in sacris literis contineri, quæ rudem, & imperitum hominem grauiter offendere, & quæ in speciem vilia, & abiecta, aut etiam ridicula, & absurda censeri possent: vt quæ in Cantico Canticorũ de mutuo, & reciproco inter sponsum, & sponsam amore referuntur; plurimæ quoque parabolę, & similitudines, tùm noui, tùm veteris Testamẽti; ex quibus incautus, & imprudens lector potius vanitatem, quàm veritatem, aut pietatem hauriret, vt meritò dixerit Apostolus: *litera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Postremò, facta quædam sacræ literæ commemorant, quæ rudi populo propoſita imitanda viderentur, vt Geneſ. 38. fornicatio Thamar; Iudith. 10. & 11. mendacium in speciem apparens: ficta quoque, & simulata Dauidis insania, quando Saulem fugiens mansit apud regem Geth, 1. *Reg.* 21. & 27. illud quoque Oseæ, cum iubetur ad mulierem meretricem accedere, & ex ea filios suscipere, Oseæ. 1.

Quintò quæritur, An prohibeantur disputationes, & controuersiæ de rebus Fidei, & Christianæ Religionis inter Catholicos, & Hæreticos vernacula lingua conscriptæ? Respondeo, in Hispanensi Indice librorum prohibitorum in Regula 8. prohiberi disputationes, & altercationes inter Catholicos, & hæreticos, immò etiam confutationes Alchorani Mahometani in lingua materna editas, absque facultate expressa, & scripto impetrata, & accepta ab Inquisitoribus. Nam ex huiusmodi disputationibus, controuersijs, & confutationibus vulgari lingua compositis plebs ignara, rudis, & incauta plurimas solet falsitates haurire, & mordicus tenere.

Sextò quæritur, An sanctum Missæ sacrificium, diuina officia, ac publicæ Ecclesiæ precationes, & Sacramentorũ ministratio fieri, recitari, doceri ac tradi debeant proprijs, & maternis cuiusq; gentis, & nationis linguis? Lutherani & Caluinistæ, contendunt hæc omnia vulgari lingua tradi oportere, vt singuli intelligant quid orent, quid petant, quid audiant, quid recipiant. Id probare se putant ex eo, quod Iacobus Apostolus

Chaldaicè, aut Syriacè apud Iudæos liturgiam composuit, qua nunc fortassis vtuntur Aethiopes, Armeni, & Maronitæ: Basilius, & Chrysostomus Græcè pro Græcis. S. Petrus perhibetur Latinè edidisse pro Latinis, aut saltem eius discipuli. Hieronymus perhibetur Dalmatica lingua Liturgiam composuisse Dalmatarum: Alexandrini, & Aegyptij suam quoque Liturgiam Arabicè conscriptam esse voluerunt, sicut Sclauonicè Morauj. Idem præterea confirmant ex eo loco Pauli. 1. ad Cor. 14. *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente. Cæterùm, si benedixeris spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem benè gratias agis; sed alter non ædificatur.* Et ex illo etiam Esaiæ 29. quod Christus Dominus confirmauit: *Populus hic*, inquit, *labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

Verumenimuerò quicquid Lutherani, & Caluinistę, sibi velint, & obstrepant, error est intolerabilis asserere, publicas Ecclesiæ ad Deum precationes vulgari idiomate recitari, cătari, & fundi debere, & neminem fidelium, earum fructus posse esse participem, nisi intelligat idioma, quo recitantur. Mos enim generalis Ecclesiæ habet, vt non nisi certis quibusdam linguis, Hebraica nimirum, Syriaca, Græca, & Latina celebrẽtur: qui mos plurimis ab hinc annis in Ecclesiã inductus, etiã nunc retinetur, & seruatur. Vnde Gregorius VII. ante annos quingentos, Duci Bohemiæ petẽti totius suæ gentis nomine id ipsum, quod Lutherani, & Caluinistæ hodie extorquere contendunt, respondit libr. 7. sui Regiſtri in Epistola ad eum missa, in hunc modum: *Quia verò*, inquit, *nobilitas tua postulauit, vt secundum Sclauonicam linguam apud vos diuinum officium celebrari annueremus; scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse facere. Et hoc nempe sapè voluẽtibus liquet, non immeritò Sacram scripturam omnipotenti Deo placuisse, quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret, & pateret deiectui, aut prauè intellecta à mediocribus, in errorẽ induceret.* Hęc ille Romanus Pontifex. Accedit concil. Trident. sess. 22. cap. 8. de sacrificio Missæ verba faciens: *Etsi Missa*, inquit, *magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est Patribus, vt vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento vbique cuiusque Ecclesiæ antiquo, & à S. R. Ecclesia omnium Ecclesiarũ Matre, & magistra probato ritu, ne Christi oues esuriant, neue paruuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat sanctæ synodus pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, vt frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex ijs, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant: atque inter cætera sanctissimi huius sacrificij mysteriũ aliquod declarent, diebus præsertim dominicis, & festis.* Similia his præcipit idem cõcilium de ijs, quæ pertinent ad conciones Euangelij, & Epistolarum, Catechismi; & reliquorum, quæ sunt necessaria ad salutem, explicationem, sess. 5. c. 2. de Reformatione: Et idem fermè constituit de sacramentorum vi, & vsu c. 4. & 7. & sess. 22. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantùm vulgari celebrari debere Missam, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eò quòd sit contra Christi institutionẽ, anathema sit.* QVAERES, an expediat prædicta publica Officia vulgari lingua celebrari? Respõdeo, ne quaquam: quia multa hinc incõmoda nascerẽtur, vt paulò ante vidimus. DEINDE QVAERES, an Hæreticis petentibus, vt prędicta officia maternis linguis persoluantur, permitti, & concedi debeat ob cõmunem pacem tuendam, & conseruandam? Respondeo, concilia, Patres, & Ecclesiam non consueuisse similibus Hæreticorũ postulatis annuere, sic enim olim Ephesinũ concilium noluit Nestorio cõcedere Deiparã Virginem dici, & vocari, Χριστοτόκον, licet id verũ esset, sed voluit appellari, Θεοτόκον, id est, Dei Matrem: Et synodus Nicæna prima, noluit admittere, quod Arriani libenter dabant, vt in Symbolo Filium Dei profiteremur ὁμοούσιον, id est, similis substãtiæ, sed voluit appellari ὁμοούσιον, id est, eiusdem naturæ, & substantiæ: neq; vnquam Patres voluerunt Asianis Episcopis concedere, vt Pascha celebraretur 14. Lunæ Martij, in quemcunq; hebdomadæ diem incideret, sed voluerunt, vt Dominica die post 14. Lunã proximè sequenti coleretur. Nec itẽ Ecclesia acquieuit Pelagianis ingenuè cõfitentibus paruulos nõ nasci in eo statu, & vitæ conditione, qua fuerant primi parentes ante lapsum, sed voluit, vt apertè fateretur eos cũ peccato originis nasci. Verbis enim ambiguis vsi illi hæretici deprauati, eludebãt Ecclesiã, intelligentes videlicet paruulos nõ nasci, in eadẽ vitæ conditione, & statu: quia nõ nascuntur viri adultæ, & perfectæ ætatis, quales erant primi parentes ante lapsum. Quòd si Lutheranis, & Caluinistis permitteretur, vt prædicta vulgari lingua celebrarẽtur officia diuina, postea prædicarent se obtinuisse, quod volebant, immò Ecclesiã mutasse sentẽtiã, & antiquũ morem reliquisse tanquam Scripturis contrariũ, erroriq; Ecclesiã infimularent: incredibili lętitia, & gaudio exultarent. At Ecclesia permisit, inquies, vt Alexãdrini populi, & Aegyptij Arabicè, Diuina officia faciant, Armeni Syriacè, & Morauj olim Sclauonicè, Dalmatæ Dalmaticè, & Russi, siue Rutheni vulgari sua lingua, & sermone. Concedo: sed id factum est, quia Alexandrini, Aegyptij, & Armeni, id extorserunt in Græcorum odium, à quibus se iam olim segregarant: Morauj verò id introduxerunt, quia ij, qui apud ipsos Christi Euãgelium promulgarunt, videlicet Cyrillus, & Methodius ante sexcentos annos à Romano Pontifice impetrarũt, vt eis rem diuinam facientibus, lingua, & sermone Sclauonũ vti liceret, quòd ea gens ipsis auctoribus in Christum Dominũ credere cœpisset, vt refert Aeneas Syluius, *in historia Bohemica c. 13.* & Cromerus *in lib. 3. de Rebus Polonorum: immo*, vt ait Syluius, *cum quidam Romæ contradicerent, & peterent, ne id Pontifex concederet, audita est vox è cælo missa, omnis spiritus laudet Dominũ, & omnis lingua confiteatur ei.* Porrò non idem iuris est de priuatis precationibus, quas quiuis fundit ad Deum, nec de ijs, quæ ad Catechismum spectant: quale est Apostolorũ symbolum, salutatio angelica, & cætera Christianæ fidei rudimẽta: hæc enim licet Latinè sæpe tradãtur, materna tamen lingua proponi, & addisci solẽt, qa publica Ecclesiæ officia minimè cẽsentur.

Septimò quæritur, An populo catholico liceat hæreticum hominem, aut infidelem in Regem, aut Principem eligere? Respondeo, primò

id iure

id iure naturali esse prohibitum, quia Principum, & Regum mores solent populi imitari. Vnde olim Deus, cum Hebræorum populo præcepta daret, inter alia prohibuit, ne alterius gentis, quàm suæ regem sibi deligerent. Deindè, si Rex hæreticus à populo crearetur, electio iure canonico esset prorsus inanis, & irrita: quoniam omnis hæreticus ipso iure excommunicationem cõtraxit, excommunicatus autem, publicorum munerum, & administrationum capax nõ est, quippè cui interdictum est omni piorum hominum conuictu, societate, & cõmunione. QVAERES, an saltem ob communionẽ pacis bonum tuendum, & conseruandum, possit Hæreticus auctoritate Pontificia absolutus, in Regem, aut Principem eligi? Respondeo, videndũ esse, an multò magis sit in rem populi hæreticum hominem in Regem non eligi, quàm eligi ob cõmune pacis bonum. Item, videndum est, an citius, & facilius Reipublicæ salus, & pax labefactata concidat Hæretico regnante, aut dominante, quàm Catholico: insuper videndum est, num quamuis polliceatur, & iuret, se permissurum Catholicos pacatè, & quietè viuere iuxta Ecclesiæ ritus, & mores; sit ei fides habenda. Nam qui Dei fidẽ temerè, nefariè, & impiè perfringit, facilè fidem datam hominibus violabit, vt abunde experimenta docuerunt. ROGABIS DEINDE, an Rex, vel Princeps in hæresim lapsus, sit ipso iure regno, aut principatu susceptо priuatus? Respondeo, minimè, sed regno est amouendus, regno priuandus, ei regia potestas abroganda. QVAERES, cuius auctoritate sit regno, aut principatu deijciendus? Respondeo, auctoritate Pontificis Romani primùm fieri debere criminis declarationem: nam Hæresis crimen est Ecclesiasticum, in quod Iudex Ecclesiasticus primùm inquirere, & animaduertere debet: post cognitã ab Ecclesia, & damnatã hæresim lata sententia, populus eadẽ auctoritate soluitur ab omni vinculo, & nexu fidei, promissionis, & iurisiurãdi, quo Regi parere ante debebat, & deindè potest iure populus, vna cum Procerum cœtu, Regi regnum, & potestatem adimere, ac in sui patrocinium alios Principes Christianos, & Catholicos vocare, si ad hæc omnia Romani Pontificis publica sententia, & auctoritate accesserit.

Octauò quæritur, An fas sit, & Reipublicæ expediat Hæreticos impune permittere, & peregrinas, ac superstitiosas sectas tolerare, vt Iudaismũ Paganismũ, Saracenismũ? Quidã opinantur id fas esse, & expedire, vt Reipublicæ pacatè, & trãquillè viuant. Nam Heluetij populi pace fruuntur, & tranquillitate, cũ tamen Hæreticos permittãt in suis finibus: & olim Christiani, Imperatoribus hæreticis, & Paganis regnantibus, vna cũ Hæreticis, & Paganis permisti viuebant. At verò dicendũ arbitror, innumera mala, & incõmoda oriri solita esse, quãdo in Republica impune toleratur eiusmodi hominũ consortiũ, atq; conuictus: vti experimẽto satis euidẽti cõstat in multis prouincijs, quod si aliquando factũ esse legimus, id mirũ non est, quia res, mores, & tempora aliud non patiebantur: & vbi id nunc impune toleratur, Atheismus, aut Paganismus, paulatim inducitur. At vt plura, & grauiora, & deteriora mala deuitentur, aliquando id Principes Christiani permittũt.

Cap. XXVII.

De peccatis, quæ contra Fidei confessionem admittuntur.

PRincipio quæri solet, An qui rogatur ab alio, sit Catholicus, siue Christianus nec ne, eo ipso debeat confiteri, se esse Catholicum, siue Christianum? Animaduertendum est, inter se hæc tria plurimum differre: nam aliud est negare. V.G. Titium se esse Catholicum siue Christianum: aliud Simulare, vel occultare Fidem Catholicam, siue Christianam: & aliud, sectam, vel superstitiosam impietatem profiteri. Deindè sciendum est, posse cõtingere, vt quis, vel verbis, vel factis, vel signis Fidem catholicam abneget, vel occultet. Et proindè, vt sectam alienam totidem quoque modis profiteatur. Primùm quæritur de verbis, & factis postea de signis.

Profiteri igitur sectam, aut superstitionem Infidelium quorumlibet, siue verbis, siue factis, est per se peccatum, & quidem graue. QVAERES, quid si metu mortis quis profiteatur? Etiam tunc est peccatum, quia est per se, & intrinsecè malũ. Vnde metus mortis minuere ex parte eius deformitatem potest quidem; sed tollere ex toto non potest. Quid si, inquies, ore tenus tantummodo quispiam profiteatur, non corde, & animo? Respondeo, eum hæreticum, aut Paganum non esse, quoniam intellectu nihil contra Fidem credit, at verò graue peccatum facit, quia Christi Fidẽ verbis abnegat. Præterea, si Titius legitimè auctoritate publica rogatus, se esse Christianum, vel Catholicum neget, graue peccatũ admittit, tametsi metu mortis, & verbo tenus se talem esse negauerit: nam Fidem negare, est etiam per se, & sua natura malum. Postremò, si Titius publicè, & legitime rogatus, sit Catholicus, siue Christianus, an non; tacuerit, ita vt talem se tacendo esse dissimulet, grauiter delinquit, quoniam tunc temporis Fidem suam clarè, & palam prodere, & confiteri debet: alioqui enim tanquam hæreticus, aut Infidelis censebitur: Et cum id negotij publicè transigeretur, pios Christianorum animos offenderet. Si tamen Titius clanculum, secretò, vel priuatim ab aliquo rogetur, sit ne Catholicus, Christianusue an non? non peccat, si tacendo Fidem simuler, aut occultet; aut si rogantem verbis ambiguis, aut aliò spectantibus eludat: quia is, qui rogat, nullum rogandi ius habet; & proinde qui respondet, minimè obligatur ad veritatem fatendam: vsu tamen venire interdum potest, ex accidenti aliquo, nimirum, ne alij offendantur, vel ne in periculum perfidiæ deueniant, vt debeat veritatem profiteri, & nequaquam occultare. At verò si Hæreticum, aut Infidelẽ se esse fateatur, peccat, non solùm mentiendo, sed etiam hæreticam prauitatem, aut superstitiosam, vel impiã aliam quamlibet sectam verbis profitendo.

Quæres, quid si nomen Christiani, vel Catholici apud aliquot prouincias, solùm sit nomen nationis, vel gentis, non autem religionis, an peccet Titius contra confessionem Fidei negando se esse Catholicum, vel Christianum? Respondeo, minimè, quia solùm negat se esse virum illius nationis, vel gentis, de qua rogatur: velut qui

diffiteretur se esse Italum, Gallum, Germanum, vel Hispanum.

Secundò quæritur, An qui apud hæreticos rogatus, sit ne Sacerdos, sit Clericus, an non? Religiosus, nec ne sit? verum audierit rem diuinam? negauerit, se talem esse, vel rem sacram audisse, peccet contra cõfessionem Fidei? Finge aliquem in Anglia commorari, vbi talia passim Hæretici percunctantur ad explorandum, an quis Romanã fidem teneat, & profiteatur? Respondeo, minimè. Nã si quis neget se esse Sacerdotẽ, vel Clericũ vel Religiosum, non eo ipso negat se esse Christianũ, vel Catholicum, vel fidelem, quia sunt etiam Laici, Christiani, & Catholici. Nec refert, quòd id Hæretici scisciteritur rati tales Romanam fidem tenere: quoniam eam quoque Laici profitentur. Quare solùm simplex mendacium in huiusmodi negatione ineſt; & proindè simulare, vel occultare Clerici, vel Religiosi personam, sine mendacio in verbis, ne quis prodatur, ac capite, & vita periclitetur, nullum peccatum est. Immò etiam Titius Clericus, vel Religiosus, si ad vitam tuendam depositam Clerici, vel Religiosi veste se tantùm, vt laicum in speciem gereret, amictu laicorum indutus, non grauiter peccaret. Præterea, si precationes solitas, & officia Ecclesiastica prætermittat, quia cõmodè ea recitare nequeat absq; probabili vitæ periculo, non peccat: quia leges humanæ non obligant conscientias subditorum, cum graui vitæ discrimine, quamuis in certis casibus obligare possint.

Tertiò quæritur, An in hospitijs liceat Catholico carnes edere temporibus ab Ecclesia interdictis, ne se prodat tãquam catholicum, & in certum vitæ discrimen veniat? Hoc ideo quæritur, quia leges humanæ non afferunt obligationem, quando huiusmodi pericula immineant: ex altera verò parte videtur hic Catholicus omnino peccatum admittere contra confessionem Fidei, si ponamus, in huiusmodi hospitijs eos, qui carnibus vescuntur, hæreticos censeri: tunc enim qui carnes edit, facto ipso se hæreticum esse, profitetur: at paulò ante diximus, sectam Hæreticorum, vel Paganorum verbis, vel factis profiteri, esse per se malum, quod metus etiam mortis non excusat. Respondeo, in primis, à carnibus abstinentem aliquem Catholicũ, quamuis ab hospite oblatis, eò quòd prætexat, & simulet aliam causam, & rationem longè à religione diuersam, nõ peccare, nec cõfessioni Fidei repugnare, quia solùm religio simulatur, aut celatur. Deinde, in carnibus edendis ob vitæ periculum declinãdum, non videtur graue peccatum admittinam carnium esus per se non est infidelitatis, perfidiæque, aut prauitatis hæreticæ professio, sed res est per se media, & indifferens: ex accidenti verò Hæretici talem esum trahunt ad signum perfidiæ, aut hæreticæ prauitatis: Catholicus autem nullã lege compellitur, cum probabili suæ vitæ discrimine, ad abstinendum eiusmodi signis, quæ Hæretici maligno animo sibi præstituunt, vt symbola suæ hæreticæ prauitatis, atque perfidiæ.

Quartò quæritur, An Catholico, vel Christiano per Hæreticorum, vel Paganorum prouincias atque oppida transeunti, liceat salutis causa sese occultare, eorum vestes induendo, aut lingua, & Sermone vtendo? Sciendum est, vestem, vel signum, quo nationes, vel gentes vti cõsueuerunt, aliquando Symbolum esse nationis, aliquando sectæ, & religionis. Variæ enim gentes vario vestimentorũ genere vti solent: Caietanus, 2.2. q. 3. a. 3. docet, nunquam licere Christiano, etiam metu mortis, vti veste, vel signo Infidelium, quandocunque lege, vel consuetudine, vel Principis iussu receptum est, vt qui certam sectam, & religionem profitentur, vtantur eo genere signi. At alij dissentiunt, asserentes id esse licitum facere, imminente mortis periculo, & omni aliorum offensione semota. Bãnez 2. 2. q. 4. art. 1.

Mihi hoc probabilius videtur: Nam quemadmodum licet Christiano per Paganorum loca transeunti, vti sermone, & lingua ipsorum, vt sibi necessaria vitæ subsidia comparet; sic etiam eidem fas est, vti veste, & symbolo Infidelium. Nam vti sermone illorum, non est per se sectam eorum profiteri, nec propriam religionem abnegare, eò quòd sermo, & lingua tantummodo nota, & signum nationis, & gentis, non symbolum religionis est. Præterea, eiusmodi vsus est omnium hominum communis: nam & ipsi Infideles, & Pagani, vt se simulent, & occultent, vti solent sermone nostro. Quo fit, vt omnes nationes intelligant alienæ linguæ, & sermonis vsum de more adhiberi ad vitam inter exteros conseruandam, & tuendam. Veste insuper, vel habitu Infidelium vti, non est per se eorum sectam, & religionem profiteri, quia res est per se media, & indifferens.

Obijcies cum Caietano, saltem secundum morem, consuetudinem, & legem receptam, apud Paganos esse signum religionis, & sectæ? Respondeo, nequaquam inde colligi, esse per se malum, sed ob scandalum, & periculum aliquorum, quo sublato, nullum peccatum est metu mortis impendente: nam alioqui ea veste, & habitu vti, qui vellet, proculdubio peccatum non euaderet. Adhuc oppones, Rogante Principe, vel Republica cuiusnam religionis simus, negare nos esse Christianos non licet: sed quando more, & lege recepta apud Paganos, certum vestimenti genus est eorum superstitiosæ religionis, & sectæ symbolum, perinde est, ac si publica Paganorum auctoritate rogaremur, quam religionem profiteamur? Respondeo, non esse idem iuris de verbis, quod de signis, & vestibus; nam verba, quibus inficiatur quis se esse Christianum, aut se esse Paganum, vel Iudæum, omni ambiguitate carent: at verò vestes, & signa, quæ in rebus, & factis consistunt, non vnam tantummodo rem significant, sed plures: quoniam ad multa vestes, & signa adhibere consueuimus. Vrgebis: Quemadmodum voces ex institutione hominum, vnam tantùm rem designant; sic etiam, licèt vestes, & signa per se multa denotare queant, vnum tamen ex more, lege, & instituto Paganorum significant. Respondeo, inter voces, & alia signa magnum esse discrimen. Nam voces postquam hominum placito sunt institutæ ad aliquid significandum, vnum tantummodo significant; at vestes, & alia signa, etiam postquam sunt adhibita ex more gentis, & instituto ad sectam, vel religionem

profiten-

profitendam, sunt adhuc ambiguæ: quoniam sunt symbola, vel religionis, & sectæ, vel nationis, & gentis.

Quintò quæritur, An vbi Catholici, vna cum hæreticis versantur, licitum sit Catholico adire templa, ad quæ hæretici conueniunt, eorum interesse conuentibus, atque concionibus? Respondeo, si rei naturam spectemus, id non esse per se malum, cum sit res suapte natura indifferens: nam multis de causis potest quis hæreticorum templum ingredi: & conuentibus eorum, & concionibus interesse, vt facilius, validius, & commodiùs eorum confutet errores. Ex accidenti tamen peccatum est, si id fiat cum aliorum offensione, aut periculo nostro, vel alieno. QVAERES, quid si alicubi more, aut opinione hominum communi receptum sit, quodlibet istorum esse symbolum hæreticæ perfidiæ, an Catholicus ea tunc euitare debeat? Respondeo, debere, ob scandalum vitandum. Sed quid si Princeps hæresi laboret, & iubeat ciues, tum Catholicos, tum hæreticos templa adire, atque etiam frequentare, in quibus publici hæreticorum conuentus celebrantur, & conciones habentur, & id imperat Princeps constituta pœna publicationis bonorum, vel mortis? Respondeo, si id Princeps iubeat, quoniam vult, vt suo mandato omnes obediant, id esse licitum Catholicis facere: nam in eo solùm obedientiæ officium Principi debitum præstant. Si tamen id præcipiat, vt eo tanquam religionis symbolo prauitatem hæreticam simul profiteantur, & vt Catholici discernantur ab hæreticis, nequaquam esse licitum parere his Principis iussis; quoniam cæteri proculdubio Catholici offenderentur: deinde eo ipso tacitè hæreticam perfidiam, seu prauitatem profiterentur: QVAERES, an tunc liceat Catholico suo Principi obedire, publicè asseuerando se id solùm efficere, vt suo Principi pareat, non autem, vt sectam hæreticam profiteatur? Quidam id licere arbitrantur, ne eius bona publicentur, & ne ei vita auferatur: quod sanè probabiliter dici videtur. Ea enim publica testatione, Catholicorum offensioni, & periculo consulit, & iniquam Principis vexationem iure declinat.

Sexto quæritur, An Catholicis, Christianisue cum hæreticis, vel Paganis belligerantibus, fas, iusque sit suis vexillis affigere certa quædam signa, quibus hostes vtuntur, vt sic, vel interitum effugiant, vel eos certè incautos vincant, & capiant? Respondeo, esse licitum id facere, siue nauali, siue terrestri bello res agatur. Nam hoc nihil aliud est, nisi quoddam insidiarum militarium genus. Et quemadmodum in ludis solent esse iustæ certæ quædam fraudes, in eis vsitatæ, & colludentium inter se communes, & proinde absque peccato: Ita etiam in bello militares insidiæ culpa vacant, quia sunt stratagemata æquè vtrique parti communia. ROGABIS, quid si Paganorum signum, sit sectæ, & religionis superstitiosæ symbolum? Fateor esse peccatum eo vti, puta si esset signum Martis, Palladis, aut Iouis, quos pro dijs stultæ, & insanæ gentes coluerunt. Si tamen signum sit res per se indifferens, ita vt tum nationis, & gentis, tum fallsæ religionis, & sectæ signum esse queat, nullum erit peccatum eo vti. Quo fit, vt in comœdijs, & tragœdijs, quæ populo exhibentur, liceat vti habitu Infidelium, quantumlibet sit peregrinæ, & vanæ religionis symbolum: quia tunc res agitur non seriò; sed ficta personarum repræsentatione: atque id eo sensu, prudentes quoque spectatores, & auditores accipiunt, & interpretantur. Præterea ex prædictis perspicitur, eum grauiter peccare, qui in gratiam Paganorum, deorum falsorum, & inanium, quos ipsi venerantur, simulachra, vel imagines depingeret, vel statuas faceret, vel delubra, & fana construeret: quia horum singula per se ad probandam superstitionem, & impietatem, cui sunt consecrata, valent.

Septimò quæritur, An seruo Christiano apud Paganos captiuo liceat in eorum templis genu flectere, obsequium, & officium suo Domino genua submittenti debitum præstando, quò eum incuruatum sustentet? Nam ex vno capite id non esse licitum videtur, quoniam Naaman opera, & ministerio Elisæi curatus à lepra, ardenter postulauit ab eo, vti Deum suum precaretur: *quo*, inquit, *mihi ignoscat, si adorauerim in templo Remon, Domino meo adorante.* Ex altero capite id videtur licitum esse facere, quia in eo seruus tantummodo suo officio, & munere fungitur. Respondeo, ius esse seruo, id facere: nam, dummodo seruus nullum cultum Idolo tribuat, tutò potest suo Domino inseruire; id enim officij præstare solet Domino suo, tum in templo, tum extra templum: quemadmodum etiam Christiana ancilla à Paganis capta, & caudam vestis dominæ suæ gestare solita, tuta conscientia genu flectit, vna cum domina in templo Idolorum genua flectente, & sese prosternente, quia id quoque facere vbique consueuit. Quorsum igitur, inquies, si id est licitum facere, petiuit Naaman, vt ipsi Deus ignosceret? Respondeo, dubium fuisse Naaman, vtrum iure posset, id obsequij genus domino suo Idoli cultori præstare, immo fortassis verebatur, ne id graue peccatum esset; & proinde impensè postulauit, vt Elisæi precibus id iuris sibi à Domino concederetur. Elisæus autem nequaquam soluit eum lege diuina, neque enim poterat in eo, quod est per se, & intrinsecè malum, lege aliquem soluere, & excipere; sed concessit ei rem sua natura indifferentem, quam tamen ipse anceps animi, tanquam bona mente præditus putabat, aut etiam verebatur esse interdictam, Deoque proinde odiosam, ac detestabilem: quod Abulensis, & Lyranus prudenter obseruarunt. 4. Reg. 5.

Octauò quæritur, An certo aliquo tempore iustus præceptò compellatur ad eliciendum actum credendi? Respondeo, semper esse obligationem præcepti, ne aliquid contra Fidem credamus, aut profiteamur. Præterea, præceptum Fidei obligationem inducit, vt impius, siue infidelis credat, cum primum fuerit sibi Euangelium Christi idoneè, & conuenienter annunciatum. Deinde, impius, quo tempore, præcepto cogitur ad meliorem vitæ frugem per veram peccatorum detestationem conuerti; cogitur quoque ad actum Fidei præstandum: tunc enim de

peccatis

peccatis dolere debet, Deum amare, criminum veniam petere: sed hæc efficere nequit, nisi fidei actum eliciat. At verò postquam venia impetrata in Dei gratiam, & amicitiam redijt, interim dum eam seruat, & retinet, minimè obligatur ad actũ fidei eliciendum. Nam credendi præceptum est à Deo constitutum, vt præsidium, & remedium ad iustificationem impij; ergo iustitiâ, & gratiâ obtentâ, cessat obligatio præcepti: At ratione spei, pœnitentiæ, vel charitatis aliquando suam vim habet.

Postremò est animaduertendum, inter peccata, quæ contra Fidem admittuntur, connumeratam esse Blasphemiã, siue maledictum in Deum, eo quòd sit crimen, quo aliquid verbis contumelijosis Deo, vel Sanctis cælestis patriæ ciuibus tribuitur, quod in ipsos minimè quadrat, vel aliquid detrahitur, quod ipsorum est proprium, eisque conueniens. Ex quo colligit S. Thomas 2.2.q. 13.art.1. Blasphemiam esse peccatum, quod contra Fidei confessionem perpetratur. At verò nos putamus, blasphemiam in vniuersum Religioni aduersari; quia est peccatum, quo maledicta, & contumelioſa verba in Deum, vel Sanctos in cælo regnantes conijcimus: & ideo de Blasphemia differemus, cum de Religione, & peccatis cum ea pugnantibus infra tractabimus.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER IX.

DE SPE, CHARITATE, ET Religione in Deum.

CAPVT PRIMVM.

Quid de Spe, virtute nempe Theologica, tenendum sit.

PRIMO quæritur, Quot modis accipiatur Spes? Respõdeo, duobus: Primò, vt pertinet ad appetitum sensus, & sic est affectio quædam animi, qua bona futura, ardua, & difficilia ex certa quadã fiducia cupim⁹, & expectamus: Vt enim timor, est mali futuri, sic Spes boni futuri expectatio. Altero modo accipitur Spes, vt spectat ad appetitũ rationis, quæ est volũtas: & tunc, aut sumitur pro reipsa, quã speramus; de qua Apostolus: *Expectãtes*, inquit, *beatã spẽ*; & Spes, quæ videtur, nõ est spes. Aut pro actu sperandi, de quo idem Apostolus: *Spe gaudentes*: rursus, *Spe salui facti sumus*: Aut pro habitu, quo ad sperandum sumus propensi. Quando est actus voluntatis, accipitur etiam dupliciter. Primò, fusiùs, & latiùs, prout est cuiusſibet boni, siue cælestis, & æterni, siue terreni, & caduci, difficilis, & ardui, & futuri expectatio: Deinde strictiùs, & presſiùs, vt est desiderium cũ certa fiducia futurorum bonorum, cælestium, & æternorum, videlicet diuinæ gratiæ, & gloriæ, & aliorum, quæ sunt nobis à Deo promissa.

Tit.2. Rom.8. Infra12. Supra8.

Secundò quæritur, An spes, vt est habitus, sit verè, & propriè virtus? Durandus *in 3. dist. 26.q.1.* quemadmodum censet *in 3.dist.23.q.6.* Fidem non esse propriè virtutẽ: sic etiam nec Spem. Id probat, quia virtus propriè sumpta, afficit hominẽ, cui ineſt, simpliciter, eumq; ad optimum actum dirigit, ornat, ac perficit: nimirum si est virtus rationis, & mentis, dirigit hominem ad verum, certum, clarum, & euidens: Si est virtus appetitus, ad bonum, quod habetur. At quemadmodum Fides est veri, quod nõ clarè, sed obscurè cognoscitur; ita etiam Spes, est boni, quod non habetur: ergo nec Fides, nec Spes sunt virtutes, siue sint à Charitate seiunctæ, quas Theologi informes appellant: siue cum Charitate connexæ, quas virtutes viuas, & formatas vocant. Ait tamen Durandus Spem esse virtutem latè sumptam, vt virtus vocatur, quilibet habitus laudabilis nos ad bonũ mouens, ac ducens. Caietanus 2.2.q.17.art.1. existimat Spẽ sine charitate nõ esse propriè, & simpliciter virtutẽ; sed cum charitate coniunctã verè esse, & propriè virtutem. Alij S. Thomæ discipuli cẽsent spem absque charitate esse quidem propriè virtutem; sed non simpliciter; cum charitate tamen esse, & propriè, & simpliciter virtutem: quoniam nulla, inquiũt, sine charitate potest virtus simpliciter consistere, cum omnium virtutum charitas sit forma, & veluti anima, & vita. Verior tamen est eorum sententia, qui putant Spem esse verè, propriè, & simpliciter virtutem, per suam substantiam, & naturam, siue sit cum charitate socia, siue ab illa disiuncta: neque enim ad virtutem requiritur, vt hominem referat, & dirigat ad actum simpliciter optimum; sed ad actum optimum, quem potest: Et ideo Fides diuina, est virtus, quia semper est veri: fides humana non item, quia potest esse falsi. Spes quoque diuina, est propriè virtus, quia semper est boni, & quatenus Dei promissis, & eius gratia, & charitate innixa fulcitur, summum bonum, quod sibi propositum habet, & quod cõcupiscit, quod expectat, & in quod intendit, certò consequitur, licet consecutionem eius homo per peccatum impediat. Spes verò humana, actus, vel habitus esse quidem potest, virtus esse non potest; quia nõ semper est boni. Nam malum, quod opinione hominũ putatur bonum, aliquando sperat, nec certò semper suum, quod optat, & expectat bonum, adipiscitur. Charitas autem non est virtutum intrinseca forma, sed extrinseca, quæ facit, vt studia, & opera nostra bona, vitam æternam mereantur.

Tertiò quæritur, An Spes sit virtus Theologica? Respondeo, eam tribus de causis virtutem Theologicam dici, vt docet Scot. *3.dist.26.q.1. vers. Respondeo non omnis.* Primò, quia circa Deum versatur, tanquam circa rem, & materiam sibi proximè obiectam. Deinde, quia Deo innititur tanquã norma, & regula, qua certò dirigitur. Postremò, quia est habitus diuinitus infusus. Virtus igitur

Theologica intendit in Deum, vt in obiectum, & finem sibi proximè propositum, & vt regulam, qua certò nititur, atque dirigitur, & vt causam sui effectricem. At verò virtus moris nihil horũ habet: nam ipsa etiam religio, quæ circa Deum tanquam rem obiectam versari videtur, non respicit Deum, vt obiectum proximum; sed tãtùm, vt eum, cui cultum, & honorem debitum defert; ita vt eius proximum obiectum sit cultus, & honor, qui Deo Optimo Maximo debetur, & tribuitur. Regula item virtutum moralium, qua diriguntur, non est Deus; sed prudentia, cuius ductu, & præscripto omnes virtutum moralium actiones gubernantur, & referuntur in finem debitum rationi. Nam Castitas, Fortitudo, & Iustitia suas functiones exercent, prout Prudentia præscribit, & præcipit. At Fides diuina credit aliquid, quia est dictum, & patefactum à Deo: Spes expectat bona æterna, & cælestia, quia Deus promisit se ea bene merentibus redditurum: Charitas diligit Deum propter ipsum, amat eum ante, & super omnia, & Proximum propter Deum, vt gratiæ, & gloriæ participem, & simul, quia Deus id voluit. Præterea, virtus moralis exercitatione, & assuetudine comparatur: Virtus Theologica nõ item, neque enim fit, & existit ex nobis; sed diuinitus datur, & in mentem infunditur. Ex quo efficitur, vt scientia theologica, quam hominum magisterio, industria, & labore discimus; virtus theologica non fit: quoniam opera, studio, & exercitatione acquiritur, non diuinitus infunditur: & regula ipsius directrix, præceptrix, & magistra est ratio, & ex ratione argumentum, vnde deducitur. Colligitur etiam, Fidem, Spem, & Charitatem nostris actibus acquisitam, non esse virtutes theologicas: probabile siquidem putamus (*vt tertio lib. cap. 21. q. 6. tradidimus*) Ex actibus virtutum infusarum habitus generari, quos scholę passim acquisitos appellant: qui quidẽ habitus sunt theologici, quia circa Deum tãquam circa materiam & rem obiectam occupantur: non tamen sunt virtutes theologicæ, quoniam non infunduntur à Deo.

Quartò quæritur, An spes sit virtus theologica, non solũ ratione, sed re à Fide, & Charitate distincta. Quidam, vt legimus apud Scot. & Gabr. 3. *dist. 26. q. 1.* volue̅re solùm ratione differre: ita vt spes sit fides, & charitas aggregatione quadam; quoniam spes desiderat, expectat, & amat bona æterna, quæ credit futura. Putarunt alij spem re esse idem, quod fides: ratione tamen distingui; perinde, ac si Fides credat generaliter, quicquid est dictum à Deo: Spes credat bona gloriæ à Deo promissa, & iustorum meritis reddenda. Sed hæc omnia temeritate non carent. Altera est sententia communi consensu à Theologis recepta, Fidem, Spem, & Charitatem esse tres virtutes re diuersas, & distinctas, ex re, & materia obiecta, in qua versantur; actione item, & officio, quod præstant, & obeunt, ac facultate, cui insunt. Fides enim in intellectu, siue ratione sedem habet; Spes in voluntate; Charitas in voluntate quidem inhæret, sed eam spe affectam requirit, & postulat. Fidei, est credere: Spei, desiderare, & expectare: Charitatis, amare. Præterea, Fides in Deum, tanquam in verum fertur: Spes, tendit quidem in Deum, sed tanquam nobis bonum: Charitas verò proponit sibi Deum tanquam bonum in ipso, & ex ipso, & propter ipsum.

Quintò quæritur, Spes quem ordinem habeat ad Fidem, & Charitatem? Respondeo, vt docent S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 7. & 8. & 1. 2. q. 62. art. 4. & Gabriel. 3. *dist. 26. q. 1. art. 3. dub. 2.* eum ordinem habere, quem habent inter se actus, & officia. Nihil boni cupimus, appetimus, & expectam⁹, nisi prius fuerit mente apprehensum, & cognitum: Vnde origine, & causa, Fides est Spe prior, & anterior; speramus enim bona nobis promissa, & nostris benefactis reddenda: fide verò credimus talia bona esse, & nobis à Diuina bonitate gratuito, & liberaliter promissa, ab eaq; nobis bene merentibus conferenda. Vnde actus fidei esse potest sine actu spei, non è contrario: & actus spei aliquando est absque charitatis opere: sed non contra. Porrò spes causa quoque, & origine charitatem antecedit: quia prius Deum, vt bonum nobis optamus; deinde verò eum propter ipsum diligimus. Nec refert, quod fides, spes, & charitas simul aliquando in animum infundantur.

Sextò quæritur, Quo pacto per actum spei iustus meritum apud Deum habere queat, cum spes desideret, & expectet Deum, vt nobis bonum, & commodum, quod est Deum in nos ipsos referre? Respondeo, ipsem esse duplicem, Mercenariorum vnam; alteram filiorum, & filialem ideo à Theologis nominatam: Mercenarius enim expectat sui laboris mercedem, & stipendium, nec tam rationem habet eius, qui est mercedem redditurus, quàm mercedis sibi reddendæ: hanc etenim, vt scopum, & finem sibi proponit; quia, nisi pactum de ea soluenda interueniret, minimè laboraret. Spes verò filiorum expectat quidem à Deo bona; sed vt à patre recipienda, & proinde ad eum sese conuertit tanquam ad benignum, & munificum bonorum largitorem, & quem, vt datorem boni, quod expectat, amare cœperat, incipit deinde amare propter ipsum. Spes itaque est virtus theologica, non mercenaria; sed talis, qualis est filiorum, quæ fertur in Deum tanquam commodum, & bonum nobis, sed non propter nos tanquam propter vltimum finem, & terminum, licèt nec explicitè propter ipsum: quemadmodum honestas appetitur, & diligitur non tanquam vltimus finis, in quem omnia referantur, sed ea ratione, qua honestas est. At virtus, & honestas ipsa sua conditione, & natura implicitè, & tacitè refertur in Deum, quamuis nõ expresè. Sic etiam Spe appetimus, & optamus nobis Deum; sed totum hoc implicitè, & tacitè, licet non explicitè dirigitur, & refertur in Deum.

Septimò quæritur, Quare inter virtutes theologicas ponatur spes, cum tamẽ in moribus nulla ipecialis virtus constituatur, quæ spes nostras, & desideria, quæ sunt animi perturbationes, moderetur, & frenet? Quidam existimant, inter virtutes morales esse vnam specialem, & certam, quæ circa affectionem animi, nempe spem, versatur, & eam esse magnanimitatem. Sed certè magnanimitatis solùm est corrigere, & temperare spes, & desideria rerum magnarum, excellarum, & sublimium, ne ea, quæ facultatem, & vim nostrã superant, & excedunt, immodicè appetamus.

Quare inter virtutes theologicas rectè spes ponitur, quia, quæ sperantur à Deo promissa, & reddenda, magna sunt, præclara, & excelsa. Præterea infunditur nobis virtus, vt ea, quia sunt diuinitus promissa, sperem⁹, & expectemus. At verò in moribus eædem virtutes, quæ cæteras animi perturbationes componunt, & sedant, cohibent quoq;, & temperant spes nostras futurarum rerum. Non igitur ad id specialis virtus moralis debuit inter cæteras reponi.

Octauò quæritur, An spes, quę charitate caret, & informis à Theologis vocatur, sit speciale Dei donum? Respondeo, esse; sicut etiam Fides à charitate seiuncta. Quo efficitur, vt quemadmodum nemo absque speciali Dei auxilio, quod voluntatem præuenit, excitat, mouet, & adiuuat, credere potest; sic etiam per solas naturæ vires sperare nequeamus, quæ sunt nobis diuinitus promissa, nisi gratuito Dei munere excitati, moti, & adiuti. Et quatenus præmia nostris bonis operibus, & meritis ex Dei gratia prouenientibus reddenda. Insistes, satis esse, si Dei munere credamus, ea esse à Deo promissa, & bene merentibus suo tempore conferenda. Nam cum primum hæc quispiam crediderit, poterit per se ipsum ea exoptare, & sperare. Respondeo, nequaquam id sufficere, quia sperare nequimus, nisi Deus cogitationem bene sperandi nobis iniecerit, qua excitemur, vocemur, & moueamur: ac rursus nisi post cogitationem iniectam, voluntatem mouendo impulerit, & adiuuerit ad sperandum. Quod est dicere, requiri speciale, & supernaturale Dei auxilium præueniens, quæ est cogitatio bene sperandi voluntatem præcurrens, & quam, Gratiam operantem Augustinus appellare cõsueuit, quia eam efficit Deus in nobis, sine nobis, id est ante nostrum consensum: & præterea auxilium cooperans, sine adiuuans, quæ est gratia, qua voluntas cogitatione excitata, vnà cum ipso Deo operante consentit appetendo, & sperando. Porrò tum cogitatio bene sperandi, tum auxilium Dei nobiscum operantis in eliciendo consensu, est speciale, & supernaturale, & gratuitum Dei beneficium, & munus; speciale quidem, quia illud his, & non illis hominibus, & quibus vult, & quando vult, dat Deus: supernaturale, quia ex solis naturæ viribus non existit: gratuitum, eò quòd nec naturæ, nec personæ debitum sit, & proinde gratis, & liberaliter datum.

Nonò quæritur, In quonam, tanquam in re, & materia obiecta spes versetur? Durand. *in 3. dist. 26. q. 2.* & *in 1. dist. 1. q. 2.* cẽsuit, proximũ spei obiectum non esse rem extra nos constitutã, sed actum, quo res extra nos sita nobiscũ coniungitur. *Vnde Deum*, inquit, *non est spei nostræ proximum obiectum, sed clarum Dei aspectus, quo nos cum eo cõiungimur, & copulamur. Nec enim*, ait, *speramus Deum, sed speramus ipsum clare videre, ac eo frui. Similiter non speramus amicũ absentem, sed ipsum videre, alloqui, amplecti, ac eius præsentia oblectari.* Cæterùm communi, & cõstanti Theologorum cõsensu eius sententia reijcitur, vt constat ex Caiet. & S. Thom. *2. 2. q. 17. art. 5.* & aliis *in 3. dist. 26.* & *in 1. dist. 1.* Nam Sitis, teste Aristotele *lib. 2. de Anima, text. 28.* Est Appetitus aquæ frigidæ, & humidæ: fames, cupiditas cibi calidi, & sicci. Porrò, qui sitit, non solùm optat bibere, sed etiam aquam ipsam: & qui fame premitur, desiderat non solùm edere, sed etiam escã ipsam: & qui amici desiderio tenetur, & cupit ipsum videre, & alloqui, & ipsius etiam frui conspectu, & præsentia. Spei igitur proximũ, & principale obiectum est Deus ipse, & sunt actus, quibus Deus nobis ipse coniungitur, nimirum actus videndi, amandi Deum, eoq; fruendi. Obiecta verò minus principalia sunt cætera omnia, quibus tanquam gradibus quibusdam ad supernam, & cælestem patriã peruenitur; quæ sunt gratia, & virtutes, dona, & auxilia Spiritus sancti: quæ omnia nobis Christi meritis conferuntur.

Decimò quæritur, Qua in animi facultate spes inhæreat? Respondeo, in voluntate, quæ est appetitus rationis, cuius est cupere, optare, & expectare bona futura, & absentia.

Vndecimò quæritur, quibusnam spes conueniat, & insit? Respondeo, nec in beatis cæli incolis teste S. Thom. *2. 2. q. 18. ar. 2.* neque in ijs, qui sunt perpetuis gehennæ supplicijs deputati, teste eodem S. Thoma *2. 2. q. 18. art. 3.* nec in hæreticis spem inesse. Quo modo etiam Fides eisdem non inest. Nam, quum fides sit rei, quæ nec in seipsa, nec per seipsam videtur, Beatis spiritibus nequit conuenire: ita & spes, quia est boni, quod non habetur, in Beatis habitatoribus cæli non permanet. Ac sicut Fides, vi, & natura sua, ipso actu, quo Deus clarè cernitur à Beatis spiritibus cessat, ac desinit: sic etiam spes, natura, & conditione sua, actu ipso, quo superna felicitas habetur, excluditur, ac omnino finitur. Præterea spe, damnati apud inferos carent, sicuti etiam fide. At Quaeres, quonam pacto in eis spes, & fides intereant? Respondeo, in illis spei actum per contrarium extingui, & deleri: desperant enim beatitudinem, certi omnino de sua infelicitate perpetua. Item, in eis desinere fidem, & spem, vt sunt habitus, & virtutes, quia Deus eas non amplius conseruat. A conseruando verò desistit, quia eas in hac vita infundit, vt earum præsidio credamus, & speremus æterna bona, quæ possumus per Dei gratiam assequi. Qui verò apud inferos torquentur, apti amplius nõ sunt ad superna gaudia consequenda. Dantur igitur eæ virtutes, vt huius vitæ præsidia adiumenta, & remedia, ad cælestem beatitudinem per Dei gratiam promerendam, & ex meritis ex diuina gratia profectis obtinendam. Obijcies, Beati incolæ cæli sperant, & expectant corporum resurrectionem, vitam, & fælicitatem sempiternam: nobis item optant summam beatitudinem, qua ipsi potiũtur, ergo spem retinent. Respondeo, huiusmodi Beatorum desiderium, siue expectationem, non esse actum, opus, vel officium spei virtutis Theologicæ, vt colligitur ex S. Thom. *p. 3. q. 7. art. 4. ad 2.* & *2. 2. q. 18. ar. 2. ad 4.* quæ circa Deum tanquam proximum obiectum versatur, cuiusmodi hic actus non est: est tamen actus charitatis, vt tradit S. Thom. *2. 2. q. 18. articul. 2. ad 3.* quo, & sua corpora, & nos ipsos amant. Eodem modo Christus Dominus dum in terris agebat, sui corporis gloriam exoptabat; nec tamẽ erat in eo Spes, virtus nẽpe theologica, vt docet S. Tho. *p. 3. q. 7. a. 4.* In hæreticis verò spes non manet, quoniã sine fide nõ subsistit spes: eius enim fundamentum est fides, qua tamen hæretici carẽt. Perseuerat verò spes in ijs, qui post obitum

ignis

ignis purgatorij pœnas sustinent, donec plenè mundati in cælestem hæreditatem admittantur, vt docet apertè S. Thom. 2.2.q.18.art.3. Manet quoque spes in peccatoribus, qui per peccatum à gratia, & charitate excíderunt. ROGES, an sit virtutis theologicę actus, spes illa, qua quis in hac vita exoptat alteri beatitudinem. S. Thom. 2.2.q.18.art.2.ad 3. asserit, eadem virtute spei, qua nobis cupimus, & speramus summam felicitatem, optare nos quoque eandem alijs. Scotus tamen *in 3.distin.26.q.1.vers. Ad argumenta, ad finem*, id videtur negare, quia beati Spiritus nobis exoptant æternam felicitatem; non tamen sibi cum iam illa perfruantur: ergo idem etiã in nobis accidit. Rursus, quia per spem optamus, & expectamus Deum, vt nobis bonum, ergo spes ad bonum nostrum, non ad alterius bonum est. Sed non est, cur negemus, eadem virtute spe, desiderare nos beatitudinem, & nobis, & proximis nostris; sicut eadem charitate, & nos, & proximum amamus.

Duodecimò quæritur, An, & quomodo augeatur spes? Respondeo, iustos homines spem augere suis actibus; non quod ipsi eius incrementum efficiant; sicut enim spes à solo Deo, vt à causa efficiente existit, ita ab eo duntaxat, vt à causa efficiente augetur: sed quòd moueãtur, & animam debitè, & legitimè præparent ad ampliorem, & vberiorem spem excipiendam. QVAERAT ALIQVIS, an spes peccatorum hominum, in quibus est à charitate seiuncta, suis quoque actibus crescat? ita vt peccatores, quo plures spei actus, aut præparationis eliciunt, eo ampliorem spem mereantur? Respõdeo, nihil impedire, quin spes, licèt informis maior, & cumulatior suis actibus fieri queat: sed per eiusmodi actus id incrementum peccatores non videntur mereri, sed se debitè, & legitimè præparant, vt in ipsis spes plenior, & vberior Dei munere, & dono fiat.

QVAERES, An spes augeatur per quoslibet actus etiam remissiores? Respondeo, augeri solùm per actus feruentiores, siue intensiores, quia sicut spes non infunditur in mentem, nisi ritè, & & legitimè præparatam, sic nec maior, & vberior datur spes, nisi homini ampliùs præparato. Sed anima ritè, & legitimè non præparatur, nisi per actus feruentiores, & intensiores spei: quia sicut initio non datur habitus spei, nisi per actum homo præparetur, sic non datur abundantior, & copiosior spes sine maiori animæ præparatione. SI QVAERAS, An quemadmodum per actus charitatis remissiores meretur iustus incrementum charitatis, quamuis id confestim non assequatur, sic etiam per actus remissiores spei, mereatur incrementum spei. Respondeo, non esse eandem rationem de actibus remissioribus spei, quæ est de actibus remissioribus charitatis; quoniam per actus remissiores charitatis meretur iustus incrementum gloriæ, & proinde incrementum charitatis recipiendum in cælo, si hic non receperit, vbi est charitas permansura: At per actus remissiores spei, meretur iustus glorię, & gratiæ incrementum cõsequendum in cælo: sed cum ibi spes futura non sit, nõ recipiet ibi iustus incremẽtum spei, recipiet tamen in hac vita, cum se in spei actibus feruentioribus exercuerit; secus incremẽtum spei non consequetur: Dices, cum spes augetur per actus intensiores, crescit ne eadem iuxta excessum actuum, an verò iuxta totam magnitudinem actuum? Respondeo, ipsam augeri iuxta excessum, verbi gratia, spes erat magna quatuor partibus; actus etiam spei habet item sex magnitudinis partes, crescit tunc spes, & fit magna solùm sex partib⁹, quæ erat antea quatuor partium.

Decimotertiò quæritur, An spes per desperationem, tanquã per causam, vi, & natura sua contrariam expellatur ab homine, & pereat: An verò merito tantùm? Respondeo, inter omnes quidem conuenire, spem per desperationem excludi, eijci, & interire: sunt tamen, qui sentiant, per desperationem extrudi, tãquam per formam sua vi, & virtute contrariam. Quod ea ratione confirmant, quia contrarium vi sui contrarij perit, & extinguitur. Sunt enim contrariæ formæ sibi inuicem per naturam inimicæ, & aduersæ. Deinde, quia si meritò, non natura spem desperatio deleret, ac tolleret, alia quoque peccata eam nobis auferrent, ac penitus perderent. Si quis enim in desperationem alios adduceret, spem ipsam mereretur amittere. Alij censent, spem per desperationem eijci ab homine, merito, non vi, & natura: quod ratione comprobant, quoniam spes, est habitus supernaturalis, qui à solo Deo fit, infunditur, existit, conseruatur, & pendet; ergo nulla vi naturali interire potest.

Mihi probabilius videtur, spem per desperationem nõ meritò tantùm; sed etiam natura tanquam per formam sibi contrariam tolli, & extingui; quoniam per eam tanquam per actum contrarium expellitur.

Obijcies, Si spes natura sua per desperationem tolleretur, ac periret, pariter interirer, quando quis inscitèr desperaret futuræ vitæ gaudia: quæ enim se sua natura euertunt, & perimunt, eius conditionis, & naturæ sunt; vt qui vnum per oblitionem, & ignorantiam inducit, reliquum continuò extrudat necessario: qualia sunt calor, & frigus; candidum, & nigrum; siccum, & humidũ; graue, & leue; durum, & molle; asperum, & leue. Respondeo, desperationem, spei esse contrariam dupliciter: Aut enim desperatio comparatur cũ actu sperandi, aut cum spe virtute theologica. Si cum actu sperandi conferatur, eum omnino tollit: nam, eo ipso, quod quis desperat aliquid, sperandi actum circa illud nõ elicit, nec præstat. Nec refert, si desperatio sit actus, qui ex naturæ viribus existat; actus vero sperandi sit actus supernaturalis, hoc est, speciali, & supernaturali Dei auxilio elicitus: nam, hoc ipso, quod desperas, actum sperandi non elicis, siue naturalem, siue supernaturalem. Si desperatio cõferatur cum virtute theologica spe, tũc nõ est illi cõtraria, vt est actus solùm naturaliter elicitus; sed vt est act⁹ quem scienter, & sponte quis elicit, & præstat. In physicis, & in ijs, quæ natura cõstant, formæ sunt sibi inuicem contrariæ natura, non voluntate: at in moribus, & rebus supernaturalibus formæ nõ sunt sibi contrariæ, & aduersæ, nisi voluntariæ sint. Fides voluntatem requirit, sic etiam hæresis: Spes absq; volũtate non cõstat; ita etiã desperatio quæ cũ spe pugnat, nõnisi volũtaria est, & libera: quoniã spes est virtus, desperatio vitiũ, & peccatum, sed peccatum non est, nisi voluntarium sit.

Ad argumentum verò aliorum respondeo: Spem esse desperationi cõtrariam, non quatenus spes est qualitas quædam supernaturalis in mentem diuinitus infusa, sed vt est habitus quidam ad sperandum datus: & dicimus spem per desperationem excludi, non tanquam per causam, quæ vim suam, & potestatem in spem ipsam exerceat: sed tanquam per actum pugnantem cum actu sperandi, ad quem datur spes. Deus igitur spem adimit, cum quis desperat, non solùm quia is, qui desperat, id mereatur, sed etiam quia eliciat actum pugnantem cum actu sperandi, ad quem actum, spem dederat Deus.

Cap. II.

De peccatis, quæ contra Spem committuntur.

PRIMO quæritur, Quo pacto Spei, Timor Domini opponatur? Respõdeo, ita opponi, quod Spes est boni futuri, magni, & ardui: Timor verò est mali futuri probabiliter impẽdentis, & quod putamus ægrè, ac difficilè posse nos euadere, subterfugere, & vincere. Deinde, spe animus dilatatur, nam desiderio se fundit, expandit, ac porrigit. Timore verò concussus contrahitur, constringitur, cõprimitur. Timor igitur opponitur Spei, & ratione rei obiectæ, & ratione actuum contrariorum, & effectuum.

Secũdò quæritur, Quid in sacris literis Timor Domini significet; præsertim cum dicitur Prouerb. 1. *Timor Domini, principium sapientiæ*: & Prouer. 9. *Principium sapientiæ, timor Domini*. Psalm. 111. *Initium sapientiæ timor Domini*. Eccles. 1. *Timor Domini expellit peccatum*. Iob quoque 28. *Ecce, timor Domini, ipsa est sapientia*. Item Ecclesiastici 1. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum, & corona sapientiæ timor Domini, & sapientiæ disciplina timor Domini*. Item cap. 19 eiusdem libri *Omnis sapientia timor Domini*. Vnde eiusmodi loci, quibusdam ingerunt difficultatem, quoniam potius è contrario sapiẽtia est initium timoris Dei. Sapientia enim est cognitio ex fide progenita, & Fides docet, quo modo Deum timeri oporteat. Sed respondet S. Thomas 2.2. *q.* 19. *ar.* 7. Initium sapientiæ esse timorem Dei, non quòd ex timore Dei sapientia generetur, & existat, cum potiùs contra fiat, sed quòd primus Sapientiæ effectus sit timor Dei. Ita vt sensus sit: Initium sapientiæ; hoc est, Primũ quod incipit in nobis operari vera Dei cognitio, est Deum timere: vel, Primũ legis, & Sapientiæ præceptum est de timore Dei.

Cæterùm annotandum est his locis, & toto libro Sapientiæ accipi sapientiã non pro nuda, & simplici Dei cognitione, sed pro ea, quæ est cum bono voluntatis affectu, studijs, & operibus coniuncta. Rursus, Timor Dei sæpè in sacris literis sumitur, non pro metu mali futuri, quo animus perculsus, curis, & molestijs anxiè, & solicitè vexatur, ac præmitur; sed pro reuerentia, pietate, & religione in Deum, qua quis summam Dei Maiestatem sibi ante oculos ponens, veneratur, & suspicit, sese illi intimo ex corde subijciens, & in omnibus morem gerere studens. Vnde LXX. Timorem Dómini aliquando vertunt θεοσέβειαν, id est, Dei pietatem. Sensus igitur scripturæ citatæ est: Initium sapiendi, & bene agendi, est vera pietas, & religio in Deum: siue, Ad sapientiam vera via, est pietas in Deum, sic etiam Psalmo 18. *Timor*, ait Propheta, *Domini sanctus permanet in sæculum sæculi*: quasi dicat, Pietas, & religio in Deum, est munda, & sancta, & quæ perpetuo in ipsis Beatorum spirituum mentibus permanet. Et hoc modo sumitur etiam Timor Domini, quem sacræ literæ Christo tribuunt, & Beatis cæli habitatoribus. Nec enim Beati illi Spiritus, ac cælestis Patriæ ciues, cum Deum diligant necessario, peccare amplius, aut mali aliquid pati vllatenus queunt, nec à fœlicitate, quam sunt consecuti, decidere, & proinde mala propriè non timent, reuerentur tamen Deum, vt summum rerum omnium Dominum, Imperatorem, ac Principem immensæ Maiestatis, & potestatis; cui se suppliciter summittunt, parati ad parendum in omnibus.

Tertiò quæritur, Quotuplex timor à Theologis constituatur? Respondeo cum S. Thoma 2.2. *q.* 19. *art.* 2. triplicem constitui: Primus, est Timor filiorum: Secundus, seruorum: Tertius, mundanorum hominum. Quos timores S. Thomas ita distinguit, ac finit. *Timor filiorum est, quo quis timet malum culpæ, ne Deum communem parentem offendat, instar boni filij, qui timet patri penitus displicere. Timor seruorum est, quo quis metu gehennæ a peccato deterretur, instar seruorum, qui metu verberum, ac pœnæ formidine oderum perperam facilitate. Mundanorum verò timor est, quo quis, ne subeat ignominiã, & dedecus, ne infamiam contrahat, aut ne sustinere cogatur corporis dolores, vel ne bonorum iacturam faciat, virtutis officium more mundanorum hominum prætermittit, ac negligit.* Durandus *in* 3. *dist.* 34. *q.* 4. & 5. aliter philosophatur. *Timor*, inquit, *filiorum est, quo quis timet cælestem beatitudinem amittere, in modum filij, verentis patrem à se abalienari, aut se à paterna præsentia disiungi.* Timores verò alios definit, vt S. Thomas, à quo in primo timore definiendo differt, quòd timor, inquit, non est peccati, quod quia propria voluntate contrahitur, non propriè timetur: timemus enim mala, quæ nobis impendent, & quæ non nisi cum difficultate, & labore possumus deuitare, non ea, quæ liberum est nobis propulsare, si velimus. Et ideo colligit Durandus, omnem timorem versari circa malum pœnæ. At verò cum S. Thomas docet, Timorem filiorum esse peccati metũ, nomine peccati non intelligit id, quod scienter, & de industria committitur, sed quod infirmitate naturę, vel per ignorantiam, vel opera dęmonis mali aliquid suggerentis, & ad id incitantis, vel improborum hominũ hortatu, prece, suasione, & impulsu cõmittitur. Timore igitur filiorũ timemus quaslibet peccati occasiones, quibus ad peccandum allicimur, mouemur, & flectimur.

Quartò quæritur, An timor seruorum sit ex suo genere & natura malus? Respondeo, cum S. Thoma 2.2. *q.* 19. *art.* 4. nequaquam: neque enim iustus peccat, cum gehennæ supplicia veritus, sese in virtutis officio continet. Est enim rationi consentaneum, vt cruciatus naturę aduersos & noxios formidemus, & quantum possumus euitemus, ac fugiamus. Nec, quia huiusmodi timor est seruorum & peccatorum hominum, continuò efficitur, vt sit malus, & vitiosus. Nihilominus, cũ hic timor id habet ex parte rei obiectæ, quod est proprium tantummodo seruorum, tunc ratione circumstantiæ adiunctæ, malus est: vt cum quis à peccato se

continet, vel à peccando auocatur, metu gehennæ, aut aliarum pœnarum, & malorum, aliquoi omnino peccatur, nisi hæc mala, & aduersa perhorresceret.

Quintò quæritur, An timor mundanorum hominum sit per se malus? Respondet S. Thomas 2-2. q. 19. art. 3. esse: non quòd per se malum sit metu ignominiæ, dedecoris, infamiæ, carceris, supplicij, mortis, iacturæ bonorum, à malè agendo desistere: nam hic timor, seruorum quoque est, non mundanorum proprius, & iustorum hominum, similiter hic timor, communis est: Sed quòd metu horum malorũ quis peccatũ faciat, in vitio est, & culpa; quoniã ne in minora mala incidat, maiora cõmittit, & perpetrat, ne in dedecus & infamiã incurrat, culpã contrahit: ne ignominiã, aut bonorũ iacturã sustinere cogatur, peccatũ facit.

Sextò quæritur, Quibus temporibus spei præcepto, & lege compellamur ad actum sperendi præstandum? Respondeo, Spei præceptum habere suam vim, cum pœnitentiæ præcepto, & lege compellimur ad anteactæ vitę peccata detestandi, vel ad amandum Deum super omnia. Neque enim quis de peccatis dolere, aut Deum ante omnia diligere potest, vt oportet sine spe veniæ impetrandæ, aut simpliciter absq; spe. QVAERES, an homo post obtentam Dei gratiam, & veniam peccatorum, aliquo certo tempore debeat spei actum elicere, & an absolutè, & simpliciter sit datum præceptum, quo spei actum præstare cogamur, etiam quando nulla alia lege debemus opus alicuius alterius virtutis efficere? Respondeo, Spei præceptum esse nobis diuinitus impositum, tanquam remedium ad peccatorum veniam consequendam, & Dei gratiam, & charitatem impetrandam: & proinde hoc præcepto, & lege tenemur ijs temporibus, in quibus oportet nos reconciliari Deo, quem per peccatum offendimus, in cuius iram incidimus, à cuius gratia, & amicitia cecidimus. Alijs verò temporibus difficilè est definire præcisè, quandonam spei actum præstare debeamus, nisi cũ spes nostra tentatur: tũc enim, ne desperemus, spem nostram corroborare, & firmare compellimur. Item, semper eo animo esse debemus, ne contra spem aliquid perpetremus.

Septimò quæritur, Quot genera peccatorum aduersentur spei? Respondeo, ea omnia ad quatuor, aut summum, ad quinque capita reuocari. Primum est, cum quis abijcit spem beatitudinis æternæ, vel gratiæ, aut veniæ peccatorum, aut vitæ melioris. Et hoc est desperationis crimen. Alterum est, cum quis sibi, hoc est, suæ industriæ labori, viribus, & meritis quippiam boni tribuit, quod Deo acceptum non referat: quod, præsumptionis peccatum, hoc est, arrogantiæ, Theologi vocant. Tertium est, cum quis spem suam ex toto, vel ex parte in aliquo bono creato constituit tanquam in præsidio, & remedio, quod per se solùm ad salutem adipiscendam sufficeret. Non enim prohibemur in hominibus, aut alijs procreatis rebus spem collocare, tanquam in ijs, quæ nos vna cum Dei auxilio iuuent, atque promoueant ad finem vltimum consequẽdum. Quartum est, cum quis in rebus aduersis spem in Deo non ponit: cum quis item suæ vitæ emendationem differendo, & procrastinando ad finem vitę reijcit: in hoc enim, licèt quis lethale crimen non semper admittat; leuius tamen sæpe delinquimus: nisi tempus occurrat, quo malefacta detestari per pœnitentiam debeamus. Quintum est, cum quis Dei bonitatem tentat; quod facit, cum à Deo petit, vt res aliqua fiat extra cursum, & ordinem rerum, hoc est, insolito, siue non consueto, naturę modo, & ordine. Quare eiusmodi peccatum ex genere, & natura sua lethale est: petere nimirum miracula, & naturalis ordinis mutationem absque iusta causa, & legitima. Fas tamen nobis est precari Deum, vt suam nobis volũtatem declaret, quamuis occultam, si tamen bene petamus, vt eam scilicet commodius assequamur, & ne eum aliquando offendamus.

Octauò quæritur, An si cui Deus patefecerit eum perpetuo damnatum iri, immunis, & liber sit ab omni lege, & præcepto sperandi peccatorum veniam, & vitam æternam? Huic quæstioni plenè satisfecimus, *lib. 2. c. vlt. q. 3.*

Cap. III.

De Charitate in Deum.

PRIMVM illud in quæstionem venit, An charitas in Deum sit verè, & propriè amicitia hominis ad Deum? Respondet S. Tho. 2. 2. *qu. 23. art. 1.* esse amicitiam. Et certè id ex scripturis aperte colligitur. Ioan. 15. ait Christus discipulis: *Non dicam vos seruos, sed amicos*; paulò post: *Vos amici mei estis.* Iac. 2. Abraam dicitur Dei amicus. Sap. 7. *Infinitum thesaurum est hominibus quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Item Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus.* Nam amicitia tria requirit, & continet, vt constat ex Arist. *lib. 8. Ethic. c. 3. & 4.* primùm est certa quædam bonorum communio, in qua tanquã in fundamento fulcitur: vt amicitia condiscipulorum, cõsanguineorum, commilitonum, concinium, & similium. Est enim hominis amicitia, societas in bono alíquo contracta. Si in bono vtili, vel iucundo: amicitiæ nomen non meretur: qui enim causa vtilitatis amicitias sequũtur, suis commodis: qui voluptatis causa, amorem suã ipsorũ voluptate metiuntur, Non amicos diligunt, quia boni sint, sed quia vtiles, & iucundi: non amicum diligũt, sed quæstum, & voluptatem. Debet igitur amicitia in honestate, & virtute consistere. Alterum est, vt sit inter æquales: non enim amicitia est filij ad patrem, aut serui ad dominum, aut ciuium ad regem. Tertium est, vt amicitia sit amor beneuolentiæ, non concupiscentiæ: amicus enim amicum diligit propter ipsum, nõ propter se. Hinc efficitur, vt inter amicos sit reciproca beneuolentia, & charitas; mutuus quidam amor, se etenim mutuo amore amici prosequuntur, & se cum vicissim sua bona communicant.

Vnum igitur impedire videtur, quo minus charitas in Deũ sit amicitia hominis ad ipsum, quod homo, & Deus inter se pares non sunt, sed infinitis partibus distant. Cæterùm in hoc est Dei charitas, vt iustos non tanquam seruos, sed tanquam amicos amare voluerit, sed suorum consiliorum, & bonorum participes effecerit, cum quibus sua bona communicat. Deinde obijcies, quonam pacto charitas possit esse inter hominem, & Deum, & inter ipsos homines amicitia; cũ Deus homi-

nes diligat, & amet, etiam si nõ redametur ab eis: amat enim omnes, & tamen homines improbi, & ingrati Deum minimè diligunt, nec tantùm, vel minimum studẽt reddere amorem amanti: amicitia verò mutuo amicorum amore constat, pendet, & cõseruatur. Item, probi homines amant ex charitate perditos, & improbos, licèt non redamentur ab eis. Respondeo, amorem eius, qui tum beneuolè, tum amicè diligit, sic se habere, quod vterque est amor, quo vnus alterum diligit propter ipsum, non autem propter se; amor verò amicitiæ addit mutuum respectum, & ordinè beneuolentiæ vnius ad alterum. Possum itaque ego te amare amore beneuolentię, tametsi non tu mihi in amore respondeas. Quo fit, vt ex charitate diligamus inimicos, & nefarios ac perditos homines: quia non eos diligimus ob emolumentũ, & commodum, ac bonum nostrum, sed propter ipsos. Sic Deus ex charitate diligit omnes homines, amore scilicet beneuolentię, licèt ipsum homines non redament. Quare cum mutua intercedit beneuolentia, & charitas inter hominem, & Deum, est, & vocatur amicitia. Si verò alter eorũ amet alterum, & non redametur, amor est charitatis, & beneuolentię, quamuis amicitiæ mutuus respectus non sit. Cum igitur amor charitatis dicitur esse amicitiæ, intelligitur cum ea conditione, si redamantem habeat: sin minus, nõ ob id desinit esse charitatis, quia est amor beneuolentiæ, non concupiscentiæ. Vnde quis seipsum potest charitate diligere, & hominis ad se ipsum charitas, & beneuolentia est, amicitia non item.

Postremò obijcies, Deus eos, qui diligit, propter se diligit, ergo non ex charitate. Respondeo, amorem Dei erga homines, & Angelos, differre ab amore hominis in alterum, quòd homo cũ alterum diligit ex charitate, & beneuolentia, non ex se mouetur ad illum amandum; sed ex bono, quod cernit in illo, quod quando refert in emolumentum, & commodum suum, illum diligit amore concupiscentiæ: quando verò non refert in se; sed alterum amat propter ipsum, eum diligit amore beneuolentiæ, & amicitiæ; quia diligit eũ sine suo emoluméto, & commodo. At verò Deus cũ nos amat, non mouetur ex bono, quod cernat, vel inueniat in nobis, nihil enim boni habemus, nisi acceptum à Deo; sed sua gratuita bonitate, & voluntate nos diligit: amat igitur, quia vult. Et hoc est, quod dicitur, eũ nihil amare, nisi propter se, hoc est, nihil esse boni per se extra Deũ, quod ipsum ad amandum alliciat, ac moueat. Nihilominus tamen diligens nos charitate sua, bonum quod nobis impertiuit, in nullum suum commodum refert; & propterea non diligit amore concupiscentiæ, quia verè nos amat sine aliquo suo emolumento, & cõmodo: amore concupiscentiæ bonum, quod amamus, in nostra cõmoda dirigimus, sed amat nos Deus propter cõmodũ, & bonũ nostrũ, nimirũ, vt boni, aut meliores reddamur.

Secundò quæritur, An duplex sit amor hominis erga Deum, naturalis scilicet, & supernaturalis? S. Tho. 1.2. q. 113. art. 3. & alij veteres Theologi videntur distinguere duplicem beneuolentiam hominis in Deum: vnam, naturalem appellant, qua ipsum diligimus, vt naturæ, & omnium naturalium bonorum auctorem, & finem: alteram, supernaturalem, qua ipsum diligimus, vt vltimum finem, & vt largitorem, & auctorem glorię cælestis, & gratiæ. Alij arbitrãtur, vnam esse duntaxat beneuolẽtiam, & charitatem hominis in Deum, qua ipsum amam⁹ propter ipsum, & nequaquam propter nos: cuius amoris, seu beneuolentiæ ratio, tanquam rem sibi obiectam habet omnẽ Dei bonitatem, qua est in seipso, & propter seipsum bonus. Ita vt Deus diligatur æque vnus, ac trinus, & simul, vt est auctor, & finis naturæ, & naturalium bonorum; & vt est auctor, & finis gloriæ, & gratiæ. Porrò in Cõstitutione Pij V. & Gregorij XIII. qua certæ propositiones cuiusdam Louaniensis Doctoris condemnãtur, inter cæteras damnatur pariter, & illa, nimirũ: distinctio ea duplicis generis (Amoris) Naturalis videlicet, quo Deus amatur, vt auctor naturæ, & amoris gratuiti, siue supernaturalis, quo Deus amatur, vt beatificator, vana est, & cõmentitia, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum Patrum testimonijs excogitata. Hæc ibi. Retinenda profectò est amoris duplicis distinctio; eam verò non vtcunque intelligere, & explicare oportet, sicut nonnulli faciunt. Sed in hunc modum: Deus quandocunq;, siue tanquam auctor naturæ, siue tanquam auctor gloriæ, & gratiæ diligatur, diligitur propter ipsum; tunc amatur super omnia, siue ante omnia, & eiusmodi amor est charitatis, & beneuolentię, nec absque gratuito Dei auxilio, & munere esse potest in nobis. Vnde ex hac parte amor est nobis gratuito, & liberaliter conceſſus; quippe, quem præstare non possumus sine gratuito Dei præsidio. Dicitur verò naturalis amor, quando diligitur Deus, vt auctor, & finis naturæ, & naturalium bonorum; quoniam liberum arbitrium per vim naturæ cõmuni, & generali Dei auxilio adiutum, & motum, hoc est, adiutum, & motum consueto diuino auxilio, quod cum recta ratione hominis congruit, & quod institutione Dei rerum naturis procreatis dari solet, eum amorem producere, & elicere posset, si homo cum solis naturæ dotibus, aut cum iustitia originali; sed sine gratiæ dono, & sine alijs virtutibus supernaturalibus conderetur, *vt iam libro tertio docui, cap. 34. q. 10.* Item eiusmodi amor terminatur in Deo, vt in fine, & auctore naturæ, & naturalium bonorum. Cum verò diligitur Deus, vt auctor, & finis gloriæ, & gratiæ, & bonorum supernaturalium, nõ dicitur supernaturalis amor ea sola ratione, quia is sol⁹ singulari, & gratuito Dei munere præstatur, sed quia fertur in Deum tãquam auctorem, & finem gloriæ, gratiæ, & omnium supernaturalium bonorum. Item, quia elici, & præstari non potest ab homine sine supernaturali Dei auxilio, quamuis homo sanus, & integer cum solis naturæ dotibus vel iustitia originali sine gratia crearetur. Duplici itaq; ratione dicitur amor Dei super omnia, Naturalis insuper, & supernaturalis. Obijcies Deum non posse diligi super omnia solis liberi arbitrij viribus, & cõmuni Dei auxilio naturali, & cõsueto, etiã vt naturæ auctorem, & finem: quia non potest id homo præstare, quamdiu peccator est. Respondeo, hoc esse ex accidenti, quia peccatum obstat, quominus quis Deum diligat super omnia, aut plusquam omnia. At si homo sanam, & integram naturam haberet, id posset perficere

per au-

per auxilium Dei naturale, hominis naturæ conueniens. Dices id fieri nequire, nisi præueniat, & præcurrat hominem bona cogitatio ad Deum super omnia diligendum excitans, & mouens, quæ est auxilium Dei præueniens: hæc autem cogitatio, nec naturæ hominis, nec personæ debetur, & proinde, quibus datur, gratuito, & liberaliter datur, qua cogitatione cælitus immissa, operatur deinde Deus cum voluntate hominis in amore eliciendo, quod dicitur auxilium cooperans, siue adiuuans. Respõdeo, necessaria quidem esse eiusmodi auxilia Dei ad producendum naturalẽ Dei amorem super omnia: sed non esse auxilia Dei supernaturalia, quia non dantur ad faciendum opus supernaturale, sed ad eliciendum amorem Dei cum ipsa natura hominis bene instituta congruentem, & ipsum hominem ad finem naturalẽ dirigentem.

Tertiò quæritur, An charitas sit habitus diuinitus infusus? Respondeo esse: ait enim Paulus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis.* Esse autem habitum infusum, & nó actum solùm, communis Theologorum schola docet. Et licet olim, tanquam solùm probabilior, recepta fuerit hæc opinio: Concilium tamẽ Trident. *Sess. 6. ca. 7.* eam opinionem magis approbasse videtur, quod sit habitus infusus, cum ait: *Impij iustificatione, merito sanctissimæ passionis dominicæ, per Spiritum sanctum charitatem Dei diffundi in cordibus eorum, qui iustificantur, atque in ipsis inhærere.* Et subiungit: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, per Iesum Christum, cui inseritur per Fidem, Spem, & Charitatem.*

Quartò quæritur, An præter charitatem infusam sit alia charitas nostris actibus acquisita? Duę sunt opiniones. Prima docet, quemadmodum ex actibus fidei, & spei infusæ generatur in nobis quidam alius habitus, qui est acquisita fides, & spes: sic etiam ex actibus charitatis infusæ relinquitur quidam habitus, qui est charitas acquisita: non tamen est virtus Theologica; quoniam a Deo nequaquam infunditur. Est tamen habitus Theologicus, quippe, qui circa Deum proximè versatur. Ita Scotus, Duran. Gabr. Marsil. Almainus, & alij, quos citaui *lib. 3. c. 21. q. 6.* Censent enim ex frequẽtatis cuiuslibet infusæ virtutis actibus gigni, & cõparari habitum acquisitum; tum, quia operũ assuetudine habitus generatur, tum etiam, quia infusis virtutibus per peccatum cõtrarium amissis, experimur nihilominus nos propensos, expeditos, & promptos ad actus similes eliciendos: ergo aliquis habitus permanet, supernaturalibus exclusis. Nec actus habituum supernaturalium, vt actus supernaturales sunt, gignũt habitum, sed vt actus sunt voluntarij, & humani, & identidem voluntariè repetiti: nam eo ipso, quòd mens, & voluntas hominis frequenter se exercet sic, aut aliter operãdo, fit habilior, & promptior, ac proinde habitum comparat. Altera opinio planè negat habitum charitatis acquisitum: atque hæc est discipulorum S. Thomæ, quoniam ille *in 1. 2. q. 51. ar. 4. ad 3.* perspicuè tradit ex actibus infusorũ habituum nullum habitum generari: non quidẽ supernaturalẽ, qui à Deo duntaxat infunditur: non naturalem, quia habitus gignit actus sibi similes: ergo si habitus est infusus, & supernaturalis, actus producit supernaturales, quod si actus supernaturales sunt, habitum naturalem producere nequeunt. Et proinde concludit S. Thom. ex actibus habitus infusi, solum habitum infusum augeri, & nullum habitum acquiri. Nos verò 3 *lib.* probabilem multorum Theologorum diximus esse sententiam eam, quæ asserit, ex actibus infusorũ habituum habitum acquisitum generari: quia eiusmodi actus sæpe replicati, nos reddunt propẽsiores, & expeditiores ad similes actus præstandos: nec enim fit, vt quis expeditior, & prõptior reddatur assuetudine, & exercitatione, quin fiat habilior, quod si habilior, ergo per acquisitum habitum: Et proinde nunc probabiliter existimamus esse habitum charitatis acquisitum, non qui sit aliqua charitas ex solis naturę viribus, & communi Dei auxilio progenita, vt discipuli S. Thomæ Scotũ, & alios voluisse putauerunt: sed qui sit habitus ex actibus charitatis infusæ, peculiari Dei auxilio passim iteratis, & repetitis identidẽ comparatus, quem quidem non per seipsum producit habitus charitatis infusę: sed per actus nostros ex habitu profectos, & sæpius repetitos acquirimus. Cætera *eo, quem diximus, loco*, tradidimus, nobis hic minimè repetẽda, qui ad alia diuersa properam⁹.

Quintò quæritur, An charitas infusa sit vna, & eadem erga Deum, Angelos, & Homines? Respõdeo cum omnibus Theologis, esse vnam, & eandem, quia eadem ratione Deum, & Angelos, & homines diligimus. Sicut enim fides infusa est vna, & eadem, quamuis multa specie distincta credamus, quia omnia credimus, vt dicta, & patefacta Deo: & Spes vna est, & simplex, quoniam omnia speramus, vt à Deo promissa, & ab eo reddenda: ita etiam charitas est vna, quia Deum propter ipsum amamus: homines, & Angelos diligimus, vt diuinæ gratiæ, & diuini boni participes, vt cælestis, & supernæ gloriæ compotes, vt amicos in Deo, & propter Deũ: videlicet, quia Deus imperauit, vt eos tanquam amicos, & tanquam diuinæ gratiæ, & gloriæ capaces amaremus. Obijcies: Amor, quo homines, & Angelos diligim⁹ propter Deũ, videtur esse amor concupiscentiæ, non amicitię, cum amemus eos, quia sunt res Dei: sicut res amicorum diligimus propter amicos. Respõdeo, eum amorem, esse amorem beneuolentię, & charitatis, quia non eos diligimus ob emolumẽtum, & commodum nostrum, aut Dei, sed ob bonum ipsorum. Dicimur tamẽ eos diligere propter Deum, non quia diligamus ob commodum, & bonũ Dei, hic enim esset amor concupiscẽtiæ; sed quia eos diligimus ob bonũ diuinum, quod in seipsis habent acceptum à Deo: eos enim sicut & nos cõdidit Deus, hæreditatis, & felicitatis supernæ capaces, atq; participes. Charitas autem diligit eos omnes, qui sunt summæ beatitudinis compotes, quę est vna ratio communis omnium eorum, quę ex charitate diliguntur: nisi quod Deus sua natura, & per seipsum, non aliunde beatus est; cæteri verò sunt dono gratiæ diuinæ, & iure adoptionis ad beatitudinem admissi. Diligimus itidem eos propter Deum, quia amamus eos, eo quòd præceperit Deus, vt eos ex charitate tanquam amicos diligeremus.

Sextò quæritur, An charitas sit omnium virtutum forma? S. Thom. satis apertè, vbique fermè

cet 2.2.q.23.ar.8. in 3.dist.23.q.3.ar.1.q.1. & de veri. q.14.a.5. esse formam. Sunt tamen ex eius discipulis nonnulli, qui ita formam eam esse contendunt, vt sine ea cæteras in peccatoribus virtutes docean non esse simpliciter virtutes, moti auctoritate Augustini, Prosperi, atque Fulgentij, negantiũ vllas in peccatoribus virtutes inesse. Mihi tamen magis probanda videtur opinio Caieta. 2.2.q.23. art. 7. & 8. S. Thomam interpretantis in eum sensum, vt charitas sit cæterarum omnium virtutum forma, nimirum extrinseca non intrinseca, hoc est, forma, quæ reddit alias virtutes fructuosas, quia dat eis, vt per opera ipsarum iusti vitam æternam mereantur, cũ sine charitate reliquæ virtutes sint steriles, & infructuosæ, hoc est, vitam æternam non consequuntur. Habent tamen sine ea suum fructum proprium, quia per seipsas producunt, & præstant opera, & officia honestatis, & virtutis. Præterea, fidem, & spem Charitas efficit vivas virtutes, atque efficaces: non quòd det eis vitã intrinsecam: est enim vera fides sine charitate, vera spes absque charitate: sed quę præstet eis meritum, fructum, & officium cælesti hæreditate dignum. Alioqui sine charitate dicuntur mortuæ, quomodo etiã steriles, & infructuosæ: operantur enim sine charitate, sed æternæ vitæ fructus non ferunt. Alio verò Augustinus, Prosper, & Fulgentius cum Pelagianis decertantes ipectauêre, dicentes veras in peccatoribus non esse virtutes: quod nos *lib.3.ca.29.q.6.& 7.* satis explicatum reliquimus.

Septimò quæritur, An Charitas actibus etiam remissioribus augeatur? S. Thomas, Bonaventura, Richardus, Durandus, Scotus, & alij veteres Theologi, vt citaui *lib.7.c.17.q.4.* negarunt augeri, sed solùm intensionibus. Ocham verò, Gabriel, Almainus, & Maior fatẽtur quolibet actu remissiori statim augeri: Tum enim charitas, tum gratia adoptionis feruentioribus actibus crescit; & tum actibus reliquarum virtutum imperio charitatis præditis, tum etiam actibus ipsiusmet charitatis elicitis. Augetur itidem Charitatis meritum non solùm multitudine actuum, sed etiam magnitudine, difficultate, diuturnitate, & bonitate operum, quæ ex gratia fiunt, & existunt.

Octauò quæritur, An charitas in hac vita in infinitum possit augeri? Bonau. *1.d.17.p.2.ar.1.q.4.* Richar. *1.d.17.a.2.q.4.* Henr. *quodl.5.q.22.* Duran. *1.d.17. q.9.* Argen. *1.d.17.q.1.ar.3.* censent charitatẽ ex parte sua, & potestate Dei posse in infinitum augeri, non tamẽ ex parte hominis, vel Angeli, cui inest: quoniam quælibet creata rerum capacitas finita est, & suis conclusa terminis. Ocham *d.17.q.8.* & Gabr. *1.dist.17.q.2.& 3.d.13.q.1.* sentiunt charitatem posse in infinitum augeri, si Deus eam extra mentem augeat; non tamen posse in immensum crescere, dum in mẽte aliqua creata inhæret: quamuis probabile putent oppositum. Sotus *2.d.13.q.2. & 3.* tenfit non solùm posse Charitatem in infinitum augeri; sed etiam posse infinitam creari, hoc est, ita magnam, vt alia maior esse non possit. Immo reipsa dicã esse animæ Christi Domini summam charitatem, qua maior esse non queat.

Veriorem tamen existimo S. Thomæ sententiã *2.2.q.24.a.7.* afferentis charitatem posse in infinitum augeri, nec aliquam esse charitatem ita magnam, vt maior esse non queat: quoniam charitatis causa efficiens est Deus, qui eam potest ampliorem, & pleniorem semper efficere, cum infinitæ, & immensæ sit potestatis. Nec impedit ipsa Charitatis natura, & substantia: quoniã & si qualitas est, absolutè tamẽ, & simpliciter per se nullos certos habet suæ magnitudinis terminos, vt ipsi quoque Richar. Henricus, Durand. Ocham, & Gabr. confitentur. Nec obstat etiam creatæ mentis finita capacitas, & potestas, qua potest charitatem suscipere. Quoniam mens in quam charitas infunditur, quò plenioriẽ, & vberiorem charitatem excipit, eo redditur capacior, & aptior ad eius incrementum. Obijcies, inde colligi, vt huius vitæ charitas, charitatem patriæ possit æquare: nam patriæ charitas finitos habet magnitudinis terminos, ergo tantùm poterit viæ charitas augeri, vt patriæ charitati par fiat, & æqualis. Caiet. *2.2.q.24. art.7.* in hoc argumento diluendo vehementer admodum laborauit, nec tamen plenam eius solutionem inuenit, aut reddidit. Sunt qui negent viæ charitatem, & patriæ eiusdem esse rationis: quod quidem, vt verum fatear, nõ intelligo, quemadmodum defendi queat. Nam fide ratione naturæ, & substantiæ loquãtur, mihi nullo modo probatur: quia teste Paulo, *Charitas nunquam excidit, sive Prophetiæ cessabunt, sive scientia destruetur.* Et ratio ipsa id manifestè confirmat. Charitas enim, siue viæ, siue patrię, vna & eadem ratione Deum diligit, nimirum propter ipsum. Si verò de ratione accidentis intelligant, fateor libẽter ratione differre. Hic enim Deum charitate diligimus, quem clarè non cernimus: beatæ verò mentes diligunt Deum, quem clarè vident. At verò eiusmodi accidens, cum sit sola quædam rei obiecta conditio, non sufficit ad substantiam charitatis, vt est habitus variandam. Cur igitur, inquies, si charitas, quod ad substantiam pertinet, vna, & eadẽ est, cum possit in dies crescere semper, & augeri magis, ac magis charitas viæ, nunquam ad supernæ illius charitatis terminos peruenire potest? Sciendum est, charitatem viæ cum charitate patriæ dupliciter posse conferri. Aut enim habitum cum habitu, aut actum cum actu comparamus. Mihi certè non videtur dubitandũ, quin habitus charitatis viæ possit magnitudine æquare, imò etiam superare habitum charitatis patriæ, vt colligi videtur ex Henr. *quodl.5.q.22.* Quis enim ambigat, Martyrum, aliorumue iustorum hominũ charitatem in hac vita fuisse maiorem, quam sit habitus charitatis, quem habent in patria paruuli? Et quis negare audeat beatissimã Dei Genitricem ad eum charitatis gradum peruenisse, qui magnitudine transcẽderat habitum charitatis, quo sunt præditi Beati cæli habitatores? Habitus igitur charitatis viatorum potest æquare, imò etiam vincere magnitudine habitum beatorum Angelorum, & hominum: quamuis S. Tho. nihil apertè de hoc tradidisse videatur. Solùm *1.p.q.117.ar.2.ad 3.* ait: *Dicendum, quod aliqui homines etiam in statu viæ sunt maiores aliquibus Angelis, non quidem actu, sed virtute: inquantum scilicet habent charitatem tantæ virtutis, vt possint mereri maiorem beatitudinis gradum quam quidam Angeli habeant, sicut si dicamus semen alicuius arboris esse maius virtute, quam aliquã paruam arborem, cum tamen multo minus sit in actu.* Sic ille.

1.Cor.13.

Sed quid

Sed quid dicẽdum de actu charitatis? An amor hominis via oris possit tantus esse, quantus est amor hominis beati? Nec quæstio est de continuatione, & perpetuitate; sed de intensione, & magnitudine amoris. Res hæc sanè ad definiendum videtur quibusdam difficilis. Nam amicum, inquiũt absentem possumus æquè diligere, ac præsentem, & quidem aliquando feruentiùs, & vehementius. Nonnulli liberrimè concedunt, amorem in via ex natura rei, quamuis non ex accidẽti, posse æqualem esse, & maiorem, quum sit absolutè eiusdem prorsus rationis.

Quicquid sit de amore viatoris, si cum amore Beati alicuius conferatur magnitudine, & intensione, perspicuum est amorem viatoris non esse perpetuum, & continuum, qualis tamen est hominis, vel Angeli Beati. Deinde, meo iudicio, communis est Theologorum opinio, vt constat ex sanct. Thoma, Bonauen. Richardo, Ochamo, Argentina, & Gabr. *in 3. distinct. 27. & 28.* & Henri. *quodl. 4. quæst. 25.* actum charitatis in via nunquam posse ad tantum magnitudinis gradum peruenire, vt æquet magnitudinem amoris, quem beatæ mentes eliciunt in patria. Nam etsi habitus charitatis est idem in via, & in patria; actus tamen amandi est ratione diuersus: nam in via Deum, quem non videmus, amamus; sed Beati diligunt, quem præsentem intuentur, diligunt ex magno Dei auxilio cum ipsorum voluntate operantis: amant necessario Deum, quem cernunt: fruuntur repræsenti, quã nos in hac vita optamus; tenent, quod amant, nos cupimus assequi, & tenere. *Ibi*, inquit, Augustinus in Enchir. cap. 121. *quis explicet quanta charitas erit, vbi cupiditas, quam vel coercendo superet, nulla erit? quàm summa sanitas erit, quando contentio mortis non erit?* Quod si Beati hominis amor intensione, & magnitudine maior est, vt reuera est, quàm viatoris actus: necesse est, vt eius incrementi causa efficiens sit Deus ipse, siue eius Auxilium: rei amatæ præsentia, adeptio, possessio, clara Dei visio, lætitia, & gaudium, quod de re amata, & quæ iam habetur, cõtinuo, & perpetuò, & securè percipitur.

Deinde obijcies, saltem consequi, vt charitas viatoris possit æquare charitatem Christi Domini, aut Beatæ Deiparæ, cum eorum charitas infinitæ magnitudinis non fuerit. Respondeo, charitatem viæ posse in infinitum augeri per se simpliciter, & suapte natura, vt charitas est; Deus tamẽ quorumlibet charitatem iustorum intra certos terminos, ac fines magnitudinis concluſit, quos absolutè tranſilire quidem potest, nunquã tamen facto ipso tranſiliet. Vnde cum Deus omnium Angelorum, & hominum iustorũ, quò esset progressura charitas, præuideret, ac præfiniret, longè multò maiorem Deiparæ, & Christi Domini citra vllam comparationem, cumulatiorem, & copiosiorem charitatem constituit.

Sed quid dicent ij Theologi, qui vt antè iam dixi, senserunt, charitatem in via non posse in infinitum augeri? nam iustus homo, quam diu viuit, potest in charitate proficere. Respondet, iustos homines, si perpetuò viuerent, eum tandem gradum charitatis consecuturos, quo maiorẽ habere nõ possent: at Deus singulis, vitæ certos terminos præfixit, intra quos possunt semper in charitate proficere. Vltimò obijcies contra S. Thomam id, quod dicit Augustinus, *lib. 1. Retract. c. 7.* loquens de charitate huius vitæ. *Sic itaque hoc accipiatur, tanquam plena dicta sit, qua maior esse non possit, quamdiu ambulamus per fidem.* Et in Enchir. cap. 121. *Minuitur*, inquit, *cupiditas crescente charitate, donec veniat hic ad tantam magnitudinem, qua maior esse non possit.* Respondeo, in primo loco Augustinum loqui de charitate, cui diuina prouidentia certum terminum constituit, in secundo loco eum loqui de Martyrum charitate, de qua dixit Christus Dominus, *maiorem hac dilectionẽ nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Maiorem dixit, videlicet opere, & facto: quia bonum pretiosissimum dat pro amico: nam alioqui intensione, & feruore, actus charitatis in hac vita potest maior esse in vno, quã in altero Martyre: immo in iusto, qui Martyr non sit, potest maior esse.

Nonò quæritur, An charitas minui possit? Quamuis senserint quidam, leuiora peccata, quæ venialia dicuntur, charitatem minuere: communi tamen consensu Theologorum receptum est, non posse minui charitatem. Nam si veniale peccatum charitatem ex parte minueret, posset aliquando in totum auferre, quod quia alibi, cum de habitibus disputaremus, *lib. 3. cap. 23. q. 1.* abundè probauimus, ideo hic plura non dicimus.

Decimò quæritur, An lethale peccatum, vi sua, & natura; an merito tantùm charitatem expellat? Duæ sunt opiniones, vna docet, merito tantùm expellere, quia charitas à solo Deo, tanquam efficiente in mentem infunditur, & conseruatur, ergo solus Deus eam delet, ac tollit. Est enim qualitas quædam supernaturalis. Ita Scotus, Henricus, Richardus, Durãdus, Gabriel, Maior, Almainus, & alij, quos supra citaui, *lib. 3. c. 23. q. 3.* Altera opinio vult, merito, & natura per lethale peccatum charitatem excludi, & perire. Ita S. Tho. 2. 2. *qu. 24. artic. 10.* eiusque discipuli, ea ratione ducti, quod lethale peccatum suapte natura charitati aduersatur: sed contraria suapte natura se vicissim excludũt. Hanc quoq; quæstionẽ cum de peccatis *lib. 4. cap. 24. q. 4. & 5.* tractaremus, plenius, & fusius, pro eius loci ratione diluimus.

Vndecimò quæritur, Quot, & quæ sint ea, quæ charitate diligi debent? S. Tho. 2. 2. *q. 25. art. 12.* Augustinum *lib. 1. de doctr. Christ. cap. 25. & 26.* & Magistrum *in 3. d. 28.* secutus, ait esse quatuor, Deum, Nos ipsos, Proximum, & corpus nostrum: quoniam horum vnumquodque est cælestis beatitudinis capax. Cætera verò diligimus amore concupiscentiæ, ipsam quoque charitatem, & virtutes, quoniam diligimus tanquam bona nobis vtilia, & commoda, & tanquam apta, & idonea instrumenta ad beatitudinem animæ, & corporis consequendam. In præsentia tamen solùm agimus de Charitate in Deum; postea verò, cum de quinto Præcepto Decalogi disseremus, de Charitate in Proximum multa dicemus.

Duodecimò quæritur, Quot sint Charitatis actus eliciti? Respõdeo, esse vnum internum, nempe amorem in Deum, qui est voluntatis actus. Charitas enim virtus est, cuius actio in voluntate completur. Effectus tamen charitatis sunt multi, hi nimirum: gaudium, pax, animorum concordia, & coniunctio, misericordia, & beneficentia.

Porrò

Porrò misericordiæ, & beneficentiæ sunt ea opera, & officia, quæ ad quatuordecim referuntur, quibus aliorum indigentiam, tum animæ, tum corporis subleuamus: de quibus breuiter suo loco tractabo.

Caput IIII.

De Peccatis, quæ charitati in Deum aduersantur.

PRIMVM id in quæstionem vertitur, quo tempore præcepto charitatis cogamur elicere, & præstare amorem in Deum? Variæ sunt Theologorum sententiæ; S. Thomas 1.2. q. 89. art. 6. videtur asserere, vnumquemq; hoc præcepto, & lege compelli eo tempore, quo primum incipit vti ratione. At enim profectò difficilè est creditu, hominem tunc lege Charitatis adstringi ad huiusmodi actum eliciendum', & longè difficilius videtur, quod quidam S. Thomæ discipuli inde deduxerunt, debere homines eiusmodi præcepti omissionem Sacerdoti, vnà cum cæteris criminibus confiteri. Scotus *in 3. dist. in. 27. q. 3.* insinuat, hoc præcepto compelli nos ad eliciendum amorem in Deum dominicis diebus: cuius sententiam sequuntur Angel. *feriæ q. 40. & num. 41.* Tabien. *feriæ. qu. 46.* & Charitas *q. 20. sexta conclusione.* Verùm, id vt Nauarrus *in Manual. cap. 11. num. 7.* cum Adriano, quem citat rectè adnotauit, nulla ratione efficaci probatur. Sotus indicat *libr. 2. de iust. q. 3. ar. 10. & lib. 1. de nat. & grat. cap. 22.* obligari nos eo tempore, quo aliquo insigni beneficio afficimur à Deo. At Nauar. hanc quoque sententiam meritò refellit: quia si ad aliquem actum tunc temporis lege naturę cõpellimur, is erit, quo debitas gratias Deo, & agamus, & habeamus, eò quòd in nos beneficium liberaliter contulerit. Docet etiam Sot. hoc præceptum impleri, dum quis in adulta ætate Baptismum suscipit. Sed certè Baptismus tunc rite suscipitur, si quis attritus non contritus ad Baptismum accedat.

Sunt, qui doceant hoc præcepto nos eo tempore teneri, quo patientia, & probitas nostra, ac virtus, grauissimè tentatur. Sed neque ad hoc asserendum vlla ratione compellimur. Ad eam ec enim tentationem repellendam, alia suppetunt remedia, hæc nimirum, diuinam opem precibus inuocare, incumbere in ea officia, & opera virtutis, quam antiquus hostis generis humani conatur nobis eripere. Alij docent hoc præceptum semel in vita nostra vim suam habere, videlicet in extremo vitæ tempore, aut in mortis periculo. Sed nec hoc vlla ratione efficaci probatur, nec verisimile est, tantum præceptum semel tantùm nos obligare, dum viuimus. Præterea existimant quidã, hoc præcepto teneri nos eo tempore, quo ad aliquod Sacramentum accedimus, vel susceputi illud, vel ministraturi: quam etiam sententiam reijcit Nauarrus: quoniam ad Sacramenta legitimè sumenda, vel conferenda satis est, si accedamus attriti, putantes bona fide nos esse contritos.

Alij dicũt saltem hoc præcepto nos adstringi, cũ ad sacro sanctum Dominici Corporis, & sanguinis Sacramentum accedimus. Hoc etiam alijs non probatur: quoniam ad venerabile Eucharistiæ Sacramentum, iusta & debita est præparatio, qua quis accedit post sacram peccatorum cõfessionem, cum plena malè actæ vitæ detestatione, quam probabiliter putat se habere: ad Baptismũ verò sufficit, si quem suorum peccatorum pœniteat. Quidam, quos secutus est Tabien. *loco citato*: putant ligari nos hoc præcepto, cum lethalis peccati conscij, alteri Sacramentum ministrare volumus ratione publici officij quo fungimur. At verò si probabiliter credamus nos charitate esse præditos, nulla lege cõpellimur ad eũ actũ præstandum. Item, Sacramentorum ministri solùm præcepto compelluntur eo tempore quo Sacramenta conferunt, ad id lethale peccatum detestandum, cuius sunt conscij. Postrema est eorum sententia, qui volunt extremo vitę tempore charitatis præceptum suam obligationem inducere. Sic Angel. Tabien. Nauarr. Sot. *locis supra citatis*; & alij. Quorum tamen sententiam ea ratio videtur nõnihil posse infringere, infirmare, & euertere, quòd aliquãdo accidit, vt is, qui vicinus est morti, iustus sit vir, gratia & charitate præditus, aut saltem probabiliter opinetur, se Dei charitatem minimè amisisse. Præterea, quid si aliquot ante obitum diebus, fuerit omnia sua peccata ritè cõfessus, & detestatus? Arbitror sanè, hosce auctores solũ docere voluisse, eo tempore esse expræcepto, & lege actum charitatis præstandũ, quando quis est lethalium criminum cõscius. Sed nec hoc omnem ex animo planè dubitationem eutellit: quoniam tunc pœnitentiæ præcepto obligamur ad peccata omnia odio habenda, & detestãda, quod quia sine actu charitatis in Deum præstare, vt oportet, non possumus, ideo ad actũ charitatis adstringimur ratione præcepti pœnitẽtię, non autem præcisè lege charitatis. Nos autem in præsenti quærimus, quo tempore præcisè præcepto charitatis cogamur elicere amorem in Deũ. Profectò videtur (vt quæstionem soluamus) eiusmodi præceptum esse constitutum, eo modo, quo diximus esse datum, & impositum diuinitus fidei præceptum, & spei: nimirum tãquam remedium ad iustificationem impij: quare ijs temporibus suam obligationem affert, quibus improbũ hominem oportet sua peccata per veram pœnitentiam odio habere, & detestari, vt obtenta venia, ad diuinam gratiam reuocetur: Quare quandocunq; quis debet de suis peccatis per veram cordis pœnitentiam dolere, vt eorum veniam obtineat extra Sacramentum re ipsa susceptum, ipso iure diuino cogitur actũ charitatis elicere, quia sine eo vera, & legitima pœnitentia, non est, quæ sufficiat, vt idonea, ad peccata lethalia post Baptismum commissa delenda extra Sacramentum, quamuis cum Sacramento pœnitentię sufficiat is dolor, quem Theologi attritionẽ appellant, qui actus charitatis non est, cum sit detestatio peccati, nõ amore Dei, sed metu gehennæ, vel odio turpitudinis, quæ peccatis inest, vel spe bonorũ cælestium susceptæ.

Secũdò quæritur, Quo modo intelligatur charitatis præceptum, quo dicitur diligendum esse Deum toto corde? Animaduertendum est, hoc præceptum in sacris literis contineri, nõ vno loco, sed pluribus etiam, & diuersis; primùm Deu-

teronomij 6. deinde Matth. 22. tum Mar. 11. Postremò Luc. 10. quibus in locis hisce verbis dictum est nobis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis, vel fortitudine tua.* Quid verò his nominibus accipiendum sit, declarat sanctus Thomas 2.2.q.44.artic.4. & 5. hunc in modum: *Ad efficiendum*, inquit, *opus, præditus est homo quatuor facultatibus, videlicet intellectu, vt perspiciat quid sit agẽdum: Voluntate, vt velit homo id præstare, quod debet: Appetitu sensus, & sensibus corporis, vt ipsorum ministerio, & opera ad efficiat, quod perspicit esse faciendum; & cæteris corporis viribus, & facultatibus, quibus exequimur, quod facere statuimus.* Vnde mentis nomine accipiendũ est intellectus: Cordis verò nomine, voluntas: animæ appellatione, appetitus sensus, vnà cũ sensibus corporis: Virium autem, vel fortitudinis vocabulo, omnis corporis facultas, quæ ineſt in membris.

Alij verò, appellatione animæ intelligunt vitã corporis, quæ, si opus fuerit, pro Dei obsequio, & honore fundi, ac perdi debet. Nomine autem virium, omnem facultatem, & substantiam bonorum temporalium, quæ si oportuerit, impendenda sunt, & in pauperum vsus, vel alios similes eroganda. Toto verò corde diligendus est Deus, hoc est, non in alias res cordis affectu distracto, nimirum, ita vt nihil aliud diligamus ante, vel pluſquam Deum, vel æquè, ac Deum.

Tertiò quæritur, Quid Theologi intelligant, cum docent, hoc præcepto obligari nos ad diligendum Deum super omnia: An scilicet feruentiori, & maiori amore Deus diligi debeat, quàm cætera omnia? Animaduertendum est, posse vnum aliquid diligi magis, quàm aliud, tripliciter. Primò, quia plura, aut maiora bona vni volumus, & optamus, quàm alteri. Secundò, quia feruentius, ac vehementiùs, aut vt Philosophi loquuntur, intensius vni bonum volumus, & cupimus, quàm alteri. Tertiò, quia pluris facimus amorem vnius, quàm alterius. Verbi gratia si tibi vitam corporis velim, alteri verò honores, vel opes, magis te diligo, quia tibi maius bonum exopto: præterea, si diligo te affectu magno, & feruido sex gradibus, alterum verò tribus, vel quatuor, te vehementius, & intensiùs diligo. Insuper, cum tibi, & alteri alimentũ vitæ necessarium subministrare nequeã, si te præfero, vt te conseruem: tunc æstimatione magis te diligo, quàm illum. Omnes ad vnum consentiunt, Deum esse magis diligendum, quàm cætera, duobus modis: tum quia ipsi plura, & maiora bona velle debemus: nobis enim placere debet ipsum esse omnipotentem, immensum, æternum, infinitum, denique omne bonum habere, quod habet: cũ etiam, quia si propter bonum aliquod procreatum deponendus, & abijciendus est amor Dei, potius contemnendus, & negligendus est amor cuiuslibet creatæ rei, quam Dei. Sed quæstio est, an etiam vehementiori, & intensiori amore diligi Deum oporteat? Duæ sunt opiniones. Prima, videtur esse Petri Soti, *tract. de institut. Sacerd. lect.15. de iustif. impij.* & Adrian. *in 4. quæst.2. de pœn. & quodlib.5. artic.3.* affirmantium intensius quoquæ Deum diligi debere. Quæ sententia quibusdam alijs placuit, ob eam rationem, quòd in hac re amor, quò feruentior, & intensior est, eò robustior, & firmior quoq; est: sed potius ab amore cuiuslibet creati boni abstrahi, & auelli debemus, quã ab amore Dei, ergo fortior, & firmior est amor Dei. Deinde, quò vnũ pluris æstimamus, quàm alterum, difficiliùs ab eo amando desistimus; & proinde sequitur, vt intensiùs amemus: ergo, eo ipso, quòd Dei amor pluris æstimari debet, difficilius deponitur, & ita intensior est. Secunda opinio est communi Theologorũ consensu recepta, non esse nobis datum præceptum, vt Deum intensiùs, quàm cætera diligamus, quoniam præcepto charitatis in Deum, satisfacimus qualicunque amoris intensione, vel etiam minima: dummodo tamẽ Dei amorem, vel tenuissimum etiam, cæteris præferamus: ita docent Gabr. *3.d.27.q.1.a.1.not.6.* Mai. *3.dist. 27.q.2.ar.4.* Sot. *4.d.17.q.2.ar.4.* & Nauar. *in Manual. c.11.n.6.* Dubitabis, qui fieri possit, vt amor in Deũ sit tenuissimus, & tamen omnis alius amor etiam maximꝰ, prius deponatur, & euellatur ex animo, quàm amor in Deum? Respondeo, id euenire posse, vt sequenti patet exemplo. Amor in Deum sit vno tantùm gradu intensus, & feruidus, & nihilominus parentes, vel amicos diligamus magno quatuor gradibus amore, non peccamus; Si tamẽ eo adducti simus, vt vel contra Dei charitatem sit nobis agendum, vel parentum, aut amicorum amor sit deponẽdus, aut contemnendus: tunc quia pluris facimus Dei amorem vno gradu intẽsum, quàm parẽtum, vel amicorum amorem quatuor gradus intensionis habentem, eligimus potius tenuissimum Dei amorem animo retinere, quàm alium maiorem parentum, vel amicorum. Quo efficitur, vt duæ prædictæ sententiæ minimè à se inuicem fortè dissentiant: quoniam quotiescunque amor in Deum, & in res alias creatas sibi inuicem repugnant, & obstant; ita vt alter illorum posthabendus sit, tunc amor in Deum non solùm pluris est faciendus, sed etiam firmior, fortior, & intensior, altero debet esse: quandoquidem licet alioqui sit tenuissimus, in eo tamen persistere debemus altero posthabito, & reiecto; ergo eo ipso, est intensior; siquidem Deum amamus, quamuis tenuiter, alterum non item. Quando verò ij duo amores non se inuicem impediunt, tunc amor alicuius boni creati potest esse multorum graduũ; cum tamen amor in Deum vnius tantùm gradus magnitudine, & intensione constet, & hoc est, quod secunda opinio sibi vult.

Quartò quæritur, An præceptũ charitatis possit in hac vita compleri? De hac quæstione S. Tho. *2.2.q.27.ar.4.* & *q.44.ar.6.* Theol. *in 3.d.27.* Augustinus *contra Pelag. disputans, libr. de perfect. iusti. respons.16.* docet duo esse præcepta, quæ in hac vita impleri nequeunt: primũ illud, *Non concupisces*: alterum, *Dominum Deum tuum toto corde diliges.* Et cũ sibi ipsi obijciat: *Quorsum ergo sunt ea præcepta nobis data, si nequeãt in hac vita præstari?* Respondet: *Vt perspiciamus*, inquit, *quo sit nobis progrediendum; & ob id ea implenda qualicunque modo curemus, quæ plenè præstare non possumus, vt quo modo possumus, currentes, alteram vitam consequamur, vbi ea plenè, & perfectè præstabimus.* Ex Augustino Lutherani, & Calumistæ, more suo, eliciunt, nobis esse data, & posita hæc præcepta, & tamen nunquam posse in hac vita à nobis impleri, & proinde, velimus, nolimꝰ, necessariò peccare; ac propterea dixisse Paulum: *Non n. quòd volo bonum, hoc facio; sed quod odi malum,*

Exo. 20. Rom. 7.

Rom. 7.

odi meum, hoc ago. Sed Hieronymus in expos. symboli ad Damasum, execratur, & damnat eos, qui dixerint, præcepta à Deo nobis esse data, quæ impleri nequeant.

Vt faciliùs hunc nodũ dissoluamus, prius scire oportet, præceptum diligendi Deum, posse tripliciter impleri. Primò, vt semper actu Deus diligatur, nec vllum peccatum vnquam, vel minimum etiam admittatur. Deinde, ita vt nullum veniale delictum cõmittatur, licèt ab actu diligendi cessetur. Demùm, ita vt nihil mali fiat, quod Dei charitatem tollat, & amicitiam dirimat. Præceptum ergo illud primo modo sumptum nequit in hac vita compleri, in qua propter corporis indigentiam, & innumeras humanæ vitæ necessitates, actum amandi intermittere sæpe compellimur. Secundo modo absq; speciali Dei munere in hac vita præstari non potest: & vna excepta Beatissi. Virgine, nullus aliorũ Sanctorum, teste Augusti. *in lib. de nat. & gratia, c. 36.* præstitit, nec vnquã præstabit absq; singulari Dei beneficio; hoc est, solũ consuetis, & cõmunibus gratiæ diuinæ subsidijs nemo vnquam implebit. Tertio modo potest in hac vita impleri: nam is implet, qui omne lethale peccatũ deuitat; at iustus ab omni lethali peccato se potest in hac vita abstinere: immo quidã iusti, & sancti viri per omnem huius vitæ cursum omne lethale peccatum vitasse perhibentur, non tamen sine speciali Dei gratia, & auxilio supernaturali, quæ gratia Apostolis, & alijs quibusdã insignioribus sanctis hominibus denegata nõ est.

Quintò quæritur, An iure Deum diligamus propter aliquod præmium, vel cõmodum, quod expectamus ab eo? De qua quæstione Durand. 3. *dist. 28. q. 4.* & Maior. *in 3. d. 29. quæst.* 3. Quamquam huius temporis hæretici eum amorem reprehendunt, & damnant, quo Deum diligimus desiderio, spe, & amore alicuius præmij, vel commodi, communi tamen consensu Theologorum *in 3. dist.* 29. receptum est, Deum iure diligi propter præmium, & commodum: ita tamen, vt particula, *propter*, significetur causa excitans, mouens, & impellens ad Deum diligendum; non autem, significetur finis, cuius gratia Deum diligamus. Tunc autem præmium est causa mouens, quando studio, & causa præmij faciliùs, citiùs, expeditiùs, & feruentiùs Deum diligimus, alioqui amaturi etiam, sed nõ ita citò, prompte, & expeditè. Item, quando præmium, siue mercedem ita diligimus, vt ipsam in Dei amorem referamus: quando amamus emolumentum, & commodum nostrum, vt Deum ipsum magis amemus: nam quando duo sunt bona, & vnum est minus, & inferius altero, amari iure potest, si referatur ad id, quod potius, & præstantius est bonum. Tunc autem est finis, cuius gratia Deum diligimus, quando nisi præmij, & mercedis spes adesset, Deum minimè diligeremus. Hic autem amor bonus non est, quia in commodum nostrum tanquam in vltimum finem tantummodo refertur; & proinde ex mala circumstantia amor eiusmodi deprauatur, cum Deus non amaretur, si merces non esset.

Sextò quæritur, An Deus possit odio haberi? Duo enim impedire videntur, quo minus quis Deum odisse queat? Primùm est, quia cum aliquẽ odio habemus, volumus, & cupimus ipsum non esse, sine aliquo emolumento, & commodo nostro, eò quòd eius persona nobis displiceat: Sed nemo velle potest Deum non esse, quia eorum, quæ esse non possunt, voluntas non est. Nec quis, vel cœcus non perspiciat, fieri minimè posse, vti Deus non sit. Alterum est, quia dæmones, & cæteri ad inferos damnati, qui Deum summo odio prosequuntur, non videntur eum odio habere, nisi tanquam peccatorum iudicem, & vindicem; at hoc non est propriè odisse eum, sed velle, & optare, vt ipse non esset criminum vltor. In his diluendis, multa tradidit Caietanus 2. 2. q. 34. a. 1. Sed breuiter dicendum est, posse Deum odio haberi absolutè, & propriè: nam odium, est actus, quo persona alicuius nobis tanquam infensa, & odiosa displicet; & proinde cupimus ipsum non esse, aut volumus ipsi malum sine vllo emolumento nostro. Sicut cum rem aliquam detestamur, & odio habemus, res ipsa nobis non placet, & optamus eam non esse, vel cupimus ei malum sine vllo nostro commodo. Odium enim tum personę esse potest, tum etiam rei. Non itaque repugnat, vt quis cogitando de persona Dei, ipsum, tanquam sibi infensum, & odiosum habeat sine vllo etiam suo commodo, quia Dei persona sibi displiceat: & potest simul velle, & optare, ne Deus sit. Ad id, quod obijciebatur: Voluntas nõ est eorum, quæ esse nequeunt; Respondeo, Aristotelem *lib. 3. Ethic. ca. 2.* contrarium prorsus docere, de quare supra dixi *lib. 1. ca. 20. q. 3.* posse nos videlicet talia velle, sed non eligere: possumus enim velle non mori, volare per aëra, cælum digito, & manu tangere: sed ad id assequendum, aliquid aliud eligere non possumus. Voluntas enim est simplex quidam animi affectus, quo res absolutè, & simpliciter nobis proposita placet tanquam per se grata nobis, nimirum, vt honesta, vel iucunda, quamuis non sit nobis vtilis, vel commoda. Cum igitur quis cogitatione complectitur, tanquam bonum sibi iucundum, hoc, quod est, non mori, hoc, quod est, volare per aëra, vel cælum manu tangere, gratum sibi habet, & acceptum: & in huiusmodi simplici animi affectu potest quis aliquando mereri, potest etiam grauiter delinquere: Velut si nobis obiecta simpliciter honesta per se ipsa placeãt, turpiaue displiceant, mereri possumus, quamuis honesta, & turpia, quæ cogitamus, reuera subsistere nequeant. Sic etiam si malum nobis simpliciter obiectum, quod alioqui esse non possit, nobis placuerit tanquam iucundum, peccatũ erit. Quare nihil impedit, quin dæmones cum mẽtis cogitatione apprehendunt totum hoc, quod est, Deum non esse, tanquam iucũdum sibi, id simplici voluntatis affectu velle possint, & eo ipso, peccare.

Quocirca id etiam, quod secundo loco obijciebatur, rectè diluitur. Non enim dæmones solùm velle queunt Deum non esse peccatorum iudicẽ, & vindicem: quod esset, nolle Deum esse iustum, sed etiam simpliciter volunt Deum non esse, simplici tamen affectu voluntatis: neque enim aliquid eligunt, vt Deus non sit, hoc enim vident fieri nulla ratione posse. Delectantur igitur eo solo simplici affectu, & actu, quo Deum non esse cupiunt: & ad hunc actum eliciendum sufficit, si hoc

quod

quod est Deum non esse, animo concipiatur tanquam iucundum, & gratum. Ex ijs, quæ sunt hactenus dicta colligitur, duo esse peccata, quæ charitati in Deum opponuntur; vnum est, eum non diligere, cum præcepto, & lege id facere cogimur: quod peccatum in omittendo, aut non faciendo consistit. Alterum est, cum Deus odio habetur, quod peccatum, in cõmittendo, vel in faciendo positum est, quodq; potiùs dæmonum, quàm hominum videtur esse.

Caput V.

De Pietate, & Religione in Deum.

ANimaduertere oportet, hanc virtutem ad primum Decalogi præceptum pertinere, quo vnum Deum colere, & venerari debemus.

Primùm quæritur, Quomodo Religio in præsentia sumatur. Respondeo, nomen Religionis accipi posse dupliciter: Vno modo, vt significat eam virtutẽ moris, qua iustus, & debitus honor, cultusúe Deo tribuitur: Altero modo, vt significat statum, & vitæ cõditionem multorum hominum speciali modo, & regula colentium Deum. Primo modo, in præsentia Religionem accipimus.

Secundò quæritur, An vniuersi Religionis actus ad primum spectent Decalogi præceptum? Sciendum est, Religionis actus partim esse interiores, partim exteriores. Interiores sunt duo: Deuotio, vt vocatur, & Oratio. Deuotio, est prõptus voluntatis affectus ad aliquid efficiendum propter obsequium, honorem, & cultum Dei: de quo actu tractat sanctus Thomas 2.2. *quæst.* 82. Oratio, est actus, quo aliquid à Deo suppliciter petimus. Possumus tamen sermone, & verbo, aut animo tantùm, & mente aliquid à Deo precari: de eo actu idem sanctus Thomas 2.2. *quæst.* 83. Inter actus exteriores Religionis alij sunt, quibus aliquid Deo offerimus, alij, quibus Deo quippiam promittimus; alij, quibus rem aliquam Deo sacram adhibemus ad aliquid faciendum. Inter eos actus, quib⁹ Deo aliquid tribuimus, alius est, quo Deum veneramur certa aliqua corporis inclinatione, vel summittendo, aut aperiendo caput, vel genu flectendo, vel totum corpus inflectẽdo, aut prosternendo, aut pectus tundendo, & hic actus dicitur Adoratio, de quo S. Thomas 2.2. *quæstio.* 84. Alius est actus, quo aliquid immolatur, sacrificatur, aut quolibet alio modo offertur Deo, aliqua ratione mutatum, siue cum alijs permistum: de quo S. Thomas 2.2. *quæst.* 85. Alius, quo aliqua Deo offerimus ad eius ministros alendos, vel ad res diuinis vsibus dicatas, commodè conseruandas: tales sunt decimæ, primitiæ, & aliæ similes pensiones, de quibus S. Thomas 2.2. *quæst.* 86. & 87. Actus verò, quo promittimus aliquid Deo, est votum, de quo S. Thomas 2.2. *quæst.* 88. Actus, quo nomen Dei adhibemus ad ea confirmanda, quæ dicimus, est iusiurandum, de quo S. Thomas 2.2 *quæstio.* 89. Actus, quo nomen Dei adhibemus, vt inducamus homines, vel moueamus res alias procreatas ad aliquid faciendum, vel non faciendum, dicitur Adiuratio: de quo actu S. Thomas 2. 2. *quæst.* 90. Actus, quo nomẽ Dei adhibemus ad auxilium ab eo petendum, vel ad ipsum laudandum, est Inuocatio: de quo actu S. Thomas 2.2. *q.* 91. Postremus Religionis actus est, quo res Deo sacras adhibemus ad sanctificandos, vel quomodolibet mundãdos homines: qualis actus est Sacramenta, & ea, quæ sacramentalia vocantur, conferre, vel sumere, signo Crucis frontem, & pectus munire, rem diuinam audire, denique vti qualibet re à Christo, vel Ecclesia instituta ad aliquid sacrandum, vel sanctificandum: & de his agit S. Th. *in* 3. *part. q.* 60. & *sequentibus.*

Inter hos Religionis actus, tres, quatuorúe duntaxat pertinent ad primum Decalogi præceptum; videlicet, Orare, & precari Deum, sacrificare, ipsum venerari, reuereri, & colere, & tandem inuocare.

Tertiò quæritur, Qui cultus, & veneratio Deo debeatur? Animaduertendum est, duo esse vocabula græca, quæ vsu Ecclesiæ communi sunt latinitate donata, hæc scilicet, λατρεία, & δουλία. Latriæ nomen apud Græcos latè quidem patet, & significat quemlibet seruitutis cultum, quem seruus domino suo defert, vsu tamẽ, & accommodatione factum est, vt in sacris literis, & à Scriptoribus sacris solùm accipiatur, vt constat ex Augu. *lib. de ciui. 10. cap. 1. & lib. 20. contra Faustum ca. 21. & lib. 1. de Trinit. cap. 6.* Isidor. *lib. 8. Etymolog. cap. vlt.* Beda. *in Lucam 4.* pro supremo seruitutis cultu, qui Deo rerum omnium Domino debetur ob summum eius Imperium, & dominatum, eò quòd vniuersa ex nihilo condiderit, & ea suo nutu conseruet, & prouidentia gubernet, & regat. Latria igitur apud Theologos, est cultus, qui soli Deo debetur, eò quòd sit cultus quidam, quo nos ipsos Deo subijcimus, vt supremo omnium Domino, in eo spem, & fiduciam collocamus. Dulia quoque à Græcis fusè, & latè sumitur, significatque honorem, & cultum, quem præstat Domino seruus: sed vsu accõmodatum est nomen, apud scriptores sacros ad significandam venerationem, quæ sanctis viris cælestis patriæ ciuibus tribuitur. Et quia inter sanctos vna cum Christo Domino in cælo regnãtes, primas obtinet sanctissima Deipara, introductum etiam est vsu, vt cultus ei debitus speciale nomen habeat, qui dicitur, ὑπερδουλία, quasi latinè dicatur, cultus quidam eximius, & excellens inter eos cultus, qui sanctis cum Christo Domino viuentibus, debentur. Deo igitur debetur cultus latriæ, cæteris Sanctis cultus Duliæ, Beatiſ. Virgini, cultus hyperduliæ. Ex quibus perspicitur, nomina Græca Latria, & Dulia licèt prima sua significatione idem significent, vsu tamen scriptorum sacrorum accipi solent ad diuersa significanda.

Quartò quæritur, An adoratio solùm sit actus Religionis exterior, an etiam interior. Conuenit inter omnes adorationem esse actum Religionis, & proinde proficisci ab affectu religiosi animi in Deum. Sed dubiæ quæstionis est, an sit solùm actus exterior ab affectu voluntatis Religioso erga Deum profectus. Meo iudicio communis est Theologorum opinio *in* 3. *d.* 9. Adorationem esse duplicem, internam, & externam. Interna est, qua hominis, vel Angeli voluntas Deum, vt supremum omnium dominum honorat, colit, & veneratur. Externa est, qua quis ex Religioso voluntatis affectu coram Deo, vt coram primo, & summo re-

rum omniũ Domino seſe ſubmittit, genua flectit, corpus proſternit, caput inclinat, aperit. Non video, cur Angeli, & animi exuti, & ſoluti corporibus non dicantur verè, & propriè Deum adorare, ſed tantùm per Metaphoram, & tropum: ſicut. n. ipſa mentis intelligentia Deum ſupremum rerum omnium Dominum agnoſcũt, ſic ei ſe voluntate ſubmittunt, & vt ſummum omniũ Principem colunt, & venerantur. Hic enim actus non eſt fidei, ſpei, charitatis, humilitatis, vel obedientiæ, vel alicuius alterius virtutis officium, vt cõſtat, eſt igitur Religionis opus, quò ſe voluntas coram Deo, vt ſupremo omnium Domino ſubijcit. Si quæras, qua ratione Deo cultus latriæ debeatur? profectò debetur, quia vniuerſa ex nihilo procreauit, cuncta ſuo nutu, & arbitratu conſeruat, moderatur, & regit. Si iterũ roges, an Deo debeatur vnus latriæ cultus, etiãſi innumera ſint eius in nos beneficia, quippe qui nos ex nihilo condidit, nos conſeruat, ne in nihilũ recidamus, nos gubernat, tuetur, curat, dirigit, nos redimit, & liberat à malis, à dæmonis poteſtate eripuit, nobis gratiam, & gloriam confert, nos vocat, allicit, mouet, & flectit ad bonum. Item, an debeatur ei vnus latriæ cultus, quamuis in eo ratione noſtra, qua conſiderantur, multa ſint bona: eſt enim ſupremus rerum omnium conditor, moderator, & cuſtos, habet vitæ, & necis imperium, ſummum in omnia dominatum. Reſpondet S. Thomas 2.2.q.81.a.3.ad 1. vnum eſſe latriæ cultum, qui Deo debetur, vt ſummæ maieſtatis Principi, & ſupremo rerum omnium Domino, à quo cuncta bona fluxerunt. Nam cultus defertur alicui ob excellentiam eius: ergo quia Deus eſt excellentiſſimus, & vnus, debetur ei vnus latriæ cultus.

Quintò quæritur, An cultus, qui latino nomine Adorationis vocatur, ſoli Deo ſit tribuendus? Sciendum eſt latinum nomẽ Adorationis, vt Gabriel, & alij iuniores annotarunt, in ſacris litteris amplè aliquando patere, ita vt de hominibus etiam dicatur. Legimus enim Reges, & Principes, & alios viros ſingulari ſanctitate, ſapientia, vel auctoritate præſtantes, adoratos: nec ſolùm à quibuslibet, ſed etiam à iuſtis hominibus. At verò ſtrictius interdum accipitur, ita vt ſoli Deo conueniat, alteri præterea nemini. Vnde Apocalypſis 22. Angeli prohibuerunt ſibi adorationem tribui. Et Petrus *Act.* 10. & Paulus, & Barnabas 14. capite eiuſdem libri non permiſerunt ſe adorari. Adorationis igitur nomen, ſacræ litteræ nonnunquam accipiunt pro cultu latriæ ſoli DEO debito.

Sextò quæritur, An ſit aliquis actus venerationis, & cultus externi, qui ſuaptè natura, ſiue per ſe, aut ſaltem ex communi hominum opinione, & inſtitutione ſoli Deo deferatur? Reſpondeo, difficile huiuſmodi actum poſſe inueniri: non enim omnes nationes, & gentes conueniunt in ſignis externis, quibus Deum colunt, & reuerẽtur. At verò conſuetudine introductum apud Chriſtianos eſt, vt certi quidam veneration is actus ſoli Deo deferantur; quales ſunt, pectus pugno percutere, genua flectere, humi ſe proſternere, vultũ in cælum conuertere, & palmas in altum attollere: nam licet apud aliquas nationes coram hominibus etiam genua humi ponantur, in Eccleſia tamen vſitatius eſt, vt id coram Deo fiat; ita vt coram eo in genua procumbamus. Cæterùm venia peccatorum, gratia, gloria cæleſtis, virtutes, & bonorum operum merita, à Deo tanquam auctore, & largitore bonorum omnium poſtulantur.

Septimò quæritur, Quibus rebus cultus latriæ debeatur? Sciendum eſt, dupliciter latriæ cultum rei alicui dari poſſe: aut enim datur alicui per ſe, & propter ipſum: videlicet, quia in eo inſit diuinitas, & ſumma maieſtas, poteſtas ſuprema, & virtus: aut datur, quia eſt res cum diuinitate, & ſumma poteſtate, & virtute coniuncta verè, & re ipſa, vel ſaltem cogitatione, & repræſentatione: & ea res colitur honore, & veneratione latriæ, non propter ipſam, quaſi in ea ſit verè diuinitas, ſed quia cũ diuinitate, vel verè, & re ipſa, vel cogitatione, aut repræſentatione coniungitur. Hoc poſito, Reſpondeo, & toti Trinitati, & cuilibet diuinæ perſonæ deberi per ſe cultum, & honorẽ latriæ: nã tribus vnica tantùm veneratio tribuitur, quatenus tres perſonas veneramur, vt vnum Deum rerum omnium conditorem, & ſummum earum Dominum, & moderatorem, cui nos ſubijcimus, & in eo ſpem noſtram, & fiduciam ponimus. Porrò ſicut Eccleſia dies feſtos, & ſolemnes cuilibet perſonæ ſacros inſtituit, ſic etiam quamlibet perſonã per ſe nominatim ac diſtinctè poſſumus colere ac reuereri, ſicut vnã ſine alia poſſumus cogitare, ſic vnam ſine alia venerari, non quòd aliam explicitè excludamus, hoc enim eſſet nefarium, & impium, ſed quòd ſicut vnam ſine alia, mentis cogitatione concipimus, ita & vnam ſine alia colere, & venerari poſſumus: nam Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus.

Præterea Chriſto Domino latriæ cultus debetur, quoniã etſi homo ſit, eſt etiam Deus; ita vt ſit vna & eadẽ perſona diuina ex duabus, & in duabus naturis ſcilicet diuina & humana ſubſiſtẽs: & cum eũ veneramur, cultus noſter in perſona, non in natura humana abſq; perſona terminatur, aut terminatur quidẽ in natura humana, ſed vt à Verbo diuino aſſumpta, & ei mirabili nexu & vinculo coniuncta.

Quæres, an Latriæ cultus humanæ Chriſti naturæ tribui debeat? Reſpondet S. Thomas *p.3.q.25. art.1.& 2.* Chriſti humanitatem eſſe perſonæ Verbi diuini coniunctam, & propterea Humanitati perſonaliter Verbo cõiunctæ deferri debere cultum Latriæ, quia non Humanitas per ſe colitur, ſed perſona diuina in Humanitate ſubſiſtens, vel humana natura, vt eſt Verbi Diuini humanitas, hæc ex S. Thoma, quæ eſt omnium Theologorum communis ſententia *in 3.d.9.* Henri. *quodlib.10.q.6.* & definita eſt in Syno. S. Conſtantinopoli. *collat.8. cap.9.* Si roges, an humana Chriſti Domini natura per ſe colenda ſit veneratione Latriæ, an potiùs Hyperduliæ. Alex. *p.4.q.2.m.3.a.1.* ad vltimum, docet eſſe honorandam cultu Hyperduliæ. Sic etiam Gabr. *3.d.9.q.1.ar.2.concl.3.& 4. & in Can. Miſſæ, lect.50.* Nec eſt, quòd hos Theologos oppugnem: nam humanam Chriſti naturam accipiunt per ſe, hoc eſt, vt dimiſſam, vel diuiſam à Verbo, gratia, & ſanctitate pleniſſimã, non, vt diuino verbo coniunctam. Nam hoc idem docet S. Thomas cum

ait. 3.p.

ait.3.p.q.25.artic.2. *Adoratio igitur humanitatis Christi dupliciter potest intelligi, vno modo, vt sit eius, sicut rei adoratæ: & sic adorare carnem Christi nihil est aliud, quam adorare verbum Dei incarnatum: sicut adorare vestem regis, nihil est aliud, quàm adorare Regem vestitum, & secundum hoc adoratio humanitatis Christi, est adoratio latriæ. Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quæ fit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum, & sic adoratio humanitatis Christi, non est adoratio latriæ, sed adoratio duliæ. Ita scilicet quod vna eadem persona, Christi adoretur adoratione latriæ, propter suam diuinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis.* Hæc ibi S.Thom. Idem planè docuerunt Scot.3.d.9.q.1.Albert.3.d.9.art.9. Bonauen.art.1.q.1. Richard.ar.2.q.1.Henri.quodlib.10.q.6. Duran.3.d.9. q.3.Palud.q.2.Almai.q.1.conclusio.4. Non significat. S.Thom. humanam Christi Domini naturam, vt verbo diuino coniunctam non esse cultu latriæ honorandam, sed solùm docet humanam Christi naturam re ipsa, vel cogitatione seiunctam à verbo, & per se consideratam non esse veneratione latriæ colendam. Dixit enim B. Augustinus *serm. 58.de verbis Domini.* Si hominem separaueris à verbo, illi nunquam credo, neque seruio: & vtitur exemplo, cum Rex est purpura indutus purpurâ regis honoramus, cũ deposita purpura iacet, non honoratur à nobis. *Ego*, inquit, *Dominicam carnem, immò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quòd à diuinitate suscepta, atque deitati vnita est. Denique si hominem separaueris à Deo, vt Photinus, vel Paulus Samosatenus, illi ego nunquam credo, nec seruio: velut si quis vestem, aut purpuram, aut diadema regale iacens inueniat, nunquid conabitur ea adorare? Cum verò ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum rege adorare quis contempserit.* Hæc B. Augustinus. Ex quo etiam fit, vt corpus Christi Domini dum in sepulcro iacebat, coli latria deberet, quia erat diuinæ personæ Verbi coniunctum. Item, ex Concilio Tridentino *sess.13.cap.5.& Can.6.* colligitur, Hostiæ consecratę, & vino pariter consecrato in sanctissimo altaris Sacramento tribuendum esse latriæ cultum, quia tum in Hostia, tum in vino consecratis, est corpus Christi Filio Dei reipsa coniunctum. QVAERES, An natura humana Christi per se seorsum accepta, non vt est verbo diuino coniuncta, siue non vt est diuini verbi natura humana, coli debeat veneratione latriæ? Respondet, S.Thomas 3.*p.q.25.art.2.* eam per se sumptam coli debere non cultu latriæ, sed hyperduliæ eximiæ, & præcellentis, quia cultus tunc temporis in ipsa natura humana per se, non autem in Verbo diuino terminaretur, aut non coleretur, vt est verbi diuini natura humana. Verũ contra S.Thomam, forsitan quis obijciat, quod ipse pariter docet *p.3.q.25.art.4.* ea, quæ Christum Dominum tetigerunt, vel ei sunt aliquo modo coniuncta, latria coli debere, ergo multo magis natura humana Christi, cum semel fuerit Verbo diuino coniuncta, digna quoque est honore latriæ, etiam à Verbo dimissa. Respondeo, S.Thomam non illam ea ratione cõsideasse, sed solam naturam humanam per se ab hypostasi diuina seiunctam, vt gratia, & sanctitate plenissimam: sic enim accepta, nulla alia ratione habita, digna est cultu hyperduliæ, non latriæ.

Octauò quæritur, An sanguis Christi in triduo mortis, & sepulturæ dominicæ separatus à corpore, cultum latriæ mereretur? Richardus *in 3.d.2.art.2.q.1.ad 1.* Durandus *in 4.d.10.q.1.nu.19.* Gabriel. *in Canonem Missæ lect.53.* Abul. *in Paradox.ca.40.* putarunt, in illo triduo sanguinem illum à Verbo diuino, fuisse seiunctum: & proinde dicerent proculdubio cultum latriæ non mereri, nisi cum S.Thoma 3.*part.q.25.art.4.ad 2.* sentire vellent, latria quoq; coli debere, quia tetigerat corpus Domini, quod fuerat Verbo diuino cõiunctum. Ego verò tanquam verius, & certius existimo, sanguinem illum non fuisse à Verbo diuino seperatum, & diuisum, & proinde dignum fuisse cultu latriæ.

Nonò quæritur, An ea, quæ Christum Dominum re ipsa tetigerũt, latriæ cultu coli debeant, claui, inquam, lancea, præsepe, spongia, flagella, corona spinea, & alia huiusmodi. S.Thomas 3.*p.q.25.ar.4.* apertè tradit coli debere, ea sola ratione, quia Christum Dominum tetigerint, siue quia cum eo fuerint aliquo modo coniuncta. Quidam verò distinguunt hoc modo: Quando res Christum tangebant, tunc coli debebant cultu latriæ, quia erant Christo coniunctæ, & non per se seorsim colebantur, vt erant in Christo. Sic enim ait, Augustinus sermone 58. de verbis Domini: *Quando regem purpura vestitum reueremur, eodem honore, & eodem cultu, quò regem, vestem veneramur.* Hinc est, vt pari ratione, eodem cultu honoraretur Christus, & præsepe, in quo iacebat: quia colebatur Christus iacens in præsepio. Sic etiam Christus, & tunica qua erat vestitus, & claui, quibus in Cruce transfixus, lancea, cuius cuspide latus eius configebatur. Quando verò res, quæ Christum tetigerunt, per se seorsim coluntur, non debent eodem cultu honorari, quo Christus, sed distincto, & proinde duliæ cultu, non latriæ. Mihi tamen opinio S.Thomæ magis probatur. Nihilominus vniuersi consentiunt, ea, quæ Christum Dominum tetigerũt ignominiosè, nefariè, & impiè, nullum cultum mereri: qualis impia, & sacrilega illa manus eius esset, qui Christum Dominum alapa percussit: Non tamen iniurioſe Christum tangebant, ea instrumenta separata, quibus nefarij Iudæi vtebantur in Christo Domino cruciando, & morti tradẽdo, nimirum flagella, arundo, lancea, spinea corona, & alia huius generis instrumenta Dominicæ passionis: non enim idem iuris est de instrumentis separatis, quod de cõiunctis. Manus crucifigentium, flagellãtium, spõgiam aceto plenam ori eius porrigentium, spineam corona capiti imponentium, contumeliosè, & impiè Christum tractabant, sed non claui, flagella, & corona spinea, cum ratione, & sensu carerent. Præterea, in eo omnes consentiunt, res intelligentiæ, & rationis compotes, quę Christum tetigerunt quamuis alioqui religiosè, sanctè, & piè tetigerint, nõ esse propterea honore, & veneratione latriæ colendas: ratio est, quia cum per se ipsa honorem aliquem mereantur, si cultu latriæ honorarẽtur, viderentur coli solùm propter ipsa. Quare Sanctissima Virgo nequaquam est cultu latriæ honoranda, nec asina, cui Christus insidens Hierusalem die Palmarum venit, si ea viueret, latriæ veneratione coleretur, quamuis Christum Dominum suo corpore tetigerit.

Caput VI.

De cultu, & veneratione sacrarum imaginum.

PRIMO quæritur, An Crux, & Imago Christi Domini, cultu latriæ coli debeant? Quatuor sunt opiniones Doctorum, vt quidam asserunt: sed eæ meo quidem iudicio videntur ad duas tantùm reuocari posse, vt inferius dicam. Prima negat, ita vt iuxta hanc opinionem cultus latriæ in Christum solùm in Cruce, vel Imagine cogitatione, & recordatione contentum, tanquam in terminum referatur, Crux verò, & Imago tantummodo sit id, in quo, aut per quod Christum colimus, vt verum sit dicere non colere nos cultu latriæ Crucem, aut Imaginẽ Christi, sed in Cruce, aut imagine ipsum Christũ, cuius similitudinem Crux, vel imago refert. Neque huius sententiæ auctores inficiantur, Crucem, & Imaginem aliqua veneratione, honore, & cultu proprie esse colendam, cuius terminus proprius sit ipsa Crux, & Imago in seipsa, siquidem Crucem, & imaginem Christi osculamur, amplectimur, & religiosè cõtrectamus, sed solùm negant Cruci, & Imagini cultum latriæ veræ, & propriæ, qui per imaginem transit ad exemplar, quod refert, vt ad terminum, & obiectum cultus. Huius fuisse sententiæ perhibentur Alex. *p.3.q.30.ar.vltim.* Duran. *3.d.9.q.2.* Olcoth. *in librum sapientiæ lectione 157.* Mirandulanus *in sua Apologia quæ.3.* id hac ratione illi auctores conantur ostendere, quia Crux, & quælibet alia imago referẽs Christum quomodolibet accepta, etiam vt repræsentat, est res creata, semper enim à prototypo, & exemplari, qui est Christus, re ipsa distinguitur, vt res creata à Creatore, ergo cultu latriæ coli iure non potest, nisi solùm tanquam res, qua, vel in qua, vel per quam Christum ipsum, cuius similitudinem refert, colimus, & veneramur, id etiam probant ex septima Syno. Generali *Act. 7.* vbi in definitione fidei dicitur Definimus cum omni diligentia, & cura venerãdas sanctas imagines & ad modum, & formam venerandæ, & viuificantis Crucis dedicandas, & collocandas in templis. Et paulò pòst, quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem omnes, qui cõtemplantur, ad prototyporum memoriam, & recordationem, & desiderium veniant: illisque salutationem, & honorariam adorationem exhibeant, nõ secundùm fidem nostram, latriam, quæ soli naturæ diuinæ competit, sed quemadmodum typo venerandæ, & viuificantis Crucis, & sanctis Euangelijs, & reliquis sacris oblationibus suffitorum, & luminarium reuerenter accedimus. Idem habet Adrian. *in libell. de imaginibus, quod extat tom.2. Epistolarum Pontificiarum, inter Epistolas Adriani in responsione ad reprehensionem 9. Idem in 7. Syno. gener. Act.3. Act.2. Act.6. continetur.*

Secunda opinio affirmat coli debere adoratione latriæ, hoc est, eodem cultu, honore, & veneratione, qua colitur Christus, cuius est imago: ait enim, in Cruce, vel Imagine posse tria considerari: primum est, ipsa substantia signi, vel imaginis sua natura, & per se, quæ est materia, videlicet lignum, aurum, aut argentum, vel saxum: Et hac ratione non est capax venerationis, & cultus. Alterum est, figura, respectus, & ordo, quo signum, vel imago ad id, quod repræsentat exemplar, refertur: Repræsentans enim, & repræsentatum, tanquam relata, se mutuò respiciunt: quo etiam modo Imagini cultus latriæ minimè debetur, quia huiusmodi respectus, & ordo est aliquid creatũ, re à prototypo & exemplari, qui est Christus, distinctum. Tertium est, Imaginem actu Christum ipsum referre, & repræsentare, & hoc modo, inquit, Caietanus *3.p.q.25.ar.3.* cultus latriæ est ei debitus. Ita, vt cultus tum ad Imaginem repræsentãtem, tum ad Christum cuius similitudinem gerit, referatur: sed in Christo sistit propter ipsum, & tanquam in obiecto vltimo; in Imagine verò repræsentante terminatur, non propter ipsam, sed propter exemplar, quod refert, nec tanquam in obiecto, & termino vltimo, sed vt in proximo, & primo. Cultus igitur ad Imaginem tendit, nec in ea quiescit, sed per eam, & ex ea transfertur in id, cuius similitudinem refert. Et propterea Ecclesia cum Crucem veneratur, & colit, eam salutat, & alloquitur, cum ait.

O Crux aue spes vnica,
Hoc passionis tempore,
Auge pijs iustitiam,
Reisque dona veniam.

Præterea: Aristoteles docet, eundem esse motũ in imaginẽ, qui est in exemplar, cuius est imago. Et sancti Patres *in 7. Synodo Act. 7.* testantur eodem culu coli imaginem, quo colitur id, cuius est imago, quoniam honor, & cultus imagini datus, transit ad prototypum, & exemplar, quod refert imago. Hæc sententia communi est Theologorum consensu recepta. Sic S. Thomas *p.3.q.25.ar.3.* & *4.* Alex. *p.3.q.30.m.3.ar.3.§.1.* Bona. *3.d.9.a.1.q.2.* Richar. *3.d.9.ar.2.q.2.* & *3.* Alber. *3.d.9.a.4.* Palu. *3.d.9.q.1.* Almai. *3.d.9.q.1.concln.5.* Marſ. *3.q.8.ar.2.dub.2.concluſ.3* Mai. *3.d.9.q.1.* Capr. *3.d.9.q.1.ar.1.concl.2.* & *3.* Cáet. *3.p.q.25. ar.3.* & *4.* & cæteri iuniores. *Aristot. de Memo. & Remiſc. cap.2.*

Tertia opinio est Gabrielis asserentis *in 3.d.9.q.1.artic.2.concl.5.* cultum Cruci, & imagini Christi tribui quidem, sed non esse latriæ propriè, sed improprie, & latè, per analogiam quandam, & similitudinem. Nam sicut depictus homo est per analogiam, & similitudinem homo, sic Crux, & imago Christi est per analogiam Christus. Eodem argumento ducitur Gabriel, quo doctores primæ opinionis. Sed meo iudicio idem sentit, quod Durandus, & alij primæ opinionis auctores, non enim negant cultum latriæ impropriè, & latè imagini Christi tribuendum.

Quarta opinio distinguit hoc modo: nam quãdo imago colitur propter id cuius est imago, cultus est latriæ: quãdo verò colitur propter ipsam, quia est res quædam sacra, hoc est, sacris vsib⁹ destinata, scilicet ad referendum, & repræsentandum id, cuius est imago; cultus est non latriæ, sed duliæ: quia non propter exemplar, quod refert, colitur, sed propter sanctitatem quandam, quam habet in se, qua res est sacra, & sancta, hoc est, sacris vsibus dedicata. Hæc etiam opinio, quantum ego sentio, à prima non differt; quare duæ sunt tantùm sententiæ, (vt initio quæstionis præmoueram) vna, quæ negat, cultum latriæ, altera, quę affirmat Latriæ honorem, & venerationem Cruci, & imagini Christi deberi.

Tota

Tota hæc controuersia inde profecta est, quòd in 7. Synodo Generali, quæ est Nicæna secunda, *Act. 7.* cum ex instituto contra Iconomachos disputaretur, de veneratione, honore, & cultu sacrarum Imaginum, definitum est, Crucē, & Imaginem Christi non coli cultu Latriæ, sed alia inferiori honoraria veneratione, qua res sacræ coluntur, nimirum Codex Euangeliorum, & vasa sacra. Ex quo perspicitur, cultum latriæ Cruci denegari. Synodus autem nō loquitur de Cruce, vel imagine ex parte, vel ratione materiæ, sumpta; hac enim ratione nullius cultus est capax: & tamē sacrosancta Synodus decernit aliqua honoraria veneratione coli debere: ergo loquitur de imagine, vt refert, & repræsentat id, cuius est similitudo: Et cum neget cultum latriæ, quæ soli Deo, inquit deferturr: cōsequitur, vt solùm admittat cultum duliæ Cruci deferendum. Et ex altera parte definit coli debere ea veneratione, qua coluntur ceteræ res sacrę, vasa sacra, & sacer Euangeliorum codex. Ergo nō loquitur de cultu Cruci debito propter id, cuius similitudinem refert, aegerit: siquidem sacræ aliæ res, quibus Crucem comparat, non repræsentant, cum non sint imagines, vel signa, quamuis contineant, vel narrent res sacras: ergo loquitur de Cruce prout est res quædam sacra. Atque ita Synodus insinuat duplicem cultum Cruci deferri, latriæ propter exemplar, quod refert, & Duliæ, propter eam sanctitatem quasi ei inhęrentem, videlicet, eò quòd sit sacris, & sanctis vsibus in Ecclesijs destinata: At ex alia parte constans est Theologorum sententia imaginem eodem honore, & cultu, honorari, & coli, quo colitur id, cuius est imago: & id videtur significare concilium Trident. *sess. 25. in decreto fidei de sacris imaginibus*: & idem insinuauit 7. Synodus. *Act. 7.* & in ea synodo sæpe dicitur, ad ipsum prototypum, & exemplar referri cultum imaginis.

Equidem difficilè est primò tueri, quo pacto cultus latriæ Cruci, vel imagini Christi Seruatoris nostri tribuatur verè, & propriè: nam impropriè, & latè, & per analogiam, non est dubitandum. Deinde, difficilè quoque est, explicare, quēadmodum Cruci duplex cultus debeatur, Latriæ ob exemplar, cuius similitudinem refert, & Duliæ ob sanctitatem, quæ ipsi ineſt, eò quòd sit sacris vsibus dedicata. Primum quidem dixi, difficilè; quia Crux, & imago ex parte, siue ratione eius, quod habet in se, est aliquid creatum, id quod est perspicuū, nec eget vlla probatione: siue eam consideres ratione materiæ, siue ratione figuræ, & ordinis, siue ratione repræsentationis. Alterum quoque sua difficultate non caret. Etenim Crux, vel imago Christi per se ipsam venerationis, & cultus capax non est, nisi ob respectū, & ordinē ad id, cuius similitudinem refert, ergo cultus Crucis cum nō sit propter ipsam, sed propter id, quod refert, necesse est, vt sit vnus, & hic Latriæ, vel Duliæ, & non duo. Sicut cum quippiam eligitur propter finem, tota ratio eligendi est bonitas, quam accipit à fine. Nec enim aliquid propriè eligitur propter bonitatem suam. Aegrotus (Verbi causa) sumit potionem amaram, quæ propter sanitatem eo ipso, quòd vtilis iudicatur, cēsetur bona, cum tamē per se sit amara. Secundùm aliquos igitur idem videtur esse dicēdum de hac tota controuersia, quod Philosophi ac Theologi de electione eius, quod est ad finem, & de ipsius finis intentione tradiderunt. Nam cum finis aiunt esse ratio eligendi, id, quod est ad finem, vnus est actus, qui dicitur electio, qui actus terminatur in eo, quòd est ad finem, id enim est, quod eligitur: Finis verò non se habet tanquam aliquid, quod electionem terminet, sed potiùs, vt ratio qua eligitur id, quod est ad finem: Contra vero Intentio finis est vnus etiam actus, sed qui terminatur in fine, tanquam in eo, in quem voluntas animum intendit, in id verò quod est ad finem, non intendit voluntas; sed est ratio, per quam in finem intendimus: Eodem modo, inquiunt, se res habet in veneratione imaginis, & eius cuius similitudinem ipsa refert, aegerit: semper enim vnus est cultus rei, sed ratione distinctus, cum colimus in imagine id, cuius ipsa similitudinem continet, tunc exemplar est id, quod colitur, & in quod cultus refertur: imago verò est ratio, per quam cultus in prototypum transit. Cum verò ipsam imaginem rursus veneramur, tanquam materiam obiectam, & terminum cultus, tūc imago est, quæ colitur propter exēplar, quod refert, nihil enim habet imago in se, vnde coli debeat, nisi ab ipso exemplari desumptum. Primus cultus, quem imago ad prototypū, & exemplar traducit est, inquiunt, Latria: secundus, qui ab exemplari in imaginem descendit, est Dulia: ac proinde duplici cultu, & honore Imaginem reueremur, & colimus: & propter exemplar, quod imago refert, & propter ipsam imaginem, quę exemplaris similitudinem continet. Qua ratione motus, qui ab eo, quòd est ad finem, tendit ad ipsum finem, est Intentio: & motus, qui à fine venit in id, quod est ad finem, est Electio. Sed reuera cum nihil obstet synodus 7. Generalis, quando dicit Cruci, & imagini Dei, non tribui cultum latriæ, qui soli Deo debetur, sed inferiorem honorem, de quo dicam inferius; mihi vnus tantùm videtur cultus imagini debitus, idem nempe qui debetur exemplari; & is non propter ipsam, sed propter id cuius similitudinem refert. Cum rem aliquam vitæ, & animæ expertem piè, & religiosè veneramur, ac colimus, vt sacram honoramus: sacra verò est, aut quia continet rē sacram, vt vasa, altaria, templa: aut quia memorat res sacras, vt codex Euangeliorum: aut quia refert, & repræsentat rem sacram, vt effigies, & imago: aut quia est pars rei sacræ: aut cum re sacra verè, vel cogitatione coniungitur: aut aliqua alia ratione ad rem sacram pertinet; vnde fit, vt simul cum re sacra eodem honore, & veneratione colatur, vt fusiùs dicam.

Secundò quæritur, An quemadmodum Crux cuiuslibet materiæ cultu Latriæ digna est, sic etiam claui, lancea, flagella, spongia, & corona spinea ex alia qualibet materia confecta, cultu latriæ coli debeant, S. Thomas *3. part. quæst. 25. artic. 4.* Respondet, Crucem ex qualibet materia constantem coli debere latria, quia eo cultu non solùm Crux, qua Christus pependit, digna est, eò quòd Christum tetigerit; sed etiam quatenus Crux est, hoc est, signum, & imago Christi in Cruce pendentis; at verò cætera Dominicæ passionis instrumenta solùm cultum latrię merentur, quia Christi corpus tetigerunt: quare si in alia materia cō-

stant, cultu latriæ coli non debent, quia non sunt signa, & imagines quæ Christum referant, & repræsentêt: sed sunt similitudines eorũ instrumẽtorum, quibus Christus est Cruci affixus. Obijcies, id vnum sufficere. Respondeo, minimè, quoniam Crux alterius materiæ non colitur, vt signũ illius, in qua Christus pependit, sed vt signum ipsius Christi in Cruce pendentis. Scriptura enim Crucem quamlibet Filij hominis signum appellat, quod in cælo, hoc est, in aëre, videndum prædixit Christus: at verò claui, & lancea, alterius materiæ, nusquam in sacris literis signum Filij hominis appellantur; quare signa tantummodo sunt eorum clauorum, quibus Christus fuit Crucifixus.

Tertiò quæritur, An si alicubi nunc supereſſet aliqua portio sanguinis in morte Christi effusi, quam Christus rediuiuus non resumpserit, coli deberet latria? Ex his, quæ tradidit S. Thomas, 3. *p. qu. 25. artic.* 4. deducitur coli debere, quia etsi à Verbo diuino esset reipsa disiunctus, tetigit tamen corpus Christi; vt si aliqui capilli eiusdem vspiam extarent, aut aliquæ exiguæ particulæ carnis per circumcisionem abscissæ, cultum latriæ mererentur. Si quæras, an caro, vel sanguis, qui aliquando prodigiosè siue mirabiliter apparuit, aut apparere potest in sanctissimo altaris Sacramento ad Fidei confirmationem, latria coli debeat? Respondent aliqui, debere, quia vt minimum ea caro, vel sanguis repræsentat tanquam signum, carnem, & sanguinem Christi. Dixi *Vt minimum*, quia inter S. Thomam, & alios Theologos sunt duæ opiniones de huiusmodi carne, aut sanguine mirabiliter apparente S. Thomas *quodlib. 3. articul. 2. & in 4. d. 54. quæstion. 2. articul. 2.* cum neget virtute Dei fieri posse, vt idem numero corpus simul in duobus locis consistat, negat quoque *in 3. p. q. 76. artic.* 8. eam carnem, vel sanguinem ex diuino miraculo apparentem verè, & propriè esse Christi, sed denuo creatum à Deo. Alij verò Theologi, Scot. Ocham, Gabriel, Maior *in 4. d.* 10. quia concedunt virtute, & potestate diuina idem corpus posse simul duobus in locis constitui, pari etiam ratione fatentur eiusmodi carnem, & sanguinem non ad longa tempora durantem, esse verè, & propriè carnem, & sanguinem Christi, virtute diuina duobus simul in locis consistentem, in cælo nempe, & in Sacramento altaris, vbi præter morem apparet: tametsi necesse, non est, vt sanguis caro, & ad breue tempus conspicua, sit verè, & propriè caro, & sanguis Christi, cum caro, creata diuinitus esse queat: si fuerit verè caro, aut sanguis Christi, coli debet latria si tamen fuerit denuo diuinitus facta, alium cultum solùm meretur, vt res sacra: & hæc opinio videtur mihi magis rationi, & veritati congruere.

Quarto quæritur: Quidnam de cultu sacrarum imaginum Hæretici sentiant, & doceant, & quid Fides Catholica profiteatur? Hæretici nostræ tempestatis, Lutherani scilicet, & Caluinistæ, primò docent, vsum imaginum quarumlibet esse è medio tollendum, præsertim è templis, & publicis locis, quia populus, (vt illi calumniantur) ignarus ac rudis imagines pro Deo, & pro sanctis cælestis patriæ ciuibus, quorum sunt imagines, colit. Deinde, argumentantur, omnem imaginum vsum, esse primo præcepto Decalogi prohibitum, atque damnatum. Exodi 20. vbi legimus: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & *quæ in terra deorsum, nec eorum*, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Tertiò: aiunt olim Ecclesiam per trecentos ferè annos, tantummodo depingere cõsueuisse in Cœmeterijs, Templis, & alijs locis, historias aliquas veteris, aut noui testamenti ad res gestas Patrum, & sanctorum hominum recolendas, & retinendas memoria; quia sicut in Scriptura diuina litterati, & periti res præteritas legunt, sic in picturis tanquam in libris rudes, & ignari. Quartò, progressu temporis, aiunt esse introductas imagines Christi, Deiparæ, & sanctorum, non quidem, vt colerentur, sed vt essent ad memoriam rerum præteritarum, ad ornatum, & pulchritudinem templorum, & vt oblectarent animos intuentium, & eos monerent, & accenderent ad vitam, & mores componendos. Postremò, contendunt imagines Dei, & Angelorum nequaquam esse constituendas, quia spiritum picturæ, & imagines referre, & repræsentare nequeunt. Hæc hodie Lutherani, & Caluinistæ pugnacissimè docent, & tuentur, extinctã videlicet, & sepultam iam pridem Iconomachorum hæresim ab inferis reuocarunt. Nam paulò pòst annum ab ortu Christi DCX. Leo Isauricus III. Iconomachus Imperator Constantinopolitanus, vt referunt Paulus Diaconus, & Zonaras in vita ipsius, bellum nefarium sacris Imaginibus indixit, easque è templis omnino tolli, & exuri iussit, cui successit paternæ impietatis hæres filius, Constantinus Quintus, Copronymus Imaginum etiam oppugnator, & euersor impudentissimus. Ab anno verò DCCC. imperarunt Constantinopoli Leo IIII. Armenius, Michaël Balbus, & Theophilus, vt testatur Zonaras, qui suis edictis imagines prorsus abolendas curarũt. Eodem tempore, Ludouico Pio Caroli Magni filio Occidentis Imperium tenente, vt refert Ionas Aurelianẽsis, lib. 1. de cultu imaginum, vixit Claudius Episcopus Taurinensis, Felicis Vrgelitani Episcopi discipulus, qui imagines omnes, & Cruces è templis suæ diœcesis sustulit: hi omnes vsum sacrarum imaginum funditus sustulêre; & ideo Iconomachi vocati, hoc est, Imaginum oppugnatores: eò quòd Iudæorum, & Mahometanorum sententiam secuti, calumniabantur Catholicos tanquam Idolorum cultores: quam hæresin, teste Nicephoro *lib. 16. hist. Eccles. cap.* 27. Xenaias quidam tempore Zenonis Imperatoris persuadere contenderat. Hanc hæresim plenam impietatis, temeritatisq; damnauit 7. Synodus Generalis, quæ est Nicæna secũda cõtra Iconomachos coacta, & Concilium 8. Generale *can.* 8. & Synodus Romana sub Gregorio III. Episcoporum ferè mille, anno Domini DCCXXXIII. iuxta Sigebertũ, & alia Romana sub Stephano III. anno DCCLXVIII. eodem auctore Sigeberto, cuius meminit Adrianus I. *in libro de Imaginibus ad Carolum Magnum.* Item, Synodus Gentiriacensis, sub Ludouico Pio Caroli Magni filio, anno DCCLXVI. vt idem refert Sigebertus, & narrant Aimoinus in Annalibus Francorum, *libro quarto, capit.* 67.

Rhegino,

Rhegino, & Ado Viennensis *in Chronico*; & tãdem synodus Tridentina *sessio.25.* vbi de Inuocatione, Veneratione, & Reliquijs sanctorum, & sacris Imaginibus ita definiuit: *Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum sanctorum in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam. Non quod credatur inesse aliqua in his diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia sit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in Idolis suam spem collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa representant. Ita vt per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur: id quod Cõciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ synodi, decretis cõtra imaginum oppugnatores est sancitum.* Hæc synodus.

Cæterùm, Caluinistæ, & Lutherani sentẽtiam Catholicam oppugnant: obijciunt enim Concilium Constantinopolitanum sub Leone III. Imperatore coactum, quod imagines non esse colendas, definiuit: synodum aliam Constantinopolitanam, sub Constantino Copronymo Imperatore: quod vtrumque refert Paulus Diaconus *lib.21 & 22.* Concilium item, inquiunt, Francofordiense damnauit 7. synodum, quæ imagines venerandas, & colendas decreuerat, vt narrant Ado Viennensis, Abbas Vspergẽsis, Hincmarus, Auentinus, & Rhegino, & Aimoinus. Item, synodus Eliberitina *can.36.* definit non esse adorandas: idem colligitur ex Irinæo *lib.1.cap.24.* vbi ponit inter hæreses Carpocratis, & Gnosticorum, quod haberent, coronarent, & colerẽt imaginem Christi, & Pauli, & ex Epiphanio *hæresi 79.* dicente hæreticos esse, qui imaginem B. Virginis circũferunt: ex Ambrosio, qui *in oratione de obitu Theodosij* ait: *Helena Crucem inuenit, regem adorauit, nõ lignum vtique, qui est error Gentilium.* Hieronymo, qui *Daniel.3.* ait: *Cultores Dei imagines adorare non debent.* Augustino, qui *lib. de moribus Eccles. cap.34.* reprehendit sepulchrorum, & picturarum adoratores: item, obijciunt, quia serpentem æneum, à Mose factum, Ezechias Rex 4. *Reg.18.* confringi iussit, eò quòd à populo coli cœperat, Præterea: opponunt Gregorium *lib.7. epist. 53. & 109. & lib.9. epist.9.* vbi ait: imagines non esse adorandas, & *epistol.53.* dicit nos ante imaginem Christi, merito prosterni, illum tamen adorantes, quem per imaginem: aut natum, aut passum recordamur. Sed nihil hæc argumenta concludunt: quoniam Concilia citata: aut sunt penitus damnata, qualia sunt duo illa Concilia bula sub Leone III. & Constantino Copronymo Iconomachis: aut non habent certam, & Canonicam in Ecclesia auctoritatem: certè non docent id, quod Hæretici cõtendunt, eiusmodi sunt Francofordiense, & Elibertinum, de quibus dicam inferius, & quatuor libri nomine Caroli Magni, editi contra sacras imagines. Patres verò producti solùm docere volunt imagines nõ esse colendas pro Deo, sicut Gentes Idola adorabant, & Iudæi æneum illũ serpentem, paulò ante memoratum.

Quintũ quæritur, An eodem cultu, & honore sint sacræ imagines colendæ, quo sancti cæli ciues, quorum illæ typum, & figuram gerunt? Respondeo, quemadmodum paulò ante dixi, quosdam ita philosophari de cultu imaginũ sicut electio, inquiunt, propriè eius est, quod est ad finem, ita vt in eo terminetur, tãquam in re obiecta, quæ eligitur, nihilominus tamẽ est etiam quodã modo finis; non quod finis eligatur. sed sit ratio, qua id, quod est ad finem, eligitur. Vnde electionem terminat id, quod est ad finem, quia est id, quod eligitur: finis verò non terminat, sed est ratio, qua aliud eligitur: vel est id, cuius gratia eligitur id, quod est ad finem. Contrà verò Intentio propriè est finis tãquam obiecti, in quod aliquis intendit: est verò eius, quod est ad finem, tanquã rei qua in finem intendimus, & proinde intẽtionem terminat finis, quia est id, in quod intendimus, id verò quod eligimus non terminat Intẽtionem, quia eo & per illud in finem intendimus. Eodem modo, inquiunt, cum sacram imaginem alicuius sancti in cælo regnãtis veneramur, honor, & cultus, aut potest terminari in sancto, quem imago refert, ac representat: aut potest terminari in ipsa imagine. Si terminetur in prototypo, & exemplari, ita vt illud exemplar sit id, quod terminat venerationem, & cultum, quia sit id, quod colitur, & honoratur: tunc talis est cultus, qualem postulat, & requirit exemplar, quod imago refert. Si sit imago Christi, est Latriæ: si Deiparę, Hyperduliæ: si aliorũ sanctorum, cum Christo in cælo viuentiũ Dulię. Sed tunc propriè imago non est terminus cultus, & venerationis nostræ, quoniam eam non terminat vt id, quod colitur, & honoratur, sed est id quo, vel in quo, vel per quod colimus, & veneramur Christum, Deiparam, vel sanctos cũ Christo cęlum tenentes. Si verò cultus in imagine terminetur, ita, vt ipsa imago cultus, & venerationis sit terminus: Tunc, inquiunt, generaliter omnis imago honorari, & coli debet propter seipsam, quatenus est res quædam sacra, hoc est, sacris vsibus dedicata, videlicet ad referendum exemplar, sed is cultꝰ, & honor Duliæ est immo eo inferior, quoniã imago res quidem est vita, sensu, & ratione carens, sed sacra, hoc est, ad vsus sacras destinata, quia refert, & repræsentat rem viuam intelligentia, & ratione, ac sanctitate præditam, cuius imago similitudinem continet. Id verò eiusmodi probant exemplo: legatus Regis potest honorari eadẽ veneratione, qua Rex: sed tunc in legato Regem ipsum reueremur: quo modo etiã possumus legatum Regis alloqui, perinde ac si Regẽ ipsum alloqueremur. Sic enim in scripturis Angelus locũ Dei tenens loquebatur, perinde ac si ipse Deus loqueretur: Ego Dominus: Et homines cũ Angelo loquebantur, ac si loquerẽtur cũ Deo. Domine inquit, Moses, si inueni gratiã in cõspectu tuo. Potest itẽ legatus Regis honorari propter seipsum. Pari ratione, quælibet imago aliquid referens, & repræsentans duplici honore, & cultu digna est, & propter exẽplar, quod refert, eodẽ scilicet cultu, quo id, cuius est imago: & alio honore propter seipsam, qui est cultus inferior eo, qui prototypo & exẽplari defertur, eã enim ex loco vili, & abiecto religiosè, & piè tollimus, honorificè tangimus, cõtrectamus, & mũdamus à puluere, & sordibus, collocamꝰ in editiore loco, exosculamur, deniq; amplexamur, vt rẽ quandã sacrã sanctis vsibꝰ dedicatã. Si illis opponas: imago est res ratione, & intelligẽtia vacans, ergo nullo cultu, & honore digna est. Itẽ, imago nõ colitur, nisi propter

exemplar, quod refert, ergo per se ipsam, vel propter seipsam non honoratur, ac proinde duplici honore, & veneratione non colitur sed vno, videlicet propter exemplar. Respondent, imaginem, vt sacris vsibus dicatam esse rem sacram, & ideo honore, & cultu dignam per seipsam, vt res sacra est; at vt colitur eodem honore, quo exemplar, est id, in quo exemplar veneramur. Mihi tamen hæc non omnino, licèt verosimilia putem, probantur: nullum enim cultum, & venerationem imago meretur propter seipsam, sed propter id, quod repræsentat. Quare Imaginem, meo iudicio, vno tantummodo cultu, & honore dignamur, & eum ipsi tribuimus propter rem, cuius est effigies, & similitudo. Is verò cultus, vel est latriæ si imaginem Christi colamus: vel Hyperduliæ, si sit imago Deiparæ: vel Duliæ, si sanctorum in cælo habitantium imagines veneremur.

Quæres, in quonam vltimo is cultus terminetur, & sistat? Respondeo, in prototypo, & exemplari. Quæres etiam, an in imagine quoq; terminetur? Respondeo, imaginem esse sua quoque ratione terminum: nam sacram imaginem verè, & re ipsa exosculamur, amplectimur, honorificè tangimus, & tractamus, coram ipsa caput aperimus, genu flectimus, corpus inclinamus, procumbimus, eam salutamus. Hi religiosi sunt cultus, & honores, quos imagini damus ex religioso animi, & volũtatis affectu, per quem imaginem cum exemplari non re, sed cogitatione coniũgimus, & sicut purpuram Regis honoramus cum Rege ipso re coniunctam, sic imaginem cum suo exemplari: non igitur imago est id, in quo cultus vltimò quiescit, & sistit, sed per quod cultus in prototypum trãsit, & quo cultus ad exemplar ipsum traducitur. Nam Synodus Tridentina *sessione* 25. definit sacris imaginibus debitum cultum, & venerationem impartiri, quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & sanctos cum Christo regnantes, quorum illæ similitudinem gerunt. Et idem prorsus habetur 7. Synodo Generali *Act.* 3. & 4. Et propterea *Actione* 7. statuitur Crucem, & imaginem Christi, non Latria coli, sed inferiore cultu: inferiorem cultum appellat eum, qui imagini datur, quoniam Crux, & imago non est id, in quo cultus latriæ vltimò sistit, id enim est Christus, sed est in quo, & quo, & per quod, & cũ quo vna Christum veneramur, & colimus. Exosculor imaginem S. Petri, eam saluto, coram ipsa genuflecto, eam amplector, quia eam cum Petro cogitatione coniungo, ac si Petrũ ipsum exoscularer, amplecterer, salutarem, quia in sua imagine cogitatione, & repræsentatione contentum osculor, amplector, saluto.

Sextò quæritur, An Exod. 20. illis verbis: *Non facies tibi sculptile*, &c. Sit interdictus omnium Imaginum cultus? Hæretici enim, Lutherani, & Caluiniani contendunt penitus esse prohibitum: inter Catholicos autem, sunt duæ opiniones: prima est dicentium, illis verbis fuisse quidem eum Iudæis interdictum, propterea quod erant ad Idololatriam propensi, Christianis verò minimè: quoniam non est iuris naturalis præceptum, sed iuris diuini scripti, quod Christi morte abrogatum cessauit, quemadmodum & cætera præcepta, quæ iudicialia, & Cæremonialia vocantur: ita videntur sentire Alex. *p.3.q.30. memb.3.art.3.§.1.* Alber. *3.d.9.art.4.* Bonau. *3.d.9.art.1.q.2.ad 1.* Richard. *3. d.9.art.2.q.2.ad 1.* Palud. *3.d.9.q.1.ar.2.* Marsil. *3.q.8.a. 2.ad 2. obiectionem contra 3. conclusionem.* Henric. *quodl. 10.q.6.* Secunda opinio hanc legem, ait, iuris naturalis esse, & nunc eam nos quoque tenere: quia omnia præcepta Decalogi sunt iuris naturalis. Sententiam verò præcepti huius esse; vt nulla imago, etiam veri Dei pro Deo colatur, ac si in ea re ipsa numen, aut diuinitas aliqua, aut virtus, & potestas inesset. Item, vt nulla imago siue effigies inanium deorum, & falsorum honoretur Gentilium more, & proinde nõ sequi, vt imagines Dei, & sanctorum, propter id, quod referunt, coli non debeant: ita Beda *in lib. de templo Salomonis c.19.* Lyranus, Cai. *Exod.20.* VVal. *tom.3.c.152.* Castrus *aduersus hæreses, Verbo, imago.* Ipse tamen in primam sententiam libentius inclino. Vt enim tertium Decalogi præceptum: Sabbata sanctifices, continet aliquid, quod est iuris naturalis, & aliquid, quod est iuris diuini scripti: ita etiam primum mandatum partim constat ex iure naturali, nimirũ: Non coles deos alienos; partim ex iure diuino scripto: Non facies tibi sculptile, hoc est, nullam statuam aut imaginem ad colẽdam facies etiam veri Dei.

Septimò quæritur, An in vetere Iudæorum populo aliquæ imagines colerentur? Quidam arbitrantur, quas Exod. 25. iussit Deus fieri imagines Cherubinorum super Arcam fœderis, coluisse Iudæos, vt testantur Beda *in lib. de templ. Salomonis. cap.19.* & Damascen. *lib.4. de fide Ortho. c.17.* & Numerorum cap. 21. Deus præcepit serpentem æneum in eminenti loco constitui, in quem omnes Israelitæ à serpentibus ignitis percussi conuertentes oculos, sanarẽtur ab eorum morsibus venenatis. 3. Reg. 6. & 7. depicti sunt Cherubini in templo, & cõstitutæ imagines boum, leonum, & aliorum animalium sacrum aliquid referentium. Matth. quoque 22. constat Iudæos fuisse vsos numismate, in quo erat depicta Cæsaris effigies. Item, Exod. 31. & 35. probata est à Deo ars pingendi, & sculpendi: dedit enim spiritum suum, & sapientiam duobus viris, Beseleel, & Ooliab, vt multa pingerent, & sculperent, quæ tabernaculum ornarent atque decorarent. Mihi tamen nullus videtur apud Iudæos fuisse cultus Imaginum, sed fuêre tantùm picturæ, & sculpturæ: tum ob ornatum, & pulchritudinem tabernaculi, vel templi: tum ob memoriam aliarum rerum, & ad Dei ipsius maiestatem, & gloriam magis declarandam. Nec enim puto Cherubinos fuisse ideo depictos sculptosque, vt colerentur, sed ob eam rationẽ, quam dixi, scilicet ob ornatum, & pulchritudinem tabernaculi, vel templi, & ad Dei maiestatem plenius ostendendam. Nec item illi Cherubini (vt hoc obiter tangam) erant effigies, vna quidẽ, quæ puerum referret, altera, quæ puellæ similitudinem gereret, quod sensêre nonnulli sequuti Rabbinos: nec diuersorum animalium, quatuor capita & quatuor facies habentiũ: sed fortassis erant effigies, in quatuor diuersis corporis partibus, similitudinem gerentes quatuor animalium: ita vt haberẽt manus, & faciem hominis, pectore verò

referrent

referrent Leoninas iubas: cõstarent, & quatuor alis aquilarum, quarum duabus volare videbantur, & duabus certam sui corporis partem contegebãt; crura verò, & pedes, bouinos pedes, & crura repræsentabant. Serpens æneus præterea nequaquam est diuino iussu in altum sublatus, vt coleretur à Iudæis, sed vt conspiceretur à cunctis, cuius conspectus à serpentinis eos morsibus curaret Quanquam Cathar. *in tracta. de adorat. Imaginum. cap. 2.* & Sanderus *libr. 1. de imaginib. cap. 3.* putant eum fuisse propositũ, vt coleretur à populo, quod probant auctoritate Bedæ *loco citato*, & Tertulliani *lib. de idololat. cap. 5.* & August. *lib. 3. de Trinit. ca. 10.* Cæterùm Patres solùm docent apud Iudæos fuisse imagines, & picturas, non tamen aiunt, eas solitas coli. Et lib. 3. Regum 6. & 7. constitutæ sunt boum, & leonum imagines ad ornatum, & decorem templi, non ad cultum, & venerationem rei alicuius sacræ, quam referrent, quo etiam modo in Principum aulis, & Regum palatijs depingi solent. Porrò in numismate descripta erat Cæsaris effigies, tanquam probatæ monetæ signum, non vt imago, quæ coleretur: quod ipsum in nostra etiam moneta obseruare licet. Denique, duobus illis artificibus perhibet Moses datum esse spiritum Dei, vt multa depingerent, sculperent, & cęlarent ad ornatum, & decorem tabernaculi.

Cap. VII.

Aliæ quæstiones de cultu, & veneratione sacrarum imaginum dissoluuntur.

PRIMO queritur, An iure optimo in templis, & alijs in locis publicis imagines depingantur. Caluinus hæresiarcha, impius Iconomachorum assecla, non solùm negat imagines rite in templis effingi, sed etiam inficiatur primis Ecclesiæ quingentis, aut saltem trecentis annis vllum fuisse vsum collocandarum imaginum in sacris ædibus, & in templis Christianorum. Quia in cõcilio inquit, Elibertino can. 36. sancitum est: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere; ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Et Epiphanius *in Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum* ait, contra scripturæ auctoritatem esse, quod in Ecclesia pendeat imago hominis. Et loqui videtur de imagine alicuius hominis in sanctorum numerum relati. Adrianus quoq; Imperator, teste Lampridio *in vita Alexandri Imperatoris*, in gratiam Christianorum templa iussit extrui sine simulacris, sine imaginibus. Augustinus etiam *in Epistola 59.* scribit in templis Christianorum esse quidem vasa aurea, & argentea, sed non talia, quæ os habeant, & non loquantur 1. Ioan. vlt. Ioannes, non solùm præcipit, vt abstineamus, siue custodiamus nos à cultu simulacrorum, sed etiam ab ipsis simulachris; appellat autem Caluinus imagines sanctorum, Idola, & simulachra. Postremò, quia fieri, inquit, non potest, vt imagines in templis, & locis editis, ac publicis honorificè ponantur, quin etiam colantur, & adorentur, vt Deus.

Sed multa profecto hic commiscet, & confundit Caluinus: nam apertissimè ex Ecclesiasticis historijs constat iam inde ab Apostolorum temporibus, depictas fuisse in templis imagines in tabellis, in velis, vasis, cubilibus, & alijs publicis in locis. Extãt Romæ Cœmiteria antiqua, in quibus erant propemodum innumeræ picturæ rerũ gestarum, tum veteris Testamenti, tum Noui. Vnde 7. Synodus Generalis *Actio. 3. & 4.* multis veterum Patrum testimonijs, & antiquis historijs, & recepta ab Ecclesia traditione ab Apostolorum vsque temporibus deducta cõprobauit vsum sacrarum imaginum in templis, ob memoriam rerum præteritarum, ob imitationem, & exemplũ, & ob rudium institutionem: atque ob id etiam in vetere Hebræorum populo Cherubinos depictos esse in Tabernaculo, & templo Salomonis legimus. Falsum quoque est, quod Caluinus docet, in sacris voluminibus, aut Ecclesiasticis scriptoribus idem esse Idolum, & simulacrum, quod est imago. Idola enim, & simulacra, sacræ paginæ, & auctores Ecclesiastici nequaquam appellant imagines, sed figuras, & effigies, quæ pro dijs colebãtur, aut figuras inanium deorũ, quas stulti, & impij Pagani colebant, & venerabantur. Calumnia quoque Caluini est intolerabilis sanè, dignaque pœnis debitis, eos, qui sanctorum imagines honorant, & colunt, id facere, quod Pagani idolorum cultores faciebant: quia Pagani, inquit, Idolis cultum non deferebant propter ipsa, sed propter exemplar repræsentatum in ipsis. At profecto Pagani Idola reuerebantur pro Deo, putantes numen aliquod, diuinitatemue, aut virtutem reipsa verè in ipsis inesse, cum putarent res mirabiles ad idolorum præsentiam effici, & se cõsulentibus oracula, & responsa reddere. Neque verò tollendus est, aut reprehendendus sacrarum imaginum vsus, quòd vnus, aut alter erret in earum cultu, & veneratione: sed Christianis institutis imbuendi, & informandi sunt rudes, & ignari, ne errent in eo: videlicet ne eas colant, ac si in ipsis quippiam diuinum, & efficax lateret, neue propter ipsas, aut ratione materiæ, figuræ, aut colorum, sed propter ea, quæ illæ referũt, & repræsentant, quia earum honor, & cultus ad prototypum, & exemplar refertur. ad id verò, quod obiectum est ex concilio Elibertino, non est, quod dicamus, vt quidam Catholici respõdent, patres in eo concilio conuocatos errasse: nam certè patres illi non vetuerunt simpliciter, ne imagines pingerentur in Templis, sed ne pingerẽtur in parietibus Templorum, & hoc quidem, quia solent imagines in parietibus depictæ deformari cursu temporis: immo tectorio exuto crustis id, quod est in pariete depictum, fœdari solet. Ad auctoritatẽ Epiphanij, Respondeo, eum prohibuisse, quominus in templo profani hominis imago coleretur, & hoc dixit esse contra scripturam. Ad aliud ex vita Adriani desumptum Respondeo, templa fuisse extructa sine idolis, & simulacris gentilibũ, non sine imaginibus Christianorum. Ad Augustinum respondeo, eum solùm improbare idola, & simulacra, quæ gentiles pro Dijs colebant; ac si in eis diuinitas, vel numen inesset re ipsa.

Secundò quæritur, An citra errorem, Angeli depingantur in Templis, & alijs locis? Hæretici pernegant, ea ratione, quod spiritus vllo colore, & figura exprimi nequeat. Sic enim rudis, & ignara plebs eos putat esse corporeos, pulchra facie,

& vultu

& vultu decoros, & per aëra instar auium, (cum alati depingantur) huc illucque volitantes. Respondeo, in Synodo quidem 7. Generale, *Actione* 4. & 5. olim disputatũ fuisse rectenè Angeli pingerentur: sed communi Patrum consensu receptum est, sine errore depingi: Actione verò 7. definitum est, retinendum esse vsum Angelos depingendi, cuius rei ratio vtrobique redditur: Quia sæpè visi sunt, aiunt Patres ibi, in humana specie. Porrò, quod ad plebem rudem, & indoctam attinet; institui, & informari debet, Angelos figurari, & depingi, non quod reuera Angeli figura, & coloribus constent, sed quod se (vti paulò ante ex Concilijs admonui) in corporibus humanis videndos nobis exhibeant: eos iuuenes effingi nõ quia tales verè sint, sed vt exprimatur eorum vita perpetua, & ætas, quæ nullo vnquam tempore senescit, & canescit, semper autem virens, ac florens, vigensque, eis alas affingi, non quod illis præditi sint, sed quod sint Dei, à quo mittuntur, promptissimi interpretes, & nuncij, quodq; omnia eius mandata, quam celerrimè exequantur, & obest, & nostram salutem cuius sunt auidissimi, vlla fine mora omni tempore promouendam curent. Depingi item Angelos indutos candidis vestibus, potiùs quam purpureis, quia candor significat eorum innocentiam, integritatem, & munditiam: vt eos agnoscamus innocentiæ, puræ, & integræ, ac sinceræ vitæ amatores.

Tertiò quæritur, An interdici debeat, ne pingantur imagines Dei, Trinitatis, Personarum Diuinarum? Item, ne Christus pingatur in figura agni? Respondeo, esse retinendas imagines, quas vsus Ecclesiæ approbauit: nouas verò, & quas magis pictorum, & sculptorum ars depingit, & fingit, quàm vsus, & traditio Ecclesiæ, suspectas esse debere. Spiritus sanctus, in specie columbæ, aut flammearum linguarum rectè depingitur: Aeternus item Dei filius in figura corporea humana. Nec probo eam Catholicorum sententiam, qui censent non decere vllo modo Trinitati, aut Patri æterno, aut Spiritui sancto figuram, vel imaginem affingere: Nam reuera semper vsus Ecclesiæ prædictas imagines approbauit: nec Synodus item 7. *Actione* 5. aut Epistola Adriani in ea Synodo *Act.* 2. recitata eas damnauit, vel improbauit. Nec item damnari debet imago, qua Pater cælestis depingitur senex totus capite cano, & Christus Cruci affixus in eius pectore confistens: & Spiritus sanctus in specie columbæ: nam Daniel. 7. visus est Antiquus dierum sedens, canis capillis. Et Psal. 109. dicitur: *Ex vtero ante Luciferum genui* &c. Depingimus ergo Deum in figura humana, non quod figura, & coloribus cõstet, sed quod in ea figura visus sit Genes. 3. *& alibi.*

Si quæras, An Christus depingi iure queat in figura agni. Quidam Catholici sentiunt, hanc Christi Domini imaginem improbari in Synodo 7. Generali *canone* 82. & in Epistola Adriani *ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanũ*, recitata in Synodo 7. *Actione* 2. Respondeo, non esse, cur damnemus illum Canonem 82. quoniam non damnat imaginem Christi in figura agni; sed solùm constituit, vt Christus depingatur in figura humana potiùs, quam in figura agni quia in vetere populo adumbratus est in agno Paschali; sed vmbra, & figura cedat veritati. Ex dictis perspicuum est, quid Fides Catholica contra Hæreticos de veneratione, & cultu imaginũ sentiat, credat, & profiteatur: quid item sit in Theologorum opinione constitutum. Nam primò credit Ecclesia vtile esse, sacras imagines Christi, Deiparæ, Angelorum, & Sanctorum hominum in cælo regnantium animo, quamuis non corpore, & in templis, & alijs publicis locis depingi, & multa inde commoda percipi. Deindè, eas non solùm retineri ob memoriam earum rerum, quas referunt, sed verè esse honorandas, & colendas; quia eas honorificè, & religiosè exosculamur, amplectimur, salutamus, coram eis genua flectimus, caput aperimus, corpus inclinamus, ex religioso voluntatis affectu, quo ad prototypum, & exemplar animum attendimus, & honorem ipsum, & cultum referimus. Præterea, eas non coli, & adorari pro Deo, ac si vlla in eis diuinitas, aut virtus esset, & deliteſceret: in eis spem, & fiduciam non poni: eis sacrificia non offerri: quæ omnia Gentes insanæ Idolis, ac simulachris deferebant: præterea, totum honorem, cultum eis deferri in Ecclesia non propter ipsas, sed propter id, cuius typum gerunt, & continent, & totum ad prototypum referri.

At verò adhuc sub lite Theologorum est, an imagines vno tantùm, & eodem honore, & cultu coli verè, & propriè debeant, quo exemplaria, an verò duplici cultu, & honore, vno quidem, qui in exemplari terminetur, & sistat, & hic cultus sit idem, qui ipsi exemplari tribuitur: altero verò, qui in ipsis imaginibus, vt in rebus sacris, hoc est, ad vsus sacros destinatis terminetur, & sit hic cultus inferior eo, qui exemplari defertur. Item, An primo Decalogi præcepto fuerit Iudæis omnis imaginum cultus interdictus iure naturali, an iure tantùm diuino scripto. Item, an Cherubini fuerint in tabernaculo, & templo depicti, vt colerentur à Iudæis, an verò tantùm, vt ornarent & vt referrẽt, ac repræsentarent per Analogiam quãdam aliquid, quod est Angelorum proprium. Postremò, an satius sit nullam imaginum depingere Trinitatis, aut personarum diuinarum, nisi filij Dei in natura, & figura humana apparentis. Quæ seruanda sint in sacris imaginibus effingendis, decernit synodus Tridentina *sessione* 25. nimirum: vt nulla imago insolita, aut noua ponatur in loco sacro, aut templo, nisi ab Episcopo approbata fuerit: Deindè, vt in Imaginibus depingendis nihil falsum, nihil profanum, nihil inhonestum, nihil præpostere, nihil non rectè, atque ordine adhibeatur. Illud in primis caueat Episcopus, ne quid pingatur, aut sculpatur, quod scripturarum veritati, aut Traditionibus, vel historijs Ecclesiasticis aduersetur: ne item cuius lectio prohibetur, eius Imago populo proponatur.

Quartò quæritur, Qua pœna sit animaduertendum in eos, qui Sanctorum in cælo viuentium imagines conculcant, aut Christi Cruces deijciunt, confringunt, verberant, huc & illuc ignominiosè trahunt, proterunt, aut qualibet alia ratione conspurcant, sputis fœdant, aut etiam maledictis proscindunt, & lacerant? Respondeo, crimen esse mixti fori, quoniam in huiusmodi reos: tum Iudices sæculares, tum Ecclesiastici,

& Fidei

& Fidei Inquisitores inquirere, & animaduertere queunt. Nam vt dicitur in l. Manichæos. C. De Hæreticis: *Quod in religionem diuinam committitur, in omnia fertur iniuriam.* Vnde, vt teste Simanca de Catholi. *institut. tit. 33. num. 17.* docent Ioannes Anania, Felinus, & Hippolytus, sacrilegi, & nefarij huiusmodi contemptores Sanctorum possunt à Fidei Inquisitoribus puniri tanquam ob hæresim suspecti. Contrà hoc crimen, non est in iure certa pœna constituta: Iudices ciuiles, seu sæculares punire solent arbitraria pœna: Et vt ait Angelus; Si iniuria sit grauis, reus potest capitis pœna multari, aliquando manus amputatione, aliquando exilio, aliquando verberibus. Iniuria enim facta Sacris imaginibus, aut statuis, fit penitus ijs, quos illæ repræsentant.

Quintò quæritur, Cur Deiparam latriæ veneratione non colimus, si quidem filium suum sæpè tetigit, & quę Christum Dominum tetigerunt latriæ honore colimus? Item, cur imago Christi latriæ honore, & veneratione colitur, & non Deipara; siquidem magis est Deipara cum Christo Domino coniuncta, quam Crux, vel imago Christi? Insuper eodem honore colitur mater regis, quo rex. Præterea teste Damasceno *libr. 4. de fide Orthodo. c. 15.* honor matris refertur ad filium. Respondeo, cum S. Thoma *par. 3. q. 25. art. 5.* Deiparam non esse latriæ honore colendam, quia licet filiũ suum tetigerit, licet sit mater Dei, licet cum filio coniungatur, licet propter filium honoretur, semper est propria quadam excellentia dignitatis, & vitæ sanctitate prędita, ratione cuius eximiæ Duliæ, non Latriæ cultum meretur. Atque hæc quidem de imaginibus: nunc de sacris Reliquijs est mihi breuiter differendum.

Cap. VIII.

De Colendis, & honorandis sacris Reliquijs Sanctorum in cælo regnantium.

QVæritur inprimis, quid nomine Reliquiarum sacrarum intelligamus? Respondeo, intelligere nos sanctorum cæli ciuium corpora, quaslibet itidem corporum particulas, capillos, ossa, carnes, dentes, cineres, pulueres, vestes, & alia quibus ipsi vsi sunt, dum in hac terra viuerent; ea item vela, pannos, & cętera, quæ ad eorum ossa, aut corpora admouentur, vel quę ipsos tetigerunt, vel ad ipsos pertinent.

Secundò quæritur, An sit genus superstitionis, Sanctorum cæli incolarum Reliquias venerari? Respondeo, hanc fuisse hæresim Vigilantij Barchinonensis, quam Hieronymus egregiè confutauit: quam & hæresim Eunomius in Ecclesiam primus inuexisse fertur, aut sicut alij testantur Eustathius Sebastiensis, in Concilio Gangrensi damnatus, postea vero, Leo Isauricus, Constantinus Copronymus Imperatores Constantinopolitani, omnes Reliquias è medio sustulerunt: easdem è templis excluſit Claudius Taurinensis Episcopus, vt constat ex Iona Aurelianensi *libr. 1. de cultu imaginum.* Eandem hæresim septima olim Synodo Generali damnatam, & iampridem sepultam, & extinctam, suscitauit Ioannes Wiclef: quem fortiter admodum, ac strenuè, & constanter oppugnauit Thomas Waldensis. Lutherani tamen, & Caluinistæ nostra tempestate eam tuendam, & propugnandam, quo solent ausu nefario post tot sæcula suscepere. Verùm contra dogmatistas istos nefarios, impios, & temerarios, Synodus Tridentina Sessione 25. definiuit, *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium sancta corpora, quæ viua membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur. Ita vt affirmantes Sanctorum Reliquijs venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliasque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque coli, ejus impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout eos iam pridem damnauit, & nunc damnat Ecclesia.* Sic ibi. Olim damnata est hæc hæresis in Synod. septima *actio. 7.* Concilio Aphrica. quinto *can. 14.* Bracar. 3. *can. 5.* Epaunen. *can. 25.* Mogun. sub Carol. Magno. *can. 51.* Lateranen. sub Innocent. tertio *c. 62.*

At enim isti obijciunt Hæretici; Magnum imminere periculum superstitionis, impietatis, ac Idololatriæ, ex eo quod rudes & ignari corpora, & Reliquias Sanctorum venerantur. Deinde, quia Matth. 23. Iudæi reprehenduntur à Domino, quòd sepulchra Prophetarum ornarent. In tumulis item, nec Sanctorum animæ, nec corpora requiescunt, sed cineres ac pulueres soli. Præterea, teste Scriptura, Deus Mosis corpus abscõdit, ne Iudæi videlicet illud venerarentur, & colerent. Insuper, magna Reliquiarum pars supposititia est; item non rarò cõtingit, vt pro Reliquijs Sanctorum ossa latronum ac perditorum hominum, vel etiam animalium rationis expertiũ colantur. Vnde Augustinus, *lib. de opere Monachorum ca. 28.* cum dixisset quosdam Monachos, corpora, vel ossa Martyrum circumferre, & venditare, subiunxit: *Si tamen Martyrum.* S. Martinus, teste Seuero *in vita eius*, altare, quod in honorem Martyris extructum fuerat, cum ossa, & reliquias cuiusdam latronis esse deprehẽdisset, submoueri iussit. S. Gregorius ait *libro tertio, Epistol. 30.* Græcos quosdam monachos deprehensos, confessos fuisse se ossa quædam in Græciâ pro Reliquijs portaturos. S. Greg. Turonen. *lib. 9. ca. 6. de histor. Francorum*, meminit cuiusdam impostoris, qui colobio indutus, & Crucẽ deferens prędicabat, se de Hispania aduentare cum Reliquijs Martyrum Vincentij, & Fœlicis. Tam multæ itẽ vnius, & eiusdem Sancti Reliquiæ esse feruntur, vt necesse sit eiusdem hominis fuisse multa capita, manus, vel brachia plura, quã suo; aut certè multas esse Reliquias adulterinas. Postremò, nullum extat Christi, aut Apostolorum institutum de Sanctorum Reliquijs honorandis.

Cæterùm hæc, & alia Hæreticorum argumenta nihil prorsus efficiunt. Primùm enim si aliquis in repererit error, vel abusus in Sãctarum Reliquiarum cultu, is corrigi debet, non autem id circo damnari vsus, quo Reliquiæ Sãctorum cum Christo regnantium coluntur. Quod si item rudis, & ignara plebs occasionem arripit superstitionis, impietatis, & idololatriæ, institui, & informari debet de modo, & ratione eas sine superstitione, & errore venerandi, quippe tale genus hominum veris rerum opinionibus imbui,

non à

non à communi vsu, & more per tot iam sæcula in Ecclesia recepto, confirmato, corroboratoque auocari, & abduci oportet. Falsum item est, & plenum calumniæ, quod isti fidei, & Religionis desertores asserere non verentur; adulterinas, & surreptitias Reliquias pro veris, & legitimis honorari, & coli in Ecclesia Dei. Fatemur quidem nos id, quod ex *cap. primo, De Reliquijs, & veneratione Sanctorum*, & ex Augustino, & Seuero in *vita sancti Martini* traditur, aliquando cõtingere, vt pro Sanctorum Reliquijs, ossa, vel corpora impiorum, & perditorum hominum habeantur, & honorentur: sed id locum habere dicimus, cum Reliquiæ priuata, non publica auctoritate exponuntur. Augustinus verò *lib. de opere Monachorum, capite* 28. cum ait, *esse Monachos quosdam qui huc, & illuc vagantur circumeuntes prouincias, & esse alios, qui membra Martyrum, (si tamen Martyrum, inquit,) venditant*: solùm loquitur de ijs Reliquijs, quas priuatim multi exhibebant, non de ijs, quæ publica auctoritate Romani Pontificis, vel Episcopi exponuntur in Ecclesia ad earum venerationem, & cultum. Ineptissimè item arguunt Hæretici, obijciuntque Catholicis, plura esse capita eiusdem sancti, qui colitur, eò quod diuersis in locis sint diuersę Martyrum particulæ, multæ ciuitates, ac populi affirment atq; adeo glorientur, apud se requiescere hos, aut illos Martyres: Nam ex quo Reliquiæ cœperunt ex vno loco in alium trãsferri, introductum est, vt plurimæ ciuitates affirmare non dubitent, se certi cuiusdam sancti caput habere, vel brachiũ, vel corpus etiam venerabile, quia scilicet habent certam aliquam particulam capitis, manus, brachij, vel corporis eius Sancti.

Tertiò quæritur, An omni superstitione careat Ecclesiæ ritus cereos, aut lampades accendendi ad sepulturã Sanctorum? Hæretici pugnaciter contendunt huiusmodi ritum superstitiosum esse, & ideo persuadere conantur talem ritum è medio esse tollendum, propterea quod in Concilio Elibertino *canon.* 34. sancitum sit: *Cereos per diem placuit in Cœmeterio non incendi. Inquietandi enim Sanctorum Spiritus non sunt. Qui hoc non obseruauerint, arceantur ab Ecclesiæ communione.* Et Augustinus improbat sepulchrorum adoratores: lib. primo, de moribus Ecclesiæ, cap. 34. ait, *noui multos esse sepulchrorũ*, & picturarum adoratores, quos cum alijs multis in eo loco reprehendit. Hieronymus verò *contra Vigilantium* testatur Idololatriam esse, cereos accendere; *in tumulis Sanctorum cereos clara luce, non accendimus*, ait ibi Hieronymus, *sicut frustra calumniaris, sed vt noctis tenebras, hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui propter imperitiam, & simplicitatem sæcularium hominum, vel ceriè religiosarum fœminarum, de quibus dicere possumus verè confiteor, Dei zelum habent, sed non secundum scientiam: hoc pro honore Martyrum faciunt: quid inde perdis?*

Enimuerò, cum ritum cereos, aut lampades incendendi ad monumenta Martyrum, more esse antiquissimo in Ecclesia receptum, manifestum est ex Augustino, *libro octauo de ciuitate, capite vltimo, & in libro sexto Confessionum, in capite secundo*, Fortunato *in vita S. Martini*, Hieronymo *in Epistola ad Riparium*, & Paulo Diacono *de gestis Longobardorum*, & ex Gregor. *lib. tertio dialog. cap.* 24. Quod autem Augustinus improbat, & reprehẽdit sepulchrorum, & picturarũ adoratores, ad eos pertinet, qui more Gentilium picturas colebant, & cereos, vel lampades in sepulchris quorumuis mortuorum: vel etiam in sepulchris Martyrum accendebant, eis thura adolebant, super ea luxuriosè edebant, & bibebant: eis offerebant sacrificia, quoniam arbitrabantur eiusmodi luminibus Martyres illustrari. Elibertina synodus prohibet, quo minus cerei accendantur videlicet ritu, & more gentilium, qui putabãt, defunctorum corpora aliquid sentire, & clausa in tenebris, & sepulchris illuminari. Et cum dicit *inquietandi enim Spiritus sanctorum non sunt*, perinde est, ac si diceret, Sãctos ipsos, vita functos gratum, & acceptum, non habere eiusmodi superstitiosum ritum ex gentilium errore profectum: vel Sanctos spiritus videlicet fidelium hominum adhuc in terris viuentium inquietari, hoc est, perturbari. Hieronymus verò non improbat morem eorum, qui in sepulchris Martyrum cereos, & lampades accendebant: sed solùm significat, si accendebant, eò quod putent Martyrũ spiritus illuminari, eos quidem zelum habere; at non secundùm scientiam, quia Martyres lumine non indigent: sed quãuis non egeant, gratum, & acceptum habent opus, quo cerei accẽduntur. QVAERES cuius rei gratia, his in locis lumina accendantur. Respondeo, ad significandum, lumine Fidei illustratos sanctos decessisse, & modo in superna patria gloriæ lumine splendere: Et vt nos item perfusi lumine diuino delectemur, & nostri animi lætitiã significemus.

Quartò quæritur, An sit superstitiosum sanctorum cineres, vel pulueres venerari, & colere? Hæretici, hoc etiam nomine Catholicos rident, cum nihil ex Sanctis eiusmodi pulueres habeant ex eo tempore, quo eorum corpora sunt in cineres resoluta. Verùm de antiquo etiam more eos Ecclesia veneratur, quicquid isti impietatis cultores, & fautores criminentur. Gregorius Turonensis, *in libro de gloria Martyrum, & Cõfessorum*, refert multa miracula edita per pulueres Sanctorũ collectos: & Nyssenus scribit in oratione in Theod. Martyrem. *Si quis puluerem, quo conditorium, vbi Martyris corpus quieuit, obitum est, auferre pro munere pulueris accipitur, atque tanquam res magni pretij condenda colligitur.* Ambrosius sermone 93. ait: *Cineres Martyrum esse honorandos.* Nec obstat, quod ossa, & corpora Martyrum in cineres, ac pulueres transierint: nam in eis, vt dici solet à quibusdam, eorũ materia permanet. Verùm (vt ego quidem sentio) parum, aut nihil refert, maneat eorum materia proxima necne: quoniam cineres, & pulueres Martyrum veneramur, & colimus, quia honos, & cultus ad ipsos Martyres refertur, & quia Deus eos pulueres, & cineres voluit honorari, per quos videlicet efficit mirabilia: sicut etiam Sanctorum vestes, & alia, quæ eorum tactis corporibus passim miraculis coruscant, honoramus, non tam propter ipsa, quàm propter sanctos quorum ossa, membra, vel corpora aliquando tetigerunt, & quorũ precibus, aut meritis Deus tot, ac tanta beneficia, & miracula per eiusmodi res mirabiliter præstat, aut efficit.

Quintò quæritur, An ex scripturis constet, Reliquias Sanctorum honorari, & coli debere? Respondeo,

spondeo, constare. Nam Act. 19. sacra historia de B. Paulo refert: *virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Et Act. 5. *ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quem quam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Ecclesiastici 49. legimus: *Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo, nam corroborauerunt Iacob & redemerunt se in fide virtutis.* Et postea de Ioseph dicitur: *Ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetauerunt.* Deindè, 4. *Regum* 13. cadauer hominis cuiusdam, quod forte illatum in sepulchrum Helisæi fuerat, eius tacto corpore subito reuixit. Item 4. *Regum* 2. pallio Eliæ in aquas Iordanis immisso, eas percussas huc atque illuc diuisas fuisse constat, vt Eliæ pariter, & Elisæo transitum præberent. Si igitur vestes, sudaria, semicinctia, si vmbra Sanctorum hominum priùs quàm è vita migrarent, morbos depulerunt, viresque amissas restituêre languentibus per eos ad Deum, confugientibus: Ecquis negare audeat cæteras Sanctorum Reliquias eadem mirabiliter efficere? Testes sunt Ambrosius *Epistola vltima, ad sororem, & sermo.* 91. & 92. & Augustinus *libr.* 22. *de Ciuitate capit.* 8. & *Epistol.* 139. fide dignissimi Scriptores, qui testantur vidisse se mirabiles res effectas ad sepulchra Martyrum, quas libenter hic commemorarem, si opus esset.

Sextò quæritur, An quid superstitionis habeat is fidelium ritus, & mos, quo Sanctorũ Reliquias collo dependentes deferunt? Angelus innuit fas non esse eas hoc modo deferre: ad quod persuadendum, citat quædam capita, & Leges, quæ tamen meo iudicio, nihil persuadent. Multò verius est, quod tradidit S. Thomas *secunda secundæ quæstione 96. art. 4. ad 3.* pij, & religiosi hominis officium esse, eas ita deferre, dummodo tamen honorificè, & piè, ac religiosè deferantur. Hoc idem contra Angelum Rosel. Sylvest. Tabien. Armil. in verbo Reliquiæ, Nauar. *in Man. ca. 11. nu.* 35. tradiderunt: & ante eos cum S. Tho. docuit Antoninus 3. *part. tit.* 12. *c.* 8. & in Concil. Bracharen. 3. *ca.* 5. solùm reprehenduntur Episcopi, quia in celebritatibus Martyrum Reliquias ad collum ligabant, & sinebant se in sellulis à Diaconis portari. Et ex historijs cõstat, viros aliquos sanctos eas portare consueuisse: Si quæras, an qui eas deferendo aliquod peccatum at non contra Reliquiarum cultum committit grauius delinquat, quam si non deferret. Certè, si peccando quippiam contra honorem eis debitũ admiserit, grauius profectò delinquit, vt si eas turpiter, & obscenè contrectet: at si eas deferendo peieret, mentiatur, furetur, detrahat alteri, in quempiam maledicta conijciat, aut quid aliud simile peccet, non ob id grauiori se scelere obstringit.

Ley. verb. Reliq. n. 4.

Septimò quæritur, Quid in Iure canonico constitutum sit de modo, quo Reliquiæ Sanctorum recondi, exponi, & populo fideli ad veneration nem, & cultum exhiberi, transferri, & asseruari debent? Respondeo, eas in primis asseruari debere in loco honestissimo, in nitidis, & decoris vasculis; loculis item honorificis, capsulis, & arcis. *In cap. Audiuimus, de Reliquijs, & veneratione Sanctorum* statutum est: non licere alicuius Reliquias venerari tanquam Sancti, absq; auctoritate Romanæ Ecclesiæ. Deindè, *in ca. Cum ex eo, De Reliquijs*: ex Innocentio tertio, in Concilio Generali Lateranẽsi decernitur, vt antiquæ Reliquiæ extra capsam nullatenus ostendantur: Ne item exponãtur venales, hoc est, Ne pretio aliquo vendantur, cũ sint sacræ res. Præterea, vt nouas seu recens inuentas Reliquias nemo publicè venerari audeat, nisi priùs auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Insuper, Ne Prælati permittant eas, ad quas venerandas multi accedunt, quæstus gratia exponi, & ad cultum, & venerationem exhiberi. Quæstus gratia dicuntur Reliquiæ exponi ad cultum, & venerationem; quando populis ostenduntur, vt largiores erogent eleemosynas. In Concilio quoque Tridentino, *sess.* 25. statuitur, *Nouæ Reliquiæ ne recipiantur, nisi Episcopo recognoscẽte, & approbãte: qui simul atq; de his aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & alijs pijs viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerit. Quòd si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de his rebus grauior quæstio incidat; Episcopus antequam controuersiam dirimat, Metropolitani, & comprouincialium Episcoporum in Concilio Prouinciali sententiam exspectet: ita tamen, vt nihil inconsulto sanctissimo Romano Pontifice, nouum, aut in Ecclesia hactenus insuetum decernatur.* Hæc ibi: Oportet ergo, vt præmonui, Reliquias Sanctorum in locis quàm fieri potest honestissimis, & prænitidis, ac decoris vasculis, aut capsulis recondi, & asseruari: cum populo obstenduntur, lumina accendi debent: non sunt temerè omniũ oculis exponendæ; nec ex loculis, & receptaculis, vbi conditæ sunt, educendæ, nec per laicos etiam cuiusuis ordinis, & dignitatis homines vllo modo tractandæ, nec eorum manibus tangendæ attrectandæue. Nam teste Gregorio *lib.* 3. *Epistol.* 30. hoc sacrilegum est, ac minus propterea ferendũ: nec debent Reliquiæ in Ecclesia reconditæ, è loco vbi asseruantur, ad ægrotos vllo modo, sine iusta causa, exportari.

Octauò quæritur, An liceat venerari Reliquias alicuius Sancti sine auctoritate Romani Pontificis? Respondeo, ex *cap.* 1. & 2. *paulò ante citatis de Reliquijs, & veneratione Sanctorum*, non licere. Sed ea decreta locum habent, quando Reliquiæ sunt nouæ, & publicè exponuntur, & quando proponuntur tanquam Sancti alicuius. Ad hæc enim auctoritas Romani Pontificis requiritur, quoniam nullus tanquam Sanctus publicè coli potest, nisi in sanctorum sit numerum cooptatus: at verò solius Romani Pontificis est, aliquem in sanctorum numerum referre. Reliquias tamen antiquas venerari licet etiam publicè, absq; noua Romani Pontificis auctoritate. Rursus si aliquæ Reliquiæ fuerint denuo inuentæ alicuius, qui iampridem fuerit Sanctorum Catalogo adscriptus, coli possunt etiam publicè, priùs tamen eas recognoscente, & approbante Episcopo: atq; hoc Synodus Tridentina constituit *loco citato.* Præterea, si de antiquis Reliquijs dubitatio aliqua oriatur, Episcopus id facere debet, quod statuit Concilium Tridentinum, *eo loco, quem ante citaui in quæstione Superiori.* Denique priuatim potest quis aliquem piè venerari pro Sancto, etiam Sanctorum numero nondum adscriptum, & proinde aliquid ipsius tanquam

Sylu. in verbo. Reliq. nu. 1.

Reliquias honorare, & colere. Si roges, Quid si vir pius, & religiosus fide dignus mihi tradiderit Reliquias alicuius Sancti, licebit ne mihi eas pro Reliquijs venerari? Respondeo, priuatim id licere, quia tanto viro fides est habenda; at verò publicè nequeùt exponi, nisi Episcopo eas primùm recognoscente, & approbante.

Nonò quæritur, An sit sacrilegium, ex loco publico, & sacro, in quo Reliquiæ sanctorum requiescunt aliquid priuatim extrahere, & sibi sumere, aut alio transferre? Archidiaconus, *de consecratione Distinctione prima, cap. Corpora*, censet, eum hominem Sacrilegium committere, & sacrilegij pœnam incurrere. Nam in *eo cap.* dicitur: *corpora Sanctorum de loco ad locum, nullus transferre præsumat, sine consilio Principis, vel Episcoporum sanctaque synodali licentia.* Sic ibi. Si tamen quis facultate Episcopi, vel eius, cui Ecclesia commissa est, Reliquias, aut earum particulas extulerit, non mihi videtur sacrilegij crimen admittere, quod videtur colligi *ex cap. Quisquis §. Si quis domum, 17. q. 4.* Quod autem statuitur *in cap. Corpora, de Consecratione Distinctione prima*, locum habet in eo, qui furtim Reliquias effert & alio deportat: non autem in eo, qui facultate, siue auctoritate vel consensu eius Ecclesiastici Præfecti, cui Reliquiarum locus sacer, vnà cum ipsis reliquijs commissus est, id facit. Quid verò sit dicendum de ijs, qui ex vrbe sacras Reliquias efferunt, & aliò deportant; *sequenti quæstione explicabo.*

Decimò quæritur, An in excommunicationem incidat, qui reliquias Sanctorum ex loco sacro in quo recòditæ, aut positæ sunt, furatur? Respondeo, *in cap. Quisquis, §. Si quis domum, 17. qu. 4.* esse constitutum: *si quis Domum Dei violauerit, & aliqua sine licentia illius, cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit: donec in conuentu admonitus legitimè satisfaciat, sciat se communione priuatum. Si verò post secundam, & tertiam conuentionem coram Episcopo satisfacere recusauerit, nemini fidelium misceatur.* Hæc ibi: Ex quibus verbis deducit Sylueister, eum hominem, ante quamlibet admonitionem, excommunicationem minorem contrahere, donec satisfaciat, hoc est, nisi prius satisfecerit, non posse Sacramentum altaris suscipere: ter verò admonitum, nisi satisfecerit, esse excommunicatione maiore mulctandum. Annotandum est hoc, propter eos, qui efferunt Sacras Reliquias, vt aliò deportent, Romæ ex cœmiterijs, & alijs locis sacris, vbi Martyrum ossa, membra, vel corpora requiescunt, occultè absque facultate Generali, vel speciali, expressa, vel tacita Romani Pontificis, vel Vicarij, vel eius, cui est sacer locus commissus, & data facultas, qua possit alijs sacras Reliquias dare. Possunt tamen certorum ordinũ Religiosorum Patres, aut Fratres, Reliquias extra Vrbem mittere, ad eas in altaribus, quæ consecrantur collocãdas, immo solent Pontifices cõcedere religiosis ordinibus, vt quas Religiosi eorum ordinum ab amicis, & studiosis ordinum hominibus impetrauerint, acceperint, habuerint, liberè queant extra Vrbem deferre, vel mittere.

Vndecimò quæritur, An mos Ecclesiæ, quo Reliquiæ sanctorum ex vno loco, in alium honorificè transferuntur, fuerit antiquus? Respondeo, apud Græcos ab Ecclesiæ primordijs morem fuisse, vt ossa, membra, vel corpora Martyrum ex loco in locum transferrentur, consensu, & auctoritate Principum, videlicet Imperatorum, & consensu Episcoporum Constantinopolim translata sunt summo cum honore Reliquiæ Sanctorum Andreæ, Lucæ, & Timothei, tempore Constantini Magni, teste Hieronymo, *contra Vigilantium.* Et regnante siue Imperante Theodosio seniore translatæ sunt ad eandem Ecclesiam Constantinopolitanam Reliquiæ Sancti Pauli Episcopi, & Martyris, vt refert Tripartita historia *lib. 9. ca. 17.* Item corpus Sancti Ioannis Chrysostomi, vt testatur Theodoretus *lib. 5. cap. 3.* & ex *Epistola primo*, Cornelij Romani Pontificis patet, corpora sanctorum Petri, & Pauli translata fuisse, & posita vbi nunc sunt. Apud Romanos verò etiã temporibus Gregorij Magni ossa, & corpora Sanctorum minimè transferebantur: immo Romani Pontifices, tenues etiam Reliquias ex Martyrum corporibus detrahi, vt ad Principes mitterentur, minimè patiebantur: sed tantùm sudaria, & vela ad sacras Reliquias admota, aut clauẽ Petri corpore tacto sacratam, aut tenuissimas, ac minutissimas catenarum Petri rasuras, hoc est, puluisculos lima detractos & abrasos, pro magno munere ad viros illustres, & principes feminas mittere solebant: Vnde Gregorius *libro tertio Registri. Epist. 30.* ad Constantiam Augustam scribens, quæ postulauerat, vt Sancti Pauli caput, aut aliquid aliud de corpore ipsius ad ipsam transmitteret, quod in Ecclesia in honorem Sancti Pauli Apostoli, suis sumptibus extructa, honorificè collocaret: Respondet, se mœrore fuisse confectum, quod quæ illa petebat, facere nec posset, nec auderet. *Nam corpora, inquit, Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, tantis in Ecclesijs suis coruscant miraculis, atque terroribus, vt neque ad orandum sine magno illuc timore posit accedi.*

Et paulò inferius: *Cognoscat tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, vt quicquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pixide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur: quod tantum, in Ecclesia, quæ est dedicãda, debita cũ veneratione reponitur. Et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferrentur. Vnde contigit, vt beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, sicut à maioribus traditum est, dum quidam Græci de talibus Reliquijs dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeũ ad latus forcipibus incidit, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit. In Romanis namque, vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est, atque sacrilegum, si sanctorum corpora tangere quisquam forsasse voluerit. Quapropter de Græcorum consuetudine, qui ossa leuare sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus.* Hæc ille, qui ad finem Epistolæ ait, se ad eam sudarium transmittere, quod corpus Pauli tetigerat; & curaturum partem aliquam ex catenis, quas Paulus Apostolus in collo, & in manibus gestauerat, transmittendam: *si tamen, inquit, hanc tollere limando prænaluero.* Brandea, vel sanctuaria vocabantur velamina, quæ ad ossa, vel corpora sanctorum admouebantur, vt eorum contactu sacrarentur, & pro reliquijs colerentur. Ex eo verò tempore, quo Franci Longobardos bello victos ex Italia eiecerunt, cœpit introduci mos, vt etiam per occidentem ossa, & corpora Martyrum transferrentur aliò,

Franco-

Francorum enim Reges, ac ceteri Principes à Romanis Pontificibus vehementer efflagitabant, vti ex vrbe, & alijs locis eiusmodi Reliquias, è terra vbi iacebant sublatas, & erutas, in Galliam, & Germaniam transportari permitterent, vt in templis à se ædificatis honorificentiùs recondi possent: nec enim altaria, aut Ecclesiæ sine Reliquijs sanctorum consecrabantur, vt ex Concilio Africano *Canone quinquagesimo* compertum est.

Duodecimò quæritur, An sanctorum cæli ciuium, & Iesu Christi Domini nostri, siue triũ personarum diuinarum nominibus etiam scriptis, aut pronunciatis, siue auditis honor, & veneratio debeatur, sicut sacris imaginibus? Respondeo; deberi. vnde ad sanctissimum Iesu nomen de more corpus inclinamus, vel caput aperimus, aut etiam genuflectimus: & in sacrificijs, sanctum quoque Mariæ Dei genetricis nomen pio, & religioso cultu, & honore dignamur: nõ quòd hæc nomina propter ipsa veneremur, non quòd literas, & syllabas, quæ atramento describuntur, vel depinguntur, vel sono proferuntur, cultu, & veneratione prosequamur, vt res sunt sensus, animæ, & vitæ expertes; sed quòd totus honor, & cultus ad rem significatam referatur. Quare audito, vel prolato nomine Iesu caput denudamus, genuflectimus, aut scriptum nomen piè, & Religiosè exosculamur, perinde ac si persona, quã illud significat, præsens adesset, & osculo, aut corporis inclinatione, aut capitis submissione, honoraretur à nobis, sicut sacram imaginem veneramur, quia refert exemplar, sic sacrum nomen honoramus, & colimus, quia rem sanctam designat.

Quæres, An fas nobis sit, sanctorum nomina inscripta chartis, & collo religata, & appensa deferre? Respondet Nauarrus *in Manua. capite vndecimo, num. 35.* cum B. Antonino *in secunda parte, tit. 12. capite primo §. 13.* & S. Thoma, *secunda secundæ, quæstione 96. artic. 4.* fas esse per se quidem; ex accidenti autem nefas aliquando esse; veluti si eo modo deferantur, in quo periculum probabile sit, ne deformentur, aliquaúe fœditate, & obscœnitate polluantur, aut turpi tactu violentur.

Cap. IX.

Aliæ quædam eadem de re quæstiones soluuntur.

ID primùm in quęstione ponitur, an cereis formis, atque imaginibus, quas Agnos Dei, à figura agni scilicet impressa nominamus, honos, & veneratio debeatur? Respondeo, meritò deberi. Namque vetere Ecclesiæ instituto à summo Pontifice, Christi in terris vices gerente, sollemni precationum ritu, multisque cæremonijs mirè pietatem redolentibus, non solùm primo, sed septimo quoque Pontificatus anno, de more consecrantur. Quo in consecrationis munere, sicut ipse Romanus Pontifex, cuius precatio tanto maioris est momenti, quanto eius officium in Ecclesia sublimius, & cum Christo Domino, cuius locum, & vices tenet in terra, coniunctius, multa sanctè precatur à Deo, vt illis concedat, qui animo pio religiosoque eos sacros Agnos, secum habuerint; ita à pijs quoque hominibus pari religionis studio ijdem gestandi sunt; ad eosque vsus duntaxat adhibendi, ad quos sacræ preces antiquo Ecclesiæ instituto referuntur.

Secundò quæritur, Quid sit constitutum de modo, & ratione, qua eiusmodi cereæ imagines agnum referentes piè, sanctè ac religiosè habeantur, asseruentur, deferantur? Respondeo, Constitutione Pontificia à Gregorio XIII. edita, quæ incipit: *Omni certè studio*, sic esse statutum: *statuimus, & ordinamus, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda interdicimus, ne quisquam siue vir, siue fœmina, sæcularis, aut Ecclesiasticus, etiamsi regularis Ordinis ille sit, & quocunque gradu, conditione, statu, nomine, dignitate, & honore præcellat, posthac in perpetuum Agnos Dei per Romanum Pontificem, pro tempore existentem depingere, inficere, minio notare, vel aurum, vel colorem aliquem illis imponere, aut quicquam aliud super inducere, neque depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, seu tenere quouis prætextu qualibetúe de causa audeat, sed eos albos, & mundos decenter ac reuerenter à cunctis haberi, deferri, & custodiri præcipimus.* Et mandat singulis locorum Ordinarijs, & eorum Vicarijs Generalibus, vt hanc constitutionem in suis diœcesibus, & ciuitatibus statim promulgandam curent.

In concilio verò Mediolanensi, sub Carolo Borromæo Cardinali celebrato quædam statuta sunt, quæ mihi visa sunt digna, vt hic inserantur. Primò, vt cum Agni Dei domi asseruantur, sicut piæ consuetudinis est, loculo decenti includantur. Cum autem collo dependentes gestantur, in thecam auream, argenteam, eburneam, cristallinam, aut alterius generis decentis rectè inclusi sint, ita vt tactu violari nequeant, nec ad ornatum habeant quicquam, quod profanum sit, quodque minimè deceat. Thecarum fabri ne vllo modo eas tangeant attrectentúe, ne chirothecis quidem, forcipe, aut vllo alio instrumento: sed ad eos in thecis reponendos Clericus in sacris constitutis adhibeatur. Ne item minimam particulam sacræ illius ceræ è qua Agni figura effecta est, in eis includant, quo pluris opus suum vendant, sed ab eo accipiant, qui thecam Agni causa faciendam locarint. Ne item quisquam sacrum Agnum anulo gestet, cum ita parum religiosè gestetur, vt aliqua fœditate turpiúe tactu violari facilè queat. Præterea, qui sacros Agnos gestant, hoc religiosius caueant, ne quid impure turpiterúe agant, aut à sacra eiusmodi re alienum. Nec præterea in agri campum benedicti Agni projciantur; nec cuiquam arbori affigantur; neque in ramis arborum suspendantur: sed quod antiqui est instituti, eorum cera adoleatur ad suffumigationem, in agris vineisque ob imminentem tempestatem, fulgura, fulmina, incendia, & grandinis vim, aliasúe diabolicas illusiones depellendas. Hæc in eo Concilio prouincialium Episcoporum, circa hoc piè sancteque decreta sunt. Testatur Durandus *in Rationali Diuinorum officiorum lib. 6. cap. 79.* hos Agnos cereos auctoritate Pontificia sacros vim habere contra fulgura, fulmina, grandinem, incendia, & tempestates ventorum, vel imbrium.

Tertiò quæritur, An fas sit laicis sacros Agnos tangere contrectareúe? Respondeo, minimè, quia sunt sacri, & sancti, vtpotè consecrati. SI QVAERAS, an laici si scienter eos tangant, sed nõ sine

honore debito, & reuerentia, grauiter peccent? Respondeo, meo quidem iudicio, minime: modo ne ex contemptu eos tangant, aut turpiter tactos polluant. DEINDE QVAERES, An liceat Clericis quatuor tantum minores ordines habentibus eos tangere? Prædicto Mediolanensi Concilio videtur insinuari, id solùm licere Clerico in sacris ordinibus constituto; quoniam huiusmodi Agni non qualicunque ratione, hoc est, non solùm precatione Pontificia sunt sacri; sed oleo etiam sacro, & chrismate consecrantur: Chrisma verò tangere, solùm Clericis ad maiores Ordines promotis permitti videtur, nisi ex iusta, vel honesta causa aliquando tangatur.

Quartò quæritur, An nefas sit, sacros Agnos vendere, & emere? Respondeo, cõstitutione Pontificia *Superiore quæstione posita*, excommunicationem ipso iure in eos cõstitui, qui eiusmodi cereos Agnos à Pontifice sacratos venales exponũt, aut tenent. Et reuera cum sint res sacrę, Simoniæ peccatum admittitur, si emantur, & vendantur. Eodem quoque crimine se commaculat is, qui minimam etiam ceræ particulam ex qua Agni imago efficta, ac figurata est, aut annulũ, vel thecam, in qua inclusa est Agni figura, pluris vendiderit, quàm si Agnum non haberet, vel Agni materia non esset, quo modo etiam simoniam contrahit, qui calicis materiam, aut fundum, in quo est ius Patronatus constitutum, pluris vendit, quàm si nihil tale contineret.

QVAERES, An liceat Agnos sacros vendere, aut emere præcisè ratione solius materiæ, nimirum ceræ, aut ratione impensarum, quæ fiunt in sacris Agnis apparandis, & poliendis, ita vt tantidem vendantur, quanti valent impensæ, & cera? Respondeo, per se quidem id non esse prohibitum, nec malum, cum sola materia vendatur, & ematur; at iure tamen scripto interdictum videri, *cõstitutione Pontificia iam ante citata*. Ac meritò quidem Pontifex id prohibere potuit, quia Simoniæ speciem nonnullam præ se fert, & occasio paulatim suboritur res sacras venditandi. At non puto vetuisse, ne præcisè ratione materiæ vendantur, & emantur ad vsus sacros, quibus sunt dedicati: sicut Calices ratione materiæ venduntur, ad sacros vsus huius, vel illius Ecclesiæ, non ad profanos vsus.

Quintò quæritur, An laicis sit interdictum Sanctorum Reliquias quoquomodo tangere contrectareue? Respondeo, Gregorium Magnum *libro tertio Epist. 30. vti supra retulimus*, apertè affirmare, in Romanis, vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile esse atque sacrilegum, si sanctorum corpora tangere quisquã fortasse voluerit. Sed certè Gregorius de ijs temporibus locutus est, in quibus nulli, etiã Clerico in sacris Ordinibus constituto, licebat Sanctorum corpora, ossa, vel particulas eorum è loco amouere, transferre, gestare. Sed vsu deinde introductum est, vt transferantur, gestentur è collo dependentes, vasculis tamen, aut capsulis honorificè, & religiosè, vt decet, inclusæ, & obtectæ. Ex quo non mihi quidem grauis videtur criminis condemnandus ille Clericus, vel Laicus, qui eas Reliquiarum sacrarum minutias quas tenet apud se, piè, & religiosè tangit, aut decenter & honestè in thecas includit, in quibus seruat. Si tamen per contemptum eas contrectet, aut ita parum honestè, & religiosè includat, & deferat, vt aliqua fœditate turpiue tactu pollui, & inquinari facilè queant, peccare grauiter videtur.

Sextò quæritur, An vasa sacra Ecclesiæ, vela, pallas, & alias vestes Episcopali precatione sacratas fas sit laicis hominibus attingere, attrectareue? Respondeo, *in cap. Nemo, secundo, de consecratione distinctione prima, §. Pallas*, statutum esse in hunc modum: *Pallas Ecclesiæ, & vela, quæ in sanctuario sunt, si foràs fuerint, Diaconi cum humilibus ministris intra sanctuarium lauent, non eijcientes foras à sacrario: & velamina Dominicæ mensæ abluant, ne forte puluis dominici corporis malè decidat: Sindonem verò non foris abluant.* Quid nomine sindonis intelligatur, explicat Glossa, eam esse secũdam vestem sacerdotalem, quam Albam vocamus. Alij verò, inquiunt, esse ornamentũ capitis, quem amictum appellamus. Et *in ca. In sancta Apostolico, de consecratione distinctione prima*, decretum est Sixti Pontificis, vt sacra vasa nõ ab alijs, quam à Sacratis Dominoq; dicatis hominibus contrectentur; ne pro talibus præsumptionibus Dominus populo suo plagas immittat. Et *capitulo sequenti, vestimenta*, decernitur: ne vestimenta Ecclesiæ in quibus Domino ministratur, ab alijs contingi, aut offerri possint, nisi à sacratis hominibus: ne vltio, quæ Baltassarum Regem diuinitus percussit transgredientes apprehendat. *In cap. Item, Ad nuptiarũ, subsequenti* ex Cõcilio Aurelianensi dicitur: *Ad nuptiarum ornatum diuina ministeria, id est, quæ Ecclesiasticis, & diuinis vsibus, & ministerijs sunt destinata, non debent; ne dum improborum tactu, vel pompæ seculari luxuriæ polluuntur, ad officium sacri ministerij videantur indigna.* Rursus *cap. Ad sacratas. Dist. 23.* ex Sothero Papa refertur: *sacratas Deo fœminas, vel monachas sacra vasa, vel sacras pallas penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre, perlatum est ad Apostolicã sedem: quæ omni reprehensione, & vituperatione digna esse, nulli dubiũ est.* Ex quibus omnibus perspicitur, esse Laicis interdictũ, immo etiam Clericis sacro Ordine carentibus, tangere, attrectareue, aut lauare vasa sacra, vestes, & alia, quæ consecrari solent: cuiusmodi sunt calix, patena, altare, quod portatile vocatur, corporalia, quodque dici solet Calicis Purificatorium: nam hæc omnia, aut consecrantur, hoc est, Chrismate imbuuntur, aut saltem solemni Episcopi precatione sacrantur, & Christi corpus, vel sanguinẽ proximè excipiunt, & tangunt. Vsu tamen receptum est, vt vestes, quibus Sacerdos induitur, & alia Ecclesię paramenta sic dicta, vela scilicet, cortinę, aut vasa, quæ cõsecrata non sunt, nec Christi corpus, aut sanguinem proximè attingunt, licet Episcopali precatione sacrari soleant, tangantur etiam à laicis, qui Ecclesijs inseruiunt. Religiosis ordinibus priuilegium, Romani Pontificis auctoritate cõceditur, vt Religiosi, qui inseruiunt Ecclesijs ipsorum ordinum in Sacrisię munere, & officio, etsi sacros ordines non susceperint, dummodo prima tonsura sint insigniti, tangere calices, & corporalia turò queant: immo omnes laici Religiosi possunt tangere Ecclesiastica paramenta, calices, & corporalia, modo non sine debita reuerentia, & honore tangant ac eadẽ corporalia lauare, cum expedierit: quod est Priuilegium Minoribus concessum.

Septimò

Septimò quæritur, An sit iure Canonico prohibitum, vasa, ligna, candelabra, vestes, pannos ad vsus sacros, & ministeria Ecclesiastica destinatos, in vsus profanos conuertere? Respondeo, esse prohibitum: vt colligitur *ex cap. Ligna. De consecratione, Distinctione prima*, vbi dicitur: *Ligna Ecclesiæ dedicata, non debent ad aliud opus destinari, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus: in Laicorum verò opera non debent admitti*: nam vt ait ibi Glossa: *Quæ semel consecrata sunt, non debent ad Laicorum vsus reuerti. c. Quæ semel 19. Quæstione tertia, & c. Quæsti sunt, 17. quæst. vlt.* QVAERES, quo sensu accipiendũ sit, quod prædicto *cap. Ligna*, dicitur, posse ea inseruire in Monasterio fratrib⁹? Respondet Glossa; id non intelligi promiscuè, & generaliter, sed vel in capitulo, inquit, vel in Dormitorio, vel in alijs locis religiosis: non autem in rebus culinæ apparandis, vel in vineis pastinãdis, aut agris fodiendis: nam huiusmodi vsus sunt Clericorum, & Laicorum communes, non Ecclesiarum proprij. DEINDE QVAERES, quid fieri debeat de lignis, velis, vasis, pannis, & ceteris rebus, quæ fuerant Ecclesiasticis vsibus dedicatę, si vetustate consumptæ fuerint, aut ineptæ redditæ ad Ecclesiastica ministeria? Respõdeo, ex Clemente Papa, vt refertur *in cap. Altaris. de Consecratione Distinctione prima*, vbi dicitur, *Altaris palla, Cathedra, Candelabrum, & vellũ, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint, malè tractare, sed incendio vniuersa tradantur. Cineres quoque eorum in Baptisterium inferantur, qua nullius transitum habeat, aut in pariete, aut pauimento sub tecto, aut in fossis, vel solo pauimentorũ imponantur, ne introeuntiũ, aut transeuntium pedibus inquinentur.* Ex quo patet, etiam imagines sacras diuturnitate consumptas, siue deformatas amouendas esse, & sub pauimento Ecclesiæ, aut saltem sub Cœmeterij solo recondendas, aut in alium locum abditum, & Religiosum includendas: Tabulas quoque imaginibus sanctorum expressas, vetustate cõsumptas, iure nõ posse in vilem, sordidum, & profanum vsum conuerti, sed igni exuri debere. sic olim iubebat Deus Nazaræorum capillos, finito consecrationis tẽpore in ignem conijci; ossa item ac cetera, quæ ex Agno paschali supererant, igni cremari debebãt, ne conculcarentur pedibus transeuntium, neue ab immundis animantibus comederentur.

Octauò quæritur, An vestes, & panni profani iure possint conuerti in paramenta, vt vocantur, & in alia, quæ in vsus Ecclesiasticos cedunt? Respondeo, minimè, vt docet Syluest. *in verb. Corporalia, q. 3.* Glossam, & Archidiaconum sequutus, nisi solita Ecclesiæ consecratione, siue ritu, & cæremonia prius ab Episcopo legitimè sacrẽtur: quæ enim Ecclesijs inseruiunt, in Ecclesiasticis ministerijs solemni consecratione, (quæ dicitur benedictio,) & statis precibus in Pontificiali, vel Sacerdotali libro præscriptis, ad vsus Ecclesiasticos destinari solent, ac debent, ita vt non solùm imagines, sed ipsæ quoque tabulæ, in quibus sacræ imagines exprimuntur, & capsulæ, thecæ, loculi, vascula in quibus Reliquiæ sanctorum reconduntur sacrari, & vt dicitur, benedici solita fuerint. Sicut idolorum fana iure possunt in martyrum templa conuerti, sed prius debent legitima Episcopi auctoritate sacrari. Societas nostra gaudet Priuilegio, quod Minoribus Sixtus Quartus concessit: Vt vestes, & panni profani cõuerti queant in paramenta, vt vocant, & in alia Ecclesiasticis vsibus destinata, vt habetur in Compendio Priuilegiorum eiusdem Societatis, *in verbo Sacra. §. 2.*

Nonò quæritur, An fas sit laicis sacrũ Chrisma tangere, aut oleum secretum, siue benedictum, vt vocant, ab Episcopo? Respondeo, nefas esse: quia interdictum est eis vasa sacra, aut vestes tangere, ergo pari, aut etiam maiori ratione laici prohibentur oleum sacrum tangere, aut sanctum contrectare Chrisma.

Decimò quęritur, An sacrosanctum, & ineffabile Altaris Sacramentum, sit cultu Latrię honorandum ea conditione adiecta, si Eucharistiæ panis sit rite consecratus: an verò absolutè, sine vlla conditione addita colì debeat? Gabr. *de Cano. Missæ lect. 50.* sentit esse colendum, sub ea conditione tacita, & implicita, non expressa, ad quod probandum citat S. Thomam, Bonauẽturam, Alexandrũ, Albertum, & Richardum: & videtur esse cõmunis opinio Theologorum. *in 3. dist. 9.* & Summistarum, Angeli, Syluestri, Tabiensis, Armillæ *in verb. Latria, aut in verbo adoratio.* At verò Caietanus, *2. 2. q. 1. artic. 3.* & Ioann. Hassellanus *in lib. de Eucharistia*, & Claudius Sainctes *in lib. de Eucharistia repetit. 9. c. 4.* docent esse absolutè sine vlla conditione colendum, hoc est, tametsi non exprimatur ea conditio, si panis sit cõsecratus, colo; alioqui minimè. Quidam existimant esse inter hos auctores opiniones contrarias: sed certè facili, & leui negotio hæ duæ sententiæ conciliantur. Nam Gabriel, & alij solùm innuunt eiusmodi conditionem in cultu, & veneratione adesse debere tacitè, & implicitè, non tamen expresè, siue explicitè; eo enim animo, & voluntatis affectu esse debemus, cum ad sacram Eucharistiam accedimus, vt si panis consecratus non esset, minimè veneraremur; at verò prudentis viri est, vt putet panem esse ritè, & legitimè consecratum, qui publicè populo ad veneratione, & cultum exponitur. Nec enim credendum est, aut ministro animum, & voluntatem defuisse consecrandi, & conficiendi corpus Dominicum; aut necessariam, & debitam Sacramenti formam, vel materiam abfuisse, cum oppositum nobis certò non constet. Nam pari ratione magistratus Reipublicæ veneramur, & colimus; etiamsi fieri posset, vt magistratus falsi sint, & suppositicij, & adulterini.

Vndecimò quæritur, An absolutè honorari possit, ac debeat imago sacra, per quam nos alloquitur Dæmon, se in bonum Angelum transformãs: videlicet si in ea appareat quidam lucis fulgor, & radius, aut species siue effigies hominis è Cruce pendentis. Respõdeo, quoties ambigimus, sit Dęmon necne, qui per imaginem loquitur, nefas est imagini cultum tribuere, quamuis Christum, Deiparam, vel sanctum aliquem in cælo viuentẽ referat, quia dum ambigimus, id, quod certius, & tutius est, sequi debemus, eique adhærere, ne periculo erroris nos exponamus, ne scilicet Dæmoni, tanquam Christo, Deiparæ, vel Sancto honorem, cultumq; deferamus. Verùm tota controuersia ex eo pendet, an cum probabiliter credimus Christum esse, vel Deiparam, vel sanctum, qui nos per imaginem alloquitur, tuta cõscientia

bsolutè,& simpliciter cultũ imagini dare possimus? Certè Altisio. *lib.3.tract.8.c.4.q.5.* Alexander *part.3.q.30.m.3.art.1.§.3.* Bonauent.3.*dist.9.art.1.qu.6.* Paril.*in 3.q.8.art.2.ad dub.5.* Gabriel.*de Canon. Missæ, lect.50.* Adrian.*in quodlib.4.art.1. in 3. puncto principali* respondere videntur, non licere id facere, nisi conditione expressè appositа, *si tu es Christus, vel Deipara, vel Sanctus, colo, & veneror; sin secus, minimè.* Idem quoque sentiuut Angelus, Syluester, Tabienſis, Armilla *locis citatis.* Et meritò quidem, quia nouum fermè est,& insolitum, Christũ, vel Deiparam, vel Sanctos in Imaginibus loqui: quod autem præter communem morem est, absolutè, & simpliciter non est tanquam verum, aut bonũ statim leuiter amplectendum, cum falli ac decipi facilè possimus. Non tamen condemnarem rudem, & rusticum hominem, qui bona fide nihil dubitans in hac parte erraret.

Duodecimò quæritur, An panem Eucharistiæ consecratum, tutò sine peccato laicus tangat, contrectetúe? Respõdeo, nisi id fiat causa aliqua graui, talem contactum esse laicis interdictum, quia in illo pane re ipsa verè Domini Corpus est, vnde ab eo tangendo non solùm Laicus, sed etiam Clericus, quamuis sit Subdiaconus, aut etiã Diaconus omnino abstinere debet: nam hoc proprium est Presbyteri. Neque obstat, quod olim Diaconus dominicum sanguinem porrigebat, immo etiam corpus, quando Episcopus, & Presbyter id non poterant ministrare, & Diacono, vti faceret, præcipiebant: nam Diaconus Christi sanguinem in Calice contentum submiſtrabat, ac proinde calicem tantummodo tangebat, & Corpus pariter dominicum aliquando conferebat. Sed id tunc temporis in more positum erat; nunc verò aliud mores, canones, & iura postulant. Objcies, priscis temporibus Eucharistiam dari solitam in manibus eorum, qui eius rei gratia ad templum ventitabant, qui eam deinde domum deferebant, ibique sumebant. Respondeo, id ea tempora tulisse, sed nostra nunc id iustis de causis non patiũtur. AT QVAERES, nunquam ne omnino licebit Laico tangere Eucharistiam? Licebit aliquando, tunc nempe, si ausu impio, & nefario (quod Deus malum auertat) deijceretur in terram, aut casu aliquo decideret, & abesset, qui eam inde tolleret, & eleuaret, Sacerdos, aut Clericus; liceret Laico eam quanta maxima posset cum honorificentia, & veneratione leuare. Sed quid si Laicus grauioris alicuius culpæ conscientia tangeretur? Hostiæne sacrosanctæ dignius, & religiosius eleuandæ, idoneum de peccato dolorem necessariò præmittet? Respondeo, eum ad id minimè adstringi: sicuti neq;, vt quis Eucharistiam videat, nec vt latriæ cultu illam veneretur, & colat, detestari peccata debet: quoniam tales actus non sunt Presbyterorum proprij.

Cap. X.

Quænam virtus sit Religio, & qui proprij eius actus, & officia.

ANimaduertendum est, primum Decalogi præceptum: Vnum cole Deum, ad Religionem pertinere, cuius est iustum, ac debitum Deo cultum deferre. Vnde Latinis, teste Augustino *lib. de vera relig. cap. 55.* dicta videtur esse Religio à religando, quòd eius vinculis, diuinis ministerijs simus mancipati, & addicti; & veluti Deo religati, & adstricti. Quamuis Isidorus *lib.10. Etymolog.ca.17.* Religionem à relegendo, vel reeligendo ducat, eo quòd, qui Religiosi sunt, tales dici videantur, quoniam, quæ ad cultum diuinũ pertinent, diligenter pertractent, & quasi relegant. Alij verò putent Religiosum dictum esse à relinquendo, eo quòd propter sanctitatem aliquam sepositum sit, & à nostris vsibus remotũ id, quod est religiosè consecratum.

Primò quæritur, An Religio sit virtus Theologica, an Moralis? Respondeo, esse moralem, non theologicam: non enim res, & materia obiecta est Deus, sed honor, & cultus Dei, quem religio diuinæ maiestati tribuit.

Secundò quæritur, An Religio sit vna duntaxat virtus specie: nam videntur duæ esse Religionis species, vna, quæ Deo venerationem, & cultum debitum defert; altera, quæ Sanctis vnà cum Christo in cælo regnantibus, & sacris Imaginibus, & Reliquijs Sanctorum, alijsque rebus sanctis iustum honorem tribuit. Sunt, qui putent Religionem non esse vnam specie; sed genere, ea ratione permoti, & conuicti, quòd Religio sit, qua cultum alicui damus, quia dignitate aliqua, aut virtute cæteris rebus excellat, & præstet: Ita vt virtus sit, qua alium hominem ob excellentiam aliquam, quam in illo cernimus, honoramus: Sed excellentia, & dignitas Dei, vtpotè infinita, & immensa, specie differt ab ea, quæ est Sanctorum cæli ciuium. Mihi tamen vna tantummodo specie Religio, non genere videtur esse. Quia apud Latinos Religio dicitur eadem, quæ apud Græcos Latria, hoc est, virtus, quæ Deo iustum, & debitum cultum, & honorem tribuit. Nec enim Religio est virtus, quæ in genere aliquem ob excellentiam honoret, & colat, sed quæ diuinos honores, & cultus Deo defert: non igitur Religio, quicquid excellit, honorat, & colit, sed quicquid diuinum est, & qua ratione diuinum: quemadmodum ergo Deus vnus est, sic vna quoque specie Religio est.

Oppones, Sanctos cæli incolas, Imagines Sanctorum, & res alias sacras religiosè veneramur; ergo alia est Religio, qua hæc honoramus, atque ea, qua Deum colimus. Respondeo, sicut vnius virtutis est finem velle, & ea, quæ sunt ad finem eligere, quamuis velle, & eligere sint actus re ipsa, & ratione diuersi; sic vna est specie virtus, quę est Religio, cuius actus possunt specie, & ratione distingui, vt sacrificare, precari, vouere, iurare: Pari etiam ratione cultus, & honores, quos Deo, Sãctis, & rebus sacris præstamus, possunt specie, & ratione differre, licèt Religio sit virtus vnius tantùm rationis. Præterea, Sanctos cæli habitatores, eorum Imagines, & res sacras, nequaquã absolutè, & simpliciter propter ipsas reueremur, & colimus, sed propter Deum, hoc est, quatenus sunt aliqua sanctitate præditæ, vel quatenus ad Deum aliqua ratione referuntur, vel quatenus cum Deo aliquo modo, videlicet, aut re ipsa, aut cogitatione nostra coniunguntur. Sanctos quidem, tanquam patronos, & aduocatos apud

Deum,

Deum, quos voluit, ac iussit Deus ipse honorari, & coli Imagines propter ipsa prototypa, & exemplaria, quæ referunt. Cæteras res sacras, quia totus honos, & cultus earum ad Deum refertur, qui pariter voluit, vt eas piè, & religiosè tractaremus, & coleremus, Deum cultu latriæ, & religionis veneramur, vt auctorem, & largitorẽ cælestium, & spiritualium bonorum, quæ oratione postulamus. Sanctos verò, vt patronos, quorum patrocinio, & precibus Deus nobis eiusmodi bona largitur: res sacras honoramus, vt referuntur ad Deum.

Tertiò quæritur, Quinam sint adorationis actus, quos Deo, diuinisque rebus Religio tribuit? Respondeo, apud Hebræos fuisse quatuor adorationis genera: Aut enim Iudæi, caput suum summittebant: Aut crura, & genua flectebant: Aut totum corpus inclinabant: Aut denique sese in terram facie, & toto corpore prosternebant: Vnde quatuor sunt hebraica verba, quatuor ea adorationis genera propriè exprimentia: Cadad, quod significat, caput, seu ceruicẽ inclinare: Cara, est crus, aut genu flectere: Barac, significat inclinare corp⁹: Schachah, est facie, & toto corpore humi procũbere. Præter hæc verba est etiã quintum Abad, & propriè significat seruire. apud græcos codices sacros est λατρεύω, δουλεύω, προσκυνέω. Primùm verbum vniuersè significat seruire: Sed Scriptura eo vtitur ad significandum cultum, qui Deo tribuitur tanquam Deo, summum videlicet & perfectissimum: qui quidem actus dicitur Latria. Vnde dicta est Idololatria, qua cultus, qui Deo debetur, alteri defertur. Δουλεύω, generatim quoque significat, seruire, & de Deo quoque dicitur, cum colitur tanquam Dominus. Sed Ecclesiastici Scriptores transtulerũt ad significandum cultum, qui Sanctis in cælo cum Christo viuentibus, & rebus sacris tribuitur. προσκυνέω, in vniuersum Græcis significat idem, quod Adoro. Porrò apud Latinos adorandi verbum, aliquando generatim accipitur, aliquando solùm de Deo dicitur: tunc autem Deo soli conuenit Adorationis cultus, quando eum veneramur, & colimus propter ipsum: nam cætera omnia non propter ipsa; sed propter Deum hoc cultu honorare debemus. Alioqui enim, si diuinum religionis cultum alicui alteri propter ipsum tribueremus, Idololatriæ crimen committeremus. Quare *Esther* 13. Mardochæus noluit sese inclinare coram Aman, rationem reddens: *Timui*, inquit, *ne honorem Dei transferrem ad hominem, & quenquam adorarem* (nimirum propter ipsummet) *excepto Deo meo.* Actuum 10. cũ Cornelius Centurio Petrum adorare vellet, ac si in eo diuinum aliquid ineesset, dignumque proinde diuinis honoribus, prohibuit Petrus, dicens: *Surge, & ego ipse homo sum.* Act. 14. Paulus, & Barnabas Lycaonibus præceperunt, ne adorarent eos. Denique Angelus Apocal. 19. Ioanni, qui eum adorare volebat, dixit: *Vide ne feceris: Conseruus tuus sum, Deum adora.* Et propterea Athanasius disputans contra Arianos, ait; *neque Angelos, neque homines sanctos esse adorandos.* Epiphanius quoque scribit, Mariam non esse adorandam, sed solùm Deũ. Ambrosius reprehendit eos, qui conseruos adorant. Demum Augustinus de sanctis hominibus, & Angelis loquens, ait: *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si piè vixerunt, non sic habentur, vt tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes.* Quibus in locis Patres, de Adoratione loquũtur eo more, quo Scriptura loquitur. Ea porrò quatuor adorationis genera, quæ supra retulim⁹, soli Deo dare consueuit. Aliquando tamen permittit homines aliquo ex illis quatuor generib⁹ adorari: nimirũ, vel capitis summissione, vel genuflexione, vel inclinatione corporis, aut quia huiusmodi adorationis genera sint apud eos, de quibus Scriptura loquitur, vsitata: aut quia homines non propter ipsos, sed propter Deũ religioso cultu honoramus. Cum verò prohibet Scriptura, ideo prohibet, quia pius, & religiosus honor, & cultus latrię soli Deo deferri, & tribui debet, aut alteri; sed propter Deum, ita vt potius in eo Deus colatur.

Quintò quæritur, An religiosus cultus sit sanctis hominibus tribuendus; Sanctorum nomine hoc loco intelligimus eos, qui publica Ecclesiæ auctoritate sunt in Sanctorum numerum relati; & quos tanquam Sanctos cæli habitatores publicè veneratur Ecclesia. Fuit hęresis Eustathij, vt refert Socrat. *libr. 2. Histor. Eccles. cap.* 33. dicentis: Sanctos non esse colendos, sed vnum tantummodo Deum: quia primo præcepto Decalogi Deum colere iubemur, ac prohibemur cultũ alijs tribuere: qua hæresi infecti quoque fuere Eunomius, & Vigilantius, Claudius Taurinensis, Waldenses; & nunc quoque Lutherani, & Caluinistæ. Porrò Catholica est sententia, Sanctos piè, & religiosè coli oportere, idque & Concilia definierunt, & communi consensu patres, & Græci, & Latini tradiderunt. Sed animaduertendum est, in quo status huius controuersiæ consistat. Hæretici minimè inficiantur, Sanctos esse honorandos eo cultu, & honore, quo veneramur, & colimus viros virtute aliqua, & sapientia, potentia, ætate, nobilitate, vel qualibet alia auctoritate conspicuos: hic enim honos totus est ciuilis, & humanus, & proinde viris eximijs, & excellentibus debitus. Sed Catholicos hæretici criminantur, quòd Sanctos pro Deo reuereantur, & colant, hoc est, quòd diuinos Sanctis honores deferant: & hoc, inquiunt, est, quod Scripturæ prohibent, ne vllum hominem pro Deo colamus. At enim falluntur hæretici: nec enim Catholici Sanctum vllum pro Deo honorant, sed eum propter Deum ipsum venerantur, & colunt. Vt enim supra diximus: Imaginem Dei minimè coli pro Deo; sed propter Deum; quoniam non colimus, & veneramur Imagines propter ipsasmet; sed propter res, quarum similitudinem gestant. Et idcirco licet Imaginis Dei cultus sit latriç, non cõtinuò sequitur, vt rei creatæ tribuatur: quoniam datur Imagini, non propter ipsam; sed propter Deum. Tunc verò est Idololatria, cum Diuinum cultum creatis rebus deferimus propter ipsas: Sic etiam Sanctos non solùm honoramus eo cultu, quo viros virtute, sapientia, potentia, aut qualibet alia dignitate præstantes; sed etiam Diuino cultu, & honore, qui est religionis actus: nam ille cultus, qui viris primarijs defertur, non est religionis; sed alterius longè inferioris virtutis, quæ obseruantia vocatur, actus, & officium.

Sed diuinos cultus, & honores Sanctis nō damus propter ipsos, sed propter Deum, qui eos Sanctos effecit. Non igitur est Idololatria, si templa erigamus in honorem Sanctorum, altaria consecremus, sacrificia offeramus, dies festos instituamus: Si eorum opem, & patrocinium inuocemus, si eis vota nuncupem⁹: deniq; si peregrinationes suscipiamus, vigilias, & ieiunia sustineamus: scilicet hæc omnia propter Deum ipsum fiunt, in quem totus honos, & cultus, qui tribuitur Sanctis refertur.

Tribuimus autem Sanctis eiusmodi honores, quia Deꝰ voluit suos Sanctos sic honorari, & coli. Non igitur cum primo Decalogi præcepto pugnamus, si Diuinum cultum Sanctis tribuimus: quoniam eo præcepto solùm prohibemur, ne alteri religionis officia, & Diuinos honores impertiamus propter ipsum, cum religio, & Diuinus cultus Deo propter ipsum debeatur.

Sextò quæritur, An Sancti sint inuocandi? Iidē, quos ante diximus, hæretici, persuadere conantur, etiam in hoc Catholicos cum Scripturis, & primo Decalogi præcepto pugnare, quod Sāctos orent, & eorum opem, & auxilium implorent. Quod probant, quia nostræ mentis cogitationes omnem humanam cognitionē penitus effugiunt, & latent: ergo Sancti, nostræ mentis precationes occultas cognoscere nequeunt. Deinde inter Deum, & homines solus est vnus Mediator, & aduocatus, qui est Christus Redemptor noster, ergo iniuria fit Christo, si alius tanquam aduocatus, patronus. & mediator inuocetur. Præterea probant, quia impium, aiunt, esse videtur, Sanctos orare eo modo, quo Deum precamur, ergo nefas est, orare, & precari Sanctos, vti è cælo respiciant, preces exaudiant, suscipiāt vota, fletus, lacrymas, suspiria; denique, vt iuuent, & liberent à malis: quibus modis, inquiunt, Deum ipsum oramus.

Sed certa est, & manifesta Conciliorum definitio, perpetuo ab Apostolorum temporibus vsu, & omnium Græcorum, & Latinorum patrum auctoritate firmata, Sanctos esse orandos, & inuocandos. Et manifesta hæreticorum calumnia est, Sanctos orari, & inuocari à nobis, eo modo quo Deum. Nam Deum oramus, vt noxas, & peccata condonet, gratiam, & virtutes cōcedat, cælestem hereditatem conferat, nos ab omni malo eripiat, & protegat: At verò Sanctos oramus, vt pro nobis sint apud Deum aduocati, precatores, & fautores. Vnde Ecclesia in suis publicis supplicationibus Deum orat, vt misereatur nostri; at verò Sanctos, vt orent pro nobis: vel suis precibus, & meritis mala à nobis auertant, bona à Deo impetrent, suo patrocinio nos iuuent.

Ad illud verò, quod hæretici obijciunt, Sanctos, mentis nostræ abditas cogitationes nescire: verum est, eos naturæ vi, & facultate eiusmodi cogitationes non posse cognoscere; at eo ipso, quod beati sunt, iure, & conditione ipsius beatitudinis habent, vt videant in Deo quæcumque ad ipsos pertinent: & proinde preces omnes, quæ ad ipsos diriguntur. Quomodo tamen in Deo videant, duę sunt Theologorum sententię *in 4. dist. 45.* Vna, quæ affirmat, eos in Deo cognoscere initio statim suæ beatitudinis, hoc est, ab eo temporis momento, quo cœperunt esse beati: ita vt simul & Diuinitatem clarè cernant, & omnia cognoscant, quæcunque ad ipsos pertinent, & processu temporis futura sunt. Altera opinio, Sanctos tradit ea videre, & cognoscere varijs temporum interuallis, prout lapsu, & cursu tēporis fiunt, quæ ad ipsos pertinent siue hoc, siue illo modo cognoscant, ideo ea vident, quia iure, & conditione beatitudinis, debetur ijs, qui iam sunt cælestem hæreditatem adepti, vt quæ ad eos spectant, ea Deus ipsis patefaciat. Et ideo, cum Sanctos oramus, non oportet precari Deum, vt preces nostras Sanctis aperiat, & detegat. Præterea, nulla fit iniuria Christo, si Sanctos, vt patronos, & aduocatos inuocemus; quoniam Christus inter nos, & Deum est primarius Mediator, quod Sanctis non conuenit. Præterea, Sancti sunt apud Christum patroni, & aduocati, & Christus apud Patrem. Deinde, Sancti sunt aduocati beneficio Christi Domini, qui tales eos esse voluit, ac meruit.

Octauò quæritur, Quo modo intelligantur multa, quæ vsu Ecclesiæ communi recepta, hæretici calumniantur tanquam impia, eo quòd per ea Diuinum honorem, & cultum creatis rebus deferre videamur? Primò enim calumniantur hæretici, quòd Templa, quæ soli Deo dicari, Augustin. *libr. contra sermon. Arrianorum, capit. 20. & libr. 1. contra Maximinum Arrianorum Episcopum argumento 11. de Spiritu sancto, & lib. 8. de ciuit. capit. vltim.* & alij Patres apertè testantur, Martyribus extruamus. Alioqui enim si templa Sanctis constituuntur, cur etiam non dedicantur eis Sacerdotes, sacra, sacrificia, & victimæ? Sed nihil est, cur calumnientur hæretici: nos enim confitemur templa esse Dei: quoniam templa eriguntur, vt in eis hostiæ offerantur, & sacrificia Deo fiant; at verò dicuntur esse templa Martyrum, quia eædem sacræ domus, quæ sunt templa Dei, continent sepulchra Martyrum, ossa, reliquias, corpora, cineres, vel denique eorum Imagines, & monumenta, vel alia, quæ ad eos aliqua ratione pertinent: & proinde templa Deo dicantur ad sacrificia ipsi offerenda: Sanctis verò templa seruiunt tanquam magnificæ, & amplæ domus, in quibꝰ est aliquid collocatum, quod ad Martyres aliquo modo spectet. Pari ratione dicuntur templa B. Deiparæ, Sancti Michaēlis, & aliorum Angelorum: quia tametsi eorum corpora, vel reliquias non contineant; habent tamen eorum Imagines, vel monimenta rerum, quas Deus eorum ministerio, & opera mirabiliter effecit, vel aliquid, in quo vidēdos se hominibus exhibuerūt. Templa verò Deo dicari in honorem Sanctorum, & eorum nominibus appellari, comprobat vsus Ecclesiæ à primis Apostolorum temporibus ad nos vsque perpetuò perductus, & auctoritas patrum Ambrosij *lib. 1. epist. 5. ad Felicem Episcopum Comensem.* Athanasij *in Epistola ad vitam solitariam agentes.* Basilij *in Psalmū 114. in principio.* Nazianzeni *in oratione 1. in Iulianum.* Nysseni *in oratione in Theodorum Martyrem.* Chrysostomi *hom. 28. ad Populum.* Hieron. *in li. contra Vigilantium.* Augustini *lib. de cura pro mortuis. cap. 5. & lib. 1. de ciuit. c. 1.* Cyrilli *in Catechesi. 16.* Damasceni *li. 4. Fidei orthod. ca. 16.* Denique Theodoretus *libr. 8. ad Græcos* ait; templa olim idolorum nunc Martyrum esse. Gregor. *lib. 2. Dialog. cap. 8.* testatur, à Sanct. Benedi-

cto in

cto in móte Cassino duo fana Apollinis conuersa fuisse in oratoria Sanctorum, vnum Martini, alterum Ioannis. Et liber Pontificalis refert Syluestrum I. dedicasse Basilicas à Constantino magno extructas, vnam Petro, alteram Paulo, tertiã Ioanni, quartam Laurentio: Liberium, B. Mariæ: Damasum, B. Laurentio: Innocentiũ, Sanctis Gerualio, & Prothasio: Sixtum, B. Mariæ: Symmachũ, B. Andreæ.

Deinde calumniantur, & obijciunt hæretici, quòd inter rem diuinam faciendam, dum DEO confitemur nos grauiter peccasse, cum eo simul Sanctos coniungimus, confitentes quoque Sanctis, nos verbo, opere, & omissione deliquisse. Respondeo, cõfiteri nos Deo peccata, quibus ipsum offendimus, & quorum à Deo veniam precamur impensè. Confitemur verò Sanctis, tanquam patronis, & aduocatis, quos asciscimus, vt eorum precibus, & meritis à DEO veniam impetremus.

Tertiò queruntur, quòd vota Deo simul, & Sanctis nuncupemus. Nam inter profitendam Religionem, Regulares solent cõtinenti oratione vti dicentes: Voueo Deo; & B. Francisco, vel B. Dominico Castitatem, Paupertatem, &c. Respondeo, eos etiam calumniari posse, quòd inter emittendam Religionis professionem subiungitur: *Et tibi N. Præposito Generali, locum Dei tenenti.* Dicendum igitur est, posse nos Sanctis aliquid promittere, sicut etiam fieri solet homini promissio. Sed tunc Sanctis promittitur id, quod cedit in bonum, hoc est, in obsequium, & honorem ipsorum: Vt cum promittimus nos daturos calices, aut vestes, aut quippiam aliud, quod inseruiat vsibus sacræ ædis, in qua reconditæ sunt Sanctorum reliquiæ, vel Imagines.

Status igitur quæstionis est de Votis, quæ Deo simul, & Sanctis nuncupãtur, in quibus vouemus aliquod virtutis officium, quod totum cedit in bonum nostrum, nimirum, castitatem, & paupertatem.

Dicendum est, eiusmodi Vota non fieri Sanctis, sed Deo, Sanctos verò nominamus vnà cum Deo, cum vouemus, quia significare volumus nos eos, vt voti nostri testes adhibere; item, vt aduocatos adsciscere, vt eorum patrocinio promissa seruemus, & exoluamus. Item, vota facimus Sanctis, vt Dei locum tenent, & Dei vice funguntur? Nec est, quòd obtrudant, contienter nos dicere: Voueo Deo, & B. Francisco: Deus enim inspector est cordium, & mentium, & sententię potius eius, qui orat, quàm vocis rationem habet.

Postremò obijciunt nos altaria Sanctis erigere, thura adolere, dies festos instituere, ieiunia consecrare, Missarum sacrificia offerre: obijciunt isti calumniatores perfidi, institutas esse Missas hui⁹ vel illius Sancti; peregrinationes nos in Sanctorum cultum suscipere, deniq; Sanctos nos inuocare, vt morbos depellant, pestes arceant, vt nos saluos, & incolumes seruent, & tanquam certorum locorum præsides, & quorundam morborum curatores, & medicos. Quæ omnia sapiunt, nugantur isti, Idololatriam, & Gẽtilitiam superstitionem. Ad horum singula Respondeo: Altaria soli Deo dicantur, quatenus sunt, in quibus sacrificia offeruntur: at verò dicuntur altaria eorum Sanctorũ, quia eorum corpora, reliquiæ, vel Imagines in eis collocantur. Thura verò adolemus Sanctis, non tanquam Deo, sed quia templum ipsum, vel altare thure expiatur. Præterea dies festos Sanctis dicamus, vt in ipsis eos honoremus, eorum res gestas prædicemus, celebremus, & eorum patrocinium inuocemus: eorumque peruigilia pariter ieiunio colimus, quia optamus eorum precibus, & meritis nostra ieiunia Deo grata, & accepta fieri. Missarum porrò sacrificia non Sanctis offeruntur, sed Deo: hæ verò, aut illæ Missæ dicuntur esse huius, aut illius Sancti, quia inter rem diuinam faciendam Sancti memoriam facimus, vt pro nobis orer, & vt sacrificia nostra ipsius precibus, & meritis Deo grata ora reddantur. Peregrinationes itidem suscipimus, non quòd eas Sanctis offeramus; sed quod sacram ædem inuisamus, in qua sunt corpora, reliquiæ, cineres, vel imagines Sanctorum, vt ibi Deum oremus, & Sanctorum opem, & auxilium imploremus. Insuper oramus Sanctos, vt pestem arceant, vt morbos pellãt, bella, & alia mala propulsent, nosque seruent incolumes, nimirum suis precib⁹, & meritis, & patrocinio, & auxilio apud Deum. Quòd si apud Patres aliquando legamus preces, quę ad Sanctos funduntur, in quibus petitur, vt nostri eos misereat, nos respiciant, nos saluos efficiant. Hæc, & alia interpretari oportet, vt patres ipsimet intellexerunt; nimirum, vt causa nostri ea suis precibus, & meritis impetrent.

Quorundam locorum, Sancti, Patroni, & Præsides vocantur, non quòd sint Dij tutelares: sed quod in ijs locis eorum corpora, reliquiæ, cineres, vel imagines cõtineantur; vel quod Deus eorum precibus ijs in locis aliqua mirabiliter effecerit. Similiter etiam certi Sancti contra certos morbos, aut ad certa quædam opera inuocantur, eo quòd Deus ea beneficia eorũ precibus, & meritis in nos cõferre voluerit. Ad extremum, cum nos coram vno Sancto, vel eius imagine precationem Dominicam recitamus, non id facimus, quòd eam precationem ad Sanctum referamus, aut quòd putemus nos in ea precatione cum sancto loqui, sed quòd preces nostras ad Deũ fusas, & directas optemus Sancti illius precibus, & meritis ipsi Deo offerri; & vt eius patrocinio fiant longè gratiores.

Nonò quæritur, An precationes publicæ dirigi tantummodò debeant ad Deum Patrem? In Concilio Carthaginensi iij. *can. xxiij.* decretũ est, vt nemo in precibus, vel Patrem pro Filio, vel Filium pro patre nominet: Et cum ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Ecclesia igitur ad Patrem per Christum solita est suas preces dirigere. Nihilominus tamen æque, ac Patrem, Spiritum Sanctum, & Filium orat, vt manifestò constat ex Litanijs, & supplicationibus publicis, hymnis, & alijs quibusdam orationibus peculiariter Filio, & Spiritui sancto dedicatis. Obijcies illud Pauli ad Roman. 8. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: ergo Spiritus sancti est Deum Patrem orare. Respondeo, appellatione Spiritus iuxta Augustinum, Primasium, Sedulium, Bedam, & Anselmum, intelligi Spiritum sanctum: sed, qui postulat, id est, facit

nos po-

nos postulare. At secundum Chrysostomũ, Theophylactum, & Euthymium, intelligitur spiritus charitatis per Spiritum sanctum nobis infusus, qui postulat pro nobis, &c.

Decimò quæritur, An fas sit Christum Dominum orare, vt pro nobis ipse oret? quod est quærere; an nobis liceat sic Christum precari, vt dicamus; Christe, ora pro nobis? Respondeo, nefas esse Christum vt Deum precari, vt oret pro nobis: nam Christus vt Deus, est Patri per omnia æqualis. Sed quæstio est, an Christum vt hominem orare possimus, vt pro nobis precetur? Respondeo, nulla ratione esse nobis precatione aliqua vtendum contra morem Ecclesiæ receptum: Ecclesia autem nunquam publicè Christum precatur, vt pro nobis oret, sed vt nostri misereatur: nam preces non ad naturam humanam, sed ad personam in natura subsistentẽ diriguntur: at persona Christi vna est, & ea est persona filij Dei.

Vndecimò quæritur, An Christus in cælo pro nobis oret, quatenus homo est? nam certò constat olim eum in terris pro nobis sæpius orasse. Sunt, qui censeant, nequaquam esse dicendum, Christum in cælis pro nobis orare: nam orare, est actus alicuius suppliciter sese Deo subijcientis, & vel inflexo genu, vel submisso capite, vel inclinato, aut prostrato corpore aliquid petentis: At Christus in cælis se hoc modo non habet. Respondeo, Christum in cælis pro nobis orare, petendo aliquid à Patre, & ostendendo illi sua merita, & opera, quæ in terrâ pro nobis gessit. Nam ad Rom. 8. dicitur: *Qui etiam interpellat pro nobis*, & ad Hebr. 9. *Introiuit in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* 1. Ioan. 2. Et Ioannes in prima Canonica: *Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum*: Et ipse Christus cum dixisset Discipulis suis, ad Patrem se rediturum, ait: *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit nobis.* Ioan. 14. Et rursus: *Illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem pro vobis.* At verò Christus in cælis Patrem non orat voce supplicum hominum, qui genu flectunt, caput submittunt, pectus pugno cædunt, corpus prosternunt, & expansas palmas in altum attollunt: hæc enim vel horum aliqua Christo in terris agenti conueniebant, sed non ad Patris iam dexteram confidenti.

Duodecimò quæritur, An Sancti pro nobis in cælis orent? Respondeo, dubitari non posse, quin pro nobis orent, quia nos magna charitate, & amore prosequuntur: & *vt ante dixi*, preces nostras quamuis intra mentem omnino latentes exaudiunt: ea quoque mala, quibus premimur, & bona, quibus indigemus, nota, & perspecta habent. Vnde Petrus: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* 2. Pet. 1. Apoca. 5. describuntur viginti quatuor seniores in cælo procidisse coram throno Dei, habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Item Angelos Sanctos in cælis pro nobis orare, clare Scripturæ docent, quia testantur, eos nostri curam habere, Tob. 12. Zacha. 1. Apocal. 8. Daniel. 10. & Matth. 18. SED QVAESTIO EST, An Sancti orent pro ijs, qui pœnis purgatorijs expiantur. Sotus *in 4. dist. in.* 45. *quæst. 3. art. 2. ad finem*, videtur docere, non pro illis orare: Sed eum manifestè communis Ecclesiæ vsus conuincit, quæ in suis publicis supplicationibus sic Sanctos consueuit orare: *Sancte Petre ora pro eo, &c.* Quanquam arbitror Sotum *eo loco* solùm docere voluisse, Sanctos cœli ciues non orare pro illis satisfaciendo, sed impetrando. Nam S. Thomas *in 4. d. 45. quæst. 3. art. 3. ad 6.* ait, aliter orare pro mortuis Ecclesiam in terris, aliter Sanctos in cælo, quia Ecclesia orat pro illis impetrando, & satisfaciendo, Sancti verò orant impetrando, non satisfaciendo.

Quæres, An Sancti, qui ante Christi ascensum in cælos apud inferos detinebantur, pro viuis orauerint? Respondeo, solitos fuisse orare, vt constat ex 2. Machabæorum *ca. 15.* vbi Iudas per visionem vidit Oniam Pontificem, & Hieremiam pro populo Iudæorum orantes. & Hierem. 15. dixit *Dominus ad me: Si steterint Moses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* SECVNDO ROGABIS, an iusti, qui ignibus purgatorijs debitas peccatorum pœnas exoluunt, pro nobis orent? Duæ sunt opiniones: nam S. Thomas *secunda secundæ, quæstione 83. articulo quarto, ad 3. & in 4. distinctione 15. quæst. quarta, artic. 5. q. 2. ad 2.* & Alexan. *par. 4. q. 26. memb. 3. art. 4. ad 4.* censent, eos minimè pro nobis orare, licet orent pro seipsis: quia nondum sunt cælestem hæreditatem adepti, & acerbissimè cruciantur. Deinde, quia eorũ potiùs est pœnas luere: quàm suorum amicorum patrocinium suscipere. Præterea, quia Ecclesia nunquam eos orare consueuit. Contra alij opinantur, & eos pro nobis orare, & posse nos ad eos preces dirigere, quia Dei gratia, & charitate sunt præditi, & vel Angelorum ministerio, vel Dei munere possunt preces nostras cognoscere. Nec impedit pœnarum acerbitas, quam sustinent, quin pro nobis orent: quoniam Martyres dum æquissimè torquebantur, pro suis etiam tortoribus precabãtur. Postremò, quia refert B. Gregorius *lib. 4. Dialog. c. 40.* de quodam Paschasio historiam, cuius anima pœnis purgatorij expiabatur, & nihilominus eius meritis, ac precibus mirabilia quædã efficiebantur. Hanc opinionem sequitur Medina, *de oratione, q. 4. 5. de animabus etiam*: & Sot. *in 4. dist. 45. q. 3. ar. 1. versus finem*, ait: *Fortasse animæ iustorum, quæ igne purgatorio detinentur, cum charitate sint præditæ, non impediuntur, quin orent pro nobis.* Sed hoc est tenuissimis cõiecturis agere.

S. Thomas, cuius sententiæ communis Theologorum schola subscripsit, cẽset eos pro nobis nequaquam orare, quia nondum sunt in eo vitæ statu, & conditione, in quo pro nobis oratur. Et ad illud Gregorij de Paschasio respondet, *in 4. dist. 15. q. 4. ar. 5. q. 2. ad 3.* ea miracula contigisse ob studiũ, & pietatem eorũ, qui bona fide ipsum precabantur: putabant enim, eum fuisse iam ad cælestes sedes admissum. Voluit tamen Deus edito miraculo ostendere illius vitam sibi gratam, & acceptã fuisse, quamuis adhuc contractas in hoc mundo maculas pœnis purgatorijs eluebat. *Paschasius*, inquit, *in purgatorio non orabat pro alijs, sed oratio ad eum fusa exaudita est propter fidem orantium.* Sic ille.

Decimotertiò quæritur, An eos singulos, qui sunt cælestem hæreditatem assecuti, iure possimus orare, etiam paruulos, qui sacro Baptismate abluti, statim ad supernam patriam conuolarũt? Respondeo, Ecclesiam ad Angelos quidem singulos bonos preces dirigere, at verò non singulo-

rum iustorum, & beatorum animas, qui sunt in cælestibus collocati sedibus deprecatur: priua tim tamen quisque potest eas singulas animas orare, quas piè credit esse in cælum receptas ad gaudia sempiterna.

Decimoquartò quæritur, An præcepto obligemur ad Deum orandum; & quando eiusmodi præceptum obligationem inducat? Respondeo, inter omnes conuenire, esse præceptum orandi, esseque iuris naturalis: nam recta ratio præscribit, vti Deum oremus, vt precibus ab eo peccatorum veniam, diuinam gratiam, & charitatem, & cætera, quæ sunt ad vitam æternam necessaria impensè petamus. Vnde Scripturæ testantur: *Oportet semper orare*; Itẽ, *sine intermissione orate*. SED QVAESTIO EST, quibus nam temporibus huiusmodi lege teneamur. Nec in præsentia quærimus, quando nam, iure scripto, quod positiuũ vocatur, preces fundere, & orare cogamur: sed quænam certa tempora orationi ius naturale præscripserit.

Sylvester *verbo, Oratio. quæstio.* 8. censet obligari singulos ad orandum, cum primum rationis vsum attingunt; deinde, quando probitas, & virtus cuiusque vehementer hostium telis, & incursibus tentata agitatur: Postremò, quando proximus grauissimè indiget remedio ad vitã spiritualem, vel temporalem conseruandam necessario: Vt si duo districtis gladijs dimicent inter se acriter, & de capite, ac vita periclitentur. Angel. *verbo oratio, nu.* 20. Medi. *de oratione qu.* 11. & Ledesm. 4. *quæstion.* 26. *articul.* 3. Nauarr. *de horis Canonicis, cap.* 3. *numer.* 14. docent vnumquemque orare debere vi legis naturalis, cum eius virtus, & probitas vehementer tentatur, aut cum graui afflictionum, & calamitatum, & aliorum malorum pondere premitur, aut cum in probabile mortis periculum incidit. Alij addunt, etiam obligari nos ad orandum, cum ad rem diuinam audiendam diebus dominicis, & festis accedimus: putant enim, eadem lege, qua Missæ sacrificio interesse debemus, obligari nos ad orandum. Sed secundum Durand. *in* 4. *d.* 15. *quæst.* 12. & Palud. 4. *d.* 15 *quæst.* 5. *articul.* 1. nulla est ratio, quæ conuincat, in huiusmodi temporibus teneri nos orandi lege. Nam cum quis incipit vti ratione, satis est, si omne tunc peccatum deuitauerit, ac id boni præstiterit, quod tunc occurrerit. Nec item si dæmon, vel alius quispiam nos grauiter tentet, vt à Dei gratia, & charitate dejiciat, cõtinuò sequitur, vt ad orandum obligemur: sunt enim in promptu alia remedia, quibus Dæmonem, & alios hostiles incursus propulsare possimus. Nec Missæ sacrum audiendi præceptum adstringit nos ad orandum.

Quo igitur tempore, dices, orandi præcepto, ac lege tenemur? Respondent Durandus, & Paludanus multa esse iuris naturalis præcepta, quæ certum tempus minimè præscribunt, è quibus est ieiunãdi, & orandi præceptum. Vnde præscripto humanarum legum in his certa tempora constituuntur. Quare sicut ieiunandi lex definita tempora habet decreto Ecclesiæ, voto, vel iureiurando cuiusq;, aut præcepto Superioris: sic etiã certa tempora cõstituta sunt Ecclesiasticis legibus; nimirum Romanorum Pontificum, vel Episcoporum, vel aliorum Superiorum præceptis, iureiurando, vel voto priuato singulorum, vel præscripto conscientiæ propriæ, vt si quis existimauerit, se nũc ad orandum, præcepto obligari. Mihi probabile videtur, vnumquemque vi præcepti naturalis orare debere ijs temporibus, quæ suprà Angelus, Medina, & Nauarrus expresserunt. Item, ijs temporibus, quibus debet Dei gratiam, auxilium, & opem inuocare, vt impetret à Deo, quæ sunt necessaria ad salutem sempiternam.

Decimoquintò quæritur. An soli Deo sit sacrificandum? Respondeo ex Augustino *libr.* 8. *de Ciuit. cap.* 27. & S. Thom. 2. 2. *q.* 85. *art.* 2. sacrificare, esse religionis opus, & officium, & soli Deo sacrificia offerri oportere quia offeruntur, vt peccata expiamus, eorum veniam impetremus, bona consequamur, & à nobis aduersa, & mala repellamus: sed Deus auctor est, à quo tanquam à fonte eiusmodi bona promanant. Vnde Concilium Tridẽtinum *Sess.* 22. definiuit, Missę sacrificium soli Deo offerri. *cap.* 3. ait: *Et quamuis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdũ Missas Ecclesia celebrare consueuerit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronauit; vnde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.* Hæc ibi. Et Canone 5. eiusdem Sessionis, ait: *Si quis dixerit, impostoram esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione, apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.* At in Decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, inter alia constituit. *Postremò*, inquit, *ne superstitionis locus aliquis detur, edicto, & pœnis propositis caueant* (nimirum Episcopi) *ne Sacerdotes alijs, quàm debitis horis celebrent, neue ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti, & laudabili vsu receptæ fuerint. Quarundam vero Missarum, & cãdelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quam à vera religione inuentus est, omnino ab Ecclesia remoueant: doceantque populum, quis fit, & à quo potissimum prouenitat sanctissimi huius sacrificij tam pretiosus ac cælestis fructus.* Hæc ibi.

Quæres, quo tempore sacrificandi præcepto teneamur? Respondeo ad eundem modum, quem dixi, de præcepto orandi, nam iure naturali generatim solummodò constituta sunt tempora, sed iure Diuino scripto, vel Ecclesiastico, vel voto, aut iureiurando cuiusque, aut Maiorum, siue Superiorum certa tempora definiuntur: de quibus suo loco dicemus.

Caput XI.

De Peccatis, quæ contra Religionem committuntur.

ANimaduertendum est, multa esse peccata, quæ Religioni aduersantur: de quibus agit S. Thomas *in* 2. 2. *q.* 92. *& sequentib.* At præsentis instituti tantùm est, ea attingere, quæ ad Idololatriam, Superstitionem, Diuinationem q; inanẽ, & vanam pertinent.

Primùm quæritur, Quid sit Superstitio, & quotuplex? Respondeo, superstitionem dici vanam, & inanem religionem, eam nimirum, quæ Deo venerationem, & cultum indebitum, defert, aut de-

bitum

bitum denegat,& detrahit. Quo fit, vt duo sint superstitionum genera. Vnum est, quo Deo honor, & cultus indebitus datur. Alterum, quo cultus Deo debitus denegatur, & rei creatæ tribuitur. Primi generis superstitio est, cum quis Deum honorat, & colit falsis, vanis, & friuolis cæremonijs. Deinde, cum quis Deo cultum tribuit inanem,& vanum,scilicet,commentitia, & futili aliqua cæremonia eum venerando. Futilis autem cæremonia est, quę nec Dei, nec Ecclesię, nec Sanctorum, nec piorum, & doctorum hominum auctoritate, nec certa, aut verisimili ratione instituta est: nam temere illud fit, quod absque ratione vlla probabili geritur. Porrò in secundo genere superstitionum reponuntur eæ superstitiones, quibus Diuinus cultus rei creatæ defertur, qualis est Idololatria; & eæ superstitiones, quibus aliquid obtinendum,cognoscendum,prędicendum curat quispiam, quod solus Deus dare, scire, & prænuntiare potest, qualis est Diuinatio.

Secundò quæritur, Quæ peccata Idololatriæ nomine significentur? Respondeo, Idolum, esse falsi alicuius numinis effigiem, & simulacrum, quod numen inane, & vanum repræsentat. Vnde Imagines Dei, Angelorum, & Sanctorum cæli ciuium Ecclesiastici Scriptores Idola nequaquam appellant,sed Imagines,ita vt Imago apud eos sit propriè germana veræ, & certæ rei alicuius effigies, & similitudo; Idolum verò, Imago rei inanis,& vanæ,vel falsę rei similitudinem referens. Græcis enim,Idola sunt, quæ Latinis simulacra, aut spectra. Vnde vanæ mortuorum vmbrę,& falsorum,& inanium deorum effigies, & statuæ, Idola,& simulacra nuncupantur. Idololatria igitur est, Idolorum, nimirum inanium, & falsorum numinum cultus, quum honore, & veneratione diuina rem aliquam creatam dignamur: cuiusmodi est,Idolo thura adolere,sacrificia offerre, altaria, & templa extruere, genu flectere,caput aperire,pectus pugno percutere,corpus humi prosternere.

QVAERES, an qui metu mortis hæc, aut similia corà Idolo fecisset, lethaliter deliquisset. Respondeo, metu mortis neminem tale quippiam facientem excusari posse: quoniam est per se, & intrinsecè malum, diuinum cultum rei creatæ, vel vanæ deferre. QVAERES deinde,an Idoli cultus possit per ignorantiam excusari? Respondeo,tale crimen adeo euidenter cum recta ratione pugnare, vt in nullum planè hominem quantumlibet rudem, & rerum omnium ignarum, eius ignorantia cadere possit. QVAERES insuper,an is quoque grauiter delinquat, qui ficto, & simulato animo Idolo cultum diuinum tribuit, vt probabile mortis periculum euadat? Respondeo, grauiter peccare, quia etsi Idololatriæ crimen mente, & animo non perpetret, ore tamen ipso,vel facto perpetrare censetur. At vero opere externo diuinos honores rei creatæ,aut falsæ, & vanæ tribuere, quamuis fictè, & simulatè, per se, & intrinsecè malum est, nec potest vllo metu mortis à peccato excusari.

Tertiò quæritur, An Christiano fas sit operas suas locare, auxilium, vel opem præstare ad extruenda fana,& delubra Idolorum, vel aras,aut altaria erigenda, vel consuendas vestes ad Idolorum cultum, & Paganorum ritus superstitiosos destinatas? Respondeo, nefas esse, vt docet S. Thomas 2.2.q.169.art.2.ad 4.nam operari cum Paganis in ijs, quæ ad superstitionem ipsorum spectant,est consensum eorum superstitioni præstare,loquitur enim S. Thomas de fanis Idolorum, quatenus in Idolorum honorem, & cultum ædificantur.

Quæres, an nefas quoque sit eorum fana adire,& ingredi,& inuisere? Respondeo, nefas esse, si inuisantur ijs temporibus, quibus ibi superstitiosa illa sacra celebrantur,tunc enim pij viri offendi meritò queunt: non tamen si alijs temporibus inuisantur ad eum finem, quo eorum structura, ornatus, & pulchritudo spectetur,vel etiam, atque id multo magis, si opus sit, vbi occasio se dederit, fas est, inuisere, vt irrideatur, atque contemnatur eorum superstitiosa, & vana religio: item vt eorum impia secta commodius confutetur.

Quartò quæritur, An liceat Christiano vendere Paganis, ea, quibus eos vsuros nouit ad superstitiosos Idolorum cultus, & vanos suos ritus,& cæremonias? Hanc quæstionem supra tractaui, vbi aliam similem solui, cum nimirum de Paganis, & eorum ritibus, & moribus euitandis agerem.

Quintò quæritur, An Christiano fas sit cũ Paganis epulari, vel eos ad sua conuiuia, & epulas vocare? Hanc etiam quæstionem supra dissolui, cum ea etiam,qua quęri posset,an liceat Christianis cum Paganis societatem inire,eorum consuetudine, & familiaritate vti, cum eis commercia contrahere, eorum auxilium petere in libello contra Christianos suscepto.

Caput XII.

De Peccatis, quæ per Diuinationem committuntur.

PRIMO quęritur, Quodnam sit Diuinationis crimen? Respondeo cum S. Thoma 2.2. *quæst.* 95.*articul.*1. Diuinationem esse prædictionem,siue pręsensionem,& scientiam rerum futurarum. At Diuinatio,quatenus peccatum est Religioni contrarium,est prædictio,siue præsensio rerum latẽtium,ex inspectione,& notatione rei alicuius petita,vel ducta, & sumpta. Vt cum quis assequendum,sciendum, prænuntiandum aliquid abditũ, & retrusum curat rerum creatarum signis notatis, & obseruatis. Porrò soli Deo nota sunt futura fortuita, hominis internæ cogitationes,& affectus, & quæ libera Angelorum, vel hominum voluntate fiunt; demum supernaturalia mysteria,& arcana fidei,& gratiæ. Diuinatio igitur ideo est peccatum,quia per eam quis studet prænoscere, & prædicere fortuitos rerum futurarum euentus,vel alia penitus occulta, quæ hominum cognitionem omnino latent,ac fugiunt.

Secundò quæritur, Quot sint Diuinationis genera,vel species? Respondeo cum S. Thoma 2.2.q. 95.*art.*3. plurimas: nam futura,& penitus latentia prænuntiantur astrorum signis notatis, aut corporis humani membris, aut aliorum animãtium

partibus,

partibus, aut elementis, aut somnijs, aut auium volatibus, vel cantibus, aut mortuorum ossibus, vel caduceribus, aut monstris, ostentis, ominibus, sortibus, & alijs huiusmodi obseruatis, & inspectis.

Tertiò quæritur, An dicti Diuinationum gradus, & modi sint veræ species inter se distinctæ, ita vt in sacra peccatorum confessione explicari debeant? Nam videtur specie differre, cum res ipsæ, quarum obseruatione quispiam diuinat, specie distinguantur. Respondeo, non esse species ita inter se diuersas, vt eas ob hanc rationem inter confitendum oporteat referre, & exponere. Nam res ipsæ per id, quod naturaliter sunt, specie distinguuntur, vt liquido constat: at secundum id, quod ad mores attinet, specie non differunt, non enim specialem contra rectam rationem deformitatem habent omnes diuinationum modi. Vt si quispiam coniectãdo diuinet notatis astrorum signis elementisue, vel auium volatibus, aut cantibus: item si quis diuinet obseruatis signis, quæ videntur in igne, aëre, aqua, vel terra. Nunc ad singulas Diuinationis partes veniamus.

Caput XIII.

De Diuinatione per astra.

QVæritur primò, Quid mali insit Diuinationi per astra? *De hac re in cap. Igitur. 26. q. 3.* ex Isidoro *lib. 8. Etymolog. cap. 9. & in cap. Non licet. 26. q. 5.* & S. Thom. *2. 2. q. 95. art. 5.* Respondeo, huiusmodi diuinationem pertinere ad eam Astrologiæ partem, quæ Diuinatrix, & Iudiciaria ab Astronomis vocatur. Olim siquidem Astrologi, vt patet *ex cap. illos. 26. q. 2. & l. 2. C. de Maleficis. & l. Mathematici. C. de Episcop. audientia.* Mathematici, Genethliaci, & Planetarij dicebãtur, qui vanam, & falsam syderum, & astrorum scientiam professi, ex motu syderum, & astrorum prædicebant futura fortuita, aut præsentia, & præterita penitus hominibus occulta, aut ex hominum ortu, & natali die, aut quauis alia temporum, & momentorum obseruatione, & notatione iudicabant, & prænuntiabant de cuiusque hominis statu, conditione, vitæ cursu, honoribus, diuitijs, nuptijs, sobole, salute, morbis, morte, itineribus, certaminibus, inimicitijs, simulationibus, odijs, carceribus, exilijs, cædibus, alijsque varijs discriminibus, & fortuitis rerum euentibus aduersis, vel prosperis. Aiunt enim vim quãdam esse in signifero orbe, qui Græcè Zodiacus dicitur, & eam talem esse, vt eius orbis vnaquæque pars alia alio modo moueat, immutetque cælum: proinde vt quæque stellæ in ijs, finitimisq; partibus sint quouis tempore, eam vim varie moueri ab ijs sideribus, quæ vocantur Errantia: Cum autem in eam ipsam partem orbis venerint, in qua sit ortus eius, qui concipitur, aut qui nascitur, aut in eam, quæ coniunctum aliquid habeat, aut quæ consentiat cum tempore anniuersali conuersione, immutationeque, has, aut illas fieri accessu stellarum, & recessu: & has, aut illas tempestates cieri, & alia multa contingere, vtcumque temperatus sit aër: & eo modo infantes, & pueros, qui nascuntur, & qui concipiuntur fœtus, animari, atque formari, ex eoque ingenia, mores, animam, corpus, actiones vitæ, casus cuiusque, euentusque finiri: Totumque hoc Diuinationis genus à Chaldeis duxit originem: Valuit apud Babylonios, Assyrios, Persas, Aegyptios, deinde apud Arabes, Saracenos, & quosdam insanos Iudæos, quos secuti sunt quidam pauci Christiani.

Notandum igitur est duplicem esse Astrologiam: vnam Naturalem, quæ Agriculturæ, medicinæ, & nauigationi plurimum conducit, & hæc nimirum est, quæ obseruatis syderum, & astrorũ ortibus, occasibus, motibus, cursibus, accessibus, recessibus, motibus, & varijs conjunctionibus, coniectat ea, quæ naturaliter in hoc mundo contingunt, pluuias scilicet, nubes, niues, pruinas, grandines, ventos, serenitates temporum, tempestates, frigora, calores, & alia huiusmodi. Et hæc Astrologia non est iure Canonico, aut Ciuili dãnata. Altera est Astrologia, quam Iudiciariam, siue Iudicatricem appellant, quæ syderibus, & astris varios, ac multiplices influx⁹ adscribit, quorũ obseruatione, notatione úe certò prænunciat fortuitos rerum euentus, & quæ libera hominis voluntate peraguntur: præterita item, & præsentia hominibus penitus incognita, & occulta, vt furtum, homicidium clam perpetratum: præterea, quæ obseruatis die natali, horis, temporibus, & momentis prædicit futuros hominum casus, totius vitæ cursum, conditiones, & mutationes. Verbi gratia, Titius, qui certo die, hora, & momento conceptus, vel natus est, eo quòd certo sidere Oriente, Occidenteúe, accedente, vel recedente cum alio coniuncto, vel cum alio ab eo remoto ortus fuerit, certo morbo, aut certo tempore, mense, & die, aut certo loco peribit; vxorem diuitem, sed deformem, aut vxorem pulchram, sed pauperem accipiet; certo Principi, aut Regi gratus erit; ad certam dignitatem proueheturr. Atque hęc tota Astrologia diuinatoria Pontificio iure damnatur *26. quæstion. 3. capit. Igitur, & cap. Non liceat. 26. quæst. 5. cap. Illud, & cap. Sed & illud. 26. quæst. 2.* & eam, vel ipsi etiam Ethnici Scriptores pugnacissimè confutarunt. Cicero *libr. 2. de Diuinatione.* Gellius *libr. 14. capit. 1.* scriptam reliquit egregiam orationem, qua Romæ Phauorinus Philosophus contra vanam Chaldæorum disciplinam acriter disputauit. Vespasianus cum ægrotaret, quibusdam inter se de Cometa colloquentibus dixisse fertur: non mihi, sed Regi Parthorum mortem portendit. Ille enim comatus est, ego sum caluus. Vana profecto disciplina, vana ars. Alioquĩ enim cur Romani tanto odio Astrologos iudiciarios prosequuti sunt? Cur tanto ludibrio habuerunt? *Mathematici* (sic enim eos vulgus nominabat) ait Tacitus, *genus hominum principibus infidum, credentibus fallax, à ciuitate nostra semper prohibentur, sed expelluntur nunquam. Omnium superstitionum vanitates,* inquit Varro inter Romanos Scriptores grauissimus, *ex Astrologiæ fonte profluxerunt.* Tiberius, Vitellus, Diocletianus Ethnici Imperatores latis legibus Astrologos è Romana Republica eiecerunt, vt constat ex Codice *de Maleficis, & Mathematicis.* Promiserunt, inquit Cicero. *lib. 2. de Diuinat.* Astrologi Põpeio, Crasso, Cæsari lætissima omnia, nõ nisi iam senes, domi cum summa gloria, & auctoritate morituros, at quisq; eorum infæliciter, &

Sex. Aure. in Vespas.

Libr. 1. Histor.

immaturè perijt. Scribit Arrianus *libr.8.de reb.gestis Alexand.* Apud Indos Gymnosophistas esse diuinandi peritos, nec cuiquam extra illos diuinationem permitti : prædicere autem eos illa tantummodo, quæ vel ad anni tempora pertinent, vel si qua publica calamitas immineat illic incolis. Si quis eorum ter in diuinando errauerit, silētij perpetua pœna mulctatur : nec quisquam ad interdictum silētium cogere potest, vt loquatur. Hæc ex illo. Nec quidquam faciunt pro vana diuinandi arte ex stellis, id, quod dicitur Gen.1. facta esse astra in signa : & id, quod legimus Iud.5. *De cælo dimicatum est contra eos : stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerūt*: & id, quod habetur Psalm.18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuncial firmamentum.* Hæc, inquam, nihil iuuant vanos diuinatores; nam Hiere.10. præcipit Dominus; *à signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes.* Et illud Geneſis: *Vt sint in signa*, exponit Glossa, in signa serenitatis, & tempestatis, & tempora, hoc est, Veris, Aestatis, Autumni, & Hyemis. Sint in signa, videlicet, inquiunt Basilius, & Augustinus, ad huius vitæ vsus necessarios, vt seruiant nautis, viatoribus, medicis, & agricolis. Et illud Iudic.5. *dimicatum est è cælo*, videlicet, vt Glossa, Lyranus, Abulensis, & Caietanus explicant, fulguribus, fulminibus, grandine, & pluuia; Stellæ pugnauerunt, hoc est, vt ait Abulensis, flammæ ignitæ, quæ contra Sisaram cadebant, & vulgo Stellæ vocantur, vel ipsi Angeli, qui sunt velut Stellæ lucidæ, pugnauerunt, vel Stellæ ipsæ videbantur flammas, & ignes immittere in exercitum Sisaræ. Stellæ manentes in cursu suo, quia à solito suo cursu non destiterunt; at Iosue 10. Sol, & Luna steterunt pugnante Iosue contra Gabaonitas. At verò si quis obseruato natali die cuiusque, & notatis syderum, & astrorum signis probabiliter coniectat, eum certa temperatione præditū, certis animi propensionibus affectum iri: & proinde ingenio, aut corporis viribus, & robore valiturum; aut certis morborum generibus obnoxium fore, Ecclesiasticos Canones, aut Pontificia iura, aut leges non violat.

Caput XIV.

De Diuinatione, quæ ex elementorum obseruatione ducitur.

ANimaduertendum est, quatuor esse Diuinationum genera, quæ ex animaduersis, & notatis elementorum signis petuntur, & vocantur Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, Piromantia: De quibus ex Varrone, & Isidoro *in ca. Igitur.26.q.3.* Geomantia est, quę obseruatione alicuius, quod in aliquo terrestri corpore cōtingit, futura contingentia, aut alia hominibus penitus incognita, & occulta diuinat. Hydromantia, est, quæ notatis ijs, quæ in aquis fiunt, futura, & occulta diuinando prænuntiat; vt quidam per vasculum aqua plenum, res clam furto subreptas, & fures ipsos penitus occultos, & latentes produnt, & indicant. Pari ratione est etiam Oenomantia, quæ obseruatis, & notatis ijs, quæ in vino, aut vasculis vini plenis accidunt, futura, & occulta diuinando prædicit. Aeromantia, varijs obseruatis aëris mutationibus abdita, & futura coniectat: qualis etiam est illa, qua quidam signa iumentis imprimunt, ne comedantur à lupis, vel ab alijs bestijs. Pyromantia, obseruatione eorum, quæ per res igne accensas fiunt, diuinat, & vaticinatur: vt cum quis per lignum viride in ignem coniectum, & ad læuam, aut dextram Orientum, Occasum, Meridiem, vel Septemtrionem scintillas emittens, occulta, & arcana denuntiat.

Sciendum est, elementorum obseruationes aliquando esse Philosophiæ naturalis partes, ex quibus ducta signa, & diuturna animaduersione notata res futuras, quę naturaliter, & frequenter eueniunt, sæpe denunciant. Ex vario enim elemētorum habitu, ex circumfusi aëris, maris, & aquæ mutationibus perspectis, & obseruatis prænosci, & prædici queunt pluuiæ, nimbi, pruinæ, grandines, niues, venti, tempestates, serenitates temporum, calores, frigora, & aliæ similes temporis varietates. Et hanc scientiam iura non damnant, vt quæ nimirum medicinæ, agriculturæ, & rei rusticæ, ac militari, & nauigationi plurimum prodest.

Solùm igitur Canones, & Pontificia iura condemnant Geomantiam, Hydromantiam, Aeromantiam, & Pyromantiam, Oenomantiam, quæ descriptis quibusdam circulis, & figuris in terra, cineribus, pulueribus, aquis, igne, aëre, quæque obseruatis certis syderum dispositionibus, quibus eæ lineæ, circuli, & figuræ respondere censentur, futura prænūtiat, occulta deprimit: quam diuinationis speciem coluerūt Arabs quidam Almadal, Gerardus Cremonensis, Bartholomæus Parmensis, Tundinus, & alij huius farinæ homines, vanitatis amatores, cultoresque. Sunt & aliæ similes vanæ artes vaticinandi; Lecanomantia, quum ex pelui, & aqua immissa, nequam dæmon consulitur. Gastromantia, per quam non vocibus, sed figuris dæmones respondent. Catoptromātia, quę diuinat ex speculis nitidissimis. Chrystallomantia, vaticinium ex terso, & polito crystallo. Dactylomātia, vaticinium per annulos ad certos siderum situs fabricatos. Onychomantia, per quam quis vaticinatur ex vngue pueri impoluti. Coscinomantia, diuinatio per cribrum. Axinomantia, vaticinium per secures. Botanomātia, diuinatio per herbas. Sciomantia, vaticinium per vmbras siue ex vmbris. Astragalomantia, diuinatio ex iactu Astralagorum. Cottabomantia, vaticinium per æneam Phialam. Spatulamantia, diuinatio per os hirci recens occisi. Hæc diuinationum genera colliguntur *ex cap.Illud.26.quæstione secunda, ex cap. Igitur.26.quæstion.3. ex cap. Nec mirum 24. quæstion.3.*

Caput XV.

De Diuinatione, quæ sumitur ex varia volucrum obseruatione.

TRia sunt Diuinationum genera, quæ ex multis, & varijs petuntur auium signis, Augurium nempe, Auspicium, & Aruspiciū. Augurium,

est, quo

est, quo quis obseruat auium garritus, voces, cantus, aut numerum: quibus notatis, futuros rerum euentus prædicit: vt si cornix à læua canat, coruus à dextra: si tot alites conuolent, aut concinant; si coruum obuium habeas, si aquilam, si vulturem, si picam, credũt Augures sinistrũ quid portendi. Auspicium est, quo quis ex volucrum habitu, pastu, volatu, cursu, & motu futura prænuntiat, velut si passeres, si pulli volucrum cibũ respuãt: Si columbę fugiant, ac deserant domum, vel vrbem, in qua fuut: si Grues, si vultures celeri volatu, aut veniant ad loca nostra, aut per loca nostra transeant: si Aquila in capite alicuius insederit: si cornix à lęua, aut coruus à dextera canat, hoc aut aliud esse euenturum.

Auspicium est, quo quis inspectis, & animaduersis cæsarum, & immolatarum auium, aut aliorum animantium extis, intestinis, fibris, & visceribus, futura diuinat. Teste Cicerone *lib. 1. de diuinat.* hoc diuinandi genus apud Cilices, Pamphylios, Pisidas, Lycios, & Phryges cæptum est: postea apud Hetruscos maximè viguit: deinde transijt ad Vmbros, & ad Romanos, ita vt primi illi Vrbis reges nihil vnquam sine auspicijs egerint, & in legibus duodecim Tabularum constitutum sit, vt nihil sine auspicijs agatur. Et in Vrbe fuerunt Augurum collegia erecta, & constructa. At verò Auguria, & Auspicia Chrysippus, Diogenes, Antipater, Pauætius, Carneades apud Ciceronẽ, & ipse quoque Cicero, & vniuersi Philosophi, exceptis Democrito, & Platone, reiecerunt. Multa exempla extant de augurijs, & auspicijs apud Valerium *libr. 1. cap. 4. 5. & 6.* Platoni in cunis paruulo dormienti cum examen apum consedisset in labellis; responsum est, fore illum singulari dicendi suauitate præditum, quod scribunt Cicer. *lib. 2. de diuinat.* Vale. *lib. 1. ca. 6.* Plin. *lib. 11. ca. 17.* Midæ Phrygio, cum puer esset, dormienti, formicæ in os tritici grana congesserunt, vt referunt Cicer. *lib. 2. de diuinat.* Valerius *lib. 1. ca. 6.* eum ditissimum futurum prædictum est ab auguribus. Deiotarus rex nihil vnquam nisi auspicato gerebat: cum ex itinere quodam proposito, & iam constituto reuertisset, aquilæ admonitus volatu, conclaue illud, vbi erat mansurus, ingredi noluit: quod nocte insequenti corruit. Cicer. *libr. 1. de diuin.* Vale. *lib. 1. cap. 4.* Metellus Pontifex Tusculanum petens ibat, & corui duo in os eius aduersum, veluti iter impedientes aduolauerunt, vixque effecerunt, vt domum rediret: sequenti nocte ædes Vestæ arsit: quo incendio Metellus inter ipsos ignes raptum Palladium incolumẽ seruauit, hoc refert Valer. *lib. 1. ca. 4.* Aquila capiti alicuius insidens, secundũ augures significabat eum regnaturũ. Galli gallinacei in oppido si ita canant, vt nihil intermittant, significari, augures dicebant, eius oppidi exercitum cum hoste pugnantẽ victorem: eò quòd auis illa victa silere soleat, contra verò, si vincat.

Sed notandum est, ex quibusdam, auium, piscium, & aliorum animalium frequẽtibus cantibus, volatibus, & motibus sæpe posse futura probabiliter intelligi, & coniectari, quæ solent frequẽter naturaliter euenire. Vt ex cõcitato certarum volucrum pastu, cantu, aut ex piscis frequenti motu, aut alterius animalis celeri cursu conijcimus probabiliter futuros imbres, ventũ, serenitatem, tempestatem, maris tranquillitatem: Et hanc disciplinam, peritiam, & artem iura non improbant, sed priorem illam, qua quidam fortuita diuinant, aut occulta, & arcana vaticinantur, & patefaciunt. Item Augurium, & Auspicium aliquando latius accipiuntur, ita vt significent quãlibet rerum futurarum diuinationem. Si objcias id, quod in Scriptura *Gen. 44.* dicit de Ioseph *dispẽsator domus eius: Scyphum, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* Et ipse Ioseph postea dixit fratribus suis: *An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia.* Respondeo cum S. Thom. *2. 2. q. 95. a. 7. ad 1. ex August. in lib. quæstionum super Genes. ca. 145.* eo loco id Iosephum dixisse, non quòd augur esset, sed quod vulgi opinione augur haberetur: eodem modo accipiẽdum est id, quod de eo dixit dispensator domus eius. Porrò damnantur auguria Deut. 18. *non inueniatur in te, qui obseruet auguria,* & in iure Canonico. *26. q. 3. c. Iguur.* lege S. Thom. *2. 2. quæst. 95. art. 7.*

Caput XVI.

De Diuinatione, quæ ex corporis humani membris, & partibus ducitur.

OBseruandum est, huiusmodi Diuinationem esse triplicem: Chiromantiam, Pedomantiam, Metoposcopiam; quidam addunt Onychomantiam. Chiromãtia est, qua quis manuum certis quibusdam lineis inspectis, hominis statum, & vitæ conditionem, ac fortuitos euentus, tũ fœlices, & prosperos, tũ infaustos, & aduersos prænuntiat. Pedomantia, est, qua quis obseruatis pedum signis, eadem & similia diuinat. Metoposcopia est, qua quis animaduersis, & notatis frontis, vel totius vultus lineamentis, & signis hominis futuros casus prædicit. Onychomantia est, qua quis ex vngue pueri impolluti vaticinatur. Et quidam ita sunt audaces, & temerarij, vt id asserant in Scripturis significari, Iob 37. *Qui in manu omnium signat, vt nouerint singuli opera sua.* Certè temeritatis est, ad Chiromantiam vanam, & superstitiosam, eum Scripturæ locum detorquere: Iob ergo ita loquentis, longè alius sensus est: Nutu Dei, & ministerio, ac opera naturalium causarum tantam niuis, pruinæ, & imbrium copiam aliquando descendere, vt frigora sæuiant, & manus hominum quasi vinculis astrictæ ita torpeant, & ita velut sigillo obsignatæ, & clausæ sint, vt rectè suo officio fungi nequeant. *Qui in manu omnium hominum signat,* hoc est, obsignat, & claudit, nimirum frigus ex niuis, pruinæ, & pluuiæ copia prouenientes, *vt nouerint singuli opera sua,* significat; Vt quisque agnoscat se effectum ineptum ad sua opera facienda, seu, vt singuli sciant, quando sit operandum, & quando ab opere cessandum. In Concilio Mileuitano *ca. 8.* citatur hic locus iuxta LXX. editionem Græcam: *Qui in manu omnis hominis obsignat, vt sciat omnis homo infirmitatem suam;* quasi dicat, tempestatis, niuis, & pluuiæ sæuiens frigus, *claudit Deus in manu cuiusque, vt sciat imbecillitatem suam.* Sensus est, vt sciat frigore se ita torpere, vt nihil nisi Deo iuuante possit efficere: siue, vt sciat, se copia niuium, pluuiarum, & frigorũ à suis operibus impediri. Gre-

gorius,& S.Thom.interpretantur: *Qui in manu*, hoc est,in promptu *signat*,id est,instinctum naturalem tanquam figuram impressit, quo quisque nouit tempora, & quid singulis temporibus fieri expediat: quando laborandum sit, & quando aliquid aliud faciendum.

Sciendum quoq; est,esse Physiognomiam Philosophiæ naturalis partem, quæ corporis humani membra, præsertim humeros, pectus, manus, pedes, frontem, nasum,oculos,supercilia,aures, caput,& vniuersam faciem obseruat,& inspicit; quibus notatis probabiliter cõiectat naturalem totius humani corporis temperationem,naturales item animorum affectiones, bonam, ac malã hominis veletudinem: Et hanc obseruandi rationem, nec leges ciuiles, nec canones,aut pontificia iura condemnant.

Præter hanc est altera Physiognomia astrologica, quæ tota est commentitia, pontificio iure damnata.Hæc corporis humani partibus,præsertim, manibus, pedibus, naso, auribus, oculis,supercilijs, fronti,faciei,capiti respondere confingit certos planetas,hoc est,errantes Stellas: quarum omnium signis inspectis, & notatis, prosperos, & aduersos hominis euentus, & casus intelligere se putat, & prædicit audacter.

Caput XVII.

De Diuinatione per somnia,quæ Græcè dicitur Onirocritica, vel Oniromantia.

PYthagoras,Plato, Chrysippus, Iãblicus,Plotinus, Porphyrius, Platonici,& Stoici multũ somnijs tribuerunt, & ea aliquid diuinitus portendere putauerunt. Contra Epicurus, Metrodorus Chius, Xenophanes Colophonius, & Epicurei omnes, & Cynici Philosophi, & apud Romanos Cicero *lib.1.de Diuin.* vniuersam ex somnijs diuinationem è medio sustulerũt, quòd ridiculum putarent somnijs aliquid diuinitatis inesse. Peripatetici verò partim probant, partim improbant. De interpretatione somniorum apud Gentiles scripserunt Antiphon, Philocias, Artemon, & Serapion Ascalonites. Et teste Suida Artemidorus Daldianus de interpretatione somniorum quatuor libros composuit.

Notandum est, somnia aliquãdo diuinitus immitti,vt planè ex sacris litteris constat,& non solùm pijs,ac bonis viris,sed etiam impijs,& impuris,vt patet in Pharaone, & Nabuchodonosore. Præterea somnia nonnunquam à natura contingunt; nam quæ vigilantes sæpe cogitauimus, egimus, aut facere deliberauimus, per quietem sese nobis offerunt. De hac somniorum naturali specie;ait Macrob.lib.1.de somnio Scip.cap.3.*cura oppressi animi,vel corporis, vel fortunæ qualis vigilantem fatigauerit, talem se ingerit dormienti: Animi,si amator delitijs suis,aut fruentem se videat,aut cærtem:si metuens quis imminentem sibi,vel insidijs,vel potestate personam,aut incurrisse hanc ex imagine cogitationum suarum, aut effugisse videatur: Corporis,si vino ingurgitatus,aut distentus cibo, vel abundantia præfocari se existimet, vel grauantibus exonerari,aut contra,si esuriens cibum,aut potum sitiens,desiderare,quærere,vel etiam inuenisse videatur: fortunæ,quũ se quis existimat,vel potẽtia,vel magistratu,aut augeri pro desiderio,aut exui pro timore. Hæc & similia his,quoniam ex habitu mentis quietem sicut præuenerant,ita & turbauerant dormientis, vna cum somno aduolant, & pariter euanescunt.* Hæc ille. Profectò,qui esurit,somniat interdũ se comedere,qui sitit,somniat se bibere.Interdum etiam somnia proueniunt pro varia corporis temperatione, & dominantium humorum occursu. Nã vbi sanguis dominatur, læta somnia contingunt;redundante semine somniat quis venerea:cui plena est vesica,is somniat lacus,flumina;vbi Bilis atra viget tristia,& aduersa dormiẽtibus sese offerunt,vbi Flaua bilis,tunc inquiete, & somnis occurrunt pugnæ,iurgia,lites,ensium, & armorum strepitus.Cum verò Phlegma abundat somniamus aquas,fõtes,flumina,pluuias,imbres,prataque virentia.*Secundum studia*,ait B. Aug. lib.de Spir. & Anima, c.25.*quæ quisque exercuit,somniat:& solitarum artium simulacra in præsentia mentis impressa apparent in somnis.* Iuxta etiam infirmitatum diuersitates diuersa accidunt somnia:Etiam secũdum morum,& humorum diuersitates variantur & somnia. Alia namque vident sanguinei, alia cholerici,alia phlegmatici,alia melancholici.Et cum illi vident rubea,& varia:isti nigra, & alba. Sic ille. Aliquando somnia Dæmonis opera, & ministerio proueniunt: Dæmon enim vim habet humani corporis humores permutãdi, & permiscendi:quibus variè commixtis,multa nobis dormientibus visa contingunt.Postremò somnia temerè solo animi nostri motu solent accidere. Animus enim hominis suapte naturã huc, & illuc cogitando distrahitur,rapitur,& distractus huc, & illuc fertur, & monstra confingit: apud se etenim rerum imagines, & simulacra conseruat, & alias ex visis, auditis, vel alio sensu perceptis, similes effingit,& inter se commiscet.

Est igitur animaduertendum,ex somnijs posse multa naturaliter intelligi. Vnde Medici prudẽter aliqua coniectant, qualis nimirum sit corporis affectio, quæ temperatio ,qui humores dominentur,qui animi affectus,& perturbationes.Hasce verò somniorũ diuinationes iura non improbãt,sed eas,quib⁹ temerè quidã fortuitos euẽtus, aduersos,vel prosperos diuinare contendunt. E quibus sunt Artemidorus Daldianus,& Abrahamus Iudæus. Et hæc Diuinatio dicitur à Græcis Onirocritica. Olim Stoici ostendere conabantur Deum somnia sæpius immittere,& per ea futurum aliquid præsignificare; quod probabant multis hinc inde cõgestis exemplis, quæ in historijs referebantur, in quibus multa per quietem visa,ita contigisse postea legimus,sicut in quiete, & somnis visa fuerant: qualia quidẽ somnia non pauca Tullius *lib.1.de Diuinatione* commemorat,& refert Valerius: Cæsar,antequam infesta in vrbẽ inferret arma,per quietem videbatur sibi videre, se matri stuprum intulisse: & coniectores ad amplissimam imperij spem eum incitarunt.Sueton. *in vita ipsius cap.7.*

Hippias Pisistrati filius,cum regium affectaret imperium, somniauit se cum matre rem habere. Et postea Athenarum dominio potitus est,Herodo. *libr.6.*

Astyages Assyriorum rex per quietem vidit ex filia vitem enatam; cuius palmite omnis Asia in-

umbra-

umbrabatur. Consulti arioli responderunt nepotem futurum, qui toti Asiæ imperaret: hic fuit Cyrus. Herodo. *lib.* 1. Valer. *li.* 1. *ca.* 7. Iusti. *lib.* 1.

Darius Hystapsis filius in somnis vidit se duas alas habere; quarum altera Asiam, altera Europā tegebat. Herod. *lib.* 3. Iusti. *lib.* 1. Orosius *lib.* 1. *c.* 9. *imperauit Persis & Europæis ex parte.*

Xerxes, cum in Græciam exercitum duceret, somniauit se olea coronari, cuius ramis tota terra obumbrabatur, at vidit oleam illā confestim euanescere. Hero. *lib.* 7.

Octauij Augusti mater vterum ferens, per quietem vidit sua intestina per omnem terrę ambitum distendi. Suet. *in vita ipsius cap.* 94.

Cæsar per quietem vidit se supra nubem volitare, & vertice ipsum cælum tangere. Sueto. *in vita illius cap.* 8.

Idem Cæsar, pridie quam necaretur, somniauit se iuxta Iouis solium consistere, sed mox è cęlo precipitatum. Plutar. *in vita eius.* Valer. *lib.* 1. *c.* 7. Dion, Aurelius Victor.

Sophocles, cum exæde Herculis patera aurea grauis surrepta esset, per quietē nouit, quis id fecisset, quod semel ille iterumque neglexit; & quia idem sępius vidit, & somniauit, ascendit in Ariopagum, detulit rem, Ariopagitæ iubent comprehendi eū, qui à Sophocle erat nominatus. Is quæstione adhibita confessus est, pateramque retulit. Cic. *lib.* 1. *de diuinat.*

Amilcar dux Carthaginensium, cum obsideret Syracusas, somniauit, se proximo die in ea vrbe cænaturum: lætus igitur exercitum comparauit ad pugnam, castris eius subita irruptione hostiū oppressis, Syracusani eum cæperunt, & vinctum intra mœnia sua traxerunt. Itaque cænauit Syracusis captiuus, non vt superauerat, victor. Valer. *lib.* 1. *c.* 7 & Diod. *lib.* 20.

Simonides Poëta, cum ignotum quendam proiectum mortuū vidisset per quietem, & inhumatum corpus iacens sepulturę mandasset, admonitus ab eo, ne proximo die nauigaret, habebat enim in animo nauem conscendere, remansit in terra: ij, qui inde soluerant, fluctibus, & procellis in conspectu eius obruti sunt. Cic. *libr.* 1. *de Diuinat.* Valer. *lib.* 1. *cap.* 7.

Duo familiares Arcades iter vna facientes Megaram venerunt, quorum alter ad hospitē se contulit: alter in tabernam meritoriam diuertit. Is, qui in hospitio erat, vidit in somnis comitem suū orantem, vt ei subueniret, quòd sibi à caupone intericus pararetur, primo perterritus somnio surrexit: deinde cum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuit: tum ei dormienti is ille comes itineris visus est rogare, vt quoniam sibi viuo non subuenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se interfectum in plaustrum à caupone esse coniectū, & supra stercus iniectum: petere, vt mane ad portam adesset, prinsquam plaustrum ex oppido exiret: hoc somnio ille commotus, mane bubulco prćsto ad portam fuit, quæsiuit ex eo, quid esset in plaustro bubulcus perterritus fugit, & ille mortuum comitē ex plaustro extulit: & caupo, re patefacta pœnas meritas dedit. Cic. *li.* 1. *de diuinat.* Valer. *lib.* 1. *c.* 7. Hæc & alia, si vera sunt, Dei nutu acciderūt, vnde non probant somnijs per se esse credendum, ac si per somnia diuinatio sit certa: quale etiam est, ꝙ Cyro dormienti obiectum esse fertur: nam ei Sol ad pedes visus est, & cum ter frustra manibus appetiuisset, Sol se conuoluens elapsus abijt. Et Magi postea Cyro dixerunt, ex triplici appetitione solis portendi, eum triginta annos regnaturum, quod ita contigit. Cic. *lib.* 1. *de diuinat.* Quale etiam est illud, quod idem narrat *li.* 2. *de Diuinat.* Somniauit quidam se videre ouum pendens ex fascia lecti sui cubicularis. Detulit somnium ad coniectorem, & interpretem: respondit ille defossum esse sub lecto thesaurum, fodit, inuenit auri aliquantum idque circumdatum argento, ex vitello oui aurum declarauit coniector, ex reliquo argentū. Quale etiam est illud, quod idem Cicero ibidem refert de Alexandro. *Ptolomæus familiaris Alexandri in prælio telo venenato ictus fuerat: eoq; vulnere cum dolore moriebatur: Alexander assidens somno est consopitus, & per quietem vidit draconem radiculam ore ferentem, & simul dicentem, quo illa loci nasceretur (neque is longè aberat ab eo loco) eius autem esse vim tantam, vt Ptolomæum facile, sanaret. Experrectus est Alexander, narrauit amicis somnium, & missus est, qui illam radiculā quæreret, qua inuenta, & Ptolomæus sanatus dicitur, & multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati.* Hæc Cic. *lib.* 2. *de Diuinat.* Illud itidē refert Alcibiadis somnium: qui paulò ante interitum visus est in somnis amicæ esse amictus amiculo. Is cum proiectus esset in humatus, ab omnibusque desertus iaceret, amica corpus eius texit suo pallio. Quidam cursor ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum vehi. Mane ad coniectorem venit: & ille, vinces, inquit, id enim celeritas significat, & vis equorum: iuit ad Olympia, & vicit. Concludit eo libro Cic. nihil esse somnijs tribuendum, *quoniam*, inquit, *neque Deus effector est somniorum, neque naturæ societas vlla cum somnijs, neque obseruatione inueniri potest scientia; præsertim cum illi ipsi, qui ea vident, nihil diuinent; ij, qui interpretantur, coniecturā adhibent, non naturam. Quod si somnium verum euasit aliquod, cur non ex multis possis vnti fidem derogemus, quam ex vno innumerabilia confirmemus?* Negauit prorsus Cicero vllam esse posse diuinationem per somnia, negauit Deum posse esse somniorum effectorem, quia putauit ille Deum non prænosse fortuita futura, quia prorsus ea ignota sunt. At S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *ar.* 6. docet. *Somniorum aliquando Deum, vel Angelum, aliquando dæmonem, aliquādo naturam causam esse.* Et Ioseph Gen. 40. & 41. *interpretatus est omnia pincernæ Pharaonis, & magistri pistorum, & ipsius Pharaonis.* Et Daniel *interpretatus est somnium regis Babylonis.* Dan. 2. & 4. & aliorum quorundam somniorum Deum autorem fuisse sacræ literæ tradiderunt. Diuina insomnia fuerunt, cum Ioseph per quietem vidit manipulum suum consurgere, & stare, & fratrum manipulos coram illo cadere: & cum iterum vidit Solem, Lunam, & vndecim Stellas ipsum adorare. In primo significatum est, fore, vt Ioseph suis fratribus imperaret: in secundo, vt ab illis, & patre, & matre adoraretur. Quod multò post contigit.

Porrò somniorū genus in quinq; species Platonici distribuunt, quas enumerat Macrobius *li.* 1. *de somn. Scipio. c.* 3. & refert Augustinus, videlicet oraculum, visionem, somnium, insomnium, & Phātasma. *Oraculum*, inquit Macrobius cū Platonicis,

est, cũ in somnijs parens, vel alia sancta, grauisq; persona, seu sacerdos, vel etiam Deus, aperiè euenturum quid, aut non euenturum, faciendum, aut vitandum denunciat. Visio autem est, cum id quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat, euenit. Amicum peregrè commorantem, quem non cogitabat visus est sibi reuersum videre, & procedenti obuius, quẽ viderat, venit in amplexus. Depositum in quiete suscepit, & matutinus ei precator occurrit, mandans pecuniam tutelæ, & fidei custodiæ celandam committens. Somnium est, quod tectum figuris, & velatis ambagibus non nisi interpretatione intelligi potest. Insomnium, quando id, quod fatigauerat vigilantem, sese dormienti quoque ingesserit, sicut sunt curæ, cibi, vel potus, vel aliqua studia, vel aries, vel infirmitates. Phantasma est visum, cum inter vigiliam, & adultam quietem, hoc est, quando qui vix dormire cœpit, & adhuc se vigilare existimat, aspicere videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas à natura, seu magnitudine, seu specie discrepantes, variasque tempestates rerum, vel lætas, vel turbulẽtas. In hoc genere est ἐφιάλτης, quẽ publica persuasio quiescentes opinatur inuadere, & põdere suo pressos, ac sentientes grauare. Hæc Macrobius ex Platonicis. Quæ fere eadem refert B. Aug. *lib. de Spiritu, & Anima, c. 25.* Nisi quod addit; *Ephialtes non est aliud, nisi quædam fumositas à stomacho, vel à corde ad cerebrum ascendens, & ibi vim animalem comprimens.* Sed profectò superstitiosum est somnijs credere, vt perspicuum est ex Leuitici, c. 21. vbi dicitur: *Non augurabimini, neque obseruabitis somnia,* Eccl. 34. *Vanæ spes, & mendacium viro insensato: & somnia extollunt imprudentes.* Teste Caiet. *in sum. cap. Somniorum obseruatio:* lethale peccatum cõmittit is, qui ob somnium facit aliquid contra leges, Canones, & iura diuina: hoc est, qui ne cõtra somnium faciat, legem grauiter perfringit. Item is, qui vt seruet, quod somniauit, omittit aliquid eorum, quæ sunt necessaria ad salutem. Item graui periculo peccati se obijcit is, qui tantam fidem somnijs habet, vt passim somniorum obseruatione ducatur, etiam in ijs, quæ imperata nobis non sunt. Nauar. in Manua. c. 11. nu. 33. *Peccat,* inquit, *mortaliter, qui propter ea, quæ somniauit, omittit aliquid ad salutem animæ necessarium, vel facit aliquid eidem saluti contrarium: licet si non est tale, solùm venialiter peccet.*

Cap. XVIII.

De Diuinatione per omina.

EX ominibus diuinatio est, qua quis obseruatis, & notatis hominum dictis, vel factis ob alium finem, & causam, fortuitos eorum casus lætos, ac tristes, infaustos, & prosperos certò diuinat. Olim apud gentes frequens, & vsitatum erat hoc diuinãdi genus, cuius apud Christianos quoque aliqua vestigia mansêre. Solêt quidam è domo egressi, si pannosum aliquem pauperem, aut si Religiosum hominẽ primo occursu, aut summo mane offenderint, certò diuinare nihil boni sibi eo die euenturum. Item solent mulierculæ appetente die sacro Ioan. Baptistæ, lecto surgere, fenestras occupare, & primam vocem transeũtis hominis attentis auribus expectare: & si lætum aliquod verbum audierint, læta omnia eo anno; si triste, tristia omnia sibi futura certò coniectant. Aliæ faustas, aut infaustas nuptias futuras præsagiunt ex prima aliqua voce humana audita. Aliæ futurorum maritorũ nomina diuinant: nam si prima, quæ audiatur vox Petrus fuerit, virum sibi futurum Petrum nomine certò credunt: idemq; de cæteris nominibus credere solent. Alij consueuerunt ad lectum redire, si, dum calceos pedibus adnouent, oscitauerint, aut sternutauerint. Alij domum reuertuntur, si cum primo mane exeuntes puerum obuiam habuerint, aut pedem offenderint. Alij verò redeunt domum, si cum summo mane egrediuntur crucis signum, aut funus, vel aliquid simile inspexerint, vel si vestem sorices tetigerint, aut polluerint mures. Alij diuinant sibi omnia sinistra euentura si pedem sinistrũ prius casu domo extulerint. Augustus Cæsar teste Plinio *lib. 2. cap. 7.* lęuum sibi calceum præposterè inductum prodidit, qua die seditione militari prope afflictus est. Sternutamenta apud Gentiles aliquando fausti, aliquando infausti ominis erant. Themistocle ad aras sacrificante, refert Plutarchus in vita ipsius, à dextra sternutans homo augurium fecit, quo præcipui captiui immolarentur. Xenophonte ad milites concionante, vt ipse cęstatur *in li. 6.* sternutans quidam, omen fecit felicissimum, ita vt totius dux militiæ crearetur. Hippiæ, dũ sternutat, excussus dens, magnum augurium fecit calamitatis futuræ: vt narrat Herodo. *in lib. 6.* Vnde apud veteres religio fuit in sternutamentis bonum omen, & salutem precari, vt ait Plin. *lib. 28. ca. 2.* De Ominibus refert multa exempla Valer. *lib. 1. cap. 4.* & quædam commemorat Cicero *lib. 2. de Diuinat.* Cuiusmodi sunt hæc, quæ sequuntur.

L. Paulus Consul, cũ bellum gereret cum Persa rege, & domum è curia regressus, filiolam suã nomine Tertiam osculatus est, & cum eam tristẽ animaduerteret, interrogauit, quid ita eo vultu esset, quæ respondit; Persam perijsse. Decesserat autem catellus, quem puella in delitijs habuerat, nomine Persa. Arripuit igitur omen Paulus, & eo fortuito dicto quasi certam spem clarissimi triũphi animo præsumpsit. Valer. *libr. 1. cap. 5.* Plutar. *in Æmilio.* Iusti. *libr. 33.* Cicer. *lib. de diuinat.* Item, narrant Cicer. *de diuinat.* & Valer. *libr. 1. capit. 5.* aliud omen de Cæcilio Metelli. Cum enim sororis suæ filiam in matrimonium collocare vellet, & omnis captandi gratia, in sacellum quoddam secessisset: neq; cũ aliquandiu persedisset, aliqua vox audita fuisset, quæ proposito deseruiret; puellaq; interim longa standi mora defatigata, rogasset materteram, vt in eius sella paululum requiesceret: illaque dixisset, Ego tibi meas sedes libenter concedo, omen res sequuta est; nam ipsa breui mortua, virginem in vxorem Metellus duxit. Tiberius Gracchus cum ad res nouas pararetur, auspicia prima luce petijt: & ianua egressus ita pedem offendit, vt digitus ei decureteretur: qui decussus Capitolio à Scipione Nasica fragmento subsellij ictus procubuit. Valer. *libro primo, capit. 4.* Neroni in expeditionem Alexandrinam profecturo lacinia surgenti adhæsit: & turbatus est, & superstitione, & periculo. Sueto. *in vita eius cap. 19.* Crassi filius contra Parthos proditurus in aciem ita pedem offendit, vt humi prostratus concideret. Plutar. *in vita Crassi.* Petilius Consul in Liguria bellum gerens, cum montem, cui Lethum cognomen erat, oppugnaret, inter adhortationes militum, dixit. Hodie ego Lethum capiam: qui incõsideratius prœliando fortuitum iactum vocis

letho

letho suo confirmauit. Valer. *lib.1.cap.5.* Vnde Poëta de superstitione ex offensione pedis Tibul. *libr.1.eleg.3.*

O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi,
Offensum in porta signa dedisse pedem.

Ouidius itidem in epist. Laodomię ad Protesilaũ,

Hunc fateor, volui reuocare, animusque ferebat,
Substitit austicij lingua timore mali.
Cum foribus velles ad Troiam exire paternis
Pes tunc offenso limine signa dedit.
Vt vidi, ingemui.

Hoc Diuinationis genus est prorsus vanũ, & inane, ac idcirco damnatum *in cap. Illud quod. 26.q.2. de eo agit* S. Tho. 2.2.q.95.a.7. Negare tamen non possumus, aliquando dicta, vel facta hominum talia fuisse, vt diuino impulsu, & afflatu futuros rerum euentus præsignificarent: vt Genes. 24. accidit in seruo Abrahæ. 1. Reg. 14. in Ionatha: Iudicum 7. in Gedeone: Ioan. 11. in Caipha pontifice. S. Thomas 2.2.q.95.art.7.ad 3.

Caput XIX.

De Diuinatione ostentorum, portentorumue, & prodigiorum.

ANimaduertere oportet, Ostenta, Portenta, Prodigia, atq; Mõstra inde nominari, quòd aliquid ostendant, portendant, prędicant, & mõstrent. Narrat Valer. *lib.1.c.6.* Bouem voce humana locutum fuisse. Carnis in modum nimbi dissipatas partes cecidisse: quarum maiorem numerum præpetes diripuêre aues, & reliquum per aliquot dies, neq; odore tetro, neq; deformi aspectu mutatum iacuit: purum infantem semestrem dicit, in foro Boario triumphum proclamasse: alium cum Elephantino capite natũ. In Piceno lapides pluisse: in Gallia lupum, vigili è vagina gladium abstulisse: in Sicilia scuta duo sanguinem sudasse. Etiam metentibus cruentas spicas in corbem decidisse. Cerites aquas sanguine mistas fluxisse: in bello Punico secundo bouem dixisse, *Cauete tibi, Roma.* Hæc ille.

Talia igitur sunt, quæ præter solitum, & cõmunem naturæ vsum, & ordinem solent accidere, & aliquem hominibus metum incutere: Veluti, cum sanguis, lac, ranæ, pisces, vna cum pluuijs, & imbribus decidunt: item, cum ignium & cometarum imagines insolitæ apparent: cum in aëre pugnantium militum exercitus videntur, armorum strepitus sentiuntur, hominum clamores, voces lugubres audiuntur; depictæ in vestibus, & pannis cruces cõspiciuntur. Si cum fœmina nascitur, puella biceps nata sit, prædici aiebãt Ethnici seditionem in populo futurã: corruptionem, & adulterium in domo, vbi nata esset. Si mulier leonem peperisset, significari id fore, vt ab exteris gentibus vinceretur ea ciuitas, in qua id contigisset. Seruio Tullo dormiẽti caput arsisse fertur. Valer. *lib.1.c.6.* Soli. *c.2.* Diony. *li.4.* Liu. *lib.1.* Et prędictum ei à cõiectoribus, siue diuinatoribus fuit eum fulmine periturum. Alij verò diuinarunt eũ ad regium fastigium euehendũ. Croesi filius cum infans esset, locutus est: quod significasse aiunt, regnum patris, & domum funditus ruituram. Zoroastres eodem die, quo natus est, risisse perhibetur, vt referunt Plin. *lib.7.c.16.* Solin. *c.4.* Aug. *lib.21 de Ciui. c.14.* quo risu significatum esse dixerunt diuinatores eum nihil terrestria amaturum, sed cęlestia. Sed Aug. *nihil*, inquit, *boui ei monstruosus risus ille portendit. Nam magicarum artium perhibetur inuentor fuisse. quæ quidem illi, nec ad præsentis vitæ vanam fælicitatem contra suos inimicos prodesse potuerunt: à Nino quippe rege Assyriorum, cum esset ipse Bactrianorum rex, bello superatus est.* Hæc Augustin. & Plin. refert, *eidem cerebrũ ita palpitasse, cum natus est, vt impositam repelleret manum futuræ, vt ille ait, præsagio scientiæ.* In exercitu Xerxis, quem aduersus Græciam contraxerat, equæ partu leporem editũ fuisse ferunt: quo genere monstri, dicit Valer. *lib.1.c.6.* Significatus est illius tam magni bellici apparatus euentus. Enumerat Valerius alia multa prodigia, *lib.1.c.6.* aliqua etiam habet Cicero *in libris de Diuinatione.*

Porrò hæc prodigia, & ostenta aliquando Dei virtute contingunt; aliquando etiam dæmonum potestate possunt apparere. Nonnunquam etiam naturæ vi, ac facultate aliqua, ita rarò eueniunt, vt quædam portenta, & prodigia esse videantur. Si arte dæmonum efficiantur, sæpe res veræ non sunt, sed tales apparent: possunt enim dæmones intuentium oculos ita deludere, vt putent homines, se res veras cernere, & intueri; cum tamẽ veræ non sint. Vanum est ex huiusmodi ostẽtis, portentis, prodigijs, & monstris, nisi diuinitus eueniant, fortuita, & libera hominum consilia, euenta, & officia velle præscire. Si tamen probabiliter coniectamus, ea naturæ vi esse effecta; probabiliter quoque aliquos naturales euentus conijcere, expectare, & prænuntiare possumus: siquidem vim naturæ non superant.

Cap. XX.

De Diuinatione, quæ ducitur ex Mortuorum vmbris, & cadaueribus.

PRimùm animaduertendũ est, esse genus Diuinationis, quæ Necromãtia vulgo dicitur, qua quis vmbris, vel cadaueribus mortuorũ inspectis futuros, aut occultos rerum euẽtus aduersos, vel secundos diuinat. Dicitur etiam Psychomantia, quoniã per eam animæ respõsa, & oracula reddere cẽsentur. Prçterea, cũ quis ex descriptis in mortuorũ corporib⁹ certis lineis, figuris, & signis fortuita futura, vel latentia nititur intelligere. Insuper cũ quis certo cadauerũ cõtactu, futurũ aliq̃d, vel occultũ prænuntiat, aut indicat. Postremò, cũ quis præscripta verborũ forma, aut certis carminibus, descriptisq; circulis, & figuris literarũ, characterũue notis, mortuos exuscitare se putat, & ab eis accipere responsa, quib⁹ fortuitos futuros euentus prędicat, aut omnino occulta patefaciat. *1. Reg. 28.* Notũ est, quod sacræ literæ prodiderũt, in quibus legimus, Pythonissam Samuelis animã euocasse, de qua re, quæstio est, an is, qui apparuit, & respõsum Sauli reddidit, fuerit verè Samuél, an verò Dęmõ, qui Samuelis formã, & imaginẽ referebat; nã hoc secũdũ, aut primũ potuisse cõtingere, docet B. Aug. *li. ad Simplic. 2.q.3.* & Augustinũ sequutus S. Th. 1 *p.q.89.a.8. ad 2.* & 2.2.*q.95.a.4. ad 2.* & *q.174. a.5. ad 4.* De qua cõtrouersia agã in quinto Decalogi præcepto, vbi tractabo de Magorũ operib⁹, & maleficijs, quibus Reipublicæ saluti sæpe nocẽt. Hoc diuinãdi genus ex Gẽtilibus originẽ duxit. Olim

siquidem oraculorum responsis miserè delusa est cœca, & vana Gentilitas: credidit etenim Idolis, simulacris, statuis, & imaginibus mortuorũ principum, & regum inesse aliquid diuinitatis. Dæmones namque in eis loqui cœperunt, & ad interrogata præbere responsa: quo factum est, vt mortui cæperint euocari, vt vel futura prædicerent, vel penitus occulta aperirent. Totum hoc diuinandi genus iure diuino damnatur Deutero. 18. *non inueniatur in te, qui arriolos sciscitetur, neq; Pythones consulat.* lege S. Tho. 2.2.q.95.art.4. Est quoq; Canonico, & ciuili iure damnatum. 26.q.3.cap. *Igitur.* & l. *nemo aruspicem. C. de Maleficis & Mathem.*

Caput XXI.

De Diuinatione, quæ sumitur ex sortibus.

OBseruandum est, hoc Diuinationis genus in iure Canonico 26.q.1. & q.2. & q.3. & q.4 & q.5. & tit. *de sortilegijs*, Sortilegium vocari à sortibus legendis, hoc est, eligendis. Sortilegi dicuntur, qui per sortes fortuita futura, aut omnino occulta præsentia, siue præterita prænunciant, aut patefaciunt. Sorte quippiã eligunt; velut qui fabas, aut festucas commiscendo, aut cribrum charta tulis quibusdã inscriptis furta latentia detegunt, & produnt fures occultos.

Est etiam animadnertendum, in iure Canonico sortilegium interdum amplè, & latè patere, ita vt quamlibet Magicam superstitionem significet. Sicut etiam apud Plinium *libro octauo, capit.* 4. Sortilegiorum nomine videntur intelligi vanę omnes Magorum persuasiones. Præterea sciendũ est, triplex esse sortium genus, vt docet S. Thomas 2.2.q.95.art.8. Aliæ enim sortes vocantur Diuisoriæ, quibus vtuntur homines, vt sciant, quid cuique sit tribuendum, his vtuntur in controuersijs, & litibus dirimendis, in hęreditatibus, possessionibus, lucris, & alijs bonis communibus diuidendis; in honoribus, dignitatibus, & publicis administrationibus distribuendis, in magistratibus eligendis, & alijs rebus discernendis; vt si duo proponantur æquè idonei, & digni, vel æquè indigentes, & eorum alterutri sit ius, vel aliud emolumẽtum, & commodum conferendum, solet his, & controuersia sorte componi, & dirimi. Et hoc genus sortium, nec iure naturali, nec ciuili est interdictum; quod planè colligitur *ex l. Si cum ambo. ff. De Iudicijs. l. Si duobus. C. Communia de legibus. & l. Si qui sunt. ff. Familiæ erciscundæ.* De his sortibus scribit B. Augustinus *in epist.* 180 *ad Honoratum*, vbi ait: *Si inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum persequutionis tempore maneant, ne fuga sit omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia, si hæc disceptatio aliter nõ potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, sorte eligendi sunt.* Et lib. 1. de doctr. Christia. cap. 18. ait. *Si cui abundaret aliquid, quod oporteret dari eis, qui non haberent nec duobus dari potuisset, si tibi occurrant duo, quorũ neuter alium, vel indigentia, vel vrgente aliqua necessitate superaret, nihil iustius faceres, quam vt sorte eligeres, cui danum esset, quod dari virique non posset.* Hæc ille.

At verò in electionibus ecclesiasticis ad dignitates, officia, administrationes, & beneficia Ecclesiastica sortes iure Canonico prohibentur. Nam *in ca. Ecclesia, de sortileg.* ad finem dicitur: *Sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Damnatur meritò, tum ne ineptus, & minus idoneus cæca sorte eligatur: tum ne sors quæ cæca est, in Ecclesijs locum habere videatur: Sed in electionib⁹ ad dignitates, & administrationes ciuiles sors non prohibetur, neque in iudicijs ciuilibus, neq; in litibus, & causis clericorũ ad temporalia pertinentibus est interdicta, vt ait Abbas *cap. Ecclesia, de sortileg.* DICES: Nonne sorte cæca aliquando continget, vt ineptus, & indignus eligatur? quod cum iure naturali pugnat? Respondeo, in electionibus ciuilibus non prohiberi sortem iure naturali, quando pluribus idoneis petẽtibus, vnus eorum sorte eligitur: at quando vnus candidatorũ ineptus est, & indignus, tunc fas non est electionem sorti committere, quia iuri naturali aduersatur. Sed in electionibus ecclesiasticis etiam si multi sint æquè idonei, iure tamẽ Canonico sors prohibetur.

Aliæ item sortes dicũtur Consultoriæ, quibus Diuina voluntas exquiritur, vt sciatur, quid sit faciendum, quid agere oporteat, quid cauere, & fugere: quo sortium genere læpe vetus Hebræorũ populus vtebatur. Eo item vsi sunt Apostoli *Act. 1.* cùm Matthiam Apostolum in locũ Iudæ proditoris sorte elegerũt. Iosue 7. Iudicio sortiũ punitit Acham, qui de anathemate quid surripuerat. Saul quoq; sorte deprehendit filiũ suum Ionathãmel comedisse, vt legimus 1. Reg. 14. Ionas propheta fugiens à facie Domini, sorte deprehensus est, & in mare deiect⁹, vt habetur 1. Ionæ. Zacharias sorte exijt, vt incensum poneret. Lucæ 1. Vnde in his sortibus non semper peccatum admittitur, vt statim dicam.

Aliæ sortes Diuinatoriæ appellantur, quibus aliqui vtuntur, vt sciant futura occulta: cùm obseruatis, & inspectis sortibus futura prænuntiantur, vel aperiuntur occulta: vt potè, si modo sic, modo aliter tabulæ, tesseræ, taxilli, chartæ, aut grana triticea, vel fabæ decidant, fortuiti rerũ euentus aduersi, vel prosperi prædicuntur. Si chartula in vrnã cõiecta, aut in cribro posita vnà cum alijs multis, quæ Titij inscriptũ nomen habeat, educatur, & inde cõiector diuiner, apud Titiũ esse rem, quæ fuit clã furto sublata. Item, si librũ aperienti certa quædã Scriptura occurrat, quę res lætas, tristesue cõtineat, inde cõiector omnia aduersa, vel prospera euentura vaticinari solet. Et hoc genus sortiũ iure Canonico prohibetur: quod ex Gentiliũ vana superstitione traxit originẽ. Gentes enim dæmonum fraude deceptæ, sortibus temerè hoc, aut illo modo cadẽtibus, diuinitatis aliquid inesse crediderunt, aut saltẽ fortuitæ, ac temerariæ sorti multa tribuerunt. Teste S. Th. 2.2.q.95.a.8 In sortibus etiam diuisorijs peccatũ est, si quis eis vtatur, ac si fortunæ, vel stellarum vi dirigantur, ac temperentur: & in hoc vanitas est. In cõsultorijs peccatũ lethale est, si per sortes à dæmone expectetur euentus, si à Dęmone consiliũ per sortes quæratur. Item, in eisdem quadrupliciter peccare quis potest, etiam quando per sortes Deus ipse consulitur. Primò, si absque vlla prorsus, necessitate sortibus vtatur: *hoc enim*, inquit S. Th. *esset Deũ tentare.* Secundò, si absq; debito Dei cultu, & honore ad sortes cõcurrat: & ideo Apostoli ad eligen-

dum ali-

dum aliquem in locũ Iudæ fratres conuocarunt, & preces ad ipsum Deum fuderunt. Tertiò, si diuina oracula ad futiles, & vanas res, vel ad terrena negotia adhibeantur. Vnde B. Augustin. *in epist. ol. 119. art: His, qui de paginis Euangelicis sortes legunt, etsi optandum sit, vt id potius faciant, quam ad dæmonia consulenda concurrant: mihi tamen displiceat ista consuetudo, ad negotia sæcularia, & ad vitæ huius vanitates diuina oracula velle conuertere.* Sic ille. Quartò, si in electionibus Ecclesiasticis, quis sortibus euentum committat. Hęc ex S. Thoma.

Cap. XXII.

De Diuinatione, quæ ex superstitiosis, & vanis quibusdam obseruationibus sumitur.

SCire conuenit, quemadmodum omnia sunt fortuita dicta, vel facta hominum, quorum obseruatione quis futura diuinat: sic superstitiones dicuntur fortuiti aliarum rerum euentus, ex quorum notatione quis læta, vel tristia sibi, vel alteri omnia euentura certò cõiectat. Exemplum pono. Si quispiam summo mane domo egressus canem, aut felem offendat, funus, sepulcrum, aut crucem videat, diuinat sibi eo die sic, vel aliter cuncta euentura: vana hæc est diuinatio ex inani, & superstitiosa obseruatione ducta. Alij venatum iturj, si primo mane pedẽ in limine offenderint, aut eorum vestis deciderit, vel fuerit tacta à soricibus, aut lacinia valuis adhæserit, putant & certum apud se constituunt, nihil sibi prosperè, & feliciter eo die euenturum. Si cum primum domum exierint, sternutauerint, si corrigiam abruperint, si in porta caput offenderint, si corruerint, infausti ominis esse arbitrantur. Putant nonnulli certorum animalium occursu, prosperos rerum euentus præsignificari; aliorum verò animantium, aduersos. Certos itidem hebdomadæ dies esse sibi faustos, alios infaustos. Hæc omnia ex vana Gentilũ obseruatione initium duxerunt. Tib. Gracchus quo die ciuili seditione oppressus est, domo egrediens ita pede limen offendit, vt non parua vis sanguinis efluxerit. Plutar. *in Tib. Grac.* Valer. *lib. 1. c. 4.* Nero in expeditionem Alexandrinam profecturo, lacinia surgẽti adhęsit. Crassi filius cõtra Parthos profecturus in aciem, ita pedem offendit, vt humi prostratus concideret: qui deinde in bello cæsus occubuit. Plutarch. in Crasso. Bruto, & Cassio prodituris in aciem obuium Aethiopem calamitatem præfigificasse, vulgo creditum est. Hadrianus Cæsar ex Mauri occursu futuram sibi mortem suspicatus esse perhibetur. Annibali ex Italia Aphricam petenti sepulchrum diruptum in via, omen ingessit infaustum. Reperias certum genus hominũ, qui sibi putent aduersum diẽ Martis, aut diem Veneris: contra verò felicem, & prosperum diem Iouis, & diẽ Lunæ: Vnde nihil, quod sit alicuius ponderis, & momenti, aggrediuntur, nisi certis quibusdã diebus; alijs verò libenter, & audacter negotia tractanda suscipiunt. Hæc, & his proxima superstitiosa, & vana sunt, & vt dixi, à Gentibus accepta, quæ cum aliquando experirentur certis quibusdam rerum euẽtibus lætum, vel triste sibi aliquid accidisse, in eis aliquid diuinitatis contineri censuerunt, & deinde dæmon sese in illis rerum casibus immiscebat, vt sic Gentes delusæ tenerẽtur. C. Flaminius cum apud lacum Trasimenum cum Annibale pugnaturꝰ cõuelli signa iussisset, lapso equo super caput eius humi prostratus est: nihilq; eo prodigio inhibitus signiferis signa moueri sua sede posse negantibus, malum, ni ea continuò effodissent, minatus est: & deinde ipse in bello occubuit, & in ea acie quindecim millia Romanorũ cæsa, sex millia capta, viginti millia fugata sunt. Hæc Valer. *li. 1. c. 6.* Liu. *li. 2. belli Punici.* Vulpẽ in via occurrẽtem, signũ mali ominis putabant. Sic etiã canis prægnans si occurreret, credebatur infaustum omen: Porcus, aut mustella à sinistra veniẽs, infelicis ominis erat. Si quid item mures corrosserant, tristia prænuntiare creditũ est. Quę quidem omnia, vt vana dãnantur, *c. Illud. 26. q. 2.* ex Augustino. Negari non potest, vt supra dixi aliqua dicta, vel facta in Sanctis Scripturis fuisse, quę rerũ consequentium euentum non ab humano, sed diuino impulsu profecta, significauerint, vt Gedeon *Iud. 7.* Ex eo quòd audiuit narrationem, & interpretationem cuiusdam somnij, omen captauit. Et seruus Abrahæ *Gen. 24.* omine etiam vsus legitur. Et Ionathas Saulis filius *1. Reg. 14.* omen etiam obseruauit. Præterea narrat Paulinus *in vita Ambrosij.* Probum iudicem, cum Ambrosium ad Liguriam, & Aemiliam gubernandas misisset, ei dixisse: *Vade, & fac, nõ vt iudex, sed vt Episcopus,* & postea Mediolanensis Ecclesia eum in Episcopum elegit. Et ipse Ambrosius adhuc adolescens cum fori osculandam manum dedisset, ludens dixit, se futurum Episcopum: & ita fuit.

Cap. XXIII.

De Diuinatione, quæ ex Inuocatione dæmonum petitur.

SCiendum est, Dæmones dupliciter euocari; expressim, aut occultè, siue vt vulgo dicitur, tacitè. Expressim euocantur, cum quis pacto cum eis inito petit, vt sibi futura prænuntient, aut aperiant occulta. Tacitè verò, & occultè euocantur, cum vel aliquid fit, in quo latet pactum cum Dæmone cõtractũ, vel cum quis vtitur ministerio, & opera hominis, qui cũ dæmone societatem in eo ministerio contraxit. Præterea, scire oportet, ad hoc genus Diuinationis reuocari eas quoq; diuinationes, quas Cicero appellat, Vaticinationis, & Furoris. Olim enim, qui futura apud gentes vaticinabantur, aut occulta indicabant, dicebantur Arioli, qui furore correpti, dęmonis instinctu futura prædicebant. In hoc etiam genere includuntur omnes Magorũ artes, quibus solet inesse fraus maxima dęmonum. Porrò duplex est Magia, altera dicitur Naturalis, aut Mathematica, altera verò est dæmoniaca. Naturalis est, qua quis cõmixtis multarum rerum naturalium viribus, & facultatibus occultis, quædam mirabiliter efficit: quæ quidem res veræ sunt, & vi naturæ productæ; sed earum causæ nos latent: ideo mirabiliter eas fieri putamus. Hac ratione fructus arborũ aliquando ante tempus nascuntur, procreantur hyemerosæ, vuæ, fabæ. Item arte, hoc est, vi naturæ recondita, & abstrusa facit quis, vt intra paucas

horas

horas planta excrescat. Et cum dæmones latētes, & abditas rerum naturalium vires perspectas habeant, plurima edere subitò possunt, quæ cæteri admirantur. Mathematica verò Magia est, qua quis sola mathematicarum artium, aut disciplinarum scientia imbutus, absque alijs rerum naturalium actionibus aliqua mirabiliter præstat: qua ratione quidam exacta numerorum cognitione præditi multa videntur diuinare, quæ quidem additis detractisue numeris, & sæpius subductis, vel adiunctis ea ratiocinando colligunt. Eiusdem etiam mathematicæ scientiæ, & causarum naturalium, & mechanicæ artis præsidijs teste Medina *lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7.* quoldam legimus fecisse æneos boues mugientes, angues sibilantes, passeres cantitates, statuam lapideam in mensa, vel tabula saltitantē, aut deambulantem. Archimedes Syracusanus Mathematicus opera fecisse perhibetur, tam mirabilia, vt homines, qui ea intuebantur, stupuisse, in historijs legamus. Et huiuscemodi artem Canones, leges, & iura non damnant. Magia Dæmonis est, quæ notato situ, ortu, occasu, & coniunctione syderum, & astrorū; describit annulos, imagines, circulos, & figuras, quibus expresè, vel occultè includuntur dæmones, qui deinde multa efficiunt. Sic etiam in vasculis dæmones solent includi, qui expresè, vel occultè vocati, sese sponte in ea vascula abdunt, aut superiorum Dæmonum imperio coguntur se in ea conferre, & recipere. Atque hæc dæmonum Magia est quadruplex. Vna dicitur Præstigiatoria, qua fit, vt oculis res aliter appareant, quàm sunt: nam cum res nullæ sint, speciem tamen rerum ostendunt: ita vt homo speciem lupi, & contrà lupus hominis speciem, & imaginem referat. Altera dicitur Venefica, siue Incantatoria, quæ certis verbis, carminibus, suffumigationibus, & alijs similibus videtur quędam mirabiliter efficere, in quæ Dæmon sese occultè infert, & intrudit. Tertia Magia dæmonis dicitur Cabalistica. Cabala hebraicè idem significat, quod Latinè, Traditio. Omnis enim doctrina humana non scripto, sed verbo, quasi per manus accepta, vocatur Cabala. Porrò duplex est Cabala apud Hebræos: Vna, qua sacrarum literarum mystici sensus cognoscuntur: putant enim illi, Mosen in monte Sinai legem à Deo accepisse, & literalem eius sensum, ac mysticum; & posteà senioribus legem scripto tradidisse, verbo autem mysticos eius sensus: qui seniores eodem modo alijs legem scripto dederunt, & sensus mysticos solo verbo; & ita mysticum Scripturæ sensum apud maiores Hebræorum sola traditione susceptum perpetuò viguisse. Quicquid sit de huiusmodi sententia: hæc Cabala damnata non est. Est autem altera, quæ docet, in hebraicis nominibus, punctis, apicibus, lineis, accentibus, & spiritibus innumerabilium rerum affectiones conditiones, vires, & facultates contineri: ita vt si quis totam Hebraicorum nominum, literarum, accentuum, ac spirituum vim probè calleret, posset multa mirabiliter efficere. Atque hæc Cabala est vana, & superstitiosa; ac ideo merito iure dānata. Quarta est Magia, quę Pythagorica vocatur; fortassis, quia à Pythagora cepit initium: quæ quidam Magi docent nomina cum naturæ actionibus, ac viribus certam habere affinitatem, quæ nos omnino latet, quam si perspectam haberemus, admirabilia multa præstare possemus: secundum quam aiunt multos hominum casus felices, aut infelices posse prænosci. Vt si duo homines bello, lite, disputatione, aut ludo decertent, eum sæpe victurum, cuius nomen syllabarum numero, virtute, aut potestate aduersarij nomen superauerit. Et hac ratione fuisse Patroclum ab Hectore victum, Hectorem ab Achille superatum. Hæc quoque est vana, & commentitia Magia, in qua Dæmon occultè sæpe adest, vt mentes hominum deludat. Nomina enim, & literæ sunt hominum inuenta, & sunt ad mentis sensa depromenda instituta. Vnde sunt meræ nugæ eorum, qui persuadere conātur in eis aliquid diuinitatis inesse, aut rerum naturalium conditiones, & affectiones virtute contineri. Sunt enim pro varietate nationum, & gentium varia nomina, & literæ. Et otiosorum hominum est nomina, siue Hebraicæ, siue cuiuslibet alterius linguæ pro varietate, & numero literarum, syllabarum, apicum, spirituum, & accentuum permutare, disponere, transmutare, vt ea, quæ sunt penitus abdita, & occulta cognoscant, & futura, prospera, vel aduersa præsentiant. Hinc etiam apud Romanos originem habuerunt aliquę nominum superstitiosæ obseruationes: nam cum quis coloniam deduceret, cum Censor populum, Imperator exercitum lustraret; eligebatur is, qui dijs hostias immolaret, cui bonum nomen esset impositum. Cum Consules milites deligerent, obseruabant, vt primus miles fieret, qui bono nomine vocabatur.

Neque tamen inficiamur, ex nominibus, præsertim Hebraicis animaduersis, & notatis literis, apicibus, & spiritibus, & syllabarum numeris posse mysteria aliqua, & arcana probabiliter, & verosimiliter elici, quæ audientes, vel legentes, & doctrina pia, ac religiosa, & probabili imbuant, ac etiam voluptate perfundant; vt id productis in medium exemplis, si opus esset, facilè à me posset ostendi.

Cap. XXIV.

Quædam quæstiones de diuinatione.

PRIMO quæritur, An vlla sit Diuinatio, hoc est rerum futurarum præsensio, & prædictio. Epicurei omnium diuinationum genera deridebant, censebant omnes diuinationes esse meras hominum nugas, & omnes diuinatores esse impostores ad continendos homines, & populos in religionis officio. Hi etenim cum negarunt, aut Deum non esse, aut nihil res humanas curare, aut futura fortuita non cognoscere, quippe quæ sunt per se, & suapte natura penitus ignota, omnem diuinationem è medio tollebant. Contrà Stoici asserebant vera esse omnium diuinationū genera, quibus gentes vtebantur, auspicia, augu-

ria, oracula, sortes, omnem denique iudiciariam Astrologiam, quam scientiam Chaldæorum, & Aegyptiorum vocabant. Nam Deus est, quod illi multis argumentis probabant, qui rebus humanis prospicit, ergo hominibus futura prænuntiat, & prædicit, est enim in homines beneficus, & benignus.

nignius. Nec est, cur eum dicamus futuros rerum euentus nescire, cum omnia à Deo pendeant, existant, & fiant. Sic colligebant Stoici. Peripatetici, vt refert Cicero *in libris de Diuinatione*, omne genus diuinationum, quod artis alicuius particeps erat sustulerũt, cuiusmodi sunt auspicia, auguria, obseruationes portentorum, prodigiorum, vaticinationes ex astris, ex elementis, per sortes, ex partibus, & membris humani corporis. At concesserunt id diuinationis genus, quod nulla arte constat; qualia sunt insomnia, oracula, & vaticinia furentium, & eorum, qui morti proximi sunt, aut iam vita functi, & responsa Pythonum. Platonici vtrumque diuinationis genus recepisse creduntur: nam alterius causam in Dæmones, alterius in ipsam naturam reiecisse videntur, vt constat ex Platone *in dialogo de conuiuio seu amore, & in dialogo de natura, & in Apologia idem Plato Socratis nomine ait, eos, qui sunt morti vicini, diuinare solitos esse.* Pythagoras, vt testatur Laertius diuinatione per auguria vtebatur, & inter symbola scripsisse fertur, *Diuinationem omnem honora.* Omnes igitur Philosophi præter Epicureos, & Cynicos, aliquam esse diuinationem crediderunt. Est reuera diuinatio aliqua: nam cum Deus omnia futura præsentiat, vt sacræ literæ docent, multa suis prophetis prædixit: & eo reuelante prophetæ longè ante quam euenirent, præuiderunt, & ceteris prænunciarũt.

Secundò quæritur, An Vaticinatio siue Diuinatio sit naturalis, an supernaturalis tantũ: quod est quærere, an Vaticinatio ex causa naturali existat, an solùm ex Deo, hoc est, ex causa supernaturali: nam S. Gregor. *lib. 4. dialog. c. 26.* ait: *ipsa aliquãdo animarum vis, subtilitate quadam sua aliquid præuidet.* S. Thom. *2. 2. q. 172. art. 1. & de verit. q. 12. a. 3. & 4.* quæstionem mouet, an Prophetia aliqua sit naturalis & concludit, Prophetiam propriè sumptam, naturalem non esse, sed supernaturalem ex Deo: & id sacra Scriptura manifestè nos docet: nam 2. *Petri. 1.* legimus, *non enim voluntate humana allata est aliquãdo Prophetia, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei homines.* Dixit S. Thomas Prophetiã propriè acceptam naturalem nõ esse, quia si Prophetia, hoc est, vaticinatio fusius, & latius accipiatur, quatenus est præsensio quædam, & prædictio futurorũ ex prudentia, solertia, experientia, & coniecturis, naturales causas habet, ex quibus mens hominis ratiocinatur, & colligit futura: sicut Imperator in bello, & ciuilis moderator in administranda republica; & medicus in morbis curãdis, & agricola in mittendis seminibus, plantandis arbustis, & nauta in soluenda à portu, aut retinenda naui, ex diuturna experiẽtia, multa rerum obseruatione, magna solertia, & prudẽtia rerum secundùm naturam contingentium futuros euentus coniectat. At naturalis Vaticinatio esse non potest earum rerum, quæ certas in natura causas non habent, nec habere possunt, quoniã sunt fortuito euenturæ, videlicet quod sis tribus ab hinc annis Romam venturus, quòd sis rex, aut Pontifex futurus, quòd post quinque annos exactos, sis quartanam febrem passurus: quòd post decẽ annos sis moriturus. Item ea, quæ ex libero hominis arbitrio pendent, in naturalibus causis non sunt: ergo non nisi diuinitus prænosci, præsentiri, & prædici queunt. Insuper abditi, & occulti humanæ mẽtis cogitatus, & affectus per naturales causas certò cognosci non queunt. Falsum igitur est, Diuinationis seu Vaticinationis vim naturalem humanæ menti inesse. *Nonnulli*, inquit, B. Augustinus lib. 12. de Genesi ad literam cap. 13 *sentiunt, vim quandam diuinationis esse in anima humana: sed falsum id esse, multa demonstrant.* Stoici quibusdam argumentis, concludere nitebantur animã humanam vim diuinationis habere in seipsa.

Primùm, sic colligebant, naturaliter tributa est animæ humanæ vis quædam sentiendi, & videndi præsentia, quæ dicitur sensus, quo præsentia perspicimus: & alia sentiendi præterita, quæ est memoria, qua præteritorum recordamur: ergo tributa est naturaliter alia vis, qua futura præsentiamus, & hæc est vis diuinandi, infirmum sanè argumentum: quoniam præterita sui imagines, & simulachra in anima impressa reliquerunt: & præsentia per seipsa constant, vel in alio subsistunt, & ideo præsentia perspicimus, præterita meminimus: at futura, nec per se, nec in certis, & definitis causis sunt, si fortuita fiant. ergo certò ea præsagire non possumus.

Secundùm Stoicorum argumentum erat: Anima humana externis rebus relictis per se mouetur, vt in somno, & in raptu, cum extra se ad sublimia rapitur; tunc enim quasi vinculis soluta euagatur, & per sese etiam nullis rebus obiectis res alioqui occultas, & futuras cognoscit: ergo in seipsa anima humana rerum etiam futurarum simulacra, & imagines habet, nisi quod corpore impedita eas sæpius non videt: sed profectò anima alligata est corpori, nec nisi per sensus rerum species, & imaginis recipit. Ad illud ex B. Gregorio sumptum respondeo, cum S. Thom. *de verit. quæstion. 12. articul. 3. ad 5.* loqui Gregorium de Diuinatione, quæ ex causis naturalibus existit: non de ea, quæ propriè est Prophetia.

Tertiò quæritur, An sit aliquod naturale temperamentum, aliquis corporis habitus, quo anima ad diuinationem seu vaticinationem naturaliter sit affecta, aut naturaliter præparari queat. Quidam existimant esse, aut esse posse: quia dormientes magis diuinant, quam vigilantes. Item, ij, qui atrabile valent, magis vaticinantur, quàm reliqui: & fatui, stupidi, & insani magis diuinant, quam ij, qui sanæ sunt mentis: Insuper furore acti quidam multa diuinant: ij, qui morti sunt proximi, sæpe futura prædicunt. S. Thomas *2. 2. quæstion. 172. articul. 3. & de veritat. quæst. 12. arti. 4.* cum prædictam quæstionem moueret, respondit, nullam esse naturalem animæ præparationem ad Prophetiam propriè sumptam, quoniam eam dat Deus, quibus vult, & quando vult: & quomodo vult, & B. Gregorius *homil. 30. in Euangelia*, ait, *Implet*, videlicet, *Spiritus sanctus Cytharœdum puerum, & Psalmistam facit: pastorem armentorum sycomoros vellicantem, & prophetam facit: ergo quem vult Deus vatem facit*, de quo dicit Apostolus 1. Corinth. 12 *Hæc omnia operatur vnus, & idẽ spiritus diuidens singulis prout vult.* Non ergo est aliqua naturalis mentis humanæ dispositio, seu præparatio, quæ sit causa necessaria vaticinationis, qua præsente necessariò existat diuinatio, aut sine qua existere nequeat.

Quartò quæritur, Cur qui dormiunt, magis ac sæpius diuinant, quàm qui vigilant? Respondeo,

in quies-

an quietcentibus à sensibus animo magis per species,& imagines,res ipsas repræsentari, quàm in ijs,quib⁹ sensus externi abundant rebus obiectis: sicut in aqua quieta facilè imprimitur quælibet figura, in aqua continuo motu agitata non item. Cum somnus placidus est,neque multis,crassisq; vaporibus conturbatur, tunc meliùs simulacra, & imagines res,quarum sunt similitudines,referunt.Nam anima intrò se colligens, & nullis externis rerum in sensus incurrentium motibus distracta melius ipsas rerum imagines conspicit. Vnde qui de rebus maximis consultant,& decernere quippiam volunt,eligunt silentium, quietē, & tenebras, sese abdunt in secreta cubilia,fores claudunt,immo sæpe oculos occludũt.Nimirum subtrahunt sese ab externarum rerum sensu, vt faciliùs, & commodiùs cogitationi studeant, & vacent.Eadem de causa fit,vt minutę quædam affectiones animi,& corporis,quæ dum vigilamus nos latent,dum somnum capimus, sentiamus, & videantur nobis multò,quàm sint, maiores. Habet somnus ad vigiliam eandem rationem quam nox ad diem,silentium ad clamores, tenebræ ad lucem. Constat noctu, & silentibus cunctis strepitus etiam exiguos videri magnos: at interdiu, & vbi est magnus strepitus,magnos etiam latere: adeo vt qui iuxta Nili ortum habitant, surdi esse dicantur. Non ergo somnus est naturalis animi dispositio necessaria ad recipiendam Vaticinationem à Deo: sed est accõmodata; quia in somno, anima rerum externarum incursibus libera, solutaque est. Et ideo Deus per quietem hominibus aliquando futura prædicit.

Quintò quæritur,Cur fatui,& stupidi magis diuinant quam ij,qui sanæ sunt mentis? Plato,& Aristoteles diuinationem in fatuis, & stupidis sæpius esse dixerũt,in quibus videlicet minimè prudentia est. Respondeo, in fatuis, & rudibus, non esse eam Diuinationẽ, quæ propriè est Prophetia,& Vaticinatio,sed eam, quæ naturales causas habet: fatui pro prudentia diuinationem naturalem habent: contra sapientes siue prudentes habent prudentiam pro diuinatione: sicut brutæ animantes magis diuinatione naturali valent,& præstant,quàm homines.Pisces multi solẽt Nautis incautis tempestates pręmonstrare,auiculæ agricolis,armenta bubulcis, & minores greges alijs pastoribus, & mures in proximam domũ confertim abeuntes præmõstrant incolis domus ruinam. Datus est brutis animãtibus instinctus quidam naturæ pro prudentia: sic inter homines,fatuis,& rudibus, & amentibus data est diuinatio naturalis pro prudentia. Causa huius est,quia sicut brutæ animantes maiorem habent affinitatem cum causis corporalibus, sic & inter homines,ij,qui fatui, & stupidi sunt. Corporalia sensus afficiunt,& brutorum animæ, cum mente, & ratione careant,magis corporalibus afficiuntur: ita vt futurarum per naturam rerum initia, magis Brutorum animantium sensus afficiant: sicut ij,qui carent oculis, audiunt exactius, recordantur facilius,sic bruta animalia exactius sentiunt: detrahit sensui diuturna mentis contemplatio: qui interiùs disputant, meditantur,orant,solent plurima, quæ coram oculis sunt, aut dicuntur, neque videre, neque audire: Et aliquando sensuum functione priuati,immobiles perstant. Socrates, vt narrat Alcibiades in Conuiuio,in medio exercitu diem ac noctem stetit vsque ad solis ortum cogitabundus: eadem ratione contingit, vt qui exactissimos sensus habent,sint ad effectrices artes aptissimi, ad contemplationem non item: contra verò, qui in contemplatione plurimum valent,sint ad res tractandas parum idonei. In fatuis igitur,stupidis,& amentibus valet multum diuinatio, quæ ex causis naturalibus existit, non ea,quę propriè Prophetia,& Vaticinatio est.

Sextò quæritur, Cur ij, qui morti sunt proximi,sæpe futura diuinant,vt Plato,& alij Philosophi obseruantes tradiderunt.Gregor.*lib.4.Dialog. cap.26.& 27.* quædam exempla proponit,quibus ostendit moribũdos aliqua futura præsentire,& prædicere.*Aliquando*,inquit, *exituræ de corpore animæ per reuelationem ventura cognoscunt. Aliquando verò tunc dum iuxta fit,vt corpus deserant,diuinitus afflatæ in secreta cælestia incorporeum mentis oculum mittunt.*Id probat exemplo cuiusdam aduocati, qui paulò ante quã moreretur, vocauit puerum suum, præparari sibi vestimenta ad procedendum iussit. Quem dum puer quasi insanire cerneret, eiusque præceptis minimè obediret,surrexit, vestimento se induit: & per viam Appiam ad beati Sixti Ecclesiã se esse processurum dixit: cumq; post modicum ingrauescente molestia esset defunctus, deliberatum fuerat,vt apud beatum Ianuarium Martyrẽ,Prænestina via,eius corpus poneretur, sed quia longum hoc ijs,qui funus eius curauerant,visum est, repente orto consilio exeuntes cum eius funere per viam Appiam,nescientes, quæ ille dixerat,in ipsa eum Ecclesia, quam prædixerat, posuerunt. Et postea idem probat in eodem capite quatuor alijs exemplis adhibitis,& quinto adiuncto *in capite 27.*de Theophanio comite, qui aëris serenitatem futuram post suum obitum prædixit vxori, cum appropinquãte mortis eius tempore grauissima aëris tempestas obsisteret,ne ad sepelicdum deferri posset. Profectò si moribundi vaticinantur,quæ per naturam sciri non possunt,ea præsentiunt, & prænuntiant Deo eorum mentes illustrãte diuinitus,& hoc est,quod loco citato, probat B.Gregorius,quatuor, aut quinque exemplis in medium productis. Sic Iacob iamiam moriturus vocauit filios suos dicens. *Cõgregamini,vt annũciem,quæ ventura sunt vobis in nouissimis diebus.* Multa quoque Moses cum eius mors instaret,Israëliticis tribubus prædixit.Si verò morituri vaticinantur futura,quæ certas causas naturales habent,id faciunt, quia nonnunquam ea hora consopitis sensuum motibus, mens intro magis se colligit, ac melius,& exactius res contemplatur,quia vario, & multiplici sensuum affectu neque perturbatur,neque distrahitur.Eadem ratione fit,vt morituri facilius, & citius aëris, & corporum mutationes,quæ ceteros latent,sentiant, nimirum pluuiæ descensum è cælo,aëris serenitatem,solis æstum,harum rerum,& similium exordia morituri citius aliquando, quam cæteri sentiunt: quia eorum corpora, & sensus magis his rebus afficiuntur. *Genes.49. Deuter.32.*

Septimò quæritur, Cur furentes sæpe multa diuinent, vt colligi potest ex B. Augustino *libro duodecimo,de Genesi ad literam capit.17.* vbi quædam

exempla

exempla proponit eorum, qui febre correpti, & furentes aliqua futura prædixerunt. Quidam propheticum furorem, sicut etiam poeticum furorẽ ponunt: ita vt furentes ad vaticinandum aptiores esse fateantur. Error est, quẽ sacræ literæ condemnant, dicere prophetas esse arreptitios. Arreptitij vocabantur, qui à dęmonibus rapiebãtur: item, error est sacris literis damnatus, dicere prophetas per furorem actos vaticinari, cum Spiritu sancto inspirante locuti prophetæ fuerint. Quid ergo dicendum? cur furentes sæpe diuinant? Profectò, quia lóquaces sunt, nonnunquam incidũt in id, quod futurum est, velut qui sępe iaculando, aliquando collimat: loquũtur quiduis, quia imaginationibus densis, & crassis, & calore instigantur: item quia insani sunt, non habent, quam prudentia solet afferre, timiditatem: & ideo nihil dissimulant, nihil tacent, omnia effutiunt: nihil mirum, si aliquando dicant, quod futurum est. Item, quia furiunt, & insaniunt, facilius à dæmonibus rapiuntur, quia plus habent imaginationũ, & minus prudentiæ, & quædam ex illis accipiũt, & prænunciant, & hoc est, quod B. Augustinus, loco citato, probat exemplis.

Octauò Quæritur, Cur qui atra bile abundant, & Melancholici dicuntur, magis diuinant, quam cæteri? Respondeo atram bilem non reddere homines magis idoneos ad eam vaticinationẽ, quæ vere prophetia est, & quæ à Deo existit: sed quia plus imaginationum habent, facilius rapi solent à Dæmonibus, & ea prædicunt, quæ per naturam parata iam sunt, vt eueniant. Item, facilius abstrahuntur à sensibus, ac proindè constantiùs, & pertinaciùs eorum mens contemplatur. insuper facilius sentiunt aëris, & corporum cælestium affectiones, & mutationes, & ideo facilius rerum futurarum per naturam contingentium exordia sentiunt.

Nonò Quæritur, An Musicus concentus reddat hominem aptiorem ad diuinandum, & vaticinãdum? Quæstionem mouet id, quod legimus *lib. 4. Reg. 3.* dixit Eliseus Propheta. *Nunc autem adducite mihi Psaltem: cumq; caneret Psaltes, facta est super eũ manus Domini, & ait: Hæc dicit Dominus, facite alueum torrentis, & quæ sequuntur:* ergo videntur spiritus vaticinationis naturaliter allici cõcentu sonorum, aut vocum, & anima per cantum ad vaticinandũ naturaliter præparari *lib. 1. de diuinat.* Q. frater ex sententia grauissimorum Philosophorum sic ait. *Ergo & ij, quorum animi spretis corporibus euolant, atque excurrunt foras ardore aliquo inflammati, atque incitati, ceruunt illa profectò, quæ vaticinantes pronunciant: multisque rebus instruuntur tales animi, qui corporibus inhærent, vti ij, qui sono quodam vocum, & Phrygijs cantibus incitantur.* Sic ille. Resp. Musicum concentum non reddere naturaliter hominem magis idoneum ad eã vaticinationem, quæ verè Prophetia est, & à Deo in mẽtes hominum infunditur quamuis ad eam, quæ ex causis naturalibus existit, & verè Prophetia non est, sed latè, & fusè Prophetia nominatur, conducere queat, quatenus mentem erigit, & à sensibus abstrahit. Eliseus verò cytharædum vocauit non profanum, sed sacrum; nec profana Musica Eliseus vtebatur ad vaticinandum, sed sacra: nimirum cytharædum accersiri iussit, qui diuinas laudes decantaret, & ipsius animum ad orationẽ excitaret, & erigeret, & ita oratione vtebatur Eliseus, qua impetraret à Domino spiritum vaticinandi: erat igitur Musicus cõcentus, religiosus, & sacer, quo vsus est Eliseus ad orandum Deum; oratione verum vtebatur, vt peteret à Domino, quod cupiebat.

Decimò Quæritur, An Balaam, & Sibyllæ fuerint vaticinati afflatu diuino? Resp. cum S. Thoma. *2. 2. q. 172. ar. 6. ad 1.* Balaam fuisse quidem ariolum, & magum, vt docent communi consensu Patres, Aug. *in qu. estio. ex nouo testamento. q. 39. & sermo. 103. de tempore.* Orig. *hom. 13. in Num. & lib. 1. contra Celsum.* Basil. *hom. de human. Christi generat.* Glossa. *Num. 22.* Sed nihilominus diuino afflatu vaticinatus est, cũ dixit: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga ex Israel.* Vnde Augustinus ait. *Hæc ergo Prophetia est Balaam, non quia fuit Propheta, sed Deus causam populi sui egit per illum, non voluntarium, sed inuitum: sicut prophetasse inueniuntur missi à Saul ad Dauid capiendum, & sicut Saul, cum dictum est: nunquid Saul inter Prophetas?* Sic B. Augustinus. Prohibuit igitur Deus, quo minus Dæmon, quem ille cõsulere solebat, & cuius vates erat, respõsum præberet, & ipse vsus est eo ad bona precandum populo Israelis, ad eius laudes prædicandas, & ad vaticinandum: *Orietur Stella ex Iacob.* Item, Sibyllæ quamuis alienæ à fide, & religione in Deum, multa tamen, quæ de Christo prædixerũt, ait S. Tho. *2. 2. q. 172. ar. 6. ad 2.* ea prænunciarunt diuino afflatu, & spiritu excitatæ.

Erat hoc loco tractandum, de Magorum operibus, & maleficijs, sed de his agam, cum de quinto Decalogi præcepto tractabo.

Cap. XXV.

Quædam aliæ quæstiones de varijs superstitionibus dissoluuntur.

PRimò Quæritur, An insit vis aliqua fascinationis, in hominibus, qua aliqui aspectu, vel laudatione, & commendatione alijs hominibus, vel belluis officiat? Glossa in Paulum *Gal. 3.* Explicans illa verba: *Quis vos fascinauit?* apertè docet, quorundam oculos esse virulentos, qui alios videndo; præsertim infantes, & pueros, inficiunt, & lædunt. quod qua ratione fiat S. Thomas, *1 p. q. 117. art. 3. ad 2. & lib. 3. con. Gent. cap 103. de pot. q. 6. ar. 9. ad 7. de Mal. q. 16 ar. 9. ad 13* videtur explicare in hũc modum. Ex acri, & vehementi mentis cogitatione, aliquando corporis spiritus, & humores immutantur. ira enim incalescit corpus, & timore frigescit. Vnde odio, maleuolentia, inuidia variè corpora afficiuntur: quibus sic, vel aliter affectis fit quoque magna spirituum permeantium ad oculos permutatio, propterea quod spiritus subtiliores in eos transmittantur, oculi verò malè spiritibus affecti aërem sibi coniunctum ad certũ spatiũ corrumpant. Porrò aëre malè affecto, specula si tersa, & mũda fuerint, contrahunt labem, maculam, & sordes: quod experientia docet in aspectu fœminæ, menstruo profluuio inquinatæ: Sicut igitur specula polluũtur ab aere vicino infecto, sic etiam infantum, & puerorum corpora mollia ac tenera, & proinde ad recipiendum, & patiendum apta, facilè solent infici à circumfuso aere corrupto. Pari ratione vehementi amore, laudatione, & commendatione tenues corporis spiritus mutantur, varieque afficiuntur, &

inde spiritus ad oculos trâsfusi, sic, aut aliter mutantur. Ex quo fit, vt amantium, vel laudantium aspectus alijs nocere queant, præsertim si res sint animatæ, molles ac teneræ, cuiusmodi sunt arbusculæ, animalcula, infantuli, pueruli. Et hæc potest esse vis naturalis fascinationis. Scio Medicos aliquos asseuerare pugnaciter, nullas esse fascinationes, sed tantùm vulgi opinione eas credi; quarum meminit etiam, vulgi sententiam sequutus Plinius *lib. 26. cap. 20. & lib. 38. c. 4. & lib. 43. ca. 4. Sæpe, fateor, nullæ sunt fascinationes, sed Dæmonum malignitate subito, vel aer infcitur, aut hominis, vel belluæ corpus aliqua ex parte maculatur, & læditur.* Arist. *sectione. 20. Problematum*, dicit, rutam esse fascinationum antidotum. Postremò Plinius *lib. 7. cap. 2.* refert *in Aphrica esse quosdam ex certis familijs genus ducentes, effascinantes: quorum laudatione interirent, probata, crescerent arbores, emorerentur infantes: Et in Triballis, & Illyrijs esse homines, qui visu quoq; effascinarent, interimerentq; quos diutius intuerentur, iratis præsertim oculis: quod eorum malum facilius sentirent puberes. Et in Aethiopia fuisse genus hominum, quorum sudor contactis corporibus rabiem afferret, & fœminas omnes vbiq; visu nocere, quæ duplices pupillas habeant.* Hæc ille, penes quem fides esto: quæ veterum scriptorum testimonijs comprobauit.

Secundò Quæritur, An in hominibus insit vis aliqua, qua solo cõtactu, aut sermone sanèt alios, aut certis morborum generibus medeantur? Plinius lib. 28. cap. 2. *Maximæ*, inquit, *quæstionis, & semper incertæ est, valeant ne verba, & incantamẽta carminum ad medendum. Et cap. 1. eiusdem libri* scribit: *dente hominis vi interempti gingiuas in dolore scarnificari, & oculorum suffusiones felle hominis sanari, & caluaria interfecti neque cremati, propinatam aquam è fonte noctu, comitialibus morbis prodesse; & hominis suspendio interempti catapotia, contra canis rabiosos morsus valere. Sed piacula sunt*, inquit, *ista, non auxilia, & remedia.* Idem *cap 3.* scribit fuisse in Aphrica Psillos, & in Italia Marsos, ex quorum familijs, qui ducebant originem, tales fuisse, quorum corpora tactu ipso, suctuue modico leuabant percussos à serpentibus, & manu imposita corpori venena extrahebant: alios verò fuisse, quorum corpora solo aspectu erant terrori serpentibus: & quendam in dolium serpentium coniectum experimenti causa, circũmulcentibus linguis illęsum penitus extitisse: alios item, quorum sudor medebatur multis morbis; alios, quorum saliua contra ictus serpentium valebat, & vestem à tineis non attingi, quæ fuerit in funere, & serpentes ægre, præterquã læua manu, extrahi. Idem quoque *lib. 7. cap. 2.* refert aliquando humanorum corporum partes nasci ad aliqua mirabiles. *Sicut*, inquit, *Pyrrhi regis pollex in dextro pede tactus lienosis medebatur*: Et in Aphrica fuisse Psillos, de quibus paulò ante dixi, quorum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, vt cuius odore sopirẽt eas: Et in Italia esse Marsorum gentem, in quibus inest eadem vis naturalis, & ictu saliuæ humanę, vt feruẽtis aquæ contactu serpentes fugere: quod si in fauces penetrauerit, etiã mori: idque maxime humani ieiuni oris. Itẽ haud, procul Vrbe Roma, in Falisorum agro familias esse paucas, quæ sacrificio annuo, quod fiebat ad montem Soracte Apolloni super ambustam, & ardentem ligno rum struem inambulantes non adurebantur, flammis parcentibus: quod idem Solinus commemorat capite octauo. At Varro id non tribuit miraculo; sed ait Hyrpinos ambulaturos, per ignes, certo quodam medicamento plantas pedum imbuere. Hæc Plinius, & ex parte Solinus: Quæ si vera sunt, certè mirabilia fuere. Quicquid sit, negare non possumus, quin gratis, & liberaliter Deus possit quibusdam hominibus, immo etiam certis familiarum viris, vim & facultatem concedere, vt tactu, sermone, aspectu, odore, vel halitu medeantur quibusdam morbis, & valeant contra rabiosi canis morsus, aut serpentum venena. Nec ea vis, & potestas naturalis dici potest, quasi sit hominis naturæ, & conditioni debita; sed ea tantùm est gratuito Dei munere, & beneficio suscepta. Nec tamen sequitur, vt sit vis aliqua supernaturalis, hoc est, habitus menti infusus: sed est vis quædam præter solitum morem hominibus data, quæ suos præstet effectus, aut causarum naturalium ministerio, & opera; aut certè, quod est verisimilius, operante Deo, talium hominum interueniẽte sermone, tactu, aspectu, odore, sudore vel halitu. Quo fit, vt id etiam virtutis, & efficacitatis, Dei munere, possit inesse in hominibus improbis ac perditis.

Tertiò Quæritur, An mulierculæ, quæ vulgo Stryges siue Lamiæ vocantur, verè, & reipsa Dæmonum ministerio, & opera, per aera in locare motissima deferantur? Sunt qui id inficientur, asserantque in quiete ac in somnis eas crederese à Dæmonibus per aera deferri. Nam sæpe, inquiunt, huiusmodi mulierculæ durè vapulant, acriter acu, vel cuspide ferrea punguntur, constringuntur funibus, immo admoto igne exuruntur, & tamen nihil mali sentiunt; ergo sola per quietem visione deferuntur, non reipsa. Præterea, si re, non visione veherẽtur, facile è carceribus possent effugere: at hæ infelices includuntur, nunquam tamen è carceribus, aut vinculis solutæ euaserũt. Aiunt insuper nostra corpora non posse Dæmonũ opera per aera deportari: quoniam si Christus Dominus à Spiritu malo in pinnaculũ templi, & in montem excelsum assumptus dicitur; id factum est, non quia Dæmon eum è loco in locum transtulerit, sed quia Christus sponte sequi voluerit, & virtute sua eò se contulerit, quo voluit Dæmon; & Habacuc delatus est in Babylonem, ab Angelo capillo eius apprehenso, & Spiritus Domini rapuit Philippum, & inuentus est in Azoto. Sed id factum est, ministerio Angeli, nõ Dæmonis; & virtute diuina, non propria.

Pmſcribunal 2 de Lamijs. Alciatus l. 2 par. c. 22.

Matth. 4.

Dan. 14. Act. 8.

At enim communi est Theologorum consensu receptum, posse corpora nostra, potestate Dæmonis, per aera in varia loco deferri. Neq; enim negari potest, corpora, quod attinet ad motum, quo è loco in locum transimus naturali Dæmonis potestati, & imperio subijci, quo tanquam vero concesso, incertæ adhuc quæstionis est, an mulierculæ, quæ lamiæ, & stryges vocantur, reipsa, an sola visione mentis, & sensus deferantur. Hæreticæ prauitatis Inquisitores, vt plerique literis prodiderunt, certis experimentis sæpe didicerunt, eas corpore, non visione, & sensu deuehi. Sil. *hæres. 3.* Simãcas *de Institutioni Cathol. tit. 37. nu. 6. &* Alpho. à Castro *lib. 1. de Iusta Hæret. pun. cap. 16.* Paulus Grillandus *tract. de sortilegis. qua. 7.* & alij, quos citat in

Direct.

Direct. Inquisit. Scholiastes. p. 8. q. 43. Comment. 68. & Simancas de Cath. Institit. tit. 37. Attamen negandum non est quin id etiam per solam visionem sæpè contingat. Vnum tantummodo obstat, quod ex Cœcilio Ancyrano in cap. Episcopi, 26. Quæst. 5. refertur, nimirum. Sceleratæ, inquiunt Patres in illa Synodo conuocati, quædam mulieres Dæmonum illusioni hoc sedulò credunt, & profitentur, se nocturnis horis cum Diana Paganorum dea, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multa terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, eiusque imperijs obedire velut domine, & certis noctibus ad eius seruitium euocari, quæ falsa opinione deceptæ, hæc vera esse credunt, & credendo, à recta fide deuiant, & errore Paganorum inuoluuntur: Ideo Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo prædicare debent, vt nouerint, hæc omnino esse falsa, & à maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari. Siquidem ipse Satana qui transfiguratse in Angelum lucis, cum mentem cuiusque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subiugauerit, illico transformat se in diuersarum personarum species, atq; similitudines: & meniem quam cæptam tenet, in somnis deludens, modo læta, modo tristia, modo cognita, modo incognitas personas ostendens, per deuia quæque deducit. Et cum solus Spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc non in animo, sed in corpore existimat euenire; cum Ezechiel Propheta, visiones Domini non in corpore, sed in spiritu viderit, & Ioannes Sacramentum Apocalypsis in spiritu, non in corpore: Et Paulus non audet dicere se raptum in corpore. Omnibus itaque publicè annunciandum est, quod qui talia, & his similia credit, fidem perdit, & qui rectam fidem non habet, hic non est Domini, sed diaboli. Quisquis ergo credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel in aliam similitudinem, nisi ab ipso Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est, & Pagano deterior. Hæc ibi. Ex quo capite ij, quos supranominaui, colligunt, nunquam humana corpora à Dæmonibus quòquam deportari. Siquidem Concilium à Fide aberrare dicit eos; qui talia crediderint. Vnde Nauarrus dixit in suo Manuali cap. 11. nu. 38. versiculo. Trigesimo secundo, peccare lethaliter eum, qui credit veneficas, aut maleficas, vel striges corporaliter per aera ad diuersa loca deferri, vt illæ putant: Et statim citat. cap. Episcopi. 26. Quæst. 5. Confestim tamen, quasi seipsum corrigens subijcit: Quamuis credere, quòd aliquando, licet raro, Dæmon aliquos de loco in locum, Deo permittente deportet, non est peccatum: quod probat Nauarrus testimonio Caietani, 2. 2. q. 95. ar. 3. quem citat, & experientia Iudicum in Germania, & auctoritate libri, qui inscriptus est Malleus Maleficarum, qui id multis rationibus, & experimentis ostendit.

Sed operæ pretium est respondere ad id, quod ext. Episcopi, citauimus, vbi manifestè contra Fidē errare dicuntur ij, qui talia crediderint. Multa Syluester tradit de supradicti capitis sensu: multa Paulus Grillandus, vt tueantur dictum suum, mulierculas nempe, quæ Stryges, siue Lamiæ dicuntur, re ipsa, non sola visione per aera in varia loca Dæmonis ministerio transferri. Sed reuera, quicquid isti dicant, non aptè, & conuenienter ad propositam quæstionem respondent. Ego sanè non video, quis alius sensus sit eius loci, nisi quod ibi condemnantur ij, qui credebant eas mulierculas ita à Dæmonibus corpore deferri, vt mutarentur in alia corpora, & quibusdam veris animantibus veherentur. Fuit enim Paganorum error, arbitrantium posse Dæmonis virtute corpora in alia mutari: cum tamen id solius sit Diuinæ potestatis. Mulierculæ verò, de quibus Concilium loquebatur, putabant sua corpora in alia transire, & eos omnes, qui à Dæmonibus per aera deferebantur, in varias formas commutari. Qvaeres, quomodo verum sit, quod vulgò fertur, eiusmodi mulierculas obseratis ianuis noctu in domos intrare, & infantum, ac puerorum sanguinem exugere, & suffocare, & occidere, vt absque baptismate decedant? Philostratus scripsit lib. 4. de vita Apollonij cap. 8. Lamias esse mulieres ad amorem, & venerem procliues, & carnes humanas, maximè verò formosorum puerorum, & iuuenum appetere, & noctu eorum sanguinem exorbere: Sed fabulosum esse videtur, at fieri potest, vt earum mandato Dæmones aliquos infantes interimant; & ipsæ putent se eos occidere.

Cap. XXVI.

Aliæ quæstiones circa eandem materiam diluuntur.

Primò Quæritur, An pocula, vel carmina amatoria, quæ Philtra Græcè dicuntur, vim aliquam habeant naturalem homines, vel inuitos alliciendi ad amandum hunc vel illum hominem? Sunt, qui id asserant, & probent multis experimentis, & testimonijs, inter quæ vnum est illud B. Hieronymi in vita Hilarionis Abbatis, vbi refert *iuuenem quendam, quia Virginem sacram iocis, nutibus, muneribus, quæ solent perituræ Virginis esse principia, in turpes amores non potuit pellicere; ad magicas artes conuersum, quas apud Memphim Aegypti didicerat, eò amoris Virginem traxisse, vt abiecto amictu capitis crinem rotaret, frenderet dentibus, nomen adolescentis, quem ante contempserat, perpetuò inclamaret.* Hæc Hieronymus. Narrat apud Lucianum in dialogo, qui vocatur Philopseudos, Cleodemus Peripateticus Philosophus, Chrisidem mulierem vi magica in amorem pertractam. Apud Apuleium lib. 2. de Asino aureo, Pâphilia mulier magicæ artis perita, vbi spectabilis formæ iuuenem vidit, eum ad sui amorem magicæ artis violentia pertraxit. In l. eorum. C. de Maleficis, dicitur; *Qui magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliti; aut pudicos animos ad libidinem deflexisse detegentur.*

De huiusmodi Philtris amatorijs duo mihi videntur posse dici probabiliter. Primum est, constat, (vt alibi latiùs dicā, cū de Maleficis in quinto Decalogi præcepto disputabo) testimonijs Aristotelis, Theophrasti, Dioscoridis, Plinij, Galeni, Pauli, & aliorum, qui eā Medicinæ partē, quæ in simplicium rerum contemplatione versatur, tractarunt, quasdam esse rerum naturalium, vt herbarum, & lapidum vires, & facultates, quæ amoris, & concupiscentiæ flammam possint incendere: Est enim amor, & concupiscentia, facultatis sentientis affectio, quæ vi spirituum, & humorum excitari, incendi, confirmari, & contra remitti, minui, & extingui possit. Alterum est, nullam esse in rebus naturalibus facultatem ingenitam, quæ suapte natura excitet, alliciat, & incendat hominem ad amandum, vel odio prosequendum hunc, aut illum certum hominem.

Quòd enim excitetur in nobis amor, generatim, siue promiscuè, fieri quidem forsitan naturaliter poterit certo pocnli, aut cibi genere sumpto, vt testatur Medina *lib. 1. de recta in Deum fide, cap. 7.* Quòd verò excitemur, aut inflammemur ad amorem, vel odium huius, aut illius certi hominis; vis naturalis non est in rebus, quæ edûtur, aut potâtur. Quis enim credat esse herbam, aut lapidê, qui naturali sua vi, & efficacitate conciliet nobis amores certorum hominum? AT INQVIES Nulla igitur est Philtrorû vis? Respondeo in hûc modum; cum naturaliter fieri queat, vt quis ad amandum generatim excitetur, & incendatur vi alicuius herbæ, lapidis, aut pulueris: vt ad amandum hunc, vel illum hominem alliciatur, & inflâmetur, ex Dæmonis facultate prouenit, qui hominem aliunde ad amandum in vniuersum excitatum, allicit ad amorem erga hunc, vel illum: eò quòd corporis spiritus, & humores potest Dæmô variè commouere, & deinde rerû imagines memoriæ impressis permiscere, ita vt hunc, vel illum referant. Ex quo fieri potest, vt homine generatim, iam ad amandum impulso, frequens occurrat memoria, & recordatio huius, vel illius, operæ, & ministerio Dæmonis, & proinde alliciatur eius animus, & inflammetur ad hunc, vel illum hominem amandum. Hac item ratione tetat Dæmon pudicitiam, & castitatem hominis. Philtra igitur, hoc est, amatoria pocula, siue amatoria veneficia nihil valent ad conciliâdos animos, voluntates, & amores certorum hominum, nisi Dæmone sese etiam ingerente, & tétante eo modo, quo dixi, virtutem hominis. Multò minùs valent carmina, aut verba ad alliciendos homines inuitos in amorem, vel odium, sed Dæmon carminibus, & verbis occultè euocatus adest, & deinde inflammat hominem ad amandum eû, quem antè contemserat, quoniam frequentem eius recordationem, ac memoriam infigit, quæ delectatione pelliciat, flectat, & moueat. Nouit Dæmon, corporis habitum, gestum, dignitatem, aut venustatê, ita oculis hominum gratam, vt solo sui aspectu inire gratiam à plurimis possit: & ideò horum, & similium memoriam imprimit, eò quòd rerum imagines, quæ in memorâdi facultate seruantur, permiscet, vt hoc, aut illud referant.

Secundò Quæritur, An in hominibus insit vis, qua Dæmones annulis, speculis, vel vasculis includant, & alligent? Item, qua eos obsessis corporibus excludant, & pellant? nam exemplis, experimentis, multorumque testimonijs comprobari potest, Dæmones includi, & alligari certis locis, recitatis & auditis quibusdam hominum verbis, carminibus, imperio, incantationib. Sacræ item literæ testantur, Dauide cytharam pulsante, malignum spiritum à Saule solitum recedere: musica igitur instrumenta valent ad Dæmones fugandos: *Maximæ quæstionis*, inquit Plinius *lib. 28. c. 2. & semper incertæ est, valeâne, aliquid verba, & incâtamẽta carminum.* Tralianus *l. 9. c. 4.* probat auctoritate Galeni, esse incantamenta verborû, seu carminû. Item, Iosephus *l. 8. Antiquit. c. 2.* de Salomonis Sapientia loquens, sic ait. *Præstitit autem ei Deus, vt etiam cõtrà Dæmones artem ad vtilitatem hominum, & eorum curas ediscere, & incãtationes instituit, quibus ægritudines soleãt mitigari. Modos etiam coniurationũ, quibus obstricti dæmones effugantur, nec denuo redeunt, inuenit: & hæc cura hactenus apud nos multum præualere dignoscitur. Vidi enim quendam Eleazarum, de gente nostra præsente Vespasiano, & eius filijs, & tribunis, & alio exercitu simul, curantem eos, qui à Dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ fuit huiusmodi, intulit naribus eius, qui à Dæmonio vexabatur, annulum habentem subter signaculum radicem à Salomone monstratam: deinde Dæmonium per nares odorantis abstraxit, & repente cecidit homo. Postea coniurauit eum, ut reuertentem obijciẽs Salomonis, ne ad eum denuo reuerteret, id est carmina, quæ ille composuit edicens super eum. Volens autem satisfacere atque probare præsentibus Eleazarus, hanc se habere virtutem, ponebat ante eos, aut calicem aqua plenum, aut peluim: & Dæmonio imperabat, vt egressus ab homine hæc euerteret, & videntibus præberet indicium, quod hominem reliquisset.* Hactenus Iosephus. Insuper *Tob. 6.* dixit Angelus Tobiæ, vt retineret sibi iecur piscis capti, cor, & fel: & subiecit. *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum, siue à viro siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.* Et *cap. 8. eiusdem libri* legimus. *Recordatus itaque Tobias sermonum angeli protulit partem iecoris de cæsidili suo, & posuit eam super carbones viuos. Tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.* His positis, Respondeo, in hunc modum: In hominibus, cum sint natura, & potestate longè inferiores, vis naturalis nõ est ad includendos alligandosue Dæmones, vel expellendos. Vnde cum Dæmones certis locis includũtur, vel alligantur, id fit imperio aliorum Dæmonum superiorum, cum quibus pactum est initũ, vt inferiores includant, & alligent: vel ipsi Dæmones spontè seipsos includunt, & alligant pacto cum eis inito expressè, vel occultè, vt id faciant, cum primum certa quædam verba, & carmina audiuerint, aut incantamenta, & veneficia mentis intelligentia persenserint. Eodem modo possunt etiam è corporibus ejci, possunt item euocari.

Illud verò, quod Scriptura de Dauide, & Saule commemorat, sunt qui ita interpretentur, vt dicant, eo loco, spiritũ malum qui Saulem corripiebat, non fuisse Dæmonem, sed atræ bilis spiritum, & humorem, qui si magnus sit, vexat, & cruciat homines, præsertim si opera, & ministerio Dæmonis excrescat: huiusmodi autê spiritus vi musici instrumenti potest naturaliter sedari, & comprimi. Læta enim, grata, & iucunda exhilarant animum, leniunt ac mitigãt animi dolorem, & tristitiam excutiunt. Augustinus tamen *lib. 2. ad Simplicia. q. 1.* & Gregor. *lib. 2. Moral. cap. 6.* & Glossa ordinaria *1. Reg. 16.* spiritum malum interpretari videntur Dæmonẽ; quod si Dæmon ille fuit, vt prædicti Patres testantur, tunc non vi musici instrumẽti per se proximè pellebatur, sed potestate, & virtute Dei, id volentis efficere per Dauidem cytharam pulsantem: vel Dæmon Saulem corripiebat certis tantùm temporibus, nimirum cum Saul tristis erat, & afflicto animo; cuius Dauid pulsu cytharæ leuabat tristitiam, & dolorem; & proinde Dæmon pellebatur Saulis animo, ex graui mœrore suauiter recreato. Nec item iecoris odore naturaliter Dæmon fugatus est, sed vel Imperio, & virtute Angeli, vel virtute diuina, & iecur fuit quasi ad id sacratũ ab Angelo, vel à Deo,

sicut

ficut Ecclesia suis exorcismis, in quibus ob preces ipsius, Diuina virtus adest, Dæmones expellit, ac fugat. Nec quod Iosephus scripsit auctoritatem habet, aut fidem meretur.

Tertiò Quæritur, Quas pœnas Sortilegis, Maleficis, & Diuinantibus irrogent Canones, Leges, & Iura? Resp. Iure Canonico, & Ciuili multis pœnis eos affici, vt planum est ex multis capitibus, quæ habentur 26. *Quæst. 5. & 7. & Titulo De Sortilegijs, & ex Legibus. C. De Maleficis, & Mathematicis, & l. Item, apud Labeonē, §. Si quis Astrologiæ. ff. De Iniurijs.* Possunt igitur perditi isti homines puniri anathemate, suspensione Ordinis, dignitatis, administrationis, verberibus, exilio, vinculis, & carcere perpetuo, alijsque pœnis. *cap. Illud 26 Quæst 2. & cap. Admoneant 26. Quæst. 7.* Leuit. 20. statuitur sic: *Mulier, in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos. L. Quicumque. C. de Maleficis*, sancitum est, vt cuique liceat Maleficum apprehendere, & illico ad Magistratus, & Iudices deferre, vt communis salutis hostem. *L. 6. C. De Malef.* statuitur, vt licet homines in dignitate constituti non debeant nisi ob crimen maiestatis, & falsi torqueri: si tamen in comitatu Principis aliquis aruspex, ariolus, augur, Mathematicus, aut somniorum interpres, aut diuinandi artem exercēs, licet in dignitate fuerit, tormētis subijcitur. *L. Nemo, eodem tit.* arioli, Mathematici, & diuinandi artem exercentes gladio puniuntur. *L. Nullus, 6. de Malef.* præcipit Constantinus, vt diuinantes concrementur, qui ad alienam domum accesserunt: & qui eos deuocauerint, deportentur, publicatis eorum bonis. *L. Multi. C. eodem tit.* decretū est, Magicis artibus deditos, quia elementa turbare, vitam insontium labefactare, & Manibus, hoc est, Dæmonibus euocatis, audent multa perpetrare, ferali sententia, hoc est, vt exponit Accursius, tanquam bestię puniantur. *L. Eorum C. eodem tit.* statuitur, ne malefici puniantur, qui aliquando sua arte vsi, ob finem bonum efficiunt, nē maturis vindemijs imbres noceant, ne vētorum tempestatibus, aut grandinis lapidatione quatiantur. Secus verò grauiter plectantur, quando magicis vsi artibus, aut contra salutem hominum moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse deteguntur, Sic ibi. At Iure Canonico, vt patet ex *cap. Illos 26. Quæst. 3. & cap. ex tuarum & cap. vlt. de sortile.* in vniuersum damnantur, & prohibētur maleficorum artes, siue ob finem bonum, siue ob malum eas malefici exerceant.

QVAERES, An ipso iure in Sortilegos, Astrologos, & quoslibet alios, qui vanè diuinant, & eorū arte, vel opera vtentes, aut eos consulentes, sit lata excommunicationis sententia? Respondeo, si eorum diuinationes manifestè contineant, aut sapiāt hæresim, quales sunt eæ, de quibus in quæstione proximè sequenti dicam, ipso facto, saltem in foro exteriore eos, qui eas exercent, excommunicatione affectos esse, quoniā in eo foro censentur hæretici, & vt tales puniuntur, aut saltem, vt de hæresi vehementer suspecti. Si verò eorum diuinationes, nec contineant manifestē, nec sapiant hæresim, iure communi canonico nullam ipso facto excommunicationem contrahunt, sed ea possunt meritò affici. *cap. Si quis 26. Quæst. 5* dicitur: *Si quis ariolos, aruspices, incantatores obseruauerit, aut phylacterijs eorum vsus fuerit, anathema, sit*, hoc est, anathemate feriatur. Ibidem *cap. Non oportet*, statuitur, vt Clerici sacris Officiis dediti, qui fuerint Magi, vel incātatores, aut superstitiosis artibus vtuntur, ab Ecclesia proijciantur. Ibidem *cap. Si quis Episcopus, Presbiter, Diaconus, vel clericus aruspices, vel alios quoscumque diuinantes consuluerit, ab honore dignitatis suæ sit suspensus*, hoc est, sit à suo gradu dejectus. Ibid. *c. Aliquanti*: Clericus, vel laicus Diuinationis scientiam professus, aut consulens, aut docens, ab Ecclesia habeatur extraneus. Ibidem *cap. Sortes* sub anathematis interdicto prohibentur diuinationes, ne fiant. Ibid. *ca. Si quis clericus*: Clericus, vel sæcularis, qui diuinationes obseruauerit, ab Ecclesiæ communione propellatur. *cap. Augurijs*: Ab Ecclesia separetur, qui augurijs, & incantationibus studuerit. *Ibid Quæst. 7.* Anathema sit, qui ritum Paganorum, & Kalendarium obseruat. Ibidem, *c. Admoneant*, decernitur: Si quis artes magicas, & incātationes exercuerit, clericus gradu suo dejiciatur; laicus anathemate feriatur. Hæc omnia ex Iure communi canonico cōliguntur. At in Directorio Inquisitorum Parte secunda, *Quæstione 43.* continetur quædam constitutio Pontificia edita à Ioanne 22. in qua ipso iure excommunicationis pœna ijs omnibus irrogatur, qui Sacramentis, aut rebus sacris in diuinationib. abutuntur, aut nefarijs precibus Dæmones inuocant, aut sacrificia illis offerunt, aut eos venerantur, & colunt, aut cum eis impia pacta faciunt. Postremò, vt testatur Abbas *cap. 1. De Sortilegijs*, vltra pœnas legis sortilegi infami coronati mithra in publicum produci solent, aut scalis alligati ignominiosè prope fores templi siue ædis sacræ constituuntur.

Quartò Quæritur, An Inquisitores hęreticę prauitatis habeant auctoritatem, & ius in eos Diuinantes, & sortilegos, inquirendi, & animaduertendi? Resp. habere, quotiescumque aliqua admiscent, quæ manifestè hæresim contineant, aut sapiant: sapiunt autem hæresim eæ diuinationes, in quibus aliqui imagines baptizant, pueros rebaptizant, vel caput defuncti suffumigant, aut Sanctorum imagines conculcant, proterunt, sputis fœdant, Cruces deijciunt, atque confringunt, aut sacramentis, aut rebus sacris, aut sacramētalibus nefariè, & sacrilegè abutuntur. Continent verò manifestè hæresim diuinationes, in quibus quidam ipsos Dæmones inuocant, vel consulunt, eis thura adolendo, sacrificia offerendo, candelas accendendo, venerationem, & cultum tribuendo, genua flectēdo, se humi prosternēdo, vel aliquid aliud præstando ob eorum obsequium, honorem, & reuerentiam: Qui item eis seipsos deuouent, & tradūt; Qui Fidē abnegant; Qui eorum scripta nomina honoris, & cultus causa deferunt. Omnes huiusmodi tāquā hæretici, aut saltem nomine hæresis vehemēter suspecti, iure possunt ab Inquisitoribus puniri, vt colligitur *ex ca. Accusatus. § Licet. De Hæret. in Sexto*: & iure ipso, affecti sunt ijs pœnis, quibus Canones, & Iura Hæreticos, & de Hæresi suspectos subiectos esse voluerūt. At verò Iure cōmuni Canonico, & antiquo auctoritatem nō habēt Inquisitores animaduertēdi in Sortilegos, & Diuinātes; vt cōstat ex eodē *ca. Accusatus, in Sexto*, si prædicta non faciant, quamuis sortibus,

& alijs diuinationibus vtantur. Sed quid si Dæmones inuocent, & consulant eo solùm animo, vt ex eorũ verbis futura fortuita, vel occulta discant, ita vt nihil eorum, quæ diximus efficiãt, sed solùm Dæmonem consulant, vt amicum, & sociũ, more eorum, qui alios se peritiores consulunt? Respondet Caiet. 2. q. 95. ar. 4. eos non esse hæreticos, nec inuocationem, qua Dæmones inuocant, hæresim continere, aut sapere: sed subijcit statim, se in hac parte, vt Theologum, & Theologicè loqui, non vt iurisconsultum, qui in iudicio procedit. Quidam alij respondent, in eos nõ habere ius inquirendi Inquisitores, quia nec sunt Hæretici, nec de hæresi suspecti, cũ nihil præ se ferãt, quod sapiat aut cõtineat hæresim, quod mihi sanè resp õsum nõ placet. Nã etsi in eos iure communi, & antiquo canonico inquirere nequeant, tanquam in Hæreticos, aut in eos, qui faciunt aliquid, quod manifestè contineat, aut sapiat hæresim, possunt tamen inquirere tanquam in suspectos de hæresi. Nam eo ipso, quod Dæmones euocant, & eos de futuris euentibus fortuitis, aut occultis interrogant, nomine hæresis meritò suspecti censentur. QVAERES deinde, quidnam iure nouo Pontificio hac de re, constitutum sit? Respondeo, esse etiam Constitutionem à Sixto V. quæ incipit. *Cæli, & terræ*: in qua licet excommunicatio ipso iure, non imponatur; conceditur tamen Episcopis, Prælatis, & alijs ordinarijs locorum, & Inquisitoribus hæreticæ prauitatis vbique gentium deputatis, vt inquirere, & animaduertere queant in omnes sortilegos, & diuinandi artibus vtentes. Hæc enim sunt eius verba: *Apostolica auctoritate statuimus, & mandamus, vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscunque dictæ Iudiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam, in posterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus, ab humana voluntate pendentibus aliquid euentum affirmare audent, etiamsi id se, non certò affirmare asserant, aut protestentur: quam contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes, siue scientias exercent, profitentur, aut docẽt, aut discunt, quiue huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscunque dignitatis, gradus, & conditionis existant; tam Episcopi, & Prælati superiores, & alij locorum ordinarij, quam Inquisitores hæreticæ prauitatis vbique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus, ante nõ procedebant, aut procedere nõ valebant, diligentius inquirãt, & procedant, atq; in eos seuerius canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.* Hæc ibi. Ex quo fit, vt vi huius Constitutionis, vbi vsu recepta, confirmataque fuerit, hæreticæ perfidiæ Inquisitores possint inquirere, & animaduertere in eos omnes, qui superstitiosam quamlibet diuinandi artẽ exercent, profitentur, docent, addiscunt, aut diuinationibus vanis vtuntur, aut in eis se quomodolibet ingerunt. Cum tamen iure communi canonico antea sancitum esset, quod habetur *in cap. Accusatus. §. Licet, De Hæret, in Sexto*, vt Inquisitores pestis hæreticæ à Sede Apostolica deputati, de diuinationibus, aut sortilegijs, nisi hæresim saperẽt, aut redolerẽt, manifestè inferre, & ingerere se nõ debeãt, nec punire talia exercẽtes, sed eos relinquere suis iudicibus puniendos. Hæc in eo capite.

Quintò quæritur, quidnam sit iure constitutũ contra libros, & Scripturas, quæ docẽt, continẽtue superstitiosas diuinationes? Respondeo *in L. Culpa, C. De Maleficis.* Valentinianus Imperator sanciuit, ne Magica ars doceatur, aut discatur. Et in Indice librorum prohibitorum in Concilio Tridentino edito, Regula nona sic habet: *Libri omnes, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Oenomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus reijciuntur; Episcopi verò diligenter prouideant, ne Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisue casibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturum affirmare audent. Permittuntur autem indicia, & naturales obseruationes, quæ nauigationis, agriculturæ, siue medicæ artis iuuandæ gratia conscripta sunt.* Hæc Regula. Et Sixtus V. in Constitutione paulò ante producta prohibet eosdem libros censuris, & pœnis, quæ in Indice continentur, irrogaris, ne à Christi fidelibus legi possint, aut quomodolibet retineri: sed ait illos Episcopis, & ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus exhiberi, & tradi oportere. Alioqui cõstituit, & præcipit, vt cõtra scientẽr legẽtes, aut retinẽtes libros, aut scripta huiusmodi, Inquisitores liberè ius habeãt, & auctoritatẽ procedẽdi, & pœnis debitis coerceant, & puniant. Immo Ioannes 22. in sua Constitutione Pontificia, cuius mentionem superiùs feci, excommunicatione ferit omnes tenentes libellos, scripturas ue continentes aliquos ex prædictis errores, vel in eis studentes, nisi infra octo dies aboleant, & cõburant in totũ, vel ex parte. Hęc ibi. Et in Indice nouissimo auctoritate S. D. N. Clemẽtis VIII. edito, in obseruatione circa nonam regulam eiusdem Indicis, dicitur *ab Episcopis, & Inquisitoribus Christi fideles sedulò admonendi sunt, quòd in legentes, aut retinentes contra regulam hãc libros huiusmodi Astrologiæ iudiciariæ, diuinationum, & sortilegiorum rerumq; aliarum in eadem regula expressarum procedi potest, non modo per ipsos Episcopos, & ordinarios, sed etiam per Inquisitores locorum ex constitutione felicis recordationis Sixti* V. Hæc in Indice.

Sexto Quæritur, quænam cauenda, & fugiẽda sint, ne vana sit, & superstitiosa obseruatio, cũ verba, aut characteres certi describuntur, vt aliquid eueniat, & impetretur? Resp. ex S. Th. L. 2. q. 96. *a.* 4. quatuor caueri oportere. Primò, ne quid scribatur, q manifeste Dæmonis inuocationẽ, cultũ, & venerationem cõtineat. Deinde, ne verba, aut characteres penitus ignoti scribãtur: nã eo ipso, quod est scriptura incognita, debet nobis esse suspecta, quæ erroris, aut impietatis periculũ, & occasionẽ afferat, & præbet. Præterea, ne scriptura illa falsi aliquid cõtineat. Deus. n. rei falsæ testis esse nõ potest, & proinde falsę scripturę ministerio nihil boni diuinit⁹ cõtingit. Postremò, ne verbis sacris vani aliq d admisceãt. Verbi gratia, si in eis spes cõstituatur, quòd certo hebdomadæ die conscripta sint, aut certa diei hora aut manu fœminæ, non viri, pueri, aut iuuenis, nõ senis, aut manu sinistra, nõ dextra; aut duobus digitis, non tribus; aut characteribus rubro colore tinctis, nõ nigro.

Septimò Quæritur, fasne sit in floribus, her-

bis,

bis, fructibusue colligendis, aut animantibus custodiendis, vti certis verbis sacris, aut certas preces adhibere ad eam rem compositas, & accommodatas, vt ab eis morbi, & vitia, & quicquid aduersi, & mali habeant, arceantur. S. Tho. 2.2.q. 96. art. 4. respondet, fas esse Apostolorum Symbolum, aut precationem Dominicam, aut alia verba sacra, præsertim cum signo Crucis, recitare: dummodo spes, & fiducia non in literis, syllabis, aut nudis ipsis nominibus, & vocibus; sed in Deo ipsorerũ opifice, & liberali bonorum omnium largitore ponatur. Alioqui enim non licere id facere, vt constat *ex cap. Non liceat. 26. Quæst. 5.*

Vltimò Quæritur, An rudes, & imperiti homines grauiter peccent, cum bona fide absque expressa Dæmonis inuocatione, superstitiosa, & vana vtuntur obseruatione? Respondeo, si cum rebus, factisque suis superstitiosè aliquid adhibent, id scienter efficiant, aut hæsitent, fas id sit necne, eos grauiter peccare, quia licet voluntate careant euocandi Dæmonem, scienter tamen vana, & superstitiosa obseruatione vtuntur, aut saltem dubitãt, sit superstitiosa nec ne; nam eo ipso, ab ea abstinere debuissent, ne periculum incurrerent superstitionis, vel impietatis. Si tamen bona fide putent nihil superstitiosum, & vanum contineri, cum credant id, quod optant, petunt, aguntue, fieri posse vi, & facultate naturæ, vel potestate Dei, vel Angelorum opera; aut quia vident, illud idem pios, & religiosos homines facere consueuisse; non peccant, quoniam ob ignorantiam bona fide excusantur. Debent tamen à Presbytero, qui eorum confessiones excipit, admoneri, vt se in posterum ab huiusmodi superstitiosis obseruationib. abstineat, quia cũ sint superstitiosæ, eo ipso, sunt malę per se, ac proinde omnino cauẽdæ, & fugiendæ, vt vanæ, & inanes.

Cap. XXVII.

De sacrilegio, quod contra Religionem committitur.

PRimò quæritur, quidnam sacrilegij nomine intelligatur? Respondeo, si propriè, & præsè sumatur vocabuli Etymologia; sacrilegium esse rerum sacrarum furtum. Vnde sacrilegi dicuntur; qui res sacras surripiunt, aut qui rem nõ sacram, in loco tamẽ sacro depositã, aut commẽdatã furantur. Postea tamen latiùs est nomen acceptum, & translatũ ad significandum peccatũ, quo res sacra polluitur, aut indignè, & impiè tractatur. Et hoc modo sumptũ sacrilegiũ, est peccatũ, quo res sacræ indignè tractantur ab aliquo; scilicet non eo honore, veneratione, & cultu, quo deberent. Appellatione aũt rei sacræ accipitur ea, quæ sanctitatẽ aliquam habet, aut Christi institutione, aut Ecclesiæ consecratione, vnctione, benedictioneue, vt vocatur, quæ est precatio, qua Ecclesię minister certis ritibus, & cæremonijs Ecclesiasticis adhibitis, bona precatur rei, quam sacrat. Ea item, quam Ecclesia ad sacros vsus, & ministeria destinauit.

Secundò quæritur, quot sint sacrilegij species, & modi? Respondeo, in vniuersum tria esse sacrilegiorũ genera. Aut enim sacrilegiũ contra personam sacrã, aut contra locũ sacrum, aut contra rem sacram admittitur.

Tertiò quæritur, quot modis contingat sacrilegiũ, quod cõtra personã sacrã committitur? Respondeo, huiusmodi sacrilegiũ esse peccatũ, quo contra honorẽ, & cultũ, & sanctitatẽ personæ sacræ debitã delinquitur, aut quo religio violatur, dum persona offenditur. V.G. si quis rẽ habuerit cũ fœmina voto castitatis adstricta, accessus ad eã totũs est sacrilegus; quia est contra votũ, religionis officiũ, & opus. Quo fit, vt quandocũq; quis votũ, aut iusiurãdum violauerit, sacrilegus sit, eo quòd votũ, & iusiurandum, quæ sunt religionis actus, nõ soluat, & seruet. Præterea, qui Clericũ occiderit, aut ei colaphos impegerit, eumue pulsauerit, & verberauerit, sacrilegiũ admittit, quia facit cõtra veneratiõnẽ, & cultũ Clerici sanctitati debitũ. Clericus enim Sanctus, & sacer est, non solũ, quia sit ad diuina ministeria destinatus, sed etiã, quia Ecclesiasticis legibus interdictũ est, ne per iniuriã lædatur. Item, si presbyter suo officio functus Sacramẽta conferat, lethalis peccati cõscius, aut sacrosanctũ Eucharistiæ Sacramẽtũ cõficiat, aut Missæ sacrificium offerat, sacrilegij graui scelere sese cõmaculat: quia indignè Sacramẽta tractat. Pari ratione laicus lethalis culpę cõscius, Sacramẽta percipiẽs, sacrilegiũ admitit. At verò si Clericus furetur, mentiatur, aut maledicta in Deũ, vel Sanctos in cælo regnantes conijciat, peccatũ quidẽ committit, nõ tamẽ sacrilegiũ. Violat enim furando mentiẽdo, maledicendo, naturale ius, sed contra sanctitatẽ personæ Clerici debitã nõ delinquit. Præterea, si ludis, comessationibus, venationibus, negociationibus se dedat; Canones quidẽ, & Ecclesiastica iura peruertit; reus tamẽ sacrilegij propriè nõ est: hęc enim solũ latè, & amplè sacrilegia dici possunt. Prohibet quidem Ecclesia prædicta clericis, nõ ob personæ sanctitatem, sed ne ab Ecclesiasticis ministerijs abstrahantur. QVAERES, an si quis Clericũ corã Iudice ciuili, & seculari conueniat, sacrilegij crimine sese obstringat? An item Iudex ciuilis, & sæcularis, si in Clericũ inquirat, & animaduertat, ita vt in eo Ecclesiasticas leges, seu Canones qui immunitatem, & libertatẽ Clericis concedunt, labefactet, in sacrilegiũ incurrat? Resp. incurrere, quoniã immunitatẽ, & libertatem Clericis Ecclesiæ sanctione debitã perfringit. Pari ratione si laicus tributa, vectigalia, & quas vulgò gabellas, siue collectas appellãt, à Clericis exigat, erit in exigẽdo propriè iniustus, quia exigit quod sibi nõ debetur, & ab eo, qui ipsi nihil debet, erit etiã quodãmodo sacrilegus, quia cõtra immunitatẽ Clericis debitã delinquit. Ita etiã si Clericus sacris ordinibus initiatus, cũ fœmina rẽ habuerit, sacrilegij crimine ac pœna tenetur iuxta, veriorẽ sentẽtiã, quoniã nõ solũ Ecclesiastica lege castitatẽ seruare, debet: sed etiã quia Ecclesię decreto, dum ad sacros ordines promouetur, spondet, ac vouet, se castitatem seruaturum.

Quartò quæritur, quando quis sacrilegium committat in locum sacrũ peccando? Respondeo, tunc nimirum, cum aliquid facit, quo loci sanctitas polluitur. Sciendum est, locum aliquem cõsecrari, hoc est, religiosum, & sacrũ effici adhibitis certis quibusdã Ecclesię precatonibus, ad sacramẽta in eo plebi seu populo fideli ministrãda, ad Missarum sacrificia offerẽda, ad officia,

Ecclesiastica obeúda, ad mortuos sepulturæ mãdandos, Deò venerationem, & cultum deferendum. Quando igitur aliquis contra hæc in loco sacro delinquit, sacrilegij crimen contrahit; quòniam violat loci sanctitatem. Præterea, si lex Ecclesiastica, quæ constituit immunitatem, libertatem, honorem, & cultum, non seruetur, sacrilegij crimen admittitur. Si QVAERAS, quæ sint Ecclesiasticis legibus prohibita, ne in loco sacro fiant? Resp. sanè multa. Primum est, in loco sacro aliquem occidere. *c. proposuisti. de consecrat. Eccles.* Secundum, humanum sanguinem per iniuriam enormen effundere, *c. citato, proposuisti.* Tertium; voluntariè humanum semen emittere *c. Ecclesijs. de consec. dist. 1. c. significasti, de adult.* quibus tribus polluitur, & violatur Ecclesia. Silu. *verbo. consecr. 2. quæst. 5.* Quartum est: confugientes ad locum sacrum per vim extrahere. *cap. sicut antiquitus 17. q. 4.* Quintum, Paganum, siue infidelẽ, aut sacro baptismate non initiarum, aut fidelium quempiam excommunicationis vinculo ligatum sepelire; quo etiam casu polluitur Ecclesia *cap. Ecclesiam, de consec. dist. 1. & c. consuluisti, de consecrat. Ecclesiæ.* Sextũ: loco sacro res commendatas, aut in eo depositas vi, aut clam surripere. *c. quisquis 17. q. 4.* & Glossa, *ibidem.* Septimum: Ecclesia non potest loco arcis, aut propugnaculi inseruire ad vsus bellicos contra hostes. *c. 1. & c. cum Ecclesia, de immunit. Eccle. & Doctores ibid.* Silu. *verbo immunitas. 1. q. 2.* Octauum: non potest ad habitationem, aut alios vsus profanos conuerti. *c. ligna. de consec. d. 1. & c. ad hæc, & alijs capitibus, de religiosis domibus.* Nonum: prohibemur omnino, in Ecclesia Scenicos, aut turpes ludos facere, & alia spectacula similia hominibus præbere. *Clem. cum decorem, de vit. & honest. Cleric.* Secus est, si ludi sunt honesti, & qui ad pietatem, & religionem moueant spectatores, vel auditores: Silu. *immunitas. 1. q. 2. dictio. 8.* Decimum: prohibemur facere ea, quæ officia diuina, aut cultum Ecclesiasticum impediunt. *c. decet. de immuni. Eccl. in 6.* Vndecimum, nequeunt laici Ecclesijs collectas imponere, neque ab eis exigere *cap. quanto, de censibus.* Duodecimum: sacrilegium est Ecclesias effringere, & spoliare. *c. qui rupit, & c. quisquis. 17. q. 4.* Decimumtertium: prohibemur placita sæcularia in Ecclesia tractare. *c. 1. & c. com Ecclesia. de immun. Eccl.* Hæc sunt, quę vi Ecclesiasticarũ legũ seruari debent, vt locis sacris honor debitus deferatur.

Quintò quæritur, quæ loca censeãtur esse religiosa, & sacra? Respondeo, ea, quæ iure canonico Religiosa loca siue sacra vocãtur. Religiosa verò loca habẽtur, omnia tẽpla, quas etiã Ecclesias appellamus, Monasteria, Oratoria, Hospitales domus, si immunitate, & libertate Ecclesiastica iure Canonico cõcessa gaudeant: tunc aũt gaudere dicũtur, quando auctoritate Episcopi fundata sunt: secus verò nõ itẽ. Animaduertendũ est, Monasteriũ, in quo habitant Regulares, aut cõmunẽ locũ, in quo somnũ capiũt, quod dormitoriũ appellãt, agros itẽ, prædia, & domos, quas possidere, & locare ad habitandũ Ecclesiæ solẽt, nõ haberi loca sacra in omnibus: quoniã si in huiuscemodi locis semen humanũ ex proposito emittat quis, aut cũ fœmina rẽ habeat, nõ cõmittit sacrilegiũ, quo locus sacer pollutus, & violatus reputetur; iudicantur tamen loca sacra, quatenus in alijs multis immunitate, & libertate Ecclesiastica gaudent, vt suo loco dicetur.

Sextò quæritur, An qui rẽ nõ sacrã è loco sacro surripit, sacrilegum furtũ admittat? Franciscus Victoria censet esse sacrilegũ furtum. Communi tamen sententia Summistarũ, & Theologorum receptũ est, esse tria sacrilegi furti genera, quę superiùs enumerauimus, nimirũ, cũ res sacra è loco sacro aufertur: Aut res nõ sacra è loco sacro: Aut res sacra è loco nõ sacro. Sic Glossa communi cõsensu approbata *in cap. quisquis, 17. quæst. 4.*

In hac Quæstione dubitandum non est, esse sacrilegium, si quis è loco sacro auferat rem Ecclesiasticis vsibus, & ministerijs deputatã; quamuis sancta, consecrata, aut benedicta, vt dicitur, non sit; vt si Imagines, pannos, ornamenta, cortinas, pelles, sellas, aut similia quæque surripiat. Præterea negandum non est, furtum esse sacrilegũ, si quis laicorum res, in sacro loco asseruatas, abstulerit. Et hoc est, quod habet communis opinio, sacrilegum esse furem eum; qui rem non sacrã aufert è loco sacro: tunc enim contra loci sacri immunitatem, & libertatem delinquit: nam locus sacer immunis est in hoc, vt confugientes ad se excipiat, & res etiã commendatas, & creditas Ecclesiæ, cõseruet. Eadem ratione sacrilegus est, qui è loco sacro res etiam laicorum depositas, locatasùe, mutuo, vel commodato, aut loco pignoris traditas furatur. Nihilominus tamen, probabile est, non esse furtũ sacrilegũ, si quis rem Laici, in loco sacro non asseruatã, non depositã, non commendatã Ecclesiæ, sed casu, in loco sacro relictam inde abstulerit, & hoc fortasis Victoria voluit.

Septimò quæritur, An qui in loco sacro habet voluntatem, & animũ occidendi, furandi, vel rẽ cum fœmina habẽdi extra locũ sacrum, sacrilegium admittat? Respondeo, minimè, quia actus exterior, quem vt finem sibi propositũ habet, & in quem intendit, est quidẽ in eo voluntarius, sed solùm, vt opus extra locum sacrum faciendum. SI ROGES, an è contrario, si quis extra locum sacrum constitutus voluntatem habuerit occidendi, furandi, vel cum fœmina rem habendi in loco sacro, sacrilegij reus sit? Quidam id negãt ob eam rationẽ, quoniã loci sanctitas internis volũtatis actibus non violatur, sed solùm externis. Verùm tamen est, quod alij sentiunt, talẽ hominẽ sacrilegiũ admittere: quia opus exterius, quod est homicidium, vel furtum, vel cõgressus cũ fœmina, vult in loco sacro facere: Sed actus exterior, & interior voluntatis, quando in eadem materia subiecta versantur, sunt eiusdem speciei. DEINDE QVAERES, an is, qui in loco sacro est, cum mente delectatur in homicidio, furto, vel adulterio cogitato, in sacrilegij crimen incurrat? Resp. si delectatio, quã capit ex adulterio, furto, vel homicidio, terminetur in eis per se absolutè, solùm vt ea mente concipiuntur, sacrilegiũ non est, quoniam cõtra loci sanctitatem ille non peccat, quam uis in loco sacro peccet: at verò si delectationem capiat ex adulterio, homicidio, furtoùe, vt in loco sacro perpetrato, licet quidam existimet sacrilegium non esse, quia actus internus loci sanctitatem non polluit: Mihi tamẽ sacrilega eiusmodi delectatio videtur: quoniam delectatio eiusdem est speciei, cuius est materia

subiecta

subiecta, vt quarto libro dixi cap. 6. quæst. 3.

Octauò quæritur, quid nomine rei sacræ intelligatur, in qua sacrilegium admittitur? Respondeo, res sacras esse Sacramenta; deinde altaria, vasa, vestes, Sanctorum reliquias, imagines, in quibus Sancti coluntur; denique omnia, quæ pertinent ad cultum diuinum, & vsibus diuinis, & sacris deputantur, quæ solent esse consecrata, aut Episcopali auctoritate certis ritibus, & precibus adhibitis ad diuinos vsus; & Ecclesiastica ministeria destinata. Quandocumque igitur huiusmodi res furto surripiuntur, Sacrilegium admittitur. Item si in vsus profanos conuertantur: si laicorum collectis, tributis, gabellis clerici onerentur, si non dignè, religiosè, & piè tractentur. Quare sacrilegium committit presbyter, qui lethali peccato infectus sacramenta confert, aut laicus, qui culpæ lethalis conscius Sacramenta suscipit. QVAERES, An Simonia sit sacrilegium? Ratio quæstionis est, quoniam per Simoniam res sacræ venduntur, emuntur, permutantur; ergo tota venditio, & emptio, & permutatio est sacrilega, cum sit penitus iure canonico interdictum res sacras vendi, aut emi. Sed ex altera parte, Simonia crimen est à Sacrilegio distinctum. Respondeo, Simoniam eo ipso, quod est rerum sacrarum venditio, & emptio, esse sacrilegam, quoniam qui res sacras vendunt, & emunt, non eo honore, & cultu, quo deberent, eas tractant: at verò Simonia, vt peccatum à sacrilegio distinctum numeratur, eò quod peculiarem habeat sacrilegij rationem.

Nonò quæritur, An Sacrilegij rationem habeat id omne peccatum, quo res sacras, non vt decet, tractamus? Ratio quæstionis est, nam si Sacrilegium esset, inde fieret, vt Sacrilegij reus sit laicus, si vasa sacra, reliquias Sanctorum, cereos, Agnos Dei contrectet: Sacrilegium quoq; esset signum Crucis, aut Sanctorum imagines in saxis, & sepulchris humi stratis sculpere, & depingere, cum inde sequatur, vt sæpè conculcentur. Respondeo, sacrilegium in præsentia, vt præmonui, latiùs accipi pro peccato, quo sacra absque debito cultu, & honore tractamus; & proinde fatemur ad Sacrilegium reuocari ea omnia, quibus sacra modo aliquo fœdamus; veluti; si Sanctorum imagines proteramus, Reliquias conculcemus, Cruces deijciamus, comminuamusue. Similiter etiam cum sacra tractant, manuùe tangunt laici, quibus hoc est interdictum: Sicut etiam sacrilegium admittitur, si res sacræ in profanos vsus conuertantur. QVAERES, an si quis decimam fructuum portionem Ecclesiæ debitam surripiat, furtum sacrilegum committat? Resquidam committere: quia licet eiusmodi fructus sit res temporalis, est tamen alimentum, & vitæ subsidium ad clericos honestè, & commodè sustentandos destinatum. Qui etiam segetes Ecclesiæ disperderet, aut deuastaret agros, aut domos locari solitas euerteret, sacrilegium, inquiunt, & graue crimen admitteret. Pari quoque ratione, qui ecclesiastica beneficia Ecclesijs erepta sibi vsurparet, aut alia Ecclesiarũ iura sacra sibi vendicaret absque vlla Ecclesiæ facultate, sacrilegium ille perpetraret, quia eiusmodi iura sunt ipiritualia, & sacra.

Decimò quæritur, An vniuersum omnes sacrilegi, qui Ecclesiarum res, & bona furantur diripiunt dissipant, ipso iure excommunicationem contrahant? Hæc quæstio inde profecta est, quòd *in cap. Omnes Ecclesiæ 17. q. 4. & c. Canonica 11. q. 3.* videtur lata esse excõicatio ipso iure in huiusmodi sacrilegos. Respondeo, non omnes sacrilegos ipso iure communi excõicatione esse affectos, sed debere post monitionem canonicam, nisi satisfecerint, excõicatione damnari. Sic Abbas *in cap. vlt. de furtis. nu. 2.* & manifestè liquet *ex c. Quisquis, §. Sacrilegium, 17. q. 4.* & Glossa *in c. Oës Ecclesiæ 17. q. 4.* QVAERES, qui sacrilegi ipso iure excõicatione afficiantur? Resp. quatuor esse sacrilegorum genera, nimirum; Qui manus violentas in Clericos iniiciunt, occidendo, percutiendo, verberando, aut aliquo alio modo eos indignè tractando, *c. Si quis iuadente, 17. q. 4.* Deindè, laici qui collectas, & quas vocãt gabellas, taleas, decimas, præstantias, & alia similia onera Clericis, aut Ecclesijs absq; Romani Pontificis facultate imponunt, aut ab eis exigunt, aut etiã imposita à sponte dantibus recipiũt. Itẽ qui per se, vel aliũ, directò, vel indirectò ea facere, exequi, procurare, aut eisdẽ auxiliũ, cõsilium, fauorẽ, votũ, aut suffragiũ, palã, vel occultè præstare audent, quæ quidẽ excõicatio cõtinetur in Constitutione Pontificia, quæ Bulla cœnæ Domini vocatur. Præterea, ipso iure in excõicationẽ incurrunt, qui violãt immunitatẽ personarũ, vel rerum Ecclesiasticarũ, vt continetur in eadẽ Cõstitutione: de quibus excõicationibus suo loco tractabimus. Postremò in Conc. Trid. *sess. 22. c. 11. de Reformatione*, sic statuitur: *Si quem Clericorũ, vel laicorũ quacũque dignitate, etiã Imperiali, vel Regali præfulgeat, in tantum, malorũ omniũ radix cupiditas occupauerit, vt alicuius Ecclesiæ, seu cuiusuis secularis, siue regularis beneficij, Montium pietatis, aliorumq; piorũ locorũ iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia, & Emphiteotica, fructus, emolumenta, seu quascumque obuentiones, quæ in ministrorũ, & pauperũ necessitates conuerti debent, per se, vel alios vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut laicorũ, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios vsus conuertere, illosque vsurpare præsumpserit, seu impedire ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur; is anathemati tandiu subiaceat, quandiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione suppositæ personæ peruenerint, Ecclesiæ, eiusque administratori, siue beneficiato integrè restituerit, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem Ecclesiæ patronus fuerit; etiã iure patronatus vltra prædictas pœnas eo ipso priuatus existat. Clericus verò qui nefandæ fraudis, & vsurpationis huiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit eisdem pœnis subiaceat: nec non quibuscumque beneficijs priuatus sit, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur: & à suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem, sui ordinarij arbitrio suspendatur.* Hæc ibi sancta synodus.

Vndecimò quæritur, An ipso iure excõmunicatione feriatur Incendiarij, qui studio, & dolo ignẽ in Ecclesias iniiciunt, easque incendũt, & deuastant? Duæ sunt opiniones: Prima affirmat: ita Glossa, & cõi consensu Summistarũ, & Canonici iuris interpretũ recepta *in c. Tua. De sent. exc.* Secũda verò negat, Sic Caiet. *in sum. verb exc. c. 22.* Sil. *excõ. 7. casu. 7.* Naua. *c. 28. n. 74.* Videtur itaq; dicendũ. Quã

uis non

uis non ita manifestò constet, esse iure communi & antiquo latam excommunicationem; consuetudine tamẽ aliud receptum est, vt ipso facto excommunicatione censeantur affecti: aut saltem Pontifex *in c. Tua, de sent. exc.* vt certum reliquit, eos esse excommunicatione astrictos, & statuit tanquam nouum ius, vt si denunciati fuerint Ecclesiæ sententia à nullo, præterquã à Romano Pontifice absolui queant; sin minus, ab Ordinario: Et hoc est, quod *eo capite* Glossa, Abbas, & alij Canonici iuris doctores tradiderunt. *In cap. Pessimam 23. quæst.* 8. dicitur: *Pessimam quidem, & depopulatricem, & horrendam incendiariorum malitiam auctoritate Dei, & Apostolorum Petri, & Pauli omnino detestamur, & interdicimus.* Et deinde dicitur: *Si quis malo studio, odio, aut vindictæ cupiditate ignem exposuerit, excommunicetur. at si mortuus fuerit incendiarius, careat sepultura Christiana.*

Duodecimò quæritur, An qui effringunt templa, & spoliant Ecclesias, sint ipso iure in excommunicationem prolapsi? Communis est omniũ opinio, vt constat ex Glossa, Abbate, & cæteris *in cap. Conquesti, de sentent. excomm.* eos iure ipso excommunicationem contrahere. Quia licet *in cap. Conquesti. de sentent. excomm.* in eos, ipso facto excommunicatio non feratur, vt verum tamen, & certum relinquitur esse excommunicationem alioqui contra eos constitutam: de qua re suo loco fusiùs differemus.

Decimotertiò quæritur; An ipso iure sint excõmunicatione damnati, quicumque ex loco sacro rem sacram abstulerint, vt reliquias, calices, vestes, aliaque similia? Hoc ideo quæritur, quia *in cap. Quisquis, 17. quæst. 4.* dilucidè constitutum est: *Si quis domum Dei violauerit, & aliquid inde abstulerit sine licentia eius, cui Ecclesia est commissa, sciat se communione priuatum, donec satisfecerit.* Respondeo, multos opinari, eos nequaquam ipso iure excommunicationem contrahere, nisi ædem ipsam sacram effregerint, & rem sacram furati fuerint. Quia *in illo cap.* dicitur: *Si quis domum Dei violauerit*, id est, effregerit, & aliquid inde abstulerit. Sic Abbas *in cap. Ex literis, de furtis, num. 2.* Alij verò putant, eos ipso facto, excommunicatione affici, si absque facultate eius, cuius curæ Ecclesia committitur aliquid rapuerint, vel extraxerint. Nam hoc ipsum, quod est aliquid furari, est domum Dei violare. Probabilior est prima sententia.

Cap. XXVIII.

DE BLASPHEMIA.

QVæritur primò, cui virtuti Blasphemia opponatur? S. Thomas 2.2. *quæst. 13. art. 1.* censet Blasphemiam Fidei confessioni aduersari; quia verbis blasphemis Deo tribuit, quod in ipsum non cadit, aut negat, & detrahit, quod ipsi conuenit: quorum vtrumque Fidei confessioni repugnat. Quidam arbitrantur, Blasphemiam esse periurium contumeliosum; vnde eam cum Periurio quadam ex parte confundunt: Alij autem opinantur, Blasphemiam Religioni opponi: quia nihil aliud est, nisi conuitium, quod in Deum maledici conijciunt; hoc est, contumeliosum dictum, quod in Deum, vel Sanctos in cælo regnantes maledicus confert. Præterea, multæ blasphemiæ in Deum, vel Sanctos dictæ nihil falsi continent, quod cum fidei confessione pugnet sed solùm sunt contumeliæ, & maledicta, quæ conijciuntur in Deum: nam detestabili blasphemiæ scelere se obstringit is, qui aliquid veri de Deo dicit, sed per contumeliam, seu irrisionem; vt qui per Christi Domini membra obscœnè, & impudenter iurat.

Deindè, in Iure Canonico Blasphemi in Deum, vel Sanctos sub Maledicis continentur: *in Titulo De Maledicis.* Postremò, blasphemia in Regem, vel Principem, est verbum contumeliosè in eum dictum. ergo Blasphemia in Deum, nihil aliud est, nisi conuicium coniectum in Deum: ita ex Hugone Sancti Victoris colligit Couar, *in c. quamuis pactum de pactis. in 6. par. 1. §. 7. num. 8.* Et hoc mihi magis probatur. S. Tho. præsiùs videtur Blasphemiam accepisse, prout est verbum, quod in Deum contumeliosè dicitur, continens, vel sapiens hæresim. Nec item Blasphemia semper cum periurio, aut Iureiurando coniungitur.

Secundò Quæritur; Quid sit Blasphemia peccatum in Deum? Respondeo, ex communi omnium sententia, esse verbum, quod de Deo, vel Sanctis in cælo cum Christo viuentibus per contumeliam dicitur. Quare, vel affirmat aliquid, quod Deo non competit; vel negat, quod ei conuenit; vel certè, quæ Dei sunt, absque iusto, & debito honore, cultu, & reuerentia nominat, irridendo, aut per ea turpiter, & inhonestè iurando. Quo fit, vt Blasphemia ab Infidelitate penitus distinguatur: nam infidelitas in mente consistit, est enim falsus mentis contra Fidem assensus: Blasphemia verò in verbo, seu sermone posita est: nec enim credit blasphemus, quod vocibus exprimit, & effutit. Differt etiam, vt dixi à peccato, quod Fidei confessionem euertit: quoniam Blasphemia latiùs se fundit: per blasphemiam enim ea dicuntur, quæ contumeliosè nominantur, quamuis Deo verè conueniant.

Tertiò quæritur, quot modis Blasphemia contingat? Respondeo, multis; Primò, si de Deo quis aliquid dixerit, quod in ipsum non cadit, vt si eum compellet crudelem, vel iniustum, insciũ, & ignarum, vel mendacem, vel inuidum, vel talem, qui res hominum non videat, non curet, non rectè administret. Deindè, si de Deo deneges aliquid, quod ipsi conuenit, vt si dixeris eum, hoc vel illud prohibere nõ potuisse, vel nõ debuisse, vel nihil hominũ casus aduersos, vel prosperos curare. Item, si dicendo rei creatæ tribuas, quod est propriũ Dei: quo crimine se commaculãt frequenter, molles, & lasciui puellarum amatores, quas ita amant ardenter, ita immodicè laudãt, & prædicant, vt eas nominibus quibusdã appellent, cœco amoris igne inflammati ad libidinem, quibus aliquid Dei proprium significatur. Quo etiã se scelere deuincit is, qui per rem aliquã creatã, tanquã per Numẽ, & Deum iurat, qualis est mos Gentilium. Præterea, si Deo aliquid mali imprecaris: nam hoc ipso tuis verbis Deũ malo subijcis, quasi Deus possit mali aliquid perpeti. Postremò si per mẽbra Dei; vel Christi Domini obscœnè, & turpiter iures, in quod immane scelus, & horrendum solent incidere nebulones, muliones, agasones, & aurigę, & alij rustici, viles, & abiecti homines, qui quidem cum patientes, & lenes non sint, mala, quæ sibi eueniunt, Deo tribuunt: & ira; &

indigna-

indignatione correpti, & incensi, ita Deo, & Sanctis cum Christo regnantibus succensent, vt impiè, & nefario ore, atque sacrilego multa inhoneste, & impudenter effutiant: In quibus ideo blasphemia continetur, quia fœdè, & inhoneste, & contumeliosè dicuntur.

Quartò Quæritur, An Maledictum, quod in Sanctos conijcitur, verè, & propriè Blasphemiæ rationem habeat? Respondeo, habere, quia quemadmodum veneratio, & cultus, quo Sanctos reuerentur, & colimus, est religionis actus; non quia ipsos, propter ipsos solum religiosè honoremus, colamus; sed etiam propter Deum honoramus, qui eos sanctitate donauit, sic etiam Maledictum, quod eis infigitur, est Blasphemiæ peccatum, quia in ipsis Deo maledicitur; qui enim maledicit Sanctis, maledicit eis, vt Sancti sunt: ac proinde maledicit in Sanctis ipsi Deo, qui Sanctos effecit, & à quo est Sanctitas: nam sic etiam qui iurat per Sanctos, religiosè iurat, quia iurat per eum, à quo Sanctitas existit; ac pendet.

Quintò quæritur, An Inquisitores hæreticæ prauitatis ius habeant, & auctoritatem inquirendi, & animaduertendi in Blasphemos? De hac quæstione Castr. *lib. 1. de iusta hæret punit. cap. 12.* Couarr. *in c. Quamuis pactum. De pactis. in 6. p. 1 §. 4. nu. 12.* Simanc. *de Cath. institt. tit. 8.* Respondeo, blasphemias nonnullas esse, quæ manifestè continent, aut sapiunt hæresim: & de talibus cognoscere possunt Inquisitores, Aliæ verò sunt Blasphemiæ, quæ hæresim non continent, aut sapiunt; & in huiusmodi blasphemias ius, & auctoritatem ordinariam non habent Inquisitores. Quo fit, vt blasphemia sit crimen mixti fori, vt latè probat Soc. *lib. 4. consil. 119.* & Couarr. *loco citato.* Quoniam de omni blasphemia quam in Deum, vel Sanctos maledici conijciunt, possunt cognoscere, tùm ciuiles, & profani magistratus, tùm Ecclesiastici, & sacri; & datur præuentioni locus. Is enim iudex, qui primus blasphemum, siue maledicum deprehenderit, & ceperit, in eum inquirit, & animaduertit.

Sextò quæritur, quibus pœnis Canones, vel leges, & Iura afficiant eos, qui se Blasphemiæ scelere obstringunt? Respondeo, hoc peccatum adeo esse immane, atrox, & detestabile, vt aliquàdo sacræ literæ, si de blasphemia sermo incidat, benedictionis nomine vtãtur, per Antiphrasim significantes maledictionem. 3. Reg. 21. Impia Iezabel de Naboth loquens, calumniando dixit: *Benedixit Deo, & Regi.* Iob. 1. *Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordib. suis:* & c. 2. *Benedic Deo & morere.* Et in veteri lege Iudæorũ, Dei iussu cõstituta est pœna mortis in eos qui Deo maledicebant; lapidibus enim à toto populo obruebãtur. Leuit. 24. *Qui blasphemauerit*, inquit, *nomen Domini, morte moriatur: lapidibus obruet eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Et in authentica. vt non luxuriẽtur homines.* constituit pius Imperator legem, qua præcipit, vt blasphemi vltimis supplicis puniantur: Porrò vltimum supplicium in iure ciuili, intelligitur pœna capitis, seu mortis. L. vltima. ff. De Pœnis. *Propter talia*, inquit, Imperator, *delicta, & fames, & terræmotus, & pestes eueniunt.* At vero consuetudine recepta, mortis pœna blasphemis per leges Imperiales irrogata, iam sublata est, vt teste Iulio Claro, *libro quinto sententiarum, in Practica. verbo, Blasphemia numero tertio* communis iuris ciuilis interpretum tradit opinio. Immo, vt ait Couarruuias *loco citato*, olim etiam pœna mortis non puniebantur omnes blasphemi, sed qui ex consuetudine, & absque emendationis, & correctionis spe Deo maledicebant. In his tantùm habere locum pœnam mortis iure Imperiali constitutam, aiunt Cynus, Baldus, Salicetus, Anania, Alexander, vt citat Couarruuias *in cap. quamuis pactum. de pactis. in 6. par. 1. §. 7 nu. 8. 9. 10.*

In iure verò Canonico, grauissimæ pœnæ in blasphemos sunt constitutæ, *cap. statuimus. De Maledicis*, sancitum est: *vt si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maximè B. Virginem, linguam in Blasphemiam publicè relaxare præsumpserit, per Episcopũ suum pœnis debitis subijciatur, videlicet, vt septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ palam, dum aguntur Missarum solemnia, existat, Et vltimo die Dominico pallium, & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum: & sextis quibusq; feriis intra illud tempus contentis in pane, & aqua ieiunet, arceaturque ab Ecclesiæ ingressu; & tres, si poterit; alioqui duos pauperes, aut vnum reficiat illis diebus. Quod si ad hoc ei facultates non suppetunt, in aliam pœnam commutetur: quam si luere recusauerit, ei interdicatur ingressus Ecclesiæ, & Ecclesiastica careat sepultura, si decesserit.* Hæc ibi. Sed hanc pœnam laici tã ùm non Clerici subire, & perferre debent, vt testantur Innocẽtius, Hostiẽsis. Io. Andreas, & Abbas. Clerici verò blasphemi iuxta id, quod habetur *in c. Si quis per capillũ 22. Quæst. 1.* ab ordine Ecclesiastico, & honore deijci deberent. nisi ea pœna esset vsu abrogata, vt docet Hostiensis. Et vtraque eiusmodi pœna, teste Abbate, locum solùm habet in ijs, qui maledicunt ex consuetudine quadam, & absque emendationis, & correctionis spe; vel cum ita grauis est blasphemia, vt magna iniuria Dei maiestatem afficiat. Ita Bernardus *in Practica Criminali ap. 103.* & Couarruuias *in cap. quamuis pactum. de pactis, in 6. par. 1. §. 7. num. 10.* Abbatem secuti. Quæ quidem Iuris pœnæ, licet in desuetudinem abierint, indicant tamen, quàm execrabili scelere se polluant ij, qui impuro ore in Deum, aut Sanctos maledicta conferunt. In Concilio Lateranensi sub Leone *X. Sess. 9. capite Ad abolendam*, statuitur; *vt quicumque Deo palam seu publicè maledixerit, contumelioſisque atque obscœnis verbis Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam Dei genitricem expresiè blasphemauerit. si munus publicum, iurisdictionemue gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro prima, & secunda vice dicti officij: Si tertio deliquerit, illo, eo ipso, priuatus existat. Si Clericus, vel Sacerdos fuerit, eo ipso, quod de delicto huiusmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum, quæcumque habuerit, fructibus vnius anni mulctetur: & hoc pro prima vice. Pro secunda, si conuictus fuerit, si vnicum beneficium habuerit, eo priuetur: si plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur: quòd si tertiò eius sceleris conuincatur, dignitatibus, beneficijs omnibus, quæcumque habuerit, eo ipso priuatus existat, ad eaque vlteriùs retinenda inhabilis reddatur: eaque liberè impetrari, & conferri possint. Laicus verò blasphemans si nobilis fuerit, pœna viginti quinque ducatorum mulctetur: & pro secunda vice quinquaginta, pro tertia, nobilitatem amittat. Si verò ignobilis, & plebeius fuerit in carcerem detrudatur. Quòd si vltra duas vices publicè blasphemauerit, mithra infami per in-*

tegrum diem ante fores Ecclesiæ principalis coronatus stare cogatur. Quod si sæpius in hoc peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur. Et qui reliquos Sanctos blasphemauerit, arbitrio Iudicis rationem personarum habituri, aliquantulo mitius puniatur. Et Iudices sæculares, qui in tales blasphemiæ conuictos non animaduerterint, nec eos iustis, & debitis pœnis affecerint, quantum in eis fuerit, quasi eodem scelere contaminati, eisdem quoque pœnis subijciantur. Qui verò in illis puniendis solliciti, & seueri fuerint, qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, & tertiam partem multæ pecuniariæ habeant. Hæc ibi: quæ & ipsa vsu recepta non sunt. Iulius III. in Constitutione Pontificia, quæ incipit: *In multis*, præcipit: *vt scientes denuncient apud Iudicem de blasphemijs intra triduum; alioqui in easdem pœnas, incurrant; & vt denuncians possit haberi loco vnius testis, si iureiurando, denunciet. Conuicti habeantur infames, inhabiles ad quæcumque beneficia, gradus, honores, & dignitates obtinenda, si bis conuincantur. Si tertiò conuicti fuerint, ipso iure priuati beneficijs Ecclesiasticis, officijs, dignitatib. honoribus, magistratibus quibuscumque, & sint intestabiles actiuè, & passiuè sint inhabiles ad testimonium faciendum.* Hæc Iulius III. in ea constitutione: & instituit Iudices huius criminis Inquisitores hæreticæ prauitatis generales.

At Pius V. in Constitutione Pontificia, cuius initium est: *Cùm primùm Apostolatus*, inter alia sic ait: *Ad abolendum nefarium, & execrabile blasphemiæ scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat; & imperialibus quoque legibus præceptum est: nunc autem propter nimiam iudicum in puniendo segnitiem, vel potiùs desuetudinem supra modum inualuit: Leonis X. prædecessoris nostri in nouissimo Lateranensi Concilio statuta reuocantes decernimus, vt quicumque laicus Deum, & Dominum, nostrum Iesum Christum, & gloriosam Virginem Mariam eius genitricem expresè blasphemauerit, pro prima vice pœnam viginti quinque ducatorum incurrat: pro secunda, pœna duplicabitur: pro tertia, centum ducatos soluet; & ignominia notatus exilio multabitur. Qui plebeius fuerit, nec erit soluendo, pro prima vice, manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesiæ constituetur per diem integrum: pro secunda, fustigabitur per vrbem: pro tertia, ei lingua perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicumque Clericus blasphemiæ crimen admiserit, pro prima vice fructibus vnius anni, omnium etiam quorumlibet beneficiorum suorum: pro secunda, beneficijs ipsis priuetur: pro tertia, omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quod si Clericus nullum beneficium habuerit, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur: pro secunda, carceribus mancipetur: pro tertia, verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blasphemauerit, pro qualitate blasphemiæ, Iudicis arbitrio puniatur.* Hæc ibi. Et decernit in blasphemos posse inquirere, & animaduertere quoslibet Iudices competentes. Sed nec huiusmodi Constitutiones Pontificiæ moribus confirmatæ esse videntur.

Septimò Quæritur, An eum, qui Deo, vel Christo Domino, vel eius beatissimæ Genetrici palam, seu publicè maledixerit, increpare debeat is, qui audit tametsi eiusmodi reprehensione maledicus ille, & blasphemus emendandus non credatur? Respondet Nauarrus *in Man. cap. 12. num. 83.* eum hominem, ad obiurgandum lege compelli, quod probat ex Concilio Lateranensi paulò ante citato, vbi ait. *Quicumque blasphemantem audierint, eum acriter verbis obiurgare tenèantur, si citra periculum suum id fieri posse contiget.* At enim Nauarrus non rectè ex concilio deduxit, audientes adstringi ad reprehendendum maledicentem Deo, etiam cum nulla subest emendationis spes. Concilium enim fortasis, non ius nouum condidit, sed solùm ius naturale confirmasse videtur, quo debemus publicè peccantes arguere, & obiurgare, cum spes emendationis apparet, vt pudefacti resipiscant. Quod si Concilium ius nouum constituit, quod reuera potuit, nimirum, vt si quem publicè Deo maledicentem audierimus, acriter increpemus, si id fieri commodè queat; non ob emendationem eius, sed potiùs ob delicti pœnam, & vindictam, vt huiusmodi reprehensione maledici quasi pœna quadam afficiantur, dicimus, non esse id vsu receptum.

Octauò quæritur, An qui palam Deum, vel Sanctos cœli habitatores maledictis incessunt, ad Iudices deferri debeant? Concilium Lateranense eo, quem indicauimus, loco decernit, *vt qui eos audierint, verbis acriter obiurgare, & corripere debeant, & eorum crimen deferre ad Iudicem Ecclesiasticum, vel sæcularem intra triduum: quòd si plures blasphemantem simul audierint, singuli eum accusare teneantur, nisi fortè omnes conuenerint, vt vnus pro cæteris id suscipiat officio.* Hæc Concilium. Et Iulius III. in Constitutione Pontificia paulò ante citata imperat, *vt scientes denuncient intra triduum eum, qui maledixit: alioqui incurrant in easdem pœnas, quibus ipsi maledicti subijciuntur.* Et *cap. Si quis per capillum 22. Quæst. 1.* olim Pius I. constituerat, si quis talem hominem non accusauerit, eum diuina condemnatione coercendum: quod si Episcopus tale delictum punire neglexerit, eum acerrimè castigandum. Quæ omnia iure potuerunt sanciri, quoniam eiusmodi criminis denunciatio non præcipitur solum ob emendationem eius, qui tantum nefas admittit; tunc enim priuatim priùs increpari deberet, & emendatus iam atque correctus, nequaquam esset ad Iudicem deferendus; sed id præcipitur ob pœnam sceleris, & proinde etiam ante priuatam admonitionem, & correptionem, immo post emendationem quoque accusari iure potest. Nam, *vt suo loco dicemus*, accusatio, vel denunciatio iudicialis, non Euangelica, priuatam admonitionem non postulat: quia non ad emendationem eius, qui deliquerit, refertur, sed ad publica crimina, & facinora pœnis debitis punienda, vt docet Couar. *lib. 2. Var. resolut. cap. 10. num 3.*

Nonò Quæritur, An qui in Deum, vel Sanctos maledicta conijcit, possit à Sacerdote, qui sacram eius peccatorum confessionem excipit, absolui sine graui pœna pœnitentiæ iniuncta, & imposita speciatim propter blasphemiæ, & maledicti crimen? Concilium Lateranense *loco citato*, sic inquit: *In foro pœnitentiæ, nemo blasphemiæ reus absque grauissima seueri Confessoris arbitrio iniuncta pœnitentia absolui possit.* Vnde Nauarrus *loco citato* censet non licere pœnitentem absoluere absque grauissima pœnitentia imposita. Sed, vt ait Armilla, *in verbo Blasphemia, num. 5.* huiusmodi Concilij decretum non est vtentium moribus comprobatum, quod attinet ad pœnam in eo constitutam in maledicos; satis erit, si sacerdos blasphemiæ crimen

quàm

quam immane sit, & quantis Iuris pœnis subiectum, ostendar, & exaggeret sceleris grauitatem.

Decimò Quæritur, An maledicta, quæ in Deum dicuntur, specie per se distinguantur à maledictis, quæ dicuntur in Sanctos? Sunt, qui id asserant: propterea quòd honor, & cultus Deo debitus specie differt ab eo, qui Sanctis debetur; ergo etiam maledicta, quibus Deum incessimus, specie distinguuntur ab his, quibus Sanctos afficimus.

Sed verius docet Caietanus 2.2.q.13.art.1.ad 2.& ad 3. omnes has blasphemias specie conuenire; differre tamen subiectæ materiæ grauitate, & leuitate: quoniam, vt dixi, maledictum, quod in Sanctos conijcimus, est peccatum religioni contrarium: at vna tantùm est religio, quæ Deo cultum debitum tribuit, & Sanctis propter ipsum Deum ergo vnum etiam est blasphemiæ crimen, qua Deo maledicitur, vel in ipso, vel in suis Sanctis: Sic etiam iusiurandum specie nō differt, eo quòd per Deum, vel per Sanctos quis iuret. Non tamen significat Caietanus blasphemias aliunde specie non differre: nam ex, quæ hæresim continent, specie distinguuntur ab ijs, quæ nullam hæresim habent annexam.

Vndecimò Quæritur, An sit vnum numero peccatum blasphemiæ, qua quis simul Deo, & Beatissimæ Virgini, & Sanctis maledicit? Hanc quæstionem *quarto libro* diluimus, *cum de Peccatis egeremus cap.4.q.5.*

Duodecimò Quæritur, An blasphemia manifesta, & notoria sit casus, cuius absolutio iure communi Episcopo reseruetur? Syluester, & Angelus *in verbo, Blasphemia*, referunt, multorum fuisse sententiam, eius criminis, absolutionem esse Episcopo iure communi reseruatam; quod probare nitebantur *ex cap. Si tantùmm. De Maledicis*, cuius paulo ante fecimus mentionem. Sed verius est quod Syluester, Angelus, Armilla, & Nauarrus *locis supracitatis* testantur, nō esse iure communi reseruatam: quia *cap. illud Si tantùmm*, locum habet in blasphemijs in forum iudiciale delatis, quæ more antiquo, solemni pœnitentia puniebantur, quam Episcopi imponebant, & postea ex toto, vel ex parte relaxabant, Cæterùm priuatis Episcopo tum constitutionibus Blasphemiæ absolutio in nonnullis prouincijs, & locis solet Episcopis reseruari.

Decimotertiò Quæritur, An si blasphemus in Deum, vel Sanctos in foro pœnitentiæ interiori absolutus, sui criminis pœnitentiam iniunctam egerit, possit nihilominus in foro exteriori à Iudice puniri? Bartolus, vt refert Couar. *lib.2.Variar. resolut cap.10. num.3.* respondet, præmisso statuto, quo punitio remittitur ei, qui in amicitiam redierit eius, quem offenderat, non esse reum criminis puniendum, si pœnitentiam criminis egerit in foro pœnitentiæ impositam. Nam criminis acta pœnitentia, reconciliat sibi quis Dei offensi gratiam, & beneuolentiam. Bartolo subscripserunt Petrus Ancharanus, Ioannes Anania, Felinus, & Decius, quos citat Couarruuias *loco citato*. Sed longè verius est, quod docet ipse Couar. *lib.2.Variar. resol.cap.10.num 3 ad finem.* posse blasphemum à Sacerdote criminis absolutum, etiam peracta pœnitentia, in foro exteriori puniri. Lex enim humana, qua remittitur pœna ei, qui offensi gratiam sibi reconciliauit, tantummodo locum habet in eo, qui ratione iniuriæ alteri illatæ iure poterat in foro exteriori ab eo, quem offenderat, accusari. Secus verò est de eo, qui iniuria diuinam Maiestatem affecit.

Decimoquartò Quæritur, An si blasphemus in Deum, vel Sanctos à Iudice Ecclesiastico fuerit in foro exteriori criminis absolutus, possit iterum apud Iudicem ciuilem siue sæcularem accusari, & ab eo puniri? Respondet Couar. *loco citato.num.6.* posse iterum Iudicem sæcularem in eum inquirere, & animaduertere, & hanc air esse communem sententiam. Citat enim Abbatem, Ialdum, Antonium Butrium, Ioannem Andreæ, Petrum Ancharanum, Felinum, idem probat *ex cap. Felicis, §. Per hoc, De Pœnis, in sexto.* Quod si obijcias *in cap. De his, De accusation.* Regulam iuris, quæ ait: *De quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari*: Respondet Couarruuias, eam intelligi, quando pœna à Iudice Ecclesiastico inflicta, ita iusta ac debita fuerit, vt reus pro qualitate criminis meritas luerit pœnas.

Decimoquintò Quæritur, An qui simul plurâ maledicta in Deum, vel Sanctos coniecerit, vnum tantùm crimen blasphemiæ committat, & vna tantùm pœna puniri debeat? hanc quæstionem tractaui *lib.4. cap.4.q.5.* Respondent quidam, si causa in iudicio exteriori agatur, vnum tantùm peccatum censeri, & vnam pœnam maledicum contraxisse. Idque probant, *ex L. Insciando §. Infans ff. De furtis*, vbi dicitur: *Infans apud furem adolevit: tam adolescentis furtum fecit ille, quàm infantis, & vnum tamen est furtum.* Et deinde subijcitur: *Si surreptus furi foret, ac rursus à fure altero eum recuperasset, non amplius quam semel cum eo furti agi posset.* Et L. Qui bis, ff. De verb. obli. habetur, *Qui bis idem promittit, ipso iure, amplius quam semel non tenetur.* Si tamen in foro conscientiæ causa agatur, aiunt ijdem auctores eum, qui vno sermone Deo maledicit ter, quaterue, tria vel quatuor numero peccata committere, quoniam non minus nefariè, & impiè in secundo tertio, quartoue verbo delinquit, quàm in primo: quanquam secundùm leges, & iura in foro exteriori vna tantùm pœna mulctatur, licet grauiori. Cæterùm probabilius mihi videtur, vnum quidem esse peccatum, sed multo grauius, quàm si semel tantùm quis maledixisset, quoniam omnia maledicta sunt partes vnius continuati sermonis, sicut si quis alterum semel, & iterum pugno percuteret, aut gladio cæderet, aut virgis verberaret, absque temporis interuallo: Item quia secundum maledictum, & tertium nihil aliud est, nisi primi maledicti confirmatio.

Decimosextò Quæritur, An qui subitò iræ impetu Deo vel Sanctis maledicit, lethale peccatū admittat? Respondeo: Si adeo subita est ira, vel alia animi perturbatio, vt omnem rationis deliberationem anteuertat, eum hominem in peccatum non incurrere: Si verò aliquantulum rationis iudicium sequatur, plenam tamen præcurrat, veniale, & leue peccatum committere: si autem plenam deliberationem rationis comitetur, lethalem culpā cōtrahere. Potest enim temporis momēto ex pleno animi iudicio deliberatio existere, quæ ad meriti, vel peccati ratione sufficiat.

Decimoseptimò quæritur, An consuetudo in aliqua prouincia maledicendi Deo, vel Sanctis excuset à pœna constituta ipso iure in Blasphemos? Respondeo, cùm Couarruuia *in cap. quamuis pactum par. 1 §. 7. num. 12.* non excusare, quam dicit ibi idem Couarruuias esse communem sententiam. SI QVAERAS, an Blasphemia ob consuetudinem deprauatam maledicendi, in aliqua prouincia iure queat impunita relinqui? Respondeo, cùm eodem Couarruuia *loco citato*, & alijs, quos ille refert, hoc crimen ob consuetudinem deprauatam non mereri remissionem pœnæ, quia est immane scelus.

Decimoactauò Quæritur, quid iudicandum sit de his, qui in Deum, vel Sanctos conuitia dicunt praua quadam, & inueterata consuetudine maledicendi rapti; & quo pacto is, qui eorum confessiones excipit, sese gerere aduersus eos debeat, videlicet an hosce maledicos absolutione criminis dignos censere queat, an non? Respondeo, distinguendũ esse: nã quia assueti blasphemijs maledicta in Deum, vel Sanctos passim conferunt, simpliciter illi quidem non sunt ab absolutione criminis arcendi, sed ad tempus ab ea suspensi meritò detinendi, vt interim prauam, & peruersam consuetudinem aliqua ex parte deponant, & exuant. Si tamen signa certa, & manifesta doloris, & detestationis suæ illius sacrilegæ impietatis dederint, nec in aliud tempus absolutio cómodè differri queat absolui à peccatis queunt, impositа tamen pœnitentia salutari, ac tanto crimini debita.

Vltimò quæritur, An Blasphemus à testimonio in iudicio dicendo repellatur tanquam infamis? Respondet Couarruuias *loco citato* repelli, si sit criminis condemnatus.

Cap. XXIX.

DE ORATIONE.

Quid sit oratio.

QVoniam oratio, qua Dei opẽ, & auxiliũ inuocamus est Religionis officiũ, ideo est nobis de ea in præsenti breuiter differendũ.

Primò quæritur, quid sit oratio? Respondeo, eam variè à Theologis definiri. Damascenus lib. 3. de fide ortho. cap. 24. *Oratio*, inquit, *est ascensus mentis in Deum.* Cum qua definitione conuenit illa Augustini *lib. de spiritu, & anima cap. 50.* dicentis: *Oratio, est pius mentis affectus directus in Deum.* Illa itidẽ Hugonis definitio, quam ex eo referunt Alex. *p. 4. q. 26. m. 1. art. 1.* & Gab. *in Canonem Missæ lect. 61.* est conuersio in Deum per pium, & humilem mentis affectum: Qua ratione Oratio cõplectitur omnem contemplationis, laudationis, & gratiarum actionis actũ. Damascenus item loco citato definit sic: Oratio est petitio rerũ decentium à Deo, Cui definitioni consentit illa etiam Augustini definitio, quam afferunt Alexander, & Gabriel locis citatis. *Oratio, est rerum inuisibilium inquisitio*: & illa Glossæ: *expressio desiderij ad bonum adipiscendum, & malum fugiendũ per verbum exterius, vel interius.* Has omnes definitiones explicant Alexan. *par. 4. q. 26. m. 1. a. 1.* Gab. *in Canon. Missæ lectione 61.*

In hisce postremis definitionibus, petenda ex primuntur; illis primis, facultas, qua Deum oramus. Gregorius definiuit, vt testatur Alexander, & Gabriel, *Orare, est amaros ex compunctione cordis gemitus, & non composita verba resonare.* Hugo similiter. *Oratio, est deuotio ex cordis compunctione profecta.* Bernardus quem citant Alexander, & Gabriel; *Oratio, est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam, & pia allocutio, & statio illuminatæ mentis ad fruendũ Deo, quandiu licet.* Huiusmodi definitionis explicãt varios Orationis effectus. Quare Oratio potest sic generatim definiri: est petitio rerum decentium, quæ ad Deum dirigitur, vel ad alium propter ipsum Deũ. Petitio ponitur tanquam Orationis genus. Est autem vniuersim Petitio, locutio quædam ad alterius animum flectendum, & mouendum, vt vel in bonis iuuet, vel à malis defendat, ac liberet. Qui petit aliquid, eò ipso, declarat velle se obtinere, quod postulat.

Secundò Quæritur, An oratio per seipsam sit virtus? Quidam propter singularẽ orationis virtutẽ, ac vim & excellentiã, qua pollet, & præstat alijs, vsumq; necessarium, putant eã per se virtutẽ esse, impio esse virtutũ maximam. Cæterùm virtutis actus, & officium est non virtus; vt docent Alexan. *p. 4. q. 26. m. 1. a. 2.* S. Tho. *2. 2. q. 83. a. 3.* Ric. *4. d. 15. ar. 4. q. 2* Gabriel *Canon. Missæ lectione 61.* neq; enim est aliqua infusa, vel innata, vel acquisita virtus: Et quamuis virtus esset, non inter omnes tamen primatum obtineret, cum Charitas sit omnium virtutum maxima, & inter omnes arcem tenens ac principatum.

Tertiò Quæritur, cuiusnam facultatis humanæ oratio sit opus, vel actus. Conueniunt omnes, esse facultatis in homine, quæ rationis est compos: sed an voluntatis actus sit, an Rationis, & intelligentiæ, inter se dissentiunt. Alij enim putant esse voluntatis actum; alij Rationis, & intelligentiæ. Qui primam tuentur sententiam, eam ita confirmant, quia Oratio est religionis officium, & opus: at Religio, virtus est in voluntate sedem habens. Deindè, Oratio, est mentis desiderium, & votum. Posteriores verò ea ratione mouentur, quòd Oratio, est ascensus mentis in Deum, vel, vt diximus, est petitio: at Petitio, est locutio; sed interior locutio, rationis est, & intelligentiæ, non voluntatis actus, vel opus. Quare S. Thomas *2. 2. q. 83. art. 1.* concludit, Orationem esse rationis actum: nam quamuis in Oratione duo actus requirantur, & voluntatis affectus, desiderium, ac votum, & rationis ac mentis actus; quo petendo exprimamus, quod cupimus: præcipuè tamen Oratio, est petitio ac proinde actus rationis, quo mens cum Deo loquitur, & ab eo petit, quod optat. QVAERES, quomodo fiat interna mentis locutio? Respondeo, mente loqui, nihil aliud esse, quam mentem intra se concipere intelligendi actum, quo exprimit, & declarat, quod cupit: sicut enim externo verbo significamus alteri internos mentis cogitatus, sic mens intra seipsam actũ intelligendi, quasi verbum fingit, ac format, quo exprimit suæ voluntatis affectus, desideria, & vota. Nec refert, quod oratio sit Religionis actus, & Religio sit virtus, quæ in voluntate inhæreat: quoniam virtus, quæ in vna hominis facultate inhæret, vel insidet, non solùm functiones illius facultatis in qua est, sed etiam aliarum facultatũ opera, & officia præstat.

Quartò quæritur, An Oratio sit Religiõis op⁹ Ratio quæstionis é: tũ ga religiõis é honoré, & cultũ

Deo

Deo debitum tribuere: sed qui orat, aut aliquid petit à Deo, propriè non ei cultum defert, nec aliquid præstat, sed potiùs ab eo boni aliquid optat, expectat, & petit: tum etiã, quia Sanctos cælestis patriæ ciues oramus, quos tamen cultu Latriæ, qui est religionis actus, non veneramur. Quanquam Alex. *p.4.q.26.m.1.ar.2.* docere videtur orationem non esse actum specialis virtutis, sed multarum virtutum officium, videlicet Fidei, Spei, Charitatis, & Religionis. Constans tamen aliorum omnium sententia est, Orationem esse Religionis actum, eo quòd oratione petimus vniuersa bona à Deo, & eo ipso profitemur Deum esse supremum rerum omnium auctorem, qui omnia condiderit, & condita conseruet, tueatur, gubernet, ac regat: qui omnia curet, moderetur, & administret, à quo cuncta bona existant, qui denique omnia possit, ideo enim eius opem, & auxilium in omnibus imploramus, quia vniuersa sub eius ditione, & potestate sunt constituta. Nã quicumque ab alio aliquid petit, ipsa petitione se inopem, & illius ope, & auxilio indigentem ostendit, & illi tanquam superiori, opulentiori, & potentiori sese submittit, & subijcit. Item, quicumque alicuius opem inuocat, in eo, cuius fidem, & auxilium implorat, potentiam ad iuuandum, promptam animi voluntatem ad amandũ, iustitiam ad iniuriam & malum vindicandum, clementiam ad offensam condonandam, si venia petatur, agnoscit. Ex quo fit, vt qui orat Deum, eo ipso Deo latriæ cultum, & honorem tribuat: nam ab eo precatur, expectat, & petit veniam peccatorum, omnis mali depulsionem, cælestia, sempiterna, ac demum omnia bona; ergo Deum agnoscit omniũ bonorum auctorẽ, & largitorẽ; cum profiteatur eum supremum in omnia dominatum habere. Sic S. Thom. Ricardus, & Gabriel *loco citato.* Nec impedit, quod Sanctorum etiam patrocinium inuocemus: nam oratio ad Sanctos, vnà cum Christo in cælo viuentes non dirigitur tanquam ad eos, quorum sit omni ex parte præstare id omne, quod petimus; sed tanquam ad patronos, & aduocatos, qui à Deo impetrent gratiã, veniam peccatorum, gloriam cælestem, & alia multa, quæ nos postulamus. Oratio igitur propriè funditur, & dirigitur ad Deum propter ipsum, hoc est, tanquam ad eum, cuius est petita plenè, & cumulatè concedere; ad Sanctos verò non propter ipsos, sed propter Deum, apud quẽ pro nobis precãtur, & à quo impetrant, quæ nos precamur, & petimus. Deum item oramus: vt nostri misereatur, gratiam, & gloriam cælestem nobis impertiat: Sanctos verò, vt ipsum pro nobis orent Deum oramus, vt datorem eorum bonorum, quæ potissimum oratione postulamus: Sanctos verò, vt apud Deum patronos, & aduocatos.

Quintò Quæritur, quorum sit orare? hoc est, Quibusnam conueniat orare? Respondeo ex dictis perspicuum esse, orare ijs conuenire, vt docet, S. Thom. 2.2. *quæst.* 83. *art.* 10. Alexan. *par.4. quæst. 26.m.3. articulo quarto.* Gabr. *in Canone Missæ. lectione 61.* qui ratione, & intelligentia sunt prædíti, & superiori, opulentiori, & potentiori subiecti: Ex quo fit, vt orare, sit Angelorum, & hominum, nam sunt rationis & intelligentiæ participes, ac proinde loqui, ac loquendo petere aliquid possunt, & Deum superiorem, & potentiorem agnoscunt, reuerentur, & colunt, à quo petunt, quod cupiunt. Objicies id, quod in Psalmo dicitur: Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Respondeo, Inuocationis nomine eo loco non propriè accipi orationem, sed clamorem ab instinctu, & impulsu naturæ profectum, quo pulli animantium esca sibi necessaria indigere, quadam vocis significatione testantur, & Deum ipsum quasi omnium animantium parentem, educatorem, & altorem inuocare videntur. Pari ratione omnia Deo obedire dicuntur, eo quod insito naturæ impetu à Deo rerum omnium satore, & auctore ad suos fines mouentur.

Constat etiam ex dictis, nulli personæ diuinæ orationem conuenire, quia superiorem non habet, à quo aliquid orando petat: nec vna persona diuina rei alicuius est indigens: nam quicquid boni simpliciter, & absolutè habet vna, habet & altera. Nec refert, quòd vna persona diuina ab alia originem ducat: nam tres ipsæ personæ sibi sunt coæternæ, & coæquales, nec vna est altera potestate vel virtute, vel opulentia maior, vel dignitate, aut natura prior, aut perfectione præstantior, vel magnitudine superior, quamuis verè sit inter eas ordo originis, quo vna est ab altera, non contra.

Sextò quæritur, An Spiritui sancto orare conueniat? Hoc ideo in quæstionem vocatur, vt explicetur, quod Paulus scribit ad Rom. 8. *Quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: & Damascenus *lib. 1. de fide Orthod. cap. 10.* de Spiritu sancto loquens, vocat eum interpellatorem Paracletum, & vniuersorum deprecationes suscipientem. Gregorius item: *Aduocatus*, inquit, *noster dicitur, quia pro errore delinquentium apud Iustitiam patris interuenit, quique etiam pro errantibus exorare perhibetur.* Res est compertissima, de qua tractat Alex. *par. 4.q.26.m.3.a.4.§.1.* & Gabr. *loco citato.* Spiritum sanctum non orare. Illud verò Pauli: *Ipse Spiritus postulat pro nobis*: Augustinus in lib. de bono perseuerantiæ cap. 23. interpretatur: *postulat*, id est postulare nos docet, aut facit; quemadmodum illud Matthæi 10. quod dixit Christus Apostolis: *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, non quod verè loquatur, sed quod ad verum loquendum vim, facultatem, auxilium, & gratiam largiatur. Sic postulat, quia postulandi, & orandi vim, & potestatem tribuit, & facit; vt postulemus. Et ita Augustinum secuti explicant Paulum eo loco Primasius, Beda, Anselmus, vt etiam Sedulius. At Chrysostomus (quem secuti videntur Theophylactus, Theodoretus, & Oecumenius (appellatione spiritus intelligit spiritum hominis donatum beneficio, & munere precationis, & orationis per Spiritum sanctum. Vt enim tunc temporis multis tribuebatur donum linguarum, & interpretatio sermonum: Sic etiam, quia nescimus orare, & sæpè inutilia, atque etiam nocitura precamur, cõferabatur quibusdam donum precationis, quo pro cæteris Deum precarentur, ac peterent, quod prodesset Ecclesiæ; ac ideo teste Chrysostomo, ait Paulus: *Quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus* (nimirum homi- *Homil. 30. in Euang.*

nis per Spiritum sanctum munere, & beneficio precationis illustrati, & ornati) *postulat pro nobis.*

Septimò quæritur, An Christus in cælo pro nobis oret, quatenus homo est? nam certò liquet, olim in terris eum pro nobis sæpius orasse. Sunt, qui id affirmare recusent, & prorsus dubitent, ea ratione permoti, quòd orare sit actus alicuius sese Deo suppliciter subijcientis, & vel flexo genu, vel summisso capite, vel inclinato, ac prostrato corpore aliquid petentis. Sed Christus se hoc modo non habet in cælo; ergo non orat. Nihilominus tamen respondeo cum Alexan. *par. 4. quæst. 26. m. 3. artic. 4. §. 1.* Christum in cælo pro nobis orare, aut petendo aliquid à Patre, aut ostendendo illi sua merita, quibus bona plurima, & maxima nobis promeruit, & opera, quæ causa nostri gessit in terra: aut exhibendo illi suam naturam humanam assumptam, & quæ in ea sustinuit: quemadmodum pauperum in publicis locis, & vijs expositorum plagæ, nuditas, vulnera, morbi, & miseriæ ipsis etiam tacentibus orare dicuntur: Sic ad Romanos 8. ait B. Paulus: *Qui etiam interpellat pro nobis*: & ad Hebr. 9. *Introiit in ipsum cælum vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et Apostolus Ioannes. *Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum*, & ipse Christus *Ioan.* 14. cum suis discipulis dixisset ad Patrem se rediturum, subiecit: *Rogabo Patrem, & aliam Paracletum dabit vobis.* Rursum. *Illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem pro vobis.* At verò Christus in cælis nunc Patrem non orat supplicum hominum more, qui poplite flectunt, caput demittunt, corpus inclinant, sese humi prosternunt, & expansas in altum palmas attollunt: hæc enim, & similia Christus dum in terris commorabatur, faciebat, tùm vt humanæ naturæ susceptæ veritatem ostenderet, tùm vt nos suo exemplo inuitaret, & commoueret ad pietatem, honorem, cultumque, & reuerentiam aduersus Maiestatem diuinam: nunc verò ei ad Patris dexteram confidenti hæc minimè conueniunt. Glossa super illud ad Hebr. 7. *semper viuens ad interpellandum pro nobis*, ait *repræsentatione sui ex ea natura, qua Pontifex, id est, humana, quam cælis intulit, interpellat pro nobis.*

Octauò quæritur, An fas sit Christum Dominum precari, vt pro nobis ipse oret; hoc est quærere, an liceat nobis ita Christum orare, vt dicamus ei, Christe ora pro nobis; Exploratum est, ac certum, nullo modo licere nobis Christum orare, vt ipse quatenus Deus est, pro nobis precetur: nam Christus qua ratione Deus, Patri est per omnia æqualis. Sed in dubium vocatur, an Christum iure, & tuta conscientia orare possimus, vt ipse, qua ratione homo est, pro nobis Patrem precetur? Respondeo, non esse nobis vtendum aliqua precationis formula contra morem Ecclesiæ receptum: Ecclesia autem nunquam Christum publicè precatur, vt pro nobis oret, sed vt nostri misereatur. Præterea, preces nostræ non ad naturam humanam, sed ad personam in natura humana subsistentem diriguntur: at persona Christi vna est, & ea quidem persona diuini Verbi; huius non est orare. Insuper, etiam cum in carne mortali Christus versabatur, eum cuncti inuocabant, Christe adiuua nos; Iesu fili Dauid miserere nostri: Christe præceptor, vel Domine salua nos. Postremò, ei data est omnis potestas in cælo, & in terra: ergo eius magis est imperare, statuere, & dare, quam orare. *Matth. 28.*

Nonò quæritur, An Angelis, & cæteris Sanctis supernæ patriæ ciuibus orare conueniat? Respondeo cum Alexandro *par. 4. quæst. 26. m. 3. art. 4. §. 2.* Gabriele *in canon. Missæ, lect. 61.* conuenire: nam Tobiæ 12. dixit Angelus. *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Daniel. 10. super illa verba: *Et ego veni propter sermones tuos.* ait Glossa: *Post quam cepisti lacrymis, testimonio, & orationibus inuocare manum Dei, ego occasionem accepi, vt pro te oraturus ingrederer in conspectu Dei*, & in illa verba: *Nemo adiutor meus, nisi Michael*, habet quoque Glossa: *In orationibus pro vobis ad Deum*: & in Apocalypsi Sancti postulant vindictam à Deo. Denique Ecclesia Angelos, & reliquos Sanctos in cælo regnantes precatur, vt pro nobis orent. Quæres, an illi orent pro seipsis, an pro alijs tantummodo? Respondeo cum eodem Alexandro, & Gabriele *locis citatis*, eos orare pro nobis, tum vt bona assequamur, tùm, vt eripiamur à malis: Pro se verò non orant, vti à malis periculis, & miserijs seruentur, quibus se solutos, ac liberos esse ob certam beatitudinem, quam sunt adepti, cognoscunt. At beati mortuorum hominum spiritus postulant, suorum corporum felicitatem, quam futuram cupiunt, & expectant: vt probat Alexander testimonio B. Augustini, *lib. 12. de Gene. ad litteram cap.* 33. Item concedunt idem Alexander, & Gabriel, Angelos, & reliquos beatos spiritus orare pro se, hoc est, pro bonis, quæ habent, semper obtinendis, videlicet, optant, se in illis bonis, quibus fruuntur, semper esse; & id probant auctoritate Gregorij *lib. 2. Moral. cap. 6.* *Apoc. 6.*

Decimò quæritur, An Dæmones, & reliqui ad inferos damnati precentur? Ratio dubitandi inde oritur, quòd *Matth. 8.* Christum dæmones rogabant, dicentes: *Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos* Et Iob. 1. & 2. Dæmon postulauit à Domino sibi facultatem dari tentandi Iobi patientiam, & virtutem. Luc. 16. Diues Epulo precabatur, *Pater Abraam miserere mei, & mitte Lazarum*, & quæ sequuntur. Respondeo cum eodem Alexandro, & Gabriele *locis citatis*, eos aliqua petere; sed eorum petitio non videtur esse propriè oratio, quia non manat, & surgit ex pio affectu mentis in Deum, nec est petitio rerum decentium & salutarium à Deo.

Vndecimò quæritur, An viri sancti veteris testamenti post obitum suum orarent? Respondeo eos orasse, & verisimile est, eos Christi aduentum, sicut dum in hac etiam vita versabantur, facere consueuerant, precibus postulasse, & suum etiam in cælos ascensum. Deinde, orabant pro alijs: nam Hierem. 15. dixit Dominus: *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Hieronymus etiam, Chrisostomus, & Gregorius significant eos mortuos pro populo orare solitos fuisse: & 2. Machab. vlt. Iudas vidit Oniam, & Hieremiam pro populo Iudæorum precantes. *Hier. Epist. ad Tit. Greg. lib. 4. Mor. c. 12.*

Duodecimò quæritur, An ijs, qui igne purgatorio detinentur orare conueniat? Respondeo, conuenire, quia charitate sunt præditi: nam esti

orando gloriæ incrementum non mereantur, optant tamen, ac petunt à pœnis quas soluunt, & sustinent, liberari. Quæres, an pro alijs precentur? Huic quæstioni superius respondi, *in hoc lib. cap. 10. quæst. 12.*

Cap. XXX.

Quinam sint à nobis orandi.

PRimò quæritur, An precationes publicæ, & solennes ad Deum Patrem tantummodo dirigi debeant? In Concilio Carthaginensi 3. *can. 23.* statutum est, vt nemo in precibus, vel Patrē pro Filio, vel Filium pro Patre nominet: & cum assistitur ad altare, semper ad Patrem dirigatur oratio. Hæc ibi. Ecclesia ad Patrem per Christum suas preces fundere, & referre consueuit: nihilominus tamen æquè, ac Patrem, aliquando Spiritum sanctum aliquando, Filium orat; vt perspicuum est ex Letanijs, & supplicationibus publicis, ex hymnis, & alijs quibusdam precationibus ad Filium, vel Spiritum sanctum peculiariter destinatis.

Secundò quæritur, An ad Sanctos in cælo cum Christo Domino viuentes, Angelos nimirum, & beatos hominum spiritus, preces nostras dirigere iure possimus? Hæretici negant, eò quòd oratio est religionis actus; religio verò debitum Deo cultum tribuit; ergo Sancti non sunt orationibus inuocandi. Deinde, Sancti nequeunt postulata concedere; at nos orationibus peccatorum veniam, gratiæ, & virtutum incrementum, omnium malorum depulsionem, & vitam æternam postulamus. Sancti itidem cum à nobis longè absint, preces nostras audire non possunt. Præterea, mentis nostræ cogitata, affectus, & vota, cum sint interna, cognoscere nequeunt.

At certissima est Catholicorum sententia *in 4. dist. 45.* Sanctos esse nostris precibus inuocandos: Id enim veterum patrum confirmat auctoritas, & Conciliorum Decreta, generalis demùm totius Ecclesiæ consuetudo. Nec propterea debitum Deo cultum detrahimus: neque enim Sanctos precamur, vt ipsi nostri misereantur, aut veniam peccatorum concedant, aut gratiam, virtutes, & vitam æternam largiantur; sed eos inuocamus tanquam patronos, qui pro nobis Deum precentur. Quare religio soli Deo debetur, cùm verò Sanctis etiam defertur, non in illis propter ipsos dumtaxat terminatur, ac fistit; sed per ipsos ad Deum ipsum deducitur, quia ipsos oramus, vt apud Deum aduocatos, ac vt ab eo impetrent, quod optamus: ipsos oramus, quia voluit Deus, vt eos patronos apud ipsum haberemus. Denique Sanctos oramus tamquam eos, quorum precibus, & meritis impetramus à Deo, quæ petimus. Deum verò oramus, vt datorem eorum bonorum, quæ postulamus. Nec Christo itidem aliquid derogamus, quod alios etiam præter ipsum apud Patrem aduocatos, & patronos adhibeamus; nam ipse Dominus voluit suos quoq; seruos à nobis coli, & honorari: vnde ipse hunc eis honorem tribuit, vti à nobis colerentur, & tanquam patroni inuocarentur. Nec item, quod à nobis procul absint, ideò nos exaudire non possunt: nihil enim impedit loci distantia, cum Dei munere, ac beneficio fiat, vt Sancti nostras preces audiant. Pari ratione nihil refert, quòd preces nostræ sint penitus interni mentis affectus, & vota: nam nostræ mentis arcana, Deo ipsis aperiente, ac patefaciente, Sanctis fiunt nota, & manifesta.

Tertiò quæritur, An Sancti pro nobis precentur in cælis? Dubitari non potest, quin Sancti nos magna charitate, & amore prosequantur: & vt ante iam dixi, preces nostras quamuis in mente omninò latentes, & abditas Dei munere, & beneficio audiant. Ea quoque mala, quibus, vexamur, & premimur, & bona itidem, quibus indigemus, nota, & perspecta habeāt. Vnde Petrus in posteriori epistola: *Dabo*, inquit, *operam, & frequenter vos habere post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*: Et Apoc. 5. describuntur viginti quatuor seniores in cælis procidentes coram throno Dei, habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Angelos item Sanctos in cælis pro nobis orare, planè Scripturæ testantur, vt colligitur Tob. 12. Zach. 1. Apocal. 8. Dan. 10. Matth. 18. quibus locis, docemur eos nostri curam habere. 2. Pet. 1.

Cæterùm quæstionis est dubiæ, an Sancti quoque orent pro ijs, qui pœnis purgatorijs expiantur? Sotus *in 4. dist. quæst. 3. art. 2.* ad finem, id videtur negare. Sed oppositum manifestè communis vsus Ecclesiæ demonstrat, quæ in suis publicis supplicationibus sic Sanctos orare consueuit: *Sancte Michael ora pro eo. Sancte Petre ora pro eo.* Nec reuera Sotus negauit pro eis Sanctos orare, solùm docere voluit, non orare Sanctos pro ipsis satisfaciendo, sed orare impetrando: at iusti, & qui in hoc mundo charitate sunt præditi, orant pro eis, non tantùm impetrando, sed etiam satisfaciendo. Docuit igitur Sotus *loco citato* idem, quod S. Thomas ante tradiderat *4. dist. 45. quæst. 3. art. 3. ad 6.* Sanctos pro illis orare non satisfaciendo, sed impetrando. QVAERES, an Sancti, qui ante Christi resurrectionem apud inferos detinebantur, pro viuis orarent? Respondeo, eos oraſſe: id enim apertè secundus Machabæorum liber indicat cap. 15. vbi Iudas Machabæus per visionem vidit Oniam pontificem, & Hieremiam pro populo Iudæorum orantes. Et Hierem. 15. scribitur: *Dixit Dominus ad me: Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

Quartò quæritur, An iusti, qui adhuc purgatorias sustinent pœnas, orent pro nobis? Duæ sunt opiniones, vna negat, eo quòd inquiunt, illi nondum sint cælestem hæreditatem adepti; & acerbissimè crucientur: ad preces nostras minimè attendunt, nec vota nostra nouerunt. Deinde, quia eorum potiùs est, pœnas luere, atque perferre, quàm suis amicis opem, auxiliumque præstare. Postremò, Ecclesia non solet ad eos preces dirigere.

Altera opinio affirmat, quam sequi videtur Medina *de orat. quæst. 4. §. de animabus etiam* & eos pro nobis orare, & fas nobis esse eorum patrocinium petere, eo quòd Dei gratia, & charitate sint præditi, & bonorum Angelorum ministerio, vel Dei munere possint preces nostras, & vota, quamuis tacita, abstrusa, & occulta percipere;

Nec impedit pœnarum acerbitas, quam sustinent, quin pro nobis orent: quoniam Sancti Martyres dum sæuissimè torquebantur, pro suis orabant. Denique Gregor. *lib. 4. Dialog. cap. 40. & 41.* refert de quodam Paschasio, cuius anima purgatorias pœnas luebat, & nihilominus eius meritis, ac precibus Deus quædam mirabiliter efficiebat. S. Thomas 2. 2. q. 83. *art. 4. ad 3. & 4. dist. 15. q. 4. art. 5. q. 2. ad 2.* & Alexan. *par. 4. quæst. 26. m. 3. art. 4. §. 4.* quorum sententiæ communis Theologorum schola in hac parte subscripsit, negât eos pro nobis orare, quia nondum sunt in eo vitæ statu, & conditione collocati, in qua pro nobis orent. Illam verò Gregorij historiam de Paschasio, sic interpretatur. S. Tho. *in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 5. quæst. 2. ad 3.* vt dicat ea opera mirabilia, facta esse diuinitùs ob studium, & pietatem eorum, qui bona fide ipsius opem, & auxilium orationibus inuocabant: putabant enim, eum iam ad cælestes Beatorum sedes, & domicilium euolasse, & gaudijs perfrui sempiternis. Voluit tamen Deus per opera mirabiliter effecta ostendere, illius vitam sibi acceptam, & gratam fuisse, quamuis adhuc pœnis purgatorijs teneretur obstrictus.

Quintò quæritur, An singulos eorum, qui sunt cælestem hæreditatem consecuti, iure possimus orare? nimirum; ad cælum peruenere pauuli, qui sacro baptismate abluti, statim ex hac vita migrarunt. Quæritur, an eos iure precari, & orare possimus? Ratio dubitandi est, quia ex vna parte in cælo vnà cum Christo regnant: ex altera parte non sunt Sanctorum numero ascripti. Respondeo, Ecclesiam ad singulos quidem Angelos beatos preces dirigere solere; at verò non singulos iustorum hominum spiritus, qui sunt regna cælestia, & beatitudinem consequuti, precari consueuit: sed eos, qui sunt in Sanctorum numerum relati: Priuatim tamen cuique licet eos orare, eorumque auxilium, & patrocinium petere; cum piè credat, eos in beatorum supernæ patriæ ciuium numerum relatos.

Cap. XXXI.

Pro quibusnam sit orandum.

QVæritur primùm, An viuorum preces prosint ijs, qui iam obierunt? Fuit quorundam error negantium, mortuos viuorum precibus iuuari, eo quòd 2. ad Corinth. 5. dicitur: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum:* & 1. ad Corinth. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*: item ad Romanos 14. *Vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Ad Galat. 6. *Quæ seminaueris homo, hæc & mete.* Et: *Vnusquisque onus suum portabit.* Dauid quoque *Reddes*, inquit, *vnicuique secundùm opera sua.* Denique Apocal. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Huic etiam sententiæ videntur primo aspectu astipulari Patres. Ait enim Hieronymus, teste Gratiano in cap. In præsenti. 13. quæst. 2. *In præsenti sæculo scimus, siue orationibus, siue consilijs inuicem posse nos adiuuari: cum autem ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed vnumquemque portare onus suum. Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris.*

Cæterùm & vsus Ecclesiæ, & Traditio ab Apostolis ad nos vsque deducta, & Sanctorum Patrum auctoritas apertè comprobant preces nostras mortuis prodesse. Nam omnes fumus inuicem membra, corporis verò membra se inuicem iuuant. Dionysius Areop. vt dicam alibi, ritum commemorat, quo Ecclesia pro mortuis orabat. Augustinus *Non parua*, inquit, *est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, vt in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habeat commemoratio mortuorum.* Et alibi: *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ erogantur, vel cum preces funduntur in Ecclesia.* Ambrosius quoque vt habetur in cap. Quia alij. 13. quæst. 2. *Alij tertium diem*, ait, *alij trigesimum, alij septimum, alij quadragesimum obseruare consueuerunt in officijs mortuorum.* Vtraque obseruatio habet auctoritatem, qua necessarium pietatis impletur officium. Gregorius item *in quarto libro Dialogorum* multa scribit, ex quibus constat preces nostras esse mortuis fructuosas. Et 2. Machab. 12. *Iudas collatione facta duodecim millia drachmarum misit Hierosolymam, vt offerretur pro mortuis sacrificium, iustè, & religiosè de resurrectione cogitans.* Vbi tandem concludit. *Sancta ergo, & salubris est, cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Quæ verò sunt obiecta, facile diluuntur. Ea enim intelligi debent de præmio sempiterno, quod est nostri laboris merces, & operæ stipendium, quod bene merentibus redditur: & de supplicio perpetuo quo scelera, & malefacta puniuntur. Et Hieron. loquitur de generali, & extremo iudicio futuro.

Secundò quæritur, quibusnam mortuis viuorum orationes prosint? Respondet Augustinus *in Enchir. cap. 109. & 110. & lib. 1. de origine animæ cap. 9. & 10. & lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 1.* non omnibus prodesse, sed ijs, qui cum viuerent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat: & est rursus in malo, vt nec valeat cum hæc vita transierit, adiuuari. Primi horum dicuntur mediocriter boni, & mediocriter mali. Secundi valde boni: tertij valde mali. Sic Augustinus Theologi *in 4. d. 45* communi consensu valde bonos intelligunt eos, qui sempiterna fœlicitate perfruuntur, valde malos, eos, qui perpetuis supplicijs cruciatur: Mediocriter bonos, & mediocriter malos accipiunt eos, quorum peccata igne purgatorio expiantur. Hinc colligitur, nequaquam esse orandum pro ijs, qui in cælo vnà cum Christo Domino viuunt: sunt enim soluti, & liberi prorsus, & immunes ab omni malo, nec mali aliquid pati queunt; & facilè habere possunt omne bonum, quod optant. Vnde in cap. Cum Matthæ. De celebr. Missa, dicitur: *Iniurium facit Martyri, qui orat pro eo.* Nec orandum est pro ijs, quos certò nouimus perpetuis supplicijs addictos vt perspicuè docet Grego *lib. 34. Moral, cap. 12. & lib. 4. dialog. cap. 44.* Viuorum igitur preces ijs mortuis prosunt, qui mediocriter boni, & mediocriter mali sunt: ijs nimirum, qui adhuc in igne purgatorio de-

rio detinentur: pœnas enim suis peccatis debitas exoluunt, à quibus, vel ex toto, vel ex parte nostris precibus liberari queunt.

Sed quæstionis est dubiæ, an aliquo modo, qui sunt ad inferos damnati, nostris apud Deum precibus iuuentur; & an fas sit pro ipsis orare? Ratio dubitandi est, quia, teste Damasceno *in orat. De ijs, qui in Fide hinc migrarunt*. Gregorius I. pro Traiani Ethnici Imperatoris anima orauit: & vocem ad se diuinitus delatam audiuit: *Vocem tuam audiui, & veniam Traiano do*. Cuius rei (ait Damascenus) testis est Oriens, & Occidens. Idem auctor scribit, B. Theclam primam martyrem pro Falconilla fœmina Gentili, & idolorum cultrice orasse, eique salutem impetrasse. Refert idé etiam ex Lausiaca historia Palladij, vbi de Machario narratur eum consueuisse preces Deo offerre pro ijs, qui è vita decesserant, qui cum ex arido quodam cranio in quod incurrerat, scisciteretur, num solatij aliquid haberent ij, qui obierant? responsum accepit: *Quo tempore mortuorum causa preces, ac vota facis, tunc sane aliquis solatij sensu afficimur*. Aliam etiam historiam ex eodem Palladio commemorat, in qua refert Damascenus, quédam mortuum ab igneis tormentis liberatum cuiusdam sancti viri precibus. Præterea Augustinus *in Enchir. cap.* 110. apertè testatur, Orationes viuorum mortuis prodesse, aut, vt eorum pœnæ remittantur, aut saltem, vt eorum pœna sit tolerabilior: at eorum, qui sunt perpetuo damnati, pœnæ non abolentur. ergo viuorum preces prosunt eis, vt eorum tormenta sint minus intolerabilia. Et idem docet Glossa *in cap. Tempus. 13. quæst. 2.* Insuper Ecclesia vniuersim orat pro animabus omnium fidelium defunctorum: at fidelium aliqui perpetuò condemnantur. Orat item Deum, vt liberet eas animas de profundo lacu, & à pœnis inferni. Iudas quoq; Machabæus iussit pecunias offerri pro ijs, qui in bello ceciderant: & tamen ex Scriptura colligi videtur, eos ob lethale peccatum in bello victos perijsse.

Conueniunt omnes Theologi *in 4. distinct.* 45. cum B. Gregor. *in lib* 34. *Moral. cap.* 12. orandum non esse pro ijs, qui ad inferos detrusi perpetua gehennæ supplicia patiuntur: nam eorum pœnam, sempiternam appellat Scriptura. Nec impedit, quod quidam aiunt, orationes viuorum non valere ad eorum pœnam remittendam, sed ad solatij aliquid afferendum pœnæ acerbitati, vt tolerabilior sit. Quemadmodum enim eorum pœna nunquam deletur, nunquam finitur, & desinit; sic nunquam minuitur, aut ex parte remittitur. B. Gregorius etiam *lib.* 34. *Moral. cap.* 12. sic ait: *Orant iusti pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda conuertere, atque ipsa conuersione saluare. At pro illis tunc non orabitur, quando iam nullatenus possunt ad iustitiæ opera ab iniquitate commutari. Eadem itaque causa est, cur non oretur nunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, vt non oretur pro diabolo, Angelisque eius æterno supplicio deputatis: quæ nunc etiam causa est, vt non orent sancti homines pro infidelibus hominibus, impijsque defunctis, qui, de ijs vtique, quos æterno damnatos supplicio iam nouerunt, ante illum iusti Iudicis conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt*. Hæc ille. Et idem ferè habetur ex ipso Greg. *in cap. Pro obeuntib. 13. q. 2.*

Ad ea verò, quæ sunt obiecta, Respondeo, Augustinum mediocriter bonos, & mediocriter malos appellasse eos, quorum culpæ pœnis purgatorijs eluuntur, & expiantur, vt omnes Theologi interpretantur. *in 4. dist.* 45. & Glossa *in ca. Tempus. 13. quæst. 2.* vt falsam reijciunt. Illud verò, quox refert Damascenus de Traiano à gehennæ incendijs Gregorij precibus liberato, dupliciter diluitur. Quidam totum illud opusculum, Damasceni esse, inficiantur, eò quod in eo auctor referat, multos ab inferis liberatos, qui in Christũ Dominum eo descendentem crediderant. Sed hoc non satis firmè concludit non esse id operis à Damasceno conscriptum, cum ex Græcis partibus alij nonnulli in ea quoque sententia fuerint, vt crediderint aliquos ad inferos damnatos Christi Domini ad eos descẽsu salutem consecutos, de qua sententia suo loco dicemus. Alij vero fatentur, Damasceni quidem eum fœtum, siue partum esse, secutum tamen illum fuisse opinionem, quæ tunc vulgo ferebatur. Nam Ioann. Diaco. *lib. 2. Vitæ Gregorij, cap.* 44. *in vita B. Gregorij* scribit, hanc narrationem reperiri apud aliquas Anglorum Ecclesias, sed à Romanis ei fidem non haberi. Et certè mirum est B. Gregorium pro Traiano Ethnico, & impio principe preces Deo obtulisse, qui, vt paulo ante dixi, planè docuit non esse pro infidelibus, & impijs vita functis orandum. S. Thomas, & Theologi communi consensu *in 4. d. 45.* historiam illam recipiunt quidem; at Traianum negant fuisse ad inferos damnatum, sed certo quodam loco ad tempus detentum, & B. Gregorij precibus ad hanc vitam reuocatum; & per veram cordis pœnitentiam salutem adeptum. Quicquid sit de huiusmodi Traiani historia, de qua in alio loco tractabo; Verisimile est, ab Apostolis Ethnicorum aliquos fuisse è mortuis vitæ restitutos: qui postea cum fide viua, & pœnitentia decesserint, & vitam æternam fuerint consequuti; ita vt ad eam fuerint per eiusmodi miraculum extra legem, & ordinem solitũ diuina electione destinati: Et in vita S. Agnetis Virginis, ex Maximo, & Ambrosio legimus, ab ea filium Præfecti è morte excitatum, qui tamen ob scelus suum perierat: Ex historia Palladij item refertur Macharij Monachi precibus, & oratione ad vitam reuocatum quendam, qui fuerat ad inferorum supplicia condemnatus. Sulpitius quoque *in vita S. Martini* scribit, eius Oratione mortuum Cathechumenum reuixisse, ac susceptisse Baptismum. Beatus etiam Apostolus Petrus fertur suscitasse affinem quendam Cæsaris Ethnicum, & impium. Sed hæc & alia similia facta esse creduntur præter consuetum morem, legem, & ordinem, singulari Dei voluntate, & potestate. Ad id verò de Iuda Machabæo, & de Ecclesia pro omnib. orante, Respõdeo, Iudam obtulisse pecunias pro ijs, qui in bello perierant, neque enim constabat eos ad inferos esse damnatos, aut sine pœnitentia obijsse. Ecclesia verò generatim quidem orat pro omnibus fidelibus vita functis, sed pro ijs, quos piè credit in igne purgatorio peccatorum pœnas exoluere, quas in hac vita non plenè soluerunt. Et profundum lacum, & inferni pœnas appellat

locum sub terram abditum, vbi igne purgatorio expiantur.

Tertiò Quæritur, An sit pro viuis omnib. orandum? Respondeo, pro omnibus planè, sine vllâ exceptione, vel inimicitiarum, vel gentis, vel religionis: nam siue hostis sit, siue alienus, siue infidelis, & impius, proximus est, quem Dei iussu amare debemus; & idcirco pro eo precari, quod est amoris, & charitatis officium. Eò pertinet
1. Tim. 2. quod hortatur Apostolus: *Obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus. Orandū est pro pastoribus, atq; præfectis.*
Coloss. 4. Monet enim Paulus Colossenses orare, vt sibi
Actor. 12. Deus aperiat ostium sermonis: & vt est in Actibus Apostolorum, *Oratio fiebat sine intermissione ad Deum pro Petro.*

Deinde orare nos oportet pro Principibus, nō solùm bonis, sed etiam malis, vt tales sint, quales esse debent. Orandum etiam est propijs, & iustis, ne superbia efferantur, & intelligant se inferiorum etiam suffragijs indigere. Iussit præterea Dominus precari pro persequentibus, & calumniantibus nos.
Matt 5.

Quartò quæritur, An sit orādum pro Paganis, & cæteris à fide, & religione Christi alienis? Scribit B. Augustinus *in epist. 107. quæ est ad Vitalem*, consuetudinem esse ab Apostolis acceptam, qua preces, & vota facimus pro ijs, qui sunt ab Ecclesia alieni; vt infidelibus donetur fides; vt Idolorum cultores ab impietatis errore auocentur; vt Iudæi lumen veritatis accipiant: vt Cathechumeni salutaris baptismatis aqua renati, in Fide confirmentur, ac bonis operibus studeāt. Hæc ex B. Augustino: idem constat ex Clemente *lib. 8. constit. Apostol. cap. 15. & sequentibus*: ex Epistola Cælestini I. ad Episcopos Galliæ. Et Chrys. *hom. 5. super epist. 1. ad Timoth. 2.*

Quintò quæritur, An sit orandum pro ijs, quorum peccatum est ad mortem? Quæstionem videtur mouere planè, & apertè id, quod Ioannes ait:
1. Ioan. 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Sanè videtur Ioānes intellexisse lethale peccatum, quod hominis mortem comitatur, quo quis obstrictus ex hac vita migrauit: nam post obitum pœnitentiæ locus non est, nec item lethalis culpa post huius vitę exitum condonatur. Ex quo fit, vt orandum nō sit pro ijs, quos lethali culpa constrictos decessisse manifestò, ac certò constiterit. In c. Placuit. 23. q. 5. Ex Concilio Bracharensi dicitur: *Placuit, vt ijs, qui sibiipsis voluntariè, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspēdium, vel quolibet modo inferunt mortem, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat; neq; cum Psalmis ad sepulturam eorum cadauera deferantur. Similiter & de ijs placuit fieri, qui pro suis sceleribus moriuntur impœnitentes.* Et 23. q. 8. c. Quicumque Clericus, statuitur: *Quicumque Clericus, aut in bello, aut in rixa, aut in Gentilium ludis mortuus fuerit, neque in oblatione, neque in oratione pro eo postuletur.* Item ex Hieronymo cap. In præsenti sæculo 13. q. 2. habetur: *In præsenti sæculo scimus, siue orationibus siue consilijs inuicem posse nos adiuuari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam. sed vnumquemque portare onus suum.* Sic ille. Secus verò est,
Gal. 6. quando dubitatur, vt Glossa annotauit, num hic aut ille cum lethali peccato decesserit.

Sextò quæritur, An sit orandum pro ijs, qui obstinato sunt animo in malis? Respondeo, orandum esse: quoniam de nullo desperandum est, quamdiu vitæ huius spiritum duxerit: & quamdiu hic viuitur, patet teditus de spiritali morte ad spiritalem vitam per Dei gratiam. Et Apostolus Paulus pro omnibus hominibus iubet fieri 1. Tim. 2. obsecrationes, orationes, & postulationes, Iacobus itidem neminem ab oratione excludit: *Orate*, inquit, *pro inuicem, vt saluemini.* Christus denique Iac. 5. pro omnibus mortem oppetiuit. Et: *Non veni*, inquit, *vocare iustos, sed peccatores.* Mat. 9.

Septimò quæritur, An pro schismaticis, & hæreticis, & cæteris excommunicatione affectis sit orandum? Causa dubitandi est, quia Ecclesia pro ijs non orat, & eos arcet à communibus piorum suffragijs, & precibus. Respondeo, cuique licere pro ijs priuatim, & suo nomine preces fundere: at verò Ecclesia prohibet pro ijs orare publicè, palam, ac nomine ipsius. Est autem prohiscē hominibus orandum, vt depositis, & abiectis erroribus, ad Ecclesiæ gremium reuertantur.

Octauò quæritur, An pro improbis, & sceleratis, pro ijs itidem, qui reprobi, & præsciti vocantur; pro ijs, etiam quos bello iusto necare fas nobis est; pro ijs quoque, qui morte damnari iure queunt, orandum sit? Respondeo, pro ijs omnibus esse orandum; pro improbis quidem, vt resipiscant, & ad saniorem mentem, melioremque vitæ frugem reuocentur. Nec refert, si aliquos bello iusto, ac morte trucidare, & damnare liceat nobis: quoniam quamuis his vita corporis adimi iure queat, optanda tamē illis est, & petenda Dei gratia, & felicitas sempiterna. Obijcies Dauidem, & alios Prophetas improbis, ac perditis hominibus dira passim imprecari. Respondeo, eas imprecationes potius esse quasdam futurorum euentuum prænuntiationes, quam absolutas imprecationes: continere itidem tacitam quandam conditionem; nam perinde est, ac si dicerent: Confundantur, ac pereant peccatores, & coniurati Dei hostes, si malè agere, & insontes persequi pergant. Item mala improbis imprecantur Prophetę, non quidem ad pernicię, & interitum, sed ad salutem ipsorum; nimirum, vt malis, quasi flagellis quibusdam cęsi, & afflicti, admoniti, & excitati, ad se redeant.

Nonò quæritur, An pro ijs, si quos præscitos, ac reprobos esse certò constiterit, liceat nobis orare? Vt si cuipiam Deus patefeciisset futuram alicuius damnationem æternam. Respondeo, à Deo reprobatum esse aliquē, dupliciter intelligi posse; vno modo absolutè, & simpliciter, nullius omnino humani operis habita ratione: & contra huiusmodi voluntatem, si certò de ea constiterit, non est oratione nitendum, quoniam esset superuacanea, & temeraria. Altero modo Deus reprobat, ac reijcit, non absolutè, sed ex causa penes reprobatum hærente, nempe propter scelera, quæ in reprobo ad finem vsque vitæ futura prænouit: & hoc modo reprobat, quoscumque reprobat. Neque enim Deus prius est vltor, quàm sit homo peccator. Pro iiusmodi reprobis salubriter oratur, quoniam illorum damnatio ex libero eorum arbitrio pendet, ita vt possint, si velint oblatam Dei gratiā admitte-

re,

re,& de malefactis per veram cordis pœnitentiã dolere:neq; qui pro talibus orãt,sese Diuinæ voluntati opponunt, qui vult, vt pro omnibus oretur,vt omnes salui fiant. Præsertim quòd etiamsi perituri sint,minores apud inferos pœnas luent, si minùs peccauerint: quare cuilibet reprobo dicere iure possumus: Age, fac bonum: de bono opere nunquam condemnaberis.

Cap. XXXII.

De partibus, ex quibus constat oratio.

PRimò quæritur, Quot modis soleat Oratio diuidi? Respondeo,multis. Primò,alia est Oratio, quæ in mente solùm perficitur, atque completur;alia verò,quæ in voce consistit. Prior, internum animi votum,affectum, & desiderium exprimit, absq; vllo externo signo: posterior verò vocibus internos voluntatis affectus expromit.

Secundò,diuiditur Oratio in priuatam,& publicam:hęc posterior totius Ecclesię nomine pro communi populi salute per publicos ministros, & plurimum in loco publico funditur: illã priorem pro se,vel alio priuato quilibet fundit.

Tertiò, Paulus Apostolus videtur quatuor Orationis veluti mẽbra,& partes constituisse,cum ait: *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Quæ quatuor Cassianus ita distinguit: *Vt obsecratio sit imploratio,vel petitio pro peccatis:Oratio,qua Deo aliquid offerimus,vel vouemus: Postulatio, petitio pro alijs: Gratiarum actio,ob susceptа beneficia:Obsecratio,de compunctione peccatorum nascitur:Oratio,de fiducia oblationum,& consummatione votorum prosilit: Postulatio de caritatis ardore procedit:Gratiarum actio, de beneficiorum Dei consideratione generatur. Prima species pertinet ad incipientes: secunda, ad eos, qui in virtutum profectu consistunt:tertia, ad illos,qui sunt perfectionẽ assecuti:quarta, ad illos, qui securæ, ac tutæ sũt mẽtis.* Hęc ex Cassiano. Bern. quatuor prędicta Orationis genera sic explicat: *Vt obsecratio sit,cum quis causæ suæ parum fidens,non per se,sed per alium ipsum Deum inuocat:Vt si dicat,Sancte Petre,vel Paule ora pro me. Oratio verò,cum quis per se aliquid petit: Postulatio cum nullius amplius noxæ sibi conscius,pro se,vel altero gloriam postulat:Gratiarum actio,cum salutaria, vel necessaria securo animo petit.* Hugo S. Victoris tres Orationis partes constituit, lectionem, contemplationem, seu meditationem,& gratiarum actionem. Ita vt lectio contemplationis materiam præparet: per contemplationem verò mens cœlestia,& diuina bona consideret: Et tandem succedat gratiarum actio. Alij vero Orationis quatuor partes assignant,lectionem, cõtemplationem, petitionem, & gratiarum actionẽ. Alij quinque,eo quòd prædictis quintã adiungunt voluntatis affectionem, cum ex Dei contemplatione mens tota inflammata exardescit,& voluntas eo modo,quo potest in sublimium,& cœlestium rerum desideria assurgens,optat se Deo coniungere,& ei perpetuò adhærere.

Secundò quæritur, An oratio publica, quæ in precibus Horarijs recitatur à clericis,& quæ iussu Ecclesiæ funditur,vim habeat ex opere operato,vt vocant?hoc est quærere,an cum Clericus vi legis Ecclesiasticæ, siue iussu Ecclesiæ preces Horarias recitat,eiusmodi precibus aliquis effectus respondeat ratione meritorum Ecclesiæ, quamuis, nulla merita ipse Clericus habeat, vt qui sit lethalibus peccatis obstrictus. Et idem prorsus quæritur de oratione Dominica, quam improbus recitat: quia eam Christus Dominus instituit.Sunt,qui id affirmẽt,ob id,quòd eiusmodi preces Ecclesiæ iussu funduntur: quemadmodum, si dominus aliquis per seruum improbum eleemosynam eroget,fructu non caret suo, quamuis seruus sit improbus. Deinde,Orationes,quas in Missæ sacrificio offert Deo Sacerdos,fructuosæ sunt, etsi Sacerdos sit malus:ergo preces Horariæ, quæ iussu,nomine,& auctoritate Ecclesiæ persoluuntur,suo fructu nõ carent,quamuis ab improbo Clerico recitentur. In dubium non vertitur, an cum orat Sacerdos, vt minister Ecclesiæ, eius oratio sit fructuosa ob Ecclesiæ meritum, quamuis ipse Sacerdos sit improbus: quia cõuenit inter omnes, esse fructuosam, cuiusmodi sunt preces, quas in Missæ sacrificio Sacerdos fundit ad Deum.Sed quæstionis est dubiæ,an preces Horariæ,quas recitat Sacerdos alioqui improbus, sint semper tales, vt per eas Ecclesia aliquid mereatur.& satisfaciat apud Deum,quamuis malus Sacerdos nomine suo nihil mereatur,nec satisfaciat.Gabriel *in Canonem Missæ lect. 57.* ait:*Sicut sacrificiũ altaris, & Ecclesiæ Sacramenta effectum habent ex institutione Christi,non ex dispositione offerentis,vel ministrantis: sic non est impium sentire de oratione Dominica, & de Horis Canonicis,& alijs precationibus, quas Ecclesia dicendas instituit,quæ quandam vim accipiunt ex parte diuini,& Ecclesiastici mandati,vt dicit Gerson.* Hæc Gabriel, quam sententiam videtur sequi Nauarr.*de orat.cap.19.nu. 59.& 60.*

Attamen non videtur omnino esse idem iuris de precibus Horarijs, & de oratione Dominica, quod de orationibus, quæ in Missæ sacrificio funduntur: Nam Horarias preces recitat Clericus lege, & præcepto Ecclesiæ, Ecclesia enim Beneficiarijs fructus beneficij tribuit tamquam operis,ac laboris mercedem;ac propterea voluit, vt laborarent,& Horarum pensum exoluerẽt: Clericis quoque sacris Ordinibus initiatis præcepit, vt idem precationum Canonicarum officiũ persoluerent Oratio verò quam iussu,& nomine alterius ego fundo fructuosa nõ est, si ego sim malus: Sicuti nullius est fructus ieiunium, quod improbus homo, quamuis alieno iussu, suscipit, ac sustinet; & sicut fructuosa non est oratio, quam meo iussu recitat cæcus, qui mendicato viuit, si eam recitet cum lethali peccato,quo tenetur obstrictus. At verò orationes, quæ in Missa funduntur,reuera ab ipsa Ecclesia, Sacerdotis tamẽ ministerio offerũtur;ac proinde cũ Ecclesiæ merita accepta,& grata Deus habeat, preces quoq; quas Ecclesia per Sacerdotem alioqui malum fundit, ipse Deus acceptas, & gratas habet: quoniam in Missæ sacrificio nõ solùm orat Sacerdos, sed orat etiã Ecclesia. Secus est cum alius iussu meo orat, & ego vnà cum eo non oro. Et secus est de eleemosyna, quam dominus per famulum improbum dat, ea enim est res Domini, non famuli

Deni

Denique in hac quæstione dicendum existimo, quod dicit Couarr. *in cap. alma mater, de sentent. excommun. in 6. q. 1. §. 5. n. 8.* preces horarias, & orationem Dominicam, si nomine totius, hoc est, instituto eius, ab aliquo ministro recitentur, fructuosiores esse, quàm si priuatim ab aliquo nomine suo tantum recitentur.

Cap. XXXIII.

De Orationis vi, & efficacia.

PRimò quæritur, Quot, & qui sint Orationis effectus? Orationis vis tanta est, vt neque vllum huius vitæ malũ extet tam grande, quod Orationis virtute profligari, & auerti non possit: neque vllum rursus tam illustre bonum, quod eius ope, & præsidio à Dei bonitate impetrare, & assequi non possimus, iuxta Christi Domini promissa, Ioan. 15. *Quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis.* Item, *Amen dico vobis si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

In primis, Oratio valet ad noxas animi sanandas. Mat. 18. *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit, & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Est hic sermo de noxarum debito tamquam in symbolo adumbrato in debito pecuniarum. Dæmones quoque fugat, ac pellit. Luc. 18. & Matt. 17. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in ieiunio, & oratione.* Languores corporis curat, Iaco. 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum: & oratio fidei saluabit infirmum.* Fluxam, & caducam hãc vitam prorogat. Isaiæ 38. *Clamauit ad Dominum Ezechias, & dixit: Obsecro Domine, &c. Et responsum accepit à Domino: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas. Ecce ego adijciam super dies tuos quindecim annos.* Pacem, & tranquillitatem cõciliat. 1. ad Tim. 2. *Obsecro primùm omnium fieri orationes pro omnibus hominibus, vt quietam, & tranquillam vitam agamus.* Liberat nos ab hostibus, & inimicis, Baruch. 4. *Clamate ad Dominum, & liberabit vos de manu Principum iniquorum.* Isa. 38. *Audiui orationem tuam, de manu regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam.* Victoriam impetrat, Exo. 17. *Cum Moses leuaret manus, vincebat Israel,* & de hoc effectu multa exempla in libris Machabæorum habemus. Animi tristitiam, luctum, & ægritudinem sedat, Iaco. 5. *Tristatur aliquis vestrum? oret, Aequo animo est? psallat.* Terræ vbertatẽ, & cæli pluuiam obtinet. Iacobi 5. *Elias, homo erat similis nobis passibilis: & oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos sex, & menses tres. Et rursum orauit, & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.* Parit sapientiam, & intellectum. Iacobi 5. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter:* & 3. Reg. 3. *Postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: Ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens.* Sterili vtero fœcunditatem impertit. Genes. 25. *Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quòd esset sterilis: qui audiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* 1. Reg. 1. Annã Elcanæ vxor Samuelem, & alios liberos à Deo precibus impetrauit. Eruit à probro, ignominia, & morte, vt patet Dan. 13. de Susanna, & Tob. 3. de Sara Raguelis filia. Iratũ Deum placat, Exodi 32. *Et placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Cælum, & Paradisum aperit. Luc. 3. *Iesu baptizato, & orante, apertum est cælum.* Et Luc. 23. ait bonus latro: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Hodie mecum eris in Paradiso.* Deniq; nihil est tam arduum, nihil tam difficile, quod oratione impetrari non possit. Est enim Christi verbum Matth. 21. *Quæcunq; petieritis in oratione credentes, accipietis.*

Secundò quæritur, Ad quot, & quos generatim reuocari queant omnes Orationis effectus? Respondeo, ad tres: per Orationem enim iustus gratia, & charitate diuina præditus, pleniorem, & vberiorem gratiam, & cælestem gloriam promeretur. Habet item vim satisfaciendi pro peccatis, hoc est, expiandi, & soluendi pœnas culpis debitas. Tertiò habet vim impetrandi omne bonum: Ac proinde Theologi communi consensu docent, orationem iusti esse meritoriam, satisfactoriam, & impetratoriam, vt illi loquũtur. Non omnis oratio, quæ vim habet impetrandi, habet vim merendi, & satisfaciendi: nam beati spiritus, qui cum Christo Domino in cælo viuunt, multa causa nostra impetrant; qui tamen nullum meritum colligunt, nec vllum proprium debitum exoluunt. Iniusti item, & peccatores precibus sæpè impetrantes votorum suorum compotes euadunt; qui tamen, quòd charitate sint destituti, neque merentur quicquam, neque satisfaciunt propriè. Oratio itidem vim habet merendi, & satisfaciendi, nec tamen semper impetrat, quod petitur, eo quòd non omnes iusti eas habeant semper conditiones, quas oratio ad impetrandum requirit, & postulat.

Quòd verò oratio iustorũ vim habeat merendi gratiam, & vitam sempiternam, inde compertum est, quia Oratio est religionis officium, & in iustis ex Dei charitate profectum. Pari ratione Oratio iusti habet vim pœnas peccatorum delendi, ac proinde satisfaciendi: nam vt opus apud Deum satisfaciendi vim habeat, sat est, si ex charitate sit ortum, ac carnis sensibus molestum. Vtrumque autem habet iustorum Oratio. Est enim Oratio res operosa, laboriosaque: neque enim absque labore, & difficultate oramus, vt experientia docet. Si roges, an oratio peccatoris aliquos fructus habeat? Respondeo, suos quoque, & eos quidem varios habere. In primis, etsi improbus non promereatur, nec satisfaciat orando, cum sit charitatis expers, præparat tamen seipsum ad gratiam, & veniam peccatorum, impetrat bona temporaria, impedit eius oratio peccatum, si erat alioqui oratio impetrata, vel debita: gignit bonos mores, & habitus, obsistit vitijs, ijs præcipuè, quæ ipsi magis aduersantur, eiusmodi sunt superbia, inanis gloria, ambitio, arrogantia, iactãtia, ira, inuidia, & alia huiusmodi: conseruat, & retinet Angelorum custodiam, excitat, ac mouet Sanctos cæli habitatores ad precandum pro ipso.

Tertiò quæritur, Quam vim habeat Oratio, quæ pro alijs funditur? Respondeo, rationem esse habendam, & eius, qui orat, & eius, pro quo oratur: hoc autẽ discrimẽ est quadripartitum. Aut enim iustus orat pro iusto, aut iustus pro iniusto,

aut

3. Reg. 17.

aut iniustus pro iniusto, aut iniustus pro iusto. Huic rursus quadripartitæ distinctioni adiungêda est, altera tripartita, iuxta triplicem orationis effectum. Siquidem Oratio, vti diximus, vim potest habere merendi, satisfaciendi, & impetrandi. Est igitur primum quod quæritur in hac controuersia, an Oratio iusti alteri iusto prosit ad vitam æternam promerendam, ad gratiæ incrementum; iniusto verò, ad primam reconciliationis gratiam obtinendam? Sunt qui sentiant ad vtrumque valere; eo quod Gregorius explicans illud Matthæi 9. Videns Iesus fidem illorum, dixit Paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, ita scribit: *Quantũ valet apud Deũ fides propria apud quẽ tãtũ valuit aliena?* quibus verbis insinuat Gregorius, offerentiũ fidẽ cõtuliſſe Paralytico peccatorum veniã, ac proinde primã gratiam. Et Luc. 16. dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Sed nemo in cælum admittitur, nisi præditus gratia, & charitate. Et 1. Io. 5. dicitur: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem.* Ergo per aliorum preces, peccantibus peccatum non ad mortem, vita promittitur.

Cæterùm compertum, & exploratum est, iustum suis precibus alteri iusto non mereri ex iustitia, ac lege, & dignitate operis vitam æternam, aut gratiæ incrementum: nec item iniusto peccatorum veniam, aut primam reconciliationis gratiam. Solus enim Christus hac ratione alteri gratiam, gloriam, & peccatorum remissionem, ac veniam promeruit. At verò iustus suis precibus impetrat causa alterius iusti gratiæ incremẽtum; & causa iniusti hominis veniam peccatorum: quæ impetratio Dei liberalitati innititur. Vnde Paralyticus gratiam, & peccatorum remissionem non obtinuit, sine propria fide, pœnitentia, & charitate: frustra namque dixisset ad illum Iesus, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, si nullam ille de Christi clementia fidem, & spem concepisset. Impetrat igitur Oratio iusti, vt alter iustus gratiæ incrementum assequatur, quia impetrat Dei donũ, quo alter iustus, vel aliquod charitatis officium præstat, vel Sacramentum suscipit, quo in illo gratia roboratur, & crescit. Impetrat item, vt iniustus à Deo pœnitentiæ donum accipiat, quo ille de peccatis admissis legitimè dolet; ac proinde per veram cordis pœnitentiam in Dei gratiam redit.

Quartò quæritur, An iustorum preces aliorum causa fusæ, prosint ad satisfaciendum pro illorũ peccatis? Et quidem certum est, non prodesse, si alij sint iniusti, & peccatores: nam cùm sint Dei charitate, & gratia destituti, vis orationis ad satisfaciendum impeditur. Quod ergo in quæstionem vocatur, est, An oratio iusti ex iustitia, ac certa promissione, & lege Dei pro alio iusto vim habeat satisfaciendi? Sunt, qui negant, quoniam ex Scripturis non constat eiusmodi lex, ea enim sine Dei promissione non est: at quod Deus promiserit, & sese nobis obligauerit ad preces iustorum, causa improborum hominum fusas, ac ceptas, & gratas habendas, nusquam in Scripturis legimus.

Contrà alij censent preces iustorum hanc habere vim. Nam si Petrus (exempli gratia) id totum pendit, ac soluit nomine Ioannis, quod Ioannes Paulo debebat, Paulus iure nihil amplius potest exigere à Ioanne. Primi contra respondent, non satis esse, si Petrus soluat pro Ioanne, Paulo, nisi Paulus acceptum, & gratum habere velit id, quod Petrus pro Ioanne soluit: nam cum Ioannes sit debitor, iure potest Paulus exigere, vt Ioannes per seipsum, & non per alium soluat. Mihi tamen secunda opinio videtur esse probabilior, & verior, atque benignior: quoniam iusti sunt inuicem vnius corporis mystici membra, ac proinde mutuis sese officijs, studijs, & suffragijs iuuãt: præsertim cum eæ peccatorum condonationes, quæ Indulgentiæ vocantur, non solùm liberali Dei benignitate, sed etiam iustitiæ lege pœnas expient, & eluant.

Quintò quæritur, Quidnam prodesse iniusto, quidũe impetrare queat causa ipsius oratio iusti? Ex Scripturis liquet; Deum quinque ciuitatibus propter decem iustos, si tot fortè in his comperti fuissent, parcere voluisse. *Gen. 18.* Item Pauli precibus ducentas, & septuaginta animas esse à naufragio liberatas. Vnius etiam Mosis oratione toti Israeli peccanti Deus peperciſse memoratur; precibus itidem Abrahæ Deus vniuersam Abimelechi familiam à sterilitatis vinculo absoluit: & alia multa ob suorum amicorum preces iniustis præstitit. Quod si qui iusti pro iniustis precantes non audiuntur, causa est, vel iniustorum indignitas, aut aliquod aliud impedimentum occultum. Quicquid autem iustorum oratio à Deo iniustis hominibus impetrat, id totum illius benignitate, & misericordia potiùs nititur, quàm vlla iustitiæ lege. Solent autem impetrari non modo temporalia bona, vt sunt opes, honores, dignitates, liberi, læti, & prosperi euentus, & alia id genus; verùm etiam spiritalia; nimirum boni cordis motus, impulsus, piæ inspirationes, præsidia contra Dæmonum insultus, & insidias: quæ omnia Deus munificentia sua, gratis, ac liberaliter largitur, & præstat. *Actor. 27. Exod. 32.*

Sextò Quæritur, Quid valeat oratio, quã iniustus fundit pro iusto, vel pro iniusto, Distinguere oportet, nã vel iniust⁹ orat pro iusto vel pro iniusto, nomine Ecclesiæ, tãq̃ minister ipsius orationes fundẽs ab ipsa Ecclesia institutas; & sic oratio illius efficax esse potest, quoniã nõ suo, sed Ecclesiæ nomine precatur, & ipsa Ecclesia per suũ publicũ ministrũ orat, & Deus Ecclesiæ per suũ ministrũ, quãuis iniustum orãtis, precationem audit. Tales sunt orationes, quas in Missa Sacerdos fundit. Aut iniustus orat pro iniusto, vel pro iusto priuatim suo nomine: & precatio illius parum plerumq; valet, vt quæ sit opus mortui hominis, hoc est, vita charitatis, & gratiæ destituti.

Septimò quæritur, An vis, & efficacia orationis eò minor sit, quò se ad plures fundit? Sunt, qui cẽseant, orationem pro pluribus oblatam æquè singulis prodesse, ac si pro vno tantummodo funderetur. Id probant, quia Oratio inter bona spiritualia habetur; spiritus autem, cum partis sit expers, cuicumque datur, totus datur. Deinde,

Oratio eo ferè modo ad illos se habet, pro quibus offertur, quo lux ad eos, qui illuminantur, & quo vox, ad eos, ad quos perfertur: Sed vox, & lux integra ad singulos peruenit, etiamsi plures sint, qui illuminantur, & plures, qui vocem auscultant. Denique, in cap. Non mediocriter, de consec. dist. 5. ex Hieronymo refertur nihil minus accipi, dum Psalmus pro multis recitatur, quàm dum pro singulis decantatur. Porrò alij fatentur quidem, Orationem, quòd ad vim merendi, & satisfaciendi spectat, finitum effectum habere, sed quòd pertinet ad vim impetrandi, infiniti effectus esse, eo quòd meritū hominis, & satisfactio ex orantis studio, & affectu perpēdūtur; impetratio verò ex Dei liberalitate, & munificētia existit, ac pendet.

Cæterùm verior est eorum sentētia, qui oppositū tradunt, eò quod Oratio, si quidem eius pondus, & orantis affectus, & voluntas spectetur, finiti est fructus, & pretij, ergo fructus eius; dum in plures diuiditur, fit minor in singulis: & hoc locum habet in quolibet orationis effectu, siue demerito, siue de satisfactione, siue de impetratione sit sermo: quoniam generatim omnis effectus orationis ex parte eius, qui orat, finitus est, vt ipsius ponderi, & dignitati, & orantis studio, & affectui respondet. Est enim oratio hominis officium: at opus humanum certis finibus, ac terminis continetur inclusum. Ecclesia item pro priuatis hominibus speciatim, pro rebus quoque peculiaribus nominatim subinde orat; cum tamen semper esset orandum pro omnibus, si tantum prodesset oratio singulis, dum pro multis offertur; quantum si pro vno solo funderetur. Et hæc est communis sententia Theologorum, & Canonici iuris interpretum, vt testatur Conarias *in cap. Alma mater. p. 1. §. 5. num. 9.* vbi citat S. Thomam, Scotum, Adrianum, Caietanum, Sotum, Medinam, Innocentium, Ioannem Andream, Abbatem, Imolā, Turrecrematam, & Nauarrum.

Nec primæ sententiæ argumenta quicquā contra nos efficiunt. Ad primum enim respōdemus, magnum esse discrimen inter spiritū, & spiritale bonum: nam spiritus partes non habet; ac proinde sectionem nullam patitur, at bonum spiritale, saltem quòd ad eius effectum attinet, diuisionem admittit. Ad secundum: Lux, & vox natura sua æqualiter participātur à pluribus: at Oratio, vim & efficaciam habet, & ex affectu orantis, & ex voluntate Dei orationes nostras gratas habentis. Orantis autem effectus certæ est, & finitæ virtutis, & Deus item liberè, vt vult, orationem acceptam habet. Ad tertium: Hieronymus solùm loquitur de merito, quod oratio cuiuslibet habet: mens ergo eius est, non minus mereri nos, cum pro pluribus orationem fundimus, quàm si pro vno tantùm eam funderemus. Deinde respondeo, Orationis impetrationem, vt sola Dei liberalitate, & munificentia nititur, non esse minorem, si oratio pro pluribus offeratur: nam æquè facile est bonum quodlibet impetrare pro centum, ac pro vno solo, si non ex ipsius orationis pondere, sed ex Dei liberalitate rē metiamur.

Octauò quæritur, An orationis effectus sit triplex, vt quidam opinantur; nimirum, communis, proprius, siue principalis, & medius? Nonnulli philosophantur, in oratione, & pio quolibet opere triplicem effectū inueniri. Nam sicut quodlibet pium opus primum omnium suo prodest auctori, mox omnibus totius Ecclesiæ membris, iuxta illud Psalmi: *Particeps ergo sum omnium timentiū te, & custodientium mandata tua*; postremò illi, in cuius gratiam suscipitur. Sic etiam Orationis proprius, vel principalis effectus est, quo iustus gratiam, & vitam æternam meretur: qui fructus solius est orantis, nec cum alio communicatur, nec in alium transfertur. Communis verò effectus est, qui omnibus Ecclesiæ membris impertitur: Medius autem is est, quem participanti, pro quibus oratio funditur. Psal. 118.

Cap. XXXIV.

De Orationis circumstantijs.

PRimò quæritur de tempore Orationis, An sit orandum omni tempore? Quæstio inde mouetur, quia Christus dixit: *Oportet semper orare, & non deficere*, & post illum Paulus: *Sine intermissione orate*, Dauid quoque: *benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* His diuinis testimonijs olim Messaliani permoti, quos Augustin. confutat *lib. de hæresib. hæresi. 57.* & Epiph. *hæresi. 80.* docuerunt semper orandum esse. At Origenes, & Glossa sic has scripturas intelligūt, ideo esse semper orandum, quatenus nunquam à bene operando desistendum est, Dici enim solet, semper orat, qui bene semper agit. Vnde Alexander: *Oratio*, inquit, *aliquando latè sumitur pro quolibet bono opere, & virtutis officio.* S. Tho. 2. 2. *q.* 83. *a.* 13. docet ideo semper orandum, quatenus nunquam est ab orationis causa cessandum. Causa autem orationis est gratia, & vitæ æternæ desiderium. Gerson: *orādum semper*, inquit, *potestate, & habitu, quatenus is semper orare censetur, qui vbi semel orare cæpit, nunquam ab oratione per contrariam voluntatem recedit, ita vt amplius orare recuset.* Ita Gerson intellexit eum locum. Verumenimuero Christi Domini, & Apostoli mens est, monere nos, vt crebrò, ac frequenter Deum precemur, ne si longo temporis interuallo vacemus ab oratione, hostis insidijs capiamur, aut in aliud malum, & incommodum incidamus. Vsitato itaque Scripturæ more ea dicūtur semper fieri, quæ fiunt crebrò, & statis cuiusque diei horis, etiam si intermedio tempore aliud quippiam agatur. Nā sicut Apostolus dixit semper orandum, sic etiam dixit semper gaudendum. Et tamen Salomon ait, suo tempore ridendum, & suo tempore plangendum. Oratio itidem sine intermissione fiebat ab Ecclesia pro Petro in carcerem coniecto; & tamen verisimile est, aliquam orantibus à precatione vacationē fuisse. Anna filia Phanuel (ait S. Lucas) nūquā de templo recedebat, die, ac nocte ieiunijs, & obseruationibus seruiens Domino; & tamen credibile est eā extra templū dormisse, cibum sumpsisse, & cætera vitæ animalis munia obiuisse. Dices, perpetuo Dei auxilio egemus, ne labamur in mala, & vt lapsi resurgamus à malis; ergo semper est orandum. Respondeo, sat esse, si debita loca, & tempora orationis obseruentur, ita vt oremus, quandocumque se nobis orandi commoda obtulerit occasio. Debet autem esse oratio longa, vel breuis, pro varietate finis; tam diuturna, quantum expedit ad excitandum, Luc. 18. 1. Thess. 5. Psal. 33. Luc. 2. Esth. 5. Act. 12.

Epist. 121. ad Probam cap. 10.

souendum, & promouendum, pium, & religiosum mentis affectum, ne si diutius producatur, incipiat esse tædio. Augustinus probat morem quorundam fratrum in Aegypto, qui crebras dicuntur fundere preces, sed tamen breuissimas, & cursim, & raptim quodammodo iaculatas: ne scilicet, per productiores horas euanescat deuotio, quæ est prompta quædam, & expedita voluntas ad diuina mandata exequenda, & ad pia religionis officia obeunda. Et pariter euanescat animi intentio. Ex Augustino loco citato.

Secundò quæritur, Quandonam orandi præcepto, ac lege teneamur? Inter omnes conuenit, esse præceptum orandi, idq; naturalis iuris esse; quoniam ipsa recta ratio præscribit, vt Dei opem, & auxilium inuocemus, peccatorum veniam precibus efflagitemus, Dei gratiam, & cętera ad vitam æternam consequendam necessaria petamus.

Sed illud dubitatur, quandonam iure naturali precari debeamus? quod est quærere, An certa tempora orationi ius naturale præscripserit? Ait Syluester, *verbo, Oratio. q. 8.* singulos hominum prę cepto naturali ad orandum compelli, cum primum vsuram rationis accipiunt. Deinde, quando probitas, & virtus cuiusque vehementer hostium incursibus tentata agitatur: hoc etiam tempus dicunt esse necessarium ad orandum, Angel. *Oratio. nu. 20.* Medin. *de oratione qu. 11.* Nauarr. *de Horis Canon. c. 3. 14.* & Ledesm. *in 4. q. 26. art. 3.* Postremò, quãdo proximus indiget grauissimè remedio ad vitam spiritualem, vel corporalem conseruandam necessario: Vt si duo homines districtis gladijs inter se acriter pugnent, ac dimicent, & capite, ac vita, vel alteruter, vel vterque eorum periclitetur. Hoc ipsum docent Angel. Medina, Nauarrus, & Ledesmius *locis supra citatis.* Immo addunt his alia etiam tempora; nimirum, cum Sacramentum sumere, vel alteri conferre, aut periculosum iter ingredi instituimus, aut grandius cum Dæmone, vel Carne certamen inimus, vel aliquod aliud negocium magni ponderis, ac momenti suscipere, & capessere cogimur. Alij etiam aliud tempus assignant, cum rem diuinam diebus dominicis, & festis audimus: putant enim isti eadem lege, qua Missæ sacrificio interesse debemus, compelli nos ad orandum, quod videntur docere Palud. *4. dist. 15. quæst. 1. art. 1.* Syluest. *verbo, Oratio. quæst. 8.* Angel. *in eodem verbo, Oratio. num. 20.* & Nauarr. *de Horis Canonicis, c. 3. nu. 15. & 18.* Alijs verò videtur hisce tẽporibus iuris naturalis lege nos ad orandum non adstringi; quia cum quis, inquiunt, incipit esse rationis compos, satis ei est ad salutem hominum consequendam, si omne, tunc temporis, peccatum deuitet, & id boni præstet, quod ei sese tunc obtulerit. Nec item si Dæmon, vel alius quispiam improbus, ac perditus nostrã virtutem tentet, & à Dei gratia, & charitate dimouere, & deijcere nos studeat, continuò sequitur, vt ad orationem confugere debeamus; cum sint etiam in promptu alia remedia, & præsidia efficacia, quibus Dæmonum, & aliorum hostium nostrorum incursus propulsare possimus. Nec rei diuinæ audiendę præceptum nos ad orandum adigere videtur: ac proinde sentiunt iure naturali tũc nos orare oportere, cum recta ratio præscripserit aliqua necessitate vrgente nos, ac premente, opus esse oratione: sicut etiam iuris naturalis præceptum de ieiunio suscipiendo, & seruando, certa, & definita tempora non habet, nisi scripto iure, aut iureiurando, vel voto cuiusque vel Superiorum mandato constituantur: nihilominus tamen cum recta ratio præcipit ob necessitatem aliquando ieiunium colendum esse, tunc iure naturali ieiunium suscipere, & agere debemus. Quid mihi in hac re videatur, dixi supra in hoc libro, *cap. 10. quæst. 14.*

Tertiò quæritur, An Oratio in loco certo fundi debeat? Respondeo in hunc modum: communes, & publicæ preces per se quidem vbique vtiliter, ac salubriter olim fundi solebant, & pro rerum necessitate, & temporum difficultate offerebantur per agros, per vrbes, & vias publicas: in ipsis etiam militũ exercitibus, & naualibus classibus, & Martyrum tempore Christiani homines in montibus, in antris, spelũcis, & terrę cauernis, & in priuatis ædibus, non sacris, frequentes conuentus habebant, in quibus preces fundebant, cũ nondum essent extructæ Basilicæ, nec Templa exædificata. Postea verò sacræ, & publicæ ædes, Oratoria, & sacella ædificari, & pontificia auctoritate destinari, & sacrari cœperunt, in quibus res diuina fieret, conciones ad populum haberentur, preces communes, & publicæ funderentur: quo etiam modo in vetere Hebręorum populo extructum est templum Hierosolymitanum ad orationes, & sacrificia deputatũ. Nunc igitur in huiusmodi locis Episcopi auctoritate sacratis, cõmunes, & publicæ orationes, more, & Ecclesiæ pariter decreto offeruntur. Et reuera non solùm decens est in huiusmodi locis orationes fundi, sed etiam multis de causis vtile, & fructuosum, vt ostendit S. Tho. *2. 2. q. 84. ar. 3.* Nam propter pontificiam consecrationem, & veram Christi in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento præsentiam, sacrarum Reliquiarum, & Angelorum præsidium, certam Dei promissionem credimus, quæ dixit: *Domus mea, domus orationis vocabitur*: Denique ob imitationem, exemplum, & cõmunem orationem publica templa multò ad orandum, & animi, & voluntatis affectum excitandum sunt aptiora, & ad impetrandum quod petitur, efficaciora, quàm alia quælibet loca priuata. *Matth. 21.*

At verò priuatæ, & liberæ preces, etiãsi imperatę sint, nullum certum locum sibi determinant; ac ideo vbiuis, dummodo cæteræ circumstantiæ nõ desint, fundi possunt. De his intelligitur illud Christi: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculũ tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quæ verba enarrans Isidorus: *Oratio*, inquit, *priuatis locis opportunius funditur, magisq; optatum impetras, dum Deo tantùm tecte depromitur.* Eodem quoque modo intelligitur & illud Apostoli: *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione, similiter & mulieres.* Vbi Glossa: *In omni loco, vbicunque sunt, non solùm in Ecclesia.* In omni loco interpretatur Nauar. *tract. de oratione, c. 4. nu. 5.* mundo, non immundo, & id probat testimonio B. Ambrosij, Augustini, & S. Tho. *in eum locum Pauli 1. ad Tim. 2.* Ambrosius ait esse orandum in omni loco competenti, nõ in loco inopportuno, & sordido. Sed hoc intelligitur, nisi necessitas aliud requirat, ac postulet. Illud item *Matth. 6.*

regij Prophetæ: *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino*; illud quoque Seruatoris nostri apud Ioannem: *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate.* Vbi Glossa. *Non in templo, non in monte hoc, sed in intimo cordis templo, Dei præsentia à nullo loco excluditur*: & oratio exterior cum sit interioris voti, & desiderij interpres, & index, fertur sicut interior vis animi in Deū sine ordine ad certum tempus, & locum. Quare vbique locorum, siue in domo, siue in agro, siue in foro, mensa, vel lecto priuatim orare licet, secluſa aliorum offensione, modo rectè alioqui fiat: Nec aliquis locus quamuis immūdus, quidquid Nauarrus dixerit, priuatam orationem dedecet. Satius est, vt ibi etiam Dæmon nos inueniat Deū laudantes, quàm otiosos: & sæpius necessitate cogimur in loco immundo, & sordido priuatim orare, vt res ipsa, & ratio demonstrat in ijs, qui capti, & inclusi tenentur in locis immūdis, & in alijs, qui necessitate cōpulsi ad loca sordida, & immunda sese contulerunt, quod etiam ipse Nauarrus concedit.

Cæterùm, quod ad orantem attinet, debet is eo loco precari, quo minùs impeditur, magisque ad pietatem accenditur. Si quisquam ergo in hominum turba orare nequeat, vel id facere cōmodè non possit, aut sine aliqua inani gloria, vel grandi mentis distractione nō queat, oret is domi, vel loco alioqui secreto; nisi priuatū votum, aut Ecclesiæ statutum, aut Superioris mandatum aliud postulet.

Illud verò Christi: *Tu cum oraueris, intra in cubiculum tuum*, & reliqua: nequaquam eos condemnat, qui publicè orant; sed stultam Pharisæorum ambitionem: consueuerant illi hypocritæ in synagogis, & angulis platearū stantes orare, vt ab hominibus viderentur, & pij, ac religiosi vulgò haberentur. Confutat etiā Dominus his, & illis verbis: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate*, quorundam Gentilium errorem, qui putabāt Deū quasi loco circūscriptum, in solis delubris supplicum preces audire, non alibi. Non igitur publicè templa Deo dicata condemnat Christus.

Quartò quæritur, An sint aliæ circumstātiæ orationis? Respōdeo, esse. Nam in quauis oratione duo, ad minimum, se offerunt; nimirum is, qui orat, & Deus ipse, quē oramus; ac propterea orantium gestus, ac motus duō potissimum designant; vnum, quod pertinet ad Deum, qui nostris precibus inuocatur; alterum ad nos, qui inuocamus. Propterea Deum vultu ad Orientem conuerso oramus; quo significatur, quemadmodum Sol, & lux, quæ inde oriuntur, quēdam inter sui ordinis res obtinent principatum; lux quidem inter corporeas qualitates, Sol verò inter reliqua cæli sidera; ita Deū, ad quē oratio dirigitur, res omnes procreatas immenso interuallo post se relinquere. *Cum ad orationem stamus*, ait Augustinus, *ad Orientē conuertimur, vnde cælum surgit, non tanquam hic habitet Deus, quasi cæteras mūdi partes deserens, qui vbiq; locorum præsens est, non locorum spatijs, sed præsentia maiestatis; sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem sese conuertere.* Et Damascenus ait, *Deus Paradisum, non ad Occidentem, sed ad Orientem, vbi hominem finxerat, posuit: quē inde ob peccatum expulit. Antiquam igitur patriam inquirentes, vultum in Oratione ad Orientem conuertimus. Mosis quoque tabernaculum, velum, & propitiatorium Orientem versus habebat, & in Salomonis templo porta Domini Orientem respiciebat: Et Christus in Crucem actus ad Occidentem spectabat: at assumptus in cælum, ad Orientem ferebatur, & sic illum Apostoli adorauerunt. Ipsum igitur stantes, ad Orientem oramus.* Hæc Damascenus. Hugo Victorinus de externis Orationis ritibus, & cæremonijs scribens, sic ait: *Sunt quædam in Ecclesia Sacramenta, in quibus etsi principaliter salus non consistat, ex his tamen salus augetur, in quantum deuotio exercetur: Et ex his quædam constant ex rebus, cuiusmodi sunt aquæ aspersiones, susceptio cinerum, & quæ dicitur benedictio florum, cereorum, & huiusmodi. Aliqua constant ex factis, qualia sunt signum Crucis, exsufflatio, exorcizationes, expansio manuum, & huiusmodi. Aliqua constant ex dictis, vt Trinitatis inuocatio. Signa itidem corporalia, gestus, ac motus, quæ adhibentur, suam significationem habent.* Hæc ille. Ad Dei itaque maiestatem designandam pertinet, quod conuerso ad Orientem vultu oramus: quod verò orantes genua flectimus, aut stamus, aut humi prosternimur, caput aperimus, pectus tundimus, palmas expansas, aut complicatas, in altum attollimus, & alia huiusmodi facimus; ad nostri animi affectus significandos, excitandos, permouendos, & inflammandos spectant: his enim motibus nos Deo submittimus, infirmitatem, ac paruitatem nostram agnoscimus, indignitatem profitemur.

Quintò quæritur, An prædictæ circumstantiæ sub præceptum cadant? causam dubitandi præbent sacræ literæ, quæ videtur insinuare aliquid, quod præcepti vim præ se ferat. Scribit enim Paulus; *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus*, ergo in oratione attollendæ sunt manus. Et alio loco: *Flecto genua mea ad Patrē Domini nostri Iesu Christi*: ergo inter orandum ponere Deo genua debemus. Respondeo, hæc sub præceptum à Christo, & Apostolis datum non venire: neque enim præcipit Paulus, vt in genua supplices procūbamus, aut manus subleuemus inter orandum: sed verbo, & exemplo monet, vt castas, & humiles preces fundamus. Neque sacri Canones aliud de his rebus constituerunt, quàm vt ad Euangelij recitationem stetur: ad sacrosancti nominis Iesu pronunciationem caput aperiatur, vel genu inflectatur; ad versiculum, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, assurgatur, vel caput inclinetur: vt ad communem orationem inter Pascha, & Pentecosten stantes, non proni precemur. Et hæc quidem in publica oratione quilibet Ecclesiæ suæ ritu, & more obseruare debet. In priuata verò oratione sat est, si quis id sequatur, quod in finem, in quem animum intendit, præ cæteris vtilius fore iudicabit.

Sextò queritur, Quid velit Christus Dominus, cum multiloquium ab oratione prohibet? ait enim: *Orantes, nolite multum loqui.* Num hoc ita est accipiendum, quasi diutiùs, & prolixiùs orare, aut eandem rem sæpius vrgere nefas sit? Alioqui enim, & Dominus ipse in oratione frequētius pernoctabat; & in agonia constitutus prolixiùs orabat: & tertiò precabatur, vt à se calix trāsiret. De quibusdam quoq; sanctis hominibus legimus, eos diem cum nocte orando transegisse; alij verò etiam perhibentur centies interdiu, & noctu quoque centies orasse: necnō & veteres illi Monachi crebris orationibus vtebantur, quas iaculatorias

vocabant.

Psalm. 102
Ioan. 4.
Matth. 6.
Genes. 2.
1. Tim. 2.
Ephes. 4.
Matth. 6.
Luc. 4.
Infra 22.

vocabant. Respondeo, Christum Dominum prædictis verbis solùm cõdemnasse inane quoddam, & gentilitium in orando multiloquium. Ethnici enim suos Deos perinde precabantur, ac si essent homines erroribus, perturbationibus, ac cæteris humanæ naturæ miserijs subiecti. quapropter vt duros, aut aliàs difficiles, blanda oratione inflectere, absentes voce contentiore aduocare: causæ statum nescientibus aperire; aliud denique agentes cohortatione attentos reddere conabantur; ac proinde multis verbis vtebantur. Vnde Elias Propheta per risum dicebat ad Prophetas Baal: *Clamate voce maiore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Clamabant ergo voce magna, & incidebant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine. Dominus itaq; non omne multiloquium inhibet, sed tantùm gentilitium, aut illi cognatum, ac simile. Et ideo ait: *Nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt.* Cuius rei causam, cur nimirum illi multa temerè verba profunderent, subijcit: *putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* quasi dicat, non alia illi de causa prolixiùs orãt, quàm vt inuitos, auersosque in sententiam suam pertrahant; vel vt ignaros de causæ, vel indigentiæ suæ statu certiores faciant. Ac propterea subiungit: *Nolite ergo assimilari eis; scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* quasi dicat, Vobis, qui causam agitis apud Deum, qui vbique præsens est, omniaque scit, priusquam fiant, nõ opus est multis verbis, sed ijs solùm, quibus vota vestra, & desideria depromatis, eiusque potentiam, clementiam, & misericordiam vos profiteri declaretis, & pietatis, ac religionis studium in vobis ipsis ardentiùs excitetis. Tunc igitur in nostris orationibus multiloquium erit dãnatum à Domino, cum Deum perinde, ac hominem in nostram sententiam pertrahere conabimur, quasi aliter à nobis flecti non queat. Deinde, cum inter orandum vtemur verbis curiosè, & nimium affectatis. *Absit ab oratione*, scribit Augustinus, *multa loquio, sed non desit multa petitio, si feruens perseueret intentio.*

Septimò quæritur, An certa, & definita sit verborũ formula, qua vti in orando debeamus? Non defuere qui crediderint, solis illis verbis, quæ Christus in Euangelio præscripsit, perpetuò esse vtendum in orationibus, ob illa eiusdem Domini verba: *Sic ergo vos orabitis.* Et Cyprianus: *Aliter, inquit, orare, quàm Christus docuit, non solùm ignorantia est, sed etiam culpa.* At enim ipse Christus, & Apostoli ab eo edocti, non solùm dominicæ precationis formula vsi sunt inter orandum, sed etiam alia, vt patet ex Euangelio: *Pater mi,* ait Christus, *si possibile est, transeat à me calix iste.* Rursus: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Item: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Apostoli verò sic etiam Deum precabantur: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus vnum.* Ecclesia item pro rerum, ac temporum varietate variis de more precationibus vti consueuit. Quare cum Dominus ait: *Sic ergo vos orabitis*, aduerbium, *sic*, ad rerum potius petendarum, quàm ad verborum similitudinem referendum est: Vt, sic orabitis, perinde sit, ac si diceretur: Orantes similia petetis, siue his, siue alijs verbis. Et eodem sensu accipiendum est, quod dixit Cyprianus: ipse enim, & Augustinus docuere, quicquid piè, iusteq; peti potest, hoc totum Christum Dominum in sua illa oratione complexum fuisse, ita vt nihil desiderari, aut peti queat, quod ad aliquã Dominicæ precationis partem reuocari non possit.

Octauò quæritur, Qua lingua, quoque sermone quisque vti inter orandum debet, num Latino, num Græco, an vernaculo? Respondeo, eos, qui preces Horarias canonicas ratione beneficij Ecclesiastici, vel Ordinis, vel Religionis publicè decantant, aut priuatim recitant, Ecclesiæ legibus se accommodare oportere; ac proinde in his precibus fundendis, eo sermone vti debẽt, qui est decreto Ecclesiæ constitutus. Qui verò priuatim, ac liberè orant, cõsultiùs facerent illi quidem, si ea lingua, & sermone mentem suam coram Deo effunderent, quã rectiùs callent; affectus enim consequitur intellectum; vbi autem nullus earũ rerum, quæ petuntur, vel dicuntur, habetur intellectus, aut generalis tantùm, ibi exiguus assurgit affectus; quare nisi aut lex scripta humana, aut mos gentis patrius obstet, homines literarũ rudes, & ignari rectiùs faciũt, si precationem dominicam, & salutationem Angelicam vernacula lingua addiscant, quam si quamuis aliam externam, vel peregrinam ad eam rem adhibeant.

Vltimò quæritur, An qui lethalibus peccatis obstrictus orat, peccet? Quidam id affirmarunt tum de eo, qui priuatim orat, tum de illo, qui publicè precatur, quoniam indignè orat, cũ sit peccato lethali pollutus. Alij verò senserũt eum, qui publicè orat, cùm lethali peccato tenetur, peccare, sed non eum, qui priuatim precatur: siquidem ratione muneris, quo publicè quis orat, debet orare absq; lethali peccato. Alij non in vniuersum id ita cẽlent de eo, qui publicè orat, sed de eo, qui cùm sit lethali peccato publico inquinatus, publicè orat. Sed cõmuni est sententia receptum, nullum eorum præcisè orando peccare, quoniã nec lex vlla scripta, nec ratio firma cogit, nos ita sentire; quòd si peccant publicè orando, qui publicis sunt peccatis obstricti, id erit ratione offensionis, quam præbent, non præcisè, quia orent publicè, & publicis peccatis teneantur.

Cap. XXXV.

De Orationis necessitate.

PRIMO quæritur, Quanta sit Orationis necessitas? Duo in hac re sunt errores extremi; nam quidam Orationis vim, & necessitatem nimium extollunt; alij verò vsum, robur, & firmamentum illius nimium deprimunt. Messaliani, siue Psalliani, teste Augustino, censebant semper esse nobis orandum, ac tãtùm virium Orationi tribuebant, vt eam solam, cæteris omnibus exclusis, ad salutem sat esse contenderent, & Diuinam prouidentiam, & ab eo ordinem constitutum precibus mutare posse faterentur. Id probabant primùm inde: *Oportet semper orare, & non deficere.* Deinde, quia homo ne cadat in mala, aut vt lapsus resurgat à malis, semper eget Diuinæ gratiæ præsidio, quæ sine precibus non impetratur. Item, quia Christus dixit: *Quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis.*

De Haresib. haresi 57. ex Epipha. cõtra Haresi. haresi 80. Luc. 18.

Sed errabant isti omnino. Nam quod aiebant de continua oratione semper fundenda; id à ratione prorsus alienum est. Illud verò: *Oportet semper orare, & non deficere*; &, *Sine intermissione orate*, vt supra ex Augustino alijsque monuimus, hunc habet intellectum: Vt statis videlicet, ac certis temporibus quotidie diuinam opem inuocemus, siue id mane, siue vespere, siue alia qualibet diei parte faciamus. Quod verò etiam aiebant, cæteris omnibus semotis virtutum præsidijs, vel vnâ ipsam sufficere precationé ad salutem: cum ipsis manifestè Scripturis pugnat. *Nisi quis renatus fuerit*, Christus inquit, *ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Item: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Rursus: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli*, &c. Et: *Si non dimiseritis hominibus* (peccata eorum) *nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Præterea, absurdum est dicere, Deum nostris precibus mutari: neque enim Deum tanquam hominem rogamus, vt eũ à sua voluntate reuocemus, sed vt prouidentię illius ordinem exequamur; hoc est, vt id precationum nostrarum interuentu fiat, quod orantium opera, & ministerio fieri, & esse, Deus, ab omni æternitate decreuit. Statuit enim Deus hoc, aut illud fieri; voluit tamen, vt id nostra oratione, & precibus assequeremur; constituit facere quidem ille, sed per orationes nostras. Oramus itidem, vt nos ipsos ad pietatis studium excitemus, vt nos dignius præparem⁹ ad impetrandum, quod volumus, & optamus.

Ioan. 3. Luc. 13. Ioan. 13. Matth. 5. Matth. 18. Supra 6.

Alij verò ad alterum extremũ inclinantes, asserebant superuacaneas esse preces nostras: nam Deus scit, qua re indigeamus, nec precib⁹ nostris flecti, aut moueri potest, & siue oremus, siue secus faciamus, illud est omnino euenturum, quod cõstituit Deus. Cæterùm hi etiam errabant, quoniam multa facere Deus decreuit, sed nõ nisi huius, vel illius precibus euentura. Oramus igitur, quò id exequamur, & præstemus, per quod Deus ex omni æternitate definiuit, vt hoc, aut illud futurum esset. Præsertim, quod etiam oramus non solùm, vt impetremus, sed etiam vt amplius mereamur, & peccatorum pœnas exoluamus. Non ergo Diuinæ prouidentiæ constitutus ordo nostris orationibus mutatur: sed quod est Diuina prouidentia ab infinito tempore decretũ, nostræ preces exequuntur. Contingit tamen interdum, vt Diuinæ cõminationes, vel denuntiationes non sint absolutæ, sed certæ conditioni adstrictæ: & tunc etiam precibus nostris clades, & mala, quæ Deus comminatus fuerat, aliqui euadunt. Siquidem in comminationibus illis conditio hęrebat, ea mala huic, vel illi euentura, nisi eorum preces interueniſſent. Oramus itidem Deum, non vt ei quasi nescienti notã faciamus desideria, & vota nostra, sunt enim omnia ipsi manifesta, & perspecta, sed vt nos ipsos digniores reddam⁹. Hinc existimare nobis licet, plurimũ interesse inter preces eas, quibus Deum oramus, & illas, quibus hominem precamur. Rogamus enim hominem, vt eum à sua sententia reuocemus, & ad nostram flectamus; ac proinde facim⁹, vt incipiat velle, quod antea non volebat; item, vt incipiat scire, quod antea nesciebat. Deum verò non sic oramus: nec enim precibus nostris incipit, velle, vel nosse, quod prius non volebat, aut ignorabat.

Obijcies, aliquos ex Patribus dicere solitos, Deum Sanctorum precibus flecti, moueri, sententiam mutare. Respondeo, eos nihil aliud significare velle, nisi, Deum ob huius, vel alterius orationem facere, vel concedere, quod absque eiusmodi oratione effecturus, concessurusue nõ erat. Exempli causa, Deus ab æternitate Paulum ad se conuertere constituerat, sed non absq; Stephani precibus, vt Augustino placet, & alijs: Dici igitur aliqua ratione potest, Stephanum sua prece Deum quodammodo flexisse, siquidem Deus ob Stephani precem id fecit, quod absque illa facturus non erat, & quod per illam facere iam olim ante conditum mundum decreuerat. Non enim tunc primùm cum Stephanus preces fudit, moueri Deus cœpit, sed ab infinito tempore id per eas preces præstare statuerat: atque hoc idem de cæteris est similibus iudicandum.

Aſſm. 7. In ſerm. de S. Stephano & S. Tho. 3. p. q. 23. a. 2.

Secundò quæritur, Quænam sint à Deo oratione postulanda? Ex definitione Orationis, quam Damascenus assignat, perspicuum est, nihil aliud esse à Deo petendũ, nisi quòd honestè, ac iure optimo peti potest. Ait enim, Orare esse, decentia à Deo petere: porrò decentia omnia, quæ sub iustã petitionem quauis ratione cadunt, vniuersè ad duo capita referri queunt; Ad mali depulsionem, & boni adeptionẽ: in his enim duabus rebus felicitas perfecta consistit. Bonum autem, quod iustè petitur, generatim est bipertitum: Aut enim est simpliciter, & per se bonum, aut quadam tantummodo ex parte. Hoc, bonum, & malum vsum admittit; illud, bonum tantummodo. Absolutè, & simpliciter bona sunt, peccatorum venia, vita æterna, fides, spes, charitas, gratia, ac cæteræ virtutes morum, & Spiritus sancti dona, quæ charitatem comitantur. Non sunt verò absolutè, & per se bona: reliqua naturalia, siue ea sint interna animi, vel corporis bona, cuiusmodi sunt agilitas, robur, vires, valetudo, sanitas, pulchritudo, ingenij perspicacitas, artes, disciplinæ; siue externa, vt sunt amicitiæ, opes, liberi, magistratus, dignitates, honores, potẽtia, principatus, Principum gratia, ac cætera generis eiusdem. In hoc genere reponuntur etiam quędam supernaturalia dona iustis, & peccatoribus cõmunia, quales sunt gratiæ gratis datæ, donum linguarum, interpretatio sermonum, gratia sanitatum. Prioris generis bona absolutè petenda sunt, vt constat ex Oratione dominica. Nam simpliciter petimus: *Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua*, &c. quod idem patet ex alijs Scripturæ locis. Legimus enim: *Ostende* (nobis Domine) *faciem tuam, & salui erimus: Dirige me in semitam rectam.* Item Ecclesia absolutè orat, *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum; & vt mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare, quod præcipis.* Cætera, quæ sunt quadã ex parte bona, petere quidem licet, sed non absolutè, verum adhibita conditione expressè, vel tacitè, quatenus sunt vtilia, vel necessaria ad ea, quæ sunt per se simpliciter bona, consequenda. Et quia oppositorum æqua fere est ratio; vt duplicis ordinis, & rationis est bonũ,

Matth. 6. Pſalm. 79. Pſalm. 26.

ita du-

ita duplicis quoque generis est malum, vnum simpliciter per se, & omnino malum; alterum, quadam ex parte. Prioris generis, est peccatum; posterioris verò, pœna, quæcunque tandem sit illa, & vndecunque prouenerit, siue ex peccato originem trahat, siue à Deo irrogetur, siue à Dæmone, & alijs hostibus inferatur. Simpliciter petimus à Deo, vt à prioris generis malo nos eripiat: à malo verò pœnæ, ex conditione petimus, vt liberemur. Vnde in Oratione Dominica absolutè petimus: *Dimitte nobis debita nostra.* Et: *Libera nos à malo.* Christi exemplo docemur quædam, non nisi ex cõditione petere; Qui cum postularet, vt à se calix transiret; rem totam in Patris voluntatem reiecit. Verum tamen, inquit, non mea, sed tua voluntas fiat. Dices, Christum inhibere bonorum temporariorum petitionem, cum ait: *Nolite solliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur; hæc enim omnia gentes inquirũt; scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.* Respõdeo, non prohiberi à Domino illis verbis rerum temporalium petitionem, sed nimiam, & anxiam de huiusmodi bonis solicitudinem, quæ perturbat animum, & viam munit ad certa peccata. Vix enim à fraudibus, dolis, & alijs similibus vitijs, & peccatis sese continet, qui opibus congerendis anxiè, & solicitè studet.

Tertiò quæritur, An nobis licet optare, quicquid petere oratione, fas est; & contrà, an ius nobis sit precibus petere quicquid desiderare liberum nobis est. Respondeo, id licere, vel absolutè, vel adhibita conditione. Vnde suam, vel alterius mortem nefas nõ est desiderare, & petere, si magnæ aliquæ, & iustæ huius desiderij, & petitionis causæ existant, eaque apposita conditione, si Deo ita visum fuerit, vel si morituri illius hominis saluti id expediuerit. Vno, vel altero exemplo rem declarabo. Est quispiã bene sibi conscius, metuit, ne ab eo securę mẽtis statu decidat, minimè peccat, si cum Paulo dissolui cupiat, & esse cũ Christo, veritus, ne si diutius viuat, in Dei offensam incurrat. Similiter audit quis aliquem plurima Ecclesiæ, vel Reipublicæ damna inferre, vel quia tyrannus est, vel hæreticus, vel Christiani nominis insectator; petit hic abiq; peccato, si nunquã alioqui ad saniorem mentẽ est rediturus, sed additurus semper mala malis, vt Deus illum è medio tollat, ne vel pluribus sceleribus sese obstringat, vel pluribus noceat. Sic etiam nouit quis aliquem lubricæ esse vitę, & peccatis affluetum; hoc tamen tempore per veram pœnitentiã ad Deum conuersum, non peccat, si orauerit, vt Deus priùs illum hinc ad se euocet, quàm denuò in pristinas peccatorum sordes relabatur. Pari ratione, quia probabile fit, infantes, qui apud hæreticos, & schismaticos nascũtur, omnino perituros, si apud ipsos adoleuerint, vitæq; finem fecerint, nõ peccat quis cupiens, vel petens, vt antequam rationis vsuram accipiant, hinc abripiãtur. Nullo tamen modo ad huiusmodi cædem consilium dare vel auxilium afferre licet alicui: nam qui id faceret, Dei auctoritatem sibi vsurparet, & Rempublicam non solùm perturbaret, sed infontium cædibus oppleret.

Quartò quæritur, Cur cùm à Deo aliquid oratione nobis alijsue petimus, Psalmos, & alia ex sacris literis desumpta recitamus, in quibus nullum est verbum, quod ad petitionem nostrã pertinere videatur? Verbi gratia, cũ peccatorũ veniam postulamus, quid nobis prodest recitare Psalmum, qui incipit: *Quare fremuerunt gentes*, vel, *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*: vel, *Attende populo meus*? Respondeo, hæc à nobis recitari, vt vel affectus amoris in Deum, vel propriæ humilitatis, infirmitatisue, vel pietatis, vel alius similis excitetur in nobis, vt sic digniores, aptioresq; reddamur, ad id, quod petimus impetrandũ. Multa igitur orando recitamus, non quia id, quod cupimus, vel petimus contineant, sed vt bene nos erga Deum afficiant, & excitent. Et quamuis nullam petitionẽ includant, habent tamen vel laudem Dei, vel rerum gestarũ narrationem, vel aliquid simile, quo mens accẽditur ad alicuius virtutis studium, & amorem, & eo ipso ardentiùs petit, & citiùs, quod cupit, impetrat.

Caput XXXV.

De Conditionibus in Oratione ad impetrandum requisitis.

PRIMO quæritur, Quor, & quæ requirat Oratio vt impetret, & assequatur, quod petit? Respondeo, vt is, qui orat, mereatur, vel satisfaciat pro peccatis, saris esse, si sit Oratio iusti hominis Dei charitate prædíti: at verò ad impetrãdum, quod petimus, non satis est, si ex charitate postulemus. At ex alia parte Christus ait: *Amen dico vobis si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et alibi: *Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Rursus: *Quodcũq; volueritis, petetis, & fiet vobis.* Respondeo, aliquid requiri ex parte eius, qui petit, aliquid ex parte Dei, à quo petitur, aliquid ex parte rei, quæ petitur; & deniq; ex parte eius, pro quo precatur quis. Ex parte petentis, necesse est, vt quis piè, & religiosè petat; is verò sic petit, qui cũ fide, & spe, & animi submissione, & recto voluntatis affectu, & studio petit. Oportet igitur primũ, vt Oratio ex fide, & spe manet, ac surgat: non est autem fides, qua orans credat se omnino impetraturum, quod petit, sed qua credat Deum posse præstare, & velle, quod ipse petit. Opus igitur est, vt credat Deum sapientem, qui cuncta nouerit, & sciat rationes, & modos, quibus possit facere, quod petitur: esse omnipotentem, qui possit facere, quod nouit, esse bonum, qui velit largiri, quod petimus; esse iustum, qui nocere nolit, sed potius prodesse cupiat, & velit. Vnde in orantibus sacræ literæ huiusmodi fidem frequenter requirunt. Iacobus: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Apud Matthæum ait Dominus: *Si monti huic dixeritis: Tolle, & iacta te in mare, fiet.* Apud Marcum cuidã petenti liberationẽ filij sui à Dæmone, dixit Dominus: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Huc pertinet illud Augustini: *Si fides deficit, oratio perit.* Et illud Bernardi: *Cœlesti benedictione indignus cõuincitur, qui Deum dubio quærit affectu.* illud itidem Ignatij: *Noli dubio esse animo in Oratione; beatus est, qui nõ dubitauerit.* Vnde Petrus Apostolus, qui precibus à Domino impetrauerat, vt pedibus super aquam aduenire, cum venti procellam inter ambulandum animaduertisset, statim animo cõcidit, mergiq; cœpit; ac proinde audire meruit eã vocem:

Psalm. 2. Psalm. Psalm. 77.

Ioan. 15.

Matth. 21. Ioan. 15.

Iacob. 1. Matth. 25.

Marc. 9.

Catechis. Roman. ex Augustino & Ignatio.

Matth. 14.

Modicæ fidei, quare dubitasti? Contra Abrahamus, teste Apostolo, contra spem in spē credidit; & non infirmatus est fide: nec considerauit corpus suum iam emortuum, cum ferè centum esset annorum, &c. Porrò fidem, quæ summam Dei virtutem, & potestatem, sapientiam, benignitatem, clementiam, & misericordiam, ac iustitiam nobis ob oculos ponit, consequitur spes, ac fiducia quędam, qua is, qui orat Deum, omnia bona, quæ iustè petiuerit, sese impetraturum sperat: & certam, ac firmam hanc impetrandi spem, atque fiduciam multa faciunt: in primis ipsa propēsa in nos Dei promissis exoluendis constantia; numerus eorū, voluntas; summa eiusdem in omnibus dictis, & qui Deum exorarunt, penè infinitus? tum verò summus ille precator, qui nobis semper præstò adest Christus Dominus, de quo Ioannes ait: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum; & ipse est propitiatio, pro peccatis nostris.* Paulus quoque; *Christus Iesus, qui mortuus est, immo qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et deinde: *Vnus est Deus, vnus & Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.* Idem rursus: *Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.* Denique spem nostram roborat ipse Spiritus Sanctus, qui est nostræ precationis auctor: Accepimus enim Spiritum adoptionis Filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater. Quod si qua interdum titubatio obrepserit; voce Apostolorum dicamus: *Domine, adauge nobis fidem.*

Secundò quæritur, Quænam sit alia animi præparatio ad orandum? Respondeo, alium ad orationem gradum esse verè humilem, & demissum animum: qui enim ad Deum orandum accedit, intelligat se non modo dignum nō esse, qui quippiam impetret ab eo, sed qui nec in eius quidem conspectum veniat oraturus. Vnde illud: *Respexit in orationem humilium, & non sprevit preces eorum.* Et: *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.* Cuius rei duo nobis suppetunt præclara in sacris literis exempla. Fuit enim Publicanus ille notissimus, qui longè consistens oculos humo tollere non audebat. Fuit & mulier illa peccatrix, quæ cordis dolore commota, lacrymis pedes Christi Domini perfudit, vterque, quantum afferat orationi pondus humilitas, declarauit. Cognata est humilitati delictorum, & scelerum admissorum recognitio, & detestatio: quam sequitur angor quidam in eorum recordatione, vel saltem aliquis doloris sensus, quem iure capere debemus ob eam causam, quòd dolere non possimus.

Tertiò quæritur, Quænā sint scelera, quæ præcipuè, ac specialiter obstant, quò minùs in Oratione Deus postulata nobis concedat? Respondeo, ea ex sacris literis colligi; cuiusmodi sunt cædes, illata vis, rapinæ, insontium oppressiones. Vnde manus continere debemus à cæde, & sanguine, crudelitate, & violentia. Notum est illud Isaiæ: *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non audiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Fugienda est etiam ira, ac diffidium, quæ magnopere impediunt, ne preces audiantur; de quibus est illud Apostoli: *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus, sine ira, & disceptatione.* Cauendum est præterea, ne nos implacabiles cuiquam præbeamus in iniuria; nam sic nobis affectis Deus non ignoscit. *Cum stabitis,* inquit Dominus, *ad orandum, dimittite, si quid habebitis aduersus aliquem.* Et: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater meus dimittet vobis peccata vestra.* Videndum quoque est, ne duri simus, & inhumani aduersus egentes; nam in huiusmodi homines dictum est: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Est itidem vitanda animi superbia, in quam illud dicitur: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam:* & diuinorum oraculorum contemptio, atque despectus, in quem tendit illud Salomonis: *Qui declinat aurem suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Quare fide, & spe instructi, & erecti à Deo optata consequemur, cum ad ipsius Dei legem, ac voluntatem omnem mentem, actionem, & orationē nostram conformabimus. *Si manseritis,* ait Dominus, *in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Ex quo fit, vt ad impetrandum à Deo, quod petimus, præter fidem, spem, humilitatem, & peccatorum odium, & detestationem, necessaria maximè sit iniuriarum oblivio, benevolentia, & propensa, ac benefica voluntas in proximos. Est etiam necessaria in orando assiduitas. Sæpe enim Dominus, quæ dare vult, differt, vt ardentiùs petamus. Vnde Augustinus: *Ipse Dominus,* inquit, *qui dare vult, differt dare, vt ampliùs desideret, quod differtur, & vt desiderando capax inueniatis, vt cum venerit, ampliùs implearis.* Et iterum ait: *Qui nos hortatur, vt petamus, & cui displicet si non petimus, si aliquando tardiùs dat, commendat dona sua, non negat ea, quoniam dia desiderata dulciùs obtinentur: data à Deo citò, contemnuntur, & vilescunt.* Notum est illud exemplum Christi apud Lucam de eo, qui rogauit amicum, vt sibi tres panes commodato daret; qui cum primùm repulsam pateretur, perseuerans tandem obtinuit, quod petebat.

Quartò quæritur, Quo pacto Deus exaudit preces clamātium ad se in omnibus, quæ iusta, ac debita animi præparatione deposcunt, cū tam multi minimè exaudiuntur? Martyres enim medijs in tormentis clamabant, & Paulus itidem orabat, vt stimulus carnis à se discederet, nec tamen audiebatur. Respondet Augustinus eos audiri, non tamen semper ad voluntatem ipsorum, sed ad vtilitatem, quæ est salus hominum, & gloria Dei, quod duplici exemplo declarat. Medicus, inquit, secat, scindit, vrit vulnᵉ, clamat ægrotus, nec medicus tollit manum, nisi secuerit quantùm putat expedire: nō propterea crudelis est medicus, aut clamantem infirmum non exaudit, quia à secando non cessat. Si enim vulneri parceret, capite, & vita periclitaretur ægrotus. Matres itidem solent in balneis confricare pueros ad eorum salutem: inter earum manus paruuli clamant, nec tamen à fricando matres manus abstinent. Sic Deus tanquam medicus salutaris, & tanquam benignus pater, petita non concedit, vt sanet, vt in perpetuum ignoscat: vt erudiat, & vt merita nostra auctiora, & copiosiora reddat. Secat, & vrit hic, vt in futuro parcat: denegat postulata, vt longè vtiliora, maiora, & meliora concedat. Putant orantes se non exaudiri, quia petita non impetrant: nesciunt tamen se fructuosiora, magisque salutaria recipere.

Roman. 4. Genes. 18.
1. Ioan. 2.
Roman. 8.
1. Timot. 2
Hebr. 2.
Roman. 8.
Luc. 17.
Psalm. 101.
Eccles. 35.
Luc. 18.
Supra 7.
Isaiæ 1.
1. Timo. 2.
Matth. 6. Ibidem.
Prouer. 21.
Iacob. 4. & 1. Pet. 5.
Prouer. 28.
Ioan. 15.
Luc. 11.
2. Cor. 12. In lib. sententiarum Prosperi.

Caput

Cap. XXXVII.

Breuis admodum, & simplex Orationis Dominicæ explicatio.

PRIMO quæritur, An precatio Dominica sit cæteris omnibus precationibus excellētior? Respondeo, cæteris omnibus præstare auctoritate, breuitate, perfectione, ordine, efficacitate, necessitate. Auctoritate quidem, quia est à Christo Domino instituta: breuitate, quia paucis verbis multa complectitur: perfectione, quia nihil est, quod à Deo precari, & petere possimus, quod in hac Domini oratione non contineatur: ordine, quia mirabili quadam dispositionis serie petitiones in ea se inuicem consequuntur. Primùm, cælestia, & æterna bona postulantur: deinde bona temporaria primùm, quæ ad Dei honorem, cultum, regnum, & obedientiam spectant: postea, quæ ad nos pertinent. Efficacitate, quia Patri gratior est, & magis accepta oratio composita à Filio, in quo ipse sibi complacuit. Necessitate, quia quotidie ea vti oportet, cum, quicquid est nobis ad salutem necessarium, in ea petatur. Vnde Clemens testatur eam à nobis ter quotidie frequentandam: & in Concilio Toletano 4. capit. 9. dicitur: *Nonnulli Sacerdotum in Hispania reperiuntur, qui dominicam orationem, quam Seruator noster docuit, & præcepit, non quotidie, sed tantùm die dominica dicant. Et quia sine intermissione, vt oremus, Apostolus docuit: qualiter autem oremus, Christus præcepit, dicens: Cum autem oratis, dicite, Pater noster qui es in cælis: Quomodo ergo quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici iubetur? Nam in tantùm quotidie hæc Oratio dicenda est, quantum & ipso titulo vtitur, dum vocatur Oratio quotidiana.* Et deinde testimonijs Cypriani, Hilarij, & Augustini probat, hanc Orationem dici quotidianam: & ex Augustino colligit eam, quotidiana, ac minima peccata delere. Tandem concludit: *Quisquis ergo Sacerdotum, vel subiacentium Clericorum hanc Orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut in priuato officio præterierit, propter superbiam iudicatus, Ordinis sui honore priuetur.* Et in Concilio Rhemensi sub Carolo Magno can. 2. statuitur, vt orationem, quam Dominus noster Discipulos suos orare docuit, omnes discerent, & sensa bene intelligerent: quia illam ignorare nulli Christiano licet. Hæc ibi.

Secundò quæritur, An septenario numero petitionum precatio dominica constet? Quidam existimant sex tantùm petitiones in ea contineri: tum quia in illis verbis: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*, vna tantùm petitio cōprehendi videtur: si enim duo essent, ac inter se diuersa, coniunctione copulatiua, non aduersatiua ea verba connecterentur: *Et ne nos inducas in tentationem: Et libera nos à malo.* Tunc etiam, quia idem significare ea verba videantur, & Lucas solùm habet: *Et ne nos inducas in tentationem.* Sed Augustinus tribus in locis planè docet in Oratione dominica apud Matthæum septē petitiones contineri; in quarum tribus primis æterna, inquit, postulantur; in reliquis quatuor, tēporalia: quæ tamen propter æterna consequenda, sunt necessaria: & accōmodat etiā septem petitiones septē donis Spiritus sancti, & septē quoq; beatitudinibus. Euangelista verò Lucas petitiones non septem, sed quinque complexus est; qui tamen, eodem teste Augustino, nequaquam à Matthæo dissensit, sed quo modo sint intelligenda, ipse sua breuitate commonuit. Nam tertiā petitionem duarum esse quodammodo repetitionem ostendit; & propterea eam prætermittendo nihil à B. Matthæo discrepat. Et quod Matthæus in vltimo posuit: *Sed libera nos à malo.* Lucas non posuit, vt intelligeremus ad illud superius, quod de tentationibus dictum est, pertinere. Ideo quippe ait: *Sed libera nos*: non ait, & libera, tanquam vnam petitionem esse demonstrans: Vt sciat vnusquisque se liberari à malo, cum non infertur in tentationem. Hactenus ex B. Augustino. Quibus ille verbis videtur significare, quinque tantùm re ipsa petitiones in Oratione dominica contineri; quamuis Matthæus septem expresserit. Beda, Anselmus, Rupertus, Sanctus Thomas, Bonauentura, & alij Theologi, vno ore testantur, septem esse precationis Dominicæ petitiones: licet antiqui illi patres Cyprianus, Ambrosius, Nyssenus, Chrysostomus nihil expressim de numero tradiderint, sint ne septem, an sex, an quinque.

Tertiò quæritur, An recto ordine in Oratione Dominica septem petitiones ponantur? Respondeo, precationem dominicam in procœmio, & postulationibus consistere. Procœmium, si verba spectentur, breuissimum est, in tribus nempe verbis consistens: *Pater noster, qui es in cælis.* Si res ponderentur, grauissimum, & mysteriorum plenissimum. Prima vox est, *Pater*, hac voce Christus Dominus vti nos voluit, quæ orantibus, & aliquid à Deo postulantibus, indulgentiam, spem, & fiduciam designat, & amorem, ac charitatem conciliat. Potuisset Christus sanè aliud Dei nomen adhibere, quod haberet plus maiestatis, exempli causa, Creatoris, Gubernatoris, Rectoris, Domini, Altissimi, Omnipotentis, ac similium; hæc tamen omisit, quòd timorem nobis afferre possint. Patris verò nomen est gratissimum, suauissimum, & iucundissimum. Porrò Patris nomē conuenit Deo ratione creationis, cōseruationis, gubernationis, & redemptionis. Nimirum ille nos ex nihilo finxit, & condidit, conseruat, tuetur, regit, gubernat, resque nostras procurat, & tandem cum peccatores essemus, nos sibi reconciliauit, in pristinam dignitatem, & gratiam restituit, Spiritum sanctum, & charitatem largitus; quo munere Dei filij adoptamur. Vnde Apostolus Paulus: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterū in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Et Ioannes. *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus.* Hoc eodem verbo admonemur, quid ipsi vicissim Deo amantissimo Patri nostro debeamus, nimirum, amorem, pietatem, obedientiam, cultum, honorem, & venerationem. Admonemur item, qua spe, & fiducia illum inuocare oporteat: quare in rebus aduersis, & calamitosis ad Deum tanquam patrem confugiendum nobis est: neque enim cum malis exercemur, id signum est animi, & voluntatis eius à nobis abalienatæ, quia cum percutit, ipse sanat, & plagis inflictis ipse medetur. Castigat peccantes, vt ea disciplina meliores reddat, & præsenti animaduersione

In Enchir. cap. 116.

Matth. 7. & 17.

Lib. 7. confess. c. 21

1. Thess. 5. Matth. 6.

In Enchir. capit. 116. 117. & lib. 2. de serm. Domini in monte, ca. 4. & 27. 28.

redimat ab exitio sempiterno. Nec putandum est Deum vnquam nostri obliuiscì. Est enim in Exodo: *Tentauerunt Dominum dicentes: Estne Deus in nobis, an non?* Et apud Ezechielem succensetur suo populo Deus, eo quòd dixerit: *Non videt Dominus nos; dereliquit Dominus terram.* Et apud Isaiam conqueritur. *Dixit Sion: Dereliquit mè Dominus, et oblitus est mei.* Cui Dominus: *Nunquid obliuiscì potest mulier infantem suum, vt non miseretur filio vteri sui? Et si oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.* Quare qui à Domino corripiuntur, se ipsos consolentur, eo quòd in Apocalypsi dicitur: *Ego quos amo, corrigo, & castigo;* & eo, quòd Paulus ait: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, nec fatigeris cum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat.* Nec putandum est, Deum mala nostra ignorare, cum scriptum sit: *Capillus de capite vestro non peribit;* &, *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.*

Exod. 17. Ezechi. 8. Isai. 49. Apocal. 3. Hebr. 12. Prouerb. 3. Luc. 21. Matth. 10.

Quartò quæritur, Cur in oratione Dominica dicatur, *Noster*. Respondeo, vt cum Patrem nostrũ inuocamus, singuli doceamur, eo ipso consequi necessariò, vt fratres simꝰ omnes, ac proinde nos ipsos fraterno amore cõplecti debere: *omnes*, inquit, Christus, *vos fratres estis, vnus est enim Pater vester, qui in cælis est.* Ex quo etiam efficitur, vt ipsius etiam Christi fratres nominemur, & simus: *Non cõfunditur*, ait Apostolus, *fratres eos vocare, dicens, Narrabo nomen tuum fratribus meis*: & ipse Christus suscitatus à mortuis dixit mulieribus. *Ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam: ibi me videbunt.* Admonemur itidem, quamuis in Ecclesia diuersi sint officiorum gradus, & diuersæ membrorum functiones; non alium tamen Patrem Deum, habere copiosos, & potentes homines, alium tenuiores, & infirmiores. Quare diuites iure nequeũt inopes, & abiectos despicere.

Hebr. 2. Psalm. 21. Matth. 28

Quintò quæritur, Cur dictum sit. *Qui es in cælis*, cum vbiq, locorum, & gentium sit Deus? Respondeo; ideo hoc dici, quia in diuinis scripturis sæpè dicitur Deus habere domicilium suum in cælo, non quod loci alicuius finibus circumscribatur, hoc est, quòd in vno loco sit, in alio non item, cũ omnia sua virtute, & potestate, natura, substãtia, & præsentia repleat: sed quòd cæli, quos suspicimus, sint nobilissima Mundi pars, ij deniq; incorrupti, vi, magnitudine, sublimitate, efficacitate, pulchritudine præstantes reliquis corporibus, certis, ac stabilibus motibus præditi: quibus omnibus excitamur ad contemplandam infinitam, & immensam Dei potestatem, & maiestatem, ac proinde ad agnoscẽdam nostrã humilitatem, & exiguitatem, ad appetenda item cælestia, hoc est, sempiterna bona.

Sextò quæritur, quidnam contineat prima Precationis dominicæ postulatio: *Sanctificetur nomen tuum*, Docemur ea, primum quærere, quæ ad Dei cultum, honorem, & venerationem spectãt: quoniam plus Deum, quàm nos ipsos diligere debemus: & ideo primùm petere, quæ Deo cupiamus, deinde, quæ nobis optemus. Petimus igitur, vt Dei nomen notius sit gentibus, vt eius regnum amplificetur: vt plures quotidie obediant Deo, quæ tria, Nomen, Regnum, obedientia, non sunt bona in ipso Deo, sed assumũtur extrinsecus. Cũ ergo petimus, vt sanctificetur nomen Dei, id sentimus, vt in hominibus augeatur sanctitas, & gloria Diuini nominis, neque enim vlla sanctitas ei, qui ab omni æternitate omni est sanctitate præditus, potest accedere: at quod in terris longè minori honore, & cultu afficitur, quàm par est: non nunquam etiam maledictis, & nefarijs moribus violatur, cupimus ac petimus, vt laudibus, honore, & gloria celebretur, hoc est, vt mente, ore, & factis, honor, & cultus ipsi tribuatur. Hinc apparet, qua ratione factis improbis nomen Dei contaminetur, & polluatur ab ijs qui nefariè peccãt: in quos dictum est, ab Apostolo: *Nomen Dei per vos blasphematur inter Gentes*: & apud Ezechielem legimus: *Ingressi sunt ad Gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur eis: Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt.* Qualis enim est vita; & eorum mores, qui religionem profitentur, sic de religione ipsa deque eius auctore multitudo imperita iudicare consueuit. Quare Christiani qui bene viuunt, magnam præbent alijs facultatem laudandi, & prædicandi nomen Dei: ac proinde dixit Christus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*, & Princeps Apostolorum: *conuersationem vestram inter Gentes habẽtes bonam, vt ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum.*

Rom. 2. Isai. 52. Ezech. 36. Matth. 5. 1. Pet. 4.

Septimò quæritur, Quidnam in secunda petitione postulemus: *Adueniat regnum tuum.* Respondeo, nos petere regnum cæleste, à quo cœpit, & in quo terminatur omnis Euangelij annunciatio. Nam & inde exorsus est omnes ad pœnitentiam cohortari Ioannes; *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Hinc etiam fecit initium suæ prædicationis Dominus; nam teste Matthæo, *ex inde cœpit Iesus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum*: & in sermone quem habuit in monte: *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; alibi quoque dixit, *& alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ad hoc missus sum.* Hoc etiam regnum postea annuntiare iussit Apostolos: & illi, qui se ire, ad sepeliendum Patrem suum velle dixerat; respondit: *Tu vade, annuncia regnum Dei*: idem cum resurrexisset à mortuis, per illos quadraginta dies, quibus se videndum Apostolus exhibuit, loquebatur de regno Dei. Hoc itidem regnum monuit, vt summo studio quæramus: *Quærite*, inquit *primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Matth. 3. Infra 4. Infra 5. Luc. 5. Matth. 8. Supra 8. Act. 1. Matth. 6.

Cæterùm, non satis est vehementer petere Dei regnum nisi ad petitionem nostram adhibeamus omnia tanquam instrumenta, ad quærendum illud, & inueniendum necessaria. Nam & quinque fatuę virgines studiosè petierunt, dicentes, *Domine Domine aperi nobis*: verumtamen quod sua illius petitionis præsidia non habebant, exclusæ sunt. Est enim illa Domini sententia: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.*

Matth. 25.

Hoc vocabulo Regni multa significãtur. Nam primum Regnum Dei dicitur id, quo in omni natura dominatur, ratione potestatis, quã Deus habet in omnem hominem, rerumque vniuersitatem, qua quidem potestate cuncta finxit è nihilo, & ea potest, si velit, suo nutu, & imperio labefactare, & in nihilũ redigere, & ratione prouiden-

Matth. 7.

tiæ, qua

tiæ, qua cuncta regit, & administrat. Vnde Martiæ. 13. dochæus dicebat; *Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati, Dominus omnium es, nec est, qui resistat Maiestati tuæ.* Item Regno Dei significatur regnum Gratiæ, nimirum, præcipua illa ac singularis prouidentiæ ratio, qua Deus iustos & pios homines tuetur, & curat, de qua dictum est illud; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*; & illud, *Dominus rex noster, ipse saluabit nos*: quod regnum ex Apostoli sententia, est iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Regnat autem in nobis Christus Dominus per virtutes internas, fidem, spem, & charitatem, & hoc regnum dicitur esse Gratiæ. Est etiam Regnum Gloriæ, de quo Christus ait; *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Hoc idem regnum apud Lucam latro petebat; *Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum*; & Dominus ipse de eodē regno loquens; *Nisi quis renatus*, inquit, *fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest videre Regnum Dei.* Huius etiam regni meminit Apostolus; cum ait, *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus* (quod est idolorū seruitus) *non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei.* Petimus igitur à Deo, vt regnum Christi, quod est Ecclesia, propagetur, vt omnes sese ad Christum adiungant Infideles, & Iudæi: & Schismatici, & Hæretici ad Ecclesiam, à qua desciuerunt, reuertantur. Petimus etiam, vt ad eos qui se sceleribus obstrinxerunt, veniat regnum Dei, quo illis peccatis abiectis, in pristinam Diuinæ gratiæ dignitatē restituantur. Denique petimus, vt in Dei gratia persistamus, vt tandem in cælo regnemus. Neque enim fieri potest, vt in vllo regnet Dei gloria, nisi eiusdem gratia in illo regnarit. Est enim gratia ex sententia Domini, fons aquæ salientis in vitam æternam. Petimus, vt veniat, ac triumphet Christus: vt vigeant eius leges toto orbe terrarum: vt eius decreta, instituta, & præcepta seruentur: vt tales se præbeant homines, vt in regis Dei conspectum veniant, & paratum illis ex omni æternitate cęleste regnum consequantur.

Octauò quæritur, Quid contineat tertia Petitio: *Fiat voluntas tua*? Respondeo, nos petere, vt ei omnes obediant tanquam supremo omnium Principi ac Domino. Præcepta Dei, voluntas eius appellantur, quia per ea, dum opere complemus, Dei voluntas impletur in nobis: dum ea seruamus, Dei voluntati paremus. Item, quia per ea Deus voluntatem suam testatur: declarat enim quid velit, vt faciamus; quid item, vt fugiamus. Petimus igitur, vt omnes Diuinis iussis obtemperent, vt ad Dei nutum, & voluntatem omnia faciant. Precamur etiam, vt Dei voluntatis agnitionem totus orbis terrarum accipiat. Propriè igitur hac petitione postulamus, vt vniuersi debitam Deo obedientiam, & obsequium præstent.

Nonò quæritur, Quid significetur illis verbis: *Sicut in cælo, & in terra.* Respondeo, illa verba posse ad singulas tres petitiones referri hunc in modū: *Sanctificetur nomen tuum, sicut in cælo, & in terra. Aduenat regnum tuum sicut in cælo, & in terra, Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Petimus igitur, vt cuncti suum officium obeant, & exequantur, & maximè conentur, & studeant Deo in omnibus obedire, quemadmodum beati illi spiritus, qui vna cum Christo Domino viuunt in cælo, faciunt. B. Cyprianus in hunc modum verba hæc interpretatur, vt dicat, *in cælo*, id est, in bonis, & pijs: *in terra*, id est, in malis, & impijs. Rursus appellatione cæli, spiritus; Terræ nomine, caro intelligitur.

Decimò quæritur, Quid intelligatur illis verbis quartæ petitionis, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Docuit S. Augustinus, in tribus primis petitionibus nos æterna bona deposcere, in hac quarta, & tribus sequentibus temporaria bona. In illis tribus, quæ ad honorem, regnum, & obedientiam Dei pertinent, in his; quæ ad nostrum commodum spectāt. Panis appellatione possunt intelligi huius, quam in terris agimus, vitæ subsidia, siue ad cibum, & potum, siue ad vestitum, & habitationem sint necessaria. Quamobrem audiendi non sunt, qui dicunt fas non esse Christianis hominibus à Deo petere terrenæ huius vitæ bona: nam exempla permulta tum veteris, tum noui Testamenti huic aduersantur errori. Iacob enim vouens sic orabat, *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad Domum Patris mei: erit mihi Dominus in Deum.* Et Salomon precabatur Deum: *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, & c. tribue tantùm victui meo necessaria.* Quid quod Christus Dominus iubet illa petere, quæ ad corporis vsum pertinent? *Orate*, inquit, *vt non fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbato*; Et Apostolus, *Obsecro vos*, inquit, *fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudæa.*

Genes. 28. Prouer. 30. Matth. 24 Rom. 15.

Porrò Panis nomine, vsitato Scripturæ more, intelliguntur omnia victui necessaria, siue panis sit, siue caro, siue pisces, siue quodlibet aliud cibi genus. Eliseus cum Regem Israël moneret, vt præberet panē, id est, victum militibus Assyrijs, data est magna ciborum copia: & Christus Dominus ingressus est in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, id est, ad cibum capiendum. Præterea, rectè panem petimus, hoc est, non abundantem & exquisitam ciborum, & vestium copiam, sed necessarium tantùm simplicem victum, & vestitum. Dicimus, *Panem nostrum*, quoniam illum petimus ad necessitatem nostram, nō ad luxuriam, non ad lasciuiam. Item, quoniam illum panem petimus, qui iure est à nobis acquirendus, nō iniuria, fraude, furto, aut malis artibus comparandus. *Quotidianum*, Qua etiam voce frugalitas, & parsimonia significatur: non enim multiplicem, aut delicatum cibum postulamus, sed eum, qui naturæ necessitati satisfaciat, quique facilè parari queat. In quo condemnatur inexplebilis multorum hominum cupiditas. Quotidianum item panem appellamus, quia veicimur eo ad reficiendum vitalem humorem, qui quotidie vi naturalis caloris absumitur. Præterea quotidianus panis dicitur, quia est à nobis assiduè petendus. *Da nobis*, Da, hoc est, liberaliter tanquam pater: da gratis, non redde ex iustitia debitum. Numero multitudinis dicimus, nobis, nō aūt mihi, quia illud est Christianæ charitatis propriū, non vt quisq; sit de se vno sollicitus,

4. Reg. 6. Luc. 14.

Iicitus, sed vt præterea proximo laboret, & in cura suæ vtilitatis, aliorum quoque meminerit; & vt intelligat etiam quisque quæ munera ex larga Dei manu suscipiat, nõ idcirco recipere, vt solus is ea possideat, vel vt ex illis luxuriosè viuat, sed vt cum alijs cõmunicet, & quæ necessitati superfuerint, in aliorum vsus impendat. Nam vt aiunt Sancti Basilius, & Ambrosius; Esurientium panis est quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu in arca recludis: miserorum redemptio, & absolutio est pecunia, quam tu in terram defodis. Hodie, admonemur hac voce communis infirmitatis: Quis enim in longinquum tempus necessarios vitæ sumptus speret? Petimus etiam panem spiritualem: quo significantur omnia, quæ in hac vita ad spiritus, & animæ salutem, & incolumitatem requiruntur. Quemadmodum enim multiplex est cibus, quo corpora nostra aluntur, & sustentantur: sic varij est generis esca, quæ spiritus, & animæ vitam auger, fouet, & tuetur. Nam verbũ Dei panis est, & cibus animæ. ait enim Sapientia: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Et alibi apud Prophetam dicitur: *Emittam famem in terram*: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Porrò, vt est certum mortis signum, cum non possunt homines, vel cibum sumere, vel sumptum retinere: sic magnum est desperatæ salutis argumentum, cum vel non quærunt verbum Dei, vel si adsit, nõ sustinent, iuxta illorum impietatem, qui dicunt: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Panis itidem est Christus Dominus; de se enim ait: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Præcipuè autem panis noster est ipse Christus Dominus, qui in Sacramento Eucharistiæ re ipsa continetur atque suscipitur. Vnde ipse dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: Item, *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum.* Dicitur verò hic panis, noster, quia fidelium est hominum, id est, eorum, qui charitatem cum fide coniungentes, pœnitentiæ Sacramento sordes eluunt peccatorum. Quotidianus autem dicitur duplici ratione; vna, quòd in sacris Christianæ Ecclesiæ mysterijs quotidie consecratur, offertur, & datur piè, & sanctè petentibus; Altera, quod quotidie sumendus est, vel certè ita viuendum, vt quotidie dignè sumere possimus. Vndè B. Ambrosius, *Si quotidianus*, inquit, *est panis, cur post annum illum sumis?* Contra faciunt ij, qui tam salutaribus epulis sentiunt vesci non oportere, nisi longo temporum interuallo.

Vndecimò quæritur, quidnam contineat quinta Petitio? *Et dimitte nobis debita nostra*: Respondeo, hactenus à Deo non solùm æterna, & spiritualia bona, sed caduca etiam & fluxa, & quæ ad hanc vitam spectant, commoda petiuimus: nunc verò mala deprecamur, & animæ, & corporis, & huius, & sempiternæ vitæ. Nunc igitur cordis dolore peccata nostra recognoscentes, ad Deum tanquam ad parentem, non quasi ad iudicem confugimus: à quo non vt ex iustitia nobiscum agat, sed ex misericordia postulamus. Singuli autem verè dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*: Est enim illud Dauidis verbum: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*: & illud Salomonis, *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonũ, & non peccet*, & illud simul Sancti Iob; *Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Et illud Ioannis, *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quapropter Concilium Mileuitanum definiuit: *Placuit, vt quicumque dixerit verba ipsa Dominicæ orationis, vbi dicimus*: Dimitte nobis debita nostra, *ita à Sanctis dici, vt humiliter, non veraciter hoc dicatur; anathema sit.* Debita verò hoc loco intelliguntur ipsa peccata, quæ commisimus; precamur enim Deũ, vt liberet nos à peccatis. Lucas enim pro debitis peccata posuit: nimirum is qui peccat, reus efficitur, & sese pœnis debitis subijcit, quas vel satisfaciendo, vel sustinendo, & patiendo pendit. Dicimus autem debita nostra, non eadem ratione, qua dicimus, *panem nostrum*, noster enim panis est, quia nobis Dei munere tribuitur: at peccata nostra sunt, quia illorum culpa in nobis residet, & quoniam voluntate nostra peccata suscipimus, atque cõrahimus; & proinde ad expiandum peccatorum sordes, culpas ipsas confitemur, & Dei clementiam imploramus: nec causam in aliũ transferimus. Nec dicimus; *Dimitte mihi*; sed nobis: fraterna enim necessitudo, & charitas postulat à singulis, vt de communi proximorum salute, cum pro nobis preces fundimus, pro illis etiam deprecemur. Addimus verò, *Sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris*, vbi particula *sicut*, dupliciter intelligi potest: vno modo, vt similitudinis vim habeat, & sic petimus à Deo, vt quemadmodum nos iniurias, & contumelias nobis illatas remittimus his, à quibus læsi sumus, sic ipse nobis peccata condonet: Altero modo, vt sit conditionis nota: in quam sentẽtiam Christus Dominus videtur hæc verba interpretatus, cum dixit paulò pòst: *si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus; nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Quare vrgẽtur hac precandi formula, qui parati, & prompti non sunt ad ignoscendũ. Et apud Lucam iubet Christus, *si peccauerit in te frater tuus, increpa illum; & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi*; apud Matthæum quoque: *Diligite*, inquit, *inimicos vestros.* Et Salomon scripsit: *si esurierit inimicus tuus, ciba illũ; si sitit, potum da illi. hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Et apud Marcum: *cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquẽ, vt & pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.*

Quæres quo modo, qui iniurias nõ remittunt, hac precandi formula vere vti queant? Respondeo, duabus de causis eos iure dicere, *Sicut & nos dimittimus*; primùm, quia singuli fidelium precem Dominicã nomine Ecclesiæ fundunt, in qua sunt aliqui pij, qui peccata alijs condonant. Deinde, quia simul à Deo petimus, vt facultatẽ nobis concedat aliorum peccatis ignoscendi, ac propterea quisq; verè dicit: *Sicut et nos dimittim⁹ debitorib. nostris*

Duodecimò quæritur, Quid in sexta petitione postulemus, cum dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem?* Respondeo, magnam esse humanæ naturæ fragilitatem, multis periculis obnoxiam, & innumeris malis afflictam, plurimorum inimicorum telis obiectam, quæ multorum affectuum stimulis, aculeis, & facibus lacessitur, pungitur, & vri-

tur: ac

Ambro. ex Basi. ser. 81

Prouerb. 9.

Amos 8.

Iob. 21.

Ioan. 6.

Ioan. 6.

Matth. 26

Psal. 13.

Can. 7.

Iob. 22. 1. Ioan. 1.

Matth. 6.

Luc. 17.

Matth 5.

Pro. 25. & Rom. 12. Marc. 11.

tur: ac propterea iure petimus: *Et ne nos inducas in tentationem.* Præter intimas pugnas, accedunt etiam externi impetus, & insultus Dæmonum, qui nos quotidie premunt, & vexant, & aliquãdo gregatim in nos singulos impetum faciunt, quod ille cõfessus est dæmon, qui rogatus à Christo, quod sibi nomen esset? Respondit: legio mihi nomẽ est; nempe Dæmonum multitudo miserum illum hominem diuexabat: Et de alio scriptum est: *Assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrãtes habitãt ibi.* Est autem tentare, periculum facere de eo, qui tentatur, vt ab ipso, quod cupimus, elicientes, verum exprimamus: qui tentandi modus in Deum non cadit, qui nihil ignorat. Omnia enim nuda, & aperta sunt oculis eius. Est alterum tentandi genus, cum longiùs progrediendo, aliud quæri solet in bonam, vel in malam partem: in bonum, cum ea re tentatur alicuius virtus, vt illa perspecta, & cognita, ijs cõmodis, & honoribus augeatur, eiusq; exemplum cæteris imitandum proponatur: quę tentandi ratio sola conuenit in Deum, de quo illud in Deuteronomio: *Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non.* Sic nos Deus tentare dicitur, cum inopia, morbo, & alijs calamitatũ generibus premit: quod probandæ nostræ patientiæ causa facit, & vt alijs Christiani officij exemplo, & documento simus: Hoc modo tentatus est Abraham, & ita dictum est, de Tobia: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* In malam partem tentatur is, qui ad peccatum, & exitium impellitur: quod est Dæmonis: is enim eo animo tentat homines, vt decipiat agatque præcipites: quapropter Tentator in diuinis literis appellatur. Dicimur autem induci in tentationem, cum tentationibus succumbimus. Inducimur verò in tentationem dupliciter; primò, cum de statu dimoti in id ruimus malum, in quod tentando nos aliquis impulerit: & hoc modo nemo à Deo in tẽtationem inducitur, quia nemini auctor est peccati Deus. Vnde Iacobus Apostolus: *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est.* Deinde dicitur, nos in tentationem inducere is, qui etsi per seipsum non tentet, neque operam det, quo tentemur: tentare tamen dicitur, quia cum posset prohibere, ne tentationes eueniant, vt ne his superemur, nõ impedit: & hoc quidem modo Deus bonos, & pios tentari quidem sinit, verum tamen sua gratia sustentatos non deserit. Interdum tamen iusto Dei iudicio, nostris id sceleribus postulãtibus, nobis ipsi relicti concidimus. Præterea in tentationem inducimur, cum Dei beneficijs, quę nobis ad salutem dedit, ad pernicieꝫ, & interitum abutimur. Nec verò petimus ne omnino tentemur. Est enim hominum, vita multis tentationibus obiecta. Et est tentatio, res vtilis, & fructuosa hominum generi: nam in tentationibus vires nostras cognoscimꝰ, probamur, humiliamur, vt sic viriliter decertantes, corona gloriæ donemur. *Nam qui certat in agone, nisi legitimè certauerit, non coronatur;* &, *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Petimus igitur ne diuino præsidio deserti, tentationibus, vel decepti assentiamur, vel cedamus afflicti: vt adsit nobis Dei gratia, quę, cum defecerint nos propriæ vires, in malis recreet, reficiat, ac muniat. Ac propterea in omnibus tentationibus ad Deum inuocandum confugere nos oportet, vt Satanam sub pedibus nostris conterat. Inuocare autem diuinum auxilium debemus, intelligentes quanta sit hominum infirmitas: cognoscentes item vires, quibus Dæmones prosternũtur, & tentationes superantur, dari à Deo, qui ponit, vt arcum æreum brachia nostra, & cuius beneficio arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum;* ait sanctus ille Rex, & Propheta. Cui vni pro victoria sunt agendæ, & habendæ gratiæ: quo & auctore, & adiutore vincere possumus. Vnde Apostolus: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* In his igitur tentationum victorijs nemo sibi placeat, nemo se efferat insolentiùs, vt se suis viribus hostiles Dæmonum tentationes, impetusque sustinere posse confidat. Non est hoc naturæ nostræ, non imbecillitatis humanæ.

Decimotertiò quæritur, Quid vltima petitione postulemus: *Sed libera nos à malo?* Respondeo: proxima petitione petebamus à Deo vitationem culpæ; hac pœnæ liberationem postulamus. Innumeris incommodis, & calamitatibus diuexamur, plurimis repleti miserijs, & molestijs affligimur, quare Dei auxilium imploramus. Et voluit Christus, vt priusquã precaremur Deum, vt nos liberaret à malis, peteremus, vt nomen Dei sanctificaretur; Aduenire regnum eius; Fieret voluntas eius; & reliqua quibus quasi gradibus quibusdam ad hanc petitionẽ peruenitur. Cõtra quidam faciunt, qui cum mali aliquid patiantur, aut periculũ incurrant, calamitatemue timeant, omissis medijs Dominicæ precationis gradibus, tantùm petunt, vt ex illis eripiantur malis. Alij itidem præcipuam spem liberationis ponunt in remedijs naturæ, vel hominũ industria cõparatis: vnde à quouis medicamenta quærunt, & sibi data adhibent etiã sine vlla religione. Sed piorũ est, in morbis, rebusq; omnibus aduersis Deum summũ perfugiũ, & præsidiũ salutis habere, illũ bonorum omniũ satorẽ, auctorem, & largitorẽ agnoscere. Nec petimus, vt à malis omnibus liberemur: sunt enim quædã, quæ passim aduersa, & mala putantur, sunt tamen illis fructuosa, qui patiuntur. Nam Dei gratia adiuuante virtus in infirmitate perficitur. Ea igitur tantùm mala deprecamur, quæ nullam animæ vtilitatem ferre queunt. Sic petimus, vt tuti simus ab aqua, ab igne, à fulgure, & tempestate; ne grando noceat frugibus, ne annonæ charitate, fame, peste, seditionibꝰ, bello laboremus. Petimus à Deo, vt morbos, pestem, vastitatem arceat, vincula, carceres, exilia, proditiones, insidias, captiuitates, cętera-que omnia incommoda prohibeat, quibus maximè terreri, & afflictari hominum vita solet. Petimus, ne morte subita, & inopinata opprimamur. Nos autem etsi non omnibus malis liberat Deus, dum in hac peregrinatione versamur; eripit tamen à multis: & in cæteris ea nobis solatia præbet, quæ instar liberationis malorum omnium esse possunt in rebus aduersis.

FINIS LIBRI NONI.

IOANNES

Rom. vlt.

Psal. 17. 1. Reg. 2. Psal. 143.

2. Cor. 12.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER X.

DE HORIS CANONICIS, ET Missæ Sacrificio.

CAPVT PRIMVM.

De origine, institutione, & numero Horarum Canonicarum.

HActenus de Oratione in vniuersum, vt est religionis officiũ, & opus, breuiter egimus: reliquũ est iam, vt speciatim de ijs Orationibus disseramus, quæ Canonicæ nominantur.

Primò queritur, quas Orationes intelligamus appellatione Horarum Canonicarum, & cur ita vocentur? Respondeo, Horas Canonicas intelligi eas preces, quæ ad Deum laudandum, opemq; eius diuinam inuocandam, certis statisque horis, iuxta Canones Ecclesię fundi, recitari, aut cantari debent, & solent. Porrò dictæ sunt Horæ Canonicæ, Horæ quidem, non ab orando, vt quidam putarunt, Zenzelinus Zabarel. *in Clemen. 1. de celeb. Missar.* Ioannes Lignanus, & alij *tract. de Hor. Canonic.*: sed quòd more atque instituto Ecclesiæ præscriptis, idefinitisque horis, nocturnis ac diurnis recitari, vel decantari debeant: Canonicæ verò, quasi regulares, quòd iuxta Ecclesiasticorum Canonum traditionem, & regulam, earum Orationum pensum sit à Clericis persoluendum. Nonnulli Horas Canonicas, opinantur ideo dictas esse, quod sint preces, quæ à Clericis Canonicis in templo sunt decantandæ: Sed primæ opinioni magis assentior. Eædem Horæ Canonicæ dicuntur Officium Diuinum, quasi munus, & obsequium, quod Clerici Deo præstant. Item, quia in eo multa recitantur ex diuinis literis sumpta; Vocantur etiam Officium Ecclesiasticum, quasi Clericorum ministerium, & pensum. Item, quia Ecclesiæ præcepto persoluitur, & quia ab Ecclesia est institutum.

Secundò quæritur, Quot sint Horariæ preces Canonicæ? Duæ sunt opiniones; prima, octo esse contendit, videlicet, Nocturnas vigilias, Matutinas Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinas preces, & Completas. Sic Antonin. *par. 2. tit. 9. c. 12. §. 1. & 3. par. tit. 13. cap. 4. §. 1.* Nauar. *De Oratione, & Horis Canon. c. 3. nu. 27. & 28.* Archidiac. *in cap. Presbyter, distinctio. 91.* Glosa. *in Pragm. tit. Qualiter horæ Canonicæ sint dicendæ extra chorum, in verbo officium.* Quam opinionem hac illi ratione confirmant: quoniam Horæ Canonicæ institutæ esse videntur exemplo, & imitatione veteris populi, de quo Scriptura testatur. Quater in die legebant in volumine legis Domini, & quater confitebantur, & adorabant Dominum, quem locum ita interpretatur Nauarrus. Quater confitebantur, & adorabant, videlicet de nocte, sicut quater interdiu. Deinde, quia in Psalmis profitetur Dauid: *Septies in die laudem dixi tibi.* Et eodem Psalmo ante dixerat: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* vbi Propheta diem à nocte in Diuinis laudibus videtur distinxisse. Accedit id, quod habetur *in c. Presbyter dist. 91. & in c. 1. de celebrat. Missarum*, allatum ex Concilio Agathensi, vbi dicitur: *Presbyter mane matutinali officio expleto, pensum seruitutis suæ, canendo, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persoluat.* Et subdit, iuxta Prophetam, *septies in die laudem dixi tibi.* Qui septenarius sacratus numerus à nobis sic impletur, si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completorij tempore, nostræ seruitutis officium persoluamus: quia de his dixit Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi.* Nam de Nocturnis vigilijs ipse idem Propheta ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Glossa *ibi.* Idem prorsus habetur in capite primo De Celeb. Missarum, & eisdem verbis id ipsum tradit S. Benedictus *in Regula 16.* Olim etiam Matutinæ Laudes per se separatim à Nocturnis vigilijs canebantur, & nostris etiam temporibus in nocte Natalis Domini diuidũtur, & Missæ Sacrificium interponitur. Postremò, nocturnæ vigilię, & Nocturnę Laudes, Hymnis per se distinctis gaudent, & inchoantur à versiculis illis: *Domine labia mea aperies.* &, *Deus in adiutorium meum intende.*

Secunda opinio affirmat septem esse duntaxat Horas Canonicas. Sic Glossa, & cęteri omnes Canonici iuris interpretes, Innocentius, Hostiensis, Ioann. Andreas, Abbas, Ancharanus, Imola, Antonius, Zabarella, *partim in cap. 1. De Celebrat. Missa. & partim in Clem. 1. De Celebrat. Missa.* Sic etiam omnes Summistæ, Angelus, Syluester, Rosella, Tabiensis, Caietanus, Armilla, *in verbo Hora.* & Astẽsis *in sum. lib. 6. tit. 1. ar. 6.* & alij. In hac quæstione negari non potest, quin prima opinio magis conueniat cum ijs, quæ de Horis Canonicis antiquiores scriptores tradiderunt. Nam Amalarius *lib. de ordin. Antiphonarij, & li. 4. de Ecclesiast. Offic. à cap. 2. vsque ad ca. 11.* Nocturnale Officium, quod sic ille appellat, omnino sanè à Matutinali Officio distinguit, hoc est, Nocturnas Vigilias à Matutinis Laudibus. Rabanus item, *lib. 2. de Instit. Clerico. à c. 3. vsque ad cap. 9.* primis nouem capitibus numerat octo horas, videlicet Matutinas preces, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam, Completorium, & Nocturnas vigilias. Rupertus docet *lib. 1. de Diui. offic. à ca. 1. vsque ad c. 8.* septem esse Horas Canonicas diei, quas enumerat; Primam, Tertiam, Sextam, Nonã, Vesperam, Completorium, Matutinum officium, & postea vigilias nocturnas recẽset, deinde subiungit: *exceptis vigilijs nocturnis, septem sunt Horæ.* Radulphus in libello de Canonum obseruant. proposit. *14. Octo itaque*, inquit, *sunt Horæ Canonicæ, vigiliæ Nocturnæ, & septem diurnæ ex Scripturis auctoritatem habentes*, & ex Cassiano *lib. 2. de Institutis Monacho. ca. 4.* & ex Concilio Agathensi, *quod refertur ca. 1. De Celebr. Missa. & Seculares iungunt vigilias nocturnas cum Matutinis laudibus; at sunt distinctæ Horæ, et diuisim à Monachis*

uachis per orationes terminandæ. Hæc ille. Hugo S. Victoris in speculo Ecclesiæ cap. 3. & lib. de Eccle. offic. 2. cap. 1. & capit. 9. Octo, ait, Horas sancti patres instituerunt præ ceteris, ad laudandum Deum; Matutinam, Primam, Tertiã, Sextam, Nonam, Vesperam, Completorium, & Mediam noctem. Sic ille. Eundem numerum constituit Beda. lib. 3. in Esdram. cap. 28. & Agathense Concilium, vt refertur in cap. Presbyter. distinction. 91. & cap. 1. De Celeb. Missa. & Regula S. Benedicti 16. Vnde iuxta hanc sententiam, illud Dauidis: *Septies in die laudem dixi tibi*: intelligitur de die ciuili, quem artificialem appellant. Id etiam quod passim dicitur, septem esse Horas Canonicas: interpretatur prima sententia, septem esse horas diuinas, Nocturnis Vigilijs exceptis. *psalm. 118.*

Cæterùm communi omnium consensu receptum est, Horas Canonicas septem esse duntaxat, & in Concilio Cabilonensi 2. *Canon.* 59. sub Carolo Magno, Septem tantummodo numerantur, videlicet Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespertina, & Completoriũ, & Cassiodorus versiculum illum Psalmi supra positum: *Septies in die laudem dixi tibi: Septem*, inquit, *illas significat vices, quibus se Monachorum pia deuotio consolatur; Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariã*, (hoc est Vespertinam) *Completorios, & Nocturnos*, videlicet Psalmos. Auctor expositionis secundę in Psalmum 119. enarrans versiculum: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*, qui nomine Hieronymi passim citatur, recenset septem Horas Canonicas his verbis: *Horã Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Mediam noctem, Gallicinium, & Mane primum.* Isido. *lib. 1. de Ecclesiast. offic. c. 19. & sequentibus*, septẽ tantùm numerat. Walfridus. *de reb. Ecclesiast. c. 25.*

Mihi in hac re placet quod docuit, Turrecremata *tract. 73. in regulam S. Benedicti. & in c. Presbyter. dist. 91. q. 1. conclus. 2.* Olim in multis prouinciarum Ecclesijs Nocturnas vigilias diuisas fuisse, & seiunctas à Matutinis Laudibus, & in Monachorum conuentibus planè secerni, & disiungi: & per Orationes distinctas, terminari solitas esse, & tunc temporis octo Horæ verissimè numerabantur. At verò nostris temporibus vsu receptum est, vt Matutinæ laudes simul cum Nocturnis vigilijs decantentur; vel recitentur, ac proinde septem tantummodo Horæ supputantur. Quin etiam olim Ecclesiæ Romanæ vsus obtinuit, vt Nocturnæ preces vna cum Matutinis laudibus coniungerentur. Scribit enim Amalarius *in prologo de ordinatione Antiphonarij*, se Romæ Magistros interrogasse, & præsertim Theodorum Archidiaconum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, an inter Nocturnum Officium, & Matutinum, id est, Laudes, aliquod interstitium esse deberet; & responsum accepisse, nullum, sed continuò inchoandas, Laudes per versiculum, *Deus in adiutorium meum intende.*

Tertiò quæritur, cur Septenario numero Horariæ preces Canonicæ constent? Respondeo; ideo eum numerum esse constitutum, quia ex sacris literis septem tempora Diuinis laudibus, & precationibus apta, & accommodata colliguntur iuxta illud Dauidis in Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*, vt statim de singulis Horis ostendemus. Et aptè profectò, & appositè septenarius Horarum numerus institutus est, vt septem Spiritus sancti dona precibus impetremus, & septem Petitionibus respondeant in precatione Dominica contentis. Vnde Hieronymus: *Hostis*, inquit, *ille antiquus septem Spiritus assumit nequiores, aduersus quos præualere non possumus nisi septiformi sancti Spiritus gratia adiuti.* Rursus Prouer. 24. *Septies in die cadit iustus.* Deuteronomij 7. *Septem sunt relictæ gentes, quas debellari oportebat à Iudæis, vt terram sibi diuinitus permissam, pacatam haberent.* Typicè adumbrantur septem lethalium peccatorum genera in illis septem gentib⁹. Marci 16. *Septem dæmonia sunt per Dominum expulsa à Magdalena*, denique Prouerb. 26. *Septem nequitiæ memorantur.* Ergo aptè sunt septem Horæ Canonicæ Diuinis laudibus, & precibus destinatæ contra septem lapsus, & septem impias Gentes, septem Dæmonia, & septem nequitias. Nec ineptè septenarius hic Horarum numerus dicitur, quasi adumbratus conuenire cum septem tubis, quarũ sonitu Hiericuntini muri corruerunt Iosu. 6. in septem Aspersionibus Leuitici 14. & 16. in septem Candelabris Ecclesiæ Apocalyp. 1. in septẽ Lampadibus siue Lucernis? Exodi 25. & Apocalypsis 1. *Matth. 12.*

Cæterùm Septenarius Horarum Canonicarũ numerus tribus quatiórue de causis videtur esse potissimum institutus. Primò, quia, vt dixi, septẽ illa tẽpora in sacris literis Diuinæ laudi, & precationi deputantur. Deinde, vt beneficium, quo cuncta sunt à Deo procreata, in memoriam reuocemus, & pro tanto munere gratias Deo debitas agamus: nam septem diebus Deus rerum vniuersitatem è nihilo finxit, & condidit. Tertiò, vt redemptionis nostræ beneficium ad memoriam pariter reducamus: nam septem præcipua redemptionis nostræ mysteria hisce horis completa esse noscuntur. Media siquidem nocte, vt Græci patres sentiunt, Christus surrexit ex mortuis; vel potiùs, vt Latini arbitrantur, sub auroram, de quo dicam inferiùs. Media item nocte, aut certè paulò post, ex Virgine natus esse perhibetur. Insuper, hora matutina in Concilio Pontificum, & Pharisæorum, consilium est initum de Christo perdendo. Hora prima, ductus est ad Pilatum, atque inde ad Herodem, & hinc rursus ad Pilatum reductus. Hora tertia, clamauerunt Iudæi, *Crucifige, Crucifige eum*: flagellis cæsus est, & corona spinea caput eius confixum. Hora ferè sexta, est in Crucem actus. Hora nona, spiritum emisit, ad inferos descendit, Satanæ regnum, & imperium deleuit. Vespertina hora, est è cruce depositus item, cum Discipulis cœnauit, eorum pedes lauit, Eucharistiæ sacramentum instituit. Hora Completorij, post orationem in horto, & sudorem sanguineum emissum, comprehensus à Iudæis, ad Annam, & Caipham ductus, varijs modis derisus, & despectus est. Vnde Glossa *in capite primo De Celebrat. Missa.* ad hæc mysteria significanda, versus quosdam in medium producit, quos hic apponendos duxi; *Genes. 1.* *Matt. 26.* *Ioan. 13.* *Luc. 22.*

Hæc sunt septenas propter quæ psallimus Horas.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet fletu: causam dat Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit; latus eius Nona hipertit:
Vespera deponit: tumulo Completa reponit.

Quartò quæritur, Quæ preces Horariæ in Iure accipiantur appellatione officij Matutini; quæ item nomine officij Vespertini? Obseruandum est, preces canonicas in Iure, vt ante iam dixi, ap-

pellari Officium Diuinum, eo quòd sit officium, quod Deo omnium bonorum largitori tanquam debitum Clerici persoluunt, vt eum laudent, eique pro acceptis beneficijs gratias agant, eiusque opem, & auxilium implorét. Præterea, quia eiusmodi preces constant psalmis, & canticis, Versiculis, Antiphonis, & Lectionibus ex sacra & Diuina Scriptura desumptis. In cap. Placuit, Dist. 12. cap. Si quis, Distinct. 92. cap. Si quis Episcopus in Concil. 11. Quæst. 3. Horæ Canonicæ, nomine Matutini, & Vespertini Officij vocantur. Glossa appellatione Matutini officij intelligit preces ante meridiem recitari solitas; Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Matutinas laudes: appellatione verò Vespertini Officij intelligit preces, quę post meridiem funduntur, vesperas nimirum, & Completas. Ita vt Matutinum officium, & vespertinum dictum sit quasi antemeridianum, & post meridianum. Alij verò in Matutino officio Primam, Tertiam, Sextam, & Matutinas laudes includunt: in vespertino Nonam, Vesperam, Completorium, & vigilias nocturnas.

Quintò quæritur, quæ & quot Horariæ preces Canonicæ *in c. Dolentes. De Celebrat. Missarum, & Clem. 1. De Celebrat. Missa.* sumi debeant voce officij diurni, quę item voce officij nocturni? Quidam nomine Officij Diurni accipiũt Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperam; Nocturni vero officij vocabulo, vigilias nocturnas, Laudes matutinas, & Completorium. Sic Archidiaconus *in ca. presbyter. dist. 91.* & Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas *in c. 1. de Celebrat. Missar.* Alij verò Nocturno officio tantùm includunt vigilias nocturnas, & laudes matutinas, Diurno verò Horas cæteras: quod quidem videtur magis cũ ipso Canonico iure congruere.

Sextò quæritur, quando primum septem Horariæ preces Canonicę fuerint institutæ? Polydorus Virgilius, *lib. 6. de inuentione rerum cap. 2.* & quidam alij, vt Maurolycus *in Martyrologio die 27. Augusti.* & Supplementum Chronicorum censent legem Ecclesiasticam de septem Horarum Canonicarum officio à Clerico persoluendo, à Pelagio 1. vel Pelagio 2. latam fuisse: quod probare nituntur ex c. Eleutherius d. 91. quod decretum dicitur esse Pelagij. Alij verò hanc Horariarum precum institutionem Damaso 1. tribuunt. Alij Gregorio I. Verum, ex historijs Ecclesiasticis, & Patribus plane colligitur, iam inde ab Apostolorum temporibus, Clericos certis diei, ac noctis temporibus in Ecclesiam conuenire consueuisse, vt Psalmos, preces, hymnosq; Deo decantarent. Apud Clementem *lib. 8. Constitutio. Apostolic. cap. 30.* extat Apostolica Constitutio hunc in modum habens: *Precationes facite manè tertia hora, & Sexta, Nona, & vesperè vsque ad galli cantum.* Apud Basilium quoque *in Regulis copiosius disputatis, Interrogatione 37. & ferm. 1. de institu. Monachorum.* vbi explicat illud Apostoli: *sine intermissione orames*, & illud. *Nocte, & die laboraues*, habetur: *Neque verò, quanquam hanc assiduè, atque adeò omnibus momentis adhiberi oportere gratiarum actionem, & lex ipsa præcipit, & nos eam vitæ nostræ necessariam, cum natura, tum ratione docuimus, propterea illæ statis temporibus præscriptæ orationes negligendæ veniunt, quas obseruari in Conuentibus solemne est, & quotidianum.* Et deinde memorat Matutinam horam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam, Completam, & Mediam noctem. Cyprianus in expositione orationis Dominicæ circa finem: *In orationibus*, inquit, *celebrandis inuenimus obseruasse cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores horam Tertiam, Sextam, & Nonam.* Et Paulò pòst: *sed nobis fratres dilectissimi præter horas antiquitus obseruatas, orandi nunc, & spatia, & sacramenta creuerunt. Nam, & manè orandum est, vt resurrectio Dominica matutina oratione celebretur: recedente item Sole, ac die cessante, necessariò rursus orandum est.* Et infrà: *qui autem in Christo, hoc est, in lumine semper sumus, nec nostris oratione cessemus.* Ex Cypriano igitur, & Basilio habemus septenarium numerum precationum Canonicarum: ex Basilio quidem Matutinam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam, Completam, & ad mediam noctem precationem: ex Cypriano verò Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam horam, Completam, Matutinam, & Nocturnam. Hieronymus *in Epist. 22. ad Eustochium de Custodia Virginitatis: Horam Tertiam*, inquit, *Sextam, Nonam, Diluculum quoque, & Vesperas, nemo est, qui nesciat.* Infrà: *Noctibus quoque bis, terque surgendum.* Et in 28. Epistola ad eandem. De obitu Paulę: *Manè*, inquit, *Hora Tertia, Sexta, Nona, Vespere, noctis medio per ordinem Psalterium cantabat.* Eadem ferè habet in Epistola 7. ad Lætam de institutione filiæ, & in Epist. 8. ad Demetriadem. Chrysostomus *in homilia 55. ad Populum Antiochenum*, describens Monachorum mores, ait: *Ante Lucem cum gallus vocem dederit, omnes statim cum reuerentia somnum deponentes exurgunt excuante eos Prælato, & consistunt sanctum constituentes chorum: & statim manus extendentes sacros hymnos decantant.* Infrà: *Tertiam, Sextam, Nonam, & Vespertinas orationes celebrant, & in quatuor partes diem diuertiti, dum singulæ partes implentur, psalmis, & hymnis Deum venerantur.* S. Ambrosius *libr. 7. in Lucam*, in illud. *quis vestrum habens amicum*: ait, *Si ille Dauid tam sanctus, & qui regnabat necessitatibus occupatus septies in die laudem Domino dicebat, matutinis, & vespertinis sacrificijs semper intentus, quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius carnis, ac mentis fragilitate delinquimus?* Idem *libro tertio de Virginibus*, orandi sex tempora recenset: *consurgimus manè*, inquit, *cum est prodeundum, ante prandium, post prandium, hora incensi, & cum pergimus cubitum*; quæ tempora videntur significare proculdubio sex Horas Canonicas, Matutinam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam, & Completam. Et extant hymni ab eodem Ambrosio compositi ad singulas Horarias preces videlicet Nocturnas vigilias, Matutinas laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam, & Completam. Athanasius *in lib. de Virginitate siue exercitatione. Habeto*, inquit, *Psalterium, & Psalmos edisce, sol exoriens videat librum in manu tua: post Tertiam horam peragito communionem: Sexta hora celebrato precem, quoniam hac hora Filius Dei iubilatus est in Crucem. Hora Nona rursus est in hymnis, & laudibus Dei, quoniam hac hora Dominus in Cruce pendens spiritum reddit.* Et infrà: *Hora duodecima maiorem, & crebriorem celebra communionem cum virginibus tuis.* Eodem quoque libro: *Media*, inquit, *nocte surgito, & laudato Dominum Deum tuum.* Augustinus item: *Rogo vos, ad vigilias maturius surgite, ad Tertiam, & Sextam, ac Nonam ante omnia conuenite.* Hilarius *in Psalmum. 118.* Cassianus *lib. 2. de Institut. Monach.* cum egisset de Vigilijs Nocturnis, *libr. 3.* distulerit de Diurnis precibus, & *cap. 3. & 4.* commemorat Ho-

rat Horam matutinam ante ortum solis, & rursus aliam matutinam orto iam Sole, hoc est, matutinas laudes, ac Primam: deinde enumerat Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperam. Sanctus quoque Benedictus in Regula 16. *His*, inquit, *Horis referamus laudem Creatori nostro, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespere, Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei.* Cassiodorus explicans illum Psalmi versiculum: *Septies in die laudem dixi tibi*: *Septem*, inquit, *illa significat vices, quibus se Monachorum pia deuotio consolatur, Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Completorios, Nocturnos.* Et Auctor nomine Hieronymi *in secunda expositione Psalmi* 119. explicãs versiculum: *Cum ijs qui oderunt pacem*: recenset Horã Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Mediam noctem, Galli cantum, & Primum mane.

Ex his clare perspicitur septenarium Horarum Canonicarum numerum antiquo vsu in Ecclesia fuisse receptum ante Gregorium I. Pelagium II. Gelasium I. & Damasum I. Ab Apostolorum temporibus vsu, & more receptum fuit, vt Christiani in templum siue ædem sacram siue Oratorium conuenirent, & Psalmos, & hymnos cantarent, vt colligitur ex Adone *in Martyrologio 5. Idus Ianuarij*, in vita Iuliani Martyris, & Basilissæ, & 10. *Kalendas Augusti* de S. Apollinare. Sozom. *libr. 6. histor. Eccle. ca. 33 & 34.* Socrate *lib. 2. hist. Eccl. c. 8.* Theodoret. *libr. 2. capit. 13.* Fortassis Pelagius I. aut II. legem constituit, qua Clerici horarias preces septies in die persoluere cogerentur, ita vt quod antea vsu, & consuetudine antiqua seruabatur, lege deinde lata, perpetuò in Ecclesia iusserit obseruari. Et hinc est, vt in concilijs, & scriptoribus Ecclesiasticis post ea tempora frequens mentio habeatur septem Horarum Canonicarum. In Concilio Cabilonensi 2. sub Carolo Magno, *can. 59.* dicitur, *horas Canonicas, Matutinam videlicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam, Completorium pariter celebrent.* In Concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio à *cap. 126. vsque ad cap. 130.* eædem Horæ ex Isidoro referuntur, sicut, & in Concilio Agathensi, *vt habetur in c. Presbyter De Celebr. Missa. & in c. Presbyter d. 91.* nec non & apud Isidorum, Alcuinum, Amalarium, Rabanum, Rupertũ, & Hugonem S. Victoris, quos supra citaui.

Septimò quæritur, An septem Horariæ preces Canonicæ sint iuris Diuini, an verò Canonici? Docet Abbas *ca. 1. de Celebrat. Missa.* esse iuris diuini, vt Clericus septies singulis diebus oret: quia in Psalmo dicitur: *Septies in die laudem dixi tibi.* Modus verò, & formula precandi est, inquit, ab Ecclesia constituta. Ex quo deducit Romani Pontificis auctoritate non posse Clericũ excipi à lege, & præcepto septies Deum precandi: quamuis fieri posse concedat, vt soluatur lege seruandi modum, & formulam orandi. B. Antonin. *part. 2. tit. 9. capit. 12. §. 1.* Angel. *Hora. quæst. 6.* Rosel. *Hora. num. 13.* Tabien. *Hora. quæst. 15.* Armil. *Hora. num. 11.* Cardin. *Clement. 1. de celeb. Missa.* Turre. *in c. presbyter. dist. 91.* eiusdem videntur fuisse sententiæ. At probabilius alij senserunt, solum iuris esse Canonici, vt Clerici septies singulis quibusque diebus orent. Sic Laurẽtius Rodulphus, Ioannes Lignanus *in ca. dolentes de celebra. Missar.* Syluest. *Hora. q. 8. num. 9.* & alij. Abbas verò, & alij quidam Canonici iuris interpretes latius quam par est, ius diuinum accipiunt: nam tale ius appellant, quicquid in sacris literis habetur, aut ex eis deriuatur; cum tamen reuera id minimè sufficiat, vt in præsenti negotio planè conspicitur. Quod enim Dauid septies in die Deum precabatur, factum est hoc; sed non ius constitutum: alioquin enim omnes Reges eodem iure nẽpe Diuino, cogerentur, id officij, & muneris obire. Dauidis igitur exemplo, & imitatione, Ecclesia diuinitus edocta legem sanxit, qua Clerici septies in die preces fundere, & recitare cogerentur. QVAERES, an saltem Clerici ad Ecclesiastica Beneficia promoti, & electi, iure naturali debeant horarias preces persoluere, vt grati sint ijs, qui de Ecclesia bene meriti bona reliquerunt, ex quibus beneficia Ecclesiastica sunt instituta: An item Clerici eo ipso, quòd sunt in Sortem Domini vocati, & Ecclesiasticis ordinibus initiati, septies Deum orare iure compellantur; Vtrique huic dubitationi infrà commodiùs respondebo.

Psalm. 118.

Caput I I.

De septem precibus horarijs, & Canonicis speciatim.

PRIMO quæritur, Quandonam nocturnæ vigiliæ sint institutæ? Ex ijs, quæ ex Patribus, *in capite superiori* diximus, liquido constat eas ab ipsis primùm Apostolorum temporibus cœpisse, & Ecclesiam in huiusmodi nocturnis precibus ad Deum fundendis, Regium Prophetam esse imitatam, dicentem: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Paulum item, & Silam, qui teste B. Luc. in carcere, & vinculis positi, media nocte orantes laudabant, & benedicebant Deum. *Act. 16.* Præterea, id temporis aptissimè est orationi deputatum. Etenim media nocte, Aegyptiorum primogenita esse ab Angelo percussa, sacræ literæ testantur. Scit quoque Ecclesia, Sponsum media nocte, esse venturũ; ac ideo tunc temporis vigilare nobis expedit, ne nos ille dormientes, ac pigritantes inueniat, & puniat. Media item nocte Dominus ex vtero Virginis natus in lucem prodiuit; & media nocte, aut paulò post è mortuis resurrexit.

Secundò quæritur, An Clerici nocturnas preces olim tribus temporũ interuallis diuisas per soluere consueuerint? sunt, qui id affirmant; & Amalarium *in libello de ordine Antiphonarij*, & Isidorum *lib. 1. de offic. Eccl. cap. 10.* Hugonem Victorinum *libro secundo, de Offic. Ecclesiast. capite nono*, Sanct. Thomam 1. *Corinth. cap. 14. lect. 6.* Waldensem. *libro de Sacramentalibus. capit. 24. & 28.* huius rei testes producunt: *Clerici*, inquiunt, *eo tempore, prima Vigilia noctis exacta, id est, post tres horas noctis, in templum conuenire solebant, & primos Nocturnos Psalmos decantabant: deinde verò somnum resumebant, & secunda vigilia, id est, post sex horas noctis elapsas iterum conuenientes in templum, secũdos Nocturnos Psalmos canebant. Deinde tertia vigilia, id est, post nouem horas noctis expletas è somno surgentes, tertios Nocturnos Psalmos concinebant. Postremò, quarta vigilia nondum completa, hoc est, duodecima noctis hora paulò ante solis ortum in ipsa aurora laudes matutinas psallebãt. & ita noctu quater Deum orabant, sicut etiam interdiu quater quoq; Deum precari solebant; videlicet hora Tertia post Solis ortum, hora Sexta, hoc est, ad meridiem, hora Nona, id est, post nouem horas ab ortu solis, & vespera, hoc est, hora*

duodecima diei. More enim Hebræorum dies ciuilis in duodecim horas diuidebatur, iuxta illud Christi, *Nonne duodecim sunt horæ diei?* ac proinde nox quoque totidem horis constabat. Mihi certò non constat, an Nocturni Psalmi, quas vigilias veteres scriptores appellant, diuisim, ac per tria temporum interualla canerentur. Illud potiùs existimo, Nocturnas preces simul media nocte à Monachis; ab alijs verò, vel paulò ante mediam noctem, vel paulò post cantari solitas fuisse. Laudes verò matutinas, vt Amalarius *in libello de ordine Antiphonarij cap.7.* Hugo Sanct. Victoris *in libro de Ecclesiast. offic.1.cap.1.& 9. & in Speculo Ecclesiæ.ca.3.* Radulphus *in libr. de Canonum obseruant. propositi.14.* testantur, Monachi à Nocturnis vigilijs diuidebant, & vtrasque per tempora terminabant. Clerici verò sæculares alicubi diuidebant eas. Romæ verò simul omnes coniungebant. Nec Isidorus, Amalarius, Hugo, VValdensis, sanct. Thomas tradiderunt expressim Nocturnas preces per tria noctis interualla cantare Clericos consueuisse: solùm aiunt noctem in quatuor militares vigilias, vel excubias, siue custodias laicos distribuisse in primam, secundam, tertiam, & quartam, & singulas quasque illarum tribus horis constitisse, ita vt nox in duodecim horas diuideretur: & quod Ecclesia instar militarium excubiarum cãtare consueuerit Psalmos in tres partes dispertitos; ita vt simul cum ternis Psalmorum partibus ternæ Scripturæ lectiones, & terna responsoria recitarentur: ac proinde ternæ Psalmodiæ, & Orationes, quamuis continenter decantatæ, responderent tribus militaribus vigilijs. Nam sicut militares vigiliæ ternas horas continebant, sic Clerici tribus distinctis Ordinibus, quamuis sine temporis interstitio Psalmos, Lectiones, & Responsoria concinebant. Et in prima quidem parte Psalmos, & tres Lectiones, & tria Responsoria coniungebant pro tribus primę vigiliæ militaris horis: in secunda, cum Psalmis, & Responsorijs tres quoque Lectiones respondentes tribus horis secundæ vigiliæ: & sic pariter in tertia parte. Deinde verò Matutinæ Laudes respondebant tribus alijs horis quartæ vigiliæ militaris. Noctem diuidi in quatuor vigilias, ex Euangelio colligitur. *Luc.12. Mar.11. Matth.24*

Tertiò quæritur, cur Nocturnæ vigiliæ duodecim Psalmis constent, aut nouem, aut decem, & octo? cur item tribus interdum Lectionibus, & tribus Responsorijs, aliquando nouem: cur item tribus Psalmorum, & Lectionum, & Responsoriorũ distinctionibus concludantur? Respondeo, diebus Dominicis, Nocturnas vigilias constare decem, & octo Psalmis in tres veluti classes, & ordines distributis: in alijs diebus festis, nouem Psalmis, in tres Ordines diuisis: in diebus profestis, duodecim psalmis, quibus proximè tres Scripturæ lectiones, cum tribus Responsorijs, succedunt. Tres ordines siue classes, vt tradit Hugo *in libr.2. de Offic. Eccl.cap.9.& 10.* referunt Trinitatem, ob cuius cultum, & honorem Psalmi decantantur: Tria item Mundi tempora, nimirum tempus quo sub lege naturæ homines vixerunt, & illud, in quo sub lege scripta Mosis, & præsens, quo sub lege gratiæ viuimus. Vel potiùs respondent tribus paulò ante dictis militaribus vigilijs. Quamuis autem in diebus profestis nõ sint tres ordines Psalmorum, & Lectionum, ac Responsoriorum recitantur tamen duodecim Psalmi, vt respondeant duodecim noctis horis, vt quasi per totam noctem Deum orare videamur: & tres Lectiones respõdent tribus militaribus excubijs. Hugo testatur, in duodecim Psal. significari duodecim Prophetas, aut duodecim Apostolos; in trib. Lectionibus, sanctam Trinitatẽ, vel tria Mundi tempora.

Quartò quæritur, Quibus de causis Matutinas Laudes instituerit Ecclesia? Primò, vt in quarta noctis vigilia preces ad Deum funderemus: sicut enim tres Nocturnorum Psalmorum distinctiones tribus noctis vigilijs respondent, sic etiam Matutinæ Laudes, quartæ vigiliæ, vt nos in ea paratos, & contra hostes armatos, & munitos Dominus inueniat. Deinde, vt pro hostibus in nocte deuictis Deo gratias debitas referamus, more Hebræorum, qui Aegyptijs in mare demersis, diluculo Diuinas laudes cecinerunt. Item, vt Regium Propheta Dauidẽ imitemur, qui in Psalmis nõ rarò testatur se diluculo preces ad Deum fundere. Postremò, vt in memoriam reuocemus, quot, & quanta ea hora Christus pro nobis mala pertulerit.

Quintò quæritur, Quare Horam Primam Ecclesia colat, & obseruet? Respondet Rabanus *in libr.2. de institutione Clericorum, c.3.* vt in ipso solis ortu Solem iustitiæ nobis orientem postulemus, vt illius illustrati lumine, peccatorum tenebras, & laqueos mortis effugere, ac deuitare possimus. Et vt ait Amalarius in libello de ordine Antiphonarij, *c.6. Sicut ouibus, quæ nocte custodiuntur in ouilibus inclusæ, mane ad Pascua exeuntibus, illico adest opilio, qui eas dirigat, ducat, & defendat à lupis: ita nobis primo diluculo surgentibus, Sole oriente adsit Dominus, verus pastor ac doctor.* Rupertus ait: lib.1. de Diuin. Offic. ca.3. *Prima hora Deo laudes referimus, quia primum est regnũ Dei quærendum, & ante omnem curam corporis procurandum mentis. Item, quia ea hora Dominus noster resurrexit, & impijs manibus fœdatus est, derisus, despectus, & colaphis cæsus. Insuper sicut primitias frugũ Deus jubet veteri lege offerri iubebat, sic primæ Clericorum cogitationes, & curæ, tanquam quædam primitiæ Deo offerendæ sunt.* Præclare Ambrosius *in ser.43.& in Hexam.li.5.c.12.& 24.* de auibus loquẽs, quę Oriente, & Occidente sole æthera cantibus mulcere solent: *Quibus,* inquit, *sensum hominis gerens, non erubescat sine Psalmorum celebritate diem claudere, & adoriri, cum etiam aues suauimodulatione, & dulci carmine ortus dierum, ac noctium prosequantur?*

Sextò quæritur, An primæ horæ sit antiqua, & vetus institutio? Radulphus *in lib. de Canonum obseruantia propositi.14.* docet Primam, & Completam alijs Horis longe ante institutis additas fuisse, quod verum esse probat ex Cassiano *in lib.3. de instit. Monachor. c.4.* qui duas Horas matutinas constituit, vnam ante solis ortum ad galli cantum, alteram orto iam sole. Et ait: *sciendum est, hanc Matutinam secundam scilicet, quæ nunc obseruatur in occiduis maximè regionibus, Canonicã functionem, nostro tempore, in nostro quoq; Monasterio, Bethleem scilicet, primitus institutam, vbi Dominus noster Iesus Christus ex Virgine natus, infantiæ suscipere incrementa dignatus est.* Sic ille. Sed verius alij arbitrãtur, Primam quoq; Horam à primis Apostolorum temporibus, cũ alijs Horis simul cœpisse: quoniã Clemens ait, *li.8.* Constit. Apostolicarũ c.

30. *Preces vestras facite Diluculo, Tertia Hora, Sexta, Nona, Vespere, & in Gallicantu.* Et Athanasius lib. de Virginitá. siue de exercitatione. *Sol*, inquit, *orieus videat librum in manibus tuis.* Basilius item *in regulis copiosius disputatis interrogat.* 37. ait preces esse inchoandas à Matutinis laudibus. Hieronymus in Epistola ad Lætam, *Assuescat*, inquit, *exemplo ad orationes, & psalmos, nocte consurgere, mane hymnos canere Tertia, Sexta, Nona hora.* Sed certè non improbabile videtur, quod Radulphus *in lib. de Canonum obseruant. propositi.* 14. tradidit, Primam, & Completam horas fuisse cæteris horis adiectas, vt Cassianus *lib. 3. de Institu. Monachor. capit.* 4. non obscurè indicat; quamuis etiam fieri potuerit, vt in quibusdam Ecclesijs, Prima hora cum cæteris vnà cœperit, & in alijs fuerit processu temporis instituta.

Septimò quæritur, qua de causa Prima, & Completa horæ, in multis sint sibi similes, & affines? Respondet Radulphus *in lib. de Canon. obseruan. propositi.* 14. esse ferè in omnibus similes: nam in diebus festis, in Prima quatuor Psalmi canuntur, sicut in Completa. Deinde, in Prima, & in Completa fieri solet generalis peccatorum confessio, recitaturque Symbolum Apostolorum, quæ omnia aptè conueniunt diei, ac noctis initio: vt hisce omnibus quasi armis quibusdam muniti, & instructi contra hostes diurnos, & nocturnos constanter, & fortiter pugnemus.

Octauò quæritur, cur ad orandum Deum, Tertiam quoque, Sextam, & Nonam, horas instituerit Ecclesia? Respondeo, hora tertia Spiritum sanctum, super Apostolos descendisse: eadem hora clamauerunt Iudæi postulantes à Pilato, vt Christus Crucifigeretur, ita vt eorum vocibus atque clamoribus cœperit crucifigi hora Tertia; & hora Sexta fuerit verè, & re ipsa in Crucem actus. Item, de Daniele in eius historia refertur, quod ter in die Dominum rogaret, Tertia hora nimirum, Sexta, & Nona. Idem etiam in Actibus Apostolorum de Petro, & Ioanne cõmemoratur. Vnde Tertullianus Tertiam, Sextam, & Nonam horas insigniores in rebus humanis, quę diem distribuunt, quæ negocia distinguunt, quæ publicè resonant, ita & solemniores fuisse in orationibus diuinis, commemorat.

Nonò quæritur, Quomodo concilientur duo Euangelistarum loci de hora, qua Christum Iudæi in Crucem sustulerunt: nam Ioannes refert horam fuisse ferè sextam, cum Cruci affixus est Dominus: at Marcus: *Erat autem*, inquit, *hora tertia, & Crucifixerunt eum.* Hæc quæstio veterum, & recentiorum ingenia plurimum exercuit. Augustinus *tract. 117. in Ioannem, & lib. 3. de Consen. Euangelista. ca. 13. & in libro quæstionum veteris, & noui testamen. q. 65.* Euangelistas conciliat, Christum dicens à Iudæis hora tertia verbo, & lingua Crucifixum, nõ autem Iudicis sententia facto, & re. Marcus igitur de hora tertia loquitur, in qua Iudæorum clamoribus, & linguis est Cruci affixus; Ioannes verò hora ferè sexta tradit, Christum esse in Cruce sublatum, nimirũ Iudicis sententia, & reipsa. Albertus, Lyranus, Carthusianus *Marc. 15.* Gagnæius *Ioan. 19.* Magister Historiæ Scholasticæ *Euang. c. 166.* aiunt Christum in Cruce ascendisse tempore medio inter horam tertiam, & Sextam: & ideo nunc hanc, nunc illam posuisse Euangelistas.

Non desunt, qui Christum hora tertia fuisse reuera in Crucem actum affirment: & illud Ioan. *19. Hora quasi sexta*, exponũt: hora Sexta à nona nocturna ab initio diei, quæ hora Sexta erat eadem, quæ Tertia ab ortu Solis: Et ideo aiunt dixisse Ioannem cap. 19. *Erat Parasceue Paschæ hora quasi Sexta.* hoc est, erat hora quasi Sexta, & hora noctis nona, qua cœperat præparari immolatio agni Paschalis, quem Ioannes, inquiunt, appellat Pascha, & Parasceuen vocat ipsam præparationem, qua agnus Christus cœpit præparari hora noctis nona. Vnde quidam Patres docuerunt, iuxta illud Marci 15. *Et hora tertia Crucifixerunt eum:* Christum in Crucem ascendisse hora tertia. Quidam conciliant Marcum, & Ioannem sic: *Erat hora tertia, & Crucifixerunt eum*, hoc est, Erat elapsa hora Tertia, postquam Crucifixerunt eum: ita vt significet Marcus, tres horas in Cruce pependisse Christum, & coniunctio, Et, sumatur pro aduerbio, postquam Euthymius *in Marcum cap. 47.* dicit id, quod Marcus ait: *erat hora tertia*, non coniungi cum eò quòd sequitur: *Et crucifixerunt eum*: sed referri ad præcedentia: Ita vt significet Marcus, fuisse horam tertiam, ex quo tempore cœpit Christus Dominus multa mala pati vi militum: & postea sequatur: *Et Crucifixerunt eum*, hoc est, Post mula mala, quibus eum milites affecerunt, Crucifixerunt. Sic videntur intellexisse Marcum Patres illi, qui sentiunt Christum hora Tertia fuisse in Crucem sublatum. Telesphorus *in Epistola quadam, quam refert Gratianus c. Nocte. De Consecrat. Dist. 1.* Damasus *in Pontificali*, Cyrillus *Catechesi 13.* Theophylactus, & Auctor Commentariorum *in Marcum nomine Hieronymi.* Ambrosius *in Hymno, qui cantatur ad Tertiam in diebus Dominicis in Ecclesia Mediolanensi*, Walfridus *in lib. De rebus Eccles. ca. 23.* Radulphus *in libro de Cano. obseruantia, propositi. vltima.* Alij, vt Theophylactus *in Ioannem cap. 19.* Caietan. *in Mar. 15.* Canus *lib. 2. de locis Theol. ca. 28. ad quintum*, Sixtus *lib. 6. Bibliothecæ, Annotatione 131.* tradiderunt, apud Marcum, Codices esse corruptos librariorum vitio, & legendum esse: *Erat autem hora Sexta.* Hanc sententiam. S. Tho. *p. 3. q. 46. art. 9. ad secundum* testatur, quorundam fuisse, quam nec probat ipse, nec improbat.

Mihi verò aliter Euangelistæ conciliari posse videntur. Animaduertendum igitur est, apud Hebræos duplicem olim fuisse rationem computandarum horarum, vnam Sacram; alteram profanam. Sacra erat, qua dies à Sacerdotibus, & Leuitis in quatuor tantùm horas diuidebatur, Tertiã, Sextã, Nonam, & Vespertinam, quia his Temporibus in Templo Sacri aliquid fiebat: erant enim hæ diei partes Diuinis laudibus, vel orationibus, vel Sacrificijs destinatæ: & ideo his horis Sacerdotes, vel Leuitę in Templum conuenire consueuerãt. Profana verò computatio erat, qua Populus diem in duodecim horas distribuebat. Vnde Christus dixit: *Nónne duodecim sunt horæ diei?* & Matt. 20. mentio fit horæ vndecimæ, & Ioan. 4. horæ septimæ: *Heri*, inquit, *hora septima reliquit eum febris.* Et tum in illa horarum enumeratione Sacra, tum in profana numerantur horę, non à fines, sed ab initio: ita vt hora Tertia, sit postquã incipiebat hora Tertia ab ortu solis, & Sexta, postquam aduenerat hora Sexta ab ortu solis, & sic de reliquis. Et quia secũdùm illam computationem sacram,

dies in quatuor tantùm horas diducebatur, inde fiebat, vt quælibet pars tres horas profanas contineret. Tertia igitur hora Sacra comprehendebat tertiam profanam, quartam, & quintam: Sexta Sacra, complectebatur sextam profanam, septimam, & octauam: Nona itidem Sacra includebat nonam profanam, decimam, & vndecimã. Vespertina hora dicebatur totum illud tempus, quod est interiectum inter duodecimam, hoc est, vltimam horam diei, & nocturnas tenebras, & mane dicebatur totum illud tempus, quod est ab ortu solis vsque ad tertiam horam ab eodem ortu: & ita, quod fiebat post horam nonam, Sacerdotes, & Leuitæ dicebant fieri ad vesperam, vel in vespera, & quod fiebat ante horam Tertiã fieri dicebant primo mane, vel prima luce. Marcus igitur dicit hora tertia fuisse Dominum Cruci affixum, nimirum hora tertia sacra, quæ à tertia hora profana protendebatur vsque ad sextã itidẽ profanã. Ioannes verò dixit hora ferè sexta, Christum Dominum in Crucem actum, quia loquebatur de hora profana: nam Christus in Crucem sublatus est sub meridiem appetente hora sexta profana, & ideo verè dixit Ioannes: hora ferè sexta. Et quia hora tertia sacra continebat, vt dixi, tres profanas, tertiam nimirũ, quartam, & quintam, verè quoq; dixit Marcus, hora tertia Dominum fuisse cruci affixũ, quoniam quicquid à tertia hora post solis ortum vsque ad sextam fiebat; hoc est, quicquid fiebat hora tertia, quarta, & quinta profana, verè fieri dicebatur hora tertia sacra. Ergo cum Christus fuerit in Crucem actus, teste Ioanne hora ferè sexta, hoc est, ad finẽ horæ quintæ profanæ, verè Crucifixus esse dicitur hora tertia, nimirum sacra, non profana. Hora sexta in Crucẽ ascendisse Christum Dominũ, vt ait Ioannes 19. testantur Clemens *lib. 5. Constitut. Apostolicarum capit. 16. & lib. 8. cap. 40.* Ignat. *in Epist. 2. quæ est ad Trallianos.* Cyprian. *de oration. Dominica.* Athana. *de Virginita.* Isidor. *li. 1. de Diuin. Offic. c. 19.*

Horam porrò sextam celebrat Ecclesia multis de causis, quas Anastasius Sinaita, *in libr. commen. in Hexam. 7.* commendat. *Deus*, inquit, *hora sexta, visus est Abrahæ in valle Mambre. Eadem hora Ioseph simul cum fratribus suis prandit est. Eadem itidem hora Ruth Moabitis ad ipsum Booz in agro esuriens accessit, quam ille benignè, et libenter excepit, & mulier Samaritana hora sexta cum Christo Domino sermonem habuit.* Hora item Nona in sacris literis celebratur: nam Actorum 3 Petrus, & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Eadem hora Cornelius Centurio in precibus persistebat, & videre Angelum, & ab eo doceri promeruit: ea denique hora Christus Dominus spiritum emisit, & inferos spoliauit.

Decimò quæritur, cur Vespertinam horam Ecclesia colat, & obseruet? Respõdeo, Christum ea hora de Cruce fuisse depositum: hanc horam veteres Ecclesiæ scriptores Lucernariam appellãt: Cassianus, *li. 3. de Instit. Monacho. c. 3. ad finem*, Epipha. *contra hæreses l. b. 3. in compendiaria vera doctrina propè finem.* Hieron y, *in 2. exposi. ad Psalmum 118.* Aug. *in serm. 1. ad fratres in Eremo.* Cassiodo. *li. 9. Tripart. c. 38.* Socr. *lib. 3. Eccl. historiæ c. 21.* Nicepho. *li. 1. c. 24.* Radulphus, *de Canonũ obseruantia proposi. 12.* eo quòd dum lucernę accendebantur, ad horam nempe duodecimam, Vespertinæ preces persolui solebant.

Vndecimò quæritur, cur, & quando Ecclesia horam completam instituerit? Radulphus, *vt superiùs indicauimus*, censet horam Primam, & Completam longè post Horas alias fuisse institutas. Sed ex Basilio, & alijs Patribus colligi apertè videtur fuisse cum alijs obseruatas, & Basilius testatur hora Completa recitari solere Psalmum nonagesimum, cuius initium est: *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, qui Psalmus etiamnum eadem hora recitatur.

Caput III.

A quibusnam sint preces Horaria iure persoluendæ.

PRIMO quæritur, Quot, & qui iure Pontificio preces Canonicas recitare cogantur? communis est omnium sententia, ad id adstringi eos, qui sunt sacris, siue maioribus ordinibus initiati; eos item, qui beneficium Ecclesiasticũ possident, denique omnes Religiosos professos, & ad chorum destinatos: de quibus singulatim est nobis disserendum.

Secundò quæritur, Vndenam constet, eos, qui sunt ad beneficium Ecclesiasticum promoti, ad preces Canonicas recitandas iure compelli? Respondeo, *dist. 92. c. vlt.* pœna depositionis Clericis irrogatur, qui certæ Ecclesiæ præfecti, ac deputati non conueniunt in Ecclesiam ad Matutinum, & Vespertinum Officium persoluendum. Sic Abbas, & cæteri *in c. 1. De Celebra. Missa.* Sic Cardinalis, & alij *in Clem. 1. De Celebr. Missa. & colligitur ex ca. Cum secundum Apostolum de Præben.* Item, *c. Quia per ambitiosam de Rescri. in Sexto*, dicitur: *Beneficium Ecclesiasticum datur propter Officium.* Vbi Glossa annotat: *Ideo priuatus officio, priuatus quoque est beneficio, cum sit eius sequela. dist. 81. c. eos, & c. Si quis Sacerdotum dist. 32. & c. Latores de Cleric. excom.* Hæc Glossa.

Tertiò queritur, An quando beneficium est tenue, ita vt eius redditus ad Clericum commodè sustentandum minimè sufficiat, debeat Beneficiarius integrum Officium Diuinum persoluere? Duæ sunt opiniones: Prima Soti, qui *libro 10. de iust. quæst. quinta, articulo tertio*, negat, id genus beneficij talem obligationem inducere: nam *parũ*, inquit, *pro nihilo reputatur*: ergo qui tenue, & modicum Beneficium habet, non censetur esse Beneficiarius. Deinde, qui altari seruit, ex eo viuere debet: ergo qui ex Beneficij redditibus non viuit, iure non cogitur Horarias preces recitare. Accedit id, quod habetur *in cap. Ii cui. De Præben. in Sexto*, vbi statuitur: *Quando conceditur alicui facultas idonei Beneficia conferendi, non potest ea conferre ijs, qui habent Beneficia, quæ sufficiunt ad vitam: potest tamen ijs, qui Beneficia non habent, quæ satis sint ad eorum vitam sustentandam*: Ergo in iure Beneficium paruum, & exiguum, pro Beneficio non habetur. Hanc Soti sententiam quamuis cum communi pugnantem iuniores quidam Theologi sequuntur, Arag. 2. 2. qu. 83. art. 12.

Secunda opinio affirmat quodlibet Beneficium, etiam paruum, ac tenue esse cum onere, & lege preces Horarias perorandi. Sic sentit Nauarrus *tract. de Oratione, ca. 7. nu. 27. & c. 11. nu. 11.* Sic etiam Ledesmius 4. *part. 2. quæst. 16. artic. quarto, dubio quinto*,

vbi re-

vbi referens hanc opinionem ait: esse sentẽtiam communem, & reuera ita est. Eam enim habet Glossa ab omnibus Summistis recepta *in cap. Clericum dist. 91.* Sic Rosel. *in verbo Hora nu. 1.* Sylues. *quæst. 2.* Antonin. *part. 3. tit. 13. cap. 4. §. 1.* Tabien. *q. 1. in verbo Hora*, Armil. *in eod. verbo nu. 1.* Medin. *de oratione qu. 7.* Idem etiam sentiunt Cardinalis, Hostiensis, Abbas, ac Ioannes Andreas, Imola, Turrecremata, Bonifacius, & cæteri Iuris Canonici interpretes, *partim in ca. 1. & ca. dolentes de celebr. Missar. & partim in Clemen. 1. de celeb. Missarum, & partim cap. 1. dist. in. 91. & cap. Clericus dist. 92.* In hac quæstione, non est ab opinione communi recedẽdum, ea enim magis cum ipso Iure communi Canonico cõgruit, vt manifestum fiet. Etenim *in c. Clericus dist. 91.* dicitur: *Clericus, qui ab Ecclesia sibi commissa commodè non sustentatur, quærat sibi villam, & vestitum ex artificio, vel agricultura post sui muneris, & Officij pensum persolutum.* Deinde, eo ipso, quod quis duxit vxorem inopem, eam alere iure compellitur: ergo nihil minus est si is Clericus egẽs, cui Ecclesia pauper committitur, Diuinum officium persoluere cogatur. Accedit, quod qui sponte, ac voluntate sua nomen militiæ dedit, militare compellitur, quamuis non ita cõmodè ex militia viuat. Adde, quòd scienti, ac volenti non fit iniuria, ergo qui sponte sua Beneficium acceptum, & ratũ habet, se Ecclesiæ obstringit. Præterea, qui beneficium habet quamuis tenue, & exiguum, cæteris Beneficiariorum priuilegijs gaudet, & in Iure habetur verè, & propriè Beneficiarius: ergo non est cur ab eorum oneribus liber, & immunis censeatur. Postremò, beneficium Ecclesiasticum, *vt dicitur in cap. vlt. De rescrip. in Sexto*, propter Officium confertur, quod absolutè, & simpliciter dicitur de quolibet beneficio in vniuersum, & vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus: & Glossa *in eo capite* probat, Officium esse veluti aßeclam, & comitem beneficij; *vnde*, inquit *priuatus officio, eo ipso priuatus beneficio censetur.* Nihilominus tamen si quis Soti opinionem sequatur, non continuò condemnandus mihi videtur: cum & viri pij, ac docti eam opinionem probabilem esse arbitrentur, vt ipse etiam Nauarrus existimat. Nam Sotus libenter fatebitur beneficium tenue, & modicum pro beneficio esse habendũ, quod pertinet ad alimenta; at quod spectat ad præceptum, & legem exoluendi pensum Horarum, pro beneficio non haberi, cũ reditus tenues habeat, & parũ pro nihilo reputetur.

Quærat quispiam, an intersit aliquid inter beneficium, quod à principio est tenue, & exiguum, & illud, quod cum à principio pingue fuerit, est tamen factum deinde paruum, & modicum? Respõdeo, cum Glossa communi consensu recepta, multum interesse: quoniam dubitari non potest, quin beneficium, quòd à principio vberes redditus ferebat, etiamsi progressu temporis tenues reddat, obligationem afferat, & lege cogat Officium diuinum persoluere: satis enim est, si à principio beneficium ditius, & pinguius fuerit: nam sic vxor, quæ cum ducta est, inops, & tenuis non erat, postea ad egestatem, & inopiã redacta à viro suo alimenta ipso iure accipit, & habet. Quare Soti opinio in hoc locum habere non potest, sed solùm in eo beneficio, quod à principio est exiguũ, & modicum. Si secũdò quis roget, an Soti opinio locum habeat generatim in quolibet beneficio, quod ad Clericum commodè sustentandum non sufficit? Quidam Soti sentẽtiam laxius interpretantur de quolibet beneficio, quod ad vitam Clerici sustentandam non sufficit. Sed hoc certè nullam habet probabilitatem, nec tale quid ille auctor sensisse credendus est. Neq; enim beneficiarius, cuius beneficium reddit fructus quadraginta nimirum, vel triginta, vel viginti aureos, liber est, & solutus à lege preces Canonicas recitandi, & tamen quadraginta, vel triginta aurei alicubi non sufficiunt ad cõmoda alimenta Clericorum. Quare, vt Soti sententia sit probabilis, intelligi tãtummodo debet de eo beneficio, quod primum adeo tenue fuerat, vt eius fructus annui sint quatuor, vel quinque, aut sex aurei nummi. Sotus expressit beneficium cuius fructus sunt octo, aut decem aurei.

Quartò quæritur, An qui habet beneficũ, quod in Hispania Præstimonium, siue Præstimonialis portio vocatur, iure cogatur preces Horarias recitare? Duæ sunt opiniones, prima negat, eo quod eiusmodi beneficium institutum esse creditur ad subsidium adolescẽtium, qui in studia literarum incumbunt, vel in subsidium eorum, qui contra hostes Christianæ religionis bellum gerunt, vel in subsidium Canonicorum, quorum Canonicatus tenues fructus reddebant. Deindè, quia eiusmodi beneficia omnino à cæteris distinguuntur: quoniam nec requirunt vti Beneficiarij in Ecclesijs suis cõmorentur, ac resideãt, nec vt in illis inseruiant per seipsos, aut per alios in sui locũ substitutos, nec talia sunt, vt simul cũ alijs haberi iure non possint. Sic Medina *de Oration. q. 7.* Palacius *in 4. d. 15. disputat. 9.* & quidam pro hac opinione facere dicunt Ioan. Andr. *in c. 1. de rerũ permutatio. in 6.* Oldrad. *in cons. 134.* Ioan. Seluam *de Beneficijs. p. 1. q. 3. nu. 10.* Gigantem *de pensionib. q. 28. nu. 5.* Secunda sententia affirmat: hanc sequitur Nauar. *de orat. ca. 21. nu. 9.* Sot. *in lib. 10. de iust. q. 5. a. 3.* & his antiquior Abbas *in cons. 47 par. 2. nu. 1.* idem sentiunt recentiores Theologi, qui post Nauarrum, Medinam, & Sotum scripsere.

In hac quæstione, dubitandum non est, quin huiusmodi beneficium sit verè, & propriè beneficiũ Ecclesiasticum: quod rectè probat Abbas ex his, quæ beneficio Ecclesiastico cõmuni iure conueniunt. Nimirum, quia cõferri illud nequit, nisi ab Episcopis, vel alijs Ecclesiarũ Præfectis: nec conferri potest nisi in Clericos: & datur in titulũ, vt Canonica iura loquuntur; item, in perpetuũ datur, nec obitu clerici extinguitur, sed vacat, & alteri cõfertur. Deinde, Episcopus nequit id genus beneficij sibi conferre. Non potest item dari ex pacto vllaue conditione absq; Simoniæ labe. Adde, quod *in c. Quoniam. De Præben. in Sexto*, inter Ecclesiastica beneficia recensetur. Postremò, Pius V. *in Constitutione, quæ incipit: Ex proximo Lateranensi concilio*, postquam præcepit, vt omnes Clerici, qui Beneficia habent, Diuinum Officium persoluant, adiunxit hæc verba: *Declarãtes, Præstimonia, Præstimoniales portiones, & qualiacunq; alia beneficia etiã nullum omnino seruitiũ habentia continentes, in prædictis cõtineri.* Sic ibi.

Ad argumenta verò Quæstionis initio obiecta, respondeo; etiamsi huiusmodi beneficia, quæ Præstimonia vocantur, fuissent in subsidium ado-

lescentium, vel quorumlibet aliorum instituta, de qua institutione, & origine nihil certi habetur: progressu tamen temporis omnino in beneficia Ecclesiastica transierunt, quod iure fieri potuit: ac propterea nunc dubitari non potest, quin sint verè, & propriè beneficia. Et Ioânes Andreas, Oldradus, Ioannes Selua, & Gigas solùm loquuntur de eo præstimonio, quod datur alicui, vt stipendium, & merces operis profani, non Ecclesiastici, & sacri: at Præstimonia, quæ sunt in Hispania, non hac ratione conferuntur in Clericos, sed dantur illis, quia Clerici sunt, certis Ecclesijs deputati.

Quintò quæritur, An Clericus, qui habet Cappellaniâ quam vocant, iure debeat Horarias preces Canonicas recitare, sunt enim, qui negât. Sed verius est, quod alij docuerunt, ita distinguentes: aut Capellania per verum, & legitimum ius conferendi datur, hoc est, canonicè iuxta Canonum præscriptum, aut secus. Si datur: Tunc clericus eius possessor iure debet Diuinum Officium persoluere: si non datur, ad id minimè adstringitur. Hanc opinionem tuentur Medina *tract. de Orat. q. 7* Nauarr. *de Orat. cap. 20. nu. 17.* Ledesm. *in 4. p. 2. q. 16. art. 4. dub. 5. ad finem.* Primi generis Cappellaniam Collatiuam nominât, quam dicere possumus sacram quam etiam volunt esse verè, & propriè beneficium Ecclesiasticum. Secundam vocant Cappellaniam, non Collatiuam, nos appellemus profanam, non sacram, ac proinde à beneficij Ecclesiastici ratione alienam.

Hoc vt clariùs explicem; animaduertendum duco, Cappellanias à Laicis sæpius instituti ex ipsorum bonis, in quibus Cappellanijs erigendis, si nec initio cum instituuntur, nec postea ex interuallo temporis vlla Episcopi auctoritas interuenerit, hoc est, si prorsus sine vlla Episcopi auctoritate eriguntur, & constituuntur, beneficij Ecclesiastici rationem habere nequeunt. Neque enim laicus ex re profana sacram facere potest: vnde sicut hospitalis domus, Oratorium, sacellúue extructũ à laico absq; Episcopi auctoritate, Sacer, & Religiosus locus nõ est; sic etiã nulla Cappellania ex laicorũ bonis, & rebus instituta, sine Episcopi auctoritate beneficium est Ecclesiasticum, cum in ea nullũ sit ius percipiendi Ecclesiasticos fructus ex bonis Ecclesiæ. Si vero ex bonis laicorum Episcopi auctoritate Cappellania erigatur, ea veram habet beneficij Ecclesiastici rationem, quamuis in ea laicus auctoritate Episcopi sibi ius Patronatus reseruet, & tũc annui redditus, quos laicus suis ex bonis instituit Episcopi auctoritate, in beneficium Ecclesiasticum transeunt. Et hęc est Cappellania, quam Medina, Nauarrus, & Ledesmius Collatiuam appellant, nos sacram, quoniam impetrari, & haberi non potest, nisi auctoritate Ecclesiæ conferatur, per electionem legitimam, vel confirmationem, vel præsentationem, qua laicus, vel Clericus nominet, & offerat futurum Beneficiarium, & institutionẽ Episcopi, vel alicuius alterius Ecclesiæ Præfecti, vel per simplicem, quam vocãt collationem, instar aliorum beneficiorum, quæ hisce modis conferuntur, & obtinẽtur. QVAERAT, aliquis vndénam discerni queat, sit nec ne aliqua Cappellantia beneficium Ecclesiasticum? Respondeo, in primis inspiciendam esse eius institutionem, in qua si Episcopi auctoritas interuenerit, hoc est; si Episcopi auctoritate erecta, & instituta fuerit Cappellania; pro beneficio Ecclesiastico haberi debet: alioqui minimè, vt quando testator certos annuos redditus nomine Cappellaniæ relinquit, & expressim ait se nolle, vt in huiusmodi bona se Episcopus inferat; aut si nominet, & eligat certum Clericum; ac deinde statuit, vt sui posteri, vel sibi genere propinquiores absolutè per se ius, & auctoritatem habeant sine Episcopo, nominandi, & eligendi Clericum ad Cappellaniam. Præterea, si certo annorum tempore, videlicet quadraginta annorum spatio quater, terúe, aut etiam bis Cappellaniã Episcopus contulerit, aut in ea instituerit Clericum nominatum, & oblatum à laico, haberi debet pro Ecclesiastico beneficio, quoniam consuetudine potest Ecclesia contra laicum præscribere. Vnde etiamsi Cappellania prima sua institutione, & origine beneficium non fuerit, progressu tamen temporis, in beneficium Ecclesiasticum transire potest. Si igitur Capellania, vel Episcopi auctoritate instituitur, vel cõferri solet, beneficium Ecclesiasticum censeri debet.

Sextò quæritur, An qui beneficium Ecclesiasticum non sibi collatum, sed commendatum, hoc est, non iure, & nomine tituli, sed iure, & ratione Commendationis habet, Horarum Canonicarum pensum exoluere debeat? quod perinde est, ac si quæreretur. An qui habet beneficium in commendam, (vt dicitur) non in titulum, persoluere Diuinum Officium cogatur? Respõdeo, cum Medina *de Oration. quæst. 7.* & cum Glossa *in cap. nemo, de electione, in 6.* ab omnibus recepta, eũ ad id adstringi, siue habeat beneficium ad tempus, siue in perpetuum commendatum. Idem quoque docet Nauar. *de oration. cap. 20. nu. 16.* Ledes. *4. part. 2. q. 16. art. 4. 5.* Nam etsi, beneficium cum datur, (vt aiunt) in Commendam; hoc est, cum commẽdatur alicui, & non confertur, non habeatur in titulũ, nec per collationem, vt vocant, satis tamen est, si is, cui commendatur, habeat verã beneficij administrationem spiritualem, & temporalem, in omnibus, ad tempus, vel in perpetuũ. Administratio enim eiusmodi in hac parte idem valet, quod titulus. Objcies, titulum beneficij imponere legem precesHorarias perorandi: ergo qui titulum beneficij non habet, liber est ab ea lege, sed Commendarius titulum non habet, ergo nec onus prædictum. Fatemur Commendatarium non habere titulum; sufficere tamẽ legitimam beneficij, quam gerit, administrationem in omnibus, quæ ad beneficium attinent, ratione cuius administrationis, legitimè quoque fructus beneficij percipit, sicut Beneficiarius ratione tituli: verùm qui administrationem haberet temporalem, eadem lege minimè teneretur. Sic communis opinio.

Caput IIII.

Aliæ quæstiones de eadem re diluuntur.

PRIMO quæritur, An Adiutor Beneficiarij preces Canonicas recitare debeat? Respondet Medin. *de Orat. q. 7.* ijs diebus debere, quib' supplet vices ei', cui est datus Adiutor; alijs verò diebus minimè. Nauar. *de orat. c. 20. n. 17.* aliter respon-

det Adiu-

det, Adiutorem videlicet solùm cogi ea præstare, ad quę datus est adiutor, ac proinde si constitutus est ad canendum solùm in Choro, id tantummodo facere debet. Et tandem concludit, Adiutorem beneficiarij nullo iure cogi preces Canonicas recitare; quia beneficiarius nō est, nec ratione vllius beneficij duos Clericos Diuinum officium persoluere oportet: sed is, cui datur adiutor, est verè beneficiarius, ergo is solùm cogitur pensum Horarum exoluere. idem censet Ledesmius 4.part.2.q.16.art.4.dub.1. Dices; fieri posse, vt Beneficiario, quia morbo laborat, adiutor detur, ergo cum Beneficiarius liber sit à lege, & præcepto preces Horarias recitandi, adiutor eas recitare debebit. Respondet Nauarrus, hoc solùm argumento concludi, oportere adiutorem id præstare, & supplere, ad quod est datus: Adiutor verò non datur od officium Diuinum pro alio persoluendum, sed ad sacrum faciendum, vel ad Sacramenta conferenda, vel ad cantandum in choro, aut alia ratione inseruiendū Ecclesiæ. QVAERES, an aliquis saltem Adiutor beneficiarij preces Canonicas recitare debeat? Quæstionē mouet, quia interdū dari solet adiutor Parocho ob amentiam ipsius, aut ingrauescentem, & decrepitam ætatem, vel ob alium quemlibet morbū perpetuum, quo laborat Parochus. Aliquando datur Adiutor cum futura successione in Beneficio, hoc est, cum iure succedendi in Beneficio. Aut is adiutor datur ad supplendum ex toto munus eius, & officium, aut ad supplendum tantùm ex parte. Si primum, necesse est, vt Horarias preces reciter: alioqui enim non explebit, nec præstabit ex toto Beneficiarij partes. Si secundùm, minimè cogitur Horarum pensum reddere, sed tantùm id præstare, ad quod est institutus.

Cæterùm ipse magis probo Nauarri sententiā, Adiutorem quatenus eiusmodi est, non cogi ad officium Diuinum persoluendum, quia titulum beneficij nō habet: nec subrogatur in locum Beneficiarij, vt eius vice preces canonicas recitet, sed vt alias eius partes expleat: aliunde igitur nimirū, vel quia est sacris ordinibus initiatus qualis esse solet Adiutor, qui datur Parocho cum futura successione, hoc est, vt ei in Ecclesia succedat, vel quia ita est Adiutor creatus, vt sit etiam in beneficiarium electus, lege precationum Canonicarum tenetur.

Secundò quæritur, An qui habet beneficium, quod Manuale vocatur, debeat preces Horarias recitare? Respondeo, debere: Animaduertendum est, beneficium Manuale, siue regulare, illud dici, quod ad nutum eius, qui confert, reuocari potest, dolo excepto, *cap. Cum ad Monasterium, De statu Monach. & Clem. Quia Regulares, De Supplen. neglig. Prælator. & Porrella, cap. Ad nostram. De Confirmat. vtili, vel inutili.* Quia igitur beneficium manuale ad nutum conferentis reuocabile est; non immeritò quæritur an imponat legem Beneficiario preces Horarias persoluendi. Communi consensu docent omnes, *in Clem. 1. de supplen. negligen. prælat.* Manuale beneficium idem prorsus iuris, & oneris habere, quod cętera beneficia, excepta facultate, qua est reuocabile ad nutum, & voluntatem conferentis, vt colligi videtur ex ipsa. *Clem. 1. De supplen. Prælato. negligen.* Et reuera id ex Iure, & ratione ipsa concluditur: Siquidem, qui est miles ad tempus, etiam cogitur militiæ onera sustinere, dum militat. Deinde, beneficium Manuale quasi habitu, vt aiunt, & potestate, est perpetuum, cum Beneficiarius id genus beneficij permissu eius, qui confert, possit habere, quamdiu viuit. Postremò, perpetuum aliquo modo est, quod certo, & definito temporis interuallo non terminatur, etiam si detur, vel habeatur ad nutum, & voluntatem alterius, cū possit eius permissu ad vitam haberi. Nam dicitur perpetuum, quod est virtute, & potestate perpetuum Cardin. *in Clem. 2. de rescrip.* & colligitur teste Sylu. *in verb. Dignitas. nu. 2. ex c. clericos in verbo, perpetuam. de cohabitat. Clerico. & mulier*, & Gloss. *ibidem.*

Tertiò quæritur, An qui pensionem Ecclesiasticam habet ex aliquo beneficio sibi soluendā, Horariarum precationum lege teneatur? Communis est omnium opinio, Pensionarium ad id minimè astringi: hanc opinionem Sotus, *li. 10. de iust. q. 5. a. 3.* Medin. *de orat. q. 7.* Nau. *de orat. c. 7. nu. 25.* Ledes. *in 4 p. 2. q. 16. ar. 4.* sequuntur. Hanc quoque Canonici iuris interpretes probauere sententiam, & firmant ea ratione, quòd Pensionarius proprie Beneficiarius non est, nec pensi beneficium, quamuis vsu, & more Curiæ Romanæ, in multis beneficio æquiparetur. Obijcies, Pensionarium ius habere percipiendi fructus ex bonis Ecclesię, ergo verè est Beneficiarius, cū beneficium nihil aliud sit, nisi ius percipiendi fructus ex Ecclesiæ patrimonio. Respondeo, in beneficio non solùm ius esse percipiendi fructus, ex redditibus Ecclesiæ, sed ob ministerium sacrum, & Ecclesiasticum: at pēsionarius habet quidē ius accipiendi fructus, sed nō ob ministerium Ecclesiasticū: pensio enim confertur alicui, vt vitæ subsidiū, & alimentū habeā. QVAERES, an Pensionarius preces aliquas recitare iure debeat? Respōdeo, iure cōmuni & antiquo eū nō cogi; at iure nouo qui vt clericus pensionē obtinet, soluere debet paruū, quod vocāt sacrū B. Mariæ virginis officium. Id enim decernit Pius V. in Constitutione cuius initiū est: *Ex proximo Lateran. Conc.* quam Nauar. habet *in Man. c. 25. nu. 122.* vbi non in vniuersum iubet Pontifex omnē Pensionariū id officij præstare, sed eum duntaxat, cui tanquam Clerico pensio constituitur. Nec est, quod dicas, eam Constitutionē non esse vsu receptam; nam omnes iuniores Theologi, qui post eam scripsere dicunt eam esse seruandam. ROGABIS, quis tanquam Clericus pensionem obtinere dicatur? Respondeo, distinguendum esse; nam cū ad pensionem, quę reseruatur, & datur alicui, exigitur, vt is Prima saltem Clericorum tonsura initiatus sit: tunc pensio dicitur ei constituta tāquam clerico: quando verò non requiritur, vt sit Clericus, tunc nō habet pensionem tanquā Clericus: aliquando enim quibusdam conceditur pensio ob inopiam eorum, vel senectam, vel infirmitatē, vel eò quòd sint benē de Ecclesia meriti, vel ob spem meritorum erga Ecclesiam, vel ob laborem, & operam temporalem, nimirum ad tintinnabula pulsanda ad aperiendas templi fores, ad horologij curam, ad pueros Ecclesiæ instituēdos, vel ad alia huiusmodi ministeria, & officia obeunda. Sic etiam auctoritate Romani Pontificis pensionē habent certi quidā milites alioquī matrimonio quidem cōiuncti; sed aliquem regularem ordinem professi,

in qui-

in quibus nihil aliud requiritur, nisi illius ordinis professio vnà cum habitu conuenienti susceptо. QVAERES itidem, an Clericus sacris ordinibus initiatus, vel ad beneficium Ecclesiasticum promotus, si simul etiam pẽsionem habeat, exoluere debeat Paruum B. Virginis officium, præter septem Canonicas, & Horarias preces ratione illius Pontificiæ Constitutionis à Pio V. editæ supra memoratæ: eò quòd vniuersè præcipit, vt omnis Pẽsionarius, Paruum illud officium persoluat: igitur ratione beneficij, vel Sacri ordinis cogitur is Clericus septem Horarum precationes Canonicas recitare, & quatenus Pensionarius, Paruum B. Virginis Officium soluere. Respõdeo, sufficere, si septenas preces horarias persoluat, quoniam mens Pij Quinti ea videtur fuisse, vt pẽsionarius alioqui non adstrictus ad aliquas preces perorandas, Paruum Deiparæ sacrum Officium persoluere cogeretur.

Quartò quæritur, An Titius certæ alicuius Ecclesiæ Canonicus creatus, septem Horarum Canonicas preces recitare debeat primo anno, in quo nullos prorsus ex beneficio fructus percipit, qui consuetudine, vsu, aut priuilegio illius Ecclesiæ debentur fabricæ templi, siue sacræ ædis, vel in aliquem alium pium vsum impenduntur? Respondet, Nauarrus *in tract. de orat. cap. 7. num.* 30. cum minimè solui lege Diuini Officij recitandi, etiã illo primo anno, quod probat, quia beneficiũ cũ suo onere transit in eum, in quem confertur: sed huiusmodi beneficium ex vsu, consuetudine, & priuilegio habet hoc onus, vt fructus ex primo anno Canonico, non debeantur, ergo Canonicus cum hoc onere beneficium acquirit. Deindè beneficiarius debet Diuinum Officium persoluere ratione iuris, ac tituli, quem habet in beneficio; at huiusmodi Canonicus in primo anno verè habet ius, & titulum beneficij. Accedit, quod Canonicus sibi imputare debet, quod in primo anno fructus nõ percipiat: nam sponte sua beneficium acceptum, ac ratã habet, ergo illud suscipit cum oneribus, & obligationibus ipsi beneficio annexis. Sciendum est, in Germania, Gallia, & Hispania multarum Ecclesiarum morem esse, vt Canonici, electi, & recepti nullos fructus in primo anno, immo etiam in secundo ex beneficio sibi acquirant: qui fructus aliquando debentur Canonici demortui hæredibus, vel creditoribus; aliquando reseruantur, vt impendantur in fabricam templi, aliquando distribuuntur in cæteros Canonicos, pro eorum antiquitate; aliquando in alios pios vsus erogantur. Et nihilominus inter extrauagantes communes extat Pontificia constitutio, quæ incipit, *Suscepti, Tit. Ne sede vacante*: & eadem ponitur inter Extrauagantes Ioannis 22. *De Electio.* vbi declarat, & decernit Pontifex huiusmodi Canonicis, & Beneficiarijs creatis dimidiã fructuum partem, etiam ex primo anno deberi. Quo efficitur, vt vbicunque fuerit, hæc constitutio viu recepta, Canonici debeant Diuinum officium primo etiam anno persoluere, quoniam dimidiam etiam saltem fructuum partem percipiendi eo anno ius habent. Vbi verò ea Constitutio non est vsu recepta, aut est consuetudine abrogata, consuetudini standum est, quę Canonicos in primo anno, aut etiã in secundo fructibus priuat. Et tunc quæstio proposita locum habet, An tales Canonici, eo ipso, liberi reddantur ab Horarijs precibus recitandis. De qua re in primis dicimus; si consuetudine, vel priuilegio Ecclesiæ fructus ex primo anno reseruantur Canonici defuncti hæredibus, aut creditoribus: tunc Canonici debent Horarum preces Canonicas recitare, etiam primo anno, quo nullos percipiũt fructus, quoniam, cum & ipsi è viuis excesserint, solito commodo fruentur: nam reseruabuntur eorum hæredibus, creditoribusue fructus percepti ex primo anno Canonicorum succedentium. Idem iudicium de Canonicis est in primo anno fructus beneficij nõ acquirentibus, eò quod certæ Ecclesię more, vel priuilegio reseruantur alijs canonicis antiquioribus, in quos distribuũtur: siquidem eodem priuilegio, recentes canonici gaudebunt, posteaquam antiquiores euaserint.

Quare tota quæstio est, quando fructus ex primo anno, vel etiam secundo cõsuetudine, vel statuto Ecclesiæ alicuius in alios pios vsus impenduntur. Duæ sunt opiniones, quarum Prima negat, prædictos Canonicos debere Diuinum officium persoluere, quoniã nullos eo anno fructus acquirunt sibi, nec verò vnquam eos sunt fructus percepturi: ergo perinde est, ac si beneficiarij nõ essent. Deinde qui altari seruit, debet ex altari viuere, & sustentari. Postremò, licet titulum, & ius beneficij habeant, fructibus tamen, spoliãtur, nec per ipsos stat, quo minus fructus percipiant: his enim, velint nolint, ratione consuetudinis, priuilegij, vel statuti priuantur.

Secunda opinio affirmat hos Canonicos esse cogendos preces horarias persoluere, eo argumento vtens, quia beneficiarius, propterea quod sponte sua beneficium acceptum, & ratum habet, suscipit in se quicquid oneris inest beneficio, & subijcit se legibus, statutis, consuetudinibusque Ecclesiæ, in qua est situm beneficium. Cæterùm quamuis vtraque sententia probabilis esse videatur; Secunda tamen magis probabilis apparet. Animaduertẽdum est, hoc, quod dixi, locum habere in eo, qui verè, & re ipsa est Canonicus, ita vt ius habeat in re, & non solùm ius ad rem: nam si tantùm habeat ius ad beneficium, beneficiarius verè, & re ipsa non est; sed solũ spe, & iure, quod ad Beneficium habet.

Quintò quæritur, An qui beneficium impetrat à Romano Pontifice, cuius auctoritate omnes beneficij fructus alteri reseruãtur, debeat Diuinum officium persoluere. Duplex est opinio, Vna, quæ negat, quam sequi videntur Paludanus *in 4. d. 15. q. 5. art. 5.* Caiet. *in sum. verbo Horæ Canonicæ.* Sot. *lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 3.* Turrecrem. *cap. Clericus d. 91. q. 14.* Nauarr. *de oration. cap. 7. num. 28.* Syluest. *hora q. 2.* Ratio eorum hęc est, primùm, quia qui non percipit cõmodum, nec debet onus sustinere. Deinde, quia per huiusmodi beneficiarium non stat, quominus ex tali beneficio fructus sibi percipiat: quoniam eum Romanus Pontifex beneficij fructibus priuat, cum eos alteri reseruet.

Secũda opinio quę affirmat oportere eũ pẽsum horarum Canonicarũ persoluere, est opinio Medinæ *de oratione qu. 7.* quam probat ille in primis, quia verè beneficij ius, & titulum habet. Deinde, hic beneficiarius propria voluntate beneficium

accepit,

accepit, & acceptam ratamque habuit reseruationem fructuum Romani Pontificis auctoritate factam, sibi igitur imputet, quòd solùm beneficij titulum habeat, nam perinde est, ac si sponte sua beneficij fructus ipse in alterũ transtulisset: perinde itidem est, ac si progressu temporis ipsius consensu fructus beneficij alteri tribuantur. Ledesmius *in quarta parte secunda quæstione 16. artic. quarto, dub. 5.* & Cordub. *in suis casibus in casu 186.* Arag. *secunda secundæ, quæstione 83. articulo duodecimo*, ita distinguunt, vt ambas conciliet opiniones: aut hic Clericus auctoritate, & iussu Pontificis beneficium susciperе cogitur, aut secus: Si primum, non adigitur septem Horarum preces Canonicas recitare, & sic, inquiunt, vera est prima opinio: quoniam tunc non sponte sua fructibus beneficij caret: si secundùm, tunc, inquiunt, iure compellitur officium Diuinum persoluere, eò quòd voluntate sua in beneficij impetrationem, & adeptionem consentit, ac proinde se subijcit oneri, quod scit Pontificis Romani auctoritate constitui, & imponi, & sic verior est, aiunt, secunda sententia, & ea præcipuè locum habet in eo, qui licet fructus ex beneficio non capiat; habet tamen distributiones quotidianas, quas vocãt, ex eò quòd præsens adsit in choro, dum officia diuina fiunt.

Mihi quidem, vtraque opinio videtur probabilitatem habere, præsertim cum Doctorum testimonio fulciatur: sed Secunda, quippe quæ cum veritate magis cõgruere videtur, mihi magis placet ob rationes propositas.

Sextò quæritur, An præceptum sit beneficiario de Horarijs precibus recitandis ratione tituli, vel iuris, quod in ipso Clericus habet, an verò ratione fructuum, quos ex ipso Clericus acquirit? Auctores passim sentire videntur, Clericum ad Horarias preces Canonicas adstringi, ratione tituli, & iuris, quod habet in beneficio; quoniam eo ipso, quod est beneficiarius, dominum, vel quasi dominium beneficij habet; locum item in choro, & suffragium in collegio Clericorum, certum itidem honoris gradum in Ecclesia, multus denique alijs priuilegijs gaudet, & variis de causis solet beneficij fructibus spoliari, & nihilominus lege precationum recitandarum tenetur obstrictus. Quibusdam verò videtur, beneficiarium ad officium Diuinum persoluendum solum ratione fructuum compelli: quia alioqui, inquiũt, si per vim, iniuriamue impediretur, quominus, vel beneficij possessionem adipiscatur, vel fructus acquirat, Horarum preces canonicas recitare deberet.

Vna est omnium opinio; quotiescunque beneficiarij consensu per alium beneficij fructus percipiuntur, oportere ipsum Horarum Canonicarum pensum persoluere: ratio est, quia quamuis per se fructus minimè percipiat, per alium tamẽ percipit, vt si beneficiarij parentes, fratres, propinqui, familiares, vel amici ipso annuente percipiant: quod fieri quotidie videmus. Certi itidem iuris est, quoties per beneficiarium stat, quominus fructus ex suo beneficio percipiat, eum iure adstringi ad Horarum preces Canonicas recitandas: vt si beneficij possessionem sua culpa non capiat, aut sua voluntate in irregularitatem incurrat, vel ob delictum suum excommunicatione, suspensione, vel interdicto feriatur, vel si sponte sua in Ecclesia non commoretur, & residеat, aut Ecclesiæ nõ seruiat, cum cõmodè possit; & ob id, vel ob aliud crimen, beneficij fructibus priuatur. Illud etiam nemo negat, beneficiarium debere horarias preces canonicas recitare, si distributiones quotidianas beneficiarijs dari solitas acquirat, tametsi beneficij fructus non percipiat. Distinguuntur enim sæpè beneficij fructus à distributionibus: vbi ergo est huiusmodi distinctio, solæ distributiones quotidianæ sufficiunt. Compertum quoque est, quoties per beneficiariũ minimè stat, quo minus sibi fructus acquirat, tunc eum solutum, ac liberum esse à lege, & præcepto de Horarijs precibus perorandis, vt si per vim beneficiarius suo beneficio spolietur, quod contingit in prouincijs Hæreticorum, qui beneficia Clericorum inuadunt, & occupant. Item, si per Reges, & Principes, qui suum quod habent, ius Patronatus defendere, & tueri contendunt, Clerici impediuntur, & arcẽtur à beneficiorum, ad quæ sunt electi, possessione acquirẽda. Postremò, his omnibus exceptis, beneficiarius ratione iuris, & tituli in beneficio acquisiti Horarias preces Canonicas recitare compellitur, quando ratione tituli habet suffragium in collegio Canonicorum, & sedem in Choro, & certum honoris locum seu gradũ in templo, & fructus expectat, quos tempore debito percipiet.

Septimò quæritur, An Beneficiarius officium Diuinum persoluere debeat à die collati sibi beneficij, an verò à die possessionis obtentæ? Respondet, Nauarr. *in tractat. de ora. capite septimo, numero 29.* à die collati beneficij: quoniam ab eo die incipit beneficij ius, & titulum habere, & per collationem, vt vocant, fit Clericus quasi Dominus beneficij. Ex eo item tempore etiã antequam apprehendat possessionem, debentur Clerico beneficij fructus, & cum possessionem nanciscitur, & capit, beneficiarius percipit fructus non solùm præsentes; sed præteritos à die collati sibi beneficij. Collationem verò beneficij accipimus in præsentia, vt rata habetur à Clerico, cui beneficium datur: nam antequam in collationem Clericus consentiat, minimè ius in beneficio acquirit, quamuis Episcopus, qui confert, à collatione recedere iure nequeat, cum consensum Clerici, cui dat beneficium, expectare debeat, *cap. Si tibi absenti. de præben. in sexto.* At Flaminius Parisiens. *libr. 3. de resignat. beneficiorum. quæst. 9. numer. 15.* censet non nisi à die possessionis apprehensæ beneficiarium debere preces Horarias recitare, & ait id esse vsu receptum in curia Romana, & id docere Nauarrum *in consil. 17. de celebrat. Missa.* Cæterùm id ibi Nauarrus non dicit, sed solum ait beneficiarium eiusmodi lege non teneri ratione tituli, si nullos percipit fructus, nec expectat, nec sperat se eos percepturum. Si verò curiæ Romanæ stylus, & mos id habet, tuta cõscientia beneficiarius eum seruare potest. Et certè sæpè cõtingit, vt quis beneficium impetret, & ob tineat, & deinde, cum per se, vel per alium possessionem nanciscі contendit, videt se nihil impetrasse, aut quia beneficium non vacabat, aut quia alius ante impetrauerat, aut multis alijs de causis. Et ideo probabilis est Flaminij Parisiensis sententia.

Octauò

Octauò quæritur, Quid dicendum sit de eo, cui beneficium confertur Romani Pontificis auctoritate, qui cum idoneus non sit ad seruiendum Ecclesiæ, quòd legitima ætate, ordine, literatura debita, vel natalibus careat, per alterum seruire compellitur; & ideo vel nullos, vel certè tenues fructus ipse percipit? Respondeo, sine dubio debere pensum Horarum persoluere, cum per ipsum stet, ne fructus percipiat: sibi enim imputare debet, quòd sit ad beneficium electus ætate legitima, aut debito ordine, idonea literatura, vel iustis natalibus carens; nec sufficit si per substitutum sui loco Clericum debitum Ecclesiæ munus expleat, quandoquidem ipse ius, & titulum, & quasi dominium habet beneficij: alteri verò quasi stipendio conducto fructus beneficij redduntur.

Nonò quæritur, An qui de certo aliquo beneficio litigant, debeant Horarias preces Canonicas recitare? Apud omnes certum, & exploratum est eum, qui beneficij possessionem habet, oportere Diuinum Officium persoluere; quoniam ratione possessionis ius habet in beneficio. Deinde, quando auctoritate Iudicis fructus detinentur, apud aliquem sequestrum depositi, is, qui ius habet in beneficio, & sperat se futurum in lite, & causa victorem, debet preces Canonicas recitare: quoniam fructus debentur ipsi, & lata sententia à die contestatæ litis recuperabit. Sic Nauar. *de Orat. ca. 7. nu. 28.* Ledes. *4. part. q. 16. art. 4. dub. 5.* QVAERES, quid dicendum, quando alter litigantium beneficium possidet, & reuera in eo ius non habet, cùm sit in eum per errorem, dolumúe collatum. Respondeo, eum in foro exteriori præter possessionem, quam habet, etiam titulum, licèt non reipsa in speciem tamè habere. Sufficit autem vnà cum possessione titulus in speciem acquisitus: quem titulum non verum, sed coloratum Canonici iuris interpretes appellant. Sed quid si neuter possessionem beneficij nactus sit, & vterque dubius est de iure, & lite, & causa. Respondeo, non esse, cur alterutrum cogamus preces Horarias persoluere: Siquidè neutro in beneficio ius habet. Quid si lis, & causa sit dubia, sed vnus litigantium probabiliter sperat se in causa, & lite victorem futurum. Quidam aiunt eum debere preces Horarias recitare, quia credit, & sperat se futurum in lite superiorem, & fructus percepturum. Alijs probabilius videtur eum nondum lege teneri, quia ius in beneficio non habet: nec opinio, quam animo conceptam habet de victoria, ius illi dat in beneficio: aut cogit eum preces Horarias recitare. Hoc probabilius mihi videtur.

Decimò quæritur, An qui duo beneficia possidet, debeat bis in die Diuinum officium persoluere? Duæ sunt opiniones; quarum vna affirmat, eamque probat Nauarrus, afferens pro se Gulielmum Parisiensem, & Carthusianum, hisque eam firmare nititur argumentis. Primò, qui fert emolumentum, & commodum, ferre quoque debet onus, iuxta Regulam iuris *in cap. Qui sentit, de regulis iuris in 6.* Deinde, quia Beneficium datur ad officium præstandum, *vt constat ex cap. vlti. De rescript. in 6.* Accedit, quod qui æs alienum duobus creditoribus debet, necesse est, vt vtriq; debitum soluat, si vtrique velit satisfacere: sed qui duo beneficia in duabus Ecclesijs habet, preces duobus eorum beneficiorum fundatoribus debet, & duabus pariter Ecclesijs ministrare. Sic enim, qui duabus est Capellanijs præfectus, sacra vtique debita curat facienda: & qui duplici munere, & officio Reipublicæ fungitur, vtrumque per se, vel alterum præstat: & si cui impositum est præceptum de audienda bis re diuina, suo officio, & oneri minimè satisfacit, si semel tantùm audiat, non bis. Sic Nauarr. *Miscellan. 60. de orat. num. 2. 3. & 4.* Et loquitur de eo, qui habet contra, siue præter ius duo beneficia, non de eo, qui legitima Superioris, & legis auctoritate plura possidet. Idem senserunt Gulielmus Parisiensis *in tractat. de collat. beneficiorum*, & Carthusian. *in libro contra pluralitat. benefic. artic.* Secunda opinio negat, quam re vera sequuntur Paludanus *4. d. 15. quæst. 5. artic. 1.* Turrecrem. *in cap. 1. d. 91. quæst. 13.* Maior. *4. dist. 12. quæst. 6.* Ioannes Lignanus, *de Horis Canonicis, qu. 9.* & quod plus est, S. Thomas *quodlib. 1. art. 13.* Paludanus enim, quem Turrecremata, & Maior sequuntur, distinguit in hunc modum: Aut Clericus duo beneficia legitimo iure possidet, videlicet legitima Iuris, aut Romani Pontificis auctoritate, & indulgentia: aut contra fas, & ius possidet, & hoc dupliciter, aut vtrumq; contra iura, aut vnum contra fas omne, & ius, & alterum debitè, & iustè. Si vtrumq; iure possidet, tunc ratione vtriusque debet Diuinum officium persoluere, sed non bis, quoniam si semel tantùm persoluat, vtrique Ecclesiæ, suoque muneri satisfacit, vnus enim sustinet aliquando duorum labores, & fungitur munere, & officio duorum. Item, vno, eodemque opere duo interdum præcepta, immo etiam tria possumus implere: Vt Religiosus, qui ieiunium seruat ab Ecclesia, & Regula Religionis indictum, & voto susceptum, atq; promissum. Si verò duo beneficia quis habeat, eaque contra ius, debet vtrumque deponere. Vnde quamuis semel, aut bis Diuinum officium persoluat, sibi beneficij fructus minimè acquirit, eosque debet restituere, quia absque beneficij titulo sibi percipit, ac retinet, ac si quid etiam damni Ecclesia patitur, id totum compensare debes; vt si Ecclesiam debito obsequio, & ministerio priuauit. Quòd si vnum beneficium iure tenet, alterum contra ius, illud, quod præter ius habet, debet dimittere, cuius fructus minimè suos facit, siue semel tantùm, siue bis Horarias preces Canonicas recitauerit, & omne damnum Ecclesiæ illatum, cuius beneficium præter, aut contra ius possidet, debet resarcire. Hæc ex Paludano, Turrecremata, & Maiore.

Illud verò quæritur, An si Romani Pontificis indulgentia, duo quis simul habeat beneficia, ita vt eiusmodi Pontificis indulgentia, & Iuris relaxatio, in foro quidem Ecclesiæ valeat, non tamen coram Deo, suo officio satisfaciat, & fructus ex vtroque beneficio tuta conscientia percipiat, etiam si Horarias preces semel tantùm singulis diebus recitet. Prædicti auctores respondent, in foro Ecclesiæ talem Clericum suo muneri satisfacere, si semel quotidie preces Canonicas reciter, non tamen coram Deo. Ecclesia enim cum lege sua Clericum soluat, liberat à pœnis Iuris, sed non ab ijs, quæ iure diuino, ac naturali debentur. Sentiũt nimirum ij auctores, oportere beneficiarium, non solùm iure Canonico, sed etiam naturali, &

rali, & diuino preces Horarias ob beneficiũ persoluere, aut saltem id aliqua ratione compensare, ne eum, qui Ecclesiam fundauit, dotauit, vel extruxit, debito fructu defraudet. Cæterùm si hic beneficiarius damnum, si quod Ecclesia sustinet, resarciat, nullos fructus, quos ex vtroque beneficio percepit, restituere iure compellitur: quandoquidem preces Horarias, quamuis semel tantùm recitauit. Neque enim, vt statim dicam, Horarias preces Canonicas naturali, aut diuino iure recitare debet, aut fructus restituere, etiamsi eas prætermittat: tametsi Ecclesiæ, cui ratione beneficij deputatur, inseruire iure diuino, & naturali cogatur.

Ad obiecta verò in principio respondeo, aliud ius esse in eo, qui duobus creditoribus debet, vel qui duabus Cappellanijs præficitur, vel qui bis rem diuinam audire debet: Cogitur enim vtrique oneri satisfacere. At verò, qui duobus est beneficijs præfectus, quamuis ratione vtriusque Diuinum officium iure persoluere debeat, non cogitur tamẽ bis preces Canonicas recitare, sicut qui duplici præcepto quippiam facere compellitur, vna, eademque actione vtrique satisfacere potest ac solet. Dubitet quispiam, an is, cui Confessarius præcepit, vt audiat duo sacra, faciat satis, si ex vno loco commodè duo simul audiat. Deinde, an is, cui iussu alterius cõstitutum est, vt quinq; templi, siue ædis sacræ altaria inuisat quinquies orationem dominicam recitãdo, debitum soluat, & expleat, si ex eodem loco ad quinq; altaria quinquies recitet Orationem dominicam. Et vtrum is, qui duos, vel plures precarios globulos habet Pontificia auctoritate sacratos; debeat totidem preces fundere quot globulos sacros habet, quorum singuli eo sunt Pontificiæ indulgentiæ beneficio donati, vt qui semel precationem dominicam, & salutationem Angelicã peroranerit, peccatorum remissionem obtineat. Ad primum, & secundum respõdeo, eum satisfacere, si ex eodem loco duo sacra simul commodè audiat: nisi Confessarius aliud expresserit: aut coram quinq; altaribus precationem dominicam quinquies recitet. Ad tertium respondeo, peccatorum remissionem obtineri; dummodo bis Oratio dominica, vna cum salutatione Angelica peroretur. Nam pro numero sacrorum globulorum fundi precatio dominica debet.

Vndecimò quæritur, An Beneficiarius, qui legitima auctoritate, videlicet Episcopi, ratione literarij studij, vel iusta alia de causa, absens est ab Ecclesia; ei tamen commodè per alterum in sui locum suffectum inseruit, liber prorsus sit à lege, & præcepto precum Canonicarum recitandarũ, si Clericus substitutus nomine ipsius eas recitet? Quidam, teste Panormitano *in cap. 1. de celebrat. Missarum*, senserunt esse liberum, dummodo sit Clericus solùm minoribus Ordinibus initiatus. Quod probare contendunt ex eo, quòd habetur *in cap. Peruenit. 2. de appellat. & cap. Cum ex eo, de electio. in sexto*. Archidia. *in cap. Eleutherius. dist. 91.* ait: Abbatem, & Petrum senssse Clericum Beneficiarium, qui legitimè abest ab Ecclesia ratione studij literarij, si substituat alium, qui officium faciat nomine ipsius in Ecclesia, non cogi preces Horaris recitare: quod, inquit Archidiaconus Theologi nõ admittunt. At multò verius est, quod docuerunt Ioan. Andreas, Ioan. Lignanus, Albertus, Probus, Turrecremata *in cap. Eleutherius, dist. 91. q. 6.* Et videtur colligi ex S. Thoma *quodlib. 6. qu. 8.* & Henrico *quodlib. 15. q. 12.* Et ipse Panormita. tradit, huiusmodi Beneficiarium ad preces Canonicas recitandas adstringi, quoniam cum absit ab Ecclesia, iusta ex causa, eo ipso, liber est à lege, & præcepto per seipsum Ecclesiæ inseruiendi, nõ tamen à præcepto preces Canonicas recitandi. Subijcit tamen Ioannes Andreas, rationi consentaneum sibi videri, si Ecclesia decerneret vti beneficiarij sacris Ordinibus non initiati, nec animarum curæ præfecti, essent liberi, & soluti à lege, & præcepto de precibus Canonicis recitandis, ratione studij literarij, si per Vicarium aliquem suis Ecclesijs inseruiant: quod consilium Panormitanus approbauit.

Duodecimò quæritur, An is, qui receptus est in numerum Canonicorum, sed nondum Canonicatum adeptus est, adepturus primum, vel secundum, vel tertium, qui vacauerit, preces Horarias recitare cogatur? Respondet Palud. *in 4. dist. in. 15. quæst. 5. artic. 1.* cogi, si eo ipso, quod est, vt Canonicus admissus, habet suffragium in collegio Canonicorum, & sedem in choro: & locum in publicis supplicationibus, item si percipit distributiones quotidianas, vt vocant, licèt nõ percipiat fructus. Reuera debet recitare, si ius in Canonicatu habet, non tamen si ius solùm ad Canonicatum habet. Is enim nondum est Canonicus, sicut non est Beneficiarius is, quem Patronus nominat, & offert, donec legitimè sit institutus: quia ius ad Beneficium, non est Beneficium.

Decimotertiò quæritur, Quo iure beneficiarius Horarias preces Canonicas recitare cogatur. Communis esse videtur Canonici iuris interpretum sententia, eum ad id diuino, & naturali iure, hoc est, iustitiæ lege, non Canonico solo iure compelli. Sic sentiunt Abbas, Zabarella, Turrecremata, Antonius, Ancharanus, *partim in cap. Dolentes, de celebr. Missar. partim in cap. 1. dist. 91.* Angel. *hora. num. 6.* Rosella *Hora. nu. 13.* Tabien. *Hora. q. 15.* Armill. *Hora. nu. 11.* & Nauar. *de orat. cap. 7. num. 3.* eo argumẽto permoti, quod Laici, primitias, decimas, ac cæteras oblationes Ecclesijs dederint, vt Clerici Deum pro ipsis precarentur. Deinde, quia beneficium propter officium confertur, *cap. vltim. de rescript. in sexto*. Insuper, qui ex altari viuit, altari inseruire debet, sicut è contrario Apostolus ait: *Qui altari inseruit, de altari viuit*; ergo beneficium non est virtutis præmium, sed laboris merces, & operç stipendium; ac proinde ei, qui non laborat, merces minimè debetur. Sylvest. tamen *Hora. q. 8. dicto. 9.* docet Beneficiarios solo Ecclesiæ præcepto ad Diuinũ officium persoluendum adstringi.

Animaduertendum est, Abbatem, & cæteros, quos ante citaui, contendere, iuris esse diuini, vt saltem preces Canonicas Clerici persoluãt, quia Scriptura dicit: *Septies in die laudem dixi tibi.* Beneficiarius item, ratione, & lege iustitiæ, quia ex beneficio fructus percipit, debet, inquiunt, pro Ecclesia precari. Sed profectò, vt superius vidimus, id non verè, nec aptè ex eo Scripturæ loco deducunt. Deinde, eo ipso, quòd Clericus ratione beneficij certæ Ecclesiæ deputatur; debet quidem *Psalm. 118.*

ipsi inseruire, ac ministrare per se, vel per alium; non tamen continuò fit, vt preces Horarias recitare cogatur: satis enim est, si eo modo, & ratione, Ecclesiæ seruiat, quam beneficij institutio postulat. Porrò beneficia, quæ sunt instituta, interdum exigunt, vt Beneficiarius per se ipsum Ecclesiæ inseruiat, interdum vt per alium id faciat. Quæstionis tamen est dubiæ, an aliqua sint beneficia, quę nullum Clerici in Ecclesia ministerium requirant. Item, an Clerici, qui ea habent cogantur iure naturali preces Horarias recitare, vt satisfaciant ijs, qui eiusmodi beneficiorum reditus reliquerunt, siquidem nullum aliud officium obire, & exequi compelluntur. De primo, equidem communis opinio negare videtur vllum tale beneficium reperiri. At in Hispania videm⁹ esse beneficia, quę Prę stimonia, vel Præstimoniales portiones vocantur, quæ nec exigunt, vt Clerici in Ecclesijs assiduè commorentur; nec vt absentes aliquem in sui locum substituant, qui seruiat Ecclesiæ. De secundo, auctores, quos paulò ante citaui, aperte docent huiusmodi Beneficiarios lege naturali compelli ad diuinum officium persoluendum, vel saltem ad aliquas preces recitandas. Certè legi naturali satisfaciunt, si qualescunque preces ad Deum pro fundatoribus beneficiorum fundant.

Cap. V.

Clericos sacris Ordinibus initiatos ad preces Horarias recitandas, communi iure compelli.

PRIMO queritur, An ex Iure Canonico colligatur, Clericos ad sacros Ordines promotos oportere Diuinum officium persoluere? Nam, vt Glossa refert *in cap. vlt. d. 92.* quidam dixerunt, Beneficiarios quidem iure ipso cogi preces Horarias recitare, sed non alios, qui nomine, & ratione sui patrimonij sunt ordinibus initiati. Canonici iuris interpretes communi consensu cum Glossa oppositum colligunt *ex cap. Presbyter, dist. 91.* vbi ex Concilio Agathensi habetur, *Presbyterum septem Horas Canonicas perorare debere*: quod idem statuitur *in cap. 1. de celebrat. Missar.* Item *in c. Si quis Presbyter, dist. 92.* vbi decernitur: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet alius Clericus Ecclesiæ deputatus in quolibet loco fuerit, in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi officium matutinis, vel vespertinis ad Ecclesiam non conuenerit, deponatur à Clero.* Verùm obijciunt quidam, ex his Decretis non colligi id, quod volumus. Nam *in cap. Si quis Presbyter*, solùm habetur, Presbyterum, Diaconum, vel Clericum certæ Ecclesiæ deputatum, preces Canonicas recitare debere; quod perinde est, ac si diceretur, beneficiarios tantùm Clericos ea lege teneri. Deinde *in cap. Presbyter, dist. 91.* solùm sancitum est, vt Presbyteri eam legē obseruent: Vbi nulla est facta Diaconorum, & Subdiaconorum mentio. Panormitan⁹, Glossa, & alij Canonici iuris interpretes sentiunt, *in cap. Presbyter*, nomine Presbyteri contineri, quotquot sunt sacris ordinibus initiati; quod probant ex c. *Si quis, de cohabitatione Clericorum, & mulier.* Vbi habetur in hunc modum: *Si quis consacerdotum, id est, Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus de quacunque fœmina crimine fornicationis suspectus. Et c. 1. 15. q. 5.* Vbi Diaconus quidam, cuius crimen erat ad iudicium delatum, Sacerdos appellatur. Ergo appellatione Sacerdotis in ijs, quæ ad fauorem, & beneficium spectant, late accipiuntur etiam Diaconi, & Subdiaconi in sacris Ordinibus constituti; quamuis in pœnis, & odijs nō item. At enim hæc non efficaciter concludunt: quoniam etsi Sacerdotis nomine, Canones, & Iura interdū accipiant Diaconos, & Subdiaconos, licet presbyteri non sint, sed certè si tantùm nominis etymologiā spectem⁹, is, qui sacra dat, Sacerdos dici potest, quod in Diaconos, & Subdiaconos quadrat: Cæterùm appellatione Presbyterorum in Iure nō veniunt Diaconi, & Subdiaconi. Vnde Nauarrus *tract. de Oratione, ca. 7. nu. 2.* planè testatur nullum extare in Iure Canonico decretum, quo præcipiatur Diaconis, & Subdiaconis, vt Officium Diuinum persoluant, id enim licèt de Sacerdotibus generatim constitueretur, dicere meritò possemus, Sacerdotes accipi prelsè, & strictè, non latè, & amplè. *Ex quo fit*, inquit Nauarrus in eodem tract. de oratione, cap. 7. nu. 2. *vt Diaconi, & Subdiaconi generali totius Ecclesiæ consuetudine, eadem lege teneantur, qua Presbyteri, & Clerici beneficiarij: consuetudo enim vim legis habet moribus vtentium recepta.*

Secundò quæritur, An Clerici ad minores ordines electi, eadē lege alligentur, qua Diaconi, & Subdiaconi? Gloss. *in c. Si quis Presbyter, paulò ante citato*, videtur affirmare; nec dissentiunt Innocent. Hostiens. Ioan. Andr. & Panormit. *in c. 1. de celebra. Missæ.* Censent enim, iure quidem cōmuni eos cogi Diuinum officium persoluere, sed quia consuetudo hoc ius abrogauit, liberos esse à præcepto preces Canonicas recitandi: quamuis Panormitanus subijciat, consuetudine eos à Iure Canonico exci pi, sed non à Iure diuino: nam eo ipso, quod sunt Clerici delecti, ad sortē, & hæreditatem Domini vocantur, & sunt à Laicis omnino discreti, & Ecclesiæ priuilegijs gaudēt, & eisdē munerib⁹ potiuntur; & idcirco Diuinū officiū eis est persoluendū. Sed profectò Panormitanus nullo firmo conficit argumēto id, quod cōtendit. Nam Clerici nō nisi iure Pōtificio Horarias preces Canonicas recitare debent; quod si iuris Diuini esset, vt huiusmodi preces perorarent, nequaquam consuetudine introductum esset, vt ab eo onere liberi essent & immunes. Nec quia ad Clericorū gradus quis euehitur, officiū Diuinū persoluere debet: ex nimirū satis est, si debito Clerici officio, & munere fungatur inseruiens Ecclesiæ. SIROGES, an ea præcisè ratione, qua quis creatus est Clericus, aliquas alias preces debeat ad Deū fundere? Sunt, qui id affirment, nec tamē certas, ac statas preces constituunt. Alij verò definiunt, & determinant eas, dicentes huiusmodi Clericos, si quatuor Minoribus sint Ordinibus initiati, debere quotidie recitare quindecim Psalmos, qui cōstituūt, quod vocant Canticum graduum, aut septem Pœnitentium Psalmos, aut Paruum B. Virgini consecratum Officium. Si verò prima tantùm Clerici tonsura insigniti sint, ab eis quotidie Psalmum quinquagesimum, cuius initium est, Miserere mei Deus, esse recitandum. Ad quod probandum, hanc illi rationem afferunt: quia Clericus, inquiunt, necesse est, vt sit grato animo erga Ecclesiam, quæ eum ad Clericorum gradum, &

honorem

honorem prouexit: grati enim esse debemus ijs, qui in nos beneficia contulerunt. At Sotus *libr.10. de iust.q.5.art.3.* & Medina *tract. de oratione, q.7.* manifestè negant tali eos iure, & lege teneri: nam gratias ijs, qui bene de nobis sunt meriti, multis alijs modis, si volumꝰ, & habere, & referre possumus: neq; enim ius naturale, vel diuinum certum modum, & rationem hac in parte præscribit. Immò addit Sotus, Episcopum non posse iure eos ad id obligare.

Tertiò quæritur, An saltem consuetudine tales Clerici adigantur ad preces aliquas quotidie fundendas? Sotus negat vllam esse huiusmodi consuetudinem. Medina tamen *loco citat.* Nauar. *de orat. c.7.nu.13.* Ledesm. *in 4.p.2.q.16.art.4.dub.6.* quique hos præcessit Palud. *in 4.dist.15.q.5.a.1.* docent, vbi fuerit vsu recepta talis cõsuetudo, eam ab huiusmodi Clericis seruari debere: nam sicut iure Canonico potest constitui, vt tales preces recitare cõgantur; sic etiam consuetudine introduci poterit. & hæc videtur magis probanda sententia.

Quartò quæritur, An Episcopi, qui Clericos ad quatuor Minores Ordines, vel ad primam Tonsuram promouent, possint eis hoc onus imponere, vt preces aliquas quotidie recitare debeant? Sunt, qui id affirment, Sotus, vt dixi, planè negat. Sed certè vbi est consuetudo eas preces recitandi, Episcopi suo officio, & munere funguntur præcipiendo, vt eam seruent: Vbi verò non extat, meritò ambigi potest, an fas sit Episcopis, id oneris, quos dixi, Clericis iniungere. Negat Sotus, sed affirmat Nauarrus *loco citato.* Meo iudicio, si Episcopus solùm præciperet, vti semel tantùm, vel bis, terue certos aliquos Psalmos, vel precationes recitarent, præceptum vim, & locum haberet tanquam de re bona, honesta, nec difficili, & graui datum: at si præcipiat, vt quotidie recitent; graue tunc onus imponet, & difficile præceptum dabit, quod proinde Clericos minimè tenebit.

Quinto quæritur, An si Romanus Pontifex cõcedat, vt aliquis Subdiaconus vxorem ducat, hoc ipso, cum soluat lege Horarias preces Canonicas recitandi. Item, quid sit dicendum, si fingamus Titium matrimonium ratum cum Catharina contraxisse; & deinde clam ad Diaconi, aut Subdiaconi ordinem, & gradum esse promotum, quem Canonum iure, & auctoritate ab ordinis officio, & munere deiectum Summus Pontifex ad suam vxorem accedere compellit: Quæritur, an eo ipso liber sit ab Horarum Canonicarum penso? Respondeo, minimè: nam Græci Sacerdotes matrimonio iunctι, & tamen Diuinum Officium præstare coguntur. Deinde, qui Principis beneficio ab vna aliqua lege soluitur, nõ continuò soluitur ab alia, & ab vno vinculo solutus, non soluitur ab alijs: & relaxatio iuris communis beneficio Principis facta, non amplè, sed strictè est interpretanda. Nihilominus tamẽ iusta subest causa, qua Romanus Pontifex huiusmodi Diaconum, vel Subdiaconum soluat lege preces Canonicas recitandi, eo quòd difficile, & graue sit onus Clerico rei familiari, & vxoriæ vacanti.

Sextò quæritur, An Clerici, siue Beneficiarij, siue sacris Ordinibus initiati, debeant Diuinum Officium persoluere, si fuerint excõmunicatione, interdicto, suspensione, seu irregularitate affecti, vel omni Clericorum officio, & ministerio priuati, vel etiam ab omni Clericorum gradu, & loco deiecti? Respondeo, ex communi omnium sententia, vt testatur Syluest. *Hora quæst.3.* eos omnes adhuc lege, & præcepto recitandi preces Canonicas teneri: quoniam culpa sua in eas pœnas inciderunt. Idem iuris est in eo, qui per sententiam Iudicis fuerit ad triremes damnatus, aut à Turcis captus in triremes coniectus, & remigandi ministerio addictus.

Caput VI.

De Religiosis ad Diuinum Officium persoluendum adstrictis.

PRIMO quæritur, Quinam Religiosi preces Canonicas recitare debeant? Constans est omnium opinio, Religiosos certum aliquem Ordinem regularem Ecclesiæ auctoritate approbatum professos, & ad chorum, & cantum in eo deputatos, debere Horarias preces Canonicas recitare, tametsi ad nullum Ordinem sacrum promoti fuerint. Innocent. Hostiens. Ioan. Andreas, Abbas, & cæteri *in cap.1.de celebrat. Missarum.* Idem iuris est de sanctimonialibus fœminis eodem modo professis, vt expresè tradiderunt Anton. *3.par.tit. 13.capit.4.§.1.* Turrecrem. *in cap.1.distinct.91.quæst.15.* Nauarr. *de orat.cap.7.num.21.* licet alij nihil expresse dixerint.

Secundò quæritur, Quonam iure prædicti Religiosi ad Diuinum Officium adigantur, Canonicò ne, an consuetudine, an vi, & ratione ipsius Religionis, quam profitentur? Caietanus *in summa, verbo, Horæ canonicæ*, negat vllo iure canonico eos ad id compelli: Vnde fatetur eos sola consuetudine vbique recepta cogi preces canonicas recitare. Paludanus *in 4.dist.15.quæst.5.artic.1.* docet, naturali iure hoc eis onus impositum esse, quia ex Christiani populi bonis in eleemosynam acceptis sustentantur, & viuunt; ac proinde debent pro ijs, qui bene de ipsis sunt meriti, precari. Cæterùm probabilior est Caietani sententia: alioquin Nouitij quoq;, & Religiosi omnes nondum professi ea lege tenerentur, cum & ipsi ex bonis Laicorum oblatis, & datis alimenta suscipiant.

Tertiò quæritur, An Nouitij, qui chorũ, & cantum frequentant, persoluere debeant Diuinum officium? Paludanus videtur affirmare, ob id, quod ex eleemosynis viuant, & gaudeant priuilegijs Clericorum. Sed communis est omnium opinio, eos ab hoc onere esse immunes, & liberos: quonium reliqui doctores solùm docẽt hoc præcepto obligari eos, qui sunt religionem professi, & ad chorum, & cantum destinati.

Quartò quæritur, An Religiosi professi, qui Conuersi dicuntur, Horariarum precum lege teneantur? Paludanus, & Antoninus *locis citatis*, id videntur affirmare, & Augustinus Anconitanus, teste Syluest. *Hora.q.2.dicto.7.* quia ex bonis Laicorum viuunt. Sed cæteri communi consensu negant; quoniam, *vt paulò ante dixi*, Religiosi nullo naturali, aut diuino iure coguntur preces Canonicas recitare; sed consuetudine vlu recepta. At consuetudine huiusmodi Religiosi Conuersi ab hoc onere sunt liberi. Et idem iuris est de Sancti-

monialibus religionem professis, quæ conuersæ dicuntur. Ex quo fit, vt Religiosi equites militaris Ordinis instituum, & regulã professi immunes sint à lege, & præcepto preces Canonicas persoluendi. Satis est, si eas preces quotidie fundant, ac recitẽt, quas eorũ Regula præscribit, ac præcipit.

Quintò quæritur, An Religiosus professus, & deputatus ad cantum, & chorum adstrictus sit Horis canonicis, si è Monasterio fugiat? Respondeo, adstrictum esse: quoniam sponte, & vitio suo è Monasterio recedit; & propterea nihil refert, si à choro absit, & aliunde, quàm ex Monasterij bonis sustentetur, cum vtrumque sua culpa contingat. Nauar, *de orat. cap. 7. nu. 19. & 20.*

Sextò quæritur, An Religiosus ob delictum suum per sententiam è Monasterio eiectus, sit ab Horis canonicis liber. Nauarrus *de oratione, cap. 7. numer. 20.* negat eum esse liberum, cum sit adhuc Religiosus, & ipsius vitio factum sit, vt è Monasterio eijceretur. Sotus verò *lib. 10. de iust. quæstion. 5. artic. 3.* videtur contrarium asserere; quoniam Religiosus Horarum canonicarum lege nequaquã simpliciter est adstrictus naturali, aut diuino iure, quatenus talis est, sed consuetudine, quatenus ad chorum deputatus. Sed qui per sententiam expellitur, amplius non est choro addictus: ergo ab Horis canonicis liber est, & immunis. Videtur mihi Nauarri sententia probabilior: neque enim par est, vt quis ex delicto suo commodum reportet. Sed quid dicendum de Religioso, qui est cantui, & choro mancipatus, & per sententiam ad triremes damnatus? Respondet Nauarrus eum etiam lege de Horis canonicis teneri, quoniam culpa sua eam pœnam sustinere, & perferre compellitur. Aliunde tamẽ iustam excusationem habere potest eius oneris; vt si horariarum precationum codice careat; aut si habeat quidem; preces tamen recitare commodè nequeat.

Septimò quæritur, An Religiosus si cum fuerit destinatus ad chorum, ad Conuersorum Ordinem transferatur, superiorum iussu, & auctoritate, ab Horarum canonicarum penso, & lege eximatur? Sotus *loco citato* affirmat, & inde probat: quoniam ea lex dicta non oritur, aut manat ex vi, & natura Religionis, sed ex consuetudine, & ex eo, quòd Religiosus deputatur ad chorum: ergo qui legitima Superioris auctoritate liberatur penitus à choro, eo ipso, à lege Horarum canonicarum solutus censetur. Deinde, Beneficiarius, si beneficium deponat, ac sacris Ordinibus non sit initiatus, ab eodem onere excipitur: ergo similiter Religiosus, qui à choro diuellitur, ab eodem onere liberatur: atque hæc sententia videtur esse satis probabilis. Ex quo fit, vt Religiosus ad triremes damnatus, vel è Monasterio per sententiam eiectus, liberari queat ab Horarum canonicarum pensio, si auctoritate Superioris remoueatur ab eo statu, quo erat ad chorum deputatus, & ad statum reliquorum Conuersorum transferatur, eo quòd sit Religiosus sacris Ordinibus carens.

Octauò queritur, An eiusmodi Religiosus Romani Pontificis auctoritate, & beneficio extra Monasterium viuens, lege Diuinum Officiũ persoluendi teneatur? Nauarrus affirmat, ea conditione, si à tribus Religionis votis solutus non sit. Contrà alij distinguunt: Aut in perpetuum extra Monasterium viuere permittitur, aut ad tempus solùm: Si primum, eximitur ab onere prædicto, quoniam eo ipso, liberatur à choro, ratione cuius consuetudine, & vsu eiusmodi onus existit: at si secundum, minimè, quia non est à choro, & cantu in perpetuum liber. Et hæc mihi videtur verior sententia.

Caput VII.

De Horarijs precibus Canonicis integrè, & perfectè recitandis.

PRIMO quæritur, An precationum canonicarum omissio lethali peccato conscientiam cõmaculet eius, qui eas preces prætermittit? Quidam senserunt, commaculare quidem, si per contemptum, vel cum aliorum offensione, vel ex consuetudine omittantur; secus verò non item: etiamsi earum omissio fit cũ negligentia coniuncta: tunc enim, inquiunt, venialis noxa, nõ lethalis contrahitur. Sic Angel. *in verb. Hora. n. 10.* censet enim legem de recitandis priuatim precibus Horarijs conscientias clericorum leuiter, non grauiter obstringere. Cæterùm cõmunis est Canonici iuris interpretum, & Summistarum opinio, culpam lethalem cõmitti; tametsi Diuinum officiũ absq; cõtemptu, per solã negligentiam, sine iusta causa omittatur, cùm alioqui recitari commodè posset. Nam siue ratione Canonicæ legis, siue consuetudinis, eas quis recitare debeat, præceptum est de re graui; ac propterea minimè sine causa iusta prætermittendum: alioqui culpa lethalis contrahitur ab eo, qui omittit sine iusta, & debita causa. Sic Nauar. *de orat. cap. 7. nu. 1.* vbi citat Henricum, Paludanum, Turrecrematam, Caietanum, Syluestrum, & alios.

Secundò quæritur, An lethaliter peccet, qui vnius tantùm Horę officium integrum omittit, videlicet Primæ, aut Tertiæ, aut Sextæ, aut Nonæ? Respondet Nauar. *loco citato*, ex cõmuni sententia, eum lethale peccatum admittere, si citra causam legitimã omittat: quoniam quælibet Hora Officij Diuini, pars nõ modica, sed notabilis habetur.

Tertiò quæritur, An qui vnius Horæ vnũ Psalmum scienter prætermittit, in lethale peccatum incurrat? Respondet Nauarrus *de oratione, cap. 7. nu. 44.* eum, qui omittit vnius Horæ vnã partem notabilem, lethali se peccato obstringere: & hæc est communis omnium sententia. Verùm meritò quærat aliquis quænam sit pars notabilis cuiusq; Horæ? Respondet idem Nauarrus, in Prima, Tertia, Sexta, Nona, notabilem partem omitti, si totum principium vna cũ Psalmo negligatur. Sed respondet Antoninus, quem refert ipse Nauarrus, singularum Horarum partem notabilem omitti, cum tertia pars prætermittitur: nam quantumcunque sit certum aliquod totum, siue magnum, siue exiguum, & tenue, pars eius notabilis censetur tertia. Verùm licèt tertia pars in quolibet toto sit notabilis, negari tamen non potest, etiam partem minorem tertia, esse notabilem, quando totum aliquod est magnum. Exempli gratia Dies festus constat viginti quatuor horis à media nocte, vsque ad alteram mediam noctem, tertia pars est octo horarum, certè si quis in die festo per quinque, aut quatuor horas opus seruile

fecisset,

fecisset, notabiliter, siue grauiter peccasset. Et qui trecentos aureos debet, non solùm grauiter peccat, si centum non soluat, sed etiam si triginta, aut viginti deneget, ac sibi retineat.

Quartò quæritur, An qui per totum diem omnium septem canonicarum Horarum officium absque legitima causa prætermittit, septies peccet, an semel tantummodo? Duæ sunt opiniones. Prima docet septem esse omissiones, ac proinde septem peccata re distincta: quemadmodum si quis quadragenarium ieiunium, quod proximè ante Pascha seruatur, negligeret, tot peccata cõmitteret, quot sunt eius ieiunij dies. Sic etiam, quia septies in die orare quis debet, septies peccat, septem Horas, aut tempora orationi destinata negligens. Sic Tabienſ. *in verbo, Hora. quæſt.* 18. Secunda opinio tradit, vnum tantùm peccatum admitti in omittendo septem Horarum officio: grauius tamen, quàm si pauciores Horæ prætermitterentur: Atque hæc est communi consensu recepta sententia. Sic Nauarr. *de oration. capit. 7. numer. 6.* vbi citat Turrecrematam, Zabarellam, Archidiaconum, Antoninum. Sic Rosell. *supplementum* Pisan. vt refert Sylueſt. *Hora. quæſtion. 12. dicto. 6.* Præcipuum huius quæstionis caput eo nititur, An omnes septem preces Horariæ vnum Clerici ministerium, obsequium, & officium constituant, ita vt quælibet Hora illius totius Officij pars habeatur, an verò sint septem inter se diuersæ precationes, quasi septem Officia, septem diei distinctis temporibus à Clerico persoluenda. Prima opinio, septem Officia esse censet. At communis opinio vnum tantùm vult esse Officium, quotidie præstandum à Clerico, ex septem partibus constans: quæ sententia meo iudicio, ad veritatem magis accedit. Si quis igitur septem canonicas Horas die vno prætermittat, in vnum tantùm peccatum incurrit, quoniam vnum integrum quotidianum Officium negligit. Qui tamen per mensem, vel hebdomadam, vel annum Officium Diuinum omiserit, tot peccata perpetrat, quot sunt dies, in quibus Diuinum Officium prætermittit; siquidem dierum illorum Officia, non vnum totum Officium constituunt.

Animaduertendum est, non esse idem iuris de omissione Diuini Officij, quod de actu voluntatis interno, quo quis sæpius per diem secum statuit canonicas preces omittere. Voluntas enim omittendi sæpius repetitur, dum sæpius confirmatur, vt quidam existimant, aut saltem dum sæpius intermissa renocatur, vel sæpius interrupta renouatur. At omissio Officij septem Horarum per diem minimè iteratur; sed vna tantùm existit. Nec in præsentia sermo est de eo, qui sciens vnius Horæ officium omittit, cum tamen decernat in Horis cæteris orare; & deinde appetente tempore, quo in alia Hora persoluere Diuinum officium deberet, id quoque tunc temporis scienter omittit: hic enim proculdubio bis peccauit, quoniam quælibet omissio per se in vitio fuit, & culpa. Cum igitur communis opinio docet, in septem Horarum officio omittendo vnum tantùm peccatum admitti, locum habet in eo, qui vna voluntate simplici omnes septem Horas canonicas scienter prætermittit. Vnde quidam non benè voluntatis actum internum sæpius in die repetitum, cum ipsa omissione confundunt.

Quintò quæritur, An Presbyter, vel Beneficiarius suo muneri, & officio satisfaciat, si in persoluendo officio Diuino sibi socium adhibeat, ita vt ambo alternos Psalmorum, & Responsoriorum versus, & lectiones recitent. Communis est opinio eum satisfacere, vt testantur Maior *in 4. distinct. 12. quæst. 6.* & Nauarr. *de oration. cap. 10. numer. 16.* vbi citat Henricum, Antoninum, Paludanum; sic etiam Sylueſt. *Hora. quæst. 7.* Et id ipsum vsus, & consuetudo confirmat. QVAERES, an solùm ratione consuetudinis huiusmodi, Clericus suum munus, & officium expleat; an verò etiam vi, & natura legis? quod perinde est, ac si quæras, an iuris Canonici sit, vt clerici per seipsos preces Horarias recitent integras, & consuetudo induxerit, vt alternis versibus eas persoluant. Sunt, qui putant id solùm consuetudine esse receptum. Mihi tamen verius apparet, quod alij tradiderunt, canonica iura tantùm exigere, vt Psalmi, Responsoria, Canonica, & Lectiones in officio Diuino alternatim à clericis recitentur. Refert Augustinus *lib. 9. Confession. cap. 6. & 7.* introduxisse Beatum Ambrosium in Ecclesiam Mediolanensem, quod in alias deinde Ecclesias Occidentis manauit, vt Psalmi, & Hymni alternatim more Orientalium dicerentur: quod idem tradiderunt Isidorus *libr. 1. de Eccleſiaſt. officijs, cap. 7.* Raba. *lib. 2. de institut. cleric. ca. 50.* & Paulinus *in Vita S. Ambrosij.* Et Socrates *lib. 6. cap. 8.* scriptum reliquit, ab Ignatio institutum esse in Ecclesia Antiochena cõsuetudinem alternis versibus canendi. Sic etiam Cassiodorus *libr. 10. Tripar. histor. cap. 9.* Niceph. *lib. cap. 8.* quamuis eum morem ad Flauianum, & Diodorum, Monachos Antiochenos referri debere, testatur Theodoretus *libr. 2. histor. cap. 24.* Et Basilius *epistol. 63.* ait, hunc vsum per omnes Orientis Ecclesias vbique seruari: quem retinuit S. Chrysostomus in Ecclesia Constantinopolitana, testibus Socrate *in lib. 6. Histor. Eccleſ. cap. 8.* Cassiodor. *in lib. 10. Tripar. cap. 9.* Niceph. *libr. 13. capit. 8.* Ex his perspicitur, à primis Ecclesiæ temporibus Psalmos alternis in Ecclesia cani solitos.

Sextò quæritur, An clericus Ecclesiæ præcepto satisfaciat, si preces Canonicas recitet alternis versibus cum socio libero, ac minimè ad eas recitandas adstricto? Respondeo, satisfacere: nihil enim refert socius ne sit lege, & præcepto preces canonicas recitandi solutus, an adstrictus: nam Ecclesiæ præceptum clericus seruat, Diuinum officium, partim recitando, partim audiendo: nam clerici solent famulorum, aut aliorum familiarium vti ministerio, & opera in penso Horarum canonicarum soluendo.

Septimò quæritur, An cum quis Horarias preces Canonicas vnà cum tribus, aut etiam cum quatuor socijs recitat, debeat aures, & animum ad singulos proferentes attendere? Respondeo, eum præcepto facere satis, si attentè audiat verba, quæ à pluribus pariter pronunciantur, ac si ab vno tantùm dicerentur.

Octauò quæritur, An cum quis alternis cum socio Diuinum officium persoluit, vna cum eo Orationes, Capitula, & Antiphonas recitare debeat? Rosella, vt testatur Sylueſt. *Hora. quæſtion. 7.*

affirmat Antiphonas simul ab vtroque esse dicendas, quia in choro simul dicuntur. Sed verius est, quod Syluester, & Nauarrus *de orat. cap. 10. num. 16.* cum Paludano tradunt, sufficere, si quis attentè audiat Antiphonas, Capitula, & Orationes, cum dicuntur à socio.

Nonò quæritur, Quo modo Diuinum officium sit persoluendum, quando preces canonicæ simul à tribus, quatuor, pluribusue recitantur? Respondeo, vsu esse receptum, vt vnus vnum versiculum pronuncier, & cæteri cum plures sunt, simul alium versiculum recitent: & cum tres sunt, vnus primam lectionem proferat, secũdus secundam, tertius tertiam: & vno Capitulum dicente, cęteri audiãt. SIROGES, an cum plures tribus sunt, sufficiat si trium quisque suam lectionem proferat, cæteris attentè audientibus? Quidam existimant tũc singulas Lectiones à duobus, vel tribus simul dicendas. Sed certè, cum in choro vsus obtinuerit, vt tres tantùm Clerici tres Lectiones decantent, quisque suam, & cæteri canonici eas attentè audiant; negari non potest, quin etiam id extra chorum seruari tuta conscientia queat, vt tres tantummodo Clerici Lectiones efferant, cæteris attentè, & studiosè audientibus.

Decimò quæritur, An cum quis voti Religione, vel ratione pœnitentiæ sibi iniunctæ certos Psalmos, vel Ecclesiasticũ pro Mortuis officium, vel paruas sacras B. Virginis Preces, vel Letanias, vel Hymnos, aliasue quaslibet precatiões persoluere, aut recitare debet, suo muneri satisfaciat, si hæc vnà cum socio alternis versibus dicat? Respondeo cum Nauarro, *de orat. cap. 10. nu. 19.* satisfacere: id enim de more seruatur. Ex quo fit, vt cum plures aliquid prædictorum recitare adiguntur, suum munus, & officium impleant, si omnes simul congregati alterne respondeant. QVAERES, an idẽ iuris sit in eo, qui aliqua obligatione deuinctus, eas preces recitare debet, quæ vulgo dicuntur Rosarium, Corona, & Psalterium B. Virginis. Affirmat Nauarrus, *de oration. cap. 10. nume. 19.* Et rectè quidem meo iudicio: nam tuta conscientia huiusmodi pensum interpretari possumus esse reddendum eo more, quo Horarium officium exoluitur: ergo satis est, si cæ preces alternatim fundantur à duobus.

Vndecimò quæritur, An qui preces canonicas recitat verba diminuens, & detruncans, peccet? In Clement. 1. de celebr. Missar. Clerici, & Beneficiarij quidam reprehenduntur Diuinum officium persoluentes negligenter; eo quòd (vt ibi dicitur) Horas canonicas dicerent, seu psallerent, transcurrendo, syncopando. Idem quoq; reprehenduntur in cap. dolentes. De celebr. Missarum. Vnde in Concilio Basilienfi *Sessio. 21. §. Qualiter Horæ canonicæ sint dicendæ extra chorum*, ita habetur: *Quoscunque etiam alibi Beneficiarios, seu in sacris cõstitutos, cum ad Horas canonicas teneantur, admones hæc sancta Synodus, vt si Orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, non ingurgitare, vel inter dentes, seu deglutiendo, aut syncopando dictiones, vel verba, sed reuerenter verbis distinctis, siue soli, siue sociati cum alijs, Officium Diuinum, nocturnumque persoluant.* Hæc ibi. Dubitandum non est, quin nonnullum peccatum admittat is, qui cum Diuinum officium persoluit, verba mutila, & decurtata scienter profert. Secùs verò si id, vel vitio linguæ, vel consuetudine quadam (vt sic dicam) ingenita, & quodammodo in naturam conuersa faciunt. Preces enim Horariæ ita distinctè sunt pronuntiandæ, vt is, qui profert, seipsum intelligat, & percipiatur ab alijs, quibuscũ simul orat. QVAERES, an Clericus, qui in recitandis precibus Horarijs, verba scienter diminuit, syllabis abscissis, & amputatis, eas repetere debeat. Aiunt quidam esse repetendas; propterea quod præceptum Ecclesiæ *in cap. Dolentes. & Clement. supra citatis* violat, atque perfringit. At verius est, quod alij tradiderunt, Preces, quæ ita recitantur, non esse repetendas: nam etsi non nihil ea in re peccetur, legis tamen substantia retinetur. Et id à simili probari potest. Nam *in cap. Retulerunt. de consecrat. distinct. 4.* rogatus Pontifex, an Sacerdos, qui per inscitiam linguæ Latinæ, dum baptizaret, nesciens Latinè loqui dixerat: Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta, ratum, & firmum baptismum contulisset? Respõdit: Si solus fuit linguæ lapsus, & error, valuisse Sacramentum. Deinde *in l. Quia debet. ff. De manumiss. testamento*, sic statuitur: *Qui habebat seruum Cratistum, testamento ita cauit: Seruus meus Cratinus liber esto. Quæro, an seruus Cratistus ad libertatem peruenire possit, cum testator seruum Cratinum nõ habeat, sed vnum solum Cratistum. Respondeo, nihil obesse, quod in syllaba errasset.* Si ergo Baptismus mutatis syllabis, & testamentum etiam syllaba corrupta valet, cur preces Horariæ etiam canonicæ non ratæ erunt, & firmæ, tametsi erretur in syllabis? QVAERES INSVPER, an peccent ij, qui è choro egrediuntur, antequam preces finiantur? Peccant. Legimus apud B. Gregor. *libr. 2. Dialog. cap. 4.* S. Benedictum vidisse Diabolum extrahentem quendam Monachum à choro ante precationis Horariæ finem; & tandem Benedicti flagello Diabolũ fugatum. RVRSVS QVAERES, an peccent ij, qui chorum tardius ingrediuntur? Olim, teste Cassian. *libr. 3. De Institut. Monach. capit. 7.* Monachis, qui ad Horas Diuinas, vtputa ad Tertiam, Sextam, vel Nonam non accedebant, antequam primus Psalmus finiretur, non licebat Oratorium introire, sed Cõgregationis missam stantes pro foribus præstolabantur. In nocturnis verò precibus Horarijs vsque ad finem secũdi Psalmi permittebatur. Vnde nouum videri non debet, quod in Synodo Basilienfi legimus constitutum *Sessio. 21. cap. Quo tempore quisque debeat esse in choro, videlicet, absentes à choro non censeri, qui in Matutinis ante finem Psalmi, Venite exultemus, in alijs Horis ante finẽ primi Psalmi; In Missa ante vltimum Kyrie eleison officio Diuino intersunt.* Hæc ibi.

Duodecimò quæritur, An qui debent recitare preces Horarias, debeant quoq; recitare paruas preces. B. Virgini sacras, & debeant Defuncto rum officium persoluere. Respondet Nauar. *tract. de orat. c. 3. nu. 3. & 4.* Ex sententia Ioannis Lignani, Alberti, Paludani, Cardinalis, & Turrecrematæ, hęc omnia officia esse persoluẽda ab eo, qui recitare Horarias preces cogitur, iuxta cõsuetudinẽ, statuta, vel formulam Ecclesiæ, cuius regulam in recitando Diuino Officio seruat: alioqui persoluere hæc officia non cogitur. De hoc dicam inferius.

Caput

Caput VIII.

De Precibus Canonicis continenter, ac sine vlla interruptione recitandis.

PRIMO quæritur, An sit iuris Canonici, vt Horariæ preces sine interruptione recitentur? Respondeo, iure communi in vniuersum, Officia Diuina esse persoluenda non interruptè. De precibus verò Canonicis ius expressim continetur, *in cap. Dolentes. de celebra. Missar.* vbi reprehenduntur Clerici, & Beneficiarij, qui cum Horas, hoc est preces canonicas, vel priuatim recitant, vel publicè decantant, aliqua colloquia intermiscent: De omnibus officijs Diuinis vniuersè ius colligitur, *ex cap. Nihil. & cap. Illud. 7. q. 1. & cap. Nullus. de consecr. distin. 1.* & nos ipsa ratio naturalis conuincit. Nam qui cum Rege, vel Principe sermonē habet, eum minimè interrumpit, nisi rusticus, & inurbanus haberi velit. Nauarr. *tracta. de orat. cap. 10. num. 38. & sequentibus.*

Secundò quæritur, Quidnam interruptio Horariarum precationum significet? Respondeo, Interruptionem dici, cū quis aliquam de precibus Horarijs canonicis cœptam intermittittit animo & voluntate continuandi reliquum illius precationis, post finem eius, quod interponit, vt docet Nauar. *tract. de oratione, ca. 16. nu. 66. & sequentibus.* Interponuntur verò aliquādo facta, aliquando verba, vt cum colloquia intermiscentur.

Tertiò quæritur, An aliquando fas sit preces canonicas interrumpere? Negari non potest, quin iustis de causis liceat nobis eiusmodi preces interrumpere: ita vt eam partem, quam inceptam relinquimus, repetere minimè cogamur, vt statim dicam. Sed speciatim quæstio est, quænam sint iustæ causæ? Eas paucis aperiam. Iustæ causæ habentur, in primis cum opus est, vel concionem audire, aut habere; rem diuinam audire, vel facere; iussu Superioris opus aliquod, & officiū præstare: quodlibet itidem virtutis opus efficere, aut aliquid saluti, honori, famæ, aut alijs bonis nostris, vel proximorum necessarium: has causas & alias similes, vt iustas approbat Nauar. *tract. de orat. cap. 16. num. 68. & 69.* Et est animaduertendum, non sufficere iustam causam, & legitimam; sed talem adesse oportere, vt in aliud tempus differri commodè nequeat: quorum alterutrum si desit, precatio Horaria incœpta minimè iure intermittitur.

Quartò quæritur, An tres nocturnæ vigiliæ diuidi iure communi queant à Matutinis laudibus, non solùm per Horam; sed etiam per totam noctem interpositam? Respondeo, tuta conscientia diuidi ob quamlibet honestam causam: alioqui sine iusta, vel honesta causa diuidi iure non possunt: quia habentur tanquam officium vnius horæ: ac proinde simul cū Laudibus Matutinis, Nocturnæ vigiliæ persolui debent. Cæterùm olim diuidi solebant, vt testatur Francolin. *in tracta. de Horis canonicis, cap. 2. nu. 13. & cap. 5. nu. 9.* ex Durando, & Waldensi, quos *ibi* citat. & nunc etiam Ecclesia diuidit in nocte Natalis dominici, quia sacrificium Missæ interponit, & in quibusdam Religiosorum domicilijs, & conuentibus media nocte Psalmi nocturni concinuntur; & deinde sub auroram Matutinæ laudes. In hoc consuetudo iuri derogare potest. Dubitabis, an seiungi possint, & diuidi à se tres nocturnæ vigiliæ per Horam vnā, aut duas, pluresue. Respondet Nauarrus *de oratio, cap. 3. num. 64.* iusta de causa fas nobis esse, diuidere. Nam alicubi pro Mortuis clerici non nouem Psalmos, & totidem Lectiones in tres Ordines diuisas decantant; sed tres tantùm Psalmos cum totidem Lectionibus. SI ROGES, an quando nocturnæ vigiliæ à Laudibus Matutinis separantur sine iusta aliqua causa, lethale peccatum committatur. Et an oporteat ante laudum initium Orationem dominicam cum salutatione Angelica recitare, iuxta regulas, & præceptiones, quibus statuitur, vt ante cuius liber precationis Horariæ initium Oratio dominica cum salutatione Angelica recitetur. In primo, non existimo eum lethaliter peccare, qui sine rationabili causa diuidit; sed tantùm leuiter. In secundo, Nauarrus censet esse Orationem Dominicam præmittendam, eo quòd tunc officium Horæ à Nocturnis Psalmis distinctæ inchoatur: ipse enim, vt superiùs annotaui, putat octo esse Horas, id est, Horarias preces canonicas, ita vt tres Nocturnæ vigiliæ à Matutinis Laudibus distinguantur. At verò, quia vsus inualuit, vt vna tantùm Hora, hoc est, vnius tantùm Horæ officium censeatur, non video cur Oratio Dominica Matutinarum Laudū initium anteire debeat. QVAERES ITIDEM, an cum tres Nocturnę vigiliæ sine Matutinis Laudibus finiuntur, recitari debeat ad vigiliarum finem precatio Dominica? Constituunt enim Canones, cumslibet Horæ Officium Diuinum per Orationem Dominicam terminandum. Respondet etiam Nauarrus *de orat. cap. 3. num. 64.* finiendas esse vigilias nocturnas per Orationem dominicam, quia faciunt Horam per se à Matutinis Laudibus distinctam. At cum sit vsu receptum, vt pro officio vnius Horæ cum Laudibus habeantur, iure non cogimur, eas per Orationem dominicam terminare. *Ex. cap. Id semper. de consec. d. 5.*

Quintò quæritur, An cuiuslibet alterius Horæ officium, puta, Primæ, Tertiæ, Sextæ, iusta de causa intermitti, interrumpiue tuta conscientia queat per aliquod temporis interuallum? Respōdeo, posse, quia idem iuris est de harum Horarum officijs, quod de cæteris; nisi quod officia alia alijs sunt breuiora, nec ita frequenter iusta causa potest occurrere, vt breuiorum Horarum officia interrumpantur. SI QVAERAS, an dum quis Primæ, Tertiæ, Sextæ, aut Nonæ officium persoluit, vnum Psalmum incœptum, iure interrumpat per vnum quadrantem Horę, aut eo ampliùs: non enim videtur in tam parua interpositione temporis, posse iure interrumpere. Respondeo, si iusta subsit causa, dubitandum non est, quin sit iure permissa interruptio, etiam vnius Psalmi? vt si ingenti malo subito occurrenti, obsistendum sit, aut aliquid aliud faciendum ob rationabilē causam.

Sed dubię quęstionis est, an Diuinum officium repetendum sit, si ad longum temporis spatium interrumpatur. Nauar. *de oration. cap. 16. nume. 75.* & Medin. *de orat. quæst. 16. prope finem*, insinuant esse iterandum; alunt enim non esse repetendum, si ad

breue tempus interrumpatur. Quidam generatim sentiunt, non esse repetendum etiam interruptum ad longum tempus. Sed probabilius videtur, quod Nauarrus, & Medina docent: quia interruptum ad longum tempus, videtur finiri, non continuari.

Sextò quæritur, An qui Horariam precationē interrumpit per risum, iocos, aut sermones alioqui otiosos, & vanos, debeat eam repetere? Respondeo, minimè, ita Nauar. *de orat. ca. 16. nu. 75.* nisi quod dupliciter est peccatum; nimirum, precationem interrumpendo sine iusta, & legitima causa, & otiosum verbum, aut vanum opus intermiscendo: sed in vtroq; venialis tantùm noxa contrahitur.

Septimò quæritur, An qui preces Horarias interrumpit animo, & voluntate non continuandi reliquum, quod superest; sed repetendi, quod est ante recitatum, Horariū pensum exsoluat, si postea continuet, nec repetat? Negant Nauarr. *de orat. c. 16. nu. 73. & nu. 74.* & Medina *de orat. q. 16. versic. De tertio*, eum satisfacere suo muneri, & officio: quoniam actus vltra mentem, & voluntatem non se protendit, ac fundit. Quidam alij generatim respondent eum suo officio satisfacere, etiam si nihil repetat; quia potest, inquiunt, voluntatem mutare, & ratum habere id, quod recitauit animo, & voluntate repetendi. Sed distinguendum est: aut enim is, cum ab initio cœpit precationē Horariam recitare, in animo habuerat postea totum repetere, & tunc locum habet Nauarri, & Medinæ sententia, aut initio non habuerat in animo iterare; sed reliquum continuare;, & tamen postea animum, & voluntatem mutauit, quia statuit repetere, quod ante iam recitauerat, & tunc non cogitur repetere, licitum enim est nobis ab ea voluntate recedere, & pristinam reuocare. Verbi gratia, cœpi recitare Tertiæ horæ preces, & eas interrupi animo & voluntate repetendi, quod dixeram, debeo postea repetere, vt Nauar. & Medina sentiunt; nam legi, & præcepto non satisfacio, cū in animo est mihi voluntas contraria non satisfaciendi. Si tamen interrupi, nec fuit in meo animo iterare, & postea cum precationem Horariam resumo, volo repetere, fas est mihi eam voluntatem mutare, ita vt nihil repetam, dummodo quod intermissum est, prosequar: nam totum quod est antea recitatum, valet, vt dicam inferius ex sententia Nauarri. Et idem iuris est de sacro, quod quis in die festo audit ratione præcepti, quo tenetur: nam si initio in animo habet aliud sacrum audire, vt Ecclesiæ præceptum impleat, audire illud debet; siquidem nondum Ecclesiæ satisfecit. Si autem non statuit aliud audire; eo tamen audito, decreuit aliud audire, non cogitur alteri sacro interesse, est enim ei licitum à voluntate recedere, & ratum habere primum sacrum, quod audiuit. Item, si quis preces Horarias recitet voluntate legendi eas solùm, non orandi, debet eas repetere: quia legere, non est orare.

Octauò quæritur, An idem iuris sit de cæteris, qui vel ratione voti facti, vel pœnitentię à Confessario iniunctæ, vel Regulæ monasticæ debent aliquas alias preces recitare? Respondet Nauarrus, idem iuris esse nec immeritò, quoniam preces Canonicę iustis de causis interrumpuntur, ergo & aliæ preces. Cum item alicui præceptum datur, vt quinque templa, vel altaria per vnum diem inuisat, illud obseruat, etiam si interruptis Horis, intra eandem diem id faciat. Hinc est, vt ij, qui quotidie recitare debent eas preces, quas vulgò vocamus Rosarium, Coronam, vel Psalterium B. Virginis, eas tuta cōscientia persoluant, etiamsi manè certam partem recitent, & aliam sub meridiem, & aliam ad Vesperam ob occupationes, quæ passim interdiu incidere solent.

Nonò quæritur, An Diuinum officium inceptum, & iusta de causa interruptum, iterari, ac repeti debeat? Respondeo, minimè. Sic Nauar. *tract. de orat. cap. 10. num. 42. & ca. 16. nu. 66. & sequentib.* nam legis, & præcepti substantia seruatur, etiam si interrumpantur preces, sic etiam Medina *de orat. quæst. 19. ad finem.*

Caput IX.

De tempore, quo preces Horariæ persolui debent.

PRIMO quæritur, An certis, statisq; horis Diuinum officium sit recitandum, vi canonum, siue iuris communis, cum priuatim à Clerico persoluitur? Respondeo, *Clemen. 1. de celebr. Missarum* constitutum esse, vt diurnum, & nocturnum officium, in Ecclesijs, publicè temporib⁹ debitis persoluatur, siue sint Ecclesiæ, quas vocant Cathedrales, siue Collegiatæ, siue Regulares, in quibus de more concinuntur Horariæ preces. Sic Glossa *in illa Clementina.* Sic Innoc. Hostien. Ioannes Andreas, & Abbas *in capit. 1. de celebrat. Missarum.* Sed quamuis ius nihil ibi constituerit de ijs, qui priuatim extra Chorū pensum Horarum exsoluunt, nihilominus tamen inter omnes conuenit iuris esse communis, vt ea etiam preces suis temporibus opportunè recitentur, *quod videtur colligi ex c. 1. de celebrat. Missar.*

Secundò quæritur, Quodnam sit opportunum tempus in quo cuiuslibet precationis Horarię, & Canonicæ pensum est persoluendum? Constans est omnium opinio, Primam recitari debere vna hora ante, vel post Solis ortum, cui consonat Hymnus:

Iam lucis orto sidere.

Tertiam, hora tertia à Solis ortu: Sextā, hora meridiana: Nonam, tertia post meridiem hora: Vespertinam, hora duodecima à Solis ortu: Completam verò, hora post Solis abscessum appetēte iam nocte: Nocturnas vigilias cum laudibus matutinis ad mediam noctem, aut quarta vigilia noctis, hoc est, vna, duabus, tribúsue horis ante ortum. Hæc sunt debita tempora secundùm Canones, & iura. At verò vsu receptum est, vt singularum Horarum officia persoluātur, iuxta consuetudinem prouinciæ, vel patriæ.

Tertiò quæritur, An satius sit preces Canonicas anteponendo recitare ob negocia, & occupationes sæpius incidentes, quā postponendo; Conueniunt omnes, satius esse anteponere, ob eā causam, quod attentius, studiosius, religiosius recitari soleant. Deinde, quia *in cap. Presbyter, de celebrat. Missarum, & cap. Presbyter, dist. 91.* consilium datur, vt Clerici varijs occupati negocijs, mane Diuinum

officium

officium, vsque ad Vespertinum persoluant; & deinde suis rebus attendant. Vnde passim traditur ab omnibus, negligentiæ esse Horarias preces postponere, prouidētiæ verò præponere. Obicies id, quod Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, & Abbas *in cap. 1. de celebra. Missarum*, referunt de quodam Eremita, cui, cum ante tempus Diuinum officium persoluebat, Angelus vuas acerbas deferebat, quas ederet; aliquando verò maturas porrigebat, aliquando marcentes. Et cū rogaretur Angelus, cur modò acerbas, modò maturas, modò marcentes vuas ipsi afferret: Respondit, quia ipse aliquando tempus Diuini officij præueniebat, aliquando postponebat, aliquando opportunè seruabat. Ergo (inquiunt) Horarias preces præponere iure non licet. Respondeo, iure suis temporibus singulas Horarias preces recitandas; nihilominus tamen tuta conscientia absque vllo peccato ob negocia, & occupationes communes, & quę passim occurrunt, vel anteponuntur, vel postponuntur: præstat autem anteponere. Ille verò Monachus, quia solitariam vitam agebat, suis temporibus Diuinum officium persoluere iure cogebatur. Hinc etiam est, vt de quodam Episcopo memoretur ex Petro Damiano *in epist. ad Desiderium de miraculis sui temporis*, eum post obitum suum pœnas in igne purgatorio perpessum, quòd in aula Principis versatus, Diuini officij pensum minimè suis temporibus exsoluere consueuerat. Videlicet ille, vel plusquam par erat, aulam regiam frequentauerat, vel preces Horarias publicè in Ecclesijs tempestiuè cantandas non curauerat, vel ipse priuatim eas plus æquo, & sine causa iusta anteponebat, vel postponebat.

Quartò quæritur, Quomodo intelligatur id, quod dicitur *in c. Presbyter. De celebr. Missar. & c. Presbyter, dist. 91.* Videlicet, *vt Presbyter mane suæ seruitutis pensum expleat*, Primam, scilicet, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperam. Quidam è quibus est Sylu. *Hora. qu. 9.* existimant eum locum sic esse intelligendum, vt Clericus negotijs implicatus, statim mane omne pensum Horarum exsoluat vsque ad Nonam, Vespertina exclusa: quod ita facere solent Clerici, qui in curia Romana commorātur. Sed certè eo loco etiam Hora Vespertina includitur, sic enim dicitur: *Presbyter mane, Matutinali officio expleto, pensum seruitutis suæ, videlicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamquē persoluat.* Ergo licitum est Clerico negocijs, & occupationibus distento, mane omnes Horarias preces, etiam Vespertinam recitare. nec aliter eum locum Innocent. Hostiensis. Ioann. Andrę, Abbas, & alij intellexerunt. QVAERES, quam habeant sententiam ea verba, quæ statim sequuntur: *Ita tamen, vt horis competentibus, iuxta possibilitatem, aut à se, aut à scholaribus publicè compleantur.* Nam si mane omnes Horariæ preces recitari queunt: quorsum illud: *Vt horis competentibus compleantur?* Respondeo, his verbis concedi Clerico, vt priuatim extra chorum mane Horarias preces peroret, & curet insuper, vt publicè in templo à cæteris Clericis Minoribus, quos ibi ius scholares appellat, tempestiuè decantentur.

Quintò quæritur, An Nocturnæ vigiliæ vnā cū Matutinis laudibus priuatim à Clerico persolui queant in Vespera diei proximè præcedentis, videlicet hora vna, duabus, tribusue ante Solis occasum? Quæstionem mouet in primis, quòd non nisi in media nocte, aut ea transacta fundi, & recitari possunt. Deinde preces huiusmodi nocturnæ ad diem subsequentem pertinent: ergo sicut diurnę preces sequentes, videlicet, Prima, Tertia, Sexta, Nona, ante mediam noctem recitari nequeunt, ita nec preces nocturnæ: dies .n. subsequens, quod ad Diuinum officium persoluendū spectat, incipit à media nocte, & producitur vsque ad mediam noctem diei sequentis. S. Thom. *quodlib. 5. ar. vlt. ad 1.* cum hanc quæstionem agitasset, respōdit in hunc modum: *Si aliquis post dictas Vesperas, & Completorium, dicat Matutinas, si hoc faciat propter lasciuiam, vt quietius somno, & voluptati indulgeat, absq; peccato non facit: Si verò propter necessitatem licitæ, & honestæ occupationis, absque vllo peccato facit.* Sic ille. Sed multis hoc difficile videtur: nā fieret inde, vt integrum esset Clerico nocturnas preces recitare trib⁹ horis, imò etiam quatuor ante obitū Solis: eo .n. tempore, aut paulò ante, precatio Vespertina, & Completa recitari solent, & possunt; cum tamen passim Romani Pontificis priuilegio, pluribus concedatur, vt & nocturnas, & matutinas preces hora vna ante Solis abscessū perorare queant. Quod si alioqui, vt ait S. Thom. iure tribus, aut duabus horis ante Solis occasum recitari possent, Romani Pontificis priuilegio opus non esset. Aiunt quidam Sancti Thomæ locum sic esse accipiendum, precationibus Canonicis, videlicet Vespertina, & Completa opportunè, & conuenienter iuri, recitatis videlicet hora diei duodecima, & occumbente Sole, licitum esse Clericis Nocturnas preces, & Matutinas exsoluere: tunc enim persoluentur appetētibus iam noctis tenebris. At reuera hic sensus cum Sancti Thomę mente non congruit: nam eo loco quærit, vt ipsius verbis vtar, *Vtrū liceat Clerico, qui tenetur ad Horas Canonicas, dicere Matutinas sequētis diei de sero.* Et ait: *Respondeo: Si hoc faciat ob necessitatē licitæ, & honestæ occupationis, puta si Clericus, aut Magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter quid aliud huiusmodi, licitè potest dicere, & in alijs Horis Canonicis tempus præuenire: sicut etiam hoc idem in solennib. Ecclesijs fit.* Et ad primū respondens, ait: *Dicendum, quòd quantū ad contractus, & alia huiusmodi, dies incipit à media nocte: sed quantum ad Ecclesiasticum officium, & solennitatum celebritates, incipit dies à Vesperis. Vnde si aliquis post dictas Vesperas, & Completorium dicat Matutinas, tam hoc pertinet ad diem sequentem.* Ita Sanctus Doctor. Ex quo perspicitur sententiam eius fuisse, vt in Vespera diei præcedentis Nocturnæ, & Matutinæ preces, quæ ad diem sequentem pertinent, tuta conscientia persolui queant.

Alij Sanct. Thomam sic interpretantur: Vt statim post Vespertinam, & Completam preces recitatas, iure persolui queant Nocturnæ, & Matutinæ precationes, dummodo Vespertina, & Completa post Nonam suo debito tempore recitatam solutæ fuerint. Et quia precatio Nona recitari debet tribus post meridiem horis; sequitur, inquiunt, vt Nocturnum officium exsolui possit tribus horis à meridie, & tribus, duabusue horis ante Occidentem Solem. Verumtamen ne hoc responsum mihi probatur: neque enim cum iure ipso conuenit, iuxta quod Vesperti

na, &

na,& Completa preces recitari debent duodecima hora diei, & post Solis Occasum, vel paulò antè: Nec item cum Priuilegio Romani Pontificis,qui nonnunquam Clericis indulget,vt vna hora ante Solis occubitum nocturnum persoluant officium. Doctrina igitur,& sententia S.Thomæ illa mihi simplicior, & planior videtur esse; vt Nocturnum officium non quidem iure communi,sed consuetudine, & vsu pro more patriæ,siue prouincię cuiusque persolui queat à Clericis priuatim,statim,atq; Vespertina, & Completa preces recitatæ fuerint,eo tẽpore, quo de more persoluuntur,tribus videlicet, duabusúe horis post meridiem elapsis. Hoc enim efficiunt S. Thomæ rationes, nempe quod Ecclesiasticũ officium inchoetur in diebus festis,ab hora Vespertina: hoc enim in iure locum non habet: quia incipit officium,cum sit quotidianum à media nocte, & durat vsq; ad mediam noctem,in qua finitur, &, desinit: alioqui ratio S.Thomæ probaret Primam, Tertiam,Sextam,& Nonam pertinentes ad diem sequentem,recitari iure posse,pridie ad Vesperã. Item, quod in celebrioribus Ecclesijs Nocturnæ preces,statim post Vespertinam, & Completam Horas de more publicè decantari soleant. Deinde,quòd melius sit, Deo pensum Horarum anticipatò reddere. Item, quod debitori vitio non vertitur, si anticipata solutione creditori debitum reddat. Ex quo fit,meo iudicio,vt in æstate, iuxta consuetudinem in prouincia,vel patria receptam, Clericus Nocturnum officium persoluat in Vespera, videlicet hora vigesimasecunda, aut statim post vigesimamprimam secundum horologium Italicum; cui respondet, iuxta horologium Germanicum,Hispanicum,& Gallicum, hora quinta, vel quarta à meridie in æstate,& in hyeme secundum horologium Italicum, statim post horam vigesimamsecundam, aut paulò ante vigesimamsecundam: & iuxta horologium Germanicum, hora quinta,aut quarta pomeridiana. Hoc enim communi Clericorum vsu, & consuetudine receptum in multis Italiæ, & Hispaniæ prouincijs videmus: & triduo ante Pascha etiam publicè in Ecclesijs, Nocturnæ vigiliæ, vna cum Matutinis laudibus decantantur, tribus, aut duabus horis ante Solis occasum. Et per Hispaniam vsu est introductum, vt in Ecclesijs Cathedralibus Canonici cantent ante Solis abscessum in choro Nocturnas preces, & Matutinas laudes per continuos septem,aut octo dies,in quibus recolitur anniuersaria celebritate festus dies Dominici corporis.

His tamen nonnulla opponuntur. Primò,Nocturnæ preces ad diem pertinent subsequentem, ergo nequeunt pridie recitari: alioqui enim omnes aliæ preces vnius diei pridie solui possent. Deinde,quia alioqui Prima, Tertia,& Sexta,iure quoque pridie ad Vesperam recitarentur. Respondeo, in recitandis precibus Horarijs plurimum consuetudinem valere,quę ius scriptum sępius ex toto abrogat,aut ex parte tollit. Consuetudo autem alicubi inualuit,vt Nocturnæ preces pridie ad Vesperam soluantur,non autem cęterę diurnæ. Immò, vbi vsu approbatum non fuerit, vt Nocturnæ preces pridie recitentur in Vespera,recitari debent, tempore iure communi præscripto. Deinde,huiusmodi argumentum nullius videtur esse ponderis, & momenti:eo enim conficeretur, Nocturnas preces ante mediam noctẽ non esse persoluendas,quia iure communi in media nocte recitari debent. Et ideo rectè S.Thom. dixit, Ecclesiasticum officium nonnunquam, videlicet, meo iudicio, iuxta consuetudinem receptam in prouincia,vel patria, incipere à Vespertinis horis: quamuis reuera iure communi,initium sumat à media nocte. Verumtamen consuetudini standum est, quæ initio varia fuisse creditur pro varietate regionum. Et quia consuetudine introductum est, vt Nocturnæ preces ante Solis occasum recitentur; ideo hæ solùm, non aliæ preces recitari possunt.

Secundò obijciunt: Quorsum ergo multis Clericis Pontificium priuilegium cõceditur, vt vna hora ante Solis occasum Nocturnas preces persoluant? Siquidem tuta conscientia tribus, aut duabus horis ante Solem occidentẽ recitari queunt? Respondeo,priuilegium cõcedi,vt iuri communi derogetur, quod statuit preces nocturnas media nocte solui. Pontifex enim creditur iura scire, non speciales consuetudines religionum, aut locorum,& ita iuri derogat,non consuetudini; finit enim consuetudines suum locum,& vim pristinam habere; nisi cum eas expressim tollit, & abrogat. Item non vbiq; vsus obtinuit, vt Nocturnæ preces pridie, tribus, duabusúe horis ante Solis occubitum recitentur à Clericis; ac proinde Pontificium priuilegium locum habet in ijs regionibus, in quibus huiusmodi consuetudo nõ viget. Nam ibi Nocturnæ preces iure communi recitari nequeunt, nisi vel ad mediam noctem, aut saltem non nisi post Solis occasum: & priuilegium Pontificium dat facultatẽ, vt ibi hora vna ante Solis abscessum recitari possint. SI QVAERAS, vnde factum est, vt nocturnæ preces recitari queant,statim post Solis occasum,& non reliquum officium? Respondeo,quia reliquum officium est diurnum,& nox, non dies,incipit ab occasu solis *c.1.de fer.*

Sextò quæritur, Vbinam officium Ecclesiasticum finiatur? Cõmunis omnium est opinio, quod ad numerum precationum canonicarum spectat, totum officium Ecclesiasticum in precatione Cõpleta terminari: ea enim, tanquam vltima, omnes septem Canonicas preces finit, & claudit: Vnde & nomen accepit. Quod verò pertinet ad tempus, vltra quod officium Ecclesiasticum differri, ac prorogari iure nequit, etiam conuenit inter omnes, illud in media nocte terminari, atque desinere: ita vt media nocte elapsa, recitari amplius iure non possit, si qua fuerit precatio canonica prætermissa, quæ ad diem præcedentem spectauerit. Sic Antonin *part.2.tit.9.cap.12.§.vltim. & part.3.titu.13.cap.4.§.4.* Sylues. *Hora.quæst.9.dicto 6.* Nauar. *de orat.cap.3.numer.54.* Obijcies. Officium Ecclesiasticum in precatione Completa terminatur, & clauditur. Sed tempus huic precationi Horarię iure conueniens est, quod inter Solis occasum, & appetentis noctis tenebras intercedit: ergo Officij Ecclesiastici tempus minimè ad mediam noctem vsque producitur. Respondeo,tempus quod Completæ congruit, esse totum illud temporis spatium,quod à Solis occubitu ad ipsas

vsque

vsque tenebras obscuræ noctis protenditur: & proinde cum precatio Completa sit totius Officij Ecclesiasti finis, & terminus; fit, vt appetentibus noctis obscuræ tenebris, totum Officium terminetur: quia tunc dies finitur, & desinit: ac proinde tunc Officium diurnũ hora Completa claudit, ac terminat.

Septimò quæritur, Vndenam Officium Ecclesiasticum incipiat? Respondent passim auctores putantes se S. Thomæ in hac parte sententiam sequi, *quodlib. 5. ar. vlt. ad 1.* quod pertinet ad Horariarum precationum numerum, non esse dubium, quin à Vespertinis precibus sæpius inchoetur, vt reuera incipit in diebus festis solennioribus. Mihi tamen videtur incipere à nocturnis vigilijs, iuxta Canones, & iura: nam officium Diuinum est quotidianum, & est nocturnum, & diurnum: ac proinde totum, viginti quatuor horarum spatio concluditur, & completur: at verò officium in celebrioribus diebus festis habet duas Vespertinas preces, diei præcedentis, & sequentis. Sed illud habet dubitationem, à quota diei, ac temporis hora Officium Ecclesiasticum sit inchoandum? Quidam breuiter respondent iure communi initium sumere à media nocte, quoniam præcedens in media nocte terminatur: ergo eo etiam tempore incipit subsequens officium. Et hæc est communis opinio, vt refert Sylu. *Hora. q. 9. dist. 6.* Deinde, numerus Horarum Canonicarum à Nocturnis vigilijs incipit, sed tempus huiusmodi vigilijs iure deputatũ, est media nox. His accedit, quod olim Nocturnæ preces media nocte, aut quarta noctis vigilia persoluebantur. Alij senserunt iure communi in festis diebus solennioribus inchoari à Vespera diei præcedentis.

Verùm ego assentior ijs, qui asserunt tempus, vnde iure communi debet Ecclesiasticum Officium incipere non esse illud, quod post recitatas Vespertinas, & Completas preces proximè sequitur. Sed esse mediam noctem, quo tempore nocturnæ preces iuxta Canones, & iura recitari deberent: nisi esset vsu receptum, vt statim post Solis occubitum recitentur; & alicubi, vt vna, vel duabus, vel etiam tribus horis ante Solem Occidentem persoluantur. Quòd si in diebus festis celebrioribus numerus horarum, vt pridem admonui, à Vespertinis Horis sumit exordium, id non est, quia totum Officium ab Horæ Vespertinæ tempore suum capiat, ac ducat initium; sed quia officia celebriora, & solenniora duabus cõstant Vespertinis precibus, videlicet primis in die præcedenti, secundis in die sequenti, & hoc est, quod S. Thomas non obscurè testatur. Quare totum Officium Diuinum iure communi persolui debet, eo tempore, quod est interiectum à media nocte præcedente, vsque ad mediam noctem subsequentem.

Octauò quæritur, An aliquod peccatum committat is, qui intra tempus iure præscriptum, preces Horarias canonicas, vel anteponit, vel postponit suo nutu, & arbitratu, cũ omni careat causa legitima? Nam, quòd iustis de causis citra omne peccatum anteponi, aut postponi queant preces prædictæ, nemo negat. Vmbertus *in exposit. Regulæ S. Benedicti*, vt testis est Sylues. *Hora. quæstion. 9. dist. 6.* lethale ea in re peccatum admitti dicebat. Sed communi omnium consensu eius sententia reijcitur. Sylues. *loco citato*, Angel. *Hora. numer. 22.* Tota igitur quæstio est, an saltem venialis culpa admittatur; Id quidam affirmant, hoc inde comprobantes, quòd si preces anteponantur, aut post ponantur sine causa legitima, tempus singulis precibus deputatum non seruatur. Deinde, verba, quæ recitantur, minimè Officio Ecclesiastico respondent: Vt si quis Primæ Horæ officium, ante Solis ortum persoluat, non conuenit, quod in Hymno dicitur: *Iam lucis orto sidere*: multò minus, si Primæ Horæ preces longè post Solis occasum appetente media nocte recitentur. Similiter, si Completam precationem, quis persoluerit tertia quartaúe noctis hora, non congruit id, quod in Hymno dicitur: *Te lucis ante terminum.* Et sic de cæteris precibus Horarijs. Alijs tamen in hoc nulla culpa esse videtur; nisi per contemptum Clericus id faciat, aut periculum illi sit, ne Horarias preces omittat, aut ne eas parum studiosè, attentè, & religiosè recitet: non quòd contra Ius non faciat, sed quia consuetudini receptæ, & quę Ius scriptum abrogare potest, inseruiat. Est enim vbique ferè in more positum, vt Prima absque vllo scrupulo ante ortũ Solis recitetur. Teste item Sylvestro, Tertia statim post Primam recitatur; item Prima post Matutinas laudes in aurora recitatas persolui solet in Capella Romani Pontificis. Et consuetudine, Sexta cum Tertia coniungitur, aut Nona cum Sexta, aut Vespertina cum Nona, & Completa cum Vespertina: itaq; secundum Canones, & iura Horariæ preces suis singulæ certis temporibus recitari debent, at iuxta cõsuetudinem receptam recitantur, vt dixi. Hæc illi: quorum opinio probabilis est.

Obijcies id non conuenire ijs, quæ dicuntur in Hymnis Horarum. Respondent, sicut quotannis in Præfatione, quæ per totam Octauam Paschatis, & Pentecostes recitari solet, dicitur, *Hodierna die, &c.* Et nihilominus aptè ea verba dicuntur: sic etiam de ijs, quæ dicuntur in precibus Horarijs, idem est iudicium: Ea enim non referũtur ad tempora, in quibus talia verba recitantur, sed ad ea tempora, quæ significari, & ad memoriã reduci, vnà cum Ecclesia volumus.

Obijcies secundò, hinc fieri, vt absque vllo peccato Vespertinæ preces, & Completæ ante meridiem, & prandium quotidie recitari queant, tametsi præueniendi tempus iusta desit causa: immò totius Officij pensum simul summo mane cuique liceret exoluere, aut ad noctem vsque differre. Respondeo, id nequaquam ex dictis confici: nam solum fatemur, eas Horarias preces simul recitari absque peccato, quando recitantur, prout moris est, etiamsi tempora iure præscripta minimè seruentur. Est enim in hac parte potius consuetudini standum, quàm iuri scripto. In more vero positum non est, vt Vespertinæ preces mane, aut ante prandium recitentur, nisi iustis de causis, ac multò minus vsu receptum est, vt totum officium simul persoluatur absque iusta causa. Consuetudo igitur ferè vbique locorum, & gentium viget, vt certæ aliquæ horæ simul coniungantur; ac proinde anteponantur, aut postponantur, non tamen omnes.

Nonò quæritur, An Vespertinæ preces tempore Quadragenarij ieiunij, quod proximè ante Pascha suscipitur, ante prandium persolui debeant? Syluester *Hora. quæst. 9. dicto* 5. Caietanus *in Summa Horæ Canonicæ*. Nauarrus *de oratione, capit. 3. numer. 41.* vt probant *ex cap. Solent, de consecra. distinct. 1.* respondent, publicas in Ecclesijs preces iure communi ante prandium decantari debere, nullo tamen iure cogi Clericos eas priuatim ante prandium recitare. At enim potius est vsu, & consuetudine receptum, vt etiam priuatim à Clericis ante prandium recitentur: nihilominus tamen honesta aliqua de causa, & iusta ad pomeridianum tempus differuntur.

Caput X.

De Ordine, quo preces Horariæ Canonicæ recitari debent.

PRIMO quæritur, An qui Ordine præposterо preces Canonicas recitat, nonnihil delinquat? Conueniunt omnes, vt constat ex Sylvest. *Hora. quæstio. 9. dicto. 4. & quæst. 12. dict. 1.* eum nequaquam lethaliter peccare, qui in recitandis precibus Horarijs præposterum ordinem tenet, etiam si id faciat, absque iusta causa; dummodo tamen contemptus absit. Consentiunt itidem vniuersi, ex legitima causa Ordinem Horariarum precationum absque peccato inuerti; velut qui per obliuionem, aut inconsiderantiam, Tertiam Primæ, aut Sextam Tertiæ anteponit. Ex quo fit, eum minimè peccare, qui precibus Primæ non recitatis, Tertiæ officium persoluit, quòd nimirum ad id recitandum rogetur, aut inuitetur à socio, amico, vel familiari, cui vt obsequium præstet, facilè postulata concedit. Nec item peccat is, qui post incœptam Tertiam recordatur, se Primam non recitasse, & nihilominus Tertiam prosequitur, animo, & voluntate recitandi postea Primam. Qui tamen sine causa legitima Ordinem interuerteret, veniale peccatum non effugeret. Vult enim ac præcipit Ecclesia, vt in recitãdis precibus Horarijs ordo seruetur, quò studiosius, religiosius, & fructuosius Diuinum officium persoluatur.

Secundò quæritur, An qui Ecclesiasticum officium Feriæ conueniens exsoluit, cum alioqui præstare deberet officium certo alicui Sancto destinatum, aut è contrario, suo muneri, & Ecclesiæ satisfaciat? Fatentur omnes, eum qui scienter, ac dedita opera Ecclesiasticum mutat officium ex toto, aut ex parte, Ecclesiæ satisfacere, & tantùm veniale peccatum admittere. Nam iuris est Canonici, vt septem preces Horariæ recitẽtur, quòd verò hoc officium, aut illud persoluatur, non attinet ad substantiam legis, siue præcepti; sed ad modum, circumstantiamque, ac solennem officij cæremoniam, ac ritum, ac proinde in mutando officio, aut præposterè recitando, minimè legis substantia violatur. Sylu. vnà cum alijs. *Hora. q. 12. dicto. 1.* Hinc est, vt si per obliuionem, aut inconsiderãtiam bona fide ex toto, vel ex parte officium mutetur, peccatum non sit. QVAERES, an qui per errorem, aut scienter Officium mutauerit, repetere debeat Officium intermissum? Respondeo cum communi sententia, quam refert Sylu. *Hora. q. 9. dicto. 4. & q. 12. dicto. 1.* eum minimè ad id faciendum adstringi, quoniam, quæ ad legis substantiam pertinent, exsoluit, quare consilium est repetere, præceptum non item. Objicies: Si Officium mutare ex toto, vel ex parte, vel preces Canonicas perturbato ordine recitare, ad modum legis, nõ substantiam spectat; sequitur, vt nullum peccatum is Clericus committat, qui ordinem mutat; tametsi id scienter faciat. Respondeo, id non sequi, quia quamuis hic modus ad legis substantiam minimè referatur, non nihil tamen est peccati, quia Ecclesia constituit, vt is modus, ratio, & ordo in recitandis precibus Canonicis seruaretur, non tanquam id, in quo consistat lex, sed tanquam legis iusta, & debita cæremonia, ritus, & modus. Cæterùm Angelus, vt testatur Sylu. *Hora. q. 12. dict. 1.* sensit, Beneficiarium scienter officium mutantem in toto vno die, lethaliter peccare, alios Clericos non item. Sed id Syluester meritò confutat.

Tertiò quæritur, An qui recitat preces canonicas longè ante tempus, quàm oporteret, eas repetere debeat? Vna est omniũ opinio, si preces Horariæ, quæ ad certum diem pertinent, pridie, aut postridie recitentur, Ecclesiæ non satisfieri. Dices, creditori satisfacere debitorem, si ante tempus constitutum ei debitum soluat. Respondeo, disparem esse rationem de precibus Canonicis, ac de debito pecuniario creditori soluẽdo: quoniam preces Horarias persolui quotidie iuber Ecclesia ob cultum, & honorem, quem singulis quibusque diebus Deo, Sanctisue cælestis patriæ ciuibus deferri voluit. Quemadmodum igitur ieiunium certis diebus seruandum, aut sacrum certo die festo audiendum, non sufficit pridie, aut postridie seruare, vel audire: Sic horariæ preces certo, ac præstituto die soluendæ, altero die siue præcedenti, siue sequẽti reddi iure nequeunt. Nec est, quòd aliquis mihi opponat, Nocturnas vigilias, & Matutinas laudes certo diei destinatas, pridie ad Vesperam Clericos soluere consuesse: nam, vt prædixi, id consuetudo introduxit; verùm in alijs precibus Horarijs minimè locum habet, quia id consuetudo non habet. Asserunt itidem omnes, si preces Horarias, ante tempus ipsis deputatum, Clericus recitet, intra eum tamẽ diem, ad quem pertinent; Ecclesiæ præcepto satisfacere, nec eas esse iterandas: ex quo fit, vt etiam si Primæ Horæ officium longè ante solis ortum, post mediam tamen noctem persoluatur, repeti non debeat: Et Vespertina item, aut completa precatio ante meridiem recitata, iteranda ratione præcepti non sit.

Objicies, primas Vespertinas preces in diebus festis celebrioribus esse recitandas post mediam noctem, si recitatæ ante non fuerint: siquidem ea etiam Vespertinæ preces ad diem sequẽtem spectant, cum diei festi celebritas à prima Vespera incipiat, quòd attinet ad Ecclesiasticum officiũ. Respondeo, Officium Ecclesiasticum celebrius, atque solennius binis Vespertinis precibus constare, primis, & secundis; ita tamen, vt primæ prid ie festi diei persolui debeant, at post mediam illius diei noctem amplius solui nequeunt, vt quis Ecclesiæ præcepto satisfaciat: sicut etiam eodem die ad Vespertinam, vel ante mediam no-

ctem re-

ctem recitari nequeunt Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ preces, quæ ad diem proximè sequentem spectant: quamuis Nocturnæ vigiliæ, & Matutinæ laudes persoluantur; quoniam has preces consuetudo traxit ad Vesperam pridianam, illas verò non item.

Quartò quæritur, An Ordo seruari debeat inter faciendum Missæ sacrificium, & preces Horarias recitandas? Communis habet opinio, vt verè docuit Franco. *tract. de Horis canoni. cap.* 42. ante Nocturnas vigilias, & laudes Matutinas peroratas, fas non esse Clerico rem facere diuinam: quia licet ius Canonicum ordinem minimè statuerit, consuetudine tamen hic ordo est introductus. At solus Sotus *l.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 4. & 4. *dist iust.* 13. *q.* 2. *a.* 2. *ad finem*, contra communem sententiam docet nullo iure, aut consuetudine Clericum cogi hunc ordinem seruare; ac proinde Clericis licere nondum nocturnis, matutinisque precibus peroratis, Missæ sacrificium facere. Hanc nos quæstionem inferiùs diluemus; cum de Missæ sacrificio disseremus. In præsentia satis est dicere, contra Sotum, communem opinionem in hac parte amplectendam esse.

Quintò quæritur, Liceat ne Clerico, ante Primam recitatam sacris operari? Hanc etiam quæstionem suo loco dissoluemus; vbi breuiter dicemus, licere; cum id sit in more positum; immò etiã propter crebras occupationes, quæ sæpius occurrere solent: fas est Sacerdoti summo mane Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ officium, priuatim persoluere ante Missæ sacrificium, *vt colligitur ex ca. Presbyter. d.* 91. & *c. Presbyter, de celebrat. Missarum.*

Cap. XI.

De modo, quo preces Horariæ sunt à Clericis persoluendæ.

PRimò quæritur, An Clerico liceat preces Canonicas recitare, iuxta formulam cuiusque Episcopi auctoritate approbatam? quòd est quærere, an Clericus debeat in Horarijs precibus exsoluendis vti formula sui tantùm Episcopi auctoritate cõfirmata? Tres video opiniones secum dissidentes. Prima distinguit sic: Aut Clericus est ratione sui patrimonij promotus ad Ordines, aut ratione beneficij certa in aliqua Ecclesia siti. Si primum, minimè cogitur vti formula à suo Episcopo constituta, sed potest vti liberè ea, qua maluerit. Si secundum, sequi debet formulam eius Ecclesiæ, in qua situm est beneficium, & Religiosus eam, qua suus Ordo regularis, cuius institutum est professus, vtitur. Sic Auctor Directorij *l.* 1. *tit* 8. Angel. *Hora nu.* 12. & 14. Syluest. *Hora. q.* 1. *dicto.* 4. Tabien. *Hora. q.* 10. & 16. Secunda opinio docet, vniuersim omnibus Clericis fas esse vti formula Ecclesiæ Romanæ, non autem aliarum Ecclesiarum; sed tantùm suæ diœcesis: quia nimirum Ecclesia Romana est omnium Clericorum mater communis, sicut cõmunis etiam omnium patria Roma censetur. Ita Caietanus *in Sũma: Horæ canonicæ, cap.* 2. Attamen tertia opinio negat licere Clerico vti alia formula, præterquam suę diœcesis, etiamsi sui patrimonij ratione sit proiectus ad ordines. Huius sententiæ fuere Nauar. *de orat. c.* 19. *nu.* 211. & *cap.* 22. *nu.* 23. Sot. *l. de iust. q.* 5. *art.* 3.

Nos verò illud dicemus in primis: Iure cõmuni Canonico quemlibet Clericum secularem in Officio Ecclesiastico persoluẽdo, vti debere formula in sua Diœcesi approbata; sicut alius quilibet Religiosus, sui instituti & Ordinis formulam tenere, & seruare iure compellitur, vt colligi potest *ex cap. De hor.* & *ca. Placuit, dist.* 12. in quibus locis constitutum est, vt omnes Clerici, & Ecclesiæ prouinciales eundem in psallendo modum teneant, quem Metropolitanam Ecclesiam habere cognouerint. Diœcesin verò Clerici intelligimus eam, quæ conuenit Clerico ratione originis, vel domicilij, vel beneficij, in cuius Ecclesia commoratur, ac residet. Nihilominus tamen iure nouo auctoritate Pij Quinti constituto, omnes Clerici tùm seculares, tùm regulares, vti debent formula præscripta in Breuiario, iussu eiusdem Pontificis edito, *vt dicitur in Constitutione Pontificia eidem Breuiario præfixa.* Vbi verò Breuiarium hoc, nõ est vsu receptum, Clericos iure communi vti oportet.

Secundò quæritur de Clerico, qui in duabus Ecclesijs Ecclesiastica beneficia legitimè possidet, qua formula vti debeat in penso Diuini officij reddendo? Respondet Sanctus Thomas, cuius sententia communi cõsensu recipitur: iure communi antiquo, si in illarũ altera Ecclesia resideat, & commoretur, debere vti formula, quæ in Ecclesia seruatur. Nouo tamen iure Pij Quinti auctoritate constituto, vti debet formula Breuiarij eiusdẽ auctoritate promulgati. Si in neutra resideat, iure communi debet vti formula, quam tenet, & seruat ea Ecclesia, in qua dignius, diuitius, & pinguius beneficium habet: Iure verò nouo prædicto, seruare debet formulam noui Breuiarij. At quando beneficia sunt paria, & in neutra Ecclesia Clericus commoratur, ex iure communi vti debet formula, quam habet dignior Ecclesia. Quod si fuerint Ecclesiæ pares dignitate, ex eodem iure cõmuni potest vti liberè formula, quæ in alterutra Ecclesia seruatur, & qua ipse maluerit: At iure nouo præfato, sequi debet noui Breuiarij formulam. Hæc ex S. Thoma *quodl.* 1. *art.* 13. quem sequuntur Angel. *Hora. nu.* 12. & 13. Sil. *Hora. q.* 1. Tabien. *Hora. q.* 10. Sot. *li. de iust.* 10. *q.* 5. *art.* 3. præter id, quod addidimus ex iure nouo, edito à Pio Quinto.

Tertiò quæritur, Qua formula vti debeant Clerici scholastici, dum in studio literarum versantur? Respondeo, secundùm ius commune, eis esse seruãdam formulam, quæ vsu est recepta in ipsorum Diœcesi, à qua originem trahunt, vel in qua domicilium habent, vel in qua beneficium possidẽt; iure tamen nouo, quod diximus, eis est tenẽda noui Breuiarij Pij V. auctoritate editi formula.

Quartò quæritur, An vox eius, qui recitat priuatim preces Horarias, possit esse ita summissa, vt à nemine audiatur? Perinde est, ac si quæreretur, qualis, & quãta debeat esse vocis pronunciatio in eo, qui priuatim preces Canonicas recitat. De qua quæstione agit Medi. *q.* 7. *de orat.* & Naua. *de orat. c.* 20. *n.* 14. & *ca.* 19. *n.* 86. Sanè Caiet. 2. 2. *q.* 83. *art.* 12. videtur asserere tantam esse debere vocis pronũciationẽ, vt vel ab alio, si ibi præsens adesset, audiri posset, vel vt se ipsum recitando audiat.

Medina *de orat. quæst. 7.* distinguit, aut Clericus solus preces recitat; & tunc requiritur, ac sufficit, si ore tantum, & voce pronunciet, ita vt seipsum possit audire: aut vnà cum alio recitat: & tunc necesse est, vt ita proferat, vt à socio audiri queat. Sanè si quis solus Diuinum officium persoluat, satis est, si sic recitet, ac proferat, vt verè dici queat, ore, & voce preces fundere, siue ab alio, vel à se audiri possit, siue non: quoniam iure solùm cogitur voce, & ore, & non tantùm mente, & animo precari & orare. Ac proinde, si reuera linguam, & labia moueat, voce orat, non mente dũtaxat. Satis igitur est, vt ait Nauar. *de ora. c.* 20 *n.* 14. si Clericus dum recitat preces, verba ita proferat, linguam, & labia mouendo, vt seipsum percipiat, & intelligat, & non solùm in gutture pronunciet.

Quintò quæritur, An Beneficiarius, cuius est vnà cum alijs in choro preces Horarias cantare, suo muneri, & Ecclesiæ satisfaciat, si versiculos ad se pertinentes summissa, & tacita voce pronunciet, & recitet; ita vt non cantet, & alios audiat, qui cæteros versiculos decantant; Id perinde est, ac si quæras, an Canonici ad chorum, & cantum deputati, Ecclesiæ præcepto satisfaciant, si tantum choro præsentes adsint, & in eo submissè Ecclesiasticum officium persoluant, nec canant cum alijs, sed tantùm eos, qui cantant in choro, auscultent? Duæ sunt opiniones. Prima, eos satisfacere affirmat, quæ esse videtur opinio Caiet. *in sum. Horæ Canonicæ.* § 4. & Tabien. *Hora. q.* 36. quamuis deinde Caietanus eam mutasse videatur, *in opuscul. tom. 1, tract. vlt. in respons.* 8. Et loquuntur auctores secundum commune Ius: nam speciali iure & instituto, & more Ecclesiarum, non est dubitandum, Canonicos, aut alios, Beneficiarios ad Horarias preces in choro decantandas, per se ipsos compelli, & astringi. Altera opinio negat eos satisfacere, cui Nauar. *de orat. c.* 22. *Miscell.* 79. & *c.* 10. *nu.* 47. & *c.* 11. *n.* 42. adhæsit, alijq; complures; & meritò quidẽ, vera enim est, quippe, quæ cum ipso iure conuenit. In cap. enim Si quis Presbyter dist. 92. statuitur, vt quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus, qui ad quotidianum psallendi Officium Matutinis, vel Vespertinis Horis ad Ecclesiam non conuenerit, deponatur à Clero. Idem colligitur ex Cõcilio Basilien. *Sess.* 21. §. 3. & ex Concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio Imperatore coacto, *can.* 131. Denique ex Concilio Tridentino *Sess.* 24. *c.* 12. de reformat. vbi decernitur, vt omnes Canonici per se, non per substitutos compellantur obire, & exequi officia, atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuoteque laudare. Hinc fit, vt nequaquam præcepto satisfaciant ij Canonici, Beneficiarijue, si in choro non psallant.

Quæres, an sibi acquirant eos fructus, quos distributiones quotidianas appellant, si in choro non cantent? Respondeo, minimè, quoniam huiusmodi fructus dantur Canonicis ratione cantus in choro, & non ratione solius præsentiæ: at quod datur ob causam, ea non secuta, minimè debetur. Extat quoque Constitutio Pij V. quæ incipit: *Ex proximo Lateranensi Concilio:* vbi decernit Põtifex, vt Canonicus, qui non psallit in choro, licèt præsens adsit, fructus amittat, quos alioquì lucrifeciſſet, si cantasset.

Sextò quæritur, An vbi viget consuetùdo, vt Canonici solùm præsentes adsint in choro, nec canant, nisi per Clericos, ad id substitutos, tuta conscientia possint acquirere, aut retinere sibi eiusmodi fructus? Quidam negant id posse consuetudine introduci. Est enim contrtria iuri naturali: neque enim fieri iure potest, vt quod datur ob causam, sibi quis lucrifaciat, ea causa non secuta. Alij tamen affirmant, eiusmodi consuetudinem, vbi fuerit moribus vtentium recepta, valere; ea enim non ius naturæ, aiunt illi, sed ius tantum Canonicum tollit, & abrogat. Consuetudo aũt, quæ tantùm iuri scripto auctoritatẽ detrahit, valet, si sit vtentiũ moribus approbata.

Ad argumentum verò oppositæ sententiæ respondent, fructus præcisè non dari Canonicis; propterea quod psallant in choro, sed præcepisse Ecclesiam, vt cantent, alioqui fructus amittant. Quare totum hoc est iuris Canonici, quod consuetudine tolli, & abrogari potest. Vnde in multis Ecclesijs est vsu receptum, vt Canonici nõ cãtent in choro, sed vt id suppleant per Clericos sibi substitutos, quos alicubi Mansionarios, vel Cappellanos, alicubi Asisios appellant, in quos distribuuntur certæ quædam portiones fructuũ ex ipsis Canonicorum beneficijs detractæ: atque ideò hac ratione argumentum propositum pleniùs dissoluitur: nam cũ huiusmodi distributiones ratione cantus in choro conferantur; si Canonici reuera nec per se, nec per alios id præstarent, eos fructus, seu distributiones sibi acquirere iure non possent. Cùm verò id per seipsos nõ obeant, sed per Clericos in sui locum subrogatos, contra Canones quidem id faciunt, sed ius naturæ nõ violãt; ac proinde cõsuetudo, quæ alij ad cãtũ in sui locum adhibẽtur, valet. SI QVAERAS, an ea cõsuetudo post Cõcil. Trid. & prædictã Pij V. Cõstitutionẽ valeat? Resp. valere, vbi morib. vtentiũ fuerit recepta, siue cõtinuata post Cõcil. Trid. quoniã in hac etiã parte Cõcil. Trid. & Cõstit. Pij V. Consuetudo poteſt derogare: & hoc dupliciter, vel quia post ea iura introduci cœperit; & deinde fuerit vsu cõfirmata; vel quia ante ea iura inuecta fuerat, & deinde etiam contra eadem ipsa iura continuata.

Septimò quæritur, An Canonicus priuatim domi suæ recitans preces Horarias, vel in choro, nec cantans cum alijs, nec summisse quidem versiculos ad se pertinentes pronuntians, satisfaciat Ecclesiæ legi? Aiunt quidam eum satisfacere iure communi, saltem vbi viget consuetudo, vt Canonici solùm præsentes adsint in choro, & cantus per Clericos alios suppleatur: nam sufficit, inquiunt, si sua præsentia chorum exornent, & cohonestent. Enimuerò meo iudicio, nisi consuetudo approbata eos defendat, minimè suo muneri, & officio eiusmodi Canonici satisfaciũt: q manifestũ est ex ijs, quæ præcedenti quæst. tradidimus.

Octauò quæritur, Vbinam iure communi sint preces Horariæ persoluendæ? Respondeo, Canonicos, & cæteros Beneficiarios ad cantũ in choro adstrictos, ibi etiam Diuinũ officium reddere oportere. Nã *in c. Si quis Presbyter. d.* 92. præcipitur, vt Clerici in Ecclesiam ad psallendum conueniant,

& idem colligitur ex Clement. 1. de celebr. Missa. Nec Ecclesiæ legi satisfaciũt, si alibi, quàm in choro Horarias recitent preces, nec sibi fructus, qui ratione cantus in choro debentur, acquirunt. Cæteri verò Clerici Ecclesiastici eum præceptum implent, ac seruant, si Diuini Officij pensum alibi, quàm in templo persoluant.

QVAERES, an communi iure Clerici cum priuatim Horarias preces Canonicas recitant, satisfaciant Ecclesiæ præcepto, vbicumque voluerint? Resp. satisfacere, dummodo locus debitam attẽtionem non impediat, aut cum religione, quę Diuino officio debetur, nõ pugnet, nec alijs prębeat offensionem. Nec enim sine offensione aliorum in vijs, plateis, alijsúe locis publicis, & profanis recitari queunt, nec attentè, studiosè, & religiosè in ijs locis, in quibus frequentes sunt hominum conuentus, clamores, tumultus, & strepitus forẽses, siue profani.

Cap. XII.

De Attentione, quæ in recitandis precibus Canonicis iure communi requiritur.

SCiendum est, *in c. 1. De celebr. Missa.* constitui, vt studiosè, & deuotè Officium Diuinum, & nocturnum recitetur. Vbi Glossa: verbum, *studiosè*, ait ad pronunciationem exteriorem referri: *deuotè*, ad interiorem animi affectum. De hac re agit Nauar. *in tract. de orat. c.* 13.

Primò Quæritur, Quotuplex possit esse attentio? Respondeo cum S. Thoma 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. triplicem esse. Prima est, qua ad verba ipsa animum attendimus, ne in illis pronuntiandis erretur: Altera, qua ad verborum sensum animum attendimus: Tertia, qua attendimus, mentem ad finẽ nobis in ipsa Oratione propositum: atque hæc postrema in duas diducitur: aut enim est attentio, qua attendimus animum ad Deum ipsum, in quem tota oratio refertur; aut qua attendimus ad rem, quã precibus à Deo impetrare conamur. Et sicut mens orantis potest esse intenta Deo, in quem oratio dirigitur, sic etiam potest tota cogitatione inhærere in sacra Christi Domini natura humana, & in ijs, quæ ad ipsam spectant, per quæ mens sese erigit ad diuina, vt docet Caiet. 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. Nauarr. *de orat. cap.* 13. *num.* 35. Attentio itidem, quæcumque sit illa, tripliciter contingit: aut enim actu cogitamus, & animaduertimus, aut vi, & virtute alterius prioris attentionis, aut habitu dumtaxat in re aliqua attendimus. Proponam exemplum: Incipit quis Psalmum recitare, & in animo habet attendere; deinde verò nolens varijs cogitationibus huc, & illuc distrahitur; totus tamen Psalmus attentè recitatur, vi, & virtute primæ illius voluntatis, qua voluit attento animo Psalmum recitare, in ea enim voluntate perstitit, quia non sua sponte distrahitur, nec ab ea per actum contrarium recedit. Habitu verò is attendere dicitur, qui preces recitat vsu, quo recitare consueuit, nihil cogitando de eis, nec ad eas animum aduertendo: Et hæc attentio potest esse in dormientibus, & in agentibus aliquid solius imaginationis impulsu, vt rectè Gabriel *in Canone Missæ, lectione* 6. explicat. Dormientes enim ob assiduum morem, & vsum canendi, vel instrumenta musica pulsandi sæpenumero canunt, & digitos mouent, ac si fides, vel cythara, lyramúe pulsarent. Sic etiam contingit interdum, vt dormientes loquantur, & sua peccata confiteantur, & preces solitas rectient: Duo primi attentionis modi, ad preces Horarias sufficiunt: postremus minimè, quia absq; vllo voluntatis actu non rarò contingit, & præcepto, & legi minimè satisfacimus, nisi sponte, & voluntate seruemus, & impleamus.

Secundò quæritur, An prima attẽntio, qua animum attendimus ad verba, ne in his proferendis erremus, sit omnino necessaria ad satisfaciendum Ecclesię præcepto? Quidã affirmant, & addunt nõ sufficere secundam, & tertiam animi attentionẽ, si reuera prima desit. At negare videtur S. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 13. cum ait, satis esse, si adverba, vel ad sensum verborum attendamus: cui quidem sententiæ ego magis assentior. Et ita sentit *Caiet.* 2. 2. *q.* 83. *q.* 13. Sot *l.* 10. *de iust. q.* 5 *ar.* 3. Nauar. *de orat. c.* 13. *n.* 13 *& sequentib.* quamuis *in cap.* 20. *nu.* 28. contrarium significare videatur. Nam Oratio, quæ ad Deum funditur, magis in sententia verborum, quàm in sono ipso; & voce consistit: & Deus potiùs attẽdit ad id, quod dicere volumus, quàm ad id, quod ore profertur. Itẽ, Orare ideo iubemur, vt animum ad diuina attendamus. Dices, primam attentionem, qua attendimus animum ad verba, esse veluti fundamentum, & substantiam attentionum cæterarum. Item, eo ipso, quòd quis precari voce debet, & attente, præcepto quoque cogitur rectè proferre: at id facere non potest, nisi aliqua ratione curam adhibeat, ne in pronuntiando labatur. Respondeo: Si quis expertus esset, se perperam, & deprauatè proferre, curare aliquo modo deberet; ne in proferendo erraret. Qui tamen experimento nouit se in pronuntiando nõ labi, satis est, si ad sensum verborum animum attendat, vel ad finem ipsius Orationis, vel ad Deum, ad quem oratio refertur.

Tertiò quæritur, Quotuplex sit mentis distractio? Respondeo, duplicem esse; Vna est explicitè, siue expressim voluntaria, qua quis scienter mẽtẽ ab Oratione in alias res diuertit: Altera est, qua quis quadam iuris fictione distractus esse dicitur, eò quòd alia opera facit, quæ mentẽ, & animum necessariò distrahunt: Vt si quis dũ pensum Horarũ exsoluit, simul sponte sua scribat, disputet, pingat, vel legat: nam ad duo huiusmodi opera simul attentus esse non potest: ergo quia scienter prædicta facit opera, sua volũtate ab Horarijs precibus, in quibus deberet attendere, animum diuertit: & tùm prima, tùm secunda mentis distractio impedit, quo minus præceptum impleamus. Ex quo fit, vt Titius contra, aut præter suam voluntatem distractus cum recitat, præceptum seruare censeatur.

Quartò quæritur, Num ad satisfaciendum præcepto, satis sit voluntas, qua Titius codicẽ precationum Canonicarum de more manu capit, aut exemplum petit, suum Horarum pensum redditurus, quamuis postea preces recitet animo præter voluntatẽ distractus? Respondeo cum Nauarro *de orat. cap.* 13. *num.* 17. & cum Maiore 4. *d.* 12. *quæst.* 7. *post conclusionem* 4. satis esse: nã eo ipso, quo alterum

istorum more solito facit.in animo habet suum munus & officium præstare,& obire;& proinde debitam animi attentionem Horarijs precibus accommodat.

Quintò quæritur, An sint duo Ecclesiæ præcepta,vnum de recitandis precibus Canonicis; alterum de ijs recitandis attentè? Quidam affirmant: Sed probabiliùs,& veriùs, alij negant,dicentes,vnum tantùm esse præceptum:quod enim præcipit Ecclesia, est, vt preces Horariæ persoluantur; quod verò attentè recitentur, est præcepti modus,& circũstantia. Obijcies,duplex peccati genus in hoc cõmitti posse; vnum,si Clericus Horarum pensum non soluat:alterum,si scienter distractus preces Horarias recitet : Duo sunt igitur præcepta, & de recitando,& de benè & attentè recitando? Respondeo,hoc argumento solùm effici,vt præceptum de recitandis precibus Horarijs dupliciter violari contingat,& omittendo, & malè eas recitando:quo etiã modo, annuæ confessionis præceptum negligi dupliciter potest, videlicet, omittẽdo,& malè peccata confitendo.

Sextò quæritur,An qui sua sponte distrahitur, & toto animo in alia per cogitationem dispersо preces Horarias recitat, lethale peccatum committat;Et an Ecclesiæ præceptum impleat? Hoc idem est, ac si quæreretur; An decretum Ecclesiæ *in cap. Dolentes.de celebr.Missa.*interiorem mentis attentionem pręcipiat,an solùm exteriorem,ita vt solùm præcipiat, ne quis dum Ecclesiasticũ persoluit Officium,aliquid operis efficiat,quod animi debitam attentionem tollat , vel impediat? Duæ sunt opiniones. Prima tradit, *in eo cap.* solũ præcipi exteriorem attentionem,ac proinde nullum lethale peccatum admittere,& præcepto satisfacere Clericum, qui sola euagatione mentis vltrò distrahitur. Sic quidam iuniores,& citant Innocentium,Hostiensem, Ioannem Andream, Abbatem,& Anchoranum *in cap.Dolentes,citato.*Et proferunt Glossam *in Clement.1. De celebr.Missar.* Et Antonin.*part.3.tit.13,ca.4.§.7.* Angel.*Horar.num.28.* Siluest.*Horar.q.11.& in Rosa aurea,casu 9.* Rosel. *Horar.num.3.* Pisan.*Horar.num.3.* Durandum *4.dist.15,quæst. 12.num.6.* Palud.*4 dist.15.quæst.5.art.2.conclus.4.* duobus argumentis mouentur:vno,quod *in c.Dolentes,* dicitur,vt Clerici persoluant Diuinum officium attentè & deuotè,quantũ eis Deus dederit: quibus verbis consilium, non pręceptum dari videtur.Altero,quòd Ecclesia nec præcipit,nec vetat, nec punit simpliciter actus mentis interiores,ergo nec imperat internam mentis attentionem.

Opinio secunda affirmat, *in eo,cap. dolentes,* vtranque præcipi attentionem, interiorem nempe,& exteriorem, ac proinde Clericum lethaliter peccare,& minimè præceptum implere,qui sua sponte, quamuis sola animi cogitatione distrahitur: ita Caiet.*2.2.q.83 a.13.* Maior.*4.d.12.q.7* Naua.*de orat.cap.13.nu.19.* Sot.*lib.10.de iust.q.5. art.5. conclu.7.* Ledesm.*4.p.2.q.16.ar.6.dub.3.* Tabien, *Hor. q.30.* Gabr.*in Canon.Missæ,lection.62.* & S. Thom.*4.d. 15.q.4.art.2. q.4.ad.2.* Et hæc opinio est vera & amplectenda.

In hac quæstione tria sunt, de quibus meritò dubitatur. Primum est, an lethali peccato se ille commaculet, qui mente vltrò distracta recitat preces Horarias.Secũdum est,an is Ecclesiæ præcepto satisfaciat,ita vt preces non debeat repetere.Tertium est, an is fructus beneficij restituere cogatur, ita vt eos suos non faciat, perinde ac is, qui Diuinum officiũ omitteret .De primo quid quid alij dixerint, existimo eum lethale peccatũ admittere.Nec puto Innocentium,Hostiensem, Ioannem Andream, & Abbatem oppositum docuisse:quoniam licet dixerint, eum qui recitat preces Horarias animo distracto leuiter,non graiter peccare , loquuntur de eo,qui imperfecta quadam animi deliberatione distrahitur,non de eo,qui id scienter,& sponte sua facit. De secundo probabile multi putant, eum officium Diuinum repetere non cogi:sic videtur sentire Medi. *de Orat.q.16.*& Cordub.*in suis quæstionib.lib.4.q.13.ad finem de potest.Papæ,* quia licet is lethaliter peccet, diuinum tamen officium persoluit: sicut qui debitum soluit,& alienum restituit ex odio,& maleuolentia:& sicut is, qui per contemptum preces Horarias recitat.Item,quia non videtur contra præcepti substantiam,sed tantùm contra modum agere:nam preces recitat, quãuis malè. Sed mihi probabilius, & verius oppositum videtur. De tertio dicam *in c.14 quæst.8.*in præsentia sufficit dicere,aliquos opinari eum non cogi restituere fructus:quia restitutio fructuũ est pœna iure Canonico constituta in eos Beneficiarios,qui Diuinum officium omittunt. Si tamen oppositũ quis sentiat,cum Soto *lib.10.de iust.q.5.art.5.conclus. 6.*& cum Nauar.*de Ord.cap.20.nu.32.* probabiliter loquetur,ac sentiet. Et mihi hoc magis placet.

Si quæras, quid dicendum de eo, qui sponte confabulando,iocando, & alia similia faciendo, recitat preces Horarias? Respondeo,de eo posse etiam tria dubitari: Primum,an lethaliter peccet? Secundum, an præcepto satisfaciat, an potiùs repetere debeat preces. Tertium, an restituere cogatur fructus beneficij, perinde,ac si preces non recitasset. Probabilius existimo eum lethaliter peccare, & præceptum non implere,ac proinde fructus suos non facere: quonam existimo eum præcepti, & legis substantiam non seruare: nec enim peccat solùm contra modum legis,sed contra substantiam: lex enim præcipit, vt nihil exteriùs faciat is, qui preces Horarias recitat, quod debitam attentionem,penitus tollat,aut impediat.Secus verò est de eo, qui animo solùm sponte distracto, Diuinum officium persoluit:quoniam voluntaria hominis distractio exterior,videtur pręcipi directò: at interior solùm videtur imperari, vt modus præcepti indirectò.Fortassis,vt dixi,probabile est,quod Sotus & Nauarrus dixerunt, etiam eum, qui animo solùm distracto scienter,& sponte preces Horarias recitat, præcepto non satisfacere, & fructus debere restituere. Ad argumentum primum primæ sententiæ respondeo:Ecclesiam præcepisse attentionem internam animi, vt modum, & conditionem præcepti.Ad secundum verò eiusdem sententiæ argumentum respondeo, actus interiores mentis esse duplices : alij enim sunt simpliciter, & ex toto interiores, alij verò ex parte tantùm, videlicet,quia sunt modi quidam, vel conditiones,vel circumstantiæ cum actu exteriori coniunctæ.Ecclesia quidem non præcipit actus interiores,

riores, qui simpliciter, & absolutè in animo, & voluntate perficiuntur, atq; complentur; imperat tamen illos actus, vt sunt causæ, & origines, aut quatenus sunt modi, vel circumstantiæ actuũ exteriorũ. Verbi causa; Ecclesia indicẽdo ieiuniũ, simul præcipit, vt velimus ieiuniũ seruare: eodem modo præcipit, ne aliquid dolo, fraude, amore, vel gratia faciamus: ita planè idem cum præcipit Ecclesia, vt preces Horarias attentè, & studiosè persoluamus, est intelligendum, neque enim præcipit, vt mẽre oremus; sed vt oremus voce quidem, at studiosè, & attentè.

Septimò quæritur, An qui pensum Horarum exsoluit dum vestibus se induit, vel spoliat, vel faciem lauat, vel simile quippiam facit, peccet, & violet Ecclesiæ præceptum? Respondet Antoninus, *p.2. tit.3 §.3.* vix huiusmodi Clericum præcepto satisfacere. At Caietanus, Sotus, & Nauar. *locis citatis* negant, eum quicquam, aut saltem nõ nisi leuiter peccare, ac proinde concedunt præceptum implere: quippè eiusmodi opera cũ sint leuia, facilia, & consueta, nequaquam animi debitam attentionem impediunt.

Octauò quæritur, An qui attentè quidem, & studiosè recitat preces, sed in animo habet non satisfacere præcepto, debeat eas repetere, vt suũ Horarium pensum exsoluat? Respondeo, cum Medina *tract. de orat. q.7.* Nauar. *de ora. c.16. nu.74.* & Ledesm. *4. par. 2. q. 16. art. 6. dub. 6.* eum oportere. Nam si Titius debeat Caio decem aureos, & totidem ei liberaliter donet, non vt soluat illos decem, quos debet, cogitur eos decem reddere, eò quòd liberalis decem aureorum donatio non est debitæ pecuniæ solutio: ergo Titius si sponte preces reciter, habens in animo eas iterum recitare, vt Ecclesiæ præceptum seruet, non soluit pensum, quod debet. Item, si Titius donet Caio decem aureos, & postea recordetur, se illi totidem debere, non satis est, si velit, vt decem aurei quos ante donauerat, tanquam persoluti habeantur. Si quis etiam voto, vel iureiurando adstrictus quotidie preces recitare deberet, & eas recitaret animo, & voluntate non persoluendi votum, vel iusiurandum, eas repetere deberet, vt iusiurandum, vel votum seruaret. Dices, sufficere, si Titius voluntatem mutet, & velit, vt decem aurei, quos iam ante donauerat, non tanquam donati, sed tanquam soluti habeantur: & preces Horariæ ante gratis, & liberaliter recitatæ voto, & præcepto satisfaciant: nam Ecclesiasticum præceptum eo solo nititur, vt Canonicæ preces studiosè, & attentè recitentur. Deinde dices, alia videtur esse ratio de debito pecuniario, atque de voto, ac iureiurando soluendo, & seruando, aut de aliquo præcepto Ecclesiæ implendo: nam qui decem aureos debet, & totidem gratis, & liberaliter donat, adhuc debitor est decem aureorum, quia donatio non est debiti solutio: sed qui preces persoluit, præcepto, voto, & iureiurando videtur satisfacere, etiam absque animo & voluntate implendi præceptum, aut persoluendi votũ. Respondeo, aliquos his argumentis permotos asserere huiusmodi Clericum, de quo quærimus, Ecclesiæ præcepto satisfacere, sed verius est, quod alij docent, vt dixi, aiunt etenim eandem esse rationem de eo, qui rem imperatam facit, stans iterum facere, vt præceptum seruet, atque de eo, qui cũ decem aureos debeat, totidẽ liberaliter creditori donat: quia etsi necesse non est, vt cũ præceptũ implemus, expressim recordemur, aut expressim velimus illud implere; at oportet, vt cõtrariam voluntatẽ nõ habeamus: quia opus tuũ non vltra tuum animum, & voluntatem protenditur. Non enim præceptum exequeris, si contrariam voluntatem habeas, videlicet iterum faciẽdi, quod est tibi imperatum: quia nunc non vis præcepto satisfacere: imples tamen, si facias, quãuis nihil de mandato cogites.

Nonò quæritur, An qui per metum, vel per vim, vel per errorem, & ignorantiam preces Horarias soluit, præcepto satisfaciat? Respondeo, in primis, metu voluntarium non tolli: ergo qui metu pensum Horarum soluit, reuera præceptum implet. At quia violentia voluntarium tollit; qui per vim preces horarias recitat, non videtur præcepto satisfacere; sicut si violenter Titius rem diuinam audiret, aut ieiunium in dictum seruaret. Qui verò inscius, vel immemor præcepti Horarias preces recitaret, præcepto Ecclesiæ satisfeciſſe verè censeretur, cũ non habeat voluntatẽ contrariam non satisfaciendi, aut iterum preces recitandi; nec Ecclesia præcipit, vt scienter preces horarias ad Deum fundamus, sed solum, vt sponte nostra, & voluntate recitemus. Qui verò per errorem, & ignorantiam Diuinum officium persoluit, est quidem præcepti inscius, & immemor; sed sponte tamen recitat: SI QVAERAS, an qui tantum legit preces Horarias, satisfaciat præcepto? Resp. minimè, vt dixi *supra c.8. q.7.* Sic Nauarr. *de Orat. c 13. nu.15* nam qui legit, non orat.

Decimò quæritur, An qui preces Horarias fundit, & simul audit rem diuinam in die festo, quo die audire præcepto cogitur, legi, & præcepto de precibus recitandis satisfaciat? Hanc quæstionẽ infra diluemus, vbi de hac re duas referemus sententias, vnam, quæ negat; alteram, quæ affirmat, & nos hanc secundam semper secuti sumus; quoniam vno, & eodem opere duo præcepta simul implere possumus; & attentio, quæ in sacro audiendo requiritur, non impedit eam, quam horariæ preces requirunt, & postulant: quoniam vtrique præcepto satisfacimus, si animum ad Deum ipsum, resque diuinas attendamus, etiamsi nihil de verbis quæ dicuntur cogitemus. ROGABIS, an aliquo modo peccemus, si vtrumque eorum simul præstemus? Caietanus *in opusc. tom.2. tract.4.* affirmat veniale peccatum committi, quando id scienter fit, neque vlla subest iusta excusatio; alioqui nullum esse peccatum. Nauarrus verò *in Man. cap.21. nu.8. de orat. cap.16. num.71.* & Maior *in 4. d.18. q.8.* absolutè negant vllum peccatum admitti: Et hoc est probabilius & verius. In eo tamen conueniunt omnes, nihil esse peccati, si preces recitentur eo tempore, quo Sacerdos in Missę sacrificio summissa, & tacita voce Deum precatur.

Vndecimò quæritur, An in ijs precibus, quæ solum pietatis studio, & non ratione præcepti funduntur, requiratur mentis attentio, ita vt peccemus, si animo vltro distracto recitemus? Gabriel *in Can. Missæ lect.62.* negat vllum peccatum admitti: quod probat, quia eiusmodi preces vltrò recita-

mus, ergo non iubemur animum ad preces attendere. Hoc tamen Ledesmius *in 4.p.2.q.16.art.9.dub.* 2. refutat affirmans veniale saltem peccatum admitti. Idem quoque docent Sot. *lib.10. de iust.q.5.a.* 5.*concluſ.6.&* 7. Nauar. *de orat c.13.* & ratio huius est, quia oratio libera quidem est, ab ea enim vacare & cessare possumus; at eo ipso, quod funditur coram Deo, fundi debet prout ipsius orationis ratio & natura postulat, ac vt decet diuinam Maiestatem. Quemadmodum liberè quidem Regem, vel Principem aliquem adimus, & cum eo loquimur: at nihilominus eum adire, & alloqui debemus conuenienter eius honori ac dignitati: alioqui inurbani, agrestes, & rustici optimo iure censebimur. Illud tamen est animaduertendum, aliquando contingere, vt quis recitet aliquas preces non animo quidem & voluntate precandi Deũ; sed secum loquendi, se reficiendi, ac mentem aliò diuertendi: & tunc nihil penitus peccat, si preces recitet scienter animo cogitatione distracto: quẽ admodum si quędam alia secum loqueretur quispiam, vt mentem aliò deflecteret, & huc fortassis Gabriel spectauit.

Duodecimò quæritur, de eo, qui nihil animaduertens bonam partem Ecclesiastici officij persoluit animo varijs cogitationibus distracto, an scilicet repetere debeat? Respondeo, nihil repetere debere: nimirum, quia mentis distractio minimè fuit voluntaria. Sed quid de eo iudicandum, qui recitat, & postea penitus obliuiscitur id, quod ante recitârat? Hinc enim existunt, & surgunt multorum in animis scrupuli, qui cùm integrum Psalmum recitauerint, non recordantur amplius id, quòd recitauerant, & ideo repetunt, ac deinde obliuiscuntur, quod repetiuerint. Hisce scrupulosis hominibus mederi oportet suadendo eis, vt nihil repetant, alioqui si semel eis concedatur, vt dicta replicent, innumeris scrupulis aditus patebit: nam tertiò, & quartò, ac sæpius ite rata à capite recitabunt.

Cap. XIII.

De causis, quæ iustam precationum Canonicarum vacationem, & excusationem dare queunt.

COnstanter omnes docuere, quibusdam de causis Clericos immunes, ac liberos esse à lege, & præcepto recitandi preces Horarias: sed quænam illæ sint, inquirendum est.

Primò quæritur, an sit iusta excusatio infirmitatis, siue incommodæ valetudinis? Respondeo, ex communi omnium sententia, Clericos ob infirmitatem corporis, ex toto, vel ex parte liberari à penso Horarum Canonicarum. Sciendum tamen est, nonnullas esse corporis ægritudines, quę Clericos ab eo onere, & penso non soluunt, & eximunt: quia tantum incommoda quadamvaletudine corpus afficiunt: quales ferè sunt capitis, pectoris, aut stomachi dolores. Deinde sunt aliqui morbi, qui ad tempus tantum iustam excusationem afferunt: qualis solet esse quartana febris inueterata, aut leuis Tertiana non multum vexans; vt docet Nau. *de orat.c 11 nn.3.& in Man.c.25. nn.100.* SI QVAERAS, an qui Quartana febri laborat, vel qui credit se aliquo impedimento implicandum, quo minus suo tempore possit preces Horarias recitare debeat tempus præuenire, & officium diuinum, ex toto soluere; Meo iudicio si ante vel post impedimentum potest commodè totum officium persoluere, id præstare debet: Secus, non item.

QVAERES igitur, qualis, ac quanta infirmitas sit, quæ Clericum ab eo onere liberet? Resp. eam esse, quæ corporis valetudini grauiter nocet.

QVAERES deinde, quid faciendum, quando dubitatur, sit nec ne infirmitas grauis? Resp. si commodè præfectus vel Superior adiri possit, peréda est ab eo Indulgentia, per quam lege soluamur, aut consulendus est medicus, cuius consilio, & iudicio de morbi grauitate standum est. Si petas, an cùm de morbi grauitate dubij sumus, solùm sufficiat Medici consilium, vt à penso Horarum liberemur, anverò interuenire quoque debeat Superioris auctoritas, qui nos indulgentiæ beneficio excipiat a lege? Sotus *libr.10. de iust. quæst.5.art.3.* videtur innuere, requiri etiam superioris assensũ, & nutum. Nau. *de orat.c.21 nn.16.& c.11.nn.4.* docet solùm Medici iudicium sufficere, quia etiam cùm ambigimus, an ieiunium seruare debeamus, satis est Medici consilium, de grauitate morbi iudicantis, & quia ita est vsu receptum: nam Medici tantum consilium petitur. Sed enim cùm dubium, & incertum nobis est, corporis valetudini nocituráne sit precationum Canonicarum recitatio; Medici consilium sequi debemus, qui si iudicauerit eam graue damnum allaturam corpori, liberi sumus à lege: atque hęc fuit Nauarri sententia: nõ quia Medicorum sit à lege nos soluere, sed quia eorum est, iudicare de morbi grauitate, vel leuitate, quibus grauem morbum esse dicentibus, corporis valetudini consulere nos oportet. Quemadmodum si Medicus senserit certum quẽdam cibũ esse lethiferũ, ab eo abstinere debemus, nõ quod Medicus ipse nobis legem constituat; sed quòd cibos salutares, aut è contrario insalubres, & noxios ostendat. Si verò consilio, & iudicio Medici res adhuc dubia, & incerta sit, tunc requirendus est à Superiore assensus, quo à lege eximamur: & in hoc locum habet, quod dixit Sotus: est enim necessaria superioris indulgentia, cuius est legis immunitatem, & vacationem Horarum concedere, non Medici.

Secũdò quæritur, An qui morbi causa Diuinũ officiũ cõmodè persoluere nequit, debeat saltem aliũ audire illud recitantẽ? Gerardus, quẽ proferũt Sylueſter, Nauarrus, & alij, affirmabat eiusmodi ægrotũ audire aliũ recitãté debere, quoties cõmodè posset audire, & nõ recitare: Cõstans est tamẽ omniũ opinio, ea lege minimè teneri: neq; enim vllus extat Canõ, quo id præcipiatur, neq; ratio, quæ id suadeat. Ita Nau. *de or.c.11.nn.6* Silu. *Hor. q.4.* ex Inn. & Ab. & alijs *in c.dolẽtes & c.1.de cel. Miſſ.*

Tertiò quæritur, an cœcus iustã habeat excusationẽ? Resp. in cœco, ex parte, non aũt ex toto iustã esse excusationẽ cœcitatis, cũ legere nequeat, at si cõmodè potest sibi sociũ adsciscere, qui cùm officium persoluat, debet ei se adiungere, vt ait Nau. *do orat.c.11.num.* 13.

Quartò quæritur, An infirmus eo ipso, quòd est immunis, & liber ab officio Horario ex toto recitando, sit etiam liber ab eodem ex parte persoluendo? Hanc quæstionem tractat Nauar *de ora.*

quia

cap.11.nu.6. & sequentibus. Causa quæstionis hæc est, quia qui totum soluere aut præstare non potest, quod debet, vel quod vouit, aut quod promisit, iurauitue; debet ex parte implere, si commodè possit. Qui etiam totum quadragenarium ieiunium, quod proximè ante Pascha recolitur, seruare non potest, debet quibus diebus potest: & qui in die ieiunij semel tantùm edere nequit, debet se ab esu carnium continere: qui etiam certo die se in iudicio non sistit, aut debitum non soluit, vti oportet, debet id præstare primo quoque tempore opportuno: ergo, à simili, infirmus, qui totum Officium Ecclesiasticum persoluere nequit, debet partem, quam potest. Respondeo, in primis in hunc modũ, aut infirmus potest maiorem sui pensi partem reddere, aut secus. Si primum, debet eam partem persoluere, & hoc conficiunt argumenta proposita. Si secundum, tunc liber est à lege recitandi quamlibet Diuini officij partem: neque enim lex omnis, qua quippiam debemus efficere, obligationem affert quamlibet etiam minimam partem faciendi. Veluti si quis lege aliqua cogitur Romã ire, non debet medium iter facere, si ad eam nequeat peruenire: nec qui in die festo rem diuinam audire non potest, debet quãlibet eius partem minimam audire. Sunt autem multa, quæ si ex toto persolui nequeunt, possunt, & debent per partes, quod in debitis pecuniarijs contingit. Alia verò sunt, quæ licet in totum præstari non possunt, debent tamen in partem, quando maior pars solui commodè potest. Denique alia sunt, quæ si omninò reddi nequeunt, nec partim quoque solui debent, præsertim vbi partes sunt minimæ, Sic Nauar. *de orat. cap. 11. nu. 16. & seq.*

Quintò quæritur, An infirmus, vt cæcus, qui preces Horarias legere nõ potest, debeat salté eas recitare, quas memoria tenet? Respondet Nauar. *de orat. cap. 11. nu. 15.* Si ea maiorem partem precationum efficiant, debere; alioqui minimè, quia cum memoria teneat, easque solitus sit recitare memoriter, nihil morbo cæcitateue impeditur; Sot. *lib. 10. de iust. q. 5. a. 3. concl. 9.* dubitat an qui memoria officium Diuinum teneret, id memoriter recitare cogeretur? Sed probabilius est, eum præcepto, & lege teneri: quia cum possit præceptum implere, eo ipso debet. Quare si ob morbum, vel cæcitatẽ, nullam partem precum commodè recitare possit, absolutè, & simpliciter est liber à lege: secus, si possit.

Sextò quæritur, An infirmus debeat socium sibi adhibere, qui cum Horarium pensum soluat, si solus sibi ei muneri non sufficiat? Respondet Nauarrus *de orat. cap. 11. num. 19. & num. 13.* Si facilè sibi socium adhibere queat; debere: alioqui minimè: siquidem quod per amicos possumus, id per nos posse meritò censemur.

Septimò quæritur, An infirmus postquam è morbo conualuerit, debeat preces repetere per morbum intermissas? Constanter negant omnes debere: quod quidem ipsa etiam Ratio persuadet; quia quotidianum Horarum pensum est institutum ob singulorum dierum honorem, & cultum, ergo exacto die, quicumque sit ille, lex quotidiani eius pensi soluendi extinguitur, ac proinde non ampliùs reuiuiscit; ita Sil. *Hora. q. 4.*

Octauò quæritur, an ægrotus supplere debeat Horarias preces per alias, quas citra vllum incõmodum, recitare potest dum malè valet? Angelus *Hora. num 4.* insinuat debere; At Siluester *Hora. q. 4.* absolutè, & simpliciter negat. Nauarrus *de orat. cap. 11. num. 19.* distinguit: quòd ad ius quidem Canonicum spectat, ea lege non tenetur; quod ad diuinum verò ius pertinet, tenetur. Angelus quia multorum opinionem secutus, senserat iuris esse diuini beneficiarios ratione beneficij accepti debere pensum Horarum reddere, sensit quoque probabiliter ægrum, qui non potest preces horarias recitare, id alijs debere precibus compensare. At Siluester quia senserat, tantùm esse iuris Canonici, vt pensum Horarum Clericus soluat, meritò quoque sensit infirmum eo ipso, quod ab eo onere liber, & immunis est, liberari quoque à lege, & præcepto quarumlibet aliarum precum recitandarum, & hoc verius videtur.

Nonò quæritur, An Romani Pontificis auctoritate possit Beneficiarius Clericus absolui à lege preces Canonicas recitandi? quod est quærere an Romani Pontificis Indulgentia, qua Clericum ab Horario penso liberat iustam excusationem det? Duæ sunt opiniones, quarum prima negat, & est Angeli Abbatem secuti, Turrecrematæ itidem, aliorumque paucorum, quos id argumentum permouit, quòd Beneficiarius naturali iure cogatur Horarium pensum soluere. Nam beneficium propter officium datur, ergo ea conditione, & lege Clericus beneficium habet, vt Ecclesiasticum persoluat officium: item, quia debet orare Deum pro ijs, qui sua bona Ecclesiæ dederunt, ex quibus sunt Beneficia fundata, & erecta & hæc lex est iustitiæ. Insuper, quia iuris Diuini est, vt septies Clericus oret quotidie, iuxta illud in Psal. 118. *septies in die laudem dixi tibi.* Quod si eis opponas; tantùm iuris esse Canonici, vt preces Horariæ à Clericis recitentur. Respondent illi, id quidem Iure Canonico esse constitutum videlicet, quod attinet ad modum, & formulam orandi: sed nihilominus etiam iuris esse naturalis officium Diuinum persoluere; Ius etenim scriptum, certum modum, & ritum preces recitandi præscripsit. Sic Abbas *in cap. 1. de celebrat. Missar.* Turrecrem. *cap. Eleutherius dist. 91. quæst. 5.* Angel. *Hora. q. 5.* Rosel. *Hora. num. 13.*

Secunda opinio affirmat, quæ placuit Siluestro, *verbo Hora. q. 8.* Tabien. *Horæ Canonicæ. quæst. 15.* Nauar. *tractat. de orat. cap. 11. num 31.* Armil. *Hora. num. 11.* Hanc opinionem, ante eos defenderant Guilielmus de monte Lauduno, Io. Lignanus, & Cardinalis *in Clem. 1. de celebrat. Missarum,* Hæc sententia mihi quoque placet. Nimirum, Clericus, quamuis beneficium acceperit vna cum penso, & onere precum Canonicarum, id tamen oneris est impositũ Canonica lege tantummodo, quæ lex Romani Põtificis indulgẽtia, & auctoritate, ex toto, vel ex parte abrogari, aut relaxari potest habet enim plenã auctoritatẽ Romanus Pontifex in ijs, quæ iure tantùm Canonico sunt constituta.

Decimò quæritur, An similiter Clericus sacris ordinibus initiatus Romani Pontificis beneficio possit eximi à lege, & præcepto preces Canonicas recitandi? Angelus item, cum Abbate negat, ratus scilicet iuris esse diuini, vt septies in die Clericus Deũ oret, ac proinde nõ posse Romanũ

Pontificem eiusmodi lege liberare: quamuis concedere queat, vt hoc vel illo vtatur modo precãdi. Sed verius est, quod Siluester docuit, *in verbo Hora. q.4* id non esse iuris Diuini, ac proinde posse Clericum Romani Pontificis concessu excipi à lege iam dicta.

Vndecimò quæritur, an etiam Episcopo ius sit ab ea lege Beneficiarios aliosue Clericos eximẽdi? Vna est omnium opinio contra Gerardum, vt docet Nauarr. *de orat. c.11. num.24.* ex Innocentio, Hostiensi, Ioan. Andrea, Abbate, & alijs, penes Episcopum id iuris non esse, quippe qui iuri cõmuni Canonico derogare ex toto, vel ex parte nequit; præterquam in ijs, quæ iure ipso, aut consuetudine, vel præscriptione permittuntur. Episcopi tamen est hanc vel illam precandi formulam approbare, *vt colligitur ex cap.1. Dist. 91.* Potest itidem Episcopus Clerico iure communi concedere, vt hac vel illa precandi formula approbata vtatur. Dixi *iure communi*, quoniã iure nouo à Pio Quinto constituto minimè potest.

Duodecimò quæritur, An Episcopus Indulgens puero septem annos egresso, vti beneficium simplex habeat, simul etiam concedere queat, ne recitet preces Canonicas? Gerardus item affirmabat. Sed negat communis opinio, vt Nauarr. *de orat. cap. 11. num. 24.* testatur. Nam Episcopus ius commune relaxare non potest nisi in casibus iure ipso communi permissis, aut consuetudine concessis. Porrò est hic animaduertendum, olim iure communi potuisse Episcopum beneficium simplex conferre eiusmodi puero: at post Concilium Tridentinum amplius nõ potest: eò quod ad quodlibet beneficium simplex obtinendum, exigit in Clerico quatuordecim annorum ætatẽ, vt habetur Sess. 23. *cap 6. de reformat.* Sed dubiæ adhuc quæstionis est, an si Romanus Pontifex puero Beneficium det, quia rigorem iuris in hac parte vult relaxare, conferendo in puerum ante debitã ætatem Beneficium, eo ipso relaxet etiam ius, ita vt eum puerum liberet, ac soluat à lege de recitãdis precibus Horarijs? Respondeo, si Beneficium conferat scienter infanti ante septennium, siue antequam sit rationis compos, videtur eo ipso, ius remittere, ne ille infans preces Horarias recitet. Item, si conferat puero quẽ scit, nescire legere Latinè, videtur eo ipso relaxare ius, & legẽ de recitandis precibus Canonicis: quoniam puer ille cum legere Latinè nesciat, recitare preces Horarias non potest, & hoc nouit Pontifex, cum in illum Beneficium cõtulit, ergo eo ipso, soluit eum à lege de precibus recitandis. Tertiò, si beneficium confert puero rationis compoti, & septẽnium egresso, non eo ipso, liberat eum à penso Horarum Canonicarum: quoniam non cui vnũ priuilegium Princeps concedit, eo ipso concedit alterum, hoc autem in casu, duo sunt priuilegia, vnum, quia cõfertur beneficium puero nondum iustam, & debitam ætatem habenti: alterum, quia solueretur puer à lege de recitãdis precibus Horarijs: ergo non eo ipso, quo primum conceditur, censetur secundum concessum. Item non eo ipso, quo quis soluitur ab vna lege, aut ab vno vinculo, soluitur ab altero, quoniam plus est, solui aliquẽ à duabus legibus, & vinculis, quam solui ab vno vinculo, & lege. Vnde fit, vt eiusmodi puer debeat preces Horarias recitare: quòd si nescit Latinè legere, debet operam, & diligentiam adhibere, vt discat Latinè legere, vel impetrare à Romano Pontifice priuilegium, quo ab ea lege soluatur. Nec sufficit, si dicat supplicatum esse Pontifici, vt suppleret ætatem pueri, quia hoc solùm est supplicare Pontifici, vt puerum soluat à lege; quã iustam, & debitam ætatem deberet attingere ad beneficium habendum. Ergo nisi Pontifici etiam supplicetur, vt soluat puerum à lege de precibus Canonicis recitandis, & ipse Pontifex id concedat, puer debet Diuinum officium recitare.

Decimotertiò Quæritur, An iuuenis dum literarum studijs operam dat, quique per Vicarium substitutum inseruit Ecclesiæ, liber sit à lege Horarum Canonicarum? Quidam affirmant permoti auctoritate Abbatis antiqui, & Archidiaconi *in c. Eleutherius. d.91.* Sed communis sententia nequaquam eum tali onere liberat. Nauarr. *de oratione cap. 11. num. 32.*

Decimoquartò quæritur, An peregrinatio iustè & legitimè suscepta ad certa loca pia, & religiosa, iustam præbeat excusationem precum Canonicarum, quando Beneficiarius per alium sui loco subrogatum Ecclesiæ deseruit, in qua est illud beneficium? Quidam affirmant. Sed Nauarrus *de oratione capite 11. num 33.* negat, & merito: nam pensum Horarum eiusmodi est personale, ac proinde quisque per se ipsum debet id persoluere.

Decimoquintò quæritur, An grauis aliqua occupatio, quæ solet interdum accidere, iustam afferat excusationem? Respondeo, cum Henrico *quodl. 15. q.12.* Maio. *4. d.12. q.6.* Nauarr. *de orat. cap. 11. num.34.* afferre, si absque offensione aliorum ea occupatio prætermitti, aut in aliud tempus commodè reijci, & differri nequeat: vt si opus esset populum, vel exercitum tumultuantem sedare, vel concionem habere ad plebem, vel pœnitentium confessiones audire, aut publicè docere, aut disputare. Illud tamen oportet animaduertere, huiusmodi occupationes aliquando ad breue tempus esse tantùm, aliquando ad longum, & diuturnum tempus. Si primum, minimè Clericum liberant ab Officij Horarij penso, nam eo elapso tempore Diuinum est officium persoluendum, vel antè, quàm occupationibus Clericus implicetur, debet preces Horarias recitare. Si secundum, sit ita, vt tales occupationes frequentes sint & assiduæ, iustam dare possunt excusationem.

Decimosextò quæritur, An Clericus codice Horariarũ precũ carens, absq; peccato Diuinũ Officium prætermittat? Respõdeo, fieri posse, vt quis longum iter suscipiens, per obliuionem domi codicem relinquat, nec postea in itinere commodè illum, aut alterum habere possit: & hic iustam habet excusationem: & idem planè iuris est si iter faciendo codicem amiserit, nec potuerit ad locũ peruenire, vbi illũ, vel alterum nanciscereturQVAERES, quid dicendum sit de eo, qui culpa sua, vel domi reliquit codicẽ, vel in itinere perdidit? Resp. peccasse quidẽ relinquendo, vel amittẽdo, sed postea nõ alio peccato ille se obstrinxit, cum Officium Diuinũ prætermittit, quia co-

dicem

dicem eiusmodi, nec habet, nec habere commodè potest.

Decimoseptimò quæritur, An qui ad subdiaconatum promouetur, debeat eo die, quo sacrum ordinem suscipit, recitare preces omnes Horarias, incipiens à Matutinis, Laudibus? Respondeo, satis esse, si incipiat recitare eas preces, quæ cõueniũt horę, in qua est Subdiaconus factus; sufficit igitur, & debet incipere à sexta vel Nona, vel Vespertinis precib. iuxta horã, in qua est ordinatus.

Decimooctauò quæritur, An qui promouetur ad sacrum ordinem, vel beneficio Ecclesiastico præficitur, peccet id accipiens antequam codicem precarium nactus sit; & an peccet accipiens, antequam didicerit preces Horarias, & Canonicas recitare? Asserit Nauarrus *de orat. cap.* 11. *nu.* 20. eum peccare; licet postea denuo non peccet minimè recitans; quia nec habet codicem, nec habere potest: aut quia nondum recitare nouit, aut didicit, nec socium sibi commodè potest adhibere, à quo dirigatur, vel adiuuetur, vel doceatur: quod sic probat ille: quia nemini licet id officij, aut muneris suscipere, ad quod ob inscitiam idoneus nõ est. Nihilominus fieri etiam potest, vt nil plànè peccet, vt si is, qui ordinem Sacrum, vel beneficium suscipit, bona fide putet, se statim post Ordinem, vel Beneficium, habiturum codicem pretio emptum, vel commodato acceptum, vel donatum ab aliquo. Item, si bona fide credat se statim opportuno quoque tempore recitaturũ preces. Id verò quod Nauarrus dixit, locum habet in eo, qui huius bonæ fidei præsidio destitutus, ad Ordinem, vel Beneficium accedit. Si QVAERAS quid dicendum de eo, qui Beneficium impetrat cum nescit Latinè legere? Resp. eum peccare; quia non est ad Beneficium idoneus: & debet statim diligentia adhibita curare, vt discat Latinè legere, si ad discendum fuerit aptus: aut debet Beneficium obtentum deponere; quia est Beneficio indignus, quippe qui est illiteratus.

Decimononò quæritur, An metus mortis iustam Officij Diuini excusationem mereatur; veluti cum Clericus transiturus est per medios latrones, aut per medias Hæreticorum prouincias: quod si preces horarias recitet, & deprehendatur, in certum & euidens vitæ discrimen sese obijcit? Respondeo, mereri: nam quemadmodum ob morbum grauem, & periculosum soluitur quis lege seruandi ieiunij, aut soluendi Diuini officij pensum; sic etiam ob metum mortis verosimiliter sibi impendentis: nam talis metus nos eximit, ac liberat legibus humanis, eò quòd Ecclesia, vel Respublica nolit nos sibi tam strictè; ac seuerè obligare. Idem iuris est de Clerico apud Turcas, vel Saracenos captiuo, vel in eorum triremibus remigante: de Clerico item in hospitium inimicorum diuertente.

Vigesimò quæritur, de eo, qui ob cantum ipsum in choro occupatur, & impeditur, quo minus preces Horarias recitare queat? Respondeo, iustam esse huiusmodi occupationem, qualis est in perquirendis Psalmis, Antiphonis, Lectionibus, Responsorijsque, vel libris ex vno loco in alium transferendis; vel in thure ad altare deferendo, vel in alijs similibus, quæ ante Officiũ Diuinũ fieri commodè, aut præparari nequeũt. Anton. *p.* 2. *tit.* 9. *c.* 12. § 3. Nauar. *de orat. c.* 11. *num.* 36.

Cap. XIV.

De Restitutione fructuum ob Ecclesiasticum officium prætermissum.

PRimò quæritur, an Beneficiarius sciẽter preces Horarias prætermittens debeat iure naturali, aut communi iure Canonico, & antiquo restituere fructus beneficij? Olim ante Concilium Lateranense, sub Leone X. coactum, duæ fuerunt opiniones; quarum vna affirmabat naturali iure, & communi eum ad restituendum compelli: quam sententiam amplexi sunt Calderinus *in cap.* 1. *de celeb. Missa.* Anchara *in Consi.* 228. Geminia. *cap. vlt. de rescrip. in* 6. Iason. *in l. penult. C. de testam.* Bal. *in l.* 1. *C. de ijs, qui vt indigni.* Angel. *Hora. num.* 11. Couarr. *lib.* 3. *varia resolut. cap.* 13. *num.* 13. sic etiam videtur sentire Sot. *l.* 10. *de iust. q.* 5. *ar.* 6. Quibus ea ratio persuasit, quod datum ob causam, ea non secuta, iure repetitur: sed Beneficium propter Officium confertur. *cap. vlt. De Rescript. in Sexto*, ergo Beneficiarius, qui Officium prætermittit, sibi fructus beneficij non acquirit.

Secunda opinio docebat, iure communi Beneficiarium non cogi restituere fructus Beneficij ante Iudicis condemnationem; meritò tamen Iudicis auctoritate ad rẽstituendum condemnari. Ita sensit Abbas *cap.* 1. *de celeb. Missarum*, cuius sententiam. Siluester *in verbo Clericus* 4. *q.* 23. Rosel. *Clericus. 4. num.* 23. & Tabien. *in verbo Beneficium. 3. q.* 11. Armil. *Beneficium, num.* 96. *& in verbo. Clericus num.* 27. Nauar. *de orat. cap.* 7. *num.* 31. *& cap.* 10. *num.* 37. probarunt: qui etiam proferunt Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, Ioannem Lignanũ, Butrium, & Zabarellam: atque hæc opinio verior visa est, nam ante Lateranense Concilium prædictum, nullo iure communi Beneficiarius restituere cogebatur. Quod verò obijciebatur; Datum ob causam, ea non secuta, non subsistit: ita soluitur; dicimus enim, iuris tantùm esse Canonici, vt Beneficiarius Horas Canonicas recitet, & vt beneficium propter officium conferatur; ergo fructuum restitutio ob prætermissum Officium, sola Ecclesiæ auctoritate, non iure Diuino, aut naturali debetur. At Ecclesia non constituit, vt Beneficiarius prætermittens officium, ipso facto sit fructibus priuatus, sed vt Iudicis officio priuari queat, & debeat.

Secundò quæritur, An extet nouũ aliquod ius scriptũ vt Horariũ pẽsum omittens, eo ipso debeat fructus beneficij perceptos restituere? Duæ sunt opiniones auctorum; vna docet eiusmodi ius nouũ extare, quoniã in Lateranensi Concilio sub Leone Decimo celebrato *sess.* 9. §. *statuimus*, edita est Cõstitutio, in hæc verba: *Statuimus, vt nemo beneficiũ curatũ, aut simplex habens, qui elapsis sex mensib. ab eius consecutione, sine legitimo impedimento Officiũ Diuinũ recitare omiserit, pro tẽpore quo nõ recitauit, fructus suos faciat: immo eos impendere tanquã rem iniustè captam, in fabricam Ecclesiæ, aut eleemosynas pauperũ teneatur.* Hæc ibi; quam sententiã Nauar. *in Man. c.* 25 *n.* 122. *& de orat. c.* 7. *num.* 32. Couar. *l. var. resolut. cap.* 13. *n.* 10. Cordub. *in summa casuũ. q.* 33. secuti sunt. Altera opinio negat etiã extante eiusmodi Concilij Lateranẽsis Decreto, restitui debere fructus beneficij: quã opinionẽ Sot. *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *a.* 6. approbauit, ratus eã Concilij,

Latera-

Lateranensis Constitutionem non esse vsu, & more receptam. Et Sotum sequuti sunt in Hispania quidam viri pij, & docti. At enim quamuis Sotus id dixerit, Pius Quintus Constitutionem edidit, quæ incipit: *Et proximo Lateranensi Concilio*, quamque Nauarrus *in suo Manuali, cap. 25. num. 122.* ponit ad verbum: in qua confirmatur Concilij Lateranensis Decretum; vbi præcipitur, *vt beneficiarius Officium Horarum prætermittens, in foro conscientiæ restituat fructus beneficij perceptos, pro rata officij prætermissi: nimirum, vt qui vno vel pluribus diebus omiserit omnes Horas Canonicas, restituat fructus beneficij, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur. Qui verò Matutinum tantum omiserit, dimidiam partem, qui omiserit ceteras Horas omnes, aliam dimidiam: qui verò harum singulas omiserit, sextum partem fructuum eiusdem diei amittat.* Hæc ibi Pontifex. Nec est, quod dicas, huiusmodi Constitutionem non esse vsu receptam: quia viri pietate, & doctrina clari censent restitutionem fructuum deberi iuxta eam constitutionem.

Tertiò Quæritur, An Beneficiarius omittens preces Canonicas, post sex primos menses ab obtento beneficio, restituere debeat fructus quos percepit, respondentes illis diebus? Sotus arbitratur, debere illum restituere non quidem fructus integros, & pro rata Officij prætermissi, sed arbitrio boni viri; ac proinde censet prædictum Concilij Lateranensis decretum Librariorum vitio fuisse corruptum: absurdum enim existimat Beneficiarium, qui vsque ad sex menses ab accepto beneficio, Diuinum Officium non persoluit, nulla restitutionis pœna affici. Quare conijcit legendum non esse, *post sex menses*, sed, *per sex menses*, ita vt ea fuerit mens Concilij, quod qui per sex menses, hoc est, quicumque sex mensium tempore Officium Diuinum non soluerit, solùm debeat fructus restituere pro rata: elapsis verò sex mensibus, si post admonitionem quindecim diebus bis non orauerit, beneficio priuetur. Alioqui, inquit, si legamus, *post sex menses ab obtento beneficio*, & non *per sex menses*, duo absurda, & incommoda sequentur: vnum est; Nimia indulgentia Concilij, & Iuris relaxatio, vt Beneficiarius nempe per sex menses Diuini officij, preces non recitans, nihil restituere cogatur: Alterum est incommodum, quòd verba ipsa Concilij, quæ sequuntur, minimè cohæreant cum ijs, quæ antecedunt, cum dicitur: *Si verò vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur; cum propter officium beneficium detur.* Ea enim, inquit, verba, *in simili negligentia*, apertè significant negligentiam priorum sex mensium fuisse; ac proinde eum, qui intra illos sex menses preces Canonicas, non perorauerit, restituere debere.

Quidam alij. contra Sotum, quidem volunt Concilij textum, non esse vitiatum, & legendum esse, *post sex menses*, non vt Sotus legit, *per sex menses*: sentiunt tamen, Beneficiarium intra sex menses ab obtento beneficio non recitantem preces Canonicas, compelli ad restituendum fructus pro rata officij prætermissi. Eo ducti argumento, quòd beneficium, est merces, & stipendium laboris; ergo Beneficiarius non laborans, fructus beneficij minimè facit suos. Sed reuera Sotus hac in parte merito reijcitur: nam omnes Codices Concilij constanter legunt, *post sex menses*, & ita in prædicta Pij V. Constitutione eadem verba ex Concilio Lateranensi fideliter referuntur. Neque verò ea incómoda, & absurda superiùs proposita, quæ colligit Sotus, si decretum Concilij Lateranensis legatur sic, post sex menses ab obtento beneficio, sequuntur, vt statim indicabimus. Præterea, multo probabilius docuit Nauarrus, Beneficiarium intra primos sex menses ab obtento beneficio, Diuinum Officium prætermittentem, nulla pœna restitutionis affici: quia huiusmodi pœna non iure naturali, vti Sotus, alijque putarunt, sed Ecclesiæ tantùm lege debetur. Ecclesia autem noluit per semestre tempus eam pœnam Beneficiarijs irrogare, vt primum illud semestre sit Beneficiario datum tanquam inducia, vt Diuinum Officium benè, & conuenienter addiscat; ac proinde non est nimia Concilij indulgentia, nec magna Iuris relaxatio; non enim relaxat Synodus ius aliquod naturale, vel diuinum, sed impune concedit primum illud semestre. Hinc etiam efficitur, vt verba sequentia antecedentibus cohæreant: ita vt Concilij sensus sit: Beneficiarius intra sex menses Diuinum officium omittens, non cogatur fructus restituere: post sex verò menses compellatur ad restituendum pro rata: item si post sex menses prius monitus contumaciter in simili negligentia perstitat, ita vt quindecim diebus bis non peroret, beneficio spoliari queat.

Quartò quæritur, An qui intra primum semestre ab impetrato beneficio preces Canonicas scienter prætermittit, lethaliter delinquat? Respondeo, lethaliter peccare; nam in Constitutione prædicta Pij Quinti sic habetur: *Item, ille qui primis sex mensib. Officiũ non dixerit, nisi legitimum impedimentũ eum excusauerit, grauè peccatũ se intelligat admisisse.*

Sed obijciunt quidam, inde colligi, vt Beneficiarius debeat fructus restituere, aut pro rata officij prætermissi, aut saltem arbitrio boni viri. Nam si grauiter peccat Officium non persoluens, ideo est, quia non soluit pensum, quod reddere iustitiæ legibus compellitur. Respondeo, solùm iure Canonico eum debere, & preces horarias recitare, & fructus restituere, si officium omiserit. At Ecclesia intra primum semestre voluit quidem Beneficiarium compellere ad Officium Diuinum persoluendum; noluit tamen omittentem preces tam seuerè mulctare, & punire, vt fructus restituere cogeretur.

Quintò quæritur, An Beneficiarius Horas Canonicas prætermittés, possit tuta conscientia eã fructuũ partẽ retinere, quã eius labor, quo alioqui inseruiuit Ecclesiæ meretur. Ponã exemplum: Titius est parochus; & pœnitentiũ audit confessiones, habet cõciones ad popnlũ, ægrõtos inuisit, sacramenta ministrat, ac similia præstat officia pietatis, sed preces Horarias nõ recitat. Quæritur, an pro rata officij prætermissi debeat fructus restituere, an potiùs iure possit eã partẽ retinere, quam eius labor meretur? Pari ratione Titius est Cappellanus, qui debeat ter, vel quater, singulis mensibus rem Diuinã facere, quod reuera præstitit; sed Officiũ Diuinũ omisit, quæritur, an in integrũ cogatur fructus ex Cappellania perceptos

restitue-

restituere pro rata officij prætermissi. Ante Concilium Lateranense communis erat opinio, quâ dixi, Beneficiarium, qui non recitabat preces Canonicas, tuta conscientia sibi potuisse retinere partem fructuum, quam eius labor merebatur: quia eam partem sibi retinebat tanquam debitam sui laboris mercedem; cuius opinionis fuit Angelus, Siluester, & alij. Immo etiam nunc post Concilium Tridentinum multi censent Paro chũ posse eã partem sibi tuta conscietia retinere, vt debitum operæ stipendium. Sed certè post dictum Lateranense Concilium, & Pij Quinti Constitutionem meo iudicio, nisi fallor, amplius dubitare non licet, quin eiusmodi Beneficiarius debeat fructus omnes restituere, pro rata officij prætermissi. Quoniam hæc restitutio integra fructuum est iure Canonico constituta in eos, qui Diuinum Officium omittunt. Item, quia generatim irrogatur omnibus Beneficiarijs, & vbi ius nihil distinguit, nec nos distinguere debemus. Insuper, quia huiusmodi restitutio, potiùs est conditio secundum aliquos, sub qua Clerico Beneficium datur, quàm pœna, quæ imponitur contrarium facienti. Postremò, quia in Constitutione Pij V. planè statuitur, vt quicumque habet beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses, quàm illud acceperit, Diuinum Officium prætermiserit, Beneficiorum suorũ fructus; pro rata omissi Officij restituat.

Sextò quæritur, An qui duo, vel plura beneficia legitimè possidet, nec Diuinũ persoluit Officium post sex menses ab illis sibi collatis, debeat restituere pro rata, fructus omnium Beneficiorum? Respondeo, debere, quoniam quemadmodum, qui recitat, omniũ fructus Beneficiorum acquirit, & facit suos; ita qui non recitat, omnes amittit. nec potior ratio est, cur vnius beneficij fructus perdat, quam alterius: ergo omnes pariter amittit.

Septimò queritur, quid sit dicendum de eo, qui per multos annos beneficium habuit, & bona fide putans se nullo iure cogi preces Canonicas recitare, eas prætermisit. Item, de eo, qui per oblitionem, aut inconsiderantiam bona fide absque peccato Diuinum Officium prætermisit ex toto, vel ex parte. Et de eo, qui vel Confessarij, vel viri prudentis, & docti responso Diuinum Officium omisit, quia dictum est ei, esse liberũ ab ea lege, & præcepto? Respondent quidam, parem esse rationem de eo, ac de ceteris, qui rem alienam ad tempus bona fide possederunt: quare talis Beneficiarius, fructus quidem extantes restituere debet: si quos verò bona fide consumpsit, & ex eis ditior factus non est, nihil cogitur restituere. Ex quo deducunt, si nulli fructus extent, vt qui omnes bona sint ab eo fide consumpti; quamuis ampli illi fuerint, ac vberes, nihil restituere illum debere, si locupletior ex eis effectus non fuerit. Hæc enim Regula seruatur in possessore bonæ fidei. Contrà alijs videtur huiusmodi Beneficiarios nihil restituere debere, eò quòd bona fide absque vlla culpa Diuinum officium omiserint; & restitutio fructuum sit tanquam pœna constituta in eos, qui sua culpa Horarias preces non recitant: at vbi culpa non est, pœna in foro conscientiæ non debetur. Profectò est opinio hæc valde probabilis, & viris pijs, ac doctis non paucis placet. Alijs tamen prima sententia magis probatur: quoniam restitutio fructuum non videtur tanquam pœna constitui in eos, qui Diuinum officium prætermittunt; sed videtur esse Conditio, sub qua Beneficia Ecclesia in Clericos confert: ita vt legis sensus non sit; puniam si Diuinum Officium omiseris, sed hic videlicet, tibi do Beneficij fructus, si Horarias preces recitaueris: sicut cum maritus testamento vxori dat certa quædam bona, si castè vixerit: quemadmodum etiam si Canonicus bona fide absque culpa abesset à Choro, distributiones, quas vocant quotidianas, sibi non lucrifaceret: item si lex sit, quæ præcipiat, vt Beneficiarius, qui in Ecclesia præsens nõ adest, restituere debeat fructus, certè restituere debet, quamuis bona fide ab Ecclesia absit, videlicet, quia ei Confessarius, vel vir pius, prudens, & doctus cõsultus respondit, ipsum lege non compelli ad commorandum, & residendum in Ecclesia. Mihi secunda sententia placet, quia constitutio Pij V. habet, qui legitimo cessante impedimento, nõn dixerit Officium, restituat.

SI QVA ERAS, an qui vnõ die, vel duobus Diuinũ officiũ omisit, debeat fructus restituere pro rata omissi officij, hoc est fructus respondentes diei, in quo officium prætermisit. Sotus *lib. 10. de iust. q. 5. art. 6. in concl. 4.* sentit, eum fructus restituere non cogi, etiamsi mala fide, hoc est, lethaliter peccans officium prætermittat. Sed certè, quia Sotus scripsit ante constitutionem editam à Pio V. & quia putauit Lateranensis Concilij decretum non esse vsu receptum, excusari potest eius sententia in hac parte: alioqui enim pugnat cum verbis contentis in Constitutione Pij V. & decreto Concilij Lateranensis, quibus præcipitur, vt Beneficiarius restituat fructus pro rata diuini officij prætermissi. Alij viri pij, & docti non pauci sentiunt non debere restituere fructus, si bona fide absque vlla culpa omiserit: putant enim (vt dixi) restitutionẽ imponi, vt pœnã ijs, qui officiũ diuinum omiserint. Cæterùm mihi probabilius videtur debere restituere si mala, non si bona fide omiserit; quia puto restitutionem fructuum esse pœnam, non conditionem sub qua beneficium Clericis confertur.

Octauò quæritur, an Beneficiarius, qui mente vltro distracta persoluit Diuinũ officium, restituere debeat fructus beneficij? Nauar. *de orat. c. 20. nu. 32.* videtur affirmare. Sotus item *l. 10. de iust. q. 5. ar. 5. conel. 4. & 6.* videtur idẽ sentire. Negat tamen Medi. *de orat. q. 16.* & Cordub. *in suis quæst. lib. 4. q. 13. ad finem de potestate Papæ.* Vtraque opinio meo iudicio est probabilis, sed secunda tanquã mitior, & benignior in pœnis, & odijs, quibusdã viris pijs, & doctis placet. Nã pœna inquiunt, restitutionis tota surgit, & cõtrahitur ex iure Canonico: at Iura solùm mulctãt hac pœna Beneficiarios, qui Diuinũ officiũ non soluũt; sed qui animo sponte distracto Diuinum officium præstat, illud minimè prætermittit, quãuis malè recitet. Dices, qui sic recitat, grauiter peccat; ergo pensum debitũ, nec soluit, nec Ecclesiæ præceptũ implet. Respõdent, non omne lethale peccatũ, quod in recitãdis precibus horarijs cõmittitur, inducere obligationẽ restituẽdi, sed illud tantũmodo quo Horæ Cano-

nicæ

nicæ prætermittuntur. Alioqui enim, qui per contemptum vel maleuolentiam preces Canonicas recitaret, perinde restituere cogeretur, ac si minimè recitasset. Si tamen cum alijs oppositum senseris, probabiliter reuera senties. Mihi sanè magis probatur opinio prima quam sequitur, vt dixi, Nauarrus, & quam cum Nauarro viri pij, & docti amplectuntur. Ecclesia enim non solùm præcipit, vt recites, sed etiam vt attentè recites. Idem etiam iudico dicendum de eo, qui scienter, & sponte iocando, confabulando, vel alia similia faciendo preces Horarias recitat; nam non recitat, vt debet, & proinde præceptum non implet, & fructus restituere compellitur.

Nonò quæritur, An Beneficiarius, qui excommunicatione, vel suspensione, vel irregularitate affectus, Diuinum persoluit officium, fructus beneficij lucrifaciat? Respondeo, minimè: quoniam ob excommunicationem, vel suspensionem, vel irregularitatē priuatur quis beneficij fructibus, vt docet Glossa *in cap. pastoralis. de appellat.* cuius sententia est communi consensu recepta: vt docet Abbas, quem citat Nauar. *in Man. cap. 25. num. 124.* Quare huiusmodi Beneficiarij postquam fuerint ab excommunicatione, vel suspensione absoluti, vel ab irregularitate liberi, opus est, vt à Romano Pontifice Indulgentiam pariter impetrent, qua fructus, quos antea perceperant, sibi retinere queant. Et hoc quod diximus locum habet in Beneficiario, qui suspensus est à Beneficio, vt ait Nauarrus *in Man. cap. 25. num. 124.* Quod verò ad Irregularitatem attinet, sermo est de eo, qui cùm irregularis est, beneficium obtinuit, non de eo, qui post beneficium obtentum irregularitatem contraxit. Si quis enim est irregularis, beneficij capax non est; vt probat ex communi sententia Couarruuias *in cap. Almà mater, de Excommunic. in 6. par. 1. § 7. num. 1. & in regula, Peccatum, de regulis Iuris in 6. par. 2. § 7. num. 6.*

Decimò quæritur, An fructus, quos debet Beneficiarius restituere ob Diuinum officium prætermissum, sint impendendi in vsus Ecclesiæ, in qua situm est beneficium? Repondeo cum Nauarro *in Man. cap. 25. num. 122.* sufficere, si erogentur in vsus pauperum, aut in alios vsus pios; nisi Ecclesiæ illius statutum, aut mos postulet, vt in ipsius tantùm vsus impendantur.

Vndecimò quæritur, quo pacto Canonicus, qui cum alijs, in Choro non interest officio Diuino, aut illud non persoluit, restituere debeat distributiones quotidianas, quæ in Canonicos dispertiri solent? Respondeo, eas esse omnino restituendas, vt constituit Synodus Tridentina, *sess. 24. cap. 12. de Reformat.* his verbis: *Distributiones Canonici, qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui quauis collusione, aut remissione exclusa, his careant, iuxta Bonifacij Octaui decretum, quod incipit, Consuetudinem, quod Sancta Synodus in vsum reuocat, non obstantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus.* Sic ibi. Porrò Bonifacius VIII. *in cap. consuetudinem, De Clericis non residentibus, in sexto,* sic habet: *statuimus, vt distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis, ac alijs Beneficiarijs, & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officijs in ipsis Ecclesijs affuerint, tribuantur iuxta Ecclesiæ cuiuslibet ordinationem rationabilem, tam factam, seu etiam faciendam. Qui verò aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit, exceptis illis, quos infirmitas, seu infesta, & rationabilis corporalis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusauerit: rerum sic receptarum dominium, non acquirat, nec faciat eas suas: immo ad omnium, restitutionem, quæ contra huiusmodi Constitutionem receperit, teneatur.* Hactenus Constitutio: Ex quibus manifestè liquet, Distributiones quas Canonicus amittit, in cæterorum ius cedere, & accrescere: & nihilominus adhuc non sufficit, si cæteri liberè remittant, vt dicit Concilium Tridentinum *loco assignato*: talis quippe remissio solet esse Ecclesijs noxia. Cæterùm, quæ de eiusmodi distributionibus disputari poterant, suo loco dicemus, cum in explicatione quarti præcepti, agemus de Beneficijs Ecclesiasticis, & de obligatione, qua Beneficiarij in suis Ecclesijs commorari, & residere debent.

Duodecimò quæritur, An si Pensionarius Paruum B. Virginis officium non quotidie persoluit, restituere debeat perceptos fructus suæ Pensionis? Respondeo, Pium V. in Constitutione superiùs memorata, huius initij. *Et proximo Lateranensi Concilio,* ita statuisse: *Quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium paruum B. Mariæ determinatum obligatum, & Pensionum fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.* Sic ibi. Quod verò dixit Pontifex, *eum modo prædicto,* significat; qui totum Officium vno, vel pluribus diebus prætermiserit, omnes pensionis fructus, qui illi, vel illis diebus respondent, restituere debere. Qui verò Matutinas preces tantùm, dimidiam; qui horarum singulas, sextam partem pensionis eiusdem diei amittat, vt ex eadem constitutione colligitur.

Decimotertiò quæritur, An Beneficiarius debeat restituere fructus, quos percepit dum lethali peccato fuit obstrictus? Angel. *verbo, Clericus. 8. quæst. 5.* sequutus Antonium Butrium *in cap. vestra, de cohabitat. cleric. & mul.* distinguit, aut lethale peccatum erat notorium, aut occultum: si notorium, debet restituere: quia lethale peccatum notorium inducit suspensionem ab officio, & suspensus Clericus ab officio fructus non facit suos: si erat occultum, non cogitur fructus restituere, quia non inducit suspensionem. Hanc sententiam meritò refutat Silu. *Clericus 4. quæst. 24.* & generatim sentit, non cogi Clericum fructus restituere, licet eos perceperit dum lethali peccato tenebatur, siue occulto, siue notorio, nisi aliunde restituere debeat. Sic etiam docet Rosel. *Clericus, 3 num. 2.*

Cap. XV.

De ÿs, ex quibus constant Horariæ preces diurnæ nocturnæque.

QVæritur primò, quot & quibus tanquam partibus constent preces Canonicæ? Respondeo, tum in diurnis tum in Nocturnis horis recitari Psalmos, Cantica, Hymnos, Antiphonas, Lectiones, Responsoria breuia, Versus, & Orationes.

DE PSALMIS.

Secundò quæritur, quam antiquus sit, & vnde acceptus recitandorum, & canendorum Psalmorum vsus in Ecclesia Dei? Respondeo, eum esse antiquissimum, & ab Apostolis acceptum: Paulus ad Ephes. 5. & ad Colossen. 3. *Implemini*, inquit, *Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus*. Dionisius Areopagita 3. cap. De Ecclesiastica Hierarchia. *Psalmorum*, ait, *cantica modulatio, quæ omnibus ferè Sacerdotalibus mysterijs inmixtur, & substantiæ rationi cohæret, summo omnium principalique mysterio deesse non debet*. Eundem Ecclesiæ morem psallendi indicat Athanasius, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Rufinus, atque Nicephorus, quos omnes citat Francol. *tractat. de tempore Horar. Canonicar. cap. 2.* & Durandus *de ritibus Eccle. Cath. lib. 3. cap. 13*. Legimus in Pontificiali Damasum instituisse, vt Psalmi die noctèque, per omnes Ecclesias decantarentur, ex Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, Basilio, quos refert Francol. *tract. citato cap. 3.* planè colligitur, statis diebus semper die, ac nocte Psalmos per Ecclesias cantari. Amalarius verò ita scribit: *Dum cantamus Psalmos, stantes esse solemus*. In Concilio Laodiceno *Can. 59.* constitutum est, ne priuati Psalmi in Ecclesia legãtur, hoc est, ne præter centum, & quinquaginta Psalmos, qui Dauidis esse dicuntur, alij recitentur, vt habetur in Concilio Bracarensi 1. *Can. 30* & in Concilio sub Martino Bracarensi *Can. 68*. Fuit enim Hæreticorum mos, exemplo, & imitatione Ecclesiæ, Psalmos componere, & cantare, vt constat ex Tertulliano, Epiphanio, & Augustino. Porrò omnes Dauidis Psalmos Ecclesia per omnes dies Hebdomadæ apto, & distincto ordine distribuit. In Dominicis diebus ad tres nocturnas Vigilias recitantur Psalmi decé, & octo, duodecim ad primam vigiliam, tres ad secundam, & totidem ad tertiam: & loco Inuitatorij recitatur integer Psalmus nonagesimus quartus, *Venite exultemus Domino*, ac proinde recitantur decem, & nouem Psalmi, & per singulos dies Hebdomadæ recitantur duodecim, repetito semper, tanquam Inuitatorio, eodem nonagesimoquarto Psalmo: qui omnes Psalmi conficiunt numerum nonaginta vnius.

Ad Matutinas Laudes, diebus Dominicis recitantur sex Psalmi: nam repetitur nonagesimus nonus, *Iubilate Deo omnis terra*, qui recitatur in Sabbatis, & Matutinis vigilijs: & singulis diebus Hebdomadæ vnus Psalmus, & iterantur quinque exillis, qui dicuntur Dominicis diebus, & repetitur quoque Psalmus quinquagesimus: *Miserere mei Deus*. Ex quo fit, vt Feria secunda, duo Psalmi recitentur, singulis quibusque alijs hebdomadæ ferijs vnus, ac proinde omnes Psalmi, qui ad Matutinas, Laudes per totam Hebdomadam recitantur, sunt tredecim. Ad Vespertinas preces, tùm Dominicis diebus, tùm ceteris per Hebdomadam diebus recitantur quinque: ita vt omnes connumerentur triginta quinque Psalmi. Ad Horam Completam recitantur tres, nam quartus, qui est trigesimus, repetitur, quamuis non integer, qui plenè dicitur ad Matutinas vigilias in Feria secunda. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam, & ex parte ad Primam recitatur quotidie Psalmus centesimus decimus octauus: primum quadripartitus, deinde ad Primam bipartitus, & ad Tertiam, Sextam, & Nonam, tripartitus, ita tamen, vt quælibet pars contineat trinos octonarios versus. Et ad Primam præterea diebus Dominicis recitantur duo Psalmi integri, & singulis Hebdomadę diebus, ex cepto Sabbato, recitatur alius Psalmus integer. Ac proinde omnes Psalmi, qui ad Completam horam, Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam recitantur, sunt vndecim. Quare si in summam redigas, nonaginta vnum, qui ad Nocturnas vigilias dicuntur, & tredecim Matutinarum Laudum, & triginta quinque vespertinarum precum, & vndecim reliquarum Horarum, colliges centum, & quinquaginta Psalmos.

S. Benedictus in Regula cap. 18. aliter per Hebdomadam Psalmos distribuit. Sed tandem ait: *Siue hoc, siue alio ordine Psalmi disponantur, hoc omninò attendatur, vt omni Hebdomadæ Psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur, quia nimis iners deuotionis suæ seruitium ostendunt Monachi, qui minus Psalterio, cum Canticis Ordinarijs per Septimanæ circulum psallunt, cum legamus Sanctos patres nostros vno die hoc strenuè impleuisse, quod nos tepidi vtinam per Septimanam integram persoluamus*. Sic Regula. Refert Cassianus *lib. 2. de institut. Monachor. c. 4.* per Aegyptum, & Thebaidem apud Monachos olim diuersum fuisse morem in numero Psalmorum concinendo, dum alij plures, alij pauciores cantarent. Sed Angeli ministerio retentus est postea numerus duodecim Psalmorum, qui ad Nocturnas vigilias quotidie recitantur. Nam coram Monachis semel Angelus apparens, duodecim Psalmos continenter cecinit; quibus finitis Alleluya cantauit, ac siluit, non amplius visus, nec auditus. Vnde in Concilio Turonico. capite 19. legimus. *Ad Matutinum saltem duodecim Psalmi expediantur, quia Patrum statuta, præceperunt, vt ad Duodecimam duodecim Psalmi dicantur cum Alleluya: quod etiam Angelo ostendente didicerunt*.

DE CANTICIS.

Tertiò quæritur, quàm vetus sit, & vnde acceptus mos Cantica recitandi in Ecclesia? Respondeo, ex veteri Testamento, vsum desumptum fuisse: nam Moyses, & alij plerique Cantica in Dei Laudem cecinere, & Paulus, vt supradixi; *loquentes* ait, *vobismetipsis in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus*. QVAERES, quonam differat Canticum à Psalmo? Resp. cum Isidoro *libro sexto Etymolog. capite decimonono*, Psalmum ad musicæ instrumenta; Canticum verò sola hominis voce cani. Vnde teste Hilario, *in prooemio in Psalmos*, & teste Euthymio *in præfation. in Psalmos*, Canticum Psalmi dicitur, cum voce humana carmen incipit decantari, & postea subsequitur instrumentum musicum. Psalmus verò Cantici dicitur, cum incipit Psalmum musicum instrumentum, & deinde sequitur vox humana. Porrò Canticum est antiquius Psalmo: nam Moyses Canticum cecinit Deuteronom. 32. Et vnà cum eo aliud Canticum decantauerunt filij Israelis, Exodi 25. Debbora item, & Barac cecinere Canticum Iudicum 5. Anna item mater Samuelis 1 *Regum* 2. Vsus igitur Canticorum fuit à Moyse vsque ad Dauidis tempora, qui primus omnium cœpit Psalmos

conscribere, quos Cantores ad instrumenta musica concinebant. Ecclesia in Horis Canonicis, per septem dies Hebdomadæ ad Matutinas Laudes septem numero Cantica ex Scripturis deprompta recitat: In diebus Dominicis Canticum triũ puerorum, quod habetur Danielis tertio. Feria secunda, Canticum Ezechiæ, Isaiæ 38. Feria quarta. Canticum Annæ. 1. Regum *capite* 2. Feria quinta, Canticum Moysis, & Filiorum Israelis Exodi. 15. Feria sexta, Canticum Habacuc *cap. tertio*. Sabbato, Canticum Moysis. *Deuteronom.* 32. & ad Vespertinas preces quotidie recitat Canticum Beatæ Virginis Luc. 2. & ad Completam Horam quotidie Canticum Simeonis, item Luc. 2. Quotidie itidem ad Matutinas Laudes Canticum Zachariæ Luc. 1 ita, vt nullum ferè Canticum ex ijs, quæ in Scripturis continentur, prætermiserit Ecclesia. Amalar. *libro quarto de Ecclesiasticis officijs, cap. tertio, & 13.* ait: *Cantica solùm appellamus, quæ sunt Prophetarum, & in Sacris literis continentur puta, Moysis, Ezechiæ, Zachariæ, Isaiæ, trium puerorum, Sanctæ Mariæ Virginis, & Simeonis: quibus annumeratur Canticum illud Sancti Ambrosij, & Sancti Augustini, Te Deum laudamus, quod etsi non est in sacris litteris, diuinitus tamen compositum est.* Sic ille. De hoc Cantico vltimo scribit Datius Episcopus Mediolanensis *lib. 1. cap. 10. sui chronici*, fuisse compositum à Beato Ambrosio, & S. Augustino, cum esset Baptizatus Augustinus ab Ambrosio.

DE HYMNIS.

Quartò quæritur, quantæ sit antiquitatis in Ecclesia Hymnorum canendorum vsus? Meo iudicio etiam ex Apostolis, immo ex Christo Domino videtur acceptus hic vsus. Nam ad Coloss. 3. & ad Ephes. 5. inuitat Apostolus ad laudandum Deum in Psalmis, Hymnis, & Canticis: & Christum, cœna peracta hymnum dixisse, testantur Matthæus *cap.* 26. & Marcus *cap.* 14. Sanctum Hilarium hymnos composuisse, auctores sunt Hieronymus *in Catalo. de viris illustrib.* Rabanus *lib. 2. de instit. Cleric. cap. 49.* in Concilio Toletano 4. *cap.* 12. dicitur: *A multis hymni magno studio in laudem Dei, atque Apostolorum, & Martyrum triumphos compositi esse noscuntur: sicut sunt ij, quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt.* Sic ibi. Et Ambrosium quidem hymnos composuisse, tùm ex ipsomet *in orat. in Auxentium de Basilicis non tradendis*, tum ex Augustino *lib. 1. retract. cap. 21.* constat, Ait enim Ambrosius: *Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt, nimirum Arriani.* Augustinus verò: *qui sensus*, inquit, *cantatur ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait:*

"*Hoc ipso, Petra Ecclesiæ,*
"*Canente, culpam diluit.*

Hymnorum Ambrosij mentionem faciunt S. Benedictus *in Regula cap. 9.* Isidorus. Porrò Canticum siue Hymnum, *Te Deum laudamus*, à B. Ambrosio, & Augustino fuisse compositum, testatur Dacius Episcopus Mediolanensis, *in suo Chronico lib. 1. cap.* 10 his verbis: *A B. Ambrosio cunctis fidelib. vrbis astantibus, & videntibus in nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis Augustinus baptizatus, & confirmatus est: in quibus fontibus prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, Te Deum laudamus cantantes, cunctis, qui aderant, audientibus, & videntibus, ediderunt: quod ab vniuersa Ecclesia Catholica vsque in hodiernum diem tenetur, & religiosè decantatur.*

Isidor lib. 1. de diuin offic. cap. 6.

Hactenus auctor ille Dacius, cuius meminit Gregorius *libro quarto Dialogorum, capite quarto.* Differt autem Hymnus à Psalmo, & Cantico, quod Hymnus semper cani soleat ad laudes Dei, & ad Sanctorum cæli Ciuium prædicandas: at in Psalmis, & Canticis nonnunquam rerum gestarum historiæ continentur.

DE ANTIPHONIS.

Quintò quæritur, quandonam cœperint Antiphonæ in Ecclesia decantari, & quis primus eas instituerit? Isido. *lib. 6. De Eccles. Offi. c. 19.* Rabanus *lib. 1. De institut. Cleric. cap. 33.* Alcuinus *lib. Diuinis Officijs cap. de celebrat. Missarum*, earum originem repetunt ab eo quòd Isaiæ 6. dicitur: *Duo Seraphin clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Sed illud est probabilius, auctorem Antiphonarum apud Græcos primum fuisse Sanctum Ignatium: is enim, cum visio Angelorum Sanctam Trinitatem hymnis alternatim decantatis collaudantium obiecta fuisset, ritum illum aternis versibus canendi, Ecclesiæ Antiochenæ tradidit: qui deinde ritus in omnes Orientis Ecclesias manauit. Sic Georgius Patriarcha Alexandrinus *in Vita S. Ioannis Chrysostomi.* Socra. *lib. 6. Hist. Eccle. c. 8.* Calsiodo. *in Tripart. lib. 10. c. 9.* Nicepho. *lib. 13. Hist. Eccl. cap. 8.* Amalarius *De Eccl. Offi. lib. 4. cap. 7.* Vualfrid. *De rebus Eccle. c. 28.* & Radul. *De Cano. obseru propos. 12.* quamuis Theod. *lib. 2. Hist. Eccl. cap. 24.* & ex eo Sigebertus, & Radulphus Tungrensis tradiderint, Flauianum, & Diodorum monachos primos apud Antiochiam tempore Constantij Imperatoris, psallentium Choro in duas partes diuiso Psalmos Dauidicos alternis versibus canendos instituisse. Apud Latinos verò S. Ambrosius primus Antiphonas in Ecclesiam Mediolanensem inuexit, & deinde Antiphonarum vsus in cæteris Occidentis Ecclesijs increbuit. Sic Isido. *lib. 1. de Ecclesia. Offi. cap. 7.* Sigeber. *ad annum* 338. Smarag. *in Regulam S. Benedicti cap. 9.* Raba. *lib. 2. De Institut. Cleric. cap. 50.* Radulph. *De Cano. Obserua. propo. 12.* Denique Paulinus *in Vita S. Ambrosij* ait. *Hoc tempore primum Antiphonæ, Hymni, ac Vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt: cuius celebritatis deuotio non solùm in eadem Ecclesia, verum per omnes penè Occidentis Ecclesias manet.* Augustinus item lib. 9. Confession cap. 7. *Tunc*, inquit, *Hymni, & Psalmi, vt canerentur secundùm morem Orientalium partium, ne populus mœroris taedio contabesceret, & institutum est, ex illo in hodiernum diem retentum, multis iam, ac penè omnibus gregibus tuis, & per cetera orbis imitantibus.* Quidam hunc ritum alternis canendi apud Latinos, in Damasum referunt; alij in verò in Cœlestinum 1. Cæterùm probabilius est, id quod de Ambrosio diximus cuius tempore Damasus floruit, ac proinde, fortassis ille ab Ambrosio institutum ritũ probauit. Cœlestinus verò solùm constituit Psalmos centũ quinquaginta Antiphonatim in Missarum initio decantari: ex quibus postea excerpti sunt Introitus, Gradualia, Offertoria, & Communiones ad Missam.

Quæres quid nomine Antiphonæ significetur? Respondeo, Antiphona, Græcè dicitur opposita vox, aut vox contra sonans. Dictæ sunt Antiphonæ, quod alternatim à duobus Choris canerẽtur. vsu verò receptum est, vt sententia, quæ Psalmũ, aut Canticum antecedit, Antiphona appelletur:

Ad eius

à deius enim, teste Amalario, *lib. 4. de Ecclesiasticis offic. cap. 7.* sonum, totus Psalmus, aut Canticum à duobus Choris alternis versibus decantatur, ac deinde simul duo Chori in Antiphona conueniunt.

DE LECTIONIBVS.

Sextò quæritur; quanta sit lectionum antiquitas in Ecclesia? Vsus Lectionum vetustissimus est, ac videtur ab Hebræis desumptus, qui veteri Maiorum instituto statis diebus ac temporibus ex lege, & Prophetis aliqua legere, & recitare consueuerant. De ordine verò, numero, & tempore Lectionum multa habet Gelasius *Can. Sacro sancta Distinct. 15* QVAERAT aliquis, quò differat Lectio à Psalmo, Hymno, & Cantico? Resp. Psalmi, Hymni, & Cantica, vocis modulatione concinuntur: at Lectiones tantùm simpliciter pronuntiantur. Et animaduertendum est, capitula, & Lectiones esse idem; nisi quod in Nocturnis vigilijs Lectiones sunt paulò longiores, in Horis verò diurnis sunt breuiores, & ideo Capitula vocantur, quasi breuia quædam capita, in quæ Lectio, quæ ad Missæ sacrificium recitatur, distribuitur in breues partes dissecta. Singulæ igitur Horariæ preces Lectione constant, sicut Psalmis, Hymnis, & Canticis. Et sumuntur Lectiones partim quidem ex veteri Testamento, vel ex nouo, partim ex Homilijs, vel Historijs Sanctorum. Quando item Lectio recitatur, solemus sedere more antiquorum, vel silentio stare, inquit Amalarius. In fine Lectionum Lector dicere solet: *Tu autem Domine miserere nostri.* Quibus verbis, vt ait Rupertus, significatur, nec ipsum quidem verbum Diuinum annunciandi munus sine alicuius, vel leuiusculæ noxæ pulueri fieri, & expleri. Deinde Chorus succinit, Deo gratias: quod eodē Ruperto auctore, non ad vltimam Lectoris precem, qua dixit: Tu autē Domine miserere nostri; sed ad totam Lectionem refertur. Deo namque gratias agimus, quod doctrina sua verbum tanquam panem nobis frangere dignatur. Recitaturus verò Lector Lectionem, dicit: Iube Domine benedicere; quibus verbis indicatur, eodem teste Ruperto, neminem sine permissu maioris, munus annunciandi verbum Dei vsurpare debere. *Quomodo*, inquit, Apostolus, *prædicabunt, nisi mittantur?* At cum Capitula inchoamus, non dicimus, Iube Domine benedicere, quia Lectiones Cantor, vel Lector recitabat; at Capitula Episcopus ipse, vel Sacerdos pronunciare solebat.

DE RESPONSORIIS.

Septimò quæritur, cur dicta sint Responsoria? Ait Amalarius, Responsorium dici, quod alio aliquid recitare desinente, alius respondeat. Vnde Lectionem siue longam, siue breuiorem, quæ legitur post Sessionem, sequitur Cantus, qui idcirco vocatur Responsorius. Dicitur verò Respōsorium breue, quia post Lectiones siue Capitula Chorus versus, sub breuitate quadam decantat: ac proinde illi versus quos absolutis lectionibus quasi respondendo breuiter concinit Chorus, meritò Breuia responsoria vocantur. Instituta autem Responsoria dicuntur ab Italis. Deinde. Responsoria solent ipsis Lectionibus cohærere Nam aut sumuntur ex Scripturis, ex quibus ipsæ Lectiones; aut ex ijs, quæ tempori conueniunt: & olim in Nocturnis Vigilijs cuiuslibet diei Dominicæ, vltima Lectio de Trinitate recitabatur, & ideo Responsorium erat illud: *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum*, & reliqua: quod totum est de Sancta Trinitate, & etiam nunc recitamus in diebus Dominici s non impeditis, quamuis Lectio de Sancta Trinitate sit prætermissa. De Responsorijs agit Amala. *lib. 4. de Ecclesiast. Offic. cap. 7.* Raban. *lib. 1. de Instit. Cleric. cap 33.*

DE VERSIBVS.

Nonò Quæritur; Quare dicti sint versus? Respondeo quia instar versuum concinuntur, recitantur autem post Responsaria Breuia, & post Hymnos, & ante Orationes, De versibus Amala. *libro de ordin. Antiphonarij, & libro quarto de offic. Eccesiast cap. 12. & cap. 46.*

DE ORATIONIBVS.

Decimò quæritur, quare Orationes Collectæ dicantur, & quare ante Orationes semper dicatur Oremus? Respondeo: in vita Ioannis Episcopi Neapolitani, ita scriptum contineri: *Sabbato autem secunda hora diei lætus ad Ecclesiam processit, & ascenso tribunali ex more populum salutauit: resalutatusque à populo orationem dedit: & collecta Oratione spiritum exhalauit.* Quorum verborum hic videtur esse sensus: Cum ait: *Ex more populum salutauit*, indicat illud, quod Episcopus ante orationem dicere consueuit. *Pax vobis*, cum subdit. *Resalutatus à populo*, significat, quod populus respondere solet; & *cum spiritu tuo*: Cum addit: *Orationem dedit*: est illud quod ante orationem præmittitur: *Oremus.* Et quod sequitur: *Collecta oratione*; idem est, quod recitata oratione. Et ex his elici videtur, cur Collecta, oratio dicatur. Nam cum salutato populo, & resalutatus à populo Episcopus dat, hoc est, indicit orationem, dicendo; Oremus; tunc quasi populus aliquantulum in silentio orauerit, Episcopus communes totius populi preces vnica breui sua oratione colligit, recitat, atque concludit: & tanquam Sacerdos legatione functus apud Dominum nomine omnium suorum, communes preces, & vota Deo offert. Vnde Auctor Micrologi *de Ecclesia. obserua. cap. 3.* docet orationē dictam esse Collectam, quia Sacerdos omnium orationes in vnam, quam ipse recitat, concludit, & colligit. Idem senserunt Vvalfri. *De rebus Ecclesiast. cap. 22.* Berno. De *officio Missæ.* Hugo. *lib. 2. De offi. Ecclesia. cap. 16.* quorum sententia maximè verbis Cassiani confirmatur, cum ait: *Cum autem is, qui orationem collecturus est, è terra surrexerit, omnes pariter eriguntur, ita vt nullus, antequam inclinetur ille genu flectere, nec cum è terra surrexerit, remorari præsumat; ne non tum secutus fuisse illius conclusionem, qui precem collegit, quàm suam celebrasse credatur.* Et deinde ait in alio capite, quanto silentio, & breuitate orationes apud Aegyptios colligantur. Item, *in cap. conuenit. De Consec. Dist. 5.* ex Concilio Agathensi dicitur: *Post Hymnos, Capitula de Psalmis dicantur: & plebs collecta oratione ad Vesperam, ab Episcopo demittatur cum benedictione.*

Cap. XVI.

De alijs quibusdam, quæ vna cum precibus Canonicis recitari consueuerunt.

PRimo quæritur, An ad Horas Canonicas Paruum B. Virginis Officium pertineat? Respõdeo, Horas Canonicas multo ante huiusmodi officium fuisse institutas. Vrbanus secundus, teste B. Antonin. *Par. 2. Tit. 16. cap. 1. §. 23.* & teste Duran. *in Rational. diuinorum officiorum lib. 6. capite secunda, num. septimo*, & Radulpho *in libello de Canon. obseruant. proposit. 20.* in Concilio Claramontano *in Aruernis anno salutis 1096.* instituisse fertur preces horarias Beatæ virginis, & præcepisse, vt Clerici eas quotidie recitarent, instituisse etiam Officium eiusdem Beatæ Virginis, quod in Sabbatis minimè impeditis Clerici persoluunt; sicut antea in Concilio Placentino, addiderat nouem Præfationibus antiquis decimam: *Et te in veneratione Beatæ Virginis collaudare*, & reliq. *cap. Sanctorum Dist. 70.*

At communis Summistarum, & Canonici iuris interpretum habet sententia, huiusmodi Paruas preces horarias non iure scripto, sed vsu tantùm, & consuetudine vim legis habente, recitari. Verisimilius est Vrbanum II. in eo Concilio lege sanxisse, vti recitarentur fortasis tamen nõ est talis consuetudo vsu tunc temporis recepta, quæ deinde paulatim in consuetudinem abijt.

Secundò quæritur, an Clericus, qui iure cogitur preces horarias recitare, debeat etiam persoluere Paruum Officium Beatæ Virginis? Respondeo, olim ante Breuiarium editum à Pio Quinto, Clericus cogebatur prædictũ Officium Paruum iuxta morem, & vsum suæ Ecclesiæ persoluere; illud enim quædam Ecclesiæ in Choro canebant, ceteræ non item. At verò Pius Quintus, Clericos liberauit à penso huiusmodi Paruarum precum, quando priuatim extra chorum preces Horarias recitant. quamuis non sustulerit laudabilem consuetudinem Ecclesiarum eas in choro cantantium, vt colligitur ex litteris eiusdem Pontificis Breuiario nouo præfixis.

Tertiò quæritur, An Canonicus eius Ecclesiæ, in cuius Choro cani solent Paruæ preces iam dictæ, recitare debeat easdem, cum priuatim extra Chorum persoluit Ecclesiasticum Officium? Affirmant aliqui debere, quoniam cogitur Diuini Officij pensum reddere more suæ Ecclesiæ: sed suæ Ecclesiæ vsu, prædictæ preces vnà cum Officio Ecclesiastico soluuntur; ergo debet eas preces priuatim Canonicus recitare. Videtur tamen probabilius, quod alij docuerunt, non esse ad id compellendum, si formula à Pio V. edita in Officio Ecclesiastico soluendo vtatur: eo quod Pius V. immunes, ac liberos ab his precibus Beneficiarios, & Clericos reddit, quando priuatim extra chorum, pensum Horarum soluunt. Obijcies; olim etiam priuatim recitabantur Paruæ preces coniunctim cum Ecclesiastico Officio. Respondeo, eum vsum esse à Pio V. sublatum; non tamen consuetudinẽ eas preces in Choro canendi.

Quartò Quæritur, An Clericus certis Hebdomadæ diebus debeat persoluere officium, quod consueuit solui pro Mortuis? Respondeo, ante Pium Quintum, Clerici qui officij Ecclesiastici lege tenebantur, debebant etiam priuatim eas pro mortuis preces recitare iuxta morem, & cõsuetudinem suarum Ecclesiarum: at Pius Quintus constituit, ne hac lege Clerici tenerentur, cum priuatim preces horarias recitant: eosdem etiam soluit lege recitandi septem Psalmos, quos Pœnitentiales appellant, & eos quoque quindecim, qui Graduales vocantur: liberauit quoque præcepto, & lege Letaniarum recitandarum, quæ olim cani, ac recitari quotidie consueuerãt.

Quintò quæritur, quomodo officia Ecclesiastica distinguantur? Respondeo, multis modis; aliud enim officium dicitur Duplex, eo quòd, vt quidam testantur, duplicatis vespertinis precibus constat: vel vt alij, quia Antiphonæ, ad Psalmos, & Cantica duplicantur: nam integrè ante & post Psalmos, & Cantica recitantur: Et semiduplex, eo nimirum, quòd proximè accedit ad Duplex: vnde Antiphonæ ante Psalmum, vel Canticum; ex parte: finito verò Psalmo, vel Cantico, integrè recitantur. Simplex officium dicitur propterea, quod solemni omni ritu careat: quo modo etiam pactum, aut iusiurandum dicitur simplex, aut nudum, quod omni alia iuris celebritate vacat.

Alia officia sunt Dominicarum, alia feriarum, alia vigiliarum. Officium porrò, quod in peruigilijs Apostolorum, & Martyrum recitari solebat, erat ex toto officium feriæ destinatum: nam in huiusmodi peruigilijs ieiunium de more seruabatur: ac proinde totum Officium horarum ad feriam pertinebat.

Missæ sacrificium fiebat de eo sancto, cuius postridie celebritas colebatur: ac proinde Pius Quintus instituit, vt in Nocturnis vigilijs tres lectiones recitarentur ex homilijs in illud Euangelium, quod in Missæ sacrificio canebatur, vt preces Horariæ cum Missæ sacrificio conuenirẽt. Item tempora, quibus Officia Ecclesiastica variantur, sunt Quatuor, vt ait Radulphus *in libel. de Canon. obseruan. proposit. 16.* nempe Aduentus, Quadragesima, tempus Paschale, & Ordinariũ. Nam ante diem Natalem Domini colit Ecclesia aduentum dominicum. Deinde post Natalem Domini, & certas quasdam Dominicas, celebrat. Septuagesimam, Sexagesimam, Quinquagesimam, & Quadragesimam. Postea à Pascha vsque ad Pentecostes hebdomadam, tempus interpositum dicitur Paschale: à Pentecoste reliquum tempus vsque ad Aduentum Domini, dicitur tempus post Pentecosten, quod Radulphus appellat quotidianum, & ordinarium.

DE ADVENTV.

Aduentus Romano more incipit Dominica prima, post diem Catharinæ crastinum, teste Radulpho *loco citato*, & habet quatuor hebdomadas, quamuis non semper integras, & quatuor Dominicas. More verò Ambrosiano incipit Aduentus, eodem teste Radulpho, Dominica prima, diem festum B. Martini Episcopi Turonensis, sequente, & continet sex hebdomadas. Aduentus ité tempus est partim lætitiæ, partim luctus, & mœroris: vnde in eo non recitatur Canticum,

aut

aut Hymnus *Te Deum laudamus*, & *Gloria in Excelsis Deo*, & *Ite, Missa est*, & deponuntur gaudij, & lætitiæ vestes, retinetur tamen *Alleluia*. In Aduentu etiam omittuntur consuetæ commemorationes Sanctæ Mariæ, & Apostolorum, aut aliorum Sanctorum tutelarium, ne ante Christi Aduentum imploremus opem, & patrocinium eorum, quos ipse Christus suo aduentu gratia, & sanctitate donauit, & qui per Christum nostram tutelam, & patrocinium susceperunt. Nec fit commemoratio Crucis, nec pacis, ne videatur Christus ante passus quàm natus, & nobis pacem priùs attulisse, quàm venerit. Romani veteres in Aduentu ieiunium seruabant, vt *loco citato* testatur Radulphus, quod etiam nunc Monachi, & Religiosi Mendicantium ordinum fratres colunt: nec Ecclesia nuptias solemni ritu hoc tempore celebrat.

DE QVADRAGESIMA.

In Septuagesima Pentateuchus incipit legi ad Nocturnas Vigilias, vt Gelasius I. instituit: & Gregorius VII. teste Radulpho *loco citato* constituit, vt Historia de Noe in Sexagesima legeretur, in Quadragesima verò de Abraham Patriarcha. Gregorius quoque I. instituit, vt extra id tempus, quod interiectum est inter Septuagesimam, & Pascha, Alleluya diceretur. Leo IX. vt habetur *in cap. Hi duo, De Consecratione, Distinctione prima*, Sic ait: *A Septuagesima, quando lapsus protoplasti in Ecclesia recitatur, Alleluya nouem hebdomadas intermittimus, scilicet, vsque in Pascha, vbi Christus resurgens à mortuis, tristitiam nostram in gaudium vertit, & Alleluya nobis reddit: similiter etiam intermittimus Canticum lætitiæ Gloria in excelsis Deo.* Hæc ille. More tamen Ambrosiano, & Benedictino, vt ait idem Radulphus, & probat *ex regula, S. Benedicti cap.* 34. Alleluya retinetur vsque ad primam Dominicam in Quadragesima. Ex quo suspicari, & conijcere quidam videntur ante Gregorium I. Septuagesimam non esse institutam: quod ego verum non puto, de qua re suo loco dicemus. Vnde autem, & cur dicta sit Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, & Quadragesima, suo item loco explicabo.

Concilio Laodiceno c. 51. constitutum est, ne in Quadragesima Natalitia Martyrum celebrentur, sed eorum Commemoratio fiat in diebus Sabbatorum, vel Dominicis. Meminit autem solùm Martyrum: quia eo tempore Ecclesia solùm Martyrum memorias colebat, non Confessorum. Ex quo factum est, vt olim Dies Sancto Gregorio, & Ambrosio sacer coleretur teste Radulpho *libello citato propos. 16.* in tempore ordinationis ipsorum, non obitus, nimirũ die tertia Septembris, in quo fuit Sacra Gregorij ordinatio: & in die septima Decembris, cum est Ambrosius ordinatus. dies quoque festus S. Benedicti, in die 21. Iulij, eius Translationi sacro. Hispaniarum item Episcopi instituerunt, vt dies Festus Annunciationis Dominicæ coleretur in Mense Decembri die octauo, ante natalem Domini: at more Ambrosiano teste Radulpho loco citato, Annunciatio Dominica celebratur solemni ritu, in Dominica, quæ proximè Natalem Domini præcedit: nec dies vllus festus per totam quadragesimam colitur more Ambrosiano. *Diebus item Quadragesimæ* (Gregorius ait) *pensum seruitutis nostræ augere debemus in precibus, & bonis operibus.* Ex quo factum est, vt tempore Quadragenarij ieiunij cum Diuino Officio septem Horarum Canonicarum recitare quotidie, aut certis quibusdam diebus Clerici consueuerint septem Psalmos, qui pœnitentium vocantur, & Psalmos Nocturnos, qui dicuntur Mortuorum, cum nouem Lectionibus, & his additi etiam sunt Psalmi Graduales, ac Letaniæ siue supplicationes. Nunc verò iuxta formulam Breuiarij editi à Pio Quinto, retinentur preces ad Matutinas Laudes, ad Horas scilicet Vespertinam, completam, & cæteras:

DE TEMPORE PASCHALI.

Tempus Paschale totum est lætitiæ, vnde in eo frequentantur Alleluya, ita, vt ad Responsoria Breuia in singulis Horis Alleluya repetatur. Protenditur id tempus vsque ad hebdomadam Pentecostes: Fit commemoratio Crucis quotidie quia Crux Christi fuit totius nostræ lætitiæ causa; Officia Ecclesiastica eo tempore sunt breuiora. Vnde Gregorius VII. in cap. In die, De Consec. Distinct. quinta, *in die*, inquit, *resurrectionis vsque in Sabbatum in Albis, & in die Pentecostes vsque in Sabbatum eiusdem, tres Psalmos tantùm ad Nocturnos, tresque Lectiones antiquo more canimus, & legimus*, Deinde reprehendit eos, qui in quotidianis diebus tres tantummodo Psalmos, & tres Lectiones recitare volunt. *Non*, inquit, *ex regula Sanctorum Patrum, sed ex fastidio, & negligẽtia comprobantur hoc facere. Romani verò diuerso modo agere cœperunt, maximè à tempore, quo Theutonicis concessum est regimen nostræ Ecclesiæ. Nos autem, & ordinem Romanum, & antiquum morem nostræ Ecclesiæ, imitantes antiquos Patres, statuimus fieri, sicut superiùs prænotauimus.* Superiùs autem dixerat. *Omnibus diebus per totum annum, excepta Hebdomada Paschatis, & Pentecostes, si dies festus sit, nouem Psalmos, & nouem Lectiones dicimus: aliis verò diebus duodecim Psalmos, & tres lectiones recitamus. In Dominicis verò diebus decem, & octo Psalmos, excepto die Paschæ, & Pentecostes, & nouem Lectiones celebramus.* Hæc ille.

DE TEMPORE QVOTIDIANO.

Tempus ordinarium, & quotidianum, quod est à fine Pentecostes vsque ad Aduentum Domini, aliquando continet vigintiocto Dominicas: aliquando verò tantùm vigintitres. Quando habet vigintitres, tunc loco vigesimæ tertiæ ponitur Dominica vigesimaquarta, in qua Euangelium cantatur secundum Matthæum: *Cum videritis abominationem desolationis.* & Officium Dominicæ vigesimæ tertiæ persoluitur in Sabbato proximè præcedenti, non impedito celebritate diei festi nouem Lectionũ: alioqui in feria Sexta, vel alia similiter non impedita. Hoc autem fit, quia vsu, & more Ecclesiæ Romanæ Ecclesiastica officia finiuntur in Commemoratione extremi iudicij futuri: sicut etiam similiter inchoantur. Et ideo xxiiij. Dominica ponitur loco xxiij quando xxiij. est vltima: & quia ea suo loco mouetur, transfertur eius Officium in Sabbatum quod proximè præcedit, nec Officia per totum anni cursum recto ordine disposita abs-

quia à Pentecoste vsque ad Aduentum, tantùm, viginti quatuor Dominicæ ponuntur; cum tamen possint esse viginti octo: ideo quando viginti octo interueniunt, reliquæ sumuntur ex his, quæ eo anno supersunt ex Dominicis, quæ sunt inter Epiphaniam, & Septuagesimam. Inter Epiphaniam autem, & Septuagesimam aliquando, quamuis rarò, possunt esse sex Dominicæ: quarum duæ primæ semper inter Epiphaniam, & Septuagesimam ponuntur. Officium primæ Dominicæ semper inter Epiphaniæ octauas, cuius Euangeliũ est de puero Iesu duodecim annorum Hierosolymis relicto, & in templo inuento. Officium verò Secundæ Dominicæ, cuius Euangelium est de aqua in vinum mirabiliter conuersa in nuptijs factis in Cana Galilææ, semper fit proximè post octauam Epiphaniæ. Et quia aliquando contingit, vt prima Dominica post octauam Epiphaniæ sit septuagesima, ideo tunc Officium Secundæ Dominicæ transfertur in Sabbatum proximè præcedens, nõ impeditum die festo nouem Lectionum; alioqui in feriam sextam, aut aliam similiter non impeditam. Tota huius ratio est, quia Ecclesia Romana à die Epiphaniæ celebrat solemni ritu tria illa Christi Domini opera mirabilia, nimirum, cum ipse stella duce à tribus Magis agnitus, & adoratus est: & cum à Ioanne Baptista in Iordane baptismate ablutus est: & cum in nuptijs aquam in vinum conuertit. In die Epiphaniæ cantat Euangelium de tribus Magis, qui stellæ ductu ad Christum venerunt: & in die Octaua Epiphaniæ Euãgelium de Baptismo Christi: & in prima Dominica post Octauam Epiphaniæ, Euangelium de Aqua in vinum in nuptijs mutata.

Luc. 2.

Matth 2.

Cap. XVII.

Quidnam Sacrificium sit, & quotuplex.

INter actus Religionis externos, vt ante iam diximus, est opus, quo Deo aliquid sacrificamus. Sacrificium autem in noua lege à Christo Domino institutum, Missa est: de qua est nobis in præsentia differendum, sed in primis quædam generatim sunt de Sacrificijs disputanda.

Primò quæritur, vndènam nomen Sacrificij dictum sit; & quot modis sumatur? Respondeo, dictum esse ab eo, quod res sacra fit: sacra autem, & religiosa res fit eo, quod Diuinis vsibus, adhibitis certis quibusdam verbis, precibus, cæremonijs, & ritibus destinatur. Et quia nominis etymologia sæpe latius patet, quam res nomine significata: hinc est, vt etiam huius nominis notatio alijs rebus conueniat, quæ sacrificia propriè non sunt: nam templa, altaria, vasa, vestes, & id generis alia, fiunt sacra, quæ tamen sacrificij nomine minimè designantur: neque enim eis sacrificij natura, & ratio conuenit. Porrò sacrificij nomen dupliciter accipi solet, latè scilicet, & strictè: Latè acceptum, per metaphoram sumitur multipliciter. Primùm enim, vt colligitur ex Augustino *lib. de ciuit. 5 cap. 4. & 5.* & S. Thoma *secunda secundæ. quæstione 85. art. 3.* omne opus, & officium pietatis, & charitatis; quo de aliquo homine causa Dei benè meremur, dicitur Sacrificium, qualis est Eleemosyna in vsus pauperum propter Deum erogata, quam hostiam vocat Paulus Heb. 13. Deinde, sacrificij vocabulo notatur omne opus, quo peccata commissa per veram animi pœnitentiam expiamus: cuiusmodi sunt operosa, & laboriosa quædam officia virtutis, quæ libenti animo præstamus, quibus nostrorum peccatorum sordes eluantur. Sic etiam vera, & legitima cordis pœnitentia, qua culpas detestati lugemus, sacrificium appellatur, iuxta illud Dauidis: *Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus*; martyrium item sponte, & voluntate susceptum. Et opus illud, quo quis causa Dei, certæ Religioni, votis emissis se addicit, & mancipat, venit appellatione Sacrificij. Strictè verò, & propriè sumptum nomen sacrificij significat actionem, per quam res aliqua corporea primò Sacra facta offertur Deo. Vnde victima, & hostia si pro animalibus, quæ mactabantur sumantur, latè sacrificium dicebantur: nam apud Latinos Victima significat animal, quod hostibus deuictis cædebatur in gratiarum actionem: Hostia, animal, quod pro victoria de hostibus reportanda mactabatur.

Vniuersè igitur Sacrificium propriè acceptum significat rem corpoream, quæ potest in sensus incurrere, & quæ primùm Sacra facta Deo offertur, cuiusmodi sunt animal, carnes, panis, oleum, vinum, farina, frumentum, thus, vel aliquid simile, quod igni coctum, aut combustum, aut aliter quomodolibet tritum, aut commolitum, aut frixum, aut varia aliqua aspersione, aut permistione affectum Deo immolatur.

Secundò quæritur, Quidnam sit sacrificium propriè, & strictè sumptum? Respondeo, esse actionem, per quam res aliqua corporea, siue ad esum, siue ad potum apta, primùm sacratur certis verbis, & cæremonijs adhibitis, & Deo offertur à legitimo ministro, ritu debito, in finem congruentem. Dicitur, *Actio*, quoniam licet sacrificium aliquando dicatur res ipsa, quæ offertur, vt hostia, vel victima; in præsentia tamen non sumitur pro re oblata; sed pro actione, qua res Deo sacratur, & offertur. Cæteris verbis exprimitur omnis sacrificij materia; quæ debet esse corporea, & quæ possit sensu percipi, immo, quæ est sæpius esui, vel potui apta, eò quod tanquam cibus Deo acceptus, & gratus, vel tanquam cibus ministrorum eius offertur. Exprimitur quoque finis, cuius gratia sacrificia facimus. Sacrificia, vel Deo auctore, vel more, & instituto Maiorum, vel instinctu naturæ fiunt, & offeruntur, quibus admissa peccata expiantur, vel Dei auxilium inuocetur ad bonum aliquod obtinendũ, vel iustæ, & debitæ pro beneficijs à Deo acceptis gratiæ referantur. Dicitur, primũ *sacratur, & offertur*, quia vt ex S. Thoma 2. *2. quæst. 86. art. 1. & quæst. 85. art. 3. ad 3.* colligitur, differt sacrificium ab alijs oblationibus, quæ Dei causa fiunt, quia sacrificij materia aliquid in se patitur, ac proinde aliqua sui mutatione sacratur; aliarum verò oblationum materia nullam sui mutationem patitur; sed tantùm adhibitis sub certa quadã præscripta forma verbis, precibus, ritibus, ac cæremonijs, sacerdotis ministerio consecratur, vt rami oliuarum, palmarum, fructus arborum, panis, vinũ, oleum, vestes, & quæ talia sunt. Quo fit, vt sacrificium ab oblatione distinguatur: hæc enim, tanquam genus, latiùs patet, quàm sacrificium: nam

omne

omne sacrificium est oblatio, non contrà. In vetere Hebræorum lege offerebantur, qui dicebantur panes propositionis, qui ante altare Dei in mensa tabernaculi, vel templi exponebantur, Decimæ item, & primitiæ, quæ oblationes erant, sacrificia non item. Præterea, sacrificij materia, quæ Deo offerebatur, per aliquam actionem in honorem, & cultum Dei transmutabatur, animal mactabatur, igni exurebatur ex toto, vel ex parte, thus adolebatur, farina clibano, sartagine vel craticula coquebatur, panis in frusta, & particulas dissecabatur, spicæ triticeæ igne torrebantur, frumenti grana conterebantur, sanguis fundebatur, & spargebatur in parietes. Oblationes verò, erant dona, & munera absque vlla alia transmutatione data Deo. SI QVAERAS, an sacrificium etiam sit signum? Resp. Augustinum *lib. 5. de ciuitat. cap. 5.* dixisse sacrificium visibile inuisibilis sacrificij signum esse, & *in Epist. 49. quæstione tertia*, dicit significatiua esse omnia talia sacrificia, & quarundam rerum similitudines: Et reuera cætera sacrificia in lege veteri signa fuerunt sacrificij cruenti, quod in Cruce Christus obtulit. & sacrificium potest multa significare: nam licet sit actio Sacerdotis, fit ad laudandum Deum, ad gratias ei agendas, ad bona ab eo impetranda, ad nostra peccata abolenda.

Tertiò quæritur, quot fuerint in vetere Hebræorum lege gènera sacrificiorum præscripta? Respondeo, ea colligi ex Leuitico in primis septem capitibus; Primùm genus sacrificij erat, quo tota victima igni comburebatur, & combusta exhalabat fumum ascendentem in cœlum: quod sacrificium hebraicè vocatur, Olah; eò quòd animal oblatum ascendebat in altare Dei, totum igni cremandum, vel quia totum soluebatur in fumum sursum petentem. Græci vocant Holocaustum, vel Holocaustoma, quam vocem retinuit semper ijs in locis antè memoratis Latinus interpres. Hoc sacrificium offerebatur ad testandum Diuini numinis, & maiestatis honorem, & supremum in vniuersa Imperium, ac dominatum; & ideo totum igni exurebatur: de quo sacrificio Leuitici 1. & 6. Alterum genus sacrificij dicitur hebraicè Minchah, quod Latinus interpres Leuit 2. vertit sacrificium, & aliquando libamentum, interdum etiam libamen: quod erat munus oblatum, ex rebus vitæ expertibus, aptis tamen esui, ac potioni. Leuit. 2. sex genera materiæ huius sacrificij memorantur, simila, hoc est, farina purissima, oleo, & thure consperſa, panis ex simila, clibano, vel sartagine, vel craticula decoctus: spicæ triticeæ maturescentes igni tostę, & triticum ex primis spicis contritum. Tertium genus sacrificij dicebatur hebraicè Zeba Selomim, quod Latinus interpres Leuit 3. vertit, hostiam pacificam, & alibi hostiam salutarem: in eo immolabatur victima, hoc est, animal, quod gladio iugulabatur, cuiusque vna pars tota igni absumebatur, altera cedebat in cibum Sacerdotis, tertia in escam eorum, qui offerebant: offerebatur autem, vel ad gratias agendas pro beneficijs diuinitus acceptis, ad testandum, & declarandum animum gratum, aut spontè, vel ex voto ad Diuinam opem inuocandam, & ad auxilium impetrandum pro aliquo beneficio obtinèdo. In illo, quod Sacerdoti obueniebat totum edi debebat eodè die, quo erat oblatũ: In hoc verò, ꝙ Sacerdotib. obtingebat, edi poterat, vel eodè die, vel proximè sequenti, nec enim in diem tertium reijciendum, aut differèdum erat. Hoc genus sacrificij aliquando dicitur in sacris literis sacrificiũ laudis, quia offerebatur ad prædicandas Dei laudes, & beneficia commendãda. Quartum genus sacrificij vocatur hebraicè, Chatah, quam vocem Latinus interpres Leuit. 4. vertit, hostiam pro peccato. Hæc autem erat animal quod immolabatur pro peccato alicuius, cuius pars igni comburebatur, & partem sibi in cibũ Sacerdos sumebat, & offerebatur, pro peccato summi Sacerdotis, aut pro peccato Principis, vel Magistratus, aut pro totius populi peccato, aut pro peccato priuatorum hominum. Apud Hebræos etiam nomen sacrificij aliquando sumitur pro ipso peccato, aliquando pro sacrificio quo peccatum expiatur: hinc Paulus ait: *& de peccato damnauit peccatum in carne*. Peccatum in priori loco sumitur pro sacrificio, in posteriori, pro ipso peccato, quod est sacrificio delectum, & extinctum: ita vt sensus sit: *De peccato*, hoc est per sacrificium destinatum peccato expiando: *damnauit peccatum*, hoc est, aboleuit peccatum *in carne*, id est, in hominibus; nam caro videtur hic accipi pro hominibus. Alibi quoque Apostolus: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, Sic intellige: in quem peccatum cadere non potuit, fecit Deus hostiam, & oblationem pro peccato expiando. Quintum genus sacrificij appellatur hebraicè Assam, quod nomen Latinus interpres vertit, hostiam pro delicto, hoc est, pro peccato per errorem, siue obliuionem commisso. Ineo offerebatur agnus, cuius vna pars igni tradebatur, alteram sibi in escam capiebat Sacerdos: ꝙ & hoc quoque nomen aliquando sumitur pro ipso delicto, aliquando pro hostia, per quam delictũ expiatur. Porrò hebraicè est commune nomen Corban, quod Latinus interpres semper vertit munus, donum, oblationem: nam generatim significat quicquid Deo offertur siue in seipso aliqua siue nulla mutatione varietur. Ex quo fit, vt Sacrificium in quatuor partes diduci & distribui commodè possit, vnum est sacrificium, quod Latreuticon vocare possumus, quod in Dei honorẽ cultum, & venerationem offertur; quale erat holocaustum. Alterum vocari potest expiatorium; quod fit, vt Deum nobis placatum, & propitium reddamus, & vt nostra peccata expiemus, & penitus eluamus. Tertium dicere possumus impetratorium, quando Deo aliquid libamus, vt opẽ nobis, & auxilium ferat, quo bona, quæ cupimus, & petimus, assequamur. Quartum genus sacrificij non ineptè quispiam nominauerit Eucharisticon, quod ideo adhibetur, vt Deo debitas pro beneficijs acceptis gratias referamus.

Rom. 8.

2. Corin. 5

Quartò quæritur, An prædicta veteris legis sacrificia per se peccata delerent, gratiamque conferrent? Magister Sententiarum *in Quarto Distinctione prima* sensit eiusmodi sacrificia, etiamsi ex fide, & charitate offerrentur; nullam vim habuisse tollendi peccata, & gratiam conferendi;

sed tantummodo esse à Deo instituta, & data illi populo in typum, & figuram nostrorum sacrificiorum, & veluti in onus, & seruitutem. Cuius sententia communi Theologorum consensione reijcitur. Fortasse sensit ille, ea sacrificia per se ipsa non aboleuisse peccata, ita vt non negauerit per fidem, & charitatem, quam in illis sacrificijs profitebantur ij, qui offerebant, peccata depelli. Hugo Sancti Victoris *de Sacrament. libro 1. part. 11. cap. 1.* opinatus est, ea sacrificia gratiam dedisse, vt erant nostrorum typi & figuræ. Cæterum hanc etiam sententiam Theologi non admittunt: quia Paulus ad Romanos, & ad Galatas, & ad Hebræos, perspicuè satis ostendit veteris legis Sacramenta fuisse infirma.

Constans est Theologorum doctrina, quam habet S. Thomas in *4. d. 1. quæst. 2. art. 6 q. 3.* Ricard. *4. d. 1. a 3 q. 4.* Sotus *d 1 q. 2. a 3.* eiusmodi sacrificia vi, substantia, & natura sua non gratiam, & veniam peccatorum non contulisse: offerentium tamen merito, quatenus ex fide, & charitate ea offerebant, gratiam præstitisse. Vnde ij, qui offerebant, sua peccata expiabant, Dei gratiam obtinebant, pro pœnis culpæ debitis satisfaciebant, non per substantiam quidem illorum sacrificiorum, sed per merita Christi, quem venturum fide viua saltem implicita credebant, & cuius merita participabant per fidem, obedientiam, religionem, spem, & charitatem, quibus ea sacrificia offerebant. Hierem. 6. dicit Dominus: *Holocausta vestra non sint accepta, victimæ vestræ non placuerunt mihi.* Oseæ 6. *Misericordiam volo, non sacrificium*: & in Psalmis sæpius testatur se sacrificia, & oblationes non requirere, quippe qui eis non indiget.

Sed obijcies illud Leuitici primo, sæpe inculcatum, de holocausto, sacrificium esse, quo placabatur Dominus, & odorem eius illi esse suauissimum, & proficere ad expiationem offerentium: quod ipsum Leuitici secundo, & tertio, frequenter repetitur: Item, Leuitici 4. non semel, ac iterum dicitur: *Rogabitque pro eo*, id est, offerente, *Sacerdos, & ei propitius erit Dominus, & dimittetur ei peccatum*: idemque Leuitici 5. & 6. sæpius replicatur; quin, & Apostolus ad Hebræos 9. idem testatur his verbis: *omnia pene mundantur in sanguine secundum legem.* Deinde huiusmodi sacrificia erant officia obedientiæ, & Religionis in Deum, ex fide, spe & charitate profecta, ergo erant grata, & accepta Deo. Præterea Ecclesia Deum precatur, vt sacrificium, quod in Missa offert, acceptum habeat, sicut accepta, & grata fuerunt sacrificia Abelis, Melchisedechi, & Abrahæ. Leuitici item 18. ait Moses, eum, qui custodit Legem, & iudicia Dei, victurum in eis, quod est dicere more Hebraico, victurum per ea, siue ex eis. Et capit. Aquam. De Consecratione, distinctione quarta, ex Alexandro primo dicitur: *Cinis vitulæ asperso pŏpulum sanctificabat*; item capit. Gloria 12. Quæstione secunda, ex Hieronymo refertur: *Quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis peccudum erat remissio peccatorum.*

Gen. 4. *Infr. 14.* *Infr. 22.* *Heb. 9.*

Sed certè Paulus ad Romanos 3. & 4. ad Galatas 2. & 4. ad Hebræos 7. 8. 9. & 10. perspicuè docet iustitiam, gratiam, veniam peccatorum non fuisse ex lege, siue cœremonijs legis, & vetera sacrificia mundasse tantummodo offerentes à legalibus maculis, & immunditijs corporis, non mentis. Vnde quidam ad obiecta respondent; cùm in Leuitico toties iteratur, ea sacrificia mundare, & peccata expiare, id locum habere in illis legalibus maculis, & immunditijs, quæ ob violatam legem contrahebantur. Polluti enim, præscripto legis arcebantur ab ingressu in templum, ab aliorum conuictu, & consortio, ab esu immolatorum animalium: à quibus immunditijs, & sordibus per sacrificia expiati liberabantur. Sed respondere etiam possumus, illa sacrificia delesse peccata mentis, non vi, & natura sua, sed fide, ac merito offerentium: qui saltem implicitè, ac tacitè in illis Christum venturum profitebantur dũ ea offerebant. *Num. 19.*

Quintò quæritur, num ante legem Mosis datam, aliqua extiterint sacrificia? Respondeo, aperte ex sacris literis constare, veteres illos patres sub lege naturæ viuêtes Deo sacrificia sæpius obtulisse. Vnde B. Augustinus, libro decimo, de Ciuitate Dei, capite quarto ad finem. *Quàm porrò antiquum sit*, inquit, *in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres, Cain, & Abel satis indicant: quorum maioris Deus sacrificium reprobauit, minoris assexit.* Hæc ille. Legimus etiam Noe, Melchisedec, Abramum, & Iacobum Patriarchas, & Iobum Deo sacrificasse. Quæres, vnde nam illi patres, perantiqui Deo eas victimas immolauerint, quas postea lex per Mosen data Hebræis præscripsit? nam hostias obtulisse memorantur ex eisdem quadrupedibus, & volucribus, ex quibus deinde lex iussit offerri. Respondeo, id eos fecisse, vel Dei afflatu permotos, vel instituto, ac more Maiorum edoctos. *Gen. 4.* *Gen. 8.* *Gen 14. 22.* *28.* *Iob 1.*

Obijcies; Tunc temporis sub lege naturæ viuebant, ergo non erant ea sacrificia, quæ fuerunt legis præscripto constituta? Respondeo, id tempus dici legis naturæ, quia nondum erant legis scriptæ præcepta, quæ tamen multi ex illis patribus antiquis sæpius præstiterunt: non quidem necessitate legis, sed instinctu, & voluntate Dei, aut instituto, & more Maiorum: Sic Abraham, & Iacob decimas, & primitias; Abel primogenita, & adipem animalium, Cainus ex terræ fructibus obtulisse memorãtur, Noe inter mũdos & immũdos discrenit cibos. Gen. 38. dixit Iudas ad Onan filium suum; *ingredere ad vxorem fratris tui, & suscita illi, vt suscites semen fratri tuo.* Ille sciens non nasci sibi filios, hoc est, non suo nomine eos vocandos, sed fratris sui filios habendos, & reliqua, quod totum fuit in lege Moysis postea constitutum. Vnde S. Thomas 2. 2. q. 85. *art. 1. ad 1.* ait: *Oblationem sacrificij in communi esse ex lege naturæ, sed determinationem sacrificiorum esse ex institutione humana, vel diuina.*

Sextò quæritur, Num ante circumcisionem institutam fuerit aliquod sacrificium, quo peccatum originis deleretur? De hac quæstione pauca quædam dixi pro instituti ratione *libr. 4. capit. 34. vers. septima sententia.* & latius dicam, cùm de Sacramentis disputabo.

Septimò quæritur, An sacrificium sit iuris naturalis, an tantummodo iuris scripti diuini? Respondeo, esse iuris naturalis sacrificium vniuersè sumptum; nam sacrificia generatim lex, & recta ratio præscribit, quoniam naturali ratione co-

gnos-

gnoscimus esse vnum Deum summum omnium rerum dominum, ac principem, omnium bonorum largitorem; ac propterea ei debitas gratias referendas, eius auxilium inuocandum; vt nos tueatur, ac seruet à malis, & bonis afficiat: ei etiam nos obtemperare oportere: & idcirco tanquam supremo Domino munera esse offerenda, honorem & cultum esse tribuendum: eum esse sacrificijs placandum, quem nostra peccata offenderunt. At verò certum, & speciale sacrificium iuris est diuini, vel humani, non naturalis: quemadmodum ius naturale præcipit orandum esse Deum, sed certæ, ac definitæ preces, & præscriptæ precandi formulæ, iuris diuini vel humani sunt. Sic naturali iure præscribitur Deo esse sacrificandum: sed hæc, aut illa sacrificanda, lex humana vel diuina constituit, vt dicit S. Thom. 2. 2. q. 85. art. 1. ad. 1.

Octauò quæritur, An soli Deo sacrificia fiant, & offerantur? Respondeo cum ex B. Augustino *libr. 8. cap. 27. de Ciuitat. Dei*, & S. Thom. 2. 2. q. 93 art. 2. *Quis audiuit aliquando fidelium, stantem Sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem, cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane; cùm ad eorum memorias offeratur Deo, qui eos, & homines, & martyres fecit, & sanctis suis Angelis cælesti honore sociauit?* Sic Augustinus: Vnde Synodus Tridentina *Session. 22 capit. 3.* definiuit Missæ sacrificium soli Deo offerri: & postea subiecit: *Et quamuis in honorem, & memoriam Sanctorum Missas Ecclesia celebrare consueuerit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui eos coronauit. Vnde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.* Hæc Synodus.

Obijcies vsum, & consuetudinem Ecclesiæ, quæ templa sanctis Martyribus extruit, & dedicat; at templum extruitur ad sacrificia in eo offerenda. Respondeo cum eodem B. Augustino loco citato: *Nec tamen nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed eorum Deus, nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei, qui vsque ad mortem suorum corporum, pro veritate certarunt, vt innotescat vera religio, falsis religionibus, fictisque conuictis.* Et paulò inferius: *Quæcunque igitur adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra, vel sacrificia mortuorum, tanquam deorum.* Hæc August.

Dices: Quare igitur templa dicimus, esse erecta, & dedicata S. Petro, S. Paulo, vel Beatiss. Virgini Deiparæ? Respondeo, propriè quidem templa esse Deo dicata, cùm ea extruantur, & consecrentur, vt in eis victimæ Deo immolentur, sacrificia offerantur: sed nihilominus appellantur etiam templa Martyrum, quia eædem sacræ domus, quæ sunt templa Deo dicata, continent Martyrum sepulchra, ossa, reliquias, cineres, corpora, aut saltem eorum imagines, & monumenta; vel aliquid aliud, quod ad ipsos aliqua ratione pertineat: ac proinde templa Deo inseruiunt, vt ipsi in eis sacrificemus: Sanctis verò Martyribus seruiunt tanquam ædes amplæ, & magnificæ, in quibus aliquid honorificè continetur, & asseruatur, quod ad Martyres aliqua ratione spectet, vt eorum memoria perpetua celebritate recolatur. Ex quo etiam fit, vt templa Beatæ Dei Genitrici, Sancto Michaeli, & alijs Angelis sacrata esse dicantur: nam tametsi corpora, vel reliquias non contineant; habent tamen eorum imagines, vel aliqua monumenta rerum, quas Deus eorum precibus, ministerio, & opera mirabiliter effecit. QVAERES, quanam ratione monstretur, sacrificia Deo soli deberi? Respondeo, sacrificium esse religionis opus, & officium, at Religio moralis est virtus, quæ cultum, honorem, & venerationem Deo debitam defert. Deinde sacrificia facimus, vt profiteamur exterius, quod interna fide credimus, Deum scilicet esse rerum omnium Dominum, Regem, ac Principem, cui pro tot, ac tantis beneficijs acceptis, gratias debeamus; cuius diuinum auxilium, & opem implorare nos oporteat, vt ipso auctore liberemur à malis, & in bono conseruentur. Hæc autem à sanctis Martyribus nequaquam postulamus; sed inter sacrificandum, eorum preces ad Deum, & patrocinia imploramus, videlicet vt Deum pro nobis, orent assiduè; eorum memorias celebramus, vt eorum exemplo, & imitatione ad bonam vitæ frugem excitemur. Vt immeritò proinde Hæretici Catholicos accusent, quod templa ædificent, & consecrent in honorem Martyrum, eorumque nominibus appellent. Ecclesia profectò vsu, & more à primis Apostolorum temporibus ad nos vsque perducto templa in Dei cultum, & Martyrum memoriam semper extruxit: Et id veterum Patrum Ambrosij, Augustini, Gregorij, Damasceni, Leonis, Epiphanij, Cyrilli, Nazianzeni, Basilij, & Athanasij confirmat auctoritas; quos vnà cum alijs citat Durandus *de ritibus Ecclesiæ Catholicæ libro 1. capite 1. & 2.*

Nonò Quæritur, Quibusnam temporibus Deo sacrificare debeamus? Respondeo, certa ac definita tempora sacrificandi, iure naturali præscripta non esse, nisi generatim tempore necessitatis. In vetere autem Hebræorum populo certa tempora sunt à lege scripta constituta: Ecclesia quoque diuinitus edocta, certa Missæ sacrificio tempora destinauit, quæ similiter, vel voto cuiusque, vel Maiorum iussu, & auctoritate aliquando deputantur.

Cap. VIII.

De institutione sacrificij Missæ.

PRoprium Christianorum sacrificium est Missa, à Deo instituta. Quæritur ergo in primis, an Missa sit nomen Hebraicum, an potius Latinum? Quidam videlicet Reulin. *lib. 2. de Hebraic. erudit.* Alcian. *lib. 7. Pæreg. cap. 10.* Xainctes *in Præfat. in Liturgiam*, Hector Pintus *in Dan. cap. 3.* Pamel. *in Liturgiam* existimant esse Hebraicum, significareque voluntariam oblationem, quæ Deo offertur, aut tributum quoddã, quod ipsi persoluitur; quãuis alij minus rectè putauerint, designare id, quod in altum tollitur, quæ significationes si veræ sint, rei diuinæ, quæ in Missa fit, aptè cõueniũt. Nã sacrũ Domini corpus in Missa offertur, & veluti quoddã tributi genꝰ soluitur, & in altum

tum

tum tollitur, vt id populus debito honore veneretur. Alij tamen, vt rectè ait Durandus *de ritibus Eccl Cath. lib. 2. ca. 1. num. 2.* probabilius crediderunt, vocem esse Latinam: quod probant, quia si Hebraicum nomen esset, integrum prorsus manet, & apud Græcos, & apud Latinos, sicut ceteræ hebraicæ voces, quæ apud vtrosque eædem integræ, nihil penitus mutatæ manserunt; nimirum, Alleluia, Osanna, Raca, Acheldema, Sabbaoth, Satan, Sabbatum, Amen, Pascha, & id genus alię. At videmus alio vocabulo vti Græcos, alio Latinos, alio Syros. Græci enim Liturgiam vocant; hoc est, munus, & ministerium publicum; Syri Quedossa, hoc est, Sanctum, Missam Latini. Deinde, constat, apud Latinos veteres patres vsurpata esse participia præteriti temporis pro nominibus, quæ verbalia Grammatici appellant. Sic collecta pro collectione, remissi pro remissione apud Tertullianum *libro 4. contra Marcionem, cap. 18.* Cyprian. *de bono patientiæ, & libr. 3. epist. 8. & epistola 14.* Sic videtur dici Missa pro missione.

Quæres, quid Missa, si Latinum nomen sit, significet? Respondeo, vt colligitur ex Alcuino *de diuin. offic. cap. de celebrat. Missæ.* Isidoro *lib. 6. Etymolog. cap 19* Raban. *lib. 1. de institut. cleric. cap. 32.* Remig. *lib. de Officio Missæ.* Dimissionem populi significare: Olim namque in fine Missæ, quæ dicebatur Cathecumenorum, publica voce Diaconus clamabat: *Ite, missa est.* vt apertè insinuant S. Augustin. *serm. 237. ad mensam S. Cyprian.* Concil. Carthag. 4. *cap. 84. & cap. Episcopus, de consecr. dist. 1.* Ambros. *lib. 5 epist. 33.* Iuo. *in epist. 75.* Concil. Illerd. *can. 4.* & Cassian. *lib. 2. de institut. Monach. cap. 15.* & Clem. *libr. 8. Constitut. Apostol. cap. 12.* Concil. Laodicens. *canon. 19.* & Gregor. *lib. 2. Dialo cap. 2.* quibus verbis ab Ecclesia excludebantur Cathecumeni, Energumeni, Pœnitentes, quibus fas non erat consecrationi corporis, & sanguinis Domini interesse; ac proinde dimittebantur hoc verbo; *Ite, Missa est;* quasi diceret Diaconus: Vobis iam licet foras abire, iam vos dimittimus; ac proinde abite, est enim vestri dimissio. Nam præcepto Ecclesiæ ad id vsque tempus in templo adesse cogebantur, & quia voce alta, & intenta Diaconus publicè clamabat: *Ite, Missa est;* cœpit vulgarium hominum vsu integrum Missæ sacrificium, Missa appellari, sumpto vocabulo à publicis illis verbis, quæ ad omnium adstantium aures perferebantur. Et sicut tunc Diaconus dicebat: *Ite, Missa est;* sic etiamnum perfecto, & absoluto Missæ sacrificio, voce Diaconi, vel Sacerdotis dicitur populo: *Ite, Missa est,* vt bene annotauit Durandus, vna cum alijs iunioribus *libr. 2. cap. 1. nu. 4. & 5. de ritibus Ecclesiæ Catholicæ.* Quare falluntur, qui existimant, malè in Ecclesia ad finem Missæ dici voce Diaconi, vel Sacerdotis: *Ite missa est,* vt olim à Diacono dicebatur initio Missæ fidelium Christianorum. Nec enim tunc cùm Diaconus proclamabat: *Ite, Missa est,* id dicebat propter initium Missæ fidelium; perinde ac si diceret, Abite, quia incipit Missa fidelium; sed ob eam causam, quòd erat finis missæ Cathecumenorum, qui dimittebantur, vt liberè quò vellent, se reciperent. Quod ergo Diaconus in fine Missæ Cathecumenorum dicebat, hoc in eodem ferè sensu solet in Ecclesia dici, quoties Sacerdotes offerunt, toto sacrificio completo: *Ite, Missa est,* vt astantes intelligant sibi iam ab Ecclesia dimissis fas esse discedere. Quorundam est opinio, his verbis: *Ite, Missa est,* idem significari, quod, missa iam est ad Deum oblatio, Abite: in regula Sancti Benedicti, vbi *cap 9. 12. 13.* de publicis precibus dicitur, compleantur: postea in cap. 17. legimus, *Missæ sint, & fiant,* Hoc est, compleantur, & finiantur, ac si diceretur, fiant dimissiones. Aliorum verò etiam probabilis videtur sententia, sic interpretantium: *Missa est,* id est, sanctorum Angelorum turba missa est a Deo, quæ sacrificio adsit, & illud per nos oblatum ad Deum deferat.

Secundò quæritur, Quonam pacto in præsentia nomen Missa sumatur? Respondeo, in iure Canonico, Patribus item, atque Concilijs accipi pro Missione, id est, dimissione Cathecumenorum. In Concilio Carthaginensi 4. *can. 74.* dicitur: *Episcopus nullum prohibeat vsque ad Missam Cathecumenorum, neque Iudæum, neque Gentilem Ecclesiam ingredi, & audire verbum Dei.* In Concilio Illerdensi *canon. 4.* prohibentur quidam in Ecclesia permanere, nisi vsque ad Missam Cathecumenorum. Ait etiam B. Augustinus *sermone 237. ad Mensam S. Cypriani.* Ecce post sermonem fit Missa Cathecumens, manebunt fideles.

Eodē sensu accipitur Missa apud Cassian *lib. 2. c. 7.* & idem alibi Missam orationis vocat Dimissionem orationefinita; & alio in loco videlicet cap. 8. Missam congregationis, hoc est, Dimissionem congregationis, & Missam Vigiliarum, id est, dimissionem post vigilias exactas. Hinc est illud, vt dixi, quòd in Regula quoque S. Benedicti statuitur, vt Missæ fiant, id est, Dimissiones Congregationis post Nocturnos singulos officij Ecclesiastici absolutos. Aliquādo accipitur vocabulū Missæ præcisè pro ea parte sacrificij, in qua Christi corpus cōficitur, cōsecratur & offertur: Aliquādo designat eam partem, in qua Sacerdos preces ad Deū pro congregato populo fundit, ac mittit. Postremò, pro toto diuino officio, quod ex Missa Cathecumenorum, & fidelium, & Sacerdotis precationibus constat: & hoc significatu in præsentia sumitur.

Tertiò quæritur, Quàm vetus, & antiquum sit Missæ vocabulum in Ecclesia Latina? Respondeo, hoc nomen legi in primis apud B. Ambros. lib 5. epist. 33. *Ego,* inquit, *mansi in mutuere, Missam facere cœpi, orare in oblatione Deum, vt subuenirent:* Deinde apud S. Augustin. serm. 91. de tempore, & serm. 251. *In lectione,* ait, *quæ nobis ad Missas legenda est, audiuerí sumus.* Extat idem vocabulum apud Victorem Vticensem, & apud Cassianum *lib 3. de institut. Monach. cap. 11.* Item in Concilio Romano sub Syluestro 1. in Carthaginiensi 2. *canone 3.* & in Carthaginiensi 4. *canone 84.* in Milcuitano itidem *capite duodecimo.* Legimus idem quoque nomen in epistolis Romanorum Pontificum, qui longè ante Syluestrum 1. Christi Ecclesiæ præfuerunt; Alexandri, inquam, 1. Telesphori, Higini, Sotheris, Pij, Fabiani, Eutychiani, vt citat Durantus *de ritibus Ecclesiæ Catholicæ, libr. 2. capit. 6. numer. 6.* quamuis eiusmodi Epistolæ non ita constantem, & certam apud omnes auctoritatem habeant.

Quartò quæritur, An ex sacris literis colligatur, diuinum Missæ officium verè,

ac pro-

ac propriè sacrificij rationem habere? Hæretici li berè id negant. In Concil Constantiensi *Sess.* 8. damnatur articulus inter alios iste: *Non est fundatum in Euangelio, quod Christus Missam ordinauerit.* Et in Concilio Tridentino *Sess.* 22. *can.* 2. definitur: *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem; Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi, aliiq; Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum; anathema sit.* Hoc autem constanter veteres Ecclesiæ Patres tradiderunt; Iustin. *in Dialog. contr. Typhon.* Iren. *lib.* 4. *aduers. hæres. cap.* 32. Alex. *in epist. ad omnes Orthod.* Cyprian. *lib.* 2. *epist.* 3. & *in serm. de Cæna.* Tertullian. *lib. de cultu fœmin.* Orig. *homil.* 13. *in Leuit.* Nazianzen. *orat.* 1. *contr. Iulian.* Ambros. *epist.* 33. & *li.* 4. *de Sacram.* Euseb. *lib.* 1. *cap.* 10. *de demonstrat. Euangel.* Hieron. *epist. ad Hedibiam,* & *in epist. ad Euarrium.* Augustin. *lib.* 10. *de Ciuit. cap.* 10. Athanas. *q.* 34. *ad Antiochum.* Dionys. *de Eccles. Hierar. capit.* 3. Iguat. *in epist. ad Smirnenses.* Ex Catholicis quidam negarunt Christum seipsum in extrema cœna sub specie panis, & vini obtulisse incruentè; sed præcepisse tantummodò, vt eum incruentè Sacerdotes offerrẽt. At Synodus Tridentina *Session.* 22. *capit.* 1. definiuit, quod se in cœna Christus obtulerit. Et certè hoc idem Patres olim ante tradiderunt. Cyprian. *libr.* 3. *epist.* 3. *ad Cæcilium.* Hieron. *in Matth.* 26. Hesych. *lib.* 6. *in Leuit. capit.* 22. & *libr.* 2. *capit.* 8. Leo *sermon.* 7. *de Passion.* Nissen. *in oration.* 1. *de resurrection. Domini.* Origen *in Matth. capit.* 26. Tertullian. *lib.* 4. *contr. Marcion.* Chrysostom. *homil.* 18. *in Matth.* Isidorus *lib.* 6. *Etymo. cap.* 19.

Deinde ex Euangelica historia id facilè colligitur. Nam Christus tunc corpus suum, & sanguinem consecrauit, & sublatis in cœlum oculis gratias egit, ergo seipsum obtulit. Deinde post typicum agnum, seipsum vt agnum figuratum, & significatum suis discipulis dedit; ergo typici agni figuram impleuit in omnibus. Accedit his, quòd vt Patres testantur, Christus Dominus Sacerdotium, & sacrificium in Melchisedeco typicè adumbratum compleuit; sed sacrificium Melchisedechi fuerat in pane, & vino incruentum: ergo Christus incruentè quoque illud in cœna obtulit. *Luc.* 22. *1. Corin.* 11. Præterea Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem,* iubens nos facere, quod ipse fecerat: sed nos eius auctoritate, & institutione consecramus, & offerimus incruentè, ergo ipse suum corpus, & sanguinem consecrauit, & obtulit.

Obijcies, nullum verbum extare in Historia Euangelica, vbi dominica cœna memoratur, quo verbo significetur Christum seipsum obtulisse, & sacrificasse incruentè: nam tantummodo legimus ipsum consecrasse, fregisse, ac deinde impertisse Discipulis corpus, ac sanguinem suum: Ergo illa verba: *Hoc facite.* solùm significant, Consecrate, frangite, & date cæteris meum corpus, & sanguinem. *Matth.* 26. Apostolus itidem Corinthijs scribens, hoc quod est, Domini corpus, & sanguinem edere, & bibere, ait esse commemorationem mortis illius: at verbum *facite,* in Scripturis non significat, Offerte & sacrificate. Sed hæc nullo ferè negotio diluuntur: quoniam ex hoc, quod Christus consecrauit, Patri gratias agens, fregit, & dedit, satis apertè colligitur seipsum obtulisse, prædicta verba idem valent, ac, suum corpus, & sanguinem consecrauit, obtulit; & deinde Discipulis impertiuit. Deinde verbum *facio* aliquando tum apud profanos, tũ apud sacros scriptores significat sacrificare: præsertim cũ id ex adiũctis sæpius colligatur: verbi gratia, cùm dicitur, Facere vitulum, facere agnos. Cùm item Euangelium refert, Christum dixisse: *Hoc facite,* eo ipso significat, eum præcepisse, Meum corpus, & sanguinem consecrate, gratias agite, & date cæteris. Gratiæ autem Deo agi dicuntur, quia corpus Domini consecratur, & offertur Deo; ac deinde cæteris datur. *Virg. in Eclog.*

Quintò quæritur, An sacrificij ratio, & natura verè & propriè Missæ conueniat? Id similiter hæretici pernegant. Primò, quia in sacrificio res, quæ immolatur, fit primum sacra; At corpus Christi in Missæ officio sacrum non facimus. Deinde, res sacrificij mactatur, at hoc de Christi corpore dici non potest. Accedit, quod hostia, & victima est externa res, quæ aut cerni oculis, aut manu tangi, & contrectari potest: at corpus Christi, vt est in Sacramento Eucharistiæ, sensibus minimè subijcitur. Postremò, in Missæ officio nihil est, quod sacrificij rationem habere queat, nisi aut species panis, & vini, aut corpus Christi sub illis contentum. Non primum, quia huiusmodi species Deo non libantur, nec offeruntur: non secundum, quia corpus Christi non mutatur, sed panis, & vinum in corpus, & sanguinem Domini transeunt. Suprà ostendimus, quidnam vera, ac propria sacrificij ratio, & natura postulet. Diximus enim enim ad sacrificium requiri rem externam, & quæ sensibus percipi queat; quæ item sæpe est ad esum, & potum apta, quæque sacra fiat, & certam aliquam in seipsa mutationem patiatur, offeraturque Deo per legitimum ministrum, & certis quibusdam cœremonijs, ac ritibus: & hoc, vel ad expianda & delenda peccata, eorum venia impetrata; vel ad gratias Deo agendas pro beneficijs acceptis; vel ad eius opem inuocandam pro bonis obtinendis, malisque vitandis, vel ad supremum eius in omnia dominatum, & imperium profitendum. Hæc autem omnia Missæ officio conueniunt: in eo siquidem in primis substantia panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi præscriptis ab eo verbis, & per Sacerdotem prolatis conuertuntur; ac proinde corpus Christi consecratur, offertur, & tamquam spiritalis cibus animæ sumitur. Quare ipsum Domini corpus est hostia, & victima, quæ incruentè ministerio Sacerdotis offertur. Neque obstat, quòd huius sacrificij hostia minimè mactetur: hoc enim sacrificij ratio per se non exigit: Erant siquidem vetera sacrificia, in quibus materia panis, & vini, & alia esculenta, & poculenta offerebantur. Satis igitur est ad sacrificium, si eius materia in se ipsa, aliqua consecratione mutetur: at in Missæ sacrificio panis & vinum reipsa mutantur, & vi conuersionis corpus Christi incipit esse sub specie panis, & vini, cùm antea non esset. Minus item obstat, quod corpus & sanguis Domini, dum sunt in hoc sacrificio, sub sensus non cadant: sufficit species panis, & vini, quæ corpus, & & sanguinem Domini continent, res esse sensibus subiectas. Et quando rogamur, an species panis, & vini, an potius corpus Domini sit sacrifi-

cij materia? Respondemus, corpus Domini sub speciebus contentum, esse materiam sacrificij, quia est res, hostia & victima, quæ offertur, quæq; incruentè immolatur. Non incommodè etiam quis respondeat, ipsas species panis, & vini, quatenus Christi corpus, & sanguinem continent, esse materiam sacrificij Deo oblatam. Nam Irenæus *lib. 4. cap.* 32. ait Ecclesiam offerre Deo sacrificiũ ex creaturis, id est, ex pane, & vino. Cyprianus *li. 2. epist. 3. & epist. 63.* concedit Christum obtulisse Patri calicem vino, & aquæ mixtum. Gregorius *lib. 2. Dial. cap. 23. & lib. 4. cap. 55.* Omnipotenti Deo, inquit, pro me offer hunc panem. Idem quoque docent Fulgent. *de fide ad Petrum, c. 19.* Alex. I. *in epist. ad Omnes Orthodoxos.* Clem. I. *epist. 2.* Hæretici concedunt, in Missa esse quidem preces, & lectionem Euangelij, aliarumque sanctarum scripturarum, ac Fidei in symbolo Apostolorum professionem; at vllam fieri negant dominici corporis consecrationem; vel saltem si eam admittunt, vt quidam eorum faciunt, pugnacissimè tamen inficiantur, vllam fieri corporis dominici oblationem.

In quo vno potissimum videtur consistere tota controuersia, quæ nostra ætate est Catholicis cũ Lutheranis. Isti enim verbum Oblationis in Missa detestantur; ac proinde totam sacrificij rationem, & naturam euertunt, ac tollunt. Catholici verò confitentur vtrumque, videlicet, corpus Domini reuera, & consecrari, & offerri; & hoc veteres patres, & Concilia communi consensu tradiderunt, hos Patres & Concilia citat Durandus *de ritib. Eccl. Cathol. l. 2. c. 3.*

Sextò quæritur, An in veteri Testamento Missæ sacrificium fuerit, aut figuratum, aut significatum, atque prædictum? Hæretici contendunt Missæ sacrificium Genes. 4. in sacrificio Melchisedech: nequaquam fuisse typicè adumbratum: propterea quod Melchisedec panem, & vinum ex domo sua protulerit tantummodo ad reficiendos milites Abrahæ, redeuntes ex bello hostium victores, quasi fame pressos; id enim docuit Iosephus *lib. Antiquitatum, cap. 18.* Deinde, quia Paulus ad Hebræos cum in multis Sacerdotium Christi cum Melchisedechi sacerdotio compararet: minima quæque excutiens, ac persequens; nihil prorsus meminit, Melchisedec panem, & vinum obtulerit, necne. Adde, quod verbum Hebraicum, quod Latinus interpres conuertit, in verbum proferens, solùm significat, *Fecit exire panem, & vinum*; ac si dicat. Asportauit, vel detulit panem, & vinum. Nihil præterea sacri circa panem & vinum fecisse memoratur; ergo neque sacrificauit. Hebræi etiam docent, eo loco Melchisedecum non dici Sacerdotem Dei, perinde ac si sacerdotio fungeretur; sed dici magnum, & insignem Principem: hoc enim, aiunt illi, significat nomen Hebraicum, quod vertit Latinus interpres in Sacerdotem Dei. Postremò, inquiunt, malè interpretem Latinum transtulisse in coniunctionem causalem: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* coniunctionem hebraicam copulatiuam, quæ verti debuerat, sic: *Erat autem Sacerdos Dei altissimi.* Hæc Catholicis hæretici obijciunt. Verumtamen eiusmodi sunt, vt facillimè diluantur. Nimirum sacras literas interpretari non licet contra vnanimem sanctorum Patrum consensum; at omnes patres Græci, & Latini locum Geneseos interpretantur de Sacerdotio, & sacrificio Melchisedechi in pane, & vino typicè significante incruentum Christi sacrificium sub specie panis, & vini in Missa oblatum: sic Clemens Alexandrinus *lib. 4 Stromat.* Cyprian. *libr. 2. epist. 3.* Euseb. *libr. 5. de Demonstratione Euang. cap. 3.* Hieronym. *epistol. 17. ad Marcellum, & epist. ad Euagrium,* Ambrosius *de Sacrament. libro 5. capit. 1. & libr. de ijs, qui Mysterijs initiantur, capit. 8.* Chrysostom. *homil. 35. & 36. in Genes.* Theodoret. *quæstion. 63. in Genesim, & in Psalm. 109.* Epiphan. *hæresi 55.* Damascenus *libro 4. de fide Orthodox. capit. 14.* Arnobius & Cassiodorus *in Psalm. 109.* Photius, Oecumenius, Theophylactus *in epistol. ad Hebræos capit. 5* Augustinus *in Psalm. 33. & libro 17. de Ciuitat. capit. 20.* Euthym. *in Psal. 109.*

Nec obstat, Paulum ad Hebræos 7. comparasse Sacerdotium Christi cum Sacerdotio Melchisedechi in oblatione panis, & vini: nam eo loco Apostolus solùm volebat ostendere Sacerdotium Christi Leuitico, & Aaronico Sacerdotio esse longè dignius, excellentius. Quod inde comprobauit, quod Melchisedec (secundùm cuius ordinem Christus erat Sacerdos) benedixerit Abrahæ, & in eo Aaroni; ac proinde fuerit Aarone maior. Deinde, quod decimas spoliorum acceperit ab Abrahamo, & in eo ab Aarone, qui genus traxit ab Abrahamo. Summus autem Pontifex ab inferioribus Sacerdotibus decimas accipit. Denique, quòd Melchisedecus quodammodo fuerit in perpetuum Sacerdos, cuius nec ortum, nec obitum Scripturæ commemorent. Hæc faciebant ad auctoritatem, & dignitatem Sacerdotij Christi: non autem quòd Melchisedecus Domino Deo panem obtulerit, & vinum. *Psalm. 109. Genes. 14.*

Nec item inficiamur, nomen Hebraicum Choem, quod Latinè dicitur Sacerdos, interdum significare in sacris literis Principem, ministrum, ac locum Dei in terris tenentem: nam in libris Regum dicitur: *Iairites erat sacerdos Dauidis*; quo verbo significatur, eum fuisse magnum Principem, siue primarium virum in aula regia Dauidis: Sacerdos autem non est propriè hominis, sed Dei: & de filijs Dauidis alio in loco dicitur: *Porrò filij Dauidis erant Sacerdotes*: qui locus à Latino interprete alibi in hunc modum transfertur. *Erant primi ad manum Regis.* Sacerdotes enim solùm ex tribu Leuitica creabantur, ergo filij Dauidis Sacerdotes propriè esse non poterant: Nihilominus prædictum nomen Hebraicum crebriùs significat in sacris literis Sacerdotem, immo hoc est eius proprium significatum, & cùm principem significat, non proprium, sed est nomen potius metaphoricum. Ergo Latinus interpres Geneseos 14. rectè vertit: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Nam etsi id vocabulum Hebraicum in Scripturis alioqui semper esset ambiguum: Ex adiunctis tamen, videlicet antecedentibus, consequentibus, & comitantibus ambiguitas tolleretur. Et certè Genes. 14. Ex adiunctis rectissimè colligitur, Melchisedecum propriè fuisse Sacerdotem Altissimi; quia benedixit Abrahæ, quia ab eo item decimas accepit: Et quia cùm dictum est, regem eum esse; statim Moses subiecit. *Et erat Sacerdos Dei altissimi*; quasi diceret: Moses nõ solum rex erat, sed etiam Sacerdos. Postea subijcitur: *proferens* *1. Reg. 10.* *1. Reg. 8.* *1. Paral. 18.*

panem

panem, & vinum, quasi dicat: Sacerdos erat Dei, vinum, & panem offerre solitus.

Non diffitemur etiam Melchisedecum, tanquã regem potentem, & opulentum, cibum, & potũ detulisse ad reficiendos milites Abrahæ victores, & de via lassos: attamen negandum non est, eum primò panem obtulisse, & vinum Deo litasse. Ex quo etiam fit, vt optimè Latinus interpres coniunctionem Hebraicam, ו, in causalem conuerterit. *Erat enim*, inquit, *Sacerdos Dei Altissimi.* Nam etsi apud Hebræos sit sæpè copulatiua coniunctio: aliquando tamen est etiam causalis, vt apud Esaiam cap. 64. *Ecce tu iratus es nobis, & peccauimus*, hoc est, quia peccauimus. Psalm. 107. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.* In Hebræo est coniunctio copulatiua: Et vana salus hominis. Genes. 22. *Nunc cognoui, quod timeas Deum, & non pepercisti vnigenito Filio tuo propter me*, hoc est, quia non pepercisti. Genes. 20. *En morieris propter mulierem, quam tulisti: habet enim virum.* In Hebræo est: *Et ipsa habet virum.* Genes. 30. *Experimento didici, quia benedixerit mihi Dominus.* In Hebræo legitur: *Et benedixit mihi Dominus.*

Dices, ex figuris certum fidei argumentum nõ sumi. Respondeo, quando figuratum sensum, vel alia Scriptura, vel Ecclesiæ definitio, vel traditio, vel constans Sanctorum Patrum sententia docet, tunc ex figuris veteris Testamenti firmum, & efficax argumentum ducitur ad res Fidei comprobandas, non autem quando proprio cuiusque ingenio sensus eruitur. At oblationem panis, & vini, quam Melchisedecus libauit, fuisse Missæ sacrificij typum, & figuram, veterum Patrum Sanctorum auctoritas docuit, & Synodi Tridentinę definitio tradidit.

Septimò Quæritur, An Missæ sacrificium sit à Malachia cap. 1. prædictum illis verbis: *A Solis ortu vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Id negant Hæretici: At Synodus Tridentina *Sessione 22. cap. 1.* eo loco Missæ sacrificium esse à Propheta prædictum, apertè docet. Et certè veteres Patres id ita docuerunt, Iustinus *in Dialogo cum Tryphone.* Irenæus, *lib. 4. cap. 32.* & Tertullian. *lib. 3. contra Marcion.* Clem. *lib. 7. Constit. Apostoli. cap. 31.* Eusebius *lib. 1. de demonstrat. Euangel. cap. vlt.* Cyprian. *lib. 1. contra Iudæos, cap. 16.* Chrysostomus *homil. in Psalmum 95.* Augustinus *lib. de Ciuit. 19. cap. 23. & lib. 18. cap. 35.* Damascen. *lib. 4. de fide Orthodo. cap. 14.* & Theodore. *in Malachiam, cap. 1.* Cyrillus *lib. de adorat. in spiritu, & veritate.* Et eadem Synodus Tridentina subiungit, Apostolum non obscurè hanc oblationem innuisse, cum ait Corinthijs scribens: Non posse eos, qui participatione mensæ Dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri, per mensam vtrobique altare intelligens.

Cæterùm hic clamant Hęretici, eum Malachię locum nequaquam intelligi de Missæ sacrificio, sed vel de Euangelij annunciatione, & Gentium conuersione ad Christum in toto terrarum orbe futura, vel de precibus, & orationibus, ac bonis, & religiosis operibus Christianorum hominum, quæ sacrificia per metaphoram sacerdotes appellat. Nam eo loco nomine incensi, quod legunt Hebraici, & Græci codices, Hieronymus *in Zachar. cap. 8.* & Augustin. *lib. 2. contra Epistolam Petiliani, ca. 86.* preces, & orationes intelligũt. Veruntamen Augustino, & Hieronymo reliquũ veterum Patrum cœtum opponimus, & Synodi Tridentinæ testimonium: præsertim cum ipse Augustinus, quæ protulimus verba Malachię de Missæ oblatione interpretetur.

Quæres, an in alijs veteris Testamenti locis sit Missæ sacrificium prænunciatum, ac mysticè significatum. Respondeo, ex Synodo Tridentina *Sess. 22. cap. 1.* hanc oblationem esse, quæ per varias sacrificiorum, naturæ, & legis tempore, similitudines figurabatur. Et ita Tertullianus ait, Sacrificium Abelis, Eucharistiæ sacrificij figuram fuisse, Iustinus martyr scribit: Similæ oblationem fuisse figuram Eucharistiæ. Cyrillus in Ioan. *6. Omnia*, inquit, *veterum sacrificia noua superueniente vno complectitur sacrificio*, Eucharistiæ. Chrysost. Theophylac. *Ioan. 6.* & Damas. *lib. 4. de fide Orthod. cap. 14.* Cyril. *Catechesi 4.* Leo *serm. 8. de Passio. Domini*, testantur. Et in agni Paschalis celebritate typicè adumbratum esse hoc sacrificium, veteres sancti Patres docuere, Cyprianus, Ambrosius, Nazianzenus, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Leo, Hesychius, Gregorius, Beda *locis supra citatis.* Quidam Catholicorum contendunt illud esse prædictum Psalm. 71. illis verbis: *Erit firmamentum in summis montium*: quem locum Chaldæus paraphrastes vertit: *Et erit placentia tritici in capitibus Sacerdotum*, & veteres Hebræi intelligunt de quibusdam placentis confectis ex tritico, delicatissimis, tempore Messię ministerio Sacerdotum Deo offerendis. Vt proinde verterint nonnulli: *Et erit frumentum.* Alij docent esse prædictum Danielis 12. vbi Propheta auferendum ait esse iuge sacrificium tempore Antichristi per tres annos, & dimidium. Volunt enim iuge sacrificium dici oblationem, quæ fit quotidie in Missa. At prima testimonia ex Malachia, & Gen. 14. & alijs figuris desumpta, sunt nostræ causæ firmiora, & certiora præsidia.

Octauò quæritur, Quo pacto missæ sacrificium, quod quotidie, Deo offertur, nihil pugnat cum ijs, quæ tradit Apostolus ad Hebr. 5. 7. 8. 9. & 10. Lutherani conantur ostendere, nos repugnare Paulo, si dicamus, in Missa Deo sacrificari: nã docet Apostolus, in noua lege vnicum tantum esse Sacerdotem, videlicet Christum: Et ideo illum in æternum manere; vnum esse sacrificium, quod est in Cruce factum, & consummatum, quodque peccata omnium sustulit: & nouæ legis Sacerdotium à Leuitico differre, quod in hoc plures erant Sacerdotes, plura sacrificia, quia vnum sacrificium pro omnium peccatis minimè sufficiebat, & idcirco ea quotidie replicari oporteret. Ergo si in Missa quotidie Deo hostiam immolamus, contra Apostolum facimus, dicentem, in noua lege sacrificia minimè iterari, quia vnica Christi oblatio, omnium peccata aboleuit, Alioqui sacrificium nouæ legis, vel erit infirmum instar veterum sacrificiorum: vel si gratiam, & veniam peccatorum conferre dicimus, iniuriam facimus, & plurimum derogamus sacrificio Christi, quod in cruce immolatũ est; perinde ac si id minimè sufficeret ad nostra peccata extinguenda.

1. Cor. 4. Leuit.

1. Cor. 10.

Cæterum hæc Hæreticorum argumenta talia videntur, vt minimum nobis negociũ facessant. Etenim Apostolus solum contendit vnicum esse in noua lege sacrificium cruentum, quod Christus in cruce immolauit: nec illud repetitur, quia per se abundè sufficit ad omnia peccata expianda, & tollenda. Vnde Sacerdotes quotidie Deo immolantes, nequaquam illud repetunt. Missæ etenim sacrificium incruentum, est illius cruentæ oblationis commemoratio. Nec tamen sola est commemoratio, sic enim sacrificium non esset; sed est simul etiam oblatio. Ideo verè in Missa, Christi corpus consecratur, & Deo offertur. Cum verò nobis obijciunt Lutherani; nihil opus esse corporis dominici oblatione, si vna duntaxat in cruce facta, omnium peccata deleuit: Respondemus, nihil argumento concludi: nam vnus est in mundo Sol, qui per se alioqui sufficit ad omnia terrarum loca illustranda: at si nos ipsos in tenebras abdimus, si feneſtram, vel ostium domus occludimus, nequaquam clara Solis luce perfundimur. Eodem prorsus modo, vnica Christi oblatio in cruce facta sufficit, & quidem abunde, ad omnium peccata penitus auferenda: sed ea non delet, nisi fructus eius ad nos deriuetur: is autem minimè deriuatur, nisi nobiscum, vel per Sacramenta, vel bona opera, vel sacrificia communicetur. Et ideo corpus Christi quotidie in Missa consecrant, & offerunt Sacerdotes, vt quotidie eiusmodi fructum salutarem capiamus. Nam pari ratione ad Sacramenta frequenter accedimus, & bonæ vitæ operam damus, vt oblatio Christi in cruce facta, nobis quotidie fructuosa sit, atque salutaris. Id est, vt fructus eius vberrimos nobis Christus impertiat. Hinc etiam apparet, longè multo Missæ sacrificium à veteris legis Mosaicæ sacrificijs distare: nam illa typi erant, & figuræ Christij & idcirco per seipsa minimè peccatorũ maculas eluebant: at nostrum, nouæ videlicet legis sacrificium vera est Christi Domini oblatio, quamuis sit quoque commemoratio illius semel in cruce factæ: vnde & per seipsam remittit peccata. Atque hoc est, quod docet Tridentina Synodus *Sessione 22. cap. 2.* illis verbis: *Cuius quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur, tantum abest, vt illi per hanc (id est, incruentam) quouis modo derogetur.*

Nonò Quæritur, An vnum idemque sit sacrificium, quod quotidie in Missa offertur, atque illud, quod est olim in cruce immolatũ? Quæstionem mouet id, quòd legimus in multis Patribus esse idem sacrificium: sic enim loquuntur aliqui ex Patribus. Chrysost. *homil. 17. in epist. ad Hebræos, cap. 8.* Ambros. *ad Hebræos, cap. 9.* Theophylact. & Primas. *ad Hebræos 9.* Gregor. *homil. 37. in Euangel.* Cyprian. *lib. 2. epist. 3.* Fulgent. *de fide ad Petrum, c. 18.* Augustin. *lib. 20. contra Faustum, cap. 18.* Respondeo ex Concilio Tridentino in eodem proximè loco à me citato: *Vna, eademque est hostia, idemque nunc offerẽs Sacerdotum ministerio, qui per seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Hæc ibi.

Sciendum est, in Missæ sacrificio, & esse hostiam, quæ Deo offertur; & eum, qui offert; & actionem, qua hostia offertur à Sacerdote. Concilium asserit, hostiam esse eandem, quia est corpus Domini: Offerentem principalem esse eundem, eo quòd idem Christus, qui tunc in cruce se obtulit: nunc quoq; quotidie Patri se offert, eo quòd ipsius Christi Domini, iussu, institutione, auctoritate, & nomine quotidie Sacerdotes offerant. Ipse igitur est principalis Sacerdos, cæteri Sacerdotes veri sunt ipsius ministri ad sacrificium faciendũ, & offerendum, Ecclesiæ auctoritate consecrati, & potestate præditi. Actio verò instrumenti, & administri est eadem, quæ causæ principalis; ac proinde oblatio Sacerdotalis eadem est, quæ Christi se quotidie incruentè per suos Sacerdotes patri offerentis. Sed non est eadem, quæ fuit facta olim in Cruce, nam oblatio in cruce, fuit facta semel, & in hac altera incruenta quotidie replicatur: in cruce Christus se ipsum reuera obtulit, nunc verò in Missæ sacrificio non se per seipsum offert, sed per Sacerdotes: quia ipse Sacerdotes instituit Apostolos, & iussit ipsos, & ipsorum successores sacrificium facere, & offerre.

Caput XIX.

In qua actione consistat ratio sacrificij Missæ.

CVm ex multis actionibus constet Missæ sacrificium; meritò quæritur in primis, in quanam actione, sacrificij ratio, & natura consistat? Nec in præsentia quærimus quot actiones ad sacrificium integrum diuino iure pertineant: nam de hac quæstione statim disseremus, sed in qua actione ratio sacrificij sita sit. Res est comperta, eam non esse positam in ijs actionibus, ex quibus constat Missa Catechumenorum: nã quicquid in ea fit, est ipso sacrificio prius, & ad populi institutionem pertinens. Quare etiamsi panis, & vinum ante consecrationem verè Deo offerãtur; ea tamen oblatio sacrificium Missæ non est, quia nondum sunt eę res in Christi corpus, & sanguinem conuersæ. Sunt qui putent, rationem sacrificij totam constitui in verbis, precibus, cæremonijs, ac ritibus, qui in consecratione corporis Domini adhibentur: eo quod sacrificij ratio, inquiunt, nequit in ipsa consecratione consistere: quin è contrario consecratio ad rationem Sacramenti potius, quàm ad naturam sacrificij pertinet: Ergo preces, verba, cæremoniæ, & ritus; hæc, inquam, omnia in ea re adhiberi solita, sacrificij rationem constituunt. Quibus si opponas: Si absque vllis precibus, & cæremonijs corpus Domini consecraretur, rectè sacrificium fieret; ergo in precibus, & cæremonijs minimè consistit. Respõdent consecrationem fieri non posse absque vllis verbis, & ritibus. Si illis rursum obieceris: Si nulla fieret corporis dominici consecratio, quamuis cæremoniæ, & preces adhiberentur, nequaquam adhuc sacrificiũ constaret: ergo nequit in precibus, ac cæremonijs ratio sacrificij collocari. Respondent illi, in sacrificio requiri corporis dominici consecrationem: Veruntamen sacrificij formam, & naturam in verbis, precibus, & cæremonijs ad consecrationem adhibitis positam esse.

Denique obijcientibus preces, & cæremonias, quibus dominicum corpus conficitur, esse ab Ecclesia institutas. Respondent, muleas illarum

precum,

precum, & cæremoniarum Ecclesiam constituisse; sed alias Christum Dominum nõ scripto quidem, at viua voce tradidisse, & in his suam esse sacrificij Eucharistici substantiam, & naturam. Sotus *in 4.d.13.q.2.art.1.* existimat, sacrificij rationem tribus Sacerdotis actibus constare, Consecratione, Oblatione, & Sumptione corporis, & sanguinis dominici. Hanc probat ille sentẽtiam triplici ratione. In primis, quia sine consecratione, quamuis oblatio esset; sacrificium tamen adhuc minimè subsisteret. Deinde, sola consecratio sine oblatione, sacrificij rationem non haberet; tum quia sacrificium sua natura est oblatio, tum quia consecratio Sacramentum quidem facit, sacrificium non item. Demùm item consecratio simul, & oblatio sine sumptione, minimè ad sacrificij rationem sufficiunt: in veteribus namque sacrificijs res oblata, vel mactabatur, vel cedebatur, vel consumebatur: Ergo in sacrificio etiam Missæ res oblata, quę est corpus dominicum, & sanguis, consumi aliqua ratione debet. Verumenimuerò quidam Soti opinionem confutant: non est, inquiunt, cur sumptio ad sacrificij rationem pertineat. Nam sumptio nihil aliud esse videtur, nisi Eucharistiæ vsus. Hostia itidem, aut victima, etiamsi semel oblata Deo, postea nunquam à sacerdote, vel alio offerente ederetur, non definere veram sacrificij rationem habere. Sed ad hæc argumenta facilè Sotus respondere poterat: nam sumptio Eucharistiæ non sumitur, vt est vsus sacramenti, sed vt est consumptio victimæ, quæ immolatur, hoc est consumptio sacrarum specierũ Christum continentium: & licet non omnis hostia comedatur: hæc tamen editur in Missæ sacrificio, institutione Domini.

Alij quidam sensere, in quibus numeratur Canus *lib.12. de locis, cap.13. ad 4.* ad rationem huius sacrificij, quatuor imò quinque actiones concurrere; videlicet Consecrationem, Oblationem, Fractionem specierum panis, & vini, earundem Commixtionem, & tandem Sumptionem: Id in de comprobantes, quòd omnis ea actio, qua res, quæ offertur, sacra fit, vel qua circa rem oblatam sacri aliquid fit, ad sacrificij naturam spectat, sed per singulas eiusmodi actiones sacri aliquid fit in speciebus panis, & vini corpus Christi continentibus; ergo omnes, & singulæ ad sacrificij naturam conueniunt. Sed ab alijs eiusdem argumentis conuellitur hæc opinio, quibus illa Soti. Nam actio specierum, earumq; commixtio ad sacrificij rationem non attinent; quidni igitur sacrificium esset, si corpore Christi consecrato, & oblato, nunquam species panis, & vini frangerentur, commiscerentúrue? Alij rationem sacrificij ponunt in duobus actibus, videlicet in consecratione, & oblatione. Sic videtur sentire Scot. *4.dist.13.q.2.* & Gabr. *4.d.13.q.1.art.* 3. quod probant, quia hæ duę actiones sunt necessariæ, & sufficiunt ad rationem sacrificij perfectam. Alij dicunt totam sacrificij rationem in vna tantum actione consistere, videlicet in oblatione. Sic videtur sentire Eckius *lib.3.de sacrificio Missæ.c.9.* Clictoneus *lib.2.contra Lutherum c.16.* Ruard. *art.16.cõtra Lutherum.* Alij constituunt totam rationem sacrificij in vna actione, videlicet consecratione. Sic opinatur Alan. *lib.2.c.18.de sacrificio Missæ.*

Quare probabilior mihi videtur eorũ sententia, qui docuerunt totam Euangelici sacrificij rationem, in duabus actionibus, aut summum, in tribus constitui; nempe, vel in Cõsecratione corporis dominici, & sanguinis, & oblatione, aut in Consecratione, & Oblatione, & Sumptione: has enim tres actiones, aut certè duas, consecrationem, & oblationem omninò ratio sacrificij, & natura postulat, præterea nihil. QVAERES, quo pacto in solis duabus actionibus, nempe consecratione, & oblatione possit tota sacrificij ratio constare: siquidem consumptionem victimæ, vel hostiæ pariter sacrificium requirit. Item, sacrificium sua natura est oblatio, qua Deo offertur res sacra: at consecratio proprie oblatio non est; ergo in sola oblatione tota sacrificij ratio consistit. Denique, consecratio ad sacramenti rationẽ spectat, nõ sacrificij: ergo cõsecratio ad sacrificij rationẽ nõ pertinet. Itẽ nulla actio, nisi oblatio accesserit, sacrificium esse potest: ergo sola oblatio sacrificij rationem, & naturam constituit. Sanè negari non potest, quin oblatio expressim, vel tacitè facta, prorsus ad sacrificij rationem pertineat: quare, qui in sola consecratione, sacrificij naturam, & rationem sitam esse volunt, excludunt quidem omnem oblationem expressim factam; sed non eam, quæ fit tacitè, & implicitè, siue virtute: ex hoc enim, quod sacerdos corpus dominicum consecrat, & illud in altari ponit sub speciebus panis, & vini, & oculis in cælum sublatis, facit quod Christus instituit, & fieri iussit, tacitè, inquiunt, offert Deo; quamuis postea verbis id exprimat. Itaque horum sententia est, sacrificij naturam sitam esse in consecratione, quę vna cum oblatione, aut in oblatione, quæ cum ipsa consecratione cõiungitur. Mihi verò videtur sacrificij ratio solum in cõsecratione, & oblatione esse constituta, vel saltem, vt dixi, in tribus actionibus, videlicet, consecratione, oblatione, & sumptione Eucharistiæ. Consecrationem verò accipio, non vt actionem, qua fit sacramentum, sed vt actionem in Dei cultum, & honorem oblatam ad nostra peccata expiãda, & ad agẽdas gratias Deo pro beneficijs acceptis. Et consumptionem etiam accipio, nõ vt actionẽ, qua sacramentum sumimus, sed vt actionem sacram, qua species panis, & vini Christi corpus, & sanguinem continentes consumuntur: neq; enim sacrificium vllum esse potest, quin fit oblatio, nec oblatio corporis Domini potest fieri, quin prius corpus Domini consecretur.

Secundò Quæritur, An iure diuino, ad sacrificium Missæ, vtriusque speciei panis, & vini consecratio requiratur? Duæ sunt opiniones, quarũ vna affirmat; ac proinde similiter docet, auctoritate Romani Pontificis fieri nõ posse, vt sacerdos in sola consecratione panis sine vino sacrificet. Sic Sotus *in 4.d.9.q.1.artic.1.ad finem.* Siluest. *verbo, Eucharistia. 1.q.5.* opinantur: imò auctor Armillæ, *verbo, Eucharistia. num.10.* & Tabien. *Eucharistia. 1. num.20.* hanc controuersiam testantur, coram Alexandro VI. Pontifice fuisse tractatam: & tandem declaratum esse, nequaquã, in terris vbi vinum non est, nec eo illud importatur, aut importatum seruari nulla ratione potest, in panis consecratione, & aqua loco vini posse sacrificari,

etiam auctoritate Romani Pôtificis. Et certè pro hac sententia facere videtur S. Thomas 3. *par. q.* 80. *art.* 12. *ad* 1. & *q.* 82. *art.* 4. *ad* 3. & *q.* 83. *art.* 6. *ad* 1. & *ad* 2. Marsi. 4. *q.* 6. *art.* 1. Palud. 4. *d.* 11. *q.* 8. *art.* 1. *conclusione* 3. Caiet. *p.* 3. *q.* 80. *art.* 12. Gabr. *in Canonem Missæ. lect.* 10. *in litera D.*

Altera sententia, vini consecrationem ait diuini iuris non esse, sed Canonici duntaxat: Et ex Christi præcepto solam panis consecrationem requiri: Et cum Romanus Pontifex possit ius Canonicum remittere, & relaxare: consequitur, inquiunt huius opinionis auctores, vt, vbi vinũ haberi, aut seruari nequit vllo modo, facultatem Pontifex, ius Canonicum relaxando, concedere queat, vt in sola cõsecratione panis sacrificetur. Hanc sententiam sequitur Maior *in* 4. *dist.* 9. *q.* 3. *ad* 5. & ante eum Gabr. *in Canonem Missæ. lect.* 13. *dub.* 3. Adrian. *in* 4. *q.* 6. *de Eucharistia*, qui citat Alensem. Sic etiam sentit Angel. *Eucharistia.* 1. *num.* 20. Pisana. *Eucharistia.* 2. *nu.* 12. Tabien. *Eucharistia.* 1. *num.* 20. Summa Confessorum *lib.* 3. *tit.* 24. *q.* 104. Antonin. 3. *p. tit.* 13. *cap.* 6. *§.* 1. & Gabriel citat Albertum Magnum. Hanc opinionem quidam alij iuniores Theologi approbarunt. Claudius *de Eucharistiæ petit.* 10. *ca.* 3. Alan. *lib.* 2. *de Eucharistia. c.* 20. Ioan. Hessels *de commu. sub vtraque specie. tract.* 1. Ruar. *art.* 13. *contra Lutherum.* & Palac. 4. *d.* 11. *disput.* 3. Cui quidem sententiæ fauet primum id, quod scribit Volaterranus *lib.* 7. *cap. de Saxonibus.* Innocentium VIII. indulgentia cum Noruegijs vsum fuisse, vti apud eos Missæ sacrificium sine vini consecratione fieret: eo quòd ob immensa eius regionis frigora, vinum eo importatum acescat. Quamuis sibi Volaterranus, vt quidam annotarunt, aduersari aliqua ratione videatur; cum scribit eiusdem Pontificis concessu permissum Noruegijs sine vino calicem sacrificare, voluit dicere, permissum Noruegijs sine vino sacrificare. Fuere quo que videtur Bernardus *in epist.* 69. *ad Guidonem Abbatem de Tribus Fontibus*, vbi sic ait: *De illo, quod oblitus es mittere vinum in calicem, cuius, & maiorem in hoc æstimamus culpam, si tamen, & tu ita putas, tuo arbitrio derelinquimus. Deinde, quod compertâ, serò licet, negligentia, vinum fudisti in calicem, super hostiæ sacratæ particulam, laudamus, nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes liquorem, etsi non ex consecratione propria, atque solenni in sanguinem Christi mutatum, sacrũ tamen fuisse ex contactu corporis sacri. Aiunt tamen nescio quem alium aliud sensisse scriptorem, non posse videlicet absque tribus, id est, pane, vino, & aqua hoc sacrificium esse, ita vt si quodlibet deesse contigerit, reliqua non sanctificentur. Sed de huiusmodi vnusquisque in suo sensu abundat. Ego autem pro meo fatuo sensu, si mihi idem contigisset, quod tibi, vellem ad remedium mali vnum è duobus egisse, aut ipsum quod fecisti, aut certè ab illo loco, vbi dicitur: Simili modo postea, quàm cœnatum est, verba sancta iterasse, & sic complesse, quod restabat de sacrificio. Neque enim dubitauerim de corpore iam consecrato, qui vtique iuxta ritũ Ecclesiæ, didici ab ipsa, quod & ipsa accepit à Domino: panem scilicet, ac vinum, & simul apponere: non simul tamen ex his sacra conficere. Cum ergo prius de pane corpus, quàm de vino sanguis more Ecclesiastico conficiatur; Si per obliuionem tardius, quod posterius sacrandum est, apponatur, non video quid sacris præcedentibus tarditas possit præripere consequentium. Puto enim, quòd si Domino post factum de pane corpus suum, vini consecrationem placuisset aliquandiu intermittere, aut certè penitus omittere: nihilominus corpus mansisset, quod fecerat: nec factis faciendа præscriberent.* Hactenus B. Bernardus, Innocentius III. *lib.* 4. *de Mysterijs Missæ, cap.* 23. vtramque Theologorum opinionem recensет, nec tamen vni magis, quàm alteri adhæret: Sanè vtraque est valde probabilis, quia vtraque multorũ, & magnorum Theologorum auctoritate fulcitur. Nonnulli putant, verè dici non posse, Calicis cõsecrationem esse iuris diuini: nam id iuris, inquiunt, ex Scripturis apertè non constat, nec ex aliqua Traditione diuina, nec Apostolica, nec ex vllo Ecclesiæ decreto, sanctorumque patrum doctrina colligitur, è quorum fontibus diuina iura ducuntur.

Dices id colligi ex facto Christi, qui & panẽ, & vinum pariter consecrauit. Et subiunxit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Sed respondent illi: Multa alia Christum fecisse in cœna, quæ tamen fieri non iussit. Si illis etiam opponas, quod habetur, *in cap. Comperimus, de consecr. dist.* 2. vbi ex Gelasio refertur: *Missæ sacrificium peragi non potest sine consecratione vini: quia sine grandi sacrilegio tale mysterium dimidiatum esse non potest*: id etiam quod continetur in cap. Nihil. & cap. illud. 17. q. 1. ex Concilio Toletano 2. *can.* 14. & ex Concilio 7. *can.* 2. videlicet, non esse integrum, & completum Sacramentum, si panis tantummodo conficeretur? Ad hęc rursus illi respondent, vinum consecrari oportere Ecclesiæ lege id iubente; ac proinde esse grande sacrilegium, vnam tantum speciem consecrari, non quidem sacrilegium cõtra ius diuinum, sed contra Canonicum. Nam alia etiam sacrilegia committuntur contra Ecclesiæ Canones. Eodem modo sacrificium non consecrato calice dicitur esse imperfectum, ob id nẽpe, quia Canones vtriusque speciei consecrationem requirunt. *Luc.* 22.

Sciendum est, tria in proposita quæstione contineri. Primum, An sit iuris Diuini, vt Sacerdos, in duplici specie, videlicet, panis, & vini sacrificet, an verò sit tantum Canonici iuris. Nam Adrianus, Maior, & alij contendunt esse tantum Canonici iuris. Et ideo concludunt in multis casibus posse tuta conscientia Sacerdotem in vna specie sacrificare. At Sotus, Siluester, & alij docent, esse iuris diuini, vt Sacerdos in duplici specie sacrificet. Et hoc mihi probabilius, & verius videtur.

Secundum est, An auctoritate Pontificia sacrificari queat sine calicis, hoc est, sine vini consecratione.

Tertium, An Pontificis auctoritate fieri possit sacrificium Missæ in consecratione aquæ, loco vini. Sunt enim, qui has duas quæstiones confundunt, cum tamen, meo quidem iudicio, confundi non debeant. Neque enim probabile duxerim, Pontificia facultate concedi posse, vt aquam loco vini consecremus: materiam enim, & formam sacrificij diuinitus institutam Ecclesia mutare non potest, quamuis probabilem esse censeam opinionem, dicentium indulgentia Pontificia, absque calicis consecratione posse sacrificari. Nam in secundo, si id fieret, solum ius Diuinum, hoc est Diuinum præceptum, aut Canonica constitutio de sacrificando integrè in du-

plici

plici specie panis, videlicet, & vini, relaxaretur ex parte. At in primo, sacrificij materia mutaretur: quod facere Ecclesia nō potest. Et hoc est fortasse, quod auctor Armillæ, & Tabiensis dicere voluerunt, coram Alexandro VI. fuisse disputatum, an in sola consecratione panis Missæ sacrificium fieri aliquando possit auctoritate Romani Pontificis, ac declaratum fuisse, id fieri non posse auctoritate Ecclesiæ in solo pane sine vino: hoc est, in consecratione panis, & in sola aqua loco vini. Ex dictis perspicitur, quo pacto auctores in hac parte distinguere debeamus, vt eorum sententiæ intelligantur: nam licet Gabriel, & quidam alij sentiant diuini iuris esse, vt Sacerdos in vtraque specie sacrificet, nihilominus tamen opinantur, auctoritate Romani Pontificis fieri posse, vt in vna tantum specie sacrificet, videlicet in consecratione panis sine vino, quia putant multa esse iuris diuini, quæ remittere, & relaxare Pontifex queat ob publicam aliquam, & grauem necessitatem, vt videmus votum, iusiurandum, matrimonium ratum non consummatū auctoritate Pontificia relaxari, & dissolui. Et ita in hac quæstione prima, puto probabilius, & verius esse, vt dixi, iuris esse diuini, vt Sacerdos in duplici specie sacrificet: & nihilominus existimo valde probabile, auctoritate Pontificia ob publicam, & vrgentem necessitatem prædictum ius diuinum relaxari posse. Sed quia nunquam est relaxatum, ego consilium darem, vt nunquam relaxetur.

Maior, & alij, quædam exempla, siue casus recensent, quibus id fieri posse cōcedunt. Primùm, quando in aliqua Christianorum Prouincia, vel regione vinum non est, nec eo aliunde importatum ob nimiam cæli intemperiem seruari potest. Sed hoc eam dubitationem, ac difficultatem patitur, de qua dixi quæstione superiori. Deinde, quando Sacerdos per errorem, solum panem consecrauit; & deinde vinum consecrare non potest absque magna astantis populi offensione: vt si per mediā plebem sit aliquis mittendus, qui vinum aliunde ad Sacerdotem in altari manentem, & expectantem deferat, tunc, vt aiunt Maior, & Adrianus, iure Sacerdos Missæ sacrificium perficit absque vlla vini consecratione: id concedi potest Maiori, & Adriano, vt probabile, quia verisimile est præceptum diuinum non tam seuerè obligare Sacerdotem, hoc est cum tanto periculo, siue detrimento. Tertiò item ex Maiore; si populus Ecclesiæ præcepto, vel rem diuinam audire, vel Eucharistiam in Paschate sumere deberet, nec vinum posset haberi, iure Sacerdos solum panem consecraret: quia arctioris, inquit, est vinculi præceptum audiendi sacrum simul, & sanctissimum Christi corpus in Paschate sumendi, quàm præceptum integrum sacrificium faciendi. In quo quidem ego minimè assentior Maiori. Etenim præceptum integre sacrificandi, aut est iuris Diuini, aut Canonici. Si primum dederis, arctioris est vinculi, quàm reliqua Ecclesiæ præcepta. Si secundum, etiam videtur maiorem vim habere Canonicum præceptum de sacrificando in vtraque specie, quam duo illa præcepta, audiendi sacrum, & Eucharistiam percipiendi: nam multis de causis ab vtraque eiusmodi Ecclesiæ lege soluimur, ac liberamur; cum tamen nunquam hactenus permissum esse videamus, vt in vna tantùm specie consecrata, sacrificium fiat, & offeratur. Nec vnquam Ecclesia permisit, vt sacrificium relinquatur inceptum, & imperfectum. Si enim Sacerdos post consecratum panem, sermonis vsum, vel sensum, vel vitam amittat, præcipit Ecclesia, vt alius Sacerdos inchoatum sacrificium absoluat: *vt constat ex cap. Nihil. 7. quæst. 1.* Quartò, ex eodem auctore: Si ægrotus periculum mortis incurrat, & panis consecratus non sit, nec vinum alicubi reperiri queat, iure Sacerdos panem sine vino consecrabit, ne sine viatico decedat ægrotus. Hic etiam Maioris exemplum reprehendit, & reijcit Sotus: nec immeritò, cum ægroto ad salutem spiritalem satis esse debeat, si vel sacram suorum peccatorum confessionem faciat, vel legitimè doleat de peccatis spōtè commissis. Quintū S. Thomas exemplum adiungit *p. 3. q. 82. art. 4. ad 3.* si in specie nempè vini consecrati caro, vel sanguis mirabiliter appareret: tunc enim liceret Presbytero sacrificium perficere absque vlla alia consecratione vini. Et idem iuris est, teste eodē S. Thoma *3. par. q. 83. art. 6. ad 3.* si Presbyter in calice consecrato venenum adhibitum, & infusum esse ad sui necem, rescierit ante sumptionem, aut in calice deprehēderit animal culū penitus exitiosum atque lethiferum. At in hisce casibus, & exemplis non est facta panis consecratio sine vino: siquidem vtrumque Presbyter iam ante consecrauerat; sed solū est vnius speciei sine altera sumptio. Sextum exemplum potest in dubiū vocari: videlicet, quid sit dicendum, si Sacerdos post consecratum panem diutius morari non potest ad vinum consecrandum, sine probabili suæ vitæ periculo ob subitum hostium incursum. Respondeo in hoc casu non videtur diuinum præceptū tam rigidè Sacerdotis conscientiam obstringere, nimirum cum vitæ discrimine. Si roges, quid dicendum, si quis Sacerdoti post consecratum panem necem minaretur, si vinum consecraret. Respondeo, constanter mortem eum perferre debere, si ob contemptum fidei, & religionis tyrannus necem minaretur: at verò si id non faceret in fidei, & religionis despectionem, verisimile est, præceptum diuinum non obligare cū tanto vitæ periculo. Secus esset, si tyrannus imperaret Sacerdoti, vt panem tantum sine vino consecret: aliud enim est sacrificium imperfectum facere, aliud imperfectum relinquere: hoc enim minoris est vinculi.

Quartò Quæritur, An Sacerdos sacrificans sumere corpus Domini consecratum diuino iure cogatur? Duæ sunt opiniones. Prima affirmat iuris esse Diuini, vt Sacerdos sumat, & eas species panis, & vini consecratas: ad quam sententiam S. Thomas videtur accedere *in 3 p. q. 80. art. 12.* Secunda opinio tradit, id iuris tantum esse Canonici; quam Adrianus, & Maior *locis supra citatis*, sententiam magis probarunt, quam etiam alij sequuntur. Prima tamen illa videtur esse probabilior. Nam *in cap. Relatum, de consec. dist. 2.* ex Concilio Toletano *can. 5.* statuitur, vt modis omnibus, quoties Sacerdos celebrat, toties Eucharistiam sumat. Vnde Ecclesia semper solicitè curauit, vt Presby-

ter sacrificans susc ipiat species, quas consecrauit. Idem constat ex c. Cõperimus de consecr. d. 2.

1. Cor. 11. Luc. 22.

QVAERES, vbinam extet huiusmodi diuinum præceptum? Respõdeo, in illis verbis Christi Domini implicitè contineri: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quasi diceret, Consecrate, offerte, & sumite. Si quæras, an ad rationem sacrificij Missæ vtriusq; speciei consecratio, videlicet panis, & vini pertineat. Profectò meo iudicio probabilius est, vtramque pertinere, quã solum alterutrã, quia in vtraque significatur, & commemoratur perfectè mors Christi Domini, & sanguinis eius effusio ad remissionem peccatorum, & Christus Dominus vtramque consecrauit. Nec tamen sequitur, vt sint in Missa duo sacrificia, quamuis sint duæ consecrationes; sicut enim Eucharistia est vnum Sacramentum, licet sint duæ sacræ species, quia est vnum Diuinum epulum, in quo edimus, & bibimus, & spiritu, mente, & gratia reficimur, sic est vnum sacrificium, quia Christi necem memoramus.

Quintò Quæritur, An verba consecrationis panis suum sortiantur effectum, antequam vinũ consecretur? Respondeo ex B. Bernardo *in epist. 69. ad Guidonem superius allata*, quibusdam visum, non prius consecrari panẽ, quàm vinũ; ac proinde verba Sacerdotis panem consecrantis non efficere, quod significant, antequam sit calicis consecratio: Hoc illi probabant, quia Missæ sacrificium est vnum, ergo vna forma, ac proinde verba, quibus panis consecratur, non integram formam, sed partem habent, ergo effectum minimè sortiuntur, sicut in alijs Sacramentis pars formæ effectum non præstat, donec integrè verbis prolatis, tota forma inducatur. Deinde, vbi Baptismus in tribus mersionibus confertur, effectum non assequitur, donec accesserit tertia mersio. Postremò, si verba, dum panis cõsecratur, suo effectu potirentur ante vini consecrationem, panis in corpus Christi sine sanguine cõuerteretur, quod est absurdum. Nam in sacrificio vinũ Christi corpus offertur, non mortuum; at viuum sine sanguine non est.

Meritò sanè horum sententia communi Theologorum consensione refellitur *in 4. d. 8.* hæc enim cum ipsius Ecclesiæ ritu, & vsu pugnat, quia statim, atque panis species consecratur, in altum tollitur, quam totus populus supplex veneratur, & colit: quod nequaquam fieri liceret, si in panis specie nondum Christi corpus existeret. Deinde, verba Sacerdotis faciunt, quod significant; ergo statim, atque Sacerdos dicit: *Hoc est corpus meum*, panis in Christi corpus conuertitur: neque enim horum verborum effectus in aliud tempus differtur, cum ea statim significationem habeãt. Sic S. Thomas *p. 3. q. 78. art. 6.* quod etiam docuit S. Bernar. *in epist. 69. quæ est ad Guidonem.* & Innoc. *lib. 4. de officio Missæ cap. 17.*

Ad argumenta verò respondemus. Quot attinet ad primum argumentum; dicimus vnum esse Eucharistiæ Sacramentum; & vnum Missæ sacrificium, vt statim apparebit; constare tamen duabus partibus, & duobus signis, videlicet consecratione panis, & consecratione vini; ac proinde sicut quælibet pars seorsim per se suum significatum habet, ita suum etiam effectum. Quòd spectat ad secundum: cum Baptismus in triplici mersione confertur, forma minimè perficitur, nisi in tertiæ mersionis aduentu: simul enim Sacerdos dum ter infantem mergit in aquã, totam, integramque Baptismi formam pronunciat; ac proinde vna est Baptismi forma, siue semel duntaxat, siue sæpius infans mergatur in aquam. At in Missæ sacrificio, alia est forma in consecratione panis, alia in consecratione vini. Quod ad tertium: Cum panis consecratur, vi verborum Sacerdotis, vinũ mutatur in Christi corpus; ac proinde sanguis sub specie panis continetur, non vi verborum, sed quia Christi corpus, quod est viuum, comitatur. Et deinde sub specie vini, sanguis, vi verborum existit; corpus verò Christi sanguinem comitatur, vt docet S. Thomas 3. *part. quæst. 76. art. 2.* Est itaque totus Christus, tum sub specie panis, tum sub specie vini. Si obijcias, in extrema vnctione sunt multæ vnctiones; & tamen effectus Sacramenti, vel fructus non datur in prima, vel secunda, sed in vltima, vt docet communis opinio Theologorum *in 4. distinct. 23. quæst. 1. artic. 1. & quæst. 2. artic. 3.* Respondeo, diuersam esse rationem, quia diuersæ vnctiones sunt ad eundem effectum institutæ: at consecrationes sunt ad consecrandum corpus, & sanguinem Domini.

Sextò Quæritur, An Missæ sacrificium sit vnũ, an plura? Quidam non verentur asserere, esse duo, quia sunt duæ, inquiunt, consecrationes, duo mysteria, & signa, & vnumquodque per se suum significatum, & effectum peculiarem sibi vendicat. Cæterùm constans est Theologorum opinio: Vnum duntaxat Missæ sacrificium esse. Augustinus *lib. 10. de Ciuit. cap. 20. & lib. 17. cap. 10. & lib. 3. de baptis. cap. vlt. lib. 20. contra Faustum, cap. 18. & cap. 21.* vnum ait esse Christianorum sacrificium, quod est Missa. Atque id ratio ipsa demonstrat: siquidem vna tantùm est hostia, quæ immolatur, & offertur: vnus finis, in quem totum sacrificium dirigitur: vnus denique sacrificij effectus. Nec refert, vna, duabusue consecrationibus sacrificium constet: quia sicut duæ consecrationes panis, & vini vnum Sacramentum constituunt, tanquam vnum quoddam diuinum epulum, atq; conuiuium, quo anima spiritualiter reficitur; sic etiam tanquam duæ partes in vnum sacrificium conueniunt, quod in cibo, ac potu spirituali consistens Deo quotidie immolatur. Negare tamen non possumus, quin aliquando Ecclesia in precibus, & publicis officijs Ecclesiasticis Missam numero multitudinis sacrificia vocet, ob duas nempe specierum panis, & vini consecrationes: nam etiam eadem ratione interdum appellat mysteria, & Sacramenta. Quatenus sunt duo symbola, & signa, quæ consecrantur.

Caput XX.

Missam, esse sacrificium propitiatorium simul, atque impetratorium.

PRimò Quæritur, An Missa sit sacrificium propitiatorium, siue expiatorium? Hæretici concedunt quidem esse sacrificium Latreuticon. hoc

est, ad Dei cultum, honorem, & venerationem oblatum; propitiatorium autem, siue expiatoriũ nequaquam; hoc est, quod expiet, ac deleat nostra peccata, ita vt nobis Deum reddat placatum, atque propitium venia peccatorum condonata. Idcirco Synodus Tridentina *Sessio. 22. cap. 2.* definit esse verè propitiatorium sacrificiũ: quod ipsum etiam veteres sancti Patres tradiderunt. Præsertim Augustin, *epist. 59. & lib. 1. contra Cresconium, cap. 25.* Cyprian. *lib. 1. epist. 9.* Ambros. *lib. 1. officiorum, cap. 48.* Damas. *in serm. de mortuis.* Neque verò est, quòd Lutherani nobis obijciant Apostolum ad Hebræos scribentem, per vnam oblationem in Cruce factam, omnium esse deleta, & extincta peccata, nec oportere sacrificium iterari. Nam vt supra docuimus, cruenta illa in Cruce oblatio non repetitur, sed in memoriam quotidie reuocatur in Missa. Et post illam itidem incruentè Christi corpus offerimus, non quòd de illius cruentæ in Cruce, vi, & efficacia quicquam detrahamus; sed quòd vberrimos illius fructus per incruentum Missæ sacrificium quotidie percipiamus. Nam merita Christi, & fructus per Sacramenta, sacrificia, & bona opera nobis impertiuntur, & in nos abundè deriuantur.

Secundò quæritur, quam efficacitatem Missæ sacrificium, vt est propitiatorium habeat? Videlicet, an ex vi operis quo fit, primam gratiam conferat, & veniam culpæ lethalis ijs, pro quibus offertur. Animaduertendum in primis est, in Missa duplex opus esse præter illud vnum Christi Domini præceptum, & opus, quo & fieri sacrificium iussit, & quotidie seipsum Patri offert ministerio, & opera Sacerdotum. Vnum est opus totius Ecclesiæ, quæ per Sacerdotes, tanquam legitimos sacrificij ministros incruentè sacrosanctum Christi corpus immolat, & offert. Alterum est opus ipsius Sacerdotis, qui immolat. Nam Christus Dominus offert, vt Sacerdos superior, & principalis. Offert Ecclesia per suum publicum ministrum, videlicet Sacerdotem. Presbyter verò offert, vt inferior Sacerdos, ac vt Christi, & Ecclesiæ minister, Item Ecclesia offert, velut Communitas quædam, quæ per Sacerdotes tanquam idoneos, & legitimos ad sacrificandum delectos, & consecratos ministros offert hostiam immaculatam.

Deinde sciendum est, opus operantis in præsenti negotio dici, vel id, quod respondet cuique pro suo volũtatis affectu, quo aliquo modo Missæ sacrificium offert, vel id, quod ex bono, pioque, ac religioso Sacerdotis affectu existit. Id verò, quod ex vi ipsius operis fit, duplex est, vt docet Gabriel. *super Canon. Missæ. lect. 26. in litera G.* aut enim est id, quod respondet Christi Domini institutioni, aut id, qp respõdet Ecclesiæ, quæ quotidie offert per suos Sacerdotes: & hunc duplicem effectum Missæ sacrificium semper habet, quoniam Christus Dominus semper est Deo Patri gratus, & acceptus: Ecclesia item semper sancta, & immaculata. At primum effectum, qui respondet operi Sacerdotis immolantis, non semper Missa consequitur, cum interdum Sacerdos sit improbus.

Postremò, quod sacrificio respõdet ex vi operis, non est instar eius, quod respondet Sacramento ex vi operis: Sacramentum etenim primã gratiam, & veniam peccatorum confert proximè per seipsum in modum naturæ, quæ in materia sibi subiecta, commodè præparata suum effectum inducit. Sacramenta enim in suscipientibus, & iusta, ac debita præparatione bene affectis, primam gratiam, & peccati remissionem efficiunt: at verò sacrificium in ijs, pro quibus immolatur, & offertur, non proximè per seipsum gratiam, & veniam peccatorum lethalium inducit, sed impetrat pœnitentiæ donum, ac primam gratiam, quibus peccata abolentur. Et proinde Patres semper docuerunt per sacrificium Missæ crimina, & scelera deleri, mortem fugari, vitam concedi: *vt colligitur ex c. Omne, de consecrat. distin. 1.* Sic Cyrillus *Catechesi 5.* Chrysost. *li. 6. de sacerdot.* Damas. *lib. 4. de fide orthod. cap. 14.* Origenes *homil. 13. in Leuit.* & Cypria. *in sermo. de Cœna Domini.* Ambros. *lib. 1. Officiorum. cap. 44.* August. *lib. 20. de Ciuit. ca. 25. & 26. in Enchirid. ca. 110. & lib. de Trinit. ca. 14.* Gregor. *lib. 4. Dialogor. cap. 58. & homil. 37. in Euangel.* Quod quidem Concilij Tridentini *Sessione 22. cap. 2.* auctoritate confirmatur: *Huius quippe,* inquit, *(sacrificij incruenti) oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit.* Idipsum Sanctus Thomas *in 4. distinct. 12. quæst. 2. art. 2. quæstio. 2. ad 4.* longè antè tradiderat his verbis: *Sacrificium nempè iustificare eos, pro quibus offertur, non vt causam proximam, sed donum contritionis impetrando.* Idem docuerunt Durand. *4. distinct. 12. quæst. 4.* & Maior *4. distinct. 12. quæst. 1.* Sotus *4. distinct. 13. quæstio. 2. art. 1.* Ergo sacrificium à Sacramento distinguitur, quod per hoc in modum naturæ proximè tanquã per Christi Domini instrumentum, gratia diuina confertur & peccatorum sordes, & maculæ mundantur: & proinde Sacramentum potest infantibus, item dormientibus, & furiosis, & amentibus legitimè alioqui præparatis gratiam dare: per sacrificium verò primò pœnitentiæ donum impetratur ijs, pro quibus offertur, quo idoneè, & legitimè, vt par est, de peccatis dolent; & ita primam gratiam, & peccatorum remissionem, ac veniam consequuntur. Deinde, Sacramentum solùm in nobis sumentibus operatur in modum naturæ, quæ formam suam in materiam præparatam introducit, at sacrificium, quia impetrando suum effectum consequitur, prodest ijs quoque, pro quibus immolatur, licet nihil ex re oblata edendo participent, Sacerdoti verò, qui sacrificat, & offert, prodest sacrificiũ, tum quia ipse Sacerdos pro se offert, tum quia rẽ etiam ipsam oblatam, & hostiam sumit. Sacramentum igitur primam gratiam, & culparum lethalium remissionem confert sumentibus ritè, & idoneè præparatis, & hoc certa, & firma institutione, lege, & promissione Dei. At verò Missæ sacrificium ijs, pro quibus offertur, nõ proximè dat primam gratiam, & peccatorum lethalium remissionem, sed impetrat pœnitentiæ donum à Deo, qui concedit, quo peccator incitatus de suis culpis legitimè dolet, & primam gratiam assequitur. Quare immeritò profectò Lutherani Catholicos accusant, tanquã docentes per Missam deleri lethale peccatum eorum, pro quibus sacrificatur, sine vllo ipsorũ dolore, & pœniten-

tia. Putant enim ex hoc, quod Catholici docent Missam esse sacrificium propitiatorium, & expiatorium, & pro peccatis immolari, & offerri, pariter docere lethalia peccata proximè in modum Sacramenti remittere. Eodem modo, quo dixi, per Missæ sacrificium conferri peccatori primam gratiam, confertur gratiæ incremẽtum iusto, videlicet, quatenus per sacrificium impetratur à Deo auxilium, quo iustus bona opera facit, quibus gratia non solum conseruatur, sed etiam augetur.

Tertiò Quæritur, An per Missæ sacrificium fieri queat, vt is, pro quo immolatur, ex attrito, quod aiunt, reddatur contritus: quidam enim Catholicorum, inter quos videtur esse Cathar. *in opusc. de sacrificio Missæ, & in epist. ad Hebræos, cap.* 10. id aliquando dixerunt, sed falsò, nisi rectè explicetur: quamuis Ruar. *artic.* 16. putet esse probabile. Nam per Sacramentum ritè, & idoneè susceptum, fit quis ex attrito cõtritus, quoniam interdum lethali peccato infectus, bona tamen fide putans legitimè se de peccato dolere, ad Sacramentum accedit, per quod primam gratiam, & veniam peccatorum consequitur. Hoc tamen nõ præstat proximè sacrificium, sed illud, videlicet impetrãdo facit ex attrito contritũ, quatenus ei, pro quo sacrificatur, pœnitentiæ donum impetrat à Deo, quo improbus excitatus, ac motus sua peccata legitimè detestatur. Absolutè igitur, & simpliciter Sacramentum facit ex attrito contritum, cum in modum naturæ suum effectum producat: id verò per se, & simpliciter sacrificiũ non facit, sed impetrando pœnitentiæ donum ei, qui antea nihil de suo peccato dolebat.

At dices, si sacrificium lethalia peccata delet eorum veniam impetrando; ergo impetratorium tantummodo, non etiam propitiatorium sacrificium est. Respondeo, impetratorium dici, quia impetrat multa bona ijs, pro quibus offertur etiam nullum in eis peccatum delendo: dicitur tamen propitiatorium, quia impetrat quoq; remissionem peccatorum; ac propterea pro peccatis sacrificium fit, & offertur, vt Deum placet, qui placatus, pœnitentiæ donum concedat, quo peccata eluantur.

Quartò Quæritur, An per Missæ sacrificium leuia peccata, quæ venialia dicuntur, deleantur, & quo modo tollantur. Quæstio intelligitur de venialibus peccatis, quæ delentur in ijs, pro quibus Missæ sacrificium offertur. Respondeo in primis, venialia peccata per Missæ sacrificium non deleri in ijs, qui sunt peccatis lethalibus obstricti, nisi quatenus pœnitentiæ donum impetratur, quo improbus suum lethale peccatum legitimè detestatur, quia vt docet Sanctus Thomas 3. *par. quæstio.* 87. *artic.* 4. sine lethali peccato, quum adest in homine, veniale nunquam remittitur. Deinde conuenit inter omnes Missæ sacrificium delere in hominibus iustis, pro quibus offertur, venialia peccata, siue proximè per se, siue per aliud, quod impetrat, ea delere dicatur. Dissident tamen auctores inter se: nam quidam aiunt per Missæ sacrificium venialia peccata tolli proximè sine vllo alio actu pœnitentiæ, quem eliciat is, pro quo sacrificium offertur. Ita sentit Canus *lib.* 12. *de locis, cap.* 13. *ad* 9. Alij contra sentiũt per Missæ sacrificium deleri, quatenus per illud impetratur donum à Deo, quo ij, pro quibus sacrificium offertur, explicitè, vel tacitè de peccatis venialibus dolẽt, & ita remissionem eorum peccatorum consequuntur. Quod est dicere, per ipsum sacrificiũ deleri venialia peccata, eo modo, quo tolluntur per ea, quæ Sacramentalia vocantur, iuxta eorum sententiam, qui docent, vi, siue virtute Sacramentalium venialia peccata aboleri, & extingui: Aut contra per Missæ sacrificium venialia peccata remotè expiari, hoc est per sacrificium impetrari Diuinum auxilium, quo de peccatis venialibus dolemus. Sic censent Lindan. *lib.* 4. *Panopliæ, cap.* 51. Pighi. *lib.* 2. *de Eccles. hierar. cap.* 5. & 6. Ayala *de tradit. par.* 3. *consid.* 5. Mihi distinguendum videtur: nam ij, pro quibus Missæ sacrificium offertur, aut offerunt quoque, hoc est, faciunt aliquo modo, vt pro ipsis offeratur ad suorum peccatorum venialium remissionem: aut non offerunt, sed tantum pro illis sacrificium offertur, cum ipsi nihil meminerint, aut cogitauerint, aut fecerint. In illis primis existimo venialia peccata aboleri, eo ipso, solum, quo sacrificium offerunt, vt remedium ad venialia peccata expianda, sicut in eo, qui Sacramentalibus vtitur, vt remedio ad suorum peccatorum venialium remissionem, puto, venialia peccata extingui. Neque enim Missarum sacrificia sunt minus efficacia contra venialia peccata, quã Sacramentalia: sed per Sacramentalia, eo modo, quo dixi, leuia delicta ablolentur: ergo & per Missarum sacrificia. In alijs verò secundis, arbitror, venialia peccata deleri, quatenus per Missæ sacrificium impetratur donum à Deo, quo de suis peccatis venialibus explicitè, vel implicitè dolendo ea detestantur: vel quatenus impetratur à Deo, vt aliquo remedio vtantur instituto ad peccatorum venialium remissionem obtinendam.

Quintò Quæritur, An per Missæ sacrificium pœnæ peccatorum deleantur in ijs, pro quibus offertur. Communis est sententia, quam habet Sanctus Thomas 3. *par. quæstio.* 79. *artic.* 5. deleri: Est enim hoc sacrificium satisfactorium; & proinde culpis iam ante legitimè dimissis delet temporales pœnas culparum relictas. Si quæras, quanta pœna deleatur per Missæ sacrificium. Respondeo cum Sancto Thoma loco citato, in ijs, qui aliquo modo offerunt, & non solum sunt tales, vt pro illis offeratur, tantam pœnam tolli, quantus est eorum affectus, quo offerunt, videlicet maiorem, aut minorem, vt est maior, aut minor eorum affectus. In ijs verò, qui nullo modo offerunt, sed tantum pro illis Sacerdos offert, æqualiter pœna dimittitur, & ea tanta est, quantam Christus Dominus taxauit: sicut Baptismus paruulis æqualem gratiam confert, & tantam, quantam Christus definiuit: adultis verò maiorem, aut minorem, vt maior, aut minor est eorum ad Baptismum præparatio.

Sextò Quæritur, An Missa sit sacrificium impetratorium? Constans est omnium Catholicorum sententia, impetratorium simul esse, & propitiatorium: Et hoc quidem, quia non solùm pro expiandis, & delendis peccatis offertur, sed pro obtinendis à diuina Bonitate omnis

generis

generis beneficijs: & hoc habet vsus Ecclesiæ, vt ex Liturgijs, & testimonijs veterum Sanctorum Patrum apertè colligitur.

Septimò Quæritur, Quonam pacto in Missa, Ratio sacrificij propitiatorij, seu expiatorij, seu satisfactorij, & meritorij, & impetratorij inter se distinguantur? Nemo Catholicorum dissentit, Missæ sacrificio eas omnes quatuor rationes inesse, quæ à se inuicem distant. In primis est propitiatorium, siue expiatorium, quatenus pro peccatis lethalibus offertur, quorum veniam consequitur, donum pœnitentiæ impetrando à Deo: nam licet proximè per se lethalia peccata non deleat in ijs, pro quibus offertur; delet tamen per aliud, videlicet per donum pœnitentiæ, quod impetrat à Deo. Item est propitiatorium, siue expiatorium, quia delicta venialia extinguit, & expiat in hominibus iustis, pro quibus offertur, vt paulò ante dixi. Est satisfactorium deinde, quatenus per illud consequimur, remissionem pœnæ debitæ culpis iam antea dimissis. Meritorium item, vt vocant, est, quatenus iustis impetrat gratiæ incrementum, impetrando specialia Dei auxilia, quibus homo iustus in bonis operibus se exerceat, & gratiam vberiorem, & ampliorem obtineat. Est denique impetratorium, quia offertur pro bonis cuiuslibet generis consequendis. Hinc videre licet hos effectus esse diuersos. Nec eos omnes Missa semper habet in omnibus, pro quibus offertur. Nam, vt postea dicemus, fit sacrificium pro mortuis, quibus non impetrat lethalis culpæ remissionē: delet tamen, ac tollit ex toto, vel ex parte pœnas culpis ante condonatis debitas. Et ita Missarum sacrificijs mortuorum animæ, quæ igne purgatorio expiantur, à pœnis debitis soluuntur. Est igitur satisfactorium pro viuis, & mortuis, siquidem in vtrisque gratia, & charitate præditis, pœnas peccatorum delet, & expiat. Nec impetrat illis gratiæ diuinæ incrementum, quod post hanc vitam non datur; bene tamen viuis impetrat quatuor eiusmodi beneficia. Christus itē, quotidie seipsum offert per medium Sacerdotem, præstat nobis quotidie diuina beneficia; sed modo nec satisfacit, nec meretur: quæ duo viuens, & morti seipsum offerens, in Cruce præstitit abunde. Hinc etiam fit, vt eodem modo, quo Missa peccatorum remissionem operatur, operetur quoque gratiæ incrementum: neque enim per Missam copiosior gratia confertur in modum sacramenti: nam per hoc, tanquam per instrumentum Deus iustis suscipientibus Sacramentum vberiorem gratiam largitur; at verò per sacrificium ea non datur proximè, sed impetrantur à Deo singularia diuinæ gratiæ auxilia, quibus iustus bene operatur, & maiorem gratiam operando meretur. Sicut enim per Sacramentum proximè gratia prima diuinitus infunditur, ita proximè etiam per illud secūda gratia suscipitur. At verò per Missæ sacrificium, sicut prima gratia non datur proximè, sed impetratur: sic etiam nec datur proximè secunda gratia; sed impetrantur bonæ vitæ opera, & officia; quorum merito gratia crescit, roboratur, atque perficitur.

Octauò Quæritur, Quantæ efficaciæ, virtutis, & ponderis sit Missa? Quod perinde est, ac si quæratur, An per se certum, & taxatū effectum producat, an verò incertum, neque definitum? Duæ sunt opiniones: Prima negat certi esse, & definiti effectus, sed infiniti esse, ait, in ijs, pro quibus offertur, & ipsi quoque sunt offerentes, eo argumēto, quòd res oblata sit infiniti pretij, cum sit corpus, & sanguis Christi: & offerens principalis sit quoque infinitè gratus. Nam, vt prædixi, Christus est Sacerdos principalis, qui se ipsum Patri offert; at minister, vel famulus, per quem dominus eleemosynam erogat, nihil detrahit de bonitate, & æstimatione eleemosynæ; alioqui enim minus æstimaretur eleemosyna data per ministrum malum, quàm per bonum: Præterea, si Missæ virtus, & efficacia finita esset, minus satisfacerent pro pœna debita decem homines, qui sacrificium offerrent, quàm si duo tantummodo offerrent. Si enim rem quamlibet finitam in decem homines distribuas, non tanta portio singulis obuenier, quanta duobus contingeret, si inter duos solummodo diuideretur. Ita planè, si decem homines Missam audirent, fructus distributus in eos minor in quolibet eorum existeret, quàm si duo duntaxat sacrificio interessent. Quò item plures ministri sacrificio inseruirent, eo minorē hostiæ fructum participarent; ac proinde, qui post vnum, vel auditor, vel adiutor ad Missam accederet, is partem fructus illi detraheret: quæ videntur absurda. Nam si duo homines Sacerdoti eleemosynam erogent, qui pro illis sacrificium offerat, non est primus minorem ex Christi sanguine vtilitatem percepturus: quemadmodum si iuxta Crucem, quis vnà cum Christo sanguinem illum Patri offerret, nihil minus consequeretur, si solus ipse, quàm si infiniti homines tunc simul adessent, qui idem cum illo sacrificium offerrent. Hactenus prima opinio. Quam vt melius assequamur; sciendum est, Missam offerri pro quibusdam, ita vt ipsi speciatim non offerant, vtpotè nihil circa Missam cogitantes, quæ pro illis offertur, nec quicquam agētes, ac procuratores, vt pro illis offerretur. Pro alijs verò, Missam nempe, offerri, ita vt & ipsi pariter offerant, vel quia sacrificio intersunt, vel inseruiūt sacrificanti, vel rem diuinam faciendam aliqua ratione curarunt.

Docet ergo superior opinio, Missam in ijs, pro quibus solùm offertur, & ipsi speciatim non offerunt, certum, ac definitum effectum obtinere, & æqualem in omnibus, at verò in ijs, pro quibus offertur, & ipsi pariter offerunt, certum, & taxatum non habere effectum, sed maiorem, minorémue, pro maiori, minoriue studio, affectu, & voluntate offerentium: quisque enim tantum ex Missa fructum percipit, quantus est pius in eo voluntatis affectus. Quemadmodum, inquiunt, Baptismus in paruulis, certum, ac definitum, & æqualem in omnibus effectum producit; at verò in adultis non item, sed maiorem, aut minorem, pro maiori, minoriue præparatione illum suscipientium. Sic Caietanus *3.par. quæstio.79. artic.5. & in opusc.tom.2.tract.3.quæst.2.* Siluester *in verbo, Missa. 1.quæst.9.* Angel. *in verbo, Missa.quæst.52.* Viguer. *in suis institutionib.Theolog.c.16.§.2.* Canus *lib.12.de locis Theolog.c.13.ad 10.* Ruar. *art.16.* Cordubens. *lib.1.quæstio.3.*

Petrus

Petrus Sot. *lectione 7. de Eucharistia.* Petrus Nauarr. *de restitut. lib. 2. c. 2. num. 268. & sequent.*

Secunda opinio, absolutè, & simpliciter affirmat, Missam certæ esse, & finitæ virtutis, & efficaciæ; ac proinde certum, & definitum effectum præstare: quæ videtur fuisse constans veterum Theologorum sententia, Sancti Thomæ *in 4. distinct. 45. quæstio. 2. artic. 4. quæstio. 3. ad secundum.* Bonauenturę *in 4. distinct. 45. artic. 2. quæst. 3. ad vltimum.* Sic Ricardus 4. *distinct. 45. art. 2. quæstio. 3.* Scotus *quod lib. 20. artic. 1. & 3.* Durandus 4. *distinct. 45. quæst. 3. ad 3.* Palud. 4. *distinct. 45. quæst. 2. art. 2. conclus. 4.* Adrian. *quodlib. 8. art. 3.* Gabriel. *in canon. Missæ lectio. 26. & 27.* Maior. 4. *distinct. 55. quæst. 2.* Sotus *lib. de iust. 9. quæst. 2. art. 2.* nec est sibi contrarius, vt quidam putarũt, *in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 1.* Couarru. *in c. Alma mater. par. 1. §. 1. num. 5. & sequent.* Qui omnes eo sunt argumento permoti. Quia alioqui Missa, quam quilibet Sacerdos offert, sua virtute, & efficacia æquaret sacrificium, quod obtulit Christus in cruce.

Deinde, Si Missæ sacrificium certæ, & finitæ efficacitatis non esset, certum, & taxatum non produceret effectum in ijs, pro quibus solum offertur, quique non offerunt. Id manifestum est: nam cum illi non offerant, nihil est in illis, ex quo Missæ effectus taxetur, definiatur, & terminetur. Cur igitur in illis tantus Missæ effectus existit, & non maior? Accedit, quod si Missæ efficacia non esset certa, frustra equidem plura Missarum sacrificia ad eandem peccati pœnam delendam, ad satisfaciendum pro eisdem peccatis offerrentur: hac enim ratione probatur vnum Missæ sacrificium in cruce factum, nec vnquam ampliùs repetendum, cum illud fuerit infinitæ virtutis pro peccatis omnium hominum diluendis. Postremò, si Missæ sacrificium infinita virtute constaret, sufficeret vnum proculdubio ad eos omnes liberandos, quorum peccata igne purgatorio expiantur: Cur igitur tot in dies in vniuersa Ecclesia pro illis Missarũ sacrificia celebrantur? Sacerdos itidem, qui multis sacrificia petentibus promisit se pro illis rem diuinam facturum, omnibus plenè satisfaceret, si semel pro illis tantum sacrificaret; quod cum Ecclesiæ communi sensu, & consuetudine pugnat. Hæc de opinionibus.

Primùm, dicemus, an Missa sit certi, & finiti effectus in ijs, pro quibus offertur, & ipsi non offerunt. Deinde, an certum, & taxatũ effectum obtineat in ijs, pro quibus offertur, & ipsi quoque sunt offerentes. Neque enim hæ duæ quæstiones confundi debent, vt quidam confundunt. Item dicendum est, an Missæ sacrificium, vt satisfactorium est, certum, & finitum effectum habeat: infinitum verò, vt est impetratorium an verò, si niti, & certi effectus sit, tum, vt est satisfactorium, tum vt est impetratorium.

Quod ad primum pertinet, mihi magis placet secunda sententia; cuius quidem argumenta posita, quod primo loco posuimus, abundè satis ostendunt: nimirum Missam, vt est satisfactoria, esse certi, & finiti effectus, hoc est, certæ, & finitæ satisfactionis in ijs, pro quibus offertur, & ipsi nullo modo offerunt, quia nihil cogitant, fiat ne, & offeratur Missæ sacrificium, an secus. Oppones id quod obijciebat prima sententia, hostiam in sacrificium oblatã, infiniti pretij esse. Concedo, si in se quidem ea sumatur: at vt per sacerdotem offertur, virtutis esse finitæ, qua constat actio sacerdotis. Vrgebis cũ primæ opinionis auctoribus: Actio ministri, & instrumenti nequaquam minuit virtutem, & efficaciã causæ principalis: sed in Missa Christus Dominus est principalis sacerdos, qui offert; quod si Christus quotidie Patri offert in Missa, cum ipse sit ei infinitè gratus: qua ratione sacerdos, qui est eius minister, efficaciam eiusdem definit, ac terminat? Respondeo, quemadmodum per Baptismum deriuantur merita, & fructus vitæ, & mortis Christi Domini, quæ per se infiniti sunt pretij, & infinitæ virtutis, & tamen non nisi finitè percipiuntur ab ijs, cum quibus ea Christus per Baptismum communicat. Ita idem prorsus est de Missæ sacrificio iudicandum.

Insistes, instrumentum naturæ, & artis definire, ac restringere quidem virtutem, & efficacitatem formæ naturalis, non tamen instrumentum voluntarium, vt videre est in famulo, per quem dominus eleemosynam elargitur; at Sacerdos, instrumentum est Christi Domini voluntarium, non naturæ, vel artis. Respondeo, etiam Baptismum esse instrumentum voluntarium, quo Christus Dominus voluit vti ad gratiã paruulis conferendam; & tamen non nisi finita per illum confertur. Respondeo itaque in hunc modum: instrumẽtum naturæ, vel artis per seipsum definit, & restringit causæ principalis efficaciam: instrumentum verò volũtarium per se nihil habet, quo definiat, taxet, ac terminet; at definit voluntate eius, qui illud adhiberi voluit ad aliquid faciendum. Et ita sicut Baptismus in paruulis, volũtate Christi est certi, ac definiti effectus, sic etiam Missa in ijs, pro quibus offertur, & ipsi offerentes non sunt.

Nonò Quæritur, An Missa sit certæ, & definitæ virtutis, & efficaciæ in ijs, pro quibus offertur; ipsi tamen sunt quoque offerentes? Superiori quæstione à nobis demonstratum est, Missam certum, & finitum effectum habere in ijs, pro quibus offertur, ita vt ipsi non offerant. In præsentia quærimus, an sit idem pariter iudicandum, quando pro quibusdam offertur, qui & ipsi quoque sunt offerentes, videlicet, quia Missæ sacrificio interfunt, vel inseruiunt, vel aliquo modo causa sunt, vt ipsum sacrificium fiat, & offeratur. Duas video esse sententias: Vnam asserentem non esse certi, & definiti effectus, quoniam maior, aut minor ex Missa fructus percipitur, pro maiori, aut minori offerentium studio, & affectu: alioqui peioris essent conditionis ij, qui vni Missæ sacrificio præsentes interfunt, vel inseruiunt, vel illud offerunt, quàm si vnus tantum adesset, inseruiret, aut offerret. Quando item plures offerunt vnum, & idem Missæ sacrificium, pius, & religiosus affectus vnius offerentis, nihil impedit affectum alterius, nihil minuit, nec ei quicquam detrahit: ergo singuli plus, minúsue participant, prout maior, minórue est eorum affectus. His accedit, quod si plures ab vno Sacerdote baptisma simul suscipiant, quisque tantum ex baptismo fructum capit, quãta est idonea eius ad Baptismum præparatio. Item, si plures de

eodem

eodem lumine sua lumina accendant, quisque tantum luminis accipit, quanta est lucerna, quæ accenditur, & plures eadem lucerna illuminantur magis, aut minus, vt viciniores, remotiorésue sunt. Si multi itidem eundem Solem aspiciant, eandem vocem auscultent, eundem sonum audiant, vel odorem percipiant, tantum singuli capiunt, quàtum potest cuiusque sensus percipere, nec vnus impedit alterum: sicut ex eodem fonte plures hauriunt aquam, plus, minúsue singuli, prout maius, minúsue vasculum afferunt ad fontem. Ita Caietanus, Siluester, Cordubensis, Angelus, & alij philosophantur *locis supra citatis*.

Secunda sententia negat Missæ effectum esse incertum, & infinitum: quæ veterum Theologorum videtur esse communi consensu recepta, Sancti Thomæ, Bonauenturæ, Ricardi, Scoti, Durandi, & Paludani, quorum opinioni subscripsere Gabriel, Adrianus, Sotus, Maior, quos omnes superiori quæstione citaui. Qui eo argumento sunt moti: Quòd prima sententia cum Ecclesiæ communi sensu, & vsu pugnare videatur. Nam alioqui si duobus, tribúsue promitterem me pro singulis eorum sacrificaturum, singulis satisfacerem semel tantummodo sacrificando. Si vni item promitterem me pro eo immolaturum; & deinde secundus, & tertius item peteret à me, vt pro eis sacrificium facerem, eorum neminem debito sibi iure, & fructu priuarem, si pro omnibus vnam tantum hostiam offerrem, & semel tantum rem diuinam facerem, quia pro suo studio, & affectu debitum sibi fructum ex vno sacrificio quisque perciperet. Hæc opinio mihi magis probatur, eo quòd cum piorum, ac fidelium hominum pro se multa sacrificia subinde flagitantium, communi consensu magis congruere videatur. Sed obijciunt primæ opinionis auctores: eum Sacerdotem secundo, & tertio sacrificare meritò debere, cum tribus promisit hominibus se rem diuinam facturum: nam hoc ipso, inquiunt, quòd tribus sacrum promisit, ter se sacrificaturum est pollicitus. At eos profectò vrget adhuc argumentum: quia si Sacerdos cum secundo, ac tertio promisit, in animo habuerit facere idem illud sacrificium, quod primo petenti promiserat, neminem damno afficiet: Siquidem nullus fructum alterius impedit, aut minuit, si vnum, & idem sacrificium pro omnibus offeratur. Nec quidquam efficiunt exempla in prima opinione proposita de Baptismo, cum plures simul salutari aqua abluuntur, de lucerna, qua plures illuminantur, de voce, vel sono, quem plures audiunt, de odore, quem multi percipiunt. Nam baptismus, quem suscipimus, non in actione, sed in receptione consistit. At Missæ sacrificium est actio Sacerdotis satisfactoria nomine Ecclesiæ. Cætera exempla solum probant eandem rem obiectam posse plures percipere: & eam quemque suo sensu percipere. At Missæ sacrificium est vna Sacerdotis actio, quæ infiniti effectus esse non potest.

Opponunt itidem ijdem auctores, stultam illius petitionem videri, qui petit, vt pro ipso tantum, & nô pro alio Missæ sacrificium fiat: quandoquidem vsu Ecclesiæ, singula Missarum sacrificia, etiam ea, quæ pro se quisque petit, offeruntur pro Romano Pontifice, pro Imperatore, pro Antistite proprio, pro omnibus circumstantibus, & audientibus rem diuinam, pro inseruientibus sacrificio. Communi etiam vsu Parochus, tametsi speciatim Missam offerat pro Titio, qui sacrificium petiuit, offert tamen eam generatim pro tota sua Parochia; ergo stultè petit is, qui vult, vt pro se tantummodo sacrificium offeratur. Respondeo, nequaquam stultè petere eum, qui petit, vt pro se vno, ac solo sacrificium offeratur, nec enim excludit eos, pro quibus suo more, & instituto decreuit, ac voluit Ecclesia, vt sacrificium immoletur; hæc enim esset stulta petitio: Excludit tamen merito, & iure suo alios, quibus speciatim Sacerdos promiserat, se pro illis sacrificaturum.

Quod vt intelligamus, est animaduertendum, ex Scoto *quod lib. 20. artic. 2. & 3.* Adriano, Gabriele, Soto, & Cordubensi *locis supra citatis*, triplicem esse Missæ fructum, generalem, specialem, & medium. Generalis est, quem vult Ecclesia, vt Sacerdos cum sacrificat, applicet Papę, Imperatori, Regi, Principi, Episcopo, & cæteris Ecclesiæ fidelibus; & hunc fructum Sacerdos iure non potest non applicare ijs, quibus voluit Ecclesia, vt applicaretur. Specialis fructus est is, quem participat Sacerdos, dum sacrificium facit, & hunc fructum alteri applicare iure non cogitur Sacerdos. Medius fructus est is, quem vult Ecclesia, vt applicet Sacerdos ijs, pro quibus sacrificium facit, & offert. Nauarrus *in Manuali cap. 25. num. 92.* Constat igitur ex his omnibus Ecclesiam per Sacerdotes Missarum sacrificia offerentem, ex huiusmodi sacrificiorum fructu sibi respondenti partem distribuisse, partem verò reliquisse Sacerdotis arbitrio distribuendam; & ita ipsa Ecclesia per seipsam in Romanũ Pontificem, in Imperatorem, vel Regem; in circumstantes quoque audientes, vel inseruientes, & denique in totum fidelium Christianorum cœtum certas portiones distribuit, quas Sacerdos ratione sui muneris, & officij debet illis assignare, quibus Ecclesia iam ante assignauerat: arbitrio verò Sacerdotis certam portionem reliquit distribuendam his, aut illis, pro quibus speciatim sacrificium offert: & hæc est fructus portio, quã quisque sibi vult suo iure attribui, & applicari, cum à Sacerdote petit, vt pro eo sacrificium offerat: atque hunc in modum primæ opinionis argumenta soluuntur.

Caput XXI.

De eadem re aliæ quæstiones diluuntur.

PRimò Quæritur, An Missa pro pluribus oblata minus profit singulis, quàm si pro vno tantum offerretur? Et sermo nunc est de Missæ sacrificio, vt est pro pœnis peccatorum debitis satisfactorium. Cõsentiunt ferè omnes, minus singulis prodesse, quando Missa pro multis offertur, & ipsi non sunt pariter offerentes. Dissentiunt verò, quando Missa ita pro pluribus offertur, vt ipsi quoque sint offerentes.

Duæ sunt enim opiniones: Vna, quæ docet, non minus singulis prodesse; quæ opinio placuit omnibus ijs, quos superiori capite dixi sentire, Missam in illis non esse certi, & definiti fructus, sed maiorem, minorémue, pro maiori, aut minori pietate, & affectu offerentium: ac proinde cum pietas vnius nihil pietati alterius officiat, sequitur, vt quisque ex fructu Missæ capiat pro suæ pietatis ratione.

Altera est eorũ sententia, quos prædicta Quæstione monui, censere, Missam in illis certi, & definiti effectus existere, qui conuenienter suæ opinioni putant Missam pro pluribus oblatam minus singulis prodesse: quæ sententia mihi magis videtur cum ratione, & veritate cõuenire. Quoniam Missæ fructus, & effectus, quod attinet ad satisfactionem, de qua nunc loquimur, certus, & finitus est. At quod finitum est, si diuidatur in multos, minus in singulis est, quàm si in vnum tantũmodo conferretur. Oppositæ verò sententiæ argumentum solum probat, eos, qui aliquo modo per Sacerdotem offerunt sacrificium, nihil minus participare, etiam si innumeri sint, quàm si pauciores essent, sed hoc ideo est, quia singuli offerunt; & proinde quisque plus, minúsue accipit, prout maior, minórue est eius affectus, quo offert: secus verò est, quatenus ij, qui offerũt, participant Missæ fructum, non vt offerẽtes sunt, sed vt sunt ij, pro quibus sacrificium offertur.

Secundò Quæritur, An Missa saltem, vt est imperatorium sacrificium, sit infiniti fructus, & pretij: & an pro pluribus oblata, minus prosit singulis, quàm si pro vno duntaxat offerretur? Quorundam est opinio, non solum Missam, sed quodlibet orantium patrocinium impetratorium, non minus momenti, & ponderis in singulis habere, quàm in vno, si pro eo tantummodo precarentur. Ratio est desumpta ex cap. Non mediocriter, de consecr. dist. 5. vbi habetur: *Cum Psalmus, vel Missa pro Mortuis dicitur, non minus, quàm si pro vno qualibet ipsorum diceretur, accipitur.* Deinde, quia res spiritualis tota participatur à pluribus sine vlla sui diuisione. Tertiò, quia vis impetrationis innititur misericordiæ, & liberalitati Dei. Ergo cum oramus, non minus exaudimur, si pro pluribus precemur, quàm si pro vno tãtùm oraremus. Sed constans est veterum Theologorum sententia, Scoti, Ricardi, Bonauenturæ, Durandi, Paludani, & aliorum *locis citatis*, minus in singulis valere, quia preces Ecclesiæ sunt finitæ virtutis, & efficaciæ, at finitum in plures homines diuisum, fit in singulis minus. Deinde id, quod Sacerdos in Missa impertit ijs, pro quibus sacrificat, est, vt ante iam dixi, portio quædam, quam Sacerdotis arbitrio, Ecclesia distribuendam reliquit: ergo cum illa fit finita, in plures homines distribuenda minor existit in singulis.

De fructu orationis pro pluribus oblatæ, an prosit singulis æquè, ac si pro vno tantum offerretur; Duæ sunt opiniones: Vna dicit æquè prodesse, saltem quod pertinet ad vim impetrandi. Altera negat generatim. Hanc dicit Couarruuias esse communem *in cap. Alma mater. p. 2. §. 5. num. 9.* vbi citat S. Thomam, Scotum, Adrianum, Caietanum, Sotum, Medinam, Innocentium, Ioannem Andreæ, Abbatem, Imolam, Turrecrematam, & Nauarrum. Certè hæ duæ opiniones, si de vi impetrandi fermo sit, conciliari facilè queunt: nam quod attinet ad vim satisfaciendi conuenit inter plerosque, orationem, quæ pro pluribus offertur, minus prodesse singulis, quàm si pro vno dũtaxat offerretur. Vis igitur impetrandi, aut consideratur ex liberalitate, & misericordia Dei, quem oramus, & cui innititur vis impetrandi, & tunc impetratio non eo ipso est minor, quo oratio pro pluribus offertur; nam æquè facile est bonum quodlibet impetrare prõ centum orãdo, ac si oraremus pro vno, quia impetratio innititur liberalitati Dei, non aũt semper certæ legi, & promissioni diuinę: & Deus liberaliter dat, quod oramus, & petimus; & hinc est, vt peccator impetret à Deo aliquando, quod petit, & exaudiatur vbi, & quum vult Deus. Aut consideratur vis impetrandi ex affectu eius, qui orat; & tunc certi, & finiti fructus est, ac proinde quo pro pluribus oramus, minus singulis prosumus, quia affectus noster, qui finitus, & certus est, diuiditur in plures; & ita fit minor in singulis. Et hoc est, quod docet opinio secunda, quam Couarruuias *loco citato*, dicit esse communem: Est enim oratio religionis officium, est opus humanum, at opus humanum certis finibus, & terminis concluditur. Item, Ecclesia pro priuatis hominibus speciatim orat: & pro rebus peculiaribus obtinendis nominatim orat: alioqui semper esset orandum generatim pro omnibus, si tantùm prodesset singulis oratio, quæ pro multis offertur. Insuper vis impetrandi, vt consideratur, ex affectu eius, qui orat, tantæ æstimationis, valoris, & pretij censetur, quantus est affectus orantis: sed affectus, certus, & finitus est. Ex his patet solutio argumentorum.

Ad id etenim, quod obijcitur ex cap. Non mediocriter, Respondent Glossa ibi, & Theologi *in 4. dist. 45.* Psalmus, vel Missa, cum pro multis dicitur, non minus accipitur, &c. hoc est, non minus meretur, & satisfacit is, qui pluribus suffragatur, quàm si vni tantum suam opem, & auxilium præstaret. Item ij, quibus aliquis suffragatur, non minus lætantur, nec minori consolatione afficiuntur, quàm si vnus tantum auxilio iuuaretur.

Obijcies, non minus exauditur quis, cum pro pluribus Deum precatur, quàm si pro vno tantũ precaretur; ergo non minus impetrat. Respõdeo, quatenus precatio nostra innititur liberalitati, & misericordiæ Dei, non minus meretur, & impetrat, oblata pro multis, quàm si pro vno tantũ offerretur: At verò, quatenus est hominis actio ex certo quodam animi, & volũtatis affectu profecta, minor est in singulis, quando pro pluribus offertur: Opus enim, & officium hominis est finitæ potestatis, atque virtutis, & proinde certæ, & finitæ efficacitatis.

Tertiò Quæritur, Quo pacto Missæ fructũ singuli participent, pro quibus ipsum sacrificium offertur, videlicet, an omnes æqualiter participent? Quòd si inæqualiter, vndenam fiat, vt vnus ampliorem, vberiorem, & longè maiorem fructum, quam alter capiat ex eo? Et sermo hic est de Missæ sacrificio, vt est pro pœnis peccatorum debitis satisfactorium, non vt est impetratorium,

qua

qua ratione, vt paulò ante dixi, innititur liberalitati Dei. Respondeo, quando Missa pro duobus, tribus, aut etiam pluribus offertur, & ipsi offerentes non sunt; tunc in omnes æqualiter fructus Missæ deriuatur. Neque enim verum esse existimo, quod quidam tradiderunt, plus illi impertiri, qui maiori Dei gratia, & charitate sit præditus: habitus enim solus charitatis, non est maior, minórue præparatio ad maiorem, aut minorem Missæ fructum iure capiendum, nisi magis pius, & religiosus in sacrificium oblatum voluntatis affectus accesserit: sed isti æqualiter sunt erga Missam affecti, cum nihil cogitent, ergo fructum omnes æqualem percipiunt. Deinde, cum Missa pro quibusdam generaliter offertur; speciatim verò pro alijs, & neutri illorum offerunt; magis prodest ijs, pro quibus specialiter Missæ sacrificium fit: quoniam etiamsi illi non sint offerentes, Missę fructus per specialem Sacerdotis affectum, maior obuenit istis, quàm illis: nam ipsa etiam Ecclesia illis, pro quibus sacrificiũ peculiari nomine fit, certam, & peculiarem assignat, & applicat portionem; alijs verò generalem duntaxat. Hinc est, vt vsu sit in Ecclesia receptum, vt pro quibusdam specialiter Missarum sacrificia fiant, & offerantur.

Quando etiam Missa pro pluribus offertur, & illi quoq; sunt offerentes, singuli ratione sui operis, Missæ fructum percipiunt. Et hoc est, quod docet Sanctus Thomas *3.par. quæstio.79. art.5.* Sed hic fructus quodammodo dicitur ex opere operantis, qui propter opus aliorum, quamuis essent innumeri, nihil minuitur, neque remittitur. Fructũ igitur respondentem merito, & operi Ecclesiæ offerentis, minorem, maiorémue participant ij, pro quibus sacrificium offertur, quo plures, pauciorésue sunt: quia, vt superius dixi, eiusmodi fructus est finitus; & proinde in plures diuisus, fit minor in singulis; ita tamen, vt plus, minúsue deriuetur in singulos, pro ratione maioris, minorisue affectus Ecclesiæ, quo pro illis sacrificium offert.

Quartò Quæritur, An Missa in ijs, pro quibus offertur, semper suum effectum obtineat, certa, ac firma lege? Sit exemplum: Missæ sacrificium, vt hactenus indicaui, est propitiatoriũ, satisfactorium, meritorium, & impetratorium, & offertur pro Titio. Quæritur, an certa, ac stata lege Titius oblati pro illo sacrificij fructum percipiat? nã si hac lege Missæ fructus obueniat, rectè inferas, Titio etiam dormienti peccata quoque remitti, & pœnam eis debitam ex toto, vel ex parte condonari; in eo etiam gratiam augeri, si iustus sit. Respondent quidam, certa lege semper Missæ fructum obtineri, sed non statim, atque sacrificium offertur, sed debitis temporibus ad id diuinitus constitutis. Alij verò distinguunt hunc in modũ: Missa, vt est propitiatorium sacrificium, culpas remittit, non proximè quidem per se, sed pœnitentiæ donum impetrando, ac proinde impetrat firma lege auxilium diuinæ gratiæ, quo quis de peccatis dolere queat: sed quia huiusmodi auxilij ductum is non sequitur, ideo de peccatis non dolet: quare Missa nequaquã suo effectu fraudatur, cum datum sit auxilium, quo quis à peccatis resurgat, quamuis nõ resipuerit, quia noluit. Deinde, Missa, vt est satisfactorium sacrificiũ, stabili lege suum cõsequitur effectum, nisi eius pro quo offertur peccatum impediat. Et quoniam, qui lethali peccato tenentur, ijs pœnæ peccatorum nõ condonantur; ideo si pro his Missa offeratur, nihil illis pœnarum remittitur: at si iusti fuerint, & in gratia Dei constituti, remissionem pœnæ certa lege, vel ex toto, vel ex parte cõsequuntur, vt docet S. Thomas *3.p.q.79.art.5.* Hinc efficitur, vt Missæ pro defunctis oblatæ, quorũ peccata purgatorijs pœnis expiantur, certò aliquid pœnarũ remittant. Præterea, Missa vt est sacrificium meritorium, per se proximè non confert gratiæ incrementum, sed impetrat singulare Dei auxiliũ, quo is, cuius gratia sacrificium fit, ampliorem gratiam promereri queat. Et quia non semper Dei auxilia sequimur, fit inde, vt per Missam non semper gratia vberior obtineatur: datur tamen diuinum auxilium, quo eã promereri possimus. Demum Missa, vt est impetratorium sacrificiũ, ad cætera bona omnis generis consequenda, certò suum effectum adipiscitur; ea tamen bona nobis sæpe non conferuntur ex accidẽti, quia id nobis non expedit. V.G. offertur Missa pro Titio, vt ex morbo conualescat, nec tamen cõualescit, Missa nequaquã per se suo effectu frustratur, sed quia Titio minimè conducit, ideo is non restituitur pristinæ sanitati: nam quemadmodum lethale peccatum Titium impedit, ne oblatum sacrificiũ peccatorum pœnas remittat, sic etiã, quia morbus ei nunc est vtilis, obest, & impedit, ne Missa ei, quam exoptat, sanitatem restituat.

Quintò Quæritur, An Missa quam improbus Sacerdos offert, alicuius sit fructus, ac meriti? Vna est omnium sententia, Missam talis Sacerdotis eum fructum habere, qui ex opere existit ipsius sacrificij, quoniam hic fructus respõdet Christi Domini institutioni, qui voluit, vt Sacerdos offerret: & ideo Sacerdos, qua ratione facit, & offert nomine, & auctoritate Christi, quamuis improbus sit, non impedit, quo minus sacrificiũ, vt institutum à Christo Domino fructiferum, & salutare sit. Item, fructuosum est sacrificiũ, merito ipsius Ecclesiæ: ac proinde talis fructus cùm Christo, & Ecclesiæ debeatur, per Sacerdotis improbitatem, nec tollitur, neque minuitur. Preces item, quas malus Sacerdos nomine Ecclesiæ, vt minister fundit in Missa, fructuosæ sunt, quia hic etiam publicarum precationum fructus respondet merito Ecclesiæ, nõ Sacerdotis. Ergo quæstio intelligitur de fructu, qui respondet operi operantis, hoc est, ipsius Sacerdotis, qui sacrificat. Quæstionem autem mouet, quod Missa est sacrificium impetratorium, at impetratio, liberalitati, & misericordiæ Dei innititur, non meritis hominis: Deus enim aliquando peccatores exaudit. Concors est Doctorũ opinio, minus fructuosum esse sacrificium per improbum Sacerdotem oblatum, quoniam hic licet impetrare aliquid possit, tamen Missa ab eo oblata, satisfactorium opus non est, is enim, qui lethali peccato obstrictus est, Deo satisfacere nõ potest. Item iustus, ac probus Sacerdos plus benefactis, ac meritis suis à Deo impetrare potest, quàm iniquus, & improbus.

S.Tho. 3. p.q.82. art.6.

Sextò Quæritur, An Missæ sacrificium factum

ab hæretico Sacerdote, vel Schismatico, vel Catholico, maiori tamen excommunicatione affecto, sit alicuius fructus, Consentiunt omnes, prædictum Sacerdotem verè consecrare corpus, & sanguinem Christi: nam id conficit nomine, potestate, & auctoritate Christi, quam Ecclesia non adimit, non abrogat: quamuis olim non defuerint, qui opinati sint Sacramentum ab eo non cõfici: cuius quidem opinionis fuit etiam Magister *in 4. dist. inct.* 13. quod ideo docuit quia multi Patres affirmasse videntur irritas esse eas consecrationes, quibus Hæretici, aut Schismatici consecrant, vt citat Gratianus *in c. manus, c. dictum est, c. quod quidam. c. Arianos. c. extra Ecclesiam. 1. q. 1. & c. audiuimus. c. pudenda. c. Schisma. 24. quæst. 1.* veruntamen eiusmodi sententia communi Theologorum consensu reiecta est, de qua re dixi lib. 8.

Quæstio igitur est, an Missæ sacrificium aliquid prosit ijs, pro quibus offert talis Sacerdos, expers scilicet gratiæ Dei, nec intelligitur quæstio de opere operantis, sed de opere ipsius sacrificij, Christi, & Ecclesiæ meritis respondente. Negant nonnulli vllius esse fructus, & vtilitatis: nã Sacerdos, inquiunt, sacrificium offert nomine, & auctoritate Ecclesiæ: Sed Ecclesia per talem Sacerdotem non offert, quia eum à suo gremio, & consortio separauit, ac proinde est extra Ecclesiam eiectus. Alijs oppositum probabilius est visum, sacrificium nempe esse fructuosum, quoniã Missam Christus Dominus per medium Sacerdotem quotidie offert, cuius oblationis effectum Ecclesia non tollit, aut impedit. Item, quia Sanctus Thomas, 3. p. q. 82. art. 7. perspicuè docet talem Sacerdotem verè consecrare, cum id faciat nomine Christi, & auctoritate: sed eiusdem nomine, & auctoritate offert: ergo sicut consecratio valet, sic valet quoque oblatio: hic enim fructus potius Christi meritis, quàm Ecclesiæ respondet. Quæres, an saltem preces, quas talis Sacerdos fundit in Missa nomine Ecclesiæ, sint fructuosæ ijs, pro quibus sacrificium offertur: nam maior est de ijs dubitatio, quàm de ipso sacrificio: hoc enim Christus instituit, ac proinde illi, nempe sacrificio, inest quædã virtus, & efficacia à Christo Domino deriuata, at preces sunt ab Ecclesia institutæ, cuius auctoritate adhibentur, & offeruntur: sed Ecclesia, per Sacerdotes Hæreticos, vel Schismaticos nihil offerre vult, ergo planè nihil efficiunt, S. Thomas 3. p. q. 82. art. 7. ad 3. videtur asserere, horum quos diximus Sacerdotum preces oblatas in Missa nihil efficaciæ, & fructus habere: quia nomine, inquit, Ecclesiæ funduntur. Vnde Sotus 4. d. 13. q. 1. art. 7. *ad finem.* S. Thomæ auctoritate permotus ait, eas nullius esse virtutis, & efficaciæ. Sed alij concedunt ingenuè eas esse fructuosas, quia eas offert Sacerdos, quamuis alioqui Hæreticus, vel Schismaticus, ratione publici muneris, & officij, quo fungitur: sed huius muneris potestas non est eis abrogata, ergo valet eorum oblatio.

Objicies; Hæretici, Schismatici, & Catholici Sacerdotes maiori excommunicatione constricti, ab Ecclesia excluſi iam sunt, ergo nihil offerunt, cum nolit Ecclesia per eos quicquam offerre. Respondent illi, Ecclesiam eos à consecratione prohibere, non quòd verè non consecrent, sed quod à consecrandi vsu, functione, & ministerio arceantur, ita vt consecrando grauiter delinquant. Sic etiam Ecclesia eos excludit ab oblatione, ita vt si offerant, peccatum lethale committant; attamen oblatio per eos facta valet, ac proinde est fructuosa, & efficax. Sed reuera S. Thomas 3. p. q. 82. art. 7. ad 3. videtur oppositum sentire, quippe qui negat oblatas per tales Sacerdotes preces etiã nomine Ecclesiæ, aliquê fructũ habere. Existimo non negare S. Thomam preces Sacerdotis quidem Catholici, sed vinculo excommunicationis maioris occultæ obstricti, esse fructuosas nomine Ecclesiæ, quia ob cõmune bonũ noluit Ecclesia, vt huiusmodi excõmunicatus eiu taretur, vnde licet peccet ipse, Ecclesia tamẽ per ipsum videtur orare, secus est de excõmunicato, quẽ Ecclesia non tolerat. Si postremo roges, an sacrificiũ factum ab eo Sacerdote, qui est sententia legitima ab omni Clericorum gradu deiectus, sit fructuosum ijs, pro quibus offertur? Respondeo, cum S. Thoma 3. p. q. 82. art. 8. esse fructuosum quatenus nomine Christi Domini facit, & offert sacrificium. Ait enim S. Thomas ei tantũmodo esse interdictum sacrificandi vsum, non autem potestatem ademptam. Alijs verò videtur, si cõsecret talis sacerdos, consecrationem quidem valere, quamuis consecrando maximè peccet, nullius tamen fructus oblationem sacrificij, vel precationem esse, eo quòd per eum sacerdotẽ offerre nolit Ecclesia. Sed hoc, quod aiunt solum potest habere locum in precibus, quas nomine Ecclesiæ sacerdos fundit in Missa, non in ipso sacrificio Missæ: quia licet Ecclesia nollet, vt huiusmodi sacerdos sacrificaret, si tamen sacrificet, applicat sua merita Ecclesia: præsertim si bona fide absq; peccato eiusmodi sacerdos rem Diuinam faceret: sicut etiam videtur Ecclesia applicare sua merita per sacerdotem excommunicatum quidem, sed bona fide ex ignorantia sacrificantem.

Caput XXII.

Pro quibusnam Missæ sacrificium iure possit offerri.

PRimò Quæritur, An fas sit Sacerdoti Missam offerre pro Turcis, Saracenis, Paganis, & alijs, qui sunt Christianæ fidei, & Religionis expertes? Sensus quæstionis est, an pro huiusce modi hominibus iure Missa offeratur, vt ad Christi fidem, & Religionem conuertantur, & sese in Ecclesiæ sanctæ gremium recipiant? Nam consentiunt omnes pro eis Missæ sacrificium non esse offerendum, vt est sacrificium satisfactorij, hoc est, vt offertur ad remittendas peccatorum pœnas: impijs enim peccatorum pœnæ debitæ non condonantur, dũ in sua impietate persistunt. Nec item offertur pro ipsis Missæ sacrificium, vt alia huius vitæ bona, quæ terrena, & temporalia dicuntur, obtineant: quin potius Ecclesia preces in Missa contra Paganos instituit, in quibus orat Diuinam clementiam, vt dexteræ ipsius potentia conterantur.

Docet Ledesm. *in 4. par. 2. q. 23. art. 1.* licere illi, qui apud Indos Christi Euangelium annunciat Missam offerre pro Indis, vti Christianam fidẽ

suscipiant; à qua sententia non longè abest Nauar. *tract. De oratione cap.19.num.72.& 73.* quæ, si vera est opinio, teneri tuto poterit ab ijs Sacerdotibus, qui apud Turcas, Saracenos, vel Indos cõmorantur, ita vt tuta conscientia Missam offerãt pro illarum gentium Regibus, Principibus, ac Magistratibus, vt traducantur ad Fidem. Etenim Ecclesia, inquit Ledesma, nullibi legem constituit id fieri prohibentem; cum tamen vetuerit pro Hæreticis, Schismaticis, vel excommunicatis atque interdictis Missam offerre. At inquies; Pro ijs, qui sunt à Christi fide alieni, Ecclesia sacrificium non offert, ergo nec sacerdos, vt est Ecclesiæ minister, iure offert: nam dum sacrificat, Ecclesiæ munere, & officio fungitur: ergo si Ecclesia non offert, sequitur, vt ipse Ecclesiæ nomine, & auctoritate non offerat. Sotus *lib.9. de Iustitia q.2.art.2.ad 3.* asseuerat, errorem esse Cappellaniam instituere, aut Missas pro Infidelibus: deinde nefas esse pro illis sacrificium offerre, & eis applicare satisfactionẽ, qui est Missæ fructus. Id conatur ostendere auctoritate Augustini *lib.1. de Anima & Origine eius c.9.* dicentis. *Quis offerat corpus Christi nisi pro ijs, qui sunt membra Christi?* quam sententiam Augustini S. Thomas. *3.par.q.79. art.7. ad 2.* sequutus ait, corpus Christi nõ offerri nisi pro ijs, qui sunt mẽbra Christi. Vnde, & in Canone Missæ non oratur pro ijs, qui sunt extra Ecclesiã: fidelibus tamen prodest plus vel minus, secundũ modum deuotionis eorum. Hæc B. Thomas. In hac quæstione compertũ mihi videtur esse, Sacerdotibus licere Missam offerre pro incremẽto Fidei & Christianæ Religionis propagatione, & amplificatione Ecclesiæ in toto terrarũ orbe: nã hoc nihil aliud est, nisi in bonum Fidei, & Religionis Christianæ sacrificare: Et Ecclesia Missam instituit ad Schisma tollendũ è medio, hoc est, pro pace, cõcordia, & charitate totius populi Christiani, pro omni Schismate, dissidio, & discordia, ex animis penitus extirpanda. Et hoc modo offerimus pro Anglia, Germania, alijs Septentrionalibus prouincijs. DICES; Qui sic offert, etiam offert pro conuersione Paganorum, & Infidelium: Respondeo, non offerre per se directo, & specialim pro hominibus à Fide, & Ecclesia alienis, sed generatim tãtum offert, qui hoc modo sacrificat, pro pleniori, & vberiori fidelium Christianorũ bono. Deinde, in Missæ sacrificio oramus, vt Calix salutaris in cõspectu Diuinæ Maiestatis ascẽdat pro nostra, & totius mundi salute. Ergo licet Missam generatim pro totius Ecclesiæ, & omniũ salute offerre. Item, exploratum est, & certũ, fas esse Ecclesiæ, preces etiã publicas, ac etiã in Missæ sacrificio fundere, & offerre nominatim, vt Turcæ, Saraceni, & Pagani à suis erroribus reuocentur, & ad fidei, & Religionis Christianæ veritatem trahantur. Tota igitur præsens quæstio est, an fas sit pro eis Missæ sacrificium offerre, vt cõuertantur ad Christum. Præterea constat, sacerdotibus non licere nouas precationes in Missa adhibere priuata auctoritate, pro cõuersione Infidelium; cum nefas sit aliquid in Missa, vel dicere, vel facere præter ea, quæ publica Ecclesiæ auctoritas approbauit.

Nihilominus tamen non est manifestè interdictum, ne sacerdos Missam offerat pro Paganorum, & Infidelium conuersione, sed solũ est præter vsum, & morem Ecclesiæ sic Missam offerre: neque enim extat ius, vel lex Ecclesiæ id prohibens: solum ex Missæ Canone nobis cõstat, Ecclesiam non orare nisi pro orthodoxis, & fidei Catholicæ cultoribus: nec extat in Ecclesiasticis codicibus Missarum ordinem, & formulam continentibus, aliqua Missa pro conuersione Infidelium instituta. Imò olim Ecclesia Paganos, & Infideles excludebat à templo, cum primum Missa Catechumenorum absoluebatur, & sacrificium offerre incipiebat.

Obijcies, Christum suam mortem in Cruce Patri obtulisse pro omnibus: sed sacrificium Missæ incruentum, est illius cruenti cõmemoratio, ergo pro omnibus debet offerri. Accedit, quod Ecclesia optat, & sollicitè studet etiam Infideles ad Christum conuertere. Adde, Ecclesiam in die Parasceues orare pro Paganis, & Iudæis, vt conuertantur ad Christum. Præterea quamuis non sint bona alia temporalia pro Infidelibus petenda; at nihil impedit, quin oremus, vt diuinitus illuminentur, & trahantur ad Fidem. Nam pro excommunicatis, quos Ecclesia ab omni consortio, & conuictu fidelium Christianorum arcet, ac prohibet, & suis suffragijs, & precibus spoliat, iure oramus, vti resipiscant: iure etiam salutamus illis verbis: Deus vos illuminet, & vos conuertat. His, & alijs argumentis quidam adducti, asseruerunt Ecclesiam olim pro omnibus, etiam ijs, qui sunt à Fide Christi alieni, sacrificare consueuisse, quã uis id modo non faciat. Certè Tertull. *ad Scapulam cap.2.* plane testatur: *Nos*, inquit, *sacrificamus pro salute Imperatoris*: & tamen Tertulliani temporibus Romani Imperatores Christiani non erant. Scribit quoque B. Chrysost. homil. de Adam, & Eua: *Cum Sanctæ plebis Sacerdotes per mandata sibi data, legatione funguntur, apud Diuinam Clementiam, humani generis causam, totamque simul Ecclesiam aggregantes postulant, & precantur, vt Infidelibus donetur fides, vt idololatriæ ab idololatria, & suæ impietatis erroribus liberentur: vt Iudæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat.* Et hæc eadem habet Cælestini Epistola ad Episcopos Ecclesiæ. Idem Chrysost. hom. 77. in Ioannem. *Ideo*, inquit, *in mysterijs inuicem salutamus, vt multi vnum efficiamur, & communes cum omnibus non initiatis preces effundimus, & pro infirmis, & terræ, & maris, & vniuersi orbis fructibus sacrificamus.* Alibi Idem *homil. 6. super Epistolam ad Timotheum.1.c.2.* Sed fortè quis dixerit, pro omnibus, quod ait, Orationes, & obsecrationes fieri, tantum fideles intelligi voluisse: at id verum non esse, quæ sequuntur, ostendunt. Denique ait, *pro regibus*: neque enim tunc reges Deum colebant, sed multis postea temporibus in infidelitate, quã per seriem successionis acceperant, perstiterunt. B. August. *Epist.59.* etiam explicans illud Pauli 1. ad Timotheum 2. *Obsecro itaque primũ omnium fieri obsecrationes &c.* Pro omnibus hominibus, pro regibus, & ijs, qui in sublimitate sunt, orandum, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & charitate. Et ne quisquã, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, existimaret non esse ista facienda pro ijs, ob quorum tyrannidem persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omnium essent hominum genere colligenda; adiungit, & dicit:

Hoc enim bonũ, & acceptum est corã Saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri. Et loquitur ibi Augustinus de precationib⁹, quas adhibet frequenter Ecclesia in celebratione Sacramentorum. Clem. *lib. 8. Constit. Apostolica. cap. 15.* Similiter docet Apostolos sacrificium Eucharistiæ pro sui temporis regibus obtulisse. Sic enim orat ex eorum doctrina: Reges custodi in pace, Magistratus in iustitia, Mundum in prouidentia omnipotenti, bellicosas nationes mansuefac. In lege veteri sacrificabatur pro vita regis Darij, & filiorum eius primo Esdræ 6. Et in 2. Machab. 3. pro salute Eliodori Gentilis.

Sed profecto nihil horum perspicuè satis ostẽdit, Ecclesiam olim sacrificare solitam fuisse pro Paganis, & Infidelibus. Illud certè multo verisimilius est, Missam, qua nunc vtitur Ecclesia, ab Apostolis, & primis, qui eos deinde secuti sunt, patribus acceptam fuisse: nec tamen eam nunc offert nisi pro omnibus Orthodoxis, & Catholicæ fidei cultoribus. Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 2. & 6.* docet offerri Missam pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis. Chrysostomus verò, & Augustinus *supradictis in locis* solum testantur, Ecclesiam in Missæ sacrificio orare pro Regibus, etiam impijs, & alienis à Fide, iuxta Apostolum 1. ad Timoth 2. *Obsecro primum omnium fieri. &c.*

Sed de hoc quæstio non est, an precationes in Missa fundi queant pro Infidelibus: nam totum, quod fit in Missa Officiũ cõstat ex Missa Catechumenorum, & oblatione, ac sacrificio fidelium, & gratiarum actione post sacrificiũ expletum. Dubium esse nulli debet, Ecclesiam in Missa Catechumenorum, quæ fidelium Missam, & sacrificium præcedebat, pro Infidelibus orare consueuisse, ac fortassis etiam absoluto, & finito fidelium Missæ sacrificio pro omnibus, etiam impijs gentibus. Ecclesia itẽ in die Parasceues publicè precatur pro Paganis, & pro Iudæis, vt à suo errore, & perfidia reuocentur.

Verùm hic tota quæstio est an aliquando Ecclesia Missam, & sacrificium pro Infidelibus obtulerit, quod sanè non constat. Nam Augustinus *loco ante producto*, apertè testatur precationes offerri pro omnibus in celebratione Sacramẽtorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat consecrari. At licet Tertullianus dicat: *sacrificamus, pro salute Imperatoris*, videtur tamen verbũ sacrificandi latius sumpsisse pro eo quod fit in Missa, qualis est tota Catechumenorum Missa. Nã idem quoque Tertul. ad Scapulam c. 30. *Inuocamus*, inquit, *Deum æternum pro Imperatoribus*: & superiore illo, quem protulimus loco, postquam dixerat: *sacrificamus pro salute Imperatoris*: subiungit: id præcepit Dominus pura prece.

Ad ea verò, quæ sunt initio obiecta; respondeo Christum obtulisse sacrificium, hoc est, seipsum in Cruce pro omnibus in vniuersum: nam erat sacrificium eius ad redimendos omnes; at sacrificium Missæ incruentum offert Ecclesia tãquam commune totius Societatis fidelium sacrificium, ac Symbolum, ac proinde illud fidelium Missam appellat. De secundo, non negamus, Ecclesiam saluti omnium intendere: sed id partim facit precationibus fusis, partim sacrificijs oblatis: his quidem pro fidelibus, illis verò pro omnibus in vniuersum, etiã Gentilibus. De tertio verò; in die Parasceues orat Ecclesia pro Paganis, & pro Iudæis, vt prædixi: vnde negari nõ potest, quin eadem Ecclesia olim, & nunc precetur sæpè Deum generatim pro omnibus, imò etiam speciatim pro Gẽtibus, & Iudæis: sed in die Parasceues hostiam non consecrat, sacrificiũ non offert; tantum sumit hostiam pridie consecratam.

Secundò Quæritur, An liceat Sacerdoti Missam offerre pro Catechumenis nondum per Baptismum renatis? Hæc inde exiit quæstio, quòd Ecclesia sacrificat pro omnibus fidelibus viuis, & mortuis: at Catechumeni Christi fide, imò etiã aliquando charitate sunt præditi. Pro altera verò parte facit, quod Catechumeni nondum sunt Sacramentorum participes, ergo nec Missæ sacrificij. Deinde, olim Catechumenis solum fas erat in templo adesse, dum eorum Missa celebrabatur: qua finita, publica voce Diaconi, ijdem excludebantur à templo. Sunt qui sentiãt, Ecclesiam pro Catechumenis olim sacrificare solitã fuisse: quod nituntur ex Chrysostomo, & Cælestino *locis supra citatis* confirmare, dicentibus Sacerdotes publicè orare pro Catechumenis; & ex Clemente, qui testatur Apostolos docuisse, vt pro Cathecumenis in sacrificio Eucharistiæ preces funderentur: & ex libello, qui dicitur Ordo Romanus, vbi describitur scrutiniũ tertium, quod agitur feria quarta post quartam Dominicam in Quadragesima, & instituitur Missa propria pro Catechumenis. Deinde, in ea parte Missæ, quæ dicitur: *Infra actionem*, in illis verbis: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ*, expressim additur, eam pro Catechumenis offerri.

Alijs tamen probabilius videtur, Missam, quæ olim vocari solebat fidelium, & quæ constat consecratione, & oblatione, & sumptione corporis, & sanguinis Domini, nunquam vsu, & more Ecclesiæ pro Catechumenis oblatam fuisse. Nam appellatione fidelium in ea Missa, intelliguntur ij, qui sunt ad Christum per Baptismum adiuncti, Catechumeni verò nondum Baptismo initiati, intra Ecclesiæ gremium non continentur.

Ad id verò, quod ex Patribus, & ordine Romano adferebatur, respõdeo, eos tãtummodo loqui de Missa Catechumenorum, & de ijs, quæ in ea celebrabantur, quales erant precationes multæ publicæ. Et in altera parte Missæ, sic dicta, *infra actionem*, nequaquam dicit Ecclesia se sacrificiũ offerre pro Catechumenis nondum Baptismo, & & Christianæ Religionis professione initiatis, sed pro ijs, inquit, quos regenerare dignatus ex aqua, & Spiritu sancto: ergo pro Catechumenis iam per Baptismum renatis.

Tertiò Quæritur, An fas sit Sacerdoti Missam offerre pro Schismaticis, Hæreticis, & ijs Catholicis, qui Excõmunicationis maioris vinculo tenentur obstricti, & sunt nominatim denunciati, vel notorij Clerici percussores: nam olim Ecclesia videtur etiam pro hisce hominibus orasse, sacrificasseq; S. Clemens *loco citato* ait, Apostolos id docuisse, videlicet, vt in sacrificio Missæ precaremur pro ijs reducendis ad Fidem, qui in errore versantur: & in Liturgia S. Iacobi Apostoli expressim oratur pro extirpatione hæresum: in Liturgijs item S. Basilij, & S. Chrysostomi offerũtur

preces

nominatim pro errâtibus, vt à ſuis erroribus reuocentur; & alibi Chryſoſtomus, *loco etiam ſupra citato*, docet Sacerdotes publicè precari pro Hæreticis, & Schiſmaticis. Id quoque perſpicuè teſtatur Cæleſtinus Papa: *vt ſupra dixi.* Reſpondeo, *ex cap. Sacris, & cap. A vobis ſecundo, de ſentent. excomm.* apertè colligi, non licere Sacerdotibus Miſſam offerre, aut in ea publicè pro huiuſcemodi excõmunicatis orare, quoniam eos Eccleſia ſuis communibus precibus, ac ſuffragijs priuat, & arcet ab omni conſortio, & conuictu piorum. Olim, quidam inquiunt, fortaſſis Hæretici, & Schiſmatici ipſo iure, maioris excommunicationis pœna affecti, & damnati non erant, ac proinde mirum non eſt, quòd in Patrum Liturgijs publicæ pro ipſis preces funderentur: præſertim cum huiuſmodi preces, eo tenderent, vt ipſi reſipiſcerent, & ſuis erroribus depoſitis, & abiectis, ad Fidei veritatem reducerentur. Cæterùm, licet olim eſſent etiam excommunicationis maioris vinculo obſtricti, poterat Eccleſia pro illis orare, qua etiam ratione nunc in die Paraſceues publicè pro Hæreticis, & Schiſmaticis orat.

Quæſtio tamen eſt, an in lethale peccatum incurrat, qui pro ijs, qui ſunt maioris excõmunicationis vinculo obſtricti, & denũciati, Miſſæ ſacrificium offert, non quidem publicè, id enim omninò eſt interdictum, ſed priuatim, ita vt Sacerdos animo tantum, & voluntate, cum eis Miſſæ ſacrificium cõmunicet? Negat Ledeſm. *4. q. 23. ar. 1.* Sed alij probabilius affirmant: quoniã Eccleſiæ præceptum, quo vetat, ne quis pro ipſis ſacrificet, datum eſt de re graui. Sed quid dicendum, ſi Sacerdos, dum generatim pro omnibus fidelibus ſacrificium facit, & offert, voluntatem ſuam ad excõmunicatos fideles extendat. Silu. *Excommunicatio 1. nu. 2.* ait id eſſe licitum facere. ſic Tabie. *Excommunicatio 1. nu. 5.* Armil. *excommunicat. 1. nu. 9. ex S. Thoma.* QVAERES, an ſi excommunicatus per veram cordis pœnitentiam reſipuerit, & nondum ſit ab excõmunicationis vinculo abſolutus, liceat pro eo ſacrificiũ offerre? Ledeſmus *in 4. q. 23. art. 1.* opinatur, peccare quidem Sacerdotem pro eo offerentem, ſed ſacrificium oblatum eſſe ei fructuoſum, cum ille iam ſit gratiæ Diuinæ reſtitutus.

Sed contra alij opinati ſunt, ei ſacrificium, vt ſatisfactorium nõ prodeſſe ad remiſſionem pœnarum, quæ peccatis debentur: Nam etſi in Dei gratiam redierit, adhuc tamen eſt excommunicatione diuinctus, in qua quamdiu perſiſtit, communium Eccleſiæ fructuum, & bonorum capax non eſt. Ita Sotus, *in 4. d. 22. q. 1. art. 1.* Attamen alijs quibuſdam prima opinio viſa eſt probabilior, quæ ante Ledeſmam videtur fuiſſe quoq; Ricardi *in 4. diſt. 18. art. 2. q. 2.* & Antonini. 3. *p. tit. 24. cap. 76.* quam etiam ſequitur Nau. *de orat. cap. 19. num. 68. & in Manua. cap. 27. num. 36.* & à qua Couar. *in cap. Alma mater. p. 1. §. 6. nu. 4.* minimè diſceſſit. putant enim iſti auctores nequaquam Eccleſiæ mentem eſſe, vt excommunicatus, qui eſt per idoneum peccati dolorem Deo reconciliatus, communium Eccleſiæ bonorũ particeps non ſit, quamdiu per ipſum non ſtat, quominus excommunicationis vinculo ſoluatur. Et certè hæc ſententia eſt valde probabilis, vt quæ mitior, & benignior eſt. Oppones id, quod habetur *in cap. A nobis ſecundo, de ſent. excomm.* videlicet excommunicatum, quamuis per pœnitentiam de ſuo peccato dolentem, nondum tamen ab excommunicatione ſolutum, à conſortio, & conuictu piorum remotum eſſe: quia quibus, inquit Pontifex, viuis non communicamus, nec mortuis communicare debemus. Reſpondẽt, in eo cap. ſolum ſignificari, talem excommunicatum Eccleſiæ abſolutione indigere: nihil verò ibi dici, ſit capax, nec ne bonorum, & fructuum Eccleſiæ.

Si quæras, an Sacerdoti liceat offerre Miſſæ ſacrificium ſpeciatim quidem, ſed ſecreto pro huiuſmodi excõmunicato. Nauarrus, & Couarruuias *locis citatis* ſentiunt licere Sacerdoti id facere, quia Eccleſia veriſimiliter creditur id non prohibuiſſe, dummodo publicè non fiat, nec expreſſim, & nominatim pro eo excommunicato offeratur ſacrificium Miſſæ. Sotus, & Ledeſmius negant licitum eſſe, id facere: primum eſt probabilius. QVAERES quoque, an Sacerdos in Canone Miſſæ, dum ſubmiſſa voce occultam cõmemorationem facit amicorum, tuto abſque vllo peccato queat etiam excommunicati meminiſſe, & pro eo Deum precari? Id quidam opinantur Sacerdoti minimè licere facere, ſic docent Sotus, & Ledeſmius *locis ſupra citatis*, inde permoti, quod tota eiuſmodi viuorum commemoratio fiat nomine Eccleſiæ.

Si illis obijcias Sacerdotem tutò poſſe priuatim ſuo nomine pro excommunicato precari. Reſpondent illi, Eccleſiã non prohibere, ne quis pro excõmunicatis priuatim oret; ſed iure præcipere, ne id præſtet in Miſſa; aut ſaltem, ne dum viuorum mentionem facit, pro quibus ſacrificiũ offert, excõmunicatos cõmemoret, aut pro ipſis preces effundat. Alij tamen probabilius, & verius eſſe oppoſitum arbitrantur: quoniam eiuſmodi precatio fit priuato nomine, & auctoritate Sacerdotis; & Eccleſia ſolum vetat Miſſam, aut publicas preces, & quæ nomine ipſius funduntur, offerri pro excõmunicatis; nunquam tamen imperat ne in Miſſa priuato ſuo nomine Sacerdos pro excommunicato precetur. Sic Angelus *in verbo. Miſſa. nu. 51.* Silu. *excommunicatio 1. nu. 2. & in verbo. Miſſa 1. nu. 8.* Tabie. *excommunicatio 1. num. 5.* Nauar. *de oration. cap. 19. nu. 71.* & Couar. *in cap. Alma mater. p. 1. §. 6. num. 4.* & Maiol. *de irregularitate lib. 3. cap. 25. num. 3.* quorum ego ſententiæ libẽtius quoq; ſubſcribo. Neque enim id vnquã prohibuit Eccleſia. Si quæras vltimo, an fas ſit Sacerdoti ſacrificium offerre pro excõmunicato occulto, qui non eſt denunciatus, nec eſt notorius Clerici percuſſor. Nauar. *in Manua. cap. 27. num. 36.* videtur inſinuare fas eſſe: quia huiuſmodi excõmunicatum vitare non cogimur. Sed videtur aliud eſſe, hoc eſt, excommunicatum non eſſe vitandum, aliud eſſe pro illo orandum, vel ſacrificandum: nam primum conceditur ob commune bonum aliorum, qui non ſunt excõmunicati, ſed ſecundum eſt in bonum ipſorum excommunicatorũ, & Eccleſia videtur eos huiuſmodi bono, & cõmodo excludere: quare dubia in hac parte videtur eſſe ſententia Nauarri.

Quartò Quæritur, An pro mortuis ſacrificiũ Miſſæ ſit offerendum? Negant Hæretici; quamuis fateantur, vſum, & morem Eccleſiæ fuiſſe, vt in

Missa fiat mortuorum commemoratio, qua supplicatur Deo, vt mortuos, Sanctorum cœtui in æterna felicitate coniungat. At verò constans est, & firma, ac certa Catholicorum sententia, non solùm pro mortuis preces offerri, sed etiá ipsum sacrificium, idque contra Hæreticos sacrum Cócilium Tridentinum, definit *Sess.22.ca.2.* & censetur hæc esse Apostolorum traditio, vt ex veteribus Ecclesiæ patribus colligitur, Dionysio Areopag. Cypriano, Athanasio, Tertulliano, Nysseno, Chrysostomo, Ambrosio, Epiphanio, Augustino, & alijs, & in Liturgijs sanctorum Patrum, Iacobi Apostoli, Basilij, Chrysostomi satis apertè legimus commemorari in Missa defunctos, & Deo pro ipsis supplicari, & sacrificium, & oblationē fieri. Sed cum multa sint mortuorum genera; disputandum est, pro quibus mortuis fas sit Sacerdotibus Missæ sacrificium offerre, quod sequentibus quæstionibus explicabo.

Quos citat Durā. lib.2.de ritib.Eccl. cath.c.43.

Quintò Quæritur, An pro sanctis cælestis patriæ ciuibus, qui æterna felicitate potiuntur, sacrificari iure possit? Exploratum est omnibus, pro ijs minimè sacrificium offerri ad delictorum expiationem, aut pœnarum remissionem, aut gratiæ, vel sempiternæ felicitatis, & gloriæ incrementum. Hoc sensu verum est illud, quod passim in ore fidelium versatur: Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. Deinde, pro certo, & comperto habetur, in Missa fieri Sanctorum mentionem, vt eorum exemplo, & imitatione, viui ad bonam vitæ frugem excitentur, & vt Deus viuos cum illis in patria cælesti, consociet. Nec non illud est certum, eos commemorari, vt pro eorum victoria, & rebus præclarè, & feliciter gestis Deo gratias agamus, ac vt ipsi de hac gratiarum actione lætentur: atque hoc ipsum dicitur cedere in eorū gloriam, aduentitiā scilicet, & extrinsecam. Id postremò ab omnibus conceditur, Sanctis ciuibus in cælo regnantibus sacrificium minimè offerri, sed soli Deo. Ergo illud tantùm in præsenti discutiendum nobis est, An sancti commemorentur in Missa, vt inuocentur, honorētur, & colantur à nobis: hoc enim Hæretici pernegant, & Catholicos calumniantur, quod Sanctos in Missa inuocent, colant, & venerentur.

In cap.cū Mattha. de celebr. Missarū.

Cęterùm perpetuò semper in Ecclesia receptū est, vt hac ratione Sancti commemorētur in Missa. Etenim S. Basilius in Liturgia, post consecrationem meminit Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum: vt assiduas, inquit, tibi pro nobis preces offerant: vt quando nobis ipsi parum fidimus, memoria, & legatione illorum protecti, per eos ad te audeamus accedere. Et Cyrillus in Catechesi V. Mystagogica: *Cum sacrificium*, ait, *offerimus, mentionem facimus eorum, qui obdormierunt Sanctorum, vt Deus illorum orationibus preces nostras suscipiat.* Chrysostomus item in Liturgia: *Sanctorum*, inquit, *Apostolorum, & Sancti huius, cuius memoriam facimus, & omnium Sanctorum tuorum supplicationibus respice nos Deus.* Augustinus: *Ideo ad ipsam mensam non sic Martyres cōmemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt videlicet pro ijs oremus, sed magis, vt ipsi pro nobis precentur.* Obijcies, Cyprianū dicentem sic, lib.3.Epist.62. & lib.4.Epist.5. *Laurētius, & Ignatius in castris & ipsi quondā sæcularibus militātes, sed veri, & spirituales Dei milites, dum Diabolū Christi confessione prosternunt, palmas à Domino, & coronas illustri passione meruerunt: sacrificia pro eis semper, vt ministris, offerimus, quoties Martyrū passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebramus.* Græcorū quoq; Liturgia sic habet: *etiā offerimus tibi pro omnibus qui à sæculo tibi placuerunt Sanctis.* Respondent quidā in hunc modum. Cum Cyprianus dicit se pro eis sacrificia offerre, nihil aliud significare videtur nisi, pro eorum patrocinio inuocando sacrificiū se facere, & offerre, vel, *pro eis*, id est, pro eorum victoria gratias agendo, siue pro eorum cultu, & honore. Cæterū alij rectius, meo quidem iudicio respondent, Cypriani mentem esse, *pro eis*, id est, pro eorum commemoratione: nā in alia Epistola scribit ad Presbyteros, & Diaconos fratres, vt ei significēt, quinam ad immortalitatem glorioso mortis exitu transeunt: vt celebrentur, inquit, hic à nobis orationes, & sacrificia ob cōmemorationes eorum. Cyrillus quoq; Hierosolymitan⁹ *in Catechesi*, verba illa in Missa Græcorum: *Etiam offerimus tibi pro omnibus, qui à sæculo tibi placuerunt sanctis*, sic interpretatur: Hoc sacrificiū tibi offerimus, vt memores simus primum eorum, qui dormierunt Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrū, vt Deus orationibus, & intercessionibus eorum nostram precationem suscipiat.

Obijcies insuper, hostiam, quę offertur in Missa, per se sufficere ad omnia bona impetranda, ergo non est, quod sanctorum Martyrum patrocinium imploremus in Missa. Respōdeo, per se quidem hostiam sufficere, cum sit corpus, & sanguis Domini; at nihilominus Sanctorum patrociniū inuocamus, quia voluit ipse Christus Dominus, vt Sancti honorarentur, & colerētur, & inuocarentur à nobis.

Sextò Quæritur, An Missa prosit mortuis apud inferos perpetuò supplicio damnatis? Fuit veterum quorundā sententia, illis prodesse hostiam illam salutarem, non quidem ad pœnæ remissionem, quæ est in perpetuum duratura; sed ad eam pœnam ex maiori patientia sustinēdam, ac vt tolerabilior sit eorum damnatio. Sed vna est omnium Theologorum sententia, hostiam illis planè fructuosam nō esse, nec fas esse eam pro illis offerre. *In 4.d.45.*

Duo tamen, aut tria nobis obijci possunt. Primū ex Augustino dicente *in Enchir. c.109.* Ecclesiæ sacrificijs & suffragijs mortuos iuuari; vt vel plena sit eorū remissio, vel tolerabilior eorum damnatio. Idem alibi ait, *videlicet lib.12. de Origine animæ. c.9. & 10. & lib. de cura pro mortuis agenda c.1.* sacrificādum esse pro omnibus baptizatis, mortuis, & oblationes sacrificiorum quibusdam prodesse defunctis, vt illorum tolerabilior fiat damnatio. Sanctus quoque Gregorius *in Dialogis lib.4.c.55.* refert, fuisse quendam religiosum, qui contra votū Paupertatis factum, furto pecunias abstulerat, quod cū Gregorius resciuisset, imperauit Fratribus, vt illū mortuum vna cū pecunijs in sterquilinio sepelirent, dicentes, Pecunia tua tecum sit in perditionem: & tamen elapsis triginta diebus, eisdē fratribus præcepit, vt per alios triginta dies continuos pro eo sacrificia facerēt, quibus exactis, Gregorio est diuinitus patefactū, eiusmodi mortuum sacrificiorū subsidio liberatum fuisse. Respondeo, in primis quicquid dicat Glossa *in c.*

Tempus.13.q.2. Augustinum, damnationis nomine tantum intellexisse ignis purgatorij pœnã: sic enim vsitato more dicimus fontes dãnari ad carcerem,ad metalla,ad bestias, ad exiliũ; quamuis alioqui condemnatio perpetua nõ sit. Deinde ad id,quod ex Gregorio refertur, respõdeo eũ Monachum ad vitæ exitum de suo peccato doluisse, idque Gregorium cognouisse:iussisse tamen eum insterquilinio sepeliri,ad aliorum exemplum,& terrorem:quam sepulturam Gregorius voluit,vt perditionem vocarent, quamuis ad tempus tantummodo futuram;& ideo præcepit,vt pro eo sacrificaretur: nouerat enim eum purgatorias pœnas sustinentem,fore sacrificiorum merito liberandum. Deinde objicitur id, quod Ecclesia in Missa funebri pro mortuis precari solet; videlicet, vt mortui liberentur de profundo lacu, de pœnis Inferni,& de ore leonis,ne absorbeat eos Tartarus,ne cadant in obscurum tenebrarum:sed signifer Sanctus Michaël repræsentet eos in lucẽ sanctam,& in sinum Abrahæ: hæc enim nequeũt intelligi commodè de his,quorũ leues noxæ igne purgatorio expiantur, & maiorum criminũ pœnæ remittuntur:intelliguntur ergo de ijs, qui dãnantur ad Inferos perpetuò cruciãdi. Respõdeo, ea Ecclesiæ verba posse multipliciter explicari, vt statim apparebit. Illud in præsentia dixisse sufficiat, eiusmodi non habere locum in ijs, qui sunt perpetuis iam supplicijs condemnati.

Tertiò objicitur id, quod habetur 2. Machabæorum 12. vbi narratur iussu Iudæ Machabæi, oblata fuisse sacrificia pro ijs, qui in bello ceciderant,& tamen ibidem dicitur,eos ob sua peccata ab hostibus fuisse prostratos: *Inuenerunt*, ait Scriptura, *sub tunicis interfectorum, de donarijs idolorum, quæ apud Iamniam fuerant, à quibus lex prohibet Iudeos.* Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse: & omnes intellexerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta, ergo erant perpetuò apud Inferos damnati. Respondeo, eos ob sua quidem peccata in bello deuictos perijsse; sed in vitæ fine de suis illi peccatis doluerunt, ac proinde pro illis sacrificatum est ad pœnarum, non autem culparum remissionem.

Septimò Quæritur, An Missarũ sacrificia prosint paruulis, cum solo originali peccato decedentibus? Quæstionem hanc mouet id, quod tradit Augustinus *locis superiori quæstione citatis*:Mortuos alios esse valde malos,alios valde bonos: alios nec valde malos, nec valde bonos: Et prima duo genera mortuorum, sacrificijs non iuuari tertium autem genus multũ iuuari. At huiusmodi paruuli videtur esse ij, qui nec valde mali,nec valde boni sunt; cum nec inter eos numerentur, qui ad cælestem iam patriam peruenerũt, nec inter eos,qui perpetuò damnantur apud Inferos,eo quod nullã culpam sua voluntate admiserunt,ac proinde sunt mediocriter boni. Constans est Theologorũ *in* 4.*d.*45.opinio,nihil eiusmodi paruulis sacrificia prodesse,eo quod cũ originali peccato hac vita functi in tenebris iaceãt sempiternis.Eos verò,qui purgatorio igne mundãtur, Augus.appellauit,nec valde bonos,nec valde malos quasi diceret,nec perpetuã superũ felicitatẽ adeptos,nec ad supplicia inferorũ æterna dãnatos.

Octauò Quæritur, An Missa prosit ijs, qui pœnas purgatorias sustinent? Cõmunis est omnium Theologorũ doctrina,*in* 4. *d.*45. huiusmodi Mortuos intelligi,quando Ecclesia pro ijs,qui obiere sacrificat: nam eorum leues, & veniales culpæ, quæ nondum in hoc sæculo condonatæ fuerunt, post hanc vitam remittuntur, & pœnæ etiam tẽporales grauiorum criminum abolentur: quare tales mortui, & Ecclesiæ precibus, & sacrificijs in vtroque iuuantur. Porrò Mortuis prodesse Missarum sacrificia,doctrina est Patrum omnium, & Conciliorum,quorum testimonia, & decreta citat Durandus *lib.de ritibus Eccles.Cathol.* 2.*ca.* 43. Objicies, vsum Ecclesiæ Deo supplicãtis pro mortuis, vt eos de profundo lacu liberet, ac de pœnis inferni,&c.quæ locum non habent in ijs, qui pœnas purgatorias persoluunt. Deinde, Ecclesia certissimè nouit animas corporibus exutas,& igne purgatorio detentas, tandem cælestes sedes consecuturas:quomodo ergo Deum precatur,vt eas Sanctus Michaël repræsentet in lucem sanctam, & in sinu Abrahæ,& vt mortui ad vitam reuocati, Sanctorum consortio aggregẽtur? Quidam Catholici fatentur hæc, & alia huiusmodi in Officijs Ecclesiasticis,dici non tam propriè, & verè,quam piè,& Religiosè,quibus quãuis parum cum veritate congruentibus Ecclesia suum in mortuos quem gerit,pium affectũ ostendit.In his ergo non tã id,quod dicitur, quàm animus dicentis expenditur.Sed certè non est,quod dicamus aliquid in Ecclesia piè solùm,& nõ verè dici;neque enim Ecclesia falsi aliquid per errorẽ decepta publicè decantat,aut tradit, absit hoc ab ea, quam Apostolus appellat columnam, & firmamẽtum veritatis. Longè verius ergo est, quod alij tradiderunt, prædicta verba, aut per metaphoram accipi, vt solent plurima in scripturis contenta, aut in Missis, quas Ecclesia pro ijs, qui decesserunt è vita,offert, Deo supplicari generatim,nõ solùm pro ijs,qui iam ex hac vita migrarunt, sed etiam pro ijs, qui in extremo vitæ periculo constituti iamiam mortẽ obituri videtur. Orat igitur Ecclesia Deum,vt Missarum sacrificiis placatus liberet eas animas, quarũ pœnæ igne purgatorio exoluũtur. Expendamus singula verba,& breuiter explicemus. *A pœnis*, inquit,*inferni*, id est, A purgatorio igne, qui idem prorsus esse perhibetur, atque ignis Inferni. *Et à profundo lacu*, A carcere nimirum sub terram abdito, vbi detentæ expurgantur animæ piorum. *Ne absorbeat eas Tartarus*,Hoc significat:ne amplius,& diutius eas profundi illius carceris cauernę,& vincula remorentur, nec inferni pœnæ tanquam fauces quædam belluæ immanis, sæuæ, ac truculentæ detineant.Ignem purgatorium, cum sit idem, qui ignis Inferni, appellat Ecclesia Tartarũ. *Nec cadant in obscurum.* Vult dicere;Ne post hoc sacrificium factum,& oblatum permittas adhuc eas in obscuris terræ carceribus cruciari, & quasi denuò in purgatorias pœnas incurrere. *Sed signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam.* Sensus est: Fac, vt per hoc sacrificium pœnas debitas in totum exoluant; ac proinde eas plenè mundatas Michaël sistat in patria cęlesti,quẽ sinũ Abrahę vocat Ecclesia,id est locum,vbi iusti post huius vitæ finem excipiũtur. Vel eiusmodi verba

dicuntur de ijs, qui in extremum vitæ periculum deuenerunt, quibus singula verba iam hactenus exposita non ineptè conueniunt.

Nonò Queritur, An Missa prosit paruulis, qui cum baptismo ex hac vita excesserunt, nondum rationis vsum consecuti? Respondeo, nequaquã; cum pro certo, & indubitato habeamus, eorum animas corporum vinculis solutas statim ad cælestem patriam euolare. QVAERES, an Missarum sacrificia facienda sint cum hi paruuli sepeliuntur? Respondeo, esse facienda: non ita tamẽ, vt pro illis offerantur: nec item in Missa precationes vllæ pro ijs fundantur: sed sacrificia fiunt, pro omnibus mortuis, quorum peccata adhuc expiantur: ergo fiunt, hæc sacrificia ad aliorum mortuorum subsidium, & viuorum solatium, qui vident Ecclesiam sollicitè suis votis, precibus, suffragijs, & sacrificijs eos qui sunt morte deleti, iuuare. Hæc ex S. Thoma, *in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *art.* 2. Palu. 4. *d.* 45. *q.* 1. *art.* 2. & Naua. *de orat. c.* 19. *nu.* 65.

Decimò Quæritur, An Missarũ sacrificia mortuis, pro quibus fiunt, certa, ac firma lege prosint? Sotus *in* 4. *d.* 19. *q.* 2. *ar.* 4. videtur negare sic mortuis sacrificia prodesse, sed liberali duntaxat Dei voluntate, ita vt misericorditer ea Deus accepta, & grata habeat, non autem vllius à se latæ legis necessitate. *Nam mortui*, inquit, *non amplius sunt in ditione, & potestate Ecclesiæ, ergo eas iuuare non potest absoluendo, sed suffragando*, suffragia autem prosunt, si Deus, ea accepta sibi habere dignetur. At *in* 4. *d.* 21. *q.* 2. *art.* 3. ait magis pium esse oppositum sentire. Quare probabilius mihi videtur, quod alij docuere, videlicet Couar. cum alijs *in c. Alma mater. p.* 1. *§.* 5. *num.* 11. certa, & firma lege Dei sacrificia prodesse ijs, qui iam obiere: quoniam tum Ecclesia, quæ pro illis sacrificat, tum ipsi mortui, pro quibus sacrificia offeruntur, Dei gratia, & charitate prædi ti sunt: ergo nihil est, vnde sacrificij fructus impediatur: & hæc opinio, cum sit magis pia, & rationi consentanea est amplectenda. Dices, eos mortuos extra ditionem Ecclesiæ iam esse constitutos. Respondeo, inde colligi, eos per Ecclesiam à peccatis non solui, quemadmodum viui absoluuntur: nam in hos Ecclesia ius, & auctoritatem habet, qua eos ligat, ac soluit: at verò mortuos iuuat, nõ quòd eos à peccatis absoluat, sed quod sua ope, & auxilio subleuet, cuius tamẽ subsidia voluit Deus sua certa, quam statuit lege grata habere, & accepta. Hoc autem inde colligimus, quia Diuina est traditio Apostolorũ sermone nunciata, vt pro mortuis precemur, & sacrificia offeramus, ergo Christus Dominus, qui hoc tradidit, & qui hoc nobis nunciari iussit, eo ipso, voluit huiusmodi suffragia pro mortuis tanquã grata, & accepta sibi offerri.

Caput XXIII.

De Idoneo ac legitimo Missæ sacrificij ministro.

HOc loco quædam tanquam certæ, & explo ratæ veritatis poni oportet: quæ cũ de Eucharistia, vt est Sacramentum, agetur, fusius ostẽdentur. Ea aũt sunt huius sacrificij ministros esse Sacerdotes, auctoritate Ecclesiæ ritè, & legitimè Sacris Ordinibus initiatos. Deinde eos ministros esse ad consecrandum corpus, & sanguinẽ Domini, & offerendum, & sumendũ, & alijs impertiendum. Denique, ministrum, vt legitimo iure, & ritè absque peccato cõsecret, offerat, & det alijs, oportere liberum esse, & solutum ab omni excommunicatione, suspensione, interdicto, irregularitate, & cæteris Iuris Canonici, vel Diuini pœnis, vel impedimentis. Pari ratione in præsentia non est disputandum, an plures Sacerdotes possint simul eundem panem, vel vinum consecrare: nec item, quæ mens, & voluntas in Sacerdote ad sacrificandum exigatur.

His positis, primò quæritur, an quemadmodũ solus Sacerdos iure diuino est legitimus minister Eucharistiæ consecrandæ, offerendæque, ita solus quoque ipse sit eodem iure Diuino minister in ea alijs cõferenda. Nam Luc. 22. solis Apostolis, & Discipulis præcepit Christus. *Hoc facite*, id est, consecrate, & offerte; & eisdem videtur quoque dictum: Alijs Eucharistiam ministrate: quæ tria ipse præstiterat: nam, & consecrarat, & obtulerat, ac dederat. At verò ex altera parte olim Diaconi corpus Domini à Sacerdotibus consecratum de more alijs impertiebant. Respondeo in hunc modum, ratione muneris, & officij ordinaria potestate solus Sacerdos iure Diuino alijs Eucharistiam confert; Diaconus verò mandata sibi, & commissa potestate ius, & auctoritatem habere potest Eucharistiam à Sacerdote cõsecratam alijs dandi. Olim in Ecclesia eam Diaconi ad absentes, & ægrotos deferebant, vt constat ex Iustin. *in Apolog.* Cypria. *serm. de lapsis.* Clem. *lib.* 8. *Const. Apost. c.* 28. & in Concilio Carthaginen. 4. *Can.* 38. habetur: vt Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget. Et c. Diaconus Distinct. 93. ex Pelagio refertur: *Diaconi Sacri corporis erogationẽ sub conspectu Episcopi, seu Presbyteri, nisi his absentibus, ius non habent exercendi.* Vbi Glossa, annotauit: *Vbi necessitas exigit, & Presbyter est absens, potest Diaconus etiã iure suo baptizare, & corpus Christi dare infirmis, si consecratũ est, sed in Ecclesia, præsente Presbytero, non potest, etiamsi necessitas exigat, nisi iussus à Presbytero; reputã, cum multi sunt, qui indigent Baptismo, & Presbyter nequit omnibus sufficere: similiter cum multi sunt, qui volunt Christi corpus accipere, nec Presbyter omnibus sufficit.* Hæc Glossa. Cõcilium verò Nicenũ. *Can.* 14. & *habetur c. Peruenit.* 1. *Dist.* 93. sic ait: *Peruenit ad Sanctũ Concilium, quod in locis quibusdam, & Ciuitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant; quod neque regula, neque consuetudo tradidit vt ij, qui offerendi sacrificij non habent potestatem, ijs qui offerunt corpus Christi porrigant. Hæc ergo omnia amputentur, & accipiant per ordinem, post presbyteros ab Episcopo, vel Presbytero Sacram Communionem. Quod si non fueris in præsenti, vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi præferãs, & edant.* Hæc Concilium. Irrepserat abusus talis, nempe, cũ Episcopus rem Diuinã faciebat, Presbyteri, ac cæteri Ecclesiæ ministri de manu eius Eucharistiam de more accipiebant: & quia Episcopus aliquando defatigabatur, cõcedebat Diacono, vt corpus Domini cæteris Clericis porrigeret. Vnde factum est, vt conniuentibus, vel dissimulantibus Episcopis, Diaconi Eucharistiam Presbyteris etiam ministrarent: quem abusum tollendum è medio Concilium curauit, quòd

hinc

hinc Diaconi insolentiores effecti sese audebant Presbyteris anteponere. Procedente verò tempore, Diaconis abrogata est facultas corpus Domini ceteris, etiam laicis porrigendi, quamuis sit illis potestas relicta distribuendi sanguinem: hic enim cum ministraretur in calice, necesse non erat, vt à Diacono tangeretur, vt necesse erat corpus Dominicum ab eo tangi, cum illud cæteris præbebat.

In Concilio Arelatensi 2. *Can.* 15. habetur: *In secretario Diaconis inter Presbyteros sedere non liceat; vel corpus Christi præsente Presbytero tradere Diacono ne præsumant: quod si fecerint, ab omni officio Diaconatus abscedant.* Ex dictis cernere licet, Diaconum Eucharistiæ consecrandæ, vel offerendæ nullam facultatem habere posse, siue ordinariam, siue mandatam, atque commissam: Eucharistiam verò alijs subministrandi, auctoritatè commissam habere posse, ordinariâ non item, quoniam hæc solis Sacerdotib⁹ ratione sui muneris, & officij cõuenit.

Secundo Quæritur, An sicut omnis Sacerdos Eucharistiæ consecrandæ, & offerendæ iure Diuino habet potestatem, sic etiam habeat eandem Eucharistiam alijs distribuendi? Respondeo, hoc esse discrimen inter potestatem consecrandi, offerendique, & inter potestatem dandi Communionis Sacramentum; quod illa est facultas aliquid obeundi circa ipsum Christi corpus; hæc verò est potestas conferendi alijs Sacramenta, quod est proprium pastoris pensum, & munus: ac proinde non eo ipso quod quis in Sacerdotem creatus potestatem habet consecrandi, & offerendi, habet ius dandi alijs Eucharistiam: ad hoc enim iurisdictio requiritur, ad illa verò non item. Nulli igitur Sacerdoti simplici omnis iurisdictionis experti licitum est Eucharistiam alijs ministrare. *Quæres*, an fas illi sit eam dare per solam à Parocho concessam facultatem. Respondeo, fas esse, quia cum sit Sacerdos, & sola ei desit iurisdictio, eam accipit Parochi concessu: Parochus enim, quemadmodum cum sibi subiectis ministrat Eucharistiam, vtitur suo iure, sic eandem per alium conferre, iure suo, & auctoritate potest. Nam ad Eucharistiam porrigendam alijs, non requiritur vltra ordinationem in Sacerdote vlla Episcopi approbatio, vt necessaria est, ad confessiones pœnitentium audiendas, vel ad Diuinum verbum annunciandum.

Caput XXIV.

Quibus diebus sacrosanctum Missæ sacrificium immolare sacerdotes iure possint, & debeant.

PRimò Quæritur, An simplex Sacerdos, cui nulla est animarũ cura commissa, nec Beneficium Ecclesiasticum collatum, Missæ sacrificiũ aliquando offerre, iure, & lege cogatur? Duę sunt Theologorum sententiæ: vna docet, in nullũ lethale peccatum incurrere eiusmodi Sacerdotẽ, si nunquam sacrificet: sic Alexander 4. *p. q.* 51. *m.* 2. Bonau. 4. *d.* 12. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 2. Gab. *in Cano. Missæ lect.* 87. Victo. *in sum. de Sacram. nu.* 94. Cai. *p.* 3. *q.* 82. *ar.* 12. Ledesm. 4. *p.* 1. *q.* 23. *art.* 10. Palacius 4. *d.* 13. *disput.* 2. Hi, & quidam alij sentiunt eiusmodi Sacerdotem, etiam si absque causa iusta à sacrificando abstineat perpetuò, minimè lethale peccatũ admittere: quandoquidem nullus extat Canon, quo ad illud faciendum adigatur: fatentur quidem peccare, sed solum cum contemnit, vel cum alijs offensionis causam præbet. Iuniores quidam putant opinionem hanc esse probabilem, eam multis verbis tuetur Rosella. *Eucharistia* 3. *nu.* 33. quamuis solum contendere videatur huiusmodi Sacerdotem nõ peccare lethaliter. De quodam Sancto Presbytero historiæ commemorant, nunquam eũ religionis, & humilitatis causa sacrificare voluisse.

Altera opinio contrarium omninò docet: S. Thom. 3. *p. q.* 82. *art.* 10. primam sententiam ait esse irrationabilem: idem videtur dicere 4. *d.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 2. Plures opinantur delinquere eiusmodi Sacerdotem, si citra causam legitimã sese à sacrificando, aut semper, aut toto anno contineat: Ita Ricard. *in* 4. *d.* 13. *ar.* 2. *q.* 2. Dur. 4. *d.* 13. *q.* 2. & Palud. 4. *d.* 13. *q.* 2. Maior. *d.* 12. *q.* 5. Antonin. *p.* 3. *tit.* 13. *c.* 16. *§.* 12. Angel. *Missa n.* 44. Siluest. *Missa* 1. *q.* 7. Sot. 4. *d.* 13. *q.* 1. *ar.* 10. & Tabien. *Cõmunicare. q.* 12. Armil. *cõmunio. n.* 14. Nauar. *in c.* 25. *nu.* 88. & sanè, qui Sacerdos creatur, consecraturq; ad rem diuinam faciendam, & nunquã sacrificiũ facit, & offert, videtur diuini muneris, & officij contemptor, si absq; vllo impedimento, & causa iusta, & legitima id prætermittat, cũ eo superfedeat, quod præstare alioqui deberet. Et Paulus 2. Cor. 6. *Hortamur*, inquit, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; Petrus quoque 1. Pet. 4. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes*: & Greg. homil. 9. in Euangelia, *Dum crescunt*, ait, *dona, rationes etiã crescunt donorũ*: Matth. 25. & Luc. 19. Seruus ille, qui talentũ absconditin tenebras mittitur exteriores, & alter, qui minã reposuit in sudario, illa ipsa, cum acri etiam reprehensione spoliatur. Deinde, otiosa est facultas, & potestas, quæ nunquam operatur. Postremò malè audiunt Sacerdotes, qui nunquam sacrificant: quare secundo Machabæo. quarto, reprehẽduntur quidam Sacerdotes, quod iam non circa altaris officia dediti erant contempto templo, & sacrificijs neglectis. Et in cap. Si quotiescunque. De consecratione, Distinctione secunda, ex Ambrosio dicitur. *Si quotiescunque sanguis Christi effunditur, in remissionem peccatorum effunditur, debeo meritò semper accipere, vt peccata mihi semper dimittantur: qui semper pecco, semper debeo accipere medicinam, &* ex *Hilario in capite. Si non sunt. De consecratione Distinctione secunda. Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis, & sanguinis Domini separare.* Hæc illi Patres.

Mihi sanè vera, & certa videtur hæc opinio, præsertim si de eo Sacerdote loquamur, qui semper à sacrificio absque vlla iusta, & debita causa cessat: de hoc enim auctores primæ opinionis loquuntur, quorum argumẽta parui sunt ponderis, & momenti.

Si quæras, An lethaliter peccet huiusmodi Sacerdos? Ricardus, Paludanus, Maior. Nauarr. & multi alij generatim aiunt eum peccare, Durandus dicit, grauiter peccare. Angelus, Siluester, Sotus, & alij sentiunt eum lethaliter peccare. Armilla verò, *nolo*, inquit, *præcipitare sententiam.* Ego licet probabile putem huiusmodi Sacerdotẽ leuiter, non grauiter peccare, sed multo pro-

babilius existimo, eum grauiter peccare, nec absoluerem eum, qui statueret nunquam per totum anni cursum, Missæ sacrificium facere. Nec excusarem eum, qui nunquam per annum sacrificat ob impedimentum, quod ex ipsius voluntate existit, ac pendet. Nec item eum, qui ideo nunquam per annum sacrificat, quia frequenter peccare solet: peccatum enim est voluntarium, & proinde id cauere, & euitare debet, vt dignè Missæ sacrificium facere, & offerre queat. Nec etiam eum, qui cum commodè ab excommunicatione absolui, vel ab irregularitate, qua tenetur siue impeditur, liberari possit, id non curat, siue nullam in eo diligentiam ponit.

QVAERES itidem, quoties per annum talis Sacerdos sacrificare debeat? Sanctus Thomas, Siluester, Antoninus, & Angelus *locis citatis*, generatim asserunt eum debere in diebus festis præcipuis, ijs præsertim, quibus laici solent sacram communionem accipere: sed non explicant quinam sint dies illi festi præcipui. Paludanus numerat quinque; Natalem Domini, Paschæ, Pentecosten, & diem B. Virgini in cælum assumptæ, & diem Sanctis omnibus Sacrum. Sotus solum commemorat Natalem Domini, Paschæ, & Pentecosten. Maior ijs, quos Paludanus recenset, adiungit alium diem, eum nempe, quo anniuersaria Corporis Dominici celebritas recolitur. Quidam addunt etiam dies Beatissimæ Virgini, & Sanctis Apostolis sacros. In cap. Dolentes. De celebratione Missarum, videtur Concilium grauiter eos reprehendere, qui vix quater singulis annis Missæ sacrificium offerebant. Synodus Trident. *Sessione 22. cap. 1.* ex Lucæ verbis 22. hoc facite, colligit, Christum Dominum præcepisse Sacerdotibus, vt offerant. Et *sess. 23. cap. 14. de reformat.* ait, *Curet Episcopus, vt presbyteri saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, Missas celebrent.* Ego non condemnarem eum, vt lethalis peccati reum, qui ter ad annum sacrificat, siue continuato, siue interrupto tempore, si id sit, sine scandalo, & contemptu.

Secundò Quæritur, quoties in anno Sacerdos, qui est curæ animarum præfectus, iure debeat sacrificare? Communis est sententia, eum per se, vel per alterum facere sacrificium oportere in omnibus diebus, quibus populus sibi commissus rem diuinam audire debet. Rogabis an cæteris etiam diebus iure, & præcepto compellatur ad operandum sacris? Sotus censet eum ad id adstringi pro ratione decimarum, aut beneficij, quod possidet, & pro ratione plebis piè, & religiosè rem diuinam frequentantis. Satis probabiliter meo iudicio loquitur. In Ecclesijs, quæ Cathedrales dicuntur, vel Collegiatæ, vel Conuentuales, curare debet Episcopus, aut Collegij, Conuentúsue Præfectus, vt quotidie duo Missarum sacrificia fiant, vnum pro Mortuis, alterum pro viuis diei festo, aut profesto conueniens. Nam *in c. Visum. De consecratione distinct. prima* statuitur, vt quotidie in Missis pro mortuis preces fundantur: & *in cap. Iteratur de consec. d. 2.* Simpliciter decernitur, vt quotidie immoletur, & *in cap. Creatura de celebratione Missarum*, præcipit Pontifex, vt pro vniuersarijs mortuorum, & pro festo, vel Feria, secundum temporum congruentiam, Missarú solemnia Conuentualiter celebrentur, & id docent passim Doctores *in c. cum creatura de celebratione Missarum.* Addit Sotus, etiam in Ecclesijs, quæ parochiales vocantur, iussu operaue Episcopi, quotidie esse immolandum, si populus sit numerosus, & frequens. In Synodo Trident. *sessione 23. cap. de reformat.* legimus, curet Episcopus, vt presbyteri saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.

Tertiò Quæritur, An liceat Sacerdotibus quotidie sacrificium facere? Hoc ideo in dubium vocatur, quia *in c. Visum. De cõsecratione distinct. 1.* ex Cõcilio Cabilonensi dicitur: *Sicut nulla dies existit, qua non pro viuentibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominum Ecclesia precetur, ita nulla dies excipi debet, in qua pro animabus fidelium preces Domino, in Missarum solemnibus non fundantur.* Et *in cap. Iteratur, De consecratione, distinctione secunda*, ex Paschasio refertur: *Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel fuerit passus in carne.* Ex altera parte *in c. Sabbato. de consecratione, distinctione tertia*, Ex Innocentio affertur: *Traditio Ecclesiæ habet, isto biduo Sacramenta penitus nõ celebrari.* Et loquitur de biduo, quod proximè Pascha antecedit, videlicet, de die Parasceues, & Sabbato Sãcto.

Ricardus Paludanus, & Maior *locis supra citatis* expressim testantur, fas esse Sacerdotibus quotidie facere sacrificium, præterquam in die Parasceues. Sotus docet *4. dist. 13. q. 2. art. 2.* lethale peccatum admittere Sacerdotem sacrificantem in die Parasceues: quia generalem totius Ecclesiæ consuetudinem quæ est habenda pro lege, perfringit: Sed in die cœnæ Domini, & in sabbato item sancto licitum, inquit, est Sacerdotibus priuatim Missæ sacrificium offerre, præsertim superioris concessu. At his omnibus aduersari videtur Innocentius, dicens, Traditionem esse Ecclesiæ, vt biduo ante Pascha Sacramenta penitus nõ celebrentur: Et ex altero capite videtur cum Innocentio pugnare mos, & vsus in Ecclesia receptus. Etenim in Sabbato sancto publicum, ac solemne fit vnum Missæ sacrificium. Quomodo igitur hæc inter se cohærent? Respõdeo in hunc modum: illud vnum solemne sacrificium, quod in singulis Ecclesijs sabbato sancto fit, & offertur, olim fieri solebat appetẽte iam nocte Paschatis, propterea quod Ecclesiastica officia eo die ferè ad noctem vsque produci solebãt; quibus expletis, publicum succedebat Missæ sacrificium. Hoc enim dicitur in libello, qui vocatur, ordo Romanus, in Rubrica de ordine in nocte, & in die sabbati sancti. Et idem legimus apud Alcuinum *in libello de offic. diuinis, cap. de sabbato sancto*, & apud Amalar. *lib. 4. de Eccles. offic. cap. 4.* Raban. *de Institutione Clericorum lib. 2. cap. 38.* Rupert. *lib. 2. in Exod. cap. 21.* & *colligitur ex cap. quod à patribus. dist. in. 75.* Et idcirco dicitur in Missa, *Deus, qui hanc sacratissimam noctem*: quare verùm est, quod ait Innocentius, in illo die sacrificia non fieri: Procedente verò tempore introductus est mos, quo publicum sacrificium hora sexta, aut paulò ante meridiem celebratur. Deinde consuetudine videtur esse receptum vbique, ne præter illud vnicum solemne sacrificiũ, quod diximus, priuatim aliud fiat. Sed quia hoc Canones, & iura nõ proh;

bent;

bent; ideo Ricardus, Paludanus, Maior, & alij generatim docent quotidie fas esse Sacerdotibus sacrificare, præterquam in die Parasceues; quod negari non potest, tum quia in sabbato sancto singulæ Ecclesiæ prædictum Missæ sacrificium celebrant: tum quia Iure cautum non est, ne priuatim eo die sacrificetur. siquidem, vt dixi, illud sacrificium ad sacram Paschatis noctem spectat, quamuis illud consuetudo ad meridiem traxerit.

Quartò Quæritur, An sabbato sancto liceat cuique Sacerdoti priuatim Missæ sacrificium facere? Nauarr. *in Manual. capite vigesimoquinto, num.* 88. & Francolinus *tractatu de horis Canonicis, capite trigesimo, numero secundo, & nono*, negant fas esse Sacerdoti, eo die priuatim sacrificium offerre. Quia vsu receptum non est, nisi vt vnum tantum sacrificium eo die fiat in singulis Ecclesijs publicum, & solemne. Item, quia nullus est ad Missam priuatam introitus, cum tamen in peruigilio Pentecostes, hoc est, in Sabbato, quod Pentecosten proximè præcedit, sit peculiaris ad Missam priuatam introitus. Sotus *quarto distinct. 13. quæstio. secunda, artic. 2.* scripsit, eo die ius esse Sacerdotibus priuatim immolandi: quia sicut vsu introductum est, vt fiat sacrificium publicum, & solemne, sic etiam tuta cõscientia Sacerdos potest priuatim sacrificare. Hanc sententiam sequuntur viri, & pij, & docti hoc tempore. Alijs tamen opinio Soti, non ita generatim probatur, sed ea conditione, & lege, vt Sacerdos priuatim immolet superioris concessu, & auctoritate. Quod temperamentum ipse quoque Sotus adhibuit. Mihi tamen hæc Soti sententia non placet: est enim consuetudo moribus vtentium comprobata, ne eo die Sacerdotes priuatim sacrificent. Et *cap. Sabbato de consecrat. distinct. 3.* habetur traditionem esse Ecclesiæ, vt biduo Sacramenta penitus non celebrentur. Sed consuetudo introduxit, vt in singulis Ecclesijs vnum tantum Missæ sacrificium publicum, & solemne fiat, ergo priuatim sacrificia fieri non debent: nam seruandum ius est ex ea parte, qua non est abrogatum. Insuper, non est, cur vnus Sacerdos non consentiat cum alijs qui à sacrificando cessant; non est cur consuetudinem receptam non seruet: non est, cur alios offendat.

SI QVAERAS, an saltem si iusta subsit causa, liberũ sit Sacerdoti priuatim immolare. Respõdeo, si iusta causa subsit, videlicet, quia multi sunt, qui commodè eo die sacrificio publico, & solemni interesse non possunt, potest superior facultatem cõcedere, vt vnus Sacerdos priuatim sacrificet in aliquo Sacello secreto: secus fas non est Sacerdoti priuata auctoritate id facere. Si ROGES, quid sit dicendum, quando in Sabbatũ Sanctum incidit dies festus, & sacer Annunciationis B. Virginis, vt sæpe contingit: & populus commodè non potest, vni tantum publico & solenni sacrificio interesse, cum sit numerosus, & ex altera parte rem diuinam in die festo audire debet. Respondeo, etiam eo die fas non esse priuatim immolare, sine Superioris consensu, cuius est videre, an expediat id concedere. Cum ait Sotus, licitum esse cuique eo die priuatim sacrificium offerre, id locum non habet, vbi est consuetudo recepta, ne quis priuatim sacrificet, quod certè, vt dixi, videtur esse vsu, & moribus vbique introductum: præsertim cum immolandum non sit eo die ante sacrificium publicum, ac solenne, aut ex toto absolutum, & perfectum; aut magna ex parte iam factum: nam ante illud, adhuc Ecclesia in luctu, & mœrore versatur.

Quintò Quæritur, An fas sit cuilibet Sacerdoti priuatim Missæ sacrificiũ facere Feria quinta, quæ dicitur in cœna Domini. Sotus, & Nauarrus *locis citatis* ingenuè testantur, eo die sacro Cœnæ Dominicæ, negandum non esse, quin liceat Sacerdotibus priuatim sacrificare: nihil enim de hoc Canones, & Iura constituerũt: nisi quod alicubi est vsu receptum, ne Sacerdotes priuatim rem Diuinam faciant, præsertim in Monachorum, ac Religiosorum Collegijs atque conuentibus, eo quòd soleãt omnes à superiore eo die Sacram Communionem accipere, exemplo Apostolorum, quibus suum corpus proprijs manibus Dominus impertiuit. Idem quoque sentit Angles *in Floribus de Eucharist. sacram. quæst. 8. de valore Missæ. difficultate 4. conclusione tertia*, idem etiam censent multi viri huius ætatis, tum pietate, tũ doctrina clari. Francolin. *loco citato*, contendit non esse licitum Sacerdotibus id facere, quia vsu, & consuetudine receptum est, vt in singulis Ecclesijs vnum tantum publicum, & solemne sacrificium fiat, in quo omnes presbyteri, Diaconi, & Clerici Communionem Sacram accipiunt: cuius consuetudinis meminerunt Ordo Romanus *in capite de Cœna Domini*, & Alcuinus *in lib. de Diuin. Offic. capite de Cœna Domini*. Certè vbi ea est consuetudo recepta, seruari debet, nec permittendum, vt Sacerdotes priuatim immolent. oportet enim consuetudines moribus vtentium comprobatas obseruare, nec est, cur dicamus eas per errorem, vel ignorantiam esse introductas, aut piè tantum, non in modum legis esse seruandas.

Octauò Quæritur, liceatne Sacerdoti amplius quàm semel in eodem die sacrificare? Respondeo; *in cap. sufficit de consecrat. distinct. prima*, ex Alexandro referre Gratianum, hæc verba. *Sufficit Sacerdoti vnam Missam in die celebrare: quia Christus semel passus est. Non modica res est vnam Missam facere: & valde felix est, qui vnam dignè celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit. Qui verò pro pecunijs, vel adulationibus secularium vna die plures facere Missas præsumunt, non existimo euadere damnationem.* Sic ibi. Item, *in capite Consuluisti, de celebrat. Miss.* ita legimus. *Excepto die Natiuitatis Dominicæ, & nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die vnam Missam solummodo celebrare.* Idẽ habetur, *in cap. referente. de celebrat. Missarum.* VValfridus *in lib. de reb. Ecclesiast. cap. 21.* scribit: *Fidelium relatione virorum in nostram vsque peruenit notitiam, Leonẽ Papam, sicut ipse fatebatur, vna die septies, vel nouies Missarum solemnia sæpius celebrasse: Bonifacium verò Archiepiscopum, & martyrem semel tantùm per diem Missas fecisse.* Hæc ille. Durandus *in Ration. Diuin. Offic. lib. 4. c. 1. Legimus*, inquit, *Leonem Papam septies, & nouies aliquando in eadem die sacrificasse.*

Excipiunt tamen auctores, Palud. *in 4. distinct. 12. quæst. 1. artic. 4.* Antonin. *3. parte tit. 13. capite 6. §. 4.* Durand. *in Rationali, Diuin. Offic. libro 4. cap. 1.*

Turrecrem. *in cap. sufficit, de consecrat. distinct. 1.* Siluest. *in verbo Missa. 1. quæst. septima.* Sot. *in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 2.* Nauarr. *in Man. cap. 25. num. 87.* septem, vel octo tempora, in quibus amplius, quàm semel licet Sacerdotibus immolare, videlicet Natalem Domini, quo die Telesphori decreto, ter Missæ sacrificium fit, *cap. Nocte. De consecrat. distinct. 1.* Deinde ad sepeliendum mortuum, qui post sacrificium expletum repente defertur in templum, in quo mortuus, sine Missæ sacrificio de more minimè sepelitur. Item, cum opus est ægroto sacrum viaticum porrigere, quia Eucharistia consecrata non extat. Deindè, ad peregrinos excipiendos, quos rem diuinam audire oportet, cùm in diebus festis aduenerint; & ad nuptias solemni ritu in templo sacrandas, qui ritus sine Missæ sacrificio non fit. Addunt etiam, Siluester, & Angelus ex Abbate *in cap. consuluisti. de celeb. Miss.* quando insignis, & illustris vir aliquis ad ædem sacram accedit, qualis est Episcopus, Rex, vel alius Princeps, quem quotidie rem diuinam audire decet. Sed certè hoc nullo canone, aut iure probatur. Postremò cum duabus Ecclesijs parochialibus, quæ vicinæ, & pauperes sunt, ob paucitatem Sacerdotum vnus tantũ Presbyter præficitur, qui Vicarium habere non potest, & opus est in vtraque, vt Missæ sacrificium fiat, *vt colligitur ex cap. qui plures. 21. c. prima. cap. vnic. 10. quæstio. 3. cap. dudum de elect.* Sed vt Sotus annotauit, hæc olim erant vsu recepta, cum pauci, ac rari essent Sacerdotes: modo verò in desuetudinem abiere ob multitudinẽ, & copiam Sacerdotum. Primum tamen, & vltimum adhuc vsu retinẽtur. Et vbi pauci Presbyteri adessent, possent etiam cætera seruari, præsertim Episcopi consilio. Sed est animaduertendum, in prædictis casibus non licere Sacerdoti, bis in eodem die sacrificium Missæ facere, nisi post primum ieiunus sit: imò si in primo vinum perfusionis acceperit, & biberit, secundum sacrificium facere iure nõ potest, *c. ex parte, de celebrat. Missarum.*

QVAERES, An vbi nunc rari sunt Sacerdotes, liceat Presbytero bis in eodem die sacrificare, vt in Anglia, vbi vix Sacerdotes Catholicos reperias. Respondeo, cum Nauarro licere. Nam *in cap. Consuluisti. De Celebratione Missarum*, excipitur Necessitas, sed hæc meritò iudicatur raritas Sacerdotum, & Glossa ibidem ait, necessitatem, esse vtilitatem non solum sacrificium facientis, sed etiam personarum rem diuinam audiẽtium. Abbas item ibi docet, necessitatem boni viri arbitrio iudicandam: & quando aliquid absolutè, & simpliciter, & non certò, ac definitè Canones, vel leges, & iura constituunt, definitio arbitrio boni viri relinquitur, *l. 1. ff. de iur. delib. & capite. De causis. de offic. iudi. delega.* Deinde si quæras, an licitum sit alicui in eodem die Eucharistiam sæpius, quàm semel sumere? Respondeo, nulli vnquam licere amplius quàm semel in eodem die sacram Communionem accipere. Palud. & Siluest. & alij *in locis supra citatis.* Quoniam contra, aut saltem præter consuetudinem Ecclesiæ generalem faceret, qui bis eodem die etiam in Natali Dominico sacrum Domini corpus susciperet.

Septimò Quæritur, An Sacerdos, qui ratione Cappellaniæ, vel Ecclesiastici beneficij ad quod est electus, quotidie sacrificare debet, id non faciendo, peccet? Vno ore omnes fatentur, vt Abbas *in capite significatum de præben.* Angel. *Missa. quæstione 45.* Siluest. *Missa. 1. quæst. 7. versic. 5.* & Imol. *in capite significatum de præben.* alijque testantur, huiusmodi institutionem Cappellaniæ siue Beneficij intelligi, seruata Sacerdotis honestate, & debita deuotione, vt datur expresè c. significatum, de præben. hoc est, salua conscientia, & honore ipsius Sacerdotis, & saluo cultu, & veneratione, quæ ipsi Sacramento debetur. Is enim si fuerit legitimè impeditus, aut commodè, diligẽter, & religiosè rem diuinam facere nequeat, iure non cogitur quotidie sacrificium offerre. At verò si commodè quotidie sacris operari queat, & absque iusta, & legitima causa non operetur, grauiter peccat, tum quia pacta, & conuenta non seruat, tum quia mortuos defraudat, & debito Missæ fructu, & suffragio priuat. QVAERES, an eadem ratio sit, quando Cappellaniæ institutio sic habet: Sacerdos ad Cappellaniam electus, quotidie, vel per seipsum, vel per alterum rem diuinam faciat. Respondeo, nequaquam: nam quod hactenus diximus, tantummodo locum habet, quãdo ratione Cappellaniæ institutæ Sacerdos quotidie per seipsum sacrificare compellitur: iustam enim excusationem habet, si legitimè impediatur, nec per alterum tunc Sacerdotem sacrificare compellitur. Quando verò talis est beneficij institutio, vt per seipsum, vel per alterum quotidie debeat rem diuinam facere, tunc si legitimè impediatur, debet alterum suo loco substituere, qui sacris operetur. QVAERES, ex quibus verbis colligi possit, institutionem Cappellaniæ talem esse, vt Sacerdos quotidie Missæ sacrificium facere debeat? Respõdeo, id colligi quando verbis perspicuis exprimitur, aut quando ex adiunctis, antecedentibus, aut cõsequentibus apertè significatur. V.G. si Capellaniæ fundator dixerit: Volo, vt quotidie res diuina fiat in certo templo, oratorio, Sacello, vel altari, Sacerdos huic Cappellaniæ præfectus quotidie sacrificare non cogitur: sed si nolit, aut non possit, debet alterũ subrogare, qui id faciat, eiusque vicem expleat: nam prædictis verbis electus est locus ad sacrificium, non ipsa persona Sacerdotis: voluit enim institutor vti locus à se designatus quotidie frequentaretur, & coleretur. Si verò dixerit, volo, vt Presbyter ad hanc Cappellaniã electus sacris operetur quotidie, tunc persona Sacerdotis, non locus eligitur.

Octauò Quæritur, An Cappellanus institutus ad sacrum faciendum in certo Templo, Oratorio, Sacello, vel altari quibusdã diebus, satisfaciat fundatori, si alibi diuinã rem faciat? Respõdeo, ex communi sententia nequaquã satisfacere, eam ob causam quia electus est locus, quẽ Cappellaniæ fundator voluit frequentari, religiosè honorari, & coli, & proinde menti eius, & voluntati satisfactum non est. Nauar. *de orat. c. 5. num. 2. & 12. ex Baldo, & alijs.* Silu. *Missa. 1. q. 10. ad finem.*

Quæres, An si in designato loco ob impedimẽtum sacrificari non possit, debeat Sacerdos eo die alibi sacrificare? Respondeo, debere, quia vero similiter credimus talẽ fuisse fundatoris vo-

Iuntatem,

luntatem, ac mentem, vt si locus impediretur, alibi pro se, vel suis sacrificium offeratur: nam sic plus ipsi, vel suis prodest, si simpliciter sacrificetur, quàm si in totum sacrificium omittatur, ob loci designati impedimenta. ROGABIS, num si alibi Cappellanus rem diuinam faciat, cum in loco designato id commodè facere possit, aliquid sit fundatori restituendum? Respondent quidam, nihil planè, quoniam sacrificare nō desijt, ac proinde eum nullo fructu sacrificij priuauit: peccauit tamen alibi sacrificium faciendo. Quia tamē accidere potest, vt mortuis subsidij aliquid subtraxerit, id alijs precibus compensare debet, vt alij opinantur, meo iudicio non malè nam eo ipso, quod certò die in designato, & constituto loco rem diuinam non fecit, aliqui eum locum deseruerunt alio se conferentes, qui si eo conuenirent, ibi preces pro mortuis funderent, & Missæ sacrificium offerrent. SI QVAERAS, an lethaliter peccet, qui in loco certo designato Missæ sacrificium non facit, & id omittit, vel in alio loco id facit sine iusta, & legitima causa. Nauar. *in Manua. cap. 25. num. 134.* ait lethaliter peccare, quia pactum, & promissum, in re graui, non seruat.

Nonò quæritur, An Cappellani, qui certis diebꝰ sacrificare ratione sui muneris debēt, nisi id præstiterint, iure mulctentur? solent æditui iussu Episcopi, Abbatis, alteriúsue Præfecti in tabella, vbi sunt Cappellani descripti, qui certis Hebdomadę diebus rem diuinam facere debent, punctis quibusdam notare, quinam suo muneri, & officio desint, vt pœna aliqua mulctentur; & ideo quæritur, quo id iure fiat, quoniā vti diximus, non cogitur Cappellanus sacrificare quotidie. Respondeo id meritò fieri ad deuitandas quorūdam Sacerdotum fraudes, qui sordida quadam lucri cupiditate alio se conferunt ad sacrum faciendum, ob pinguiorem eleemosynam, cuius rei gratia, conducuntur interdum. Quæ duo incommoda, & impedimēta sacrificandi, si absint, Cappellani certè pœna affici seu mulctari minimè debent, cum iusta, & debita causa à sacrificando desistunt, quoniam vbi culpa non est, pœna non debetur.

Decimò quæritur, An laudabilius faciat, qui piè ac religiosè, vt par est, sacrificat quotidie, quā qui à sacrificando abstinet se, pia etiam quadam in sacrosanctam Eucharistiam religione, & reuerentia retardatus: tractat hanc quæstionem Gab. *super Canon. Missæ lect. 87. dub. 5.* Ratio quæstionis est, quia aliquando quis sibi à sacrificio temperat eo in alium diem dilato, quò deinde religiosius, feruentius, & dignius multo sacrificet; Alter verò quotidie, aut saltem frequēter immolat, ne in ipso charitatis feruor tepescat paulatim, & deficiat. Quæstio igitur est vter eorum laudabilius faciat? vt exemplo rem explicem: Zacheus gaudens Dominū excepit in domo sua; at Centurio Domini maiestatem reueritus dixit: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, ambo Saluatorem honorarunt, & coluerunt, sed non eodem modo: hic Domini magnitudinem, & potentiam, & suam paruitatem agnoscebat; ille Domini clementiam, ac bonitatem, & suam in illum charitatem considerabat. Respondeo, per se quidem absolutè, & simpliciter laudabilius facere, qui frequentius sacrificat, quoniam sacrificijs viui, & mortui iuuantur, Angeli, & reliqui cælites exhilarantur, Ecclesiæ res promouetur, diuinus cultus augetur, plenior, & vberior gratię fructus suscipitur. Sanctus Augustinus *de verbis Domini sermo. 28.* Sanctus Ambrosius, *libro de Sacramentis quarto, capite sexto*, qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Panis iste quotidianus est: accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidie mereari accipere. Cassius Episcopus Narnensis quotidie, teste Gregorio *homilia decimaquarta in Euangelia, & libro quarto dialogor. capit. 56.* Missæ sacrificium faciebat: & per visionem est illi diuinitus dictum: Age, quod agis, operare, quod operaris. Bonifacius quoque martyr, & Germanorum Apostolus, quotidie immolabat, vt refert Walfridus, *libro de rebus Ecclesiastic. capite 21.*

Adde quod ipse frequentiori sacrificandi vsu digniores efficimur: canit enim Ecclesia, & orat Deum, vt cum frequentatione mysterij crescat nostræ salutis effectus, & Qui non est hodie, (vt dixit ille) cras minùs aptus erit. Beda, quem citat Gabriel *in Canone Missæ. Lectione 87.* ait: *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, priuat Sanctam Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio, & gratia existentes in purgatorio refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio, seipsum medicina, & remedio.* Nihilominus tamen ex accidenti nonnunquam laudabilius facit, qui abstinet se: nam ad sacrificandum non modica sanè, nec vulgaris animi præparatio requiritur, quam non semper in se experitur quis: Deinde, hoc ipso, quod quis se pietatis, & Religionis studio abstinuit vno die, solet alio die religiosius, & ardentius ad sacrificandum accedere.

Cap. XXV.

Quota dici hora sit Missæ sacrificium faciendum.

QVAERITVR à qua, siue in quanam diei hora Missarum sacrificia fieri debeant? Respondeo, publicum quidem, & solenne Missæ sacrificium in diebus festis fieri debere ab hora tertia, persoluto officio Primæ, & Tertiæ. *ca. Nocte. de consecrat. dist. 1.* post Missam verò fit officium Sextæ, & Nonæ: In diebus porrò quibus ieiunia communia seruātur, & Clerici ordinibus initiantur, olim Missæ sacrificiū fieri solebat ad horam Nonam, *de consecr. d. 1. cap. solent & cap. quod à patribus, & cap. Ordinationes dist. 75.* in cæteris diebus profestis, ad horam Sextam: in diebus ieiunij quadragenarij, quod proximè ante Pascha suscipitur, post horam Nonam appetente vespera. Priuata verò sacrificia fieri debent ab initio lucis diurnę, & non ante eam lucem. Communis verò sententia recepta est, vt fiant ante solis ortum, ineunte aurora, quoniam ipsa aurora, ad diem ciuilem, quem vocant artificialem, pertinet. S. Thom. *par. 3. quæst. 83. ar. 2.* Dur. *4. d. 13. q. 2.* Palu. *4. d. 13. q. 2. art. 2.* Richar. *4. d. 13. ar. 2. q. 3.* Sylu. *Missa. 1. q. 6.* Sot. *4. d. 13. q. 2. artic. 2.* SI QVAERAS, an lethaliter peccet, qui ante diem sacrificium facit. Communis est opinio, vt ait Syluester *loco citato*, & Nauar. *in Man. ca. 25. nu. 85.* le-

thaliter peccare, si sacrificādo, lucem diurnā notabiliter præuenerit sine iusta, & legitima causa.

Secundò quæritur, An post meridiem ad Nonam horam, quis iure sacrificare possit? Communis est omnium sententia, id facere, iure, aut consuetudine esse prohibitum, eo quòd incruentum sacrificium est cōmemoratio illius cruenti, quod est oblatum in Cruce; at Christus, vt ex Euangelica historia cōstat, ferè ad horam Nonam in Cruce spiritū emisit, & ad horam Sextam, est in Crucem sublatus. Deinde post horam Sextam, non nisi Romanorum Pontificum priuilegijs immolari solet; at si iure post meridiem ante horā Nonam, sacrificari liceret, vanum, & inane esse Pontificis priuilegium: non enim priuilegia dantur ad faciendum id, quod facere communi iure possumus. Contra communem omnium sententiam asserit Nauarrus *in Manua. c.25.nu.85. & tract. de oratio.d.21.num.31. & Miscell. de orat.76.* sacrificium priuatim fieri iure posse toto eo tempore, quod inter horam Sextam, & Nonam intercedit, dummodo id fiat sine vlla aliorum offensione, & ex causa aliqua rationabili, nimirum ne in die festo, qui iter faciunt, Missa priuentur, vel si Missa differatur, ob funus principis, & fatetur se id sæpius feciſſe in itinere, cum post horam Sextam, ad ea loca peruenisset, in quibus sacrificare commode poterat. Confirmat suam sententiam tripliciter; Primùm, quia nullus extat in Iure Canon, quo prohibeamur post meridiem ad horam Nonam, sacris operari. Deinde, quia in diebus ieiuniorū olim sacrificia fiebant ad horam Nonam. Demū, quia priuilegia Pōtificia, (inquit ille) solita concedi ad sacrificandum post meridiem, solùm ad deponendos animi scrupulos valent. Hanc sententiam multis argumentis, & verbis confutat Francolin. *in tract. de temporib. Horar. Canonic. ca.41.* eo quòd sit noua, & singularis hac in parte Nauarri sententia, & quia pugnet cum communi omnium opinione, & cum generali totius Ecclesiæ consuetudine: nec, quod profert, suum exemplum, in hoc imitandum esse videatur. Et quia Priuilegia Pontificia non rectè Nauarrus interpretetur: nō enim ad sedandos, aut remouendos tantùm scrupulos conceduntur, sed etiam, vt iuri communi, aut consuetudini generali, quæ vim legis habet, Pontificia auctoritate derogetur. Nam frustrà precibus impetratur, quod iure communi conceditur *l.1.C. de thesau. lib.10.* & priuilegium principis semper ita interpretari debemus, vt aliquid contineat vltra commune ius. *cap si Papa de priuileg.* Est igitur, inquit Francolinus, opinio communis tenenda, nec ab ea recedendum: quam Richardus, Paludanus, Durandus, Maior, Sotus, *in 4.d.13.* Antoninus *in 3.par.tit.13 cap.6.§.4.* Angelus, Syluester, Rosella, Pisana, Tabienſis *in verbo Missa.* Hostiensis, Antonius, Abbas, Ioann. Andreas, Cardinalis, & cæteri omnes *in c.1. de celebrat. Missarum*, amplexati sunt. Sed hæc omnia fatetur Nauarrus: quia solùm ipse contendit in primis, iure communi, non prohiberi Sacerdotes post meridiem sacrificare, sed solùm generali consuetudine recepta. Deinde contra consuetudinem non peccare eum, qui post meridiem quidem, sed vsque ad horam Nonam sacrificat, ex rationabili aliqua causa, & remoto scandalo: vt si quis iter faciens ad oppidum post meridiem ante horam Nonam peruenire et & Missæ sacrificium faceret: aut si Concio sacra, vel publica populi processio duraret vsque ad meridiem. Certè non admodum improbabilis est opinio Nauarri, sed mihi non placet.

Tertiò quæritur, Quo modo Pontificium priuilegium interpretari debeamus, quando conceditur absolutè, & simpliciter, vt post meridiem sacrificare Sacerdoti liceat? Respondeo, nequaquam esse intelligendum totum tempus post meridiem: nec enim voluntas creditur esse Pontificis, vt ad vesperam, vel post horam Nonam sacrificemus. Meo igitur iudicio solùm facultas conceditur, vt post vnam horam a meridie tutò sacrificari possit; tum quia hanc ipsam horam solēt aliquando Pontifices exprimere; tum etiam quia Principis priuilegium, quod communi iuri, & consuetudini derogat, ita interpretari debemus, vt quàm minimum illi deroget: ergo huiusmodi priuilegium de quo loquimur in præsentia, ita conuenit interpretari. Priuilegio summi Pontificis concessum esse, ait Nicolaus Aurificus *in opuscu lo de cæremonijs Missæ capit.11.* ad finem, vt Venetijs in templo S. Marci prima Missa in die Natali Domini celebretur prima hora illius noctis. Et eodem teste Senis in templo fratrum ordinis Seruorum, singulis annis, hora, qua vespertinæ preces decantari solent, Missa in sabbato Sancto, concessu Romani Pontificis, celebratur. Sed hæc priuilegia abrogata sunt auctoritate Pij Quinti, *in constitutione, quæ habetur quinto loco inter constitutiones eius*: ita Francol. *de tempor. horar. canon. capite 29. numero 11. & 14.*

Quintò quæritur, Quo sensu accipiendum sit Pontificis priuilegium, quo conceditur, vt ante diem sacrificare possimus? Respondeo, illud nos ita interpretari debere, vt nō trahamus ad totum illud tempus, quod inter mediam noctem, & solis ortum interiectum est: non enim talis videtur esse Pontificis voluntas: sed solùm, vt hora vna ante auroram sacrificium fieri tuta conscientia possit: Sic Francoli. *tractat. de tempor. horar. Canonic. ca.39.num.21.* id enim sæpe solent Pontifices exprimere: aliquādo verò alijs verbis idem ipsum exprimunt, videlicet, vt duabus horis ante solis ortum liceat sacrificare: nam perinde est, ac si diceretur, vna hora ante auroram, & altera ab hac ipsa aurora vsque ad solis ortum. Nam vt docent Sot. *4.d.13.q.2.art.2.* Gabr. *in Can. Missæ lect.14.* & Rosella *in verbo Missa.nu.2.* aurora continet vnam horam, & quintam partem horæ ante solis ortum. Fratres Mēdicantes, ac cæteri Religiosi, & Monachi fere omnes priuilegium Pontificium impetrarunt, vt Sacerdotes Superiorum consensu, sacrificare tutò queant vna hora ante auroram, & vna item post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa. Sixtus Quartus concessit facultatē, vt Fratres Minor. Obseruan. causa necessitatis possint ante, & post horam statutam ab Ecclesia, Missas celebrare. Innocentius Octauus, cōcessit Fratribus instituti Augustiniani, vt expleto Matutinali officio, etiam ante auroram possint Missarum sacrificia facere. Leo Decimus, concessit Fratribus Minor. Obseruant. vt consensu Superiorum, quorū conscientijs remittit, quomodo Fratres debeant vti hoc priuilegio,

possint

possint celebrare statim post Matutinum officium, & post Meridiem, præsertim diebus, quando est de audienda Missa præceptum, quando Fratres debẽt iter facere, siue quando ex itinere veniunt, & non possunt ante meridiem ad locum peruenire, vbi possint commodè celebrare, vel audire Missam. Hęc omnia habentur in Compendio priuilegiorum, quæ sunt Mendicantibus concessa. Eugenius Quartus cõcessit Cistercienſibus Congregationis in Hispania, vt causa legitima subsistente, possint Missam in Monasterijs, & extra Monasteria dum iter faciunt ante diem, & vsque ad horam Nonam celebrare, vt habetur in Compẽdio priuilegiorum, Congregation. regularium obseruan. Sancti Bernardi. Cistertien. ordinis in Hispania. verbo Missæ. Sed Nauar. *in Manua. cap. 25. n. 85.* ait; *Videntur priuilegia Sixti IIII. Innocentij VIII. & Leonis X. de dicenda Missa ante horam legitimam sublata per decretum Conc. Tridentin. quod sess. 22. ca. de obseruan. & enitan. in celebrat. Missæ*, prohibet ne Sacerdotes alijs horis quàm debitis Missas celebrent. Idẽ dicit F. Manuel. *in Explicat. Bullæ Crucia. §. 9. num. 31. & §. 13. numer. 8.* Pius V. *in Constitutione. 118. in Bullario, quæ incipit. Quo primum tempore.* Sic ait. *Neue præsules, administratores, Canonici, Cappellani, & alij quocunque nomine nuncupati presbyteri sæculares, aut regulares cuiusuis ordinis, ad Missam aliter quàm à nobis statutum est, celebrandam teneantur.* Declaratio Cardinalium *sess. 22. super Decretum Concilij Triden.* de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ sic habet. *Ante diem, & horis indebitis celebrare nulli licet, etiam vigore priuilegiorum à Sede Apostolica ante Concilium Tridentinum concessorum, placuit confirmari facultatem Florentiæ confraternitati S. Francisci, & S. Mariæ Magdalenæ, celebrandi Missam ante lucem, sed ita, vt Missa non incipiatur nisi duabus horis ante solis ortum.* Sic ibi. In cõpendio priuilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, & nõ Mendicantium Collectore Hieronymo à Sorbo Prędicatore ordinis Cappuccinorum *in verbo Missa*, post recitata priuilegia circa sacrificium Missæ faciendum in loco, tempore, & modo non debito ponitur Annotatio, quæ sic habet. *Omnia supradicta priuilegia dicendi Missam quoad modum, locum, et tempus sunt iam per Concilium Tridentinum sublata, & præcipuè illa Sixti IIII. Innocentij VIII. & Leonis X. quoad tempus, sed celebrari debet secundum Rubricas Missalis noui iuxta constitutionem 118. Pij V. in Bullario.* Ibidem, tamẽ subiungit Collector, hæc verba Greg. XIII. *anno II. concessit Congregationi S. Iustinæ, vt dum in itinere fuerint constituti, posiint Missam celebrare ante auroram, & post mediam noctem, vt refertur in Cõpendio priuilegiorum S. Hieron. fol. 50.* Postea subijcit idem Collector, *Pius V. concessit Societati Iesu, vt refertur in Compendio Priuilegiorum eiusdem Societatis in verbo. Missa. §. 3. eandem facultatem pleniorem, vt possint celebrare per horam ante auroram, & infrà horam post meridiem causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti.* Sic ille.

SI QVAERAS, an si Episcopus, dum iter facit, velit rem diuinam audire, vel facere, tuta cõscientia queat audire, vel facere ante auroram, vel post meridiem. Respondet Glossa *in cap. vlt. de priuil. in 6. tuto id posse facere.* Sic etiam Sylu. *verb. Missa. 1. qu. 6.* decet enim Episcopum quotidie rem diuinam audire: nec est, cur iter eis impediatur, aut retardetur.

Sextò quæritur, Quota pars temporis sit notabilis, vel ante auroram, vel post meridiem; ita, vt si eam partem anteponat, vel postponat Sacerdos sine causa iusta, dum Missæ sacrificium facit, peccet lethaliter. Nam si paulò ante auroram, vel paulò post meridiem sacrificet, lethale peccatũ non admittit, vt annotauit Sot. *4. dist. 14. q. 2. art. 2.* eo, quod in moribus, parum pro nihilo habetur. Meo iudicio tertia pars horæ habetur, vt notabilis pars: & ideo si quis scienter & sine iusta, & debita causa, tertia parte horæ ante auroram, vel post meridiem Missæ sacrificium faceret, lethaliter peccaret.

Septimò quæritur, num ante auroram tuta cõscientia Sacerdos sacrificet ob viaticum ægroto iam iam morituro dandum, vbi Eucharistitia confecrata non extat? Respondeo cum Palu. *4. distinct. 13. quæst. 2. artic. ult.* Antonino. *3. part. tit. 13. cap. 6. §. 4.* Sylues. *Missa. 1. quæst. 6.* & Nauar. *in Manua. ca. 25. numer. 85.* id esse licitum facere, Superioris tamen consensu, vbi præsens fuerit; alioqui eo absente id simpliciter licet facere. Id verò etiam est intelligendum, ne multo tempore ante auroram sacrificium fiat.

Octauò quæritur, An post meridiem sacram communionem accipere iure, vel consuetudine prohibeamur? Respondeo, cum Angelo, *in verbo. Eucharistia. 3. nume. 35.* & Sylues. *Eucharistia. 3. quæst. 15. versicul. 5.* non esse: neque enim est idem iuris de percipienda Eucharistia, quod de sacrificio faciendo: vt in Missa, quæ ante meridiem cœpta, post meridiem continuatur, laicis fas est Eucharistiam sumere, & in illa itidem, quam Sacerdos priuilegio sibi concesso, vna hora à meridie inchoauit: ergo qualibet diei hora potest, qui rem diuinam non facit, Eucharistiam suscipere si ieiunus sit: quia nullo Canone, aut iure sumere prohibetur.

Cap. XXVI.

Quibus in locis sit Missæ sacrificium faciendum.

PRIMO quæritur, An iure prohibeatur Sacerdos sacrificium facere in alijs locis, præterquam in locis Episcopi auctoritate consecratis? Respondeo, esse prohibitum iure, *vt constat ex cap. Sicut. De consec. dist. 1.* vbi ex Felice Papa habetur. *Sicut non alij, quàm sacrati Deo Sacerdotes, debent Missas celebrare, sic nõ in alijs quàm in Domino consecratis locis, id est, in tabernaculis diuinis precibus à Pontificibus delibutis Missas cantare ad sacrificia offerenda, licet, nisi summa coëgerit necessitas.* Idem habetur *in ea. Missarum ex Concilio Triburiensi, & cap. Hic ergo, ex Clemente, & cap. Presbyter ex Sylu. De Consec. dist. 1.*

Secundò quæritur, An Episcopi concessu Missæ sacrificium fieri possit in domibus priuatis, aut in locis, videlicet Oratorijs, sacellis, quæ nõ sunt ab Episcopo consecrata, nec ad Diuinum cultum dedicata, dummodo tamen fiat sacrificium in altari sacro, quod dicitur portatile, *sicut habetur in cap. concedimus de consecr. dist. init. 1.* Respondeo, in hunc modum; Olim sæuiente cõtra Ecclesiam persecutione, sacrificia fiebant in cryptis, spelũcis, & in ædibus priuatis, quoniam his in locis, vi persecutionũ, Sacerdotes immolare cogebantur:

postea iure communi constitutum est, nõ esse sacrificandũ, nisi in locis auctoritate Episcopi consecratis dedicatisúe: prẽterquam tempore necessitatis. Et nihilominus ante Concilium Tridentinum, concessu Episcopi poterat Sacerdos sacrificare in locis, quæ sacrata non essent. Sic Io. And. Ancharanus, Francus, Geminianus *in ca. vlt. de priuileg. in 6.*

Tertiò queritur, An Episcopi permissu absque vllo peccato, tũc etiam in priuatis domibus, quæ Sacrę non sint, Sacerdos immolare queat? Respõdeo, ante Concilium Tridentinum id Sacerdoti consensu Episcopi licuisse facere super altari sacro portatili: nam *in c. Clericos. De consecr. dist. 1.* illud ex Sexta Synodo adfertur: *Clericos, qui ministrant in Oratorijs, quæ intra domos sunt, cum consensu Episcopi loci illius, hoc facere præcipimus.* Et *in c. Missarum. De consecra. dist. 1.* ex Conc. Triburiensi habetur: *Missarum solennia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis; vel vbi ipse permiserit, celebranda:* Et in cap. Hic ergo De consc. dist. 1. *In alijs locis sacrificari, & Missas celebrari non licet, nisi in ijs, in quibus Episcopus iusserit, aut quæ fuerint ab Episcopo consecrata.* Nũc verò post Conc. Trident. vt docet Nauar. *in Manua. c. 25. n. 81.* Solus Romanus Pontifex id cõcedere potest. Nam *sess. 23. in Decreto De obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ*, cautũ est, ne Episcopi patiantur in priuatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Diuinum cultum tantùm dedicata Oratoria ab eisdem ordinarijs designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à Sęcularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi. Sic Concilium. Et Cardinales, ad Declarationem Concilij Tridentini deputati, declararunt, huiusmodi facultatem Episcopos dare non posse.

Quartò quæritur, An Synodus Tridentina, in eo quod proximè retulimꝰ Decreto deroget priuilegio Episcoporum, *quod habetur in ca. Quoniam De Priuil. in Sexto*, videlicet vt Episcopi, cum diuersis à suis Ecclesijs absunt, nec semper commodè accedere queunt ad sacras ædes, ad rẽ diuinam audiendam, vel faciendam, possint altare portatile deferre, & in eo celebrare per se, vel per alios, vbicunq; voluerint, vel celebrare, vel audire diuina? Congregatio Cardinaliũ anno 1586. declarauit, non esse derogatum: quia Concilij decretũ editum fuit ad extirpandos abusus; at in Episcopis nequaquam est abusus, si quotidie rem diuinã faciant, vel audiant extra sacras ędes, cum legitima causa absunt à suis Ecclesijs, nec ad templa citra incommodum accedunt.

Quintò quæritur, An Episcopi prædicto priuilegio vti possint, quando ob incommodam valetudinem domo exire nequeunt? Eadem Cardinalium Congregatio primum insinuat posse: quia ratio, & causa itineris, & incommoda valetudo æquiparari videntur: quamuis altero die eadem Congregatio oppositum definisse videatur. Certè ante Concilium Tridentinum id Episcopis licebat, *præsertim ex cap. Concedimus, & cap. Missarum. De consec. dist. 1.*

Sexto quæritur, An post Concilium Tridentinum, Missæ sacrificium absque peccato fiat extra loca consecrata, tempore necessitatis, Episcopi consensu, vbi commodè id peti, & impetrari potest, aut etiam sine eo, vbi commodè peti non potest? Respondeo, cum Soto *in 4. distinct. 13. quæst. 2. articul. 3.* & Durant. *libr. de ritib. Eccles. Cathol. 2. capit. 6. numer. 8.* & Nauarro *in Manua. cap. 25. num. 82.* posse; quia Concilium Tridentinum solùm voluit abusus è medio tollere: at non est abusus, si ob necessitatem in locis, quæ consecrata non sunt, immoletur: siquidem *in cap. sicut. De consecrat. distinctio. 1.* id permittitur, & *in cap. Concedimus De consecrat. distin. 1.* ex Concilio Triburiensi eadem facultas conceditur. Quo fit, vt liceat in bello rem diuinam facere sub tentorijs, aut subdio, in altari tamẽ portatili consecrato, quod in cap. concedimus citato dicitur tabula altaris consecrata, & alicubi vocatur ara sacra; vt Christiani milites rem diuinam audiant, vel Eucharistiam sumant, & se ad pugnam feruẽtius, & ardentius præparent. Item, quando celebrantur solennes, & publicæ populi supplicationes, & itur ad aliqua parua Oratoria siue sacella, quę totum populum non capiunt, tuta conscientia, fit sacrificium ante fores. Sic Sotus, & Nauarrus. Quando item Sacerdotes aliqui solent primas hostias immolare, & adeo magna populi multitudo confluit ad sacram ædem, vt eam capere non possit, tutò fit sacrificium prę foribus Sacræ ædis. Ita Nauarrus. Sic etiam cum Christianorum exercitus, aut classis ad multum temporis spacium rem diuinam nõ audiuit, quia non potuit, & ad locum appulit, vbi subdio possit commodè rem sacram audire; at in mari, aut in flumine fas nunquam est sacrificium Missæ facere ob periculum effusionis sanguinis, vt est cõmunis omnium opinio.

Septimò quæritur, Vtrum per Concilium Tridentinum, sint sublata Priuilegia Fratrum Franciscanorum, & Dominicanorum, quibus indulgebatur ante Concilium, vt sacrificare possent in quolibet loco priuato, mundo tamen, & religiosè parato, etiam sine alia qualibet facultate, absque detrimento tamen parochialis iuris, & in altari portatili consecrato, *cap. In his, de Priuileg.* Respondet Nauar. *in Manua. capit. 25. numer. 82.* esse sublatam: nisi denuo concedantur, aut confirmetur, idem dicit Collector Priuilegiorum Mendicantium, & non Mendicantium, *in verbo Missa, in Annotatione*, & Durant. *libr. 2. de ritib. Eccles. Cathol. capu. 6. numer. 8.*

Octauò queritur, An lethale peccatum admittat Sacerdos, qui Sacris operatur in priuatis locis sine iusta, & legitima causa? Sotus *4. distinct. 13. quæstion. 2. art. 3.* negat; nisi adsit, vel contemptio legis, vel aliorum offensio. Sed probabilior est Nauarri sententia *in Manua. cap. 25. num. 81.* eum lethaliter peccare; cui quidem fidem facit grauis pœna, in iure constituta contra Sacerdotem aliter facientem: nam *in ca. Nullus de consecrat. dist. 1.* legimus. *Nullus presbyter Missas celebrare præsumat nisi in consecratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cetero voluerit esse Sacerdotij.* Et in concil. 6. generali. *can. 31.* videtur constitui, vt qui extra Ecclesiã ministrat, vel baptizat ab officio amoueatur. *Et habetur in c. Cler. de cõsec. d. 1.*

Nonò quæritur, An Generales Regulariũ Præfecti tuta conscientia queant Oratoria, Sacella, vel ædes ad Diuinum cultum, & Missæ sacrificiũ deputare? Respondeo, auctoritate Pontificia Generalibus, & Prouincialibus ordinum regulariũ Præpositis concedi, vt propria templa erigant,

ædificent,

ædificent,& ad Diuinas preces,& sacrificia dedicent,& Oratoria in proprijs ipsorum Ordinum conuentibus, & collegijs designent , & destinent. Nonnulli verò Religiosi quamuis possint, nolunt tamen hoc Priuilegio simpliciter vti, nisi vbi,& quando Episcopus præsens non est,& adeo longè abest,vt commodè conueniri non possit,& vbi Episcopi difficiles se præbent ad id concedendum.

Decimò queritur,à quonam consecrari Ecclesia debeat? Respõdeo,à solo Episcopo, *c.Nemo Ecclesiam De cõsecr.dist.1.*& debet esse propriis Episcopus, aut saltem consecrari Ecclesia sine eius consensu non debet. *ca.Tua fraternitas.de consecr.Ecclesiæ, vel altaris.* Romani Pontificis auctoritate potest committi simplici Sacerdoti Ecclesiæ consecratio.Innocentius,Glossa,& Doctores *in c.Aqua,de consecr.Eccles.*Ad id tamen non sufficit sola ab Episcopo demandata facultas : Episcopus enim nequit simplici Presbytero mandare, aut committere, quæ sunt Pontificij ordinis propria, nec si committat,& mandet,rata, & firma consecratio est. Nec enim Ecclesia censebitur consecrata,si mandato Episcopi eam simplex Sacerdos consecrauerit,licet ea,quę ad iurisdictionem spectant, Episcopus delegare possit,*cap.Aqua,de consecra.Eccles.Et ibi Gloss.& Doct.*

Vndecimò quæritur, Quo tempore fieri iure debeat Ecclesiæ consecratio? Respondeo,quolibet die,siue festo,siue profesto, *c.Tua fraternitas.de Consecr.Eccles.*QVAERES, vnde nam cõstare possit Ecclesiam aliquam esse consecratam ? Respõdeo ex literis scriptis, quæ in dotationis instrumento,vel ipsius Ecclesiæ libris habentur. Deinde ex signis consecrationis,quæ in ipsius Ecclesię columnis,aut parietibus imprimũtur. Item,si id ita esse testes affirment.*c.solemnitates. de consec.dist.1.* Insuper si cõsecratio testimonio vnius probetur; qui testetur eius rei veritatẽ,eo quòd viderit,vel certè audiuerit ita se rem habere: in his enim, & similibus,in quibus nemini damnũ infertur,sufficit vnus testis ad faciendam fidem,vt docet Innocentius, cuius sententia communi consensu,teste Abbate *in Rubrica de consecrat.*est comprobata.

Duodecimò quæritur, quandonam Ecclesia aliqua sit denuò consecranda,aut quia violata, & polluta fuerit,aut quia consecrata nõ sit? Respõdeo,consecrandam esse, quando nescitur, ambigiturue sit consecrata,nec ne,nec appareat vllum consecrationis indicium siue argumentum,*ca.solemnitates de consecr.d.1.*Deinde,cum Ecclesiæ parietes,aut ex toto,aut maiori ex parte igni exusti sint *in c.Ecclesijs.dist.68.& c.Ecclesijs.de consec.dist.1.* Item,si casu simul corruerint, vel alio modo, simul,non paulatim crusta amiserint:nam teste Abbate *in c.proposuisti de consecr.Eccles.*Consecrationis forma in crusta,& superficie imprimitur.Collapso autem tecto,parietibus tamẽ integris,non est opus consecrationem repetere.*c.Ligneis.de consecr.Eccles.*

At in dubium vertitur, an si parietes paulatim decidant, aut crusta spolientur nudenturue, ita tamen,vt paulatim quoque reficiantur, Ecclesia consecrationis formam amittat. Duæ sunt opiniones; quarum prima negat, & fuit Hostiensis, Paludani,Antonini,summæ Confessorum, & Pisanæ quorum sententiæ subscripsit Syluester *in verbo consecratio. 2. quæst. 4.* vbi citat prædictos auctores. Nititur ea ratione hæc opinio, quòd eadem Ecclesia permanet, quemadmodum est eadem nauis, cum paulatim reficitur, eadem ciuitas, idem populus, idem fluuius, alijs,& alijs hominibus & aquis sibi continenter succedentibus, *vt constat ex l. Quod in rerum, ff. De legibus,& l.Proponebatur, ff. De Iudic.* Secunda verò opinio affirmat, quæ Innocentio *in Rubrica de consecra.Eccle.& Abbati in cap.proposuisti.de consecrat.Eccle.*placuit,quam ita confirmant, quia in rebus spiritualibus potiùs rei veritas, quàm iuris fictio consideratur. Cæterùm probabilior est prima sententia:nam Ecclesia,quæ paulatim restauratur,ac reficitur,sicut etiam nauis,quę reparatur,non solùm iuris fictione,sed reuera eadem censetur, eo quòd partes sibi succedunt.

Decimotertiò quæritur, Quot modis Ecclesia polluta, aut violata ipso iure habeatur ita, vt reconciliari debeat non denuò consecrari? Hanc quæstionem tractant Doctores *in cap.proposuisti de Consec.Eccl.* Summistæ *in verbo consec.*Nau.*in Man.cap. 27.n.256.* Respondeo,multis modis.Primo,quando in ea Ecclesia, sanguis humanus per iniuriam effunditur,*c.Ecclesijs,dist.68.& c.Ecclesijs.De consecra. dist.1.c.Proposuisti.De consec.Eccle.* Dicimus (effunditur) quoniam non sufficit paucarum guttarum sanguinis emissio. Effusionis enim nomine copia significatur, vt ait Abbas *in cap.proposuisti, de consecr. Eccle.*quod si sanguis minimè fundatur, licet ossa, vel membra conterantur,aut frangantur,non idcirco polluitur Ecclesia. *Per iniuriam:* quoniam si aliter, vtpotè naturali modo,aut casu aliquo,vel ad instam hominis defensionẽ sanguis fundatur, non ideo violatur Ecclesia, vt est omnium communis opinio,*in c.Proposuisti.De consec.Eccles.& ca.Si Ecclesiam.De consec.Eccl.in Sexto.* Et refert Syluest. *in verbo consecra.2.q.5.*Nec item si ioco,aut ludo alioqui honesto, & iusto.vt ait Nauarrus,nec etiam si quis infans,aut quis per amentiam furoremúe, alienum sanguinem fundat,vt aiunt ijdem Doctores.

QVAERES, An si effusionis sanguinis causa præbeatur, aut si quis absque vlla effusione sanguinis in Ecclesia occidatur , eo ipso illa violetur?Respondeo,violari:nam sufficit si quis in Ecclesia vulneretur,etiamsi extra Ecclesiam exeat, antequam sanguis fundatur, vt Glossa,& alij annotarunt. Non tamen satis est, vt Ecclesia violetur,si quis extra illam vulnus accipiat,& in templum ingressus ibi sanguinem fundat,vt ait Glossa communi consensu approbata.Non etiam sufficit, si Iudex in Ecclesia mortis sentẽtiam in aliquem ferat, dummodo nulla in ea sit sanguinis effusio. Satis item est ad Ecclesiam polluendam, si quis in illa suffocetur, aut quolibet alio modo interficiatur iniquè, siue iniustè, citra vllam sanguinis effusionem,vt docet Glossa *in ca. Proposuisti,* etiamsi martyr pro fide,& religione Christi vulneretur, aut trucidetur, iuxta Glossam, & communem omnium sententiam,quam refert Syluester *consecr.2.q.5.* QVAERES,an satis sit ad Ecclesiæ violationem, si quis ex æde sacra aliquem extra Ecclesiam constitutum vulneret, aut perimat telo aliquo immisso? Respondeo, minimè, cum tamen contrarium sufficiat,si quis extra Ecclesiã

positus iaculum mittat in aliquem, qui in templo commoratur, vt eum necet, aut fauciet.

ROGABIS, An si quis vulneratur per iniuriam, aut occiditur in tecto templi, aut in cauerna, & spelunca sub templo sita, eo ipso Ecclesia polluatur? Respondeo, minimè, vt Glossa docet. Itè, si quis mentis compos, ira, vel odio seipsum in Ecclesia interficiat, vel vulneret, Ecclesia polluitur. Sylu. *consecrat. 2. q. 5. ex Geminiano.*

Secundò modo polluitur Ecclesia per voluntariam emissionem humani seminis in ipsa, & satis est, si semen emittitur etiam per coniugalem congressum, quamuis quidam è veteribus, quos sequitur Rosella, oppositum senserint, vt notant Glossa, & alij *in c. Ecclesijs. de consec. dist. 1.* & Syluest. *consec. 2. q. 5. in tertio casu.* Necesse tamen est, vt fit voluntaria seminis effusio: fallitur enim Angelus, vt ait Syluester, ratus Ecclesiam pollui, si semen per somnum fundatur.

Tertiò, quando in Ecclesia aliquis excommunicatus sepelitur, *cap. Consuluisti. de consecratio. Eccles.* vbi statuitur, cæmeteria, in quibus excommunicati sepeliuntur, esse polluta. Ergo polluitur quoque Ecclesia, in qua excommunicatus sepelitur: & cadauer eius erui debet, si discerni queat, & extra Ecclesiam proijci, *capit. Sacris, de sepultu.*

Quartò modo, quando in Ecclesia aliquis Paganus sepelitur, *cap. Ecclesiam, de consecrat. dist. inst. 1.* Si quæras, an tunc in his casibus auulso corpore parietes abradi debeant, & tigna? Ioannes Andreas concedit, *in cap. Proposuisti, de consecrat. Eccles.* & probat *ex cap. Ecclesiam 2. de consec. dist. inst. 1.* vbi id apertè constituitur. Ait tamen Abbas *in eodem capit.* id fieri non oportere, quando Ecclesia est consecrata: nam consecrationis forma priuaretur, si parietes abraderentur. Quando verò non est consecrata, fieri debet, & ita intelligitur cap. Ecclesiam, præcitatum.

Quintò, quando Ecclesia per Episcopum excommunicatum publicè, consecratur. Hic modus in iure expressim nõ cõtinetur: at *in ca. Consuluisti. de consec. Eccl.* Ioan. Andreæ eum inter cæteros recenset. Sic etiam Abbas, & alij Ioannem Andreæ secuti. QVAERES, an quando Ecclesia polluitur, Cæmeterium quoque polluatur? Respondeo, polluí, si sit cum Ecclesia coniunctum: polluto tamen Cæmeterio, non violatur Ecclesia, etiam illi coniuncta: nec vno Cæmeterio polluto, polluitur alterum etiam illi coniunctum per medium parietem, *c. si Ecclesiam. de consec. Ecclesiæ in Sexto.* Porrò Ecclesia polluta occultè, non indiget reconciliatione, quandiu latet. Abbas, & Nauar. & alij *locis citatis*: at quando incipit publica, & manifesta esse violatio, opus est, vt Ecclesia reconcilietur.

Decimoquartò quæritur, An Ecclesia etiam ea, quæ non est consecrata, violetur, & polluatur? Respõdeo, si sit sacrata, siue vt passim vocari solet benedicta, hoc est, sola Episcopi auctoritate consuetis Ecclesiæ precibus, & per solam sacræ aquę asperſionem ad rẽ diuinam destinata, etiam polluí eisdem modis, quibus Ecclesia consecrata, vt est communis opinio.

Decimoquintò quæritur, Quo pacto Ecclesia, quæ est consecrata, aut per Episcopum ad res diuinas deputata, quando polluitur, aut violatur, reconciliari iure debeat? Respondeo, Ecclesiam cõsecratam reconciliandam esse per Episcopum proprium, vel alienum eo consentiente, & per aquam ab Episcopo sacratam: nec potest eiusmodi Ecclesiam reconciliare simplex Presbyter, nisi id Romanus Pontifex committat. Ecclesia verò, quę non est consecrata, dicata tamen solitis precibus ad diuinos vsus per Episcopum, quæ vulgò dicitur Benedicta, reconciliari potest per simplicem Sacerdotem. Deinde, consecratam Ecclesiam reconciliat Episcopus per aquam cum vino, & cinere sacratam, *vt dicitur in cap. Proposuisti. de consecra. Eccles.* at Ecclesia, quæ non est consecrata, quæ Benedicta vocatur, reconciliatur solius aquę sacratæ asperſione. Porrò Ecclesia consecratur manu Episcopi; at ea, quæ Benedicta dicitur, solis Episcopi precibus, & aquæ sacræ asperſione ad diuinos vsus destinatur.

Decimosextò quæritur, Quam pœnam incurrat Sacerdos, qui sacrificat in Ecclesia polluta, & nondum reconciliata? Sensit Hostiensis *in c. vlt. de consecr. Eccle.* eum irregularitatem contrahere. Sed oppositum est in iure decretum: nam *in c. Is qui, De sentent. excomm. in sexto*, habetur: *Is qui in Ecclesia, quæ est sanguinis, aut seminis effusione polluta, scienter celebrare præsumit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen, cum id non sit expressum in iure, laqueum non incurrit.* Hæc ibi. At verò, vt Angelus, & Syluest. *in verbo, suspensio. q. 6. versi. 23. ex Archidiac. Ioann. Andreæ, & Geminiano*, docẽt, tali Sacerdoti interdicitur ingressu in Ecclesiam, *vt colligi videtur ex ca. Episcoporum de priuil. in sexto.* Et locum habet in Sacerdote, siue sæculari, siue regulari cuiuslibet ordinis. An verò solùm comprehendat eos, qui sunt ab Ordinarij potestate exempti, dubiæ quæstionis est. Nam Sylueſter, & alij aiunt, comprehendere, tum exemptos, tum etiam alios: alij dicunt comprehendere solùm exemptos, de qua re dicam alibi. Quære, si, cum sit ab ingressu in Ecclesiam prohibitus, sacrificium fecerit in Ecclesia, irregularitatem contrahit. Nam *in ca. Is cui, de sent. excomm. in sexto*, apertè dicitur: *Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi alianis in ea se ingerat suo officio fungens, vt prius.* Sic ibi.

Decimoseptimò quæritur, Qua pœna afficiatur Sacerdos, qui sacrificat in Ecclesia interdicto subiecta? Respondeo *in c. Is qui, de sent. excom. in sexto.* sic haberi. *Is qui scienter in loco celebrat suppositio interdicto, irregularitatem incurrit.*

Cap. XXVII.

De Altari, in quo Sacrosanctum Missæ sacrificium iure fieri debet.

QVæritur primo, in quonam altari sit sacrificandum? Respondeo, in altari auctoritate Episcopi consecrato, *c. Altaria, de consecr. d. 1.* Altare autem est duplex. Vnum, quod Portatile vocatur, eo quòd a loco in locum mutari, & transferri queat. In iure, viaticum appellatur, *in cap. vlt. de priuil. in 6.* Et *in c. Concedimus, de consecrat. distinct. 1.* vocatur tabula altaris consecrata: alicubi dicitur, ara sacra. Alterum stabile, quod à loco non mouetur: hoc autem altare aliquando est consecra-

tum, &

tum, & tunc in eo fine altari portatili consecrato superpositò iure, sacrificium fit. Aliquando verò non est consecratum, in quo fine portatili altari Missæ sacrificium offerri non potest. Portatile altare semper solet esse consecratum.

Secundò quæritur, Ex qua materia constare debeat Altare consecratum? Respondeo, oportere esse lapideum iure communi, nō terreum, aut ligneum, *cap. Altare. de consecrat. dist. 1.* Si verò consecratum non sit, confici potest ex terra, & lignis. Quo fit, vt portatile, altare sit necessariò lapideum; quia, vt dixi, est consecratum: nihilominus tamen potest esse inclusum, vel superpositum in tabula lignea, vel in aliqua alia materia.

Tertiò quæritur, à quonam altare debeat consecrari? Respondeo, ab Episcopo, *ca. Nullus Presbyter 2. & c. Concedimus. de consecr. dist. 1.*

Quartò quæritur, An Episcopus possit simplici Presbytero committere, & delegare consecrationem altaris? Respondeo, Romani Pontificis auctoritate id posse cōmitti, quoniam altarium consecratio solùm est iure Canonico instituta. At verò Episcopus id non potest, cum in ius commune Canonicum auctoritatem non habeat. Ius autem commune altarium consecrationem Episcopis reseruat, *cap. Quamuis. distinct. 68.* & quæ sunt Ordinis, nequit Episcopus simplici Presbytero delegare, licèt possit, quæ sunt iurisdictionis, *in c. Aqua. de consecr. Ecclesiæ.*

Quintò quæritur, An simplex Sacerdos consuetudine, vel præscriptione, ius, & potestatem possit acquirere altaria consecrandi? Vna est omnium sententia non posse; quia, quæ ad Ordinem proprium Episcoporum spectant, ea nec Episcopus committere Presbytero, nec Presbyter vllo præscriptionis iure sibi vnquā acquirere potest: quæ verò ad iurisdictionem, vel dignitatem pertinent, & potest Episcopus delegare Presbytero, & Presbyter potest cōsuetudine, vel præscriptione obtinere. Sic Ioan. Andreas, Abbas, Cardinalis, Angelus, Rosella, Sylvester, Tabienfis, Armilla *in c. 1. de consecr. Eccles. & in verbo, Altare.*

Dubiæ tamen quæstionis est, an ius altaria consecrandi conueniat Episcopis ratione Ordinis, an verò ratione iurisdictionis, aut dignitatis? Equidem conuenire illis ratione Ordinis, insinuatur *in cap. Quamuis. distinct. 68.* vbi ex Leone I. habetur, Episcoporum esse, Presbyteros, Diaconos, & Virgines consecrare, altare constituere, sacrare, & vngere. Et animaduertendum est ad Ordinem Episcoporum quædam iure diuino pertinere; cuiusmodi sunt Sacramentum Confirmationis conferre, & ad Ordines promouere. Alia verò iure Canonico, vt Virgines, tēpla, altaria, vasa, vestes cōsecrare: quorū nullū, potest simplex sibi Sacerdos vlla cōsuetudine, vel præscriptiōe acquirere.

Obijcies, ea, quæ spectant ad Episcoporum Ordinem, iure tantùm Canonico, si a simplici Sacerdote fiant, malè quidem fieri, sed valere. Respondeo, quæ conueniunt alicui non ratione quidem sui muneris, & officij, sed alterius commissione, & mandato, nequaquam valere, quandocunque absq; legitima commissione, & mandato fiunt.

QVAERES, quidnam sit, Altaris consecrationem a simplici Sacerdote factam nō valere? Respondeo, hoc solùm, quod huiusmodi altare tale habetur, & tale censetur, ac si consecratum non esset, quia illud, vt profanum altare habet Ecclesia, ac proinde, qui in eo sacrificiū faceret, in pœnas Iuris incurreret cōstitutas in eos, qui Missam celebrant in altari, quod consecratum non est. Idem iuris est de consecratione rempli, calicis, & vestium, quod est de Altaris consecratione: Ea enim Episcopi auctoritate consecrari debent, nec potest ea Presbyter cōsecrare Episcopi mandato.

Sextò quæritur, Quisnam possit altare cōstruere, destruere item, ac demoliri? Respondeo, in Ecclesijs, quæ consecratæ non sunt, quilibet Presbyter potest erigere, & destruere altare stabile, quod consecratum non est: in Ecclesijs verò consecratis nullum altare potest erigere, & cōstruere sine Episcopi consensu. *In cap. Nullus Presbyter, de consecrat. dist. 1.* ita statuitur: *Nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci fuerit sanctificatum, vel permissum; vt sit discretio inter sacrum, & non sacrum;* & *in cap. Quamuis. dist. 68.* habetur: *Presbyteris nec erigere altare, nec Ecclesias consecrare licitum est.* Vbi Glossa communi consensu approbata sic annotat: *In Ecclesia consecrata non est licitum Presbyteris erigere altaria: nam ante consecrationem licebat.* Eodem modo absque consensu Episcopi in Ecclesia consecrata nullus potest altaria destruere, *cap. Ecclesiæ, & cap. Placuit. de consecr. d. 1.* In Ecclesia, quæ consecrata non est, quilibet suo iure potest altaria, quæ sacra non sunt, demoliri. Glossa *In cap. Quamuis. distinct. 68.*

Septimò quæritur, Quantæ magnitudinis debeat esse altare portatile? Respondeo, tantæ, vt possit capere pedem calicis, & hostiam consecratam. Ita communis opinio. Quod sic debet intelligi, vt ista commodè capiat maiori ex parte; nimirum, vt hostia, & calix maiori ex parte sint in altari; deinde, vt ista duo secundum maiorē partem in altari sint tempore, quo fit eorum consecratio, ita vt Sacerdos verè dicatur conficere in altari consecrationem hostiæ. Hæc Syluester *in verbo, Altare, nu. 1.* ex Paludano. Hinc est, vt altare portatile, quamuis paruum sit, capax esse possit consecrationis vtriusque, cum sit: quia si modicus sit pes calicis, & hostia quoque modica, commodè vtrunque capiet altare alioqui paruum. Vt enim quidam alij meritò annotarunt, ad consecrationem corporis, & sanguinis Domini, dum fit, requiritur altare consecratum, & corporale itidem consecratum: sed ad Eucharistiā iam consecratam excipiendam, retinendam, & asseruandam, non requiritur, vt cōsecratum sit vasculum, quod excipit ipsam, ac retinet: in pixide enim, quæ non est consecrata Eucharistia reponi, & asseruari potest, ac solet.

Octauò quæritur, An ad substantiam consecrationis altaris pertineat, ne ea fiat sine reliquijs Sanctorum? Duplex est opinio, Vna dicentium præcipere quidem Ecclesiam ne fiat altaris consecratio sine reliquijs Sanctorum; attamen si fieret consecratio, valeret. Sic Hugo, Astensis, & Angelus. Id probant *ex cap. Concedimus, de consecrat. dist. 1. & ex eo*, quod in Codicibus Ecclesiasticis antiquis Missarum ordinem, & formulam continentibus annotatur in hæc verba: *Si Reliquiæ non fuerint in altari, omittatur illa particula Orationis, quæ dicitur post cōfessionem, scilicet: Oramus te Domine per merita San-*

Teste Sylu. Altare q. 1

eorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, &c. Idem videtur sentire Sot. *in 4. dist. 13. qu. 2. arti. 3.* vbi ait, *Canones Ecclesiæ, quibus præcipitur ne altaria sine sacris reliquijs consecrentur nunc non esse seruandos, nisi vbi sacræ reliquiæ haberi possint.* Altera est opinio, non solùm Ecclesiæ præcepto oportere in consecratione altaris reliquias poni, sed etiam ad substantiam eiusdem consecrationis pertinere: ita vt altare sine reliquijs consecratum, pro altari profano, quod consecratum non sit, haberi debeat. Huius fuêre sententiæ, Syluester, Tabienſis, & alij plerique, qui aiunt, hanc communem esse sententiam: quæ sanè est probabilior, magisque cum ipso iure conueniens. Etenim *in cap. Placuit, de consecrat. dist. in. 1.* ex Concilio Africano habetur: *Placuit vt altaria, quæ passim per agros, & per villas tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullū corpus, & reliquiæ Martyris conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, euertantur,* & *in cap. de Fabrica, de consecrat. dist. 1.* decernitur, Ecclesiam, si diruta fuerit, instaurandam: & si in eo loco consecrationis solennitas debet iterari, in quo sanctuaria non fuerint; nihil iudicamus officere, cum in ea fuerit Missarum solēnitas celebrata. Quod perinde est, ac si diceretur, consecrationem Ecclesiæ sine reliquijs Sanctorum non fieri; quamuis Ecclesia diruta instaurari sine ipsis queat, eo quòd ipsarum loco, sint Missæ ante ibidem celebratæ. Porrò vbi sacræ reliquiæ haberi non possent, altaria consecranda nō essent, nisi Romani Pontificis cōsensu.

QVAERES, an si in certo aliquo loco Reliquiæ Martyris collocatæ sint iure sine alijs Reliquijs, possit altare multò altius superpositū construi? Respondeo, esse distinguendum: aut altare superponitur, ita vt aliqua ex parte coniungatur loco, in quo sunt Reliquiæ repositæ, & tunc non est necesse alias Reliquias in altaris consecratione reponere: quia eo ipso, quòd superpositum altare cum loco Reliquiarum aliqua ex parte cohæret, vnum cum eo iure censetur: vt si ex loco Reliquiarum columnæ erigantur, quibus altare superponitur: aut altare nulla ex parte cum loco Reliquiarum coniungitur; & tunc sine alijs Reliquijs consecrari iure non potest, quia est omnino à loco Reliquiarum seiunctum.

Nonò quæritur, An loco Reliquiarum in altari, quod consecratur, licitum sit corpus Dominicū collocare, quando nihil est omnino Reliquiarum? Glossa cum Ioanne *in cap. Placuit. de consecrat. dist. 1.* id iure fieri affirmat, quod ipsum etiam Abbas, & ante eum docuerat Ioannes Andreas *in cap. 1. de consecratio. Eccles.* Hostiensis autem *in sum. tit. de consecrat. Eccles.* testatur se de hac re Innocentium consuluisse, & responsum accepisse, id nequaquam esse faciendum. Cuius rei Ioannes Andreas hanc reddit rationem: quia corpus, inquit, Christi vnitur tanquam cibus animæ, & conseruatur, vt ęgrotantibus tanquam viaticum detur; ac proinde ad alios vsus adhiberi non debet. Sic etiam Abbas, & post eos Angelus, Syluester, Tabienſis, & cęteri *in verbo, Altare*, tradidere. Incertum est autem, quod de Leone proditum memoriæ est, dedisse eum scilicet partem Eucharistiæ ad consecrationem altaris: & quamuis id verum esse fateamur, nunc faciendum non est.

Decimo quæritur, An liceat Presbytero in altari sacrificare, in quo Episcopus eodem die rem diuinam fecerit. Ratio dubitandi est, quia *in cap. In altari, de consecr. dist. 2.* habetur: *In altari, in quo Episcopus Missam cantauit, Presbyter eodem die aliam celebrare non præsumat.* Vbi Glossa testatur, hoc esse constitutum ob honorem, qui Episcopo debetur, & intelligi eodem die sacrificare non debere Presbyterum absque Episcopi consensu, vel absque graui necessitate, vt si Episcopus Missæ sacrificiū non perfecerit. Huius quoque sententiæ fuêre Angelus, Syluester, Tabienſis, & Armilla *in verbo, Altare*. Verùm hic canon videtur desuetudine alicubi abrogatus, & fortè olim locum habebat, quando Episcopus in proprijs Ecclesijs, & in sua Diœcesi, & solenni cæremonia, & religione rem diuinam celebrabat.

Vndecimò quæritur, An Sacerdos volens in aliquo certo altari sacrificiū facere debeat priùs inquirere sit ne altare consecratum, corporalia itidem, ac cætera linteola, vestesque sacratæ? Respondeo cum Soto: quando hæc rei diuinæ inseruiunt de more, nihil est inquirendum; quando item hæc à proprio Parocho offeruntur.

Duodecimò quæritur, Quot modis altare consecratum desinat esse sacrum? Respondeo, distinguendum esse: aut altare est stabile, aut portatile. Si stabile consecrationis formam amittit, si eius mensa, à stipite, vel columnis, quibus innititur, amoueatur, vel ita frangatur, vt ad vsus, ad quos est consecratum, redditum sit ineptū, vel inutile, aut nimium deforme: quod arbitrio Episcopi iudicari debet. Secus erit, si tantū modicè frangatur, dummodo factæ non sint duæ partes, vbi facta est altaris consecratio. Deinde cōsecrationis forma priuatur, si sepulcri signum, & repositorium reliquiarum in quo reliquiæ cōduntur, remoueatur, frangatur, minuatur ue. Si verò portatile sit altare, consecratione spoliatur cum remouetur lapis à ligno, in quo est sepulcri signum, & vbi reliquiæ reponuntur, aut cum est in ipso lapide signum, & auellitur ab eo: item si lapis ipse notabiliter frāgatur. Non autem consecratione nudatur, quando lapis est in ligno, & sepulcrum in lapide, & amouetur lapis à ligno, vt rectè tradidit Syluest. *in verbo, Altare q. 9. contra Panormitanum, & Angelum.*

Decimotertiò quæritur, An eodem die plura altaria eiusdem Ecclesiæ, iure consecrentur? Respondeo, iure consecrari, quia eodem die fas est plures Episcopos consecrare. *cap. Cum sis, de consecr. Ecclesiæ.*

Decimoquartò quæritur, An polluta, & violata Ecclesia, altare quoque pro polluto, violatoq; haberi debeat? Respondeo, quandocunque violatur Ecclesia, altare videlicet stabile, non portatile, in ea cōtentū, aut certè positum in loco, qui cū Ecclesia coniungitur, pollui, & violari, & è contrario. Nam si polluitur Ecclesia, violatur ex toto, non ex parte. Item si polluitur altare, quod est in Ecclesia, necesse est, vt Ecclesia ex toto violetur. Syluest. *in verbo, Altare. q. 11. ex Abbate in cap. Proposuisti de consecrat. Eccles.*

QVAERES, an idem iuris sit, quando Ecclesia amittit consecrationem? Respondeo, minimè, quoniam Ecclesia amittit consecrationem eius parietibus dirutis, vel exustis, altari integro permanente: & è contrario, altare fractum, amplius

consecra-

consecratum non est; nec tamen idcirco Ecclesia sua consecratione priuatur. Syluester, & Abbas *locis citatis.*

Caput XXVIII.

De Calice, corporalibus, & cæteris vestibus sacris, quibus vtitur Sacerdos, dum Missæ sacrificium facit, & offert.

QVæritur primò, An ad Missę sacrificium calix consecratus, & patena similiter consecrata requirantur? Respõdeo, requiri, & tum Calix, tum patena debent à proprio Episcopo consecrari, *cap. Vasa. de consecr. dist. 1.* Patena dicitur Latinè patina: patinæ verò erant vasa, in quibus dapes ad mensam afferebantur: vnde patinæ in Ecclesia, & altari sunt ad corpus Christi recipiendum, continendum, & ministrandum populo: sicut calices sunt vasa ad Christi sanguinem excipiẽdum. *Patena*, inquit Isidorus lib. 20. Etymolog. c. 4. *vasis genus à patendo dictũ, quod dispansis, patentibusq; oris sit.* Patenarum meminit Columella *lib. 12. c. 43.* inde patellæ, de quibus apud Varronem, Festum, & Isidorum. Patenæ sacræ olim in Ecclesia magnæ erant ex auro, & argẽto, ponderis quindecim, & triginta librarũ, vt patet in Pontificali ex Damaso; nunc verò sunt paruæ.

QVAERES, An calix, Episcopi mãdato, à simplici Presbytero consecrari queat? Respondeo, minimè: quia consecrare vasa, ad Ordinem spectat Episcopi, & proinde consuetudine, vel præscriptione id Presbyteris non potest conuenire. Romanus tamẽ Põtifex potest Presbyteris cõmittere, vt vasa, nempe calices, & patenas cõsecrent.

Secundò quæritur, An Abbates, qui Pontificijs insignibus vtuntur, iure, vel consuetudine calices consecrent? Respondeo cum Glossa *in cap. Abbates, de priuil. in 6.* ad potestatis non habere vlla iuris auctoritate, vel vi consuetudinis, sed solo priuilegio. Sic etiam ibi Francus, & Ancharanus, Gemmianus. Syluester tamen, Tabienfis, & Armilla *in verb. Calix, & in verbo, Benedictio, & in verbo, Abbas*, videntur afferere, id eos habere ex iure, vel consuetudine. Sed hi auctores facilè conciliantur, si dicamus eam habere facultatẽ Abbates priuilegio canonico, hoc est, quod in ipso iure expresium cõtinetur, ita vt rectè iuris priuilegium dicatur. Si quæras, quomodo Calicis, & Patenæ consecratio fieri debeat? Respondeo, tum Calicem, tum Patenam sacrari manu Episcopi per chrismatis vnctionem.

Tertiò quæritur, Ex qua materia debeat Calix, & Patena constare? Respondeo, *in cap. Vasa, de consecr. dist. 1.* scriptum esse: *Olim Sacerdotes non aureis, sed ligneis vasculis, & calicibus, & patenis vitreis vsos fuisse; nunc verò non nisi aureis, vel argenteis*, & *in cap. Vt calix, de consecr. dist. 1.* statuitur: *Vt calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino tamen ex argento fiat. Si autem tam pauper est (Sacerdos) saltem stãneum calicẽ habeat. Deæreautẽ, vel auricalcho calix non fiat, ne ob vini virtutem æruginem faciat, & vomitum prouocet. Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præsumat Missam cantare.* Hæc ibi. Tertullianus *lib. de pudicitia.* calices vitreos fuisse, & frangi faciles indicat. Hieronym. verò loquẽs de Exuperio *in epistol. 4. ad Rusticum. Nihil*, inquit, *illo diuius, qui corpus Domini vimineo canistro, & sanguinẽ portabat in vitro.* Zepherinus instituit, vt calices nõ ex ligno, vt antea, sed ex vitro, vel ex auro, vel argẽto, vel stanno fierent, vt testãtur Damasus in Pontificali. Walfrid. *de rebus Eccles. c. 24.* Radulphus, *de canon. obseruan. propos. vlt.* Platina *in vita eius.* Tandem Zepherini constitutio antiquata est, & sancitum, vt nec ex vitro fierent propter fragilitatem; nec ex ligno ob raritatem, qua Sacramentum imbibitur; nec ex ære, ob tætrum saporem; nec ex auricalcho, quia æruginem facit, & vomitum excitat. Sic ex Concilio Remensi, & Triburien. *vt habetur in c. Vasa, & cap. Vt calix, supra citatis.* Walfrid. testatur *in lib. de rebus Eccles. c. 24.* Bonifacium martyrem dicere solitum; *Olim aurei Sacerdotes ligneis calicibus vtebantur: nunc lignei Sacerdotes aureis calicibus.* In vitis Pontificum Syluestri, Damasi, & Anastasij Bibliothecarij frequens mẽtio est caliciũ maiorũ, minorum, & ministerialiũ, quos Pontifices, & Imperatores Ecclesię donabant. Ministeriales dicti sunt, quia in his sãguis Domini populo ministrabatur.

Quartò quæritur, Quandonam calix, cõsecrationis formam amittat? Respondeo: Si argẽteus calix fit, & post consecrationem inauretur, formam consecrationis amittit: quia in superficiem calicis forma consecrationis inducitur. Ita Syluester, Tabienfis, Armilla *in verb. Calix, ex Paludano.*

Quintò quæritur, An calix ex certis quibusdam ictibus qui solent ab aurifice infigi, vt de integro iure inaurari queat, amittat consecrationis formam? Respondeo, minimè: nam est consuetudine receptum, vt huiusmodi ictibus calix afficiatur, cum denuò auro tegitur aurificis opera; & tamen iterum consecrari non solet. Sic auctores supra citati.

Sextò quæritur, An calix formam consecrationis retineat, cum aurum, quo est inauratus, amittit? Exemplum appono; sit calix argenteus, & inauratus, & aurum decidat, an eo ipso consecratione spolietur? Angelus, Syluester, Tabienfis, & Armilla *in verbo, Calix.* respondent: Vel calix aurum paulatim amittet ob vsum quotidianum, quo atteritur, & tunc consecratione non denudatur, quia antequam ex toto aurum decidat, reficitur, & instauratur; nam pars consecrata tanquam dignior trahit ad se partem auri non consecrati denuo adiectam: Vel aurum ex toto simul decidit, & tunc calix sua cõsecratione priuatur: eo quòd antequam pars auri accederet, totum aurum euanuit.

Septimò quæritur, An calix amittat consecrationem, cum eius scyphus in totum à pede separatur, iterumq; coniungitur? Respondeo, ex vnanimi omnium consensu, tunc amittere: quia nimirum scyphus sine pede inseruire amplius non potest, in diuino vsu, ob quem est consecratus.

Sed dubię quæstionis est, An amittat consecrationem calix, quando ita est à principio arte elaboratus, vt scyphus à pede amoueri, & adaptari iterum, & coniungi pro arbitrio nostro facilè queat? Respondeo cum Armilla, *in verbo, Calix, nu. 2.* huiusmodi calicem adhuc consecrationem retinere, quia est calix à principio ita factus, vt facilè, & cõmodiùs separatum ex loco in locũ transferri queat. Sic enim plerunq; fiũt vestes, aut mensæ funi-

sæ funiculis,fibulisúe colligaræ,& adstrictæ,quæ si deinde sacrarentur,non ideo cõsecrationis fierent expertes,si annulis illis, funiculis, fibulisúe solutis in partes seponerentur: talis enim partium diuisio mensam, aut vestem non scindit, sed vinculis,quibus est alligata, soluit. Idem planè est de calice iudicandum: aliquando enim cum separatur scyphus à pede,calix ipse verè dicitur scindi,& proinde cõsecratione priuari;aliquando verò separatur,quia nexu,&vinculo soluitur, quo cum pede cohæret, & tunc non scinditur verè,& idcirco etiam seruat consecrationem.

Octauò quæritur, Qualia debeant esse corporalia,& Pallæ,quibus Sacerdotem in Missæ sacrificio vti oportet? Respondeo,corporale dici panum, in quo sacrum Christi corpus reponitur, dum fit Missæ sacrificium: quod quidem corporale iure debet esse ex lino,non serico, purpura, aut intincto panno. *In cap.Consulto,de consecr.dist.in.1.* ita statutum est.*In altaris sacrificio,nemo in serico pãno, aut intincto Missam celebrare præsumet, sed in lineo.* Ibidem etiam habetur,huiusmodi corporale debere esse ab Episcopo consecratum.Quæstionis est dubiæ,an corporalia esse possint ex cannabe: ratio dubitandi est, quia cannabis à lino specie distinguitur, ergo cum corporalia ex lino esse debeãt, ex cannabe esse non possunt.Respondeo cum Tabien.*verbo,Missa.qu.9.*& Armilla *verbo,Missa.num.6.* Corporalia esse posse ex cannabe, & id vsu receptum est: nam parum,aut nihil refert, cannabis specie à lino differat, satis est id, quod est in vsu: nam sicut ex lino fiunt chordæ,funes,retia,& vestes intimæ albæ,sic etiam fiunt ex cannabe lineę vestes intimæ,& albæ.Item hæ vestes vsu ipso habentur pro vestibus lineis. SI QVAERAS, an corporalia esse queant ex Gossipio. Respondeo, Plinium testari *lib.19.c.1.* ex Gossipio fieri lina xylina: quod si ex eo fiunt lineæ vestes,hoc sufficit. Dictũ est corporale,quoniam in eo reponitur,& cõtinetur corpus Domini,inde enim nomẽ accepit,quasi corporis Christi in altari indumentum. Et ideo lineum esse debet,ac mundũ, *vt in c.Consulto dicitur*, quia refert Sindonem illam mundam, qua corpus Domini obuolutum sepulturæ mandatum est.

Porrò quidam corporali etiam totum calicem tegunt; alij verò tantummodo ipsum corporale super altare,siue portatile, siue stabile extendũt. Sub corporali ponuntur,quæ dicuntur Pallæ,quę etiam lineæ,& mundæ,& ab Episcopo consecratæ esse debent. Palla,olim erat honestæ mulieris vestimentum, sicut pallium dicebatur viri indumentum, quod tunicæ superponi solebat. Dicta est Palla,teste Varrone,eo quòd sit vestimentum, quod palam,& foris est, ad vestigia vsque demissum. Corporale aliquando dicitur palla, quasi corporis Christi,vt ante iam dixi, in altari indumentum: passim verò dicitur palla altaris, quasi ipsius altaris vestimentum, *cap. Altaris, & cap. Nemo,de consecration.dist.incl. 1. & capit. Sacratas, dist.incl. 24.* Optatus Mileuitanus *libr. 6. contra Donatistas* queritur, quod pallas altaris eripuerant, & quasi pollutas abluerant. Victor *similiter lib. 1. de persequut.Vandal.* conqueritur, quod Proculus quidam de pallis per nefas camisias sibi,& fœmoralia fecerat: quem tamen breui frustatim sibi linguam comedentem turpissimè perijsse testatur. His pallis superponitur corporale.

QVAERES, quot debeant esse pallæ? Angelus,& quidam alij,in verbo, Corporalia,exigunt tres ob honorem, & cultum Sanctæ Trinitatis. Sed ipsemet Angelus,& cõmunis omnium opinio censet sufficere duas præter corporale. QVAERES etiam, an sufficiat vna sola aliquando? Respondeo cum Syluestro, & Rosella *in verbo,Corporalia.* Si talis,ac tanta sit, vt complicari possit,sufficere,quoniam perinde est,ac si duæ reponerentur: immo quando hæc etiam abesset,& necessitas faciendi sacrificij postularet, posset vna sufficere.Radulphus Tungrensis *in libello de canon. obseruand.propositt.vlt.* & Duran. *in rationali diuinorum offic. lib.4.c.29.* aiũt Romanos, Italos,& Germanos vti solere duobus corporalibus,Gallos verò vno:Et Corporalia videntur intelligere Pallas, quibus corporale superponitur.Postremò quis roget,an aliquando fas sit vti in Missæ sacrificio pallis minimè sacratis? Respondet Syluester *in verbo,Benedictio,qu.5.* tempore necessitatis sufficere mappas, quas laici suis mensis imponunt, & quibus deinde ipsimet laici vti possint.

Nonò quæritur, Quales esse iure debeant vestes,quibus in sacrificio Missæ faciendo,Sacerdos induitur? Respõdeo,huius generis vestes esse numero sex, quibus Latina Ecclesia vti consueuit; scilicet Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum,Stolam,& Casulam. Inter omnes conuenit, has vestes debere esse ab Episcopo sacratas: quãuis Scotus *4.dist.13.quæst.2.*Richard.*4.dist.13.art.3.q. 4.*doceant cingulum alicubi non sacrari.Attamẽ communi vsu est receptum,vt sacretur ab Episcopo,vt ait Nauarr.*in Manua.cap.25.num.84.* Hæ item vestes,tum cõsecrationis formam amittunt, cum ita scinduntur, aut rumpuntur, vt aptæ amplius non sint ad eos vsus, ad quos sacrantur: alioqui formam consecrationis retinent, etiamsi aliqua pars, quæ sacrata non est, vnà cum filo profano non sacro assuatur.

Dubitabis,an Casula, Manipulus,& Stola seruire ab vtraque parte queant, etiam si vnica tantùm confecratione ab Episcopo sacrentur? Respondeo cum Palud.*4.dist.13.q.2.*& Syluest.*Benedictio.q.6.*id tutò fieri posse,vt si gemino colore afficiantur ad varios dies festos Ecclesiæ colendos: nam loco duarum hæ vestes inseruiunt. Deinde, si Stola,Manipulus,Casula,Cingulũ,dum sacrantur ab Episcopo, duplicata fuerint, consecrationis forma non priuantur,tametsi postea diuidantur,vt ex Paludano Syluest. *loco citato*,docet: nam vtraque pars sacrata permanet: Et perinde est,ac si multæ simul vestes cõsecrarentur.SI ROGES, an si ex Manipulo Stola fiat, & ex Stola Manipulus,hic fit denuò consecrandus? Respondeo cum Paludano,& Syluestro *locis citatis*, minimè,quoniam non differunt earum vestium consecrationes: nam longitudo, & breuitas vestis formam non mutat: si vestis apta sit ad eos diuinos vsus, propter quos sacra facta est. Stola item erat vestis muliebris ad talos vsque demissa; sicut Toga erat vestis virorum.

QVAERES,an vestes illustrium,ac nobilium fœminarũ iure pro ijs,quas dixi,Altaris sacrificij vestib.inseruiãt? Gloss.*in c. Ad nuptiarũ.de consecr.d.1.*

negat

negat omnino, eo quòd ibi ita statutum sit: *Ad nuptiarum ornatum diuina ministeria non præstentur, ne dum improborum tactu, vel pompa secularis luxuriæ polluuntur, ad officium sacri mysterij videatur indigna.* Quam Glossam sequuntur Archidiaconus, Zabarella, Imola, Rosella, & Abbas, vt refert Syluest. *in verbo, corporalia. q. 3.* qui etiam addit oppositum de more seruari, & male. Angelus tamen, & Syluester *in verbo, Corporalia*, Glossam, & hanc item opinionem improbant, quia consuetudo contrarium indicat. Deinde Ecclesia Idolorum templa in sacras ædes Christianorum conuertit, ergo profanas fœminarum vestes potest in sacras mutare: nam sicut profana templa, Episcopi consecratione religiosa, & sacra redduntur, aptaque diuinis vsibus, atque ministerijs; ita profanæ etiam vestes ab Episcopo sacratæ. Sed cur dicta est Casula? Respondeo: quia instar exiguæ casæ totum hominé contegit. Olim enim hoc indumentum erat ex toto consutum, & vndique clausum, ad talos vsque demissum sine manicis: Sacerdos verò ex vtraque parte sinistra, & dextra ipsum cóplicabat, vt manus, & brachia extraheret, & extenderet, cum opus esset. Dicitur quoq; Planeta Græcè ab errore: propterea q̃ olim vestis erat sine manicis omni ex parte errabúda, & totum hominé circumibat.

Decimò quæritur, An nomine Orarij in iure, stola accipiatur? Respondeo, accipi: nam *in cap. Ministrorum, dist. 23.* ex Concilio Laodiceno dicitur: *Ministrum non oportet vti Orarijs, nec ostia derelinquere.* Et *in cap. sequenti*: Non oportet Lectores, aut Ostiarios, aut Psalmistas orarijs vti, & sic legere, aut psallere: & in Cõcilio Bracarẽsi. *1. can. 27.* habetur: *Vt Diaconi superposito scapulæ vtantur Orario.* Et *in c. Vnum Orarium. dist. 25. ex Concilio Toletano 4.* refertur: *Vnum Orarium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, hoc est, prædicat.* Meminit Ambrosius Orarij *in oratione de obitu fratris sui Satiri.* Quidam verò putant Orarium dici lineum vestimentũ, quo Clerici profanis vestibus superinduuntur: sed cum ijs, quæ ex iure canonico citaui, non conuenit. Si Qvaeras vnde sit dictum Orarium. Alcuin. *lib. de diuin. officijs, cap. Quid significent vestimenta.* Raban. *lib. 1. de instit. Clericor. cap. 19.* & Beda *in collectan. cap. 7.* Amala. *lib. 2. de Eccles. offic. ca. 20.* testantur, dici ab orando, hoc est, prædicando: Vnde Orarij vsus solum cõceditur ijs Clericis, quibus prædicandi Euangelij munus committitur, vt Sacerdotibus, & Diaconis.

Vndecimò quæritur, Quidnam significetur in cap. Monacho, dist. 27. quæst. 1. quo loco dicitur: *Monacho Orarium in Monasterio, vel zonas habere non licet!* Quidam existimant lectionem esse corruptam, & loco, *Orarij*, legendum, *aurum*, ita vt sensus sit: Non licet Monacho in Monasterio, aurũ, hoc est, pecuniam, aut zonas, hoc est, crumenas, siue marsupia habere: nam zonis, hoc est, cingulis vestem stringentibus, & lumbos, fas est Monachis vbique, & semper vti; non tamen zonis, hoc est, crumenis in Monasterio, quoniam extra Monasterium, dum iter faciunt, licet vti.

Duodecimò quæritur, An liceat Sacerdoti Eucharistiam sumere sine stola ad collum super humeros pendenti, quando Missæ sacrificium non facit? In Concilio Bracarensi *3. cano. 3.* idque habetur *dist. 23. cap. Ecclesiastica*, apertè statuitur, vt cũ Sacerdos ad solennia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis, & sanguinis Domini sumpturus, nó aliter accedat, quàm orario vtroq; humero circumseptus, sicut tempore suæ ordinationis dignoscitur consecratus. Vbi Glossa docet: *Si in ægritudine sumit Sacerdos Eucharistiam, circumdabit stola virumq; humerum.* Vnde quæstionis est dubiæ, an peccet Sacerdos, siue sanus, siue ægrotus, cũ sine stola humeris superposita Eucharistiam sumit? Respondeo cum Turrecremata *in c. Ecclesiastica. dist. 23.* non peccare: nam decretum Concilij Bracarensis vsu, & consuetudine videtur abrogatum, cũ Sacerdotes, tum regulares, tum seculares stola vti desierint.

Decimotertiò quæritur, Quidnam præcipiatur *in ca. Nullus 21. quæst. 4. ex Synodo 8.* cum dicitur: *Nullus eorum, qui connumerantur in Clero, vestimentum indecens habeat, siue in ciuitate degens, siue in itinere ambulans, sed stolis vtatur, quæ concessæ sunt Clericis, & ex Cõcilio Triburiensi in c. Vt presbyteri. 17. q. 4.* statutum est, vt Presbyteri non vadant sine stola, aut orario induti? Glossa respondet, ijs locis nomine stolæ intelligi vestem Clericorum ad talos vsque demissam: aut fortassis olim Sacerdotes semper stolam humeris superpositam deferebant, quod in desuetudinem abijt.

Decimoquartò quæritur, An vestes, aut vasa sacrata in vsus profanos conuerti queant? Respondeo, minimè: quoniam quod semel dicatum est Deo, non est ad vsus humanos trãsferendum, *c. Semel Deo, de regul. iuris in sexto, & c. Quæ semel. 19. quæstion. 3. & c. Vestimenta. de consecrat. d. 1.* Qvaeres, quid fiet de vestibus sacris, quę sunt vetustate cõsumptæ, aut ita sciſtæ, & disruptæ, vt in diuinis vsibus amplius inseruire nequeant? Respondeo ex *c. Altaris. de consecr. dist. 1.* quo loco dicitur: *Altaris palla, candelabrum, & velum si fuerint vetustate consumpta, incendio deuntur: quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint, malè tractari, sed incendio vniuersa tradantur: cineres quoque eorum in Baptisterium inferantur, vbi nullus transitum habeat: aut in pariete, aut in fossas pauimentorum iactentur, ne transeuntium pedibus inquinentur.* Sic ibi: Et candelabra intelligit, quibus vtimur in altari, dum rebus diuinis operam damus. Vela, accipit cortinas, quæ pendent, & expanduntur supra, aut ante altare, vt ait Glossa communi consensu recepta. Vsus iam obtinuit vti Sacerdotes, & Episcopi vestibus sacris induti sepeliantur: alioqui eæ vestes sacræ esse non deberent, vt annotat ex Paludano Syluester *in verbo, Benedictio. qu. 7.* Calices etiam, & alia sacra vasa confracta, aut diminuta in vsus profanos conuerti nõ debent, sed in Ecclesijs seruari ad aliqua earum ministeria.

Decimoquintò quæritur, An ad Missæ sacrificium, lumen iure communi requiratur? Respondeo ex communi omnium sententia requiri: nam *in c. Ad literas, de celebr. Miss.* reprehenditur quidam Presbyter, qui sine igne, id est, lumine sacrificabat. Quamuis reuera in eo capite ob alia etiã crimina puniatur; videlicet, quod aliquando in pane fermentato, & calice ligneo, & absque aqua vino permista, immolare consueuerat.

Qvaeres insuper, an lumen debeat esse ex cera, an sufficiat si sit ex oleo, aut si fit candela sebacea? Respondeo, nihil hac de re in iure fuisse constitutum: vsus tamen communis obtinuit,

vt sit ex cera: tempore autem necessitatis sufficit lumen sebaceum. SI QVAERAS, an duæ candelæ, siue cerei requirantur, an verò tãtùm vna sufficiat? Respondeo, nihil etiam de hoc iura meminisse: ferè tamen omnes duabus vtuntur, quamuis vna sufficeret.

Decimosextò quæritur, An Sacerdos nudo capite sacrificare iure debeat? Quidam insinuant, nihil in iure de hoc fuisse definitum, nisi generaliter, quatenus scilicet omnia diuina mysteria piè, ac religiosè celebrare oportet, quod etiam sentit Nauar. *de celebrat. Missarum consil. 4. nu. 1.* Cæterùm *in c. Nullus Episcopus. de consecr. dist. 1.* perspicuè satis habetur: *Nullus Episcopus, aut Presbyter, seu Diaconus ad Missarum solemnia celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite ad altare Deo assistere.* Quare peccaret Sacerdos, qui sine iusta, & debita causa, tecto capite sacrificaret.

QVAERES, an liceat Sacerdoti minus bene valenti rem facere diuinam capite certo aliquo panniculo, vel pileolo ob debilitatem capitis, & frigoris incõmodum velato? Respondeo ex Turrecremata *in c. Nullus Episcopus, citato.* & Nauarro *in consilio prædicto num. 1. & 2.* licere, dũmodo id faciat in priuato Oratorio, vel sacello absque offensione aliorum. QVAERAT aliquis, an fas sit Sacerdoti Missam celebrare capite amictu tecto? Idem Nauarrus *consilio citato* affirmat licere Sacerdoti id facere, quia olim, inquit, Sacerdos sacrificabat capite amictu operto, & vsus obtinuit, vt amictus ad collum obuoluatur: quare, inquit ille, licitũ est antiquum vsum reuocare. Sed certè vsus in Ecclesia iam introductus est retinendus, & idcirco non licet caput amictu tegere, nisi valetudinis incommodæ gratia.

Decimoseptimò quæritur, An liceat Sacerdoti sacrum facere Matutinis precibus nondum peroratis? Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2. ad finem. & lib. 10. de iust. quæst. 5. articul. 4. conclus. 2.* censet lethale peccatum non admittere Sacerdotem sic sacrificantem, etiã sine causa iusta, & debita; quod probat, quia nullus, inquit, extat iuris Canon, quo præcipiatur, vt Matutinæ preces ante sacrificium recitentur. Deinde, quia Missæ sacrificium, & preces, quę quotidie singulis horis Ecclesię lege fundũtur, nullo iuris communis nexu inter se cohærent. Quòd si illi opponas communem consuetudinem; ait ille, non omnem consuetudinem vim legis habere: nec item omnem consuetudinem ita strictè, & arctè cõscientias tenere, vt nisi seruetur, lethale peccatum contrahatur. Syluester verò *in verbo, Missa. 1. quæst. 6. vers. 4.* quamuis non ita generaliter doceat; sentit tamen iusta, & legitima de causa fas esse Sacerdotibus aliquando Matutinis precibus non persolutis sacrum facere; vt si subita necessitas occurrat, verbi gratia, accedit illustris, vel magnus Princeps rei diuinæ gratia audiendæ, nec adest vllus tunc Sacerdos, qui sacrificet, nisi qui preces nondum Matutinas recitauit: adest etiam populus in die festo sacrum auditurus. Item si superior præcipiat, vt sacrum facias. Si præterea necesse sit, vt sacrificium fiat ob mortuum subito delatum in templo sepelien dum, vbi de more vita defuncti sine Missę sacrificio non sepeliuntur. Opinionem Soti pugnaciter confutat Francolinus *in tract. de temporibus Horarum Canon. c. 42.* Sanè Sotus in hac cõtrouersia cõmuni omnium opinioni se opponit. Omnes enim, ad vnum, Canonici iuris interpretes, & Theologi, & Summistæ censent lethale peccatum committere Sacerdotẽ, qui ante preces Matutinas sacrificat, nisi id iusta causa fecerit. Sic Hostiensis, Paludanus, Gabriel, Antoninus, Gabriel, Summa Confessorum, Astensis, Angelus, Rosella, Pisana, Tabiensis, Armilla: vt cæteros taceam. Quos omnes citat Francolinus *loco prædicto.* Quæ opinio longè est tutior, ac multò probabilior. Nam præterquã, quod est communi cõsensu recepta, mirificè cum ipsa Ecclesiæ consuetudine congruit, & cum ipsius Officij Ecclesiastici præceptionibus, & regulis, quibus præscribitur, vt Matutinarum precum persoluto penso, Sacerdos paratus ad sacrificandum accedat. Nec est, quòd Sotus pro se Syluestrum citet, quoniam (vt vidimus) hic auctor solùm docet, aliquando licere Sacerdoti iusta de causa ante Matutinas preces sacrificare: at in præsentia quæstio non est, an id liceat quando adest causa legitima; neque enim id communis opinio diffitetur; sed, An lethaliter peccet Sacerdos, qui sine iusta causa ante Matutinas preces sacris operatur. Item alicubi Antistites solent constitutiones edere, quibus pœnas irrogant Sacerdotibus, qui Matutinis precibus non peroratis immolant. Mihi sententia Soti non placet, quamuis quidam viri docti, & pij eam, & sequantur, & tueantur. Neq; enim est, cur opiniones communi omnium testimonio, & auctoritate approbatæ suo loco moueantur, nec cur consuetudines moribus vtentium receptas facilè deseramus.

Decimooctauò quæritur, An Sacerdos, qui ob incommodam valetudinem est immunis, & liber à Matutinis precibus recitandis, tuta conscientia sacrum faciat, tametsi eo die preces Matutinas, aut alias non sit recitaturus? Concedit Sotus *loco citato*, quoniam accidere potest, vt infirma valetudo iustam det excusationem Officij Matutini omittendi; & nihil tamen impediat, quo minus Sacerdos sacrum faciat. Plus enim aliquando male valenti nocere potest, si preces Canonicas recitet, quàm si Missę sacrificium faciat; & sicut Sacerdos absque sacra peccatorum cõfessione, cum debito tamen, & iusto peccatorum dolore, iure aliquando sacrificat, quia non est, cui possit sua peccata commodè confiteri: sic etiam qui per corporis ægritudinem preces Canonicas persoluere nequit, potest aliunde ritè præparatus ad sacrum faciendum accedere.

Decimononò quæritur, An fas sit ante laudes Matutinas Missam celebrare? Sotus similiter cõcedit. Mihi videtur, si iustæ aliquid causæ adsit, id posse tuta conscientia fieri: secus non item: Certè in nocte Natalis dominici de more id facit Ecclesia: nam integro Matutino officio absoluto ante Laudes, primum eius diei sacrum decantat: aliqua item idonea, & legitima se causa offerente, à Matutinis precibus Laudes tutò disiungimus, *vt supra dixi in hoc libro.*

Vigesimò quæritur, An peccet Sacerdos lethaliter, qui Primæ officio nondum soluto sacrum facit? Respondeo, minimè: id enim pij viri, ac docti factitant, & in multis Ecclesijs, etiam in illis, quæ Cathedrales, aut Collegiatæ vocãtur, solent

Missæ

Missæ priuatæ celebrari antequam Primæ officium in choro sit factum, cum tamen publica, & solennis Missa ante Primam horam celebrari non possit. Sic Nauar. *de Orat. cap. 3 num 70* Sylvest. *Missa 1. quæst. 6.* nisi hoc fit contra præceptum superioris, vel statutum, vel consuetudinem alicubi receptam. Angel. *Miss. nu. 42.*

Cap. XXIX.

Aliæ quæstiones ad eandem rem attinentes soluuntur.

PRimò quæritur, An ad Missæ sacrificium requirantur duo vt minimum, qui præsentes adsint, & respondere queant? Quæstio hæc mouetur propter id, quod habetur *in cap. Hoc quoque, de consecr. dist. 1.* Vbi ex Sothere Pontifice statutum est: *Nullus presbyterorum Missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, & ipse tertius habeatur. Quia cùm pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, & illud in secretis, Orate fratres, aptissimè conuenit, vt ipsius salutationi respondeatur.* Hugo eiusmodi Decreto permotus, duos sensit oportere præsentes adesse in Missæ sacrificio. At Hostiensis, Glossa, & communis opinio Theologorum, & Canonici iuris interpretum, & Summistarum docet vnum sufficere præsentem, qui respondere queat, & hoc iam vsus comprobauit: Nam Sacerdos non raro aliquando sacrificat vno tantum ministro astante. Ad Sotheris verò Pontificis decretum variè respondent auctores. S. Thomas 3 *part. quæst. 83. art. 3. ad 12.* putat illud intelligi de Missa publica, & solenni, non priuata. Innocentius III. *lib. 2. de Mysterijs Missæ, cap. 25:* *Aliud est*, inquit, *necessitatis articulus, & aliud religionis contemptus*, hoc est, ex Decr. Sotheris: nullus nisi ex contemptu celebrare debet vno tantum adstante: at dum vrget necessitas, Sacerdos ministro vno præsente celebrare potest.

Alexander verò 4. *p. q. 36. m. 5.* Quædam ait antiquitus statuta erant ob reuerentiam tanti mysterij, quæ postea ob vtilitatem, vel necessitatem antiquata sunt. In hac specie, aucto Presbyterorum numero, ne libertas celebrandi minuatur, necessum fuit, & vtile, Missæ sacrum vno astante celebrare. Glossa probat à simili ducto argumento, vnum præsentem ministrum sufficere: quia *in capit. Quæsiuit. de verborum significe.* Alexander respondet, Sacerdotem vno tantùm Clerico præsente posse Sacramentum Extremæ vnctionis ministrare. Sed certè simplicius & facilius responderi potest Sotheris decreto contrariam consuetudinem vsu receptam derogasse: præsertim cùm Sacerdotum nullam plebem sibi subiectam habentium numerus auctus fuerit.

Cæterum adhuc vrget id, quod in decreto Sotheris dicitur: Ideo duos, vt minimum præsentes adesse oportere; vt aptè conueniant ea, quæ Sacerdos numero multitudinis dicit in Missa, *Dominus vobiscum*: Et, *Orate fratres*. Quare dubiæ est quæstionis, an postquam introductus est vsus, vt Sacerdos vno tantum præsente sacris operetur, retineantur aptè & commodè ea, quæ olim pluribus adstantibus aptissimè dicebantur? Petrus Damianus de hac salutatione integrum librum edidit, quem inscripsit Dominus vobiscum: vbi primùm ostendit, ea salutatione etiam vti debere eos, qui preces Canonicas soli recitant. Innocentius III. ait verè dici, Dominus vobiscum; eò quòd Angeli Dei adstant orantibus, iuxta illud Psalmi 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Quilibet item homo habet Angelum ad suam custodiam deputatum Acto 12. & Matth. 18. *Illos igitur*, inquit, *habemus in oratione participes, quos habebimus in glorificatione consortes.* Sic ille. At Alexander, & S. Thomas opinantur Sacerdotem ita loquentem, cum Ecclesia sermonem habere, cuius personam gerit minister ille, qui Sacerdoti sacrificanti inseruit. Sanè retenta sunt verba antiqua ob honorem, & venerationem antiquitatis: & cùm ita loquimur, mentem aliò conuertimus ad priscum illum, & veterem Ecclesiæ morem, cuius memoriam reuocamus.

Secundò quæritur, An minister, qui solus præsens adest, debeat iure vir esse, an non? Respondeo, *in cap. Inhibendum, de Cohabitat. Clericorum*, ex Concilio Moguntino sic haberi. *Inhibendum quoque est, vt nulla fœmina præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut inter cancellos stare, siue sedere.* Et *cap. sacratas, dist. 23.* ex Sothere affertur: *sacratas Deo fœminas, vel Monachas sacra vasa, vel sacras pallas penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre periculosum est ad Apostolicam Sedem: quæ omni reprehensione & vituperatione plena sunt.* Sotus *in 4. dist. 13 q. 2. art. 5.* ait: *Forsan nec ob vllam necessitatem illud auderem citra dispensationem permittere propter indecentiam; & citiùs auderem egomet mihi respondere, & ministrare, quam fœminam ad id muneris admittere.*

Tertiò quæritur, Fasne sit sacerdoti aliquando sine vllo prorsus ministro sacrificare? Glossa *in cap. Hoc quoque, de consecr. dist. 1. Inclusus aliquis, vtputà Eremita, solus Missam celebrare potest.* Sic etiam Paludanus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1.* & Turrecrem. *cap. Hoc quoque, de consecrat. dist. 1.* Id probant à simili, quia *in cap. Quæsiuit. de verb. significe.* dicitur: Sacerdos vno præsente Clerico, & etiam solus potest infirmum vngere. Sed tamen inquit Sotus *4. dist. 13. quæst. 2. art. 5.* non est firma collectio, à sacramento Extremę vnctionis ad sacrificium Missæ. Quare nisi grauis esset necessitas, vt in festo, quando Sacerdos Missam audire nequit, nisi ipse solus celebret, nullatenus licet: immò forsan, nisi magnus esset dies festus, & sacer, consultius erit non celebrare. At quia hæc sunt iuris scripti humani, citra dubium posset Eremita solus celebrare Romani Pontificis concessu. Hæc Sotus. Vetitum est sacerdoti nullo adstante ministro Missæ sacrificium facere, vt patet Concilio Nannetensi, *cap. 30 ad Brucardum lib. 3. Decreti, cap. 68. & apud Iuonem part. 3. cap. 70.* & Concilio Moguntino, *cap. 43.* ac Basilienſi *sess. 21. cap. 8.* Vnde Alexander III. *in cap. Proposuit, de filijs presbyt.* scribit: *Non enim solus Presbyter Missarum solennia, vel alia Diuina Officia potest sine ministro celebrare. Ac propterea S. Laurentius, vt refert Ambrosius lib. 1. Officiorum. cap. 41. Sixto Pontifici, cùm ad supplicium duceretur, dixit: Tu nunquam sacrificium sine ministro offerre consueuerat.* Sic ibi. Nihilominus tamen, si grauis necessitas premat, sacerdos sacrificare solus potest, vt Glossa communi consensu approbata tradidit *in cap. Quæsiuit, de verborum significe. & in cap. Hoc quoque, de consecrat. distinct. 1.* & Turrecrem, *ibidem.* Alexander *4 part. quæstion.*

37. *de officio Missæ.* §. 4. & Antonius Butrius *in cap. 2. de vit. & honest. Cleric. nu.* 11.

Quartò quæritur, An Sacerdos sacrificans iure librum habere debeat in altari, qui Missarum ordinem, & formulam continet? Respondeo, nullum in iure communi hac de re extare decretũ: Ratio tamẽ ipsa docet talẽ sacerdotem libro indigere; præsertim eo, qui Missæ Canonem contineat: Est enim hominis memoria admodum fragilis, & infirma Quare communis opinio docet in lethale peccatum incurrere eum sacerdotem, qui sine libro rem diuinam facere auderet; nam se graui periculo erroris obijceret. Hæc ex Beato Antonino *part. 3. tit. 13 cap. 6. §. 6.* Angel. *Missa. num. 37.* Sylvest. *Missa. 1. quæstion. 2.* Tabien. *Missa num. 11.* Nauarro *in Manual. cap. 25. num. 84.* Sot. *4. dist. 13. q. 2. art 4.*

Quintò quæritur, An sacerdos dum se vestibus sacris induit ad sacrificandum, iure debeat preces recitare Ecclesiæ more & instituto præscriptas? nam in præceptionibus, & regulis, siue Rubricis aperte statuitur, vti sacerdos Officij Ecclesiastici formulam seruet; at in ea præcipitur, vt eiusmodi preces sacerdos recitet, dum singulis se vestibus induit. Deinde vsu receptum est, vt huiusmodi preces recitentur. Respondeo, dubitandum non esse, quin adhiberi debeant. Sed quæstionis dubiæ est; an earum omissio sacerdotem lethali culpæ subijciat? Ait Nauarrus *in Manuali cap. 25. num. 73. & sequentibus.* Si omnes omittantur scienter, & absque iusta aliqua causa, lethale peccatum admitti; omni etiam contemptione sublata: non tamen si vna earum vel altera, etiam si scienter, & sine causa omittatur. Alij tamen tam seueram non audent ferre sententiam de hac re, nisi earum precum despectio subesset. Sed certè probabilis est sententia Nauarri in hac parte.

Sextò quæritur, An sacerdos in sacro faciendo præceptiones & regulas, quas Rubricas appellant, seruare necessario debeat? Respondeo, debere, & qui per contemptum omitteret, lethaliter sine dubio peccaret: qui verò iustam ob causam eas non seruaret aliquando, liber culpa à foret; vt si per ignorantiam, vel obliuionem, aut necessariam aliquam festinationem omitteret.

Sed dubiam id habet quæstionem, an lethale peccatum incurrat is, qui eas sine causa iusta, & probabili prætermittit scienter? quod est quærere, an tantam vim habeant, vt eum, qui non seruat, lethalis peccati reum faciant? Quidam affirmant, alij verò negant. Nihil certi ex ipsis Regulis colligi potest. Sed probabilior est prima sententia.

Cap. XXX.

De Missæ sacrificio in vino, & aqua, & per Sacerdotem ieiunum facienda.

PRimò quæritur, An vino aquam miscere in calicis consecratione debeat sacerdos? Tria hic quæruntur: Primum, An si aqua vino nõ misceatur, valeat vini consecratio? Alterum, An lege, & iure cogatur sacerdos vino aquam adiungere? Tertium, An aqua ante consecrationem in vinum nondum conuersa, in sanguinem Christi, vna cum vino mutetur? Primam quæstionem mouet id, quod habetur *cap. 1. de consecrat. dist. 2.* ex Alexandro I. *Non debet in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius in passione sua legitur profluxisse.* Ioan 19. Et in *c. Sicut, eadem dist.* B. Cypr. ait: *In sacrificando calicem Domini, offerri aqua sola minimè potest; quoniã nec vinũ solũ potest. Nã si vinũ tantũ quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine Christo: quando enim vtrumque miscetur, & admixtione confusa sibi inuicem copulantur; tunc Sacramentum, & spirituale, & cæleste efficitur.* Et statim subijcit: *Si verò calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi vtrumque misceatur; quomodo nec corpus Domini potest esse sola farina, nisi vtrũq; admixtum fuerit, & copulatum, & panis vnius compage solidatum.* Et tandem docet, vinum absque aqua iuxta Christi traditionẽ non consecrari. Ex quibus omnibus hæc argumenta ducuntur. B. Cyprianus dicit, ex aqua sola sanguinem Christi non posse confici, nec ex vino solo. Similiter ait ex farina sola sine aspersione aquæ non posse Christi corpus consecrari; igitur nec sanguis ex vino sine aqua. Ait autem sanctus Cyprianus, iuxta traditionem Domini vinum esse aqua diluendum, ergo significat materiam calicis esse vtrumque, vino scilicet aquã mixtam. Et in *capit. Cùm omnes, de consecrat. distinct. 2.* Ex Iulio I. adfertur: *Non potest calix Domini aqua sola esse, aut vinum solum, nisi vtrumque misceatur. Nam cùm in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur. Quòd si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.* In capite *Non oportet, eadem distinctione* ex Martino I. dicitur: *Non oportet aliud aliquid in Sacramento offerri præter vinum & aquam, & panem, quæ in typo Christi benedicuntur; quia dum in Cruce Christus penderet, de corpore eius effluxit sanguis, & aqua.*

Constans est Theologorum opinio, vini consecrationem valere etiam sine aqua. Sic Magister ac Theologi *in quarto distinctione 11.* Ad id verò, quod obijcitur ex sanctis Patribus; respondeo, eos dixisse, sic non posse confici sanguinem Christi sine aqua; quia quod iure fieri non debet, sæpe dicitur fieri nõ posse: nam id possumus, quod iure possumus. Deinde similia illa, quibus aiunt: *Sicut panis non fit ex sola farina, nec sanguis Domini fit ex vino solo sine aqua;* accipiuntur perinde, ac si dicerẽtur, non fieri legitimè.

Altera quæstio erat, An sacerdos præceptum habeat aquam vino miscendi? Negant hæretici oportere vinum aqua temperari in consecratione calicis: at vero Ecclesia aquam vino apponi debere docet. In Liturgia Iacobi Apostoli clarè habetur: *Postquam cœnauit accipiens calicem, & permiscens ex aqua & vino, & benedicens dedit.* Idẽ etiam testantur sanctus Iustinus Martyr *in Apologia secunda ad Antoninum Imperatorem,* & sanctus Irenæus *libro quarto, capite quadragesimo septimo* vbi ait: *Dominus temperamento calicis sui sanguinem consecrauit.* Et *libro 5.* calicem mixtum vocat. Cyprianus item totus est in vna integra epistola *libro 2. epistola 3.* ad probandum, nec calicem cum aqua sine vino rectè offerri, nec cum vino solo absque aqua. Basilius

& Theodoretus calicem mixtum appellant: Hieronymus, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus, Isidorus, Beda, Nyssenus, Chrysostomus, Theophylactus, Damascenus, quorum testimonia citat Durandus *libr. de ritib. Eccles. Catholicæ 2. cap. 27.* apertè docent vinum, & aquam in calice, esse miscenda; quia sic Christus suum sanguinem consecrauit. Idem definiunt Concilium Bracarense 3. *canon. 1.* Turiense, *canon. 19.* & Trullanum, *canon. 32.* Vnde quod Innocentius III. & quidam alij dixerunt, Græcos in eo esse errore, vt credant, in solo vino sine aqua calicem consecrandum: accipiendum est non de veris Græcis, sed de Orientalibus; aliqui enim sunt, qui Orientales impropriè Græcos appellant: in hoc enim errore Armeni versabantur, non Græci. Quocirca in Concilio Florentino sub Eugenio IV. in quo Græci, & Latini conuenerunt, data est Armenis formula Sacramentorum conferendorum, & imperatum est illis, vt deinceps in calice vinum aqua diluerent, quoniam omnes aliæ Ecclesiæ Latinorum, & Græcorum ita semper fecerunt. Et in Concilio Trullano is error Armenis tribuitur. In Concilio Tridentino *Sessione 22. canon. 9.* contra Hæreticos definitum est: *Si quis dixerit aquam non esse vino miscendam in calice offerendo, eò quòd sit contra Christi institutionem; anathema sit.* SI ROGES, an aqua in calice vino misceatur Christi præcepto, an verò Ecclesiæ institutione? Quidam opinantur esse Christi præceptum, vt vinum aqua temperemus, eò quod beatus Cyprianus dixerit esse Christi Domini traditionem. Sed alij probabilius existimant esse Ecclesiæ institutionem. Et sanè Synodus Tridentina *Sessione vigesima secunda, capit. 7.* ait: *Mouet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo misceant.* Hæc ibi. Id verò quod Beatus Cyprianus ait: esse traditionem Christi; videtur ita intelligendum; quòd Christus Dominus ita fecerit, & in calicem aquam infuderit; ac proinde suo exemplo, & facto docuerit vinum aqua permixtum esse consecrandum; non autem quòd id verbo, & lege præceperit. Deinde videtur S. Cyprianus allusisse ad id, quod alij patres, & Concilia tradiderunt; vino scilicet aquam addendam: quia ex latere Christi aqua, & sanguis fluxerunt. Et præterea, quòd aquæ in Apocalypsi Beati Ioannis populi dicantur; ideo aquæ, & vini mixtione repræsentatur, vt Concilium Tridentinum vnà cum Patribus docet, ipsius populi fidelis vnio cum suo capite Christo.

Tertia quæstio erat, An aqua in Christi sanguinem conuertatur? Communis est Theologorum opinio *in 4. distinction. vndecima.* non quidem conuerti per seipsam proximè; sed prius mutari in vinum, & deinde vinum in sanguinem conuerti. Nam cùm parum admodum aquæ infundatur in vinum, afficitur ipsius vini qualitatibus potentioribus; ac proinde propriam formam amittit, & mutatur in vinum: Sicut etiam si minimam vini guttam in magnam aquæ copiam injicias, statim mutatur in aquam. Ex quo fit, vt modica aqua vino permisceri debeat, vt citius in vinum conuerti queat, & deinde totum in sanguinem: & eò minus aquæ est infundendum, quo vinum est debilius; & quo potentius est vinum, eo melius fit permixtio. Vt meritò proinde cautè facere videantur, qui aquam vino permiscent, vel in ipso statim Missæ principio, vel certè ante Euangelij lectionem. Sed quærat aliquis quantum aquæ sit in calicem infundendum? Concilium Florentinum *in Armenorum instructione*, modicissimum aquæ admonet esse vino adiungendum. In Concilio Turiense *canone 19.* permittitur Sacerdoti, vt duæ partes sint vini, & tertia sit aquæ. *In capit. Perniciosus, de celebratione Missarum.* Honorius III. scribit: *Perniciosus in tuis partibus abusus inoleuit, videlicet, quòd in maiori quantitate de aqua ponitur in sacrificio, quàm de vino; cùm secundùm rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis plus in ipso sit de vino, quàm de aqua ponendum.* Hæc Pontifex.

QVAERES, An lethale peccatum admittat sacerdos, qui aquam in calicem non miserit? Resp. eum grauissimè peccare, si scienter id faciat; nam Ecclesiæ præceptum toties datum, ac repetitum expressim perfringit.

QVAERES INSVPER, quid de aqua fiat, si propriam suam adhuc formam retineat, dum vinum consecratur? Resp. aquam minimè in sanguinem Christi conuerti, quia ante consecrationé non fuit in vinum mutata. Dices, inde fieri, vt sacerdos non ieiunus Christi sanguinem sumat, siquidem sumit aquam sua adhuc in forma permanentem. Resp. hoc nihil obesse, tùm quia nescit Sacerdos fuerit aqua necne antea in vinum conuersa; tùm etiam, quia sacerdos non sumit aquam ante speciem vini, sed simul vini speciem, & aquam. Si item opponas; si aqua in sua adhuc forma manet, populus cùm Christi sanguinem supplex veneratur, aquam pariter suam formam retinentem venerabitur, quod est incommodum. Respondeo, populi mentem, & animum eò tantum spectare, vt colat, & veneretur, quicquid in calice est in sanguinem Christi conuersum.

Secundò quæritur, An Missæ sacrificium iure fiat à sacerdote, qui ieiunus non est? Lutherani, & Caluiniani nos Catholicos irrident, quòd doceamus, ante omnem prorsus cibum corpus Domini esse sumendum, & lethaliter peccare, qui illud cùm ieiunus non sit, sumit. At verò præceptum Ecclesiæ datum est sacerdotibus, vt non, nisi ieiuni corpus Domini conficerent, offerant, & sumant. In *capit. Sacramenta, de consecratione distinctione 1.* Concilio Carthaginensi 9. *canone 29. & 48.* decretum est, vt sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur. Idem repetitur in Concilio Africano *canone 8.* Idem statuitur in Concilio Matisconensi *2. canone 6.* & Concilium Bracarense *2. canone 10.* quæ duo Concilia pœnam constituunt non obtemperantibus; nimirum, vt ab officio suo, & munere amoueantur, & honoris dignitatem amittant. In Concilio Toletano *7. canone 1.* præcipitur, vt nullus post cibum, potumque quemlibet minimum sumptum, Missas facere præsumat, quod Concilij decretum refert Gratianus *in capite Nihil 7. quæstion. 1.* Idem statuitur in Concilio Altisiodorensi *canone 19.* In Concilio etiam Constantiensi *Sessione 13.* decretum est in hæc verba: *Hinc est, quod hoc præsens Concilium sacrum generale in Spiritu sancto legitimè congrega-*

tum saluti fidelium prouidere satagens, matura plurimorum Doctorum tam diuini, quàm humani iuris præhabita deliberatione declarat, decernit, & definit, quòd licet Christus post cœnam instituerit, & suis Discipulis administrauerit sub vtraque specie panis, & vini, hoc venerabile Sacramentum: hoc tamen non obstante, sacrorum Canonum auctoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit, & seruat, quod huiusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, nec à fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à iure, vel Ecclesia concesso.

Cum his Concilijs Patrum consentit auctoritas. Tertullianus ad Vxorem libro secundo: *Non sciat*, inquit *maritus, quid ante omnem cibum sumas.* Hæc ille loquens de Eucharistia. Chrysostomus homilia vigesima septima in primam ad Corinthios: *Tu*, inquit *prius quàm accipias, ieiunes, vt aliquo modo dignus communicatione videaris.* Et ad Cyriacum Episcopum scribit se accusatum, quod non ieiunis sacram Communionem dederit: & iurat se id non fecisse: *Si id feci*, inquit, *abijciat me Christus à regno suo.* Gregorius Turonensis *libro de Gloria Martyrum, capite octogesimo sexto*, refert grauissimam pœnam diuinitùs inflictam cuidam sacerdoti, qui in die Natali Domini non ieiunus sacrificium facere ausus fuit. *In capite Liquidò, de consecratione, distinctione secunda*: ex Augustino *epistola centesima decima octaua, capite sexto*, affertur: *Liquido apparet, quando primùm acceperunt Discipuli corpus, & sanguinem Christi, non eos accepisse ieiunos: nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quod à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi: nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim, quia Dominus post cibos dedit (Eucharistiam) propterea pransi, aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum conuenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere. Namque seruator, quò vehementius commenderet mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ Discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat: & ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesia disposituras erat, seruaret hunc locum.* Hactenus ex sancto Augustino. Vnde apparet primò, Dominum non præcepisse, vt hoc sacramentum post prandium, vel cœnam sumeretur, quamuis ipse suis Apostolis post cœnam suum corpus, & sanguinem dederit.

Deinde, Ecclesiam Spiritus sancti afflatu instituisse, vt non nisi à ieiunis sacrosancta Eucharistia sumeretur; idque in vniuerso terrarum orbe seruari ab omnibus Ecclesijs: & huius præcepti causam fuisse honorem, & venerationem, quæ tanto sacramento debetur: quod idem etiam ex Augustino tradiderunt Isidorus *libro primo de Officijs diuinis, capite decimo octauo.* Amalarius *libro tertio de Officijs Ecclesiasticis, capite trigesimo quarto.* Valfridus *libro de rebus Ecclesiasticis, capite decimo nono.* Hinc est, quod Innocentius III. *in capite, Ex parte, de celebratione Missarum* interrogatus respondet: *Semper Sacerdos vinum perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum; nisi cum eodem die aliam Missam debuerit celebrare, ne si fortè vinum perfusionis acciperet, aliam celebrationem impediret.*

Obijcies id, quod habetur in Concilio Carthaginensi secundo, *capite vigesimo nono.* In die anniuersario, in quo cœna Domini celebratur, licitè sacramenta altaris à non ieiunis hominibus sumi. Respondeo, olim fuisse quarundam Ecclesiarum morem, in quibus fideles die cœnæ Dominicæ cœnabant, & post cœnam sacrum Christi corpus sumebant, exemplo, & imitatione Christi, qui eo die suum corpus, & sanguinem post cœnam Discipulis impertiit: quem deinde morem Corinthios retinuisse ferunt, & longo post tempore seruarunt Ecclesiæ Alexandrinæ Aegypti, & Thebaidis. Et propterea Concilium Carthaginense præcipiens, vt à ieiunis corpus Domini sumeretur, excepit diem anniuersarium cœnæ Dominicæ: quod decretum Synodus Matisconensis secunda, *Canone secundo* postea comprobauit. Sed hanc exceptionem abrogauit Trullana Synodus *Canone vigesimo quinto*, reuocans Canonem *quinquagesimum* Concilij Laodiceni: eandemque exceptionem Synodus quoque Bracarensis 1. canon. 16. correxit, ac sustulit.

Quæret quispiam, quo pacto accipiendum sit ieiunium, quod Missæ sacrificio præmitti debeat? Dicimus oportere esse ieiunij naturę, vt nihil scilicet cibi, potúsue, aut etiam medicamenti sumatur, vt est constans omnium opinio. Sic Sanctus Thomas *par. 3. quæstion. 80. articul. 8. ad 3.* Scotus *4. distinction. 8. quæstion. 3.* Durandus *4. distinction. 8. quæstion. 4.* Gabr. *4. distinction. 8. quæstion. 2. artic. 3.* Antonin. *p. 3. tit. 13. c. 6. §. 8.* Palud. *4. dist. 8. q. 2. art. 1.* Quare falsa omnino est opinio Godofredi, & quorundam aliorum ante Missæ sacrificium satis esse, si sacerdos seruet ieiunium non naturæ; sed Ecclesiasticum: quam sententiam refutat Paludanus expressè *4. distinction. 8. quæstion. 2. art. 3.* Dein de ieiunium huiusmodi seruari debet ab initio diei naturalis, in quo Sacrificium fit, aut sumitur Sacramentum. Dies autem naturalis computatur à media nocte: itaque si post mediam noctem cibus vel potus, vel medicamentũ capiatur, impedit quo minus sacrificet, vel Eucharistiã suscipiat is, qui ceperit. ROGABIS, an qui ante mediam noctem aliquid ederit, & postea aut non dormierit, aut si dormierit quidem, minimè tamen cibum concoxerit, tuta conscientia eo die sacris operari queat? Glossa *in cap. Ex parte, de celebr. Missa.* & *alijs locis.* id negat. Idem videtur docere *in cap. Nihil, 7. q. 1.* & *cap. Si constiterit, de accusationibus.* Quia *is ieiunus* (inquit) *non est, in quo cibus nondum est absumptus.* Oppositum S. Thomas affirmat, hoc nihil esse rens impedire.

QVAERES etiam, An si quis mane os aqua, vel sale, & aceto abluens, casu aliquid aquæ deglutiat, abstinere debeat à sacrificio faciendo, vel Sacramento sumendo? Respondent quidam; aut pauxillum illud aquæ prius in saliuam conuertitur, & deinde saliua in stomachum transmittitur, & tunc nihil obest, quoniam non aqua, sed saliua in ventrem illabitur: aut reuera aqua nondum in saliuam mutata in ipsum stomachũ traijcitur, & tunc reuera impedit. Sic docent Sotus *dist. inct. 12. quæst. 1. art. 8.* & Gabr. *in Canonem Missæ. lect. 10.* At Paludanus *loco citato* fatetur, nihil impedire; quia non sumitur vt potus. Idem quoque tradit Siluest. *Eucharistia 3. quæstion. 6.* & hoc

est

est maximè probabile. SI QVAERAS, an in hoc locum habeat id, quod in alijs præceptis, & legibus dicere solemus, minimum, siue modicum non considerari? Respondeo, si cibus, vel potus sumptus fuerit, quamuis modicus, impedire, quo minus sacrificet quis, vel sacram Eucharistiam accipiat. Nec in hac parte locum id habet philosophi: *Parùm pro nihilo reputatur*: quoniam Synod. Toletana 7. can. 1. apertè definit nullum cibum, potumque, quamuis minimum esse ante sumendum. At verò reliquiæ, quæ supersunt ex cibo ante mediam noctem sumpto nihil obstant, etiamsi post mediam noctem, aut etiam mane delabantur in ventrem, quia in modum saliuæ traijciuntur, tum etiam, quia cibus ante illum diem est sumptus.

QVAERES, an absoluto sacrificio, sumptóue Eucharistiæ sacramento, sit à cibo & potu ad certum tempus abstinendum? *In cap. Prius, de consecrat. distinct.* 11. Ex Clemente Romano habetur: *Qui reliqua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad accipiendos communes cibos conueniant, ne parem sanctæ portioni misceant cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur. Si igitur mane dominica portio editur, vsque ad Sextam ieiunent ministri, qui eam consumpserunt: & si tertia, vel quarta hora acceperint, ieiunent vsque ad Vesperam.*

Sed vt constat ex S. Thoma, Antonino, Gabriele, Siluestro, Soto, alijsque locis supra citatis: hic Canon vsu, & consuetudine est abrogatus. Chrysostomus etiam *homilia* 27. *in caput* 11. *epistolæ* 1. *ad Corinthios* docet, post Dominicum corpus acceptum, etiam esse ieiunium seruandum, & preces ad Deum fundendas, & Hymnos decantandos. At hoc consilium est, non præceptum. SI ROGES an liceat Presbytero pransо Eucharistiæ Sacramentum conficere, vt ægroto de vita periclitanti viaticum præbeat? Affirmat Maior in 4. *distinctione* 9. *quæstione* 3. *ad.* 5. & probat, quia diuino iure mortis tempore est Eucharistia sumenda: ergo si panis consecratus non extat, consecrandus est, vt iamiam morituro porrigatur. Deinde, quia ægrotis etiam pransis & cœnatis, vel potu refectis viaticum ministratur.

At verò Paludanus 4. *distinctione* 8. *quæstione* 2. *art.* 1. Sotus 4. *distinctione* 12. *quæstione* 1 *articulo* 8. Victoria *in Sum. num.* 83. Nauarrus *in Manuali, capite* 21. *num.* 53. Gabriel 4. *distinctione* 8. *quæstione* 2. *articulo* 3. negant fas esse Presbytero pransо Eucharistiam consecrare ad viaticum ægroto iamiam morituro præbendum: quoniam etsi diuini iuris præceptum esse fateamur, vt tunc temporis Eucharistia sumatur, id locum habet, quando sumi commodè potest, alioqui minimè; & hoc ipsa consuetudo satis abundè declarat. Et ideo ægroto pransо, vel cœnato iure optimo Eucharistia iam ante consecrata datur: non est autem consecranda, vt ei ministretur. SI QVAERAS, an saltem Episcopi auctoritate id facere queat? Quidam concedunt fieri posse. Sed falsum est, quia Episcopus non potest ius commune relaxare, nisi id habeat vi consuetudinis receptæ, qualis in hac parte non est. SI ROGES, an si sacerdos pransus consecret, conficiat verè sacramentum? Hugo *in capite. Quid à Patribus, distinctione* 75. planè id negauit. Cæterùm eius sententia communi consensione refellitur, & Glossa *ibi* verè docet eum sacerdotem conficere sacramentum, sed conficiendo peccare.

Tertiò quæritur, Quidnam facere debeat sacerdos, qui per errorem in calicem aquam infundit pro vino, & post Communionem id nouit? Deinde, si, cùm sacris operatur, & panem consecrauit, meminit se non esse ieiunum? Tertio, si idem meminerit, postquam vtramque speciem consecrauit? Respondeo ad vtrumque ex communi omnium sententia, quam habet sanctus Thomas 3. *parte, quæstione* 83. *articulo* 6. *ad Secundum*: eum oportere sacrificium in secundo casu perficere, quia arctioris est vinculi sacrificium inchoatum absoluere, quàm non ieiunum absumere sacramentum. Et ita in secundo illo casu debet sacerdos speciem vini consecrare: similiter in primo casu debet vinum consecrare, quamuis aquam pro vino per errorem biberit. Quemadmodum autem vinum sit denuo consecrandum, inferiùs ostendemus. In tertio casu idem iuris est: debet enim Communionem sacram sumere, ne imperfectum sacrificium relinquat. Secus verò esset, si recordatur sacerdos antequam vllam speciem consecret, tunc enim reste sancto Thoma debet Missam incœptam relinquere: at hoc intelligitur, si id possit facere sine infamia, & scandalo.

Quartò quæritur, an liceat Presbytero, vnà cum vino, quod ad ablutionem sumi solet, suscipere particulas panis consecratas, quas in corporali, vel etiam Patena, vel Calice inuenerit? Vsu enim venit, vt specie vini sumpta, particula panis consecrati, quæ est in Calicem iniecta, ipsi Calici adhærescat, aut in Patena aliquæ particulæ remaneant. Respondent quidam non licere Presbytero eas particulas sumere: id probant auctoritate Paludani 4. *distinctione* 9. *quæstione* 1. *ad finem*. Antonini *parte* 3 *titulo* 13. *capite* 6. §. 9. Rosel: *Eucharistia* 3. *numer.* 13. Sed verius est, quod alij dicunt, id licere sacerdoti facere: & ita Caietanus *in summa, verbo, Missa. & in opuscul. tom.* 2. *tractat.* 33. *de celebratione Missæ, quæstione* 1. Siluester *verbo, Eucharistia* 3. *numero* 8. Sotus *in* 4. *distinctione* 12. *quæstione* 1. *articulo* 8. Victor. *in sum. numero* 83. Nauarrus *in Manual. capite* 25. *numero* 89. sentiunt tuta conscientia huiusmodi particulas sumi, quoniam sacrificium nondum perfectum esse censetur, quousque omnes particulæ insumantur: Et in die Paraseues particula panis consecrati, vnà cum vino, quod consecratum non est, sumitur. Nec impedit, quod vinum in ventrem citius influat, & permeet. Idem est iudicium de particula panis, quæ dentibus, linguæ, vel palato adhæret: tunc enim tuto vini haustus sumitur, vt vnà cum ipso ea particula in stomachum transeat, & penetret. Particulæ item, quæ solent in Patena remanere, frequenter sunt tenuissimæ, ac iure quoque sumuntur, vt sacrificium totum perficiatur. Et Paludanus, Antoninus, & Rosella non loquuntur de huiusmodi particulis, sed de ijs, quæ relictæ sunt ab his, qui sacram Communionem sumpserunt.

Quintò quæritur, Quid sit sacerdoti faciendum, quando perfecto, & absoluto in totum sa-

crificio, & ablutione completa, particulæ panis consecrati, in Corporali, Altari, vel Patena inueniuntur? *in capit. Tribus, de consecratione, distinctione 2.* Clemens præcipit, *vt toe in Altari holocausta offerantur, quot populo sufficere debent: quòd si remanserint, in crastinum non reseruentur, sed cum timore, & tremore clericorum, & diligentia consumantur.* Hæc ibi. Sotus 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1 *art.* 8. citat hunc Canonem, & ait in eo statui vt particulæ, quæ post sacram Communionem acceptam à populo superfuerint, reseruentur in pixide; cùm tamen Clemens apertè præcipiat, ne reseruentur in crastinum, sed à Clericis absumantur. Clemens igitur eo loco solùm loquitur de ijs particulis, quæ à Presbytero consecrabantur in populum distribuendæ. Hinc olim teste Euagrio *libro* 4. *capite* 35. Constantinopoli vetus fuit consuetudo, vt si quando multæ admodum particulæ puri, & immaculati corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerserentur, & eas ederent. In Concilio etiam Matisconensi 2 *canone* 6. habetur: *Quæcumque reliquiæ sacrificiorum post peractam Missam in sacrario supersederint, quarta, vel sexta feria, innocentes ab illo, cuius interest, ad Ecclesiam adducantur: & indicto eis ieiunio, eadem reliquias conspersas vino percipiant.* Hæc eo loco. Cæterùm, tùm Canon Clementis, tùm hæ consuetudines sunt apud nos abrogatæ.

Ad id igitur, quod quærebatur, respondet Sotus 4. *distinction.* 12. *quæstion.* 1. *articul.* 8. Aut particulæ, quæ in Altari, Corporali, vel Patena inueniuntur absoluto Missæ sacrificio, sunt alicuius momenti, ponderis, & quantitatis; & hæ reseruantur in pixide, aut ab alio Presbytero sacrificante insumuntur: aut tales non sunt, cùm ob tenuitatem vix in sensus incurrant: & tunc tutò à Presbytero insumuntur, tanquam sacrificij portiunculæ exiguæ. Sed certè cùm sint particulæ ex sacrificio relictæ, parùm, aut nihil referre videtur, sint paruæ, an magnæ, vnde potest eas sacerdos sumere, quia sumit, vt reliquias, quæ ex sacrificio supersunt. Secus esset, si essent particulæ ex alio sacrificio relictæ. SI QVAERAS, an sacerdos iure queat eas particulas sumere post notabile temporis interuallum exactum? Resp. minimè, quia post interuallum temporis elapsum, censetur sacrificium absolutum; & proinde particulæ non sumerentur, vt reliquiæ, quæ ex sacrificio superfuerunt, sed sumerentur per se, quod facere non licet: est enim sacrificium considerandum vt vna actio, quæ suo tempore finitur ac definit.

Cap. XXXI.

De munditia tùm mentis, tùm corporis ad Missæ sacrificium necessaria.

QVæritur primò, An ad missæ sacrificium dignè faciendum, non solum vera, & perfecta lethalium criminum detestatio requiratur, sed etiam sacra eorundem confessio? Caietanus, qui ante Concilium Tridentinum scripsit, sensit nullo iure peccatorum confessionem requiri: quoniam ex Apostolo solum habetur, Vt ad dignè edendum corpus, & sanguinem Domini, quisque probet seipsum: *sed idonea est*, inquit, *probatio, vera ex animo lethalium peccatorum detestatio*, vt Chrysost. *homil.* 27. *in eum locum Apostoli*, videtur docere. Deinde Ecclesia præcepit, vt in Paschate Eucharistia sumeretur, non autem, vt tunc temporis fieret peccatorum confessio, sed semel quotannis. Sic Caietan. *part.* 3. *quæst.* 80. *art.* 5. *& in commem.* 1. *Cor.* 11. *& in Sum. verbo, Communio*, & post eum Armil. *verbo, Communio. num.* 1.

Cæterum hæc Caietani opinio, cum communi omnium Theologorum, Canonici iuris interpretum, & Summistarum sententia pugnat, & cum generali etiam totius Ecclesiæ consuetudine: quare meritò ab ijs, qui post ipsum scripsere refellitur, atque deseritur. Nimirum Soto 4. *dist.* 12. *quæstion.* 1. *articul.* 4. Cano *de locis Theolog. libr.* 5. *cap.* 5. Petro Sot. *de Confess. lect.* 12. Corduben. *libr.* 1. *quæst.* 16. & Nauarro *in Manuali, cap.* 22. *num.* 10. Synodus Tridentina *Sessione* 13. *Canone* 11. decernit, vt sit excommunicatus eo ipso, si quis docuerit, prædicauerit, vel pertinaciter asseruerit; seu etiam publicè disputãdo defendere præsumpserit, illis, quos cõscientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, non esse necessario præmittendam Confessionem sacramentalem ad dignè Eucharistiæ sacramentum recipiendum. Et *capite septimo* idem Concilium declarat illud præceptum Apostoli primæ ad Corinthios vndecimo. *Probet autem seipsum homo*, &c. intelligi de probatione non solùm per contritionem, sed etiam per sacramentalem Confessionem, quando quis conscius est alicuius peccati mortalis, & Confessarij copiam habet. Sententia igitur Caietani decreto Concilij Tridentini est reiecta, & explosa. In Concilio Florentino *Sessione* 8. priuatim cùm Græci ad Pontificem Romanum Eugenium Quartum conuenissent, rogati sunt ab ipso Pontifice inter alia, cur non Pontifices, aut Presbyteri celebraturi peccata sua confiteri soleant? Illi nihil ad hoc responderunt, dicentes, se de hoc articulo in Concilio non disputaturos.

Secundò quæritur, An iure diuino sacra peccatorum lethalium Confessio ante Eucharistiam fieri debeat? An verò iure Canonico, an tantùm vsu, & consuetudine? Medina censet *tractat. de confess. quæstio* 14. iure tantum Canonico præmittendam esse. Idem docere videntur Ricardus *in* 4. *distinct.* 17. *articul.* 3. *quæstion.* 6, & Paludanus 4. *distinct.* 17. *quæst.* 5. Adrianus *in* 4. *quæstione* 1. *de Eucharistia*, Tabienfis *verbo, Communio, num.* 30. Abbas *in cap. de homine, de celebrat. Missarum.* Communis verò aliorũ sententia contendit eam esse iuris diuini à Christo institui. Synodus Tridentina *in Sessione* 13. *capite* 7. vbi agit de præparatione adhibenda ad dignam sacræ Eucharistiæ perceptionem, sic ait: *Communicare volenti renocandum est in memoriam Apostoli præceptum. Probet autem seipsum homo: Ecclesiastica autem Consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiã accedere debeat.* Ex quibus verbis videtur colligi, Confessionem ante Eucharistiæ

sum-

sumptionem, diuino iure adhiberi: quod quidem Domini præceptum declarauit Apostolus primæ ad Corinthios 11. dicens: *Probet autē seipsum homo.* Quod autē hic locus Apostoli de sacra Cōfessione, & non solùm de peccatorum detestatione per veram cordis pœnitentiam intelligatur, habemus non quidem ex Scripturis, sed Traditione, verbo, non scripto accepta ab Apostolis, quam & ipsi acceperunt à Domino, & quam generalis totius Ecclesiæ perpetuo seruata consuetudo declarauit.

Tertiò quæritur, An aliquando ad dignè suscipiendam Eucharistiam, sufficiat sola lethalium criminum per veram mentis pœnitentiam detestatio? Concilium Tridentinum, vt paulo ante vidimus, monet adhibendam esse Confessionem, quando quis est sibi conscius peccati lethalis, & habet copiam Confessarij, & insinuatur sufficere solam cordis pœnitentiam, necessitate vrgente, si copia Confessarij non adsit. Et communis omnium opinio, quam habet Sotus *in 4. distinct. 12. quæst. 1. artic. 4. & distinctio. 18. quæstio. 1. artic. 4.* explicat, quandonam cuique id liceat facere: tunc nempe, cum imminet mortis periculum: deinde, quando quis sua peccata confiteri nequit, citra grauem aliorum offensionem; & tamen ad Eucharistiam accedere alioqui iure debet: cum etiam quis absque dedecore, & infamia abstinere à sacra Communione vix posset. Tum demum, quando dies festus adest, quo populus ad rem diuinam audiendam iure ipso cōuenit, nec alius omnino sacerdos in próptu est, qui Confessiones audiat, nisi Parochus.

QVAERES, An causa Confessionis faciendæ, quis conferre se debeat ad locum remotiorem? Respondeo in hunc modum: aut locus ille propè distat, aut longè. Si primum, debet eò se conferre, nisi aliquid legitimè impediat, vtpotè notabilis cœli intemperies, aut repentina aliqua sacrum faciendi necessitas. Si secundum, præcepto non cogitur ad eum locum ire.

Quartò quæritur, An quando præceptum sacræ Communionis percipiendæ vim habet, Verbi gratia, quia anniuersaria in digne festo Paschatis celebritas recolitur, vel dies festus celebratur, quo res diuina, vel facienda, vel audienda nobis est, an si tunc non adsit, qui Confessionem excipiat, sufficiat solus animi dolor de peccatis conceptus? Respondeo, si ijs temporibus ab Eucharistia abstinere minimè possimus absque infamiæ nota, vel offensione aliorum, Eucharistiam esse percipiendam absque peccatorum confessione, cum debita tamen lethalium peccatorum detestatione, quoniam arctioris est vinculi naturale præceptum de infamia, aut offensione aliorum vitanda, quàm lex de Confessione peccatorum facienda. Si verò solum instet præceptū Ecclesiasticum de re diuina audienda in die festo, aut de Eucharistia in die Paschatis percipienda: tunc potiùs meo iudicio videtur esse ab Eucharistia abstinendum: cum duo præcepta sibi inuicem occurrant, nimirum sacrum audiendi, vel accedendi ad Eucharistiam; & lethale peccatum confitendi; quod quia est iuris diuini, arctius nos tenet, & adstringit, quàm illud prius, quod tantum est iuris Canonici. Sic videtur sentire Sotus *4. distinct. 12. quæst. 1. artic. 4.* licet quidam oppositum affirment moti auctoritate Paludan. *4. distinctio. 9. quæstio. 1. artic. 2.* Armil. *communium. 1.* Adrian. *in 4. quæstio. 1. de Eucharistia.* Tabien. *verbo Communicare quæst. 30.* Siluest. *Eucharistia 2. q. 7.* Sed hi, & alij ideo sic sentiunt, quia putant præceptum confessionis, ante Eucharistiam esse solum iuris Canonici. Idem est iudicandum, quando quis vel sui, quod fecit, voti religione, vel superioris iussu percipere Eucharistiam debet. Si enim lethali peccato fuerit obstrictus, nec sit cui confiteatur, ab Eucharistia abstinebit: votum enim emissum, & acceptum à superiore mandatum interpretari debemus in eum sensum, vt cum diuino iure non pugnet.

Quintò quæritur, An sacerdos, qui peccatis teneretur, quorum absolutio reseruata esset Episcopo, quem adire commodè non posset, tuta conscientia sacrificaret, aut Eucharistiam perciperet? Respondeo, si absque infamia, vel offensione aliorum continere se nequeat, iure ad Eucharistiam accedit: aliter verò abstineat necesse est.

Sextò quæritur, Quid sit dicendum, si Titius excommunicatione occulta, suspensione, vel irregularitate teneatur obstrictus, quippe, qui Clericum occultè percusserit, vel quempiam occiderit, qui nisi rem diuinam faciat, vel Eucharistiam suscipiat, alios offendet, aut ipse dedecus & infamiā, vel etiam mortis periculum incurret: An ab Eucharistia abstinere se debeat? Respondeo, duas esse opiniones: Vna affirmat posse sine peccato ad Eucharistiam accedere. Nauarrus *in Manuali, cap. 27. num. 239. & de pœniten. distinct. 6. cap. 1. §. Laboret. num. 24.* Armilla *excommunicatio. num. 9.* Tabien. *excommunicatio. 1. num. 6.* Corduben. *libro 1. quæstio. 35. ad finem.* Castr. *lib. 2. de lege pœnali, cap. vltimo*, hi omnes ita distinguunt. Aut Titius aliorum offensionem, vel infamiam commodè euitare potest, aut non potest. Si primum, opus est, vt Eucharistiam omittat. Si secundum, tuta conscientia ad eam accedit; quia iure naturali alienā offensionē, vel nostrā infamiam cauere, fugere, & vitare oportet. Excommunicationes autē, ac cæteræ Ecclesiasticæ pœnæ sunt tantùm iure Canonico constitutæ. At arctiori vinculo nos naturalia, quā Canonica præcepta constringunt.

Altera sententia est aliorum, qui generatim videntur negare, Titium posse iure ad Eucharistiam accedere. Siluest. *Excommunicatio. 3. in effectu 5.* Sotus *4. distinct. 12. quæstio. 1. artic. 4.* Couarruuias *in cap. Alma mater. par. 1. §. 2. num. 11.* Medina *in sua instituit. cap. 11.* ratio eorū est, Ecclesiæ lege Titius est inhabilis ad Sacramenta recipienda, siue ministranda. Certè negari non potest, quin sit valde probabilis prima sententia: neque enim videtur Ecclesia cum tanto periculo, videlicet mortis, vel infamiæ, & dedecoris nos voluisse obligare. Nam Sotus *in 4. distinct. 18. quæst. 2. artic. 5. ad finem*, idē concedit, cum ait: *tunc non licere nobis ad Eucharistiam accedere, nisi grauissima essent aliorum offensio sequutura.*

Septimò quæritur, An si sacerdos nullus adsit, qui confessionem audiat, legitimè approbatus, aut adsit quidem vnus, sed qui non sit ab excom-

municatione, alijsùe similibus pœnis solutus, & liber, iure ei confiteri queat Titius, vel rem diuinam facturus, vel Eucharistiam percepturus, ne ad eam accedat absque confessione? Respondeo, nequaquam; quia tunc perinde res se habet, ac si absit copia Confessarij: vt si tunc temporis graue infamiæ damnum subire Titius cogatur, vel alijs offensionis causam præbeat, tuto ei licet ad Eucharistiam accedere. Confessio autem tunc non est facienda, quia sacerdos, qui non sit legitimè approbatus audire confessiones nequit, præterquam in mortis periculo. Qui item nominatim excommunicatione tenetur, iurisdictionem non habet, qua posita a peccatis absoluere.

Octauò quæritur, An Titius sacrificaturus, vel Eucharistiam percepturus, tuta conscientia, tunc ad Sacramentum, vel sacrificium accedat absque sacra peccatorum confessione, eo quòd alium sacerdotem expectet, cui religiosiùs, & commodiùs confiteri queat? Ricardus *in 4. distin. 17. articul. 3. quæstio. 6.* id concedit Angelus *Eucharistia. 2. quæst. 5.* Tabien. *communicare. quæst. 30.* & Adrianus *in 4. quæst. 1. de Eucharistia* id quoque fatentur, sed restrictiùs, videlicet cum quis præcepto cogitur sacrificare, aut Eucharistiam suscipere. Sotus autem, Siluester, & Cordubensis *locis citatis*, negant generatim, id licitum esse facere. Et hoc mihi magis probatur: nam satis est, si idoneum sacerdotem nactus sit, cui commodè sua peccata confiteatur.

Nonò quæritur, An sicut, cum sacerdos iuxta Concilij Tridentini decretum, necessitate vrgente, absque vlla confessione sacrificium faciens, debet, quum primum commodè poterit, confiteri; idem etiam sit de laico iudicandum, ita vt si absque confessione, quam facere non potuit, Eucharistiam perceperit, confiteri cogatur, quum primum postea poterit? Nauarrus sentit *in Manuali, cap. 2. num. 10.* idem iuris esse de Laico, quod de sacerdote; quoniam eadem ratio videtur esse de vtroque. Cæterùm alijs probabilius videtur oppositum. Nam sacerdos ideo debet quam primum potest confiteri, quia frequenter Missæ sacrificium facit, ideoque necesse est, vt sit legitimè probatus ad sacrificandum: at verò Laicus Ecclesiæ præcepto non nisi in Paschate cogitur ad Eucharistiam accedere. Quare si causa offensionis, vel infamiæ vitandæ absque confessione Eucharistiam in Paschate percipiat, non cogitur præcepto, statim atque potest, confiteri: sed tutò ei licet confessionem differre ad annum proximè sequentem. Mihi magis placet sententia Nauarri: nam eadem videtur ratio de Laico, quæ est de sacerdote; licet Concilium solùm meminerit sacerdotis, de quo sermo erat.

Decimò quæritur; An sacerdos, qui sibi conscius peccati lethalis citra confessionem Missæ sacrificium facit, cum alioqui posset commodè confiteri, peccatum admittat duplici deformitate grauatum, videlicet sacrilegij, quia indignè sacrificium facit; & omissæ confessionis, quam ante Missæ sacrificium facere deberet? Quidam, è quorum numero videtur esse Canus *de pœniten. par. 4.* affirmant, eo argumento permoti, quòd duo simul præcepta violauerit. Verùm probabilius alij opinantur, vnius tantùm peccati deformitatem, & maculam contrahere; quoniam etsi præceptum est datum de Confessione ante Eucharistiam, vel ante Missæ sacrificium facienda; id ideo est, vt dignè, & idoneè præparati tantum Sacramentum sumamus, aut ad tantum sacrificium accedamus: ergo qui sumit, vel qui sacrificat, cum confessus ante non sit, in eo solo peccat, quod sacrilegium admittit, indignè accedens ad Sacramentum, vel sacrificium. Pari etiam ratione qui absque debito cordis dolore sacram Communionem acciperet, vel Missæ sacrificium faceret, quando commodè confiteri non posset; vnum sacrilegij peccatum committeret, scilicet indignè sumendo, vel indignè sacrificando. Nec his obstat, quod duo præcepta frangantur: non enim ob præceptorum numerum peccata multiplicantur, sed ob diuersitatem præceptorum ad diuersas virtutes pertinentium: at præceptum faciendi confessionem ad Eucharistiam sumendam; vel ad Missæ sacrificium faciendum datum est, vt digna sit tanti Sacramenti perceptio, & digna tantæ hostiæ immolatio, & vbi vnum præceptum propter aliud constituitur, ibi vnius tantùm est præcepti violatio.

Vndecimò quæritur, An sacerdos, qui cum confessus non sit, quando confiteri commodè posset, vel qui de lethali peccato non dolet, quando confiteri nequit sacrificat, peccatum incurrat multis deformitatibus constans, his nempe: quod indignè consecret, indignè offerat, ac indignè sumat corpus, & sanguinem Domini? Quidam putarunt in hoc sacrilegio tres esse peccati pravitates. Sed alij verius dicunt, vnius tantùm peccati esse deformitatem. Nam vnum est tantùm sacrificium quamuis tribus partibus constet, Consecratione, Oblatione, & Sumptione: quare quemadmodum tres eiusmodi partes vnum sacrificium constituunt; sic etiam qui indignè sacrificat, vnum tantùm peccatum admittit, quod tribus in partibus consistit, nimirum, in indigna consecratione, indigna oblatione, & indigna sumptione.

Duodecimò quæritur de corporis immunditia, An qui per quietem se nocturnè polluit à sacrificando abstinere debeat? Respondet S. Tho. *3. par. q. 80. ar. 7.* cuius sententia communi consensu recepta est; Aut huiusmodi nocturna pollutio est lethale peccatum, vel ex lethali peccato proueniens: & impedit quo minus sacrificare sacerdoti liceat: aut est prorsus absq; vllo lethali peccato, & nihil impedit sacrificium. QVARES; quomodo intelligat S. Thomas nocturnã pollutionẽ esse cum lethali peccato? Resp. ille talem esse, cùm quis sua sponte, ac voluntate se polluit; aut se oblectat, dum vigilat in pollutione, quæ per quietem accidit, aut cum nocturnæ pollutionis causam scienter, & sponte præbuit; & causa fuit cum lethali peccato data, aut eam optauit.

Decimotertiò quæritur, An quando nocturna pollutio talis est, qualem S. Thomas describit, impediat Missæ sacrificium eo die, etiam post debitum cordis dolorem, & confessio-

nem pec-

nem peccatorum factam ? Quidam, vt Gabriel, *super Canon. Missæ. lect.* 10. testatur, videntur asserere, post huiusmodi pollutionem omnino esse sacrificio abstinendum intra viginti quatuor horarum spatium, etiamsi qui pollutus in somno est legitimè de huiusmodi peccato doleat, illudque confiteatur. Et certè id asserere videntur grauissimi Theologi. Alexan. *p.* 4. *q.* 47. *m.* 1. *art.* 1. Alber. 4. *d.* 9. *art.* 10. S. Thom. 4. *dist.* 9. *q.* 1. *art.* 4. & 3. *p. q.* 80. *art* 7. *ad* 3. Ricar. 4. *dist.* 9. *art.* 2. *q.* 3. Palud. 4. *dist.* 9. *q.* 2. *art* 2. & Bonauen. 4. *dist.* 12. *art.* 1. *quæst. vlt.* Gabr. *loco citato* Fortassis olim fuit Ecclesiæ præceptum, vt à sacrificando intra illud tempus abstineretur. Sed quidquid sit de huiusmodi præcepto Ecclesiæ, quod mihi non videtur impositum fuisse, multò verius est, quod alij docuerunt, fas esse sacerdoti eo die sacrificare, præmissa confessione cum legitimo cordis dolore : nullum quippe aliud quodlibet lethale peccatum, modò illud sit dolore legitimo, & confessione expiatum, sacrificium impedit, ergo nec nocturna pollutio. Deinde, nulla est nunc lex, quæ id prohibeat. Respondent aliqui nocturnæ pollutionis peccato minimè sacrificium impediri, quia sit peccatum cæteris grauius, atque deterius, sed quia mentem, & animum cogitationibus perturbat, ac distrahit.

Sed quid, si huiuscemodi cogitationes minimè in mentem veniant, aut si venerint, nihil tale efficiant? Accedit, quod ex alijs etiam peccatis similes cogitationes in animo oriuntur, & surgunt. Adde, eiusmodi cogitationes non esse voluntarias; quod si voluntati placuerint, ita vt in vitio, & culpa sint, tunc non nocturna pollutio, sed ipsa animi cogitatio mala sacrificium impediet.

QVAERES, an si pollutio post mediam noctem acciderit, sacerdoti impedimento sit, ne eo die iure sacrificet? Paludanus affirmat eam impedire, etiamsi per dolorem, & confessionem pollutio expietur; quamuis cum communi opinione fateatur, ante mediam noctè pollutionem contingentem minimè impedire. Sed constans est cæterorum opinio, eam quoque minimè obstare, quo minus sacrificium fiat. Sotus 4. *dist.* 12. *q.* 1. *ar.* 7. Ledesm. 4. *dist.* 21. *art.* 7. Caiet. *in sum. verbo, Communio, ad finem.* Cordub. *lib.* 1. *q.* 7. Nauar. *in Man. cap.* 21. *num.* 51. Angel. *Eucharistia.* 2. *q.* 28. & 29. QVAERES, insuper, an S. Thomas, Bonauentura, Alexander, & Albertus *locis citatis*, in hac controuersia primâ opinionem reuera sequantur? Quidam arbitrantur eos primæ illi opinioni adhæsisse, sed meo iudicio id apertè non sentiũt: nam Sanctus Thomas solùm habet: Pollutus etiam contritus, & confessus ex quadam congruitate, non tamen ex necessitate præcepti debet se abstinere ab Eucharistia. Cæteri verò supradicti Doctores tantummodo idipsum sic innuunt: Pollutus etiam contritus, & confessus debet abstinere ab Eucharistia, nisi aliud necessitas exigat. Sed apud eos auctores verbum (debet) non significat præcepti, vel legis necessitatem, sed æquitatem quandam, & honestatem; quasi dicere voluerint, debet qui sic est pollutus, exæquo, bono, & honesto ab Eucharistia abstinere.

Dices; eos auctores citare ac proferre veteris Testamenti leges, Exodi 19. Leuit. 15. Deuteron. 23. & 1 Reg. 21. in quibus pollutus iubebatur vsque ad Vesperam extra castra manere. Respondeo eiusmodi leges ab hisce auctoribus in medium adduci ad indicãdum ex æquo, & bono ab Eucharistia sibi temperare debere pollutum.

Decimoquartò quæritur, An saltem veniale peccatum admittat, qui post pollutionem nocturnam etiam confessione cum debito animi dolore præmissa, ad sacrificandum accedit? An item venialem noxam incurrat sacrificans post pollutionem nocturnam absque vllo peccato accidente? Alexander, Albertus, Bonauentura, & S. Thomas videntur innuere veniale peccatum committi in vtroque. Sed certè probabilius est oppositum: si per se loquamur, non de accidenti extrinseco: quoniam nullo iure, lege, aut ratione, firma, & efficaci conuinci possumus, vt id credamus: & supradicti Theologi potiùs de æquitate, & honestate, quàm de legis necessitate videntur locuti.

Cap. XXXII.

Quædam aliæ quæstiones de Missæ sacrificio diluuntur.

PRimò quæritur, An lethali peccato se obstringat sacerdos, qui Missæ sacrificium inchoatum non perficit? Respondeo, consecratione facta, Missam incœptam relinquere, lethale peccatũ esse: quæ constans est Theologorum opinio, quam habet Nauar. *de Orat. cap.* 16. *num* 55. Sed dubiæ quæstionis est, an inchoata Missa, nondum facta consecratione, relinqui absque lethali peccato possit? Profectò, qui citra causam iustam, & legitimam, imperfectum Missæ sacrificium relinquit, vix effugit lethale peccatum: quoniam *in cap. Nihil. 7. quæst.* 1. & *c. Nullus. de consec. dist.* 1. & *cap. Illud, eadẽ causa, & quæstione*, strictè & seuerè præcipitur, ne sacrificium Missæ imperfectum relinquatur, constituta pœna, vt qui id fecerit, excommunicatione feriatur.

Secundò quæritur, An qui Missam relinquit incœptam, ipso iure in aliquam excommunicationem maiorem, vel minorem incurrat? Quidam affirmant, inter quos videtur esse Palud. *in* 4. *dist.* 11. *q* 1. *art.* 1. quamuis meo iudicio id apertè non dicat: & probant ex Decretis paulo ante allatis. At probabilior est Nauarri *in tract. de Orat. cap* 16. *nu.* 58. & *in Miscell. de Orat.* 86. sententia, in nullam incidere excommunicationem : quoniam citata iura solùm denunciant, & statuunt huiusmodi Presbyterum excommunicatione feriendum, vel ab officio amouendum ad tempus. Idem quoque sentiunt Angel. *in verbo, Eucharistia.* 2. §. 2. & *sequentibus.* Silu. *Eucharistia.* 2 *q.* 7.

Tertiò quæritur, An Missa incœpta iure relinquatur ob eã causam, quod vir aliquis princeps, & illustris, ad rem diuinam audiendam accesserit post generalem Sacerdotis peccatorum confessionem, aut etiam post Angelicum Hymnum, Gloria in excelsis Deo, aut post Epistolam quoque recitatam? Respondeo cum eodem Nauarro *locis supra citatis*, talis viri aduentum, iustam esse causam, & probabilem iterum Missam inchoandi: vt si Cardinalis, Episcopus, Dux, Marchio, vel Comes accesserit, & petierit, vt Missa incœpta repetatur.

Quartò

Quartò quæritur, An Sacerdos, qui promisit se facturum pro mortuis sacrum funebre, promissis satisfaciat aliud sacrum, quod non est funebre faciens? Respondeo, minimè, quando commodè potest promissum sacrificium facere: nam licet sacrificium ex parte rei oblatæ æqualis sit fructus, & ponderis: ex parte tamen precationum, quæ Ecclesiæ institutione, ac nomine, in Missa funduntur, non est æquale: in Missis enim, quas constituit Ecclesia pro ijs, qui obiere, sunt propriæ preces, quæ funduntur pro mortuis, quæque tùm ipsum Sacerdotem, tùm circunstantes excitant, inuitant, & mouent ad precandum pro ipsis; quibus fructibus, & commodis mortuos priuat Sacerdos, qui aliud sacrum facit: quare vt promissioni suæ satisfaciat, iure id alijs precibus, & sacrificijs compensabit, vt rectè Siluester, Angelus, & alij annotarunt.

Quintò quæritur, An Presbyter, vel beneficio Ecclesiastico præfectus, qui quotidie ratione sui muneris pro ijs, qui decesserunt, sacrum funebre facere debet, iure faciat sacrum, quod diei occurrenti, ab Ecclesia assignatum est? Respondeo, in hunc modum: si in eum diem incidat aliqua celebritas, quæ in Ecclesiastico officio Duplex, aut Semiduplex appellatur, citra peccatum, eiusmodi sacrum dictæ celebritati conueniens facere potest: immo aliquando satius est tale sacrum offerre: vt si fuerit dies Dominica, vel alia aliqua celebritas solemnior: tùm quia potiùs est regulis, præceptionibus, & Rubricis parendum, quàm testatoris verbis, qui mentem suam, & voluntatem Ecclesiæ institutioni accommodare debuit; tum etiam quia si testator nunc adfuisset, hoc proculdubio voluisset. Et quo fit, vt si Cappellanus institutus sexta quaque feria cuiuslibet Hebdomadæ debeat sacrum facere quinque plagarum, aut Sanctæ Crucis, Passionisue Dominicę, & in eam feriam incurrerit Natalis Domini, vel aliqua alia celebritas, facere debeat sacrum ei celebritati in officio Ecclesiastico destinatum: & idem iuris est de alijs Missarum sacrificijs, ad quæ facienda Cappellani esse adstricti consueuerunt.

Sextò quæritur, An si quis à Sacerdote petierit vti cras certum quoddam sacrum faciat, quod diei crastino minimè conueniat, satisfaciat Sacerdos ille habens in animo sacrum, quod diei crastino congruit, facere? Respondeo, satisfacere: quoniam hæc laicorum postulata, vt rationi sint consentanea, debent cum Ecclesiæ regulis, & præceptionibus congruere: rudes enim homines, & ignari in die etiam Natali Domini, & in ipso Paschate solent petere à Sacerdotibus, vt pro mortuis funebre sacrum faciant, & offerant.

Septimò Quæritur, An in diebus festis præcipuis decantari iure queat sacrum funebre? Respondeo, si funus ad templum deferatur, vt mortuus sepulturæ mandetur, licitum esse pro eo sacrum funebre solemni ritu, & cæremonia decantare; dummodo publicum, ac solemne diei festo sacrum conueniens non impediatur: est enim cõsuetudine receptum, vt mortui sine tali sacro manè minimè sepeliantur, & Iura solùm constituũt, ne in hisce diebus Missa tempori congruens prætermittatur. SI QVAERAS, an in diebus professis fas sit Sacerdoti sacrum facere pro sui animi voto, & sententia, eo prætermisso quod tempori cõuenit? Quidam opinantur non esse licitum id facere, eo quòd *in cap. Quidam, De celebr. Missa* reprehenduntur ij, qui singulis diebus peculiaria Sacra Sanctæ Trinitatis, & Sancti Michaelis audiebant, & sacra tempori congruentia negligebant. Cæterùm, vt Glossa, & Abbas, ac cæteri communi consensu docent, *in eo capite* solùm reprehenduntur, qui id faciebant superstitiosa quadam religione moti: & statuitur ibi, & in cap. Et hoc De consec. Dist. 1. ne sacra tempori conuenientia absque iusta, & debita causa præmittantur, quæ verba Panormitanus, & Glossa sic exponunt: *in Ecclesijs, in quibus plures sunt Sacerdotes, vno faciente sacrum, quod diei est accommodatum, cæteris licitum est arbitratu suo sacrum facere, quod ipsis libuerit: in Ecclesijs verò, vbi vnus tantùm est Sacerdos, is sacrum facere debet, quod tempori conuenit:* non igitur relinquendum est sacrum tempori conueniens sine iusta causa.

Octauò quæritur, An Latinus Sacerdos lethaliter delinquat, si in pane fermentato corpus Domini consecret? Respondeo, grauiter peccare, quoniam licet Græci Sacerdotes in fermentato corpus Domini conficiant, latina tamen Ecclesia in Eucharistia consecranda, pane azymo, non fermentato vtitur, & in Concilio Florentino statutum est, vt vnaquæque Ecclesia suum morem, & vsum sequatur, & seruet. Et *in c. vlt. de celebr. Missa.* cuidam Latino Sacerdoti officium abrogatur, & beneficium aufertur, eo quòd in fermentato pane consecrauerit.

Cap. XXXIII.

De vitijs, & erratis, quæ in Missa contingunt, quemadmodum ea corrigi, & emendari queant.

ANimaduertendum est, in Missæ sacrificio errores casu, nescio quo, interdum euenire, quare videndum est, quo modo illi corrigantur: hi autem ad sex potissimum capita reuocantur.

Primo quæritur, quid faciendum sit, quando Sacerdos antequam sacrificium absoluat, morte corripitur, aut morbo graui aliquo, vel alio casu præpeditur? Respondet S. Tho. 3. *p. q. 83 art. 6 ad 1.* cuius sententia ab omnibus recipitur, vel id euenit ante consecrationem, aut post eam. Si primum, nullo iure, aut præcepto cogitur sacrificium absoluere: si secundum, tunc debet sacrificium per alium Sacerdotem ad finem vsque perduci. Sic olim Concilium Toletanum statuit, quod citatum est à Gratiano *in cap. Nihil. 7. q. 1.* QVAERAT ALIQVIS, an tunc temporis sit sacrificium consummãdum necessitate legis siue præcepti: si quidem *in eo c. Nihil.* solùm habetur, liberum esse Episcopo, vel Presbytero tunc Missam perficere. S. Thomas *loco citato*, cui ferè omnes adhæserunt, videtur insinuare iuris esse diuini, vt tunc sacrificium per alium Sacerdotem expleatur. Quibusdam tamen alijs visum est complendum esse sacrificium per alium, vbi populus adesset, alioqui inde causam offensionis accepturus, secus non item; Probabilius est, quod S. Thomas docet. Sed numquid necessariò ieiunus erit Sacerdos ille, qui Missam eiusmodi inchoatã absoluet, ac perficiet? Cõuenit inter omnes, ieiunũ esse oportere. Illud maiorem

dubita-

dubitationem habet, quid erit tunc consilij capiendum, quando ieiunus sacerdos nullus adest? Ait Sotus *in 4. dist. in. 13. q. 2. art. 6.* fas esse sacerdoti non ieiuno sacrificium absoluere; quòd arctioris sit vinculi lex de sacrificio complendo, quàm præceptum de Eucharistia à ieiuno percipienda. Verumtamen si *in cap. Nihil*, præceptum non datur de perficienda Missa, tunc si nullus adsit ieiunus sacerdos, sacrificium non est finiendum, cum in eo capite liberum relinquatur, vt possit absolui. Quòd si sacrificium non compleatur, tunc species consecratæ seruari debent in pixide, vel in alio vasculo, vt in die proximi sequenti insumantur. Deinde quamuis Glossa *in eo capite* doceat sacrificium perfici non posse, si meridies effluxerit, verius tamen est posse: quia Missa post meridiem inchoari quidem nequit, at si ante meridiem inchoata fuerit; iure continuatur atque finitur, vt docet Nauarr. *Miscellan. 76. num. 6.* vbi ait, id omnes confiteri. Sed quid si eo tempore inueniatur tantummodo sacerdos, aut lethali peccato infectus aut excommunicatione, vel irregularitate obstrictus? Ait Sotus ei sacerdoti licere sacrificium absoluere, si grauis alioqui secutura sit cæterorum offensio: qua sublata, nõ item. Si pergas quærere, vndenam incipiet is, qui vicem explet prioris sacerdotis? Respondeo, inde, vbi alius reliquit, nisi quòd formas consecrationis debet integras proferre, si alter inchoatas tantùm reliquerat: nam ex verbis à primo sacerdote prolatis, & ex his, quæ secundus profert, integra consecrationis forma non fit.

Secundò quæritur, Quid sit facturus sacerdos, qui post sacrificium incœptum, meminit se non esse peccata confessum, vel non esse ieiunum, vel excommunicatione, vel irregularitate affectum? Respondeo ex communi sententia, quam habet S. Thomas *3. par. 83. art. 6. ad 2.* Si horum aliquid in memoriam venerit post consecrationem corporis Dominici, sacrificium omnino esse finiendum: nam arctioris est vinculi præceptum absoluendi sacrificium, quàm cætera, si verò ante consecrationem id contigerit, S. Thomas videtur innuere potiùs esse sacrificiũ relinquendum, quàm illud prosequendum. Attamen id solum docere vult, meo quidem iudicio; quando commodè sacrificium relinqui potest absque vllo sacerdotis, & aliorum astantium detrimento, & incommodo, potiùs esse à sacrificio cessandum, quàm vltra procedendum. Si tamen probabiliter oritura credatur adstantium offensio, vel sacerdotis infamia, tunc præstat sacrificium perficere. Hæc est Soti, Angeli, Siluestri aliorumque sententia.

Tertiò quæritur, Quid facto opus sit, si in calicem consecratum aranea deciderit, vel si fuerit venenum infusum, vel aliquid aliud noxium, aut quod vomitum excitet? Vna est omnium sententia, quam habet S. Thomas *3. par. q 83. art. 6. ad 3.* id si ante consecrationem acciderit, aliam hostiam; vel vinum esse consecrandum reiecto, & abiecto priore; si autem post, extrahendum esse id, quod est noxium, & species consecratas sumendas, si verumque non incommodè fiat: sin minus, extracto animalculo, vel veneno, species in sacram piscinam sunt proijciendæ, vt statim dicemus: atque eadem ratio est de veneno, vel bestiola quando separari, & disiungi à speciebus consecratis nequit. Quærat quispiam, an si hoc acciderit in specie vini, fit aliud vinum de integro consecrandum? S. Thomas affirmat, cæteri verò negãt. Liberum est Lectori quam malit sententiam amplecti; videlicet, an sit iterum consecrandum vinum vna cum pane, si prior species panis fuerit à sacerdote consumpta, vt sentiunt Paludan. *4. dist. 11. quæst. 1. art. 1. concluſ. 5.* Silu. *Eucharistia. 2. q. 9. dicto 1.* An vinum tantummodo, vt putat Sot. *4. d. 13. q. 2. a. 6. ad 3.*

Quarto quæritur, quid fiet, si sub altera specie mirabiliter diuino nutu, caro, vel sanguis appareat? S. Thomas, *3 p. q. 82. art. 4. ad 3.* respondet sacerdotem minimè cogi aliam speciem consecrare, nam eo ipso, quòd Dei voluntate id contingit, soluitur sacerdos lege denuo consecrandi aliam speciem, & sumendi. At idem S. Thomas, Sotus, *4. d. 13. q. 2. art. 4. ad 3.* & quidam alij opinantur, non quidem esse præceptum consecrandi, & percipiendi aliam speciem; sed prudenter, & rectè facturum si denuò consecret, & sumat. Quidam tamen alij simpliciter negant id esse faciendum.

Quintò quæritur, Quæ ratio sit ineunda sacerdoti, qui cum sanguinem sumit, comperit non fuisse in calicem vinum impositum, sed solam aquam? sentiunt omnes cum S. Thoma *par. 3. q. 83. a. 6. ad 1.* cum id perceperit ante consecrationem, denuo vinum apponi oportere: cum post consecrationem verò, alterum vinum esse consecrandum, & sumendum; quoniam vtriusque speciei consecratio in Missa fieri debet, & vtraque itidẽ species à sacerdote sumi. QVAERES, quid faciet sacerdos, vbi nouerit aquam in calicem non fuisse infusam, aut non fuisse naturalem aquam, sed arte factam, ex herbis, aut alia quauis materia expressam? Resp. non esse propterea aliud vinum consecrandum: quoniam aqua est quidem vino miscenda, cum id Ecclesia præcipiat; sed ad substantiam consecrationis non pertinet; quare consecratio vini sine aqua rata est, & firma. Et idem iuris est, si non naturalis, sed arte confecta, fuerit aqua in calicem infusa. Hæc S. Thomas loco citato.

Verùm id dubitationem habet, an tunc temporis, cum aliud vinũ est denuò consecrandum, consecrari quoque debeat alia species panis denuo, an verò satis sit, vinum tantummodo consecrari? Duæ sunt opiniones, vna docet aliam speciem panis consecrandam esse, siue prior nondum sit absumpta, siue iam consumpta. Alij aiunt non esse denuo panem consecrandum, si prior species nondum fuerit absumpta, at si ea consumpta fuerit, aliam denuo consecrari debere. Ita secundum aliquos sensit S. Thomas *3. par. quæst. 83. articul. 7. ad 4.* & alij, quod inde probant, quia sacrificium fieri, & offerri integrè debet; at ex panis specie, quæ est sine vino consecrata per se sola, integrum sacrificium non est factum, cum sit sine vino consecrata, & sumpta; quod si vinum denuo tantummodo consecretur sine pane, integrum etiam sacrificiũ non fiet, quoniam sanguis Domini sine

corpore

corpore consecrabitur, cum hostia ante consecrata, & consumpta in altari non sit. Si illis opponas, Ante fuerat panis consecratus, ergo ex illo, & ex vino, quod denuò consecratur, constat integrum sacrificium Contra respondent illi nihil argumento concludi, quia panis, qui fuerat ante consecratus, ad aliud sacrificium pertinuit, ergo ex illo, qui non amplius in altari est, vtpote iam ante consumptus, & ex vino denuò consecrato non fit vnum sacrificium.

Secunda opinio est, solum vinum consecrari oportere: quæ Scoti est *in 4. dist. 8. q. 3.* ea ratione firmata, quòd nec iure, nec vllo argumento efficaci concluditur rursus esse panem consecrandum, sed tantùm suppleri debere, quod defuit; at sola vini consecratio defuit, hæc igitur sola est addenda. Deinde sacrificium Missæ, duarum specierum consecrationibus constat, videlicet panis, & vini, ergo cum vna sola defuerit, satis est eam adiungere. Sotus alioqui S. Thom. discipulus, distinguit *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 6. ad 4.* hunc in modum: *Aut Missæ*, inquit, *sacrificium est publicum, & solenne, & tunc satis est vinum tantummodo consecrare: nam si panis consecretur; notabilis erit populi adstantis offensio. Si autem priuatum sacrificium fiat: tunc* inquit, *vinum simul, & panis consecrari debent.* Sed reuera nihil S. Thomas in hac parte distinguit, sed generatim loquitur: nam putat iuris esse diuini, vt sacrificium vtriusque speciei consecratione constet, & simul etiam credit panem prius consecratum ad aliud sacrificiũ pertinere. Scotus verò censet, ad sacrificiũ quidẽ iure diuino vtriusq; speciei consecrationem requiri, sed ex pane ante consecrato; quamuis iam absumpto, & vino, quod denuò cõsecratur, vnum fieri sacrificium: Concludit itaque S. Thomas esse aliam panis speciem denuo consecrandam, eo quòd solis verbis consecrationis sanguinis fieri iure non debet ipsius sanguinis consecratio; sed repeti omnia verba necesse est, quæ post calicis consecrationem dici solent, at ea verba aptè, & commodè non iterantur sine specie panis in altari existente, cum multa de vtraque specie consecrata dicantur. Sanè hac in parte vtraque sententia probabilis est; sed meo iudicio saltem Soti sententia videtur tenenda: nec enim video rationem satis firmam, quæ conuincat ad asserendum aliam panis speciem esse consecrandam: nec sine populi adstantis graui offensione panis consecratio repeteretur.

Sextò quæritur, Quid fiet, si cum Sacerdos viderit non fuisse infusum in calicem vinum, nihil in templo vini reperiatur, ita vt si sit denuò vinũ consecrandum, mitti aliquis debeat per mediam plebem ad vinum aliunde deferendum? Respondeo, tunc temporis vini consecrationem commodè fieri non posse absque notabili plebis offensione; ac proinde parum, aut nihil est incommodi, si tunc sacrificium imperfectum sine vini consecratione maneat: nam arctioris est vinculi ius naturale, quàm diuinum scriptum, aut positum.

Septimò quæritur, quid sit faciendum; si species consecratæ à Sacerdote sumi nequeant, eo quòd Turcarum vel Hæreticorum, aut Paganorum subitus aliquis incursus irrumpat. Suadent aliqui, species igni esse exurendas, si id fieri possit: Alij verò, esse in certo loco reponẽdas, ex quo deinde resumantur; aut eas Sacerdotem secum deferre debere. SI ROGES; fasne sit Sacerdoti non ieiuno eas tunc temporis edere, cum dicitur, sacerdoti non ieiuno, qui sacrum faciendo consecrãuit species? Respondeo, fas esse ob hostium, quod imminet periculum deuitandum; ne si forte, in sacrilegas eorum manus veniant, impiè, & nefariè ab eis conculcentur, tractentur, ac pereant.

Octauò quæritur, quid erit de speciebus consecratis faciendum, cum putrefactæ corruptæue sunt? Respondeo, eas esse igni comburendas, earumque cineres in sacro aliquo templi loco reponendos, vel certè in sacram piscinam mittendos. Idem dicendum, si animal consecratas species deuorauerit; si enim capiatur, tradendum est igni, & cineres eodem modo vel in piscinam mittendi, vel in alio aliquo templi loco mundo & commodo reponendi.

Nonò quæritur, quid facto opus sit, cum ob intemperiem frigoris, torpente manu Sacerdotis, panis species delabitur in Calicem siue ante, siue post fractionem eius? Respondet S. Thomas *3. par. q. 80. art. 6. ad 6* nihil esse tunc iterandum.

Decimò quæritur, de eo Sacerdote cuius negligentia sanguis Christi effunditur, aut cuius infirmitate Sacramentum sumptum euomitur, qua pœna puniri debeat? Respondet S. Thomas *3 par. q. 80. art. 3. ad 7.* id fieri debere quod statuitur *in cap. Si per negligentiam, & cap. Si quis, & cap. Qui non bene. De consec. dist. 2.*

Cap. XXXIV.

De ijs, quæ in Missa adhiberi solent, cæremonijs, & ritibus.

PRimò quæritur, Vnde, & quare Introitus Missæ dicatur, & quibus ille partibus constet? Respondeo introitum Missæ inde nominatum, quia cantatur à Choro in ingressu Sacerdotis ad altare, vt Micrologus *de Eccles. obseruat. cap. 1.* Rupert. *lib. 1. de diuin. offic. cap. 27.* Raban. *lib. 1. de instit. Cleric. cap. 33.* annotarunt. Vel iuxta aliorum sententiam, dictus est Introitus Missæ, hoc est, Proœmium, & Initium Missæ, sic Conrad. *lib. 1. cæremoniar. cap. 1.* vel quod alij testantur, vt Renanus apud Tertullianum *de corona militis*, quia olim canebantur à Clericis, dum conuenirebat, & introibat populus in templum. Alijs demum introitus videtur dictus à primo verbo, quo vtitur Sacerdos, in ingressu ad altare: nam sacrificium incipiens, ait: *Introibo ad altare Dei*, qui versiculus est in Missa peruetustus; vt constat ex Liturgijs Basilij, & Chrysostomi; & ex Ambrosio. Sed hic versiculus non ad Introitum pertinet, quia antecedit Introitum. Constat enim Introitus Missæ Antiphona, vno Psalmi versiculo, & versiculo Gloria Patri, &c. Porrò ante Introitum Missæ Institutione antiqua Ecclesiæ, facit Sacerdos generalem peccatorum confessionem: sed quis eam addiderit Missæ, certò non liquet, quamuis quidam Damaso tribuant. Vsum verò confessionis ante Missæ Introitum antiquum esse patet ex Micrologo, qui planè testatur præmitti soli tam confessionem, & Liturgia S. Iacobi incipit à Confessione.

Deinde

Deinde Sacerdos ingressus ad altare Antiphonam dicit semper ex aliquo scripturæ loco desumptâ, & versiculum vnum aliquo item Psalmo acceptum, cum versiculo Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: nam olim Psalmi in introitu Missæ decantari solebant; postea verò pro toto numero Psalmorum est vnus tantùm versiculus ex aliquo Psalmo retentus. Et communis quidem est opinio Cælestinũ Primum instituisse, vt initio statim Missæ, Psalmi canerentur Antiphonatim, teste Anastasio Bibliothecario, cum antea Epistola tantùm, & Euangelium legerentur ante Missæ sacrificium. Sic testantur Alcuinus *lib. de diuin. offic. cap. quid significent vestimenta.* Amala. *lib. 3. Ecclesi astic. offic. cap. 5.* Raban. *lib. 2. de instit. Cleric. cap. 32.* VValfrid. *de rebus Eccles. cap. 22.* Sigeber. in Chronico *anno 426.* dum de Celestino verba facit. Microlo. *de Eccles. obseruant. cap. 1.* Verisimile tamen non est id à Cœlestino primum in Ecclesia introduci cœpisse. Nam Dionysius Areop. meminit Psalmorum, qui ante Missæ sacrificium cantabantur; Et Basilius *in sua Liturgia* ad initium Missæ iubet tres, aut quatuor Psalmorum versiculos decantari. Fortassis Cœlestinus in Romana Ecclesia primus eum morem induxit, cum in alijs Ecclesijs seruaretur, aut primus præcepit, vt Psalmi canerentur, cũ antea de more solùm, nõ lege, & præcepto canebantur.

Versiculũ porrò, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & reliqua plerique putarunt consilio B. Hieronymi Damasum introduxisse. Cæterùm, vt ex Theodoreto *lib. 2. c. 24.* & Sozom. *lib. 3. c. 19.* Tripartit. *lib. 4. cap. 33.* constat, ad finem Psalmorum hic versiculus in Græcia antea canebatur. VValfridus *in lib. de rebus Eccles. cap. 25.* refert, vsum & morẽ canendi huiusmodi versiculum à Nicæno Concilio esse constitutum. Concilium Vasense *Canone V.* tradit, non solùm Romæ; sed in toto etiam Oriẽte, & per Aphricam, post Gloria Patri, &c. addere hæc verba Ecclesias consueuisse: *sicut erat in principio, & quæ sequuntur.*

Secundò quæritur, quantę antiquitatis sit cantus eius particulæ Kyrie eleison, &c. post introitum Missæ? Respõdeo, eam Missæ partem esse perantiquam, vt indicant Liturgiæ B. Iacobi Apostoli, Basilij, & Chrysostomi. Idem quoque Basilius *in epist. 63. ad Neocæsarienses* de hac precatiõe meminit. Nec minoris est apud Latinos etiam antiquitatis hæc particula. Nam Gregorius I. *libr. septimo, Epistol. 63.* cum accusaretur, quòd eam Missæ partem, nempe Kyrie eleison, & alia quædã ex Græcorum cęremonijs, & ritibus accepisset, & in Latinam Ecclesiam inuexisset; respondit se antiquas Ecclesiæ Romanæ cæremonias conseruare, non autem ex Græcis accipere; eo vsus argumento, quòd apud Græcos Kyrie eleison dici solet simul ab omnibus; at apud Latinos, & in Romana Ecclesia dicitur à Clericis, & à populo respondetur Christe eleison, & totidem vicibus dicitur apud Latinos, Christe eleison; quod apud Græcos nullo modo dicitur, sed simpliciter dicitur Kyrie eleison. Deinde in Concilio Vasensi centum quinquaginta annis ante Gregorij ætatem celebrato *Canon. 3.* statuitur, *vt Sacerdotes in Gallijs ad Missam Kyrie eleison decantent, eo quòd in Roma,* inquit, *& Apostolica Ecclesia, & in omni Italia, ea supplicatio ad Missam cani soleat.* Porrò Kyrie eleison Græcis idem est, quod Latinis, Domine miserere.

Tertiò quęritur, Quando primũ in Missa hymnus Angelicus Gloria in excelsis Deo, cœperit decantari? VValfridus *lib. de rebus Eccles. cap. 22.* Rupertus, Amalarius, Rabanus, Berno, & alij hanc institutionem Telesphoro tribuunt. Annotandum tamen, in hymno prædicto multa esse adiecta verbis Angelorum, quis verò ea addiderit, non est admodum certum adhuc, & compertum. Innocentius III. credit Telesphorum addidisse omnia; plerique verò totius additionis, Hilariũ Episcopum Pictauiensem faciunt auctorem. Quidam aiunt, ea esse addita à Symmacho Pontifice Romano. Hoc testatur Berno *cap. 25. de officio Missæ.*

Quartò quæritur, Vnde sumpta fuerit salutatio, qua Sacerdos in Missæ sacrificio populum salutat dicens, Dominus vobiscum? Respondeo, ex Hebræorum more, qui salutantes dicere solebant, Dominus tecum, aut Dominus vobiscum, vt constat Iudicum 6. Ruth. 2. 2. Paralipomenon. 27. Lucæ 1. cuius quidem salutationis in Missa vsus est antiquissimus, vt ex Concilio Vasensi, & Liturgijs S. Iacobi Apostoli, Basilij, & Chrysostomi planè colligitur. Salutat verò sic populum Sacerdos, quoties eum excitat, vel ad precandum, vel ad audiendum. Meminit huius salutationis Soter Pontifex Romanus, vt est apud Burchar. *libr. 3. decreti cap. 74.* & apud Iuonem *part. 2. capit. 127.* Edidit libellum de hac salutatione Petrus Damianus.

Quintò quæritur, Quare precationes, quæ in Missa cantantur, Collectæ dicantur? Respondeo, propriè Collectam dici Collectionem, & Conuentum populi frequentem. Ita vt dicta sit Collecta, quasi Collectio, sicut Remissa olim dicebatur remissio. Propriè igitur Collecta est cœtus populi in vnum collectus. Leuit. 23 *est enim cœtus,* Moses inquit, *atque collectæ;* & Deuteron. 10. *Collecta est Domini Dei.* Inde translatum est nomen, ad significandos dies festos, ac celebres, in quibus frequens populus cogebatur. 2. Paralipomenon 7. *Fecit* (Salomon) *in die octauo collectam* 2. Eidr. 8. & *In die octauo collectam.* Deinde etiam Missa ipsa cœpit quoq; collecta appellari, quia ad Missam totus populus conueniebat. Eleemosynæ itidem, quæ in frequẽti Christianorum conuentu in commune conferebantur, dictæ sunt collectæ. 1. ad Corinth. vlti. *De Collectis autem, quæ fiunt;* & paulò pòst: *Tunc collectæ fiant.* Ita etiam preces, quæ populo in vnũ collecto fundebantur, Collectæ dici cœperunt. De hac re Microlog. *de Eccles. obseruan. ca. 3.* VValfrid. *de reb. Eccles. cap. 22.* Hugo S. Victoris *lib. 2. de offic. Eccles. cap. 16.* QVAERES, cur in Missa precationes certo, ac finito numero constent? Respondeo, nisi id ita fieret, quilibet Sacerdos arbitratu suo eas multiplicaret; quæ res populum fidelem tædio, ac satietate afficeret, eumque à re diuina frequentanda auocaret potius, quàm alliceret, Durand. *in Rationali diuin. offic. lib. 4. ca. 15.* Sed cur vna, aut tres, aut quinque, aut septem in Missa precationes adhibentur? Respondeo, pro more vetere adhiberi posse vnam, tres, quinque, vel septem: non plures vt ait Micrologus *de Eccles. obseruant. capit. 4.* Radulph. *de canonum obseruant. proposit. 23.* septem quidem, ob septem petitiones, quæ in oratione Dominica

minica continentur, vel ob septem Spiritus sancti dona: quinque autem, ob quinque Christi Domini plagas, & vulnera: tres, ob mysterium Trinitatis, vel quia Christus Dominus ante mortem suam in horto, ter orasse in Euangelijs perhibetur: vnam, ob vnitatis diuinæ Sacramentum.

Sextò quæritur, Vnde sumpta sit chori, vel Populi responsio, Amen ad singulas prope modum in Missa precationes Sacerdotis? Respondeo, ex Hebræis, qui finitis Psalmis precationibus sue subiungere solebant, Amen; quasi dicerent, fit, vel, Fiat: hæc enim particula Amen, significat idem quod verè, vel certè. Vnde est, vel affirmantis, vel optantis. Et ideo Christus in Euangelio frequenter dicebat: *Amen amen dico vobis*, hoc est, verè dico vobis.

Septimò quæritur, cuius sit antiquitatis lectio Epistolæ ad Missam? Respondeo, post Collectam, lectio accepta ex Propheta, Apostolo, vel aliquo alio Scripturæ sacræ libro, sequitur: & vt constat ex Clemente, Iustino, Tertulliano, ac Dionysio Areopagita, quos citat Durant. *lib. 2. de ritib. Eccles. Cathol. cap. 18.* mos iste desumptus est ex Apostolis. apud Hebræos autem, per omne sabbatũ ex Prophetis in Synagogis Scripturæ legebantur Lucæ. 4. Act. 13. 15. 17 & 18. Cum autem Lectio petitur ex Prouerbijs, Ecclesiaste, Sapientia, Cantico Canticorum, & Ecclesiastico, dicitur Lectio Sapientiæ, quoniam omnes isti quinque veteris Testamenti libri, dici communiter solent sub nomine Sapiẽtię: cum lectio ex Prophetis sumitur, Lectio Prophetæ: cum ex Epistolis Apostolorum, lectio Epistolæ. Porrò dum legitur Epistola sedet Episcopus, sedent, & ministri, vt testantur Amalar. *lib. 3. de Eccles. officijs. cap. 10.* Ruper. *lib. 1. cap. 32. de diuin. offic.* Innocent. *lib. 3. de Myst. Missæ. cap. 34.*

Octauò quæritur, Vnde Graduale nomen acceperit, quiue illud instituerit? Respondeo, Missæ responsoria, vt à cæteris Responsorijs distinguerentur, quæ in Horis Canonicis dici consueuere, dicta esse Gradualia, eo quòd dum Diaconus quibusdam gradibus ad suggestum ascendebat, Euangelium alta voce annunciaturus à Choro cantabantur. Walfrid. *libr. 3. de reb. Eccles. cap. 22.* Ruper. *lib. 1. de diuin. offic. cap. 34.* Radulphus *de Canon. obseruant. proposit. 12.* Responsoria verò nominantur eo quòd vno incipiente, alij respõdent, vt scribit Rabanus *lib. 2. de instituc. Cleric. cap. 15.* idem quoq; dicit Isidor. *lib. 6. Etymolog. cap. 19.* & *lib. 1. de Eccles. offic. cap. 8.* Ne igitur tempus illud necessario interponendum Epistolæ, & Euangelij lectioni, otiosè transigeretur, adhibiti sunt eiusmodi versiculi: qui aliquando vocantur Gradualia, ob rationem assignatam, aliquando Tractus; aliquando etiam adhibentur prosæ, siue Sequentiæ sic dictæ. Gradualis institutionem, quidam in Gregorium I. referunt: Sigebertus verò, Rupertus, & alij, in Cælestinum I. Alij Gradualium, & Tractuum auctorem faciunt Gelasium I. Tractus verò, appellantur, quòd sint versiculi, & ex immo pectore quædam veluti tractæ voces lugubres; nimirum cantus quibusdam quasi gemitibus atque suspirijs, lugubri, & aspera voce decantati: nõ enim Tractus huiusce modi adhibentur præterquam temporibus luctus, & pœnitentiæ, vt in Septuagesima, & Quadragesima, & in sacro funebri, quod fit pro mortuis; Inter Tractum porrò, & Responsorium hoc interest, quod in Tractu non vnus incipit, & alij respondent, sed omnes simul cantant; in Responsorio autem, vno inchoante, Chorus respondet.

Nonò quæritur, De antiquitate lectionis Euangelicæ ad Missam adhiberi solitæ: Respondeo, eam esse perantiquam: quod Liturgiæ omnes testantur: Concilium quoque Laodicenum *cap. 16.* Carthaginense 4. *can. 84.* Valentinum. *can. 2.* Idem indicat Epistola Anastasij *ad Episcopos Germaniæ & Burgundiæ*, vbi præcipit, vt omnes stantes Euangelium audiant, quam quidem cæremoniam non ipse primus instituit, sed confirmauit, aut obseruari iussit, vbi nõ seruabatur. Nam Clemens *li. 2. constitut. Apostol. cap. 61.* testatur Apostolos constituisse, vt omnes, tum Clerici, tum Laici, assurgant, dum Euangelium legitur. Lecto Euangelio, Codicem Sacerdos exosculatur reuersus fœlicem, faustã, bonam Dei annuntiationem. Mittitur vero in Missis publicis à Sacerdote Diaconꝰ, sicut à Christo sunt Apostoli delegati ad Euangelium promulgandum. Defertur Crux tanquam signum Christi, cuius res gestę, vita, & mors in Euangelio referuntur. Diaconum comitantur Acolyti cereos accensos gestantes, qui Fidei cælestę diuinũque lumẽ referunt. Lecto Euangelio, canitur Symbolum Fidei compositum à 2. Synodo Generali, quod Symbolum Synodus Toletana, singulis diebus Dominicis decantari iussit, vt in Missa fieret Fidei professio iuxta morem Orientalium. Vvalfridus *lib. de reb. Eccles. cap. 22.* scribit apud Germanos, & Gallos vsum Symboli ad Missas cantandi, tempore Caroli Magni potissimum viguisse, contra Felicem Vrgelitanum Episcopum, quitunc est hæreseos condemnatus.

Decimò quæritur, Vnde dictũ sit Offertorium? Respondeo, cum VValfrido *de reb. Eccles. cap. 21.* Ruper. *lib. 1. de diuin. offic. cap. 2.* Amala. *lib. 3. de Eccles. offic. cap. 19.* Microlog. *de Eccles. obseruan. capit. 10.* Isidor. *lib. Etymolog. 6. cap. 19.* Innocent. *lib. 2. de Myster. Missæ. cap. 53.* Lecto Euangelio Subdiaconus Diacono, & Diaconus Sacerdoti, & Sacerdos Deo panem consecrandum offerebat: vnde factum est vt populus tunc temporis sua munuscula offerret, iuxta illud, quod habetur *in cap. Omnis Christianus. De consecr. dist. 1.* & Paralip. c. 26. dicitur Dauid instituisse, vt Leuitæ, cum offerrentur holocausta, Laudes Domini cantarent, & clangerent tubis, cymbalis, & Psalterijs. Offertorij verò tempore quinque precationes à Sacerdote funduntur; videlicet, *Suscipe Sancte Pater omnipotens æterne Deus; & offerimus tibi Domine; & Veni sanctificator; & In spiritu humilitatis, & Suscipe Sancta Trinitas.* Micrologus ait huiusmodi preces iuxta ordinem Gallicanum in Missa rectari, sed secũdum ordinem Romanum nullas esse precationes institutas inter offertorium, & secretas: & VValfridus, Amalarius, Rupertus, Alcuinus, & Innocentius harũ quinq; Orationum non meminerunt. Postea sequuntur Orationes, quæ vocantur secretæ, quæ tot numero recitantur, quot fuerunt Collectæ ante Lectionem Epistolæ.

Vndecimò quæritur, cur dicta sit Præfatio? Respõdeo, eo quòd sit præparatio quædã, & excitatio populi ad eã actionẽ, in qua propriè, ac principaliter sacrificium consistit; videlicet, ad con-

secratio.

secrationem,& oblationem corporis, & sanguinis Domini. Incipit verò Præfatio in illis verbis, & salutatione, *Dominus vobiscum*. Nam ea verba: *Per omnia sæcula sæculorum*, finiùt solùm Orationes, quas appellamus secretas; quæ quidam verba, licet Orationes ipsæ tacito quodam silentio fuerint recitatæ, alta voce proferuntur, vt populus astans respondere possit, *Amen*, & priores Orationes confirmare, vt scribit Micrologus. Vsus Præfationum est antiquus, vt ex Clemente Romano, Cypriano, Chrysostomo, Basilio, Ambrosio, probat Durand. *in libr. de ritibus Eccles. Cathol. 2.cap.30.*

Porrò Præfationes, nouem numero sunt, eæque antiquissimæ: nam Pelagius II. consultus ab Episcopis Germaniæ, quæ, & quot essent Præfationes autenticæ? Respondit, esse nouē, videlicet præter communem, vt habetur *in ca. Inuenimus. De consecr. dist.1.* Primam, de Natali Domini; Secundam, de Epiphania, Tertiam, de Quadragesima; Quartam, de Cruce; Quintam, de Paschate; Sextam, de Ascensione; Septimam, de Pentecoste; Octauam, de Trinitate; Nonam, de Apostolis. Postea verò Vrbanus II. in Concilio Placentino circa annum Domini 1080. Decimam Præfationem, quæ est de Beatissima Dei Genitrice, adiunxit, *& refertur in cap. Sanctorum dist.70.* Extra has præfationes cæteras esse delendas, ait Hostiensis *in ca. consilium de celebr. Missar.* voluit dicere, reliquas non esse iure communi approbatas.

Duodecimò quæritur, Canon Missæ, quantæ sit vetustatis? Respondeo, in primis Canonem ideo dictum, quòd sit regula fixa, & stabilis in Missa à Sacerdote obseruanda. Gregorius meminit Canonis, scribit enim *libr.7. Epist.63.* post Canonem recitari orationem Dominicam: Walfrid. *de reb. Eccles. cap.22.* vocat Regulam Ecclesiasticam, qua omnes Sacerdotes vtuntur: Optatus verò *lib. 2. & 3. contra Parmenianum.* Mileuitanus appellat legitimum ordinem, qui in sacrificio offerendo obseruari debet, vocat Canonem Actionem Micrologus. *lib. de Eccles. obseruant. cap.12.* Multa contra Canonem Missæ obijciunt Hæretici; sed ea nullius planè sunt ponderis, & momenti. Animaduertendum est, Canonem etiam dici Actionem: sed Canon vocatur, vt iam dixi tanquam regula, & formula in sacrificio vsu, & instituto Ecclesiæ seruanda: non quòd sit omnino ad sacrificij substantiam, & rationem necessaria; nam etiam consecratio Domini verbis adhibitis, sine alijs Canonicis verbis rata, & firma esset. Actio verò dicitur, quia in ea parte Missæ est actio, in qua potissimum sacrificium cōsistit, nimirum consecratio, & oblatio corporis, & sanguinis Christi, vnde etiam quædam pars Canonis dicitur, *Infra actionem*, quia recitatur intra eam actionem; ex qua propriè sacrificium constat. Itē, Canon continet Orationes, tres ante consecrationem, & totidem post. Ante Consecrationem fit mentio viuorum, pro quibus sacrificiū offertur: mentio item Sanctorum cælestis patriæ ciuium fit, quorum patrociniū imploratur: post consecrationem fit mentio mortuorum, pro quibus sacrificium offerimus.

Porrò quando institutus sit Canon, & quis eum instituerit, non omnino certo constat. In primis compertum, & exploratū est, ante Gregorium I. omni ferè ex parte fuisse completum: nam Alcuinus, Amalarius, & cæteri testantur, prædictum Pontificem addidisse verba illa: *Diesque nostros in tua pace disponas*, & ita Canonem fuisse perfectum. Et in eo libro, qui dicitur Ordo Romanus, quem citant Alcuinus, & Almalarius, non procul ab initio, totus Canon extat expressis verbis. Gregorius videtur asserere *lib.7. epistol.63.* Canonem esse compositum ab Scholastico: quis porrò fuerit ille Scholasticus, compertum non est. Quidam aiunt Scholastici nomē fuisse proprium certi cuiusdam viri, qui eo tempore Canonem edidit. Alij putant esse commune nomē significans virum insigni doctrina, & eruditione, & eum fuisse Gelasium I. Scholasticum dictum, quòd fuerit doctrina, & eruditiōe clarissimus. Passim apud Gregorium, Scholasticum sumi pro viro docto constat *lib.1. epist.3.* Paulo Scholastico *lib.3. epist.38.* Marcello Scholastico *libr.10. epistol.2. libr.12. Epistol.30.* Immo Scholasticus, aliquando idem est, qui aduocatus *lib. 2. C. de lucris aduoca. lib.12.* aliquando idem est, qui Assessor: vt apud Gregor. *lib.4. Epist.* 29. Gregorius Seuero Scholastico Exarchi, hoc est Seuero Assessori Exarchi. Quisqs ille fuerit Scholasticus, certissimum est, quod Synodus Tridentina definit *Sessione 22. cap.4.* sacrum Canonem multis ante sæculis editum, & ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem, ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat: is enim constat tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum pijs institutionibus. Hoc ideo dictum est, quoniam etsi vnus aliquis in certam formulam Canonem redegerit, partem tamen ex Domini verbis, partem ex Apostolorum Traditionibus, partem ex Romanorum Pontificum institutionibus accepit. Etenim verba quibus panis, & vinum consecrantur, ipsius Domini sunt: Inuocatio Sanctorum Martyrum, & commemoratio Mortuorum, sunt Apostolorum traditiones: pleraque alia Romani Pontifices addiderunt. Obijcies, Gregorium dicentem *lib.7. epistol.63.* Apostolos ad solam Dominicam orationem Eucharistiam consecrare solitos, ergo nihil eorum, quæ continentur in Canone, Apostoli instituerunt. Respondeo, Apostolos primum solam precationem Dominicam ad Eucharistiæ consecrationem adhibere consueuisse; sed deinde alia quædam addidisse; nimirum quam retuli Inuocationem Sanctorum Martyrum, & Commemorationem mortuorum.

Decimotertiò quæritur, Quo pacto intelligatur id, q̄ in prima sacri Canonis precatione orat Deum Sacerdos, primo pro Ecclesia; secundo pro Papa; tertio pro Antistite loci; quarto pro Imperatore vel Rege in quibusdam Ecclesijs; quinto vniuersim pro omnib⁹ Orthodoxis; sexto speciatim pro ijs, pro quibus vult. Respondeo, in omnibus Liturgijs orare Sacerdotem pro Ecclesia. Deinde in Concilio Vasensi sub Leone I. celebrato, Canone 6. statuitur, vt nomen Domini Papæ, quicunque Sedi Apostolicæ præfuerit, in omnibus Gallicanis Ecclesijs recitetur. Item, nomina Episcoporum ad altare recitabantur. S. Gregor. *libr.4. Epistol.37.* Concil. Aphrican. *cap. 48.* Concil.

Carthag.4.*cap.*84.& Auguſt. *Epiſt.*110. Nomen verò Imperatoris,aut Regis ijs in locis, ac prouincijs,quæ in eius imperio,& ditione ſunt,vt ait Innocẽtius III. Illud verò,*pro omnibus Orthodoxis*, Micrologus ſcribit eſſe ſuperfluum,nec haberi in libris correctioribus, habetur tamen apud Alcuinum,Innocẽtium,& cæteros: nec videtur abundare, non enim idem eſt orare pro Eccleſia vniuerſa,quod pro omnibus Orthodoxis, quoniam hoc loco omnes Orthodoxi accipiuntur cæteri omnes à Papa,Epiſcopo loci, & Rege, vel Imperatore diſtincti: perinde, ac ſi diceretur: offerimus tibi in vniuerſum pro omni Eccleſia,deinde verò ſpeciatim pro Papa,pro Epiſcopo loci, vel Rege, vel Imperatore, & pro cæteris omnibus Orthodoxis.

Obijcies,ſaltem ſuperuacanea videri illa,quæ ſubiunguntur verba: *atque fidei Catholicæ,& Apoſtolicæ cultoribus*: cum ijdem videantur eſſe orthodoxi, qui Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei cultores. Reſpondeo in hunc modum: ſicut in ſacris literis crebræ inueniuntur repetitiones eorundem, aut Synonimorum verborum,ad animi affectum plenius, ac vehementius exprimendum, augendum,& amplificandum; ſic etiam Eccleſia in ſuis precationibus eadem repetere, aut Synonima adhibere ſolet ob affectum animi expreſſius ſignificandum.

Quærat aliquis, quàm aptè dicatur ab Eccleſia: *Quæ tibi offerimus Domine.* cum de pane ipſo,& vino loquatur,nec enim panis,& vinum offeruntur,ſed corpus,& ſanguis Domini. Profectò,panem,& vinum,dicit Eccleſia offerre ſe tanquam materiam in corpus, & ſanguinem Domini mutandam,& proinde tanquã materiam conſecrandam. QVAERAT inſuper quiſpiam,quid ſignificetur illis verbis; *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt pro redemptione animarum ſuarum.* Reſpondeo,cum dicitur, *pro quibus offerimus*, intelligi illos,qui nihil ad hoc ſacrificium contulerunt; nihilque de hoc ſacrificio cogitarunt; ac proinde pro illis offertur ſacrificium, non ipſi offerunt: nomine autem eorum, de quibus dicitur, *qui tibi offerunt*, accipere debemus cæteros, qui aliquid ad ſacrificium attulerũt,videlicet,quia aut eleemoſynam erogarunt, aut ſacrificio præſentes adſunt, aut rem diuinam faciendam aliquo modo curarunt.

Caput XXXV.

De eadem re aliæ quæſtiones breuiter diluuntur.

PRIMO quæritur, Quinam ſit ſenſus eorum verborum Canonis: *Communicantes, & memoriã venerantes.* Alcuinus *in cap.de celebr.Miſſæ.* Innoc. *lib.2.de Miſt.Miſſæ.cap.9.* Durand.*in Ration.lib.4.capit.* 38.& alij,hæc verba referunt ad Communionem cum Sanctis, vt hæc ſit ſententia: offerimus hoc ſacrificium communicantes Sanctorum memorijs, & eoſdem venerantes. Micrologus refert hæc verba ad offerentes inter ſeſe, perinde ac ſi diceretur,nos communicantes,id eſt,quadam Societate,& communione coniuncti,& Sanctorum memoriam venerantes,& reliqua.

Secundò quæritur,Quo pacto dicatur: *vt accepta habeas,& benedicas*,nam prius eſt rem ſacrari,& eam deinde acceptam, & gratam Deum habere. Reſpondeo,hæc verba dici de ipſo pane,& vino, tanquam de materia ſtatim conſecranda. Ac proinde duo hic petit Eccleſia, primùm,vt eam materiam acceptam, & gratam ſibi Deus Pater habeat tanquam ad conſecrationem aptam,& deſtinatam,& deinde,vt benedicat,id eſt,eam ſacrare dignetur,& conuertere in corpus, & ſanguinem Chriſti filij ſui Domini noſtri. Panem, & vinum ſacrificia appellat Eccleſia; quia ſunt ſymbola, & ſigna veri ſacrificij, & hoſtiæ, qui eſt Chriſtus Dominus: ſunt ſigna corporis, & ſanguinis Domini.

Tertiò quæritur,Cur dicatur: *Hæc dona,hæc munera,hæc ſancta ſacrificia.* cum tamen panis,& vinum non ſint ſacrificia,quæ Domino offeruntur.Cum item vna tantùm ſit victima, & ſacrificium, cur Eccleſia dicit numero multitudinis, munera,dona, & ſacrificia? Reſpondeo ſenſum horum verborum obſcurum non eſſe. Panem,& vinum appellat Eccleſia dona,& munera, nimirum conſecranda,& conuertenda in corpus, & ſanguinem Domini. Vocat item ſacrificia, (vt ad ſecundum reſpondeam) non quod ſint res ipſa, quæ immolatur,ſed quod panis, & vinum ſint res, & materia, quæ per conſecrationem mutatur in corpus, & ſanguinem Chriſti Domini,qui eſt vera hoſtia, quæ in Miſſæ ſacrificio offertur, quare vnũ eſt ſacrificium,vna victima,quę eſt ChriſtusDominus, qui hoſtia incruente immolatur in Miſſa:At verò quia duo ſunt Symbola,& ſigna,videlicet,ſpecies panis, & vini; ideo Eccleſia numero multitudinis appellat myſteria, Sacramenta, & ſacrificia, munera,& dona.

Quartò quæritur, Quomodo verum ſit illud in eodem Miſſæ Canone contentum: *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ.* Reſpondeo: oblationem appellari ab Eccleſia panem, & vinum, eo quòd ſint materia ad altare allata,conſecranda,& conuertenda in corpus, & in ſanguinem Domini. QVAERITVR deinde,quid ſignificent illa verba ibidem contenta: *benedictam,adſcriptam,ratam,rationabilẽ,acceptabilemq; facere digneris.* Videntur enim ſub obſcura? Reſpondeo,petere à Deo Eccleſiam, vt eam oblationem cõſecrando,benedictam,hoc eſt,ſacram ex profana reddat, & eam approbando faciat adſcriptam,hoc eſt,inter dona,& munera,quæ ſunt ipſi accepta,& grata,adſcribat,& numeret: & confirmando ratam efficiat, id eſt, ſtabilem,& firmam,quæ nobis fructum certum, & perpetuum reddat. Rationabilem quoque faciat, hoc eſt,bonam,& rationi maximè cõſentaneam: & denique acceptabilem; videlicet, vt etiam ex parte ipſius miniſtri offerentis digna ſit,quæ Deo accepta,& grata habeatur. Hæc verba ſunt antiqua,nam apud Ambroſium *in lib.4.de Sacramen.cap.* 5.habentur, & apud Auguſtinum, vt refert Gratianus *in c.Verum.de conſecr.diſt.2.* & S.Tho.3.p.q.83.a. 4.ea etiam tribuit Auguſtino. Quamuis locus hic apud Auguſtinum nunc non extet, reperitur tamen,ac legitur apud Paſchaſium *lib. de corpore, & ſanguine Domini.cap.12.* ex quo videtur acceptus.

Quintò quæritur, Quo pacto illud ab Eccleſia dicatur: *Supra quæ propitio,ac ſereno vultu reſpicere digneris.* videtur enim id incõmodum, cum petere Ec-

cleſia

clesia videatur, vt Pater suo Filio sit propitius. Petit etiam, vt Filium suũ acceptum, & gratum habeat, sicut olim munera Abelis, & sacrificium Abrahę Patriarchę grata, & accepta habere dignatus est, quod non videtur satis aptè, & commodè dici. Petit insuper Ecclesia vt iubeat Deus Pater *hæc referri per manus Sancti Angeli in sublime altare suũ.* in quibus verbis tria subobscura: primum quia peti videatur, vti Christus Dominus manibus Sanctorum Angelorum deferatur in cælum. Secundo, quia videtur Sacerdos aliquod altare in cælo collocare. Tertiò, quia postulat, vt deferatur in cælum, quod ipse statim est consumpturus. Respondeo: ex Scripturis constare, nos Angelorum patrocinio iuuari, precesque nostras eorum ministerio, & opera ad Deum deferri: ergo verè, & aptè Ecclesia petit, vt Angeli nostrum sacrificium deferant in cælum: non quo intelligamus ab ipsis Christum deferendum in cælum; sed vt quod à nobis offertur, ipsi dignentur ad Deum deferre: res enim, quæ offertur, Christus Dominus est, ac proinde non indiget ministerio Angelorum, quo portetur, sed ex parte ipsius ministri, Sacerdotis nempe offerentis, petitur Angelorum ministerium, quod idem est, ac si diceretur: Fac, vt quod nos minus dignè offerimus, ipsi Angeli digniùs offerant. Nec verò vllum in cælis altare corporeum, sed spirituale collocamus, cuiusmodi est ipsum cælum. Nam Ioannes Apocalyp. 6. ait vidisse se sub altare Dei animas interfectorum, propter verbum Dei, vbi per metaphoram, altare Dei appellat ipsum cælum: nam sicut Martyrum corpora in terra sub altari posita requiescunt, sic animæ eorum in cælo quiescũt. Sic etiam sicut in terra super altare preces, & sacrificia Deo offeruntur: sic in cælo Angeli Deo preces nostras offerunt.

Sextò quæritur, quo modo oremus pro ijs, qui dormiunt in somno pacis: & tamen ipsis precamur locum refrigerij, lucis, & pacis? Respondeo, orare nos pro omnibus, quorum peccata pœnis purgatorijs expiantur, ac proinde etiam pro ijs, qui dormiunt in somno pacis: ij enim pacem, & quietem habent ex parte, quatenus pro certo, & comperto habẽt se æternam felicitatem aliquando consecuturos; quatenus itidẽ certò nouerunt se nunquam amplius peccaturos. Optamus verò illis locum refrigerij, lucis, & pacis; videlicet plenissimę, nimirum, vt debitis pœnarum persolutis, ad sempiterna gaudia conuolent.

Septimò quæritur, Cur in secunda Cõmemoratione, vbi Sanctorum Martyrum mentio habetur, dicatur: *Ioannis, Stephani, Matthiæ, Barnabæ*, cur, inquam Ioannes iterum repetatur, cum fuerit in prima Commemoratione inter Apostolos numeratus? QVAERITVR deinde cur Stephanus Diaconus Matthiæ, & Barnabæ Apostolis præponatur? cur item Matthias, cum fuerit duodecim Apostolorũ numero adscriptus, fuerit in prima Commemoratione prætermissus? Quidam Ioannem hoc loco intelligunt non Euangelistam, sed Baptistam, ac proinde Ioannem, aiunt, non bis commemorari. Alij Euangelistam accipiunt, & eum volunt repeti tanquam virginitatis palma cum Stephano coniunctum. Alij verò Marcum Euangelistam accipiunt, cui Ioannis nomen erat etiam impositum, cum & Ioannes, & Marcus vocaretur, teste Luca. Probabilius ego sensserim, hic Baptistam designari: non enim verisimile videtur, aut eũdem Ioannem Euangelistam bis recenseri, aut Marcum hic nomine Ioannis intelligi, quippe cuius vsitatius nomen erat Marcus. *Act. 12. & 15.*

Obijcies id quod præcedit: *Cum Sanctis Apostolis, & Martyribus tuis*: ergo Ioannes Euangelista, non Baptista debet intelligi. Respondeo, hic numerari quatuor, duos quidem Apostolos, & duos Martyres: Apostolos quidem, Matthiam, & Barnabam, Martyres verò Baptistam, & Stephanum, & ideo cum præcedẽtibus sequentia cohærent, *cum Sanctis Apostolis, & Martyribus tuis, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba.* ROGABIS SECVNDO, cur Stephanus sit Matthiæ, & Barnabæ præpositus, nempe Diaconus Apostolis. Rursus cum prius dictum sit generatim, *cum Sanctis Apostolis, & Martyribus tuis.* vbi Apostoli Martyribus præferuntur, vt par est: cur deinde cum nominatim & speciatim referũtur, Apostolis Martyres anteponuntur? Respondeo in hunc modum, cum generatim recẽsentur, habet Ecclesia rationẽ dignitatis, potestatis, functionis, & officij: & quia Apostoli dignitate, & munere Martyribus præstant; ideo dictum est, *Cum Sanctis Apostolis, & Martyribus tuis.* In eis verò nominatim recensendis, habita est ratio, nõ quidem muneris, potestatis, & dignitatis, sed obitus, & mortis. Et quia Baptista primus omnium mortem obijt, primo loco memoratur, deinde Stephanus, qui ante Matthiam, & Barnabam morte occubuit, lapidibus obrutus à Iudæis.

Octauò quæritur, Quid significetur illis verbis: *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis, & præstas nobis*: aut enim hæc dicuntur de corpore, & sanguine Domini, & vera non sunt, vt patet: aut de ipsis signis, panis nempe, & vini, quibus etiã non apte conueniunt, cum post consecrationem, hęc dona non amplius Domino offerantur. Quidam existimant, hæc verba olim ante consecrationem dici solita fuisse, deinde verò per errorem, post cõsecrationem fuisse posita. Sed reuera apud Alcuinum *in cap. de celebrat. Missæ*: Amalar. *libr. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 26.* & cæteros rerum Ecclesiasticarum scriptores, post Consecrationem leguntur, nec aliquid absurdi continent, vt mox apparebit. Dicuntur enim de ipsa materia, ex qua factũ est Sacrificium. Ac primò dicimus, per Christum hæc bona, signa videlicet panis, & vini, in quibus verè reipsa Christi corpus, & sanguis sunt, creari; quia cum cæteris quoque rebus sunt diuinitus procreata: deinde sanctificari, quia destinata sunt ad sacrificium offerendum: tertio, viuificari, quia verè in corpus, & sanguinem Domini sunt per consecrationem mutata: quarto, benedici, quia ex ipsa consecratione plenissimam bonorum copiam acceperunt: vltimò, præstari nobis; eo quòd consecrata sunt, vt sumamus, omnique bonorum vbertate cumulatissimè repleamur.

Nonò quæritur, Quando primum recitari cœperit Oratio Dominica in Missæ officio? Innocent. *lib. 5. de Myster. Missæ. cap. 17.* & quidam alij iuniores precationem Dominicam sentiunt intra sacrum Missæ Canonem contineri, ita vt ea sit ipsius Canonis finis. At Alcuinus *lib. de rebus Eccles. in*

cap. de celebra. Missæ, & Amalar. *lib. 3. de Eccles. offic. cap.* 20. ac ceteri Innocentio antiquiores tradunt eam post verba Canonis legi, idque fit mihi probabilius. Habetur autem hęc oratio in omnibus liturgijs: & ex Ambros. *lib. 5. de Sacramen. ca. 4.* Hieron. *lib. 3. contra Pelagianos.* August. *serm. 28. de verb. Domini, & lib. 50. homiliarum hom. 42.* Gregor. *lib. 7. epist. 63.* & Concilio Toletano, 4. *Can. 9.* constat, eam in Missæ sacrificio esse recitandam. Quot verò petitionibus constet, & quid vnaquęq; earum petitio contineat, diximus *lib. 8. cap. vltimo*, cum generatim de oratione tractauimus.

Decimò quæritur, Quid significetur illis verbis: *Hæc commixtio corporis, & sanguinis Domini.* videntur enim obscuritatem continere, nimirum signa tantùm, & species panis, & vini cõmiscentur, non ipsum corpus, & sanguis Domini. Rursus nulla fit consecratio, cum iam facta fuerit. Respondeo horum verborũ sensum esse; sicut corpus Domini dicitur tangi, teri dentibus, manibus sumi, in altũ tolli, eo quòd de specie panis, in qua ipsum corp⁹ est, hæc dicũtur; sic corpus etiam Domini, & sanguis dicũtur permisceri, cum signa, & species panis, & vini cõmiscentur. Fit autem permixtio mystícè, id est, vt quiddam nobis sacrum significetur. Sunt enim corpus, & sanguis per se seorsum consecrata, ad mortem Christi in memoriã reuocandam, per quam effusus est sanguis ipsius. Cõmiscentur species panis, & vini, ad mysteriũ Dominicę resurrectionis designandũ, per quam iterum est sanguis corpori coniunctus. Consecratio verò non dicitur simplicitur fieri; sed, vt fiat nobis accipientibus salutaris, & sit nobis vtilis ad æternam vitam, & gloriam consequendam.

Vndecimò quæritur, De antiquitate, qua sacra panis species frangitur, ac in partes diuiditur, an tequam Sacerdos eam sumat. Dionysius Areopagita, in c. 3. de Eccles. Hierar. *sanè*, inquit, *operturn panem, & indiuiduum aperit* (Sacerdos) *in frusta cõcidens.* Chrysostomus item hom. 24. in 1. ad Cor. *Quare addit* (*Apostolus nempe*) panem frangimus, *Hoc in Eucharistia videre licet, in Cruce autem minimè, sed omnino cõtra. Os enim eius non cõteretur. Sed quod in Cruce passus non est, id in oblatione patitur: & propter te frangi permittit, vt omnes satiet.* Huius etiam diuisionis, & fractionis sacræ Hostiæ meminerunt Augustinus, Beda, Prosper, Haymo, Algerus, Guitmũdus, Paschalis, quorum testimonia citat Durant. *lib. 2. de ritib. Eccles. Cathol. c. 51.* Et annotandum est, olim sacram Hostiam in tres partes diuidi solitam, quarum vna mittebatur in Calicem; alteram statim Sacerdos sumebat; tertia verò pars in altari vsq; ad Missæ finem reseruabatur: qui ritus postea est in Ecclesia mutatus; neque enim tertia pars reseruatur, ob pericula, quę oriri circa eam possent, piè, & religiosè deuitanda. S. Tho. 3 *p. q. 83. ar. 5. ad* 8. Bonau. 4. *dist. 12. ar. 1. q* 3. Gabr. *super Canon. Missæ. lectio.* 80.

Duodecimò quæritur, Quare pax omnibus nuntiatur à Sacerdote in Missæ sacrificio? Meminere, (vt hoc obiter prius dicam) huius cæremoniæ Dionysius Areopagita, Clemens, Chrysostomus, Augustinus, & Optatus Mileuitanus. Pax igitur nunciatur à Sacerdote, quia Missæ sacrificium est panis mysterium ad reconciliandos Deo peccatores. Deinde est Sacramentum pacis, concordiæ, & charitatis, vt quotquot id sumũt, tanquam Christi membra inter sese societate coniungantur, & in vnum veluti corpus coalescant.

Quos citat Durant li. 2. de ritib Eccles. Cathol. ca 52.

Precationem verò illam, *Agnus Dei*, institutam esse à Sergio I. ante Communionem, testantur Alcuinus, Amalarius, Walfridus, Rupertus, Sigebertus, Micrologus, quos citat Durant. *lib. 2. de ritibus Eccles. Cathol. cap. 41. num. 7.* Olim porrò ter à Populo, & Clero dicebatur, *Agnus Dei miserere nobis*: postea verò auctore Innocentio III. *lib. 6. de Myste. Missæ. cap. 4.* irruentibus varijs persecutionibus, & erroribus, cœpit vbique ferè, cum tertio dicitur, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, addi etiam illud, *dona nobis pacem.* In sacrificijs tamen, quæ pro mortuis fiunt, & offeruntur, nec datur pacis osculum, quia iam è viuis excesserunt, nec nobiscum amplius commorantur: nec dicitur, *miserere nobis*, sed, *dona eis requiem.* Deinde ante communionem, post verba, Agn⁹ Dei, ter repetita, tres Orationes fundit Sacerdos, quæ vt scribit Micrologus *ca. 17.* ex vsu, & more Religiosorum recitantur.

Decimotertiò quæritur, Quare precationes, quæ ad finem Missę dicuntur, vocentur, Postcommunio? Respondeo, id inde venisse, quia olim, postquam Sacerdos corpus Domini sumpserat, Clerus, & populus sacram Communionem percipiebat, & deinde succedebat precatio, qua Deũ pro omnibus Sacerdos orabat: vnde factum est, vt ea oratio dici cœperit Postcommunio. Processu deinde temporis populus, immo etiam Clerus à sacra sese cõmunione abstinebat: vnde quidam opinantur, loco sacræ communionis esse introductum panis, quem vocant benedicti vsum, qui in diebus Dominicis, & alijs solemnioribus festis dari ad finem Missæ populo solet. Cęterùm, panis benedicti vsus antiquior est. Pius enim I. qui M. Antonini Veri temporibus floruit, sic constituit; vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationibus, quæ supersunt, vel ex panib⁹, quos deferũt fideles ad Ecclesiã, vel certè de suis Presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase mundo, nitido, & commodo, vt post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die dominico, & diebus festis inde accipiant. Nazianzenus *in laudem patris sui oratione 19.* se panes sacrare, & Cruce signare consueuisse, innuit his verbis: *cum canistro panibusque in primis candidis pro meo more benedictis, & Cruce consignatis.* Extat etiam eiusdem panis benedicti mentio apud Augustinum, & Paulinum. Vnde in Concilio Florentino, quod primum Ferrariæ inchoatum est sub Eugenio Quarto, legimus, proxima Dominica quindecim Græcos Sacerdotes Imperatoris iussu, sacrum solemni ritu fecisse, & Marchionem Ferrariensem cum suis ciuibus affuisse, & panem benedictam è manu Patriarchæ Constantinopolitani, more Græcorum, accepisse. Et apud Græcos teste Nicolao Cabasila, Sacerdos absoluto Missæ sacrificio, oblatum panem, ex quo sacrum panè abscidit, in multa diuisum frusta tradit fidelibus, vt qui sanctus sit, eo quòd templo fuerit dicatus, & oblatus. Illi autem piè, & religiosè suscipiunt, & Sacerdotis dexteram osculantur. Olim porrò hic panis in ipso sacrificio sacrari solebat; nunc verò eo absoluto, & perfecto, precationibus adhibitis de more sacratur.

Citat. Durax lib 2. de ritibus Eccles. Cathol. ca. 52.

Durand. loco citato.

Decimoquartò quæritur, An sacrum vulgari

lingua,

lingua,& Sermone recitari debeat?Hæretici contendunt id ita fieri oportere. At Synodus Tridentina *sess.22.Canone 9.* contrarium sanciuit, his verbis : *Si quis dixerit, vulgari tantùm lingua Missam celebrari debere ; anathema sit.* De hac quæstione *supra suo loco* breuiter disputaui.

Decimoquintò quæritur, An vsus Missarum priuatarum è medio tolli,& abrogari debeat; Et an fuerit in Ecclesia peruetustus? Hanc quæstionem tractat Durant.*li.2.de ritib.Eccl.Cathol.c.4.* vbi testimonijs S.Ambros. Augu. Chrysost.Nazian.Prosperi,Iustini,vsum priuatarum Missarum comprobat.Hæretici contendunt,Missas priuatas,quæ scilicet absque populi conuentu celebrantur,vel in quibus nullus præter Sacerdotem, sacram communionem sumit, esse abolẽdas,quia olim Missæ non celebrabantur nisi cõueniente,& astante populo,& Sacram Eucharistiam sumente. At Synodus Tridentina *Sess.22.Canon.8.* definit : *Si quis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat,illicitas esse,ideoque abrogandas ; anathema sit*, & idem decernit *c.6.* Aiunt præterea Hæretici, Luterani,& Caluiniani,ante Gregorium I. non fuisse in vsu Missas priuatas,sed tantùm publicas. Certè quamuis olim Missæ publicæ colerentur, priuatæ tamen erant etiam vsu receptæ, nec quippiam video esse,quod impediat,quo minus Missæ priuatæ celebrentur. Obijciunt nobis Canonem X. Apostolorũ, & Canonem Anacleti *in c.Peracta. De consecr.dist. 2.* vbi excommunicatione afficiuntur,qui ante discedũt à templo,quàm sacrificium finiatur: & qui sacram Communionem non sumunt: item Canonem Sotheris *in cap. Hoc quoque. De consecr.dist.1.* vbi habetur, illam esse legitimam Missam, in qua adsunt Sacerdos, respondens minister,offerentes astantes,& communicantes.Respondeo, hos Canones id decernere, quod tunc de more fiebat ; at progressu temporis vsu abrogati fuerunt.Obijcient deinde illa sacri Canonis verba: *Vt quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus.&, Sacramenta,quæ sumpsimus*, ergo in Missa plures debent adesse, & Sacram Cõmunionem percipere. Respondeo, ea verba in Missa dici iuxta morem pristinum : nihilominus etiam nunc verè dicuntur,quia Sacerdos ea dicit publico Ecclesiæ nomine : sicut quando orationem Dominicam priuatim quisque recitat, dicit, *Pater noster ; &,Dimitte nobis debita nostra,sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Decimosextò quæritur, An vsus Ecclesiæ,quo in Missa quædam alta voce,alia tacitè, & silentio dicuntur, reprehendi meritò queat ? Hæretici, suo more, reprehendunt : sed eos damnat Synodus Tridentina *sess.22.Canon. 9.* Christus Dominus nihil de hac re constituit, sed liberum Ecclesiæ reliquit, vt quicquid vellet decerneret. Græci quidem licet quædam in silentio dicant ; alia voce alta pronuncient, verba consecrationis alte proferunt : sed Latina Ecclesia,& consecrationis verba,& multa item alia tacite pronunciat iustis de causis;ne videlicet ea ad omnium aures perferantur, & sæpius audita facilè contemnantur, vulgus enim quæ sæpe repetita audit, despicere consueuit.

FINIS LIBRI DECIMI.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER XI.

DE SECVNDO PRAECEPTO Decalogi, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

CAPVT PRIMVM.

Quidnam hoc Præcepto imperetur.

ILLVD primo loco quæritur, quidnam secundum in Decalogo Dei præceptũ imperet, quid vetet? Respondeo, in hunc modum : quando lex aliquid fieri prohibet, in eo etiam simul continetur præceptio earum rerum, quas præstare quisque debet: Vnde cum hoc secundo præcepto, quod nomen Dei in vanum vsurpare vetat, coniuncta quoque est lex,quæ nomen Dei honorare,& per illud religiosè,& sanctè iurare præcipit.Prohibet igitur hoc Præceptum, quo minus quis sacrosanctum Dei nomen conténat,polluat,vanè vsurpet,quominus item per ipsum, aut falso, aut frustra, aut temerè iuret. Nam adeo omnia iureiurando affirmantur,aut negantur:adeo omnia imprecationibus,& execrationibus referta sunt,vt nemo ferè,vel vendat,vel emat,vel negocij aliquid gerat, qui non iusiurandum interponat,Deique sanctissimum nomen millies, vel in re leuissima,& inani,temerè non ad testimonium adhibeat.

Secundò quæritur, Quid Dei Nomine in hoc Præcepto intelligatur? Profectò, cum iubemur debitum diuino nomini honorem tribuere ; non iubemur ipsius nominis literas, & syllabas, aut omnino per sè nudum verbum tantummodo attendere, sed in eam cognitionem mentem, & animum conijcere, quidnam valeat, quid contineat, quid significet illa vox. Non igitur nomen Dei honoramus,& colimus propter ipsum vocis sonum, aut propter literas, & syllabas, quibus constat ; sed propter immensam Dei maiestatem diuino nomine significatam. Deinde, hoc Præceptum ; quod nomen Dei imperat honorari, non de vno aliquo nomine, sed de omnibus, quæ Deo tribui solent,intelligendum est,multa enim Deo indita, ac posita sunt nomina, vt Domini, Omnipotentis, Altissimi seu Excelsi, Regis regum,& alia id genus,quæ in scripturis passim leguntur.

Tertiò quæritur,Qua ratione diuinum nomen veneremur,& honoremus?Respondeo,nos colere,& venerari Dei nomen in primis, cum lauda-

mus Deum; item cum in hominum conſpectu ipſum Deum, ac Dominum noſtrum confitemur, cum eum ſicut bonorum noſtrorum auctorem agnoſcimus, ſic etiam prædicamus: item cum eius ſermones, & verba ſtudiosè addiſcimus, legimus, audimus, & religiosè, & honorificè tractamus. Deinde, cum de omnibus rebus, tum proſperis, tum aduerſis Deo ſingulares gratias agimus, dicentes cum Iob: *Sit nomen Domini benedictum.* Iob. 1. Præterea, nomen Dei honoramus, ſi fidenter eius opem, & auxilium inuocamus, quo nos ſcilicet ab aduerſis liberet, aut ad eadem fortiter, & conſtãter perferenda, vires, & conſtantiam largiatur. Poſtremò, nomen Dei honeſtamus, cum fidei faciendæ gratia Deum quaſi teſtem aduocamus, quod eſt per Deum religiosè, & ſanctè iurare.

Quartò quæritur, Quænam hoc Præceptum prohibeat? Reſpondeo, ea omnia peccata prohibere, quibus Dei nomen polluimus; nimirum ea crimina, quæ committuntur contra religionem, qua Dei nomini honorem, & cultum deferre debemus. ROGABIS, ad quæ capita potiſſimum ea crimina reuocantur? Reſpondeo, quæ hoc Præceptum peccata violant, rediri poſſe ad hęc capita. Primò, cum quis malè iurat. Secundò, cum promiſſionem iureiurando firmatam nõ ſeruat. Tertiò, cum quis malè votum facit. Quartò, cum vota facta violat. Quintò, cum quis maledictis, ac conuicijs ſanctum Dei nomen inſectatur, vel afficit. Sextò, cum quis diuinis verbis in concionibus ad populum habitis abutitur. Septimò, cum precationibus ad Deum, vel ſanctos cæli incolas effuſis malè vtitur. Quare in hoc Præcepto diſputandum nobis eſt de iureiurando, de Periurio, de Voto, & cæteris, quæ ad hæc tria capita referuntur.

Quintò quæritur, Quiſnã ſenſus ſit Præcepti, quod vetat; Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum? Reſpõdeo, ſenſum triplicem eſſe poſſe; Primus eſt: Non aſſumes in vanum, hoc eſt, pro re nullius momenti, pro re futili, & inani. Alter ſenſus eſt: Non aſſumes in vanum, hoc eſt, fruſtra: quaſi dicat, Ne iures in eius nomine, niſi neceſſitate compulſus. Tertius eſt: Non aſſumes in vanũ, hoc eſt, mendaciter, tanquam diceret: Ne iures per nomen Dei mendaciter: mendacium enim, & quicquid eſt falſum, & fictum, hebraico more dicitur vanum. Qui ſenſus mihi valde probatur, & perinde eſt, ac ſi dicatur: Nil falſi Deo teſte aduocato iureiurando confirmabis: in vanum, hoc eſt, pro vano, pro falſo.

Caput II.

Quid ſit Iuſiurandum.

PRIMO quæritur, Quo pacto iuſiurandum, quod Theologi, Canonici, & Ciuilis iuris interpretes Iuramentum appellant, definiatur? Reſpõdeo, iuſiurandum eſſe affirmationem, vel negationem ſacræ rei atteſtatione affirmatam. Vnde Hoſtien. *in ſum. tit. de iureiuran.* Abbas, Felinus, & alij *in rub. de iureiurand.* Bal. *l. 1. ff. de iureiuran.* ac reliqui, vt refert Couarruu. *in cap. quamuis de pact. part. 1. §. 1. num. 1.* definiunt eſſe affirmationem, vel negationem alicuius rei licitæ, & quæ fieri poſſit, ſacræ atteſtatione munitam. Cicero libr. 3. de offic. *iuſiurandum*, inquit, *eſt affirmatio religioſa, quod autem affirmatè quaſi Deo teſte promiſeris, id tenendum eſt: iam enim non ad iram Deorum, quæ nulla eſt, ſed ad iuſtitiam, & ad fidem pertinet.* Sic ille. Alij definiunt eſſe actum, quo diuinum nomen fidei faciendæ cauſa adhibemus. Nam cum iuramus, Deum quaſi teſtem eius, quod dicitur, inuocamus.

Quidam, è quibus ſunt Selua. *in tract. de Iureiur. quæſt. 1.* Corſet. *in rubr. de iureiur.* vt Couarruuias teſtatur *in cap. quamuis pactum, de pact. in part. 1. §. 1. numer. 1.* has Iuriſiurandi definitiones oppugnãt, eo in primis argumẽto, quod quis cum per Idola, & Simulacra, vanaque, ac ficta Numina iurat, licet malefaciat, iuriſiurandi tamen vinculo tenetur, & tamen non confirmat id, quod dicit, nominis diuini, aut rei ſacræ atteſtatione. Deinde, cum per creaturas, inquiunt, iuramus, iureiurando obligamur; & tamen creatura res ſacra non eſt. Poſtremò, cum per ſanctos patrię cæleſtis incolas apud Deum regnantes, quis aliquid iurat, ſeſe iureiurando obſtringit, cum tamen nec Deum teſtem adhibeat, nec rem diuini nominis atteſtatione confirmet.

Sed ad hæc omnia facilè reſpondeo, ad Iuſiurandum ſufficere atteſtationem rei, quæ verè ſit ſacra, aut quæ apud homines talis habeatur, hoc eſt, quæ reuera, vel hominum opinione ſit ſacra. Cum enim homines ethnici per Idola falſoſue Deos iurant, verè iurare cenſentur, quia apud eos pro veris Dijs habentur. Præterea, licet creatura res ſacra non ſit, per eam tamen iuramus, quia eam adhibemus in teſtem tanquam aliquid, in quo Dei veritas refulget. Vnde non per creaturam iuramus propter ipſam, ſed propter Deum, qui in ſuis creaturis elucet, & ita creaturam teſtem aduocamus tanquam aliquid Dei. Eadem ratione iuramus per ſanctos cæleſtis patriæ, & aulæ ciues, in quibus Deus ipſe, tanquam in animatis templis ſibi dicatis habitat, & colitur. Omne igitur iuſiurandum habet Deum, vt teſtem, expreſsè, vel tacitè, ſeu occultè, & implicitè. Latinis Sacramentum idem erat, quod iuſiurandum *cap. Qui Sacramento. 22. quæſtione quarta: in Authent. Sacramenta puberum, C. Si aduerſus vend. l. 1. §. item Sacramenta de pace ten.* teſte Feſto, id Sacramentum dicitur, quod iuriſiurandi ſacratione interpoſita geritur. Hinc militiæ Sacramenta: nam auctore Veget. *libr. 2. de re militari*, milites iurare ſolent. *l. miles agrum. §. ignominioſa. ff. de re militari.*

Secundò quæritur, An iuſiurandum ſit aliquãdo laudabile? Reſpondeo, eſſe; nam Diuina lex iubet: *Dominum Deum tuum timebis, illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis.* Deut. 6. Dauid quoque; *laudabuntur*, inquit, *omnes, qui iurant in eo.* Psal. 62. Ex Apoſtolorum Epiſtolis conſtat, eos aliquando iuraſſe. Apocal. 10. legimus Angelum iuraſſe per viuentem in ſæcula ſæculorum: nec non, & Deus ipſe, vt ex veteri Teſtamento liquet, ſæpenumero iureiurando vſus eſt. Item, iuſiurandum, religionis eſt officium, & opus, quo credimus Deum totius veritatis auctorem eſſe, qui nec decipi vnquam poſſit, nec alios decipere; cuius oculis nuda, & aperta ſint omnia, quique rebus omnibus admirabili prouidentia conſulat. Hac item religione imbuti homines, Deum veritatis teſtem adhi- Hebr. 4.

bent, vt

bent, vt ijs iurantibus fidem non habere, impium, & nefarium sit. Denique iusiurandum est maximum remedium expediendarum litium. *l.1. ff. De iureiurando.*

Tertiò quæritur, An iusiurandum in Euangelio generatim prohibeatur. Olim quidam Ethnici Christianos calumniabantur, & aliquādo ex necessitate iurare solitos, tanquam Euangelij violatores accusabant. Aiebant enim illi, Christum Dominum in vniuersum iusiurādum interdixisse Matth. 5. illis verbis; *Audistis, quia dictum est Antiquis; Non periurabis. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, neque per Hierosolymam, neque per terram, neque per caput tuum. Sit autem sermo vester, Est, est, Non, non, quod autem his abundantius est, à malo est.* Idem penitus docuerunt quidam Hæretici VValdenses nominati, Ioann. VViclef, & nunc Anabaptistæ.

Sed constans est Theologorum sententia, non esse Iusiurandum generatim, & simpliciter in Euangelio damnatum; sed vt frequens iurandi vsus è medio tolleretur, præcepisse Christum Dominum, ne omnino iuraremus. Item, peruersum Iudæorum iudicium eo loco Dominus coarguit, quo sibi in animū induxerant nihil in iureiurando cauendum esse præter mendacium; quo fiebat, vt de rebus leuissimis, & nullius momenti, & ipsi iurarent frequentissimè, & ab alijs iusiurandum exigerent. Hunc ergo morem, & consuetudinem depraua tam, quæ apud eos inoleuerat, Dominus reprehendit, & docet, ac iubet omnino esse à iureiurando abstinendum, nisi ad id nos necessitas impellat. Et quamuis Basil. *serm. primo in Psalm. 14.* Hieronym. *Matth. 5.* Theophylact. Euthym. *Matth. 5.* iterum Euthym. *in Psalm. 14.* Oecumen. *cap. quinto, in Epist. Iacobi.* Chrysostomus, *in Matth. 5 & hom. 19. ad popu. Antiochen. & homil. 15. in Genes. & homil. 9. in Acta Apostol.* Auctor operis imperfecti, *in Matth. cap. 5. homil. 17.* & alij quidam ex Patribus docere videantur, iurare, esse per se malum, & in veteri lege Iudæis fuisse permissum, vt minus malum, ne videlicet illi per Dæmones, aut simulacra iurarent; at in noua lege esse penitus interdictum: Augustinus tamen perspicuè docet, & affirmat iusiurandum interponere aliquando licere. Et id quoque docetur, & traditur in iure Canonico, *capit. Omne, cap. Non est, cap. In noua, cap. vt Noueritis 22. quæstion. 1.* ex Augustino. Nam iusiurandum ea tantùm de causa institutum est, vt esset tanquam remedium quoddam humanæ imbecillitatis, & ad fidem faciendam rei, quam dicimus, necessarium instrumentum. Quemadmodum igitur corpori medicamenta adhibere non expedit, nisi necesse sit, eorundem verò frequens vsus solet esse noxius, & pernicioſus: ita etiam, nisi cum grauis, & iusta subest causa, iureiurando vti salutare non est; quòd si frequens adhibeatur, tantùm abest, vt prosit, vt magnum detrimentum, ac perniciem afferat; & Innocentius tertius, *in cap. etsi Christus, de iureiurand.* planè docet, *quædam esse per se mala, vt furtum, adulterium, & hæc, quia per se mala sunt, prohibentur, & nunquam sunt facienda: alia verò prohibentur alia ex causa, non quia per se mala sunt, sed quia si fiant frequenter, tunc multa ex his mala sequuntur, vt vinum per se malum non est, & tamen prohibet Apostolus dicens, nolite inebriari vino, in quo est luxuria: quoniam ex frequenti, & immoderata vini potatione, luxuria generatur. Sic & iuramentum per se quidem malum non est, cum sit confirmatio veritatis; sed tamen prohibetur ex causa: quoniam ex frequenti, & incauta iuratione periurium sæpe contingit.* Hæc ibi Pontifex.

Nec Christus Iusiurandum malum esse dixit, sed à malo existere, nempe, iusiurādum cœpit in sermonib⁹ adhiberi ob infirmitatem humanam, cum simpliciter aliquid affirmanti, negātiuè, aut promittenti fidem non habeamus, nisi sermonē, aut promissionem suam iureiurando confirmet. A malo illud dicitur prouenire, eo quòd iurantis inconstantiam indicat, aut illius, cuius causa iuramus, contumaciam, qui vt credat, aliter adduci non potest: vt interpretatur B. Augustinus, & refertur *capit. Ita ergo, 22. quæstione prima.* Illud porrò Christi Domini dictum, *Sit sermo vester, Est, est, Non, non,* hoc tantùm sonat: In sermone quotidiano, & familiari omnino à iureiurando abstinete.

Quartò quæritur, An verba ad iurisiurandi substantiam in iudicio requirantur. Dixi, *in iudicio,* quia constat inter omnes, in conscientia apud Deum sufficere sine verbis solum mentis consensum quomodolibet coram Deo expressum, qui cor, & mentem intuetur. Tres sunt opiniones, prima affirmat verbis opus non esse, cum ea nec ius naturale, nec diuinum, nec humanum postulet: Deinde, mutus potest sese alteri iureiurando obligare nutibus, & signis tantummodo datis. Præterea, pactum, conuentum, promissum, & matrimonium verba minimè requirūt, cum possint signis, & nutibus perfici: & solæ stipulationes inter contractus humanos iure ciuili certa verba deposcunt: ergo Iusiurandum verba non exigit. Sic glossa, & Panormitanus, Cynus, Ancharanus, Antonius Butrius, quos citat Selua, *in suo tract. de iureiu. p. 1. q. 2. nu. 1.*

Secunda opinio tradit, verba ad iurisiurandi substantiam pertinere in ijs, qui loqui possunt: in cæteris verba non esse necessaria: sic Tiraquellus, Selua, sic Paulus, Aretin. Alexander, quos citat idem Selua.

Tertia opinio docet, in vniuersum verba ad iusiurandum requiri, ita quidam opinantur, quos citat idem Selua. & Couarruuias *loco citato,* ait ita sensisse Bartholum, Albericum, Fulgosium, & Romanum. Verùm prima opinio est vera, vt tradidit Couarruuias *in cap. quamuis de pact. part. 1. §. 1. num. 4.* Nam sicut cætera pacta, promissa, conuenta, & matrimonia (vt diximus) nullum verbum requirunt etiam in ijs hominibus, qui fari possunt, cum signis, & nutibus queant inter se conuenire, ita etiam iusiurandum verba non postulat: nam verbum in iureiurando nec leges, nec Canones, nec alia iura vsquam requirunt, satis sunt nutus, & signa, quibus iurantis consensus exprimatur, & testes, qui probent nutus, & signa fuisse. Nihilominus tamen ad publica fœdera, & pacta, & ad priuilegia iureiurando firmata, & ad probationes in iudicio, iureiurando testium confirmatas necessaria sunt verba, vt ait Couarruuias, vt iusiurandum fidem facere possit. Si obijcias, *in ca. etsi Christus, de iureiurand.* ipsum iusiurandum dici sermonem. & *in Authent. de Manda. princ. §. sed neque.* Præsidi interdici, ne verbum, id est, iusiurandum

temere

temere alicui dare festinet. Respondeo, cum Couarruuia *loco citato, in Authentica constitutione citata*, præcipi Magistratui, ne temere det alicui fidem publicam. Nec obstet, quod habetur *in cap. Clericus, de iureiur.* vbi iusiurandũ ex solo iurantis consensu non extenditur vltra id, quod est sermone expressum. Nam ibi Pontifex solùm significat iusiurandum interpositum non protendi, & trahi ad alium casum, nisi expressim iterũ interponatur.

Quintò quæritur, Quot & quos comites debeat iusiurandum habere? quod est quærere, Quot, & quæ sint ad iusiurandum legitimè requisita? Respondeo, ex communi omnium Theologorum, & Canonici iuris interpretum sententia ab Hieronym. *in Hiere. capit. 4.* accepta; licet ad iusiurandum satis sit, Deum testem accersere, vt religiosè tamen, & sanctè iuremus, plura requiruntur; quæ Hieremias breuiter enumerat, nimirũ: *Iurabis, Viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Quasi dicat, In re seria, & iusta confirmanda, non inuocabis alium, nisi Deum viuentem: *In veritate*, hoc est, pro veritate, vel ad veritatem confirmandam: *In iudicio*, hoc est, pro seria, & graui, & alicuius momenti re. *In iustitia*, hoc est, pro re iusta, ac debita comprobanda. Primum itaque in iureiurando locum habet Veritas, nimirum, vt quod asseritur, ipsum verum sit: & qui iurat ita esse arbitretur, non leui coniectura ductus, sed certa, aut verosimili atque probabili. Et qui iureiurando aliquid pollicetur, eo debet esse animo, & voluntate, vt cum tempus aduenerit, id re ipsa præstet, quod iurando promisit, hoc est, debet in animo habere id, quod iurando promittit, exoluere. Secundo loco iusiurandũ debet cum iudicio coniungi, quoniam nec temerè, nec incõsideratè; sed consultò, & cogitatò iurandum est: Ita, vt qui iuraturus est, primum consideret, necessitate cogatur necne, accurateque rem totam expendat, an huiusmodi sit, vt iureiurando indigere videatur. Tempus præterea, & locum, & alia rebus adiuncta spectare debet, ne odio, amore, aliaúe animi perturbatione impellatur, sed rei ipsius vi, & necessitate tractus, alioqui præceps erit, & temerarium iusiurandum, cuiusmodi est hominum illorum, qui in re leuissima, & inani, nulla ratione, & consilio; sed praua quadam consuetudine iurant: quod passim quotidie venditores, & emptores facere solent. Illi enim vt quamplurimo pretio vẽdant, hi rursus, vt quam minimo emant, res venales laudando, aut vituperando, tertio quoq; verbo iusiurandum vsurpant.

Præterea, in iureiurando necessaria est Iustitia, quæ maximè in promissis requiritur. Quare si quis iniustum aliquid, vel inhonestum promittit, & iureiurando peccat, & in præstandis promissis crimẽ crimine cumulat. Tale fuit impium, & nefarium Herodis Regis Iusiurandum, tale etiam Iudæorum, qui seipsos (vt est in Actis Apostolorum) ea conditione deuouerunt, vt nihil gustarent, donec Paulum occiderent. *Act. 23.*

Sextò quæritur, Quotuplex sit iusiurandum? Respondeo, multiplex. Primum enim iusiurandũ diuidi solet in illud, quod Iudiciale vulgo appellatur, & in illud, quod dicitur. Non iudiciale, siue extraiudiciale, quod extra Iudicium adhibitum ab vno defertur alteri. Iudiciale verò in iudicio coram Iudice, solemni quodam ritu adhibetur. Secundo diuiditur iusiurandum, quoniam aliud per execrationem profertur, & dicitur Execratorium; Aliud, quod interponitur quippiam asserẽdo, vel negando, quod Assertorium appellant; Aliud, quod promittendo adhibetur, & Promissorium vocatur. Per execrationem igitur iusiurandum adhibetur, cum iurando rem aliquã Deo vltori, ac vindici subijcimus, si verum non sit, id quod iuramus; quale est illud Pauli Apostoli: *Testem Deum inuoco in animam meam.* Tale etiam est, quod frequenter in sacris literis legimus: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si ita non est, quasi dicatur: Mihi hæc, aut illa mala contingant. Talis ea etiam est iurandi formula, qua sacræ literæ vtuntur: *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Vbi arbitrantur quidam particulam, Si, accipi pro particula negante, non, sed verius est, quod alij tradiderunt, esse Eclipticum Sermonẽ; vt si dicat, Quibus iuraui, supplendum est, quod subticetur. Non sim ego Deus, aut pro Deo nõ colar, aut quid aliud simile, Si introibunt in requiẽ meam. Tale etiam est cum iuramus, Moriar, aut dispeream, aut, me Deus non adiuuet nisi ita sit. Iusiurandum, quod per Assertionem dicitur, est, quo quippiam affirmatur, vel negatur esse, fuisse, foréue: Per Promissionem verò est, cum quippiam iurando promittimus nos in posterum facturos aut non facturos. 2. Cor. 2.

Tertiò Diuidi solet iusiurandum in simplex, & solẽne. Simplex est, quod caret omni ritu, & formula solenni iuris. Solemne verò est, in quo aliqua iuris præscripta formula adhibetur, nimirũ quod fit in Iudicio, aut publicè, aut coram testibus, coram populo, aut coram tabellione siue notario, aut tacto Euangeliorum codice, Crucifixo signo, aut alia qualibet re sacra, aut in quo Syngrapha fit, aut Chirographum, aut Schedula manu subscripta continetur.

Quartò, diuiditur iusiurandum: nam aliud dicitur Absolutum, & purum, quod nullam habet conditionem adiectam: aliud vocatur conditionale, in quo interuenit aliqua cõditio, vt cum iuro; si ex Asia redieris post tres menses, me tibi daturum centum aureos: aliud verò Pœnale iusiurandum appellant, quod adhibetur pœna aliqua constituta: vt cum iuro, si in hoc vel illud peccatum incurro, dabo in vsus pauperum centum aureos, differt conditionale à pœnali; nam quamuis pœna adiecta, conditio quædam sit, conditionale tamen est iusiurandum, quod affectum est conditione, quæ pœna non sit, vt si in Capitolium ascenderis, iuro me tibi daturum decem aureos.

Vltimò diuiditur iusiurandum, quoniam aliud est, quo per Deum, aliud quo per bona creata, siue per creaturas iuramus.

Septimò quæritur, An Iusiurandum Execratorium, Assertorium, Promissorium inter se specie differant? Respondeo cum Ca. 2. 2. *q. 89. art. 1.* Soto *lib. 5. de iust. q. 1. art. 2.* & Couar. *in c. quamuis de pact. p. 1. §. 1. nu. 3.* Ipecie minimè distinguí; quoniam Iusiurandum, religionis est actus, & officium quo Deo tanquam teste vtimur, siue per execrationem, siue aliquid afferendo, aut promittendo. Deus enim qui testis adhibetur, vnus est.

Octauò

Octauò quæritur, An Iusiurandũ, quo per creaturas iuramus, specie differat à Iureiurando, quo quis iurat per Deum? Respondeo, minimè. quia quamuis Deo alius honor, & cultus debeatur, quã creaturæ; quatenus tamen per creaturã iuramus, non propter ipsam, sed proter Deum, qui est auctor omnis veritatis, iuramus. Quare sicut cum Dei imaginem, veneramur, & colimus, eam non propter ipsam, sed propter Deum omnis sanctitatis datorem, & largitorem honoramus, & propterea eam veneramur eodem honore, & cultu, quo Deum, quia in ipsa imagine Deum colimus, & imaginem honoramus, quia Deum repræsentat, & refert. Sic etiam cum per creaturas iuramus, non propter ipsas, sed propter Deum omnis creatæ veritatis auctorem iuramus.

Nonò quæritur, An Iusiurandum simplex à solemni distinguatur specie? Respondeo, minimè, quoniam solemne nihil aliud habet præter simplex, nisi iuris humani præscriptum modum, & formulam, quæ iuriiurãdo accedit; quæque ad eius substantiam non pertinet.

Decimò quæritur, An Iusiurandum, quod adnexum habet maledictum, quam Blasphemiam vocant, in Deum vel sanctos cæli habitatores, & ciues, specie differat ab eo, quòd omni maledicto, & blasphemia vacat? Respondeo, ratione Iurisiurandi non differre, specie; tamen distingui ob circunstantiam adiunctam, ob quam periurio aliam accipit speciem. Periurium enim cum blasphemia, & maledicto coniunctum duas habet deformitates specie diuersas, quoniam est periurium, & cõuicium, ac maledictum in Deum. Periurium est, quatenus aliquid mendaciter iuratur; Blasphemia verò, quatenus habet adiunctum maledictum in Deum, vt si quis mendacium confirmet iureiurando per creaturam aliquam tanquã per Numen, ac Deum: nam Blasphemus est, qui iurat per creaturam tanquam diuinitatis aliquid habentem, eo quòd tribuit creaturæ, quod solius est Dei proprium: defert creaturæ honorem, & cultum, qui soli Deo debetur.

Caput II.

De varijs Iurisiurandi modis, ac formis.

PRIMO quæritur, Quot, & quæ sint Iurandi formulæ? Respondeo, eas posse ad tres commodè reuocari. Aliæ sunt, de quibus conuenit, inter omnes eas habere Iurisiurandi vim, & rationem; Aliæ vero sunt, de quibus ambigitur, contineant nec ne Iusiurandum: Alię demum, quæ sunt cum maledicto in Deum, hoc est, cũ blasphemia coniunctæ. Formulæ igitur iurandi certæ, & exploratæ sunt eæ, quibus aliquid asserimus, negamus, aut promittimus Dei testimonium expressè, vel occultè, siue tacitè adducendo. Rursus eæ loquendi formulæ, quibus aliquid assueueramus cum particula *Per*, aut particula *In*: nam phrasi scripturæ vsitata, *iurare in nomine alicuius*, est, Iurare per nomen illius, *Iurare in veritate, in iudicio, & iustitia*, perinde est, ac iurare pro re vera, pro re iusta, & pro re seria, vt paulò ante explicaui. Eę itidem formulæ, quibus per execrationem aliquid assueueramus, certam iurisiurandi rationem habent.

Continent igitur Iurisiurandi ratione sequentes formulæ; *Deum testor, siue testificor; Testem aduoco siue adhibeo: Per Deum iuro: Testis sit mihi Deus: Viuit Deus, aut Viuit anima mea, vel tua: Per Euangelium, per Crucem, per sanctos, per cælum: Per animam, vitam, vel salutem meam, vel heri, patris mei, iuro: Per sancti Petri caput, vestem, vel templum.* Item, hoc modo: *Hæc vel illa mala mihi, vel meis propinquis, aut necessarijs cõtingant; Ita me Deus amet, iuuet, seruet, liberet*, & alia id genus multa.

Formę verò, de quibus meritò ambigitur, contineant, nec ne Iusiurandum, sunt, quę sequuntur: *Deus scit, Deus videt, vel audit me verum asserere: testor, vel dico, coram Deo*; Item, *in anima mea, in vita, salute, & conscientia mea, in fide mea, aut in fide boni, ingenui, aut Christiani viri.* & aliæ his affines, & proximæ. De quibus primò mihi videtur dicendum, eiusmodi asseuerandi formulas iurisiurandi rationem habere apud eos homines, apud quos in more positum est, vt accipiantur tanquam modi loquendi iurisiurandi vim habentes. Item, si iuxta sententiam eorum, qui huiusmodi loquendi formulis vtuntur, iurisiurandi rationem contineant. Præterea, si ea, quæ his formulis nominantur, adducantur in testimonium tanquam res, in quibus Deus honoratur, & colitur, vt auctor omnis veritatis. Postremò, si nihil horum adfuerit, tunc is, qui est à sacris confessionibus, de his formulis iudicare debet, secundum communem Doctorum sententiam, qui inter se dissident: nam Cai. *secunda secundæ, quæstio. 89. articulo quinto, & sexto.* Sot. *lib. 8. de iustitia quæst. 1. art. 1.* de his duobus loquendi modis; *Deus scit, vel audit, quod dico*; vel *coram Deo dico*, vel *Testis est mihi Deus*, distinguunt: si tantummodo in modum enunciationis dicantur, iurisiurãdi vim nõ habent; si autem in modum inuocationis proferantur, iusiurandum continent. Nauarrus vero *in Manua. cap. 12. nu. 3.* simpliciter, & absolutè testatur iurisiurandi vim continere. Et certè S. Augustinus *epist. 89. quæ est ad Hilarium, in quæstione quinta*, hæc omnia ad iusiurandum reuocat, & vsus hominum tanquam Iusiurandum solet adhibere, & accipere.

De ijs verò formulis, *In fide mea*, aut, *Per fidem meam, In fide, vel Per fidem boni, ingenui, nobilis, Christiani, Religiosiue hominis*, nisi Christi fides intelligatur, iudicandum est eas iurisiurandi rationem nõ habere, vt est cõmunis Doctorum opinio, ita enim docent Caiet. Sotus, & Nauar. *locis citatis*, idem testantur Angel. *iuramentum. 1. nu. 4. & 6.* Tabien. *iuramentum numer. 1. & num. 33.* Syluest. *iuramentum, primo quæstione quinta, & sexta.* Eorum enim verborum sensus est, Hoc dico, vel refero ea fide, quæ haberi solet viro nobili, ingenuo, Christiano, vel Religioso.

Eas porrò formulas loquendi: *In vita, salute, anima mea, aut cõscientia mea*, pleriq; docent iurisiurandi vim continere: quia particula *in*, idem valet, quod particula *Per*, cum dicimus *Per animam, vitã, conscientiam meam*: sed In his iusiurandum continetur, ergo & in illis.

Eæ verò formulę, quas inter loquendũ frequẽter adhibemus, *certè, profectò, reuera, ita est*, iurisiurãdi vim nõ habent. Cũ præterea dicimus, *in veritate*, aut *Per veritatẽ*, iusiurandũ non continent, dummodo in animo non sit iurare per Deum, qui est

prima

prima veritas, aut per veritatem, cuius auctor est Deus, tunc enim per creaturam iuraremus. Vnde in illis verbis, quibus Christus Dominus passim, ac frequenter vtebatur, *Amen, Amen dico vobis*, iusiurandum minimè continetur: nam hebraica vox, *Amen*, nihil aliud significat, nisi verè. Apud Lucã legimus etiam: *In veritate dico vobis*. Quod iusiurandum non est; quamuis quidam existiment in vtroque illo loquendi modo Christum iurasse, vt videtur significare Innoc. *in c. Etsi Christus, de Iureiu.*

Secundò quæritur, quæ sint formæ iurãdi, blasphemiam in Deum, vel sanctos cæli habitatores dictam continentes? Respondeo, pro varietate nationum, & gentium varias esse huiusmodi iurandi formas. Vt generatim tamẽ aliquid dicam; blasphemiam continent eæ, in quibus verbũ profertur, quo aliquid Deo denegatur, quod ipsi conuenit, vel affirmatur aliquid, quod in illum non cadit. Vnde blasphemia est per creaturam tanquam numinis, & diuinitatis aliquid habentem iurare, vt per Iouem, Martem, Herculem, Idola. Item, si verbum proferatur, quo quis fidem Christi abneget, vel à religione Christiana recedat. Item, si aliquid dicatur, quo Deus, vel Sãcti patriæ supernæ ciues pœnis, malisúe subijciantur, neq; enim his vllo modo sunt obnoxij. Si item per Dei vel Sanctorum incolarum cœli membra obscœnè, & turpiter iuretur. Vnde apud quosdam quinq;, vel sex sunt impia, & nefaria verba, quę blasphemiam continent, hæc nempe; *Descreo del tal*, nimirum Deo, *Reniego de tal*, *No creo en el tal*, quæ tria significant defectionem à Fide. Alia verò tria sunt, quę execrationem contumeliosam continent, nimirum, *Por vida del tal*; quod est dicere, Per vitam Dei: *Voto al tal*, id est, Execror, ac detestor Deum. *Pese al tal*, aut *Mal grado aya Dios*, quasi latinè diceretur, Doleat Deus, Deum tædeat, aut Malè Deus se habeat, vel malè valeat. *No a poder Dios* hoc est, Nihil Deus potest. *Por vida de Dios, reniego de la fe, ò del crisma, que recebi.* Abnego Fidem, aut Chrisma quo sum per Baptismum imbutus. His blasphemijs vtuntur homines scelerati, ac perditi.

Apud alios solent esse aliæ, quales hæ sunt; *Al dispetto di Dio*, quã atrocẽ esse blasphemiam secundum communem sent. testantur Couar. *in c. quamuis de pact. in 6. p. 1. §. 7. nu. 9.* Clari. *lib. 5. recep. sentent. in practica crimina. verbo. blasphæmia. num. 2.* licet Baldus, quem teste Couarruuia sequuti sunt Angelus, & Felinus, senserit non esse blasphemiam. *Maledetto sia Dio, tristo, traditore, gli venga il cancaro*, & alia his similia, quibus aut mala Deo nefarij homines imprecãtur; aut quæ sunt Dei, contumeliosè, inhonestè, ac turpiter nominant, aut impiè detrahunt Deo, quæ ipsi conueniunt: aut quę in eum non cadunt, tribuunt impudenter.

Porrò ea est etiam iurandi formula satis ambigua, qua solent aliqui dicere: *Sicut Deus est veritas*: aut, *Sicut est filius B. Virginis, ita est verum, quod dico*: aut, *Sicut Euangelia sunt vera, ita verum testor*: aut, *Sicut S. Franciscus est Innocẽs, sic ego sum mundus, ac purus*, quæ verba si significent, tantam esse veritatem in dictis nostris, quanta est in Deo, aut in Euangelijs; aut tantam integritatem, quanta est in B. Francisco, verba sunt cum blasphemia coniuncta: Si verò tantummodo similitudinem quandam contineant, nimirum; Hoc, quod dico, modò quodam est verũ, sicut Deus sua natura est verus: tunc manifestè blasphemiam nõ continent, quoniam nec diuinæ veritati, nec B. Francisci innocentiæ nostram æquamus.

Tertiò quæritur, Quid & quantum mali contineat deprauatus iurandi vsus? De hac quæstione Sot. *lib. 8. de iust. q. 2. art. 3.* Nauar. *in Manua. c. 12. n. 6.* Medi. *in sua instruct. confes. lib. 1. c. 14. §. 4.* Respondeo, ex frequenti iurandi vsu, & consuetudine quendam deprauatum habitum comparari, qui hominem ad iurandum incitat, flectit ac mouet; hic autẽ genitus, & acquisitus habitus quamuis ex malis actibus procreatus sit, actu tamen peccatum non est, cum non sit actus, sed tantùm vitiosus habitus ex malo genitus, & comparatus, & ad malũ inducens; actibus autem meremur, aut peccam⁹, habitibus nõ itẽ. Deinde, qui eiusmodi prauo habitu incitatus, & motus iurat, si quando iurat, certo & manifesto nouit, aut credit verũ esse, quod iurat, lethale peccatum non incurrit; quia nec mendacium iureiurando confirmat, nec se periurij periculo exponit. Qui vero prauo illo habitu iurat, si ita subito iuret, vt plenam animi deliberationem Iusiurãdum præcurrat, lethalis peccati reus censendus non est, vt ex proximè antedictis patet. Quid si ita iuret, vt quamuis subito, plenè tamen, & perfectè animaduertat se iurare? Certè lethaliter peccat, quamuis verum iuret, non falsum; quoniam sese periurij periculo obijcit. Sic Sotus, & Nauarr. *locis supra citatis*. Præterea, qui ex iam dicto prauo habitu iurat nullam rationem habens eius, quod iuraturus est, sit verum nec ne, lethali se crimine obstringit, si ex animo plenè considerante, & deliberante iuret; quoniam toties periurij periculũ incurrit, quoties iurat. Postremò qui prauam, ac peruersam passim iurandi consuetudinem habet, & apud se firma deliberatione constituit, nunquam falsum iureiurando confirmare: si iuret verum, venialem tantummodo culpam contrahit, quoniam absque iusta, & debita causa iurat. Si verò falsum iuret, lethaliter delinquit, quoniam periurus est. Sic Sotus, & Medina *locis superiùs dictis*.

Quartò quæritur, Quo pacto se gerat is, qui cõfessionem audit eius hominis, qui prauam habet consuetudinem iurandi? Respondeo, videndum esse, an antea fuerit sæpe admonitus, vt eam consuetudinem radicitus euellendam, & à se abijciendam curaret? Deinde, an ea de re admonitus curam, & diligentiam ad eam consuetudinem extirpandam contulerit. Si enim nunquam est admonitus, absolui à peccatis iure potest ea conditione, vt statuat apud se eam consuetudinem velle omnino deponere. Idem iuris est, si alioqui admonitus studij, curæ, & laboris aliquid adhibuerit ad eam depellendam. Si tamen ter quaterue, ac sæpius etiam admonitus nihil in ea re studij, & operæ posuerit, & si absolutio simpliciter denegãda non est, videtur tamen ad tempus differenda, vt operæ aliquid interim in id conferat: nisi iusta alioquin causa subsit, qua statim à peccatis absolui debeat. possunt enim iustæ causæ subesse. Medina *loco citato*.

Quintò quæritur, An fas sit per creaturas iurare? Ratio quæstionis est, quia *in c. Clericum 22. q. 1.* ex Concil. Carthagin. 4. statutum est Clericum per

creatu-

creaturas iurantem, acerrimè esse obiurgandum: quod si perstiterit in vitio, excommunicandum. Et cap. *Si quis, eadem causa, & Quæstione* dicitur: *Si quis per creaturas iurauerit, acerrimè castigetur, & iuxta id, quod Synodus diiudicauerit pœniteat.* Respõdeo, Hieronymũ in ea fuisse sententia, vt putauerit in Euangelio prohibuisse Christum Dominũ iurare per creaturas, non autem, per Deum. Sic enim ait ille, paulò ante dicto loco cap. Considera. 22. quæst. 1. *Considera quod Saluator non per Deum iurare prohibuit, sed per cælum, & terram, & per Hierosolymam, & per caput tuum: & hoc quasi paruulis fuerat lege concessum, vt quo modo victimas Deo immolabant, ne eas immolarent Idolis, sic etiam iurare permitterentur per Deum, non quòd rectè hoc facerent, sed, quòd melius est Deo id exhibere, quàm Dæmonijs.* Innocentius quoque III. *in cap. ei si Christus, De Iureiurando*, videtur Hieronymi sententiam secutus, his verbis scribens: *licet iuramentum prohibuisse Dominus videatur; nunquam tamen per creatorem iurare prohibuit, ne per huiusmodi iuramentum transferretur ad creaturam honorificẽtia creatoris.* Et probat, *quia cum in Euangelio præmittatur: Dico vobis, Nolite iurare omnino, statim subiungitur: Neque per cælum, & terram, neque per Hierosolymam, neque per caput tuum.* Hæc ille.

Matth. 5. d. 39.

Cæterùm communis est omnium Theologorum sententia, Christum Dominum Matth. 5. non solùm Iusiurandum per creaturas; sed etiam per Deum vetuisse: & certè ea sententia ex his quæ Matth. 5. habentur, planè colligi potest. Ait enim ibi Christus Dominus: *Sit sermo vester, Est, est, Non, non, quod autem his abundantius est, à malo est*, cum generatim prius dixisset: *Nolite iurare omnino.* Obijcies. Quare igitur solùm proposuit exemplum in Iureiurando per creaturas? Respondeo, duplicem errorem in iureiurando Christum Dominum in Scribis, & Pharisæis reprehendere; vnum, quòd putarent mendaciter iurare per Deum, esse lege prohibitum, non autem per creaturas; & inde deducebant, si quis per creaturas iurasset, eum non peccare, si quod iureiurando per creaturas promiserat, minimè præstitisset. Alter error Scribarum, & Phariseorum erat, quod iurare passim, & pro qualibet re leuissima, & nullius momenti solebant: credebant enim solùm in lege prohibitum iurare mendaciter, & propterea dixit Christus, *Nolite iurare omnino*; id est, In quotidiano, & familiari sermone nullum penitus Iusiurãdum adhibeatis, siquidem nulla est iurãdi necessitas: nec item per creaturas iuretis, sed satis est, si simplici affirmatione, aut negatione semper vtamini. Animaduertendum tamen est, per creaturas posse quempiam dupliciter iurare: Vno modo per eas tanquam numinis, & diuinitatis aliquid habentes: quo pacto Gentiles iurabant per Idola, per Iouem, per Herculem, per Martem: & huiusmodi Iusiurandum blasphemiam continet, quoniam quod est Dei proprium, creaturæ tribuitur, nimirum esse omnis veritatis auctorem, testem, & iudicem, qui nec falli omnino, nec fallere possit: & hoc est, quod ius Canonicum prohibet *in cap. Clericum, & cap. Si quis paulò ante dictis.* Altero modo iurat quis per creaturas, nõ propter ipsas, sed propter Deum, qui est auctor omnis veritatis, & sanctitatis, quam habent creaturæ: & Iusiurandum huiusmodi tantùm abest, vt blasphemiam contineat, vt sit etiam religionis opus, & officium, si iuretur in veritate, iudicio, & iustitia. Hoc itaque Iusiurandum nõ simpliciter prohibuit Christus, sicut nec Iusiurandum per Deum, sed frequentem vsum iurandi vt ante iam dixi.

Sextò quæritur, An liceat Iusiurandum exigere? Anabaptistæ, quia censent Iusiurandum in vniuersum esse in Euangelio prohibitum, inferunt quoq; eos grauissimè peccare, qui iusiurandum petunt, siue priuati homines sint, siue Magistratus, & Iudices. At enim illi vehementer falluntur. Iusiurandum enim, maximum est remedium expediendarum litium, vt dixit Iurisconsultus *in l. 1. ff. de iureiur.* & ideo iustissimè sæpius causa controuersiæ & litis dirimendæ Magistratus, & Iudices postulant, & rei vel actores alteri deferunt. Iustè quoque in pactis, conuentis, & commercijs exigitur, & interponitur Iusiurandum, vt contractarum rerum fides sit firmior, & certior.

Caput IIII.

De Iureiurando, cui videtur veritas aliquo modo deesse.

PRIMO quæritur, Quodnam peccatum sit, quando in iureiurando veritas desideratur? Respondeo, communem esse sententiam: Quotiescunque iureiurando, quo quippiam affirmamus, vel negamus, veritatem deesse scimus, lethale crimen contrahimus, siue graue sit, siue leue, & minimum mendacium, quod iureiurando firmamus. Nam pari iniuria Deum afficis, si eum testem arcessas in graui mendacio, aut leui confirmando. Sic Theologi, & Canonici iuris interpretes, & Summistæ. Præterea, qui putat, & credit falsum esse, quod iurat, lethaliter delinquit, siue falsum, siue verum sit, quod iurat. Qui item falsum iurat credens esse verum, nisi quam potuit iustam, ac debitam arbitrio boni viri curam, & diligentiam adhibuerit, vt totam rem prius bene cognitam, & perspectam haberet, in lethalem ille culpam incurrit. Qui etiam iurat, dubitans tamen, sit ne falsum, an verum, quod iurat, lethaliter peccat, cum se exponat, & obijciat periculo periurij. SI QVAERAS, quando deest veritas iuriiurando, quod promissorium vocatur; Respondeo: Quando quis promissionem iureiurando confirmat; cum tamen animus, & voluntas desit id præstandi, quod iurat, mendaciter iurat, quare lethale crimẽ admittit. QVAERES deinde, an etiam, qui iurando promittit non habẽs in animo seruare promissum, grauiter delinquat, si promissio sit rei leuis, & minimæ? Respõdeo, etiam communem opinionem esse: quemadmodum in iureiurando, quo aliquid asseritur, quotiescunque veritas deest, lethaliter peccatur; sic etiam cum quippiam aliquis promittendo iurat, nisi statuat promissa persoluere, lethalem contrahit culpam, siue magnum quid, siue paruũ polliceatur. Deum enim falsi promissi testem adhibeas.

Secundò quæritur, An qui iureiurando aliquid alteri promittit, cum tamen in animo non habe-

at ei se obligare, vim habeat huiusmodi iusiurãdum? Respondeo, tribus modis posse quempiam iurando promittere: Aut enim iurat non habens in animo iurare, & huiusmodi iusiurandum est fictum, & simulatum: ore enim tantummodo iurat, non corde; ac proinde iurisiurandi vim non habet per se, quia voluntarium non est: aliunde tamen quatenus quidam actus exterior, potest iurantem alteri obligare, aut ratione offensionis, quæ vocatur scandalum, aut ratione iniuriæ, aut damni subsequentis. Aut iurat quis carens voluntate præstandi id, quod iureiurando promittit; habens tamen in animo iurare, & sese alteri obligare: & de hoc iureiurando inter omnes cõuenit, illud obligationem inducere: ita vt is, qui iurat, stare promissis debeat, quamuis peccauerit carens voluntate persoluẽdi promissum. Aut denique quis promittendo iurat, nolens quidem se alteri obligare, sed volens nihilominus iurare. Et de hoc sunt duæ sententiæ: Prima huiusmodi, iurantem ait esse obligatum ei, cui iurãdo promittit. Sic opinantur Caietanus 2.2. *quæstion.* 89. *articul.* 7. *ad* 4. Sot. *libr.* 8. *de iust. & iure quæst.* 1. *articul.* 7. *ad* 4. Couar. *in c. Quamuis. de pactis in* 6. *part.* 1. §. 4. *nu.* 2. Quod probant, quoniam obligatio natura sua ex iureiurando promanat: nemo autem potest, positis rerum naturis, earum necessarios effectus impedire: ergo cum ex iureiurãdo obligatio necessario nascatur, non est in potestate iurantis eam impedire, aut submouere. Deinde probant à simili: quemadmodum lex, si reuera lata sit à Principe animo, & voluntate cõdendi legem, eo ipso obligationem subditis imponit, sic etiam iusiurãdum, si interponatur animo iurandi, nequit sua obligatione priuari.

Secunda opinio docet, huiusmodi iusiurãdum nullo obligationis vinculo deuincire iurantem: quod videntur sentire Angel. *Iuramentum.* 5. *quæst.* 32. Gabr. 3 *dist. intẽt.* 39. *quæst.* 1. *articul.* 2. *conclus.* 5. Syluester. *Iuramentum* 4. *quæst.* 19. Nauarrus *in Manua. ca.* 12. *num.* 38. Bonau. 3. *dist. intẽt.* 39. *art.* 3. *quæst.* 1. *&* 4. *dist.* 38. *art.* 1. *quæst.* 1. & Richard. 4. *d.* 38. *art.* 3. *quæst.* 3 *&* 3. *d.* 39. *art.* 2. *quæst.* 1. Glossa *in cap. Literaturam. de vot. & vot. redempt.* quod probant à simili: sicut lex conscientias non tenet, nec ligat, nisi voluntate Principis volentis sibi populum obligare; sic nec votum, nec promissio, nec iusiurandum vllam obligationem parit, nisi vouẽs, promittens, & iurans velit se Deo, aut homini obstringere, & obligare.

In hac controuersia illud mihi videtur exploratum, & certũ in primis, si is, qui iurat, ad iurandum voluntatem habet, & nihil de obligatione cogitat; iureiurando eo ipso se deuincit: & hoc sensu puto esse verissimam Caietani, & Soti sententiam: quoniam ex iureiurando naturaliter, & necessario obligatio profluit nõ impedita aliunde. Si tamen quis iuret voluntatem quidem iurãdi habens, non tamen sese obligandi, incertæ, ac dubiæ quæstionis est, an ex eo iureiurando obligatio maneat, & surgat. Caietanus, & Sotus putant oriri obligationem, cæteri negant. Mihi ita probabilis Caietani, & Soti sententia videtur, vt non inficiar oppositam, quam Syluester, Angelus, Gabriel, & Nauarrus sequuntur, esse quoque probabilem: quoniam voti, promissionis, & iurisiurandi obligatio proficiscitur quidem natura sua ex voto, promissione, & iureiurando; sed id locum habet in eo, qui cum vouet, promittit, aut iurat, contrariam voluntatem non habet: nã eo ipso, quod quis se alteri obligare non vult, reuocat voluntatem iurãdi, & tunc iusiurandum speciem quidem, imaginem, & similitudinem iurisiurandi gerit, sed reuera iusiurandum non est, quoniam is, qui iurat à iureiurando recedit, ita vt iurando nolens se alteri obstringere, perinde se habeat, atque is, qui iurat nolens iurare. In vtroque enim iusiurandum habet similitudinem iurisiurandi, sed re ipsa iusiurandum non est: non aliter, ac si Princeps legem ferat, nolens tamen sibi obligare populum, specie quidem, nomine, & similitudine lex esse censetur, re tamen lex non est.

Tertiò queritur, An qui dubitat, promissionem iureiurando firmauerit, nec ne. Item, an qui certò quidem nouit se promissioni iusiurandum adhibuisse, ambigit tamen habuerit nec ne iurandi voluntatem, iurisiurandi nexu, & vinculo teneatur? Sotus *in libr.* 7. *de iustit. q.* 3. *art.* 2. negat ea ratione adductus: *quia in dubijs*, inquit, *melior est conditio possidentis.* Cum igitur Titius, Verbi gratia, hæsitet, iurauerit nec ne, haberi debet tanquam iureiurando solutus, & liber, ne in dubio libertatem, quam antea habebat, amittat. Idem quoque censet Medina *in sua instruct. Confessorum libr.* 1. *cap.* 14. §. 7. Mihi tamẽ multo verius videtur oppositum, eum hominem scilicet esse iureiurando deuinctum: quoniam in dubijs, quod tutius est, eligere oportet, ne quis se peccati periculo obijciat. Quemadmodum si quis hæsitet, sit nec ne excommunicatione, vel irregularitate affectus, eo ipso debet se à sacris abstinere: item, si quis dubitet, præbuerit nec ne consensum peccato lethali, eo ipso confiteri debet, cum sacram suorum peccatorum confessionem coram Sacerdote facit. Ea vero præceptio, & regula iuris: *In dubijs melior est conditio possidentis*, locum habet tantum modo in rebus, quæ ad iustitiam pertinent: vt si dubitem, fit nec ne res aliena, quã iam pridem possedi, eam possim iure optimo retinere. Aliud verò est de rebus quæ nihil ad iustitiam spectant, *vt secundo libro cap.* 19. *q.* 10. abunde, quantum ego quidem existimo declaraui. Idem iuris est in eo, qui dubio est animo, obligauerit se nec ne, cum aliquid iureiurando promisit: nam aut dubitationem deponere, & abijcere debet, aut alio qui id facere, ad quod faciendum iureiurando se alteri obligasse dubiè putat.

Quartò quæritur, An iusiurandum, quod frequenter vrbanitatis gratia alteri præstari solet, obligationem pariat? veluti, vnus alteri honorẽ tribuens, iurat per Deum, Non ibo, nisi tu præieris, non ingrediar, non bibam, non transibo, non sedebo, nisi tu id primo feceris. Sunt, qui putant eos, qui hac ratione iurant, iusiurandum penitus violare, si contra fecerint. Sed verius est, quod Caiet. 2.2. *q.* 89. *art.* 7. *dub.* 2. Sot. *libr.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 7. Armil. *verbo, Iuramentum. num.* 11. Tabien. *verbo, Iurare, nu.* 11. tradiderunt, eos iurisiurandi violati reos nõ esse: tum quia eiusmodi iusiurandum adhiberi solet sub tacita conditione, ea nimirum, quod ad mẽ attinet, non præcedam, non transibo, nisi tu præcesseris, nisi tu prior transieris: tum quia iusiurãdum cedit in honorem, obsequium, & bo-

num al-

num alterius: ergo si is, cui iusiurandum præstatur, suo iure cedit is, qui iurat, liber, & solutus est ab omni iurisiurandi vinculo.

Quintò quæritur, De iureiurando dolosè, ac per fraudem in promissionibus adhibito, an qui iurat, debeat vti verbis eo sensu, quo accipiuntur ab eo, cui aliquid iurando promittit, an verò possit ea verba accipere in eũ sensum, quem ipse mente, & animo suo concipit. De hac quæstione *in c. Quacumq; arte. & in c. Humanæ artes. 22. q. 5.* Nauar. *in Manua. c. 12. n. 8. & n. 18. & 19. & in comment. de hac re, in c. humanæ aures 22. quæst. 5.* Sylvest. *iuramentum 3. q. 2.* Angel. *iuramentum 4. nu. 1.* Sot. *lib. 8. de iust. q. 1. art. 7. in 4. argumento.* Tab. *iurare. q. 13.* Quidam ex Nauarro, Sylvestro, & Angelo regulam generalem proponunt, Non esse mendacium, quamuis verba significatione ambigua non fiat, si sermo noster ex aliqua tacita mẽtis cogitatione verus reddatur, vtputa si mutuam à me petas pecuniam, & eam cum apud me habeam, respondeo me eam nõ habere, tacitè animo concipiens, vt eam scilicet tibi mutuò dem: quãuis (inquiunt) sermo exterior nihil ambiguitatis habeat, & absolutè significem me eam non habere, quia tacita mente retineo me eam non habere, vt tibi mutuò dem: ideo (inquiunt) verum est, & nihil iurando peccatur. Quod probant, *ex ca. Humanæ aures. 22. q. 5.* vbi dicitur: *Humanæ aures talia verba iudicant, qualia foris sonant. Diuina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur: quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni.* Hęc ibi ex Gregorio. Ex qua regula multa deducũt partim quidem vera, partim verò falsa.

Primò quidem aiunt iurantem, vt à periurio liberetur, non debere accipere verba, quamuis ambigua non sint, in eum sensum, in quem accipit is, cui iusiurandum præstatur, sed eo tantummodo sensu, quem ipse mẽte tacitè concipit. Deinde, fas esse cuique iureiurando, vt vitam suam conseruet, latroni, tyranno, aut hosti promittere daturum se illi certam pecuniæ quantitatem, cũ tamen in animo habeat nullam ei dare; quia tacitus secũ dicit, Dabo, si debeo. Item, vxorem quidem adulteram, sed occultam, rogatam à viro de adulterio, posse tuta cõscientia iurare se nullum adulterium commisisse, mente cõcipiendo, quod tibi confiteri, & aperire debeam. Præterea: Scholasticos rogatos, an fuerint collocuti cum aliquo ex candidatis cathedram petentibus, posse citra mendacium iurare se non fuisse collocutos, si sermonem tãtummodo habuerint de his rebus, quæ ad subornandum eos nihil pertinebãt; nam alioqui veritatem confessi, tanquam inhabiles à suffragio ferendo excluderentur. Sic enim iurantes nequaquam mentiuntur, quia mente intelligunt se nihil fuisse locutos, quod statuta prohibeant. Postremò, eum qui venit ex aliquo loco peste minimè infecto, qui falsò habetur pro infecto: aut eum, qui per locum peste infectum adeo celeriter transiuit, vt nihil eum pestis attigerit, rogatum à custodibus Vrbis, venerit nec ne ex eo loco, tutò citra mendacium iurare se ex eo loco non venire, dummodo intelligat se non venire ex loco pestilenti, aut se nihil mali ex pestilentia loci contraxisse. Hæc omnia ex Nauarro quidam collegerunt, quæ ex parte Sylvester, & Angelus ante tradiderunt *locis citatis.*

Meo tamen iudicio illi regulam ad plura extendunt, & trahunt, quàm par sit, & quàm Nauarrus, Sylvester, & Angelus voluerint. Nihil enim tam falsum esse potest, quod non queat ab omni mendacio liberari, si aliquid arbitratu nostro mente tacitum retineamus. Possemus enim, quicquid à nobis petitur, quamuis id apud nos habeamus, diffiteri nos habere, intelligentes, vt demus: quicquid fecerimus, quicquid viderimus, quicquid cogitauerimus, decreuerimus, de eo rogati, possemus absque mendacio dicere, Non fecimus, non vidimus, non cogitauimus, non decreuimus, eo nimirum sensu, vt tibi dicamus, vel quod tibi dicere debeamus. Quare mihi aliud videtur, quod quibusdam regulis subiectis breuiter perstringam.

Prima Regula sit: Si Sacerdos rogetur de his, quę in sacris peccatorum confessionibus audiuit: potest simpliciter respondendo iurare se nihil scire, nihil audiuisse: quoniam quæ audiuit, ea audiuit, vt Christi Domini, & Sacramenti minister: nec rogatur à iudice, vt ea prodat, & dicat.

Secunda Regula: Si reus à iudice contra, vel præter ius rogetur de crimine occultè patrato, potest tuta conscientia respondendo iurare se illud non commisisse, se nihil penitus de eo crimine scire. Ratio vtriusque regulæ non est ea, quam aliqui reddunt, quod liceat nobis cùm iuramus, verba accipere nostro sensu, quem facimus ipsi, ac fingimus, non eo, quem audientes intelligunt: sed ea, quia quotiescunque verba sunt significatione ambigua, & cõtra, vel præter ius rogamur, integrum est nobis eo sensu, quem volumus, & concipimus, ea accipere, licet in alio sensu audientes accipiant. Ambiguitas autem in verbis potest ex multis capitibus inesse, nimirum ex significatione, quia sint ad alia multa, & varia significandum imposita. Deinde ex loco, ex tempore, ex persona, ex modo, & ex alijs rei adiunctis, quibus rogamur: quo fit, vt Sacerdos de cuiuspiam delicto rogatus, iure respondeat se nihil scire, quamuis in sacra id pœnitentis confessione cognouerit: quoniam etsi generatim respondeat nihil se scire, ex modo tamen quæstionis sibi propositæ intelligitur, se non rogari de his, quæ in sacra confessione audiuit. Et proinde cum respondet se nihil scire, in eum sensum verba accipiuntur, extra sacram videlicet peccatorum confessionem. Similiter cum quempiam Iudex legitimè interrogat de criminibus, secundum iura, intelligitur interrogare de ijs, quæ ad iudicium venire possunt. Ergo cum reus de occultis rogatus, quamuis simpliciter neget se quicquam fecisse, aut nosse, intelligitur de ijs, quæ ad iudicem deferri possunt. Ex qua Regula deducitur, debitorem, qui debitum integrum creditori soluit, in iudicio tamen probare nequit, se in totum soluisse, à Iudice coactum, vt iureiurando promittat se soluturum, posse citra mendacium iurare, soluam; & deinde, si non soluat, periurum non esse, quoniam iusiurandum, quo se soluturum promisit, iuxta sententiam à Iudice legitimè latam, intelligebatur, nempe, soluturum se, quod creditori debebat; ad hoc enim soluendum Iudex condemnabat. Et proindè quamuis simplici-

ter respondeat, soluam, intelligitur, quod creditori debeo, non quòd iam solui. Item, si Titius mutuò accepit à Caio centum, & ea integrè soluit; iniquè tamen in iudicio conuenitur, & rogatur simpliciter, acceperit nec ne mutuo à Caio centum, iurare potest absolutè se non accepisse: nam intelligit mutuum esse solutione rescissum, & mutuum non debetur, quod est redditum, & solutum, vel quia solùm rogatur à Iudice de mutuo, quod debet. Eodem modo si accepit centum, & soluit quinquaginta, & repetuntur ab eo centum, potest iurare se non accepisse mutuò centum, quia quinquaginta iam soluit, ac reddidit. Pari etiam ratione mulier morti vicina, & Sacerdoti confessa, vel ad iudicium deducta, & coacta iurare se cum marito in posterum victuram; cum tamen id præstare nequeat absque graui sui detrimento, ob occultum coniugij impedimentũ, quod vel in confessione aperire commodè, aut in iudicio verum esse probare non potest, tuta conscientia iurat, faciam; nec tamen postea ad id faciẽdum vllo iure compellitur: nam cum iurauit, faciam, hunc sensum habuit, faciam, quod debeo: aliud enim eam iurare Sacerdos, aut Iudex non cogit.

Tertia Regula: Quoties in conuictu hominum communi, de aliquo rogamur iureiurando adacti, si nobis in eo iniuria inferatur, nobis fas est iurando verbis ambiguis vti, & ea accipere nostro sensu, quem ipsa verba reddere queũt, quamuis ea in audientium animis alium sensum ingenerent. Ob iniuriam enim, quæ nobis infertur, integrum nobis est nostro bono consulere, dummodo ambiguè loquamur, ac possint verba sic arte componi, vt reddantur ambigua. Quare libenter concedimus id, quod paulò ante dicebatur de adultera occulta, præter ius à viro rogata; & de eo, qui vt se saluum tueatur, promittit latroni, tyranno, hosti, aut ei, qui ipsum iniquè vexat, & de eo, qui ad portas vrbis rogatur, venerit nec ne ex certo loco, qui falso putatur, peste infectus: qui omnes ambiguè respõdere queunt, quoniam vel iniustè rogantur, vel verè respondent, prout interrogari iure possunt.

Quarta Regula sit hæc: Si nulla nobis fiat iniuria, nefas est verbis vti ambiguis, nisi eo sensu sumantur, quem audientes concipiunt: & multo deterius, ac peius est ea in alium sensum accipere, atque audientes accipiunt, qui iure nos rogant.

Quinta Regula: Si reuera verba, quib⁹ vtimur, significatione sua, & communi hominum vsu ambigua non sunt, nec habent nisi vnicum tantummodo sensum, ea vsurpare debemus eo sensu, quẽ reddunt, nec licet nobis etiamsi contra ius, fasq; omne interrogemur, aliquid mentis cogitatione cõcipiendo in aliud detorquere, nunquam enim fas est mentiri: at is mentitur, qui verba aliter accipit, atque ipsa significant.

Caput V.

De iureiurando, cui iustitia deest.

PRIMO quæritur de Iureiurando per promissionem incautam, an iusiurandum, quod promissionem incautam confirmat, sit ratum, & firmum. De iureiurando incautè interposito in sermone nostro Angel. *iuramentum* 5. *nu.* 1. & *sequentib.* Sylvest. *iuramẽtum* 2. *q.* 7. Tabien. *iurare*, *q.* 10. 11. & 12. Nauar. *in Manua. ca.* 12. *nu.* 15. 16. 17. Sot. *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 7. *in* 2. *argumento*. Respondeo, hoc loco non tractari de Iureiurando, quo quippiam temerè, & inconsideratè affirmamus, aut negamus, sed de eo, quo incautè, & temerè, aliquid promittimus.

In primis igitur, cum quis rem promittit, quæ aut nullo modo fieri potest, aut saltem is, qui iurat, eam præstare nequit, Iusiurandum est temerarium, & incautum, & is, qui iurat, lethaliter delinquit, quoniam aut voluntatem habet obligandi se alteri, & præstandi, quod iurat, aut non habet. Si non habeat, mentitur, & proinde in lethalem culpam incurrit, quia mendacium iureiurãdo cõfirmat. Si verò habeat, etiam lethaliter peccat, quia iurat se facturum, quod nouit se præstare non posse.

Deinde, qui iurat se facturum aliquid, quod citra lethale crimen fieri nequit, incautè iurat, & lethalem culpam contrahit, siue in animo habeat promissum exsoluere, siue non habeat. Si non habeat, iurando mentitur, & proinde lethali crimine tenetur: Si habeat, nõ quidem mentitur, sed nihilominus se lethali scelere obstringit: quia voluntatem habet id præstandi, quod lethali crimine suum auctorem commaculat.

Præterea, qui iurat facturum se aliquid, in quo faciendo, peccatum veniale contrahitur, incautum est iusiurandum: vt si quis iuret se mendacium iocosum, aut officiosum dicturum, bibiturũ, cœnaturum, aut pransurum plus æquo. QVAE RES QVALE, qui sic iurat, peccatum admittat in iurando, vel in seruando iusiurandum, lethale ne, an veniale? Respondeo, communem esse opinionem, si voluntatem non habeat præstandi, quod iurat, lethaliter delinquit, quia in iurando mentitur: si verò habeat in animo id facere, quod iurat, non mentitur. Et licet rati sint quidam, eum lethaliter peccare, tum in iurando, tum in seruãdo iureiurando. Hugo *in cap. In malis. 22. quæstion. 4.* quem ex parte sequitur Angel. *iuramentum* 5. *quæst.* 2. Verius tamen Sylvest. *iuramentum* 2. *quæst.* 2. & *iuramentum* 4. *quæst.* 1. Antonin. *in part.* 2. *tit.* 3. *cap.* 4. *§.* 1. Tabien. *iurare, numer.* 11. Nauar. *capit.* 12. *numer.* 15. Pisan. Monaldus, Rodon. vt citat Sylvest. & alij tradiderunt, eum, quo diximus modo iurantem venialem tantummodo culpam contrahere: quoniam sicut in eo faciendo, culpa tantùm venialis admittitur: sic is, qui iurat se id facturum voluntate illud præstandi, venialis tantum peccati reus est.

Si item iuret quis aliquid se facturum contra Euangelicum consilium, veniale peccatum incurrit, quod testantur Caiet. 2. 2. *q.* 89. *artic.* 7. *ad* 2. Sot. *libr.* 8. *de iust. q.* 2. *artic.* 3. *concluſ.* 5. Nauar. *cap.* 12. *num.* 16. Tabien. *iuramen. q.* 10. quamuis Angel. *iuramentum* 5. *n.* 3. & Sylu. *iuramentum* 2. *q.* 7. & Bonau. 3. *d.* 39. *ar. vlt. q.* 3. existiment, eum in iurando lethaliter, siue graiter delinquere, vt qui iurat non suscepturum se Religiosum statum, aut sacros Ordines, aut Episcopi munus, & onus, aut sacros ordines, aut non auditurum rem diuinam in diebus profestis. Hoc tamen ita est accipiendum, vt is, qui hæc iu-

rando

rando promittit, non ita iuret, vt Euangelica cõsilia contemnat, nec iuret se ea non seruaturum, quando præcepti vim habuerint: tunc enim absq; dubio lethaliter iurando peccabit.

QVAERES, an eiusmodi iusiurandum sit seruandum? Hugo ait seruari debere *in c. Si aliquid. 22. quæst. 4.* Gratianus verò *in cap. Innocens. 22. q. 4. §. Illicitum ergo iuramentum.* censet, id quod iuramus interdum vitiosum esse, quia est contra Euangelicũ consilium, sed non prohibemur seruare, veluti si quis, ait, post votum castitatis duxit vxorem, iureiurando promittens se ab ea nunquam discessurum, seruare iusiurandum tuta conscientia potest, licet contra votum iurauerit. At in hoc, vt ibi Glossa annotauit, *verbo, Nunquam.* Gratiani sententia deseritur: quoniam potius est votum implendum, quàm sequens iusiurãdum seruandum. *cap. Rursus, qui clerici, vel vouen.* Archidiac. verò *in c. Si aliquid. 22. q. 4.* docet iusiurandum in re aliqua interpositum contra consilium Euangelicum nõ esse seruandũ, tum quia est temerarium, tum quia iustitiæ, & consilio Euangelico aduersatur; nam malum est fugiendum, bonum faciendum. Ergo qui iurat se aliquod consilium Euangelicum non seruaturum, videlicet religiosæ vitæ institutum nunquam susceperum, cum iustitia pugnat. Abbas, & Ioannes Andreas *in cap. Si verò. de iureiurand.* sentiunt, si quis iuret se nunquam Episcopi munus, curam, & onus susceperum, seruare debet, iusiurandum scilicet, ne præsit, & vt iusiurãdum nocet bono priuato, non tamen vt bono publico nocet. Mihi magis placet Antonini sententia, quam sequitur Nauarrus *loco citato*; nimirum iusiurandum eiusmodi priuata auctoritate violãdum esse.

Insuper, si iuret quis aliquid se non facturum, quod ad officium amicitiæ, pietatis, misericordiæ, & charitatis in alterum spectet, incautè iurat, & venialis se culpæ reum constituit. Vt si iuret se nihil mutuo daturum, fideiussorem non futurum, non communicaturum cum alio artem, vel scientiam, disciplinamúe, quam nouit vtilem alijs, non facturum obsequium alicui, eleemosynam huic, vel illi non erogaturum, nunquam Decurionem, Consulem, Prætorem, Senatorem, vel Magistratum futurum, quod communi, & publico bono obesse videtur. Hoc etiam intelligendũ est, in iurando veniale tantummodo peccatum committi, quando id, quod iurat quis, præcepti vim non habet.

QVAERES, an iusiurandum, quo quis iurat se non mutuò daturum, nunquam fideiussorem futurum, obseruandum sit? De hoc multa Canonici iuris interpretes loquuntur, Ioannes Andr. Speculator, Archidiaconus, Abbas, Petrus Ancharanus, Oldradus, Antonius Butr. *in cap. Si verò. de iureiur. & in cap. Innocens, & cap. Si aliquid. 22. q. 4.* Seruandum esse affirmat Laurentius. Sed Archidiaconus negat, quia est temerarium, & charitati aduersatur: quam sententiam cæteri sequuntur, quamuis non satis aperte: at meritò Nauarr. *loco citato*, ait, huiusmodi iurisiurandi vinculum nõ esse obseruandum, sed propria auctoritate frangendum.

Si quis præterea iuret promittendo rem aliquam indifferentem, & mediam, vtpotè nec bonam, nec malam, iurisiurandi vinculo minimè tenetur, quamdiu res illa indifferẽs est: Vt si quis iuret se certo die amputaturum vngues, aut exiturum rus, aut dextro pede, non sinistro egressurum domo, aut non nisi hoc, vel illo digito purgaturum aures. Si tamen res illa iuriiurando subiecta bona fuerit, eo ipso iurans iurisiurandi religione, & vinculo astringitur. Ex quo perspicitur, qua ratione de multis, quæ iureiurando firmamus, rectè iudicare possimus. Iurat quis, Verbi gratia, se cum hoc, aut illo homine non collocuturum; hunc, aut illum in domum suam non admissurum, hospitio non excepturum, de hac, aut illa re non acturum; ex huius, vel illius officina nihil empturum; hac, aut illac non transiturum. De his enim, & similibus videndum est, an boni aliquid habeant, vt reuera habere queunt; nimirum si quippiam horum quis iurat, vt omne peccati periculum, & omnem mali occasionem præcidat: & tunc iusiurandum est ratum, & firmum, & obligationem gignit. Si verò sint res penitus indifferentes, iurans nullo iurisiurandi nexu, & vinculo tenetur obstrictus.

Secundò quæritur, An iusiurandum quo quis promittit se facturum aliquid ob finem malum sibi propositum sit alicuius momenti, ita vt iurãtem teneat, ac liget? Respondeo, aliud esse iudicandum de eo, qui iurat se facturum aliquid, vt in lite iniqua, aut ludo iure naturali damnato, cuiusmodi est ludus fraudulentus, aut in bello, quod inique gerit, victor euadat, vel vt beneficium Ecclesiasticum malis artibus obtineat, vel vt rem turpem habeat cum certa fœmina, vel vt bene sibi res cõtingat in furto, vel homicidio committendo, vel vt is, cuius hæreditatem expectat, intereat. Aliud verò est de eo iudicandum, qui iurat se aliquid facturum, si ex bello etiam iniquo saluus, & incolumis euaserit: si ex adulterio prolem susceperit, si furis, vel homicidæ pœnas non luerit, si hæreditatem adierit, si ob litem condemnatus non fuerit, si ex ludo alioqui iure naturali, & diuino permisso, quamuis ratione loci, vel temporis, vel personæ interdicto lucrifecerit. In prioribus illis, ita vt dixi, iurantibus, iurisiurandi finis malus est, ac proinde iurans nulla iurisiurandi religione obligatur: nam impium est te aliquid promittere, vt mali aliquid efficias, vel si gratias Deo agas ob malefactum, quasi Deus fuerit mali, siue sceleris auctor. Quod si promissio iureiurando firmata per se mala est, nullam vim accipit ex iureiurando, neque enim iusiurandum id, quod per se malum est, confirmare potest. At in posterioribus iusiurandum non est in malum finem relatum, nec fit ad gratias agendas Deo ob malefactum; nam proles ex adulterio susceptа malum non est, nec si fur, vel homicida, vel iniquum bellum gerens saluus, & incolumis euadat per se malum est. Quando igitur iusiurandum ad finem malum non refertur, verè iurantem tenet, ac ligat: & tale est iusiurandum, quo quis promittit se facturum aliquid, si in bello, furto, lite, saluus euaserit: nam licet belligerando, furando, litigando delinquat; liberatio tamen mali, non est res per se mala. Similiter cum quis iureiurando promittit aliquid, si filium ex adultera susceperit, peccat quidem habens rem cum adultera, sed filius ex adulterio

genitus,res mala non est.Pari ratione fieri potest vt peccet quis beneficium Ecclesiasticum impetrando,vel hæreditatem, aliudúe emolumẽtum, & commodum adipiscendo, loco, vel tempore, vel desiderio non debito; sed beneficium, hæreditas,commodumúe obtentum, non sunt res per se malæ. Quare iusiurandum, quod in malum finem refertur,videlicet,quo aliquid promittitur, vt malum consequamur, vel quo gratias Deo agamus ob malum, quod sumus consequuti: similiter quum iuramus nos aliquid facturos, vt res nobis in malo bene succedat,vel quia res bene in malo successit, iurantem minimè obstringit: at obstringit illud, quo iuramus nos aliquid facturos ob commodum,vel lucrum,quod Deo auctore sumus adepti.

Tertiò quæritur, An qui iurat se facturum aliquid paruum, & exiguũ, lethaliter peccet, si iusiurandum non seruet? Sit exemplum: Iureiurando si quis promittit se puero pomum daturum, aut salutationem angelicam, vel precationem Dominicam quotidie recitaturum.Sunt duę opiniones: Prima contendit lethale peccatum committi, nisi huiusmodi promissa leuia,& exigua præstentur.Sic Caietan. 2.2.q.89.*art.7.ad 1.dub.* Couar.*lib.1.var.resol.c.1.num.2.*Tabien.*iuramentum n.* 11.Armil.*iuramentum num.*12.& Philiarchus *tom.1.& lib.3.ca.3.de offic.Sacerdotis.*Animaduertit autem Caietanus rem minimam posse in promissionem iureiurando firmatam dupliciter venire. Primò, quando est pars alicuius totius, vt si iures te daturum quatuor aureos; & deinde promissum exoluas asse vnico denegato.Secundò,quando non est pars alterius,sed per se res integra, vt si iures te daturum vnum assem. Ait igitur Caietanus, quando rem totam iureiurando promittimus, & deinde promissi partem minimam omittimus, non esse nos lethalis peccati reos; sed tantum venialis,quia non ex toto, sed ex parte minima iusiurandum violamus. Vt si quis iureiurando promitteret, quotidie se recitaturum septem Psalmos, qui pœnitentium esse dicuntur, & in recitando vnum tantummodo versiculum prætermisisset,veniale tantum peccatũ contraxisset. Quando verò res subiecta iurijurando est quidem minima per se, sed integra, & tota materia iurijurando subiecta, & non pars alterius materiæ, si tota negligatur,lethaliter delinquitur: quia iusiurandum ex toto, non ex parte violatur,vt si iures te puero daturum assem,nucem, vel pomum,nec dederis.

Secunda opinio, docet lethale peccatum non admitti,si iusiurandum in promissione rei minimæ adhibitum non seruetur.Sic Sot.*lib.5.de iust.q.* 1.*art.7.& lib.7.q.2. art.2. versic. vtrum ratione leuitatis.* Nauar.*in Manuali.cap.12.num.10.& nu.40.*Anton.*p.2. tit.10.cap.4.§.1.*Syluest.*iuramentum 1.nu.7.* & Nauar. primum sequutus fuit Caietani sententiam: & postea eam refutauit. Hæc sententia mihi verior videtur,propterea quod cum promissum iureiurando firmatum omittitur, non est mendacium iureiurando confirmatum, nam qui iurauit,in animo habuit, & iurare, & se alteri obligare, & præstare promissum: sed postea voluntate mutata cum iusiurandum violauit, non est mentitus, sed fidem iureiurando datam perfregit; in qua violatione, magna, aut parua culpa contrahitur, pro varietate rei magnæ, aut paruæ iureiurando subiectæ. Siquidem si res est vana, inanis,& futilis, iurantem non ligat: ergo si exigua est, tenet quidem iurantem, sed vinculo, & obligatione leui.

Quaeres, an qui iurat se certo pauperi,vel pauperibus promiscuè singulis diebus daturum vnum assem,siue nummum æreum,& per annum promissum non soluit, in exitu anni sit condemnandus tanquam lethalis peccati reus? Et eadem quæstio est de eo, qui iureiurando promittit se quotidie salutationem Angelicam recitaturum, & per annum vnum non recitat. Aiunt nonnulli, inter quos est Ludoui. Lopez *in suo instructorio, capit.42.*& citat Canum, quotidie omittentem,in veniale peccatum tantùm incidere, sed postea in exitu anni, in lethale: quia promissio euasit magna,cum tot asses debeat reddere,aut toties recitare promissas preces, quot elapsi sunt dies; ac proinde si promissum non soluitur, lethali culpę tribuitur. Alij contra in vniuersum aiunt,eum nec quotidie omittentem, nec in exitu anni lethalem culpam incurrere: quia, quod iurastite in diem certum facturum,eo elapso amplius sub obligatione non cadit. Sot. *libro septimo, de iustit. quæstione secunda, articulo primo, versf. quocirca si votum emisisti.*

Mihi tamẽ nec hi,nec illi satisfaciunt:est enim distinctione opus in hac cõtrouersia dirimenda: Nam dupliciter potest aliquid in diem certum, ac tempus promitti: vno modo in honorem, & venerationem diei, vel temporis, & huiusmodi promissiones,& obligationes cum ipso tempore extinguuntur,& cessant.Ex quo fit,vt qui ad ieiunium seruandum certis diebus Ecclesiæ lege indictum, aut spontaneo voto promissum compellitur, si ieiunium neglexerit, vinculo eius ieiunij non ampliùs teneatur ijs elapsis diebus.Clericus pariter lege Ecclesię ad preces horarias quotidie recitandas adstrictus, si vno die non reciter, non ampliùs ad omissas preces supplẽdas obligatur. Altero modo,ad tempus certum promissio,& obligatio suscipitur, non in honorem quidem certi temporis, sed ne vltra id tempus promissio, vel obligatio differatur.Sic Ecclesiæ præcepto compellimur semel in anno ad peccata Sacerdoti cõfitenda, ad Eucharistiam in Paschate percipiendam:& tamẽ elapso anno,vel Paschate hæc præstare debemus, quamuis omiserimus, vt habet probabilior multorum opinio. Cum igitur quis iurando promittit se quotidie daturum assem, aut salutationem Angelicam recitaturum,si promissio sit ad singulos dies ob singulorum honorem, singulis elapsis promissio finitur, & definit, ac proinde Iusiurandum quotidie violans,veniale semper peccatum admittit,quia in re minima, fidem iurisiurãdi quotidie perfringit, nec in exitu anni peccatum est ab eo lethaliter: quia singulorum dierum elapsu, promissio quoque finitur, & cessat. At verò, si promissio non fit ob dierum honorem, sed ne vltra diem differatur, venialis quidẽ culpa quotidie contrahitur,quoniam quotidie promissio negligitur; sed ad finem anni lethaliter peccatur,si totũ non soluitur: tunc enim tot asses debentur, quot dies toto anno effluxe-

runt:&

runt: & toties Angelica salutatio recitari debet, quoties est per annum omissa. Et proinde cum res magna euaserit, nisi tota redditur, ac soluitur, lethalis culpa committitur.

Quartò quæritur, An iusiurandum vim habeat, cum res promittitur, quæ bonum aliquod longe maius impediat? Respondeo, multiplex esse solere huiusmodi iusiurandum. Verbi causa, iurant multi gratia aliorum se aliquid facturos; nimirum ad certum tempus depicturos, transcripturos, docturos, administraturos, gubernaturos, inseruituros. Dubitatur, an huiusmodi iurisiurandi vinculo adstricti iure queant Religiosorum statum suscipere? Præterea, quis iurando promisit certæ puellæ se eam vxorem ducturum, an iure possit Religionem profiteri, vel ad sacros Ordines promoueri, vel cœlibem vitam amplecti? De ijs, & plerisque alijs similibus promissionibus iureiurando munitis generatim dicimus, eas nullius esse momenti, quando maius bonum impediunt: nam id, quod est grauius, & maius bonum, leuiori, & minori, naturali iure præponitur: Et in hoc etiam locũ habet, quod dixit Isidorus: *In male promissis rescinde fidem*, quod refertur *in ca. In malis. 22. q. 4.* Quandocunq; ergo huiusmodi promissa iureiurando confirmantur, tacitè ea conditio intelligitur, dummodo cum maiori bono non pugnent. Si quis item promisit se ad certum tempus facturum aliquid causa alterius, iure potest ad Religionem transire, dummodo præter promissionem iureiurando firmatam, nulla alia obligatio iustitiæ accesserit, qua restituere aliquid, vel ratione iniuriæ, vel damni illati cogatur.

Contra hoc tamen facere videtur, quod habetur *in cap. Commissum, de sponsalibus*, vbi decernit Pontifex, vt quidam, qui sponsalia iurauerat, & postea ad melioris vitę frugem mentem conijciens, in voluntate, & animo habebat institutum Religiosorum profiteri, prius eam in vxorem ducat, quam se ducturum iurando promiserat. *Quia tutius inquit, est iureiurando seruato matrimonium contrahere, & deinde ad Religiosorum statum conuolare.* Vbi Panormitanus, & alij iuris Canonici doctores: item Palud. *4. dist. 28. quæst. 1. art. 3.* Sot. *4. dist. 27. qu. 2. art. 5.* & Couar. *in 4. p. 1. cap. 5. nu. 11.* Glossam secuti, sentiunt, eum hominem obligatum non esse ad præstandum, quod iureiurando spoponderat, eo quòd sponsaliorum, hoc est, futuri coniugij promissio in Religiosorum domicilium ingressum, quod est maius bonum, impedire nõ potest. Id verò quod Pontifex statuit, vt ille puellam in vxorem duceret, & postea ad Religionis statum commigraret, aiunt fuisse Pontificis consilium, nõ præceptum. Rursus, quod idem Pontifex subiecit, *Tutius esse iureiurando seruato nuptias contrahere; & deinde Religionem suscipere*, interpretantur, Tutius esse, non quidem reipsa, sed hominum opinione. Innocentius verò, & Hostiensis *in c. citato commissum*, & alij, Pontificiæ cõstitutionis auctoritate conuicti, docent, eum, qui nuptias puellæ iurãdo promiserat, compelli ad matrimonium contrahendum, nec posse prius ad Religionis statũ tuta cõscientia transire.

Mihi tamen nec horum, nec illorum sententia probatur; nam priores illi auctores apertè cum Pontificia Constitutione pugnant, in qua Pontifex tanquam præceptum tradit, vt eiusmodi iuuenis prius puellam in vxorem ducat. Cuius quidem rei rationem reddit: *Quia tutius est*, inquit, *iusiurandum seruare*: quod perinde est, ac si dixisset: In dubijs, quod tutius est, sequi debemus. Ergo non secundùm hominum opinionem Pontifex loqui videtur, sed secundùm rei vim, & naturam. Posteriores verò mihi minus placent, quia falsum penitus videtur, eum, qui futuras nuptias iurando pollicitus fuerat, potius adigi ad matrimonium contrahendum, quam ad Religionem suscipiendam, cum sit hoc longè grauius & maius bonum, quam illud, & iusiurandum maius bonum impedire non possit.

Videtur itaque dicendum, Pontificem *in eo cap. Cõmissum*, locutum fuisse de iuuene, qui postquam ad biennium nuptias futuras puellæ iurãdo promiserat, sub biennij finem, hoc est, paulò ante biennij exitum Religionem suscipere cupiebat, sed non nisi post biennium exactum ingredi in cœnobium Religiosorum constituebat, vt interim fructus ex agro colligeret, & debita solueret, & domi manens prius in austero, & duro vitæ genere, quale Religiosos decet, & quale suscipere, & amplecti in animo habebat, sese exerceret. Vnde cum in Monasterium ingressum post biennium differret, qui se puellam vxorem ducturum ad biennium iurauerat, Respondet Pontifex tutius esse iusiurandum seruare, quoniam biennij tempus elabebatur, & quid allatura sit futura dies, incertum, & dubium sit. Sic Innocentius, & Ioan. Andreas Pontificium responsum interpretantur. Aut certè dici potest iuuenem illum sub biennij finem suspenso, & incerto animo fuisse, contraheret ne matrimonium, an Religiosorum institutum susciperet; & ita rem totam in tempus differebat: nec enim promissum præstabat, nec ad Religiosorum ordinẽ transibat: & proinde Pontifex decernit, vt puellam ducat vxorem, & deinde ad Religionis statum se conferat, si velit: quod Pontificis responsum nihil habet, quod cum iure non congruat. Non enim definit simpliciter promissionem futuri matrimonij iureiurando firmatam potius exolui debere, quam Religionem suscipi: sed id definit speciatim in ea causa, de qua rogabatur, cum iuuenis ille dubius esset, hoc ne, an illud præstaret, & biennij finis, & exitus instaret: & ideo respondet Pontifex: Cum in dubijs tutius, & certius sit eligendum, & is iuuenis dubius sit, vtrum ex his duobus agat: & propterea rem totam in dies differat, & biennũ constitutum ad nuptias contrahendas interim elabatur, satius est, vt matrimonium contrahat, & iusiurandum seruet: siquidem post matrimonium ratum nondum consummatum, intra duorũ mensium spatium, quod ius concedit *in ca. Ex publico de cõuers. coniug.* deliberare poterit, si velit, de toto ad Religiosæ vitæ institutum, & ordinem transitu.

Ex his liquet, quid sit dicendum de adolescentibus, qui ad certa collegia admittuntur, vt in eis alantur ob literarũ studium, & iureiurando promittunt se in Religiosorum domicilium minimè ingressuros ad Religiosæ vitæ genus profitẽdum inscio, & inconsulto eo, cui est commissa cura Collegij, aut se in eo statu perseueraturos ad certum tempus, ac in studio literario progressuros. Existimo enim eiusmodi iusiurandum vim, &

locum habere, quoniam cedit in cõmunem Reipublicæ salutem, & bonum, vt sint literatorum hominum seminaria, ex quibus idonei Ministri deligi queant ad Sacerdotia, & Ecclesiastica munera obeunda. Nec huiusmodi iusiurandum impedit ingressum in Religiosorum ordinem: quoniam admissi iureiurando pollicentur non se susceperuros Religiosæ vitæ institutum sine permissu eius, cui curæ est Collegium. Non ergo iurant simpliciter eiusmodi iuuenes non se ad Religionem transituros, hoc enim maius bonum impediret, & iurijurando vim penitus abrogaret. Quod si illi melioris vitę cupidi Religionem suscipere velint, iure possunt; petita tamen ab eo facultate, cui est Collegij cura concredita, quamuis non obtenta: quoniam iusiurandum non violant, cum facultatem petant: nec tamen eam impetrare, sed petere tantummodo coguntur.

Animaduertendum tamen est tuta conscientia ab huiusmodi adolescentibus iusiurandum exigi, quo promittant se in animo habere in literarũ studia incumbere, & in his perseuerare. Aliud enim est iurare, se id in animo habere; aliud verò, iurare se nõ ingressuros Religionem sine concessu, aut sine permissu eius, qui Collegium gubernat. Vtrumque enim iusiurandum cum ratione, æquitate, & iure conuenit, sed diuersum est: nam qui primo modo iurat, facultatem petere, iurisiurandi religione, & obligatione non cogitur, & quandocunq; voluerit, potest ad Religionem cõuolare: satis est, si dum in Collegium admittitur, in animo habeat in literarum studia operam, & curam conferre. At qui secundo modo iurauerit, ad petendam facultatem compellitur, si velit Religionem suscipere. Quærit Nauar. *consil. 1. de Regularib.* An iuuenes, qui admissi in Collegium Anglorum, quod est in Vrbe, vi statuti ipsius Collegij iureiurando promittunt se post absoluta literarum studia profecturos in Angliam ad religionem, & fidem Catholicam publicè defendendam, docendam, & hæreticos conuincendos, tuta cõscientia ad Religiosorum institutum, & vitam transire possint. Respondet ille, nõ posse; quod probat primo, quia seruꝰ in Religionem ingredi iure nequit absque sui domini consensu. Secundo, quia si quis iurando promisit puellæ se illam vxorem ducturum, ad Religionem se conferre nõ potest, nisi prius cum ea nuptias contraxerit, *cap. Commissum, de sponsalibus.* Tertio, quia Procuratores, Tutores, Curatores, & reliqui ad curam, administrationem, munusue, & officium delecti, & obligationis vinculo obstricti nequeunt iure suscipere vitam religiosam, quia sui muneris, curæ & tutelæ debent rationẽ reddere. Quarto, quoniam qui sunt ære alieno obstricti ad Religionem se recipere non possunt, nisi debita soluant. Mihi hæc Nauarri sententia non placet, & multo minus eius rationes, & argumẽta probantur: quoniam qui iusiurandum in melius mutat, periurus non est: *in c. Peruenit. 2. de iureiur.* habetur: *promissum non infringit, qui illud in melius commutat.* & *c. Scripturæ, de voto,* dicitur: *reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuũ nosci tur religionis obseruantiæ commutare.* Nec rationes Nauarri aliquid concludunt: nam seruus non est sui iuris, sed domini possessio. Item cæteri, quos Nauarrus in medium producit, sunt aliquo iustitiæ vinculo hominibus obstricti, & ingressus in religionẽ cum alterius damno esse non debet: at prædicti iuuenes solùm sunt iurisiurandi nexu Deo obligati, quod ingressum in religionem impedire iure non potest.

Ex his etiam perspicitur, quid sit iudicandum de ijs, qui dum ad beneficium, & ministerium Ecclesiasticum promouentur, iurando interdũ promittunt Ordinario loci id exigente, se illud non dimissuros, & deposituros gratia alterius, quod dicere solent se non resignaturos in gratiam, & fauorem alterius, aut cum alio non commutaturos sine consensu ipsius: Eiusmodi enim iusiurandum nõ impedit, quin ij, quorum animus est se ad Religiosorum Ordinem, & statum recipere, beneficium deponant gratia amicorum; quoniam illud tãtummodo adhibetur, ne is, cui beneficium cõfertur, statim eo se abdicet, & apud Romanum Pontificem per se, vel per Procuratorem gratia alterius deponat, reseruata sibi certa pẽsione. Sed rarò exigere solent Ordinarij eiusmodi iusiurandum: tantummodo is, qui Beneficium impetrat, & obtinet, iurat se in animo habere Beneficium suscipere, vt debitum officium præstet, & Ecclesiæ inseruiat: quod iusiurandum æquissimum est, & cum ipso Canonico iure conueniens, ne quis Ecclesiæ pręficiatur ea voluntate, & animo, vt illam statim cum alia permutet, aut dimittat gratia alterius, retenta sibi pensione Romani Pontificis auctoritate. Abusus enim est quorundam Beneficia impetrantium, & assequentium, vt statim ea cum alijs commutent, vel ijs gratia aliorum se abdicent, & sibi pensiones acquirant.

Caput VI.

Aliæ quædam de eadem re quæstiones diluuntur.

PRIMO quæritur, An iusiurandum valeat contra simplicem, & nudam promissionem? Respondeo, Innocentium *cap. Veniens. de iureiuran.* sensisse eum, qui iurat contra simplicem promissionem, qua alteri se obligauerat, iusiurandum seruare debere, & nihilominus satisfacere alteri, cui promiserat se aliquid facturum. Cæterùm Hostiens. Ioan. Andreas, Abbas, Ancharanus, Antonius, & alij *in cap. Veniens. de iureiuran.* communi consensu contra Innocentium docuerunt, iusiurandum contra simplex promissum nullius esse momenti, & ponderis. Sic etiam Couar. *in 4. de Matrim. p. 1. cap. 4. nu. 3.* sic Henri. *in cap. Veniens. de iureiur.* quamuis Imola *in eo capite* maluit contra communem sententiam Innocentij opinioni adhærere. Exemplum propono: Titius certe puellæ futuras nuptias simpliciter promisit: deinde alteri futuras quoque nuptias iurando spopondit. rata est & firma prima promissio, quamuis sit secunda iureiurando munita. Similiter promisisti Caio te venditurum librum tuum, aut fundum; deinde eundem librum, aut fundum te venditurum alteri iureiurando firmasti: valet prima promissio, quamuis simplex, & nuda, quoniam iusiurandum in secunda promissione interpositũ eo ipso, quod est contra simplicem promissionem, cum bonis moribus repugnat: nam primæ promissioni, & si-

dei an-

dei antea datæ aduersatur, & proinde iuri naturali, quod fidem datam seruandam esse præscribit. Quo fit, vt qui contra simplicem promissionem, secundam iureiurando confirmat, sit in iurando periurus: ac rursus peccet, si secũdam præstet prima promissione posthabita, quoniam primæ vinculum cũ fuerit prius, eo ipso est arctius. Ac totum hoc locum habet, cum secundę promissioni nullum aliud iustitiæ vinculum præter iusiurandum accedit.

Secundò quæritur, An iusiurandum secundum valeat contra primum? Respondeo, minimè, si cum secundo nullum aliud iustitiæ vinculum cõiũgatur, vt si iurasti te locaturum operas tuas, vel domum certam Caio, & deinde idem prorsus iurando promisisti Titio, seruandum est primum iusiurandum, & in secundo fuisti periurus, quoniam contra fidem Caio datam iurasti. Similiter si iurasti te Caio centum daturum; & deinde totidem Titio iurando spopondisti, si non habeas nisi centum ea debes Caio dare: alioqui si Titio das, iusiurandum negligis. Duo ex iure Canonico pro hac sententia faciunt. Primum est, quod habetur *in cap. Intellecto. de iureiur.* vbi habetur Vngariæ Regem quædam bona ad Regiam dignitatem pertinentia alienasse, & iurasse nunquam se contra eam alienationem venturum, qui in sua creatione iurauerat nunquam se regni sui bona, aut iura alienaturum. Decernitque Pontifex nullum esse secundũ iusiurandum. Alterum est, quod tradit Glossa *in c. Licet, de iureiur. in 6.* communi consensu recepta. *Si mulier*, inquit, *iurauerit se non alienaturam res dotales, aut donatas sibi propter nuptias: quod si alienauerit, reuocaturam se alienationem, & postea alienauit sine Iudicis auctoritate, & alienationem iureiurãdo adhibito confirmauit, valet iusiurandum primum.* Pari modo Episcopi dum consecrantur, iurant non alienaturos se suæ Ecclesiæ bona absque Romani Põtificis consensu, quæ si postea alienent, & alienationem iureiurando confirment, secundum iusiurandum nullius est ponderis, & momenti. Ita etiam si minor iuret se nihil alienaturũ; & deinde alienet, & iureiurando alienationẽ corroboret, primũ iusiurandum subsistit, secundum nõ item.

Tertiò quæritur, An id, quod fit contra promissionem iureiurando firmatam, sit ratum, & firmum? Tres sunt opiniones. Prima, in vniuersum, ait, nullius esse firmamenti. Sic Hostiensis, Speculator, Archidiaconus, & Gaspar Calderinus, vt testatur Sylvest. *iuramentum 4. q. 12.* Secunda opinio distinguit, aut id, quod fit, ad tẽporalia pertinet, & tunc iusiurandũ subsistit. Vt si tibi iurãdo promisi me librum, aut fundum venditurum; & deinde alteri vendidi rata est, & firmà venditio: at verò si id, quod fit, pertinet ad spiritualia, tunc non valet id, quod fit contra iusiurandum, vt patet *ex cap. Dilecto, de Præben.* vbi Pontifex constituit infirmum esse, & inane, si Canonici augeant Canonicorum numerum contra statutum, quod ipsi ediderunt, & iureiurando confirmarunt. Sic Innocentius, Antonius, Imola *in ca. Dilecto. de præb.* vt refert Couar. *in cap. Quamuis. de pactis in 6. p. 2. §. 2. d. 5.* Tertia opinio, generatim, ait, id, quod fit contra promissionem iureiurando munitam consistere, nisi in certis causis iure ipso exceptis. Hanc sententiam Panormitanus inquit *in ca. Dilecto. de Præb.* esse cõmunem; immo asserit distinctionem Innocentij cõmuni cõsensu improbari, quod idem affirmat Couarruuias, cũ Decio, & Alciato *loco prædicto.* Et hæc est amplectenda, vt ex subiunctis patebit exemplis. Si quis certæ puellæ futuras nuptias iurando promisit; & postea cum alia matrimonium contraxit, matrimonium est ratum, & firmum. *c. Sicut ex literis. de sponsalib.* Item, qui iureiurando spopondit Titio se venditurum domũ, vel fundũ suum, & postea vendidit Caio, rata est venditio. *l. Quoties. C. De rei vindicat.* Præterea, qui iurauit non se reuocaturum procuratorem à se constituturum ad matrimonium contrahendum; & deinde reuocat, vim habet reuocatio. Gloss. *in cap. vlti. de procuratorib. in 6. cõmuni consensu recepta.* Insuper, qui iurauit se nunquam reuocaturum testamentum à se confectum, & postea reuocat, reuocatio valet, vt latè probat Couar. *in Rubr. de testam. p. 2. n. 9.* contra Hostiensem, & Speculatorem. Si quis item, cuius est Beneficium Ecclesiasticum conferre, iurauit se illud collaturum in Titium; & postea Caio dedit, firma est, & rata collatio, vt vocãt; quod testantur contra Innocentium, Ioan. Selua. *tract. de benefic. p. 3. q. 27.* & Couar. *loco citato.* Si etiam Episcopus iurauit se Ecclesiæ suæ bona non alienaturum etiam ex causis iure concessis; & deinde alienauit in causa iure permissa, alienatio subsistit, vt docent Archidiaconus, Gaspar Calderinus, quos refert Abbas *in c. Intellecto. de iureiur. nu. 6.*

Obijcies id, quod habetur *in c. Dilecto, de præben.* vbi Pontifex ait, non posse Canonicos numerum Canonicorum augere, si statutum ediderint, & iureiurando firmãrint se nunquam numerum aucturos. Respondeo cum Panormitano, ibi non dici nullius esse momenti noui Canonici creationem, sed Canonicos id facere nõ posse, quoniam iurauerunt id non se facturos. Firma est igitur noui Canonici electio, sed Canonici sunt periuri. Hinc etiam efficitur, vt si Princeps legem ferat, & iuret se nunquam eam abrogaturum, si postea eam abroget, abrogatio valet; ita tamen, vt ipse sit periurus. Eodem modo, si patronus Ecclesiæ iuret se Titium Clericum idoneum nominaturum, & oblaturũ Episcopo, deinde verò Caium Clericum æquè idoneum nominet, & offerat, periurus est; sed nominatio, quæ dicitur Præsentatio, non est irrita, & inanis.

Deinde obijcies id, quod habetur *in cap. Intellecto, paulò ante producto*, vbi Pontifex decernit inutiles, & irritas esse alienationes à Rege Vngariæ factas contra iusiurandum, quo, dum ille Rex crearetur, promiserat, se nihil eorum, quæ ad regiam dignitatem pertinerent alienaturum. Respõdeo, eas alienationes bonorum non ideo rescindi, quia contra iusiurandum factæ fuissent, sed quia cum detrimento, & iactura regni: quare etiam si nihil Rex ipse iurasset, pariter dissoluerentur tanquam communi Reipublicæ saluti, & bono pernicioſæ. Demum obijcies id, quod Glossa docet *in cap. Licet, de iureiuran. in sexto*, quando mulier iurauit se non alienaturam res dotales, aut sibi donatas propter nuptias; & se reuocaturum alienationem, si aliquãdo alienauerit, & postea alienauit absque Iudicis auctoritate: Nihil, ait Glossa, valet alienatio. Respondeo, nihil valere, quia eiusmodi alienatio est mulieribus noxia, & pri-

mum

mum iusiurandum est iuri, & rationi naturali consentaneum.

Quartò quæritur, An iusiurandum vim vllam habeat contra bonos mores? Respondeo cũ communi omnium sententia nullius esse momenti. *cap. Non est obligatorium, de reg. iuris in 6.* dicitur: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.* & l. Si vnus. §. Illud ff. De pactis, sic habetur: *Illud nulla pactione effici potest, ne dolus præstetur.* l. Conuenire. ff. De pactis dotalibus, statuitur: *Conuenire non potest, nec illa quidem pacta seruanda sunt, ne ob res donatas, vel amoras agatur: quia altero pacto ad furandum mulieres inuitantur, altero ius ciuile impugnatur: etsi conuenerit ne ob impensas necessarias agereatur, tale pactum non est seruandum, quia tales impensæ dotem, ipso iure, minuunt.* Et l. sequenti Pomponius, dicitur: *Pomponius ait maritum non posse pacisci, vt dolum solummodo in dotẽ præstet.* l. Si vnus. §. Pacta. ff. de Pactis, habetur: *Pacta, quæ turpem causam continent, non sunt obseruanda: veluti si paciscar, ne furti agam, vel iniuriarum, si feceris. Expedit enim timere furti, vel iniuriarum pœnam. Sed post admissa hæc, pacisci possumus. Item, ne experiar interdicto, Vnde vi, quatenus publicam causam contingit, pacisci non possumus. Et in summa, si pactum conuentum à re priuata remotum sit, non est seruandum.* Hæc ibi. Et cap. Quemadmodum, De iureiuran. dicitur: *Illud autem iuramentũ est proculdubio temerariũ, si vir iuret vxori, quod eam super nullo crimine accusabit. Quia si mulier fieret infidelis, & nollet cohabitare cum viro absque contumelia Creatoris, tunc deberet illam ad iudicem suum deferre.* Hæc Pontifex. Vnde Glossa rectè ait: *Si aliquis iurando promittat se non denuntiaturum sontes, non valet iusiurandum: quia aditus patefieret delictis. Similiter si quis iurando promittat se non patefacturum arcanum suæ fidei commissum, iusiurandum irritum est, & inutile, si arcanum sit iniquum, & præsertim cõmuni saluti Reipublicæ noxium.*

Animaduertendum est, bonos mores esse varios; alij enim sunt, quos ius naturale præscribit, & imperat. Alij, quos scriptum diuinum ius præcipit. Alij verò, quos ius scriptum canonicum, vel ciuile constituit. Cum igitur communis sententia docet, vim nullam habere iusiurandum contra bonos mores, intelligit contra bonos mores iuris naturalis, vel diuini scripti, vel Canonici. Secus autem est, si iusiurandum sit solũmodo contra bonos mores iure ciuili institutos, de quibus *capite sequenti* tractabitur.

Caput VII.

Quando, & quomodo iusiurandum contractus, & conuenta confirmet.

PRIMO quæritur, An iusiurandum confirmet contractus, qui alioqui irriti essent, & inanes iure ciuili? Quod est quærere, An id, quod fit, & iureiurando firmatur, eo ipso, vim habeat; cum tamen alioqui iure ciuili sit irritum? De qua quæstione agunt Pontificij iuris interpretes *in ca. Cum contingat, De iureiuran. & cap. Licet. De iureiuran. in 6.* & ciuilis iuris doctores *in l. Sacramen. C. Si aduersus vendition.* Præsertim Bartho. Paul. Alberic. Salyc. Corneus, Iason. Vnde Barth. *in l. Si quis pro eo. ff. De fideiussoribus*, quasdam præceptiones, & regulas tradit, in quibus quidam conueniunt, alij non item. De quibus etiam multa Abbas *in cap. Cum contingat. de iureiuran.* Couar. *in cap. Quamuis pactum. de pact. in 6. p. 2. §. 1. & sequentibus.*

Prima est: Quoties contractus est contra bonos mores iuris naturalis, vel Diuini, vel Canonici, etiamsi iureiurando firmetur, non fit ratus, & firmus. Exempli gratia. Pactum, inquit, ne dolus in contractibus præstetur, hoc est, Ne si quid mali dolo fiat, refarciatur, reddaturue. Item: Pactum vt quis domo expellat vxorẽ, & filios suos. Item: Pactum, vt quis venenum præbeat patri, vel alteri innocenti. Pactum, ne quis delinquentem accuset, aut ne quis arcanum iniquum, & noxiũ Reipublicæ saluti patefaciat ijs, quibus debet.

In hac quidem prima Regula à Bartholo posita conueniunt omnes: ea enim colligitur *ex cap. Non est obligatorium. De reg. iuris in 6. & l. Contractus. ff. De reg. iuris. & ex l. Non dubium. C. de legibus.* At verò in huius Regulæ confirmationem, aliqua exempla in medium producit Bartholus, quæ cæteri non probant. Ait enim pactionem futuræ successionis factam absque consensu eius, de cuius hæreditate agitur, etiam iureiurando firmatam non valere. *Quia*, inquit, *est cõtra bonos mores naturales, quoniam datur occasio optandæ mortis alterius.* Sed alij multi, teste Couar. *in c. Quamuis. de pact. in 6. p. 2. initium. n. 2.* docent, huiusmodi pactionem esse quidem iure ciuili interdictam. *l. vlt. & l. Pactum quod dotali. C. de pactis. & l. Pactum dotale. C. de collationibus*; sed non iure naturali, siquidem & fieri potest consensu eius, de cuius hæreditate tractatur, & auctoritate Principis; & tamen occasio optandæ mortis etiam in his casibus non tollitur. Secũdum proponit Bartholus exemplum: Vt si quis iurando promittat non se reuocaturum primũ testamentum factum. *Nullum est*, inquit, *iusiurandum, quia est contra bonos mores naturales*, vt constat *ex l. Stipulatio. ff. De verbor. significatione.* vbi iurisconsultus ait: *Stipulatio hoc modo concepta: Si hæredem me non feceris, tantùm dare spondes: inutilis est, quia contra bonos mores est, nimirum contra liberam testandi voluntatem, quam huiusmodi promissio, & iusiurandum adimit.* Plerique tamen, vt testatur Couar. *in rubr. de testam. p. 2. num. 15.* hoc exemplum non probant, quia tantummodo iure ciuili videtur esse interdictum pactum de non reuocando testamento iam facto. Tertium producit exemplum: Vt *si quis*, inquit, *faciat donationem omnium suorum bonorum, etiam futurorum, & iureiurando confirmet, an non subsistere huiusmodi pactum, etiam iureiurando munitum, quia est contra bonos mores naturales: auferet enim liberam testandi facultatem.* Hoc exemplum Bartholi multi vtriusque iuris interpretes approbant, quos citat Couar. *in Rubrica de testam. p. 2. nu. 4.* Sed alij hoc pariter exemplum improbant, quoniam donatio omnium bonorum etiam futurorum, solùm videtur esse iure ciuili prohibita, vt constat *ex l. vlt. C. de pactis. & l. Hæreditas. C. de pactis conuent.*

Secunda Regula Bartholi est: Quando lex ciuilis ob publicum, & commune bonum potissimum lata est, iusiurandum interpositum in contractu ea lege interdicto, eum non confirmat: quia *in cap. Si diligenti. De foro compet. & cap. Ad Apostolicã, de Regularibus, & l. Ius publicum. ff. de pactis.* planè dicitur, nõ posse ius publicum pacto priuatorum tolli. Huius secundæ Regulæ Bartholus exempla producit, vt *l. 2. & l. Quemadmodum l. Omnes profugi. l. Originarios. C. De agricolis, & censitis* sanctum

est, ne

est,ne quis possit vendere prædium, & retinere colonos agriculturæ prædij ascriptos : quæ lex lata est ob commune agriculturæ bonum. Ideo, inquit Bartolus: *Si quis prædium emendo hoc iure cederet,& iureiurando firmaret,nihil efficeret.* Item *in l.Senatus.ff.de contrahen.& l.Cætera.ff.De legat.1.* Statutum est,ne quis domum, villamúe diruat,quò plus sibi acquiratur. Item, ne quis vendat marmora, aliasúe res affixas ædibus, eo quòd intersit Reipublicæ,ne ædificia publica,siue priuata deformentur. Si quis igitur hoc iure cederet, & iureiurãdo confirmaret totum irritum esset. Item *l.Properandum.§.Sed eisi quidem.C.de Iudic.* Statuitur instatiam litis per triennium extingui, ne lites immortales fiant. Si quis iurando hoc iure cederet, nullus esset cõtractus,ait Bartholus.Quod Felinus,Imola,Alexander, & Couarruuias approbant, vt videre licet apud ipsum Couar.*in cap.Quamuis.de pact. in 6.p.2.§.1.nu.2.& 3.* Similiter *in l.2.C.de donationibus inter virum,& vxorem.& l.Miles ita.§.Mulier.ff.de militest.* Statutur,si quid miles meretrici,aut cõcubinæ donauerit,donatio non valet; idem quoque iuris,ait Glossa est,si quid Clericus,vel aduocatus donet eidem,quoniam iure Clericus,& aduocatus milites quamuis non armati censentur. Quare etiam si iureiurando firmetur non valet, ait Bartholus,& approbant Couarruuias,Aymo, Ripa,Antonius,vt testatur idem Couar.*loco citato. num.4.* Item,posito statuto, quo debitor frumenti liberatur,soluendo certam pecuniæ quantitatem pro quolibet frumenti debiti modio: quoniam interest Reipublicæ ciues, & rusticos plures habere,qui frumẽtum seruent: Si quis iurando hoc statuto cederet, irritum totum esset, Bartholus, Couarruuias,Alciatus,vt ex eodem Couarr.constat *loco citato.* Similiter solet esse statutum,Ne nobilis ob æs alienum in carcerem mittatur,si bona non habeat; ex quibus debita pecunia solui possit.Si quis nobilis iurando hoc statuto cederet,nihil efficeret: quoniam est statutum ob publicum nobilium hominum bonum.Cæterùm Imola, & alij,quos Couarruuias citat *loco citat.* hãc Bartholi secũdam regulam, & exempla minimè probant.

Tertia Regula Bartholi est : Contractus lege prohibitus in odium,& pœnam eius,cuius gratia fit, si iureiurando firmetur , ratus, & firmus non fit ; iusiurandum tamen nisi legitima auctoritate laxetur,remittaturúe,seruari debet: Vt si quis iurauit se soluturum vsuras , *cap.Debitores. De iureiur. & cap.Significante,de pignorib.* Item, si quis iurando promitteret latroni, hosti, tyranno, se daturum centum , ne occideretur ab eo : Si quis item iurauit se soluturum mille aureos, ne iniquè vexetur ab alio , in his vtile est iusiurãdum, ita vt seruandum sit, nisi Ecclesiæ auctoritate relaxetur , aut consensu eius,cui est facta promissio,remittatur; contractus tamen , hoc est, si promissum persoluatur , vim non habet; quoniam qui recipit promissum,& id facit per vim , aut metum, turpiter recipit ; & præterea restituere debet.Et hanc Regulam omnes admittunt : nec tamẽ cum Bartholo conueniunt in quibusdam exemplis,quibus vtitur.Nam ait ille ex hac Regula colligi, vt si filius familias cedat iureiurando,Senatusconsulto Macedoniano,& creditori soluat post mortẽ patris pecuniam mutuo acceptã,dum pater viueret,non confirmari iureiurando contractum,& tuta conscientia posse solutam repetere,quamuis mortuo patre debuerit ,omissum creditori soluere: quoniam,inquit, Senatusconsultum Macedõnianum constitutum est in odium creditorum, vt constat *ex l.1.ff.Ad Senatus consultum Macedonianum.* In hoc exemplo cum Bartholo conuenit Abbas,nõ tamen Antoni°,& Imola,vt testatur Couar.*c.citat.§.3.n.4.*

Quarta Regula Bartholi est: Quoties contractus,vel pactum solùm iure ciuili prohibetur,potissimum ob priuatum iurãtis commodum, si iureiurãdo firmetur,fit ratus,& firmus. Hanc quoque Regulam veram esse cæteri confitentur: at exempla quædam à Bartholo adhibita non omnes approbant. Ait enim contractum à prodigo, cui auctoritate Iudicis contrahere est interdictum,iureiurando minimè confirmari,quoniam non est illi interdictum contrahere ob ipsius cõmodum priuatum ; sed eo quòd integro iudicio carere censetur. Hoc exemplum, & rationem Bartholi,teste eodem Couarru. *cap.citato.nu.8.* approbant quoque Baldus, Angelus, Paulus,Iason, Alexander: sed contractum eiusmodi iureiurando confirmari,sentiunt Antonius,Imola, Romanus,& Aretinus: quoniã solùm prohibetur contrahere ob priuatum eius bonum. Sed Couarruuias cum Bartholo sentiens ait esse illi interdictum contrahere,eo quod creditur pleno iudicio carere; sicut prohibetur furiosus,vel amens contrahere , nisi vterque contrahat curatoris auctoritate. At verò omnes, vt patet apud Couarruuiã *cap.citato, num.3.* admittunt aliud Bartholi exemplum de fœmina fideiussionis contractum ineunte,& eum iureiurando confirmante : qui contractus fit ratus , & firmus ob iusiurandum adhibitum, licet contractus fideiussionis in fœmina iure ciuili minimè subsistat , vt constat ex Senatus consulto Velleiano:nam hic contractus lege Ciuili prohibetur,vt fœminarum priuato cõmodo consulatur.Præterea Bartholus distinguit:Quando lex prohibet contractum verbis in personam contrahentem directis, non confirmatur contractus iureiurando : nam qui contrahit,cum prohibeatur lege cõtrahere,lethaliter delinquit, quoniam legem violat : at verò quando lex prohibet contractum verbis non in personam , sed in rem directis, contractus iureiurando confirmatur; quoniam qui contrahit,non peccat,eo quòd non agit contra legem,cum non sit à contrahendo lege submotus. Sed hanc Bartholi distinctionem, & rationem eius, meritò plerique tum Canonici, tum Ciuilis iuris interpretes cõfutant, Antonius Butrius,Ioannes Imola,Petrus Ancharanus, Abbas,Decius,Iason,Alexander , Paulus, & Couarruuias docentes , siue verba legis prohibentis contractum,in personam, siue in rem dirigantur contractus iureiurando confirmatur, si solùm sit lege prohibitus ob priuatum bonum ; non peccat , qui contrahit, & contractum iureiurando corroborat.

Sed concessis prima,& tertia Regulis Bartholi,cũ Imola,ex his vnam efficimus, quã quæstioni propositæ in vniuersum respondemus. Quando contractus solũ est iure ciuili interdictus, iureiurando interposito cõfirmatur,vt subiunctis patet exemplis. Si mulier res dotales, aut sibi donatas

propter

propter nuptias sine auctoritate Iudicis alienat, nulla est iure ciuili alienatio, vt constat ex *l. Iulianus. ff. de fun. dotali. & Authent. siue à me. C. ad Velleian.* at verò si alienationem iureiurando confirmet, etiam sine auctoritate Iudicis, iusiurandum alienationem confirmat. *c. Cum contingat, De iureiurando, & cap. Licet, De iureiur. in 6.* Item lex ciuilis, *vt habetur in l. Pactum dotale. C. de collat. & l. Si quando. & l. Pactum quòd dotali. C. de pactis.* damnat pactum factum à filia in commodum, & bonum Patris, vt dote contenta in bonis paternis, non amplius succedat: at verò si filia huiusmodi pactum iureiurando confirmet, iusiurandum pactum reddit ratum, & firmum, *c. Quamuis de pact. in 6.* Præterea donatio omnium bonorum etiam futurorum iure ciuili inutilis est, & inanis, *l. vlt. C. de pact. & l. hæreditas. C. De pact. conuent.* Verùm si iureiurando firmetur, vim habet. Amplius donatio absque insinuatione facta, iure Ciuili infirma est, & irrita, at si iureiurãdo confirmetur, subsistit, vt docet Ioann. Andr. contra Bart. & Salicetum, teste Sylvest. *donatio. 1. q. 6.* Donatio quoque inter virum, & vxorem, aut inter patrem, & filium iure ciuili damnatur, at iusiurandum si interponatur, eam confirmat, vt habet communis vtriusque iuris doctorum opinio: vt testantur Couarr. *in Rubric. de testament. p. 2. nu. 10.* & Sylvest *donatio. 1. q. 4.* Pactum etiam de non reuocando testamento iam facto, iure ciuili non probatur; at ratum, & firmum est, si iureiurando firmetur. Similiter lex ciuilis prohibet, quo minus à viro fideiussores dentur pro dote restituenda; si tamen dotis restituendæ promissioni fideiussio accedat iureiurando firmata, valet. Item minor, nisi auctoritate curatoris, vel tutoris, & iudicis donare, aut alienare non potest. *l. Pupillum. ff. de acquiren. rerum dominio;* at si iureiurando donationem cõfirmet, ea vim habet: ita vt repeti non possit, quod fuerit per eum donatum, alienatumue, quamuis absque formula solenni iuris ciuilis vt habetur *in Authent. Sacramenta puberum. C. Si aduersus venditionem.*

Quò efficitur, vt si statutum marito præcipiat, ne arrhas vxori donet vltra decimam partẽ suorum bonorum, & nihilominus si quis vir donando decimam partem excedat, & donationem iureiurando confirmet, iusiurandum eam reddit ratam, & firmam. Sic etiam, si statutum vetuerit, ne pater filiæ, quam in Matrimonium collocat, det dotem vltra certam suorum bonorum quantitatem, consistet donatio vltra eam quantitatem, si iureiurando muniatur. Sequitur ergo, vt exempla à Bartholo supra posita ad secundam suã Regulam comprobandam, quamuis à multis alijs vtriusque iuris doctoribus comprobentur, incerta sint, & dubia, & multorum iudicio falsa. Si tamen contractus iure Canonico sit irritus, iureiurando non confirmatur. Vnde si clericus iurando cedat canoni, siue constitutioni, quæ prohibet quo minus Clerici coram Iudice Ecclesiastico conueniri queant, nullus est contractus. Similiter si pœna apponatur promissioni, aut stipulationi matrimonij futuri, licet iureiurando roboretur, est inutilis, & inanis, quia pugnat cum libertate coniugij, quam in matrimonio contrahendo ius canonicum requrit, & postulat *in c. Cum gemma, & c. Cum locum, De sponsalibus.*

Ex dictis efficitur; nudum pactum, & simplicem pollicitationem, si iureiurando firmetur, ita confirmari, vt actionem etiam iure ciuili producat: nam licet ex pollicitatione, quæ est vnius alteri præsenti, siue absenti facta promissio, iure ciuili non oriatur actio, nec item iure ciuili ex nudo pacto, quod in duorum consensu, nulla causa intercedente consistit. *l. Iuris gentium. §. Quinimo. ff. de pact.* sed iure Canonico ex eo actio nascitur, vt ait Glossa communi consensu recepta *c. 1. de pactis.* & proinde si nudum pactum, vel pollicitatio iureiurando muniatur, actionem vtroq; iure gignit, vt ex communi sententia Couarruuias ostendit *in c. Quamuis. de pact. in 6. p. 2. §. 4. nu. 13.*

Secundò quæritur, An iusiurãdum contractus confirmet iure ciuili prohibitos, si per metum in eis positum fuerit. Communis est sententia, quam refert Couar. *in cap. citato. pa. 3. §. 4. nu. 2.* non confirmare: *& in cap. Cum contingat. de iureiur.* habetur huiusmodi iusiurandũ esse seruandum, si fuerit absque vi, & dolo, & sponte præstitum: sponte interpretantur omnes, sine metu. Si quæras, an sit necessaria iurisiurandi absolutio, vt quis possit agere contra iusiurandum in contractibus metu interpositum? Duplex est opinio: Prima negat esse necessariam, Abbas, Felinus, Francus, Alciatus, quos citat Couar. *lib. 1. varia. resolut. cap. 4. nu. 7. & in Epitom. ad 4. lib. Decre. p. 2. cap. 3. §. 5.* Secunda affirmat requiri. Hanc tuentur Ioan. Monachus, Ioan. Andreas, Dominicus, teste Couarruuia: qui similiter ait Abbatis sententiam esse vsu receptam, licet secunda opinio magis cum iure consentiat: prima sententia mihi magis probatur.

Tertiò quæritur, An iusiurandum contractus iure ciuili interdictos confirmet, si in eis dolus contigerit? Respondeo non confirmare, vt patet *ex cap. Cum contingat. De iureiuran. & cap. Licet, de iureiuran. in 6.* vbi enim dolosè contrahitur, is, qui contrahit deceptus, consentire minimè censetur. Si ROGES, an vt is contra iusiurandum agat, absolutione iurisiurandi indigeat? Communis est sententia, teste Couar. *in cap. Quamuis. de pact. in 6. par. 3. §. 4. nu. 2.* non esse necessariam absolutionem.

Quartò quæritur, An iusiurandum confirmet contractus, in quibus alter cõtrahentium grauiter læditur in eo, quod sua interest. Duæ sunt opiniones: Prima negat confirmare, quam tuentur, teste Couar. *in cap. citato. p. 3. §. 4. nu. 3.* Ioan. Calderinus, Petrus Ancharanus, Antonius Butrius, Abbas: immo Decius eam communem esse testatur: & ratio est, quia deceptus, aut læsus, non creditur consensisse. Secunda opinio affirmat confirmare. Eam habent Archidiaconus, Francus, Imola, Alexander à Couarruuia producti. Quidam has duas sententias conciliare contendunt, ita vt prima locum habeat, quando detrimentum, & damnum est rei acquisitæ in contractibus. Secunda verò, in contractibus, in quibus detrimentum est rei acquirendæ, quos Couarruuias confutat, aliter concilians, vt prima locum habeat, quando læsus est quis, siue in re acquisita, siue acquirenda, ita grauiter, vt sit damnum enorme: Secũda verò, quando non ita grauiter læditur. Ex quo deducit, vt si Maior iuret contractum venditionis, in quo vltra dimidium iusti pretij decipitur, non possit agere, si deceptio fuerit paulò maior dimidio, cum a-

lioqui

lioqui si contractus nullum iurisiurandi haberet firmamentum, posset agere. Glossa *in L. Rem maiorem. C. De rescindenda venditione.* & Glossa *in cap. penul. De empt. & vend.* Si verò, inquit Couarruuias, deceptio sit immodica, & enormis, siue in contractu venditionis, siue cum quis cedit iure hæreditatis acquisitæ, vel acquirendæ, iusiurandum non confirmat contractum. Pari ratione Minor simpliciter contrahens iureiurando posito, eo ipso, censetur cedere beneficio ætatis, hoc est, perinde contrahit, ac si maior ætate esset: non tamen ex hoc excluditur à beneficio legis concedentis actionem, quando est deceptio vltra dimidium iusti pretij. Sic Glossæ *paulo ante citatæ.* Hoc tamen intelligitur, nisi promiserit se non facturum contra contractum, nec ratione minoris ætatis, nec alia qualibet causa. Ita Glossæ prædictæ, sic etiam si Minor cedat hæreditate acquisita, vel acquirenda, cedit beneficio minoris ætatis, ita vt facere contrà contractũ non possit.

Quintò quæritur, Quo pacto iusiurandum contractum confirmet iure ciuili interdictum? Quod est quærere, an ita confirmet, vt contractus omnino valeat, an verò ita, vt is qui iurauit, id præstare debeat, quod iurando promisit, nisi iusiurandum legitima auctoritate relaxetur: nam plurimum refert, an iusiurandum primo modo contractum confirmet. Si enim ita confirmet, non solùm is, qui iurauit, debet id, quod promisit, exoluere, aut stare conuentis, sed etiam eius hæredes, aut cæteri, qui ius habent, debent pariter promissum, aut contractum seruare. Præterea etiamsi iurans, iurisiurandi vinculo Ecclesiæ auctoritate soluatur, non idcirco potest contrauenire contractui, qui ob iusiurandum interpositum est ratus, & firmus. Si verò solùm secundo modo contractus iureiurando firmetur, is qui iurauit, debet promissum seruare; alioqui se periurij crimine obstringit; hæredes verò, & cæteri non debent promissis stare, & promissa persoluere, quia nullo se iurisiurandi vinculo alteri obligarunt, & iurisiurandi vinculum ad hæredes non transit.

Duæ sunt opiniones: Prima affirmat iureiurando ita contractum confirmari, vt non solùm is, qui iurauit, periurij crimen incurrat, si promissa non seruet, sed etiam contractum valere, ita vt hæredes debeant stare rebus contractis, & ita stare, vt si is qui iurauit, vel eius hæres aduersus contractum aliquid efficiat, irritum sit, & inane. Ita opinantur teste ipso Conar. *in cap. Quamuis de pactis. par. 2. § 1. num. 7.* Ioan. Monachus, Io. Andr. Archidiac. Ioan. Calderinus. Ioan. Lignanus, Federicus, Abbas, Petrus Ancharanus, Ioan. Imola, Glossa, Bartholus, Baldus, Cynus, Alciatus, Curtius iunior: immo ait Abbas hanc sententiã esse communem; idem etiam testatur Couarruuias *in capit. Quamuis pactum. de pactis, in sexto. p. 2. § 1. num. 7.*

Secunda opinio docet contractum iureiurando solùm confirmari, ita vt is, qui iurauit, debeat præstare promissum, alioqui periurij scelere se polluet: sed si violato iureiurando rem contra conuentum, & pactum alteri dederit, donatio consistet. Item eius hæredes non oportet conuenta seruare, nec ipse, qui iurauit, debet præstare promissa, si iusiurandum legitima auctoritate relaxetur. Ita sentiunt Antonius Butrius, Ioannes Faber, Cumanus, Fortunius, Iason, Igneus, quos refert Couarr. *loco citato.* At prima opinio cũ sit communi Canonici iuris interpretum, immo legum etiam Doctorum cõsensu recepta, amplectenda est: mihi enim verior apparet, remque vnico exemplo ex ijs, quæ paulo ante proposui, declaro. Donatio absque insinuatione facta iure ciuili rata, & firma non est; eam tamen iusiurandum confirmat hoc sensu, quod is qui iurauit, non solùm vt iusiurãdum seruet, donare debet, quod promisit; alioqui periurij culpam contrahit; sed si nõ donet, eius hæredes sunt ad donandum compulsi, & is qui iurauit, repetere rem donatam iure non potest, licet iusiurãdum Ecclesiæ auctoritate relaxetur, quoniã donatio iureiurãdo firmata subsistit, & vim habet.

Sextò quæritur, Quo pacto, cum quis iurat se soluturum vsuras, iusiurandum promissionem confirmet, quæ alioqui, si simplex, & nuda tantũmodo fuisset, nihil penitus valuisset? cum tamen paulo ante in tertia Regula Bartholi communi omniũ sententia recepta dictum sit; Contractũ in odium, & pœnam eius, cuius gratia fit, lege interdictum; non confirmari iureiurando. Ratio quæstionis est, quia promissio simpliciter facta vsurario, latroni, hosti, tyrannoue ob metũ mortis, aut ei, qui vexat iniquè, irrita est, & inanis; ergo nec iureiurando constabilita fit rata, & vtilis, quoniã iusiurandum firmare non potest id, quod est alioqui irritum, & inane. Præterea, Regula iuris præcipit, vt id, quod alteri accedit, vim & naturam sequatur eius, cui accedit *ca. Accessorium. de regul. iuris in 6. & L. Cum principalis. ff. de reg. iuris.* ergo si iusiurandum promissioni accedit, quæ irrita est, & infirma, irritum erit. Nec obstat, quod iusiurandum contractus confirmet, qui alioqui non iure subsisterent, vt patet *ex quæstione proximâ*: hoc, inquam, nihil impedit, quoniam vti iam dixi, iusiurandum cõfirmat cõtractus, quos ius ciuile non probat: sed ius Canonicum constituit, vt eiusmodi contractus iureiurando firmati, vim habeant. At cũ quis latroni promittit se ei centum daturum, ne ab eo occidatur, nulla est iure naturali promissio, ergo non potest iureiurando firmari.

Caietanus *2. 2. q. 89. a. 7. in respons. ad tertium*, de hac quæstione disputãs, multa dicit, sed reuera quæstionẽ non soluit: sicut nec Sot. *lib. 8. de iust. q. 1. a. 7. in 3. argumento*, propositis argumentis aptè respõdet: quoniã vterq; auctor tanquã certũ concedere videtur, quod mihi non solùm incertũ, & dubiũ, sed falsum etiã apparet. Fatẽtur enim illi eiusmodi promissionẽ simplicẽ, esse per se irritã, & inanẽ. Caietanus nullã esse promissionẽ opinatur: quoniã fit, inquit, promissio homini, & cũ ei sit inutilis, quia restituere debet, si ei promissũ soluatur, nullius est momenti. Sed hoc meritò Sotus cõfutat; satis enim est, si is qui promittit, in promittẽdo bene agat, si quidẽ tunc bonũ iurat. Sotus verò censet irritã esse per se promissionẽ quoniã is, cui fit promissio, extorquet eã, & cogit alterũ promittere, At nec hoc satisfacere aliijs videtur, quoniã etsi is male facit, cęterùm qui promittit, bene agit: quare si promissio irrita est per se, vt illi volunt, nõ video quo pacto iureiu-

randō firmetur. Neque enim iusiurandum confirmat, quod est per se, hoc est iure naturali irritum, & inane. Arbitror itaque dicendum eiusmodi promissionem, quantum est ex iure naturali, non esse irritam, quoniam etsi vsurarius, vel latro turpiter promissum exigit, & turpiter ratum, & acceptum habet; is tamen qui promittit, haud malè promittit: nam promittit, vt seipsum ab iniqua vexatione liberet, & vt salutem, & vitam tueatur, & seruet. Cum deinde promissum exoluit, non peccat, quoniam peccatum non est in eo, quòd fidem datam seruet, & quòd promissa soluat. Solum igitur delinquit vsurarius, vel latro, tùm in exigendo promissum, & id ratum habendo; tùm in accipiendo solutum. Vnde cum huiusmodi promissio simplex irrita non sit iure naturali, & alioqui rata esset, & firma, si iura humana, ciuilia, & canonica eam ratam, & acceptam haberent, iureiurando confirmatur, quia ius Canonicum statuit, vt iusiurandum seruetur, cum fine interitu salutis seruari possit. Quare simplex promissio vim non habet, quoniam ius humanum noluit, vt haberet ad odium, & pœnā eius, qui turpiter, & iniquè exigit: firmata verò iureiurando subsistit, quia nullum est ius humanum, quod eam inutilem, inanemque reddat. Est autem hoc sensu rata, & firma, quod is, qui iurauit, debet promissū exoluere, nisi eius iusiurādum Ecclesiæ auctoritate relaxetur: relaxato tamen iureiurando, liber est ab obligatione, quam soluere debebat, vt cum Abbate docet Couarr. *in cap. Quamuis de pact. in 6. par. 2. §. 3. n. 2.* & licet soluerit, ne periurus esset, potest solutum repetere; quoniam non iurauit, se non repetiturum. Dices: Quid si iurauit se nunquam soluturū? Respōdeo, tunc necesse esset petere ab Ecclesia eiusmodi iurisiurandi relaxationē, vt colligitur *ex cap. 1. De iureiuran.* Insistes: Quid si iurauerit, non se petiturum iurisiurandi absolutionem? Respondeo, nihilominus posse petere, quoniam tale iusiurandum bonos mores euerteret, vt annotauit *loco citato.* Couarr. QVAERES causam, cur iura statuerint, ne simplex promissio vim habeat, & tamen habeat iureiurando firmata? Resp. negari non posse, quin etiam iure humano decerni queat, vt eiusmodi promissio iureiurando etiam firmata non valeat, quemadmodum iure quoque humano posset cōstitui, vt ipsa simplex promissio vim & firmamentū haberet, sicut iure naturali rata, & firma habetur: id enim meretur is, qui turpiter promissionē extorquet. Sed ius Canonicū ob cultū, & venerationē iuriiurando debitā noluit promissionem iureiurando firmatā irritā reddere, sed voluit vt is, qui iurauit iusiurādū seruet, aut relaxationis beneficiū impetret, aut si promissū exoluerit, officio Iudicis repetat; & ita iurisiurandi cultus debitus retinetur, & sic promittētis bono consulitur, & peccatum exigētis turpiter, & iniquè iusiurādū, debitè punitur. Vnde Regula iuris *in c. Accessoriū, De reg. iuris in 6.* & Regula *in L. Cum principalis. ff. De reg. iuris*, vbi dicitur: *Cum principalis causa non consistit, nec ea, quæ sequuntur locū habent*: nihil obstat, quia iusiurandum, quādo principali accedit, cōtra, aut præter leges ciuiles, vim habet, principale nō ité: vt cū communi doctorū sentētia docuit Couarr. *loco citato.*

Septimò quæritur, An iusiurandū ex animi perturbatione, nimirū ira, & tristitia interpositū in promissis sit alicuius momēti? De qua quæstione Abb. *in c. Sicut ex litteris, de iurein.* Sil. *iuram. 4. q. 9.* Angel. *iura. 5. n. 8.* & Io. Andr. Antonius, & cæteri *in c. Sicut ex litteris. de iureiu.* Si perturbatio rationis vsum nō adimat, iusiurādum vim, & locū habet, quamuis facilius Ecclesiæ auctoritate relaxari queat. Cuiusmodi est iusiurandū, quo quis in naufragij, belli, pestis, & hostiū periculo Deo promittit, ac iureiurando confirmat se aliquid facturum, si liber, & saluus euaserit: cuiusmodi etiā est, cū quis graui infirmitate pressus, aut calamitate deiectus aliquid iurando promittit.

Octauò quæritur, An iusiurandū sit ratum, & firmū, quod cū pœnæ adiectione interponitur; & propterea pœnale vulgò vocatur: vt si Titius iuret se certā pecuniæ quantitatē loco eleemosynæ in vsus pauperū daturū, vel quippiam aliud facturum, si in certum peccati genus inciderit? Respondeo, eiusmodi iusiurandū vim habere. Animaduertendum tamen est, posse dupliciter adhiberi: Primū, vt si iuret quis nūquā se certū peccati genus commissurū; & deinde iuret similiter se eleemosynam pauperibus erogaturū, si in illud delicti genus incurrerit. In quo duplex est iusiurādum, vt constat: prius enim est absolutū, alterum est cum pœnæ adiectione: nam primùm iurat Titius se nunquam certum peccatū facturū; deinde verò, se daturū eleemosynam, si in illud inciderit peccatū. Altero modo potest eiusmodi iusiurandū interponi cū adiectione pœnæ tantummodo; vt si Titius iuret certā eleemosynę quantitatē se pauperibus elargiturū, si hoc aut illud peccatū commiserit, Non enim iurat se id peccati nō admissurum: siue primo, siue secundo modo iusiurandū interponatur, vim habet, ita vt iurās seruare id debeat. Sed si primo modo quis iuret, periurus est, tum si in peccatum incurrat, tùm etiam si in peccatū lapsus pœnam non soluat. Si verò secundo modo iuret, non se periurij scelere deuincit, si peccatū admittat; sed si peccato contracto pœnā promissam nō perferat. Hoc loco quæri poterat, an pœnale iusiurandū, quo quis promittit, si in certū peccati genus incidero, Religiosorum institutū suscipiam: auctoritate Episcopi; vel alterius relaxari, commutariue queat; sed postea hanc quæstionem commodiùs disputabo *in hoc lib. cap. 10. q. 3.*

Nonò quæritur, Quo pacto iusiurandū, quod sub conditione adhibetur vim habeat? Respondeo, huiusmodi iusiurandū cōditionale vocari, quoniā cū conditione interponitur. Notandum est ex Glossa *in cap. Quemadmodum, de iureiuran.* plerumque in iureiurando conditionē tacitè contineri; & intelligi; quales sunt multæ conditiones, nimirū hæc, si Deo placuerit; itē hæc, si Romano Pontifici, aut Principi, aut Superiori Præfecto acceptum, gratumq; fuerit; hæc etiā, si res in eodem statu permanserit; item si mihi à promittentibus cum iureiurando fides seruabitur; ea itidē, si à me petatur res honesta, & quæ fieri commodè possit. At verò iusiurandū non dicitur cū conditione, quia tacitè contineat vnā, aut plures ex his conditionibus suprapositis, & alijs similibus: eas enim conditiones iusiurandū suapte natura re-

tura requirit: quo modo etiam legata non dicũtur conditionalia, quia tacitè conditiones habeant, quas per se ipsa deposcunt. Dicitur itaque iusiurandum cum conditione interpositum, quãdo quis iurando promittit conditione expressim adiecta; vt si iurando promittas mihi te daturum centum, si cras pluerit, aut si filius tuus ex Asia saluus redierit. Et huiusmodi iusiurandum ante conditionem impletam vim non habet; habet tamen impleta conditione. Hoc autem locum habet, quando totus conditionis euentus impletur: fieri enim potest, vt conditio duas, aut plures partes contineat, vt si iures, Dabo tibi centum, si filius meus ex Asia sanus redierit, non mihi te obligasti, si redierit infirmus. Si tamen iusiurandum ob duas causas adhibeatur, vim habebit etiamsi vnius tantum illarum effectus acciderit: Vt si iures te Romam iturum, vt fratrem inuisas, & sanctorum Apostolorum limina venereris, & tua peccata redimas, tametsi frater tuus in Vrbe decesserit, obligatus es Deo ad eundum Romam, quoniam te iureiurando ei obstrinxisti ob duas causas, quarum altera consistit, & permanet. Animaduertendum est etiam iusiurandum cum conditione interponi, siue conditio per particulam, si, siue per particulam, vt, siue per aduerbium, quando, siue per aliquid aliud, quod idem significet, exprimatur: Velut si iures te mihi centum daturum, si filius tuus ex morbo conualuerit, vel quando conualuerit, vel vt conualescat.

Decimò quæritur, An iusiurandum metu extortum valeat? Hanc quęstionem dilui *l. 1. c. 11. q. 12.*

Vndecimò quæritur, An matrimonium metu quidem contractum, sed iureiurando firmatum vim habeat? Hanc quoque quæstionem tractaui, *quæst. 13. eiusdem libri, & capitis.*

Duodecimò quæritur, An sponsalia per metum extorta, sed iureiurando firmata subsistant? Ad eam quoque respondi *supradicto lib. & cap. q. 14.*

Decimotertiò quæritur, An iusiurandum per procuratorem, vel nuncium præstari queat? Teste Couarr. *in cap. Quamuis pactum, de pactis in sexto, par. 1 §. 4. num 7. & 8.* Baldus sensit in feudo, cum quis fidem dat, qua promittit se futurum fidelem ei, à quo feudum accipit, iusiurandum per procuratorem adhiberi non posse. At verò communi Pontificij iuris interpretum sententia receptum est, iusiurandum interponi posse per procuratorem ad id speciale mandatũ habentẽ, vt colligitur *ex cap. Nullam, De iuram. calumniæ in sexto*, sic Glossa, ac Doctores; *& exc. 1. §. Verùm. De statu Regular. in 6.* Si obijcias; iurisiurandi obligatio est personæ, quia est vinculũ & nexus, qui ex religione manat, ac surgit; ergo nequit per procuratorem, vel nuncium præstari. Respondeo iurisiurandi vinculo non obligari procuratorẽ, vel nũcium, qui non suo, sed nomine domini iurat, sed obligari dominũ, qui per procuratorẽ, vel nuncium iusiurandũ præstat: & proinde iurisiurãdi obligatio nõ nisi dominũ iurantẽ obstringit, ac tenet. Sed quæstio est, an iusiurandum possit per procuratorem interponi speciale mandatũ habentẽ etiam in ijs causis, in quibus lex proprium iusiurandũ requirit? Alexander teste Couarruia affirmat etiã tunc posse per procuratorem iusiurandũ præstari. Sed verius est quod docet Couarr. *loco citato*, quando actus est talis, vt per aliũ fieri queat, iusiurandũ potest per procuratorem adhiberi, vt est iusiurandum, quo promittitur fidelitas erga alterum: iusiurandũ, quod in contractu, vel lite interponitur: quando verò contractus est eius conditionis, vt per alium fieri nequeat, non potest iusiurandũ per procuratorem interponi, etiamsi peculiare ad id mandatũ habeat: cuiusmodi est iusiurandum, quo quis testificari debet: quod proprium esse eius, qui testificatur, necesse est: & de hoc loquitur *cap. Licet. De testibus*, vt in *eo cap.* Abbas, & Petrus Ancharanus tradiderunt. Item quando lex, vel Canon requirit expressim, vt quis propria manu iuret, siue iusiurandũ præstet, tũc nemo iure potest per procuratorẽ, vel nuncium iurare, vt Couar. testatur.

Cap. VIII.

Quo pacto iusiurandum, quo quis se alteri obligat, interpretari debeamus.

PRimò quæritur, An iusiurandũ interpretandum sit iuxta iurantis mentem, & sensum, si is, cui iusiurandũ præstatur, aliter accipiat? Respondeo, ex communi omnium sententia, in foro conscientiæ semper esse accipiẽdum iuxta iurantis mentem; vt colligitur *ex cap. Quacumque. 22. q. 5.* & ex Gratiano *in c. Qui peierare, eadem causa, & quæst. §. Ex his omnibus, & ex cap. 1. De iureiur. in 6.* In foro tamen iudiciali semper est iudicandũ secũdum communem sensum, quem reddunt verba ipsa, & secundũ vtriusq; iuris Regulas, & communem hominum vsum, vt constat *ex c. Literis. De sponsalib. & ex L. Liberorum. §. Quod autem Cassius. ff. De legatis 3.* Si quæras, quid sit agendum, cum dubitamus, iurauerit necne quis; item cum ambigimus, habuerit necne voluntatẽ sese iureiurando obligandi? Angel. *iuram. 5. n. 10.* censet, interpretari nos oportere, eum nullo iurisiurandi vinculo teneri. At Silu. *iuram. 4. q. 7. versic. Quartum si simus in dubio*, Archid. Abb. & Rosellã sequutus affirmat eiusmodi hominẽ iusiurandum obseruare debere, ne peccati periculo sese obijciat, quamuis si non seruet pœna periurij puniendus non sit.

Secundò quęritur, An cũ quis mihi imperauerit, vt certũ puerulũ apponam adædes alterius, & ego alteri tradã, vt ipse apponat, iurare tuta cõscientia possim me non apposuisse? Quod est quærere generaliter, an iusiurandũ, quo iuramus nõ feciſſe nos aliquid, accipiendũ sit in eum sensum, quo is aliquid feciſſe censetur, qui non solùm verè fecit, sed & qui fieri alteri mandauit; hoc est, qui non per se ipsũ, sed per alium fecit? Respondeo, iusiurandũ non solùm esse interpretandũ secundum cõmunem sensum, quẽ verba verè significant, sed etiã secundũ communẽ eum sensum, in quo Canones, Leges, & Iura voces solẽt accipere: & secũdũ leges, & Canones aliquis feciſſe dicitur, nõ solùm cũ per se ipsum verè fecit, sed etiã qui per aliũ fecit, is enim iuris fictione feciſſe censetur. *L. 1. §. Deieciſſe. ff. De vi, & vi armata*, vbi dicitur: *Deieciſſe is etiã videtur, qui mãdauit, vel iussit.* Et L. Itẽ apud Labeonẽ, §. Feciſſe. ff. De in iurijs. habetur: *Feciſſe vim conuinci, non tantùm is videtur, qui vociferatus est, sed is quoq;, qui cõcitauit alios ad vociferationẽ, vel qui summisit, vt vociferentur.* Hæc ibi

lex. Ideo periurij crimen admittit is, qui puerum ad ædes alterius per alios apposuit, & tamen iurauit se non illum apposuisse.

Tertiò quæritur, Quid dicendum sit, quando Episcopus aliquis facultatē concessit Clerico, vt absens in studia literarū incumberet, quem absentem ad certū diem redire iussit, Clericus tamen iureiurando creditori suo promiserat non recessurum se, antequā ei debitum solueret: quo pacto eiusmodi Clerici iusiurandū interpretari debeamus? Nam si ad diem Episcopi iussu constitutū non redeat, sui Episcopi præceptū violat: si verò Episcopo parens reuertatur, iusiurādū, quo suo creditori iurauit, non seruat. Respondeo, si æs alienum contraxit ob aliquid ad literarum studiū necessariū: eo ipso videtur sese creditori obligasse, tacito Episcopi consensu: nā vno concesso, cōcedūtur omnia, sine quibus illud effectū habere non potest. *cap. Præterea, & cap. Prudentiam, de offic. deleg. & L. Ad rem mobilem, & L. Ad legatum. ff. De procuratoribus.* Vnde Clericus de loco recedere iure non potest; proindeque iusiurandū seruare debet. Secus esset, si absque permissu Episcopi, ad litterarum studia se conferret, aut si absq; necessitate, vel causa legitima debitū contraheret. Idem iuris est, si pater filium absentem reuocet, qui iureiurando creditori promiserat nō recessurum se intra certum tempus. Idem dicendum de famulo, procuratore, & de quolibet alio alterius potestati subiecto. Angel. *iuram. 5 n. 27.* Sil. *iur. 4. q. 16.* ex Ioan. Andr. & Abbate.

Quartò quæritur, Qua ratione iusiurandum, quo alteri fidē damus, interpretari oporteat, si is fidem nobis datam non seruet? De hac quæstione Sil. *iuram. 4. q. 13.* Respondeo cum Abbate *in c. Pervenit. 2. de iureiur.* cuius sententia in hac parte est communi consensu recepta; Quandocumq; duo iurisiurandi vincula, & obligationes ad se inuicem referuntur, si vna desit, altera quoq; finitur, & cessat. Sit exemplū: Iurādo promisi tibi equū, & idcirco tu mihi iureiurando promisisti centū: si ego promissum non seruo, tu quoque ab obligatione liberaris. Et hoc modo intelligitur, id quod habetur *in L. Si conuenerit. ff. Pro socio & cap. Si infidelis. 28. q. 2. & L. Cum proponas. C. De pactis. L. Si instituta. ff. De inofficiosa testam.* Idem iuris est quandocumque tibi aliquid sub conditione promisi: vt si tibi me daturum centum promiserim, si Romā ieris, te non eunte nihil dare debeo. Quando verò duę obligationes minimè ad se inuicē referūtur, tunc etiāsi vna defuerit, non idcirco altera extinguitur: Vt puta ego tibi promisi centū, & tu nō hac de causa, sed simpliciter mihi promisisti quippiā te facturū, etiāsi ego non dederim, debes tu id præstare, quod promisisti, quia te mihi simpliciter obligasti. Ex quo perspicitur, quemadmodū interpretari possimus promissiones iureiurādo stabilitas, quibus duo homines alter alteri se solent inuicē obligare. Titius (exempli gratia) promittit Caio, & iureiurādo confirmauit se in Religionē ingressurū, si Caius ingrediatur: & Caius itē iurando promittit Titio: se idē facturū, si ipse Titius id fecerit: Videdū est tūc, an duæ huiusmodi promissiones, & obligationes ad se inuicē referātur, an nō. Si referātur; vno Religionē suscipiente, debet alter quoq; idem efficere Si minimè, etiamsi vnus promissum non præstet, non ob id alter ab obligatione liberatur.

Quintò quæritur, An iusiurandum vnius ad hæredem eius, vel successorē transmittatur? Respondeo ex communi omnium sententia, quod attinet ad iurantē, iusiurandum ad hæredem, & eius successorem non transire: nam iusiurādum est personæ vinculum, & obligatio, vnde vltra iurantem minimè extenditur. Ciues, aut Collegij Canonici iureiurando se, & successores alteri obligarunt, si ij, qui iurarunt, promissum non præstent in periurij crimen incurrunt, successores non item. Sic Ioan. Andr. *cap. vlt. De sepult.* & Abb. *in c. Veritatis, De iureiur. num. 2. & 3.* Couarr. *in c. quamuis de pact. in 6. par. 1. §. 5. num. 4. & 5.* Nihilominus tamē successor, vel hæres potest aliunde obligationē cōtrahere, vt si pater iurādo promittat se aliquid alteri daturū, quod ante mortem præstare non potuit, filius eius iurisiurandi vinculo non tenetur, sed ratione rei à patre acceptæ ei obligatur, ita vt dare debeat. Similiter Ciues iurārūt se diem certū tanquā festum veneraturos, & seruaturos, successores nullo sunt iurisiurādi vinculo adstricti, colere tamē debent illū diem, & vt festum seruare, si vsu, & cōsuetudine introductū sit, vt tanquā festus dies ille ab omnib. habeatur. Ex his fit, vt quamuis laicus ratione iurisiurandi, quo se obstrinxit, cōueniri queat coram Iudice Ecclesiastico, vt definitur *in c. vlt. de foro cōpeten. in 6.* non tamen eius hæres, quia iusiurandū ad hæredem non transit. Item, iurauit non repetiturum me à te certam rē, poterit eam à te meus hæres repetere, quia non iurauit ipse, & potero eam repetere ab hærede tuo, quoniam ei iusiurandum non præstiti.

Quod verò attinet ad successorem eius, cui est aliquid iureiurando promissum, iusiurandum ad successores transfertur. Ex quo efficitur, vt quando quis fidem, & obedientiam promittit alteri expresso nomine Dignitatis, in qua est constitutus, aut muneris, & officij, quo fungitur, eo ipso, cæteris in ea Dignitate, & munere succedentibus promisisse censeatur. Secus verò est, si promittat expresso tantummodo nomine proprio personæ: tunc enim denuò fidem, & obedientiā iureiurādo promittere successori debebit.

Quæres, an vt iusiurandum, quod successoribus præstatur, illorum gratia adhibitum esse interpremur, necesse sit, vt iusiurandum præfetur personæ in Dignitate cōstitutæ, & expresse eius successoribus? Respōdeo, teste Abbate *in c. Veritatis. de iureiur.* Goffr. Hostiensis, & Glossa senserunt non esse gratia successorum interpositum, nisi expressim successores in iureiūrādo ponātur in hanc formulā. Iuro tib. N. & tuis successoribus. At verius est quod docuit Abbas, cuius opinio communi consensu est comprobata: si nomen Dignitatis exprimatur, siue successorum expressim mentio fiat, siue non, iusiurandum successoribus esse præstitum intelligitur.

Obijcies, quod dicitur *in capite Longinquitate. 12. quæstione. 2.* libertos Ecclesiæ Pontificis successori debere suæ conditionis professionem facere. Ex quo etiam fit, vt successori feudi, vel emphiteosis directum dominiū habēti feudatarius, & emphiteota iusiurandū præstare debeat;

alioqui

alioqui periurus non habetur, si debitam pensionem non soluat. Respondeo, feudatarium, & emphiteotam iusiurandum repetere, & præstare successorib. in dominio feudi, vel emphiteosis, vt recognoscat beneficium feudi, & emphiteosis, & nouum dominum; alioqui necessarium nō esset; nam eo ipso, quod iusiurandum adhibitum est gratia veteris domini, præstitum quoque nouo domino censetur.

Sextò quæritur, An iusiurandum interpretari possimus, ita vt sit cum detrimēto, & incommodo alterius? Respondeo ex communi omnium sententia, minimè, vt intelligitur *ex cap. Sicut nostris, de iureiurando.* Silvest. *iuram. 4. q. 14.* qui citat Ioannem Andr. Goffr. Hostien: Tancre. & Glossam. Vtamur exemplis. Canonici iurarūt, si quis eorum crearetur Episcopus, facturum se certum quid, quod cedit in detrimentum eius, quod pertinet ad Episcopi dignitatem: iurisiurandi vinculo minimè tenentur. Idem iuris est, si iurent Cardinales, eum qui ex ipsorum Collegio in Romanum Pontificem fuerit electus, facturum aliquid, quod Pontificiam dignitatem non decet. Idem dicendum, si alter coniux castitatem iurādo promittat; exigere enim debitum non poterit, sed reddere tamen debebit. Pari ratione, qui alienæ est potestati subiectus, si aliquid iurando promittat, quod in eius, cui subest, damnum, & incommodum cedat, vim iurisiurandi non habet. Item, iuraui non patefacturum arcanum mihi commissum, iureiurando non teneor, si id fuerit alteri noxium; & proinde tuta conscientia patefacere possum ijs, qui prodesse queunt, non obesse. *2. 2. quæst. 5. cap. Hoc videtur.* Idem de similibus iudicādum, vt si iuraui me tibi auxilium daturum, quod si dedero, mihi, vel alijs nocebo, nō teneor.

Septimò quæritur, An cū quis iurat seruaturū se statuta certi Collegij, vel cōmunitatis, iusiurādum ad futura quoq; statuta protendi cēseatur? Respondeo ex cōmuni sententia, quam habent Abbas, & cæteri *in cap. Clericus. de iureiuran.* & Silu. *iuram. 4. q. 13.* si cum iurat, expresim iuret se seruaturum statuta condita, iusiurandum ad futura minimè trahendum est: si verò simpliciter iuret seruaturum se statuta, aiunt Ioan. Andreas, & alij, iusiurandum futura quoque complecti. Sed verius est, quod Antonius Butrius, & Abbas tradiderunt, nisi iurantis mens ad futura sese fundat, ac porrigat, iusiurandum ea non continere. Nam, vt ait Abbas, iusiurandum ob metum, & periculum periurij, & ob detrimentum, quod sequi potest, stricti est iuris, & interpretationis, ita vt non cōprehendat id, quod verba latè significant. Præterea, sic iurās, nihil de futuris cogitauit, quę si eius memoriæ, & cogitationi occurrerēt, verisimile est ipsum ea non iuraturum fuisse, cū futura sint nobis incerta, & dubia, & graues, molestos, ac difficiles soleant interdum exitus habere.

Octauò quæritur, An cū quis iurat se statuta cōmunitatis seruaturum, ea seruare debeat, si in desuetudinē abierint? Respondeo, minimè; nam iusiurandū interpretari nos oportet de statutis, quamdiu fuerint in more posita; at verò in desuetudinē tunc abeunt, quando aut tota communitas, aut saltem maior pars ea non seruat. SI ROGES, quid de ijs iudicādum sit, qui in Collegium, Ciuitatē, aut Communitatē admittuntur, & tamen iurant se statuta seruaturos? Resp. eorū iusiurandum esse interpretandum eo sensu nimirum, iurare se seruaturos, prout sunt in more posita, hoc est, prout solent à toto Collegio, vel maiori parte seruari.

Nonò quæritur, Quid dicendum sit, quando Titius debitor pecuniæ iurauit se Caio creditori eā ad certum diē soluturum; postea verò soluendo nō est, an fierit in iurādo periurus? Respondeo, si cum iurauit, præuidit se soluendo nō fore, periurium admisit; quia promisit iurando, quod facturus non erat, si autem verosimiliter credidit se ad præscriptum diem posse promissum exoluere, periurus non fuit: nec tamen modò promissum præstare debet, quia soluendo nō est. Silu. *iurament. 4. quæst. 24.*

Decimò quæritur, Quid sit dicēdum, quando iurando promisi me tibi daturum decem, & tu mihi alia decem debes, an debeam tibi decē soluere, an vero liceat mihi decem, quæ tibi promisi, retinere ob alia decem, quæ tu mihi debes? quod est quærere, fasne sit in iureiurando vti compensatione, siquidem compensatio est quædā per iuris fictionē debiti solutio: quoniā vt dicitur in L. 1. ff. De compensationibus, *compensatio, est debiti, & crediti inter se contributio.* Hanc quæstionem latè tractat Couarr. *in cap. Quamuis pactum, de pactis in 6. p. 1 §. 4. num. 9.* Duæ sunt opiniones: Prima negat licere nobis in iureiurando cōpensatione vti, eo quòd iureiurando obligatus id præstare debeat, ad quod faciendū se alteri iureiurādo deuinxit. Sic Abbas *in c. Ad nostram, de iureiur. n. 3.* secutus Innocentium, Hostiensem, & Ioannem Andreā: immo ait esse Canonici iuris interpretū sententiā. Secunda opinio affirmat, posse nos in iureiurando vti cōpensatione. Ita Bartolus *in L. Amplius. ff. Rem ratam haberi.* Silvest. *iurament. 4. q. 27* Tabien. *iurare. q. 24.* sic etiā Bal. Angel. Cuman. Ioan. Faber, Platea: & ipse Abbas sibi contrarius *in cap. Cum dilectus. de ordine cognit.* & in *cap. Cum inter. de exceptio.* Alex *consil. 12. lib. 2.* & alij, quos refert Couar. *loco prædicto.* Quæ mihi sententia probabilior apparet. Nam iusiurandum, quo tibi promisi me daturum decem, videtur intelligi tacita conditione, si tu mihi alia decē solueris, quæ debes. Si tamen me tibi iureiurando obligauerim expressim, & simpliciter ad decem tibi dandum, etiam te nihil mihi soluente, tunc in iureiurando compensatio locum non habet: Et hoc modo intelligitur id, quod colligit prima opinio *ex cap. Ad nostram. 1. De iureiurando.*

Vndecimò quæritur, In quem sensum accipienda sint ea præcepta, quibus plærunque Prælati multa solēt iuratis subditis imperare his verbis: (*Sub pœna præstiti iuramenti*) quibus verbis significatur subditos periurij culpam contracturos, nisi imperata exequantur? Hanc quæstionem proponit, & diluit Couar. *in c. Quamuis de pact. in 6. 6. p. 1. §. 7. n. 12. ad fin.* Respōdeo, huiusmodi præcepta, siue mādata nō esse ita semper accipiēda, vt periurij culpa admittatur. Solent enim Academiarū, & Vniuersitatum Rectores sæpè præcipere, vt Scholiastici certæ Cōgregationi, Missarum

sacrificio, sacræ cõcioni, publicæ, & soleni supplicationi interfint sub pœna præstiti iuramẽti. Non est (inquiunt) Maio. 3. d. 39. q. 4. vers. contra quæ tam concluſ. & Couar. loco citato. Ioan. Driedonium sequuti: verisimile, eorũ mentem esse, vt Scholastici periurij sint rei, si mandata non fecerint. Credendum est potiùs eos hoc tãtummodo voluisse, vt Scholastici iusiurandum, cuius vinculo sunt adstricti, ad memoriã reuocent, & ne illud contẽnendo violẽt. Ita vt solùm ij lethali se crimine, & scelere obstringãt, qui scienter imperanti non parent, quòd iussa despiciant, & negligant.

Duodecimò quæritur, An si duo, vel plures cõpromiserint, vt intra certũ diem causa definiatur, & iurauerint se obedituros sententiæ arbitri delecti, ac deinde compromissi dies prorogetur eorum consensu, iusiurandum quoque intelligatur prorogatũ, etiamsi expressim denuò non iurent? Hanc quæstionẽ disputat Couar. in c. quãuis. de pact. p. 1, §. 1. n. 6. Duæ sunt sententiæ: Prima censet, eo ipso iusiurãdũ prorogari: vnde si sententiæ non paruerint, periuri censentur. Sic Cardinalis, & quidã alij, quos citat Couar. Secũda opinio docet non eo ipso, iusiurandum extẽdi, nisi de integro repetatur. Ita Sozinus, Baldus, Decius, quos sequitur Couarruuias: & hæc sentẽtia mihi verior apparet, nam ea congruit maximẽ cum eo, quod definitum est in cap. Clericus, De iureiuran. vbi decernit Pontifex, Clericum, qui iurauit se statuta edita in Ecclesia sua seruaturum, promittendo per idem iusiurandum statutũ postea editum fideliter obseruaturum, licet præstare debuerat promissum, nõ tamen vi præstiti iurisiurandi ad id fuisse obligatum. Et Abb. Antonius Butrius, & alij ibi annotarunt, iusiurandum ad noua, aut futura non protendi. Vnde si famulus cum Domino conuenit, & conuẽtionem primò iurauerit, & postea id domino exigente iusiurandũ primum ad alia extenderit, nõ extenditur, vt ait Abbas in cap. Clericus de iureiuran. Archidiaconũ secutus. Item, si quippiam aliquis domino iurãdo dixerit, & deinde aliud per iusiurandũ antiquũ mendaciter affirmauerit, mendax est, periurus non itẽ, vt idem Abbas ait. Præterea si Notario, vel Iudici detur facultas, vt instrumentum, vel syngrapham, aut Chirographũ extendat ad alia, non, eo ipso, iusiurandum ad alia protenditur, licet instrumentum vnà cum iureiurando ad alia trahatur, vt docent Antonius, & Abbas c. Clericus de iureiuran. nisi in his omnibus denuò iurauerit, aut nisi ei expressim dicatur, *Iura per primũ iusiurandũ.* hoc est, per formulã in primo iureiurãdo cõceptã, aut, Iura per primũ iusiurandũ, sicut per sacrã rem, vt ait Abbas *loco citato.*

Decimotertiò quæritur, quid dicendum sit, quando Titius debitor iurauit soluturũ creditori Caio centũ intra mensem, deinde Caius spontè tempus solutioni præstitutum prorogauit, An Titius maneat semper Caio obligatus vi iurisiurandi primo adhibiti, ita vt si ad tempus prorogatum, non soluat debitum Caio, periurij crimine teneatur? Cardinalis sensit iusiurandum non extendi. Baldus, Felinus, Decius, Iason, quos refert, ac sequitur Couarruuias *in cap. quamuis, de pact. in 6. par. 1. §. 1. num. 6.* censent iusiurandum prorogari vnà cum solutione debiti ad tempus dilata; quoniam licet tempus differatur, eadem tamẽ manet obligatio, ergo manet eadem vinculi qualitate affecta. Nec pro Cardinale facit id, quod dictum est *in c. Clericus*, quoniam ibi solùm decernitur, iusiurandũ antiquum ad alia non trahi: sed in hac causa Iusiurandum in eadem materia, & obligatione, in qua erat initio interpositum, perseuerat.

Decimoquartò quæritur, An interrogatus simpliciter debitor in iudicio, debeatne actori centũ, & verè debeat quinquaginta, non centũ, iure possit negare, centũ debere, & an sit periurus si totam summam neget? Eadem quæstio est, si de fundo interrogetur, & neget esse suũ, cũ tamẽ pars fundi sit ipsius, & pars sit actoris: Eadem itidem quæstio est, si rogatus possideat necne domum, neget possidere, eo quòd non possideat solus, sed possideat eam vnà cum alio, hoc est, eo quòd habeat rem communem, non propriã? De hac quæstione Abbas *in c. 1. de plus petitionibus, num.* 15. Felin. *cap. nam concupiscentiam, de constit.* Couar. *lib. 1. de var. resol. c. 2. n. 5.* Duas opiniones inuenio, vna est Bartholi *in l. is qui ducenta. §. verum. ff. de reb. dub.* vbi docet iure negare nõ posse totũ, quod petitur, sed partẽ cõfiteri debere, & partem negare. Bartolũ sequuntur Abbas, Felinus, Alex. Aretinus, Alciatus, & alij, quos citat Couarr. quia qui negat totum, negat quamlibet eius partem. Altera sententia docet tua conscientia posse negare totã summã, quæ petitur, etiã si partem debeat: quam sequũtur Speculator, Decius, Crottus, & alij quos refert Couarr. & hæc probabilior videtur: quemadmodum, si quis rogetur an comederit in templo, iure potest negare comedisse, quãuis aliquid comederit: quod etiam docet Abbas: sic etiam si rogetur, an debeat viginti, cum solùm debeat decem.

Cap. IX.

De iurisiurandi relaxatione.

PRimò quæritur, quot modis iurisiurandi, quod alicui est ratũ, & firmum, vinculum tollitur? Resp. quatuor modis. Primò Superioris absolutione: Deinde cõmutatione, siue boni maioris, vel æqualis cõpensatione: Tertiò remissione creditoris: Quartò relaxatione Iudicis.

Secundò quæritur, quẽadmodũ differant hæc, iurisiurãdi vinculũ absoluere, Remittere, Rescindere, Commutare? Respõdeo: Iusiurandũ dicitur relaxari, aut absolui, vel vt Canonici iuris interpretes, & Theologi loqui solent dispensari, cum eius vinculum dissoluitur, & qui iurauit, eo eximitur, ac soluitur auctoritate Ecclesiastici Magistratus, quem Superiorem passim vocamus, nimirum Romani Pontificis, aut Episcopi, aut alterius Ecclesiastici Præfecti. Commutatur verò iusiurãdũ, cũ eius vinculũ ex vna materia, & re si bi subiecta in aliam trãsfertur. Tunc autẽ remittitur, cũ tollitur volũtate eius, cuius gratia iureiurando sese aliquis obstrinxit. Vt si iurãdo promisi tibi me centum daturum, & tu deinde iusiurandũ remittas. Rescindi verò, seu etiã Relaxari, hoc est, irritũ, & inane reddi, vel vt aiũt vtriusq; iuris interpretes, & Theologi, irritari iusiurãdũ dicitur, cũ eius vinculũ soluitur auctoritate eius in cuius potestate, & dominio est is, qui iurauit:

vt si

vt si seruus, vxor, vel filius iurãdo aliqua promittat alteri in ijs, quæ sunt domini, mariti, vel patris potestati subiecta.

Tertiò quæritur, An quis auctoritate Romani Pontificis possit iurisiurandi vinculo solui? De qua quæstione, & Abbas, ac reliqui Pontificij iuris Doctores, & Theologi, etiam Summistæ multa docuerunt. Glossa, Abbas, Felin. & alij *in c. Consuluit, de rescr.* Iaso. *in l. vlt ff. qui satisda. cogant.* Cou. *in ca. quamuis pactum, de pact. in 6. 1 p. §. 3* Sot. *l. 8. de iust. qu. 1. art. 9.* Silu. *iuram. § q. 1.* Communi sententia receptum est, in iusiurandum, quo id, quod asserimus, confirmamus, relaxationem cadere non posse, vt ait S. Thom. *2. 2. quæst. 89. artic. 9.* iusiurandum verò, quod promissionem munit, ac firmat, non homini, sed Deo factam, potest auctoritate Pontificia relaxari, cùm iusta, ac debita causa subest, at sine illa non potest. Si verò iusiurãdum homini præstetur gratia ipsius, nequit absque eius consensu Pontifex relaxare, nisi iusta, & legitima subsit causa. Quæ verò sint iustæ causæ, vt auctoritate Pontificia quis iureiurando soluatur, siue se Deo, siue homini iureiurando deuinxerit, inferiùs explicabo *in 7. q.*

Quartò quæritur, An alicuius iurisiurandi absolutio sit Romano Pontifici reseruata, ita vt nullius alterius auctoritate relaxari queat? Caietanus *2. 2. q. 80. art. 9.* & Sot. *l. 8. de iust. q. 1. art. 9.* asseuerant aiunt omnis iurisiurandi absolutionem esse Romano Pontifici reseruatam, si sit iusiurandum interpositum in ijs rebus, in quibus votorũ relaxatio Romano Pontifici reseruatur. Et quoniam quinque eiusmodi vota sunt, nimirum castitatis seruandæ, ingrediendi in Religionem, Peregrinationis suscipiendæ ad S. Iacobum Compostellanum, & ad limina Apostolorum Petri, & Pauli in Vrbe, & ad Templum Domini Hierosolymitanum: consequens est, vt si quis iurauerit se aliquid horum facturum, eiusmodi iurisiurandi absolutio Romano Pontifici reseruetur. Tabien. *in verb. Iurare, qua. 20.* aliter censet, quod attinet ad relaxationem absolutionemúe, nullum eiusmodi iusiurandum esse Romano Pontifici reseruatum; & proinde Episcopos potestatem ordinariam habere omne iusiurandum relaxandi: *Quoniam*, inquit, *voti vinculum est arctius, quàm iurisiurandi* teste S. Thoma *2. 2. qu. 89. ar. 8.* ergo non, eo ipso, q̃ ea quinque vota Romano Pontifici reseruantur, iusiurandum reseruatum est. Sed certè probabilior est Soti, & Caietani sententia. Nam iusiurandũ, quo aliquid Deo promittitur, nihil aliud est nisi votũ iureiurãdo firmatũ, ergo si voti relaxatio Rom. Pont. reseruatur, cõsequens est, vt absolutio iurisiurãdi, quo promissio Deo facta cõfirmat, ad Romani Pontificis auctoritatẽ pertineat.

QVAERES, an alicuius alterius iurisiurandi absolutio Romano Pontifici reseruetur? Sotus ait *l. 8. de iust. q. 1. art. 9.* statuta Collegiorum, Scholarum, hoc est, Academiarum, Ecclesiarum, & bonorum Ecclesiasticorum iureiurando confirmata, solius Romani Pontificis auctoritate solui posse. Item, iusiurandum, vt tradit Abbas, *in capite Quanto, n. 8. de iureiuran.* quo se insignes viri obstringunt solus Romanus Pontifex relaxare iure potest. Cuiusmodi sunt meo iudicio Reges, Imperatores, Duces, Marchiones, Comites, supremam præsertim in temporalibus auctoritatem habentes; Episcopi item, & alij superiores Ecclesiarum Antistites solius Romani Pontificis auctoritate, à iurisiurandi vinculo solui queunt. Tale est etiã iusiurandum eorum omnium, qui sunt Romano Pontifici proximè subiecti. Item, iusiurandum, vt idem Abbas ait, quod in rebus arduis, & maximè dubijs interponitur, Romano Pontifici reseruatur. Animaduertendum est, iusiurandum aliquando relaxari & remitti indirectò per naturam rationis consequentis: quemadmodum accidere solet, cũ aliquis Episcopus, vel Princeps Episcopatu, vel regno priuatur, vel cùm quis se publico magistratu, vel munere abdicat: eo ipso iurisiurandi vinculo soluuntur, qui fuerant illis obstricti. *c. Ad Apostolicas. De sent. & re iud. in sexto.* cũ aliquis Princeps excommunicatione à sacris, & piorum hominum consortio arcetur, iurisiurandi religione soluuntur, quotquot in eius ditione & potestate sunt; quoties statuta Ciuitatis, vel Collegij Superioris Magistratus auctoritate abrogantur, statim à iureiurando absoluti censentur, qui ipsa iurauerunt, vt colligitur ex Glossa *in c. Ad Apostolicæ. de sent. & re iudic. in sexto.*

Quintò quæritur, quo pacto cum iurisiurandi vinculum sit iuris naturalis, auctoritate Romani Pontificis solui queat; cùm non possint auctoritate humana relaxari, quæ iuris naturalis, vel diuini sunt? Hanc quæstionem *6. l. qui est de lege naturali, & Diuina dissolui c. 1 q. 4.*

Sextò quæritur, An Episcopus possit iurisiurãdi vinculum relaxare? S. Thomas *2. 2. q. 89. art. 9. ad 3.* duo videtur docere. Primum, quando dubitatur, vim habeat nec ne iusiurandum, sitne iustum an iniquum, vtile, an noxium ex toto, aut ex parte, posse illud Episcopum soluere. Nec excipit aliquod iusiurandum Romano Pontifici reseruatum. Deinde, quando certo constat iusiurandum iustum, & honestum esse ratum, & firmum, *locum* ait, *non habet relaxatio, nisi aliquid melius occurrat, quod ad communem vtilitatem spectet: & tunc absolutio iurisiurandi ad Romanum Pontificem videtur maximè pertinere.* Hæc S. Thomas. Cuius sententia est aliqua ex parte obscura, licet eam Sot. *l. 8. de iust. q. 1. a. 9.* Silu. *iuram. 5. q. 3.* Tab. *iurare. q. 20.* illustrare conẽtur. Sed dicendũ est ex cõmuni omniũ sentẽtia Episcopi auctoritate posse iusiurandũ relaxari in ijs rebus in quib. potest & votũ: in his enim, vt tradit Abb. *in c. Quanto, de iureiur. n. 8.* cum cęteris Canonici iuris Doctoribus, non est maior ratio, cur Episcopus possit potiùs voti vinculum soluere, quàm iurisiurãdi. Deinde, omne iusiurãdum, q̃ q̃is homini præstetur, sed tamẽ turpitudinẽ cõtinet ex parte eius, q̃ illud exigit, vel extorquet, aut ex parte ei⁹ cui aliquis iurat, potest Episc. relaxare: quale est, cũ quis iurauit se soluturũ vsuras: ita Doctores *in c. Debitores, de iurei.* Tale quoq; est iusiurandũ dolo, vel metu extortũ; vt cũ quis timore mortis, seruitutis, captiuitatis, carceris, tormẽtorũ iurãdo p̃misit latroni, hosti, tyrãno, alicuiúe iniquè vexati se aliquid facturũ. Insuper, si iusiurãdũ interpõatur in cõtractu, quo vnus cõtrahẽtiũ est grauiter lęs⁹, vt si quis sit decept⁹ vltra dimidiũ iusti pretij inv̄editiõe, vel ẽptiõe. Episcopo verò inferior nõ pt̃ iurisiurãdi vinculo soluere, nisi habuerit Episcopalẽ iurisdict. vt tradit Ab. *in c. Quãto, de iurei. n. 8.*

SI QVAAERAS, an causa de iureiurando relaxando solum ad iudicem Ecclesiasticum pertineat? Federicus *consil. 64.* ait, si ex parte eius, cui iuratur, certò & euidenter constet, turpitudinem esse, iudex ciuilis potest cogere eum, vt iusiurandum remittat, sicut etiam potest præcipere, vt quis seruet iusiurandum, quo se obligauit: si dubia res sit, causa ad iudicem Ecclesiasticum spectat: idem videtur docere Abbas *in ca. peruenit. 1. de iureiurand. n. 3.* sed dicendum est causam de iureiurando, vel seruando, vel relaxando iuris esse Canonici, & proinde ea quoties in iudicium venit, apud iudicem Ecclesiasticum, non ciuilem tractari debet, vt constat *ex c. vlt. de foro compet. in 6.* & ex alijs, quæ *ibi* Glossa citat. Fortasis Federicus, & Abbas solùm dicere voluerunt Iudicem ciuilem posse præcipere, vt quis, si Laicus sit, iusiurãdum seruet, vel remittat, cum alioqui debet.

Septimò quæritur, quæ sint causæ iustæ, ac debitæ, quibus iusiurandum relaxari queat? Respõdeo, ex S. Thomæ, 2.2. *q 89. ar. 9.* & Abbatis *in caput Quanto de iureiurand. numer. 8.* sententia, multas esse, nimirum, si turpitudo insit in iureiurando, vel ratione materiæ, & rei promissæ; vel ratione eius qui iusiurandum iniquè, aut vi, aut dolo, aut metu extorquet. Item, si dubitetur, Iusiurandum vim & locum habeat necne. Præterea, vt aliorum offensio tollatur. Insuper etiam, si grauius, & maius bonum faciendum occurrat. Adhæc, vt peccati periculum, & occasio præcidatur. Postremò, si temerè, & incõsideratè iurauerit quispiam, si quadam animi leuitate, & subita, aut graui perturbatione iuret.

Octauò quæritur, An qui iurando promisit aliquid se facturũ, tuta conscientia possit iurisiurãdi relaxationem petere? Respõdeo, posse in multis causis. Primò, cum iusiurãdum turpitudinem continet ex parte eius, cui est aliquid promissum: vt quando iuramus nos soluturos vsuras. Deinde quando iusiurandum est vi, dolo, metũue extortum. Præterea quando promissionem iureiurando firmamus per iram subitam, mœrorem, vel aliam quamlibet magnam animi perturbationem, sensum, & iudicium non auferentem. Item, quando iusiurandum seruari nequit, absque iurantis graui incommodo, & detrimento. Postremò, quando ambigitur sit ratum, & firmum necne, iusiurandum. QVAERES, an quando iusiurandum est contra bonos mores iuris naturalis, vel diuini, is qui iurauerit, indigeat absolutione, vt liber sit à iurisiurandi vinculo? Resp. minimè, quoniam nullum est iusiurandum huiusmodi, & in malè promissis, nimirum contra ius naturale, vel diuinum, quisque potest promissionem suam quamuis iureiurando firmatam, propria auctoritate reuocare. Vt si iurasti te parentibus debita vitæ subsidia denegaturum, aut depositum non redditurum, aut arcana proditurum, aut venenum innocenti præbiturum. Obijcies quod habetur *in cap. Cùm quidam, §. illi verò, De iureiurand.* vbi dicitur: *Illi, qui iurant non loqui, vel matri, sorori, vel fratri, aut eis humanitatis subsidium non exhibere, absoluendi sunt ab illius iuramenti obseruãtia, cùm illicitum sit, & contrarium rationi.* Innocentius, Antonius Butrius, Felinus, & alij *in eo cap.* aiũt in his necessariam esse iurisiurandi absolutionem, quoties illud seruari possit absq; interitu salutis nam in aliqua causa sine peccato potest quis hæc parẽtibus, aut fratribus denegare. Sed hic sensus cum verbis Pontificis pugnat, qui ait iusiurandũ illud esse rationi contrarium, & ideo relaxari, & absolui debere. Quare verius est, quod Glossa, & Hostiensis, Abbas, & Imola *ibid.* tradiderũt, absolui eos à iurisiurandi obseruatione oportere, non quod necessario absolutio requiratur, sed vt res ipsa cautiùs agatur, aut certè, vt mihi videtur, sensus est, absoluendos esse, qui sic iurant; hoc est, declarãdum est auctoritate Iudicis, eos esse iurisiurãdi vinculo solutos. DEINDE QVAERES, Quid dicendum, si aliquis iurando promisit vsurario, vel latroni, non petiturũ se relaxationem iurisiurandi, quo ei promisit vsuras, aut certam pecuniæ quantitatem se daturum, An indigeat iurisiurandi absolutione? Resp. eum indigere, quoniam etsi turpiter vsurarius, vel latro iusiurãdum extorquet; qui tamen iurando promittit, non peccat; & potest absq; peccato promissum exoluere: ergo iusiurandum vim habet, & locum, & proinde indiget relaxatione. TERTIO QVAERES: Quid iudicandum, si is, qui vsuras promittit se soluturum, pariter iuret se eas solutas nunquam repeti turum, nec iurisiurandi absolutionem petiturũ, nec absolutione vnquãvsurũ? Resp. eiusmodi iusiurãdũ absolutione indigere, quoniã, qui iurauit potest salua cõscientia promissũ præstare: & is, qui relaxationẽ petit, nõ peccat, quoniã eiusmodi iureiurãdo nemo potest se alteri obligare cũ Ecclesiasticę potestatis detrimẽto: Ecclesia, n. ius habet, & auctoritatem iusiurandum relaxandi.

Nonò quæritur, An iurisiurandi absolutio siue relaxatio absq; legitima causa impetrata, & obtenta alicuius sit momẽti? Resp. ex communi sententia, iurisiurandi vinculum esse iuris naturalis & diuini, & proinde qui eius relaxationem citra iustam causam petit, peccat; sicut etiam is, qui relaxat: ipsa quoq; relaxatio inutilis est, & inanis: quare peccat etiam qui ea vtitur. Hæc omnia ea vnica ratione colliguntur, quod auctoritate humana sine iusta & legitima causa nõ possunt, quę sũt iuris naturalis, vel diuini relaxari, & dissolui.

Sciendum est multùm interesse, cùm iusiurandum sit irritum, aut creditoris voluntate remittitur, & cum quis iurisiurandi vinculo absoluitur. Nam sine causa iusta nemo potest iurisiurãdi obligatione solui; at irritum fieri, aut remitti iusiurandum sine causa potest, sed sola voluntate eius qui remittere, aut irritum facere potest, nimirũ ratione materiæ, quæ ad liberam alterius administrationem, vel vtilitatem, & commodum spectat. Nam in omni iureiurando tacitè inest cõditio, si placuerit Superiori, ad quem pertinet res, quæ iureiurando promittitur. Et in hoc locũ habet id, quod dici solet, In quolibet iureiurando intelligi exemptam Superioris auctoritatem.

Decimò quæritur, an iusiurandum, quo nos facturos aliquid promittimus gratia alterius hominis, hoc est, quo iurantes promittimus quippiam huic, vel illi homini, possit auctoritate Pontificia relaxari? Resp. ex cõmuni sententia, nõ posse sine causa iusta, ac debita, quando iusiurandũ vtrinq; est manifestè iustum, honestum, & vtile, & postquam ab eo, cui est promissio facta, acce-

pta

pta, & rata habetur: secus est, antequam promissionem ratam, & acceptam habeat, aut cùm iusta aliqua causa subest. Nam Ecclesia non potest sine causa debita ius alteri acquisitum adimere: at cùm quis promissionem sibi factam ratam, & acceptam habet, ius acquirit in rem sibi promissam. Iusta causa est, cùm is, cui aliquid promittitur, iusiurandum iniquè, aut vi, dolo, metúue extorquet; item cùm ambigitur sit necne iusta, & honesta, & vtilis res, quæ promittitur. SI QVAERAS, quando iusiurandum est gratia, & causa alterius hominis? Resp. quando cedit in obsequium, lucrum, vel commodum alterius, quando verò cedit in honorem, & cultum Dei, non est gratia alterius hominis. Vt si Titius inter se centum Caio daturum, vel ei librum, aut fundum venditurum, vel in Capitolium ascensurum, vt Caij negotia gerat, sunt promissiones iureiurando firmatæ gratia alterius hominis; at verò si iurando mihi promiseris te in die festo rem diuinam auditurum, aut in sanctorum Apostolorum, vel Martyrum peruigilijs ieiunia seruaturum, aut nunquam amplius peiuraturum, aut nunquam alea lusurum, vel Religionem te susceptum, sunt promissiones ex parte in Dei honorem factæ, quia opera charitatis, pietatis, vel religionis promittũtur, ex parte verò sunt factę gratia mei, quoniam iureiurando tuam mihi fidem obstringis, ac promittis, te certum opus pietatis religionisue facturum. Quandocumque iusiurandum in promissione interponitur gratia alterius; potest ille remittere, quoniam etiamsi Deus testis aduocetur, & iusiurandum acceptum, & ratum habeat, habet tamen in commodum, & bonum alterius; & proinde eiusmodi iusiurandum Deus remittit, quando remittit is, cui est promissio facta, & quisque potest suo iure cedere, & rem sibi debitam condonare, siue remittere.

Vndecimò quæritur, Quid sit dicendum, cùm Titius iurauit se certæ Caij filiæ dotem daturum, vt possit commodè nubere, an Caius, aut eius filia eiusmodi iusiurandum possit remittere? Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 1. artic. 9.* distinguit: Aut Titius iureiurando se deuinxit pietatis, ac religionis causa, eo quòd filia Caij inopia premeretur: aut promisit gratia puellæ, vel patris. *Si primo*, inquit, *modo iurauerit, non potest Caius, & filia iusiurandum dirimere; est enim votum Deo factum. Si secundo, potest Caius id iurisiurandi dissoluere, quoniam sibi, aut filiæ est facta promissio.* Idẽ est, si iures te certo paupi eleemosynã largiturum: aut. n. promittis, vt prosis homini, & proinde causa ipsius, aut promittis Deo videlicet studio pietatis in Deũ. Si primo modo pauper potest iusiurandũ remittere, si secũdo modo nõ itẽ.

Duodecimò quæritur, quid iudicandum sit, cùm duo, videlicet, Titius, & Caius, sese iureiurando inuicem obstrinxerunt, quo vterque alteri promisit se aliquid facturum; an vterque possit iusiurandum alteri remittere? Resp. Si iusiurandum promissionem Deo factam confirmet, neuter potest alteri remittere. V. G. si pietatis causa vnus iureirãdo promisit se ad Religionis statum transiturum, vel ieiunium ab Ecclesia indictum seruaturum, peregrinaturum, Diuinam rem auditurum, idem quoque alter iureirando promisit. Si verò vtriusque promissio est gratia alterius facta, ob vtilitatem vtriusque, potest vterque alteri iusiurandum remittere; vt si vterque iuret se alteri opem, & auxilium daturum.

Cap. X.

De legitima iurisiurandi commutatione,

PRimò quæritur, An quis propria auctoritate possit iusiurandum in melius commutare? De hac quæstione Abb. *in cap. Peruenit 2. De iureiuran. num. 2.* Anton. Iustrius, & cæteri *ibidem.* Respondeo *in cap. Peruenit 2. De iureiuran.* apertè dici, non infringere promissum, qui in melius commutat. Et *cap Qui bona, 17. quæst. 1.* dicitur: *Qui bona agunt, si meliora agere desiderant, post deliberata non faciunt, licet in bonis prioribus perseuerent, in conspectu tamen Dei eciderunt ex deliberatione.* An verò periurij reus sit, qui iusiurandum propria auctoritate commutat in melius, dubiæ quæstionis est, nam *in cap. Peruenit*, solùm dicitur: *Qui in melius commutat, propositum, aut promissum minimè infringit.* Sed animaduertendum est, vt docet Abb. *in cap. Peruenit, 2. de iurei.* ex Innocent. & Ioan. Andr. iusiurandum, aut confirmare promissionem factam Deo, aut factam homini. Si confirmet promissionem factam homini, non potest quis absque consensu expresso, vel tacito eius, cui est facta promissio, in melius commutare, quoniam homo non semper sibi gratum, & acceptum habet, quod melius est. Vnde *in l. Mutuum. ff. de reb. credi. Sed certum petatur. §. 1. & Iust. Quibus modis tollitur obligatio* dicitur: *Aliud pro alio inuito creditore solui non potest.* Ex quo fit; vt si iuraueris te aliquid facturum gratia alterius, commutare in aliud non possis, nisi eo consentiente. Quando verò iusiurandum promissionem Deo factam confirmat, potest quispiam auctoritate propria iusiurandum quo temporale obsequium Deo promisit, in perpetuum ingressum ad Religionem commutare, vt tradidit Abbas, cuius sententia communi consensu recepta est, quod confirmat *ex cap. Scripturæ, De voto, & voti redempt.* De ceteris verò promissionibus iureiurando firmatis quæstio est: & Antonius Iustrius ita distinguendo respondet: Si dubitetur melius sit necne id, in quod iusiurandum commutandum est, Episcopi, aut alterius Superioris Antistitis legitima auctoritas requiritur: Et in hoc omnes consentiunt. Si verò euidenter sit melius: aut id simul cum primo iureiurando seruari potest, aut non potest: si possit, tunc primum in secundum mutari nequit, & iusiurandum obseruari debet, nisi Episcopi auctoritate mutetur in melius: Et in hoc etiam Abbas, & cæteri conueniunt. Vt si iuraueris te ad certum locum pium peregrinationis gratia iturum, & velis ad alium locum sanctiorem, peregrinando ire, non potes propria auctoritate in hoc melius, & perfectius commutare iusiurandum, & proinde quamuis secundum præstiteris, debes primum iusiurãdum seruare. Si verò id, qd melius est, seruari pariter cũ iureiurando nequeat, potest, inquit Antonius, quisq; iusiurandum in melius propria auctoritate cõmutare. At hoc Abb. nõ probat. Nõ. n. si iurasti, te in certa domo hospitali inseruiturũ pauperib. licet tibi in alia religiosiore inseruire: nec itẽ si iurasti te subleuaturũ inopiã certi pauperis, fas est, eo omisso, alteri pauperioris egestati succurrere. Si iurasti te certę religionis regulã susceptu-

rum,

rum, tuta conscientia, non potes alterius arctioris, & sanctioris institutum amplecti. Et hoc pacto, inquit, Abbas, intelligitur, quod in *cap. Perueniit, citato* insinuatur; Non se periurij crimine eum obstringere, qui iusiurãdum cõmutat in melius: nam dicitur, Non propositum, aut promissum infringit, qui in melius commutat. Mihi tamẽ probabilius videtur, quod scripsit Antonius Butrius, is enim loquitur de eo, qui iusiurandum mutat in id, quod est certò, & euidenter maius bonum: nam eo ipso est Deo magis acceptum, & gratum.

Secundò quæritur, An qui facultatem, & auctoritatem habet commutandi vota, idem quoq; habeat facultatem commutãdi iusiurandũ? inter oẽs cõuenit, eum, qui ratione muneris, quo fungitur, ordinariã habet auctoritatẽ cõmutandi vota, posse eadẽ quoq; vota iureiurãdo firmata cõmutare. Tales sũt Episcopi ac Superiores, Antistites, & cæteri Episcopalem iurisdictionem ordinariã habentes. Sed quæstio est de ijs Cõfessarijs, quib. vi Pontificiæ Constitutionis, aut priuilegij, facultas committitur in foro conscientiæ vota cõmutandi, An eo ipso facultatem habeant commutãdi eadem vota iureiurando firmata? Duæ sunt opiniones; prima docens, omnes Confessarios, quibus committitur facultas commutandi votum, iusiurandum posse tutò cõmutare. Huius opinionis quidam putant Sotũ auctorem esse *l. 8. de Iust. q. 9. ad fin. artic. & in resp. ad 3.* Alij etiam volunt Caiet. esse eiusdem sententiæ *2. 2. q. 82. ar. 9.* Sed id sentisse Sotum aut Caietanum non puto, vt statim ostendam. Hanc igitur primam sententiam sequũtur quidam iuniores Theologi, vt Arag. *2. 2. q. 88. artic. 12.* quam inde probant, quia teste S. Thoma *2. 2. quæst. 89. ar. 8. & alijs*, arctius vinculum est voti, quàm iurisiurandi? Sed quando conceditur id, quod maius est, non videtur denegatum id, quod minus est. Deinde sublato voto, necesse quoq; est vt iusiurandum cesset, ac desinat, quod votum cõfirmat: nam subtracta materia iurisiurandi, ipsũ quoq; iusiurandũ dirimitur. Ergo si Confessarius demandata sibi facultate commutat votum Deo nuncupatum, eo ipso tollit iusiurandum, quo votum confirmatur. Postremò, principali remoto remouetur quoq; id, quod illi est adiunctum: sed iusiurandũ vota Deo facta confirmat; ergo si cõfessarius potest promissiões in aliud cõuertere, eo ipso poterit iusiurãdum, quod illas cõfirmat.

Secunda opinio, quã habet Nauar. *in Man. c. 27. n. 275.* cẽset huiusmodi Confessarium auctoritatem non habere commutandi promissionem Deo factam, & iureiurando firmatam, quamuis facultate sibi commissa votum commutare possit. Hoc verò ille comprobat, quia in priuilegijs, & facultatibus, quæ gratis, & liberaliter cõceduntur, auctoritas extendi, & relaxari nõ debet, sed potiùs contrahi, & restringi. Præterea, in his ea Regula locum non habet *Cui conceditur quod maius est, cõcessum quoq; videtur, quod est minus*: hęc enim Regula intelligitur, quãdo id quod minus est, in maiori cõtinetur tanquam pars in toto, vel species in genere; non autem quando diuersa sunt, licet aliquo modo similia, & affinia. Hic autem & voti, & iurisiurandi vincula diuersa sunt; ergo si facultas ad votum commutandum data est, non eo ipso datur ad iusiurandum. Item, sunt duo vincula, non igitur si datur facultas soluendi vnum, cõtinuò sequitur, vt detur facultas soluẽdi duo.

Quidam sentiunt, in hac quæstione sic esse dicendũ, Promissio quæ Deo facta iureiurãdo firmatur, dupliciter confirmari potest, & solet. Primò, aliquãdo votũ Deo nũcupatur absq; vllo iureiurãdo, & deinde tẽporis interuallo, vel eodẽ etiã momẽto iureiurãdo munitur. Secũdò, plerunq; iusiurãdum fit nec tamẽ vllũ votũ Deo nuncupatur; vt cùm quis iurãdo promittit Deo, se aliquid facturum. Hoc posito respõdẽt, Cõfessarium, qui potest votum cõmutare, posse quoq; iusiurãdum quod ex interuallo temporis, vel eodem tempore puncto ad votum accessit. Et in hoc, inquiunt, prima opinio locum habet. Nam sublato principali, quod est votũ, aufertur quoq; quod ei est annexum, eiq; postea accessit: non tamen posse commutare votum secundo modo factum, quoniam non est votum simpliciter factum; sed iusiurandũ quo quis se Deo obligauit: & in hoc, aiunt, est vera secunda opinio, eò quod non conceditur Confessario facultas commutandi iusiurandum, sed votum; at voti, & iurisiurãdi vincula diuersa sũt.

Alijs tamen nõ videtur opus esse distinctione: Idem, inquiunt, iuris est, si primum Deo aliquid voueas, ac deinde interuallo temporis iureiurando corrobores, ac si simul iureiurando voueas. Quare si Confessarius vnum potest, potest & reliquum, quòd si nec vnum potest, non potest & alterum. Mihi tamen placet prædicta distinctio ex parte, & ex parte displicet. Placet quidem, eo quod existimo aliud esse, si voueas te aliquid facturum, idque iureiurando confirmes: aliud verò, si iures te aliquid Dei causa facturum. Nam in primo sunt duo vincula coniuncta voti, & iurisiurandi: & votum est materia iurisiurandi: in secundo solum est vinculum iurisiurandi; nec enim est vllum votũ, quod sit materia iurisiurandi. Nauarr. hæc non distinguit, sed solùm loquitur de iureiurando secũdo modo facto. Atverò siue iusiurandum fiat primo modo, siue secundo, vt simpliciter dicam, puto veriorem esse secũdam sententiam: quia reuera aut sunt voti, & iurisiurandi duo vincula diuersa, ac proinde cui facultas demandatur vnum soluendi, aut commutãdi, nõ eo ipso potestas cõmittitur tollendi, aut cõmutãdi alterũ. Nã difficili[us] est duo vincula soluere, quàm vnum. Item, promissio, aut votum metu factum, irritum est, & inane, at iureiurãdo roboratum subsistit, vt firmũ: ergo nõ ex hoc, quod votum dirimitur, iusiurandum absoluitur, & qui simpliciter promittit se soluturum vsuras, nõ cogitur eas soluere; cogitur tamen qui promisit & iurauit se soluturum c. *Debitores, de iureiu.* Aut est ratum vnum iurisiurandi vinculum: & tunc existimo etiam veram esse sententiam secundam, quia votum & iusiurandũ sunt vincula diuersa, & nõ cui committitur facultas soluendi vnum, cõmittitur, vt possit alterum soluere. DICES, Quando votum est materia iurisiurãdi, necesse est, vt qui habet ex priuilegio facultatẽ soluendi votum, habeat quoq;, vt possit soluere iusiurãdũ; quia sublata materia iurisiurãdi, iusiurãdum dissoluitur? Resp. nõ cõcedi facultatẽ soluẽdi votũ, nisi quod est simplex, non quod est altero vinculo, videli-

cet,

cet, iureiurando communitum. Ac proinde meritò societas nostra, cuius Confessarijs Romani Pontificis beneficio erat facultas delegata commutandi vota, Priuilegium impetrauit commutandi eadem vota etiam iureiurando firmata. Compendium priuilegiorum *verbo, Commutatio,* §. 1. sic habet: *Confessarij Societatis possunt commutare omnia vota, exceptis vltramarino, & Petri, & Pauli de Vrbe, S. Iacobi in Compostella, Castitatis, & Religionis* quam facultatem à Paulo III. concessam, cum eadem exceptione extendit Gregorius XIII. ad vota iurata: dummodo Commutatio non fiat in præiudicium tertij. Et subiungit: *Communicatur hæc facultas omnibus Confessarijs approbatis, eodem modo tamen quo facultas absoluendi, quæ habetur in verbo Absolutio,* §. 1. hoc est: Communicatur omnibus Confessarijs à Superioribus deputatis, & ab ordinario loci iuxta formam Concilij Tridentini *sess. 23. cap 15. de reformatione* approbatis.

Tertiò quæritur, An si Confessarius in foro cõscientiæ facultatem habeat commutandi omnia vota etiam iureiurando munita, exceptis quinque illis, quorum absolutionem diximus Romano Pontifici réseruatam, commutare queat aliquod votum ex illis quinque iureiurando firmatum, si solum sit insiurandum, & votum cum pœnæ adiectione. Exempli gratia, Iurat quis se certum peccari genus euitaturum; alioqui pœnam certam se soluturum, nimirum Religionem suscepturum, aut limina Apostolorum Petri, & Pauli inuisurum: QVAERITVR, an commutatio iurisiurandi, quod vulgò pœnale appellatur, sit Romano Pontifici reseruata? Nam si tale iusiurandum, non potest Confessarius commutare, quoniam vnum est ex exceptis; sin minus, potest. Hanc quæstionem latiùs tractabo, cùm agam de voto. Duæ sunt opiniones: prima docet, eiusmodi insiurandum, siue votum, quando cunque pœnale fuerit, posse auctoritate Episcopi relaxari, & facultate Confessarij commutari, etiam post impletam conditionem, hoc est, post pœnam contractam. Sic quidam iuniores, inter quos est Medina *in sua instruct. Confessariorum cap. 14. § 6.* & Couarru. *in c. quamuis, de pact. in 6. p. 1. § 3. n. 12.* & alij aiunt hanc opinionem esse probabilem: quoniam huiusmodi votum, & iusiurandum, nec fit, nec adhibetur studio, & causa Religionis, aut peregrinationis susciendæ. Immo qui sic vouet, ac iurat, eò quòd est animo alieno, & auerso à Religione, aut peregrinatione, promittit & iurat, vt sese quasi freno quodam ab eo peccato contineat, quod cauere cupit. Romanus autem Pontifex, qui sibi quinque illa vota, aut simpliciter facta, aut iureiurando reseruauit; non censetur ea reseruasse, nisi quando facta sunt studio, & gratia pietatis. At secunda opinio tradit ea vota quomodolibet facta, Romano Pontifici reseruari; & proinde cùm post conditionem impletam, & pœnam contractam effecta sint absoluta vota Religionis, aut peregrinationis susciendæ, consequitur, vt ab alio, quàm à Romano Pontifice relaxari, aut comutari nequeant: ita sentiunt Sot. *lib. 7. de iust. q. 2. art. 1. ad 4.* Nauar. *in Manual. cap. 12. nu. 43.* Et hæc opinio mihi probabilior videtur, quoniam vsu, & consuetudine, ac partim etiam iure, ea quinque vota, quæ diximus, Romano Pontifici simpliciter reseruantur. Nec enim distinguit vsus, vt quæ fiunt studio pietatis, reseruata sint, alia nõ item. Vbi autem ius, vel consuetudo nihil distinguit, nos minimè distinguere debemus. Præterea, qui iurat se certum delicti genus declinaturum, alioqui Religionem, vel peregrinationem suscepturum, sciens, ac volens se Deo obligauit & sicut iurat se peccatum deuitaturũ, ita promittit Deo Religionem, aut peregrinationem, si peccatum non cauerit. Et parũ refert, sit alieno animo necne à Religione & peregrinatione; satis est si sciẽter iureiurãdo promittat eligionis institutum, vel aliquod aliud virtutis officium, si nequaquã se à peccato contineat.

Quartò quæritur, An qui potestatem habet commutandi iusiurandum, habeat etiam illud idem relaxandi? Resp. eos qui ratione muneris, & officij quo funguntur, habẽt potestatem commutandi iusiurandũ, habere ius, & auctoritatem relaxandi: cùm ad eorum munus, & ofsicium vtraq; pertineat, quales sunt Episcopi. At verò Cõfessarius, cui facultas demandatur commutandi iusiurandũ, nõ eo ipso auctoritatẽ habet illud relaxãdi, quia sunt facultates diuersæ: ergo nõ eo ipso, quod vna cõmittitur alicui, cõmittitur & altera, Immo relaxare iurisiurandi vinculum amplius quid est, quàm commutare.

QVAERES, An è contrario, Confessario, cui committitur relaxatio iurisiurandi, cõmittatur quoq; commutatio: siquidem minoris est facultatis commutare, quàm relaxare? Resp. Iuniores multos affirmare, huiusmodi potestatem cõmitti: quia commutare est quid minus quàm relaxare. Sed mihi oppositũ lõgè probabilius, & verius videtur: nam commutatio iurisiurandi est in id, quod est æquale, nõ in id ꝙ est minus: at plus scientiæ requiritur ad commutandum in id, ꝙ est æquale bonũ, quàm ad dirimendum iusiurandum ex toto, vt dicam cùm de voto tractabo. Obijcies, quanquam sunt facultates diuersæ; & in priuilegijs facultas ad vnum aliquid faciendum cõmissa, non debet extendi ad aliud ꝙ est diuersum, quamuis minus id sit: at is cui conceditur, vt possit iusiurandum relaxare, videtur cõcedi, vt cõmutare queat: nam cum possit ex toto iusiurandum dirimere relaxando, cur non poterit ex parte dissoluere commutando? Respondeo, Commutationem iurisiurandi in id, quod minus est, nõ solũ esse quid minus, sed etiam in ipsa facultate relaxãdi contineri, vt partẽ in toto: Nam qui relaxat iusiurandum ex toto dirimit: qui cõmutat in id, quod minus est, dissoluit ex parte. Si igitur mihi cõceditur, vt votum tuũ, aut iurisiurandi vinculũ ex toto soluam, possum ex parte illud auferre. Et proinde eo ipso posũ in id, quod minus est bonum commutare: & hoc est, quod cæteri iuniores dicere voluerunt: sed hæc non est propriè commutatio, sed relaxatio iurisiurãdi ex parte: qa in iureiurãdo, & voto tũc vinculũ obligationis cõmutatur, quũ mutatur in id, qd' est æquale bonũ, sicut rerũ aliarũ permutatio tũc fit, cũ res vna altera æquali cõpẽsatur: sed ad cõmutandã vnã obligationẽ in alterã æqualẽ, magna sciẽtia & cognitio regitur: ergo nõ eo ipso quo tibi cõmittitur, vt vnam obligationẽ ex

toto

toto dissoluas, committitur, vt commutes eam in alteram æqualem.

Quintò quæritur, quinam habeant auctoritatem rescindendi, hoc est, irritum, & inane reddendi iusiurandum? Respondeo cum sancto Thoma 2.2. *quæ.* 89. *art.* 9. *ad* 3. eos, quorum potestati, & gubernationi ij, qui iurant, sunt subiecti: Vt paterfamilias potest iusiurandum filij; vir vxoris; Dominus serui. Animaduertendum tamen est, penes hos non esse facultatem rescindendi quodlibet iusiurandum subditorum; sed illud duntaxat, cuius materia est eorum potestati subiecta V.G. si filiusfamilias, vxor, vel seruus iuret se aliquid facturum, quod affert aliquod detrimentum, aut incommodum rebus patris, mariti, vel domini. Nam iusiurandum, *vt paulò ante dixi* vim, & locum non habet cum detrimento eius, cuius in ditione, & potestate est ille, qui iurat, nisi ipse quoque iusiurandum ratum habeat. Item, Rom. Pontifex iure potest nuto, & arbitratu suo relaxare, & rescindere omne iusiurandum Clericorum, vel Religiosorum ratione materiæ, quæ ad liberam eius voluntatem, & potestatem pertinet. Idem iuris habet Abbas, & quilibet alius cœnobij, & religiosi conuentus Præfectus in ijs, quæ sunt liberæ eius gubernationi, & administrationi subiecta.

Cap. XI.

Diluuntur quædam quæstiones de iure iurando, quod in publico iudicio interponi solet.

PRimò quæritur, An is qui notatus est infamia, & dedecore aliquorum scelerum, possit tutò absque peccato iurare se ab his criminibus esse immunem, ac liberum, mente, & animo concipiens se illis carere, quia sunt per sacram peccatorum confessionem dimissa? Respondeo, minimè, vt constat ex *cap. Accepimus, De Purgatione Canonica*, vbi cùm quidam Archiepiscopus, cui erat trium scelerum inusta infamia, Simoniæ scilicet, Incontinentiæ, & iniusti quæstus, ac lucri, iurare voluisset se esse ab illis criminibus vacuum, ac liberum, intelligens esse sibi per sacram pœnitentiam condonata, respondet Pontifex, vt iurare cogatur an ab illis peccatis sit liber, postquam fuit ad Pontificiam dignitatem delectus atque promotus. Ex quo fit, vt si mulier adulterium admiserit ita, vt eius criminis ignominiæ, & infamiæ notam subierit, tuta conscientia iurare non possit, se eo scelere carere, etiamsi credat sibi esse per sacram peccatorũ confessionem remissum. Nam is, cui sunt peccata per pœnitentiam condonata, adhuc auctoritate Iudicis damnari, & puniri iure potest: per sacram enim pœnitentiam Deo satisfacimus non homini: at is, qui prauo vitæ exemplo homines offendit, & Rempublicam perturbauit iustè punitur; vt hominibus satisfaciat: & coram Republica delictum, qua ratione potest emendet, ac corrigat.

Secundò quæritur, An Iudici liceat eum adigere ad iurandum, quem nouit falsum iuraturum, aut iusiurandum non seruaturum? Respondeo, cũ Ricar. 3. *dist.* 39. *art.* 3. *q.* 3. si suo officio publico functus, ordine iuris seruato iusiurandũ exigit, nullũ peccatum admittit, quando nouit eum à quo postulat iusiurandum, esse paratum ad iurandum falsum, quoniam suo iure vtitur, ac suo officio fungitur, & culpa tota penes eum residet, qui falsum iurat. Sic etiam Siluest. *iuramentum* 2. *q.* 9. Abbas tamen *in c. Clericos, de cohabitat. Cler. & mul.* insinuat non esse iusiurandum petendum ab eo, quem Iudex vehementer suspicatur falsum iuraturum, ac propterea non esse Clericos cogendos iurare dimissuros se concubinas. Sed certè si Iudex iuris ordinem seruat, & actor postulat, vt reus iusiurandum præstet, tuta conscientia reum cogit interponere iusiurandum. Secus verò esset si iuris ordo non seruaretur, aut nullus esset in iudicio actor, qui iusiurandum exigeret, aut Iudex idoneum aliquod remedium adhibere facilè posset.

QVAERES, An priuato homini liceat eum ad iurandum inducere, quem scit falsum quidem iuraturum, sed bona fide deceptum? Exempli gratia: Titius nouit nondum tres annos fluxisse, ex quo Caius fuerit ex Asia reuersus: & scit præterea Sempronium bona fide putare, tres annos exactos iam esse: Quæritur, an Titio fas sit Sempronium hortari, & rogare, vt iuret, esse iam tres annos elapsos, ex quo Caius redijt ex Asia? Resp. minimè; quoniam licet Sempronius opinione æstimationeque sua falsum non iuret, nihilominus tamen iurat, quod re ipsa falsum est. At Titius nouit id verum non esse, ergo ei nefas est Sempronium hortari, & suadere, vt iuret quod ipse Titius scit esse falsum; iusiurandum enim in Sempronio quidem culpa vacat, in Titio tamen iurisiurandi suasore, monitore, vel auctore non item.

Tertiò quæritur, An qui iurat aliquid solummodo generatim, ad aliquid speciale sese obliget ei, cui iusiurandum præstat? Respondeo: Aut bona fide iurat, aut secus; si primum, non se obligauit ad id præstandum, quod si cogitasset, non iurasset. Sit exemplum: Titius Clericus iurauit, se Episcopi mandato obediturum, & præceptã Episcopus, vt beneficium deponeret, & ne superiorem appellaret, reuera potest Clericus appellare, quoniam si ei, cùm iurauit, hoc venisset in mentem, procul dubio non iurasset. At cùm quis dolosè iurat, & is qui iusiurandum exigit, fraude, & dolo caret, interpretari iusiurandum debemus in commodum, & bonum eius, cui iusiurandum præstatur.

Quartò quæritur, An iusiurandum interpositum contra superioris mandatum sit ratum, & firmum? Respondeo, minimè. Iuraui me tibi daturum centum, sed Iudex id fieri prohibet, liber sum à iurisiurandi vinculo. Idem iuris est, si postquam iurauì, tu excommunicatione fueris affectus, & vt talis denunciatus, nec enim tibi soluere debeo, cùm absolutus non es, quia es à conuictu, & societate piorum hominum exclusus: ac proinde à tuo commercio prohibeor.

Quintò quæritur, An si quis simulatum ac fictum contractum iureiurando confirmet, ipsum reddat ratum, & firmum, ita vt absque vlla iurisiurandi absolutione contrauenire non possit? Respondeo cum Panormitano *in cap. Cum ve-*

tingat

tingat, de iureiur. quem sequuntur Silu. iuram. 4. q. 17. Angel. iuram. 5. q. 17. Tabien. iurare. q. 14. Si contractus vnà cum iureiurando vtriusq; consensu tum eius, qui iurat, tum eius, qui iusiurandum exigit, sit fictus & simulatus, ex iusta tamen causa, & cõtractus, & iusiurandum simuletur ab eo, qui iurat, nullius est momenti iusiurandum, quia iustus & debitus consensus non fuit, & iusta de causa est simulatus contractus in eo, qui iurat; V. G. si contractus fingatur, qui talis non est, nimirum venditio pignoris causa mutui dati, & accepti, vt vsuræ soluantur, & vt is, qui mutuo dat, lucrum acquirat, is qui simulato iureiurando promisit se soluturum vsuras, eas soluere non cogitur. Similiter si quis per simulationem iuraret se centum daturum latroni, aut tyranno, ne ab eo iniquè vexaretur. Si verò contractus vnà cum iure iurando sit consensu vtriusque fictus ex iniusta causa, nempe in fraudem, aut damnum alterius, V. G. in falso testimonio contra alium dicto, aut in cõtractu ficto, ne debitum tributum Principi soluatur, periurus est vterq;, nec alteruter est audiendus, si excipiat postea contractum, & iusiurãdum fuisse simulatum, etiamsi vterq; iurauerit se nunquam contra iusiurandum quidpiam facturum. Porrò si contractus solummodo simulatus sit ex parte vnius, & iusiurãdum simulatum quoque interponitur, ne contra eum, qui contractũ simulat, agatur, iusiurandum est irritum, & inane, at ex cõtractu surgit obligatio, ac si verus esset. V. G. Titius mutuo dat, & pignus accipit, & fingit se pignus emere: & Caius mutuo accipit, datq; pignus Titio, & iurat se pretium soluturũ, & nihil vnquam se repetiturum, iurisiurandi vinculo non tenetur Caius, at qui mutuo dat, quamuis simulet se pignus emere, mutui contractui, non emptionis, quam fingit, stare debet. Ex quo fit, vt si contractus sit Simoniæ labe infectus, quãuis alius contractus esse fingatur, qui scienter illum iureiurando confirmat, lethale peccatum admittat, nec vllo iurisiurandi vinculo teneatur obstrictus. Similiter etiamsi in contractu vsuræ crimen committatur, & alius contractus esse simuletur, mutuatarius, qui se soluturũ vsuras iurat, eas quidem debet soluere, nam iure potuit promittere se eas soluturũ, sed nihilominus potest solutas repetere, si per simulationem iurauit se eas soluturum, tanquam pretium rei emptæ, aut etiam si iurauit se nihil vnquam repetiturũ, siquidem in soluendo non peccat, ac iusiurandũ, quod ille præstitit, nihil prodest ei, qui mutuo ad vsuras dedit.

Sextò quæritur, quinam in iudicio à iureiurãdo prohibentur? Resp. in primis pueros ante pubertatis annos, hoc est, ante decimumquartum ætatis annum. *Cap. Pueri, 22. qu. 5.* vbi dicitur: *Si puer vel puella iurauerit in patris potestate existens, iusiurandum est irritum, cùm pater statim atque audiuit, contradixit.* Arcentur etiam ac repelluntur à iureiurando infames, & ij, qui tanquam periuri damnati sunt. Archidiaconus dubitat de ijs, qui infames periuri iue sunt notorij per euidentiam facti; alijs verò magis probatur, in vniuersum omnes excludi, qui notorij, siue sententia Iudicis conuicti, siue ipsorummet confessione in iudicio, siue per euidentiam facti: Item, furiosi ad iusiurandum in iudicio non admittuntur, *ca. Meritò 15. q. 5.* Præterea, Sacerdotibus iurare non licet in iudicio coram Magistratu, vel Iudice ciuili. *c. Nullus, 22. qu. 5. & I. Cum Clericis. C. De Episcopis, & Cleric. §. quòd si lis.* Quod intelligitur etiam si iusiurandum calumniæ causa præstare coguntur absque Episcopi permissu: aut Episcopi iurare compellantur, sine Romani Pontificis consensu; eius enim permissu fas est Episcopis: & Episcopi consensu, Clericis iurare, *c. 1. de Iuram. calumn.* QVAERES, an saltem, vt testes cogi queant iurare coram Ciuili Iudice absq; Superioris concessu? Resp. minimè. *c. Statutum est 2. q. 6.* vbi dicitur: *Nulla ad testimonium dicendum Ecclesiastici cuiuslibet persona cogatur.* & cap. Quamquam 14. q. 2. dicitur: *Sacerdotes in secularibus negotijs pro conficiendis instrumentis ad testimonium non vocentur.* Sunt tamen quædam causæ, in quibus iure permittitur Sacerdotibus iurare, vt si sint testes ad iudicium vocati, & adhibiti: Vt si deficientibus probationibus aliquis fortunas, & res suas amittat. Secundò pro communi bono fidei, & religionis tuendo. Tertiò pro communi Reipub. salute, & tranquillitate seruanda. Quartò pro superioris mandato, & imperio obeundo. Quintò cùm quis ab excommunicationis vinculo absoluitur. Sextò cùm quis à dedecoris, & infamiæ nota purgare se cogitur. Hæc omnia partim videntur colligi *ex c. Quamquam 14. q. 2. & partim ex ca. Significasti, De elect. & c. De Siracusinæ. dist. 28. & cap. Ad reprimendam, De Offic. Iud. ord. & c. Presbyter 2. q. 5.* Sed coram Iudice, & Magistratu Ciuili nunquam Sacerdos iurat etiam Episcopi consensu, at cum alij testes idonei in causa desunt, Episcopus facit, vt coram se iuret, vel coram alijs Ecclesiasticis Iudicibus, vel committit Episcopus quibusdam, qui Sacerdotum testimonia excipiant, & ad Iudicem ciuilem referant, vt ait Glossa *in c. Quamquam 14. q. 2.*

Septimò quæritur, apud quẽ Iudicẽ, quis iusiurãdum præstare iure cogi queat? Resp. apud ciuiles Clericus id præstare iure non cogitur, vt iam dixi: Laicus tamen potest iure communi, *vt in c. 1. & in c. Dilectorum, De testib. cogend.* nõ tamẽ apud quẽlibet, sed apud Iudicem competentem. SI QVAERAS, an cẽsuris Ecclesiasticis quis compelli possit ad testimonium dicendum? Resp. aliquando posse: nam si testes odio, vel amore, vel metu se subtrahant à dicendo testimonio, cogi queunt, vt habetur *in c. 1. & c. Dilectorum, de testibus cogendis.*

Octauò quæritur, An liceat iusiurandum exigere, accipere, & præstare in iudicio diebus sacris, & festis? Resp. minimè, nisi in bonum pacis, aut piæ causæ. *c. Conquestus, de Ferijs.*

Nonò quæritur, An cùm quis in iudicio iusiurandum præstare compellitur, debeat esse ieiunus? Respondeo, *in c. Honestum, 22. q. 5.* dicitur: *Honestum etiã videtur, vt qui in sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honestate, & timore Dei. & c. Placuit, De testibus*, testimonium debet dicere ieiunus testis: at vt Glossa annotauit, hæc magis ex æquo & bono, quàm ex iure, & lege requiruntur, & potius sunt consilia, quàm præcepta.

Decimò quæritur, quid Canones, leges, & iusta intelligant appellatione iurisiurandi, causa calumniæ præstandi? Resp. *in l. Inter cohæredes, §. si familia, ff. Familiæ herciscundæ*, dicitur: *Qui familiæ herciscundæ, & communi diuidundo, & finium regundorum a-*

guut, & actores sunt, & rei, & ideo iurare debent, non calumniæ causa litem intendere, & non calumniæ causa inficiari re. Et *in l. 1. C. de iureiurãdo propter calumniam* statuitur, vt in omnibus causis, in quibus necessitas probationis incumbet, non aliter hæ probationes recipiantur, nisi prius qui eas exposcit, iusiurandũ de calumnia præstiterit, quòd non causa differendi huiusmodi proposuit allegationes, & *in l. Principales, § Quod si actor, C. De iurei. prop. cal.* dicitur: *Quòd si actor voluerit Sacramentum calumniæ subire, & hoc legitimè fuerit probatum, non licet ei penitus ad litem pervenire, sed cadat ab instituta actione quasi improbus litigator, & Iudex eum à iudicio quàm longissimè expellat. Sin autem reus hoc Sacramentum subire recusauerit, in his capitulis, quæ narratione comprehensa sunt, pro confesso habeatur, & liceat Iudici sententiam proferre, quemadmodum ei, & ipsa rei qualitas suggesserit. Sic enim non lites solum sed etiam calumniatores minuuntur,* & in §. Sed prædictũ habetur: *Prædictum Sacramentum in litib. quidem, quæ necdum sunt in choatæ, præstari volumus in ipso litis primordio. Sin autem causæ adhuc pendentes inueniantur, vel post litem contestatam, & post solitas iudiciales cautelas iam præstitas, si quidem præsto fuerit vtraque persona, & in eadem ciuitate, vel territorio eius moratur, & in his litibus sacramentum locum habere, & in primo post hanc legem ingressa præstari volumus.*

Vndecimò quæritur, quot & quæ contineat iusiurandum, quod causa calumniæ adhibetur? Resp. cum Glossa *in c. 1. de iuram. calumn.* Quinq;. Primò, vt litigator existimet se litem iustam intendere. Secundò, vt rogatus à Iudice, veritatem non celet. Tertiò, ne scienter falsas probationes adhibeat. Quartò, ne in fraudẽ, litem, & causam proroget, & differat in tempus. Quintò, vt iuret se nihil alicui promisisse, nec quidquam deinceps promissurum causa litis, nisi id, quod leges, & iura permittunt.

Duodecimò quæritur, An Clerici iusiurandũ causa calumniæ præstare cogantur? Resp. cum Glossa *in c. 1. de iuram. calum.* Si litem intendant, & causam propriam agant, id præstare compelluntur. At si Ecclesiæ causam egerint, minimè, vt colligitur ex *c. Imperatorem, de iuram. calumn.* Possunt tamen in sui locum aliquem substituere, qui pro eis petat, agat, & excipiat, & iusiurandum causa calumniæ præstet.

Cap. XII.

De Periurio, & eius deformitate, ac pœnis.

PRimò quæritur, quid sit periurium? Respondet Mag. 3. *sent. dist.* 39. esse mendacium iureiurãdo firmatũ. Vnde cũ quis nõ habet in animo præstare id, quod iureiurãdo promittit, in periurij crimen incurrit. At apud scriptores Latinos periurium admittere dicitur is, qui vel falsum iurat, vel iusiurandum, siue fidem datam, & iure iurando firmatam in re iusta, & honesta non seruat.

Secundò quæritur, An in omni periurio sit mẽdacium, & falsum iureiurando confirmatũ? Quidam aiunt non omne periurium esse mendaciũ, quoniam cùm quis iurat se facturum rem iniquam, & eius animus est eam facere, periurium admittit, nec tamen mendacium iureiurando cõfirmat, siquidem animus eius est id facere, quod iurando promittit. Deinde, cùm quis nõ implet, ac soluit, quod iurando se facturum promisit, mendax propriè non est, etiamsi fidem datam violauerit, & tamen periurij crimine tenetur. Accedit item, quod si quis temerè, & inconsideratè verũ aliquid iureiurando confirmat, periurus censetur, & tamen nihil falsi asseuerat.

Constans est nihilominus omnium sententia in omni periurio mendacium inesse, quoniam in eo, aut veritas, aut iustitia, aut iudicium, quæ tria omne iusiurandum postulat, desideratur. Si veritas in iureiurando desit, periurium admittitur, vt planè constat. Item, si quod iurasti iustum, & bonum te facturum, non facis, veritas deest, nõ quidem verbo, sed facto. Si iustitia, periurũ dicitur quoniã etsi is, qui iurãdo promittit se aliquid facturũ, in animo habeat id præstare, vel exequi, quod promittit, quia tum à faciendo abstinere debet, censetur falsum iureiurando firmare. Is autem, qui inconsultè, & imprudenter iurando aliquid affirmat, aut negat, periur⁹ habetur, quia exponit se periculo periurij, hoc est, periculũ incurrit, ne falsum iureiurãdo corroboret. Mihi videtur periurium propriè esse mẽdacium, vt dixit Magist. iureiurando firmatum: & iusiurandũ, cui deest iudicium, propriè est iusiurandum temerarium, & incertum; & proinde quadam rõe periurium, quatenus est cõiunctum cum periculo periurij: nam si incõsideratè quippiam iures, periculũ est, ne falsũ iureiurãdo cõfirmes, & iusiurandũ itidẽ, in quo iustitia, nõ tamẽ veritas desideraꝛ, propriè est etiã temerariũ, & stultũ; & idcirco quadã rõe periuriũ, quoniã id, ꝙ quis iureiurando promittit, cũ malũ sit, prætermittere iure cõpellitur.

Tertio quæritur, quotuplex sit periuriũ? Resp. ex cõmuni sentẽtia, esse quadruplex. Primò, cùm falsum iureiurando confirmatur. Secundò cùm promissio in re iusta, & bona facta, & iureiurando confirmata, non completur. Tertiò, cùm in iureiurando iustitia desideratur, hoc est, cùm quis iurando promittit se iniquum aliquid facturũ. Quartò cùm iureiurãdo iudicium deest; hoc est, cùm quis temerè, & inconsideratè iurat. Primũ illud, & secũdum, *vt paulò ante iam dixi*, est propriè periurium: alia duo propriam rationem habent iurisiurandi incauti, & temerarij, periurij verò rationem habẽt, quoniam ratione, ac modo quodam ad periuriũ reuocantur.

Quartò quæritur, An periurium, quod est mẽdacium scienter, & spontè iureiurando firmatũ, sit per se lethale peccatum? Angelus distinguit *in verbo periurium, in principio*, Gofredum sequutus *in c. Quod autem ait. 22. q. 2. & in cap. vlt. § Episcopus, eadem dist. & q.* Si quis seriò peieret, lethalem culpam contrahit, si autem per iocum, venialem tantummodo. Siluester tamen Angelum confutat *in verbo periurium, num. 1.* & certè S. Th. *2. 2. q. 98. a. 3. ad 2.* 2. generaliter ait, lethalis peccati reum esse, qui seriò, siue iocosè peierat; quoniam æquè Deum offendis, si eum mendacij, siue serij, siue iocosi testẽ scienter arcessas, & aduoces. *At ego quidem existimo*, Ang. solummodo significare voluisse, nõ se lethali peccato adstringere eũ q. per iocũ falsi aliquid iureiurando confirmat: *Per iocum*, dixit, nimirum quando eius animus nõ est iurare: solẽt. n. aliqui

ioci causa iusiurandum adhibere absque vlla iurandi voluntate: qui peccant quidem, sed non ita grauiter, vt Periurij scelere, & crimine teneantur: aut saltem loquitur Angelus de eo, qui per iocum absq; plena animi deliberatione mendaciter iurat.

Quintò quæritur, An cùm quis iurat per hunc ignem Dei, per hanc paleam, per hunc iuncum, aut stirpem, deniq; per alias res abiectas, & viles, nequaquam habens in animo iurare, & eo, qui audit, tanquam iusiurandum minimè accipiente, periurus censeatur, si falsum iuret, aut si promissum non seruet? Respondeo cum Angelo, & Siluestro *in verb. periurium, in principio* in eiusmodi iureiurando veniale, non lethale crimen admitti, quoniam non est in illo, qui iureiurando vtitur, animus iurare. QVAERES, qua ratione sit periurus, qui per creaturas falsum mendaciter iurat, quandoquidem creatura res sacra non est? Resp. Sicut verum iurare per creaturas religionis est actus, quia iuramus per Deum, cuius veritas in creaturis refulget, quippe qui est omnis veritatis auctor. Sic falsum iurare per creaturam, est Periurium, quoniam aduocatur, vt testis, creatura, quatenus est quædam Dei veritas.

Sextò quæritur, An periurium sit homicidio grauius? Duæ sunt opiniones: prima affirmat, estque S. Tho. *Quod. 1. q. 9. ar. 2.* Sot. *l. 3. de Iust. q. 2. a. 3. concl. 4.* Silu. *Periurium. q. 2.* Tabie. *Periur. q. 4.* Quam colligunt ex eo, quod periurio violatur præceptum primæ tabulæ Decalogi, & religio, ac pietas in Deum. Non omnino cæteros hæc ratio conuincit: nam alioqui, inquiunt, deterius, ac peius ageret, qui in sabbato opus seruile faceret, quàm qui homicidium admitteret. Item, homicida, inquiunt, in iudicium adductus, si obiectum homicidij crimen deneget, cogi solet, vt iuret, id fecerit necne, ergo Periurium tanquam grauius crimen habetur, siquidem homicida, homicidium confitetur, ne in periurium labatur. Cæterum, nec hoc argumentum nos penitus conuincit: alioqui enim periurium grauius esset hæresi, & idololatria. Secunda opinio docet homicidium esse periurio peius atque deterius. Sic Rich. 3. *d. 39. a. 4. q. 1.* Gabr. 3. *d. 39. q. 2. a. 3. dub. 4.* Maior. 3. *d. 39. q. 5.* Angel. *Periurium. n. 8.* Selua. *de Benef. p. 3. q. 2. a. 3.* Rebuf. *de Pacific. possess. n 223.* Mihi verò probabilior videtur S. Thom. sententia; quam rationes paulò ante allatæ probabiliter quidem, non tamen, vt dixi, firmè omnino corroborant. Oës tamè cõueniũt, periuriũ esse adulterio, furto, & detractiõe grauius, ac maius malum, minus tamen, & leuius odio Dei, idololatria, hæresi, maledicto, siue blasphemia in Deum.

Septimò quæritur, quã pœnã Canones, leges, & iura periuris irrogẽt? Quã quæst. tractat Cou. *in cap. quãuis de pact. in 6. p. 1. §. 7. n. 2. & 3.* Strab. *l. 15. apud Indos*, inquit, *qui falsus deprehenditur, & de periurio conuictus, & manuũ pedũq; digitis extremis decurtatur. Apud Scythas periurij pœna capitis amputatio est.* Cic. l. 2. de leg. sic ait: *Periurij pœna diuina exitium, humana, dedecus violati iurisiurandi esto.* Scribit Diod. l. 2. c. 3. *Periuri apud Aegyptios capite mulctabãtur, tanquã qui duplici scelere tenerẽtur, vt & qui pietatẽ in Deos violarent, & fidẽ inter homines tollerent maximum vinculũ societatis humanæ.* Sed quæstio est, an periurus dedecoris, & infamiæ pœnã ipso iure ciuili cõtrahat? De hac quæstione agit S. Th. 2. 2. *q. 98. a. 3. ad. 3.* Ab. *in c. testim. de test.* Ang. *periur. q. 6.* Sil. *periu. q. 6.* & alij Summistæ *in eod. verb.* Cou. *loc. cit.* Glo. *in l. Si quis maior. C. De trãsactio.* ait, periurum esse iure ciuili infamẽ; nã in ipsa dicitur. Si quis promissa, quę inuocato Dei nomine firmauit, nõ impleuerit, nõ solũ notetur infamia, sed etiã actione priuatus existat. At in *l. Lucius Titius. ff. De his, qui notãtur infamia*, videtur statui, periuros non esse inter infames habendos: & *l. Iurisiurandi, C. De reb. cred.* dicitur. *Iurisiurãdi contempta religio satis Deũ vltorẽ habet*, & l. Stelion ff. de crim. *Stelion. iudiciũ famosũ quidẽ nõ est, sed coercitionẽ extraordinari im habet: & in l. De Peri. ff. De crim. Stelio.* dicitur: *De Periurio si sua pignora esse quis in instrumẽto iurauit, crimen stellionatus sit, & ideo ad tempus exulat.* Hęc iura, & leges. Glossa conciliat sic: Periurus, cuius periuriũ nocet alteri, infamis est, vt habetur *in l. Si quis maior. C. De transa.* at qui alteri non officit, sed sibi soli, infamis non est, vt si quis iurauerit se ieiunium seruaturum, vinum non bibiturum, sacrum auditurum, & iusiurandum non seruet, & in hoc locum habent cęteræ leges. S. Th. *loc. cit.* ait periurum in iureiu. assertorio infamem non esse, nisi post sententiã iudicis latam contra eum in accusatione: periurum tamen in iureiur. promissorio solenniter adhibito esse ipso iure infamem. Ab. *loc. cit.* inquit periurus secundum Canones est infamis; quia Canones infames appellant, quotquot lethali crimine tenentur obstricti: at secundum leges infamis non est periurus in iureiurando assertorio, sed in promissorio. Sic etiã docent Bart. *in l. Lucius ff. de his, qui notantur infamia.* Meo iudicio, si quis in testimonio dicendo coram iudice, aut in contractibus publicè initis, aut in pactis, & fide publicè data, iusiurandum interpositum violet, infamis canonico iure censetur, aliter non item. Iure aũt Canonico periurus sustinet pœnã infamiæ: nam *in c. Infames. & c. Quicũq;, 6. q. 1.* periuri infames habentur. Cæterum quamuis periuri Canonico iure infames sint: q; attinet tamẽ (ait Silu. *periur. q. 6. ad fin*) ad infamiã irrogandã, & bonorũ confiscationẽ re ipsa exequendã, & pœnã corporis infligendã, necessaria est sententia saltẽ generalis: *vnde*, inquit, *licet Tabellio periurus sit, ea tamẽ, quæ facit, ratione publici muneris, & officij, quo fungitur, rata, & firma sunt, donec sequatur iudicis sententia saltem declaratoria criminis: nisi forte esset ita notorium, vt nulla posset tergiuersatione cælari.* Hæc Silu. Itẽ pœna est in iure Canonico constituta in periuros. Quicũq; sciens peierauerit 40. dies in pane, & aqua, & 7. annos pœniteat sequentes; & nunquam sit fine pœnitẽtia, & nunquã in testimonium recipiatur, cõionẽ tamẽ post hoc recipiat. Hæc *in c. Quicũq;, 6. q. 1.* Et *in c. Prædicandũ, 22. q. 1.* dicitur: *Prædicandũ est etiam, vt periuriũ fideles caueãt scientes hoc grande scelus esse, nec leuẽ periuris pœnitentiæ modum imponendum, talem periurio pœnitentiam imponi debere nouerint, qualis adulterio, & homicidio iniungitur, & qualis cæteris criminibus capitalibus imponitur.* Hæc ex illo cap. Ex dictis soluitur quæstio, qua quæri solet, quinã periuri contrahant infamiæ pœnam? Resp. iure Canonico eos, qui mendacium iureiurando confirmant: eos itẽ, qui fidẽ iureiurando firmatam non seruãt: Nec tamẽ oës huiusmodi periuri statim ipso facto, infamię pœnã incurrunt, ita vt officiũ, Beneficium, Dignitatem,

tem, vel alia huiusmodi bona dimittere cogantur, donec, *vt paulo ante* dixit Silu. sententia Iudicis tanquam periuri condemnantur, aut per propriam confessionem in iudicio habeantur periuri, aut ita manifesti, & notorij periuri sint, vt ea, quæ publicè faciunt, tanquam irrita, & inania in iudicio repellantur. *In cap. Cùm non ab homine De Iudic.* dicitur: *Si Clericus in quocumque ordine constitutus in furto, vel homicidio, vel periurio, vel alio crimine fuerit deprehensus, legitimè conuictus ab Ecclesiastico Iudice deponendus est.* Ex quo fit, vt periurium in Clerico sit crimen puniendum pœna. q. Canones depositionē appellāt.

Octauò quæritur, An infamis censeatur periurus, qui tantummodo fidem alteri priuatim datam violat? Resp. tantummodo infamem haberi, qui fidem siue priuatim, siue publicè datam non seruat: Si hoc eius crimen, vel per sententiam Iudicis damnatur, vel per propriam confessionem in iudicio constat, vel per facti euidētiam patet.

Nonò quæritur, an Clericus periurus, sit ipso facto priuatus beneficio? Rebuf. *de pac: possess. n. 218.* ait esse priuatum. Respo ex communi sententia, non esse priuatum, sed per Iudicis sententiam eum esse priuandum. Ita sentiunt, Ioan. And. Abbas, Decius, Felinus, Ripa, Glossa, Ioannes Selua, Lambertinus, quos omnes citat, & sequitur Couar. in *c. quamuis, de pact. 1. p. §. 7. n. 3* nullum enim decretum Ecclesiasticum extat, quo beneficio priuatus ipso iure dicatur.

Decimò quæritur, an si beneficium Ecclesiasticum periuro Clerico conferatur, sit ratum & firmum, quod fit? Duæ sunt opiniones, prima videtur asserere id ratum esse, quoniam Clericus periurus beneficium, quod habet, non amittit, ergo collatum acquirit. Sic Feder. *consil. 50.* Secunda opinio negat idvimvllam habere: quam tuentur Io. And. Hostiensis, & Abbas, quos referunt Ioannes Sel, Lambertinus, Bernardus Dias, vt testatur Couar. loc. cit. Hæc opinio verior est. Plus enim requiritur, vt quis è beneficio, quod habet, deijciatur, quàm vt à beneficio acquirendo repellatur. Quare, etsi Clericus periurus ipso iure beneficio priuatus non est, non propterea sequitur, vt beneficij sit capax. Animaduertendum tamen est nullam esse beneficij impetrationem siue adepti onem secundùm prædictam communem sententiam quando Clericus periurus, in quem beneficium confertur, tanquā talis per sententiam Iudicis condemnatus est, aut per propriam confessionem in iudicio criminis conuictus aut quando per facti euidentiam notorium est crimen: alioqui rata est, & firma: vt ait Couar. *loc. præd.*

Vndecimò quæritur, An iusiurandum per falsos Deos in contractu, vel promissione positum, seruandum sit, ita vt periurus sit, qui illud non seruauerit. Hanc quæstionem tractat Couar. in *c. quamuis, de pact. in 6. p. 1. § 1. n. 7.* Innoc. Abb. in *cap. etsi Christus, de iure.* Et quidam sentiunt esse omnino seruandum, quod colligunt ex August, quem citat Gram in *c. Ecce dico, 22. q. 5.* in hæc verba: *Ecce dico charitati vestræ: qui super lapidem falsum iurat, periurus est. Vnde hoc dico? quia multi, & in hoc falluntur, & putant, quia nihil est, per quod iurant, non se crimine teneri periurij. Prorsus periurus es, quia per id, quod sanctum putas, falsum iuras. Sed ego, dices, illum sanctum non puto, Sancti putas, cui iuras. Non enim quando iuras, tibi, aut lapidi iuras. sed proximo homini iuras ante lapidem. Sed numquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem. sed punit te Deus fallētem.* Hęc ex Aug. Vbi duo membra distinguuntur, vnum quidem, cùm is, qui iurat per lapidē, hoc est, more Gentilium per Iouem, cui statuæ & simulacra erigebantur, & dicabantur, siue per falsos Deos, putat sanctum esse id, per quod iurat cùm id non putat. Et in vtroq; censet Aug, periurum esse, qui falsum iurauerit. In primò quidem quia falsum iurat per id, quod sanctum existimat in secundo verò, ex eo, quòd falsum iurat per id, quod sanctum credit is, cui iusiurandum præstat. Idem videtur dicere Aug. *in ep. ad Public. quæ est 154. & refertur in c. Monet te. 22. q. 1.* his verbis: *Monet te certè virum eius fide vtendum sit, qui vt eam seruet, per dæmonia iurauerit. Vbi te volo prius considerare, virum si quispiā per deos falsos iurauerit, se fidem seruaturum, & eam nō seruauerit, non tibi videatur bis peccasse. Si enim tali iuratione promissam custodierit fidem, ideo tantùm peccasse iudicaretur, quia per tales deos iurauerit, illud autem nemo reprehenderet, quia fidem seruauerit: nunc verò, quia iurauit per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit, bis vtiq; peccauit.* Hactenus Aug. ex cuius dictis constat seruandum iusiurandum, quod per falsos Deos interponitur. Meo iudicio, si iusiurandū quis adhibeat per falsos Deos, quos veros esse existimat, iusiurandū verè interposuisse, & periurij crimine teneri eum, qui id, quod iurando promisit, non præstat. At verò si quis per falsos Deos iuret, quos prorsus inanes & falsos esse putat, periurus non est, si datam fidem non seruet, quia iusiurandum non posuit. Quod autem Aug. dixit nō ad verum periurium pertinet, sed ad fidei datæ violationem: quę peccatum est, cùm is, cui iusiurandum per falsos Deos, quis præstat, grauiter lædatur. Ita interpretatur Aug. Couar. *loc. cit.*

Duodecimò quæritur, An verum sit, quod ait Aug. *in præd. loc. videlicet Ep. 154. & habetur in ca. Monet te. 22. q. 1.* Minus malum esse per Deum falsum iurare veraciter, quàm per Deum verum fallaciter? Resp. hanc Aug. sententiam locum habere in eo, qui iurat per falsos Deos, quos nullos, & inanes esse putat: is enim si fidem non seruet, peccat quidem grauiter proximum decipiendo: sed nō peierando. Qui verò fallaciter iurat per Deum verum, periurus est. Sed qui iurat per falsos Deos, quos veros esse arbitratur, quamuis veraciter iuret, grauissimè tamen peccat, quia cultum vero Deo debitum tribuit Idolis. Vnde in hoc Augustini sententia minimè locum habet: vt Couarr. *loc. cit.* annotauit.

Decimoterciò quæritur. An liceat Christiano ab homine ethnico iusiurandum accipere, & exigere, quem scit per falsos Deos iuraturum? Resp. ex Aug. *in cap. Monet te. 22. q. 1.* id licere facere, ait enim: *Qui vtitur fide illius, quem constat iurasse per Deos falsos, & vtitur non ad malum, sed ad licitum, & bonum, non peccato eius se sociat, quo per dæmonia iurauit, sed bono pacto eius, qui fidem seruauit.* Sic ibi Aug. qui licet sermonē habere videatur solum de eo, qui petit ab ethnico, vt quòd per falsos Deos iurando promisit, seruet, ac præstet; ratio tamen in vtroq; idem iuris esse concludit: Nam sicut ab Ethnico, & impio non petimus, vt iusiurandum per falsos Deos positum seruet, sed vt promissum exoluat, sic etiam ab eo non postulamus, vt iuret per falsos

Deos

Deos, sed tantum, vt iuret. Vnde petimus id, quo bene, si velit, vt debet, vti potest, vt docet Couar. *loco praedicto.*

Cap. XII.

DE VOTO.

Quid sit votum, & quidnam ad eius substantiam, & naturam requiratur.

DE voto tractant Theologi *in 4. d. 38.* nempe S. Th. Bonau. Ricar. Paludi. Supplemen. Gabr. & Mai, *ibidem.* Canon. *17. q. 1. 2. 3. & 4. & de voto, & voti redempt.* Summist. *in verbo votum.* Altisio. *in Sum. lib. 3. tract. 23.* S. Tho. *2. 2. q. 88.* Sotus *li. 7 de Iust. & 4. d. 38. q. 2.* Astensis *lib. 1. tit. 20.* Anton. *p. 2. tit. 11.*

Primò quæritur, quid sit votum, & quomodo à promissione distinguatur? Resp. votum dici, & esse, quod Deo fit, vnde est propriè actus religionis, quæ Deo iustum, ac debitum cultum tribuit: quoniam ei vota nuncupamus, vt bonorum omnium largitori, vel pro beneficijs acceptis, vel pro impetrandis. Promissio verò dicitur, qua aliquid homini pollicemur. Quo fit, vt votum sit promissio, & sponsio Deo facta: pollicitatio, qua fidem nostram homini damus, generale nomen sortita, promissio nuncupatur: nam aliquando formæ generis nomen tribuitur. Hinc est, vt teste S. Th. *2. 2. q. 88. a. 1* promissio fieri, aut consistere nequeat absq; verbis, vel signis, aut nutibus verborum locum renentibus: at votum Deo fieri potest sine vllis verbis, aut signis externis. Promissio itidem, vt docet idem S. Th. *2. 2. q. 88. a 5. ad 3* potest esse voti materia, nam si promiseris paueri aliquam pecuniam, potes insuper vouere Deo, te eam pecuniam pauperi largiturum.

Secundò quæritur, quæ, & quot ad voti substantiam, & naturam sint necessaria? Respondent S. Th. *2. 2. q. 88. a. 1.* Cai. *ib.* Sot. *l. 7. de Iust. q. 1. a. 2.* Nauar. *in Man. c. 12. n 24.* Anton. *p. 2. tit. 11. c. 2.* primùm opus esse, vt votum ex animi deliberatione fiat: Deinde, vt is, qui votum facit, in animo habeat & constituat promittere, vel se Deo promittendo obligare. Tertiò, vt non solum statuat, atq; decernat promittere, sed reuera promittat. Quartò, vt res voto promissa, & dicata Deo, bona sit, hoc est, quæ fieri iure possit. Postremò, vt id, quod vouetur, non solum bonum, sed melius etiam sit atq; præstantius, vt inferiùs explicabo. Votum igitur necesse est, vt sit promissio scienter, & sponte facta. Appellatione deliberationis autores intelligunt notitiam, & iudicium rationis: nomine Proposiri accipiunt voluntarium animi actum, vt votum sit promissio Deo facta ex iudicio rationis, & proposito voluntatis.

Tertiò quæritur, quam, & quantam animi deliberationem votum requirat, ac poscat? Resp. ex communi omnium sententia quam habent S. Th. Cai. Sot. *loc. cit.* Ricar. *4. d. 38. a. 1. q. 2.* & Nauar. *c. 12. n. 24.* Anton. *p. 2. tit. 11. c. 2.* eam postulare, quæ plenum rationis iudicium continet. Ea autem talis est, qualis, vel ad meritum, vel ad letale peccatū sufficit, vt optimè Caiet. explicuit. Nec plena deliberatio in præsentia accipitur ea, qua prę uideatur tota promissę rei difficultas, vt inferius exponā: sed dicitur plena, qua is, qui vouet, sciēs, ac volens, spondet, ac pollicetur, ita vt planè videat, & animaduertat, ac velit se vouere. An verò votum ira, mœrore, dolore, aut aliqua alia subitanea animi perturbatione susceptum sit ratū & firmum, statim dicemus.

Quartò quæritur, An ad votum præter animi deliberationē, voluntatis quoq; propositū sit necessarium? Resp. ex cōi omnium sententia, vt cōstat ex S. Th. Cai Sot. Nau. Ant. *loc. cit.* id opus esse. Propositū autē est voluntas promittendi aliquid Deo. Vnde Canonici iuris quidā interpretes, videlicet Ab. senior *in c. Literaturā, de vot. & vot. red.* vt refert ibi Ab. iunior: dixerunt votū primò inchoari, deinde confirmari, post consummari, & perfici. Inchoatur, inquiunt, per deliberationem, cùm quis primum decernit polliceri Deo: Confirmatur per propositum, quo quis in animo habet, & statuit vouere, siue promittere: Consummatur p promissionem, qua quis suam Deo fidem obstringit, sese Deo obligat. An verò is, qui vouet nō habens in animo efficere quod promittit, aut nolens se Deo obligare, voti vinculo teneatur, post ea dicetur. QVAERES: quid significetur, nomine Propositi, & quo à Deliberatione distinguatur? Cai. Deliberationē accipit actum siue iudicium rationis, quo quis sciēter deliberat facere, quod promittit. Propositum intelligit actum voluntatis, quo spōtè statuimus id facere, & exequi, quod promittimus, ita vt votū sit promissio Deo facta ex deliberatione, siue iudicio rationis, & proposito voluntatis, quum iudicamus nos facturos, q promittimus & decernimus id nos facere. Cæterum, Respondeo significari ea voce voluntatis actum, quo vouens certo & firmo animo apud se statuit promittere, siue vouere. Vnde à deliberatione differt, quoniam qui vouet, primum decernit vouere; deinde vult vouere, vel promittere.

Quintò quæritur, An votum solo animi proposito perfici queat? Canonici iuris Doctores veteres, Hugo, Bernardus, Gofredus, Laurentius, Alanus, Tancredus, & cum eis Innocentius, Hostiēsis, & Glossa, vt refert Abb. *In c. Literaturā, de vot. & voti red.* docuerunt, ad votum duo tantum sufficere, deliberationem, & propositum. Hanc sententiam inter Theologos sequuti sunt Palu. *4. d. 38. q. 1. a 1. §. sed quia.* Anto. *p. 2. tit. 11. c. 2.* idq; probat e cōnati sunt *ex c. Cōsulti, de Regul.* vbi Pōtifex ait: *Si is, qui conuertitur, proposuerit absolutè vitam mutare, vt sub habitu regulari omnipotenti Deo de cætero famuletur, decet, vt regulariter viuat, ad laxiorem saltem vitam pertrāsire.* Hęc ibi: Item, *in c. Beneficium, De Regular. in 6.* statuitur, vt Nouitij beneficium nulli conferatur, nisi eius accedat assensus, aut constet eum vitæ rationem absolutè mutare voluisse, aut professionem expressè, vel tacitè fecerit. Et *in c. qui bona. 17. q. 1.* dicitur: *Qui bona agunt, si meliora agere deliberent, post deliberata non faciunt, licet in bonis prioribus perseuerent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione.* Itē: *in c. Statuimus, De Regul.* habetur. Nouitios posse liberè ad sæculum redire, nisi euidenter appareat eos absolutè voluisse vitam mutare, & in Religione perpetuò Domino deseruire. Idem colligitur *ex c. Non solūm, De Regular. in 6. & ex c. consuluit, qui cler. vel vouen.* præsertim adiuncta Glossa, *in verbo habitum:* & Luc: 9. ait Dominus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno.* Genes. etiam 19. vxor

Loth liberata ab incendio,& respiciens retrò;cõuersa est in statuam salis. Item,in Regula Iuris, *Quod semel*, in 6.dicitur: *Quod semel placuit,amplius displicere non potest*. At verò S.Tho.2.2.q.88.*ar.*1.perspicuè tradit votum tria requirere, Deliberationem,Propositum,& Promissionem;& votũ promissione perfici,non proposito. Sic etiam Bonauent.4.d.38.*a.*1.q.1.Ricar.4.d.38.*a.*3.q.3 atq; hæc est cõmunis Theologorũ sententia:cui etiam apertè subscribũt inter Pontificij iuris interpretes Archi.*in ca.Qui bona* 17.q.1. Abbas *in cap. Literaturam,De vot.& vot.* Siluest. *votum* 1.q.2. Angel.*votum* 1.q.7. Nau.*in Man.c.*12.*n.*26. *vers.Sextò infertur*, licet quidã asserant in hoc, Pontificij iuris interpretes à Theologis dissidere, quòd illorum opinio sit votum proposito perfici, Theologorum verò promissione,non proposito.Quæ sententia(Theologorum inquam)reuera ex vtroq; iure Canonico,& Ciuili colligitur.Nam *in c. Literaturam de voto,& vot.redempt.* cùm rogaretur Pontifex de quodam, qui mortis pauore perterritus,hęc verba protulerat: Non diu hic morabor, proponens in animo,vt ibi dicitur, quod Religionis habitum esset aliquãdo suscepturus: Respondit,*Si plus non est in voto processum,transgressor iudicari non poterit,si non impleat,quod dixit*.Hæc ibi.Et *ff.De pollicitat.l.Si quis rem,& l.Pactũ est*,apertè dicitur,Pollicitationem esse promissionem offerentis , & pollicitatione quempiam ei,cui pollicetur, obligari. Sed vouere, est aliquid Deo polliceri, ergo votum est pollicitatio quædam & sponsio. Quare, vt rectè ait Abbas *in c.Literaturam, De voto,& voti redemp.* opinio S.Tho. in hac parte multas Theoricas Canonistarum euertit:& oportet,vt cùm iura testantur,proposito quempiam obligari, intelligant propositum promissione firmatum: Panormitanum sequuntur etiam Siluester,Angelus,Nauarrus,*locis dictis*. Obijcies, si quis ex proposito decernat aliquid facere,& postea id non faciat, reus est violati propositi;item mendax est,ergo solo voluntatis proposito se obligauit. Respondeo his verbis, Faciã hoc,non significatur in præsenti negotio,hoc ita erit,sicuti prædico;sed In animo habeo hoc facere. Vnde nullum mendacium admittit is, qui dicit, Faciam, si in animo eius sit facere; deinde verò,si mutata voluntate non faciat,non ideo mendax fuit,cùm dixit se facturum. Nec ité promissionis,aut voti violator est,quoniam nulla se alteri promissione obstrinxit, vt manifestè liquet ex communi vsu loquentium:nam sæpe dicere solemus, Hoc tui gratia faciam, sed fidem non obligo,non promitto.Sciendum tamen est,apud homines verbum,faciam, præsertim in contractib. vim promissionis, & obligationis interdum habere: ita vt non solum significet, Est mihi animus facere,sed etiam,Promitto me facturum. Ad iura verò supra opposita respondeo, præter id, quod dixit Abbas, fortassis ea voluisse, vt votum habeatur iuris fictione;non re ipsa,solo animi proposito sine vlla promissione factum , & tunc ea iura locum habebunt in dubio, non cùm constat,promissionem penitus defuisse.

Sextò quæritur, An sola Promissio ad votum sufficiat?Ioan.And.vt testatur Abbas *in cap.Literaturam,de voto*. ait sola promissione rationem voti constitui: quam sententiam Abbas ipse confutat.Si enim quis Deo polliceatur sine vlla animi deliberatione atque proposito,votum non facit, quia nihil Deo vouere constituit. Sed immeritò refutauit : nam quum Ioan.Andr.docet in sola promissione votum consistere, non excludit rationis iudicium,siue deliberationem & propositum voluntatis, quæ duo promissionem, naturæ ordine, antecedunt,sed excludit alia, quæ solent promissionem comitari, vel consequi: qualia sunt oris pronunciatio,testes,Syngrapha, Chirographum, siue testimonium literis consignatum,& alia similia.

Septimò quæritur, An præter hæc tria,Deliberationem, Propositum, & promissionem ad voti substantiam requiratur oris pronunciatio, testium præsentia,scriptum testimonium,vel solemnis aliqua iuris formula? Respondeo,non requiri:quia votum Deo fit,non homini: Deus autem intuetur animum vouentis,& acceptum,ac ratum habet voluntatis consensum.Apud homines itaque, vt vnus fidem suam alteri adstringat, necesse est,vt eius consensus verbis, aut nutibus exprimatur, vt Deo tamen nos ipsi voti religione obligemus,satis est,si animo scienter,& sponte ei quippiam promittamus.

Octauò quæritur,cuius facultatis actus sit votum,Rationisne,an Voluntatis? Duæ sunt opiniones;prima docet esse actum Rationis:sic opinantur S.Tho.2.2.q.88.*art.*1 Caiet.*ibi*.Sot.*lib.*2.*de Iust.q.*1.*a.*2.& alij S.Thomæ dicipuli, quia imperare, inquiunt,orare,petere, & vouere, sunt Prudentiæ actus,cuius est vnum ad alterum referre,& dirigere. Nam qui imperat, præscribit, & denunciat inferiori, quid sit ex obligatione facturus. Qui orat,petit à Superiore, quod optat,vt ipse Superior efficiat,& petẽdo denũtiat ei,q̃d velit,vt ipse superior faciat,qui ꝓmittit,declarat,& denũciat superiori, vel pari, quid sit ex obligatione ipse facturus in honorem,cultum, vel commodum ipsius,cui promittit. Secunda sententia ait esse actum Voluntatis,cuius est se alteri obligare.Prima opinio putat votum esse actum rationis,quo quis denunciat,& exprimit obligationem, qua ad aliquid faciendum se obligat,ita,vt votum,sit certa Rationis denunciatio cum obligatione voluntatis coniuncta:vel obligationem afferens.

Secunda opinio censet,Votum esse voluntatis actum, quo Voluntas se Deo subijcit, & obligat ex Rationis deliberatione,& denunciatione,ita vt Voti substantia, sit voluntatis actus ex Ratione tanquam ex antecedente causa progenitus. Conuenit inter omnes,in Voto actum vtriusque facultatis contineri. Sed lis est,an Votum sit Rationis denunciatio obligationem pariens , vel afferens, an verò potiùs voluntatis actus ex Ratione,vt causa profectus?Sed parum refert hanc aut illam opinionem sequamur: est enim hæc nõ actionis,sed speculationis quæstio. Compertum est omnibus, in voto esse deliberationem, & iudicium rationis, & propositum voluntatis, & obligationem,quæ ex voluntate surgit,ac profluit,& expressione siue denũciatione obligationis, quæ per rationẽ interius fit. S.Th.opinatur votũ esse actum rationis , quo quis suæ voluntatis obligationem exprimit,& denunciat interiùs Deo, cui vouet.

Nonò

Nonò quæritur, An qui Deo aliquid promittit, cum in animo eius non sit se Voto obligare, Voti vinculo adstringatur? Respondeo, eum, qui vouet, multis modis posse vouere. Primò promittendo, cũ tamen animus eius sit nihil promittere: & omnes consentiunt, hunc hominem vouentem nullo Voti vinculo teneri: quoniam ficta est, & simulata tota promissio. Secundò potest quis promittere Deo, habens quidem in animo promittere; & obligare se Deo, cũ tamẽ animus eius nõ sit præstare promissum: Et inter omnes etiam constat hunc hominem sic promittentem Voto obstrictum teneri: siquidem verè promisit, & sese Deo obligauit. Tertiò, potest quis vouere, habens quidem in animo vouere, sed nõ se Deo promissione obligare, Et de hoc tota est quæstio; an Voti vinculo deuinctus sit? Duæ sunt opiniones. Sot. *lib. 7. de Iust. q. 1. art. 2.* & quidam alij iuniores sentiunt huiusmodi hominem Voto obligari; quoniam obligatio tanquam effectus quidam necessariò ex ipsa promissione surgit, ac profluit: nec potest quis Deo promittendo obligationem impedire, & prohibere ne ex promissione manet. Alij verò multi, videlicet Gloss. *in c. Literaturam cit.* Silu. *Iuramentum 4. q. 19.* Angel. *Votum 1. q. 7.* Nauar. *in Man. cap. 12. n. 27.* & Bonau. *4. d. 38. art. 1. q 1. & 3. dist. 39. a. 3 q. 1.* Ricar. *4. dist. 38. art. 3. q. 3. & 3. d. 39. a. 2. q. 1.* videntur docere nullum esse huiusmodi Votũ, quod probant; quia leges, Canones, & iura planè decernunt neminẽ se alteri obligare nisi volentẽ, *vt colligitur ex l. obligationum, ff. De actionibus, & obligationibus.* Deinde, Votum est veluti quædã priuata lex, quam sibi quisq; fert, & qua se alteri obligat: at lex neminẽ tenet; ac ligat, nisi Princeps qui eam tulit, velit, vt ea teneatur.

In hac quæstione primò mihi videtur dicẽdũ: Si quis vouit Deo sciens, ac volẽs, cũ nihil tamen cogitet, se obliget, necne, voti nexu, & vinculo teneatur: & hac ratione existimo opinionẽ Soti esse verisimã, quoniã ex ipso Voto obligatio nascitur, ac fluit. Deinde, si qui vouet, nolit se voto obligare, est probabile quod auctores cæteri tradiderunt, eũ voto non adstringi: quia cum simul vouet, nolẽs se tamẽ Voto obligare, eo ipso, videtur volũtatẽ mutare, & à vouẽdo recedere: ita vt perinde sit, ac si vouere nolit: hoc enim est, quod alij auctores videntur voluisse, & hoc eorũ rationes, & argumenta conficiunt; omnis enim promissio ex animo, & voluntate promittentis vim habet, sicut omnis cõtractus ex volũtate cõtrahentiũ, & lex ex mente, & voluntate Principis: ad rationem voti videtur pertinere, vt si voues, habeas voluntatem te voto obligandi.

Decimò quæritur, an Votũ soli Deo fiat? Quæstionẽ mouet quoniã in Religionũ institutis cũ Religiosi regulã solemni ritu profitentur; Votũ Deo nũcupant in hũc modum: Deo, & B. Augustino, vel B. Francisco, vel B. Dominico, vel B. Benedicto, & tibi Priori, vel præposito Prouinciali, vel Generali, & tamen Votum, actus est religionis, quæ Deo cultũ, & honorẽ debitũ tribuit. Hanc quæstionem supra dissoluimus, vbi diximus: Votũ Deo fieri, in presentia tantum sanctorum, qui vt testes, aduocati, & patroni adhibentur, vt quæ promittimus, facilius, commodiusq; præstemus. Item vouemus sanctis cæli habitatorib. & Religionũ Præfectis tanquã locum Dei tenentibus; Dei vicẽ gerentibus: Sed Deo votũ fit in honorem, & cultũ eius, quoniam ei vota facimus tanquam Votorũ, & omnium bonarũ cogitationũ latori, largitori, & auctori. Vota enim nuncupamus Deo, vel vt ab eo boni aliquid impetremus, vel vt pro summis in nos beneficijs debitas gratias ei, & agamus, & habeamus. S. Tho. 2. 2q 88. a. 5. ad 3. votum, inquit, *quo quis vouet aliquid Sanctis, vel Prælatis intelligendum est, in hunc modum, vt ipsa promissio facta Sanctis, vel Prælatis cadat sub voto materialiter: in quantum scilicet homo vouet Deo se impleturum, quod Sanctis, vel Prælatis promittit.* Sic ille. Votum igitur Deo fit, Sanctis verò cælis incolis, aut Religionum Præfectis fit tanquã Dei ministris, ipsius locum tenẽtibus: Deo fit iure; & nomine ipsius. hominibus verò fit nomine Dei.

Cap. XIV.

De re, & materia Voto subiecta.

SCiendum est, omnes conuenire, rem necessariã, aut quæ nullo modo fieri potest, nõ posse in Votũ cadere. Neque enim vouere Deo potes te moriturũ, aut te sydera, aut arenam maris numeraturũ, aut cælũ ipsum manu tacturum: nã siue rem necessariam, siue impossibilem voueas, votum est stultũ, & insanũ. Præterea vouere, quis nequit id, quod absque lethali peccato fieri non potest. Si enim voueas rem, quam citra grauem culpam facere nequis, Votũ est iniquum, & impium: Vt si spondeas Deo te homicidiũ, furtum, vel adulteriũ, aut aliud maleficiũ commissurũ. Res item, quæ citra veniale delictũ admitti nequit, Voti materia esse non potest: nec item res, quæ suapte natura media est, & indifferens. Si enim quis voueat se iocosum officiosumue mendacium, vel ociosum verbum dicturũ, Votũ est iniquum. Stultũ verò est, si quis voueat se sabbato, aut certo alio die vngues præcisurum, aut festucam, vel paleam è terra leuaturum: aut purgaturum aures extremo, & minimo digito.

His positis primò quæritur, an res alioqui vi præcepti debita, voueri queat? S. Tho. ac cæteri Theologi, item Canonici iuris interpretes, & Summistæ docent, in votũ cadere non posse, quæ alioqui præcepta sunt. Neque enim vouere quis potest, se mutuum, depositum, commodatum suo domino redditurum: nec item se Deo pro peccatis satisfacturũ, aut erogaturũ eleemosynã homini, ad extremã inopiam redacto. Præterea is vouet, qui se Deo obligat: Sed qui alioqui est legibus adstrictus, minimè se deuincit, & obligat, hoc videtur colligi ex S. Tho. 2. 2. q. 88. *art. 2. & 4. d. 38. q. 1. art. 1.* Anto *par. 2. tit. 11. c. 2.* Paluda. *4. dist. 38. q. 2. art. 1. in diuisione voti.* 5. Mai. *4. d. 38. q. 1.* Silu. *votum. 1. q. 5.* Cai. *22. q. 88.* Nau. *in Man. c. 12. n. 25.* Dur. *4. d. 38. q. 1. n. 6.* Sot. *lib. 7. de iust. q. 1. a. 3.* Tab. *votũ 1. §. 2. notandũ.* Ric. *4. d. 38. a. 3. q. 3.* Bonau. *4. d. 38. a. 1. q. 2.*

Cæterùm ex altera parte, eorum, quæ huic sententiæ videntur obstare, Primũ est quia sæpe Vota Deo nuncupata renouamus, & potest quis Votum semel Deo factum millies confirmare. Alterum est; quia nihil impedit, quo minus quis se denuo Voti religione obstringat, vt id faciat,

ad quid alioqui faciendum præcepto, ac lege cõpellitur. Possumus enim esse alteri obligati duplici lege, duplici iure, & nomine, & vinculo. Deus enim nos sibi suis legibus deuinxit, & nos ipsos ei pariter Voti nexu, & vinculo obligamus; & Iacob Gen. 27. vouit Domino se eum, vt Deum veneraturum. Vnde qui castitatem Deo promissam adulterio violat, & est diuinæ legis violatæ, & voti fracti reus, & proinde sacrilegus. Errauit Tabiensis *loco supra citato* oppositum docens; nam Antoninus, Paludanus, Durandus, Siluester, Maior, Nauarrus, & reliqui expressim id, quòd dixi tradiderunt. Negari igitur non potest, quin res alioqui imperata in Votum cadere possit, quatenus denuo nos ipsi obligationis nexu obstringimus, vt eam faciamus. Quòd autẽ communis opinio tradit, quæ præcepta sunt, voueri non posse: intelligitur, non posse nos ad ea facienda obligari, quasi adstricti minimè fuerimus: atqui hoc nihil impedit, quin possimus aliud obligationis vinculum apponere, quo antea nõ tenebamur. hic enim obligationis nexus in nostrâ est potestate, nec in præceptum cadit. Obijcies S. Thomam dicentem *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 1.* materiam voti propriè non esse rem alioqui lege imperatam, sed tantùm consilium: & votum de re præcepta nobis, nõ esse propriè, sed latè votum. Respondeo, non significare S. Thomam eiusmodi votum esse impropriè, siue per Metaphoram, Analogiam, aut similitudinem votum; sed non esse votum propriè, hoc est, non esse solùm votum; sed etiam præceptum: & cum ait rem imperatam non esse voti materiam, significat, non esse solùm materiam voti; sed etiam esse præcepti materiam: at res, quæ in consilium cadit, est propriè materia voti, id est, solius voti est materia, non præcepti, vel legis, proprium aliquando vocamus, quod non est multorum commune, sed quod vni solùm conuenit, licet illi verè conueniat.

QVAERES, An qui votum semel factum postea repetit, redintegrat, & confirmat, nouæ se obligationis vinculo adstringat: sicut qui rẽ diuina lege imperatam Voti religione promittit? Resp. in hunc modum: is, qui votum confirmat etiam centies, ac millies, nullam obligationẽ distinctam suscipit: sed veterem tantùm renouat, vt se ad pristinum votum soluendum promptiorem, hilariorem, firmioremque reddat; ac proinde quamuis Votum millies confirmatum negligat, vnum tantum peccatum admittit; at verò qui rem alioqui lege, aut præcepto imperatã, & Voto promissam contemnit, duplex peccatũ contrahit, vnum quidem, dum legem perfringit, aut præceptum omittit, aut violat; Alterum verò, quia votum, quo se obligauit, nõ seruat; qui enim castitatem vouit, si rem habeat cum fœmina, duplici se crimine polluit, libidinis scilicet, & sacrilegij prauitate. QVAERES deinde, an qui vouerit se eleemosynam pauperibus daturũ, & eam dederit Titio in extremâ inopiam redacto, Votum persoluerit? Resp. persoluisse: quoniam si, cum vouit, nihil aliud expressit, interpretari decet eum vouisse daturum se eleemosynã pauperi, siue ad eam elargiendam præcepto compelleretur, siue consilio moueretur: secus foret si in animo eius fuerit eleemosynam dare iis, quibus erogare nullo præcepto, ac lege cogebatur. QVAERES postremò; Quid iudicandum sit, si Sacerdos Titio pœnitentiam iniunxerit, vti certam eleemosynam largiatur, an officio satisfaciat, si eleemosynam dederit, quã voto erogare debebat? Resp. cũ Sacerdotes pœnitẽtias imponũt pœnitentibus, eas solent intelligere, quæ nõ sunt alioqui debitæ, ac proinde Titiũ Sacerdotis præcepto minimè satisfeciſſe arbitramur.

Secundò quæritur, An Votũ, quod Deo Iephte fecit Iudic. 11. fuerit stultum, & temerarium, crudele, & inhumanum? quod est quærere, An Iephte vnicam filiam suam virginem Deo cæde immolauerit? *Difficillima*, inquit Augustinus in quæstionibus super librum Iudicum, q. 49. hoc est, lib. 7. quæstionum in vetus testamentum, *est quæstio de Voto Iephte*: & post quam multa tradidit, tãdem concludit, eum & in vouendo fuisse temerarium, & in soluendo inhumanum. Ambrosius verò lib. 2. officiorum cap. 12. *Numquam adducar*, ait, *vt credam, non incautè principem Iephte promisisse, vt immolaret Domino quicquid sibi reuertenti intra limen domus suæ occurreret. Dura promissio, solutio acerbior. Non possum accusare virum, qui necesse habuit implere quod vouerat. Sed miserabilis necessitas, quæ soluitur parricidio.* Hieron. item in Hierem. c. 7. dicit: *quod si obtulit Iephte suam virginem Deo, non sacrificium placet, sed animus offerentis. Neque enim si canis, aut asinus, aut immundum animal primum occurrisset patri à cæde hostium reuertenti, Deo illud offerre debuerat.* Denique cõmunis est veterum Doctorum sententia, Iephte, vt Votum quod Deo fecerat, persolueret, filiam suam immolasse. Sic Chrysost. *hom. 14. ad popul. Antioch. & homil. de Iephte.* Orig. *tom. 9. in Ioannem.* Tertul. *lib. 3. contra Marcion.* Iustinus martyr. q. 99. Nazianz. *in orat. de laude Machã. quæ est oratio. 22.* Isidor. *in Allegor. in scripturam & de vita, & morte Sanctorum.* Beda *in lib. quæstionum super librum Iudicum cap. 7.* Rupert. *de Trin. & operibus eius, in lib. Iudi. cap. 12.* Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, *locis supra citatis*: & inter Hebræos Iosephus, & alij veteres, quorum sententiæ Scholastici Theologi accesserunt, *in 4. distin. 38.* & S. Thomas *2. 2. quæst. 88. art. 2. ad 3.* immo Augustinus, & Chrysostomus Votum eiusmodi factum Iephte mysticè interpretantur, vt typũ, & figuram rei sanctæ.

Nihilominus tamen Lyranus, & quidã alij iuniores Catholici Rabbinos Iudæorũ recentiores sequuti, tradiderunt, Iephte nequaquã filiã suam morte damnasse: nec eũ in vouendo stultũ, & temerariũ, nec in reddẽdo Voto crudelẽ, & inhumanũ fuisse; aiunt enim, Votũ Iephte tale fuisse, vt promiserit quicquid ex bello cũ victoria redeunti è foribus domus suæ primũ occurrisset, se illud Domino oblaturũ, videlicet si tale fuisset, quod offerri posset: aut Domino immolaturũ, si res esset talis, quæ immolari posset: & deinde cũ filia eius vnica virgo primũ occurrisset, cõsecrata est Domino; quia domi inclusa est, vt perpetuò virginitatem seruaret innupta, explicabo primum horum auctorum Sententiã, mox quid sit de tota hac controuersia dicendum.

In hac quæstione duo cõtinẽtur. Vnũ est, An ex sacris litteris euidẽter, & certo colligatur, Iephte suã filiã Domino immolasse. Alterũ, an Sacras

litteras

literas oporteat interpretari in eum sensum, vt dicamus Iephte filiam cæde mactasse. Quod attinet ad Hebraicam lectionem, ex ea elici euidenter nequit, Iephte filiam immolasse: nam vbi vulgata editio Latina Iephte Votũ exponit hoc modo: *Si tradideris filios Ammon, in manus meas, quicũque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocaustũ offeram Domino.* Hebraica lectio habet. *Et erit Domino, & holocaustum offeram Domino.* Vbi videtur Votũ Deo factum fuisse cum conditione per disiunctionẽ: nimirũ, quicquid è foribus domus meæ mihi primũ occurrerit: vel, (erit Domino) id est, consecrabitur tanquã destinatũ ad vsus, & ministeria diuina, vel in holocaustũ offeretur; q. d. si res fuerit oblatione digna, offeretur, sin minus immolationem iactabitur. Multa enim immunda poterãt primum occurrere, quæ tametsi nec offerri Domino, nec immolari fas esset, poterãt tum pecunia redimi, quæ inferretur in templũ: apud Hebræos enim coniunctio copulans, sæpè est desiungens; Exẽpli causa. Exod. 20. in Hebræo dicitur: *Quicumque maledixerit Patri, & Matri, morte moriatur,* vbi latinus interpres rectè vertit: *Quicũque maledixerit Patri, vel Matri.* Deinde cũ Iephte filiæ domo egressæ dixisset, *Heu me, fili mi, aperui os meũ ad Dominũ, & aliud facere nõ potero:* respondit filia, *Pater mi, fac mihi quodcũque pollicitus es. Hoc solum mihi præsta, quod deprecor, Dimitte me, vt duobus mensibus circeam montes, & plangam virginitatem meã cũ sodalibus meis.* vbi tẽpus petiuit filia, non vt plãgeret vitam suam, sed virginitatem; quod si immolata Domino est, vtiq; petere debuerat, vt vitam suã deploraret. Præterea, subiungitur: *Et fecit ei sicut vouerat: quæ ignorabat virum.* quasi diceret, Consecrauit eã Domino, quia domi eam inclusit ab omni hominũ conspectu, coniugio, & cõmercio sepositam. Et propterea subijcitur: *quæ ignorauit virum.* quod est dicere, mansit innupta; cũ tamen nuptiæ, & liberorum susceptio tunc temporis, apud Iudæos in magna se licitate haberetur. Postremò additur: *Exinde mos increuit in Israel, & consuetudo seruata est, vt post anni circulum conueniant in vnum filiæ Israel, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* vbi verbum Hebraicum quod Latinus interpres vertit, *plangant*, ambiguæ est significationis, & significare põt narrare, alloqui; nam Iudic. 5. idem verbum latinus interpres reddidit: *Ibi narrentur iustitiæ Domini*: ita, vt ob id, quod filia Iephte Domino consecrata, & in domum inclusa, in mœrore, & tristitia erat, aut saltẽ ab hominum conuictu, & consuetudine seiuncta, ac separata, quotannis cæteræ puellæ, ac Virgines eam inuiserent, apud eam quatuor dierum spatio commorarentur, cũ ea colloquerentur ad cõsolandum eam. Nã si Domino iam immolata perierat, vnde nam factum est, vt cæteræ puellæ in vnum cogerentur quotannis, & eam quatriduò plangerent, cum eiusmodi morem nusquam in scripturis legamus. Et cum hac sententia maximè conuenit id, quod scriptura eodem cap. paulò antè dixerat, *Factus est ergo super Iephte spiritus Domini, & circuibat Galaad, & Manasse Maspha quoque Galaad, & inde transiens ad filios Ammon, Votum vouit Domino*, quibus verbis innuitur Votum Deo nuncupasse Iephte instinctu ipsius Dei: & ad Hebr. 11. inter cæteros Sanctorum, Iephte quoque connumerauit Apostolus. Neque vero, hæc opinio cum vulgata editione videtur, inquit Lyranus pugnare. Nam etiamsi in Voto Iephte solùm exprimantur ea verba: *Eum holocaustũ offeram Domino*, potest tamen is locus per metaphorã accipi, ita vt nõ de morte naturali, sed ciuili intelligatur, qua is, qui in totum Deo consecratur, ab omni hominum vsu, & consuetudine semotus immolari dicatur. Et quod deinde dicitur. *Fecit ei, sicut vouerat.* id significat; eam morte ciuili immolauit. Quod etiã in fine capitis dicitur, Filias Israel quotannis conuenire solitas, vt plangerent filiam Iephte non eo quidem tendit, vt significet illas defleuisse eam cæde mactatam, sed nuptam, & prolis successione priuatim, ac domi inclusam. Cæterùm quicquid sit de Hebraica lectione, & vulgatæ editionis Latinæ sensu, quem per Metaphoram Lyranus expresit saltem negari nõ potest quin veteres Ecclesiæ scriptores, & Patres tradiderint, Iephte, vt votum impleret filiam suam cæde immolasse. Et quia scripturas interpretari debemus iuxta sanctorum Patrum vnanimen sententiam, huic potiùs sententiæ adhærendum existimo, quod si Patrum in hac parte sensus minimè obstaret, mihi sanè, vt verum fatear, Lyrani Sententia probaretur, quę tanti viri votum, & à temeritate stultitiaque, & ab impietate crudelitateque liberum defendit. At constans Patrum opinio plus ponderis, & momenti habere debet, quam Lyrani, & aliorum iuniorum sententia. Placet mihi quod de hac re scripsit Antonin. *p. 2. tit. 11. cap. 1. §. 2.* vbi postquam Lyrani sententiam proposuit, subiecit. *Sed ex quo Doctores communiter, tenent, quod corporaliter eam occiderit, & ipsum reprehendunt de parricidio, non debemus sapere plusquam oportet sapere, vt admonet Apostolus ad Ro. 12. quod sit, dum quis doctrinis ab Ecclesia approbatis, & quæ communiter tenentur, non acquiescit nouas inueniens, quod prohibetur in cap. relatum d. 37.* Sic ille.

Tertiò quæritur, An in Baptismatis susceptione Votum verè, & propriè faciat is, qui vitalibus, & salutaribus aquis abluitur, quo Dei, & Ecclesiæ præcepta se seruaturũ promittat? Veteres Theologi vnà cũ Magistro Sententiarũ videtur asserere *4. d. 38.* cũ quis salutari baptismi vnda mũdatus, Christianæ religionis institutis imbuitur, eũ Deo votum nũncupare, quia solemni ritu Christi fidem, & religionem profitetur: & eo ipso, quo baptismũ percipit, sese Ecclesiæ obligat ad eius præcepta seruanda, Cathecumenus enim nullis adhuc Ecclesiæ legib. astrictus post quam Sacro fonte perfunditur, præceptis Ecclesiæ tenetur. At verò probabilius est, quod Caiet *22. q. 88. a. 2. dub. 2.* Sot. *lib. 7. de Iust. q. 1. a. 2. ad 1.* Ricar. *4. dist. 38. art. 3. quæst. 2.* tradiderunt, in Baptismo votum propriè non fieri. Nam qui percipit Baptismum, solùm ait: Volo Christo adiungi, volo cũ Christianis sociari, Credo in Christũ, renũcio Satanæ, & pompis eius: quibus verbis votũ propriè non suscipitur. Deinde, quia alioqui Christiani quoties Dei, vel Ecclesiæ præcepta violãr, duplex peccatum admitterent, nimirum, Dei vel Ecclesiæ legẽ perfringẽdo, & votũ quod fecerãt, violando. Nec is, qui Christi legẽ profitetur, voti vinculo, & obligatione se obstringit, sed

Deo

Deo ita sese subijcit, & Ecclesiæ obligat, vt in Christo renatus, & ipsius fide, & religione, ac Sacris Ecclesiæ institutis imbutus, veluti ciuis Christianis adiunctus, iurisdictione, & potestate Ecclesiastica teneatur.

Quartò quæritur, An ratum sit votum, quo quis Deo promittit se nunquam peccaturum? Respondeo, ratum, & firmum non esse, quia non vouet rem, quæ consueto more, & vsitato ordine, & modo fiat; Singulari enim Dei munere, & auxilio indigemus, vt nunquam peccemus. Sic Sot. *lib. 7 de Iust. q. 1. art. 3. circa Conclus. 3.* Nauar. *in Manuali. cap. 12. n. 65.* QVAERES an vim habeat votum, quo quis pollicetur se nunquam veniale peccatum admissurum? Resp. non habere: Nam quod quis omne veniale peccatum euitet, singulare est diuinæ gratiæ munus. Sic etiam Sotus, & Nauar. *locis citatis.* DEINDE QVAERES, an saltem valeat votum, quo quis spondet, se nullo vnquam tempore lethale peccatum facturum? Resp. id esse ratum, & firmum, quoniam diuinæ gratiæ beneficium, quo quis potest ab omni lethali peccato abstinere, non est ex insolitis Dei auxilijs, quamuis sit magnum Dei donum. Sic Sot. & Nauarrus *eijsdem in locis.* Nulli tamen consilium est dãdum, vt huiusmodi votum faciat, quoniam peccata, quæ cogitatione admittuntur, difficile cauentur. Quòd si quis hoc votum susceperit, suadendum est ei, vt vel in aliud commutandum, vel relaxandum curet.

QVAERES insuper, an sit alicuius momenti votũ, quo quis pollicetur se certum peccati venialis genus deuitaturum? Resp. Sotus, & Nauar. *ibidem*, esse, quoniam licet ad id diuinæ gratiæ munere egeamus, non est tamen præter huiusmodi gratiæ auxilium consuetum, & communem Dei morem: quamuis aliqua sint peccati venialis genera, quæ difficilè dignoscuntur, & declinantur. Quare nemini est consilium dandum, vt horum aliquid voueat. Ex quo intelligitur, locum habere votum promittentium se certum lethalis peccati genus semper fugituros; hoc enim Dei beneficium est ex solitis, & consuetis eius auxilijs.

Quid dicendum, si quis vouerit se sacram cõfessionem omnium peccatorum facturum corã Sacerdote? Respondeo ratum, & firmum esse eiusmodi votum, quoniam censetur vouisse confessurum se omnia venialia peccata, quæ in mẽtem & memoriã venerint: quod votum præstare potest. Sed quid, si confiteatur omnia peccata venialia, quorum meminit, & post confessionem, aliorum meminerit? debet ne statim ea confiteri vi voti facti? Respondeo: huiusmodi votum interpretari debemus benignè, videlicet; vt qui ita vouerit, solùm vouisse putetur se confessurum omnia peccata venialia, quæ in eius memoriam venerint eo tempore, quo sacram suorum peccatorum confessionem facit.

Quintò quæritur, An qui vouit rem aliquam indifferentem, voti vinculo teneatur? Respõdeo, ex communi omnium sententia, quam habet S. Thomas *in 4. dist. 33. q. 1. ad quæstiunculam 2.* Sot. *lib. 7. de Iustitia quæst. 1. art. 3. in secundo argumento*, Caietanus *2. 2. quæst. 88. art. 2. versic. circa indifferentia.* Nauar. *in Manuali cap. 12. num. 37.* Silu. *votum 1. quæst. 4.* Angelus *votum 1. num. 5. & votum 3. q. 12.* Profectò absque dubio huiusmodi votum irritum esse, & inane. Sciendum tamen est, rem alioqui sua natura indifferentẽ, ratione, & causa nostri vim, & conditionẽ boni interdũ habere: Verbi Gratia, quòd Titius Caiũ in ludo sociũ habeat, res per se media, & indifferens est: at verò quatenus Titius inde peccandi occasionẽ accipit, malum est; & proinde Titius potest iure vouere se nũquã lusurum cum Caio, vt omnẽ peccandi occasionem præcidat. Idẽ est de similibus iudicandum, qualia sunt plurima, & quotidiana. Rursus, cũ res per se indifferens mihi alicuius mali occasio fuerit, iurè vouere possum me eam deuitaturũ; at si post votũ desinat esse occasio mali, desinit quoque esse materia voti, quoniã incipit esse rursus res media, & indifferens.

Quæres quid dicendum, si muliercula votum faciat de non nendo in sabbato ob honorẽ Deiparæ, vel de non edendis capitibus animaliũ ob cultum, & honorem B. Ioannis Baptistæ; vel de non edendis carnibus igni assis ob venerationem S. Laurentij Martyris? Respondeo, cum S. Tho. *loco citato*, & Nauarro *in Manuali. cap. 12. nu. 37.* & alijs, eiusmodi vota esse vana, & superstitiosa, & nullã vim habere; neq; enim cultum, & honorẽ Sancto Ioanni Baptistæ, vel Laurentio Martyri, vel Deiparæ defert fœmina, si capitibus animaliũ, vel carnibus igni assis abstineat, & edat alias carnes coctas. Item, si sabbato non neat, & tamẽ alia opera seruilia faciat. Votum valeret, si vouerit fœmina, se in sabbato abomni opere seruili cessaturam ob Deiparæ cultum, aut si votum faceret de non edendis carnibus ob cultum S. Ioannis Baptistæ, vel S. Laurentij.

In his sit Regula; Voti materia, necesse est, vt sit actus alicuius virtutis, aut sit res bona, & honesta: tunc enim ratione voti fit materia religionis. Quòd si ante sit materia per se religionis, tunc ratione voti ad religionẽ pertinet duplici ex capite, & duplici nomine, scilicet, & per se, & ratione voti. Exempla in omnibus propono. Promittis te ieiunij susceptũrũ; ieiunium est actus temperantiæ, & ratione voti fit actus religionis. Voues te peregrinationẽ susceptũrũ ad loca sãcta, & religiosa, vel promittis te quotidie rẽ diuinã auditurũ: peregrinatio ad loca sancta, actus est religionis, at ratione voti fit actus religionis duplici iure, & nomine. Itẽ, rem diuinã audire, opus est religionis: at ratione voti fit actus religionis ex duplici capite. Hinc fit, vt materia voti nõ sit res, quæ ita est indifferẽs, vt ad nullã virtutẽ pertineat, vel quæ bona nõ sit. V. G. promittis Deo te nõ amputaturũ vngues, aut nõ exiturum domo, nisi primùm dextrũ pedẽ mouendo, vanũ est votũ. Nec sufficit si promittas te hoc, aut illud facturũ ob cultũ, & honorẽ Dei: nã quod vanum est opus, Dei cultũ nõ habet. Ex quo fit, vt si opus, quod voto promittitur, sit opus virtutis, sit verè materia voti, vt si fœmina voueat, se amictu albo semper vsuram, votum valet; quia amictus candidus, signum est castitatis. Si voueas te vestitu vili, aspero, & abiecto vsurum, votũ est ratũ, quia vestitus eiusmodi, est signũ pœnitentiæ, & inuitat ad pœnitentiã. Votum similiter, quo promittis nunquam te vinũ bibiturum, vim habet; quia est o-

est opus pœnitentiæ: Præterea, si voueas te obediturum Superiori, votum subsistit, quia materia tui voti est actus obedientiæ. Nec obstat si dicas, Superiorem multa præcipere alioqui indifferētia: quoniam licet multa per se indifferētia alioqui essent: at quatenus tibi imperantur, indifferentia non sunt.

Sextò Quæritur, An res, quæ cum Consilio Euangelico pugnat, voti materia possit esse? Respōdeo, ex communi omnium sententia, esse nō posse. Dices; posse nos id, quod in consilium Euangelicum cadit, sine peccato prætermittere, ergo & polliceri, ac vouere. De hac quæstione Caietanus 22. *quæstione* 88. *articulo secundo, versic. circa oppositā conſiliorum:* Sotus *libro septimo, de Iustitia quæstione tertia, versic. secundum dubium, circa eandem conclusionem.* Respondeo, licere quidem nobis cōsilium Euangelicum omittere, quoniam id Christus Dominus liberum reliquit hominum voluntati; at verò nobis non licet vouere nos id non facturos: quoniā quod vouemus Deo gratum est, & acceptum; ei tamen placere nequit, vt nos ipsi voto obstringamus ad non faciendū id, ad quod tanquam melius ipse nos mouet, inuitat, allicit, hortatur.

Præterea, voti materia minimè censetur, si quid aduersetur officio pietatis, charitatis, & misericordiæ in proximum: veluti si quis Deo promittat se nihil commodaturum, fideiussorem non futurum, *vt supra diximus, de iureiurando.* QVAERES an peccet is, qui huiusmodi vota facit? Resp. peccare, nisi eum excuset ignorantia; quoniam rem, quæ Deo displicet, pollicetur. QVAERES etiam, quod peccatum, lethale ne, an veniale cōmittat is, qui talia spondet? Resp. in hunc modum: Si pœnitentis animus sit promissum seruare, etiam quando præcepto cogitur cōtrariū efficere, lethaliter proculdubio delinquit, quoniā promittit se contra Dei præceptū facturum. Si verò in animo suo tantūmodo habeat contra Euangelicum consilium facere, non tamen Dei consilium contemnere, venialē solummodo culpam contrahit; vt Caietanus, & Sotus *locis citatis* tradiderunt.

Si tertiò roges, an liceat alicui huiusmodi promissa seruare, & an voti sit relaxatio impetrāda? Respondeo idē planè, *quod supra de iureiurando,* eum qui vouit, nihil se mutuo daturū, posse quidē tuta cōsciētia mutuū nō dare, sed non vt votū seruet, cū nulla voti religione obstringatur. Item, nulla etiā indiget voti relaxatione, vt votū non soluat: si quidē nullo voti vinculo tenetur. QVAERES insuper; Quid si aliquis voueat se nullum in posterū votū facturū? Resp. nullū esse huiusmodi votū, quoniam cū Dei cōsilio pugnat. Diuini enim consilij est, vt voueamus, præcepti verò, vt vota reddamus, *iuxta illud: Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* QVAERES demum: Quid si Deo Titius polliceatur, se nullum deinceps votum facturū, nisi id verbo, aut scripto expresserit? Resp. cum Ricard. *in 4. dist. 38. art. 2. q. 3.* Siluest. *votum 2. q. 7.* Angel. *votum 3. quæst. 4.* eiusmodi votum, vim, & locum habere: quoniā non vouet Titius non facturū se votū simpliciter, sed non facturū votū, nisi verbo, aut scripto illud exprimat, ne deinceps temerè, & inconsideratè aliquid voueat. At verò quamuis hoc vouerit, si postea animo Deo aliquid promiserit, nec verbo, nec scripto illud expresserit, votum ratum erit, licet in vouendo peccet: ratum, inquam, votum erit; quia animo suo se Deo obligat: quod quidem sufficit, vt is voti religione teneatur: peccabit tamen, quia votum Deo factum violat.

Si quæras, an vim habeat votum quo quis vouet se nunquam Episcopū futurum, vel Senatorem, vel aliquo alio magistratu, aut munere, & officio publico minimè functurum? De hac quæstione Doctores *in cap. Archidiaconum Florentinum, distinct.* 85. Et quia eadem est, atque ea, qua quæritur, an iusiurandum, quo quis iurat similia, valeat, in præsentia eam prætermittimus, quia tractauimus supra *cap. 5. quæst. 1.*

Septimo quæritur, An fas sit rem vouere, quæ maius bonum impedit? De hac quæstione Caietanus 22. *q. 88. art. 2.* Sotus *lib. 7. de Iustitia, q. 1. artic. 3. in 5. conclus. versic. secundus gradus operum est.* Paludanus *in 4. distinct. 38. q. 1. §. Sexta definitio est.* Ricardus *4. distinct. 38. art. 3. q. 2. ad secundum.* Siluester *votum 1. q. 4. versic. Quartò votum de re minus bona.* Angelus *votum 4. q. 1* Respondeo idem quod supra de iureiurando, voti materiam non esse id, quod Religiosæ vitæ institutum impedit: at verò in votum cadere possunt multa, quibus alia bona sunt longè maiora. Neq; enim votum debet esse eius, quod est simpliciter optimum. Exempli causa: Firmum & ratum votum est, quo quis Deo promittit, se in domo aliqua hospitali pauperibus inseruiturū, quamuis sit alia multo maior, & pauperior hospitalis domus. Item, si quis voueat certam peregrinationem, vim habet votum, licet sit alia fructuosior, religiosior, & laboriosior. Itē, multi vouent certæ Religionis institutū, & regulā; cum tamen aliæ sint Religiones arctiores, & sanctiores. Si quis voueat eleemosynā se certo pauperi daturū, ratum est votū; quamuis alius sit egētior. Votum enim in materia sibi subiecta nihil aliud requirit, nisi rei bonitatem, & quę sit ex numero earum rerum, quæ conducunt, & iuuant ad salutem, & vitam æternam consequēdam, & de qua consilium est nobis à Christo Domino datum.

Octauò quæritur, An contra promissionem simplicem homini factam, vel contra fidem ei datam, & iureiurando firmatam, liceat alicui votum Deo nuncupare? Exemplum propono: Titius promisit puellæ, aut etiam iurauit se eam vxorem ducturum; postea verò castitatem vouet, aut Religionis institutum: Quæritur, an subsistant eiusmodi vota? Respondeo, eo modo, quo dixi supra de iureiurando, subsistere. Ratio est, quoniam in simplici promissione facta homini, aut etiam iureiurando firmata, intellgitur exceptum votum Religionis, vel sacrorum Ordinum, aut Castitatis. Nec enim hæc bona longè meliora, & præstantiora, potest fides data homini impedire; vt contra quorundam sententiam inferiùs demonstrabo.

Nonò quæritur, An Matrimonium sit debita voti materia? quod est quærere: An liceat alicui voti vinculo sese obstringere ad coniugium cōtrahendum? Caietanus 22. *q. 88. art. 2. versic. Circa*

bona.

bona, quæ non sunt. Tabiensis *votum* 1. *versic. Quinto notandum, ad finem*: Nauarr. *in Manuali, cap.* 12. *num.* 43. *versic. Decimoquarto peccat*, distinguunt. Si Matrimonium sit naturæ officium, nequit esse voti materia, quoniam impedit Religionis, sacrorum Ordinum, aut Castitatis votum: aut potiùs, quia qui huiusmodi votum facit, promittit se ad inferiorem probitatis, & continentiæ gradum, quàm sit Religionis status, aut vita cælebs, descensurum. Vnde quemadmodum nullum est votum, si voueris, te ad altiorem, vel meliorem virtutis, aut vitæ gradum non ascensurum: sic etiam si promiseris ex altiori ad inferiorem venturum. Si verò sit libidinis remedium, potest in votum cadere. Nam, teste Paulo: *Melius est nubere, quàm vri.* Ergo is, in quo libido dominatur, & cuius castitas sæpè illecebris tentatur, iure potest nuptias vouere. Sot. *lib.* 7. *de iust. q.* 1. *art.* 3. *circa concl.* 5. *versic. in dubium ergo vertitur.* simpliciter negat Matrimonium esse voti materiam: quoniam licet coniugium sit aliquando libidinis remedium, Votum tamen de nuptijs, aut Matrimonio ineundo, nequaquam est libidinis remedium. *Sicut enim*, inquit, *licitum est cuique, suas pecunias mutuo non dare, ne in ijs recuperandis damni aliquid patiatur: Sed non ob id fas est alicui, voto promittere se nunquam mutuo daturum: nam damnum, quod in mutuo recuperando aliquando patimur, cauemus, si pecunias mutuo non demus; non tamen si vouzamus non daturos nos mutuo. Ita etiam quis libidini medetur, si matrimonium contrahat, non autem si voueat se matrimonium contracturum.* Et licet argumentum hoc Caietanum minimè conuincat; Soti tamen sententia valde probabilis est. At mihi Caietani opinio magis probatur, quoniam coniugium, vt remedium libidinis est, ad peccata, & peccati occasiones, & pericula vitanda refertur, & fas est tibi vouere id, quod est remedium ad peccata cauenda. Sed animaduertendum est, posse nuptias alio modo in votum cadere: Vt si quis Deo promittat se certâ puellam vxorem ducturum, vt eam à corporis, vel animæ interitu liberet, vel vt ipsemet eius puellæ vita, & honestis moribus ad gloriam æternam consequendam vehementius incitetur: nam eiusmodi finis est bonus, & laudabilis. Præterea matrimonium potest esse voti materia, si promittatur ob communem Reipublicæ salutem; ob publicum pacis commodũ, vt aliqua videlicet prouincia ad fidem, & religionem Christi traducatur, aut ab hæresi, & perfidia faciliùs, & commodiùs reuocetur: hoc enim Sotus non negabit, quoniam inter ipsum, & Caietanum solùm est quæstio, an coniugium, vt est remedium libidinis, possit esse voti materia.

Decimò quæritur, Quo modo intelligatur id, quod Theologi, & Canonici iuris interpretes docent: Votum esse meliorum bonorum? S. Tho. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. Caiet. *ibidem.* Ricard. 4. *dist.* 38. *a.* 3. *q.* 2. *ad* 2. Palud. 4. *dist.* 38. *q.* 1. §. *Sexta definitio est magistralis.* Sot. *lib.* 7. *de iust. q.* 1. *artic.* 3. *in* 5. *conclus.* Respõdeo, vt ex ijs, *quæ hactenus à me dicta sunt*, constat, Votum est opus consilij: nulla enim lege cogimur aliquid vouere: Votum item est eorum bonorũ, quæ in consilio sunt posita; non quod imperata voueri nequeant, sed quia per votum nouo nos vinculo Religionis adstringimus in ijs, quæ sunt alioqui legibus imperata. Item votum, quidam aiunt, esse meliorum bonorum; non quia quod vouetur, semper sit optimum, sed quia maioris est virtutis officium, quod in votum cadit, quam eius contrarium. Verbi causa, vouet quis Castitatem, Castitas grauius est bonum, quàm matrimonium; Præterea, vouet quis peregrinationẽ, aut eleemosynam, ieiunium, precationem, aut Religionem; vnumquodque horum melius est opus, quam eius oppositum; Et idem, inquiunt, de cæteris bonis esse iudicandum. Mihi tamen videtur aliter dicendum; Votum esse meliorum bonorum, quoniam est eorum, quæ in consilium cadũt, quæ comparatione eorum, de quibus sunt data præcepta, haud dubiè meliora sunt bona.

Cap. XIV.

Quot modis Votum diuidatur.

VOtum solet multis modis diuidi. Primò aliud dicitur solemne, aliud simplex. Solemne appellatur, cui additur solemnis aliqua iuris formula, qualitas, siue conditio; nimirum vel sacri Ordinis susceptio, vel approbatæ Religionis professio *cap.* 1. *De voto, & voti redempt. in* 6. Simplex votum dicitur quodlibet aliud Votum, siue priuatim siue publicè factum. Vnde simplex appellatur, quia omni solemni iuris formula, & qualitate caret; sicut solemne dicitur, quia illam habet. Porrò quæ sit solemnis iuris qualitas, & formula infra suo loco dicetur: In præsentia satis sit dicere, solemnem iuris conditionem esse, vel sacri Ordinis susceptionem, vel tacitam, aut expressam approbatæ Religionis professionem.

Secundò, Votum diuidi solet in explicitum, & implicitum. Votum dicitur implicitum, cum aliquid aliud suscipitur, quod Votum requirit. Tale est eorum, qui sacris Ordinibus initiantur: nam constituit Ecclesia, vt qui ad hos Ordines promouentur, sint Voti vinculo adstricti, quo ad seruandam Castitatem compellantur, quod Votum inferiùs explicabitur. Votum explicitũ est, quo quis Deo se expressim obligat.

Tertiò, Votum diuiditur in absolutum, & cõditionale. Vocatur conditionale, quod est certa cõditione affectũ, vt si voueas te ieiunium seruaturum, ad loca sancta peregrinationem suscepturum, vel ad Religiosorũ institutum, & vitam transiturum, si ex morbo, vel naufragio saluus euaseris. Absolutum est, quod omni conditionis adiectione vacat.

Quartò Absolutũ Votum diuiditur in Temporale, & Perpetuum. Dicitur Perpetuum, quod est ad vitam promittentis: Vt si quis voueat Castitatem. Temporale verò est ad certum, & definitum tempus: Vt si voueas te ieiunium seruaturum ter in hebdomada per triennium.

Quintò, diuiditur Conditionale Votum in Pœnale, quod vocant, & nõ pœnale, Pœnale est, cum quis aliquid vouet certa statuta sibi pœna, si illud non seruauerit; nam pœnam, vt conditionem habet adiectam. Veluti, si Titius voueat, si certum peccati genus admiserit, suscepturum se peregrinationem, aut Religionem. Porrò illud Votum est Conditionale, non pœnale, quod licet aliqua sit conditione affectum, nullam tamen pœnæ adiectionem habet. Vt, si Titius promittat,

mittat, si filius ex morbo conualuerit, se pauperibus eleemosynam largiturum.

Sextò, Votum diuiditur in Reale simpliciter, & personale simpliciter, & in partim personale, partim reale. Simpliciter reale dicitur, cum res Deo promittitur, & nihil, quod ad personam pertineat, vt cum quis spondet se eleemosynam daturum. Simpliciter personale, est cum Deo opus aliquod, & officium personæ promittitur, vt si voueas te ieiunia seruaturum, rem diuinam auditurum, castè victurum. Partim personale Votum, & partim reale dicitur, quo quis, & rem, & personæ officium pollicetur: Veluti si spondeat quispiam se peregrinaturum: peregrinando enim, & iter, & impensas est facturus. Est enim aliquid suis ex bonis, quæ habet, in itinere consumpturus.

Postremò, Votum aut potest esse rei certæ faciendæ, aut non faciendæ. Nam potest aliquis Deo polliceri se Castitatem seruaturum, aut nũquam nuptias contracturum: hæc enim vota inter se distinguuntur, vt postea declarabo.

Cap. XV.

De Voti vinculo, & obligatione.

PRimò quæritur, An Voti vinculum sit arctius, quàm iurisiurandi? Tres sunt opiniones. Prima docet vinculum Voti esse longè arctius, & maius. Sic Sanctus Thomas 2.2. *quæst.* 89. *art.* 8. quod vnica ratione concludit, quia Votum est promissio per se, & directè Deo facta: sed iusiurandum sæpe homini datur, quamuis Deus testis aduocetur: at maior est obligatio, quã Deo, quàm ea, qua homini nos ipsi obstringimus. Secunda opinio contra habet, arctiori nos iurisiurandi nexu deuinciri, quam Voti: ipropterea quod iusiurandum omnem promissionem, etiã Votum Deo nuncupatum confirmat: nam sæpe multa vouemus, & deinde ea iureiurando firmamus. Tertia sententia vtramque illam opinionem conciliat hac ratione. Arctius, inquit, est vinculum Voti, quàm iurisiurandi, quod homini præstatur. Et hoc sensu vera est prima sententia: sed iusiurandum, quo Deo aliquid pollicemur, strictioris, & maioris est nexus, quàm Votum; & in hoc sensu opinio secunda locum habet. Mihi tamẽ eiusmodi conciliatio minimè probatur, & existimo verisimũ esse, quod docuit S. Thomas, maiorẽ scilicet esse obligationem Voti, quàm iurisiurãdi, quoniam Votum natura sua est promissio Deo facta; at iureiurando per se nõ Deo, sed homini obligamur. Nec obstat secundæ sententiæ argumentum, quod iusiurandum tùm promissiones, tùm vota confirmat: quoniam quæ vouemus, iureiurãdo munimus; nimirũ, vt duplici vinculo obstricti teneamur, nõ quod iusiurandũ nos arctiùs obstringat, sed quòd accedente iureiurãdo pluribus nexibus alligemur. Quẽadmodum si Titio deberes aliquid vno tantummodo iure, & nomine, & deinde idem ipsum alio quoque iure deberes, quamuis minori, tunc fores Titio arctiùs obligatus, non quia secundũ, quod accessit ius, maius reuera esset, sed quia pluribus vinculis tenereris obstrictus.

Secundò quæritur, An Titius dũ ambigit, vouerit, nec ne, voti religione astringatur? Et eadẽ est quæstio, si hæsitet, sit ratum nec ne votum, quod fecerat? Sotus *lib.* 7. *de iust.* q. 3. *art.* 2. *paulo post conclus.* 4. quem sequitur Medina *in instructione cõfessor. lib.* 1. *cap.* 14. §. 7. opinatur nullo eũ voti vinculo obstringi; ea fultus Regula iuris: *Qua melior est conditio possidentis*: ergo cum quisque sit suæ libertatis possessor, dum ambigit, vouerit, nec ne, ea priuari non debet. Deinde, innumeris alioqui scrupulis plurimi vexarentur, quoniã sæpe dubitant, vouerint ne, an secus. Postremò, durum, ac difficile nimis onus imponeretur ei, qui dum de suo voto anceps animi est, illud seruare cogeretur. Angelus tamen *votum* 1. *num.* 12. Silu. *votum* 2. *versic.* 4. & Archidiac. *in cap. Non solum* 33. q. 8. videntur asserere eũ voti vinculo teneri, quoniam *in dubijs, quod tutius, & certius est, sequi debemus*. At si homo ille sese habeat, ac si omni voti nexu solutus esset, peccati periculo se obijceret, eo ipso, quod incertæ, ac dubiæ parti inhæret. Mihi hæc opinio probabilior videtur: quod idẽ à me dictũ est in simili quæstione de iureiurã. Nec tamẽ rectè inferas, duas illas iuris regulas secũ inuicem pugnare, nimirũ *præstat conditio possidentis*, &, *in dubijs, tutior pars est amplectenda*. Prior enim illa locũ habet in ijs, quæ ad iustitiam pertinent. Vt si dubites sit nec ne res tua, quã multo tempore possedisti. Posterior verò locũ habet in cæteris, quæ ad culpam spectant, & pœnam.

Tertiò quæritur, An sint alicuius momẽti vota ob malum finem facta? De hac quæstione multa tradidit Caietanus 2.2. *q.* 88. *art.* 2. *versic. Si diligentius tamen consideretur*. Sed vt rectè Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 1. *art.* 3. *in responsione ad* 2. annotauit, multiplici distinctione est opus. Nam malum, aut est voti, aut rei voto promissæ finis: Verbi gratia, Promittit quis se eleemosynam daturum ob inanem gloriam, inanis gloriæ studium potest esse finis eleemosynæ voto promissæ, & ipsius voti: aliud enim est inanis gloriæ causa vouere eleemosynam; nempe si id voti faceres coram alijs, vt ab illis videreris, & gloriã quæreres: aliud vouere te daturum eleemosynam propter inanẽ gloriã, vt ex ipsa largitione eleemosynæ gloriã humanã comparare queas. In hoc enim inanis gloria est ipsius eleemosynæ finis. Quãdo igitur malus est rei promissæ finis, Votum est irritum; quia res mala promittitur: male enim promittit quis eleemosynã, quã daturus est ob inanem gloriam: male quoq; quis promitteret se rem diuinam facturum, aut concionem habiturum studio inanis gloriæ: res enim promissa, fine malo proposito inquinatur. Quando vero malum est voti finis, non rei promissæ, votum est ratum, & firmum. Ita quidam sacros Ordines suscipere, aut Religionem profiteri, præsertim militarem, solent ob fines nõ bonos, sed vanos, & accidere potest, vt Gentiles, vel alij ad Christi religionem conuersi, sacro Baptismate abluantur ob inanes fines sibi propositos: & tamen omnes huiusmodi vouentes Deo, Ecclesiæ, aut Religioni, Voti vinculo obligantur. Votum enim est quidam actus; & sicut cæterã virtutum officia, & opera solet aliquis interdum ob malum finem præstare, sic & vouendi actum. Quare qui sic vouet, peccat quidem, quoniam suum votum finis propositi prauitate commaculat; nihilominus tamen se voti religione deuincit.

Deinde opus est, & alia distinctione. Nam malum, aut est id, cuius gratia quis vouet, aut est finis rei prouenientis ex malo. Sit exemplũ: Vouet quis, vt in bello iniusto, aut ludo per se malo, cuiusmodi est is, in quo dolo, & fraude luditur, aut lite iniqua aduersarium vincat, nullum est Votum: similiter si voueat se aliquid pauperibus daturum ex lucro iniquè parto, videlicet ex vsuris, ex furto, ex ludo fraudulento, bello iniusto, lite iniqua, hæreditate contra ius, & fas obtenta, votum non valet: valeret tamen si quis voueret se aliquid daturum ex lucro acquisito per ludum, qui solùm prohiberetur extrinsecus, scilicet ratione personæ, quæ ludit, vel ratione temporis, loci, aut finis: nam tunc lucrum non esset iniquè, & iniustè partum. Sed primum votũ non valet, quoniam Deo malum ille pollicetur. At si solùm promittit, si ex bello saluus euaserit, se aliquid boni facturum, Votum subsistit. Deus enim salutis quidem auctor est, quia salus per se mali rationem non habet; non tamen est auctor iniusti belli, aut litis iniquæ, aut victoriæ per se nefariæ, aut ludi sua natura mali. Pari ratione, si fur, vel homicida, vel adulter aliquid voueat, si ex furti, homicidij, vel adulterij pœna liberatus fuerit, vim, & locum votum habet: nam Deus peccati auctor non est; est tamen liberationis auctor, qua quis fit liber à pœna. Similiter etiam valet votum, quo adulter vouet, si prolẽ suscepe rit, se eleemosynam daturum. Sciendum itidem est, idem iuris esse in his votis, si quis voueat, vt Deus opem ferat, vel si voueat gratias agens, quòd opem, & auxilium dederit: Verbi gratia, vouet quis, vt Deus auxilium præstet in bello iniusto, vel vouet, quia auxiliũ dederit in Victoria, & bello iniquo, nullam vim votum habet, eo quòd Votum fit, ac si Deus sit peccati auctor.

Quartò quæritur, An qui rei alicuius exiguæ, & minimæ votum non seruat, lethaliter delinquat? De hac quæstione Caiet. 2.2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad dub.* 1. Sot. *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *art.* 1. *versic. Vtrum ratione leuitatis.* Nauar. *in Manuali, cap.* 12 *n.* 10. & 40. Tab. *iuramentum, num.* 11. Armil. *iuramentum, num.* 12. Couar. *lib.* 1. *variar. resolut. cap.* 1. *num.* 2. Philiar. *de officio Sacerdotis, lib.* 3. *cap.* 3. Ludouicus Lopez *in suo instru. cap.* 42. Huius solutio quæstionis facile constare potest ex alia simili solutione quæstionis, quam de iurisiurandi nexu, & vinculo tractauimus: quare idem prorsus, quod de iureiurando ibi diximus, de voto quoque dicendum putamus; videlicet lethale peccatum non committere.

Quintò quæritur, An vota, quæ subita quadã animi perturbatione fiunt, rata sint, & firma? Sunt enim, qui metu repentino perterriti, vel ingenti mœrore confecti, aut morbo graui correpti, & afflicti, aut naufragio, & tempestate iactati multa voueant. Angel. *votum* 1. *num.* 6. Gloss. *in cap. Dudum, de conuers. coniug. verb. Calore.* Rosel. *votum* 1. *n.* 1. *iurare. n.* 4. sentiunt, eiusmodi vota repentina, atque subita, vim non habere, quia sine animi deliberatione suscipiuntur: id autem ita esse ex eo colligitur, quòd eos statim sui voti pœnitet. & *ex cap. Literaturam, De voto*: vbi quidam, qui metu mortis perterritus vouerat, liber à voto iudicatur. Sed profectò nec ipsa sententia, nec subiuncta ratio, cui nititur, momenti aliquid habere mihi videtur. Ita opinantur. Silu. *votum* 2. *q.* 13. ex Palud & Anton. Sic etiam Tab. *votum* 1. *num.* 2. Armil. *votum, num.* 6. & contra Glossam sentit Ioannes Andr. *in cap. Dudum, de conuer. coniugat. ex cap. Sicut tenor. de regul. & c. Sunt qui opes.* 17. *quæst.* 4. Ex iure enim Canonico liquet, similia vota rata, & firma iudicari. *cap. Sicut ex literis* 2. *de Regularibus.*

Deinde, id quoque ratio ipsa conficit: eiusmodi enim affectiones animi perturbant quidem hominem, sed rationis iudicium non adimunt. Item, sæpe multa homines similibus affectionibus commoti peccant, ergo rationis vsum non penitus eripiunt. Quod autem vouentes confestim sui voti pœniteat, argumento non est, quod in vouendo omni prorsus careant animi deliberatione. Est enim hominis voluntas natura sua inconstans, leuis, mutabilis, ac flexibilis, vt facilè sequatur quòcumque eam ducat affectus. *Et in cap. Literaturam*, nõ dicitur esse solutus à voti vinculo, qui mortis metu perterritus vouerat, sed qui tãtùm statuerat, atque decreuerat ad Religiosorum statum transire, non autem promiserat, sed tantùm dixerat, non diu morabor hic, statuens se ad religionem conferre: & ideo respõdet Pontifex, *si non vltra in animo processit, liber est voti vinculo, & nexu.* Sed quid si aliquis iræ impetu vouet, qui alioqui compositus, & sedato iræ motu non voueret? Abb. *in cap. Dudum, citato* respõdet, votum non obligare conscientiam, quia Deus militem voluntarium eligit. *cap. Non est.* 15. *q.* 1. Sic etiam Antonius *in cap. Sicut ex literis de iureiuran.* Idem Rosel. *iurare. num.* 4. Sed reuera sicut de meritum, vel peccatum, sufficit ea sola rationis, & mentis deliberatio, qua quis dicitur mentis suæ compos, vt scienter, & sponte faciat; sic etiam ad votum, promissionem, contractum, quo quis se alteri, vel Deo obligat. In iudicio tamen, iræ impetus sæpe cẽsetur talis, vt irritum, & inane habeatur, quod subitò iræ motu fit. Vnde Gloss. *in c. Ex literis, de diuort.* ait: *Confessio facta motu iræ non nocet, nisi sedato motu iræ confirmetur.*

Est igitur cum communi sententia dicendum, quotiescumque tales animi affectiones rationis iudicium non tollunt, id quod alioqui ad meriti, vel peccati rationem sufficeret, satis est, vt vota facta vim habeant. Cæterùm iustam causam, & legitimã habent, vt relaxari facilè, commutariùe possint, ac debeant. Si verò prorsus omne rationis iudicium præcurrant, irrita sunt, & infirmã; atque hoc fortasis Angelus voluit. Et hoc colligitur *ex c. Sicut tenor. de regularibus.*

Sextò quæritur, An votum metu factum ratũ, & firmum habeatur? De hac quæstione Pontificij iuris Doctores, & Theologi multa tradiderunt: quæ quadam breuitate complectar. Sot. *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *artic.* 1. *ad* 2. Silu. *votum* 2. *quæst.* 12. Angel. *votum* 3. *q.* 19. & *verbo, Metus. q.* 8. Rosel. *Pisa:* Sil. *verbo, Metus.* Nauarr. *cap.* 12. *nu.* 52. & Doctores *in c. Perlatum, de iis, quæ vi metusue causa, & in cap. Sicut ex literis. de regularibus.* Inter omnes conuenit votũ metu factum, qui in virum constantem non cadit, ratum esse, & firmũ. De Voto verò, quod metu fit in constãtem virum cadente; tota hæc quæstio intelligitur. Metus cadens in constantem virum quisnam ille sit, primo libro explicui, & in præsentia breuiter etiam satis est dicere, eum

esse

esse metum mortis, perpetui carceris, aut vinculorũ, stupri, captiuitatis, seruitutis, acerbi cruciatus, infamię, dedecoris, amissionis bonorum. Deinde, apud omnes constat, Votum firmum esse si fuerit factum metu mortis intrinsecus, siue diuinitus illato; cuiusmodi sunt Vota nũcupata Deo metu grauis, periculosique morbi, vt colligitur *ex cap. Sicut ex literis 2. De Regularibus.* vbi Clericus quidam, qui graui morbo tentatus Religionem vouerat, Votum cogitur implere. Præterea, cõsentiunt omnes, Votum factũ metu mortis extrinsecus quidem, sed ex causis naturalibus venięti, locum habere, cuiusmodi sunt Vota, quæ quidam naufragium veriti suscipiunt: Item, etiamsi Vota fiant metu mortis ex hominibus existenti; tamen aliquando sunt rata: vt si quis in vincula coniectus, aut condemnatus ad mortem Votum Deo nuncupet, vt à tanto periculo liberetur. Similiter si quis captiuus abductus, aut in hostiles manus incurrẽs, aut bello pressus vouerat, vt liber euadat, vim Votum habet.

Quæstio igitur est de Voto, quod sit metu mortis ab homine per iniuriam incusso; nimirũ minitante mortem alicui, nisi ille Votum fecerit. De quo sunt duæ opiniones: Prima censet per se nullum esse huiusmodi Votum. Sic Sotus *loco citato*, cum alijs quibusdam. Ratio eorum est, quia Votum est opus consilij; & proinde libertatem requirit. Deinde, Votum Deo fit, sed ei acceptũ, & gratum non est, quod metu extorquetur. Secunda opinio tale Votum asserit per se iure naturali esse ratum, & firmum; quod sic huius opinionis auctores concludunt; metus non tollit simpliciter voluntarium, alioqui enim parũ, aut nihil referret, metus intrinsecus ne, an extrinsecus esset incussus. Mihi hæc opinio verior apparet: quæ cõsistit in hoc, vt huiusmodi vota, quod attinet ad ius naturale, irrita non sint, sed auctoritate Ecclesiæ relaxentur: quod statim explicabo. Metus enim mortis, siue intrinsecus, siue extrinsecus inferatur, siue is ab homine, siue aliunde proueniat, per se differentiam non habet, vt vnus metus Votum dissoluat, alius non item, sed Ecclesiæ auctoritas vnum rescindit, non aliud. Nec Soti rationes aliquid contra nos efficiunt, quoniam metus voluntarium absolutè non aufert. Deinde, licet is, qui Votum metu extorquet, Deo non placeat, cũ turpiter faciat; is tamẽ, qui metu mortis vouet, bene promittit, & agit; vitã enim Voto redimit, & se ipsũ tuetur, ac seruat.

Septimò quæritur, An prædictum Votum metu mortis factum, sit ipso iure Canonico irritũ, an verò auctoritate Iudicis relaxandum? Abbas *in cap. Sicut ex literis 2. de regularib.* cui adhæsit Silu. *in verbo, Votum. 2. q. 12. & in verbo, Metus. q. 8. & verbo, Iuramentum. 7. q. 7.* opinatur, huiusmodi Vota non esse ipso iure irrita, sed Ecclesiæ auctoritate dissolui, quandocumque Voti petitur relaxatio. Ait enim nullo iure Canonico constitutum esse, vt irrita sint huiusmodi Vota. Angelus verò, Rosella, Pisana cum alijs, vt refert Silu. *locis citatis*, sentiunt, ipso iure irrita esse, & inania ea vota: quod colligunt *ex cap. Perlatum, De ijs, quæ vi, metusue causa fiunt*, vbi Pontifex respondet, mulierem, quæ metu mortis, quem maritus incusserat Religionem vouerat, atque susceperat, Voti vinculo solutam esse; nisi post obitum viri Votum ratum habuerit. Quæ sententia mihi magis probatur, quanquã Abbas putat, tunc Pontificem eam mulierem Voto soluisse. Probabilius tamen apparet, *in eo cap.* Pontificem tanquam certum posuisse, eam mulierẽ esse Voto solutam, non quidem, vt Sotus arbitratur, quòd nullũ sit eiusmodi Votum per se iure naturali, sed quod iure tantùm Canonico, meo iudicio irritum, & infirmum habeatur: QVAERES, vbi igitur ius Canonicũ constituit, vt talia vota sint irrita? Resp. satis esse Pontificiũ responsum, quod tanquam certum ponit nulla esse huiusmodi vota, & potuit ius vsu, & cõsuetudine introduci, vt huiusmodi vota irrita sint, & inania. Et cum hoc iuris naturalis non sit, vti contra Sotum dixi, efficitur: vt sit Canonici iuris, quod noluit tale Votum ratum habere, in odium, & pœnam eius, qui per iniuriam illud extorquet. At ius Canonicum Vota cætera metu facta irrita non reddidit.

Hoc loco poterat quæri, An si quis metu mortis, siue quolibet alio metu in virum constantem cadẽte, ad sacros Ordines promoueatur; ita Voto Castitatis teneatur, vt continentiam seruare debeat; sed de hac quæstione *lib. 13.* commodiùs disputabo. In præsentia sufficit dicere cum Soto *4. dist. 25. q. 1. art. 2.* contra Siluestrum *in verbo, Ordo 4. q. 1.* & alios, eum non esse Voto Castitatis astrictum quamuis characterem ordinis suscipiat: quoniam votum metu mortis factum non valet. Quare Ecclesia coget eum, aut votum continẽtię denuò facere, aut à sacrorum Ordinum vsu, & functione abstinere, vt *loco citato* rectè Sotus annotauit, & inferiùs dicam.

Octauò quæritur, An Vota fictè, & simulatè facta subsistant? Respõdeo, minimè subsistere votũ, quod quis facit sine animo, & voluntate promittendi. Sed sciendum est eum, qui votum ore fecerit publicè, vinculo adstringi ad id seruandum, quod oretenus promisit, non quidem vi, & natura voti, sed ratione scandali, quod euitare debet. Rursus, qui vouet, in animo non habens polliceri; si tamen votum deinde expresè, vel tacitè ratum, & acceptũ scienter habuerit, voti nexu tenetur. Id colligitur *ex cap. Perlatum, De ijs, quæ vi, metusue causa fiunt, & ex cap. Significatum, & ex cap. Cum virum. De regularib.* vbi Glos. notauit, quod initio non valuit; postea per ratihabitionẽ confirmari, vt in matrimonio cõtingit, *cap. Ad id quod, De sponsalib. cap. De ijs. De desponsat. impuberũ.* Sed animaduertẽdum est, ratihabitationẽ talẽ debere esse, qua quis ratum habeat, quod initio non valuisse cognouit: tunc enim de integro facit, quod initio non fecerat. Non enim sufficeret, si quis confirmaret tantummodo, quod initio fecit, nescius id ratũ fuerit nec ne: hoc enim nihil aliud esset, nisi, quod factũ nõ est, cõfirmare: & proinde sicut initio nihil factũ fuerat, sic nihil denuò fieret.

Nonò quæritur, An vim habeat votũ sub conditione possibili, licita, & honesta factũ? Omnes confitentur, huiusmodi votum ratũ, & firmum esse, & impleta cõditione esse seruãdũ. Sed quæstio est, cum conditio in pœnã adijcitur, nũ votum locum habeat, & subsecuta cõditione debeat seruari; Vt si Titius castitatẽ, vel Religionẽ vouerit, quando in certũ peccati genus incurrerit?

Respondeo, rata esse huiusmodi Vota, & expleta conditione seruanda: nihil enim impedit cõditio pœnalis, nam subsistunt, & valent contractus, promissiones, conuentiones, & pacta cum conditione pœnæ. Et licet, qui pœnam apponit, nollet conditionem impleri, ne pœnam sustinere cogatur; attamen sponte sese voto Religioni, aut alteri fide data adstringit, vt pœnam subeat, si voto, aut promissis, & conuentis non steterit.

Porrò sciendum est, in votis posse multiplicem cõditionem adijci: Sicut etiam solet in matrimonijs, & sponsalibus, in testamentis, legatis, fideicommissis, stipulationibus, & contractibus apponi. Conditio verò tripliciter distingui solet in iure. Aut enim est contra substantiam eius, cui accedit, aut secus. Si in votis igitur adiecta conditio cum eorum natura pugnet, ea irrita facit, vt colligitur *ex c. vlt. De cõditionib. appos.* Vt si voueam ea conditione, vt voti religione non tenear, vel vt illud non reddam. Sic etiam *in L. Cum precario. 1. ff. De Precario, & cap. vlt. De Precarijs*, nulla est conuentio, si quis alteri precario dederit, vt intra calendas possideat, & antè repetere nõ possit; Est enim conditio expresè contra Precarij substantiam, vt res precariò accepta inuito domino possideatur. Ex quo fit, vt facile dissolui queat ea quæstio, de qua Canonici iuris interpretes plurima tradiderunt: Et quam tractat Couar. *in 4. de Matrim. p. 2. c. 3. § 1. n. 8.* Angel. *religios. q. 19.* Silu. *religio. 3. q. 7. & 8.* Tabien. *religio. q. 20.* Rosel. *Religio. 2. n. 11.* An solemne Religionis votũ vim habeat adiecta ea conditione, vt proprium quid possideat is, qui solemni se voto deuincit? nam Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andreas, Antonius Butrius, & Glossa *in cap. vlt. de condit. appos. & in cap. Insinuante, qui Clerici, vel vouentes.* Et inter legum peritos, Accursius, Iason, Bartholus, & Decius, quos citat Couar. *loco prædicto*, putant professionem, & Votum ratum esse, ea ratione perducti, quod *in cap. Insinuante citato.* Pontifex definit, firmum esse votũ Castitatis, & Religionis, quod quædã mulier emiserat ea cõditione vt in domo propria cum omnibus suis bonis remaneret.

Sed Calderinus, Cardinalis, & Abbas, vt refert Couarruuias, censent nullum esse eiusmodi votum, quoniam proprium quid possidere, cum solemni Religionis professione pugnat: quorũ sententiam sequuntur Summistæ, Angelus, Rosella, Siluester, & Tabiensis: cui sententiæ ipse quoque libentiùs subscribo. Quod si Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andreas, & alij primæ opinionis auctores docent votũm vim habere, postea mentem suã declarant, & interpretãtur, habere; nimirum quando apposita conditio intelligitur, vt qui vouet, proprium quid habeat; non quidem, quod dominium, & proprietatem retineat, sed vsum dumtaxat; idque Abbatis nutu, atque consensu. Id autem nos cum alterius opinionis auctoribus libenter admittimus: hoc enim modo intellecta cõditio minimè Voti substantiæ aduersatur; neque enim proprium habet Monachus, cum aliquid habet ad vsum, Abbatis permissu, & eius nutu reuocabile. Qua etiam ratione intelligitur Pontificis responsum *in cap. citato Insinuante.*

Objcies, *ex cap. Diaconi, dist. 28.* sacros Ordines collatos ei, qui cum Diaconus ordinaretur, testatus fuerat se velle matrimonio copulari; & vt ibi habetur: *Si matrimonium ab eo fuerit postea contractum, à ministerio altaris eum non esse prohibendum; propterea quod Episcopus ei facultatem concesserat.* Ergo cõditio contra sacrorum Ordinum substantiam adiecta, sacram Ordinationem non vitiat. Respondeo, Castitatem sacris Ordinibus esse annexam Ecclesiæ decreto; & ideo eiusdem Ecclesiæ auctoritate nuptiæ cum sacris Ordinibus coniunctæ permitti quennt, vt reuera permittuntur in Orientis Ecclesia: at verò Castitas in voto Religionis solemni ex ipsa rei natura requiritur eo modo, quo suo loco dicam.

Deinde objcies *ex cap. Sic quidam. 20. q. 1.* vbi Ecclesiæ consecratio, & dotis constitutio omninò subsistit conditione sublata, quæ Episcopum ab eius cura excluserat. Vnde fit, vt conditio cõtra substantiam contractus adiecta eum non vitiet. Respondeo, eam conditionem non esse contra substantiam contractus appositam, verùm cõtra iura, & Canones Ecclesiasticos: & ideo statuitur, vt contractus sit ratus, & firmus reiecta conditione. Vnde etiam si testatores, & patroni Ecclesiæ dotem dantes pœnam adijciant, vt in alios pios vsus dos conuertatur, si fortè Episcopus velit curam illius Ecclesiæ, quæ alioqui ad ipsum iure spectat, ac pertinet, suscipere; ea pœna reijcitur, & nihilominus contractus ratus, & firmus iudicatur.

Præterea conditio in votis adiecta, aut in faciendo, aut in non faciendo consistit: hoc est, aut per affirmationem, aut per negationem apponitur, vt si vouero me peregrinationem suscepturum, si Titius consul factus sit, aut si capitolium non ascenderit. Si primum, locum habet Votum statim, atque cõditio impletur. ROGABIS, quid dicendum sit; voui me facturũ bonum aliquod, si Titius Caio dederit decem? Resp. persolui votũ debere statim, atque Titius dederit, & Caius noluerit accipere. Nam oblatio pro impleta conditione habetur. *L. Si ita hæres. ff. De conditionib. instit.* quoniam per Caium stat, quo minus conditionẽ Titius expleat. *L. Statu liberos, ff. de statu liberis, & L. Si quis testamento. ff. De conditionib. institut.* QVAERES insuper, Quid iudicandũ, si Caius absit, cui dãda sunt decem? Resp. eum esse expectandum donec veniat, aut saltem deponẽda illa decem, Si Titius voueat, me ad religionem conferã, si pater meus consenserit, quum primum pater dissensit, sit liber à voti vinculo: & mortuo patre antequam consentiret, voto non tenetur, quoniam conditio sequuta non est. Si verò conditio in non faciendo concepta sit, siue per negationem, vt si voueam certam eleemosynam me daturũ, nisi eam Titius dederit; soluendum est Votũ statim atque certũ fuerit, eã Titiũ dare nõ posse. Pari ratione vouisti te Hierosolymam nauigaturum, nisi ego nauigauerim: Votũ reddere debes cõfestim, atq; compertum, & certum fuerit me nauigare non posse: non quum nauigare potuerim, *ex L. Ita stipulatus, 1. §. Sed etsi ita. & §. respondit. ff. De verb. obli.* Similiter voueo, si Turca vrbem non ceperit, si in Occidentem non venerit, præstandum est promissum, cum primum certum esse cœperit, eum vrbem capere, aut venire in Occidentẽ nõ posse.

Voueo

Voueo daturum me centum si in capitolium non ascenderis, vel in Hispaniam non ieris, debeo promissum exoluere, cũ certum esse cœperit te Capitolium ascendere, vel in Hispaniam ire non posse. *Ex L. Eadem. & instit. de verb. obligat.* §. *Si quis ita stipuletur*, vbi dicitur: *Si quis ita stipuletur, si in capitolium non ascendero dare spondes; perinde erit, ac si stipulatus esset, cum moretur, sibi dari.* Hæc leges ciuiles, de stipulationibus, quæ verbis cum hominibus contrahuntur. Sed certè in Votis Deo factis habenda est ratio tacitæ conscientiæ: nam si quis vouerit, dabo centum, si non nauigaueris, videndum est, an se voto Deo obligare voluerit, quum primum alter nõ nauigauerit cum nauigare cõmodè potuerit: Similiter si vouerit, dabo centũ si Titius non dederit: consideranda est vouentis voluntas, num se obligauerit statim, vt Titius dare noluerit, vel non dederit, cũ dare potuerit: nam licet quod mitius est, eligendum esse videatur: at ex altera parte cum res dubia est, id eligere debemus, quod tutius est: licet leges in mitiorem partem interpretentur promissiones, & stipulationes inter homines contractas. Nec quis miretur si ita huiusmodi vota interpretemur, quoniam etiam olim Sabinus iurisconsultus, vt legimus *in eadem lege*, ita stipulatus, sensit in prædictis stipulationibus, & promissionibus spectandam esse contrahentium mentem, & volũtatem, ita vt promissor statim, vt moram fecerit, hoc est, cum non fecerit, quod est conditione cõceptum, & facere potuerit, sit reus culpæ. Quamuis Pegasus & Papinianus iurisconsulti voluerint omnem obligationem prædictarum stipulationum, & promissionum in eum tantum casum conferendam, quum promissor nullo modo in posterũ facere possit. Et hanc sententiam sequuti sunt alij iurisconsulti, & Iustinianus Imperator *loco citato*.

Si quæras, quid dicendum sit: cũm vouet quis se daturum centum, si Titius intra biennium capitolium nõ ascenderit, vel vouet se intra biennium ædem sacram ædificaturum, an sit reus voti ante biennium præteritũ, cum tantum residui temporis sit, quo ædificari templum non possit, & cum in capitolium ascendere Titius nequeat. Papinianus *in L. Insulã*, & Pomponius *in L. Veluti* §. *Si stipulatus*. & Celsus *in L. Quidquid* §. *Si stipulatus ff. De verb. obligat.* aiunt, promissorem reum nõ esse, nisi præterito biennio: quum immutabiliter verum erit Titium in capitolium ascendere non posse, & templum extrui nequire: sed nihilominus etiam hic erit spectanda mens, & voluntas promittentis.

Tertio, Conditio, aut est impossibilis, aut turpis. Item, aut in præteritum, aut præsens confertur, aut in futurum. Si est præsentis, vel præteriti conditio, Votum minimè irritum reddit, etiamsi turpis sit, quoniam actum non suspendit. *L. instit. talis. ff. De conditionib. instit.* vbi dicitur: *Nulla est conditio, quæ in præteritum, vel in præsens confertur*: Veluti si rex Parthorum viuit, si nauis in portu stat. Ratum est igitur votum, si ita promittas: Voueo si furtum admisisti, quoniam nemo ad delinquendum inuitatur. Similiter firmum est votum, Voueo, si heri pater meus vixit. At verò cõditio, quę vel natura sua est impossibilis, vel lapsu temporis effecta est talis, in foro quidem exteriori pro non adiecta habetur: at in interiori nullũ est votum ea adiecta conditione. Vt si Titius voueat, si cœlũ manu tetigeris, si mare totũ ebiberis, aut si promittas, Voueo, si pater meus viuit; aut si ad tres menses viuet, aut si intra mensẽ redierit; qui tamen ante decesserat, votum est irritũ, & inane.

Item si turpis sit cõditio in futurum cõcepta, nullum est Votũ. Vt si spondeas, Voueo, si homicidium, vel furtũ committas: hæc enim conditio actum suspendit, & ad delinquendũ mouet, ac trahit. Si per naturam necessaria est cõditio etiã in futurũ concepta, statim Votũ cõfirmat. Voues aliquid boni, si Sol cras oriatur, statim te Deo obligasti, quia talis cõditio pro impleta habetur.

Postremò, Conditio, aut coniunctim, aut disiunctim apponitur. Si primo, vtrinque impleri debet, vt ratum sit votum, vt Voueo, si pater, & frater meus ex Asia redierit. Si secundo, satis est si alterutrum impleatur, Vt, voueo, si pater, vel frater meus ex morbo conualuerit. Vouet, dices, Titius se daturum decẽ, vel quindecim, aut vouet se post annũ, vel post bienniũ religionem suscepturum, an dare debeat quindecim; item an religiosus fieri post annum debeat? *In L. Si ita stipulatus fuero. ff. de verborum obligat.* habetur: *in huiusmodi promissionibus, quod minus est, & quod longius est, videtur in obligationem deductum.* Et certè cum mitiũs, & benigniùs vota interpretari debeamus, consequens est, vt Titius tantũ decem dare debeat, & post biennium religionem amplecti. At ex altera parte tenenda est regula iuris, *in dubijs tutior pars eligenda est.* Quare si Titius voueret se daturum quindecim, vel decem, spectãda est mens, & voluntas eius, an se obligare voluerit in hunc modum, dabo quindecim si potero, sin minus dabo decem, tunc enim dare quindecim compellitur ratione voti si potuerit, sin minus, decem. Pari ratione, si vouerit, religionẽ suscipiam post annũ, aut post bienniũ, videndum est, an sententia sit, suscipiã post annum, si potero, sin minus, post biennium. Similiter etiã si voueat, suscipiã religionem, aut Presbyter fiam. Consideranda est mens eius, & voluntas: an fuerit: suscipiam religionẽ si potero, sin minus, presbyter ero. Quod si de promittentis voluntate dubij simus, tutior pars est eligẽda: quæ in his votis est, videlicet obligatio cõfertur in id, quod maius est, & in tempus, quod breuius est: si quis voueat dabo hunc calicem, vel hunc, quem voluero, postquam vnũ ex illis elegerit, voluntatem mutare non potest: Si verò ita sit votũ conceptũ, dabo hunc calicem, vel hunc quem volam, potest voluntatẽ mutare, etiam postquam votum elegerit, *Ex L. Si quis stipulatus sit. ff. De verborum obligat.*

Decimò quæritur, Quando quis votum suum persoluere debeat? Respondeo cum S. Thoma 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. *ad* 3. & Caiet. *ibi.* & Siluest. *Votum.* 2. *quæst.* 3. & Angel. *Votum* 4. *quæst.* 2. Si animus vouentis fuit se Voto obligare ad id statim reddendum, statim debet exoluere, statim, inquam, cum commodè potest. Deinde qui ad certum tempus Votum Deo nuncupauit, eo expleto debet soluere, si commodè possit. Sed quæstio est de eo, qui Voto suo nullũ tẽpus certum præfixit, quandonam promissum præstare iure cogatur?

Quidam videntur asserere, tunc temporis compelli, quando mens, & ratio præscribit, vt votum exoluat. At enim hęc regula fallax est, & incerta: nam scrupulosum hominem statim animus solicitare solet, ac premere: suæ verò salutis immemorem, aut nunquam, aut serò. Alij sentiunt eũ tunc obligari, quando arbitrio boni viri iudicatur votum reddi oportere. Sed ex communi omnium sententia dicendum est, eiusmodi vota esse persoluenda, cum primum is, qui vouit, ea commodè præstare potest. Nam idem iuris est in cæteris, quę alteri homini debemus, ea enim soluere, ac reddere nos oportet statim, atque commodè possumus. Deinde, quia sicut creditor tacitè rei creditæ solutionem petit, cum primum ei restitui satis bene potest; sic etiam Deus exigit à nobis Vota, & promissa cũ ea exoluere, & complere satis commodè possumus.

Vndecimò quæritur, An is, qui vouit ad certũ hebdomadæ diem ieiunium, si eo die votum non reddat, susc ipere alio die ieiunium debeat? Abb. *in cap. Per tuas. de voto, & voti redempt.* respondet, debere, quia ad duo faciẽda voti religione adstringitur: sicut qui certo die soluere decem debet, si constituto die non soluerit, nihilominus ad soluendum ipso iure compellitur, vt colligitur *ex L. Celsus. §. 1. ff. De receptis arbitris, & L. Traiectitiæ. §. De illo. ff. De actio. & obligat. & L. Magnam. C. De contrahen. & committen. stipulat.* Nam Caius iussus dare decem intra Calendas Septembris, si non dederit; licet postea offerat, verum est intra Calendas non dedisse: nam duo habere præcepta videtur, vnum, dandi decem, alterum, dandi intra Calendas Septembris. Idem quoque docet Silvest. Abbatem sequutus *votum 2. q. 4.* Verum vtendum est nobis distinctione: quoniam eiusmodi ieiuniũ potest dupliciter Deo religiosè, & sanctè promitti, aut in honorem, & cultum certi cuiusdam diei, vt si voueas illud te seruaturũ in peruigilio alicuius Apostoli, aut absolutè, & simpliciter, nimirum vt in vno hebdomadæ die corpus ieiunio castiges. Si primo modo fiat, elapso præstituto die, Voti quoque obligatio finitur. Si secundo, non cessat, & hoc est, quod vult lex citata.

Quæres, Quid dicendum, quando certò non constat hoc, an illo modo factũ sit Votum? Respondeo, rationẽ esse habendã eius, qui vouit: an vouerit animo certum diem religiosè obseruandi, an verò absolutè, & simpliciter; quod si nec adhuc de vouentis voluntate constiterit, quod tutius est, oportet eligi, & proinde alio die promissum ieiunium persoluendum.

Duodecimò quæritur, An qui vouit se certam peregrinationem suscepturum intra annum, & ante exitum anni morbo aliquo graui, & periculoso corripitur, liber fiat ab obligatione, an verò potius Votũ in aliquid aliud debeat commutari? De hac quæstione agit Silvest. *votum 2. quæst. 6.* In qua Archidiac. *in cap. Qui bona. 17. quæst. 1.* sequutus S. Thomam, quem citat, sentit nihil esse opus commutatione Voti, quoniam quicquid initio impediret votum cum fit, impedit etiam post illud iam factum. Eandem sententiam S. Thomæ, & Archidiaconi sequitur Abbas *in cap. 1. De voto, & voti redempt.* Et quamuis dicat, tutius esse commutare votum: idque probet *ex cap. Quod super his. De voto, & voti redempt.* Vbi ob impedimẽtum contingens fit voti commutatio. Sed verum, inquit, est, quod Archidiaconus cum S. Thoma tradidit: nam morbus vouentem impedit, ne Votum possit exoluere, ergo illud commutatione non indiget. Nec obstat testimonium allegatum: ibi enim sermo est de eo, qui vouerat peregrinationem longinquam in Terram sanctam, qui licet per infirmitatem, vel paupertatem ire ad bellandum nequibat, alium tamen in sui locum poterat subst ituere, atque supponere: vt ait Silv. *votum 2. q. 6. ad finem.*

S. Th. 4. d. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 1.

Decimotertiò quæritur, An sublata voti causa, sublata quoque voti obligatio sit? Hostiensis *in cap. Magnæ. de voto, & voti redempt.* putat eam obligationem cessare, licet redemptio, aut commutatio Voti sit tutior, *ex cap. Magnæ. §. vlt. De voto, & voti redempt.* vbi votum peregrinationis, quod Deo Episcopus nuncuparat, pro libertate Trecensis Ecclesiæ assequenda, quamuis causa cessauerat, in eleemosynas, preces, & ieiunia Romani Pontificis auctoritate commutatur. Goffredus verò simpliciter, vt referunt Silvest. *votum 2. quæst. 8.* & Angel. *votum 4. quæst. 5* affirmat voti obligationem extingui. Abbas *in cap. Magnæ, citato* distinguendo respondet: Si causa reuera fit finis, cuius gratia votum est factum, ea sublata votum non consistit, vt colligi potest *ex cap. Cum cessante, De appellat.* Si verò causa solùm sit impellens, ac mouens ad vouendum, ea si cesset, Votum minimè finitur. Si dubitemus, vtrũ causa, qua votum est factum, fuerit finis voti, an non, iudicare debemus voti obligationem manere, vt colligi potest *ex L. Quicquid astringendæ. ff. De verb. obligat.* Et idẽ iuris est, si duæ fuerint voti causæ, & vna remota, maneat altera. Velut si voues peregrinationem, vt sancta Apostolorum limina inuisas, & fratrẽ tuum in vrbe conuenias, tametsi frater decesserit, voto teneris astrictus. Silvest. *votum 2. q. 8.* Angel. *votum 4. q. 5.*

Decimoquartò quæritur, An qui vouit peregrinationem ad limina Apostolorum in Vrbe, vel ad certum diem ieiunium; & postea eo die ieiunium suscipiat, nihil de voto cogitans; vel in Vrbem alia de causa veniens, limina Apostolorum inuisat sui Voti immemor, Votum exoluisse censeatur? Respondet Maior, Votum persoluisse, dummodo postea ratum habeat, quod fecit: & scienter, ac spontè sua ieiunium suscipiat, vel in Vrbem veniat: nam si per vim à cibis abstineret, vel in vrbem ad limina Apostolorum venire cogeretur, minimè votum persolueret. Pro hac sententia facere videtur, quod si quis quotidie de more, rei diuinæ interesset, Ecclesiæ præcepto satisfaceret, si certo die festo sacris adesset, quamuis nesciret, dies festus esset nec ne: nam præceptum, & votum implemus, cum promissa præstamus, & imperata facimus, etiamsi nihil de voto, aut præcepto cogitemus.

Maior in 4. d. 38. q. 3.

Animaduertendum autem est, hanc Maioris sententiam tantummodo locum habere in eo, qui simpliciter se ieiunio, & inediæ dat certo die præstituto, nihil de voto cogitans: non autem in eo, qui abstineret à cibis animo, & voluntate aliud ieiunium suscipiendi, vt suum votũ persoluere-

ret:

ueret: quemadmodum, qui die festo rem diuinã audiret, habens in animo iterum Missæ sacrificio interesse, Ecclesiæ præceptum, & legem minimè seruaret, si sacrum iterum non audiret: *vt libro superiori dixi, de præcepto recitandi preces Horarias Canonicas, c.12.q.8.*

Decimoquintò quæritur, An voti obligatio ad hæredem transmittatur? quod est quærere, an hæres alicuius vita perfuncti vota eius persoluere debeat? De hac quæstione tractant Paludan. 4. *dist.38.q.3. artic.* 3. Innocen. Hostien. Ioann. Andr. Abb. *in cap. Licet, de voto, & voti redempt.* Silvester *votum 2.q.11.* Quæstionem mouet, quod sancitum est *in L. Si quis rem. ff. De pollicitat.* vbi habetur: *Si decimam quis bonorum vouit, decima eorum prius in bonis desijt esse, quàm fuerit separata: & si fortè qui decimam vouit, decesserit ante sepositionem, hæres ipsius hæreditario nomine decimæ obstrictus est. Voti enim obligationem ad hæredem transire constat.* Hæc ibi lex. Respondeo, voti obligationem personæ esse, & non rei: Vnde nemo alterius voto adstringitur, ita vt voti reus teneatur, nisi id præstet. Potest tamen aliunde obligari, vtpote vel ratione hæreditatis obtentæ, vel alio modo; vt quãdo Ciues vel Canonici vouẽt se certũ diẽ tanquã festũ obseruaturos, qui successerunt, nulla voti religione obligantur. At verò si in consuetudinem abeat illius diei obseruantia, tanquam legem, eam consuetudinem tenere debent. Item, si vota mortui testatoris realia fuerint, ea debet hæres exoluere. Vt si vouerit templum, sacellum, hospitalemúe domum extructurum, vel certæ Ecclesiæ calicem donaturum, vel certis pauperibus eleemosynam erogaturum, debet promissa præstare, non quod voto ipso teneatur, sed quia defuncti, qui vouerat, hæreditatem adeptus est.

Personalia tamen vota non debet, vt si mortuus dum viueret, Deo certa ieiunia promiserat. Quod si vota mixta fuerint realia, atque personalia, ea reddere oportet quatenus realia, non quatenus personalia. Vt si testator vita defunctus spoponderat peregrinationem ad certum pium, & religiosum locum, vt in eo calicem aureum offerret, debet hæres hoc secundum præstare, nõ primum. At si votum est principaliter personale, & aliqua ex parte reale, hæres cùm ad personale reddendum nullo iure compellatur, nec reale cogitur præstare: quoniam principali sublato, aufertur quoque id, quod accedit. Huius rei exemplum sit: Vouerat testator ante obitum certam Religionem, in cuius familiam, si profiteretur eam, sua quoque bona transtulisset: non debet hæres Religioni bona tradere, quia ad Religionem suscipiendam nullo iure compellitur, quod fuerat principale testatoris votum. Item, pollicitus erat testator peregrinationem, non debet hæres impensas soluere, quas ille inter eũdum, commorãdum, & redeundum fecisset. Hæc ex Paludano, Siluestro, & alijs. Cùm igitur lex citata definit voti obligationem ad hæredẽ transire: id verum est ratione hereditatis ad eum transmissæ: nã prius dixerat hæreditario nomine hæredem decimam reddere oportere, quã testator vouerat. Vnde Innocentius ait, hæredem cogi posse, statuta pœna, vt nisi soluerit, hæreditatem amittat. Immo addit abbas, posse anathemate pu[ni]ri? nisi id fecerit, quoniam eo ipso, quod hæreditatem adiuit, quasi contractum inisse, probabiliter creditur.

Decimosextò quæritur, An qui per seipsum nequit votum persoluere, id per alium præstare & implere debeat? De hac quæstione Innoc. *in ca. Scripturæ, de vot. & vot. redempt.* Silvest. *votum 2.q.10.* Respondeo, si res promissa eius est conditionis, vt per alium fieri possit, ac soleat, nec vouentis animus fuit per se tantummodo promissum præstare, debet per alium suum votum implere: cuius generis sunt multa vota realia, vt aiunt Innocentius, Siluester, & alij. Vt qui voueret simpliciter se Christianis Hierosolymis, & in terra sancommorantibus auxilium daturum, pecunias largiturum, vel certæ Ecclesiæ calicem, vel quippiam aliud oblaturum, vel pauperibus eleemosynam erogaturum: hæc enim & similia solemus per nos ipsos, & per alios præstare. Nec his obstat, quod habetur in *c. Quod super his. De vot. & voti redemp.* Quando verò talis est res, quam per nos ipsos, non per alios facere commodè possumus, nisi expresè, dum vouemus, in animo habeamus id per nos ipsos, aut per alios exequi, nequaquã adstringimur ad faciendum per alios, si per nos præstare, & obire nequeamus.

Decimoseptimò quæritur, an rei voto promissæ dominium maneat penes vouentem? vt si quis voueat se quippiã certo pauperi donaturũ. Respondeo, Voto rei promissę dominium minimè transferri: vnde contra vouentem non est actio realis, sed personalis: potest enim in certis quibusdam causis conueniri is, qui vouet, aut promittit, vt votum exoluat, vt alio in loco commodiùs dicam.

Decimooctauò quæritur, An opus, & officium, quod vi, & ratione voti fit, sit maioris meriti apud Deum, quàm si secus fieret? Respondeo cum S. Tho. 2.2.*q.*88. *art.6.* cuius sententia est communi consensu recepta, esse maioris, & plenioris meriti & fructus. Nam vouens dat opus, quod facit, & seipsum: sicut plus dat, qui dat fructus, & arborem, vt dixit Anselmus *De similitudinibus, capite* 8. Deinde, opus factum ex voto, est duplicis virtutis officium, nempe Religionis, cuius actus est votum: & illius virtutis ad quam pertinet res voto promissa. Obijcies: Minoris est meriti, cùm quippiam alioqui debitum reddimus, quàm cũ idem ipsum sponte præstamus. Respondeo, id loco habere in ijs, quæ facimus vi, & lege iustitiæ, quam alteri debemus; vt cùm rei emptæ precium soluimus, cùm depositum, mutuum, commodatumque Domino reddimus: non autem in ijs, ad quæ facienda, vel danda nos ipsi liberaliter obstrinximus. Iterum oppones: Non semper cùm quippiam vi, & ratione præcepti fit, vberioris & plenioris est meriti, quàm si illud idem alicuius consilio fieret, ergo nec opus voto factum abundantioris, & cumulatioris est meriti, quàm si esset opus consilij. Respondeo: Cùm ex præcepto opus efficimus, vt legi, aut imperanti homini pareamus, semper maioris est meriti, quoniam est opus duplicis virtutis, obedientiæ scilicet, & illius, in qua res imperata reponitur: cùm verò solummodo imperata facimus, non eo ipso, semper magis promeremur.

At cùm votum persoluimus, eo ipso, meritum augemus, copiosius præmium commeriti, quia, vt dixi, opus ex voto factum, est duplicis virtutis officium.

Decimonono quæritur, An peccet is, quem sui voti facti pœnitet? Respondeo, quosdam opinari nos semper peccare, quoties pœnitet nos vouisse. Attamen dicendum est, eum peccare, qui votum factum violare constituit: aut qui negligit, vel vltra tempus constitutum segniter prorogat. Enimuerò is lethale peccatum non contrahit, qui cùm in animo habeat votum reddere, nō vouisse vellet: peccat verò si doleat de eo actu, quo initio vouit: nec enim tibi fas est dolere, quod honestatis, ac virtutis opus effeceris: ac proinde tibi nō licet dolere, quod votum feceris.

Cap. XVI.

De ijs, qui vouere possunt.

PRimò quæritur, Quinam vouere queant? Respond. quosdam iure naturali vouere non posse, alios verò iure Canonico à vouendo prohiberi. Quicumq; igitur mentis compos non est, iure naturali vouere non potest. Item in ijs rebus, in quibus aliquis alieno iuri, & potestati subijcitur, votum facere nequit, quia sui iuris persona non est, aut quia res aliena est.

Secundò quæritur, An Episcopi, & alij Superiores Antistites, quippiam vouere possint? Respondeo, iure Canonico esse constitutum, ne votum suscipiant, quo vinculum, per quod sunt suis Ecclesijs addicti, & obligati, dirimatur sine Romani Pontificis consensu: vt facilè deducitur ex *c. Nisi cùm pridem, De renunciat. & c. Licet, De Regularib. & l. Magne, de voto, & voti redemp.* Nec item possunt quippiam vouere, quod in graue suarum Ecclesiarum, quibus præsunt, detrimentum cedat, *eodem c. Magnæ. de vot. & vot. redempt.* quare nequeunt longinquam peregrinationem voto polliceri; quoniam diu à suis Ecclesijs abessent. Exceptum tamē aiunt Innocentius, Ioan. Andr. Hostien. & Anton. Butrius *in c. Ex multa. & c. penul. & vlt. de vot. & vot. redempt. & cap. Quod Dei timorem, de statut. Monach.* Hierosolymitanę peregrinationis votum, quod, teste Abbate *ibidem*, poterant olim Episcopi suscipere in Terræ sanctæ subsidium, cum omnibus generatim dabatur aditus in Palæstinam; nunc verò non possunt.

QVAERES, An si Religionis institutum vouerint, id voti seruare debeant, modo, quo posśūt; nimirum facultatem petendi abdicandi se munere Episcopali? Palud. & Siluest. eum sequutus *in verbo, Votum, 3. q. 1. & in verbo Religio. 2. q. 8.* aiunt, eos ad huiusmodi facultatem petendam voto ipso compelli. Et cùm quis vouet ingressurum se in religionem, si antequam votum exoluat, Episcopus creetur, debet se officio, & dignitate pontificali secundum ius abdicare, & votum, quod fecit, implere: vt constat *ex c. Per tuas. De voi. & voti redemp.* Quoniam licet Episcoporum status sit Religiosorum statu perfectior, religiosus tamē potest in Episcopū eligi, & ideo q. vouit se religionem suscepturum, & ante ingressum in religionem Episcopus eligitur, suum votum implere cōpellitur, quia religionis professio nō impedit quominus religiosus ad Pontificiam dignitatē, & officium prouehatur. At non nisi Romani Pōtificis consensu, Ecclesiam, cui est præfectus Episcopus, dimittere potest. *c. Nisi de renun.* DEINDE QVAERES, an si longinquæ peregrinationis votum susceperint, ad aliquid faciendum ipsius voti obligatione adigantur? Silu. *loc. citat.* respondet eos soluere oportere impensas, quas inter eundum, commorandum, & redeundum fecissent: laborem verò peregrinationis, cum vigilijs, precibus, ieiunijs, & alijs pietatis officijs commutare debere. Alia verò vota facere queunt, vt dandi eleemosynas, ieiunia seruandi, precationes adhibendi, & alia similia faciendi. Sic Innocentius, Hostien. Ioan. Andr. Abbas *locis supra citatis.*

Tertiò quæritur, An Clerici in dignitate Ecclesiastica constituti, vel animarum curæ præfecti, vel Beneficium habentes, quod residentiam Clerici iure communi requirit, quales sunt Parochi, Archipresbyteri, Archidiaconi, Decani, Præpositi, Priores, Canonici, ac similes aliquid vouere possint? Respondent Innoc. Hostien. Abbas *locis citatis. & Siluest. religio. 2. q. 8.* fas esse cuilibet Ecclesiæ præfecto, vel Clerico præter Episcopum, deposita cura vel dignitate, aut Ecclesiastico beneficio legitimè, & ritè abdicato, vel etiam cura, dignitate, & beneficio nondū depositis, Religiosam vitam suscipere: & addit S. Tho. 2. 2. *que. 189. ar. 7.* id eis concedi etiam Episcopo contradicente; petita tamen facultate, quamuis non obtenta. Vtrumq; colligitur *ex c. Duæ 19. q. 2. & c. Licet de Regularib.* Eorumq; beneficia nulli conferri iure possunt, nisi post professionem expressam, vel tacitam Religionis, vel nisi euidenter constiterit eos vitæ institutum mutare voluisse, *c. Beneficium. De Regular. in 6.* Fructuum autem beneficij ante professionē emissā, iusta, ac debita portio tribui debet Vicario in eorum locum suffecto, & Ecclesiæ inseruienti: reliquum, vt quorundam sententia docet, cedet in vsum eius, ne religioni sit oneri, vt ait Silu. *religio. 2. q. 88.* & Angel. *Nouit. q. 22.* Quamuis alij doceant, conseruari debere, & impendi in vsus Ecclesiæ, cui seruiebat, id ex eo colligunt, quod habetur *in c. Quia sæpe. De elect. in 6.* Sed fortasis vtraq; sententia non ineptè conciliabitur; ita vt prima locum habeat, quando Monachorum cœnobium commodè Nouitium alere, & sustentare potest sine alio vitæ subsidio; secunda verò, quando nihil habet, vnde eum sustentare queat. Sic conciliat Geminian. *in c. Beneficium. de Regular. in 6. & in c. Quia sæpe. de elect. in 6.* nam *in c. Quia sæpe*, solummodo de Ecclesia vacante tractatur. Alia item vota facere nequeunt cum graui Ecclesiæ, cui præsunt, detrimento sine Episcopi cōsensu, cætera verò vouere possunt.

Quæres, an simpliciter, hoc est, absq; vllo Episcopi consensu, possint votum vltramarinum suscipere: hoc est, vouere peregrinationem ad sanctum Templum Hierosolymitanū, in Terræ sanctæ subsidium? Respondent Hostiensis, & Abb. *in c. Ex multa. & c. vlt. de vot. & vot. redempt.* quibusdam esse visum, hoc eis licere, quoniam libera à Romano Pontifice facultas conceditur, præterquā Episcopis, his omnibus, qui Christianis in Terra sancta commorantibus, aliquid subsidij, ac vtilitatis afferre queunt. *c. Ex multa, de vot. & vot. red.* Alij opinantur id non licere, nisi Rom. Pont. aut Episcopi permissu, *ex c. Fraternitati, de Cler. non resid.* vbi ha-

bi habetur: *Clericum alterius diœcesis absq; commendatitijs literis sui Episcopi non debes recipere.* Aut nisi tempore, quo omnibus generatim in Terram sanctã aditus pateret, vt docent Hostiensis, & Abb. *in ca. vlt. de vot. & vot. redempt.*

Quartò quæritur, An liceat Monachis aliquid vouere absque expresso, vel tacito sui Abbatis cõsensu? Duæ sunt opiniones: Prima negat licere, quia Religiosus propriam voluntatem, qua sese abdicauit, non habet: *vt c. Monacho, 20. q. 4.* ex Regula S. Basilij apertè dicitur: *Monacho non licet vota suscipere sine sui Abbatis consensu, Si autem quippiam vouerit, seruandum non erit.* Et ratio redditur, *quia*, inquit, *propria se voluntate abdicauit.* Et *c. Noluit. 33. q. 5.* habetur, religiosum propriam voluntatem non habere, quã in Abbatem trãstulit. Sic Ric. *in 4. d. 38. a. 4. q. 1.* Angel. *Votum 2. n. 2.* Rosel. *votum 4. nu. 14.* Maior *in 4. dist. in. 38. quæst. 4. vers. dubitatur, qui vouere possint.* Primùm, quia humana fragilitate, & religiosæ vitæ oneribus bene perspectis & consideratis nulla potest addi noua obligatio sine periculo, & damno eorum, ad quæ facienda, regularis obseruantia Monachum adstringit. Deinde, quia Religionis votum est eius conditionis, vt in illud omnia alia tẽporalia cõmutẽtur, iuxta id, quod habetur in *c. Scripturæ. de vot. & vot. red.* Secũda opinio affirmat, licere Monacho vota soluere absq; Abbatis consensu: dummodo vouentis animus non sit promissa præstare contra Abbatis voluntatẽ, aut cum eius incommodo. Ita ex S. Th. 2. 2. *q. 88. a. 2. ad 3. & ad 4.* colligunt Cai. 2. 2. *q. 88. art. 8.* Sot *li. 7. de iust. q. 3. art. 1. dub. 2.* Silu. *votum 3. q. 3.* Palud. *4. d. 38. q. 4. art. 2. concl. 6.* Hæc opinio magis cum ipsa ratione congruit; quoniam huiusmodi votis subest tacita conditio, si nimirum Abbati placuerit. Sic etiam opinatur Nau. *in Man. c. 12. n. 67.*

Quintò quæritur, An Monachorum Vota sine Abbatis expresso, vel tacito consensu facta, rata, & firma sint? Et quæstio intelligitur de ijs votis, quæ sine regularis instituti detrimento persolui queunt. Ricardus, Angelus, Rosella, & Maior locis citatis, negant ea vota vllius esse momẽti propter ea argumenta, quæ *paulò antè* proposui. Paludanus verò, Siluester, Caietanus, Sotus, & Nauarrus *supra citati* affirmant ea vim habere, quousque Abbas ea irrita fecerit: quę sententia mihi verior apparet: dummodo vouens non habeat in animo contra Abbatis voluntatem, aut Regulæ obseruationem venire.

Sextò quæritur, Num Monachus, qui quippiã sine Abbatis consensu vouit, votum debeat Abbati aperire, vt iure id persoluere queat? Respondeo, si quippiam vouerit ex numero eorum, quæ Regulæ, Constitutiones ue prohibent, debet Abbatem de voto certiorem facere, nisi probabiliter crediderit eum illud acceptum, ac ratum habiturum: & tunc iure potest, & vouit, exequi: alioqui minimè; quoniam huiusmodi voto tacita conditio subest, si Abbati placuerit. Si verò vouerit aliquid eorũ, quæ nec regulis, nec cõstitutionib. nec vlli præcepto aduersatur, nulla lege, iureue cogitur id Abbati patefacere: & proinde debet votũ implere, cùm potest, quousque illud Abbas rescindat, & irritum reddat. Sic Caiet. & Sotus *locis supra citatis.*

Septimò quæritur, an Abbates, & cæteri Religionum præfecti quippiam vouere queant? Respondeo, nihil eos posse vouere, quod eorum munus impediat. *cap. Abbates 18. quæstion. 2.* dicitur: *Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistant. Alia verò vota, quæ nihil obstant eorum publicæ functioni, & administrationi suscipere possunt. Quòd si de aliqua re dubitetur, interturbet necne eorum munus, peti debet eorum, quorum sunt potestati subiecti, consensus.* Olim iure communi Abbates in Episcoporum potestate erant, vt constat *ex cap. Abbates, cap. Abbas. cap. Monasteria. 18. q. 2.* nunc verò Romani Pontificis beneficio ab Episcoporum iurisdictione, & potestate liberi, solutique sunt.

Octauò quæritur, an seruis liceat aliquid Deo polliceri? Respondeo nihil posse, quod debitum Domino obsequium, vel ex toto, vel ex parte perturbet, vel impediat. Et quoniam quicquid seruus habet, domini est, siue ad personam, siue ad operas, siue ad res pertineat; ideo nec reale votum emittere potest. *L. Si quis rem. ff. de pollicitat.* dicitur: *Seruus sine auctoritate Domini voto non obligatur.* Idem colligitur *ex c. Si quis seruum. 17. quæst. 4.* Posset verò seruus cætera vouere, quæ nihil prorsus Domino incommodant, Verbi gratia, preces, castitatem, & id genus alia. Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andr, Abbas *in ca. Scripturæ, de voto, & vot. redempt.* Theologi Palud. Caiet. Sotus cum S. Tho. *in 2. 2. quæst. 88. art. 8.* Siluest. Angel. Rosell. *locis suprà citatis.*

Nonò quæritur, an filiofamilias fas sit, aliquid vouere? Respondeo nihil vouere posse eorum, quæ debitam domus, ac familiæ administrationem impediunt; cætera verò posse. Vnum tamen est simplex Religionis votum, quod liberè potest facere etiam ante pubertatis annos; pater tamen habet ius irritum illud faciendi. Vnde animaduertendum est impuberes, solemne Religionis votum, etiamsi fuerint rationis compotes, ac doli capaces, emittere non posse. *c. 1. de Regular. in 6.* vbi ei, qui ante decimumquartum ętatis annum exãctum, Religionis institutum solemni professione susceperat, libera facultas datur ad seculum redeundi: quod idem prius *in c. Ad nostrã, de Regularib.* fuerat constitutum. Potest enim ius Canonicum eiusmodi vota irrita reddere, ne adolescentes in ea ætate temerè, & inconsideratè Monasticam vitam arripiant. Scire autem oportet, ante Concilium Tridentinum iure antiquo post decimumquartum annum expletum, iuuenes Religiosorum instituta potuisse solemni voto profiteri: postea verò, decimussextus annus completus ab eodem Concilio *Sessione 25. cap. 15. de Regularib.* requiritur ad professionem emittendam; alioqui nulla est Religionis professio: impuberes tamen simplex Religionis votum facere possunt; ac cætera personalia vota, quæ patris potestati non derogant, si doli capaces & mẽtis compotes sint. S. Thomas 2. 2. *quæstione 88. articulo octauo.* & cæteri Theologi, & Summistæ *supra citati.*

Decimò quæritur, an liceat vxori sine viri consensu aliquid vouere? Respondeo ex Augustino *in quæstionibus super Numeros* (vt refertur *capite Noluit, & cap. Manifestum, 33. quæ. 5.*) non posse votum abstinentiæ facere; & proinde nullum aliud, si debita, ac necessaria coniugij obsequia, & opera impe-

ra impediat, ac turbet. Hoc igitur ita est intelligendum, vt quæ maritum offendunt, vel eius auctoritati, & potestati aliqua ex parte officiunt, vota rata non sint sine expresso, aut tacito eius consensu: quæ verò nihil viro nocent, vim, & locum habent, nec possunt ab illo dissolui. Glossa *in c. Manifestum, 33. q. 5.* communi consensu recepta. Si roges, an contra vir sine vxoris consensu vouere aliquid possit? Innocentius, Andreas, Antonius Butrius *in c. Scripturæ, de voto, & vot. redempt.* aiunt non posse, quia vir, & vxor sunt pares. Sed verius est, quod Hostien. & Abb. *in cap. Scripturæ, de vot. & vot. redempt.* & Glossa *in c. Manifestum, 33. q. 5.* tradiderunt, eum posse; quoniam vir est caput mulieris, *1. Cor. 11. & c. Cùm caput, 33. q. 5.* licet sint pares coniuges in petendo, & reddendo debito, vt dicitur in *c. Gaudemus, de diuortijs.*

Cap. XVII.

Quando, & quomodo Vota possint irrita reddi.

PRimò quæritur, quot modis vota dissoluuntur, siue quot modis quis à voto soluatur? Resp. multis: vt docent Sot. *l. 7. de Iust. q. 4. a. 1.* Siluest. *votum 4. q. 1.* Angel. *votum 2. & 4.* Nauarr. *in Man. c. 12. n. 63.* Rosel. *votum 5.* Ricard. *in 4. d. 38. ar. 4. q. 1.* Primò, absolutione. Secundò, commutatione. Tertiò, redemptione. Quartò, relaxatione. Explico singulos breuiter. Tunc voti vinculo quis absoluitur, quando Ecclesiastici Superioris auctoritate voto liberatur. Votum verò commutatur, quādo eadem auctoritate obligatio, siue materia voti in aliam materiam trāsfertur: Vt si peregrinationem voueris, quam Episcopus in ieiunia & eleemosynas commutet. Votum verò redimitur, cùm eius obligatio pecunia loco eleemosynæ data compensatur. Redemptio enim voti nihil aliud est, nisi peculiaris quædam eius, videlicet in pecuniam commutatio. Commutatio enim fit in quamlibet rem; redemptio verò non nisi data pecunia. Porrò votum irritum fit, siue vt Canonici iuris interpretes, & Theologi loquuntur, irritatur, quando Superioris, etiam ciuilem, siue profanam potestatem habentis, auctoritate omnino voti vinculum tollitur; aut quando non impleta, qua factum est, conditione expressa, vel tacita finitur, & cessat eius obligatio. Ex dictis perspicitur, quid interfit inter hæc, videlicet, irritum votum facere, commutare, redimere, relaxare; de qua re Sotus, Siluester, Angelus, Nauarrus, *locis citatis.*

Secundò quæritur, An vota facta antequam ij, qui vouerant, essent in cura, & potestate alterius, irrita fieri queant ab eo, in cuius potestatem deuenere? Vtputa, an votum vxoris factum ante coniugium, & votum serui, quod ante seruitutē fecerat, & votum Monachi, quod ante ingressum in Religionem susceperat, maritus, dominus, aut Abbas possint dissoluere? Inter omnes conuenit posse huiusmodi vota irrita fieri, si aliquā ex parte officiant ei, in cuius potestate, & cura sunt ij, qui vouerant, constituti. Vt apertè cōligitur ex *c. Noluit, 33. q. 5.* & docent Ricardus, Paludanus, Astensis, & inter Pontificij iuris Doctores, Innocētius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, quos citant Siluester *votum 4. quæst. 2.* Angel. *votum 2. num. 11.* Nauarrus *capit. 12. numer. 65. versicul. interrogatur autem.*

Tota igitur præsens quæstio est de ijs votis, quæ Deo ante nuncupauerant, & nunc nihil domino, aut marito, aut Abbati nocent; de quibus prædicti auctores nihil expressè meminerunt. Videtur quibusdam, ea posse dissolui: quoniam ij auctores generaliter concedunt posse omnia relaxari. Et ratio id videtur efficere, quia etsi voluntas eorum, qui vouerant, dum vota facerent, alteri subiecta non erat, modo tamen subijcitur. Mihi videtur distinguendum. Nam in primis, aut vota sunt Monachi, aut serui, vel vxoris, vel alterius. Vota Monachi omnia, quæ fecit antequam Monachus esset, in votum Religionis perpetuū ipso iure commutantur, vt infrà clarius apparebit. At verò vota ante seruitutem, vel coniugium facta, si domini, vel mariti debitis obsequijs aliqua ex parte sint incommoda, dissolui possunt: cętera non item, quia, *vt statim dicemus*, non omnia vota serui, vel vxoris potest Dominus, aut maritus irrita facere.

Tertiò quæritur, Penes quos sit potestas dissoluendi, hoc est, irrita faciendi vota? Resp. cum Soto *lib. 7. de Iust. quæst. 3. artic. 1.* Siluest. *votum 4. quæst. 2.* Angel. *votum 2. num. 11.* Nauarr. *c. 12. num. 65. in Manuali*, esse penes eos, quorum potestati, curę, administrationi rei domesticæ & familiaris subiecti sunt. qui Deo vota nuncupant; è quibus sunt dominus, pater, tutor, curator, maritus, Abbas, comparatione seruorum, filiorum familias, pupillorum, minorum, vxorum, & Monachorū. Ex quo intelligitur, eiusmodi auctoritatem non esse Ecclesiasticam, aut spiritualem, sed ciuilem, & profanam. Deinde hanc potestatem non ex iure Canonico, sed ex iure naturali descēdere; quoniam tota in gubernatione & administratione rei domesticæ & familiaris innititur, aut in potestate, qua quidam non sui, sed alieni iuris esse dicūtur, cuiusmodi sunt seruus, & filius familias. Vnde fit, vt hæc potestas vota irrita faciēdi sit etiam penes gentes à Christi fide & Religione alienas. Postremò constat, hoc ius pertinere ad Superioris potestatem ratione rei, & materiæ voto promissæ: quæ cùm Superioris potestati aliqua ex parte noceat, ipsi subijcitur, & proinde votum locum, & vim non habet, nisi ratum id habeat. Hinc etiā efficitur, vt penes Episcopum non sit talis auctoritas rescindendi vota eorum, quorum spiritualis cura est ipsi commissa: non enim domesticam eorum administrationem & curam gerit.

Quæres, an saltem Romanus Pontifex auctoritatem habeat reddendi irrita, & dissoluendi vota laicorum, seu hominum secularium? Respondet Sot. *loc. cit.* non habere, quia eius cura non est domestica administratio, & gubernatio personarum. Deinde quæres, an saltem Clericorum, Monachorum, & Religiosorum possit vota rescindere? Sotus id videtur concedere *l. 7. de Iust. q. 3. a. 1.* Sed distinguere oportet. Aut enim sunt vota Clericorum, qui nullius religionis solenni professione adstringūtur: aut sunt vota Monachorum, vel aliorum Religiosorū. Si vota sint Clericorū, qui ab omni religionis instituto, & vinculo liberi, & soluti sunt, quāuis in ea plenam potestatem simplici-

Sic etiam Cai. 2. 2. q. 88. a. 12. & Nauarr. in Man. c. 12. n. 56. & S. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2.

pliciter habere non videatur: at si Clericus vouerit aliquid, quod ad gubernationem Ecclesiarum, Beneficiorum, & rerum Ecclesiasticarum pertineat, videtur id votum posse irritum facere: tum quia tacita conditione videtur factum, ea nimirum, si Romano Pontifici placuerit: tum quia aliqua ex parte eius supremæ potestati obest. At in cæteris votis, quæ ad preces, ieiunia, vel eleemosynas pertinent, non videtur Romanus Pontifex talem potestatem habere: licet ea possit redimere, & commutare, & eorum vinculo ligatos absoluere iustis de causis.

Monachorum verò & Religiosorum vota iuxta Caietani *in 2.2. quæst. 88. artic. 12.* & Nauarri *in capit. 12. numer. 76. in Manual.* sententiam, potest dissoluere, & irrita reddere; quia hæc vota non magis videntur esse subiecta Religionum Præfectis, quàm Romano Pontifici. Ergo sicut illi possunt, potest potiori iure, & ratione Pontifex: nam tacita conditione videntur facta, si ipsi videlicet grata, acceptaque sint. Existimo ea omnia posse liberè relaxare, quæ possunt Religionum Præfecti, & alia multa, quæ nec ipsi Præfecti queunt. Ex dictis perspicitur, posse eam fœminam, quæ cæteris sanctimonialibus præest, earum vota dissoluere, quæ bonæ totius familiæ gubernationi incommodant. SI QVAERAS, an ij, qui vice aliorum Superiorum funguntur, habeant auctoritatem irrita faciendi vota eorum, qui sunt in cura, & potestate superiorũ: videlicet ea subditorum vota, quæ possent rescindere Superiores, si adessent? Resp. posse, si illam vicariam iurisdictionem habeant auctoritate legis, canonis, vel cõstitutionis, vel auctoritate principis, aut alicuius alterius legitimi Superioris, vel auctoritate ipsius Superioris, cuius vice fungũtur, dummodo ab eo demandatam iurisdictionem habeant generalem ad omnes causas, & negotia, nõ contractã, & restrictam ad certas causas.

Quartò quæritur, An vota auctoritate legitima semel irrita effecta reuiuiscant postea, cùm ij, qui vouerant, à potestate, & gubernatione alterius eximuntur? Sensit Innocentius *in cap. Scriptura, de voto, & voti redempt.* filiorum familias vota impleri, & reddi debere potestate patria soluta. Idem fortassis dixisset de votis vxorum, seruorum, & Monachorum. Cui sententiæ adstipulantur Hostiensis, Ioann. Andr. Antonius Butrius ibidem, & Rosel. *in verbo, Votum. 2. numero 7. & numero 13.* vt testatur Siluester *votum 4. quæstione 2.* Abbas verò in *capit. Scripturæ, citato*, ait, se de hac sententia Innocentij dubitare ob ea, quæ dicuntur *in capite Quidam, & capite Placet, de conuers. coniug.* Vbi, si vir est in Religionem ingressus contradicente, vel ignorante vxore; ea repetente, cogitur egredi; nec mortua vxore, ad regrediendum in Religionem compellitur, quoniam quo tempore non poterat, in eam fuerat ingressus, & eam professus. Ergo idem, inquit Abbas, iuris est in filio. Theologi, Caietanus, *2.2. quæstione 88. articulo 8. versiculo Vota subditorum.* Sotus *libro 7. de Iustitia, quæstione 3. articulo 1. versiculo Aliud post dubium, sequitur.* Siluester *votum 4. quæstione 2.* Angel. *votum 2. quæstione 17.* Nauarrus *in Manuali, capite 12. numero 66.* ex Paludano *4. distinctione 38. quæstione 4.* Innocentij sententiam refutant, eo quod obligationes extinctæ non redeunt, nisi reuocentur. Nam *in L. cũ ex causa. C. de remissione pignoris* dicitur: *Obligatio semel extincta instaurari non potest.* Item: *Mortua non reuiuiscunt per naturam.* Rosell. Innoc. defendit, quoniã ait vota non fuisse extincta, sed suspẽsa & quasi sopita: nec enim Innocentius ignorabat semel sublatas & rescissas obligationes non redire. Profecto Innocentius nunquam docuit vota semel irrita facta reuiuiscere, sed solum vota filiorumfamilias patria potestate soluta impleri, ac reddi debere: nam eò quod facta sunt absolutè, & simpliciter, censentur implenda ad tempus, in quo filijfamilias erunt sui iuris, & interim viuente patre suspensa: vt Innocentij sententia intelligatur, scire oportet eos, qui sunt in potestate aliorum, posse vota facere tripliciter. Primò, ita vt vota ipsa referantur ad tempus, in quo erunt sui iuris ij, qui vouent: & hæc vota non semper possunt irrita facere Superiores, vt dicam inferiùs. Secundo modo, ita vt referantur expressè ad tempus, in quo ij, qui vouent, non sui, sed alieni iuris sunt: & hęc vota, si irrita faciant Superiores, nunquam postea reuiuiscunt: nec Innocentius hoc negauit. Tertiò, fieri vota possunt absolutè, & simpliciter, ita vt nec referantur ad tempus, in quo non sunt sui iuris, qui vouent, nec ad tempus, in quo sunt sui iuris: & hæc vota si Superior irrita faciat, inquit Innocentius, id locum habet in ea parte, qua potest, non in alia; hoc est, facit irrita toto tempore quo ipse habet in potestate suã eum, qui vouet, non tamen eo tempore, quo qui vouet, ab ipsius potestate solutus, ac liber erit. Primum enim potest, secundum non item. Hæc est sententia Innocentij quam nihilominus cæteri, quos supra nominaui Auctores, meritò reliquere.

Quintò quæritur, An ad votum rescindendũ, iusta causa requiratur, an verò sola voluntas sufficiat eius, qui ad id habet potestatem? Non quæritur hic, An si Superior absq; causa votum irritum reddat, valeat id, quod facit: nam, conuenit inter omnes, valere: sed solùm quæritur, an peccet? Sunt, qui putent, oportere iustam aliquã causam subesse; alioqui erit opus otiosum. Sed verius est, quod tum Canonici iuris periti, tum Theologi, & Sũmistæ docuerunt, nullam causam requiri, vt ipsa voti relaxatio sine peccato fiat: quoniã vota facta sunt ea tacita conditione, si ea superiori placuerint. Præterea in hoc potestas rescindẽdi, & dissoluendi vota, distinguitur à potestate absoluendi: quod votorum absolutio, vt per Superiorem absq; peccato fiat, causam iustã, ac debitam postulat, vt posteà dicemus; at voti abrogatio nõ item. Postremo, quia superior ideo potest votum subditi irritum facere, quia est votum in materia, & re ipsi subiecta, & quæ ei incõmodat, & nocet, ergo suo iure vti potest. Nec obstat, q̃ dicitur otiosum esse opus, si superior votum irritũ facit absq; causa: nam aliud est votum otiosè superiorẽ rescindere, aliud sine causa iusta, sola voluntate rescindere. Non enim in præsentia quærimus, otiosè nec ne superior voti vinculum rescindat, ac dirimat; sed an peccet, si votum irritũ faciat nutu, & arbitratu suo absq; alia iusta causa? Et dicimus, non peccare; quoniam suo iure vtitur. Ita Siluester *votum 4. q. 2. vers. 6.* Innoc. Ioan. Andr. Hostiensem secutus, Angelus *votum 2. nu-*

mero

mero decimo. Paludanus 4. *distinctione* 38. *quæstione* 4. *art.* 2.

Sextò quæritur, an qui habet potestatē dissoluendi vota alicuius sibi subiecti, si ea semel rata, & accepta habeat, possit postea nutu suo absq; vlla alia iusta causa, eadem rescindere. Resp. iustā aliquando posse causam accidere, vt postea dissoluat pro occasionibus nouis oblatis. Si verò semel relaxata fuerint, & irrita facta, siue causa iusta, siue absq; illa, ratum, & firmum est, quod fit, & nihil peccāt is, qui vouit promissa non præstans. Ita Siluester, Angelus, Paludanus, Caietanus *locis supra citatis.* Ita etiam Canonici iuris Doctores, Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas & Abbas *locis item supra relatis.*

Quæres, An peccet Superior, cùm votum subditi irritum facit sine causa, postquam illud votum ratum habuit? Resp. cum Silu. *votum* 4. *quæ.* 2. *vers.* 6. Nauarro *c.* 12. *sui Manual. nu.* 61. eum peccare, quia postquam votum semel ratum habuit, non debet illud sine causa rescindere. Item, postquam subdito facultatem dedit, qua votum fecit, non debet absq; causa eam facultatem reuocare.

Septimò quæritur de Votis filiorum familias, An omnia vota filiorū familias possit pater irrita reddere? Respondeo in hunc modum: Si Vota videlicet personalia Religionis, aut Castitatis simpliciter facta à filio sint ante decimumquartum annum, aut à filia ante duodecimum, omnia possunt à patre dissolui, vt constat *ex c.* 1. *de Regularibus in sexto. & c. Ad nostram, de Regularibus*: & colligi potest *ex c. Si annum, de iudicijs, in sexto.* Post id tempo ris verò distinguendum est: Aut vota filij nihil iuri, potestati, & domesticæ gubernationi patris officiunt; & hæc Vota nequeunt à patre rescindi, qualia sunt vota Religionis, Castitatis, sacrorum Ordinum suscipiendorum, certarum precum recitandarum, certi deniq; facinoris, siue peccati euitandi: Aut aliqua ex parte potestati patris incommodant, & ea vota potest iure dissoluere; veluti, si filius familias voueat eleemosynas, abstinentias, ieiunia, peregrinationes.

Communis quoq; omnium auctorum sententia est, penes tutorem esse potestatem irrita faciendi vota pupilli, & penes Curatorem ius esse rescidēdi vota realia, non personalia minoris: nā sicut filius familias refertur ad patrem, in cuius patria potestate est; sic pupillus ante decimum quartum annum refertur ad tutorem, quando patrem non habet. At minor refertur ad curatorem post decimum quartum annum, vsque ad vigesimum quintum annum: in quo tempore curator solùm potest irrita facere vota realia minoris, non personalia: cùm tamen tutor ante decimum quartum annum ius habeat rescindendi vota pupilli realia, & personalia: quia filius familias ante eum ætatis annum plenum rationis iudicium ad faciendum votum habere non creditur.

Animaduertendum tamen est, filios familias aliquando bona castrensia, vel quasi castrensia possidere, quorum bonorum dominium, & vsus penes ipsos est: quare sicut ex ijs bonis potest filius familias suo iure aliquid in pauperum vsus impendere, ita etiam vouere se aliquid datu rum ex eis. Sed quid? Si filius familias simplex Religionis votum, vel aliud quodlibet personale fecerit ante decimum quartum annum, & illud votum pater ante id temporis nequaquam rescindit, an postea illud dissoluere iure possit? Pono exemplum: Filius familias vouit Castitatem, vel in Religionem ingressum, cū duodecimū ageret annū, nunc verò annū agit decimum octauum. Quæritur, an penes patrem sit potestas votum illud irritum faciendi? Duæ sunt opiniones: Vna negat, quam tenuit Sotus *in libro* 7. *de Iustitia, quæstion.* 3. *articul.* 2. Altera affirmat, quam probauit Caietanus 2. 2. *quæstion.* 189. *articul.* 5. cui sententiæ subscripsit Nauarrus *capite* 12. *sui Manualis, num.* 71. & ego etiam ipse libentius subscribo. Sed sciendum est, vt benè etiam Caietanus, & Nauarrus annotarunt: si filius familias post elapsum decimū quartum annū votū antea factum denuo confirmauerit, illud nequaquam posse à patre irritum reddi, quoniam perinde est, ac si filius post decimū quartū voueret annū. Neq; verò filius votum denuo confirmasse, censetur ex hoc, quod centies, aut millies credens suum votum valuisse, in animum inducat, & decernat illud tanquam ratum, & acceptum exoluere: hoc enim non est votum denuo confirmare, eo quod per ignorantiam voto consentit, ratus id vim habuisse, cùm primum fecerat. Denuò igitur votum confirmare dicitur, cùm illud redintegrat, ac repetit, tunc enim voto nouum consensum accommodat.

QVAERES, an idem iuris sit de seruo? Fingamus enim seruum, dum est in potestate domini, quippiam vouere, cuius votum nunquam Dominus dissoluit: finge quoque postea seruum Domini potestate solutum, sui iuris esse factum. Quæritur, an penes Dominum sit potestas eiusmodi votum dirimendi? Sotus idem iuris Domino concedit in votum serui, quod patri in votum filij, ex quo deducit suam sententiam, patrem scilicet non posse votum filij rescindere ante decimumquartum annum, postquam filius id ætatis excesserit: *Quia Dominus,* inquit, *non potest votum serui in seruitute factum dissoluere, postquam is effectus est liber.* Sed alijs hæc opinio Soti ex parte non placet: & meritò: pater enim in vniuersum potest filij vota Religionis ante decimumquartum annum irrita facere; at Dominus non omnia potest serui vota dissoluere, sed ea dumtaxat, quæ aliqua in parte ipsius serui operas & debitum, ac necessarium obsequium impediunt. Iura item patri concesserunt, vt omnia personalia, & realia vota filij ante decimumquartum annum relaxet, ac dirimat, si velit: quia ante dictam ætatem, filiorum voluntas imperfecta censetur, vt potè pleno rationis iudicio, & deliberatione carens: at vota seruorum non ita rescindit Dominus, quod eorum voluntas imperfecta iudicetur, sed quod eorum actiones, operæ, obsequia, res, & bona domino debeantur. Ex quo efficitur, vt filij vota Religionis ante decimumquartum annum necdum à patre relaxata, possit pater dissoluere, postquam filius eam ætatē excessit, quia voluntas, qua ea facta sunt, imperfecta fuit, & proinde patris potestati subiecta, nisi noua post eam ætatem filij voluntas, quæ in iure perfecta censetur, accesserit.

QVAERES deinde, an post Concilium Tridentinum, in quo, tempus solemnem Religionis professionem emittẽdi, protractum est ad annum decimum sextum Sessio 25. *cap.15. de Regularib.* eo ipso prorogatum sit quoque tempus patriæ potestatis, & iuris in vota filiorum, ita vt pater ius habeat omnia eorum vota, si Religionis fuerint, rescindẽdi ante decimum sextum annum? Respondeo, minimè; quoniam Concilium tantummodo professionis tempus ad decimum sextum annum extẽdit: In cæteris Religionis votis simplicibus, ius commune non corrigit.

QVAERES insuper. An mortuo patre iure mater filij vota Religionis ante decimum quartum annum relaxet? Respondeo, nequaquam, quatenus mater est, quoniam mater patriam potestatem in filios non habet, filius enim post patris obitũ sui iuris effectus est, quod si mater filiorum sit tutrix, id poterit iure tutricis, non matris: Ita vt patria potestas in vota filij post eius obitum, in tutorem, non in matrem transierit.

Octauò quæritur, An si filius ante decimum quartum annum vota Religionis, vel alia personalia fecerit animo, & voluntate sese Deo obligandi, eaque persoluendi, postquam eam ætatem excesserit, possit pater ea vota dissoluere. Quod perinde est, ac si quæreretur, an vota personalia, quæ filius familias ante decimum quartum annum facit, & ea refert ad tempus, in quo sui iuris erit, possit pater irrita facere? Quidam negant, eo quòd huiusmodi votorum solutio referatur ad tempus, quo filij erunt extra annum decimũ quartum, & hanc putant Innocentij, Hostiensis, Ioannis Andreæ, & Abbatis fuisse sententiam *in c. Scripturæ de voto, & voti redempt.* Alij verò affirmant, posse ea vota irrita fieri, auctoritate patris, siue tutoris, quia filiorum voluntas, dum vouent, est patriæ potestati subiecta, tanquam imperfecta: quoniam Canones, leges, & iura filios familias nondum puberes iudicant pleno rationis vsu carere. Idem iuris est de votis realibus, quæ faciunt filij impuberes, & ea referunt ad tempus, in quo sui iuris erunt omni potestate patria soluti. Quæ sententia verior alijs videtur. Ita sentit Syluest. *religio. 2. quæst. 15. versic. Sed si impubes.* & citat Rainer. Astensem, & alios. Idem dicit, *votum 4. quæst. 2. versic. 5.* Nam iura, inquiunt, hanc potestatem patri ante decimum quartum annum concedunt, quòd ante id tempus filiorum volũtas imperfecta meritò iudicatur. Vnde parum refert, si filij dum vouent, voti solutionem in tempus libertatis plenæ, ac perfectæ reijciant: Satis enim est, si eorum vota, eo quòd ex imperfecta voluntate facta esse iure creduntur sint patris potestati subiecta. Nec illi tamen concedunt, idem iuris esse in votis seruorum, vxorum, vel Monachorum, qui dum vouent, vota sua persoluenda in tempus suæ libertatis, & iuris cõijciunt, ac referunt. Innocentium autem, Hostiensem, Ioann. Andream, & Abbatem hoc solùm voluisse testantur, licere filijs sine consensu patrum, ita vouere, non tamen negasse, ea posse patria potestate dirimi, ac rescindi. Mihi hæc sententia probatur, nam merito iura censent, filios ante decimum quartum annum, & filias ante duodecimum annum plena animi deliberatione vota non facere; & ideo voluerunt, vt eorum vota intra huiusmodi ætatem possent irrita fieri auctoritate patris. SI QVAERAS, an possit pater, aut curator irrita facere vota realia, quæ filius, siue minor vouendo refert ad tempus, in quo erit sui iuris, si filius, aut minor excesserit, dum vouerit, pubertatis annos. Respondeo, non posse, quia huiusmodi vota fiunt ex plena animi deliberatione, & referuntur ad tempus, in quo filij erunt extra potestatem patris, siue curatoris: nec iura concedunt hanc auctoritatem patri, vel curatori.

Nono quæritur de votis seruorum, An Dominus possit in vniuersum omnia serui vota dissoluere, Sotus *loco citato* id videtur concedere. Sed communi Canonici iuris interpretum, & Summistarum sententia comprobatum est, ea tantùm vota dominum posse rescindere, quæ iuri, ac potestati ipsius aliqua in parte officiunt, & obsunt. Serui enim opera, ars, industria, labor, & res vniuersæ in bonis domini numerantur. Hæc sententia colligitur ex Innocentio, Hostiensi, Ioan. Andrea, & Abbate *in cap. Scripturæ, citato*: eam verò habent expresè Angelus, Syluester, & Caietanus. Rosella *locis supra citatis.*

Decimò quæritur, An dominus possit serui votum dissoluere, quod fecerat antequam in eius potestatem deueniret? Respondeo, Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, & Abbatem *in cap. Scripturæ.* innuere, cum posse, si domino incommodet; alioqui, minimè. Ratio vtriusque est, quia dominus habet ius relaxandi vota serui in seruitute facta, si ipsius potestati noceant, cætera verò non item: Ergo habet quoq; potestatem ea vota dirimendi, quæ ante seruitutem sunt facta, si ei sint incommoda, alia verò minimè.

Vndecimò quæritur, An dominus ius habeat dissoluendi vota serui, quæ seruus ipse ad tempus suæ libertatis, & iuris persoluenda promittit? Ex dictis Innocentij, Hostiensis, Andreæ & Abbatis *loco citato*, deduci videtur, non habere; quoniam eorum votorum solutio ad tempus libertatis cõfertur; & proinde nihil domino obstant. Et ita mihi hoc magis probatur: quoniam, vt ex paulò ante dictis colligitur, dominus nequit serui vota rescindere, nisi quæ sibi aliquid afferunt incommodi. Sed quid si seruus votum faciat, ad id tempus libertatis suæ, & ad tempus quoque seruitutis persoluendum, an dominus possit irritum facere. Respondet Syluest. *votum 4. quæst. 2. dictio. 5.* posse, quod colligit à simili *ex cap. Placet, de conuers. coniug.* idem confirmari potest *ex cap. Quidam eo. tit.* vbi habetur responsum pontificium de quodam coniuge, qui inuita vxore religionem susceperat, & ea mortua superstes erat: rogatus Pontifex, an vi voti facti coniux superstes ad religionem redire deberet, respondet, ad id faciendum vi voti non compelli: quamuis coniugale debitum exigere nequeat: *quoniam votum, inquit, quo est religionem professus, non valuit; & ideo vxor maritum suum iure repetiuit, & religionis votum irritum fuit. Et ideo vxore mortua votum religionis non reuiuiscit.* Ergo pari ratione votum serui auctoritate legitima domini irritum factum redire amplius non potest. Mihi tamen hæc sententia Syluestri non placet: & vtor simili argumento: si vir religionem vouisset, & votum suum retulisset ad tempus, quo defuncta

vxore superstes esset, vim profecto votum habuisset, nec potuisset vxoris potestate dissolui, quia nihil vxori nocuisset: ergo si seruus faciat votum, & illud conferat ad tempus, quo erit sui iuris, auctoritate domini dissolui non potest. Quare dicendum puto: Seruum tripliciter vouere posse: aut enim refert votum ad tempus, in quo erit sui iuris; & hoc votum dominus irritum facere nequit: aut refert expresse ad vtrumque tempus, videlicet libertatis, & seruitutis: & hoc potest dominus ea parte, qua sibi nocet, dissoluere, ex altera parte non item: aut non refert ad vllum tempus expresse; & hoc potest simpliciter domini auctoritate dissolui; nec amplius reuiuiscet.

Duodecimò quæritur de votis vxorum, An penes virum sit potestas omnia vxoris vota dissoluendi? Sotus *loco citato*, etiam videtur asserere, tale ius penes eum esse. Sed communis Pontificij iuris Doctorum, & Summistarum opinio negat marito id iuris esse; hoc enim insinuant Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, Angelus, Syluester: è Theologis verò Richardus, Paludanus, Caietanus *locis supra citatis*. Vir igitur ea duntaxat legitimè vxoris vota dissoluit, quæ sibi obsunt, & incommodant, vel bonam domus, & familiæ administrationem impediunt: vt si vxor voueat peregrinationes, abstinentias, ieiunia, potest vir hæc vota dissoluere: cætera verò non item, cuiusmodi sunt vota recitandi preces aliquas, largiendi eleemosynas ex ijs bonis, quorum habet liberam potestatem, & administrationem: aut si votum fecisset vxor, non mentiendi, nõ peierandi, non dicendi falsum testimonium, vim habuisset, nec potuisset maritus votum huiusmodi irritum facere.

Decimotertiò quæritur, An è contrario possit vxor viri vota relaxare? Innocentius *in cap. Scripturæ, citato*, innuit posse, ita dicens: Sicut vxor nihil potest sine viri consensu vouere, sic nec vir sine vxoris voluntate, quoniam vir, & vxor pares iudicantur, *cap. Gaudemus, de diuortijs*. Verum contra Innocentium, Hostiensis, & Abbas *in eodem capite*, meritò negant, id potestatis esse penes vxorem. Nam licet, quod attinet ad coniugale debitum petendum, siue reddendum, sint pares coniuges, in quo locum habet allatum ex iure testimonium; in ipsa tamen domus, & rei familiaris administratione pares minimè iudicantur. *Nam vir caput est mulieris*, teste Apostolo 1. Corinth. 11. & vt habetur *in cap. Cum caput* 33. q. 5. Vxor igitur sine consensu viri nequit aliquid pollicerì, quod viri potestatem aliqua ex parte impedire, aut perturbare possit. Vir tamen suo iure ieiunia, eleemosynas, abstinentias, peregrinationes, & alia id genus multa iure vouet absque vxoris consensu.

Decimoquartò quæritur, An vir ea vxoris Vota iure dissoluat, quæ vouerat ante coniugium? Respondeo cum Innocentio, Hostiensi, Ioan. Andrea, Abbate, Glossa, Angelo, Syluestro, & Rosella *locis supra citatis*, ea posse vota dirimere, quæ sibi, & administrationi familiæ, reiq; domesticæ nocent. Quod facilè deducitur *ex cap. Nolunt*. 33. q. 5. at cætera minimè. Ratio huius est, quoniã sicut post coniugium facta vota, quæ sibi officiunt, iure dissoluit, alia verò nequaquam: sic eodem iure potest rescindere vota vxoris, Deo ante coniugium nuncupata.

Decimoquintò quæritur, An si vxor quippiam vouerit implendum post solutum matrimonium possit maritus dissoluere? Respondeo *ex paulo ante dictis*, non posse: nam nihil viri potestatem in administranda re familiari, & domestica lædit, aut impedit.

Decimosextò quæritur de votis Monachorum, num Abbas in vniuersum ea rescindere, ac dirimere queat? Duæ sunt opiniones: Prima docet ea tantùm posse, quæ eius potestatem, & administrationem aliqua ex parte interturbant. Vt cum Monachi aliquid pollicentur in ijs, quæ sunt Abbatis potestati subiecta. Sic Caietanus 2. 2. *qu.* 88. *art.* 8. Quam sententiam videntur docuisse Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, & Abbas *in cap. Scripturæ, de voto, & voti redempt.* cum aiunt, non licere Monacho quippiam sine Abbatis consensu vouere, quoniam eius voluntas Abbati subijcitur. Secũda opinio generaliter tradit posse Abbatem omnia Monachi vota dissoluere, ideo quòd omnem suam voluntatem in Abbatem transtulerit. Sic Angel. *verbo, Votum 2 nu.* 3. Sylvest. *votum. 4. q. 2. dicto.* 5. Sot. *libr. 7. de iust. quæst. 3. art. 1.* Rosell. *Votum. 2. num. 14.* Nauar. *in Manuali, cap. 12. num. 65.* qui cum esset antea Caietani sententiam secutus, eam postea reuocauit. Vnde Abbatis potestatem in Monachorum vota fatentur talem esse, qualem habet pater in omnia filiorum Vota ante decimum quartum ætatis annum in masculo, aut duodecimum in puella: sicut iura, inquiunt, patri concedũt plenum ius, eo quòd, eo tempore imperfecta sit filij voluntas, sic etiam Abbas plenam potestatem habet in vota Monachi in fauorem, & gratiam Religionis, qua Monachus se omni voluntate abdicauit. Item, ne Monachus noua sibi onera imponat post susceptum Monasticæ vitæ institutum. Atque hæc opinio probabilior mihi videtur.

Decimoseptimò quæritur, An Abbas ius habeat, & auctoritatem dissoluendi vota Monachorum facta ijs in rebus, quæ ad Regulas, & Constitutiones Monastici pertinent instituti? Negant quidam, quando Abbas non potest Monachos Regulæ, aut Constitutionis vinculo soluere: secus, si possit. Sed vniuersè videtur oppositum esse probabile, quod alij tradiderunt, eo quòd ex proxima quæstione liquet eum talem potestatem habere. Ratio in promptu est, quoniam licèt materia voti ei subiecta non sit, si neminem possit Regulis, & Constitutionibus soluere, Monachi tamen voluntas ei plenè subijcitur, ita vt iure prohibere queat, Monachos se nouis Votorum vinculis obstringere. *Sot. lib. 7. de iust. q. 3. a. 2.*

Decimooctauò quæritur, An si Monachus transitum ad arctius Religionis institutum vouerit, liceat Abbati eiusmodi votum rescindere? Caietanus negat *loco citato*. negat etiam Nauar. *consil. 30. de voto, & voti redempt. num. 2.* & hoc ideo, quia putant Abbatem non posse Monachi vota dissoluere ijs in rebus, in quibus ille nõ est ipsi subiectus, qualis est huius voti materia: nam cuilibet Monacho licet ad arctiorem Religionis normam, & regulam cõmigrare. *c. Licet, de regularib.* Immo ipse Caiet. hoc argumento vtitur ad suam sententiam

comprobandam. Nam si Abbati ius esset dissoluendi vota in his, in quibus ei Monachus minimè subijcitur, eidem quoque ius esset votum eiusmodi rescindendi.

Mihi tamen aliter videtur dicendum, nempe id voti non posse ab Abbate relaxari, non quod cætera non possit, sed quia ius canonicum expressim hoc ab Abbatis potestate exceptum esse constituit. Nam concedit Monachis liberum transitum ad seuerius, & durius vitæ Monasticæ institutum, petito saltem, licèt non obtento Abbatis consensu. *cap. Licet. de regularibus.* Quòd si Abbati tantùm iuris esset, & potestatis, hoc Votum scilicet pro nutu suo relaxandi, gradum profecto, & transitum ad arctiorem Religionem intercluderet, & spem, ac liberam facultatem transeundi præcideret.

Decimononò quæritur, An si Monachus voueat aliquid ad tempus, quo erit extra Abbatis, cui subest, potestatem, persoluendum, possit is, in cuius nunc est potestate, dissoluere? Quidam id negant, argumento à simili permoti. Supra enim diximus nequire dominũ, aut maritum vota relaxare serui, vel vxoris tempore libertatis implenda. Verùm mihi certè magis placet aliorum sententia, asserentium non idem iuris esse in huiusmodi votis Monachorum, quod iuris est in votis serui, & vxoris. Et Monachum in hoc potius filio impuberi comparari: ita vt, sicut iure pater vota filij ante decimumquartum annum rescindit, etiamsi filius iusta, & recta conscientia ea vouerit post annos pubertatis exoluenda; sic etiam Abbas pari ratione, & iure Monachi similia vota dissoluat. Pater dissoluit vota filij, quia volũtas filij eo tempore imperfecta censetur. Abbas potest vota Monachi irrita facere, quia voluntas Monachi est Abbati in omnibus subiecta.

Vigesimò quæritur, An vota Nouitiorum ab Abbate tuta conscientia dissolui, & dirimi queant? Respondet Nauar. *in Manu. c. 12. nu. 65.* nó posse: quia Nouitij nondũ sunt in Religiosorum sodalitatẽ cooptati: asserit tamẽ, Abbatem posse ea vota suspendere toto eo tẽpore, quo sunt nouitij, nã iusta subest causa, ex qua ad tempus eiusmodi vota differantur. Quæ sententia alijs non omni ex parte probatur: Aut enim, inquiunt, vota Nouitij facta sunt ante ingressum in Religionẽ, & in hæc nihil iuris, & potestatis Superior habet, quod attinet ad facultatẽ ea vota irrita reddẽdi, aut post ingressum: quæ rursus, aut Superioris potestatem aliqua ex parte impediunt, & rescindi, ac dissolui queunt ab Abbate: quoniã Nouitius, dum probatur, Religionis Præfecto subijcitur: aut nihil impediunt, & hæc rescindi non possunt. Item aiunt: Si Nouitius votum fecerit, & illud retulerit ad tẽpus, quo sui iuris extra Religionẽ erit in Religiosa vita nõ perseuerans, irritũ reddere Superior nõ poterit, vt ex dictis facilè constat. Ego cũ Nauarro dicendum existimo, vota Nouitij in vniuersum, siue personalia sint, siue realia, irrita fieri per Superiorem non posse, quia nullum in ea ius Superior habet: sed vel suspenduntur, & differũtur ad tempus, eo quòd dum Nouitius probatur, impleri cõmodè nequeunt: vel in ipso probationis, & tyrocinij tempore exolui debent, eo quòd nihil Nouitio obesse videatur. Sylu. *voti. 4. q. 7. d. 3.*

Vigesimoprimò quæritur, An vota, quæ aliquis ante monasticam vitam susceptam fecerat, hoc est, ante ingressum in Religionem, Abbatis auctoritate dissolui queant? Respondeo, dum Nouitius est, ea vota ipso iure, quasi sopita esse, & ad tempus dilata, si vna cum Religionis instituto seruari nequeunt, qualia sunt aliqua vota personalia ieiuniorum, vel peregrinationum: secus implere debere, qualia sunt aliqua vota realia de eleemosynis in vsus pauperum largiendis. Ita Sylue. *votum. 4. quæst. 7. versic. Tertium secundum Archiepiscopum.* Solenni verò professione Religionis emissa, omnia vota personalia finiuntur, & cessant, quoniam in ipsum Religionis votum perpetuũ, communi iure commutantur, *c. Scripturæ, de voto, & voti redempt.* vt capite sequenti apparebit.

Caput XVIII.

De Votorum Commutatione:

PRIMO quæritur, An Superioris potestas, & auctoritas requiratur ad commutandum votum in maius, præstantiusque bonum? Non vocatur in dubium absolutè, & simpliciter, an in commutatione votorum Superioris auctoritas sit necessaria: nam S. Thomas *2. 2. quæst. 88. art. 12.* apertè, & clarè respondet in hunc modum: *Votum, est Promissio Deo facta de aliquo, quod sit Deo acceptum. Quid sit autem in aliqua promissione acceptum ei, cui promittitur, ex eius pendet arbitrio. Prælatus autem in Ecclesia gerit vicem Dei; & ideo in commutatione, vel dispensatione votorum requiritur Prælati auctoritas, quæ in persona Dei determinet, quid sit Deo acceptum.* Hæc Sãctus Thomas: Idem prorsus ait Richardus *4. dist. 38. art. 8. quæst. 1.* Idem etiam docet Bonauentura *in 4. dist. 38. art. 2. quæst. 2.* Quod ergo quæritur est, an ad commutandũ votum in id, quod certò, & euidenter est præstãtius, & maius bonum, requiratur Superioris auctoritas? Duæ sunt opiniones: Prima docens, quando votum reddi, & seruari potest vnà cũ eo, in quod commutatur, requiri eiusmodi auctoritatem, licèt certò constet esse maius bonum id, cum quo votum permutatur; nisi illud sit votum Religionis perpetuum: quam sentẽtiam videntur Canonici iuris interpretes tueri, Innocentius, inquam Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, Imola, Antonius Butrius, Felinus *in c. Peruenit 2. de iureiur.* quos citat, & sequitur Syluester *votum 4. quæst. 7. versi. 2.* & idem sensit Goffredus, teste Syluestro: Eorum ratio hæc est, quia si quis vouerit seruiturum se in aliqua hospitali domo, nequit propria auctoritate commutare in aliud votũ, quo se Deo obstringat ad seruiendum in alia pauperiori domo, & laboriosiori: aut si voueat certam peregrinationem, nequit permutari cum alia, licèt religiosiori, sanctiorique: aut si voueat daturum se eleemosynam certis pauperibus, ei non licet permutare cũ alia, quæ detur egenis maiori inopia pressis. Nec item qui vouit ingressum in laxiorem Religionẽ, potest sua auctoritate mutare in ingressum ad arctiorẽ. Deindè, nemo potest in sua causa esse iudex. Item, nemo vtitur iurisdictione in seipsum; at votum sine iurisdictione mutari non potest.

Secunda opinio negat eiusmodi auctoritatem requiri, quando certò, & euidenter patet maius

esse bonum, in quod votum commutatur. Sic opinantur Angelus *Votum. 4. quæst. 2. ad finem.* Sotus *libro 7. de Iustitia q. 4. articul. 3.* Caietanus *22. q. 88. artic. 12. & in Summa, Votum.* Couarruuias *in cap. Quamuis pactum. de Pact. in 6. part. 1. §. 3. numer. 4.* Maior *in quarto distin. 38. quæst. 3. versi. Tertio arguitur.* Armilla *votum. num. 14.* Nauarrus *in Manuali cap. 12. num. 75.* Omnes vero conueniunt, necessariam esse Superioris potestatem, & auctoritatem quandocunque dubitatur, sit ne maius bonum id, in quod votum commutatur, an secus.

Caput igitur propositæ quæstionis est, quando certò, & euidenter constat esse maius bonum, & quod vna cum voto priori, seruari, & præstari potest. Prædicti Auctores omnino inter se dissident. S. Thomas *2. 2. quæst. 88. art. 12.* Richard. *in quarto. distinct. 38. num. 8. q. 1.* & Bonauent. *in 4. dist. 38. art. 2. q. 2.* generatim docent, in commutatione voti, Superioris potestatem, & auctoritatem requiri, qua decernatur quid Deo sit acceptum, & gratum. Ad cuius rei maiorem intelligentiam annotandum est, vnum esse maius bonum, quàm alterum, dupliciter: Aut quia est maioris virtutis officium, & opus, aut quia continet alterum, & aliquid eo amplius. Exempla pono; precatio ad Deum fusa maius bonum est ieiunio, quoniam est religionis officium, ieiunium verò temperantiæ. Item eleemosyna cum sit charitatis opus, præstat ieiunio. In his verò propria auctoritate non potest quisque votum cõmutare: quoniam vnum sit maius altero, ipsi tamen vouenti non est melius. Vouisti ieiunium, vt carnis voluptates comprimeres; non benè illud commutabis in eleemosynas, aut preces. Promisisti te daturum in vsus hospitalis Collegij tex tunicas, dedisti mille nummos aureos, dubitari non potest, quin promissum exolueris, vouisti Deo duos tresue cereos, proculdubio si offeras vnum calicem aureum, vel argenteum, promissum omnino persolueres: & ideo quando maius bonum ita continet id, quod est minus, vt totum partem, vel vt genus speciẽ, vel quia illud, & aliquid amplius valet, certi iuris est posse quemque suum votũ propria auctoritate commutare, & ita quia in voto, quo quis Religionem professurus, continetur omne votum, quo quis promittit Deo obsequium ad tempus, & continetur pariter aliquid aliud; ideo omne votum commutatur in votum Religionis perpetuum: & nihil refert, contineat re ipsa vel virtute. Verbi Gratia; Promisisti Deo te daturum certæ Ecclesiæ vnum calicem aureũ, dedisti duos calices aureos, votum implêsti; quia qui dat duos calices, dat reuera vnum, quem promisit, & eo plus. Promisisti verò te daturum vnum calicem argenteum, & dedisti aureum, votũ exolusti, quia dedisti aliquid, quod virtute continet primum promissum, & aliquid amplius. Promisisti te daturum duos tresue cereos, dedisti pecuniam, qua emi possunt viginti cerei: aut dedisti vnum calicem argẽteum, vel aureum, votum persoluisti, quia dedisti id, quod continet virtute primum promissum, & eo plus. Quare, vt initio dixi, caput Quæstionis est. An simpliciter quisque possit suum votum cõmutare in id, quod certo, & euidenter est maius bonum: tum quia sit vouenti ad voti finem conducibilius maius bonum: tum quia Deo sit gratius? In quo quidem probabiliorem iudico secundam sententiam, vtpotè Iuri magis cõgruentem. Nam *in cap. Peruenit, secundo de Iureiuran.* ex Gregorio habemus: *Non propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat.* vbi nulla fit mentio Superioris: at vbi ius non distinguit, nec nos distinguere oportet. Deinde, *in cap. Scripturæ, De voto, & voti redempt.* ex Alexandro III. refertur: *Rem fratri voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis obseruantiam cõmutare.* vbi Pontifex tanquam rationem ex ipsa rei natura sumptam eam reddit: quia longè maius bonũ est perpetua Religiosi instituti obseruatio, quam temporale obsequium, & *ex cap. Sanè de Regularib.* constat, votum de religione laxiori, tutò commutari in religionem arctiorem. Non est etiam dubium, id quod est maius bonum, esse Deo magis acceptum, & gratum, ergo votum in maius bonum commutatum, est Deo gratius, & magis acceptũ. Postremò, *in cap. Licet, de Pœnit. & remiss.* Abbas, Cardinalis, & Ancharanus docent, necessariam esse Superioris auctoritatem, vt qui promisit seruaturum se ieiuniũ per aliquot dies in pane, & aqua, possit vti leguminibus, vel piscibus, aut alijs simi libus cibis ad sustentandam naturam. At si hæc necessitas sit certa, & euidens, non est opus vlla Superioris auctoritatè. Accedit his quod S. Tho. *loco citato*, solùm, ait Superioris auctoritatem in commutandis votis requiri ad decernendum, vtrũ hoc, an illud sit Deo magis gratum: ergo cum certò constat magis esse Deo gratum, non requiritur Superioris auctoritas.

Sed obijciunt primæ opinionis auctores id, quod dicitur *in l. 2. ff. si certum petatur, & Iustit. Quibus modis tollitur obligatio.* Non liberari ab obligatione debitorem soluentem creditori rem meliorem, nisi soluat, quod debet. Respondeo, non esse idem iuris de homine, quod de Deo. Non enim quo melior est res, est homini vtilior, aut gratior: at Deo, quo res est melior, eo ipso est gratior, & magis accepta. Item, obijciunt id, quod habetur *in cap. 1. de voto*, vbi Pontifex ait, *commutatio voti ab eius, qui præsidet, pendet arbitrio.* Respondeo esse necessariam Superioris auctoritatem, quãdo dubitatur, an sit melior voti commutatio. Deinde obijciũt: Si quis professus fuerit certæ alicuius Religionis institutum, nequit ad arctiorẽ Religionem transire, nisi petita facultate à Superiori, *c. Licet, de Regula.* Respondeo: cum quis certam est Religionem professus, se illi iam tradidit, ac mancipauit; & ideo non potest se ad aliam conferre, præsertim cum Canones, & iura eiusmodi transitum prohibeant, ne fiat temerè, & quadam animi leuitate: & ne dãni aliquid patiatur ea religio, à qua transit religiosus. Tertio illud opponunt, quod habetur *in cap. Licet, De voto, & voti redempt.* vbi decernit Pontifex, non licere alicui sine propriæ salutis dispendio post votum resilire. Respondeo, à voto non recedere eum, qui illud in rem meliorem commutat. Demum, sic arguunt: *Nemo est in sua causa Iudex.* Item, *Nemo iurisdictione in seipsum vtitur.* Respondeo, quando certò constat, & euidenter maius bonũ esse, non opus est Iudicis auctoritate, aut sententia, & iurisdictione, in Votis cõmutandis.

Secundò quæritur, An sit necessaria Superioris auctoritas ad commutandum votum in id,

quod

quod est æquale bonum? Quidam iuniores è quibus videtur esse Medi. *in sua instru. Confessor. lib. 1. cap. 14. §. 7.* tradiderunt, non esse necessarium, vbi certò, & manifestò constiterit esse bonum æquale: nam eo ipso, id, in quod votum commutatur, est Deo æque gratum, & acceptum. At communis est omnium iuris Pontificij Doctorum, & Summistarum opinio, hanc voti commutationem Superioris auctoritate indigere, etiam cum certò, & euidenter compertum est, votum in æquale bonum permutari. Sic opinari videntur, Innocentius, Hostiẽsis, Ioannes Andreas, Abbas, Imola, Antonius Butrius, Syluester, Angelus, Couarruuias, Caietanus, & alij *locis, quæstione Superiori citatis.*

Tertiò quæritur, An ad commutanda vota requiratur iusta causa, & legitima? Respondeo, absolutè, & simpliciter ad commutandum, iustam, & debitam causam requiri: sed ad cõmutandum in id, quod certò, & euidenter est melius bonum, non requiri; benè tamẽ ad commutandum in id, quòd est minus, aut æquale bonum. Sic Abbas, & alij iurisconsulti *in cap. 1. de voto, & voti redempt.* Ita Sotus inter Theologos, Syluester, & Angelus, alijque Summistæ *locis ante productis.* QVAERES, quæ sint iustæ causæ voti commutandi? S. Thom. 2. 2. *q. 88. art. 10. ad 2.* tres in vniuersum assignat: aut enim voti materia effecta est inutilis, aut mala, aut minus bona, talis, inquam, quæ id, quod est maius bonum, impediat. Quo fit, vt Bonauentura *in quarto d. 38. art. 2. q. 2.* doceat, maiorem vtilitatem, vel vouentis, vel aliorum, iustam esse causam voti permutandi. Si qua item difficultas accideret in voto persoluendo: tum etiam, si probabile periculum immineat peccati, quod nonnulli solent admittere, dum votum sæpe violant. Præterea, si votum factum sit ex subita quadam animi perturbatione, aut leuitate. Hinc est, vt vota sæpe commutentur in aliud bonum, eo quòd res voto promissa reddita sit vouenti difficilior, laboriosior, periculosior. Ad extremum, vsu venit aliquando vt res aliqua factu facilis videatur, licet reuera talis non sit.

Quartò quæritur, Penes quem sit potestas vota commutandi? Respondeo, Romanum Pontificem vniuersim posse omnia, & omnium Christianorum vbique degentium vota commutare: Episcopos verò, eorum duntaxat quibus præsunt; nec tamen omnia, sed ea tantùm, quorum commutatio non est Romano Pontifici reseruata. Qui item in aliquos Pontificiam, hoc est, Episcopalem iurisdictionem habent, eorum vota commutare queũt. Insuper ij, qui ex iure, vel Principis auctoritate vice funguntur eorum Superiorum, qui ad id potestatem Ordinariam habent spiritualem. Cuiusmodi sunt Vicepræpositi, Vicerectores, Viceprouinciales, & alij huiusmodi in ijs, quæ spiritualia sunt aliorum locum tenentes. Postremò, ex demandata sibi facultate possunt ij, quibus ad id Romani Pontificis beneficiũ conceditur. QVAERES, quænam vota commutanda Romano Pontifici reseruentur? Respondeo, S. Tho. *loco citato*, generatim docere, perpetua vota ei reseruari: quod ideo eum docuisse puto, quia magnæ causæ Romano Pontifici reseruantur, *cap. Maiores, De Baptismo, & eius effect.* at vota perpetua videntur esse ex numero magnarum causarum: Quæ verò perpetua vota S. Thomas appellet, incertum est. Non enim verisimile fit, ipsum credidisse votum peregrinationis, vel ieiunij, vel alterius rei ad vitam faciendæ, à solo Romano Pontifice commutari posse. Quare Caietanus 2. 2. *q. 88. art. 10.* ait S. Thomam vocasse vota perpetua duntaxat duo, videlicet, Castitatis, & Religionis: tum quia hæc duo per se, & simpliciter sunt perpetua, cætera non item: tum quia hæc duo semel facta seruari perpetuò debent.

Mihi videtur, vota Romano Pontifici reseruata, partim iure, partim vsu, & consuetudine esse quinq; scilicet, votum Castitatis, Religionis, Vltramarinum, Peregrinationis ad sacra limina Apostolorum Petri, & Pauli, in Vrbe, & ad Sãctum Iacobum Compostellanum, vt constat *ex constitutione Sixti IIII. Etsi Dominici Gregis. de pœnit. & remis. inter Extrauagantes communes.* Votum Vltramarinũ, appellatur votum peregrinationis ad Sanctum Domini sepulcrum, & alia sacra Hierosolymæ in primis, & Palestinæ loca inuisenda. Nauarr. *de regulari. commen. 1. num. 21.* ait prædictis quinque votis hodie additum esse sextum, videlicet votum visitandi gloriosam domum Beatissimæ Virginis Lauretanam, sed illud non probat Nauarrus vel priuilegio, vel testimonio, vel consuetudine, vel canone, aut iure. Quidam aiunt, inter priuilegia à Romanis Pontificibus in illam religiosissimam, & sanctissimam domum collata, vnum esse, vt huiusmodi voti commutatio, vel relaxatio sit Romano Pontifici reseruata. De huiusmodi priuilegio nihil certi habeo, si extat, seruandum esset, sed vsu confirmatum non est.

Quintò quæritur, An cui confertur facultas permutandi votum, eo ipso conferatur quoque facultas relaxandi, vel absoluendi illud? Respondeo cum Paludano *in 4. dist. in. 38. quæst. 4. artic. 3. Conclus. 5.* minimè conferri, quia sunt omnino diuersæ facultates. Nam qui votum relaxat, ex toto obligationem tollit: sed qui commutat, obligationem voti non aufert, sed in aliam materiam conuertit, quod longè minoris est facultatis. Et hæc est sententia communis.

Sextò quæritur, An cum facultas voti commutandi committitur, & datur alicui, intelligatur concedi facultas commutandi in id, quod est minus bonum, an verò tantummodo in id, quod est æquale? Quidam iuniores, inter quos est Medina *in sua Institutione Confessorum lib. 1. cap. 14. §. 7.* volunt concedi facultatem commutandi in id, quod est minus: quia alioqui, inquiunt, parum, aut nihil vtilitatis facultas afferret. Deinde, Priuilegia, cum sint beneficia Principis, amplè intelligi debent, non strictè, & presè. Nam *in c. Dilecti, de Donationibus*, dicitur: In beneficijs plenissima est interpretatio adhibenda. Et *in l. Beneficium, ff. de Constitutionibus Principum*, Beneficium Imperatoris, quod à diuina scilicet eius indulgentia proficiscitur, plenissimè interpretari debemus. At verum omnino est, quod alij fatentur, non intelligi, demandatam esse facultatem commutandi in id, quod est minus bonum: nam voti commutatio eo ipso, quod fit in id, quod est minus, est voti ex parte relaxatio: ergo qui commutat in id, quod est minus bonum, ex parte voti vinculum soluit, cum tamen facultas commutandi, id minimè significet:

quoniam permutatio rerum æqualitatem inter ea, quæ permutantur, requirit. Nec tamen rectè inferas, parum, aut nihil conferre facultatē commutandi votum, quoniam fieri potest, vt commutetur in aliquod, de quo dubitetur, sit nec ne æque bonum. Deinde, cum in æquale bonum propria auctoritate commutatio fieri nequeat, non parum est beneficium, vt in illud possit commutari auctoritate Sacerdotis, ad sacram peccatorum confessionem audiendam delecti. Neque verò semper Priuilegia omni ex parte amplissimè interpretari debemus, præsertim cum iuri communi derogant. Nam demandata, & commissa facultas, ad id solummodo restringi, & contrahi debet, quod propriè eius verba significant, nec aliquid de iure communi derogare debet. *c. Cum dilectus, de Consuetudine.* Aliud enim est, cum priuilegia præter ius commune, aliud verò, cum contra ius conceduntur.

Septimò quæritur, An cui facultas conceditur voti relaxandi, concedi quoque videatur facultas illud commutandi? Nauarrus *in Manuali cap. 12. nu. 79.* absolutè negat, quia commutandi, & relaxādi vota facultates, sunt omnino inter se diuersæ, & distinctæ; ergo, cui vna conceditur, non eo ipso, conceditur altera. Adhæc, in priuilegijs, & facultatibus demandatis, & commissis minimè locum habet id, quod dicitur: Qui potest, quod maius est, potest & id quod minus est. Quidam hanc Nauarri sententiam confutant, eo quòd Sotus *lib. 7. q. 4. art. 3.* Syluester *votum 4. q. 3. versi. Secundum.* Paludanus *in 4. distinct. 38. q. 4. art. 3. Conclus. 5.* & alij passim doceāt, eum qui potest vota relaxare, posse cōmutare. Cæterùm tria mihi probabiliùs dici posse videntur. Primum est, id quod dicitur. Qui potest vota relaxare, posse & commutare, & è contrario: quam Regulam proponunt Syluester, & Sotus *locis citatis*; locum habere, tantummodo in his, qui iuris auctoritate relaxandi, & commutādi potestatem habent, quales sunt Episcopi, & qui iure, vel consuetudine, vel præscriptione Episcopalem habent iurisdictionem, non autem in ijs, qui cōmissa, & demandata sibi commutandi potestate funguntur. Nam vt proximè dixi, in quibus potestas commutādi vota demandatur, non intelligitur concessa potestas relaxandi ea. Alterum est: cui committitur potestas relaxandi votum, ei quoque committitur potestas quodammodo commutandi: quoniam ea Regula Iuris: *Qui potest quod maius est, potest quoque id, quod minus est*, locum habet, quando quod minus est, in alio continetur, tanquam pars in toto, aut species in genere: sed commutatio voti, qua commutatur in id, quod minus bonum est, in relaxatione continetur tanquam pars in toto: qui enim potest ex toto relaxare, potest ex parte, nimirum cōmutando in id, quod minus est. Sed qui tantummodo commutat, dissoluit ex parte, non ex toto, cum votum ex vna materia in aliam commutet. Ergo, cui demandatur potestas in totū relaxandi votum, conceditur quoque facultas illud idem commutādi, hoc est, in id, quod minus est bonū, transferendi voti obligationem. Tertium est: Mihi simpliciter placet Nauarri sententia. Primò, quia facultates commutādi votum, & relaxandi sunt diuersæ facultates, ergo cui conceditur vna mandato alterius, non eo ipso conceditur altera. Secundò, quia commutandi facultas suapte natura intelligitur data ad commutandum in id, quod est æquale bonum. Relaxandi verò facultas est ad votum tollendum, vel ex toto, vel ex parte: at certè ad commutandum bonum in id quod est æquale bonum, maior scientia, & cognitio rerum requiritur; quàm ad tollendum simpliciter, vel ad commutandum in id, quod est minus bonum. Ergo non eo ipso, quo tibi datur facultas relaxandi votū, datur facultas cōmutandi. Et hoc est, quod sensit, & dixit Nauarrus, at ij qui ratione sui muneris habēt, vt vota relaxare, & cōmutare queāt, vtramq; facultatem habent iure suo, & æquè possunt vtrumque, non vnum per aliud. N6

Octauò quæritur, An votum, quo quis vouit susceпturum se arctius Religionis institutum, possit Episcopi auctoritate in id, quod est laxius, commutari? Quæstionem monet, quia voti Religionis absolutio, & commutatio est Romano Pontifici reseruata, ergo illa fieri ab Episcopo nequit: præsertim cum vsu videatur esse receptum, vt huiusmodi vota non nisi Romani Pontificis beneficio commutentur. Ex altera parte videtur esse quorundam sententia, eiusmodi votum posse ab Episcopo commutari: quod ea ratione conficiunt, quoniam non est votum absolutè, & simpliciter Religionis, sed certæ Religionis, nempe arctioris; nec fit commutatio, nisi in alterius, licet minus arctæ Religionis institutum. Videtur itaque illis dicendum: Si quis arctiorem, durioremque Religionem fuerit professus, non posse tuta conscientia, ad laxiorem Religionem descendere absque Romani Pontificis auctoritate, quia per solemnem professionem Religio ius acquisiuit in Monachum: quod ius Religioni Episcopus adimere, & auferre non potest; est enim res magni momenti, & proinde ad Romanum Pontificem pertinet, ad quem causæ magnæ, & arduæ referūtur. Si verò quis simplex, solummodò asperioris arctioriſque Religionis votum fecerit, hoc est, si vouerit se ingressurum in arctiorem Religionem, videtur, inquiunt, illud iure ab Episcopo commutari posse in id, quod est mitius Religionis institutum, eo quòd, vt diximus, non mutat votum simpliciter Religionis, nec mutat in aliud, præter quàm in Religionem: & quia cū in huiusmodi voto promissio tantummodo futuri in Religionem ingressus contineatur, Religio nondum in Monachum promittentem ius acquisiuit. Sic Palud. *in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 3. Conclus. 5. ad finem*, quam sequitur Antonius *part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 9.* Vnde Syluest. *Votum 4. 3. versic. Sextum.* secundum Archiepiscopū Antoninum quem citat, sensit eiusmodi votum posse Episcopi auctoritate commutari, quia non est votum simpliciter Religionis. Sed est animaduertēdum, Paludanum ita dicere: Si existens in Religione laxiori, vouerat Religionem arctiorem se susceпturum: aut existens in arctiori, velit ad laxiorem transire, posse Episcopum ad vtrumq; facultatem concedere. Hoc quod dicit Paludanus, locum non habet in Religioso professo, qui est per solemne votum Religioni traditus, in quem Religio ius acquisiuit. Item, locum non habet in Religioso, qui est ab Episcopi potestate, & iurisdi-

ctione

ctione exemptus. Solùm locum habet in Religiosis, qui nõ sint exempti ab Episcopis, quales olim Monachi erant iure cõmuni, & quales sunt multæ Sanctimoniales locorum Ordinarijs subiectæ. Item, locum habet in laicis siue Clericis nulli Religioni adstrictis, siue Episcopo subiectis.

Nonò quæritur, An quando facultas conceditur ad commutanda vota vi Iubilei, vel Pontificiæ Indulgentiæ, vel Diplomatis, quæ Bulla appellatur, intelligatur concessa tantummodo facultas ea vota commutandi, quæ quis fecerat ante Iubileum, vel Indulgentiam Pontificiam, An verò etiam protendatur ad ea Vota, quæ quis fecit post Iubileum, vel Pontificium Diploma? Duę sunt opiniones, primam tuetur Sotus *lib. 7. de iusti. quæst. 4. artic. 3.* facultatem solummodo locum habere in votis antea factis. Secundam defendit Nauarr. *in Manual. cap. 12. num. 80.* contra Sotum, dicens eam facultatem ad omnia vota se fundere, & extendere, tum priora, tum posteriora, idem quoque docet Corduben. *de indulgen. quæst. 37. proposit. 2.* Cui sententiæ libenter subscribo, hac ratione permotus: quoniam quemadmodum datur facultas Pontificia ad absoluendum à peccatis, censuris, & pœnis reseruatis, sic etiam dari solet ad commutanda vota: sed facultas data ad soluenda peccata, censuras, & pœnas simpliciter, nisi aliud exprimatur, protenditur, & trahitur in vniuersum ad peccata, censuras, & pœnas tam ante, quàm post Iubileum contractas. Nam vbi Pontifex neque distinguit, neque restringit facultatem, nec nos distinguere, aut restringere debemus. Sic etiam in vniuersum conceditur facultas commutandi vota, ergo ea cõtrahi, & restringi non potest ad vota tantummodo ante Iubileum facta. Qvaeres, quando vi, & ratione alicuius Pontificij priuilegij, Diplomatisue, datur facultas commutandi vota in certam aliquam eleemosynam, an iure votum in aliam eleemosynam, aut aliud pietatis officium, & opus arbitrio Confessarij commutetur? Respondeo, minimè, quia Confessarius demandatæ sibi facultatis terminos transilire non potest: Nauarr. *in Manual. cap. 12. num. 80.* Quid si pauper est is, qui votum fecit, & nihil dare queat? Respondeo, dare oportere eleemosynam licet exiguam, & tenuem, & hominis, cuius votum commutatur, paupertati parem.

Decimò quæritur, An ei, cuius votum est legitimè commutatum, si ratam habuerit commutationem, liberum sit, præstare, & exoluere id, quod prius vouerat; an verò cõmutatione retenta, debeat id facere, in quod est votum commutatum? Quidam negant id esse liberum ei, qui vouerat, quia cõmutati voti obligatio est iam penitus extincta, & in aliam materiam mutata, & proinde ea sola obligatio in ea materia persistit, in quam mutatum est votum. Contrarium alijs probabilius videtur: quia cum voti commutatio facta sit in æquale bonum, potest qui vouerat, ad illud, quod ante promiserat, tuta cõscientia redire. Deinde, quia votum cõmutatur, & id cedit in priuilegium, fauorem, & commodum eius, qui votum fecerat: sed is, cui priuilegiũ datur, potest eo vti, & nõ vti, si velit: alioquin esset oneri priuilegiũ. Adhæc, commutatio voti fieri videtur tacita conditione, vt reddatur id, in quod votum mutatur, si id ei, cuius votum permutatur, placuerit, sin minus, quod promissum est, suo tempore præstet, ac soluat. Tota enim commutatio fit gratia eius, qui vouerat, vt ipsius commodo consulatur. Hæc sententia mihi magis probatur.

Vndecimò quæritur, An si votum Castitatis Romani Pontificis beneficio commutetur in aliud possit deinde Episcopus illud, in quod est commutatum, relaxare, siue in aliud mutare, quãdo nõ est commutatum in materiam voti Romano Pontifici reseruati. Exemplum propono: Titius Castitatem vouerat, id voti Romanus Pontifex in certa ieiunia, vel preces, vel eleemosynas commutauit, dummodo ipse Titius cœlibem vitam agat, & deinde causa subest, vt ieiunia, eleemosynæ, vel preces in aliud commutentur: Quæritur, an Episcopus, aut Confessarius vi Iubilei ea commutare queat? Negant nonnulli ea commutare, aut relaxare posse, quoniam licet materia, in quam est votum à Romano Pontifice commutatum, reseruata non sit per se, est tamen ex accidẽti ratione primi voti commutati. Nam primum votum per se quidem non durat: sed perseuerat tamen quasi virtute in ea materia, in quam illud Romanus Pontifex commutauit. Rursus eo ipso, quod est votum auctoritate Romani Pontificis mutatum, est onus iussu eius susceptum: at nemo potest Superioris legem, præceptũ, pœnam, sententiamúe commutare ex toro, vel ex parte. *L. minor Magistratus. ff. de arbitr.* Alij verò arbitrantur posse Episcopum, aut Cõfessarium vi Iubilei delectum, & approbatum, commutare: quoniam votum Castitatis in aliam materiam, quæ non est Pontifici reseruata, commutatum, sublatum omnino est, quemadmodum peccatum, quod affectum est excommunicatione Romano Pontifici reseruata, desinit esse reseruatum excommunicatione remota: ita etiam votum Castitatis, si in aliam materiam à Romano Pontifice permutetur, non ampliùs reseruatur; eo quòd reseruatio est ratione materiæ; ea igitur ablata reseruatio cessat, ac tollitur. Cæterùm prima sententia videtur quibusdam magis cum iure ipso, & ratione congruere propter Regulam, qua Doctores vtriusque iuris vtuntur: Actio, & res in alterius locum subrogata vim, & naturam eius sortitur, ac sapit, in cuius locum suffecta est; at id, in quod Romanus Pontifex, votum Castitatis commutat, substituitur in locum ipsius voti: ergo sicut votum est reseruatum, ita etiam id, quod eius loco supponitur. Cæterùm Romanus, *singul. 460.* cum quæsisset, an si Papa imponat pœnitentiam alicui commutando votum, possit Episcopus illam pœnitentiam commutare, respondet posse: & probat, quia id docet apertè Glossa *in cap. tempora pœnitudinis, 26. quæstion. 7.* & ipsa Glossa probat suam sententiam ex eo, quod habetur *in cap. Latorem. 33. quæstion. 2.* Hanc Romani, & Glossæ opinionem sequitur Syluester. *in verbo votum. 4. quæstion. 7. ad finem.* Sed hæc mihi sentẽtia dubia videtur. Et Corduben sis *in Summa. quæst. 150.* quærit, an vota antea commutata auctoritate eius, qui potuit commutare, possint per Confessarium vi Iubilei delectũ rursus commutari, & respondet, posse, quia datur ei generatim facultas, qua possit vota omnia ex

ceptis votis religionis, & castitatis commutare. Sciendum itaque est, non esse idem commutare votum, quod est commutare pœnam impositam, eo quòd votum persolutum non sit. V. G. Romanus Pontifex, facultatem Confessario dedit, vt commutet votum, quod Titius fecerat de danda certa eleemosyna quotidie pauperibus, & similiter, quia Titius multis diebus certã illam eleemosynam nõ dederat, vt promiserat, & ideo magnam pecuniæ quantitatem pauperibus ex voto debebat, remisit ex parte, videlicet, vt det minorem, quam debebat; Confessarius potest votum, quod adhuc in futurum refertur, commutare, nõ tamen potest eam pecuniæ partem, quam iussu Pontificis soluere cogitur, ex toto, vel ex parte remittere. Nauar. *consil. 35. de voto.*

Duodecimò quæritur, Quidnam facere debeat is, cuius votum est fæpius commutatum? Respondeo primò, durare semper primi voti vinculum, si nulla eius commutatio iusta fuit. Item tenẽda est prima commutatio, si iusta fuit, quæ per sequentes, cum iustæ non fuerint, extincta non est. Postremò, si omnes fuerunt iustæ, fas est ei, qui vouerat, seruare postremam, siquidem iusta illa etiam fuit: Liberum etiam est ei suum primum votum exsoluere, si velit, vel primam, aut secundam voti cõmutationem, eligere, reliquis posthabitis.

Decimotertiò quæritur, Quid nomine maioris, vel æqualis boni intelligatur, in quod votum de more commutatur? Respondeo, non intelligi omne id, quod est Deo gratius, & magis acceptũ per se, hoc est, ex natura operis, quod fit, sed id, quod ei, qui vouit, est melius, commodius, & aptius ad Dei gratiam, & charitatem assequẽdam, & ad votum quod fecit, implendum. Vnde in cõmutandis votis consideranda, & perpendenda est eius, qui voto se Deo obligauit, vtilitas potiùs, quam materiæ magnitudo. V. G. vouit Titius, ad domandam sensus, & carnis libidinem ieiunia, quæ sunt opera, & officia Temperantiæ; preces quidem, quę ad Deum fundi solent, & eleemosynæ in pauperum vsus dari solitæ, quæ sunt Religionis, & misericordiæ actus, maioris virtutis sunt opera, non tamen ob id, eiusmodi votum in preces, vel eleemosynas commodè mutatur: quandoquidem ad libidinem refrænandam, & cohibendam non sunt æquè vtiles, ac ieiunia, & aliæ piæ, & religiosæ corporis castigationes. Pari ratione vouet quis, eleemosynas ad auaritiam comprimendam: dubium non est, quin sint alia opera per se natura sua meliora, sed fortassis ei, qui vouit, minus apta, & opportuna remedia ad eum finem assequendum. Est igitur consideranda eius, qui vouit, cõditio: id enim quod erit illi melius, erit pariter Deo gratius. Quo fit, vt in votis commutandis expendi debeat difficultas, & labor, qui perferri deberet in promisso præstando: Considerandæ item sunt impensæ, & sumptus, quos facturus erat, qui vouerat: An etiam illa materia magis eius interfit, ita, vt fit ei vtilior, & cõmodior futura. Exempli causa, Titi[us] ad loca sancta peregrinationem pię, & religiosè vouit, videndum est, an pedibus esset iter facturus: nam tunc iter vnius diei (quod attinet ad laborem peregrinationis) cum vnius diei ieiunio commodè commutatur: & iter duorum dierũ, cum ieiunio duorum dierum, & sic deinceps. Quod si non erat pedibus peregrinaturus, tũc iter quatuor, vel quinque dierum iure in vnius diei ieiunium commutatur, & impensæ in eleemosynas, & vsus pauperum. In commutandis denique votis, oportet seruari æqualitatem, quod tamen non oportet scrupulosè accipere, sed sufficit arbitrium boni viri, cessante fraude, & lata culpa remota. Sic ait Sylu. *votum 4. q. 8. ad finem.*

Decimoquartò quæritur, An votum, quo quis vouit daturum se eleemosynam in certos pios vsus, videlicet, ad sustentandos Collegij, hospitalisúe domus pauperes, possit auctoritate Episcopi commutari? Hanc quæstionem *c. proximè sequenti* commodiùs diluemus.

Decimoquintò quæritur, An omnia vota, quæ quis ante vitam Monasticam emiserat, iure ipso in ingressum ad Religionem commutentur; ita vt omnino finiãtur, & desinant, quum primum quis, vt Nouitius in Religionem admittitur, & incipit, vt Tyro in Religione militare: an verò potius per solemnem expressam, vel tacitam Religionis professionem extinguãtur, & cessent? hanc etiam quæstionem tractat Syluester *votum 4. q. 7. verficul. Tertium, secundum Archiepiscopum*: & ego eam tractaui ex parte *supra hoc libro. cap. 17. quæst. 20. & 21.* & iterum tractabo *cap. sequenti.*

Decimosextò quæritur, An is, cui conceditur facultas commutandi vota, possit iure vota commutare, etiã si fuerint iureiurando firmata? Hanc quæstionem supra tractaui *hoc libro cap. 10. q. 2.* vbi dixi, probabilius esse, non posse, quia votum, & iusiurandum sunt vincula omnino diuersa, ergo non eo ipso, quòd quis potest ex facultate sibi cõmissa, & demandata, vnum soluere, potest, & alterum. Quidam putant Sotum *lib. 8. de iust. q. 1. art. 9. ad finem*, & Caiet. *2. 2. q. 89. art. 9.* oppositum docuisse: sed reuera nihil huius quæstionis meminerũt, solùm illis locis dixerunt, votum esse arctioris vinculi, quàm iusiurandum: & eum, qui potest voti vinculum soluere, posse quoque soluere iurisiurandi vinculum. Sed loquuntur de eo, qui potest ordinaria auctoritate voti vinculum soluere, cuiusmodi est Episcopus: non de eo, qui à voti nexu, & Religione aliquem soluit priuilegio, seu facultate commissa: vt dixi supra *cap. 10. q. 2.*

Decimoseptimò quæritur, An is, cui demandatur, facultas commutandi votum, possit per alterum votum commutare? De hac quæstione *capite sequenti* tractabo.

Decimooctauò quæritur, An cui committitur potestas commutandi votum alicuius, possit commutare pœnas ex voto violato contractas? Hanc etiam quæstionem *capite sequenti* dissoluam.

Caput XIX.

De Votorum Absolutione.

ANimaduertendum est, in hoc capite Absolutionem voti non intelligi eam, qua quis absoluitur à peccato, quo votum violauit, sed eam, qua quis voti Religione, nexu, & vinculo soluitur, quæ à Canonici iuris consultis, Theologis, & Sũmistis voti dispẽsatio dicitur. Nã sicut cũ

quis

quis Principis beneficio à lege soluitur, & ab ea eximitur, dicitur dispensatus in lege, hoc est, solutus à lege, sic etiam cum vinculo, & obligatione voti soluitur, dicitur dispensatus in voto, hoc est, liberatus à voto.

Primò quæritur, An penes Romanum Pontificem, sit potestas aliquos absoluendi à voti vinculo? Ratio quæstionis est ex vna quidem parte, quòd votum reddere quisque naturali, & diuino iure compellitur: at in hæc iura Romanus Pontifex potestatem non habet: Ex altera verò parte est frequens, & quotidianus Ecclesiæ vsus, quo multi a votis Romani Pontificis auctoritate soluuntur. Sed nos hanc quæstionem libro sexto dissoluimus *cap. 1. q. 4.*

Secundò quæritur, Quinam auctoritatem habeant alios voto soluendi? Respondeo, in primis Romanum Pontificem, deinde Episcopos, ac cæteros Ecclesiarum Antistites, qui Episcopalem auctoritatem habent, & potestatem: & eos, qui Romani Pontificis concessu, & priuilegio comparatam, aut impetratam facultatem habent. Romanus igitur Pōtifex potest, tum omni voto soluere, tum etiam quoslibet Christianos vbique terrarum degentes: Episcopi verò minimè, nisi eos tantùm quibus præsunt. Neque eorum omnia vota relaxare, ac soluere queunt, sed ea duntaxat, quorum absolutio non est Romano Pontifici iure, vel consuetudine reseruata. Cæteri, qui sunt Episcopo inferiores, iure cōmuni huiusmodi potestatem nō habent, nisi Romani Pontificis priuilegio, aut Consuetudine approbata. Syluest. *votum 4. q. 3.*

Tertiò quæritur, Quæ, & quot sint vota, quorū absolutio Romani est Pontificis propria? Respondeo, iure antiquo communi, expressim vnius tantummodo voti absolutionem Romano Pontifici reseruari: quod votum in iure Canonico Vltramarinum vocatur, cum quis videlicet vouet iter se facturum Hierosolymam, ad sanctum Domini sepulchrum. At verò quia iure communi ad Romanum Pontificem causæ magnæ, & arduæ pertinent, ideo eodem iure vota Castitatis, & Religionis, cum sint per se res perpetuę, & magnæ, ita Romano Pontifici reseruantur, vt nemo possit eorum vincula soluere. Quocirca eorum trium votorum absolutio, iure antiquo communi, solius est Romani Pontificis. Votum verò peregrinationis ad sanctum Iacobum Compostellanum, & ad limina Apostolorum Petri, & Pauli in Vrbe, testatur Abbas *in ca. ex multa de voto, & vot. redempt.* non esse Romano Pontifici reseruatum; & proinde Episcopū eo voto posse aliquos soluere. Quæ Abbatis sententia vera est, si secundum ius Canonicum antiquum loquamur; at verò vsu, & more introductum est quod Angel. *votum 4. q. 6.* Syluest. *votum 4. q 3. dicto. 5.* Tabien. *dispensatio. q. 9.* Sot. *libr. 7. de iust. q. 4. artic. 1. in conclus. 1.* tradiderunt, vt horum votorum absolutio ad solum Romanum Pontificem spectet: qui mos quoque confirmatur in Cōstitutione Sixti IIII. quæ incipit: *Eisi Dominici, De pœnit. & remiss. inter Extrauagātes communes*, vbi quinque supradicta vota memorantur, vt Romano Pontifici reseruata: Iure igitur nouo Extrauagātium constitutionum quāuis non antiquo, reseruantur. Porrò Nauarr. *in Comment. 1. de Regular. numer. 21.* ait, votum peregrinationis ad ædem sanct. Mariæ Lauretanam esse Romano Pontifici reseruatum: Sic enim ibi inquit, *Omnibus votis potest Episcopus soluere, exceptis quinque contentis in Extrauaganti. Eisi Dominici 2. de pœnit. & remiss. inter communes: quibus hodie votum adiungitur visitandi domū gloriosam gloriosissimæ Virginis Mariæ Lauretanæ.* Sic ille; & nō probat. Fortassis extat in domo illa sanctissima priuilegium aliquod, siue Diploma Pontificium, de hac re, sed vsu receptum non est.

Quartò quæritur, An Episcopus habeat ius soluendi aliquos voto Vltramarino, quod fecerunt studio, & amore pietatis augendæ, non autem gratia auxilij siue subsidij pijs, & religiosis terræ Sanctæ habitatoribus conferendi? Abbas, cui Angelus, & alij adhæsēre, censuit, huius voti absolutionem non in vniuersum ad Romanum Pōtificem pertinere. Docet enim, huiusmodi votum posse fieri dupliciter: Aut enim quis vouet peregrinationem ad Sanctum Domini sepulcrū, vt aliquo vitæ subsidio iuuet Christianos in Terra sancta degentes; aut vouet solùm suæ pietatis promouendæ gratia. Si primum, eius absolutio Romano Pontifici reseruatur; si verò secūdo modo, minimè. Et proinde si Episcopus, inquit, à voto sic facto aliquē soluat, rata & firma est absolutio. At contra Syluest. *votum 4. quæst. 3. dict. 5.* ait, absolutionem irritam esse, & inanem. Sed nihil est, quod Abbatis sententia nobis in hac quæstione displiceat: is enim secundum ius antiquum, & commune loquebatur, quod ius votum Vltramarinum primo modo factum Romano Pontifici reseruabat. Nam olim, cum Francorum bello Palestina esset Saracenis erepta, & Hierosolymis Christiani reges dominarentur; ex toto propemodum Christiani imperij, & ditionis orbe pij viri peregrinationem ad sanctum Domini sepulchrum suscipiebant. Deinde verò, Saracenorum potentia, & armis res Christiana per Orientem labefactari cœpit: quo factū est, vt permulti votum Vltramarinum emitterent studio iuuandi Christianos Hierosolymis, & per totam vndique Palæstinam commorantes: quod votum, ius Canonicum appellat Vltramarinum in subsidium Christianorum in terra Sancta habitantium. Et quia erat votum magni momenti, quodque viri primarij, Deo nuncupabant, ius ipsum Romano Pontifici reseruauit, ne si ab Episcopis relaxaretur, multi passim eo voto soluerentur, non sine magno detrimento, & incommodo Christianorum in Palæstina degentium. Meritò igitur scripsit Abbas, Iure communi votum Vltramarinū, quod fit in terræ Sanctæ habitatorum subsidium, Romano Pontifici reseruari. Nihilominus tamē more, & consuetudine receptum est, vt in vniuersum voti Vltramarini quomodolibet facti absolutio ad Romanum Pontificem tantummodo spectet: & hoc est, quod voluit Syluester *loco citato.*

Quintò quæritur, An votum non contrahendi coniugium, siue abstinendi perpetuò à nuptijs, sit idem, quod votum Castitatis: ita vt quemadmodum solus Romanus Pontifex potest aliquem voto Castitatis soluere, sic etiā nemo præter ipsum possit absoluere à voti vinculo nunquam ad nuptias transeundi, sed cœlibem vitam agēdi. Duæ

sunt

sunt opiniones, prima, quæ Caietano placet *in opuscul.10.2.tract.11. q.1.* asserit huius voti absolutionem solius esse Romani Pontificis: idque hac ratione concludit, quia præcipuum, quod in voto Castitatis continetur, est Castitas, quę in consiliũ Euangelicum cadit: sed ea talis est, qua quis vult in perpetuum à nuptijs abstinere: nam reliquum, quod ad Castitatem pertinet, in præcepto naturali, & diuino positum est, ne quis rem habeat cũ fœmina sibi non nupta. Secunda opinio negat hoc votum esse Romano Pontifici reseruatum: ratio eius est, quia non est votum simpliciter Castitatis. Nam si quis post id voti, rem cum fœmina habeat, contra votum non peccat, quoniam votum solùm est, de matrimonio nunquam ineundo, ac proinde Episcopi auctoritate, iure eiusmodi voti vinculum relaxatur. Ita sentiunt Sot. *4.d.38.quæstion.2.artic.1.in conclus.1.ad finem.* Antonin. quem citat Sylu. *votum.4.quæstio.4.ad finem.* Angel. *votum.4.quæst.9.* Rosel. *impedimentum.4.nu.12.* Sylu. *votum.4.quæstio.4.ad finem.* Nauar. *in Manual.capit.12. numer.76.* vbi dicit, se prius sententiam Caietani sequutum fuisse, sed postea ab ea recessisse: atque hæc opinio mihi verior apparet propter eius rationem prædictam: & quia teste Nauarro *loco citato*, eam sequitur sacrum Pœnitentię prætorium in Vrbe.

Sexto quæritur, An votum seruandi castimoniam ad tempus, vtpotè ad quadriennium, aut decennium, sit Romano Pontifici reseruatum? Respondeo, non esse reseruatum: quia nõ est votum seruandi perpetuam castimoniam. Sic Angelus *votum.4.quæst.9.* Sylu est. *votum.4.quæst.3.dicto.6.* vbi citat Paludanum, & Antoninum. Nauar. *in Manua. cap.12.num.78.* Sot. *lib.7.de iust.quæst.4.art.3.* quamuis *in 4.d.38.quæst.2.art.1.* dicat fortè potest Episcopus. Idem iuris est in voto certæ castitatis; vt si quis voueat nunquam adulterium, aut certum immũditiæ, vel libidinis genus se commissurum. Idem quoque ius est in altero coniugum vouente, non petiturum se debitum coniugale: hæc enim vota non sunt totius, & integræ Castitatis, sed partis; ac propterea eorum relaxatio, vel commutatio nequaquam est Romano Pontifici reseruata.

Septimò quæritur, An qui simplici voto Castitatis adstrictus matrimonium tantummodo ratum contraxit, ei possit Episcopus facultatẽ concedere, vt consummet matrimonium, si probabile incontinentiæ periculum immineat? Sotus *in q.d.38.q.2.artic.1. in dubitationibus circa conclus.1. & post Conclus.2.* putat post huiusmodi votum iure posse matrimonium consummari, & perfici: de cuius sententia inferiùs disputabo: quare secundũ eam opinionem nulla est opus voti relaxatione. Sed mihi videtur relaxatio necessaria, quoniam post simplex Castitatis votum, nõ solùm peccat quis, cum matrimonium contrahit, sed etiam quando consummat, ac perficit: quia qui matrimonium iniuit, antequam illud consummet, & compleat, potest Castitatis votum seruare, si Religionis institutum suscipiat, ac profiteatur: ergo si potest, debet; quod si debet, nec fecit, contra votũ delinquit, vt postea dicam.

Octauò quæritur, An iure Episcopus facultatẽ concedat, vt qui simplici castitatis voto obligatus matrimoniũ contraxit, & consummauit, possit inposterum debitum petere. Quidam negant licere Episcopo id facere, quia est votum Castitatis, à quo neminem Episcopus soluit, & eximit. Sed verius alij affirmant, id posse Episcopũ concedere, non quidem semper, nec in perpetuum, sed aliquando, & ad certum tempus: videlicet, quando ad Romanum Pontificem, non facilis patet aditus, & ob moram impendet incontinentiæ periculum, cum sit iuuenis is, qui vouerat. Sylu. *votum.4.q.4.* vbi citat Cardin. Anton. Abbatem *in ca.veniens, qui cler.vel vouent.* Neq; verò Episcopus tunc eum in totum à voti vinculo liberat, quoniã si coniux, qui Votũ emiserat castitatis, alteri coniugi superstes vixerit, castimoniam seruare debebit: quippe matrimonio soluto, votum antea factum omnino durat.

Nonò quæritur, An votum sacros ordines percipiendi tale sit, vt à solo Romano Pontifice possit absolui, aut commutari? Respondeo, minimè, quia non est ex quinque illis Romano Pontifici reseruatis, Nauar. *consil.32.ad quæst.2.de vot.redempt.* Obijcies, in hoc voto simul etiam Castitatẽ promitti, qualem vouent, qui ad sacros ordines promouentur. Respondeo, in eiusmodi voto Castitatem promitti futuram, non præsentem, cum sit votum sacros ordines: suscipiendi; & proinde præsens Castitas non promittitur. Vnde qui est tali voto adstrictus, si cum fœmina rem habeat, antequam ad Sacros Ordines ascendat cõtra votum non peccat, siquidem castimoniam non vouit: & idcirco hoc votum iure Episcopi auctoritate cõmutari, relaxari, siue solui potest. QVÆRES, quænam causæ subesse queant iustæ, & legitimæ, eiusmodi votum Episcopi auctoritate in aliud mutetur? Respondeo, si is qui vouit, beneficium Ecclesiasticum, aut pensionem, aut patrimonium non habeat, vnde honestè, & commodè viuat, meritò Episcopus votum illud commutat. Immò, si Episcopus eum ad sacros Ordines recusauerit promouere, Confessarius habens demandatam siue commissam facultatem commutandi vota, illud iure commutat. Item, si aliquod ex prædictis impedimentis perpetuum iudicetur, eo ipso is, qui promiserat voti vinculo solutus est, cum nequeat ampliùs, suum votum exsoluere.

Decimò quæritur, Quid sit dicẽdum, quum Titius sub disiunctione votum fecit seruandi castitatem, vel Religionis institutum profitendi, vel Sacros ordines capessendi, An huiusmodi votum sit ex quinque illis, quorum commutatio, vel relaxatio ad Romanum Pontificem spectat? Respõdeo: cum sit votum sub disiunctione factum, Romano Pontifici reseruatum non esse: eo quòd tribus partibus constat, quarum vna minimè reseruatur. Si tamen Titius nullo modo velit ampliùs sacris ordinibus initiari, voti religione obligatur ad Castitatem seruandam, vel Religionem capessendam. Et cum vtraque pars Romano Pontifici reseruetur, Episcopi auctoritate à voti nexu liberari non poterit. Quandocunq; verò in animo habet castitatem seruare, vel ad Religionis institutum transire, vel ad Sacros Ordines ascendere, tuta conscientia votum Episcopi auctoritate commutatur, vel relaxatur.

Vndeci-

Vndecimò quæritur, An votum perpetuæ continentiæ iure possit Episcopus relaxare, soluere, vel commutare. Speculator, & Ioannes Andreas, vt citat Syluest. *votum. 4. q. 4.* senserunt, posse, quod probant: quia vt constat *ex cap. Veniens, qui cleri. vel vouent.* Episcopus soluit quandam fœminã à vinculo voti, quæ promiserat Deo perpetuam castitatem. Sed verius est, quod sentiunt in eo capite veniens, Cardin. Antonius, Abbas, id Episcopum iure non posse, quia est Romano Pontifici reseruata huiusmodi voti relaxatio, siue commutatio: fœminam verò, de qua agitur *in cap. Veniens, citato*, Episcopus soluit à voto continentiæ, vel facultate sibi à Romano Pontifice demandata, vel quia fœmina iuuenis erat, & proinde erat in periculo, ne contra votum faceret. Sic etiam Syluest. *votum 4. q. 4.* vbi citat Angelum, & Rosellam, & alios.

Duodecimò quæritur, An votũ dandi eleemosynam certæ personæ indigenti, vel in pios vsus certæ Ecclesiç, hospitalisue domus, possit Episcopi auctoritate commutari, relaxariue? Duæ sunt opiniones: prima omnino negat, idque colligit hac ratione: Is enim, cui factum est votum, acquisiuit ius in rem sibi voto promissam; non quidem quod rei dominium adeptus fuerit, sed quia ius habeat petendi, vt qui vouit, votum persoluat, vt constat *ex cap. ex parte de censib.* Deinde, quia in causis pijs lege Canonica ius acquiritur absenti, ita vt actionem contra vouentem habeat, qua possit agere, & petere, vt votum reddat, ac præstet, vt colligitur *ex l. illud. C. de Sacrosanct. Eccles.* Sic opinantur teste Syluest. *votum. 4. q. 7. dicto. 4.* Archidiac. Raimum. Direct. Rosel. & alij. Secunda sententia affirmat, id posse relaxari, vel commutari Episcopi auctoritate. Ita Caiet. *in opuscul. tom. 2. tract. 11. q. 3.* Angel. *votum. 4. q. 25.* & *26.* Syluest, *loco citato.* Naua. *in Man. cap. 12. nu. 78.* & hæc sententia est verior, & firmiori, ac potiori ratione suffulta.

Annotandum est, non idem iuris esse in voto, quod est in promissione, quæ fit homini: nam ex simplici promissione, si rata, & accepta habeatur ab eo, cui fit, actio nascitur, ac surgit saltem iure Canonico, vt alibi dicam. Item, si huiusmodi promissio fiat absenti, sitque pia, actionem parit, ita vt is, cui est facta promissio, ius habeat petendi, vt quis promissa præstet. Vnde in hoc locum habet prima opinio. Si enim Titius certæ Ecclesiæ, aut pauperi eleemosynam promisit, nequit ea promissio Episcopi auctoritate commutari: secus tamen, si Titius non Ecclesiæ, aut egenti homini promiserit, sed votum Deo fecerit eleemosynam certæ Ecclesiæ, vel pauperi porrigẽdi; votum enim factum est Deo, & non homini: & hoc est, quod secunda opinio contendit, posse huiusmodi votum Episcopi auctoritate commutari, vel relaxari.

Decimotertiò quæritur, An vota, quæ dicuntur pœnalia, quæq; fiunt de re aliqua, & materia Romano Pontifici reseruata, eidem reseruata quoque iudicentur? Exempli causa, Titius votum facit, cõtinebo me à certo peccati genere, alioqui, nisi id fecero, castitatem seruabo, vel ad Religiosum institutum me conferam. Dubitatur, an si id peccati non cauerit, ita ad Castitatem seruãdam, vel ad Religionem capessendam compellatur, vt ea voti obligatio commutari ab Episcopo, relaxariue nequeat? Tres inuenio opiniones: prima docet ante conditionem impletam, ea vota commutari, relaxariue Episcopi auctoritate posse, ea verò impleta, non posse, quia post impletam cõditionem vota in absoluta transierunt: & cũ sint Castitatis, vel Religionis, eo ipso, Romano Pontifici reseruantur. Ita Sotus *lib. 7. de iust. q. 2. art. 1. ad 4. & q. 4. art. 3.* Secunda opinio generaliter docet, talia vota, siue ante, siue post conditionem impletam in Episcopi auctoritatem, & facultatem cadere. Ita Couarruuias *in cap. quamuis pactum. de pact. in 6. p. 1. §. 3. nu. 12.* hanc sententiam sequuntur multi iuniores Theologi. Medina *in sua instruct. confess. lib. 1. cap. 14. §. 6.* Philiar. *lib 3. de officio Sacerdot. cap. 22.* Ludouicus Lopez. *in instru. ca 44.* Aragon. *2. 2. q. 88. art. 12.* Palacius *super summam.* Cai. *verbo. votum. vers. 6.* Autor Candelabri *tract. 14. in additionib. de voto nu. 50.* vbi dicit, Salmãticæ multos Theologos de hac re interrogatos, ita sensi esse. Aiunt etiã alij, sic Victoriam docuisse, & Canũ. Sic etiam videtur sentire Cordub. *in summ. q. 152.* vbi ait, quando Conditio addita, pœnæ rationem habet, potest Episcopus votum soluere, vel commutare: quando verò solum est conditio, non pœna, tunc voti absolutio reseruata est Romano Pontifici, & pari ratione commutatio reseruatur eidem. Pœna est cum quis vouet, se in religionẽ ingressurum, si hoc aut illud peccati genus non cauerit. Conditio est, nõ pœna, si voueat, religionem me susceperturum promitto, si filius meus ex morbo saluus euaserit, aut ex Asia redierit. Idque colligunt, quia talia vota non fiunt studio, & gratia Castitatis, vel Religionis, sed potiùs animo ab his penitus alieno: at Romano Pontifici videntur reseruari tantummodo vota facta amore, & causa, vel Castimoniç seruandæ, vel Religionis amplectendæ. Tertia sententia est Nauarri distinguentis hunc in modum *in Manual. cap. 12. numer. 43.* Aut enim Titius votum facit, abstinebo à certo peccati genere, quod nisi fecerim, voueo Castitatem, aut Religionem: quo casu Nauarrus ait duo vouisse Titium; Vnum principale, quod est continere se à certo peccati genere; Alterum, quod ad principale accedit, quod est Castitatem perpetuo seruare, vel se ad Religiosorum domicilia conferre: Aut votum facit hoc modo: si certum peccati genus ad mi-sero, Castitatem perpetuò seruabo, vel Religionis institutum susciplam: Quo casu, inquit, vnum tãtùm est votum sub conditione. Si primo modo fiat, potest Episcopi auctoritate cõmutari, & relaxari non impleta conditione, quoniam principale votum, cum non sit Romano Pontifici reser uatũ, iure illud potest Episcopus permutare, vel dissoluere: at sublato, vel commutato principali, secũdum, quod ad illud accedit, commutatur, vel relaxatur: expleta verò conditione, Episcopi potestati amplius nõ subijcitur, quoniam votum castitatis, vel Religionis, quod erat cum altero coniunctum, absolutum euasit. Si verò secundo modo fiat, nequit Episcopi auctoritate solui, vel commutari, siue ante, siue post conditionem expletam, quia est Castitatis votum, vel Religionis. Hæc opinio, quæ eadem ferè est atq; illa Soti, mihi magis probatur: vbi enim ius nullam ponit distinctionem, nec nos ponere debemus: sed ius, & consuetudo nihil distinguunt in voto castitatis,

vel Re-

vel Religionis, sit ne factum causa, & studio pietatis, an secus: ergo in vniuersum Conditionale, & pœnale votum Religionis, vel Castitatis, Romano Pontifici reseruatur.

Decimoquartò quæritur, An votum quod quis facit de Virginitate seruanda, sit Romano Pontifici reseruatum? Nam ex vno capite argumenta concludunt hoc votum esse Castitatis, & proinde reseruatum. Ex altero verò, argumentis quoque videtur effici, tale votum non esse Castitatis: nam qui Virginitatem vouet, perinde est, ac si Deo promittat se nunquam primum contra Castitatem peccatū facturum, siue virginalem corporis integritatem semper seruaturum, ac propterea amissa virginitate, non videtur ampliùs voti vinculo adstrictus ad castimoniam seruandam: quemadmodum si quis esset innocens, & ex diuino auxilio innocētiam seruandi votum Deo nuncuparet, perinde faceret, ac si voueret se primum peccatum nunquam admissurum, eo verò commisso, quoniam innocentia perditur, non est ampliùs obligatio ad peccatum imposterum deuitandum. Respondeo, Virginitatem posse promitti Deo tripliciter: Aut enim qui eam vouet, in animo habet castimoniam simpliciter seruare, & tunc Virginitatis votum idem est, quod Castitatis, & idcirco Romano Pontifici reseruatum: Aut in animo eius tantùm est sese integrum, & incorruptum seruare à primo libidinis, & luxuriæ peccato, & tunc non esset votum simpliciter Castitatis: id quod argumenta primo posita comprobarunt. Neq; enim is, qui vouet virginitatem hoc modo, promittit simpliciter castitatem, sed tantùm eam, quę est virginum propria, videlicet, quæ consistit in integro, & incorrupto corpore: & ideo hoc votum non videtur Romano Pontifici reseruatum, quia solum est votum de seruanda castitate ex parte, non ex toto. Aut vouet quis virginitatem absolutè, & simpliciter nihil cogitans, differat ne virginitas aliqua ratione à castitate, an secus. Et existimo, hoc votum per se, & simpliciter Romano Pontifici reseruari, quia est votum absolutè, & simpliciter castitatis: quoniam, vt inferius docebo, votum Virginitatis simpliciter per se est idem, quod Castitatis. S. Thom. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 3. *ad* 2.

Decimoquintò quæritur, An votum nunquam petendi ab alio, quàm à Romano Pontifice relaxationem, vel commutationem voti, sit ei reseruatum? Respondeo, non esse: quia non est vnum ex quinque illis, quorum supra meminimus. Deinde, nemo potest ita aliquid vouere, vt votum ab Episcopi, vel alterius superioris legitima potestate possit eximere, & alteri reseruare.

Decimosextò quæritur, An si Episcopus, vel Romanus Pontifex aliquem sine causa iusta voti vinculo soluat, subsistat, ac valeat absolutio? Respōdeo, ex communi Theologorum, & Pontificij iuris interpretum sententia, quam habet Sot. *lib.* 7. *de iust. q.* 4. *art.* 3. *ad* 2. *propè finem*, & habet Nauar. *in Manua. cap.* 12. *num.* 76. ex S. Thom. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 12. *ad* 2. irritam esse, & inanem: quoniam iure naturali, & diuino vota reddere quisque debet, & in ea, quę sunt naturalis, vel diuini iuris, ius non habet Pontificia potestas, quando nulla iusta, & debita causa subest. Ex quo perspicitur non solùm peccare Pontificem, cum vota sine causa iusta, & legitima votum relaxandum curat, sed eum itidem, qui prædicta relaxatione voti videlicet absque eiusmodi causa, honesta scilicet, & rationi cōsentanea impetrata, scienter vtitur: eo quòd vtitur relaxatione voti, quę est inanis, & irrita: Sic Sotus *loco citato*.

Decimoseptimò quæritur, Quæ sint iustæ causæ relaxandi vota? Respondeo, eas esse, vel necessitatem, vel vtilitatem publicam, aut priuatam; probabile item peccati periculum, hoc est, cum probabiliter iudicatur, eum, qui vouerat, ita esse affectum, vt credatur votum sæpiùs violaturus. Cum etiam votum est factum ex quadam animi leuitate, perturbationeue, vt potè ira, mœrore; cum item metu periculi, doloue, aut vi: Cum præterea dubitatur, fuerit necne factum votum, sit ne voti materia vtilis, & bona: nam vsu venit interdum, vt dubitetur, num Titius votum fecerit, an non fecerit: & an res, quam Deo promisit, sit idonea voti materia, an secus: an facta sit inutilis: an impediat aliud bonum, quod maius esse videatur. Naua. *in Man. c.* 12. *nu.* 76. & 27. ex Abbate, S. Thom. & Antonino.

Decimooctauò quæritur, An potestas commutandi relaxandique vota, sit spiritualis à Christo Domino accepta, an verò ex iure naturali profecta? Respondeo esse spiritualem à Christo Domino suæ Ecclesiæ datam, in hoc enim eiusmodi potestas distinguitur à facultate rescindendi, & irrita faciendi vota, quod hęc à iure naturali originem ducit, & pertinet ad eos, qui temporalem, siue ciuilem tantùm iurisdictionem, & administrationē habent; & proinde est etiam penes Gentiles, apud quos vir, pater, & Dominus iure possunt vota vxoris, filij, & serui irrita facere, apud quos tamen nulla est potestas spiritualis alios à voti nexu, & vinculo soluendi. ROGABIS, vnde constet, hanc potestatem Christum Ecclesiæ suæ tradidisse? Respondeo, ex frequenti, & diuturna Ecclesiæ consuetudine, quæ multis retro ab hinc seculis obseruatur. Et ego quidem puto Ecclesiam hanc potestatem accepisse à Christo illis verbis Matth. 16. *quidquid ligaueris super terram, erit ligatum in cælis, & quidquid solueris super terram, erit solutum in cælis*, eo loco Christus Dominus promisit se daturum Petro claues Regni Cælorum, quibus cælum aperiret, vel clauderet: & Ioann. 21. promissum exsoluit, cum dixit ter Petro: pasce oues meas.

Decimononò quæritur, An is, cui datur facultas commutandi, vel relaxandi vota, iure possit relaxare, vel commutare vota, etiam si fuerint iureiurando firmata. Hanc quæstionem ante iam dilui, hoc libro *cap.* 10. *q.* 2. vbi dixi, non posse, quia votum, & iusiurandum sunt duo vincula distincta, & proinde in facultate relaxandi, vel cōmutandi vota non intelligitur concessa potestas relaxandi, vel commutandi eadem vota iureiurando confirmata. Sic Nauar. *in consil. de iureiur. n.* 6. & *in Man. c.* 27. *n.* 275. quamuis, *vt suprà dixi*, quidam iuniores oppositum sentiant.

Vigesimò quæritur, Quid iuris, & potestatis habeant Cōfessarij nostræ societatis in votorum commutatione, relaxatioueue? Respondeo, in Compendio Priuilegiorum eiusdem Societatis

verba

verbo Commutatio §.1. hæc haberi: *Confessarij Societatis possunt commutare omnia vota, exceptis Vltramarino, & Peregrinationis ad limina Apostolorum Petri, & Pauli in Vrbe, & ad S. Iacobum Compostellanum, Castitatis, vel Religionis.* quam facultatem, cum eadem exceptione extendit Gregorius XIII. ad vota etiam iureiurando firmata: dummodo commutatio non fit in detrimentum tertij: Et subiungitur. *Hanc facultatem communicat Societas cum omnibus Confessarijs Superiorum auctoritate deputatis, & ab ordinario loci approbatis iuxta formam Concilij Trident. session. 23. capit. 15.* De Reformatione. §. 2. dicitur: *Ij, ad quos pertinet ius admittendi eos, qui ingredi volunt in Societatem, possunt commutare votum simplex ingrediendi in aliam Religionem, etiam certam, in vota consueta Societatis, quando is, cuius votum est commutandum, deuotionem ad id sentiret, vel Societas, aut qui ipsum admittit, vocationem eius esse potiùs ad Societatem nostram, quàm ad aliam Religionem existimaret.*

§. 3. Subiungitur: *Omnes Præpositi Domorum, ac Rectores, seu Visitatores Societatis, sine prædicta limitatione,* de qua in §. præcedenti, *possunt dispensare cum ingredientibus in Societatem, etiamsi in arctiorem Religionem se ingressuros nouissent. Si quis tamen à Societate ante professionem recesserit, nulla erit dispensatio: Possunt itidem in Societatem admitti quicunque aliquam Religionem suscipiendi, & ibi permanendi, ex quauis causa votum fecerint.* Deinde verò subijcitur: *Hac facultate soli, & admodum consideratè vtentur Prouinciales; nisi ipsi eam in casu certo cum aliquo communicauerint: & cum vsi fuerint admoneant Præpositum Generalem.* Et *in verbo Dispensatio, §. 9.* dicitur: *Possunt nostri Confessarij, si sint viri docti, & iuxta formam Concilij Tridentini approbati, ex commissione Prouincialis dispensare ad petendum debitum in his, qui post votum simplex Castitatis matrimonium contraxerunt.* Et subiungitur: *Communicatur & facultas Prouincialibus, & alijs Confessarijs, quibus ipsi per se, vel per alios eam commiserint, admonito pœnitente, vt si superstes vixerit, votum seruet.*

Sed dubiæ quæstionis est, an hæc facultas protendatur, etiam ad eos, qui post votum simplex Castitatis solùm matrimonium contraxerint, quod nondum consummarunt; an verò duntaxat intelligatur de ijs, qui contraxerunt, & consummarunt? Quidam putant extendi etiam ad eos, qui tantummodo contraxerunt non consummarunt: quod ea in primis ratione conficiunt, quia facultas generalis est de ijs, qui post votum contraxerunt, ergo nos eam non oportet restringere. Deinde, priuilegium, & beneficium Principis plenissimè interpretari debemus; *L. Beneficium ff. De Constitution. Princip.* Postremò, quia est probabilis Soti sententia *in 4. d. 38. q. 2. ar. 1. post conclus. 2.* eos, qui post votum simplex Castitatis matrimonium contraxerunt, tuta conscientia posse matrimonium consummare reddendo debitum; at petendo nõ item: nec eos esse cogendos ad Religiosorum domicilia transire, vbi Castitatem seruent. Quæ sententia mihi certè, vt verum fatear, valde incerta, & dubia videtur, quoniam, vt inferius dicam, verius est, huiusmodi voto Castitatis adstrictos obligari ad capessendam Religionem ante matrimonium consummatum: quia cum adhuc sint habiles, & idonei ad sũm votum seruandũ, id facere, ipsius voti religione coguntur. Quod si ad Monasterium se conferre vi voti debent, non video, qua ratione prædicta facultas de ijs intelligi queat: eam enim puto cõcessam ob salutem, & bonum eorum, qui ita matrimonium contraxerunt, vt adhuc sint obligati ad debitum reddẽdum, priuati tamen iure petendi: quales sunt, qui post votum prædictum contraxerunt, atque consummarunt. Porrò beneficium Principis plenissimam interpretationem recipit, cum versatur in ijs, quæ iuri communi non derogant. Ex quo etiam fit, vt minus dubitem de eo, quod quæri posset; An ea facultas meritò etiam trahatur ad eos, qui post votum simplex Religionis matrimoniũ contraxerunt, sed nondũ consummauerunt. Certum enim existimo, ad hos minimè extendi, quia illud Priuilegium solum loquitur de voto simplicis Castitatis, non Religionis.

Rursus *eodem verbo Dispensatio, §. 10.* habetur: *Per facultatem Benedictinis concessam à Martino V. possunt nostri Confessarij deputati, & legitimè approbati dispensare in votis etiam Episcopo reseruatis.* Et subiungitur: *Hæc facultas communicatur omnibus superioribus, & alijs Confessarijs, quibus ipsi eam commiserint.*

Vigesimoprimò quæritur, An vota Religiosi, qui adhuc Tiro, & Nouitius est, possit iure Superior absoluere? Supra *cap. 17. quæstion. 20. & 21.* tractaui quæstionem, qua quæri solet, an vota Nouitiorum iure possit Superior irrita facere, & dixi ex sententia Nauarri *in Manual. capit. 12. nu. 65.* non posse eo modo, quo potest vota professorum irrita reddere, quia Nouitius nõ est religiosus effectus, & ideo voluntas eius à voluntate Superioris non pendet. Pari ratione Superior iure non potest vota Nouitiorum relaxare eo modo, quo potest vota professorum: vnde Nouitij vota, quandiu Nouitius est, aut impleri possunt, sine damno, & incommodo Religionis, aut nõ possunt: si possunt, impleri debent, cuiusmodi sunt vota realia, quibus Nouitius promitteret Deo, se aliqua daturum in vsus pauperum; si bona habeat, ex quibus dare possit, ea in pauperes erogare debet. Si impleri nequeunt, qualia sunt vota personalia ieiuniorum, peregrinationum, differuntur ad tempus, & quasi sopita sunt, eo quòd impediunt Nouitij probationem: & hæc postea per religionis professionem extinguuntur, & proinde desinũt. Ita Syluester Paludanum, & Antoninum sequutus, *votum, quarto, quæstione 7. verficul. tertium, secundum Archiepiscopum.* Vota enim personalia Nouitij cõmutantur in solenne votum religionis ipso iure communi. *cap. Scripturæ de voto, & voti redemption.* & propterea finiuntur. Nihilominus potest Superior vota Nouitiorũ absoluere, & relaxare eo modo, quo potest vota Laicorum, qui Nouitij, aut religiosi nõ sunt, nimirum id potest priuilegio, vel facultate à Romano Pontifice data Regularibus erga externorum vota.

Vigesimosecundò quæritur, An is, qui demandata sibi facultate potest votum soluere, vel commutare, possit id facere per alterum. Respondeo non posse: quia ei non demandatur iurisdictionis potestas, sed nudum ministerium. V. G. vt votum commutet, vel relaxet, vel soluat. Ex Sylu. *delegatus. quæst. 8.* vbi citat Innocentium, & alios.

Vigesimotertiò quæritur, An is, cui committitur facultas commutandi votum, vel relaxandi,

possit commutare vel relaxare pœnas ob violatum votum? Respondeo, aliud esse commutare votum, aliud commutare, vel remittere pœnas contractas. Nau. *consil.35. de voto.*

Caput XX.

De Votorum interpretatione.

ANimaduertendum est, vota non solùm aliquando posse nos irrita reddere, & absoluere, sed etiam interpretari. Tunc autem vota interpretamur, cum ex hoc, quod obscuri, incerti, vel dubij, & ambigui aliquid continent, declaramus, in quem sensum accipienda sint.

His præcognitis, Primò quæritur, an votum amplè, & plenè interpretari debeamus, an potiùs presè, & strictè? Hostiensis, & Abbas docent teste Sylueſt. *iuramentum.3. quæst.3.* Iusiurandum strictè nos interpretari debere, vt quoad fieri potest, periculum periurij caueatur, & minus etiam peccetur. Sic etiam dici potest, votum strictè, & presè nos interpretari oportere, vt quâ maximè possit fieri, occasionem violâdi votum, & omne peccati periculum præcidamus, ac vt minus etiam peccetur. Quo fit, vt ea in votum minimè cadere iudicandum sit, quę verosimiliter quis non vouisset, si ea tunc cum vouit, sibi in mentem venissent. Ac quemadmodum Iusiurandum eum, qui iurat, non obligat vltra animum, ac voluntatem, quam habet: sic etiam votum nequaquam extenditur vltra voluntatem eius, qui vouit, ad non cogitata, vel non promissa. Sylueſt. *Iuramentum. 4. quæst.6.* Hostiensem sequutus *ex c. quemadmodum, de iureiuran.*

Secundò quæritur, An Titius V.G. qui promisit se calicem aureum, vel argenteum alicui Ecclesię daturum, aut equũ, vel bouem hospitali domui, debeat equum, vel bouem emere, si omnes sui equi, boues, vel calices perierint? Respondeo, cum Sylu. *religio.2. quæstio.16.* nisi expresè spoponderit vnum ex his, quos habet, debere emere alium, quoniam ad id, se voto obligauit. Veluti si promisisses te mihi daturum equum, & tui omnes equi perijssent, deberes emere aliũ equũ, eo quòd de equo generatim, non autem speciatim est facta promissio. Pari etiam modo, qui vouit Monasticam vitam, si in vnum Monasterium nõ admittitur, debet aliud adire, & ibi se admittẽdum curare. Obijcies, quod habetur *in l. Triticum, & L. Qui insulam. ff. De Verb. obligationib.* Si promitto tibi triticum, nulla oritur obligatio, cum nullum certũ tritici genus, aut certa quantitas promissa videatur. Similiter nullum est legatum, si legatur animal generaliter. *L. legato generaliter. ff. De legat.1.* Nam incertitudo rei, vel quantitatis obligationẽ vitiat. Respondeo, cum Abbate *in cap. veniens, de in integr.* vbi obligationis substantia constat, incertitudo quantitatis non vitiat obligationem. Item, sicut ob fauorem dotis obligatio inducitur, etiã si dos generatim promittatur; vt si quis promisit dotem, eius quantitas definiri debet arbitrio boni viri, facultatibus, & dignitate personarum inspectis: ita etiam in votis, licet aliquid generaliter vouerit quis, Canonica æquitas ob gratiam diuini cultus interpretatur quantitatem rei voto promissæ. Si vouisti te quotannis daturum vnam vini, vel frumenti mensuram: iure potes dare, quam malueris. Hostien. *in ca. ex parte de voto.* Sylu. *votum 2. q.15.*

Tertiò quæritur, Quid sit iudicandum de eo, qui promisit se ieiunium seruaturum sexta quaq; cuiusque hebdomadæ feria, & dies Natalis Dominici incidit in sextam Feriam, quo die iure cõmuni conceditur carnium esus? Respondeo: aut in animo eius fuit sese expressim obligare ad ieiunium eo etiam die seruandum, & sic iure carnibus vesci non potest, quoniam Pontificium decretũ permittit quidem eo die carnes edere, sed non præcipit; præsertim cum ius ipsum excipiat eos, qui peculiari voti vinculo, aut Monasticæ regulæ instituto adstricti sunt ad carnium abstinẽtiam seruandam. *cap. Explicari. De obseruat. ieiuniorum.* ROGABIS; Quid si mihi de tali euentu cogitauerit is, qui vouit? Respõdeo iuxta Regulam paulò ante traditam, votum nos mitius, & benignius interpretari debere. Et cum verosimiliter credi possit, id si eius menti occurrisset, non se tale votum facturum, tuta conscientia interpretari possumus, eum voti religione non cogi in Natali Dominico à carnibus abstinere, aut ieiuniũ seruare.

Quartò quæritur, Quid sit dicendum, cum Titius ieiunium vouit in die sacro S. Matthæi, aut S. Laurentij, & dies ille incidit in Dominicam, An ieiunium seruare debeat in Dominica die, an potiùs in Sabbato? Respondeo, ieiunium in die Dominica seruare, cum iure Canonico non conuenire, *de Consecrat. dist.5. cap. Quadragesima, & cap. Si quis Presbyter. d.30.* quamuis Canones, & iura non imperẽtne quis ieiunio eo die corpus affligat. Quare si dies ille sacer in Dominicam diem incurrerit, ieiunium est seruandũ in Sabbato, vt se quisq; ad Ecclesiæ cõsuetudinem accommodet: præsertim etiam cum in mentem non venerit Dominicæ dies, cum factum est votum. Pari etiam modo, si est promissum ieiuniũ in pernigilio S. Matthiæ Apostoli, & illud incidat in Dominicam, ieiuniũ est in Sabbatum pridie eius Dominicę diei transferendum, propter cõsuetudinem, & morem Ecclesiæ, *vt constat c.1. De obseruat. ieiuniorum.* Sylu. *votum 4. q.16.* Idem mihi videtur de eo, qui vouisset quotidianum ieiunium se seruaturũ ad annum: nam si expressim dies Dominicos voto non comprehendit eos, benignè licet excludere, ne cõtra morem Ecclesiæ ijs diebus ieiunium seruare cogatur.

Quinto quæritur, Quo pacto obligetur is, qui duo vota fecit, vnum post alterum, iecum ipsa pugnantia? Respondeo cum S. Thom. *in 4. d.38. q.1. ar.4. q.1.* & Sylu. *votum 2. q.17.* si sibi minimè aduertentur, vtrumque seruari debere: sin secus, id seruandum esse, quod maius est, videlicet, quod arctioris est vinculi. Hoc tamen debet intelligi, si quod minus est, in maius legitimè commutetur, aut in maiori cõtineatur, aut si quod minus est, maius bonum impediat, vtpotè in Religionem ingressum. Si autem vota sint æqualia, seruandum est primum, cum quo secundum votum vim, & locum habere non potuit. Hinc facilè intelligitur, quid de eo iudicandum sit, qui votum fecit in hunc modum: nihil coctum, neque panem etiam comedam in pernigilio S. Laurentij, cum postea, vel antea vouerit se nihil cibi sumpturum in sexta Feria, nisi panem, ac deinde pernigilium

sanct. Lau-

Sanct. Laurentij cadit in sextam Feriam? Nam si cum secundò vouit, fuit immemor primi voti, debet primum tantummodo seruare, quandoquidem verosimiliter ille primum fuerat excepturus, si id animo præuidisset. Quòd si primi meminit, neque illud excepit, & votum vtrumque par siue æquale est, seruari primum debet: si verò alterum sit maius, in illud, quod minus est, auctoritate eius, qui potest, commutetur. Sylues. *loco citato.*

Sextò quæritur, An Titio, qui ad diem certum ieiunium vouit, ita seruandum ieiunium sit, vt ab ouis, & alijs cibis ex lacte originem trahentibus debeat abstinere? Respondeo, si id expressè vouerit, ita esset promissum seruandum; siu secus, se ad patriæ consuetudinem accommodet: nam iure communi in diebus quadragenarij ieiunij ab ouis, butiro, lacte, & caseo abstinetur, *cap. Denique d. 4.* Cætera verò ieiunia pro vario patriæ more, & consuetudine seruantur. QVAERES, an qui ieiunium promisit ad certum diem, toties peccet, quoties eo die comedit post ieiunium violatum? Respondeo, inter auctores diuersas esse sententias, an ieiunij præceptum, & legem perfringere censeatur is, qui postquam bis comederit, comedit tertio, quarto etiam, & quinto, quibusdam negantibus, alijs verò affirmantibus: de qua quæstione suo loco dicemus, id solùm in præsentia dixisse contenti, toties contra votum fieri, quoties eo die carnes eduntur: hoc videtur valde probabile, quoniam ieiunium in certo die seruandum, hoc continet, vt nunquam eo die carnes comedãtur. Non tamen contra votum agitur, si cæteri cibi in ieiuniorum diebus concessi tertiò, quarto, aut quintò etiam, ac sæpius edãtur postquam fuerit votum semel violatum; est enim credibile, neminem se voto de ieiunio eo die seruando obligare voluisse, vt post violatum semel ieiunium, eo quòd bis comederit, esset sibi eo die ab omni cibo abstinendum. Sylu. *votum. 2. q. 20. ditto 4.* Ang. *votum 3. q. 27.*

Septimo quæritur, Quid dicendum sit, cum Titius vouit nũquam se bibiturum vinũ, aut ad certũ diem, & deinde cum sit presbyter, Missæ sacrificium facit, & offert, An dum in altari sacris operatur, in cõsueta ablutione post Dominici sanguinis sumptionem, vti sola aqua debeat? Respõdeo, minimè, quoniam votum mitius interpretari debemus, ne sit contra cõmunem Ecclesiæ morem: quo presbyteri in ea ablutione vino, & aqua vtuntur.

Octauò quæritur, An is, qui vouit se nunquam vinum bibiturum toties votum violet, quoties vinum sponte bibit. Respondet Sylues. *votum. 2. quæst. 20. ditto 5.* cum Palud. *in 4. d. 38. quæstio 3. art. 4.* toties peccare, quoties biberit. Et idem etiam, inquit, dicendum est de eo, qui vouit se ad certum tempus vinum non bibiturum, toties enim peccat, quoties intra illud tempus vinum bibit: nisi voluerit se vinum nõ gustaturum nisi post certum tempus elapsum, ita vt solùm se voto obligauerit ad abstinendum semel vino. Sic etiam Angel. *votum. 3. q. 27.*

Nonò quæritur, Qua ratione intelligatur, quod in c. super eo, De Regularibus sancitũ est, de clericis nimirum, qui Religionis habitum suscepe-

runt, & ante professionem ad priorem vitæ statũ sunt reuersi, vbi respondet Pontifex, eos cogendos ad mitiorem Religionem transire, si arctiorem perferre noluerint, ne contra votum, quod Domino fecerunt, venire probentur. Et idem decernitur *in c. Consulti*, De ijs, qui Religionis habitum susceperunt, eo animo, vt priorem vitę statũ simpliciter mutarent? Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Antonius Butrius, & alij, *in cap. consulti, & ca. super eo, citatis*, sentiunt, per habitũ Religionis eo animi proposito susceptum, fieri tacitam Religiosæ vitæ, & instituti professionem ex Ecclesię decreto, & proinde eos Clericos, etiamsi à Monasterio, quod sunt ingressi, recesserint, cogendos Religionem capessere, quoniam sunt tacitè Religioni generatim acceptæ obligati. Mihi tamẽ verius videtur, quod visum est Cardinali, & Abbati *locis citatis*, Angel. *votum. 1. n. 7.* Sylues. *votum. 1 q. 2.* hanc esse *in capitibus supra citatis*, sententiam: Pontifices intellexerunt, nomine propositi, & voluntatis simpliciter priorem vitam mutãdi vnà cum habitu Religionis suscepto, votum professi Monasticam vitam, & in ea perseuerandi; & proinde licet prædicti Clerici ab arctiori Religione semel suscepta recesserant, aliam mitiorem amplecti debebant, vt inferius quoq; dicetur.

Decimò quæritur, An qui promisit se cuidam Ecclesiæ daturum aliquot modios frumenti, & vini cados quotannis, votum persoluere debeat in mensuris maioribus, an in minoribus, cum eiusmodi variæ sint, & diuersæ. Hæc quæstio tractatur *in c. ex parte, De censib°.* Hispani enim Deo votum nuncupauerant, quo promiserant se soluturos Archiepiscopo Compostellano in honorem S. Iacobi Apost. certas frumenti mensuras, & deinde votum persoluebant in mensuris minimis, de qua re Archiepiscopus conquerebatur. Cui Pontifex respondit: *cum nõ constet, in qua mensura antecessores vota persoluerint, videndum est, an habitatores regionis, qui eam continuè persoluerunt, iuxta vnam & eandem mensuram votum exsoluerint, an iuxta varias, & diuersas: In primo*, inquit, *casu, iuxta eam communem mensuram sunt cogendi votum persoluere. In secundo verò casu, si iuxta minorem vota reddant, non sunt compellendi maiorem mensuram persoluere: quoniam cũ huiusmodi vota fuerint ab initio gratuita, benignius sunt à viris Ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores videantur iuris temporalibus inhiare.* Hæc Pontifex. Ex quibus colligit Abbas, verba in votis ambigua interpretationem recipere iuxta communem patrię morem, vt etiam *ex c. Ex literis, De sponsalib.* deducitur, & *ex L. Si seruus plurium, §. Si numerus ff. De legatis 1.* vbi dicitur: *si numerus nummorum legatus sit, neq; appareat, quales sint legati, ante omnia ipsius patrisfamilias consuetudo, deinde regionis, in qua versatur est exquirenda, sed & mens patrisfamilias, & legatarij dignitas, & charitas, & necessitudo, item earum quæ præcedunt, vel quæ sequuntur summarum scripta sunt expectãda.* Hæc ibi lex. item, colligit Abbas, in votis aliquando benignam interpretationem fieri, ita vt minus obligent vouẽtes: sic etiam in legatis, vt habetur *in l. Nummis. ff. De legatis 3.* Vbi dicitur. *Nummis indistinctè legatis hoc receptum est, vt exiguiores legati videantur, si neq; ex consuetudine patrisfamilias, neque ex regione vnde fuerit, neq; ex contextu testamenti posit apparere.* Si contra obijcias, quod ha-

betur *in l. Titia, §. Sempronia, & §. Seia, ff. De auro, & argento legato*, vbi statuitur, legatum relictum Ecclesiæ latissimam interpretationem recipere. Vt si quis legauit Ecclesiæ calicẽ, non est intelligendum esse legatum æneum calicem, sed argenteũ: ergo si quis vouit Ecclesiæ aliquas tritici mensuras, maiores debent intelligi promissæ, non minores? Respondeo, cum Abbate, in legatis fieri latam interpretationem in gratiam piæ causę, quia interpretatio est contra hæredem, non contra testatorem. At verò in votis cum interpretatio fiat cõtra vouentem, mitior esse debet, tum ne Ecclesia videatur esse solicita de temporalibus lucris, & commodis, tum ne cæteri à munificẽtia in Ecclesiam auocentur. Nihilominus tamen cum quis calicẽ promittit ceræ Ecclesiæ, intelligitur promissus calix aptus, & accommodatus ad cultum diuinum, & proinde debet aureum, vel argenteũ, non æneum calicem offerre, & dare.

Vndecimò quæritur; Cum sæpe vsu veniat, vt quis promittat Deo se aliquid facturũ, si eius auxilio, & beneficio aliquod peccati genus euitet, qua ratione interpretandum sit id voti genus, expectandum sit nec ne, singulare aliquod, ac peculiare auxilium Dei? Respondeo nõ esse expectandum singulare; quod sit maius solito, nisi id in voto quis expresserit, sed tantùm commune, ac consuetum: quod tunc datur, cum is debita, & iusta de more diligentia adhibita illud peccatum deuitat: & proinde votum persoluendum sibi erit, cum iam voti conditio sit impleta. Sed quid, si nihil in ea re studij, & operę collocauit, quo factum est, vt in peccatum incurreret? Respondent quidam votum nihilominus esse reddendũ, quia per ipsum stetit, quominus conditio impleretur; & ideo debet præstare promissum. Sed verius est, quod Sylu. *votum. 2. q. 2.* ait Richardum, & Angelũ sequutus, si is, qui ita vouit, scienter, & sua sponte se in peccatum præcipitat, aut sese peccati periculis obijcit, aut peccati occasiones quærit, voti obligatione tenetur, quemadmodum cum voueres aliquid, si Titius in domum tuam ingrederetur, & deinde Titio sæpius ad te venienti fores occluderes, ne in domum intraret, voti vinculo tenereris, eo quòd per te stat, quominus ingrediatur: secus, si id faceres ex incuria, vel negligentia, & obliuione.

Caput XXI.

De simplici Castitatis siue Continentiæ voto.

PRIMO quæritur, An peccet qui post votum simplex Castitatis matrimonium contrahit, antequam illud cõsummet? Duæ sunt opiniones: prima distinguit; Aut contrahit animo, & voluntate cõsummandi matrimonium, & hic grauiter peccat, quia id facere nequit nisi violando, frangendoque votum. Aut contrahit voluntate transeundi ad Religiosorum statum antequam matrimonium perficiat, & hic nullum peccatũ incurrit. Ita sensit Angel. *Matrimonium 3. impedimentum. 5. nu. 1.* Mai. *4. d. 32. q. 2. concl. 1.* Calderi. *in c. rursus, qui Clerici, vel vouentes*; idem videtur sentire Ca. *p. 3. q. 29. art. 1. & in sum. Matrimonium.* Petrus Ledesmius *tract. de Matrim. q. 53. a. 1. dub. 1.* docet hanc sententiam esse probabilem. Ratio eorum est, quoniam post matrimonium ratum nondum consummatum, liberum est cuique coniugi sese ad Religionem conferre. Deinde, quia *in cap. Commissum, De sponsalibus*, sancitum est, vt iuuenis, qui iurando puellæ promiserat se eam vxorem ducturum, priùs matrimonium contraheret iureiurando seruato; & deinde ad Religiosorum monasterium transiret. Secunda opinio generaliter docet, eum peccare, matrimonium cõtrahendo antequam illud perficiat: & hæc est communi Theologorum, Canonici iuris interpretum, & Summistarum consensu recepta. Ita sentiunt Sotus *4. distinct. 38. quæstio. 2. artic. 1.* Sylu. *Matrimonium 7. quæst. 5.* Abbas, Glossa, & alij, *in capit. rursus, qui Clerici, vel vouen.* Richardus *4. distinct. 38. articul. 7. quæst. 1.* Nauarr. *in Manuali cap. 22. nu. 73.* quam ratio ipsa concludit: Nam nuptiæ ideo contrahuntur, vt postea compleantur; is enim qui cõtrahit, debet in animo habere, matrimoniũ perficere, & consummare, nisi aliunde peculiari aliquo iure, & ratione impediatur. Et *ca. vouentibus. 27. quæst. 1.* ex Hieronymo dicitur, vouentibus virginitatem non solùm nubere, sed etiam velle nubere damnabile est. Id verò quod *in ca. Commissum*, statuitur in quem sensum accipiẽdum sit superiùs indicaui, & *ex ca. rursus, qui clerici, vel vouen. & ca. consuluit. de voto.* colligitur, esse peccatum, contrahere.

Secundò quæritur, An qui post simplex votum Castitatis matrimonium peccando contraxit, illud consummando, peccatum denuo committat. Duæ sunt opiniones, prima distinguit hũc in modum; Aut consummat coniugale debitum petendo, & hic denuo in peccatum incurrit, quia votum violat petendo, & exigendo debitum: aut debitum reddendo consummat, & hic nihil peccat, cum ius alteri coniugi debitum soluat. Sic opinantur Angel. *Matrimonium 3. impedimentum. 5. num. 2.* Sotus *4. d. 38. q. 2. art. 1.* Opinio secunda in vniuersum docet, eum peccare, quando matrimonium consummat, & perficit, siue reddendo, siue exigendo debitum. ita S. Thomas *2. 2. q. 189. a. 8. in argumento 3.* Richard. *4. d. 38. ar. 7. q. 1. ad 2.* Anton. *p. 3. tit. 1. c. 16. §. 1.* Palud. *4. d. 27. q. 1. ar. 3. in casu 5. & q. 3. ar. 1. concluſ. 2.* Astensis. *in sum. li. 8. tit. 16. q. 1.* Rosel. *impedimentum. 4. nu. 9.* Sylu. *matrimonium 7. q. 5. vers. 3.* Tab. *impedimentum 2. q. 6.* Armil. *matrimonium. nu. 55.* Nauarr. *in Man. cap. 12. nu. 80.* Immò addit Rosella, oppositam sententiam periculosam esse: & Nauarrus, Sotum oppugnat: Et certè hæc communis sententia cõtra Sotum, & alios quosdam iuniores Theologos apertè probatur testimonio S. Thomæ *in addition. ad tertiam partem. quæstione 53. articul. 1. ad 3.* Totum huius controuersiæ dissidium in hoc consistit, An qui post huiusmodi votum matrimonium cõtraxit, antequam illud cõsummet, Religionem profiteri cogatur, vt suum votum persoluat? Sotus enim putat ad id minimè adstringi: quam sententiam colligit ex eo, quod votum castitatis, nõ Religionis fecerat: quod vt seruet, non videtur vlla lege compelli, ad Religionis institutum capessendum: est enim graue, & durum onus, ac difficile, & arduum vitę genus, nec in voto castitatis, quod susceperat, cõtentum, nec cogitatũ. At verò secũdę opinionis auctores existimãt, matrimonio cõ-

tracto,

tracto, & nõ consummato, vi, & ratione voti antea facti eum obligari ad Religionem profitendam; quia cum adhuc possit ante matrimonium perfectum, votum Castitatis implere vita Religiosa susceptã, id præstare debet. Ad id verò quod Sotus opponit, Religionem in voto castitatis nõ esse promissam, respondent, nõ fuisse expressim, & directò promissam, sed implicitè, & racitè: nã qui castimoniam perpetuam vouet, sese Deo obstringit ad eam seruandam omni ratione, qua potest: sed contracto matrimonio, & non consummato, eam potest Religionem profitendo seruare, ergo id vi, & iure voti præstare cogitur. Quidam, inquiunt, nisi tot, tantorumque Theologorũ obstaret auctoritas, probabilis sanè videretur Soti sententia: eo quòd matrimonio contracto, iure debitum cõiugale redditur, ob rationem paulò ante propositam, cum grauis admodum sit ad Religionem suscipiendam obligatio, nec in voto castitatis contenta, nec præuisa esse videatur. Mihi tamen opinio communis magis probatur, & omnino amplectẽda videtur, vt quæ firmiori ratione muniatur, & communi Doctorum testimonio confirmetur: quamuis Petrus Ledesma, *tract. de matrimo. quæst. 53. art. 1.* dicat opinionem Soti esse probabilẽ: & licet eam sequatur Cordub. *in sum. quæst. 136.*

Tertiò quæritur, An qui est simplici voto Castitatis obstrictus, si matrimonium contraxerit, toties votum violet, quoties coniugale debitum exigit? Est duplex opinio, vna docet, eum semel tantùm peccare, cum primũ debitum petit, postea verò nõ item; alioqui enim matrimonium esset alteri coniugi molestum, & graue, eo quòd ad eum duntaxat cura petendi debitum pertineret. Ita videntur sentire Hostien. & Calderi. *in ca. rursus, qui Clerici, vel vouen.* quorum sententiam putat Angelus *Matrimonium 3. impedimẽtum. 5. n. 3.* esse probabilem. Altera opinio tradit eum toties peccare, quoties debitum petit, nisi id faciat ad voluntatem alterius coniugis expressam, vel tacitam, ita vt potiùs reddere, quàm petere videatur. Hæc est communis Theologorum, Pontificij iuris interpretum, & Summistarum opinio, vt constat ex auctoribus Superiori quæstione citatis. Quam ratio conuincit, quoniam quoad fieri potest, votum seruare debet is, qui vouit, vnde fit, vt sit omni iure perẽdi priuatus, eo quòd coniux, quod attinet ad debitum exigendum, sui iuris est: & potuit se voto castitatis obstringere, & suo iure petendi debitum cedere.

Quartò quæritur, An huiusmodi voto adstrictus tuta conscientia, post matrimonium contractum, & consummatum, debitum coniugale reddat, & soluat? Respondeo, ex communi omnium sententia id posse iure facere, quoniam eo ipso, quod matrimonium consummauit, ineptus est factus ad Monasticam vitam profitendam absque alterius consensu: & alter coniux petendo debitum, exigit ius suum: ergo si debitum denegat, iustitiæ leges violat, quod est graue peccatum: neque enim ex hoc, quod vnus coniugum sit voto Castitatis adstrictus, alter iure petendi debitum priuatur. Est autem animaduertẽdum, tripliciter solere debitũ peti. Primò verbis expressis: Deinde, signis, & nutibus. Postremò, naturæ conditione, nimirum, cum præ pudore coniux à petendo abstinet, & alter scit id eum velle, & appetere. Ita S. Thomas, Richardus, Angelus, Syluester, & alij *locis supra citatis.* Obijcies; Arctius est vinculum voti, quo tenetur, quàm quo coniugi obligatur, ergo potiùs debet Castimoniam Deo sanctè promissam, & dicatam seruare, quàm debitum reddere; quoniam voti vinculum, est religionis: coniugij verò, est iustitiæ: at religio, iustitiæ dignitate præstat. Respondeo, votum Deo fieri, Deus autem sibi gratum, & acceptum illud non habet, quando cum legibus iustitiæ proximo debitæ pugnat.

Quintò quæritur, An si vir, & fœmina simplici voto castitatis obligati matrimonium contraxerint, iure possint vicissim petere, & reddere debitum? Respondeo, omnes conuenire, verum esse matrimonium inter eos contractum, licèt contrahendo grauiter deliquerint; Votum enim simplex Castitatis solùm impedit, ne matrimonium contrahatur, non tamen dirimit contractum. Deinde, communi quoque omnium consensu receptum est, neutri eorũ fas esse, aut petere, aut reddere debitum: non primum, quia vterque est iure exigendi priuatus; non secundum, quia cum neuter habeat ius petendi, eo ipso alterutri non licet reddere. Ita expressim tradiderunt Rosell. *loco citato.* Syluest. *Matrimonium septimo, quæstione quinta, & sexta.* Sotus *libro septimo, de iustitia, quæstione tertia, articulo primo.* Idem iuris est, si vterq; coniugum communi consensu post matrimonium contractum, simplex votum Castitatis fecerit: neuter enim in posterum ius habet petendi, vel reddendi debitum.

Sextò quæritur, quid sit dicendum, si Titius simplici voto Castitatis deuinctus, matrimoniũ contraxerit, & consummauerit, & postea eius vxor præmoriatur, an possit ad aliud matrimonium transire? Respondeo, ex communi omnium sententia, eum denuo contra votum peccatum admittere, secundam vxorem ducendo: immo non solùm peccare, ad secundas nuptias transeundo, sed etiam illas consummando: quia vt paulò ante dixi, antequam matrimonium secũdum perficiat, potest, ac debet Castimoniæ votũ seruare vitam Monasticam profitendo. Si tamen etiam illud consummet, peccat quidem postea petendo debitum: reddendo tamen, non item.

Septimò quæritur, An si Titius votum fecerit nunquam contrahendi matrimonium, deinde, voto neglecto contrahat, peccet consummando, siue reddendo debitum. De hac quæstione Paludanus *in quarto, distinct. 38. quæstione tertia, articulo quinto, conclusione sexta.* Respondeo, considerandam esse Titij mentem, cum vouit: aliud enim est, si de hoc voto loquamur iuxta mentem illius, qui vouet; aliud verò si loquamur per se, & secundùm rationem, & naturam ipsius voti. Nam si in animo eius, qui vouit, tantùm fuit non contrahere, peccat quidem contrahendo, consummando non item. Si verò in animo habuit neque contrahere, neque consummare, non ei licet consummare, etiamsi cõtraxerit. Et proinde debet religionem profiteri, vt colligitur ex Paludano *4. distin. 38. q. 3. art. 5. conclus. 5.* quia religionẽ professus promissum præstabit; aliter enim suum votum, cũ vxore vi-

uens, quã duxit, seruare vix potest, aut potiùs sine graui periculo seruare non potest. QVAERES, quid dici oporteat, si simpliciter vouit, non contracturum se matrimonium, nihil cogitans, consummaturus esset necne? Respondeo, quod tutius est, eligi debere: videtur enim voto adstrictus ad nunquam cõsummandum. Et idem iuris est, cum dubitat an sese Deo obligauerit voto nunquam contrahendi, & consummandi. Quod si roges, an qui tale votum fecerit per se, & ex natura ipsius voti cogatur non consummare matrimonium? Respondeo, cogi vi voti, quia nuptiæ contrahuntur, vt compleantur; ex natura ipsius voti cogitur non consummare matrimonium, ergo qui vouit nunquam contrahere, se simpliciter obstrinxit, vt nunquam consummaret. Qppones: Qui iurat se contracturum, nõ eo ipso, se consummaturum iurat: siquidem post nuptias contractas potest, tuta conscientia, eas non consummare: ergo qui vouit se non contracturum, non idcirco vouit se non consummaturum? Respondet Palud. 4. d. 38. q. 3. artic. 5. Conclus. 6. plus in negatione, quàm in affirmatione contineri: hoc est, plus tollere negationem, quam ponat affirmatio, quoniam qui negat matrimonium, negat actum coniugalem: at qui affirmat matrimonium, non, eo ipso, affirmat cõgressum coniugalem: nam matrimonium esse potest absque coniugali complexu: non contrà, maritalis complexus, sine matrimonio.

Quintò quæritur, An idem iuris sit in ijs, qui post simplex votum Religionis, se matrimonio coniungunt, quod in ijs, qui simplici voto Castitatis adstricti contrahunt matrimonium? Respõdeo, non esse omnino idem iuris. Nam qui voto Religionis simplici ligatus matrimonium cõtrahit, peccat contrahendo, quia peccati periculum sibi creat, ne videlicet tentatus in tentatione succumbat, & matrimonium consummet. Deinde, directò cõtra votum delinquit, si matrimonium cõsummet, siue reddendo, siue petendo debitum, quoniam consummando, votum suum seruare amplius nõ potest. Adhæc, matrimonio consummato, contra votum postea non agit, reddendo, aut petendo debitum. Et in hoc simplex votum Religionis, à voto Castitatis distinguitur. Nec enim qui simplex Religionis votum Deo nuncupauit, ad castitatẽ statim seruandam sese obstrinxit: quod verè tradiderunt Caietanus 2. 2. q. 88. art. 3. versic. in responsione ad secundum. Sot. libr. 7. de iust. q. 2. art. 1. circa tertium argumentum: Nauar. in Man. c. 12. nu. 47. vers. Dixi, vouet intentione. Postremò coniuge vita defuncta vi voti debet se ad Religionem recipere, quoniam per matrimonium, votum Religionis, antea factum sublatum, & extinctum non est, sed quasi sopitum ad tempus: Vnde si secundo se matrimonio copulet, denuo votum violat, atque perrumpit, quia iterum in periculum incurrit ne suum votum violet consummando. Quòd si illud consummet, certè contra votum grauiter delinquit.

Nonò quæritur, An adstrictus simplici voto, de sacris ordinibus suscipiendis, peccet matrimonium contrahendo? Sotus affirmat, eum contra votum peccare, quia contrahendo, fit ad sacros ordines ineptus. SI QVAERAS, an post matrimonium contractum, antequam consummet, & perficiat, debeat vitam religiosam capessere, vt votum, quod fecerat, seruet. Sot. 4. d. 38. q. 2. artic. 3. respondet, eum ad id minimè compelli, quia non Religionis, sed sacri ordinis capessendi, votum fecerat: & graue admodum, ac molestum est Religionis institutum ei, qui nullo se huiusmodi voto deuinxit, nec votum ad non cogitata protenditur, nec quis ratione eius plus debet exsoluere, quàm vouerit. Mihi tamen longè probabilius videtur oppositũ, sicut supra dixi de eo, qui simplici voto Castitatis obstrictus se matrimonio copulauit. Debet igitur Religionẽ profiteri, quoniam eam profitendo, promissum præstare commodè potest: quippe, Religionem professus, ad sauros deinde ordines proueheretur.

Decimo quæritur, An voto simplici Castitatis sponsalia dirimãtur; exempli gratia, Titius puellæ promisit se eam vxorem ducturum, deinde verò simplici se voto Castitatis adstringit: quæritur, valeat ne votum, an sponsalia? Hanc quæstionem Scholastici tractant, *in quarto, dist. in. 27.* & Canonici iuris interpretes *in cap. Rursus, & ca. Veniens, qui Clerici, vel vouentes*, & Syluest. *sponsalia. quæst. 7.* vbi multas sententias refert. Tres sunt opiniones. Prima distinguit: Si votum Castitatis sponsalia antecedat, ea dirimit, tametsi ea iureiurando roborentur: quando verò sponsalia votum præcedunt, vim, & locum habent, præsertim iureiurãdo confirmata, nec voto dissoluuntur. Ita Innocentius, Hostiensis, Archidiaconus, Ioann. Andr. Abbas, Ancharanus, *in c. rursus, qui Clerici, vel vouen.* & inter Theologos Palu. *4. d. 27. q. 1. artic. 3. in quinto casu prope finem.* Antonin. *part. 3. tit. 1. capit. 18. §. 2.* inter Summistas Syluester *Sponsalia. quæst. 7.* Rosel. *impedimentum 4. num. 4.* & Tabien. *Sponsalia. q. 10.* Armil. *Sponsalia. nu. 12.* Nauar. *in Manua. cap. 22. num. 27.* Quod docent duplici ratione permoti: Tum quia Ecclesia auctoritate Iudicis cogit spõsalia, quæ votum antecedunt, impleri, & seruari, præsertim iureiurando firmata; Aut cogit saltem eum, qui votum post sponsalia emisit, Religionem profiteri, vel fidem puellæ datam implere. Tum quia votum solenne Castitatis dirimit nuptias sequentes, nõ præcedentes, *cap. Ex parte, & ca. Ex publico, De conuers. coniugat.* ergo à simili, votũ simplex Castitatis dissoluit sponsalia sequentia, non præcedentia: præsertim cum per sponsalia præcedentia, alterius aliquod acquisitum videatur. Quod si iusurandum sponsalia confirmauit, maiorem vim adhibet, siquidem vinculum vnum alteri accedit, cũ tamen votum simplex nos vno tãtummodo vinculo teneat, ac liget. Secunda sententia generaliter docet voto simplici Castitatis sponsalia dissolui, siue ea illud antecedant, siue sequantur. Quam sententiam tuentur Sotus *4. d. 27. q. 2. ar. 5.* Mai. *4. d. 27. q. 5. ad 2.* Richar. *4. d. 27. art. 3 q. 4.* Ang. *sponsalia. n. 40.* & citat Ioan. Andr. *in c. de illis, de desponsat. impub.* Sic Calder. sic Antonius Butrius, vt citat Rosel. *impedimentum 4. nu. 4.* Tertia sententia est asserentium sponsalia dirimi ex parte eius, qui votum non fecit, nõ autem ex parte eius, qui castitatem promisit: aiunt enim liberum esse ei, qui non vouit, à fide data in sponsalib⁹, recedere, ne sit ei oneri matrimonium, eo quòd alter, qui votum fecit Castitatis, iure non poterit debitum coniugale petere, ac proinde cogetur debitum petere, quoties

voluerit vti coniugio, quod absque onere, & difficultate, non fit: at is, qui votum fecit Castitatis fidem datam in sponsalibus seruare debet, quia iure cogitur ab Ecclesia in iudicio, aut in religionem ingredi, aut nuptias contrahere. Sic opinantur Paludanus, & Syluester, *locis supra citatis*. Reuera Sponsalia, iure Canonico, per votum simplex Castitatis, non dirimuntur, & hoc est, quod docent primæ opinionis auctores. At verò in foro conscientiæ existimo probabilem esse sententiam, sponsalia, quæ publicè contracta nõ sunt, per votum simplex continentiæ dissolui: quod secunda opinio tradidit. Etenim Castitatis votũ, est egregium virtutis officium, & opus, quod futurarum iuptiarum sponsio impedire iure, nec debet, nec potest: ergo siue sponsalia antecedant, siue sequantur, voto simplici Castitatis, aut Religionis, aut sacri ordinis, meo iudicio dirimũtur, ne promissio futuri coniugij meliori præstantiorique bono aditũ intercludat. Hoc tamen intelligimus ex conditione si sponsalia omni alio iustitiæ vinculo careãt. Nam si quis priuatim & clam, alicui puellæ nuptias absolutè promiserit, eamque violauerit, aut eius famã aliqua ratione læserit, aut publicè cũ ea sponsalia contraxerit: hæc nisi perfecerit, ei graue damnum, & malum dat: eiusmodi enim obligatio, nec simplici castitatis, nec Religionis, nec sacri Ordinis suscipiendi voto dissoluitur: eo quòd, Deo vota nostra non placent, si æquitatis, aut iustitiæ legibus aduersentur. Cæterùm argumenta primæ sententiæ, contra secundam opinionem, quam sequor, nihil concludunt. Nam Ecclesia cogit quidẽ sponsalia perfici, quando in Iudicio constat ea esse contracta, & de voto simplici Castitatis nihil compertum habet. Item, quia in iudicio agitur secundùm Canones, & iura, & in iure sponsalia nõ dirimuntur per votum simplex castitatis, nisi per ingressum in religionẽ: & ideo Ecclesia in iudicio nõ dissoluit sponsalia, per votum simplex castitatis subsequẽs, vel præcedens, nisi is, qui vouit, ad religionem transeat: quòd si neutrum eorum constet, non simpliciter cogit sponsalia impleri, sed aut ea perfici, aut Religionem eligi, ne alter, cui fuerant nuptiæ promissæ, detrimenti aliquid contrahat. Nos tamen vti diximus, de eo euentu loquimur, quo priuatim, & clam futuræ nuptiæ puellæ simpliciter promittuntur. Deinde, non est idem inris in voto solemni, quod in simplici: nam solemne dirimit nuptias, si sequantur, sola Ecclesiæ institutione; at verò præcedẽtes dissoluere nequit, cum Ecclesia ad id ius, & potestatem non habeat. Cæterùm simplex votum castitatis per se vim habet sponsalia soluendi, siue præcedant, siue sequantur, ne futurarum nuptiarũ simplex, & nuda promissio nos à meliori, & maiori bono prohibeat. Et miror quosdam iuniores asserere secundam sententiam esse periculosam: quum eam apertè sequatur S. Tho. *in additionibus, ad p. 3. q. 53. art. 1. ad 1.* & post eum sequantur ipsam Richardus, Angelus, Antonius Butrius, Gaspar Calderinus, Sotus, & Maior. & eam esse probabiliorem scribit Petrus Ledesma. *de matrimo. q. 42. art. 3.*

Vndecimò quæritur, An qui virginitatem vouit, Castitatem simpliciter vouisse censeatur? id est, An votum Virginitatis sit idem, quod votum Castitatis. Quidam id negãt, quia qui Castitatem simpliciter vouet, hoc ipso promittit nunquam se rem coniugalem, aut etiam veneream cum alio habiturum: qui verò Virginitatem vouet, corporis integritatem tãtummodo pollicetur, quam seruat si omnem primum coniugalem congressum, & venereum itidem concubitum deuitat; is enim verè, & propriè videtur virgo; sicut innocens quoque is dicitur, qui nullum peccatum contraxit. Aliorum est sententia Virginitatis votum prorsus ex mente, & animo eius, qui vouit iudicari debere. Aut enim eam aliquis promittit habẽs in animo nũquam, vel maritali, vel venereo complexu cum alio iungi, & hoc est, ac dicitur votum simpliciter Castitatis; aut tantùm à primo se concubitu, siue coniugali, siue venereo extra coniugium continere, & hoc non est idem votum, quod Castitatis, minus enim continet: & propterea, qui vouet absolutè Castitatẽ votum violat, quoties cum fœmina rem habet: qui verò Virginitatem eo modo, quo diximus, vouet, peccat quidem cum ad fœminam primum accedit; amissa verò iam semel corporis integritate, nullo amplius voti nexu tenetur. Mihi tamen magis probatur S. Thomæ 2. 2. *qu.* 88. *artic.* 3. *ad* 2. sententia, vbi docet votum Virginitatis idem esse, quod Castitatis. Idem dicit Caietanus, *eo loco*, & Sot. *libro 7. de iust. q. 2. art. 1. circa argumentum* 3. Nauar. *in Manual. cap. 12. nu.* 43. Ait enim S. Thom. eum qui Virginitatem vouit, ea semel amissa adstringi ad Castitatẽ seruandam: quod non diceret proculdubio, nisi putaret, in voto Virginitatis contineri simpliciter votum Castitatis. Quare mea quidem sententia, votum Virginitatis accipere possumus simpliciter, & per se, & hoc continet votum Castitatis, & hoc est, quod voluit S. Thomas: aut accipimus iuxta mentem, & voluntatem vouẽtis, & hoc votum Virginitatis potest à voto Castitatis distingui. Virgo enim potest virginitatem polliceri, in animo tantummodo habens sui corporis integritatem seruare, siue à primo venereo congressu abstinere: & nihil ampliùs. Et ideo supra dixim⁹, virginitatis votum esse per se Romano Pontifici reseruatum, quoniam per se, & re ipsa, est idem, quod votum castitatis, licet ex accidẽti, nimirum ex animo, & voluntate vouẽtis, possit esse votum non totius, & integræ Castitatis, sed partis duntaxat, hoc est, certæ cuiusdam continentiæ. Sic Caietanus ait. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *circa responsionem. S. Thomæ ad* 2. & Nauarr. *in Manual. cap. 12. nu. 43. verfic. Decimo quarto peccat.*

Caput XXII.

De simplici Religionis voto.

NOn est ignorandum simplex Religionis votum dupliciter fieri posse: Aut enim in futurum confertur, vt cum quis vouet se Religiosæ vitæ institutum suscepturum: & huiusmodi votum Monachum, aut Religiosum non efficit, eo quòd solùm sit futurę Religionis sponsio. Sicut enim cũ Titius puellæ futuras nuptias pollicetur, nõ eo ipso, eam in matrimonium ducit: sic etiam cum quis Deo in Religionem se ingressurum promittit, non hoc ipso Religioni se tradit, ac mancipat. Aut votum Religionis in præsens confertur,

vt cum vouet quis Castitatem, paupertatem, & obedientiam in certa aliqua Religione, sed Religionis professionem nō facit. Primum votum est Religionis futuræ promissio, secundum, eo quòd in præsens, nō in futurum confertur, est Religiosæ vitæ præsentis sponsio. In præsentia igitur solùm agemus de primo Religionis voto, postea verò de secundò.

Primò quæritur, Quid facere debeat is, qui simplex Religionis votum emisit? Respondeo, aut is vouit Religionem in vniuersum, vel certæ alicuius Religionis institutum, vel in certum Religiosorum domicilium ingressum. Si primùm, debet si in vna earum Religionum non admittitur, aliā adire: in quo nemo dissentit, vt docent S. Thom. 2.2.q.88.ar.3.ad 2.& q.189.ar.3.ad 2. Sylvest. religio.2. q.15. Richard. 4.d.38.ar.8.q.3. Angel. votum.3.q.10. Si verò certæ alicuius Religionis institutum vouerit, videlicet Dominicanorum, vel Franciscanorum, illud solummodo petere, & amplecti debet; cuius sit fuerit repulsam passus, voti vinculo liber, & solutus est, vt ait S. Tho. *ibidem*, & Sylvest. *loco citato*, & Angel. similiter. In quo etiam omnes consentiunt. Si autem ingressum in certum Religiosorum domicilium Deo spospōderit, in illud non admissus, solutus est voto: quod expressim docent cum S. Thoma Sotus *lib.7.de iust.q.2.art.1.ad 3.* item Nauar. *in Manual.c.12.nu.48.* Caiet. 2.2.q.88.art. 3. Sylvest. *religio.2.q.16.* QVAERES si Titius Religionem generatim vouerit, debet ne finitima tantùm Religiosorum cœnobia adire, ac petere, vt admittatur, an verò etiā alia extra Prouinciam, & regionem constituta. V.G. Hispanus quispiam, vel Gallus, vouit generaliter Religionem, nec tamen Hispani, vel Galli Religiosi eum volunt admittere. Quæritur, an debeat Italiam adire, vt in aliquem Religiosorum conuentum admittatur? Nauarrus respondet *in Man.cap.12.nu.48.& Consil.2. nu.3.de voto.* Si Religionem vouit, & nihil expressè, vel tacitè, quod ad loca pertinet, restrinxit, à finitimis Religiosis non admissus, debet se ad remotiores etiam externos conferre, si probabiliter crediderit ab illis admittendum fore: quod si tacitè solùmodo vouit suæ regionis, Prouinciæ, nationis, vel linguę Religiosorum institutum voti vinculo non cogitur externas nationes exquirere, ac pro se Nauarrus, Caietanum citat 2.2.*qu.* 88.*art.*3.*§.in eadem responsione dubium occurrit.*

Mihi verò probabilius videtur, quod tradiderunt Sot. *lib.7.de iust.q.2.art.1.ad* 3. Sylvest. *Religio.2. q.16.* Angel. *votum.* 3. *q.* 10. si is, qui vouit, in animo habuit se Deo obligare, vt ad Religiones etiā extra suam Prouinciam sitas adiret, id præstare debet: at si eius animus fuit, tantummodo obligare se, vt finitima Religiosorum domicilia, & Collegia perlustraret, non debet petere externa. Quòd si dubitetur quæ nam fuerit eius mens, & voluntas, solùm debet finitima explorare, quia nihil de remotioribus extra Prouinciam sitis cogitauit; quæ si in memoriam veniissent, probabiliter illa à voti obligatione excluisset. Adde, quod fere vsu venit, vt nemo voueat se ingressurum in Religiosorum ordinem, à sua Prouincia, & natione distantem: præsertim si fœminæ sint, quæ vouent, aut ætatis teneræ, & delicatæ adolescentuli. Postremò, quia alioqui totum Christianorum orbem quis perlustrare, & peragrare deberet.

Secundo quæritur, Quot Religiosorum familias is, qui vouit, explorare, aut cœnobia adire debeat, vti se ab eis admittendum curet? Respondeo, si Religionem vouit generatim, satis est, si quinq;, vel sex diuersi instituti ordines in sua Prouincia cōstitutos exquirat. Quòd si certi instituti, nimirum Dominicani, vel Frācisci Religionem vouerat, sufficit, si quinque, vel sex Dominicanæ, vel Franciscanæ familiæ exploret domicilia. Quòd si in nullum Collegiū recipiatur, probabiliter credere potest se à cæteris quoq; exclusum iri. Ita Sot. *li.7.de iust.q.2.a.1.ad* 3. QVAERES, si Prouincialē, aut generalem Præpositū adierit, nec ab eo in Religiosorum ordinem admittatur, solutus ne voto censebitur? Nauarrus respondet *Consil.2.n.3.de voto*, eum minimè à voti vinculo liberari, nisi Prouincialis, aut Generalis Præpositus præceperit Monasteriorum Præfectis, ne eum in suas familias cooptent. Id colligit, quia iure communi, Monachi admissio ad Præfectum cœnobij ex cōsensu totius Collegij pertinet: ergo nō sufficit, si Prouincialis, aut Generalis Prępositus eum excludit, cum penes Monasteria sit admittendi liberum ius, & potestas. Sotus tamen *loco citato*, insinuat, eiusmodi vouentem solutum esse voto, si à Prouinciali, vel Generali Præposito fuerit repulsus. Cum iure tamen, Nauarri sententia magis congrüere videtur. Sotum autem de eo locutum existimo, qui à Prouinciali, vel Generali Præposito repellitur, penes quos est totum ius admittendi, & creandi Monachos, siue Religiosos: aut in eo casu, quo Prouincialis, vel Generalis cœnobiorum Prefectis imperat, ne aliquos in Religionis ordinem recipiant.

Tertiò quæritur, Si is qui vouit Religionē in vniuersum, nullibi recipiatur? nunquid ratione voti ad aliquid faciendum compellitur? Innocētius *in ca.porrectum, de regularibus*, sensit teste Nauarro *in Man. cap.12.nu.48.* eum debere se Episcopo offerre, vt ei subiectus iuxta id regulæ institutum viuat, quod ille prescripserit, vt quomodo potest, votum exsoluat, nec iure posse matrimonii contrahere; quamuis si contrahat, sit matrimonium ratum, & firmum. Non fideliter retulit Nauarr. sent. Innocen. non enim Innocentius loquitur de eo, qui promittit futurum in religionem ingressum, vt putauit Nauarrus, sed de eo, qui in manibus, vt ait Innocentius, alicuius Clerici vouet castitatem, paupertatem, & obedientiam perpetuam, & non vouet certam aliquam religionis regulam approbatam. Idem etiam sensit Hostiensis *in c.Porrectum, citato.* Cæterùm hæc etiam sententia communi consensu reijcitur, vt constat ex Antonio, & Abbate *in eo cap. Porrectum*, videlicet in hoc sensu, eum, qui ita vouerit, religiosum non fieri. Et multò minus, si solùm vouerit futurum in religionem ingressum: eo quòd simplex votum futuræ Religionis in vniuersum quis tacita cōditione facit, si alicubi in religiosorum ordinem recipiatur. Deinde, in voto Religionis futuræ generatim facto non continetur Castitas, aut obedientia, nisi impleta conditione, quæ tacitè subest, scilicet si vspiam admittatur.

Quartò quæritur: Quid præstare debeat, si Titius, aut

tius, aut simpliciter in vniuersum Religionem, aut certi instituti regulam promiserit, animo, & voluntate eam profitendi, & ad sacros Ordines conscendendi, & in Religionis Ordinem coopteturtur, tanquam laicus, absq; vlla spe ad sacros Ordines ascendendi? Respondet Sotus *loco citato*: Si verè se voto Religionis adstrinxerit animo, & voluntate ad sacros Ordines perueniendi, cogêdus non est Religionem suscipere, si tantùm, vt laicus recipiatur in Ordinem, quoniam votum vltra voluentis animum sese nequaquam extendit, ac fundit: secus verò est, si absolutè, & simpliciter Religionem promiserit. Sed, quid si Religionê vouit, nihil prorsus cogitans, sitne in Religione Laicorum status distinctus, ab statu, vel gradu Sacerdotum: & non admittatur, nisi in gradum, & ordinem Laicorum? Respondeo, distingui oportere: aut enim ijs dotibus, & conditionibus præditus est, quales conueniunt ijs, qui tempore debito sacris Ordinibus initiantur. V.G. si sit iuuenis nobili genere natus, vel aliqua alia animi dote cõspicuus, Dialecticæ, Philosophiæ, Rhetoricæ, Grammaticæ, aut aliarum liberalium artium peritus: & hic, si non admittatur, nisi tanquã Laicus, à voti vinculo liber est, quoniã probabiliter iudicari potest, si tale quid, dũ vouit, ei in mentê venisset, votum eum minimè fuisse facturum. Aut his omnibus conditionibus, quę proximè memoraui, caret, & sic voti lege, aut nexu tenetur, etiãsi admittatur tanquam Laicus, quoniam absolutè, & simpliciter futurum in Religionê ingressum promisit. Deinde quæres, si vouit credens se ad sacros Ordines promouendum, & nõ recipiatur in Religionem, vt qui nullam artem mechanicam calleat, eamne addiscere debet? Respondeo cum Soto *loco citato*, ad hæc, & alia similia addiscenda, vi, & ratione voti minimè adstringi, si dum vouerat horum impedimentorum non meminerat.

Quintò quæritur, Quid dicendum est, si Titius in certæ Religionis institutum futurũ ingressum vouerit, & semel eam Religionem petens passus fuerit repulsam; & deinde Religiosi eũ volunt admittere, an voto teneatur? Respõdeo ita distinguendo: Aut quãdo petit certo aliquo ad tempus impedimento tenetur, quo minus admittatur, vt quia morbo laborat, & hic non est à voti vinculo solutus, ac liber, cũ probabiliter videatur exclusus ob solùm impedimentum ad tempus: Aut nihil habet, quo impediatur, & hic semel repulsus non amplius voti vinculo tenetur obstrictus, cum ei satis sit, si quando petijt, admissus, & receptus non fuit; alioqui enim toto vitæ tempore ancipiti, & suspenso animo teneretur.

Sextò quæritur de eo, Qui vouit se ad Religionem relicto seculo transiturum, an vi voti non solùm Religionem capessere, & se religiosi tyrocinij experimentis exercere cogatur, sed etiam debeat in Religione perpetuò perseuerare, & in ea solemnem professionem emittere? Respondeo, eum ad ingrediendum in Monasterium adstringi experiendumq;, ac tentandum, sit ne in rem suam eiusmodi vita, an secus. Non autê vi voti compellitur perpetuo in religione persistere. Sic S. Tho. 2.2.q.189.a.4. Richard. 4.*dist.*38.a.8.q. Sylu. *religio.*2. q.19. Ang. *votum* 3.q.18. Nau. *in Man.c.*12.*n.*47. Sot. *lib.* 7.*de iust.q.*2.*a.*1.*ad* 3. Palud. 4.*dist.*38.*q.*4.*a.*1.*conclus.*2.

Qvaeres, quid sit dicendum, si promisit se Religionem ingressurum non voluntate perseuerandi, nec eam profitendi, nec experiẽdi, expediat, ne sibi, an non; sed statim ab ea recedendi? Respondeo cum Paludano 4.*dist.*38.*q.*4.*art.*1.*concl.* 1. Maiore 4.*dist.*38.*q.*2.*§.Dubitatur.ad finem.* Soto, Richard. Sylvest. Angelo *locis supra citatis*: Huiusmodi votum posse dupliciter fieri: aut enim vouet quis se in Religionem ingressurum, & statim recessurum ab ea; & hoc votum vanum est, quia vouet exiturum se à Religione: aut vouet se ingressurum, non tamen vouet se statim exiturum: habet tamẽ in animo à Religione statim exire, & recedere: & hic teste S. Tho. 2.2.*q.*189.*art.*4.*ad* 3. votum non implet, si statim à Religione recedat: sed vi voti facti debet voluntatem mutare, & experiri, num sibi religiosæ vitæ institutum conueniat. Sic etiam Richard. Sylvest. Angel. *locis supra citatis.*

Si Qvaeras. An is tuta, & salua conscientia intra Monasticæ probationis tempus ad priorem vitæ statum redeat, eo quòd sibi gratum non sit Monasticæ vitæ institutum? Respondeo, id esse licitum facere, quæ fuit Nauarri sententia *loco citato*: quamuis Caietanus 2.2.*q.* 189.*art.*4. sentire videatur, necessariam esse causam iustam, atq; legitimam, ob quam ipsi displiceat eiusmodi vita religiosa. Certè meo iudicio, si absque vlla causa recedat, peccatum quidem esse potest in eo, quod temerè, & quadã animi leuitate ab eo, quod cœpit, vitæ instituto desistat, sed contra votum minimè delinquit, cum secundùm iura, probationis tempus sit liberum.

Qvaeres insuper, An si absque vllis probationis experimentis recedat, voto satisfaciat? Respondeo, vt dixi, minimè, quoniam vi voti antea facti experiri debet, an è re sua sit Religiosum institutum, quamuis nullo se voto obligauerit, quo debeat perseuerare in Religione, aut eam solemni ritu, & ceremonia profiteri. Ita Caietanus, & Sylvester ex S. Thomã.

Demvm Qvaeres, Quid amplius præstare debeat is, qui ex voto Religionis antea facto in eam ingreditur, quam qui ingreditur absq; vllo Religionis voto? Caietanus *loco citato*, ait, primum illum vi, & ratione voti ad experiendum compelli, sibi ne Religiosa vita cõducat, nec ipsi fas esse eam sine iusta causa deserere. Alterum verò nequaquam adstringi ad probationis experimenta, nec peccare saltem grauiter, si absque debita causa recesserit. Sed videtur mihi cõmodiùs responderi posse: Primum quoque, si intra probationis tempus, Monasticam vitam expertus ab ea defecerit ad priorem reuersus, contra votum non facere, si Religionis institutum minimè ipsi probetur, & satis esse, si sibi displiceat id vitæ genus, tanquam minus gratum sibi, vel tanquam incõmodum, aut asperum, & durum, quamuis nulla alia iusta causa, & legitima moueatur, nisi simul etiam vouerit, non se ab incœpta probatione recessurum absque iusta, & debita causa. Nam, vt colligitur *ex cap. Ad Apostolicam.de regularibus.& c.*1.*&* 2.*de regularib.in* 6. annus probationis iure cõceditur, vt quis experiatur; ita tamen, vt sua sponte, & voluntate possit à Religione recedere.

Septimò quæritur, Quid sit dicendum, si Titius vouerit non solùm se in Religionê ingressurum,

sed etiam

sed etiam futurum se Religiosum, an ingressus in eam, debeat solemnem professionem emittere. Caietanus 2.2.*qu.*189.*artic.*4. plus æquo in hac quæstione distinguit. Aut enim, inquit, Titius vouet ingressum in Religionem, & sufficit, si ad tempus eam experiatur: Aut vouet sic, Religiosus efficiar: & idem, inquit, iuris est in hoc, atque in illo; satis enim est, si Religionem exploret, ac probet. Aut vouet hunc in modum, Ero Religiosus; & hic ait Caietanus, Religionem profiteri debet: quoniam absq; professione nemo Religiosus est. Ergo perinde est, ac si voueret sic, Religionem solemni voto profitebor. Sed verè Sotus *lib.7.de iust. quæst.2.arti.1.ad* 3. dixit, distingui hæc quidem subtiliter, sed nō bene. Quare idem est votum, Fiam Religiosus, quod, ero Religiosus: ac sufficit, si secundùm iura probationis experimenta fecerit.

Octauò quæritur, An si Titius vouerit se solēnem Religionis professionem emissurum, debeat profiteri, aut perseuerare; an verò satis sit in eam ingredi, & experiri Monasticæ vitæ regulam, rationem, & formam? Duæ sunt opiniones: Prima docet eum solùm adstringi ad sese in Monastica probatione exercendum, donec tandem didicerit sibi minimè congruere eam viuendi normam, & regulam. Ita Sotus *loco citato*, eo argumento ductus, quod quamuis Titius promiserit se perseueraturum, votum intelligi debet secūdùm Canones, & iura seruandum: at iura probationis tempus constituerunt; ergo Titius ad experimenta tantummodo probationis ipso iure compellitur. Secunda opinio tradit vi voti Titium obligari ad Religionē solemni voto profitendam, vel ad perseuerandum in Religione. Ita S. Thomas 2.2.*q.*189. *art.*4. Caiet. *ibidem.* Syluest. *religio.*2.*q.*19. Nauarr. *in Man.c.*12.*nu.*43. quæ opinio est verissima: quoniam Titius duo promisit, nimirum ingressum in Religionem, & professionem, siue perseuerantiam in ea, quod est idem; ergo non satis est, si alterū tantummodo præstet. Deinde, qui vouet se in Religione perseueraturum, aut se in ea professionem emissurum, eo ipso cedit iuri, quod sibi Monasticæ probationis tempus concedit: nam iura, quæ id temporis tribuerunt, intelliguntur sub ea conditione tacita, si quis eo beneficio vti velit.

Nonò queritur, Quid dicendum est, si Titius voluerit se ingressurum in Religionem, & culpa sua ei denegatur ingressus; quippe, qui aliquid fecerit eo animo, vt non admittatur, num voti obligatione teneatur? Respondeo, eum teneri, & suo voto minimè satisfacere, nisi absq; dolo, & mendacio eam petierit diligenter. SI ROGES, an voto Religionis adstrictus, cum eam petit, patefacere debeat se Deo Religionem vouisse? Respōdeo. eum minimè ad id esse compellendum: satis esse, si se admittendū curet, nā solùm vouit ingressum in Religionē, nec vnquā se id voti patefacturū promisit. Votū autē eiusmodi ita intelligitur, si me Religio velit admittere. Sed quid si in Religionem receptus, dum tanquam Nouitius probationis experimentis exercetur, sua quoque culpa excluditur, an voto suo satisfaciat? Respondeo, eum voto suo satisfeciſſe, quia tantūmodo vi, & ratione voti cogitur in Religionē ingredi, & experiri, an ea sibi probetur, & placeat, an secus.

Decimò quæritur, Quid dicendum est, si Titius vouit sub disiunctione se Franciscanorum institutum susceptурum, vel in certa hospitali domo egentibus inseruiturū, an si ei denegetur in Franciscanam familiam ingressus, debeat in hospitali domo inseruire? Respondeo, debere: quoniam qui duo disiunctim promittit, debet alterutrum præstare. *Cap. In alternatiuis, De regul. iuris in 6.* habetur: *In alternatiuis debitoris est electio, & sufficit alterum impleri.* & *l. In eo, quod plus est ff. De regul. iuris*, dicitur: *Vbi verba cōiuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum.* Veluti si quis promiserit dotem, vel æstimationem eius, satis est, si alterum præstet.

Vndecimò quæritur, Quid dicendum est, cum Titius morbo laborans hæc verba ex animo protulit; Votum facio volendi Religionem ingredi, aut nolendi amplius extra Monasterium viuere, an voto teneatur? Respondeo, sicut aliud est in arborem ascendere, & aliud velle ascendere, vt docet Glossa *in l. In vendendis. C. de contrahen. empt. & vendit.* & aliud est vendere, aut donare, quam velle vendere, aut velle donare; aliud contrahere matrimonium, quàm velle contrahere, vt annotatur *in cap. Ex parte, de sponsalibus.* Sic etiam aliud est vouere Religionem, atque velle vouere: sicut aliud est iurare, atque velle iurare: & in Sacerdote aliud est consecrare sanctissimum Christi corpus, aliud velle consecrare, aliud à peccatis absoluere, aliud velle absoluere. Vnde is, qui votum fecit volendi Religionem, nō quidem vouit Religionem, sed vouit se aliquando in animo habiturum Religionem suscipere; & proinde, nisi eiusmodi votum commutandum, relaxandumúe curet, debet aliquando velle Religionem capessere. Sed quid si ita promisit, voueo extra Monasterium non moriturum. Respondeo, tacitè his verbis Religionis votum contineri; perindeque esse, ac si vouerit se Religiosum futurum. *Sic. Nauar. consi.10.de voto.*

Duodecimò quæritur, An si Titius se susceptурum arctiorem Religionem vouerit, tuta conscientia laxiorem petat, & in eam ingrediatur? Respondeo ex communi sententia, quam habet S. Thomas 2.2.*quæst.*189.*articul.*8.*ad* 3. & Angelus *votum* 3.*q.*16. Syluest. *votum* 4.*q.*3.*dicto.*6. id eum facere iure non posse, nisi fortè ea religio Pontificium nacta fuerit priuilegium, vt tali voto adstrictos possit admittere, quæ communis sententia colligitur *ex cap. Qui post votum, de regularib. in 6.* vbi dicitur: *Qui post votum à se de certa Religione intranda emissum, Religionem aliam, etiam laxiorem ingreditur, & professus in ipsa, potest, voto nō obstante priori, cui tanquam simplici per secundum solemne nōscitur derogatum, manere licitè in eadem: pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda.* Hæc ibi. Vbi duo dicuntur: Vnum, pœnitentiam esse ei imponendam, quia peccauit primo voto arctioris Religionis posthabito, laxiorem capessens: quod quidem ea quoque ratione concluditur, quia minus præstat, ac soluit, quàm promiserat. Alterum est; eum, qui arctiorem, & duriorem Religionem promiserat, si laxiorem solemni voto fuerit professus, voti primi vinculo liberari, ac solui; quoniam per professionem tradit se quis Religioni, ita vt in ipsum Religio sibi ius acquirat. Vnde quādiu laxiorem non profitetur, debet se ad arctiorem cōferre. SI ROGES, an si Religiosus religionem laxiorem professus voueat se transiturum ad arctiorem,

possit

possit Superior huiusmodi votũ relaxare, quamuis nequeat irritum facere, vt supra iam dixi. Respondeo, posse, si iusta, & legitima causa subsit, quam semper requirit voti relaxatio, siue absolutio. Sotus *lib. de iust. q. 4. art. 3. post conclus. 2.* Sylvest. *votum 4. q. 3. dicto. 6.* Paludani, & Antonini sententiam sequutus.

QVAERES: Quid si post votum simplex certæ Religionis, in aliam æquè arctam se quispiam receperit? Respondeo, id etiam priuata auctoritate fieri non licet: at si in ea professio fiat, rata est & firma. ROGABIS etiam, an si vouerit quis nũquam se in arctiorẽ religionem ingressurum, subsistat, ac valeat eiusmodi votum? Respondeo, minimè, quia melius, & maius impedit bonum. *Navarr. consil. 74. de Voto.* Præterea (vt habetur *in l. Quæ de tota. ff. de rei vendic. & cap. Pastoralis. §. Item si votum, De officio deleg.*) Idem iuris est de parte, quod de toto: sed votum nunquam in religionem ingrediendi irritum est, & inane; ergo nec ratum est, nec firmum votũ, quo quis pollicetur se nunquam suscepturum religionem arctiorem.

DEINDE QVAERES, quid dicendum sit, cum Titius vouit Dominicanum institutum, postea verò admissus est in aliud minus arctum, aut etiam æquè seuerum, & durum, putans bona fide id sibi licere facere; an debeat ad Dominicani instituti familiam, & Ordinem transire? Respondeo, debere, quamdiu minimè fuerit secundam religionem professus.

QVAERES postremò, quid dicere oporteat, si Titius idem Dominicanum vouerit institutum, ea conditione, si literarum cognitionem, ac scientiam ad id sibi necessariam adeptus sit? Respondeo, cum votum sub conditione factum sit, ea impleta, promissum præstare debere: quando verò per ipsum non steterit, quo minus conditio impleatur, liber est, & solutus à voto. Vt si morbo prepeditus nihil operę, ac laboris in literarũ studia conferre, aut si eas discere nequeat ob ingenij tarditatem.

Decimotertiò quæritur, An qui nouit se ingressurum in religionem, si ante ingressum in eam, fuerit in Episcopũ electus, prius ingredi debeat? Nonnulli sentiunt quidem, quod verum est, eum prius ingredi in religionem debere, vt votũ persoluat; sed id probant rationibus infirmis, videlicet *ex cap. Commissum, de sponsal. lib.* vbi iuueni, qui nuptias puellæ promiserat, voléti se in religionem conferre, præcipitur, vt prius contrahat nuptias; & deinde si velit, ad religionem ascendat. Item, qui iurauit se soluturum vsuras, cogitur eas soluere prius; ac deinde conceditur eas repetere cum voluerit: ergo pari ratione, qui vouit religionem, & in Episcopũ eligitur, debet prius promissum præstare: siquidem Monachus iam factus, iure ipso, potest ad Pontificiam prouehi dignitatem. Alij has rationes, & argumenta confutant. Primùm enim iuuenis ille præcepto, ac iure compellebatur nuptias contrahere, quia nõdum certò decreuerat se ad religionem recipere, & fides puellæ data vltra promissum tempus differebatur. Deinde, quod ad secundum attinet, vsuræ interposito iureiurando promissæ, solui debent, vt iura ipsa decernunt, quia iusiurãdum seruandum est, quando absq; vllo peccato præstari, & impleri potest, quod iurando promisimus. At verò, qui religionem vouit, & in Episcopum electus, suum assensum accommodat, non videtur votum violare, si ad religionem non transeat, eo quòd sit ad perfectiorem vitæ statum electus. Quidam alij dicunt, eum iure non cogi religionem capessere. Primò, quia Episcopus est in perfectiori vitæ statu, quam religiosus, nec licet alicui ab altiori vitæ statu descendere. Secundò, quia ob commune Christianorum bonum multi ex religiosis eligũtur, & creantur Episcopi. Tertiò, quia Episcopus suam Ecclesiam deserere iure non potest, vt se ad religionem conferat. Quartò, si quis post votum simplex religionis arctioris professionem faciat in religione laxiori, professio valet. *cap. Qui post votum. De regularib. in 6.* Ergo multo magis, qui post votum simplex religionis sit Episcopus, liber est, & solutus à voto. Sed dicendum est, eum electum Episcopum, votum suum implere debere; & proinde petere facultatem à Romano Pontifice, qua liceat ei religionẽ suscipere: sic enim definitum est *in cap. Per tuas. de regularibus.* Et Pontifex Romanus, vel facultatem concedet, vel eum retinebit, prout Ecclesiæ vtilius futurum esse iudicauerit. Argumenta verò opposita nihil conficiunt: quoniam licet Episcopatus sit altior, & perfectior, quàm religionis status, non tamen pugnat cum eo. Item, quamuis Episcopus sine Romani Pontificis consensu suam Ecclesiam deserere, & ad religionem transire non possit, id tamen potest facere ipsius Romani Pontificis permissu: quare vt suum votum impleat, debet Romanum Pontificem consulere, cuius erit, vel ei facultatem dare, qua suum votum præstet, vel eum à voti nexu, & vinculo soluere. *Doctores in cap. Per tuas, citato.*

Caput XXIII.

De Religiosorum statu in vniuersum.

VT quę de Voto cœpi dicere, persequar, & omni ex parte institutam à me tractationem expediam, discutienda prius mihi hoc loco sunt, quæcunque ad Monachorum, Canonicorum Regularium, Religiosorum Mendicantium, & sanctimonialium fœminarum statum spectant: quæ item ad Castimoniæ votum, quod tacitè faciunt ij, qui sacris initiantur ordinibus, pertinent: & quæ attinent ad tria vota, quæ religiosi milites, solenni ritu sacram militiam professi emittunt.

Primò, illud in quæstionem venit, Quid nomine status hominum, siue personarum in Ecclesia significetur? Deinde, quæ, & quot, status ipse personarum deposcat, vt probè intelligatur, in quo nam vitæ statu Monachi, & Religiosi sint constituti? Quod ad primũ attinet, Duæ sunt opiniones, quarum vna tradit, statum hominum, seu personarum vi, & natura sua postulare firmam quandam, & immobilem obligationem ad aliqua vitæ opera, & munera exequenda. Ita S. Thomas 2. 2. *q. 183. art. 1.* Caiet. 2. 2. *qu. 184. artic. 4.* Turrecrem. *in sum. lib. 1. cap. 73.* Sotus *lib. de iust. 7. q. 5. art. 1.* Vnde tres tantùm S. Thomas personarum status in Ecclesia constituit; Episcoporũ nempe, Religiosorum, & coniugum. Nam Episcopus immobili, ac solemni vinculo, & nexu, Ordinis, consecrationis, ac mu-

neris,

neris, cui præficitur Ecclesiæ obligatur: Religiosus quoque immobili quadã trium Votorum obligatione solemni tenetur obstrictus. Coniuges etiam sibi inuicem firma, & perpetua matrimonij coniunctione deuincti obligantur. Altera opinio, ad statum personarum, ait, nullam obligationem fixam, & stabilem requiri, sed tantùm voluntarium animi propositum, quo quis in ea vitæ conditione perseuerat, quam sibi delegit, vt certa opera, quoad facere posset, obiret. Sic Henric. *quodlib.12.q.29.* sensit, quibusdam, quæ mox subijciam, argumentis permotus. Quoniam, inquit, in Ecclesia sunt tres status hominum, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum; & tamen nullus horum in obligatione voto firmata consistit. Et deinde status Viduarum, Virginum, & aliorum castè viuentium, qui tamen omni voti religione, & vinculo soluti sunt. Est item status Clericorũ, & Laicorum absque vlla voti obligatione viuentium. Nec non & Religiosorum status, & eorum, qui omni voto soluti, ac liberi sunt. Et licet Religiosi voti nexu alligati, adstrictique sint; cæteri tamẽ nulla obligatione extra religionem viuendi tenentur. Similiter est status seruorum, & liberorũ hominum. Serui quidem mancipij iure perpetuo obstringuntur; & tamen liberi homines nulla obligatione constricti, spontè suas operas alteri locant: sese vendunt; vel aliquo iuris vinculo alteri se deuinciunt. Postremò, cõmuni sententia Theologorum receptum est, quatuor esse humanæ naturæ status, scilicet hominis innocentiæ munere, & dono prædiți, aut per peccatũ corrupti: aut cælestem beatitudinem adepti, aut æterno supplicio damnati: nec tamen in horũ singulis vllus obligationis nexus existit. Hæc argumẽta Caietanus loco citato diluere conatur, nec omni tamen ex parte dissoluit; nam tandem fatetur, vel hos non esse verè, & propriè status hominum, vel S. Thomam nõ esse vniuersè de statibus personarum locutum, sed de tribus duntaxat, qui ex Euangelio colligi videntur; nimirum Laborantium in agro, Molentium in mola, Quiescentium in lecto. Qui laborant in agro, sunt Episcopi Ecclesijs præfecti: Qui molunt in mola, ij sunt, qui matrimonij vinculo adstricti tenentur: Qui recumbunt in lecto, sunt Monachi rerum cælestium, & diuinarum cõtemplatione dediti, & sacrarum literarum lectionibus, & studijs addicti.

Quicquid sit de ijs opinionibus, negari nõ potest, quin status hominũ, siue personarum sit certa quædam vitæ conditio, in qua est aliquis constitutus ad certum opus, & officium obeundum. Vnde in iure ciuili extat Titulus de statu hominum, quorum alij serui, alij liberi: & liberorum alij ingenui, alij libertini dicuntur. Extat & alius Titulus de ijs, qui sui, vel alieni iuris sunt, id est, de iure, & statu personarum, vbi alij homines dicuntur sui iuris, alij alieni: & hi, vel in dominorum, vel in patrum potestate sunt, serui nimirũ, ac filijfamilias. At verò licet aliqui hominum status nulla obligatione teneantur; Monachorum tamen, & Religiosorum status non est, nisi voti nexu, & lege deuinctus.

Secundò quæritur, An Religiosorum status vi, & natura sua firmam voti obligationem postulet? Henric. *quodlib.13.q.14.* videtur sentire, non requirere eam per se, sed iure tantùm scripto; censet enim per se religionis Ordinem posse constitui, in quo nullo votorum vinculo religiosi obligentur; sed firmo quodam animi proposito castitatem, paupertatem, & obedientiam seruent, quoad vnà cum alijs in commune vixerint. Quia tamen ius Canonicum sanciuit, vt sine tribus votis nulla religio consisteret; ideo censet ad Religiosorum statum non per se, sed iure scripto trium votorum obligationem requiri. Attamen certa mihi, & indubitata videtur S. Thomæ sententia *loco supra citato*, à qua cæteri non dissentiunt, religionis ordinem nõ solùm iure scripto, sed etiam per se in firma trium votorum obligatione consistere: hoc enim ipsum Religionis vocabulo significari videtur.

Tertiò quæritur, An religio per se obligationem solemni trium votorum professione firmatam exposcat? S. Thom. *vt colligitur ex ijs, quæ dicit 2.2.q.184.art.4.& q.88.art.11.& q.189.art.2.ad 1.* planè, ac perspicuè docet, ad religionem requiri obligationem solemni trium votorum professione munitam, & consecratam. Id quoque Innocentius, Hostiensis, Archidiaconus, Ioan. Andreas, Abbas, ac cæteri omnes Canonici iuris interpretes *in Rubrica, de regularibus* testantur: ad quorum sententiam accedunt Summistæ, Angelus, Syluester, Tabiensis, Armilla *in verbo, Religio, siue religiosus.* Quorum opinio est cõmuni consensu recepta: aiunt enim religiosum verè, & propriè quemquam non esse, nisi solemni trium votorum professione deuinctum. Nam *in cap. Religioso, De sententi. excomm. in sexto. §. Quamuis*, apertè dicitur: *Quamuis autem is, qui religionem ingreditur Religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacitè, vel expressè professus*, &c.

Mihi in primis videtur per se, & ex ipsa rei natura ad religionem requiri obligationem trium votorum promissione confirmatam. Deinde, iure Canonico, cõmuni, & antiquo religiosus non est, nisi solemni trium votorum professione obligatus, vt constat *ex cap. Religioso, citato.* Olim enim Monachorum, Canonicorum regularium: & posteà etiam Mendicantium Religiosorum instituta duobus tantùm generibus personarum constabant, Tyronum nempe, hoc est, Nouitiorum, & Veteranorum, id est, Professorum. Nouitij autem verè, & propriè Religiosi non sunt: Vnde professi tantummodo iure antiquo communi Religiosi vocabantur. Atq; hoc est, quod S. Thomas, & cæteri Theologi omnes, & Canonici iurisconsulti, & Summistæ tradiderunt, religiosum nõ esse, nisi post solemnem trium votorum professionem expressè, vel tacitè emissam, sunt enim illi de iure communi, & antiquo locuti. An verò iure nouo Pontificio fieri queat, vt religio in tribus tantum simplicibus votis consistat: Et an tria tantùm vota simplicia religio per se, remoto quolibet scripto iure, postulet, alterius est disputationis.

Quartò quæritur, In quot, & quibus votis religionis vis, & substantia consistat? Respondeo, ex communi omnium Theologorum, & Pontificij iuris doctorum, & Summistarum sententia, eam tribus votis constare, Paupertatis scilicet, Castitatis, & Obedientiæ perpetuæ: quoniam religionis status est quædam hominum conditio, ad perfectam charitatem consequendam, curã omnem,

operam,

operam,& ſtudium in commune conferentium. Solent autem tria,huiuſmodi ſtudium,& conatũ impedire. Rerum ſcilicet mundanarum immoderata cupiditas,Mollis ſenſuum libido,&Nimius propriæ voluntatis affectus: quibus malis grauiſſimis occurrimus per Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ vota,dum nos ipſi rebus omnibus abdicamus; à voluptatum illecebris ſenſus noſtros coërcemus; denique voluntatem noſtram voluntati alienæ,& arbitrio ſubijcimus. Deinde, Religionis ſtatus, & vitæ cõditio, qua animi trãquillitas comparatur; qua itidem ſeſe totum homo diuinis obſequijs addicit, ac mancipat. Sed tria ſunt, quæ maximè mentem hominis vexant, turbant, & diſtrahunt, nimirum facultatum, ac bonorum adminiſtratio: Vxoris, liberorum,ac familiæ gubernatio: & immodicus voluntatis appetitus:quæ tria prædictis tribus votis commodè diriguntur,ac temperantur. Adde,quod Deo conſecramus quicquid habemus, opes ſcilicet, ſenſuum voluptates, & propriæ voluntatis affectus. Vnde Chriſtus paupertatem, & vitæ exemplo,& conſilio docuit, cum dixit : *Si vis perfectus eſſe,vade,vende omnia quæ habes.* Caſtitatem monuit his verbis: *Sunt Eunuchi,qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum* : poſtea ſubiungit ad eam veluti adhortans,& inuitans : *Qui poteſt capere,capiat.* Obedientiam verò inſinuauit dicens : *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam,& ſequatur me.* Cæteræ Religioſæ vitæ aſperitates,& obſeruationes ad hæc tria vota,veluti ad tria capita reducuntur;nimirum, victus mõdicato quæſitus,labor manuum,veſtitus vilis,& abiectus:cibus,ac potus parciſſimus ad paupertatem: vigiliæ autem,abſtinentiæ, ieiunia, ſacci, cilicia, & corporis macerationes ad Caſtitatem: ſacrarum literarum lectio aſſidua,precationes, peregrinationes ad pia,& religioſa loca, & cætera miſericordiæ,& charitatis in proximos officia,ad Obedientiam reuocantur.

Quintò Quæritur, An religio Romani Pontificis approbationem requirat? Quæſtionem mouet, quod ex Eccleſiaſticis hiſtorijs conſtat, religiones vſu tantum fuiſſe approbatas. Nam in primis illis Eccleſiæ temporibus Monachorum inſtituta cœperunt; & tamen nulla Pontificia approbatione conſtabant. Reſpondeo,per ſe quidem, & ex natura rei , ad religionem opus non eſſe expreſſam Romani Pontificis approbationem, cum religioſæ vitæ ratio à Chriſto, vel ab Apoſtolis ſit inſtituta,aut ſaltem exemplo Chriſti,Eliæ,Eliſæi,Ioannis Baptiſtæ,& Apoſtolorum fuerit à ſanctiſſimis viris primum ſuſcepta,deinde ab alijs frequentata,& culta.Chriſtus enim in deſerto, in ſolitudinem abditus, ſolitariam Monachorum vitam adumbrauit. Elias in Carmeli montem ſeſe recipiens, & Ioannes adhuc puer montana petens,Eremiticæ vitæ fundamenta iecerunt:Eliſæus,& Prophetæ illi, qui in libris Regum dicũtur filij Prophetarum, Apoſtoli, & primi eorum diſcipuli viam Cœnobitis aperuerũt. Tamen iure Canonico conſtitutum eſt, vt nulla hominum in commune viuentium congregatio, etiam tribus votis adſtricta,pro religione habeatur, niſi Romani Pontificis auctoritate approbetur,vt conſtat *ex cap. Ne nimia. De religioſis domibus,& cap. Religionum. De relig. dom. in 6.* Quod nouum videri non debet. Sicut enim Matrimonium Eccleſia minimè inſtituit; & tamen ſancire poteſt, ne viri,& fœminæ ſocietas contracta, matrimonium ſit,niſi certa quadam iuris ſolemni forma ſeruata. Item,iure gẽtium introducta ſunt teſtamẽta,legata,fideicommiſſa,cõtractus,pacta, & promiſſiones,& tamen ciuili iure definiri poteſt, ne rata, & firma habeantur, niſi certa iuris forma præſcripta fiant. Sic etiam religioſæ vitæ rationem, & formam Chriſtus, vel Apoſtoli, vel alij viri ſancti, aut verbo, aut vitæ exẽplo docuere: ſed Eccleſiæ auctoritate decerni poteſt,vt religio non habeatur, niſi Romani Pontificis auctoritate & teſtimonio confirmetur. In his enim prædictis ius ſcriptum,ſcilicet ciuile, aut Canonicum, poteſt aliquid amplius poſtulare, quàm quod ipſa ſimplex rei natura depoſcit. Olim ſinguli Epiſcopi congregationes hominum religioſam vitã profitentium ſua auctoritate approbabant:ſed ea approbatio in vniuerſis Chriſtianorum prouincijs vim,& locũ iure habere non poterat: at Romani Pontificis auctoritas , qua religioſum aliquod inſtitutum confirmat, & approbat, vbique iure ipſo vim habet.Et ea hominum in commune religiosè viuentium congregatio, quam vt religionẽ approbat,pro religione in omnibus Chriſtianorum prouincijs haberi iure debet.

Sextò Quæritur, Quo modo olim religioſorũ inſtituta confirmare Eccleſia conſueuerit ante Romani Pontificis approbationem? Reſpondeo, publica Epiſcoporum auctoritate, aut communi vſu,& more. Nam,vt ex Eccleſiaſticis conſtat hiſtorijs: Virgines,quæ ſeſe Deo dicabant, ab Epiſcopo conſecratæ velabantur. Vnde extat libellus Tertulliani,*de velandis Virginibus.* Extat decretum antiquiſſimum Pij I. nimirum editum anno Domini 147.*quod refertur in c. Virgines.* 20.*q.* 1. de ritu,qui ſeruari debet in Virginibus Deo conſecrãdis: quem ritum Ambroſius *lib.* 4.*cap.* 17. *de inſtitut. Virginis:* & Euſebius *in vita Conſtantini* ad prima Eccleſiæ tempora referunt:quæ in manibus Epiſcoporum voris emiſſis ſeſe Deo conſecrabant, quorũ conſenſu cœnobia erigebãtur, auctoritate regebantur,magiſterio ducebantur. Regulæ Monaſtici inſtituti editæ ſunt à Baſilio, Auguſtino, Pachomio, Benedicto:quę publico Eccleſię more,& Epiſcoporum auctoritate primò ſunt approbatę; deinde Conciliorum decretis , & Romanorum Pontificum ſanctionibus confirmatæ.

Porrò in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. conſtitutum eſt id, quod habetur *in cap. Ne nimia, De religioſis domibus*, nimirum : *Firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat ſed quicunque ad religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis aſſumat. Similiter qui voluerit religioſam domum de nouo fundare, regulam, & inſtitutionem accipiat de approbatis.* Hæc ibi. Idcirco S. Dominicus, & S. Franciſcus cum noua religionũ inſtituta vellent ſuſcipere,& condere, Romanum Põtificem adiere,vt eius auctoritate approbarentur. Illis etiam temporibus Carmelitana familia, quæ per plures annos in Oriente floruerat, & ob impia Saracenorum Chriſtiani nominis hoſtium bella ad Occidentem ſeſe contulerat, ab Romanis Pontificibus approbationem ſtuduit impetrare: eandẽ

pariter ab Innocentio IIII. adeptus est Augustinianorum Ordo: quoniam licèt sub regula Augustini per multos ante annos plurimi vixerant, nõ omnes tamen vni Generali Præposito paruerãt. Tunc autem oẽs in vnum corpus cooptati, & allecti, vnum sibi caput delegerunt. Quod factum idem Innocentius IIII. approbauit. In Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. decretũ similiter est, *& refertur in c. Religionum. De religiosis domib. in 6.* in hunc modũ: *repetita Constitutione districtius inhibemus, ne aliquis de cætero nouũ Ordinem, aut religionem inueniat, vel habitum nouæ religionis assumat: Cunctas affatim religiones, & Ordines Mendicantes post dictum Cõcilium inuentos, qui nullam approbationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subijcimus; & quatenus processerant, reuocamus.* Hæc Concilium. Præterea in Hispania institutos esse militarium religionum Ordines ante Innocentium III. literis consignatum legimus. Nimirum S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & primi earum religionum auctores, viri generosi, & nobiles, Romam venerunt, vt ab Romano Pontifice suorum Ordinum approbationem, & confirmationem acciperent, eamque ab Alexandro III. impetrarunt: quod probant diplomata Pontificia in ipsis Ordinibus hactenus asseruata.

Septimò Quæritur, Qua de causa sancitum sit, ne noua religionum instituta in Ecclesiam inducantur sine Romani Pontificis auctoritate? Respondeo, vt constat ex his, quæ Abbas Vuespergensis *in Chronico anni 1212.* tradidit (ex quo videntur accepisse Guido Carmelitanus, Abbas Trithemius, & Paulus Aemilius) paulò ante tẽpora Innocentij III. fuere Vualdenses hæretici, qui vulgò Pauperes de Lugduno vocabantur, & quidam alij, qui sese Humiliatos nominabant. Hi omnes quoddam Monastici instituti genus professi fuerant: quos tamen Lucius III. tanquam hæreticos damnauerat, eo quod superstitiosis quibusdam ritibus, ac cæremonijs viderentur imbuti, videlicet illi Dei verbum in latibulis, & occultis conuentibus plerumque seminabant: Ecclesiæ Dei, & Sacerdotio detrahebant. Et cum Pauperes è Lugduno oriundi nihil proprium se possidere, nullum certum locum, vel sedem habere profiterentur, per vicos, & castella non sine offensione aliorum vagabantur. Tandem apud Romanum Pontificem vnà cũ Magistro suo Bernardo quodam Lugdunensi ciue contenderunt, vt eorum institutum eius auctoritate confirmaretur, ne, quam alij dicti Humiliati à Lucio III. damnationem pertulerant; ipsi quoque perferre cogerentur. Cæterùm Innocentius III. superstitiosa quædam dogmata istis hominibus obiecit, vt quod calceos desuper præcidebant; & tamen fingebant se nudis pedibus incedere. Et cum certas quasdam cappas religionis causa deferrent, comam minimè tondebant. Viri, & mulieres simul per vias ambulabãt, & plerumque in eodem domicilio commorabãtur; imò in eisdem lectulis quiescebant interdum: quæ omnia afferebant se ab Apostolis accepisse. Et quod à Romano Põtifice sui instituti confirmationem sæpenumero petitam impetrare nequiuerant, schisma in Ecclesiam inuexerunt, ac tandem in hæresim prolapsi sunt. Hæc fermè omnia Abbas Vuespergensis. Ex quibus elicio, ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi idcirco fuisse decretum, ne quis nouæ Religionis institutum fundaret.

Quæres, quo pacto intelligatur, quod prohibet idem Pontifex, cum ait: Ne quis de cætero nouam Religionem inueniat? nam si est Religio, approbationem Pontificiam habet, & inuentor, tãquam præcepti violati reus condemnari non potest: si non habet, Religio non est; ac proinde nullus est Religionis inuentor. Caietanus hoc argumentum proposuit *22. q. 188. art. 1.* nec satis plenè dissoluit. Dicendum est breuiter cum Glossa *in c. Ne nimia, de religiosis domib.* Religionem hic appellari eam, qua multi in commune viuunt votis adstricti, & vni tanquam capiti, & magistro subiecti sub certa vitæ regula noua, nulloque Ecclesiæ testimonio comprobata.

Octauò Quæritur, quo primum tempore Religiosorum institutum, regula, & vita cœperint in Ecclesia? Hæretici contendunt Constãtini Magni tẽporibus orta fuisse, quo sæculo vixere Antonius, Amon, Serapion, Euagrius, Malchus, Hilarion, Macarius, Pachomius, & alij in Aegypto, Libya, & Palæstina: & Basilius fertur Regulã Monachis scripsisse; & deinde Augustinus Eremitis: & propterea, Athanasius, Dorotheus, Hieronymus, Theodoretus, & Palladius Monachorum vitas nobis consignatas literis reliquerunt: Sicut Cassianus multa de institutis Monachorum memoriæ prodidit. Quidam Catholicorum censent Religiosæ vitæ formulam adumbratam fuisse in Enos, de quo sacræ literæ tradiderunt: *Iste cœpit inuocare nomen Domini*, hoc est, vt ipsi interpretantur, cœpit religiosè, & inculpatè viuere. Quãuis mihi simplicior eius loci sensus esse videatur: Cum cæteri homines à vero Dei cultu per Maiores accepto defecissent, hic primus adhibito studio, & diligentia auitam in Deum pietatem, & religionem reuocauit, restituit, atque conseruauit, & eã palam, & publicè studuit retinere. Hebræi tamen verbi ambiguitate permoti, sic interpretantur. *Tunc cœptum est nomen Dei violari, & pollui*, quoniam Idola, & simulacra, tanquam diuinitatis aliquid habentia coli cœperunt, ac proinde Dei nomine appellari. Vnde paraphrasis Chaldaica vertit. *Tunc cœperunt filij hominum inuocare in nomine Domini.* Alij adumbratam esse Religiosorum vitã in Nazaræis testantur, qui voto ad tempus obstricti, seuerioris, ac durioris vitæ genus profitebantur, de quibus Scriptura tractat *Nu. 6.* Hieronymus *epist. 4. & epist. 13.* eam vitæ rationem ad Eliam, Elisæũ, & filios Prophetarum refert; & alio loco *in epist. ad Eustoch. de Virginitate* scribit: Paulum fuisse primum Eremitam. Nazianzenus *in orat. in S. Basilium*, Chrysost. *homil. 1. in Marcum.* Cassian. *collat. 18. cap. 6.* Sozom. *lib. 1. hist. cap. 12.* Isidor. *lib. 2. de diuin. Offic. cap. 15.* & alij magni viri Ioannem Baptistam tanquã Eremiticæ, ac solitariæ vitæ principem, ac parentem celebrant. Alij rursus, cœpisse à Marco Euãgelista vitam Monasticam in Aegypto cõmemorant, sub quo Christiani, testibus Eusebio *lib. 2. histor. Eccles. c. 17.* & Hieron. *de Eccles. scriptor. in vita Marci*, Monasticam, & Religiosam vitam piè, & studiosè colebant. Alij totam hanc viuendi ratione ad Christum Dominum referunt, qui adolescenti consilium dedit: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade,*

Gen. 5.

vende

vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Alij demum ad Apostolos trahunt, quos aiunt vota Religiosorum emisisse; & idcirco nomine omniũ Petrum Christo dixisse: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Apostoli, inquit, S. Thomas 2.2.q.88.art.4.ad 3. intelliguntur vouisse pertinentia ad perfectionis statum, quãdo Christum relictis omnibus sunt secuti. Quod votũ feciſſe Apostolos docet Augustinus *lib. de ciuit. 17.c.4.* & probat Vvalden *lib. de Sacramentalib. tit. 9. c. 83.* Profecto quicquid Hæretici calumnientur, negandum non est, Eliæ, Elisæi, Prophetarum, & Ioãnis Baptistæ exemplo Religiosam vitam cœpisse, in ijsque fuisse aliquatenus adumbratam. Deinde Christus Dominus consilium dedisse apertè videtur Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, vt ex testimonijs, quæ supra ex Matthæo retulimus, perspicuũ esse potest. Ex Cypriani itidẽ, & Tertulliani scriptis manifestè colligitur Virgines sese Deo dicare consueuisse. Dionysius etiam *in lib. Eccleſiaſt. Hierarch. c. 6. & 10.* apertam facit, & honorificam Monastici instituti mentionem. Nec est, quod hæretici, vnà cum Valla, & Erasmo nobis obijciant, illius libri auctorem non fuisse Dionysium Areopagitam Pauli Apostoli discipulum, sed aliũ quẽdam Dionysium: hoc ipsi fingunt, non probant; & saltem quisquis ille fuerit, perantiquus auctor habetur, & Apostolorũ temporibus videtur fuisse vicinus. Neque verò negari potest, Eliam, Elisæum, Ioannem Baptistam, Christum Dominum, Apostolos, & eorum discipulos religiosæ vitæ fundamenta iecisse; cum Elias montana Carmeli petierit, & ibi vitam duxerit à cæterorum hominum conuictu, & habitatione semotus. Monastici quoque instituti exemplum reliquit Elisæus, nã Cœnobiticæ vitæ vestigia posuit, Prophetarum cœtus instituens quasi communem vitam agentium, qui filij, Prophetarũ, & Prophetę in scripturis vocãtur: filij, inquã, id est, discipuli instar filiorum à Prophetis edocti: Prophetæ verò, id est, more Prophetarum diuinas laudes concinentes, Dei arcana, & occulta mysteria enarrantes, quasi quidam diuinorum oraculorum nuncij, & interpretes. Ioannes Baptista in Eremum, & solitudinem secedens, & durioris, asperioriſque genus vitæ secutus, quasi Monachus quidam vitam duxisse censetur; & idcirco à Chrysostomo, Hieronymo, & alijs Patribus locis citatis, Monachorum princeps appellatur. Christus verò manifesta Religiosæ vitæ fundamenta constituit. Nam in desertum secessit, & in eo ad tempus commoratus, ieiunij, & inediæ nobis exemplũ reliquit; & deinde per totum vitę cursum, & verbis, & factis paupertatem, Castitatem, & Obedientiam edocuit. Apostoli relictis omnibus secuti sunt Dominum, in quibus etiam Religiosæ vitæ status non obscurè est adumbratus: quibus succedere eorum discipuli, quorum vt in Actis Apostolorum refertur, *Erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Neque quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Hæc ibi. Quæ viuendi ratio veluti quidam cœnobiticæ vitæ typus, & figura fuit. Nec est, cur hæretici nobis opponãt, in ijs omnibus locis nullam fieri trium votorum mentionem. Nos enim contra eos nunc nõ conamur ostendere Religiosæ vitæ formam omni ex parte perfectam, qualis nunc est, in Elia, Elisæo, Prophetis, Ioanne Baptista, ac primis Apostolorum discipulis præcesſisse: sed tantùm magna ex parte fuisse adumbratam, ac veluti delineatam in his, quæ pertinent ad cibum, & potum, vestitum, habitationem, & vitæ cultum, Paupertatem, Obedientiam, & Castitatem. Præsertim cum Augustinus, vt dixi, apertè dicat Apostolos vouisse. Quare verissimè dixit S. Thomas *2.2.quæst. 188.art. 7.* omnis Religio à Discipulis Christi sumpsit originem exemplo magistri. Et ita legimus, in Aethiopia Regis filiam esse à Matthæo Domino consecratam, Theclam à Paulo in Græcia, Romæ Domitillam à Clemente, in Gallia Martham post promulgatum Massiliæ Euangelium cœnobium extruxisse: vbi cum alijs fœminis Deo dicatis religiosè vixit. Et Dionysius Epistolam scripsit ad Demophilum Monachum.

Caput XXIV.

Qualisnam sit Religiosæ vitæ status.

PRimò quæritur, An religiosæ vitæ conditio, sit status perfectionis? Respondit S. Thomas *2.2.q.186 art.1.* cuius sententia communi consensu est recepta, esse. Notandum porrò est, tunc esse rẽ perfectam, quando cum suo fine arctè coniungitur, in eoque cõquiescit: quare tunc homo est perfectus, quando cum Deo vinculo charitatis arctissimo copulatur. Potest autem cum Deo quisque sociari, & in hac vita, & in futura: & propterea duplex est hominis perfectio: Vna, quã in hac vita consequi non potest, cum sit alterius vitæ, videlicet cælestis, propria, vbi cum Deo homo coniungitur, quã arctissimè potest: ita vt semper claro, & iucundissimo eius aspectu, & amore suauissimo perfruatur. Hęc perfectio in perpetua Dei charitate consistit, quæ non solum omnem peccati, tum leuis, tum grauis voluntatem excludit, sed etiam in Dei amore semper hæret, & acquiescit. Altera hominis perfectio est, ad quam Dei beneficio in hac vita possumus peruenire: & hæc duplex quoque est: Vna, quæ sufficit ad vitam sempiternam consequendam, & hæc in Dei amore potissimum: deinde etiã in Proximi dilectione consistit. Est enim dilectio Proximi plenitudo legis, teste Apostolo: Est item charitas vinculũ perfectionis, hoc est, nexus quidam, qui nos cũ Deo perfectè consociat, vt Chrysostomus interpretatur *homil. 8. in epist. ad Coloss. 3.* & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Hæc itaque hominis perfectio posita est in Dei charitate, quæ omnem peccati lethalis voluntatem depellit, & vniuersam legem præstat, ac implet. Ipsa quidem Dei dilectio est vitę Christianæ perfectio; sed diuinæ legis obseruationem postulat, quę quicquid est charitati cõtrarium repuit, submouet, expellit, & eijcit: & hæc perfectio potest esse omnium hominum cõmunis. Altera est perfectio, quæ non solum in qualicunq; charitate consistit, sed in ea, *Rom. 13. Coloss. 3.*

quæ consilia Euangelica obseruanda, & implenda curat. Et idcirco, qui virginitatem seruat, ac retinet, qui Castitatem, Obedientiam, Paupertatemue studiosè, & diligenter sectatur, & colit; meritò dicitur esse perfectionis studiosus: hęc enim vitæ ratio comparatione prioris propriè dicitur Christiani hominis perfectio: nam prior illa, vtpotè omnium communis, non solet propriè dici vitæ perfectio. Et hoc modo sumitur perfectio, cum de aliqua vitæ Christianæ conditione quærimus, an ea sit perfectionis status, quo nimirum plenæ charitatis officium doceatur, vel addiscatur.

Ex quo intelligitur, Religiosorum statum, esse perfectionis; quoniam, vt capite præcedenti iam dixi, status hominum, est quædam vitæ conditio firma, & immobilis ad aliqua officia, & opera facienda: sed Religiosi tribus votis adstricti, & diuina mandata obseruanda curant, & paupertatem, Castitatem, & Obedientiam perpetuam profitentur: Ergo hoc ipso perfectæ vitæ institutum suscipiunt. At inquies: Ergo si qui nulla Religionis regula adstricti eiusmodi vota seruent, & colant; erunt quoque illi in statu perfectionis. Respondeo, eos perfectionis studiosos esse quidem, quod ad eorum personã attinet, sed in statu perfectionis minimè cõstitutos, eo quod non certum quoddam, ac peculiare vitæ genus profitentur, quod tria illa, quæ diximus; firmo voti vinculo amplexatur.

QVAERES, an omnis, qui est perfectus; nimirum charitate præditus, eo ipso sit in statu perfectionis: & è contrario, qui est in statu perfectionis, sit perfectus, hoc est, charitatis compos? Respondeo, minimè, quoniam in præsenti perfectio Christianæ vitæ non dicitur ea, quæ in sola præceptorum obseruatione consistit, ad quã profani etiã homines aspirare, & peruenire possunt, & qua Monachi, & Religiosi carere queunt: sed quæ consiliorũ obseruantiam colit, suscipit, & tenet. Vnde fit, vt Religiosus, quamuis charitatis sit expers, in statu tamen perfectionis esse vere dicatur, quia tribus votis obstrictus, & aliorum consiliorũ obseruationi diligenter intentus, vitę perfectioni studet. Porrò, qui Religiosus non est, licèt consilia implenda curet, & sese Deo votis obliget, ad statum perfectionis nõ transit, quoniam vitæ genus non mutat, quo perfectionis studium profiteatur. Quare Abbas Moyses rectè dixit, teste Cassiano collat. 1. c. 7. *Ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum non perfectio, sed perfectionis instrumẽta sunt.* Similiter Episcopus licet charitate careat, & consilia non seruet; in statu tamen perfectionis est, nimirum docendæ. Est enim ratione sui muneris, quo fungitur, vitæ perfectæ magister, institutor, præceptor, & Doctor.

Secundò Quæritur, An status Episcoporũ sit perfectior statu Religiosorum? Respondet S. Thomas 2.2. q. 184. ar. 7. esse perfectiorem. Quod ratio ipsa concludit. Sicut enim (teste Dionysio) *in cælesti hierarchia*, c. 5. Angeli alij alijs sunt perfectiores, quia nimirum alij alios illuminant, purgant, & perficiunt: sic in Ecclesiastica hierarchia, Episcopi sunt cæteris perfectiores, quoniam eorum est illuminare reliquos, purgare, atq; perficere. Deinde, Religiosi id vitæ genus suscipiũt, quod perfectioni cõparandæ, sedulò, & diligenter studeat: at verò Episcoporum munus est Christianæ vitæ perfectionem docere. Vnde Episcopi sunt perfectæ vitæ magistri, doctores, & duces. At plus est perfectionem docere, quàm studere perfectioni acquirendæ, quod est Religiosi instituti propriũ. Episcoporum igitur munus est quoddã vitæ perfectæ magisterium. Religiosorum Ordines sunt discendæ perfectionis scholæ. Religiosus suo muneri, & officio satisfacit, si vitæ perfectionem discat, si ad eam aspiret, si ei studeat. Episcopus suũ munus non explet, nisi perfectionem vitæ doceat, ac tradat.

Ex his S. Thomas deducit 2.2. q. 184. *art.* 5. duplicem esse in hac vita perfectionis statum, vnũ Episcoporum, alterum Religiosorum: illum esse statum perfectionis docendæ, hunc addiscendæ, & comparandæ: illum docentium, hunc addiscentium: illum quasi ducum ad victoriam hortantium, hunc militum pro victoria pugnantium. Non quod Episcopi sint perfecti ea perfectione, quæ in præceptorum obseruatione posita est, sed quòd eam prouinciam suscipiant, quæ studium, & curam confert ad eam vitæ perfectionem docendam, quæ non solùm præcepta, sed etiam consilia obseruare contendit. Hinc fit, vt quamuis ipsi præditi charitate non sint; in statu tamen perfectionis constituti dicantur, quia Ecclesiæ, cui præsunt, sunt obligati ad eam illuminandam purgandam, atque perficiendam. Ergò si suo ritè munere fungi velint, coguntur perfectionem docere: sicut etiam Religiosi, licet per peccatum à charitate decidant, in statu tamen perfectionis sunt, quoniam vitæ genus consectãtur tribus votis adstrictum, quibus consilia Euangelica profitentur; & proinde ad perfectionem aspirant, licèt eam nondum sint assecuti, procedunt, in dies progrediuntur, quamuis nondum peruenerint, nondum perfectionem attigerint, nondum apprehenderint: ei student, licet eam nondum comparauerint. Et quamuis charitatem magnam non omnes consequantur, in statu nihilominus perfectionis esse dicuntur, quia ex suæ vitæ instituto consilia Euangelica profitentur, in his se exercẽt, vt ad omnium tum consiliorum, tum præceptorũ obseruationem, quoad fieri potest, recta perueniãt. Et paulo ante dixi, perfectio Christianæ vitæ in præsentia non intelligitur ea charitas, quæ cum sola præceptorum obseruatione coniungitur, & quæ potest esse omniũ communis, sed quæ in Euangelicis cõsilijs obseruandis cõsistit. Quare Religio est quædam virtutum palæstra, pœnitentiæ gymnasium, charitatis schola perfectæ vitæ instrumentum, diuinorum consiliorum exercitatio, & disciplina morum, quibus Religiosus enititur, & contendit, quàm maximè potest, vt perfectam omnium consiliorum obseruationem attingat, quamuis ad eam non perueniat. Quare Basilius meritò vitam Monasticam Asceticam vocauit, hoc est, exercitationi rerum diuinarum, & spiritualium addictam.

Tertiò quæritur, an status Clericorum nõ quidem omnium in vniuersum, sed eorum, quibus animorum cura committitur, sit Religiosorum statu perfectior? Duæ sunt opiniones. Nam

S. Tho-

S.Thomas 2.2. *quæst.*184. *art.*6. & 8. docet Religiosorum statum esse perfectiorem: quod ille ex eo colligit, quia è statu Clericorum ad Religiosorum liber transitus ipso iure conceditur; qui tamen Episcopis denegatur. Vnde *in cap.Clerici.*19. *q.*1.dicitur: *Clerici,qui Monachorum propositum appetiũt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopis in Monasteria largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum,qui ad contemplationis desiderium transire niuntur.*Sic ibi.

At verò Henricus *quodlib.*12.*quæst.*29. & Maior. 4. *d.*38.*quæst.*7. conantur ostendere,perfectiorem esse statum Clericorum animarum curam habẽtium, quod probant: eorum quippe munus est illuminare,purgare,& perficere eos, quorũ sunt curæ præfecti. Deinde,quia sicut Episcopi sunt Religiosis perfectiores,eo quòd perfectionis duces sunt,& magistri; ita tales quoque sunt Clerici,quibus est animarum curatio demãdata. Item, quia Episcopus à Presbytero nõ differt,nisi quod maiori Ecclesiæ præest, & plura Sacramenta cõfert: Quòd autem plures vnus,pauciores alius gubernet,ac regat, vitæ statum,aut conditionem non mutat. Ergo sicut Episcopus, ita etiam Presbyter est Religioso perfectior. Nec obstat,inquiunt, quod canones, & iura Clericis liberam facultatem concedant ad Religionẽ transeundi: hoc enim ideo constitutum est, quod is vitæ status sit tutior,expeditior,seuerior, asperior,& arctior;non autem quod sanctior sit, atque perfectior.Qui verò S. Thomæ sententiam tuentur,aiunt Episcoporum statum,ideo esse Religiosorum statu perfectiorem, quia ratione muneris, quo funguntur Episcopi, ouium sibi creditarum curæ inuigilant,Dei verbum annunciant,& plebem sibi commissam salutari Sacramentorum alimento pascunt, ac nutriunt; Presbyteri verò sunt tantummodo Episcoporum administri, socij,adiutoresque.

Quicquid sit de hac re, negari non potest à Christo Domino Episcoporum, & Presbyterorum statum, ministerium, & munus institutum fuisse, & vt ait Anacletus; *& refertur in cap. In nouo.distinct.* 21. Episcopi Apostolis successerunt, Presbyteri verò septuaginta Discipulis. Item *ex cap. Hoc nequaquam,* 7. *quæst.* 1. colligitur Monachorum instituta ad obedientiæ, & disciplinæ, non ad magisterij, & præfecturæ rationem pertinere. Deinde, Monachos esse ex eorum numero,qui non alios pascere, sed pasci debeant. Quocirca,qui in pastorum, & Antistitum numero censentur, in Monachorum loca se transferre iure non possunt. Et *ex cap. Admonere,* 33.*quæst.* 2. Aistulpho cuidam, qui vxorem suam interfecerat,cõsilium datur, vt relictis omnibus sese in Monachorum domicilium conferat pœnitentiæ agendæ gratia, eo quòd Monasterium sit quædam pœnitentiæ schola: Et Clerici olim ob certa quædam crimina in Monasteria detrudebãtur,vt sese Abbatis imperio subijcerent, & delicta,quæ admiserant,debita pœnitentia expiarẽt.

Quare Presbyter,cui animarum cura conceditur,simplici Monacho ordinis gradu, auctoritate,potestate, administratione, & munere maior est. At Monachus tribus votis adstrictus, & vitæ perfectæ studiosus potioris est conditionis; quippe,qui tutior,& pluribus sanctitatis acquirendæ præsidijs instructus est. Ex quo fit, vt Presbyter iure possit ad Monasticam vitam gradum facere; nimirum, vt se ipsum seruet à malis: & è contrario,si plebs curatione indigeret, ei Monachus posset Romani Pontificis auctoritate præfici,vti eam doceat,& pascat,& communem aliorum salutem priuatis commodis anteponat. Monachorum itaque status tutior est, expeditior, seuerior, arctior, quàm Presbyterorũ. Vnde S. Gregorius, vt citat Anselmus *in epist. ad Goffredum Episcopum Parisiensem,* Desiderium Episcopum,qui Diaconum retinebat,quo minus ad Monasticam vitam se liberè conferret,sic admonet: *Hortamur, vt tam promptæ deuotioni eius, quam in sancto studet habere proposito,minimè vestra sit impedimento fraternitas; magis autem, quibus valetis adhortationibus, pastorali admonitione succendite, vt feruor huius desiderij in eo non tepescat, vt qui turbulento sæcularium turbarum tumultu se segregans quietis desiderio, monasterij portum appetit, rursus in Ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari, sed in Dei laudibus permittatur, securè ab ijs omnibus remanere, vt postulat.* Hæc S.Gregorius *lib.*10.*Registri Epist.*40.vbi Monasticam vitam portum appellat,quietum,ac tutum. Clericorum verò statum, turbulentum, perturbationibus obiectum, & sæcularium curarum tumultibus implicatum. Anselmus quoque *in epist. ad Goffridum Parisiensium Episcopum,* leniter quidem,sed prudenter eum accusat,quod Clericum ad Religiosam vitam aspirantem impediret, idque ab eo, nec ratione, nec consilio fieri, pluribus argumentis conuincit, vbi inter alia dicit: *Horrendum est auditu, vt quod Christus elegit de mundo, Episcopus religet in mundo: vt quod Christus trahit ad portum de procellis, & tempestatibus mundi, hoc Episcopus retrahat à portu, & exponat multitudini inporum. sic B. Anselmus.* In Concil. Toiet. 4. *can.* 49. dicitur: *Clerici,qui Monachorum propositum appetunt,(quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos eis ab Episcopo, in monasteria dari oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire niuntur.* Hæc ibi. Quis enumeret eos,qui se è Clericorum statu ad Monasticum iugum alacriter contulerunt, vt sese in loco tuto collocarent? Nonne legimus quoque fuisse quãplurimos; qui Ecclesiasticos honores etiã vltrò delatos tam constanter, & fortiter repudiarunt, ne à Religiosæ vitæ instituto auocarentur, vt mirabile posteris virtutis documentũ tradiderint? Bernardus à tribus opulentis ciuitatibus in Episcopum,à duabus in Archiepiscopũ electus,nunquam adduci potuit, vt eam dignitatem admitteret. B. Dominicus quatuor Episcopatus vario tẽpore oblatos recusauit. S. Thomas Neapolitanã Sedem Pontificiam à Clemente IIII. oblatam reiecit.Vincentius Ferrerius Episcopatum Illerdensem,& Valentinam Cathedram Pontificiam, imò etiam Cardinalatum diuerso tempore sibi delatum inuicta virtute repudiauit. Similem animum præstitit S. Bernardinus Senensis, qui à tribus populis, Senensi, Vrbinate, Ferrariensi postulatus, nulli vnquam assensit. Idem quoque fecerunt multi alij. Itẽ alij reluctantes,è Monasterijs, siue Cœnobijs educti,similes dignitates accipere coacti sunt, vt S. Martinus Turonẽsis

Episcopus, Fulgentius Episcopus, Ruspensis, Anselmus Cantuariensis, Antoninus Florentinus Archiepiscopus, Malachias, Archebius, Albertus Magnus, & alij non pauci.

De Archebio Cassia. collat. 11. c. 2.

Quartò Quæritur, Vndenam sit Religiosorum diuersitas? Respondet S. Thom. 2. 2. q. 188. ar. 1. Religionum esse diuersa instituta, aut ex Regula, aut ex Constitutionibus Regulę adiunctis. Aliæ enim S. Basilij, aliæ S. Benedicti, aliæ S. Augustini, aut S. Francisci Regulam seruant. Aliæ rursus licet vnam, & eandem vitæ Regulam teneant; varijs tamen constitutionibus discernuntur, Dominicani, Canonici Regulares, Eremitæ Augustiniani, Præmonstratenses, sub vna S. Augustini Regula militant, at diuersis omninò Constitutionibus gubernãtur: & hinc fit, vt alij Religiosorum Ordines sint ex Regula Mendicantes; Alij non ex Regula, sed ex Constitutionibus. Franciscani etenim ex Regula à S. Francisco instituta, Mendicantes sunt: Dominicani, Carmelitani, Augustiniani, non ex Regula, sed ex Constitutionibus. Regula enim S. Augustini, & S. Basilij, sub qua militant, possessiones in commune habere permittit. Quare licet omnes Religiones eo tendant, vt vitæ Christianæ perfectionem acquirant, ac comparent; varijs tamen modis, & rationibus vtuntur ad eam assequendam. Ita factum est, vt aliæ sint institutæ ad ægrõtos subleuandos, aliæ ad redimendos captiuos, aliæ ad peregrinos hospitio recipiendos, aliæ ad pugnandum contra hostes pro fide, & religione Christiana.

Tota hæc porrò Religionum diuersitas potest commodè ad quatuor capita reuocari. Aut enim sunt Monasticæ Religiones ad vitam solitariam, & ad contemplandum fundatæ: quales nimirum instituere S. Benedictus, Basilius, Pachomius, Antonius. Aut sunt Canonicorum Regularium Ordines, quorum est in Choro diuinas laudes piè, & religiosè cantare. Aut sunt Religiosorum Ordines, qui mendicato viuunt ex Regula, vel Constitutionibus, ad docendos alios instituti: cuiusmodi sunt Ordines Mendicãtium: Aut contra hostes sanctæ fidei, & religionis Christianæ decertant; quales sunt militares Ordines. Aut sese exercent in alijs misericordiæ operibus, & officijs, redimendo captiuos, excipiendo peregrinos, inseruiendo egenis, & ægrotis. Obijcies, quod habetur *in c. Religionum, de Religiosis domib. in 6.* vbi reprehendi videtur Religionum diuersitas. Primò, quod nimia sit, vnde cõfusio oriatur. Deinde, quòd generale Lateranẽse Concil. Religionum multitudinẽ maturo consilio vetuerit. Præterea, quod importuna petentium inhiatio earũ multitudinem extorserit. Postremò, quod quorundam temeritas diuersorum Ordinum Mendicantium immoderatum numerum inuenerit. Respondeo, ibi reprehendi Religionum, quæ approbatæ non sunt, multitudinem, non autem eorum Ordinum Religiosorum, quos Romani Pontificis confirmauit auctoritas. Et ideo *in cap. Ne nimiæ, De Religiosis domibus*, ex Concil. Lateranen. sub Innocentio III. sancitum est, ne nimia Religionum diuersitas grauem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam Religionem inueniat, sed vnam de approbatis assumat.

Quintò Quæritur, Religionum quænam sit alia perfectior, & altior? Respondet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 6. vnam esse perfectiorem alia dupliciter, aut ratione finis, aut ratione eorum, quibus vtitur ad finem assequendum. Ratione quidem finis, quia potiorem sibi finem propositum habet, aut quia ad plures bonos fines refertur. Ratione verò eorum, quibus vtitur tanquam instrumentis, aut quia ea meliora adhibet, aut quia plura. Rursus ait: Non hoc ipso, quod arctius est Religionis institutum, hoc est, seuerius, & durius, est sanctius, atque perfectius. Sed illud est perfectius, quod per aptiora instrumenta, atque præsidia ad propositum sibi finem assequendum procedit. Exempli gratia: Asperior est corporis nuditas, labor assiduus, quàm ieiunia: Ad Castitatem verò comparandam, ac tuendam, magis aptum, & idoneum est ieiunium, & maceratio corporis, quæ libidinis incendia temperant, & extinguunt, quam subtractio vestium, & corporis nuditas. Sic etiã ad contemplandũ magis accommodata est oratio, quam lectio, & fortassis aliquando laboriosior est lectio, quàm oratio. Similiter ad studia literaria aptior est paupertas, qua nihil proprium, nisi communiter possidetur, quàm ea, quę omnia prorsus etiam in commune abijcit: & tamen hæc illa est arctior, & seuerior. Quis dubitet, aliquos Monasticos Ordines arctioris, & durioris esse vitæ, quàm Mendicantium, & tamen Mendicantium Ordines ad docendum fundati, & erecti perfectius, & altius vitæ genus profitentur? Quocirca si duo, pluraue Religionum instituta ad eundem finem dirigantur, id erit perfectius, & altius, non quod arctius, & durius, sed quod aptioribus vtitur præsidijs ad finem illum assequendum. Hæc ferè ex Sancti Thomæ doctrina.

Sextò Quæritur, An ea Religio primum perfectionis locum, & gradum teneat, quæ ad docendum, & Dei verbum promulgandum est instituta? S. Thomas 2. 2. q. 188. *ar.* 6. Primo in loco constituit eam Religionem, cuius est alios docere, conciones ad populum habere, Christi fidem, & religionem propagare. In secundo, eam, quæ in vitæ contemplatiuæ studia, & officia incumbit: in postremo, eam, quæ in vitæ actiuæ operibus exequendis, & obeũdis versatur. Id colligit, quia triplex est vitæ Christianæ ratio. Aut enim est vita simpliciter cõtemplatiua, aut actiua simpliciter, aut ex vtraque mixta, & composita: & hanc ait esse duabus prioribus perfectiorem: Tum, quia hanc Christus Dominus tenuit, ac in eà sese Apostoli exercuerũt; tum, quia duas priores suo quasi ambitu amplexatur, & continet. Secundo loco contemplatiua actiuam vincit, ac superat præstantia, & dignitate. Vtraque enim est adumbrata in duabus sororibus Magdalena, & Martha; in Lia quoque, & Rachele. Scriptura verò de Magdalena testatur, eam optimam partem elegisse; de Rachele verò, fuisse Lia pulchriorem. Ergo Religio, quæ in contemplatione occupatur, perfectior est ea, quæ tota in actione consistit. At verò Henricus *quodlib. 12. q. 28.* omninò diffitetur, vitam, quæ in contemplatione versatur, esse potiorem ea, quæ est in actione posita. S. Thomas Gregorij Magni testimonijs suam sententiam nititur

Luc. 10. Gen. 29.

meritò

meritò comprobare, qui ait homil. 14. in Ezech. *Pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur: Neque enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimã, vt etiam pars Marthæ, bona indicaretur*: Et *homil.* 3. in Ezech. *Duæ sunt*, inquit, *sanctorum Prædicatorum vitæ: Actiua scilicet, & Contemplatiua: sed actiua prior est tempore, quàm contemplatiua, quia ex bono opere tenditur ad contemplationem: Contemplatiua autem maior est merito, quàm actiua, quia hæc in vsu præsentis operis laborat, illa verò sapore intimo venturam iam requiem degustat. Paulò inferius: Quamuis actiua bona sit, melior tamen est contemplatiua. Vnde dicitur: Maria optimam partem elegit.* Hæc ex B. Gregorio. Sed Henricus suam quoq; opinionem ex eo deducere contendit, quod *in c. Nisi cum pridem, De renunciat.* habetur: *Maria optimã partem elegit: sed licet vita contemplatiua sit magis secura, actiua est fructuosior: illa est suauior, hæc vtilior, cum in fœcunditate sobolis, lippitudo Liæ, Rachelis pulchritudini præferatur.* Hæc Pontifex eo loco: vbi optimam partem, quã Maria elegit, videtur exponere, non, vt B. Thom. potiorem merito, & dignitate, sed tutiorem.

Animaduertendum est, vitæ Christianæ perfectionem in charitate consistere: & cum dilectio Dei sit proximi dilectione perfectior; sequitur, vt id vitæ genus, quod in Deo diligendo versatur, sit perfectius, quã id, quod proximi dilectioni studet. Rursus nomine vitæ contemplatiuæ B. Gregorius, S. Thomas, & Patres nõ intelligunt id vitæ institutum, quod nudã, & simplicẽ Dei speculationem profitetur: sed quod se exercet in cõtemplando Deo, eoque diligendo: ita vt sit positũ in rerum diuinarum contemplatione cum Dei amore coniuncta: Nomine verò vitæ actiuæ non solum accipiunt id vitæ genus, quo quis ea virtutum munera, & officia præstat, quæ ad se ipsum spectant, sed etiam quo in his virtutibus se exercet, quæ ad aliorum commodum, & salutem pertinent, cuiusmodi sunt opera, & officia misericordiæ, & pietatis in proximos.

Quibus positis, nihil mirũ videri debet, quod B. Gregorius, & S. Thomas vitã contemplatiuam actiuæ præferant, merito, & dignitate. Quoniam perinde est, ac si dicerent id vitæ genus præstare, quod in Deo contemplando, amando, ac perfruendo consistit. Nec idcirco negat simpliciter S. Gregor. aut S. Thomas vitam actiuã contemplatiuæ anteponi, hoc est, esse fructuosiorem, vtilioremque: sed ideo potiorem contemplatiuã vterque vocat, quia nequaquã in hac vita definit, sed durat, ac perseuerat in patria. Deinde, quia vita contemplatiua in hac vita typum, & similitudinem gerit illius, quæ expectatur in cælo futura. Quare vita actiua mihi videtur fœcundior, vtilior, fructuosior, contemplatiua tutior, sedatior, & lenior: Actiua operosior, laboriosior: Cõtemplatiua suauior, & iucũdior: Actiua, humilior, & demissa magis: Contẽplatiua superior, & altior. Idem Gregorius *locis citatis* apertè fatetur actiuã filios generare, contemplatiuam non item. Idem Gregor. vt citat S. Thomas, *in opusc.* 18. c. 21. nullum esse, ait, sacrificium Deo gratius, quam salutẽ animarum. Item *in c. Licet, de regularib. & transeunt.* dicitur, doctrinam, laborem, & solicitudinẽ Episcopi, Religiosorum silentio, cõtemplationi, & quieti præferri. Adde, quod cõmune bonum præstat priuato: quis enim negat plus esse illuminare, quàm lucere, calefacere, quàm calere? Non igitur vita cõtemplatiua omni ex parte est actiua perfectior; nisi quatenus cõtemplatiua tota in Deo diligendo consistit, & actiua præcisè in cõmodis proximi curandis. At verò actiua, quæ ex Dei cõtemplatione, & amore profecta, saluti proximorum studet, eatenus contemplatiua videtur esse præstantior: nam & Deum amat, & colit; & præterea vtilitati aliorum inseruit.

Septimò Quæritur, An perfectior sit status Religiosorum communem vitam, quàm solitariam agentium: hoc est, an vita Cœnobitarum sit melior, quàm Eremitarum vita Monastica. De hac quæstione extat apud Cassianum *collat.* 19. c. 3. Ioannis Abbatis sententia, qui in Cœnobitarum conuentu triginta annos egit; & deinde alios viginti in solitudine, & tandem in ætate illa extrema ad priorem vitæ cõsuetudinem vltro sese retulit, & cum de vtriusque vitæ instituto rogatus responderet, videtur institutum communiter viuentium solitariæ vitæ præferre. Basilius ibidem *in Regulis fusius disputatis, q.* 7. De hac ipsa quæstione differens, ait se ita sentire, ita intelligere, ad multa vtilius esse, si vno, & eodem in loco plures simul viuant. Et Bernardus de hoc argumento tractans *epist.* 115. inquit: *Malum, quod nemo videt, nemo arguit. Vbi non timetur reprehensor, securius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conuentu verò bona, si qua facis, nemo prohibet, malum aũt facere si vis, non licet. Mox enim à pluribus deprehenditur, arguitur, emendatur: Sicut è contrario bonã, quod vident plures, mirantur, veneramur, imitantur.* Et tandem respondet S. Thom. 2. 2. *q.* 188. *ar.* 8. in Religiosos perfectos vitã solitariam cadere, ita vt perfectorum sit, alieno ductu, & magisterio minimè indigentium: nã eo ipso, quod est solitaria, aliorum præsidio nõ eget, sed per se ipsa sibi sufficit. Quare secundum eam partem, perfectorum Monachorum est propria. Sic ille. Cæterum Religiosorum in vnam societatem coeuntium vita commodior est, quia vtilior, fructuosior, & actuosa magis: eo quòd, qui cõmuniter viuunt, alij aliorum consilijs, monitis, & doctrinis iuuantur, bonæ vitæ exemplis accendũtur, instar candentium carbonum, & more militum sub eodem duce pugnantium, mutuò se excitant, & inflammant. Illa est durior, & arctior vita; hæc mitior, & tolerabilior: illa tranquillior, hæc turbulentior; illa securior, hæc solicitior; illa pacatior, hæc fœcundior.

Octauò Quæritur, An perfectior sit Religiosorum status nihil proprium, siue cõmuniter, siue priuatim habẽtium, quàm eorum, qui aliquid communiter possident? S. Thom. 2. 2. *q.* 188. *ar.* 7. videtur asserere, nihil de perfectione paupertatis derogari, etiamsi aliquid in cõmune possideatur, nẽpe annui reditus, prædia, possessiones, & alia bona stabilia, quæ immobilia appellantur. Quæ S. Thomæ sententia videtur auctoritate Põtificia fulciri. Nam Ioan. 22. *in extrauag. quæ incipit: Quia quorundam, De verb. signific.* sic ait: *Nec hoc scitiuet in cõmuni, & quo ad proprietatem, aliqua habere, derogat, iuxta dictum Gregorij IX. prædicti altissimæ paupertati, qui in quadam sua decretali dicit expresse Fratres Prædicatores, & Minores in altissima paupertate Christo Pauperi famulari & tamen constat ipsos Prædicatores habere in communi etiam, quo ad proprietatem, aliqua, quod eorum Regulæ, &*

statui non repugnat. Hoc idem confirmat ibi Pontifex auctoritate Alexandri Pontificis, qui dicit Prædicatores, & Minores Euangelicâ perfectionem sectari. Sed alijs oppositum probabilius videtur, quoniam paupertatis est omnium rerũ abdicatio: at maior est abdicatio, qua nihil proprium priuatim, & communiter possidetur.

Deinde, quia Nicolaus III. *in cap. Exijt, qui seminat. de verb. signific. in 6.* apertè docet sanctiorem, & fructuosiorem esse paupertatem, qua nos rerum dominio etiam in commune abdicamus: & Christum Dominum vtriusque paupertatis exemplum reliquisse, vt perfectos, & imperfectos verbo, & facto doceret. Ait enim Pontifex: *Dicimus, quod abdicatio proprietatis omnium rerum non tam in speciali, quàm etiam in communi, propter Deum, meritoria est, & sancta: quam & Christus vitam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmauit, quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, per doctrinæ, & vitæ exempla in eos deriuarunt.* Et paulò inferius ait: *His non obstare, quod Christus per discipulum loculos habuerit; quia in suis actibus, & hominibus imperfectis, & perfectis, ac infirmis exemplum proposuit: Sic infirmorum personam suscepit in loculis. Egit namque Christus, & docuit opera perfectionis: egit etiam infirma, sicut interdum patet in fuga, ac in loculis, vt perfectis, & imperfectis se viam salutis ostenderet.* Hæc ibi Pontifex. Constat apertè Christum loculos habuisse, vt imperfectorum personã sustineret; & nihilominus alia perfectionis opera præstitisse. Nam aliquando nihil eum priuatim, neq; cõmuniter habuisse sacra Euangelia testantur. Nam Matth. 8. clarè dicitur: *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Aliquando verò legimus Iudã habuisse loculos, in quibus ea, quæ mittebantur, portabat. Et Ioan. 4. Discipulos abijsse in ciuitatem, vt cibos emerent. Et Ioan. 6. Christum dixisse Philippo: *Vnde ememus panes, vt manducent hi.* Item Innocentius V. *vt habetur in extrauag. ciuata, quia quorundam,* dixit altam paupertatẽ esse, habere pauca propria propter Deum: altiorem, quæ nulla propria habet in particulari. tamen habet in communi: altissimã, quæ nihil habet in hoc mundo, nec in particulari, nec in communi. Certè negari non potest, quin paupertas sit maior, seuerior, & arctior, quia nihil communiter, aut priuatim habetur, quàm ea, quæ rerum dominium priuatim respuit, & abijcit, non communiter: nec hoc vnquam S. Thomas negauit, vt statim dicam.

Obijcies Apostolos, & eorum discipulos aliquid communiter possedisse, vt in Actis Apostolorum c. 4. Lucas commemorat, & nos supra ex eodem retulimus: & tamen religiosam, & perfectam vitam profitebantur. Respondeo, eã vitam decuisse primos illos Christianos, quia non solũ erant Apostoli, & discipuli Christi Domini, sed etiam multi, qui ex Iudæis, & Gentibus Christo sese adiunxerunt, & communem vitam agentes omnia sua in commune contulerunt. Deinde obijcies, quod tradit Prosper, *& refertur 12. q. 1. c. Expedit.* Satis ostenditur, & propria debere propter perfectionẽ contemni, & sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates, quæ sunt profectò communes, possideri, Respondeo, ibi Prosperum loqui de perfecta vita Episcoporum, & Præfectorũ Ecclesiæ, qui sunt in statu perfectionis docendæ; & idcirco non conuenit eis ratione sui status rerum, & bonorum abdicatio: nec eorũ perfectioni quicquam detrahitur, si bona cõmunia possideant: nec inficiatur, arctiorem, & perfectiorem esse paupertatẽ, quum nihil priuatim, & communiter possidetur, sed docet, nihil perfectioni vitę detrahere bona, quę in cõmune possidentur. Aliud enim est, vitam perfectam tenere, & seruare, aliud arctissimam paupertatem profiteri; Episcopi sunt in statu vitæ perfectæ, videlicet, quam docere debent. At verò Religiosorum status est perfectionis comparandæ, & addiscendæ, cui plurimum prodest arctissima paupertas, ne ipsi Religiosi solicita rerum acquirendarum, & conseruandarum cura vexentur, néue eorum iactura, & amissione conturbentur.

Oppones itidem: Sanctus Augustinus, Sanctus Benedictus, perfectarum Religionum instituta fundarunt: quæ tamen aliquid communiter possident. Respondeo, eos instituisse perfectas Religiones ratione finis, & aliorum multorum, quæ in ipsis seruantur, licet rationem paupertatis arctissimæ non præscripserint. At verò quamuis paupertas, qua nihil communiter possidetur, sit per se arctior, & durior: nihilominus tamen Religio aliquid in commune possidens, ratione sui finis potest esse perfectior, & sanctior, vtpotè, quæ finem sibi propositum potiorem respiciat, ad quem finem assequendum, sit aptius instrumẽtum, atque præsidium paupertas, quæ aliquid cõmuniter habeat, atque retineat. Vt si sit instituta Religio ad studia literalia, ad docẽdum alios, ad fidem Christi, & religionem propagandam, accommodatum magis, & idoneum videtur esse instrumentum paupertas, qua aliquid communiter possidetur. Et hoc est, quod docuisse S. Thomas mihi videtur, nihil de perfectæ Religionis statu, & vita detrahi, si aliquid cõmuniter habeat, quoniam ratione finis potest vna Religio esse perfectior altera, cui ad suum finem adipiscendum commodior, & aptior sit paupertas, qua ex facultatibus, & bonis in commune collatis trãquillè, & pacatè viuitur. Nihil ergo S. Thomas docuit, quod cum Nicolai Pontificis decreto pugnet: nã Pontifex solum definit paupertatem, qua nihil priuatim, & communiter possidetur, esse arctissimam, & perfectissimam paupertatem; & hoc S. Thomas non negat, sed docet nihil perfectioni Religionis detrahi, si bona in commune possidẽtur: quia non eo ipso, quo Religio est pauperior, est perfectior.

Postremò, obijcies id, quod initio huius quæstionis Ioan. 22. *in extrauag. citata* constituit. Respõdeo, solum ibi Pontificem docuisse arctissimam esse paupertatem Religiosorum nihil proprium habentium, mendicitatemque profitentium, non tamen negasse varios esse huius paupertatis gradus, quibus vna mẽdicitas sit arctior, & seuerior, seu durior altera. Docet quoq; ibi Pontifex Mendicantium Ordinum paupertatem esse cum vitæ perfectione Euangelica coniunctam; sed nihilominus dubitari nequit, quin Euangelicæ vitę professio vna sit alia longè maior, & altior. Quare duo Pontifices Nicolaus III. & Ioannes XXII. in hac parte sibi non aduersantur.

Nonò Queritur, An Religio, q̃ viliori, & aspe-

riori

riori vestimenti genere vtitur, sit perfectior, & melior ea, quæ minus asperum, & vilem vestitū ex instituto deferendum præscribit? Respondeo, ex ea parte esse arctiorem, asperiorem, durioré, & seueriorem. Nam Religio est lugentium, pœnitentium, & mundana contemnentium schola, quos decet vilior, abiectior, asperior, & durior amictus. At Religiones sunt etiam institutæ ad docendum, ad Christi fidem, & religionem propagandam, & tuendam: & ex hoc capite potest Religio esse perfectior, cum in altiorē, & potiorem finem sibi propositum, se, suaque omnia referat, quamuis iustis de causis vtatur habitu minus vili, duro, & aspero; sed magis ad suum finem assequendum accommodato. Et S. Thoma teste 2.2. q.188. art.6. perfectior est Religio, quæ ad potiorem finem dirigitur, & quæ aptiora ad eum obtinendum præsidia, & instrumenta adhibet. Nec tamen è conuerso, quo perfectior est, eo debet esse seuerior, asperior, & arctior.

Decimò Quæritur, An Religio, quæ aliam arctiori obedientiæ voto, & vinculo superat, sit ea perfectior. S. Thomas, cuius sententia communi consensu omnium recepta est, docet. 2.2. 186. art. 8. trium votorum, quæ Religionis vis, & natura postulat, potissimum esse Obedientiæ votum, quippe quod vberiorem, & ampliorem materiam amplectitur, cum se in omnia virtutum officia latè fundat. Deinde, quod voluntatem hominis, alienę subijciat, & obliget. Vnde Gregorius lib. 35. Moral. cap. 12. obedientiam victimis anteponit: eo quod per sacrificia aliena caro, per obedientiam propria voluntas immolatur. Ex quo fit, vt Religio, quæ maiori obedientię vinculo aliam vincit, ac superat, sit hac ex parte perfectior. Non tamen eo ipso est arctior, & seuerior: nam ab alia vinci potest vigilijs, ieiunijs, abstinentijs, silentio, solitudine, & alijs multis vitæ durioris studijs, & officijs.

Vndecimò Quæritur, An Religiosus lege aliqua compellatur ad vitæ Christianæ perfectionem ita comparandam, vt in ea procedere, & progredi debeat? S. Thom. 2.2. q.186. art.2. respondet, Religiosos non eo ipso, quo sunt in perfectionis statu constituti, perfectam habere charitatē, in qua vitæ Christianæ perfectio consistit; enitendum sibi tamen esse, vt illam assequantur. Vtrumq; colligit, Primum quidem, quia sicut Philosophus, eo quod sit sapientiæ studiosus, non continuo est sapientia præditus, sed in eius studium, & curam incumbit, ita Religiosus, quia vitæ Christianæ perfectioni studet, non ideo vitæ perfectionem comparauit. Deinde, qui aliquo progreditur, vel currit ad metam, nondum eo peruenisse, aut metam attigisse dicitur: at Religiosorum status est quidam veluti progressus, & cursus ad vitā, charitatemque perfectam: ergo nōdum ad eam peruenisse censetur.

Sed quæstio est, an peccet Religiosus, si ad vitæ perfectionem progressum non faciat? Caiet. 2.2. q.186. art.2. §. Ad euidentiam horū, distinguit in hunc modum: Aut Religiosus vitę perfectioni non studet: Aut in animum inducit ad perfectā vitam non progredi, ita vt secum ipse mente dicat, nolo in vitæ perfectione progredi: Aut vitæ perfectionem cōtemnit. Primum, in opere, & facto consistit, quo quis opera perfectiora prætermittit. Secundum, in actu voluntatis interiore positum est, quod est nolle in vita Christiana proficere. Tertium, in quadam contemptione, & despectione situm est, qua vitæ Christianę perfectio Dominico consilio nobis proposita negligitur tanquam inanis, & futilis. In primo, inquit, nullū per se ineſt peccatum: in tertio lethale peccatum committitur, quoniam ipse Christus vitæ perfectionis auctor, & magister contemnitur. Secundum verò, culpa veniali non caret, quoniam firmo animi proposito nullum in perfectione processum faciēdi; aditus intercluditur Spiritus sancti, qui ad perfectiorem semper vitam homines promouet. Hactenus ex Caietano.

Hæc quęstio meo quidem iudicio vtilis est, sed aliquando implicata, & difficilis: eadem prorsus est, atque ea, quam ibi ponit S. Thomas, num Religiosus ad omnia consilia implenda vi, & ratione status, conditionisque suę adigatur. Cui quæstioni ipse respondet nulla lege adstringi ad ea omnia præstanda: curare tamen Religiosum debere, vt ea exequatur. & præstet. Contra quod inquit, facit is, qui contemnit. Vnde non peccat, qui ea prætermittit, sed qui despicit. Verba S. Thomæ in eo loco sunt: *Manifestum est añt, quod ille, qui operatur ad finem, non ex necessitate conuenit, quod iam assequutus sit finem, sed requiritur, quòd per aliquam viam tendat ad finem. Et ideò ille, qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, vt habeat charitatem perfectam. Et eadem ratione non tenetur ad hoc, quòd illa impleat, quæ ad perfectionem charitatis consequuntur; tenetur autem, vt ad ea implenda intendat, contra quod facit contemnens: vnde non peccat, si ea prætermittat, sed si ea contemnat.* Hæc S. Thomas. Deinde infert S. Doctor, ea consilia seruari oportere, quibus ad vitæ perfectionem peruenitur, quæque Regula præscribit, quam est instituto Religiosus professurus. Est etiam eadem quæstio, quam ille ibidem attigit, an Religiosus vlla lege cogatur præstare, ac facere omne bonū, quod potest, iuxta illud Sapientis Ecclesiast. 9. *Quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare.* Cui quæstioni respondet in solutione secundi argumenti, *sicut quilibet*, inquit, *si faciat omne bonū, quod potest, prout sui status conditio postulat, non peccat, si meliora non agat; dūmodo absit contemptus ea faciendi, quo ad maiorem perfectionis profectum iter obstruitur. Sic etiam Religiosus, seruatis ijs, quæ debet, non peccat, si reliqua omittat, modo non contemnat illa.* Hæc omnia ex S. Thoma. Vnde colligit Caietanus *eo loco*, nihil Religiosum peccare, si non omnia Christi consilia perficiat, dūmodo ea præstet, qui sui instituti ratio, & regula præcipit; lethaliter verò delinquere, cum Euangelica consilia contemnit; at venialiter, si secum statuat firmiter nolle illa præstare. Sic etiā ait Silu. *religio. 1. quæstio. 3.* vbi dicit, Religiosum peccare; si apud se statuat tantummodo omne lethale peccatum cauere, præceptis omnibus, votis, & instituti obligationibus seruatis, & consilia omnia prætermittere. Hoc enim, inquit, est, quod ait S. Thomas, consilia contemnere. Nā Religiosus, quatenus talis est, debet in perfectione progredi, id est, vt exponit Siluester, in animo habere, ad perfectionē progressum, & gradū facere, quāuis in perfectione minimè ,pcedat. Et proinde

inde, inquit, non peccat, si decernat hoc, aut illud consilium exequi, cætera non item: peccat tamen nolens vllum in vniuersum Dominicum consilium sequi. Eodem ferè modo, quo Siluest. loquuntur Asten. *in sum. lib. 6. tit. 47. ar. 1. q. 3.* Antonin. *3. p. tit. 16. c. 1. §. 1.* Angel. *religiosus, q. 27.* Tabien. *religio. q. 4.* cū aiunt, Religiosum non esse mendacem, si non sit perfectus, sed si ab intentione perfectionis volūtatem, & animum reuocet.

Contra Caietanum tamen, & Siluestrū opponunt alij, dicentes: Si Religiosus non peccat consilia omittendo, nec peccat volens ea prætermittere. Nā si tuta conscientia omittit, cū sciens, ac volens ea omittat, consequens est, vt non peccet, etiā cum ea sequi recusat. Deinde, peccatū nō est, nisi præceptum aliquod violetur: sed Religiosus nullum consilium volens exequi præter ea, quæ vi sui voti, instituti, & regulæ obire, & facere debet, nullum præceptum violat, nullā legem perfringit, ergo nō peccat. Postremò, si peccaret, id propterea esset, quoniā vt Religiosus est, debet in perfectione procedere: at in de fieret, vt quoties delinquit, duplex peccatum admitteret. Item, peccaret, quoties aliquid agit, & in perfectione progressum non facit.

In hac itaque quæstione S. Thomas mihi videtur locutus de Religioso eodē modo, quo de eo, qui talis non est, cum ait, *in eo articulo, & quæstione citatis in responsione ad 2. & ad finem ipsius articuli.* Quē admodum sæcularis, si decernat omnia præcepta seruare, & omne consilium prætermittat, nō peccat, nisi consilia contēnat: ita Religiosus si constituat omnem legem seruare; Vota ité, & quicquid Regula sui instituti fieri iubet, & cōsilia prætermittat, dummodo illa non contemnat, nō peccat.

Iure tamen ambigitur, quid velit S. Thomas his verbis: *Dummodo ea non contemnat.* Caietanus, & Siluester interpretantur; si ea per contemptionem non omittat: Si item in animo eius nō sit omnia prætermittere; hoc est, dummodo apud se mente non dicat: Nullum consilium seruare, & sequi volo: aut, Nolo in perfectione vitæ progredi. Mihi in primis videtur sub obscurè S. Thomas locutus, sicut etiam B. Antoninus, Angelus, & Astensis loquuti sunt. Deinde iuxta sententiam quorundam Caietanus, & Siluester mentem S. Doctoris non satis certo, & explorato sensu videntur assecuti, dum docent Religiosum in prædicto animi proposito peccare, quia vi, & ratione sui status debet in vitæ perfectione procedere, contra quod agit, dum eo animo est, vt nullum consilium sequi, & implere velit, præter ea iam ante à se suscepta, vi voti, instituti, & Regulæ. Nam S. Thomas, inquiunt, secularem hominem similitér peccare testatur, si præceptis tantummodo seruatis consilia contemnat: & tamen sæculari vi sui status non debet in vitę perfectione proficere. Ergo videtur, aiunt, S. Thomæ mens fuisse, dum inquit: *Dummodo ea non contemnat.* Si ea non per contemptionem prætermittat, quo etiā loquēdi modo vtitur B. Antoninus: at despectio, & contemptio non est, si sæcularis constanter, & fortiter statuens omnem legem implere, nullum velit seruare consilium. Sic etiam Religiosus nō videtur contemnere consilia, si habeat in animo seruare omnem legem, præcepta, & consilia voto suscepta, & quicquid institutum, & Regula iubet, nolens cætera consilia exequi: is enim, inquiunt, solummodo consilium contemnit, & despicit, qui tanquam vanum, & inutile prætermittit, aut negligit, aut qui vult, vt ipse cōsilij auctor despectui habeatur, non autem qui omittit ea tantum ratione, quia videt nullum in consilio subesse præceptum, nullam legem imponi, nihil sibi imperari. Quare aiunt, nullum peccatū inesse videtur in prędicto Religiosi hominis proposito: aut si vllum est, non ob eam causam, quam Caietanus, & Siluester reddiderunt, eo quòd Religiosus debeat in perfectione vitæ procedere, sed quia tam sæcularis, quàm Religiosus peccet, si solum velit ea præstare, quæ debet: eo quod nemini liceat apud se firmè decernere, nihil aliud efficere, nisi id quod ratione sui muneris, & officij debet. Hæc enim voluntas præterquam, quod Euangelicis consilijs aditum præcludit, hominē quoque ipsum periculo exponit, quo facilius diuinas leges, iura, & præcepta perrumpat. Hæc quidam contra Caiet. & Siluest. Mihi primum dicendum videtur, Religiosum peccare, si apud se statuat, & dicat, nolo ad perfectionē vitæ progredi: quoniam deficit ab eo, quod præstare debet: eo ipso, quo Religiosus est, debet ad vitæ perfectionem tendere, debet perfectioni studere: & hoc est, quod S. Thomas, B. Antoninus, Astensis, Angelus, Caietanus, & Siluester docuerunt. Secúdo dicendum existimo, Religiosum, qui vult omnia prę cepta seruare, & quidquid vouit, implere, & exequi, & obire, quidquid instituti regula iubet, eo ipso, velle ad vitæ perfectionem progredi: quia hæc omnia, quæ dixi, ad vitæ perfectionē diriguntur. Tertiò, Religiosus, qui vult quidem omnia, quæ dixi, præstare, seu facere; sed nihilominus apud se statuit, cætera omnia consilia prętermittere, non quod ea contemnat, sed quod ea velit omittere, quia præcepta non sint, peccare mihi videtur, vt Caiet. & Siluest. dixerunt: non quod peccatum sit in omittendo consilium, sed in firmando animum, & voluntatem cōtra consilium. Nam quamuis liceat nobis omittere consilia; fas tamen non est animum deliberata ratione, & proposito contra Dei consilia firmare: ne nobis aditum obstruamus ad Spiritum sanctum, qui semper nos promouet ad meliora, & perfectiora.

Objcies, Religiosus, quatenus talis est, non debet in vitæ perfectione proficere, ergo nō peccat, si proficere recuset. Respondeo, Religiosum non peccare, si in vitæ perfectione minimè procedat: peccare tamen, si nolit proficere. Caietanus, & Siluester fatentur, eum non peccare, si consilia omiserit: non tamen fatentur, eum non peccare, si nolit proficere. Sed & argumentum directò dissoluet, qui dicet, Religiosum, vt talem debere in vitæ perfectione progressum facere, quia debet promissa persoluere, & quicquid institutum, ac Regula iubet, obire, & exequi, quæ omnia præter diuinæ legis præcepta suscepit. Quare quamdiu vota, & sui instituti Regulam seruat, Dei cōsilia præstat, & progressum in perfectione facit: quoniam etsi vota institutique sui præcepta custodire, & obseruare eum oportet, nihilominus tamē sunt Dei cōsilia, quibus ei spō

tè se Religiosus obstrinxit. Deinde oppones: Religiosus, qui statuit nihil aliud efficere, nisi quod debet, se multis peccatorum periculis objicit; nã timere debet, ne vota, aut sui instituti leges, & iura aliquando perfringat: quo grauiter peccat. Respondeo, negari non posse, quin Religiosus votis, & Regulæ præceptis adstrictus peccet, si se peccati periculo exponat, in ijs faciendis, quæ alioqui exequi, & obire Superiorum iussu, legéue, aut regulæ præcepto compellitur: sicut etiam sæcularis, si decernat præcepta tantummodo seruare, delinquit, si ex hoc, quod firma animi deliberatione constituit omnia in vniuersum consilia prætermittere, in peccati periculum incurrat. Et reuerà, qui talia decernunt, ac statuunt, non rarò se huic periculo, & discrimini opponunt.

Quare diffitendum non est Religiosum periclitari, si ab abstinẽtijs, & ieiunijs desistat, ac cesset, si se profanis negocijs implicet, si passim silentium contra Regulam perfringat, si nihil studij, curæ, & diligentiæ in rerum spiritalium meditatione ponat, si frequenter sui instituti Regulas, & Superiorum consilia prætermittat, si nunquam in rerum cælestium contemplationem, & salutarem librorum lectionẽ studium conferat, si cogitationes, & affectus animi non reprimat, si sensus corporis non moderetur, ac temperet, si nihil curet corpus castigandum, carnem macerandam. Tertiò oppones: Religiosus pluribus est vinculis obligatus, quàm is, qui nullam Religionis Regulam profitetur: ergo grauiter peccat, si Dei consilia non seruet. Deinde, videtur grauiter peccare, si Dei consilia sequi renuat; tum quia contemnit ea, tum quia obstinatiori est mente, & voluntate: sicut is etiam delinqueret, qui voueret, se nullum Dei consilium seruaturum. Respondeo, Religiosum pluribus esse vinculis alligatum, quoniam est tribus votis adstrictus: nec ideo contemnere consilia, quia recuset ea sequi, & seruare: is cõsilia despicit, qui ea prætermittit, vt inutilia, futilia, & vana, aut quia sunt à Deo proposita, & data. Votum verò omittendi consilia in vitio, & culpa est, quia vanum, & Deo minimè acceptum, & gratum. Item voluntas, qua animus firmatur, ne Dei consilia seruemus, peccatum est, quia vanum, & temerarium est, sic animum firmare.

Duodecimò Quæritur, An Religiosus grauius peccet, si idem peccati genus committat, quod secularis? Respondet S. Tho. 2. 2. q. 186. art. 10. & eũ sequutus Astensis *in sum. lib. 6. tit. 47. art. 2. quæst. 6.* Angel. *religiosus. q. 65.* Siluest. *religio. 6. q. 14.* & Antonin. 3. *par. tit. 16. cap. 10. §. 2.* deterius peccare, si votum violet; scilicet si aliquid, vt sibi proprium capiat, si non pareat, si cum fœmina rem habeat. Deinde, si per contemptũ delinquat, quia est magis ingrato animo in Deum. Postremò, si cum peccat, in alterius offensionem incurrat, si suo exemplo, alios ad malum inuitet, flectat, & moueat: alioqui leuiora sunt in Religioso peccata, quia solent esse minus voluntaria. Religiosus non se in peccatum abijcit, non se præcipitat, labitur quidem, sed se sustinet, quãtum potest, rursusque statim erigit ad saniorem mentem reuersus, quia pluribus, & longè maioribus vitæ bonæ præsidijs adiuuatur, ex quo fit, vt cum cadit, de surgendo cogitet, nec ita grauius allidatur, nec sit pronior ad relabendum: nam post lapsum fieri solet cautior, & firmior. Conuenit quoque cũ S. Thoma, Basilius *in Regul. breu. cap. 81.* qui cũ quæreret, num in Religioso peccata æqualia essent, atque in cæteris hominibus, respondet, Religiosus, cum de quærenda Dei gratia solicitus sit, & in ea totus laboret, non de industria, sed casu aliquo, & præter sui animi sententiam labitur.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER XII.

De Religioso Statu.

CAPVT PRIMVM.

De ingressu in Religionem.

ANimaduertendum est, ingressum in Religionem aliquando appellari, cum quis per professionem in Religiosorum sodalitiũ admittitur: ita vt ingressus huiusmodi, vt dicã inferius, nihil aliud sit, nisi Religionis professio, qua quis verè, & propriè, & simpliciter Religiosus efficitur: & hoc modo sumitur *in cap. Quia ingredientibus. 19. quæstio. 3. & in Authent. Ingressi. C. De Sacrosanct. Eccles.* Sed interdum ingressus, est cum quis Religionis habitum suscipit, & inter tyrones, ac Nouitios censetur ad probationem receptus: & de hoc in Religionem ingressu in præsentia disputamus.

Primò Quæritur, An in Religionem ingressum debeat consultatio diuturna præcedere. Hanc quæstionem tractat S. Thomas *secunda secundæ quæstio. 189. artic. 10.* vbi quærit, vtrum sit laudabile, si aliquis religionem ingrediatur absque multorum consilio, & diuturna deliberatione: & respondet, de ipso in religionem ingressu per se nihil consultari oportere: nam religionis institutum CHRISTI Domini consilium est, & ingressus in religionem est melioris vitæ susceptio: qui hoc dubitat, CHRISTI DOMINI auctoritati plurimum derogat, qui de religiosa vita ample. ctenda consilium dedit. Nec, inquit, S. Thomas consultare quis debet, an vires habeat ad religionis iugum deferendum, quia qui religionis institutum capessunt, non suis viribus inni-

tuntur,

tuntur, sed auxilio Dei, iuxta illud Isaiæ 40. *Qui sperant in Domino, mutabũt fortitudinem, assument pennas, sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Si tamen, ait S. Thomas, sit aliquod speciale impedimentum, puta infirmitas corporis, vel onera alia, qualia sunt debita, vel aliqua alia similia, in his requiritur deliberatio, & consilium cum ijs, de quibus speratur, quod profint, non impediant: in quibus tamen non est diuturna deliberatio habenda. Vnde Hieron. *in epist. ad Paulinum* ait: *Festina, quæso te, & hærenti in salo nauicula funem magis præcide, quam solue.* Tertio modo considerari potest modus religionem intrandi, & quã religionem aliquis ingredi debeat, & de talibus potest haberi consilium cum ijs, qui non impediant. Hæc Sanctus Thomas, cuius auctoritas in re tam graui sufficeret. Sed Maior *in 4. dist. 38. q. 16. §. Dubitatur*, non probat tanti doctoris sententiam tam firmis argumẽtis, & rationibus cõprobatam. *Nullus*, inquit, *debet religionis onus subire sine bona consultatione, & deliberatione conferendo cum viris sapientibus, & Deum timentibus, non cum religiosis, quia omnes te ad suam religionem attrahere nitentur, si sis futurus eis vtilis in spiritualibus, vel corporalibus. In primis oportet videre, an in religione, quã quis profiteri intendit, sanctè, & piè viuatur, an non. Item oportet prospicere, an is, de quo dubitatur, possit ferre onus rigidæ religionis. Non placet, quod in quæst. vlt. in 2. 2. B. Thomas dicit, non confidat in proprijs viribus, sed in ope, & virtute diuina. Dico non esse expectãdam à Deo miraculosè nouam fortitudinẽ ob religionis professionem.* Sic maior ibi. Sed quantæ sit auctoritatis Maior, si cum S. Thoma conferatur, quis non videt? Quàm multis argumentis, & quã firmis rationibus S. Thomas suam sententiam confirmet, quis ignorat? Profectò ego non dubito, quin aliquando multi fallantur, dũ varias moræ causas interponunt, vt à salutari religiosæ vitæ susceptendæ consilio, ad quod diuinitus inuitantur, auocentur. Videndum est, num sit dæmonis ars persuadentis in re tam graui diu esse consultandum, maturè deliberandum, amicos consulẽdos, vires explorandas, bonorum operum exercitationem debere præcedere, quæ viam paret, ac muniat ad difficiliora, & seueriora religiosæ vitæ officia obeunda. Nam clamant sancti Patres rumpendas esse moras, nihilque omninò cunctandum: *hærenti in salo nauicula, funem magis præcide, quam solue*, ait Hieronymus *Epist. 103 ad Paulin.* Et Chrysost. hom. 57. ad populũ. *Dum tibi feruens est hic amor, abi statim ad illos ipsos Angelos, eumq; magis accende. Ne dicas, alloquar prius propinquos, resque meas expediam. Torporis initium est hæc dilatio. Patrem sepelire discipulus voluit, nec id Christus permisit. Quid ita? quoniã acer instat diabolus, vt se in animum insinuet, etsi vel breuem arripuerit vacationẽ, vel prorogationem, ad magnũ inducit tęporem.* Ideo quidã admoner, ne differas de die in diẽ. August. *lib. 8. Confessio. c. 5.* suam illam tarditatem, & cũctationem præteritam luget. Et *c. 6.* duos illos fratres maximè collaudat, qui lecta Antonij vita adeo exarserunt ad imitandũ, vt ex illa hora, illo ipso, quo legerant loco, Deo sese consecrarint. Anselmus Epist. 1. *Festina ad tantum bonum quia nullo bono efficacius peruenies ad summũ bonum. Plures vidi promittentes, & differentes, quos ira mors tulit, vt nec id perficerent, quo se impediebant, nec id inciperent, quod promittebant.* S. Bernardus sermone super illud. *Ecce nos reliquimus omnia.* Quantos mũdi sapientia supplantat, & cõceptum in eis extinguit spiritũ, quẽ voluerat Dominus vehementer accendi. *Noli*, inquit, *præcipitanter agere, diu considera, diligentius intuere. Magnũ est, quod proponis, & opus habes multa deliberatione. Experire, quid possis, amicos consule, ne post factũ pœnitere contingat. Hæc sapientia mũdi terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum prouocare. Caue tibi, ait. Vt quid enim? cũ à Deo verum esse non dubites, quid opus est deliberatione. Vocat magni cõsilij Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quisue sapientior illo? Deduc me Domine, & deducar, fortior esto, & innalesce. Noui ego quæ nam sint, quæ oportet fieri cito. Ab ore putei gehennæ eripior, & inducias petam, & retardabor, & cunctabor exire, si forte interim fiat aliquid? Abscondi ignem in sinu meo, & exusto iam latere, iã undatis visceribus, iam sanie defluente, diu mihi deliberandum est, an expergiscar, an excutiã, an abijciam illum? Magnũ omninò est, quod offertur, sed eo vtiq; libentius, & festinantius suscipiendũ, & obuijs arripiendum manibus cũ feruore, & hilaritate. Probet aũt seipsum, qui de propria virtute præsumit. Nam diuina quidem omninò probata est. amicos consulat, qui non legit, inimici hominis domestici eius. Quid frequentat Euangelium, qui Euangelio non obedit? At in eo sanè legimus promittenti cuidam sequi Dominum, sed defunctũ prius patrem sepelire volenti responsum ab eo, vt sineret mortuos, sepelire mortuos suos. Alteri quoq; tantum suis, qui in domo erant, vale dicere cupienti, nemo, inquit, mittens manũ ad aratrũ, & respiciẽs retro, aptus est regno Dei.* Hęc Bernardus. Et *Epist. 106.* quosdam suos nouitios alloquens, laudat eos, quod religionis consiliũ opere exequuti essent, quia non apparebit, inquit, vacua vltra in vobis Crux Christi, quẽadmodum in multis filijs diffidentiæ, qui tardantes cõuerti ad Dominum de die in diem improuisa morte subtracti, in puncto descendunt ad inferos. Et Epist. 105. *Eia ergo festina, exi, recede, moriatur anima tua morte iustorum, quo fiant, & nouissima tua horũ similia: fuge, quæso, in via peccatorum ne steteris. quomodo viuere potes, vbi mori non audes?* Et scribens ad alterũ, quia ad studia literarũ absoluẽda annuas quasi inducias postularat. Epist. 108. *obsecro*, inquit, *redi ad cor, & aduerte hunc annuum terminum, quem tu tibi indulsisti in iniuriam Dei, non esse annum placabilẽ Domino, sed discordiæ seminarium, iræ fomitem, nutrimentum Apostasiæ, qui spiritum extinguat, gratiam intercludat, teporem afferat illũ, qui Deo soles vomitum prouocare.* Denique S. Thomas *opuscul. 17. c. 9. & 10.* multis argumentis, & firmissimis rationibus probat, de re hac non esse diu deliberãdum, nec opus esse multorum consilio, obediendum esse Deo vocanti, quàm citissimè, eius vocem nulla interposita mora exequendam quanquam quidam Maioris sententiam sequuti dicãt, non esse ad religionem conuolandum statim, vt consiliũ, & propositum in mentem venerit, relicto contemptoq; seculo capessere religiosæ vitæ institutum. Sed quidquid isti dicant, audiẽdi sunt Patres, quos retuli, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Anselmus, Bernardus, qui sincere, & purè veritatẽ docuerunt. Audiendus. S. Thomas, qui quæstionem hanc bis tractauit, & rem ipsam multis argumentis, & rationibus cõfirmauit, opposita argumenta grauissimè confutauit.

Secundò Quæritur, Vtrum nobis liceat ad Religiosum institutum capessendum quempiam inducere? Respõdeo cũ S. Thom. 2. 2. q. 189. *art. 9. & 10.*

& Mal.

& Mai. *in 4. dist. 38. q. 16. §. Dubitatur*, licere: is enim, cui religiosæ vitæ institutum persuademus, hac ratione à mũdanæ vitæ periculis prope innumeris auocatur, & ad Christi consiliũ amplexandũ adducitur. At tria, inquit, S. Thomas in hoc aliquando peccantur, Primò, cum quis minis, metu atque terroribus id vitæ genus suscipere atque amplecti compellitur: qua ratione interdũ parẽtes, fratres, aut cognati suos in Monasteria detrudunt. Deinde, cum quis muneribus per simoniam datis, & acceptis pertrahitur, *c. Quam pio. 1. quæst. 2.* Postremò, cum quis mendacijs, aut fraudibus, & alijs malis artibus permouetur, aut impeditur, quo minus se ad religiosam vitam conferat. *in c. præsens. 20. q. 3.* cautum est, ne vllo modo quis per vim ad habitum Religionis suscipiẽdum, aut vitã Monasticam profitendam trahatur. Et Synodus Tridẽtina *sess. 25. c. 18. de Regularib.* anathemati subijcit eos oẽs, cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos quã laicos, &c. Verba Concilij, hæc sunt: *Anathemati sancta synodus subijcit omnes, & singulas personas, cuiuscunque qualitatis, vel cõditionis fuerint, tam Clericos, quam Laicos sæculares, vel regulares, atq; etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque coegerint aliquã Virginem, vel viduam, aut aliã quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere; quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subijcit eos, qui sanctam virginum, vel aliarũ mulierum volũtatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint. Eaque omnia, & singula, quæ ante professionem, vel in ipsa professione fieri oportet, seruentur non solum in Monasterijs subiectis Episcopo, sed & in alijs quibuscunque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ pœnitentes, aut Conuertitæ appellantur, in quibus Constitutiones earum seruentur.* Et *c. 17. eadem sessione* statuit in hunc modum: *Libertati professionis Virginum Deo dicandarum prospiciens sancta synodus, statuit, atq; decernit, vt si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit; non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quàm explorauerit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat. Et si voluntas eius pia, ac libera cognita fuerit; habueritque conditiones requisitas iuxta Monasterij illius, & ordinis Regulam; necnon Monasterium fuerit idoneum; liberè ei profiteri liceat, cuius professionis tempus ne Episcopus ignoret; teneatur Præfecta Monasterio eum ante mensem certiorem facere, quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit; quãdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.* Hactenus Concilium. QVAERES, quid si absque vllo pacto cuipiam munuscula tribuas, vt eius beneuolentia, & voluntate conciliata ad Religiosæ vitæ genus eligendum, & sectandum moueas, & flectas, allicias, & attrahas? Respondeo id fieri, sine vllo peccato, vt expresè docet S. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 3 ad 4. quemadmodũ etiam fas nobis est Ethnicos ad fidem, & Religionem Christi traducere muneribus, ac donis gratuitò, & liberaliter propositis, oblatis, & datis, vt ait Silu. *verbo. Iudæus. q. 6.* Pari ratione ius nobis est adolescentes egenos alere, vt deinde Religionem suscipiant; sic etiã aliquos admittere, vt ad tempus in ipso Religiosorum domicilio gratis inseruiant, quò sic postea in eorũ familiam, & sodalitatem cooptentur. Verùm in his omnibus oportet pactum abesse, ne scilicet aliquid promittatur, vel detur pro ingressu in Religionem. *c. quam pio. 1. q. 2.* S. Tho. 2. 2. *q. 100. art. 3. ad 4.* alioqui enim totus in Religionem ingressus simoniæ labe fœdabitur. Sed illud minimè dissimulandum est aliquos interdũ labi, & decipi, cum plus quam par sit, passim adolescentulos ad Religionem capessendam inducunt, solicitãt, & vrgent assiduè, ac id faciunt magno studio, ac tandẽ suadent, vt simplex Religionis votũ faciãt. Alij contra à Religione deterrent, auocant, abducunt, & prohibent, multis, & malis artibus impediũt, & remorãtur, plus æquo quos possunt, quorum vtrumque est in vitio, & quod reprehendi iure possit, ac debeat.

Tertiò Queritur, An liceat alicui seruum ad Religionem admittere? Respondeo, *in c. Si quis incognitus. 17. q. 2.* sic haberi: *Si quis incognitus Monasteriũ ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus non præsletur. Et intra tres annos, aut seruus, aut liber, vel colonus quæratur à domino suo, reddatur ei, cum omnibus, quæ attulit, fide tamen accepta de impunitate. Si aũt intra triennium non fuerit requisitus, postea quæri non potest; nisi sit, tam lõgè, vt inueniri non possit.* Hęc ibi. Nequit igitur seruus Religionem profiteri, aut ingredi, quoniã sui iuris non est: & verè furtum committit, eo quod Domini potestatem, & ditionem subterfugiat: quòd si profiteatur, Domino eum repetenti, reddi debet cum omnibus, quæ ad Monasteriũ attulit. Et hoc locum habet in seruis, quæ mancipia dicuntur, & in ijs, etiam, quos leges, Canones, & iura Colonos, Originarios, Ascriptitiósue seruos appellant; qui quoniam fundo, vel agro sunt adscripti, inde inuito Domino auelli nequeunt. QVAERES, quo pacto *in prædicto c.* sancitum sit posse à Domino intra trienniũ repeti, postea verò minimè. Nam huiusmodi seruus operas, ac labores, industriamque suam, & artem, ac se ipsum Domino subtrahit, ergo Monasterium triennio, imò longissimo etiam tempore rem furtiuã, hoc est, seruum, vsu capere nequit. Nam *l. 1. C. de seruis fugitiuis*, spatio etiam longi temporis seruus fugitiuus minimè vsu capitur. Respondeo, in gratiã, & bonum Religionis constitui, ne elapsu triẽnij ius habeat repetendi seruum bona fide receptũ, cum intra triennium repetere cõmodè potuerit: At verò, vt Glossa annotauit, licet post exactum triennium non sit seruus Domino reddendus, iusta tamen compensatio fieri debet, ne Dominus quid detrimenti in rebus suis patiatur. Si percunctẽris, vndenam illud triennium sit inchoandũ? Aiunt plerique quos citat, & sequitur Silu. *Religio. 2. q. 3.* Ab eo tempore, quo Dominus rescierit, esse seruum in Religionem admissum. Sed verius est, quod Glossa docet, à tempore probationis incœptæ. Si denuo roges, an si talis seruus Religionem professus Domino repetenti reddatur, voto castitatis teneatur? Respondeo, teneri, quia licet nulla fuerit professio, ratum tamen, & firmũ Castimoniæ votum fuit, quo Deo se deuinxit: eo enim potuit sese simpliciter Deo obligare, tametsi

nullo se vinculo professionis obstrinxerit: vt in alio simili dicitur de viro, qui insçia vxore Religionis professionem emisit, *in c. quidam, de conuers. coniug.*

Quartò Quæritur, An qui se alteri obligauit, possit ad Religionem liberè transire? Hostiensis respondet, quem citat Silu. *Religio.2.q.5.* si per alium præstare promissum potest, id præstet: sin secus, Religionem suscipiat. Sed si qui iurando cuipiam promisit se aliquid facturum. Vt si Titius iureiurando adhibito spoponderit Rempublicam se administraturum triennium, aut doctorum alios in perpetuum, aut in hospitali domo perpetuò inseruiturum ægrotis? Respondeo, cum Hostiensi, Innocentio, Gofredo, & Abbate, quos citat Siluest. *verbo, Religio.2.q.5.* eũ non esse periurum: quoniã vt suo loco diximus, iusiurandũ non violat, qui illud in melius cõmutat *c. Peruenit. 2. de iureiur.* sed Hostien. addit, tutius esse consiliũ, vt is, qui iurauit, impleat quod iurauit, & iurãdo promisit: quod probat ex c. debitores, de iureiur. vbi, qui iurauit se vsuras soluturum, cogitur vsuras soluere, & *ex c. Commissum. de sponsi.* vbi iuueni, qui iurauerat se puellã in vxorem ducturum, datur cõsilium, vt prius puellam illã in matrimonium ducat, & postea, ad Religionem se conferat. At Siluester, hoc consilium Hostiensis merito improbat, vt nos *Superiori libro* confutauimus.

Quintò Quæritur, An qui æs alienum contraxit iure possit in Monasterium admitti? Duę sunt opiniones in speciem, sibi omninò contrariæ, quamuis meo quidem iudicio, reuera non sint. Nam S. Thomas 2.2. *q.189. art.6. ad 3.* docet ei sufficere, si suis bonis cedat, eo quod liberi hominis persona non sit creditori obligata, sed res eius, & bona. Vnde Monasterium creditori satisfacere debet ex his, quæ Monachus secum detulit, aut ex his, quæ post eius ingressum acquisiuit donatione, vel testamento, vt Innocentius, & Hostiensis docuerunt, quos citat Silu. *Religio.2.q.4.* Secunda opinio negat æris, & pecuniæ alienæ debitorem iure in Monasterium recipi, etiamsi suis cedat bonis; at Religionis, inquit, professio rata, & firma censetur. Siquidem Religionis professio cum iure naturali pugnare nõ debet: at iustitiæ legibus debitor est creditori obligatus, ergo eas violare non debet, vt Religionem profiteatur. Nec enim, teste Apostolo, sunt facienda mala, vt veniant bona. Deinde, præceptũ omittendũ non est propter opus consilij, sed Religionem suscipere, est opus consilij, alienum autem restituere est præceptum, Item, fas non est alienũ surripere, vt habeas, quo possis te ad Monasterium longinquum conferre: ergo nõ licet tibi alienum retinere, vt ad Monasterium te recipias. Præterea, nefas est seruis sine Domini consensu, & similiter viris matrimonij vinculo adstrictis, sine vxoris voluntate, & filijs sine facultate parentum grauiter indigentium Religionem profiteri. Hanc sententiam tuentur Mai. *4.d.38.q.17.* & Medi. *de reb. restitue. quæst. 3. in octaua causa.* & in supplemento Gabrielis *4. d. 38. q.1. art.3. dub.2.* dicitur, eam fuisse opinionem Gersonis, & totius Academiæ Parisiensis, cui etiã subscripsit Nauarrus *in Commen. 1. de regularib. nu.8.* eo argumento perductus, quod qui est ratiocinijs publicis alligatus, prius debet rationẽ reddere, quàm se ad Monasterium transferat, vt colligitur *ex c. legem, dist. 35. & c. 1. De obligatis ad ratiocinia, & ex Doctoribus ibidem; & ex l. Officiales, C. De Episcopis, & Clericis.* Deinde, quòd non omnis cessio bonorum liberat eum, qui cedit bonis suis, ab obligatione soluendi, sed solummodo ea, qua quis cedit suis bonis ex inopia, quæ solet accidere ob infelicem, & inopinatum rerum euentum.

In hac quæstione quidam affirmant, nihil esse quod cogat nos à S. Thomæ doctrina recedere, præsertim cum eam sectentur Summistæ, Ange. *Religiosus. nu.6.* Silu. *Religio.2.q.4.* Astens. *in sum. lib.6. tit.19.q.6.* Rosel. *Religio.2.nu.5.* Armil. *Religio.num.5.* Tabien. *Religio.nu.12.* & è Theologis Palu. *4.d.38.q. 4.art.3.conclus.3.* Cai. *2.2.q.189.ar.6. ad 3.* & ex Canonici iuris Doctoribus Innocentius Rainerius, Hostiensis, & alij, quos citant Angelus, & Siluester. Et ratio S. Thomæ, eandem sententiam concludit, quæ locum habet in eo, cui nulla spes est satisfaciendi creditori, intra paucos annos, si se ad Religionem non conferat: nõ in eo, qui intra aliquot annos debitum soluere potest, si in sæculo manserit. Nam si alienæ pecuniæ debitor soluendo non est, liberatur debito, si bonis, quæ habet, cedat, cum tantummodo res eius sint creditori obligatæ. Nec tamen extra Monasterium permanere debet, vt si fortè aliquando creditori satisfacere possit: tum quia fieri potest, vt sit voto adstrictus Religionem suscipiendi ad certum tempus: tum quia in probabile fortassis peccati periculum incurret, si extra Monasteriũ diutius demoretur. Postremò, quia firmo est de eo, qui spẽ non habet satisfaciendi creditoribus. Obijcies; cur igitur ab ijs, qui petunt in domicilium Religioforum cooptari, quæri solet, num ære alieno grauentur? Respondent aliqui id meritò quæri, Primò, vt maturè deliberetur, quid illis magis expediat. Deinde, ne facilè creditores negligi videantur. Mihi tamen, vt iam dixi, S. Thom. sententia non videtur generaliter accipienda, sed tantũ de eo debitore, qui cederet bonis, quę habet, & id præstat, ac reddit, quod potest, & tamen in totum nequit creditori satisfacere, nec vllam probabilem spem habet acquirendi aliquid, vnde possit integrum debitum soluere. Exemplum esto. Titius Caio debet quingentos aureos, soluit centum, quos habet, nec potest reliquos, nec vlla probabilis spes subest aliquid amplius in posterum habendi, tuta conscientia potest Religionem capessere, quoniam etiamsi extra religionem maneat, soluendo non erit, & impossibilium nulla est obligatio. Et *in l. Nam is, ff. de dolo malo*, dicitur: Is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam aduersarij actio est inanis. At verò si Titius solutis centum, quibus cedit, probabilem spem habet intra paucos annos aliquid comparandi, vnde in totum creditori satisfaciat, iure nequit ad Religionem transire, sed ingressum ad tempus differre debet: Et idem iuris est in eo, qui cum artem calleat; vel munere fungatur, vel industria, & ingenio valeat, ad paucos annos, ea possit sibi sibi comparare, quibus debita soluat. Et de his debitoribus, vt existimo, loquuntur Gerson, Medina, Maior, & Nauarrus, nec id S. Thomas negabit. Idem videtur dicendum de debitore, qui votum Religionis ad certum tempus persoluendũ susce-

pit, qui

pit,qui si ad paucos annos poterit creditori satisfacere in totum, differre debet ingressum : non enim licet alicui, voto se obligare cum damno creditoris, nec vinculum posterius antecedentẽ obligationem extinguit,aut tollit.

Quæstio item est, an debitor Religionem ingressus laborare cogatur, vt labore manuũ suarum aliquid acquirat,vnde debita contracta soluat.Fingamus nulla alia superesse bona, nec Monasterium velle ex suis bonis creditori satisfacere, quippe quod ex bonis Monachi comparauit. Duæ quoque sunt sententiæ sibi inuicem pugnãtes,atque contrariæ;quarum vna affirmat,eum ad laborandum in Monasterio adstringi, vt si artem callear,quam facilè exerceat: Imò si intra Monasterium nihil possit acquirere, extra illud verò facilè,& commodè queat,id quoque facere debere.Nauarrus tamen *in Commen.1. de regularib. num.8. & sequen.* solùm docet generatim intra Monasterium laborare eum oportere.Secunda opinio docet nequaquam esse cogendum laborare,postquã fuerit Religionẽ professus.Ita Paludanus, Astensis,Angelus,Rosella,Siluester, Armilla *locis in Superiori quæstione citatis*, quæ quibusdam probabilior videtur esse sententia. Nam cum Religionem professus cesserit suis bonis, restituendi præcepto,ac lege solutus est. Nec idem iuris est in seruo, vel homine nuptijs alligato, vel ratiocinijs adstricto.Nã persona serui est Domino obligata: Similiter vir corporis sui potestatem vxori tradidit:is etiam,qui in ratiocinia iurauit,suam personam alteri obstrinxit,& rationem reddere cõpellitur:& idcirco nullus horum iure Religionẽ suscipit.At verò debitor æris alieni sese quidem creditori deuinxit, sed ei satisfacere censetur, si suis bonis cedat.Cæterum existimo iuxta ea,quæ hactenus dixi,distingui oportere : aut enim quis in Religionem admissus est,cum extra eam industria,labore,vel arte valeret, qua posset debitum creditori in integrum soluere. Et hic debet etiam Religionem professus ita laborare vt creditori satisfaciat: quoniam prior obligatio extincta non est, & adhuc potest Monachus effectus debitum soluere. Ergo necesse est, vt soluat: & Abbas sibi imputet, qui talem debitorem admisit.Aut quis extra Religionem manens,soluendo nulla ratione est, & hic in Religionem ingressus nihil facere debet, vt creditori debitum soluat: non enim peioris conditionis est, eo quòd fuerit in Religionem receptus.

Sextò Quæritur, An coniux post matrimonium iure queat ad Religionem transire. Respondeo,ex Abbate,& Calderino *in cap.1.de conuers.coniug.* quos sequuntur Angel. *matrimonium. 4. num.11.* Rosel.*impedimentum.11.* Silu.*diuortium.q.17.* Tabien. *matrimonium.1.q.3.* Armil.*diuortium.num.11.* iure posse post matrimonium ratum, quod nondum est consummatum , & posse id facere inuita etiam vxore. *c.verum, & c.ex publico. de conuers. coniug.* Ité, potest coniux post diuortium legitima auctoritate iudicis factum, quia alter coniux adulterium commisit, se ad Religionem conferre etiam vxore contradicente, & etiamsi fuerit matrimonium consummatum.*cap. Agathosa.27.q.2.* Tertio ex mutuo consensu coniuges etiam consummato matrimonio possunt Religionem capessere, & profiteri. *ex cap.cum sis,cap.vxoratus, cap. ad Apostolicam, de coniug.* Quintò si vir post matrimonium consummatum Religionem profiteatur inuita vxore,vxor eum iure potest repetere, *cap. quidam, de conuers. coniug.* idem iuris est, si vir profiteatur religionem ignorante vxore, *cap. placet, de conuers. coniug.* idem quoque si profiteatur consentiente quidem vxore,sed per metum,vel dolum, *ex c.accedens,& cap. veniens,de conuer. coniug.* & in his casibus vir restitutus vxori repetenti, reddere debitum cõiugale compellitur,quia vxor petit,quod sibi iure debetur, petere verò ipse debitum iure non potest : quia potuit vir hoc suo iure cedere, & potuit ex hac parte castitatem vouere,idem iuris est, si vxor sciuit quidẽ ingressum viri in Religionem,sed nec consensit,nec repugnauit, solũ dissimulauit.*cap.consuluit de conuer.coniug.*

Si Quaeras, quid dicendum in hoc casu, si vxor dum vixit, virum non repetiuit, & mortua est, an vir in religione perseuerare cogatur. Respondent, Calderi. Abbas, Angel. Silu. Rosel. Tabien.Armil. *locis supra citatis* debere in Religione permanere:quia causa, quæ ingressum eius in Religionẽ impediebat, cessauit. Si dicas, professio Religionis inuita vxore , irrita fuit, ergo in Religione vir manere,non cogitur. Respondeo, professionem ratam fuisse, quia vxor eam reuocare potuit,dum vixit,videlicet potuit virum repetere,& quia professionem , non reuocauit,nec virum repetiuit, cum posset, eo ipso consensisse videtur,vt vir in Religione permaneret. Si iterũ roges,quid iuris sit,quando vxor sua sponte consensit,sed continentiæ votum non fecit, nec religionem ipsa suscepit. Duæ sunt opiniones; nam Abbas antiquus,& Inno.*in c.quidam de conuer. coniu.* sentiunt,si vxor in sæculo manẽs, iuuenis fuerit, ius habet virum repetendi: at Calderi. & Panor. censent solùm officio iudicis virum posse,& debere vxori restitui: quoniam eo ipso, quod vxor consensit sponte, suo iure cessit, & ideo amplius actionem non habet,aut ius repetendi virum: Iudex tamen officio suo potest, ac debet virũ restituere vxori,ne vxor,cum iuuenis sit,& in sæculo maneat,adulteria cõmittat. Hæc opinio est probabilior,quam sequuntur Angel. Rosel. Silu. & Tabien. *locis citatis.* Item,in hoc casu vir Religionem professus, vt ait Panormitanus, verè factus est Religiosus,quia consensu vxoris professionẽ emisit:& ideo vxore mortua ad Monasteriũ redire iure cõpellitur, nec potest aliam vxorem ducere,quòd si duxerit, matrimonium est irritum. Si Quaeras, quid dicendum, quando vxor consensit quidem , sed in sæculo mansit, & fecit continentiæ votum.Respondeo,si est senex,vtpote sexagenaria,iure potest in sæculo manere,quia nullum est incontinentiæ periculum. *c. cum sis. ca. vxoratus.c.ad Apostolicam.de conuer. coniug.* si iuuenis sit,aut de incontinentia suspecta, dubiæ quæstionis est,an cogatur religionem profiteri, an potius sufficiat votum continentiæ,quod fecit. Inno. sentit non cogi religionem profiteri, sed esse in Monasterio includendam, ne periculum incõtinentiæ incurrat : neq; enim vltra simplex incõtinentiæ votum cogitur quis religionem profiteri, *c.integritas.32.q.1.* Hostiensis censet,non esse in Monasterium detrudendam , quia cum ijs, quæ sunt

Religionem professæ, non bene conuenit ea, quæ professa non est; & ideo ait eam debere profiteri, quia, eo ipso, quod vouit continentiam, cogitur Religionem profiteri, ne si in sæculo maneat, sit periculo incontinentiæ obiecta. Calderinus distinguit, aut promisit, inquit, ingredi in Religionem, & debet Religionem profiteri. *c. Agathosa. 27. q. 2.* aut solum continentiam vouit, & tunc si est iuris conscia, cõpellitur Religionem profiteri. *c. qui vxorem. 33. q. 5.* quod si fuerit iuris ignara, nõ cogitur Religionem profiteri: idem ait Abbas. Præterea si roges, quid dicendum, quando vir inuita vxore Religionem est professus, & est restitutus vxori; an mortua vxore ad Religionẽ redire iure cogatur. Respondeo, cũ Abbate, & alijs, *in locis supra citatis præsertim in c. quidam, de conuers. coniug.* iure non cogi, quia professio vim, & locũ non habuit: aliam verò vxorem ducere nõ potest, quia saltẽ, vt potuit, se voto castitatis obstrinxit, at si matrimonium contrahat, valet, quia Religiosus factus non est, licet in contrahendo peccet, cum fuerit simplici voto castitatis deuinctus: vnde Abbati in hac parte non placet, quod dixit Antonius Butrius, videlicet matrimonium nõ valere, quia licet, inquit Antonius, votum solemne nõ fuit, at quia fuit votum certæ Religionis approbatæ, eo ipso pro solemni habetur: verius est id, quod dixi ex sententia Abbatis: nã professio inuita vxore non valet, vnde solenne votum nõ fuit, quoniam nec expressa, nec tacita professio in Religione approbata fuit. Postremò si roges, an propter adulterium occultum vxoris liceat viro eam dimittere, & se ad Religionem conferre. Respondeo, cum Glossa *in c. Agathosa. 27. q. 2. in verbo, fornicationis:* minimè, nisi diuortio facto per legitimam Iudicis Ecclesiastici sententiam: alioqui enim ius habet vxor petẽdi, vt vir ipsi restituatur, & cogetur vir ad vxorẽ redire, nisi statim testimonia legitima adulterij ab vxore patrati proferat. *c. literas, de restitu. spoliatorum.* Sed quid iuris si adulterium vxoris publicum fuerit? Respondeo etiam tunc expectandam esse iudicis sententiam, *c. Porrò, de diuortijs, & ibi Ioan. Andreas, Hostien. & Abbas,* quoniam dimittere vxorem ob adulterium illius est pœna, ac proinde infligi iure non potest nisi legitima Iudicis sententia. Obijcies id, quod habetur *in cap. significastis, de diuortijs,* vbi legitur, si notoriũ est mulierem adulteriũ commisisse, ad eam recipiendã vir cogi non debet. Respondeo, cum Archid. *in c. Agathosa. 27. q. 2.* in eo capite sermonẽ esse de vxore, quæ temere fuerat à viro dimissa, & ipsa postea publicè adulterium admiserat, & petebat, vt ei vir restitueretur, siquidem fuerat temerè reiecta. Quando igitur vxor dimissa à viro, & suo iure spoliata quamuis temerè, petit, vt vir ei restituatur, nõ auditur, nec ipsi vir restituitur, si postquam temerè à viro dimissa, publicum adulteriũ commisit. QVAERES, nunquid vxor adultera post diuortium factum legitima sententia Iudicis potest se ad Religionem conferre inuito viro? Respondet Glossa *in c. Agathosa. 27. q. 2.* posse, quia facto diuortio auctoritate Ecclesiæ vterque suo iure cessit, & probat argumento sumpto *ex c. quam periculosum. 7. q. 1.*

Septimò Quæritur, An qui sponsalia contraxit iure in Monasterium possit admitti. Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andreas, & Abbas videntur asserere id fieri iure non posse, & hoc ideo, quia censent sponsalia, ante contracta per ingressum in Monasterium, non dirimi, præsertim si fuerint iureiurando firmata. Sotus affirmat id iure fieri, & sponsalia per votum Castitatis simplex, aut vnius sponsi in Monasterium ingressum dissolui, ita vt eo ipso, alteri sponso liceat ad alias nuptias trãsire: & affirmat sponsalia dirimi etiã iuriiurandi vinculo confirmata. Et quamuis Cordubensis testetur, hanc Soti sententiam esse minus veram, & tutam; eam tamen ante Sotum tenuere Ricardus, Astẽsis, Angelus, & Maior: quam supra, & nos quoque secuti sumus ex parte. De hac tota controuersia *libro Superiori* tractaui.

Nec obstat, quod obijcit Cordubensis: sponsalia inquiens, eadem ratione soluerentur per votum quodlibet melioris boni, quale est votum orationis, contemplationis, ieiunij ad vitam duraturi: hæc enim vota, & similia, respondebit Sotus, non pugnare cum matrimonio, vt pugnat votum Castitatis. QVAERES, cur sit in more positum, vt qui petunt in Religionem ingressum, interrogentur, num fœminæ vlli promiserint se eam ducturos in vxorem? Respondeo, iure optimo de hoc interrogari, vt maturè expendatur, quid magis expediat.

Octauò Quæritur, An tuta conscientia filius, cuius parentes grauiter indigent, ad Monasticum institutum, & vitã se conferat? Respondet S. Thomas *2. 2. q. 189. artic. 6.* cuius sententia est communi consensu recepta, id tuta conscientia non fieri; quia iure naturali debent filij parentibus necessaria vitæ alimenta præstare: Nec huic iuri quicquam ingressus in Monasterium derogare potest. Idem iuris est in patre, si filium habeat graui egestate laborantem: debet enim prius filij indigentiæ commodè subuenire: nisi vterque talis sit, vt in Monasterium mereatur ingressum. RVRSVM QVAERES; an idem iuris sit, si fratres, aut sorores graui inopia premantur? Respondeo, non esse idem iuris in illis, quod est in parentibus, & filiis. Filij enim parentibus, & contra parentes filijs iure gentium, & naturali, alimenta, & vitæ subsidia debent, fratres verò fratribus non item. At verò de sororibus videndũ est, an puellæ sint, & quæ, si à fratre dimitterentur, in impudicitiæ crimen inciderẽt, aut in illius periculũ incurrerẽt, præsertim cum teneræ adhuc ætatis sunt: tunc enim charitas suadet, vti earum pudicitiæ consulatur. Quare aut fidæ alicui, & honestæ personæ committi, & cõmendari debent, aut in Monasterium ingressus ad tempus differendus videtur.

Nonò Quæritur, An Episcopus, aut alius Clericus in minori dignitate constitutus, An item presbyter curæ animarũ præfectus, An impuberes itẽ filij iure in Monasteria admittantur? Has quæstiones singulas *libro superiori* diluimus.

Caput II.

De Nouitiorum probatione.

PRimò Quæritur, quotuplex sit Religiosorum habitus, & quisnam sit Nouitiorũ proprius? Annotandum est, iure Canonico Religiosorum habi-

habitum dici vestimenti genus, quo vtuntur Religiosi, qui triplex esse solet, vt docet Glossa cõmuni consensu approbata *c.1.27.q.1. in verbo, apparuerunt.* Archid. Ioan. And. *in c. constitutionem. de regularib. in 6.* nimirum, Habitus probationis, Conuersionis, & Professionis. Explicemus horum singulos. Habitus probationis datur Nouitijs, *de quo in cap. ex transmissa, de renuncia. & cap. Statuimus, de regulari.* Habitu conuersionis vtuntur ij, qui dicuntur Conuersi, *de quo in cap. consuluit, qui Cleri. vel vouen. & in cap. super eo. de regulari.* Habitus Professionis est Professorum proprius, qui secundum iura antiqua dicebatur, Habitus Religionis: nam olim in Monasteria solebãt admitti Nouitij ad probationem, & toto probationis tempore pristino vulgari habitu vtebantur: ideo iure antiquo Canonico, susceptio habitus Monastici, intelligebatur professio Religionis, quia habitus Religionis nõ concedebatur nisi Professis. At verò tẽporis processu, more, & instituto Religiosorum introduci cœpit, vt Nouitij probationis tempore pristinã, ac vulgarem vestem deponerent, induti habitum Religionis in regula constitutum, ac ita cœpit habitus Religionis distingui in habitum Probationis, & Professionis: qui aliquando est omninò diuersus atque dissimilis, aliquando verò distinctus non est. Ex quo etiam factum est, vt locũ habeat quod in ipso iure Canonico dicitur: *Monachum non facit habitus, sed professio, c. porrectum. c. ex parte, de Regularib. c. consuluit. Qui clerici, vel vouentes:* nam iuxta priorem illum veterem morem quem dixi, Monachum faciebat habitus susceptio, quia non dabatur nisi professis. & hoc modo iura quædam conciliantur, *c. enim. Legem Dist. 53.* dicitur: *Si qui ex militaribus viris annumerari in Monasterijs festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi eorum vita subtiliter inquisita fuerit, & iuxta normã regularem in suo habitu per triennium probati. Tunc Monasticum habitum Deo auctore suscipiant.* Et *in c. Multos, Dist. 55.* dicitur: *si quis ex viris Ecclesiasticis, vel secularis militiæ seruitute ad Dei seruitium cõuerti desiderat, probabitur prius in laicali habitu constitutus. Si aũt, & in monachali habitu secundum Patrum regulas inculpate vixerit, post præfixa à sacris Canonibus tẽpora, ad quodlibet Ecclesiasticum officium promouebatur.* Rursus. *17.q.2.c.3. Si quis incognitus Monasterium ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus non præsetur.* Vnde *in c. Super eo, De Regularib.* habetur: *Super eo, quod quæsitum fuit de Clericis, qui Religionis habitum susceperunt, & ante professionem ad priorem statum sunt reuersi, Respondemus; Quod si austeritatem Religionis, ad quam migrasse noscuntur, seruare noluerint, ad mitiorem Religionem cogantur transire, ne contra votum, quod Domino fecerunt, venire probentur. Verùm si ante susceptum huiusmodi habitum in Probatione positi recedere voluerint, secundum Regulam B. Benedicti, non videntur prohibendi ad priorem statum redire, vt in eadem veste, in qua venium, reuertantur.* Hæc ibi.

Secundò Quæritur, An habitus Nouitiorũ ab habitu Professorũ debeat esse distinctus? Respondeo, cum Abb. *in c. Ex parte, de Regulari.* & Gloss. *in Clem. eos. De Regulari.* aliquando distingui, & hoc dupliciter: Aut enim differentia, & dissimilitudo manifestè patet, aut latet occultè: patet quando in vno ex tribus est dissimilitudo, nimirum, vel in Colore, vel Scissura, vel Forma, siue figura. *Clem. Eos qui. De Regularib.* Colore, vt si Professorũ habitus sit albus, Nouitiorum niger: Scissura, vt in familia Franciscana nomine Minorum dicta, cuius Nouitij tunicam deferunt sine capucio, vt loquitur Regula S. Francisci, Professi verò cũ capucio: Forma, vel figura, vt si Nouitij gestent breuiorem habitum, Professi longiorem, Aut si Nouitiorũ habitus in parte aliqua habeat Crucis signum, funiculum, aut pannũ alligatũ, aut appensum. Aliquando verò differentia habitus latet, aut quia Professorum habitus consecrari solet certis quibusdam precationum verbis, aut formulis, Tyronum non item. Aut quia habitus professis datur in Capitulo, vt dicitur, Religiosorũ, vel ante Altare maximum in templo, Nouitijs verò in alio loco: Aut quia Professis habitum dat Abbas, Nouitijs, alius, nimirum Prior, aut Vicarius, aut Præfectus siue Magister Nouitiorum. Aliquãdo verò habitus Nouitiorum minimè ab habitu Professorum distinguitur: & hoc duobus modis contingit, nimirum, Aut quia eodem habitu vtũtur Monachi, Conuersi, Oblati, & cæteri, tũ Clerici, tum Laici vna cum ipsis Monachis communem vitam agẽtes, quales esse solent Clerici, qui vocantur Monachorum Capellani, & Laici administri, siue famuli Monachis inseruientes: Aut quia saltem tyrones, & veterani, hoc est, Nouitij, & Professi, eundem habitum gestant.

Tertiò Quæritur, An solus habitus Religionis susceptus Monachum efficiat? quod est quærere, An per solùm habitum Religionis susceptũ, quis Professus, & Veteranus censeatur? Respõdeo; Canones, & iura in hoc sibi in speciem aduersari. Nam *cap. Porrectum, & c. Ex parte, De Regulari. & c. Consuluit, Qui Clerici, vel vouentes* apertè dicitur; *Habitus non facit Monachum, sed Regularis professio.* Contrarium tamen ex *c. Vidua, c. Super eo, De Regularib. & c. Quod interrogasti. Dist. 27.q.1. & c. Quem progenitores 20.q.1.* manifestè colligitur, nempè sola habitus susceptione Monachum fieri.

Glossa hosce Canones, & Iura cõciliat in hũc modũ; quod scilicet solus habitus susceptus sine professione Monastica expressa, vel tacita Monachum non faciat: at verò si ad mutationem, & susceptionem vestitus tacita iuris professio accedat, Monachũ facit iure antiquo. Vt si quis spontè indutus veste professorum susceptã legitimè, hoc est, data ab eo cuius auctoritate potest quis in Congregationem admitti, faciat opus Professis tantum consuetudine, vel iure conueniens, *c. Vidua, De Regularib.* Aut si quis spontè gestans habitũ Professorũ proprium ritè, & legitimè susceptũ, hoc est, datum auctoritate eius, qui ius habet admittendi, in eo triduum perseueret, *c. Ad nostram, De Regularib.* Aut si quis per annum integrum spõtè deferat habitum Nouitijs, & Professis commu nem, datum ab eo, qui potest in Monachorum, seu Religiosorum numerum recipere, *ca. ex parte, De Regularib.*

Quartò quæritur, quis possit ad Probationem tanquã Nouitius admitti? Respondeo, quẽlibet rationis capacem; dũmodo pubertatis annos excesserit, & expleto Monasticæ vitæ tyrocinio, sit aptus ad professionẽ emittendam: ante id enim tẽporis Nouitius esse nequit, quia experiri non potest, supperant nec ne sibi vires ad Monastici instituti onera perferenda. In masculis post decimum

quartum annum exactũ, & in fœminis post duodecimum, iure communi Canonico incipit ætas, in qua quis ad probationem admittitur, *cap. Si in qualibet, & c. Puella, 20. q. 2. & c. Ad nostram. c. Cum virum, c. Postulasti, c. Significatum, De Regularib. c. 1. & c. Nõ solum, de Regularib. in 6.* in quibus ætas ante eos annos dicitur esse impuberum, aut pueritia, aut minor, aut non adulta.

Quintò Quæritur, An furiosus ad probationẽ iure admittatur? Respondeo ex communi omniũ sententia, minimè, quia rationis compos non est, & proinde experiri, & explorare non potest Monasticam disciplinã. Eadem ratione furiosus nequit matrimonium contrahere, testamentũ condere, nec aliquid donare, etiã pietatis causa. Sed dubiæ quæstionis est, an si mẽtis compos effectus ratam expresè, vel tacitè professionem habeat, ratihabitio valeat, vt si non contradicat, Hostiẽsis *in cap. sicut tenor, de Regularib.* censuit, valere. Abbas verò *in eo capite* eius sententiam refutauit, & meritò. Tum quia *in c. 1. De Regularib. in sexto* apertè habetur; si puer ante exactos annos pubertatis, annum in probatione steterit, & postea ratum habeat, Monachum non fieri: & idem iuris videtur esse in furioso: Tum quia *in c. Sicut tenor, De Regularib.* dicitur, nihil valere habitum à furioso susceptum, nisi postquam suæ mentis factus est cõpos, spontanea voluntate professionẽ fecerit Monachalem, ita etiam docet Siluester *Religio. 5. q. 2.* Abbatem sequutus: sic quoq; Angelus, & Rosella, vt citat ibi Siluester.

Sextò quæritur, quanto tẽpore Nouitius probari debeat? Respondeo, iure cõmuni, esse vnum integrum annũ probationi destinatum, vt habetur *in cap. Ad Apostolicam De Regularib. & in c. Gonsaldus 17. quæst. 2.* vbi dicitur: *Regula sancti Benedicti, & Gregorij canonica institutio, præscribit, ne Monachus ante vnius anni probationem admittatur.* Annotandum est, in Regula B. Benedicti, c. 58. cõtineri: Nouiter veniens quis ad conuersionem, nõ ei facilis tribuatur ingressus; sed sicut ait Apostolus, probate spiritus, si ex Deo sunt. Ergo si veniens perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatẽ, ingressus post quatuor, aut quinq; dies visus fuerit patienter ferre, & in petitione sua persistere, concedatur ei ingressus, & sit in cella hospitum paucis diebus: postea sit in cella Nouitiorum, vbi meditetur, manducet, & dormiat. Prædicantur ei omnia dura, & aspera. Et si promiserit perseuerantiam, post duorum mensium circulum, legatur ei Regula per ordinem. Si adhuc steterit, reducatur ad supradictam Nouitiorũ cellam, & iterũ probetur in omni patientia, & post sex mẽses relegatur ei Regula. Et si habita secũ deliberatione promiserit se omnia seruaturum, tũc ad Congregationem admittatur. Hæc ferè B. Benedictus, S. Franciscus in Regula *cap. 2.* præscribit etiam vnũ integrum probationis annum. Vnde cum Monachorum ordines per Occidentẽ S. Benedicti Regulam professi fuerint, factum est, vt vsu, & more communi vnus sit probationis annus, quo Nouitiorum vita, & mores explorentur, tantequam in Religiosorum sodalitatem recipiantur. At verò Regula Pachomij, quam ab Angelo accepisse, ex Palladio, & alijs refert Nicepho. *lib. 9. histor. Eccles. cap. 14.* præscribebat triennium probationis. *Vt tribus,* inquit *prius annis, mutato paululum habitu, duriores perferant labores: atque ita tandem ritibus, & Regulis instituti, aliorum Congregationi inserantur.* Gregorius item *Epist. 23. lib. 8. vt habetur 19. quæst. 3. cap. Monasterio.* is, præcipit in hunc modum: *Monasterijs omnibus fraternitas vestra districtius interdicat, vt eos, quos ad conuersionem susceperint, priusquã biennium in conuersione cõpleuerint, nullo modo audeant tonsurare: sed hoc spatio vita, mores q; eorum sollicitè comprobẽtur, ne quis, aut non sit cõtentus eo, quod voluit, aut ratum non habeat, quod elegerit.* Et idem Gregorius, *vt refertur in c. Legem d. 53.* decernit: *Si qui ex militaribus viris annumerari in Monasterijs festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi vita eorum subtiliter inquisita fuerit, & per triennium probati.* Ex quibus clarè perspicitur, olim tempus probationis fuisse vnum annũ iuxta Benedicti Regulã; triennũ iuxta Regulã Pachomij acceptã ab Angelo: biennũ, & aliquando triennium iuxta Gregorij Canonica instituta. Vnde Glossa *in c. Monasterijs 19. q. 3. & in c. legem d. 53. & in c. Gonsaldus 17. q. 2.* deduxit Probationis tempus esse arbitrarium: quamuis more communi receptum esse vnum annum legamus. Nostra verò Societas biennium integrũ Nouitiorum probationi assignauit.

Septimò quæritur, vnde incipiat annus, & tempus probationis? Respondeo secundum commune ius incipere à tempore habitus Monastici suscepti post annos pubertatis expletos. *cap. Ad nostram, & cap. Significatum, De Regularib.* præterquam in Insulis, in quibus annus probationis computari debet ab anno decimooctauo. Sic enim habetur in cap. quia in Insulis, De Regularib. *Quia in Insulis,* inquit, *dura est Congregatio Monachorum, pueros in eorum Monasterijs ante decimum octauum annum suscipi prohibemus.* Quod decretum testatur Abbas locum non habere in Insulis maioribus, eiusmodi sunt Anglia, Sicilia, Cyprus, Creta, Sardinia, Corsica, sed in minoribus duntaxat, quãdo Insula est paruus locus mari cinctus. Ioannes Andreas, ait huiusmodi decretum in nulla Insula seruari; ita vt sit Consuetudine abrogatum. Petrus Anchara nus docet standum esse rationi Iuris, non autem ipsi Iuri. Et quoniam expressa ratio huius legis Pontificia dicit: *Quia in Insulis dura est congregatio Monachorum;* ideo, inquit, vbi talis fuerit, siue in Insulis, siue extra eas, annus probationis inchoari debet ab anno decimooctauo: vbi talis non fuerit, siue in Insulis, siue extra, incipit post exactũ quartumdecimum ætatis annum. Quidam tamen existimant prædictum decretum non intelligi de tempore probationis, sed professionis, ita vt sensus sit, In Insulis, vbi est seuerior, & durior vita Monastica, nemo ad professionẽ admittatur ante annum decimum octauũ completum, licet possit ante ad probationem recipi.

Octauò quæritur, An annus, aut tempus probationis debeat esse cõtinuum? Duę sunt opiniones, prima aliquorum aientium, sufficere intermissum, & interruptum tempus: vt si Nouitius ad sex menses in probatione steterit, & deinde ad tempus egressus, & postea rediens, intermissum tempus repetat ad alios sex mẽses, ita sentire videtur Glossa *in c. eum, qui, de regul. iuris, in 6.* nam videtur Iuri satisfeciſse, si quidem per annum quãuis non cohærentem, & continuatum in probatione perstiterit. Secunda opinio censet, ad pro-

bationem, annum continuum requiri: quam tuetur Ioannes Lignanus teste Siluestro *religio.5.q.4.* & quam veriorem putat Abbas *in cap. Ad Apostolicam, de regularib.* Et secundum ius cõmune, hæc est verissima, quoniam iura, quæ certũ tempus postulant, intelligi debent de tẽpore continuo, & Bartholus *in l. interdum, §. quoties, ff. de publi.* apertè docet seruum dici veteranum, qui anno continuo seruiuit, Nouitium verò, qui ad annum non continuatum seruiuit, & Ioan. Anc. *in c. 1. de elect. in 6.* ait, cum iura postulant annum, vel certum aliud tẽpus, intelligunt continuum. Deinde, integer annus Probationis præscribitur, vt Nouitius integrè dura, & aspera Religiosi instituti onera experiatur. Sed inter alia vnũ est, vt sine intermissione ea ad annum sustineat: sicut difficilius est, quadraginta dierum continua ieiunia perferre, quàm totidem interrupta. Quo fit, vt si Nouitius ad annum gestet habitum, & omnia Probationis onera perferat, sed extra Monasteriũ absq; Superioris consensu, nihil ad Probationẽ prosit, & valeat. Secus esset, si Superioris iussu, vel nutu extra Monasterium commoraretur. Quare in Concilio Trident. *sess. 25. c. 15. de Regularib.* decretum est, ne professio emittatur ante decimum sextum annũ expletum, nec qui minore tẽpore, quàm per annum post susceptum habitum in Probatione steterit, ad professionem admittatur.

Nonò Quæritur, An Nouitius debeat Religionis habitum, & vestem deferre, vt ad professionẽ iure admitti queat? quod est quærere, An habitus Probationis sit necessarius, vt Nouitius professionis sit capax. Abbas *in c. super eo. de Regularib.* sentit, ex vi Regulę, vel instituti Religionis, vel Iuris non requiri, sed sufficere, si Nouitius probetur, pristinum, & vulgarem vitæ prioris vestitum deferens: consuetudine tamen esse receptũ, vt probetur suscepto probationis habitu. Idem cũ Abbate sensere Antonius Butrius, & Glossa *in eo capite.* At verò Regula S. Francisci proprium Nouitiorum amictum in Probatione præscribit. Habitus igitur Religionis, ad probationẽ omninò requiritur: nam in vestitu Religionis deferendo est quædam vitæ austeritas, difficultas, ac labor, qui inter Probationis experimenta numeratur: opus est etiam, vt Nouitius gestet suæ Religionis vestẽ, non alterius. Hæc omnia Silu. *Religio. 5. quæst. 5.* ex Glossa, Abbate, Antonio, & alijs. Deinde opus est, vt deferat in Monasterio, non extra, hoc est, sub Abbatis imperio, & potestate constitutus: nam etiamsi extra Monasterium cõmoretur, dummodo tamen Abbatis iussu, vel consensu degat, censetur in Monasterio viuere. Hæc enim omnia ad Probationis experimenta pertinent.

Decimò quæritur, An Nouitij Regulæ, & instituti legibus teneantur? Respondent Angel. *Nouitius. q. 18.* Silu. *Religio. 5. q. 6.* Tabiẽ. *Nouitius. q. 13.* Armil. *Nouitius, num. 18.* non teneri: quia nondum sunt in Religiosorum contubernium, & sodalitium admissi. Sicut Catechumenus Ecclesiæ legibus non adstringitur, & tenetur, donec sit sacro baptismate renatus. Vterque tamen præcepta Ecclesiæ, vel Religionis seruat, tum vt comprobetur vita eius, & mores, tum vt assuescat: mitius tamen cũ Nouitijs agitur, ne ab incepto Religionis instituto recedãt, & ad pristinũ ante actę vitæ statũ reuertantur. Hæc illi, & non malè. Quibusdam tamen non omni ex parte eorum sententia probatur: putant enim, Nouitios quidẽ ratione voti, aut præcepti, quod Regula, & institutum Ordinis constituit, Religionis Statutis non teneri, quæ Professos tantummodo tenent: at verò Superioris præcepto ligari, & cogi posse, non quidem absolutè, & simpliciter, quoniam libẽrè queunt à Religione discedere: Sed si in probatione persistere velint, debent Superioris imperio parere: tum quia eorum probatio id postulat: tum etiam, quia dũ in probatione versantur, se Superiori subijciunt, & obligant, alioqui recedant, cum aliter probari commodè, & gubernari nequeant: nam eadem ratione Superioris iussu, & auctoritate puniri possunt. Sed dicendum existimo, absolutè, & simpliciter Nouitium statutis Religionis non alligari, vt Angelus, Siluester, & alij tradiderunt. At monendi sunt, vt ea seruent, vt suas vires exploreant, vt probentur, vt assuescant: alioqui eorum probatio satis idonea non erit, & veteranos offendent tyrones. Hinc pendet quoque alterius quæstionis solutio, an si Religionis more, vel statuto aliquo, certi generis delicta Superiori reseruentur, à quibus nullus alius possit pœnitentem absoluere, Nouitij eiusmodi consuetudine, vel statuto teneantur. Respondent quidam Superiorẽ posse præcipere, ne absque eius nutu, & quisquã Nouitios absoluat, ab eiusmodi delictis, quæ dũ in probatione versantur admiserint: quo præcepto Nouitij ligantur, non simpliciter, nam si recesserint ab incepto Religionis instituto, absolui citra Superioris assensum possent: sed ex hypothesi, si in probatione perseuerare voluerint, sic enim Superioris sunt potestati, & iurisdictioni subiecti: quibus Superior præcepta dare potest, vt eorum vitam, & mores commodiùs exploret. Mihi tamen videtur dicendum, Nouitium, hoc statuto non teneri, quia, vt dixi, Religionis statuta in vniuersum Nouitios nõ ligant, quoniam in Religionis ordinem nondũ admissi sunt. Si obijcias, Nouitius multis Religionis priuilegijs potitur, & gaudet, ergo etiam subijcitur pœnis: nam qui habet honorem, sentire etiam, & sustinere debet onus. Respondeo, quæ ad fauorẽ, & gratiã spectant, plenissimè interpretari oportere: quæ verò ad odium & pœnam, contrahere, & restringere.

Vndecimò Quæritur, An Nouitius delinquens iure puniatur per Præfectos Religionis? Et quæstio solum intelligitur, si Nouitius crimẽ admittat, cui capitalem pœnam iura, videlicet Canones, vel leges irrogarunt, vt si fuerit homicida, proditor patriæ, latro, adulter: nam certò cõuenit inter omnes, si tantùm cõtra Religiosam, vel Ecclesiasticam disciplinam peccauerit, à Religionis Præfecto puniendum. Ioannes Andreas *in cap. Beneficium de Regularib. in 6.* quæsiuit apud quem Iudicem Nouitius conueniri debeat, Ecclesiasticum, an Ciuilem. Nam quod coram Iudice Ciuili conueniri debeat, videtur inde concludi, quod nondum sit Religiosus effectus. Quòd verò à Iudice Ecclesiastico puniendus sit, ex eo deducitur, quod causa, & gratia Religionis in eũ Ciuilis Iudex inquirere, & animaduertere non debeat Archidiaconus, & idem Ioannes An-

dreas,Geminianus,Francus, & alij *in c. Beneficium, citato*,communi consensu tradunt eum conueniri debere apud Iudicem Ecclesiasticum,eo quòd fauore,& causa Religionis à ciuilis Magistratus potestate est exemptus, sed prædicti doctores, *eo capite*, solũ videntur loqui de causis Ecclesiasticis, non ciuilibus. Cæterùm cum nostris temporibus omnes Religiosorum ordines Romani Pontificis beneficio,ab Episcoporum, quibus iure communi subiecti olim erant,potestate eximantur; efficitur, vt Nouitius delinquens à Monasterij Præfecto puniri debeat: quoniam sicut fauore Religionis à ciuili Magistratu adducũtur Nouitij, sic etiam ab Episcoporum potestate, dum in probatione versantur. Nauar. *Commen. 2. num. 63.* disputat an Religionis Præfectus iure cõmuni cognoscat, & iudicet delicta Nouitij ciuilia, & criminalia: & concludit iure cõmuni tãtum cognoscere delicta,quæ Nouitius committit cõtra regulam, & cætera religionis statuta,& *consil. 58. de regularibus.* idem docet, & tandem ait probabile esse, posse Præfectum religionis cognoscere,& iudicare delicta Nouitij ciuilia,& criminalia, cuiusmodi est homicidium, perinde, ac si esset clericus, & professus. Et hoc est verius.

Duodecimò Quæritur, An Nouitius in aliquâ Monastici ordinis Præfecturam iure eligi,& promoueri queat? Respondeo, minimè, vt constat *ex c. Nullus, de elect. in 6.* vbi dicitur: *Nullus Religiosus ad Abbatiam, seu Prælaturam suæ, vel alterius Religionis de cætero eligatur, nisi antea fuerit ordinem Regularem expressè professus. Quòd si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur. Ad dignitatem verò Episcopalem, ad quam Nouitij eliguntur interdum, talem in secularibus, & in Regularibus Ecclesijs, Nouitiũ eligi minimè prohibemus.* Hæc ibi Pontifex. Vnde perspicitur, professionem tacitâ in hoc expressè non æquiparari: quoniam dicit, nisi antea fuerit expressè professus.

Decimotertiò quæritur, An Nouitius Ecclesiasticis ordinibus iure initietur? Respondeo iure esse cautum,ne Nouitius ad ordines ascendat,etiam ad primam tonsuram. Nam *19. quæst. 3. c. Monasterijs.* præcipit Gregorius, vt eos, quos ad conuertẽdum Monasteria susceperint,priusquam biennij in conuersione compleuerint,nullo modo audeant tonsurare. Hæc ibi.

Decimoquartò Quæritur, An Nouitius habeat ius,testamentum condendi? Respondet Nauar. *in c. non dicatis. 12. q. 1. nu. 30.* Archidiaconum,Innocẽtium,& Hostiensem secutus, ius habere testamẽtum faciendi;& proinde donandi,& negocia cõtrahendi: quia cum nondum sit Religionem professus,suorum bonorũm dominium habet; est enim adhuc suæ potestatis,& iuris, & hæc sententia est communi consensu recepta, vt constat ex Couar. *de testam. cap. 2. nu. 4. & 5. & colligitur ex cap. si qua mulier. 19. q. 3.* Obijcies id, quod habetur *in cap. quia ingredientibus. 19. q. 3. & in Authen. ingressi. C. de Sacrosan. Eccles.* vbi legimus, ingressis in Monasteriũ nullam amplius esse facultatem testãmentum condendi. Respondeo, ea iura loqui de ingressu in religionem,per quem Religiosus solemni ritu religionis institutum,& regulam profitetur, & fit verè,& propriè religiosus, non de ingressu in religionem,per quem Nouitius ad probationem admittitur. SI ROGES, an in Concil. Trident. *Sess. 25. in decreto de Regularib. c. 16.* adempta sit Nouitijs facultas testandi, quia est ibi statutum, vt nulla renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramento,vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ valeat,nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat,& reliqua. Respondeo cum Nauarr. *Com. 2. de Regularib. nu. 50.* eiusmodi decretum nihil noui constituisse de testamentis Nouitiorũ, sed de renũciationibus, vel alijs obligationibus: quoniam testamentum donec morte testatoris confirmetur,reuocari potest: secus est in alijs obligationibus.

Decimoquintò quæritur,an Nouitius testamẽtum facere queat absque solemnibus cæremonijs, & conditionibus,quas in ijs,qui testamentum condunt,ius ciuile requirit? Duæ sunt opiniones. Prima affirmat, quam tuetur Bartholus teste Nauarr. *in cap. non dicatis citato num. 84.* eo argumento permotus, quod militi cælestis militiæ videtur idem iuris beneficium cõcessum, quod militi armatæ militiæ, videtur idem iuris beneficium cõcessum, quod militi armatæ militiæ iuxta Glossam in l. Miles, ff. de sentent. & re iudica. Sed Religiosus est miles cælestis militiæ,ergo testari potest veluti miles armatæ militiæ, sine vlla iuris Ciuilis solemni formula, ita vt facere queat testamentum absque legitimo testium numero, & ante vigesimumquintum ætatis annum, & possit filium præterire, & exhæredare, & decedere ex parte testatus, & ex parte intestatus. Miles enim sine his liberam habet testandi facultatem,vt cõstat ex legibus *ff. de Militari testamento.* Sic etiã Abbas teste Nauarro.

Secunda opinio negat, quam habet Salicetus, & defendit Decius, ac magis probat. Nauarrus, qui *loco supra citato* eos citat, ac sequitur, eo quod facultas liberè testandi non excludit solemnes iuris conditiones, & cæremonias *l. 1. C. de Sacrosan. Eccles. & l. Si quando, C. de in offic. testam.* & quia Monachus non per omnia æquiparatur militi armatæ militiæ, & quoniam Nouitius nondum est Religiosus,ergo nondum est miles militiæ cælestis. Mihi magis probatur opinio Bartholi, tum quia Religioni fauet: tum quia qui confestim est miles cingendus,habetur pro milite, *l. Filius familias. ff. de Milita. testamen.* vnde ad eius testamentum sufficiet si in eo seruentur Canonici, non Ciuilis iuris conditiones.

Decimosextò Quæritur, An testamentum factum à Nouitio, & non relicta legitima portione, & iure institutionis Monasterio, quod habet ius succedendi in bonis Religiosorum, rumpatur per professionem sequentem, sicut rumpitur testamentum, si posthumus, qui natus est, præteritus fuit, & non institutus, vel exhæredatus. *l. Post humorum, ff. de iniusto, rupt. irrit. testam.* Hanc quæstionem tractat. Couarru. *de testamen. cap. 2. num. 4.* Sunt tres opiniones, prima docet in vniuersum rumpi etiam testamentum factum ab eo,qui nõdum est,vt Nouitius, in Religionem ingressus, sed post conditum testamentũ est ingressus. Cynus,Raphael,Fulgosus,& Federicus, quos citat Couarruuias: ratio est eorum,quia Monasterium succedit loco filij: ergo vel institui, vel exhæredari debet,alioqui si sit præteritũ, ius habet rumpendi testamentũ, vt posthumus præteritus.

Secunda

Secunda opinio tradit testamentum iure rumpi, si factum sit, vel à Nouitio, vel ab eo, qui antequâ faceret testamentum, cogitauerat seu decreuerat ingredi in Religionem. Barthol. Decius, Paulus, Baldus, Abbas, & alij quos refert Couarruuias *loco citato*. Tertia opinio negat generatim testamentum etiam à Nouitio factum rumpi iure posse, ita Couarru. *loco citato*, & Nauarr. *in cap. non dicatis. 12. q. 1. nu. 81. & 83.* & Iulius Clarus *lib. 4. recep. sentent. §. testamentum, q. 28.* hęc opinio est verior, quia Monasterium non habetur loco filij, nisi in casibus iure expressis, at hic casus in iure non exprimitur. SI QVAERAS, an Nouitius testari queat sine Superioris consensu. Respondeo, cum Couarruuias *loco citato* iure communi posse: quia est sui iuris, & potestatis.

Caput III.

Aliæ quæstiones de Nouitijs diluuntur.

PRimò quæritur, An Beneficium Ecclesiasticũ Nouitij vacet? Respondeo, Non vacare, *ex ca. Beneficium, De Regularib. in sexto*, vbi dicitur: *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est intra Probationis annum alicui conferendum, nisi ad id, ipsius accedat assensus.* Quæres, an è contrario possit Nouitio Beneficium conferri? Respondet Glossa *in eo capite*, minimè, id colligit, quia statu dubius non potest militiæ nomen dare, *l. qui statu, ff. de re militari, & l. qui de libertate ff. De liberali causa.* Et hoc, inquit, intelligitur de Beneficio sæculari, quoniam regulare ei potest conferri. At verò Geminianus, & Francus *ibidem* in vtroque Glossę aduersantur: aiunt enim Nouitio posse Beneficiũ sæculare cõferri, regulare verò non item. Primum ex eo concludũt, quod Nouitius adhuc sui iuris est, & propriũ habere potest: ergo est capax Beneficij, quod sibi collatum, ratum, & acceptum habere poterit suum assensum præstando. At verò Regularis Beneficij capax non est, cum id sit iure prohibitum, quod solis Professis conferendum decernit. *Clement. Quia Regulares, De supplen. neglig. Prælat. & Clem. Ne in agro, §. sanè Prioratus, De statu Monacho.* QVAERES deinde, Cum Nouitius Beneficium, vtpote Canonicatum, in Probatione retineat, an ius habeat eligendi? Respondeo, habere, quia inter fructus Beneficij computatur ius eligendi. Rogabis, an vocari debeat ad eligendum? Archidiaconus capite citato, respondet esse vocandum, si sit loco vicinus, nisi fuerit Religionis gratia legitimè impeditus. Potest tamen, inquit, procuratorem ad eligendum constituere. At Paulus, & Ioan. Andr. *in eodem capite* vtrumque negant, quia causa Religionis ritè, & legitimè abest. Secus verò esset de Patrono, & de eo, ad quem non iure Collegij, sed ratione personæ ius eligendi pertineret, is enim vocari deberet. Gemin. & Francus *ibid.* docent, siue vocatus, siue non vocatus ad eligendum accedat, ius habere eligendi. Ex quo etiam efficitur, vt si sit patronus, ius habeat nominandi, designãdi, & offerendi Clericum promouendum ad Beneficium, & in eo constituendum.

Secundò Quęritur, An Nouitius etiamsi prima Clericorum careat tonsura, gaudeat priuilegio Canonis: *Si quis suadente, 17. q. 4.* Respondeo, *ex c. Religioso, §. Quamuis, De sent. excomm. in 6.* eum gaudere, ita vt si quis in ipsum violentas, & sacrilegas manus intulerit, in excommunicationem incurrat. Quo fit, vt Nouitius causa, & gratia Religionis gaudeat, & priuilegio fori, cum corã Iudice Ciuili conueniri nequeat, & priuilegio Canonis. Obijcies, quod habetur *in l. qui de libertate, ff. de liberali causa*, vbi statu dubius quæ facit tantisper dum controuersia est, facit, vt seruus, non vt liber. Respondeo, Nouitium nequaquam esse statu dubiũ, qualis est is, de quo ambigitur, sit seruus, an liber, sed Religionis causa, vt proximè dixi, gaudet beneficio, & priuilegio Canonis. Nec refert vtrum Nouitius ad pristinum prioris vitæ statum iure possit redire, an secus; quoniam quamdiu in Probatione perfistit, in numero Ecclesiasticarũ personarum censetur, & habetur.

Tertiò Quæritur, quisnam succedat in bonis Nouitij ante Professionem mortui absq; testamẽto? Cynus *in Authen. Si qua mulier. C. de Sacrosan. Eccles.* & alij quidã Ciuilis, & Canonici iuris interpretes, quos refert Nauar. *in Commen. 2. de Regularib. nu. 49.* opinantur, omnia eius bona ad Monasterium pertinere quoniam mortuus in eo, videtur mortuus, vt Monachus. Abbas tamen cuius sententia communi Canonici iuris Doctorum cõsensu est recepta, verius respondet *in c. in præsentia, de probation.* ita distinguens: Aut in Monasterium ingressus sua bona in illud donatione transtulit, quam postea non reuocauit, & in eius bonis Monasterium succedit: Aut expressim Monasterio non contulit, & in eis succedunt necessarij ab intestato hæredes, ita etiam opinantur Decius *in c. in præsentia citato*, Iason *in Authen. prædicta. Si qua mulier.* Naua. *loco citato*, & Siluest. *Relig. 5. q. 12.* QVAERES, quid dicẽdum est, si ingressus in Monasteriũ, ei omnia bona sua absolutè donauit, & ante Professionem emissam ab incœpto deficiat, an ius habeat repetendi, & recuperandi, quæ donauerat? Abbas respondet, si expressim inter viuos donatio non fuit, in dubio iudicatur donatio causa mortis facta; ac proinde non secuta per Professionem tacitam, vel expressam ciuili morte, iure recuperat, quæ donauit. Si verò non omnia simpliciter donauit, sed quædam duntaxat, non videtur donasse causa mortis, sed simpliciter, & proinde nõ habet ius ea repetendi.

Quartò Quæritur, An Nouitius iure Canonico, Religiosorum numero, & nomine censeatur? Respondeo, non censeri, *ex c. Religioso, De sent. in excomm. in 6.* vbi habetur. *Quamuis is, qui Religionem ingreditur, Religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacitè, vel expressè professus, &c.* Ex quibus efficitur, vt in arbitrium, aut testamenti executorẽ iure eligi queat, quamuis ratione probationis, in qua se exercet, sit legitimè impeditus.

Quintò Quæritur, An Abbas habeat ius irrita faciẽdi vota, quæ Nouitius ante ingressum in Monasterium fecerat, aut quæ in Monasterio facit? Hanc quæstionem, supra dissoluimus *lib. 11. c. 21. q. 10.* Similiter *eodem libro* tractaui eã, qua quæritur, An si quis Deo promiserit Religionem arctioré, in mitiorem, & laxiorem iure admitti queat, & an penes Abbatem sit potestas Nouitiũ ab omni voto, & iureiurando, absoluendi.

Sextò quæritur, An Nouitius à Monasterio rece-

dens

dens, debeat soluere impensas, quas in eo alendo Monasterium fecit? Respondeo, cum Geminiano, & Franco *in c. non solum, de regularib. in 6.* non debere: quia Nouitij probatio, & est in rem Monasterij, & in bonum ipsiusmet Nouitij: quod si Monasterium, eum aluit, ipse quoque Monasterio inseruiuit. Nec obstat, si per morbum nihil laborauerit. Et *in c. super eo, De Regular.* dicitur, Nouitios non prohibendos secundum Regulam B. Benedicti, ad priorem vitæ statum redire, quæ videtur præcipere, vt in eadem veste, in qua veniunt, reuertantur. Hæc ibi.

Septimò Quæritur, An Nouitij probatio solũ intra Monasterium per annum integrum cõpleri debeat, an verò sufficiat, si partim in Monasterio, partim extra illud vestitu & habitu Religionis retento, & iussu Superiorum perficiat? Exemplum esto: Titius Nouitius ad Probationẽ admissus septem, aut octo menses post habitum Probationis susceptum in Monasterio peregit: postea iubente Superiore, & cum habitu Religionis extra Monasterium missus ad aliqua negocia gerenda, totum annũ Probationis expleuit, Quæritur, an sit legitima huiusmodi probatio? Respondeo, cum Nauarro *in consil. 52. de regulari. num. 3. & 4.* esse legitimam. Nam Titius per annum integrum vestem, & habitum Religionis detulit, legitimè susceptum, & per annum in probatione perstitit Superiorum potestati, & voluntati subiectus: nec iure aliquo statutum est, vt Nouitius totum Probationis tempus intra septa Monasterij cõpleat. Nutu enim, & iussu Abbatis potest Nouitius peregrinationẽ suscipere, in hospitali domo ad aliquot menses ægrotantibus, & indigentibus inseruire. Nouitius item, si morbo laboret, potest annum Probationis extra Monasteriũ consensu Superiorum cõplere. Accedit his, quod Abbas ait, *in c. ex rescripto, de iureiur.* Religiosus iussu, aut nutu Superiorũ extra Monasterij clausura degẽs, in Monasterio cõmorari, & residere censetur. Obijcies id, quod habetur *in c. 1. De regularib. in 6.* Quòd si per totum sequentem annum in Monasterio permanserit, & reliq. Respondeo, eum, qui consensu, vel iussu Superiorum extra Monasterium consistit, pro Religioso, aut Nouitio in Monasterio permanenti, siue commoranti haberi.

Octauò Quæritur, An natalium vitio notati, aut ære pressi alieno, aut criminum, & scelerum infamia affecti possint vt Nouitij ad probationẽ in Religionem recipi? Respondeo, iure communi hos ab ingressu, & aditu in Religionem, vt probentur, non prohiberi. At Sixtus V. anno 1587. Constitutionem edidit, quæ incipit: *Cum de omnibus Ecclesiasticis*, in qua tria præcipit, primum, *ne extra legitimum matrimoniũ nati ex incestu, vel Sacrilegio, quorum scilicet parentes consanguinitate, vel affinitate intra tertium gradum inuicem coniuncti fuerunt, vel quorum alteruter parens Deo castitatem vouerit, etiam Apostolica, vel Imperatoria, vel Regia auctoritate facti legitimi ad aliquam quorumcunque ordinũ Mendicantium, vel non Mẽdicantium Fratrum, Monachorum, Eremitarum, Canonicorum vel Clericorum Regularium, Congregationũ, aut Hospitalium, Religionem, neque ad habitum, neq; professionem Regularem recipi quoquo modo possint. Quod si eorum quispiam post huius Constitutionis promulgationem habitum receperit, vel postea professionem emiserit; Decernimus tam habitus susceptionem, quàm professionem irritam esse, & nullius momẽti, roboris, & obligationis: & eos habitu exui, & ab ipsa Religione eijci debere: & Superiores prædictorũ ordinum, qui ad habitum receperint, vel ad professionẽ admiserint, in excommunicationem incurrant, à qua præterquàm in mortis articulo absolui non possint, nisi à Romano Pontifice. Permittimus tamen, vt recipiantur ad habitũ Conuersorum, seu famulorum ad seruilia ministeria, ea cõditione, vt ad habitum Religiosorum, professionem, Ecclesiasticos ordines maiores, siue minores, ad Clericorũ tonsuram, & denique ad cuncta Ecclesiastica officia, sit illis semper aditus præclusus. Secundò præcipit, ne alij nati extra legitimũ coniugium, spurij, vel naturales, etiã legitimi facti, ad Religionem admittantur, nisi prius illorum vita, & mores diligenter cognoscantur, & nisi cæteræ circumstantiæ, ad Religiosorum instituta necessariæ considerentur, ita vt in eis appareat Religionis zelus, studiũ, pietas, integritas, doctrina, bona indoles, & specimen virtutis, quæ vitiũ natalium suppleãt, eorũ receptio vniuersæ Religioni cõmodo, & vtilitati futura esse videatur. Et sic recepti ad gradus, honores, & dignitates obtinendas, perpetuò inepti, & inhabiles existant, nisi speciali Apostolica auctoritate fuerit cũ eis dispensatũ. Quòd si quis aliter recipiatur, nulla sit professio, & habitu priuetur, è Religione eijciatur; & qui receperint similẽ, vt supradicti, excommunicationẽ cõtrahant. Tertiò præcipit, ne alieno ære pressi, vel ratiocinijs obligati, vel criminũ, & scelerum, cuiusmodi sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, vel grauiora, vel suspecti ad vllã Religionem recipiantur, si fuerint iuuenes, aut viri adulti, maiores sexdecim annis, nisi prius de eorum parẽtibus, patria, & anteacta vita, & moribus diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione cõpertum sit, eos neq; prædictorum criminũ reos, vel suspectos existere, nec propterea damnatos esse, nec damnandos fore, neq; ingenti ære alieno, vltra suarũ facultatum vires grauatos, vel reddendis rationibus ita obligatos, vt ex huiusmodi causa lis vel molestia ipsis iã illata, vel inferenda credatur: & nisi constet, ipsos nõ humana aliqua ratione, sed tantũ deuotionis, & pietatis studio vitã Religiosam sponte, & ex animo elegisse: itaq; nisi de his omnibus in Generali, vel Prouinciali Capitulo plena, & indubitata fide facta tam Superioris Generalis, seu Prouincialis, quam Definitorum approbati, ad habitũ Regularẽ nequaquam admittantur. Alioqui ad Religionem perpetuam inhabiles declaramus. Quod si aliqui contra hanc Constitutionem fecerint, in eis tam susceptionem habitus, quã professionem irritam esse decernimus: & eos habitu exui, & è Monasterio eijci debere. Quòd si non fiat, liceat quibuscunq; Iudicibus, & curijs etiam sæcularibus, ad quos contra eos procedendi ius spectat, vt prius iuris, & facti remedijs opportunis ex officio ciuiliter, & criminaliter procedere; & Superiores, qui eos contra hanc Constitutionem receperint, voce actiua, & passiua, necnon officijs gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuscunq; obtentis, eo ipso in perpetuum priuamus, & ad ea, vel alia quæcunque in posterũ obtinenda perpetuò inhabiles declaramus. Hæc ibi. Postea edidit aliam, quæ incipit, *Ad Romanum spectat*, in qua multa declarauit, quæ fuerant in priori cõstitutione dubia, & obscura. Primò, non extendi priorem Constitutionem ad illegitimè natos ex ijs parentibus, inter quos tẽpore, quo geniti sunt, matrimoniũ cõsistere poterat, si secuto postea matrimonio legitimi facti sunt. Secundò, eos, qui extra legitimum matrimonium nati ante editam priorem Constitutionẽ, & quauis auctoritate facti legitimi, ad gradus, honores, & dignitates promoti erãt, eis spoliari debere, nisi specialiter, cũ ipsis in defectu natalium à Romano Pontifice, vel ab alio eius speciali mandato dispensatũ esse constiterit. Tertiò

eos,

eos, qui sine tali dispensatione tempore editæ prioris constitutionis, officia, & dignitates ad vitam habebant, eo ipso ab illis amoueri debere. Qui verò ad tempus obtinebant, ea retinere posse, dummodo ordinarium tempus non protrahatur, nec ipsi ad maiores, vel inferiores gradus ascendere possint. Quæ verò appellatione dignitatum, honorum, & graduum intelligi quorumcunque Superiorum officia, non autem officia oneris, veluti Lectoris, Confessarij, studiorum, & sacræ Theologiæ Magistri, Regentis, Prædicatoris, & cætera huiusmodi, itaque ab ijs officijs, & similibus, imò etiam à voce activa, & à sacris ordinibus suscipiendis, ipsorumque ministerijs, ipsos illegitimos, dummodo ex sacrilegio, vel incestu geniti non sint, nequaquam arcemus. Sic ibi. At Gregorius XIIII. has Constitutiones abrogauit ex parte, alia edita, cuius initium est: *Circumspecta Romani*, vbi ait, *Dispensationes quascunque, aut legitimationes in defectu Natalium auctoritate Apostolica ad terminos iuris reducimus: & omnes dispensationes, & habilitationes vigore priuilegiorum, aut indultorum Apostolicorum cuiuis ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorúmue Superioribus in genere, vel in specie concessorum, quæ tempore Constitutionum Sixti V. vsu receptæ erant, & non sub alijs reuocationibus comprehensa, per quoscunque eorum Superiores facta in pristinum statum restituimus, ita vt sicut antea, valeant. Ita tamen vt quandocunque de illegitimis ad habitum, & professionem Ordinum quorumcunque agetur, ij ad quos recipiendi ius spectat, diligenter eorum vitã, & mores inquirant, & sic demum recipiant, vt bonam indolem præferant, & eis tot merita suffragentur, vt natalium defectum suppleant, & eorum receptio Religioni profutura esse videatur; & ij, ad quos pertinet ius recipiendi matura deliberatione ita iudicauerint, & dummodo illegitimus non admittatur in eam Religionem, in qua pater eius siue ante, siue post natiuitatem ipsius professus fuerit, & ad hoc sit superstes.* Hæc ille. SI ROGES, an prædictæ constitutiones locũ etiam habeant in recipiẽdis ad ordines Militares hominibus. Respondẽt quidam in illis locum non habere, siue Clericis, siue Militibus ad ordinem admittendis, quoniam etsi in vniuersum de Religiosis ad quemlibet Ordinem, & Religionem recipiendis loquũtur, at militares ordines, vt dicam inferius in odijs, & pœnis sub Religiosis ordinibus, non continentur.

Nonò Quæritur, An qui in excommunicationem incidit, eo quod violentas manus sacrilegè clerico intulit, iure possit in Religiosorum ordinem admitti, Rainerius, vt ait Siluest. *absolutio 5. dub. 9.* sensit admitti non debere, sed si recipiatur, ratus est eius in religionem ingressus, & rata habitus susceptio: sed quidquid sit hoc, quod dixit Rainerius certi iuris est, vt ait ibi Siluester Abbatem sequutus, & ingressum eius, & habitus susceptionem, & professionem Religionis locum habere, sicut firmum est matrimonium ab excommunicato contractum *cap. significasti, de eo, qui duxit in vxorem.* SI QVAERAS, an hic in Religionem receptus, à Superiore, siue Abbate absolui possit Ioan. Andreas, *in cap. cum illorum, de sentent. excomm.* & Geminianus, *in cap. religioso, de sentent. excõ. in sexto*, negant per Superiorem, ab eo vinculo excommunicationis absolui posse. Sed verius est, quod tradiderunt Innocentius, & Hostiensis, absolui eum posse. Sic Silu. *loco citato*, & Tabiẽsis, *absolutio. 3. num. 14.* Armilla *absolutio. num. 61.* SI ROGES, an si hic, dum Nouitius est, per Superiorẽ, ab eo vinculo excommunicationis absoluitur, in eandem excommunicationem relabatur, si antequam religionem profiteatur, ab instituto recedat, & sese ad seculum referat. Respondeo relabi, quare necesse est, vt à Romano Pontifice, vel ab alio ad id auctoritatem habente, absolutionẽ petat, & impetret: sic Angelus *excommunicatio 5. casu 1. num. 48.* Silu. Tabi. & Armil. *locis citatis*: quoniam absolutio per Superiorem facta tacitam habet conditionem, si is, qui in probatione Nouitius versatur, Religionem fuerit professus, alioqui in pristinum statum, & sententiam excommunicationis relabitur. SI QVAERAS itidem, an si quis postquam est Nouicius in Religionẽ admissus in eam excommunicationẽ incurrat, eo quòd sacrilegè clericum percusserit, & per Superiorẽ ab ea soluatur, iterum in eam incidat, à Religione ante professionem recedens. Quidam aiunt, eum quoque in eam relabi, quod colligunt *ex cap. eos de sent. excomm. in sexto*, & Angeli, Siluestri, Tabiẽsis, auctoritate confirmãt. Sed certè quamuis Angelus generatim loquatur, Siluester, & Tabiensis solum id dixisse videtur, de eo, qui antequam esset Nouitius, ad probationem receptus in eã excommunicationem incurrerat, & ab ea per Superiorem absolutus, vt paulò ante iam dixi. Et caput, *eos*, citatum videtur locum habere in eo, qui, ob impedimentum absoluitur, at Nouitius ratione priuilegiorum absoluitur: quare videnda sunt priuilegia, & iuxta ea absoluendum Nouitiũ esse iudicamus.

Caput IIII.

De Professione Religionis.

PRimò Quæritur, quot modis Professio Monastica siue Religionis iure fieri possit? Respondeo, duobus modis, expressè, vel tacitè: Expressè quidem, verbo, vel scripto. Vnde mutus ius habet professionem emittendi, si scripto, aut nutibus, vel signis consensum exprimere queat: quibus etiam modis potest contrahere, aut pacisci cum alio. Neque ius aliquod Canonicum, (quod sciam) verba ad professionem requirit: fieri tamẽ potest, vt vi instituti, vel Regulæ verba Professio postulet. Porrò Professio fieri debet, coram aliquo Superiore: hoc est, in manibus alicuius Præfecti cuius auctoritate Monachus in Religiosorũ Congregationem inseri, & admitti possit, nimirũ Abbatis, aut alterius, qui eius nomine, & nutu professionem acceptam habeat: alius enim nequit admittere.

Secundò Quæritur, quomodo Professio expressè emitti soleat? Respondeo, multis modis. Nam aliquando is, qui profitetur, promittit se seruaturum Regulam: aliquãdo obediturum Regulæ: quod intelligitur in ijs, quæ vt præcepta cõtinentur in Regula: aliquando dicit professionẽ se facere, & vouere perpetuã Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam, teste Dionysio Carthu. *in opus. de profes. monast. ar. 3. & 21.* aliquando sit sic: *Ego N. Monachus, siue frater promitto stabilitatem, & conuersionem morum meorum, perpetuã continentiã, carentiã proprij, & obedientiã secũdum regulã S. Aug.* Porrò formula secundum regulam S. Benedicti, hæc est, *Ego N. Monachus promitto stabilitatem, & conuersionem*

morum

morum meorum,& obedientiam: coră Deo, & Sanctis eius secundum regulam B. Benedicti in præsentia. N. Abbatis. Carthusienses profitentur sic, *Ego. N. Frater promitto stabilitatem, obedientiam, & conuersionem morum meorum*: in quibus professionibus intelligitur sub obedientia regulari paupertas, & Castitas, & licet non exprimantur, continentur in Regula. In ordine Prædicatorum, non exprimitur castitas, aut paupertas, sed Obedientia secundum regulâ S. Augustini, & constitutiones eiusdem ordinis, *dist. 1. c. 15.*

Tertiò Quæritur, quot modis fiat tacita Professio? Respondeo iure communi antiquo, tribus. Primùm quando quis habitu proprio Professorum suscepto legitimè, id est, auctoritate, eius, cuius est in Religiosorum Collegium admittere, facit eiusdem Superioris auctoritate opus aliquod iure, vel consuetudine solis Professis conueniés *c. Vidua, De Regulari.* Necesse est autem, vt scienter id opus efficiat, hoc est, sciens id operis esse Professorum proprium. Deinde, vt sponte, non vi, aut metu faciat. Sed dubiæ quæstionis est, an ad professionem huiusmodi tacitam requiratur tridui spatium, quod, vt dicemus, ad professionem tacitam secundo modo est necessarium. Ioan. Andr. *in c. ad nostram de regularib.* cuius sententiam sequũtur Angelus, *verbo Nouitius. num. 12.* Rosel. *Nouitius num. 14.* item alij multi putant id tridui spatium requiri argumento à simili permoti *ex c. Ad nostrã De Regulari.* Anton. Butr. *in c. citato. Vidua. &, ad nostram de regularib.* requiri negant, quia *in c. Vidua, de Regularib.* nulla fit huius tridui mentio. Et hoc magis Abbati *in eodem cap. Vidua. & c. ad nostram citatis* placet, vt etiam mihi. Nam vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus: sed *in c. Vidua*, nihil de hoc triduo dicitur. Sic etiam Siluest. *Relig. 3. q. 16.* & Nau. *Comment. 4. de regularib. n. 73.* QVAERES insuper, an saltem debeat esse Nouitius is, qui sponte se infert? Angelus, & Rosella negant id opus esse, quia *in c. Vidua*, non habetur, eam, quæ se intruserat, fuisse Nouitiam. Siluester cum Abbate distinguit: Aut se ingerit sine habitu Professorum proprio, aut cum eo. Si primum, requiritur, vt sit Nouitius, alioqui Clericus, qui non est Monachus, in Monachum professum euaderet, si se insereret. Si secundum minimè necesse est, vt sit Nouitius, quia in eo cap. verbum nullum de Nouitia. Mihi verò quatuor videntur necessaria ad huiusmodi tacitam professionem. Primùm, vt quis scienter, & sponte faciat opus professorum proprium. Secundùm, vt id faciat cum habitu professorum, vbi est manifestè distinctus, ritè suscepto, eius nimirum auctoritate, qui potest professionem acceptam habere. Tertium, vt habeat debitam, & legitimam ætatem, vt constat *ex c. constitutionem, de regulari. in 6.* & Quartum, vt opus illud professorum proprium faciat auctoritate Superioris, qui potest in religionem admittere. Hæc ex Abbate. Ang. Siluest. Rosella, *locis ante citatis*, & Nauar. *Commen. 4. de Regularib. nu. 73.*

Altero modo fit tacita Professio, cum quis sciens, ac volens defert habitum proprium Professorum, qui est manifestè distinctus in colore, scissura, vel forma, à vestitu, & habitu Nouitiorum, & in eo perseuerat per triduum, *c. ad nostram, de Regulari. & in cap. Constitutionem, De Regulari. in sexto.* Exigitur autem, vt gestet huiusmodi habitum susceptum nutu & auctoritate eius, cuius est ad Professionem admittere; & vt deferat in Monasterio, vel extra quidem, sed Abbatis iussu, vel nutu. Abb. *in c. ad nostrã, de Regularib.* Angel. Siluest. Rosel. *locis citatis.*

Tertiò modo fit tacita professio, cum quis defert habitum Nouitiorum, & Professorum communem, aut non distinctum manifestè in colore, scissura, vel figura, quamuis occulta distinctione differentem, per annum integrum: nam in exitu anni professus tacitè censetur, *cap. Ex parte, De Regulari. in 6. & Clement. eos qui, de Regularib.* opus quoque est, vt eum vestitum, & habitum gestet sciés, ac volens, & acceptum eius auctoritate, qui ad professionem recipit. Porrò sufficit ad professionem dictam, si vestitus non solùm Professis & Nouitijs communis sit, sed ijs etiam omnibus, qui vna cum eis communiter in Monasterio viuunt, quamuis Monachi non sint. Annotandum tamen est, quod rectè Nauarrus *in Comment. 4. de Regularib. num. 74.* contra Abbatem annotauit, esse differentiam in iure Canonico, quod attinet ad professionem. Nam *in c. Is qui, De Regulari. in 6.* Si impuberes in Monasterio ingrediantur, etiamsi totum sequentem annum habitum Professorum, & Nouitiorum, & aliorum in eo viuentium cõmunem gestent, Professi non censentur: qui verò post pubertatem eiusmodi habitum, per annum integrum detulerint, ij in Professorum numero habentur. At verò iure Clementinæ, eos, qui, de Regularibus, absolutè decernitur, eos, qui rationis compotes Nouitiorum habitum in Monasterio per annum gestauerint, hoc ipso, eã Religionem tacitè profiteri. Nisi huiusmodi, inquit, habitus in colore, scissura, vel forma manifestè distinctus ostendatur ab habitu Professorum. Ex quo fit, vt si quis deferat habitum Nouitiorum, vbi ab habitu Professorum manifestè distinctus est in colore, scissura, vel forma, Professus minimè fiat, etiamsi gestet illum per viginti, & eo plures annos.

Quartò Quæritur, An sit aliud genus tacitæ professionis? Innocentius, Hostiens. Goffredus, & Ioannes Andreas *in c. ad nostram, de regularib. & c. consulti, eo. tit.* videntur ponere quartum genus, nimirum cum quis Nouitiorum habitum suscipit animo mutandi vitæ rationem absolutè, & simpliciter, hoc est, voluntate Religionem profitẽdi, & in ea perpetuò permanendi. Id probant *ex c. Super eo, & c. Consulti. c. statuimus, De Regularib. & c. Beneficium, cap. Non solum, De Regularib. in 6.* quibus omnibus in locis decernitur, Si quis susceperit habitum Nouitiorum, eum intra annum Probationis posse liberè recedere, nisi illum susceperit animo rationem vitæ simpliciter mutandi. Cuius voluntatis, inquit, Glossa, indicia sunt, si Beneficium, quod habet, deposuerit; si se suis omnibus bonis abdicauerit. Sed verius est, quod Cardinalis, quem citat Silu. *religio. 3. q. 19. versic. 4. inducitur*, & Abbas *in c. consulti. de regulari.* & his posteriores, Angelus, & Siluester, & Rosella, *locis supra citatis* tradiderunt, non esse quartum huiusmodi genus tacitæ Professionis. Nec enim cum quis Nouitiorum vestem, & habitum suscipit, animo, & voluntate profitendi Monasticum institutum, aut in eo

perse-

perseuerandi,eo ipso,Professus censetur. Nam *in cap. Non solùm,De Regulari. in 6.* postquã dixerat Pontifex,*Nisi professus sit tacitè,vel expressè*, subiecit hæc verba: *aut euidenter constet illum vitam voluisse mutare.* ergo manifestè distinguitur hic,ab eo,qui expressè,vel tacitè profitetur. Et *in c. ex transmissa,De Renũcias.* Clericus quidam, qui Beneficio depositò vestitum Monasticum susceperat,& deindè mutato animi proposito,ad pristinum vitæ statum redierat,& Beneficium repetebat,non compellitur ad Monasterium reuerti,licet ei Beneficium, quo se abdicauerat denegetur. Ea verò iuris capita supra citata nihil huic sententiæ obstant: ex illis enim tantummodo colligitur, eum, qui Nouitiorum habitum susciput animo, & voluntate simpliciter mutandi vitę rationem,hoc est,voluntate profitendi, & in vita Monastica perseuerandi, simplici voto Religionis obstringi, nec posse iure ad priorem vitæ statũ redire, propterea, quod non solùm promisit se in Monasterium ingressurum, vt experiretur, expediretne sibi vita Monastica, sed etiam vouit se professionẽ emissurum, & perseueraturum in ea.

Ex his constare facilè potest solutio illius quæstionis,qua quæri solet,An is,qui amictum,& habitum Nouitiorum susciput animo,& voluntate, ac voto mutandi simpliciter vitæ institutum, & Monasticum profitendi,in eoque perseuerandi,si se matrimonio cõiungat, eo deuinctus teneatur. Item, an sibi aliquid tãquam proprium possit acquirere. Nam (vt Abbas insinuat) Innocentius, Hostiensis,Goffredus,& Ioannes Andreas,*locis citatis* senserunt,nec matrimonium contractum vllius esse momenti, nec eum rei cuiuspiam dominium,& proprietatem acquirere. Putarunt enim illi,hominẽ huiusmodi esse verè, & propriè Monachum tacitè professum,& proinde ineptum,& inhabilem ad contrahendum coniugium, & ad rei dominium, & proprietatem acquirendam,*ex cap. 1. De voto, & voti redempt. in 6.* Vbi sancitum est, voto solemni facto,per professionem approbatæ Religionis expressam,vel tacitam,non solùm impediri matrimonium contrahendum, sed etiam contractum dirimi. Cæterùm verior est sententia Cardinalis,quam Abbas approbat,& sequuntur Angelus,Rosella,& Syluester *locis citatis*,talem hominem,non esse Monachum tacitè professum, quoniam professio,sine consensu Abbatis,aut alterius ab eo delegati consistere nõ potest: sed Abbas,cum tradidit huic habitum Nouitiorum,non eo animo tradidit, vt eum ad professionem admitteret, sed vt eius vitam, & mores exploraret. Ex quo etiam fit,vt ratum sit,& firmum matrimonium post huiusmodi habitus susceptionem contractum,tametsi is,qui contrahit, peccet. Similiter cum, per talem habitus susceptionẽ simplex tantùm paupertatis votum faciat is, qui susciput habitum,potest sibi iure communi tanquam proprium aliquid acquirere.

Quintò quæritur,Quo modo professio expressa,vel tacita profitentem obliget Religioni? Respondeo, esse distinguendum: nam Professio tacita ante annum Probationis expletum facta,per habitum Professorum susceptum in ætate legitima,& triduo scienter,& spontè delatum, profitentem obligat generaliter Religioni, nõ tamen illi,cuius est habit⁹ susceptus: & hoc,vt ait Glossa,locum habet,tum in Mendicãtium, tum etiam in ijs ordinibus, qui non sunt ex numero Mendicantium. Nam *in cap. Constitutionem,De Regularib. in 6.* apertè dicitur: *Tacitè verò facta professio intra Probationis annum per susceptionem habitus,qui Professionibus tantùm datur,non illi specialiter,cuius habitus est susceptus,sed generaliter Religioni alicui recipientem habitum obligat, si sit ætatis idoneæ; si sciens, & voluntarius triduo perseueret.* Hæc ibi. Annotãdum est,Monasterium,in quo quis huiusmodi professionem tacite fecit, obligari ad eum retinendum, quamuis ille non sit ei cœnobio obligatus,sed Religioni in vniuersum: sibi enim imputet Monachorum cõuentus, quòd illum tacitè profiteri permittit. Expressim verò emissa professio in Ordinibus Mendicantium intra annum Probationis minimè profitentem obligat ei Religioni,quam profitetur,vt constat *in c. Non solùm, De Regularib. in 6.* vbi Pontifex scribens fratribus Familiæ Prædicatoriæ,& Franciscanæ, ait: *Quòd si fortè contra hanc nostram prohibitionem,quemquam recipere præsumpseritis,decernimus, eum,qui taliter receptus fuerit,nullatenus vestro esse ordini alligatum.* Sic ibi,& hoc Decretum *in cap. sequenti,constitutionem,de Regularib. in 6.* trahitur ad omnes ordines Mendicantium, quales sunt Augustinianorum, & Carmelitarum. Professio verò expressum facta ante annum Probationis exactum in Ordinibus, qui Mendicantes non sunt,profitentem obligat ei ordini,& Religioni,quã profitetur, vt docet Glossa, & alij *in cap. Ad Apostolicam,De Regularib. in 6.* vbi dicitur: *In alijs Religionibus (nimirum quæ mendicantes nõ sunt) professio expressè, vel tacitè fieri iure potest intra annum: sed expressè emissa, etiam seculari habitu non mutato, illi Religioni præcisè obligat, quam Professus est professus.* Hæc ibi.

Notandum autem est,si quis expressim iure antiquo profitetur Religionẽ Mendicantium intra Probationis annum,& Professionem emittit animo,& voluntate ei se obligandi,eam irritam esse,& inanem,etiam iure communi, & ideo liberum ei esse ad sæcularem pristinum vitæ statum reuerti,si velit,quoniam nulli Religioni obligatur,vt ait Geminianus *ex communi Doctorum sententia, in c. constitutionem,de regularib. in 6.* Ang. *professio. nu. 3.* Sylu. *religio. 3. q. 5.* Nauar. *Commen. 2. de Regularib. nu. 5.* Si verò professionem faciat,in animo habens se obligare Religioni generatim,obligatur verè Religioni in vniuersum,vt ait idẽ Geminianus. Sed dubiæ quæstionis est,an hic,qui religioni generatim obligatur,fit verè,& propriè Religiosus,hoc est,fit professus Religionem, ita vt si matrimoniũ contrahat,irritum sit matrimonium: item si aliquid acquirat, non sibi, sed religioni generatim acceptæ acquirat. Geminianus, vt citat Angelus, & Rosella,& refert Syluester, immo communis ferè,teste eodem Syluestro,sententia iuris Canonici Doctorum,putant esse verè, & propriè religiosum, inhabilem ad coniugium contrahẽdum, & ad aliquid sibi acquirendum. Sed verius est, quod idem Angelus,& Syluester,& Nauarrus,*locis citatis*, docuerunt Lapum, & Calderinum sequuti *in consil. 26. de regularibus*, non esse verè, & propriè Religiosum professum: nam nulla religio ei obligatur: at in professione est mutua, & reciproca obligatio, qua Religiosus obligatur

Religioni, & Religio ipsi Religioso: nihilominus tamen hic obligatur generatim Religioni, vt voto simplici de ingressu in Religionem obstrictus, & proinde si coniugium contrahat, peccat, sed matrimonium valet. Item, sibi, non Religioni acquirit. Angel. Sylvest. Nauar. *locis citatis.*

Sextò quæritur, An per Concilium Tridentinum *sess. 25. De Regularibus cap. 25.* sublatæ sint tacitæ professiones? Respondeo cum Nauar. *tom. 1. Consil. De Regular. Consil. 35. nu. 5.* aliquas tantùm, nõ omnes esse abrogatas. Nam Cõcilium decernit, *ne in quacunq; Religione tam virorum, quàm mulierum professio fiat ante decimum sextum annum expletũ; nec qui minori tempore, quàm per annum in Probatione steterit post susceptum habitum, ad professionem admittatur, & professio antea facta sit nulla.* Ex quibus verbis colligitur, esse sublatam tacitam professionem, de qua *in cap. Vidua, De Regularibus*, quæ inducebatur, cum quis habitu Religionis suscepto, scienter, & vltro opus Professorum proprium faciebat. Nunc verò non sufficit, nisi integrum annum Probationis post susceptum habitum Religionis expleuerit. Item, submota est etiam ea tacita professio, quæ inducebatur ex hoc, quod quis sciens, ac volens per triduum deferebat habitũ Professis conuenientem, vbi est manifestè distinctus. At verò post Concilium Tridentinum talis professio cessat, cum integer annus Probationis requiratur. Tertium verò genus tacitæ professionis, quæ fit, cum quis per annum integrum gestat habitũ Nouitiorum, & Professorum communem, aut non distinctum manifestè, quamuis differentem occultè, nequaquam est à Concilio Tridentino sublatum, quoniam id etiam post idem Concilium potest contingere, nimirum elapso anno Probationis, & expleto ætatis anno decimo sexto.

Septimò quæritur, Quid iudicandum sit de eo, qui ante annum Probationis exactum Professionem emittit; deinde verò per multos annos vitam Monasticam agit tanquam Professus, cum tamen emissa professio rata, & firma nõ fuerit. Respondeo, Aut professionem post elapsum Probationis annum redintegrat, ac repetit, aut non: si primum, eo ipso, fit Monachus professus: si secundũ, nequaquam. Quæres, an sufficiat, si professionem emissam ratam, & acceptam habeat. Respondeo, id sufficere. Sed est annotandum, id locum habere, quãdo sciens professionem emissam nullius momenti fuisse, postea ratam habet, & acceptam, quia vult postea, vt sit efficax, & firma, vt docet Nauar. *in Manual. c. 12. nu. 71. & tom. 1. Consil. de Regularib. Consil. 25. num. 7.* ex Caiet. *2. 2. q. 189. artic. 5.* Quare non censetur eam confirmare, quando ratus eam locum, & vim habuisse, approbat, & confirmat, quod fecerat: nam tunc nihil facit, sicut nec ante fecerat, quoniam per ignorantiam pristinum factum cõfirmat. Dubitabis, an sufficiat, si tanquam Professus à cæteris Professis, etiam à Religionis Præfecto habeatur, si Professorum opera faciat, vt si ferat suffragium in conuentu, in confessu, in comitijs, si Abbatis iussu sacris ordinibus initietur. Respõdeo cum eodem Nauarro nihil horum sufficere, quoniam scienter non fiunt. Nam Monasterium, & Abbas eum tanquam Professum admittunt, rati bona fide Professionem vtilem, & firmam fuisse: oporteret autem, vt Abbas eũ denuo sciẽter tanquã Professum reciperet. QVARES, an ad Professionem repetẽdæ sint cæremoniæ solemnes ex Regulæ præscripto, aut consuetudine fieri solitæ? Ac videntur quidem ex vno capite eas esse repetendas, eo quòd cũ nulla professio fuerit, ipsæ quoque cæremoniæ irritæ fuerunt, & inanes. Ex altero vero capite, eæ non videntur iterãdæ, quia sufficit, si id repetatur, quod initio non subsistit, nimirum professio. Respondeo, satis esse, si suum denuo consensum accommodet, & præstet Monachus, quo professionem renouet, & Abbas, aut alius nomine, & auctoritate ipsius eum scienter admittat.

Octauò quæritur, quotus ætatis annus sit iure communi necessarius ad professionem emittendam? Respondeo, iure communi antiquo necessarium fuisse in masculis annũ decimum quartum expletum: & in fœminis, completum annũ duodecimum, *cap. 1. De Regularib. in 6. & cap. 1. 20. quæst. 1.* Porrò in Mendicantium ordinibus nemo iure ad Professionẽ admittitur, nisi exacto decimoquarto anno, & vno integro Probationis. *cap. Constitutionem, de Regular. in 6.* vbi post hoc decretũ subiungitur: *In alijs autem Religionibus professio expressè, vel tacitè fieri potest licite intra annum, nimirum Probationis.* At verò iure nouo Concilij Tridentini *sess. 25. De Regularib. cap. 15.* decernitur, *vt in quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in Probatione steterit, ad Professionẽ admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad vllius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus.* Hæc Concilium.

Nonò quæritur, An Professio locum, & vim habeat ante legitimam ætatem, & tempus iure constitutum? Animaduertendum est ad Professionem, quod attinet ad tempus, duo requiri, & ætatem legitimam, & annum integrum Probationis. Aetas necessaria est pubertatis, ante quam ætatẽ exactam, si professio fiat, nulla est iure communi, & antiquo *c. significatum, & cap. Ad nostram, De Regulari.* Masculi enim ante decimum quartum annum elapsum, adhuc impuberes dicuntur, & ad professionem inepti, & inhabiles: fœminæ verò ante duodecimum annum completum: & in hoc malitia non supplet ætatem, quam tamen supplet in matrimonio, & *in cap. Quia in Insulis, De Regularib.* excipiũtur Religiones Insularum, in quibus quia (vt iura loquuntur) durior, & asperior est Monachorum vita, & obseruatio, requiritur ad professionem decem, & octo anni, vt antè notauimus. De anno verò Probationis iure communi ante Concilium Tridentinum constitutum erat *in cap. Non solùm. De Regularibus in 6.* Ne in ordinibus Prædicatoriæ, & Franciscanæ familiæ, quis ad professionem admitteretur ante annum Probationis exactum: *& in cap. Constitutionem, De Regulari. in 6.* decretum extenditur ad alios Mendicantium Ordines, qui sunt Augustiniani, & Carmelitani instituti. Et deinde subiungitur: *In alijs autem Religionibus professio expressa, vel tacita fieri potest licitè intra annum:* quamuis *in cap. Ad Apostolicam, De Regularib.* sancitum fuerit, *Ne Abbates passim, & inconsideratè, ante tempus Probationis quoslibet ad professionem reciperent: Et si contra formam præscriptam quoslibet incon-*

sulte ad-

sultè admiserit, animaduersione debita eos corrigendos. Ex quibus colligitur, iure communi, ante Cõcilium Tridentinum, Professionem factam ante annum Probationis integrum, ratam quidem fuisse in aliis ordinibus, præterquam Mendicantium, ac potuisse fieri non passim, & temere, sed aliquando iustis de causis: In ordinibus verò Mendicantium iure fieri non potuisse. Verùm quæret aliquis, an si ea fieret, vllius esset momenti. Hostiensis negat, Abbas verò affirmat. Similiter etiamsi in Insulis ante decem, & octo annos emitteretur professio, Hostiensis eam negaret vtilem, & ratam futuram; sed Abbas affirmaret quidem locum, & vim habituram, sed mala fide contra ius esse factam. Cæterùm post Concilium Tridentinum professio in nulla Religione fieri potest ante decimumsextum annum expletum, nec ante integrum Probationis annum, post habitum susceptum: & si antea fiat, irrita est, & inanis. Non tamen prohibet Concilium, ne quis Religionis habitum suscipiat ante sedecim annos completos, neq; decernit, ne Probationis annus ante eos exactos impleatur. Quare hodie etiam annus Probationis, integer expleri potest ante decimũ sextum completũ, & vi illius Probationis admitti professio expleto decimosexto: quod etiam Nauarrus annotauit. *Cons. 30. de regularib. nu. 1.*

Decimò quæritur, An Professio per vim, aut metum cadentem in virum constantem emissa sit rata, & firma? Respondeo ex cõmuni omniũ sententia non esse: quoniã ipso iure Canonico fit irrita, & inanis. *c. perlatũ de ijs, quæ vi metusue causa fiũt,* vbi votum per metũ susceptum, vt irritum habetur. Verùm dubiæ quæstionis est, an Monachus per vim, vel iustum metum Religionem professus, & in ea aliquot annos perseuerãs, ius habeat reclamandi, præsertim si Abbatis auctoritate fuerit ad sacros ordines prouectus. De qua quæstione, aliud est secundum ius commune dicendum, aliud secundum ius nouum à Concilio Tridentino sancitum. Primùm igitur, quamdiu durat vis, aut iustus metus, hoc est, qui cadit in virum constantem, Monachus reclamare iure potest, vt constat, *ex ca. 1. De his, quæ vi metusue causa fiunt.* Deindè, cessante vi, & iusto metu sublato statim liberum est Monacho reclamare; Statim autem intelligitur id facere, si intra tempus arbitrio Iudicis definiendum id fecerit. Nam vt Hostiensis, & Abbas *capite citato,* testantur, cum tempus ad aliquid faciendum non est lege præscriptum, auctoritate, & arbitrio Iudicis definitur. *l. qui pro tribunali. ff. de sententijs & re iudicata, & c. de causis, de offic. Iudic. deleg.* Cessante verò vi, & metu remoto, & tempore arbitrio Iudicis legitimè transacto, Monachus reclamandi iure priuatur, quoniam eo tempore professionem ratam, & acceptam habere censetur. Hoc tamen locum habet, si pariter etiam sublata sint omnia reclamãdi impedimenta: nam tametsi vis, & metus iam esse desierint, Monachus tamẽ si ad multos annos impediatur, quo minus reclamet, ius semper habet reclamandi.

Postremò cum iure communi nullũ esset tempus decretum, Concilium Tridentinum definiuit quinquennium. Sic *Sess. 25. de Regularibus cap. 19.* loquitur: *Quicunq; Regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis: & tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quòd si antea habitum sponte dimiserit; nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur. Interim verò nullo suæ Religionis priuilegio iuuetur.* Hactenus Concilium. Obseruandum est, huiusmodi decretum locũ habere, tum in his, qui tacitè professi sunt, tum etiam in his, qui professionem expressim emiserunt. Concilium etenim in vniuersum de professione loquitur. SIROGES à quonam tempore computari incipiat quinquenniũ, & quis sit ille dies professionis, à quo quinquennium inchoatur? Respondeo, quod ad professionem expressim attinet, dies, à quo incipit quinquennium, est ille in quo facta est professio: in tacita verò professione est dies ille, in quo Monachus tacitè est professus per habitum Nouitiorũ, & Professorum communem, & solùm occultè distinctum, sciẽter, & sponte susceptum, & per annum integrum vltrò delatum. Cæterùm si vis, vel iustus metus, vel reclamandi impedimentũ plus, quàm quinquennium durauerit, iure potest audiri, & in integrum restitui.

Ad extremum in huiusce Concilij decreto septem conditiones exiguntur, vt Monacho liceat intra quinquenniũ reclamare. Prima est, Ne quis antea habitum dimittat. Secunda: Ne sine voluntate superiorum ob id à Monasterio, etiam cum habitu recedat. Tertia: vt causas, quas obtendit, antea corã Superiore, & Ordinario deferat. Quarta: vt si antea habitum exuerit, nullatenus ad allegandum vllam causam admittatur. Quinta: vt redire ad Monasterium compellatur, si contra fecerit. Sexta: vt tanquam apostata puniatur. Septima: Ne vllo Religionis priuilegio iuuetur. Quas conditiones Nauarrus *in Comment. 4. de regularibus. num 77. & 78.* explicuit ita, vt putet eas omni offensione semota, & aliorum damno vitato, non semper locum habere. Nam si quis bona fide credat, ob vim, & metum sibi cõtra ius illatum, professionem irritam, & inanem fuisse, & ob id, vt reclamare commodè posset, è carcere fugerit, habitum deposuerit, & Iudicem adierit, pœnas apostatæ non incurrit: præsertim si secus facere nequiuerit.

Caput V.

Aliæ quæstiones de eadem re dissoluuntur.

PRIMO quæritur, An Professio per dolum, & fraudem emissa rata, & firma habeatur? Respondeo distinguendo: aut qui profitetur, animum, & voluntatẽ profitendi non habet, & nulla est eiusmodi professio, quamuis eam meritò seruare cogatur ad aliorum offensionẽ deuitandam & cauendam. Ecclesia enim, quæ sunt occulta, non iudicat: vnde vouens, professioni stare compellitur, vt aliorum conscientijs consulatur. Aut habet in animo profiteri Religionem, sed nõ obseruare, quod pollicetur, aut non se obligare ad Monasticum institutum: atque hæc professio coram Deo rata est, & firma; nam sufficit, si volun-

tate,& animo professionem emiserit, ex qua obligatio, tanquam effectus ex naturali causa manat,ac surgit.

Secundò quæritur, An professio sub conditione emissa vim,& locum habeat? Respondeo,cum Abbate.*cap. vlt. de condit. appos.* ex Inno. Hostiensi,& Ioan. Andr.& Glossa. Si conditio adiecta,professionis substantiæ repugnet,eam ita vitiat, vt nulla sit,& inanis, vt si quis profiteatur ea conditione, ne Castitatem seruare cogatur,vel vt rerum proprietatem,& dominium retineat.& in posterum sibi acquirat,vel vt nutu, & arbitratu suo viuat: hæc enim singula professionis substantiæ aduersantur,quæ in tribus votis consistit perpetuæ Castitatis,Obedientię,& Paupertatis. Cæterùm magnæ est quæstionis apud Canonici iuris interpretes,an rata sit professio eius, qui emittit sub conditione,vt domi suæ maneat,vel vt sua bona retineat,vel vt aliquid tâquam peculium habeat, vel ne,si quando fuerit ad regulare Beneficium promotus,ad nutum Abbatis reuocari queat? De qua quæstione multa tradiderunt Canonici iuris interpretes,Innocent.Hostien.Ioan.Monach.Ioannes Andreas.Anton.Anchar.Imola,Abbas,& alij *in c. insinuante.qui cleric.vel vouent.& in cap. vlt. de condit.apposit.* Et iuris Ciuilis doctores,Bart.Iason. & alij *in Authen. Ingressi.C.de Sacrosan.Eccl.* Couarr.*in* 4. *Decretal.p.2.c.3.§.1.nu.*8.Nau.*Commen.2.de regulari.nu.* 16.Ange.*religiosus.q.*19. Nos autē supra breuiter,& succinctè, quantum res ipsa patiebatur, egimus. In præsentia,hoc vnum dicere sufficit,proprietatem,& dominium rerum cum professionis natura pugnare,non tamen vsum rerum Abbatis nutui,& volūtati subiectum. Vnde professionis naturam non tollit ea conditio, vt Monachus vsum suarum rerum Abbatis permissu, & consensu retineat, & domi suæ extra Monasterium maneat, vel vt in posterum peculiū possit acquirere: non quidem ita,vt illius dominium, & proprietatem habeat, aut vsum, qui nutu Abbatis reuocari nequeat,sed tantùm administrationem,& vtilitatē, & commodum pro Abbatis arbitratu, & voluntate. Vsus rerum,qui in facto tantùm cōsistit,cum voto paupertatis, aut cum voto Obedientiæ non pugnat: vt apertè constat. Hæc ex Abbate *ca. Insinuante,qui cleri.vel vouentes,*& Sylvest. *relegio.3.qu.*8. & Couar.& Nauar.*locis citatis.* Sed quæret aliquis, an iuri communi prædicto,quod continetur *in ca. insinuante,qui cleric.vel vouent.& in cap. de viduis* 27.*q.* 1.derogatum sit per Concilium Trident.*sess.*25.*ca.* 2.*de regular.* Respondeo cum Nauarr.*Comment.2.nu.* 16.*de regularib.*non esse derogatum: quia *in c. insinuante,& c.de viduis,* solùm statuitur, vt quis fieri possit Monachus professus,& retineat bona sua nutu,& cōsensu Abbatis,hoc est vt Glossa interpretatur, retineat vsum bonorum suorum reuocabilem ad nutum Abbatis. At *in c.2.sess.*25.*de regular.* in Conc. Tridentino decernitur, ne monacho concedantur bona stabilia,etiam ad vsum fructum, & ne concedantur,vt habeat tanquam propria.

Tertiò quæritur, An solius Abbatis sit ad professionem admittere? Respondeo,cum Panormitano *in c. Apostolicam.de regularib.*& Sylvest. *religio.*3. *q.*13.Angel.*professio.nu.*1.videndum esse, an consuetudine,hoc ad solùm Abbatem pertineat, vt insinuatur *in cap. vlt. De Regularib. in* 6. Rursus an etiam ex priuilegio, vel instituti Regula talis potestas soli Abbati conueniat. Quæ si absint. Abbatis est ad professionē admittere adhibito suorū Monachorum consilio,quoniā Regula decernit,vt quæ præcipua sunt non agat sine Monastici cōuentus, hoc est,sine Collegij consilio.Monachorū autem creatio ex præcipuis vnum est.Ex quo etiam fit,vt sine consilio Collegij,creatio Monachi iure communi rata nō sit: quando enim requiritur ex iure consilium,nisi adhibeatur, nullius est momenti, quod fit,vt testatur cū Glossa idem Panormitan⁹, *loco citato.* At verò nullo iure cōpellitur Abbas ad Monachorum cōsilium sequendum,eo quòd vbi, non consensus aliorum, sed cōsilium requiritur, satis est illud exquirere, ac petere, expectare, ac audire responsum. Quocirca Monasterio vacante collegium Monachorum non potest Monachum creare: sicut vacante Ecclesia,Collegiū Canonic. nullum ius habet Beneficium conferendi, vt suo loco dicemus.Abb.Sylu.Angel.*locis supra citatis:* SI QVAERAS, an iure cōmuni solius Abbatis sit, Monachos recipere? Panor.*loco citato,* ait,ad solùm Abbatem pertinere iure cōmuni. Sed verius est, quod docuerunt.Ioan.Monachus,Archidia.Ioan. Andreas,Geminia.& Francus *in ca. vlt. de regularib. in* 6.cum Glossa ibidem *in verbo pertinet.* ad Abbatem,& conuentum iure communi pertinere Monachum creare: quod probant *ex cap. ea noscitur,de his,quæ fiunt à prælatis sin. consen. cap.*

Quartò quæritur,vtrum Episcopus ius habeat admittendi Monachum ad professionem? Innocentius *cap. porrectum.de regularibus,* docet penes Epiſcopum potestatem esse Religiosum cōstituendi, quamuis in nullum Monasterium ingressum, nec habitu Religionis indutum,nec certi instituti Regulā professum. *Satis,*inquit, *est,si in manibus Episcopi tria vota faciat, Castitatis,Paupertatis,& Obedientiæ. Nam tametsi domi suæ se contineat,est Episcopi potestati,& iurisdictioni subiectus,qui ei vitæ modū ac Regulam præscribere potest, ac debet.* Id colligit *ex cap. Si vir.27. quæst.* 2. Idem etiam cum Innocentio videtur sentire Hostiensis *in cap.Porrectum,prædicto.* Cæterùm, vt Antonius Butrius, & Panormitanus *cap. Porrectum,citato.*& Sylvest.*religio.*3.*q.*14.Angel.*professio.num.*1.testātur, per huiusmodi professionem solemne Religionis votum non emittitur, quòd matrimonium contrahendum impediat,& contractum dirimat: hoc enim solùm conuenit voto solemni facto per professionem expressam, vel tacitam Religionis approbatæ,*cap.*1. *De voto,& voti redempt.in* 6.Immò, vt idem notat Panormitanus, non erit hic homo verè, & propriè Religiosus, quoniam iure communi talis non est, nisi qui Religionem approbatam expressim,vel tacitè profitetur. Secus verò esset, si Episcopus ad professionem Regulæ approbatæ admitteret Abbatis consensu, aut reciperet, eo quòd Monasteriū esset ipsi subiectum. Innocentij sententia olim locum habebat,quum Episcoporum iurisdictioni erant Monasteria subiecta: & iuxta eum morem videtur Innocētius locutus: & nūc etiam locū habet,vbi Monasteria sunt Episcopis subiecta. SI QVAERAS,an is,qui habet administrationem Religionis,vel Ordinis,vel Monasterij, possit admittere Monachum ad professionem,ita vt locum,& vim habeat professio? Respondeo cum Angel.*professio.*

nu.1.& Sylueſt.religio.3.q.18.iure non poſſe,niſi auctoritatem habeat, qua poſſit in Religionis corpus admittere.

Quintò quæritur, An profeſſio expreſsè per Procuratorem fieri queat? Reſpondeo cum Sylueſt.religio.3.q.15.poſſe,niſi inſtituti Regula cõtrarium præſcribat.Nam per procuratoré fieri poſſunt ea,quæ ius non prohibet.l.1.§.Vſus.ff.De procurator.& in cap.Poteſt quis,De reg.iur.in 6.Sed profeſſio non excipitur,vt conſtat ex Gloſſa in l. Pomponius. ff.de procuratorib.& Gloſſa in cap.Qui ad agendũ,De procurat.in 6.in quibus locis cum multi caſus excepti numerentur,profeſſio non computatur,

Sextò quæritur,quæ pœna iure ipſo irrogetur his, qui ante tempus iure conſtitutum ad profeſſionem admittunt? Reſpondeo, ſi quis ante pubertatem aliquem admittat ad profeſſionẽ præter lethale peccatum in quod incurrit, quia ſibi patriam poteſtatem vſurpat, arbitrio Iudicis punitur. Gloſſa in cap.Ad Apoſtolicam,De regularibus. *Qui verò ante annum probationis integrum ad Profeſſionem recipit,in Ordinibus quidem,qui Mendicantes non ſunt,male facit.ſi paſsim,temere,& inconſideratè admittat,* c.Ad Apoſtolicam,citato: *& pœnæ arbitrariæ Iudicis ſubijcitur*, Gloſſa in eo cap. *In Ordinibus verò Religioſorum Mendicantium,grauiter delinquit, quoniam virtute obedientiæ,& pœna excommunicationis conſtituta per comminationem id facere prohibetur*,cap.Nõ ſolùm,De regularib.in 6.vbi etiam ipſo iure ſuſpenditur à recipiendo quolibet ad profeſſionem,& vt grauioris culpæ pœna puniatur, decernitur. QVAERES,an irregularitatẽ contrahat,qui ita ſuſpenſus aliquem ad profeſſionem admittit? Reſpondeo cum Geminiano *in ca. Non ſolùm,de regular.in 6. & cap.Conſtitutionem.eo.lib.& tit.* minimè, quoniam admittendi actus, nõ eſt Ordinis, ſed iuriſdictionis opus,cũ fœmina, quæ ſanctimonialibus præeſt, ius habeat ad profeſſionem admittendi fœminas. Item poteſt eſſe Abbas, qui nõ ſit in ſacris Ordinibus conſtitutus,*cap.Tuam,De ætate,& qualit. Ordinandorum.*

Septimò quæritur, Quot, & quæ ad expreſſam profeſſionem requirantur? Reſpondeo cum Sylueſt.*religio.3.q.18.*& Angel.*profeſſio.nu.1.* ex his, quæ hactenus diximus,ſex colligi. Primò iure cõmuni antiquo,ætas pubertatis, *cap.1.De Regularib.in 6.* nimirum in maribus annus decimus quartus expletus,in fœminis duodecimus. At nũc poſt Concilium Tridentinum in vtriſque annus decimus ſextus exactus, & in Inſulis annus decimus octauus,*cap.Quia in Inſulis,De Regularib.* Secundò,ex iure communi annus integer probationis poſt habitum ſuſceptum in Ordinibus religioſorum Mendicantium; non tamen in cæteris,*cap.Non ſolùm,ca. Conſtitutionem, De regularib.in 6.* At verò iure nouo Concilij Tridentini requiritur ille integer annus probationis in qualibet Religione,tum virorum, tum fœminarum.Tertiò,vt profeſſio admittatur ab eo,qui ius habet recipiendi,& creandi Monachos,vel eius mãdato,vel eius nomine,tum enim valeret profeſſio,ſi Abbas poſtea ratam haberet, nomine ipſius factam: ſecus eſſet, ſi nomine eius non fieret; tunc enim eam profeſſionem nõ poſſet ratam habere,vt docet Angel.*profeſſio.nu.1.*Geminianum,& Lapum ſequutus: idem etiam Sylu. *religio,3.q.18.* Quartò,vt profeſſio fiat in Religione approbata,*c.1.de voto,& voti redemp.in 6.* Quintò, vt fiat profeſſio adhibito Monaſtici conuentus conſilio,niſi aliter inſtituti Regula, conſuetudo, vel priuilegium præſcribat.Sextò,vt tria vota,Caſtitatis,Paupertatis, & Obedientiæ perpetuæ emittantur.At hęc tria vota fieri poſſunt explicitè,vel implicitè. Nam in quibuſdam Religionibus profeſſio emitti ſolet vno voto obedientiæ expreſſo, cæteris implicitè,taciteúe cõtentis,quia promittitur obedientia ſecundum Regulam, Inſtitutum vel Conſtitutiones. Poſtremò,rata eſt profeſſio quibuſlibet verbis emiſſa, licet nõ ſeruata forma, quã regula præſcribit: nam hoc profeſſionẽ non vitiat,niſi regula expreſſerit profeſſionem irritã eſſe, & inanem,niſi ſic,vel aliter facta fuerit.

Octauò quæritur, An profeſſio ex ira, aliaúe animi perturbatione facta ſubſiſtat,& valeat? Aiunt quidam eam nullius eſſe momẽti. Sic Ludouicus Romanus,Iaſon, & alij: quod colligunt *ex l.Quicquid.ff.De regul.iuris*, vbi dicitur: *Quicquid in calore iracundiæ,vel fit,vel dicitur,non prius ratum eſt,quam ſi perſeuerantia apparuerit iudicium animi fuiſſe: ideoque breui reuerſa vxor,nec diuertiſſe videtur.* Idem prorſus *in l.Diuortium.ff.De diuortijs.* Colligunt itẽ ex Gloſſa *in cap.Dudum,De conuerſ.coniugat.* Quorum ſententiam meritò Nauarrus confutat. Nam ſi ira,vel quælibet alia perturbatio plenum rationis iudicium nõ tollit,minimè votum infirmat: ſufficit autem tale rationis iudicium, quale, & quantum ad lethale peccatum ſatis eſſet,quam Nauarri ſententiã docuerant Ioannes Andreas, Abbas,& Decius.

Teſte Nauarro Comment.2. de regular. nu.67.

ait Nauar. loco citato.

Nonò quæritur, An profeſſio per qualemcunque metum facta ſit rata,& firma? Reſpondeo,ratum eſſe votum,quod quis facit metu mortis,naufragij,incendij,morbi,belli,hoſtium, aliorumúe ſimilium periculorũ: & peccare eum, qui huiuſmodi promiſſa non præſtat conditione impleta. Item votum irritum non reddit metus mortis etiam violentę,niſi fuerit incuſſus ad votum ipſum extorquẽdum,aut niſi tantus ſit, vt hominem abducat ab vſu,& iudicio rationis, vt colligitur ex Abbate,& alijs *in cap,Perlatum, de his,quæ vi metuſúe cauſa*: ergo metus mortis violentæ illatus ad extorquendum profeſſionis votum,infirmat illud, Hoſtien.Abb.& alij *in cap.Perlatum,citato.* Niſi metu ſublato is,qui profeſſus fuerat,ratam, & acceptam habeat profeſſionem. *ca.Porrectum.& cap.Sicut nobis.de regularib.* SIROGES,an metus,qui dicitur reuerentiæ paternæ profeſſionem irritam reddat? Gloſſa *in cap.Præſens,verbo, Patrem.20.qu.3.* ait irritam facere. Sic etiam Bartholus, & Imola *in l.Vani.ff.De reg.iuris.& l.Metum.ff.De ijs,quæ vi, metuſúe cauſa.* Ita quoque Nauar.*commen.2. de regularib. nu.31.* Sed neceſſe eſt,vt patris minæ præcedant, vt colligitur ex eodẽ Bartolo,Cyno, Baldo, Ioanne Andrea, & Antonio Butrio *locis citatis*; & vt talis ſit metus,qui ſi abeſſet,profeſſio nõ fieret:præſertim cũ de foro interiori, nõ exteriori loquamur.

Decimò quæritur,An profeſſio ob malũ finem emiſſa vllius ſit momenti? Reſpondeo,votũ ſimplex ob malum finem factum non obligare vouentem,ſiue ille ſit finis boni,quod vouetur,quale eſt votum erogandi eleemoſynam ob inanem gloriam, ſiue ſit finis ipſiuſmet voti, cuiuſmodi eſt votum, quo dux ad bellum iniuſtum proficiſcens promittit ſe centum aureos daturum in pios

vsus, vt victoriam reportet, & eo animo vouet, vt tali voto victoriam obtineat, aut pro victoria iniquè susceptа Deo gratias agat. Professio tamen etiam ob malum finem emissa, qui sit ipsius professionis, vel profitẽtis finis locum habet, hoc est, rata, & firma censetur, quandocunq; is, qui profitetur, animum, & voluntatem habet profitendi, veluti cum quis profitetur, vt Monasterij bona furetur, vel vt aliquem occidat in Monasterio; aut vt Monachos perturbet. Ita Sylvest. *religio. 3. quæst. 6.* Antoninum, & Paludanum sequutus. Item, quando malum animo cõceptum, & propositum non est finis professionis, sed solùm eam comitatur, rata est, & firma professio: vt si quis cum profitetur, vanè aliquid concupiscat: nam etiam quodlibet aliud votum hoc modo factum, locum & vim habet. SIROGES, quare alia vota facta ob malum finem non valeant, cum valeat professio facta propter malum finem? Respondeo, quia professionis substantia consistit in tribus votis, quæ facit is, qui profitetur, videlicet in voto Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, quæ sunt bona promissa: quamuis is, qui profitetur, animum intendat ad malum: quemadmodum si quis Sacerdos fieret, aut si Paganus fieret Christianus, ad malum animum intendens, finis nõ vitiaret opus bonum, quod fieret. Secus est, cum quis vouet daturum se eleemosynam ob inanem gloriam: tunc enim finis malus est voti materia: & ideo votum ipsum vitiare censetur.

Vndecimò quæritur, An per professionem, omnium peccatorum condonatio, siue remissio habeatur? S. Thomas *2.2.q.189.art.3.ad 3.* Caiet. *ibidem.* S. Antonin. *part.3.tit.16.capit.3.§.3.* Walden. *de Sacramental.tit.9.cap.80.* Palud. *4.dist.38.quæst.4.artic.1.concluſ.* S. Angel. *religioſus.q.47.* Sylvest. *religio.3.q.23.* & alij Summistæ apertè docent, per professionem omnia vitæ pristinæ peccata deleri: quæ sententia videtur apud veteres illos Monachos fuisse communi consensu recepta. Legimus enim in vita Antonij, quibusdã Angelos apparuisse, ex quorum verbis illi Monachi didicerint, per habitum vitæ Monasticæ susceptum restitui hominem ad eum statum, in quo est quispiam, cum sacro Baptismate renascitur: nec Monachũ rationem redditurum de peccatis ante Monasticam vitam admissis, vtpotè, quæ in ipsa Monastici instituti professione condonantur: & si statim atq; habitum suscepit è vita decederet, eum in cælum euolaturum. Hæc cum fuerit, vt prædixi, veterum Monachorum communis Traditio; cui sententiæ videntur subscripsisse Athanas. *in vita S. Antonij*, Hieron. *in epist.25. & in epist.* 8. Leontius Cyprius Episcopus *in vita Simeonis Abbatis.* Anſel. *in lib. Similitudinum, ca. vlt.* Bernar. *lib. de præcept. & dispensat.* nullo modo mihi videtur neganda. Nec mirum videri debet, si priuilegium, quo Martyrium ornatur, ex parte quoque Religionis professioni concedatur. Nec tamen idcirco professionem Baptismo æquari dicimus, sicuti neque Martyrio: Baptismus enim est Sacramentum à Christo Domino institutum, cuius merito, & auctoritate primam gratiam confert, & omnem culpam, ac pœnam delet, ac tollit: at verò professio nequaquam est Sacramentum, sed opus hominis, & virtutis officium adeo excellens, & eximium, vt si is, qui Religionem profitetur, sit alioqui Dei gratia, & charitate præditus, ab omni pœna vitæ pristinæ peccatis debita mundetur. Non igitur professio primam gratiam confert, aut culpas vitæ prioris remittit, & abolet vt Sacramentum, sed aufert omnia peccata, id est, omnem pœnam peccatis debitam expiat: pœnę etenim peccatorum apud veteres Patres; sicut etiam apud sacros Scriptores, peccata non rarò appellari solent.

QVAERES, an si quis lethalis peccati cõscius, & reus professionem emittat; ac deinde interuallo temporis de suo peccato doleat, reuiuiscat in eo professionis effectus, ita vt cum incipit de peccato legitimè dolere, professio suum effectũ sortita, deleat omnem pœnam peccatis respondentem, quam initio non remisit, id lethali peccato impediente? Respondeo cum Caietano, professionem non habere vim, quam habet Sacramentum: Baptismus enim cum sit opus Christi Domini vim, & efficacitatem ex eius institutione habet: & ideo si initio cum sumitur, & ob impedimentum hominis, effectum suum non præstat, sublato per legitimam pœnitentiam peccato, incipit valere, quia quodãmodo reuiuiscit, ac surgit. At verò professio, cum sit opus hominis, si initio cum fit, peccatorum pœnas non remouet, postea non reuiuiscit, etiamsi is sua peccata detestetur, ac plangat.

Duodecimò quæritur, An per professionem omnis irregularitas ante contracta tollatur? Respondet Glossa *in c. Ex literarum, De Apostat.* non tolli eam irregularitatem, quæ est ex proprio delicto susceptа, sed quæ ex alieno peccato contrahitur: nimirum, parentum, vt quæ ex defectu natalium prouenit: & hoc, ait, colligi *ex cap.1.distin.56. & cap.1.de filijs Presbyt.* & Authentica, de Monac. in qua apertè habetur, per ingressum in Religionem omnem irregularitatem aboleri, dicit, intelligi debere solùm de prædicta irregularitate. Sic etiam sentit Hostiensis, & sentiunt alij *in cap. Ex literarum, de Apostat.* Sed Abbas *in cap. Ex literarum, citato, nu.5.* per professionem censet eam tolli duntaxat, quam ius ipsum expressit, cæteras verò minimè: quod est dicere tolli solùm irregularitatem contractam ex vitio natalium, vt habetur *c.1.dist.56. & c.1.de filijs Presbyt.* Quare *Authen. de Monach.* vbi dicitur omnem irregularitatẽ deleri per ingressum in religionem, cum sit imperatoria, & ciuilis in hac patre locum non habet. Et quamuis irregularis ob defectum nataliũ professione emissa possit ad ordines Ecclesiasticos eligi, & prouehi, non tamẽ ad Dignitates, Administrationes, & munera publica, aut Beneficia, quæ curam animarum habent. *cap. vlt. & c.1.de filijs Presbyterorum.*

Decimotertiò quæritur, An cautè professio emittatur, cum quis profitẽdo promittit se Monasticam Regulam seruaturum? S. Tho. *2.2.q.186.art.9.ad 1. & in quodl.1.q.20.* insinuat, cautius professionem emitti, cum quis vouet se victurum iuxta obedientiæ præscriptum, quàm si promittat se Religionis Regulam seruaturum, aut victurum iuxta Regulæ rationem: quoniam qui sic promittit, sese obligat in omnibus, quæ Regula præscribit, ac præcipit. Sed certè nihil est, quod in secundo modo professionis reprehendatur. Sic enim professio fit secundum Regulam B. Benedicti: & is

modus

modus profitendi approbatur *in ca. Ex parte tua, De regularibus*, & tantùm promittitur obseruatio Regulæ, prout illa passim intelligitur ab omnibus, & prout est more, & vsu recepta.

Decimoquartò quæritur, An consuetudine inducì queat, vt illi professi censeantur, qui vouent tantummodo obedientiam, nihil exprimendo de continentia, nec de proprij abdicatione? Respondet Speculat. *de statu Monach. q. 36.* minimè: quia nō ipso, quo vouet quis obedientiam, vouet alia duo: nisi promittat obedientiam secundum regulam S. Augustini, Basilij, vel Benedicti, vel S. Francisci, aut nisi promittat obedientiam, & sese bonis abdicet, mundanisque delicijs, vt colligi potest *ex c. Vidua, de regularib. cap. Porrectum. eo tit. cap. 1. 20. quæst. 1.* Et Innocen. *cap. Porrectum. de regularib. ait.* Si quis se tradat, & mancipet certæ religioni approbatæ: perinde est, ac si profiteatur. Item, si quis voueat obedientiam Monachalem, dummodo id faciat in manibus, inquit, Superioris, qui potest in religionem admittere. Et adde, dummodo in alijs seruetur Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 15. d. regular.*

Caput VI.

De vi, & potestate solemnium votorum, quæ in professione approbatæ Religionis emittuntur.

PRIMO quæritur, An solemne vōtum, & simplex eiusdem, rei atque materiæ natura sua differant, an institutione diuina, an potiùs sola Ecclesiæ lege, & constitutione? Duæ sunt opiniones: Prima docet vi, & natura sua distingui; in quo autem hæc differentia consistat, variè explicatur ab huius opinionis autoribus. Alij enim putant in eo differre, quod votum solēne in præsens tempus confertur, simplex in futurum, siue quod simplex sit rei futuræ promissio, solemne verò rei præsentis: ita quidam, vt testatur Glossa *in cap. Rursus, qui Clerici, vel vouentes.* Nam simplex votum Religionis, est promissio, & sponsio futuri in Religionem ingressus, solemne vero est præsens ipsius Religionis professio. Sic votum simplex castitatis, vel religionis est, quo vir promittit castitatem, vel in religionem ingressum, post obitum vxoris. Item, votum simplex est, quo quis promittit se sacros Ordines suscepturum, vel peregrinaturum ad sacra, & religiosa loca, post quatuor annos. Alij dicunt votum simplex esse, quo quis suæ personæ promittit obsequia, & ministeria; non tamen tradit suam personam. Votum solemne est, quo quis & suæ personæ promittit obsequia, & suam personam donat: Sicut aliud est, cum quis alteri obligat suam operam, & ministerium, aliud verò quum suam etiam personam alteri obstringit, ac tradit: sicut aliud est, si promittas alteri tuæ arboris fructū, aliud si arborem dones. Vnde aiunt, votum solemne in traditione consistere, simplex verò non item: ita vt solemne, & simplex votum differant, perinde, atque sponsalia, & Matrimonium, quod sicut in sponsalibus, est sola promissio futuri coniugij; in matrimonio verò traditio, qua vnus coniux se alteri tradit, sic in simplici voto religionis est sola promissio, qua quis promittit in religionem ingressum: in solemni verò traditio, qua is, qui vouet, sese Religioni tradit, ac mancipat, & Religio eum admittit, ac recipit. Vnde in solemni, sicut ex parte vouentis est traditio, sic ex parte Religionis, & Ecclesiæ, est admissio, atque receptio. Quo fit, vt solemne votum emittatur in manibus alicuius, qui nomine Religionis, & Ecclesiæ recipit votum, in voto verò simplici sola est promissio, quia nullus est, qui nomine Religionis, vel Ecclesiæ recipiat: & vbi receptio non est, nequit esse traditio; ac propterea simplex votum in manibus alicuius non fit. Hanc opinionem sequuntur, S. Thom. Bonauent. Richard. Durand. Argent. 4. *dist in&t.* 38. & inter iuniores Theologos Sotus, & alij multi S. Thomæ discipuli, vt infra citabo. Alij distinguunt, dicentes, Votum solemne esse sua natura perpetuum, simplex verò posse quidem tale esse, non tamen necessario, quoniam sæpè multa vouemus ad tēpus. Sic nonnulli teste Glossa *in cap. Rursus, qui Clerici, vel vouent.* Alij, quod solemne publicè emittatur, simplex verò id ex vi, & conditione sua non postulet, quamuis publicè aliquando ex accidenti fiat. Alij denique, quod solemne in quadam consecratione consistat; at non ita simplex: nam votum Castitatis sacris Ordinibus annexum, eorum, qui initiantur, ordinationi coniungitur: & solemne Religionis votum non fit absque aliqua vouentium consecratione: Vel enim consecratus vestitus, & habitus suscipitur, vel aliqua alia consecrationis formula adhibetur. Sic S. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 7. & articul. 11.* videtur sentire. Secunda sententia docet: Votum simplex, & solemne eiusdem rei non differre per se ex ipsius voti ratione, & natura, vel iure diuino, sed sola Ecclesiæ constitutione: quam opinionem Pōtificij iuris interpretes omnes sequuntur, cum Glossa *in capit. Rursus, supra citatis.* Innocentius, Hostiensis, Archidiaconus, Ioannes Andreas, Abbas, Ancharanus, Cardinalis, Francus, Felinus, & cæteri, & inter Theologos Scot. 4. *dist in.* 38. *quæst. 1.* Herue. *quodlib. 11. quæst. 25.* Henricus *quodlib. 6. quæst.* 39. & Palud. 4. *dist in&t.* 38. *quæst. 4. art. 4. concl. 11.* Caiet. 2. 2. *quæst. 88. art. 7.* Medina *libr. 4. de continen. sacror. hominum, capit. 23. & sequentibus.* Palacius 4. *dist in&t.* 38. *disputat. 2.* Asten. *libr. 8. tit. 16.* Angel. *matrimonium 3. impedimen. 5.* Rosell. *impedimentum 4. numer. 2.* Et hæc opinio magis cum iure Canonico, & ratione cōgruere videtur. Nam *in cap. Rursus. qui Clerici, vel vouentes*, dicitur: *Cum simplex votum apud Deum non minùs obliget, quàm solemne*, & reliqua & *in cap. Quod votum, De voto, & voti redempt. in 6.* habetur: *Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta.*

Deinde, iusiurandum solemne à simplici non differt, nisi in hoc, quod illud iuris solemnem, ac celebrem formulam habet, qua caret simplex. Sic etiam testamentum, aut matrimonium dicitur solemne, eo quod iuris solemni cæremonia, & formula constet. Ergo votum eo tantum solemne censetur, quod in eo iuris Canonici cæremonia, & formula præscripta adhibetur. At sicut in testamentis, Matrimonijs, & Iureiurando solemnis formula, ac celebritas non est ex iure naturali, aut diuino, sed ex iure scripto. Sic etiam in voto nulla est ex ipsius natura distinctio, nisi ra-

tione rei, & materiæ subiectæ: ergo tota solemnis voti celebritas est iuris scripti. Accedit, quod cæteræ, quas primæ opinionis auctores constituunt, differentiæ, cum ipso iure, & veritate parum consentiunt, nisi accedat Ecclesiæ auctoritas, & constitutio. Non enim omne votum simplex in futurum confertur: vt si quis tria vota, Castitatis, Obedientiæ, & Paupertatis in Religione nõdum approbata emittat, aut etiam in approbata, sed tantummodo tanquam simplicia, non solemnia. Neque obstat, si dicas, solemne votum per se postulare, vt in præsens tempus cõferatur; simplex verò posse quidem, sed per se id non exigere: nam satis nobis est, si probemus vtrumque votum esse rei præsentis, non solùm futuræ. His adde, falsum esse, solemne votum in traditione consistere, non autem simplex: nam qui tria vota in Religione non approbata emitteret, verè se traderet Deo ad ea vota seruanda, & tamen solemnia non essent. Item, posset Ecclesiæ auctoritate constitui, vt vota, quæ nunc in Religionibus approbatis, vt solemnia emittuntur, desinerent esse solemnia, nec matrimonium contractum dirimerent; & tamen in traditione tunc temporis, sicut nunc, etiã consisterent.

DICES, Traditio non est, vbi Ecclesia non recipit; & proinde in votis Religionis non approbatæ nulla traditio subsistit; quia Ecclesia non recipit: & solemnia vota Religionis approbatæ, si solemnia esse desinerent, inciperent traditione carere, quia tunc ea vota minimè Ecclesia reciperet: Contrà, inde fieret, vt solemne votum non in sola traditione consisteret, sed in ea, quam vt solemnem Ecclesia recipit: & proinde tota solemnis voti celebritas sola nititur Ecclesiæ auctoritate; id quod nos contendimus. Postremò, licet simplex votum, quod est futuri in Religionem ingressus, traditione non constet, quoniam is, qui sic religionem promittit, Religioni non se tradit, ac mancipat; at votum simplex, quo quis in religione approbata promittit Deo perpetuam Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam, constat traditione: nam hic simpliciter dicit, voueo Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam, sicut dicit is, qui professionem emittit: & vterque se Deo tradit, & religioni ad viuẽdum perpetuo in castitate, paupertate, & obedientia. Dices, Votum eius, qui profitetur, recipitur à Superiore, hoc est, ab eo, qui religioni præest: simplex non item. Insuper, solemne votum nõ solùm fit Deo, sed etiam ei, qui religioni præest, coram quo emittitur professio; at votum simplex soli Deo, nõ homini fit. Sed contra est, quia licet religio non se obliget omni ex parte ei, qui simplex votum in religione facit, vt se obligat ei, qui religionem profitetur; negari tamen non potest, quin is, qui simplex votum in religione facit, quod ad se pertinet, tradat, dedicet, & mancipet seipsum religioni. Item licet religio non recipiat, vt professum, eum, qui simplicia vota religionis emittit; recipit tamen, vt religiosum, qui seipsum ipsi religioni tradit, & consecrat. Si iterum obijcias: fieri non potest, vt in voto simplici castitatis, vel religionis sit traditio: quoniam alioqui per votum simplex matrimonium sequens dirimeretur; eo quòd, si postquam rẽ tuam vni tradideris, tradas alteri, secunda traditio nõ subsistit, aut valet. Respondeo, quòd votum solemne dissoluat subsequens matrimonium, non habet vi voti, aut vi traditionis, sed constitutione Ecclesiæ, & traditio rei, vel personæ, quæ ex iustitia descendit, est alterius rationis, quàm sit ea, quæ existit ex religione: hæ duæ traditiones non semper vi, & natura sua pugnant, vt manifestò patet: nam duo coniuges etiam post matrimonium consummatum, sponte sua possunt iure religionem profiteri, ita vt sint per solemnem professionem verè, & propriè religiosi. Et nihilominus coniuges sunt, quoniam coniugium consummatum non dissoluitur: seruitus etiam, & matrimoniũ simul consistunt, & nihilominus seruus est possessio domini, & est vxoris vir. Ergo duæ traditiones, quando sunt diuersæ rationis, non semper sua vi, & natura pugnant, licet pugnent, quando ambæ ex iustitia oriuntur.

Accedit, quod falsum quoque est, solemne votum à simplici distingui, quod solemne per se postulet, vt publicè fiat; non item simplex: potest enim Ecclesia decernere, vt tria vota Religionis, quamuis priuatim, & occultè facta, pro solemnibus habeantur. In Religione item non approbata eiusmodi vota, quamuis palam, & publicè emissa, simplicia sunt: & professio Religionis approbatæ tacita, votis solemnibus constat, quæ tamen per se, & expressim emissa, & facta non sunt. Præterea, verum non est, solemne votum à simplici differre, quod illud aliqua Ecclesiæ consecratione effectum sit: in multis enim Religionibus solemnis votorum professio emittitur absque vlla personarum, vestium, vel aliarum rerum consecratione. Postremò, nihil impedit, quominus Ecclesia constituat, vt vota sint solemnia absque vlla prorsus consecratione, & è contrario, vt vota sint prorsus simplicia, quantumcunq; his accedat aliqua consecratio personarum, vel rerum: Quare vt breuiter concludam, illud est votũ solemne, quod est iuris scripti canonici solemni celebritate, & formula præditum: id simplex, quod ea caret. Porrò S. Thomas, & alij veteres Theologi Altisiod. Alber. Bonauent. Richard. Durand. & alij, cum docent solemne votum à simplici distingui, quod simplex sit sola rei promissio, solemne verò in traditione rei promissæ consistat, loquuntur de voto simplici, quo res futura promittitur: vt cum quis promittit se in religionem ingressurum, cũ promittit se post tres, vel quatuor annos castitatem seruaturum, aut se peregrinaturum, aut se ordines sacros suscepturum: nos verò in præsentia loquimur de voto simplici, quod nõ in futurum, sed in præsens confertur, vt cum quis promittit perpetuam castitatem, paupertatem, & obedientiam.

Secundò quæritur, in quonam voti Religionis solemnis formula, & celebritas consistat? In hac quæstione tot sunt sententiæ, quot in præcedenti. Quidam enim putarunt, in hoc cõsistere, quod solemne votum per se publicè fiat, & eius violatio alios offendat: simplex verò non item. Sed hoc meritò Scotus, Bonauentura, Richardus, Durandus, & ipse etiam S. Thomas refutarunt *in 4. dist.* 38. & nos etiam in superiori quæstione: sicut & illud, quod alij docuerunt, votum solemne id

esse,

esse, quod coram Ecclesia emissum etiam probari potest, simplex verò nequaquam. Sed quid si simplex coram testibus, & publicè fieret, & scripto quoque consisteret? Quare probabiliores sunt duæ tantummodo sententiæ, quarum vna docet, solemni voti rationem in traditione, & translatione quadam positam esse. Nam qui solemni ritu, & cæremonia, tria vota Religionis emittit, per Paupertatem, se facultatum, ac rerum suarum dominio abdicat, & ineptum, ac inhabilem se reddit ad rerum proprietatem, ac dominium in posterum acquirendum. Per Castitatem, se ad Matrimonium contrahendum inhabilem facit. Et per Obedientiam suæ personæ dominium in Religionem transfert; quæ ius acquirit, ipsum quandocunque ab ea recesserit, repetendi, recuperandi, & reducendi tanquam rem suam. Ex quo, inquiunt, fit, vt soleat cum hac personæ traditione aliqua consecratio coniungi, qua tanquam nota signatur persona Religioni addicta, tradita, ac mancipata. Sic S. Thomas, *in 4. dist. in.* 38. *q.1. art.2. ad q.3.* Bonau. *4. dist.38. arti.2. quæst.1.* Alber. *4. dist.39. art.16.* Richard. *4. dist.38. art.7. q.1. & 2.* Dur. *4. dist.38. q.1. num.9.* Argent. *4. dist.38. quæst.1. art.3. ad 1.* quam postea iuniores S. Thomæ discipuli pugnacissimè tueri conati sunt. Turrecrem. *27. q.1. cap.1. q.1.* Sot. *lib.7. de iust. q.4. a.2.* Sylvest. *votum 4. quæst.5.* Tabie. *dispensatio. q.7.* Altera sententia affirmat totam solemnis voti rationem iuris Canonici constitutione esse inductam, & proinde in eo solo situm esse, quod ius Canonicum constituit. Sic Hēricus, Sotus, Herueus, Paludanus, Caietanus, Medina, & Palacius, & omnes Canonici iuris doctores: & inter Summistas, Astensis, Angelus, & Rosella, *locis supra citatis*: quæ certè opinio manifestè iuris Canonici testimonio comprobatur. Nam *in cap. Quod votum, De voto, & voti redempt. in 6.* apertè definitur, voti solemnitatem ex sola constitutione Ecclesiæ esse inuentam: quod iuris Canonici decretum, S. Thomas, S. Bonauentura, & Richardus veteres Theologi videre non potuerunt. Est enim id à Bonifacio VIII. sancitum post S. Thom. Bonauenturæ, & Richardi tempora. Nec vim habet vllam Soti responsum, Pontificium scilicet decretum intelligi, non de solemni voti substantia, & ratione, sed de modo, ac formula: hoc enim manifestè pugnat cum ipsius Pontificis responso. Erat enim ab eo quæsitum, quod votum dici deberet solemne, & ad matrimonium dirimendum efficax? Qui respondit: *Nos attendentes, quòd voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta, præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solùm votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam alicuius Religionis approbatæ.* Hactenus Pontifex. Vbi ex eo, quòd solemnis voti ratio ex sola Ecclesiæ institutione constet, deducit, duplex solùm esse solemne votum, aut per sacri Ordinis susceptionem, aut professionem expressam, vel tacitam religionis approbatæ.

Si obijcias, ergo Bonifacij VIII. constitutio prædicta euertit sententiam. S. Thomæ, Alberti, Bonauenturæ, Richardi, Durandi, & aliorum veterum Theologorum, qui constanter docuerunt solemne votum vi, & natura sua simplici differre: quòd solemne in traditione consistat: simplex sola promissione constet. Quidam existimant Bonifacij VIII. decretum, cum prædicta veterum Theologorum sententia pugnare, & in hac parte Pontificiam constitutionem vim, & locum habere, non veterum Theologorum sententiam. Ego tamen nunquam adduci potui, vt crederem, Pontificium decretum in hac parte cum veterum Theologorum prædicta sententia pugnare: quoniam video veteres Theologos locutos fuisse de simplici voto, quod in futurum confertur, qualis est promissio, qua quis vouet futurum in religionem ingressum, aut cum coniux promittit se post obitum alterius coniugis castitatem seruaturum: & hoc votum reuera est solum rei futuræ sponsio, & promissio sua vi, & natura distincta à solemni voto, quod in traditione consistit. Sed Pontifex loquitur de solemni voto, vt differt à voto simplici, quod non in futurum cōfertur, sed traditionem habet, qua quis se Deo consecrat, obligat, & mancipat vouendo perpetuam castitatem, paupertatem, & obedientiam.

Quare pleriq; Theologi, qui post editum sextum Decretalium librum vixêre, vnà cum Pontificij iuris peritis tradiderūt, voti solemnis rationem in sola Ecclesiæ institutione consistere: idq; etiam docuerunt Herueus, Paludanus, & Caietanus S. Thomæ, magni alioqui discipuli: quamuis Sotus, & alij non idem sentiant.

Mihi igitur videtur solemnem voti rationem eam esse, quam Ecclesia constituit. Ea autem est duplex, nimirum expressa, vel tacita alicuius Religiōis approbatæ, vel sacri Ordinis susceptio. Et proinde si quæsieris, quænam sit solemnis voti ratio, & substantia? Respondebo, eam esse, quam iuris Canonici auctoritas præscripsit. Sicut si quæras, quæ sit Testamēti, Iurisiurandi, vel Matrimonij ratio solemnis. Dicam, eam esse, quam iuris scripti ciuilis, vel Canonici sanctio definiuit. Est igitur voti solemnitas, vt vno verbo concludam, aut Religionis approbatę professio, aut sacri Ordinis susceptio. Ex quo etiam fit, vt voti solemnis effectus, vis, & potestas sit ex Ecclesiæ decreto, vt statim explicabo.

Tertiò quęritur, An solemne votum Castitatis à Monacho factum per se, aut vi, & natura sua, aut iure diuino dirimat Matrimonium postea contractum? Quod est quærere, An Religiosus, qui castitatem solemni voto promittit, ratione voti præcisè, an ratione solemnis celebritatis, & formulæ fiat ad Matrimonium inhabilis? Quatuor sunt in hac quęstione sententiæ. Prima docet, per omne votum Castitatis etiam simplex, quo quis Deo se obligat ad Castitatem simpliciter seruandam, matrimonium postea contractum dirimi: quæ fuit veterum quorundam Canonici iuris interpretum sententia *in capit. Rursus, qui Clerici, vel vouent.* quam concludere illi conabantur, quia votum Castitatis per se directò cum matrimonio pugnat. Deinde, quia apud Deum tantam obligandi vim habet simplex votum, quantam solemne. *cap. Rursus, qui Clerici, vel vouentes.* Accedit, quod is, qui votum simplex Castitatis emittit, suum corpus tradit, & cōsecrat Deo: ergo si vxori tradat, nulla erit traditio: quemadmodum si

quis

quis Caio donasset, quod Titio donatione tradiderat. Postremo, quia alioqui ratum, & firmum matrimonium contrahere vnus cum alio posset ea conditione, vt perpetuò Castitatem seruaret; quod tanquam falsum reijcit Theologorum sententia communis. Hæc opinio meritò communi omnium consensu refellitur: neque enim quærimus, an votum Castitatis pugnet cum vsu coniugij, sed an pugnet cum vinculo coniugij? Secunda opinio docet, per solemne votum Castitatis à Monacho emissum vi, ac natura sua matrimonium postea subsecutum dissolui. Hoc in primis ea ratione conficiunt, quoniam solemne votum Castitatis Monachum Religioni tradit, & obligat; ac proinde ille alteri tradi nequit: quòd si tradatur, nulla est traditio: sicut qui alicui est matrimonio coniunctus, nequit alteri copulari: aut quemadmodum, qui rem suã vni tradidit, alteri tradere non potest. Qui seipsum vni vendidit, nequit amplius se alteri vendere. Et idẽ seruus, qui domini est, inscio, vel inuito domino se religioni tradere iure non potest.

Deinde, Religiosus semel Deo cõsecratus non potest Religiosus esse desinere; quemadmodum, quod est Deo consecratum, nequit non esse tale; at Religionis substantiæ, & naturæ intrinseca est Castitas, *vt dicitur in c. Cum ad Monasterium, de statu Monachorum*; ergo Religiosus quamdiu est talis, necessariò est voto Castitatis adstrictus. Ad extremum, si sola Ecclesiæ auctoritate votum solemne Castitatis à Religioso factum, vim haberet matrimonium postea contractum dirimendi; inde fieret, vt sola auctoritate Ecclesiæ Matrimonium ratum, & nondum consummatum dissolui posset: nam si Ecclesia constituit, vt per votum solemne Monachi, Matrimonium postea subsecutum sit irritum, & inane; efficere quoque sua auctoritate poterit, vti matrimonium ratum, quod non est consummatum, dirimatur: at Theologi omnes communi cõsensu docuerunt, Matrimonium ratum, non consummatum, per Religionis professionem iure diuino, non humano dissolui, nec posse vlla auctoritate Pontificia rescindi. Tertia sententia eorum est, qui censent, per solemne votum Religiosi Matrimonium postea contractum dirimi sola Ecclesiæ auctoritate: quæ sententia colligi videtur *ex cap. Quod votum, de voto, & voti redempt. in 6.* Vbi Pontifex rogatus quodnam votum vim haberet Matrimonium postea sequutum dissoluendi? Respondit, voti solemnitatem, quod attinet ad Matrimonium dirimendum ex sola Ecclesiæ constitutione esse inuentam. Hanc sententiam omnes Canonici iuris consulti tuentur, & inter Theologos Henricus, Scotus, Herueus, Paludanus, Caietanus, Medina, Palacius: inter Summistas, Altensis, Angelus, Rosella *locis supra citatis*. Quarta sententia defendit, eiusmodi votum non vi sua, nec iure Canonico, sed diuino vim habere matrimonium dissoluendi contractum. Ita sensit Almainus, eo argumento permotus; quoniam vir, & fœmina matrimonio coniuncti possunt Religionem solemni voto profiteri; nec propterea matrimonij vinculum dissoluitur: ergo, inquit, nec ratione voti, nec ratione solemnitatis dirimitur matrimonium contractum: & sicut matrimonium præcedens per votum solemne postea subsequens non dissoluitur, ita nec votum solemne præcedens vim habet subsequens matrimonium dirimendi: nam per se nihil refert votum sit prius matrimonio, an posterius, si vi voti, aut solemnitatis matrimonium dissoluit. Quare cõsequitur, ait Almainus *in tract. de potestate Ecclesiæ. cap. 15.* vt solùm iure diuino vim habeat dirimendi: quo iure matrimonium ratum nondum cõsummatum per Religionis professionem dissoluitur, cõsummatum verò nequaquam. Si autem post votum Religionis solemni professione factum, matrimonium cõtrahatur, iure diuino irritum est, & inane: hoc tamen postremo loco dictum ille non probat.

Mihi tertia sententia verissima apparet, quæ docet matrimonium post votum Religionis solemne contractum, nec dirimi ratione voti præcisè, nec iure naturali, nec iure diuino, sed Canonico: eo quòd Ecclesia sanciuerit, vt qui Religionem professi sunt, habiles, & idonei ad matrimonium amplius non sint. Sicut enim cum voto solemni Religionis non pugnat, vt coniuges mutuo consensu Religionem profiteantur, nec antecedens matrimonij consummati vinculum, Religionis professione dirimitur: ita nec cum solẽni voto per se pugnat, vt si vir, & fœmina sese matrimonio coniungant, matrimonium valeat, & iure subsistat: ita vt sint reuera religiosi, & coniuges, non quidem vsu coniugij; hic enim vsus vi, & natura sua cum Religiosorum statu pugnat, sed solo coniugij vinculo. Si dicas, fieri non potest, vt cùm quis postquam seipsum vni tradidit, tradit se alteri, traditio secunda vim, & locum habeat, cùm per se cum prima pugnet. Respondeo, vt paulò ante dixi, si vtraque traditio ex iustitia descendit, aut in iustitia vim habet, pugnare secundam cum prima, & secundam iure naturali irritam esse, si prima fuerit rata, & firma. At traditio, quam votum solemne castitatis continet, si Ecclesiæ decretũ remoueas, ex religione existit, qua quis se Deo obligat, tradit, & consecrat: quare hæc non pugnat per se cum alia traditione, quæ ex iustitia descendit. Per iustitiam rerum dominia transferuntur, conseruantur, amittuntur, per religionem non item. Nam quemadmodum in coniugibus Religionem professis, durante, & constante matrimonij vinculo vterq; habet dominium, & potestatem corporis alterius, non tamen vsum: sic remota Ecclesiæ Constitutione vir, & fœmina voto solemni Castitatis adstricti, essent ad matrimonium habiles, vtroq; acquirente potestatem corporis alterius, licet non vsum. Item vnus coniux post diuortium legitima iudicis Ecclesiastici sententia factum ob adulterium, quod alter admisit, iure religionem ingreditur, & profitetur. *cap Agathosa. 27. quæstion. 2.* & tamen vinculum matrimonij consummati non soluitur; ergo simul est quis verè coniux, quod attinet ad coniugij vinculum, non vsum, & reuera religiosus.

Objicies; Saltem ratione solemnis promissionis votum habere vim matrimonium dirimendi. At contra hoc facit, quia Ecclesia statuere potest ne vota, quæ in Religionibus approbatis emittuntur, Matrimonium dirimant contractum. Insistes: Tunc vota definent esse solemnia: Con-

tra: po-

tra:ponamus nihil ſolemni voti rationi, qua nũc emittuntur, detrahi, ſed ſolùm huiuſmodi effectum impediri; quare definent quidem eſſe ſolemnia, quod pertinet ad effectum matrimonij dirimendi;nihil tamẽ amittent eorum,quæ nunc habent. Vnde quidam Catholici, inter quos eſt Medina *libro quarto, de continen. ſacrorum homin.cap.31.* colligunt, ex prædictis perſpici, qua ratione accipienda ſint ea, quæ apud veteres Patres leguntur, quæque hæretici Catholicis obijciunt. Nam Cyprianus,vt conſtat *ex epiſtol.11.* quæ eſt ad Pomponium, rogatus de Virginibus quibuſdam, quæ nupſerant poſt votum Caſtitatis, quid eas facere oporteret, reſpondit,oportere eas pœnitentiam publicam agere,vt cæteræ Virgines ab huiuſmodi crimine deterreantur: idem adiecit, eas quidem peccare grauiſſimè; non tamen præcipit, vt à maritis ſeparentur. *Immò*,inquit,*ſi huiuſmodi Virgines dixerint, ſe in eo quod promiſerunt, perſeuerare non poſſe; & ideo turpiter viuant, melius eſſe, vt nubant,quàm vt cæteris omnibus ſcandalum præbeant.* Planè quoque Auguſtinus *libr.de bono viduitatis,cap.9.10.& 11.* probat falſam eſſe eorum ſententiam, qui dicebant nõ eſſe vera coniugia earum Virginum, quæ poſt votũ continentiæ nuptias contrahebant. Et Hieronymus de Virginibus ſcribens *in epiſt. ad Demetriadem, ad finem. Si continere*, inquit, *non poſſunt, dicendum eſt illis, vt nubant.* Athanaſius in epiſt. ad Dracontium; & vidimus, ait, Epiſcopos ſine vxoribus, & Monachos patres filiorum factos. In Concilio quoque Ancyrano *canon. 19. & refertur capit. Quotquot. 27. quæſtion. prim.* & in Concil. Elibertino *canon. 13. & habetur capit. Virgines. 27. quæſtione prima.* & in Concil.Chalcedon.*canon.15.vt dicitur in cap. Si qua virgo.27. quæſtion.1.* pœna irrogatur ſacratis Virginibus,quæ poſt votum continẽtię ad nuptias tranſierunt;non tamen præcipitur, vt coniugia dirimantur. Et quamuis Catholicorum multi hæreticis hæc opponentibus reſpondere ſoleant; hæc omnia intelligi de Virginibus ſimplici Caſtitatis voto non ſolenni adſtrictis: alij tamen cenſent non improbabiliter,Patres,& Concilia loqui,tũ de Virginibus ſacro velo conſecratis,tum de Monachis. Quare videtur,inquiunt,eo tempore, aut nõdum eſſe editam Eccleſiæ ſanctionem, aut ſaltem vſu non vbiq; receptam, vt voto Religionis ſolemni matrimonium ſubſequens diſſolueretur.

Porrò ad id,quod obijcitur *ex cap. Cum ad monaſterium,de ſtatu Monachorum.* Reſpondeo,religioni, & monachali regulæ, & vitæ annexam eſſe caſtitatem, quia cum natura religionis pugnat vſus coniugij, & religio ſua natura poſtulat votum Caſtitatis,quo ſe quis abdicat vſu connubij,non quo ſe abdicet vinculo,& dominio coniugij:nam vt dixi, coniuges poſt matrimonium conſummatum poſſunt mutuò conſenſu religionem profiteri; nec tamen vinculum matrimonij conſummati diſſoluitur;ergo illi, & erunt cõiuges,quod attinet ad vinculum,& dominium, & erunt religioſi profeſſi, qui ſe vſu coniugij in perpetuum penitus abdicarunt. Si iterum obijcias, votum ſolemne in profeſſione religionis emiſſum diſtingui, vt habet cõmunis Theologorum opinio, à ſolemni voto, quod fit in ſuſceptione ſacrorũ ordinum, quòd hoc eſt tantum ſacris Ordinibus annexum ſtatuto Eccleſiæ; illud verò eſt, cum ipſa religionis natura, & conditione coniunctum? Reſpondeo, ideo differre, quia cum ſacris Ordinibus, nec vinculum, nec vſus coniugij pugnat per ſe,vel iure diuino,ſed iure Canonico:at cum religione, quæ abſolutè, & ſimpliciter religio eſt, licet per ſe non pugnet matrimonij vinculum; pugnat tamen vſus coniugij, & iure Canonico pugnat vinculum matrimonij, quod poſt ſolemnem profeſſionem Religionis contrahitur.

Quartò quæritur, Quo iure ſolemne votum Paupertatis, quod in profeſſione Religionis emittitur, Monachum faciat inhabilem ad bonorum ſuorum dominium, vel retinendum, vel in poſterum acquirendum? Reſpondeo, quemadmodum ſuperiori quæſtione de voto Caſtitatis ſolemni fuêre variæ ſententiæ, ſic etiam de voto Paupertatis; quibuſdam aſſerentibus eiuſmodi vim voto Paupertatis ineſſe iure diuino; alijs ratione ſolemnitatis; alijs demum ſola Eccleſiæ Conſtitutione: quorum opinio mihi valde probatur, vt quæ cum ipſo iure ciuili, auctoritate Canonis comprobato magis conuenire videatur. Nam *in Authent. De ſanctiſſ. Epiſcopis, collat.9. §.* Si qua mulier, ſic decernitur: *Si qua mulier, aut vir Monaſticam vitam elegerit, & intrauerit Monaſterium, liberis non extantibus, Monaſterio, quod ingreditur, res eius competere iubemus. Sed ſi perſona liberos habens,antequam de rebus ſuis inter eos diſponat, & antequam legitimam filijs ſuis portionem deputet; Monaſterium intret, liceat ei poſtea inter eos diuidere legitimam portionem, nulli diminuto triente, vel ſemiſſe; & quod eis non dederit Monaſterio competet. Sed ſi omnem ſubſtantiam inter filios diuidere voluerit, ſua perſona filijs ſuis connumerata,partem ſibi retineat, quæ Monaſterio competere debeat: ſi poſt ingreſſum moriatur, antequam inter filios diuidat,filij legitimam portionem percipiant, reliqua ſubſtantia Monaſterio competente.* Hactenus illa lex. Vnde eſt aliquorum opinio, iure communi antiquo, Monachum filijs carentem, dominij, & proprietatis expertem eſſe, habentem tamen liberos non item; licet iure, quo nunc vtimur, Religioſus profeſſus, quicunque ſit ille, dominij, & proprietatis capax non ſit. Cui ſententiæ adſtipulari videtur Gratianus *19. quæſtione tertia, §.* Nunc autem, vbi ait: *Nunc autem cum Monachus factus eſſet, hoc ipſo res ſuas omnes obtuliſſe videatur: Si prius teſtatus non ſit, exinde iudicio eius, ceſſante lege, diſponitur. Vt ſi liberos haberet, in quos aut nihil, aut minus legitima portione quoquomodo,donandi titulo contulerit, eatenus ſubſtantiæ Monaſterij deſtitutæ detrahatur, ne quid contingat circa liberos iniquum.* Hæc ibi Gratianus. Vnde probabiliter colligi videtur, eo tempore, quo lex eſt ab Imperatore ſancita, licuiſſe Monacho poſt ſolẽne Religionis votum, inter filios teſtamentum cõficere,& inter eos in priori vitæ ſtatu relictos, ſuorum bonorum ſubſtantiam diuidere. Nec his obſtat, Conſtitutionem hanc eſſe iuris ciuilis legem,cuius non eſt quicquam de Monachis definire: nam iure etiam Canonico lex eadem comprobatur, *in capit. Si qua mulier.19. quæſtion.3.* Vnde quamuis vim non habeat, vt eſt lex imperatoria & ciuilis; habet tamen,vt eſt iure Canonico confirmata. Nec illud etiam officit, quod quidam aſſerunt, non fieri hic ſermonem de Monacho pro-

cho professo; cum ibi solummodo dicatur: *Si qua mulier, aut vir Monasticam vitam elegerit, & intrauerit Monasterium.* Nam tametsi aliqui, vt Decius *in ea Authen. num. 4.* & Iason *in L. Si quis hæredem. num. 12. C. de instit. & substitut.* opinentur hanc Constitutionem solùm de Nouitijs intelligi: communi tamē sententia inter vtriusq; iuris Doctores receptum est, eam intelligi de Monacho professo, cui ipsa lege permittitur res suas inter suos filios diuidere, si nihil de eis ante professionē constituerat. Et nomine ingressus significari Monasticæ vitæ professionem, docent Barth. Paul. Salycet. *in eadem Authent.* Fulgos. & Alex. *in L. Si quis hæredem, citata. n. 10.* Barbat. *Clemen. 1. de elect. & consil. 38. lib. 3.* Felin. *in cap. Cum deputati, numer. 1. de iudic.* Angel. *verbo, Religiosus. q. 24.* Paludanus, quem citat, & sequitur Sylvest. *religio. 3. q. 24.* Huc accedit id, quod sæpè iam dixi, *in cap. Quod votum, De voto, & voti redempt. in 6.* generatim dici, solemnitatem voti esse sola Ecclesiæ Constitutione inuentam: at voti solemnis, quod in professione Religionis emittitur, effectus est, vt matrimonium non solùm contrahendum impediatur, sed etiam dirimatur contractum: ergo similiter ex Constitutione Ecclesiæ ea vis in voto Paupertatis existet, vt non solùm quempiam ab vsu facultatū, & rerum suarum impediat, atque prohibeat: sed etiam ei dominium, & proprietatem prorsus adimat, & detrahat.

Quintò quæritur, Quo iure Monachus professus testamentum condere prohibeatur? Quod est quærere, An ratione voti præcisè, an ratione traditionis, qua Monachus seipsum religioni tradidit, an iure Religionis; an verò sola canonica lege hoc sit ei interdictum? Ex his, quæ hactenus diximus: colligitur, professum Monachum esse inhabilem ad testamentum faciendum solo Canonico iure, non autē naturali, & diuino; hoc est, nō ratione voti nec Religionis, aut publicę promissionis, aut traditionis. In Authent. Ingressi, C. De sacrosanctis Ecclesijs sancitur: *Ingressi Monasteria, ipso ingressu se, suaque dedicant Deo.* Nec ergo de his testantur. Et *Authent. de Monachis §. Illud quoque. Decernimus, qui in Monasterium introire voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licentiam habere suis vti, quo voluerit, modo. Ingredientem namq; simul sequuntur omnino res, licet non expressim, qui introduxerit eas, dixerit: & non erit dominus earum vlterius vllo modo.* Item *19. quæst. 3. c. Quia ingredientibus*, ex Gregorio habetur: *Quia ingredientibus Monasterium conuertendi gratia, vlterius nulla sit testandi licentia, sed vt res eorū, eiusdem Monasterij sint, aperta legis definitione decretum est.* Et *cap. Perlatum est. eadem causa, & quæstione*, ex eodem Gregorio dicitur: *Perlatum est ad nos, Petronillam nomine, de prouincia Lucania progenitam, per exhortationem Agnelli Episcopi fuisse conuersam, resque suas omnes, quas habere potuit, licet sibi iure potuissent competere, tamen easdem Monasterio, in quod ingressa est, etiam specialiter donationis titulo contulisse.* Hæc ex vtroque iure, Ciuili, & Canonico. Quare, sicut iure Canonico Religiosus professus testari non potest: sic etiam testamentum ante ingressum in Religionem, vel in ipsa probatione factum ab emissa professione, reuocare amplius, aut rumpere nequit. Quamuis enim non desint, qui putent testamentum vtcunq; factum Religionis professione rumpi, tanquam agnatione, & natiuitate Posthumi. *L. Post humorū. ff. De iniusto rupto, & irrito facto testamento*, eo quòd Monasterium hęreditatis, & bonorum capax loco Posthumi habeatur *in Authent. Nisi ingressi. C. Ad Senatusconsultum Trebellianum*: & proinde secundum horum sentētiam, ne testamentum rumpatur, præterito Monasterio, sicut rumpitur agnatione, siue natiuitate Posthumi, oportet portionē legitimam Monasterio relinqui iure institutionis, quam opinionem communem esse testantur Imola, Iason, Albericus, quos citat Couar. *de testamen. cap. 2. num. 5.* Attamen contraria sententia, vt aiunt Innocen. Hostiensis, Antonius Butrius, Abbas, quos citant, & sequuntur Nauarr. *in comment. 2. de regularibus, num. 51.* Couar. *de testamen. ca. 2. num. 6.* Angel. *verbo Religiosus. nu. 55.* Iulius Clarius *lib. 3. recept. sent. §. Testamentum. quæst. 28.* communi cōsensu recepta est. Sic enim sentiunt Baldus, Paulus, Decius, Aretinus, Salycet. Iason, & alij, quos citant, & sequuntur prædicti recentiores. Sunt rursus, qui sentiant, quando sine vlla Religionis cogitatione quis testamentum condiderit ante ingressum in eam, secuta professione reuocari, & rumpi, quasi ex noua voluntate, qua Religionem elegit, quam antea non conceperat. Si verò Religionis cogitatione, & studio fecerit, tunc minimè rescindi, eo quòd noua voluntas non accesserit. Sic opinatur Bartholus.

Communis tamē opinio est, vt ibidem Couarruuias tradidit, testamentum vtrumque factum, secuta professione minimè rumpi, & reuocari. Sic Antonius, Abbas, Felinus, & sic etiam iuniores, Nauarrus, Angelus, & Couarruuias, Iulius Clarius *locis citatis*, nisi Religiosus ante professionem expressim dixisset: Me, meaque omnia offero Monasterio, censeretur enim testamentum reuocare, vt ajunt prædicti Doctores. Immò etiam si testamentū sit conditum ab eo, qui est Religionem ingressus, sed eam nondum professus, sine vllo Abbatis consensu iure communi esse ratum, & firmum: quia Nouitius dum in probatione versatur, sui iuris est, ac facultatum, rerumq; suarum dominus: nec vllo iure scripto prohibetur testamentum facere. Ex his perspicuum esse potest, facto testamento, quod per professionem nec reuocatur, nec rumpitur, statim ab emissa professione hæreditaria bona ad institutum hæredem pertinere, si Monasterium capax bonorum non sit. Alioqui quamdiu Monachus viuit, vsus fructus ad Monasterium spectat: proprietas verò, & dominium ad hæredem institutum; & post obitum Monachi vsusfructus cum proprietate, & dominio consolidatur.

Obijcies id, quod habetur *in capit. Si qua mulier. 19. quæstion. 3.* licere Monacho, qui liberos habet, & in Monasterium ingressus, nihil de suis bonis constituit, inter eos postea diuidere, legitima portione cuique relicta, & quod eis non dederit, Monasterio competere: Respondet Archidiaconus *in eo capite*, cuius sententia communi consensu recipitur, Monachum tunc non testari: sed inter filios distribuere: quemadmodum etiam Arbiter, & Iudex inter plures bona diuidunt. Alij tamen asserunt, Monachum professum Religionem capacem bonorum immobilium, posse testamentum facere, & inter liberos bona diuidere: & hoc esse, quod Authentica citata decernit; & proinde ius habere non quidem simpliciter te-

ter testamentum condendi, sed inter filios: de qua re paulò ante dixi.

Deinde obijcies, *cap. Non liceat. 19. q. 3.* vbi decernitur: *Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hæreditate sua repellere Monachos factos: quamuis dum Monachi fuerant, in causam, & crimen ingrati animi inciderint; ergo Monachus hæreditatis capax est.* Respondeo, hæreditatem non ad Monachum, sed ad Monasterium bonorum capax pertinere: & proinde vel tâquam Arbiter, & Iudex, vel nomine Monasterij bona inter filios distribuit. Aut si aliorum sequi sententiam malimus, dicemus Monachum iure communi antiquo, testamentum simpliciter facere non posse, inter filios tamen posse.

Sextò quæritur, Quo iure per solemne votum Obedientiæ, Monachi, aut Religiosę personę transeant in ius, & potestatem Monasterij, aut Superiorum? Animaduertendum est, emissa professione, Monachum, aut Religiosum traditum esse, & addictum Religioni; ita vt Religio ius in personam eius acquisierit: quod ius consistit in hoc, vt si Religiosus vestem, habitumque dimiserit, & à Religione discesserit ad priorem vitæ statum reuersus, tanquam apostata, hoc est, Religionis susceptæ desertor, puniri iure queat, vbicumque fuerit, repeti, capi, & si necesse sit vinctus ad Religionem reduci, & in carcerem etiam trudi. Vnde *in cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6.* sancitur: *Vt periculosa Religiosis euagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcunque religionem tacitè, vel expressè professus in scholis, vel alibi temerè habitum religionis suæ dimittat: nec accedat ad quæuis studia literarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem, sibi eundi ad studia licentia concedatur. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.* Hæc ibi habentur.

Quæritur nunc, An religionum Præfecti hoc ius in Monachum habeant ratione voti, an ratione publicæ promissionis, & traditionis; an verò solùm iure Canonico? Et ex hypothesi fingamus nullam excommunicationis sententiam iure Canico fuisse irrogatam his, qui à Religione voto solemni susceptа deficiunt? Respondeo, negari non posse, penes religionum Præfectos ratione professionis expressæ, vel tacitæ ius esse, & potestatem animaduertendi in Monachum religionis desertorẽ, eo quòd per professionem Monachus religioni promisit obedientiã, qua ei se tradidit, addixit, & mancipauit. Vnde fit, vt sicut Religiosus habet ius exigendi alimenta à religione; sic religio ius habeat in eius operas, artem, industriam, laborem, & ministerium: nec religio potest Monachum sine iusta, & debita causa dimittere, aut eijcere, nec Monachus religionem deserere. Ac quemadmodum Dux, & Imperator exercitus milites Sacramento iuratos, militiæ desertores capit, & vinctos reuocat, & transfugas punit; & Ecclesia, fidei, & religionis per Baptismum susceptæ desertores pœnis debitis plectit, ac vindicat, & maritus vxorem fugitiuam iure suo repetit, ac reducit in domum: sic etiam religio ius habet reuocandi fugitiuos Monachos, desertoresque puniendi; eo quòd sese illi per obedientiam promissam obligauerint, addixerint, atque deuouerint.

Qvaeres, An religio hoc ius habeat ratione voti, an ratione professionis, an ratione publicæ promissionis, & traditionis? Respondeo, habere ratione fidei per votum datæ, & acceptæ; ac proinde ratione publicæ traditionis, qua se Monachus tradidit religioni per tria vota, siue solemnia, siue simplicia, quæ ad religionis substantiam spectant. Nam Monachus religioni suam fidem obstringit, & religio acceptam habet: Religio item fide data sese Monacho, vel ex toto, vel ex parte obligauit, & Monachus eam ratam habuit. Quod verò Monachus vestem, & habitum temerè dimittens, aut à religione recedens, in excommunicationem incurrat, iuris Canonici pœna est; quæ vt ex c. paulò ante citato apparet, non irrogatur, nisi Monachis religionem expressè, vel tacitè professis.

Septimò quæritur, An per se voti in religione solemnis sit maius, & arctius vinculum, quàm simplicis? Respondent quidam ex iam dictis, per se quidem non esse, sed Ecclesiæ cõstitutione, qua factum est, vt solemne religionis votum nuptias ratas non consummatas dissoluat: non item simplex: Deinde, votum solemne dirimit matrimonium postea contractum, quod tamen simplex non dirimit. Item *in cap. Qui post votum, De regularibus in 6.* Votum simplex Religionis etiam arctioris, soluitur per solemne votum, & promissionem religionis laxioris: per simplex non item. Postremò, vota omnia, quæ quis facit extra religionem in seculo, finiuntur, & desinunt per solemne votum religionis; non tamen per simplex. Existimo dicendum votum simplex esse duplex: Vnum, quod est rei futuræ promissio, & sponsio: Alterum, quo rem præsentem vouemus: in hoc continetur traditio, in illo non item. Per hoc esse, & fieri potest aliquis verè, & propriè religiosus, vt ostendam inferius, per illud minimè. Et hoc modo intelligitur, quod docet S. Thom. *2. 2. quæst. 189. articul. 2. ad primum*, vbi ait: *duplex est votum religionis, vnum solemne, quod hominem facit Monachum, vel Religiosum: aliud est votum simplex, ex quo aliquis non fit Monachus, vel Religiosus, sed solum obligatur ad religionis ingressum.* Sic ille. Loquitur reuera de voto simplici, quod est futuri in religionem ingressus promissio, non de eo, quo quis promittit perpetuam Castitatem, Paupertatem, Obedientiam in aliqua religione approbata. Et hinc planè liquet votum simplex, si sola sit futuri in religionem ingressus sponsio, per se minoris esse vinculi, quàm solemne; quia simplex est sola rei futuræ promissio: solemne verò, est rei ipsius, personæque traditio. At votum simplex, quod in præsens collatum, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ promissio est, non per se, sed Ecclesiæ instituto vim minorem habet, quam solemne: & hoc argumenta initio proposita concludunt.

Octauò quæritur, An votum simplex religionis specie differat à solemni? Respondeo ex paulò ante dictis, quicquid tradiderit Caietanus, votum simplex religionis, quod in futurum concipitur, specie à solemni distingui; siquidem simplex sola est promissio futuri in religionem ingressus; solemne verò rei, & personæ etiam traditio. Si verò votum simplex in præsens conferatur, specie à solemni non differt, quoniam Ec-

Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 7. vers. in eadẽ respons. ad 1.

clesiæ tantùm instituto distinguitur : at Ecclesia rei naturam non mutat, sed vim, & robur adiungit.

Nonò quæritur, An tantùm sint tria vota religionis solemnia? Durand. *in 4. distinct. 38. quæst. 2.* docet, simplex votum à solemni distingui in hoc, quod solemne votum in triplici tantùm materia consistit, Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ; cum tamen simplex per omnem materiam vagetur. Certè hæc Durandi sententia, nisi mitius exponatur, cum veritate, & ratione non congruit. Nam licèt iure communi antiquo, quod religionum instituta seruant, tantummodo sint tria vota solemnia, in quem sensum nos Durandi opinionem accipimus; nouo tamen iure nihil impedit, quin vota solemnia in alijs quoque materijs versentur. In societate nostra, vt ex eius Constitutionibus cõstat, quatuor vota solemnia Professi faciunt, dum solemni professione pollicentur, Obedientiam, Paupertatem, Castitatem, & specialem aliam Romano Pontifici in missionibus obedientiam. Deinde, quid impedit, quominus Carthusienses Monachi solemne votum emittant abstinendi à carnibus, quod votum nunc ex lege, institutoque seruant? Quid item obest, quin Minimorum religio quartum solemne votum emittat abstinendi perpetuò à carnibus, ouis, lacte, & caseo? Nam Palacius *in 4. dist. 38. disp. 2.* testatur: Minimos facere quartum votum solemne, quo promittunt se nunquam vsuros, nisi cibis quadragesimalibus: & idem insinuat Nauarrus *consil. tom. 1. de regularibus, consil. 10.* eo quòd dum professionem emittunt, vnà cum alijs tribus votis solemnibus, quartum huiusmodi votum faciunt. Postremò, quid obstat, quo minus religio instituatur, in qua fiat quartum votum solemne de militando contra fidei Catholicæ hostes, aut de inseruiendo pauperibus, & ægrotis in hospitali domo, & locis causa pietatis extructis.

At, inquies, si in omni materia votum solemne versari potest, quodnam votum igitur solemne vocabitur? Respondeo, votum solemne esse, & dici sola Ecclesiæ constitutione; quare duplex est tantùm generaliter solemne votum, vnum per professionem expressam, vel tacitam Religionis approbatæ; alterum per sacrorum Ordinum susceptionem. Vtrumque est solemne, quia coniunctum cum solemni professione Religionis, aut sacri Ordinis susceptione. Deinde, votum solemne Religionis iure communi est tantùm triplex, iuxta triplicem materiam, in qua solemnis professio fit. Iure tamen nouo potest Ecclesia constituere, vt sint plura pro varietate materiæ. Nam dum solemni celebritate professio Religionis emittitur, possunt plura alia sponderi, quæ tanquam solemnia vota Ecclesia probet, rata, & accepta habeat.

Caput VII.

Quid potestatis habeat Romanus Pontifex in solemnia vota Religionis.

PRIMO quæritur, An Monachus auctoritate Romani Pontificis absolui queat à voto Castitatis solemni? Duæ sunt opiniones: quarum prima negat, quam veteres Theologi tueri videntur. Altisiod. *in sum. libr. 3. tract. 28. cap. 1. quæst. 2.* Albert. *4. dist. in 38. art. 16. & 18.* S. Thomas, *2. 2. quæst. 88. articul. 11.* Et Glossa *in cap. Cum ad Monasterium, De statu Monachorum.* & inter iuniores Sotus, *libr. de iust. 7. quæst. 4. artic. 2.* Syluester, *votum, 4. quæst. 5.* Tabien. *dispensatio. quæstion. 7.* Armil. *dispensatio. numer. 12.* Et huius opinionis patronum esse Sanct. Thomam, recentiores eius discipuli, non veteres contendunt. Auctores huius sententiæ quidam eo argumento mouentur, quòd continentię perpetuæ tale, tantumq; bonum sit, vt nullo alio bono compensari queat, iuxta illud Ecclesiastici: omnis ponderatio non est digna continentis animæ. *Eccles. 26.*

Alij verò ea ratione, quòd solemne votum quadam traditione constet, qua se homo sponte Deo offert ad castimoniam perpetuò seruãdam. Porrò alij, quòd votũ solemne in consecratione consistat, qua Deo sese Monachus consecrat: & quod Deo semel dicatum est, in profanos vsus conuerti iure nõ potest. Secunda sententia affirmat posse: fuitque Richardi *in 4. distinct. 38. artic. 9. quæstio 1. ad 4. 5. & 6.* Bonauent. *4. distinct. 38. articul. 2. quæst. 3.* Scot. *4. distinct. 38. quæst. 1.* Henric. *quodlib. 5. quæst. 28.* Palud. *4. distinct. 38. quæst. 4. artic. 3. conclus. 11.* Durand. *in 4. distinct. 38. quæst. 2.* Maior. *4. distinct. 38. quæstio. 14.* Antonin. *part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 9.* Caietan. *2. 2. quæst. 88. articul. 11.* Heruei. *quodlib. 11. quæst. 25.* Angel. *votum 4. quæst. 5.* Rosel. *Papa. numer. 4.* estque communi omnium Canonici iuris interpretum consensu recepta *in cap. Cum ad monasterium. de statu Monach.* Quæ inde in primis concluditur, quod *in cap. Quod votum, de voto, & voti redempt. in 6.* solemnitas voti sola Ecclesię cõstitutione est inuenta. Deinde, quia cõmune bonum priuato est præferendum. Quid ergo, si contingat, vt Rex aliquis, Princepsue paganus ad Christi Religionem sese transferre velit, si fœminam voto solemni Deo dicatam, in vxorem duxerit, aut si ad communem Reipublicę pacem conseruandam, vel ad ius in Regno succedendi tuendum, & opus sit, vt Monachus fœminam in Matrimonium ducat, vt ex ea liberos suscipiat: Nonne videntur hæc tanta bona esse præferenda voto solẽni Castitatis? Accedit his, quòd hisce de causis Pontifices Romani aliquando Monachos voto solemni soluerint.

Legimus in vita B. Laurentij Iustiniani: Iustinianos omnes ad vnum, aut ferro, aut morbo extinctos fuisse præter aliquos senes, qui ad sobolem procreandam apti non erant: euenisse tamẽ, vt vnus tantùm supereſſet adolescens Nicolaus nomine apud Monachos S. Nicolai. Tunc Vitalis Dux Venetus impetrauit ab Alexandro III. Pontifice Romano, vt liceret adolescenti Monacho soluere vinculum Religionis ad reparandum sobolem gentis: eique vnicam filiam nomine Annam desponderet: faustæ fi.ere nuptiæ: donauit eos Dominus sex filijs masculis, & tribus fœmellis: lætus tam prospera sobole Nicolaus, & Deo gratias agens voti veteris, & Religionis non immemor, ędificato prius apud Amianũ cœnobio Virginum sub nomine S. Adriani, in quo Anna vxor ipsa quoque monasticam vitam cœpit, ad monasterium reuersus est: multis miraculis ambo claruerunt. Item, est etiam literis consignatum, ac proditum, Ramirum Aragonię Regem Monachũ

factum, cum pater eius sine prole decessisset, Romani Pontificis auctoritate è cœnobio eductum purpura, & regio sceptro ornatum vxorem duxisse, & ex ea filiam suscepisse.

Legimus quoq; Cazimirum huius nominis primum Poloniæ Regem, Cluniacēsem Monachum S. Benedicti Religionem professum, & Diaconum effectum, auctoritate Benedicti IX. vel Clementis II. Romani Pontificis à voto, & professione Monastica absolutum, ad Regnum maiorum suorum euectum, vxorem accepisse, & liberos procreasse. Constantia Rogerij regis Siciliæ filia iam ferè quinquagenaria Cœlestini III. Romani Pontificis consensu, & indulgentia à cœnobio Panormitano educta, & votiua virginitate soluta Henrico VI. nupsit. Auctoritate itidem Clementis VII. multis religiosis equitibus professis in ordinibus Militaribus Calatrauæ, & Alcantaræ concessum est, vt si vellent, vxores acciperent; & tamen professi erant religionem: nec est, quod Sotus opponat sacros milites, quamuis religionem professos non esse verè simpliciter religiosos: nam etsi id locum habeat in ijs sacris militibus, qui castitatem solùm coniugalem solemni professione promittunt, cuiusmodi sunt sacri Milites S. Iacobi in Hispania, & S. Stephani sub magno Duce Florentino: verum non est in ijs, qui simpliciter castitatem profitentur, quales sunt sacri Milites S. Ioannis Hierosolymitani, & tales erant Milites, tunc temporis Calatrauæ, & Alcantaræ, licèt nunc castitatem cōiugalem promittant.

At Sylvester, Sotus, & alij hæc incerta esse testantur, aut hos non Monachos veteranos, sed tyrones, nō religionem professos, sed Nouitios adhuc in probatione extitisse. Dicant illi quidquid volunt, certè negare non possunt, quod Annales, & Historiæ prodiderunt. Ramirus ne Nouitius erat? at fertur fuisse S. Facundi cœnobio præfectus, & Abbas, postea Pompelonensis præsul, & post quadraginta annos in Tomeriensi cœnobio exactos sobolis generandæ causa vxorem duxisse Romani Pōtificis auctoritate compulsus. Num Cazimirus Nouitius, & tyro fuit? at S. Benedicti Regulam professus dicitur, & Diaconus factus, & professionis Monasticæ, & sacri Ordinis religione solutus, ad Regnum prouectus, & vxorem duxit, & liberos procreauit. Incerta sunt hæc? at teste Crom. *lib. 4. de orig. & reb. gestis Polonorum* scriptore diligentissimo, vera sunt, quæ dixi de Cazimiro; & pro hoc Romani Pontificis beneficio, agnoscunt Poloni iniunctū: Primū, vt de singulis capitibus, exceptis nobilibus, siue equitibus, & qui sacris addicti sint, quotannis obolus vnus in lucernam perpetuò in æde S. Petri Romæ arsurā pendatur: qui etiamnum S. Petri nummus vocatur. Deinde, præscriptum, vt omnes Poloni rotunda in morem Monachorum tonsura capillorum vtantur, nec infra auriculas ritu barbarico quisquam omnino comam promittat. Festis solemnibus dum sacra fiunt, vt singuli equites fasciam lineam candidam in modum stolæ, qua in sacris vtuntur Sacerdotes, atque Diaconi è collo suspensam ferant: quæ Pontificis præcepta non grauatè Polonorum legati suscepēre, & totam Poloniam Pontificijs decretis obstrinxēre. Hæc Cromerus. An quæ in vita Beati Laurentij Iustiniani referuntur, falsa sunt, ita vt fidem facere non possint? An Constantia Nouitia fuit? An historia est incerta? sed teste Phazello rerum Siculārum scriptore libro 7. cap. 6. in decade posteriori, eam historiam Siculi Annales quotquot extant, commemorant, auctores plurimi tradunt, diplomata, & decreta Cœlestini, quæ hucusque in Archiuio Romano asseruantur, id habent. Nec est, quod Sylvester, Sotus, & alij respondeant, id quidem fecisse Pontifices, sed potestate fecisse, non iure: & fecisse quidem probabilem doctorum sententiam sequutos, sed non definisse: & alia multa, ait Sylvester, facere consueuerunt, quę faciunt quidem, & nō sine aliorum offensione; at non iure. Cæterùm hoc est argumenti vim fugere, non argumentum soluere, sed quidquid dicat ille, certè existimo id fecisse Pontifices, & in re tam graui, & seria Theologos, & vtriusque iuris peritos consilium dedisse.

Postremò, nihil est, quòd impediat, quominus solemne votum Castitatis relaxari queat summi Pontificis potestate, si grauissima subsistit causa. Qualis est communis totius regni salus: alicuius Pagani principis, vel regis ad Christi fidem conuersio. Non traditio, quia vt supra iam dixi, simplex etiam votum aliquando in traditione consistit, & tamen Pontificia auctoritate relaxatur, & soluitur: præsertim cum rei, vel personæ traditionem possit Pontifex in aliud longe melius bonum commutare: Non solemnis voti celebritas: Siquidem illa, sola Ecclesiæ constitutione est introducta: Non vis, & natura Religionis, quia licet ei per se conueniat Castitas, nihil tamen obstat, quominus Pontifex ex Monacho, possit facere non Monachum. Ergo quamuis Monachus, quamdiu talis est, nequeat non esse voto Castitatis adstrictus; potest tamen fieri non Monachus. Non obest item consecratio: nam tametsi, quod est semel Deo consecratum, passim in communes vsus verti iure non possit, permanente consecrationis formula; potest tamen ob grauem aliquam causam amissa formula consecrationis. Calix enim cum consecrationis formam amittit, potest vendi, & emi, & locari ad vsus profanos ad iustam aliquam causam. Sic igitur religiosus, dum religiosus permanet, ita est ab vsu coniugij alienus, vt nulla humana potestate etiam Pōtificia fieri queat, vt coniugio vtatur: pugnat enim cum natura religionis, coniugij vsus; & hoc est, quod dicitur in capit. Cum ad monasterium, De statu Monachorum. Sed Pontificia auctoritate, si iusta causa subsit, fieri potest, vt Religiosus desinat esse Religiosus, & sit coniux, & ex matrimonio filios procreet. Si obijcias, Sacerdos, vtpotè consecratus, nequit non esse consecratus: ergo nec Religiosus potest definere esse Religiosus? Respondeo, Sacerdotem esse consecratum Deo per charecterem diuinitus impressum, qui nunquam deletur: at Religiosus non est Religiosus effectus per vllum characterem, sed per professionem, aut vota tria religionis. Quare respondeo ad id, quod habetur *in capit. Cum ad Monasterium, De statu Monachorum*, vbi dicitur: *Statui regulari adeo est annexa Castitas, vt contra eam, nec Summus Pontifex valeat licentiam indulgere?* Respondeo, inquam,

ex communi omnium Pontificij iuris Doctorum, & aliorum, quos produximus, Theologorum sententia, solùm hoc argumento concludi, Monachum, quamdiu talis est, voto Castitatis adstringi, nec esse, aut fieri posse, vt quis sit Monachus, aut Religiosus, quin sit votiua Castitate deuinctus. Nos autem contendimus, auctoritate Pontificia ex Monacho posse fieri non Monachum.

Deinde obijcitur: Matrimonium ratum, non consummatum solemni voto Religionis dissoluitur: ergo si solemne Religionis votum posset Pontificia auctoritate dirimi, inde duo efficerentur incommoda, vnum, vt quis posset duas vxores habere: nam fingamus, Titium, post matrimonium ratum non consummatum, ad Religionem volasse; & deinde Pontificia auctoritate iustis de causis solemni Religionis voto solutum, aliam vxorem duxisse priori superstite. Alterum est, si solemne Religionis votum, nuptias tantùm contractas soluit, ac dirimit: ergo cum votum possit auctoritate Pontificia relaxari, eo ipso, poterit Pontifex matrimonium ratum non consummatum soluere, atque rescindere; quod tamen Theologi diffitentur. Respondeo, primùm illud incommodum minimè consequi: quia sicut matrimonium morte naturali cõiugis soluitur, qui, si viuente adhuc coniuge reuocaretur ad vitam, posset aliud matrimoniũ inire, eo quòd primum coniugium esset omnino solutum: sic etiam matrimonium ratum nondum perfectum, Religionis professione dirimitur. Si deinde ex Monacho fit non Monachus, poterit Pontificia auctoritate ex iustis causis, denuò matrimonio iũgi, cum primum matrimonium fuerit penit9 extinctum. Quod ad alterum incommodum spectat, Canonici iuris interpretum, & quorundam Theologorum est probabilis opinio, matrimonium rãtummodo ratum, auctoritate Pontificia posse dissolui. de quo alias.

Tertiò obijcitur: Religionis status est coniugio præstantior, perfectior, & altior: at iure diuino videtur esse constitutum, ne quis ex altiori vitæ statu ad inferiorem descendat. Respõdeo, auctoritate Pontificia primũ fieri, vt Titius, Verbi gratia, ex Monacho, fiat non Monachus, deinde verò fit, vt omni voto solutus ad nuptias transeat, vxorem ducat, sobolem procreet, vt sit aliquis in Regno successor. Quod autem ex altiori Monasticæ vitę statu descendat, id fit ob cõmunem Reipublicæ salutem, quæ priuatæ vtilitati, & commodis antefertur.

Postremò obijcies S. Thom. auctoritatem, qui docet 2. 2. *quæstion.* 88. *articul.* 11. Pontificem Romanum id facere non posse. Respondeo, ipsi S. Tho. ipsummet S. Thomam opponimus. qui *quart. distinction.* 38. *quæstion.* 1. *articul.* 4. *ad* 3. apertè ait, Papam posse dispensare in voto solenni religionis. Nunquam persuadere mihi quis poterit. S. Thomam, hanc Romani Pontificis auctoritatem, & potestatem negasse, sed solùm docuisse, vt rectè Paluda. & Caieta. discipuli suum magistrum interpretati sunt, Pontificia auctoritate fieri nõ posse, vt quis sit religiosus, & matrimonij vsu simul vtatur, quod libenter fatemur: nam dum quis religiosus est, Castitatem, Paupertatẽ, & Obedientiam seruare debet, vt intrinseca religioni: aut Pontificia auctoritas facere potest, vt quis religione solut9, & liber, & nuptias contrahat, & matrimonio vtatur, & res possideat, vt proprias, & illis tanquam proprijs vtatur.

Secundò quęritur, An solemne Paupertatis votum in Religione emissum, auctoritate Romani Pontificis aliquando relaxetur? Quæstionem mouet id, quod nonnunquam accidit. Monachus enim, vel Religiosus ad Cardinalis dignitatem euehitur, aut ad Episcopi munus eligitur: Episcopus autem, vel Cardinalis portionis sibi debitæ, ratione muneris, quo fungitur, dominium acquirit. Accedit, quod Episcopi aliquando sunt Comites, Marchiones, vel Duces; & proinde domini rerum ad Dignitatem pertinentium. Adde, quod Episcopis sæpè auctoritate Pontificia solet concedi facultas condendi testamentum. S. Thomas, cum eius fuerit sententiæ, quæ Romano Pontifici potestatẽ denegat, solemne Religionis votum relaxandi in eo, qui reuera Religiosus semper est; sentit quoq; Monachum in Episcopum electum, nullum dominium, aut proprietatem acquirere, sed administratorem esse bonorum ad suam Ecclesiam attinentium, nec fieri dominum portionis sibi debitæ, sed eam capere tanquam alimentum vitæ, & functioni publicæ necessarium. Ita vt, licèt cæteri Episcopi omni voto Paupertatis soluti, domini fint fructuum ex bonis Ecclesiæ, cui præsunt, sibi obuenientium: Episcopus tamen Monachus debitæ portionis tantummodo sit vsuarius, non dominus: vsum autem habet, vt alatur, cum ex bonis monasterij amplius sustentari nequeat. Sotus verò *libr. de iust.* 10. *quæstion.* 5. *artic.* 7. tametsi neget solemne votum Castitatis in Religione factum posse à Romano Pontifice dissolui: fatetur tamen relaxari posse votum Paupertatis, quoniam putat, Episcopos Monachos portionis sibi debitę verè dominos esse, nec votum Paupertatis censet esse tam Religioni cõiunctum, quàm votum Castitatis. Sed certè in vno cum iure Canonico Sotus pugnat: in altero cum S. Thoma. *in cap. enim. Cum ad monasterium, De statu monach.* perspicuè dicitur, vtrunque votum, Castitatis nempe, & Paupertatis, annexum esse Religioni, nec vlla est ratio, cur Castitas magis annexa dicatur, quàm Paupertas. Aduersatur verò S. Thomæ, cuius doctrinam profitetur, cum ille manifestè doceat. 2. 2. q. 185. *artic.* 8. & 2. 2. q. 88. *art.* 11. *ad* 4. Episcopos Monachos non esse dominos fructuum, quos percipiunt, sed eorum duntaxat vsum habere, vt commodè alantur, pro ratione status, & dignitatis. Nauar. verò *in comment. 2. de regularib. numer.* 17. existimat solemne votum Castitatis posse Pontificia auctoritate relaxari; cum tamen neget posse votum Paupertatis: non quia inficietur id simpliciter, sed quia causę grauissimę subesse possunt, cur Castitatis votum relaxari debet. Tales verò existere nequeunt, ob quas oporteat votum Paupertatis dissolui. Nã causa continere potest, qua Monachus Rex fiat, aut Princeps, & prolem ex matrimonio suscipiat: & proinde liber omnino à voto Castitatis sit: potest tamen esse Rex, vel Princeps, non autem Regni dominus, sed tantùm administrator. Ea itẽ causa videtur esse legitima, cur Monachus creetur Episcop9, aut parochiali Ecclesiæ

præficia-

præficiatur; nec tamen sit dominus portionis sibi debitæ. Huc accedit, quod Monachus in Episcopū electus; & proinde Comes, Marchio, vel Dux, sicut ad vitam est administrator bonorum Ecclesię, cuius curam gerit; sic etiam Pontificis concessu potest testamentum in morte conficere. Nec enim eo quòd testamentum condat, consequitur, vt sit dominus bonorum, quæ testamento relinquit, sed administrator post obitum. Pari ratione si Monachus in Regem eligatur, vti liberos ex vxore, quam duxerit, gignat, & procreet, & Respublica legitimum habeat hæredem, potest testamentum conficere, cum nihil aliud faciat, nisi quod Regni, aut Reipublicæ bona post obitum administrat, & non tantùm ad vitam. Similiter etiam Monachus in Romanum Pontificem electus, non eo ipso Paupertatis voto soluitur, sed fit omnium bonorum Ecclesiæ administrator; imò etiam eorum, quæ ad temporalem Romanæ Ecclesiæ iurisdictionem spectant.

Mihi itaque videtur in primis simpliciter quidem solemne votum Paupertatis à Romano Pontifice relaxari posse, quoniam per se nihil est, cur debeat votum Castitatis dissolui potius, quàm Paupertatis. Si obijcias id, quod *18. quæst. 1. cap. Statutum*, habetur: *Statutum est, vt Monachus, quem electio Canonica à iugo Regulæ, & Monachalis professionis absoluit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum fecit, velut legitimus hæres, paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat.* Hic duo decernuntur: Vnū est, Monachum in Episcopum electum absolui à iugo Regulæ, & professionis Monasticæ: Alterum est, esse legitimum hæredem, ac vt talem habere ius adeundi paternam hæreditatem, & eam sibi vendicandi. His adde, quod qui altari seruit, ius habet viuendi ex altari, vt docet Apostolus: Ergo Monachus ad Pontificiam dignitatem prouectus, ius habet portionem sibi debitam exigendi, & capiendi. Deinde, iure communi sancitum est, vt Clerici residentes, qui diuinis officijs intersunt, ius, & dominium sibi acquirant fructuum; ergo Monachus creatus Episcopus, fructus facit suos, si resideat, & suo munere fungatur. Præterea, suo nomine, & iure annuos redditus exigit, & percipit; & contra aduersarios litem mouentes, eos redditus tuetur, vendicat, atque recuperat. Postremò, Cardinalis, cuius sententia est communi consensu recepta, ait, *in Clem. 2. §. Sed & tales. de vita, & honest. Cleric.* & Nauar. eum sequutus *in Comment. 2. de regularib. num. 10.* Religiosum ad Beneficium, aut Dignitatem euectum, tam latè, & amplè posse fructus distribuere, & expendere, quam potest Clericus secularis. Vnde quidā aiunt ideo Monachum factum Episcopum, voto Paupertatis absolui, quia pugnat cum Pontificio munere, & functione. Episcopus enim iure communi, redditus percipit ad se alēdum, & distribuendum in pauperes, ac alios pios vsus. Nam eadem ratione soluitur iugo Monasticæ professionis, ac cæteris Regulæ obseruantijs, quæ cum pastorali munere, ordine, & gradu dignitatis, potestatis, & auctoritatis pugnant.

Profectò hæc quamuis nos non omnino conuincant, vt à S. Thomę doctrina omni ex parte recedere cogamur: inficiari tamen non possumus, votum Paupertatis solemne aliqua ex parte relaxari, & solui, cum Monachus, aut Religiosus in Episcopum eligitur: nam etsi non, eo ipso, fit dominus fructuum sibi obuenientium, nec portionis sibi debitæ, quod cum S. Thoma contra Sotum ingenuè confitemur: at eo ipso, quo est Monachus ad Episcopalem dignitatem prouectus, tanquam administrator suæ Ecclesiæ bona gubernat, & ad se commodè, & honestè sustentandum debitos fructus percipit, vt sui laboris, & operæ stipendia.

Ad id verò, quòd Sotus obiecit *ex cap. Statutum 18. q. 1.* respondeo, ibi solùm constitui, Monachum factum Episcopum, quicquid postea acquirit, Ecclesiæ, cui præest, acquirere, nō monasterio. Quæstio enim erat eo loco, An omnia bona, etiā post Ecclesiæ præfecturam susceptam, ad monasterium pertinerent? Et definitum est minimè pertinere, sed ad Ecclesiam, cuius erat Episcopus. Cuius rei causa redditur, quod sit à iure Regulæ Monasticæ, & professionis absolutus; quasi dicat; Non sicut antea, monasterio acquirit: non tamen consequitur, vt sibi acquirat. Rursus, sicut antea hæreditas paterna ad monasterium deueniret, si ei in monasterio commoranti contingeret; ita quicquid acquirit postquam ad Pontificium ordinem, & gradum ascendit iure hæreditario, vel industria, vel arte, vel labore, vel donatione aliorum, vel ex contractu, vel quasi contractu, non sibi, sed Ecclesiæ, quam suscipit regendam, acquirit. Ita vt bona, quæ alioqui in Episcopo, nullam Religionis Regulam professo essent patrimonialia, vel quasi patrimonialia, in Episcopo Monacho inter bona Ecclesiæ numerentur.

Obijcies, sæpenumero Pontificem Romanum Episcopis etiam è monasterio eductis facultatem concedere, vt testamentum faciant, & sua bona arbitratu suo, in quos voluerint, vsus distribuant? Respondeo, non propterea à voto Paupertatis absolui: quia facultas, quam habebant ad vitam administrandi bona, Romani Pontificis beneficio post mortem durat: Et cum ea bona in pios vsus impendi debuissent, eadem auctoritate distribuuntur in eos, quos Episcopi maluerint. Principis enim potestate, bona, quæ in pios communes vsus alioqui forent insumenda, in alios commutari, erogari, & impendi queunt. Porrò tametsi, cum monachus creatur Episcopus, voto Paupertatis minimè soluatur ex ea parte, quæ ad dominium, & proprietatem rei acquirendæ pertinet: videtur tamen solui aliqua ex parte: siquidem fructibus sibi obuenientibus vti potest, vt vult, eo ipso iure, quo est Episcopus factus.

Tertiò quæritur, An solemne votum Obedientiæ in Religionis professione factum, possit Pontificia auctoritate relaxari; & an eo ipso, quo Monachus professus in Episcopum eligitur, voto Obedientiæ soluatur. Sanct. Thomas, & Albertus cum sentiant solemne Religionis votum à Pontifice Romano dissolui non posse: quamdiu quis, vt ego interpretor, Religiosus perseuerat, siue quamdiu reuera Religiosus est, existimant Monachum, quando Episcopus creatur, Obedientiæ voto minimè solui, sed solùm eximi ab Obedientia Religioni debita. Hoc autem non est Obedientiæ votum dissoluere, sed eius materi-

am subtrahere: nam huic voto tacita subest conditio, in perpetuũ parebo, si aliquid facere iussus fuero, vel si Præfectum habuero, cui debeam obedire. Deinde, cum Religiosus in totius Religionis Præpositũ Generalẽ eligitur, à voto Obediẽtię minimè liberatur, semper .p. paratus est obedire, si superiorẽ Præfectũ habuerit; quem si non habeat, nõ ideo absoluitur à voto, sed ei Obedientiæ materia subtrahitur.

Sunt tamen, qui negent solemne Castitatis votum relaxari posse; Votum autem obedientiæ cõcedant, & reuera relaxari testantur, cum Monachus Romani Pontificis auctoritate, ad pastorale munus ascendit. Mihi verò probabilius videtur, posse quidem auctoritate Pontificis solemni voto Obedientiæ Monachum solui: sed non eo ipso, quo Religiosus Episcopi dignitatem assequitur, ab eo absoluitur. Vtrumque manifesta ratione probatur: quoniam tam intrinsecum est Religioni Obedientiæ votum, quam Castitatis, *cap. Cum ad monasterium, De statu Monachorum*: ergo si hoc potest Romanus Pontifex, illud quoque poterit. Monachus verò ad Episcopalem gradum, & honorem perueniens, nequaquam voto soluitur, sed eximitur à suorum Maiorum, & Superiorum potestate; & proinde voti materia cessat.

Quærtò quæritur, An Monachus in Episcopum, vel Cardinalem electus, eo ipso, ab omnibus Religionis oneribus, & statutis absoluatur? Duo extant in iure Canonico capita, quæ videntur aliqua ex parte sibi inuicem aduersari. *in cap. enim, De Monachis, 16. quæstione prim.* dicitur: *De Monachis, qui diu morantes in Monasterijs, si postea ad Clericatus ordines peruenerint, statuimus, nõ debere eos à priori proposito discedere*: at in cap. Statutum. 18. quæst. 1. definitur: *Statutum est, vt Monachus, quem electio Canonica à iugo Regulæ Monasticæ absoluit, & sacra ordinatio è Monacho Episcopum fecit, &c.* Hæc duo S. Thomas *in 2.2. quæstion. 185. articul. 8. & 2.2. quæstion. 88. articul. 11. ad 4.* ita conciliat, dicens eum Episcopum minimè absolui ab ijs Religionis obseruantijs, quæ neque Pontificium munus impediunt, neque dedecent dignitatem, sed magis iuuãt ad vitam perfectam; qualia sunt continentia, paupertas, habitus, quæ sunt Religionis insignia; à cæteris verò absolui, cuiusmodi sunt solitudo, clausura, silentium, vigiliæ, ieiunia, abstinentiæ, & aliæ similes vitæ asperitates, Caietan. *tom. 1. tract. 25. quæstione secunda*, docet Episcopum vi statuti, aut legis, & constitutionis non cogi seruare religionis statuta, sed solùm ex honestate rationis, & debito morali, vt inquit ille. Idem tradit Sotus *libro 10. de iust. quæstion. 5. articul. 7.* Caietanum in hac parte sequutus. Et ita interpretari debemus, quod scripserat Caietan. *2.2. quæstion. 185. articul. 8.* cum videtur oppositum asserere. Cõmuni itaque sententia receptum est, eum liberari, & eximi à iurisdictione, & potestate Præfectorum, & à pœnis, quæ irrogantur in Regulis, & Constitutionibus Monasticis, non tamen à tribus Religionis votis in professione factis.

Verùm de habitu dubitari solet, an eo ipso, liber sit ab habitu Religionis deferendo. Glossa *in cap. In noua. 16. quæstio. 7.* ait: *Monachus factus Canonicus, vel Episcopus habitum Monasticum non amittit.* Et ca. Monachi. *16.* quæstion. *1.* idem docet, In capit. Clerici officia, De vita, & honestate Clericorum, constitutum est, vt Monachi in Episcopali gradu constituti, habitum Monasticum gestent, ac teneant. An verò si illum non deferant, ita vt vtantur cõsueta, & Episcoporum propria veste, quæ est tunica linea, & candida exterius imposita, in excõmunicationem incurrant irrogatam *in cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6.* ijs, qui habitum Religionis temerè dimittunt, auctores dubitant: & videntur affirmare, Sylvest. *relig. 7. q. 11.* Cardin. *in Clemen. 2. §. Sed & tales. de vita, & honestate Clericorum.* Iason. *in Authent. Ingressi. C. De sacrosanct. Eccles.* & alij quidam, quos citat Couarruuias. *de testamen. cap. 2. numer. 18.* At ipse Couarruuias fatetur rem sibi esse dubiam. Sed probabilius existimo, eos nõ incurrere; eo quòd in eo cap. Excommunicatio feratur in eos, qui cum in Superiorum potestate sint, temerè deponunt habitum: at non videtur temeraria habitus dimissio, si Episcopus habens rationẽ Pontificiæ dignitatis, ac muneris, eum deponat, cũ sit à Superiorum cura, & potestate exemptus, & liber: at quia oppositæ sententiæ videtur esse communis, ne recedas ab ea, & ne nouam inducas. QVAERES deinde, an si Monachus ratione Regulæ, Constitutionisúe abstinere à carnibus debebat, factus Episcopus eadem lege teneatur? Quidam affirmant teneri, quia subtractio carnium, Pontificium, quo fungitur, munus, nihil impedit, nec dignitatem dedecet; & *capit. Carnem, De consecrat. dist. 5.* dicitur: *Carnem cuiquam Monacho, nec gustandi, nec sumendi est concessa licentia. Quod si quis Monachus contra sanctionem Regulæ, vsumque veterem vesci carnibus præsumpserit, sex mensium spatio retrusioni, & pœnitentiæ subiaceat.* In Regula S. Benedicti Monachus vsu carnium interdicitur. Item *in cap. De Monachis. 16. q. 1.* sic habetur: *Monachi, qui ad Clericatus Ordinem peruenerunt, nõ debent à priori proposito discedere*: ita sensit Hugo *in ca. de Monachis. 16. q. 1.* sic etiam Caietan. *2.2. q. 185. art. 8.* Sylvest. *religio. 7. q. 11.* Alijs verò, sicut & mihi; probabilius videtur, eum esse ea lege solutum, eo quòd pastoralem dignitatem, & munus non deceat. Sic Glossa *in prædicto cap. De Monachis, & c. 1. 18. q. 1.* Iason. *in Authent. Ingressi. C. De sacrosan. Eccl.* Card. *in Clemen. 2. §. Sed & tales. de vita, & hon. Cleric.* Turrecre. *in c. De Monachis. 16. q. 1. & c. Monachi. 16. q. 1.* præsertim si alij ex hoc, quod à carnibus abstineat, offendantur. Vnde Archid. *in cap. de Monachis. 16. q. 1.* & Abb. *in c. Clerici officia. nu. 18. de vit. & hon. Cleric.* Goffredum, & Hostiensem secuti sentiunt, quando citra aliorum offensionem ab esu carnium se continere non queat, eas edere debet: quòd si omnis aliorum offensio procul absit, vesci eis non licet. Absoluitur præterea ab onere, & penso diuini officij persoluendi, secundum formulam Regulæ Monasticæ præscriptam. Nam regere Ecclesiam debet iuxta morẽ, & vsum Clericorum, quibus præest. Sic Abbas, *in prædicto capit. Clerici officia*.

Rogabis insuper, an ratione Regulæ, Constitutionisúe socium ex eodem Ordine ascisere, & habere cogatur. Caietanus *2.2. q. 185. artic. 8.* & Sot. *lib. 10. de iust. q. 5. ar. 7.* eũ ab huiusmodi obligatione absoluunt: idem penitus sentiunt Ioan. Andr. *in c. vlt. de Cappel. Monach. & c. Quod Dei timorem. de statu Monach.* & Abb. *in eodem ca. n. 8.* Demũ interrogabis, an

si postea

si postea munus Pontificium deponat, debeat ad Monasterium reuerti? Quibusdam visum est, eum id facere debere: Siquidem communi est consensu receptum Monasticæ vitę, & obligationis vincula, & onera, quæ Episcopi munus neque impediunt, neque dedecent, adhuc permanere. Deinde quia sic feciſſe multi perhibentur: immo Cęlestinus Pōtifex Romanus hoc nomine Quintus, Pontificatu depositio ad pristinum Religionis statum se retulit. Adde, quod si quispiam certi alicuius Cœnobij Abbas alteri præficiatur; & postea secundam Præfecturam dimittat, ad pristinum Monasterium redire compellitur. Postremò, qui post simplex Castitatis, vel Religionis votum se se ad Matrimonium confert, illudque perficit, mortua vxore, secundis nuptijs cogitur abstinere, & Castitatem seruare, aut Religiosæ vitæ Regulam profiteri. *cap. Ex parte. De conuer. coniug.*

Caput VIII.

Quo iure bona profitentium Monasticam vitam transeant in ius, & dominium Monasterij.

PRIMO quæritur, An iure Canonico bona profitentium Religionem ad Monasterium pertineant? Respondeo, tum iure Canonico, tum Ciuili pertinere, quando Monasterium bonorum immobilium, siue stabilium capax est, cuiusmodi sunt cœnobia Religiosorū, qui Mendicantes non sunt, & quando is, qui professionem expressè, vel tacitè fecit, nihil de suis rebus, ac facultatibus statuerat, *Authen. Ingressi. C. de sacrosanctis Ecclesijs, & Authentica, Conuersationis. §. Illud, de Monachis.* quæ leges, quamuis ciuiles sint, locum, & vim habent, non vt ciuiles sunt, cum de Monachis iura constituant, quæ non possunt, sed vt Canonico iure cōfirmantur *in cap. Quia ingredientibus, & cap. Nunc autem. 19. q. 3.* quibus tamen legibus alicubi vsus, & consuetudo auctoritatem abrogauit. Nam receptum est more, quibusdam in locis, vt immobilia bona nō ad Monasterium, sed ad propinquiores consanguineos transferantur, & mobilia ad Monasterium pertineant. Et teste Couarruuia *de testamen. cap. 1. nu. 21. ad finem.* apud Gallos ex more abrogatæ sunt eiusmodi leges, & canones, apud quos vniuersa bona profitentium Religionem, nisi ex pacto Monasterio reseruentur, ad consanguineos propinquiores perueniunt. At Cœnobia Franciscanorum, Obseruātium, vt appellant, & Cappuccinorum, cum rerum stabilium, & mobilium dominium non acquirant, bona profitentium, sibi non comparant. Conuentus aliorum Ordinum Mendicantium, qui res stabiles, & annuos reditus, iuraſue perpetua communiter non possident, aut sibi nō acquirunt, aut saltem vendere debent, quoniam retinere nequeunt: vendere autē oportet, cum primum cōmodè possunt: neq; enim temporis opportunitas ad vendendum excluditur.

Secundò quæritur, An vsusfructus, quem pater Religionem professus habet in bonis aduentitijs filijfamilias ratione patriæ potestatis, ad Monasterium trāseat? Duæ sunt opiniones: Vna negat, sed statim, professione secuta vsumfructum finiri, & ad proprietatem redire, & ad filium, asserit, pertinere. Ita Cynus, Albericus, Salycetus, & Iason, & alij: quos refert, & sequitur Couarruuias *in ca. 2. nu. 8. de testamen.* Quod sic probant: Primùm, quia professione Religionis, quam pater emittit, patria potestas extinguitur: ergo filius sui iuris, & potestatis efficitur. Deinde, quia pater Religionem professus mundo moritur, *ca. Placuit. 16. quæst. 1.* & Religiosus non habet amplius velle, aut nolle, *cap. Si Religiosus, De elect. in 6.* Ergo cum filius factus sit sui iuris, & à patria potestate liber, suorum bonorum nō solùm proprietatem, sed vsumfructum etiam recuperat. Altera opinio affirmat ad Monasterium pertinere viuente patre. Sic Glossa, Baldus, Paulus, Decius: quam sententiam habent Innocentius, Hostiensis, Ioann. Andreas, Abbas, Imola, Syluester, & pleriq; iuniores: quos refert idem Couarruuias *cap. citato.* & Nauarr. *in comment. 2. de Regularibus, num. 38.* quamuis Bartolus doceat, dimidiam partem ad filium, alteram ad Monasterium pertinere. Id colligunt primum, quia bona profitentium transeunt ad Monasterium: sed in bonis patris Religionem professi censetur vsusfructus, quem habet in bonis aduentitijs filij, ergo transit etiam ad Monasterium. Deinde, quamuis Religionem professus mūdo moridicatur: talis tamē mors ciuilis tantùm est, non naturalis, & vsusfructus solùm videtur naturali morte finiri. Hæc opinio videtur æquitati magis consentanea, vt quæ magis Religionem iuuet, ac foueat: eam etiam sequitur Nauar. *in commen. 2. de regularib. nu. 55. & nu. 38.* Inter omnes tamen conuenit vsumfructum, quem quis habet ex alia causa, præterquam ex patria potestate, ad Monasterium pertinere. Item, si pater in Monasterium detrudatur, nō vt Monachus fiat, sed vt sua peccata per pœnitentiam expiet, communis est sententia, cum eo transire vsumfructum, quem habet in bonis filij; vt quamdiu est in Monasterio ad pœnitentiam agendam alatur ex eo, nam quamdiu viuit, vsumfructum non amittit. Ex quo fit vt si is, cui legatum esset alimentum annuum, Religionem profiteatur, eo ipso, illud monasterio debeatur, quamdiu ille vixerit. Quòd si legatum esset alimentum annuum ad commodum sui victum, & vnius famuli, & ancillæ; deberetur quidem monasterio tantummodo pars ad eum commodè alendum necessaria; non tamen reliquum, quoniam Religionem professus nullo amplius ministerio indigeret.

Tertiò quęritur, An pater amittat vsumfructū, quem habet in bonis aduentitijs filij, statim, atq; solemnem Religionis professionem facit filius in monasterio bonorum immobilium capaci? Duæ sunt opiniones. Vna affirmat, statim amittere, & vsumfructum ad proprietatem redire, & ad monasterium pertinere, eo quod per professionē desinit esse in patria potestate filius, & transit in ius, & potestatem Abbatis, qui monasterio præest. Sic Glossa *in Authen. Idem est. C. de bonis, quæ liberis.* & alij nonnulli; immo ait Nauarrus *in commen. 2. de regular. nu. 54. & 55.* hanc esse communem sententiam. Altera opinio docet penes patrem vsumfructum manere, nec ad monasterium transire, viuente patre, etiamsi filius præmoriatur. Sic Nauar. *loco supra citato.* & Couar. *c. 2. de testam. n. 8.* & quidā alij recentiores eo argumento permoti, quod

professio facta à filio, iuri patris ante acquisito derogare nequit. Deinde, etsi filius Religionem professus à patria potestate liberetur, non adimit patri ius, quod in bonis eius ante professionem sibi acquisierat, sed solùm impedit, ne nouum ius sibi comparare queat. Hæc mihi videtur opinio probabilior.

Quartò quæritur, An emphiteosis, si quam habet is, qui Religionem profitetur, ad monasteriũ pertineat? Respondeo cum Ioan. Andrea, Barth. Alberico, & alijs, quos citant, & sequũtur Abbas, & Decius *in c. in præsentia. de probat.* Iason *in Authent. Ingressi. C. de sacrosanct. Eccles.* Nauarr. *loco citato.* & Iulius Clarius *lib. 4. §. Emphyteosis. q. 22.* & Sylvest. *verbo, Religio. 6. nu. 1.* Angel. *in verbo, Religiosus. nu. 54.* Emphyteosim à priuato homine acceptam, transire ad Monasterium: Si tamen fuerit ab Ecclesia accepta, nisi eam repetat, etiam transire: ius enim haberet Ecclesia eam reuocandi, si vellet. Sunt nihilominus, qui absolutè, & simpliciter negent ad Monasterium deuenire, eo argumento conuicti, quia alioqui deterior omnino fieret directi domini conditio, eo quòd ei spes omnis emphyteosis ad ipsum deuoluendæ præcidatur. Sed prima sententia est tenenda.

Quintò quæritur, An feudum, quod soluit is, qui profitetur Religionẽ, ad Monasterium transferatur? Respõdent Ioannes Andreas, Abbas, Ancharanus, Antonius Butrius, Boich *in c. In præsentia. de probat.* cum Innoc. & Hostiensi; quibus etiã cæteri consentiunt, ad Monasterium pertinere, quia in bonis profitentis numeratur: hoc tamẽ locum habere testantur, quando ratione feudi ministerium reale debetur; nimirum pecuniaria pensio vel alia quæcunque sit res; vel quando personale quidem obsequiũ debetur, sed tale, quod possit honestè à Monasterio præstari per se, vel per alium in sui locũ substitutum. Alioqui enim feudum finitur, & ad directum dominum reuertitur: & Religionem professus à Sacramento, & iureiurando fidei datæ absoluitur. Ad Monasteriũ item dicitur transire feudum, non vt perpetuò apud ipsum permaneat, sed tãtummodo ad vitam eius, qui est Religionem professus. Existimat tamen Iulius Clarius, *lib. 4. §. Feudum. q. 78. recept. sement.* eiusmodi sententiam cõmunem, solummodo locum habere in feudis inferioribus, qui dignitatem nõ habẽt. Si filius, inquit, Regis, Principis, Ducis, Marchionis, Comitis Monachus fieret, minimè Regnũ, Principatus, Ducatus, Marchionatus, & Comitatus ad Monasterium deueniret. Quod etiam videtur dicere Speculat. *tit. de statu Monach. nu. 15.*

Si quæras, An Primigenia, quæ apud Hispanos sunt in vsu, & more posita, & regijs legibus confirmata, & dicuntur Maioratus, trãseant vnà cum primogenito facto Monacho ad monasteriũ? Respondet Molin. *in tract. de Hispan. primog. lib. 1. ca. 1. nu. 71. & sequentib.* non transire: & hoc confirmat vsu, & cõsuetudine, quæ ita seruatur in Hispania: *nam huiusmodi Maioratus apud Hispanos, instituuntur ea lege, & conditione, vt bona in familia conseruentur, & proximo cuique primogenito per successionem in perpetuum debeantur*: Sic ille.

Sextò quæritur, An bona eius, qui profitetur Religionem, debeãtur statim hæredi extraneo, quem ante professionem, legitimè instituerat? Respondeo, si Religio bonorum capax non sit; qualis est Franciscanorum Obseruantium, & Cappuccinorum, statim ab emissa professione, ad hæredem institutum pertinere, quoniam professio taliũ Religionum, in hoc, morti naturali æquiparatur: Si verò Religio sit bonorum capax, bona nõ debentur hæredi instituto, nisi post naturalem mortem Monachi Religionem professi: quamdiu enim viuit Monachus, Monasterium eius bona iure possidet. Sic Barth. Abb. Imola, Anton. Butr. Decius, Alexand. quos refert, sequiturq; Couar. *cap. 2. nu. 6. de testam.* Vnde fideicommissum relictum alicui sub ea conditione, si institutus hæres sine liberis decesserit, statim fidei commissario debetur, si institutus Religionem profiteatur, quæ bonorum capax non sit, vt testatur Socinus, quem citat, & sequitur Couarruuias *loco citato.*

Septimò quæritur, An si pater Religionem profiteatur, statim legitima bonorum portio filio debeatur, ita vt eam possit confestim filius petere, & Monasterium tradere cogatur? Duplex est opinio: Vna docet, si pater ante professionem bona inter filios minimè diuiserat, non statim deberi legitimam filijs, sed post obitum patris: eo autem viuente, Monasterium omnia bona possidere. Sic Glossa, & Barthol. Salyce. Iason, Decius, Alexan. Felin. immo hanc aiunt esse opinionem communem, hos omnes citat Couar. *c. 2. de testam. nu. 7.* Altera opinio tradit statim deberi filio. Sic Abb. Ioan. Andr. Ioan. Anania, Baldus, Francus, quos citant, & sequuntur Couarr. *in ca. 2. de testam. nu. 7.* & Nauarr. *in commen. de regular. 2. nu. 48.* quę certè opinio magis videtur cum ratione, & communi iure Canonico congruere: quamuis minus cum iure ciuili conuenire videatur. Nam *in c. Cũ simus, de Regular.* probari videtur tradẽdam esse filio portionem legitimam ex bonis patris Religionem professi, statim, non expectata morte patris. Deinde, quia filius alioqui à Monasterio exigere annua necessaria alimenta cogeretur, quod esset ei graue, & molestum. Et *in Authen. Si qua mulier, De sacrosan. Eccles.* patri Religionem professo liberè permittitur, legitimas portiones filijs reddere: quod minimè concederetur, si bona patris eo viuente à Monasterio recuperari, & auferri nõ possent. Eadem ratione dos debetur filiæ, & danda est illi, statim vt pater fuerit religionem professus; dos enim est loco alimentorũ, & legitimæ portionis.

Quæres, An filij naturales, & non legitimi ius habeant petẽdi legitimas portiones ex bonis patris Religionem professi? Respondeo, communi cõsensu esse receptum, tantùm filijs naturalibus, & legitimis id iuris conuenire. Nauarrus tamen *loco citato*, affirmat eos id etiam iuris habere cum legitimi deficiũt ijs in locis, in quibus succedunt ex testamento, & ab intestato, deficientibus legitimis. Quę sententia mihi probatur; quoniam ratio naturalis idem ius videtur suadere de filijs naturalibus, quod de legitimis, si legitimi deficiant.

Octauò quæritur, An simili etiam ratione pater ius habeat statim exigendi portionem sibi debitam ex bonis filij Religionem professi, non expectata naturali filij morte? Duæ sunt opiniones, quarum vna negat, estque Glossæ, & aliorum *in Authent. Si qua mulier, supra citata.* Sumpto argumento ex Authentica, Si qua mulier, quæ loquitur de

eo, qui

eo, qui erat ingressus in Monasterium, & liberos habebat. Altera opinio affirmat idem iuris conuenire Patri, quod & filio: quæ placuit Barth. Cyno, & Iasoni, *in Auth. Si qua mulier.* Innoc. Ioan. Andr. & Abb. *in c. In præsentia. de probationib.* & mihi pariter placet. Nam iure gentium, patri legitima debetur ex bonis filij, sicut ex bonis patris iure naturali, filio debetur quoque legitima portio. Ius autem gentium idem est, quod naturale.

Nonò quæritur, An filius Religionem ingressus, ius habeat ante professionem statuendi, quod voluerit de suis bonis aduentitijs, viuente patre in ipsis vsumfructum habente? Duæ sunt opiniones: Vna negat, quia nihil potest statuere, quod iuri patris deroget. Altera affirmat, quâ sequitur Abbas *in c. In præsentia. de probat.* Sylvest. *religio. 6. q. 1. vers. 5.* Id probat, quia filius statim ab ingressu gaudet priuilegio *Authen. Presbyt. C. De Episcopis, & Clericis.* Vbi quod in laico est peculium aduentitium, in Clericis est quasi castrense: sed filius familias potest, nutu suo, absque consensu patris, de bonis castrensibus, & quasi castrensibus statuere, ergo & filius Religionē ingressus poterit de bonis aduentitijs. Inter omnes cōuenit nihil iuris patrem habere in aduēctitijs filij bonis, post ingressum in Religionem acquisitis: & proinde posse filiū de his ante professionē statuere, q̄ placuerit, quoniā eiusmodi bona aduentitia sunt quasi castrensia.

Tota igitur quæstio est de aduentitijs bonis ante ingressum in Monasterium comparatis, de quibus etiam constat posse filium suo arbitratu statuere, quod attinet ad dominium, & propietatem illorum. Sed adhuc dubiæ quęstionis est, an etiam possit statuere, quod libuerit, de vsufructu illorum? Prima opinio negat, secunda affirmat. Mihi tamen magis prima probatur opinio; non enim pater est suo iure priuandus.

Decimò quęritur, An libri, quos filius familias accepit à patre ob studium literarum, ad Monasterium pertineant, si filius Religionem profiteatur. Quidam volunt pertinere, quia sunt peculiū quasi castrense: nam libri in his, qui literis student, sunt veluti arma militis: sed hæc sunt peculium quasi castrense, ergo & libri iuuenum literis operam dantium. Alij verò distinguunt: Aut libri sunt dati à patre filio doctori, vel magistro, & hi pertinent ad Monasterium, cum sint veluti arma doctoris, vel magistri; & proinde quasi castrense peculium: Aut sunt dati alijs, qui in studio literario curam, & operam collocant. Et hi non transeunt ad Monasterium, sed patri debentur. Sic Bartolus *in l. Filiæ. ff. Familiæ herciſc.* quod Sylvest. *religio. 6. q. 1.* verius esse dicit: Sed vsu est receptum, vt si filij sint extra domum paternam ad academias missi, studij literarij gratia, eorum libri ad Monasterium trāsferantur; eorum autem, qui apud patrem in literas cura, & studio incumbunt, libros pater retinet, nec Monasterio tradit.

Vndecimò quæritur, Quo iure Monasterium succedat in bonis Monachi Religionem professi? an iure hæreditario, tanquam hæres proprius, an tanquam hæres extraneus institutus? Hæc quæstio solùm est de his bonis, quæ Monachus habet tempore Professionis: nam postea explicabimus, quo iure succedat Monasterium in bonis, quę illi obueniunt post Professionem emissam, Innocentius *in cap. In præsentia, de probationibus* respondet, Monasterium succedere iure hæreditario, seu quod idem est, iure successionis; & proinde possessionem bonorum acquirere, quam primum quis factus est Monachus absque vlla apprehensione. Et in hoc Monasterium, ab hærede extraneo instituto distingui, quòd hæres non fit Dominus quousque adeat hæreditatem: & postquam adierit, non intelligitur hæreditaria bona possidere, donec eorum corporalem possessionem fuerit adeptus, *l. Cum hæredes, ff. De acquiren. possess.* Monasteriū, verò cum primum quis Monachus est factus, omnium bonorum eius non solùm dominium, sed etiam possessionem acquirit, quia Monachus nihil potest amplius possidere. Et quia persona eius in Abbatis potestatem transit, sicut bona eius, qui per arrogationem transfertur in potestatem arrogantis, ad ipsum arrogantem deriuantur, *l. Si adoptauero, ff. De Præcario.* Hoc idem sentiunt Hostiensis, Antonius Butrius, Ioann. Andreas, Abbas, Petrus Ancharanus, Baldus *in cap. In præsentia. de probation.*

Caput IX.

De Religiosorum Peculio.

PRIMO quæritur, An Religiosus possit peculium habere? Nam Peculium omnino videtur cum votiua paupertate pugnare, eo quòd Peculium sit proprium alicuius patrimonium. *In l. Depositi. ff. de Peculio* dicitur: *Peculium dictum est, quasi pusilla pecunia, vel pusillum patrimonium.* Olim enim, vt habetur *in cap. Totum. 1. quæst. 2.* Totum, quod quis in suo patrimonio habebat, pecuniæ nomine vocabatur. Ergo peculium dictum est quasi pusilla pecunia, hoc est, pusillū alicuius patrimonium: Peculium namq; solùm dicitur Pusillum serui, vel filij familias patrimoniū, quod habet separatū à magno Domini, aut patris familias patrimonio. Et secundum Glossam *in Rubrica, ff. De Pecul.* octo modis Peculium dici contingit, quos non necesse est in præsentia referre. Et quia Patrimonium veteres in pecoribus habebāt, dictum est Peculium, quasi paruum pecus.

Monachus autem patrimonium, siue bonorum proprietatem non habet. Nam *cap. Non dicatis, 12. q. 1.* proprium habere, Monachis est interdictum; & *cap. Monachi, De statu Monacho.* ex Concilio Lateranensi sancitum est, ne Monachi permittantur peculium habere. Item, *in cap. Cum ad Monasterium, De statu Monachorum.* Abdicatio proprietatis adeò annexa dicitur Monachali Regulæ, vt contra eam, nec summus Pontifex, valeat licentiam indulgere. In Concilio quoque Tridentino *sess. 25. cap. 2. de Regularibus* statuitur in hunc modum: *Nemini Regularium tam virorum, quàm fœminarum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam necessaria Conuentus, possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, & conuentui incorporentur.* Et deinde subijcitur: *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari cōcedere, etiā ad vsumfructū, vel vsum, vel administrationem, aut cōmendam.* Hactenus Concilium.

Annotandum est, Peculium esse triplex. Primùm, nomine Peculij cēsentur ea bona, quorum quis dominiū, siue proprietatem habet. Deinde,

ea bona,

ea bona, quorum quis habet vsum fructum, vel vsum, vel administrationem absque vlla alterius voluntate; ita vt arbitratu suo possit eorum fructibus vti, & de eis nutu suo quod voluerit statuere. Postremò, Peculij nomine intelliguntur ea bona, quorum quis habet vsum, vel administrationem, quæ ad nutũ alterius reuocari possint. Porrò Peculium, aut in rebus stabilibus, aut immobilibus, aut in mobilibus consistit.

Hoc posito, omnibus compertum est, cum solemni Paupertatis voto pugnare, si Monachus primi generis peculium habeat, cum per professionem se omni rerum dominio, & proprietate abdicauerit. Certi item iuris est, non posse Religiosum secũdi generis peculium habere: nam etiam voto Paupertatis solemni repugnat vsusfructus, vel vsus, vel administratio, à qua Abbas nutu & arbitratu suo Monachum amouere nõ possit. Religiosus enim nihil proprium habere potest: sed vsus, vel vsusfructus, vel administratio, quã quis pro libito habet nullius alterius potestati, & voluntati subiectam, est aliquid proprium. Deinde, Monachus nihil iure potest, aut velle, aut nolle, absque Abbatis nutu, & arbitrio, ergo nec aliquid proprium habere. Et de his peculijs intelliguntur Canones supra citati. Quare Concilium Tridentinum, hæc verba subiecit: *Administratio autem bonorum Monasteriorum, siue Conuentuum, ad solos officiales eorundem, ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat.* & statim addit: *Mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorũ supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit.* Hæc ibi. Peculium verò tertij generis, solemni voto Paupertatis minimè aduersatur: nec enim Monachus proprium quid habere censetur, cum id habet, vel administrat, vel eo vtitur sui Abbatis nutu, & concessu expresso, vel tacito, & quod eiusdem voluntate reuocari queat: tale enim peculium conceditur iure communi *in cap. Monachi, ad finem, & cap. Cum ad Monasterium, §. Tales, de statu Monachorum.*

Secundò quæritur, An liceat Monialibus fœminis nutu, & concessu Superiorum retinere, & possidere redditus, siue census certos ad vitam, sibi à parentibus, vel propinquis, vel amicis assignatos ad suæ vitæ vsus necessarios? Innocentius, Hostiensis *in ca. cum ad Monasterium, de statu Monachor.* Sylu. *Religio. 6. q. 7. & religio. 8. q. 5.* Ioan. Andr. & Abb. *in c. cum ad Monasterium citato,* & Nauarr. *Commen. 2. de Regularib. n. 14.* id iure fieri posse, opinantur, dũmodo ij census nutu Superiorũ reuocari, auferri, & denegari queant. Id colligunt primum *ex cap. De Viduis, 27. q. 2. & c. Insinuante, qui Clerici, vel vouen.* Deinde, quia id cũ votiua paupertate non pugnat, cum nec proprietatem, nec dominium censuum habeant, sed vsumfructum nutu Superiorum reuocabilem. Accedit, quòd id sit in more positum. Nauarrus demum, qui post Concilium Tridentinum scripsit, censuit hoc minimè pugnare cum Concilij Tridentini decreto. Dicendũ tamen est, hoc iure antiquo nequaquam esse prohibitum, idque proposita argumenta cõcludunt: at verò iure nouo Concilij Tridentini, id esse interdictum, *nimirum sess. 25. cap. 2. De Regularib.* Vbi sic habetur: *Non liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad vsumfructum, vel vsum, vel administrationem, aut commendam.* Hæc ibi. Sed redditus, & census annui inter bona stabilia numerantur, vt colligitur *ex Clem. Exiui, §. Cũq; annui redditus, de verb. signifi.* Permittit tamen Concilium, vt administratio bonorum Monasterij, siue Conuentus, sit penes officiales eiusdem Monasterij, & cœnobij nutu Superioris amouibiles. At opponis; Si administratio bonorum stabiliũ esse potest penes officiales, nutu Superiorum reuocabiles, quare nequit esse penes ipsos Religiosos priuatos? Respõdeo, vt ante iam dixi, hoc non esse iure naturali, diuino, aut Canonico antiquo vetitũ, sed à Concilio Tridẽtino, & meritò improbatũ, & sublatum: quoniam cũ huiusmodi bonorũ vsus, vel administratio priuatis Monachis conceditur, solet esse causa multorum malorum, vt docuit experientia; at non ita, cum publico cœnobij administro ea cura cõmittitur. Cæterùm non præcipit Concilium, ne nutu, & consensu Superioris Religiosus priuat⁹ habeat vsum vel administrationem bonorũ mobilium, ad vitæ vsus necessarios, aut vtiles, cuiusmodi bona sunt libri, & reliqua supellex: *dummodo,* inquit, *nihil in ea superflui insit.* & addi iure potest, *modo non habeat ad vanos, aut inutiles, aliosue vsus turpes, & lege, siue canone interdictos.* Nec hac in re mihi Nauarri sententia probatur, qui duobus in locis scriptum reliquit, *videlicet in Commen. 2. de Regularib. nu. 18. & in tract. de reddit. Eccles. q. 1. nu. 84.* prædictum Concilij Triden. decretum *de Regularib.* solùm cauere, ne Superiores bona stabilia alicui Regulari tribuant ad vsum, administrationẽ, vsumfructum, vel cõmendam, nimirũ, sine causa iusta, & debita: vnde ait, nullum ius nouum in Concilio, hac in parte constitutum fuisse, sed tãtummodo ius antiquum renouatum, vt Regularis nihil propriũ habeat, nullum item vsum sine causa iusta, & legitima. Quare veriùs existimo, quod hactenus dixi, id iure antiquo esse permissum, iure tamen nouo in Concilio vetitũ fuisse, & propterea annui cẽsus, vel redditꝰ, sicut, & alia bona immobilia, tradi Superiori debent, vt is Religiosis singulis necessaria prouideat. Hoc idẽ post Concilium Tridentinum, scribés sensit contra Nauarrũ Cordubensis, in sum. q. 54.

Tertiò quæritur, An Abbatis nutu, & concessu possit Religiosus aliqua bona habere, quæ ei conferuntur, vti ab eo administrentur, ea conditione, vt certam pensionem reddat Monasterio, & ex reliquo viuat, & illud impẽdat in pios, aut in bonos vsus, quos ipse maluerit. Tale peculium habere solent Monachi senes, vel infirmi de Religione bene meriti, quibus habitatiões aliquæ salubriores commodioresque concedi solent; ita tamen, vt ad Abbatis nutum adimi, & auferri queant. Respondeo ex paulò ante dictis, id non licere iure nouo Concilij Tridentini, si bona sint stabilia; quamuis iure antiquo non fuerit interdictum.

Quartò quæritur, An aliqua fœmina possit Religionem profiteri ea cõditione, vt domi suæ maneat, & certam suorum bonorum portionem habeat? Respondeo; Si ea conditio sit, vt tanquam proprium aliquid habeat, vel quod nutu Abbatis nequeat repeti, & adimi, cum votiua professione pugnat, & totam eius substantiam, & naturam vitiat: Si autem ea conditio intelligatur, vt tum domum suam ad habitationem, tum suorum bonorum partẽ ad necessaria vitę subsidia, & alimenta habeat ex Abbatis voluntate pendentem, nihil

professio-

professioni repugnat, nec iuri antiquo, vt colligitur, *ex cap. de viduis. 27. qu. 2. & cap. insinuante. qui cleri. vel vouen.* Abb. *in cap. cum ad monasterium, de statu Monachorum.* Nauarr. *Commen. 2. de regularibus, nu. 14.* Syluest. *verbo Abbas. q. 7. dicto. 7.* ex Innoc. *in cap. insinuante citato,* & ex Ioan. Andrea *in cap. non est obligatorium de regul. iuris in sexto.* At iure nouo Concilij Tridentini, id nō licet, quo præcipitur, ne Religioso priuato dentur etiam ad vsum, & administrationem stabilia bona; eiusmodi sunt domus, fundi, agri, & aliæ possessiones huiusmodi. Ex quo intelligitur quomodo cum votiua Professione, quam faciunt fœminæ Sanctimoniales, aut cum iure antiquo Canonico, aut nouo Cōcilij Tridentini, nō pugnet, quod in consuetudinem venit: qua huiusmodi fœminæ præter dotem Monasterio datam, aliquam bonorū portiunculam à parentibus, vel alijs propinquis acceptam superiorum consensu reseruant, & retinent ad suos vsus necessarios, quam in singulos annos possint insumere: talis enim bonorum portio tradi solet cuidam moniali, quæ tanquam administra, & depositaria solet Monialium similes portiones habere, vt cuique pro earum indigentia distribuat.

Quintò quæritur, An Superiorum nutu, & permissu Religiosi possint aliquid habere, quod impendant in vsus suorum propinquorum, vel amicorum? Respondeo, Consuetudinem præteritis temporibus fuisse, qua Superior Religioso facultatem concedebat, vt alijs donaret ea bona, quæ ipse Superior alioqui iure donare posset, ius autem, & potestas Superiori erat secūdum consuetudinem receptam aliquid donandi, quod esset in rem, & vtilitatem cœnobij, vel in pauperum, & indigentium vsus, vel ad afficiendos munusculis aliquos ex ijs, qui de Cœnobio, vel Religione benè meriti essent, vel ad conciliandam aliquorum beneuolentiam. Quare non condemnabatur id, quod aliquando fieri solebat, quando Superiorū concessu Religiosus, qui in aliqua Academia, vel Gymnasio publico docebat, ex annuis redditib⁹, qui ipsi Cœnobio tanquam debita stipendia soluebantur, aliquantula sibi portionem retinebat, quam vel consanguineis indigentibus tribuebat, vel arbitratu suo in alios vsus bonos, aut vtiles, aut necessarios insumebat, dummodo eam portionem nō haberet tanquam certam reddituum annuorum partem sibi debitam, sed eam quotannis acciperet à Superiori, vel à totius Conuentus Procuratore, cui annui reditus Cœnobij administrādi committi solent. Similiter etiam Sanctimonialibus permittebatur, vt consanguineis, vel alijs de se bene meritis, aliqua bona impertirent, quæ industria, arte, vel labore manuum suarum acquirerent, aut parentum, aut amicorum, aut aliorum donatione haberent: & Religiosus item, quando longè à Monasterio aberat, vel studij literarij gratia, vel alia qualibet de causa, legitimo Superiorum permissu, & consuetudine recepta eleemosynam dare solebat ex ijs, quæ à Monasterio accipiebat, ad se in studijs literarijs, vel negocijs gerendis commodè sustētandum, dummodo id daret solùm, quod esset more, & vsu receptum, nec esset hoc illi specialiter interdictum: & modo id tantùm donaret, quod detrahebat sibi parcius viuendo ex acceptis alimentis: tunc enim eleemosynā dare videbatur tacito Superioris consensu. Veruntamen siue iure, siue secus, hæc Superioribus temporibus aliqui Religiosi facere consueuerint, meritò ea, & alia similia, quia Religiosam paupertatem magna ex parte eneruare, & labefactarē videantur, fieri omnino vetuit Sanctissimus D.N. Clemens VIII. *in Constitutione edita anno salutis humanæ 1594. quæ incipit. Religiosæ Congregationes.* Vbi præcipit, *ne Religiosi, quicunq; sint illi, siue viri, siue fœminæ, cuiuslibet Cōgregationis, Societatis, & Instituti (non tamen Militiæ) directè, vel indirectè, palàm, vel occultè, tam cōmuni, quam particulari, & proprio nomine, etiam sub quouis statuti, vel consuetudinis, seu veritus corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacunq; causa, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Cōgregatione re maturè discussa, vnanimi cōsensu omnū, Superiorumq; permissu, causa approbata fuerit, aliquā largitionem, & missionē munerum facere valeant.* Et subiungit statim. *Id autē ita absolutè, & generatim vetitū intelligatur, vt neq; omnino fas sit, quicquā donare, tā ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, siue eleemosynis, aut subsidijs certis, vel incertis, ordinarijs, seu extraordinarijs, mensæ seu massæ cōmunis, vel cuiusuis Fabricæ, & Sacristiæ, quorum bona cōmuniter, vt præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia; quàm ex pecunijs, etiam quæ à singulis quouis modo acquisitæ, in cōmune conferendæ omnino sunt. Nec si per viā voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec si seorsim priuatim, & nominatim cuilibet Religioso à suis Superioribus, vel à proprijs affinibus propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à pijs Christi fidelibus, etiā eleemosynæ, aut charitatis, ei illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quomodolibet per quemlibet Religiosum suo Monasterio, Domui, aut Loco acquisitæ, atq; vt ad libitū de eis disponat per Superiores concessæ fuerint: præterquā leuiora ejcalceata, aut poculenta, seu ad deuotionē, vel Religionem pertinentia munuscula cōmunitantùm, nunquàm verò particulari nomine (vbi Superiori de consensu Conuentus videbitur) tradenda. Sed & eiusmodi missiones munerum ipsis Religiosis viriuslibet sexus non solùm per se, verum etiam per alios, tam directè, quàm indirectè prohibitas declaramus. Nec aliquis excusare se possit etiāsi munera miserit cuiusPersonæ Laicæ, vel Ecclesiasticæ cuiuscunque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quauis nō solùm mūdana, & Ducali, Regia, Imperiali: verū etiam Ecclesiastica, & Pontificali, aut alia maiori, etiā S.R.E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiā proprio Loci Ordinario, etiā ex causa, & occasione Benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, Tōsuræ, aut Professionis Monialiū, tā sibi subditarū, quàm nō subditarū, aut ipsi etiā proprio Ordinis Protectori, Viceprotectori, Generali, vel Prouinciali, aut cuilibet alteri Superioris aut etiā cuilibet simplici, & particulari Religioso: ita vt inter ipsos quoq; Religiosos (ne praua ambitione impulsi pro cōsequēdis in sua Religiōe gradib. & dignitatib⁹, alter alteri⁹ gratiā, aut beneuolentiā aucupetur) quæcūq; largitio aut donatio munerū (nisi rerū minimarū de licētia expressa, & in Scriptis Superiorū) sit penitus interdicta.*

Insuper prohibemus, ne vnquam eisdem Regularibus liceat vllas pecunias quoquo modo erogare, in alicuius etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel ordinarij honorē, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad beneficiorū acceptorum memoriā, gratiq; animi testificationē seu pro prædictis personis, quauis auctoritate, vel dignitate fungētibus honorifice, iuxtā, & opiparè excipiendis, seu pro quibusuis conuiuijs eisdem; aut cuiuis alteri quacunq; occasione, vel causa exhibēdis, vel pro commessationibus, aut compotationibus quibusuis personis tam eiusdem ordinis, Congregationis,

Monasterij,

Monasterijs, Domus, aut Loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam pijs intra Ecclesias, Monasteria, & Domos sacras, seu pias, vel extra eas, in quibusuis publicis, aut priuatis, sacris, aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum & Sanctarum vita, aut res piè gestæ, etiam in memoriam Passionis Dominicæ populis spectandæ proponuntur: aut aliàs in prædictis, siue in quibusuis rebus superuacaneis ad pompam, & ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & priuata commoda quomodolibet pertinentibus. Nisi re ipsa pro diuino cultu, & veris Christi pauperum indigentijs, seruato in hoc charitatis ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio, & consensu Superiorum subleuandis, aut aliàs in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Prouinciale nõ prohibitis, vel Taxam, ibi forsan præscriptam non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.

Declarantes tamen per hæc, laudabilem, & Apostolica doctrina, sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem præsertim erga pauperes, & peregrinos nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimmo si qui reditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, ordinum, aut Regularium huiusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donantium voluntatibus, siue aliàs applicati, aut donati sunt, eos omnino (vt decet) integrè in vsus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse, & præsertim in Monasterijs, seu locis desertis, & ab Laicorum ædibus longius remotis, vbi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.

Si quos verò diuiores occasione transitus, siue aliàs ex deuotionis, aut necessitatis causa eo diuertere contigerit, eos sanè deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaque, & ferculis communibus nequaquam à cæteris distinctis contentos esse. Verùm omnino ipsi regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis, ita se gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas religiosa prorsus eluceat.

Pari etiam ratione districtè inhibemus, ne quispiam ex prædictis Laicis aliàs, quàm vt superius dictum est, vel clericus sæcularis, vel regularis, quocunque honore, præeminentia, nobilitate, aut excellentia, etiam S.R.E. Cardinalatus dignitate præditus, etiam Protector, Viceprotector, loci ordinarius, Prælatus Generalis, Prouincialis, aut Monasterij, Domus, vel loci cuiuslibet Superior, eorumue affines, propinqui familiares, aut ministri vtriuslibet sexus, quicquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiat. Quòd si, vel ab aliquo particulari Religioso, vel à Superiore quopiam, Generali, Prouinciali, aut alio quocunque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione, siue ab vniuerso ordine, & Religione quippiam receperint, id, quod acceperint, suum non faciant, verùm ipso facto, absque aliqua monitione, Iudicis decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem in vtroq; foro teneantur: adeo, vt restitutione ipsa realiter nõ facta, neq; etiã in foro conscientiæ absolui possint.

Hanc autem restitutionem fieri volumus non priuatim ei Religioso, qui donauit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta est largitio: vel si non de eius bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit: vel si nomine totius Capituli, Cõuentus, aut Congregationis, vel vniuersi ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensæ, aut massæ, cuius nomine donatum fuerit, acceptæ munera restituantur: ita vt nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio cui restitutio faciẽda est, illam remittere, & iterum cõdonare, aut recipientẽ ab obligatione restituendi eximere, vel vt in pauperes eroget, concedere quoquomodo possit.

Quòd si quis ex supradictis Regularibus vtriuslibet sexus, cuiuslibet gradus, ordinis, dignitatis, ac vbilibet locorum existentibus coniunctim, cum cæteris, seu diuisim, nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, institutionum, decretorum, mãdatorum, transgressor fuerit, statuimus, vt omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officijs eo ipso priuatus, atq; ad illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda, inhabilis perpetuò, & in capax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat: & præterea priuationem vocis activæ, & passiuæ absq; vllo Superioris decreto, aut ministerio, ipso facto, incurrat: necnon vltra huiusmodi pœnas, etiam tanquã contra furti, & Simoniæ criminum reum, tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelæ, quam etiã ex officio procedi, & inquiri, condignisq; supplicijs affici debeat. Pœnis aliis à Iure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cuiusuis ordinis, Congregationis, Monasterij, Domus, aut loci statuta, vel Consuetudines contra personas aliquid præmissorum committentes, forsan decretis, & inflictis, nihilominus in suo robore permansuris. Hactenus Pontificia Constitutio. Ex qua manifestè perspicitur, multa esse iure optimo abrogata, & penitus sublata, quæ consuetudo contra, aut præter Religiosorum paupertatem inuexerat.

Sextò quæritur, Quid fit dicendum, cum datur alicui Religioso in quotidianas impẽsas annuas, vel menstruas, aut pro itinere faciẽdo, aut aliquo alio negocio peragendo certa pecuniæ quantitas, ea conditione, vt nihil amplius à Monasterio exigat, nec rationem reddat, sed eam suo damno, vel cõmodo impẽdat, Quæritur, inquam, an si hic Religiosus parcius viuat, reliquũ, quod sibi subtrahit, tuta, & salua cõscientia in eos vsus distribuat, quos ipse maluerit? Respondeo, id etiam præteritis temporibus fieri solitum fuisse, non quòd eius portionis Religiosus factus esse Dominus crederetur, sed quòd tacitus quidã Monasterij consensus intercedere videretur, vt eam portionẽ ex suo victu detractam, prout vellet, insumeret in pios, & bonos vsus, alioqui nihil ei arbitratu suo liceret impendere. Hinc etiam fit vt tanquã iure permissum, condemnatum non fuerit olim id, quod erat in more positũ, scilicet Religioso cuipiã tradebatur possessio, aut alia quælibet dom^s, vel villa vnà cum suis omnibus fructibus, & commodis administranda, ea lege, & conditione, vt certam pensionem Monasterio solueret, rem sibi creditam meliorem vtilioremq; redderet, & reliquũ deinde sumeret ad suos vsus: id tunc tẽporis tuta conscientia fieri, vel iure cõmuni, vel consuetudine recepta, putabatur. Sed meritò hæc, & alia similia fieri Synodus Tridentina prohibuit. Et Sanctissimus D.N. Clemẽs VIII. *prædicta cõstitutione* interdixit, nisi fiant iuxta formulã in ea præscriptã.

Septimò quæritur, An tuta conscientia fiat id, quod alicubi more seruatur, nimirum: Monasterium præbet solummodo victum Monialibus, ea lege, & cõditione, vt pro vestitu sibi sumant, quæ proprio labore, & industria sibi comparant, aut aliorum donationibus nanciscuntur? Respondeo, id iure permissum esse, siquidem nihil proprium habent, nec bona aliqua stabilia annuosue redditus accipiunt, sed industriæ, vel laboris sui fructus, concessu Superioris, cuius nutu ea facultas potest reuocari. Hæc fuit Ioannis Andreæ, & Abbatis sententia *in cap. cum ad monasterium de Statu Monachorum.* Nec item reprehendenda videtur ea consuetudo per se, qua Superiorum consensu expresso, vel tacito, Religiosi habent aliquid suis

vsibus

vsibus destinatum calceos nimirum, vestes, precationum codicem, libellos aliquos necessarios, vel vtiles, depictas, vel insculptas sanctorum imagines, papyraceos codices, quibus aliquid excipiunt, aut quædam etiam, quæ ad esum, & potum pertinent, dummodo hæc, & similia pro Superioris nutu, & arbitrio reuocari & adimi queant, nec in eis aliquid superflui, aut vani reperiatur, vt Concilium monet: nec aliqua Pontificia constitutione noua vetetur.

Octauò quæritur, An Abbas Monacho Beneficium regulare, aut Ecclesię administrationem perpetuam, hoc est, ad vitam eius conferre queat? Respondeo, *in c. Cùm ad Monasterium, §. Tales, De statu Monachor.* manifestè decerni, Ne alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam sibi locetur ad vitam, sed cùm oportuerit, sine contradictione qualibet reuocetur. Et *c. Porrectum, & c. Ad nostram, de Regularib.* statuitur, Regularia beneficia, in quibus Religiosi instituuntur; posse ad nutum Superioris reuocari, nisi auctoritate Romani Pontificis fuerint confirmata, & subiungitur, huiusmodi confirmationes non solere Romanum Pontificem concedere, nisi expressim & scienter id fecerint. Item, *in Clem. quia Regulares, De supplen. negligen. Prælatorum*, dicitur: *Licet Priores, seu administratores huiusmodi liberè possint ad Claustrum, cùm oportuerit, reuocari.* Quo fit, vt si Abbas alicui Monacho Ecclesiam administrandam cõcesserit vnà cũ iure, actione, rebusq; omnib. ad eam pertinentibus, iure possit eã reuocare, cùm voluerit. Et eadem ratione ius habet eam reuocandi successor. ROGABIS, an idem iuris sit penes Abbatem, eiusue successorem, si concesserit ea lege & pacto, vt ad vitam habeat, eamque reddat meliorem? Respondeo, idem planè iuris esse: quandoquidem conditio adiecta, *vt ad vitam habeat*, debet iuri communi congruere, alioqui erit irrita, & inanis: & propterea talem oportet esse, vt ad vitam nimirum habeat, sed ita, vt eam Superior possit, cùm voluerit, reuocare.

Nonò quæritur, An Romani Pontificis beneficio Monachus Religionem professus extra Monasterium tuta conscientia viuat ex certa pensione sibi assignata, vnde fructus percipiat suæ vitæ necessarios? quod est quærere, An Romani Pontificis concessu Monachus tutò peculium habeat? Resp. Cùm pensio Ecclesiastica, sit ius percipiendi fructus ex Ecclesiastico alterius beneficio; efficitur, vt Religiosus absque Romani Pontificis auctoritate pensionẽ habere non possit. Rursus, cùm votum iure naturali, & diuino sit persoluẽdum, fit etiam, vt sine iusta & legitima causa nequeat auctoritate Pontificia relaxari. Ex quibus colligimus; iustis de causis Religioso extra Monasterium viuenti Romanum Põtificem posse pensionem conferre, eo quod, vt supra dixi, in solemne paupertatis votum iure cadit aliquando Pontificia relaxatio. Iustæ autem causæ censẽtur eæ, in primis, si Religiosus vir sit, cuius consilio, prudentia, doctrina, opera & industria Romanus Pontifex vti velit; aut de Republica Christiana sit bene meritus, si etiam sit iam senio confectus, aut incommoda vtens corporis valetudine. ROGABIS, an liceat tali Religioso pensionẽ possidere, quæ plures fructus reddat, quàm qui ad eius quotidianum victum, & cultum sint necessarij? Respondeo, perspiciendam esse datam à Romano Pontifice facultatem: aut enim Romanus Pontifex pensionem tribuit, vt ex eius fructibus commodè sustentetur, & viuat, & quod superfuerit, in pios vsus impendat: aut eam absolutè concedit & exprimit se eam conferre ad commodum ipsius victum. Si primum, debet tantùm sibi sumere fructus necessarios, reliquos autem in pios vsus impendere, quoniam nihil potest citra Pontificis auctoritatem sibi capere. Si secundum, tunc facultatem habet retinendi fructus residuos, nam cùm ei Pontificia auctoritate certà pensio sit assignata, sequitur, vt fructus eius omnes sibi attributi destinatique sint. Objicies, pensionem plures fructus reddere, quàm vitæ sustentandæ sufficiant, eos ergo, qui supersunt, tutò retinere non potest. Respondeo eos retinere Pontificis auctoritate. VROGABIS, id fieri nequire, quoniam licet idonea subsit causa, vt is Religiosus voto ex parte solutus, pẽsionem ad vitam necessariam obtineat, non tamen maiorem, quàm quę suppetat ad commodè & bene viuendum: neque enim iusta causa videtur subesse, vt in eo voti vinculum omni ex parte soluatur. Respondeo nihilominus, cùm pẽsio maior est, quàm par sit, tota Religioso conceditur, vt inde sibi ad viuendum consulat, & reliquum in pios, aut bonos vsus insumat. Nam etsi in data Pontificia facultate id minimè exprimatur, videtur tamen subintelligendum, cùm pensio non detur, nisi ad victũ honestum, & commodum: ergo hoc ipso, quo maior est, conferri Monacho, vel Religioso tacitè videtur ea lege, & conditione, vt reliquum in bonos vsus impendat, quos tamen ipse maluerit.

Decimò quæritur, An religiosus Romani Pontificis concessu testamentum condere queat? Hãc quæstionem tractat Nauarr. *in Comment. 2. de Regularib. num. 57.* Quidam negant ea ratione, quòd Romanus Pontifex nequeat Religiosum à voto paupertatis absoluere. Alij verò (in quibus sunt Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, & alij) affirmant *in c. Cùm ad Monasterium, de statu Monachorum*, id posse Pontificem, iusta tamen, & gratui ex causa, vt testatur Nauarrus cum Franco *in Rubrica, de Testamentis.* Alij demum id absolutè & simpliciter posse Pontificẽ posse asseuerant, cùm ad id (inquiunt) nulla relaxatione sit opus. Potest enim Religiosus, dum viuit, bona alicui donare Romani Pontificis consensu, ergo etiam moriẽs idem poterit, eadem auctoritate suffultus; & sicut in primo votiuæ paupertatis relaxatio non est, ita nec in secundo. Verùm enimuerò isti vehementer falluntur. Non enim idem est aliquid donare nomine alterius, quod iure, facultate, & potestate donare, quamuis ab alio imperata: qui enim nomine, vel consensu alterius donat, nihil iuris habet in eo, quod donat: & proinde Religiosus, hoc modo, donare aliquid potest, eius nimirum nomine, vel consensu, qui est rei donatæ dominus. At verò testari, seu legare, est iure bona in alterum transferre. Religiosus autem iuris acquirendi capax non est, & idcirco testamentum facere nequit, nisi legitima auctoritate paupertatis votiuæ vinculo solutus. Fatemur itaque

Pontificia potestate solemne paupertatis votum relaxari posse iustis de causis,& proinde Religiosum Pontificia indulgentia, & priuilegio posse testari. Quo fit, vt Abbatis auctoritate Monachus testamentum facere nequeat. Obijcies, idem Monachus in vita, annuente Abbate, potest aliquid modicum donare, ergo & in morte. Finge enim tibi, Monachum sui Abbatis concessu, ex libris aliaue supellectili facultatem habere, aliquid, q̃ paruum & exiguum sit, donandi, dum viuit; quid ni etiam in morte illam habebit? Respondemus, nequaquam inficiari nos, id modicum in morte Religiosum posse donare Abbatis cõsensu, quod potuit in vita eodem annuente: non tamen fatemur Abbatis concessu eum posse testari, quoniã testamentum est ius & facultas, qua testator declarat, quod post obitum de suis bonis fieri velit, quod ius nequit Abbas conferre, bene tamen Romanus Pontifex. ROGABIS, quibusnam Religiosis eam tuta conscientia facultatem concedat Romanus Pontifex? Respondet Nauarrus *loco citato*, quatuor quinqueue esse Religiosorum genera. Aut enim communiter in cœnobijs viuunt: Aut extra Monasterium, beneficium regulare possidentes, certæ alicui Ecclesiæ præsunt: aut Superiorum permissu extra Cœnobia viuunt, debitis sibi alimentis suppeditatis: Aut Romani Pontificis auctoritate extra Monasterium degentes viuunt & sustẽtantur, ex his, quę sua ipsi industria, labore, & opera, aut ex eleemosynis acceptis aut ex pensione ritè & legitimè impetrata comparant. Aut denique sunt Militarium Ordinum Religiosi, qui vulgo commendatarij dicuntur. Primi generis Religiosis nullam solet Pontifex facultatem testandi cõcedere, quia nulla iusta causa subesse videtur eius concedendæ, quamuis Religioso (teste eodem Nauarro) si insignis alioqui pietatis & doctrinæ vir esset, & optimè de Rep. Christiana meritus, iure ea facultas cõcederetur ad testandũ de ijs bonis, quæ sua ipse industria, labore, & opera comparasset. Cæteris, inquit idem auctor, religiosorum generibus Romanus pontifex potestatem facere consueuit. Quicquid sit de Pontificia potestate, certi iuris est, sine iusta, & graui causa facultatem concessam non valere: eo quòd sine debita & iusta causa voti relaxatio sit irrita & inanis, vt propterea optimo iure Pontifices soleant etiam huiusmodi facultates antecessorum beneficio obtentas, reuocare. ROGABIS, Quando Pontifex tribuit Religioso facultatem liberè testandi de ijs bonis, quæ possidet, quo pacto ea facultas data, accipi & intelligi debeat? Respondent quidam esse intelligendam, ita vt alioqui cum iure communi conueniat, atque consentiat. Neque enim Pontifex generatim aliquid cõcedens, iuri communi derogare cẽsetur; & idcirco huiusmodi facultas trahi non debet ad ea, quę iuri communi aduersantur. Et proinde non potest religiosus testari ad suos parentes, fratres, cõsanguineos, aliosue propinquos ditãdos, nec ad dandum ijs, qui alioqui bonis abundant, nec ad vanos alios vsus, ac superfluos, sed ad pios vel bonos duntaxat, qui quidem ipsi magis placuerint. Et id significatur his verbis, *liberè testetur*. Alij facultatem interpretantur, latiùs videlicet, vt Religiosus testari possit, in vsus quos voluerit, vtiles quidem & bonos, quamuis non pios.

Cap. X.

Cuinam acquirat id, quod Monachus Religionem professus acquirit.

PRimò quæritur, An Religiosus, quod ad contractus attinet, vel quasi contractus, in acquirendo æquiparetur seruo? Respondet *in cap. Cùm olim. 2. de priuileg.* Innocentius, cuius sententia omnium consensu recipitur, æquiparari, tum seruo, tum filiofamilias; hoc est, iura omnia, quæ de seruo, & filiofamilias loquuntur in iure aliquo acquirendo, habent quoque locum in hominibus religionem professis, dummodo in illis etiam sit eadem ratio, eisque ea iura possint accommodari, vt ait Baldus *in l. Seruus, C. Communia, de successionibus*. Decius *in l. Cùm fundus. §. Seruum. ff. de reb. credi.* Ex quo creditur, vt quemadmodum seruus, aut filius familias non sibi, sed Domino, aut patri acquirit, ita etiam Religiosus non sibi, sed Monasterio acquirat. Et sicut is, qui liberum hominem mala fide tanquam seruum possidet, nihil sibi ex eo acquirit: sic etiam Monasterium sciens Monachum non esse verè professum, nihil ex eo potest sibi comparare. Bartolus, quem citat, & sequitur Nauarrus, *Comment. 2. de Regularib. num. 3.* Nam liber homo malæ fidei possessori non acquirit: & Monachus in vno Monasterio professus, & bona fide possessus ab altero, acquirit Monasterio bonæ fidei possessori, quicquid industria, arte, vel opera sua quærit: cætera, quæ aliunde habet, acquirit Monasterio, cuius est Monachus. Bartholus, quẽ refert Nauarrus *loco citato*.

QVAERES, an si quem dolosè Abbas ad professionem admiserit, vt eius bona ad Monasterium deuenirent, ea Monasterio acquirantur? Respondeo cum Abbate, quem citat, & sequitur Nauarrus *in Comment. 2. de Regularib. num. 31.* non acquiri, sed ea bona ad hęredes ab intestato pertinere, tamesi Monasterium Abbatis dolo minimè consenserit: in hoc enim Abbas Monasterio obesse quidem, non tamen prodesse potest. Professio tamen rata est & firma, dummodo talis dolus non sit, vt liberam Monacho voluntatem adimat. Ita Nauarr. *ibidem ex c. Constituit. 20. q. 3. & ex Glossa in eodem cap.*

Secundò quæritur, An Religiosus absque Superioris consensu in re sibi legata suum assensum præstare queat? Respondeo, minimè, quia eius voluntas est Superioris voluntati subiecta. Si tamen rem sibi donatam acceptam habeat, rata est, & firma donatio, & res Monasterio acquiritur.

Tertiò quæritur, An si aliquid sit Monacho relictum, ea conditione, vt nihil Monasterio acquiratur, donatio vim & locum habeat? Hanc quæstionem tractauit Abbas *in c. Monachi, de statu Monachor.* Bartoli sententiam secutus *in Authen. Excipitur. C. de bonis, quæ liberis.* Eam etiam quæstionem tractat Syluester *Religio. 8. q. 5.* Bartoli autem sententia est: eiusmodi conditionem, nisi eam rectè interpretemur, aliquid impossibile cõtinere, nimirum, vt aliquid sit Monachi, quod Monasterio minimè acquiratur: & proinde talis conditio videtur

dona-

donationem vitiare, *ex lib. vbi pugnantia. ff. De Regul. Iuris.* Addit tamen supradictus Auctor, ea verba sic intelligi debere : Relinquo Titio monacho hæc, & illa bona, ita tamen, ne Monasterio acquirantur, hoc est, vt Monasterium patiatur, ac sinat eorum bonorum Titium administrationem habere, siue, quod idem est, vt Titius administrationem, & vsum habeat; Monasterium verò dominium, & proprietatem acquirit. Ac rursus, vt Titius habeat administrationem, & vsum, quê tamen ad nutum Abbas possit, quando voluerit, reuocare. Interrogabis, quid sit iudicandum, si in conditione exprimatur : *vt nihil iuris Monasterio acquiratur?* Respondet Bartolus, etiam tunc ratam, & firmam donationem esse : debet enim intelligi vt nihil iuris sibi Monasterium acquirat, quod scilicet ad vsum & administrationem pertineat. Rursus percunctaberis; an donatio consistat, si Abbas suum nolit assensum præbere, vt Titius Monachus habeat administrationem, & vsum? Respondeo cum Abbate donationem nullius esse momenti, quia conditio non impletur, quæ erat, vt Titius consentiente Abbate administrationem, & vsum haberet, res itaque, ea conditione Monacho donata, ad institutum pertinebit hæredem.

Quartò quæritur, An professus Religionem in vno certo Monasterio, acquirat illi, an alteri? Respondeo, illi tantum acquirere, vt colligitur *ex c. Abbates 18. q. 2.* Sciendum est ex Abbate *in ca. In præsentia, de Probationibus, num. 63.* iure communi, & iuxta Regulam B. Benedicti, quodlibet Monasterium esse in cura, & potestate Abbatis siue Prioris, qui ipsi præest; & Abbatem subijci Episcopo, vt Superiori, in cuius diœcesi Monasterium est constitutum *c. Abbates, & alijs capitibus, 18. q. 2.* vnde iure communi, & antiquo quilibet Monachus acquirit illi Monasterio, cuius est Monachus, non alteri : illius autem monasterij censetur Monachus, cuius est filius, & eius est filius, in quod ingressus est, & in quo professus est Monasticam regulam. Cæterum in ijs Religionum Ordinibus, in quibus multa cœnobia in vna Prouincia subijciuntur Præfecto prouinciali, & omnia totius ordinis cœnobia Præfecto generali; Monachus vnius Monasterij ita bona acquirit, vt ea possit Præfectus generalis applicare huic, vel illi conuentui siue Collegio; quia Religiosus non ita profitetur Regulam Religionis, vt fiat filius, & Monachus illius Cœnobij, in quo professionem emisit. Tales sunt ordines Religiosorum Mendicantium. Excipiuntur tamen bona, quæ ita ad Religiosum perueniunt, vt eo ipso, intelligantur applicata certo cœnobio, siue collegio; nam reliqua acquiruntur Ordini, non certo conuentui.

QVAERES, An professus Religionem in vniuersum, acquirat Religioni? vt hoc magis explicem, scitendum est, iure communi antiquo, eum, qui intra annum probationis professionem emittebat, in ordine Religiosorum, qui Mendicantes sunt, habens in animo profiteri Religionem in vniuersum, se Religioni generaliter obligasse. Geminianus ex Lapo & Calderino *in c. Non solùm, & c. Constitutionem, de Regular. in sexto.* Item, tacitè professus intra probationis annum per susceptionem habitus, qui tantùm professis datur, non illi religioni specialiter, cuius habitũ susceptit, sed generaliter religioni obligatur, *c. cõstitutionem, de Regul. in 6.* Simili modo, qui generatim Religionẽ profitebatur, in manibus Episcopi tribus votis emissis, erat religioni generatim deuinctus *c. Quod interrogasti. d. 27. ca. Quem progenitores 20. q. 1. c. Vidua. d. 27.* Quæstio igitur est, an huiusmodi religiosus acquirat sibi, an Religioni? Abb. respondet *in c. In præsentia, de probat. nu. 64.* Feder. secutus *in cons. 20.* cũ acquirere Episcopo, in cuius cura, & potestate viuit, non sibi. Id verò censet ille, quia eum putat esse verè, & propriè Religiosum.

Mihi tamẽ verius videtur, quod Ioan. Andr. & Archidiac. tradiderunt *in ca. Constitutionem. de Regul. in 6.* eum nõ esse propriè Religiosum, & propterea sicut si Matrimoniũ contraheret, peccaret qui dem contrahens, sed contractum vim & locum haberet, sic etiam sibi aliquid acquireret, nõ Episcopo, siue in acquirẽdo peccet, siue non peccet, Nau. *in Com. 2. de Regul. n. 5.* Et ratio huius est, quia vt dixi *hoc eodem l. c. 4. q. 5. ad fin.* Religiosus verè & p priè non est iure cõmuni antiquo, nisi Professus: at in professione mutua & reciproca obligatio est, vt docet Abb. *in c. porrectum, de Regul. n. 10.* quia Religiosus Religioni, & Religio Religioso obligatur: ergo vbi nulla Religio alicui obligatur, is Professus Religiosus nõ est, sed is tantũ Religioni generatim susceptę ex voto simplici obligatur, & proinde nulla ipsi obligatur specialis Religio.

Quintò quæritur, cuinam acquirat Religiosus Franciscanę familiæ id, quod acquirit? Et quæstio intelligitur de Franciscanis, qui vulgò Obseruãtes, vel Cappuccini appellantur, qui nihil priuatim, & cõmuniter tanquam proprium possidere queũt. *c. Exijt. de verb. signif. in 6. & Clem. Exiui, de verb. signif.* Quæstionem hanc monet Nau. *Comm. 2. de Regul. nu. 3.* quia cœnobium bonorum mobilium, aut stabilium minimè capax est: nihil ergo Monasterio acquiritur. Respõdet ille, Deo acquiri, eò quod eiusmodi Religiosus, nec sibi, nec monasterio acquirit, & penes donãtem rei donatæ dominium non permanet. Nam ille verè donat, & sic abdicat se rei dominio. Quibusdã certè hæc sententia Nau. non placet. Deo enim nihil denuò possumus acquirere, qui summũ & absolutum rerum omnium dominium habet, nec vllam rem incipit habere vt suam, quam antea non habuerit; is autem aliquid acquirit, qui id facit suum, & suũ antea non erat. Vnde illis multò probabilius videtur, vt quæ Frãciscanus donata sibi acquirit, nec sibi, nec Monasterio acquirat, quia tãtùm cõparat, & lucratur vsum, dominium verò, & proprietas manet penes donantẽ. Nec obstat, inquiunt, quod obijcitur, donantem verè donasse, nã per donationem dominium transfertur, cùm is, qui donat, verè, & absolutè donat; & is, cui donat, donationis est capax, eamq; acceptam & ratã habet. Qui Franciscano donant, quod ad eos attinet, donant illi quidem, sed dominium non trãsferũt, quia capax nõ est is, cui donãt. Vnde in his, aiunt, locũ habet id quod dicitur: Si non ago q& volo, ago & possum. Quod significat: Si dominiũ nõ trãstero, quod volo, transfero vsum, quê possum. Quo etiam fit, inquiũt, vt furtum admittat, qui donatum Franciscanis surripit, quoniã & eis vsum adimit, & dominium ei, qui donauit.

Cæterum non est, quod in hac parte Nauarri sententia refutetur, quoniam solùm docere vult, cùm dicimus, secundum Canones, & Iura Monachum acquirere Ordini, vel Monasterio, intelligimus eius, quod acquirit, vsum, vel administrationem esse penes Ordinem, vel Monasterium; dominium verò penes Deum: quoniam bona Religiosorum Ordinum sunt Ecclesiastica; bonorum verò Ecclesiasticorum, secundum Nauarri sententiam, de qua alibi dicã, dominium est penes Deũ, administratio verò est penes ipsas Ecclesiasticas cõmunitates, siue earum Præfectos, Deus autem est Dominus bonorum Ecclesiasticorum: nõ quod incipiat aliquid habere, vt suum, quod antea non haberet, sed eò quod res, eo ipso, quod sunt sacræ, religiosæ, vel sanctæ, desinunt esse in bonis alicuius hominis, nec possunt amplius, quandiu sacra sunt, esse in patrimonio, vel bonis hominum, *vt colligitur ex Instit. de rerum diuisione §. Nullius.* Et quia Franciscana familia nihil proprium habet priuatim, aut communiter, ideo & acquirit Franciscanus Religiosus, acquirit, quod pertinet ad dominium, Deo; hoc est, id quod acquirit, incipit haberi in bonis sacris, Ecclesiasticis, & Religiosis, & desinit esse in bonis hominum; quod verò ad vsum attinet, & administrationem, incipit esse in Romani Pontificis administratione, quia ordo tantum habet vsum facti, non iuris.

Sextò quæritur, cuinam Religiosus acquirat id, quod ad Beneficium Ecclesiasticum euectus acquirit ex eius beneficij redditibus? Fingamus Monachum, aut Canonicum Regularem beneficium simplex, animarum curæ coniunctum obtinere. Respondeo, eum acquirere iure communi Ecclesiæ, cui præest. Nam *c. statutum*, 18. *q.* 1. sanctum est, vti Religiosus in Episcopum electus, nõ Monasterio, sed Episcopo acquirat. Sed idem iuris videtur esse in Religioso ad quodlibet aliud beneficium promoto. QVÆRES, An Franciscanus ad Episcopatum promotus acquirat suæ Ecclesiæ ea bona, quæ acquirit ex Episcopatu? Respondeo, acquirere suæ Ecclesiæ, sicut reliqui religiosi creati Episcopi, acquirunt suis Ecclesijs, non Monasterijs, quia id vniuersim dicitur de omni Religioso ad Episcopatum vel beneficium euecto, *c. statutum est.* 18. *q.* 1. SI ROGES, cui acquirat Religiosus ad beneficium promotus ea bona, quæ acquirit ex industria, arte, labore, vel opera sua, vel donatione aliorum? Bartolus *in l. Seruus communis. ff. de stipula.* ait, acquirere Monasterio, vel Ordini. At Panorm. *in ca. in præsentia, de Probat.* tradit, eum acquirere Ecclesiæ omnia, non Monasterio vel Ordini, & hæc est communis opinio, & vera, teste Nauarro *in Comm. 4. num. 6. de Regular.*

Septimò quæritur, cui acquirat Religiosus, qui Romani Pontificis consensu extra Monasterium viuit ex certa pensione in singulos annos sibi assignata? Hanc quæstionem tractat Nauarrus *Comm. 4. de Regul. n. 67. & 68.* est igitur quæstio, cui acquirat Religiosus pensionatus? Respondeo, eam pensionem beneficio Pontificis Religioso conferri, vt habeat, vnde commodè sustentetur, quapropter is pẽsionis vsũ habet, quo se honestè & cõmodè eiusmodi pẽsione sustẽtet; dominiũ verò, & proprietas pensionis, & fructuum, ad Romanum Pontificem pertinet, cuius etiam concessu aliquando Religiosus facultatem habet, vt fructus, qui supersunt, impendat in vsus alios honestos & bonos, quos ipse voluerit. Nec solum, quæ ex pensione sibi data acquirit, ad liberam Pontificis voluntatem spectant, quod ad dominium pertinet, sed etiam cæterorum omnium, quæ sibi iure hæreditario, vel donatione, arte, industria, labore, negotiatione acquisierit, dominium Romano Pontifici acquiritur, cuius nutu extra Monasterium viuit, vsus verò, & administratio ad ipsum Religiosum, nõ ad Religionem spectat. Neque enim Ordini, vel Monasterio, cuius fuit Monachus, vel Religiosus, acquiruntur, eo quod legitima auctoritate est ab Ordine, vel Monasterio exemptus, & liber: Neque etiam acquiruntur Ecclesiæ, in qua pensionem habet, siquidem eiusmodi bona non veniunt ex bonis, & rebus, hoc est, ex beneficio Ecclesiæ, sed ex opera ipsius Religiosi, vel aliunde. Ita Nauarr. *loco citato.* SI ROGES, quid dicendum, si beneficium sit Manuale; Quid item si sit Regulare Ordini, cuius est Monachus, subiectum? Respondeo, cum Nauarr. *loco citato*, & Federico, quem ille citat, eum acquirere Ecclesiæ, in qua beneficium habet, quoniam Ecclesia, vel est Ordinario loci subiecta, vel ipsi Ordini, cuius est Monachus; si primum, non acquirit nisi ipsi Ecclesiæ, cùm fructus ille percipiat ex bonis ipsius Ecclesiæ: si secundum, etiam nõ acquirit Ordini vel Monasterio, quia satis est, si soluat pensionem debitam Ordini vel Monasterio iuxta id, quod habetur *c. De Monachis, & c. Auaritia, de Præben.* Nec obstat, quod beneficium Regulare sit Manuale, quod videlicet potest Abbas nutu suo Monacho auferre: nam interim dum Monachus à beneficio non amouetur, fructus iure percipit, & sibi, & Ecclesiæ acquirit, non Monasterio. Religiosus ergo ad beneficium promotus, quicquid acquirit, siue ex bonis Ecclesiæ, & fructibus beneficij, siue aliũde, acquirit Ecclesiæ, cuius est minister: Pensionarius verò, & acquirit, siue ex pensione, siue aliunde, acquirit Romano Pontifici, non Monasterio vel Ordini, cuius est Monachus, quia beneficium non habet. Sed cui acquirunt ij Religiosi, qui creantur Episcopi Titulares, videlicet, qui Sedem, & Ecclesiam non habẽt? Sotus *libro 10. de Iustitia, quæstione 5. articulo 7. ad 3.* eos ait acquirere suis Monasterijs vel Ordini. Mihi verò probabilius videtur, eos acquirere Romano Pontifici, quia sunt à Religione soluti & liberi.

Octauò quæritur, An Monachus, qui ære oppressus alieno, malè est ad professionem admissus Monasterio acquirat, an verò suis creditoribus? Respondeo cum Nauarro *loco citato.* Si, cùm professus est Religionem, debitis grauabatur, creditoribus acquirit, si quid sibi arte, labore, & industria, iure hæreditario, vel donatione cõparat: non enim per professionem quicquam est iuri creditorum derogatum.

Nonò quæritur, An Religiosus extra Monasterium legitimè viuens, ius habeat sibi sepulturam deligendi? Ratio dubitãdi est, quia idem ius videtur Monachus habere, & seruus, & filiusfamilias; sed hi possũt sepulturã eligere, ergo & Religiosus,

gioſus? Reſpondeo, *in cap. Licet. de Sepult. in 6.* ſic eſſe conſtitutum: *quamuis filius familias abſque patris aſſenſu ſibi poſſit liberè eligere ſepulturam; pro anima autem ſua præter ipſius aſſenſum, niſi peculium Caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe, aliquid iudicare non poteſt. Ac deinde in c. ſeq. ſtatuitur: Religioſi niſi à proprijs Monaſterijs adeo forſitan ſint remoti, vt ad ea, cùm moriuntur commodè deferri non poſſint, nequeunt, cùm velle, vel nolle non habeant, ſibi eligere ſepulturam, ſed ſunt apud ſua Monaſteria ſepeliendi.* Hæc ibi. Aliud igitur ius eſt in ſeruo, & filiofamilias, atque in Religioſo: quoniam in ijs etiam, quæ ſpiritualia ſunt, ſicut in cæteris omnibus Religioſus Superioris voluntati ſubijcitur, ſeruus, vel filiusfamilias domino, vel patri non item.

Decimò quæritur, cui acquiratur id, quod Religioſo donatur, vt id inſumat in vſus, quos ipſe maluerit? Reſp. Religioſo aliquid dari poſſe tripliciter: Aut enim datur vt illud nomine eius, qui donat, eroget in aliquos vſus: & tunc illud Monaſterio nequaquam acquiritur, quoniam is, qui donat, non transfert dominium rei, ſed eam per Religioſum hominem in certos vſus diſtribuit: & hoc modo dantur Religioſis pecuniæ reſtituendæ, aut erogandæ in vſus pauperum. Aut datur aliquid Religioſo, vt liberè id conſumat, prout voluerit: & id acquiritur Monaſterio, q^d eſt bonorum capax. Is enim, qui hoc modo dat, abdicat ſe dominio, & proinde transfert illud in alterum: & cùm Religioſus capax non ſit, ſibi Monaſterium acquirit. Quòd ſi nec illud capax fuerit, remanet penes donantem, non quia non dederit mente, & voluntate transferendi dominium, ſed quia nec religioſus, nec Monaſterium ius habet ſibi acquirendi. Aut denique Religioſo aliquid datur ea lege, ne vnquam ad Monaſteriũ pertineat, & de hoc ſupra iam dixi, quo pacto illud Monaſterio acquiratur.

Cap. XI.

An alicuius iuris Religioſus ſit capax.

PRimò quæritur, An vltimam hominis voluntatem codicillo, vel teſtamento declaratam religioſus exequi queat citra ſui Superioris conſenſum? Vbi duo quæruntur. Primum quidem, An ſi religioſus teſtamenti executor inſtituatur, ſuum tuta conſcientia ad id conſenſum accommodet, abſque Superioris aſſenſu: Alterũ verò, an iure id exequatur citra eiuſdem Superioris conſenſum. De hac quæſtione Silu. *teſtam. 2. q. 2.* Reſp. *in c. Religioſus. De Teſtam. in 6.* ſic eſſe ſancitũ: *Religioſus exequutor ab aliquo in ſua voluntate vltima deputatus, non poteſt, cùm velle, vel nolle non habeat, huiuſmodi officium ſuſcipere, vel exequi, niſi à Superiore ſuo petita ſuper hoc licentia, & obtenta.* & idem penitus repetitur *in Clem. Religioſus. de Teſtam.*

QVAERES, an ſi Religioſus in id oneris ſibi impoſiti conſentiat, & quod promiſit, exequatur abſq; vllo Superioris aſſenſu, ſit ratũ, quod facit? Bartholus, Antonius Butrius, Felinus & Romanus, quos citat Silueſt, *loco citato* affirmant ratum, & firmum eſſe. Siluester aliorum ſecutus ſententiam, quam dicit eſſe communẽ, negat. Aut enim alijs magis probatur prima ſentẽtia. Ius enim, p. habet, ne Religioſus id muneris ſuſcipiat, vel ne exequatur abſq; voluntate Superioris, non tamẽ factum reſcindit, & irritũ reddit. Vt enim Superiore annuente, tutò Religioſus (qui Franciſcanus nõ ſit) id muneris obit, ac facit, ita eodẽ Superiore abnuente, ſi quod promiſit, præſtet, & impleat, peccat quidem, ſed ratum tamen eſt, & firmum, quod gerit. QVAERES, quid ſit dicendum, cùm Titius religioſus, inſtitutus eſt à Caio teſtamenti executor tempore, quo cœnobij Præfectus deceſſerat, Quiſnam Titio concedet, vti teſtamẽtum exequatur? Archid. *in c. Religioſus, de teſtam. in 6.* ait id poſſe Epiſcopũ concedere. Paul. verò *in eo c.* cenſet ad Conuentum hoc ius pertinere: Ioann. Andr. *ibid.* rem, ait eſſe differendã vſq; ad noui Superioris electionem. Deinde rogabis, an ſi Superior conceſſerit, vt Titius teſtamenti ſit executor & re integra, hoc eſt, nondum perfecta, datam facultatem reuocauerit, Titius ſalua conſcientia p ficiat, quod ipſe iam cœperat? Reſp. Superiorem quidem reuocando malè agere, ſed Titium nihil amplius exequi poſſe, vt ait Gloſſ. *in eo c. cit.* quamuis fieri etiam queat, vt iuſtis de cauſis ſemel conceſſa facultas reuocetur, qua reuocata ſine iure, ſiue contra ius, teſtamẽtum nihilominus per collegam executioni mãdari debet: qui ſi inſtitutus non ſit, Epiſcopi auctoritate eſt conſtituẽdus. Poſtremò, ſi roges, quid dicẽdum, ſi Caius teſtator, quamuis Titium religioſum ſui Teſtamenti executorem minimè inſtituerit, mandauit tamen, vt omnia eius voluntate, & conſilio gererentur, an in ea re requiratur etiã Superioris aſſenſus? Paul. *loc. cit.* reſpondet, Si Caius præcepit, vt omnia fierent nutu, & volũtate Titij Religioſi, perinde eſt ac ſi eum ſui Teſtamenti executorem inſtituerit; ac proinde neceſſarius eſt Superioris aſſenſus. Si verò id ſolum voluit, vt omnia fierent conſilio Titij, nullus exigitur Superioris aſſenſus, & ſufficit, ſi Teſtamenti executores Titij conſilium petant, neq; enim id ſequi coguntur.

Secũdò quæritur, An Religioſus poſſit eſſe fideiuſſor? Reſp. minimè, citra Superioris, & Conuentus conſenſum *c. quod quibuſdam. de fideiuſſ.* Nam fideiuſſor alienam obligationem in ſuam fidem recipit principali nihilominus debitore obligato. *l. 1. & 2. ff. de fideiuſſ. Inſt. in princ. de fideiuſſ.* Is autẽ ſolummodo fideiubere poteſt, qui liberam ſuorum bonorum adminiſtrationẽ habet. Hinc eſt, vt ſi Religioſus inſcio Superiore, vel renuente ſe pro alio fideiuſſorem conſtituat, fideiuſſio ſit irrita, & inanis, cùm nihil proprium habeat, quod alteri obliget. Et Conuentus nihil debet ſoluere, ſi religioſus, vel mutuo pecuniam accepit, vel pro alio fideiuſſorem ſe conſtituit, ſine Superioris aſſenſu: niſi pecunia mutuo accepta fuerit cõuerſa in rem, & vtilitatem Monaſterij vel Ordinis, vt dicitur *in cap. citato quod quibuſdam, ex l. 1. & l. ſi pro parte. ff. de in rem verſo.* eadem ratione ex furto Monachi Monaſterium non obligatur. Nauar. *com. 2. de reg. n. 62.*

Tertiò quæritur, An Religioſus aliquorum, præſertim miſerabilium perſonarum, tutor eſſe queat? Reſp. abſque Superioris aſſenſu expreſſo, vel tacito, nec eam prouinciam ſuſcipere, nec obire poſſe. Quippe Religioſus, nec bona poſſidet, quæ adminiſtranda tutela vlli obligationi ſubijciat, nec cum Religionis onere tutelæ adminiſtratio geri poteſt: quapropter ſi in eam conſentiat, totum eſt irritum, & inane quod gerit *ca. vlt. diſt. 76.*

dist.76. Consensu tamen Superioris potest religiosus tutelam suscipere. *c. Monachi 16. q. 1.* De hac quæstione Silu. *tutel. q. 3.*

Quartò quæritur, An Religiosus aliqua ratione possit sibi sepulturam eligere? Hanc quæstionem superiori capite diluimus. *q. 9.*

Quintò quæritur, An religiosus citra Superioris voluntatem, alicui promittendo se obligare queat, & an promissum præstare debeat? Resp. nec posse, nec debere. Nam quemadmodum seruus & filiusfamilias ciuiliter se alteri obligare ne queunt, benè tamen naturaliter: sic etiam religiosus ciuili obligatione nulli se obstringere potest, sed tantùm naturali, & tunc quidem deuincire se alteri nequit, nisi in his, quæ facilè & commodè præstare per seipsum potest. In quibus etiam promissio eatenus rata est, & firma, quatenus à Superiore minimè improbatur. Nam quàuis ipse promiserit, ius tamen habet Superior, si voluerit, rescindendi promissum.

Sextò quæritur, An fideiussor pro religioso acceptus vlla obligatione teneatur, & an pignus, si pro eodem Religioso detur, possit iure esse obligatũ? Finge tibi Caiũ religiosũ aliquid accepisse mutuo cõmodatoúe, p quo Titius se fideiussoré constituit, aut pignus dedit, quæritur, an Titius Caio obligetur? item, an pignus, quod Titius dedit, sit Caio iure obligatum? Respondeo, idem planè iuris esse in Religioso, quod in seruo. Porrò *in l. Naturaliter. ff. de condict. indeb.* statutum est: *Naturaliter etiam seruus obligatur, & ideo si quis nomine eius soluat, vel ipse manumissus ex peculio, cuius liberam administrationem habeat, repeti non poterit; & ob id, & fideiussor pro seruo acceptus tenetur, & pignus pro eo datum, obligabitur.* Hæc ibi. Quare idem penitus de religioso dicendum: nam fideiussor pro eo acceptus, & stare promissis debet, quod si soluerit, repetere nequit, & pignus pro eo datum similiter obligatur.

Septimò quæritur, An religiosus à Superiore iniquè tractatus, vexatusúe, tuta cõscientia è Monasterio exeat eodem Superiore inscio, aut inuito? Respondet Nauar. *in Com. 3. de Regular. num. 51.* id posse tuta conscientia facere, nec esse religionis desertorem; dummodo id faciat alium Superiorem adeundi gratia, cuius auctoritate ab iniqua oppressione liberetur *ex Bal. in cap. ad nostram, de appellat.* Nec in apostatæ pœnas incurrit. Nam ius habet se tuendi: & eo ipso, quo egreditur, vt alium Superiorem adeat perfugij causa, eum tacitè videtur appellare. Si obijcias contra Nauarrum Concil. Tridentinum *sess. 25. capit. 4. De Regular.* vbi præceptum est, ne vlli Religiosi è suis conuentibus recedant, etiam causa adeundi Superiorem sine licentia in scriptis obtenta. Respondet ille *loco citato, & Commen. 2. de Regular. n. 61.* solum præcepisse Concilium, ne Religiosus exeat è Monasterio sine causa iusta, præsertim cùm secundum Glossam *in c. Cùm pastoris, 2. q. 7. argumento sumpto ex c. ex parte, de accusat.* consensus ab eo petendus non sit, qui vexat iniquè, vel cuius culpam corrigendam & emendãdam curamus, eo p contra leges & iura, & fas omne vexat.

Cæterùm maximè sunt in hac re annotanda verba Concilij, cùm ait: Nec liceat Regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinario locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. Sic etiam ibi. Et Sixtus Quintus Constitutionem edidit, quæ incipit, *Cùm de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus*, anno millesimo, quingentesimo, octogesimo septimo, vbi præcepit, vt Regulares de vna prouincia, ad aliam sui Ordinis transeuntes Superiorum licentiam secum deferant, alioqui hospitio recipi nequeant, & possint ab Ordinarijs locorum, vt suspecti desertores sui instituti capi, & in carcerem mitti. Vnde prædicta Nauarri sententia, non videtur locum habere, nisi quando certò & euidenter constaret Religiosum à suo Superiore iniquè contrastas, & ius omne vexari, nec aliud remedium habere, nisi à Monasterio recedendo suum Superiorem adierit, vt seipsum possit apud illum tueri, quatenus ius naturale concedit: & non aliter.

Octauò quæritur, An sit ius Religioso ad alium Superiorem prouocandi, cùm malè tractatur, aut cum seueriorem æquo disciplinam subire compellitur? Hanc quæstionem tractat Nauarrus *Commentario tertio, numero quinquagesimo primo, de Regularibus.* Et respondet, liberum esse Religioso appellare: nam prouocandi seu appellandi Superiorem facultas iure naturali conceditur, quare nulli vnquam est deneganda, nisi id iure pohibeatur: at id nullo iure communi est interdictum. Deinde, Appellatio est quædam proprij iuris defensio, *L. 1. ff. de Appellationibus, & Capite, Cùm inter, de exceptionibus*, at quisque lege naturali ius habet seipsum tuendi. Accedit, quod *in capite, De Priore, De Appellationibus*, præcipitur, vt grauiter puniatur Prior, qui appellationem ad Romanum Pontificem non admittit: & ex Glossa colligit Decius *in eo capite*, Religioso licere non solùm in causa ciuili, vel criminali appellare, sed etiam causa correctionis: docet item Panormitanus *in capite citato, & capite. Licet, de Offic. Ordin.* plus æquo Abbate in Monachos sæuiente, licere eis è Monasterio fugere, solummodo, vt se tueantur apud Superiorem, ad quem confugiunt à Monasterio recedẽdo. Si opponas id, quod iam dixi, decretum Concilij Tridentini, *sessione 25. cap. quarto, de Regularibus*: respondet Nauarrus *loco citato*, non prohibere concilium, quo minus Religiosus appellet Superiorem, si iusta sit appellatio; hæc enim iuris est naturalis: sed prohibere, ne è Monasterio recedat, prætextu ad suos Superiores accedendi. Neque enim idem est appellare Superiorem, quod à Monasterio exire prætextu adeundi Superiorem: cùm possit Religiosus Superiorem appellare, quamuis à Monasterio non recedat. Et quod addit Panormitanus tutò Religiosum è Monasterio fugere cùm in eum plus æquo Superior sæuierit, locum solùm habere potest, vt paulò ante dixi, quum certò, & euidenter constiterit Superioris sæuitia, & aliud remedium non fuerit, nisi aditus ad Superiorem, prout est iure naturali concessus. Oppones deinde, Cap. ad nostram, de appellat. sic habere: *Remedium appellationis nõ ideo est inuentũ, vt alicui à Religionis & Ordinis obseruantia exorbitanti debeat sua nequitia protrahi*

trocinium exhibere, & *in cap. Reprehensibilis, De appellationi.* dicitur. *Nec subiecti contra Ecclesiasticam disciplinam in vocem appellationis erumpant, nec Religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi contra Regularem Prælati sui, & Capituli disciplinam appellare præsumant: sed humiliter & deuotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum.* Insuper passim dici solet, Inter regulares, nec appellari, nec appellationes admitti debere. Postremò, Religiosorũ statutis solent prohiberi appellationes; & appellantes ipsi in carceres detrudi, & graui pœna puniri. Respondet idem Nauarrus *loco citato*, in iure Canonico religiosos prohiberi ab iniusta appellatione, non autem à iusta, & legitima, qualis est ea, quæ refertur ad iniquam vexationem depellendam: nec statuta sunt iusta, nisi quæ prohibent iniquã appellationem. Quo fit, vt religiosi iustè appellantes ad propulsandam sibi illatam iniuriam, nec iure in carcerem mitti, nec impedire queant, quo minus appellationem iustam prosequantur.

Nonò quæritur, An religiosus citra Superioris assensum tuta conscientia consentiat in electionem, qua ab externis constituitur procurator, administratorue? Respondeo, minimè, sicut nec licet ei constituere, vel substituere Procuratorem absque eiusdem Superioris arbitrio, *Clement. Religiosus, De Procuratori.* quamuis Abbas, vel alius religionis Præfectus, procurator alterius esse queat, vt Glossa *ibidem* annotauit. Idem iuris similiter habet Religiosus in Præfectura, aliaue administratione, aut in regulari Beneficio constitutus. Quod autem religiosus procuratorem cõstituere nequeat: intelligitur in temporalib. quorum capax non est; nam in spiritualibus quibusdam potest, veluti in iure intra Monasterium manendi, & viuendi, & ad illud redeundi; aut in iure, & facultate suffragium ferendi confessu, in comitijs, aut in iure eligendi, aut sedẽdi in Choro, aut in iure alimenta, vel impensas à Monasterio exigendi, & percipiendi: Nõ tamẽ, vt ipse eligatur sine superioris volũtate: sui enim electionem acceptam, & ratam habere nequit inscio superiore: quamuis postquam eo annuente, acceptam habuerit, ius habeat agendi absque alio superioris consensu, vt colligi potest *ex cap. Quorundam, & Cap. Si religiosus. De elect. in 6.* Et docet Nauar. *in Comment. 2. de regular. num. 64.* Eodem quoque modo religiosus habet ius accusandi superiorem in his, quæ iure conceduntur, *cap. Ex parte, De Accusationi.* qua ratione potest agere, ac se defendere; vt si superioris assensu absens litteris det operam, alijsue rebus intendat: tunc enim tacita superioris voluntate potestatẽ habet contrahẽdi, & agendi ex contractu studij literarij causa inito, & agendi quoque contra eum, pro iniurijs sibi in eo studio factis, eo quod tacitè sibi concedantur iura ad studium, vel rem aliã necessaria, vt ait Nauarr. *Commen. citato, num. 65.* Non ei tamen iure permittitur, vt agat contra suum superiorẽ, qui ipsum Beneficio regulari absque malo animo priuauit, quamuis contra alium suo eum Beneficio spoliantem agere possit, & contra suum quoq; superiorem, si eum malo animo à Beneficio dimouerit. Quæres, an possit agere, quando superior est absens, ad quem commodè non patet accessus, & ex mora periculum immineat? Respondet Nauarrus *loco prædicto.* ex sententia Speculatoris, Butrij, ac Panormitani, Cardinalis, & Imolæ posse, idemque iuris esse, quando Abbatis obitu Cœnobium vacat.

Decimò quæritur, An religiosus stipendium postulare queat pro labore suscepto? Quidam, è quorum numero videtur esse Ioannes Andreas, teste Nauarr. *in Commen. citato num. 66.* opinantur id ei minimè licere etiam Abbatis arbitrio, & concessu, V. G. religiosus ante ingressum in religionem Aduocati munere fungebatur: postea verò superiore annuente in re aliqua graui suo, aliquem patrocinio defendit tuta conscientia inquiunt, non potest sui laboris stipendium exigere, & idem, aiunt, esse dicendum de religioso, si publicè doceat. Alij verò censent hoc ei esse licitum superioris assensu qua ratione potest etiam esse patroni, vel alterius de Cœnobio benemeriti procurator, dummodo tamen hic religiosus non sit sacris Ordinibus initiatus. Sic Nauarrus *loco citato.*

Vndecimò quæritur, An Monasterium ex delicto, vel contractu Monachi teneatur? Respondeo, minimè; nisi duæ conditiones adsint, nimirum, si Monachi cõtractus ad Monasterium pertineat, vel res in ipsius Monasterij vtilitatem cesserit, aut si Monasterium Monacho administrationem commiserit. QVAERES, an si Monachus extra Monasterium legitima à superiori habita facultate, studiorum causa cõtraxerit, vt puta libros, vel alias Monasterij res pro mutuo accepta pecunia obligauerit, Monasterium teneatur? Sunt qui negent teneri. Sed Nauarrus *in Commen. 2. de regular. num. 30. 31. 32.* putat oppositum verius esse, si se pro necessarijs impensis obstrinxerit. Quoniam quemadmodum Monasterium tenetur, si res contracta in eius commodum vertatur: vt docet idem Nauarr, *Commen. 2. de regular. num. 30.* Cardinalem sequutus *in Clement. 1. §. quia verò. quæst. 6. de statu Monachorum*, sic etiam obligatur pro impẽsis studio necessarijs, eo quòd Monachi studium Monasterij multum interfit: Quare si Monachus rem, de qua contraxit, apud se habeat, vel ex ea commodum reportauerit, siue lucrum fecerit, potest coram Iudice loci ordinario conueniri: quod rectè Panormitanus annotauit. Ex delicto verò Monachi, Monasterium minimè obligatur, vt colligi potest *ex cap. Delictũ, De Regul. Iuris in 5.*

Duodecimò quæritur, quid sit dicendum, Si contra Monachum agatur, ex obligatione ante ingressum in Monasterium contracta, An in personam Monachi concipienda sit actionis forma, an verò contra Monasterium? Respondeo, contra Monachi personam, eo quòd cum eo est contractum, & obligatio inhæret personæ, quæ quidem obligatio per religionis professionem tolli non potuit. Si verò condemnationis sententia est executioni mandanda in religiosi bonis; tunc actionis forma in Monasterium est concipienda, in quod bona Monachi transiuere. Item, sicut ratione contractus ante ingressum in religionem initi coram Ordinario loci Monachus cõuenitur, sic etiam ratione delicti ante ingressum in Monasterium admissi.

Decimotertiò quæritur, An Religiosus extra Monasterium degens legitimo Superioris concessu tuta conscientia eleemosynas aliquas in pauperum vsus elargiri queat? Respondeo, posse ex his, quæ sibi ad vitam necessaria conferuntur, eo, quòd tacitè videtur eiusmodi facultas sibi cõcessa, nisi de mente, & voluntate Superioris aliud constet, aut nisi Religiosorum mos, & vsus aliud præscribat: aut nisi donet contra id, quod habetur in Pontificia constitutione S. D. N. Clementis. VIII. quâ supra c. 9. q. 5. ad verbum citaui.

Cap. XII.

De peccatis quibus violatur Paupertas, aut Castitas solemni Religionis voto promissa.

ANimaduertere oportet, Religiosum, vel contra votum Paupertatis, vel Castitatis aliquando delinquere. *In cap. Monachi, De statu Monachorum*, ex Concilio Lateranensi constitutum est, *vt Monachus, qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit iniunctâ administratione permissum, à communione remoueatur altaris: & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec obligatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam. Quod etiam de vniuersis Religiosis præcipimus obseruari.* Hæc ibi.

Primò quæritur, in quibus religiosus votiuũ violet Paupertatẽ? id est. Quid nomine Proprij intelligatur, cum dicitur; Nihil proprium posse religiosum habere? Respondeo, Proprij appellatione non solùm intelligi dominium, & proprietatẽ rei, sed etiã vsum, & vsumfructum, possessionẽ, administrationem, prout sunt iuris, non facti. Est enim sciendum, Dominium siue Proprietatem esse ius perfectè, & liberè statuendi de re corporali, nisi fuerit lege prohibitum. vnde definiri solet in hunc modum: dominium est ius, quo quis rem aliquam habet, possidet, & ea frui, & vti potest non alieno, sed nomine suo. Nam Oeconomus, Procurator, administrator vtuntur iustè re domini, sed non proprio, sed alieno nomine. Vsusfructus verò, est ius, quo quis potest rei fructus impendere, vt vult, salua substantia rei: ita vt possit arbitratu suo rei fructus locare, vendere, donare. Glossa *in l. 1. ff. de vsu, & habit.* Vsus est ius, quo quis potest in propriũ suũ commodum tantùm vti fructibus, rei salua substãtia. *Institut. de vsu, & habit. §. 1.* vnde vsuarius in re põt sumere nõ solùm quantũ sibi expedit, sed etiam quantum expedit familiæ suæ. *L. plenum, ad finem. ff. de vsu, & habit.* Possessio verò, ius est insistendi rei corporali, à qua possidenda non prohibemur. Hostien *in sum.* & Azo. *in sum. tit. de acquir. ren. & retin. possess.* Administratio, ius est, quo quis potest apud Iudices agere, & conuenire aliũ de re aliqua, & de ea extra iudiciũ statuere: ita vt sit libera, & legitima potestas siue facultas agendi. Inno. *in c. ex literis, de prob.* Hæc igitur quinq; prout sunt iuris, significant aliquid proprium, quod quis habet, & administrat nomine, & arbitratu suo sine consensu, & voluntate alterius. Sicut etiã Habitatio, prout est iuris, ius est, quo quis potest in domo aliqua habitare: & Actio est ius agendi: Hæreditas est ius succedendi in bonis alterius. Aliquando tamen Vsus, & Possessio sunt facti, non iuris: Et tunc hæc in seruum, filiumfamilias, & Monachum verè cadunt, eo quòd qui facti tantùm vsum, habitationẽ, vel possessionẽ habet, nihil proprium retinet, quia illud habet nutu, & volũtate, aut nomine alterius: nam hoc modo etiam commodatarius, depositarius, colonus habent rei possessionem.

Rursus animaduertendum est, nomine Dominij, aut Proprietatis intelligi etiam Quasi dominium, vel Quasi proprietatem: est enim, vt docet Glossa *in c. conquestus, de foro compet. & in l. sequitur. §. Si vnica. ff. de vsucap. & l. 3. ff. de acquiren. poss.* Dominium, vel Proprietas rerum corporalium, Quasi dominium verò, vel Quasi proprietas rerum incorporalium, cuiusmodi est Beneficium Ecclesiasticum, Iurisdictio, Ius nominandi, designandi, offerendi clericum in Beneficio instituendum, eligendi, confirmandi, instituendi, visitandi, & conferendi, & id genus alia. In quibus etiam Proprietas à Possessione distinguitur, vt in Iurisdictione, *cap. licet causam, De Probationibus.* in iure eligendi, *cap. Cum Ecclesia, De causa possess.* in iure conferendi, *cap. Cum inuper, De causa possessionis* in iure visitandi *cap. Cum ex officij. De præscriptionibus.* in iure præsentandi. *cap. Consultationib. De iure Patronatus.* Pari ratione, Possessionis nomine accipi etiam solet Quasi possessio, ita vt possessio sit ius insistendi in re corporali; Quasi possessio verò, ius insistendi in re incorporali, Præterea voce Dominij acccipitur, tum dominium directum, tum vtile.

Religiosus igitur ratione Paupertatis voto solemni promissæ caret omni bonorum dominio, vel quasi dominio, proprietate, vel quasi proprietate; dominio item directo, & vtili; vsu, vel vsufructu; possessione, vel quasi possessione. quæ quidem omnia sunt iuris, non facti. Denique voto Paupertatis continetur abdicatio pecuniæ & cuiuslibet rei pecuniæstimabilis. Nam in iure, vocabulo Pecuniæ nõ solùm venit numerata pecunia, sed etiam res omnes, tum stabiles, vt agri, & domus, tum se mouentes, & mobiles, vt corpora, tum iura, vt obligationes, actiones.

Secundò quæritur, An religioso, quod attinet ad Paupertatem, repugnet vsus rerum pecuniæstimabilium, qui solùm est facti? Respondeo, vt ex quæstione Superiori constat, certi iuris esse, repugnare omnino vsum, qui est iuris: nam qui talem vsum habet, eo ipso, proprium habet, cum habeat ius vtendi re, in suum commodum pro arbitratu suo. Silu. ex communi sent. *in verbo Religion. 6. quæst. 7.* hoc tanquam certo posito. Præcipua quæstio nobis est de Vsu, qui est facti. Et sic potest dupliciter accipi. Primò vt est Vsus quidam, quo Religiosus vtitur re absque Superioris nutu, & consensu expresso, vel tacito. Deinde, vt est Vsus quidã, quo vtitur re pro Superioris permissu, & nutu expresso, vel tacito, & hic vsus cũ voto Paupertatis non pugnat. Non quod qui vsum facti habet, proprium per se aliquid habeat, sed quod iure communi is, qui in Religione approbata votũ Paupertatis emittit: abdicet omnem vsum rei, perinde, ac si tacitè promittat nõ se rebus vsurum, renuente aut nesciente Superiore, vt insinuant Innocẽtius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, Antonius, Ancharanus, & cæteri *in cap. cum ad Monasterium, de statu Monachorum.*

Archidiac.

Archidiac. Turrecrem. Præpositus *in cap. non dicatis. 12. quæst. 1.* Angelus, Siluester, Tabiensis, & reliqui Summistæ *in verbo Religio.* Hanc tamen sententiam refellit Maio. *in 4. dist. 38. q. 9.* quia ex ea concluditur Religiosum nunquam contra votum paupertatis peccare, si rebus vtatur quomodolibet, hoc est, si res impendat in quosuis vsus Abbatis permissu. Item consequens esse, vt Abbas, qui Superiorem non habet, nunquam votũ paupertatis infringeret, quod tamen est absurdum: sciendum est prædictã sententiã solùm docere, contra votum paupertatis facere Religiosum, si rebus vtatur absq; nutu, & cõsensu Abbatis, siue Superioris expresso, vel tacito, nõ tamen docere, sic & non aliter votum paupertatis infringere.

Tertiò quæritur, vtrum religiosus Paupertatis votum violet ab externo nummos accipiens, quibus libros emat, quos apud se retineat in cella? loquimur autem de religioso, qui nulla Regula, Constitutioneue prohibetur pecuniam per se, vel per alium accipere. Respondeo: Si inscio Superiore id faciat, videndum esse, an his pecunijs, & libris vtatur absque superioris voluntate expressa, vel tacita, an secus. Si primum, contra Paupertatem delinquit, quoniam vsum sibi vendicat, & retinet. Si secundum, nõ peccat.

Sed dubiæ adhuc quæstionis est, an si libros ex pecunijs sibi datis emerit Religiosus inscio Superiore, eosque tantummodo vsus gratia penes se retineat, sed palam inter libros cæteros, quos Superioris concessu, & voluntate habet in cella expositos, censeatur vsum eorum habere citra vllum superioris consensum expressum, vel tacitum? Respondeo, eum nequaquam esse condemnandum tanquam Paupertatis violatorem, quandiu eos tenet in cubiculo palam expositos omnibusque obiectos: nam quicquid hoc modo religiosus habet, Superiorum suorum voluntati, potestatique subijcitur: quod si eos omnino Superioribus celet, violatæ Paupertatis reus habetur. Idem pariter iuris est, si religiosus ex communi Bibliotheca, aut communi loco aliquid inscio Superiore ad suum vsum, & commodum ceperit: est enim perspiciendum, an ea in re tacitus aliquis consensus superioris inesse credatur; & tunc paupertatis votum seruatur, alioqui violatur. Quæres, num votum negligat, si inscio superiore ex loco publico rem aliquam sibi sumat vtendam ad tempus, vt deinde in eundẽ locum restituat? Non mihi videtur is paupertatẽ violasse, nisi id alioqui fuerit aliunde prohibitũ: non enim eo, quod accipit, vti vult, citra omnem prorsus sui superioris voluntatem, sed ad certos tantùm dies, animo, & voluntate illud in eundẽ locum, vnde acceperat, referendi.

Quartò quæritur, An contra Paupertatem, voto promissam peccet religiosus, si absque cõsensu Superioris aliquid donet externis? Respondeo, videndum esse, quibusnam rebus tacitus superioris consensus subesse credatur, aut subesse iure possit: nam quorumdam religiosorum consuetudo superioribus temporibus erat, vt aliqua externis donarẽt, paruula scilicet munuscula, præsertim ad cibum, & potum; alia item, quæ ad pietatis, & religionis studium, pertinent, cuiusmodi sunt sacræ Reliquiæ, & Imagines Sanctorum, cereæ item Agni imagunculæ; necnon & calculi Pontificia auctoritate, & beneficio sacrati. Solebat præterea etiam generali quadam superiorum voluntate concedi, vt similia in externos conferrentur. Tacitus quoque superiorum consensus adesse putabatur in quibusdam religiosorum familijs, cum religiosus aliquò missus, ad negocia gerenda, vel ad literaria studia, eleemosynarum aliquid largiebatur ex his, quæ ad commodam eius sustentationem spectabant. Pari ratione superiores Collegiorũ, aut Domorum Præfecti nonnulla parua interdum donabant ex bonis, quæ administrabant, ad remunerandum alicuius obsequium, retinendos in amicitia, & beneuolentia viros de ipsis religiosorum Cœnobijs bene meritos, ad aliorum animos conciliandos, ad tuendum, augendum, conseruandumue commune Cœnobij, vel totius etiam Religionis bonum. Sic etiam apud quosdam religiosos erat in more positum, vt religionum, Monasteriorumue Præfecti ex cõmunib. bonis quæ possident, in pauperũ vsus certã pecuniæ quantitatem impenderent. Sed quantanàm illa deberet esse quantitas, tunc temporis meritò dubitabatur, quia alij censebant, in singulos menses tuta conscientia ab eis erogari duorum, triumue aureorum summam; alij verò, singulo quoq; anno decem, vel duodecim, aut quindecim aureorum quantitatem sufficere. Aliorũ verò iudicio, res arbitrio boni viri definienda, & æstimanda pro magnitudine reddituum, & pro multitudine, paucitateue pauperum videbatur. Sed hæc omnia, & alia similia iure optimo abrogantur *in Constitutione Pontificia Sanctissimi D. N. Clementis VIII. quam supra c. 9. q. 5. ad verbum retuli:* in qua apertè declaratur, quid possint religiosi priuati, quid item superiores donare, & continetur formula, quam seruare debeant in quibusdam rebus donandis: ne religiosorum paupertas aliquo modo eneruetur.

Quintò quæritur, An Religiosus, qui sciente, & cõsentiente Superiore plura habet, quàm quæ sibi suppetant ad vitam sustentãdam, peccet cõtra Paupertatem? Respondet B. Antoninus, cui assensit Silu. *in verbo Relig. 6. q. 7. dicto. 4.* non quidẽ contra votiuã paupertatẽ peccare, quia nimirũ ijs rebus vtitur sciente, & annuente Superiore. Nihilominus tamẽ, & Superiorem male facere, & pariter religiosũ malè vti. Ex bonis enim cõmunibus apud religiosos, nec dari, nec accipi plus debet, quam necessarius cuiusq; vsus ac indigentia postulet. Religionũ Præfecti sũma ope, ac studio niti debẽt, vt proprietatis vitium, quod est multorũ malorum causa, & origo, funditus è Monasterio tollant, & omnes proprietatis rerũ occasiones radicitus euellãt. Et *c. relatũ. Ne Clerici, vel Monachi*, reprehenduntur grauiter religiosi, qui seculariter viuunt. At Maio. *in 4. dist. 38. quæst. 9.* dicere videtur huiusmodi religiosum contra votum paupertatis facere: Nam putat ille, in voto paupertatis contineri, vt religiosus tantùm habeat ea, quæ sunt ipsi necessaria ad victum, ad vsusque quotidianos superioris consensu, & nihil amplius. Certè Antoninus, Siluester, & Maior conueniunt, huiusmodi religiosum grauiter peccare, cũ habet superflua, & Superiorem non

rem non leuiter delinquere, cum facultatem cõcedit Religioso, vt plus habeat ad vsus quotidianos, quàm par sit.

Ea igitur est laudabilis vitæ Religiosæ cõsuetudo, qua vestes lineæ, pelliceæue, aut cuiusuis generis in communi loco asseruantur, & inde in singulas hebdomadas, menses, vel annos, in vsum cuiusque distribuuntur. Quibus quidã præficiuntur, vt eas custodiant, excutiant, purgent, resarciant, ac renouẽt. Vbi nullus apud se habet vestes præter eas, quæ ad quotidianum vsum necessariæ sunt, nullus dona ad se missa accipit, vel ad suum vsum adhibet nisi conscio Superiore, & consentiente: nullus apud se pecuniam tenet, præter eum, cui bonorum communium administratio, & cura committitur, nullus item in annũ sua in cella ex vestibus, libris, aut suppellectile habet aliquid, eo amplius quàm quod ad suum vsum fuerit à Superiore concessum: vbi denique communis est omnium victus, communis mensa, communis vestitus in communi aliquo loco solitus asseruari.

Contrà verò, ea improbanda consuetudo, vbi Religiosorum quisq; aliquid apud se habet, vnde viuat, quod in communem locum non affert: vbi singuli plus habent, quàm quod sit sibi necessarium ad vitam tuendam. Iure quoque improbãtur specula, vnguenta, suffimenta, & his similia pleraque vana, profanaue, quæ maximè Religiosam dedecent simpliciratem. Pari ratione vituperanda veniunt preciosa ornamẽta librorum, vestium, supellectilum, & aliarum rerum, quibus vtuntur Religiosi, quippe quæ magis ad mũdanos homines, quàm ad pauperes Religiosos spectant, vt constat: Ex quibus omnibus meritò colligitur Religiosos nihil donare, legare, vendere posse, tametsi ad ipsorum fuerit vsum tributum, & multo minus aliquid ludo, à quo prohibentur Religiosi, perdere, vel in alios vsus inanes, ac futiles, & maximè turpes, & inhonestos insumere. Quo fit, vt ij, qui talia à Religioso accipiunt, ea restituere Monasterio debeant.

Sextò quæritur, An Religiosus, qui ex communi, aut ex eo, quod alteri ad vsus eius tributum est, furtim aliquid sibi capit, crimen proprietatis incurrat? Respondeo, incurrere: nam etsi nolit dominium furtiuæ rei sibi assumere, assumit tamen sibi vsum absque nutu expresso, vel tacito Superioris. Quòd si res est parua, & leuis, veniale; si grauis, & magna, lethale peccatum admittit. ROGABIS, quanta rei quantitas sufficiat ad lethalis peccati materiam? Respondeo tantam sufficere, quanta alioqui satis est ad constituendam materiam furti, quod peccatum lethale sit: quod enim in seculari, graue, & lethale furtum esset, in Religioso furante, lethale sacrilegium erit. In furto verò quid sit paruum, leue, & modicum, quid magnum, graue, & multum, dicam in septimo diuinæ legis præcepto, cum de furto tractabo.

Septimò quæritur, An si Religiosus absq; Superioris cõsensu, ab alio eiusdẽ Monasterij Religioso aliquid accipiat, quod est ipsius, qui dat vsui concessum, in vitiũ Proprietatis incidat? Respondẽt aliqui minimè, nisi acceperit animo, & voluntate vtendi, sine Superioris consensu: nam vsum, quem alius habuerat, sibi sumit, quare quamdiu eiusmodi vsum Superioris voluntati subijcit expresse, vel tacitè, in Proprietatis vitio non est. Profectò, Religiosus vsufructuarius esse non potest: id etenim impedit votum paupertatis, quod fecit: vsufructuarius differt ab vsuario, quod vsuarius solùm vti re, cuius habet vsum, potest ad suum commodum: vsufructuarius verò ex re, cuius vsum fructum habet, fructus iure capit, ita vt eos alteri donare, & vendere queat: Religioso res à Superiore conceditur, vt ea ipse vti possit, non vt ipse in alium huiusmodi vsum transferat suo nutu, absque expresso, vel tacito Superioris consensu.

Si iterum roges, an faciat contra votum paupertatis Religiosus, qui inscio, vel renuente Superiore aliquid sumit ex ijs, quæ sunt in commune, Monasterio collata, & illud edendo vel bibendo consumit? Maior *in quarto distin. 38. quæst. 9.* videtur sentire eum contra votũ paupertatis facere, quia vtitur re, vt propria, videlicet consumit, quod ad esum, vel potum communem pertinet, absque Superioris consensu expresso, vel tacito. Certè Religiosi hac in re cauti esse, & sibi timere debent, ne plus æquo sibi sumant.

Si quæras itidem, An votum paupertatis violet Religiosus, qui contra Regulam vtitur re etiamsi id faciat Superioris assensu. Maior *in quarto dist. 38. q. 9.* docet, eum votũ infringere, quia putat ille in voto paupertatis contineri, vt nullus Religiosus communibus rebus vtatur contra Regulam: & ideo sentit Superiorem nulli subdito Religioso posse facultatem concedere vtendi rebus contra Regulam, quia quamuis possit Regulæ rigorem ex parte remittere, nequit tamen Religiosum à voti vinculo soluere, aut ei contra votum faciendi potestatem concedere. Appellatione rei accipit Maior pecuniam, aut rem pecunia æstimabilem. Alijs rigida, & seuera videtur Maioris sententia, quia nõ quidquid Regula præscribit, ad vota pertinet. Quidquid sit, oportet Religiosos cautè viuere, & rebus vti, non vt homines omni voto solutos, sed vt Religiosos votiua paupertate adstrictos, & in dubijs sapientes cõsulant Religiosos, Regulam, Institutũ, & Religionem professos.

Si roges, An Abbas iure queat Monacho facultatẽ concedere, qua vtatur pretiosa veste? Respõdeo, cum Nauar. *Comment. 4. de regular. num. 27.* non posse: quia est contra id, quod habetur *in Clem. 1. de statu Monach.* vbi Monachis interdicitur omni cultu, & ornatu pretioso, seu sumptuoso in vestitu, equitatu, absque iusta, & debita causa, vt ibi Glossa annotauit.

Octauò quæritur, An grauiùs peccet Religiosus Religionem professus, paupertatẽ non seruans, quàm si simplici tantùm Paupertatis voto teneretur? Respondeo, simplex votum, quo quis tria Religionis vota facit, in aliqua Religione approbata, & solemni, coram Deo per se nõ differre, vt superiùs admonui: Ecclesiæ tamen constitutione & iure cõmuni Canonico, plura voto Paupertatis solẽni, quam simplici contineutur. Etenim qui solo simplicis voti vinculo adstringitur, quamuis rerum suarum vsu se abdicauerit, dominium tamen, & proprietatem apud se

aliquan-

aliquando retinet. Religiosus verò professus nō item. Hic rursus nihil sibi acquirit, sed Monasterio, ac religioni; ille verò prior sibi potest acquirere aliquod dominiū, & proprietatem, licet nō vsum: est enim capax hæreditatis, & cuiuslibet alterius rei, ad quā antea ius habebat. Postremò religiosus Professus nequit testamentum condere, ita vt inane sit; & irritum si fecerit: quod tamen factum ab eo, qui simplici Paupertatis voto alligatur, ratum & firmum fortassis habetur, vt postea dicam, licet peccet suis rebus vtendo absque legitima auctoritate.

Nonò quæritur, An religiosus, qui solùm professus est, tacitè religionem, in sacrilegium incurrat, si Castitatem non seruet? Ratio dubitandi est quia Castitatem expressim non vouit. Respondeo, nihilominus eum sacrilegij crimine teneri: nā sufficit si aliquid vltro faciat, quod nouit cum voto Castitatis esse coniunctum: vt castitatem ipsam vouisse simpliciter iudicetur. Sed qui tacitè religionem profitetur, aliquid spontè facit, cui scit votum Castitatis annecti. Quæres, an religiosus Castitatem violans, suum peccatum ex toto confiteatur, si tantùm apud Sacerdotem exprimat voto se quidē Castitatis adstrictum teneri, taceat tamē se esse religiosum? Quidam opinantur satis esse primum patefacere, quia Castitatis votum simplex, & solemne per se non differunt. Contra sentiunt alij, id minimè sufficere, sed secundum quoque illud patefieri oportere: eo quòd solemne Castitatis votū à simplici plurimum differat. Quæres deinde, an si religiosus sit in sacris ordinibus constitutus, inter confitendum debeat declarare, & se esse religioni dicatum, & initiatū sacris ordinibus, an verò satis sit alterutrum illorum exprimere, hoc est, si vel sacrorum ordinum dignitatem, vel Religiosorum statū aperiat? Quidam existimant vtrumque aperiri oportere; alij verò sufficere, si se Religiosum esse fateatur. Alij contra opinantur, eum satisfacere alterutrum illorum confitendo, nimirum, se ad sacros ordines euectum, aut religiosum esse. Sic enim solemne votū Castitatis plenè explicari, & patefieri contendunt.

Cap. XII.

De modis quibus Religiosus violat obedientiæ votum.

PRimò quæritur, quo differat peccatum, quo religiosus per cōtemptionem peccat ab eo, qui violat obedientiæ votum? Respondeo, latiùs patere peccatum ex contemptu, quàm peccatum inobedientiæ. Nam contemptio consistit, tum in his, quæ præcepta sunt, tum in alijs, de quibus nullum præceptum habemus: peccat enim quis, tum Consilia, tum Præcepta contemnens: At inobedientiæ peccatum in his duntaxat versatur, quæ nobis sunt imperata. Contemptus igitur est cum quis Præceptum, vel Consilium monitum, vel regulam prætermittit tanquam rē inutilē, sutilem, & vanam, vel cum is, qui iubet, vel consilium dat, monet, vel dirigit ad agēdum tanquam vanus, vel insipiens despicitur. Inobedientiæ verò peccatum est, cum imperata violamus, vel omittimus eo animo, & volūtate, ne imperanti pareamus. Vtar exemplo; Titius ieiuniū ab Ecclesia indictum prætermittit, & violat tāquam inutile, & vanum, contemptor est: at cum omittit & negligit, quia recusat Ecclēsiæ iubenti obedire, tunc inobediens est: si verò nimia cibi auiditate eiusmodi præceptum perfringat, tunc intemperans est, non inobediens, vel contemnens. Hinc est, vt religiosus minimè ex contemptu peccet, quoties contra Regulam, Constitutionem, Superiorisue præceptum delinquit: nec quoties regulæ, aut Superioris mandatum violat, inobedientiæ peccatum admittit.

Secundò quæritur, quādonā religiosus in peccatū inobedientiæ labitur? Respōdeo, quādocunq; superior Cōstitutio, vel regula fieri aliquid iubet in virtute sanctæ obedientiæ, aut alijs verbis idē penitus valentibus, nec illud præstat, ac seruat.

Tertiò quæritur, An superior possit aliquid præcipere virtute sanctæ obedientiæ ijs in rebus, quæ sunt contra aliorū superiorū præcepta? Respondeo, certi iuris esse, nihil posse superiorem iubere in ijs, quæ sunt contra ius naturale, vel diuinum, vel Canonicum, vel Ecclesiasticū, vel contra mādata eius, qui superiorem potestatem habet, eique subijcitur. Obijcies; vnde ergo tantum meriti, & laudis simplex veterum Monachorum obedientia promeruit, quos paruisse constat in multis, quæ cōtra ius naturale, vel diuinum facere iubebātur? qualia multa apud Cassianum *lib. 4. de instit. Monacho. c. 24, 25. 26. & 27.* legere licet. Quidam totum hoc conferunt in magnam illorum hominū simplicitatem, vt qui omnia sibi ab Abbate imperata putarent tuta conscientia se posse facere, & exequi simpliciter absque vlla discussione. At verò mihi videtur, eiusmodi Monachos magnæ quidem fuisse simplicitatis, sed in ijs tamen, in quibus eos Præpositis suis obediſſe legimus, obedientiæ ductū secutos existimo: vel quia non omnia clarè, & apertè cum iure naturali, vel diuino pugnabant; & proinde eos bona fide obtēperasse puto: quia ignorabant esse iuri naturali, vel diuino contraria; Quo certè modo nos possumus etiam nunc absque peccato aliquid ignorare, quod iuri naturali, vel diuino aduersetur: vel quia licet manifestè mala, vt legi diuinæ contraria, & aduersa esse viderētur, ea tamē sibi imperari putabāt, vt facere conarētur, & Superiorē curaturū, ne imperata perficerēt: Aut deniq; quia sibi in animū induxerāt, ea præcipi nō quidē simpliciter, & absolutè, vt facerēt, sed vt obediētiæ documētū, & exēplum præberēt. Deindè obijcies, fas non esse superiori, aliquid iubere, cū habet in animo id impedire, aut nolle, vt fiat. Respōdeo, apud Theologos Scholasticos quæstionē agitari, quā tractauit Dur. 1. d. 47. q. 3. Vtrū Deus aliqua præcipiat, quæ fieri nolit? Quā soluūt affirmādo non solū facere id posse, sed etiā interdū fecisse, vt suppositā ministrabūt exēpla. Nā imperauit Abrahæ, vt vnicū filium suum immolaret, quē tamen postea immolari prohibuit. Christus etiam Dominus præcepit quibusdā, ne miraculū à se editū proderent, & quo magis præcipiebat, ne cui dicerent, eo magis prædicabant illi miraculum, in quo illos non est credendum peccasse; mirabantur enim turbæ, quę dicebāt: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. Item, Deus

omnibus

omnibus imperat, vt benè agant, ac suæ saluti prospiciant, vt sic tandem salui fiant, nec tamen omnes facit saluos. In his igitur Deus aliqua præcipit, non quo à nobis fieri velit, sed vt in obediendo, & bene agendo virtutis officium impleamus, & alijs bonæ vitæ simus exemplo. Quare in prompta Abrahæ obedientia eximia eius viri fides, & spes enituit. Præcipiebat Christus illis hominibus, ne cui dicerent, vt doceret cauêdum summopere laudis, & gloriæ inanis studium, & periculum: contra verò illi faciebant, vti gratum animum suum de accepto beneficio declararent. Sic etiam dicimus, Superiores posse grauia interdum, difficilia & ardua imperare, & quæ videantur etiam inutilia, ac penè ridicula, non quo ea fieri velint, sed vt nos in obediendo exerceant, & promptæ obedientiæ nostræ, quod obimus, & præstamus officium, sit cæteris exemplo, atque documento.

Quartò quæritur, An superior ius, & potestatẽ habeat aliquid præcipiendi, quod in solo actu mentis, & voluntatis interiore consistit? Hanc quæstionem suprà diluimus libro quinto, cum de legibus tractaremus, vbi docuimus, non esse penes homines auctoritatem legem condendi, qua actus voluntatis interior imperetur: & proinde superior nullum habet ius præcipiendi actus simpliciter interiores lege lata.

Quintò quæritur, quibusnam in vniuersum iure Canonico communi religiosi prohibeantur siue Mendicantes, siue non Mendicãtes? Respondeo *in Clement. Religiosi, De Priuileg.* octo circiter, aut nouem contineri, quibus religiosi prohibentur.

Primò: *Ne Religiosi clericis, aut laicis sacramentum Extremæ vnctionis vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniaue solemnizare, hoc est, solemni ritu, & ceremonia sacrare præsumant, non habita super his parochiali presbyteri licentia speciali: alioqui excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absoluendi, hoc est, à qua non nisi à Romano Pontifice solùm absolui queant.* Sic ibi.

Secundò: *Ne excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à iure expressis, vel per Priuilegia Romani Pontificis concessa, vel à sententijs per statuta Prouincialia, aut Synodalia promulgatis à pœna, & culpa absoluere quemquam præsumant, alioqui in excommunicationem prædictam Romano Pontifici reseruatam incidant.*

Tertiò, ibidem sic statuitur: *In virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis eternæ districtius inhibemus, Ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahãt*: quod, vt Glossa interpretatur, locum habet cum nominatim detrahunt, aut verbis proprium Prælati nomen exprimentibus, alioqui enim generatim Prælatorum vitia, & peccata publica modestè carpere licet.

Quartò: *Etiam in virtute sanctæ obedientiæ inhibemus ne retrahant laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia, vel accessu.*

Quintò: *In virtute quoque sanctæ obedientiæ inhibemus, ne Indulgentias pronuncient indiscretas*; hoc est, vt ait Glossa, non concessas, nimirum subreptitias supposititias sue, falsas, & inanes.

Sextò: *Neue, cum confectionibus testamentorum interierint, à restitutionibus debitis, aut legatis matribus Ecclesijs faciendis retrahant testatores.*

Septimò: *Ne legata, vel debita, aut maiè ablata incerta sibi, aut alijs singularibus sui Ordinis Fratribus, vel Conuentibus in aliorum præiudicii fieri, seu erogari procurent.*

Octauò: *Ne etiam in casibus Romano Pontifici, aut locorum Ordinarijs reseruatis quempiam absoluant.*

Nonò: *Ne personas Ecclesiasticas, præsertim coram Iudicibus delegatis à nobis, suam contra eos iustitiam prosequentes, vexare indebitè, aut ad loca plura & præsertim multum remota conuenire præsumant.* Hactenus Clementina.

Annotandum est, ad contrahendam huius Clementinæ excommunicationem, sufficere, si quis sit religiosus, quamuis non sit ab Episcopis exemptus (falsum enim est, quod quidam senserunt solùm comprehendi religiosos exemptos) si sit religiosus neque religionem professus, sed tantùm sit nouitius, immo etiam si fuerit sanctimonialis: dummodo tamen sit religiosus in aliqua religione approbata, vt rectè annotarunt Cardinalis, Paulus, Ancharanus, Imola, Bonifacius *in ea Clementina*, Angel. *Excommunicatio. 5. casu. 12.* Siluest. *Excommunicatio. 7. casu. 14.* & Nau. *in Man. c. 27. num. 101.* Item, nomine parochialis presbyteri, à quo prædicta est facultas petenda, intelligi eum, qui est Ecclesiæ curam animarum habenti præfectus, licet nondum ad sacerdotium ascenderit, vt ibidem docet Cardinalis. Paulus, Petrus Ancharanus Bonifacius cum Glossa: quamuis Stephanus, & Imola asseruerint debere esse presbyterum: quoniam in Clementina dicitur: *sine licentia expressa presbyteri parochialis*. Satis item est, si in facultate, quæ à parocho petitur, exprimatur nomẽ Religiosi sacramentum ministraturi, aut Parochiam suscepturi, vt Glossa notauit communi consensu recepta. At sufficit, vt Caie. *in sum. verbo excomm. c. 24.* & Nauar. *loco citato*, testantur, si per ignorantiam, aut ratihabitionem Religiosus ea, quæ diximus, sacramenta conferat: siquidem in Clementina dicitur. *Ne præsumant ministrare*. Præterea, vt excommmunicatio contrahatur, non satis est, si religiosus ea sacramenta ministret alteri religioso exempto, vt notarunt Cardinalis, & Caietanus, ac Nauarrus, quamuis Siluester immeritò oppositum dixerit. Nam in Clementina dicitur. *Ne ministrent clerici, vel laicis*; nimirum parocho subiectis. Potest demum facultatem concedere non solùm Parochus, sed etiam eius Vicarius, aut Episcopus, aut Vicarius Generalis, vt docuit Glossa ab omnibus recepta.

Sed ambiguæ quæstionis est, an solùm in hac Clementina religiosi prohibeantur Eucharistiam ministrare, quando datur vt Viaticum moribundis, an verò etiam quando confertur sanis & bene valentibus? Quidam enim docent solùm primam esse prohibitum: & propterea si alio tempore religiosi Eucharistiam conferant, nullã contrahere excommunicationem. Magis tamen est recepta sententia asserentium, generaliter id esse interdictum religiosis, tametsi hoc facerent ob absentiam Parochi: eo quòd in Clementina generatim dicitur, *Ne præsumant ministrare Eucharistiam.*: Deinde excommunicatio non contrahitur, si religiosus prædicta sacramenta conferat, vel peccatorum absolutionem impertiat Parochiano presbytero dicenti, se ad id facultatem habere, nec si sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ

tentiæ ministret, nec si absoluat ab excommunicatione lata ab homine, vt Glossa obseruauit.

Decimò: *In Clementina 1. De Rescriptis* statuitur sic: *Abbates, aut alij Religiosi quibuslibet administrationibus præsidentes, occasione Prioratuum, seu aliorum locorum subditorum eiusdem, nullam auctoritate litterarum Apostolicæ sedis, vel legatorum ipsius, quomodolibet valeant conuenire, nisi vbi, & coram quibus Prioratuum, & locorum ipsorum Prioribus, aut alijs Gubernatoribus id liceret.*

Vndecimò: *In Clementina 1. De electione* habetur: *Prohibemus, ne Religiosus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus de cetero eligatur. Quòd si secus actum extiterit, sit eo ipso irritum, & inane. Non tamen intendimus prohibere, quin Religiosus in Episcopum secularis, vel cuiuslibet Ecclesiæ possit eligi.*

Duodecimò: *In Clementina prima. De rebus Ecclesiæ non alienandis* statuitur: *Perpetuo prohibemus edicto, ne quis Religiosus Monasterio, Prioratui, Ecclesiæ, seu Administrationi eius præsidens, iura, redditus, aut possessiones eiusdem, alicui ad vitam eius, seu ad aliud certum tempus, pecunia etiam inde recepta, quouis modo concedat, nisi necessitas, aut vtilitas Monasterij, Prioratus, Ecclesiæ, vel Administrationis huiusmodi hoc exposcat, conuentus sui: aut si Conuentum non habeat, Prælati proprij assensu, ad hoc nihilominus accedente. Si quis contra hoc fecerit, pœnam suspensionis ab officio, eo ipso incurrat: nec ex concessione ipsius recipienti ius aliquod acquiratur, sed præmissa ad locationes, vel venditiones reddituum, aut fructuum ad tempus modicum faciendas, declaramus nullatenus extendi.*

Decimotertiò: *Clementina prima. De Decimis*, statutum est: *Religiosi quicumque, qui noualia, aut alias decimas Ecclesijs debitas ad eos ex aliqua causa legitima, non spectantes appropriare sibi præsumpserint, aut exquisitis fraudibus, siue coloribus vsurpare, seu qui de animalibus familiarium, & pastorum suorum etiam animalia ipsis eorum gregibus immiscentium: seu qui de animalibus, quæ in fraudem Ecclesiarum in pluribus locis emunt emptaque tradunt venditoribus, vel alijs ab ipsis tenenda: seu qui de terris, quas tradunt alijs excolendas, decimam solui Ecclesijs non permiserint, aut prohibuerint, nisi post requisitionem per eos, quorum interfit, super hoc eis factam, à præmissis destiterint, intra mensem: aut si de his, quæ contra præmissa vsurpare, vel retinere præsumpserint, intra duos menses, dammificatis Ecclesijs emendam non fecerint competentem, sint ab officijs, administrationibus, & beneficijs suis suspensi, donec satisfecerint. Quòd si Religiosi huiusmodi administrationes, vel beneficia non habeant eo casu quo alij supradicti, suspensionis sententiam, ipsi sententiam excommunicationis incurrant nec possint absolui ante satisfactionem condignam. Cæterùm præmissa extendi volumus ad animalia, quæ per Religiosorum donatos seu oblatos tenentur, dum tamen illi Religiosis eisdem cum effectu donauerint, aut obtulerint se, & sua.*

Decimoquartò: *In Clementina prima. De Religiosis domibus*, districtius interdicitur Religiosis, *ne mulierum, quæ Beghinæ vocabantur, statum quomodocumque admittant, nec vllo modo illis in eo statu fouendo, vel assumendo, consilium, auxilium, vel fauorem præbeant, alioqui pœnam excommunicationis eo ipso, incurrant*: & subiungit Pontifex: *Nec tamen per prædicta prohibere intendimus, quin si fuerint fideles aliquæ mulieres, quæ promissa continentia, vel etiam non promissa, honestè in suis conuersantes hospitijs, pœnitentiam agere voluerint, & virtutem Domino in humilitatis spiritu deseruire, hoc eisdem liceat, prout Dominus ipsis inspirabit.* Sic ibi.

Decimoquintò: *Clementina prima. De celebrat. Miss.* præcipitur, *vt in Cathedralibus Regularibus, & Collegiatis Ecclesijs, horis debitis deuotè psallatur, & debitè celebretur officium Diuinum diurnum, & nocturnum.*

Decimosextò: *In cap. vt periculosa*, Ne Clerici, vel Monachi, *in sexto*, dicitur: *Districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcumque Religionem tacitè, vel expresè professus in scholis, vel alibi, temere habitum Religionis suæ dimittat: nec accedat ad quæuis studia literarum, nisi à suo Prælato cum Consilio sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem, sibi eundi ad studia licentia primitus fit concessa. Si qui autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.* Absolutio ab hac excommunicatione nulli reseruatur. Deque ea tractant præter Archidiaconum, Ioannè Andream, Dominicum, Ancharanum, & Francum *in sexto*. Angel. *excommunicatio. 7. casu 27.* Silu. *Excommunicatio. 9. casu. 24.* Caiet. *in sum. excommunicatio, c. 61.* Nauarr. *in manua. cap. 27. num. 133. & num. 131.* Annotandum est, duplicem excommunicationem in hoc capite irrrogari: vnam religiosis, qui temerè suæ religionis habitum dimittunt; alteram his etiam religiosis, qui ad studia literarum extra Monasterium se conferunt sine sui Superioris consensu, & consilio maioris partis Monastici Conuentus. Prima excommunicatio non contrahitur, si religiosus habitum honestè deponat iusta aliqua de causa: tunc enim non est temeraria habitus dimissio. Sic Glossa ab omnibus recepta: Nec etiam quicumque temerè dimittit, ea afficitur excommunicatione: omnis enim dimissio habitus absque rationabili causa temerè fit, eo quod suum habitum religiosus in omni loco, ac tempore deferre debet. *cap. Vidua. 20. q. 1. & cap. Sanctimoniales. dist. 23.* Nec tamen quoties temerè habitus dimittitur, grauiter peccatur; vt si quis deponat ad canendum tantummodo, saltandum, vel lapidem iaciendum: non enim tunc excommunicatio contrahitur: immo nec quoties ita temerè dimittitur, vt etiam grauiter aliunde peccetur, veluti cum religiosus in priuato aliquo loco se exuit habitu, in eum tantùm finem, vt ibi clam aliquid furetur, statim iterum ipsum habitum sumpturus. Nauarrus *in Manuali, cap 27. num. 131.* Silu. *excommunicatio 9. casu. 24.*

Is igitur in excommunicationè incurrit, qui suum habitum dimittit, vt alio habitu vtatur ad scelus aliquod committendum; vel ad certum tempus, vel ob certam causam, ita vt boni viri arbitrio habitum temerè dimississe iudicetur. Ex quo fit, vt in eam non incidat excommunicationem, qui habitu quidem se exuit, sed tamen nullum aliũ sumit: neq; si sumat ad tã breue tẽpus, vt censeri queat, non dimisisse, siue eum in Monasterio, siue extra, deponat, vt testatur Cardinalis. Afficitur tamen excommunicatione, qui nõ quidem dimittit, sed ita tamen gestat, vt non appareat. Sic Glossa *in Clemen. 1. de vita. & honest. clericorum.* Et propterea Abbas, qui oppositum insinuauit *in cap. Deus qui, de vita, & honest. Clericorum* videtur esse de eo locutus, qui occultè defert, sed ita vt facilè ipse habitus internosci, ac discerni possit, vt optimè Caietanus explicuit.

QVAERES, an excommunicationem contrahat, qui suæ religionis habitum deponit, cõfestim alterius religionis veste, & habitu sumpto,

temerè contra Canones, & iura, Lapus, Ioann. Andreas, Dominicus, Angelus, & Abbas sentiũt eum non contrahere. Sed verius esse, Siluester, Caietanus, & Nauarrus oppositum arbitrantur: nam vere, & propriè suæ religionis habitum dimittit, & exuit. Mihi certè probabilis admodum videtur prima sententia: quoniam etsi eiusmodi religiosus dimittit suæ religionis habitum, non tamen dimittit, vt liberè euagetur. Et hæc causa, & ratio est constitutionis: nec sufficit, si dicas, eũ transire ad laxiorem religionem, vbi licentior viuat: quoniam satis est, si se ad religionem trãsferat, in qua tribus erit religionis votis obstrictus. Secunda magis placet.

De altera excommunicatione notandum est, olim Alexandrum III. *in cap. Non magnopere, Ne Clerici, vel Monachi*, ita sanxisse: *Statuimus, vt nulli omnino post votum Religionis, & post factam in aliquo loco Religioso professionem, ad Physicam, hoc est, ad Medicinam, legesue mundanas audiendas permittantur exire. Si verò exierint, & ad claustrum suum iuxta duorum mensium spatium non redierint, sicut excommunicati ab omnibus euitentur. Et in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur: Et veneri, in Choro, Capitulo, mensa, & cæteris vltimi existant: & sine beneficio Romani Pontificis non promoueantur.* Et Honorius III. *in cap. Super specula, Ne Clerici, vel Monachi* declarauit, eiusmodi excommunicationem irrogatã religiosis audientibus Physicam, id est, Medicinam, vel leges ipso facto cõtrahi; ita vt sit pœna ipso iure lata, non ferenda à Iudice. At verò *in prædicto cap. Vt periculosa* excommunicatio generaliter fertur in religiosos, qui extra Monasterium ad quælibet studia literaria se transferunt, sine sui superioris consensu, & cõsilio maioris partis religiosi Conuentus. De hac excommunicatione tractant Angelus, Siluester, Caietanus, & Nauarrus *locis supra citatis*, & præterea Siluest. *excommunicatio. 9. casu. 6.* Hinc efficitur, vt solemniori indigeat religiosus facultate habita à Superiori ad studia literarum, quàm ad alia negocia: ad hæc enim sufficit solius superioris assensus; ad illa verò requiritur etiam Monastici Conuentus consilium. Si tamen locum adeat, vbi sit suæ Religionis Collegium, in quo literæ doceantur, non indiget, nisi sui superioris cõsensu, etiamsi eò petat studij literarij gratia: hæc enim est potius mutatio Cœnobij, siue Collegij, quàm ad studium litterarum profectio, vt rectè Caietanus annotauit. Hanc item excommunicationem non incurrit, qui proficiscitur ex solo superioris nutu, & consensu, cuius est religiosos aliò extra Monasterium mittere ad habitandum; quam facultatem solent habere Præfecti Ordinum Mendicantium. In eam etiam non incidit Abbas, aut Prior, etiamsi ad litterarum studia se conferat absque sui superioris assensu, & consilio Conuentus. Sic Ioan. Andr. Anchar. Dominicus, Angelus *locis citatis*: quamuis oppositum tradiderit Siluester *loco prædicto*.

Decimoseptimò: Clementina, *Cupientes, De pœnis*, excõmunicatione afficit eos, qui suis concionibus, vel alio modo aliquid dicere præsumunt, vt audientes auertant à soluendis Decimis suis Ecclesijs debitis. Vbi nullus religiosorum excluditur, vt Glossa annotauit. Excommunicatione quoque afficit eos omnes religiosos, qui scienter nullum cõscientiæ scrupulum inijciunt ijs, quorum sacras confessiones excipiunt circa Decimas Ecclesijs debitas soluendas: & deinde eiusmodi negligentia minimè expiata, cum commodè possint, ad populũ conciones habere præsumunt. Item, excommunicatione feriuntur ibidem omnes religiosi Mendicantes, qui accipiunt nouas domos, vel noua loca ad habitandum, aut commutant, vel alienant acquisita ante Concilium Lugdunense aliquo titulo. Item *cap. Cum ex eo, De excess. Prælatorum, in 6.* Bonifacius VIII. constituerat in hunc modum: *Nos perpetuo prohibemus edicto, ne Prædicatores, Minores, & alij Religiosi Mendicantes in aliqua Ciuitate, Castro, Villa, seu loco quocunque ad habitandum domos, vel loca quæcunque noua recipere, seu hactenus recepta mutare, vel ea venditionis, vel mutationis, donationis, aut cuiusuis alienationis titulo in alios transferre præsumant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, plenam, & expressam faciente de huiusmodi prohibitione mentionem: si secus egerint, irritum decernentes. Ibi tamen non prohibetur quis studio Eremiticæ, vel solitariæ vitæ noua loca, habitacula, aut cellas acquirere, aut mutare suorum Superiorum concessu.* de excommunicationibus in hac Clementina latis in religiosos agunt Siluest. *Excommunicatio. 9. casu. 44. 45. 46.* Angel. *Excommunicatio. 7. casu. 44.* Caie. *in Summa, cap. 66.* Nauar. *in Man. cap. 27. num. 144.*

Decimooctauò: *In Clem. Ex frequentibus, De sent. excommun.* excommunicatione afficiũtur religiosi, qui non seruant interdictum, vel cessationem à diuinis, quam seruare sciunt Ecclesias Cathedrales, siue matrices. SI ROGES: Quid dicendũ, si in oppido non est Ecclesia Cathedralis, aut matrix; quia nempe sunt multæ parochiales diuisæ? Respondeo, tunc opus esse, vt interdictum, vel cessationem à diuinis omnes ille parochiales obseruent. Hæc etiam Clementina locum habet in omnibus interdictis, & cessationibus generalibus constitutis à iure, vel ab homine qualibet auctoritate legitima ad id vtente: solùm tamen habet locum in generali interdicto, non speciali. In Concilio Tridentino *Sess. 25. cap. 12. De regularibus* statuitur, vt censuræ, & interdicta necdum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur.

Decimononò: In Concilio Tridentino *eadem Sessione, & cap.* Decernitur, vt dies festi, quos in diœcesi sua seruandos Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiã Regularibus seruentur.

Vigesimò: *In cap. Episcoporum, De priuileg. in 6.* statuitur sic: *Præsenti decreto duximus statuendum, ne ali qui seculares quantumcunque exemptionis, seu libertatis Sedis Apostolicæ Priuilegijs communiti, cuiuscunque Ordinis, Religionis, status, vel conditionis existant, scienter celebrent, vel faciant celebrari diuina in ciuitatibus, castris, villis, nisi quatenus eis à iure conceditur, seu locis alijs interdictis ab ordinarijs, siue delegatis Iudicibus, vel à iure, aut excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittant. Qui verò contra præsumpserint, præter alias pœnas à iure constitutas, ingressum Ecclesiæ sibi nouerint interdictum, donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserint, satisfecerint competenter.*

Vigesimo.

Vigesimoprimò: *In Clementina Cupientes. §. vlt. De pœnis*, excommunicatione puniuntur Religiosi, & Clerici seculares, violatores Constitutionis Pōtificiæ *in cap. 1. De sepult. in 6.* qua præcipitur, *ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, vt sepulturam apud ipsorum Ecclesias eligant, vel iam electam vlterius non immutent*: quam excommunicationem ipso facto contrahi definit Pontifex, nec in eam lapsos ab alio, quàm à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, esse absoluendos.

Cap. XIIII.

De Transitu Religiosorum ex vna Religione ad aliam.

PRimò quæritur, An liceat religioso ex vna Religione ad aliam transire? Respondeo, iure communi Canonico licere, vt colligitur *ex cap. Statuimus, & cap. Mandamus. 19. quæst. 3. & cap. Licet. cap. Significatum, cap. Non est vobis, & cap. Sanè. de regularibus*; dummodo studio tutioris, melioris, & sanctioris vitæ transitus fiat: vt apertè definitur *in cap. Licet. De regularibus.* S. Thomas 2. 2. *quæst. 139. a.* S. ait: *Transitus ex vna Religione in aliam, nisi propter magnam vtilitatem, vel necessitatem, non est laudabilis: tùm quia ij Religiosi offendi solent, qui deseruntur: tùm etiam, quia facilius, & commodius proficit quis in Religione, in qua est assuefactus, quàm in alia.* Vnde veteres Monachi non facilè transitum permittebant.

Secundò quæritur, An hic transitus iure concedatur ex eo, quòd religio, ad quam fit gradus, sit perfectior, & altior, fructuosior, vel sanctior; an solùm, quia sit arctior, seuerior, & durior? S. Thomas *loco citato*, quem Palud. *in 3. dist. 38. quæst. 3. art. 1.* Antonin. *3 par. tit. 16. cap. 4. ad finem.* Siluest. *in verbo, Religio. 4. quæst. 1. & q. 6. 7. & 8.* Tabien. *Religio. quæst. 23.* & quidam alij sequuntur; videtur docere huiusmodi transitum iure concedi ratione perfectioris, aut fructuosioris religionis, non autem ratione solius arctioris instituti. Quod colligũt, tùm quia in virtutis, & melioris vitæ profectu, descensus, aut regressus vituperatur; at laudatur ascensus, aut progressus: tùm etiam, quia *in cap. Mandamus. 19. quæst. 3.* præcipitur Canonicis Regularibus professis, ne se ad Monachorum instituta transferant; cum tamen arctior sit regula, & vita Monachorum, vt constat *ex cap. Quod Dei timorem, De statu Monachi.* vbi dicitur, *Canonicos Regulares laxiori Ordini seruire, quam Monachos.* Et *in cap. Statuimus. eadem causa, & quæstione* habetur, *Ne quispiam Canonicæ professionis alicuius leuitatis instinctu, vel districtioris Religionis obtentu, ex claustro audeat siue patris, & totius Cõgregationis permissione recedere.* Et *in cap. Nullus, eadem causa, & quæstione* præcipitur, *Ne Abbas, vel Monachus Canonicos Regulares à proposito professionis Canonicæ reuocare, & ad Monasticum habitum trahendo suscipere audeat.* Vnde colligit S. Thomas Monachis laicis ius, & fas esse ad Canonicos regulares transire, quoniam apud eos ius, & facultatem habent ad sacros Ordines ascendendi. Immo generaliter docet ex Ordine Monachorum Laicorũ, vel Clericorum, qui diuina ministeria non præstant, aut priuata tantùm, non publica officia obeunt, licere Monachis, sine Religionis transire ad Ordinẽ Canonicorum regularium, qui publica ministeria, & munera in Ecclesia exequuntur, & obeunt, eo quòd commune bonum priuato est altius, & maius. Non tamen licitum esse transitum è contrario: nec enim esset ascensus ad sublimiorem vitæ gradum, sed potius ex altiore ad inferiorẽ descensus.

At verò Ioannes Andreas *in cap. Sanè. de regularibus* postquam S. Thomæ doctrinam de varia religionum perfectione proposuit, subiungit: *Nos Canonistæ non ponderatis his subtilitatibus, solùm animaduertere solemus, vbi arctior, strictior, durior, aut seuerior modus viuendi.* Vnde *in c. Licet, De Regularib.* dicitur: *De arctiori vita, & sanctiori, ad quam licet transire è laxiori, & si in vna Religione sit sola contemplatio cum arctissimo viuendi modo, possibili tamen sine proficiendi modo; non admittemus transitum ad Religionem, in qua viget contemplatio, actio, & etiam contemplationis officium cum laxiori vitæ instituto, quod tamen Theologi admitterent.* Hæc ille; qui quidem nomine Theologorum videtur Sanctum Thomam intellexisse, cuius sententiam, suppresso auctore ante retulerat. Omnes iuris Canonici interpretes id docuerunt, quod dixit Ioannes Andreas: idem etiam sentiunt Angel. *Religiosus, num. 35.* Rosel. *religio. 4. num. 1.* Certè cum iure Canonico magis congruere videtur, Transitum huiusmodi concedi; quia arctius, & durius religionis institutum suscipitur, quàm quia perfectius, & fructuosius, vt constat *ex cap. Licet, De regularibus. Et in c. Virgines. 20. quæst. 4.*: dicitur ex Concilio Triburiensi: *Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, ibidemque commanere decreuerint, Synodus concedit.* Hæc ibi.

Deinde etiam cum ratione ipsa maximè conuenit: etenim huiusmodi transitus iure videtur esse concessus ob tutiorem vitæ rationem: vbi autem ea reperitur, eo ipso quoque religio eius vitæ parens, & magistra, videtur esse tutior, atque securior; quàuis alia religio sit alioqui fructuosior, perfectior, & altior. Quod autem *in cap. Mandamus, & cap. Nullus. 19. q. 3.* Canonicis regularibus ad Monasticum institutum transitu interdicatur; intelligẽdum est iuxta Glossam, id locum habere cum transitus talis fit temeritate, leuitate, & inconstantia animi; aut cum damno, & detrimento prioris religionis. Item, sæpè denegatur transitus ad arctius vitæ institutum, ne communis aliorum salus deseratur, aut impediatur: Sic Episcopis, & alijs Ecclesiarum Præfectis, transitus ad religionem occluditur, ne Ecclesiæ destituantur idoneis præfectis, & ministris: Et religiosi præficiuntur Ecclesijs, vt communi hominum saluti, & commodo consulatur.

Tertiò quæritur, Quo modo liceat religioso ad altius vitæ institutum euolare? Respondeo, in iure nonnulla constitui, vt id recto ordine fieri queat. Primò, Ne fiat transitus temeritate, leuitate, odio, ira, contemptu, vel alia qualibet animi perturbatione; sed studio, nimirum tutioris, & melioris vitæ; *cap. Licet, de regularibus.* Deinde, ne fiat cum detrimento, & iactura religionis, à qua receditur, *eodem c. Licet.* Item, vt religio, ad quam gradum quis facit, non solùm sit arctior ex regula, quam profitetur, sed etiam ex Constitutionibus: nam, vt dicemus inferiùs, sub vna regula Basilij, vel Benedicti, multi Religiosorum Ordines militant alijs arctiores, asperiores, & seue-

riores,ob Constitutiones nimirum regulæ adiectas. Non etiam sufficit, si Constitutiones antiquæ sint duriores, & arctiores, nisi & recentes, quæ modo seruantur, sint quoque seueriores: fieri enim potest, vt rectius aliquod antiquum vitæ institutum obseruari desierit, & religio laxiori modo viuere cœperit. Opus est ergo, vt vitæ ratio, quæ modo seruatur, sit asperior, ac durior. Sic Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, ac cæteri Pontificij iuris interpretes, *in c. Licet, de regular.* Requiritur deniq; petitio facultatis, quamuis ea non obtineatur, *c. Licet, de regular.*

Quartò quæritur, Quid faciendum quando prius Cœnobium, aut religionis institutum est Pontificis priuilegio munitum, ne quis inde ad arctius se transferat? passim enim religiones Pontificium priuilegium obtinere solent, ne ex ipsis ad alias religiones quispiam transire queat. Respondeo, nihilominus trànseundi ius esse, vti manifestè constat *ex dicto cap. Licet.* vbi dicitur eiusmodi priuilegium concessum credi, ne transitus fiat temerè, leuiter, aut cum Cœnobij, & Ordinis prioris incommodo.

Quintò quæritur, Cum ambigitur, sit nec ne altera religio, ad quam transitus cogitatur, durior, & arctior, vel etiam dubitatur, licet certò constet eam arctiorem esse, num religiosus aliqua animi leuitate, aut temeritate ad eam transuolet, quid tunc fieri debeat, cuius iudicio res ea decerni debeat, ac posit? Respondeo cum Innocentio, Ioanne Andrea, & Abbate, nequaquam esse standum verbo Religiosi transitum petentis, nec superioris eum denegantis, sed alterius maioris viri iudicio, & sententiæ, ad quem, vt ad superiorem prouocari debet. Sicut si religiosus malè cõtra fas, & ius tractaretur, aut vexaretur.

Quæres, an postquam religiosus facultatem transeũdi petiuit, debeat expectare responsum? Respondeo cum Glossa, & Abbate, debito tempore responsum esse expectandum. Is enim, qui consilium requirere iubetur, eodem iure, tempore debito cogitur expectare responsum. Sed quid si superior nihil respondeat, aut facultatem deneget, aut inanem, & falsam, vel iniustam causam obtendat? Respondet Abbas Innocentium secutus, ius esse religioso confestim nullo alio expectato tempore, ad aliam religionem transuolandi: in ijs enim casibus superior quasi perpetuò facultatem denegare censetur. Si tamen superior verisimili causa duci in deneganda facultate, videatur non licet religioso statim transire; sed ad superiorem alium prouocare, qui rem totam suo iudicio decernat.

Sextò quæritur, An si religiosus facultate minimè petita transierit; iure reuocari, & reduci possit, ac debeat? Goffredus, & Abbas antiquior, Calderinus, & Petrus Ancharanus, & Glossa *in c. Licet de regularib.* & Silu. *religio. 4. quæst. 1. versic. Aduerte quarto.* senserunt eum reuocari, nec debere, nec posse. At verò Hostiensis, Ioannes Andreas, Panormitanus *in c. Licet. de regularibus* & alia Glossa. *in cap. Intelleximus, de ætate, & qualit.* & alia Glossa *in cap. Mandamus. verbo, Lapsus 19. quæst. 3.* Rosel. *religio. 4. nu. 4.* & Nauar. *consil. 59. de regularib. num. 2.* docẽt esse reuocandũ, eo quòd in cap. Licet, sanciatur petendã esse facultatem, ne Obedientia contemni videatur: ergo quandocumque sit transitus facultate minimè petita, factus esse videtur Obedientiæ bono contempto. Hæc opinio mihi verior apparet, & eã dicit esse communẽ Nauar. loco citato: ex quo fit, quod rectè Abbas annotauit, vt nõ sufficiat, si post factũ facultas petatur.

Septimò quæritur, à quonã peti debeat transeundi facultas? Angel. *Religiosus. num. 35.* respõdet, quod ad Religiosos quidẽ exemptos, & priuatos attinet, esse petendã à Præpositis Ordinarijs, hoc est, à Præpositis Prouincialibus; nimirũ in Franciscana familia, à Custode, vel Ministro Prouinciali: in Dominicana à Prouinciali: in Monasticis Ordinibus ab Abbate, vel Præposito, vel Priore. Quod verò pertinet ad religionũ Præfectos, peti oportere à Maioribus, in quorum potestate sunt: ipsi verò Maiores Præpositi, qui sunt Romano Pontifici proximè subiecti, ab eo solo petere debent. Siluester tamen *religio. 4. q. 3.* Angelum confutans, censet apud Franciscanos, & Dominicanos facultatem peti posse à præfectis Domorum, vel Collegiorũ, siue Conuentuũ, hoc est, apud Prædicatores, à Priore; apud Minores à Guardiano. Prouinciales verò petere debent à Ministro, vel Magistro Generali: ipse verò Generalis Magister, seu Minister à Romano Pontifice: quo denegãte transire religiosus iure nõ potest: nihil verò respondẽte potest, secũdũ Abbatẽ in *cap. Licet de regularibus.* Quę Siluestri sententia mihi magis probatur. Nam ius auctoritatis, & potestatis, quod habet Abbas in Monasterio, habet in Franciscana, aut Dominicana familia Prior, vel Guardianus, qui est toti Conuentui, Cœnobio, vel Collegio Præfectus.

Octauò quæritur. Quomodo liceat religiosis transire ad laxioris religionis institutũ? Respondeo, certi iuris esse, vt omnes fatentur, quod Innocẽtius, & Panormitanus, & alij tradiderũt *in c. Licet. de regularib.* ius esse, si in priori religione regulæ, aut Cõstitutiones nõ seruentur. Nã vt paulo ante diximus, transitus iure conceditur, nõ eo quòd regulæ, aut Constitutiones sint arctiores, sed quòd præsens videndi ratio, quæ seruatur, sit arctior, & durior. Si igitur ex Regula, vel Constitutionibus laxius sit religionis institutum; arctior tamen præsens vitæ modus, transitus iure permittitur: dummodo tamen, vt rectè Ioannes Andreas annotauit, non sit in Prouincia aliud eiusdẽ religionis Cœnobiũ, in quo sit arctior instituti obseruatio, nec sit probabilis spes pristinæ vitæ formulam eo in Monasterio reuocandi. Si verò in priori Monasterio præsens vitæ norma nunc est arctior; aut iusta subest causa trãseundi ad laxiorem, ac minus arctam, & rigidã, aut non subest. Si primum, potest, inquiunt Innocentius, & Abbas, Episcopus facultatem transeundi concedere. Antonius verò Butrius id iuris ad solum Romanum Pontificem pertinere docet, nisi ex mora probabile periculum immineat, aut ad Romanum Pontificẽ difficilis aditus pateat. Sed reuera Innocentius, Abbas, & Butrius videntur loqui secundum commune ius, & antiquum, quo Monasteria, & Monachi erant in Episcoporũ potestate. Vnde Siluester ait, *religio. 4. quæst. 2. & 3.* Cum religiosi sint ab Episcoporum potestate exẽpti, & liberi; is religionis Præfectus, qui habet in

bet in Religiosos quasi Episcopalem auctoritatem, ius habet concedendi facultatem, quando adest causa legitima: & probabile periculum impendet, vel ad Romanum Pontificem difficilis aditus est.

Quæres, quęnam sint causæ legitimę? Respondeo, si religiosus infirma, aut incommoda valetudine vtatur, aut si odio habeatur à cæteris fratribus, aut indignè, & malè tractetur. Quibus causis, & alijs iustis, & debitis quibuslibet remotis, Romanus Pontifex solus potest facultatem transeundi concedere, secundum Glossam. Sed verius alij putant, quod tradit Abbas, non sufficere solius Romani Pōtificis facultatem absque vlla iusta, & legitima causa: non enim ille potest arbitratu suo absq; vlla iusta causa commutare votum, quod debet diuino iure persolui: cū per commutationem ex parte relaxatur, & remittitur, hoc est, cum mutatur in id, quod est minus bonum.

Nonò quæritur, quomodo sit iure concessus transitus ad æquè arctum religionis institutum? Respondet Abbas, id iure permitti, si fiat Episcopi consensu, quando adest causa iusta, & legitima: ea verò sublata iure non permitti, nisi solius Romani Pōtificis auctoritate: locum habet, quod dicit Abbas in religiosis Ordinibus, qui sunt Episcopis subiecti: nam quod attinet ad eos, qui sunt exempti, transitus fit consensu eius, qui prę est Ordini, vel Prouinciæ, vel Monasterio, siue Conuentui.

Decimò quæritur, An religiosus contra iura ad aliam religionem se transferens sit apostata, hoc est, an tanquam suæ religionis desertor, & transfuga iuris pœnas incurrat? Abbas *in c. Sanè, de regularib.* negat eum esse apostatam eo modo, quo ius Canonicum loquitur *in cap. vlt. de Apostatis*, ex quo Angelus *in verbo, Excommunicatio. 7. casu.* 27. dicit illum non affici ea excommunicatione, quæ irrogatur *in cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi, in 6.* dimittentibus temerè suæ religionis habitū: quod idem tradiderant Ioannes Andreas, Lapus, & Geminianus *in eo cap.* Silu. tamen *excommun. 9. casu.* 25. & Nauar. *in Manuali, cap. 27. num. 131. ad finem*, sentiunt dictum religiosum in eiusmodi excommunicationem incurrere. Vtra verò sententia sit verior, cap. superiori dixi. q. 5. Mihi enim secunda sententia placet.

Vndecimò quęritur, Quid sit dicendum. Si religiosus impetrata facultate ad religionem arctiorem demigrandi, postea aut nō inueniat religiosos, qui eum velint admittere, aut voluntate mutata ad priorem redeat religionem, an primi religiosi, à quibus decesserat, eum recipere iure cogantur? Respondeo, eos ad id ipso iure compelli, quoties ante professionem emissam in alia religione, ad antiquā reuertatur: nam facultas, & abdicatio iuris, quod quis habet, facta ex causa, ea minimè subsecuta, rata, & firma non est.

Duodecimò quæritur, Quid peculiariter iura statuerint, de religiosis transeuntibus ad alias religiones? Respondeo, *in cap. Ioannes, De regularibus.* præcipitur, ne quis Monachus è Monasterio, in Monasterium temerè demigret. & *in cap. Sanè, eodem Titulo*, Canonicus quidam regularis, qui fugerat ab Ecclesia, in qua professionem emiserat, ad Monasticam vitam, si ea sit arctior, permanere in illa permittitur: alioqui ad priorem Ecclesiam redire compellitur. In Clementina, Vt professores, De regularibus sancitur hoc modo: *Statuimus, Mendicantes quoslibet, qui ad non Mendicantium Ordines etiam auctoritate Apostolica transibunt in posterum, quibus hactenus transierunt, quamuis nunc Prioratus, vel Officia, aut curam animarum, vel regimen quodcumque obtineant inibi, vocem aut locum in Capitulo non habere, etiamsi hoc sibi ab alijs liberè cōcedatur. Ad Prioratus quoq;, Administrationes, aut quæcumque in antea non assumi officia etiam tanquam Vicarios, seu Ministros, vel locum aliorum tenentes: quodque animarum curam, & regimen, nec pro se possint, nec pro alijs exercere. Quicquid autem in contrarium factum fuerit, sit irritum ipso iure, quouis priuilegio non obstante.* Hactenus Clemētina, vbi prohibetur transitus ex Ordinibus Mendicantium ad Ordines, qui Mendicantes non sunt. Ex quo fit, vt hæc Clementina nihil decernat, de transitu ex vno Ordine eorum, qui Mendicantes non sunt ad alium similem, videlicet, qui non sit ex Mendicātibus, vel ex vno Mendicantium, ad alium Mendicantium, vel ex vno, qui non sit ex Mendicantibus ad alium Mendicantium. Excipit tamen Clementina Ordines Mendicantes, sed ex parte tantùm, non simpliciter approbatos; nimirum, vt nullum in posterum ad professionem admittāt, quibus generalem concedit facultatem ad alios ordines simpliciter approbatos demigrandi.

Quæres, an hæc Clementina, Ordines Mendicantium accipiat tantummodo quatuor illos Ordines, qui *in cap. Religionum, §. Sanè. De religiosis domibus, in 6.* referuntur: videlicet, Ordines Prædicatorum, & Minorum, Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitani instituti. An verò intelligat absolutè quoslibet Mendicantes Ordines simpliciter approbatos, quales sunt aliqui post Clementinam instituti, inter quos est familia Minimorum à sancto Francisco ex Paula oppido Calabriæ oriundo fundata? Respondeo, in Clementina intelligi omnes Mendicātium Ordines simpliciter approbatos, qui vel ex regula, vel ex Constitutionibus possessiones, aut redditus cō muniter etiam habere nequeunt. Deinde dubitabis, quid nomine Officij Clementina intelligat? Glossa videtur intelligere solùm Officia Ecclesiasticæ regulæ subiecta. Paulus tamen & Imola generatim accipiunt quælibet Officia in religionibus fieri solita. SI QVAERAS, an etiam intelligatur publicum diuini verbi annuntiandi munus? Respondeo cum Glossa, Paulo, & Imola, intelligi: quoniam est munus presbyteris ex instituto conueniens, licet Diaconis etiam, & alijs ex mandato, & facultate commissa conueniat. Denique rogabis, an etiam voce officij comprehendatur munus docendi publicè Theologiam, aut ius Canonicum? Respondet Imola, etiam comprehendi.

Inter extrauagantes communes de regularibus extat excommunicatio Pontificia edita à Martino Quarto, quæ incipit: *Viam ambitiosæ*, vbi habetur sic: *Statuentes, quod de cætero nullus religiosus Ordinum Mendicantium quorumcumque, cuiuscumque gradus, status, conditionis, vel Religionis existat, quantumcumque, & qualitercumque possit, & debeat virtute cuiuscumque licentiæ, etiam indulti Apostolici, seu Pœnitentiarij*

nostri curam gerentis, vel alia quauis auctoritate hactenus etiam per literas Apostolicas facultatem quæsumuis tam Legatorum, vel Nunciorū Sedis Apostolicæ, quàm alia auctoritate maximè de transferendis Fratribus, aut aliquibus, præsertim Ordinum Mendicantium professoribus sub qua cumque verborum forma appareant, admiti aut recipi per aliquos etiam Superiores Ordinis, seu Monasterij seu loci Monastici, seu alias in Monachum, vel in Fratrem alicuius ex Ordinibus Monastici, tum Sancti Benedicti, quàm Cisterciensis, Chamaldulensis, Vallis Vmbrosæ, Canonicorum Regularium, vel aliorum Monasticorum Ordinum; excepto dumtaxat Ordine Carthusiensium sub pœna excommunicationis, quam ipso facto incurrant, tam recipientes, quàm ipsi recepti: à qua excommunicatione nemo possit absoluere, nisi Romanus Pontifex, præterquam in mortis articulo. Hactenus Constitutio.

In Concilio Trident. *Sess.* 14. *De Reformatione, cap.* 11. ita sancitur: *Quia Regulares de vno ad alium ordinem translati facilè à suo Superiore licentiam standi extra Monasterium obtinere solent; ex quo vagandi, & apostandi occasio tribuitur: Nemo cuiuscumque ordinis Prælatus, vel Superior vigore cuiusuis facultatis aliquem ad habitum, & professionem admittere possit, nisi vt in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia, in claustro perpetuò maneat; ac taliter translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia secularia et ad curata omnino incapax existat.* Hæc ibi. Et *in Sess.* 25. *De regularibus. cap.* 19. ad finem dicitur: *Nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem, nec detur licentia cuiuscumque Regulari occultè ferendi habitum suæ Religionis.* Hæc Concilium: vbi nihil definit de Transitu ad æquè arctam, vel arctiorem religionem. Extat item Constitutio Pontificia edita à Pio Quinto anno 1569. quæ incipit: *Quæcumque sacrarum*, in qua rescindit; & abrogat facultates omnes præter ius commune concessas, recipiendi, vel retinendi Religiosos alterius ordinis, etiam laxioris. Verba Pontificis hæc sunt: *Reuocamus, & abolemus omnia, & quæcumque priuilegia, facultates, dispensationes, & indulta præter iuris communis dispositionem emanata, recipiendi, vel retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, & alios etiam laxiorum Ordinum professores, quibuscumque Ordinibus, Monasterijs, Hospitalibus, Militijs, & pijs locis, etiam Sancti Antonij Viennensis, Sancti Spiritus in Saxia, de Vrbe, S. Ioannis Hierosolymitani, Iesu Christi, Sancti Iacobi de Spatha, S. Lazari Hierosolymitani, eorumque Ecclesijs membris, Superioribus, & personis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem Apostolicam, tam in ipsorum Monasteriorum, Hospitalium, & locorum institutione, quàm deinceps quomodocumque, quotiescumque, etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, & alias sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis restitutionibus, præseruationibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatorijs, aliisque fortioribus, efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque simili potestatis plenitudine, etiam pauperum, infirmorum, miserabilium, & cuiuscumque alterius pij operis intuitu, ac etiam ex quibuscumque alijs causis quantumuis grauibus, charitatiuis, & necessarijs, etiam consideratione, vel ad supplicationem Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, nec non sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, deque illorum consilio, & matura deliberatione prius habita, concessa, confirmata, ac etiam multiplicatis vocibus innouata, extensa, vel etiam moderata. Ac volumus, vt posthac illarum sic reuocatorum prætextu, Prælati, & Superiores prædicti, aut alij quicumque, nullum prorsus, alterius, etiam laxioris ordinis, vel obseruantiæ, Regularem, etiam specialem transeundi ad ipsos licentiam (iuxta huiusmodi priuilegia dumtaxat) ferentem, ad habitum, & professionem Regularem in suis quisque Monasterijs, domibus, locis, vel ordinibus, etiam vt in claustro perpetuo maneat, admittant: nec omnino quemquam recipiant, vel retineant, eos verò, quos in aliquo ex casibus supradictis (vigore huiusmodi priuilegiorum tantùm, ac præter iuris communis dispositionem) iam habent translatos, ad eorum Superiores, & loca eius ordinis, vnde erant profecti, quamprimum remittant: Decernentes admissiones, receptiones, & retentiones huiusmodi nulla firmitate subsistere, neminemque prorsus vlli voto, vllique Regulæ, vel obseruantiæ etiam iuramento, aliaue solemnitate promissæ obligare. Quicumque verò aliquem contra huius nostræ reuocationis tenorem admiserint, aut receperint, aut illos, aut quos iam habent (modo prædicto) translatos, aut receptos retinuerint, ipsos omnibus, & singulis dignitatibus, administrationibus, beneficijs, officijs, fructibus, & pensionibus Ecclesiasticis præsentium auctoritate priuamus, & ad futura eoipso, inhabiles esse volumus.* Hæc ibi.

Pius item Quartus in alia Constitutione, quæ incipit. *In sublimi B. Petri*, facultatem summi Pœnitentiarij Apostolici restrinxerat, præcipiens, ne concederet Religiosis licentias standi extra Monasterium propter infirmitates, & similia impedimenta, nec etiam pro subuentione parentum, aut pusillorum, vel aliorum consanguineorum, nisi obtenta licentia suorum Superiorum: & in facultatibus transeundi de ordine ad ordinem, etiam ex causis à iure permissis apponeret semper clausulam. *Quod perpetuo ibidem in claustro Domino famulari teneantur; & apostatis absolutionis beneficium non concedat, nisi ea lege expressa, vt statim ad claustra proprij ordinis redeant, vel ad alium ordinem transeant æqualis, vel arctioris obseruantiæ, vt ibi perpetuam vitam agant. Nec illis, vel alijs translatis indulgeat, vt beneficia Ecclesiastica obtinere, vel illis vti mercenarij deseruire, aut alias etiam de Superiorum suorum licentia extra claustrum quoquomodo degere possint.* Hæc pius Quartus in illa Constitutione.

Decimotertiò quæritur, an Regularis ex vna religione, vel ex vno Monasterio ad aliud transiens debeat in eo denuò professionem emittere? Hanc quæstionem tractat Nauarrus *consilio tertio, De Regularibus.* Porro Imola *in Clement. prima, De Regularibus, numero* 19. sequutus Ioannem Lignanum videtur negare, præsertim cum ex vno Monasterio ad aliud Monachus transit, eam ob causam, quod in omni religione dum professio solemnis emittitur, fiunt tria vota, quæ ad religionis substantiam, & naturam pertinent: ergo Monachus professus in vna, non debet in alia professionem facere, cum sit simpliciter Monachus Religionem professus. Federicus verò, quem citat Nauarrus, docet, Monachum electum in Abbatem alterius Cœnobij non debere in eo nouam professionem emittere: vnde distinguit, aut Monachus transit, vt præsit, aut vt subsit: si vt præsit tamquam Abbas, Prior, vel Superior, non est necesse, vt denuò professio-

fessionem emittat: si vt subsit, necessaria est secunda promissio. Contrarium Nauarrus affirmat, ratus requiri professionem secundam: tum quia licet fuerit Monachus vnius religionis, Ordinis, vel Monasterij; non tamen eo ipso, est alterius: tùm etiam, quia vnaquæque religio suis Constitutionibus gubernatur, ac regitur; & oportet, vt omnes eiusdem Ordinis Monachi eisdem legibus, & Constitutionibus teneantur. At nisi noua fieret professio, Regularis ad aliam Religionem translatus, esset ijs Constitutionibus & legibus solutus, quibus alij tenerentur. Item singula Monasteria, quando non sunt in cura, & potestate vnius Generalis Præfecti suis statutis & legibus viuunt: & vnum Monasterium sæpe seueriori, duriori, & arctiori instituti regula tenetur. Opinio Nauarri vera est, & locum habet, quum fit transitus ex vno Ordine vel religione ad alteram: Item, cùm ex vno Monasterio ad aliud, & singula suis institutis & legibus tenentur: tunc enim Monachus in vno Monasterio professus nequit fieri Monachus, & filius alterius, nisi in eo denuò professionem faciat. At verò sententia Federici etiam locum habet, cùm Monachus vnius Monasterij eligitur in Abbatem, Priorem vel Præfectum alterius: nam eo ipso, quo in ea Præfectura confirmatur, & eam exercet, videtur tacitè professionem in eo Monasterio, cui præest, emittere. Ex quibus sequitur, vt Monachus ad aliud Monasterium translatus capax non sit Beneficiorum regularium ad illud Monasterium vel Ordinem pertinentium, nisi in eo profiteatur, vt docet Nauar. *consil. 60. de regularib. ex cap. Cùm singula, de præben. in sexto.* Item locum in sedendo & suffragium ferendo habebit iuxta tempus, in quo professionem emittet in secundo Monasterio.

Decimoquartò quæritur, An Carthusianorũ Religio sit arctior Religione Minimorum? Hanc quæstionem tractat Nauarr. *consil. 10. de regularibus.* Vnde vnà cum ipso respondeo, Minimos (vt fertur) Pontificiam Constitutionem à Iulio secundo editam impetrasse, in qua videtur Pontifex asserere, eorum religionem esse cæteris omnibus religionibus arctiorem. Deinde, Minimi præter tria vota religionum communia, quartum emittunt, quo vouent se numquam vsuros alijs cibis, nisi eis, quibus vtimur in ieiunio quadragenario; excepto tempore, quum morbo laborauerint. Cùm tamen Carthusiani iure vtantur ouis, caseo & lacte etiam dum valent. Negari non potest Minimos aliqua durius obseruare, quàm Carthusiani obseruent: at verò ius commune concedit transitum ab Ordinibus Mendicantium ad Carthusianos, tamquam ad arctioris & durioris instituti Monachos. Item Carthusianis etiam dum morbo tenentur, interdictus est esus carnium, Minimis non item. Carthusiani præterea silentium maximum seruant, & vitam solitariam. Horum denique clausura est veluti quidam carcer perpetuus.

Decimoquintò quæritur, An Regularis ex vno Ordine ad alium migrans, debeat per integrum annum in probatione persistere; vt professio in Religione ad quam transit, sit rata: Siquidem Concilium Tridentinum *Sess. 25. c. 15. De Regularib.* definit nullius esse momenti professionem, nisi Nouitius ad annum integrum post habitum susceptum probetur? Respondet Nauarrus *in consil. 49. De Regular. num. 4.* necessariam esse integram anni probationem, eo quòd debeat noua professio fieri: & Concilium generatim ad professionem, vnius anni probationem requirit, & postulat. Obijcies, huiusmodi Religiosum esse veteranum, ergo tyro, aut Nouitius esse nequit. Respondet Nauarrus esse quidem veteranum & professum; at verò factum esse tyronem, & Nouitium in ea Religione vel Monasterio, ad quod transiuit: nec enim pugnat, esse veteranum in vna religione, vel Monasterio, & Nouitium in altero.

Decimosextò quæritur, An Religiosus Franciscanus ex his, qui vulgo Obseruantes aut Cappuccini vocantur, iure possit ad Carthusianos transire, & è contrario, Carthusianus ad Cappuccinos, vel Minores? De hac quæstione Nauar. *consil. 68. De Regular.* Testantur Siluester *Religio. 4. quæst. 6.* in Academia Parisiensi fuisse Theologorum, & Canonici iuris Doctorum sententia decretum, licere Carthusiano transire ad Dominicanos plenè & perfectè suam Regulam cum Constitutionibus obseruantes. Quod si ita est, licebit etiam Carthusiano ad Minores vel Cappuccinos transire: præsertim cùm Cappuccini contendant suæ Religionis institutum, esse Carthusianorum Regula durius & arctius. Nauarrus tradit, tuta conscientia liberum esse transitum ex alterutro prædictorum Ordinum, dummodo fiat studio, & amore vitæ melioris & perfectioris, & citra omnem offensionem, ac litem inter illos. Certè iure Canonico, vt paulò ante iam dixi, permittitur transitus ex Mendicantibus ad Carthusianos, *vt constat ex extrauag. viam. de regularibus inter communes*: de transitu verò ex Carthusianis ad Mendicantes nihil legi expressum in iure. Sanctus Bonauentura *in opusculo de determinationibus quæstionum circa regulam S. Francisci, capit. 12. & 13.* ait, ex quolibet Ordine posse Religiosum transire ad Ordinem Sancti Francisci: & ex Ordine Franciscano non posse religiosum ad alium Ordinem migrare. Sed in hoc seruandum est, quod constituitur in extrauag. viam. de regularib. inter communes.

Cap. XV.

Aliæ quæstiones ad eandem rem pertinentes soluuntur.

PRimò quæritur, An Minister, vel Præpositus quilibet Generalis alicuius Ordinis iure possit facultatem concedere transeundi ad laxiorem religionem iusta ex causa? Respondeo cum Innocentio, Hostiensi, Ioanne Andrea, Abbate, quos refert, & sequitur Nauar. *consil. 56. de regular.* ex iure communi posse; ita tamen, vt scripto constet, eam facultatem Præpositum Generalem dedisse, & ex causa iusta, & prius cognita, ne is, qui trãsit, postea reuocetur, aut aliqua ratione vexetur. Nam Romanus Pontifex huiusmodi facultatem dare potest ex iusta quidè causa prius

nota & approbata, sed minimè scripto tradita. Cæteri verò eò inferiores dare nequeunt, nisi ante cognita iusta causa, & expressim scripto mandata. Objicies Concilium Tridentinum *Sess. 25. de Regular. c. 19.* decreto cauere, ne vllus Regularium cuiuslibet facultatis vigore ad religionem laxiorem transferatur. Respondeo cum Nauarro, nó sustulisse Concilium facultates cum iure cómuni congruentes, quales sunt, quæ conceduntur iustis de causis, & seruato debito iuris ordine: abrogatæ nimirum facultates sunt, quæ sine iusta causa dari solent, aut non præcedente iusta causæ cognitione & approbatione.

Secundò quæritur de eo, qui ad laxiorem religionem præter aut contra ius transiuit, & ad saniorem mentem reuersus repetit prioris Religionis Cœnobium, sed in Religionem non admittitur, eo quod sit proiectæ iam ætatis, aut podagra, aut comitiali, alioúe simili morbo laboret, an tutò in laxiori religione permanere queat? Respondeo, eum indigere Romani Pontificis beneficio, vel alterius, qui possit facultatem concedere: quoniam etsi iusta subest causa eius facultatis concedendæ, tamen sicut absque facultate legitima transeundo peccauit, sic absque ea etiam persistendo delinquit, ac propterea illam petere debet. Neque enim cum idonea & legitima subsit causa, & facultas permanendi denegabitur.

ROGABIS, quid sit dicendum, si post Pontificiam Constitutionem Pij V. quispiam ad laxiorem Religionem migrauerit, & ad priorem reuersus, vt Pius V. iubet, repulsam patiatur, & Iudices Apostolicos adeat, qui causa cognita decernant eum in laxiori religione, ad quam transiuit, permanere, incurratne censuras, & pœnas ab eodem Pontifice irrogatas ijs, qui non reuertuntur ad pristinam religionem, cùm ad laxiorem transierint? Respondeo, non incurrere, quia nimirum ad priorem se referens religionem: ne quaquam admittitur, & in laxiori, ad quam se transtulit, remanet; non quidem vi facultatum, quę penitus Constitutione Pij V. abrogantur, sed vi sententiæ latæ à Iudicibus Apostolicis ad id destinatis. Ita Nauar. *cons. 72. de regular.*

Tertiò queritur, Ad quam Religionem vel Ordinem pertineant bona eius Monachi, qui ex vno Monasterio, vel Ordine transiuit ad alium. Hanc quæstionem fusè tractat Siluest. *Religio 4. quæst. 10.* Angel. *Monasterium. q. 6.* Rosel. *Religio. 4. num. 11.* Nauar. *Comment. 4. de Regular. num. 24.* & Couarruuias *cap. 1. de testament. num. 20. & 21.* Respondet Hostiensis distinguendo: si ante professionem emissam migrauerit, vnà cum eo bona vniuersa transferũtur, si verò post illam & sine facultate legitima, eius bona penes Monasterium, vnde recesserat, manent, ac sibi imputet Cœnobium, quod illum transeuntem admittit. Si autem ex legitima facultate transierit, vsus fructus bonorum, quæ priori Monasterio contulerat, debetur posteriori, ne illi sit oneri. Hæc ille ferè. Sed verius mihi videtur, quod tradit Panormitanus *in capit. Quòd à te. de Cleric. coniug. & c. In præsentia. & c. Causam. de probationibus*, ex alijs, quos ille citat, & sequitur, si transierit, inquit, ante professionem, & priori Monasterio expressè, & absolutè sua bona donauerat, tunc personam sequuntur; & proinde vna cum eo transeunt ad secundum: nam à priori recedens tacitè videtur donationem reuocasse, cùm veluti causa mortis facta esse videatur. Ergo, sicut donatio causa mortis facta, morte non secuta repetitur, sic donatio causa professionis facta, si ea non sequatur, rescinditur. Et propterea transiens ad secundum Monasterium, iure sua bona repetit atque recuperat. Si verò post professionem emissam transierit; aut transitus est iure concessus, aut non: Si secundum, cùm professio quoque secunda sit inanis & irrita, bona quoque pertinent ad prius Monasterium, ad quod redire ipse Monachus debet: nec refert, si in secundo professionem emittens, ei expressè sua omnia bona donet: donatio enim locum non habet, sicuti nec professio; sit enim donatio causa professionis, quâ bona fide putat ratam esse; cùm tamen non sit: ac propterea idem est, ac si Caius credens Titium esse suum filium, eum institueret hæredem, in eum sua bona transferret, cùm filius ipsius Caij non esset. Quod si mala fide professionem faciat, tota donatio, & professio reuocatur. Si autem ad secundum Monasterium transierit facultate legitima; facta in eo Monasterio professione, aut transitus est propter eius crimen, vt in arctiore Religione illud plangat, & expiet; & vsus fructus bonorum ad secundum Monasterium pertinet, proprietas ad primum, ac post mortem vsus fructus ad proprietatem redibit. Aut transitus fit studio vitæ melioris. Et de hoc sunt duæ opiniones: Vna docet omnia bona penes primum Monasterium manere, & quicquid post professionem in secundo factam ei obuenerit, secundo Monasterio acquiri. Sic Petrus Perusinus sensit, vt referunt Siluester, & Rosella, cui subscripsere Siluester, & Nauarrus *locis citatis*. Et hanc communem esse sententiam ait Socinus *consil. 52. volum. 4.* vt citat Couarruuias *loco citato*, nimirum inter iuris Ciuilis interpretes. Nam opposita, communis est inter iuris Pontificij peritos, vt refert idem Socinus *cons. 183. volum. 2.* Id probant *ex cap. Statutum. 18. quæst. 1.* vbi generatim sancitur, bona Monachi in Episcopum electi acquisita ante dignitatem, & munus Pontificium ad Monasterium pertinere. Altera opinio tradit, omnia bona, quæ ad prius Monasterium transierunt, vnà cum Monacho ad aliud se conferente transferri. Sic Cardinalis, Abbas, Paulus, Bonifacius; cuius sententiæ videntur etiam fuisse Ioannes Andreas, Archidiaconus, Hostiensis, Henricus, Antonius, vt refert Couarruuias *cap. 1. de testament. num. 20.* Quod ex eo nituntur colligere, quòd spes succedendi in bonis paternis, vnà cum Monacho transit ad secundum Monasterium: & proinde, si post transitum parentes Monachi decesserint, secundum Monasterium succedit, non primum: non igitur omnia bona patrimonialia Monachi ad prius pertinent Monasterium; siquidem ius, & spes succedendi in bonis paternis ad secundum, vnà cum persona transfertur.

Mihi prima opinio magis cum iure conuenire videtur, licet secunda sit magis vsu & consuetudine recepta. Nam profectò *in capit. Statutum citato*, generaliter dicitur omnia bona ante transitum

acquisi-

acquisita ad prius Monasterium spectare. Nec est, cur Panormitanus dicat, intelligi de bonis, non quidem patrimonialibus, sed industria, arte, vel labore Monachi comparatis, nam ibi caput nihil in hac re distinguit: ergo generaliter verba illius capitis sunt accipienda. Nec idem iudicium est de spe & iure succedendi, quod de bonis ante iam partis: nam spes & ius succedendi personam comitatur & sequitur, cùm non fit Monasterio priori acquisitum: & proinde Religiosus se ex primo ad secundum Monasterium recipiens, ius, quod habet in bonis paternis succedendi, ad illud quoque transfert, non autem bona, quæ erant priori Monasterio quæsita. Quo fit, vt si Religiosus Franciscanæ familiæ Obseruantis vel Cappuccinæ in Episcopum eligatur, ius habeat succedendi in hæreditate paterna, quam acquiret Ecclesia, cui præest: eo quòd ad munus & dignitatem Pontificiam euectus, & à religiosæ vitæ instituto ex parte absoluitur, ac in statum pristinum restituitur, quoniã recuperat ius succedendi in bonis parentum. Ex quo deducit Couarruuias, Paulum, Cardinalem, & Bonifacium sequutus, *in Clement. vlt. de electione.* Legatum relictum Monacho sub conditione acquiri illi Monasterio, vel Ordini, in quo Monachus vitam agit tempore, quo conditio impletur, & non alteri, in quo viuebat tempore, quo relictum est legatum. At verò si promissio sit facta Monacho sub conditione, & conditio impleatur post factam professionem in secundo Monasterio, res promissa ad primum Monasterium pertinebit, non ad secundum: eo quòd in vltimis voluntatibus spes non transmittitur ad hæredes. *L. Cùm hæredes ff. quando dies lega. cedat.* In contractibus verò transfertur ad hæredes. *L. Si filius familias. ff. De verborum obligat.* vel quia primum Monasterium iam acquisierat ius ad rem, quamuis nõ ius in re.

SIROGES, quid sit dicendum de eo, qui transiuit ex Ordine religiosorum, qui capax est bonorum iure hæreditario peruenientium ad Monachos, ad Franciscanam familiam, & in ea secundò professus est, & post professionem in ea factam per obitum patris hæreditas ad eum peruenit? Quidam aiunt eam hæreditatem ad primum Ordinem, in quo primam professionem fecerat, pertinere: eo quòd Franciscana familia hæreditatis capax non sit. Alij probabiliùs opinantur, eam ad alios patris legitimos hæredes attinere, quia per professionem secundò factam in Ordine Franciscanorum desijt omnino esse Religiosus primi Ordinis, quia ab eo absolutus est.

Cap. XVI.

De Fugitiuis, Electis, & Apostatis Regularibus.

PRimò quæritur, In quo differant Regularis Fugitiuus, Electus, & Apostata? Respondeo, Fugitiuum propriè eum esse, qui abijciens Obedientiæ iugum, se subtrahit Præposito suo, & à Monasterio recedit, vt se Præposito celet, siue habitum exuat, siue non, *in L. Quis sit Fugitiuus ff. de ædilitio edicto.* Veteres iurisconsulti variè definiunt & explicant, quinam fugitiuus seruus dicatur. Sic enim ibi habetur: *Quis sit fugitiuus, definit Ofilius. Fugitiuus est, qui extra Domini domum fugæ causa, quo se à Domino celaret, mansit. Cælius autem fugitiuum esse ait eum, qui ea mente discedat, ne ad Dominum redeat; tametsi mutato consilio ad eum reuertatur: nemo enim tali pacto, inquit, pœnitentia sua nocens esse desinit. Cassius quoque scribit, Fugitiuum esse, qui certo proposito dominum relinquit. Item ad Viuianum relatum est, Fugitiuum ferè ab affectu animi intelligendum esse, non vtique à fuga: nam eum, qui hostem, aut latronem, incendium, ruinamue fugeret, quamuis fugisse verum est, non tamen fugitiuum esse. Item, nec eum quidem, qui à præceptore cui in disciplinam traditus erat, fugisset, fugitiuum esse, si fortè ideo fugit, quia immoderatè eo vtebatur. Idemque probat, si ab eo fugerit, cui erat commodatus, si propter eandem causam fugerit. Idem probat Viuianus, si seuius cum eo agebat; hæc ita, si eum fugisset, & ad dominum venisset. Cæterùm, si non ad dominum venisset, sine vlla dubitatione fugitiuum videri ait. Idem ait Proculus de eo (interrogatus) qui domi latuisset, in hoc scilicet, vt fugæ natus occasionem se subtraheret. Nam ait, tametsi fugere non posset videri, qui domi mansisset: tamen eum fugitiuum fuisse. Sin autem in hoc tantum latuisset, quoad iracundia domino deferuesceret, fugitiuum non esse; sicuti nec eum quidem, qui, cùm Dominum animaduerteret verberibus se afficere velle, proripuit se ad amicum, quem ad precandum perduceret; sed nec eum quidem fugitiuum esse, qui in hoc progressus esset, vt se præcipitaret. Illud enim verum non est, esse fugitiuum eum, qui nocte aliqua sine voluntate Domini mansisset, sed ab affectu animi cuiusque æstimandum. Idem Viuianus ait: Si à magistro puer recesit, & rursus ad matrem peruenit: cùm quæreretur, num fugitiuus esset? Si celandi causa, quò ne ad Dominum reuertatur, fugisset, fugitiuum esse. Si verò, vt per matrem faciliorem deprecationem haberet delicti alicuius, non esse fugitiuum.* Hæc ibi. Electus est is, qui ob culpam suam extra Monasteriũ expellitur. At Apostata est susceptæ Religionis desertor, hoc est, qui à Monasterio recedit animo & voluntate liberè extra Monasterium viuendi. Fugitiuus enim aliquando sese ad tẽpus fuga proripit. Quare omnis Apostata est fugitiuus; quamuis non omnis fugitiuus, Apostata esse videatur.

Secundò quæritur, An Cœnobium ius habeat eijciendi Monachum? Cardinalis *in Clement. Ne in agro. §. Quia verò. de statu Monachorum.* sensit ob nullum crimen posse iure communi à Monasterio Monachum eijci, etiamsi cõtumax sit, & obedire recusauerit, & corrigi, ac emendari noluerit. Id ille colligit *ex cap. Impudicas. 27. quæst. 1. & cap. Ne Religiosi, De Regularib.* quæ iura derogare videntur auctoritatem Regulis Monachorum concedentibus facultatem eijciendi Monachum. Sed communi est sententia receptum, quod S. Bonauentura *in opusc. quod scripsit de determinationibus quæstionum circa Regulam S. Francisci, cap. 14.* Humbertus *in expositione Regulæ S. Augustini, cap. 99.* Turrecrem. *in expositione Regulæ S. Benedicti, tract. 88.* tradiderunt, posse expelli eum, qui obedire & corrigi noluerit; vt expressim docuerunt Angelus *verbo Abbas, q. 18.* Silu. *religio 6. q. 17.* Tabien. *religio. q. 45.* Armil. *religio. n. 28.* S. Th. auctoritate permoti. *quodl. 12. q. vlt.* vbi ait, quoniã secundũ Apostolũ malũ est auferendũ, ne modicũ fermẽtũ totã massã corrũpat: ideo Monachus si corrigi, & emendari renuerit, cũ contumax est, meritò repellitur. Quæ opinio & cum iure ipso, & cum Regulis religionum cõgruit;

gruit;denique cum rationis ipsius præscripto. Etenim *in c.vlt. de Regularib.* tanquam certum ponitur id iure fieri posse:nam ibi statuitur, vt fugitiui vel eiecti reducantur: & Regula S.Benedicti apertè concedit,c.19.Monachum semel & iterum fugientem è Monasterio posse recipi,si de peccato dolens reuertatur; at si tertio recesserit, eum non amplius admittendum. Immo etiam manifestè præscribit,Monachum,qui sæpe admonitus sese non emendauerit,ferro abscissionis eijciendum,ne vna ouis moribunda totum gregem contaminet.Deinde subiungit hæc verba: *Frater,qui proprio vitio egreditur,aut proijcitur à Monasterio,* & reliqua.Regula quoque S.Augustini facultatem & ius tribuit Monachum eijciendi.Et ita est vbique in more positum, vt Religiosi ob certa crimina per sententiam è Monasterio expellantur.Decernit enim Regula S.Augustini,si quis emendatoriam subire vindictam recusauerit, de vestra Societate proijciatur: non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer,ne contagione pestifera plurimos perdat.

Ac ius quidem etiam naturale id manifestè confirmat. Si enim Monachus corrigi,& emendari nolit, ne cæteros offendat, aut corrumpat, extrudi & eijci potest. Sic Clericus ob crimina, omni Ecclesiastico priuilegio nudatus,ciuili magistratui,ac potestati traditur.

Obijcies;solũ inde cõcludi iure eũ posse ad ꝑpetuum carcerẽ condẽnari;non autem extra Monasterium eijci,ne liberè, ac licenter viuat; sic enim ei sæpius peccandi dabitur occasio, si suæ libertati permittatur. Respondeo,si extra Monasterium expellitur,non hoc ideo fit,vt liberiùs peccet,ac deterior fiat, sed vt pudefactus, ita citiùs & commodiùs resipiscat. Deinde obijcies,Monasterium Monacho alimenta debere, non igitur ijs denegatis potest inde detrudi, ne fame confectus intereat? Respondeo, meritò ei alimenta denegari,vt facilius,ac promptius ad meliorem vitæ frugem sese deducat.Neque tamen Monasterium illi victum necessarium subtraheret,penitus ad eum sibi comparandum inepto, nec aliunde habituro, vnde commodè viuere posset. Quare cùm possit sibi ipse de victu prospicere, meritò & alimentis,& Monasterio priuatur, vt ad mentem redeat saniorem. Sic enim vexatio dabit intellectum.Demum obijcies id,quod habetur *in c. vlt.de Regular.* vbi præcipitur,vt Præpositi fugitiuos,& eiectos perquirant,& reuocent,atque eos corrigant. Respondeo,nihil argumento concludinam quos ibi eiectos intelligat ius Canonicũ inferiùs exponã,in præsentia dicere satis est,nomine eiectorũ eo capite accipi eos,qui absq; iusta causa dimittuntur.Sed tales non sunt,qui eijciuntur, quod corrigi & emendari recusant, aut quos expellendos Religionis institutum, & regula præscribit,aut qui legitima sententia ob delicta expelluntur.

Tertiò quæritur, An ob alia vitia, & crimina præterquam ob contumaciam Monachus professus possit iure è Monasterio expelli? Sententia est aliquorum nullum professum, quibuslibet criminibus,ac vitijs obstrictum, posse extra Monasterium & Ordinem eijci, dummodo corrigi & emendari velit, sed in carcerem perpetuum, vel ad tempus detrudendum, vel alia pœna iuxta religionis instituta meritò coercendum: Id probãt,quoniã ita docuerũt Ang. Silu. Tab. Armil,*loc.supr.citat.*S.Th.auctoritate perducti,quorũ sententiam videtur etiã ante eos tenuisse Card. & Abb.& alij.Ne eiectus Monachus occasionem arripiat liberioris & licentioris vitæ,cum magna multorum offensione. Mihi tamen videtur probabilius,iure quidem communi non nisi eos,qui corrigi renuunt, posse iure dimitti, & auctores præfati de hoc iure communi videntur loquuti: at iure peculiari,& instituto cuiusque religionis ob multa alia delicta, & vitia potest Monachus meritò expelli.Regula August.ob contumaciam solam,Monachum eijciendum præscribit. At Regula S.Benedicti habet,ne Monachus tertiò recedens,amplius admittatur,quamuis redeat:& aliquã sunt religiosorum instituta, quæ constituũt, vt si quis in professione emittenda,aut in ipso in religionem ingressu certum vitium, aut crimen tacuerit, aut certum morbi contagiosi genus occultauerit,aut postea certum delicti genus admiserit,liberè dimitti & expelli queat: nam in his religiosorum Ordinibus, in professione,quam religiosus emittit,aut in ingressu, quo in religionem admittitur,tacita subest conditio & conuẽtio,vt si hoc vel illud vitium vel crimen,vel morbum tacuerit,vel delictum admiserit,eiiciatur.

Quartò quæritur,An extra Monasteriũ eiectus eo ipso sit trib. religionis votis solutus & liber? Resp.minimè:nec.n,penes religionẽ ius est,vllaue auctoritas professũ religiosũ voto liberandi. Quare Monasterio eiectus nihil tãq; propriũ sibi potest acquirere, neq; capere,sed solũ ius habet ea sibi quærendi,quibus omnino ad victum,vestitum,& habitationem indiget. Nec horum proprietatem,aut dominium,vel vsum,aut vsumfructum, qui in iure consistat, vllo modo sibi comparat,sed nudum vsum,qui res est facti, nõ iuris: nec enim cum voto paupertatis per solemnem professionem facto,pugnat vsus rei ad vitam simpliciter necessarius. SI QVAERAS,an idem iuris sit de quolibet eiecto: nam quidam eijciuntur,vt contumaces,eo quòd emendari, & corrigi recusent:alij expelluntur,eo quòd sententia iudicum qui ad id destinantur,conuicti criminum,dimittuntur Monasterio,& habitu religionis priuati, vt indigni. Resp.idem iuris esse in omnib.eiectis & expulsis;nã religione,habitu,& alimentis debitis spoliãtur,sed votis nõ soluũtur:quarevbicũq; sint,votis religionis tenẽtur obstricti,neq; enim desinũt esse Monachi,vel religiosi, sed ob delicta eijciuntur, vt extra Ordinem vel Monasterium viuant,& pœna iusta ac debita puniantur.

Quintò quæritur,An qui ante ingressũ in religionẽ votũ fecerat religiosã vitã simpliciter suscipiẽdi, ac postea certã aliquã religionẽ professus,& ab ea meritò expulsus,debeat aliã exquirere,& petere,si eũ facti iã sui pœnitẽtẽ religio prior recusет admittere? Quidã inter quos videtur esse Sot.*l.1.de iust.q.2.a.1.ad.3.* existimãt, eũ oportere aliã adire,eãq; amplecti, eo quòd ante professionẽ emissã erat adstrictus simplici voto religionẽ absolutè capessendi. Deinde, quia sicut qui post simplex Castitatis votũ ad Matrimoniũ trãsiret, ꝙ postea morte cõiugis solueretur, deberet

omnino

omnino castitatem seruare: & pari ratione Religiosus ad Episcopatum electus, si se eo munere abdicaret, iure cogeretur ad Religionem, vnde assumptus & electus ad dignitatem fuerat, reuerti: sic etiam religiosus electus, votum religionis, quod ante professionem emiserat, debet exoluere. Mihi tamen horum sententia aut falsa, aut certè dubia videtur: quoniam obligatio semel extincta non redit: sed votum simplex Religionis per solemne in aliquo religiosorum Ordine emissum planè extinguitur, ergo nunquam reuiuiscit. Respondebunt illi, minimè extingui, sed quasi sopiri, ac, vt dici in scholis solet, suspendi ad tempus. Sed hoc dici nequit, quia vt supra concluſimus, vota extra Monasterium facta, in solemnem Religionis professionem commutata, verè extinguuntur, ac cessant. Alioqui enim in Monacho professo, & extra Monasterium electo cætera omnia vota antea Deo nuncupata reuiuiscerent. Accedit, quod electus Monachus adhuc suæ professionis vinculo tenetur, ac debet, si est electus, vt contumax, eo quòd emendari & corrigi noluerit, ad Monasterium redire, nisi causa eum legitima soluat, ac liberet ab hoc obligationis nexu, cùm per Monasterium non stet, quo minus reuertatur. Quod si per ipsum Monachum steterit, quo minus redeat, vel admittatur ad suam religionem, nullo iure cogitur ad alium se conferre, quod si publica sententia fuerit ob crimina repulsus, nihil refert; quoniam per solemnem professionem, quam fecit, vota, quæ antè emiserat, omnino cessarũt vt extincta. Neq; verò idẽ ius est in eo, qui se post simplex castitatis votũ matrimonio coniunxit: nec enim per Matrimonium, votum antea factum extinguitur. Ita cum Religiosus ad Pontificium munus & dignitatem eligitur & promouetur, non planè liberatur à voto: & propterea eo munere abdicatus, ratione voti cogitur ad Monasterium redire.

Sextò quæritur, An Monachus electus debeat ad Monasterium redire correctus & emendatus, si eum Monasterium ipsum velit recipere? Item, electus ex vno Ordine Religiosorum vtrũ redire cogatur, si Ordo velit ipsum recipere? Respondeo cum Nauarro *consil. 51. de Regularib. & consil. 3. de stat. Monach. & Comment. 2. de Regularib. numer. 36.* electum publica sententia iudicum ad id destinatorum ad reditum nõ compelli: quoniam sicut seruus derelictus à domino, eo ipso, fit sui iuris, sic Religiosus per sententiam iustam expulsus, quasi sui iuris efficitur, hoc est, tuta conscientia extra eam religionem, è qua electus est, viuit, vt in eo iustam sententiam, & pœnam sustineat, ac luat. Item, quia per sententiam iustam definit esse Monachus Religionis, vel Monasterij, vnde est repulsus. Insuper, quia per sententiam iustam est in perpetuum, non ad tempus condemnatus, vt extra eam Religionem, vel Monasterium viuat.

Septimò quæritur, An debeat electus per sententiam iustam se ad aliam religionem conferre an potius tuta conscientia possit extra omnem Religionem in sæculo viuere? Respondeo cum Nauarro eisdem locis: iure posse in sæculo manere: quoniam numquam vouit ingressum in aliam. Obijcies, cùm vnam est professus, sese Religioni generatim obstrinxit. Respondeo, verum id esse, sed manens in sæculo, Religiosus adhuc est, & tribus votis obstrictus, quamuis per sentẽtiam extra Religionis claustra viuat.

Octauò quæritur, Cuinam Monachus fugitiuus acquirat extra Monasterium? Respondeo cum Panormitano & alijs *in capit. vlt. de Regularib.* si nullam aliam Religionem profiteatur, nec vlli præficiatur Ecclesiæ, suo Monasterio acquirit: vnde Abbati ius est eum repetendi, & vendicandi sibi quicquid ille extra Monasterium comparauit, vt colligitur *ex c. Abbates. 18. q. 2.* sicut quicquid seruus fugitiuus acquirit, non sibi, sed domino acquirit: Si in aliud Monasterium fuerit ingressus, acquirit Priori, vnde fugiendo recessit: nam fugitiuus Monachus in aliud Monasterium iure nequaquam admittitur. Quòd si legitimè ad aliud Cœnobium se contulerit, Priori acquirit, quicquid ante ingressum in secundum lucratur. Ad secundum verò pertinet quicquid lucrifacit post emissam professionem in secundo. Si fuerit Ecclesiæ sæculari præfectus, aut id fit legitimè, aut non fit. Si hoc secundo modo ad Monasterium attinet, quicquid comparat. Si primo, tunc quicquid lucrifecerit studio, & causa Ecclesiæ, cedit in ius & dominium Ecclesiæ. Cætera verò, quæ causa suæ personę comparat, ad Monasterium pertinent. QVAERES, Cùm dubitatur de aliquo, an id ratione Ecclesiæ, an verò ratione personæ acquisierit, quid tunc sit consilij capiendum? Respondeo cum Abbate loco citato, rem coniecturis definiendam. Si id Monachus ille acceperit ab aliquo sibi propinquo, iudicandum est, ipsi datum gratia ipsius, non Ecclesiæ, cui præest, & proinde ad Monasterium transibit; si ab extraneo, cedet Ecclesiæ.

Nonò quæritur, Cui acquirat Monachus è Monasterio vel religione electus? Resp. si fit cõtra ius electus, suo Monasterio acquirit; nã eiusmodi iniqua electio nihil Monasterio obest: neq; n. Abbatis delictũ Ecclesiæ nocere potest, *c. Si Episcopi. 16. q. 6. & c. Delictũ, De reg. iur. in 6.* Vnde Monasterium iure cogitur eũ repetere, & recipere, ita vt si id facere recusет, auctoritate Episcopi, vel alterius Superioris compelli queat, non solùm alimenta debita, & necessaria ei præbere, verùm etiam ea omnia bona restituere, quæ Monachus in Monasterium contulerat. Si verò sit per sententiam electus, quidam censent, in ius Monasterij cedere quicquid acquirit, sic Goffredus à Panormitano citatus *in c. 1. de infantibus & languid. expositis.* Idem videtur docere Sil. *Apostata, q. 9.* quoniam Monasterium ius suum non amittit, ob Monachi delictum, ratione cuius, per sententiam iustam ejicitur: item Monachus electus resipiscere debet, & ita corrigi, & emendari, vt dignus sit, qui in Monasterium restituatur; ac proinde non est penitus abscissus. At secundum Nauarrum *in Comm. 2. de Regular. nu. 33. ex Abbate, in c. 1. de infantib. & languid. exposit. & c. vlt. de regular.* non acquirit Monasterio. Id probant illi, quia desijt esse Monasterij membrum & pars; nam pro derelicto habetur, veluti seruus derelictus non amplius domino acquirit. Et hoc magis Panormitano, & Glossæ *in c. 1. de infantibus citato*, placuit, quod & mihi probabilius videtur, quoniam electus per sententiam iustam

habe-

habetur pro derelicto. SI QVAERAS, cui igitur talis Monachus acquirit, si nec sibi, nec Monasterio acquirit? Et sermo est de electo, nec aliam Religionem professo, nec ad vllam Ecclesiam electo: talis enim Monachus, vel secundo Monasterio, vel cui præest Ecclesiæ acquirit. Asserit Nauarrus Abbatem sequutus, eum acquirere, quòd ad dominium quidem & proprietatem attinet, Deo; quòd verò ad ius administrandi, Romano Pontifici, aut Episcopo, in cuius est potestate. Panormitanus simpliciter ait, quicquid acquirit, ad Episcopum pertinere. Quidam Nauarrũ oppugnant, eo q̃ dixerit eiusmodi electũ religiosum, Deo acquirere. Quia certè dominium, & proprietas neq; Deo acquiri: summũ enim ille rerũ omniũ dominium habet, nec aliquid omnino est, quod possit suum esse definere. Nihil enim potest incipere esse in dominio eius: id enim acquiritur alicui, quod eius esse incipit, cùm antea non esset. Sed Nauarrus ideo dixit, Deo dominium, & proprietatem acquiri; quoniam, vt alibi dicam, sentit, bonorum Ecclesiasticorum, cuiusmodi sunt etiam, quæ Religiosus acquirit, dominium esse penes Deum, administrationem verò penes Ecclesiarum Præfectos: bona autem Ecclesiastica ideo dicuntur esse Dei, quia in nullius hominis bonis sunt, & eo ipso, quo facta fuerint Ecclesiastica, sacra, & religiosa, desinunt esse in bonis hominum, quia commercijs & vsibus hominum nunquam amplius inseruire queunt, quamdiu bona sacra sunt. Dicendum itaque puto, bona omnia, quæ ille Monachus acquirit, ad Principem vel Rempublicam pertinere, hoc est, ad Romanum Pontificem, vel Ecclesiam, vel Episcopũ; instar eorum bonorum, quæ vacantia dicuntur. Nec enim vlla esse queunt bona, quorum dominium, & proprietas, vel ius administrationis penes aliquem hominem, aut hominum congregationem, aut Collegium, aut Collegij Præfectum non sit. Vnde quemadmodum si quis absque vllo prorsus hærede decedat, eius bona tanquam vacantia, ad Principem, aut Rempublicam ciuilem deueniũt: sic etiam eius rei, quam ille Monachus electus acquirit, Vsus, qui est res facti ad ipsum pertinet, ius verò administrationis ad Romanũ Pontificem, qui est summus Ecclesiæ princeps, & supremus omnium religionum præfectus; ac proinde per obitum Monachi vsus, quasi ad proprietatem & dominium, hoc est, ad ius administrationis reuertitur, & cum eo vnà coniungitur & cõsolidatur, vt iurisperiti loquuntur, vel ius administrationis pertinet ad Episcopũ, in cuius diœcesi; ac proinde in cuius cura & potestate eiusmodi Religiosus viuit.

Decimò quæritur, Quidnam dicendum, si aliqua religio (qd̃ absit) deleretur, & religiosi permitterentur separatim viuere, cuinam acquirerẽt id, q̃ donatione, industria, arte, vel labore cõpararent? Respondet Nauarrus *in Comment. 2. de regularib. n. 34.* dominium & proprietatem Deo acquiri, cuique verò illorum vsum nudum, qui est res facti, non iuris: ius autẽ administrationis esse penes Episcopos: in quorum potestatem Religiosi recíderent. Alij respondẽt, dominium, & proprietatem acquiri summo Ecclesiæ principi, hoc est, Romano Pontifici, in cuius potestate nunc sunt vniuersi Religiosi ab Episcoporum iurisdictione exempti. Quòd si Episcopis esset, vt olim, Monachi subiecti, tunc vsum sibi quisque acquireret, dominio, & proprietate in Episcoporũ potestatem & ius cedente. Bona enim, nisi prodelictis habeantur, non manent incerta, quamuis nullum habeant hæredem, sed ad principem, vel Rempublicam pertinent, quod attinet ad eorum dominiũ: & ius administrationis, ergo corũ bonorum administratio ad Episcopos, vel ad Romanum Pontificem pertineret.

Vndecimò quæritur, An Religiosus electus, si nullam aliam religionem capessat, debeat sese Episcopo offerre, vt in eius sit cura & potestate; cuius mandatis & iussis parere vi voti cogatur? Nauar. *Commen. pr. edicto. n. 35.* respondet, id ab eo fieri oportere, cùm tribus sit votis Religionis obstrictus; ac proinde debet esse in Episcopi potestate, vt ei tamquam præposito & superiori in omnibus obediat. At enim Nauarrus firmo argumento non conficit: nam professus solemni more Religionem, sese voto obstringit, quo promisit, se perpetuò obediturum Præposito Generali, ac eius omnibus successoribus, non alijs. Si igitur per iustam sententiam extra Monasterium emittitur, vi & ratione voti non cogitur alteri obedire. Quare satis est, si Episcopo instar aliorum Clericorum obtemperet. Item, eiusmodi religiosus electus non cogitur, vt etiam Nauarrus fatetur, vivoti ad aliam religionem transire, quia id non vouit. Ergo nec compellitur vi voti Episcopo se offerre, vt in eius cura & potestate speciali sit tanquam religiosus. Accedit, quod id vsu, & more nusquam seruatur. Postremò, eiusmodi Religiosus electus, quamuis absque religione sit, quia est è religione per iustam sententiam depulsus, est tamen verè & propriè religiosus: sicut Episcopus sua Ecclesia spoliatus, verè & propriè est Episcopus, & sine Ecclesia: ergo est tribus votis obstrictus, & eo ipso debet eo animo esse, vt Superiorum iussis obtẽperet, quandocũq; erit in Superiorum cura & potestate cõstitutus.

Hinc etiam soluitur illa Nauarri quæstio, An Monachus electus debeat sese Episcopo offerre, vt sibi certum vitæ modum, & rationem præscribat, quàm teneat? neque enim vi voti id facere debet. Soluitur illa etiam quæstio cuinam Episcopo se subijcere debeat, an originis, an domicilij, an Beneficij, in cuius Episcopi potestate erat, antequam Religionem capesseret: an potius Episcopo, in cuius diœcesi situm est Monasterium, vnde est expulsus. Præterea Nauarrus, cum subijci Episcopo originis, eo quod originis domicilium est immutabile. *L. Assumptio. ff. Ad Municipales:* nec perditur per accessionem dignitatis, quæ non aufert, sed cumulat domicilium, *L. Senatores ff. De Senatoribus.* Amplius, domicilium, inquit, ratione Abbatiæ, Monachatus, aut Beneficij, adquisitum non durat, nisi quandiu quis fuerit Abbas, vel Monachus, vel Beneficij possessor. Domicilium item habitationis tollitur, cũ quis aliò ad habitandum se confert: at per professionem Monasticam mutat, quis domicilium habitationis. Sed enim tota hæc quæstio vno verbo diluitur, electum Monachum in morem aliorum Clericorum Episcopo subijci, in cuius tunc diœcesi viuit.

Duo-

Duodecimò quęritur, Cui acquirat Religiosus per iustam sententiam Monasterio, & habitu priuatus, & ad triremes damnatus, si quid in eis fecerit lucri? Respondet Nauarrus *Commentario prædicto, num.34.* quamdiu est in triremibus, Episcopo subijci, ad cuius diœcesim cæteri, qui in triremibus detinentur, pertinent: & proinde illi etiam acquirere: quod si triremes euaserit, subijci Episcopo originis, & ei pariter acquirere. Sed quid si eiecti Religiosi relegentur ad Prouincias à sua origine omnino remotas? Ait Nauarrus ibidem, eos esse subiectos Romano Pontifici. Finge tibi aliquot Religiosos per sententiam iustam à Monasterijs apud Indos expulsos, & relegatos in Occidentem: subiecti, inquit, erunt Romano Pontifici. Porrò, an penes Religionis Præfectum, sit potestas delinquentē Religiosum ad triremes damnandi, inferius disputabo.

Decimotertiò quæritur, An Monachus per sententiam iustam eiectus vti possit tuta conscientia Clericorum habitu, absque vlla Pontificia facultate? Respondeo cum Nauarro *comment.2. de regularib.num.36.* posse: nam pristinum Religionis habitum contra sententiam deferre, fas ipsi non est; sicut nec vti alterius Religionis habitu, cum ad aliam non transierit, nec vllo iure transire compellitur, vt supra dixi. Quamuis S.Bonauent. *in opusc.de determinationibus quæstionū circa regulam S.Francisci, c.14.* dicere videatur eiectum à religione transire debere ad aliam: nec posse iure in sæculo viuere. Sed cum Nauarro *in hōc capite, quæst.7.* dixi, eum ad aliam religionem se conferre non debere. S. Bonauentura loqui videtur de eiecto, qui in sæculo citra probabile æternæ salutis periculum viuere non potest.

Decimoquartò quæritur, An eiecto Monacho liceat ex mēdicato cibo viuere; an potius debeat sibi victum manuum suarum labore conquirere? Respondet Nauar. *commen. citato, nu.37.* sicut cuique liberū est, sua omnia pauperibus erogare, & mendicato cibo pasci, sic etiā liberum est eiecto Monacho viuere ex eleemosynis mendicatis.

Caput XVII.

Aliæ quæstiones de eadem re dissoluuntur.

PRIMO quæritur, An eiectus per sententiam iustam à Monasterio repeti debeat; rursus, An cōpelli queat ad illud redire? Quæstionem hanc mouet id, quod definit Gregorius Nonus *in cap. Ne Religiosi, De regularibus.* vbi ait: *Ne Religiosi viri vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur: statuimus, vt præsidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilij Generalis, seu Patres, Abbates, seu Priores fugitiuos suos, & eiectos de ordine suo requirant solicitè annuatim. Qui si in Monasterijs suis recipi possunt secundum ordinem Regularem, Abbates, seu Priores eorum monitione præuia, per Ecclesiasticas censuras compellantur ad receptionem ipsorum, salua Ordinis disciplina. Quod si hoc Regularis Ordo non patitur; auctoritate nostra prouideant, vt apud eadem Monasteria in locis competentibus si absque graui scandalo fieri poterit: alioqui in alijs Religiosis domibus eiusdem Ordinis ad agendum ibi pœnitentiam, talibus vitæ necessaria ministrētur. Si verò huiusmodi fugitiuos, vel eiectos inobedientes inuenerint, eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur.* Hæc ibi. Est igitur dubiæ quæstionis, An Præpositi Religionū fugitiuos, & eiectos, quotannis perquirere debeant, & eos ad reditum compellere? Respondet Nauarrus *Comment. citato, num.36.* quod pertinet ad fugitiuos, hoc eos pręstare debere, talesque ab eis etiam reluctantes, & inuitos ad regressum esse compellendos: Quod verò attinet ad eiectos, esse reducendos, & recipiendos, si reuerti voluerint, secus verò si recusauerint. Id probat, quia Panormitan°, Cardinalis, Butrius, & Antonius, quos ille citat; non eodem modo loquuntur de Fugitiuis, & Eiectis: aiunt enim, fugitiuos quotannis perquirēdos, ac etiam, vel inuitos esse reuocādos; Eiectos verò nō nisi redire volentes.

Obijcies ex capite citato, generatim ibi Pontificem statuere, vt Fugitiui, vel Eiecti perquirantur, & reducantur. Respondet Nauarrus, caput illud intelligi de Eiectis iniustè, hoc est, iuris ordine prætermisso, & neglecto. Deinde obijcies, eos esse ob crimina expulsos, ergo sunt reuocandi; siquidem eius tantùm rei gratia è Monasterio eijciuntur, vt sic prædicti resipiscant, ac vitam instituant meliorem. Sed ad hoc respondet Nauarrus, eos nequaquam esse eiectos ad tempus, vt corrigantur, & emendentur, sed in perpetuum, vt pœna debita puniātur: hoc enim, ait, eos ob culpam suam meruisse. Alij respondent totum prędictum Gregorij Noni decretum, cum sit iuris humani, vsu, & consuetudine abrogatum fuisse: neque enim Religionum Præfecti Religiosos eiectos quotannis perquirunt, neque reducunt, neque repetunt. Item multi ob certa quædam vitia, & delicta sententia iudicum ad id destinatorum eijciuntur in perpetuum, nec amplius reducuntur. Deinde vsu introductum est in Italia, Hispania, & Gallia, vt Religiosi ob crimina, quibus capitalis pœna est irrogata, ad triremes condemnentur.

Secundò quæritur, An si per iustam sententiam eiecti reuerti voluerint, debeat eos Monasterium recipere? Rationem dubitandi excitat id, quod in Regula S.Benedicti habetur: Monachum tertio fugientem, & redeuntem non esse amplius recipiendum. Humbertus, quem sequitur Turrecremata, respondet in hunc modum: *Si extra Monasterium eiecti alios suæ malæ vitæ exemplo offendāt, recipi debent, si intra Monasterium accommodatus sit carcer, in quem conjici possint. Si verò extra Monasterium neminem offendunt, nullaq; obligatione Religiosi tenentur eos admittere, cū primùm correcti, & emendati redierint: tandem illi tamen admitti debent, si in vitæ emendatione perstiterint.* Sic ille. S. Bonauentura videtur insinuare Religiosos nullo iure compelli ad eos recipiendos: *ipsi tamen eiecti*, inquit, *debent ad aliam Religionem se recipere, si commodè possunt: nam licèt ingressum in aliam non voluerint; ita tamen certam vnam professi fuerunt, vt se Religioni generatim obstrinxerint. Cum enim ad secularem vitam redire nequeant, nec item possint ad laxiorem Religionem transire, culpa sua meliorū conditionis effecti non sunt, vt extra omnem Religionem viuere liberè queant.* Sic Bonauentura. Sed vt ante iam dixi, nullo iure compellitur, qui est per sententiam iustam eiectus ad aliam religionem transire, nec tribus votis solutus est, quamuis in sæculo commoretur.

Quare cum Abbate, Card. Butrio, & cæteris *in eo cap. Ne Religiosi*, magis consentio, aut in ea constitutione Pontificem loqui de ijs, qui iniustè sunt à religione depulsi: aut de ijs, qui sunt ad tempus eiecti; aut denique Decretum Pontificis *cap. citato*, nisi esset vsu, & consuetudine antiquatum, derogare in hoc auctoritatem Regulis Monachorum, dum præcipit eos esse recipiendos, si reuerti voluerint: quod si Regulæ repugnent, statuit nihilominus Pontifex, eos esse admittēdos, vt apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absq; graui scandalo fieri poterit, alioqui in alijs religiosis domibus eiusdem Ord. ad agendam ibi pœnitentiam, talibus vitæ necessaria præbeātur. Dicit, *in locis competentibus*, id est, vt explicat Hostiensis, *in ergastulis*: Dicit etiam *si absque graui scandalo fieri poterit*, hoc est, vt idem auctor interpretatur, dummodo cæteri Monachi non ita offendantur, vt dicant, se potius exituros, quàm cum talibus eiectis commoraturos. ROGABIS: Si eiecti nihilo meliores effecti redierint, num eos recipere cogetur Monasterium? Respōdent quidam, minimè: quod colligunt ex capite prædicto, vbi dicitur: *compellātur ad receptionem ipsorum, salua Ordinis disciplina*: hoc est, si emendati reuertantur, quod disciplina regularis deposcit, & requirit. Alij tamen aiunt, Monasterium debere eos admittere, quoniam illorum verborum, *salua ordinis disciplina*, sensus, inquiunt, est, vt explicat Glossa, eis imposita pœnitentia, quam Regula Ordinis præscribit, & postulat. SIQVAERAS, quinam *in eo capite* nomine Abbatum primo loco accipiantur; & deinde secundo loco? Respondeo, primo loco intelligi Abbates, & Priores, aut Visitatores, aut qui præsident Conuentibus, & Comitijs, hoc est, Capitulis Generalibus celebrandis. Secūdo loco Abbates, & Priores minores, singulis Monasterijs, Cœnobijs, Domicilijs, aut Collegijs præfectos.

Tertiò quæritur, Cuius Monasterij impensis sint alendi Fugitiui, & Eiecti reuersi iam, & recepti. De qua quæstione, agit Syluest. *verbo, Apostata, q. 10.* Respondet Hostiēsis *in cap. citato*, cuius sententia est communi consensu recepta, si in aliud Monasterium detrudantur, ali debent impensis primi Monasterij, non secundi: ita etiam Glossa *in c. De lapsis. 16. q. 6.* Quòd si primum non habuerit, vnde eos alat, alimenta ministrabit secūdum: quod si nec hoc, ea possit impendere, Abbas Generalis, aut Capitulum Generale prospiciet. Quòd si neutrum per se ad impensas sufficiat, vtrumque partem suam contribuet. Vnde colligit Butrius teste Syluestro *in loco citato*, si Monasterium, eo quòd eius disciplina collapsa fuerit, ad pristinam Regulæ obseruantiam reuocetur, data optione Monachis in eo remanendi, aut aliò commigrandi, ipsis aliò recedentibus, debere eis primum Monasterium alimenta, quod Syluester *in verbo, Apostasia, q. 10. ad finem.* concedit, quando secundo Monasterio sunt inutiles.

Quartò quæritur, Quas pœnas Apostatis ius Canonicum irroget? Respondeo, *in c. Nobis, De Apostatis.* præcipi, vt in carceres detrudantur, si minis, vel blāditijs nullatenus induci queant, vt abiectum habitum resumant, & ibi durè affligantur: ita vt solūmodo vita sibi misera reseruetur, donec à suo crimine resipiscant. Et *in c. Vt periculoso, in 6. Ne Clerici, vel Monachi*, excommunicatione feriuntur Religiosi professi, in scholis, vel alibi temerè suæ Religionis habitum dimittentes, vel se conferentes ad quælibet studia literarum, sine consensu Superiorum, cum consilio Conuentus, vel maioris partis, quam pœnam supra explicuimus.

Quintò quæritur, Quam pœnam incurrat Religiosus Apostata, si sacris Ordinibus initietur? Respondeo, *in c. Consultationi, De Apostatis*, haberi: *Monachum aliquem sacrum Ordinem in Apostasia recipientem, quamuis suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, absque dispensatione Romani Pontificis ministrare non poterit in Ordine sic suscepto.* At de eo, qui ex vno Monasterio ad aliud alterius Religionis contrafas, & ius se confert, responsum est *in c. Ex parte, de temp. ordin.* à Pontifice rogato de quodā Monacho, qui ad Nigros Monachos transierat, & ad Sacerdotij Ordinem ascenderat: *Nisi Canonicum aliud impedimentum obstet, ipsum Monachum Sacerdotis officium liberè exequi permittatis.* Sic ibi Pontifex respondit. Quo fit, vt iuxta aliquorum sententiam transiens Religiosus ad aliam Religionem, non sit Apostata, sed fugitiuus se celans Abbati; ac proinde minimè afficiatur pœnis iuris tāquam Apostata, sed vt fugitiuus, vel vt temerarius sui habitus desertor. Porrò animaduertendum est, cum *in c. Vt periculosa, supra citato*, excommunicatio irrogetur Religiosis suæ Religionis habitum temerè dimittentibus, ac proinde etiam Apostatis, inde fieri, vt si Religiosi ordinem Ecclesiasticum etiā minorem aliquem suscipiant, suspensionem, irregularitatemúe contrahant, vt Abbas *eo capite* annotauit, quamuis *in c. Consultationi, De Apostatis ante sextum Decretalium edito*, solùm dicatur, Apostatam aliquo sacro Ordine initiatum, sine Romani Pontificis beneficio ministrare non posse.

Sextò quæritur, An qui è Religione recedens liberè vagatur animo, & voluntate ad eā nunquam redeundi, habitu tamen ipsius Religionis rētento, sit verè, & propriè Apostata? Innocentius *in ca. vlt. De renunciatione, & in cap. Intelleximus, De etate, & qualit. ordinando.* affirmat esse Apostatam. Sic etiam Syluester, Caietanus, & alij quod verissimum mihi videtur esse: nam sicut habitus Monachum non facit, sed Regulæ Monasticæ professio: sic Apostatam reddit à Monastica professione recessus, etiamsi habitus non deponatur. Sed quæstionis est dubiæ, an hic Apostata ipso iure in excommunicationem incurrat. Quidam fatentur esse quidem verè, & propriè apostatam; negant tamen vlla excommunicatione iuris affici, quoniam *in cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6.* solùm excōmunicatio ipso facto, irrogatur his, qui post professionem alicuius Religionis approbatæ, expresè, vel tacitè factam, habitum suæ Religionis temerè dimittunt: at hic, de quo quæritur, apostata est, sed habitum non deponit, & nusquā aliàs excommunicatio, ipso iure in Religionis desertoré, nisi habitum dimittat, constituitur. Caiet. Syluest. Innoc. & alij, Apostatam esse dicunt, sed incidat nec ne ipso facto in excommunicationem, non exprimunt; quamuis Apostatarū pœnas contrahere fateantur. Certè probabilius mihi videtur, eū ipso facto in excōmunicationē incidere: nā *in c. Vt periculos.* ideo excōmunicatio constituitur in eos, qui

suæ

suæ Religionis habitum temerè dimittunt, vt periculosa Religiosis euagādi occasio subtrahatur: ergo siue habitu indutus, siue eo exut⁹, Monachus à Religione defecerit, vt liberè euagetur, in excommunicationem incurrit: præsertim cum in cap. Consultationi, de Apostatis, statutum sit, Apostatam Religionis desertorem, si sacris Ordinibus initietur irregularitatem contrahere.

In cap. Ex parte. de temp. ordinat.

Septimò quæritur, An qui contra iura, hoc est, facultate non petita ad Religionem arctiorem, vel laxiorem se confert, in Apostatæ pœnas incurrat? Respondeo, minimè. Sic Glossa communi consensu recepta: nam hic peccat quidem, quoniam transeundo ad aliam Religionem iura non seruat, & eos Religiosos, quos dimittit, offendit, ac turbat: at verò apostata non est, eo quòd non simpliciter à Religiosæ vitæ, sed à certæ Religionis instituto recedit. Vnde potest quidem in alias iuris pœnas incidere, in apostatæ autem pœnas non item.

Octauò quæritur, In quam iuris pœnam labatur, qui suæ Religionis temerè habitum deponit. De hac quæstione Syluester *excommunicatio. 9. in excommunic. 24.* Angel. *excommunicatio. 6. casu. 27.* Rosel. *excommunicatio 1. excommun. 16.* Anton. *par. 3. tit. 24. cap. 53.* Caiet. *in sum. c. 61.* Nauar. *cap. 27. nu. 131.* Tabien. *excommunicatio. 5. casu 23.* Respõdeo, haud dubiè in excommunicationem ipso facto, *cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6.* & quia in eo cap. dicitur: *Qui habitum temerè dimittit*, fit, vt in eam non incidat si quis iusta ex causa dimittat, puta, gratia vestem lauādi, vel mundandi, vel causa morbi, vel vt ait Glossa ab alijs recepta, metu mortis, vel periculi, aut mali, alioqui grauioris, captiuitatis scilicet, seruitutis, carceris, ignominiæ, dedecoris, vt si Religiosus per loca Turcarũ, Saracenorum, Hæreticorum, vel aliorum Christiani, aut Religiosi nominis hostium transiret.

Nonò quæritur, An qui illicitè dimittit habitum, eo ipso excommunicationem incurrat? Quidam affirmant; ita enim censet Rosella *excommunicatio. 1. in excomm. 16.* vbi ait, oppositum esse periculosum, eo quòd idem sit temerè habitũ dimittere, quod illicitè: & quia alioqui iura præcipiũt, vt Monachus semper habitum gestet ita vt sine eo in lecto etiam non iaceat, & dormiat, *ca. Vidua. 20. q. 1. & Glossa in cap. Sanctimonialis. d. 23.* Sed verius alij tradidère, nõ quamlibet illicitam habitus dimissionem dici *in eo c. Vt periculosa*, temerariam; ac proinde excommunicationi nõ subijci. Vt si Religiosus intra Monasterij claustra quadam animi leuitate ad modicũ tempus deponat habitum, vt somnum commodius capiat, vt saltet, vt currat, vt ludat, vel vt se in balneo, aut flumine lauet: ita ex Paludano, Antoninus *loco citato.* Idem quoque docent Ioan. Andr. *in eo c. Vt periculosa.* & Sylu. & Nauar. *locis supra citatis.* SIROGES, an saltem excommunicationẽ contrahat, si dimittat ad breue tempus, vt cum fœmina rem turpem habeat, vel vt furto quicquam surripiat, aut aliud simile peccatum lethale committat. Quidam affirmant, vt Palud. & Antoninus, præsertim cum id extra Monasterium facit; aiunt enim eum suæ Religionis habitum temerè ad hæc facienda dimittere. Alij negant, vt Syluest. *excommun. 9. casu 24.* Nauar. *in Manu. c. 27. nu. 131.* quoniam quamuis dimittendo peccet, non tamen dimittit, vt liberius vagetur. Valde probabile est, quod Syluester, & Nauarrus senserunt. Et mihi id placet: quoniam quamquam reuera deponit habitum, & grauiter peccat, & dimittit, vt liberius peccet: non tamen dimittit, vt assumat alium, sed deponit voluntate resumẽdi.

Decimò quæritur, An quæ sui Religionis habitum retinet quidem, sed gestat occultè, ita vt exterius nullo modo appareat, excõmunicationi subdatur? Duæ sunt opiniones: Vna affirmat, quia occultè gestare, idem valer, quod dimittere, eo quòd inde libera vagandi occasio arripitur, & aliorum etiam offensio gignitur. Sic Glossa *in Clemen. quoniam, de vita, & honest. Cleric.* Rosell. Syluest. Nauar. *locis citatis.* Altera verò negat, quia qui habitum occultat, nõ eo ipso, habitum deponit. Abbas *in cap. Deus qui, De vita, & honest. Cleric. nu. 4.* Mihi prima opinio magis probatur: *Si* ita occultat, vt nihil prorsus appareat. Secus verò si ita celet, vt à domesticis, vel familiaribus cerni queat.

Vndecimò quæritur, An qui suæ Religionis habitu depositò, alterius Religionis amictum assumit, excõmunicatione afficiatur? Lapus, Dominicus *in c. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6.* Angel. & Rosella, & Tabienfis *locis supra citatis*, negãt, quia licet certæ Religionis habitum dimittat, non tamẽ absolutè, & simpliciter Religionis. Item, quia vt paulò ante iam diximus, non est Apostata, qui ab vna Religione recedẽs ad aliam, quamuis peccando se confert. Ergo nec temerè dimittit habitum certæ Religionis, qui alterius sumit. Caietanus tamen, Syluester, Nauarrus *locis ante citatis*, affirmãt, & probabilius, vt multis quidem videtur, quoniam *in cap. Vt periculosa*, planè dicitur: *Qui suæ Religionis habitum temerè dimittit.* Alia verò ratio est de Apostata: desertor enim religionis nõ est, nisi qui absolutè, & simpliciter deficit à religione, nõ qui ab vna recedens se recipit ad aliam. Cęterùm valde probabilis est prima sententia, quoniã non dimittit suæ religionis habitum, vt liberè vagetur, *& in cap. Vt periculosa.* Hæc est ratio, & causa, ob quam excommunicatio fertur. Mihi verò magis probatur sententia Caiet. Syluest. & Nauarri.

Duodecimò quæritur, An qui suæ Religionis habitu retento, ad aliam transit, cuius habitu suscepto, suę, tunc temporis, religionis vestem deponit, excommunicationem incurrat? Respondeo cum Caietano *loco citato*, minimè; quamuis transeundo peccet, quoniam suæ Religionis habitum non dimittit, donec alterius sumat. Alterius autẽ Religionis Monachus effectus, prioris habitum amplius gestare non potest.

Decimotertiò quæritur, An qui dimittit habitum, sed suam personam occultat, ac celat, sit excommunicationi subiectus? Quidam negant, etiamsi id extra Monasterium faciat, & ad horam vnam, aut etiam duas, quoniam *in cap. Vt periculosa.* excommunicatio irrogari videtur his, qui dimittunt, vt liberius vagentur, qualis non est, qui dimittit quidem, sed personam celat. Mihi tamen probabilius videtur, eum in excõmunicationem labi, quoniam deponit habitum, & quamuis se occultet ac celet, ipso tamen facto liberam habet euagandi facultatem.

Decimoquartò quæritur, An si quis suæ Religionis habitu dimisso, alterius sumat, vt ad tem-

pus alteri Religioni obsequium præstet, videlicet, vt concionetur semel, vel vt disputet, vel doceat, excommunicatione afficiatur. Quidam negant, quoniam is iusta de causa id facit: ac proinde habitum non videtur temerè dimittere. Alijs verò probabilius oppositum apparet, eo quòd etiam temerè dimittat, qui solùm id facit, vt alienis Religiosis inseruiat. Certè si id Charitatis lex requirat, ac postulet; nempe, vt alterius Religionis necessitatem subleuet, non est Ecclesiasticæ pœnæ reus iudicandus: sicut etiam si habitum quis deponeret, vt alterum è mortis periculo liberaret, à latronum, & hostium insidijs eriperet, & id commodè, nisi habitu dimisso, præstare non posset. At verò si grauis necessitas, & causa non subsit, excommunicationem contrahit, qui dimittit habitum, vt alijs inseruiat.

Decimoquintò quæritur, An Monachus, qui intra Monasterij, vel Cœnobij claustra temerè habitum dimittit in excommunicationem incidat? Angelus *loco supra citato*, negat, eo quod putat hanc iuris pœnam non contrahi, nisi Religiosus habitum extra Cœnobium dimittat: nam *in cap. Vt periculosa*, dicitur: *Qui in scholis, vel alibi*, satis esset, inquit Angelus, si diceretur, qui alicubi, vel quouis alio loco dimittit. Et quoniã *in eo etiam capite*, causa redditur, vt periculosa euagandi occasio Religiosis præcidatur. Sed verius est, quod Syluester, Rosella, & Nauarrus *locis prædictis*, senserunt, eum etiam prædictæ iuris pœnæ subijci; præsertim cum in Monasterio habitu exitus laicorum oculis patet, aut se illis obijcit.

Decimosextò quæritur, An Religiosus Apostata in Abbatem, aut Præpositum eligi iure queat, postquam ad meliorem vitæ frugem, & Religionem reuersus est à crimine, & pœna iuris absolutus, & bonæ opinionis, ac famæ? Archidiaconum quidam sequuti negãt. Alijs verò oppositum probabilius videtur, eo quòd nullo iure impeditur, quo minus eligi possit.

Caput XVIII.

De his, quæ pertinent ad quoslibet Religiosos ex Concilij Tridentini decretis.

PRæcepto Sancti Concilij Tridentini *Sess. 25. de regularib. c. 22.* constitutum est, vt omnes, & singuli Canones, qui de Regularibus præscribuntur, in omnibus Monasterijs, Cœnobijs, Collegijs, & Conuentibus, quorumcumque Monachorum, & Regularium, quamprimùm executioni mandentur: ideo breui complectar quicquid in sacris eiusdem Concilij decretis, & Canonibus ad Monachos, Religiosos, & Moniales spectat.

Quod igitur ad Religiosos pertinet, in primis *Sess. 4. in Decreto de vsu, & editione sacrorum librorum*, sic habetur: *Non liceat Fratribus imprimere, seu imprimi facere libros de rebus sacris, sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum Superiorum.*

Secundò, In Sessione. 5. cap. 1. De reformation. *in Conuentibus, in quibus studia literarum commodè vigere possunt, sacræ Scripturæ lectio habeatur, quæ lectio à Capitulis generalibus, vel prouincialibus assignetur dignioribus lectoribus.*

Tertiò, In Sess. 5. De reformat. cap. 2. & Sess. 23. c. 4. *Regulares cuiuscunq; Ordinis, sine licentia Superiorum Ordinis, & benedictione Ordinarij, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare incipere non possunt: in alijs autem Ecclesijs, vltra licentiam Superiorum, etiam Episcopi licẽtiam habere teneantur, & in illis contradicente Episcopo, prædicare non præsumant.*

Quartò, In Sess. 5. De reformat. cap. 2. *Si aliquis Prædicator (quod absit) errores, aut scandala disseminauerit in populũ, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat: quòd si hæreses prædicauerit, contra eum secundùm iuris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi Prædicator ipse generaliter, vel specialiter exemptum se esse prætendat.*

Quintò, In Sess. 6. De reformat. ca. 3. & Sess. vlt. De regular. c. 14. *Regulares extra Monasterium degentes, etiam sui Ordinis priuilegij prætextu, ab Ordinario loci, si deliquerint, puniri possint: Et qui intra claustra Monasterij degunt, etiam Episcopo non subiecti, & extra ea notoriè deliquerint, vt populo scandalo sint, intra terminum ab Episcopo præfigendum, à suo Superiore seuerè puniãtur, & de punitione, Episcopum certiorem faciat, sin minus à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.*

Sextò, In Sess. 7. De reformat. cap. 8. & Sess. 21. De reformat. cap. 8. *Locorum Ordinarij, Ecclesiæ quascunque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare possint, non autem ipsa Monasteria, quod attinet ad correctionem Fratrum.* Sess. 25. De regular. c. 20. *Animaduertẽdum est*, nomine Ordinariorum intelligi etiam inferiores Episcopis Ecclesiarum sæcularium, vel regularium Præfectos, cuiusmodi sunt Abbates, Præpositi, Priores, & alij Religionum Præfecti. Cardin. *in Clemen. 1. q. 8. De supplen. negligen. Prælato.* Nauarr. *consil. 5. de sponsalibus.* Glossa *in cap. Ordinarij, De officio ordin. in verbo, Locorum, in sexto. & cap. Quamquam. De vsur. in 6. in verbo, Loci ordinario.* Vnde in hoc loco non solùm intelliguntur Episcopi, sed etiam Religionum Præfecti, qui suas Ecclesias visitant, vt est in more positum. Nam, vt ait Nauar. *loco citato*, plurimum refert, an constitutio, siue canon concedat aliquã facultatem Diœcesanis, an Ordinarijs locorum: nam si concedat Diœcesanis, eo ipso, solis Episcopis concedere videtur: si ordinarijs locorum, nõ solùm Episcopis, sed etiam inferioribus Ecclesiarum Præfectis iurisdictionem habentibus concedit.

Septimò, In Sess. 14. De reformat. c. 11. & sess. vlt. De Regularib. cap. 19. *Regulares translati de vno Ordine ad alium, sub obedientia sui Superioris perpetuò maneant, & nullus cuiuscunque Ordinis Prælatus, vigore cuiusuis facultatis aliquem ad habitũ, et professionem admittere possit, nisi vt in Ordine ipso, ad quem transfertur sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuò maneat, & taliter translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia sæcularia, etiam curata omnino incapax existat. Et nemo itidem Regularis cuiuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem: nec item detur licentia cuiquam Regulari occultè deferendi habitum suæ Religionis.*

Octauò, In Sess. 22. decreto de obseruandis, & vitandis in celebratione Missæ. *Cuiusuis generis mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro Missis nouis celebrandis datur, atque importunæ, & illiberales eleemosynarum exactiones, potius quàm postulationes, aliaque huiusmodi, quæ à Simoniaca labe, vel certè turpi quæstu non longè absunt, omnino prohibeantur.*

Nonò, In eadem Sess. & Decreto. *Episcopi in suis diœcesibus interdicãt, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Miss-*

sas ce-

sas celebrare liceat. Sic Conciliũ: ex quo decreto fit, vt cauti esse debeant Religiosi, ne sine literis dimissorijs à suo Superiore acceptis, vel Clerici seculares, ne sine literis commẽdatitijs ab Episcopo impetratis se aliò transferant.

Decimò, In eadem Sess. & Decreto: *Non patiatur Episcopus priuatis in domibus, atq; omnino extra Ecclesiam, & ad diuinũ tantum cultũ dedicata oratoria ab eisdẽ Ordinarijs designanda, & visitãda, sanctũ sacrificium Missæ à secularib, aut regularibus quibuscunq; peragi: ac nisi prius qui interfint decenter composito corporis habitu declarauerint, se mente etiã, ac deuoto cordis affectu, nõ solùm corpore, adesse.*

Vndecimò, Ibidem: *Caueatur ne Sacerdotes, alijs, quàm debitis horis celebrent, neue ritus alios, & alias ceremonias, vel preces in Missarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Ecclesia approbatæ, ac frequenti, & laudabili vsu receptæ sunt.*

Duodecimò, Ibidem: *Quarũdam Missarum, & Candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quàm à vera Religione inuentus est, Episcopi omnino ab Ecclesia remoueant.*

Decimotertiò, In Sess. 22. cap. 4. De reformat. *Quicunque in Cathedrali, vel Collegiali, Seculari, vel Regulari Ecclesia diuinis mãcipatus officijs, in Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit, vocẽ in huiusmodi Ecclesijs in Capitulo non habeat; etiamsi hoc sibi ab alijs liberè fuerit concessum.* Sed sciendum est statutis aliquorum Ordinum esse constitutum, vt etiam, qui sacris Ordinibus initiati non sunt, habeant ius suffragij in Comitijs, siue Cõuentibus, vt in Ordine Minimorum decretum esse fertur. Concilium itaque Tridentinum non prohibet, quo minus suffragij ius habeant in Capitulo Religiosi nondum in sacris Ordinibus constituti: quoniam Concilij decreto, Religiosorum Cœnobia, & Monasteria non cõprehenduntur. Ita declarasse Cardinales Congregationis destinati ad interpretandas Concilij dubitationes perhibentur.

Decimoquartò, In Sess. 14. cap. 2. De reformat. *Nullus absque sui proprij Prælati expresso consensu, aut literis dimissorijs ad aliquos sacros, aut minores Ordines, vel primam Tonsuram promoueatur: alias ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure est suspensus.*

Decimoquintò, In Sess. 14. cap. 10. De reformat. *Abbatibus, & alijs quibuscunque quamuuis exemptis non liceat in posterum intra fines alicuius diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram, aut minores Ordines conferre.*

Decimosextò, In Sess. 23. cap. 11. *Minores Ordines ijs, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur. Hi verò non nisi post annum à susceptione posteremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoueantur, nisi necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ iudicio Episcopi aliud exposcat.*

Decimoseptimò, In eadem Sess. cap. 12. *Nullus etiam Regularis ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimumtertium, ad Presbyteratus ante vigesimumquintum ætatis suæ annum promoueatur: Regulares quoque nec in minori ætate ordinẽtur, priuilegijs quibuscunque, quo ad hoc exclusis.*

Decimooctauò, In eadem Sess. cap. 13. & 14. *Promoti ad Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non fint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Sciendum est, Cardinales Cõgregationis interpretes Concilij Tridentini declarasse: Si in aliquo conuentu sit necessitas ministrorum, quæ Patrum consilio iudicetur idonea causa ad hoc, vt aliter fiat, eam ad ordinaturum Episcopum esse referendam, cuius erit iudicare, sit nec ne idonea, & iusta causa.

Decimononò, In Sess. 23. cap. 12. *Sine diligenti Episcopi examine Regulares non ordinentur, priuilegijs quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.*

Vigesimò, In eadem Sess. cap. 13. *Duo sacri Ordines eodem die etiam Regularibus non conferantur, priuilegijs, atque indultis quibuscunque concessis non obstantibus.*

Vigesimoprimò, In eadem Sess. & cap. *Subdiaconi, & Diaconi sciant maximè decere, si saltem omnibus Dominicis, & solemnibus, cum altari ministrauerint, sacram communionem perceperint.*

Vigesimosecundò, In eadem Sess. ca. 15. *Sine probatione Episcopi nullus etiã Regularis possit confessiones secularium etiam Sacerdotum audire.*

Vigesimotertiò, In eadem Sess. cap. 17. *Sacri altaris ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur.* Sciendum est, hoc ideo esse constitutum, quia in quibusdam secularium Ecclesijs, & in aliquibus Religiosorum Conuentibus, sacris vestibus induti solemniter epistolam cãtare permittebantur, qui nondũ erant Subdiaconi creati. Vnde post Concilium Tridentinum, aliqui Ordines constituisse perhibentur, vt in Conuentibus, in quibus Religiosorum numerus sufficit ad sacri altaris ministeria, etiam minima, ab Ordinatis ministris, quoad fieri possit, fiant, & vt nullus deinceps solemni ritu tanquam Subdiaconus epistolam canere permittatur, qui ad eum Ordinem nondum ascenderit.

Vigesimoquartò, In Sess. 24. De reformat. cap. 2. *Synodi Diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneãtur. Ratione tamen parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum, etiam annexarum debeant hi, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse.*

Vigesimoquintò, In eadem Sess. De reformat. cap. 18. *Examinatores eligendorum etiam ad Beneficia, possint esse etiam Regulares ex Ordine Mendicantium, inrentq; ad sancta Dei Euangelia, fideliter se munus executuros. Et caueant, ne quicquam occasione huius examinis, nec ante, nec post accipiant, alioqui Simoniæ vitium incurrant. Et de his omnibus in Synodo Prouinciali, si opus fuerit, rationem reddere teneantur.*

Vigesimosextò, In Sess. vlt. De Regularib. cap. 1. *Omnes Regulares, tam viri, quàm mulieres, ad Regulæ, quã professæ sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant: & quæ ad communem vitam, victum, & vestitum conseruanda pertineant, fideliter obseruent: Omnisq; cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis Generalibus, quàm in eorum visitationibus, quas suis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur.*

Vigesimoseptimò, In eadem Sessione. De Regularibus cap. 2. *Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum, liceat bona mobilia, vel immobilia cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus, possidere, vel tenere, sed statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur.*

Vigesimooctauò, In eadem Sess. & cap. *Non liceat*

Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, vel commendam. Mobilium verò vsum ita permittant, vt eorum supellex statui paupertatis conueniat, nihilque superflui in ea sit. Nihil etiam quod sit necessarium eis, denegetur. Quòd si quis aliter quicquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio activa voce, & passiua priuatus sit: atque etiam iuxta suæ Regulæ & Ordinis constitutiones puniatur.

Vigesimononò, In eadem Sess. De regularibus cap. 3. *In Monasterijs, & Domibus, tam virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus proprijs Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.*

Trigesimò, Ibidem, *De cætero similia loca non eligantur, sine Episcopi, in cuius diœcesi construenda sunt, licentia prius obtenta.*

Trigesimoprimò, In eadem Sess. De Regularib. cap. 4. *Nullus Regularis, sine sui Superioris licentia prædicationis, lectionis, aut cuiusuis pij operis prætextu subijciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, Vniuersitatis, & Communitatis, quod si contra fecerit tanquam inobediens arbitrio Superioris puniatur.*

Trigesimosecundò, Ibidem: *Non liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu, ad Superiores suos accedendi; nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. aliàs, qui sine prædicto mandato in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum puniatur, vt sui instituti desertor.*

Trigesimotertiò, Ibidem: *Qui studiorum causa, ad Vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantùm habitent: alioqui ab Ordinarijs contra eos procedatur.*

Trigesimoquartò, in Sess. vlt. De Regular. cap. 5. *Episcopi in omnibus Monasterijs sibi subiectis ordinariam, in alijs verò Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restituant: & vbi inuiolata est conseruari maximè procurent.*

Trigesimoquintò, Ibidem: *Nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire è Monasterio, etiam ad breue tempus quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.*

Trigesimosextò, Ibidem: *Ingredi intra septa Monasterij nemini liceat, cuiuscunq; generis, aut conditionis, sexus vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excõmunicationis pœna ipso facto, incurrẽda.*

Trigesimoseptimò, Ibidem: *Monasteria Sanctimonialium extra mœnia vrbis, vel oppidi, curent Episcopi, & alij Superiores, si ita videbitur expedire, vt ad noua, vel antiqua Monasteria intra vrbes reducantur.*

Trigesimooctauò, eadem Sess. De Regular. cap. 6. *Electio Superiorum quorumcũq;, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum fiat per vota secreta: ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.*

Trigesimononò, Ibidem: *In posterum non liceat, Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscunque titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere.* Sciendum tamen est Cardinales, Concilij Tridentini interpretes, declarasse, Concilium non prohibere, quo minus locum habeat instituta, & decreta Religionũ, in quib⁹ datur facultas Superioribus absentibus, & legitimè impeditis, vt mittant ad Generalẽ Conuentum, alium Religiosum, qui tanquam eorum procurator, suo loco, & nomine in electione, suffragium ferat, vt in Constitutionibus Minimorum habetur.

Quadragesimò, Eadem Sessione. cap. 7. *Abbatissa, & Priorissa, & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quòd si his qualitatibus non reperiatur in Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur, ex his, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur.* Ibidem; *Duobus Monasterijs nulla præficiatur.*

Quadragesimoprimò, Ibidẽ: *Is, qui electioni præest, Episcopis, siue alius Superior, claustra Monasterij non ingrediatur, sed ante Cancellorum feneſtellam vota singulorum audiat, & excipiat.*

Quadragesimosecundò, Eadem Sess. De Regularib. c. 9. *Monasteria Sanctimonialium, Sanctæ Sedi Apostolicæ immediate subiecta, ab Episcopis gubernentur: quæ verò à deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab alijs Regularibus regnntur, sub eorum cura, & custodia relinquantur.*

Quadragesimotertiò, Eadem Sess. De Regular. cap. 10. *Attendant diligenter Episcopi, & alij Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, vt in constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant.*

Quadragesimoquartò, Ibidem: *Præter ordinarium Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.*

Quadragesimoquintò, Ibidem: *Sanctissimũ Christi corpus intra Chorum, aut septa Monasterij Monialium, & non in publica Ecclesia, conseruetur, non obstante quocunque indulto, aut priuilegio.*

Quadragesimosextò, Eadem Sess. De Regulari. ca. 11. *In Monasterijs seu Domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet cura animarum personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam Regulares, quam seculares huiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in his, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius diœcesi sunt sitæ.* Excipit verò Concilium ibi quædam Monasteria.

Quadragesimoseptimò, Eadem Sess. De Regul. c. 12. *Censuræ, & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiã ab Ordinarijs promulgata, mãdante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur atq; seruentur.*

Quadragesimooctauò, Ibidem: *Dies festi, quos, in diœcesi sua Episcopus seruandos præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus seruentur.*

Quadragesimononò, Eadem Sess. De Regular. c. 13. *Controuersias omnes de præcedentia, quæ persæpe cum scandalo oriuntur, inter Ecclesiasticas personas, tam seculares, quàm Regulares, in processionibus publicis, & in alijs similibus, Episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscunque, componat.*

Quinquagesimò, Ibidem: *Exempti omnes tam Clerici seculares, quam Regulares, etiam Monachi ad publicas processiones vocati accedere compellantur; ijs tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt.*

Quinquagesimoprimò, Eadem Sess. De Regularib. ca. 15. *In quacunq; Religione, tam virorũ, quàm mulierum professio non fiat ante sextum decimum annũ expletum: nec qui minori tempore, quàm per annum post susceptũ habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur: alio-*

tur: alioqui professio nullam obligationem inducat, ad quoscunque effectus.

Quinquagesimo secundò, Ibidem: cap. 16. *Nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunq; causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue Episcopi Vicarij fiat intra duos menses proximos, ante professionem: ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione.*

Quinquagesimo tertiò, Ibidem: *Ante professionem nihil recipiatur de bonis Nouitij, etiam sponte oblatum à parentibus, vel propinquis, vel curatoribus, excepto victu, & vestitu Nouitij illius temporis, quo est in Probatione, sub pœna anathematis damnibus, & recipientibus:*

Quinquagesimo quartò, Ibidem: *Finito tempore Nouitiatus, Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum, admittant, aut eos è Monasterio eijciant: & vt abeuntibus ante professionem, omnia restituantur, quæ sua erant, Episcopus per cẽsuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.* Notandum est, Cardinales Concilij Tridẽtini interpretes declarasse, hoc locum tantùm habere in ijs Nouitijs, quos Superiores tẽpore Probationi elapso, habiles repererint. Nã in ijs, quos non inuenerint habiles, si spem tamen probabilẽ dederint, habiles eos infra sex menses futuros, posse Superiores tempus differre.

Quinquagesimo quintò, Eadem Sessione, De Regularibus, capit. 17. *Puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat.*

Quinquagesimo sexto, Ibidem: *Nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, priusquam explorauerit Episcop⁹, vel eo absente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorũ sumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat.*

Quinquagesimo septimò, Ibidem: *Ne professionis tempus Episcopus ignorei, teneatur Præfecta Monasterij eum ante mensem certiorem facere; aliàs quandiu Episcopo videbitur ab officio suspensa sit.*

Quinquagesimo octauò, Eadem Sess. De Regulari. c. 18. *Eos, qui cogant mulieres ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem, & qui Sanctam Virginum, vel aliarum voluntatem vel accipiendi vel voti emittendi, quocunque modo sine iusta causa impedierit, sancta Synodus anathemati subijcit.*

Quinquagesimo nonò, Sess. vltima, De Regularibus c. 19. *Quicunque Regularis prætendit se per vim, & metum ingressum esse in Religionem, aut ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis: & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit deduxerit coram Superiori suo, & Ordinario. Quòd si ante sponte habitum dimiserit, nullatenus ad allegandum quãcunq; causam admittatur; & tanquam apostata puniatur.*

Sexagesimò, Eadem Sess. De Reformat. capit. 3. *Quamuis excommunicationis gladius, neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ; sobriè tamen magnaque circumspectione adhibita exercendus est, cum experientia doceat, eam si temerè, aut leuibus ex causis, & rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parare, quàm salutem.*

Sexagesimo primò, Eadem Sess. De Reform. ca. 4. *In Ecclesijs, vbi magnus Missarum numerus reperitur, possint Generales Ordinum in suis Capitulis Generalibus statuere circa hoc, quicquid magis expedire videbitur.* Sciendum est, Cardinales Congregationis declarasse hanc facultatem concessam Episcopis, & Generalibus Ordinum Præfectis, locum habere tantùm in Missis ante Concilium Tridentinum promissis.

Sexagesimo secundò, Eadem Sess. De Reforma. cap. 11. *Locationes rerum Ecclesiasticarum, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præiudicium successorum validæ intelligantur, quocunque indulto, aut priuilegio non obstante.*

Sexagesimo tertiò, Eadem Sess. De Reformat. cap. 13. *Quibuscunque in locis iam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ soluta esset persolui, ac postea fuerit ex quocunque priuilegio Monasterijs concessa, posthac integro iure, & eadẽ portione, qua ante solebat, eidem Ecclesiæ persoluatur, non obstantibus quibuscumq; priuilegijs, etiam Mari Magno nuncupatis.*

Sexagesimo quartò, Eadẽ Sessione. De Regularib. ca. 22. *Si qui Regulares, tam viri, quàm mulieres sunt, qui sub arctiori regula, vel statuto viuunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto, & obseruantia, sancta Synodus amouere non intendit.* Ex quibus verbis colligitur, Minimos, Cappucinos, Carthusienses, & quoslibet alios Religiosos, qui ratione suæ Regulæ, Instituti, & Constitutionum arctiori vitæ genere obstringuntur, id seruare debere.

Sexagesimo quintò, Ibidem sancta Synodus desiderat, vt omnia, & singula supradicta, quam primum exsecutioni demandentur: & præcipit omnibus Episcopis, in Monasterijs sibi subiectis, & in omnibus alijs, ipsis in Superioribus decretis specialiter commissis, atque omnibus Abbatibus, & Generalibus, & alijs Superioribus Ordinum supradictorum, vt statim prædicta exequantur: & si quid executioni mandatum non fit, Episcoporum negligentiam Concilia Prouincialia suppleant, & coërceant. Regularium verò, Capitula Prouincialia, & Generalia, & in defectum Capitulorum Generalium, Concilia Prouincialia per deputationem aliquorum eiusdem Ordinis prouideant.

Caput XIX.

De Monachorum Institutis.

HActenus de Religiosorum Instituto generatim egimus: nunc de his, quæ sunt aliquarum Religionum propria, tractandum nobis est. Ac primo quidem loco, de ijs, quæ ad Monasticos ordines pertinent; mox de Canonicis Regularibus; deinde de Mendicantibus; Postremò de Militaribus Ordinibus disseremus.

Primò quæritur, Quinam propriè Monachi in iure Canonico accipi debeant? Respondeo, eos esse accipiendos, qui tribus votis adstricti, bona stabilia, non priuatim, sed communiter possidẽt, & in vitæ solitariæ studium, & vitam incumbũt. Quibus tria, quatuorúe attribuit ius ipsum Canonicum, Quietem, & Silentium, Orationem, Contemplationem, imò etiam laborem manuum, *capit. De præsentium, 16. quæstion. 1.* Monachus autem græcè idem est, qui latinè solitarius: sic enim olim græca voce Monachi dicebantur homines, à cæterorum, consortio seiuncti, & remoti, qui professi quietem, tacitam, ac durissimam vitam in montibus, saltibus, & speluncis degebãt, eamq;

seruabant certis legibus, & institutis. Animaduertendum autē est, Monachi appellatione, aliquando omnem Religiosum significari, cuiuscunq; ordinis sit, vt annotauit Abbas in capit. ex parte, de postulādo: aliquando verò eum solummodo, qui solitariam agit vitam. Ita vt Monachi (vt paulò ante notaui) propriè nominentur ij, qui res stabiles in communi possident, silentio, quieti ac Cōtemplationi dediti, ac seorsum ab alijs hominibus viuentes: Religiosi verò, siue Regulares cæteri, ij sunt, qui Religiosam vitam solemni more, ac ritu profitentur, quales nimirum sunt Canonici Regulares, item Mendicantes, & his similes. Nos verò in præsentia Monachos accipimus in propria significatione, vt à cæteris Religiosis omnibus distinctos.

Secundò quæritur, Quot fuerint olim genera Monachorum? Isidorus *lib. Etymo. 7. ca. 13. & lib. 2. de offic. Eccles. cap. De Monachis*, tria eorum genera constituit; Eremitarum nempe, Anachoretarum, & Cœnobitarum. At enim, si Græca nomina consideremus, eosdem prorsus Eremitas esse, atque Anachoretas, comperiemus: vnde Isidorus tria genera Monachorum nomine potiùs, quam re ipsa, & vitæ instituto distinguit. Et propterea Cassian. *Collat. 18. c. 4.* duo tantùm genera bonorum Monachorum videlicet Cœnobitarum, & Anachoretarum discernit. Eremita vocatur, qui in desertis, & solitudinibus habitans solitariè viuit; Anachoreta verò, qui in solitudinem aliumue desertum locum disiunctum, ac remotum ab hominibus, viuendi causa, secedit. Quare duo tantùm Monachorum genera constituenda sunt, nempe Eremitarum, qui & ijdem propemodum sunt, qui Anachoretæ, & Cœnobitarum. Eremitæ igitur sunt, vti diximus, qui solitarij viuunt in montibus, agris, alijsue locis desertis: Cœnobitæ verò, qui vnum in locum seu conuentum aggregati, & coniuncti communiter viuunt, à communi quam profitentur, vita, sic appellati. Monachi vocabulum licet prima sui notione, solitarium designet, proindeque idem sit Monachus, qui Eremita vel Anachoreta; vsu tamen, & consuetudine latiùs vsurpari cœpit, ita vt sit commune Eremitarum atque Cœnobitarum. Cassianus tamen *Collat. 18. capite quarto*, & Hieronym. *in Epistol. ad Eustochium. de custodia Virginitatis*, tertium Monachorum genus recensent. Sed illud reprobum appellant, eo quod genus esset quoddam Monachorum, communiter quidem viuentium, sed proprias facultates retinentium: item, & aliorum, qui cum ad tempus vitam cum alijs communem egissent, in solitudinem postea secedebant, vt ibi liberius suo arbitratu viuerent, nullius potestati subiecti.

Tertiò quæritur, An vetus Monachorum vitam, & institutum, insuetum aliquid, & ab humano genere alienum, & abhorrens habuisse videatur? Hæretici nostræ tempestatis, (vt cætera solent alendę pietatis sanctitatisque studia damnare) totam eiusmodi Monachorum vitam, tanquam ab humana societate, & cōsortio alienam, planeque abhorrentem, improbant atque condemnant: quppe hominum natura, inquiunt, est ad societatem facta, & Aristoteles, ac cæteri Philosophorum, eos vituperant, & reprehendūt, qui ab hominum congressu, & consuetudine abhorrent, ac fugiunt. At longè secus veteres Patres, & sacri scriptores, de ijs Monachis, & senserunt, & scripserunt: eos enim semper laudarunt, & Iustinianus Imperator vitam Monasticam, vt rem sacram, ac diuinam commendauit. Nec est quod Hæretici obijciant, Monachos sibi ipsis tantùm prodesse, non alijs. Iuuant enim illi in primis atque tuentur vniuersum genus hominum precib⁹ suis apud Deum, vitæ exemplo, moribus, doctrina, labore, industria. Immeritò item eos, tāquam otio, ac desidiæ deditos, accusant; cum multa vtilia atque salutaria hominum generi, in commune conferant. Quòd si forte querantur, Monachū quendā, vt ex historijs didicimus per triginta annos neque locutum cum vllo, neque à quoquam conspectum omnino fuisse: quę res certè dū mundano tantùm iudicio ponderatur, videtur ab hominis natura prorsus abhorrere? Respondebo, hæc rara admodum fuisse, eademque admiranda potiùs, quàm imitanda. Attamen quis inficiari audeat, è Monasterijs, & Cœnobijs, velut ex sacris quibusdam Seminarijs, & Collegijs electos, & assumptos fuisse quamplurimos insigni, & sanctitate, & doctrina viros, ad Ecclesiastica munera obeunda? qui deinde suis successoribus atque adeo Ecclesiæ vniuersæ multa, & præclara Christianæ vitæ documenta reliquerunt.

Quartò quæritur, Quandonam Monachorum vita atque institutum in Ecclesia cœperit? Hæretici contendunt quarto post Christum natum seculo cœpisse, hoc est; trecētis circiter ab eo tempore annis exactis. Negant enim illi contra communem Scriptorum sententiam receptam Dionysij Areopagitæ libellum de Ecclesiastica hierarchia, quo manifestè cōfutantur, vbi Monachorum meminit, quos fuisse testatur Apostolorum temporibus. Quicquid sit de eius libri auctore, fuerit ne ille Pauli Apostoli discipulus, is nempe, cuius facit Beat. Lucas in Actibus Apostolicis mentionem, an alius quispiam, nunc non laboro, cum hæc res mei non sit instituti; negari tamen non potest eum perantiquum Scriptorem fuisse, ac longè ante Magni Constantini tempore floruisse. Nec item inficiari queunt Dionysium huius nominis primum, Romanum Pontificem ex Monacho fuisse creatum. Nec obscurum est id, quod Tertullianus, & Cyprianus Scriptores antiquissimi perspicuè tradiderunt, Virgines voto Castitatis Deo obligari, & ab Episcopis velari solitas. Quòd si fœminæ id temporis Deo votis adstrictæ dicebantur, quid mirum, viros quoque tunc fuisse votis obstrictos? Sunt etiam, qui contendāt Apostolorum temporibus Monachos, & Anachoretas fuisse, & putant id inde se aperto, & certo argumēto colligere, quod Damasus in vitis Pontificum narrat Telesphorum ex Anachoreta Romanum Pontificem electum. Hoc tamen dubium esse, & incertum quidam Catholici dixerunt: nā Platina, & alij non ignobiles Scriptores Damasum interpretantur, Telesphorum ex patre nomine Anachoreta progenitū fuisse. Verùm quicquid sit, hoc vnum certè ex historijs Ecclesiasticis constat, Constantini Magni tempore in Syria, & Aegypto ingentem Monachorum multitudinem vixisse: & deinde circa ea tempora Monasticum

sticum institutum per Orientem propagatum,& auctum,ac deinde in Aphrica,Italia,Gallia, & alijs Occidentis partibus viguisse. Nam sub Augustino Monachi in Aphrica vixerunt: sub Martino Turonensi Episcopo,in Gallia: sub Simpliciano Mediolanensi Antistite,in Italia:sub alijs Episcopis in Armenia,Ponto,& Paphlagonia.

Quintò quæritur, Vtri fuerint antiquiores, Eremitæ ne seu Anachoretæ, an vero Cœnobitæ? Respondeo,cum primum exoriri Monachi incœperunt, ijque in Aegypto, congruentem nomini suo vitam, id est, solitariam agebant; & quamquam statis horis ferè in vnum locum conuenire consueuerânt, simul tamen nõ commorabantur, sed domunculas,& cellas sparsim per montes,saltus,& speluncas extruebant,in quibus habitabãt: vnde Monachi,& Eremitæ,& Anachoretæ meritò dicebantur.Postea tamen vilum est vtilius,fructuosius,& decentius,in eisdem ædibus eos communiter habitare, & viuere, omnia habentes inter se communia, quam priuatim in desertis, & mõtibus delitescere: ac ita eiusmodi loca à communione vitæ, & societate, Cœnobia verius, ac congruentius,quàm à solitudine Monasteria sunt appellata: Veruntamen hi veterem Monachorum appellationem retinere maluerunt,quòd ea vitæ ratio,& consuetudo non multum à solitudine abesset. Paulus igitur,Eremitarũ,seu Anachoretarum primus auctor,ac veluti parens, & Magister,meritò vocari consueuit;Antonius autem, licet, & ipse aliquamdiu solitarius vixerit, multos tamen in vnum coëgit, communisq; vitæ rationem instituit,vt propterea Cœnobitarum institutor appelletur. Porrò Cœnobitæ quâquam in commune viuebant,in montibus tamen,& desertis locis initio extruere Cœnobia cœperunt; postea vero in agris, & Ciuitatibus vicinis; ac tandem eos Magnus Basilius in medias Ciuitates, ac hominum frequentiam creditur induxisse,eisque viuẽdi rationem,& formulam perpetuò seruandam vtiliter tradidisse.

Sextò quæritur,quæ causa,& occasio fuerit Monachorum instituti? Nostri temporis Hæretici affirmare non dubitant,eos partim casu, partim errore,& praua imitatione cœpisse,eo quòd Nicephorus *lib.8.c.39.& 40.histor.Eccles.* scribit quosdam tradidisse,primos Monachos, & Paulum ipsum primum Eremitam, Decij persecutionis fugiendæ causa in solitudinem secessisse, & ibi vitam egisse. Alios verò aiunt hæretici Essenorum olim in Aegyptiacis solitudinibus,& antris degẽtium errorem,& inscitiã consectatos,cõsimilem eis vitã,& habitationẽ tenuisse. Verùm quicquid more suo,calumnientur Hæretici, primi certè apud Christianos Eremitæ imitati sunt exemplum Eliæ,Elisæi,& aliorum Prophetarum; Ioannis etiam Baptistæ,ac Christi Domini, qui in solitudinem secessit, ac ibi quadragenarium ieiunũ seruauit. Cassianus *Collat.18.c.6.* sic ait de Anachoretis loquens,qui non vt quidam pusillanimitatis causa, nec impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus,contemplationisque diuinæ solitudinis secreta sectati sunt; & deinde agens de Paulo Eremitarum duce subiũgit,licet necessitatis obtentu dum tempore persequutionis affinium suorũ deuitat insidias Eremũ penetrasse dicatur.

Septimò quæritur,an eadẽ vitæ ratio apud veteres illos Monachos fuerit, quæ nunc apud nostros? Contendunt Hæretici longè diuersam fuisse:nimirum illi non fuêre,inquiunt,tribus votis, quibus nostri Monachi,adstricti,sed votis soluti, & liberi viuebant: si quis ab inchoepto recederet, is nequaquam,vt voti violator habebatur,sed leuitatis,& inconstantiæ tantùm arguebatur. Quicquid sit de ijs Eremitis, aut Anachoretis,siue Monachis,qui solitudines primi,& deserta incolere cœperunt;illud certè,nisi desipere volunt omnino Hæretici, inficiari nequeunt, Cœnobitas, qui cõmuniter habitabant,& viuebant,& si non quidem à primo ipsorum ortu, sub idem tamen ferme tempus tribus se votis Religionis, Castitatis nempe,Paupertatis,& Obedientiæ deuinxisse; vt apertè ex Magni Basilij Monasticis Constitutionibus liquet:Hunc postea Benedictus in Occidente successit; qui Monachorum Orientis, sub eiusdem Basilij Regula,vitę rationem æmulatus,suos quoq; Monachos formulam viuendi à se præscriptam profiteri voluit,in qua eadem,quæ dixi vota, seruanda traduntur.

Octauò quæritur, An vlli fuerint Monachorũ gradus? Respondeo,fuisse. Qv A E R E S quinã illi fuerint? Respondeo,alios fuisse Superiores, alios inferiores: nã sicut Clericis cuiusq; Ecclesiæ priuatæ præerat Episcopus, ita singulis Monasterijs vnus Monachus præsidebat, in cuius potestate erant alij decurijs,& centurijs præfecti. Porrò is, qui multis Monachorum turmis veluti gregibus præerat,Archimandrita vocabatur. Dicitur autẽ Archimandrita, eo quòd multis Monachorũ cæteruis veluti gregibus præsideat, cũ Monachi per turmas,& classes diuidẽtur. *L. Nos reddentes. C. De Hæret. Μάνδρα* enim Græcum nomen,speluncam, caulam,& stabulum,in quod greges ouium aduehebantur,significat. Quem verò Græci Archimãdritam, & Cœnobiarcham vocabant, S. Benedictus *in Regula* Abbatem Syriaca potiùs voce,quàm Græca,ex Euangeliorum tamen codice desumpta appellare consueuit. Hic intra sui Monasterij septa Præfectum quendam constituebat, cuius vicaria opera, & industria vtebatur in his, quæ ad Conuentus gubernationem pertinebant,quẽ propterea Benedictini Monachi, Priorem claustralẽ vocare cœperunt. Et quia plerumq; extra Monasterium minores aliqui Conuentus, & Sodalitia Monachorum erant eidem Abbati subiecta, alij quidam Præfecti,eo cum libera potestate, & auctoritate dimittebãtur: quos idcirco Priores Cõuentuales appellabant. Hinc exortæ sunt Abbatiæ, & Prioratus: nam procedente tempore Abbates,& Priores,priuata mensa à communi separata vti cœperũt:quo fiebat,vt certi redditus priuatæ Abbatis mensæ assignarentur ex quibus viueret: qui deinde Abbas, annuos quoq; redditus, communi Monachorum mensæ tribuebat. Cum verò Monasteria paulatim Monachis destituerẽtur;Abbatiæ,& Prioratus commendari cœperũt Clericis:donec introductus est mos,vt Episcopis, & Cardinalib⁹ in perpetuam administrationem committantur, hoc est, vt ea administrent dum viuunt. Porrò,qui in Regula S. Benedicti Abbates vocantur, in Regula S. Augustini dicuntur Priores,seu Præpositi.

Nonò quæritur, in quo differant Oblatus, siue Donatus, Conuersus, & Monachus? Hanc quæstionem tractat Glossa, & iuris Canonici interpretes *Clemen. 1. De Decimis, & in cap. Ex eo, De elect. in sexto, & cap. Per exemptionem, De Priuil. in sexto, & cap. In præsentia, De Probatio. & 17. quæst. 1. ca. Vt lex continentiæ.* Summistæ *verbo. Oblatus*, Nauarr. *Consilio* 80. & 81. *De Regularibus*. Respondeo, post institutum à. Sanct. Benedicto Monachorum Ordinem, introducta esse in singula Monasteria tria hominum genera; ita, vt alij dicantur Oblati, alij Conuersi, alij Monachi. Oblatus est, inquit, Panormitanus, *locis citatis*, qui se, & sua omnia Monasterio obtulit habitu non mutato. Conuersus verò, qui se, & sua obtulit habitu Religionis suscepto, & Regulæ professione emissa, est tamen admissus, vt laicus, qui nunquam Ordinibus initiatur, nec est ad cantum in Choro addictus, Monachus autem est, qui in sodalitatem admittitur tanquam idoneus, & habilis ad Ordines suscipiendos, & tempore ad id constituto ad eos promouetur, ad Chorum, & cantum destinatur. Et vt annotat Glossa, *locis citatis*, Oblati, & Conuersi magis sunt Monasterio adstricti, eo quòd etiam causa vitæ arctioris, & durioris ad alia Monasteria transferre se nequeant: sunt enim quasi serui Monasterij effecti. Conuersi item laici cum Monachis, qui sunt Ecclesiasticis ordinibus initiati, ius & facultatem eligendi non habent, *capit. Ex eo, De election. in 6. ad finem.*

Decimò quæritur, An Monachorum nomine in iure Canonico veniant omnes Religiosi? Respondet Abbas *in capit. Ex parte, de postulando.* Constitutionem Pontificiam, siue Canonicam aliquid de Religiosis statuentem, licet de Monachis loquatur, ad omnes Religiosos trahi; nisi aliqua specialis ratio diuersitatis appareat. Vnde appellatione Monachi, omnis Religiosus accipitur, nisi lex alioqui distinguat. Nomine item Abbatis, venire solet omnis Ordinarius Religiosorum Collegio Præfectus: Abbatissæ autem nomine, omnis fœmina Sanctimonalium domicilio præfecta. Appellatione Monasterij, omnis Religiosorum simul in commune habitantium Domus, siue Collegium, nisi quid discriminis manifestè constiterit.

Vndecimò quæritur, An Monachi olim essent Clericis inferiores? Respõdeo, ex iure Canonico constare, Monachos, & cùm primùm cœperunt, & deinde aliquo temporis spatio, fuisse Clericis minores, & ipsis subiectos. Etenim *in cap. A subdiacono, distinctio.* 93. dicitur; *Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolytus, Acolyto Exorcista, Exorcistæ Lector, Lectori Ostiarius, Ostiario Abbas, Abbati Monachus in omni loco præstet obsequium, siue in publico, siue in gremio Ecclesiæ.* Hæc ibi: quæ ideo dicuntur, quia tunc temporis Monachi, etiam Abbates Monasteriorũ Præfecti erant laici, & idcirco Clericis inferiores. Nulli in Monasterijs reperiebantur Sacerdotes, aut Clerici, sed tanquam cæteri ex populo laici, nullo discrimine ad communem omnium sacram ædem, Sacramentorum percipiendorũ causa, se conferebant: sed & sacerdotem accersebant interdum, qui apud ipsos rem diuinam faceret. Quare nihil mirum est, si tum Monachi, tum eorum Præfecti Abbates Presbyteris, & Clericis inferiores erant. Vnde *16. quæstio. 1. cap. Monachus*; ait S. Hieronymus: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum.* Sic ille. Deinde, quanquam aliqui Sacerdotes creabantur, prohibebantur tamen extra Monasterium Clericorum munera obire, & exequi, eo quòd Monachus esset ex suæ vitę instituto, quieti, silentio, & solitudini addictus. Vnde *16. quæst. 1. cap. Placuit*, habetur: Monachum per omnia singulariter agere oportet. *Quamobrem præcipimus, vt Monachi pœnitentiam nemini tribuant, nisi sibi inuicem, vt iustum est: mortuum non sepeliant, nisi Monachum secum in Monasterio commorantem.* Et *capit. Interdicimus eadem causa, & quæst. prohibentur Abbates, & Monachi publicas pœnitentias dare, infirmos visitare, & vnctiones facere, & Missas publicas canare.* cap. Placuit, ibidem statuitur, vt nullus Monachorum de Monasterio exire nefandissimo ausu præsumat, neque pœnitentiam dare, neque filium de Baptismo accipere, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neq; ad Ecclesiam secularem transire, neque alijs quibuscunque negotijs sese implicare. Sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine Monasterio Monachus. Sedeat itaq; solitarius, & taceat: quia mundo mortuus est, Deo autem viuit. Item *cap. Peruenit 16. quæstione prima*, reprehenduntur Monachi, & Abbates, qui in Parœcijs Episcoporum, ac Presbyterorum munera præstabant. *cap. Alia causa est, ibidem*, de seipso loquens Hieronymus: *Alia*, inquit, *causa est Monachi, alia Clerici: Clerici oues pascunt, ego pascor. Illi de altari viuunt, mihi securis quasi ad radicem infructuosæ arboris ponitur.* Si munus ad altare non defero, mihi ante Presbyterum sedere non licet: *capit. Iuxta Chalcedonensis*, ait Alexander Secundus, Monachis quamuis Religiosis, ad normam S. Benedicti, intra Claustrum morari præcipimus; vicos, castella, Ciuitates peragrare prohibemus, & à populorũ prædicatione cessare censuimus. *capit. Qui verò, 16. quæstione prim.* Concilio Chalcedonensi, statuitur, vt Monachi, qui per Ciuitates singulas, seu possessiones in Monasterijs morantur, sint Episcopo subiecti, & quieti operam dent, atque obseruent ieiunia, & orationes in locis, in quibus semel se Deo deuouerint, permanentes: & placet, eos neque communicare Ecclesiasticas, neque seculares aliquas attrectare actiones, relinquẽtes propria Monasteria; nisi forte iubeantur propter vrgentes necessitates, ab ipsius Ciuitatis Episcopo. Hęc omnia in supradictis locis. Primùm ergo, vt dixi Monachi omnes etiam Abbates, laici erant. Deinde procedente tempore, cœperunt eorum aliqui in suis Monasterijs Presbyteri creari, vt ibi rẽ diuinam facerent; ac fortassis tunc Sacramenta alijs Monachis intra cœnobia non conferebant, cum ea percipere deberent à Parocho presbytero, in cuius Parochia erat Cœnobium constitutum. Postea, vel Episcoporum concessu, vel consuetudine introductum est, vt etiam Sacramenta ministrarent: sed ita vt in cœtu tantum suo alijs Monachis Sacramenta præberent, & veluti quãdam Ecclesiam inter se constituerent, ne ad alias Ecclesias amplius accedere, aut alienos Presbyteros accersere cogerentur. Atque ita, idem, & Presbyteri, id est, pastoris atque doctoris inter

suos, & Monachi munere, & officio fungebatur. Quare *in c. Agapitus 16. q. 1.* increpat Gregorius quẽdam Episcopum, qui in certo Monasterio prohibebat Missarum sacrificia fieri, & offerri, mortuos sepeliri. Postea ij Monachi, qui erant ad Sacerdotium prouecti cœperunt quoque Episcopi auctoritate, & Abbatis consensu extra Monasterium officia Presbyterorum obire. Quare *16. q. 1. in c.* Sunt nonnulli, Bonifacius reprehendit quosdã asserentes, Monachos qui mundo mortui sunt, & Deo viuunt, Sacerdotalis officij dignitate indignos, neque pœnitentiam dare, neq; Christianitatem largiri, neq; absoluere posse per Sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem. Sed omnino, inquit, labuntur. Neque enim B. Benedictus Monachorum præceptor almificus, huiusmodi rei fuit interdictor, sed eos secularium negociorum edixit expertes fore tantummodo. Sic ibi Pontifex.

Ex quo fit, vt iura Canonica, quæ per multa capita *16. quæst. 1.* ponuntur, secum inuicem non pugnent, quamuis pugnare videantur: nimirũ pro varietate temporum diuersæ leges, & Canones sunt de Monachis constituti. Primùm enim illi cum essent laici, etiam ipsi Abbates, Clericis inferiores habebantur: & cum solitudini, quieti, silentio, pœnitentiæ, & contemplationi essent penitus dicati, extra Monasteria commorari prohibebantur, ac ideo arcebãtur ab Ecclesiasticis Ordinibus. Postea verò vsu, & iure introductum est, vt aliqui eorum presbyteri crearentur, ea tamen lege, & consuetudine, vt in suis tantùm Monasterijs, & sacris operarẽtur, & sacrificia offerrent: Sacramentaque cæteris Monachis conferrent: & propterea tũc etiam temporis extra Monasteria, Clericorũ munera obire, & exequi prohibebantur. Tandem introductum est, vt non solùm eorum aliqui, sed multi etiam ad Sacerdotiũ eligerentur, & Ecclesiastica munera extra Monasterium obirent. Cæterùm, hoc tantum fiebat supplendæ idoneorum Clericorum necessitatis gratia. Deinde verò vsus etiam obtinuit, vt Monachi ijsdem atque Clerici muneribus, & officijs in Ecclesia fungerentur, quòd eam ad rem magis idonei, & aptiores Clericis Monachi esse viderẽtur. QVAERES, An vlla Monastica constitutione fuerit sancitum, ne Monachi Ecclesijs præficerentur? Respondeo, id nec Regulam S. Basilij, nec S. Benedicti, aut Augustini vetuisse, verùm illud generatim tantummodo præcepisse, Ne secularia tractarent. Rursum quæres, an saltem iure Canonico communi, Monachi Ecclesiarum cura, & administratione prohibeantur? Respondeo, ex his, quæ hucusque dixi, posse colligi, iure antiquo ea re fuisse illis interdictum, quoniam iubebantur intra Monasteria commorari, ac postea non nisi causa necessitatis, vel vtilitatis Ecclesijs præfici solebant.

Duodecimò quæritur, an Monachus locum habere queat in duobus Monasterijs? Respondeo, *in cap. Ne nimia. De Religiosis domibus ad finem* haberi: *Illud etiam prohibemus, ne quis in diuersis Monasterijs locum Monachi habere præsumat.* Hæc ibi. Porrò is locum in Monasterio habere censetur, qui ius habet eligendi eius Monasterij Præfectum siue Præpositum, & qui suffragium fert in Conuentibus, & Comitijs, & qui tenet sedem in Choro. Ne igitur quis duo suffragia ferret, & ius haberet duos Præfectos, siue Præpositos eligendi, sancitũ est, ne Monachus in duobus monasterijs locum obtinere. QVAERES, an quis possit vni Monasterio præesse, vt Abbas, & in altero monasterio locum habere, vt Monachus, & priuatus? Dubitationem parit id, quod *in capit. 1. de Priuil.* dicitur: *Si Monachus maioris monasterij constituitur, Prior in Priorato eidem monasterio subiecto, non desinit esse Monachus maioris monasterij, sed in vtroque locum obtinet.* Respõdeo, cum Abbate *in eo capite*, quando monasteria sunt seiuncta, & diuisa, ita vt vnum non sit alteri annexum, & adiunctum, siue subiectum, vnus Monachus in duobus monasterijs locum tenere nó potest: secus verò est, quando non sunt separata, nec disiuncta. Si deinde quæras, num Prior vnius monasterij, quod est subiectum alteri, vocari debeat ad electionem Abbatis maiori monasterio præficiendi, cum is non desinat esse Monachus maioris monasterij. Respondet Abbas Innocentij sententiam secutus, seruandam esse consuetudinem, quòd si nulla sit, videndum est, an Prior per se ius habeat eligendi proprium sui monasterij Præfectum: & hic vocari non debet, alioqui enim ius haberet eligẽdi duos Præfectos: an verò non habeat, & hic est vocandus.

Decimotertiò quæritur, An Monachus iure cõmuni præfici queat Ecclesiæ seculari? Respondeo cum Panormitano *in c. Quod Dei timorem, de status Monachorum*, communem in hoc sententiam secuto, si vt Episcopus Ecclesiæ sit eligendus, potest iure communi præfici, *cap. 1. 12. q. 1. Clem. 1. De elect. cap. Si Religiosus, ca. Quorundam, de elect. in sexto*, ex quibus locis patet Canonicorum suffragijs posse eligi Religiosum in Episcopum: nam, si iure communi habilis non esset, non eligeretur, sed postularetur, *cap. vltimo, De Postulat. Prælat.* At verò Religiosus electus consensum suum præstare nequit, nisi petita priùs, & impetrata à Superiore facultate, *cap. Si Religiosus, De elect. in 6.* Vnde etiam Abbas nihil obstante dignitate, quàm habet, potest in Episcopum eligi, *cap. Si Abbatem, De elect. in 6.* Si verò Monachus sit inferiori Ecclesiæ seculari præficiendus; tunc aut ea est Collegialis, aut non: Si est Collegialis, aut promouetur ad Canonicatum, siue aliud quodlibet Beneficiũ simplex, aut ad aliquam ipsius Ecclesiæ Collegialis Dignitatem: si primum, tunc iure communi eligi, aut præfici nequit, *ca. Super eo, De Regularibus.* Nec Episcopus concedere potest, vt Religiosus sit Canonicus in Ecclesia seculari Collegiali, siue Cathedrali, nisi Cathedralis Ecclesia sit Regularis: tunc enim Monachus potest iure cõmuni eligi in Canonicum: & hac ratione intelligitur, quod docet in Glossa *capit. Quorundam, distinction. 74.* Si verò ad Dignitatem eligatur Monachus, vt scilicet Ecclesiæ Collegiali seculari præsit tanquam Præpositus, dubiæ quæstionis est, an id fieri queat. Et quidem conueniunt omnes eligi posse, si Ecclesia Collegialis habeat propriè curam animarum, qualem habent Parochiales Ecclesiæ: sic Cardinalis, Hostiensis, Calderinus, Federicus, Abbas, quos citat Syluest. *religio. 6. quæstion. 4.* At si non habeat propriè curam animarum, sed impropriè, qualis est ea, quã Præfectus Collegio habet

in eos,

in eos, qui ad Collegium pertinent, quæ est cura in iurisdictione consistens, tunc dubitant auctores: nam duæ sunt opiniones: prima negat iure communi eligi eum posse, nisi ius ipsum relaxetur ob curæ necessitatem. Sic Hostiensis, & Ioannes Calderinus, teste Syluestro. Secunda verò opinio eum eligi posse affirmat, cum id nusquam prohibitum sit: ita Panormitanus, & Cardinalis, quos refert Syluest. *loco citato*, & id probant, quia eadem ratio, atque de Episcopo esse videatur: cum eligatur ad curam eorum, qui ad Collegium pertinent.

Porrò si Ecclesia collegialis non sit; aut in ea est cura animarum, aut non: si secùdum, in ea Religiosus iure communi constitui nequit: Si primum, id est, si curam animarum habet, duæ quoq; sunt opiniones, prima negat iure cõmuni fas esse Religiosum, ei præfici absque iuris relaxatione. Secunda sententia est communis, vt ait Abbas, nimirum iure communi posse præfici, nec esse opus vlla iuris relaxatione. Hanc sententiam probant Hostiẽsis, Ioan. Andreas, Calderinus, Cardinalis, Abbas, quos citat Syluest. *religio. 6. q. 4. & 5.* quæ & verior mihi videtur: nam ob curæ necessitatẽ, & vtilitatem ius concessit, vt religiosus possit eligi, *& colligitur ex c. In parochia, cap. Doctos, ca. Cum pro vtilitate, cap. Si Monachus, cap. Si quis Monachus, 16. q. 1.* Quare si Patronus ad Ecclesiam parochialem nominet, designet, & offerat Religiosum, non est iure irrita nominatio, & designatio, siue præsentatio, vt in iure dicitur.

Ex his intelligitur, quid sit dicendum, de eo, quòd singulatim quæritur, An Monachus Ecclesiæ seculari curam animarum habenti iure communi præfici queat? Respondeo, vt dixi, si ea sit parochialis, posse, vt apertè dicitur *in cap. Quòd Dei timorem, De statu Monachorum*, quod nimirum intelligitur causa supplendæ necessitatis, cum alij Clerici minimè idonei reperiuntur: posse item id fieri Episcopi auctoritate, annuente tamen Abbate atque consentiente, ita vt nõ sit necesse ad iuris relaxationem confugere. Si verò Ecclesia tantummodo habeat curam animarum, Parochialis tamen non sit, sententia est Panormitani, vt iam dixi, posse etiam iure communi Monachum huic Ecclesiæ præfici auctoritate Episcopi, & Abbatis consensu.

Quæritur etiam, An iure communi concessum sit, vt Monachus auctoritate Episcopi, & Abbatis nutu atque assensu ad simplex Beneficium, cuiusmodi etiã est Canonicatus, eligatur? Respondeo, minimè: vt proinde sola Episcopi auctoritate, & Abbatis cõsensu fieri nequaquam possit: nam Canones, & iura tantummodo concedunt, vt Monachus Ecclesiæ præfectus Monachum habere debeat? Affirmat Innocent. *in c. Quod Dei timorem, de statu Monachorum*, debere; negat Hostiensis: Abbas cũ Ioan. Andrea distinguit *in c. Monachi, de statu Monachorum*. Aut Ecclesia est, inquit, Monasterio plenè subiecta, & tunc non potest in ea Monachus constitui sine socio: & in eum sensum accipi debet id, quod habetur *in c. Monachi, & cap. Quòd Dei timorem, De statu Monachorũ*, vbi decernitur, Ne singuli Monachi per villas, & oppida, per quascumq; Parochiales ponantur Ecclesias: Aut non est subiecta, & ita si Parochiali Ecclesiæ præficiatur, eo ipso definit esse monasterij Monachus, & proinde liber ab lege, & præcepto sibi socium, & adiutorem Monachũ adsciscendi.

Decimoquintò quæritur, An Monachus Ecclesiæ seculari Parochiali præfectus, Monastica etiam tunc regula, & Constitutionibus teneatur? Respondeo, eum nequaquam esse votis monasticis solutum, nec liberum ab habitu monastico deferendo: ab ijs tamen, quæ in Ecclesia seculari vnà cum Parochiali munere commodè seruari nequeunt, liberatur, & soluitur; qualia sunt ieiunia, silentium, vigiliæ, & abstinentia à carnibus.

Decimosextò quæritur, Quibusnam iure Canonico Monachis interdictum sit? Respondeo; *in Clem. Ne in agro, De statu Monachorum* decem esse, quæ partim Monachi facere iubentur, partim prohibentur.

Primum est: vt habitum monasticum deferant iuxta formam in eo capite præscriptam, quod ad Monachos nigro habitu vtentes tantũmodo pertinet.

Secundum est: vt singulis quibusque mensibus sacram peccatorum confessionem faciant, siue in monasterijs, siue extra morentur.

Tertium: vt prima Dominica cuiuslibet mensis, in monasterijs Venerabile Eucharistiæ Sacramentum percipiant; nisi ex causa (quam Abbati, aut Priori, aut Pœnitentiarijs monasteriorũ aperiant) abstinuant ad eorum arbitrium.

Quartum: vt is qui præest, exponat per se, vel alium, vulgari sermone Regulam in Capitulo.

Quintum: vt silentium continuum seruent in Dormitorio, Refectorio, & Oratorio; in Claustro verò ad certas temporum horas.

Sextum est: Ne aucupatum, aut venatum eant.

Septimum: Ne intra monasterij sepia, arma teneant.

Octauum: Ne se conferant ad Principum aulas siue curias.

Decimum: Vt vnoquoq; triennio, Conuentum, siue Capitulum cogant.

Decimoseptimò quæritur, An hæc Clementina quatenus præcipit, vt singuli Monachi vnoquoque mense confiteantur, & prima Dominica cuiuslibet mensis Eucharistiam suscipiant, teneat etiam in vniuersum omnes Monachos, eos scilicet, qui vestibus albis induuntur, cuiusmodi sunt, qui à Monte Oliueto nomen habent, & Cistercienses, Camaldulenses, Carthusienses? Stephanus, vt ait Glossa *in ea Clementina*, respondet, solùm teneri hac lege, qui nigro habitu vtuntur, nempe Benedictinos, quoniam ad eos Clementina dirigitur. Sed probabilius sanè alij opinantur vt Glossa, Paulus, Bonifacius, Imola, Cardinalis, oẽs hac lege Monachos obligari. QVAERES, quo modo computandi sint menses, quibus illi confiteri iubentur? Respondeo cum Cardinali, eo modo, quo dicit Gloss. *in cap. Quam sit, De elect. in sexto, ver. Mensem*, videlicet mensem esse computandum à die, qua facta est cõfessio peccatorum: & is mensis tot dies habebit, quot continet ille mensis, in quo est facta vltima confessio peccatorum: ac proinde numerabuntur omnes dies, qui

super-

supersunt ex eo mense, & reliqui supplebuntur ex mense sequenti. QVAERES deinde, an tempore interdicti generalis confiteri debeant? Respondeo cum eodem Cardinali, minimè. Item, dubitabis, num, si in primam Dominicam mensis inciderit dies festus, & sacer, videlicet Patroni Ecclesiæ, aut Dominicę Resurrectionis, aut Pętecostes, aut alterius solemnis celebritatis, debeant Monachi sumere sacrum Christi corpus? Respondent Glossa, & Cardinalis, non ob id ab eo esse abstinędum. Si adhuc percuncteris, an si in prima Dominica mensis Monachus extra monasterium cōmoretur, accedere ad Eucharistiam debeat? Respondeo cū Cardinali, tuta conscientia, sine peccato tunc sacram communionem omitti; siquidem in Clementina dicitur: *In monasterijs percipiāt*, cum tamen de Confessione dixerit: (Confiteantur singulis mensibus, siue in monasterio, siue extra commorentur.) Quærat aliquis, num hæc lex teneat etiam Moniales? Affirmat Cardinalis, eo quòd masculinum genus comprehendit fœmininum. Postremò rogabis, num hæc lex vsu, & consuetudine abrogari queat? Respondeo, abrogari posse, cum sit lex humana: quare vbi ea consuetudo inoleuerit, ne Monachi singuli, singulis mensibus confiteantur, aut ne prima cuiuslibet mensis Dominica ad diuinam mēsam, & epulum accedant, non est talis consuetudo damnanda. Si postremo roges, an si Monachus solùm peccatis venialibus teneatur, debeat singulis mēsibus peccatorum confessionem facere? Caiet. *tom. 1. tract. 5. q. 1.* sentit, debere. Sic etiam Nauar. *de pœnit. ca. placuit, dist. 6 nu. 121. 122.* At Sotus 4. *dist. 18. quæst. 1. artic. 3.* docet Monachum ad id non obligari, putat enim in Clementina prædicta solùm esse præceptum Monachis, vt peccatorum lethalium confessionem singulis mensibus faciant, cum tamen cæteri non cogantur Ecclesiæ præcepto facere confessionem eiusmodi peccatorum, nisi semel quotannis. Valde probabilis est opinio Soti: saltem non videntur Monachi, hoc præcepto, ita teneri, vt si omiserint confessionem solùm peccatorum venialium, lethaliter peccent: mitius enim & benignè leges interpretari debemus.

Decimo octauò quæritur, An Monachis vsu, & vsu carnium interdictum sit? S. Thomas *in Quodli. 1. q. 20. & 2. 2. q. 185. art. 8. & q. 189. ar. 9.* docuit, Monachum alioqui sine iusta causa, videlicet infirmitatis, vel absque Abbatis concessu, siue permissu, carnes comedentem, lethalis peccati minimè reum esse, nisi per contemptum regulæ id faciat. Communis itidem est opinio, quam habet Sylu. *religio. 7. q. 14.* non lethaliter peccare Monachum, sine causa etiam, & facultate legitima, carnes edendo. Et quamuis peccet, sine iusta causa eis vtendo, penes Abbatem tamen ius est, & potestas concedendi Monacho carnium edendarum facultatem. Si obijcias *c. carnem, de conse. d. 5.* pœnam carceris constitui in Monachum carnes edentem. Respondeo cum S. Thoma, eam pœnam poni contra Monachum carnibus vescentem ex contemptu regulæ, vel contra speciale Abbatis præceptum.

Decimonono quęritur, An iure communi monasteria, sint subiecta Episcopo, in cuius dioecesi sunt constituta? Respondeo, iure communi quaslibet Ecclesias alicubi constitutas ad Episcopum loci pertinere, & eo ipso, quo sunt in Dioecesi cōstitutæ, ad Episcopum pertinēt, nisi probetur eas esse exemptas, *cap. cum venerabilis, de relig. domibus, ca. de Xenodochijs, eo. tit. cap. omnes Basilicæ, 16. qu. 7. cap. contra morem, dist. 100.* & olim omnia monasteria erant in cura & potestate Episcoporum, *18. q. 2. cap. Abbates, & cap. quia monasterium c. Cum Venerabilis, De Religios. domib.* & nihilominus monasterio præerat Abbas: imò monachus magis erat Abbati subiectus, quàm Episcopo loci, teste Glossa, & Panormitano, *locis citatis*, quo modo etiam nunc multa Sacrarum Virginum Cœnobia, cura, & auctoritate Episcoporum gubernantur, & in eis tamen vna Sanctimonialium cæteris præsidet. ROGABIS, an monachorum Cœnobia Presbytero Parochiali subessent in Sacramentis suscipiendis? Respondeo: quod attinet ad iurisdictionem, & gubernationem, erant Episcopo subiecta; quod ad sacramenta verò, Presbytero Parochiali, quādo monachi non erant Clerici, vt dicit Abbas *in cap. dilectus, num. 17. de Cappel. monach.* Nam iure communi sicut omnes Ecclesiæ in dioecesi constitutæ ad Episcopum pertinent: Sic Parochus habet ius in totam Parochiam, vt Sacramenta conferat omnibus his, qui in ea commorantur. *13. q. 1. & cap. Pastoralis, De ijs, quæ fiunt à Prælatis*: iure tamen nouo, & Romanorum Pontificum beneficio, monachorum Cœnobia sunt ab Episcoporum potestate exempta, sicut etiam pleraq; fœminarum monasteria, quæ sunt in cura, & potestate Religiosorum. At verò iure communi monachorum Cœnobia à Presbytero Parochiali etiā in Sacramentorum perceptione libera sunt: quando Monachi sunt Sacerdotes. Nam *ca. 1. 16. q. 1.* Monachi quidem prohibentur extra monasteriū Sacramenta præbere; conceditur tamen eis, vt sibi inuicem intra monasterium Sacramenta ministrent. Consuetudo quoque probauit, vt Episcopus Sanctimonialibus, suæ curæ subiectis, & monachis nullum apud se Presbyterum habentibus, Sacerdotem aliquem præficiat, qui eis Sacramenta conferat, vt annotauit Abbas *loco citato.*

Caput XX.

De Abbate Monachorum Præfecto.

PRIMO quæritur, Quænam iure communi in Abbate requirantur? Respondeo hæc in primis, vt expresè professionem emiserit, *ca. Nullus, De elect. in 6.* Quapropter Abbatia Regularis, quæ est Beneficium, dari in titulum iure nequit, nisi monacho Religionem professo: datur tamen ei, qui non est religionem professus in commēdam, vt dici solet, aut in administrationem perpetuā, vt etiam commendari solet Cardinalibus, alijsq; primarijs Ecclesiæ Clericis. Deinde, vt sit Sacerdos, *cap. 1. de ætate, & qualitate ordinand.* Abbatia tamen administranda committitur, & commendatur ei, qui presbyter non est. Item, vt vigesimum quintum ætatis annum attigerit, Glossa *in cap. Indemnitatibus, De elect. in 6.* Insuper, Vt à monasterio, cui præesse debet, eligatur. Nam olim etiam cum monasteria erant Episcopis subiecta, Abbas non ab Episcopo, sed à monasterio eligebatur, *cap. Abbas, & cap. Abbatem 28. quæst. 1.* Ampliùs, Vt ex eodem monasterio, ad cuius præfecturam assumi-

tur, creetur, nisi quâdo idoneo ad id muneris monacho caruerit, tunc enim iure potest ex aliorum cœtu monachorum eligi, 28.q.2.cap. *Quàm sit*. Postremò; Vt vni tantùm monasterio vnus Abbas præficiatur, nisi vnum sit alteri adiunctum, & annexum. *cap. vltimo. De Religiosis domibus*. Est autem annotandum ex Panormitano, *in cap. cum monasterium, de elect.* singulis olim monasterijs singulos Abbates fuisse, præpositos, ita vt vnum quodque monasterium suũ tantùm Abbatem agnosceret, non alium; & proinde illi vni tantummodo parebat non alteri. Nunc verò Romanorum Pontificum beneficio fit, vt aliqui monastici Ordines vni Generali Abbati siue Priori, siue Præsidenti, siue Visitatori, cãquam capiti obediant, sub quo sunt inferiores aliorum monasteriorum Abbates, aut Priores; quales sunt Cistercienses, & Carthusienses, & ij, qui à monte Oliueto nomen habent.

Secundò quæritur, An omnes Abbates sacrari, aut benedici debeant? Respondeo, ex communi Canonici iuris interpretum sententia, non omnes consecrari oportere, sed eos tantùm, qui suæ Ecclesiæ more consecrari solent, *cap. Alienationes*, 12.*quæstio*.2. vbi dicitur, *Abbatis, qui secundum Ecclesiæ suæ vsum consecrandus est*, hoc est, vt ait Glossa communi consensu recepta, benedicendus. Canones veteres Abbates consecrari dicunt: at Canonici iuris interpretes iuniores eos nõ consecrari, sed benedici testantur: nam Sacerdos, item Episcopus consecratur, quoniam sacra Chrismatis vnctione perũgitur: sed Abbas tantùm, inquiunt, benedicitur. Benedictio verò est, qua solũmodo manu Episcopi super hominem imposita certa precationis forma *adhibetur. 1.quæstion.1.capit. Manus*. & ideo cum consecratur Abbas, non consecratur propriè, vt Sacerdos, vt Episcopus sed benedicitur, & eius consecratio vocatur impositio manus Pontificia, *capit. Quoniam, distinctione 69*. Nos igitur deinceps non consecrari, sed benedici Abbatem dicemus: vt cum pluribus loquamur.

Tertiò quæritur, An Abbas qui benedici solet, Ecclesiæ suæ more, benedici die tantùm Dominica debeat? Respondeo ex omnium sententia, cæteris etiam diebus benedici iure posse, in quibus Minores Ordines conferuntur: nam benedictio Abbatis non est tanta, quanta Episcopi consecratio: nec est maior, quàm Ecclesiæ, vel altaris consecratio: in qua adhibetur sacra vnctio, quæ tamẽ alijs diebus quàm Dominicis, iure communi fit. *cap. Tua, De consecra. Ecclesiæ, vel altaris*. Sic Oldradus, Ioannes Andreas, quos Panormitanus sequitur *in cap. cum sis, de consecrat. Eccle. vel altaris*, licet Hostiensis tutius existimet, si die Dominica benedicatur Abbas.

Quartò queritur, An Abbatis benedictio iure iterari queat? Fingamus Abbatem benedictum eligi ad alteram sui Ordinis Abbatiam, Quæstio est, an ad secundam electus, iure iterum benedicatur? Respondeo: licet Glossa *in Clemen. attendentes. 6. statuimus, verbo. benedici, de statu Monachor*. de hac re dubitauerit; communis tamen sententia, quam tradunt Bonifacius *in Clement. citata*. & Nauar. *consil. 2. de statu Monachor*. ait, non esse iterandam: nam licet characterem non imprimat, nihil tamen refert; cum etiam benedictio nuptialis non repetatur. *c. 1. & 3. de secund. nupt*. nec pœnitentia solemnis iteratur *c. Quamuis, & c. In cap. dist. 30*. At Benedictio Abbatissæ iterari potest, vt ex Felino tradit, *loco citato* Nauarrus.

Quintò quæritur, An post electionem, confirmatio benedictionem præcedere iure debeat? Respõdeo debere. Nam sicut olim Episcopus à Collegio Clericorum eligebatur, deinde auctoritate Primatis, vel Metropolitani confirmabatur, post. ea consecrabatur ab Episcopis: sic olim vbi Abbas suæ Ecclesiæ more benedicebatur, primum à Monasterio eligebatur; deinde confirmabatur ab Episcopo; postremò ab eodem Episcopo benedicebatur: & vbi nunc Abbates benedici non solent, solùm eliguntur, vel nominantur, designantur, siue offeruntur, vel vt passim dici solet, præsentantur, & deinde instituuntur, & simul confirmantur.

Sextò quæritur, à quonam secũdum Canones, & iura Abbas electus confirmari debeat? De hac quæstione, Syluest. Abbas. *quæstion. 1. ex Abbate Hostiensi, Butrio, & alijs*. Respondeo: Si Abbates sint exempti, Romani Pontificis auctoritate generali, vel peculiari, confirmari debere, vel auctoritate Legati à latere, si vllus sit in Prouincia, *cap. si Abbatem, De elect. in 6*. etiamsi prouinciam, & legationem exuisset, vt notauit Glossa. Si verò non sint exempti, Episcopi auctoritate confirmantur, ex Panormitano. At Romanorum Pontificum priuilegio Monastici Ordines obtinuerunt, vt inferiores eorum Abbates suorum Superiorũ Abbatum, vel Præsidentium auctoritate confirmentur: quemadmodum Priores, & Ministri Prouinciales Mendicantium Ordinum, nutu, & auctoritate Prioris, & Ministri Generalis confirmari solent. Porrò Abbates, qui benedici solẽt ijs solùm diebus, quibus Minores Ordines iure conferuntur, benedici debent, vt dixi. Qv AERES, an Abbati per benedictionem, an verò per solam confirmationem iurisdictionis potestas conferatur? Respondeo, esse distinguendum, cum confirmatio sola, benedictionis vicem, & firmamentũ habet, aut vbi sola benedictio, sine vlla cõfirmatione priori locum obtinet, tunc per confirmationem, aut per benedictionem omnis potestas, & iurisdictio Abbati conceditur. At verò vbi confirmatio præcedit, & à Benedictione distinguitur, per confirmationem conferuntur Abbati omnia, quæ ad iurisdictionem spectant, nõ autem, quæ ad Ordinem; qualia dixeris esse, sacrare vasa, aut vestes, aut Minores Ordines conferre, aut populo solemni ritu benè precari. Per benedictionem verò tribuitur plena administrationis auctoritas, vt ea, quæ sunt Ordinis, possit exequi, vt docuit Abbas *in c. 1. de Offic. Ordin*. R O GABIS an possit Abbas hæc ante benedictionem munera obire? Respondeo, quando vsus habet, vt benedicatur, iure non posse, secus verò posse, Immò etiam Abbas, qui de more benedicitur, si tertiò humiliter, & religiosè ab Episcopo benedictionem petierit, quam tamen Episcopus denegauerit, tutò potest ea, quæ sunt sui muneris, præstare, & implere. Nam Alexander Tertius scribens Cisterciensibus, *capit. Statuimus, De supplen. negligent. Prælatorum*, hoc apertè concedit, additque Antonius Butrius idem iuris habere Abbatem, si semel petitam humiliter, & piè benedictionem, Episcopus

renuerit impertire: quod etiam Panormitanus approbat. QVAERES, an hoc Priuilegium sit tantùm Cistercienſibus conceſſum, an omnibus etiam in vniuerſum Abbatibus? Innocentius affirmat, id tantùm Cistercienſibus conuenire: quia *in cap. Statuimus*, Pontifex ſolùm ad eos loquitur. At Gloſſa, & Hoſtienſis, Ioannes Andreas, & Panormitanus, omnibus volunt illud concedi. ROGABIS deinde, quænam alia ad officium Abbatis pertineant, quæ ipſe iure obire poſſit, quando Epiſcopus monitus negligit eũ benedicere: num Abbas tunc ea, quæ ſunt Ordinis poterit exequi. Goffredi, & Innocentij eſt opinio negantium, Abbatem præſtare poſſe, ea quæ ſunt Ordinis, ea ratione, quòd Pontifex in capite citato, ait poſſe eum facere alia, quæ ad ſuum officium ſpectant; at quæ ſunt Ordinis, minimè cenſentur, ad ſuum munus pertinere. Sed Gloſſa, & Abbas docent poſſe etiam, quæ ſunt Ordinis, quoniam ea omnia ad munus, & officium Abbatis attinent, & ei conceduntur ob negligentiam Epiſcopi benedictionem expreſsè, vel tacitè denegantis.

Septimò quæritur, Quanta ſit Abbatis auctoritas, & poteſtas in Monachos, & in alios ſibi ſubiectos? Reſpondeo, eum poſſe in primis ſolemnem benedictionem populo impertiri in Eccleſijs ad ipſum pleno iure pertinentibus, poſt Miſſarum ſacrificia perfecta, & abſoluta, poſt veſpertinas preces, aut matutinas decantatas; non autem alibi publicè, aut per vias, aut Ciuitates, Caſtella, aut villas. *cap. Abbates De Priuileg. in 6.* Eccleſiæ autem dicũtur monaſterio pleno iure ſubiectæ, vt docet Gloſſa; quæ tum in his, quæ ad ſpiritualium, tum in ijs, quæ ad temporalium rerum adminiſtrationem pertinent, ſunt in cura, & poteſtate Monachorum. Deinde, poteſt Minores Ordines conferre, *ex cap. quoniam diſt. 69. & c. cum contingat de ætate, & qualitate*, ſeruato tamen decreto Cõcilij Tridentini. *ſeſſ. 23. capit. 10. de Reformat.* vbi dicitur: *Abbatibus, ac alijs quibuſcunque exemptis non liceat in poſterum intra fines alicuius diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel Minores Ordines conferre. Nec ipſi Abbates, & alij exempti literas dimiſſorias aliquibus Clericis ſecularibus, vt ab alijs ordinentur, concedant: ſed horum omnium ordinatio, ſeruatis omnibus huius ſanctæ Synodi decretis, ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtunt, pertineat.* Hæc ibi. At Abbates Regulares habentes ex Priuilegio facultatem deferendi Epiſcopi inſignia, videlicet baculum paſtoralem, annulum, & mitram, ſi Sacerdotes ſint, & benedictionis munus ſuſceperint, conferre queunt Tonſuram, & Minores Ordines laicis, & ſecularibus hominibus, Epiſcopi iuriſdictioni ſubiectis, ſi ipſius Epiſcopi conſenſus acceſſerit, & ab eo dimiſſorias literas acceperint. Ita tamen, vt ſatis nõ ſit id generatim Epiſcopum conceſſiſſe, ſed ſpeciatim ſingulis. Sic declaratio Cardinalium Concilij Tridentini interpretatum habet. Poſſunt etiam iidem Abbates eoſdem Ordines conferre alijs Regularibus, qui dimiſſorias literas ſpeciales ſuorum Superiorum, necnõ ſpecialem aſſenſum habuerint Epiſcopi illius loci, in quo huiuſmodi Ordines ſuſcipiendi ſunt. Tuta item conſcientia ſupradicti Abbates conferunt prædictos Ordines ſecularibus aliorum Epiſcoporum iuriſdictioni ſubiectis, dummodo acceperint ſuorum Ordinariorum ſpeciales literas dimiſſorias, & conſenſus adfuerit Epiſcopi illius loci, vbi Ordines ſuſcipiuntur. Hæc omnia Declaratio Cardinalium prædicta. Præterea poteſt Abbas Monachos abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris, niſi alteri, ipſo iure reſeruentur, vt ait Sylueſt. *in verbo. Abbas. quæſt. 2.* Idem poteſtatem habet in Monachos excommunicat onis, aut ſuſpenſionis ferendi ſententiã, tametſi benedictus non ſit, ſed tantùm confirmatus teſte Sylueſt. *loco citato ex cap. ſicut tuis. de Simon. & cap. cum Eccleſiarum. de Offic. ord. & Gloſſa ibidem.* Soluit & Monachos à votis ante ingreſſum in monaſterium factis: eorundem verò intra monaſterium emiſſa vota iure poteſt, vel cõmutare, vel irrita reddere. Sylueſt. *loco citato.* Soluit quoque, ac liberat Monachos ab irregularitate contracta ob ſuſceptos Ordines in excommunicatione, ſi id per obliuionem, vel ignorantiam fecerint. Sylueſt. *ibidem.* Habet etiam ius corrigendi Monachos; an verò id iure faciat ſui Capituli conſilio minimè petito, ſtatim explicabo; necnon habet ius dandi Monacho facultatem in ſeparata ab monaſterio cella commorandi, iuſtam ob cauſam, *cap. vlt. 20. quæſtione 4.*

Octauò quæritur, An Abbas ius habeat eijciendi Monachum? Paulus, & Cardinalis *in Clemen. 1. de regul.* negant, vt etiam Panormitanus *in cap. vlt. de regularib.* eo quòd *in ca. vltim. De Regularib.* ſancitur, vt Abbates fugitiuos, & eiectos Monachos perquirant, & ad monaſterium reducãt. Nauarrus *in Comment. 2. de regularib. numer. 68.* tradit penes Abbatem ius eſſe Monachum expellendi, idque S. Benedicti, & S. Auguſtini inſtituta præſcribere: & *in cap. vlt. De Regularib.* Potiùs, inquit, tanquam certum ponitur poſſe Monachos à monaſterio expelli. Siquidem *in eo ca.* decernitur, vt Abbates fugitiuos, & eiectos exquirant, & ad monaſterium redire compellant. Quicquid ſit de Conſtitutione Monaſtica, vel iure Canonico, communi in præſenti negocio, negari non poteſt vſu eſſe introductum, vt Abbas adhibito ſui Conuentus cõſilio, Monachum cuius correctio deſperatur, eijciat, vt pudore ſuffuſus facilius, & citius reſipiſcat, & iure peculiari, ac inſtituto Religionis ob alia vitia, & crimina poteſt iure Monachus eijci. Verum de hac quæſtione ſupra iam diſputaui *hoc lib. cap. 16. q. 2.*

Nonò queritur, An Abbates lege cogantur Monachos fugitiuos, & eiectos quotannis perquirere, & ad Monaſterium reuocare. Hanc quæſtionẽ ſupra dilui, *hoc lib. c. 17. q. 1.*

Decimò queritur, An Abbas iure Monacho facultatem concedere queat tranſeundi ad aliud Religioſæ vitæ inſtitutum? Hanc quoque quæſtionem ſuperius ſuo loco diſſolui, *hoc libro cap. 15. quæſtion. 1.*

Vndecimò quæritur, An liceat Abbati facultatem Monacho dare, vt in cella ſeparata ſeorſum ab alijs Monachis viuat? Reſpondeo, licere iuſta, & legitima id cauſa depoſcẽte, vt paulò ante iam dixi: & colligitur *ex ca. vltim. 20. q. 4.* vbi habetur: *Seruandum quoque de Monachis ſtatuimus, ne eis ad ſolitariam cellulam liceat è congregatione diſcedere; niſi forte probabilis poſt emeritos labores, aut propter infirmitatis ne-*

cessitatem, à priori, *Abbatis licentia, regula permittatur. quod ita demum fiat, vt intra eadem Monasterij septa, tamẽ sub Abbatis potestate, separatas habere cellulas permittantur.* Hæc ibi.

Duodecimò quæritur, An liceat Abbati, concedere, vt Monachus peculium habeat? Huius itẽ quæstionis solutionem superius cum de hac re ageretur, attulimus.

Decimotertiò quæritur, an Abbati ius sit Monachos corrigendi absq; sui Monastici Collegij, seu conuentus consilio? Respondet Panormitanus *in cap. reprehensibilis, de appellat. num. 11. & ea. ad nostram eg. tit.* cum Ioann. Andrea *in cap. Ioannes. de regularib.* ius esse Obijcies *in cap. Reprehensibilis, De Appellation.* aliter constituì, dum meminit Capituli, in correctione Monachi? Respondet Ioannes Andreas ibi Capitulum sumi non pro Collegio, sed pro loco, vbi fit correctio. Obijcies deinde, Episcopo fas non esse Clericos absque Capituli consilio corrigere, *vt constat ex cap. Nouit, & cap Quanto, De his, quæ fiunt à Prælatis, & 15. q. 7. c. Episcopus nullius,* & tamen Episcopus maior est, & superior Abbate. Respondeo, ius corrigendi Monachos Abbatem habere auctoritate, & concessu Regulæ, quæ statuit, totam in monasterium potestatem penes Abbatem esse: at Episcopo ius Canonicum minimè concedit, vt Clericos sine Capituli consilio corrigat, quamuis iam vsu introductum sit, vt eos solus corrigat, *capit. Non est, De consuetudine, in sexto.*

Decimoquartò quæritur, An Abbas suo statuto, quod Conuẽtus, siue Collegij consilio edidit, teneatur? Respondeo, cum Panormitano, & sententia ab omnibus recepta, minimè. Abb. *in ca. cum ad monasterium, de statu Monach.* Syluest. *Abbas quæst. 4.* Nauar. *consil. 20. num. 9. de regularibus.* Ipse enim seipsum lege obligare nequit, ac multo minus ipse suorum Monachorũ auctoritate alligari potest, cum sint ipsius potestati subiecti. Quo fit, vt si Abbas Monacho Administrationem aliquam, Prioratum, vel Beneficium concedat, id possit reuocare, cum nequeat Abbas sibi legem imponere. Idẽ quoque Abbas si statutum condiderit, idque seruaturum se iureiurando promiserit, si reuocet, aut contra faciat, periurij quidem crimine tenetur, reuocatio tamen rata, & firma est, vt docuit Ioan. And. *in c. cum ad monasterium, de statu Monacho. c. non est obligatorium. de regul. iur. in 6.* Syluest. *Abbas q. 4.* Nauarr. *consil. 20. n. 9. de regulari.* si item Abbas cum Monacho conueniat ea lege, vt in literarum studia incumbat, eiq; propterea aliquid promittat, ius Monacho non est eum compellendi ad standum his, quæ promisit. Quemadmodum, inquit, Panormitanus, seruus dominum sibi obligare nõ potest, sic nec Monachus Abbatem.

Decimoquintò quæritur, An Abbatis statutũ, suum successorem teneat? Respondeo, cum Panormitano *c. cum ad monasteriũ, de statu Monacho.* Nauar. *cons. 20 n. 9. de regularib.* minimè, eo quòd par in parem imperium non habet. Hinc est, vt si Abbas Monacho Ecclesiam administrandam commiserit, ea lege, vt certos annuos redditus alteri debitos solueret, eamque meliorem redderet, successor possit eum ab Ecclesia amouere: nam idem iuris, quod Abbas in eum Monachum habet, successor quoque eius habet.

Decimosextò quæritur, An Abbas habeat ius soluendi, & eximendi Monachum ab alicuius Regulæ obseruantia? Respondeo, eatenus tantùm habere, quatenus à iure, vel Regula, vel consuetudine, vel priuilegio conceditur. Porrò, vt Panormitanus ait *c. Cum ad Monasterium, de statu Monach.* In multis Abbas potestatem, & auctoritatem habet, vel Regulam, vel ipsum commune quoque ius relaxandi. Etenim potest facultatem Nouitio dare sacros Ordines suscipiendi, *c. Monachus, distinct. 77.* Deinde potest concedere, vt Apostata, siue Religionis desertor ad alios Ordines ascendat, vel in susceptis ministret: vt colligitur *ex cap. vlt. dist. 50.* dummodo tamen Apostata tempore Apostasiæ, nullum sacrum Ordinem susceperit: alioqui enim soliùs Romani Pontificis beneficio ea irregularitas soluitur, *c. vlt. de Apostatis.* Eadem Abbatis auctoritate Monachus extra legitimum coniugium natus, potest ad sacros ordines promoueri, *cap. primo, De filijs Presbytero.* Idem Monachos soluere potest lege semel singulis quibusque mensibus peccata confitendi, & sumendi Eucharistiam. *Clement. 1. De statu Monach.* Eiusdem præterea Abbatis nutu, & approbatione potest Monachus, Episcopi auctoritate, ac Populi consensu, Ecclesiæ Parochiali præfici, *cap. Cum pro vtilitate cap. Monachi, cap. Doctos, 16. quæst. 1. cap. Nullus, & cap. Si quis distinct. 58.* Postremò in ieiunijs, abstinentijs, cibis, & victu carnium, silentio, & operibus manuum: quæ omnia ex Regulæ præscripto Monachi seruare debent, potest Abbas Regulam remittere, ac laxare, immo generaliter in omnibus ad Regulam spectantibus, præterquam in ijs, quæ ad trium votorum obseruationem, & habitum, & religionis substantiam pertinent.

Decimoseptimò quæritur, An Consuetudine possit Abbas Episcopi iura præscribere? Respondeo ex communi sententia, posse ea, quæ ad Episcopi iurisdictionem attinent, non tamen, quæ ad potestatem Ordinis, *cap. Aqua. de consecr. Eccles.* Cæterùm Consuetudine Abbates aliqua, quæ sunt iuris Pontificij, & potestatis præscripsisse videntur: Ius enim habent Abbates, (vt supra iam diximus) Quatuor Minores Ordines cõferendi, conficrandi quoque sacra vasa, & vestes: nisi dicere velimus hæc, & his similia minimè Abbatibus conuenire ex consuetudine, sed Romanorum Pontificum, & ipsius iuris communis concessu, siue permissu: quemadmodum eorundem quoque Pontificum beneficio *quod habetur in cap. Vt Apostolicæ De Priuileg.* gaudent Abbates Episcoporum insignibus, nimirum baculo pastorali, mitra, annulo, & sandalijs.

Decimooctauò quæritur, An Abbas, qui priuilegio, vel consuetudine deferre solet Episcoporum insignia, cæteros Abbates eis insignibus carentes præcedere debeat? Respondeo, haud dubiè præcedere, vbicunque eos, mitce insignibus ornatos incedere publicè, sedere, stare, aut in comitijs suffragium ferre, sententiam dicere oportet, *hoc colligitur ex c. vt Apostolicæ, de priuil. in 6. vt ait Nauarr. consil. 1. nu. 5. de Maiorita. & obedien.*

Decimononò quæritur, An Abbas cuius Abbatia ad nullam pertinet diœcesim, & nihilominus propria Episcoporũ habet iura, Ordinarij nomine accipi debeat? Respondeo cũ Nau. *in cons. 5. de iurisd.*

& Gloss.

& Gloss. in cap. Ordinarij, de offic. Ordi. in 6. verbo. locorum. debere accipi; nam in iure, nomine Ordinariorũ, nisi quid aliud peculiare exprimatur, nõ tantùm veniunt Episcopi, sed etiam Clerici inferioris dignitatis. QVAERES quid iudicandum, si lex, vel constitutio exprimat Diœcesanos? Respondeo, cum Nauar. loco citato, & cum Glossa. in Clem. 1. de iure patro. in verbo. Diœcesanis, ea voce tantùm Episcopos significari, non item inferiores. Dubitabis, an cum in lege, vel Cõstitutione Ordinarius loci nominatur, solus Episcopus, an etiam Abbas veniat intelligendus? Respondet Glossa in ca. Ordinarij, de offic. ordinarij in 6. in verbo, locorum, nomine Ordinariorum accipi etiam Abbates, tametsi in lege, vel statuto Ordinarius loci dicatur.

Vigesimò quæritur, An iure communi Abbates sint perpetui? Respondeo, esse: vt colligitur ex cap. Visis, 16. q. 2. c. Querelam, ca. Inferior. d. 21. Nihilominus tamen vsu, & statutis, siue Constitutionibus aliquorum Monasticorum Ordinum introductum est, vt Abbates ad triennium tantummodo eligãtur, & præsint.

Vigesimoprimò quæritur, vtrum magis expediat, Abbates ad tempus creari, & præfici, an verò in perpetuum? Nauarrus in Commen. 3. numer. 3. de Regularib. censet innumera propemodum incommoda oriri ex temporali Abbatum præfectura. Inde, inquit, ambitionis vitium enascitur, quo bona pars Monachorum ad præfecturas aspirat: inde promissiones, pacta, conuentiones plurimæ, labe simonica infectæ oriuntur, quibus alij alijs suum suffragium in electione pollicentur, pecunia, vel alio temporali commodo accepto: disciplina Religiosa eneruatur, ac debilitatur, dum electus suis electoribus, fautoribus, ac suffragatoribus studet gratũ suum animum declarare, plura eis concedit, atque promittit, quam par sit. Inde subornationes, factiones, dissidia, simultates existunt, quæ fraternam pacem, & concordiam vehementer perturbant, ac lacerant. Necnon & plurimæ detractiones, ac susurrationes, dum alij aliorum vitia, tum naturæ, tum morum produnt, ac detegunt, & interdum etiam exaggerant: interdum etiam falsa cõfingunt, aliorum virtutes, & merita minuunt, & extenuant: languescit etiam auctoritas eorum, qui eliguntur, Abbatum, ac Præpositorum in erratis subditorum corrigendis, præsertim eorum, qui suum suffragium in electione dedêre: Contrà verò in eos, qui id denegarunt seuerius, & durius animaduerti solet; vnde sensim, ac paulatim disciplina Regularis euanescit. Quin etiam negligentiores sæpe numero redduntur Abbates in acquirendis, conseruandis, & augẽdis Monasterij bonis, quando eorum præfectura vnius triennij spatio; quasi breui temporis momento, finitur, & desinit. Denique primi illi Monasticorum Ordinum parentes, ac institutores voluerunt Priores seu Abbates Ordinis sui stabiles esse, & perpetuos. Immò de Tiberio Cæsare memoriæ proditum est, eum aut nunquam, aut raro Prouinciarum Præsides, siue Rectores mutare consueuisse, eo quòd plebi parceret, quũ Præsides ad modicum tempus administraturi, ad sanguinem vsq; emungebant, & alij his noui succedentes residuum sanguinis exugebant. Cuius rei gratia prudenter sanè, & appositè apologum illum adhibebat, de homine saucio, qui muscas plagis suis insidentes nolebat abigere, & cuidam ex benignitate abigenti: Nocuisti, inquit, mihi: Nam abegisti saturas, quę me parum infestabant; quibus succedent famelicæ, quæ me acrius vexabunt ac pungent. Objciet aliquis id, quod experimento docemur, perpetuos præfectos, quasi nimios, & duros exactores euadere, plus æquo seueriores, & austeriores, eoq; minus tolerabiles reddi. Respondet Nauarrus è duobus malis, quod minus est, eligendum: at plura, inquit, mala oriuntur ex præfectura temporaria, quã ex perpetua. Præsertim, quod huic malo, & incõmodo, si quando eueniret, facilius, & commodius potest remedium adhiberi; si nempe obseruatur id, quod in Conc. Trident. sess. 25. cap. 8. de regul. decernitur; vt capitula fiant generalia, in quib⁹ statuantur, quæ sunt ad conseruationem, ac reformationem Ordinum necessaria: & deputentur Visitatores, qui Monasteria visitent in capite, & membris, faciantque omnia seruari iuxta statuta, & annotata in cap. In singulis, & cap. ea quæ, De statu Monacho. Item, statui, inquit prædictus Auctor, posset, vti Præfecturæ sint quidem perpetuæ; sed ea tamen lege, vt nihil, quod alicuius sit momenti, Præfecti sine cõsensu Monastici Conuentus, aut Definitorum assistentium qui à Conuentu eligantur, decernere queant. Postremò, cum olim eligerentur Antistites à Canonicorum Collegijs, indeque manarent in dies latius, ac fluerent, ambitiones, Simoniæ, subornationes, lites, dissidia, simultates, vsu quidem, & consuetudine, sed in primis Romanorum Pontificum auctoritate, studio, cura, & vigilantia effectum est, vt vel à Regibus, ac Principibus, Ecclesiarum patronis Episcopi nominentur, designẽtur, & offerantur, & vt dici solet, præsententur, & à Romano Pontifice instituantur: vel ipsius Romani Pontificis auctoritate eligantur, & creentur. Quamuis Mendicantium Ordines hoc vnum retinuerint, vt locales monasteriorũ Præpositi, siue Præfecti, qui Priores, vel Guardiani vocantur in suis Conuẽtibus Prouincialibus, vel Generalibus eligantur. Sed nescio equidem quonam modo, aut malo, frequens Præpositorũ mutatio vulgò solet esse gratissima. In hoc, sicut in multis alijs varia, & contraria sunt hominum iudicia, studia, & voluntates: & quisq; in suo sensu abundat.

Vltimò quæritur, An iure communi Abbas, sine cõuentu Monachum admittere, & creare possit? Abbas in capit. cum Ecclesia Vulterana, de elect. & in cap. ad Apostolicam, de regularibus, & in cap. ea noscitur, de his, quæ fiunt à prælatis, censet, iure communi posse: idem quoque ait Felin. in capit. quoniam, de Simonia. Selua in tract. de Benefi. part. 2. quæst. 22. Syluest. religio. 3. quæst. 13. At oppositum docet Glossa in cap. vlt. de regular. in 6. Et hæc opinio est communi consensu recepta, vt ait Nauarr. in commen. 3. nu. 5. contra Abbatem.

Caput XXI.

De innumerabili Monachorum multitudine.

PRIMO quæritur, An vera sint, quę de ingenti Monachorum veterum multitudine referũ-

tur? Respondeo: vera esse; nam quamuis plerique mirentur, nonnulli dubitent, pauci quidam interrogent, qui fieri potuerit, vt tanta, quanta fuisse memoratur, Monachorum multitudo floruerit, ea tamen ab auctoribus fide dignis describitur. Athanasius enim cum vitam, & acta Antonij commemorat: *Erant*, inquit, *in monte monasteria tanquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, lugentium, orantium, qui infinitam regionem quandam, & oppidum à mundana conuersatione seiunctum videbantur incolere.* De Hilarione, qui eodem tempore in Palestina, quo Antonius in Aegypto viuebat, innumera, ait Hieronymus in vita Hilarionis monasteria fundauit: & de Machario Antonij discipulo legimus eum suæ disciplinę alumnos habuisse quam plurimos. De Charitone quoque scriptum est, eum in Palesthina plura extruxisse Cœnobia: & Isidorus fertur vno in Cœnobio plusquam mille, & in eodem paulò pòst aucto numero, Apollonius plusquam quinquies mille Monachis prę fuisse: In monte Nitria, qui ab Vrbe Alexandrina vnius fermè diei itinere distabat, quingenta monasteria penè contigua extitisse dicuntur: quę omnia ab vno Præside, vnoque vitæ magistro regebantur. Palladio teste oculato, in sua illa peregrinatione, quam scriptam reliquit, ciuitas quædam fuit, in qua plura erant monasteria, quâ profanæ domus, ita vt omnes vici, & omnes anguli pleni essent Monachis diuinas laudes decantantibus: & idem perhibet se in Vrbe Memphi, & Babylone innumerabilem vidisse multitudinem Monachorũ, qui omnes varijs Spiritus sancti donis fulgebant: & prope Thebas se cum Ammonio congressum patre trium millium Monachorum. Item, Serapionem à se visum testatur, qui decies mille Monachos, plurimos tamen domicilijs, aut cellulis diuisos gubernabat. Fertur etiam Pachomius, vt scribit Niceph. *lib. 9. hist. Eccles. c. 14.* varijs in domibus modico interuallo disiunctis apud Insulam in Thebaide, quæ Tabenna nominatur ad septem millia discipulorum habuisse, & in qua ipse degebat, plures quâ mille, quos quidem omnes commodioris gubernationis gratia, in quatuor, & viginti classes pro Græcarum literarum numero, & varietate distribuit. Scribit Theodoretus *in historia Sanctorum patrum*, infinita fuisse monasteria in toto Oriente, in Palesthina, in Aegypto, in Asia, in Ponto, in Cilicia, Syria, & Europa. Narrat Hieronymus in Paulæ viduæ Epitaphio *Epist. 27.* cum ea mulier studio sancto illos patres visendi, deserta adijsset, occurrisse ei turbas innumerabiles Dei famulorum; quo spectaculo ita delectata est, vt sui sexus oblita, inter tot millia Monachorum optauerit habitare. In Antinoë ciuitate, *ait Palladius in historia Sanctorum patrum ad Lausum ca. 96.* Quadraginta annos versatus sum: eo tempore accepi etiam cognitionem eorum, quæ sunt illic, monasteriorum. Nam circa Ciuitatem sedent viri circiter bis mille. Et *cap. 52.* ait. Apollo Abbas pater erat Monachorum circiter quingentorum. Et *cap. 7.* scribit, in monte quodam habitare quinque millia Monachorum. *cap. 9.* ait, in monte Nitria fuit Abbas nomine Or habens monasterium mille fratrum: ad quem Abbatem postea conuenerunt tria millia Monachorum. Nec tamen tantus Monachorum numerus soli illorum temporum felicitati respondit, nec vna cum illis temporibus intercidit, exaruit, & extinctus est, sed posteriorib⁹ etiam seculis floruisse perhibetur.

Nam Bernardus *in vita Malachiæ Episopi*, auctor est, in vna Hybernia monasteriũ fuisse, quod multa millia Monachorum procreauit, & caput multorum Cœnobiorum extitit. *Locus*, inquit, *verè sanctus, fœcundusque sanctorum, copiosissimè fructificans Deo, ita vt vnus ex filijs sanctæ illius Congregationis nomine Luanus centum solus monasteriorum fundator, extitisse dicatur:* & paulò pòst subijcit: *Ad has nostras Gallicanas partes sanctus Columbanus ascendens, Luxuniense construxit monasterium factus ibi ingentem magnam. Aiunt tam magnam fuisse, vt succedentibus sibi vicissim choris cõtinuarentur solemnia diuinorum, ita vt nec momentum quidem diei, ac noctis vacaret, à laudibus.* Scribit Trithemius auctor grauis, qui vixit anno Domini 1480. miram fuisse Monachorum sui Ordinis multitudinem. *Numerum*, inquit, *monasteriorum Abbates habentium vltra quindecim millia extenditur, exceptis præposituris, & Cœnobijs Monialium. Vnde si vnusquisque sua posideret, S. Benedictus tertiam partem Christianitatis habere crederetur. In prouincia sola Moguntina nunc habemus Abbatias, centum viginti quatuor præter illas, quæ ab ordine nostro seiunctæ sunt: quarum numerus denarium superat.* Et Folengius eiusdem instituti, cuius Trithemius Monachus, *in Commentarijs in Psalmum 102.* explanans illum Versiculum: *In conueniendo populos in vnum*, scribit inquiens, *Pontificia decreta referunt, vno eodemque tempore Benedictini instituti fuisse supra septem, & triginta millia Cœnobiorum, quas Abbatias vocari libuit.* Idem quoque auctor Trithemius ait, tempore Ioannis 22. *Monachorum reperti sunt, ex instituto Benedictino quindecim millia, quingẽti, quinquaginta nouem, qui sunt in sanctorum numerum relati.* Et Sabellicus nõ ignobilis historicus Carmelitani instituti originẽ recẽsens, ait: *Pudet locorum, & Religionis huius initiatorum immensum numerum referre, quem in Commentarijs Carmelitani cuiusdam alioqui multi nominis reperio, nisi forte sit in numero error, pro mendacio haud dubiè refelli posset, vt septem millia sint hodie Cœnobiorum, & quingenta Carmelitani nominis, in quibus sacris operẽtur centum, octoginta, & amplius initiatorum millia.* Deinde verò subijcit: *Quod si omnium Christianæ pietatis Religionũ cœtus in vnum conferas, vix, vt arbitror, tam ingens numerus expleatur. Sed tantùm abest, vt fidem meam in eo obstringam, vt ne relatum quidem in hoc videri velim, tanquam duxerim dignum, cui fides haberetur.* Hæc ille subiecit, vt fidem, & auctoritatem tanto Religiosorum numero derogaret. Sed ante illum auctorẽ, ingentem eum numerum, auctor nõ parui nominis scriptum reliquit, videlicet , qui continuauit historiam de bello sacro inceptam à Guillelmo Episcopo Tyri *lib. 5. ca. 3.* Idem Sabellicus cum de Ordine Dominicanæ Familiæ mentionem fecisset: *Censebantur*, inquit, *cum hæc commẽtarentur, vna, & viginti prouinciæ Prædicatorum, Conuentus siue Cœnobia quatuor millia, centum, quadraginta tria, & in his initiati sex, & viginti millia, quadringenti, sexaginta; quorum circiter mille quingenti essent Theologicæ professionis magistri.* Et ibidem Franciscani etiam Ordinis initia commemorans: *Ratò sit, & nescio, an vnquam verum dixerim, vllum humanæ pietatis institutum maiora sensisse incrementa, totum orbem terrarum vna hæc impleuisse Familia. Quadraginta prouinciæ, quibus Minoritarum nomen est*

Ennead. 9. lib. 5. ad fin.

Ennead. 9. lib. 8.

inferum, in custodias diuiduntur, Custodiæ, quæ multæ sunt numero in conuentus, & loca, in quibus initiatorum hominum sunt hodie ad sexaginta millia. Sæpe, & hoc audiui, Magistrum ordinis polliceri quandoq; ausum, Pio Pontifici Maximo expeditionem in Turcas parauit, ex Seraphici Francisci Familia triginta bellatorum millia, qui bellica munera nauiter obire possent, nihil sacrorum cultu interpellato. Hæc ille. Et cum Ordo Franciscani instituti sit in tot membra dispertitus, vnum eorum, quod Obseruãtium vocant, proximis annis centum, ferè mille Religiosorum numerum confecisse fertur.

Secundò quæritur, Quot Ordines Monastici numerentur? Respondeo, per orientem multa esse Monachorum Cœnobia, quorum omnia Sancti Basilij Regulam profitẽtur, quamuis aliqua ipsius Pauli Eremitæ, vel Antonij nomine nuncupentur. In Occidente post Monachos, qui sub Augustini in Aphrica, & Simpliciani in Italia, & Martini in Gallia disciplina vixerunt, floruit S. Benedictus, qui Regula Monasticę vitæ à se constituta, omniũ ferè totius Occidẽtis Monachorũ fuit parẽs, auctor, & institutor. Ipse in Cassinate monte Cœnobio fundato, momẽto fermè tẽporis duodecim monasteria in Italia cõstituit. Immò alias etiam Colonias extra Italiam deduxit, & transtulit. Nam per Maurum in Gallia, per Placidum in Sicilia monasteria extruxit. Trithemius *de viris illustribus Ordinis Benedictini lib. 1. cap. 2.* narrat, fuisse in hoc ordine Abbatias, Præposituras, Prioratus, & Sanctimonialium cœnobia quindecim millia, c. 5. refert, ex hoc ordine fuisse summos Pontifices Romanos, decem, & octo: videlicet Gregorium 1. Bonifacium 4. Adeodatum, Agathonem, Stephanum 3. Leonem 4. Leonem 5. Syluestrum 2. Stephanum 9. Gregorium 7. Victorem 3. Vrbanum 2. Paschalem 2. Gelasium 2. Anastasium 4. Adrianum 4. Clementem 6. Vrbanum 5. dicit fuisse Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ centum octoginta quatuor. Archiepiscopos, mille centum sexaginta quatuor. Episcopos, ter mille quingentos duodecim: & hos omnes fuisse ante Concilium Constantiense, quod celebratum fuit anno salutis humanæ 1417. ca. 4. ait numerum eorum, qui sunt inter sanctos relati, & ascripti vsq; ad tempus Ioannis 22. fuisse quindecim millium, quingentorum, quinquaginta nouem. Ex hoc ordine multæ aliæ Monachorum Familię prodiẽre. Quarum prima, & antiquissima fuit Cluniacensis in Gallia, quæ anno Domini nongentesimo decimo tertio, ab Odone Cluniacensi Abbate initiũ sumpsit, & nomen. Hinc enim Benedicti disciplinam, & Regulam magna ex parte laxatã, & collapsam ad pristinam regulam reuocauit, cuius exemplum plures Abbates secuti, in Gallia, Italia, Germania, Gallia, & Hispania, suas quoq; familias ad veterem Monasticæ vitæ formulam reduxerunt, tanto fructu, vt duo millia cœnobiorum ad pristinam cœnobiticæ vitæ rationem restituta, & reducta referantur.

Ex eodem S. Benedicti Ordine, orta est Camaldulensis familia auctore Romualdo Rauennate viro Sanctissimo, qui circa annum millesimum, nongentesimum, sexagesimum septimum, in ipso Apennino sedem sibi ad monasticam vitam, & disciplinam seruandam, & pœnitentiam peccatorum agẽdam delegit: ac tot Cœnobia ad illius Regulam, & disciplinam ædificata sunt, vt penè nouus Ordo esse credatur. Priuilegio Pontificio post ipsius Romualdi obitum eam Familiam anno Domini Millesimo septuagesimo tertio Alexander Secundus confirmauit: quæ tamẽ sub Romualdi disciplina circa annum millesimum florere cœperat, perpetuum silentium seruant præterquam bis in Hebdomada: à Carnibus abstinent, nisi cum morbo laborant, vtuntur amictu albo: duodecies ad annum simul edunt.

Simili propemodum ortu, & initio excitatus est, & amplificat⁹ in Italia Ordo, qui Vallis Vmbrosæ appellatur, Camaldulensi recentior annis tantummodo, secundum aliquos septuaginta tribus. Huic initium dedit Gualbertus Florentinus, qui inimico, quem in sui potestate habebat, per Christi mortem, quæ eo ipso die colebatur, salutem deposcenti, non solùm pepercit, sed etiam vltrò eum amplexatus fratris loco, quem is occiderat, accipere se dixit: tantopere id factũ Deus acceptum, & gratum habuit, vt eo statim proximam sacram ædem S. Miniatis ingressso lignea Christi in Cruce pendentis imago, ad quam supplex orabat, quasi ei adblandiens, caput inflexerit: qui Religiosæ vitæ amore, & studio permotus, in S. Miniatis Cœnobio, quod tunc Cluniacenses Monachi incolebant, Religionis vota Deo nuncupauit, postea Eremiticæ perfectionis ardẽti cupiditate incensus ad S. Romualdum se contulit: & cum sub eius disciplina Eremitici rigoris institutum aliquamdiu coluisset, in Valle Vmbrosa, humili quidem, & obscuro per id tempus loco, monasterium extruxit, & se suosque socios legib⁹ vitæ Eremiticæ seuerioribus Deo obligauit, vnde Congregatio Monachorum Vallis Vmbrosę profecta, & aucta est ita, vt in varia quoque membra fuerit distributa, & eam Alexander Secundus anno 1070. primis suis priuilegijs cõprobauit. Quamquam alij asserunt hunc Ordinem institutũ esse, anno Domini, 1015. & confirmatum anno 1056. auctoritate Victoris. 2. Primum Ordo gubernabatur per Abbatẽ perpetuum. Ab anno 1540. gubernari cœpit per triennalem Præsidentem. Aiunt in hoc ordine fuisse prouincias octo: monasteria. 35. sub quibus est Magnus Prioratũ numerus. Monachi dicuntur esse 400. Sanctimoniales 800.

Carthusiensium Ordo circa annum millesimũ octogesimum quintum paulò ante Cisterciẽsem Familiam, nimirum sedecim annis institutus fertur à S. Brunone Colonienſi Theologo, & Canonico Rhemensi, cuius Ordinis initia sunt satis omnibus nota. Arctissimum vitæ institutum sectantur; perpetuò à carnibus abstinent, etiã cum morbo tenentur: silentium perpetuò seruant, vno tantùm die in Hebdomada excepto: cilicium carni proximum semper gestant: in choro diutissimè cantant. Aiunt in Ordine esse Prouincias 16. Monasteria 189. in quibus habitare dicuntur Monachi circiter 3200.

Cistercienſis quoque Familia ex Benedicti ordine manauit, ac fluxit. Anno millesimo, & nonagesimo octauo, Robertus Molismensis Cœnobij Abbas, cum subditos suos, præ diuitijs, & rerum copia a primo instituto degenerare cognosceret, consilio cum aliquot ex illis communicato,

vno, & viginti socijs assumptis Cabilonem se cõtulit, præcipuam eo tempore Burgundiæ vrbem, & in solitario quodã loco, cui Cistercium nomẽ erat, sedem, ac domicilium collocauit: quod ideo est Cistercense appellatum. Sed interea Molismenses Monachi pœnitentia ducti, Robertum multis precibus reuocarunt: & is ad pristinam sedem, & Cœnobium se retulit, in cuius locum Cistercij, Stephanus suffectus est, qui fuerat illius secessionis auctor. Quindecim deinde annis exactis Bernardus, Dei nutu ad Stephanum venit, & in Cistercensi Cœnobio cum triginta Socijs se se Monasticæ vitæ addixit. Bernardi verò mira virtute, & sanctitate, ita est Ordo Cistercensis auctus, vt dimissis in totum terrarum orbem Monachis, & alumnis, centum sexaginta monasteria viuens ipse Bernardus extruxerit. Ex hoc Ordine tres Romani Pontifices prodierunt, Eugenius 3. Benedictus 12. Clemens 6. Sicut ex Ordine Cluniacensi tres alij Pontifices Romani, extitisse perhibentur Gregor. 7. Vrbanus 2. Callistus 2. Et quia vterque Ordo Cluniacensis, & Cistertiensis S. Benedicti regulam seruat, ideo ij Romani Pontifices, qui ex vtroq; ordine assumpti, & electi sunt, dicuntur etiam ex Ordine S. Benedicti delecti. Et hinc factũ est, vt Trithemius solùm numeret duodeuiginti Romanos Pontifices, ex S. Benedicti ordine creatos, cum tamẽ alij referant viginti quatuor, alij vigintiocto, alij triginta. Nã præter eos, quos recenset Trithemius, alij numerant Benedictum 1. Pelagium. 2. Leonem. 2. Gregorium 2. Gregorium 3. Paschalem 1. Gregorium 4. Sergium 4. Ioannem 19. vt mirum nõ sit, quod dicitur, Romanam Ecclesiam gubernatam fuisse per trecentos annos, à Põtificibus ex S. Benedicti ordine assumptis: immo quidam aiunt per quingentos annos id factum fuisse.

Ordo Grandimutensis sub Regula S. Benedicti inchoatus est à Stephano Aruerno, viro nobili apud Lemouicenses, qui ipsius Ordinis primam Sedem, & domicilium in quodam monte fixit circa annum millesimum septuagesimum sextum, & inde toti familiæ nomen est datum.

Ordo Humiliatorum sub Regula quoq; S. Benedicti, cœpit circa annum, millesimum centesimum nonagesimum sextum. Henricus 1. ad Imperij fastigium euectus graue bellum Mediolanensibus intulit, & Vrbe solo æquata, Senatorij Ordinis Ciues, & nobilissimos quosq; viros in Germaniam relegauit. Porrò exules albis induti vestibus sæpius Cæsarem genuflexu supplices rogauerunt, vt in patriam redeundi liberam ipsis facultatem concederet: quod cum demum impetrassent, nobilissimi viri, eodem amictu vestiti Deo, summa quadam pietate accensi, Mediolani sese votis obligarunt; nec vllam rempublicam, aut priuatam attingentes, vni Religioni diligenter studentes, & victum suis manibus quærentes, vitam Sanctè, & Religiosè traduxerunt. Eorum Congregationem nomine Humiliatorum Innocentius Tertius auctoritate Apostolica confirmauit: Sed totum Ordinem Pius Quintus deleuit, & annuos eius prouentus in alios vsus destinauit. Nam quidam eius Ordinis Monachi coniurati in Caroli Borromæi Cardinalis, & Archiepiscopi Mediolanensis necem, ob nefariũ scelus condemnati sunt, & anno millesimo quingentesimo septuagesimo, auctoritate Põtificia extinctus est Ordo: cuius præposituræ erant nonaginta quatuor, quarum annui prouẽtus triginta millium aureorum summam efficiebant: porrò in toto Ordine Monachi erant cẽtum septuaginta quatuor, quos ex ipsis facultatibus distributis in victum Monasticum sustentari Pontifex iussit, & in Religiosa disciplina Episcoporum cura contineri: deletus est optimus olim Monachorum Ordo, & tale edidit Pius exemplum neglectæ disciplinæ vindicandæ, vt cæteri discant sibi diligentius cauere, & suscepta, ac voto promissæ vitæ Regulam studiosius tenere.

Ordo Præmonstratensis, sub Regula S. Augustini, anno millesimo centesimo decimo sexto initium habuit à Nortberto viro nobili Lotharingo, secundùm aliquos, Paschalis secundi, secundum alios Innocentij secundi, auctoritate approbatus.

Ordo Gulielmitarum, qui nomine montis Virginis appellantur, institutus est à Gulielmo Vercellensi, viro nobilissimo. Hic Virgilanum montem petijt, & ibi per aliquot annos sanctissimè vixit, & postea Oratorium B. Virgini Dei Genitrici extruxit, ad quem multi Sanctitatis fama, & opinione permoti, conuenerunt. Et ipse sub S. Benedicti regula, Ordinem instituit anno Domini 1124. quem ordinem Alexander 3. sua auctoritate confirmauit. Dilatatus est Ordo per Italiam: sed nunc in solo regno Neapolitano viget. Generalis Ordini Præfectus est triennalis. Monasteria Ordinis dicuntur esse 47. in quibus habitant Monachi circiter. 500.

Ordo Sylueſtrinorum sub regula S. Benedicti viuit: Institutus est, à B. Sylueſtro, qui fuit Monachus Vallis Vmbrosæ. Initium habuit anno Domini 1232. Confirmatus est ab Innocentio 4. anno 1258. Olim hic Ordo dicitur fuisse subiectus Ordini Vallis Vmbrosæ: nũc gubernatur cura vnius Generalis præpositi, qui primum cœpit esse perpetuus, sed nunc triennalis est. Viget hic Ordo in prouincijs Marcha Anconitana, Vmbria, Thuscia. Dicitur habere monasteria 25. in quibus habitant Monachi circiter. 300.

Cæleſtinorum Ordinem Petrus Moronius Isernienſis Eremita instituit. Hic primo in solitudine multos annos egit: deinde cum illa vitæ asperitas cũ crebris miraculis coniuncta, eius famam per totam Italiam vulgasset, ingens ad eum hominum numerus sese adiunxit: ita vt plura fint domicilia extructa. Eũ Ordinem Gregorius Decimus sua auctoritate comprobauit anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto. Dictus est autem Ordo Cæleſtinorum, quia Petrus ille eius institutor viginti post annis ad summũ Pontificatum electus Cæleſtini Quinti nomen accepit. Vnde id nomen toti eius familiæ impositum manſit. Monachi nigro amictu vtuntur, cum in publicum prodeunt.

Ordo Oliuetanæ Familiæ sub Regula quoque S. Benedicti viuit, ac militat: albo vtitur amictu: cura vnius Generalis Præpositi, siue Abbatis gubernatur, qui triennalis est: cœnobia habet tantùm in Italia. Huius Ordinis autor fuit Bernardus Prolomeus Senator nobilissimus Senẽsis, qui vnà cum alijs duobus socijs Ambrosio Picholo

mineo,

mineo, & Patritio, æquè nobilissimis Senatoribus, quos luculêta oratione in Senensi academia vbi Philosophiam publicè profitebatur, ad vitæ Religiosæ studium incenderat, extra hominum frequentiam, sese in propinquum montem contulit, qui Oliuetum dicebatur; vbi Ordo ipse Oliuetanus initium sumpsit anno millesimo trecentesimo vigesimo, postea anno Domini 1371. Greg. II. auctoritate Apostolica comprobatus.

Caput XXII.

De Ordine Canonicorum Regularium.

PRIMO quæritur, Quænam fuerit Canonicorum Regularium origo. Possidonius Episcopus Calamensis S. Augustini discipulus in vita ipsius Augustini, ca. 5. sic ait. *Factus ergo presbyter, monasterium intra Ecclesiam mox instituit: & cũ Dei seruis viuere cœpit secundum modum, & regulam sub sanctis Apostolis constitutam, maximè, vt nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribueretur vnicuique, prout cuique opus erat.* Et c. 11. *proficiente,* inquit *doctrina diuina, sub Sancto, & cum Sancto Augustino, in monasterio Deo seruientes Ecclesiæ Hipponẽsi, Clerici ordinari cœperunt, & deinde innotescente, & clarescẽte, de die in diem Ecclesiæ Catholicæ, prædicationis veritate, sanctorumque seruorum Dei proposito, continentia, & paupertate profunda, ex eo tempore, quod per illum virum venerabilem, & esse, & crescere cœperat, magno desiderio poscere, & accipere Episcopos, & Clericos, pax Ecclesiæ, atque vnitas, & cœpit primo, & postea consequuta est.* cap. 31. ait. *Clerum sufficientissimum, & monasteria virorum, ac fœminarum continentium, cum suis Præpositis plena Ecclesia dimisit.* Hæc Possidonius.

Ex his, & alijs similibus verbis Vincen. *in Speculo Histor. lib. 26. ca. 51.* accepit id, quod scripsit in hunc modum. *Ordo Canonicus, qui primò ab Apostolis; postea ab Augustino regulante fuit institutus, cœpit florere in Ecclesia Sancti Quintini Beluacensis, sub venerabili, & Sancto Iuone, eiusdem Ecclesiæ Præposito, & postea Carnotensi Episcopo.* Eadem ferè habet Antoninus *part. 2. hist. tit. 9. cap. 8. §. 2. & 3.* Et Vincen. *lib. 19. ca. 4.* apertè testatur Augustinum scripsisse regulam, & institutionem Clericorum Regularium, qui etiam dicuntur Canonici Regulares. Vnde Volater. *lib. 22. Commen. in Anthropologia* ait. *Valerius præsul Hipponensis, Augustini audita fama ad se accersitum, in loco abstinentiæ commodo extra vrbem constituit; vbi annos tres, cum socijs agens coactus est ciuium quotidie accedentium importunitate locum mutare, ac quendam montem aditu difficiliorem petere, vbi tugurium, inter saxa vilissimum, separatumque a cæteris fecerat. Hic librum scripsit de vita Monachorum, & quædam alia. Reliqui verò socij eum iactu fundæ remoti circumsistebant. Post hæc visum est Valerio illum ad se accersere, presbyterumque creare, simulque vnà Præsulem, & coadiutorem officij constituere, quod esset eloquio præstans, & vitæ meritis clarus. Augustinus igitur ægre huiusmodi sumpta prouincia, ante omnia vitam in ea instituit Canonicorum Regularium, qui vita degerent communi ab Apostolis primum ordinata.* Hæc ille.

Ex his omnibus Augustinus Ticinensis Canonicus Regularis *in Propugnaculo Ordinis Canonici part. 1. cap. 1. 2. 3. & 14. & part. 5. in confirmat. 14.* Et ex Doctore Parisiensi Roseto *in lib. de Religione Ecclesiastic.* Et ex Ioanne de Deo Doctore Hispano *in lib. de diuisa.* Et ex Ioanne de Nigra valle Sedis Apostolicæ, Bibliothecario *in sua Chronica*, quam vocauit Epilogum Chronicarum, colligit hanc Conclusionem. Ordo Canonicus inter omnes Ecclesiasticos ordines primatum tenet antiquitate, doctrina, regimine, nobilitate, & Sanctorum numero. At contrà, Choriolanus Prior Generalis Eremitarum Augustinianorum Apologiam edidit, quam inscripsit, Defensorium sui Ordinis, contendens, probare Ordinem Eremitarum Augustinianorum, qui vtuntur veste nigra, & cingulo ex corio facto, esse inter omnes ordines Regulares, primum. Tota hæc lis, & controuersia consistit in hoc, an in secundo monasterio S. Augustinus, cum presbyter, non Episcopus erat, Regulam Canonicam composuerit, & tradiderit Eremitis, an verò eam composuerit in tertio Monasterio, cum iam Episcopus creatus erat, & tradiderit Clericis Regularibus. Choriolanus, & Eremitanæ Augustiniani, censent Regulam esse editam à S. Augustino in secundo monasterio, siue Cœnobio, & traditã Eremitis Fratribus. Augustinus Ticinensis, & Canonici Regulares sentiunt esse compositã in tertio monasterio, & traditã Clericis Regularibus, qui dicũtur Canonici regulares. De qua lite nihil est, quod ego iudicem.

Secundò quæritur, Vnde & quare dicti sint Canonici Regulares? Viues *in Annotationibus in libros S. Augustini de ciuitate Dei, lib. 3. cap. 15.* Canonicos Regulares nominis ambitiosi accusare videtur, quasi bis hoc vocari velint nomine, ne non semel putentur Regulares cum idem prorsus Canonici, & Regulares significent. Quidam alij irrident quod Canonici Regulares vocentur, quia Canonicus idem est, qui Regularis, sed Couarr. *in Clement. si furiosus, de homicidio p. 1. num. 1.* hos rectè confutat, quia ius Canonicum *in c. quod Dei timorem, & cap. in singulis. §. hoc ipsum, de statu Monachor.* Canonicos regulares appellat. Sciendum est, Clericos, qui Apostolorum regulam sequuti, nihil proprium habentes, communem vitam agebant, & in eadem domo simul cibum sumebant, somnumque capiebant, & deinde in Ecclesiam conueniebant ad Ecclesiastica officia obeunda, dictos fuisse Canonicos, hoc est, Regulares, quippe, qui Canonem, videlicet regulam Apostolorum seruabant, qua appellatione, & nomine discernebantur ab ijs Clericis, qui proprium habentes in suis domibus habitabant. Quando verò cœperint Canonici dici, incertum mihi est: quidam aiunt, temporibus Pelagij: 1. & Gregorij magni eos Clericos Canonicos vocari Nam in Concil. Turonensi. 2. quod celebratum est tempore Pelagij 1. can. 20. legimus. *Pro qua re hoc placuit obseruare, vt quotiescunque Archipresbyter seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulauerit, vnus Lector Canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet.* Et in *c. Dudum. 18. q. 2. ex Gregorio Magn.* refertur. *Nec illic vlterius habeat potestatem aliquã, nec monasteria huius occasionis velamine, ea, quæ prohibemus, simul cũ Canonicis, & Monachis in Ecclesia sustinere onera cõpellantur.* Quidquid sit, dubitari nõ potest, quin in Concil. Arelat. 4. Turon. 3. Cabilon. Mogũt. Aquisgranẽsi, quæ celebrata sunt temporibus Caroli Magni, & Ludouici Pij in Gallia, frequens sit mentio Canonicorum, qui, vt ex eisdem Concilijs cõstat, in eadem communi domo habitabant, ad eandem mẽ-

sam edebāt, in eadem domo somnum capiebant, & communem victum habebant. Postea Canonici quidam non solùm vitam cōmunem degebant, sed tria vota Religiosorum Monachorum ritu, & more facere cœperunt, & tunc huiusmodi Canonici vocati sunt Canonici Regulares; Canonici quidem, quia Apostolorum Canonem, & regulam tenebant in commune sua bona conferēdo: Regulares verò, quia instar Monachorum tria vota faciebant, & se Deo arctiùs obligabāt, quam cæteri Canonici. Et proinde Canonici duplices esse cœperunt: nam alij dicebantur Canonici seculares, alij Regulares: sæculares, quia licet Apostolorum regulam tenebant, nihil proprium habentes, nullo tamen Religiosorum instituto astricti, tribus Monachorum votis soluti, ac liberi erant, & proinde seculares dicebantur, vt distinguerentur ab ijs, qui tribus religionis votis astricti vitam arctiorem profitebantur. Hinc autem non colligitur, quod docuit Erasmus Clericos, quibus S. Augustinus regulam dedit, non consuetisse tunc temporis tria religionis vota facere, sed solùm in communi domo habitare, communi mēsa vti: nam licet illi Clerici tria vota emittebant, postea verò successerunt alij alijs temporibus, qui solùm in eadem communi domo nihil proprium possidentes habitare voluerunt, sed liberi, & soluti Monachorū seu Religiosorum votis, & ideo dici cœperunt Canonici seculares.

Tertiò quæritur, Quinam Ordinem Canonicorum Regularium instaurauerint, & renouauerint? Anno salutis humanæ 1080. sub Gregor. 7. vt testatur Volaterra. *lib.* 21. instaurauit ordinem Canonicorū Regularium Iuo in Ecclesia S. Quintini Beluacensi, qui fuit eiusdem Ecclesiæ Præpositus & postea Episcopus Carnotensis, quique post Isidorum fuit Decretorum collector.

Eodem tempore per Galliam idem Canonicorum Regularium Ordo florere cœpit sub Arnulpho Abbate, & Episcopo Lugdun. vt refert Naucle. *volu.* 2. *Chrono. gener.* 37.

Eundem Ordinem reuocauit, teste Volaterrano Fridianus Episcopus Lucen. per Tusciam, & vniuersam penè Italiam.

Anno itē, vt refert idem Volaterranus, redemptionis humanæ 1401. autore Leone cognominato de Carate, ciue Mediolan. Canonico Regulari orta est apud Cœnobium S. Mariæ de Frigionaria in Diœcesi Lucensi Congregatio Canonicorum Regularium, quæ dicta est Congregatio Frigionaria, & postea iussu Eugenij 4. cuius auctoritate est approbata, vocata fuit Lateranensis Congregatio.

Anno Christi Domini. 1410. cœpit alia Congregatio Canonicorum Regularium: Hanc fundarunt Stephanus, & Hieronymus viri Senenses Eremitæ Augustiniani: hi enim cum alijs paucis Greg. 12. approbante ad ędem S. Saluatoris in Scopeto prope Florentiam migrarunt: & ibi cœnobiū extruxerunt, vnde dicta est Congregatio Scopetina seu S. Saluatoris: teste Volaterrano vtuntur veste alba, Scapulari item albo, & tunica alba linea. Cum prodeunt in publicum, & incedunt per vrbem assumunt pallium nigrum, quo tegunt. Quadraginta per Italiam Conuentus habent.

Est & alia Congregatio, teste eodem Volaterrano, Iulij 2. auctoritate confirmata, quæ nomine S. Petri de monte Corbulo, in Florentina Diœcesi appellatur. Cuius Congregationis Clerici hospitalitatem colunt, & pullum, ac humilem cucullum linteis, crassisque tuniculis super induunt. Hæc Volaterranus *lib.* 21.

Est & Congregatio Canonicorum S. Gregorij in Alga Venetijs, quam illustrauit. B. Laurentius Iustinianus, & Eugenius 4. Canonici vtuntur amictu cærulei coloris.

Quartò quæritur, Quomodo propagatus sit Ordo Canonicorum Regularium. Volaterranus *libr.* 21. *in Anthropol.* ait. Hunc ordinem propagatum, & auctum fuisse, & ex eo exitisse triginta sex Romanos Pontifices, Cardinales trecentos, & plures viros Sanctitate vitæ claros, & in Sanctorum numerum ascriptos, septies mille, & quingentos. Et postea numerat Romanos Pontifices, Gelasium 1. Leonem 8. Alexandrum 2. Paschalem 2. Lucium 2. Alexandrum 3. Innocentium 3. Honorium 3. potuit his etiam adiungere Anastasium IIII. Hadrianum IIII. Augustinus Ticinensis *in suo propugnaculo Ordinis Canonici part.* 1. *capit.* 1. 2. 3. & 14. & *part.* 5. *confirmat.* 14. scribit: Ex Ordine Canonicorum Regularium fuisse Romanos Pontifices, quinquaginta quatuor, Cardinales S. Romanæ Ecclesiæ, mille quingentos sexaginta septem. Viros, qui sunt in Sanctorum numerum relati, fuisse ducentos vltra sedecim millia. Et Ecclesiam Romanam, inquit, gubernauit hic ordo per annos quingentos, & sex. Penes hos auctores, quos nominaui, sit fides, ego nec probo, nec improbo. Onufrius Panuinius *in libello de septem Ecclesijs Vrbis*, scribit in hunc modum. *Gelasius Primus, circa annum Domini* 400. *constituit in Ecclesia Lateranensi Clericos Canonicos, qui seruabant Regulam Apostolorum nihil proprium habentes, sed in commune iuxta regulam Sancti Augustini viuentes. Postea Gregorius III posuit Monachos in Ecclesia Lateranensi, vt in ea preces quotidie cantarent. Deinde Monachis deficientibus, iterum sunt in eadem Ecclesia Clerici Canonici constituti, qui more Monachorum religiosum vitæ institutum seruabant: & Priori, loco Abbatis parebant, & in communi domo habitabant. Et ex hoc Lateranēsi Canonicorum regularium Monasterio fuerunt Romani Pontifices Alexander II. Vrbanus II. Paschalis II. Honorius II. Innocentius II. Alexander III. Innocentius III. Honorius III. Et durauit* inquit Onufrius, *Lateranense Canonicorum Regularium Monasterium octingentos annos vsque ad Bonifacium VIII. qui anno Domini* 1300. *exclusis è Monasterio Canonicis Regularibus, posuit in eo Canonicos seculares.*

Quintò quæritur, In quibus conueniant Canonici Regulares cum Monachis. Conueniunt primò, quia vtrique tria vota religionis emittunt. Secundò, vtrique prohibentur Leges, vel Medicinam audire, iuxta id, quod statutum est *in cap. Super specula. Ne Clerici, vel Monachi.* Hoc enim ius, vt testatur Glossa *in cap. Quod Dei timorem, in verbo, Laxiori, De statu Monachorum*, locum habet in Canonicis Regularibus, perinde, atque in Monachis. Tertiò, vtrique ab Aduocati officio iure ipso repelluntur *secundùm id, quod habetur in cap. Ex parte, de postulando.* Quartò, vtrique in vna domo habitare, ad mēsam communem edere, & sub eodem tecto dormire iubentur, *vt colligitur ex cap. Quoniam, de vita, & honestat. Cleric. & ibi docet Glossa.* Quintò, vtrique

prouin-

prouincialem Conuentum, quod dicitur Capitulum, celebrare iure coguntur, *vt statuitur in cap. In singulis. De statu Monachorum.* Sextò, in Canonicis Regularibus locum habet perinde, ac in Monachis ea pars Clementinæ, *Ne in agro, De statu Monachorum. §. Sanè singulis*, quæ sic habet. *Sanè singulis mensibus tam in monasterijs, quàm extra sublata occasione quacunque ad confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi: & in prima Dominica mensis cuiuslibet, in monasterijs semper communicent, nisi ex causa forte, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiarijs monasteriorum non differant intimare: eorumque iudicio, vel abstineant, vel accedant. Regula quoque, cum in capitulo legitur ab illo, qui præest, vel ab alio, cui hoc ipse iniunxerit propter iuniores vulgariter exponatur. Nouitijs etiam fidelis deputetur instructor, tam in diuinis Officijs, quàm in obseruantia regulari.* Hæc omnia vim, & locum habent in Canonicis regularibus, ait Oldradus *cons. 222.*

Sextò quæritur, In quibus Canonici Regulares distinguantur à Monachis. Respondeo in primis cum Glossa, & Abbate *in c. Quod Dei timorem, De statu monachorum*, in ijs, quæ ad pœnas, & odia pertinent, appellatione monachorum non contineri Canonicos Regulares. Secundò differunt, *quia vt habetur in eodem capite*, Quo Dei timorem, Canonici regulares laxiorem regulam tenent, & profitentur. Vnde ait S. Thomas *2. 2. quæst. 189. art. 8. ad 2.* Monachus ad Canonicos regulares iure transire non potest. Et Canonicus regularis potest ad Monachos iure transire petita facultate à Superiore, licet non obtenta, *vt colligitur ex cap. Licet. De regular.* Nec obstat, quod habetur *in cap. Nullus. & cap. mandamus. 19 quæst. 3.* vbi prohibentur Canonici regulares ad Monachos transire: quoniam, vt Glossa explicat, id locum habet in ijs Canonicis, qui leuitate quadam animi, aut temeritate, aut facultate non petita transeunt. Tertiò, plura ieiunia seruant Monachi, quam Canonici regulares. Item, Canonicis interdictum non est carnibus. Præterea, Canonicorum habitus est vestis Clericorum cum pileo, & tunica alba linea, absque cuculla, quæ est propria Monachorum.

Septimò quæritur, Quæ, & qualia Beneficia habeat ordo Canonicorum regularium. Habet Beneficia Ecclesiastica simplicia, habet Canonicatus, Abbatias, Præposituras, Personatus, Prioratus, Officia, Administrationes. Vbi Abbas est, is toti Canonicorum monasterio, siue Conuentui præest. Alicubi Abbates, Præpositi vocantur. Priores sunt in duplici differentia: nam aut est Prior Conuentualis, aut Claustralis. Vbi Abbas est, Prior, qui etiã Abbati subijcitur, dicitur Claustralis. Vbi Abbas non est, Prior, qui vt Abbas toti monasterio, præest, dicitur Conuentualis, & habet sub se Subpriorem, qui est eius Vicarius. Omnia Beneficia sunt regularia; & proinde non nisi regularibus Canonicis profelsis iure dari queunt, *iuxta id, quod habetur in cap. Officij. de elect. & c. Nullus. de elect. in 6. cap. Possessiones. de reb. Eccles. non alien. quæ iura renouauit Concil. Trident. Sess. 14. cap. 10. De reforma.* Item Beneficia vnius monasterij iure non committuntur Canonicis alterius monasterij, *ca. Cum singula. §. Prohibemus. de præben. in 6.*

Octauò quæritur, Quibus modis Beneficia huiusmodi regularia conferantur. Respondeo, conferri primo per electionem Canonicam, hoc est, suffragijs Canonicorum, & confirmatione Superioris auctoritate accedente, *vt colligitur ex cap. monachi. §. Priores, De statu monachorum.* Secundò conferuntur auctoritate Superioris regularis, videlicet Abbatis, Præpositi, vel Prioris: hæc dicuntur, aut dici possunt Beneficia regularia collatiua, illa electiua: quia electiua instar Beneficiorum secularium, quæ electiua dicuntur, dantur per electionem Canonicorum, & confirmationem Superioris. Collatiua verò in modum secularium Beneficiorum, quæ vocantur collatiua, simpliciter dantur, vel committuntur Superioris auctoritate. Tertiò, dari solent per Canonicam institutionem: cum videlicet Patronus nominat, & offert Canonicum, quem vult, & Superior eum instituit: hoc est, dat Beneficium ei, quem Patronus nominat, & offert. Quartò, conferuntur auctoritate Romani Pontificis qui *in regul. 3. Cancellariæ* reseruat sibi Prioratus, Præposituras, ac alias Dignitates Conuentuales, & Præceptorias generales quorumlibet Ordinum, præterquam Militarium. Nimirũ reseruat sibi, vt ait Mandos. *in regul. 3. Cancell. quæst. 8.* omnes Prioratus, & Dignitates Conuentuales, non Claustrales, quia Conuentuales sunt Beneficia perpetua, & electiua; cætera verò Beneficia non sunt electiua, nec dantur in perpetuum, sed ad nutum Abbatis.

Nonò quæritur, An ius conferendi Beneficia huiusmodi regularia, quæ electiua non sunt, pertineat simpliciter ad Abbatem, siue ad Præpositum, siue ad Priorem Conuentualem solùm, sine Conuentu, siue absque Collegio, vel Capitulo. Duæ sunt opiniones: Vna censet, solùm ad Abbatem pertinere: sic Abbas *in c. Ea noscitur. De his, quæ fiunt à Prælatis, sine consen. capit.* & probat. *ex c. Nullam. 18. quæst. 2.* vbi dicitur, ad quem potestas tota pertinere conuenit. Altera opinio docet pertinere ad Abbatem, & Conuentum. Sic Glossa *in cap. vlti. in verbo, pertineat. de regularib. in 6.* Sic Archidiac. Ioan. Monach. Domini: & Francus *ibi*: & hanc dicit esse communem sententiam Mandos. *in reg. Cancell. quæst. 9. nu. 4.* & hæc est verior opinio.

Decimò quæritur, An Beneficia eiusmodi regularia sint Manualia, hoc est, talia, vt ad Superioris nutum Canonicis auferri queant. Respondeo, ius Canonicum statuisse, vt Beneficiarij Regulares possint ad Superioris nutum reuocari. *Clemen. Quia regulares. §. Præmissa. De supplen. negligen. Prælator. cap. Ad nostram. cap. Porrecta. de confirmat. vtili, vel inutil. & in cap. Cum ad monasterium. §. Tales. De statu monachorum.* Et ad reuocãdos huiusmodi Beneficiarios non requiritur causa necessaria, sed sufficit causæ genus honestum. At verò si fuerint Beneficiarij per Canonicam electionem Collegij, & confirmationem Superioris constituti, non sunt ad nutum Superioris reuocabiles. Item, Beneficiarios regulares nequit Superior nutu suo à Beneficijs amouere, quibus Romanus Pontifex scienter Beneficia contulit, aut eos in Beneficijs scienter confirmauit. Si quæras, an etiam Beneficiarium, cui Superior contulit Beneficium regulare, quod habet curam animarum, possit suo nutu reuocare. Respondeo, posse, quamuis Beneficium sit Parochiale, dummodo sit Regulare, non seculare, vt docent Abbas *in cap. Monachi. De statu monachorum, numer. 3.* Zabarell. *in Clement. Quia re-*

gulares.

gulares. de supplen. negligen. prælat. & Imola *ibidem.* & Glossa *in Clement. Ne in agro. De statu monach.*

Vndecimò quæritur, Quid iuris sit de Cõmendatarijs perpetuis, quibus huiusmodi Beneficia in perpetuum, hoc est ad vitam ipsorum commẽdantur Romani Pontificis auctoritate. Respõdeo, Commendam, vt vocant, perpetuam, licet titulus nõ sit; haberi tamẽ pro titulo in multis. Nam primò Commendatarius potest constituere procuratorem ante litem contestatam, sicut potest, qui titulum habet. Secundò, potest Beneficium permutare cũ alio Beneficio in titulum dato. Tertiò, potest transigere, & dispensare, & impendere; sicut is, qui habet titulũ. Nam Romanus Pontifex cum hæc Beneficia commendat in perpetuum, ait in hunc modum in diplomate. *Talem N. Abbatiam, vel Prioratum, vel Ecclesiam cum omnibus iuribus & pertinentijs suis tibi auctoritate Apostolica commendamus, per te, quam diu vixeris, & dictam N. Abbatiam, vel Prioratum, vel Ecclesiam obtinebis, tenendam, & gubernandam: ita quod durante Commenda huiusmodi, de fructibus, redditibus; & prouentibus, ipsius Abbatiæ, vel Prioratus, vel Ecclesiæ N. disponere, & ordinare valeas, sicut veri Priores, vel Abbates, vel Beneficiarij ipsius Abbatiæ, vel Prioratus, vel Beneficij, qui fuerunt pro tempore, ordinare, & disponere potuerunt, & debuerunt.* Et reliqua. Ex quibus verbis constat huiusmodi Commendatarios æquiparari ijs, qui titulum habent. Vnde fit, vt obitu Commendatarij Beneficium vacet, & impetretur, & conferatur, ac si in titulum haberetur. Cæterùm Commendatarius non cogitur religionis regulã profiteri, vt cogitur is, cui in titulum Beneficium regulare confertur. Hæc Rebuf. *de pacific. possessor. num. 36.* Hinc etiam fit, vt Commendatarius possit nominare, offerre, præsentare, eligere, & cõferre, sicut is, qui titulum habet, quia hæc iura, sunt fructus Beneficij. SI QVAERAS, quænam qualitas Beneficij iure exprimi debet, cum petitur à Romano Pontifice, vt id commendet alicui in perpetuum. Respondeo, exprimi debere inter alia, num Beneficium, quod petitur, habeat curam animarum. Item, num habeat Cõuentum Monachorum, siue Religiosorum. Item, num sit Beneficium simplex, an secus. Quoniam si curam animarum, vel Conuentum habet, residere Commendatarius cogitur, sicut is, qui titulum habet. Item, simul cum alio Beneficio simili haberi non potest. Insuper debet onera, quæ ipsi Beneficio sunt annexa, & imposita sustinere. Pari ratione debet Commendatarius hospitalitatem exercere, sicut is, qui titulum habet, quãdo Beneficio annexa est certa quædam hospitalitas. Verbi gratia, est Beneficium regulare, ex cuius fructibus certa hospitalis domus pauperum sustentatur: si in perpetuum commendetur alicui, is cogitur ex fructibus partem impendere in vsus pauperum, qui ad eam domum hospitalem se conferunt, quod si defuerint pauperes, & Beneficio domus hospitalis annexa, debet pars ex fructibus Beneficij impendi in pios vsus. Hospitalitas, inquit Rebuff. *in praxi Beneficiorum, tit. de Comment. numer. 15.* debita non seruatur, sed tota omittitur: nam quotusquisque Cõmendatarius hospitalem se exhibeat, aliorum sit iudicium; quæ tamen plurimum est commendata, vt Glossa, & doctores scribunt *in c. de Monachis, de præbendis.* Hodie quidam Commendatarij tãtùm absunt ab hac hospitalitate, vt quæ possunt, à pauperibus eripiant. Vnde quia hospitalitas discessit, successit indictio Fisci, Decimarum, & aliorum onerum præstatio, vt habetur in c. Maiores. 16. q. 7. Hoc tollit Fiscus, quod non accipit Christus. Hæc ille. Synodus Trident. *Sess. 25. cap. 8. de reform.* omnibus hospitalarijs tam secularibus, quàm regularibus, quibus hospitalia in Commendam, Administrationem, aut quemcunque titulum, etiam per vnionem perpetuam concessa sunt, præcipit omnino, vt impositum illis onus, officiumue administrent, atque hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, iuxta Concilij Viennensis Constitutionem, quæ incipit, *Quia contingit.* Deinde præcipit, vt in defectum pauperum fructus hospitalium, in alium pium vsum institutioni proximiorem, ac pro loco, & tempore vtiliorem conuertantur ad arbitrium Ordinarij cum duobus de capitulo. Eaque omnia sub grauibus pœnis præcipiuntur omnibus, & singulis hospitalium administratoribus, cuiuscunque Ordinis, & Religionis, & Dignitatis fuerint, ijs duntaxat hospitalarijs exceptis, qui illis Regularibus subijciuntur, vbi viget Regularis obseruantia: & additur maxima exemptionum, consuetudinum, etiam immemorabilium, seu priuilegiorum, aut indultorum derogatio.

Duodecimò quæritur, An Regularis Canonicus Beneficium sui Ordinis, & Monasterij in titulum possit habere. Quidam censent non posse in titulum habere, quia qui habet in titulum Beneficium Ecclesiasticum, habet quasi dominium in eo, at Canonicus Regularis, cum solemni voto fuerit paupertatem professus, non potest quasi dominium habere. Item, quia *in Clement. de supplen. negligen. Prælat.* Beneficia regularia dicuntur committi; committere verò, non est idem, quod conferre: nam committere, est Ecclesiam ad tempus gubernandam tradere. Dicendum tamen est, in titulum habere posse Canonicum Regularem, quia Superiores cum Beneficium concedunt Canonico, dicere solent, *conferimus tibi.* Item, quia licet Beneficia regularia sint Manualia, in titulum conferuntur. Insuper, quia quamuis Canonicus Regularis possit Beneficij fructus impendere in vsus bonos, & ipso iure permissos, quos maluerit, impendit eos nutu, & cõcessu Superioris; ac proinde contra paupertatis votum non facit.

Decimotertiò quæritur, An Canonicus Regularis, sine Dispensationis Beneficio simul habere possit duo Beneficia sui Ordinis. Respondeo, minimè, vt docet Rebuff. *in praxi Beneficiorum, tit. de dispensat. cum Regularibus facta, numer. 8.* immò nequit cum vno beneficio habere simul Cappellam, aut pensionem, vel portionem regularem. Quodlibet beneficium iure ipso incompatibile censetur in Monacho, vel Religioso cum altero beneficio, *iuxta id, quod habetur in cap. Cum singula. de præben. in 6.* Et hoc locum habet, etiamsi ambo beneficia fuerint simplicia: nisi quando vnum sit annexum alteri, vel pendeat ab altero. Sic Imola, & Cardinalis *in cap. Cum singula, de præbend. in sexto.*

Caput

Caput XXIII.

De Mendicantium Ordinibus.

PRIMO quæritur, Quinam in iure Canonico Mendicantium Ordines intelligantur? Respondeo, eos intelligi, quorum Cœnobijs ex regula, vel constitutionibus nequaquam est permissum fundos, prædia, possessiones, annuos reditus, quæ omnia dicuntur bona stabilia, seu immobilia, communiter possidere, sed eorum Religiosi, ex eleemosynis sibi datis, vel ostiatim quæsitis, victum, & alimenta comparant. Glossa *in ca. Ex eo, verb. mendicantes, de excess. prælat. in 6. Mendicantes*, ait, *dicuntur ij, quibus victum tribuit incerta mendicitas: & qui redditus, aut possessiones ex regula, vel constitutionibus habere non possunt*, ex cap. 1. de religios. domibus, in 6. Sic etiam Glossa *in cap. Quorundam. de elect. in 6. verb. Mendicantes.* Quo fit, vt duo sint Ordinum genera Mendicantium: aut enim sunt Mendicantes ex Regula: aut ex Constitutionibus Romani Pontificis auctoritate approbatis. Mendicantes non ex Regula, sed ex Constitutionibus, sunt Dominicani, Augustiniani, Carmelitani: nam hi postremi sub Regula S. Basilij viuunt, illi verò sub Regula B. Augustini; sed tum Basilij, tum Augustini Regula, liberè permittit, fundos, prædia, & stabilia bona communiter habere. Ipsi tamen Dominicani Constitutiones ediderunt, quibus possessiones, & bona immobilia etiam communiter repudiarunt: & se ijs, quæ ante iam acceperant, penitus abdicarunt; & proinde non ex Regula, sed ex Constitutionibus mendicato cibo viuunt. In primo Capitulo, *vt referunt eorum annales*, Generali sub B. Dominico Bononiæ coacto anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo B. Dominicus, similiter, ac cæteri omnes Patres in Cõuentum generalem conuocati omnia bona immobilia, quæ vsque ad illud tempus in commune possederunt, abiecerunt; ac ne vltra in posterum haberent, Constitutione posita sanxerunt. Quæ quidem Constitutio postea in alio Generali Conuentu Parisijs coacto, anno millesimo ducentesimo vigesimo octauo confirmata fuit. Augustiniani, & Carmelitani, testibus Lapo, *allegat. 46.* & Angel. *consil. 12.* consuetudine tantùm in Ecclesia approbata inter Mendicantes censentur. Verius tamen existimo, eos esse ex suis Constitutionibus Mendicantes. At verò Franciscani, qui vulgò Obseruantes, vel Cappucini vocantur, sunt ex Regula Mendicantes: nam Sancti Francisci Regula prohibet fundos, prædia, possessiones, annuos prouentus, & quælibet alia bona immobilia communiter possidere.

Ex his perspicuè intelligitur, non esse Ordines Mendicantes, eos, qui tametsi pane mendicato viuunt, sed ex Regula, & Constitutionibus bona immobilia in commune habere queunt. Rursus verè Ordines Mendicantes sunt, qui quamuis ex priuilegio stabilia bona communiter possideant, ex Regula tamen, vel Constitutionibus ea habere nequeunt: nam eo ipso, quod vnũ priuilegio tollitur, non aufertur, & aliud, *vt dicitur in l. Si domus. ff. De seruitutibus vrbanorum prædiorum, & cap. Ex tuarum, De auctorit. & vsu pallij.*

Secundò quæritur, Quot sint Ordines Mendicantes? Respondeo, in iure communi quatuor nominari. Nam *cap. Religionum, De religios. domibus, in 6. §. Sanè*, numerantur Prædicatorum, Minorum, Augustinianorum, & Carmelitanorum Ordines. Et similiter in Constitutione Pij Quinti, quæ incipit, *Romanus*, recensentur quatuor Ordines, nimirum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum. Iure nouo alij Mendicantes Ordines sunt Romani Pontificis auctoritate approbati: nam Pius Quintus in quadam Constitutione, cuius initium est, *Apostolicæ*, declarat, Ordinem Minimorum S. Francisci ex Paula oppido Calabriæ oriundi inter Ordines Mendicantium verè comprehendi, & eorum priuilegijs gaudere: & in alia, cuius initium est, Romanus, definit, Congregationẽ Fratrum S. Hieronymi, qui Iesuati vocantur, verè inter Mẽdicantium Ordines esse, & contineri, ac eorum priuilegijs potiri: & in illa, quã primo loco nominaui; cuius quoq; initium dixi esse, *Romanus*. Postquam cõmemorauit quatuor Ordines Mendicantium, Sancti Dominici, videlicet, S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, subiecit hæc verba: *Et quos etiam recenseri volumus, Seruorum B. Mariæ.* Quorum Ordinem declarat verè inter Mendicantium Ordines comprehendi. Aliam similiter Constitutionem edidit, qua declarauit Ordinem Societatis Iesu inter Mendicãtium Ordines connumerari debere.

Tertiò quæritur, Qualis Ordo sit inter quatuor Mendicantes Religiones iure communi antiquo approbatas, quænam scilicet præcedat alteram in publicis disputationibus, concionibus, supplicationibus, & alijs huius generis actionibus. De qua re innumeræ, testibus Felino, & Cassaneo fuerunt hactenus disputationes, dum alij vnum Ordinem alteri præferunt ratione institutionis, alij verò ratione Pontificiæ approbationis. Respondeo, iure communi inter eas talem ordinem seruari, quali in ipso iure Canonico nominantur. Nam in testamentis, legatis, fideicommissis ordo scripturæ seruandus, & sequendus est. *l. Quoties ff. De vsufructu. & l. Generaliter. §. Si quis ergo. ff. De fideicommiss. liber. & Glossa ibidem.* Et annotauit Glossa, *cap. Cum dilecta. verbo. Transponentes. de rescrip.* Scripturæ ordinem esse seruandum in rescriptis principum: ergo scripturæ ordinem sequi debemus in iure positum, quoniam sicut ordo verborum in legatis, fideicommissis, & testamentis testatoris indicat voluntatem, sic in rescriptis principum, & legibus, ac constitutionibus ostendit voluntatem legislatoris, & principis. Sic Archidiac. Ioan. Andreas. *capit. 1. de deci. in 6.* Felinus *in rubric. de maiorit. & obedien.* Porrò *in cap. Religionum*, paulò ante citato memorantur primo loco Prædicatores; secundo, Minores; tertio, Augustiniani Eremitæ; postremo, Carmelitani. Et quoties in iure Canonico, vt annotauit Glossa, Prædicatores, & Minores simul ponuntur, primi nominantur Prædicatores, *velut in cap. Constitutionem, De regularibus in 6. & cap. Nimis prauæ, De excessibus Prælatorum, cap. In ijs, de Priuileg. cap. Quorundam, De elect. in 6. cap. Cum ex eo De excessib. Prælat. in 6. c. Religionum, De religios. domib. in 6. & Clemen. Dudum, De sepult.*

QVAERES, An quatuor huiusmodi Religiones eo Ordine sint institutæ, & fundatæ, quo in iure Canonico referuntur, & nominantur.

Castr. *in Catal. Gloriæ mundi. part. 4. consid. 71.* scribit inter Mendicãtes præferri debere Carmelitanos, quia eorum institutio fuit cæteris ordinibus antiquior. Glossa *in cap. Quorundam, De elect. in 6. verb. Mendicantes.* Præponit omnibus Prædicatores Dominicanos. Sic Ioan. Andr. Archidiac. & Felinus *locis citatis.* Respondeo, eas Religiones non eo ordine, quo in iure communi numerantur, institutas fuisse. Nam *in cap. Religionum. §. Sanè, De religios. domibus in 6.* apertè dicitur Ordines Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum ante Generale Concilium Lateranense sub Innocentio Tertio coactum institutos fuisse; cum tamen Dominicanorum, & Franciscanorũ Ordines, aut post illud Concilium, aut saltem sub id temporis fuerint constituti. DVBITABIS, vnde factum sit, vt in iure Canonico is Ordo, quem superius assignauimus, in nominãdis Religionibus obseruetur? Respondeo, hac in re Pontificiæ, & Apostolicæ approbationis, quã illæ obtinuêre, potius, quam earum institutionis habitam esse rationem. Dominicanorum enim Ordinem Honorius Tertius initio sui Pontificatus scripto publico confirmauit, anno Domini millesimo ducentesimo decimo sexto. Deinde verò anno millesimo ducentesimo vigesimo tertio S. Franciscus ab eodem Pontifice sui Ordinis approbationem scripto solemni impetrauit; quam tamen ante S. Dominicum, Innocentij Tertij beneficio obtinuerat anno salutis millesimo ducentesimo decimo. Sed quia eam confirmationem viuò tantùm Pontificis oraculo, non scripto diplomate acceperat: ideo Dominicani instituti familia prior in iure Canonico recensetur, ac nominatur. Postea ab Alexandro Quarto Eremitarum S. Augustini Ordo solemnem scripto traditam approbationem impetrauit. Tandem ab Honorio Quarto Carmelitarum Ordo longè ante institutus, publicè est confirmatus, vt statim dicemus.

Quartò quæritur, Cur ex eo vnus Mendicantium Ordo antecedit alterum, quòd fuerit prius solemni, & publico scripto, aut diplomate Romani Pontificis approbatus, & non quod fuerit primum institutus. Respondeo, approbationis rationem haberi potiùs, quàm institutionis. Etenim *in cap. Religionum*, sæpè citato perspicuè traditur institutionem Augustinianæ, & Carmelitanæ familiæ ante Generale Concilium Lateranense fuisse; & tamen prius Prædicatorij, & Franciscani Ordines ibi numerantur. Quo fit, vt in toto libro Decretalium iussu Gregorij Noni collecto, solummodo referantur duo Ordines Mendicantium, Prædicatorum scilicet, & Minorum, *cap. Nimis, De excess. Prælat. & cap. In his, De Priuileg.* Per ea enim tempora, nondum auctoritate Pontificia, & publico scripto Augustinianorum, & Carmelitarum Ordines cõfirmati fuerant; quamuis multo ante instituti erant, etiam Episcoporum auctoritate, & ipso etiam vsu, & more in multis orbis terrarum partibus approbati. Sed priuata Episcoporum approbatio, aut etiam priuatarum Ecclesiarum consuetudo non dat, aut dare potest formulam, vel ordinem religionis in vniuersum seruandum ab omnibus, nisi publica, & solemnis Romani Pontificis auctoritas accesserit, qua ea religionis formula, & ordo approbetur, & generatim omnibus proponatur. Institutio igitur, nisi simul accedat Romani Pontificis publica, & solemnis approbatio, non constituit ordinem inter Religiones: quoniam cum instituitur Religio, nisi Romani Pontificis auctoritate confirmetur, non obtinet approbationem in toto terrarum orbe, sed tantùm in ijs locis, in quibus vsu approbatur. Porrò *in libr. 6. Decretalium Bonifacij Octaui auctoritate collecto*, fit mentio Prædicatorum, Minorum, aliorumque Mendicantium Ordinum generatim, non speciatim, *cap. Constitutionem, De Regular. & cap. Cum ex eo, De excess. Prælatorum.* Sed *in cap. Quorundam, De elect.* expressim, & speciatim memorantur tres Ordines Mendicantium, videlicet Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini, *& cap. Religionum. §. Sanè, De Religios. domibus in 6.* recensentur quatuor Ordines expressim, quoniam Carmelitani adduntur: nam iam ante Bonifacium Octauum, ab Alexandro Quarto, & Honorio Quarto, Eremitæ S. Augustini, atque Carmelitani suorum Ordinum approbationem firmam, & generalem, publico, & solemni scripto confirmatam impetrauerant, vt supra commemoraui.

Quintò quæritur, Quando primum quatuor Ordines Mendicantium fuerint instituti, & quando publica Romani Pontificis auctoritate approbati? Nam Augustiniani contendunt se omnium Mendicantium primos esse, & ratione institutionis, & ratione approbationis: eo quòd legamus multa eorum Cœnobia antiquissima. Pari ratione Carmelitani se omnium primos faciunt, & origine, ac institutione, & approbatione Pontificia. Respondeo, De Prædicatoria quidem, ac Franciscana familijs illud certo constare, vtramque Innocentij Tertij, & Concilij Lateranensis tempore institutam fuisse; quamuis Dominicana ab Honorio Tertio anno Domini millesimo ducentesimo decimo sexto, Pontificiam approbationem, publico, & solemni scripto impetrauerit, & Franciscana quoque Familia ab eodem Pontifice anno millesimo ducentesimo vigesimo tertio.

De Augustinianorum, & Carmelitarum Ordinibus maior est controuersia. Namq; Augustiniani Ordinem suũ in B. Augustinum, vt in primum institutorem, ac parentem referre contendunt; testanturque Eremitas (quorum ille, secundùm ipsos, caput extitit) sæuiente Wandalorum perfidia, ac immanitate, & Monasterijs per Africam, partim igne exustis, partim ferro vastatis, in Italiam commigrasse, & in ea primùm, deinde verò in Gallia, Germania, Hispania, & Anglia sparsim domicilia extruxisse, in quibus ritè, ac sanctè vsque ad Innocentij III. tempora vixêre: Hic enim Pontifex, *vt patet ex libr. 2. epistolarum eius.* Vlyssiponensi, & Conimbricensi Episcopis scripsit, præcipiens, vt cogerent fœminam quandam habitum Ordinis S. Augustini resumere; quippe, quæ in manibus vnius ex illo Ordine Eremitæ, votum Castitatis emiserat. Idem quoque Pontifex *libr. 1. Epistolarum*, Priori cuidam S. Augustini imperat, vt declaret excommunicatum Archiepiscopum Cantuariensem, eo quòd Priorem quendam Augustiniani item Ordinis post appellationem ad Apostolicam Sedem, excommuni-

cationi

cationi subiecerat. Ex vetustissimis item,& certissimis ipsius Ordinis monumentis apparet,eius nonnulla Cœnobia ante Innocentium Tertium fuisse fundata, vti Londinense in Anglia anno millesimo quinquagesimo nono: in Hispana Burgense anno millesimo centesimo quadragesimo nono,& Salmanticense, anno millesimo ducentesimo secundo, Colonienſe in Germania, anno millesimo centesimo sexagesimo quinto. Inchoatum itaque Ordinem ab Augustino, & penè collabentē restituit in prouincijs Trans Alpes Guilhelmus Dux Aquitaniæ, & in Italia Ioannes cognomento Bonus.

Alijs autem similius vero videtur, Eremitas ante Augustinum in Aegypto, Palæstina, Syria, Thebaide, Antonio, Hilarione, Macharjo, Pachomio, Magistris, ac Ducibus esse institutos, nec forsitan B. Augustinum Eremitam fuisse, sed in Aphrica Eremitas salutaribus monitis, consilijs, doctrina,& præceptis imbuisse. Sic enim S. Martinus Turonensis Episcopus in Gallia, Simplicianus Mediolani, Basilius in Cappadocia, Monachis viuendi formulam tradiderunt, & aliqua eorum Cœnobia non parum auctoritate sua, prudentia, consilio, & præsidio sustentarunt. Post Augustinum verò per Occidentem sparsi Eremitæ vixerunt, non vnum quidem in ordinem redacti, nec vno nomine vocati, nec eodem vestitus genere vsi, nec eisdem Constitutionibus adstricti, nec vni capiti subiecti. Guilhelmi sanè Aquitaniæ olim Ducis, & Pictauiensium Comitis ad Eremiticam vitam conuersi opera, & imitatione Trans Alpes in Germania, Gallia, Illyrico, & Hispania aliquot Eremitarum domicilia constituta fuisse perhibentur. Vnde & Guilhelmitæ appellari cœperunt; & in Italia cuiusdam Ioannis (vt diximus) cognomento Boni Eremitæ, studio,& pietate sunt etiam extructa, & fundata nonnulla Cœnobia: ac tandem Alexander Quartus omnes Eremitas diuersorum Ordinum per Occidentem dispersos; (quorum alij Guilhelmitæ, alij Fratres Ioannis Boni, alij Fratres vulgò de Pœnitentia Iesu Christi, alij alijs nominibus dicebantur) in vnum ordinem coegit, & restrinxit; præcipiens omnibus, vt vnam S. Augustini Regulam profiterentur; & eodem nomine vocati, eisdemque Constitutionibus deuincti, ac eodem amictus genere vsi, vni totius Ordinis Priori Generali parerent. Nam Innocentius Quartus, qui Alexandrum Quartum præcesserat, vt testantur ipsi Annales Augustiniani, & Anton. *part.3.titul.24.capit.14.§.3.* animaduertentes Prædicatorum, & Minorum Familias in dies amplius augeri, & vberrimos in Ecclesia Dei fructus proferre; Eremitas verò, quorum multæ adhuc Familiæ extabant, sibi solis prodesse, non alijs, decreuerat eos omnes Eremitas in vnum veluti gregem, & corpus redigere, vt more Prædicatorum & Minorum, cibo mendicato viuerent, ad Populum conciones haberent, pœnitentium confessiones exciperent, & cæteras Ecclesiæ functiones obirent: quod tamen bonus ille Pontifex morte è viuis ereptus, ad exitum perducere nequiuit. Anno igitur millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto auctoritate Alexandri Quarti conuocatis multorum Cœnobiorum Eremitis, communi omnium consensu creatus est primus totius Ord. Eremitici Prior Generalis Lancfrancus Septulanus Mediolanensis: tuncque erasis omnibus alijs Eremiticarum Congregationū nominibus supra commemoratis, vna illa duntaxat appellatione vocari cœperunt, videlicet, Eremitæ S. Augustini, eo quòd eius Regulam professi, amictum etiam, & cingulum, quo etiam nūc vtuntur, delegerunt. Atque ita, vt B. Antoninus scriptum reliquit *loco citato*, vnus è multis, Eremitarum S. Augustini nomine, conflatus est Ordo. Fuerunt igitur, longè ante Innocentij III. & Concilij Lateranensis tempora per Occidentem Eremitę, fuerunt, & Cœnobia S. Augustini nomine dicta, vt quæ sub eius, vti diximus, Regula militabant, & viuebant exemplo, & imitatione eorum, quos B. Augustinus moribus, & præceptis, ac legibus informauit; sed nondum Ordo Eremitarum, qualis nunc cernitur, fuerat constitutus.

Porrò Carmelitæ, seu Carmelitani gloriantur, se Eliam Prophetam habere tanquam principem sui Ordinis, & parentem, ac institutorem; à quo inceptum primùm, postea per Eliseum, & alios eorum discipulos, (quos sacræ literæ passim filios Prophetarum appellant, & Liranus refert, Religiosos viros fuisse) continuatum esse testantur vsq; ad Ioannem Baptistam, quem etiam tanquam sui Ordinis alumnum reuerentur, & colunt: cuius vestigijs insistentes alij eo tēpore, quo Spiritus sanctus cælo emissus Christi discipulorum corda replenit, Hierosolymis commorabantur, & in Actis Apostolicis viri Religiosi vocantur: quos etiam perhibent Apostolorum concionibus ad Christi Religionē conuersos, & in monte Carmelo prope locum, qui vulgò dicitur Fons Eliæ, sacram B. Virgini ædiculam extruxisse, & inde vocari cœptos Eremitas B. Virginis in monte Carmelo, ac deinde temporibus Archadij, & Honorij Imperatorum anno quadringentesimo duodecimo, fuisse tradunt Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, qui cum Monachus esset ad Caprasium Monachum fertur, librum scripsisse, De institutis Monachorum in monte Carmelo. Deinde, occupantibus Palæstinam, & Syriam Saracenis; diminutus quidem Monachorum numerus est, sed non extinctus: & post recuperatam Palæstinam, Almerichus Patriarcha Antiochenus, natione Gallus, patria Lemouicensis, ex Sancti Basilij Regula, præcepta quædam collegit anno 1121. quæ obseruanda curauit ab hisce Eremitis; qui tunc in monte Carmelo viuebant, vna cum alijs, qui post ereptam Saracenis Hierosolymam, se illis studio religionis adiunxerant, illisque omnibus vnum præfecit, quem Latinorum, non Græcorum more, iuxta Regulam S. Augustini, Priorem vocauit, non Abbatem, vt S. Benedictus appellari voluerat. Postea Albertus Hierosolymitanus Patriarcha anno millesimo centesimo septuagesimo primo, eiusmodi præcepta in breuiorem quendam, & faciliorem ordinem redegit, & sua auctoritate confirmauit: quam Instituti rationem, & formam Honorius Tertius, & Gregorius Nonus primò approbarunt, & postea Innocentius Quartus, & Alexander Quartus ad decem capita redactā, breuiorem adhuc, clariorem, & mitiorem effectam, opera Hugonis Car-

dinalis,& Guilhelmi Episcopi Anteradensis Dominicanorum,confirmarunt.

Alijs verò magis placuit opinio quorundam asserentium post receptam bello sacro,Gothifredo duce, Hierosolymam, certos quosdam viros Religiosę,ac solitarię vitę studio secessisse exemplo, & imitatione Eliæ, in montem Carmelum, & ibi Eremiticam vitam egisse: extruxisseque sacellum in honorem B. Virginis : quibus deinde Almericus præcepta viuendi ex S. Basilij Regula deprompta tradidit. Postea verò Albertus breuem Regulam scripsit. Et quia Concilium Lateranense prohibuerat,ne quis Religionem nouam instituere, nisi vna ex Regulis approbatis delecta:tales Eremitę Regulam ab Alberto acceptam auctoritate Apostolica Romani Pōtificis approbandam curauerunt. Quocirca Honorius Tertius, & Gregorius Nonus eam quidem confirmarunt : generatim tamen ordinem ipsum minimè approbarunt.Solùm enim scripserunt Priori, & Fratribus Eremitis in monte Carmelo habitantibus, vt qui in eo monte primam sedem habuerint. Fuit igitur approbatio restricta, vt in eo monte habitarent : fuit priuata quædam illius Conuentus approbatio. Cæterùm ex Oriente in Occidentem se recipere compulsi fuêre,ob Saracenorum Palęstinam rursus occupantium Barbaricam sæuitiam : tunc enim omnes in Italiam commigrarunt, inde per Angliam, Galliam, & Hispaniam aucti, & propagati sunt: quo etiam tempore Innocentius Quartus, & Alexander Quartus Regulam, quam in Oriente acceperant, sua solemni,publica,& generali scriptura, & diplomate Pontificio approbarunt. Nam cum primum in Occidentē se transtulerunt, nequaquam ij ab omnibus Episcopis, & Ordinarijs admittebantur, partim asserentibus eorum Ordinem nouum esse,ac post Lateranense Concilium institutum: partim dicentibus fuisse quidem eum Ordinem approbatum,in Oriente,ab Almerico Antiocheno Patriarcha, & Alberto Archiepiscopo Hierosolymitano, sed eam approbationem satis non esse,nisi Romani Pontificis accessisset auctoritas,qui toti Ecclesiæ præest : & approbatū quoque esse ab Honorio Tertio, & Gregorio Nono, sed restrictè ad habitandum duntaxat in monte Carmelo,vnde fuerant exorti, vndeq; venerant. Demum quod eorum vestitus ratio,videretur noua, & insolens, quoniam varij coloris amictu vtebantur. Quare tunc auctoritate Innocentij Quarti, eorum Regulam Hugo Cardinalis, & Guilhelmus Episcopus,vterque Dominicanæ Familiæ, correxerunt, declararunt, temperarunt, donec tandem auctoritate Honorij Quarti stabilitus,& confirmatus est Ordo: tunc enim chlamydem,siue palliū album eiusmodi Eremitæ sibi delegerunt, cum antea in Oriente scilicet, vterentur pallio varij coloris ex albo, & rutilo contexto,quod in Occidente iam agentes, deponere sunt coacti; propterea quod is amictus parum videretur decere Religiosam grauitatem, Is,qui continuauit historiam Belli sacri *libr.5.cap.* 3.narrat originem in hunc modum. *Carmelus est mons in Syria habitatione,tam aliorum Prophetarum,quàm Heliæ,& Heliśei nobilis.Hunc locum sub Almerico Hierosolymitano Patriarcha insederant Anachoretæ : ac cum sparsim circa montem habitarent : tandem coiuêre ad fontem,qui Heliæ dicitur,in cacumine montis,pbaunm,& monasterium construxerunt : vni,qui honesta præcipiebat, humiliter parendo,sine tamen certo instituto,sine peculiari cultu,sine cæremonijs. Albertus postea Hierosolymitanus sub Innocentio III. Patriarcha,& Legatus certas obseruationis regulas illis præscripsit,addidit & vestitui normā : palliam scilicet varij coloris ex albo,& cauisino circumlatum: Heliam huiusmodi cultu ornatum incessisse,Bassianus ea viuendi formula vsum fuisse asserens. Erat tam grauis propheticipallij habitus,non solùm Christianis,sed etiam Barbaris, vt magni Sulthani eleemosynis familia tota sustentaretur, & locupletaretur.* Hæc ille.

Ex his perspicuum esse potest,quemadmodum sit accipiendum id,quod habetur *in cap. Religionum, §. Sanè, De Religios. domib. in 6.* vbi Gregorius Decimus in Concilio Lugdunensi, cum Religionum multitudinem nouarum inhibuisset, declarauit Constitutionem suam ad Prædicatorum, & Minorum Ordines minimè extendi. Deinde subiecit:*Cæterùm Eremitarum Sancti Augustini,& Carmelitarum Ordines, quorum institutio Generale Concilium Lateranense præcesserit,in solido statu volumus permanere.* Perpendendum illud : *quorum institutio generale Concilium præcessit:* quod quem sensum habeat, iam aperuimꝰ. Deinde,& illud: *In solido statu,* vbi,vt Glos. sa annotauit,Gregorij Decimi Constitutio antea, siue olim, sic habebat: *In suo, aut in solito statu volumus permanere,donec de ipsis fuerit ordinatum.Intendimus itidem,tam de illis,quàm de reliquis etiam non Mendicantibus,prout animarum saluti, & eorum statui expedire videbimus prouidere.* Fertur, inquit Glossa, Gregorius in animo habuisse, relinquere ex Mendicantibus Ordinibus solùm duos,Prædicatorum, & Minorum, & ex non Mendicantibus tres, Cisterciensium,& Nigrorum Monachorum, & ex Militaribus Templarijs, & Hospitalarijs vnum efficere. At verò totum hoc Bonifacius Octauus detraxit: & illud ,*in suo , aut in solito*, mutauit in id, *in solido*: quoniam post Gregorium Decimum,& ante Bonifacium Octauum, Ordines Eremitarum S.Augustini,& montis Carmeli stabilem iam,ac firmā approbationem obtinuerāt solemni aliquorum Pontificum auctoritate munitam.

Sextò quæritur, An satis sit ad hoc, vt aliquis Religiosorum Ordo Mendicantium numero habeatur, Constitutionibus vtatur mendicitatem imperantibus,an verò requiratur etiam, vt Constitutiones huiusmodi Romani Pontificis auctoritate confirmentur? Respondent quidam, primum illud non sufficere : nam quemadmodum in iure Canonico nulla communiter viuentium hominū coacta Societas pro Religione habetur, nisi à Romano Pontifice approbetur ; sic etiam nullus Religiosorum Ordo, etiam legitimè confirmatus pro Mendicātium Ordine habetur,absque Romani Pontificis approbatione: nec enim priuilegijs,& facultatibus Mendicantium gaudere potest sine huiusmodi confirmatione.Accedit, quod si solæ per se Constitutiones sufficerent,ex Mendicanti Ordine fieri posset Ordo, Non Mendicans,& è contrario : Constitutiones enim,quas nulla Romani Pontificis auctoritas confirmauit, mutari facilè, tolli, & abrogari queunt; confirmatæ verò Pontificia auctoritate,non item.Mihi tamen verius apparet, Mendicantem Ordinem,

quod

quod attinet ad substantiam esse ex Regula, instituto, aut Constitutionibus suis. Pontificia verò approbatio Ordinis Mendicantis substantiam non facit, sed declarat eum esse Mendicantem, & Mendicantium priuilegijs dignum, & dat Ordini Mendicanti rationem, & formulam, sine qua talis generatim ab omnibus non haberetur, nec haberi posset.

Quæres, An Constitutiones mendicitatem præcipientes sufficiant, si totius Ordinis approbationem iureiurando firmatam habuerint absque Romani Pontificis auctoritate? Respondeo, minimè; quamuis alioqui plus virium, & firmamenti interpositum iusiurandum addidisset. Etenim auctoritas Pontificia Mendicantium Ordinem constituit, dummodo mendicitas ex Regula, vel Constitutionibus Ordini conueniat. Item, Constitutiones etiam iureiurando firmatæ, si totius Ordinis auctoritate mutentur, vel abrogentur, valet abrogatio; verum in abrogando, periurium ipse Ordo committit.

Septimò quæritur, An vsu, & more induci queant noui Ordines Mendicantium? Respondeo in hunc modum, sicut ex Regula, vel Constitutionibus institui queunt noui Ordines Mendicantium, quod pertinet ad substantiam, quod spectat verò ad rationem, & formulam possunt, si Romani Pontificis auctoritate approbentur; ita etiã consuetudine introduci possunt; eadem tamẽ, quàm dixi, approbatione accedente: quod enim potest lex, vel constitutio inducere, potest quoque consuetudo, quæ vim legis habere dicitur.

Octauò quæritur, An cõsuetudine induci possit, vt Ordines Mendicantium bona immobilia in commune possideant. Respondeo, posse; præsertim si ea consuetudo tacita Romani Pontificis voluntate approbetur, hoc est, si eam Romanus Pontifex sciat, ac toleret. Priuilegio enim aut cõcessu Pontificio Mendicantium Ordines aliquando habent potestatem stabilia bona communiter possidendi: vti Dominicana Familia Sixti Quarti beneficio anno 1475. ius obtinuisse fertur eiusmodi bona habendi. Vnde in Hispania, & Italia quædam Prædicatorum Collegia annuos redditus in commune possident. Sic etiam Pontificio concessu Augustinianorum, & Carmelitarũ Collegia annuos redditus in commune habent. Tridentina quoque Synodus *Sess. 25. capit. 3. De Regularibus*, sic ait: *Concedit sancta Synodus omnibus Monasterijs, & domibus tam virorum, quàm mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Cappucinorum, & eorum, qui Minorum de obseruantia vocãtur, etiam quibus, aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia ea possidere liceat.* Hæc ibi. Quo fit, vt non desinant esse Ordines Mendicantium ij, qui ex Regula, vel Constitutionibus bona stabilia habere prohibentur, quamuis ex priuilegio tamen, vel beneficio Romani Pontificis habeant. Quod autem potest Romanus Pontifex priuilegio concedere, potest etiam consuetudo ab eodem Pontifice approbata introducere. Si enim Principum leges & constitutiones sæpe vsu mutantur, & ex toto, vel ex parte abrogantur, non est cur Religiosorum quoque Ordinum constitutiones, vel Regulæ consuetudine Romani Pontificis consensu expresso, vel tacito approbata, mutari, aut aboleri non queant. Solùm enim in ea, quæ ad Monastici instituti substantiam, & naturam, & habitum spectant, vim consuetudo contraria non habet. Hæc autem sunt, quæ tribus votis continentur.

Nonò quæritur, An Mendicantium Ordines viuere debeant ex eleemosynis ostiatim mendicatis? Respondeo, id minimè requiri; sufficit enim, si viuant ex eleemosynis, vel sibi vltro oblatis, & datis, vel alio quolibet modo quæsitis, ac partis. Quid enim, quæso, impedit, quò minus Mẽdicãtium Cœnobia sibi ad victum necessaria habeant ex eleemosynis, quas boni, ac pij viri sponte ad ipsos deferunt? Quid etiam obstat, quò minus alij pro ipsis Religiosis eleemosynas petant, ex quibus honestè sustententur, ac viuant?

Decimò quæritur, An Ordines Mendicantium tuta conscientia annuos redditus possideant? Respondeo, minimè: siquidem annui redditus inter bona immobilia, quorum illi capaces non sunt, numerantur. *Clement. Exiui. §. Cumque annui, De verbo. significe.*

Vndecimò quæritur, An si bona stabilia testamento Mendicantibus legentur, ab eis recipi queant. Respondeo, posse, si fermo sit de alijs Mendicantibus præterquam de Franciscanis, qui Cappucini, & Obseruantes nominantur: ea tamen conditione, & lege, vt vendantur, & eorum pecuniæ in eleemosynas vertantur, quas in suis ipsorum, vel aliorum necessarios vsus impẽdant. Obijcies, non posse eos hæc bona capere sibi legata, etiam ad tempus, cum interim dum retinent, nec vendunt, possidere videantur bona stabilia; quorum tamen participes esse nequeunt. Respondeo, hoc nihil officere: non enim eiusmodi bona recipiunt ij Mendicantes, vt retineant, sed vt vendant, & consumant. QVAERES, an statim ea bona vendere debeant? Respõdeo, eos id facere debere, cum primùm commodè possunt. Dicimus, *commodè*, quia nihil impedit, quò minus temporis opportunitas expectetur, ne eæ res legatæ vilissimo pretio vendantur.

Duodecimò quæritur, An Mendicantibus liceat hortos habere, ex quibus olera ad victum necessaria colligant? Respondeo, eis licere, & domos habere ad habitandum, & hortos ad deambulandum, ad legendum olera, & fructus percipiendos: dummodo tamen nihil fructuum inde perceptorum vendant, aut locent. QVAERES item, eis ne liceat vineam aliquam possidere in vsum eorum, qui ægrotant, vel ex morbo conualescunt, vel qui vt rebus spiritualibus studeant ad tempus ab hominum consuetudine sepositi se alio recipiunt? Respõdeo, fas, & ius illis esse possidere; ita tamen, ne vineæ fructus alijs vendant, aut locent.

Decimotertiò quæritur, Penes, quos sit dominium, & proprietas domorum, sacrarum ædium, & hortorũ, quos Mendicantium Ordines habent in suos vsus necessarios? Respondeo, si de ijs Ordinibus loquamur, qui Franciscani, Cappucini videlicet, vel Obseruantes, non sunt; dominium attinere ad ipsius Ordinis Monasticum Conuentum, siue Collegium, quod domum, templum, vel hortum habet: neque enim cum Regula, vel Constitutionibus Mendicantium pugnat proprietas,

siue dominium domus ad habitandum, vel horti ad deambulandum, aut herbas, fructusue colligendos, vel sacræ ædis ad Diuina ministeria exequenda. Etenim in extrauag. Ioannis XXII. quæ incipit: *Quia quorundam, De verb. signific.* dicitur: *Fratres Prædicatores in altissima paupertate Christo famulari: & tamen constat, eos aliquid in commune possidere, in eo etiam, quod attinet ad proprietatem, quod eorum Regulæ, & statui non repugnat.*

Decimoquartò quæritur, An si Titius testamento leget Caio bona stabilia, annuosue redditus, ea lege, vt ex eis annua Mendicãtibus alimenta præbeat, eis liceat accipere? nam id videtur licere accipere. Finge tibi Religiosum ex aliquo Mendicantium Ordine, vel nauigantem, vel iter facientem, quid impedit, quin is iure alimenta recipiat ab eo, qui vnà cũ illo iter facit, aut nauigat? Quod autem licet ad tẽpus facere, quidni etiam in perpetuum, hoc est, ad vitam? Respondeo, manifestè idcirco Religiosa mendicitate pugnare, eosque peccare, qui admittunt hæc bona alijs legata, ea lege, & conditione, vt ijs, quibus legantur, ipsis Religiosis præbere annua alimenta debeant. Si enim alium habeas tibi obligatũ ad alimenta porrigenda, perinde fuerit, ac si habeas alimenta tibi obligata: ac proinde ius, & potestatem dicta alimenta exigendi, ac tuos in vsus conuertendi.

Decimoquintò quæritur, An redditus annuus testamẽto legatus Cœnobio Fratrum Minorum, qui Obseruantes dicuntur, pro fabrica templi, vel sacelli, aut pro vino, cera, oleo, & vestimentis ad Missarum sacrificia facienda, & offerenda necessarijs, sit ratus, & firmus? Respõdet Nauarrus *in consil. 13. de testamen.* esse, eo quòd *in cap. Exijt, De verbor. significa. in 6.* solùm prohibetur, quò minus Fratres Minores accipiant legatum pro suo Collegio, Conuentu, & Capitulo; non tamen relictum ad Templi, vel Oratorij vsus necessarios: hoc enim non legatur ipsis Fratribus, sed sacris ædibus, & templis, quæ Ordo ipse habet. Nec in *Clement. Exiui, De verb. signific.* nec in Regula S. Fracisci aliquid continetur, quo prohibeatur Ordo annuos redditus legatos recipere ad Ecclesiarum vsus, sed tãtummodo legata, quæ ad ipsorum Religiosorum victum, & vtilitatem spectent. Mihi tamen hæc sententia dubia, & incerta esse videtur: propterea quod *in cap. Exijt, De verb. signific. in 6.* sit eis interdictum absolutè, & simpliciter legatum rem immobilem admittere ea conditione, vt locent, vel colant; sed annuus redditus inter res stabiles connumeratur; ergo videtur simpliciter prohiberi. Nec obstat ratio Nauarri dicentis non esse legatum ad vsus ipsorum Religiosorum, sed ad templorum vsus: nam in eo capite absolutè, & simpliciter prohibeatur legata rerum immobilium: at vbi ius non distinguit, nec nos distinguere oportet.

Decimosexto quæritur, An ius sit Franciscanis Fratribus accipere redditum annuum legatum alicui ea lege, vt quotannis curet à Fratribus Franciscanis certa Missarum sacrificia facienda? Respondeo, minimè ob rationem proximè assignatam, eo quòd sit legatum rei immobilis ea lege, vt quotannis Franciscanis soluatur. Nauarr. *consil. 14. de testament.*

Caput XXIIII.

Aliæ quæstiones eiusdem argumenti diluuntur.

Sancti Francisci Regula initio institutionis quibusdam visa est dubia, & obscura, difficilis, & ardua; vt propterea necesse fuerit eam Romanorum Pontificum auctoritate declarari ad scrupulos è multorum animis euellendos, ad cõtrouersias dirimendas, ad respondendum obtrectatorum calumnijs. Extant ergo in iure Canonico Romanorum Pontificum declarationes: Vna quidem Nicolai Tertij *in cap. Exijt, De verb. signif. in 6.* Altera, Clementis Quinti, *in Clemen. Exiui, de verbor. signific.* & duæ aliæ Ioannis XXII. quæ incipiũt: *quorundam*, &, *Ad Conditorem*, quæ habentur inter Cõstitutiones Ioannis XXII. *De verb signif.* In præsenti igitur dicam, quicquid in huiusmodi Pontificijs Constitutionibus iuri communi insertis declaratum est de arctissima Franciscani instituti paupertate, & mendicitate.

Primò quæritur, An S. Francisci Regula suos professores ita Deo obliget, vt compellantur ad omnia Euangelica Christi consilia exequenda, eo quòd se Regulam seruaturos pollicentur? Ea autem statim initio, & ad finem proponit, Euangelicæ perfectioni esse studendum, & eam esse obseruandam. Respondet Nicolaus Tertius *in cap. Exijt*, eos non ita, vt quæsitum est, Deo obligari, sed solùm ad vota emissa seruanda, & ad ea, quæ in Regula ranquam præcepta, aut prohibita exprimuntur, & ad ea, quæ verbis præceptum, vel prohibitionem significantibus præscribuntur.

Secundò quæritur, Quænam in Regula præscribantur præcepti vim continentia? Respondet Clemens Quintus *in Clement. Exiui, De verbo signific.* Primùm non omnia, quæ Regula constituit verbis imperatiui modi, quasi per affirmationẽ, vel negationem vtens, præcepti vim, & robur habere. Deinde, vbicunque in Regula ponitur hoc verbum, *Teneantur*, continere vim præcepti; & propterea id Fratres obseruare oportere. Postremò exprimit, quot, & quæ in Regula cõtineantur vim præcepti habentia, nimirũ: *Nõ habere plures tunicas, quàm vnam cum caputio, & alterã sine eo: Calceamenta non deferre: Iter equitando non facere, nisi subsit necessitas: Vti vestitu vili: Ieiunium seruare à die omnibus Sanctis sacro, vsque ad Natalem Domini; & singulis quibusque sextis feriis per annũ: Clericos Diuinum Officium recitare more, & ritu Romanæ Ecclesiæ: Ministros, & Custodes pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendis solicitam curam habere: Si quis ex Fratribus ægrotet, alios debere ei inseruire: Fratres prædicare non posse in diœcesi alicuius Episcopi, eo renuente: Nulli prædicare licere, nisi à Ministro Generali, vel alijs, ad quos id pertinuerit, fuerit examinatus, approbatus, & ad hoc munus institutus: Fratres, qui senserint se Regulam obseruare non posse, debere ad suos Ministros adire: Omnia, quæ ponuntur in Regula ad genus, & formulam habitus, tam Nouitiorum, quàm Professorum, nec non ad modum professionis, & ad professionem spectantia, (nisi recipientibus quoad habitum Nouitiorum, sicus dicit Regula, secundum Deum aliter videatur) ab omnibus Fratribus, vt obligatoria esse seruanda.* Hæc in illa Clementina.

Tertiò

Tertiò quæritur, An Franciscanorum paupertas Voto promissa, omnem proprietatem, ac dominium rerum communiter, & priuatim excludat? Respondet idem Pontifex, tantam esse, vt Religiosi Franciscani nihil communiter, & priuatim possidere queant, in quo eorum paupertas à cæterorum Mendicantium paupertate distinguitur. Cæteri enim Mendicantes, nec ratione Regulæ, nec Voti prohibentur, saltem modicum aliquid cõmuniter possidere: nam etsi annuos reditus, aliaúe stabilia bona in commune non habent, nihilominus habẽt dominium, & proprietatem domorum, in quibus habitant, hortorum, in quibus deambulant, & ex quibus olera colligunt ad suum tantùm vsum, & commodum, & sacrarũ ædium, in quibus diuina tractare solent.

Quartò quæritur, An Franciscanorũ paupertas, qua sese abdicant rebus omnibus tum cõmuniter, tum priuatim, sit iuri, & rationi consentanea. Fuerunt enim olim calumniatores, qui obiecerunt illis, eiusmodi paupertatem non esse bonam, eo quòd nullo modo, aut saltem ægrè obseruari posset, esset que præter omne ius, & Monasticorum Ordinum, & aliorum etiam Mendicantiũ morem, & præter Christi Domini, & Apostolorum exemplum. Nam de Christo Euangelium cõmemorat loculos habuisse, & de Apostolis in eorum Actibus refertur, eos ex bonis, quæ in commune possidebant, vixisse. Verùm respondit Nicolaus Pontifex, Franciscanorum Fratrum paupertatem non solùm seruari posse, sed licere cuique eam voto profiteri; & cũ Dei causa suscipiatur, esse sanctam, & magni meriti, & fructus apud Deum; quam Christus, & verbo docuerit, & vitæ exemplo firmauerit: eo quòd etiamsi loculos habuerit, in illis infirmorum personam susceperit, egitque quod est infirmorum, quorum etiam personam interdum in fuga sustinuit. Definit quoq; idem Pontifex, eam paupertatem non solùm esse magni meriti, & perfectionis, sed eo maiorem, quo magis suos professores à temporalib⁹ bonis arcet, ac remouet.

Ioan. 13. Act. 2.

Ioan. 6.

Quintò queritur, penes quem sit proprietas, & dominium eorum bonorum, quibus Franciscani vtuntur? Respondet idem Pontifex, Domorũ quidem, quas incolunt, hortorum, templorum, Oratoriorum, librorum, & supellectilium, quibus ad victum, vestitum, cultum, & ministerium Diuinum, & literarum studium vtũtur, proprietatem ad Ecclesiam Romanam pertinere; eorum verò, quę ex piorum hominum donationibus, & largitionibus accipiunt, quæque in numero, pondere, & mensura consistunt, & vsu ipso consumuntur, dominium esse penes eos, qui ea donant, & proinde tales habere ius repetendi, & reuocandi donata, donec ea ipsi Franciscani consumpserint, siue in alios transtulerint, donando, vendendo, vel permutando.

Sextò quæritur, Quidnam iuris Franciscani habeant in bonis, quibus vtuntur? Respondet Pontifex, in rebus sunt quatuor, aut quinq; iura; dominium, quod est ius vtẽdi re in quem libet vsum lege permissum: Possessio, id est, ius legitimum insistendi rei corporali. Vsusfructus, quod est ius legitimum vtendi fructibus rei in omnem vsum, salua eius substantia; & vsus iuris, videlicet, legitima facultas, & potestas vtendi fructibus rei in proprium commodum integra eius substantia: & vsus facti, qui nullum est ius, sed solùm facultas vtendi fructibus rei ad nutum, & voluntatem veri domini. Franciscani nullum ius habent, sed simplicem tantum modo, ac nudum facti vsum: & proinde eos declarat Pontifex vti bonis instar seruorum, qui nutu, & voluntate domini nudum vsum tantùm rerum habent. Quo fit (ait idẽ Pontifex) vt Franciscani bonorũ vsum non habeant, ad superflua, & vana, sed tantùm ad necessaria, quibus egent ad victum, vestitum, cultum diuinum, literarum studium, & cætera generis eiusdem.

Septimò quæritur, Quibus modis Franciscani iure res ad vsus necessarios acquirant? Respondet Pontifex, tribus modis; Aut vltro, & liberaliter sibi donata recipiendo; Aut mendicando humiliter; Aut laboriosè conquirendo.

Octauò quæritur, Qua ratione liceat Franciscanis vti pecunijs, cum eorum Regula præcipiat, ne eas per se, vel per alium accipiant, & contrectent? Ait Pontifex licere eas non quidem apud se priuatim, aut communiter retinere, sed apud Procuratorem, quem Syndicum vocant, qui illas in vsus necessarios det, & impendat; non quidem nomine ipsorum Frãciscanorum, quorum pecuniæ non sunt, sed nomine eorum, qui dederunt, ad vsus ipsorum necessarios, ad quos, inquam, vsus tuta conscientia petuntur, recipiuntur, & asseruantur apud Procuratores. Et Clemens Quintus *in Clement. Exiui, De verb. signif.* declarauit non licere Fratribus pecunias recipere per se, vel per alios, asseruare, vel retinere quæstus gratia, aut in alios vsus, quã vitæ necessarios. Item, fas quoq; illis non esse ab eis, qui pecunias custodiunt, aut retinent, rationem earum exigere, ac si veri domini essent.

Nonò quæritur, Quo modo licitum sit Franciscanis sibi res testamento legatas recipere? Respondet Pontifex, nõ licere illis stabilia bona recipere, nec item hortos, ita vt eorum fructus locent, vel vendant, sed ad proprios duntaxat necessarios vsus: qua ratione etiam domos ad habitandum iure possident; pecunias verò, libros, & alia supellectilia, ad ministerium, & cultum Diuinum, vel ad literarum studium, vel ad alias impensas necessaria, tuto recipere, immò etiam petere; dummodo id faciant ad subueniendum necessitatibus præteritis, præsentibus, vel etiam futuris, probabiliter tamen sequuturis.

Decimò quæritur, An tuta conscientia Franciscani habeant granaria, & cellaria ad frumentum, vinum, oleum, & his similia asseruanda? Respondet Ioannes XXII. *in Constitutione. Quia quorundam, De verb. signifi.* tutò ea habere, hac tamen lege, vt non nisi pro necessitatibus præteritis, vel præsentibus, vel etiam futuris, quæ facilè contingẽt, subleuandis, ea habeant.

Vndecimo quæritur, An duas habere tunicas Franciscanis sit licitum? Respondet Nicolaus Tertius *in Constitutione, Exijs*, vnam eis licere habere tunicam cum caputio, & alteram sine illo. Quod eatenus concessum est, vt dum alteram tunicam lauant, altera induantur. Quæ nimirum ratio in duobus caputijs locum non habet, cum alterum

tantùm eorum sufficiat. Idem declarauit Clemens Quintus *in Clementina, Exiui, De verborum significatione.*

Duodecimò quæritur, An ijs, quæ definit *in cap. Exijt, De verb. signif.* Nicolaus Tertius, aliqua ratione aduersentur illa, quę constituit Ioannes XXII. *in tribus Constitutionibus editis, nempe, Ad Conditorem, &, Cum inter, &, Quia quorundam, De verb. signific.* Huic dubitationi antequam respondeam, illud prænotandum arbitror, tempore Ioannis XXII. Franciscanam familiam, satis grauem, & molestam persecutionem pertulisse; ob certas quasdam quæstiones tunc primum erumpentes, de Paupertate, quâ Franciscani profiteri se passim prædicabant; nil scilicet proprium priuatim, aut communiter se habere: eamq; paupertatem esse arctissimam, & institutam primùm, ac susceptam à Christo Domino, & Apostolis, vtpotè quam ipsi, & verbo, & vitæ exemplo tradiderint: quo etiam tempore viuebat Marsilius, quidam de Menandrino dictus, Patauinus, qui cum alijs quibusdam docebat Christum, eiusque discipulos nihil vnquam proprium priuatim, aut communiter habuisse, sed nudum tantùm, ac simplicem vsum rerum. Franciscani verò sese tuebantur auctoritate Romanorum Pontificum Gregorij Noni, Innocentij Quarti, Alexandri Quarti, & Nicolai Tertij. Qui quidem Constitutionibus editis, & S. Francisci Regulam confirmauerant, & apertè docuerant eos nihil proprium priuatim, aut communiter possidere: dominiumque, ac proprietatem domorum, officinarum, templorum, oratoriorum, librorum, & supellectilium, quibus vtebantur ad victum, vestitum, studium, & cultum Diuinum, esse penes Ecclesiam Romanam, cuius nomine Procuratores ab ipsis Franciscanis constituti in iudicio, & extra illud de his rebus agebant: dominium verò pecuniarum, aliarumque rerum similiũ eis donatarum, ad eos, qui donauerant pertinere; ipsos verò solum vsum habere, Tunc temporis Ioannes XXII. qui Franciscanis erat subinfensus occasione quorundam Franciscanorum, qui ipsi Pontifici aliqua obijciebant, quorum capita fuêre Michaël de Cesena Minister Generalis, & Guilhelmus Ocham, Theologus insignis, Constitutionem edidit, cuius initium est, *Ad Conditorem*, quæ videbatur aliqua ex parte pugnare cum Constitutione Nicolai Tertij, *Exijt.* Etenim Ioannes XXII. primum ait, nihil profuisse Franciscanis, quòd Romani Pontifices sui antecessores sibi reseruauerint dominium rerum, quibus ipsi vtebantur, eo quòd in iudicio, & extra illud, de bonis, quæ habebant, litigarent; perinde, ac si veri domini essent. Ait deinde, abdicationem, qua rum priuatim, tum communiter se rebus suis abdicant Franciscani, nihil ad maiorem perfectionem Christianæ vitæ, nihil ad maiorem paupertatem pertinere. Immò *in Constitutione, Quia quorumdam*, id probat ex eo, quòd Gregorius Nonus expressim definierit, Fratres Prædicatores, & Minores in arctissima paupertate, Christo pauperi famulari: Et tamen constat, inquit, ipsos Prædicatores habere in cõmune etiam proprietatem aliquarum rerum; quod eorum Regulę, & statui non repugnat. Et respõdet ei, quod Innocentius Quintus antecessor dixerat, arctissimam paupertatem esse, pauca propria habere propter Deum; arctiorem, quæ nulla propria habet priuatim, quamuis communiter habeat: arctissimam, quæ nihil proprium habet in hoc mundo priuatim & communiter: Respondet, inquam, id non vt Pontificem dixisse, sed tanquam priuatam personam, nimirum F. Petrum de Tarantasia, vt ibidem ait, Tertio, inquit, vsum in re, quæ ipso facto consumitur, non posse constitui, nec haberi separatum à dominio. Hoc ille probat ex iure, & ratione, & ex mente ipsius Pontificis Nicolai Tertij. Nam si quis eiusmodi res iure vendit, donat, vel permutat, verè dominium earum rerum habet. Item, dominium in his rebus separatum ab vsu, est prorsus inutile; & propterea si Franciscani vsum haberent, & Ecclesia Romana dominium, nihil vtilitatis inde Ecclesia Romana perciperet. Accedit, inquit, quod iura, & leges manifestè definiunt, in huiusmodi rebus non posse vsum à dominio seiungi: alioqui enim tum vsus, tum dominium harum rerum esset pecunia seorsum æstimabile. Præterea, aut Franciscani licitè vtuntur his rebus, aut non: Si secundum, ergo vtendo peccant, quod est absurdum. Si primum, ergo iure vtuntur; Id enim licitè fit, quod iure fit; & proinde vsum iuris habent, non tantùm facti. At vsus iuris in rebus his à dominio minimè distinguitur. Postremò inquit, non est verisimile mentem Nicolai Tertij fuisse, reseruare sibi dominium vnius oui, siue caci, aut frusti panis, & aliorum vsu consumptibilium, quæ sæpè ipsis Fratribus ad consumendum statim, alioqui breui peritura, conferuntur. Quartò idem Ioannes XXII. reseruato Romanæ Ecclesiæ dominio Ecclesiarum, seu Templorum, Oratoriorum, Officinarum, domorum, librorum, & aliorum supellectilium, quæ Franciscani habebant, vel in posterum erant habituri, abijcit dominium cæterarum rerum, quæ vsu consumuntur, & reuocat suorum antecessorum priuilegia: quibus tale dominium Ecclesiæ Romanæ reseruauerant. Prohibet etiam, quo minus in iudicio, vel extra illud Procuratores à Fratribus constituti nomine Ecclesiæ Romanæ de talibus rebus deinceps litigent: nec in cæteris quicquam derogat Pontifex Regulæ sancti Francisci. In Constitutione, Cum inter, definit, hæreticam esse sententiam asserentem, Christum, ac eius Apostolos nihil proprium priuatim, aut communiter habuisse, & sic nec ius vllum vtendi rebus acceptis, nec vendendi, seu donandi, & ex ipsis alia acquirendi: Quæ, inquit, sententia expressim cum Euangelio pugnat, vbi Christum, & discipulos eius loculos habuisse, legimus, & aliqua emisse, & prætium soluisse, Deinde cum Guilhelmus Ocham, & alij quidam calumniarentur ipsum Ioannem XXII. tanquam hæreticum, duasque eius prædictas Constitutiones tanquam plenas erroribus carperent, & damnarent, edidit & aliam Constitutionem huius principij, *Quia quorumdam*, vbi omnia à se in duabus illis Constitutionibus definita confirmat, & obtrectatoribus suis, calumniatoribusque respondet. Atque hæc quidem de tota lite, quæ, vt ait Cardinalis Zabarella, cõturbauit ea tempestate quamplurimos.

Tota

Tota igitur quæstio præsens est, An Decreta Ioannis XXII. in hac controuersia pugnent cum Constitutione Nicolai Tertij. Quidam opinantur Ioannem XXII. ante obitum, sua, quæ in hanc rem ediderat, Decreta reuocasse: Quæ quidem opinio mihi non placet, quoniam ea iuri communi sunt inserta. Aiunt alij nequaquam sibi esse contraria horum statuta Pontificum; cum Nicolaus solùm doceat, in rebus, quæ in vsu non consumuntur, dominium ab vsu separari, & secerni. Ioannes verò XXII. de rebus, quæ vsu ipso consumuntur, sermonem habet. Cæterùm nec hoc mihi placet: nam vterque Pontifex agit de rebus, quæ vsu consumuntur: & vnus quidem affirmat dominium ab vsu separari, alter verò negat. Postremò, alter affirmat nihil proprium priuatim, & communiter possidere, esse paupertatis arctissimæ, & perfectissimæ vitæ, alter negat, nimirum Ioannes XXII.

Mihi videntur in huiusmodi controuersia sanè dubia, & perplexa, nonnulla contineri, quorum alia pertinêt ad quæstiones facti, alia ad quæstiones iuris. Quæstio facti est, Quod antecessores Ioannis XXII. dominium supellectilium, quibus Franciscani vtuntur, Romanæ Ecclesiæ reseruauerint: Ioannes XXII. ait, non fuisse eorum mentem reseruare, vel saltem si reseruauerunt, se tale dominium deponere. Ad Fidem verò, vel mores non pertinet quæstio facti, nec quod vnus Pontifex priuet se dominio rerum, quod alius sibi voluit retinere. In facto etiam consistit, quod antecessores Ioannis XXII. voluerint, vt Procuratores Franciscanorum in iudicio, vel extra illud, nomine Ecclesiæ Romanæ de huiusmodi bonis agerent: Ioannes XXII. prohibuit, quo minus in posterum agerent. Facti etiam quæstio est, an talis dominij reseruatio, quam antecessores Ioannis XXII. probauerant, ipsis Franciscanis profuerit, an secus. Nam Ioannes XXII. asserit nihil profuisse, quia ipsi Fratres nihilominus in iudicio, & extra illud litigabant, tanquam domini rerum suarum: qui certè illorum Fratrum abusus videtur fuisse. Quæstiones iuris sunt, an Christus, & Apostoli proprium quid aliquando in commune habuerint: in qua Ioannes XXII. definit esse hæreticam sententiam, cum scripturis pugnantem, asserere eos nihil vnquam proprium habuisse: in quo nihil cum Decretis Nicolai Tertij pugnat, qui etiam apertè fatetur Christum, & Apostolos aliquid proprium in commune habuisse, veluti loculos, & id genus alia. In hac itaque controuersia nequaquam sibi Pontifices aduersantur: & certa, ac firma est definitio Ioannis XXII. quæ cum sacris literis congruit Christum eiusque discipulos aliquando in commune aliquid possedisse: sed Nicolaus Tertius verissimè etiam definit, eos habuisse quidem proprium in commune aliquando; sed nihilominus docuisse etiam summam paupertatem in eo, quòd aliquando nihil proprium habuerint. Neque enim hæc duo secum inuicem pugnant, Christum, & Apostolos nihil proprium in cõmune aliquando habuisse, & aliquando habuisse: nam diuersis temporibus vtrumque Christus vitæ suæ exemplo docuit, vt perfectis, & minus perfectis viam perfectionis ostenderet. Iuris quoq; quæstio est, paupertas, qua nihil proprium priuatim, & communiter possidetur, sit nec ne maior vitæ Christianæ perfectio. Et quidem Nicolaus Tertius videtur definisse esse maiorem, cum affirmat Christum in loculis, quos habebat, infirmorũ minusque perfectorum personam sustinuisse: & Fratres Minores eo ipso, quod nihil in commune possident, magis à temporarijs bonis remotos perfectiori vitæ studere: at verò Ioannes XXII. videtur oppositum definire voluisse, in eo quòd tradit Prædicatores, & Minores in arctissima viuere paupertate, nec proprietatem rerum in cõmune, quicquam de perfectione vitæ Christianæ detrahere. Immò addit prædictus Pontifex Innocentium Quintum, cum docet, arctam esse Paupertatem, qua pauca quædam priuatim, & communiter possidentur: arctiorem, cum nihil proprium priuatim, sed in commune tãtùm possidetur: arctissimam cum nulla rei proprietas priuatim, & communiter habetur, id dixisse tanquam priuatam personam, non tanquam publicam. Equidem negari non potest, nonnulla ex parte Ioannem XXII. & Nicolaum III. sibi inuicem in speciem aduersari; sed in re tamen, quæ minimè ad Fidei, & morum decreta pertineat: nec omni ex parte verè, sed in speciem tantùm, nomine, non re ipsa. Neque enim Ioannes XXII. inficiari vult maiorem esse paupertatem, cum omnia propria priuatim, & communiter abijcimus; sed id vnum solummodo contendit; maiorem non in hoc Christianæ vitæ perfectionem inesse; cum perfectio Christiana sit Charitas, paupertas verò, perfectionis acquirendæ instrumentum; quare in minus arcta paupertate maior vitę perfectio aliquando consistit. At verò Nicolaus Tertius definit, paupertatem arctiorem eam esse, qua se homines abdicant, priuatim, & cõmuniter reb⁹; ac proinde Dei causa, hoc est, charitate suscepta, esse maioris fructus, & præmij apud Deũ.

Tertia iuris quæstio, atque controuersia inter eos Pontifices est, an in rebus, quæ vsu consumũtur, Vsus à dominio seiungi queat. Nicolaus Tertius apertè tradit Vsum iuris minimè à Dominio separari; bene tamen Vsum facti: & Fratres Minores facti duntaxat vsum habere, non iuris. Ioannes verò XXII. oppositum omnino videtur ostendere: in quo etiam nonnihil, & potius in speciem, quam re ipsa videntur ij duo Pontifices sibi esse contrarij. At quæstio hæc ad Fidem, & mores non pertinet, sed ad ius Ciuile. Et si diligenter vtriusque Pontificis rationum, & argumentorum momenta ponderemus, probabilior, & verior videtur Nicolai Tertij sententia, quàm Ioannis XXII. Quod vt commodius percipiatur, sciendum est, Vsum facti esse duplicem, vnum licitum, & proinde iustum, cum rem in nostrum vsum consumimus, vtputa oleum, vinum, panem, vestem, pecuniam, & huiusmodi cætera, sed nutu, & voluntate veri domini, qui potest rem suam repetere, quamdiu consumpta à nobis non est: qualem vsum habet seruus, & etiam is, qui ab aliquo ad conuiuium inuitatur. Alter verò vsus facti est illicitus; vt cum fur rem furtiuam in aliquos vsus impendit, vterque vsus à dominio seiungitur, eo quòd dominium est ius, & facultas vtendi re in quemlibet vsum, sed quæ ex al-

terius nutu, & voluntate non pendeat. Fratres igitur Minores tanquam conuiuæ quidam, vel à Romano Pontifice, vel ab ijs, qui ipsis eleemosynas largiuntur, inuitantur, quibus nempe victus, vestitus, & cætera ad studium, cultum, ac ministerium diuinum necessaria subministrantur. Argumenta verò Ioannis XXII. probant quidem vsum iuris, qui est facultas vtendi rebus in proprium commodum, salua earum substantia, à dominio minime separari in ijs, quæ vsu consumuntur, quando talis facultas ita nostra est, vt nō sit alienæ voluntati subiecta: sed hic vsus non est facti, nec cadit in Fratres Minores. Cum ergo quæritur, num Frater Minor, quum edit panem, licitè consumat? Respondeo, licitè consumere. Cum deinde infertur, ergo iustè: Non nego. Cum subinde, ergo habet vsum Iuris: Distinguo. Habet quidem vsum facti licitè, ac iustè, quia voluntate Domini panem edit, & consumit; sed non tamen vsum iuris habet, qui ipsi absque alterius nutu, & voluntate conueniat: talis enim vsus, qui ex aliena voluntate non pendet, dominium tribuit, ac præstat in pane.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER XIII.

CAPVT PRIMVM.

De certis quibusdam Priuilegijs, Ordinibus Religiosorum Mendicantium concessis.

PRIMO quæritur, Quo modo, quaue occasione Fratrum Mendicantium Ordines fuerint prima sua priuilegia consequuti.

Antequam Mendicantium Ordines fundarentur, florebant, ab antiquis Ecclesiæ temporibus Monachorum, & Canonicorum etiam Regularium instituta: erecti verò, & stabiliti Mendicantium Ordines, multa præter Monachorum commune ius, institutum, morem, ac disciplinam solitam introduxisse, non sine causa videntur, ideoq; non multò post, maleuolorum, & obtrectatorum calumnijs, ac molestijs appeti, & infestari cœperunt: Nec vulgares homines eos vexauerunt, sed literati, & docti, qui studio nescio quo pietatis, ac veritatis adducti, & permoti videbantur. Guilhelmus quidam in oppido Amatoris apud Sequanos natus, idemque Bellouacensis Canonicus, & Odo cognominatus, de Duaco, Giraldus Sigerius, & alij Doctores Parisienses Sorbonici, non solùm in templis ad populum habitis concionibus, & in scholis publicis disputationibus, sed etiam scriptis libris multos errores in Vulgus sparsêre; docentes Religiosis, siue Fratribus Mendicantibus fas non esse docere, concionari, sacras pœnitentium confessiones audire, Sacramenta ministrare: debere item eos suis manibus laborare ad victum, & vestitum sibi comparandum; & omnino eos, qui corporis viribus valerent, ad laborandum esse adigendos: Ad hæc, non licere eis secularium Doctorum, ac Magistrorum numero adscribi, ad honorificos eorum gradus, & titulos prouehi, & insignia deferre: tādem nemini ius esse se suis rebus vniuersim abdicare; nec esse licitum ei, qui firmo corpore sit, viribusque sanis, & integris, ex cibo mendicato viuere, & sustentari.

Hisce calumnijs, & errorib⁹ sparsis, illi Theologi, vehemēter sanè Parisiensem Academiā conturbarunt: vt proinde S. Thomas opusculum exiguum ediderit cōtra impugnantes Religionem: Sanctus quoque Bonauentura Apologia, & Opusculis conscriptis eos egregiè confutauit: Alexander item Halensis nonnihil in eandem sententiam scripsit. Eiusmodi persecutionis procella excitata videtur Apostolicam Sedem tenente Innocentio Quarto. Porrò Guilhelmus ille, ab Alexandro Quarto est Romam euocatus, vbi auditus, conuictus, & damnatus Beneficijs omnibus spoliatus esse perhibetur, eiusque liber publicè igni exustus, & ipse auctor à sancto Ludouico huius nominis IX. Francorum Rege, tota Francia expulsus, & eiectus. Giraldus verò graui paralysi, & fœda lepra consumptus interijt. Guilhelmi autem liber ille, sic inscribebatur. *Tractatus breuis de Periculis nouissimorum temporum ex Augustini doctrina collectus.* In eo libello continebantur contra Mendicantium Regularium cœtus eiusmodi errores: Mendicantes Fratres esse in statu periculoso, nec saluos esse posse: Non licere alicui omnia bona sponte relinquere, nec cibo mendicato viuere, etiam Christi causa: Lethaliter peccare largientes eleemosynas Fratribus Mendicātibus. Itē quicquid scriptura refert de falsis prophetis, falsis Apostolis, & Antichristi nuncijs, intelligi de Religiosis mendicis. Et hæc fuit prima excitata tempestas, contra Mendicantium Ordines, qui subesse, & parere Academiæ Parisiensi recusabant.

Secunda exoriri cœpit sub Innocētio IIII. qui præcepit, ne Mendicantium Ordines admitterēt seculares homines ad Diuina officia audiēda diebus Dominicis, ac festis: Ne item conciones haberent ad populum in suis templis, donec omnia in singulis parochijs Missarum sacrificia facta essent; nec vllas confessiones audirent absque Parochorum permissu, & concessu. Ne vsquam concionarentur Episcopo concionante, vel alicubi concionem audiente. Item, si in eorum templis aliqui sepelirentur, ipsi Mendicantes certam pēsionem Parocho soluerēt intra octo dies, etiamsi Parochus nihil omnino petijsset.

Inde Parisienses Sorbonici supra nominati Doctores ansam arripuerant publicè docendi, priuilegia Pontificum Mendicantibus concessa, in quibus eis dabatur facultas confessiones excipiendi, &

endi, & ad Diuina officia admittendi homines sæculares, nullo modo derogare auctoritatem Parochorum; & proinde nihil huiusmodi priuilegijs obstantibus, sæculares homines sua peccata Mendicantibus confessos Ecclesiæ præcepto minimè satisfacere, nisi Parochis semel in anno confiterentur, nec rem diuinam diebus Dominicis, ac festis in sacris Mendicantium ædibus audientes, Ecclesiæ præceptum seruare, nisi in sua quisque Parochia hisce diebus interesset. Tandem eo vsque docendo, & scribendo processerant; vt Ioannes quidam de Poliaco dictus, tres errores, tum inter concionandum, tum inter docendum in scholis in vulgus disseminauerit, quorum primus erat: *Confessos Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi cõfessiones, teneri ad confitendum denuò proprio Sacerdoti eadem peccata, quæ olim fuerant confessi.* Secundus error: *Posito edicto Concilij Generalis, quod habetur in ca. Omnis vtriusque sexus, De pœnit. & remiss. Romanum Pontificem non posse facere, ne Parochiani teneantur ad sua omnia peccata cõfitenda semel in anno, proprio Parocho.* Tertius: *Non posse Romanum Pontificem, immò nec Deum quidem potestatem generalem concedere, quin confessus habentibus huiusmodi facultatem, teneatur ad confitenda iterum suo proprio Parocho eadem peccata.* Sic ille. Qui quidem errores, tanquam periculosi, necnon & valdè pernicioſi, damnati sunt à Ioanne XXII. in Constitutione, *quæ habetur inter extrauagantes communes, De hæret. & schismat.* hoc initio: *Vas electionis:* & auctor eorum dogmatum, est Auenionem vocatus, auditus, conuictus, & damnatus.

Fuêre non pauci ex Catholicis, tum Theologi, tum Canonici iuris interpretes, eisdem temporibus, ac deinceps, è quibus præcipui numerantur ij: Henricus Gandauensis, Bernardus, Hostiensis, Ioannes Monachus, Archidiaconus, Glossa, & alij; vt citant Adrian. *in 4. dè confessione, q. 5.* Sot. *in 4. d. 18. q. 4. a. 3.* immò, vt Henricus Gandauensis *quodl. 7. q. 24.* testis est, Parisijs conuocati fuerunt plures, quam duodecim Episcopi, & Theologi Doctores, & iuris Canonici interpretes; qui omnes vno ore docuerunt, priuilegia Mendicantib⁹ concessa ad confessiones audiendas, intelligi, seruato iure, quod Parochi habent de audiendis semel in anno subditorum confessionibus: non quod ita desiperent, vt Ioannes ille Poliacensis, vt Romanum Pontificem negarét posse eiusmodi priuilegia concedere, videlicet, ne confessi Mendicantibus, iterum ad confitendũ Parocho adstringerentur: sed quod negarent tam amplam facultatem eis à Romano Pontifice fuisse concessam: ergo ij Doctores de quæstione tantùm facti, non iuris locuti sunt. Hæc de procellis contra Mendicantium Ordines concitatis.

Secundò quæritur, An Religiosos Mendicantes deceat munus, publicè docendi populum? Nam *17. q. 1.* per multa capita iure communi Monachis interdicitur huiusmodi Magisterio? Respondeo cum S. Thoma *opuscul. 19. c. 2. & c. 10. & 12.* olim Monachorum Ordines non fuisse institutos, vt ministeria Ecclesiastica obirent, sed vt solitariam vitam religiosè colerent: bene tamen Ordines Mendicantium, vt ipsi, qua possent opera, & diligentia Episcopos, & Presbyteros iuuarent, desides præsertim, ac negligentes.

Tertiò quæritur, An fas sit Religiosis Mendicantibus cõcionandi munere fungi? Id ideo quæritur, quod hæc prouincia tantùm est Episcopis, ac Presbyteris iniuncta: & Monachorum est, *vt colligitur ex c. Alia causa 16. q. 1.* pasci, non pascere. Respondet idem S. Thom. concionandi officium in Episcopis quidem, ac Presbyteris esse ordinariũ, quo ratione sui muneris vtũtur; in Religiosis verò esse extraordinarium, & quod priuilegio, ac facultate cõmissa, & demandata à Romano Pontifice exequuntur, quodque quamuis initio Monachi non fecerint, postea tamen necessitate vrgente, ac compellente, obire consuetudine, ac priuilegio cœperunt.

Quartò quæritur, An Mendicantium sit Sacramenta conferre? Occasio dubitandi est, quia, vt ex Decreto Gratiani, *per multa capita* constat *16. q. 1.* ab hoc munere Monachi prohibentur. S. Thomas respondet *opusc. 19. c. 4. & c. 10. & 11.* id Episcopis, & Parochis iure ipso, & ratione muneris conuenire: Religiosis verò priuilegio, & beneficio Romani Pontificis, pro necessitate, vel vtilitate Ecclesiarum.

Quintò quæritur, Cur Religiosi Mendicantes in studia literarum incumbant, cum olim Monachi solùm quieti, silentio, solitudini, & contemplationi operam dederint? Respondet itidem S. Thom. *locis citatis, & ca. 11.* Mendicantium Ordines sese literis applicuisse: cum instituti fuerint, non tanquam Monastici Ordines ad solitariam vitam agendam tantummodo, sed ad salutem animarũ procurandam, propagandam, augendam, conseruandam.

Sextò quæritur, Cur Mendicantes Religiosi in medijs oppidis, ac ciuitatibus sua ferè Cœnobia extruant; ac proinde ciuium tumultibus exposita; cum tamen Monachi longè ab hominum cœtu, & frequentia remoti in agris, montibus, & solitudinibus sua Monasteria exædificauerint? Respondeo cum S. Thom. *locis citatis*, ideo Mendicantes in Ciuitatibus habitare, vt iuuent alios, & ipsi pariter eorum largitionibus adiuuentur, cũ Christi causa omnia reliquerint. Monachorum verò proprium non fuit alios docendo iuuare, aut se fundis, possessionibus, ac bonis stabilibus in commune abdicare.

Septimò quæritur, Cur Mendicantes viribus alioqui prædicti, manibus minimè laborent; cum ex Augustino per totum librum de opere Monachorum, ex Basilij, item & Benedicti Regula, & cap. De præsentium *16. q. 1.* manifestè constet olim Monachos manib⁹ laborare consueuisse? Respondeo cum S. Thom. *opusc. 19. cap. 5.* non idem iuris esse de Mendicantibus, quod de Monachis. Illi enim sunt instituti ad docendum, concionandum, conferendum Sacramenta; & proinde ad diligentem literis operam nauandam. Porrò, qui spiritualia seminant, meritò, ait Apostolus, temporalia metunt, & qui altari seruiunt, ex altari viuunt: Monachi verò minimè. *1. Cor. 9. Hebr. 13.*

Octauò quæritur, An liceat nobis omnia Christi causa relinquere? ita vt nihil proprium priuatim, aut communiter habeamus? Respondeo cum S. Thoma *in opuscul. 19. cap. 6.* non solùm nobis id licere facere, sed magni esse meriti, & præmij apud Deum, ac multos Sanctorum id ipsum exemplo

nos suo

nos suo docuisse. Nec est, cur quispiam opponat, eum se multis periculis obijcere, qui omnia relinquit, nil sibi reseruando: qui enim propter Christum se suis bonis spoliat, non se in pericula conijcit, cum spem in Deo ponat: is enim, cuius est omnium mentes, & corda, quò voluerit, flectere, piorum hominum charitatem in pauperes deesse non patitur. Neque verò calumniantium illa vox, Auari esse omnia retinere, nihil tribuere: Prodigi contrà, sua omnia disperdere, nil sibi reseruare; vllam vim habet. Nam qui ob Christi amorem, sua omnia in pauperes distribuit, nihil planè disperdit, nihil dissipat, quia quod pauperibus datur, Deus tâquam sibi datum, acceptum, & gratum habet. Neque huic bonorum abdicationi Dei causa factæ repugnat, quod in precatione Dominica assiduè petimus à Deo, *Panem nostrũ quotidianum da nobis hodie*, hoc est, victum necessarium. Nam Dei ope, & auxilio freti omnia sponte deserimus, quoniam nihil deest timentibus eum. Et: *Qui iactat cogitatum suum in Dominum, enutritur ab eo.*

Matth. 6.

Psal. 33.

Nonò quæritur, An voluntaria mendicitas tuta conscientia propter Christum suscipi queat? Respondet S. Thomas, *loco citato*, mendicitatem spontaneam, quæ Christi causa eligitur, magni esse meriti, & fructus. Et ineptè quidam sacras Scripturas obijciunt tanquam mendicitatem improbantes; quippe quam Sapiens, Deum orans, deprecetur: *Mendicitatem*, inquit, *& diuitias ne dederis mihi*: nec enim sacræ literæ mendicitatem spõtaneam, & in Dei cultum, & obsequium libenter susceptam improbarunt, sed mendicitatem coactam, & inuitam tantummodò. Et quamuis aliqui contendant, Christum Dominum ex eleemosynis mendicatis victitasse, sicut etiam nudis pedibus incessisse; id tamen ex Scripturis non cogimur asserere. Nec Mendicantium Ordinum paupertas hoc solo innititur, quod Christus semper mendicauerit, aut nudis perpetuò pedibus incesserit: sed in eo, quod licet ille aliquando loculos habuerit, & calceamenta portauerit, & genus pro nobis factus est; ita vt dixerit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.*

Ioan. 13.

2. Cor. 8.
Luc. 9.

Caput II.

Aliæ quæstiones de Mendicantibus Ordinibus diluuntur.

PRIMO quæritur, An Priuilegia Mendicantibus concessa ad cõfessiones peccatorum audiendas, ad conciones habendas, & ad seculares homines ad Diuina officia, in ipsorum templis diebus Dominicis, ac festis admittendos, & similiter ad eos recipiendos ad Sacramenta, & sepulturam, quam elegerint, sint abrogata? Respõdeo, nequaquam esse dubitandum, quin pro varietate temporum, ac rerum diuersa fuerint Mendicantibus ab Romanis Pontificibus data Priuilegia. In primis Gregorius IX. anno Domini 1238. Constitutionem edidit, qua omnibus Ecclesiarũ præfectis præcipit, vt Mendicantes rem diuinam facere, conciones habere, ac sacras peccatorum Confessiones audire liberè permittant: nihil aliud de hac re statuit. Eandemq; Constitutionem innouauit Innocentius IIII. anno 1245. qui tamen postea prohibuit ab his omnibus ministerijs Mẽdicantes. Sed hanc prohibitionem sustulerunt per Priuilegia Dominicanis concessa Alexander IIII. anno Domini 1255. & Vrbanus IIII. & Clem. IIII. anno 1265. & hi tres Pontifices cõstituerunt, vt confessi Mendicantibus nulla ratione cogerentur eadem peccata Parocho confiteri. Sic enim dicitur in extrauag. Ioannis XXII. *Vas electionis, De Hæret. & Schismat.* Eademque Priuilegia, sed restrictè, & angustè cõfirmauit Bonifacius VIII. Cõstitutione, quę sic incipit: *Super Cathedram Moysi*, quæ ad verbum continetur in Clemen. Dudum, De sepult. & eam postea abrogauit Benedictus XI. Constitutione, cuius initium est, *Inter cunctas, & habetur inter extrauag. communes, De priuil.* vbi ampliora facit Priuilegia Mendicantium, quæ Bonifacius restrinxerat. Ioannes XXII. *in prædicta Constitutione, Vas electionis, inter communes, De hæret. & schismat.* Ioannem vulgò dictum de Poliaco, cuius supra mentionem habuimus, condemnauit; & deinde constituit, vt confessi Fratribus Mendicantibus minimè compellerentur vi legis, aut Canonis confiteri denuò Parocho peccata; id quod ante Bonifacium definierant Alexander IIII. & Clemẽs IIII. vt in ea Constitutione refertur. Verùm Sixtus IIII. videtur hæc omnia reuocasse in Constitutione sic exordiente: *Vices illius, quæ habetur inter extrauagantes communes de Treuga, & Pace*: vbi propter controuersias inter Mendicantes, & Parochos Ecclesiarum præfectos in Flandria, & Germania excitatas, Pontifex imperat, ne deinceps Parochi dicere audeant, à Mendicantibus hæreses exortas fuisse, cum verè fides, ac religio Christi sit illorum opera aucta, & propagata, & Ecclesia illustrata. Ne item Fratres, & ipsi Mendicantes in posterum doceant, Parochianos non teneri ad rem diuinam audiendam in suis Parœcijs diebus festis, atque Dominicis: cum sit iure decretum, hisce diebus Parochianos ad id obligari. Nec similiter in posterum doceant Parochianos non obligari ad pecçata confitenda proprio parocho, saltem in Paschate, cum id præstare iure debeant. Hæc ille Pontifex ferè ad verbum. Vi huius Constitutionis nostra etiam ætate in Flandria, Gallia, & Germania lites, & dissidia vigent inter Mendicantes Fratres, & Ecclesiarum rectores; his contendentibus, rem diuinam diebus festis, & Dominicis debere in Parochijs Parochianos audire, & quotannis semel in Paschate peccata suis Parochis confiteri; contrà verò Mendicantibus oppositum dicentibus; inde nimirum arguentibus, quod post Sixtum IIII. Priuilegia à Leone X. Paulo III. Pio IIII. Pio Quinto, Gregorio XIII. permulta impetrauerint, quibus liberè cõceditur, vt in ipsorum templis quisque rem diuinam diebus etiam festis, ac Dominicis audiat: & similiter, vt Mendicantes possint liberè confessiones peccatorum excipere, ita vt confessi Parochiani Mendicãtibus compelli nequeant ad eadem peccata iterum suis Parochis confitenda.

Sed obijciat quispiam Constitutiones Synodales, immò etiam consuetudines moribus hominum comprobatas, quæ alicubi locorum extant,

quibus

quibus præcipitur, aut certè fit, vt Parochiani diebus festis, ac Dominicis in suis Parochijs rem diuinam audiant, concionibus intersint, Sacramenta suscipiant. Respondeo, eiusmodi Constitutiones, nec derogari debere, nec posse Pontificijs priuilegijs auctoritatem. Neque enim Ordinarij, Romanorum Pontificum facultatem impedire queunt; cum inferior potestas in Superiorem ius, & auctoritatem nō habeat. Vnde Parochiani harum vi Constitutionum coguntur quidem suis Parochijs adesse, sed absque vlla Pontificij priuilegij abrogatione, & iniuria, & nisi aliunde excusentur, ratione priuilegiorum, quæ Romanus Pontifex Mendicantibus concessit. Præcipiunt itaque Ordinarij, vt id seruetur & fiat, quod ius commune fieri iubet: & consuetudines locorum, si quæ sunt, Pontificijs priuilegijs abrogantur, quibus dicitur: *Non obstantibus consuetudinibus.*

Deinde obijcies ex eodem Concilio Trident. *Sess. 24. de reformatione, cap. 4.* vbi habetur: *Moneat Episcopus populum, diligenter teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Respondeo, Concilij decretum id continere, quod alioqui ius commune seruare oportet, nisi vbi quis ab eo eximitur Principis beneficio, & priuilegio.

Secundò quæritur, An duo illa priuilegia Romani Pontificis Mendicantibus concessa, vt liberè possint Laicorum confessiones audire, eosque admittere ad rem diuinam in suis templis audiendam diebus Dominicis aut festis, eo sensu intelligantur, vt laici eis peccata confessi, Ecclesiastico præcepto satisfaciant de confitendo semel in anno proprio Sacerdoti, iuxta Canonem: *Omnis vtriusque sexus. de pœnitentijs & remiss.* item præcepto de re diuina audienda in parochia Dominicis & festis diebus?

Hæc quæstio atque controuersia quamuis trecentis abhinc annis bis terúe agitata inter Fratres Mendicantes & Parochos Ecclesiarum rectores, definita iam, & proinde sopita penitus, & extincta esse videretur; nostra tamen ætate alicubi locorum excitata denuo, quasi repullulauit, ac reuixit. Sunt enim parochi, qui docere audeant, huiusmodi priuilegia non ita esse accipienda, vt laici præcepto satisfaciant, sed tantummodo, vt liberè, cùm rem diuinam spontè audiunt, aut peccatorum confessiones faciunt solius pietatis studio, id facere possint apud Mendicantes. Nihilominus confiteri semel in Paschate suo parocho ac rem diuinam audire in parochia dominicis aut festis diebus debeant, vt sic quam debent legem Ecclesiasticam seruent ac impleant: quod illi multis argumentis concludere conantur. In primis *cap. placuit, De pœnit. dist. 6.* ex Vrbano secundo statuitur. *Deinceps nulli Sacerdoti liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam suscipere sine eius consensu, nisi ob ignorantiam illius.* Vbi Glossa: *Væ sæcularibus, qui adeunt ad inclusos pro pœnitentia, & non vbi audiunt diuina per annum.* Martinus Quintus post omnia decreta Romanornm pontificum antecessorum, quæ superiori quæstione retulimus, in Constitutione, quæ incipit: *Ad vberes fructus*, ab Adrian. 4. *de Confess. q. 5.* citata, manifestè ait: *Volumus, vt ij, qui Fratribus confitentur, suis parochialibus Sacerdotibus semel in anno confiteri teneantur, vt Generale Concilium statuit.* Sixtus item Quartus, Martino Quinto posterior in Constitutione, quæ incipit: *Vices illius, & habetur inter extrauagantes communes. De treuga, & pace. præcipit, ne Fratres Mendicantes prædicent, Parochianos non teneri audire Missam in Parochijs, diebus festis & Dominicis; cùm iure sit cautum, illis diebus eos teneri ad audiendam Missam in parochiali Ecclesia; nisi forsan ex honesta causa ab ea absint: vtque prædicare desistant, Parochianos non obligari, saltem in Paschate, proprio Sacerdoti confiteri, cùm ad id iure teneantur.* Sic Pontifex: Et Maior *in 4. d. 17. q. 6.* refert Sixti Quarti temporibus quendam Fratrem vocatum Ioannem de Angelo, Tornaci aliquas propositiones publicis concionibus defendisse; quarum vna erat: Parochianus fratrib. cōfessus satisfacit Decreto *Omnis vtriusq; sexus*, nec præcepto cogitur confiteri proprio parocho semel in anno, nec ab eo facultatem petere: *Quæ*, inquit, *propositio ad nostram Parisiensem Academiam missa, cōmuni consensu omnium Theologorum iudicata est scandalosa, iuri contraria, & pro subditorum ad suos Rectores debita obedientia & reuerentia, publicè reuocanda.* Hæc ille.

Accedit: quod multi Iuris Canonici interpretes hoc idem senserint, Hugo, Bernardus, Hostiensis, Archidiaconus, & Glossa. *in c. Omnis vtriusq; sexus, de Pœniten. & remiss.* necnon & Theologi, Alexand *part. 4. quæst. 19. m. 1. art. 3.* Bonauentura *4. d. 17. art. 5. quæst. 2.* Henricus *quodl. 7. quæst. 24.* & Angelus *Confess. 3. quæst. 33.* expressim docuerunt, cùm generatim facultas conceditur, vt Concionatores liberè queant laicorū confessiones excipere; intelligitur, seruato semper parochi iure. Hoc idem tradit Angeli Scholiastes Franciscanus, Bonau. sentētiam secutus. Adde, quod priuilegium principis, quamuis cùm est præter commune ius sit latè & amplè interpretandum *l. Beneficium. ff. De Constitutionibus*: attamen cum iuri communi derogat, accipiendum est strictè, & presse, salua, & integra, quantum fieri potest, iuris communis auctoritate. Et hinc est, quod *in cap. Pastoralis, De Priu.* dicitur, vt Religiosi, quibus à Romano pontifice concessum est, vt Ecclesias sibi subiectas possint in proprios vsus conuertere, id non faciant propria auctoritate, sed per Episcopum loci: quia per indulgentiam huiusmodi Episcopali iuri non credimus derogari, & *cap. Cùm olim de Consuetud.* habetur: *Cùm aliquid cuipiam tribuitur, intelligitur, illæso iure alterius*: cap. Ex tuarum, De auctoritate & vsu pallij, Romanus pontifex dat facultatem Archiepiscopo vtendi pallio, non tamen vult, vt eo vtatur cum detrimento, & damno Ordinarij: quod ipsum quoque colligitur *ex cap. Licet, De Translat. Episcopor. & ex cap. Licet. De Offic. Iud. Ordin.* Romanorum pontificum priuilegia, & decreta, ne confessi Fratribus Mendicantibus Confessiones repetere debeant coram parochis, non eam vim habent, vt hoc ipso illi eiusmodi præcepto satisfecisse videantur. *Fatemur*, inquiunt, *non esse has confessiones iterandas ratione Sacramenti, ac si irritæ fuerint*: hoc enim est, quod damnat Ioannes XXII. *in Constit. Vas electionis. De Hæret. & Schism.* & Benedictus XI. *in alia, quæ incipit: Inter cunctas*: sed faciendæ sunt peccatorum confessiones ratione præcepti Ecclesiastici, quia iubet Ecclesia singu-

los semel in Paschate suo parocho confiteri. Et tunc non necesse est, vt omnia peccata, quæ sunt antea confessi, repetant, sed ea duntaxat, quæ voluerint; nisi post eas confessiones alia commiserint. Ea enim integrè confiteri oportet. Item, cũ Romanus Pontifex dat Mendicantibus facultatem confessiones laicorum audiendi, solùm eos approbat tãquam idoneos, vt ad eos possit parochus subditos mittere: sicut cũ Episcopus in sua diœcesi multos Sacerdotes approbat, vt habiles & idoneos, eis potestatem non facit audiendi cõfessiones in sua diœcesi sine cõsensu parochorũ, ac vt parochus ipse subdito facultatem concedens confitendi, cui voluerit, eam dare censetur, reseruata confessione annua coram se facienda. Quid etiam impedit, quo minus Romanorum Pontificum priuilegia intelligantur cõcessa Mẽdicantibus: dummodo parochi non contradixerint: nam etiam eisdem facultas datur, qua possint rem diuinam facere; & tamen intelligitur suppressa tacita conditio; Parochis minimè contradicentibus: datur facultas concionandi, & tamen supplendum est, Ordinarijs concionem non habentibus, aut minimè reluctantibus.

Adde, quod omnia priuilegia hactenus Mendicantibus data, vt possint laicis Eucharistiæ Sacramentum suis in templis ministrare, semper exceperunt communionem in Paschate, ad quã quisq; in sua parochia communi iure compellitur: nimirum, vt ius parochi integrum seruetur. Ergo idem est de annua confessione dicendum, Præterea *in l. Si domus. ff. De seruitutibus vrbano. prædio.* habetur: *Cùm ex duabus seruitutibus vna remittitur, non continuo altera tollitur:* Vt si dedero tibi facultatem altius attollendi ædificium tuum, non propterea facultatem do impediendi, ne stillicidia mea cadant in ædificium tuum. In generali item concessione non videtur tribuere Princeps, quod speciatim non fuerat concessurus, si in mentem eius venisset, *ff. De Peculio, l. qui peculij, & l. Obligationes. ff. De Pignoribus.* Item, *c. Peruenit* 11. *q.* 1. ex Gregorio I. habetur: *Si sua vnicuique Episcopo iurisdictio non seruatur; quid aliud agitur, nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus Ordo custodiri debet, confundatur?* Postremò Prouerb. 27. dicitur: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Inferunt isti; ergo debet parochus confessiones subditorum audire. Item, Parochus curæ ouium Christi sibi commissæ debet rationem reddere; ac in Paschate diuinum eis Eucharistiç pabulum ministrare: opus igitur est, vt agnoscat, quæ sint oues ad eam admittendæ, quæ ab ea repellendæ. Atq; hæc quidem parochi Fratribus Mendicantibus obiectant.

Ijs tamen nihil obstantibus, dicimus, duo illa Mendicantium priuilegia, eo sensu intelligi, vt laici vtrique Ecclesiastico præcepto satisfaciant. Nam in Concilio Lateranensi, sub Leone X. *sess.* 11. extat Constitutio ita incipiens: *Dum intra*, vbi manifestè statuitur, *Fratres Mendicantes legitimè ab Ordinarijs approbatos posse externorum confessiones audire, ita vt qui ipsis fuerint confessi, prædicti Iuris constitutioni, Omnes vtriusque sexus, satisfecisse censeantur.* Idem Leo X. *vt habet in supplemento Priuilegiorum concessio, nu.* 20. & refert Nauarr. *in Manual. c.* 28. *num.* 5. sic statuit: *Auctoritate Apostolica tenore præsentium notum facimus, omnes Christi fideles vtriusque sexus, qui non contempto proprio Sacerdote parochiali, in Ecclesijs Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicus, & alijs festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamue propterea incurrere.* Sic ibi: Cùm autem Leo X. fuerit Martino V. & Sixto IV. longè posterior, sequitur, vt quicquid sit de illorum Pontificum Constitutionibus, standum sit Leonis X. decretis, siquidem post huiusmodi decreta nihil aliud est ijs contrarium constitutum. Neque officit, si dixeris Leonis X. Constitutiones non esse vbique receptas: nam eæ duæ Constitutiones, sunt priuilegia Mẽdicantibus concessa, & cùm abrogata non sint, vim vbique habere queunt, nec eam amisisse, sed adhuc retinere meritò censentur. Accedit, quod Leo X. declarauit. Minus item obstat, quod quidam Parochi contendunt, suis in Parochijs esse consuetudinem diutur no vsu receptam, vt laici semel in Paschate suo parocho confiteantur, & diebus Dominicis ac festis in parochia solemni Missarum sacrificio intersint: quippe talis consuetudo nihil aliud est, quàm Iuris communis cõfirmatio; quare sicut ius commune locum habet, vbi Romani Pontificis priuilegia ei nihil derogant: sic etiam consuetudo intelligi & explicari debet, nisi Laici Pontificijs priuilegijs excusentur. Accedit, quod consuetudo non excludit, ac prohibet, quo minus laici ad Mendicantes accedant confitendi, & rem diuinam audiendi gratia, sed solùm habet, vt parocho confiteantur semel in Paschate, & in parochia diuinis intersint: Sed qui vnum affirmat, aut ponit, non continuo alterum negat, aut tollit, nisi id exprimatur. Illud etiam nil impedit, si dixeris Constitutiones alicubi extare synodales, quibus præcipitur, vt laici semel in Paschate suo parocho confiteantur, & rem diuinam in parochijs audiãt. Een im huiusmodi Constitutiones ius tantummodo cõmune confirmant: quare iuxta communis iuris intelligentiam intelligi, ac declarari debẽt. Nec verò Episcopi, & alij Ordinarij Pontificia abrogare priuilegia, aut restringere vllo modo queunt; cùm inferior potestas in Superiorem non habeat auctoritatem. Vnde Antonin. *p. a. 2. tit. 9. c. 10.* Siluest. *Missa. 2. q. 5.* Tabien. *Miss. q. 51.* Nauar. *c. 21. nu. 5.* testantur eas Constitutiones, Synodales inquam, quatenus Pontificijs priuilegijs repugnãt, nullius esse firmamenti. Adde, quod Adrian. *4. de confes. q. 5.* Medina *de Confess. q. 39.* Maior *4. d. 17. q. 7.* Sotus *4. d. 18. q. 4. a. 3.* Nauar. *de Pœnitent. d. 6. c. placuit. n. 56. & seqq. & in Manual. c. 21. nu. 5.* qui expressim de hac controuersia disputarunt, apertè sentiunt, Laicos, qui ad Mendicantes confessionis faciendæ, ac diuinæ rei audiendæ causa accedunt, vtrumque Ecclesiæ præceptum seruare & implere. Ad extremum non est dubitandum, quin reuera illi præcepto satisfaciant, quando parochi, vel negligentes, aut imperiti, aut rudes, & ignari, aut licentioris vitæ sunt: atque hoc perspicuè tradiderunt Alexander, Bonauentura, & Maior, supra citati. Deinde non est dubium, quin sicut ipse parochus & Episcopus talem facultatem dare possunt, Romanus etiam Pontifex cõcedere queat, cùm sit illis Superior: quæ

stio autem facti est, det eam necne Mendicantibus: Certè eam dare censetur, cùm Leo X. expressim declaret se illam facultatem dare, ita vt satisfaciant Ecclesiæ præceptis laici in Mendicantium Ecclesijs audientes, aut percipientes diuina. Tandem quæ hactenus diximus, vera sunt, & nihilominus fratres docere publicè, aut concionari non debent, laicos non compelli iure ad confitendum Parocho semel in anno, nec ad rem diuinam in parochia audiendam Dominicis & festis diebus: quoniam etsi ratione Priuilegiorum ad eos tuta conscientia accedunt, iure tamè communi debent ad parochos & parochias suas adire. Et hoc est, quod Benedictus XI. & Sixtus IV *in suis Constitutionibus* voluerunt, nempe vt fratres moneant, & hortentur laicos ad sistendum se parochis: vtrumque enim verum est, & eos ad id communi iure compelli, & nihilominus ab ea obligatione liberari. Et sicut iure communi *in c.2. de Parochijs*, præcipitur, ne quis contempto parocho, rem diuinam audiat extra parochiam diebus Dominicis & festis, sic etiam priuilegia fratribus mendicantibus concessa, hoc idem ius cõmune continent; nec enim priuilegium datur, vt quis suum parochum contemnat, sed vt absque contemptu parochi liberè possit in Mendicantium ordinum templis rem sacram audire. Nam Benedictus *in Constitutione quæ incipit: Inter cunctas, & habetur inter communes, De Priuil.* sic ait: *Cæterùm licet, sicut prædicitur, de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata; tamen, quia propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, vt eorumdem peccatorum iteretur cõfessio, reputamus salubre: districtè iniungimus, vt Fratres eos, qui ipsis confitentur, attentè moneant, & in suis prædicationibus exhortentur, vt suis sacerdotibus saltem semel in anno confiteantur, asserendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere.* De cæteris priuilegijs quæ fiunt auctoritate & beneficio Romanorum pontificum Mendicantium Ordinibus concessa, alio in loco tractabo.

Cap. III.

De Militaribus Religiosis Ordinibus.

PRimò queritur, Quinam Militares ordines intelligantur? Resp. eos omnes intelligi, qui tribus Religionis votis adstricti, formulam aliquam viuendi auctoritate Ecclesiæ approbatã professi, cum hostibus fidei & religionis Christianæ bella siue naualia, siue terrestria committunt. In hosce Ordines tria solent hominum genera cooptari. Alij enim sunt viri nobiles, qui tanquam quidam sacri milites instar Machabæorum, pro fide ac lege Christi cum Turcis & Saracenis fortiter dimicant: Alij verò sunt Clerici, qui ad diuina mysteria obeunda recepti, in ipsorum Ordinum Collegijs, ac sacris ædibus commorantur in Choro, cantant diuinas laudes, Missarum sacrificia faciunt, Deum pro militibus precantur, & solent Ecclesijs præfici, ordini militari subiectis, aliquando etiam tanquam Cappellani, cum ipsis sacris equitibus in militia versantur, ad eorum confessiones excipiendas, & rem diuinam faciendam & eis venerabilem Eucharistiam impertiendam. Alij denique admittuntur ad domestica munera & ministeria exequenda, qui tum Clericis, tum militibus inseruiunt. Hi Ordines vocantur militares, quoniam sunt ad militandum instituti: Religiosi verò, quod milites in hos ordines recepti, tribus se Religionis votis obstringunt: Sacri, quoniam Regulam Ecclesiæ auctoritate approbatam profitentur, Deo tribus votis deuincti & addicti: ad diuincandum pro fide & auctoritate Christiana.

Secundò quæritur, An Militares Ordines sint verè, absolutè, & simpliciter Religiones? Sot. *l.7. de iust. q.5. a.3. ad* 3. Sarm. *l. de reditib. Eccles. p.4. c.1. n.13.* Cou. *in 4. lib. decret. de Matrim. p.2 c.3 §.1 n.18.* prope finem, censent eos Ordines militares, qui Regulæ instituto, Castitatem tantummodo coniugalem profitentur, nequaquam esse simpliciter, verè, ac propriè Religiones: bene tamen eos Ordines, qui absolutè & simpliciter Castitatem Deo pollicentur. Vnde, inquiunt, militaris ordo eorũ qui dicuntur Hospitalium S. Ioannis Hierosolymitani, est simpliciter religio: nam eius milites absolutè castitatem vouent, nec matrimonio copulari vtiúe queunt. At Ordo eorum, qui dicũtur milites S. Iacobi in Hispania, non est propriè, & simpliciter Religio, eo quòd huiusmodi Milites absque vlla Pontificis auctoritate, sed sola facultate à Magno Magistro impetrata, in matrimonio vxores habere possunt, quia Regulæ instituto, solum castitatem coniugalem promittunt. Id Sotus concludit ex eo, quod ad Religionis substantiam & naturam pertineat Castitas absolutè & simpliciter voto promissa, non autem sola Castitas coniugalis. Deinde quia S. Tho. 2.2. *q.186. a.4.* apertè fatetur, eos viuendi modos, in quibus homines matrimonio vtuntur, non esse absolutè & simpliciter Religiones, sed quadam ex parte, quatenus scilicet quædam habent, quæ ad Religionis statum pertinent. Accedit, quod huiusmodi militares Ordines, non Religiones, sed Ordines appellantur.

Cæterùm Nauar. *in tract. de reddit. Eccles. q.1. n.55. & q.3. n.27. & n.29. & conf.21. de regularib. & conf.23. eo tit.* Fortunius Garsias *in consilio edito pro militia S. Iacobi 2.p. versic. Præterea.* probant Milites S. Iacobi professos, & cæteros similes esse verè & propriè Religiosos, eo argumento permoti quod huiusmodi sacri milites tria vota emittunt, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ sub Regula Ecclesiæ approbatã, nimirum aut S. Augustini, aut S. Basilij, aut S. Benedicti. Deinde quia tales Ordines auctoritate Romani pontificis sunt approbati, & in ipso Pontificiæ approbationis diplomate absolutè & simpliciter Religiones vocantur.

Sciendum est in præsenti loco quæstionem nõ esse, an militares Ordines, quatenus continent Clericos ad Chorum & diuina ministeria admissos, sint verè & simpliciter Religiones, & Clerici professi verè Religiosi; eo quod Castitatẽ simpliciter vnà cum paupertate & obedientia solẽni voto profitentur. Solùm quæstio est, an sacri Milites sint verè, & simpliciter Religiosi. Et Sotus quidem & alij libenter concedunt, Militarium Ordinum equites, qui ex Regulæ instituto non solùm Castitatem coniugalem, sed Castitatem simpliciter pollicentur, esse verè & simpliciter Religiosos, si simul etiam solemni voto promittant paupertatem & obedientiam perpetuam. Abb. tamen *in rub. de regular.* cuius sententiam se-

quuntur Ang. *religio. n. 1.* Silu. *religio. 1. q. 1.* Armil. *religio. n 3.* Mandos. *super regul. 3. Cancellariæ q. 11. n. 3.* manifestè docet Milites Hospitalarios etiam Hierosolymitanos, non esse propriè & strictè Religiosos, sed latè tantummodo. Quare difficultas huius quæstionis tota in eo versatur, An tum qui Castitatem coniugalem vnà cum Obedientia & paupertate, tum qui Castitatem simpliciter promittunt, sint verè Religiosi? Item, An milites, qui paupertatem non vouent, quamuis Castitatem simpliciter & charitatem promittant, sint verè & propriè Religiosi.

Deinde illud est etiam notandum, superioribus tẽporib. in Hispania duo fuisse in dubiũ vocata: Vnũ, An equites triũ Militariũ Ordinũ, qui vocantur nomine S. Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ, sine vlla Romani Pontificis auctoritate, sed solo magistri concessu vxores ducere & habere possent? hoc est, An ex Regula & instituto coniugalem solùm Castitatem profiterẽtur? Alterum, An expediret, vt Romani Pontificis beneficio, Castitatis voto soluti, vxores ducerent, & matrimonio vterentur? Cumque horum trium Ordinum origo, & pontificia approbatio, eiusque diplomata & Annales diligenter euoluerentur, compertum tandem est, Clericos in Ordinem S. Iacobi admissos, instituto Regulæ Castitatem quidem simpliciter vouere, Milites verò Castitatem non simpliciter, sed tantùm coniugalem; & ipsius Ordinis Constitutionibus prohiberi, eos sine Magistri consensu sibi vxores adiungere. At verò Milites Calatrauæ, & Alcantaræ, sicut etiam Clerici in eos Ordines cooptati, ex Regulæ præscripto Castitatem simpliciter pollicebãtur. Quare disputari cœpit tunc temporis à viris doctis, præstaret nec ne, Milites Calatrauæ & Alcantaræ, cùm deinceps professionem emitterẽt, coniugalem tantummodo Castitatem vouere more militum S. Iacobi. Et valuit multorum opinio, satiùs fore, vt eam Castitatem solam profiterentur in posterum Romani pontificis auctoritate ad id impetrata. De ea itaque re consultus Romanus pontifex, sua auctoritate constituit, vt Milites deinceps coniugalem solummodo Castitatem Regulam, profitendo, vouerent, ac proinde vxores possent ducere & habere, à Magistro Ordinis facultate impetrata. Iis verò militibus, qui tunc temporis viuebant, & Castitatem simpliciter promiserant, priuilegium concessit, vt si vellent, vxores ducerent: eorum enim votum sua pontificia potestate relaxauit, vt sic omnem maiorum & plurium peccatorum occasionem præcideret. Nunc igitur Milites siue Iacobi, siue Calatrauæ, & Alcantaræ, cùm professionem emittunt, Castitatem tantum coniugalem pollicentur, & ex suis Constitutionibus non nisi Magistri consensu, vxores accipere queunt. Quare de hisce Militibus ac de similibus quæstio est, an sint verè, siue propriè & simpliciter Religiosi? Nauarrus quæstionem confundit, & promiscuè loquitur de Militibus, qui iuxta Regulæ præscriptum Castitatem simpliciter spondent, & de ijs, qui cõiugalem solum Castitatem profitentur: ac immeritò sanè contra Sotum, & quosdam alios hinc, & illinc argumenta congerit ad probandum, omnes Milites Ordinum Religiosorum esse simpliciter Religiosos: quæ tamen argumenta mihi certè non videntur Sotum omnino conuincere. Etenim negari non potest id, quod S. Thomas docet, posse Religionem ad militandum instituì: & institutam eam, ac Romani pontificis auctoritate confirmatam, esse verè & simpliciter Religionẽ: ita tamen vt eam Castitatem profiteatur, quam Religionis natura & substantia postulat, nimirũ castitatem simpliciter, & non solam coniugalẽ. Ipse enim S. Th. perspicuè tradit, non esse simpliciter Religiosos, qui matrimonio vtuntur: Nec est inficiandum, in Pontificijs literis, & Constitutionibus, Militares Ordines appellari Religiones simpliciter. Sed fortassis, hoc ideo est, quia constant Clericis & Militibus Castitatem simpliciter profitentibus: qui voto paupertatis & obedientiæ adstricti, in domicilijs, Conuentibus, siue Collegijs commorantur, ac viuunt, Abbatis siue Prioris, aut Magistri curæ potestatique subiecti. Sed quæstio est, an etiam Milites omnes Ordinũ prædictorum sint simpliciter Religiosi? Item, quæstio non est, an sacri milites sint Religiosi, sed an sint verè & propriè Religiosi. Nec etiam Nauar. firmè concludit, Milites esse verè & simpliciter Religiosos, ex eo quòd S. Iacobi equites, S. Stephani, Calatrauæ & Alcantaræ Milites, S. Augustini, aut S. Benedicti Regulam, Cistercienſium more profiteantur. Nam profitentur quidem Castitatem, sed non ita, vt Regula S. Augustini, aut Benedicti præscribit, sed eo modo, quo ipsorum Militarium Ordinum Constitututiones illam tẽperarunt atque mitigarunt. Vouent enim illi Castitatem tantum coniugalem; cùm tamen S. Augustini Regula, vel S. Benedicti Castitatẽ simpliciter præscribat. At inquies: Quemadmodum votum obedientiæ, paupertatis siue pro varietate Religionum est arctius, aut laxius; ita votum quoq; Castitatis potest esse maius & minus. Resp. idem iuris esse de voto paupertatis & obedientiæ, quæ de Castitatis voto, in hoc, quod sicut natura Religionis exigit, vt Castitas non tantum coniugalis promittatur, sed etiam castitas simpliciter: sic etiam requirit, vt Religiosus non sit sui iuris, sed alienæ voluntati subiectus, nec propriè sua voluntate, sed Superioris vtatur, quamuis obediendi vsus, & proprijs vtẽdi data facultas, pro varietate Religionum maior minorue, arctior, aut laxior esse queat. Nec item si Milites gaudent Religiosorum priuilegijs, & redditus annui ipsorum fidei & curæ commissi siue Commendæ, quas vocant, aliqua Beneficiorum Ecclesiasticorum priuilegia habeant, continuò sequitur, vt sint simpliciter Religiosi. Nam non idem est, Religiosum esse quod Religiosi priuilegijs gaudere: nec idem Beneficij Ecclesiastici priuilegio honorari, quod, Beneficium esse Ecclesiasticum. Non igitur sunt propriè & simpliciter Religiosi, qui tantum coniugalem Castitatem profitentur: aut qui iuxta regulæ professionem proprium habere queunt. Vnde ij etiam Clerici, qui tria quidem vota faciunt, Castitatis simpliciter, obedientiæ perpetuę, & paupertatis, sed paupertatem ita laxam promittunt, vt iuxta suæ regulæ professionem proprium habere permittantur, non sunt verè & propriè Religiosi: quoniam *in c. Cùm ad Monasterium, de stat. Monachorum,* dicitur, sicut religioni per se, &

intrinsecus

intrinsecus annexa est castitas, ita etiam abdicatio proprietatis: ergo non est simpliciter Religiosus, Clericus, qui iuxta Regulæ suæ professionem permittitur habere proprium: & ideo eiusmodi clericus iure communi capax est Beneficij secularis, & Ecclesiasticæ pensionis, cùm tamen Beneficia sæcularia Regularibus Clericis, & contra Beneficia Regularia Clericis sæcularibus iure communi conferri nequeant *c. Cùm de Beneficio, de præben. in 6. & c. 2. de stat. Monach.*

Tertiò quæritur, An Milites S. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, & alij similes, qui coniugalem tantùm Castitatem, cum paupertate & obedientia vouent, sint verè & simpliciter Ecclesiasticę personę? Quidam negauerunt tales esse, nec vt tales gaudere priuilegio Canonis, aut fori; verùm si hisce priuilegijs potiantur, id solum habere Romanorum Pontificum beneficio, non autem aliunde. Id ita colligunt: quia iure communi in Ecclesiasticam personam Digamia, aut Irregularitas ex homicidio contracta non cadit, sed hi Milites, aut equites vi, & ratione instituti, & professionis suæ digami esse queunt: & cùm ad nullos Ordines prouehantur ex hoc, quod bello iusto homines interimant, irregularitatem non contrahunt, qua sua munera obire, & ministeria exequi prohibeantur; cùm tamen Clerici homicidæ, irregularitate afficiantur, qua à suis Ecclesiasticis functionibus arcentur. Accedit, quod Ecclesiasticę personę sunt Beneficij & pẽsionis capaces; at Milites eiusmodi cũ matrimonio vtãtur, beneficij & pensionis capaces iure communi nõ sunt.

Nauarrus *in tract. de reddit. Eccles. q. 1. monit. 55. & q. 3. monit. 27. & 29. & consil. 20. & 23. de regularib.* multis argumentis cõcludere nititur, eos Milites esse verè & simpliciter Ecclesiasticas personas, & tanquam tales frui priuilegio Canonis ac Fori; ita vt iure communi coram Magistratibus ciuilibus conueniri nequeant: quod est, & dicitur priuilegium Fori: quodq; si quispiam manus violentas intulerit, in excõmunicationem Canonis incurrat. *Si quis suadente Diabolo, 17. q. 4.* Nec obstat, inquit Nauarrus, quod Digami esse queant, & quod bello hostes trucident: Siquidem id est illis concessum Romani Pontificis beneficio. Siluester *in verbo, Ecclesia 1. q. 5.* ait Milites religiosos, quamuis matrimonio vtantur, priuilegijs nihilominus Clericorum gaudere: & hoc ita docuisse Ioannem Lignanum, & Bartholum: idem testatur de Militibus, qui vulgò de Spatha vocantur, & rubræ Spathæ signum in pectore deferunt. Sine dubio Siluester intelligit Milites S. Iacobi. Sed Abbas *in ca. quamuis, de decim. & in Rub. de Regular.* apertè docet Fratres S. Ioannis Hierosolymitani, qui sunt milites ad bella gerenda, Religionem professos, esse laicos, & tamẽ decimas percipere, quia sunt quasi Religiosi, insinuat tamen eos priuilegio Canonis, & fori potiri. *in c. Canonica. de sent. excom.* scribit Pontifex Magistro, & fratribus Hospitalis Hierosolymitani, vbi cõcedit facultatẽ, vt Prior, qui toti fratrum Cõuentui præest, possit absoluere fratres sibi subiectos in excõmunicationem lapsos, eo quòd manus violẽtas iniecerint in Clericum, vel in alium fratrem, nisi quando excessus fuerit enormis. Glossa & Archid. *in c. quisquis 17. q. 4.* sentiunt priuilegio Canonis gaudere Templarios, Hospitalarios.

Verùm enimuerò tota hæc controuersia potius est nominis, quàm rei. Nauarr. enim *locis citatis*, contendit, Milites Clericorum priuilegijs & immunitatibus potiri, eo quod sint verè & simpliciter Religiosi, & proinde Ecclesiasticæ personæ. Alij verò negant eos, cùm non sint simpliciter religiosi, Ecclesiasticas esse personas; nisi alioqui quatuor Minoribus Ordinibus initiati, aut certè Clericorum tonsura insigniti fuerint; prærogatiuis tamen Clericorum frui, Romanorum pontificum concessu. Mihi certi iuris videtur esse, eos milites, qui coniugalem promittunt tantummodo castitatem, Clericorum immunitatem habere in ijs, quæ Romani tribuere Pontifices, in cęteris non item. Non solùm enim illi arma tractãt, amictu laicorum vtuntur quamuis Crucis signo notato, Clericorum demum tonsura carent; verùm, & in aulis & Curijs Principum versantur, & degunt, in suis domibus habitant, vxores ducunt, filios procreant, & familiam administrant. Milites verò ordinum quales sunt hospitalenses S. Ioannis Hierosolymitani, & cæteri similes, qui vnà cum paupertate & obedientia Castitatẽ, simpliciter profitẽtur, cùm strictiùs & propriùs sint religiosi, magis Ecclesiasticæ personæ censentur, & tanquam tales Clericorum priuilegijs honorantur: quamuis in ijs, quæ pertinent ad Iuris Canonici pœnas, Clericis minimè omni ex parte æquiparentur.

Quarto quæritur, An iura annuorum reddituum, quę Militarium Ordinum equitibus commẽdata ad vitam conferuntur, & passim Commẽdæ vocantur, sint verè & simpliciter Ecclesiastica Beneficia, ita vt nomine beneficiorum intelligantur in iure communi, & ipsi milites, quibus commendantur, nomine Beneficiariorũ significẽtur? Nau *in tract. de redd. Eccle. q. 3. mon. 27. ad fin. & q. 1. monit. 55. nu. 6.* talia esse opinatur, eo in primis argumento, quod sint redditus annui, qui ex decimis Ecclesiasticis colligũtur. Deinde, quia nequeunt nisi Militib ipsius Ordinis Regulã professis, ipsiusq; Ordinis habitũ gestãtib. cõcedi: Nec eiusmodi redditus cõferendi ius habet, nisi Magister Ordinis, vel is, qui totius Ordinis administratione fungitur. His accedit, q̃ his redditib. Beneficiorũ priuilegia cõceduntur. Sũt. n. liberi à tributis, & alijs oneribus, quæ solent principes bonis & rebus ciuium imponere: nec ex ipsis Milites decimam partem fructuum soluunt Ecclesijs, præterquam suis Ordinibus. Postremò, quia in his annuis redditibus conferendis, permutandis, & dimittendis potest aliquando Simonia committi: vt si pecunia, vel aliquid aliud pecunia æstimabile detur, vel accipiatur pro ipsis: & nomine Beneficiorũ appellantur Prioratus, Præceptoriæ. Alij verò censent, dictos redditus annuos Militibus commendatos ad vitam, nequaquam esse Ecclesiastica beneficia, eo quòd Beneficium Ecclesiasticum, sit ius percipiẽdi fructus, ex bonis Ecclesiæ, ob ministerium, & munus diuinum, ob aliquam administrationem sacram; at Militibus non dantur huiusmodi redditus ob munus aliquòd Ecclesiasticum, quo funguntur, sed ob militiam in qua se strenuè & religiosè exercent. Nam huiusmodi

redditus

redditus annui commendantur militibus religiosis, vt bona, ex quibus percipiũtur, administrẽt, conseruent, & tueantur, tanquam bona ipsorum Ordinum, ne pereant ex toto, vel ex parte. Item Beneficium Ecclesiasticum est cum præcepto, & & lege Officium diuinum persoluendi, & Clericorum vestem & habitum deferendi: requirit etiam, vt minimum, primam Clerici tõsuram: nec confertur homini coniugij vinculo adstricto: cũ tamen nihil horum huiusmodi redditibus cõueniat. Nec satis est, si ex decimis sint detracti, & sint fructus ex bonis Ecclesiæ percepti: quoniam etiam portio, quæ ex bonis Ecclesiæ datur alicui ob munus docendi grammaticam Clericos, aut pulsandi cymbali, aut aperiendi, claudendiq; tẽpli ianuas, nequaquam est Beneficium Ecclesiasticum, cùm id minimè conferatur ob munus, & functionem sacrã Nec sufficit, si ea priuilegia habere videantur, quæ sunt beneficijs Ecclesiasticis cõcessa: quia cùm sint redditus & fructus, qui ex bonis percipiuntur, gaudent quoq; priuilegijs, q̃ bonis Ecclesiasticis cõueniunt: sunt enim ipsarũ Militarium Religionũ bona, & proinde sunt Ecclesiastica bona, hoc est, sacris religionibus dedicata, ad onera religiosorum Militarium Ordinũ sustinenda. Mandos. *Com. super reg. 3. Cancell. q. 11 n. 3.* ait: *Isti milites Hierosolymitani, & similes non dicuntur propriè Beneficiarij, nec propriè religiosi.*

Annotandum est, Militaribus Ordinibus pia munificentia & largitione principum, & liberali aliorum hominũ donatione tributa esse, ac data bona plurima, ex quibus Romani aliqui Pontifices portiones quasdam detraxerunt, & Ecclesiastica beneficia constituerunt. Magistri itidem Ordinum, vt alij quoque primarij milites Cõmẽdatarij ex fructibus suorum reddituum Ecclesias aliquas fundarunt, & dotarunt; aliquas præterea, communi omnium consensu, Magistri, & Milites fundarunt, & dotarunt ex communibus Ordinis bonis.

Sunt item hisce Ordinibus multę Ecclesiæ Romanorum Põtificum auctoritate in perpetuum adiũctæ, & annexæ; quibus omnib. Ecclesijs præficiũtur Clerici ipsorummet Ordinum militariũ.

Inter omnes conuenit, huiusmodi redditus annuos Ecclesiasticos, qui tanquam debita alimenta & stipendia Ordinum Clericis conferuntur, esse verè & simpliciter beneficia Ecclesiastica, quoniam sunt iura percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ ob ministerium Ecclesiasticum quo ipsi Clerici inseruiunt Ordinũ Ecclesijs, quibus præsunt, quarumq; Rectores sunt, aut Præpositi, aut Vicarij, aut Priores, aut Parochi, aut Cappellani vocati. nec huiusmodi Clerici, cũ Religiosi sint, Beneficiorum sæcularium capaces sunt.

Caput igitur quæstiõnis est de annuis redditibus, qui ad vitam commendantur ordinum Militibus: qui dicuntur Commendæ, cùm tamen cætera Beneficia, quæ Clericis professis dantur, Beneficia verè, & propriè appellentur. De prædictis igitur Commendis, illud compertum esse mihi videtur, eos redditus ex parte Beneficiorũ priuilegijs potiri, cũ sint fructus ex bonis Ecclesiæ collecti. Sed in iure cõmuni appellatione beneficiorum Ecclesiasticorum non intelliguntur, quoniam quamuis sint Ecclesiastica bona, non tamen dãtur, vt beneficia Ecclesiastica, ob ministerium Ecclesiasticum: nam pensiones etiam Beneficijs impositæ, sunt bona Ecclesiastica, non autẽ beneficia. Nec satis est, ea dari non posse, nisi ab Ordinis Magistro, nec alijs præterquam Religiosis ipsius Ordinis militibus: quoniã cùm sint bona Religionis, aliter conferri nequeunt nisi Religiosis, & ab eo, qui toti Ordini Militum præest. Accedit his, quod in ipsis Militaribus Ordinibus Commendæ (vt vocantur) distinguuntur à Beneficijs ipsorum Ordinum: & ad Beneficia Clerici professi eliguntur & promouentur: Commendæ militibus committuntur. Item, pari ratione, ipsi Milites, quibus commendantur, potius mihi videntur obtinere ministeria, officia, & administrationes, quàm beneficia Ecclesiastica: non secus, ac ipse etiam Magnus Ordinis Magister potius censetur dignitatem, administrationem, & officium, quàm beneficium Ecclesiasticum habere. Cæterum negari non potest, quin nonnulli eiusmodi redditus annui, nomine etiam Beneficiorum appellentur, nimirum Prioratus, Præceptoriæ, quales Militaris odro S. Ioannis Hierosolymitani per vniuersas Christiani nominis prouincias obtinet. Quo autem modo Simonię labes cõtrahatur in his conferendis, acquirendis, permutandis, deponendis, inferius declarabo. Testatur Iacobus Bossius *in hist. Ordin. S. Ioan. p. 2. l. 14.* Innocẽtium 8. priuilegium Ordini S. Ioannis Hierosolymitani dedisse: in quo dicit se nunquam daturum prioratus, Commendas, aut Beneficia Ordinis, quamuis in Curia Romana vacent: relinquit liberam facultatem Magno Magistro Ordinis, qua ea conferat, declarat eosdem prioratus, Cõmendas, & beneficia in reseruationibus Pontificijs non comprehendi. Idem priuilegium confirmauit Pius IV. *in const. quæ incipit. Circumspecta Romani Pontificis.* Vnde *in regula 3. Cancellar.* sic habetur: *Reseruauit etiam Prioratus, Præposituras, ac alias Dignitates Conuentuales & Præceptorias Generales quorumuis Ordinum, sed non Militiarum.*

Quintò quæritur, An saltem ij Regulares, qui Commendatarij dicuntur nomine S. Spiritus in Saxia, vel S. Antonij Viennensis, in Gallia, & extra Galliam, sint Beneficiarij. & beneficia habere censeantur? Nauarrus *de regul. consil. 70.* docet eos esse Beneficiarios simpliciter, & annuos redditus, quos habent, esse simpliciter beneficia. Certè alia ratio est de his, atque de redditibus annuis qui commendantur equitibus Militarium Ordinum; nam hi non sunt Ecclesiastica auctoritate tales redditus facti, vt in beneficia transierint: Sed sunt bona ipsarum religionum militarium, quæ vt conseruentur & augeantur, commendantur Militibus professis, qui ea administrent, tueãtur, & curent, & ex ipsorum fructibus commodè sustententur: at reditus annui, qui non commendantur nisi Clericis S. Spiritus in Saxia, vel S. Antonij Viennensis, videntur tales esse, vt transierint in beneficia Regularia, & proinde Manualia Clericis professis dari solita.

Cap. IV.

Aliæ quæstiones de eadem re dissoluuntur.

PRimò

PRimò quæritur, An Milites Commendatarij habeant titulum redditurum annuorũ, quos habẽt, an verò solùm habeãt eos redditus cõmẽdatos suæ fidei, & curæ? Ex vna parte nõ videtur titulũ habere, quia ipsis huiusmodi redditus Cõmendantur. Ex altera parte si titulũ non habent, colligitur, vt nihil inde accipere queãt, nisi quod est necessariũ ad victum & quod superest, restituere debeant Religioni, & rationem reddere suæ administrationis, & curæ. Respondeo, eos titulũ non habere: nam appellatione tituli in hac parte intelligitur dominiũ, vel quasi dominiũ; at cum Milites solemni voto sint paupertatẽ professi, dominium non habent; æquiparantur tamen ijs, qui dominium, vel quasi dominium, hoc est, titulũ habent, quoniam de fructibus, quos percipiunt, statuunt, quod volunt superiorum permissu, & certam pensionẽ quotannis Ordini soluunt, maiorem, minoremue, prout ab illis exigitur, ac proinde eos fructus, dum viuunt, liberè dispensant. Olim cum Militares Ordines religiosi sunt instituti, Milites omnes, vti Religiosi in Conuentu communiter viuebant, & inde ad bella procedebant: paulatim est vsu introductum, vt Militibus certa religionis bona committerentur, quæ sua cura, & diligentia administrarent; & idcirco extra conuentũ viuere cœperunt singuli, vt bona sibi cõmissa curarent: deinde consuetudine etiam obtentum est, vt alij quoque Milites, qui Commendatarij non sunt, extra Conuentum cõmorarentur expresso, vel tacito Magistri consensu. Et his permissum est, vt viuant ex bonis, quæ à parentibus, vel fratribus, vel cognatis, propinquis, vel amicis, vel alia ratione habent. Principio verò non quibuslibet bona Religionis administranda committebantur, sed senioribus, antiquioribus, & ijs, qui vel erant iam emeriti Milites, vel ad Militiam inepti ob ætatem, vel incommodam valetudinem. Item, committebantur tunc temporis, hæc bona religionis ea ratione, vt eiusmodi Milites ex ipsis bonis victum tantùm sibi necessarium perciperent, ac reliquum Religioni conferrent: & ideo suæ administrationis rationẽ reddere cogebãtur: sensim inuectus est vsus, vt Milites commendatarij certã portionem ex fructibus religionis reseruent, & reliquum impendant in vsus bonos, quos voluerint. Immo quidã eorum, vsu quoque recepto, tantùm in charta describunt quotannis, & ostendunt Magistro, quid possidẽt. In his omnibus Milites votũ Paupertatis, quod faciunt, non violant, aut frangunt, dum annuos redditus commendatos possidẽt ad nutum, & voluntatem Magistri, vel alia bona habent aliunde, ex quibus viuunt, & sustentantur, & quę in bonos vsus insumunt superiorum permissu. Nam religiosi professi pari ratione beneficia regularia habent, ex quibus fructus percipiũt, sed ea beneficia sunt Manualia, hoc est, nutu Superiorum conferuntur, retinentur, & repeti iure queunt. Fit hinc est, vt Beneficia regularia, quamuis religiosis voto Paupertatis adstrictis dentur, non solùm commendari, sed etiam vnà cum titulo, aut quasi titulo dari dicantur, quia reuera licet ij, quibus dantur, dominium Beneficiorum non habeant, liberam tamẽ administrationem & vsum accipiunt, & possident ad nutũ superiorũ, vnde superiores cũ ea Beneficia dant, promiscuè vtũtur verbis iuris. *Conferimus. Instituimus*, quibus verbis titulus significatur: & verbis, *commendamus, committimus*, quibus nullus titulus designatur, quoniam solùm dant administrationem, & vsum, qui penè titulo æquiparatur. Sic dari solent, quæ vocantur Commendæ Sancti Spiritus in Saxia, & S. Antonij Viennensis in Gallia, vt testatur Nauarrus *Consil. 70. de Regularibus*, & aliæ, quæ in administrationem collatæ appellantur quoque vsu Romanæ Curiæ in ipsis Pontificijs constitutionibus Præceptoriæ, hoc est, Administrationes: ij verò, quibus commendantur, Commendatores, aut Commendatarij, aut Præceptores dicuntur, eo quòd eos redditus, & bona administrẽt, & eorum fructus dispensent.

Secundò quæritur, An Milites in emittenda professione comprehendantur in Decreto Concilij Tridentini *Sess. 25. cap. 15. de Regular.* vbi statuitur, vt in quacumq; religione tam virorũ, quàm mulierũ professio non fiat ante decimumsextũ annum expletũ: nec qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in Probatione steterit, ad professionem admittatur: & tamen in Militaribus Ordinibus solent Milites ad professionem admitti, statim atque decimũtertium annum excesserint, & ante integrũ probationis annum impletum. Respondeo Milites Sancti Iacobi in Hispania, Calatrauæ, & Alcãtaræ, & cæteros, qui more ipsorum coniugalẽ tantummodo Castitatem pollicentur, eo Concilij decreto non contineri, quia vt nuper indicaui, non sunt verè, & simpliciter religiosi, ergo eorum professio non est verè, & simpliciter religionis professio. At verò quidam existimãt, ad Milites S. Ioannis Hierosolymitani, & cæteros, qui instar eorum Castitatem simpliciter vnà cum Obedientia, & Paupertate, & regula approbata profitentur, Concilij Decretum extendi, cum sint verè, & propriè religiosi, ac verè religionis professionẽ emittant. Sed Cardinalium Congregatio Romæ declarauit, Caput hoc, de Militaribus religionibus non loqui: idque ex Abbate, Siluestro, & Angelo colligi facilè potest, vt statim dicam. Nam professionem emittunt iuxta regulæ præscriptum, non iuxta Concilij Tridentini decretum.

Tertiò quæritur, An ijdem Sacri Milites comprehendantur Decreto eiusdem Concilij Tridentini, *Sess. 6. cap. 3. de Reformatione*, vbi sancitum est: *Nemo secularis Clericus cuiuscuis personalis, vel Regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis priuilegij prætextu, cuiuscunque censeatur, quo minus si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc, à Sede Apostolica delegato secundum Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.* Sic ibi Concilium.

Quo posito Decreto, & Sãctione, est Quæstio: An Ordinarius, tanquã Sedis Apostolicę delegatus, visitare, corrigere, punire queat militaris Ordinis equitẽ extra Conuentũ cõmorantẽ, & delinquẽtẽ? Nau. *in consil. 21. de Regular.* quãuis dubius videtur existimare, hoc Decretum nihil derogare Priuilegijs Ordinum Militarium in his, quæ pertinent ad Sacros Milites. Alijs probabilius videtur, eos non esse comprehensos, quoniã pœnæ

& odia iure, vel statuto contra Religiosos constituta, non trahuntur ad eos, vt statim ostendam. Et ait ibidem Nauarrus literam veram prædicti decreti clariorem desiderari, quoniam ea quam habemus, subdifficilis, & subobscura videtur, quod attinet ad illa verba cuiusuis personalis. Cæterùm mihi litera eiusmodi decreti non videtur obscura: puto enim eo loco sensum esse: Nullus Clericus Sæcularis, cuiusuis personalis (videlicet priuilegii prætextu) vel regularis extra monasterium degens, etiam sui ordinis priuilegij prætextu, tutus cẽseatur, quo minus si deliquerit, ab Ordinario loci tanquam super hoc à sede Apostolica delegato secundùm Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

Quartò quæritur, An in Iure communi nomine Regularium, vel Religiosorum intelligantur quoque Militariũ Ordinum Equites sui instituti Regulam professi? Respondent quidam, cum Abbate *in Rubrica de Regularib.* cum Silu. *verb. Ecclesia. 1. quæst. 6 prope finem, & in verb. Religio. 1. quæst. 1. verficulo. Tertium Hospitalarij.* Angelo, *Religio, sum. 4.* in ijs, quæ fauoris, priuilegij, ac beneficij esse dicuntur, Milites, qui vnà cum Obedientia, & Paupertate Castitatem simpliciter, & Regulam approbatam profitentur, nomine religiosorum iure communi, vel statuto intelligi, quoniam saltè sunt Religiosi latè: at in ijs, quæ ad odiũ, & pœnas attinent, appellatione, & numero Religiosorum non censentur. Cæterum ij Milites, inquiunt, qui tantùm Castitatem coniugalem promittunt, non videntur nomine religiosorum venire, etiam in ijs, quæ ad fauorem spectant, nisi cum expressim illis id priuilegium conceditur: quia etiam latè, & amplè Religiosi non sunt. Glossa *in cap. Quisquis 17. Quæst. 4.* & ibi Archidiac. latẽ, Ioannes Andreas *in Rubrica de Regularibus* videntur docere, Templarios, Hospitalarios, & alios, qui tria vota religionis faciunt, & regulam approbatam religiosorum profitentur, intelligi nomine, & appellatione religiosorũ, præsertim cum iura generatim loquantur: *Quicumque Religiosi hoc, vel aliud fecerint.* Et certè ego nó video, cur nomine religiosorum non veniant, si Castitatem simpliciter, & non coniugalem tantummodo promittunt: nam tria vota, quibus Religionis substantia continetur, faciunt: deinde Institutũ, & regulam religiosorum approbatam profitentur, videlicet S. Benedicti, vel S. Augustini. Nec impedit si laxiorem paupertatem, & obedientiam profiteãtur: nam vna, est altera religione laxior, vel arctior. Quare si statuto cautum sit, ne religiosus aliquis publico officio, vel munere certæ ciuitatis fungi possit, eligi non poterit Miles S. Ioannis in eo oppido habitãs. Si quis faciat votum religionis, & religionem Militarem, quæ Castitatem simpliciter ex regula, Paupertatem, & Obedientiam seruat, profiteatur, voto de ingressu in religionem satisfacere videtur, nisi aliud cum vouit, expresserit. Sic Aragonius *in 2. 2. q. 88. artic. 11.* sententiam Cordubensis sequutus *in sum. quæst. 148.* Insuper omnes Milites religiosi, siue Castitatem simpliciter, siue tantummodo coniugalem profiteantur; item siue omnino proprio se abdicent, & paupertatem simpliciter promittant, siue proprium aliqua ratione habere possint, videntur nomine religiosorum intelligi in ijs, quæ ad fauorem spectant, non in ijs, quæ ad odia, & pœnas attinent: vnde Gregorius XIII. permisisse dicitur Militibus religiosis S. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, vt cum alijs spectatoribus interesse possent in ludis publicis, in quibus tauri agitantur; & tamen Pius V. vetuerat, ne religiosi, vel Clerici sacris Ordinibus initiati, aut Ecclesiasticum Beneficium habentes in eiusmodi ludis siue spectaculis interessent. Item S. D. N. Clemens VIII. constitutionem edidit, qua prohibuit, ne munera largiantur regulares cuiusuis Congregationis, Societatis, & instituti (non tamen Militiæ) vbi religiosos excepit Militiam profitentes.

Quintò quæritur, An sacri Milites Diuinum Officium persoluere, siue preces Horarias quotidie recitare debeant? Respõdeo, eos, quos paulo ante dixi, non esse verè, & simpliciter religiosos, quia vel Castitatem tantummodo coniugalẽ promittunt, vel quia paupertatem non vouent, minimè hoc præcepti, vel legis vinculo obligari. Quæstio igitur hæc locum habet in his, qui Castitatem simpliciter, & paupertatem omnino promittunt, eo quòd, ex communi Theologorũ, & Canonici iuris interpretum sententia religiosi professi Diuinum Officium recitare debent. Cui quidem quæstioni respondeo, non debere; quoniam quemadmodum in ceteris Religionibus, Religiosi licet solemnem professionem emittant, Diuini Officij preces recitandi lege nõ tenentur, nisi ij, qui ad Chorum, ad Cantum, & Ecclesiastica ministeria admittuntur: ita & in Militaribus Ordinibus Clerici recipiuntur ad Chorum, & ad Ecclesiæ functiones, & proinde ad Officium Diuinum decantandum, vel persoluendum: Milites verò nulla lege Diuini Officij preces recitare coguntur: sed quotidie precationem Dominicam, & salutationem Angelicam loco Diuini Officij ex regulæ præscripto certo, ac definito numero recitant.

Sextò quæritur, An in pios vsus impẽdere debeãt Milites religiosorũ Ordinũ quicquid superest ex redditibus annuis, quos habent ab Ordine, siue Magno Magistro cõmendatos? Sciendũ est, ex triplici capite posse hãc quæstionẽ oriri. Primò, An ad huiusmodi pẽsum reddẽdũ compellãtur, eo ipso, quod redditus ex bonis Ecclesiæ percipiũt, & Ecclesiæ bona habẽt hoc onus annexũ, vt is, ad quẽ deuenerint, tantũmodo iure queat percipere portionẽ ad commodũ suum victũ necessariã, ita vt reliquũ debeat in pios vsus insumere. Atq; hinc quidẽ Nauar. *tract. de reddit. Eccl. q. 1. monit. 55. n. 18.* existimat, Milites Cõmendatarios, quos vocãt, debere in pios vsus impẽdere omne quod supereſt. Sed eius argumentũ meo iudicio firmũ non est: putat enim, bona Ecclesiæ ex decimis, primitijs, & alijs oblationib. percepta, hoc oneris adiunctũ habere, vt ex eis cõmodũ dũtaxat alimentũ percipiatur, & reliquũ piè in pauperum vsus erogetur: qua de re agendum erit suo loco. Sentiunt alij, Milites Commendatarios ex alio capite in pios vsus consumere debere, quod supereſt ex huiusmodi annuis prouentibus: cũ enim fructus percipiant ex decimis Ecclesiarum, quæ sunt Ordinibus attributæ, coguntur,

impende-

impendere in vsus Ecclesiarum quod supereſt. Sed & hoc eorum argumentum incertum eſt, propterea quod Eccleſijs Ordini Militari ſubiectis Rectores præficiantur, ex ipſiusmet Ordinis Clericis delecti, quibus ſua quoque portio ad vitam neceſſaria eſt aſsignata, quibuſque tota Eccleſiarum cura committitur, & proinde ad Milites Commendatarios nulla Eccleſiarum adminiſtratio curaue pertinet: & annui redditus ipſis tribuũtur, vt ea bona, ex quibus tales redditus percipiunt, tanquã bona ipſius Ordinis conſeruent, & adminiſtrent, ne pereant: & vt habeant vnde commodè viuant, ac ſuſtentẽtur. Alij demum tertio ex capite cenſent, oportere eos id, quod reſiduum ex neceſſarijs impenſis eſt, in pios vſus conferre, propterea quod annuos redditus percipiunt, vt in militia ſuſtententur: & proinde ſi plus habeant, quàm ſit neceſſarium ad cõmodum vitæ militaris ſubſidium, debent id in pios vſus diſtribuere, & elargiri. Sed nec hoc firmè conſiſtit: quoniam etſi annui redditus cauſa militiæ, ſunt militibus attributi, ſed præcisè tamẽ nõ ſunt eam ob cauſam aſsignati; quare non habent obligationem in pauperum vſus erogãdi, quod ſupereſt, qualem habent Beneficiarij Clerici, ſed ſolùm debent Ordini, cuius ſunt Milites, reddere, ac ſoluere penſionem ſecundũ ſtatuta; & regulas Ordinis conſtitutam, & impoſitam: reliquos fructus poſſunt in quos maluerint vſus honeſtos, & bonos, quãuis non pios inſumere. Nã huiuſmodi bona ſtabilia, vt dixi, quæ ſunt Ordinis, Militibus ipſius Ordinis commendantur, vt ea adminiſtrent, conſeruent, & augeant, & ex eis fructus ſibi percipiãt ad vſus ſuos, ac proinde prout voluerint, honeſtati, & rationi cõuenienter impendant, dummodo ex eis certam ſoluant ipſi Ordini annuam penſionem. Cæteri milites, qui Commendatarij non ſunt, ſicut Superiorum cõſenſu extra Conuentũ viuunt, ſic eorundẽ Superiorũ permiſſu habent bona à ſuis parẽtibus, vel fratribus, vel cognatis, vel aliunde, ex quibus ſuſtentantur, & quæ inſumunt in bonos vſus, quos volũt. Votum enim paupertatis, quod faciunt huiuſmodi Milites, cõſuetudo recepta interpretatur tale eſſe, vt ſe milites bonorum dominio abdicent, quãuis bona ab ipſo ordine cõmendata habeant, quorum fructus in bonos vſus impendãt, vel aliunde bona accipiãt, ex quibus ſuſtententur, & viuant, & reliquum, quod ex illis ſupereſt, in bonos quoque vſus inſumãt.

Septimò quæritur, An Milites S. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, & alij ſimiles tuta conſcientia percipiant annuos redditus, quos habent ſibi commendatos? Sunt, qui id negent, ea ratione permoti, quòd eiuſmodi redditus ſunt eorũ Ordinum Militibus dati, vt contra Saracenos, & alios Chriſtianæ fidei, & religionis hoſtes prælia committerent: nunc verò, inquiũt, nihil tale præſtant: nempe otioſi ſacros redditus inſumunt, ac deuorãt, bonis ad ſanctos vſus deſtinatis affluũt; cum tamen, nec vultũ hoſtium vnquam aſpiciãt, nec arma capiant: edũt, & bibunt lautè, & veſtiuntur ſplendidè, & in aulis, & curijs Principum ferè commorantur. Nam ſic res humanæ à præclaro initio degenerare ſolent nõ rarò. Sed quod datur ob cauſam, nõ ſubſiſtit, ac valet ea minimè ſubſecuta. Denique ſicut Clerici beneficiarij, cũ Beneficium accipiant ob officium, ac miniſterium, ſi preces Horarias non recitent, fructus non acquirunt, & comparant. Præterea, ſicut quia beneficium Eccleſiaſticum iure communi poſtulat, vt Clericus in Eccleſia, cui præeſt, commoretur, & reſideat, ideo ſi beneficiarius ab ea abſit, minimè fructus facit ſuos. Sic etiam cum annui redditus ob militiam conferantur, ſi nulla Milites cũ hoſtibus prælia committant, nullo iure eos Eccleſiæ fructus acquirunt. Poſtremò, quia ſicut quotidianæ diſtributiones debẽtur his, qui in Choro præſentes adſunt; ideo qui inde abeſt, eas ſibi minimè acquirit; ſic nec Milites Commẽdatarij annuos fructus faciunt ſuos, ſiquidem cũ hoſtibus manus non conferunt.

Cæterùm præterquam quod duriuſcula eſt eiuſmodi ſententia, non eſt ſatis firma, eo innixa argumẽto, ſanè leui, quod prædicti redditus ſint Militibus attributi præcisè ob militiam tanquã cauſam, ea, inquam, lege, & conditione, vt militarent. Nos verò liberè confitemur, data eſſe hæc bona religioſis Militibus cauſa quidem militiæ, non ea tamẽ lege, & cõditione, vt militent: aliud enim eſt datũ eſſe militi, quia miles eſt; aliud verò dari militi, eo pacto, & lege, vt prælietur, ac pugnet. Primum fatemur, ſecundũ negamus.

Argumenta verò initio propoſita contra nos, nihil euincunt. Nam beneficiarij Clerici ſi officium, & penſum diuinum non ſoluant, aut ſi abſint ab Eccleſia; cui præſunt; vel choro non interſint, iure, vel ſaltem auctoritate Iudicis ordinarij Eccleſiaſtici, fructibus Beneficiorum priuantur, at Eccleſia Milites Commendatarios nõ priuat fructibus ſibi aſsignatis, ſi nulla prælia faciant: nec item illis ſpoliantur abſolutè iuſtitiæ legibus, cum ideo, vt dixi, non ſint dati, vt militarent.

Octauò quæritur, An Milites Commendatarij de fructibus, quos ex annuis redditibus ſibi ad vitam commendatis percipiunt, ſtatuere liberè queant perinde, ac de patrimonio alius quiſque poteſt? Reſpondeo, eos cum profeſsionem emittunt, abdicare ſe omni patrimonio, quod habent, quamuis aliquid ſibi reſeruent ſuperiorum conſenſu, vnde viuant, dum ex bonis ipſius ordinis non ſuſtentantur: Paupertatis enim Votum Deo nuncupant: quo facto, nihil proprium poſſunt amplius acquirere, aut retinere, & propterea annuos redditus, quos à Magiſtro Ordinis, vel adminiſtratore perpetuo ad vitam accipiũt, tanquam ſibi commiſſos, non tanquam proprios habent; & eorum vſum tantummodo, non dominium, aut proprietatem retinent. Quocirca huiuſmodi redditus, vulgo Commendæ vocantur, quoniam verè commendantur Militibus, vt ipſi ex eorum fructibus, & honeſtè, & commodè ſuſtententur: olim emeritæ militiæ eiuſdẽ ordinis viris Commendabantur, vt his redditibus alerentur, & eos nihilominus conſeruarent: hoc eſt, vt conſeruarent ea bona ſtabilia, ex quibus annui redditus prouenire ſolent, quare eorum obitu vacare dicuntur: nec enim, vt hæreditaria bona tranſmittuntur in poſteros, cum in Militum bonis non numerentur, qui nihil proprij poſsident; atque eadem ratione Milites ipſi Cõ-

mendatarij

mendatarij appellantur, quia redditiuum dominium, & proprietatem non habent, cum eos percipiant, ex certis stabilibus bonis, quæ sunt bona ipsius ordinis: habent igitur Milites commissa, & cõmendata sibi eiusmodi bona, & annuos redditus: ex eis verò fructus percipiũt, quos possunt in quos maluerint, vsus insumere honestos, & bonos: Quare non possidẽt eiusmodi bona quẽadmodum possidet quis patrimonium suum: nam tui patrimonij dominium habes, & proprietatem, ac proinde vsum ex re tua: At milites, sibi colligunt fructus ex bonis ipsius Ordinis, non ex patrimonio, aut re sua. Item, quisque suo patrimonio vti potest, vt vult, sine consensu, & voluntate alterius: at Religiosi milites licet redditus, & fructus impendant in vsus, quos volũt, id tamen faciunt cõsensu, & voluntate Superiorũ iuxta ipsius Ordinis statuta. Et potest iure Ordo, onera, & seruitutes imponere redditibus annuis, & tantam, quantam voluerit portionem ex illis sibi reseruare quotannis.

Ex his manifestum est, Milites non habere idem ius in redditibus, quod in patrimonio suo reliqui habent, qui nullo sunt religionis voto alligati: nam alij suorum bonorum dominium retinent; at verò Milites sacri omni redditiuum bonorum dominio, & proprietate carent; sibi tamen fructus acquirunt: vt statim dicam.

Nonò qnæritur, An Milites Religiosi redditum ipsis commendatorum fructus sibi acquirãt, eosque faciant suos, ac liberè in vsus, quos voluerint, impendere queant? Id enim ideo quæritur, quod sint Milites Voto Paupertatis adstricti, ergo non solùm dominio, & proprietate vacãt, sed etiam nihil iuris possunt in fructibus comparare: Religiosus enim nihil sibi, sed Monasterio acquirit. Quidam existimant eos esse fructuum simpliciter dominos, quippe qui illos suo arbitratu consumunt, nec quidquam obstare votum Paupertatis emissum, quoniam licet huiusmodi votum olim seueriùs fortasis, ac duriùs accipiebatur: nunc verò consuetudo mitius, benignius, & laxius illud interpretatur, nimirum, vt Commendatarij Milites fructuum dominium habeant. Quare cum Paupertatem vouent, profitẽtur se eam seruaturos, quæ nunc more seruatur, non quæ olim rigidè seruabatur. Ego tamen respondeo, Paupertatem, quam Commendatarij Milites pollicentur, præsertim ij, qui in Hispania sacram militiam solemni voto promittunt, cuiusmodi sunt Milites Sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ: non esse æquè arctam, ac eam, quam Monachi, & Mendicãtes religiosi profitẽtur. Nãhi omnes, voto Deo facto, se abdicant dominio, proprietate, ac vsu rerum, qui in iure, non in facto consistit: illi verò dominium, & proprietatem dimittunt, vsum autem non item. At Ordo concedit ipsis, vt annuos redditus ad vitam commendatos habeant, ex quibus fructus in suos vsus iure percipiant, & de quibus possint liberè statuere, & ita eos locant, vendunt, permutant, donant, & arbitratu suo consumunt. ARGVES, possunt igitur liberè de fructibus statuere perinde, ac si eos tanquam proprios, & suos possiderent? Respondeo, Interesse plurimum, etenim si nullo istì Paupertatis voto tenerentur, fructus perciperent ex redditibus tanquam suis, ac eos impenderent, vt rerum suarum lucra, & emolumenta, & absque consensu, & voluntate alterius; at verò, eo ipso, quòd sunt voto Paupertatis adstricti, percipiunt fructus ex redditibus tanquã sibi commissis, & commendatis. Et eos in vsus, quos volunt, impendunt, sed nutu, & voluntate Superiorum. Quare quod ad factum pertinet, parua videtur esse differentia; magna verò quod ad ius ipsum spectat. Nam si religiosi non essent, huiusmodi fructus insumerent, tanquam rerum suarum fœtus, & partus. Sed quia religiosi sunt, impendunt eos, tanquam fructus ex re aliena videlicet, ex bonis ipsius Ordinis iure perceptos, & suorum Superiorum consensu.

Decimò quæritur, An si fructus ludendo perdant, aut alio quouis modo futili, & vano impẽdant Milites Commendatarij, peccent: & an eos fructus tuta conscientia retineant ij, in quos ipsi malè donando transtulerint? Respondent quidam, peccare quidẽ præcisè in eo, quòd vanè, & inutiliter insumunt eiusmodi fructus; tuta tamẽ conscientia eos, quibus ipsi quamuis alias indignè dederint, retinere; cum nihil de redditiuum annuorum dominio statuant, sed fructus tãtummodo suo arbitratu dispensent. Et quia huiusmodi fructus sunt stipendia militum religiosorum, Mihi hæc sententia dubia, & incerta videtur: nam verisimilius est tales redditus annuos, non committi, & commendari militibus, vt in vanos, & malos vsus insumant, sed in honestos, & bonos, quamuis non pios. Item, non sunt præcisè stipendia militaria, sed bona ipsorum Ordinum Militarium, quæ commendantur sacris Militibus, vt ea administrent, & in bonos vsus impendant. Neque verò semper ludendo præfati Milites peccant, dummodo tales sint ludi, quales decent alios equestris ordinis nobiles, ac primarios viros, etiã nullam religionem profesos: nec si impendant in vsus honestos, & bonos, quãuis non pios, peccare dicuntur: peccant sicuti, & laici, qui cum possint commodè grauiter indigentium pauperum, vel extrema inopia, & egestate laborantium hominum necessitatem sublenare, nihil curant: non tamen peccant, si in communes, & consuetos pauperũ vsus, fructus, aut quod ex illis superest, non erogent. Peccant itidem, sicut cæteri Laici, si in vanos vsus impendant, & fortasis tunc contra votum paupertatis faciũt, eo quòd superiorum rationabilis voluntas non sit, vt eos fructus in vanos vsus insumant.

Cap. V.

De eisdem Militaribus Ordinibus aliæ quæstiones diluuntur.

PRimò quæritur, An Milites Commendatarij testari possint de suorum redditũ fructibus, & de alijs bonis post Religionis professionem industria, labore, aliorum donatione, militia vel alia ratione quæsitis? Negant quidam id fieri posse absque facultate à Romano Pontifice impetrata, eo quòd solemne Paupertatis votum emiserint, & nullus testamentum facere queat, qui nihil proprium habeat. Milites verò inquiunt, qui coniugalẽ tantummodo Castitatem

ſtitatem vouerunt, quoniam matrimonio copulantur,& liberos ſuſcipiunt, ideo Romani Pontificis priuilegio ſolent de fructibus redditiuum, & aliorum bonorum, quibus vtuntur, condere teſtamentum. Immo hæc facultas alijs quoque Militibus Commendatarijs, quibus ratione Voti,vſu matrimonij eſt interdictum, eiuſdem Pontificis auctoritate, & beneficio concedi ſolet,tam ampla, vt liberè de his teſtari queant.

Addunt illi, Pium Quintum Conſtitutionem edidiſſe,qua ſuorum anteceſſorum Priuilegia, quibus videlicet teſtamentum faciendi poteſtas facris,& Religioſis Militibus conceditur, abrogauit,ac ſuſtulit. Extat ea Conſtitutio Pontificia, ſub hoc initio: *Sacroſanctæ*, vbi inter alia ſic decernit Pontifex: *Abolemus, & irritas facimus omnes, & quaſcumque licentias, & facultates teſtandi & alias quomodocumque diſponendi etiam ad certam, & quantumuis modicam quantitatem de rebus, fructibus, & bonis immobilibus, mobilibus, & ſe mouentibus, ad Magiſtros, Priores, Præceptores, Milites, Fratres, & perſonas militiarum, ratione illorum, nec non præceptoriarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiam ſæcularium, & aliorum Ordinum Regularium, penſionum, & fructuum quorumcumque prouenientibus: necnon facta hucuſque, non tamen effectum ſortita, vigore licentiarum, & facultatum prædictarum teſtamenta, & alias diſpoſitiones huiuſmodi, etiamſi per eaſdem licentias, & facultates diſponatur, quod dimidia, vel alia pars rerum, & bonorum prædictorum Militijs, hoſpitalibus domibus, & locis, vnde illa prouenerint, aut alijs pijs locis relinquantur.* Hactenus Conſtitutio. Quidam non putant, hanc Conſtitutionem extendi ad Milites Religioſos Sancti Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & alios ſimiles, qui in Luſitania, Florentiæ, vel alibi ſacram Militiam profitentur, & teſtamentum faciunt de fructibus annuorum reddituum commendatorum: vel de alijs bonis induſtria, labore, militia, vel alia ratione partis, dummodo illud faciant iuxta conſtitutiones Ordinis, aut conſuetudinem vſu receptam, & in ipſo Ordine approbatam: quoniam Pontifex ſolùm abrogat licentias,& facultates teſtandi, non Ordinis Conſtitutionem Eccleſiæ auctoritate approbatam, vel conſuetudinem vſu, & moribus receptam,& ſolùm irrita facit teſtamenta, quæ licentiarum, aut facultatum ratione conduntur, non quæ fiunt iuxta Conſtitutionem Ordinis, vel conſuetudinem: Probabilis videtur eſſe ſententia.

Secundò quæritur, quo pacto accipi, intelligi, ac declarari debeant vota, quæ ſacri Milites, dum ſui Ordinis Regulam profitentur emittunt? Reſpondeo, eos tria Vota facere conſueuiſſe. Milites quidem Sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ in Caſtella, & ij, qui in Portugallia Sancti Iacobi, Chriſti,& nomine de Auis appellantur, pollicentur ſe abſque vlla re propria victuros, quod eſt Votum Paupertatis: non tamen tam arctæ, quàm eſt paupertas Monachorum,& Mendicantium Regularium: nam vſus ipſe,& conſuetudo interpretatur horum Militum Votum tale eſſe, vt quum Ordinis Regulam profitentur ſeſe abdicēt patrimonio, & quarumlibet rerum aliarum, quas habebant, dominio,& proprietate,& quicquid deinceps, vel ex militia, vel induſtria, labore, arte, aut aliorū donatione, aut alio quouis modo comparauerint, id non ſibi ipſis, quod ad eorum bonorum dominium,& proprietatem ſpectat, ſed ſoli Ordini acquirāt, eidemque tradere, aut ſaltem ſcripto indicare,& patefacere debeant: ac deinde Ordinis Magiſter, ſiue Adminiſtrator perpetuus, ſingulis impertiat, quicquid eſt ad vitæ vſus neceſſarium: ita vt Militum quiſque liberè poſsit id, quod eſt ſibi aſſignatum, in quos maluerit vſus honeſtos,& bonos impendere, & fructus quoque annuorum reddituum, ſuo arbitrio diſpenſare, dummodo id faciat, quod Ordinis Cōſtitutiones præſcribunt. Nonnulli tamen Regulares Ordines in ſuis Cōſtitutionibus ſanxerūt, in ſingulo quoque anno, ſinguli Milites deſcribant, quicquid ad ſuos vſus habent, & Magiſtro ſcriptam chartam exhibeant. Milites quoque S. Ioannis Hieroſolymitani inter profitendum promittunt, ſe ſine proprio victuros. Olim formula profeſsionis eorum erat hæc. *Ego N. iuro, promitto, & voueo Deo, Beatæ Virgini Mariæ, & Sancto Ioanni Baptiſtæ, & Magiſtro ſacri Hoſpitalis Hieroſolymitani, me obſeruaturum perpetuo, hæc tria, ſcilicet me obediturum, & victurum abſque proprio, iuxta formulam Statutorum Ordinis, & pro viribus meis Caſtitatem ſeruaturum.* Nunc verò, ſic profiteri ſolēt ijdem Milites, *Ego N. voueo, & promitto Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, genetrici Dei, & S. Ioanni Baptiſtæ, me obſeruaturum perpetuò, Deo iuuante, veram Obedientiam cuilibet Superiori, qui mihi à Deo, & ab ipſo Ordine dabitur; item me victurum abſque proprio, & Caſtitatem ſeruaturum.* Mea quidem ſententia eiuſmodi Votum Paupertatis intelligi, & accipi debet eo modo, quo illud intellexit,& interpretata eſt recepta hactenus conſuetudo, optima legum interpres, vſus autem tale votum ſic accipere,& interpretari videtur, vt ij quoque Milites liberè, ſed benè, & conuenienter rectæ rationi diſpenſent,& inſumant fructus, quos annuis ex redditibus,& alijs rebus, ſibi à Magno Ordinis Magiſtro commendatis, vel aliunde percipiunt. Atque ita etiam intelligendum puto votum quorumlibet aliorum Religioſorum Militum, quo promittunt ſe abſque vlla rerum proprietate victuros. Milites verò Sancti Stephani, à Coſmo Medice Magno Florentiæ, & Senarum Duce inſtituti,& Pij Quinti auctoritate confirmati, non Paupertatem, ſed Charitatem expreſsim, vnà cum Caſtitate coniugali, & Obedien tia profitentur; vt ex Pontificia Conſtitutione Pij Quarti, quæ incipit: *Itis quæ*, plane cōſtat Quidam ſentiunt, inter quos eſt Nauarrus *conſil. 23. de regularibus*, eos Implicitè Paupertatem vouere, id ex eo concludentes, quod ij Milites ſub Regula Sancti Benedicti viuunt. Sed hoc illis libenter concederem, ſi inſtar Monachorum, cum profeſsionem emittunt, ſponderent ſe Regulam Sancti Benedicti ſimpliciter ſeruaturos, aut iuxta ipſius Regulæ præſcriptum victuros: tunc enim implicitè paupertatem promitterent, cum id in ea Regula apertè contineatur. At hoc modo illi profeſsionem non faciunt; quamuis in dicta Conſtitutione dicatur, Militiā Sancti Stephani, ſub Regula Sancti Benedicti erigi, & inſtitui, nō igitur paupertatem promittunt: immo ex conſtitutione Pij Quarti conſtat, eos poſſe proprium poſsidere: & ex ſuis bonis aliquid re-

linquere,

linquere, vnde annui redditus proueniãt, ex quibus fundari, erigi, & constitui queant Ordinis Commendæ, vt vocantur, ex quo perspicitur eius Ordinis Clericos iure communi capaces esse Beneficiorum sæcularium, & Ecclesiasticarum pensionum, quia verè, & propriè Religiosi non sunt, eo quòd proprium habere possint: quidquid dicat Nauarr. *consil. 23. de Regula.* Quicquid sit de Paupertate, certè Milites prædicti Charitatem pollicentur, qua nimirum Dei honorem rebus omnibus præponant, sacræ scripturæ præceptis obtemperent, Sedis Apostolicæ mandata seruent, pro fide Catholica pugnent, iustitiam colant, pauperibus subueniant, captiuos ab Infidelium vinculis ereptos recuperent, & sese vltrò cuiuis periculo pro Christiana religione obijciant, & pro ea augenda, non solùm facultates, sed vitam exponant. Hæc habentur in dicta Constitutione. In qua itidem tribuit Pontifex eisdem Militibus, etiã matrimonij vinculo adscriptis, & dygamis facultatem, vt habeant singulas pensiones vsque ad summam ducentorũ aureorum, super quarumuis Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Canonicatuum, Dignitatum, Administrationum, officiorum, aliorumq; Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, secularium, siue Regularium fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, & emolumẽtis, aliàs, sibi Canonicè reseruandas; & vt possint eas ad vitam percipere, & exigere, & in suos vsus conuertere, illasque ad aliquam expeditionem contra Infideles accedẽdo, aut in ea existendo in toto, vel parte, quando sibi videbitur, etiam in mortis articulo, transferre in omnibus, & per omnia possint in cuiusuis personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut Canonici viri Cathedralis Ecclesię, vel in dictæ Militiæ manibus resignando.

Item, concedit eisdem Militibus, immo etiam Presbyteris, & Beneficiarijs eiusdem Ordinis, vt de quibuslibet, tùm stabilibus, tùm mobilibus bonis, pecuniarum summis, gemmis, & lapidibus preciosis alijsq; rebus cuiuscũq; qualitatis, & quantitatis, ac valoris sint, per eos etiam ratione Beneficiorum Ecclesiasticorum, quorumlibet per eos obtentorum, ac alias vndecumque, & quomodolibet acquisitis, & ad illos quouis modo spectãtibus, dummodo quintam illorum partem Conuentui prædicto relinquant inter quoslibet consanguineos, filios etiã, & alias personas testari, aut aliàs etiam per codicillos, donatione inter viuos seu causa mortis, & alia qualibet via, vt sibi videbitur, disponere, & illa in pias, & non pias, alioqui tamen licitas causas erogare. Hæc Pontifex eo loci.

Porrò quod ad votum Castitatis attinet, Milites S. Ioannis Hierosolymitani, Castitatem simpliciter promittunt: Milites verò sancti Iacobi, & sancti Stephani, ex instituto Castitatem tãtummodo coniugalem pollicentur; Calatrauæ, & Alcantaræ olim quidem ex instituto Castitatem simplicer vouebant; nunc verò Pontificia auctoritate coniugalem profitentur solam: Quã eandem spondent Religiosi Milites, qui in Lusitania Christi appellantur, & ij, qui in eadem prouincia Sancti Iacobi milites nominantur; alijitem vulgo dicti de Auis: & ij, qui in prouincia Valentina vocantur Milites Montesæ, vt à viris fide dignis accepi.

Quòd spectat ad votum Obedientiæ, prædicti Milites vniuersi vouent obtemperaturos se Magno Ordinis Magistro, aut cuiuis alteri Præfecto, Magistri vice fungenti.

Tertiò quæritur, quot, & quinam sint Ordines Militares religiosi? Respondeo eos esse in primis, qui dicuntur Hospitalarij Sancti Ioannis Hierosolymitani, quique olim primum Hierosolymis habitare cæperunt: mox in Insula Rhodo Collegium, siue Conuentum suum habuerunt, vnde, & dicti sunt Milites, seu Equites Rhodienses: eam enim insulam ex hostibus bello captam tenuerunt, vel vt alij tradunt, à Gothifredo primo Hierosolymorum rege dono acceperunt: eamq; ad nostram ferè vsque ætatem fortiter, strenuè, & egregiè defenderunt. Sed tandem anno 1523. à Turcis prælio superati, eius imperium amiserunt postquam tres menses, & eo amplius obsidionis pericula, & mala sustinuerant. Inde expulsi commigrarũt in Insulam Melitam, quam Caroli Quinti Imperatoris beneficio, ac munere acceptam obtinent etiam nunc: Vnde & Melitenses equites appellantur. Gestant hi candidæ Crucis signum in veste nigra ad finistrã. Eorum Ordo Honorij II. auctoritate est confirmatus anno 1124. quanquam alij referunt Ordinem esse approbatum à Gelasio 2. anno Domini 1120. cum esset paucis ante iam annis institutus, videlicet anno salutis humanæ 1118. vel 1119.

Fuere olim quoque Milites dicti Templarij, qui cœpisse dicuntur circa annum Domini 1120. quique vtebantur candido pallio, cum rubræ Crucis signo, his enim, anno Domini 1129. cum approbatus, & confirmatus est Ordo, datus est albus amictus auctoritate Honorij II. eorumque familia, per ducentos ferè annos propagata est. At licet initio parua incrementa habuerit: postea tamen adeo aucta amplificataque fuit, vt facultates maximas, & oppida apud Christianos vbique terrarum quamplurima possideret. Cæterùm auctoritate Clemẽtis Quinti, deletus extinctusq; Ordo est anno Domini 1311. cum esset impietatis accusatus: ac Templariorum bona partim Rhodijs Militibus, partim nouis Ordinum familijs, partim Principibus sunt attributa.

Sunt & alij, qui dicuntur Theutonici, Hospitalarij Sanctæ MARIAE: qui candido amicti pallio, nigræ Crucis signum deferunt, & nemo nisi Theutonicus huiusce Militiæ sacris initiatur. Nã Hierosolymis sacro bello recuperatis, initio vir quidam Theutonicus hospitalem domum ad peregrinos suæ nationis homines excipiendos, & tuendos extruxit, & illi, Patriarchæ assensu, Sacellum Deiparæ Virgini sacrum adiunxit: quem postea nonnulli Theutonici imitati, se Deo omnino tradidere, suis rebus Xenodochio, & B. Virginis sacello donatis: ex quibus cœpit Ordo Militum Teutonicorum Sanctæ Mariæ: qui quidem anno 1192. vel iuxta aliorum sententiã anno 1195. auctoritate Cælestini III. confirmatur. Deindè verò cũ Syriã, Christianis ereptã Saraceni, iterũ occupassent, Crucigeros Milites Theutonicos,

Prole-

Ptolemaida recuperata è tota Syria, & Orientis partibus protinus eiecerunt, qui in Germaniam commigrarunt. Postea verò à Polonis euocati, contra Prussios, & Masouios hostes Sanctissimæ Virginis ductu, & auspicijs, Prussiã Polonis tunc infestam, & inimicam subegerõ, & iure bellico partam, suæ ditionis fecere: quæ gens victa atque superata prælijs, religionem Christianam, & cũ religione pariter linguam Ruthenicam suscepit. In ea prouincia arcem præmunitãm, & oppidũ Mariaburgũ, caput totius familiæ, & primũ domicilium, ac sedem eorum Militum, qui vniuerso Ordini præsunt, legimus constitutum.

Sunt præterea in regno Castellæ Hispaniæ regi subiecto, tres Ordines Militares. Nam sunt Milites Sancti Iacobi sub Regula Sancti Augustini viuentes, quorum duo sunt celebres Conuentus, vnus in oppido dicto Veles, quod nunc est caput totius Ordinis: Alter est in Vrbe Legionensi S. Marco dicatus. Olim quidem, vt ait Fr. Franciscus Rades in Chronico Ordinis, cap. 48. Magistri, toti Ordini Militum præficiebantur: qui fuisse dicuntur quadraginta: nunc verò auctoritate Pontificia, Hispaniarum Reges sunt perpetui administratores Ordinis: Est enim Magistratus regibus in administrationẽ perpetuã datus: insigne Militibus in veste candida, Crux rubra, in gladij militaris modum conformata. Confirmatus est Ordo auctoritate Alexandri Tertij, anno Domini 1175. vt patet ex diplomate Pontificio, quod habet Franciscus Rades *in Chronico Ordinis, cap. 9.* licet fuerit ante institutus, videlicet anno Domini 1170.

Sunt & Milites Calatrauæ, quorum Conuentus, caput, ac sedes totius Ordinis, est in Oppido Calatraua in Hispania, quod est in Oretanis, ad Anam fluuiũ situm, in loco satis munito: vnde & nomen acceperunt: viuuntque sub Regula S. Benedicti, & Cistercienſium: vtuntur in amictu cãdido, rubræ Crucis signo, & figura ad læuam. Eorum Ordo est, auctoritate Alexandri Tertij approbatus, anno Domini 1164. diploma Pontificium, quo approbatus est Ordo, habet Franciscus Rades *in Chronico ordinis. cap.* 10. Institutus esse perhibetur, anno salutis humanæ 1158. Rodericus *lib. 7. c. 14.* & Franciscus Rades, *in Chro ordinis c. 3.*

Sunt item Milites Alcantaræ, quorum Conuẽtus, caput, & sedes Ordinis est in oppido, quod dicitur Alcantara: quod eius Ordinis equitibus nomen dedit, in regno Castellæ ad ripam Tagi fluminis, cœperunt anno Domini 1176. vel paulò ante, regnante in Castella Alphonso huius nominis 8. Et Ferdinando 2. Legionense regnum tenente. Vtuntur illi nigris vestibus, & Cruce viridi ad sinistram; militant sub Regula sancti Benedicti, & Cistercienſium. Horum Militũ ordo fluxit ex Ordine Militari, dicto nomine S. Iuliani in Periero: nam primùm quidem fuerunt milites vocati nomine S. Iuliani in Peiero, quod est oppidulum in diœcesi Ciuitatensi, quæ dicitur Ciuitas Roderici, situm ad ripam fluminis Coa: eo quòd in eo loco Conuentum habebant: hic ordo approbatus est ab Alexandro Tertio, vt patet ex diplomate Pontificio, quod habet Franciscus Rades *in Chronica Ordinis cap. 2.* anno salutis humanæ 1177. creditur institutus fuisse circa annum Domini 1176. aut paulò ante; confirmatus etiam est à Lucio 3. anno 1187. & ab Innocentio II. anno 1205. teste eodem Francisco Rades. Sed anno Domini 1218. hic Ordo cum Ordine Calatrauensi conuenit, his pactis, & conditionibus, vt Ordo S. Iuliani in Periero acciperet ab Ordine Calatrauensi oppidum Alcantarã, quod quinque iam annis possederant milites Calatrauenses, donatione Alphonsi regis Legionensis, & Magister Ordinis S. Iuliani, & milites visitarentur, instituerentur, & corrigerentur à Magistro militum Calatrauensium, dummodo tamen nihil alienare posset ex bonis Ordinis S. Iuliani, & nihil iuris, & potestatis haberet in eligendo Priore Conuentus Sancti Iuliani, sed liberam relinqueret electionem Clericis illius conuentus. Ea etiam conditione, vel ad eligendum Magistrum militum Calatrauẽsium, vocaretur Magister militum Sancti Iuliani, & suffragium haberet. Ex eo tempore Milites Sancti Iuliani Conuentum habuerunt in oppido Alcantara, & dici cœperunt tum Milites, tum ordo ipse nomine sumpto ab oppido Alcantara, quo ex oppidulo Periero commigrarunt. Anno verò 1411. impetrauit Magister militum Alcantaræ à Benedicto 13. qui vt legitimus Pontifex in Hispania habebatur, vt insigne ordinis esset Crucis figura, & tunc vti cœperunt Milites Alcantaræ Cruce viridi, vt à Militibus Calatrauæ distinguerentur: qui rubram Crucem in amictu, vt diximus, gestant.

Porrò in Valentino tractu Rex Aragonius sacram Militiam Montesiæ creauit, quam Ioannes XXII. anno Domini 1317. suo diplomate confirmauit, Cistercienſium instituto, & legibus viuit, Calatrauæ Militari Ordini subiecta, in veste cãdida rubræ Crucis figuram gestat, præcipua eius sedes, Montesia: Vnde Militiæ nomen.

In Lusitania tres quoque Ordines Militares numerantur. Sunt enim in primis Milites, qui dicuntur Christi nomine, & viuunt sub regula S. Benedicti, & Cistercienſium; nigro vtuntur amictu, Cruceque partim quidem rubra, partim verò candida, videlicet, quatuor eius brachia sunt per medium discissa, & linea candida intersecãte distincta, ita vt in singulis brachijs, binæ Cruces appareant, rubra, & candida. Conuentũ habent isti in oppido Lusitaniæ vulgò dicto Touar, quod est caput, ac Sedes totius Ordinis. Porrò hunc Ordinem instituit Dionysius Sextus Portugalliæ Rex, & Ioannes XXII. anno Domini 1320. sua auctoritate Pontificia confirmauit.

Alij sunt Milites vulgò nominati de Auis, eo quòd eorum Conuentus, caput vniuersi Ordinis, est in oppido Lusitaniæ, quod dicitur Auis. Re ipsa sunt prorsus ijdem, qui Calatrauenses: sed postquam Lusitaniæ Regnum fuit à Regno Castellæ seiunctum, ac diuisum; is Ordo subtraxit se curæ, & potestati Militum Calatrauensium, ac ita cœpit esse Ordo distinctus, sub eadem tamen Regula S. Benedicti, & Cistercienſium militans; & vtens veste nigra, & albæ Crucis figura.

Sunt & Milites vulgò, De la Palmera, nominati, quorum Conuentus, qui toti Ordini imperat, est in oppido Lusitaniæ, quod dicitur Palmera: nec

ra: nec distinguitur, ab Ordine Sancti Iacobi, qui est in Regno Castellæ, & ita olim erat vnus tantummodo: Verùm vbi Portogallia sese à Castella seiunxit, ac diuisit, diuisus etiam Ordo est, eodem tamen vestitus genere, Cruce, & Regula vtitur, quibus Milites S. Iacobi in regno Castellæ.

Florentiæ à Cosmo Medice, Magno Thusciæ Duce instituta est Militia S. Stephani, sub Regula S. Benedicti: & Pij Quarti auctoritate Pontificia confirmata, anno salutis humanæ 1562.

Cap. VI.

De eisdem Militaribus Ordinibus certæ aliæ quæstiones tractantur.

PRimò quæritur, quonam iure Templariorũ Ordo ille, quem supra nominaui, fuerit euersus, ac penitus extinctus? Historici sanè multi, literis prodiderunt nobilissimi, & ditissimi huius Ordinis excidium, quorum alij damnant, alij verò probant, alij in dubium vocant. Nam quidam iure deletos Templarios scribunt, ob impiam Religionem, ob nefaria flagitia, & turpia quædam, & obscœna illorum vitia, denique ob læsæ Maiestatis crimen. Sic Platina, *in vita Clementis 5.* Polydor. *de inuentoribus rerum lib. 7. cap. 5.* Volat. *Comment. lib. 21.* Aemil. *de rebus Francorum, lib. 8.* Gaguin. *lib. 7. de rebus Franc.* Alij verò tradidere, eos Philippi Francorũ Regis auaritia, & iniquitate insontes damnatos. Ita Iacobus Moguntinus, Sabellicus, Nauclerus, Io. Boccatius. Albericus *in Dictionario lit. T.* ait: *Ordo Templariorum euersus fuit tempore Clementis Quinti, instante Rege Francia: & sicut audiui ab vno, qui fuit examinator testium, & causæ, contra iustitiam, & mihi dixit, ipsum Clementem, hæc protulisse, etsi non per viam iustitiæ potest destrui, destruatur per viam expedientiæ, ne scandalizetur charus filius noster Rex Franciæ.* Hæc ille ad verbum: sed potuit ille examinator testium, & causæ decipi. Referam breuiter quid scripserit illorum temporum scriptor, Ioannes Villaneus *lib. 8. cap. 92. historiæ Florentinæ*: à quo Antoninus *par. 3. histor. tit. 21. cap. 1. §. 3.* & alij acceperunt. *Cum Pictauij Clemens V. commoraretur Philippus Francorum Rex, vulgo cognominatus Pulcher, aulicorum suasionibus adductus, & spe lucri permotus, Templariorum Ordinem accusauit: initium mali ortum est, à Priore Mousalconis, in agro Tholosano, & Noffo, exule Florentino: quorum hic à Prætore Parisiensi multorum criminum reus fuerat in carcerem coniectus, ille ob hæreseos, & scelerate, ac perditæ vitæ crimen suspectus iudicio Magistri Templariorum perpetuò carceri addictus. Hi duo, de libertate, ac vita soliciti, crimina confinxerunt, ob quæ Ordo Templariorum Christiano nomini, ac Reipublicæ vtilis deleretur: ipsi verò è carcere emissi infelici vitæ exitu periere. Noffus enim ob aliam causam à Carnifice strangulatus interijt. Prior proditione necatus est. Cum perditissimi homines crimina inaudita commenti essent, viros maximè pios accusarunt. Accusationis capita, Procurator fisci Regij, ad Regem scripta Pictauium misit, quæ ille auaritia motus, pro veris habuit: delatoribus libertate, & venia donatis, à Pontifice Clemente Quinto, cum adhuc Pictauij esset, impetrauit, vt totius Ordinis Templariorum euersionem polliceretur, vna literarum significatione, tota Francia comprehensa sunt, & fiscus Regius in eorum fundos, possessiones, ac se mouentes, mobileque res manum iniecit. Lutetiæ Magister templi Iacobus Mola Burgundus cum quinquagintanouem equitibus socijs capitur, & in carcerem truditur. Arguebatur hæreseos, impietatis, fœderis cum Turcis Christiani nominis hostibus initi, nefariæ & auersæ libidinis, contemptæ Crucis, & Christi Domini imaginis sputo, lotio, & pedibus fœdatæ, læsæ Maiestatis, honoris, qui Virgini Dei Genitrici, & superis sanctisque cœli habitatoribus debetur, abiecti, & tandem religionis Christianæ penitus abnegatæ. Quæstione habita sæpe torti nihil huiusmodi de se, & de socijs confessi sunt, quin insontes sese piosque Templarios equites constantissimè testabantur. Macerati longo carcere quinquaginta sex, totidem modicè distantibus palis alligati, ac lento igne tosti sunt: professi insontes se mori, amicis, & consanguineis eorum frustra monentibus, vt spem veniæ, si crimen agnoscerent, & faterentur, ab rege propositam amplecterentur. Supererant quatuor, Iacobus Mola, frater Delphini Principis Viennensium, Hugo Peraldus, & cuius nomen Historici, non prodiderunt, quidam olim Regiæ gazæ custos. Hi Pictauium vincti, ad Pontificem, & Regem tracti sunt. Vbi proposita vitæ spe, & impunitate, aliquid de se confessi Lutetiam reducuntur duobus Cardinalibus missis, qui euersionis decretum à Pontifice factum publicè recitarent, & vinctos de se confessos aliqua pœna multarent. Prætorium Templi Virginis, ex Theatro id Decretum Cardinales vinctis præsentibus, & circumfusa ingenti multitudine recitari iusserunt. Ibi Iacobus Mola Magister templi ad supplicium productus, & proposita vitæ spe, si quam custodia Fassus de se suisque socijs fuerat, nunc quoque confessus veniam publicè peteret, facto silentio negauit omnino vera esse, quæ de Templariorum hæresi, & alijs criminibus recitata essent: Ordinem illum esse Catholicum, iustum, & sanctum, & se dignum extremo supplicio, paratumque id subire, & vltro deposcere, qui vitæ dulcedine, impia de se, ac socijs, Pontifice, & Rege suadentibus, Pictauij confessus esset. Ergo nunc, inquit, suprenis rebus meis, cum locum mendacio dari nefas sit, ex animo vereque fateor me ingens in me meosque socios scelus admisisse, qui in gratiam, quorum minimè decuit, & spe vitæ impia flagitia, & scelera ad tormenta mentitus sum in Ordinem meum de Christiana Religione optimè meritum: nec mihi nunc vita opus est precaria, & nouo super vetus mendacio retenta. Dimissa concione, vincti, in tetrum carcerem retruduntur, quos Rex ad supplicium productos lento igni torreri iussit. Mola, & frater Delphini constantissimè supplicium pertulere. Nam rogo impositi, & admoto paulatim igne primoribus pedibus, ad exprimendam scelerum confessionem ne tunc quidem cum reliquo corpore depasto, vitalia fœdo nidore torrerentur, ab huius orationis constantia defecerunt, aut mutatæ mentis vllam significationem præbuerunt, illa tantùm voce edita, quæ ab omnibus audiretur, Templariorum Ordinem Catholicum esse, iustum, & sanctum. Peraldus verò, & ille olim Regius Quæstor præsentis supplicij metu perterriti, affirmarunt vera esse, quæ coram Rege, & Pontifice de Templarijs protulissent: qui solutis vinculis dimissi, infelici postero die vitæ exitu absumpti perierunt. Nocte supplicium secuta, Monachi aliique Religiosi homines Molæ, & Delphini Viennensis reliquias sacros Martyrum cineres collegere. Hæc ex Ioanne Villaneo. In possessionem bonorum Templariorum Regius fiscus iuit, rebusque se mouentibus atq; mobilibus à fisco retentis, quæ solo cõtinerẽtur Põtificis decreto, S. Ioannis Hospitalarijs equitibus assignata sunt. Quid ergo hic dicendum ad propositam quæstionem: fuerunt ne Templarij iure damnati, In Castella, Salmanticæ, vt refert

fert Ioannes Mariana *de rebus Hispaniæ, lib. 15. cap. 10* vndecim Episcoporum conuentus est habitus: de Templarijs quæstione agitata, & causa cognita pro eorum innocentia pronunciatum est, cõmuni Patrum suffragio, ad Pontificem Romanum, reiecta totius rei summa deliberatio est, & ea contra Patrum decretum valuit. Moguntiæ itidem in Germania, vt testatur Nauclerus *in Chronico volum. 2. generat. 44.* & narrat Aemil. *de rebus Francorum lib. 8.* frequens Patrum consessus habitus est, vt iussu Pontificis de Templariorum causa ageretur. Hugo cum viginti Ordinis sui socijs Militibus in eum conuentum irrupisse fertur, & clara voce testatus, si quid grauius in eum Ordinem esset decretum, se Pontificem Maximum, Clementis successorem appellare. Ferocia, & metu eorum deterriti Patres, bono animo eos esse iusserunt. Clemente certiore litteris facto, ius de integro quærendi, & statuendi Archiepiscopo Moguntino demandante, causa Templariorum cognita est. Patres eos crimine liberos, ac proinde innocentes suis suffragijs iudicarũt. At in Viennensi Concilio Generali coram Pontifice Romano, causa Templariorum cognita, decretum est, vt eorum nomen, & Ordo penitus è medio tolleretur: seuerum, ac durum decretum quibusdam visum est. Aliorum iudicio verisimile est, nec ea delicta in omnes prouincias peruasisse, nec singulos contaminasse, & Templarios aliqua ex parte insontes fuisse, & Põtificem, vnà cum Concilio Patrum iuxta allegata, & approbata in iudicio, sententiã tulisse, qua capitis cõdemnari iure potuerunt: & Regem (quod etiam Gallici Scriptores confitentur) lucri auiditate, & aulicorum assentationibus deceptum, cõficta fortasis aliqua improborum hominum mendacijs crimina, pro veris habuisse. Defendunt à calumnia, & crimine Templarios Villaneus, Antoninus, Albericus, & alij: sed eos Romani Pontificis sententia, Concilij Viennensis decretum, fama frequens, communis ferè omnium sensus damnat. Ego longè multo probabilius existimo, eos iustis de causis damnatos fuisse. Non enim verisimile est, Romanum Pontificem totum eorum Ordinem, sine iusta causa, penitus deleuisse. Documentum maximum datum vniuersis, sed præsertim sacra professione religiosæ vitæ hominibus consecratis, vt similem perfidiam deuitent, improbitatem defugiant, peccandi occasiones præcidant, & opes, vires que suas magis integra probitatis opinione, quàm re alia curẽt quam maximè conseruandas.

Secundò quæritur, quænam origo, & causa fuerit Ordinum Militarium in Ecclesia Dei; & quando primum vnusquisque eorum Ordinum fuerit institutus, & propagatus, & quis inter eos sit primus, & quis secundus, & quis deinceps? Respondeo, Vrbem Hierosolymam, cum iam anno 1199. bello sacro esset recuperata; trium Religiosorum Ordinum instituendorum causam, & originem extitisse: ij autem fuerunt Hospitalarij, seu Hospitalenses Sancti Ioannis nomine appellati. Templarij, atque Theutonici: nam antea Christiani Ecclesiæ latinæ, permittẽtibus Aegyptijs, & Saracenis Vrbis Hierosolymorũ dominis, prope Domini sepulchrum Cœnobia duo construxerant, vnum viris, alterum fœminis excipiendis, qui sepulcri dominici visendi gratia, eò confluebant: eaque domicilia nomini B. MARIAE Virginis, & B. MARIAE Magdalenæ dicauerant. Recepta Hierosolyma, ingens Christianos omnes sepulchri visendi cupido incesit, Et cum ea cœnobia infinitæ hominum vndique confluentium multitudini nõ suppeterent, hospitalis domus est addita, & in ea sacellum extructum S. Ioanni Baptistæ sacrum; & non vt alij putant, Sancto Ioanni Eleemosynario Patriarchæ Alexandrino, qui re vera fallũtur, vt constat ex formula, qua professionem religionis milites emittunt. In eo igitur loco ex redditibus vtriusque cœnobij ijs, qui sepulchrũ adissent, ægrotantibus res necessariæ subministrari sunt cæptæ, & Rector qui Cœnobij curam gereret institutus: qui deinde post aliquot annos vnà cum socijs suis habitum Religionis assumpsit; & hi postea rei militaris studio susceptо, peregrinos aduersus Saracenos tuebantur, & proinde Milites Hospitalarij, siue Hospitalenses, & Hierosolymitani, aut Sancti Ioannis nomine vocari cœperunt: atque hi Religiosorum Militum fuere omnium primi; cœperuntque circa annum 1106. at Honorij II. auctoritate anno 1124. confirmati sunt.

Præest toti huic ordini Magister, qui vocatur Magnus Magister. fuere Magistri in ordine hactenus. 51. vsque ad Hugonem de Loubenx. Inter eos fuerunt duo S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Magistri ordinis, vnus electus, & factus Cardinalis à Sixto. IIII. alter à Sixto V. habet Magister annuos redditus ad onera sustinenda in viginti vna, aut viginti duabus Commendis ordinis, quæ idcirco dicuntur Commendæ Magistrales. Habet locum tenentem, vel Vicegerentem. Constat totus Ordo octo linguis, hoc est, octo nationibus: nam Ordo Linguas appellat Nationes. Linguæ sunt, Prouinciæ Aluerniæ, Franciæ, Italiæ, Aragoniæ, sub qua Carthalonia, & Nauarra continentur: Angliæ, sub qua Hibernia, Alemaniæ, sub qua Vngaria, Boemia, & Dacia intelliguntur: & Castellæ Legionis, & Portogalliæ, Post Magistrum sunt octo Dignitates, siue octo Baiulini Conuentuales, siue Capitulares, Magnus Commendatarius, Mariscallus, Hospitalarius, Admiratus, Magnus Conseruator, Turcopolerius, Magnus Baiuliuus, & Magnus cancellarius. Deinde sunt cæteri Commendatarij, qui dicuntur Priores, & Castellanus Empostæ. Porrò Baiuliui dicuntur administratores prædiorum, & rerum, quæ sunt ordinis.

Deinde Gelasio II. Apostolicam Cathedram tenente anno 1118. Templarij Milites Hierosolymis etiam esse cœperunt; qui quidem iuxta Christi sepulcrum commorantes, Christianos eò peregrè profectos hospitio excipiebant: exceptos armis accincti, per templa, & sacra loca comitabantur, ac deducebant, vt omnem Terram sanctam tutò viserent ac perlustrarent. Cuius pij officij auctores fuerunt nouem; qui quòd in parte ædium Templi habitarent, Templariorum nomen inde sumpserunt. Eorum Ordo approbatus est ab Honorio II. anno Dominini 1129.

Tertius ordo Sacræ Militiæ, qui dicitur Theutonicorum Sanctæ Mariæ, ad Hospitalarios, & Templarios additus aduersus Saracenos, est institutus circa annum 1160. Nam eo tempore Germani aliquot viri, qui in Vrbe Hierosolyma, in quam Dominici sepulcri visendi gratia conuenerunt, Italorum & Francorum pietatem, & charitatem æmulati; hospitalem domum, & sacellum Sanctæ MARIAE dicatum ædificarunt, ad Theutonicæ nationis homines excipiendos, & contra Saracenos defendendos. Cœperunt sub Alexandro III. anno 1164. Sed auctoritate Celestini Tertij anno 1192. confirmati fuerunt. Sunt enim hi Templariorum Regulam pariter, & Institutum professi.

Anno item Dominicæ Incarnationis 1164. auctoritate Alexandri III. confirmatus est ordo Militum Calatrauæ. Hi consilio & opera cuiusdam Abbatis Cistercienſis, eum ordinem instituerũt: defenderunt enim contra Mauritanos, Arabes, siue Saracenos oppidum Calatrauam, quod Templarij Milites deseruerant, Saracenorum impetum minimè sustinentes. Vnde imitati sacram Hospitalariorum, & Templariorum militiam, sese tribus Religionis votis DEO obstrinxerunt ad pugnandum contra Saracenos. Summus totius ordinis Magister annuum redditum percipere solebat trecentorum millium aureorum: & ordo potest & debet, vt Hispaniæ Regi inseruiat, ad bella mittere equitatũ trecentorum militum Religiosorum. In Prouincijs Castellana, Aragonensi, Valentina habet quas vocant Commendas, vt testatur Franciscus Rades de Andrada *in Chronico ordinis cap. 9.* centum & tres. Et eodem teste c. 32. habet beneficia Ecclesiastica, qui Prioratus dicuntur, tredecim: Dignitates quinque post Magistrum ordinis, videlicet Commendatarium Magnũ, Clauigerũ, Priorem Conuentus, Sacristam Magnum, & Præfectum fabricæ. Prior, qui Conuentui Calatrauẽsi præest, est veluti generalis Parochus, curã habens omnium eorum, qui sunt ordini subiecti. Habet priuilegio Romani Pontificis, insignia & iura Episcopi, quibus vtitur in conuentu, & alijs Ecclesijs ordini subiectis, vt testatur prædictus Auctor Franciscus de Andrada, c. 7. Beneficia Regularia ordinis dantur Clericis professis religionis: qui vocantur Priores, aut Vicarij, aut Rectores, & alij Cappellani. Rectores habent curam animarum in ijs oppidis, quæ sunt ordini subiecta.

Anno 1175. Religiosus ordo Militum S. Iacobi ab Alexandro Tertio confirmatus est: qui paulò ante Calatrauensem ordinem fuerat institutus: non autem vt tradidere quidam, regnante Ramiro huius nominis primo in Regno Legionensi, nec item regnante Alphonso Magno, vt alij voluerunt. Nam in ipsa Constitutione Alexandri Tertij apertè dicitur, eum ordinem esse ante paucos annos fundatum, & erectum: præsertim cum instar Hospitalariorum Templariorumue Militum ad defendenda oppida Christianorum in Regno Legionensi, & Castellano contra Saracenos institutus esse videatur. Fuerat tamen multis annis ante hunc ordinem instituta sodalitas quædam eorum, qui Sancti Iacobi nomine sodales vocabantur: vnde factum est, vt quidam putauerint, ab eo tempore ordinem huiusmodi militum cœpisse, vt Franciscus Andrada in Chronico ordinis annotauit; Magister ordinis annuos redditus percipiebat trecentorum millium aureorum, & ex toto ordine possunt, & debent ad bella progredi trecenti equites Religionem professi. Habet item ordo in prouincijs Castellana, Aragonensi, Valentina, Legionensi commendas octoginta tres, teste Francisco Rades de Andrada *in Chronico ordinis*, & præter Commendatarios constat alijs multis equitibus Religionem professis, & Clericis ducentis. Ad Magistri electionem, & creationem conuocantur tredecim Commendatarij Equites: & ideo hi dicuntur habere Dignitatem in ordine. Eos conuocandi ius, & auctoritatem habet Prior, qui præst Conuentui, qui est principalis sedes ordinis: & lis olim fuit inter duos Prioratus, quos habet præcipuos hic ordo, videlicet Sancti Marci in Regno Legionensi, & Velesij in prouincia Toletana, vter eorum haberet prædictum ius, & auctoritatem. His Prioratibus sunt subiecti alij conuentus. Habet duos Commendatarios Magnos, vnum in Castellano, Alterum in Legionensi regno.

Anno Domini 1320. creatum ordinem equitum in Lusitania à Dionysio Sexto Portogalliæ Rege, qui vulgò dicuntur nomine CHRISTI, Ioannes vigesimussecundus, sua auctoritate confirmauit. Munificentia Regis habuit initio, quo est primum fundatus & institutus is ordo in Portogallia Commendas sedecim, teste Garibai *in Chronico Regum Portogalliæ in vita Dionysij Regis*. Viget hic ordo tantum in Portogallia, habet quinque Dignitates post Magistrum ordinis; nimirum Commendatarium Magnum, Clauigerum, Priorem Magnum, Sacristam, & Præfectum fabricæ, vt idem Autor proximè nominatus refert.

Anno Domini 1176. vel paulò ante ordo, Militum Alcantaræ institutus esse memoratur, cum rerum in Castella Alphonsus huius nominis octauus dominaretur, & Fernandus itidem Rex huius nominis secundus, Legionense Regnum teneret. habet hic ordo teste Francisco Andrada, commendas triginta nouem, habet idem Commendatarium Magnum, & Clauigerum.

Montesiæ sacra Militia constituta ferrur Regis Aragoniæ auspicijs in Valentina prouincia, & Ioannis xxii. auctoritate anno Domini 1317. confirmata; instituta est aduersus Mauros, qui Valentina littora infesta reddebant: cæteris sacris Militijs in Hispania Regum auxilio, & beneficio fundatis: censu quidem & opibus tenuior, sed virtute bellica non inferior. Porrò in ordine Calatrauæ fuerunt, teste Francisco Andrada, Magistri vigintinouem. Et auctoritate Innocentij Octauij Ferdinandus Rex Catholicus, factus est perpetuus Administrator Ordinis, & tunc cœpit ordo, non per Magistros, sed per reges Hispaniæ Administratores perpetuos gubernari. Nã auctoritate Adriani VI. perpetua administratio Ordinis coniuncta est, cum regali dignitate regum Catholicorum Hispaniæ. In ordine S. Iacobi fuerunt Magistri, vnus, & quadra-

ginta:

ginta: In ordine Alcantaræ fuerunt triginta sex, & auctoritate eiusdem Adriani VI. factum est, vt ait Franciscus Andrada, vt Catholicus Rex Hispaniæ, sit perpetuus Administrator horum duorum Ordinum eodem modo, quo est Ordinis Calatrauæ.

Anno 1562. auctoritate Pij Quarti confirmatus est religiosus ordo Militum S. Stephani, sub regula S. Benedicti viuentium, à Cosmo Medice Florentino, & Senarum Duce creatus: Cuius ordinis Magister est Dux ipse Florentiæ. Porrò instituta est hæc sacra Militia instar aliarũ, quæ in Hispanijs, & alijs in locis erectæ fuerant ad fidẽ, & religionem Christianam contra hostes tuendam, & ad loca maris Mediterranei à Turcis, & Saracenis defendenda. Et Dux ipse annuos reditus, & alia bona ordini concessit, ex quibus cõmodè milites sustentarentur, & viuerent. Ex bonis itidem militum plures fundatæ, erectæ, & constitutæ sunt, quę vocantur Commendæ. Nam ipse Dux Florentiæ, à Pio Quarto impetrauit, vt qui sua sponte vellent, ordini bona relinquerẽt, ex quibus Commendæ augerentur. Vtuntur prędicti ordinis milites nigra veste cum cruce rubra: Commorantur Pisis, & insulam Helbam, suæ fidei, & custodiæ commissam habent.

Tertiò quæritur, An Simoniæ peccatum committatur, in admittẽdis equitibus ad prædictos Sacrorum militum ordines, vel ad habitum ordinum suscipiendum; vel in conferendis, vel in permutandis, deponendisùe annuis ipsorum ordinum redditibus, quæ Commendæ dicuntur, pretio dato, & accepto? Sunt enim qui id negent; Primùm, quia, vt suprà diximus, prædicti ordines militares, non sunt absolutè, & simpliciter religiones, ergo quamuis pretium detur, quo quis in ordinem cooptetur, Simonia minimè committitur. Deinde, quia annui redditus, qui militibus commendantur, non sunt propriè Ecclesiastica beneficia, sed subsidia, & quasi stipendia, & alimenta militaria: ergò quamuis pretio conferantur, permutentur, deponantur, redimantur, nulla inde contrahitur Simoniæ labes.

At verior est opposita sententia, nempe, Simoniæ crimen eos incurrere, qui hæc pretio hinc inde dato, & accepto faciunt. Sciendum est, huiusmodi Ordines aliquos, quod attinet ad milites, etsi propriè, & simpliciter Religiones non sint, auctoritate tamen Pontificia multis Ecclesiasticis priuilegijs, ac immunitatibus gaudere; vt constat tum ex Constitutionibus, tum etiam ex Litteris, & Priuilegijs Pontificum Romanorum, quibus sunt ab eis approbati, confirmati, auctiq; & propagati: quo fit, vt Simonię labe inficiatur ingressus in aliquem horum ordinum militarium, dato, & accepto pretio, cum eiusmodi ingressus adiuncta, & annexa sibi habeat iura, & priuilegia multa Ecclesiastica. Item, si pro susceptione habitus militaris, pretiũ detur, vel accipiatur, Simonia cõmittitur, quia habitus susceptio dat ius ad multa Ecclesiastica priuilegia, & immunitates ordinis. Ergo si supremus ordinis magister, aut Præfectus, vel Administrator perpetuus, pecunia aliquem in ordinẽ suum admittat, incidit in Simoniæ crimen. Item, si pecuniam, vt pretium accipiat ex hoc, quod annuos certos redditus ordinis, quæ Commendæ dicuntur, alicui conferat; item, si pretium accipiat, ex hoc, quod pensionem in certis quibusdã redditibus impositam, iuxta ordinis statuta alicui è prædictis Militi cõcedat. Nec miles cõmendatarius auctoritate propria, sine Magistri consensu potest redditus sibi Commendatos, cum redditibus alterius militis commutare. Rursus, si tacitè pecuniã accipiat ex hoc, quod commutat suos redditus, hoc est, Commẽdam, cum redditibus, hoc est, cum Commenda alterius, Simoniæ peccatum admittit.

Iure tamen potest ipse ordo pensiones imponere in ipsis commendis ad onera ordinis sustinenda: quia hoc nihil aliud est, nisi reseruare certam pensionem fructuum, qui ex commendis percipiuntur quotannis. Potest Ordo cõmendas diuidere, minuere, augere, multiplicare, coniungere, prout communi totius religionis bono iudicauerit expedire. Hoc enim concessum est huiusmodi ordinibus auctoritate Romanorũ Pontificum. Quæres; quid sit iudicandum de ijs, qui pecuniam accipiunt pro precibus, quibus primarium aliquem virum rogant, vt eius suasione, prece, rogatu, & opera Magister, aut perpetuus ordinis Administrator alteri religionis habitũ, aut certos annuos redditus concedat? Respondeo, Simoniæ crimen committi, si precium detur ei, cuius est religionis habitum, vel redditus conferre, quoniam pretium datur, & accipitur pro habitu, vel redditibus obtinendis. Et quia vnà cum habitu, vel redditibus, siue Commendis certa iura, & priuilegia Ecclesiastica acquiruntur; ideo in eis est aliquid spirituale. An verò Simonia contrahatur, si detur pecunia pro precibus, quibus per intermedios precatores, curat quis habitum ordinis, vel Commendam obtinẽdam, aut reuera eam impetrat, non est, cur in præsenti dicamus. Sed de hac quæstione alio in loco commodiùs disseremus.

Quartò quæritur, An matrimoniũ ratum, & non cõsummatũ dirimatur per solemne votũ, quod faciunt Sacri milites S. Ioannis? Sot. *in* 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 4. & *lib. de iust.* 7. *q.* 5. *a.* 3. videtur docere non dissolui: nã primum dubitat, num per huiusmodi votum dirimatur, sed postea censet nõ solui, eo quòd putat religiones militares non esse verè, & simpliciter religiones. Sed Nauar. *consil.* 1. *de conuers. coniugat.* docet per huiusmodi votum dirimi. Et ita dicendum est, quia reuera, est solemne votum religionis approbatæ. Et huiusmodi milites solemnem professionem approbatæ religionis emittunt. Et ita aliqui referunt in Hispania Cõsilio virorum sapientium quoddam matrimonium ratum, & non consummatum iudicatum fuisse, vt solutum; eo quòd vir religionẽ S. Ioannis fuerat solemni voto professus. Nec obstat, quòd Romanus Pontifex posśit iustis de causis concedere, vt miles religionem professus, vxorem ducat: quoniã, vt ante dixi, potest solẽne votũ religionis iusta de causa relaxare, & tũc religiosũ à religionis vinculo soluit. Nec propterea sequitur, vt quis simul duas vxores habere queat, quia matrimoniũ ratũ, & non cõsummatũ solutum est, per solẽnem religionis professionem, per quam quis spiritualiter moritur.

Quintò quæritur, An præter religiosos, & sacros equitum ordines iam supra memoratos, sint alij ordines? Respondeo esse alios ordines, qui nullo modo sacri religiosiue sunt, sola videlicet regum, & Principum auctoritate instituti, nulla Romani Pontificis approbatione confirmati, & propterea isti nullis Ecclesiæ priuilegijs potiuntur, nisi ijs, quæ habent speciali Romani Pontificis beneficio. Qui quidem equites vulgò Torquati dicuntur, eo quòd torquẽ aureum deferant collo dependentem. In Anglia Eduardus Rex anno Domini 1350. pia quadam æmulatione ductus, certum quendam Equitum Garteriorum, numero sex, & viginti ordinem creauit, quorum princeps erat ipse Rex Angliæ. Vtuntur cœruleo pallio, & crus sinistrum cingunt infra genas funiculo fibulato, gemmis, & auro ornato: à quo habitu, nomen datum est toti ordini: nam GARTER Anglica lingua significat periscelidem; in eoque scribunt Gallicis verbis: VI-TVPERETVR QVI MALE COGITAT. Cuius instituendi ordinis causam, & originem taceo, tanquam vulgò notissimam.

Paulo ante in Francia Rex Ioannes instituerat ordinem Equitum, quibus vulgò nomen erat Equites stellæ, eo q̃ in pallio stellam depictã gestarẽt, in qua erãt scripta hęc verba: MONSTRANT REGIBVS ASTRA VIAM. Erat enim ordo tribus Magis regib. dicatus: hic tamẽ ordo extinctus est.

Sub idem tempus Amedius VI. Comes Sabaudiæ erexit ordinem Equitum, ab Annunciatione B. Virginis nomen sortitum; torquem aureum isti pendentem è collo deferunt, laqueis quibusdam, & quatuor literis identidem in sculptis F.E.R.T. quarum literarum sensus est: Fortitudo Eius Rhodum Tenuit. Est enim hic ordo institutus in memoriam Amadei I. Comitis Sabaudiæ, qui fortiter Rhodum Insulam contra Turcarum impetum defendit: è torque collum circumdante pendet Imaguncula Annũciationis B. Virgin.

In Hispania anno 1363. Alphonsus Rex Castellæ regis Ferdinandi filius, Brugis instituit ordinem Equitum sub hoc vulgari nomine DELA-BANDA cuius ordinis Princeps, & Magister erat ipse Rex: gestabant hi Equites pannum rubrum tribus digitis latum, quem instar stolæ, qua Diaconi vtuntur supra humerum sinistrũ ponebant, porrectum vsque ad latus dextrum. Hic ordo Equestris ampliùs non extat. In Burgundia anno Domini 1429. Philippus Burgundiæ Dux instituit Ordinem Equitum, quem vulgari lingua appellant DEL TOSON: quorum Princeps fuit ipse Philippus Dux: & proinde huiusmodi Principatus transijt ad familiæ Austriacæ Imperatorem Carolum Quintum, & ita hodie est penes Philippum II. Hispaniarum regem, filium eius, tamquam Burgundiæ Ducem. Constat hic Ordo Equitibus vno circiter, & triginta: deferunt torquem aureum, in quo insculpta sunt Ducis Burgundiæ insignia.

In Gallia anno Domini 1469. Ludouicus XI Rex Francorum, Ordinem Equitum instituit, cui nomen est Sancti Michaelis. Institutus est hic Ordo in memoriam Caroli VII. Francorum Regis, cuius filius fuit ipse Ludouicus. Nam Carolo Aurelianensem Vrbem defendenti aduersus Anglorum impetum, apparuit Archangelus Michael, cuius ope, & auxilio mirabiliter de hostibus triumphauit, vt proinde huiusce ordinis Equites ab eo Rege instituti, deferant aureum torquem collo appensum, à quo pendet Imago S. Michaelis insculpta.

Cap. VII.

Nonnulla de Societate Iesu auctoritate Pontificia confirmata ponuntur.

SOcietatem Iesu auctoritate Pontificia confirmauit Paulus III. vt cõstat ex diplomate Põtificio anno Domini 1540. 5. Kal. Oct. & alio diplomate eiusdem Pauli III. anno Domini 1543.

Institutũ Societatis Iesu approbat, & declarat Iulius III. in diplomate Pontificio, q̃ sic habet.

IVLIVS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Exposcit debitum pastoralis officij, cui nos, licet immeritos, prætulit diuina Maiestas: vt fideles quoslibet præsertim religiosos, in via mandatorum Domini ad illius honorem, & gloriam, & proximorum spiritualem profectum deambulantes, paternis confoueamus affectibus, vt fideles ipsi, dextera Domini sibi assistente propria, aterna salutis præmium feruentius exquirant, & in eorum pio proposito, confouentur. Dudum siquidem, per felicis recordationis Paulum Papam Tertium prædecessorem nostrum, accepto, Quod dilecti filij, Ignatius de Loyola, & Petrus Faber, ac Iacobus Laynez, necnon Claudius Iaius, & Paschasius Broet, ac Franciscus Xauier, necnon Alfonsus Salmeron, & Simon Rodericus, ac Ioannes Coduri, & Nicolaus de Bobadilla, presbyteri, Pampilonen. Gebennan. Seguntin. Toletan. Visen. Ibredunen. & Palentin. ciuitatum, & diœc. in Artibus magistri, in Vniuersitate Parisien. graduati, & in Theologicis studijs, per plures annos exercitati, Spiritu sancto afflati, iamdudum è diuersis mundi regionibus decedentes, in vnum conuenerant: & exemplaris, ac religiosa vita Socij effecti, abdicatis huius sæculi illecebris, eorum vitam perpetuò Domini nostri Iesu Christi, atque suo, & successorum suorum Romanorum Pontificum seruitio dedicauerant: & iam pluribus annis verbum Dei prædicando, & fideles priuatim ad pias meditationes, beneque, ac beate viuendum excitando, hospitalibus inseruiendo, pueros, & alios rudes salubria dogmata, ad Christiani hominis institutionem necessaria docendo, ac denique omnia caritatis officia, quæ ad animarum ædificationem pertinebant, vbique terrarum, vbi peregrinati fuerant, quisque iuxta traditam sibi ab ipso spiritu sancto gratiam multa cum laude obeundo, laudabiliter in vinea Domini se exercuerãt, eorum institutum, sub quadam viuẽdi formula ab ipsis edita, Euangelica veritati, & sanctionibus conformi, vt vinculum caritatis, & vnio in ipsis quidem Socijs, & alijs, qui præfatum vellent institutum sequi, conseruarentur, approbauit, & cõfirmauit, & benedixit: ipsosq; Socios, quorum numerum, non vltra sexaginta esse tunc voluit, sub sua & Apostolicæ sedis protectione suscepit, illisque condendi Constitutiones, & sta-

tuta

tuta quæcunque ad ipsius, sic institutæ, & confirmatæ Societatis conseruationem, & felicem progressum, licentiam concessit per quasdam. Cumque postmodum progressu temporis Spiritu sancto cooperante, ex Societate prædicta spiritualem animarum fructum crescere, & multos, qui institutum prædictum sequi vellent, in Parisien. & alijs generalium studiorum Vniuersitatibus, studere intellexisset idem prædecessor, Ignatij, & aliorum Sociorum prædictorum piam vitam, & doctrinam attendendo, eidem Societati, vt quoscunque alios idoneos, & iuxta suas Constitutiones, probatos liberè admittere possent, concessit. Et nihilominus, vt Coadiutores tam Presbyteros, qui in spiritualibus, quàm laicos, qui in temporalibus, & domesticis officijs eos adiuuarent, qui quidem Coadiutores peractis probationibus, iuxta Constitutiones Societatis, huiusmodi requisitis, ac maiorem deuotionem suam, & meritum, etiam tria vota, Paupertatis videlicet, Castitatis, & Obedientiæ possent emittere, non solemnia, sed quibus, pro eo tempore, quo Præpositus Generalis Societatis prædictæ eis, in ministerio spirituali, vel temporali vtendum iudicaret, adstringerentur: quique omnium bonorum operum, quæ in dicta Societate fierent, ac meritorum omnium, participes fierent, perinde, vt qui solemnem professionem, in eadem Societate emisissent, possent assumere; & alias gratias, ac priuilegia ad fouendam, & adiuuandam in ijs, quæ ad Dei honorem, & animarum salutem pertinebant, Societatem prædictam, de benignitate Apostolica concessit. Vt autem prædicta omnia prius ab eodem prædecessore concessa, magis confirmentur, & simul omnia, quæ ad institutum prædictæ Societatis pertinent, eisdem in literis aliarum summam continentibus comprehendantur, & vt aliqua obscuriùs dicta, & quæ scrupulum, ac dubitationem possent injcere, per nos exactiùs explicentur: nobis fuit humiliter supplicatum, vt formulam, qua prædictæ Societatis institutum, exactiùs, & distinctiùs, quàm antea, edocente experientia, ac vsu rerum, expressum, eodem tamen spiritu, comprehenditur, confirmare dignaremur; cuius tenor sequitur, & est talis. Quicunque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub Crucis vexillo Deo militare, & soli Domino ac Ecclesiæ ipsius sponsæ, sub Romano Pontifice, Christi in terris vicario seruire, post solemne perpetuæ Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ votum, proponat sibi in animo, se partem esse Societatis, ad hoc potissimum institutæ, vt ad fidei defensionem, & propagationem, & profectum animarum in vita, & doctrina Christiana, per publicas prædicationes, lectiones, & aliud quodcunque verbi Dei ministerium, ac spiritualia exercitia, puerorum, ac rudium in Christianismo institutionem, in Christi fidelium in confessionibus audiendis, ac cæteris Sacramentis administrandis, spiritualem consolationem præcipuè intendat: & nihilominus ad dissidentium reconciliationem, & eorum, qui in carceribus, vel in hospitalibus inueniuntur, piam subuentionem, & ministerium, ac reliqua caritatis opera, prout ad Dei gloriam, & commune bonum expedire visum erit, exequenda gratis omnino, & nullo, pro suo in dictis omnibus labore, stipendio excepto, se vtilem exhibeat; curetque primò Deum, deinde huius institutionem, quæ via quædam est ad illum, quo ad vixerit, ante oculos habere: & finem hunc sibi à Deo propositum totis viribus assequi, vnusquisq; tamen secundum gratiam sibi à Spiritu sancto submin istratam, & vocationis suæ propriumgradum. Ideoque, ne quis fortè zelo vtatur, sed non secundùm scientiam, proprij cuiusque gradus iudicium, & officiorum discretio, ac distributio tota, sit in manu Præpositi generalis, seu Prælati, per Nos quocunque tempore, eligendi, vel eorum, quos ipse sibi ea cum auctoritate substituerit, vt congruus Ordo seruetur in omni bene instituta communitate necessarius. Qui quidem Præpositus de consilio consociorum, Constitutiones ad constructionem huius propositi nobis finis conducentes condendi, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente, & quæ dubia esse poterunt, in nostro instituto hac formula comprehenso, declarandi auctoritatem habeat: Consilium verò necessario conuocandum ad condendas, vel immutandas Constitutiones, & alia grauiora, vt alienare vel dissoluere domos, ac Collegia semel erecta, intelligatur esse maior pars totius professæ Societatis (iuxta Constitutionum nostrarum declarationem) quæ sine magno incommodo potest à Præposito Generali conuocari. In alijs, quæ non ita magni momenti sunt, idem Præpositus adiutus, quatenus ipse opportunum iudicabit, fratrum suorum consilio per seipsum ordinandi, & iubendi, quæ ad Dei gloriam, & commune bonum pertinere in Domino videbuntur, ius totum habeat, prout in constitutionibus eisdem explicabitur. Quicunque autem in hac Societate professionem emiserint, non solum in primis professionis suæ foribus intelligant, sed quoad vixerit, memores sint, Societatem hanc vniuersam, & singulos, qui in ea profitentur, sub sanctissimi Domini nostri Pauli Papæ Tertij, & aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fideli obedientia Deo militare. Et quamuis Euangelio doceamur, & fide orthodoxa cognoscamus, ac firmiter teneamus, omnes Christi fideles Romano Pontifici, tanquam capiti, ac Iesu Christi vicario subesse: ob deuotionem tamen maiorem Sedis Apostolicæ, & maiorem voluntatum nostrarum abnegationem, & certiorem sancti Spiritus directionem, summoperè conducere iudicauimus singulos nos, & quicunq; eandem in posterum professionem emiserint, vltra illud commune trium votorum vinculum, specialiter ad hoc voto astringi: vt quidquid modernus, & alij Romani Pontifices, pro tempore existentes iusserint ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, & ad quascunq; prouincias nos mittere voluerint, sine vlla tergiuersatione, aut excusatione illicò, quā tū in nobis fuerit, siue nos ad Turcas, siue ad quoscunq;

cunque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, siue ad quoscunque Hæreticos, Schismaticos, seu etiam ad quosuis fideles, mittendos censuerit, exequi teneamur. Quãobrem qui ad nos accessuri sunt, antequã huic oneri humeros supponant, diu multumq; meditentur, an tantum pecuniæ spiritualis in bonis habeant, vt turrim hanc iuxta consilium Dominicum possint consummare: hoc est, an Spiritus sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, vt huius vocationis pondus, illo adiuuante, se laturos sperent: & postquam, Domino inspirante, huic Iesu Christi militiæ nomen dederint, die noctuq; succincti lumbos, & ad tam grandis debiti solutionem, prompti esse debebunt. Ne qua aũt possit esse inter nos missionum, aut prouinciarum huiusmodi ambitio, vel detrectatio, intelligant singuli, sibi per se, vel alium, de huiusmodi missionibus, quid quam cum Romano Pontifice, non esse curãdum; sed omnem hanc curam Deo, & ipsi Pontifici tanquam eius vicario, & Societatis Præposito dimittendam: cui quidem Præposito sicut cæteris, nihil de sui ipsius missione in alterutram partem, nisi de Societatis cõsilio, cum dicto Põtifice curandum erit. Voueant etiã singuli, se in omnibus, quæ ad regulæ huius nostræ obseruationem faciunt, Societatis Præposito: qui ad hoc munus, quàm fieri possit idoneus, ad plura vota, prout in Constitutionibus declarabitur, eligetur, obedientes fore. Ille autem, omnem eam auctoritatẽ & potestatem habeat supra Societatem, quæ ad bonam eiusdem Societatis administrationem, correctionem, & gubernationem vtilis erit. Iubeat autem ea, quæ ad constructionem propositi sibi à Deo, & à Societate sibi cognouerit esse opportuna: & in prælatione sua benignitatis ac mansuetudinis, caritatisq; Christi, Petri, Pauliq; formulæ semper sit memor: & tam ipse, quàm consilium prædictum ad normam hanc assiduè spectent. Singuli verò subditorum, tum propter ingentes ordinis vtilitates, tum propter nunquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, non solum Præposito in omnibus, ad institutũ Societatis pertinentibus, parere semper teneãtur; sed in illo, Christum veluti præsentem agnoscant, & (quantum decet) veneretur. Cùm autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem, & ad proximi ædificationem aptiorem esse vitam, ab omni auaritiæ contagione, quàm remotissimam: & Euangelicæ paupertatis quàm simillimam: cumq; sciamus Dominum nostrum Iesum Christum seruis suis regnum Dei solum inquirentibus, necessaria ad victum, & vestitum esse subministraturum; sic voueant singuli, & vniuersi perpetuam Paupertatem, vt non solùm priuatim, sed neq; etiam communiter possint Professi, vel vlla eorum Domus, aut Ecclesia ad aliquos prouentus, redditus, possessiones, sed nec ad vlla bona stabilia, præter ea, quæ opportuna erunt ad vsum proprium, & habitationem, retinenda, tus aliquod ciuile acquirere, rebus sibi ex caritate donatis, ad necessarium vitæ vsum contenti. Quia tamen Domus, quas Dominus dederit, ad operandum in vinea ipsius, & non ad scholastica studia exercenda destinandæ erunt: cùm valdè opportunum fore alioqui videatur, vt ex iuuenibus ad pietatem propensis, & ad literarum studia tractanda idoneis, operarij eidem vineæ Domini parentur, qui Societatis nostræ, etiam professæ, velut quoddam seminarium existant; possit professa Societas ad studiorum commoditatem, Scholarium habere Collegia, vbicunq; ad ea construenda, & dotanda, ex deuotione aliqui mouebuntur: quæ simul atque constructa, & dotata fuerint, (non tamen ex bonis, quorum collatio ad sedem Apostolicam pertinet) ex nunc auctoritate Apostolica erigi supplicamus, seu pro erectis haberi: quæ Collegia possint habere redditus, census, seu possessiones, vsibus, & necessitatibus studentium applicandas, retenta penes Præpositum, vel Societatem omnimoda gubernatione, seu superintendentia, super dicta Collegia, & prædictos studentes, quoad Rectorum, seu gubernatorum, ac studentium electionem, ac eorundem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem, & circa studentium institutionem, eruditionem, ædificationem, ac correctionem, victus, vestitusque, & aliarum rerum necessariarum eis ministrandarum modum, atq; aliam omnimodam gubernationem, regimen, ac curam, vt neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas professa in proprios vsus conuertere possit, sed studentium necessitati subuenire: Qui quidem studentes ingenij, & morum indole tales esse debebunt; vt meritò speretur, post absoluta studia ad Societatis functiones idoneos fore: & sic demum post cognitum in spiritu, & literis eorum profectum, & post sufficientem probationem in Societatem nostram admitti possint. Socij autem omnes cùm presbyteri esse debeant, ad dicendum officium secundum communem Ecclesiæ ritum, sed priuatim, & non communiter, vel in choro, teneantur: & in ijs, quæ ad victum, & vestitum, & cætera exteriora pertinent, honestorum sacerdotum communem, & approbatum vsum sequentur: & quod inde pro cuiusque necessitate, vel spiritualu profectus desiderio subtractum fuerit, ex deuotione, & non ex obligatione, rationabile obsequium corporis Deo, prout expediet, offeratur. Hæc sunt, quæ sub præfati Domini nostri Pauli, & sedis Apostolicæ beneplacito, de nostra professione, typo quodam explicare potuimus, quod nunc fecimus, vt summatim informaremus, tum illos, qui nos de nostro vitæ instituto interrogant, tum etiam posteros nostros, si quos Deo volente imitatores, vnquam habebimus huius vitæ, quàm cùm multas, magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum iudicauimus, etiam statuere, ne quis ad professionem, in hac Societate emittendam, nisi diuturnis, & diligentissimis probationibus, prout in Constitutionibus declarabitur, eius vita, & doctrina exploratæ fuerit, recipiatur: quia re vera, hoc institutum omnino humiles & prudentes in Christo, & in Christiana vi-

tæ puritate, ac litteris conspicuos exigit. Immo, & ij qui in Coadiutores, tam in spiritualibus, quàm in corporalibus, & in Scholares admittentur, quorũ virtutes, post sufficientes probationes, & tempus in cõstitutionibus expressum, vota sua ad deuotionem, et meritum maius, non quidem solemnia, præter aliquos, qui de licentia Præpositi Generalis propter ipsorum deuotionem, & personarum qualitatem, tria vota huiusmodi solemnia facere poterunt, sed quibus teneantur, quamdiu Præpositus Generalis in Societate eos retinendos esse censuerit, emittere debeãt, prout in Constitutionibus latiùs explicabitur, non nisi diligenter examinati, & idonei reperti, ad eundem finem Societatis, admittantur ad hanc Iesu Christi militiam, qui tenuibus cœptis nostris fauere dignetur, ad gloriam Dei Patris, cui soli sit semper decus, & honor in sæcula, amen. Quapropter cõsiderantes, nihil, quod pium, sanctumue non sit, in dicta Societate, eiusue laudabilibus institutis, ac exẽplari Ignatij, & aliorũ Sociorũ prædictorũ vita, & moribus reperiri; eaque omnia ad suorũ, & aliorũ Christi fidelium animarum salutem, & fidei exaltationẽ tendere; Socios, ac illorum Coadiutores prædictos, & ipsius Societatis Scholares, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existũt, ad effectum præsẽtium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes & absolutos fore censentes, illosque sub nostra & Apostolicæ sedis protectione suscipiẽtes, Motu proprio & ex certa nostra sciẽtia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, erectionem, & institutionem Societatis, ac extensionem numeri illius Sociorum, ac receptionis, & admissionis Coadiutorum, ac omnia, & singula, Priuilegia, immunitates, exẽptiones, libertates, & condendi, & alterandi statuta, & ordinationes, ac alia quauis indulta eisdem, Societati, & illius Præposito, per prædecessorem nostrum, & sedẽ huiusmodi, sub quibuscunque tenoribus, & formis cõcessa, & confirmata, ac desuper confecta, tam sub plumbo, quàm in forma breuis literas, & in eis contẽta, ac inde secuta quæcunque, perpetuò approbamus, & confirmamus, ac eis perpetuæ firmitatis robur adijcimus, supplentes omnes & singulos tam iuris, quàm facti defectus, si qui interuenerint in eisdẽ: Eaque omnia & singula perpetuæ & inconcussæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere, & sic per quoscunque, quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, interpretari, atque deci di debere; necnõ quidquid secus super his, per quoscunque, quauis auctoritate, scienter vel ignorãter cõtigerit attentari, irritũ & inane decernimus, & declaramus. Quocirca vniuersis & singulis venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs, Abbatibus, Prioribus & alijs personis in dignitate Ecclesiastica cõstitutis, per Apostolica scripta mãdamus, quatenus ipsi, & eorũ quilibet per se, vel alios, seu alios præfatis Præposito & Societati in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistẽtes, faciãt auctoritate nostra singulas prædictas, & præsentes literas plenum effectum sortiri, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruari: nõ permittentes quemquã cõtra illarum tenorem quomodolibet indebitè molestari: contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, ac censuras prædictas legitimis super his habendis seruatis processibus, etiam iteratis vicibus aggrauando: inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis: Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, & singulis, quæ in literis prædictis idẽ prædecessor noster voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscũque, aut si aliquibus cõmuniter vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum: quod interdici, suspendi, vel excõmunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ absolutionis, susceptionis, approbationis, cõfirmationis, adiectionis, suppletionis, decreti, declarationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, M D L. duodecimo Kal. Augusti: Pontificatus nostri Anno primo.

Contra Apostatas, hoc est, desertores Societatis, censuras, & pœnas constituit Pius V. in diplomate Pontificio, quod habet in hunc modum:

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Æquum reputamus, et rationi consonũ, vt ea quæ de Romani Põtificis gratia præcesserũt, licet eius superueniente obitu literæ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum cõsequantur effectũ. Dudum siquidem fel. record. Pio Papæ IV. prædecessori nostro, pro parte carissimi in Christo filij nostri tũc sui, Sebastiani Portugalliæ & Algarbiorũ Regis illustris, ac dilectorũ filiorũ Præpositi Generalis, & Religiosorũ Societatis Iesu exposito, quòd licet aliàs piæ memoriæ Paulus Papa III. etiam prædecessor noster, insui, dictæque Societatis fauorẽ inhibuisset; ne quis post emissa vota in dicta Societate, secundũ illius cõstitutiones siue Professus, siue Scholaris, siue Coadutor Societatis huiusmodi ille esset, ad quemuis alium ordinem, etiam per sedem Apostolicam approbatum (ordine Carthusiensium dumtaxat excepto) nisi de expressa ipsius Præpositi, aut sedis licentia transferri posset. Volens & concedens, quod Generalis, & alij inferiores Præpositi dictæ Societatis, per se, vel per alios, sic egressos, ac alios quoscunque dictæ Societatis Apostatas, in quocunque habitu illos contigerit inuenire, excommunicare, capere,

& incarcerare, aut alias sua disciplinæ submittere; & ad id, si opus foret, auxilium brachij secularis invocare, liberè, & licitè valerent, prout in ipsius Pauli prædecessoris literis desuper confectis plenius dicebatur contineri; ac inhibitio, voluntas, & concessio Pauli prædecessoris huiusmodi, quæ tranquillitatem, conseruationem, & commune bonum dictæ Societatis concernebant, ab omnibus illius Religiosis humiliter seruari debuissent: nihilominus nonnulli animi leuitate, vt credebatur, ducti, ac quietem labori, cui proculdubio Religiosi Societatis huiusmodi, pro excolenda & propaganda Christiana Religione continuò erant expositi, ac priuatum commodum, publicæ, tam dictæ Societatis, quàm Christianæ reipubl. vtilitati indiscretè præferentes, fucatisq; coloribus asserentes, se id facere ob frugem melioris vitæ, aut strictioris obseruantiæ, seu nõ obtenta Superiorum licentia, ad alios etiam fratrũ Mendicantium ordines transire posse iactabant, & forsan aliqui facto iam transierant. Alijverò (quod turpius erat) ambitiosa cupiditate moti postquam se Deo dedideranr, sæculi libertatem quærentes, ad illud reuerti, & in illo palam degere non dubitauerant, nec dubitabant, in animarum suarum detrimentum, ac Societatis prædictæ non modicum præiudicium, & iacturam. Et nisi opportuno aliquo remedio, dictæ Societatis indemnitati, tranquillitati, & conseruationi consuleretur, verendum erat; ne Societas ipsa, quæ in erudiendis, & docendis viris, qui Christianæ Reipub. per verbi Dei prædicationem prodessent, & Catholicam fidem in remotissimis etiam Brasiliæ partibus propagarent, & seminarent, sedulò intendebat; taliter delusa, & defraudata viris sua impensa, & labore edoctis, careret literatis, qui operam in vineæ Domini, iuxta ipsius Societatis institutæ, moremq; præstari, & exerceri solitam, valerent adimplere. Idcirco pro parte, tam Sebastiani Regis, se & Religiosorũ societatis huiusmodi opera & doctrina plurimũ vti asserentis, quã Præpositi Generalis, ac religiosorum prafatorũ, eidem Pio prædecessori, humiliter supplicato, quatenus ipsius Societatis quieti & conseruationi prospicere, ac aliàs in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaretur: præfatus Pius prædecessor, qui votis illis, quæ dictæ Religionis profectum concernebant, Catholicis Regibus præsertim instantibus, gratum præbere solebat assensum, eosdem Sebastianum Regem, ac Præpositum, & vtrumq; eorum, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiastici sententijs, cẽsuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum, absoluens & absolutos fore censens: necnon veriores literarum Pauli prædecessoris, ac Constitutionum Societatis prædictarum tenores: nec non modum, formã, & qualitates votorum, in ipsa Societate, tam per professos, quàm Coadiutores, & Scholares suos huiusmodi emitti solitorum, pro expresis habens, huiusmodi supplicationibus inclinatus, sub Dat. videlicet sexto Kalend. Decembr. Pontificatus sui anno sexto: quod nullus dictæ Societatis Religiosus in literis Pauli prædecessoris huiusmodi expressus, post emissa vota secundum illius Constitutiones, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadiutor, cuiuscunq; status, gradus, ordinis, vel conditionis ille foret, a dicta Societate exire, aut recedere, etiam pretextu cuiusuis indulti, ab eodem Pio prædecessore, vel alio Romano Pontifice pro tempore existente, seu illius maiore Pœnitentiario, aut aliquo Nuntio, vel Legato, etiam de latere impetrati, vel impetrandi; quod etiam ex tunc surrepticium idem Pius prædecessor declarauit, absq; expressa Superiorum sui licentia ad id ab eo specialiter obtenta, etiam quasi to colore ob frugem melioris vitæ, aut strictioris observantiæ, ad quemuis alium, etiam Minorum, vel aliorum fratrum Mendicantium, aut Cisterciensium, vel Sancti Benedicti, aut aliorum Monachorum ordinem transire, vel etiam per Superiores ordinum huiusmodi, suorumue Monasteriorum (præfato ordine Carthusiensium dumtaxat excepto) recipi, seu admitti posset, seu præsumeret, sub pœna excommunicationis tam per recipientes quàm receptos, ac recedentes præfatos ipso facto incurrenda, & quam idem Pius prædecessor, ex tunc contra quemlibet transgressorum quomodolibet in præmissis protulit, & aquasi innodatus, præterquam in mortis articulo ab alio, quam à Romano Pontifice, vel Superiore Societatis huiusmodi, absolui non posset. Quodq; nihilominus secus facta non tenerent, & nullius existerent efficacie, vel momenti. Et insuper, vt qui pro tempore ab ipsa Societate ad Carthusiensium præfatum, vel de Superioris licentia, ad alium ordinem transire vellent, ad Carthusiensium videlicet, infra tres menses, a die, quo ab Societate recessissent, ad alium verò ordinem infra tempus eis à dicto Superiore præfigendum accedere, illosq; actualiter ingredi, & si inutilis permanere nollent, aut non possent, absq; vlla mora ad dictam Societatem regredi teneretur, sub pœna excommunicationis præfata, quàm tam ipsi Religiosi, quàm illos recipientes, vel eis auxilium, consilium, vel fauorem præstantes, etiam incurrerent. Et nihilominus si quis ex Religiosis præfatis, animo indurato aliquid in contrarium attentare præsumeret, vel à dicta Societate, post inita emissa vota, vt præfertur, absque Superioris licentia exiret, & in sæculo, vel alio etiam Regularis loco degere præsumeret; liceret dicto Generali, aliisq; dictæ Societatis Præpositis, & Superioribus, eosdem transgressores, & exeuntes, tanquam Apostatas, etiam per auxilij secularis brachij inuocationem, summariè, & sine figura iudicij, ad dictam Societatem reuocare, capere, & incarcerare, ac debita pœnitentia subijcere, auctoritate Apostolica, perpetuò statuit, ordinauit, præcepit, atq; mandauit. Ac insuper eidem Societati, illiusq; Generali, ac aliis Præpositis & singularib. psonis, ip omnibus & singulis priuilegijs, libertatibus, immunitatibus, fauoribus, gratijs & indultis p quoscũq; Rom. Pontific. pdecessores su

os sin

os, singulorum Mendicantium fratrum ordinibus, illorumq; Superioribus, & Fratribus, in genere, vel in specie, etiam super suis Religiosis alterutrum, non recipiendis quomodolibet concessis, & approbatis, ac quibus illi vtebantur, potiebantur, & gaudebant, vti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valerent, ea de auctoritate concessit, & indulsit. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscunq; Iudices, & Cõmissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere. Ac quicquid secus super his, à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contingeret irritum, & inane decreuit. NON obstantibus præmissis, ac recolendæ memoriæ Innocentij Papæ III. similiter prædecessoris nostri, quæ incipit, Licet, & alijs quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis: necnõ ordinum prædictorũ, & alijs, etiam iuramento cõfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cõsuetudinibus; priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis, etiam Mendicantium, & alijs quibusuis ordinibus, eorumq; Superioribus, & personis, sub quibuscunq; tenoribus, & formis; ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq;, & alijs decretis quomodolibet cõcessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, etiãsi de illis, eorũq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, nõ aũt per clausulas generales, idem importantes mẽtio, seu quauis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id seruanda foret, idem Pius prædecessor, illorum omniũ tenores pro sufficienter expressis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dũtaxat specialiter, & expressè derogauit, cæteriq;, contrarijs quibuscunq;. Ne autẽ de absolutione, statuto, ordinatione, inhibitione, præcepto, mandato, indulto, concessione, decreto, & derogatione præfatis pro eo, quod super illis, ipsius Pij prædecessoris eius, superuemente obitu, literæ cõfectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, ipsiq; Sebastianus Rex, ac Præpositus, & Societas huiusmodi illorũ frustrentur effectu, volumus, & similiter dicta Apostolica auctoritate decernimus; quod statutũ, ordinatio, inhibitio, præceptum, mandatum, indultum, cõcessio, decretum, & derogatio Pij prædecessoris huiusmodi; perinde à dicta die VI. Kal. Decemb. suum sortiantur effectum; ac si super illis ipsius Pij prædecessoris literæ sub eiusdem diei Datũ confectæ fuissent, prout superius enarratur: quodq; præsẽtes literæ ad p̃bãdum plenè absolutionem, statutum, ordinationẽ, inhibitionem, præceptum, mandatum, indultum, cõcessionem, decretũ, & derogationem Pij prædecessoris huiusmodi, vbiq; sufficiant: nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Toletan. Et Auinionen. Archiepiscopu, ac Episcopo Leodi. per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorũ per se, vel alium, seu alios, præsẽtes literas, & in eu contenta quæcunq;, vbi, & quãdo opus fuerit, ac quoties pro parte Sebastiani Regis, vel Præpositi Generalis Societatis huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicãtes, eiũq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, illos statuto, ordinatione, inhibitione, præcepto, mãdato, indulto, concessione, decreto, & derogatione, prædictis pacificè frui, & gaudere: non permittentes eos, vel eorum aliquẽ desuper per quoscunq; quauis auctoritate fungẽtes, quomodolibet indebitè molestari; contradictores quoslibet, ac inobedientes & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris remedia, appellatione postposita, cõpescendo: necnon legitimis super his habendis seruatis processibus illos cẽsuras, & pœnas p̃dictas incurrisse declarando, easq; etiam iteratis vicibus aggrauando, & auxiliũ brachij secularis si opus fuerit inuocando. NON obstantibus Sanctæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suam ciuitatem, vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra suam dietã à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à dicta sede deputati extra ciuitatem vel diœcesim in quibus deputati fuerint, cõtra quoscunq; procedere, aut alij, vel alijs vices suas committere præsumant: & de duabus dietis in Concilio generali edita, dũmodo quis vltra tres dietas auctoritate præsentium, ad iudicium non trahatur: & alijs Apostolicis constitutionibus contrarijs quibuscunq; omnibus supradictis aut si aliquibus communiter, vel diuisim, ac eadem sit sede indultum, q̃ interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omino hominum liceat hanc paginam nostræ volũtatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, M. D. LXV. sextodecimo Kal. Februar. Pontificatus nostri Anno primo.

Societatem Iesu esse Ordinem, & Religionem Mendicantem, declarauit Pius V. diplomate Pontificio, vbi sic ait:

PIVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Dum indefessa considerationis intuitu perscrutamur, quantam Christianæ Reipublicæ vtilitatem attulerint Dilecti filij presbyteri Societatis Iesu, ac planè conspicimus eos verè mundi huius relictis illecebris, adeo seruatori suo se dedicasse, vt conculcatis thesauris, quos arugo, & tinea comedit, lumbisq; paupertate, & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, vsq; ad Orientales & Occidentales Indias penetrauerint, ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, vt etiam proprij sanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario se supposue-

posuerint, perq; eorum spiritualia exercitia etiam regna ipsa fidem Christi agnouerint: ac tam imbi, quàm vbiq; terrarum charitatis & misericordiæ opera exercere studeãt; facere nullo modo possumus, quin eos tanquam veros palmites in Christo per charitatem comũctos, & benignè amplectamur, & ea sibi specialiter concedamus, quæ & paupertatis per eos emissæ voto, & eorum instituto, ac commoditati credimus profutura. Hinc est, quod nos attendentes, quod licet dilecti filij Præpositus generalis, & presbyteri Societatis huiusmodi, tum quia ipsa Societas mendicans existit; quippe, quæ ex eius instituto, & constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis, bona stabilia possidere nequit, sed incertis eleemosynis, fidelium q; largitionibus, & subuentionibus viuit; tũ quia nõ minus, q̃ cæteri mẽdicãtes in excolẽda vinea Domini assiduè laborant fructusq; ingentes, & salutiferos producũt; ac propterea eisdem priuilegijs, indultis, & gratijs fratribus mẽdicantibus hactenus concessis vti, frui, potiri & gaudere meritò possint, ac debeant. Cum tamen illud aliquando in controuersiam deduci posset, ex eo, q; dicta Societas Collegia habeat secũ adiuncta: Nos ambiguitatem huiusmodi omnino amputare volentes, eosdem Præpositum & Societatem, eorumq; singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existũt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; necnon dicta Societatis instituti, constitutionũ, & dispositionum tam de iure, quàm ab homine prouenientium: necnon priuilegiorum, immunitatum, indulgentiarum, & gratiarum mendicantibus fratribus huiusmodi quomodolibet concessarum, ac literarum desuper confectarum tenores præsentibus pro expresſu habentes: Motu proprio non ad ipsorũ Præpositi Generalis, & Societatis, vel alicuius eorum; aut alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex meræ liberalitate, & certa scientia nostra, illam, & illius Præpositum, ac singulas personas Societatis huiusmodi verè, & non fictè mendicantes fuisse, esse, & fore: & inter aliorum fratrum, & religiosorum mendicantium ordines, alios q; fratres, & religiosos mendicantes, prout illos nos connumeramus, & connumerari debere: ac omnes, & singulas tam iuris, quàm hominum dispositiones, in fauorem religiosorum, seu fratrum mendicantium nunc, & pro tempore emanatas, etiam in Societate, illiusq; Domibus, Collegijs, Præposito, & alijs religiosis locum habere. Necnon omnia, & singula quæcunq;, quotcunq;, & qualiacunq; sint, etiam speciali nota digna priuilegia, immunitates, exemptiones, facultates, cõcessiones, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, & gratias tam spirituales, quàm temporales, literasq; Apostolicas, etiam iustitiam, siue mixtim concernentia hactenus per nos, & quoscunq; alios Romanos Pontifices, tã prædecessores, quàm successores nostros, & denq; sedem Apostolicam, & illius Legatos de latere, siue Nuncios, & quascunq; alias personas, quauis auctoritate fungentes etiam motu, & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, tam in genere, quam in specie, & tã communiter & coniunctim, quàm particulariter, & diuisim, etiam per modum extensionis, seu communicationis, & alias quomodolibet, quibusuis ordinibus fratrum, & sororum mendicantium quocũque nomine nuncupentur, illorumq; congregationibus, conuentibus, & capitulis, ac vtriusq; sexus personis, ac illorum monasterijs, Domibus, Ecclesijs, Hospitalibus, & alijs pijs locis hactenus concessa, & in posterum concedenda: quorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro expresſu, & inserti haberi volumus, eisdem Præposito, ac Societati, & omnibus illius personis, Domibus, ac Collegijs vbiq; terrarum sitis, ita quod Societas, Domus, Collegia, Præpositus, & personæ huiusmodi omnibus, & singulis prædictis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentijs, remissionibus, gratijs, & literis, eisdem fratrum, & sororum Mendicantium ordinibus, congregationibus, conuentibus, Capitulis, personis, Monasterijs, Domibus, Ecclesijs, Hospitalibus, & alijs pijs locis, vt præfertur, concessis, & concedendis ante ea potuerint, & nunc, ac in futurum dũmodo instituto Societatis, & Præpositi, seu deputatarum personarum huiusmodi voluntati, & beneplacito non refragentur, possint liberè, & licitè vti, frui, potiri, & gaudere in omnibus, & per omnia, non solùm ad illorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter, absq; vlla prorsus differentia; perinde, ac si Societati, Præposito, personis, Domibus, & Collegijs prædictis, nominatim & specialiter, ac generaliter concessa fuissent, Apostolica auctoritate tenore præsentiũ perpetuò sancimus, volumus, & declaramus, ac pariter concedimus, indulgemus, & elargimur. Decernentes præsentes literas nullo vnquam tempore per nos, aut sedem prædictam reuocari, aut limitari, vel illis derogari posse, neq; sub vllis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, nũc & pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties reuocari, alterari, limitari, vel derogari contingat, toties in pristinum, & eũ in quo ante præmissa erant, statum restitutas, & denouo etiã sub posteriori data per pro tempore existẽtem Societatis huiusmodi Præpositum Generalem eligenda, concessas esse, & fore, ac ita, & non aliter per quoscunq; iudices tam ordinaria, q̃ delegata, et mixta auctoritate fungẽtes, etiã S.R.E. Cardinales etiã Sedis Apostolicæ Legatos de latere, & Nuncios, ac causarũ Palatij Apostolici Auditores sublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicãdi facultate, vbiq;, & in quauis instãtia interpretari, cõseri iudicari, cognosci, & decidi debere. Irritũ quoq; & inane quicquid secus super his à quoq; quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quosir-

Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs, eorum Vicarijs in spiritualibus, aut officialibus generalibus, & curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, necnõ Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac alijs, ad quos id quomodolibet spectat, & spectabit, per præsentes Motu simili mãdamus; quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas & in eis contenta, quæcunq; vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Præpositi, & personarũ Societatis huiusmodi, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant eos præmissis omnibus, & singulis pacificè frui, & gaudere: nõ permittentes eos desuper per quoscunque quomodolibet indebitè molestari: contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo: legitimisq; super his habẽdis seruatis processibus, sententias, cẽsuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus nostra de non expediendis literis super indulgentijs ad instar, ac fœlicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas, quis vigore præsentium ad iudicium non trahatur, & aliys Apostolicis constitutionibus, ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusuis personis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem Apostolicam, etiam Motu, & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cũ quibusuis irritatiuis, annullatiuis, cassatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, præseruatiuis, exceptiuis, declaratiuis, memis attestatiuis, ac derogatoriarũ derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet, etiã pluries concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & singulis etiamsi in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis specifica, & expressa mentio habenda, seu aliqua alia forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cõtrarijs quibuscunq; aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultũ, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionẽ. Volumus autẽ quod præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & signo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis; eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis originalib. literis adhiberetur, si forẽt exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, Die Septim. Iulij, M.D.LXXI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Eos, qui exacto probationis biennio tria substantialia religionis vota quamuis simplicia in Societate emittunt, iuxta ipsius Societatis constitutiones, esse verè, & propriè Religiosos declarauit Gregorius XIII. in constitutione Pontificia, quæ sic habet.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorũ Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ascẽdente Domino, & Saluatore nostro in nauiculam, ecce motus magnus factus est in mari, ipse autem à discipulis rogatus ventis imperauit, & facta est tranquillitas, quam nos in Petri nauicula collocati, turbinibus excitatis ab eodẽ Domino assiduis precibus postulantes, nostrã interea operam, & laborem in frangẽdis procellosis fluctibus impendere non desistimus: cumque tanti laboris socios, & validos remiges diuina nobis prouidentia præparauerit, eorum opera in superãdis sæuientis pelagi tempestatibus nos maximè subleuat, qui pro cõmun fluctuãtium animarũ salute, propria cõmoda nihili pendunt, seque ad omnia discrimina exponunt. In quo cum aliarum Religionum studia, tum Societatis Iesu assiduus pro Christo labor, necnõ vsque ad finem perseuerantia promptam se ostẽdit, cumq; prolem catholicæ Religioni valde proficuam, & ad omnia pericula, pro vniuersali Ecclesia subeũda, paratã procreauerit, aliam, atque aliã à prima non degenerẽ, præstante gratia Dei, quotidie substituit; vt nobis eorũ alumni, per multiplices probationũ gradus altius prouecti, semper præsto sint; quos in rebus arduis suscipiendis fructuosos operarios asciscamus; eos autẽ, vt firmiorẽ nobis opem ad prædicta nauare possint, ab omni non modo iniuria, sed etiam calumnia studemus intactos conseruare. Quod, vt à nobis efficiatur, ipsius instituta, tanquã fundamenta eius præsidij, quod catholicæ Religioni impendunt immota, atque inconcussa; aliorũ etiam Romanorũ Pontificũ exemplo debemus Apostolica auctoritate tueri: quorũ fel. rec. Paulus III. & Iulius etiã III. Constitutiones, & laudabile dictæ Societatis institutum confirmarunt: Paulusque idem eam ipsam ab omni quorumcunq; ordinariorum iurisdictione exemit, quo instituto per Paulum IIII. examinato, & à Synodo Tridentina commendato, Pius V. item prædecessor noster Societatem ipsam ordinem esse mendicantem declarauit. Quæ omnia non immeritò ab eis sunt cõcessa, ob egregias virtutes, & dona Societati antedictæ diuinitus elargita, cuius præcipuus finis, catholicæ est Religionis defensio, ac propagatio, animarumq; in christiana vita, & doctrina profectus; gratiæ quoque eius vocationis est proprium diuersa orbis terrarum loca ex Romani Pontificis, seu Præpositi Generalis eiusdem Societatis directione peragrare, vitamq; in quauis mundi parte agere, vbi saluandarum sua opera animarum copiosior proueˉtus,

ad Dei gloriam speretur. Ad quē finem Spiritus sanctus hoīe. Ignatij Loyolæ Societatis ipsius Institutoris, eiusque sociorum excitator, media quoque prædicationum, ac cuiuscunque ministerij verbi Dei, doctrinæq; Christianæ, & spiritualium exercitiorum, aliorum item charitatis operum, & Sacramētorum administrationis, ac præcipuè Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, horumque frequentioris vsus accommodauit. Ad quæ sufficienter, & pro dignitate præstanda, difficultates superandas, periculaq; adeunda, quibus dicta Societatis religiosi in huiusmodi discursionibus, & ministerijs exponuntur, necesse est; vt ipsi talia obituri, magno virtutis, & deuotionis præsidio muniantur, quod illis gratia in primis omnipotētis Dei; simulq; educatio ipsa, longa item in Societate probatio, necnon regularū, & Constitutionum obseruātia præstare noscuntur. Quibus Constitutionibus, vt tantæponant rudimēta virtutis, ad quā aluntur, statutum est; vt Nouitij in Societate biennio probentur, quo expleto si ipsi perseuerare voluerint, & Societati fuerit ab eis satisfactū (quoniam Societas ipsa non solis Nouitijs, & Professis, vt reliqui regulares ordines, constat,) tria substantialia vota simplicia (nisi quis interdum ad professionē, vel gradum Coadiutorū formatorū admittendus videretur) Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ in eadē Societate, ex Apostolico indulto, ac iuxta vouēdi formulam in eisdem cōstitutionibus expressam emittunt, ac secundū illas promittūt, se eandē Societatem ingressuros, hoc est, vlteriorē aliquem illius gradū, prout Præposito videbitur Generali. Quibus votis emissis Nouitij esse desinunt, & in Societatis corpus, qui literis operam dederint, vel daturi sunt, vt Scholares approbati, alij verò, vt Coadiutores temporales nondū formati cooptantur, ac quantū est ex parte ipsorū perpetuò, ex parte verò Societatis iuxta Apostolica indulta, & constitutiones prædictas, tādiu obligati sunt, quādiu Præpositus Generalis eos in Societate retinendos esse cēsuerit. Quod ad Societatis conseruationē maximè est necessariū, idq; ab illius exordio prouisum, & post experimento comprobatū est, idque initio ingressus illis explicitè manifestatur, atque ipsi conditionem hanc amplectuntur, quæ eis (si quos dimittere oporteat) multò est cōmodior, vt liberi potius, quàm votis obligati dimittantur, alijsq; iustis, & rationabilibus de causis. Coadiutores temporales non formati, qui non ad studia literarum, sed ad domestica munia curanda destinantur, post aliquot annos, quibus Generali Præposito, & Societati satisfecerint: per tria itē Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota licet publica, & in manibus Superioris emissa, non tamen solemnia, sed tum ex constitutionum præscripto, tum ex vouentis, & admittentis intentione simplicia existunt, in Coadiutorum temporalium formatorum gradum admittuntur. Scholares verò studijs in Societate absolutis, antequam Professi, vel Coadiutores spirituales formati fiant, non solum tertium adhuc vlterioris probationis annū, in deuotionis, & humilitatis exercitijs impendunt, vt si qua forte asse in re, harum virtutum feruor per literarum occupationem intepuerit; per earūdem virtutum frequentiorem exercitationem, ardentioremq; diuini auxilij inuocationem recalescat, sed etiam in verbi Dei sacrarum, & scholasticarum lectionum, pœnitentiæq;, & Eucharistiæ Sacramentorum Societatis ministerijs tamdiu probantur, quamdiu Præposito Generali videtur, nec antequam ipsi Præposito sint planè perspecti, eique in omnibus satisfecerint, ad huiusmodi gradus promouētur. Qui enim ad professionem quatuor votorum admittendi sunt, eos iuxta Constitutiones easdem, & Apostolica decreta, & indulta, viros omnino humiles, ac prudentes in Christo, & in vitæ puritate, ac literis conspicuos, diuturnisq;, ac diligentissimis experimentis probatos, atque Sacerdotes, & in ministerijs huiusmodi prius diu, multumq; versatos vocatio hæc requirit, vtpotè quos arduа maneant ministeria. Quo fit, vt nō omnes ad eandē professionē idonei esse, nec tales, sine lōga exercitatione, atq; experimēto fieri, aut etiā cognosci possint. Quapropter Societatis corpus in sua membra, & gradus idē Ignatius, diuino instinctu ita duxit disponendum, vt præter eos, quos Præpositus Generalis ad professionē quatuor votorum idoneos esse censuerit, & nonnullos, quos interdum ad professionē trium admittere potest, reliqui etiam Sacerdotes, quorū vita, & doctrina in Societate diu probata esset, ac Præposito Generali perspecta, & de ipsius licētia in Coadiutorū spiritualium formatorū gradū, per tria illa vota similiter publica, sed simplicia in superioris manibus emissa admitterentur. Quibus emissis, tam hi, qui spirituales, quā qui temporales Coadiutores formati fuerint, certū in Societate gradū habent, suntq; omnis hæreditariæ successionis incapaces, nihilq; omnino proprij, iuxta Cōstitutiones easdē, habere possunt. Nec propter emissa huiusmodi vota publica, aut per mortē ab intestato in illorū; sicuti nec in Professorū bonis Domus vlla, aut Ecclesia, vel Collegiū dictæ Societatis succedere potest. Qui verò quatuor votorum Professi futuri sunt, ij tribus illis solēnibus substātialibus votis, quartū similiter solemne addunt, specialis Summo Pontifici obedientiæ circa missiones præstandæ, ob certiorē Spiritus sancti in missionibus ipsis directionē, ac maiorē ipsorum mittendorum Sedi Apostolicæ Obedientiā, maioremq; deuotionem, humilitatē, mortificationē, ac voluntatum abnegationem. Post emissam verò professionē, siue quatuor, siue trium votorum, Professi ad paupertatis, quæ regularis instituti murus est, & propugnaculum, perfectionē tuendæ, omnemq; ambitionis occasionis excludendā, nonnulla alia simplicia vota emittunt, quibus promittunt, se nunquam quacunq; ratione acturos, vel consensuros, vt quæ in Constitutionibus Societatis circa paupertatē ordinata sunt, immutentur, nisi quando ex iusta rerum exigentium causa, paupertas magis restringenda videretur, neque pratensuros, ne indirectè quidem, vt in aliquam prælationem, vel dignitatē intra, vel extra Societatē eligantur, nec extra Societatē in sui electionē, quantum in eis fuerit, cō-

sensuros, nisi coacti obedientia eius, qui id ipsis posset sub pœna peccati præcipere. Item Societati, vel eius Præposito manifestaturos, si quē sciāt aliquid huiusmodi moliri. Porrò non solùm Professi, & Coadiutores formati, sed ex alijs, quicūq; absoluto probationis biennio prædicta tria substantialia vota etiā simplicia emiserint, si absq; expressa licentia à Societate discedant, etiā si prætextu melioris frugis, & trāsitus ad alium quemcunq; ordinem (Carthusiēsium duntaxat excepto) id faciant, apostasiæ, & excōmunicationis, ex Apostolicæ sedis decreto pœnas incurrunt, à quibus non nisi à Summo Pontifice, vel à Generali Præposito absolui possunt. Iniquè enim cū Societate ipsa ageretur, si viris multo labore ad ardua ministeria eruditis, cū religionis catholicæ, & huius sedis detrimento, priuaretur: præsertim cum Societatis Cōstitutiones, & priuilegia, quæ supradicta continent, in separata, antequā ad nouitiorum conuictū admittātur, habitatione, eis maturiùs considerāda, tradantur. Biennio nouitiatus cōpleto, & emissis votis simplicibus, vna est omnibus omnino viuendi, & obediendi ratio, debent enim omnes in omnibus obedire, & in commune viuere non secus alij, atque ipsi Professi, & Coadiutores formati, idque in Domibus quidē Probationū, & Collegijs ex redditibus, in Domibus verò Professorum, qui nullos omnino redditus habere possunt, ex eleemosynis tantū. Et licet qui ad gradus Professorum, & Coadiutorum formatorum nondum peruenerunt, bonorum suorum ius, atq; dominium, tum aliàs ob iustas causas, tum etiā, vt maiorē Societas habeat libertatem illos, si opus fuerit, cum minori offensione dimittendi ad tempus Generalis Præpositi iudicio præscribendum valeant retinere, vt in pauperes tandem, seu alios pios vsus, pro ipsorum deuotione distribuant, iuxta Euangelicum consilium, ac promissionem, quā initio Nouitiatus faciunt; interim tamen quantum ad illorum vsum, religiosam paupertatem seruant, nec vllare tanquam propria, & sine Superioris facultate vti possunt. Et quamuis ij omnes, qui post biennium Nouitiatus dicta tria vota Simplicia, vt præfertur, emiserint, ac in corpus Societatis cooptati, illiusq; meritorum, & priuilegiorum, non secus, atque ipsi Professi, participes effecti, quique quantum in eis est, & professionem emittere parati, si ipse Præpositus Generalis id prædictæ Societatis instituto cōgruere iudicauerit, & in perpetuum Dei seruitio votis simplicibus consecrati, ac sua sorte, prout laudabile Societatis institutū exigit, contenti, verè, & propriè religiosi existant, & si à Societate deficiant, excōmunicationis, & alijs Apostatarum pœnis sint subiecti. Tamen cum non ita pridem intellexissemus nonnullorum animos, qui pij alioqui, & vtiles operarij existebant, solicitari interdum, & affligi, quasi non essent religiosi, eo quòd non essent Professi: nec etiam deesse, qui Religionis prætextu, transfigurante se in angelū lucis Satana, non solùm ea occasione inquieti existerent, sed etiā aliorum pacem, & vocationē disturbare, eosque in fraudem, & defectionem deducere cōarentur, vnde fluosa hæc religio grauissima potuisset accipere detrimenta. Idcirco cum diuina prouidentia pro tēporum necessitate, varia, & salutaria ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit; nouisq; subinde in ea nascētibus morbis, noua remedia, nouisq; emergentib, hostium impugnationibus, noua regulariū ordinū auxilia excitarit, & cuiq; illorum, iuxta cuiuslibet peculiaris gratiæ vocationē peculiares quasdā notas, propria insignia, ac opportuna ad finem quem intendit, media suggesserit, & nūc maximè (vt felicissimi toto orbe successus testantur) mirificos in agro Dominico fructus prædicto Societatis Iesu instituto proferat: Quæ Societas (quēadmodum, & alia nascētium regulariū ordinū exordia) à spiritu cōtradictionis impugnatur, cumq; ipsi ordines, Romanorū Pontificum propterea cōstitutionibus circūmuniri cōsueuerint; cuius rei sanctorū Dominici, & Francisci præclarissimi ordines exempla abundè suppeditarunt: ita nos, licet aliàs, institutū prædictum, priuilegia, & Cōstitutiones ipsius Societatis confirmauerimus, & declarauerimus, Motu proprio, statuentes eos, qui biennio Nouitiatus peracto, tria vota, tametsi simplicia emiserūt, esse verè, & propriè Religiosos; cū præcepto, ne quis hæc in dubium reuocare audeat, at cū irritāte, & alijs decretis, prout in nostris super hoc cōfectis literis plenius cōtinetur. Quia tamē non defuit temeraria quorundā audacia, qui post declarationē, decretum, præceptum, & interdictum nostrū huiusmodi nō solùm multa ex prædictis, & fortassè ad Societatis institutū, ac viuendi formā spectantia labefactare, sed & ipsa Apostolica decreta, ac præcepta, publicè, & ex cathedra, ausu temerario impugnare, mentemq; nostrā peruersè interpretari non erubescunt, disputātes, & prædicta in dubium reuocantes, omniaq; ex aliorum regularium ordinū cōmunibus rationibus, formis, ac statutis metientes, Societatis Institutum, peculiares Constitutiones, ac vim votorum simplicium illius, à sede Apostolica in eadem Societatis Religione probata admissorū, penitus ignorātes, ac nonnulla iure antiquo, quæ post illud successu temporum huius sedis auctoritate, approbatione, & confirmatione, ac peculiaribus priuilegijs, sancita, & roborata esse dignoscuntur, perperā interpretantes, cōuellere nituntur. Quinetiam nos supradicta Motu simili, & ex certa scientia de Apostolicæ potestatis plenitudine decernētes, ac præcipientes, priuato sensu locutos fuisse, ac tanquā priuatos doctores errare potuisse; immo verè, & de facto ob falsam supradictorum informationē errasse. Ideoq; præceptū nostrū nullā ad obligandum vim habere. Neminē præterea eorum, qui solemnem professionem in dicta Societate non emiserunt, de illius corpore, aut verè, & propriè religiosum esse posse, sed eos merè seculares, ac ordinariorū iurisdictioni subditos existere, nec Societatē ipsam, aut illius superiores, immo nec nos ius in eos vllū ex viVotorū huiusmodi habere, vel acquirere, aut superioribus ipsis conferre posse, non cōsiderantes voti solemnitatē sola Ecclesiæ constitutione inuētā esse, triaq; huiusmodi Societatis vota tametsi

simplicia, vt substantialia Religionis vota ab hac sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu Religionis verè constitui; quippe per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio in ea mancipant; in quibus votis nullus præter Romanum Pontificem potest manum apponere: aliisque, atque aliis modis Societatem ipsam impetunt, vniuersali Ecclesiæ perutilem, quæ diuersis functionibus, & personarum gradibus distributa, à Romanis Pontificibus Presbyterorum, à Tridentina Synodo clericorũ Religio approbata, habitu, nomine, plerisq; personarum gradibus, votorumq; differentijs ab aliis Regularib. ordinibus distinguitur. Quibus etiam adiungũt, licere iisdem non professis, etiam inuitis dictæ Societatis Superioribus ad quoscuis alios regulares ordines se transferre: Transgressoresq; horum votorum, ac inobedientes, aut etiã vxorem ducentes nullã ipsi Societati iniuriam facere; immo posse Episcopos cũ eis dispensare, vt inuitis etiã superioribus eisdẽ, vxorem ducant, quibus cùm glossatores, & obtrectatores huiusmodi sua falsa doctrina fauere pergunt, horũ votorum naturã, & pœnarum vim, vel non intelligentes, vel eludere conantes, eò sunt progressi, vt etiã vi facultatẽ, quã literis indulgentiarum Cruciatæ sanctæ nuncupatarum continentur, omnes transfugas, & ab ipsa Societate deficiẽtes non professos, quoties ab ea defecerint, ab excõmunicationis latæ sententiæ pœna à quocunq; confessario absolui posse, nullãque ipsi Societati suis operarijs priuatæ iniuriã fieri, aut præiudicium generari existiment, sed & votorum substantialium Religionis prædictæ, ac decretorũ contra eosdem Apostatas sedis huius auctoritate editorum vim, quantum in eis est, eneruare contendant. Insuper asserũt nõ posse vota aliqua in seculo emissa, in tria hæc substantialia Societatis commutari; cum tamẽ hæc vota sint status, vt præfertur, religiosi, adeo vtilis, & perfecti, vt illa in hæc possint, hæc verò in aliorum ordinum, etiã solemnia vota cõmutari, sit ab hac sede iustis de causis interdictũ. Nec etiã desunt alia, quæ animarum suarum præiudicium, Societatis perturbationem, & scandalum plurimorũ commiscantur. Nos vniuersalis Ecclesiæ vtilitati, quã ex inuiolato, & in cõcusso dictæ Societatis instituto, & religiosa sobolis educatione sentimus, & maiorẽ in dies speramus, prospicientes; & præterea eiusdem Societatis indemnitati, paci, quieti, & incremento consulere volentes, Motu simili, & ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, laudabile ipsius Societatis institutum, & quæ illud concernunt præmissa omnia, & singula, prædictaq; illius, ac quæcunq; alia priuilegia, facultates, exẽptiones, immunitates, gratias, & indulta, à prædictis prædecessoribus nostris, & à nobis etiã per cõmunicationẽ concessa, Constitutiones quoque, ac statuta, & decreta qualiacunq; ac si ad verbum præsentibus inserẽrẽtur, pro expressis habẽtes, tenore præsentium approbamus, & confirmamus: supplentes omnes Iuris, & facti defectus, si qui interuenerint in prædictis Constitutionibus, & statutis: Ad hæc dictam Societatem firmo sedis huius præsidio cõmunire volentes, hac nostra perpetua Constitutione, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus statuimus, atque decernimus tria vota huiusmodi, etsi simplicia, ex huius sedis institutione, ac nostra etiã declaratione, & cõfirmatione esse verè substantialia Religionis vota, ac in dicta Societate tanquam in Religione approbata, per sedẽ eandẽ, admissa fuisse, & esse, ac per nos admitti, nec in illis à quoquã præter nos, & sedẽ huiusmodi dispensari; nec ea vllo alio modo, quã per legitimã dimissionem à Societate cessare posse, & nõ modo eos, qui in coadiutorum formatorũ, siue spiritualium, siue tẽporalium gradus, & ministeria, vt præfertur, admittuntur, sed & Scholares ipsos, ac supradictos alios omnes, & quoscunq; qui in ipsam Societatem admissi, biennio probationis à quolibet eorum peracto, tria vota substantialia prædicta, sametsi simplicia emiserint, aut emittent in futurũ, verè, & propriè religiosos fuisse, & esse, ac fore, & vbiq; semper, & ab omnibus censeri, & nominari debere, non secus atque ipsos tum Societatis, tum quorũuis aliorum Regulariũ ordinum Professos, suisq; Præpositis in omnibus, & per omnia obedire, & huic sedi immediatè subiectos, & à quorumuis ordinariorũ, & delegatorum, seu aliorũ iudicum iurisdictione omnino exemptos, pro vt nos etiã vigore præsentium eximimus; denique, vt omnium Societatis priuilegiorum, iuxta Generalis Præpositi dispositionẽ, sint participes; ita quoque excõmunicationis maioris latæ sententiæ, & alijs Apostatarum pœnis, si qui à Societate deficiant, subiacere, ac tanquã veros Apostatas puniri posse: Nec à quoquam, nisi per nos, & sedem prædictã, aut Generalem Præpositum ab eisdẽ pœnis absolui, nec ante huiusmodi absolutionem, & à Societate dimissionem, matrimonium contrahere: quinimo eos omnes ad contrahendũ inhabiles, ac contractus huiusmodi nullos, & irritos esse, prout irritos facimus, & annullamus. Et vt contradicentium audacia cœrceatur, præmissas omnes, & quascunq; aliasillis similes assertiones contra dictæ Societatis institutum, vel quomodolibet in illius præiudicium præmuniatas, aut scriptas, falsas omnino, & temerarias esse, & censeri debere. Præcipimus igitur in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis excõmunicationis latæ sententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia secularia, & quorumuis Ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione, incurrendis, quarum absolutionem nobis, & successoribus nostris reseruamus, ne quis cuiuscũq; status, gradus, & præeminentiæ existat, dictæ Societatis institutũ, constitutiones, vel etiã præsentes, aut quæuis earũ, vel supradictorum omniũ articulũ, vel aliud quid supradicta concernens, quouis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore directè, vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat; districtius inhibentes, ne quis siue extra, siue intra dictã Societatem, nisi de illius Generalis, aut inferiorũ Præpositorum licẽtia, notationes, declarationes, glossas, vel scholia vlla super præmissis facere, vel ea, nisi quatenus

verba ipsa sonant interpretari, aut de eis disceptare, seu scrupulum cuiquam injcere, vel in controuersiã, aut dubiũ reuocare audeat quoquomodo: nec glossas, aut interpretationes, siue impressas, seu scriptas ad id pertinentes legere, docere, aliisq; tradere, vendere, vel apud se retinere præsumat: si quid verò dubij de eisdem oriri contigerit ad sedem prædictã, vel ad Generalem Præpositum dictæ Societatis, aut ad eos, quibus id ipse commiserit, referatur. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunq; Iudices, & Commissarios etiam causarum palatij Apostolici auditores, ac S.R.E. Cardinales in quauis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; nec non irritum, & inane, quidquid secus super his à quoquã, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris Ecclesiarum, & locorum etiam Regularium Prælatis, per vniuersum orbem constitutis, vt præsentes literas in suis quisq; Ecclesijs, Prouincijs, Ciuitatibus, Diœcesibus, & iurisdictionibus, ab omnibus inuiolatè obseruari; quin etiam Præpositum, ac personas Societatis huiusmodi defendant, eosq; præmissis omnibus, & singulis pacificè frui faciant, & gaudere, non permittentes ipsos per quoscunque, quomodolibet molestari, Contradictores per censuras Ecclesiasticas, & alia Iuris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus recol. mem. Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit. Quod votum, & aliis Apostolicis constitutionibus, ac etiam aliorum ordinum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis quibuscunq; huiusmodi ordinibus, Vniuersitatibus, locis, vel personis, per quoscunq; Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusuis irritatiuis, annullatiuis, & cassatiuis, reuocatiuis, modificatiuis, præseruatiuis, exceptiuis, declaratiuis, mentis attestatiuis, ac derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusq;, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam plures concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi in eis caueatur expressè, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma in illis expressis derogari possit, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habẽtes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultũ, quod interdici, suspendi, vel excõmunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiusmodi mentionem. Præsentis autem Constitutionis, & gratiæ cõmunicationem omnibus alijs, qui sua priuilegia cũ ipsa Societate copiosè participant, participareq; poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Cæterùm volumus, vt præsentium transumptis, etiã impressis manu Secretarij dictæ Societatis, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo præpositi Generalis eiusdem Societatis, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem omnino fides habeatur in iudicio, & extra illud quæ literis ipsis originalibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, suppletionis, decretorum statuti, præcepti, interdicti, derogationis, & voluntatis infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attẽtare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1584. octauo Kalend. Iunij, anno Pontificatus nostri tertio decimo.

Caput VIII.

De Sacris Virginibus voto Religionis astrictis, quas Sanctimoniales vocamus.

PRIMO quæritur, quidnam iure Canonico de Monialibus statutum sit? Respondeo; *in c. Periculoso, De statu Regularium in 6.* hoc esse sancitum: *Vt Moniales expressè, vel tacitè professæ, cuiuscunq; Religionis, vel Ordinis fuerint, perpetuam Clausurã in suis Monasterijs seruare debeant, ita vt nulli earum exire liceat, quacunq; ratione, vel causa, nisi tanto, & tali morbo euidenter laboret, vt cum alijs Monialibus absque graui periculo seu scandalo cõmorari nequeat.* Hæc ibi. Hanc tamen Constitutionem, Ioannes Andreas affirmat in regno Franciæ receptam non esse. Annotauit, verò Archidiaconus, & Glossa, prædictã Constitutionem minimè impedire, quo minus Moniales possint, si velint, ad arctiorem Religionem cõuolare petita facultate, quamuis non obtenta, *vt habetur in ca. Licet, De Regular.* Nec item obstare, quin Monialis possit eligi, & electa exire, ad Præfecturam alterius monasterij, iuxta id, quod habetur *in c. Nullus, De elect. in 6.* Sed meo iudicio, hæc olim habebant locum in Monialibus exeũtibus prædictis duabus de causis; at nunc nõ item, etiã in illis, quia ad exeundũ è Monasterio, requiritur Superioris consensus, iuxta Cõstitutionem Pij Quinti, vt statim dicam.

Porrò Concil. Trident. *Sess. 25. c. 5. de Regulari.* innouatur hæc eadem Bonifacij Octaui Cõstitutio, *vbi vniuersis Episcopis, sub obtestatione Diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipitur; vt in omnibus monasterijs sibi subiectis ordinaria; in alijs verò, Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialiũ, vbi violata fuerit, diligenter restitui; & vbi inuiolata est, conseruari maximè curent: Inobedientes atq; contradictores, per censuras Ecclesiasticas, aliasq; pœnas quacunq; appellatione postposita compescẽtes; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit,*

auxilio brachij secularis. Quod auxilium, vt præbeatur, omnes Christianos Principes hortatur sancta Synodus, & sub excõmunicationis pœna ipso facto cõtrahenda omnibus Magistratibus secularib. iniũgit. Et postea subijcit: Nemini Sãctimonialiũ liceat post professionẽ exire è monasterio etiam ad breue tẽpus, quocunq; prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscunq;, & priuilegijs non obstantib. Hęc ibi, quibus nõ absimilia quoq; statuit Concilium Cabilonense 2. tempore Caroli Magni coactũ, c. 57. videlicet, vt Abbatissa nequaquam è monasterio egrediatur, nisi per licentiã Episcopi sui, aut qui vicẽ eius obtinet; nisi fortè, aut imperialis iussio eam cogat, aut alia iusta causa: Et si aliquãdo foras pergit, de sanctimonialibus quas secum ducit, curã habeat. Et ca. 62. Sanctimoniales, nisi Abbatissa pro aliqua necessitate eas mittente è monasterio non exeant.

Ex quo fit, vt locum non habeat opinio docentium, existẽte legitima causa exeundi è monasterio, nimirum infirmitatis, quæ alijs Monialibus, aut offensioni, aut contagioni esse posset, necessarium non esse Episcopi consensum: hoc enim etsi ante Concilium Tridentinum, defendi probabiliter poterat, postea verò minimè. Nam Concilium eum apertè requirit, cum ait: Nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.

Pius item V. anno 1566. edidit Constitutionem, cuius est initiũ: CIRCA pastoralis, in qua renouat Constitutionẽ Bonifacij Octaui incipientẽ: PERICVLOSO, & supradictũ Concilij Decretũ: vbi præcipit vt vniuersæ, & singulæ Moniales cuiuscunq; Religionis, Ordinis, vel Militiæ, etiam Hierosolymitanæ expressè, vel tacitè professæ, etiãsi Conuersę, aut quocunq; alio nomine appellẽtur, & etiamsi ex institutis, vel fundationibus suę Regulæ ad clausurã non teneantur, nec vnquã in earum monasterijs, seu Domibus, etiã ab immemorãbili tẽpore, ea seruata non fuerit, sub perpetua in suis monasterijs seu Domibus debeant in posterũ clausura permanere, iuxta Constitutionem Bonifacij Octaui, & Cõcil. Trident. Decretũ. Quod si aliquæ Moniales forsan reperiantur, quæ consuetudine etiã immemorabili, aut instituto, vel fundatione suæ Regulæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ reluctẽtur; Ordinarij, vna cũ Superiorib. earũ, omnibus iuris, & facti remedijs cõpellãt easdẽ ad præcisè subeundã dictam clausurã, & perpetuò obseruandam. Mulieres quoq; Tertiariæ, seu quæ de Pœnitẽtia dicuntur, cuiuscunq; fuerint Ordinis, in Congregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint, ita vt solemne Votũ emiserint, ad clausuram præcisè, & ipsæ teneantur. Quòd si votũ solemnẽ non fecerint; Ordinarij vna cũ Superioribus earũ hortentur, & studeant persuadere, vt illud emittant, ac profiteantur: & post emissionẽ, & professionẽ eidẽ clausuræ subijciãt. Quòd si recusauerint; & aliquæ ex eis deprehendantur scandalosè viuere, seuerissimè puniantur. Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura viuere omnino volentibus, prohibemus, ne in futurum vllam aliam in suum Ordinem, Religionem, Congregationemue recipiant. Quòd si aliquas receperint, eas ad sic viuẽdu. omnino inhabiles reddimus, & receptiones ipsas, ac professiones irritas facimus. Ac deinde præcipit in virtute sanctæ obedientiæ vniuersis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, vt in suis diœcesibus has literas promulgandas curent, & in monasterijs Monialiũ sibi subiectis, in alijs verò Sedis Apostolicæ auctoritate vna cum Superioribus eorundem Cœnobiorum clausuram prædictam seruari cogant.

Deindè verò anno 1569. idem Pontifex Pius V. aliã edidit Constitutionẽ, quæ incipit: DECORI, vbi seuerius prohibet exitũ Monialiũ è monasterio his verbis: Sancimus nulli Abbatissarũ, Priorissarum, aliarũue Monialiũ, etiam Carthusiensiũ, Cisterciensium, S. Benedicti, & Mendicantiũ, & quorumcunq; aliorũ Ordinum, etiã Militariũ, & statuum, graduũ, conditionum, dignitatũ, & præeminentiarũ, etiam à regia, vel illustri prosapia ortarum, de cetero infirmitatis, seu aliorũ monasteriorũ eis subiectorũ, aut domorũ, parentiũ, aliorumue propinquorũ visitandorũ, aliaue occasione, & prætextu licere exire, nisi ex causa magni incẽdij, vel infirmitatis, lepræ, aut Epidimiæ: quæ tamẽ infirmitas præter alios Ordinũ Superiores, quib. cura Monasteriorũ incumberet, etiã per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiãsi prædicta monasteria ab Episcoporũ, & Ordinariorũ iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expressè in scriptis approbata sit, à monasterijs præfatis exire: sed nec in prædictis casib. extra illa, nisi ad necessariũ tẽpus stare licere. Aliter aũt, quàm vt præferitur, egredientes, seu licentiã exeundi quomodocunq; concedentes, necnõ comitates, ac illarũ receptatrices personas, siue laicas, aut sæculares, vel Ecclesiasticas, cõsanguineas, vel non, excõmunicationis maioris latæ sententiæ vinculo statim, eo ipso, absq; aliqua declaratione subiacere: A quo præterquã à Romano Põtifice, nisi in mortis articulo absolui nequeant. Et insuper tam egressas, quàm præsidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiã huiusmodi concedentes, dignitatibus, officijs, & administrationibus obtentis priuamus, & ad alia in posterum obtinẽda inhabiles reddimus. Et deinde facit quoq; irritas licentias, & facultates, & priuilegia, siue indulta exeundi è monasterijs, & standi extra illa à se, & ab alijs Pontificibus, aut Sedis Apostolicæ nuncijs, & legatis, etiam de latere, aut Maiori Pœnitentiario, aut Ordinum prædictorum Superioribus, alijsue personis concessa, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, & quibuscunq; clausulis, etiam insolitis, etiam in cuiuscũq; personæ fauorẽ, etiam Imperatorũ, Regum, Ducũ, & aliorũ Principum, necnõ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinaliũ. Deinde præcipit Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs, in virtute sanctæ Obedientiæ, vt in suis diœcesib. has literas quolibet anno promulgent, & omnia obseruari faciãt iuxta prędictũ Cõcil. Triden. Decretum, & Constitutionem Bonifacij Octaui.

Ex his planè constat, nunc non esse locũ multis quæstionibus, quæ ante, & post Conciliũ Tridentinum agitabantur, nimirũ: An vbi nunquam seruata est clausura Monialiũ, seruari nunc debeat. Nam Constitutioni Bonifacij Octaui, ante Conciliũ Tridentinum potuit cõsuetudine esse derogatũ: at verò post Conciliũ Tridentinum, & Põtificias Constitutiones Pij V. etiam vbi nõ est seruata clausura, cogendæ sunt Moniales eã seruare. QVAERES, an possit consuetudine alicubi esse derogatum decreto Concilij Tridentini, & Constitutionibus Pij Quinti? Respondeo, posse, nam fieri potest, vt Constitutiones Pij Quinti, simul, & Decretum Concilij Tridentini, non sint alicubi vsu recepta, & ita, eo loco, vim non habent: Quia talia decreta non sunt ibi vsu recepta: sed ego noua cõstitutione Pontificia, quæ cõsuetudinẽ contrariã abrogat, Moniales ad seruandã clausuram cogẽdas esse putauerim. Quòd si ibi quoq; ante Conciliũ cõsuetudo derogauerat Constitutioni Bonifacij Octaui, aut eam vsus nullo modo receperat; cõsequitur, vt ibi Moniales clausuram

seruare

seruare minimè cogantur, nisi adductæ, & permotæ auctoritate Episcoporum, aut Superiorum includantur.

Item, quærebatur olim, an monasterijs, sine vlla clausura fundatis Moniales includi deberent, præsertim vbi simul etiam statuta extarent Monialibus liberam facultatem exeũdi è Cœnobio concedentia: Sed post Concilium Tridentinum, & Constitutiones Pij Quinti, sublata omnis hæc controuersia est, vbi ea sunt vsu recepta; alibi enim vel ius commune antiquum, vèl consuetudo vim, & locum habebit. Similiter quoque sublata est ea quæstio, An Monialis possit professionem emittere ea conditione, vt extra monasterium in aliquo loco tuto, & honesto viuat? nam antea id licebat, *iuxta id, quod habetur in cap. Insinuante, qui Clerici, vel vouentes.* Pariter, & illa controuersia, An facultas exeundi scripto tradita esse debeat? nam Pius V. perspicuè definit eam scripto datam esse oportere: Et illa itidem; An huiusmodi facultas exigat approbationem non solùm Superiorũ Regularium, vbi illis sunt monasterio subiecta, sed etiam Episcoporum, vel Ordinariorum. Pius V. constituit necessarium esse consensum, & Superiorum Regularium, & Episcoporum. ROGABIS, an Concilium Tridẽtinum, & Constitutiones Pij Quinti, eas Moniales comprehendant, quę sunt Nouitiæ, & adhuc in probatione versantur? Respondeo minimè; quoniam tum Concilium, & Constitutiones Pij Quinti, tum Constitutio Bonifacij Octaui loquuntur de Monialibus expressè, vel tacitè professis. SI DEINDE ROGES, an comprehendant etiam Moniales, quæ Monasterio præsunt, & vocantur Abbatissæ, Priorissæ, siue Præpositæ? Respondeo, comprehendere: nam ipsæ etiam includi debent.

Tertiò quæres, an liceat Monialibus exire propter alias causas ijs affines, quas Pius Quintus expressit? Respondet Nauarrus *Commen. 4. de Regular. num. 48.* id esse licitum, duabus de causis, quas ille commemorat: nimirum, si bellum ingruat, quod Moniales ad exitum compellat: Deinde si Monialis ab alijs eligatur, vt earũ cœnobio præsit. Rogabis insuper, an etiam Moniali exire liceat ob morbum periculosum quidem, sed qui alijs contagione nõ obsit, ita vt Medici iudicent eam alioqui morituram, nisi exierit? Respondet Nauarrus, *loco citato*, licere, eo quòd humanæ leges, & iura nos nõ tam seuerè tenent, & obligant, vt mortis periculum subire cogamur. QVAERES postremò, an in excõmunicationem incidant quotquot Monialem è monasterio egressam comitantur, aut excipiunt? Ait Nauarrus *loco citato, n. 51.* nõ incidere eos, qui id fecerint extrema vel graui necessitate compulsi. V. G. si fingas Monialem egressam solam noctu, & obuium in via habere propinquum, qui redire nolẽtem comitatur, vel alicubi excipit, ne illa famæ, honoris, aut vitę periculum subeat.

Secundò quæritur; An clausura Monialium sit iuris Diuini, aut Naturalis, an tãtùm iuris Canonici? Hanc quæstionem tractat Nauar. *Commen. de regularib. 4. nu. 42.* Non parum refert hæc quæstio, etenim si primi, aut secundi generis sit, multa inde deducuntur, illud in primis; Debere Moniales sponte se includere, quamuis ab Episcopis, vel alijs Superioribus minimè includantur. Deinde, cõsuetudine clausuram abrogari non posse; cum consuetudo contra ius Diuinum, vel Naturale, nihil aliud, nisi corruptela sit. Postremò, nõ posse clausuram humana aliqua auctoritate, aut ex toto, aut ex parte submoueri. Fuêre qui dixerint, clausuram iuris esse Diuini, ob illud Psalmi: *Vnã petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitẽ in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: & Ecce elongaui fugiens, & mãsi in solitudine.* Alij verò tradunt esse iuris naturalis, eo quòd ratione votorum Moniales clausurã seruare cogantur: nam cum professionem emittunt, vouent se perpetuam Continentiam, Paupertatem, & Obedientiam, in monasterio seruaturas; præsertim cum Bonifacius Octauus, *in Constitutione sua* ideo iubeat clausuram seruari, quia exitus è monasterio sit Monialibus periculosus, & noxius. Postremò, si iuris diuini, vel naturalis non esset, nequiret Pontifex, vel Concilium Moniales adigere ad clausuram seruãdam, cum eam nunquam voto, & professione promiserint. Alijs verò videtur solùm esse iuris Canonici clausura, etenim Moniales solùm Religionis tria vota faciunt, in quibus clausura minimè cõtinetur, cùm absque ea possint ea vota seruari, vt à multis seruata olim fuêre, atq; etiam nunc seruãtur. Et Augustinus *Epist. 109.* concedere videtur facultatem exeundi, iustis de causis, cum ait: *Nec eant ad balnea, siue quocunque ire necesse fuerit, minus quàm tres; nec illa, quæ habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus ipsa voluerit, sed cum quibus ipsa Præposita iusserit, ire debebit.* Eandem quoq; Pontifices, & Concilia facultatem exeundi Monialibus concessere. Sic docet Nauarr. *Commen. 4. de Regularib. num. 42.*

Mihi hæc opinio magis probatur: nec enim ex sacris literis, aut ex traditione aliqua diuina eiusmodi clausura clarè deduci potest: nec in tribus Religionis votis includitur per se. Nihilominus tamen Pontifex, aut Synodus meritò iubet, Moniales includi, vt docent Ioan. Monachus, Dominicus, & Gloss. *in c. periculoso, de statu regular. in 6.* & Nauar. *in loco citato*, quoniam etsi ratione votorum Moniales per se includi non debent; ex accidenti tamen clausuram seruare coguntur: exitus enim è monasterio frequenter solet Monialibus noxius, & periculosus esse, & alijs offensionem præbere.

Tertiò quæritur, An liceat alicui ad Moniales ingredi? Respondeo, in eadem Constitutione Bonifacij Octaui, *PERICVLOSO, de statu Regularium, in 6.* ita decerni: *Nulli aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinebit, speciali licẽtia ingressus, vel accessus pateat ad Moniales.* Et olim in Conc. Cabilo. 2. *Can. 63.* definitum est, vt nullus famulus Abbatissę, nullus minister, nec Laicus, nec Clericus claustra ancillarum Dei ingrediatur. Item, Conc. Matisconense 1. c. 2. statuit, vt nullus Episcopus Presbyter, Diaconꝰ, Clericusue alius sęcularis in Monasterijs puellarum, nisi probatæ vitæ, & ætatis prouectæ præter vtilitatem, aut pro quacunq; reparatione monasterij habitare, aut secretas collocutiones habere præsumant, neq; intra Salutatorium, aut Oratorium ingredi permittantur. At in Concilio Tridentino *Sess. 25. c. 5. de regul.* renouatur eadem Constitutio, cum dicitur: *Ingredi intra*

septa monasterij nemini liceat, cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto, contrahenda. Dare autem tantùm Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessarijs: nec alijs vllo modo possit, etiam vigore cuiuscunq; facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi. Pius item Quintus *in Constitutione sic exordiente: CIRCA pastoralis*, renouat constitutionem Bonifacij, & Decretum Concilij Tridentini. Necnon Gregorius XIII. aliam Constitutionem edidit hoc exordio: *VBI gratiæ*, qua reuocat, & abolet omnes licentias, & facultates ingrediendi Monasteria, Domos, & lõca Monialium, ac etiam virorum quorumuis Ordinum, quibuſuis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & alijs cuiuscunque status, & conditionis mulieribus: & omnes licentias ingrediendi Monasteria, Domos, & loca Sanctimonialium concessas quibuscunq; viris eiusdem status, & dignitatis, à quibuscunque Pontificibus, & Sedis Apostolicæ legatis, aut alijs, ex quibuscunque tenoribus, & clausulis, etiamsi Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumue Principum intuitu, sub excommunicationis pœna, ipso facto contrahenda: à qua nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium obtineri nequeat: Item, præcipit Abbatissis, necnon & Abbatibus, & Conuentibus, & alijs monasteriorum vtriusque sexus Superioribus, & personis, quocunque nomine vocentur, sub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, Beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda. Nec in monasterio, Domos, & loca sua quocunque prætextu huiusmodi facultatem ingredi faciant, vel permittant: Et sub eisdem pœnis, ipso facto cõtrahendis imperat quibuscunque personis Ecclesiasticis, & sæcularibus, & etiam Ordinum quorumcunque, etiam Mendicantium Regularibus, ne prętextu facultatum, ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantùm ex decreto Concilij Tridentini tribuitur, Ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus duntaxat ingredi, neúe Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant. Hæc ibi.

Quartò quæritur, Circa huiusmodi Decretum Concilij, & Constitutiones Pontificum, an liceat Episcopis, vel Superioribus facultatem dare recipiendi puellas in monasteria, educationis, & institutionis gratia? Respondeo, licere, quamuis nolint Religionis habitum suscipere. Non enim Concilium Tridentinum, aut Constitutiones Pontificiæ prohibent huiusmodi puellas admitti, qtãdo institutum Religionis, aut aliquid aliud non impediat. Non sunt tamen recipiendæ, nisi sub certis conditionibus; nimirum, si monasterium alioqui tales recipere consueuerit: Item, vt id fiat assensu Superioris illius, cui cura monasterij est commissa: & facultas scripto detur, & fiat etiam consensu Abbatissæ, & reliquarum Monialium. Deinde, vt sine ancillis in monasterio commorentur, nec inde exire queant, cum libera potestate redeundi; & vt clausuræ legib⁹ instar Monialium teneantur, & eo vestitu in monasterio vtantur, qui virginibus conueniat; & ne in monasterio vltra annum vigesimum quintum retineãtur. Idem iuris est de puellis, quæ ob egestatem, & inopiam domi suæ turò àli nequeunt, & victũ sibi à propinquis suppeditatum accipiunt ea lege, vt in monasterio aliquo collocentur. Idem etiam est de puellis, quæ delectæ sunt ex Xenodochijs, & alijs publicis locis, gratia pietatis extructis, donec idonea sese offerat occasio, eas in matrimonium collocandi. Pari ratione recipi queunt puellæ, quæ parentibus, & propinquis destitutæ, iusta, & debita dote carẽt, qua possint commodè nubere: Neophitæ item, nec non & viduæ, quæ viris suis orbatæ, honestatis causa, in Monasterium se conferre, & abdere cupiunt, modó sint bonæ existimationis, & famæ. Insuper, & fœminæ cõiugij vinculo astrictæ, si earum vita alioqui in tuto non sit. Si qua item mulier apud virum suum de adulterio suspecta, vti ab eo sibi paratã quam metuit perniciem, declinet, ad monasterium confugit, iure ei per Episcopum, vel Superiorem aditus patet. Hæc omnia habet Declaratio Cardinalium.

Quintò quæritur, An infantes, & pueri nondũ vsum rationis adepti, ad Moniales iure ingredi queant? Affirmat Nauarrus *in Comment. 4. de Regul. nu. 59.* posse, quoniam tametsi Concilium Tridentinum vniuersim definiat nulli cuiuslibet sexus, vel ætatis licere, eos tamen videtur intelligere, qui iam ratione vigent; in his enim meritum, aut culpa esse potest, in alijs non item, ac proinde huiusmodi infantes, & pueri in excommunicationẽ incurrere nequeunt, cum peccare non possint. At vt rectè idem auctor annotauit, videtur Concilium comprehendisse omnes, qui pubertatem attigerunt, siue pueri sint, siue puellæ, quamuis ratione non vtantur, cuiusmodi sunt amẽtes, & fatui: nam etsi peccare aliquãdo nequeunt, possunt tamen peccandi alijs occasionem præbere, tumultum excitare, interturbare Moniales, loqui turpia, iocosa, & vana, & alia id generis plurima, minime decẽtia Religiosam honestatem, & modestiam. Cæterùm, si Nauarrus intelligat amẽtes, & fatuos, qui nunquam rationis sunt compotes, idem iuris mihi videtur esse in illis, quod in pueris, & infantibus rationis vsum non consequutis: nam peccare non possunt, ergo nec excommunicationis vinculo obstringi. Locum igitur habet quod Nauarrus annotat in amentibus, qui aliquãdo rationis sunt compotes, qui & peccare queũt, & excommunicationi subijci. Aut potiùs habet locũ in omnibus cuiuslibet ætatis, & sexus, quatenus ad peccatum incitare queũt, quatenus turpiter iocari, ludere, fabulari, vana, & alia noxia, in monasterium importare, & perturbare sacratas Deo Virgines possunt: videlicet ne ingredi permittantur.

Sextò quæritur, An ad eas liceat ingressus Medicis, Chirurgis, fabris lignarijs, & huius generis hominibus? Respondeo cum Nauarro *loco citato*, licere, quoniam in his subest causa rationabilis, & manifesta, quod idem ius esse ait Nauarrus, ei, qui ingrederetur legitimè euocatus ad electionẽ Præpositæ in Monasterio dirigẽdam, ac rite promouẽdam. At mihi nõ probatur hac in re Nauarri sen-

sententia. Et in his omnibus non solùm sufficit causa rationi consentanea, sed etiam debet esse manifesta, vt tradit Dominicus *in c. periculoso, citato*, quod ab omnibus recipitur. Nec satis est voluntas Præpositæ, sed præterea requiritur Episcopi, vel alterius Monasterij curam habentis auctoritas, qua facultatem scripto concedat, quod aiunt Ioannes Monachus, Dominicus, Francus, & ipse Nauarrus. Nam quamuis Constitutio Bonifacij Octaui, facultatem scripto traditam non requirat, requirunt tamen Concilium Tridentinum, & Pij Quinti Constitutio superius allata.

Septimò quæritur, An sufficiat solus Episcopi consensus absque alia Superioris Regularis voluntate, & è contrario? Ratio dubitandi est, quoniam tum in Constitutione Bonifacij Octaui, tum in Concilij Tridentini Decreto, sub disiunctione ponitur consensus, siue voluntas, cum dicitur: *vel Episcopi, vel Superioris*. Deinde solus Episcopus, vel Superior Regularis ius habet includēdi Moniales, ergo etiam cōcedendi ingressum ad eas. Respondeo cum Nauarro *Commen. 4. de Regular. nu. 59. & 60.* Aut enim Monasterium est Episcopi solius iurisdictioni subiectum: aut exemptum quidem, sed Romano Pontifici proximè subditum: aut subiectum soli Superiori Regulari. Si primo, & secundo, Episcopus solus habet ius concedendi ingressum, auctoritate quidem propria, in Monasteria sibi subiecta; auctoritate verò delegata, in ea, quæ Romano Pontifici sunt proximè subiecta. Si verò tertio, solius est Superioris Regularis facultatem ingrediendi concedere, vt loco citato Nauarrus ait.

Octauò quæritur, Quando causæ iustæ, & manifestæ crebrò contingunt, & Episcopus, vel Superior, aut alius longè absunt, an tunc etiam requiratur facultas scripto tradita? V. G. in Medicis, Chirurgis, & alijs supra memoratis? Respondet Nauarrus *Commen. 4. de Regular. nu. 60.* minimè: quod probat à simili: In cæteris enim, in quibus ob euentuum frequentiam, & Superioris absentiam opus minimè est, vt scripto detur facultas, si tamen his generalis potestas fieret, eam scripto mandari oporteret.

Nonò quæritur, An Episcopi, & alij Superiores Regulares ius habentes alijs concedendi facultatem, qua ingrediantur ad Moniales, ingredi ipsi quoque possint? Siquidem ingressus ad eas ipsis ratione sui muneris, & officij conuenit. Respondet Nauarrus *Comment. citato numer. 61.* Gregorium XIII. anno 1581. in constitutione, quæ incipit *Dubijs*, declarasse, ipsos posse ingredi: dummodo ea facultate non vtantur, nisi iustis, & necessarijs ex causis, & paucis, & non nisi senioribus, ac Religiosis viris sociati: alioqui fas illis non est ingredi.

Decimò quæritur, An in censuras, & pœnas à Pio V. & Gregorio XIII. latas incidat is, qui ingreditur non ratione quidem alicuius facultatis sibi concessæ, sed propria auctoritate? Ratio quæstionis est, quia Pius Quintus, & Gregorius XIII. abrogant omnes facultates à Romanis Pontificibus, aut legatis Sedis Apostolicæ impetratas, aut concessas alicuius Priuilegij, vel indulti beneficio: & interdicunt, ne vllus admittatur harum ratione facultatum. Ergo si quis propria auctoritate ingrediatur, cēsuras, & pœnas in Constitutionibus irrogatas non contrahit? Respondeo, Censuris, & pœnis eum affici: nam vt tradit Nauarrus *loco citato*, Pius Quintus, & Gregorius XIII. declararunt, Constitutiones in hoc etiam locum habere, quoniam grauius peccant, qui sine legitima facultate impetrata ingrediuntur: qui item eos admittunt, eisdem pœnis subijciuntur.

Caput IX.

Aliæ quæstiones de Sanctimonialibus dissoluuntur.

PRIMO quæritur, An plures Moniales in monasterium admitti possint, quàm ex redditibus sustentari queant? Respondeo, *in cap. Periculoso, §. Sanè, De statu Regul. in sexto*, ita statui: *Districtius inhibemus, ne in ea monasterijs Ordinum non Mendicantium, aliquæ recipiantur de cætero in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum bonis, siue prouentibus absque penuria sustentari, si secus actum fuerit, irritum decernentes.* Sic ibi. Hinc efficitur, vt si vltra numerum earū, quæ alī, & sustentari possunt, aliquæ admittantur, nulla sit receptio in ijs Ordinibus fœminarum, qui bona in commune possident. At verò Concil. Tridentinum *sess. 25. cap. 4.* latius ita præcipit: *In monasterijs, & Domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus proprijs monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possint sustentari.* Hæc Concilium. Quibus verbis tria comprehendit, quæ non erant in Constitutione Bonifacij Octaui. Nā comprehendit in primis Cœnobia virorum, & fœminarum; Bonifacius verò tātùm Monialium. Deinde, Cœnobia tum Ordinum Mendicantiū, tum non Mendicantium: Bonifacius verò solùm non Mendicantium. Postremò, Concilium ponit verbum illud, commodè. Bonifacius verò posuerat illud, absque penuria; Vnde sublata quæstio est, quam Ioannes Andr. *in Glossa* tractauit; An numerus Monialium possit augeri, dummodo absq; penuria, quamuis non commodè sustentari queant? Respondit enim posse; at verò Concilium apertè dicit nō esse plures recipiendas, quam quæ commodè ali possint. Et Pius Quintus *in Constitutione, quæ incipit CIRCA pastoralis*, hanc curam in Episcopum reijcit. QVAERES, an hoc Decreto Cōcilij abrogetur consuetudo, qua Moniales, nō nisi cum dote in monasterio recipiuntur? Respōdeo, nihil certi Concilium de dotibus statuisse. Vnde de consuetudine iudicandū est, secundùm ius cōmune, quo monasterium nihil potest accipere tāquam pretiū pro ingressu: Dos verò Monialibus non datur loco pretij, sed tanquam alimētum, & vitæ subsidium. Deinde quæres, an in Monialium Cœnobio, vbi iuxta Concilij Decretum, Episcopus certum numerum constituit, liceat in locum Monialium deficientium, alias recipere, pacto, & conuentione initia, de certa quantitate pecuniæ pro dote reddenda? Respōdeo, si ius inspiciamus, & communem Doctorum sententiam sequamur, non licere. Nam *ex capit. Quoniam, & capit. Non satis de Simonia*, perspicuum est, fas non esse in recipiendis Monialibus pacisci de Dote tradenda: Si verò ratio

rò ratio consuetudinis habeatur, Moniales iure admittuntur etiam cùm pacto dotis recipiendæ. Quidam, consuetudinè cum iure conciliare contendunt, dicentes, Iura prohibere dotem exigere tanquam pretium, non tanquam aliquid ad vitam necessarium. Consuetudo verò introduxit dotem non tanquam pretium, sed tanquam necessarium ad vitæ vsus subsidium. Cæterùm hæc mihi conciliatio non placet, eo quòd iura vniuersim videntur pacta reddendæ, tradendæque dotis, prohibere. Quare alij respondent, prohiberi quidem omne pactum dotis tradendæ ante ingressum, non tamen prohiberi receptionē Monialis cum dote, quam sponte tradit absque vllo pacto antecedente. Verumtamen hoc etiam responsum consuetudinē minimè defendit. Quare mihi quidem verius apparet, quod alij tradiderunt, ius commune, in hac parte, consuetudine abrogari: nec mirum, siquidem potest abrogari. Nam quamuis iuris diuini sit, vt pro ingressu in Religionem nihil exigatur tanquam pretiū; hoc tamen est iure diuino, aut naturali ita prohibitū, vt dos accipiatur tanquam necessarium ad vitam Monialis alimentum. Sed ius Canonicum lege cauit, ne talis dos, aut eleemosyna ex pacto, & conuentione recipiatur: & in hac parte consuetudo Iuri Canonico auctoritatem abrogauit. Non est igitur consuetudo, vbi recepta fuerit, damnanda.

S.Th. 2.2. q.100.ar.3. ad 4.

Secundò quæritur, Quid statuerit ius Canonicum circa professionem Monialium, & circa rationem eas in monasterium admittēdi; nimirum à quo, quando, & quomodo recipi debeant? Respondeo: in Concilio Tridentino *sess.25. cap.15. de Regular.* iure nouo prohiberi, quo minus in Religione tam virorum, quàm mulierum professio fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in Probatione steterit, ad Professionem admittatur: & nulla sit professio antea facta. Hæc ibi. Ante Concilium tamē Tridentinum professio poterat emitti à fœmina post duodecimum ætatis annum exactum, & professio valebat facta ante Probationis annum expletum. Eodem Concilio, & *sess.cap.17. de Regular.* decernitur, vt si puella, quę habitum Regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, nō ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quàm explorauerit Episcopus, vel eo absente, aut impedito, eius Vicarius, aut aliquis, eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat. Et si voluntas eius pia, ac libera cognita fuerit, habueritq; conditiones requisitas iuxta monasterij, & Ordinis regulam, & monasterium fuerit idoneum liberè ei profiteri licet. Cuius professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta monasterio, eum ante mensem certiorem facere. Quòd si non fecerit, quandiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit. Insuper cap.16. statuitur, vt liberè omnino fœminæ Religionis institutum profiteantur, nec ipsę Moniales vllas renunciationes, obligationesue bonorum, & hæreditatum faciant, ante duos menses professionem proximè antecedentes. Sic enim habet Concilium: *Nulla renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem: ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, irrita sit, & nullius effectus.* Et paulò infrà: *Ex Nouitij, vel Nouitiæ bonis, tempore quo in Probatione est, ante professionem, excepto victu, & vestitu, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, vel curatoribus nil monasterio tribuatur. Quin potius ipsis Nouitijs abeuntibus ante professionem, omnia restituantur, quæ sua erant: & Episcopus per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.* Hactenus Concilij verba, vbi id, quod statuit, nullam renunciationem valere; locū non habet in puellis, quę educationis, & institutionis solius gratia in monasterijs recipiuntur; neq; in testamētis, vel vltimis voluntatibus Monialium, quæ in Probatione versantur; neque in eleemosynis, si quas ex suis bonis erogauerint. Nam Concilium absolutè, & simpliciter solùm ait: *Nulla renunciatio, aut obligatio.* QVAERES, an si renunciatio ante susceptum habitum, siue ante ingressum in Religionem facta sit, valeat? Respondeo, valere: nam Concilium loquitur de renunciationibus factis post ingressum in monasterium, & habitum susceptum ante professionem, nimirum tempore Probationis. Si tamen facta esset voluntate Religionem suscipiendi, tanquam facta in fraudem huius Constitutionis, irrita habenda esset. Quod item addit Concilium: *Abeuntibus Nouitijs omnia sua bona restituantur:* intelligendum est, etiam cum fructibus, si qui fuerint ex illis percepti, deductis tamē alimentis illius temporis, quo fuerint in probatione. Præterea, idem Concilium eadem sess. cap.18. *anathemati subijcit omnes cuiuscunque qualitatis, vel conditionis tam Clericos, quàm Laicos, vel Regulares qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque aliquam virginem, vel viduam, vel aliam quamcunque, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum in monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, vel ad emittendam professionem coegerint, & qui consilium, auxilium, vel fauorem dederint, vel quoquo modo scientes præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint: & contrà, qui quoquo modo sine iusta causa impedierint virginum, vel aliarum mulierum voluntatem vel accipiendi, vel voti emittendi.* Ita Conciliū. Quo fit, vt puella per vim in monasteriū inclusa, inde sit educenda, etsi quid dāni passa est, reficiendum impensis eorum qui vim intulerunt. Itē, colligitur, vt patres, & fratres, qui filias sororesue, vel habitum Religionis suscipere, vel votum, aut professionem emittere cogunt, in excōmunicationem incurrāt. QVAERES, an eam pœnā cōtrahat pater, qui filiam naturalē ea lege hæredem instituit, vt Monialis fiat; sin minus ad monasteriū bona pertineant, & filia pro alimentis habeat tantummodo viginti quinque aureos: nam videtur filia quadam ratione ad ingrediendum compelli? Respondeo, minimè, quia Conciliū vtitur verbo coēgerint; at coactio non est nisi cum vis infertur. In exemplo verò producto, causa potius est filiam ad ingrediendum in monasterium inducens, quàm cogens, eo quòd cum naturalis sit, non legitima, ius ad hæreditatem nō habet; & proinde libere potuit pater illam ea lege instituere hæredem. Præterea idem Concilium

eadem

eadem sessione. ca. 10. statuit, vt Episcopi, & cæteri Superiores Monialium diligenter attendant, vt admoneantur Sanctimoniales saltem semel singulis mensibus cõfessionem peccatorum facere, & sacrosanctam Eucharistiam suscipere: ac prohibet Synodus sanctissimum Christi corpus intra Chorum, vel septa monasterij, & non in publica Ecclesia asseruari, non obstante quocunq; indulto, aut priuilegio. Item, præcipit: vt præter ordinarium confessarium, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, & assignetur, qui omnium Monialium confessiones audire debeat.

QVAERES, An cõfessarij huiusmodi in Cœnobijs Monialium, quæ sunt in cura, & potestate Religiosorum, examinandi sint ab Episcopo, an verò à Superiore ipsius Ordinis? Respondeo, à Superiore, cui Moniales sunt proximè subiectę: propterea quod illæ sint ab Episcopi iurisdictione exemptæ. Et *cap. 11.* decernit Concilium, *In monasterijs, seu Domibus virorum, aut fœminarum, ad quæ pertinet animarũ cura personarum sæcularium, præter eas; quæ sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam Regulares, quàm sæculares huiusmodi curam exercentes, subsint immediate in his, quæ ad dictam curam, & sacramẽtorum administrationem attinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius diœcesi sunt sitæ: nec ibi aliqui, etiam ad nutum amouibiles deputentur, nisi de eiusdem consensu, ac prænio examine per eum, aut eius Vicarium faciendo.*

Tertiò quæritur, quid ius statuerit de confabulationibus, & colloquijs cum Monialibus? Respondeo: *In cap. Definimus 18. quæst. 2.* ex octaua Synodo sancitum est, vt quando necessaria vitæ ad Moniales deferuntur, ea extra ianuam suscipiat Abbatissa: Et si contigerit, vt aliquam propinquã suam videre Monachus voluerit, in præsentia Abbatissæ, cum ea Moniali propinqua confabuletur modice, & breuiter, & ab ea statim discedat. Et in Concilio Cabilonensi 2. Carolo Magno coacto *Canon. 55.* dicitur: *Abbatissa cum viris, Clericis, siue Laicis, horis minime commodis non loquatur.* Et Can. 56. *A vespera vsque ad Primam, nec Abbatissa, neque aliqua Sanctimonialium cum quibuslibet viris vllum colloquium habeat, nisi necessarium, quod euitari non possit: & tunc illud coram testibus habeat.* Demum Can. 61. dicitur: *Sanctimonialibus cum nullo viro colloquium habere liceat, nisi in Auditorio, & ibi coram testibus.*

Quartò quæritur, An Moniales suscipere debeant Sacramenta à Parocho, siue Presbytero, in cuius Parochia situm est monasterium. Quæstio intelligitur de iure communi, non speciali, quod ex priuilegijs Romanorum Pontificum existit, vel ex aliqua consuetudine vsu approbata descẽdit: item intelligitur de Sanctimonialibus Episcoporum iurisdictioni subiectis, non de exemptis, cuiusmodi sunt eæ, quæ Ordinum Mendicãtium, vel Monasticorum Superioribus proximè subijciuntur. Panormitanus *in capit. dilectus de cap. Monach. numer. 17.* docet, Cœnobia Monialium in hoc esse Parocho communi iure subiecta, sicut olim Monachorum omnium Cœnobia subijciebantur Episcopo, in cuius diœcesi erant constituta. Addit deinde idem Panormitanus, passim esse vsu receptum, vt Episcopus sanctimonialibus sibi proximè subiectis presbyterum det, qui ipsis Sacramenta subministret: quem Cappellanum appellant.

Quintò quæritur, Quænam fœminarum Canonicarum sęcularium nomine in Iure accipiantur, & an sint eiusmodi Canonicæ fœminæ verè, ac simpliciter Religiosæ; an item vitæ regula vtãtur ab Ecclesia approbata? Respondeo: *In Clement. Attendentes, De statu Monacho.* dici: *Illas quoque mulieres, quæ vulgo dicuntur Canonicæ sæculares, & vt sæculares Canonicæ vitam ducunt, non renunciantes, nec professionem aliquam facientes, per locorum Ordinarios si exemptæ non fuerint, suas; si verò exemptæ fuerint, Apostolica auctoritate præcipimus visitari; Per hoc tamen non intendẽtes earum statum, regulam, seu Ordinem approbare.* Et *in ca. Indemnitatibus, § supradicta, De elect. in 6.* dicitur: *Sunt iuxta quarundam prouinciarum consuetudinem, mulieres, quæ nec proprijs renunciant, nec professionem faciunt Regularem, sed viuunt, vt in sæcularibus Ecclesijs Canonici: nec tamẽ earum statum, Ordinem, seu Regulam intendimus approbare.* Hæc ibi.

Sciendum est, in Germania, & Flandria esse mulieres, quæ simul congregantur, & instar Canonicorum Regularium viuunt, ac Diuinas laudes, & preces recitare, & cantare solent, & vulgo dicuntur Canonicæ sæculares. Sed hæ non sunt verè, & propriè Religiosæ: nec enim trium votorum professionem emittunt, & proinde nulla lege clausulam seruare coguntur. Præest vna cæteris, quæ Abbatissa, aut Præpositа vocatur, quæque non solùm in alias Canonicas, sed etiam in Clericos aliquando iurisdictionem, & potestatem habet, eo quòd huiusmodi Clerici, sint ipsius auctoritate Ecclesijs, siue Cappellis Canonicarum Collegio subiectis præfecti: *vt colligitur ex capit. Dilecta, De Maiorit. & obedient.* De his mulieribus tradit Glossa, intelligi id, quod dicitur *in capit. Quicunque, 12. quæstion. quint. ad finem,* vbi insinuatur ex Concilio Triburiensi Sanctimoniales proprium habere, de quo testari queant. An verò talium Canonicarum viuendi ratio reprobetur; in dubium vocatur. Glossa *in eo capit.* videtur asserere, esse iure communi damnatam *in cap. Perniciosam 17. Quæstion. 2.* vbi habetur: *Perniciosam, & detestabilem consuetudinem quorundam mulierum, quæ licet neque secundum Regulam B. Benedicti, neque Basilij, aut Augustini viuant, Sanctimoniales tamen vulgò censeri desiderant, aboleri decernimus. Cum enim iuxta Regulam S. Benedicti degentes in Cœnobijs, tam in Ecclesia, quàm in Refectorio, atque Dormitorio communiter esse debeant, propria sibi vendicant receptacula, & priuata domicilia.* Hæc ibi. At verò quicquid Glossa tradiderit, non est huiusmodi Canonicarum viuendi ratio à iure damnata. Nam *in Clementina, attendentes, & cap. Indemnitatibus supra citatis,* Bonifacius Octauus, & Clemens Quintus, quamuis, vt Religionem non approbent, non tamen improbant eam viuendi normam, & institutum. OBIICIES; Cum sub Regula S. Benedicti huiusmodi Canonicę viuant, fit inde, vt verè, & simpliciter Religiosæ sint? Respondeo, non satis esse si sancti Benedicti, Regulã seruent ex quadam parte, & simul in vnum Collegium conuocatæ retineant eundem vitæ modum, ac normam, eodem vestitus genere vtentes, & vni tanquam capiti subiectæ, in idem Oratorium ad psallendum, & in communem locũ ad edendum conuenientes, quoniam professionem

nullam

Nau. cons. 81. & cons. 82. de regularib.

nullam emittunt. Hinc etiam colligitur, (quod rectè Nauarrus annotauit) Moniales, quæ nomine Turris nouæ Speculorum in Vrbe vulgo appellantur, non esse verè, & propriè Religiosas: & propterea non esse cogendas clausuram seruare, ob id, quod nulla trium Votorum professione solemni sese adstringunt, & proinde his legibus, & regulis, quibus alligantur verè, & propriè sanctimoniales, minimè tenentur: potius enim oblatæ, quàm Moniales dici possunt, ac debẽt. Idem iudicium est de ijs Monialibus, quæ communiter Tertiariæ vocantur, seu Tertij Ordinis Sancti Benedicti, quæ solemnem professionem non emittunt. Verum harum aliæ sunt, quæ tribus votis, ac solemni professione obligantur, & hæ verè, & propriè Monialium nomen, & rationem sibi vendicant, & clausuræ, & cæteris iuris Canonici legibus obstringuntur. Aliæ verò sunt, quæ nullam votorum professionem faciunt, atque hæ Sanctimoniales verè, & propriè non intelliguntur, quamuis in vno eodemque domicilio simul habitẽt: & cum proprium possidere queant, testandi ius habent, nec Canonicæ clausuræ seruandæ legibus tenentur obstrictæ.

Caput X.

De Abbatissa quam vocant, & de Sanctimonialium Cœnobijs.

PRIMO quæritur, Quo modo sit Abbatissa eligenda? Respondeo: In Concilio Tridentino *Sess. 25. ca. 7. de Regularibus* modum præscribi his verbis: *Abbatissa, & Prioriſſa, & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præpoſita eligatur nõminor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit; quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem monaſterio, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur, ex his, quæ in eodem monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, vna eligatur. Duob⁹ verò monaſterijs nulla præficiatur. Et ſi qua duo, vel plura quocunque modo obtinet, cogatur, vno excepto, intra ſex menſes cætera reſignare.* Hæc ibi.

Secundò quæritur, Qua ratione in electione Abbatissæ, suffragia ferri debeant? Respondeo, In Concilio Tridentino *eadem sess. 25. cap. 6.* districtè præcipi, vt in electione Superiorum quorumcunque Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarũ, atque aliarum Præpositarum suffragia ferri debeant secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec voces, aut suffragia absentium per alios substitutos suppleantur. Quòd si alio modo electio fiat, sit irrita: & qui alio modo se eligi permiserit, ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat. Sic ibi. Potest tamẽ absens suum suffragium, aut votem scripto mittere, vel cõstituere Procuratorem, secundùm Constitutiones cuiusque Religionis, vt Congregatio Cardinalium cẽsuit, & declarauit: quod refertur in Priuilegijs Minimorũ, & Fratrũ Ordinis S. Hieronymi in Hispania, verbo CONCILIVM. In electione quoque Abbatissarum potest Episcopus, vnà cum suo Vicario, vel Secretario, vel alio, quem ipse ad id sibi asciuerit, & delegerit suffragia, siue vota cuiusque Monialis ore tenus expressa audire.

Tertiò quæritur, An Abbatissa post electionem debeat confirmationem accipere? Respondeo, de confirmatione Abbatissæ nihil esse in iure constitutum. At verò *in Clement. Attendentes, de ſtatu Monachorum.* videtur tanquam certum poni, eam confirmari solitam, cum dicitur, eam benedici debere intra annum à suæ confirmationis tempore. QVAERES, à quonam confirmari debeat? Respondeo, si exempta sit, & Romano Pontifici proximè subiecta, ab eo, vel ab alio eius auctoritate est cõfirmanda: Si verò exẽpta nõ sit, Monachorum, siue Religiosorum Præfecto subiecta, ab eo confirmationem accipit. Si sit in Episcopi iurisdictione, & potestate, ab eo confirmatur: nam per confirmationem iurisdictio confertur. Ergo exempta, ab Episcopo confirmari nequit.

Quartò quæritur, An Abbatissa post confirmationem egeat benedictione, seu consecratione? Respondeo: *In Clement. Attendentes, de ſtatu Monacho.* dici: *Statuimus, vt quæuis ad regimen Abbatiarum aſſumptæ, in monaſterijs, in quibus Abbatiſſæ ſunt ſolitæ benedici, intra annum à ſuæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis ſuſcipiant: alioqui à iure ſuo, niſi ſubſit cauſa rationabilis, prorſus ſe nouerint cecidiſſe.* Hæc ibi Io in loco. Ergo vbi moris non est Abbatissas benedici, benedictione non egent. Et fieri potest, vt annotauit Glossa, vt quamuis olim benedici consueuerint, nunc minimè soleant. Rogabis, vndenam consuetudo illa internosci queat? Respondeo cum Glossa: si de consuetudine constet, quadraginta annorum spatio continuata, censetur Abbatissa de more benedici: Si verò desuetudo sit per quadraginta annorum spatium probata, non eget benedictione. Quòd si intra idem tempus varietas sit, ita vt aliæ benedicantur, aliæ minimè, liberũ est Abbatissis benedictionem suscipere, aut non suscipere. Notat item Glossa, vbi Abbatissæ de more benedicuntur, eas iustis de causis excusari, quæ benedictionem non petunt ob morbum; aut quia is, cuius est benedicere, recusat, aut legitimè non potest; aut quia Abbatissa nondum pacificam possessionem adepta est. QVAERES insuper, à quo benedictionem accipere debeat Abbatissa? Respondeo, *in eadem Clementina dici*, ab illis, ad quos spectat iure communi, vel peculiari confirmatio Abbatissæ. RVRSVS QVAERES; Vtrum benedictio Abbatissæ possit iterari? Hugo negat, quia est veluti quædam consecratio. Alij verò affirmãt, quamuis negent Abbatis benedictionem iterari posse. Glossa ait, quæri debere quid in hac re curiæ Romanæ vsus habeat. Ego certè causam nullã video, cur sit iteranda benedictio Abbatissæ. Nam si dixeris esse repetendam, si Abbatissa alteri secundo Monasterio præficiatur, cuius Abbatissæ de more benedicuntur, dicam ego sufficere, si, cum est in primo Monasterio ad præfecturam electa, benedictionem acceperit, vbi est quoque vsu recepta Abbatissarum benedictio. Certi autem iuris est, ait Glossa, huiusmodi benedictionem esse simplicem, & non qualis est benedictio Abbatis, qui per benedictionem ius habet primam Clerici

Tonsu-

Tonſuram, & Minores Ordines conferendi, & ſolemni ritu Monachos benedicendi; quorũ neutrum cõuenit benedictioni Abbatiſſæ, ac proinde quolibet die, poteſt Abbatiſſa benedictionis beneficium ſuſcipere: nec pretium, commodumúe temporarium, pro huiuſmodi benedictione abſque Simoniæ labe datur, vel accipitur, *ca. Sicut, De Simonia.*

Quintò quæritur, An Abbatiſſa ſit capax poteſtatis ſpiritualis? Reſpondeo, conuenire inter omnes Theologos *in 4. diſt. 19. & diſt. 25.* & Canonici iuris interpretes *in capit. dilecta. de maiorita. & obedien.* non eſſe capacem poteſtatis, quæ dicitur Ordinis: An tamen capax ſit illius, quæ dicitur poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis, dubiæ eſt quæſtionis. Sanctus Thomas, *in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 3. ad 4. & diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 1. ad ſecundum.* Paludanus *4. diſt. 19. quæſt. 2. art. 1.* Sylueſt. *in verbo. Abbatiſſa. num. 1.* Sot. *in 4. diſt. 20. quæſt. 1. artic. 4.* & multi alij Theologi negãt eam eſſe capacem ſpiritualis iuriſdictionis Ordinariæ, ſed tantum commiſſæ, & delegatæ Romani Pontificis auctoritate: Panormitanus tamen *in cap. dilecta. citato*, & cæteri iuriſconſulti cum Gloſſa *ibidem*, videntur innuere illã eſſe capacem iuriſdictionis etiam ordinarię non ſolùm delegatæ, & demandatæ, id colligunt *ex c. Dilecta, De Maiorit. & Obedien.* vbi dicitur de Abbatiſſa quadam, Clericos ſibi ſubiectos à Beneficio, & Officio ſuſpẽdiſſe: nam certè quod quis ratione dignitatis munerisúe publici, quo fungitur, facit, id ordinaria auctoritate, non commiſſa facit. Dicunt inſuper Gloſſa, & Abbas *in illo cap. Dilecta, citato*, poſſe iure Abbatiſſam, Eccleſias, & Beneficia ſuo Monaſterio ſubiecta conferre. Vera eſſe hæc ſententia videtur: nam ſicut fœmina ratione dignitatis, vel muneris, capax eſt ciuilis iuriſdictionis, poteſt enim eſſe Regina, Duciſſa, vel Comitiſſa, vt vulgò dicitur; ſic etiã Abbatiſſa ratione publici muneris, & officij, ius habet ãliquando inſtituendi Clericos in Eccleſijs ſuo Monaſterio ſubiectis, & beneficia conferendi: *vt colligitur ex cap. Dilecta, citato*, ſed hoc non negant S. Thomas, Paludanus, & alij Theologi, quando hæc iuriſdictio conuenit Præfectæ monialium ratione monaſterij, cui præeſt.

Sextò queritur, An Abbatiſſa ius habeat ſuſpẽdendi videlicet Clericos ſuæ iuriſdictioni ſubiectos? Reſpondet Gloſſa *in cap. Dilecta, citato.* A Beneficio quidem, non tamen ab officio, eam poſſe ſuſpendere. At Innocentius ibidem ſentit, eam poſſe ius habere ſuſpendendi ab vtroque, à Beneficio videlicet, & officio. nam *in capit. Dilecta, ſupra citato*, iubet Pontifex ſuſpẽſionem ſeruari, qua Abbatiſſa ſuos Clericos à Beneficio, & officio ſuſpendit, & amouet. Quare ſtandum exiſtimo ſententiæ Panormitani. Sicut enim Abbatiſſa ius non habet excommunicationis, aut interdicti ſententiam ferendi, ſic nec ſuſpenſionis propriè acceptæ, ſiue à Beneficio, ſiue ab officio: hoc eſt, non poteſt ſuos Clericos ita ſuſpendere, vt ſi ſuſpenſi ipſi Diuina miniſteria, & officia præſtiterint, & obierint, irregularitatem contrahãt. Hæc enim ſuſpenſio eſt propriè cenſura Eccleſiaſtica; fœmina autem, huiuſmodi pœnam irrogare minimè poteſt. Suſpenſio autem illa, qua *in cap. Dilecta*, Abbatiſſa Clericos ſuſpendit, eſt impropriè, ac latè ſuſpẽſio, quatenus eſt præceptio quædam, qua quis ſuo munere, & officio fungi prohibetur. Et Gloſſa cũ negat Abbatiſſam ab officio ſuſpendendi ius habere, locum habet in ſuſpẽſione primo modo accepta.

Septimò quæritur, An penes Abbatiſſam ſit poteſtas iubendi, & imperandi aliquid, quo Monialium conſcientiæ teneantur? Sotus *in quart. diſtinction 20. quæſtione prima, articulo quarto.* Victoriam ſecutus, non plus auctoritatis tribuit Abbatiſſæ, quam matri familias, ciuiliúe magiſtratui: *Quemadmodum*, inquit, *penes hos poteſtas ſpiritualis non eſt, ſed domeſtica, & ciuilis, & proinde nihil imperare queunt, quo ſubditorum conſcientiæ obligentur, niſi ratione rei, & materiæ imperatæ, quæ ſi grauis fuerit, & alicuius momenti, grauem obligationem continet, ſin minus, leuem. Sic etiam Abbatiſſa, cum poteſtatis ſpiritualis capax non ſit, nihil præcipere, & iubere poteſt, quod grauem obligationem inducat, niſi ratione rei, quam fieri iuſſerit: poteſt præcipere Monialibus, ne externis literas ſcribant, neúe illorum literas recipiant, ne cum viris loquantur, ne ad hortos exeant; ſed hæc, & ſimilia præcepta pro grauitate, aut leuitate materiæ Monialium conſcientias obſtringunt, non quia Abbatiſſa velit, vt ita obligentur, vt ſi aliter fecerint Moniales, lethaliter peccent. At Abbates, & alij Præfecti ſpirituales, poſſunt aliquid præcipere excommunicationis pœna conſtituta in eos, qui non paruerint.* Hæc ex Soto. Nihilominus tamen poteſt, vt etiam concedit Sotus, Abbatiſſa præcipere Monialibus virtute ſanctæ Obedientiæ, & ratione voti facti: nam munere, & officio publico fungitur, eique Moniales vi profeſſionis emiſſæ parere coguntur, & in eam Superiores Ordinis Regularis, ſub quo militant, poteſtatem, & iuriſdictionem tranſtulerunt.

Octauò quæritur, Quam poteſtatem habeat Epiſcopus in Monialium Cœnobia? Reſpondeo, primò ea viſitare poſſe, vt clauſuram ſeruandam curet. Deinde, vt exploret animum, & voluntatem Virginum, cum habitum ſuſcipiunt, & dum profeſſionem emittunt, vt conſtat ex jis, quæ hactenus diximus. Et in Concilio Tridentino *Seſſione 25. capit. quint. De Reformatione* ſtatuitur, vt curent Epiſcopi, cum Monaſteria extra mœnia vrbis, vel oppidi ſita ſunt, ſi ita videbitur expedire, Sanctimoniales ad noua, vel antiqua Monaſteria intra vrbes, vel oppida reducendas; inuocato etiam auxilio, ſi opus fuerit, brachij ſecularis: & impedientes, vel non obedientes, per cenſuras Eccleſiaſticas parere compellant.

Caput XI.

Quot, & quæ ſint approbatæ Regulæ Ordinum Religioſorum.

PRIMO quæritur, Quot hactenus Eccleſia Religionum Regulas approbauerit? Reſpondeo, *in cap. Perniciosum, 17. quæſtione ſecunda*, tãquam approbatas, tres numerari; nimirum Sancti Baſilij, Sancti Auguſtini, & Sancti Benedicti. Sed poſtea ab Honorio Tertio approbata eſt quarta Regula Sancti Franciſci: atque ita Regulæ approbatæ, tum iure communi, & antiquo, tum iure ſpeciali, & nouo, ſunt quatuor, præter eas, ſi quæ ſunt

post Honorium III. auctoritate Pontificia confirmatæ.

Secundò quæritur, Quid interfit inter Regulam Religionis, & Constitutiones? Respondeo cum Ioanne Andrea, & Antonino, Regulam non posse, nisi Romani Pontificis auctoritate mutari; Constitutiones verò posse Superiorum Regularium, præsertim in vnum conuocatorum auctoritate, aut ex toto, aut ex parte variari. Ratio vtriusque est, quia Regula est à Romano Pontifice, siue à iure communi confirmata; at Constitutiones solùm totius Ordinis auctoritate conduntur, & approbantur.

Ioan. Andre. Nouel. Anto. p. 3. tit. 16. c. 1. §. 4.

Tertiò quæritur, An Regula S. Basilij, quę est omnium prima, in ijs omnibus, quæ seruanda præscribit, præcepti obligationem inducat? Respondeo, cum Antonino *part. 3. tit. 16. cap. 1. §. 8.* minimè; nam aliqua continet tanquam consilia, & monita: quare qui sub huiusmodi Regula militant, nō coguntur omnia tanquam præcepta seruare; nisi eorum Constitutiones, aliquid tanquam præceptum addiderint.

Quartò quęritur, Quænā S. Basilij Regula contineat præter tria Religionis vota? Respondeo, B. Antoninum *loco citato*, & Ang. *in verb. Religiosus n. 28.* Regulā S. Basilij ponere, non quidem (vt ego reor) puram, & simplicem, sed qualem Carmelitani Fratres, qui eam profitentur, obseruant. Cuius hæc sunt capita præcipua.

Primò, *Vt Monachi carnes non edant nisi ratione morbi, aut incommodæ valetudinis, aut extra Cœnobia iter facientes: tunc enim licet eis pulmenta cocta, cum carnibus comedere.*

Secundò, *Vt ieiunium seruent à die Exaltationi Crucis sacro, vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis, exceptis Dominicis*, quamuis hoc Regulæ S. Basilij adiectū esse videatur. Neque enim Basilij tempore festus dies Exaltationis Crucis erat institutus, neque apud Græcos Sabbato ieiunium seruabatur. Quare totum hoc de ieiunio caput, existimo, esse additum ab Alberto Hierosolymitano Episcopo, qui ex Basilio Regulam collectam Carmelitanis fratribus tradidit, potiùs latinorum, quàm Græcorum more seruandam.

Tertiò, *Vt officium Diuinum iuxta Patrum institutionem, & receptum Ecclesiæ morem psallant.*

Quartò, *Vt silentium noctu à Completorio vsq; ad primam horam diei sequentis teneant, & cæteris temporibus non nisi pauca, & ea necessaria loquantur.*

Quintò, *Vt singuli in suis cellulis commorentur interdiu, & noctu; & lectioni scripturarum, & contemplationi sint intenti.*

Sextò, *Vt otia fugiant.*

Septimò, *Vt in medio cellularum Oratorium, siue Sacellum constituatur, quo omnes quotidie mane ad rem audiendam conueniant.*

Octauò, *Vt omnibus vnus ex ipsis præsit vnanimi consensu, vel saltem maioris, & potioris partis suffragijs electus, cui cæteri pareant, quique vocetur Prior.* Hoc caput constituit Almericus Patriarcha Antiochenus, qui cum esset natione Gallus, patria Lemouicensis, more Latinorum, Cœnobij Præfectum vocari Priorem iussit, non Abbatem, ritu Græcorum.

Nonò, *Vt singuli singulas habeant cellulas separatas, prout arbitrio Prioris, & aliorum Fratrum assensu aut potioris, aut maioris partis eorum fuerint cuique assignatæ: nec liceat alicui nisi voluntate Prioris suum locum mutare, aut cum alio commutare.*

Decimò, *Dominicis diebus, vel alijs, vbi opus fuerit, conueniant, & de obseruatione Regulæ, & Ordinis custodia, & communi animarum salute tractent: & errata Fratrum, si quæ deprehensa sint, corrigantur.*

Vndecimò, *Vt nullus Fratrum aliquid esse sibi propriū aut suum dicat, sed sint illis omnia communia: & distribuatur cuiq; auctoritate, & opera Prioris, vel alterius Fratris, arbitrio ipsius, ad id destinati, prout opus erit, habita ratione ætatis, & indigentiæ singulorum.*

Duodecimò, *Ne fundos, aut possessiones habeant, etiam in commune. sed cibo mendicato viuant.* Hoc quamuis apertè Regula non expresserat, Gregorius tamen Nonus constituit, vt Carmelitani ex eleemosynis sibi oblatis, vel mendicatis alerentur: quod deinde Innocētius Quartus, & Alexander Quartus, suis literis confirmarunt. Postea Eugenius Quartus Regulam aliqua ex parte sua auctoritate laxauit. Concessit enim, vt tribus tantùm diebus cuiusque Hebdomadæ ieiunium seruent, à festo Exaltationis Sanctę Crucis vsq; ad Dominicam Resurrectionis, præterquam in tempore Aduentus, & in Quadragenario ieiunio, & alijs Ecclesię cōsuetis ieiunijs: & vt horis congruis in templis, clauſtris, & hortis, Cœnobitæ deambulare queant. Item Romanorum Pontificum concessu Cœnobia in commune annuos redditus, & possessiones habere queunt.

Quintò quæritur, Quinam Religiosi militent sub Regula S. Basilij? Respondeo, sub ea olim, vt etiam nunc, plerosque Orientis Monachos, præsertim in Græcia, & Armenia militasse, & nōnullos etiā per Calabriam, & Siciliam, eo quòd din, hæ duæ prouinciæ Græcorum imperio parueriū. Carmelitani etiam, vt dixi, eandem Regulam seruant.

Sextò quæritur, Quænam S. Augustini Regula contineat? Respondeo, eam præter tria consueta vota, plura continere, quàm Superior Regula habeat. Inter alia habet, vt Præfectus Monasterij, Prior, vel Præpositus vocetur. Vnde factum est, vt Præfecti Religionum hanc Regulam profitentium, Priores, vel Præpositi appellentur. Deinde, vt communi loco ad comedēdum vtantur, & inter comedendum, ad mensam sacra lectio recitetur, & audiatur. Item, vt nemo literas scribat, aut recipiat absq; nutu Prioris, & alia quædam, quæ hic commemorare non est necesse.

Septimò quæritur, An omnia in Regula Augustini contenta obligent conscientiam more præcepti? Henricus *quodl. 6. quæst. 17.* affirmat, inde permotus, quia initio Regulæ dicitur: *Hæc sunt, quæ vt obseruetis, præcipimus.* Angel. *in verbo religiosus num. 28.* cum Antonino *part. 3 titul 16. capit. 1. §. quinto.* docet, Regulam quidem Pontificia indigere declaratione, verum communis opinio, vt ipse quoque Angelus fatetur, censet non omnia obligare. Nam verbum Præcipio apud Latinos Scriptores idem sæpe significat, quod præmoneo, & de ijs etiā dicitur, quę leuem tantùm obligationem continent.

Octauò quæritur, Qui Religiosi sub Regula S. Augustini militent? Respondeo militare sequentes: in primis militāt Canonici Regulares; Deinde ij, qui

de ij, qui Præmonſtratenſes appellantur. Et Fratres Prædicatoriæ familiæ: ex qua prodierunt tres ſummi Pontifices, Innocentius V. Benedictus XI. Pius V. Cardinales teſte Antonino 3. *part. tit. 23. cap. 11. §. 1.* vſque ad annum Domini 1458. viginti tres, Patriarchæ ſedecim, Archiepiſcopi viginti quinque, Epiſcopi plurimi. Sunt ex hoc Ordine, in Sanctorũ numerum relati, S. Petrus Martyr, S. Thomas Doctor Eccleſiæ, S. Vincentius Fererius cõcionator egregius, S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, S. Iacynthus Polonus S. Catharina virgo Senenſis. Et teſte Antonio Senenſi Luſitano in Bibliotheca fratrum Ordinis, fuerũt in hoc Ordine Scriptores 651. decem, qui in omnes Biblicos libros Cõmentarios ſcripſere, plures quã quinquaginta, qui in quatuor libros Sententiarum. Qui ſcripſere ſummas caſuum conſcientiæ, viginti. Vnus Generalis Superior toti Ordini præeſt: cuius adminiſtratio eſt ad vitam perpetua. Sub eadem regula militant ij, qui dicũtur Serui B. MARIAE, ſiue vulgo Seruitæ; qui item in Hiſpania vocantur nomine S. Hieronymi, ſiue Hieronymiani; qui etiam in Italia Ieſuati nuncupantur; necnon, & ij, quos vulgus præſertim Hiſpanienſe, dicit de nomine Sanctæ Trinitatis Trinitarios; Alij demum à Captiuorum redemptione nomen adepti, quos Hiſpani vulgariter vocant De la merce. De Canonicorum Regularium origine, progreſſu, & incremento Superiori libro tractaui, *cap 22.*

Eſt in Hiſpania Ordo Religioſorũ, qui de Sancte Trinitatis nomine nũcupantur. Inſtitutus eſſe fertur anno ſalutis 1198. quo anno ad ſummũ Pontificatum Innocentius Tertius eſt euectus, vt teſtantur Sabellicus *Ennea. 9. libr. 5.* ad finem, Caſſineus *in Catalogo. part. 4. conſider. 11. 63.* Quidam Ioannes Matta, & Fœlix anachoretæ, cum in Gallica Prouincia prope Meldenſem agrum vitam ſolitariam agerent per quietem, ter diuinitus admoniti Pontificem adierũt, ab eoque petiere certum viuendi modum: ille haud multo poſt etiam oraculo, vt aiunt monitus anachoretas excepit, illiſq; negotium mandauit, vt Chriſtianos à Mauris captos pretio redimendos curarent. Viderat enim Pontifex Angelum mira ſpecie, fulgentem, manuſque in modum Crucis imponentem, & captiuum Chriſtianum cum alio captiuo Mauro cõmutantem: in cuius pectore erat Crucis imago tribus coloribus, candido, rubro, & cœruleo diſtincta. Et propterea iuſſu Pontificis hi Religioſi amictu candido induuntur, in pectore Crucis imaginem partim cœruleam veſti aſſutam geſtãt. Et primum pallio etiam albo vtebantur, ſed Pij Quarti auctoritate in fuſcum mutarunt. Eorum mos, & inſtitutum eſt redimere ex eleemoſynis vndequaque collectis Chriſtianos, qui apud Mauros Chriſtiani nominis hoſtes captiui in ſeruitute tenentur, & inopia preſſi nihil habent, quo ſe redimant, S. Auguſtini Regulam ſeruant. Et quia Ordinem ferunt, cœleſti oraculo inſtitutũ, Sanctæ Trinitatis nomen habere dicunt, & inſcripta hæc verba.

HIC EST ORDO APPROBATVS, NON AB HOMINIBVS FABRICATVS, SED A SOLO SVMMO DEO. Hic Ordo Prouincias 18. habuiſſe perhibetur. Cœnobia 145. in quibus habitabant fratres circiter 4000. Toti Ordini præeſſe fertur Generalis Miniſter, ſiue Præfectus, qui in conuentu Generali creatur, cuius adminiſtratio dicitur eſſe, fuiſſeue perpetua ad vitam.

Ipſo anno quo S. Dominicus Prædicatoriæ Familiæ parens in Hiſpaniam venit, Barcinonę noua piorum hominum inſtituta ſodalitas eſt, dicta à nomine Sanctiſſimæ Virginis MARIAE de Mercede. Multi terra marique Chriſtiani homines capti a Mauris, & in ſeruitutem abducti ob vitæ aſperitatem à Chriſti fide, & Religione deficiebant. Magnum porrò id Chriſtiani nominis dedecus erat, cuius delendi cauſa hominum Societas inſtituta eſt, qui eleemoſynis vndique corrogatis, captiuos Chriſtianos è tanto malo ereptos redimerent. Iacobus Aragoniæ Rex præcipuus eius Ordinis auctor fuiſſe perhibetur, qui cum Montione captiui inſtar teneretur, vſu didicit quantũ eſſet captiuitatis malum; & ideo Virgini Dei Matri Votum nuncupauit, quo promiſit ſe, ſi è captiuitate ſolueretur, curaturum, vt multi eorum, qui apud Mauros capti erant, redimerentur. Secundũ regem Petrus quidam Nolaſcus natione Gallus ducem ſecuturis ſe præbuit, optimis legibus, & inſtitutis naſcentem familiam tẽperauit. Regia inſignia Cruci impoſita in rubro clypeo ad veſtem candidam; & cucullum toti familiæ, diſtinctionis gratia contributa ſunt. Ipſe coram Rege, & Proceribus de manu Reymundi Pennafortij. qui tunc Regi à confeſſionibus erat: & deinde Ordinis Dominicani Generalis Magiſter fuit; ſolemni cæremonia veſtem albam, & cucullum cum S. Crucis ſigno ſuſcepiſſe fertur anno Domini 1218. Sub Regula S. Auguſtini militant. Ordo dicitur habere octo Prouincias, vnam in Gallia, tres in Hiſpania, reliquas in India Occidentali, ſiue in nouo terrarum orbe. Ordini toti præeſt Generalis Miniſter, cuius olim perpetua erat adminiſtratio, nunc verò ad ſexennium eſt reducta.

Sedecim annis poſt Prædicatorum Ordinem auctoritate Pontificia comprobatum, Religioſi, qui Seruitę dicuntur, Florentię cœpere, quo tempore Federicus II. Imperator Pontifici Gregorio IX. infenſus, totam Eccleſiæ Romanæ ditionem vexabat: tunc enim ſeptem viri generis nobilitate clari, & copioſi, voce cœleſti diuinitus admoniti in propinquum montem ſeceſſerunt, vbi aliquandiu delituerunt. Sed ipſa eorum ſanctitas tanta luce ſeſe prodidit, vt multos ad ipſorum Societatem traxerit. Seruitarum nomen ideo acceperunt, quòd ſe B. Virginis Dei Matri ſeruos eſſe profiterentur. Regulam Sancti Auguſtini ſeruant, certis quibuſdam legibus, & inſtitutis adiectis. Fertur Ordo confirmatus eſſe auctoritate Alexandri IIII. anno ſalutis humanæ 1254. Olim præerat toti Ordini Generalis Superior, cuius adminiſtratio perpetuò ad vitam durabat, nunc verò ad triennium tantùm durat. Dicuntur eſſe huius Ordinis 26. Prouinciæ: conuentus virorum 300. Monialium cœnobia 30. In Conuentibus habitare viri Religioſi circiter 1000. perhibentur. Ex hoc Ordine aſſumpti ad Cardinalitiam dignitatem dicuntur quinque, ad Archiepiſcopalem tres, ad Epiſcopalem viginti tres.

Crucigeri in Italia militant etiam sub Regula S. Augustini. Horum initium quidam ad Alexandrum Tertium, alij ad Innocentium Tertium retulere. Extant diplomata Pontificia, in quibus Cletus post Linum Petri successor, eorum Ordinē instituisse perhibetur. Aiunt eum cælesti nuncio Crucis imaginem ferente admonitum, vt hospitalem domum fundaret, qua exciperentur, qui Romam peregre religionis causa venirent, & essent ibi, qui peregrinos itineribus fessos piè reficerent, & ij gestarent perpetuò Crucem Dominicæ passionis monimentum, & illum Oraculo paruisse; multi enim Christiani peregrini Romā voti soluendi causa veniebant. Vnde ab Angelo Cletus admonitus esse creditur, vt studiosè curaret, ne illis in Vrbem venientibus commoda hospitia, & vitę subsidia deessent. Et ideo pij quidam viri sese voto Dei obsequio addixerunt, promittentes se peregrinos domicilijs excepturos, & sustentaturos. Fortassis tunc non eam, quam nunc cernimus, Religionis formulā hic Ordo habuit, sed exemplo, vel imitatione Christianorum Cleti tempore in Vrbe viuentium & excipientiū hospitio pauperes, qui Romam peregre veniebant, aliqui progressu temporis fuēre diuinitus excitati ad peregrinos, & inopes excipiendos. Quidam aiunt horum Ordinem esse Alexandri Tertij tempore institutum. Is enim Federici Aenobarbi Imperatoris vim, & impetum hostilem fugiēs, quorundam piorum hominum hospitalibus domibus crebro, & benignè etiam aduersus Imperatoris Edicta minacia exceptus fuerat, & ideo eorum hominum sodalitatem sua auctoritate comprobauit, & Cruce insignitam esse voluit. Alij verò referunt Innocentium Tertium milites Cruce signatos contra Albigenses hæreticos misisse, qui deinde peregrinos excipiebant, & commodè sustentabant; Alij referunt Hierosolymitanum Antistitem Cyriacum, qui Helenæ Constantini matri locum ostendit, vbi Dominica Crux occúltaretur, fuisse primum, qui ob tantæ rei memoriam Collegium instituit eorum, qui vel Crucis imagine signantur, vel Crucem manu deferunt. Pius Secundus anno salutis humanæ 1460. in Concilio Mantuano, cum expeditionem in Terram sanctam pararet, cœruleum eis vestitum assignauit, cum antea, aut indiscreto, aut cinericio vterentur: voluitque, vt Crucem ex vetere instituto manu gestarent. Olim vnus toti Ordini præerat, cuius administratio erat perpetua, nunc triennio durat. Extra Italiam, hic Ordo non est. In Italia habet Prouincias quinque, Bononiensem, Venetam, Romanam, Mediolanensem, & Neapolitanam. Olim habuisse Conuentus centum, & octo dicitur, nunc verò habere fertur 55. in quibus fratres numerari circiter ducenti vel plures perhibentur. Hospitalitatis curam habent.

Anno partus Virginei 1354. in Vrbe Senensi inchoatus est Ordo, qui IESVATORVM vocatur: eius fundator extitit Ioannes Columbinus Senensis, cuius mirabilis conuersio refertur ex lectione Vitæ S. Mariæ Aegyptiacæ, in quam casu inciderat: Hic itaque totus repente mutatus sese bonis operibus, maximè autem sui contemptione, & propriæ voluntatis abnegatione aliquādiu exercuit. Vnde bonæ vitæ eius exemplo permoti quidam, se ei adiunxere, vt eiusdem instituti socij essent. Quos omnes quia iam suspecti, & superstitione aliqua imbuti haberi incipiebāt, Vrbanus Quintus cum ex Gallia reuerteretur, quasi nouam, ac teneram Christi sobolem benignè cōplexus, multis priuilegijs exornauit; ab eo vestitum, & Ordinis approbationem adepti sunt anno salut. 1467. quorum institutum postea decem, & octo Romanorum Pontificum auctoritate cōfirmatum esse perhibetur. Militant quadam ex parte sub Augustini Regula: eā tamen obseruant, quam quidam ex eorum Ordine in Episcopum electus composuit, & Romani Pontifices approbarunt. Alba tunica vtuntur, & caputio quadrato à ceruice ad humeros deiecto. Canusinum palliū tunicæ superiectum deferunt, sacris non initiantur, tantùm precibus operam dant, aquas ex herbis eliciunt, eas vendunt, & pecunias in vsus necessarios conuertunt. Generalem Superiorem nō habent, qui vnus toti Ordini præsit, sed duos tantùm Visitatores, vnum in Lombardia, alterū verò in Tuscia. Huius Ordinis Domus dicuntur esse 33. in quibus numerātur Religiosi circiter 600. vt ab alijs accepi, & IESVATI dicuntur, quòd in eorum ore frequēs sit dulce, & sanctum IESV nomen.

Floret in Hispania Familia Eremitarum, qui nomine S. Hieronymi vocantur, eius fundator, & parens fuit Petrus Ferdinandus Hispanus, qui Regia aula relicta, primum Eremitis quibusdam solitariam vitam agentibus sese adiunxit, sed deinde instituit S. Hieronymi, quod in Vrbe Bethlehem ab ipso inchoatum, & diu conseruatum, iam pridem cessauerat, vnà cū aliquot alijs eiusdem voluntatis, & cōsilij socijs, in Toletana prouincia excitauit: deinde Romam veniens Gregorio XII. qui tunc Ecclesiæ præsidebat, nouam illam vitæ rationem, & formulam obtulit: quam ille sua auctoritate comprobauit. Hic Ordo in Hispania tantùm viget. Vnus Generalis Prior toti Ordini præest, qui tertio quoque anno creatur. Fertur habere in Castella, Aragonia, & Valentia Conuentus 47. in quibus habitare dicuntur Religiosi circiter 1100. Monialiū quatuor Monasteria habet. Generalis Prior eligitur 3. Nonas Maij à Fratribus conuentus S. Bartholomæi siti prope oppidulum dictum Lupiana, & confirmatur ab octo Diffinitoribus totius Ordinis auctoritate delectis. Certò quidem non constat Hieronymū vllam vitæ Eremiticæ Regulam cōscripsisse: ille tamen circa Bethlehem locum, & sedem sibi construxit, vbi vitæ extremum cursum Apostolico ritu, & instituto peregit. Hinc factum est, vt per multi ipsius Hieronymi imitatores extiterint, & ab ipsius nomine sint Hieronymiani Eremitæ appellati.

Frater quidam Petrus Olmedo Hispanus, Martini V. tempore fertur reuocasse ad meliorem Religiosæ vitæ formulam, Ordinem, qui in Italia nomine quoque sancti Hieronymi appellatur, quique in Italia dicitur habere monasteria viginti octo.

Anno salu. 1380. Vir quidam, cui Petro nomen erat, patriā Pisanus, nobili genere natus, rebus mundanis despectis, solitariam vitam elegit, cui

postea

postea alij eiusdem vitæ studio accensi sese adiunxére, & propè Vrbinum domicilium extruxêre. Ex his fluxit alius Ordo Eremitarum, qui in Italia à S. Hieronymo nomen habent. Primùm isti solemnem votorum professionem minimè faciebant: Sed Pij Quinti auctoritate, solemni se votorum Religione Deo obstringunt, sub S. Augustini Regula militantes. Dicitur habere duas Prouincias, Conuentus 64. in quibus habitant Fratres. 800.

Anno Domini 1406. Tres viri quidam Carolus cognomento Granellus, & Rodon Montigranellus, & Gualterus Florentini homines, Eremitanum institutum complexi, sedem sibi in Fesulanis montibus extruxerunt, quorum Ordiné Gregorius XII. & Eugenius Quartus, approbasse dicuntur. Quadraginta in Italia habere monasteria perhibetur.

Anno Domini 1308. Confirmatus est à Legato Apostolico Clementis V. Ordo nomine S. Pauli Eremitæ vocatus, floruit hic Ordo in Vngaria, & Boëmia, institutus ab Eusebio Strigoniensi, in Pannonia.

Seruant etiam Regulam S. Augustini Religiosi Clericorum Ordines. Porrò ex Apostolis originem suam traxisse censentur. Vetus enim institutum fuit, vt Clerici bonis, si aliqua haberent, paternis cederent, nihilque suum possiderent, & hanc esse causam, scribit Hieronymus, *vt refertur cap. Duo, 12. Quæst. 1.* cur ab ipso Ecclesiæ initio Clericorum capita radi cœperint, vt significaretur, ait ille, temporalium rerũ abdicatio, quia victu, & vestitu contenti nihil proprium habere debent, sed omnia communia, & testatur Prosper, *vt refertur cap. expedit. 12. quæst. 1.* expedire facultates Ecclesiæ communiter possideri, & propriæ perfectionis studio, & amore contemni, & ideo quisquis omnibus, quæ habuit, dimissis, aut diuenditis, sit rei suæ contemptor, cum Præpositus factus fuerit Ecclesiæ, omnium, quæ ipse habet, efficitur dispensator. Refert deinde exemplum Paulini, & Hilarij, quorum vterque paterna prædia diuendita in pauperum vsus erogauerunt; & ijdem Episcopi creati, facultates Ecclesiæ communes diligenter administrarunt. & Clemens *in Epistola, quam scribit Hierosolymitano clero, & habetur in cap. Dilectissimi, 12. Quæst. 1.* ait communem vitam omnibus necessariam esse, his maximè, qui Deo militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari. Gregorius, cum ad Augustinum Anglorum Episcopum responderet, ei mandat, vt in Anglicana illa, quæ tunc oriebatur, & surgebat Ecclesia, eam vitæ formulam inter Clericos instituat, quæ initio nascentis Ecclesiæ seruabatur à Patribus, in quibus nullus eorũ de his, quæ possidebat, quicquam suum esse dicebat, sed erãt illis omnia communia. Extat inter sacros Canones Eugenij II. Decretum, *12. q. 1. c. necessaria*, quo statuitur, vt vnũ sit Clericis Refectorium, vnũ commune Dormitorium, ac cæterę officinę. Item, *cap. Scimus 12. quæst. 1.* ex Vrbano refertur: *Quicunque vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc quod Domino pollicitus est, diligenter custodiat, ne damnationem sibi, sed meritum acquirat: quia satius est non vouere, quàm votum, quod melius est, nõ persoluere.* Et *capit. Certè, eadem causa, & quæstione* ex Augustino in quodam sermone De communi vita Clericorũ, dicitur. Alias sibi constitutum fuisse nullum Clericum ordinare, nisi qui communem vitam ducere vellet: sed postea cõsilium mutasse, ne quod peius esset, quispiam per simulationem, & hypocrisim, Regulam violaret, & datam, promissamq; fidem falleret. Itaq; etiamsi quis viuere communiter recusaret, se ei deinceps Clericorum Ordinem permissurum. Laudat Ambrosius *in Epistol. 82.* Eusebium Vercellensem Episcopũ, qui suos Clericos ita instituisset, vt ab his duo pariter exigeret, & monasterij continentiam, & disciplinam Ecclesiæ. Hæc, inquit, primus in occidentalibus partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt in ciuitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret iejunij sobrietate. Multum enim adiumẽti ad Sacerdotis gratiam accedit, si ad studium abstinentiæ, & integritatis normam, iuuentutẽ adstringat, & commorantes intra Vrbem, ab vsu Vrbis, & conuersatione abducat. Narrat quoque Possidonius *in vita S. Augustini* hoc ab illo factum fuisse, vt monasterio intra Ecclesiam constituto, vna omnes mẽsa communibusque sumptibus alerentur, nihilq; cuiquam suum esset. Qua ratione primum Apostoli, & Discipuli viuere consueuerunt. Ferunt Augustino vita functo, & Hippone à Wandalis vastato, Gelasium, quẽ Africanũ fuisse constat, cũ aliquot alijs eius disciplinæ, & instituti hominibus, Romam venisse, & eo in Pontificem Romanum electo, illos deinceps in eodem vitæ genere perstitisse: ijsque domicilium in Lateranensi æde attributum: quorum munus & officium fuit sacra facere, conciones ad populum habere, eidem sacramenta ministrare, ac cætera Sacerdotum munia obire: idque in communi vita, nulla re propria, & vnius Præpositi ductu, & obedientia. Ex quibus Canonicorum Regularium Ordo manauit, ac fluxit. Constat à Bonifacio VIII. Regulares Canonicos è Lateranensi sede amotos esse, quam octingentis ferè annis tenuerant, substitutis Canonicis sæcularibus, diuisaque singulis certa redditũ portione, qui antea communes erant. Quædam Pontificia Diplomata, testantur Canonicorum Regularium Ordinem ab Apostolis institutum, hoc est, communiter viuentium Canonicorum vitam fuisse introductam more Apostolorũ communiter viuentium: quamuis huiusmodi Canonicorum Regularium S. Augustinus auctor esse dicatur, qui tamen reuera non tam institutor, quàm restitutor, & instaurator extitit. Et postquã Romæ in Lateranensi Sede Canonici Regulares esse cœperunt, in omnibus penè Occidentis Prouincijs viguit eorum institutum. Caroli Magni, & aliorum Imperatorum temporibus facta, & celebrata Concilia extant, in quibus multa de cõmuni victu, vestitu, & vita Canonicorum statuũtur. Cæterùm de Canonicorum Regularium initio, progressu, incremento, & Religione, Superiori libro tractaui.

Præter Canonicos Regulares quidam alij Religiosi Clericorum Ordines excitati sunt, & sub eadem S. Augustini regula viuunt: nam anno salutis 1504. cœpit is Ordo Clericorum, qui à nomine IESV dicuntur. Primum eorum do-

micilium fuit Rauennæ exædificatum: Auctores fuêre Hieronymus, & Leo Sacerdotes.

Anno 1524. cœperunt hi Clerici Religiosi, qui Theatini dicuntur, eo quòd eorum Ordo institutus est ab Episcopo Theatino, qui postea Cardinalis est factus, & deinde summum Pontificatum adeptus, dictus est Paulus Quartus.

Anno 1526. cœpit is Ordo Clericorum, qui à S. Paulo Decollato nomen habet. Eorum initium fuerunt tres viri Mediolanenses generis nobilitate clarij, quorum primum domicilium, quia est Mediolani in æde S. Barnabæ extructum alicubi nomine eiusdem S. Barnabæ nuncupantur.

In Diœcesi Viennensi in Gallia est Ordo, qui nomine S. Antonij appellatur: institutus est, ad hospites pauperes excipiendos, & sustẽtandos. Habet domum Hospitalem in Vrbe Roma. Cassan. *in Catal. gloriæ mundi par. 4. considerat. 75.* ait, hunc Ordinem vsu, & consuetudine initium sumpsisse. Verisimilius est, ab aliquo institutum fuisse.

Innocentius Tertius anno Salutis 1200. extruxisse fertur in Vrbe hospitalem domum, quæ vocatur S. Spiritus in Saxia, & est itidem quædam Clericorum Cõgregatio, quorum est ægrotis inseruire, quibus vitæ formulam, & Regulam dicitur idem Pontifex tradidisse, quam ij Clerici, qui vocantur Cõgregationis S. Spiritus in Saxia profitentur: fortasis Congregatio ipsa post Innocẽtium Tertium est instituta.

Inter Militares Ordines eãdem Augustini Regulam Milites S. Ioannis Hierosolymitani, Templarij, & Theutonici B. Virginis, & Equites sancti Iacobi in Hispania profitentur: de quibus iam dixi.

Sub eadem S. Augustini Regula viuunt Milites Sancti Lazari: qui promittunt coniugalem Castitatem, curam infirmorum lepra laborãtium: abstinent à carnibus 4. feria cuiusque Hebdomadę, ieiunium seruant sexta quaque feria, vel Sabbato. Fundatus est hic Ordo in modum eorum sodalium, quos S. Basilius instituit ad infirmorũ curam habendam. Dicitur habere priuilegia ab Alexandro IIII. Ordinẽ ferè collapsum restituit, & priuilegijs confirmauit Pius IIII. anno Domini 1565. Et demum auctoritate Pij V. hic Ordo cõiunctus est cum ordine S. Mauritij, cui præest Sabaudiæ Dux. Milites in pallio gestant Crucis viridis signum cum radijs quibusdam, qui significant Crucem S. Mauritij.

Nonò quæritur, Quid S. Benedicti Regula præscribat? Huius quęstionis dissolutio pendet ex ijs, quæ de Monachis disputata sunt.

Decimò quæritur, An omnia quæ in dicta Benedicti Regula continentur, professorum eius teneant conscientias? Angelus *in verbo religiosus. nu. 28.* sentit Põtificia indigere declaratione. Sed verius Turrecremata *in Expositione regul.* & B. Antoninus. *3. p. tit. 16. ca. 1. §. 5.* & alij tradiderunt, non omnia instar præcepti obligare. Nec obstat quod eius instituti professores, se secundum Regulam victuros, aut eam seruaturos, polliceantur: nam eiusmodi professio, promissio, siue pollicitatio intelligitur iuxta ipsiusmet Regulæ declarationem, interpretationem, & sensum; quædam enim vt monita, & consilia, alia verò, vt præcepta seruanda proponit: Et qui regulam non seruant, siue hęc siue illa præcepta, aut consilia negligant, & prætermittant, quamuis non peccent, pœnis nihilominus arbitrio Superioris imponendis plecti iure queunt, siquidem Regulam professentes tacitè pœnis sese talibus subijciunt.

Vndecimò quæritur, Quinam Religiosorum sub Regula S. Benedicti militent? Respondeo Monachos Occidentis ferè omnes sub ea Regula militare: tales sunt Ordines, quorum Præfecti, Abbates vocantur; hoc enim nomine eos vocari Benedictus voluit. Huius generis sunt Monachi, qui in iure Canonico Nigri vocantur; eo, quòd nigro amictu vti soleant, Cassinates, & alij per Italiam, & Hispaniam multi: Monachi item albi, qui candido vestitu induuntur, cuiusmodi sunt Camaldulenses, Cistercienseque, quamuis hi cuculla, & pallio nigro vtantur, & Oliuetenses: militant sub eadem Regula ij, qui dicuntur nomine S. Iustinæ, quin & Cluniacenses, & Monachi Vallis vmbrosæ, & ij itidem, qui Cœlestini vocantur à Cœlestino V. instituti, de quorum omnium origine supra tractaui; Inter Militares Ordines vero ij, qui in regno Castellæ à Calatraua, & Alcantara oppidis nomen habent, in Lusitania, qui dicuntur Milites Christi, & Auis; & in Valentino regno, qui vocantur Montesæ; & in Italia Milites S. Stephani Florentini, S. Benedicti Regulam profitẽtur, de quorum omnium origine iam dixi.

Duodecimò quæritur, Quidnã S. Francisci Regula profiteatur? Hanc quæstionem diluimus supra, cum de Mendicãtibus Ordinibus sermonem haberemus. Porrò sub Regula S. Francisci militant multæ familiæ, inter eas est ea, quę vulgo dicitur Capuccinorũ, cuius primus auctor fuit quidam Matthęus Franciscanus Picenus, qui paupertatis seuerioris, & arctioris studio, & amore eum Ordinem instituit, quem Clemens Septimus sua auctoritate anno salutis 1526. approbauit. Præest toti ordini vnus Generalis Superior, qui ad triennium durat. Habet Ordo Prouincias 27. Conuentus 662. Fratres verò circiter 6600.

Est alia familia, quæ dicitur Franciscanorum Obseruantium: cui præest vnus Generalis Superior, dicitur diuisa in Prouincias 81. in quib⁹ sunt Conuentus bis mille, & tres; & Religiosi 31696.

Est alia tertia familia Franciscanorũ, qui Conuentuales dicuntur. Præest quoque toti familiæ vnus Generalis Superior. Porrò ex Franciscanis familijs prodierunt summi Romani Pontifices quatuor. Nicolaus IIII. Alexander V. Sixtus IIII. Sixtus V. Cardinales 34. Patriarchę quinque. Episcopi plurimi. Scriptores numerantur 293. sunt in Sanctorum numerũ ascripti Martyres 12. Confessores 10. & Sancta Clara Virgo.

Decimotertiò quæritur, An sint aliæ Religionum Regulę, auctoritate Ecclesię approbatæ? Respondeo, cum Antonino *in 3. p. tit. 16. cap. 1.* Carthusienses nullam ex prædictis Regulam profiteri, immò nec Regulam habere, quoniam suis Constitutionibus vtuntur pro Regula. Est etiam Societas IESV, quæ nullam aliam agnoscit Regulam nisi Constitutiones, ab IGNATIO eius parente, & institutore conditas, & Pontificia auctoritate approbatas. In literis tamẽ Apostolicis breuiter totius Societatis institutum, & quædã quasi

Regula

Regula professionis exprimitur, quod est certum ac breue Constitutionum Compendium. Approbata est Societas Iesu primum à Paulo III. Anno Domini 1540. deinde à Iulio III. & alijs Pontificibus, qui successerunt. Minimi quoque sic appellati, seruant Regulam à S. Francisco ex Paula oriundo præscriptam. Hic Ordo approbatus est, à Sixto IIII. anno Domini 1473. Nomen Minimorum datum est Ordini ab Alexãdro 6. Habere dicitur hic Ordo Prouincias 16. Conuentus 144. Fratres circiter 3000. Præest toti Ordini, vnus Generalis Superior, qui triennio durat.

Decimoquartò quæritur, Quid auctoritatis, & iuris habeat in Regulam Superiores Ordinum Regularium? Respõdeo, nec Superiores, nec Ordines, quamuis simul coactos, vt supra dixi, posse Regulam ex toto, vel ex parte abrogare, mutare, ue: ad id enim Põtificia auctoritas necessaria est, quippe, quæ Regulam ipsam confirmauit. Nihilo minus Præfecti Ordinum ius habẽt iustis de causis aliquos sibi subiectos, ab aliqua Regulę obseruantia eximendi, vel ad tempus, vel in certis quibusdam rerũ euentibus; tunc enim Regula mutari aboleriue minimè censetur, sed hic Religiosus, aut ille, Regula, siue lege soluitur.

Decimoquintò quæritur, An Regula consuetudine ex toto, vel ex parte abrogari, aut tolli queat? Quæstionem mouet, quod in leges tãtundem iuris consuetudo habere videatur, quantum auctoritas Põtificia: ergo si Regula eiusmodi auctoritate mutari potest, quidni, & consuetudine? Sunt qui censeant non posse, quoniam quatenus Regula est auctoritate Pontificia confirmata, voto Obedientiæ cõtinetur. Votum autẽ cõsuetudine tolli nullo modo potest. Et hinc fit, vt quoties Regulæ mutatio fit, ex toto, vel ex parte, auctoritas Pontificia expressè, vel tacitè debeat intercedere: alioqui enim consuetudo, est corruptela.

Alij tamen probabilius putant posse: nam consuetudo potest leges humanas abrogare, & Regula ex magna parte Constitutiones continet, & leges: Cæterùm, hac in parte distinguendum est. Nam Regula, aut accipitur, vt solùm continet Constitutiones Ordinis absq; tribus Religionis votis, aut accipitur, quatenus tria vota Religionis includit, vel alia vota Ordinis propria. Si primo modo sumatur, potest Consuetudine abrogari, sicut & ipsæ Constitutiones Ordinũ. Si secundo modo accipiatur, non potest. Quoniam tria Vota, quæ ad Religionis substantiam spectant, quæque in Regula quoq; continentur, consuetudine tolli nequeunt: & in hoc Regulæ Constitutiones, à votis secernũtur, & differunt. Et hoc modo conciliantur auctores.

Nam primi volunt Regulam, quatenus tria vota continet, quæ Religionis substantiam constituunt, aut proprium Ordinis habitum præscribunt, consuetudine tolli non posse, nam contra vota vllam vim consuetudo non habet: quatenus verò Regula alias res præscribit, quæ sunt tribus votis adiuncta, consuetudine tolli potest, cum ea ad Religionis substantiam non pertineant, & res quæque integra manere possit sublatis ijs, quæ ad ipsam accedunt, vel ipsi accidũt. Alij verò solùm probant. Regulam, vt Cõstitutiones præcisè continet, posse Consuetudine abrogari.

Decimosextò quæritur, An si vsu sit laxata Regula, eius professores tuta conscientia Regulam laxatam, & ferè collapsam obseruent? Respondeo, cum Cardinali, & Panormitano *in ca. super eo, de regularib. nu. 6.* ab eis obseruari, quoniam talem Regulam sunt professi: nam cum professionem emiserunt, vouerunt se Regulam seruaturos, prout vsu, & more seruari solet. Qui item Religionẽ laxiorem profitetur, nullam aliam arctiorem seruare compellitur: ergo qui Regulã vsu, & more redditam laxioré profitetur, ratione professionis non cogitur arctius Regulæ institutum seruare.

Decimoseptimò quæritur, Quid sit dicendum, si Titius Religionis institutum susceperit, quando Regula consuetudine iam laxata fuerat: postea verò arctior instituti ratio, & Regula restituta est: An Titius tuto possit seruare Regulam laxiorem, quæ vsu, & more antea seruabatur, cum est Religionem professus; an verò eam vitæ Regulam, quæ olim viguit, & nunc est restituta, seruare cogatur? Hanc quæstionem tractauerunt Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andr. & Abbas *in c. super eo, de regularib.* Et Innocẽtius quidem, & Hostiensis potius respondere videntur de eo, quod est in iudicio definiendum, quàm de eo, quod secundùm conscientiam agẽdum est. Aut enim, inquiunt, Titius est vir literarum peritus, qui hoc ipso, probabiliter creditur nosse veterem Regulam arctiorem fuisse: & verisimiliter creditur præsidisse, veterem viuendi rationem posse restitui; ac proinde iure cogitur eãdem seruare, quoniam eam vouisse probabiliter censetur: Aut Titius est rudis, & ignarus, & non est cogendus veterem instituti Regulam seruare, cum solùm sit laxiorem professus, nec creditur arctiorem animo præsidisse: quamuis Innocentius probabiliter existimet absolutè, & simpliciter Titium cogi arctiorem vitæ formulam antiquam seruare: quoniam causa Dei, inquit, Religionem suscepit, ergo simpliciter sese Deo obligauit, ita vt ipsius Regulæ institutum absolutè, & simpliciter seruare meritò cõpellatur. Sed verius est, quod tradit Abbas: Aut Titius, inquiens, cum professionem emisit, solùm promisit seruaturũ se Regulam laxiorem, & tutò eam seruare potest, nec arctiorem tenere iure cogitur: Aut simpliciter promisit se Religionis instituti seruaturũ, & tunc arctiorem Regulam restitutam seruare, iure compellitur.

Innoc. in c. super eo. de regula.

Abb. in c. super eo. citato.

Decimooctauò quæritur, An maior Collegij pars possit veterem Regulam arctiorem restituere, & intermissam reuocare, ita vt minor pars velit nolit, eam seruare cogenda sit? Innocentius, Hostiensis, & Abbas respondent, minoré partem iure adigi ad Regulæ pristinæ, & antiquæ obseruantiam. Nam quando res aliqua Collegarũ suffragijs decernitur, ad sententiam maioris partis debet minor pars accedere: id enim Collegium eligere censetur, quod maioris partis suffragijs eligitur; *vt dicitur in ca. 1. de his, quæ fiunt à mai. par. capit.*

Decimononò quæritur, An Romanus Pontifex iure cogat Religiosos arctiorem vitæ Regulam seruare, quàm prima, & antiqua sui instituti norma, & ratio postulat? Innocentius, Hostiensis *in cap. super eo. de regularibus.* Abbas *in cap. ad nostram numer. 4. de Appellat.* Glossa *in capit. quod omnes tangit. de regul. iuris, in sexto, & cap. gesta, dist. 74.* & ruit ius

Abbas *in cap. super eo. num. 6. de regularib.* absolutè, & simpliciter videntur docere id posse Pontificem, immo, & Abbatem, siue totius Ordinis Præfectũ. Id inde probant, quia Religiosus suam voluntatem in Romanum Pontificem, & Abbatem transtulit, ac proinde eorum voluntati resistere, & reluctari non potest. Deinde Romanus Pontifex, *vt patet ex cap. 1. de Regularib. in sexto.* vniuersim Monialibus præcipit vti clausuram seruarent, & tamen multæ eam professæ non fuerant. Cæterùm alijs probabilius videtur id non posse Pontificem, ac multo minus Abbatem, quando ita arctior regula daretur, vt prima, & antiqua in aliam transiret: posse tamen Romanum Pontificem præcipere, vt arctior regula seruaretur, quando prima, & antiqua renouaretur, & reduceretur ad pristinã formulam, eo quòd esset paulatim laxata. Et hoc est, quod Innocentius, Hostiensis, & alij docere voluerunt. Quamuis reuera absolutè & simpliciter dicant, posse iure Romanum Pontificem austeriorem, & arctiorem vitam Monachis indicere. At Ioannes Andreas *in cap. Ioannes, de regularibus* ait, id durum videri: quia Religiosus non plura vouet, quàm prima, & antiqua suæ Religionis Regula præscribat. Deinde, Romanus Pontifex nequit eum, qui est vnam Religionem professus compellere ad seruandum alterius Religionis arctius institutum: alioqui enim posset etiã præcipere, vt quis votum Religionis emittat, quod videtur absurdum.

Ea verò, quæ sunt obiecta facilè diluuntur. Nã quod primo loco dicebatur, Religiosum ratione voti, quod emisit, in Abbatem, & Romanum Pontificem suam voluntatem transferre; verum est; non tamen ita, vt bona vota suscipere cogatur, vouere enim cuiq; est liberum, sed vt ratione voti emissi possit sibi ab Abbate, aut Pontifice imperari, quicquid sibi, vel communi aliorum saluti cõducit. De clausura verò Monialium indicta; dicimus eam Monialibus indici, quia conducit plurimum ad tria solemnia vota Religionis seruanda; ne Moniales scilicet liberè vagentur, sibique, & alijs peccandi periculum creent, præsertim cum etiam fœminæ, quæ tria vota Religionis simplicia, non tamen solemnia emiserunt, clausuram seruare minimè cogantur.

Vigesimò quæritur, An si Regula Religionis prohibeat, ne possessiones, aut redditus annuos Religiosi possideant, possit consuetudine induci, vt ea bona in cõmune habeant? Respondeo, cum S. Antonino 3. *p. tit. 16. cap. 1. §. 12.* vbi citat, & sequitur Ioan. Andream, Lapum, & alios, nisi ea consuetudo Romani Pontificis auctoritate confirmetur, id fieri nequire. Ratio huius rei est, quia nonnihil eiusmodi consuetudo remittit votum paupertatis: est enim Religionis substantiæ annexa proprietatis abdicatio: ergo si proprietas in cõmune retinetur, paupertas ex parte minuitur, si Regula proprietatem, tum communiter, tum priuatim prohibeat.

Vigesimoprimò quæritur, An ea cõsuetudo probanda sit, qua Religiosi habitant in Cellis, sibi à Superiore assignatis; cum tamen Regula præcipiat, vt omnibus sint Cellæ cõmunes? Respondeo, si reuera eiusmodi consuetudo proprietatem inducat, esse corruptelam, quoniam votum paupertatis aliquatenus infringit, si verò minimè, corruptela non est. Tunc autem inducit proprietatem, quando Religiosus habitat in Cella Superioris nutu minimè reuocabili. Quando verò Religiosus Cella vtitur nutu, & voluntate Superioris, tunc proprietatem, aut dominium Cellæ non habet. Idem iuris est de libris, & de cæteris quibuslibet rebus Religioso ad vsum assignatis. Si enim illis ita vtatur, vt ad nutum Superioris reuocari queant, proprietas penes illum non est; si autem non sint eiusmodi, vtpotè, quæ ipsi Superiori omnino celentur: tunc talis Religiosus sibi earum rerum proprietatẽ vendicare cõsetur.

Caput XII.

De continentia, & cœlibatu Sacerdotum, & aliorum ministrorum Ecclesiæ.

PRIMO quæritur, An Sacerdotum cœlibatus sit iuris Diuini, an Canonici? Duæ sunt Catholicorum de hac controuersia sententiæ; vna affirmat iuris esse Diuini; & proinde à Romano Pontifice potestatem Sacerdotibus fieri non posse, vt matrimonia contrahant. Ita Maior. *in 4. dist. 24. q. 2. & d. 37. q. 1.* immo quidam aiunt. Parisijs cõueniisse Theologos ad hanc controuersiam dirimendam, sensisseq; talem potestatem dari Sacerdotibus non posse. Sic etiam Chlictoueus *lib. de continentia Sacerdot. cap. 13.* Torren. *lib. 2. de dogmat. charact.* & alij quidam magni viri, qui cõtra nostri sæculi hæreticos decertarunt, idem ante hos omnes videtur sensisse Waldensis *tom. 2. de Sacrament. cap. 128. & 129.* Eorum argumentum est, quòd ab Apostolorum temporibus tam Græcorum, quàm Latinorũ Ecclesia semper hactenus seruauit, Vt Sacerdotes à nuptijs contrahendis penitus arcerentur, quamuis in Græcia, & reliquo toto Oriente viri coniugij vinculo astricti ad Sacerdotium eligantur. At iuris Diuini videtur esse, quod tamdiu est in Ecclesia seruatum. Si enim iuris tantùm Canonici esset, aliquando fuisset Ecclesiæ auctoritate permissum, vt aliquis Sacerdos vxorem duceret, cum in tanta temporis diuturnitate verisimile non sit, iustam aliquam causam minimè accidisse eiusmodi facultatis concedendæ. Accedit, quod longè altior sit, sublimior, & perfectior Sacerdotum status, & conditio, quàm coniugum, cum illi sint diuersis ministerijs addicti, hi verò rei vxoriæ, & familiari tantùm dediti, & destinati: at descensus è tam sublimi vitæ statu ad inferiorem, videtur diuino iure prohibitus. Et idcirco Luc. 9. dixit Christus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*: at Sacerdos retro respicit, qui vxorem ducit. Item, *Nemo militans Deo implicat se negocijs sæcularibus*; &, *Qui sine vxore est, cogitat, quæ sunt Dei*. Accedit, quod 1. Reg. 21. dicitur, nefas laicis fuisse, & ijs, qui nõ se à mulieribus continuerant, panes propositionis edere; ergo multo minus cælestem diuinumque panem licet edere Sacerdotibus instar laicorum ad nuptias transeuntibus. Quid quod Leuiticis Sacerdotibus licitum non erat ministerij sui tempore ad suas vxores accedere: at Euãgelici Sacerdotes quotidie in altari ministrant, & sacris operantur: ergo perpetuò debent à nuptijs abstinere.

Nec

Nec obstat, si quis obijciat, ex sacris literis hoc ius diuinum colligi non posse: nam spleraque alia iuris diuini esse arbitramur, licet ea non euidenter inde colligantur: sufficit enim si traditione quasi per manus à Maioribus accepta, habeantur: cuius generis plurima passim occurrunt, quæ ad Sacramentorũ materias, formas, & ministros pertinent.

Altera opinio docet, Sacerdotum continentiã iuris tantùm esse Canonici: quæ sententia recepta est, communi Theologorum, tum veterum, tum iuniorum, & iuris Cauonici interpretũ consensu, quam habet S. Tho. 2.2. q. 88. *art.* 7. Caiet. *ibid.* Sot. 4. d. 38. *q.* 1. *art.* 1. Syluest. *Matrimonium.* 8. *qu.* 12. Michael Medin. *lib.* 2. *de continen. sacror. hominum. cap.* 1. & *sequentibus*: & idem Sot. *lib.* 7. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *in concluso.* 2. Quorum illud vnicum est argumentum: Coniugium cum Sacerdotio non pugnat, alioqui enim pugnaret cum matrimonio ante, vel post contracto; at tota Orientis Ecclesia ab antiquis temporibus viros matrimonio iunctos ad Sacerdotium assumit. Sotus, & quidam alij recentiores hoc argumento conuicti sentiunt primam illam quorundam Catholicorum sententiam vix sibi cohærere. Cur, inquiunt, si vir cõiugio alligatus, Sacerdos creetur, coniugiũ iure subsistit, & è contrario, si Sacerdos ducat vxorem, matrimonium est irritum ipso iure Diuino? Sed ego certè non possum non mirari Sotum, & alios, eo quòd primam sententiam non penitus sint assecuti. Non enim illius opinionis auctores contẽdunt Sacerdotium, ita cum Matrimonio iure diuino pugnare, vt nuptiæ post Sacerdotium contractæ sint irritæ, & inanes, non solùm iure Canonico, sed etiam diuino: Sed solùm opinantur post Sacerdotium nuptias contrahere, esse peccatũ; & id quidem iure diuino damnatum. Sicut (inquit Maior) post simplex votũ Castitatis emissum, matrimonium inire peccatum est: ratum tamẽ, & firmum est coniugium. Deinde, qui post fidem datam vni puellę, alterã duceret, peccaret ille quidẽ, quippè qui fidem violaret, ac frangeret, at coniugiũ ipsum, vt firmum subsisteret. Sic etiam (ait Maior) peccat Sacerdos, ac ius diuinum perfringit, si matrimonium contrahat: nihilominus tamen coniugiũ iure diuino consistit, ac valet; quamuis iure Canonico sit irritum. Non enim idem est, præcipere, ne aliquid fiat, quod, factũ rescindere. Multa enim fieri vetantur; quæ tamen alioqui facta vim, & locũ habent. Ac sicut is, qui Castimoniam vouit, si in matrimonio copuletur, delinquit; quoniam ius naturale, & Diuinũ negligit: sic, qui post Sacerdotiũ nuptias contrahit, culpatur, quia ius diuinũ peruertit. Atque ita concludit ille auctor: Sicut Romani Pontificis auctoritate dari facultas non potest, vt qui Deo Castitatem promiserit, in matrimonium sine iusta, & debita causa fœminam ducat, quia ius naturale Pontifex relaxare, remittereue, aut aliquẽ lege naturali soluere nequit: sic facultatem tribuere non potest Sacerdoti, vt matrimonium contrahat sine iusta, & legitima causa: & sicut iuris rigorem relaxare potest, vt Religiosus vxorem ducat ob maximã aliquam, & communem causam, sic etiam ob communem Reipublicæ salutem concedere potest, vt Sacerdos nuptias contrahat.

Quanquam autem Maioris, & aliorum opinio defendi probabiliter queat: verior tamen videtur esse altera sententia, & magis cum iure Canonico consentiens. Nam in Tridentino Concilio *Sess.* 24. *can.* 9. dicitur, *Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonium contrahere non posse*, & legem appellat Synodus Ecclesiasticam, vel votum. Obijcies, Concilium ibi legem Ecclesiasticam appellasse, quia dixerat non solùm illis matrimonio esse interdictum; sed initum etiam matrimonium nullius esse momẽti. Prima verò opinio fatetur quidem iure tantùm Canonico nullas esse nuptias post Sacerdotium cõtractas, sed iure diuino præcipi, ne illæ contrahantur. Cæterùm verba Concilij videntur ad vtrumque protendi, & referri. Deinde, obijcies Concilium Tridentinum Sacerdotum cœlibatum, votum appellare; at quod ratione voti persoluitur, iure naturali, & diuino debetur. Respondeo nunc non disputari à nobis vtrum cœlibatus sit Sacerdotio annexus, voto, an lege Ecclesiastica, sed solùm an iure diuino, an Ecclesiastico Sacerdotes continentiam oporteat profiteri. Nam fatemur quidem, Sacerdotes debere continentiam voto promissam seruare: de qua re statim dicemus: & votum iure diuino, & naturali esse præstandum: sed hoc vnum contendimus, continentiæ votum non esse cum Sacerdotio iure diuino, aut naturali coniunctum, sed Ecclesiam sua auctoritate constituisse, vt Sacerdotes continentiam voueant; ac proinde posse etiam statuere, ne tale votum deinceps Sacerdotes emittant.

Secundò quæritur, An cœlibatus sit etiam alijs duobus sacris Ordinibus iure Ecclesiastico annexus? Quod est quærere, an Diaconi quoque, & Subdiaconi Ecclesiastica lege cœlibes esse cogantur? Maior, alijq; concedunt, eos quoque iure diuino continentiam seruare debere, hoc est, illis esse interdictum, post susceptos Ordines nuptias contrahere: quamuis post nuptias possint ad sacros Ordines promoueri. At verò communis est omnium sententia lege tantùm Ecclesiastica Diaconos, & Subdiaconos à nuptijs contrahendis arceri, & prohiberi.

Vnum posset obijci, quod est in Concilio Ancyrano *cap.* 10. & *refertur cap. Diaconi, distinctio.* 28. vbi dicitur; *Diaconi, quicunque cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes velle se habere vxores, nec continere se posse; bi postea si ad nuptias peruenerint, maneant in ministerio; propterea quod his Episcopus licentiam dederit. Quicunque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebunt.* Hæc ibi. Qua permoti auctoritate nonnulli senserunt, non esse iure diuino Diaconis, & proinde Subdiaconis præceptum, ne post susceptos sacros Ordines nuptias contrahant; siquidem permittit Synodus eos aliquando vxores ducere. Mihi tamen, vt statim ostendam, non videtur ex eo Concilio satis firmè concludi, cœlibatum Diaconorum, & Subdiaconorum esse tantùm iuris Canonici, nec id asserere cogit nos prędictum Concilij decretum, quoniam de more, & ritu Græcorũ, loquitur Concilium, videlicet de vxoribus ante Diaconatũ ductis: & idcirco ait, *si cum ordinantur, dixerint velle se vxores habere*, id est, velle se matrimonio ante con-

tracto

tracto vti. Et deinde cum dicitur: *Hi postea si ad nuptias venerint, vel se contulerint*; hoc est, si ad vxores, quas in matrimonium ante duxerant, accesserint, atque eis commisceantur: Si ad nuptias videlicet ante contractas venerint: hoc est, si nuptijs ante contractis vti voluerint: sic hunc canonem explicat Maior *loco citato*: vel intelligitur, si ad nuptias venerint, hoc est, si nuptias contraxerint facto, non iure: vt exponunt Archidiaco. Turrecremata, & Geminian. *in eo capite*: vel certè is canon abrogatus est per canonem 6. Concilij 6. generalis, vt ait Balsamon. Quare vera est communis Theologorum, & Canonici iuris interpretum opinio, nulli post Diaconatū, aut Subdiaconatum licere matrimonium contrahere, id non quidem iure diuino, sed canonico prohibente.

Tertiò quæritur, An in vtraque Ecclesia, Græcorum scilicet, & Latinorum semper fuerit more, & vsu receptum, vt post sacros Ordines receptos Presbyteri à nuptijs contrahendis arceantur? Caietanus *in opusculis, tom. 2. tract. 27.* Sot. *4. dist. 38. quæst. 1. art. 1. & lib. 7. de iust. qu. 6. artic. 2. in concluſ. 2.* & quidam alij censent, id quidem in Latina Ecclesia semper esse seruatum, non tamen in Græca. Et Erasmus scripsit hodiernis temporibus Sacerdotes, & Episcopos post susceptos Ordines vxores ducere: quam sententiam cum temerariam esse dixisset Parisiensis Academia; respondit Erasmus, se, cum Venetijs commoraretur, id à Græcis accepisse, qui ibi degebant. Id colligunt illi *ex cap. Aliter, dist. 31.* vbi dicitur: *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi matrimonio copulantur; istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium, nullus Sacerdotum à Subdiacono vsque ad Episcopum licentiam habet coniugium sortiendi.* Hæc ibi. At certè falluntur, vt rectè Glossa annotauit. Nam *in cap. Si quis eorum, d. 32.* ex sexta Synodo Generali perspicuè dicitur: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinationem Subdiaconatus faciat.* De Latina verò Ecclesia hoc certum est *ex cap. Sunt quidam. 27. quæst. 1.* vbi Innocentius Primus constituit: *Præcipimus, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui sacrum transgredientes propositum, vxores sibi copulare præsumpserint, separentur.* Eadem distinct. cap. Presbyteris. *Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis, & Presbyteris concubinas habere, seu matrimonia contrahere, penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis distungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere, iuxta sacrorum Canonum definitionem indicamus.* In cap. Decernimus, distinct. 28. ex Innocentio Secundo dicitur: *Decernimus, vt ij, qui in Ordine, & supra vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio Ecclesiastico careant.* Item *cap. Lectores, dist. 32. ex Concilio Carthaginensi 4.* dicitur: *Lectores, cum ad annos pubertatis veniunt, ogantur, aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.*

Ad illud verò, quod obijciebatur *ex cap. Aliter. dist. 31.* respondeo cum Glossa communi consensu recepta, illud *matrimonio copulantur*, idem esse, ac si diceretur, nuptijs ante cōtractis vtuntur. Nec est, quod Caietanus hanc Glossam, vt ridiculam reijciat: ius enim Canonicum non rarò hoc, quod est matrimonio copulari, sumit pro eo, quod est coniugali copula vti: ea enim carnis commixtio, appellatur matrimonij coniunctio. Vnde *in c. Quoniam, eadem distinctione*, dicitur: *Non suis copulentur vxoribus*: nec absimili loquendi modo vtitur ius *in cap. Nosse, in prædicta distinct. & in cap. Agathosa, & c. Primsquam. 27. q. 2.*

Quartò quæritur, An etiam Diaconis, & Subdiaconis fuerit præceptum, ne post sacrum Ordinem susceptum nuptias contrahant. Quidam aiunt, olim licuisse illis iure Canonico ad nuptias transire post Ordinem sacrum susceptum, eo argumento permoti, quod *in ca. Diaconi. 28. dist. ex Concilio Ancyrano*, habetur: *Diaconi, qui cum ordinantur, protestati sunt, dicentes se velle habere vxores, nec posse se continere: si postea ad nuptias peruenerint, in suo ministerio maneant.* Sic opinantur Caieta. *in opusc. tom. 1. tract. 27.* Sot. *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 1.* Cæterùm quidam alij opinantur; id nunquam illis licuisse facere. Et id quod citatur *ex cap. Diaconi*: sic intelligitur, vt supra iam dixi: si protestati fuerint se velle vxores habere, hoc est, velle se vti vxoribus ante Ordinem ductis. Id verò, si postea ad nuptias venerint; significat, si vtantur nuptijs ante contractis, permaneant in ministerio.

Alij, videlicet Archidiaco. Geminia. Turrecre. *cap Diacon. dist. 28.* exponunt id, quod dicitur *in eo capite*, si postea ad nuptias venerint, hoc est, si postea matrimonium contraxerint facto ipso, non iure; tunc separentur ab vxoribus, quas duxerunt facto, non iure, eo quod matrimonium non valeat, & separati ab vxoribus in ministerio permaneāt, hoc est, non deijciantur à Clero. Balsamon *in Comment. super Concilium Ancyranum* ait: Hunc Concilij Canonem esse abrogatum in Concilio 6. Generali can. 6. Trullano, vbi definitur. *Subdiaconis, & Diaconis nullo modo licere ad nuptias transire, quod si transierint, esse ab vxoribus separandos.* Nunquam licuit Clericis post sacros Ordines nuptias contrahere.

Quintò quæritur, An apud Græcos coniugium contractum post receptum aliquem Ordinem sacrum, videlicet post Sacerdotium, vel Diaconatum, vel Subdiaconatum sit irritum, & inane iure Ecclesiastico, sicut est apud Latinos. Respondeo cum Paludano *4. dist. 37. quæst. 1. art. 1. concluſ. 4.* Sylu. *Matrimonium. 8. quæst. 12. versic. Sextum*, esse irritum. Id probat Sylvest. *ex cap. Si quis eorum, dist. 32. cap. Nicena. dist. 31. cap. Cum in præterito. dist. 84.* alij probant *ex can 27. Apostolorum.* Sed certè hi Canones solùm prohibēt, ne Clerici post sacros Ordines nuptias contrahant; at expressè non statuunt matrimonium contractum à Clerico post sacrum Ordinem irritū esse, & inane: quidquid sit, prædictos Canones, vsus, & mos etiam apud Græcos seruatus interpretatur. Sic, Clericos post sacros Ordines à cōtrahendis nuptijs prohiberi, quod si contraxerint, esse eos ab vxoribus, quas duxerint, penitus separandos; matrimonium igitur post sacros Ordines initum etiam apud Græcos non valet, Ecclesiastica constitutione: vt ait Glossa, *in c. Si se cuiquam, ad finem. dist. 28.* & Rosell. *verbo, Impedimentum. 11.* vbi citat Direct. & Glossa *in cap. Diaconi. d. 28. & colligi videtur ex can. 6. Concil. 6. generalis.*

Sextò quæritur, An qui sunt sacris Ordinibus initiati, continentiā seruare debeant ratione Voti, an verò ratione Ecclesiasticæ legis duntaxat? Quidam opinantur eos solùm esse lege Ecclesiastica adstrictos, nō voto. Id ex eo colligunt, quòd si quis sacros Ordines susciperit, vel per vim,

vel per

vel per metum mortis adactus, vel per ignorantiam adductus, nullo voto continentiæ se abstringit; & tamen Ecclesia cogit eũ, vel continentiam seruare, vel se ab altaris ministerio continere. Si quis rursus ab infantia sacris Ordinibus initiatus esset, quamuis id malè fieret, Ordinis tamen charactere insignitus fuisset: sed nullo Voti vinculo teneretur, quamuis Ecclesia, vel eum perpetuò ab altaris ministerio arceret, vel Castitatem profiteri compelleret. Deinde, si continentiæ votum non est iure diuino sacris Ordinibus annexum; posset quidem Ecclesia legem statuere, vt Clerici post eos Ordines susceptos cõtinentiam seruent, non tamen eos voti nexu, & vinculo alligare. Votum enim Deo sponte facimus, non legis necessitate coacti.

Mihi tamen magis placet eorum opinio, qui distinguunt cum Glossa *in cap. Cum olim. de Cleric. coniug.* in sacrorum Ordinum susceptione aliquando fieri explicitè Votum, aliquando tacitè, aliquando verò nullum votum interuenire: profectò iura Canonica votum appellant *in cap. 1. De voto, & voti redempt. in 6. & in cap. Cum olim, De cleric. coniugat. & cap. Quamquam. dist. 23.* & alibi ius præcipit, vt qui ad sacros Ordines prouehuntur, polliceantur se continentiam seruaturos, *cap. Nullum. distinct. 28.* ex Gregorio dicitur: *Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se castè victurum promiserit.* Et id circo in Concilio Tridentino *Sess. 24. can. 9.* statuitur, vt Clerici, à susceptis Ordinibus Castitatem seruent, vel lege Ecclesiastica, vel voto. Vbi ponderanda est illa distinctio qua vsa est Synodus. Nam qui scienter, & sponte sacros Ordines suscipiunt, votum Castitatis emittunt expressim vel tacitè: qui verò per vim, vel metum cadentem in virum constantem his Ordinibus consecrantur, nullo voti vinculo obstringuntur, sed Ecclesiastica lege, vel Castitatẽ profiteri coguntur, vel perpetuò ab altaris ministerio prohibentur, vt inferius explicabo. Ad argumenta oppositа inferius respondebo.

Ex his colligitur alterius solutio quæstionis, An qui scienter, & sponte est ad sacros Ordines electus, egeat Romani Pontificis auctoritate non solùm ex iusta, & debita causa relaxante legem Ecclesiasticã, sed etiam remittente votum continentiæ, vt tuta conscientia nuptias contrahere queat. Nam aut Ordines sacros scienter, & sponte suscepit, & hic eget Pontificia voti relaxatione. Et quia nemo voto soluitur, nisi grauissimis de causis; hinc efficitur, vt relaxationem voti iure obtinere nequeat, nisi legitima ex causa. Qui verò per vim, vel metum mortis, qui dicitur cadere in constantem virum, ad sacros Ordines prouehitur, non eget Pontificia legis, aut voti relaxatione, vt postea dicam.

Soluitur illa etiam quæstio, num is, qui sponte est in sacris Ordinibus constitutus, cum fœmina omni vinculo soluta rem habens sacrilegi congressus crimen incurrat; an vero simplicis tãtùm luxuriæ, quę fornicatio dicitur? Quidam iuris ciuilis interpretes cẽsent reum tantùm esse simplicis fornicationis, non sacrilegi congressus: putãt enim eum non esse violatorem voti, sed Ecclesiasticæ legis; & proinde aiunt, si statuto, vel legepœnæ sacrilegis irrogentur, eis non affici Presbyterum, cũ soluta fœmina turpiter peccantem. Quòd si is cum fœmina coniugij vinculo astricta rem habuerit, tantùm adulter est, non sacrilegus. Nam presbyter, inquiunt, cum fœmina rem habens committere dicitur, aliquando adulterium cum nupta, aliquando incestum cum affine, vel consanguinea: aliquando simplicem fornicationem, cum soluta, aliquãdo stuprum, cum virgine.

Cæterùm communi est omnium sententia receptum, eiusmodi Presbyterum sacrilegij scelere teneri: quoniã (vt diximus) in sacrorum Ordinum susceptione expressè, vel tacitè continentiæ votum emittitur, & qui votum perfringit, sacrilegij crimine sese commaculat. Nec obstat, quod sæpè Canones, & iura Presbyterum cum soluta fœmina peccantem, simplicis tantùm fornicationis appellent reum: nam solùm significare volunt eum adulterij, stupri, incestusue crimine non teneri. Non negant tamen reum esse sacrilegij. Hanc quæstionem tractauit Iulius Clarius *lib. 5. receptar. sententi. §. Fornicatio. num. 16. versic. Cum presbytero.* SIQVAERAS, quis dicitur facere votum tacitè, & implicitè continentiæ, cum sacros Ordines suscipit. Respondeo ex communi omnium sententia *in cap. 1. de voto, in 6. & in cap. Cum olim. de Cleric. coniug. & cap. Quanquam. dist. 23.* eum, qui in Latina Ecclesia sponte sacris Ordinibus initiatur, etiamsi nihil meminerit voti: sufficit, si sua sponte ad sacros Ordines promouetur: nam eo ipso, votum continentiæ facere censetur.

Septimò quæritur, An sit Diuini iuris, aut saltem Apostolici, ne ad sacros Ordines eligantur, nisi ij, qui nullo fuerint antea matrimonio copulati? Ratio dubitãdi est ex verbis Clementis, quæ habentur *in Epistol. 2.* vbi dicitur ad Dominica ministeria tales eligantur, qui ante Ordinationem suam, vxores non nouerint. Respondeo, nec id esse iuris Diuini, nec Apostolici. Paulus enim 1. ad Timotheum 3. & ad Titum 1. scribit, oportere Episcopum esse vnius vxoris virum; & idem de Diacono testatur: ergo secundum Apostolum fas est virum coniugem ad sacros Ordines promoueri. Hieronymus quoque *epist. 50. ad fin. Apostoli*, inquit, *vel Virgines, vel post nuptias continentes fuerint Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.* Leo quoque Primus scribit epistol. 84. & epist. 87. *Vbi promouendi sunt aliqui, si habent vxores, sint tanquam non habentes: & si non habeant, permaneant singulares.* Epiphanius *in compendio lib. 3. Coniuges.* inquit *filios procreantes. Dei Ecclesia ad sacros Ordines non recipit, sed eum, qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit.* Beda in libr. 3. De Tabernaculo. *Non pugnat esse Sacerdotem, & maritum: sed pugnat inter quotidianos vxoris amplexus versari, & cælestia mysteria tractare.* Denique in Euangelio legimus, socrum Petri, ergo in Apostolum electus est Petrus coniugij nexu, & vinculo astrictus. Et Ecclesiasticæ historiæ tradiderunt Philippũ, vel Apostolum, vt placet Euseb. *lib. 3. hist. Eccles. ca. 24.* vel Diaconum potius, vt alijs, filias habuisse, quas Lucas quatuor fuisse commemorat: & Græcorũ Ecclesia à priscis temporibus morem obseruat, quo ad sacros Ordines cõiuges viros admittit: nec id in Græcis Sacerdotibus, Latinorum Ecclesia damnat, aut improbat: quamuis nullum ad sacros Ordines admittat, nisi continentiam voueat.

Illud

Illud igitur Clementis: *Qui ante ordinationem suam vxores non nouerint.* hanc habet sententiam: Qui suis vxoribus non commiscentur; non enim negat coniugium cum Sacerdotio consistere, sed vsum coniugij.

Octauò quæritur, An Paulus 1. *ad Timoth.* 3. & *ad Titum* 1. cum ait: *Episcopũ, & Diaconũ oportere esse vnius vxoris virum, filios habentem subditos cum omni castitate,* præcipiat, ne ad sacros Ordines prouehantur, nisi ij, qui sunt coniugio alligati? Quidam dicere non dubitarunt, Græcos in eo errore versari, vt nullum ad sacros Ordines ascendere permittãt, quin prius vxorem duxerit. Ita vt sit Græcorum error, oportere Clericos, antequã ad sacros Ordines eligantur, vxores accipere, quia post sacros Ordines eis amplius non liceat id facere, & magno periculo libidinis se exponat, qui sine vxore viuit; qui fuit Vigilantij hæretici error, de quo scripsit Hierony. *lib. 1. aduer. Iouin. & in epist. ad Riparium. Proh nefas, Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes, si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius vxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam.*

Sed reuera falluntur. Nam in cano. 6. Concilij Trullani, quod Græci sextam Synodum Generalem appellant, statuitur, vt si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, velint lege matrimonij mulieri coniungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat. Hoc autem illi Patres se constituere testantur; quoniam in Apostolorum Canonibus, vt dictum est; nimirum can. 27. statuitur sic: *Innuptis, qui ad Clerum promoti sunt, præcipimus, vt si voluerint vxores accipere, accipiant, sed Lectores, Cantoresque tantummodo.* Sic ibi. Ergo Græci non cogunt aliquem ante Ordines sacros matrimonium contrahere; sed statuunt, vt qui in Clericum eligitur, si velit ad nuptias transire ante Ordines sacros acceptos, id faciat; si minus, nouerit sibi esse interdictum matrimoniũ contrahere post susceptos: & qui renuunt continentiam seruare, sinunt eos sibi ante sacros Ordines vxores adiungere: deinde verò ad sacros Ordines promouent. Qui verò sensus sit verborum Apostoli, quæ supra ex Epistolis ad Timotheum, & Titum protulimus, patet. Nam, vt Catholici omnes interpretes testantur, nequaquam præcipit, Paulus, vt is, qui in Episcopum, vel Diaconum eligitur, sit vir matrimonio astrictus, vel vt post ordinationem in re vxoria se exerceat: verùm, vt si cõiux vir ad sacros Ordines promouẽdus fuerit, ne dygamus, vel polygam° eligatur.

Sciendum est, prædicti loci: Oportet Episcopum vnius vxoris esse virum, quadruplicem sensum, iuxta Catholicorum interpretum veras, & germanas expositiones, esse posse. Quidam enim sic interpretantur: *Vnius vxoris virum*, id est, qui vel nullam nouerit, vel si nouit, viduus sit; vel, quod idem est, si vir solutus ab vxore non fuerit, eius vxor antea decesserit. Meminit huius intelligentiæ B. Chrysostomus *homil. 10. in 1. Timot. 3.* sed eam non probat. Alij verò sic exponunt: *Vnius vxoris virum*, nempe; si coniux sit eligendus, etiam vxore viuente non sit dygamus: hoc est, qui nec simul, nec diuersis temporibus plures vxores habuerit. Apostolus enim eo loco id præcepit ratione habita veteris legis Leuit. 21. hæc autem in suis Sacerdotibus, & Pontificibus requirebat, ne in matrimonium ducerent viduam, aut repudiatam, aut meretricẽ, sed virginem. Et hic fuit sensus Græcorum, & Latinorum interpretum, & Romanorum etiam Pontificum. Sic Ambrosius, vel quisquis eorum Commentariorum in Paulum auctor fuit. Sic etiam ipse Ambros. *epist. 82. & lib. 1. officiorum, cap. 50.* Basil. *in Esai. capi. 3.* Augustin. *de bono coniugali, cap. 18. de Eccles. dogmat. cap. 72.* Nissen. *de virginit. cap. vlt.* Epiphan. *hæresi. 59.* Siritius *epist. 1.* Innocentius 1. *epist. 2.* Leo 1. *epist. 84.* Primasius, Sedulius, Theophylactus, Oecumenius, Beda, Anselmus, Haymo, & S. Thom. Vnde nata est inter Augustinum, & Hieronymum controuersia, contendente Hieronymo, *vt patet ex cap. Vnius vxoris, distin. 26. & cap. Oportet. 28. quæst. 3.* posse ad sacros Ordines eligi eum, qui post Baptismum vnam tantùm vxorem duxerit, quamuis ante Baptismum vnam aliam, vel plures habuerit: Quia sicut Baptismus omnem maculam abstergit, sic etiam expiat, & delet omnem pœnam. Contra verò S. Augustinus, *vt refertur in ca. Acutius 28. quæst. 3.* aiebat: esse etiam dygamum, & à sacris Ordinibus prohibendum, qui vnam antè, & aliam post Baptismum habuerit. Nam Baptismus, inquit, peccata, & pœnas proprio peccato contractas eluit, ac tollit, non autem in vniuersum impedimenta Ordinum suscipiendorum: quam sententiam secuti sunt Latini interpretes, Theologi Scholastici *in 4. distin. 27.* vt habet Sotus *in 4. distin. 27. q. 3. art. 2.* sequuti sunt Summistæ, vt habet Syluest. *in verb. Baptismus 6.*

Porrò Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, & Oecumenius Paulum aliter etiam explicant. *Sit vnius vxoris vir.* hoc est, si coniugio sit astrictus, ne plures simul habeat vxores: & hoc aiunt præcepisse Paulũ contra eos, qui ex Iudæis, vel Gentilibus erant ad fidem Christi conuersi, & more Iudæorum, siue Gentilium plures vxores simul habebãt: quem etiam sensum agnouit Hieronymus in explanatione eius loci Apostolici ad Titum. Sed eum tamen sensum, quidam improbant, quoniam Paulus de Christianis loquitur, quibus semper fuit omnino interdictum plures simul vxores habere. Cęterùm is mihi sensus non videtur omnino improbandus. Fateor quidem Christianis nunquam post Baptismũ licuisse plures vxores ducere: Apostolorum tamen temporibus verisimile admodum fit, ex Iudæis, & Gentibus aliquos ad Christi fidem, & religionem veniisse, qui suæ gentis ritu, & more plures antea vxores duxerant; vt proinde vetuerit Paulus, eorum quemquam in Episcopum, vel Diaconum eligi, sed qui vna tantùm vxore contentus antea vixerat.

Postremò, alij interpretantur: *Sit vnius vxoris vir.* vult dicere, sit vna tantùm vxore contentus, coniugalis castitatis amator, ab omni libidinis lasciuæ, & damnatæ consortio abhorrens: Qui sensus quamuis quibusdam Catholicorum placeat; mihi tamen nõ valde probatur, siue his, siue alijs modis exponamus, planè constat Apostoli mens, & sententia. Vnde extat Canon Apostolorũ 17. ordine: *Si quis post Baptisma secundis fuerit nuptijs copulatus, aut concubinam habuerit, nõ potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt.* Et canon 18. constituit:

Si quis

Si quis viduam, aut repudiatam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de his, quæ publicis spectaculis mancipantur, nullo Ordine sacro initietur. Hæc Canon.

Caput XIII.
Aliæ quæstiones de eadem re diluuntur.

PRimò Quæritur, An cum Sacerdotio, & Diaconatu iure Diuino, an potius iure tantũ Canonico pugnet vsus matrimonij etiam ante Ordinem sacrũ contracti? Quidã existimant pugnare. Ad cuius rei maiorem intelligentiam notandum est, hoc vnum esse inter alia dissidium Græcorum, & Latinorum. Græci enim Sacerdotibus, & Diaconis coniugij ante Sacerdotiũ initi, vsum quidem permittunt, non eo tempore, quo altaris ministerio deseruire, vel consuetudine, vel lege debent, sed alio tempore. Non enim quotidiè singuli sacris operantur, sed Dominicis duntaxat, & festis diebus: quotidie verò extra quadragenarij ieiunij tempus vnũ tãtum Missæ sacrificiũ pro vniuerso populo faciunt, & offerunt. Latinorum verò Ecclesia semper morem retinuit, vt Sacerdotes, & Diaconi ab omni vsu coniugij etiã ante Ordines sacros contracti se perpetuò abstineãt. Vnde *distinct. 31. c. Quoniam. ex Canone 13. Sextæ Synodi Generalis*, dicitur: *Quoniam in Romani Ordine Canonis esse cognouimus traditum, eos, qui ordinati sunt Diaconi, vel Presbyteri, confiteri, quod non suis iam copulentur vxoribus, antiquum sequentes Canonem Apostolicæ diligentiæ, & constitutionis, sacrorum virorũ legales nuptias amodo valere volumus, nullo modo cum vxoribus suis eorum connubia dissoluentes, aut priuantes eos familiaritate ad inuicem in tempore opportuno. Quicunque ergo Subdiaconus, Diaconus, aut Sacerdos fuerit, nullo modo prohibeatur ad talem gradum ascendere ob cohabitationem cum sua vxore; nec etiam tempore suæ Ordinationis profiteri Castitatem cogatur, nec abstinere debeat à suæ vxoris familiaritate. Oportet tamen eos, qui altari ministrant, tempore oblationis, continentes esse in omnibus. Si quis igitur præsumpserit contra Apostolicos Canones, Presbyteros, vel Diaconos priuare contactu, & communione legalis vxoris suæ, deponatur. Similiter Presbyter, aut Diaconus, qui religionis causa vxorem suam expellit, excommunicetur. Si verò in hoc permanserit, deponatur.* Hæc ibi. Porrò hunc Canonem Sotus *in lib. 7. de iust. q. 6. artic. 2.* & quidam alij tanquã à vero alienũ improbant, & damnant, eo quod Patres illi referant suum Decretum ad Canonẽ sextum Apostolorum, qui sic habet: *Episcopus, aut Presbyter, vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abijciat: Si verò reiecerit, excommunicetur; & si perseuerauerit, deijciatur:* & ad Canonem tertiũ Concilij V. Carthaginensis, in quo statuitur, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi se contineant ab vxoribus in proprijs terminis, hoc est, vicis suæ tempore. Verùm Canon Apostolorũ clarè non constituit, quòd ipsi voluerunt, puniendum eum, qui causa religionis vxorem suam ab vsu matrimonij remouerit: bene tamẽ eum, qui eam tanquam omninò alienã abiecerit, ita vt omnem eius alẽdæ curam quasi nexu, & vinculo coniugij soluto, deposuerit. Ita respondet Hubertus Cardinalis *in libro contra Nicetam Pectoratum Abbatem Constantinopolitanum*: & habetur hæc Huberti responsio nomine Leonis IX. cap. Omnino, dist. 31. vbi dicitur Apostolos constituisse, ne Clerici abijciant vxores à cura sua, etiamsi se ab earũ thoro superauerint. Debẽt enim adhuc eas alere, & eis in omnibus prouidere. Hæc ibi. Sicut etiam eadem sexta Synodus Trullana *can. 48.* decernit; *Episcopi vxor, in Monasterio aliquo degat, & prouidentia ipsius Episcopi, viri sui, sustentetur.* Sic etiam Synodus Turonensis 2. *cap. 8.* definit, vt Episcopus coniugio alligatus habeat vxorem, vt sororem, & eius curam gerat, absque tamen vlla suspicione coniugalis commercij. Eadem ratione intelligitur Canon quartus Concilij Gangrensis, vbi habetur: *Quicunque discernit à Presbytero, qui vxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit.* Quod decretum facit contra eos, qui putabant coniugium esse interdictum: & propterea arbitrabantur non licere ei, qui vxorem habet, sacris operari. Tunc autem Presbyteri vxores habebant, non quibus commiscerentur, sed quas vt sorores alerent, & sustentarent.

Canon autem 3. Concilij 5. Carthaginensis in hunc modum habet: *Episcopi, Presbyteri, & Diaconi se abstineant ab vxoribus secundum priora, vel secundum propria statuta:* quæ verba, illi Patres Græci interpretati reddiderunt sic: *in proprijs terminis*, & intellexerunt vicis suæ tempore: cum tamen Carthaginenses Patres dicere voluerint, secundum proprias definitiones, hoc est, secundum ea decreta, quæ in Concilio 2. Carthaginensi edita sunt. Cuius Canõ 2. sic habet: *Placet Episcopos, Sacerdotes, & Leuitas se continere in omnibus, quo possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, omnes custodiamus.*

Sentiunt itaque quidã, Græcos post susceptos Ordines sacros, coniugio vtentes ante contracto, delinquere, & eum vsum Ecclesiam permittere nõ quidem, vt bonum, sed vt minus malum. Quod probant auctoritate Nicolai Primi, qui, *vt habetur distinct. 28. c. Consulendum, respondens ad quæstiones Bulgarorum*, ait: *Consulendum decernitis, vtrum Presbyterum habentem vxorem debeatis sustentare, & honorare, an à vobis proijcere. In quo respondemus, quoniam licet ipsi valde sint reprehensibiles, vos tamen Deũ conuenit imitari, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos. Eijcere enim à vobis non debetis, si quidem, & Iudã Dominus, cũ esset falsus discipulus, à numero suorum non eiecit.* Hæc Pontifex, qui tamen scribebat ad Bulgaros, qui semper Græcorum mores, & ritus retinuerunt, ac etiam nunc retinent.

Sed horum scilicet, ego sententiam nõ approbo: nunquam enim Ecclesia Latina Græcos tanti criminis accusauit: nec filios Presbyterorũ Græcorum tanquam contra ius diuinum progenitos damnauit. *Et in cap. Aliter, distinct. 31.* Stephanus Romanus Pontifex ait, in Orientali Ecclesia Presbyteros matrimonio vti, nec tamen eum morem, & vsum reprehendit. Item Innocentius Secũdus *in cap. Cum olim. De Cleric. coniug.* definit filium Presbyteri Græci ex vxore genitũ, iure inter Latinos promoueri, si nullum aliud Canonicum impedimentum obsistat. Eius sunt hæc verba: *Nos attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in Minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus vtuntur matrimonio iam contracto,*

Vbi Pontifex Græcorum morem non damnat. Et *in cap. Quæsitum, de pœnit. & remiss.* ait Clemens Tertius: *Quæsitum est, vtrum Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo matrimonio licet vti.* Et *in cap. Vt Clericorum, De vita, & honest. Cleric. ex Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio* dicitur: *Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam coniugalem, si lapsi fuerint, grauius puniantur, cum legitimo matrimonio vti possint.* Vbi Glossa annotauit, hoc dici propter Orientales, qui post sacros Ordines susceptos vtuntur coniugio ante contracto.

Ob hæc igitur alij existimant, non quidē contra ius diuinum, sed contra Constitutiones Apostolorum Græcos facere. Aiunt enim prædictum Græcorum morem non esse antiquum, sed recē tem, eo quòd Origenes *homil. 17. in Lucam. & homil. 4. in Leuit.* ita scriptum reliquerit: *Certum est*, inquit, *quia impeditur sacrificium indesinens, ijs, qui coniugalibus necessitatibus inseruiunt. Vnde videtur mihi, quod illum solum est sacrificium offerre, qui indesinenti, & perpetuæ se Castitati deuouerit.* Et Eusebius *lib. 1. demonstrat Euang. c. 9. Verumtamen eos, qui sacrati sint, atq; in Dei ministerio, cultuq; occupati, continere deinceps se ipsos à cōmercio vxoris decet. Epiphanius in compendiaria doctrina fidei Catholicæ, sanctum Sacerdotium ex virginibus, vt plurimū, aut ex solitarijs, aut si ad ministerium non sufficerint, ex his, qui se à proprijs vxoribus continent, asserit constare: & si quis ab initio continens, viduus fuerit, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi.* Et alibi in hæresi 59. contra Catharos. *Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentem vnius vxoris virum Ecclesia non suscipit, sed eum, qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Presbyterum, Episcopum, & Hypodiaconum, maximè vbi synceri sunt Canones Ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros, Diaconos, & Hypodiaconos. Sed hoc non est, iuxta canonem, sed iuxta hominum memem, quæ per tempus elanguit.* Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi. 12. *Si qui apud Dominū bene fungitur sacerdotio, abstinet à muliere, Ipse Iesus, quomodo ex viro, & muliere proditurus esset?* Nyssenus in lib. de virginitate, cap. vlt. *Quomodo Dei Sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum, vt munus offerres, vnctus es? Quomodo hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti, ne sacra impuris facias? Ac si Deū tibi apparere expetis, quid causæ est, cur Moysen non audias, qui populo edicit, vt à nuptijs purus sit, quo Dei aspectum cōprehendat?* Chrysostomus homil. 2. de patien. Iob. *Dixit, vnius vxoris virum, non ea ratione, vt id nunc in Ecclesia obseruatur: Oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse.* Hieron. contra Vigilantiū: *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Aegypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desierunt?* Idem in Apologia ad Pammachiū: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotiū pudici.* Oecumenius in 1. Timot. 3. *Non statuit Apostolus, cum ait: Vnius vxoris virum, vt ab vxore pēdeat Episcopus, aut vxorem necessariò habeat: sed si fiat è mundanis, non saltem sit digamus; ita tamen, vt vocatus ad Episcopi munus, illud compleat, vt, Qui habent vxores, sint tanquam non habentes.* Basil. in Isai. cap. 3. *Oportet*, inquit, *vt sit Presbyter omnis concubitus inexpertus, aut secundum legem Domini. 1. Tim. 3. Tit. 1. vnius vxoris vir.*

Porrò alijs videtur, Græcanicum hunc morē esse antiquum, hoc est, non esse recentem; inde comprobantes, quod Gregorius Episcopus, Nazianzeni Gregorij pater, vsus est coniugio ante cō tracto. Deinde, quia Socrates *lib. 1. hist. Eccles. cap. 8.* Sozom. *lib. 1. cap. 22.* Niceph. *lib. 7. cap. 19.* Suidas *in verbo, Paphnutius*: referunt in Concilio Nicæno in hunc modum, cum Patres legem ferre statuerent, ne Clericis liceret cum suis vxoribus ante ductis commiscēri; surrexit Paphnutius confessor, & contradixit, dicens: Bonum sibi videri, vt secundum antiquos Canones præcipiatur Clericis, ne post Ordines susceptos nuptias contrahant, sed solum permittantur vti nuptijs, quas ante Ordinem contraxerunt: & tota Synodus in eam sententiam iuit, & continentiam ab vxore ante Ordines accepta in arbitrio cuiusque reliquit. Sic illi.

Inter Catholicos sunt, qui totā hāc historiam de Paphnutio à Socrate, Sozomeno, Suida, & Nicephoro traditā, vt falsam, & confictam reijciāt. Sot. *lib. 7. de iust. q. 6. art. 2.* Canus *de locis Theolog. lib. 5. c. vlt. ad 6.* multis de causis. Primò, quia Gregorius I. Sozomeni historiam improbat; quippe, qui multa, inquit, mentitur. Deinde, quia tota hæc historia manifestè pugnat cū ijs, quæ ex Origene, Eusebio, Epiphanio, Hieronymo, & alijs Patribus paulò ante retulimus: Ergo, aut hi falluntur, aut Socrates, & Sozomenus. Sed verisimilius videtur Socratem, & Sozomenum fuisse deceptos. Item, Synodus Nicæna *Canone 3.* prohibet, quo minus Episcopi, Presbyteri, Diaconi vllā domi mulierem habeant, præter matrem, sororem, amitā, aut materteram. Vbi Synodus vxorē excepisset, si eā habere Sacerdotibus licuisset. Postremo Rufinus multa de Concilio Nicæno, & Paphnutio conscripsit, & nihil meminit huius historiæ. Certè probabile est Græcanicum morem non esse, tā recentem, quàm aliqui putant, nec asserere cogimur historiam de Paphnutio in Concilio Nicæno tanquam omninò confictam, spuriam, ac suppositam esse damnandam, quam etiam Gratianus in suum decretum coniecit, *distinct. 31. cap. Nicæna.* Quod si Gregorius Magnus scribit, multa esse mentitum Sozomenum; non tamē id dicit de hac nominatim historia. Et ex testimonijs Græcorum Patrum supra citatis, nō tam certò concluditur, quod aliqui putant, Græcanicum morem esse admodum recentem. Sunt enim tria, aut quatuor in hac Græcorum consuetudine, & more considerandā. Primùm, Græciæ Sacerdotes omninò ab vsu coniugij abstinere tempore vicis suæ: in Græcia autem Sacerdotes, vt diximus, sacrificare consueuerunt tantum diebus Dominicis, ac festis: quotidiè verò, non singuli sacra faciunt, quia vnum tantum Missæ sacrificium pro vniuerso populo offertur. Rursus quamuis Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri non se ab vxoribus perpetuò contineant; id tamen faciunt Episcopi, in quibus locum habent ea, quæ ex antiquis Patribus produximus. Canon enim Trullanus 12. constituit, vt Episcopi post Ordinationem suam à proprijs vxoribus abstineant. Vnde apud Græcos etiam nunc Episcopi non creantur, nisi ij, qui matrimonij vinculo soluti, ac liberi sunt, aut qui perpetuam continentiam seruant; & hinc est, vt ex Monachis Episcopi eligantur. Imò Canon 30. habet, vt Sacerdotes Barbarici cum ordinantur, à suis vxoribus in posterum sese contine-

Lib. 6. Epist. 31.

ant. Po-

ant. Postremò, quid impedit, quo minus dicere quis possit, priscis temporibus etiam in Oriente varium fuisse Ecclesiarum morem, ita vt alicubi Sacerdotes continentiam perpetuò seruarent, alibi non item. Et proinde locum habere in quibusdam Orientis Ecclesijs, quod Epiphanius, Hieronymus, & alij tradiderunt: & nihilominus verum esse, quod Sozomenus, & alij de hac Paphnutij narratione scriptum reliquerunt. Præsertim cum in illa referatur, reliquisse Synodum continentiam ab vxoribus, ante in matrimonium habitis, in arbitrio cuiusque; & ita alij sese continebant, qui volebant, alij verò minimè. Primi illi probabantur, & cõmendabantur. Secundi verò non condemnabantur: nec tamẽ idcirco probabantur. Verùm quicquid sit de hac historia, vera sententia est, perpetuum fuisse morẽ in Latinorum Ecclesia, vt Diaconi in susceptione Ordinis, perpetuam continentiam promitterent: quod manifestum est ex multis Concilijs in Latina Ecclesia congregatis, Elibertino *can.* 33. Arelat. 2. *can.* 2. Carthag. 2. *can.* 2. & alijs, quæ breuitatis causa prætereo, cum passim ab alijs referantur. Et hunc morem non esse iuris diuini, sed Apostolici, hoc est, ab ipsis Apostolis traditum, & acceptum; & in Græcorum etiam Ecclesia per aliqua tempora seruatum, sed postea prætermissum.

Secundò Quæritur, An in Latinorum Ecclesia Subdiaconi, iã inde ab Apostolorũ tempore perpetuam continentiam seruauerint, ita vt se etiam continuerint ab vxoribus ante Ordinẽ acceptis? Respondeo, communem esse omnium sententiã *in c. Nullus, dist. 60. & in c. A multis, De ætate, & qualit. & in c. Miramur, de seruis non ordinan.* Subdiaconatũ primis propagatæ post Apostolos Ecclesiæ temporibus non fuisse inter sacros Ordines computatum: non quidem quod Ordo non fuerit, sed quòd non fuerit Castitatis Voto sacratus. Id colligunt ex eo, quòd Vrbanus Secundus in cap. Nullus, distinct. 60. *Nullus*, inquit, *in Episcopum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiosè viuens fuerit inuentus.* Sacros autem Ordines intelligimus Diaconatũ, & Presbyteratum: hos siquidem solos primitiua legitur habuisse Ecclesia. Subdiaconos verò, quia & ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus in Episcopos eligi; si tamen præclaræ scientiæ, & religionis existant: quod ipsum non sine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri firmiter permittimus. Hoc Decretum tanquam Vrbani Primi citat Innocentius *in c. A multis, De ætate, & qualit. Ordin.* & idem apud Iuonem in Pannormia, ex Synodo Beneuẽtana, quæ habita fuit tempore Victoris Tertij, cui successit Vrbanus Secundus, citatur. Item *in cap. A multis, De ætate, & qualit. Ordinan.* dicitur: *A multis multoties hæsitatur, an Subdiaconus in Episcopum eligi valeat: Siquidem Vrbanus quoque Primus decreuit, vt nullus in Episcopum, nisi in sacris Ordinibus religiosè viuens, inuentus fuerit, eligatur. Et sacros Ordines dicit Diaconatum, & Presbyteratum, quos solos primitiua Ecclesia legitur habuisse. In quibus verbis Vrbanus ad statum primitiuæ Ecclesiæ se retulit, in quo Subdiaconatus Ordo sacer minimè dicebatur. Verùm hodie inter sacros computatur, sicut Vrbanus Papa Secundus his verbis expressit: Erubescant impij, eos, qui in sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi, si castè non vixerint, excludendos ab omni eorundem graduũ dignitate.* Hæc ibi. *Cap. Miramur, De seruis non ordinan.* sic habetur: *De Subdiaconali Ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum statutis, expressè videtur nobis, quod & is cum Diaconali gradu priuilegio non gaudeat eodem. Nam licet sacer Ordo non reputaretur in Ecclesia primitiua, tamen constitutione Gregorij, & Vrbani secundum moderna tempora sacer gradus esse minimè dubitatur.* Hæc ibi. Glossa itidem, & alij cẽsent à Siricio Primo Romano Pontifice perpetuã continentiam esse Episcopis, Presbyteris, & Diaconis indictam, quam deinde Innocentius I. & cæteri Romani Pontifices confirmarunt: & Gregorij Primi decreto, vt constat *in cap. Ante triennium dist. 31. & cap. Nullum, dist. 28. & constitutione Vrbani II. vt habetur cap. Erubescant, dist. 32.* votum continentiæ in Subdiaconis cœpisse, cum ad ea vsque tempora Episcopi, Presbyteri, & Diaconi tãtùm perpetuam continentiã voto promissam seruassent.

Alijs tamen hæc sententia non admodũ probatur, eo quod in Canone Apostolorum 27. manifestè præcipitur, vt qui ad Clerum prouehuntur, si voluerint, vxores ducant, sed Lectores, Cantoresque tantummodo. Et in Synodo Romana à Siluestro Primo coacta *canone* 8. dicitur: *Nullum Subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus.* Porrò quẽadmodum post sacros Ordines susceptos prohibẽtur Clerici nuptias contrahere, sic etiam vti matrimonio ante contracto. Quare alij veriùs esse crediderunt, Subdiaconatum semper in Ecclesia fuisse Ordinem sacrũ, non tamen semper pro tali agnitum, & habitum; cum multi olim dubitauerint, num inter sacros Ordines computari deberet: dubitandiq; ratio fuit, quòd Subdiaconus non ordinatur per impositionem manus Episcopi, vt Presbyter, & Diaconus; *c. Presbyter, de Sacram. non iteran.* Et quia Paulus *1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1.* solùm meminit Presbyteri, & Diaconi, cum docet quales eligi debeant. Item, quia Episcopus sacrificium offerre consueuerat cum vno Presbytero, & Diacono: & inter Canones Apostolorum, Canon 7. 8. 9. 28. 29. 30. 44. 45. & 52. solum Episcopum, Presbyterum, & Diaconum memorant. Canon verò 17. 18. 25. & 50. decernunt: *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel alius ex numero aliorum, qui Clerici sunt, & ministerio sacro deseruiant, vbi Subdiaconus in aliorum clericorum numero censeri videtur:* Canon 42. qui habetur *cap. Episcopus, distinct.* 35. recensẽt Episcopum, Presbyterum, & Diaconum, & deinde Subdiaconum, inter alios Clericos connumerat. Ex quo factũ est, vt semper certi iuris fuerit, posse Diaconum in Episcopum eligi; cum tamẽ olim ambigeretur, an Subdiaconus posset Episcopus creari. Nihil igitur mirum est, inquiunt, si Siricius Primus, & Innocentius Primus eum decernunt, vt Presbyteri, & Diaconi se contineant ab vxoribus ante Ordines susceptis, nihil de Subdiacono meminerint; non quòd Ordo sacer non fuerit, sed quòd non pro tali ab omnibus haberetur. Quod autem Gregorius Primus asseruerit, minimè sibi placere legem illam sui præcessoris: ne Subdiaconi vxoribus ante ductis vterentur, nihil obstat, quoniam id de Subdiaconis Siciliæ conscripsit: porrò in Sicilia Græcorum mos, non Latinorum seruabatur. Vnde eius insulæ Subdiaconi Græcanico more ab vxoribus ante Ordinem assumptis, mi-

nimè sese continebant. Et cum votum continentiæ Latinorum more non emisissent, seueriùs in eos esse animaduersum, scripsit Gregorius, Vt continentiam, quam nondum vouerant, seruare cogerentur: & legem ipse temperauit, nimirum, vt in posterũ nullus Subdiaconus eligeretur, nisi qui continentiam ante promisisset more Ecclesiæ Latinæ. Subdiaconi verò ante electi suis vti vxoribus permitterentur, si continere nollent. Cæterum siue hoc, siue illo modo dicamus, parum refert: Subdiaconatus olim, aut sacer Ordo non erat, aut pro tali non habebatur, hoc est, Subdiaconus votum continentiæ non faciebat.

Tertiò Quæritur, An iure Ecclesia continentiæ votum in ijs, qui ad sacros Ordines promouentur, requirat, & postulet. Quæstionem mouet, quod huiusmodi votum iure diuino non est sacris Ordinibus annexum, ergo non potuit Ecclesia eo vinculo suos Clericos obligare. Rursus, voti emissio spontanea est, & voluntaria, quamuis necessitas sit soluere promissa: ergo nequit Ecclesia quempiam cogere ad votum emittendum. Respondeo, optimo iure id Ecclesiam fecisse: quoniam tametsi iuris diuini tale votum nõ sit, Ecclesiæ tamen ministros maximè decet: nam in vetere lege Sacerdotes vicis suæ, & ministerij tempore ab vxoribus sese continebant, & laici, qui paulò ante ad suas vxores accesserant, arcebantur ab esu panis in mensa Domini expositi. Decebat igitur Clericos, qui quotidie incruentũ Missæ sacrificium offerunt, aut proximè in offerendo ministrant, perpetuam cum vxoribus seruare continentiam. Nec cogit Ecclesia Clericos continentiã vouere; sed fert legem, vt quicunque voluerit sacros Ordines capessere, votum emittat Castitatis, alioqui ad eos minimè accedat.

Verùm nostri temporis Hæretici calumniantur, hanc Ecclesiæ legem cum sacris literis pugnare. Paulus enim, inquiunt, 1. ad Timotheum 4. venturos prædixit quosdam, qui nuptias damnarent. Respondeo, Ecclesiam non prohibere coniugium, nec simpliciter, & absolutè imperare, vt cœlibatum seruemus: sed solum lex Ecclesiastica in his, qui sacros Ordines susscipere volunt, perpetuam requirit, ac postulat continentiam: quam qui seruare recusat, si laicus sit, nulla Ecclesiæ pœna punitur, sed solum à sacris Ordinibus prohibetur. Nam Ecclesia quoque in suis ministris multa alia deposcit. Secundò obijciunt Paulum, qui *1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1.* cùm absoluti numeris omnibus, & perfecti Episcopi ideam exprimeret, inter alias dotes, & virtutes, matrimonium recenset, cum ait vnius vxoris virum esse eligendum. Respondeo ex communi Græcorum, & Latinorum omnium interpretum sententia, vt supra ostendi, ea Apostoli verba, non esse accipienda, ita vt velit Paulus nõ esse Episcopum creandum, nisi coniugem; sed nõ esse eligendum digamum, siue eum, qui plures vxores habuerit; aut qui scortationibus, & libidinibus indulgeat, minimè sua vxore contentus. Tertiò, opponunt Paulum ad Hebræos 13. dicentem: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Si in omnibus, inquiunt, quidni etiam in Sacerdotibus? Respondeo, dixisse, *in omnibus*, id est, omni ex parte, vel, apud omnes homines, hoc est, siue Græcos, siue Latinos, siue Hebræos. Cum enim Matrimonium sit iure naturali, ad sobolis procreationem institutum, apud omnes in pretio est, & existimatione. Obijciunt, & illud Genes. 1. & 9. *Crescite, & multiplicamini*: ergo sicut nemini fas est promittere se nihil vnquam cibi sumpturum, cum talis promissio iuri naturali repugnet: sic etiam non licet vouere perpetuò cœlibatum, cum diuinæ legi prædictæ aduersetur. Rursus 1. ad Corinth. 7. ait idem Apostolus: *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat.* Et paulò infra: *Melius est nubere, quàm vri.* Respondeo, huiusmodi obiectiones esse futiles, & inanes. Nam illud: *Crescite, & multiplicamini*, dictum est ad primos generis humani satores, & parentes, quia tunc erat genus humanum propagandum. Nec id præcepti vllam vim habet, nisi in illo, & simili alio rerum euentu, vtpote necessariò ad genus humanum conseruandum. At verò longè diuersa ratio est in vita nostra tuenda, quam simpliciter iure naturali conseruare debemus. Illud verò: *Propter fornicationem autem*, &c. De coniugibus dici, omnes Græci, & Latini interpretes testantur. Nam Ethnici coniugio vincti nuper ad Christi fidem conuersi ambigebant, an suis vxoribus, quas ante habuerant, tuta conscientia vti possent. Respondet Apostolus, Posse: & proinde, vnusquisque, inquit, suam vxorem habeat, quasi diceret, vir cõiugij vinculo alligatus, Christianæ religionis studio, & causa, non debet se ab vxore, & thoro abstinere: est enim iure permissus, ad propriam vxorem accessus; quare coniux quisque, libidinis vitandæ gratia, vtatur sua vxore. Nam postea idem subiungit Apostolus: *Dico autem, non nuptis, & viduis: Bonum est illis, si sic permanserint.* Item, solutus es ab vxore? Noli quærere vxorem. Postremò illud Apostoli: *Melius est nubere, quàm vri;* Græci, & Latini interpretes intelligunt: Tolerabilius est vinciri, hoc est, matrimonium contrahere, quàm cupiditatibus carnis, & sensus, & stimulis libidinis agitari, & vexari. Et notant itidem Apostolum loqui de innuptis, hoc est, solutis, non autem voti nexu, & vinculo adstrictis.

Quartò Quæritur, An ius habeat Ecclesia præcipiendi, vt cæteri Clerici, qui sunt Subdiacono minores, sese voto Castitatis obstringant? Respondeo ex ijs, quæ paulò ante dixi, neminem absolutè quidem, & simpliciter esse cogendum, vt quippiam voueat, cum votum debeat esse voluntarium, etsi iure aliquis cogi possit, promissa seruare. Nihilominus tamen lex, iure optimo fertur, vt quis continentiam voueat, si velit ad Ecclesiasticos Ordines ascendere. Ecclesia itaque Clericis Subdiacono inferioribus, qui sunt hactenus ad Ordines electi, lege præcipere non potest, vti continentiam perpetuò voueant, hoc est, vt perpetuæ Castitatis votum emittant; quoniam absque tali voto sunt Ordinibus initiati: posset tamen constituere, vt qui deinceps eligẽtur, sese continentiæ voto adstringãt; sin minus, ne ad Ordines accedant. Item potest præcipere, vt qui iam sunt ad Ordines promoti, vel continentiam seruent, vel omni Clericorum priuilegio careant.

Si quæras, An olim aliqui Clerici ex ijs, qui sunt Subdiacono minores, Castitatis voto tenerentur obstricti? Ratio dubitationis est, quia *Canone 12. Apostolorum* dicitur: *In nuptijs autem, qui ad Clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiant; sed Lectores, Cantoresque tantummodo.* Ergo Acolyti nuptias contrahere non poterant. Respondeo, in eo Canone appellatione Lectorum, & Cantorum intelligi omnes Clericos, qui sunt minores Subdiacono: hos enim Clericos, Græci voce Lectorum, & Cantorum accipiunt. Eodem modo intelligitur Canon *distinct. 32. in cap. Lectores, ex Concil. Carthagin. 5.* vbi dicitur, *Lectores cum ad annos pubertatis veniunt, cogantur, aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.* Nomine Lectorum accipit etiam Exorcistas, & Acolytos.

Quintò Quæritur, An possit Ecclesia, ijs, qui in sacris sunt Ordinibus constituti, concedere, vti nuptias contrahant, vel ijs ante Ordines contractis vtantur? Abbas *in c. Cum olim. de Cleric. coniugat.* non videtur mihi satis cautè hac in parte locutus, cum sic ait: *Credo pro bono, & salute animarũ, quod esset salubre statutum, vt volentes continere, & magis mereri, liberæ suæ voluntati relinquerentur: non volentes autem continere, possent contrahere, cùm, experientia docente, contrarium prorsus sequatur ex illa lege continentiæ, cum quotidie non viuãt spiritualiter Sacerdotes, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu, cum eorum grauissimo peccato, vbi cum propria vxore esset castitas, vt habetur distinct. 31. cap. Nicæna. Vnde deberet Ecclesia facere, sicut bonus medicus: Vt si medicina, experientia magistra, potius officit, quàm prosit, eã tollat.* Sic ille. Certè liberiùs loquutus est, quàm par est. At Sotus *lib. 7. de iust. q. 6. ar. 2.* absolutè concedit posse. Ecclesiam eiusmodi facultatem dare, sed non nisi grauissimis de causis: hoc est, posse Ecclesiam iusta de causa indulgere, vt sacerdos castitatis lege soluatur.

Sed reuera distinguendum est: aliud enim est, si loquamur de ijs, qui sunt hactenus ad sacros Ordines euecti, atque de ijs, qui in posterum proue hentur. Nam primi illi continentiæ Votum emiserunt, & proinde nequit Ecclesia facultatem concedere, nisi votum relaxet. Sed quempiam Voti vinculo soluere Ecclesia non potest nisi grauissimam ob causam, cum Votum sit iure Diuino persoluendum. Quare vt quis ab huiusmodi Voti nexu eximatur, potest iusta subesse causa, nimirum communis Reipublicæ salus, pax atque tranquillitas, vt quis in regno succedat, vel vt Princeps ad Christi fidem, & religionem traducatur: at verò vt promiscuè omnes, & generatim qui sacros iam Ordines susceperunt, ad nuptias transeant, meo quidem iudicio, nulla talis potest iusta causa contingere. Si verò de ijs sermo sit, qui in posterum eligentur, non est opus relaxatione Voti, quale nullum hactenus emiserunt: sed id solum opus est, vt Ecclesia legem abroget, quam condidit, ne deinceps sacris sit ordinibus Votum continentiæ annexum: & hanc legem posse quidem Ecclesiã antiquare, & tollere, sed nonnisi magnis, & grauissimis de causis: quales non sunt eæ communes & solitæ, quas cernimus, nimirum quod multi clerici sacris ordinibus initiati castitatem non seruent, quod votum sæpe violent: huiusmodi enim cõsuetudo corruptela est, & peccati turpitudinem auget, non excusat. Ergo vt hic vel ille lege perpetuæ continentiæ soluatur, iusta causa contingere aliquando potest, at vt lex in vniuersum tollatur, non video, quænam iusta causa possit accidere, vt ij, qui sunt sacris Ordinibus initiati vxores ducant, aut vt ij, qui coniuges sunt, ad sacros ordines prouehantur, & permittantur vti vxoribus ante ordines acceptis.

Sextò quæritur, quid ius Canonicum constituerit de coniugio post sacrum Ordinem contracto? De hac quæstione tractant Canonici iuris interpretes *in cap. 1. & 2. qui clerici vel vouentes, & c. Si quis eorum, & cap. Erubescant. d. 32.* & Theolog. *in 4. distinct. 38.* Respondeo, illud iure Canonico esse irritum, & inane *vt colligi potest ex c. Si quis eorum, & cap. erubescant, distinct. 32. ex cap. de Diacono, & cap. Ex litterarum, qui Clerici vel vouen. ex Alexandro Tertio. Sed clarè, & apertè ex cap. 1. de Voto, & Voti redempt. in sexto ex Bonifacio Octauo.* Rursus, Clericus post sacrum Ordinem, matrimonium contrahens, ipso iure in Suspensionem incurrit *cap. 1. & 2. Qui Clerici vel vouentes:* in his enim locis statuitur huiusmodi Clericum nec posse in Ordinibus ministrare susceptis, nec ad altiores Ordines prouehi. Conceditur tamen, vt Episcopus eam irregularitatẽ amouere possit, vt testantur Innocentius, Hostiensis, Abbas & Glossa *ibidem*, dummodo nulla sit aliorum offensio, nec alij inde vllum prauum exemplum accipiant, & Clericus de suo peccato doleat. Item ipso iure in excommunicationem incidit, *Clement. 1. De consanguinit. & affinit.* ex quo fit, vt huiusmodi clericus nec reddere, nec exigere debitum coniugale possit: quoniam coniugium est irritum, & inane.

Sed quæstio est inter Canonici iuris interpretes, an ipso facto talis Clericus Ecclesiastica beneficia amittat? Duæ sunt opiniones auctorum: prima negat ipso facto eum amittere, sed censet auctoritate Ecclesiæ priuari debere. Sic Glossa, Butrius, Cardinalis, Imola, Decius, quos citat Couarr. *in Epitome in 4. librum Decretalium, p. 2. cap. 6. §. 3. nu. 4.* Id colligunt quia matrimonium contractũ est irritum & inane, & beneficia non amittuntur nisi ratione contracti cõiugij quod iure subsistit. Secunda opinio affirmat; quam tuentur Ioan. Andreas quamuis sibi teste Abbate contrarius, Ancharanus, Abbas, Cardinalis, & Henricus, & Staphileus, & Romanus, quos refert, & probat Couarruuias: atq; hæc est verior opinio, eo quod beneficium amittitur ex ipso facto, quamuis matrimonium nullius ponderis, & momenti sit. nam eo ipso Clericus contrahens videtur pro derelicto beneficium habere, siue matrimonium contrahat cum consanguinea, siue cum alia. SI ROGES an per sponsalia verbis futuri tẽporis contracta beneficium amittatur? Respondeo cũ Abbate *in cap. 1. de Cleric. coniug.* Ioan. Andreã *ibidem.* nõ amitti, quia talis pœna restringi debet, ergo ad sponsalia trahenda, & protendenda non est. Sic etiam Couar. *loco cit.* docet.

Septimò Queritur, quid iura Canonica statuerint de coniuge, vtrum possit sacros ordines suscipere? Respondeo in primis, matrimonium etiam ratum sed nondũ consummatum nõ dissolui cum quis ad sacrum ordinem eligitur, quo differt

huiusmodi solemne Votum continentiæ à solẽni Voto Religionis, quod Religionis professione matrimonium ratum, quod non est consummatum dirimitur, non tamẽ sacri ordinis susceptione, *vt habetur in Constitutione Ioannis XXII. quæ incipit. Antiquæ, De Voto, & Voti redempt.* Rursus coniux vxore annuente potest iure ad sacros ordines promoueri; dummodo ipsa si iuuenis sit, aut ob incontinentiam suspecta, Religionem profiteri cogatur: vt sentiunt Hostiensis, Calderinus, Antonius & Abbas *in cap. Coniugatus de conuers. coniugat.* quamuis alij opinentur id necesse non esse, sed verius est primum. Si verò vtrumque absit, hoc est, nec iuuenis, nec suspecta sit, satis est, si extra Religionem continentiam vouerit, *cap. Coniugatus, De conuers. coniugat.* At verò si maritus in Episcopum eligatur, requiritur, vt vxor simpliciter Religionem profiteatur, quamuis sit ætate proiecta, nec suspecta de incontinentia. Sic Hostiensis, Calderinus, Antonius, Abbas *in c. Sanè, De conuers. coniugat.* SI QVAERAS, an coniux possit iure ad primam Tonsuram, & quatuor minores Ordines promoueri. Respondeo, minimè, nisi volentem ad Religionem transire, vel ad sacros ordines ascendere, *vt dicitur in cap. vlt. de tẽpor. ordina. in sexto.*

Octauò Quæritur, quid sit iure Canonico cõstitutum de Clericis minoribus contrahentibus nuptias? Respondeo: Si duxerint vxorem, ratum est matrimonium, nec ducendo, nec vtendo coniugio peccant. Doctores *in cap. 1. De cleric. coniug.* ex Alexandro Tertio, ipso tamen facto Ecclesiastica beneficia amittunt, *vt in eodem cap. statuitur*, & ab vsu ordinũ remouentur. QVAERES an statim amittant per matrimonium ratum nondum consummatum? sententia est omnium communi consensu recepta, amittere, imò si sponsa antequam matrimonium consummetur Religionem profiteatur, maritus beneficia non recuperat. Abbas, Imola & alij *c. 1. de Cleric. coniug.* quoniam beneficium fuit amissum, & obligatio semel tantum extincta amplius non reuiuiscit; nec Beneficium amissum repetitur, nisi denuò conferatur. Vacant etiam quælibet iura vt regressus, accessus, ingressus, ad Beneficium Ecclesiasticum, vt ait Glossa quam cæteri teste Couarruuia sequuntur. ROGABIS insuper, an vnà cum Beneficijs Ecclesiasticæ quoque pensiones amittantur, & cessent. Respondeo amitti: nam quãuis sint, qui asserant eas non amitti; veriùs tamen alij senserunt, eas omnes cessare, & extingui, quæ nomine & ratione Clericorum habentur. Ita Hieronymus Gigas, Cardinalis, Ioannes Baptista, & alij quos citat & sequitur Couarruuias *loco citato, num. 6.* hoc enim habet vsus, & stylus Curiæ Romanæ. Eæ verò pensiones quæ non dantur nomine Clericorum, ea ratione non cessant: quales sunt quæ auctoritate Romani Pontificis conferri solent certorum Ordinum Militibus coniugij vinculo alligatis. Quæstionis est tamen dubiæ, & incertæ, an si talis Clericus contrahat matrimonium, quod ratione alicuius impedimenti Canonici sit irritum, Ecclesiasticum Beneficiũ amittat. Respondeo distinguendo cum Abbate, & Ioanne Andrea *in c. diuersis, De cleric. coniug.* Si matrimonium sit irritũ, & inane, quia in eo Clerici contrahentis consensus defit, Beneficiũ is Clericus non perdit: Si vero adsit consensus, & matrimonium nullius momenti sit propter aliud Canonicum impedimentum, quod ipsum coniugium irritũ reddit, ipso facto Clericus Beneficium, & pensionem Ecclesiasticam amittit. Vt si contraxerit cum consanguinea, vel affini, in gradibus Ecclesiæ lege interdictis. Item, quæres, an Beneficium vacet vel pensio amittatur, ipso facto, si huiusmodi Clericus cõtrahat matrimonium cum impubere? Id quidam affirmant, inter quos est teste Couarruuia Staphileus, sed Henricus vnà cum alijs quos refert & sequitur Couarruuias *loco citato num. 4.* negat, nec immeritò: siquidem coniugium cum impubere contractum vim, & locum matrimonij iure Canonico non habet, sed sponsaliorum tantummodo naturam & vicem, quæ sunt simplex futuri coniugij promissio. Postremò, si quæras an si huiusmodi Clericus sola sponsalia contraxerit, pensionem Ecclesiasticam amittat? Respondeo cum Abbate, & alijs, nequaquam, sicut nec Beneficium perdit, vt paulò ante dixi: nam cum hæc sit pœna iuris, restringi debet; Canones autem solùm voluerunt per coniugium Beneficium Ecclesiasticũ ac proinde pensionem amitti.

Nonò quæritur, An Clericus in sacris ordinibus constitutus si nuptias contraxerit, crimen incurrat, quod sacrorum Inquisitorum auctoritate cognosci, iudicari, & puniri debeat? Quidam, inquiunt, si publicè contraxerit, ius habere Inquisitores in eum animaduertendi, non tanquam in hæreticum, aut de hæresi suspectum, sed tanquam malè sacramento abutentem. Alij verò simpliciter id negant, quia nec est hæreticus, nec de hæresi suspectus, nec sacramenti contemptor, sed solum legis Ecclesiasticæ violatæ reus. Siman. *de institut. Cathol. tit. 40. num. 13.* videtur docere huiusmodi crimen à sacris Inquisitoribus iure posse cognosci, iudicari, & puniri, quia Clericus abutitur matrimonio, & quia suspectus de hæresi est.

Caput XIV.

Quædam aliæ quæstiones circa eandem rem.

PRimò Quæritur, An qui post matrimonium consummatum suscipit sacrum ordinem in Latinorum Ecclesia, possit iure vti coniugio ante contracto. Communis est omnium opinio, quam habet S. Thomas *in additionibus ad 3. partem, quæstio. 53. artic. 4. ad 1.* vbi distinguit sic, aut suscipit ordinem sacrum vxore annuẽte, aut renuente, vel insciа. Si annuente vxore, nec petere, nec reddere debitum coniugale potest: nec petere, quia se voto castitatis obstrinxit: non reddere, quia eo ipso, quod vxor annuit ac voluit, vt vir sacrum ordinem susciperet, debuit votum continentiæ facere, ac proinde se iure petendi debitum coniugale priuauit. Si inuita vel ignorante vxore sacrum ordinem susceperit, debitũ coniugale exigere iure nequit, debet tamen vxori petenti reddere: petere non potest, quia voto continentiæ sese obligauit, & ideo suo iure pe-

tendi

tendi cessit. Reddere tamen cogitur, quia cum vxor renuerit, vel ignorauerit, suo iure petendi non cessit, ac propterea ipsi petenti vir debitum soluere iure compellitur.

Secundò quæritur, quid iuris sit, quando vir post matrimonium nondum consummatum sacrum ordinem susceperit. Respondeo in primis, inuita vel inscia vxore iure non posse maritum ad sacros ordines ascendere, licet ad Religionē transire iure queat. Abbas *in cap. 1. de conuersione coniugat.* Deinde aut vxore renuente vel ignorante id maritus facit, aut annuente. Si annuente, matrimonium consummare non potest, neque petendo, neque reddendo debitum. Non petendo, quia votum perpetuæ continentiæ fecit: non reddendo, quia vxor eo ipso quod annuit, castitatis votum emittere iure compellitur, & ideo se iure petendi priuauit. Si renuente vel ignorante vxore id faciat, petere debitum iure non potest, quia votum Castitatis emisit. At dubiæ quæstionis est, an vxori petenti debitum soluere iure possit. Meo iudicio non potest, quia eo ipso quod sacrum ordinem suscipit, continentiæ voto obligat se Deo, & cum matrimonium sit ratum, non consummatum, debet implere votum ingrediendo in religionem, quia iure potest ingredi etiam inuita vxore, & cum ingredi iure queat, id facere iure compellitur, vt votum continentiæ seruet. Et hoc multo probabilius & verius existimo, quàm oppositum: hæc enim quæstio est eadem, quæ illa, an qui post votum simplex castitatis nuptias contraxit, & matrimonium nondum consummauit, iure ipso cogatur ingredi in religionem, vt suum votum seruet. Sot. *in 4. dist. 38. q. 2. art. 1.* sensit, iure nō cogi, & proinde tuta cōscientia posse cōsumma re coniugium, non quidem petendo, sed reddendo debitum. Soti sententiam nonnulli viri pij, & docti sequuntur. At ego probabilius puto quod Palu. *in 4. dist. 38. quæst. 3. art. 3. conclus. 5. & dist. 27. q. 1. art. 3. in casu 5.* & Silu. *Matrimonium. 7. quæst. 1.* & Astēsis Hostiensem sequutus, *lib. 8. tit. 11. artic. 2. quæst. 5.* dixerunt, debere se ad Religionem cōferre, quia cum id possit iure facere, debet facere, vt votum continentiæ seruet.

Tertiò quæritur, an vir, qui post matrimoniū, sacrum ordinem suscipit, irregularis sit factus? Respondeo, eo ipso irregularitatem contrahere: nam *in Extrauaganti Ioan. 22. Antiquæ. de voto & vot. redemp.* legimus; *ordinamus, quod nec matrimonio soluto in sic susceptо ordine ministrare, nec ad superiores ordines prouehi, nec ad aliquod Beneficium vel officium Ecclesiasticum valeat promoueri.*

Quartò quæritur, an vir post diuortium legitima iudicis auctoritate factū, possit iure ad sacros ordines promoueri. Respondet quidam Theologus *in tract. de Sacramento Matrimonij. q. 53. art. 4.* Si vxor fuit causa diuortii, vtpotè quæ adulterium admisit, posse, *quia ita,* inquit, *definitur in cap. Constitutus, de conuersione coniugat. Et quia id ratio ipsa probat: nam ea ipse vxor ius petendi debitum amisit, & vir potest vel ad Religionem transire, vel sacros ordines capessere, vel in sæculo manere & vxori debitum denegare.* Sed hæc sententia dubia & incerta est, vt fusius dicam *in q. 13.*

Quintò quæritur, An vir, qui post matrimonium, per vim vel metum mortis, qui metus dicitur cadens in virum constantem, sacrum ordinem susceperit, possit vti coniugio ante contracto. Communis est opinio, posse, quia votū continentiæ est iure irritum & inane, si factum sit vi vel metu mortis. Silu. *Ordo. 4. q. 1.* vbi citat Ray. Angelum, Rosellam & alios.

Sextò quæritur, An apud Græcos, si vir post matrimonium, sacrum ordinem recipiat, possit iure vti coniugio tempore ministerij sui sacri? S. Thomas *in additionibus. quæst. 53. art. 4. ad 3.* respondet distinguendo sic, aut suscipit repugnante vel ignorante vxore, vel consentiente. Si repugnante vel inscia, petere non potest, sed reddere debitum cogitur. Non potest exigere, quia ipse se hoc iure priuauit: debet soluere, quia vxor ius suum petit, cum reclamauerit, vel ignorauerit, nec suo iure cesserit. Si annuente vxore; nec potest petere, nec reddere, quia vterque suo iure cessit. Sic etiam Astensis. *in sum lib. 8. tit. 22. art. 2.* Nam apud Græcos etiam viri sacros ordines suscipere iure nequeunt absque vxoris consensu, vt ait Astensis *loco citato* sequutus Lau. Ioan, & Ray. Hostiensem.

Septimò quæritur, An apud Græcos vir sacris ordinibus initiatus mortua vxore possit aliā ducere. Respondeo, non posse, nec matrimonium ratum erit, si alias nuptias contraxerit. quoniam etiam apud Græcos sacerdos digamus esse iure non potest. Sed dubiæ quæstionis est an idem iuris sit de vxore, ita vt defuncto viro alteri nubere nequeat. S. Thomas *in addit. q. 53. art. 4. ad. 4.* respondet, aut vxore volente vir ad sacros ordines promotus est, aut reluctante vel nescia, si vxor annuit, alteri nubere iure nequit, quia eo ipso iure suo cessit: si repugnauit, vel ignorauit, potest ad secundas nuptias transire, quia ius suum non amisit.

Octauò quæritur, An qui per vim, vel metum in constantem virum cadentem ad sacros ordines promouetur, cōtinentiam seruare cogatur? Hanc quæstionem tractant Canonici iuris interpretes *in c. Maiores. §. vlt. de Baptism. & eius effectu. Et in Clem. vlt. §. vlt. de ætat. & qualitat. ordinando.* Conuenit inter omnes, eum, qui per vim sacris ordinibus initiatur, castitatem seruare nullo iure compelli, & posse nutu suo nuptias contrahere: quoniam sacrorum ordinum characterem non suscipit inuitus. Silu. *Ordo 4. q. 1.* Angel. *Ordo 3. q. 25.* Rosel. *Ordo 3. num. 5.* Tabien. *Ordo 2. q. 16.* Armil. *Ordo num. 13.* Glossa & Doctores *in cap. Maiores. §. vlt. de Baptismo, & eius effectu.* Tota quæstio locum habet in eo, qui per metum cadentem in constantem virum ad sacros ordines prouehitur. In hac quæstione si auctoritate & testimonio Doctorum sententiam definire velimus, difficile est, quoniam vtramque partem quæstionis, Doctorum multorum confirmat auctoritas, quamuis, ni fallor, plures sint, qui senserint, eum castitatem seruare debere, si ante susceptos ordines sacros, matrimonio solutus sit. Si verò rationum pondera, & firmamenta expendamus, potius definire debemus, eum continentiam seruare nullo iure cogi. Constat inter omnes, eum, qui sacris ordinibus initiatur, si ante ordines matrimonio coniunctus erat, continentiam

seruare non cogi contra vxoris voluntatem. Quæstio igitur est, de eo, qui ordinatur, & ante ordines, matrimonij vinculo liber & solutus est. Sunt duæ opiniones. Vna affirmat, eum iure cogi castitatem seruare. Sic Goff. *in Sum. de ætate & qualit. ordin. num. 11.* Raimun. *in Sum. de ætate & qualit. ordin.* Hostien. *in Sum. de ætate & qualit. ordin. num. 5.* Palud. *4. dist. 38. quæst. 3. artic. 4. concluſ. 6.* Antonin. *3. par. tit. 14. cap. 16. §. 18. propè finem.* Silu. *Ordo. 4. quæſt. 1.* Tabien. *Ordo. 2. quæſt. 17.* Piſanel. *cum* ſupplemen. *Ordinatus. 1. verſic. virum coactè ordinatus.* Armil. *Ordo. num. 14.* Archidiac. *cap. de Iudæis. dist. 45. ad finem.* Ioannes And. Antonius But. Abbas, *in cap. Maiores. §. vlt. de Baptiſ.* Cardin. *in Clemen. vlt. de ætat. & qualit. ordin. §. vlt. num. 14.* Henricus Boich. *in cap. Maiores, de Baptiſmo, §. vlt. Præpoſit. in cap. 1. dist. in. 74.* Cardin. *in cap. de Iudæis. dist. in. 45.* Denique dicit Abbas *in capite citato maiores*: hanc eſſe opinionem communem: intelligit eſſe communé inter Canonici iuris interpretes. Altera opinio negat eum debere continentiam ſeruare, ſed ait, poſſe nuptias contrahere, ſi velit. Sic opinantur Gloſſa *in cap. Maiores, verbo conditionaliter nolens de Baptiſ. & in cap. Vbi iſta. diſtinct. 74.* Vincent. Phili. & Ioann. *in Sum. Confeſſo. de ætat. & qualit. & temporib. ordin. quæſt. 50. & 51.* Angel. *Ordo. 3. num. 26.* Roſel. *Ordo. 3 num. 5.* Mai. *in 4. diſtinct. 24. quæſt. 2. ad argumentũ. 5.* Sot. *in 4. diſt. in. 25. quæſt. 1. artic. 2.* tametſi alibi cõtrarium dicit: nam *Lib. 7. de Iuſt. quæſt. 2. art. 5. ad finẽ*, ſic ait. Quapropter etiam ſi quis conſenſu extorto per metum cadentem in conſtantem virum ſacris initietur, voto etiam eodem caſtitatis tenetur ſecundum dexteriorem opinionem, vt bene ait Silueſter *in verbo. Ordo. 4.* Niſi forſan vxori eſſet matrimonio coniunctus, qui inuita vxore abſtinere non poteſt. Atque id probat argumentũ ſumptum *ex cap. de Iudæis. diſt in. 45.* Vbi illi Baptizati ad fidem coguntur, propterea quod characterem eſſent inſigniti: & tamen illis, qui renuunt, grauius eſt ad totam Chriſtianam Religionem obligari, quam ad ſolum caſtitatis votum. Hæc ibi Sotus, vbi ſibi in multis aduerſatur. Nam *in 4. diſt in. 25. quæſt. 1. art. 2.* Oppoſitam ſententiã docet: & Silueſtri opinionem refutat: & argumentum ſumptum *ex cap. de Iudæis* dicit, nihil concludere. Rota *in Deciſionibus recens typis mandatis. par. 1. Deciſ. 660.* videtur approbare primam ſententiam communem: ſed Deciſ. *661.* omninò ſecundã opinionem amplectitur. Et eam etiam videtur Innoc. ſequi *in c. vel non eſt compoſ. de temporib. Ordinat.* & Ricar. *in 4. diſt in. 25. artic. 4. quæſt. 2. ad 3.* Mihi videtur ſecunda opinio multo magis cum ratione ipſa & iure congruere. Nam vt rectè argumentatur Gloſſa *in c. Vbi iſta, & cap. Maiores, ſupra citatis*, caſtitas perfecta & integra, eſt res voti, non præcept. *c. Integritas. 32. q. 2.* Item, quia continentia non niſi voluntaria debetur. *c. ante triennium, dist in. 31. & cap. Præſens. 20. quæſt. 3.* Inſuper, vbi motus in virũ conſtantem cadit, votum vim non habet. *c. Perlatum.* Et *cap. Cum dilectus, de his, quæ vi metuſue cauſa fiunt.* Accedit his, quòd eandem rationem videtur exigere votum tacitum, quam exigit votum expreſſum, ſed votum expreſſum continentiæ per metum extortum irritum eſt, ergo & tacitũ. Et hanc opinionem, vt ait *loco citato* Rota, Stylus Cancellariæ approbauit, quę liberam dat facultatem, vt contrahat nuptias is, qui ſacros ordines recipit per vim, vel per metum mortis, vel antequam ſit doli capax.

Obiicies, naturam & conditionem eius, quod eſt principale, ſequitur id quod accedit ad principale, ſed is, qui per metum ſacros ordines ſuſcipit, characterẽ recipit ordinis, ergo eo ipſo cogitur continentiam ſeruare: alioqui enim ordinem receptum deſpicere videretur. Reſpõdeo, id quod accedit ad alterum, ſequitur conditionem eius, quando ea duo ſunt ſibi connexa vi & natura ſua, vel iure diuino, at continentia eſt ſacris ordinibus annexa decreto Eccleſiæ, & voto tacito, quod Eccleſiæ conſtitutione fit. At votum nõ fit niſi ſponte: alioqui per metum mortis factum, irritum eſſe Eccleſia conſtituit.

Obijcies Secundo. *ex cap. de Iudæis. dist in. 45.* Iudæi per metum baptiſmate abluti, fidem, religionem, & legem Chriſtianam ſeruare coguntur, eo quòd Baptiſmatis characterem receperunt, ſed qui per metum ordinatur, ordinis characterem ſuſcipit: ergo cõtinentiam ſeruare cõpellitur, ſi quidem continentia cum ſacris ordinibus coniungitur, aut ſacros ordines comitatur & ſequitur, ſicut Chriſtiana lex ipſum Baptiſmum. Reſpondeo, nihil argumento concludi, quoniam Chriſtiana lex Baptiſmum ſequitur iure diuino: ac proinde qui Baptiſmũ ſuſcipit, etiamſi metu coactus ſuſcipiat, ipſo diuino iure cõpellitur Chriſtianam legem tenere, & ſeruare: at ſacros ordines continentia non ſequitur niſi voto implicitè & tacitè facto ex Eccleſiæ ſtatuto: & votum per metum mortis extortum irritum eſſe voluit Eccleſia.

Tertiò opponitur, coacta voluntas per metum, voluntas eſt *cap. Meritò 15. quæſt. 1.* ergo qui per metum ſacris ordinibus initiatur, voluntariè ordines ſuſcipit, ergo voluntariè ſeſe voto caſtitatis obſtringit. Reſpondeo, voluntatem per metum mortis coactam ſufficere ad Baptiſmum, & ordinem recipiendum, ſed non ſatis eſſe ad votum continentiæ faciendum: quia voluit Eccleſia, vt votum vim & locum non habeat niſi ſpontè fiat, hoc eſt ſine metu in virum conſtantem cadente.

Quartò obijcies, eum, qui per metum mortis recipit ſacros ordines, debere continentiam ſeruare non quidem ratione voti, quod voluntariũ eſſe oportet, ſed ratione Eccleſiaſticæ conſtitutionis, quam etiam inuiti cogimur obſeruare. Reſpondeo, huiuſmodi conſtitutione teneri, qui ſpontè ſua abſque metu mortis ad ſacros ordines promouẽtur, vt ait Ricar. *4. diſt in. 25. art. 4. q. 2. ad 3.*

Si quæras, an qui per huiuſmodi metum ſacris ordinibus initiatur, gaudeat Clericorum priuilegijs. Reſpondeo, eum perpetuò vſu & functione ordinum priuandum eſſe, niſi metu omni remoto continentiam perpetuam ſpontè promittat: Et propterea Clericorum priuilegio gaudere non poteſt, ſi ad nuptias tranſeat.

Nonò Quæritur, An puer, qui antequam ſit rationis compos, ſacris eſt ordinibus initiatus, continentiam ſeruare debeat, cum ad ætatem adultam peruenerit. Palu. *in 4. diſtinct. 25. q. 3. artic. 1. ad finem* ait, eum nullo voto caſtitatis obſtringi, & iure poſſe nuptias contrahere, quia cõtinentiam

seruare non cogitur, at postea *in 4. dist. 37. q. 1. art. 2. conclus. 3.* Oppositum videtur docere, ait enim eum continentiam seruare perpetuò debere nō vi voti, sed vi statuti Ecclesiastici, quo ligantur qui sacris ordinibus sunt initiati. Idem etiam Bernar. sensit *in cap. 1. de Clerico per salt. promoto.* Ricar. *in 4. distinct. 25. art. 4. quæst. 2. ad 3.* respondet continentiam secundum aliquos non esse annexam ordini sacro, nisi quando quis ipsum voluntariè suscipit: quamuis aliqui dicant contrariū. Sic ille. Sotus *4. dist. 25. q. 1. art. 2.* absolutè negat eū vllo voti vinculo teneri, vnde dicit continentiam seruare non cogi, & posse nuptias contrahere, si velit. Idem censet Mai. *in 4. dist. 24. q. 2. in 5. argumento*, idem quoque docet Abbas *in cap. 1. de Clerico per saltum promoto*: vbi citat Inno. Hostien. Archidiaconum. Et hoc mihi videtur probabilius & verius. Conuenit inter omnes eum puerum ordinis characterem suscipere, quamuis male is faciat, qui eum ad sacros ordines promouet, ordinis tamen functione & vsu priuatum esse, nisi cū factus est rationis compos, continentiam perpetuam promittat.

Decimò quæritur, an qui per ignorantiam sacris ordinibus fuerit initiatus, continentiam seruare cogatur. Quæstionem mouet ratio, quæ videtur, ostendere eum nullo voti vinculo obligari, eo quod ignorat omninò, eos, qui ad sacros ordines prouehuntur, continentiam polliceri. Respondeo distinguendum esse: aut qui ordinatur, penitus ignorat se ordinem sacrum recipere, aut scit quidem se ad sacrum ordinem promoueri, nescit tamen an continentiam promittant, qui ad sacros ordines ascendunt. Si primum, continentiam seruare non cogitur in foro conscientiæ, quia non suscepit sacrum ordinem voluntariè, eo quod fuerit ordinatus ignorans omninò quid in eo fieret: in foro tamen iudiciali, talis ignorantia non censebitur probabilis & iusta. Si secundum, continentiam seruare iure compellitur, quia votum continentiæ implicitè fecit eo ipso, quod sciens ac volens sacris est ordinibus initiatus: Sicut etiam preces Horarias Canonicas recitare debet, quamuis nescierit se ea lege obligari: nam qui vnum sciens facit, facere iure creditur, quod est penitus annexū ei, quod facit. Qui prætoris officium sciens recipit, suscipit etiam voluntariè onera officio connexa.

Vndecimò quæritur, an relicta vxor eius, qui ad sacros ordines promouetur, post obitum viri iure possit alteri nubere, & an, si alteri nupserit, matrimonium vim habeat. Conuenit inter omnes, si consensu vxoris expresso vel tacito vir ad sacros ordines ascenderit, viduam relictam alteri nubere iure non posse: quia eo ipso, quod consensit, vt vir sacros ordines susciperet, cogitur religionem profiteri, si inuenis sit, vel suspecta de incontinentia, aut saltem si fuerint sexagenaria, cogitur continentiam perpetuam vouere. Itē constat apud omnes matrimoniū contractum ab huiusmodi vxore vidua relicta irritū esse & inane, *vt patet ex cap. Si se cuiquam, & cap. Si qua vidua. dist. 28. & c. Seriatim. dist. 32.* Sed dubiæ quæstionis est, cur huiusmodi matrimonium sit irritum. Hanc quæstionem tractat Bona. *in 4. dist. 37. in expositione literæ*, & Glossa *in c. Si se cuiquam dist. 28.* Turrec. *in c. Seriatim. distinct. 32. & c. Si se cuiquam. distinct. 28.* Quidam teste Bonauentura, aiunt, vxorem consentientem viro, eo ipso vouere, & huiusmodi votum, cum solenne non sit, impedire matrimonium contrahendum, sed contractum non dirimere. Hoc tamen videtur pugnare cum eo, quod habetur in prædicto capite, *si se cuiquam. distinct. 28.* Quare alij dicunt huiusmodi vxoris votum esse solenne, quia vir & vxor actiones spirituales secum inuicem cōmunicant, quare sicut vir sacris ordinibus initiatus consensu vxoris votū solenne castitatis facit, sic & vxor, quæ viro consensit: ac propterea, si alteri mortuo viro, nubat, nullū est matrimonium. Ipse Bonauentura, & Glossa *in prædicto capite, si se cuiquam*, dicere videtur, hoc ideo esse, quia Canones & iura voluerunt, vt huiusmodi matrimoniū esset irritū & inane. SI QVAERAS, quid iuris sit, quum vir reluctante vxore vel inscia, fuerit sacris ordinibus initiatus. Quidam aiunt idem iuris esse de ea, quod est de vxore, cuius consensu explicito, vel tacito vir ordinatus est: id est, idem iuris esse de vxore consentiente, vel sciente, & non reclamante cum possit: quia, inquiunt, matrimonium non fit irritum ratione voti, quod vxor fecerit, sed quia Canones & iura statuerunt, vt vir & vxor secum inuicem actiones spirituales communicarent, quod vim & locum habet in vtraque vxore. Alij dicunt, nō esse idem iuris in vtraque vxore, & eam, qua renuente vel ignorante, vir sacros ordines suscepit, posse nuptias iure contrahere viro defuncto. Sic videtur sentire S. Thomas *in additionibus. q. 53. art. 4. ad 4.*

Duodecimò quæritur, quid dicendum, si maritus sciente & repugnante vxore est sacris ordinibus initiatus? Respondeo cum Abbate *in cap. 1. de Conuers. coniug. num. 7.* vxorem ius habere repetendi virum suum. *cap. Quidam. de Conuers. Coniug.* & vir vxori restitutus debitum coniugale reddere, iure ipso compellitur, nequit tamen petere debitum, quia suo iure cessit voto castitatis sese obligans, Angel. *Verbo. Matrimonium. 4. num. 11.* Silu. *diuortium. quæst. 17.* Tabien. *Matrimonium. 1. quæst. 3.* Armil. *diuortium. num. 11.* Rosel. *impedimentum. 11.* Idem iuris est, si vir ordinatus est vxore consentiente quidem, sed motu probabili & iusto hoc est cadente in constantem virum coacta. *c. Accedens, de conuers. coniugat.* idem iuris est si per dolum consensit. *cap. Veniens, de conuers. coniugat.* Abbas. Angelus Rosel. Silu. Tabien, Armilla *locis citatis*, idem dicendum si ordinatus est vxore ignorante. *c. Placet, de Conuers. coniugat.* Abbas & alij supra citati: idem dicendum quando ordinatus est vxore sciente, & nec contradicente, nec consentiente, sed conniuente, *vt colligitur ex c. Consuluit, de Conuers. coniug.* Sic Abb. Angel. Silu. Rosel. Tabien. Armil. supra citati. SI QVAERAS, an vir huiusmodi ordinatus, quem vxor dum vixit, potuit repetere, sed non repetiuit, vxore mortua possit iure alteram ducere. Respondeo, non posse. Sic Abbas Rosella, Angel. Silu. Tabien. Armilla *locis supra citatis.*

Decimotertiò Quæritur, An vir post diuortiū legitima iudicis Ecclesiastici auctoritate factum possit iure ad sacros ordines promoueri absque vllo vxoris per diuortium separatæ consensu. Respondet Sot. *in 4. dist. in 36. quæst. 1. art. 5.* ad finem

posse,

posse, si vxor causam diuortio dedit, quippe quæ adulterium publicè cõmisit. Quidã iunior Theologus *tract. de Sacram. Matrim. q. 53. artic. 4.* respondit posse, quia hoc definitum est in cap. Constitutus, de conuers. coniugat. & quia hoc ipsum ratio cõprobat, quoniam huiusmodi vir potest in sæculo manens debitum coniugale vxori perpetuò denegare. Ergo potest sacros ordines recipere. Item potest iure in religionem ingredi, & eam profiteri vxore inuita. *cap. Agathosa 27. q. 2.* ergo & potest ad sacros ordines ascendere. Sed certè nõ est cur Sotus tam certò in hac quæstione sententiam pronunciet, cum sit maximè dubia: nec est, cur ille alius Theologus ita esse definitum *in cap. Constitutus*, affirmet, cum Innocentius, Hostiẽsis, & alij grauissimi Canonici iuris interpretes id omninò negent. Sciendum igitur est: Iuno. Hostien. Ioan. Andream *in cap. veniens, de Conuers. coniugat.* Et Antonium Butrium, & Anchar. & Henricum *in cap. Constitutus, de Conuersio. coniug.* Astẽsem *in Sum. Lib. 8. tit. 11. artic. 2. q. 9.* & Ioan. *in Sum. tit. de Conuers. coniug. q. 58.* docere huiusmodi virum posse quidem religionem capessere & profiteri sine vllo vxoris consensu, *iuxta id quod habetur in cap. Agathosa. 27. quæst. 2.* Sed non posse sacros ordines recipere sine vxoris consensu. Et ratio differentiæ, inquiunt, est, quia eo ipso quod vir sacros ordines recipit, vxor compellitur continẽtiam perpetuò seruare etiam post obitum viri, *cap. Seriatim. dist. 32. & c. Si se cuiquam distinct. 28.* quod locum habere non potest in vxore, cum vir religionem profitetur absque eius consensu: neque enim tunc vllo iure vxor continentiam vouere cogitur. Et quia durum est vxorem inuitam compellere ad continentiam perpetuo seruandam: hinc est vt nunquam citra consensum vxoris vir sit ad sacros ordines promouẽdus, quamuis possit iure se ad religionem conferre. Vnde *in cap. constitutus, de conuers. coniugat.* quia vir quidam post diuortium ob adulterium vxoris ad sacros ordines ascenderat, dolore conscientiæ tactus ad Monasterium se contulit. Nihilominus tamen Abbas *in cap. Constitutus, de conuers. coniug.* contra Innocentium, Hostiensem, & alios sentit huiusmodi virum iure posse sine vxoris consensu ad sacros ordines ascendere: nec in eo casu vxorem à nuptijs contrahendis post obitum viri repelli, quoniam nullum continentiæ votum emittit. Et Palud. *in 4. dist. 37. q. 3. art. 1.* docet, in ijs casibus, in quibus potest iure ingredi in religionem maritus inuita vxore, posse quoque sacros ordines suscipere: cuius sententiam ad verbum sequuntur Silu. *in verbo. diuortium. q. 17.* Tabien. *matrimonium. 1. q. 3.* Armil. *diuortium. num. 11.* Ego quamuis regulam illam generalem Paludani nõ probem, quia vt paulò ante dixi post matrimonium ratũ, quod non est consummatum, vir inuita vel inscia vxore potest iure se ad religionem conferre, nequit tamen ad sacros ordines promoueri: probo tamen in hac parte Abbatis sententiam contra Innocentium, & alios videlicet diuortio facto, ob adulterium vxoris, & legitima iudicis auctoritate confirmato, posse virum sine vxoris consensu ad sacros ordines prouehi. Si obijcias, ergo non erat, cur ille, de quo sermo est in capite, constitutus, de conuers. coniug. conscientiæ stimulo vexaretur, eo quod sacris ordinibus esset initiatus post diuortium factum legitima iudicis auctoritate. Respondent quidam in eo capite, illum ideo conscientiæ stimulis premi, quia adulterium quoq; ipse commiserat: hoc tamen refutat Abbas *ibidem*, quia si vir adulterium admisit, in religionem ingredi non potuit, quoniam eo ipso debuit vxori suæ recõciliari, paria enim delicta mutua compensatione tolluntur, vt dicitur in c. Intelleximus. & c. tua fraternitas, de adulte. Respondet Abbas, eum monasticam vitam suscepisse, vt maiorem suorum peccatorum pœnitentiam ageret. Sed quid si aliquis vxore ignorante creatus, & consecratus esset Romanus Pontifex? nunquid posset vxor eum tanquam virum suum repetere? De hoc Glossa *in cap. Si quis pecuniã. dist. 79.* & Abbas & cæteri *in c. constitutus. de conuers. coniug.* Glossa communi consensu approbata respõdet, si certo constaret vxorem esse, & ignorasse factum, & induci ea vxor non posset, ad continẽtiam perpetuam in religione seruandam, restitui vir ipsi deberet, & Pontificia potestate, & dignitate in foro conscientiæ se abdicare cogeretur. Si res dubia esset, videlicet quia dubitaretur, de vxore, aut de eius ignorãtia, ipse, non alius de re tota iudicaret. Hæc ex Glossa.

Decimoquartò quæritur, An Clerici in minoribus ordinibus constituti iure possint ducere vxorem viduam, siue corruptam. Ratio dubitandi est, quia *in c. seriatim. dist. 32. habetur, Sancta Romana Ecclesia, de gradibus clericorum*, ait. *Clericos, Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolytos, si extra votum & habitum monachi inueniantur, & continentiam profiteri noluerint, vxorem ducere virginem cum benedictione sacerdotali permittuntur: non autem viduam aut repudiatam.* Respondeo, hoc ideo in eo capite dici, quia si huiusmodi clerici corruptam duxerint, amplius ad superiores ordines ascendere etiam post obitum vxoris, vel ad sacra Clericorũ ministeria redire, & Clericorum priuilegijs gaudere iure non possunt: at non peccant, si viduam vel corruptam duxerint animo, & voluntate nunquam amplius superiores ordines capessendi, vel clericorum ministeria obeundi, & priuilegijs potiundi. *cap. 1. de cleric. coniug. in 6.*

Decimosextò Queritur, An clerici minoribus ordinibus initiati, si ad nuptias transierunt priuilegia concessa clericis amittant *in cap. 1. de cleri. coniug. in 6.* ita legimus: *Clerici, qui cum vnicis, & virginibus contraxerint, si tonsuram, & vestes deferant, clericale priuilegium retineant canonis, ab Innocentio Papa secundo prædecessore nostro editi in fauorem totius ordinis clericalis. Et cum iuxta Parisiense Concilium nullus Clericus distringi, aut cõdemnari debeat à iudice sæculari, præsenti declaramus edicto, huiusmodi clericos coniugatos pro commissis ab eis excessibus, vel delictis trahi non posse criminaliter aut ciuiliter ad iudicium sæculare.* Sic ibi. Et in Concil. Trident. *Sess. 23. cap. 6. de reformat.* habetur. *In clericis verò coniugatis seruetur constitutio Bonifacij VIII. quæ incipit. Clerici, qui cum vnicis. Modò hi clerici alicuius Ecclesiæ seruitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ seruiant, vel ministrent: & Clericali habitu, & Tonsura vtantur: nemini quoad hoc priuilegio vel consuetudine etiã immemorabili suffragante.* Hęc Synodus. Nõ sufficit, si vnã tantum vestẽ clericorum deferat, & nõ omnes. Francus & alij *in c. Cle-*

rici.

rici, de cleri. coniug. in 6. Couarr. de Practic. quæstion. cap. 31. num. 7. Porrò vestes clericorum propriæ censentur, eæ quibus communi vsu & more in prouincia recepto clerici honestè vtuntur. Glossa in cap. penult. de vit. & honest. clericor. Couar. loco citato vbi citat Alex. Abba. Cardina. & Rochum. Item necesse est, vt clericus eo tempore, quo delictum admisit, deferat vestes, tonsura vtatur, & inseruiat Ecclesiæ: alioqui non sufficit, si post delictum patratum prædicta habeat, ex Couarruuia loco citato. SI QVAERAT aliquis, an huiusmodi clericus gaudeat alijs clericorum immunitatibus. Respondeo, minimè, sed tantum gaudet priuilegio concesso in cap. Si quis suadente. 17. q. 4. & priuilegio, vt coram iudice ciuili conueniri non possit. Archidiac. Ioan. And. Geminia. & Francus in eo capite, Clerici, & Couarr. loco citato. Vnde liber non est à tributis, vectigalibus, & alijs contributionibus, & muneribus consuetis: nec potest esse Vicarius Episcopi, sicut nō potest laicus. SI ITERVM ROGES, an si huiusmodi clericus negotietur, vel arma deferat, amittat duo prædicta priuilegia. Respondeo non amittere, sic docent Francus & Couarruuias & alij, quia Canones & iura solum postulant, vt gestet vestes clericorum proprias, & tonsuram, & inseruiat alicui Ecclesię Episcopi auctoritate eidē deputatus. SI TERTIO QVAERAS, an in causis ciuilibus videlicet quæ ex contractu, vel quasi contractu descendunt, possit coram iudice sæculari cō ueniri. Francus negat, sed Ioan. And. Anchar. Dominicus, Cardin. & Imola, quos refert, & sequitur Couarruuias, affirmant, quia in capite Clerici, solùm habetur, in causis criminalibus siue criminaliter siue ciuiliter: ergo in ciuilibus priuilegio non gaudet. Sed dubiæ quæstionis est, an huiusmodi clericus possit à iudice sæculari in causis ciuilibus capi, & in carcerem mitti. Francus negat, quia dicitur in c. clerici. iuxta Concilium Parisiense, non posse clericum distringi, aut condemnari à sæculari iudice. Couarruuias ait esse alicubi vsu receptum, vt huiusmodi clericus in causis ciuilibus per iudicem capiatur, in carcerem mittatur, & condemnetur ad debitum soluendum. VLTIMO SI QVAERAS, an huiusmodi Clericus mortua vxore, si redeat ad propria clericorum ministeria, gaudeat omnibus priuilegijs, quæ sunt concessa clericis. Respondet Abbas in c. 2. de vita & honest. cleri. & Couarruuias eum sequutus, gaudere, modo corruptam vxorē non duxerit, & vnam tantum habuerit. Sed nunquid recuperabit ius, quod ab Beneficium primò vacaturum, habuerat, antequam vxorem duceret. Respondeo cum Glossa in c. Clerici, prædicto: minimè, quia sicut eo ipso quod nuptias contraxit, amisit omne beneficium Ecclesiasticum, sic etiam amisit omne ius quod habebat ad Beneficium aliquod vacaturum: & ius extinctum, non reuiuiscit.

∴

Finis Vltimi Libri.

INDEX RERVM OMNIVM HOC OPERE CONTENTARVM,

Prior numerus Paginam, posterior columnam denotat.

Abactor. VOLENS totum gregem abigere vnum tantum peccatum committit. 318.1

Abbas. QUænam iure communi in Abbate requirantur. 1069.2.

An omnes Abbates sacrari aut benedici debeant. 109.2.

An Abbas qui benedici solet Ecclesiæ suæ more tantum die dominico benedici debeat. 1070.1.

Abbatis benedictio ex communi sententia iteranda non est; Abbatissæ tamen benedictio iterari potest. ibidem.

Abbas post electionem confirmari debet, ante benedictionem. ibid.2.

Abbas exemptus Romani Pontificis auctoritate confirmari debet, aut auctoritate legati à latere si vllus sit in provincia, si verò non sit exemptus Episcopi auctoritate confirmatur. ibid.

Priuilegio Romanorum Pontificum monastici ordines obtinuerunt, vt inferiores Abbates superiorum Abbatum auctoritate confirmentur. ibid.

Abbatis auctoritas ad quæ se extendat in solemni benedictione populi. 1071.1.

Abbas adhibito sui conuentus consilio monachum cuius correctio desperatur, eijcere potest, vt pudore suffusus facilius resipiscat. 1071.2.

Facultatem monacho concedere potest, vt in cella separata seorsum ab alijs viuat iusta de causa. ibid.

Ius habet monachos corrigendi absque conuentus consilio. 1072.1.

Non tenetur suo statuto, quod conuentus siue collegij consilio edidit. ibid.

Abbatis statutum non tenet suum successorem. ibid.

Abbas à quarum regularum obseruantia ius habeat soluendi, & eximendi monachos. 1072.2.

Qui priuilegio vel consuetudine deferre solet Episcoporum insignia, cæteros Abbates ijs carentes præcedere debet. ibid.

Abbates iure communi perpetui sunt: vsu tamen & statutis alicubi introductum est, vt triennio solum præsint, ex quo innumera penè incommoda oriuntur. 1073.1.

Abbas iure communi monachum admittere non potest sine conuentu. 1073.2.

Confert ordines minores, non ratione ordinis, sed demanda ta sibi potestate à iure. 391.2.

Abbates vel alij Religionum Præfecti an vouere quidpiam queant. 957.2.

Abbas num in vniuersum monachorum vota possit rescindere. 962.2.

An in rebus monastici instituti votum factum possit dissoluere. ibid.

Abbati an liceat rescindere si vouerit monachus arctius religionis institutum. 963.1.

Abbas, si monachus vouerit aliquid ad tempus in quo sub alius Abbatis potestate erit an id possit dissoluere. ibid.

Abbatissam conuenit esse capacem potestatis spiritualis. 1129.1. Abbatissa

Non est capax potestatis quæ dicitur ordinis. ibid.

Habet ius suspendendi clericos à beneficio non tamen ab officio. ibid.

Habet potestatem præcipiendi monialibus virtute sanctæ obedientiæ ratione voti facti. ibid.2.

Panis particulas consecratas in corporali, patena, vel calice residuas aqua abluere potest. 893.2. Ablutio.

Sumi potest vinum pro particula adhærente palato abluenda. 893.2.

Post ablutionem sacerdos sumere potest particulas relictas. 894.1.

Non dispensauit Deus cum Abraham in lege de non cedendo innocente. 431.1. Abraham

Lex abrogans aliam legem incipit vim habere post quam est legitimè promulgata. 321.1. Abrogare.

Abrogatio excommunicationis non liberat ab excommunicatione præterita. 321.1. & 2.

Abrogare legem quid sit. 371.2.

Abrogat lex posterior priorem sibi contrariam. 375.2.

Abrogatur per legem contrariam consuetudo generalis non specialis. 375.2. & 376.1.

Abrogatur per legem contrariam statutum generale non speciale. 376.1.

Non abrogatur lex iureiurando confirmata per posteriorem nisi eius fiat mentio. ibid.

Non abrogantur per legem generalem priuilegia, rescripta & cætera specialia. 376.1.

Abrogatur clausula priuilegij per clausulam contrariam generalis posterioris. 376.2.

Absolutio ab excommunicatione post mortem. 12.1. Absolutio.

Absolutio ab excommunicatione, & censuris metu obtenta nulla est. 32.1. & 2.

Qui sua culpa à peccatis non absoluuntur annuæ confessionis præcepto non satisfaciunt. 627.1.

Absolutio votorum quid sit. 968.2.

Absoluendi potestas à voti vinculo an sit penes Pontificem. 969.1.

An Episcopus habeat ius absoluendi à voto. 972. 1. vide votum.

Absolutio Hæretici à peccato, & excommunicatione Romano Pontifici est reseruata. 655.2.

Absoluere hæreticum sibi subiectum ab occulta hæresi Episcopo concessum est in Concilio Tridentino. ibid.

Ea facultas iam sublata est per clausulam positam in bulla cœnæ Domini. 656.1.

Quatenus absoluendi potestatem Episcopis concessam in communi si ijs abrogata non esset, alijs committere possent. ibid.

Facultate generali absoluendi à quibuslibet casibus in bulla cœnæ, non intelligitur facultas dari absoluendi ab hæresi. 657.1.

Facultas concessa absoluendi hæreticum intelligitur solum data in foro interiori conscientiæ. ibid.

Absolutus in foro conscientiæ ab hæresi, vt particeps sit suffragiorum Ecclesiæ, & vt ad sacramenta accedat, vt in exteriori se gerat. 657.1.

Presbyter absolutus ab hæresi in foro interiori si publicè missam faciat, irregularis habetur, & vt talis punitur. 657.2.

In mortis periculo hæreticus vt absolui possit à quouis presbytero. ibid.

Liber ab isto periculo mortis, nisi præsentet se ei cui absolutio hæresis reseruata est in excommunicationem relabitur. ibid.

Absoluere non potest sacerdos ad peccatorum confessiones audiendas electus vi Iubilæi. 685. 1.
Pontificia auctoritate id commissum esse oportet. ibid.
Ab hæresi mentali quilibet idoneus confessarius absoluere potest. 685. 1.
Morti proximus à quolibet Sacerdote absolui potest, & post mortem in foro exteriori. ibid.
In foro interiori absolutus immunis non fit à pœnis quibus subijciebatur in exteriori. ibid. 2.
Asserenti sacerdoti ab se absolutum esse hæreticum in foro conscientiæ, in foro exteriori non oportet adhibere fidem. 686. 1.

Actio. Actio humana quid sit. 1. 1.
Quot modis accipiatur. ibid.
Propriè congruit homini per rationis, & voluntatis facultatem. 1. 2.
Excludit eas actiones, quæ ex sola intelligendi, ridendi, flendi potestate manant. ibid.
Postulat dominium naturale. 2. 1.
Est eadem cum libera quam in vita mortali exercemus. ibi.
Libera quid sit. 3. 1.
Quando propriè sit libera dicenda. 4. 1.
In amentibus, & pueris non est. 4. 2.
Actio libera esse potest sine consultatione. 7. 1.
Naturalis quæ, & quando voluntatis Imperio subijciatur, & quæ non. 8. 2. & 69. 1.
Bonitas eius, & prauitas in quo consistat. 70. 1.
Humana diuerso respectu diuersimodè est bona. ibid.
Meritoria debet esse libera. 70. 2.
Voluntatis vnde secundam bonitatem habeat. 71. 1.
Imperata sæpe est honesta ex proprio obiecto. 73. 2.
Eadem imperata sæpe est honesta ex actu cuius Imperio fit. 73. 2.
Exterior mala est sua natura, non sola voluntate, ideoq; prohibenda etiam conatu corporis. 16. 2.
Elicita quid sit propriè, & quid differat ab imperata. 45. 2. & 46. 1.
Circumstantiæ eius quæ sint, ex quibus bonitas, & prauitas sumitur. 74. 2. & 75. 1.
An mutari possit à circumstantia vel fine adiuncto. 76. 2.
Actus eliciti quot sint, & quid sint. 46. 1.
Actibus peccatorum discernendis duæ regulæ principales. 77. 2. & 78. 1.
Indifferens in individuo, an & quomodo dari possit. 79. 1. & 2.
Actus externi circumstantia omnis relata ad internum voluntatis, an transeat in obiectum. 80. 2.
Actuum voluntatis essentiales, an sint bonum, & malum. 81. 1
Actus interior voluntatis idem, an lapsu temporis possit esse bonus & malus. 82. 1.
Interioris actus bonitas, an solũ ab re obiecta sumatur. 82. 2.
Interioris actus voluntatis bonitas à recta ratione pendet. 83. 1.
Ex fine malo, & bono simul existens bonus, & malus esse nequit. 85. 2.
Exterior actus an per se, & intrinsecè sit bonus, & malus. ibid.
Actus interior an in exteriorem prauitatem transmittat. 87. 1.
Actus exterior non sine ordine ad rationem est malus, vel bonus. ibid.
Interior ex fine proposito quando prius sit deformis exteriore. 87. 1. & 2.
Exterior an possit prius esse bonus ex obiecto, & circumstantijs, quàm interior. 86. 2. & 87. 1.
Vterq; interior, & exterior, an constituant duo, an vnum peccatum. 88. 1.
Exterior adiunctus interiori, an bonitatem eius augeat. 88. 2.
Humani actus, an sint boni vel mali, quia cum lege Dei consentiunt, vel dissentiunt. 90. 2.
Actio contra conscientiam errantem, an sit peccatum, & in certa specie peccati. 91 1.
Actio contra conscientiam nunc lethalis, nunc venialis. 91. 2.
Contra conscientiam dubiam de veniali, vel mortali peccato mortalis est. ibid.
Actio indefinita de præcepto est peccatum contra synderesin. ibid.
Contra rectam rationem non errantem, duplex sit peccatum. ibid.
Actio per conscientiam bona fide errantem, an possit esse bona. 92. 1.
Actus qui, & quos habitus generent. vide habitus.
Actio sæpe taciti consensus vim habet. 10. 2.
Actione Mandati tacita fit obligatio. 9. 1.
Actione arcendæ pluuiæ exsolutio fit per silentium.
Actio iudicialis datur in rescindendis contractibus metu factis. 19. 1.
Actus trifariam potest referri in Deum, actu, virtute, habitu. 15. 1.
Actus exterior quando in confessione exponendus sit. 14. 2.
Circumstantiæ actus septem minuunt voluntarium.
Actus interni duplicis sunt generis, & quos Ecclesia præcipere possit. 832. 2.
Actus interdum omissionem continet, 206. 1. & 2 5 2.
Actus coniunctus amissioni, omissionis caussa & comes. vide omissio. ibid.
Actus comitantes peccatum per se, indifferentes non sunt explicandi, in confessione, sed per se mali. 220. 2.
Actus turpes præcedentes, & comitantes turpem congressum ab illo numero non distinguuntur.
Actus interior voluntatis in quo inest peccatum veniale, non potest transire in lethale. 238. 1. & 2.
Actus interior mutato fine mutatur. 238. 2.
Actus per se malus, bonus esse non potest. 268. 2.
Actus interni lege humana præcipiuntur ex conuentione. 345 1. Et ij qui requiruntur, vt actus sit humanus. 345. 2.
Et qui sint causa affectus, externus actus comitari soliti. 345. 2. Alioqui potestati humanæ non subijciuntur. ibid.
Actus externus quantumuis occultus potestati humanæ subest. ibid.
Actiones legis quando introductæ sint. 311. 2. Appius Claudius eas in formam redegit. ibid. Gn. Flauius easdem vulgauit. ibid.
Sex. Aelius alias composuit. ibid.
Acta crimine si occulti ipso iure publica functione priuati ante criminis declarationem dum saltem magnam popali partem latet, valent. 340. 1.
Acta notorij, & intrusi, & palam occulti, apud eos, qui crimen nouerunt non valent. 10. 2.
Est vitium quo quis fastidit res diuinas, & spirituales. 134. 2. & 258. 2. Acedia.
Repugnat charitati. ibid.
Quid differat à Pigritia. ibid. Filiæ eius ex suo genere lethales enumerantur. 259. 1.
Accusatorem corrumpere in causa sanguinis iure ciuili licet, canonico non licet. 400. 1. Accusator
Adam an ante lapsum adoptionis gratiam acceperit. 183. 1. Adam.
An fuerit cum Iustitia originali, & gratia procreatus. 184. 1.
Sibi & posteris primam gratiam originalem accepit. 184. 2.
Adami posteri, an cum Iustitia originali gratiam adoptionis

fuerint consequuturi.185.1.& 2.
Ante peccatum Adæ an fuerint eius posteri in gratia procreandi 185.2.
Adam & posteri vicka prima tentatione confirmandi erant in gratia.186.2.
An per proprium voluntatis actum se ad Iustitiam originalē præpararit.188.1.
Adami plena & perfecta tranquillitas quomodo intelligenda sit.191.1.
Vita æterna ante lapsum nei tantùm erat merces,non gratia reparationis,vt nobis.203.2.
Scholastici sentiunt eum non potuisse se præparare sine speciali auxilio ad diuinam gratiam. Patres qui aliter videntur sentire, quomodo intelligendi sint.ibid.
Cum originali Iustitia creatus indigebat gratiæ auxilio.203.2.& 204.1
Accepit quo perseuerare posset,non quo perseueraret.ibid.
Ante lapsum egnit gratia,vt in bono permaneret,non vt bonum reciperet.204.2.
Habebat gratiam,vt posset non peccare,non mori,sed non vt non peccaret,non moreretur.ibid.
Poterat vitare peccatum veniale per dona supernaturalia accepta cum originali Iustitia.ibid.
An copiosior fuerit eius gratia,quàm Iustorum post lapsum. 205.1.
In eo ante lapsum non potuit esse peccatum veniale, ex imperfecto actu.240.2.& 241.1.neq; ex leuitate materiæ. 241.2.
Si veniale peccatum contraxisset sine Dei gratia deleri non potuisset.242.2.
Non Deus sed peccatum abstulit illi Iustitiam originalem. 288.2.
Priuatio Iustitiæ originalis habuit in eo,rationem peccati actualis,non originalis.ibid.
Sibi & posteris acceperat Iustitiam originalem, eandem vtrisq; amisit. 289.1.
Traduxit in posteros peccatum originale, quia cum esset instrumentum ad copulandam animam ornatam Iustitia originali cum corpore, ea priuatam coniunxit.294.1.& 2.
Per pœnitentiam gratiam sibi recuperauit, non posteris. 295.1.
Solum primum eius peccatum transmissum in posteros. ibid.
Ex Adamo progeniti peccantes,ipso non peccante, peccatum non traducerent 296.1.& 2.
Si qui fuissent progeniti ante peccatum,illud non contraxissent.296.2.
Filij tamen eorum contraxissent. 297.1. Si solus peccasset, peccatum transmisisset.297.2.

Addi. Addi aliquid verbis Dei quando dicatur. 329.1.

Adoratio. An adoratio sit actus Religionis exterior tantum, an etiam interior.734.1.
An cultus adorationis nomine significatus soli Deo tribuendus sit.ibid.
An sit aliquis actus venerationis,& cultus externi,qui sua pte natura,aut saltem ex communi hominum opinione, ex institutione soli Deo deferatur.734.1.
Adorandi verbum Latinis aliàs est commune, aliàs proprium.737.2.
Qui cultus,& veneratio Deo,qui sanctis debeatur.733.2.

Aduentus Olim apud Romanos ieiunium seruabatur in aduentu.579.2. Hinc apud Religiosos ieiunium in aduentu mansit. ibid.
Aduentus quando incipiat,& de cæremonijs eius temporis. 844.2.

Adulterium committens lucri gratia magis est iniustus, quā intemperans.74.1. Adulteriū

Aliorum sententiam probabilem contrariam sua sequi potest.117.2.& 118.1. Aduocatus.

Affectus animæ qui sint,& vnde dicti.127.1. Affectus.
Quomodo generentur.127.2. Quid sint.ibidem.Sunt actus appetitus iudicium sequentis.128.1.
Pro instramento potissimum cor habent.128.2.
Appetitus concupiscendi,& irascendi re distingui videntur. 129.1.
Vtriusq; obiectum est bonum ratione distinctum.129.1.& 2
Sintne quatuor affectus,an vndecim.130.1.
Non sunt per se mali.144.2.
An cadant in virum sapientem.145.1.
An penitus euelli possint.ibid.
Tantùm hominibus propriè insunt.ibid.
Alij ex obiecto sunt boni,alij mali.145.2.
Generales affectus quatuor,an sint in facultate irascente,& concupiscente.ibid.
Quæ virtutes hisce affectibus moderentur.146.1.
An Deo conueniant.ibid.
In Christo fuerunt,sed diuerso modo.146.2.
Affectus,an sint in Beatis,& Angelis.147.1.
An in primis parentibus fuerint.ibid.
An ex peccato primorum parentum sint orti.ibidem.
Affectus duplices.345.2.qui externos actus comitantur,& se prodant legi humanæ subijciuntur.ibid.

Honor & veneratio debetur cereis Agnis Dei.747.1. Agnus
Modus sacros Agnos ritè habendi, asseruandi, deferendi, 747.2. Dei.
Laicis tangere,& contrectare nefas est.ibid.
Agnos Dei emere,& vendere nefas.ibid.
An præcisè ratione materiæ,& impensarum id liceat.748.1.

Precatio,Agnus Dei à quo institua fuerit.906.2.

Alienatio rei Ecclesiasticæ perpetua expressum consensum postulat.10.1. Alienatio.
Alienationes eorum quorum bona ob crimen ipso iure Fisco addicta sunt, ante condemnationem factæ sunt irritæ. 338.2.nisi crimen numquam probetur.ibid.
Alienatio rei immobilis statuto iustè prohiberi potest.412.2
Præter quàm si sit contra immunitatem Clericorum,Ibid.
Alienatio iureiurando confirmatur.923.2.

Dictio repetitiua similium aliquando ea non repetit.422.1. Alius.

Iure communi debet esse lapideum.883.1. Altare.
Consecrari debet ab Episcopo.ibid.
Simplici presbytero committi ab Episcopo hæc consecratio nō potest.Ibid.
Hoc ius commune est Episcopis ratione ordinis.ibid.
Simplex Sacerdos non potest consuetudine vel præscriptione hoc ius acquirere.ibid.
Quis extruere & destruere possit altare.ibid.2.
Portatile quàm magnum esse debeat.ibid.
Consecratio altaris fieri non potest sine reliquijs sanctorum. 884.1.
In locum reliquiarum nunc corpus Dominicum substitui non potest in consecratione altaris.ibid.
An liceat presbytero eodem die sacrificare in altari in quo Episcopus rem diuinam fecit.ibid 1.& 2.
Altare consecratum quot modis desinat esse sacrum.884.2.
Altaria plura eadem die, in eadem etiam Ecclesia iure consecrantur.ibid.
Altare stabile polluitur polluta Ecclesia,& contra.ibid.
Altare non amittit consecrationem quod amittat Ecclesia,et contra.ibid.

Est immodica honorum,imperiorum,dignitatum,ac potentiæ cupido. Ambitio.

cupido.281.1.& 257.1.& 134.2.

Tripliciter in his peccatur appetendo, acquirendo, retinendo. 231.2.

Quid differat à superbia & inani gloria. ibid. Quando sit lethalis. ibid.

Amicitiæ amor. An sit virtus Amicitia, & quæ.

Tria requirit. & continet. 725.2.

Amor amicitiæ quis sit, & quis concupiscentiæ. 57.2.

Amor amicitiæ quomodo possit non esse ad alterum, & non mutuus. 57.& 58.1.

Amore amicitiæ non amari virtutes. 58.1.

Amor vnius quo pacto sit maior altero. ibid.

Amor Dei quomodo sit intentior. ibid.

Amor quid sit, & quotuplex. 130.2.

Amor re obtenta non finitur nec desinit. 131.2.

Amor re à desiderio & delectatione distinguitur. 132.1.

Amor omnium affectuum est primus. 132.2.

Amor non est omnis affectus qui in animo est. ibid.

Amoris effectus quinam sint. 133.1.

Amor amicitiæ mutuum respectum & ordinem benevolentiæ vnius ad alterum exigit. Amor Benevolentiæ seu Charitatis non item 726.1.

Amor Dei erga homines, & Angelos differt ab amore hominis in alterum. ibid.

Amor hominis erga Deum sine naturalis, & supernaturalis. ibid.

Amor hominis viatoris positus tantus esse quantus est Beati. 729.1.

Angelus. Angeli mali acceperunt quo perseuerare potuissent, non quo perseuerassent. 204.2.

In statu innocentiæ non poterat eis inesse peccatum veniale ex imperfecto actu. 241.1. Neq; ex leuitate materiæ probabilius est. 241.2.

Angeli propria ex deliberatione eligunt. 65.1.

Anima. Animæ partes, superior, & inferior. 266.2.

Peccatum lethale est contra superiorem partem. 266.2.

De animæ origine Augustini dubitatio & scripta. 293.2.

Animæ rationales quotidiè à Deo creantur. ibid.

Annus. Quando inceptus, quando expletus intelligatur. 423.2.

Annus, & tempus probationis. Quære Tempus probationis.

Antipho na. Quid nomine Antiphonæ significetur. 842.2.

Auctor Antiphonarum apud Græcos fuit S. Ignatius, apud Latinos S. Ambrosius. ibid.

Angor. Anxietas. Angor quid sit. 142.1. Anxietas quid sit. 140.2.

Appellatio. Appellationis tempore rescriptum non impetrandum. 336.1.

Apostata. Apostatæ nomine quid significetur. 691.1. Et quotuplex sit Apostata. ibid.

Apostata idem qui hæreticus. 691.1.

Tribus modis fit Apostata. 691.2.

Apostata exterior in foro exteriori pœnas meretur Apostatæ & peccat mortaliter contra confessionem fidei. ibid. Excommunicationem tamen in foro conscientiæ non incurrit. 692.1.

Apostata ad religionem reuersus, & pœna iuris absolutus, ac bonæ famæ, eligi potest in Abbatem aut Præpositum. 1060.1.

Apostatarum pœna eadem quæ hæreticorum. 692.1.

Apostata ipso iure irregularitatem contrahit. ibid. 2.

Ad fidem reuertentes recipi debent. ibid.

Inquisitores & Episcopi ius habent in eos qui matrimonium publicè contrahunt deserta religione sua. 623.1.

Apostolus Apostoli, quædam vt ministri Christi, quædam vt Ecclesiæ Præsules constituerunt. 372.2.

Apostolicæ Constitutiones quas Apostoli vt præsides Ecclesiæ tradiderunt, relaxari possunt. 372.2.& 373.1.

Aqua. Aquæ benedictæ quis vsus requiratur ad peccatorum venialium remissionem. 250.2.

Delet peccata venialia ex opere operato. 251.1.

Quomodo per eam dicamur sanctificari. 251.2.

Per eam dæmones fugantur. ibid.

Vnum est è sacramentalibus. 113.1.

Aqua vino miscenda est in calice, Ecclesiæ præcepto. 891.1.

Aqua prius in vinum conuersa deinde in Christi sanguinem conuertitur. ibid.

Quantum aquæ in calicem infundendum. 891.2.

Peccat lethaliter qui aquam in vinum non mittit. ibid.

Valeret tamen vini consecratio etiam sine aqua. 890.2.

Archidiaconus. Archidiaconus si vi consuetudinis sine Episcopi authoritate curam animarum committat corruptela est. 390.2.

Arma. Cum armis deprehensus statutis pœnis non est obnoxius, nisi qui ea tulisse conuincitur. 412.2.

Armorum nomine quid intelligatur. ibid.& 413.1.

Eo statuto non tenentur iter facientes aut domi arma habentes. ibid.

Arrogantia. Quid sit. 134.2. Vulgo præsumptio, nimia publicarum administrationum, officiorumue, quæ vires exuperant cupiditas. 231.1.& 257.2.

Tripliciter in his potest peccari, appetendo, acquirendo, retinendo. 231.2.

Quando sit lethalis. 235.2.& 236.1.

Attentio. Attentio animi multiplex. 831.1.

Attentio habitualis non sufficit ad persoluendas preces horarias. 831.2.

Per attentionem ad sensum verborum in recitando officio, etiamsi in pronunciando erretur satisfit Ecclesiæ præcepto. ibid. vide Distractionem.

Attritio. Sufficit ad venialis remissionem. 247.1.& 2.

Auaritia. Quid sit peccati. 134.2. Est nimia præter modum pecuniarum & diuitiarum libido. 231.1. Lucri cupiditas. 257.2.

Tripliciter in ea peccatur. 231.2.

Opponitur iustitiæ & liberalitati 257.2.

Compellendus sæpè auarus ad restituendum. ibid. Eius filiæ. ibid.

Lethale peccatum est cùm graue damnum alteri infertur. 258.1.

Auctor. Auctoritas. Auctoritas metu extorta nulla est. 23.1.

Auctores Classici inter Theologos quinam censendi. 104.2.& seq.

Qui in iure canonico. 105.2. qui in iure ciuili. 106.1.& 2.

Augustus. Augustus primus constituit Imperatorem suis legibus solutũ esse debere. 348.2.

Augusta nisi beneficio principis exempta legibus tenetur. 351.1.

Balaam. Balaam & Sybillæ an fuerint vaticinati afflatu diuino. 769.2.

Baptismus. Baptismus cùm in triplici mersione cõfertur, effectum suum non sortitur, nisi in aduentu tertiæ mersionis. 858.2.

Merita Christi infinita finitè à nobis per Baptismum participantur. 848.2.

Est instrumentum voluntarium Christi ad gratiam paruulis conferendam. ibid.

In paruulis voluntate Christi est definiti effectus. ibid.

Baptismus infantium antiquior temporibus Origenis. 282.2.

Ex eo probatur peccatum originale. ibid. per illum peccatum originale deletur. 288.1.

Non restituuntur omnes Iustitiæ originalis effectus. ibid.

Non esse in paruulis remedium peccati, error est Caluinistarum. 304.1.

In Baptismo Gratia, Charitas, Fides, & Spes infunduntur. 307.2.& 308.1.

Ad Baptismum compelluntur adulti & vi præcepti, & necessitate remedij. Infantes sola necessitate remedij. 350. 1

Baptismate inuitis parentibus hæreticorum infantes donari possunt, quos iam renatos inuitis restituere, nec debemus nec possumus. 708. 2.

Infantes paganorum inuitis parentibus baptizare non licet. 709. 1.

Ex alterutro parente Christiano infanti baptismum conferri licet. 709. 2.

Distantibus longissimè infidelibus eorum filios, si ad Christianos deuenerint, baptizare licet. ibid.

Expositis apud Christianos iure datur Baptismus. 710. 1.

An oblatis ab ipsismet parentibus paganis, vt ne fateant corpuscula, aut à dæmonibus vexentur baptismum conferre liceat. ibid.

Iudæorum, & infidelium etiam mancipiorum paruulis inuitis parentibus baptismum conferre non licet. ibid.

Si conferatur ratus erit Baptismus. 710. 2.

Qui eo casu parentes dicantur. 710. 2. & 711. 1.

Iamiam morituro infantulo baptismus conferri potest inuitis parentibus. 711. 1.

Si petant infidelium filij rationis compotes etiam inuitis parentibus, quamuis annos pubertatis non excesserint conferri potest, si dubium sit, an sint rationis compotes, non item. ibid.

Beatus. Beatorum actus quomodo sint liberi censendi. 2. 1.

Beati sunt liberi à peccato. 3. 1.

Benedictio. Benedictio Pontificia vel Episcopalis vnum ex sacramentalibus. 253. 1.

Beneficiarius. Beneficiarij post impetrationem beneficij à sede Apostolica tenentur ad literarum expeditionem. 315. 1. alioqui pro intrusis habendi. 127. 1. non item qui impetrant ab ordinarijs. 316. 1.

Scienter preces horarias omittens an iure naturali, aut canonico communi ante iudicis sententiam fructus restituere teneatur. 837. 2.

Beneficiarius Clericus Romani Pontif. auctoritate potest absolui ab horis canonicis recitandis. 835. 2.

Omittens preces Canonicas post sex primos menses ab obtento beneficio restituere debet fructus, respondentes tempori quo omisit: nouo decreto Concilij Lateranensis. 838. 1.

Qui intra primum semestre scienter prætermittit lethaliter delinquit, sed tamen nihil restituere tenetur. 838. 2.

Omittens horas canonicas non potest tuta conscientia post Lateranense, & Constitutionem Pij V. eam fructuum partem retinere, quam eius labor, quo alioqui Ecclesiæ inseruit, meretur. 838. 1.

Ex mente vltro distracta persoluens diuinum officium restituere tenetur ex probabiliori opinione. 839. 2.

Excommunicatus suspensus irregularis etiamsi diuinum officium persoluat, beneficij fructus non lucrifacit. 11. 2.

Huiusmodi post absolutionem harum pœnarum vi fructus ante perceptos tutè retineat à Pontifice impetrare debet. 840. 1.

Fructus restituendos ob prætermissum officium non necessariò impendere tenetur quis in vsus Ecclesiæ, in qua situm est beneficium. 840. 2.

Non debet restituere fructus quos percepit in peccato lethali. ibid.

Beneficiarios quibus Rom. Pont. scienter beneficia contulit superior suo nutu amouere nequit. 1079. 2.

Beneficiū. Beneficium & priuilegium est in rem eius cui cõfertur. 16. 1.

Beneficij abdicatio metu facta superioris consensu rata est. 23. 2.

Beneficio ipso iure priuatus, tuta conscientia id retinet, valent eius acta. 340. 1.

Beneficium eius tanquam vacans impetrari potest. 340. 2.

Beneficia plura vt quis habeat legitima causa consuetudo introduci potest, aliter non potest. 379. 2. & 392. 2.

Beneficia regularia conferuntur quædam per electionem canonicam, quædam authoritate superioris regularis, quædam aliter. 1060. 2.

Biblia. Sacras literas bibliorum non licet interpretari contra communem & vnanimem Patrum consensum. 1224.

An liceat biblia in propriam cuiusq; nationis linguam conuertere. 713. 2.

An partes saltem, vt libri, capita &c. sententiæ insertæ in Catholicorum libros, Euangelia & Epistolæ, & totius anni & preces horariæ vulgari lingua trãsferri possint. 714. 1.

In vernaculas linguas conuerti non expedit. 715. 1.

Interpretandi auctoritas penes Ecclesiam est. 635. 1.

Aliquando loci obscuri, aliquando ambigui, aliquando contrarij videntur. ibid. 2.

Interpretari contra vnanimem Patrum consensum non licet. 636. 1.

Sæpe plures sensus habent. ibid.

Verba ex ijs ad profanam & vanam interpretationem detorquere non licet. ibid.

Vnus locus duos potest sensus habere, literalem, & mysticũ. ibid. 2.

Quis & quotuplex sit sensus literalis. ibid.

Quando propriè, quando metaphoricè interpretanda. ibid.

Mysticus sensus quis, & quotuplex. ibid.

Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus sensus quid sit. ibid.

An quilibet Mysticum sensum habeat. 637. 2.

Ex mystico sensu non sumitur efficax argumentum ad probandas res fidei. 638. 1.

In rebus malè gestis, quas refert scriptura, an contineatur sensus mysticus. ibid.

Quando sensus mysticus ad confirmanda fidei dogmata valeat. 638. 2.

In scripturis eiusdem litteræ possunt esse plures literales sensus. ibid.

Vulgatæ editionis auctoritas quæ sit. 639. 1.

Hebraica, & Græca editio non damnatur. 639. 1. & 2. ea quomodo suam fidem teneant. ibid.

Vulgata editio quo pacto omni errore careat. 632. 2.

An interpres Latinus vulgatus Spiritum S. assistentem sibi peculiariter in vertendo habuerit. 640. 1.

Græca LXX. editio quomodo sit authentica. 640. 1.

Bibliothecæ. Bibliothecæ libros omnes surripiens vnum tantum peccatum commisit. 218. 1.

Blasphemia. Qui Deo simul, & sanctis maledicit toties peccat, quot sunt personæ quibus maledicit. 220. 1.

Cui virtuti opponatur. 778. 1.

Blasphemiæ peccatum quid. 720. 1. & 778. 1.

Quot modis contingat. 778. 2.

Maledictum in sanctos an habeat rationem blasphemiæ. 779. 1.

Blasphemos quibus pœnis iura afficiant. ibid.

Blasphemus publicus in Deum, Christum, B. Virg. an admonendus sit ab eo, qui audit, etiam sine spe emendationis. 780. 1.

Blasphemi publici in Deum & sanctos an deferendi sint ad iudices. 780. 2.

Maledici in Deum & sanctos quomodo in Confessione sint absoluendi. ibid.

Maledicta in Deum differantne specie à maledictis in Sanctos. 780. 1.

Blasphemia manifesta & notoria an Episcopo reseruata. ibidem.

Blasphemus in Deum, & Sanctos in foro pœnitentiæ absolu-

tus in exteriori puniri potest. ibid.
Blasphemus in Deum, & Sanctos in foro exteriori absolutus ab Ecclesiastico iudice an denuò apud sæcularem accusari possit & puniri. 781.2.
Maledicus in Deum & Sanctos, an vnum tantum peccatum admittat, & vna sit pœna mulctandus. ibid.
Maledicens Deo ex subita ira lethaliterne peccet. ibid.
Consuetudo maledicendi in aliqua pronincia non excusat à peccato, & pœna iure in blasphemos constituta. 782.1.
Blasphemi inueterati quomodo in Confessione sint tractandi. ibid.
Blasphemus dicturus testimonium in iudicio, quasi infamis repellendus. ibid.

Bonum, Bonitas.

Bonum minus, maiori repudiato, an eligi possit. 63.2.
Bonitas, & honestas humanæ actionis quid sit. 70.1.
Bonitas moris idem est, quod rationis. 70.2.
Bonitas, & pranitas moris non sunt tantum respectus ad rationem. ibid.
Bonitas prima moralis actus ex obiecto petitur. 71.1.
Bonitas secunda ex fine sumitur, quem sibi voluntas constituit. 71.2.
Bonum, & malum an sint differentiæ substantiales actuum voluntatis. 81.1.
Bonitas interna actuum voluntatis à recta ratione pendet. 83.1.
Bonum, rectum, studiosum, laudabile, meritum, & horum contraria in actibus voluntatis quomodo differant. 89.2.
Bonum opus, an necessariò fieri debeat propter Deum. 124. 2.
Satis est fieri gratia & studio honestatis, vt sit bonum. 124. 2. vide Opus bonum.
Bonum omne sui amorem generat. 133.1.

Brutà.

Naturam non ducunt, sed ducuntur ab illa. 4.2.
Brutis inest prudentiæ, virtutis, & artis simulacrum, non ratio. 5.1.
Aliquando intermittunt actionem naturalem affectu detenta. 4.2.

Bullæ.

Bullæ Pontif. obligant post promulgationem Romæ factam, etsi non in prouincijs. 319.1. neque contra faciens excusatur à peccato, nisi consuetudo eas abrogauerit. 319.2.
Vsu non receptæ vim non habent. 324.1.
Non licet Laicis Apostolicas literas reijcere, aut impedire, sed coram Ecclesiastico iudice contra eas excipere, appellare ad Rom. Pont. 368.1.
Nec eas discutere nisi commissa sibi à Rom. Pont. auctoritate possunt. 368.2.
Licet tamen de ijs dubitare, aut disputare. 370.2.

Caietà-nus.

Eius sententia de natura peccati reiecta. 207.1. melius explicatur. 209.2. Quod dixerit animam corpore egressam primo momento non esse omnino extra hanc vitam, ac bene & malè mereri posse refutatur. 254.2.
Pueros, quibus baptismus dari nequit per signum Crucis, & inuocationem SS. Trinitatis saluari posse, temerè dixit. 306.1. Etiam in vtero clausos. ibid.

Campanà.

Post certum campanæ signum cùm statutum arma ferre prohibet, non alligat in hebdomade sancta, cùm illa non sonat. 413.1.

Canonicus.

Canonicatum simul cum dignitate haberi posse. 96.2.
Canonici ad chorum, & cantum deputati non satisfaciunt muneri suo nisi cum alijs cantent. 830.1.
Ijdem non acquirunt distributiones quotidianas, si non cantent. ibid.
Acquirunt, ac retinent tuta conscientia vbi viget consuetudo, vt præsentes quidem cantent per substitutos. 830.2.
Huiusmodi consuetudo non tollit ius naturæ, sed canonicum. ibid. valet ea consuetudo etiam post Constitutionem Pij V. & Tridentinum. ibid.
Canonicus priuatim domi recitans officium vel in choro non cantando cum alijs, nec submisse quidem pronuncians versiculos ad se pertinentes, non satisfacit Ecclesiæ. ibidem.
Canonici ad cantum in choro adstricti, ibi etiam diurnum officium reddere debent ibid. alij implent præceptum alibi recitando, quàm in templo.
Canonicorum collegium in rebus grauioribus consuetudinem inducere non potest sine consensu Episcopi, in alijs potest. 388.1.
Vt Canonici pastorem non eligant, nisi cum assensu principis consuetudine induci potest. 390.1.
Canonicorum regularium quænam fuerit origo, quæ propagatio, quibus conueniant, & distinguantur à monachis. 1077.1.
Canonicus regularis beneficium sui ordinis, & monasterij in titulum habere potest; duo simul habere non potest sine dispensatione 1080.2.

Capitale.

Capitalia peccata explicantur. 255.1. quare septem sint. ibidem.

Cardinalis.

Cardinalem persequentium bona ipso iure Fisco addicta sunt. 334.2.
Cardinalis tenetur bullis Pontificijs in suum fauorem actis. 350.1. & 2.
Constitutionibus conciliorum generalium, & iuris communis tenetur. 18.2.
Non tenetur constitutionibus contra clericos, beneficiarios, dignitates. ibidem. neque constitutione lata generatim contra Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, etsi ipse talis sit. ibidem. neque lege de materia in qua ipsi priuilegio gaudent. 351.1. neque generatim lata contra curiales. ibidem. neque vlla constitutione generali quo ad pœnas, & odia. ibid. neque generalibus regulis Cancellariæ. ibid.

Carò.

An aliquando liceat carnibus humanis vesci. 597.1. nefas est carnes humanas bestijs deuorandas obijcere. 597.2.

Carthusianus.

Regula interdicens ijs esum carnium iusta est. 333.1.
Licet ei etiam cum probabili vitæ discrimine carnibus abstinere ob honestum finem, si is desit, non licet. 333.2.
An Carthusianorum religio, sit arctior religione Minimorum 1051.1.
An religiosus Franciscanus Obseruans, vel Cappuccinus iure possit ad Carthusianos transire. 1051.2.
Carthusianorum Ordo quando, & à quo institutus. 1075.2.
In eo sunt sedecim prouinciæ, monasteria. 189. monachi. 3200. ibid.

Catechumenus.

Pro Catechumenis per baptismum renatis orare solebat Ecclesia. 868.2.
Cathechumenus qui ante baptismum gratiam acceptam amittit peccando, an eam per baptismum recuperet. 918.
Missa fidelium nunquam pro Cathechumenis ab Ecclesia oblata fuit. 868.2.

Castitas.

An religiosus qui solum tacitè professus est religionem, incurrat in sacrilegium, si castitatem non seruet. 1043.1.
An religiosus castitatem violans suum peccatum satis confiteatur, si exprimat se Castitatis voto teneri, taceat tamen se religiosum. ibid.
An si religiosus sit initiatus sacris ordinibus, inter confitendum debeat vtrumque exprimere. ibid.
Qui post votum simplex Castitatis matrimonium contrahit, antequàm illud consummet, peccat. 976.1.
Qui post simplex castitatis votum matrimonium peccando contraxit, illud consummando peccatum denuò committit. 976.2.

Voto simplici Castitatis obstrictus si matrimonium cõtrahat toties votum violat, quoties coniugale debitum exigit. 977.1. tuta tamen conscientia debitum coniugale reddit si à coniuge petatur. ibid. si vterq; simplici castitatis voto obligatus sit iure nequeunt vicissim petere, vel reddere debitum. 977.2.

Huiusmodi voto deuinctus vxore mortua non potest ad secundas nuptias transire, sed potest ad vitam monasticam transire. ibid.

An vouens nunquam contrahere matrimonium peccet si matrimonio contracto reddat debitum. ibid.

Quæ iuris diuersitas in ijs, qui post simplex castitatis votum, & qui post simplex religionis votum se matrimonio coniungunt. 278.1.

Voto simplici astrictus de sacris ordinibus susc ipiendis matrimonium contrahendo peccat, & post contractum religionem profiteri tenetur. ibid. 1. & 2.

An eius qui puellæ promisit se eam in vxorem ducturum, & deinde se simplici castitatis voto obstrinxit, valeat votũ ac sponsalia. 918.2.

Votum virginitatis à voto castitatis per se non distinguitur, nisi ex intentione vouentis. 989.1. & 2.

Catholicus.

Catholicus manens, an se esse à fide alienum credere possit. 35.1.

Quis ab alio talis sit, an eo ipso debeat confiteri se esse Catholicum. 717.2.

Catholico in hostijs hæreticorum carnes edere temporibus ab Ecclesia interdictis ne se prodat, & in cersum vitæ discrimen veniat, qua ratione liceat. 718.1.

Catholico hæreticorum prouincias transeunti licet salutis causa eorum vestibus se induere, & sermone vti. ibid. 1. & 2.

Eidem hæreticorum templa adire, eorum interesse conuentibus atq; concionibus etiam iubente principe hæretico, qua ratione liceat. 715.1.

Catholici an possint interesse missarum sacrificijs, quæ faciũt Græci, Armeni, Ruteni, & sic Ecclesiæ præceptum de audiendo sacro in die festo obseruent. 653.1.

Catholicis an liceat cum hæreticis orare. 658.1.

An liceat catholicis matrimonium contrahere cum hæreticis. 618.2.

Causa.

Causa proxima effectuum voluntatis quomodo sit Deus, & quot modis dicatur. 53.2.

Causæ peccati exterinsecæ, & intrinsecæ numerantur. 267.1.

Causæ naturales post diem iudicij non agent secundum consuetum in hac vita naturæ ordinem, sed iuxta leges diuinæ Iustitiæ. 303.1. & 2.

Causa spiritualis, vel quasi spiritualis, ciuilis, & mixta quid significet. 365.1.

Causa totalis quot modis dicatur, & quomodo Deus sit causa totalis. 34.2.

Capellanus.

Sacerdos qui ratione Capellaniæ quotidiè sacrificare debet nisi legitimè impeditus peccat graniter. si non sacrificet. 876.2.

Si per se vel alium sacrificare tenetur, ipse impeditus per alios sacrificare debet. ibid.

Vnde colligatur ratio quotidie sacrificandi ratione capellaniæ ibid.

Capellanus institutus ad sacrum in certo loco faciendum non satisfacit fundatori si alibi sacrificet. ibid.

Capellanus impeditus in designato loco sacrificare alibi rem diuinam facere tenetur. ibid.

Capellanus absq; causa alibi, quàm in designato loco sacrum facient peccat, sed nihil tenetur restituere. 877.1.

Capellanus qui certis diebus sacrificare debet, nisi id præstiterit, iure mulctatur. ibid.

Calix.

Calix consecratus, & patena consecrata requiruntur ad missæ sacrificium. 885.1.

Calicem & patenam simplex presbyter, nec Episcopi quidẽ consensu consecrare potest. ibid.

Calices consecrant Abbates priuilegio canonico. ibid.

Quomodo calix, & patena consecretur. ibid.

Calix & patena ex qua materia debeat constare. ibid.

Calix argenteus post consecrationem inauratus amittit consecrationem. 885.2.

Quandonam calix consecrationis formam amittat, vel retineat. 885.2.

Casula.

Cur sic dicta, & cur planeta. 887.1.

Centuria.

Centuriæ Romanorum quot fuerint, & quales. 31.2.

Centuriata comitia quæ. ibid.

Centuriatæ leges quæ. ibid.

Charitas.

Charitas non minuitur per peccata venialia, sed eius feruor. 240.2.

Charitatis feruor est vsus & exercitatio charitatis. 240.2.

Qualis actus charitatis requiratur ad remissionem peccati venialis. 245.2. & 246.1.

Actus charitatis feruens quis dicatur, & quotuplex sit. 246.2.

Charitas in Deum verè, & propriè est amicitia hominis ad Deum. 725.2.

Charitas habitus est diuinitus infusus. ibid.

Præter charitatem infusam sitne alia nostris actibus acquisita. 927.1.

Charitas vna, & eadem est erga Deum, Angelos, & Homines. 727.2.

Charitas sine forma omnium virtutum. 727. & 728.1.

Charitas an actibus, etiam remissioribus augeatur. 728.

In hac vita ponitne in infinitum augeri. ibid.

Charitas vitæ ponitur per se simpliciter, vt charitas est, in infinitum augeri. 729.1.

Charitas minui non potest, quomodo. 729.2.

Charitas an vi, & natura peccati mortalis, an tantum eius merito expellatur. ibid.

Charitate, quot, & quæ diligi debeant. ib.

Charitatis actus eliciti quot sint. ibidem.

Charitatis præcepto quo tempore cogamur elicere, & præstare amorem in Deum. 730.1.

Quid sit diligere Deum ex toto corde explicatur. 730.2.

Per dilectionem Dei super omnia quid Theologi intelligant. 734.1.

Charitatis præceptum ponitne in hac vita compleri. 731.2.

Diligi potest Deus propter aliquod præmium, & quomodo, quod ab illo expectamus. 732.1.

Christus.

Charitati duo peccata opponuntur. 733.1.

Christus non contraxit peccatum originis, quia communi propagatione carnem non assumpsit. 294.2.

Christus Dominus orari non potest vt pro nobis oret. 754.1.

Christus oretne in cælo pro nobis quatenus homo est. ibid.

Christianus.

Peccatum idem grauius est cõmissum à Christiano, quàm ab Ethnico. 262.2.

Christiano fas non est operas suas locare, auxilium, vel opem præstare ad extruenda fana Idolorum. 756.1.

Christiano fas ne sit cum Paganis epulari, vel eos ad sua conuiuia, & epulas vocare. 756.2.

Christianis cum paganis belligerantibus, vtrum fas sit suis vexillis affigere certa quædam signa, quibus hostes vincantur. 719.1.

Circumcisio.

Per circumcisionem deleri peccatum originale, non conferri gratiam adoptionis, falsum est. 306.2.

Per eam parnuli mundabantur à peccato. ibid.

Erat signum diuinitus institutum, quo eius ministri fidem in Christo explicitè, vel implicitè profitebantur. 306.2.

Hac fide, & Christi meritis gratiam circumcisi recipiebant, & à peccato originis purgabantur. ibid.

Circumstantia. Peccata differunt specie per circumstantias specie diuersas, quoties illæ specialem habent cum ratione repugnantiam. 92. 2.

Augent peccatũ, cum vel vni & non alteri aliqua accidit, vel plures sunt, vel vna, ex magnitudine materiæ. ibid.

Circumstantiæ actus quot & quatenus voluntarium minuant. 43. 1. & 2.

cumstantia actus humani est accidens illius. 42. 1. & 2.

Circumstantiæ grauem aut leuem noxam faciunt. 43. 2.

Res circũstans quoties voluntarium tollat, aut minuat. ibid.

Circumstantiarum cognitio, qua ratione ad actus humanos conducat. 44. 1.

An tribuat actus bonitatem, aut malitiam. 74. 2.

An transeat in naturam obiecti. 75. 2.

Tribuens bonitatem, aut malitiam actui, an semper primam tribuat. 76. 1.

Circumstantia actus externi sæpè sit pars obiecti voluntatis. 77. 1.

Circumstantia quando det, aut mutet speciem actus. 77. 2.

Septem circumstantiæ quid significent in moralibus, & quænam in illis posuit tribuere speciem peccati. 78. 2.

Classis. Classes ciuium Romanorũ quot, quales, à quo institutæ. 313. 1.

Clericus. In rebus spiritualibus iure diuino à laicorum potestate exempti sunt clerici. 353. 2.

Vt non semper ciuilibus negocijs implicentur, diuini iuris est. ibidem.

Quod in rebus ciuilibus à potestate ciuili sint exempti iuris diuini est. ibid.

Quod eorundem bona immunia sint, diuini iuris est. 359. 1.

Clericus legibus ciuilibus, vt ciuilibus nõ tenetur, sed quatenus aliquid continent diuini, naturalis, aut canonici iuris, quibus in conscientia tenetur. 360. 2.

Faciens quod lege naturali simul & ciuili prohibetur, tantum contra naturalem peccat, nec ciuili pœna tenetur. 361. 1.

Res suas vendere precio lege ciuili constituto, non ciuili, sed naturali iure tenetur. ibid.

Legibus ciuilibus de contractibus, &c. non tenentur, nisi aliquid contineant diuini, naturalis, aut canonici iuris. 362. 1.

Falsum testimonium dicens statuto laicorum non potest trahi ad ciuilem iudicem, vt ab eo condemnetur. ibid.

Immunitati clericorum non derogat statutum laicorum, ne non subditi suis Priuilegijs gaudeant. 363. 1.

Statutum laicorum clerici cognatos, vel famulos puniens clerici causa, non valet. 362. 2.

Clerici in communi vtilitate pontes, vias, &c. reficere non tenentur, nisi consulto Romano Pontifice, aut certè Episcopo. 362. 3. Cum hæc tãtum ad ornatum referantur, omnino non tenentur. 363. 1.

Clericus læsæ maiestatis reus coram iudice sæculari cõueniri non potest. 563. 2.

Consuetudine laicorum incommodante suæ immunitati, non tenetur. 388. 2.

Consuetudo clericorum ludos voluptuosos agitandi, corrupteła est. 390. 1.

Quod ab alio, quàm ab Episcopo, vel eius Vicario ad beneficia eligantur, corrupteła est. 390. 2.

Vtentes interdicto restitui ex patrio more consuetudine excusantur. 392. 2.

Consuetudine induci non potest, vt coram sæculari Magistratu conueniatur. 393. 1.

Deferens arma contra statutum laicorum ab ipsis punir, non potest. 413. 2.

Non debet deci mã soluere ex decimis, quas percipit. 606. 1.

Debet soluere decimam ex prædijs patrimonialib. in aliena Ecclesia sitis. 606. 2.

Non debet soluere decimam Ecclesiæ, in qua seruit, ibid.

Clericus sæcularis vsuris communis in officio Ecclesiastico persoluendo vti debet formula suæ diœcesis approbata. 844. 1 & 2.

Iure nouo omnes tum seculares, tum regulares vti debent formula Breuiarij Romani à Pio V. præscripta. ibid.

Quid facere debeat, qui in duabus Ecclesijs beneficia possidet. ibid.

Scholastici iure communi, formulam suæ diœcesis, iure nouo Romanam tenere debent. ibid.

Qui solus officium dicit, nullo iure tenetur tam clarè pronũciare, vt audiri possit ab alijs. ibid.

Clericus cæcus debet se socio, si commodè possit, adiungere, qui cum officium dicat. 835. Sic infirmus socio, si facilè possit. ibidem. Si conualuerit, repetere non debet intermissas. ibid.

An supplere debeat postea, quas citra incommodum recitare potuisset malè valens. 835. 2.

Clericus sacris ordinibus initiatus auctoritate summi Pontificis eximi potest à recitatione. 836. 1.

Codicilli. Voluntate antecedere non mutata, codicilli firmantur. 12. 1.

Cogitatio. Peccata cogitationis aliquando perfecta per se, aliquando initia peccatorum sunt, quæ opere fiunt. 217. 2.

Quando sine opere consummãtur, specie differunt à peccatis oris, & operis. cũ ad ea referuntur non differunt. 217. 2.

Quibus ex causis specie distinguantur & multiplicẽtur. ibid.

Quando in voluntate perficiuntur, sola iteratione multiplicantur, si referantur ad opus, non item. 218. 1.

Quemadmodum committantur peccata cogitationis. 222. 1.

Ad desideria, vel delectationes spectant. 221. 2.

Cogitationes iræ, superbiæ, inuidiæ, odij, inanis gloriæ quando perfecta sint peccata, quando non. vide, Delectatio.

Collegiũ. In collegium cooptati, an pœnam soluere teneantur in conscientia, ad quam se obligarunt, si leges, & cætera non seruarentur, 343. 1.

Commissio. Commissionis peccatum an differat specie ab omissionis peccato. 214. 1.

Quando sit generale, vel speciale peccatum. 214. 2.

Comitia. Comitiorum genera quot, & quæ fuerint. 313. 1.

Commẽda. Commenda perpetua, quam confert Rom. Pont. licet titulus non sit, pro titulo tamen in multis habetur. 1080. 1.

Paupertas, quam Commendatarij milites pollicentur quam arcta sit. Vide, Militares ordin.

Communitas. Tota tenetur legibus à se latis. 747. 2.

Communitatis Præfectus tenetur legibus ab ea latis, ibid.

Communio. Communio sacra post meridiem accipi potest. 879. 2.

Quando compositione decima tolli possit. 616. 2.

Compositio. Compositio quid sit. ibid.

Concio. Concionem die festo audire nullus præcepto cogitur. 545. 1.

An missa concioni præferenda. Vide, Missa.

Concupiscentia. Est pœna, & effectus peccati. 289. 2.

Quæ aliquando appellatur peccatum. 242.

In nuda natura fuisset tantum conditio naturæ. ibid.

Appellatur aliquando pugna, lex, carnis, vetus homo. 298. 1.

In quibus consistat. ibid.

Confessio. Confessio generalis vnum est ex sacramentalibus. 252. 2.

Per eam delentur peccata venialia. ibid.

Actus coniuncti cum peccato omissionis non sunt dicendi in confessione, nisi sint per se mali. 217. 1.

In exprimendo numero fornicationum non referri, fuerint ne cum eadem, an cum diuersis. 220. 1.

Actus comitantes peccatum, si per se indifferẽtes sunt in confessione explicandi. 220. 2.

Qui confitetur, vel vnum tantum veniale sine dolore impedit veniam, & remissionem eius. 249. 2.
Confessionem audientis sacerdotis non approbati post promulgationem Tridentini absolutio irrita est. 321. 1.
In confessione qui mentitur se vnum ociosum verbum dixisse, neque aliud confitetur, peccat mortaliter. 423. 2.
Confitenti crimen postquam negauerat minuenda pœna est in iudicio, si cõfiteri minuitur ex statuto. 414. 2. & 415. 1.
Crimen tacendo confitetur, quod obiectum reus non diluit. 10. 1. Vide, Crimen, vel Confessum.
An confessio annua sit iuris diuini, an canonici. 628. 1.
In decreto præceptum est non consilium huius confessionis. ibid.
Qui nullius peccati venialis, aut mortalis sibi est conscius, nõ tenetur ad præceptum. 628. Nec qui peccatis tantum venialibus est obnoxius. 628. 2.
Potest Ecclesia præcipere vt certis temporibus peccata venialia confiteamur. 622. 2.
An expediat tale præceptum ferre. ibid.
Quomodo annus computandus sit, quo imperat Ecclesia confitendum. 623. 1.
An vi præcepti certo tempore vnusquisque teneatur confiteri. 623. 2. et 624. 1.
Qui omiserint proxime sequenti vbi primum commode possunt iure coguntur ad confessionem 625. 1.
Est præceptum per se. ibid.
An Monachi sæpius, quam semel confiteri debeant in anno. 625. 2.
Monachi sancti Benedicti tenentur sæpius. 626. 1.
Confessio annua in eo consistit, vt peccata omnia cõfiteamur, cum legitima eorundem detestatione. 627. 1.
In quo consistat substantia huius præcepti. ibid.
Ecclesia non potest penitus legem cõfessionis abolere. 628. 2.
Confessio lethalium peccatorum sacrificio missæ necessariò præmittenda est. 894. 1.
Eiusmodi confessio est de iure Diuino. 894. 2.
Quando Eucharistiam percepturo sine confessione sufficiat contritio. 895. 1.
An causa confessionis locum remotiorem quis debeat adire. ibid.
Sacerdos habens peccata reseruata, si commodè confiteri sine infamia, & offensione aliorum graui non possit, an sacrificio, & Eucharistia abstinere debet. 895. 2.
Sacerdoti non approbato, vel excommunicato, sacrificaturus, vel Eucharistiam sumpturus confiteri non potest. 895. & 896. 1.
Nec eo sine quidem, vt cum alio sacerdote, post ea religiosius confiteatur, vel sacrificare, aut communicare potest. 896. 1.
Sacerdos, vel laicus, qui in casu necessitatis absque præuia confessione sacrificauit, vel communicauit, quam primũ commodè potest, confiteri debet. 897. 1.
Sacerdos conscius sibi peccati lethalis sacrificans citra confessionem, quam commodè facere poterat, vnum tantum peccatum admittit. ibidem. Et hoc peccatum est vnius tantum deformitatis. ibid. 2.
Confessus, & contritus de nocturna pollutione, quæ cum peccato lethali fuit, an eodem die sacrificare potest. ibid
Coniux, Coniugiũ. Concilium Trident. Coniugium præsente parocho, vel sacerdote legitimo, & duobus testibus vult contrahi. 8. 1.
Contrahens, & ignorans impedimenta frigiditatis, aut maleficij, quid facere debeat, si dubitet. 121. 1.
Coniugum alter dubitans de impedimento matrimonij, an hoc ipsum coniugi manifestare debeat, si dubitet. 121. 1.
electatio ex cogitatione futuri coniugij peccatũ est 229. 1.
Delectatio coniugum absentium de futuro, vel præteritoIs congressu est peccatum. 511. 1.
Delectatio coniugum ex osculis, &c. non est peccatum.
An coniux post matrimonium iure queat ad religionem transire, & quando, & quo pacto possit repeti. 999. 1.
Conscientia errans quid sit. 91. 1. An habeat vim obligandi. 92. 1. Plura vide in actione contra conscientiam. Conscientia.
Conscientia ligans, & non obligans, quæ sit. 92. 1.
Sequi conscientiam mala fide errantem, an grauius sit peccatum, quam non sequi. 92. 2.
Errans conscientia an arctius obliget quàm superioris præceptum. 93. 1.
Conscientiæ dubiæ de matrimonio necessaria resolutio. ibid
Conscientia dubia quid sit. 118. 2. Quot modis accidat. ibid. An contra dubiam agere liceat. ibid. Tutiorem partem debet eligere. 119. 1.
Conscientiæ dubiæ de matrimonio iam contracta per ignorãtiam, sitne ancilla, vel libera vxor, quid liceat, quid non. 120. 2.
Conscientia scrupulosa. Vide, Scrupulosus.
Conscientiã obligat lex omnis iusta. 316. 2. vide Humana lex.
Solus Episcopus consecrare debet Ecclesiam. 881. 1. Consecratio.
Consecratio fieri potest quolibet die festo, vel nõ festo. 881. 1.
Vnde constare possit consecratio Ecclesiæ. ibid.
Quando denuo sit consecranda. ibid.
Consecrationis forma non amittitur quando parietes paulatim decidunt. ibid.
Ecclesia consecrata polluitur per effusionem sanguinis ex iniuria. 881. 2. Et per voluntariam effusionem sanguinis in ipsa. 882. 1. vide, Ecclesia.
Quid facto opus sit, si post consecrationem aranea in calicem incidat, vel venenum infusum. 899. 1.
Quid si diuino nutu post consecrationem caro, vel sanguis appareat. 899. 2.
Post consecrationem comperiens non esse vinum, sed solam aquam in calice, vinum apponere debet, & consecrare. ibi.
Non est alterum vinum consecrandum si vino consecrato nõ fuerit aqua mista. ibid.
An cùm aliud vinum denuò sit consecrandum, alia quoque debeat species panis consecrari. 900. 1.
Consecratio non est repetenda in vino, quando adstante populo aliunde adferendum esset in templum. ibid.
Quid facto opus, si species consecratæ sumi nequeant irrumpẽtibus hæreticis, aut paganis. 900. 2.
Consecratæ species iam corruptæ exurendæ sunt, & cineres in sacro templi loco reponendi. ibid. Sic animal quod deuorasset sacras species similiter exurendum, adseruatis cineribus. ibid.
Si ob intemperiem frigoris species panis è manu sacerdotis in calicem delabatur, nihil iterandum. ibid.
Quæ pœna puniri debeat sacerdos, cuius negligentia sanguis Christi effunditur. ibid.
Consensus explicitus & implicitus quid sit. 226. 2. Consensus.
Consensus implicitus in cogitatione mala, cùm periculo consensus expressi, peccatum est lethale. 227. 1.
Qui non auertit cogitationem sine legitima causa exortam, cũ posset, implicitè consentit. 227. 2. & 228. 1.
Qui cogitationem ex iusta causa ortam, cùm facilè possit, non excludit, tacitè consentit. 228. 1.
Consentire in delectationem præsentem ex spe, vel desiderio futuri coniugij, peccatum est. ibidem.
Consensum in delectationem esse in parte inferiori, cùm dixit Augustinus; locutus est de ea, quæ refertur ad opus. 267. 1.
Consensus Principis tacitus requiritur, vt lex vsu non recepta, vi careat. 324. 1.
tacitus consensus est tacita conditio, q̃ na leges ponun-

tur ani

tur, aut cùm Princeps non compellit ad obseruationem cũ possit. 324. 2.
Consentire videtur, qui tacet, quomodo sit accipiendum. 7. 2. & 8. 1.
Consensus tutoris, tacente filio, & cognatorum, an sufficiat ad contrahendum matrimonium. 8. 1.
Consensus tacitus pro expresso. 9. 2.
Consensum poscunt actualem culpa, & meritum. 14. 1.
Consensus quid sit, & quotuplex. 65. 1. & 2.

Cõsilium. Consilium Euangelicum ex contemptu prætermittere, peccatum est lethale. 240. 1.
Consilium lex aliquando vocatur, quod ei sit simile docendo, non obligando. 316. 2.

Constitutio. Constitutio est Principum placitum. 310. 2.
Constitutio Romanorum Pontificum decretum dicitur. ibid.

Consuetudo. Consuetudo à lege quid differat. 315. 1. & 2.
Consuetudo legi contraria quid sit, & à desuetudine quid differat. 324. 1. & 325. 1.
Primi eam inducentes delinquunt. 325. 1. Per errorem aut ignorantiam inducta vim præscriptionis non habet. 325. 2.
Consuetudo vim non habet, nisi per præscriptionem continuata. ibid.
Legem abrogat. ibid.
Per consuetudinem fieri non potest, vt laici ius habeant cognoscendi causas Clericorum, cùm id per priuilegium possint, & quare. 358. 2.
Consuetudo est ius moribus vtentium inductum & approbatum, quod pro lege habetur, vbi ea deficit. 379. 1.
Triplex est, contra, præter, secundum legem. ibid.
Contra legem naturalem nullam vim habet. ibid. Neq; cõtra diuinam. 380. 1.
Consuetudo legem interpretatur, confirmat, introducit, abrogat. 381. 2.
Vim non habet contra ius Gentium. 382. 1.
Debet esse rationabilis, scilicet sine peccato. ibid.
Vt vim habeat contra ius Canonicum requiritur 40. annor. præscriptio, vt contra Ciuile 10. 382. 2.
Introducenda est quasi cum titulo. ibid.
Consuetudo longa vocatur in iure ciuili eadem, quæ in Canonico, præscripta. 386. 1.
Ad consuetudinem inducendam requiritur vt certa scientia ab idoneis à maiori parte communitatis inducatur. 383. 1.
Consuetudo præter legem, quæ dicatur. 388. 2. Ea non indiget quasi præscriptione. 383. 2.
Consuetudo præter legem à quibus induci debeat. ibid.
Consuetudo præter legem requirit tantum 10. annos, vt vim habeat. 384. 1.
Sæpius repetitis actibus inducitur, vel vno die continuato. ibid.
Consuetudinem cùm lex damnat tamquam iniquam, & bonis moribus contrariam, & præteritam, & futuram damnat; cùm simpliciter tollit, tantum præteritam damnat. 384. 1.
Consuetudo secundum legem est, quæ legem interpretatur. aut confirmat. 383. 2.
Tollitur iure communi abrogato, & cum ea statutum illud continens. ibid.
Consuetudo generalis generatim, specialis speciatim legem tollit. 385. 1.
Consuetudo generalis per sequentem legem tollitur, non specialis. ibid.
Consuetudo conscientiam obligans non inducitur in ijs, quæ sponte fiunt. ibid.
Consuetudo quomodo discernatur ab ea, quod sponte & liberaliter fit. ibidem.
Consuetudo contra legem nulla ante decennium, contra canonem nulla ante 40. annum valet. ibid.
Consuetudo ignorante principe indulta valet. 386. 1.
Nullæ videntur leges esse, contra quas non valeat consuetudo ignorante principe. 386. 2.
Consuetudo præter legem induci potest principe ignorante. ibidem.
Consuetudine 40. annorum canon, vel statutum pœnam excommunicationis, vel suspensionis ipso facto, vel iure irrogans abrogatur. ibid.
Consuetudinem quis possit introducere. 388. 1.
Consuetudo quomodo à quibusdam dicatur vno actu induci posse. 389. 1. & 2. Quot ad ea requirantur actus. ibid. à præscriptione quid differat. ibid. & 390. 1.
Consuetudine abrogatum est ius commune, vt quisque in sua Parochia Missam audiat. 549. 1.
Consuetudo inducta aduersus ea, quæ Regula præcipit, aut prohibet, valet, si fuerit impunè permissa. 588. 1.
Consuetudinum exempla varia per legem alioqui vetita. 96. 2. &c.

Consultatio. Quid sit. 66. 1. re & substantia est actus rationis, causa, & origine voluntatis. 66. 2.
Consultatio in inquisitione rationis non in iudicio consistit. Ibidem.
Est tantum circa media. 66. 2.
Consultatio non est simpliciter necessaria ad liberam actionem. 67. 1.

Contemptio. Est depranata voluntas cum aliorum despectione. 231. 1.
Reperitur latè in omni peccato. ibid.
Cùm quis ideo delinquit, vt legem despiciat, vel legislatorem contemnat, speciale peccatum contemptionis est. 231. 2.
Efficere potest, vt peccatum veniale, lethale euadat. 240. 1.
Non est contemptus peccatum, cùm quis ex vsu peccat. ibidem.
Non pertinet ad rationem Superbiæ. 255. 2.

Contentio. Contentio filia inanis gloriæ quid sit. 257. 1.
Non excludit voluntatem peccati venialis. 245. 1.

Contritio. Meretur ex debito remissionem peccati venialis. 248. 1. Sed eam non efficit. 249. 1. vide, Confessio.

Contumelia. Quiter aliquem latronem eodem impetu appellat, vnum peccatum contumeliæ committit. 219. 2.

Continentia. Continentia aut tolerantia an sit virtus. 168. 2.
An sit habitus re à Temperantia distinctus. 169. 1.
In qua facultate animi, vt subiecto insit. 169. 2.

Creatura. Conuersio ad creaturam est in omni peccato, & quomodo intelligendum. 210. 2.

Crimen. Crimen tacendo confitetur, quod obiectum reus non diluit. 10. 1.

Culpa. Culpa lata in Iure æquatur cum dolo. 40. 1.
Culpa à vitio & peccato quid differat. 205. 2.
Est actus voluntatis liber à recta ratione dissentiens. ibid.

Dæmon. Tribuens cultum dæmoni quem putat esse angelum non peccat. 230. 1.

Damnum. Damnum illatum non semper nouam peccati speciem adfert. 261. 2.
Damnum præuisum & cogitatum, & non voluntarium quo modo augeat grauitatem peccati. 262. 1.
Damnum consequutum malefactum aliquod, eius grauitatem auget, etsi neque cogitatum, neq; præuisum sit. 262. 2.
Damni pœna in se æqualis est. 278. 1. Inæqualis est, non quod priuatio gloriæ cœlestis sit, sed quod sit cum maiore, vel minore tristitia ob grauius, vel leuius peccatum. 279. 1.

Dãnatus. Damnum resarciri debet ante omnem sententiam.342.1.
Si reuelatum esset diuinitùs alicui se damnatum iri, tenetur nihilominus seruare præceptum.431.& 432.1.

Debitor. Debitor qui res alienum contraxit potest in religionem admitti si suis bonis cedat.998.1.
Debitor in religionem admissus debet, si possit artem facit ãdo creditori satisfacere.998 2.

Decerno. Verbum, Decerno, in lege grauem obligationem non continet.332.1.

Decimæ. Decimas soluere ministris Ecclesiæ, non est prorsus diuini iuris.381.2.
Quid nomine decimarum in iure intelligatur.599.2.
Ante legem scriptam nullum fuit præceptum de decima soluenda.ibidem.
Ethnici suis Dijs dabant decimas.ibid.
Decima triplex: prædialis, personalis, & mixta.600.1.
Iure naturali & diuino dantur decimæ.601.1.
Quomodo intelligatur quod in iure canonico dicitur decimã deberi iure diuino.602.1.
Decima personalis iure Pontificio debetur.603.1.
Decima cùm accipitur pro iure exigendi decimam ob ministe rium religiosum, est res sacra.603.2.
Decima cùm accipitur pro fructu ipso, vt oleo, &c. est res tẽporaria, quæ vendi etiam potest.ibid.
Decima debetur lege Iustitiæ.ibid.
Ecclesiastici sunt domini decimæ, & eam petunt actione rei vendicationis.604.1.
Cur decimæ sint constitutæ.604.2.
Decimam prædialem qui soluere teneantur.605.1.
Non est in iure expressum, an Iudæus teneatur soluere decimam personalem.606.1.
Vter decimam soluere ex agro debeat, dominus agri, an conductor.606.1.
Qui combusit segetes, vel contulcauit sata debet arbitrio boni viri soluere Ecclesiæ decimam.606.2.
Personalis decima in desuetudinem abijt.607.1.
Legatarius, donatarius, & hæres ex fructibus decimam soluunt.ibid.
Ex quibus bonis sit decima persoluenda.ibid.
Licet agri fructus mutetur, decima tamen est persoluenda. 608.1.
Cùm res aliqua duplices, aut triplices fructus singulis annis reddit ex omnibus est decima soluenda.ibid.
Decima debetur etiam ex bonis, vel lucris malè acquisitis. ibid.
Decimæ quibus in locis sint persoluendæ.608.2.
Quando sit soluenda decima, & vtrum ex iure communi peti debeat.609.3.
Quando est venditus ager ex quo pridem non est soluta decima, parochus potest conuenire recentem, aut veterem possessorem.609.2.
Coram Magistratu Ecclesiastico decima est petenda.ibid.
Tribunal Principis, quod constat ex clericis & laicis non potest cognoscere causam decimarum.ibidem.
Decima laicis iure feudi data ab Ecclesiastico iudice cognoscenda est.610.1.
Etiam contra præscriptionem decimarum non licet apud Iudicem ciuilem causam agere.611.2.
Causa decimarum coram Iudice Ecclesiastico tractanda est. 611.1.
Causa de fructibus decimarum agi potest coram Iudice ciuili.611.2.
Quomodo sit decima iure communi soluenda.612.2.
Quibus solui decima iure debeat.ibid.
An lex Ecclesiastica iubens decimam solui cum iuris æquitate conueniat.642.2.& seq.
Quomodo laici decimas possidere possint.613.1.
Vox decimæ quot modis accipiatur.613.2.
Post Concilium Lateranense Episcopus non potest decimas in feudum perpetuum laico dare.614 1.
Non valent statuta laicorum quibus vetant, ne decimæ exigantur.616.1.
Qui religiosorum prædia conducunt, sunt liberi à decimis. 618.1.
Prædia si quæ religiosi in Emphiteusim habeant, libera sunt à decima.618.2.
Pœnæ communi iure constitutæ in eos, qui decimas non soluunt.619.1.

Delectatio. Delectatio quid sit, in voluntate, an actus eius elicitus.59.1.
Delectatio quomodo ab alijs affectibus distinguatur. 108.2.
Delectatio, an sit motus.ibid.
Delectatio, an sit generatio.ibid.
Delectatio, an careat opposito.ibid.
Est operatio in causa, & origine.137 .1.
An sit qualitas.ibid.
Momento temporis gignitur, in tempore intenditur.ibid.
Operationem perficit, quomodo, & quam.68.2.
Sæpè est de bonis futuris, & præteritis.137.2.
Quomodo mœrorem, luctum, & fletum comitetur ibid.
An sit de bonis alienis.ibid. An sit amor.ibid. An sit propter operationem, aut contrà.138.1.
Delectationes quæ sint rationales, quæ naturales, quæ præter naturam.138.1.
Delectationi quæ partes sint subiectæ.138.2.
Delectationis quæ sint causæ, qui effectus.ibid.
Parit risum.ibid.
Delectationis peccatum est ex recordatione præteritorum, cogitatione futurorum, imaginatione præsentium.221.2
Delectationis peccatum potest ad opus referri, & non referri.ibid.
Delectatio morosa. vide Morosa.
Delectatio generatur ex eo, quod res aliqua iucunda cum appetitu per operationem coniungitur.223.1.
Delectatio per cogitationem, vel ex re cogitata capitur, vel ex cogitatione, vel ex desiderio.223.2.
Delectatio ex cogitatione rei per se malæ ob annexam aliquã rationem boni, non est peccatum.224.2.
Delectatio circa obiectum malum, vt malum, est peccatum ibid.
Delectatio ex cogitatione mala est bona, cùm ob bonum finẽ, & sine periculo est: vana, cùm sine ratione: mala quando cum periculo.226.2.
Implicitè, vel explicitè voluntaria. vide consensus.
Delectationem turpem in sensu, vel appetitu sensitiuo exortam quando sine culpa repellamus 227.1.
Delectari peccatis per amentiam, ebrietatem, ignorantiam, violentiam, somnum admissis, peccatum est. 229 2.
Delectatio ex aspectu fœminæ, omni alio affectu semoto, venialis culpa est.230.2.
Delectari malis ea conditione, nisi essent mala, si ea sint contra legem naturalem, peccatum est, non autem si contra scriptam.130.1.

Derogare. Derogare legi quid sit 371.1.

Desperatio. Desperatio contraria spei est, vt peccati rationem habet, non vt actus naturaliter factus.277.2.

Desiderium. Desiderium eadem animi affectio est cum cupiditate, & libidine.134.1.
Est boni futuri.ibid.
A spe distinguitur re ipsa.ibid.2.
Desiderij partes multæ, & species.ibid.
Sub desiderio Amor, voluntas, intentio, electio, & odium continentur.221.2.

Desiderium mali est voluntas mali aliquid faciendi ex deliberatione voluntatis.221.2.
Semper refertur ad opus,non item delectatio.ibid.
Desiderij peccatum eiusdem speciei , cuius obiectum circa quod versatur.232.1.
Desuetudo — Desuetudo quid sit.324.1.
In desuetudinem abit lex, cùm à maiori parte communitatis non obseruatur.324.2. non autem quando à plurib⁹ prouincijs non obseruatur.ibid.
Per decennium continuata vim abrogat legi.325.1.
Ante decennium impedit legem ne valere incipiat. ibid.
Quid differat à consuetudine legi contraria.ibid.
Primi qui eam inducunt sciente Principe nec puniente non peccant.ibid.1.&2.
Habet vim etiam per errorem,vel ignorantiam inducta. 325.2.
Vim etiam habet inprimis lege non vtentibus.ibid.
Legem non tollit sed impedit.ibidem.
Inducta Principe sciente,nec puniente legem abrogat,nec,vt aliàs,requirit decennium.ibid.
Non est desuetudo cùm casus legis non accidit.326.1.
Per desuetudinem amittitur priuilegium.ibid.
Deuotio. — Deuotio quid sit.733.1. vide horas Cano.
Deus — Esset Deus non esset, vel non prohiberet, actus contra rectam rationem esset peccatum. 206.1.
Deus est caussa proxima omnium effectuum voluntatis.53.2
Deus se necessariò diligit non liberè.7.2.
An & quomodo causa totalis dicatur.54.2.
An naturam & voluntatem moueat,& applicet ad agendũ. 55.2.
Dei amor validissimus est,& cur.58.1.
Deus solus potest nostram voluntatem necessariò mouere. 65.1.
Propriè ex electione non operatur.ibid.
Dei ratio naturæ suæ recta est.207.1.
Peccatum Deum offendit, quia est contra rectam rationem. ibid.
Contra Dei gratiam,& amicitiam per se est peccatum lethale.ibid.
Auersio à Deo duplex,explicita,& implicita.210.1.
Auersio à Deo est in omni peccato,saltem implicita,qua quis à re necessaria ad salutem auertitur.ibid.
Error est dicere,peccatum quatenus est actio non esse à Deo. 267.2.
Error est dicere,Deum non nisi remotè concurrere cum causis secundis conseruando illas,& sinendo.ibid.
Deus non est author peccati.ibid.
Actio qua Deus operatur cum peccante,qualis sit.268.1.
Aliter Deus nobiscum operatur in bonis aliter in malis. ibidem.
Cùm facit actum cum homine peccante, non facit turpe, vt sibi vtile,vel iucundum,neq; male.ibid.
Odium Dei Deus non fauit,vt sic,sed actum naturalẽ.268.2.
Deus potest facere, vt duo contraria sint in eodem subiecto. 277.2.
Deus non peccat cum peccantibus concurrendo, quia concurrit,vt causa prima cum natura hominis.269.1.
Concursus Dei cum peccantibus præsupposita primarum institutione est necessarius.ibid.
Non mouet hominem ad malum.ibid.
Non vult peccatum voluntate antecedente.269.2.
Deum non præsinire peccata ex Patribus colligitur.271.1.
Deus quomodo cum ijs operetur, quæ nos ad peccatum pertrahunt.271.2.& 272.1.
A Deo sunt habitus vitiosi, vt habitus,non vt vitiosi, sed à malis actibus,& ad malum impellunt.272.1.
Deus per se non est causa erroris , operatur tamen cum causis secundis,quæ nos in errorem impellunt.272.2.
Deus non est auctor peccati,quod est pœna alterius,sed pœnæ quæ ex talibus peccatis sequitur.ibid.
Deus culpæ permittit 273.1.
Dignitas — Dignitatem deponendi sine consensu superioris consuetudo corrupiela est.391.2.
Disceptatio — Discceptationes physicæ,& tantùm speculatiuæ à practicis secernendæ.95.1.
Discordia — Discordia filia inanis gloriæ quid sit.257.1.
Disiunctiua — In disiunctiuis per affirmationem sufficit, quod vna pars sit vera;per negationem neutram veram esse oportet. 420.2.
In ijs vbi quid maius,vel minus constituitur,vel maius,vel minus sub obligationem cadit.ibid.
In disiunctiuis vbi alterum seruandum, cuius sit electio,rei an iudicis. ibid.
In legatis.421.1. Debitoris,an creditoris.ibid. in promissione,voto & confessione.421.2.
In disiunctiuis satis est vnum fecisse, etsi ab eo prohibeamur non est necesse alia facere.422.1.
Dispensatio — Dispensare potest Princeps in sua lege:si temerè,& nulla iusta causa id faciat, peccat. 371.2. Ea tamen dispensatione qui vtitur,non peccat,& rata est.372.1.
Si dispenset Princeps in lege naturali, ea dispensatione vtens peccat,nec rata est.ibid.
Dispensans Episcopus in amici commodum peccat.372.2.
Dispensare non possunt inferiores Magistratus in ijs,quæ sunt iuris communis,nisi ratione consuetudinis,magnæ necessitatis,leuitatis materiæ, aut frequentiæ.374.1.& 2.
Dispensationis causæ iustæ,quæ sint.374.2.
Dispensare potest in sua lege Princeps summus sine causæ cognitione, inferior magistratus non potest. 375.1. si faciat non valebit,nec sine peccato quis ea vti poterit.ibid.
Dispensat Princeps eo ipso quod scienter admittit aliquem ad ea,quæ lege sunt vetita, magistratus inferior non dispensat.ibid.
Dispensatio dupliciter accipitur. 431.1. Non cadit in legem naturalem.ibid.& quare. 431.2.
Disputatio — Disputare de rebus fidei Catholicæ quinam possent.713.1.
Laici disputare non possunt de rebus fidei Catholicæ,si disputent,eo ipso excommunicationem incurrunt.ibid.
Disputare de fide Catholica publicè, qua ratione Clericis liceat.713.2.
Disputationes de rebus fidei vernacula lingua conscripta inter Catholicos,& Hæreticos quomodo prohibeantur.99.2
Distractio — Distractio mentis duplex,& vtraq; impedit,quo minus præceptum recitandi horas impleatur.831.2.
Distractus contra, aut præter suam voluntatem cum recitat horas,præceptum seruat.ibid.
Qui sua sponte toto animo distractus mortaliter peccat,nec satisfacit præcepto,nec fructus beneficij suos facit.832.2.
In ijs precibus,quæ pietatis studio solùm funduntur peccatũ est veniale sponte distrahi.834.1.
Qui preces aliquas recitans animo secum loquendi,sponte distractus nihil delinquit.ibid.
Qui non animaduertendo bonam partem officij persoluit distractus,nihil repetere debet.ibid.
Diuinatio — Diuinationis crimen quid sit,quot eius genera , quæ species. 756.2.
Diuinationis species an ita sint distinctæ , vt in confessione debeant explicari. 757.1.
Diuinationi per astra quid mali insit.ibid.
Diuinationum genera ex notatis elementorum signis petita.758.1.
Diuinationum genera ex animis petita.758.2.& 759.1.

Diuinationum genera ex corporis humani membris, & partibus ducta. 759. 2.
Diuinatio per somnia. 760. 1. Eius species quinq; 761. 2.
Ex ominibus petita. 762. 1. ostentorum, portentorum, prodigiorum, monstrorum. 763. 1.
Ex mortuorum umbris, & Cadaueribus. 763. 2.
Ex sortibus. 764. 1. Sortium genus triplex. ibid.
Ex superstitiosis, & vanis obseruationibus. 765. 1.
Ex inuocatione dæmonum. 765. 2.
Diuinatio, siue rerum futurarum præsensio aliqua est. 766. 2
Diuinatio naturalis, an supernaturalis tantum. 767. 1.
An sit naturale temperamentum alicuius corporis, quo anima ad diuinationem naturaliter sit affecta. 767. 2.
Dormientes cur magis ac sæpius diuinent vigilantibus. 767. 2. & 768. 1.
Cur fatui. 768. 1. cur moribundi, & furentes. ibid. cur melancholici. 769.
Musica cur reddat hominem aptiorem ad diuinandum. ibid.
Diuinantes vanè, & eorum arte utentes, an sint excommunicati. 773. 1.

Diuortiū. Diuortium iure ciuili permissum, canonico prohibetur. 396.

Doctor. Doctorum sententiæ posteà conciliorum decretis improbatæ relinquendæ sunt. 94. 2. & 95. 1.

Dolor. Quis dolor sufficiat ad remissionem peccati venialis. 247. 2. & 248. 1.

Dolium Dominica precatio. Dolij signati, necdum degustato vino, quod ius sit. 11. 1.
Est vnum è sacramentalibus, 252. 2. per eam delentur peccata venialia. ibid.

Dominus Dominus rectè punitur per statutum mulcta pecuniaria ob peccata seruorum. 411. 1. Et infamia in grauibus delictis. vide seruus.

Donum, Donatio, Donatarius. Donatio ex parte tertia, inualida. 9. 1.
Metu extorta nulla est. 23. 2. & 24. 2.
Dona Spiritus sancti, an idem re sint cum virtutibus. 178. 1.
Donatio quando non valeat. 923. 1.
Donatio post iurasentum repeti non potest. 922. 2.
Donatarius tenetur restituere bona sibi donata tacita aliqua conditione, si ea deficiat. 343. 1.

Dormientes. Dormientes baptizandi ante mortem, si vigilantes optasse constiterit. 12. 2.

Dos. Sine soluta, siue promissa ex metu iusto irrita est. 23. 1.

Dubius. Dubium de matrimonio rato non consummato, an cōpelli possit ad debitum reddendum. 121. 1.
Dubio de fundo quem possidet bona fide quid faciendum. ibid.
Dubium de re quam possidet sitne sua, ea vti potest. 121. 2.
Dubium sitne legitimus, an spurius iure hereditatem adit. 122. 1.
Dubius spurius de duobus vter sit pater, ab vtroq; alendus. 122. 1. & 2.
Dubius an liceat quippiam facere, positne id facere accedente superioris mandato. 122. 2.
Dubitantes subditi de iusto bello domino iubente tutò possunt militare. ibid.
Dubius ediderit votum, iurauerit, promiserit, tutiorem partem teneat, votum seruet, &c.
Dubius in crimine admisso de excommunicatione, & censuris non incurrisse censendus est. 123. 1.
Dubius an lex excommunicationem, & pœnas infligens obliget, negantem partem tenere potest. ibid.
Dubius de generali præcepto, de particulari certus esse potest ibid.
Dubia conscientia, vide conscientia.

Durandus Durandus temerè negauit paruulos sine baptismate mortuos affuturos in generali iudicio. 303. 2.

Ebrietas. Quid sit, & quot modis sumatur. 597. 2.
Peccat qui sua sponte est ebrius, & eo ipso peccatorum pericula incurrit. ibid.
Ebrietas est per se peccatum etiam quando nullum ex ea peccati periculum imminet. ibid.
Ebriorum culpa in eo consistit, quod scienter immoderato potu ad voluptatem vtantur. 567. 1.
Peccat qui per se vel per alios ebrietatem alicubi verbo, vel facto molitur, aut parat. ibid.
Ebrietas quando sit peccatum etiam ex consilio medici suscepta. ibid.
An peccata per ebrietatem admissa culpæ tribuantur, & quænam ea sint. ibid.
Ebrius si aliquem occidat, aut mutilet quando in irregularitatem incidat. 598. 2.
Ebrius sua culpa dignus est venia non ex toto, sed ex parte. 599. 1. absq; sua culpa ebrius, si peccet deinde, liber est à pœna peccatis debita. ibid.

Ecclesia. Auctoritatem habet instituendi remedia ad remissionem peccatorum venialium, vnde. 252. 1.
Habet potestatem condendi leges, & canones, etiam qui scriptura sacra non contineantur. 328. 1.
Relaxare potest iusiurandum. 925. 2.

Electus. Electus monachus quid differat à fugitiuo, & Apostata. 1053. 1.
Cœnobium ius habet eijciendi monachum contumacem. 1053. 2.
Etiam ob alia crimina iure peculiari cuiusq; religionis eijci potest quis. 1054. 2.
Electus extra monasterium tribus votis non soluitur. ibid.
Electus è religione qui votum fecerat religionem suscipiendi non tenetur aliam petere. ibid.
Electus monachus publica sententia iudicum redire non compellitur. 1025. 1.
Electus Monachus per iustam sententiam quicquid acquirit acquirit summo Pontific. vel Episcopo. 1055. 2.
Electus religiosus non tenetur vi voti sese Episcopo offerre, & ei præstare obedientiam, quam suis superioribus debebat. 1056. 2.
Electus monachus potest vti habitu Clericorum absque vlla Pontificia facultate. 1057. 1.
Electo monacho licet ex mendicato cibo viuere ibid.
An electus per pœnitentiam iustam à monasterio repeti debeat, & an compelli queat redire. ibid.
Electos reuerti volentes, an monasterium recipere debeat. 1057. 2.
Electi reuersi cuius monasterij impensis sint alendi. 1058. 1.

Eleemosyna vnum est è sacramentalibus. 252. 2. Electio. Electus.
Per eam peccata venialia delentur. ibid.

Electio Prælati metu facta non valet. 23. 1.
Electio ex pluribus metu facta quando valeat 23. 2.
Electio & intentio quādo sint vnus actus re, quādo non. 62. 1
Electio actus voluntatis trifariam accipitur. 62. 1.
Electio an possit esse finis. 62. 2.
Electio tantum est possibilium, & eorum quæ ad nos pertinent. 62. 2.
Electio propriè dicta non tantum est libera. ibid.
Electio non est in Deo, est in angelis. 65. 1.
Electionis bonitas, an ex fine pendeat. 84. 1.
Electio mutato fine intentionis re ipsa mutatur. 84. 2. & contra 85. 1.
Electionis deformitatem minuit bona finis intentio. 85. 1.

Emphyteusis. An Emphyteusis, si quam habet qui religionem profitetur, ad monasterium pertineat. 1028. 1.

Emptio Empto. Emptio non semper constat, & si solum error sit in qualitate 45. 1.
Emptio non constat si error sit in substantia. 44. 2.

Statutum permittens emptori rei cum onere retinendi præscribere, si venditor certo tempore pretium non obtulerit damnatur. 416.1.

Episcopus

Episcopus qui sine causa iusta indignis confert beneficia puniendus est. 10.2.

Episcopus si detrahere soleat de portione presbyteris debita, corruptela est 390.1.

Episcopi quod à laicis simul cum clericis eligantur corruptela est. 390.2.

Quod electus ante confirmationem Ecclesiam regere soleat, corruptela est. 391.2.

Eius statuta non ligant cõmorantes in locis exemptis. 410.2

Statuta quibus prohibet exempta loca adire omnes ligant ibidem.

Quæ civilibus legibus de contractibus, & similibus præscripta sunt eadem ab Episcopo clericis sunt edicenda pacis caussa. 361.2.

Episcopi possunt inquirere in eos qui è christianis ad Iudæos transeunt, & in eorum fautores. 699.2.

Item in transeuntes ad Saracenos. 700.1.

Episcopi ius habent in Apostatas matrimonium publice contrahentes. 693.1.

Item in Clericos sacris initiatos matrimonio se copulantes. ibidem.

Episcoporum status perfectior est statu religiosorum. 988.2.

Episcopus an possit iurisiurandi vinculum relaxare. 931.2.

Episcopi, & alij Antistites an aliquid possint vouere. 956.1.

An Episcopus possit vouere se religionem ingressurum. ibid.

An Episcopus possit commutare votum arctioris religionis in laxiorem. 966.2.

Episcopus an possit relaxare, vel commutare votum minus in quod à Pontifice votũ castitatis sit cõmutatum. 967.2

Episcopus an possit aliquẽ soluere voto vltra marino. 969.1.

An Episcopus possit concedere facultatem ei qui ratum matrimonium contraxit, Vt illud consummet, cum sit voto simplici castitatis astrictus. 970.1. & 2.

An Episcopus possit facultatem concedere debitum petendi ei qui simplici castitatis voto obstrictus matrimoniũ consummauit. ibidem.

An possit relaxare, soluere, vel commutare votum perpetuæ continentiæ. 971.2.

An possit commutare, vel relaxare votum dandi eleemosynam certæ personæ vel pio loco. 971.1.

Episcopus non potest ex iure communi eximere beneficiarios & alios clericos à lege horas recitandi. 836. 1. potest tamen secundum ius commune certam aliquam precandi formulam approbare & concedere, secundum ius nouum non potest. ibidem.

Episcopus indulgens puero septem annos egresso beneficium simplex, nequit concedere horas ne reciter. 836.1.

Post Tridentinum tali puero ne beneficium quidem simplex conferre potest. ibidem.

Episcopus habet potestatem visitandi monialium cenobia vt clausuram seruandam curet. 1129.2.

Error.

Error in fide per voluntariam ignorantiam non est hæresis nec eiusdem speciei cum errore scienter admisso. 36.2.

Erroris auctor non est Deus. 272.2.

Esculenta

Esculenta in iure dicuntur xenia, quæ licet iudicibus accipere. 424.1.

Eua.

Eua non peccans Adamo peccante neque iustitiam originalem amisisset. 297.2.

Eubulia.

Eubulia est actus prudentiæ. 68.2.

Eucharistia.

Vnum est ex sacramentalibus. 253.1.

Semel tantum in die Eucharistiam sumere licet. 875. 2.

Eucharistia recipi & asseruari potest in vasculo non consecrato. 883.2.

Excommunicatio & irregularitas per actum incurritur in quo nulla est malitia. 14.1.

Excommunicatus absolui potest inuitus ab excõmunicatione suspensione, interdicto, irregularitate. 16.1.

Excommunicationem quare non incurrat ex culpabili ignorantia, vel scienter peccans contra ius naturale vel diuinum, si ius canonicum ignoret. 38.1. & 2.

Excommunicationis pœna contemptum & contumaciam peculiarem contra Ecclesiæ leges, & decreta præsupponit. 38.2.

Excommunicatio quando tollatur per derogationem. 321.1.

Excommunicatio reseruata sublata reseruatione manet. ibidem.

Ab excõmunicatione reseruata post reseruationem sublatam potest quiuis legitimus sacerdos absoluere. 321.1.

In Excommunicatione quid diuini, quid canonici iuris sit. 394.2.

Excommunicatus si impetret rescriptum irritum est. 409.2.

Excommunicati culpam denuo non contrahunt si se diebus festis à re diuina audienda contineant. 515.2.

Excommunicatis denunciatis non licet etiam die festo sacrum audire. 554.1.

Excommunicati, & interdicti si nõ per ipsos steterit, quo minus soluantur, excusantur à sumptione Eucharistiæ in Pascate. 629.1.

Excommunicationem incurrunt arma deferentes ad Saracenos, Iudæos, Hæreticos. 700.2.

Excommunicationem incurrunt qui arma vendunt Christianis Saracenorum imperio subiectis, nisi fiat in Saracenorum perniciem. 700.2. & 701.1.

Excõmunicationem nõ incurrunt arma dãtes Saracenis Christianis subiectis, aut Christianos defendentibus. 701.1.

Excommunicationem non incurrunt, qui arma empta à Saracenis penitus eadem in eadem substantia, quantitate, qualitate vendunt, secus si effecta sint meliora. ibid.

Excommunicatio irrogata in cap. ita quorundam. ijs qui in galeis, & pyraticis Saracenorum nauibus regimen exercent quomodo intelligatur. 703.1.

Excommunicato denunciato Missam offerens animo cum ipso sacrificium communicandi peccat lethaliter. 868.2.

Generatim missam faciens pro omnibus fidelibus voluntate se extendere potest ad excommunicatos fideles. 869.1.

Excommunicatus pœnitens & contritus participat fructum sacrificij pro se oblati. ibidem.

Pro tali excommunicato rem secreto diuinam faciens non peccat. 869.2.

Pro excommunicato potest sacerdos in canone missæ inter cæteros amicos etiam excommunicati meminisse. ibid.

Pro excõmunicato occulto an sacrificium offerre liceat. ibid.

Exilium.

Ad exilium per se subeundum potest in conscientia cogi damnatus. 342.1.

Extrahere

Extrahere aliquid aliundè qui cæpit ante legem latam quæ id vetat ea lege non tenetur. 377.2.

Extrema vnctio

Extrema vnctio est sacramentum ad delendas peccatorum reliquias institutum, & delet culpas veniales. 249.2.

Facere.

Extrema vnctio effectum suum non sortitur nisi in vltima vnctione, & quare. 858.2.

FAcere significat quandoque sacrificare. 851.1.

Quando excusetur ab audiendo sacro, Vide Missa.

Familia.

Familiæ totius qui curam habet curare debet vt filia & famuli missam audiant. 542.1.

Familiares

Familiares Episcopi num etiam intelligantur qui per literas, familiares appellantur, cum priuilegium familiaribus conceditur. 363.1.

An hominibus insit vis aliqua qua solo contactu, aut sermone morbis mediamur. 770.1.

An hominibus insit vis aliqua qua dæmones speculis, annulis, aut vasculis includant, alligent, aut ab obsessis corporibus expellant. 772. 1.

Fauor. Vicinus est amori. 133. 2. Fauor quid sit. ibid.

Fauoris causæ eædem quæ amoris. ibid.

Fœmina. Fœminarum priuato commodo consulitur lege, quæ prohibet illis contractum. 923. 2.

Festi dies. Festis diebus, an liceat exigere, accipere, & præstare ius iurandum. 937. 2.

Festum incipitur à media nocte. 543. 2.

Festo die concionem audire, an sit præceptum. vide Concio.

Festo die vespertinas preces audire, an sit obligatio. 545. 1.

Festos dies quos intelligat præceptum Ecclesiæ. 545. 2.

Festo die qui recitat preces horarias, ad quas est obligatus tempore missæ vtrumque implet præceptum. ibid.

Festis diebus, an teneantur parochiani aliquid offerre tempore sacri. 553. 1.

An vi præcepti quisq; debeat diebus festis actum elicere, quo peccata, quæ admisit detestetur. 553. 2.

An qui non peccauit mortaliter debeat diebus festis elicere actum charitatis. ibid.

Non licet die festo audire sacrum notorij clerici percussoris, neque concubinarij, neque denunciati excommunicati, etiamsi nullus alius sit sacerdos. 554. 1.

An feudum quod soluit is qui profitetur religionem ad monasterium transferatur. 1028. 1.

Feudum.

Filio familias, an liceat aliquid vouere. 957. 2.

Filius. An filij illegitimi ius habeant petendi legitimas portiones ex fratris religionem professi bonis. 1028. 2.

An filius religionem ingressus ius habeat ante professionē stantuendi de bonis suis aduentitijs viuente patre in ipsis vsum fructum habente. 1029. 1.

Libri quos filius familias accepit à patre ob studium literarum, an ad monasterium pertineant si filius religionem profiteatur. ibid.

Filius cuius parentes grauiter indigent non potest tuta conscientia religionem ingredi. 1000. 2.

Filijs iusta de causa per consuetudinem iusta portio adimi potest. 393. 1.

Ad filium transit Patris priuilegium ratione dignitatis, aut nobilitatis: ratione muneris tantùm eo viuo: ratione necessitatis ne tunc quidem. 407. 1.

Ob filiorum peccata iustè per statutum pater puniri potest. 411. 1.

An sit hominis propter finem agere. 2. 1.

Finis. Quot modis dicatur aliquid propter finem agere. ibid.

An natura agat propter finem, & quomodo. ibidem.

Quomodo bruta agant propter finem. ibid.

Homo agit cum cognitione finis quà finis est. ibid.

Quo pacto actionis humanæ cuiuscunque sit finis. 2. 2.

Finis vltimus bifariam vltimus dici potest. ibid.

Quis sit finis vltimus peccati venialis. ibid.

Finis vltimus vel est communis, vel priuatus. ibid.

Omnium actionum humanarum est finis vltimus communis non proprius. ibid.

Actionis humanæ tantum vnus vltimus finis positiuus, plures negatiui esse possunt. ibid.

Finis plures simul intendi quomodo possint. 61. 1.

Finis intentio, & electio mediorum, an sit vnus actus. ibid.

Finis relatus ad internum actum voluntatis tribuaine primam illi, an secundam bonitatem. 71. 2.

Ob quæ crimina bona alicuius sint ipso iure addicta Fisco. 334. 1.

Fiscus. Quorum bona sunt ipso iure addicta Fisco, à die patrati facinoris, sunt inhabiles ad sua bona alienanda, sed non tenentur ea ante latam sententiam Fisco tradere. 334. 2.

nec amittunt eorum dominium. 335. 2.

Fisco ipso iure addicta bona, qui alienat ante delicti cõdemnationem non peccat si id facit ad vsus necessarios. 338. 1. Item si crimen est occultum, & emptori caueat. ibid. Si gratis det, aut æqualibus permutet. ibid. peccat si alienet cum alieno damno, neque valet alienatio. ibid. 2.

Fisco addici possunt bona criminosi occulti facta condemnatione post mortem. 338. 2.

Fisco bona tradere post condemnationem criminosus in conscientia non tenetur, sed exigenti tantum non repugnare. 341. 1.

Fisco addictorum bonorum nihil cuiquam licet tuta conscientia occultare. ibid.

Qui credit aliquam sententiam contrariam fidei antequam talem esse animaduertat peccat, si incipiat aliquantulum animaduertere venialiter, post plenam notitiam mortaliter peccat. 223. 1. Fides.

Cum aliquod fidei dogma scienter negatur, aut in dubium vertitur tota ratio credendi negatur. 278. 1.

Quomodo pugnet cum hæresi, vide Hæresis.

Fidei habitus lege ordinaria infundi non potest à Deo in hominem scienter dissentientem à fide, extraordinaria potest. 278. 1.

Credere non sufficit generatim quicquid Sancta Mater Ecclesia credit, nisi explicitè aliquid credatur. 644. 2.

Credi oportet etiam à rudi omnes fidei articulos quos publico, ac solemni ritu proponit Ecclesia. ibid.

Fidei credendorum articulorum quænam sit substantia. 645. 1.

Quantum sufficiat credere hebeti, & obtuso ingenio. 646. 1.

Ignorantia probabilis omnium articulorum fidei quomodo in quempiam cadere possit. ibid.

Credens falsa quomodo excusetur per ignorantiam. 646. 2.

Credens aliquid propositum à suo parocho contra articulum fidei quem explicitè antea credidit quomodo excusetur. ibidem.

Credere quid debeant explicitè laici, quid clerici. ibid.

Credere explicitè, & implicite quid sit. 647. 1.

Fidei præcepta quot sint. ibid.

Fidei res sciendi præceptum quando incipiat obligare. ibid.

Ad fidei articulos sciendos compellantur fideles, vi præcepti Ecclesiastici. 647. 2.

Doctrinæ Christianæ rudimenta quomodo singuli discere, scire, ac memoriæ mandare teneantur. ibidem. Et qua lingua. 648. 2.

Credendi præcepto quãdo singuli teneãtur. 648. 2. & 649. 1.

Præcepto confitendi fidem quando quis obligetur. 649. 1.

Rerum credendarum ignorantia est primum peccatum contra fidem. 649. 2.

Rerum credendarum ignorantia, an sit per se peccatum. ibidem.

Fidei ignorantia, & hæresis non sunt duo peccata simul, sed alterum duntaxat. 650. 1.

Fidei articulos ignorantium quomodo confessiones excipiendæ. ibid.

Fideiussor nominatus à tutore quomodo tacendo obligetur si præsens sit. 8. 2. Fideiussor

An fideiussor pro religioso acceptus vlla obligatione teneatur, & an pignus pro illo datum posit iure esse obligatum. 1038. 1.

Fideiussores non dentur à iure pro dote restituenda. 924. 1.

Fornicatio furto grauior est propter prolem, quæ per eam nata malè educatur. 260. 2. Fornicatio.

Franciscani Ordinis Prouinciarum, Conuentuum, Fratrum numerus recensetur. 1134. 2. Franciscanus.

Cuinam acquirat Religiosus Franciscanus id, quod acquirit. 1035.2.
An Franciscanus Obseruans, vel Capuccinus iure possit ad Carthusiam transire. 1051.2.
Franciscanis Obseruantibus, non licet habere redditus annuos testamento legatos ad Ecclesiarum vsus. 1086.1.
Franciscanis Fratribus ius non est, accipere redditus annuos testamento legatos ea lege, vt certa sacra quotannis fieri curent. 1086.1.
Franciscanorum Regula. vide Regula.
Franciscani nihil communiter, nec priuatim possidere queũt. 1087.1.
Franciscanorum paupertas non solùm seruari potest, sed etiam licet eam voto profiteri. ibid.
Dominium & proprietas eorum bonorum, quibus Franciscani vtuntur, ad Ecclesiam Romanam pertinent; eorum verò, quæ ex largitionibus accipiuntur penes eos sunt, qui ea donant. ibid.
Franciscani nullũ ius habẽt, sed nudũ vsumfructum. 1087.2.
Franciscani quibus modis res ad vsus necessarias iure acquirant. ibid.
Qua ratione Franciscanis viti liceat pecunia. ibid.
Franciscanis quomodo sit licitum res sibi testamento legatas recipere. ibid.
Franciscani: an tuta conscientia habeant granaria, & cellaria. ibid.
Franciscanis licet vnam habere tunicam cum capucio, & alteram sine illo. ibid.

Frater. Frater ingredi Religionem non potest, si sorores ab illo relictæ in periculum pudicitiæ incurrant: potest autem, etiam si Frater graui egestate laboret. 1000.2.

Forensis. Forenses id est, incolæ, aduenæ, peregrini legislatori non subiecti, eius legibus non tenentur. 349.1.
Quando eius legibus teneantur. ibid. 1. & 2.
Quarum rerum per consuetudinem ius acquiratur. 383.2.
Consuetudine non tenentur, nec statuto, nisi in certis casibus, & quibus. 389.1.
Priuilegium eis à Ciuitate concessum, quo eximantur ab oneribus, si cùm datum est in ciuitate erunt, abrogari potest, si nondum venerant, non potest. 410.2.

Fructus. Fructus bonorum ipso iure propter crimen Fisco addictorum post declaratum crimen, repetuntur à die commissi criminis. 337.2.

Fugitiuus. Fugitiuus Monachus manens absque vlla dignitate Ecclesiastica, quod acquirit, Monasterio suo acquirit. 1055.2.
Fugitiui ad Monasteriũ reuersi cuius impensis alendi 1058.1

Fur & furtum. Qui alienam rem surripit, & eãdem sibi ablatam recuperat, semel furatur. 221.1.

Generalis. GEneralis Minister, vel præpositus alicuius Ordinis, iure potest concedere iusta de causa facultatem transeundi ad laxiorem ordinem. 1051.2.

Genus. Generales Regularium possunt ædes, oratoria sacella, ad diuinum cultum, sacrificium deputare. 881.1.
Genus moris in obiectis constituitur, per ordinem ad rationem in actibus requiritur voluntarium. 265.1.
Obiecta eadẽ in genere moris, sæpe diuersa in genere naturæ, & contra. 211.2.

Gerson. Gerson affirmans peccata venialia ex se æternam pœnam mereri, refutatur. 236.1.
Mitiùs explicatur. 236.2.
Gerson negans omnem legem humanam conscientias alligare posse, confutatur. 325.2.

Gloria inanis. Gloria inanis est immodicus laudis, gloriæ, ac famæ appetitus. 256.1.
Quomodo committatur. ibid.
Quando lethalis, quando venialis culpa sit. ibid.
Eius Filiæ recensentur, & explicantur. 256.2.
Sunt peccata venialia, quando sunt cum detrimento alterius grauis periculo, aut ob finem malum. 257.1.

Græci. Græci iure diuino potestati Romani Pontificis subiecti sunt. 351.2.
Græci Canonibus antiquis editis ante suam à Latinis separationem tenentur. Ibid. multos tamen Consuetudine abrogarunt. Ibidem. multis vtuntur institutis à nostris alienis, & quibus. ibid.
Græci Constitutionibus Ecclesiasticis post diuisionem vtriusque Ecclesiæ latis non semper tenentur. 351. & 352. Inter Latinos commorantes eorum moribus nõ tenentur. 389.1.

Gregorius Ariminensis. Gregorius Ariminensis tortor puerorum. 302.1.

Gula. Gula vitium est cum cibis, & potibus auidè vltra modum vtimur. 258.2. Eius partes, quæ sint. Ibid. Eius species quæ sint? Ibidem.

Habitus. HAbitus quid sit, & quibus facultatibus insit. 147.2.
Habitus cum facultate substantiam actus efficit. 148.1.
Habitus in qua facultate vt subiecto insit. 148.2.
Habitus propriè non esse in corpore, nec in brutis. 150.1.
Habitus quomodo acquirantur. ibid.
Habitus an ex vno actu generetur. 150.2.
Habitus an incipiat à primo statim actu generari. 151.1.
Habitus an ad similes actus moueant. 151.2.
Habitus an comparentur in appetitu sensus, repetitis crebro actibus. 151.2. & 152.1.
Habitus acquisitus an generetur ex actibus habituum infusorum. 151.2.
Habitus acquisiti, & infusi, an sint eiusdem substantiæ. 153.2.
Habitus infusi, & acquisiti quomodo, & cur specie differant. ibid.
Habitus quomodo augeantur. 154.2.
Habitus intensiuè crescunt accessione partium. 155.1.
Habitui acquisito, per actum accedit incrementum non infuso. 155.2.
Habitum an quilibet actus, etiam remissus, & æqualis intendat. 155. & 156.1.
Habitus probabilius augentur magnitudine actus excedente non totali latitudine. 156.1.
Habitus an diminuantur, & intereant, & an omnes. 157.2.
Habitus infusi cùm augeantur, num etiam minuantur. ibidem.
Habitus acquisiti deleri, & interimi possunt, & quomodo. 158.2.
Habitus infusi quomodo amittantur per actus contrarios. ibidem.
Habitus infusi meritoriè potiùs, quàm effectiuè per contrarios actus amittuntur. 159.1.
Habitus an sola actuum intermissione intereant. 159.2.
Habitus primorum principiorum non intereunt. 160.1.
Habitus acquisitus, an vnius actus contrarij vi deleri possit. ibidem.
Habitus infusi an sint, & an natura, ac substantia ab acquisitis differant. 160.2.
Habitus tam acquisitus, quàm infusus, an sit simplex qualitas. 161.2.
Habitus infusus mouet ad actus specie diuersos. 162.1.
Diuersi habitus sunt in vna, & eadem facultate. ibid.
Habitus infusi tantũ sunt boni, acquisiti boni, & mali. 162.2
Habitus morales nequaquam sunt indifferentes. 162.1.
Habitus an ex obiectis distinguantur, & quando. 162.2.
Habitus ange nerentur ex venialibus peccatis sæpiùs repetitis. ibid.

Habitus sacerdotalis.

Habitus, vt habitus, est à Deo, non vt vitiosus.272.1.
Non habet in se prauitatem moris, quam actus habent.ibid.
Non ideò culpandus est, quod hominem procliuem reddat ad malum.ibid.
Habitus supernaturalis dat, quo homo possit opus supernaturale, non quo cogitet, velit, faciat.204.1.
Vestes quibus sacerdos vtitur in Missæ sacrificio, quales esse debeant.886.2.
Si ex manipulo stola fiat, vel contra, non est iterum consecranda.ibid.
Vestes illustrium fœminarum consecratæ inseruire possunt pro vestibus sacrificij.ibid.&.887.1.
An sine stola liceat sacerdoti extra sacrificium Eucharistiam sumere.887.1.
Vestes sacras in vsus profanos conuertere non licet.887.2.

Habitus Monasticus.

Quotuplex sit Religiosorum habitus, & quis nam sit Nouitiorum proprius.1000.2.
An habitus Nouitiorum ab habitu Professorum debeat esse distinctus.1001.1.
Habitus quomodo monachum faciat.1001.2.
Probationis habitu est necessarius, vt Nouitius professionis sit capax.1003.1.
Qui temerè religionis suæ habitum deponit, ipso facto in excommunicationem incidit.1059.1.
Qui religionis habitum occultè gestat, ita vt externis nullo modo appareat, excommunicationem incurrit.1059.2.
Qui religionis suæ habitu deposito, alterius habitum assumit, excommunicationem incurrit.ibid.
Qui suæ religionis habitu retento ad aliam transit, cum eius habitu suscepto suum deponit, excommunicationem non incurrit.ibid.
Qui dimittit habitum, ita tamen vt suam personam gestet, non excommunicatur.1059.2.
Qui suo habitu dimisso alterius religionis habitum assumit vt illi in aliquo inseruiat sine graui necessitate, excommunicationem incurrit.1060.1.
Qui intra monasterij claustra temerè habitum dimittit, excommunicationem incurrit.ibi.

Hebræi.

Iussè retinuerunt spolia Aegyptiorum.432.2.
Hebræorum principes, & reges post Machabæos enumerantur, & eorum Chronologia texitur.514.2.
Hebræorum libri, Rabbini, Thalmud, prohibiti sunt.675.2.
Vide Iudæi.

Hæresis.

Pendet ex speciali proposito voluntatis.35.1.
Hæresis quatenus peccati rationem habet contraria est fidei, non quatenus actus naturaliter factus. 277.2.
Tollit idem non solum ob meritum, sed etiam ob repugnantiam cum illa.278.1.
Non quatenus fides est supernaturalis, sed qua mouet ad credendum.ibid.
Cum hæresis actu, non cum habitu pugnat habitus fidei, qui simul cum illo esse potest.ibid.
Ob hæresim bona Fisco addicuntur.334.2.
Hæresis simpliciter interna, excommunicatione non afficitur.346.2.
Hæresis interior exterius prodita, etiamsi penitus occulta sit, excommunicationem contrahit ipso iure.654.2.
Hæresim suam narrans ioco, aut consilij petendi causa, an sit hæreticus exterior, & an excõmunicationẽ incurrat.655.1
Hæresim suam pronuncians legendo alienos libros sine voluntate exprimendi suum errorem, excommunicatione non afficitur.655.2.
Ob hæresim Emphyteutæ, an Emphyteusis à Fisco vendicetur.662.2.
Ob hæresim res cẽsui obligata publicatur, & Fisco defertur. ibidem.
Ob hæresim, primogenitorũ bona ad Fiscum pertinent. 663.1.

Hæreticus.

Hæreticus esse potest credens sententiam fidei.35.1.
Hæreticus exterior licèt occultus, ipso iure excommunicatus est.345.2.
Hæreticos libros legendi facultate vti quis potest etiam extra diœcesim concedentis.406.2.
Ecclesia aliquando pro hæreticis, & schismaticis publicè orat, & olim ita consuenit.869.1.
Pro hæreticis nec Missam offerre, nec publicè pro ijs orare licet.ibid.
Hæreticus vt qui sit, quæ, & quot requirantur.650.2.
Hæreticus ne sit Cathechumenus, qui contra fidem scienter aliquid credit. 651.1.
Baptizatum se putans per errorem, si credat aliquid contra fidem est hæreticus.ibid.
Hæreticus quis sit coram Deo non in Ecclesia.ibid.
Hæreticus est, qui dubius est in fide, & vt talis puniendus. ibidem.
Hæreticus est qui res fidei sola opinione credit.ibid. 2.
Hæreticus est qui per ignorantiam crassam credit, aliquid contra fidem.ibidem.
Hæreticus nõ est qui per ignorantiã affectatã credit aliquid contra fidem, paratus deponere suum errorem.652.1.
Hæreticus non est, qui oretenus aliquid contra fidem affirmat.ibid.
Hæreticus propriè non est, qui opus aliquod exterius contra fidem facit, nihil interius errans.653.1.
Hæreticus an sit qui opus exterius indifferẽs facit ex interna hæresi.653.2.
Hæreticorum pœna est excommunicatio.ibid.
Hæreticus quo iure in rebus diuinis vitandus sit.ibid.
Cum hæreticis quando liceat simul Catholicis orare.658.1.
Hæreticorum irregularitas, quæ sit, & quomodo eam cõtrahant.660.2.
Hæreticum qui se publicè profitetur absque vllo mentis errore an irregularitatem contrahat.660.2.
Hæretici bona ab eo die, quo in hæresim incurrit ad Fiscum pertinent.661.2.
Hæreticorum serui ob hæresim dominorum, an ad Fiscum transeat.ibid.
Hæreticus à die quo in crimen incurrit, nihil potest bonorum sibi ex aliorum donatione, &c. obuentionum acquirere.662.1.
Hæretico aduenientes hæreditas, an ad Fiscũ pertineat.662.2.
Hæretici ius patronatus Ecclesiasticum, publicatis eius bonis ad Fiscum non transit, sed vsu introductum est, vt Ecclesia sui iuris libertatem acquirat.ibid.
Hæretici bonis publicatis, feudum, quod penes ipsum erat ad catholicum dominum redit.ibid.
Hæreticorum bona cui Fisco deferantur.663.1.
Hæretici Clerici fructus ex beneficio acquisiti, an Fisco deferantur.ibid.
Hæreticus, si sit paterfamilias, non publicatur vsusfructus quem habet in bonis aduentitijs filij.ibid.2.
Hæreticorũ hæredes an possint aliquando iure præscriptionis contra fidem bona sibi retinere quæ possident.ibid.
Hæretici regni regnum an confiscari queat.663.2.& 664.1.
Hæretico aliqua obligatione astricti liberantur.664.1.
Ad hæreticum maritum si relapserit, an vxor quam deceperit cogatur redire.ibid.
Hæretico obligationes vi cessent.664.2.
Hæretico an debitor debeat soluere.ibid.
Hæreticorum pœna, qua dignitatibus, &c. vel priuati sunt, vel priuari merentur.ibid.
In hæretico presbytero, vt maneat potestas consecrandi, & offerendi sacrificium.665.1.

In hæretico Episcopo manet potestas ordinis.665.2.

Hæreticus sacerdos, & Episcopus, an eo ipso sit omni iurisdictione priuatus.666.2.

Hæreticum qui recipit vt amicum, an excusetur à pœna receptatoris.664.2.

Hæreticus sacerdos an eo ipso beneficium Ecclesiasticum, etiam ante iudicis sententiam amittat.666.1.

Ab hæretico abdicatio beneficij in gratiã alterius facta ante condemnationem criminis, an sit vllius momenti.ibid.

Hæreticorum pœna est etiam priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ.666.2.

Hæreticorum pœna est infamia, vt eorum filij ad nullum Ecclesiasticum beneficium admitti possint.667.1.

Hæreticorum pœna iusta capitis supplicium.668.1.

Hæretici vt igni exurantur, vnde originem traxerit.669.1.

Hæreticus relapsus quis sit.669.2.

Hæreticus relapsus, an sit qui vnam solum hæresim abiurauit, si postea in aliam diuersam labatur.ibid.

Relapsus hæreticus quatuor modis dicitur.ibid.

Relapsus censetur qui dãnatus ob vehementẽ hæresis suspicionem eam abiurauit, deinde hæreticis adhæret.ibid.

Relapsus non est qui abiurauit hæresim, & detrusus in carcerem inde aufugit.670.1.

Hæretici relapsi pœna quæ sit.ibid.

Hæreticos par veram pœnitentiam redeuntes, an excipere debeat Ecclesia.ibid.

Hæretici lata sententia condemnati, an iure possint ab Ecclesia recipi.670.2.

Hæretici ad fidem redeuntes, quomodo sint recipiendi ab Ecclesia.ibid.

Hæreticorum credentes qui sint.671.1.

Hæreticorum receptatores qui sint 671.2.

Hæreticos domi excipiens tanquam sibi societatis, &c. legeõiunctos an receptator sit.ibid. An excusetur à pœna.ibi.

Hæreticum Patrem filius recipiens, aut virum vxor, an receptatoris pœna puniendi.ibid.

Hæreticum qui mortis metu recipit, an pœnam incurrat.672.1.

Hæreticorum defensores qui sint.ibid. fautores.ibidem.

Hæreticorũ receptator, fautor, & defensor num iure coganter, vt pœnas eniteat, ignorantiã suam probare.672.2.

Hæreticorum receptatoris, fautoris, defensoris, quæ pœna sint.ibid.

Hæreticorum absolutio. Vide Absoluio.

Hispania. *Hæreticorum Libri. Vide Libri.*

Hispaniæ Reges, an habeant à Pontifice priuilegium ad suum iudicium vocandi causas clericorum, cum se seculares queruntur vim pati à iudice Ecclesiastico.358.1.

Historici. *Historici veteres enumerantur.507.1. & 2.*

Homicida Homicidium. *Homicida animæ propriè non est quicunque lethaliter peccat, sed requiritur speciale, & expressum propositum voluntatis.36.1.*

Homicidium externum speciale propositum non requirit. ibidem.

Homicidium permittentes Ciuiles leges in certis casibus à Canonico iure abrogantur.396.2.

Homicidis pecuniariam tantùm pœnam imponentia statuta improbantur.411.2.

Homicidæ bona, vel eorum dimidia pars iusto statuto heredi interfecti attribuuntur.416.1.

Homo. *Homo an solis naturæ viribus possit promereri vitam æternam.197.1.*

Homo an solis naturæ doribus possit credere, & sperare diuina mysteria.198.1.

Homo an saltem solis naturæ viribus possit honestè operari. 198.2.

Homo solis naturæ viribus peccatum defugere omnino nequit.199.1.

Homo in statu iustitiæ originalis per seipsum omne opus honestum præstare potuisset, non sine Dei mouentis, & adiuuantis auxilio.201.2.

Homo iustitia originali iustus an præcepta fidei, & spei implere potuisset.202.2. an omnia præcepta.203.1.

An Deum propter ipsum, ante, & super omnia diligere potuisset.202.2.

An homo in illo statu vitam æternam promereri potuerit. 203.1.

Vide Adam, Originalis iustitia, & status.

An homini post lapsum habitus supernaturales infusi, non dant peccatum veniale vitare.204.2.

Homo vulneratur in naturalibus per peccatum, quia minus habilis sit ad bonum rationis vsum.210.2.

Homo creatus diuinitus ex particula Adami peccatoris, peccatum originale non contraheret.296.1.

Homo vetus. Vide Concupiscentia.

Honestatis actus in quo consistat.70.1.

Honestas. Horæ Canonicæ. *Horarum Canonicarum nomine, quæ orationes intelligantur, & cur sic dictæ.804.1.*

Horariæ preces Canonicæ quot sint.ibid.

Horariæ preces Canonicæ cur septenario numero constent. 805.1.

Horæ Canonicæ quæ nominentur voce officij matutini, quæ Vespertini.805.2. & 806.1.

Quæ, & quot sumi debeant voce officij diurni, quæ nocturni.806.1.

Horæ Canonicæ quando primùm sint institutæ.ibidem.

Sinine diuini iuris, an Canonici.807.1.

Vigiliæ nocturnæ quando sint institutæ.807.2.

An nocturnæ preces tribus olim temporis interuallis à Clericis persoluerentur.ibid.

Nocturnæ vigiliæ cur duodecim, nouem, aut octodecim psalmis constent.808.1.

Matutinæ laudes cur institutæ.808.2.

Hora prima cur colatur, & obseruetur ab Ecclesia. ibid.

Horæ primæ an vetus sit institutio.ibid.

Prima, & Completa cur in multis sibi sint similes.809.1.

Hora tertia, sexta, & nona, cur institutæ.ibid.

Horæ diuersæ Euangelistarum de Christo in Crucem sublato conciliantur.ibid.

Horam vespertinam cur obseruet, & colat Ecclesia.810.1.

Horam Completæ cur, & quando Ecclesia instituerit.810.2.

Horas Canonicas, qui teneantur iure Pontificio recitare.ibi.

Horas Canonicas cur iure teneantur recitare habentes beneficium Ecclesiasticum.ibid.

An horas teneatur recitare beneficiarius ob tenue beneficium ibidem.

An ad horas Canonicas recitandas cogat præstimonium, vel præstimonialis portio.811.2.

An ad horas Canonicas cogat Capellania.812.1.

Ad horas Canonicas tenetur Commendatarius.812.2.

An ad horas Canonicas teneatur Coadiutor. 812.2. & 813.1.

Manuale beneficium adstringatne ad preces horarias.813.1.

Pensionarius quando Horas recitare teneatur.813.2.

An Canonici primo, & secundo anno non acquirentes fructus beneficij teneantur recitare horas.814.1.

Beneficiarius cuius fructus alteri reseruantur teneanturne persoluere officium.814.2.

An idem ratione tituli, & iuris, an ratione fructuum teneatur.815.1.

Debeatne persoluere à die collati beneficij, an verò à die possessionis obtentæ.815.2.

Electus ætate legitima, aut debito ordine, idoneæ literaturæ,

aut iustis natalibus carens teneaturne ad Horas ipse recitandas.816.1.
Litigantes de beneficio,quando debeant horas recitare.ibid.
Possidens duo beneficia an bis teneatur recitare.ibid.
Beneficiarius Clericus legitima auctoritate absens ab Ecclesia,si Clericum suo loco substituat,an ipse eo ipso ab Horis recitandis eximatur.817.1.
Canonicus nondum adeptus Canonicatum quando adstringatur ad horas dicendas.817.2.
Beneficiarius quo iure ad horas teneatur.ibid.
Canonico ne iure Clerici ad sacrum ordinem promoti diuinum officium persoluant.818.1.
Minorum ordinum Clerici num eadem qua Diaconi,& Subdiaconi lege ad Horas obligentur.818.2.
An Clerici Minorum ordinum aliqua consuetudine teneantur ad preces quotidianas.ibid.
An Episcopi ordinantes Clericos Minorum ordinum possint illos ad certas preces obligare.819.1.
Subdiaconus auctoritate Pontificis Romani ducens vxorem, an solnatur iure recitandi horas.ibid.
Clerici,seu Beneficiarij,& sacris ordinibus initiati, excommunicatione,interdicto seu irregularitate affecti, vel omni Clericorum officio priuati,gradu omni,& loco deiecti an teneantur ad horas.819.1.& 2.
Qui Religiosi ad horas recitandas obligentur.819.2. quo iure.ibidem.
An eorum Nouitij, qui chorum frequent.teneantur ad Horas.ibidem.
An Professi,qui Conuersi dicuntur,ad Horas obligentur. ibi.
Professus deputatus ad Cantum, & Chorum,etiamsi fugiat, ad Horas tenetur.820.1.
Eiectus ob delictum,an sit liber.820.2.
Destinatus ad Chorum aliàs,si Superiorum iussu ad Conuersorum ordinem transferatur, an liber sit ab horis. 820.1.
Religiosus eiusmodi auctoritate Pontificis, & beneficio extra Monasterium viuens possimne absolui à recitatione Horarum.ibid.
Horas omittens Canonicas lethaliterne peccet.820.2.
Quomodo peccet vnius Horæ preces omittens.821.1.
Quomodo si vnum Psalmum scienter omittat.820.2.
Septem horas vno die omittens,an septies peccet.821.1.
Alternatim cum alio Horas recitans,an satisfaciat.821.2.
Recitant cum alio,qui liber est,alterius versibus an satisfaciat.ibid.
Cum pluribus recitans satisfacit si audiat attentè quæ pronunciantur à pluribus.ibid.
Anne orationes,Capitula,& Antiphonas recitare simul cum socio teneantur.ibid.
Quomodo simul à pluribus officium rectè possit recitari. Ibi.
Preces aliæ in vniuersum,an rectè persoluantur alternatim cum alijs.822.1.
Quemadmodum peccet,qui verba diminuit,aut truncat.ibi.
Quando recitare teneantur B.Virg.& Defunctorum officia, qui horas persoluunt.822.2.
An horariæ preces sine intermissione fint recitandæ.823.1.
Interruptio quid significet in horis recitandis.ibid.
An aliquando horas interrumpere liceat.ibid.
An tres nocturnæ vigiliæ diuidi possint à Laudibus matutinis non per horam solim,sed noctem totam.ibid.
An intermitti,& interrumpi tuta conscientia possit iusta ex causa cuiuslibet horæ officium per aliquod tempus.823.2
Interrumpens per risum, iocos, sermones otiosos, & vanos, vt peccet.824.1.
Interrumpens animo non continuandi,& absoluendi,sed repetendi semel recitata,si postea absoluat, & non repetat antedicta an satisfaciat.ibid.
Recitans sola cum voluntate legendi,non orandi, an debeat repetere.ibid.
Iustis de causis interrumpi possunt preces ex voto,vel pœnitentia recitandæ.ibid.
Officium diuinum iusta ex causa interruptum repeti non debet.824.2.
Vi iuris communis recitandum est officium diuinum,certis horis publicè,& priuatim.ibid.
Quando quælibet Horaria precatio sit persoluenda.ibid.
Propter occupationes satiùs est præmittere officium, quàm differre.ibid.
Quomodo accipiendum sit, quod dicitur Presbyterum manè suæ seruitutis pensum explere debere.825.1.
Nocturnæ vigiliæ,& laudes pridie tribus etiam horis ante Solis occasum pro ratione loci,& prouinciæ consuetudine recepta possunt recitari.825.2.
Horæ reliquæ non possunt.826.2.
Quorsum Papa multis concedat recitationem, vna saltem Hora ante Solis occasum; quod sine concessione licebit etiam tribus horis.ibid.
Horæ Canonicæ in Completa terminantur.ibid.
Horæ Canonicæ in media nocte terminantur, eaq; elapsa, quod prætermissum est recitari iure non potest.ibid.
Incipiunt à nocturnis vigilijs.827.1.
Iure communi inchoandæ sunt media nocte.ibid.
An peccet qui intra tempus iure præscriptum preces Canonicas anteponit,vel postponit sine causa legitima.ibid.
Vespertinæ preces tempore quadragesimæ etiam priuatè ante prandium recitandæ sunt.828.1.
Horarum Canonicarum ordo ex legitima causa sine vllo peccato,absque legitima causa cum peccato inuertitur. ibid.
Qui scienter horas Canonicas mutat ex toto,vel ex parte Ecclesiæ satisfacit;sed venialiter peccat, si per oblitionem, non peccat.ibid.
Horarias preces præter nocturnum, & matutinum ad certum diem pertinentes,qui pridiè aut postridiè recitat,non satisfacit Ecclesiæ.828.2.
Primæ vesperæ in celebriori officio pridie festi diei persolui debent.ibid.
Ante nocturnas vigilias,& laudes matutinas peroratas fas non est Clerico Missam dicere.829.1.
Ante primam recitatam licet sacrum facere.ibid.
Primæ,Tertiæ,Sextæ,& Nonæ officium potest sacerdos legitimâ de causa summo manè ante sacrificiũ persoluere.ibi.
Clericus secularis vi iuris communis formula in sua Diœcesi approbata, Religiosus sui instituti forma vti debet in horis recitandis.829.2.
Iure nouo Pij Quinti,omnes tam seculares, quàm regulares vti debent formula præscripta in Breuiario Romano.ibi.
Quæ forma vti debeat in recitando officio, qui in duabus Ecclesijs beneficia legitimè possidet.ibid.
Qui solas horas, ersolnit nullo iure cogitur eã adhibere pronunciationem,quæ ab alijs audiri possit.830.1.
An qui horas persolui se induendo,exuendo,&c. peccet, & violet præceptum Ecclesiæ.833.1.
De horis recitandis, & attentè recitandis vnicum præceptũ est.832.1.
Horas qui attentè quidem recitat,sed animo non satisfaciendi præcepto,præceptũ nõ implet,& repetere tenetur.833.1
Qui per metum, vel errorem, aut ignorantiam Horas Canonicas persoluit præcepto satisfacit,non autem qui per vim recitat.833.2.
Qui preces horarias legit,& simul audit Missam die festo vtrique præcepto satisfacit.ibid.
Qui studijs literarum vacat,& per Vicarium inseruit Ecclesiæ non est liber à recitandis horis.836.2.

Peregrinatio legitimè suscepta, quando beneficiarius per alium inseruit Ecclesiæ non excusat eum ab horis dicendis. ibidem.

Grauis occupatio præsertim frequens, & diuturna iustam excusationem adfert horarum Canonicarum. ibid.

Codice horariarum precum carens, an absque peccato diuinum officium prætermittat. ibid.

An peccet suscipiens sacrum ordinem, aut officium Ecclesiasticum antequam Breuiarium nactus sit, aut preces Canonicas recitare didicerit. 837.1.

Metus mortis iustam diuini officij recitandi excusationem meretur. ibid.

Qui ob cantum, aut aliud simile officium in Choro impeditur ne horas recitare posit excusatur. ibid.

Clericus habens plura beneficia, nec horas persoluit post sex menses ab illis sibi collatis, debet restituere pro rata fructus omnium beneficiorum. 839.1.

Qui nulla sua culpa bona fide Horas prætermittit, nihil tenetur restituere. 839.2.

Canonicus qui nec cum alijs interest in Choro officio diuino, nec illud persoluit restituere debet distributiones quotidianas. 840.1.

Horæ Canonicæ quot, & quibus tanquam partibus constent. 840.2.

Horas B. Virginis lege Vrbani Secundi, & consuetudine recepta Clerici tenebãtur recitare. 844.1. post editum Breuiarium Pij V. non tenentur. ibid.

Tantum tenentur cantare vbi est consuetudo. ibid.

Tempora quibus Ecclesiastica officia variantur sunt quatuor, & quæ. 843.2.

Ab horis Canonicis recitandis beneficiarij consuetudine eximi non possunt. 393.1.

Humilis. *Humilis quis sit. 255.2.*

Humilis, alijs se subijcere amat, & à magnis se rebus abstinet. ibid.

Hymnus. *Hymnorum Canendorum vsus ab Apostolis, & Christo Domino acceptus. 842.1.*

Hymnos composuerunt, Sancti Hilarius, & Ambrosius. 842.2.

Hymnus quid differat à Psalmo, & Cantico. ibid.

Hypocrisis. *Hypocrisis filia inanis gloriæ quid sit. 257.1.*

Hypotheca. *Hypothecæ ius remittitur tacendo. 9.1.*

Iactantia. *Iactantia quid sit, & quando sit lethalis. 256.2.*

Idolum, & Idololatra. *Idololatriæ nomine, quæ peccata significentur. 756.1.*

Idoli cultus metu mortis, ignorantia, simulatione positive excusari. ibid.

Ad Idolorum fana, & delubra extruenda auxilium, opem ferre, operas locare Christiano fas non est. 756.2.

Idolorum fana adire, & ingredi quando sit nefas. ibid.

Ieiuniũ. *Ieiunium vnum est è Sacramentalibus. 253.1.*

Ieiunium quid sit. 555.2.

Ieiunij natura in quo consistat. 561.1. & 2.

Ieiunium est actus totalis abstinentiæ. 555.1.

Qui ieiunium absque legitima causa soluit peccat mortaliter. 555.2.

Ieiunium ab Ecclesia præceptum tria requirit, & quæ. 556.1.

An absque ieiunij violatione vespertina refectiuncula vti liceat. ibid.

Consuetudine est introducta. ibid.

An eam liceat in meridianam, vel matutinam mutare. 556. 2. & seqq.

In refectiuncula vespertina, an liceat vti pane, fructibus, herbis, iurulentis, piscibus. 557.1.

An vnus in minori quantitate alter maiore possit refectiunculam vespertinam sumere. 557.1.

Vt in ieiunio tantùm semel in die comedatur num sit expressè cautum in iure Canonico. 558.1.

Qui cibos prægustant magnatum, & infirmorum, & Lectores ad mensam si quippiam ante ederint non franguni ieiunium. ibid.

In ieiunio qui cibum modicum sumit amici gratia peccat venialiter. ibid.

In ieiunio, qui ad aliquod negotium euocatus prandium intermittit, num peccet, si secundo comederit. 558.2.

Die Ieiunij, qui secundò, tertio, quartò, quinto comedit pisces, vnum peccatum committit. 559.2.

Cum in tempore Ieiunij conceditur sæpiùs comedere, nõ hoc ipso conceditur vesci carne, sed licet illi non tantùm semel, sed tertio, quarto, quinto, pisces comedere. ibid.

Ieiunijs extra Quadragesimam pro more, gẽtis, cibis, qui ducunt originem ex carne, vti licet. 560.1.

Eo ipso quòd Canone interdicitur esus carnium non intelligitur prohibitus esus lactis, ouorũ, &c. sed contra. 560.2.

Cui in die Ieiunij per priuilegium liberum est Carnes edere, solutus est lege Ieiunij. 561.2.

Ieiunia quæ communia, quæ priuata dicantur. 566.1.

Ieiunium exultationis quod dicatur. 573.1.

Cui facultas conceditur edendi, quæ ex Carne procreantur, aut anticipandi horam, nõ est solutus lege Ieiunij. 561.2.

Cui concessum est ouа comedere tuto posset vesci lacte, caseo, butyro, & piscibus. ibid.

A Ieiunio Ecclesiastico semper fuit vsus Carnium exclusus. 562.1.

Quid nomine Carnis in his prohibitionibus intelligatur. 562.2.

Vinum cùm non in cibum, sed in potum adhibeatur, non soluit Ieiunium, & ante potum, ne noceat, licet frustulum panis sumere. 563.1. & 2.

An diebus, quibus licet comedere ouа, &c. liceat etiam vesci sagimine. 563.2.

Ieiunium Ecclesiasticum certam horam deposcit. ibid.

A certa hora Ieiunium appellationem habet. ibidem.

In Ieiunio hora nona cibum sumere fuit consuetudo in Ecclesia. 564.1.

Communis consuetudo est comedere circa horam sextam. ibidem.

In diebus extra Quadragesimam de hora comedendi nihil est lege sancitum. 565.1.

Qui sine causa legitima horam Ieiunij debitam prævenit, morialiter peccat. ibid.

Quis intelligatur notabiliter anteuertere horam debitam Ieiunij. 565.2.

Diebus Ieiuniorum licitè differtur prandium ad vesperam. ibidem.

Qui sine iusta causa horam debitam præuenit, nihilominus Ieiunium seruare tenetur. 566.1.

De Ieiunio quod à Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, & die Cinerum inchoatur. 569.2.

Ieiunium seruabant Christiani Latinæ Ecclesiæ feria 6. & Sabbatho cuiuslibet hebdomadæ. 568.2. & 570.1.

Ieiunium quibus Sanctorum peruigilijs sit iure communi seruandum. 570.1.

A Ieiunio liberum est tempus Paschale, & Pentecostes generali Ecclesiæ traditione. 573.1.

Non est iure communi Ieiunium iudictum in peruigilio Pentecostes, sed generali Ecclesiæ Latinæ consuetudine seruandum est. 570.2.

Vnde de Ieiunio Sabbathi Romanæ, & Græcæ Ecclesiæ consuetudo contraria orta sit. 574.1.

Mortaliter peccat, qui sine iusta causa sexta feria carnes comedit. 575.1.

Probabile est olim Christianos quarta, & sexta feria semel tantùm in die comedisse.575.2.
Ieiunium in tribus diebus Rogationum non est iure communi inductum.575.2.
In Ieiunio sextæ feriæ consuetudo regionis est tenenda.ibid.
Ieiunandi secunda, quarta, & sexta feria consuetudo, vnde ducta sit.576.2.
Ieiunium inchoatur à media nocte, & durat ad mediam noctem. ibid.
Die Dominico, & feria quinta ieiunabāt Manichæi. 580.2.
Ieiunium in die Dominico, & feria quinta à Melchiade Papa prohibitum.ibidem.
Ne Ieiunium indicatur inter Pascha, & Pentecosten traditio est Apostolorum.581.1.
Inter Pascha, & Pentecosten quarta, & sexta feria liberi erant à Ieiunio, verisimile tamen est, Christianos non vsos fuisse carnibus.581.1.
Diebus quibus ieiunium interdictum est tuto quis ieiunare potest.581.2.
Die Dominica non nisi graui de causa ieiunandum. ibid.
Sex causæ quæ excusant à ieiunio obseruando.ibid.
Ante vigesimum primum annum exactum nemo ieiunare obligatur.581.2. & 582.1.
Rationabilis, & iusta causa ieiunium soluere potest.581.2.
Qui à Ieiunij lege liberatur continere se debet ab esu carnium, & ciborum iure vetitorum.581.2.
Adolescentes Religiosi ad Ieiunium non adstringuntur, nisi ipsius Religionis institutum præcipiat.582.1.
Adolescentes seruare debent Ieiunia causa Iubilæi indicta, si illud consequi velint.582.2.
Qui operarij & artifices sint liberi à ieiunio. 583.1.
A ieiunio liberat officium pietatis, misericordiæ, vel charitatis, lege, præscripto maiorum, aut ob communem salutem obitum. 584.1.
Quando à ieiunio sint liberi Concionatores, Magistri, Lectores, Confessarij.ibid.
Qui soluit ieiunium bona fide, amici infirmi, vel peregrini causa non peccat.ibid.
Ieiunij legibus potest quis solui authoritate Superioris. 584.2.
Ieiunia quando, & à quo transferri in aliud tempus, redimi, & commutari possint.585.2.
A ieiunio soluere non possunt Subpriores, Subministrè, qui sub cura Priorum, & Rectorum sunt.ibid.
A ieiunio potest se ipsum liberare Prelatus, vel Superior iusta de causa.586.1.
Metus alicuius mali quando adferat legitimam excusationem à ieiunio. 586.1.
Ieiunium certis diebus indictum tantum est iuris Canonici. 586.2.
Ieiunia consuetudine generali in prouincia, oppido, vel loco recepta, in Monasterijs quoque illorum locorum seruari debent.587.1.
Quæ ieiunia clericos ligant sæculares, & religiosos non ligant, & contra.587.2.
Aduenæ & peregrini in ieiunijs incolarum consuetudinibus tenentur.588.1.
Viatores non tenentur consuetudinibus eorum per quorum loca transeunt in ieiunijs. 588.2.
Ieiunia certis diebus suscipere non est Superstitionis Iudaicæ. 589.2.
Argumenta hæreticorum contra ieiunia.ibid.
Ieiunium est opus Temperantiæ.590.2.
Qui ieiunium certo die indictum violat non tenetur altero die ieiunare.591.1.
Si duo ieiunia in vnum diem inciderint non debet alterutrum eorum in alium diem transferri. ibid.
Qui ieiunium violat, cum sint duo indicta, non committit duplex peccatum. 591.2.
An ieiunijs debeant adiungi alia pietatis officia. ibid.
Superior dum aliquem ieiunio soluit non imponit aliud pietatis opus 592.1.
Non peccat famulus ministrans cibos Domino quem nouit ieiunium soluere. ibid.
Quomodo peccet, qui alterum ad cœnam, die ieiunij inuitat. 592.2.
Paterfamilias quando peccet ministrando die ieiunij cœnam familiæ.593.1.
Peccat magistratus non prohibendo cibos vetitos die ieiunij vendi.ibid.
Qui occultè vendit in die ieiunij cibos prohibitos illis quos scit, aut dubitat emendo peccare ipse etiam peccat.593.2.
Quæ sint prohibita fieri diebus ieiuniorum.593.2.
An die ieiunij liceat cœnare antequam officium vespertinū fiat.594.2.
Christiani pœnitentes quid fecerint diebus ieiuniorum. ibidem.
Quando quis per alium ieiunare possit. 595.1.
Ieiunium naturale quid sit, & quomodo ab Ecclesiastico differat.ibid.
Ieiunium naturale cum ipso rationis instinctu nobis insitum est.ibid.
Ieiunij vtilitates.595.2. & 596.1.
Ieiunium quomodo peccata deleat.596.2.
Ieiunia etiam extra Charitatem Dei facta peccatorum veniam impetrare solent.ibid.
Votum quod Deo fecit, an fuerit stultum, & inhumanum. Iephte. *944.2.*
Iephte, an filiam suam immolauerit. ibid.
Ignorantia quatenus voluntarium tollat, aut minuat.25. & Ignorantia. *26.1.*
Ignorantiæ diuisiones. 26.1. quomodo ad se inuicem habeant.27.1.
Ignorantia comitans, nec est causa, nec effectus peccati. 26.2.
Ignorantia dicitur peccatum quia causa est, & occasio proxima peccati.27.2.
Ignorantia etiam per se peccatum est, adiuncta negligentia. 28.1. & 2.
Ignorantia alia directò, & per se voluntaria, alia non. 29.1.
Ignorantia aliquando est speciale peccatum.29.2.
Ignorantia quæ est causa aliorum peccatorum ab ijs non distinguitur.29.2.
Ignorantia inuincibilis quarum rerum sit.30.1.
Ignorātia iusta eorum, quæ sunt iuris positiui diuini esse potest.30.2.
Ignorantia iusta, & probabilis iuris humani communis esse potest in foro conscientiæ. 32.1.
Ignorantia quomodo sit iusta peccati excusatio. 32. 1. & 2.
Ignorantia crassa, & affectata partim aggrauat, partim minuit peccatum.ibid.
Ignorantia probabilis aliquando ex toto, aliquando ex parte tantum excusat à peccato.33.1.
Ignorantia probabilis ex culpa nascens excusat à peccato cōsequenti.33.2.
Ignorantia probabilis cōmitans quomodo excuset à peccato. 34.1.
Ignorantia probabili non solùm malum à culpa excusatur, sed fit opus bonum.34. & 35.1.
Ignorantia vitiosa, & mala fide contracta quæ sunt, eius-

dem sunt speciei cum ijs, quæ scienter fiunt contra ius naturale, & positiuum. 35. 1.
Ex ignorantia peccans mala fide quomodo sit liber à pœna legis. 37. 2.
Ius diuinum, vel naturale violans scienter, ignorans tamen constitutam pœnam ciuilem iure illa plectitur. 37. 2.
Ignorantia quando à pœna excommunicationis excuset. 38. 1.
Ignorantia voluntaria iuris Canonici peccantes excommunicationem ignoratam sua culpa incurrunt. 40. 1.
Ignorantes bona fide irregularitatem, & alias pœnas incurrunt. 40. 2.
Ignorantia quomodo peccatum in legem humanam excuset. 41. 1.
Ignorantia iuris, & facti quando iustam excusationem habeat. ibid.
Ignorantia iusta, & probabilis iuris quomodo discernatur ab ignorantia facti. 41. 2.
Ad ignorantiam renocatur inconsideratio, & obliuio. ibid.
Ad ignorantiam deponendam quæ diligentia sit satis.
Ignorans legem promulgatam excusatur à culpa, & pœna legis, sed si fecerit quæ illa rescindit sunt irrita. 42. 2.
Ignorantia rerum credendarum est per se peccatum. 649. 1.

Imago. De cultu sacrarum Imaginum quid hæretici, quid cõtra Catholici profiteantur. 741. 1.
Imagines sacræ, an colendæ sint eodem cultu quo prototypa. 739. 1.
Imaginum cultus in quo vltimo consistat. 740. 1.
Imaginum cultus illo Exodi non facies tibi Sculptile non est interdictus. 740. 1.
An Imagines aliquas Iudæi coluerint. 740. 2.
Imagines in templis, & alibi iure depinguntur. 741. 1.
Imagines Angelorum bene depinguntur in templis, & alijs in locis. 741. 2.
Imagines Dei Trinitatis, & personarũ pingi debent. 742. 1.
In Imagine Agni Christus depingi potest. ibid.
An Imago Sacra, per quam nos alloquitur Dæmon in Angelum lucis se transfigurans honorari iure possit, ac debeat. 744. 1. 2.

Immunitas. Immunitas bonorum Ecclesiasticorum iuris diuini est. 359. 1.
Possessiones transeuntes ad Clericos cum onere variabili immunes sunt, non autem cum inuariabili. 362. 1.
Legatum ex conditione apposita à Testatore retinet onus etiam cum sit Clerici. ibidem.
Si ad pensionem res sit obligata in certos annos facta Clerico non est immunis, donec persoluatur. ibid.
Immunitati Ecclesiasticæ derogat vetare, Ecclesiæ, vel beneficij possessionem apprehendere sine facultate laici qui præest. 362. 2.
Immunitati Ecclesiasticæ derogãt Principum leges permittentes iniuriam passis ab Ecclesiastico Iudice ad secularem appellare. 369. 1.

Impatientia. Impatientia quid sit. 141. 1.
Imperator. Imperatorum authoritas vnde sit. 311. 2. Eorum constitutiones etiam leges dictæ. 312. 1.
Imperatorum leges sunt pars Iuris Ciuilis. 312. 2.
Imperatoris solius est declarare ius Ciuile. 378. 1. Vide Princeps.

Imperiũ Imperare Imperatus. Imperare sine actus voluntatis, an rationis. 67. 2.
Imperij actus sine distinctus necessario ab electione. 68. 1.
Imperati actus quomodo sint voluntatis. 68. 2.

Impuberes. Impuberes filij præsentibus Parentibus in cõiugio, vel sponsalibus consensum dantibus tacendo assentiri censentur. 8. 1.

Incendiarius. Volens totam domum comburere vnum tantùm peccatum committit. 218. 1.
Incestuosas nuptias contrahentis bona ipso iure Fisco addicta sunt. 334. 1. Incestus.

Inconsideratio. Inconsideratio ad ignorantiam renocatur. 41. 1. & 2.
Inconsideratio solet antecedere peccatum. 274. 2.

Incontinens. Incontinens, & intemperans quomodo differant. 169. 1.

Indifferens. An indifferens aliquis actus detur. 79. 1. & 2. & 82. 1.

Indignatio. Indignatio quid sit. 140. 2.
Indignatio quare non sit virtus. 168. 2.

Inducię. Inducturum tempore Christianis prohibita non licet ad Saracenos deportare. 703. 1.

Infamis. Infamis, vt impediatur à consequẽdis bonis quibus iure prohibetur sufficit criminis euidentia, vt ea tam consecutus amittat non sufficit. 335. 1.
An infamis iurare possit se ab his criminibus esse immunem. 936. 1.

Infidelis, & Infidelitas. Infidelitas odio peior, quia spe, & caritate priuat, odium non priuat fide, & spe. 260. 2.
Pro infidelibus Missa offerenda non est quatenus est sacrificium satisfactorium. 866. 2.
Contra infideles in Missa orat Ecclesia. ibid.
Pro infidelium conuersione Ecclesiæ fas est publicè orare in Missa. 867. 1.
Pro salute infidelium non potest Sacerdos in Missa priuata, authoritate precationes nouas adhibere. ibid.
Infideles olim à templo excludebantur cum Missa Catechumenorum ab oluertur. 867. 2.
Pro infidelibus olim Ecclesia orabat in Missa Catechumenorum. 868. 1.
Infidelium saluti intendit Ecclesia orando non sacrificando. ibidem.
Pro infidelibus orat Ecclesia die Parasceues. 868. 2.
Infidelium, qui longissime distant, paruulos filios baptizare licet Christianis. 709. 2.
Infidelium omnia opera non sunt peccata. 711. 1. Vide etiam Paganus.

Infirmitas. Dolores capitis, pectoris, aut stomachi, non liberant Clericos à pensio horarum Canonicarum. 834. 1.
Infirmitas grauis, Clericum liberat ab onere recitandi horas. 834. 2.
Dubitans de grauitate infirmitatis, vel à Superiore indulgentiam petere, vel Medicum consulere debet. ibid.
Habens iudicium Medici liber est, nec indulgentiam à Superiore petere debet, nisi adhuc sit dubium de grauitate infirmitatis. ibid.
Qui ob infirmitatem horas recitare non potest, non tenetur alium audire recitantem. ibid.
Clericus infirmus, qui solus horas recitare nequit, debet ad sciscere socium, si possit. 835. 1.
Clericus infirmus post quam conualuerit non debet repetere horas intermissas. ibid.
An infirmus suppiere debeat horas, per alias preces quas cõmodè recitare potest. ibid.

Ingratus. Ingratus donatarius donatione ob ingrati animi crimen renocata bona tuta conscientia retinere non potest, etsi nullus repetat. 343. 1.

Innocentius. Innocentius III. abrogauit decretum de deferenda discepatione ad Iudicem ciuilem, negligente Episcopo. 367. 1.

Inobedientia. Inobedientia latè in omni peccato reperitur. 231. 1.
Inobedientia speciale peccatum est, cùm quis peccat in legem eo animo, ne imperanti pareat. 231. 2. & 257. 2.
Inobedientia filia est inanis gloriæ. 257. 1.

Inquisitores. Inquisitores fidei habeamine ius inquirendi, & animaduertendi in Diuinantes, & Sortilegos. 773. 2.
Inquisitores hæreseos habeamine ius animaduertẽdi in Blasphemos. 779. 1.

Inquisitorum sacrum munus, qua de caussa, & quo tempore cœperit. 677.2.
S. Dominico id quando commissum fuerit. 678.1.
Id muneris S. Petrus Martyr per Longobardiam præstitit. ibidem.
Cardinali Mendozio eadem cura fuit demandata. ibid.
Inquisitores Apostolici, an Theologi, an potius Iurisperiti esse debeant. 678.2.
Inquisitores Apostolicos, & eorum Commissarios quotum ætatis annum agere oporteat. 679.1.
Inquisitor eligi, & creari à Romano Pontifice debet. ibid.
Inquisitores delegati sunt Iudices. 679.2.
Inquisitoris potestas, Romani, Pontificis, qui eam concessit, obitu, non finitur. 680.1.
Inquisitoris authoritas, aut Commissarij in puniendis hæreticis, vbi maior sit, quàm Episcopi. ibidem.
Inquisitorē suo munere priuari penes quem sit, & olim fuerit. 681.1.
Inquisitor sibi Vicarium substituere an possit, Vicarius alium possit. 681.1.
Inquisitoris Dominicani, vel Francisçani Commissarium Præfecti ordinis ab officio amouere non possunt. 681.2.
Inquisitores iure nec in officiales Romani Pontificis, nec in Episcopos possunt inquirere, in Religiosos autem possunt. ibidem.
Inquisitores authoritatem habent inquirendi in seculares Princeps omnes ob hæresim præterquam in eos, qui nullum in temporalibus Superiorem agnoscunt. 682.1.
In Inquisitorem hæreticum, nec Episcopus, nec alius Inquisitor ius inquirendi habet. 682.2.
Inquisitoribus licet in eos inquirere, qui post quã in sua prouincia deliquerant ad aliam se contulerunt. ibid.
Ab Inquisitore potest hæreticus puniri in sua prouincia, licet alibi deliquerit. 683.1.
Inquisitor sine Episcopo, & Episcopus sine Inquisitore, quomodo sententiam ferre possint in caussa hæresis. ibid.
Inquisitor de quibus criminibus cognoscere possit, & debeat. ibidem.

Instantia. Instanti Naturæ in quo conditus est homo, consensit, & accepit gratiam. 188.2.

Instrumẽtum Sacrum. Calix cõsecratus, & Patena consecrata requiruntur ad Missæ sacrificium. 885.1.
Calicem, et Patenam simplex Presbyter ne Episcopi quidem concessu consecrare potest. ibidem.
Abbates priuilegio Canonico Calices consecrant. ibid.
Quomodo Calix, & Patena consecrantur. ibid.
Calix, & Patena ex qua materia debeat constare. 885.1. & 2.
Calix argenteus post consecrationem inauratus, amittit consecrationem. 885.2.
Corporalia, & Pallæ qualia esse debeant. 886.1.
Pallæ quot esse debeant. 886.2.
Orarium in Iure Pro Stola accipitur. 887.1. Vide Calix. & Habitus Sacerdotis.

Intentio. Intentio actus elicitus voluntatis quid sit, & quotuplex. 60.2.
Intentio, origine, & caussa actus Rationis, substantia voluntatis est. ibidem.
Intentio quare vocetur oculus, & lumen. ibidem.
Cognitio illam præcedit, & quænam. ibidem.
An sit idem actus re cum electione. 61.1.
Semperne sit mala, quando electio est mala. 84.1.
Intentionis sine mutato, electio reipsa mutatur. 84.1. & contra. 85.2.
Intentio bona finis minuit Electionis deformitatem. 85.2.

Interpretari. Interpretari legem quid sit. 371.1.
Quomodo interpretari oporteat. 376.2.
Interpretari licet trahendo ad similia, etiam in pœnis cum omnino eadem est ratio. 377.1.
Interpretari oportet legem generalem nõ prohibere aliquid non expresè positum. 376.2.
Interpretandæ sunt leges sine damno alieni iuris. 377.2.

Inuidia. Inuidia quid sit. 140.1.
Inuidia cum alienis bonis, quibus caremus ipsi mœrore afficimur. 232.1. & 258.1.
Inuidus quid differat à maleuolo. 258.1.
Opponitur charitatis effectus. ibid. Sæpè est peccatum lethale. ibidem.
Quænam sint eius filiæ. 258.2.

Inuitus. Inuito beneficium non datur. 16.1.
Inuito quid ex iure præstari possit. ibid.

Involuntarium. Habitus non actus inuoluntarium quodnam. 17.1.
Inuoluntarium quomodo causent affectus animi. Vide voluntarium.

Ira. Quid sit. 140.2. Quid differt ab odio. ibid. Quod nam eius obiectum, & materia. ibid. Quot eius species, & quæ. 144.1.
Qui affectus Iræ contrarientur. ibidem.
Qui sint Iræ effectus. 144.2.
Ira est immoderata vindictæ cupiditas, & quid ab inuidia differat. 232.1. & 258.1.

Irregularitas, & Interdictũ. Sacerdos scienter sacrificãs in Ecclesia polluta incurrit irregularitatem. 882.2.
Interdicitur eidem ingressus Ecclesiæ, & irregularis fit in eam irgrediens. ibidem.
Si sciens celebret in loco subiecto interdicto incurrit irregularitatem. ibid.
Citra irregularitatem sacrificandum est in altari ab Episcopo consecrato, siue stabili, siue portatili. ibid.
Interdicti sententia cum in Communitatem feratur sæpè etiam in insontes fertur. 332.1. Etiam infantes. 350.1.
Interdictum personale, & locale quid sit. ibid.
Qui ratione personalis, & localis interdicti pœna tenentur non sunt obligati audire missam die festo. 551.1.
Irregularitas ob delictum non nisi ex peccato lethali contrahitur. 332.1.

Iubilæus Iudæi. An post Iubilæum vota facta possint commutari. 967.1.
Communicatio rerum cum Iudæis decem in casibus Christianis est interdicta. 693.2.
An sumere cum Iudæo cibum sit lethale. ibid.
A Iudæis accipere eos cibos quos ipsi discernunt, & abijciunt Christianis non licet, nec ad eorum nuptias, Epulas, &c. accedere. 693.2. & 694.1.
Contrahere emendo, & vendendo cum illis non est iure interdictum Christianis, interdici tamen potest. 694.1.
An medicinas à Iudæo emere liceat Christiano. ibidem.
An agnum, & similia vendere liceat, vt ijs more Iudaico vtantur in paschate, & festis. ibid.
Christiano non licet famulari Iudæis. 695.1.
Iudæo præsenti operas locare Christianus non potest, absenti potest. ibid. Res autem suas locare potest. ibid.
Christianæ fœminæ nutrices esse non possunt Iudæorum infantibus educandis. ibid.
Quædam interdicta Iudæis Christianorum potestati subiectis. ibid.
Puniri possunt authoritate Principũ Christianorum. 696.1.
Qua ratione Ecclesiastici Iudices in illos animaduertere possint. ibidem.
Quid Ecclesia permittat, vel interdicat Iudæis circa vsuras. 697.2.
Vsuram si Principes permittant Iudæis exigendo num peccent. 697.2. & 698.1.

Principes si condant statuta quibus exigant vsuras à Christianis, quas se soluturos promiserant Iudæis, peccant. 698.1.

Non peccant si negent actionem Christianis repetẽdi vsuras iam Iudæis persolutas. 698.2. Nec peccant si statuant ne Iudæi vltra præscripiam quantitatem vsuras exigant. ibidem.

Vsurarijs Iudæis, qui domos locant peccant, & pœnas iuris incurrunt. 699.1.

Manifesti vsurarij Iudæi testamentum non est ipso iure irritum. ibid.

Christianus Notarius in gratiam Iudæi inter Iudæum, & Christianum scribens instrumenta peccat, si in gratiam Christiani, non peccat. ibid.

Qui ex Iudæo fit Christianus, huic remittere potest Ecclesia obligationem restituendi vsuras si incerti sunt creditores, si certi, non potest. ibid.

Episcopi, & Inquisitores possunt inquirere in transfugas ad Iudæos & in eorum fautores. 699.2.

Iudex. *Index de appellatione monitus, si tacet eam admittit. 9.2.*

Quem scit innocentem, publicè accusatum, & conuictum testibus tuta conscientia damnare potest. 116.2.

Delectationem capere potest ex recordatione pœnæ sontibus inflictæ. 228.2.

Non licet illi recedere à responsis prudentum. 310.2. quomodo id intelligendum. ibid.

Index ciuilis, cùm negligens est Ecclesiasticus, causas Ecclesiasticas cognoscere non potest. 366.2. & 367.1.

Index ciuilis, vt causas spirituales cognoscat vsu induci nequit. 393.1.

Apud quem Iudicem agenda sit causa de Decimis. 609.2.

Iudici an liceat adigere ad iurandum, quem scit falsum iuraturum. 936.1.

Iudicium. *Iudicialia præcepta veteris legis quæ sint. 439.2. Eorum singulorum causa reddi potest. ibid.*

In quot capita diuidantur. 440.1. In iudicio non valet, quidquid Sacerdos non aperit, quod inter cõfitendum pœnitenti excidit. 686.2. Quod extra Confessionem audierit, valet. ibid.

Iurisdictio. *Iurisdictio metu translata non transfertur. 23.1.*

Iurisdictio potest consuetudine acquiri. 392.1.

Ius. *Contra Ius supernaturale qui peccat, cõtra rectam rationem agit. 206.1.*

Iuris scripti origo quæ sit. 310.2. Iuris ciuilis origo. 311.1. Ius Canonicum quid sit. 312.1.

Ius Ciuile quid sit. 312.2. Ius Diuinum latiùs accipiunt Canonistæ, quàm Theologi. 380.2.

Iuris Canonici diuisio. 424.1. Iuris Ciuilis diuisio. 437.1. Contra Ius diuinum consuetudo an valeat. 380.1.

Iuris naturalis quotupliciter quid esse dicatur. 428.2. & 429.1.

Iuris naturalis quæ, & quare sint immutabilia, & an aliqua mutabilia. 435.1. & 2.

Ius naturæ prohibet quædam in Escam humanam sumere. 596.2.

Iure naturali interdictum humanæ carnis esus. 597.1.

Ius naturale prohibet edere carnes crudas animantium, vel imbutas sanguine. 596.2.

Cum duo præcepta iuris naturalis concurrunt videndum est, vtrum sit arctioris vinculi. 597.1.

Iusiurandum. *Iusiurandum quid sit. 908.1.*

Iurare per Creaturam, ac Sanctos Dei est iusiurandũ. 908.2.

In Euangelio generatim, non prohibetur iusiurandũ. 909.1.

Est ad medendum humanæ imbecillitati. ibid.

An verba ad iurisiurandi substantiã in iudicio requirantur. 909.2.

Requirit comitem veritatem, & Iustitiam. 910.1.

Quotuplex sit. ibidem.

Execratorium, assertorium, promissorium non differunt specie. 910.2.

Nec simplex à solemni, nec quod per Deum ab eo, quod per Creaturas sit differt specie. 911.1.

Iusiurãdum meiu mortis factum in bello, peste, &c. obligat. 22.2.

Iusiurandum metu factum cur etiam quàm sanctè obliget. 24.1.

Iureiurando firmata pacta etiam mulierum, & minorum, si quæ irrita faciant statuta, damnantur. 416.1.

Iureiurando firmata statuta, quãdo abrogari possint. 417.2.

Per generalem clausulam non abrogantur. 419.1.

Iureiurando confirmans peccatum leue, peccat mortaliter. 423.2.

An Iusiurandum, quod est cum maledicto, specie differat ab eo quod est sine maledicto. 911.1.

Quot, & quæ sint formulæ Iurandi. 911.1. & 2.

Formulæ iurandi cum blasphemia Deo, vel Sanctis. 912.1.

Quid, & quantũ mali insit in deprauato iurandi vsu. 912.2.

Quid cõfessionarius faciat ei, quem ex confessione cognoscit prauam iurandi consuetudinem habere. ibid.

An liceat per Creaturas iurare. 912.2. & 913.1.

Iusiurandum exigere aliquando licitum est. 913.2.

Quodnam peccatum sit, cùm in iureiurando veritas deficit. 913.2.

Qui cum iureiurando aliquid promittit, cùm in animo non habeat se obligare, an vim habeat eiusmodi iusiurandum. 913.2. & 914.1.

Qui dubitat an iureiurando promissionem firmauerit, vel an Iurandi voluntatem habuerit, cùm iurauit, iureiurando tenetur. 914.2.

Iusiurandum vrbanitatis gratia præstari solitum, obligationem non parit. ibid.

An qui iurat possit verba alio sensu accipere, quàm accipiãtur ab eo, cui iurat. 915.1. & seqq.

Iusiurandum quod confirmat promissionem rei impossibilis, temerarium est, & lethale. 916.2.

Iusiurandum de peccato lethali patrando, temerarium est, & lethale. ibidem.

Iusiurandum de veniali peccato admittendo, temerarium est, & veniale peccatum. ibid.

Iusiurandum de re aliqua contra Euangelicum cõsilium est veniale peccatum. ibid. & 917.1.

Iurans se non facturum, quod ad officium amicitiæ, pietatis, &c. similiter peccat. 917.1.

Temerarium est iuramentum de non dando mutuo. ibid.

Nec validum est de re indifferenti. 917.2.

An obliget quum quis promittit se facturum aliquid ob finẽ malum. ibid.

Obligat factum de re parua, & nisi fiat, venialiter peccatur. 918.1.

Qui iurat se singulis diebus daturũ vnum assem pauperi idq; per annum, si non soluat, an peccet lethaliter. 918.2.

Iusiurandũ de re, quæ longè maius bonum impedit non valet. 919.1.

Qui iurat se religionem non ingressurum, nisi cum licentia Superioris, idque in Collegio aliquo si petat, & non obtineat, ingredi potest. ibid.

Qui iurat Ordinario se beneficium Ecclesiasticum non dimissurum gratia alterius, Religionem ingrediendo, nihilominus deponere potest. 920.2.

Iusiurandum non valet contra simplicem, & nudam promissionem. 920.2.

Iusiurandum secundum, non valet contra primum. 921.1.

Id quod sit contra iusiurandum consistit, exceptis nonnullis casibus in iure expressis. 921.2.
Iusiurandum vim non habet contra bonos mores. 922.1.
Alumni Collegij Anglorum, non obstante iureiurando de fide docenda in Anglia, Religionem ingredi possunt. 920.1.
Iusiurandum contra mores bonos nullum est. 923.1.
In contractu lege interdicto non confirmat. 922.2.
Ad liberandam vexationem factum seruandum. 922.2.
An confirmet dolosos, & interdictos contractus. 924.2.
Quo pacto contractum iure ciuili interdictum confirmet. 925.1.
An vsuras confirmet, & donationes. 925.2.
Ecclesia soluens iusiurandum factum Latroni, irritum facit, vt solutum repeti ab eodem possit. 926.1.
Quis cultus sit, & quæ veneratio iuramenti, & quatenus perturbatio animi illud impediat. 925.2.
Ecclesiæ authoritas illud relaxat. ibid.
An sit validum cùm est pœnale. ibid.
Iurantis mens, & sensus, an sint interpretanda si cui iusiurandum fit, aliter accipiat. 927.2.
An iurare tuta conscientia possim me non feciſſe, quod per alium feci. ibid.
An interpretandum sit Clerici iusiurandum debitori factũ cùm ante debiti solutionem vocante Episcopo parere cogitur. 928.1.
Ratio iurisiurandi seruandi ei qui fidem non seruat. ibid.
An ad hæredem transmittatur iusiurandum. 928.2.
Est personæ, quæ iurat, vinculum, non alterius. ibid.
Iusiurandum an cum alterius incommodo interpretari liceat. 929.1.
An cum quis iurat se certi collegij statuta seruaturum, ad futura etiam statuta iusiurandum protendere censeatur. ibidem.
An etiam ad statuta, quæ in desuetudinem abierunt. ibidem.
A iuratis subditis in quem sensum accipienda sint præcepta Prælatorum. 929.2.
An si duo, vel plures iureiurando compromiserint ad certum diem, in alium eorum consensu differri possit. 930.1
Quot modis iusiurandum tollatur. 930.2.
Causa de iureiurando an ad Ecclesiasticum Iudicem solum pertineat. 932.1.
Quæ iustæ causæ sint ad iusiurandum relaxandum. ibid.
An Iusta conscientia peti possit relaxatio promissi iureiurando confirmati. ibid.
An possit relaxari iusiurandum auctoritate Pontificis factũ huic, vel illi. 932.2.
An alter alteri, qui iurejurando compromiserunt se aliquid daturum, remittere possit. 933.1.
An iusiurandum propria auctoritate possit in melius cõmutari. 933.2.
An habeat auctoritatem commutandi iusiurandum, qui voti. 934.1.
An qui habet potestatẽ commutandi iusiurãdum, habeat etiam relaxandi, & contra. 935.2.
Iusiurandum quisnam irritum possit facere. 934.2.
An ad iurandum possint cogi Clerici. 936.2.
An ad iurandum priuatus possit inducere eum quem scit falsum iuraturum. ibid.
An qui iurat generatim obliget se ad aliquid speciale. Ibid.
Iusiurandum contra superioris mandatum, an scit ratum. ibidem.
Iusiurandum quo confirmatur contractus simulatus, et fictus, an sit ratum. 936.2. & 937.1.
A iureiurando in iudicio, quinam prohibeantur. 937.1.
Pueri à iureiurando in iudicio prohibentur. ibid.
Sacerdotibus iurare non licet corã ciuili magistratu. 937.2.
An clerici testes possint cogi iurare coram iudice ciuili. Ibidem.
Quibus in causis permittatur Sacerdotibus iurare. ibid.
Iusiurandum apud quem iudicem præstare quis cogi possit. ibidem.
An quis ad iusiurandum cogi possit censuris Ecclesiasticis. ibidem.
An, qui in iudicio compellitur iurare debeat esse ieiunus. ibidem.
Quando sit iusiurandum causa calumniæ præstandum. 937.2. & 938.1.
An Clerici possint præstare iusiurandum causa calumniæ. 938.1.
Iusiurandum per falsos Deos factum an seruandum sit. 940.1.
An Christiano liceat iusiurandum accipere, & exigere ab Ethnico. 940.2.
Iustitiæ partes quæ, & quot sint. 165.2. Iustitia.
Iustitia inter virtutes Cardinales est præstantissima. 177.1. & 2.
Iustitia quatenus Religioni postponatur, & alijs. 177. & 178.1.
Iustitia originalis vnde dicta, & quid sit. 178.2.
Iust. origin. Adamo collata ex script. & Patribus probatur. 179.1.
Fuit donum Dei supernaturale. 180.1.
Fuisse naturalem Adami conditionem damnatur. ibid.
Fuerit ne habitus, an actus. 181.1.
Fuerit ne habitus naturalis, an supernaturalis. 182.1.
Fuerit ne vnus habitus an plures. ibid.
An fuerit habitus à gratia adoptionis distinctus. 183.1.
An ex meritis Christi collata sit Adamo. 186.2.
In ipsa anima sedem habeat, an in facultatibus eius. 188.2.
An per quoduis peccatum erat amittenda. 189.1.
Ea cum gratia Dei, verè fecit Adamum filium Dei. 189.2.
Qui eius effectus fuerint. 190.1. & 2.
Iustitiæ originalis nomine, quid Sancto Augustino intelligatur. 190.2.
Quid Patres per illam intelligant. 203.2.
Ratione à gratia, & charitate distinguitur. 297.1. & 2.
Solùm vim dabat omne bonum naturæ, & naturali rationi conueniens præstandi. ibid.
Cum illa homo creatus indigebat gratiæ auxilio. ibid.
Per illam vitari poterat peccatum etiam veniale. 204.1.
Iusti plus merentur ex æquali gratia post, quàm ante lapsum. 205.1. Iustus.
An iustorum copiosior sit gratia nunc, quàm ante lapsum. ibidem.
Iustus per contritionem ex debito meretur remissionem peccati venialis. 240. & 241.1.
Sed eam non efficit. 249.1.
Iusto non est lex posita, quomodo intelligendum. 321.2.
Kalendis Ianuarijs Christiani olim ieiunabant. 580.1. Cur, ibid. Kalendæ.
Kalendis Ianuarijs Gentiles victimas multiplicabant. 580.2.
Kalendæ Ianuariæ Romanis erant celeberrimæ. ibid.
Kalendis Ianuarijs vetitum erat Christianis lauro, & virentibus frondibus domos orare. ibid.
Kyrieeleison, quàm antiquum sit. 901.1. Kyrieeleison.
Laicis sacros Agnos tangere, contrectare ve nefas. 747.2. Laicus.
Laicis interdictum ne sit Reliquias Sanctorum quoquomodo tangere. 748.1.
Possintne Laici vasa Ecclesiæ pallas, & alia sacra vasa contingere. 748.2.

Sacrum Chrisma tangere, aut Oleum ab Episcopo sacratum, non possunt. 749. 2.
Eucharistiam quando tuto sine peccato tãgere possint. 750. 1.
Laici quod beneficia Ecclesiastica conferre solent, est corruptela. 393. 2.
Quod nominent, & offerant ad beneficia non ratione fundationis, ædificationis, dotationis, est corruptela. ibidem.
Laici quidquid iuris habent in rebus spiritualibus est ex cõcessu clericorum. 562. 2.
Non possunt vi consuetudinis ius habere in clericos. 355. 2. Nec vi præscriptionis. 356. 1.
Excusationes laicorum in clericos sibi potestatem vsurpantium, excluduntur. 357. 2.
Laicorum statuta derogantia Ecclesiasticorum immunitati. 361. 2.

Latria. Latria quid sit. 733. 2. Cultus latriæ quibus debeatur. 734. 2.
Humanitati Christi an tribui debeat. ibid.
An sanguini Christi separato à corpore in triduo mortis tribui possit. 735. 1. & 2.
An ijs, quæ ipsum Dominum reipsa tetigerunt. 735. 2.
Crux, & imago Christi an latria coli debeat. 736. 1.
Claui, lanceæ, spongia, flagella, corona spinea, & alia qualibet materia confecta. sicut crux cuiuslibet materiæ, sintne latria digna. 737. 2.
An sanguis Christi effusus, nec ab rediuiuo assumptus Latria coli debeat. 738. 1.
An cultu latriæ Sacramentum altaris adorandum sit, cum ea conditione, si panis ritè sit consecratus an vero absolutè. 749. 2.

LATRO. Vide, Iusiurandum.

Legatus. Legatus Apostolicus potestatem habet Ecclesiasticam, à secularibus non examinandam. 370. 1. & 2.
Debet tamen literas suæ legationis Regi vel Principi exhibere. ibid.

Lex & Legislator. Lex æterna quid sit, in definitione peccati. 206. 1.
Humana, est constans rectæ rationi & eam violare peccatũ est. 206. 1.
Quæ sint legis naturalis, diuinæ, & humanæ præcepta, & peccata quomodo distinguantur. 213. 1.
Quæ lege humana imperantur, in certa virtute ponuntur. 213. 1.
Optare vt ea non sint mala, quæ lege naturali sunt vetita peccatum est, non autem quæ lege scripta. 229. 1. & 2.
Lex carnis. Lex membrorum. vide Concupiscentia.
Lex à legendo, vel ligando dicta. 309. 2.
Legis significationes. 310. 1.
Lex est populi iussum, rogante Magistratu, & iubente populo constitutum. ibid.
Presse est Principum ciuilium cõstitutio, differens à statuto. 310. 2.
Legum Romanarum initia, & origo, & in vniuersum. 310. & 311. 1.
Leges Regum Romanorum, sententijs Curiarum scriptæ sunt in libro Papirij. ibid.
Leges XII. tabularum quæ & vnde dictæ. 312. 2.
Legis diuisio. 312. 1.
Lex æterna dupliciter accepta quid sit. ibid. Quid naturalis, quid humana, & quotuplex. ibidem.
Quid vetus, quid noua. ibid.
Lex naturæ, gentium, ciuilis, quid sit. 312. 1. & 2.
Quæ lege gentium sint introducta. ibid. 2.
Legis ciuilis partes quæ nam sint. ibid. 2.
Lex est actus rationis continens etiam voluntatem mouentem, & obligantem alios. 313. 2.
Est signum verum Angelo vel homini denuncians præscriptum ad aliquid agendum, vel fugiendum obligans. 314. 1.
Ad humanæ legis substantiam scriptura non requiritur. 315. 1.
A consuetudine quid differat 315. 1. & 2.
Si neminem obliget, lex non est. 316. 2.
Si ad pœnam, non ad culpam, lex est. 317. 1
Ad naturam eius requiritur promulgatio. 317. 2.
Neque sufficit solemnis edictio. 318. 1.
Obligat lex inferioris Principis quamprimum est in propria Prouincia promulgata; Supremi vel ex eo tempore, quod exprimit, vel si nullum exprimit post duos menses à promulgatione facta. 318. 1.
Lex quæ definitum tempus non habet, etiam scientem ante duos menses obligat. 320. 1.
LEX Canonica pœnam irrogans Excommunicationis, &c. conscientiam obligat sub peccato. 338. 1.
Quæ pœnæ grauem eius obligationem ostendant. 332. 1.
Canonicæ leges, quæ nunc consuetudine sunt abrogatæ. 390. 2.
LEX Ciuilis potest alligare conscientias sub lethali peccato, sed non omnes. 330. 1.
Quæ non obliget. 331. 2. Quæ pœnæ eius obligationem grauem ostendant. 332. 1.
Ciuiles leges iure canonico abrogatæ. 394. 1. Impune permittunt quædam, quæ canonica lex punit. 399. 2.
LEX Conuentionalis num obliget Conscientiam. 331. 1.
Eam violans non peccat, violans conuenta peccat.
Quæ leges Conuentiones censeantur. ibidem. Conuentionalis pœna soluenda non est in foro conscientiæ antequam ab altero conrahente petatur. 342. 2.
Lex astringit conscientiam, pœnam infligit, rescindit aliter facta. 323. 1.
Vsu non recepta vi caret. 323. 2.
Qualitates bonæ legis quæ sint. 326. 2. Virtutem spectare debet.
Persuadere potius debet quàm cogere. 326. 2.
Legis est coercere delicta cõtra iustitiam, & salutem publicam. 327. 1.
Benefacta præmio, Malefacta pœnis afficit. ibid.
Legis est imperare, vetare, permittere, punire. 327. 2.
Lex ferenda est de his quæ frequenter, & facilè accidunt. ibidem.
Leges oportet paucas esse. ibidem.
Sub lege esse D. Paulo quid sit. 329. 1.
Omnis lex hoc ipso quod rationi consentiat alligat. 329. 2.
Lex posterior quibus modis ad priorem trahatur. 375. 2.
Lex cessante fine quoad substantiam suam, non tantum quoad mentem legislatoris, cessat. 378. 1.
Cum duos fines habet lex, altero cessante non cessat. ibidem.
Contra legem quod fit pro infecto habendum, ibid. Nisi vel alijs legibus vel manifesta ratione subsistat. 379. 1.
Contra legem facere quis dicatur. ibid.
In fraudem legis quis facere dicatur. ibid.
Lex dum contra eam præscribitur ad pœnam obligat non ad culpam. 383. 1.
LEX Diuina quæ dicatur. 437. 2.
Lex diuina vetus continet præcepta moralia, cerimonialia, iudicialia. ibidem.
Quid vetus differat à noua. 438. 1.
Etiam vetus spiritualia promittebat. 438. 2.
Lex vetus, cur dicatur lex timoris. 190. 1. & 523. 2.
Legis diuinæ supernaturalis sunt præcepta Fidei, Spei, Charitatis, Pœnitentiæ. 436. 2.

Lex noua quibus rebus distinguatur à veteri. 525. 2.
Lex noua cur libertatis dicatur, & filiorum. 390. 1. & 523. 2
LEX Naturalis est actus mentis non habitus. 429. 1.
Quot modis accipiatur. ibid.
Nec ex toto, nec ex parte potest lege humana tolli. 430. 1.
Discrimen inter legem naturalem, & cæteras leges. 431. 2.
Quæ sint leges naturales nunquam mutabiles. 435. 2.
Lege naturali viuebant homines ante legem Moysis. 346. 2.
In lege naturali habebant quasdam leges iuris diuini, & humani. 437. 1.
LEX humana est aliqua. 327. & 328. 1.
Contra legem humanam qui peccat, contra legem Dei remote agit. 328. 1. 329. 2.
Lex humana conscientiam alligare potest. 329. 2. Vnde id habeat. ibid.
Legis humanæ violatio ex contemptu & cum scandalo aliorum, est lethalis. 331. 1.
Non obligat conscientiam si legislatori desit animus obligãdi. ibidem.
Lata ob præsumptionem delicti non obligat conscientiam. ibidem.
Alligat conscientiam etiamsi tacitè tantum id se legislator velle ostendat. 331. 1.
Pœnam, & multam imponens conscientiam obligat. 331. 2.
Legem obligare conscientiam colligitur ex eius materia, verbis, pœnis propositis. ibid.
Cum est conuentio vel pactio vim habet in actus internos. 345. 1.
Præcipit actus internos qui requiruntur vt actus sit humanus. 330. 1.
LEGES Variarum rerum publicarum ab Aristotele reprehensæ. 524. 1.
Leges Cecropis. 524. 2.
Leges Draconis. ibidem. Solonis. ibidem. Lycurgi. 525. 2.
Leges Regiæ Romanorum. 526. 2. Duodecim tabularum. 528. 2.
Leges Romanorum à diuersis Magistratibus latæ.
Legislatores veteres recensetur. 526. 2.

Libertas, & Libera actio.

Libertas quadruplex, à peccato, à miseria, à violentia, à necessitate. 3. 1.
Libertatem à peccato qui habeant, & quo discrimine. ibidem.
Libertatem non impedit vllo modo prouidentia DEI. ibidem.
Libertate à miseria fruuntur soli beati, & ante lapsum Adam. 3. 2.
Libertas à violentia quibus insit. ibid.
Libertas alia gratiæ, alia gloriæ, alia naturæ. ibid.
Libertas à necessitate in quo propriè consistat. ibid.
Quare hæc appellatur libertas indifferentiæ, contrarietatis, & contradictionis. ibid.
Libertas à necessitate conuenit Deo, Angelis hominibus. 4. 1.
Libertatis differentia in actibus hominis, Angeli, & DEI. 5. 1.
Libertatis pars non est potestas peccandi. ibid.
Libertatem quadruplicem habent qui peccare non possunt. 5. 1.
Liberum differt à voluntario quia est in potestate agentis. 7. 2.
Libera actio & voluntaria non sunt idem in naturalis intellectu præditis. ibid.
Libertatis iactura capitalis pœna est. 18. 1.
Libertas primo in voluntate inest. 50. 1.
Libertatem non tollit præuisio, & præscientia Dei. 50. 2. Nec præfinitio Dei, nec Dei cum voluntate concurrentis actio. 50. & 51. 2.
Libertas non in sola electione propriè sumpta consistit. 63. 2.
Libera actio est sine consultatione. 67. 1.

Libri.

Libri Canonici, qui, & quot. 633. 1.
Libri apud Patres habiti semper Canonici. ibid.
Libri, de quo Scriptores Ecclesiastici dubitarunt, an Canonici essent. ibid.
Libri semper in Ecclesia habiti Apocryphi. 633. 2.
Libri Canonici integri cum suis partibus pro sacris, & Canonicis habentur. ibid.
Librorum Canonicorum partes, de quibus olim dubitatum nunc dubitare non licet. ibid.
Libros hæreticorum legens aut retinens excommunicationem quomodo incurrat. 672. 2.
Libros Catholicos, qui continent, & confutant hæreses legere licet. 673. 1.
Vnum vel alterum versiculum legens in hæreticorum libris excommunicationem num incurrat. ibid.
Famulus scienter hæretici librum legens iussu Domini sui cum Domino excommunicationem incurrit. ibid.
Hæretici librum, qui hæreses non continet legens excommunicationem incurrit, non tamen reseruatam summo Pontifici. ibid.
Quomodo eiusmodi libros Catholici in Anglia, Gallia, & similibus locis studio cognoscendi, & confutandi errores legere possint, & an citra excommunicationem. 673. 2.
Episcopus facultatem legendi libros hæreticorum dare non potest. ibid.
Libros Græcorum, Armenorum scienter legens, etiamsi ritus alienos contineant, non excommunicatur. ibid.
Libros noxios etiam Ethnici damnant. ibid. & 674. 1.
An censeantur hæretici, qui hæreticorum libros damnatos retinent. 674. 1.
An hæreticus censendus sit apud quem reperitur liber hæreticus, eo ipso auctore. ibid.
An quilibet propria auctoritate libros hæreticos comburere possit. ibid. & 2.
Quatenus Inquisitores potestatem facere possint legendi libros Hæreticorum. 674. 2.
Nec Episcopi, nec his maiores Antistites propria auctoritate legere, aut retinere libros hæreticorum possunt. ibidem.
Hæreticorum libri iure damnantur etiamsi non tractent de Religione. 675. 1.
Regula quædam de huiusmodi libris seruandis, & legendis. ibidem.
Libri Hebræorum, Rabbinorum, Arabum, Philosophorum Aristolem interpretantium, Thalmud, Alcorani, & similes, qua ratione prohibiti sint. 675. 2.
Origenis, & Tertulliani libri, & qui à Gelasio Apocryphi habebantur, an sint prohibiti. ibid.
Hæreticorum nomina quomodo è libris sint expungenda 676. 2.
In libris hæreticorum, quæ depranata sunt, quemadmodum expungi, & corrigi, & correcta imprimi debeant. ibidem.
Librorum hæreticorum impressoribus quid iure cautum sit. 677. 1.
Libri, & omnis alia scriptura examinari prius debent, & approbari quam typis mandentur. 677. 1. 2.
Vt typis mandetur sufficit Collegij, Conuentus, vel vniuersitatis nomen apponi. ibid.

Orationes priuatæ, Conciones, Prælectiones, & similia de rebus sacris non approbata ab Ordinario scripto cum alijs communicari possint. ibid.

Librorum hæreticorum transcriptores puniendi sunt tanquã de hæresi suspecti. ibid.

Aliunde asportantes similiter puniendi. ibid.

Lis. Lite pendente rescriptum non impetrandum contra alterum litigantem. 409. 2.

Locator. Locatoris obligatio, qui patitur inferri in horreum aliena. 8. 2.

Lumen. Ad Missæ sacrificium iure communi requiritur. 887. 2.

Ex qua materia esse debeat. 888. 1.

Literæ Apostolicæ. Nõ licet laicis eas reijcere, aut impedire, sed licet coram Ecclesiastico iudice contra eas excipere, & appellare ad Romanum Pont. 368. 1.

Nec discutere, nisi commissa sibi auctoritate Pontificia possunt. 368. 2.

Licet tamen de ijs dubitare, aut disputare. 370. 2.

Lusus. Qui totam noctem lusit contra leges, semel lusit. 221. 1.

Lutheranorum errores de originalis peccati deletione. 305. 1.

Luxuria. Peccatum capitale est, quia aliorum mater. 258. 1. Eius filiæ. ibidem.

Est immodica libidinosarum rerum cupiditas. ibid.

Macula. Macula, effectus peccati, sic dicta, quia est priuatio gratiæ, quæ est decor, & splendor Animæ. 204. 2.

Esset etiam in homine peccante in puris naturalibus, estque in peccante iterum, ac tertium lethaliter. 275. 1.

Magia. Magia alia naturalis, alia Mathematica, alia Dæmoniaca. Vide, Diuinatio.

Magnanimus. Magnanimus quis sit. 255. 2. Magna appetit, sed non propriam excellentiam. ibid.

Maiestas. Læsæ Maiestatis rei bona Fisco addicuntur. 334. 1.

Malum. Malum etiam seipsum perdit, quomodo intelligendum. 260. 2.

Malitia. Ex malitia peccatum est, cum quis scienter malum agit, nec ex aliqua animi perturbatione instigatus. 237. 2.

Peccatum ex habitu est ex malitia. ibid. Sed non contra. ibidem.

Ex mala naturæ conditione, aut deprauato corporis morbo peccatum, non est ex malitia. 273. 2.

Mandatũ. Mandato tenetur, qui pro se præsente patitur fideiussorem. 8. 2.

Mandamus, verbum legis graue obligationem non continet, sed, Strictè, si addatur continet. 332. 1.

Manichæi Die Dominico, & feria quinta ieiunabant. 580. 2. A certis cibis abstinebant, tanquam natura sua malis. 590. 1.

Maria. Seruata est à peccato originis, quomodo. 308. & 309. 1.

Quomodo redempta sit per Christum. 309. 1.

Marito si statutum præcipiat, ne donet vxori vltra decimã partem. 922. 2.

Maritus. Maritus, an vxoris vota in potestate habeat. 962. 1.

An vxor mariti vota possit laxare. ibid.

An vir iure vxori vota dissoluat facta de coniugio. ibidem.

Maritus an si vxor aliquid vouerit implendum possit solutum matrimonium, possit dissoluere. 962. 2.

Mater. Matris consensus in coniugium filio præsente, & tacente, sufficit. 8. 2.

An excusetur ab audiente sacro die festo, dum filias nubiles custodit. Vide, Missa.

Materia. Materia legis obligat, prout ad maius bonum Reip. vel ad maiorem virtutem spectat. 331. 2.

Matrimonium. Ob matrimonium sine consensu patris initum filios puniens statutum improbatur. 412. 1.

Statutum probatur priuãs filiam dote ob matrimonium cum indigno. ibid.

Ad matrimonium habiles more patriæ possunt fieri inhabiles. 392. 2.

Iure canonico inhabiles sine consensu Pontificis habiles fieri non possunt consuetudine. 393. 1.

Inter patrueles, vel consobrinos matrimonium iure ciuili permissum, canonico est irritum. 394. 2.

Inter raptorem, & raptam ciuili iure prohibitum, canonico permissum. ibid.

Matrimonia cum certis personis prohibentur iure ciuili, quæ permittuntur canonico. 396. 1.

Pœna promissioni apposita in matrimonio contrahendo, quãta sit. 923. 1.

Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi matrimonium est irritum. 1138. 2.

Matrimonij indissolubilitas est legis naturalis. 433. 1.

Quomodo Deus relaxare potuerit. 433. 2.

Matrimonium ratum, & non consummatum dirimitur per solemne votum castitatis, quod faciunt sacri milites S. Ioannis. 1110. 1.

Medicus. An possit contra propriam opinionem ex probabili aliorum scientia, licet contraria ægroto medicinam dare. 118. 1.

Medium. Medium in virtutibus aliud est rationis, aliud rei. 171. 2.

Medium iustitiæ est medium rei, idq; apud omnes est idem. ibidem.

Melchisedech. In quibus sacerdotium Christi cum sacerdotio Melchisedech compararit S. Paulus. 852. 2.

An Missæ sacrificium præfigurarit. ibid.

Melchisedech tanquam Rex potens, & opulentus cibum, & potum detulit ad reficiendos Abrahæ milites. 853. 1. primo tamen panem, & vinum Deo libauit. ibid.

Membrũ. In membris, & sensibus corporis sunt etiam peccata. 264. 1.

Non sunt membra principia actuum, sed solum organa. ibidem.

Mendacium. Mendacium leue in iudicio, vel confessione non sit mortale. 423. 1.

Mendicãtes. Mendici. Mendicantium ordines ius canonicum intelligit, quorum cœnobijs non licet habere bona stabilia, vel immobilia. 1081. 1.

Alij Mendicantes sunt ex Regula, vel Constitutione, alij auctoritate Pontificia approbati. ibid.

Dominicani, Augustiniani, & Carmelitani ex constitutione Pontificis sunt mendicantes. ibid.

Domimicani constitutionibus editis bona immobilia repudiarunt. ibid.

Franciscani Obseruantes, & Capuccini sunt ex regula mendicantes. ibid.

Quæ sit substantia ordinum Mendicantium. 1085. 1.

Noui instituti possunt ordines Mendicantium accedente Pontificia auctoritate. ibid.

Vsu, & consuetudine approbata voluntate Pontificis bona immobilia possidere licet in communi extra dictos Franciscanos. ibid.

Non est necesse vt eleemosyna illorum ostiatim sit emendicata. 1085. 2.

Quid habere possint in communi, quid non. ibid.

Franciscanis non licet accipere legata hac lege vt quotannis curent certa missarum sacrificia facienda. 1086. 1.

Quomodo Mendicantes ordines sua priuilegia sint consequuti. 1090. 1.

An studere, docere, concionari possint, an hoc ipsis sit extraordinarium, & priuilegio concessum, vt sacram. sta conferant. 1091. 1. & 2.

Cur in ciuitatibus habitent, & aliqui ab externis laboribus vacent. 1091.2.
An priuilegia Mendicantium sint abrogata circa confessiones, & conciones, sacramenta, sepulturas. ibid.
An qui ijs confitentur in Paschate, & in festis sacra apud ipsos audiant satisfaciant præceptis. ibid.
Qui mendicat ostiatim victum, & aliunde non suppetit, nisi interdictis cibis vtatur, ieiunio non tenetur. 583.1.

Merces. Merces prohibitas transuehentis ad hostes Religionis, fisco addicta sunt. 334.1. & 2.

Merita. Meritorum magnitudini toti respondet gloria. 157.1. Non item gratia, & cur non ibid.
Merita iustorum post lapsum efficaciora, quam primi hominis ante lapsum. 205.1.

Metus. Metus quid sit, & quæ eius diuisiones. 17.2. & 18.2. & 18.1. & 2.
Metus iustus, & cadens in constantem virum, quæ mala subterfugiat. 17. 2.
Metus amittendi omnia bona temporalia, vel maiorem partem, iustus est. ibid.
Metus infamiæ quando iuris est, non facti, similiter est iustus. 18.1.
Metus excommunicationis iustus est quando excommunicatio est iniusta. 18.1.
Tunc solum metus est iustus, quando vel non possunt pericula malorum euitari, vel non nisi difficulter. 18.1.
Metus potentiæ, reuerentiæ, perfidiæ quid sit. 18.2.
Metus causa contractus est irritus. 19.1.
Metu iusto, quæ mala, & turpia excusentur. 19.1. & 2.
Metu nullum peccatum, nec veniale committendum est. 20. 2.
Metu facta ex parte sunt voluntaria. 20.1.
Contra ciuilem, vel canonicam legem metu facta iustè à peccato excusare possunt. 20.2.
Metus mortis sæpè excusat mala contra Dei legem positiuam ibid.
Metus mortis non absoluit ab obligatione faciendi bona diuina, vel naturali lege sancita. 25.1.
Metu mortis in naufragio, peste, bello, morbo, factum votum obligat. 22.2.
Quæ promissa valeant metu iusto facta, quæ non. ibid.
Metu contractum matrimonium iure canonico est irritum. 23.1. & 24.2.
Metu leui gesta sunt rata, sicut & reuerentiæ causa. 25.1.
Metus obiectum est malum futurum. 141.2.
Metus partes quæ sint. ibid.

Milites, & Militares Ordines. Milites iure communi in militaribus delictis, in omni crimine Ducibus ex more belli subiecti sunt. 350.1.
Quinam per Militares ordines intelligantur. 1095.1.
An militares ordines sint verè, & absolutè Religiones. 1095. 2.
An Milites S. Iacobi Calatrauæ, & Alcantaræ & alij similes, qui coniugalem tantum castitatem cum paupertate, & obedientia vouent, sint verè Ecclesiasticæ personæ. 1097. 1.
An iura annuorum reddituum, quæ Commendæ Militares vocantur, sint verè Ecclesiastica beneficia. 1097.2.
An milites Commendatarij habeant titulum reddituum annuorum, quos habent, an solum suæ fidei, & curæ commẽdatos. 1099.1.
An Tridentinum Concilium in emittenda professione Milites comprehendat. 1099.2.
An comprehendat eosdem sess. 6. cap. 6. de Reformatione. ibidem.
An nomine communi Regularium, vel Religiosorum Militares equites intelligantur iure communi. 1100.1.
An horas debeant recitare. 1100.2.
An reliquum ex redditibus annuis ab ordine, vel Magno Magistro commendatis in pios vsus debeant impendere. ibidem.
An tuta conscientia redditus annuos sibi commendatos percipiant Milites sancti Iacobi Calatrauæ, & Alcantaræ. 1101.1.
An Commendatarij milites de his bonis perinde, ac de patrimonio alius quisque statuere possint. 1101.2.
An possint pensiones imponere in ipsis Commendis ad onera Ordinis sustinenda. 1109.2.
Sunt nonnulli, qui nec Sacri, nec Religiosi dicuntur. 1110.1.

Minæ. Minæ capitales, quæ dicantur, & quæ iustum metum faciãt. 18. 1.

Minister. Minister sacerdotis in Missa debet esse vir. 889.2.
Minister publicus, num aliquando excusetur ab audiendo sacro die festo. 551.1.
Minister Magistratus non meretur præmium propositum ijs, qui fomites ceperint, si eos capiat. 416.1.

Minor. Minor quando cedat hæreditate acquisita. 925.1.

Misericordia. Misericordia quid sit. 140.1. An sit virtus, an semiuirtus, & quæ. 167. 2.
Qua ratione omnium moralium præstantissima. 177.2.

Missa. Missæ sacrificium, an materna lingua recitari debeat, & vbiam recitatum fuerit. 715.2.
Missam diebus festis audire à primis Apostolorum temporibus more fuit introductum. 541.2.
Missam, qui die festo absque iusta causa non audierit, peccat mortaliter. 542.1.
Missam audire diebus festis est virtutis religionis. ibidem.
Missam die festo audiendo ignorans esse festum, satisfacit præcepto. 542.2.
Missam qui audit nolens implere præceptum, si potest, tenetur illam iterum audire, vt impleat præceptum. 543.1.
Missam non audiens die Dominico, quando est etiam festum Apostoli, duo peccata non committit. 543.2.
Missa Catechumenorum, quæ dicatur. ibidem. & quæ fidelium.
Missam totam audire quomodo intelligatur. 544.1.
Missæ pars notabilis, quæ dicatur. ibid.
Missam vnam in die Natali Domini audire, sufficit. ibid.
Missæ vnius, qui dimidiam partem audierit, & reliquam alterius implet præceptum. ibid.
Missæ sacrificio, qui è longinquo astat, implet præceptum. 544.2.
Missam ritu Græcorum, aut Syrorum factam, qui audit, implet præceptum. ibid.
Missam audire quomodo intelligatur. 545.2.
Missam audire aliquo die profesto, nulla est obligatio. ibidem.
Missam audire die profesto an Episcopi teneantur. 546.1.
Missam audiendo quis ex præcepto qualem attentionem debeat habere. 546.2. & 547.1.
Missam, qui cum peccato audit, præcepto satisfacit. 548.1.
Missam, qui audit die festo, nũ solemnem, implet præceptum. 548.2.
Missam non propriam diei festi qui audit, implet præceptũ. ibidem.
Missam audire die festo in propria parochia, nemo communi iure tenetur. 549.1.
Missam qui audit apud fratres Mendicantes, legi satisfacit. 550.1. & 2.
Missam vbicunque licet audire, modo non fiat cum contemptu parochi. 550.2.

Excusentur qui ab audiendo sacro die festo. 551.1.
Missam siccam in naui audire die festo, an sit obligatio. 552.1.
Qui confitetur tempore sacri audiendi sciens nullum aliud futurum num excusetur à peccato. 552.2.
Qui exit è sacro ante benedictionem, implet præceptum. ibidem.
Missæ, num sit præferenda concioni, si eodem tempore vtrum que audiri non possit. 552.2. & 553.1.
Missam audire in quadragesima, & diebus rogationum, nemo tenetur. 545.2.
Missa proprium sacrificium Christianorum. 849.2.
Missa non Hebræum, sed Latinum nomen est promissione, scilicet dimissione populi. ibid.
Vnde Missa sic cœperit appellari. 850.1.
ITE MISSA EST vetè nunc dicitur ad finem Missæ non minùs, quàm olim ad excludendos Catechumenos. ibidem. 2.
Missæ variæ acceptiones, & quæ à nobis vsurpetur. 850.1.
Missæ vocabulum antiquum in Ecclesia Latina. 850.2.
Missæ officium propriè sacrificij rationem habet. 851.1.
In Missa, sacrificij materia est corpus Domini sub speciebus contentum. 852.1.
Missæ sacrificium à Malachia prædictum. 853.1.
Missæ sacrificium per varias similitudines sacrificiorum naturæ, & legis tempore figuratum est. 853.2.
Missæ sacrificium nihil pugnat cum D. Paulo ad Hebræos. 854.1.
Missæ sacrificium non solùm est cõmemoratio oblationis cruentæ in cruce, sed simul est etiam oblatio, & sacrificium. ibidem.
Quorsum opus sit Dominici corporis oblatione in Missa, si vna in Cruce facta omnium peccata deleuit. ibid.
Missæ sacrificium quid distet à legis Mosaicæ sacrificijs. ibidem.
Actio, & oblatio incruenti sacrificij non est eadem, quæ fuit cruenti, cætera omnia eadem. 854.2.
Ratio sacrificij Missæ non est posita in actionibus Missæ Catechumenorum. ibid.
In qua actione consistat ratio sacrificij, & natura. 855.2.
Quid facto opus sit ei, qui oblitus est vinum mittere in calicem, & panem tamen consecrat. 856.1.
Nonnegijs in dictum ab Innocentio VIII. vt sine vini consecratione Missæ sacrificium fiat. ibid.
Iure diuino ad Missæ sacrificium pertinet etiam consecratio vini. 856.2.
Posset Pontifex relaxare ius diuinum ob publicam, & vrgentem necessitatem de adhibendo, & conferendo vino in Missa. 857.1.
Nunquam tamen id faciendum suadetur. ibid.
Non potest Pontifex statuere, vt in consecratione aquæ loco vini sacrificium Missæ peragatur. 856.2.
Quomodo intelligendus sit Alexander VI. sine consecratione vini sacrificium Missæ fieri non posse. 857.1.
Quando sine vini consecratione sacrificium absolui possit. 857.2.
Propter necessitatem populi ad audiendam Missam, vel communicandum, non est faciendum sacrificium Missæ sine consecratione vini. ibid.
Nunquam Ecclesia permisit sacrificium sub vna tantum specie. ibid.
Sacerdoti post consecratum panem impedito, vt sacrificium absoluere possit, succedere debet alius, qui absoluat. ibidem.
Propter salutem spiritualem ægroti non est consecrandus panis, si vinum absit ibid.
Vnicum tantum est sacrificium, licet duplici consecratione constet. 858.1. & 2.
Missam Ecclesia aliquando vocat sacrificia. ibid.
Verba consecrationis panis sortiuntur effectum ante consecrationem vini. 858.1.
Est sacrificium propitiatorium. 858.2.
Triplex in Missa sit opus, vnum à Christo, secundum ab Ecclesia, tertium à sacerdote. 859.1.
Opus operantis quid sit in Missa. ibid.
Duplex est opus, quod ex vi ipsius operis fit. ibid.
Sacrificio, vt etiam est propitiatorium, aliud res pendet ex vi operis, aliud Sacramento ex vi operis. 859.2.
Sacramentum ratione non vtentibus ritè tamen dispositis gratiam confert. ibid.
Propitiatorium est, quod impetrat donum pœnitentiæ ijs, pro quibus offertur. Ibid.
Catholicis imponitur à Lutheranis, quasi asserant Missæ sacrificium lethalia etiam peccata per se proximè delere. ibidem.
An ex attrito contritum faciat Missæ sacrificium. 860.1.
Quare dicatur impetratorium, & quomodo peccata venialia deleat. ibid.
Delet & pœnas peccatorum. 860.2.
Propitiatorium, Expiatorium, Satisfactorium, Meritorium, & Impetratorium quid sint, & quid differant. 861.1.
Mortuis est tantum satisfactorium. ibid.
Christus in eo non satisfacit amplius, nec meretur nobis. ibidem.
Est impetratorium etiam incrementi diuinæ gratiæ. ibid.
Missa, vt est satisfactoria, est finiti effectus in ijs, pro quibus offertur, & ipsi nullo modo offerunt. 862.2.
Hostia in Missa oblata vt per sacerdotem offertur, est virtutis finitæ. ibid. 2.
Missa in ijs, pro quibus offertur, & ipsi offerentes non sunt voluntate Christi habet certum, & finitum effectum ibidem.
Missæ effectus non est incertus, & infinitus in ijs, qui sunt ipsi quoque offerentes, cum pro ijs offertur. 863.1.
Stultè non petit, qui petit, vt pro se vno sacrificium offeratur. 863.2.
Fructus Missæ triplex generalis, specialis, medius, & quid sint. ibid.
Missa pro pluribus quatenus satisfactoria est, minus prodest singulis, siue ipsi quoque offerant, siue non. ibid.
Missa vt impetratoria non est infiniti fructus, & pro pluribus oblata similiter minus prodest singulis, quam si pro vno offeratur. 864.1.
Missæ fructus vt est sacrificium satisfactorium æqualiter ab ijs participatur, pro quibus fit, si ipsi offerentes non sint. 864.2. & 865.1.
Quando pro pluribus offertur, qui ipsi quoque offerunt, fructum respondentem operi, & affectui participant Ecclesiæ offerentis, quo plures, pauciores sue fuerint. 865.1.
Missa in ijs, pro quibus offertur secundum se quidem semper suum effectum obtinet certa ac firma lege. 865.2.
Missæ preces, & sacrificium pro mortuis offerre licet. 869.2. & 870.1.
In Missæ sacrificio, quare Sanctorum mentionem faciamus. 870.1.
Missa non prodest damnatis. 870.2.
Missa non prodest parualis in peccato originali decedentibus. 871.1.
Missa prodest ijs, qui pœnas purgatorias sustinent. 872.2.
Missa non prodest paruulis baptizatis ante vsum rationis defunctis, & in eorum sepultura pro alijs defunctis facienda est. ibid.

Missæ sacrificia certa, & firma lege Dei prosunt mortuis. ibidem.
Minister Missæ est sacerdos. 872.1. & 2.
Missam facere quotidie, vel frequenter per se laudabilius est, quam abstinere. 877.1. & 2.
Quanam diei hora publica, & solemnia Missæ sacrificia fieri debent. 877.2.
Qui Missam faciendo lucem diurnam notabiliter præuenit, sine legitima causa lethaliter peccat. 878.1. Etiam tertia parte horæ, item post meridiem. 879.2.
Non potest Missa fieri post meridiem ad horam nonã. 878.1.
Priuilegium Pontificis Missam faciendi post meridiem extendendum est solum ad vnam horam. 878.2.
Episcopus potest Missam facere, vel audire iusta de causa ante auroram, vel post meridem. 879.1.
Missam potest facere sacerdos ante auroram, vt ægroto Eucharistiam dare possit. 879.2.
Missa iure fieri nequit, nisi in locis ab Episcopo consecratis, nec quidem concessu Episcopi post. Conc. Trid. nisi iusta de causa. 880.1.
Missæ sacrificium etiam post Concilium Tridentinum tempore necessitatis, licitè fit in locis non consecratis. 880.2.
In mari aut in flumine Missa fieri nequit. ibid.
Missam faciens in priuato loco subiecto interdicto, irregularitatem incurrit. 882.2.
Missa facienda est in altari ab Episcopo consecrato. ibid.
Ad Missæ sacrificium sufficit vnus, vt respondeat. 889.1.
Missam faciens sine libro, lethaliter peccat. 890.1.
Missam facere non potest solus, nisi in graui necessitate. ibidem.
An ad Missam faciendam se vestiens teneatur preces præscriptas recitare. ibid.
In Missa tenetur sacerdos Rubricas Missalis seruare. ibid.
De Missæ partibus, Introitu. 900.2. Kyrieeleison. 901.1. Gloria in Excelsis. 901.2. Collectis. ibidem. Dominus vobiscum. ibidem. Responsione Amen. 902.1. Epistola. ibid. Graduali, & Tractu. ibid. Euangelio, & eius cæremonijs. 902.2. Offertorio. ibid. Præfatione. ibid. Canone. 903.1. & seqq. Dominica oratione. 905.2. Fractione panis consecrati. 906.1. Commixtione corporis, & sanguinis. ibidem. Pacis nunciatione. ibid. Agnus Dei. ibid. 2. Post communionem. ibid.
Missarum priuatarum vsus probatur. 907.1.
In Missa quædam alta voce, quædam tacite recitandi vsus est.

Monarchia. Monarchia Chaldæorum, quot Reges habuerit, & quamdiu steterit. 497.
Monarchia Persarum quot reges habuerit, & quot annis duraverit. 499.1.
Monarchia Græcorum in quot & quæ regna diuisa fuerit. 503.2. Quot annis durauerit. 504.2.
Assyriorum Monarchia quos Reges habuerit. 519.2.

Monumẽtum. Monumenti ius acquiritur in alieno. 8.2.

Morbus. Morbus aut vitium in re vendita conspicuum, vel prænotatum non est præstandum. 9.2. Vide Infirmitas.

Morosa delectatio. Morosa delectatio quæ dicatur. 223.1. Est peccatum. 224.2. Lethale vel veniale pro ratione materiæ. 221.1. Vnde speciem suam sumat. 226.1.
In eam deriuatur omnis prauitas obiecti si cogitetur ex omni malo quod habet. 227.2.
Eiusdem species est cum suo obiecto. 232.1.

Mores. Mores boni varij, iuris naturalis, Diuini, Canonici, Ciuilis, 922.1.

Mors. Mors ciuilis dicitur capitalis pœna. 18.1.
Per se directo permouere aliquem ad mortem spiritualem grauius est quam mortem inferre corpori. 261. & 262.1.
Mors contracta ex peccato originis cur rationem culpæ non habeat. 293.1.
An sit peruasura ad superstites in die iudicij.

MORTALE. Vide peccatum lethale.

Motus primi sensum, vires naturales aut imaginationem cõsequentes non sunt peccatum. 222.1. Motus.
Motus primo primi an sint peccata. 222. & 223.1.
Motus secundo primi quando, & qualia sint peccata. 223.1.

Mundi ætates sex enumerantur. 494.2. Et singulæ quot annos habeant. ibid. & seqq. Mundus. Municipalis. Municipalis lex. vide Statutum. Mutuum. Mutuum acceptum à criminoso quando in bonorum publicatione ad Fiscum non pertineat. 339.1.

Natura. NAturæ viribus quid homo præstare possit. 192.1.
Naturæ solius viribus in officio honestatis perseverare quis non potest. 193.1.
Natura habet quo possit, quod sibi conuenit, non quo id faciat nisi diuino auxilio iuuetur. 204.1.
Contra naturam hominis est omne peccatum. 206.2.
Contra naturam quæ peccata peculiariter dicantur. ibid.
Naturæ peccatum, cur dicatur peccatum primum Adæ. 295.1.

Necessitas. Necessitas ex conditione libertatem arbitrij non tollit, nec meritum aut demeritum. 64.2.

Negocij. Negocio graui impediti non tenentur in die festo sacrum audire. 551.1.

Nobilis. Nobilis ob æs alienum in carcerem non mittitur. 923.1.

Notarius. Notarius Christianus scribens instrumenta vsuraria inter Iudæum, & Christianum in gratiam Iudæi peccat, si in Christiani gratiam ea scribat, non peccat. 699.1.

Nomina. Nominibus Christi, trium personarum diuinarum, Beatorum scriptis, pronunciatis, auditis honor sicut sacris imaginibus debetur. 747.1.
Nomina Sanctorum inscripta cartis, collo alligata, & appensa deferri possunt. ibid.

Nouitius. Nouitiorum vota an tuta conscientia à Superiore dissolui possint. 1003.2.
Nouitius statutis religionis nõ alligatur nec statuto, quo certa delicta Superiori reseruantur. ibid.
Nouitius delinquens à monasterij Præfecto, puniri debet, & sicut fauore religionis à ciuili Magistratu abducitur Nouitij sic etiam ab Episcoporum potestate. ibid.
Nouitius ad aliquam Ecclesiastici ordinis Præfecturam eligi nequit, ad Epi copatum potest. 1004.1.
Ne Nouitij ad Ordines sacros, ne quidem ad primam tonsuram ascendant, iure cautum est. ibid.
Nouitius habet ius condendi testamentum, sed non rumpendi testamentum. ibid.
Nouitij beneficium Ecclesiasticum non vacat. 1005.1.
Nouitius carens prima Tonsura, gaudet priuilegio Canonis, Si quis suadente Diabolo, &c. ibid.
Quis succedat in bonis Nouitij ante professionem mortui absque testamento. 1005.2.
Nouitius iure canonico religiosorum numine, & numero non censetur. ibid.
Nouitius à Monasterio recedens non debet soluere impensas, quas in eo alendo monasterium fecit. 1005.2. & 1006.1.
Nouitij probatio partim in monasterio, partim extra illud iussu Superiorum peracta habitu religionis retento legitima est. 1006.1.
An Natalium vitio notati, aut ære alieno pressi, aut infames ad probationem recipi possint. ibid.

Nouitatis Cupiditas. Nouitatum cupiditas sitia inanis gloriæ quando sit peccatũ lethale. 257.1.

Nuptiæ. *Nuptias non futuras fuisse, si Adam perseuerasset, quibusdam falsò putarint.282.1.*
Leges nuptias feminis prohibentes sine consensu parentum quomodo iure canonico corrigantur.396.2.

Nutrix. *Nutrix quando excusetur ab audiendo sacro in die festo. 551.1.*
Nutrices sunt liberæ à ieiunio.583.1.

Oblatio. *OBlationes quid sint.620.2.*
Oblationes, quibus iure debeantur.621.1.
Quomodo differant à Decima Primitijs, Sacrificio.620.2.
Oblationes an diebus festis, & Dominicis Parochiani facere cogantur.553.1.
An vbi oblationes de more soluuntur voluntariæ sint, an necessariæ.621.1.
Quando religiosi possint oblationes accipere.621.1.
Oblationes iure naturali debentur, si Ecclesiæ, vel Rectores Ecclesiarum indigeant.621.1.
In oblationes laici ius non habent.621.2.
Oblationes non soluentibus, quæ pœna sit iure constituta.ibi.
Quas oblationes voluntarias Ecclesia non recipiat.ibid.

Obligat°. *Obligatus alteri, religionem suscipiens si potest per aliũ promissum præstare debet, siu secus, religionẽ suscipere potest, etiamsi adhibito iureiurando se alteri obligarit.998.1.*

Obliuio. *Obliuio ad ignorantiam quomodo reuocetur in cauendis, vel agendis rebus.41.1.*

Odium. *Odium quid sit.139.1.*
Odium est tum rei, tum personæ.ibid.
Odium quarum rerum sit.139.2.
Odio haberi potest Deus absolutè, & propriè.732.1. Vide, Deus.

Omissio. *Omissionis peccatum an differat specie à peccato commissionis.214.1.*
Omissio quando sit generale, vel speciale peccatum.214.2.
Omissio sine actu concipi potest.sine actu esse non potest.215.1
Omissionis peccatum est aliquando cum quid omittitur: aliquando cum causa datur omittendi.215.& 216.2.
Cum causa omissionis data est, peccatum est, etsi effectus impediatur.216.1.
Actus omissioni coniunctus, quando sit peccatum.ibid.
Quis actus dicatur omissionis causa, quis Comes.ibid.
Omissio vt sit voluntaria, requirit, vt possimus, & debeamus facere vi præcepti.216.2.
Grauitas in peccato omissionis pendet ex dignitate actus omissi.217.1.
Actus causa omissionis non minuit eius malitiam, eo quod sit melior.ibid.
Omissio implicitè voluntaria aliquando æque grauis est, atque explicita.ibid.

Opinio. *Opiniones quomodo sint deligendæ 93.2.*
Fidei innitens, aut proximè ad eam accedens est tenenda. 93.2.
Opinio quæ legis, & iuris sensui magis innititur, aut consuetudini receptæ præferenda.96.2.
Opinio mitior in rebus pœnalibus, & odiosis est probabilior. 98.2.
Inter opiniones pares dubias tamen, si altera sit tutior est amplectenda.170.2.
Non semper tamen tutior est necessario amplectenda.102.1.
Communis Doctorum in rebus agendis est potior.103.1.
Quomodo communis opinio internosci possit.103.2.
Censenda est authoritate, & numero auctorum Classicorum. 104.1.
Cæteris paribus opinio religioni, pietati vel iuri magis fauens est potior.100.1.
Pietati conformior opinio rationi repugnare nõ debet.108.2
In foro conscientiæ quænam sit opinio potior.109.1.
Tutior opinio vocatur illa quæ censet id de quo est quæstio peccatum esse 110.1.
Diuersæ opiniones aliquando peccati periculum habent coniunctum.ibid.
Opinionum diuersi assensus ex diuersis principijs haberi possunt ibid.
Minus tuta opinio dummodo probabilior sit, aut certior in agendo teneri potest.110.2.
Probabilior dicitur quæ firmiori, & meliori ratione fulcitur.ibidem.
Non semper probabilior opinio eligenda est quando duæ sunt æquè tutæ.111.1.Nec semper eligenda est communis.111.1.
Opinio plurium in foro conscientiæ non semper est probabilior.111.2.
Vnius Classici authoris opinio aliquando, sed raro tenenda contra alias omnes.ibid.
Non ex eo solum quod antiquorum, vel iuniorum sit, tenenda, vel repudianda est.113.1.
Scholasticorum opinio aliquando potior communi Patrum sententiæ.Ibidem. Sed si paria sint momenta antiquorum præferenda.ibid.
Opinio Theologorum an, & quando præponenda sit opinioni Iurisconsultorum.113.2.
Discipulus assentiri potest opinioni præceptoris etiam classici quem legit libri.114.2.
Opinio debet esse boni, & docti.115.1.
Opinionem aliorum probabilem contra propriam sequi licet in foro conscientiæ.ibid.
Imò, & contra propriam, & certam sententiam.116.1.

Opus. *Peccata operis distinguuntur numero ex obiectis, & fine, & quomodo.220.1.*
Peccata plura operis vno actu aliquando cõtinuantur.ibid.
Peccata operis tot sunt numero, quot actus.ibid.
Cum opere peccati, tria sunt, quæ fuerunt in peccato Adami. 267.1.

Oratio. *Oratio quid sit.733.1.& 782.1.*
Orationes publicæ an dirigi tantum debeant ad Deum Patrem.753.2.& 785.1.
An orari possit Christus Dominus vt pro nobis oret. 754.1. & 784.1.
Oratio virtutis est actus non virtus.782.2.
Oratio an sit actus voluntatis an rationis.ibid.
Oratio est actus religionis.ibid.
Orare est proprium Angelorum & Hominum. 783.1.& 2.
Orare non conuenit Spiritui Sancto.783.2.
Dæmonum & Damnatorum precatio non est oratio.784.2.
Sancti Veteres Testamenti post obitum suum orabant. ibid.
Ijs qui sunt in purgatorio conuenit orare.ibid.
Sanctos in Cælo iure oramus & ipsi orant pro nobis.785.1.
Sancti orant pro animabus purgatorij.ibid.2.
Iusti in purgatorio an orent pro nobis.ibid.
Beatos etiam parvulos in Cælo possumus orare.786.1.
Orare possumus pro mortuis.ibid.
Orare non possumus pro damnatis.787.1.
Orandum pro viuis omnibus.788.1.
Orandum pro paganis, & alijs à fide alienis.ibid.
Orandum ne sit pro ijs, quorum peccatum est ad mortem. ibidem.
Orandũ ne pro ijs, qui obstinato sunt animo in malis. 788.2.
Orandum pro Schismaticis, Hæreticis, Excommunicatis priuatim.ibidem.
Orandum pro improbis, & sceleratis.ibid.
Orandum ne sit pro præscitis, & reprobis.ibid.
Oratio multifariam diuiditur.789.1.
Orationis partes, Oratio, Postulatio, Obsecratio, Gratiarum actio.ibidem.

Oratio publica quæ in precibus horarijs recitatur à Clericis, & quæ iussu Ecclesiæ funditur habeat ne vim ex opere operato.ibid.
Orationis effectus quot & qui sint.790.1.
Omnes ad tres generatim reuocantur.790.2.
Pro alijs facta an vim habeat.ibid.
Oratio iustorum facta pro alijs profitne ad satisfaciendum pro eorum peccatis.791.1.
Quid profit iniusto oratio iusti,quidue impetret.791.2.
Iniusti oratio facta pro iusto quid profit.ibid.
Orationis vis & efficacia eo minor est quo se ad plures fundit.ibid.
Orandumne sit omni tempore.792.2.
Quando præcepto orandi teneamur.793.1.
Certone in loco fieri debeat 793.2.Et cum quibus circunstantijs.794.1.
Circunstantiæ sub præceptum non cadunt.794.2.
Christus Dominus ab oratione multiloquium gentile prohibet.ibid.
Orationis sintne certæ aliquæ ac definitæ verborum formulæ.795.1.
Qua lingua quoque sermone orandum sit.795.2.
Orationis quanta sit necessitas.ibid.
Orans in peccato lethali an peccet.ibid.
Quæ sint in oratione à Deo postulanda.796.2.
Liceatne idem orare quod optare,& contra.ibid.
Orantes cur Psalmos, aliaque ex sacris literis desumpta recitemus.
Orationi quæ & quot necessaria,vt sit impetratoria.797.2.
Oranti demissio animi, & detestatio admissorum scelorum necessaria.798.1.
Quæ scelera impediant orationis effectum.ibid.
Oratio iustorum debito modo potentiam quomodo semper à Deo exaudiatur.798.2.
Oratio Dominica quomodo cæteris omnibus præstet.799.1.
An eius sint septem petitiones & recto ordine dispositæ.799.1.& 2.
Explicantur singulæ particulæ.799.& seqq.
Quo ad vim satisfaciendi si pro pluribus fiat oratio minus prodest singulis.864.1.
Quoad vim impetrandi ex parte Dei tantundem pro multis quantũ pro vno valet,nõ ex parte effectus orantis.864.2
Non minus meretur ant satisfacit qui pluribus suffragatur quam qui vni.ibid.
Moriui æquæ lætantur siue quis vni, siue pluribus suffragetur.ibidem.

Ordinarius. Ordinarius Iudex in iure quis vocetur.39.1.
Ordinarij excommunicatio ignorata nõ incurritur & si contra ius naturale vel diuinum peccetur.39.2.

Ordines Religiosi. Ex ordine S.Benedicti.107.2.fuerunt tempore Ioannis 22. fuerunt in Sanctorum numerum relati.1074.2.
In ordine Prædicatorum Sabellici tempore Viginti vna prouincia,cenobia.1143.fuerunt.ibid.
Frequentissimi in Oriente sunt Monachi Ordinis S.Basilij,In occidente sub Augustini regula, In Italia qui sub regula Simpliciani,In Gallia,qui sub Martini, post hos maximè floruerunt qui sub S.Benedicti regula.1075.1.
Camaldulensis ordo ex S.Benedicti ortus est S.Romualdo authore.ibid.2.
Ordo vallis vmbrosæ,à quo & quando ceperit.ibid.
De ordine Carthusianorũ.Ibid.Grandimontensium.1076.1.
De Cisterciensibus. Humilitatis &c.1075.2. De Præmonstratensibus & Oliuetanis.1076.2.
De ordine Guilhelmitarum.ibid.Cælestinorum.ibid.

Ordines Sacri. Post ordinem sacrum nec subdiaconis quidem licet nuptias contrahere.1138.2.
Idque ratione voti vel legis Ecclesiasticæ.1139.2.
Metu iusto ordines suscipiens nullo voto tenetur.ibid.
Non est necesse vt nunquam fuerint in matrimonio,qui initiantur ordinibus sacris.1140.1.
Debet fuisse tantum vnius vxoris vir ordinem suscipiens.1140.2.
Matrimonij ante ordinem sacrum contracti vsus non pugnat cum sacerdotio.1142.1.
Olim ordo sacer,non includebat subdiaconatum, neque tunc tenebantur subdiaconi seruare continentiam perpetuam sicut hodie.1144.1.
Ordinati, optimo iure Ecclesiastico obligantur ad continentiam, non tamen simpliciter diuino.1144.2.
Originale peccatum. Vide peccatum.
Oris peccata aliquando per se perfecta, aliquando initia sunt eorum quæ opere fiunt.217.2. Os.
Augentur numero oris peccata relata ad obiecta specie diuersa vel ad vnum multiplici prauitate infectum.219.1.
Vide Contumelia.
Osculum. Vide Tactus.
Adulteram verè in matrimonium duxit.432.2. Oscat.
Pacta turpis causæ non sunt seruanda.922.1.
Futuræ successionis pactio facta sine testatoris consensu num valeat.922.2. Pactum.
Pactum iure ciuili prohibitum ob priuatum commodum si iuramento firmetur an sit ratum.923.2.
Pagani qui? & quando nomen hoc in Ecclesia vsurpari cœptum.704.2. Pagani.
Christianis Principibus subiecti ad fidem Christianam cogi non possunt.706.1.
Muneribus allici possunt.705.1.
Cogi possunt iure ad audiendum Euangelium.ibid.
Possunt expelli Pagani,Iudæi,Saraceni, ea lege vt si remanere velint Christiani fiant,sin minus,abeant.705.2.
Compelli possunt vt abiecto idolorum cultu vnum Deum vereantur.ibid.
Christiani eorum bona priuata authoritate diripere non possunt.706.1.
Princeps Christianus quibus in rebus ius habeat contra paganos.707.1.
Debellare eo nomine quod idola colant, Christianus Princeps non potest.ibid.
Ad naturæ leges seruandas cogi possunt.706.2.
Ritus paganorum aliquando iure illis permittit Ecclesia.707.1.& 711.1.
Paganos priuat Ecclesia iure dominij seruorum Christianorum.707.2.
Christiani capti à Paganis & serui effecti quemadmodũ fugere,& secum auferre aliqua à Domino possint.707.2.
An Christianus possit illis vendere res eas quibus certo abusuri sunt ad superstitiones,idque sciens.708.1.
Paganos ad bellum accire in consilium Christianis licèt maximè contra fideles.711.1.
Non omnia eorum opera peccata sunt.ibid. Paludan.
Falso dicit hominẽ peccato tantũ originali,& veniali obstrictũ posse Deũ virib.naturalib.super omnia diligere.243.1. Panis Benedictus.
Inter sacramentalia à quibusdam recensetur.253.1.
Quando & quibus consecrari sit solitus.ibid. Papa,Pontifex.
Vbi in iure non appelletur ordinarius iudex.39.1.
Papæ tacitum consensum num sufficiat, vt laici clericos ad sua tribunalia trahant.40.2.
Potest derogare iuri patronatus clericorum,sed nisi expresse id faciat,nullius facit.367.2.
Si ipse leges,& iura peruertat quid faciendum.369.2.
Contra Papam si eius mandata iniuriam inferant vel perniciem Ecclesiæ vi non est vtendum.370.1.

Papa dispensare potest in quibusdam Apostolorum constitutionibus.372.2.& 373.1.
Et in Canonibus.ibid. Etiamsi in concilio generali statutum sit,ne in aliquo dispensetur.ibid.
Papa potest sibi ius dicere in ijs quæ distinctionem personarum iure diuino non requirunt.373.2.
Papa potest seipsum iusta de causa voto vel Iuramento soluere.374.1.
Papæ solius est interpretari ius Canonicum.378.1.
Papæ rescriptum violatur errore Grammaticæ.408.2.
Papa quomodo dispe set in voto,& iureiurando.434.1.
Qua authoritate id faciat,& vnde eam habeat.434.2.
Papa si sine iusta causa soluat quempiam lege ieiunij valet relaxatio sed ipse peccat.585.& 586.1.
Papæ approbatio per se & ex natura rei ad religionem non requiritur sed tantum iure Canonico.985.1.
Qua de causa sancitum sit.986.1.
Papa an possit quempiam soluere iureiurando.931.1.
An Papæ sit aliquod iusiurandum reseruatum.ibid.
An Papa possit irrita facere vota.958.1.
An Papæ sit reseruatū votum de virginitate seruāda.972.1.
An Papæ sit reseruatum votum non petendi relaxationem vel commutationem nisi à Papa.ibid.

Parochus. Parochus potest soluere à lege ieiunij cū est difficilis ad Episcopum accessus.585.1.
Parocho quando soluendæ sint decimæ. Vide Decimæ.

Paruuli. Paruuli sine baptismo mortui puniuntur sola pœna damni. 302.2.
SS.Augustinus, & Gregorius qui contrarium videntur sentire explicantur.ibid.
Eorum corpora cum nō sint futura impassibilia quomodo non sint lædenda.303.1.
Cognoscent suum statum nec tamen tristabuntur ob suam pœnam.305.2.
Aderunt in iudicio & quorsum.303.2.
Post diē iudicij sub terra manebunt in tenebris.304.& seq.
Naturali felicitate carebunt.304.2.
Non erit in ijs pugna sensus & rationis.ibid.
Pœna omnium erit æqualis.305.1.
Eos post iudiciū mundandos à peccato dicere,error est.306.1
Fœminæ infantes,& masculi ante octauum diem in lege Mosaica quomodo saluarentur.307.1.
Paruuli quomodo saluarentur ante datam legem circumcisionis.ibidem.

Pascha. Paschatis nomine quid ius Canonicum intelligat.629.1.
An Canonico iure Christiani in Paschate Eucharistiam sumere teneantur.ibid.
Cur diebus Paschatis genua non flectamus orantes nec ieiunia colamus.581.1.
In Paschate à proprio Parocho Eucharistiam sumere tenemur.581.1.

Pastor. Pastor num excusetur ab audiendo sacro die festo.552.1.

Parentes. Pater pro filio fideiussor tacendo obligatur.8.2.
Patris potestas in vota filiorum an sit prorogata per Concilium Tridentinum.961.1.
Mater an mortuo patre possit filio vota relaxare. ibid.
Pater an possit vota religionis post decimum quartum filio relaxare.ibid.
Pater si habet filium graui egestate laborrātem Religionem ingredi non potest.1000.2.
Parentes post Adamum non traducunt peccatum in posteros & quare.295.1.
Si gratiam sibi & posteris accepissent traduceret peccatum 295.2.
Gignunt gratia vacuos sed sine culpa filiorum quia gratia illis non est debita.295.2.
Parentes baptizati traducunt peccatum originale quod ipsi non habent,& quare.296.1.
Ob solum Parentum peccatum filij Innocentes non puniuntur.300.2.
Quomodo Parentum peccata in filijs puniantur.301. 2.

Pauor. Pauperta Pauor quid sit,& pigritia.141.2.
Paupertatem quibus in rebus violet Religiosus. 1040.1.
Paupertati religiosæ non repugnat vsus fructus rerum pecunia æstimabilium cum facultate superiorum.ibid.2.
An paupertatis votum violet religiosus ab externo nummos accipiens quibus libros emat quos in Cella retineat. 1041.1.
An contra Paupertatis votum faciat qui absque Superioris consensu aliquid donat externis.1040.1.
An peccet contra paupertatem qui sciente, & consentiente superiore plura habet,quàm quæ sibi suppetant ad vitam sustentandam.1041.2.
An paupertatem violans religiosus professus grauius peccet,quam qui simplici voto tenetur.1042.2.
Perfectior est paupertas nihil proprium etiam communiter habentium quàm eorum, qui aliquid communiter possident.991.2.
Paupertas communiter aliquid possidentium nihil derogat perfectionis statui.ibid.
Si regula religionis prohibeat reditus annuos &c.cōtrarium non potest induci consuetudine nisi approbante Pontifice 1136.1.
Consuetudo cellis tanquam proprijs vtendi quæ proprietatem inducit,corrupiela est.1136.1.& 2.
Omnia Christi causa relinquere non solum licet sed magni etiam meriti est apud Deum.1091.2.
Mendicitas spontanea Christi causa est magni meriti,& præmij.1092.1.

Peccatū, peccator, peccare, peccans. Peccatum libera hominis voluntate committitur.5.1.
Peccare qui nequeunt cur magis liberi dicantur.ibidem.
Peccandi potestas non est libertatis pars.ibid.
Peccans non refert nouerit necne se Deum offendere. 207.1.
Peccare ex malitia quis dicatur.213.2.
Omnis peccans ignorans est quia in eligendo & operando aberrat.213.2.& 275.1.
Peccans vult turpe vt sibi vtile vel iucundum, & turpiter vult.268.1.
Peccans aberrat à vera beatitudine.273.2.
Peccans posthabito honesto vtile & iucundum sectatur ideo contra conscientiam facit.ibid.
Peccantes dicimur à peccato vt est actus, peccatores ab eodem vt est quid ex actu relictum.290.2.
Peccare dupliciter dicitur malefacere & peccatum contrahere.293.2.
Peccati species non à voluntario sed à re obiecta petitur.35. & 36.1.
Peccata ex ignorātia voluntaria iuris & facti eiusdem speciei sunt cum ijs,quæ scienter fiunt.36.2.
Peccata per ignorantiam voluntariam admissa, vel voluntatē, ebrietatem,insaniam,somnum sunt eiusdem speciei cum scienter admissis.37.1.
Peccatum quomodo à vitio & culpa differat.205.2.
Peccatum est actus à recta regula discrepans.ibid.
Peccatum quomodo propriè accipiendum.276.2.
Peccatum contra naturam. Vide Natura.
Peccatum cur Deum offendat.207.1.
Peccatum graue amicitiam Dei dissoluit, & quare.207.1. & 275.2.
Peccatum hominem à debito suo fine abstrahit. 278.2.
Peccatum merita præcedentia obruit.ibid.

Peccatum per se hominem auertit à Deo & quare. 207.1.
Peccatum per se Dei gratiæ aduersatur & quare. 207.1.
Peccatum per se meretur æternas pœnas. ibid.
Peccatum patres nihil esse, & cur dixerunt. 208.1.
Peccatum esse priuationem quomodo intelligendum. 209.1.
Peccatum non semper est absentia formæ absolutæ, sed sæpe alicuius ad aliud. 209.2.
Dicere peccati rationem consistere in respectu & ordine, rationi contrario non est temerarium. 210.1.
In omni peccato quomodo sit auersio à Deo saltem implicita. ibidem.
Quomodo in omni peccato sit conuersio ad Creaturam. ibid.
Per peccatum homo in naturalibus vulneratur. 210.2.
Peccata non distinguuntur per virtutes oppositas. ibid.
Peccata quædam non sunt contra certam virtutem, & quæ. 211.1.
Peccata distinguuntur specie per obiecta diuersa in genere moris. ibid.
Peccata non distinguuntur specie per præcepta. 211.2.
Differunt specie quæ specialiter à recta ratione dissentiunt. 312.1.
Peccatum idem in multiplici specie sæpe constituitur. ibid.
Idem peccatum diuersis legibus eadem de causa interdictum vnius specie est. ibid.
In peccato contra plura præcepta si ea illud eadem ratione prohibent vna est deformitas, multiplex si diuersa. 212.1
Peccata contra legem naturalem, diuinam, humanam, quomodo inter se distinguuntur. 213.1. & 2.
Peccata ex causis efficientibus non distinguuntur. 213.2.
Peccatum ex ignorantia, infirmitate, malitia. ibidem. Vide Malitia.
Peccata contra Deum, proximum, nos ipsos, quæ dicantur. ibidem.
Distinguuntur specie. ibid.
Peccatum contra proximum vel nos ipsos quando sit etiam speciale contra Deum. 214.1.
Peccatum omissionis & commissionis. Vide commissio, & omissio.
Peccata Cogitationis, oris, operis. Vide Cogitatio, & opus.
Peccata specie distinguuntur per excessum vel defectum circa eandem virtutem. 232.1.
Peccati circumstantiæ. Vide Circumstantia.
Peccata non sunt sibi inuicem connexa. 259.1.
Peccata omnia non sunt paria. 259.2.
Peccata maiora sunt ex obiecto. 260.2.
Peccata grauiora sunt quomodo maiori virtuti opponuntur. ibidem.
Si cætera sint paria. 261.1.
Peccata grauiora sunt ex causis. ibid.
Quæ sponte fiunt grauiora sunt quàm quæ ex metu, & ignorantia. ibid.
Peccatum omne est in voluntate quatenus voluntarium ratione suæ substantiæ etiam in alijs facultatibus. 263.2.
Peccati effectus sunt macula reatus pœnæ. 275.1.
Peccatum vt peccatum est non vt res aliqua est expellit gratiam. 277.1.
Peccatum lege ordinaria non potest pœna sensus non puniri. 279.1.
Peccatum pœnam aliquam meretur sua natura perpetuam ex lege diuinæ iustitiæ. 279.2.
Potest esse peccatum quod nulla pœna puniatur, quod eam non mereatur, fieri non potest. ibid.
Peccata iuri naturali cõtraria nõ possunt nõ esse mala. 280.1
Ad peccati rationem non pertinere voluntarium, dicere error est. 293.1.
Peccatum personæ quod dicatur. 295.2.

Distinctio peccati in lethale, & veniale probatur ex Patribus. 233.1. — Peccatum lethale.
Non omne peccatum est lethale. ibid.
Peccatum lethale auertit nos ab ipso fine. 235.1.
Peccatum lethale est materia necessaria Confessionis. 252.1.
Peccatum lethale vnum non potest remitti sine alio. 253.1.
Peccatum lethale est contra superiorẽ partem animæ. 266.2.
Omne peccatum lethale committitur cum notitia honestatis, & rectæ rationis. ibid.
Peccatum lethale non tantum merito, sed etiam vi sua gratiam expellit. 276.2.
Peccatum Originale probatur ex Scripturis. 280.2. — Peccatum originale.
Transmissum est propagatione, non imitatione. 281.1.
Peccatum originale affert mortem animæ, & corporis. ibid.
Probatur ex traditione Ecclesiæ baptizantis infantis. 282.2.
Peccatum Originale non est morbida qualitas. 285.2.
Peccatum originale est priuatio iustitiæ originalis debitæ communi sanguinis propagatione ab Adamo derinata. 287.1.
Cur in paruulis ea priuatio dicatur peccatum. 228.1.
Peccatum originale an transmitteretur in posteros ab homine creato sine gratia. 288. & seqq.
Quomodo fuerit Adamo voluntarium. 289.1.
Quare illud Augustinus sæpius appellauerit concupiscentiam. 289.2.
Errores hæreticorum de peccato originali. ibid.
Quomodo dicatur culpa. 390.2.
Est peccatum quia mors animæ. ibid. Aliquo modo per analogiam. 291.1.
Ratione formæ est habitus priuatiuus, ratione materiæ positiuus. 291.2.
An in eo sit conuersio ad creaturam & auersio à Deo. ibid.
Quomodo sit voluntarium ostenditur exemplis. 292.1.
Est voluntarium voluntate aliena ex pacto institutione implicita. 292.2.
Peccatum originis habere rationem peccati sine respectu ad voluntatem à qua oritur, error est. 293.1.
Traducitur per semen. 294.1. & 2.
Quare solum primum Adæ peccatum traducatur. 295.1.
Peccatum Adæ traductum est, non quia eius fructus interdicti, sed quia primum. ibidem.
Peccatum originale videtur esse in anima vt in subiecto. 298.1.
Eius effectus sunt pugna, perturbationes, morbi, mors, & alia mala corporis quibus ex conditione naturæ homo erat obnoxius. ibid.
Peccati originalis pœna quæ sit. 301.2.
Peccatum originale simpliciter grauius est veniali. 304.1.
Peccatum originale deletur in paruulis per gratiam & caritatem in Baptismo infusam. 308.1.
Peccatum Veniale ante lapsum primi hominis vitare poterat per dona supernaturalia accepta cum originali iustitia. 204.2. — Peccatum Veniale.
Per auxilium supernaturale commune congruens habitibus infusis ab homine post lapsum non vitatur. ibid.
Peccatum veniale probatur ex patribus. 233.1.
Ex scriptura. ibidem.
Veniale peccatum quid sit, & quot modis dicatur. 252.2.
Peccatum veniale est contra legem Dei sed non contra speciale de eius amicitia conseruanda. 233.2.
Est absolutè & sine adiectione peccatum. 234.1.
Quomodo intelligendum sit cum dicitur analogicè peccatum. ibidem.
Veniale peccatum Deum offendit. 234.1. & 2.
Quomodo in eo sit auersio à Deo, & conuersio ad Creaturam 234.2.

Quomodo in eo sit macula.235.1.
Peccati venialis reus non est dicendus peccator.ibid.
Quomodo nos auertat à fine.ibid.
Quomodo dicatur esse contra consilium.235.2.
Peccatum veniale meretur pœnam temporariam.236.1.
Impiorum,& eius qui sine gratia in puris naturalibus creatur,peccata venialia cur perpetuis pœnas puniantur. 236.2.
Peccatum veniale num differat specie à lethali quando circa eandem materiam versatur.
Cum pro actu vel omissione sumitur in quo sit eius deformitas.237.1.
Quomodo dicatur esse in peccato veniali post actum. 237.2.
Peccatum veniale est triplex,ex genere suo,Ex leuitate materiæ,Ex imperfectione actus.ibid.
Venialia ex genere suo quæ dicantur.ibid.
Veniale non transit in lethale accedente nouo præcepto. 238.2.
Frequenter vsu non mutatur in lethale, nisi ob periculum grauis peccati.239.1.
Peccata venialia multiplicata non efficiunt lethale.239.2.
Peccata venialia non fiunt lethalia eo quod placeant.239.2
Non transeunt in lethalia ob dignitatem personæ.240.1.
Transit in lethale cum ex contemptu fit.ibid.
Peccatum veniale non minuit caritatem sed eius feruorem. 240.2.
Peccatum Veniale absque gratia posse expiari etiam in Inferno,qui falso dixerint.242.2.
Peccati venialis remissio est gratuitum, & supernaturale Dei donum.ibid.
Peccatum veniale nisi remittatur à Deo, pœnam meretur sempiternam,& quare.243.1.
Non remittitur homini Dei gratia carenti.243.2.
Coniunctum cum lethali apud Inferos perpetuo punitur. 244.2.
Deus vel non patietur vt quis vnquam cum solo originali, & veniali decedat,aut si fiet,perpetuo supplicio talis punietur.ibid.
Ad eius remissionē non requiritur infusio gratiæ nisi coniunctum sit cum lethali.ibid.
Venialia peccata non delentur quoties extra Sacramenta primagratia adoptionis infunditur.245.1.
Aliquando remittitur actibus Charitatis remissioribus sine gratiæ incremento.245.2.
Ad eius remissionem qualis actus Caritatis requiratur. ibidem.
Non dimittitur dum voluntati placet.247.1.
Ad peccati venialis remissionem sufficit actus Pœnitentiæ implicitus.ibid.
Remittitur aliquando sine pœnitentia,quæ est Sacramētum, non sine pœnitentia,quæ est virtus.ibid.
Ad eius remissionem sufficit attritio.ibid.
Dolor metu incommodi,aut spe præmij temporalis non sufficit ad remissionem peccati venialis.247.2.
Quis dolor remissus sufficiat ad peccati venialis remissionem 248.1.
Peccatum veniale per Contritionem iustis remittitur ex debito.ibid.
Iustus non efficit,sed meretur tantùm per contritionem peccati venialis remissionem.249.1.
Peccatum veniale, an, & quomodo per Sacramenta deleatur.249.1.& 2.
Peccatum veniale est materia voluntaria non necessaria Cōfessionis.252.1.
Peccatum vnum veniale potest dimitti sine alio. 253.1.
Per actum, quo quis dolet de omnibus peccatis venialibus expiari possunt omnia.253.1.
Post mortem remittuntur aliquando peccata venialia.254 1.& seqq.
Per actum charitatis primo statim initio alterius seculi elicium.254.2.
Qui alium inducit ad peccatum veniale non peccat lethaliter.262.1.
Peccatum veniale grauius esse originali,quis dixerit.305.1.
Pectoris percussio est vnum è Sacramentalibus, & per eam peccata venialia delentur.252.2. — Pectoris percussio.
Pensionarius omittens recitare parium officium B.Virginis pro rata omissionis fructus suæ pensionis restituere tenetur.844.1. — Pensionarius.
An sit periurus qui vti iurauit certo die soluere non potest. 929.2. — Periurus.
An qui ad tempus prorogatum non soluit,sit periurus. 930.2
An periurij reus sit, qui propria auctoritate permutat iusiurandum in melius.933.2.
Periurium quid sit.938.1.
Periurium semper est cum mendacio.ibid.
Periurium quotuplex sit.938.2.
Periurium quod est cum mendacio an sit lethale peccatum. ibidem.
An sit periurus falsum iurans per ignem Dei,per paleas,&c. non habens in animo iurare.939.1.
Iusiurandum per creaturas falsum quando sit periurium. ibidem.
Periurium an sit homicidio grauius.ibid.
Periuris quam pœnam irrogent Canones, leges, & iura. ibidem.
Periuris Indi decurtant pedum, & manuum digitos. ibidem.
Periuris Scythæ caput abscinduntur.ibid.
Quinam periuri infamiæ pœnam contrahunt.ibid.
Periurus an infamis censeatur, qui priuatim tantummodo fidem alteri datam violat.940.1.
An Clericus periurus ipso facto beneficio priuetur.ibid.
An Periuro Clerico collatum beneficium sit ratum, & firmum.ibid.
Periculum Periurij ad Periurium pertinet.36.2.
Persona Diuina in quacunque natura simpliciter peccare nequit.3.1. — Persona.
Personæ dignitas in quam peccatum committitur aliquando mutat speciem peccati, aliquando solum eius grauitatem auget.262.2.
Personæ item dignitas quæ delinquit.ibid.
Pertinacia quid sit.134.2. — Pertinacia.
Filia est Inanis gloriæ.256.1.
Perturbatio quot modis ad peccatum impellat.274.1. — Perturbatio.
Est effectus peccati originalis.298.1.
Peruicacia quid sit.134.2. — Peruicacia.
Petulantia quid sit.ibid. — Petulantia.
Philosophorum sectæ enumerantur.510.1. — Philosophi.
Philtra habeamne vim aliquam naturalem homines vel inuitos alliciendi ad amandum hunc, vel illum hominem.771.2. — Philtra.
Pictores veteres enumerantur.509.2. — Pictores.
Pignus vsu capere creditori, si quod statutum permittat, si debitor intra certum tempus non soluat,damnatur.416.1 — Pignus.
Plebs à populo quid differat.310.1.
Plebiscitum statutum est plebis,sine patribus.ibid. — Plebiscitum, & Plebs.
Quæ sit plebisciti origo.311.2.
Est pars Iuris Ciuilis.312.1.
Quibus legibus factum, vt eo etiam Patres tenerentur. 311.2.
Plebiscitum lex etiam dici cœpit.315.2.

Poëtæ. *Poetæ veteres enumerantur.509.1.*

Pœna, & Pœnalis Lex. *Pœna non ex consensu peccantium sed auctoritate Magistratus pendet.38.1.*
Pœnæ statutæ lege, quæ eius grauem, quæ leuem obligationem declarent.332.1.& 2.
Pœnam constituens lex non semper obligat ad luendam eam in foro conscientiæ.334.1.
Pœnis Excommunicationis, Suspensionis, &c. nos suis, non nostris bonis priuat Ecclesia.334.2.
Quid differat inter legem, quæ pœnam ipso facto vel iure latam, & quæ à Iudice inferendam continet.334.2.
Pœnales leges quando ante latam sententiam dominio, aut administratione reum priuent.335.2.
Aliquæ pœnæ ipso iure, & facto obligant.337.1.
Pœnæ quibus legibus statutæ ipso facto comrahuntur.337. & 338.1.
Pœna nonnisi post condemnationem debetur.341.2.
Ad pœnam de seipso sumēdam an Reum condemnare liceat. 342.1.
Pœnam ipso iure latam, quæ verba legis significent.343.2.
Quæ ferendam.344.1.
Cùm ambigitur indicare oportet significari ferendam.344.2.
Pœna consuetudine tolli potest.387.1.

Pœnitētia. *Pœnitentia quid sit.140.2.*
Pœnitentias corporales sibi insligendas reus in conscientia obligari potest.342.2.

Pollutio Ecclesiæ. *Ecclesia quando, & quibus modis polluatur. 881.2. & seq. Vide consecratio, & reconciliatio.*

Pontifex. *Vide Papa.*

Possessio. *Possessio valida est reipsa sciente Domino, sine instrumento. 9.1.*
Possessio precaria vltra dictū tēpus silentio prorogatur.8.2.

Præceptū. *Præceptum non agendi contra conscientiam an possit abrogari.93.1.*
Præcepta legis veteris cæremonialia, iudicialia, moralia.312 1.& cætera Hebræorum præcepta, vide consequenter toto libro.
Præcepta legis Nouæ sunt Fidei, Spei, Charitatis, Sacramentorum.312.1.
Præceptis Decalogi quæ continentur sunt iuris gentium.
Præceptum eliciendi actum Fidei quos & quando obliget. 719.2.
Præcepta Ecclesiæ explicantur.541.1. & consequenter toto libro.
Præceptū primum Decalogi explicatur.632.2.& sequentib.
Præceptum secundum Decalogi explicatur.907.2.

Prædestinatio. *Prædestinatus ad æternam damnationem sibi reuelatam an eandem refutare potest.126.1.*
Idem sperare, & orare potest, & debet.126.2.

Prægnans. *Prægnantes liberæ sunt è iciunio.583.1.*

Præscriptio. *Præscriptio in quibus consistat, & à consuetudine, quid differat.389.2.*
Quasi præscriptio cur dicatur Consuetudo. Ibid.
Præscriptio possessoribus malæ fidei iure Ciuili conceditur, Canonico prohibetur.399.1.
Non præscribit possessor malæ fidei.415.2.
Præscriptio non tollit legem naturalem.430.1.
Præscriptione laici nō possunt sibi Decimas vēdicare.616.2.
Præscriptione laici possunt esse liberi à soluendis Ecclesiæ Decimis. ibid.
Præscriptio & consuetudo pares sunt potestate, & auctoritate. ibid.

Precum Ecclesiæ partes. *Vsus Psalmorum ab Apostolis acceptus.841.1.*
Psalmi Danidis per singulas hebdomadas ab Ecclesia ordinate recitantur. ibid.
S. Benedictus aliter quam Ecclesia Psalmos distribuit.841.2
Monachi in Aegypto, & Thebaide acceperunt ab Angelo morem duodecim Psalmos recitandi ad nocturnas vigilias. ibid.
Cantica recitandi in Ecclesia mos ex veteri testamento sumtus est. ibid.
Canticum à psalmo, quid differat, quid sit Canticum Psalmi, & Psalmus Canici. Ibi.
Canticum est antiquius Psalmo Canticorum, auctor Moyses, Psalmorum Dauid. Ibid.& 842.1.
Cantica Scripturæ ferè omnia Ecclesia diuino officio inseruit.842.1.
Canticum, Te Deum laudamus compositum à B. Ambrosio, & Augustino, ibid.
Hymni, vide Hymnus.
Antiphonarum Auctor apud Græcos fuit S. Ignatius, apud Latinos S. Ambrosius.842.2.
Lectionum Antiquitas quanta sit in Ecclesia, quid differant à Psalmo, Hymno, Cantico, Capitulis, vnde desumantur, & quibus cum cæremonijs recitentur.843.1.
Responsoria cur sic dicta sint, vnde desumantur. ibid.
Versus quare sic dicti & quando recitentur. ibid.2.
Collectæ cur sic dictæ, cur ante eas semper dicatur Oremus. ibidem.

Presbyteri *Presbyteri non possunt præscriptione acquirere aliqua ex ijs, quæ sunt ordinis Episcopalis.391.1.*

Primigenia *Primigenia apud Hispanos in vsu posita non transeunt vna cum Primogenito facto Monacho ad Monasteriū.1028.1.*

Primitiæ. *Quid sint Primitiæ, & an iure communi debeantur.619.1.*
Olim debebantur lege diuina scripta.619.2.
Primitiæ sunt magna ex parte sublatæ, & lex de illis soluendis ferè vbiq; antiquata. ibid.
Primitiarum certa pars, non est iure sancita, sed arbitrio offerentium relicta est. ibid.
Primitiæ partim iure naturali, partim Canonico debentur. 620.2.
Quibus modis primitiæ differant à decimis, & cur offerantur.620.1.
Primitiæ quibus iure debeantur.620.2.

Princeps. *Princeps qui promouet lege impedimentum sciens, expedit etiam Impedimentis.10.2.*
Principum signa, & subscriptiones in pura Papyro quatenus sunt rata.10.2.
Principatus politicus & despoticus quid sint, & quid differant.69.1.
Princeps ius habet condendi leges.328.1.
Princeps tenetur ad contractus cū primatis seruandos.347.2.
Non tenetur suis legibus vt suæ leges sunt. 348.1. Sed quadam naturali honestate. ibid.
Principes inferiores & ipsi suis legibus soluti sunt.349.1.
Principis non est conuocare Episcopos vt tales, sed vt proceres regni.371.1.
Princeps potest punire subditos legem per consuetudinem sine peccato non seruātes ante elapsum tempus præscriptionis. ibid.
Principes non sunt Patroni Ecclesiarum, qua in ipsorum Regnis sunt.394.1.
Quod Ecclesia vacante, res eius administrent, corruptela est. ibidem.
Principis summi est priuilegia concedere, inferioris aliquatenus. ibid.
Summus etiam cum detrimento communitatis id potest, inferior non item.410.2.
Principes non possunt relaxare votum, & Iusiurandum. 435.1.
Matrimonia inter Christianos rescindere non possunt, inter paganos possunt. ibid.

Priuilegia

Si statuta condant de vsuris Iudæis pendentibus, quando peccent, vel non peccent.
Ad quæ priuilegia requiratur scriptura, ad quæ non. 316. 1.
Priuilegio quando gaudeat absens, & ignorans. 320. 2. & 407. 2.
Priuilegium quando per legem abrogantē auferatur. 320. 2.
Amittitur per desuetudinem decennalem, nisi aut fuerit necessaria, aut Princeps priuilegiarij arbitrio permiserit. 326. 1. & 401. & 402. 1.
Priuilegia, qui se habere dicūt à Papa trahendi ad tribunalia ciuilia Clericos quid attendere debeant. 358. 1.
Priuilegia non valent contra Bullam Cœnæ Domini. 358. 2.
Priuilegium, in quibus casibus plus non possit, quàm Consuetudo. ibid.
Priuilegij ius non tribuunt longissimum tempus, & fama, in ijs, quorum capaces non sumus. ibid.
Priuilegium statuto Laicorum Clericis cōcessum, ijdem Laici alio statuto abrogare non possunt. 366. 2.
Priuilegium vnde dictum sit. 400. 1.
Priuilegiorum diuisio. ibid.
Priuilegia concedere est Summi Principis, inferiorum aliquatenus, sed nonnisi subditis. 401. 1.
Priuilegium est contra beneficium præter ius. ibid.
Priuilegium personæ, cum ipsa deficit. Priuilegium rei non deficit. ibid.
Priuilegium exhibitum Principi, si contrarium tulerit ipso facto censetur. ibid.
Priuilegio suo quando quis potest cedere. 402. 1.
Priuilegia locorum, ipsis auctoritate Principis destructis, pereunt, non pereunt, si casu aut ab hostibus destruantur. 403. 1.
Priuilegium quibus modis irritum reddatur. ibid.
Priuilegium posterius quando deroget priori. 403. 2.
Priuilegium quot modis finiatur. ibid.
Priuilegium interpretari est eius, qui dedit. 404. 1.
In priuilegio interpretando menti collatoris inhærendum est. ibid.
Priuilegium interpretari quid sit, quid protendere. ibid.
Priuilegium præter iura plenissime interpretari licet. ibid.
Cum derogat tantum particulari consuetudini, & statuto. 404. 2. Et cum est in fauorem Miserabilium personarū. ibidem.
Priuilegium quando sit strictè interpretandum. 404. 1. & 2.
Priuilegium conceditur interdum, vt quis iuri communi restituatur. 404. 2. Ad eximendos scrupulos. 405. 1.
Priuilegium intelligitur aliquid addere iuri communi. ibidem.
Priuilegium morte eius, qui concessit non finitur. ibid.
Priuilegium in odiosis, & pœnalibus primo actu finitur, in cæteris non item. 406. 1.
Priuilegium etiam ad socios priuilegiarij extenditur, quando alioqui esset inutile. 407. 1.
Priuilegio Summi Pontificis colli potest decima. 616. 2. & 617. 1.
Priuilegium Pontificium Religionibus Mendicantibus datū de Eucharistia omni tempore præter diem Dominicæ Resurrectionis distribuenda concessum, quomodo intelligatur. 630. 1. & seqq.
Priuilegium Pontificis sacrificandi post meridiē, & ante auroram trahendum est solum ad vnam horam. 878. 2.
Priuilegium quibusdam Religionibus, vel Congregationibus denuò concessum post Concilium Tridentinum extra ēpus faciendi sacrum. 879. 1.

Probatio.

Probationis tempus iure communi à tempore habitus monastici suscepti incipit. 1002. 2.
Probationis annus, & tempus debent esse continua. 1003. 1.
Probationis habitus est necessarius, vt Nouitius Professionis sit capax. ibid.
Quis ad Probationem admitti possit. 1001. 2.
Quanto tempore Nouitius probari debeat. 1002. 1.

Procacitas. Procurator. Prodigus. Professio Religiosa.

Procacitas quid sit. 134. 2.
Procurator an possit præstare iusiurandum. 927. 1.
An Prodigus inreiurando contractum confirmet. 923. 2.
Professio religiosa quot modis fieri possit. 1007. 2.
Professio quomodo expressè emitti soleat. ibid. & quæ ad illam requirantur.
Professio tacita quot modis fiat. 1008. 1.
Professionem taciam num emittat, qui habitum Nouitiorū suscipit voluntate Religionem profitendi. 1008. 2.
Professio quomodo profitentem obliget. 1009. 1.
De ætate necessaria ad Professionem. 1010. 2. & seqq.
De Professione per vim, metum, dolum, fraudem, sub conditione, & c. emissa. 1011. 1. & seqq.
Quis ad Professionem admittere possit. 1012. 1. & cōsequent.
Per Professionem quomodo remittuntur peccata. 1014. 1.
De Professionibus, quibus monastica regula, aut obedientia, &c. tantum vouetur, nihil aliud exprimendo. 1015. 1.

Promissus & Promissio.

Promissum qui recipit per vim aut metum restituere tenetur. 923. 1.
Promissio facta alteri de ingressu Religionis si ipse ingrediatur an valeat. 928. 1.
Promissum factum ab eo, qui est in dignitate constitutus, an transeat ad eius successores. 928. 2.
Promissio quid differat à voto. 941. 1.

Prophetę. Proprietas.

Prophetæ quo ordine sibi inuicem successerint. 515. 1.
An proprietatis Crimen incurrat religiosus, qui ex communi aut ex eo quod ad alterius vsus tributum est, furtim sibi aliquid accipit. 1042. 1.
An vitium proprietatis incurrat religiosus, qui absque Superioris consensu aliquid ab alio religioso accipit. ibid.

Proscriptus.

Vt proscriptus à quouis primo occidatur, consuetudo est nō satis iusta. 393. 1.
Statutum quo id permittitur contra proscriptos qui Banniti dicuntur iustum. 411. 2.

Proteruia Prudentia & Prudēs.

Proteruia quid sit. 134. 2.
Prudentiæ species quæ sint. 166. 1. & 2.
Prudentia quomodo sit virtus rationis & quomodo moris. 164. 1.
Prudentia an virtuti morali finem præstituat. 174. 1.
Prudens in vnius virtutis materia, an sit prudens in omnibus. ibid.
Prudentia an & quomodo sit cæteris virtutibus moralibus præstantior. 177. 1.

Psalmi. Publicatio.

Vide precum Ecclesiæ partes.
Publicantur ob crimina omnia bona mobilia, immobilia, iura, actiones. 338. 2.
Non publicantur bona quorum dominium ad reum non pertinet. 339. 1. Vide Fiscus.

Pudor. Pueri.

Pudor quid sit. 141. 2.
Pueri nō sola commodi cupiditate, vt bruta, sed alijs etiam affectionibus ducuntur. 4. 2. & 5. 1.
Pueri qui teneantur lege annua confessionis. 627. 2.
Pueri tenentur audire Missam in die festo cum septennium vel attigerint vel excesserint. 542. 1.
Pueri non tenentur ieiunare. 581. 2.
Pueris ante septennium licet iuxta patriæ consuetudinē ministrare cibos prohibitos diebus ieiuniorum. 582. 2.

Quadragesima.

QVadragesima non iure diuino, sed Apostolica traditione, iure Canonico, & Ecclesiæ consuetudine colitur. 566. 2.

Quadragesima inchoatur à die Cinerum.567.1.
Quadragesimæ ieiuniũ duplex.567.2.
An Quadragesima ante Gregorium Magnum inceperit eadẽ feria quarta, qua nunc.167.1.
Quadragesimam terminari die Cœnæ Domini quidam sentiunt.568.1.
Cur ante primam Dominicam Quadragesimæ adiuncti sint quatuor dies.568.2.
Quadragesimæ ieiuniũ in quadraginta dierum numero consistit.569.1.
Quadragesimam variè olim inchoabant Christiani. 569.1. & seqq.
Quadragesimæ dierum varia computatio.568.2.
Quadragesima cur dicatur etiam si à Septuagesima, Sexagesima, vel Quinquagesima inchoatur.577.2.
In Quadragesima cur quidam die Dominico, quidam feria quinta, quidam sabbato non ieiunabant.ibid.
Quadragesimæ tres quibus temporibus, & quas ob causas colerentur.580.1.
Quadragesimarum trium ieiuniũ cum iniungitur, quænam intelligantur.ibid.
Quadragesimæ tempore qui suscipit Eucharistiam, an impleat præceptum de communione in Paschate.629.2.

Quatuor Tẽpora.

Quatuor temporum nostrorum comparatio cum ieiunio Quatuor temporum apud Iudæos.571.2.
Quatuor tempora vel ab Apostolis, vel statim post ipsos instituta sunt.572.1.
Vt quatuor temporibus clericorum ordinationes fierent, Gelasius Papa constituit.ibid.
In quatuor temporum ieiunio seruando, quæ fuerit olim varietas.ibid.
Quatuor temporum ieiunia hoc ordine, quo nunc sunt, Vrbanus Secundus constituit.572.2.
Quatuor temporum ieiunia, quibus de causis instituta sint. 573.1.

Quinquagesima.

Cur sic dicta sit, & quæ sit illius institutio.577.2. & seqq.

Ratio.

RAtio recta est regula in Moralibus.205.2.
Actus contra eam, etsi Deus non esset, vel non prohiberet, peccatum esset, & quare.205.& 206.1.
Peccatum est actus contra eam admissus.ibid.
Quid significet etiam qua angelicam, & diuinam comprehendit.206.2.
Contra eam peccat, qui contra legem humanam agit. 206.1.
Et contra ius supernaturale. 206.2.
Est natura hominis, & ideo quod contra eam, est contra naturam hominis.207.1.
Ratio diuina, natura sua est recta.ibid.
Recta ratio nõ potest nõ præscribere furari esse malũ.280.2.
Rationis error præcedit peccatum voluntatis, nec est error in fide, sed specie vtili, & iucundi honestatẽ fallit. 274.1.
In ea tunc non sunt duo iudicia contraria.274.2.
Ratione carentes legibus non tenentur.350.1.

Reconciliatio.

Ecclesia consecrata, vel tantum benedicta quo pacto iure reconciliari debeat.882.1.& 2.
Polluta occultè Ecclesia non indiget reconciliatione quamdiu latet. ibidem. Vide Consecrationem, & Confessionem.

Refectiuncula.

In refectiuncula vespertina an liceat vti pane, & quando sit introducta.556.2.& seqq. Vide Ieiuni.

Regula.

Regula iuris quæ tutiorem partem eligendã præscribit, quomodo sit intelligenda.111.1.
In naturalibus regula est natura, in artificialibus ars, in moribus ratio.205.2.
Regulæ religionum ab Ecclesia approbatæ iure antiquo communi, & nouo sunt quatuor, S. Basilij, Augustini, Benedicti, & S. Francisci. Quid singulæ sint, & differant. 1130.2. Quatenus obligent, & quos ordines complectantur.1131.& seq. Quid à Constitutione differat, quam vim habeant, & quomodo solui possint.1135.1.

Relapsus.

Relapsus an sit qui vnam hæresim abiurauit tantum, & in diuersam labitur.669.2.
Quatuor modis relapsus accipitur.ibid.
Relapsus censetur qui ob vehementem hæresim suspicionem eam abiurauit, & deinde hæreticis adhæret.ibid.
Vt relapsus puniri non debet, qui eiurauit hæresim certam & communicat cum hæreticis alterius erroris.670.1.
Nec qui abiurauit hæresim & detrusus in carcerem inde fugit.ibid.

Religio. Religiosus.

Religio quid sit.165.2. Religionem tacitè profitetur, qui habitum illius gestat.ibid.
Religio quomodo sit præstantissima virtutum.177.2.
Religiosi peccatum ex alia parte maius, ex alia leuius est peccato laici.263.1.
Violans Constitutionem, quæ ad pœnam obligat, etsi à culpa generali statuto eximatur, ad pœnam soluendam tenetur. 317.1.& 2.
Religio duobus modis accipitur.733.1. vnde dicta.750.2.
Religionis actus alij exteriores alij interiores. ibid. An pertineant ad primum Decalogi præceptum.ibid.
Primum Decalogi præceptum ad religionem pertinet.750.1.
Religio sit ne virtus Theologica an moralis.756.2.
Sit ne vna virtus specie.ibid.
Quos actus adorationis Deo, diuinisque rebus tribuat. 751.1.
Religionis cultus possit ne Sanctis, & hominibus tribui. ibidem.
Religiosorum ordines sunt à decima præsoluenda exempti. 617.1.
Possunt accipere oblationes quæ in eorum Ecclesijs offeruntur.721.1.
Licet religioso transire ad aliam religionem strictiorẽ.1045.2. Hic transitus iure conceditur.ibid.
Quomodo liceat ad laxiorem religionem transire. 1048.2. Et plura. ibid. de transitu ad alias religiones.
Religio Carthusianorum an sit strictior quam Minimorum. 1011.1.

Reliquiæ.

Reliquiarum nomine quid intelligatur.743.1.
Reliquias Sanctorum non est superstitiosum venerari. ibid.
Ritus Ecclesiæ circa Reliquias, & sepulchra sanctorum vacant superstitione.744.2.
Debere honorari, & coli constat ex scripturis.745.1.
Rectè ex collo deferuntur suspensæ.ibid.
Quomodo recondi, & exponi populo ad venerationem, transferri, & asseruari debeant.ibid.
Quomodo sine authoritate Romani Pontificis liceat reliquias alicuius sancti colere.745.2.
An sit sacrilegium ex loco publico & sacro aliquid reliquiarum priuatim extrahere, & sibi sumere aut alio transferre.746.1.
An qui id facit excommunicationem incurrat.ibid.
Ecclesiæ mos transferendi reliquias perantiquum.ibid.

Residentia.

Ad non residendum si beneficium curam animarum habeat adiunctam, requiritur facultas ordinarij in scripto. 316.2.
Residentiæ lex in beneficio simplici est iuris Canonici, & consuetudine potest abrogari.379.2.

Res.

Res vsu consumptibilis dubio iure possessa reperto domina præstari debet.121.2.
Res quæ deprehenditur esse aliena, ijs distribuenda est inter quos est iuris dubium.122.1.
Res possessa si aliena esse deprehendatur, nec dominus inueniatur, in pauperes est eroganda.ibid.

Respõsa.

Respõsa prudentũ quæ sint, & cuius sint authoritatis. 310.2.

Respublica.
Vnde orta 311.2. Sunt pars iuris ciuilis.312.2.
Libera potestatem habet condendi leges.328.1.
Rem communē sibi, & priuato communem, potest totā vendere cum commodè non potest partem distrahere. 416.1.

Restitutio.
Leges condi possunt quibus aliquis in foro conscientiæ restituere cogatur.337.2.
Nihil restituendum est emptori, qui emit bona à criminoso occulto, ipso iure Fisco addicta, nisi vel totum precij, vel pars inter proscripti bona inueniantur.339.2.
Restituenda sunt à Fisco hæredibus testatoris bona, quæ bona fide criminoso occulto legauit, quæ mala fide non item. ibidem.
Restituere tenetur fructus Clericus ob factum aliquod ipso iure beneficio priuans.340.2.
Restitui in conscientia ante cōdemnationem debet damnum, non pœna.341.2.
Restitui debent in foro conscientiæ bona domestico, vel extraneo relicta ab eo qui se filium susceperum desperabat sis nascatur.342.& 343.1.
Ecclesia facta hæres plusquam dimidiæ partis bonorum filio defuncti restituere debet quod supra dimidium est, vbi lege ciuili dimidia pars filijs datur. 362.1.

Rescriptum.
Rescriptum quid sit, & quot modis sumatur, quando sit irritum, quando ratum.407.& 408.1.
Quando ad fauorem pertinet ipso facto est irritum non autem si ad lites.408.2.
Non vitiatur ob defectum literæ, vel syllabæ. ibid.
Durat dum secundum impetretur. ibid.
Quid postulet, vt valeat. 409.1. Et quomodo interpretandū. ibid.
Rescriptum quis impetrare possit.409.2.

Reuelatio.
Reuelante Deo vrbem occupandam ab hoste, nihilominus cōtra niti licet.126.2.

Reuerentia.
Vnde nascatur, & in quo sit posita.133.2. Eius varia apud diuersos sunt signa.134.1.

Risus.
Ridere.
Risus vnde nascatur.138.2. Risus non est affectus, sed eius effectus. ibid.
An videre Titium ex equo dilapsum sit peccatum.224.2.

Ritus.
Ritus Missæ, & partes, quæ sint, & quando adhiberi cœptæ. 894.1.& seq.
Ritus precandi in Ecclesia & partes.841.1.

Rogationes.
Diebus Rogationum an sit præceptum audire sacrum. 545.2
Ieiunium diebus rogationum non est lege communi indictū. 575.2.& seqq.

Romæ.
Romanæ vrbis anni quomodo sint supputandi.506.1.

Rusticus.
Quotannis liberaliter donando par Gallinarum Principi non facit, vt ille ius habeat.385.1.

Sabbatū.
Sabbato non est iure communi indictum ieiunium. 573.2.
De Sabbati ieiunio variæ Ecclesiarum consuetudines. ibid.
Olim Græcis instar festi erat. ibid. Romana Ecclesia solebat omne Sabbatum ieiunio deputare. ibid. Quæ Romanā sint sequutæ, & cur Sabbato colebat illud ieiunium. 574.1. Cur Græcis instar festi fuerit. Ibid.
Diuersitas hæc orta ex diuersorum Apostolorum traditione. Ibidem.
Iure Canonico est institutum ieiunium die Sabbati. 575.1.

Sacerdos.
Sacerdoti integrum est pœnitentis probabilem sententiam suæ contrariam sequi.117.1.
Sacerdotis improbi, hæretici, schismatici, excōmunicati, quæ potestas sit in consecratione.866.1.& seq.
Sacerdos est Missæ minister, liber ab impedimentis, & pœne, solutoq; Eucharistiam ministrare ordinaria potestate ius habet.872.2.
Sacerdos simplex omnis iurisdictionis expers Eucharistiam alij ministrare non potest, parochi concessu potest.873.1.
Qui semper abstinet à sacrificio absque iusta causa peccat grauiter, si ter in anno celebret non videtur peccare lethaliter.874.1.
Qui habet curam animarum quoties sacrificare teneatur. Ibidem.
Quotidie sacrificare potest Sacerdos præterquam in die parasceues, nec Sabbato Sancto priuatè potest sua authoritate. Nec in cœna Domini priuatim vbi consuetudo id obtinet. 875.2.
Quibus casibus sæpius quam semel in die sacrificare liceat. 876.1.
Qui Capellaniæ præest, & quotidie sacrificare debet quando peccet non celebrando per se, vel per alium.876.2.
An teneatur ad restitutionem eo quod fundatoris voluntati non satisfaciat. ibid.
Quanam diei hora publica, & solennia Missæ sacrificia à Sacerdote fieri debeant, & quomodo lethaliter peccet diurnam lucem notabiliter præueniens.877.2.
Sacerdos pransus non potest iure Sacramentum Eucharistiæ conficere, si tamen consecret verè conficit Sacramentum.891.2.
Qui post consecrationem panis, aut etiam vini meminit se nō esse ieiunum prosequi debet sacrificium. ibid.
Sine confessione sacrificare non licet.896.1.
Sacerdos conscius sibi peccati lethalis, & sacrificans citra confessionem cum commodè possit confiteri, vnum, & vnius deformitatis tantum peccatum committit.896.2.
Quando quis noctu se polluens à sacrificando abstinere se debeat. ibid.& seq.
Sacerdos, qui inchoatum Missæ sacrificium relinquit imperfectum sine iusta causa lethaliter peccat. 897.2. Qui incœptum relinquit ipso iure in excommunicationem non incurrit. ibid. Vide Clericus, Missa, Horæ Canonicæ. Consecratio.

Sacramētalia. Sacramētum.
Per Sacramentum delentur veniales culpæ. 249.1. Sed ea tantum quarum voluntas est deposita legitimè præparatis.249.2.
Non pugnant Sacramenta cum peccatis venialibus, vt causæ physicæ, sed vt signa, & instrumenta. ibid.
Proximè, ac per se venialia delent.250.1.
In Sacramentis si vnum verbum omittatur, aut syllaba quæ omissa sensum mutet Sacramenta nulla sunt. 423.1.
Per Sacramentalia ex opere operato delentur peccata venialia.250.2. Ad id requiritur actus pœnitentiæ implicitus.251.1.
Sacramentalium legitimus vsus requiritur, vt præparatio. 251.2.
Non sunt Sacramenta, & quare. ibid. Sunt nouem, & quæ. 252.2.

Sacrificium.
An soli Deo sit sacrificandum.755.2.
Sacrificandi præcepto quando teneamur. ibid.
Sacrificium quid sit, & quotuplex.846.1. Quæ sit eius materia, quis finis, quomodo differat ab oblationibus alijs Hebræorum, & quid in veteri, & noua lege differat, in quo conueniat.246.2.
Septem sacrificiorum genera olim ab Hebræis vsurpata. 847.1.
Veteris legis sacrificia per se peccata non delebant, nec gratiam impetrabant, sed offerentium merito, mundabant tamen à legalibus maculis.847.2.
Sacrificium vniuersè sumptum est iuris naturalis, certum ac speciale iuris diuini, aut humani, fuitque in statu naturæ. 848.2. Soli Deo sacrificia offerenda.849.1.
Quibusnam temporibus sit Deo sacrificandum.849.2.
Non pertinet ad actionem sacrificij, vt hostia macletur, sed

satis est si eius materia in se ipsa aliqua ratione mutetur.851.& 352.1.
Quomodo Corpus Domini sub speciebus contentum sit sacrificij materia.852.1. Vide Missa.

Sacrilegium. Sacrilegij nomine quid intelligatur, quæ eius species, & modi, & quomodo admittatur contra personam sacram, vel locum sacrum.775.1.& seqq.
Quæ sint loca sacra, & religiosa, & an sit sacrilegium rem nõ sacram ex eiusmodi locis auferre.776.1.
Sacrilegus ne sit qui in loco sacro vult occidere, furari, &c. 776.2.
Sacræ rei nomine quid intelligendum, in qua sacrilegium admittitur.777.1.
Simonia sit ne sacrilegium, & omne peccatum, quo res sacras non, vt decet, tractamus. ibid.
An sacrilegi iure ipso excommunicationem incurrant, & incendiarij Ecclesiarum, spoliatores, effractores, & qui rem sacram ex loco sacro auferunt.777.2.& 778.1.

Sacrum, & Profanum. Canonico ne iure prohibitum sit vasa, ligna, candelabra, vestes, pannos ad vsus sacros destinatos in profanos vsus cõuertere.748.2.& 749.1.
An vestes, & panni profani possint conuerti in paramenta Ecclesiæ.749.1.

Sampson. Dei nutu se occidit.452.2.

Sancti. Sunt inuocandi.752.1. In cælo pro nobis orant.754.1.
Qui ante Christi ascensum in cælos apud inferos detinebantur pro viuis orarunt.754.2.
An qui sunt in purgatorio pro nobis orent. ibid.& 785.2.
Beatos omnes etiam paruulos inre possumus orare.786.1.

Sanctio. Est lex certam pœnam irrogans non obtemperantibus.310.2.

Saraceni. Saracenorum nomen quo pacto accipiatur.699.2.
Episcopi, & Inquisitores possunt inquirere in transeuntes è Christianis & Saracenos, & eorum fautores. 700.1.
Cum Saracenis quæ sint interdicta Christianis, & qui hoc nomine Saracenorum comprehendantur.700.1.& 2.
Saraceni Christiano Principi subiecti puniri possunt ob delicta contra naturam, aut Deum commissa, in ijs quæ habent nobiscum communia.704.1.
Saracenorum ritus quatenus impunè permittant Principes Christiani. ibid.

Scandalũ. Scandalum ex speciali proposito voluntatis dependet.35.2.
Quid sit specialiter, & generaliter acceptum.232.1.
Qui publico verbo, vel facto alios ad peccandum incitat scãdali peccatum non admittit, nisi eo animo faciat, vt alij ad peccandum moueantur.261.2.

Schisma. Schismaticus non est hæreticus, & cur.687.2.
Schismaticus sit ne membrum Ecclesiæ. ibid.

Schismaticus. Quomodo schisma sit peccatum, recusando Romani Pontificis præceptum, Episcopi non item.688.1.
Schismaticus pœna excommunicationis afficitur, & an iure communi.688.2.
Quomodo schisma contingat citra intellectus errorem. ibid.
Schismatici, nisi nominatim denunciati in communi conuictu non sunt vitandi.689.1.
Schismaticus eo ipso est irregularis, si tamen Episcopus sit vel Clericus retinet potestatem ordinis, nõ iurisdictionis. 689.2.
Cur Græci vocentur Schismatici, & similes, non hæretici, ibid.& 690.1.
A Schismaticis, qui promouentur ad ordines, quam pœnam iuris incurrant.690.2.
Quæ publicè fiunt à Schismaticis quantum valeant. ibid.

Scholastici. Vbi literis dant operam sunt quasi peregrini.49.2.
Quod ad crimina pertinet illi subijciuntur, cui subijci est cõsuetudo Gymnasij. ibidem. Quo ad Sacramenta necessaria

ria ordinario illius loci vbi student, in non necessarijs non nisi suo Ordinario subijciuntur. ibid.& 350.1.

Scotus. Eius opinio. Peccata distingui per virtutes oppositas reijcitur.210.2.
Quomodo defendi possit.211.1.

Scrupul. scrupulosus. Idem explicatur affirmans peccatum veniale committi tantum contra Consilium. 235.2. Et cùm asserit deleri reatum, quando remittitur peccatum veniale.242.1.
Scrupulosa conscientia quæ sit, & à dubia quid differat. 738.
Animus Scrupulosus in vna re, vel pluribus, sine causa probabili dubitat, & est animo suspenso. ibid.
Quot modis Scrupuli contingant, & ex quibus causis. Ibidem.
Quomodo eximere possit, & debeat confessarius Scrupulos ex conscientia.1076.739.1.
Scrupulosis, qui quod semel recitarunt, obliti sunt, & repetere volunt suadendum est ne quicquam repetant.834.1. Vide conscientia.

Sculptores. Sculptores celebres enumerantur.509.2.

Senator, & Senatus consultũ. Senatorum aliquando excusetur ab audiendo sacra. Vide Missa.
Senatus consultum, quod fiebat sine comitijs, aut plebis suffragio.310.2.

Senex. Ortum est ex Imperatorum potentia, & actu.311.2.
Non liberatur à ieiunio per ætatem, nisi sit infirmus. 582.2.
Sexagenarij senes iuxta communem regulam an sint à ieiunio exempti. ibid.

Sensus. Sensualitas. Sensus pœna est inæqualis. 279.1. Hac non potest peccatum non punirri lege ordinaria, extraordinaria potest. ibid.
In sensualitate, & si sit actus lethalis peccati, culpa tamen rationi, vel voluntati tribuitur.266.1. Veniale est in ipsa præueniente plenam mentis deliberationem, & insequenti semiplenam. ibid.

Sententia. Sententia metu lata verius censetur ipso iure rata.23.2.
Sententiam suæ contrariam quando alicui sequi liceat.117.2

Septuagesima. Cur sit dicta, & quænam fuerit huius Dominicæ origo, & institutio.577.2. Vide Quadragesima.

Serm. Sermo. Vide oris peccata,

Seruus. seruitus. Serum ab Episcopo electus in Clericum, sciente, & non impediente domino, fit liber.9.1.
Seruus quo iure peculium habere possit. ibid.
Seruitus non est omnino contra legem naturalem.430.2.

Signa. signare. Signans, & subscribens in instrumentis, actis, consilijs eo ipso consentit.10.& 11.1.
Signa diuinæ voluntatis quinque, & quæ.125.1.
Signa voluntarij quæ sint.6.1.

Simonia. Simoniæ crimen incurrunt, qui precio hinc inde dato, & accepto, equites ad Sacrorum militum ordines admittunt, vel conferunt, & permutant Commendas.734.1.

Species. Vide Consecratio, Panis. Sacrificium.

Spes. Euidentiam scientiæ non habet.135.1.
An sit in Beatis, & an in Christo fuerit. ibid.
Qui aliquid eorum, quæ sperare debemus, desperat, totam rationem spei tollit.
Quando spei præceptum obliget, tanquam remedium peccatorum: aduersus quinque peccatorum genera.1033.2.
Spei varia acceptio. 720.1. Quomodo sit virtus, quomodo non, & acquisita, actibus naturalibus num sit Theologica.720.2.
Re differt à fide, & charitate.721.1.
Quare non ponatur moralis virtus, & quomodo per Spei actum iustus mereatur.721.2.
Hæret in voluntate, eiusque Primarium, & proximum obiectum est Deus.722.2.

Quomodo intereat. ibid. Quomodo in iustis augeatur, & peccatoribus. 723.1.
Quomodo timori opponatur. 724.1.
Quando ad actum Sperandi præcepto teneamur. 725.1.
Sponsalia. Metu iusto facta iure Ecclesiastico sunt irrita. 23.1.
Spurius. Spurijs filijs denegare alimenta Ciuili iure commissum est, Canonico prohibetur nisi aliunde habeant, vnde viuant. 399.1.
Quod spurijs iure Ciuili permissum est patrem non alere, iure Canonico prohibitum. ibid.
Status. Status hominis sex considerari possunt. 192.1.
Status hominis cum solis naturæ viribus quid differat à statu peccatoris. 193.1.
Status solius naturæ, an pugnam carnis, & spiritus sensisset. 194.1.
Quæ officia virtutum Deo præstitisset. 201.1.
Statutũ. Statutum est inferiorum Principum, ciuitatum, populorum constitutio. 310.2. & 418.1. & 2.
Laicorum statuta valent contra leges, Clericorum contra Canones non valent, quare. 388.1. Quid sit. ibidem. Vim habet cũ primum innotuerit, nec finitur obitu conditoris. 410. 2. Contra ius diuinum, vel naturale non valet. 411.1.
Quomodo abrogari debeat. 418.1.
Stephanus. Continetur etiam Iuris appellatione. 422.1.
Afflatu Spiritus Sancti loquebatur cum ad populum haberet concionem. 635.1.
Stipulatio Legitima censetur quæ silentio approbatur. 8.2.
Strena. Vnde ortum habet, à quo introducta. 580.2.
Striges. An verè dæmonum ministerio per aera deferantur. 770.2.
STVPOR. Quid sit. 142.1.
Subdiaconus. Subdiaconus factus satisfacit recitando officium illius diei quæ ordinatur. 837.1. Vide Clericus, & 129.2. Vide Ordo.
Subditus. Subdito licet contra suam opinionem sententiæ, & præcepto Superioris accedere. 116.2.
Substantia. Substantia actus facit ad generationem habitus, non modus. 162.2.
Vide, Actus, Actio.
Summistæ. Summistæ Classici enumerantur. 106.2.
Superbia. Superbia quid sit. 134.2. & 231.1. Quot modis accipiatur. 236.1.
In omni peccato est Superbia latè. 231. Latè sumpta est quodcunque lethiferum peccatum. ibid. Et quare. 233.2. Est speciale, & quando. 231. & 232.1.
Contemptus non pertinet ad gulam Superbiæ. 255.2.
Humilitati, & Magnanimitati quomodo repugnet. ibid.
Quando sit lethale, quando veniale peccatum, & quæ eius filiæ. 255. & 256.1.
Superstitio. Quid, & quotuplex. 755.2. Quæ cauenda sint ne superstitio sit in verbis, chartulis, herbis, &c. 774.2. & 775.1.
Suspẽsio. Legibus Canonicis ob culpam venialem imponitur.
Surdus. Surdi cum Missæ sacrificio intersunt implent præceptum. 544.2.
Symbolũ. Symboli Apostolici duodecim articuli quomodo possint esse quatuordecim, cum expositione. Vide credere. Fides.
Synderesis. Synesis. Synesis quid sit, & quomodo pars prudentiæ. 68.2.
Synderesis quid, & quis actus ad illum pertineat. 71.2.
Tabulæ. LEges Romanæ scriptæ in tabulis æneis Athenienses ligneis, Carthaginenses Eburneis. 312.2.
Tactus. Duodecim leges tabularum. Vide lex.
Temeritas. Delectatio ex tactibus, libidinis gratia est peccatum lethale. 230 2.
Tactus minus nobilis, quàm visus, eoque primari peius est, quàm visu, & cur. 261.1.
Temperantia. Quid sit. 165. 2.
Temperan.ia, & fortitudo in voluntate insunt. 164.1. & 2.
Temperantiæ partes quæ, & quid singulæ sint. 166.1.
Templa propriè soli Deo dicata sunt. 849.1. Cur soli Deo debeantur, & Sanctis dicati dicantur. ibid. Templũ. Templarij.
Antiquissimus vsus est templa ædificandi Sanctis. ibid.
Templariorum Ordo quo iure fuerit euersus. 1106. & seqq. Vide Ordo.
In iure duplex est. 423.2. Tempus.
Tentatione prima superata confirmandus erat Adam, & posteriori eius in gratia, & Iustitia originali. 186.2. Tentatio.
Extra Territorium peccans subditus, nec statuto, nec consuetudine eius tenetur. 389.1. & 409.2. nisi sit de re subiecta eius conditori. Ibidem. aut peccatum in Territorio cæptum alibi expleatur, aut peccans se iudicio sistere nolit. ibid. Territorium.
Quid sit. 142.1. Terror.
Testes in testamento adhibiti, vel detenti metu nulli sunt. 23.1. Testes. Testamenta.
Testamento relinquens bona criminoso occulto, cuius bona sint ipso iure Fisco addicta, peccat. 339.2.
Testamenti adiecta pœna absque mora in foro conscientiæ debetur. 343.1.
Vt Clerici testamentum de fructibus beneficij condant consuetudine introduci potest. 391.2.
Testamento relictum, vt valeat tres, vel duo testes requiruntur in ijs pijs causis. 399.2.
In membris non esse peccata, dum asserit, quomodo intelligendus. 264.1. & 266.2. S. Thomas.
Quod in sensualitate sit veniale nõ lethale, quomodo in eius sententia sit accipiendum. ibid.
Timor, quid sit. 142. Eius effectus. ibid. An ei opponatur audacia. 142.2. Cur illum sequatur pallor. 143.2. Timor.
Timor Domini, quid in scripturis significet. 724.1.
Timor à Theologis triplex constituitur. 724. 2.
Timor seruilis non est natura sua malus, quemadmodum mundanus. ibid. & 725.1.
Traditio Apostolica est ieiunare feria quarta, & sexta. Itẽ Sabbato. 574. & seqq. Traditio.
Item ne inter Paschа, & Pentecosten, vllo die Ieiunium indicatur. 581.1.
Traditio quid sit, quomodo credendum sit traditionibus. 640.2.
Quæ sint Diuinæ, Apostolicæ, Ecclesiasticæ. 641.1. Quam auctoritatem habeant. ibid.
Quid differant, eorumque varia exempla. 641.2.
Ecclesia in traditionibus labi non potest. 642.2.
In Comœdijs, & Tragœdijs, vti vestibus, & habitu infidelium non est peccatum. 719.2. Tragedia.
TRAHI. In legibus.
Trahi ad similia potest lex, etiam in pœnis, cum omnino par est ratio. 377.1.
Per se non trahitur ad præterita. ibidem. Trahitur si declaretur antiquum ius, non tamen in pœnis. ibidem. lex non trahitur ad futura scripta verbis præteriti temporis. 377. & 378.1.
Quando Transactione decima tolli possit, & quid sit. 616.2. Transactio.
Tribunal Regium adire cum Ecclesiastici Iudices censuris opprimunt, non licet. 356.2. Tribunal.
Quæ, & vnde dicta. 313.2. Tributa.
Tribunitiæ leges quid sint. ibid. Comitia.
An idem sit cum dolore. 140.1. In quo obiecto versetur, quot, & quæ eius species. ibid. Quænam eius causæ, & effecta. 140.2.
VAgantes ob crimina per regiones quibus subijciantur. 350. 1. Vagãtes.
VALLIS VMBROSAE. Ordo, Vide Ordo.
VASA SACRA. Vide, Instrumentum Sacrum.

Velle. *Velle, est volantatis quasi primus ad bonum progressus.* 46.2.
Velle, est finis ipsius.ibid.
*Velle possumus etiam simpliciter impossibilia, non tamen eligere.*47.1.
Volendo impossibile quippiam contra ius, & fas, peccare est. 47.2.
*Volens vno affectu alterum occidere, & bona eius surripere duo peccata specie distincta committit.*218.1.
Volens furari, quod det meretrici, committit duo peccata specie distincta.ibid.

Venenū, & veneficia. *Ad venenum hauriendum Reum mortis condemnare barbarum est.*342.1.
*Veneficijs vtentes contra imbres, vt lex Ciuilis præmijs donat, Canonica pœnis.*400.1.
Veniale. Vide peccatum veniale.

Verecundia. *Verecundia quid sit,* 141.2. *Verecundia an à pudore destinguatur.*142.1.
Verecundia an sit virtus an effectus animi.ibid.
Verecundia an in viros bonos, & senes quoque cadat, 143.1.
*Verecundia puerorum, & adolescentum cur in laude ponatur.*143.2.
Verecundiam cur rubor sequatur.ibid.
Verecundia ex aliorum malis aliquando oritur.ibid.

Vidua. *Vidua congressum maritalem fingens animo quomodo peccet.*228.1.& 2.
Vidua iure Ciuili prohibetur post obitum Mariti intra annum nubere, Canonico permittitur etiam intra mensem. 394.2.& 395.1.
*Vidua sibi legatum sub conditione, si casté vixerit, nubens amittit.*395.1.
Vidua post obitum viri, an laudabiliter se domi contineat. 551.2.

Virtus. *Virtus quid, & quotuplex sit.*162.2.
*Virtus in qua animi facultate, vt subiecto insit.*164.1.
*Virtus moralis an Angelis insit.*164.2.
*Virtutes morales quot sint, & vnde diuisio petatur.*165.1.
Virtutes Cardinales vnde dictæ, & illarum prærogatiua. 165.2.
Virtutes cæteræ quomodo ad has quatuor reuocentur.ibid.
*Virtutes Euangelicæ, quot, & quid sint.*166.2.
Virtutes Cardinales an specie differant.ibid.
*Virtus moralis an sit simplex habitus.*167.1.
Virtutes aliæ præter Cardinales, an specie differant. 167.2.
*Virtus moralis quomodo acquiratur, & in qua materia versetur.*170.1.
*Virtutes morales infusæ, an sint ab acquisitis specie distinctæ.*171.1.
*Virtus moralis in medio consistit rationis, vel rei.*171.2.
Virtutes morales an, & quomodo inter se sint connexæ. 172.1.
*Virtus omnis moralis necessario est cum prudentia coniuncta.*173.1.
Virtutes omnes morales habet, qui prudentiam habet.ibid.
*Virtutes morales, an sine fide diuina esse possint.*174.2. *An sine Charitate.*175.1.
Virtutes morales augeri possunt, & an oēs æqualiter. 176.1.
*Virtutes morales non finiuntur cum hac vita, sed ornant hominem in futura.*176.2.
Virtutes Rationis, an moralibus præstent.ibid.
*Virtutum nomine an dona Spiritus Sancti includātur.*178.1
An virtutes Cardinales, & Theologicæ re distinguantur à Donis Spiritus sancti.ibid.
*Virtutis officium præstare ob humanam laudem, quare sit peccatum.*256.1.
Virtus, quo maior est, eò peccatum contra eam grauius. 260.2.
*Virtutes morales infusæ cum gratia infunduntur, & per peccatum lethale expelluntur.*277.1.

Vis armata. *Vis armata quæ sit.*15.2.

Vis. Violentia. *Violentia in actu voluntario esse non potest.ibid.*
*Vi coactus ad maleficium non semper excusatur.*16.2.

Vita Æterna. *Vita æterna nobis est merces laboris, & gratia reparationis, primo Parenti ante lapsum fuit solùm merces.*203.2.

Vitium. *Vitium à peccato, & culpa quid differat.*205.2.
Vitium est habitus, vel actus virtuti contrarius.ibid.
*Vitia non sunt sibi inuicem copulata.*259.2.

Vnctio. *Vnctio Sacra, vnum est è Sacramentalibus.*253.1. *Vide extrema vnctio.*

Voluntas, & voluntarium. *Voluntarium quid sit.*5.2, *Voluntarium nec vi nec ignorantia geritur.ibid.*
*Voluntariū sæpè est, quod aliena voluntate fit.*6.1.& 292.2.
Voluntas aliena quot modis nostra reputetur.ibid.
*Voluntarium potestate cuiusmodi sit.*6.2.
*Voluntarium indirectum quid sit.*7.1. *Voluntarium iuris fictione quid sit.ibidem.*
*Voluntas tacitè permanere censetur, etiam præterita.*11.2.
*Voluntas quomodo, & quamdiu potestate tantùm permaneat in actibus subsequentibus.*14.2.
*Voluntarium à violento quid differat.*16.2.
*Voluntas necessitate affici, vi inuita cogi non potest.*17.1. *In actibus imperatis cogi potest.ibid.*
Voluntarium quando ex toto, vel ex parte, metu tollatur. ibidem.
*Voluntarium indirectum quando sufficiat ad peccatum, quando requiratur directum, & expressum.*35.2.
*Voluntas in malum, vt malum, cur ferri non possit.*48.1.
Voluntas in incognitum nullo modo ferri potest. 48.& 49.1.
*Voluntas an à seipsa tantùm moueatur, vt causa efficiente, an etiam à Deo.*49.2.
Voluntas in finem communem vltimum necessariò mouetur. 50.1.
Voluntati primo inest libertas.ibid.
*Voluntas qua ratione sit suarum actionum causa.*51.2.
*Voluntas momento suum actum elicere potest.*52.2.
*Voluntas quomodo à Deo applicetur ad agendum.*55.2.
*Voluntatis amor elicitus quid sit, & quotuplex.*57.2.
*Voluntas quomodo ex duobus obiectis æquè bonis alterum eligat.*63.2.
Voluntas an minus bonum eligere possit maiori, vel prætermisso vel reiecto. 63.2.
*Voluntas efficaciter intento fine, & vno tantùm medio proposito necessariò eligit.*64.2.
Voluntas ex simplici mentis notitia quomodo moueri possit. 68.2.
*Voluntatis actus quid, & quomodo dicantur imperati.*68.2
Voluntati qui actus subijciantur, qui non.ibid.
Voluntas nostra, vt sit bona, an debeat diuinæ consentire. 125.1.
Voluntas antecedens, consequens, beneplaciti, & signi quid sit.ibidem.
*Voluntas quomodo refugere possit calamitates à Deo volitas.*128.2.
*An voluntas rationis particeps dari possit, quæ per naturam peccare nequeat absque gratia Dei.*195.1.
*In voluntate, vt in subiecto sunt omnia peccata.*263.2.
A voluntate quomodo actus externi habeant, vt sint mali. 264.2.
*Voluntarium requiritur in actibus, qui sunt, non quatenus opera sunt rationis obiecta.*265.1.

Votum.

Voluntas potest aliquid velle absque vllarationis enunciatione.274.2.
Omne voluntatis peccatum antecedit rationis error. ibid.
Votum metu factum est irritum.23.1.& 2.
Votum pœnale in foro conscientiæ persoluendum.340.1.
An promissio Deo facta possit commutari. 293.1. Quæ vota possint commutare Confessarij Societatis Iesu.ibid.2.
Votum quid sit.941.1. Quid à promissione differat,& quantam animi deliberationem requirat.ibid.
An requirat propositum voluntatis. 941.2. An solo proposito perfici possit.ibid.
An requirat pronunciationem. 942. 2. Cuius facultatis actus.ibid.
Promittens aliquid sine voluntate se obligandi voto, an voti vinculo teneatur.943.1.
An soli Deo fiat. ibidem. Materia voti, & res subiecta. 943.2.
An votum possit sapius confirmari, fiatque, nouũ vinculum. 944.1.
Dominium rei voto promissæ an maneat penes vouentem. 955.2.
An opus ex voto factum sit maioris meriti.ibid.
An peccet quem voti sui facti pœnitet, & quinam vouere possint.956.1.
Quomodo vota possint irritari. 958.1. penes quem sit potestas irritandi.958.2.
De commutatione votorum,quis habeat facultatẽ, & quousque extendatur.969.3.& seq.
Votum perpetuæ continentiæ relaxare commutareve quis possit.971.1.
An in Baptismate verè faciat votũ qui baptizatur. 945.2.
Votum quomodo diuidatur.948.2.
An arctius obliget quam iusiurandum.934.2.
Quando quis absolutè teneatur ad soluendum, & quæ resolutio in dubio voto dari possit.953.2.& 954.1.
An sublata causa voti,tollatur & obligatio voti.954.2.
An ad hæredem transeat obligatio voti, & cuius voti. 955.1.
Quando per alium præstari debeat votum. ibid.2.
Votum solenne, & simplex non natura sed constitutione Ecclesiæ differunt. 1015.1.
In quo solennitas voti consistat.1016.2.
Matrimonium quomodo dirimatur per solenne votum religionis,& quomodo non.1018.2.
Solenne votum paupertatis facit inhabilem ad Dominium bonorum Ecclesiastica constitutione. 1019. 2. An possit auctoritate Pontifex relaxari, vi & obedientiæ. 1022.& seqq.
Quando professus, & quo iure testamentum non possit condere.1020.1.
Quo iure per solenne votum obedientiæ transeant monachi in ius,& potestatem monasterij.1021.1.
An per se voti solennis in religione sit arctius vinculum quàm simplicis.1021.2.
Monachus auctoritate Summi Pontificis absolui potest à voto castitatis.1022.2.
An tantum sint tria vota solennia.1022.1.
An in Episcopum electus Monachus, vel Cardinalem, sit eo ipso ab habitu, oneribusque, & regulis liber. 1026.1.& 2.
An si munus Pontificium deponat debeat ad Monasterium reuerti. 1027.1.

Vsucapio pars alienationis.122.1.Vide præscriptio. — Vsucapio.
Vsuras impune permittere, & ad eas promissas, soluendas cogere,non est contra ius naturale.379.& 380.1.Sed cõtra Canonicum vbi receptum est.380.1. — Vsura.
Consuetudine induci potest, vt qui promiserunt,cogantur soluere,nec possint in iudicio repetere.393.1.
Vsuras quomodo Deus olim Hebræis permiserit.433.2.
Vsus est voluntatis actus,& differt à fruitione.65.2. — Vsus.
Vsus an in humanis actionibus sit ab electione distinctus. 66.1.

Qui vulnerãdo alterum occidit, vnum tantum peccatum cõmittit,& qui tria vulnera simul infligit Clerico, vnam excommunicationem incurrit.221.1. — Vulnus Vulnerare.
Vxores plures quomodo vni Deus possit concedere.433.1. — Vxor.
Vxor quando non teneatur Missam audire die festo.551.1.
Vxor quando excusetur à ieiunio.586.2.

Xenia in iure dicuntur esculenta, & poculenta.423.2. — Xenia.

Zelotypia quid sit.140.2. — Zelotypia.

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R P AZORII

Th
527a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN